



MELCHIORIS GOLDASTI
Haiminsfeldii, &c. C. S.

MONARCHIÆ
S. ROMANI IMPERII,

ſive

TRACTATUUM
De

JURISDICTIONE
IMPERIALI

Regia & Pontificia ſeu Sacerdotali;

Deque poteſtate Imperatoris ſive Regis, ac Papæ, cum diſtinctione utriuſque Regiminis, Politici & Eccleſiaſtici,

TOMUS TERTIUS.

Ex ſingulari mandato aut conceſſione

IMPERATORIS, REGUM, ET PRINCIPUM Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Siciliæ, Dalmatiæ, &c.

A recentioribus Catholicis Doctoribus noviſſime conſcripti atque editi; & nunc iterum ſimul recuſi, ac oppoſiti Tractatibus eorum, qui utramque poteſtatem in ſpiritualibus & temporalibus aut adulatoriè aut imperitè confundunt:

Cum Indice rerum & verborum abſolutiſſimo ſeorſim acceſſuro in opus univerſum Monarchiæ.







FRANCOFURTI,
Apud Joann-Davidem Zunnerum, Anno 1668.



Reuerendissimo & Illustrissimo Principi ac Domino,

DN. IOHANNI FRIDERICO, ARCHIEPISCOPO BREMENSI, EPISCOPO LVBECENSI, HÆREDI NORvvegiæ, Duci Holsatiæ, Schlesuuici, Stormariæ, & Dithmarsiæ, Marchioni Stadensi, &c.

Domino ac Principi suo Clementissimo.



Nulla hodie quæstio est, Reverendissime et Illustrissime Princeps, aut apud doctos homines agitatior, aut inter Summates orbis Christiani Principes controuersior, atq; hæc ipsa de Monarchia, quam huiusce Tomi præscriptio profitetur. Quam cùm sibi arrogare Pontifex Romanus, qui à Phoca Imperatore Primatum Ecclesiasticum in vniuerso Imperio Romano, eiusque subiectis prouinciis ac limitibus, obtinuerat, auctis postea opibus ac fortunis elatior, piorumque Principum beneficia ingrata habens, tam in spiritualibus quam in temporalibus fastuosa temeritate cœpisset, opponere sese illi iam non modo alieni ab Ecclesia Romana, sed ipsi etiam Catholico-Romani instituerunt. Ad commune namque incendium exstinguendum nemo non concurrere solet, vtcumque aduerso in flagrantem animo præditus sit: & tritus est Poetæ versiculus;

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Probe poterant boni illi viri animaduertere, quorsum tendat tam immensa & illimitata Papæ Romani prætensio in homines sacros & profanos, liberos & subiectos, nobiles ac plebeios, corpora animasque, mobilia & immobilia bona: & quantum etiam Catholico-Romanorum intersit, iura, priuilegia, ac libertates suorum Principum sartas tectas tueri aduersus iniustam vim & vsurpationem, dum Catholico Euangelici, quos Protestanteis appellant, sub iniquum iugum seruili manu repetuntur. Quid? num quia Imperator, Rex, Princeps, &c. ouis Christi est de grege fidelium, ideo vitam fortunasque suas lupo crudeli, id est, homini tyranno & incubatori, debet deglubendas ac deuorandas exponere? Et quod nullus Rex à suo Primate, nullus Princeps à suo Episcopo, nullus Nobilis à suo Parocho, in cuius ouili enutritur, æquè patienterque ferret, id supremus Imperator à suo Patriarcha, pusillo & abiecto sustinebit animo? Papam autem Romanum, qui sibi ouile totius Christianitatis ex suis ipsius Decretis vindicat, è bono pastore in lupum voracem esse versum, communis vox & fama testatur. Quam nec vanam esse & veracem, illi auctores affirmant, quorum apud me fides ac auctoritas tantum potuit ac valuit, vt eorum Tractatus quam diligentissime & curiosissime perquirerem; inquisitos colligerem; collectos in vnum hoc opus componerem, & aduersariis, qui spretis diuinis humanisque legibus maiestatem, dignitatem, iura, priuilegia, libertates & consuetudines Imperii, Regnorum, Principatuum, &c. nefario ausu ac exemplo proditorio in vsurpatorem eorum, quod in se est (esse verò quam plurimum quotidiana experientia docet,) produnt atque transcribunt.

Perautem studiose & enixissime caui, ne quem in hoc numero sic satis numeroso reponerem, qui non esset è Romano-Catholica illa ipsa Ecclesia, cuius prætensum

Monarcham scriptis suis lancinant & confellunt. Hoc enim pacto existimabam plus auctoritatis & offensionis minus parituram esse industriam meam, quæ in id tantum incubuit, vt bono publico commodaret. Et ob oculos mētis meę ponebam illum Diui Pauli Apostoli canonem, quo iubet, *vt omnia faciamus in ædificationem*. Itaq; de industria ac deliberato consilio nihil eorum auctorum adscripsi, qui aliquam sinistram mali ingenii suspicionem generare possent, præter Molinæum & Hotomannum quorū ille in *Indice librorum Catholicorum, mandato speciali S. Sedis Apost. & S. Cæs. Maiest. Moguntiæ impresso apud Balthasarum Lippium, anno Christi MDCXI.* cum hoc ipso de Monarchia opusculo recensetur; huic autem tanta est parta apud Catholico-Romanos auctoritas, vt passim ab iis non solum in Germania & Gallia, sed in Italia quoque, Hispania, Lusitania, Sicilia, Polonia, Hungaria, &c. in testimonium summo cum laudis præconio semper citetur & (vt vulgari verbo vtar) allegetur. Præterea cum animo meo iam prævidebam, si quos minus probatos auctores alios insererem, fore vt opera mea multo plus nocumenti quam vtilitatis allatura esset, dum suspectionem Catholico-Romanis iniicerem, quasi mero animo aduersatio in odiumque religionis Romanæ Tractatus istos euulgassem, quos illi velut hæreticos facile respuerent & auersarentur. Sed Deum ego immortalem testem inuoco, me vnico veritatis propagandæ studio ductum ad hanc Collectionem accessisse, omnesque illos procul habuisse, qui odio atque inuidia potius religionis, quam amore patriæ libertatis, & fidæ virtutis ad scribendum animos appulerunt. Et si quis forte præter opinionem irrepsit, qui secus, quam dixi, sentiat, eum iam nunc apud CELSITVDINEM TVAM protestor, REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME PRINCEPS, à me nec sciente nec volēte esse ingestum, sed eorum relatu, quorum sum fidem securus. Nisi super penultimo tractatu *De potestate Papæ contra Cardinalem Bellarminum*, non est suspicio, sed certa sententia, esse eum ab vno aliquo Catholico-Euangelico, sed admodum acuto & docto homine, perscriptum, quisquis tandem ille sit, quem multorum rogatu propter argutum differendi genus non putaui negligendum. Quod præmoneo, vt vitando transnauiget, quisquis Catholico Romanus tam fastidiosi est stomachi & auersi, velut scopulum aliquem Syrteum in Oceano maris magni.

Enimuero, inquiet forsitan aliquis, an non Velenus, qui tantis opibus nititur, vt neget D. Petri Apostoli accessum ad vrbem Romam, in manifesta secta Lutherana deprehenditur? Ego vero aio, me ignorare, cui religioni fuerit addictus, præter quod ab Episcopo Roffensi & Ioh. Cochlæo in Confutationibus proditum est. Quorum testimonia, vt hostium, hac quidem in parte, nemo prudens sequetur. Nam ipsus sese Catholicum subinde profitetur. Dein, sit ita, vt isti affirmant: quid tum? Num idcirco materiam præbere non debemus de hac quęstione pensiculatius cogitandi, & accuratius examinandi? Et quamquam mihi rationes eius (vt libere dicam, quod sentio) non vsquequaque probentur, & magis iuuet in recepta ac vulgata opinione, tot vetustissimorum Patrum testimoniis firmata, & a Ioachimo Camerario, viro ab omni vanitate & corruptela alienissimo, perquam erudite tractata, interim acquiescere, Paulique maiorem Romę, quam Petri, auctoritatem fuisse tutius cum scriptura credere, dum homines doctiores, quos nunc plurimos terra Christiana sustinet, eorumque facile princeps Isaacus Causabonus, ex incertis certi vt fiamus explorauerint, tamē quia duo sunt, in quibus Monarchia Papę Romani nunc κατ' ἐξοχὴν & vniuersim asseri vindicarique solet summum scilicet Sacerdotium & summum Imperium; faciundum esse putaui, vt vtriusque potestatis originem paucis explicatam ante oculos hominum & in conspectu publico proponerem. Iudicium de iis sit penes lectorem, cui hoc liberum relinquo.

Ad tuæ autem CELSITVDINIS patrocinium hæc mea opera confugit, REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME PRINCEPS, cuius auctoritatis subsidio Principibus Imperii de meliori nota commendetur. Nec alium sibi patronum optare debuit præter eum, ad quem veræ Monarchiæ tam in Ecclesia quam in Imperio cognitionem suo quodam iure pertinere res ipsa clamat: qui nō modo Regni amplissimi heres es, & Dux potentissimus, sed Archiepiscopatus insuper in maxima Septentrionalium gentium metropoli Administrator legitime constitutus. Nec dubito apud CELSITVDINEM TVAM hoc loco sententiam meam promere. Vt Romani Pon-


ni Pontificis supremam potestatem in Imperio praeisse nego, ita Monarchiam eiusdem in vniuersali Ecclesia, vsurpatam potius dico, quam vllo iure Diuino, Imperatorio vel Canonico fundatam. Primatum illi aliquem in Ecclesia Romana Imperatores cum consensu Episcoporum concesserunt, sed eum ordinis magis causa & in remediū schismatis (quem hodieque illi, vt Archisacerdoti vel (si ita mavis) Archipatriarchæ in Imperio, libenter concedimus & largimur, eiusque reformationem ad sanctum illud verus institutum optare potius quam sperare habemus) quam vllius potentiæ absolutæ & anomalæ, cuius iugo sese ipsi etiam Imperatores ac Reges, vt mancipia quędam, subiugarint: hoc est, patroni clienti, collatores beneficiario, commendatores vasallo, Domini seruo, heri famulo. De iure dico & legibus, non de malis & famosis exemplis, quæ ab aduersariis amant obiectari. Etenim legibus, non exemplis, hæc quæstio est diiudicanda. Et profecto tantum abest, vt iure diuino potestatem in temporalibus Papa Romanus vllam acceperit, vt è contrario si Imperatores Romani non fuissent, nec Papa Romanus foret: si Papa Romanus non fuisset, Imperatores Romani adhuc florerent, qui ab illo sede, dignitate ac maiestate augusta moti, pulsi ac exsuti sunt. Sed hac de re scriptores isti abunde disputant.

Quos TVÆ CELSITVDINI offero atque consecro, non tantum publica, quam dixi, de causa, sed multo magis etiam mea priuata, qua propensissimo & clemētissimo tuo in me studiaque mea affectui æternum me deuinctum ac obnoxium profiteor. Qui enim sequius interpretet illam benignę ac beneficæ voluntatis tuæ testationem, quam comitate & ministerio Cancellarii tui, D. Ottonis Sculteti, viri tum eximia nobilitate & amplitudine conspicui, tum ad summam humanitatem ac eruditionem singulari exemplo nati atque compositi, profusa beneuolentia declarasti, dum me, nullo meo merito, ad Administrationem tam opimæ Abbatiæ destinari & vocari voluisti. Verum ego iam ad aliam vitæ cōditionem, fatis volentibus, traductus eram; quam opinor iam CELSITVDINI TVÆ Cancellarium ordine retulisse, meque studiaque mea pariter ea, qua decet & par est, reuerentia & deuotione in posterum quoque commendasse. Nec enim minus de CELSITVDINE TVA, qualibuscumque meis studiis ac seruitiis, oblata occasione, mereri desidero, quam de vniuersa Imperii Germani Republica, cuius membrum primarium exsistis. In quo voto desino: & vt Deus OPT. MAX. Te Collateralem sanctissimi Domini ac Monarchæ Germani in regimine Aristocratico, vita, felicitate, tranquillitate & incolumitate bene beateque sospitet & fortunet, id eum ex animo veneror. Dat. Francofordiæ ad Mœnum, ex ante Kalend. Martias, A. C. N. CIↃ. IↃC. XIII.

Reuerendiss. & Illustriss. Celsitudinis Tuæ.

Humilimus Cliens

MELCHIOR GOLDASTVS
HAIMINSFELDIVS, C. S.



ELENCHVS

Tractatuum nouissimorum in hoc III. Tomo contentorum, iuxta seriem Auctorum, quo quisque tempore vixit aut scripsit.

XXVII. Parisii

Nota.

Pag. 378. Et seqq. Impressum legitur: IOANNIS SERVINI. &c. pro quo rescribendum est LVDOVICI SERVINI, vt supra in Elencho reposuimus.

Anno Domini 1523



VLRICHI VELENI MINHONIENSIS

TRACTATVS,

QVOD PETRVS APOSTOLVS NVNQVAM ROMÆ FVERIT.



N hoc libello grauissimis certissimisque, & in sacra scriptura fundatis rationibus varijs probatur, Apostolum Petrum Romam non venisse, neq; illic passum. Proinde satis friuole & temere ROMANVS PONTIFEX *se Petri successorem iactat, & nominat, &c.*

Liber hic duas habet particulas; quarum prior decem & octo comprehendit persuasiones, quod Petrus nunquam post Christi passionem Romæ fuerit, & quod Hierosolymis & non Romæ passus sit. Altera particula septem habet cauillos, quibus Romana Curia illis persuasionibus occurrere consueuit, quibus tamen vicissim septem correspondent responsiones, eos non aliter atq; rudera quædam dissipantes.

INCIPIT PRIMA PARTICVLA.

Persuasio I.



VVM diligentissime euoluerim, quotquot ad manum fuerant, historicorum ac Theologorum, eosque non infimæ conditionis, libros, de aduentu Petri Romam, de passione & authore mortis ipsius, nihil aliud, quam meras controuersias illic reperire potui, cum nemini fere cum altero satis conueniat, sed quilibet suum proferat judicium, vel hoc solo suspectum, quod à cæteris dissentiat omnibus, & vt paucos commemorem è multis. Quidam in exordio Imperij Claudij Petrum Romam venisse cõtendunt, quorum è numero est Orosius historicus non triuialis. Quidam anno Claudij secundo, & illi sunt Hieronymus, & qui suæ innituntur authoritati. Quidam anno eiusdem Imperij quatto, atq; est liber ille, qui temporum historias, ceu fasciculo quodam comprehendit. *Fasciculus temporum.* Præterea ab his omnibus dissentit liber ille, qui sanctorum vitas enarrat, & communiter *passionale* nominatur. Is enim anno post passionem Christi, Petrum Romam applicuisse testatur, qui quidem annus tredecimus fuisset imperij Claudij, similiter qui annos mundi, vel annos ab vrbe condita recenset, vsq; ad aduentũ Petri Romam, vel eius passionem, quam mutuo pugnẽt, nemini obscurum est, qui modo *Enneades* Antonij Sabellici, *historiam Pontificum* Platinæ, ipsumq; Orosium viderit. Quæ quidem diuersitas, etsi nil aliud esset testimonio, suspectum tamen Petri Romam aduentum redderet, & falsam hanc probaret coniecturam, quod Petrus vnquam Romæ fuisset. Quæ tamen adeo inualuit, vt tot seculis, qui ei reclamare ausus fuisset, habuerit adhuc neminem. Et parum abfuit, ne Romanensium Aulicorum tyrannis, in fidei articulos eam retulerit: vt quod nulla ratione probari potest, sola necessitate credi videatur. Accedit adhæc, licet neuter historicorum cum altero sentiat, tamen aduersus legem Christi, quasi ex composito omnes decertant, vt vel hoc vnum vanas eorum fabulas ac deliramenta prodat, quod cum Paulo Apostolorum omnium in scribendo locupletissimo, cum Luca Euangelista simul & *Apostolicarum actionum* historiographo, inexcusabiliter contendant, vt inferius liquido probabitur. Si nulla est sacræ scripturæ adstipulatio, qua id confirmari possit, & tam remota historia adeo confusa est, & fallax, non stulte Petrum nunquam Christi post passionem Romæ fuisse creditur. Alioqui si illic eum aliquando fuisse verum esset, vero omnia, dicente Philosopho, consonarent. At dissonante lege, dissidentibus mutuo historicis, quis nisi emotæ mentis verum hoc aliquando putauerit? Quanta sit enim in tam vetustissimis rebus, tam remotæ historiæ fides, argumento est Barpto-

Anno 1523.

lomæus ille Platina, qui *Rom. Pontificum res gestas* describens, at multo etiam posteriora istis tempora tractans, sæpius conqueritur variationem historiæ, maiorum neglectum, temporum perturbationem, quibus districtus nihil interea affirmare audet. Nempe, si Petrus Romanorum fuerat Episcopus, dicant quem sibi successorem nominauerit? & quis in locum ipsius fuisset suffectus? Si Linum dixerint, Latinorum turba obiter reclamabit, quoue id probet, diem dicet, imo & Græcorum plurimi in hac causa Latinos non destituent, Chrysostomo in secundam ad Timotheum Epistolam dicente: *Hunc Linum, aiunt quidam, secundum post Petrum Romanæ Ecclesiæ Episcopum fuisse.* Donatus vero Terētianus interpres inquit; *Aiunt, vsurpatur de re incerta quam nos dicimus esse falsam.* Sin autem Clementi hic honor dabitur, quod multis placet, plures adhuc erunt qui id improbent, & hanc gloriam erga Linum reponant, Clementem non primo nec secundo, sed tertio gradū primum, post Petrum statuentes. Deinde Piusne Anicetum, vel Anicetus, Pium præcesserit? Vrbanus sub Diocletianone, vel sub Aurelio Antonio degerit? Cornelius sub Gallo, an sub Volusio, vel forte Decio passus sit? historia variat: nec aliquid certi de his rebus definiri potest. Nec mirum, si & multo his posteriora tempora, eorumque gesta, adeo sunt historicorum figmentis deprauata, vt nemini posthac integrum sit res grauiores eorum libris tueri: siquidem id meretur, vt habet prouerbium, mendax, ne si vera tandem dixerit, ei credatur. Porro si ne Theologi eadem hic sentiunt, falsitas exinde illorum emergit. *Discordia enim in scriptoribus*, vt dixit ille: *testimonium est falsitatis.* Immo Augustinus; *veritatem ex eo cognosci docet si scriptores concorditer in ea re conuenerint, neque vnus dissentiat ab altero, vel à pluribus plurimi.* Et idem Augustinus, cum in multis aliis locis ad Hieronymum & Fortunatum, tum & hic ad Vincentium, de quorumlibet etiam sanctissimorum hominum scriptis loquens: *Hoc genus*, inquit, *literarum ab authoritate canonum distinguendum est: non enim sic leguntur, tanquam ex eis ita testimonia proferantur, vt contra sentire non liceat.* Et non Theologis duntaxat in eiusmodi rebus ex sacra scriptura non deducibillbus, & ex eorum varietate dubitabilibus, credere non astringimur: sed nec Ecclesiæ quidem, vt Thomas in *quodlibetis* disputat. Ea propter ad hunc modum sermonem claudere licet: quod Petrus nunquam post passionem Christi Romæ fuerit: de cuius aduentu illuc diuina scriptura silet, historia secum diuariat; Doctores minus digni sunt, quam quibus hic credatur, præsertim dum ita mutuo disceptent.

Persuasio II.

PEtrum Romam venisse in exordio vel secundo vel quarto imperii Cæsaris Claudii, hoc est octauo, nono vel vndecimo post passionem Christi anno dicentes, eorum inprimis refellit opinio, qui Petrum in oriente quinque, vel secundum alios, septem annis sese continuisse, tandem Antiochiam diuertentem, septem annis in Episcopali sede resedisse, & in Ponto, Galatia, Bithynia, ac circumiacentibus Asiæ prouinciis aliquam moram eum fecisse adstruunt. Non enim si id verum esset, Romam venire nisi post quatuordecim aut quindecim annos, hoc est septimo, vel octauo Claudij anno potuisset. Quibus patrocinatur gestorum Apostolicorum scriptor Lucas *cap.* 15. Controuersia enim inter quosdam de hæresi Pharisæorum ex vna, & Paulum & Barnabam ex altera parte, de circumcisione, obseruationeque legalium habita, eas ob res discutiendas, in Hierusalem illi descenderunt. Et factum est consilium Apostolorum, & seniorum, inter quos Petro primæ loquendi porrectæ sunt partes, quanquam Iacobi Hierosolymitanorum presbyteri sententiæ omnes tandem subscripserint, eiusq; approbauerint oratiunculam. Quæ res manifestat Petrum nondum Romam diuertere potuisse, sed vna cum Iacobo & quibusdam aliis Hierosolymæ mansisse, vel forte in partibus Iudeæ Christum aliquandiu docentem Hierosolymam tunc temporis rediisse. Et tamen multorum est opinio, Hieronymo super Epistolam ad Galatas dicente, quod circiter decimum octauum annum post Christi in cœlum ascensionem id factum fuisset. Quod facillimum est crediru, si quis modo seriem rerum ab Apostolis gestarum diligentius examinauerit. Cui ergo maior habenda fides, Lucæ ne Euangelistæ, qui rebus ab Apostolis factis vel interfuerat ipse, vel à Paulo Apostolo, cuius indiuiduus fuerat comes, & quo præsenti hanc scripserat historiam, erat edoctus: an istis bellantibus mutuo historicorum, ac Theologorum opinionibus? Quod si id necessario mihi dabitur, vt Claudij primum nono, aut vndecimo imperij anno Petrus Romam venerit, & ibidem viginti quinque annis Episcopatum tenuerit, Iam non à Nerone, sed Vespasiano potius martyrium passus fuisset, quod neminem adhuc vnquam vel dixisse, vel scripsisse comperi. Et hinc manifestarium est, ad nonum Claudij annum Petrum Romam venire non potuisse.

Persuasio III.

DEniq; quod ne nono quidem anno illuc venire potuisset, eiusdem imperij Petrus, Tranquillus in Claudio est author, qui Christianos tunc temporis Roma fuisse pulsos scribit; *Claudius*, inquit, *Iudæos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit.* Vbi Orosius addubitat, *vtrum contra Christum tumultuantes Iudæos coerceri, & comprimi iusserit, an etiam Christianos simul,*

velut

Anno 1523.

gebus cognata religionis homines voluerit expelli. Qui profecto si vel historiam rerum gestarum ab Apostolis, vel saltē Paulinas legisset Epistolas, nō ambigeret Christianos Iudæorū impietate & versutia, Cæsarē, ac populum Rom. ad vindictam excitante vna cum eisdem Roma expulsos fuisse: quippe vel Apostolo ad Romanos in epistola id testante. Inter alios namq; Christianos, quos salutare iusserat; *salutate* (inquit) *Priscillā & Aquilam; auditores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt*; quos sane nisi Christianos Apostolus nouisset, in Catalogo salutandorum Christi fideliū neutiquā reposuisset. Attamē quoniā Iudæus gente Aquila ille fuerat, quamuis in Christum vna cum cōiuge crediderit, nihilominus hunc tamē Lucas in actibus Iudęū Ponticum nominat in hæc verba: *Posthæc*, inquit *egressus ab Athenis Paulus, venit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum gente, qui nuper venerat ab Italiā, & Priscillam vxorem eius: eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Iudaeos à Roma, accessit ad eos, & quia eiusdem erat artis, manebāt apud eos & operabantur.* Et ne quis dubitet Christianos eos fuisse, addit Lucas in calce cap. duodeuigesimi dicens: *Iudæus quidam Apollo nomine, Alexandrinus gente, vir eloquens, deuenit Ephesum potens in scripturis, hic erat doctus viam Domini & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Iesu, sciens tamen baptisma Ioannis, quem cum audisset Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini.* hæc Lucas ad verbum. Et totum hoc caput declarat, Priscillam & Aquilam Christianos ex Iudæis factos, Roma vna cum aliis expulsos fuisse. Quod iterum docent Paulinæ literæ, quas nouissime iam vbi tempus resolutionis suæ propinquauerat, ad vnice dilectum discipulum Timotheum suum miserat; *saluta*, inquit, *Priscillam & Aquilam.* Vnde non solum Christianos, sed sincerissimos quoque Christianos eos fuisse constat, vtpote quos Apostolus data modo occasione nunquam non salutabat. Nihil hic moror, quod Stapulensis tam in hac ad Timotheum quàm ad Romanos Epistola innouat verba Apostolica ad hunc modum exponens: *Salutat vos Priscilla & Acyla*, vel *Prisca & Acyla*, Origenem; Chrysostomum, Ambrosium, & tot doctissimos alios interpretes, imo & veterem ipsam traductionem, cui in hac parte Erasmus nihil derogat, hic sequi malo. Quid restat igitur dicere, quam Petrum ad nonum vsq; Claudij annum Romam non venisse? Qui enim illac venire tunc potuerit, cum cæteri omnes cum Iudæi, tum Christiani inde pellerentur, & in tantum stomacharetur Roma? Qui si posthac Romam aliquando venerit, ac viginti quinque illic delituerit annis, Vespasiano eius imputaretur martyrium quod de tam benignissimo erga omnes principe credere nephas est, & nemo est omnium, qui hoc affirmare audeat.

Persuasio IV.

PErgamus jam eo ordine ostēdere, ne ad vigesimum quidem annum post Christi passionem, vel in cœlum ascensionem, Petrum Romam venire potuisse. Quod ex verbis discipuli, à suspectione apud Galatas sese purgantis, clarissimum est. Dicit enim in ea, quam ad Galatas dederat, Epistola, *non à quopiam hominum, sed solo Christi munere, Euangelicum mysterium sibi contigisse.* Et quod dixerat, ne cuiquam videretur falsum, probat, inquiens, *post miraculosam suam ad fidem Christi conuersionem, non in Hierusalem ad Apostolos se declinasse, sed protinus Arabiam abiisse, tandem iterato Damascum repetisse, & tum tertio loco primum tribus reuolutis annis, Hierosolymam videndi Petri gratia transmigrasse. Denique post quindecim dies postquam Petrum & Iacobum fratrem Domini vidisset, dicit, quod iterum Hierosolymam reliquit, ac in partes Syriæ, & Ciliciæ deuenit. Deinde assumpto Barnaba & Tito, post integros quatuordecim annos, rursum Hierosolymam rediit, quo Euangelium, quod in gentibus prædicauerat, cum his, qui Apostolorum videbantur columnæ, conferret; & iterum Petrum vna cum Iacobo & Ioanne illic reperit.* Et sic certum est totis illis septendecim annis Hierosolymis, & in collimitaneis regionibus Petrum sese continuisse, nec vnquam Romam recessisse. Additis enim quatuordecim annis, quibus Hierosolymam reuenerat, ad annos tres, quibus proxime post conuersionem suam visitauerat Hierosolymam, decem & septem anni prouenient. Demum postquam Petrus aliquandiu citra Paulum moraretur, Antiochiam veniens in eum incidit, quem ille acerrime illic obiurgauerat, & eidem in faciem restitit, eo quod non recte ambulasset ad veritatem Euangelij, & simulationi non modo ipse fuit obnoxius, sed ad hanc alios quoq; iam tum pertraxerit. *Dixi*, inquit, *Cephæ coram omnibus, si tu cum Iudæus sis gentiliter viuis, & non Iudaice, quomodo gentes cogis iudaizare?* Inter quam reprehensionem Petri, & pristinam eorum ab inuicem discessionem aliquid temporis certe inueterauerat. Ad hæc, post Christi ascensionem non mox Paulus Christum agnouit, nimirum qui dum Stephanus saxis obrueretur enecareturq;, assistens mortem ipsius in deliciis habuerat. Dicitur enim Actorum septimo: *Testes autem deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Et solusmet inferius cap. 22. ad Christum queribundus loquitur; *Cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.* Vide quam hoc tempus ab ascensione Christi, adusque obiurgationem Petri Antiochiæ à Paulo factam facile viginti etiam annos superet, quibus tamen Petrum certum est Romæ nondum fieri potuisse, quamuis nec postea vnquam illic fuerit. Verum demus hoc aduersariis, quod Petrus anno vigesimo Romam appulisset, iam ad tredecimum vsq; annum Imperij Claudij ille aduentus prorogaretur. Quod si huc trahantur viginti quinq; anni, quibus Romanam moderatus est Ecclesiam, interim Vespasiani temporis eius mors irrogaretur. Quod omnes

Anno 1523.

omnium historicorum libri vt falsissimum auersantur. Producamus huc Romanorum Imperatorum tempora, quo res fiat euidentior. Lucas *Euangelij sui cap. 3.* anno Imperii Cæsaris Tiberij quindecimo Christum docet verbum Dei prædicare incœpisse: qui tandem post tres annos, & aliquot menses prędicationis suæ mortem sustulit, anno eiusdem imperii decimooctauo vel vltra: Tiberio post passionem ipsius annis tribus imperante, post hunc Caius Calligula annis tribus mensibus decem, & octo diebus imperans vita functus est. Claudius anno quartodecimo imperij moritur. Nero totidem annos in imperio explesse dicitur. Otho Syluius infra nonaginta quinque dies imperium alteri cessit. Aulus Vitellius octo mensibus imperauit; post hunc Vespasianus decennio Romanis sese Imperatorem præstitit, sub quo Christiani pacifice Romæ degebant, nullis ab eo vexati persecutionibus. Quæ igitur iniquitas in tam benignissimum principem hanc reiicere iniuriam, tanquam ille Petri interfector aliquando fuerit.

Persuasio V.

SVb hæc, neq; tunc temporis, quando Paulus Romanis scripserat, Petrum Romæ fuisse, hæc ipsa Epistola ad Romanos porrecta argumento est, quam quidem satis longo tempore ab Apostolo non fuisse descriptam constat. In qua ipsa, vt Origenes meminit, omnibus numeris absolutior fuerat, quam dum Corinthijs scripserit. Et iccirco post vtramq; ad Corinthios Epistolam hanc scriptam fuisse contendit Origenes. Athanasius vero, & post primam quoque ad Thessalonicenses, attamen alteram ad Corinthios, non mox post eam quæ prior est, exarauit Apostolus. Siquidem in ea quæ prior est, incestum quendam Corinthiorum Ecclesiæ seniorem, qui cum vxore patris rem habuerat, acriter taxat, & ex vnitate fidelium emancipandum præcipit, huncq; spiritui maligno in potestatem tribuit, modo spiritus in diem Domini Christi Iesu saluus fieret. In altera vero, postquam ille resipuit, ac admissum digna compunctione atq; pœnitudine defleuit, rursum vnitati, membrorumq; Christi cōmunioni restitutus est. Ac tandem post missas ad Thessalonicenses literas, vbi iam tertio Corinthum venerat per Pheben Cencherensem feminam ad Romanos Epistolam direxit, in cuius calce multos fratrum nominatim saluere iubet, & qui pridem illius opera in Christū crediderunt, & qui quapiam in eum dexteritate vsi sunt; tum qui Ecclesiæ illius Antistites, ac seniores fuerunt, veluti Narcissum, Andronicum, Iuliam, Priscillam, & Aquilam. Qui igitur fieri potuit, si Paulus Petrum tunc Romæ fuisse credidisset, vt digna hunc salutatione non dignaretur? cuius ille obseruantissimus esse, & nihil honoris ei nō deferre pro sua canitie, & apostolatus honestate debuerat. Sed ineluctabilis hæc est ratio, Petrum Romæ tunc temporis non fuisse. Facessat ergo vafritia Romana hanc sibi gloriam abire, nihil enim æque falsum est, atq; hæc arbitraria æstimatio.

Persuasio VI.

ACcedit & istud ad corroborandū, quod Petrus ad ea tēpora, quibus Paulus Romanis, literas destinauerat, Romę nō fuisset, quia diuus Ambrosius, *super Epist. ad Romanos*, in quibusdā vetustis codicibus dicit se legisse Narcissum illo tempore Romę presbyterum fuisse, cuius domum Apostolus saluere iubet, *hic tamen*, inquit Diuus Ambrosius, *officio peregrini fungebatur, exhortationibus firmans credentes.* Quod sane nuperus Romanus presbyter nequaquam faceret, à quo nihil tam alienū est, quā verbi diuini prædicatio. Et id propter, velut claudus, vt Plautino vtar dicterio, sutor domi totos sedet dies, cupediarum deliciis vorátrinam explens, nisi forte ostentandę pompe causa, ad Lateranense palatium interdum prorepat. Porro vt ad rem veniamus, hic scito est opus, apud primitiuā Ecclesiā nullos fuisse, qui dicerētur summi Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, nempe quæ duos solū Ecclesiasticos habuit ordines, Presbyteros videlicet, & Diacones, vt ex ea claret, quā Philippensibus Apostolus è Roma dederat Epistola. *Paulus*, inquit, *& Timotheus seruus Iesu Christi omnib. sanctis qui sunt in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconibus.* Nā ijdē vocabantur *Presbyteri, Episcopi* vel *seniores*, vt ex Epistolis Paulinis est manifestissimū. Qui in actis quoq; Apostolorum, ad Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros inquit: *Quia vos spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et Petrus, qui & ipse presbyter multarū Ecclesiarū fuerat, ad Presbyteros dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ scribēs, *seniorem* se nominat dicēs: *Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionem*, ignorauerat credo tum adhuc superciliosum summorum Pontificum nomē, vel abhorruerat plane. Et vt regrediamur ad priora, *presbyteri* dicebantur; qui Ecclesiis veluti quidam proceres præerant. Vnde Apostolus in priori ad Timotheum Epistola; *Qui benè*, inquit, *præsunt presbyteri, duplici honori digni sunt.* Et ad Titum; *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego præscripsi tibi.* Igitur hic per Narcissum Presbyterum seniorē, aut Episcopum Romanæ Ecclesiæ fuisse intelligimus, qui nō modo eius, sed & aliarum circumiacentium Ecclesiarum, & Christi fidelium curā gerebat, cuius etiā familiā, ob ingenuas eius virtutes, Paulus salutare pręcepit. Insuper Andronicus & Iulias, duo è septuaginta duorū Apostolorū numero, vt Origenis est opinio, Romæ ea tēpestate fuerant, quos hac prærogatiua honoris, ad Romanos in Epistola salutat Apostolus. *Salutate*, inquit, *Andronicum, & Iuliam cognatos meos & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo Iesu.* Adde, Priscilla & Aquila, vt Ambrosii suffragatur authoritas, non ociose Romam venerunt; qui quoniam propensiores erant in

deuo-

deuotione, ideo ad cõfirmationem Romanorum missi fuisse intelliguntur, de quibus hunc modum Paulus loquitur: *Salutate Priscillam & Aquilam, adiutores meos in Christo Iesu qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt.* Ea propter quid opus Roma tunc habuerit Petro veterano, & iam viribus defecto, non conijcio. Nempe cum habuerit legitimum Presbyterum Narcissum; Apostolos Christi doctrinâ insignes Andronicũ & Iulian, & cooperatores in Euangelio non contemnẽdos Aquilam & Priscillam. Sed hoc citra omnem controuersiam verum est, quod Romæ tunc temporis non fuerit. Nam si neminem non salutat eorũ Apostolus, vel qui seniores fuerant, vel qui cognati vel cogniti, quomodo vnum Petrum non salutasset, quorum firmissimam amicitiam & societatem iam pridem iniuerat, & eius videndi desiderio antea Hierusalem petere non dubitauerat. Et hinc apparet, vsq; ad Neroniani Imperij tẽpora Petrum Romæ non fuisse. Quod si viginti & quinq; annis illic resederit, à quo tandẽ mortem passus est? Hic tussiunt Romani sycophantæ, non secus ac indocti quiq; cantores, qui locum fecerunt prouerbio, *hæsitatio cantorum*, vt communiter dicitur, *tussis est.* Anno 1523.

Persuasio VII.

HVc producam, & quod Apostolus ad Galatas narrat in epistola; *Creditum est*, inquit, *mihi Euangelium præputij, sic & Petro circumcisionis.* Qui namque operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Tandem manifestat, quomodo pactus fuisset cum Iacobo, Petro & Ioanne in synodo, quæ Hierosolymis super legalium obseruatione habita est, vt ipsi in circumcisione, hic vero inter gentes cum Barnaba prędicatum proficiscerentur. Quomodo itaq; tam cito Petrus pacti immemor fieri potuit, & alienas partes sibi vsurpare, cum Roma totius paganismi mater tunc fuerit? Quinimo si circumcisionis fuerat Apostolus, quomodo Romæ tot annis, ad Pauli videlicet illac aduentum, cum Iudæis nihil ei fuerat negotij? Adueniente namq; illac Paulo, vt Lucas in actis Apostolorum ait, dicunt Iudæi ad eum: *De secta hac notum est nobis, quia vbiq; ei contradicitur. Rogamus enim te audire quæ sentis. Nos enim neque literas accepimus de te, neque adueniens aliquis fratrum nuntiauit, aut loquutus est de te malum.* Quos tandem copiosa illa ac vberrima oratione sua alloquutus est Paulus, à mane vsq; ad vesperam sermonem protrahens. E quibus aliqui dictis crediderunt, quidam vero renuerunt credere. Et nunquam antea audita auribus haurientes, ad inuicem tumultuabantur, & multam inter se habebant quæstionem. Quid ergo Romę tanto temporis interuallo fecerat Petrus, si Iudæis ea, quæ à Paulo audierant, noua & inaudita videbantur, nec aliquem se prius audiuisse dixerunt, qui eius sectæ instituta, & ritus eis declarasset? Et proinde Paulum, vt quæ sentiat diceret, velut vno ore postulabant omnes. Videat qui vult, quam sit tutum, Petrum Romæ aliquando fuisse credere.

Persuasio VIII.

IAm ad ea vsq; peruenimus tempora, quibus Hierosolymis Iudæorum coactus insolentia Paulus, ad Cæsarem appellauit; ac Romam deductus, cathenis horrendis in carcerem coniectus est, illicq; in conductu suo, quod ei carceris fuerat loco, toto biennio permansit. Nec profecto parua hæc erat mansio, vt Hieronymus in *Epist. ad Philemonem* loquitur, ad quam Iudæorum turbę quotidie confluebant. Nam *suscipiebat omnes*, vt in actis Lucas scribit, *qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione allectans ad fidem Christi homines, vt verbis, ita & literis.* Multos enim, eo concionante, nõ modo plebeos, sed & de Regia Neronis, Christi fidẽ suscepisse, ipsius Epistolæ ostendunt. Ad Philippenses enim è conductu suo scriptitans; *Salutant vos*, inquit, *omnes sancti, ac quidem maxime & qui de Cæsaris domo sunt.* Quin Epistolas quoq; aliquot in vinculis dictauerat pia admonitione, & Christiana pietate plenas, ne Ecclesiæ Christi pulchre ab eo institutæ, eius absentia in deterius laberentur. Nam quos viua voce conuenire non poterat, scriptis tantisper admonebat, ne suæ professionis obliti, à Christo aliquando exciderent, præcipue Galatis post pseudoapostolos, retro à Christi fide ac suis rudimentis abeuntibus, Epistolam è Roma scribere non dubitauit, verbis etiam asperioribus eos cõmonefaciens, ne vafritia & astu à Christo abduci sese paterentur; Deum obtestans, quod quæcunque illum in mandatis dederat, ea non ab hominibus, neq; per homines nactus vnquam fuisset, sed sola benignitate Iesu Christi, nimirum quib. tam firmiter credi oporteat, vt si Angelus quoque, vel ipsemet secundario ad eos aliquando venerit, ac diuersum quoddam docere voluerit, probrosum ac execrabile id fieret, in qua Epistola Petri aliquot locis meminit, cuius testimonium in hoc negotio, vt Galatis quod dixerat facilius persuaderet, nimirum in modum illi fuerat necessarium. Non tamẽ vspiam eius mẽtionem facit, an Romæ ipsum tunc habuerit collegam, vel si eis quæ scripserat, & ille subscribere voluerit. Qui certe, si tũ Romæ fuisset, saltẽ eius nomine eos salutasset, quo facilius tam eminẽtis Apostoli vocabulo permoti resipiscerent, & ab extranea doctrina segregati, ad mentem redirent quandoq;. Attamen nihil horũ fecerat Apostolus, quod maximo est testimonio, neq; ea tẽpestate Petrum Romæ fuisse. Cum tamen viginti quinq; anni, vel secundum quosdam viginti septem, à Christi passione, aut ascensione præterierint. Cæterum neq; in ea, quam ad Ephesios Romæ scripserat, Epistola vllam eius mentionem facit, cuius tamen hæc semper alias fuerit consuetudo, vt collegarum suorum nomine, in Christum credentes salutaret.

Persuasio IX.

Anno 1523

INdicio sunt, Petrum tempore Pauli Romæ non fuisse, & literæ, quas per Epaphroditum ad Philippenses dederat Apostolus, in quibus multorum eos admonet, & quæ erga illum tunc temporis gerebantur, manifestat; maxime autem quantum illic in Euangelio profecerit dicens, *sua occasione passim Roma Euangelium prædicari ab omnibus*, eodem quidem impetu, quamuis diuerso studio. Quidam enim vinculis & constantia ipsius animati, syncero affectu & vere Christiana intentione, fidem Christi Romæ omni timore exuto, inuulgabant. Quidam vero sola cupiditate nocendi Paulo, ad Euangelizandum Christum trahebantur. Putabant enim fore, quod Neronis tyranni, cui nomen Christi fuerat perosum, prouocata iracundia, Paulina gloria in Euangelio facesseret, ac tyrannus in eum, vti eius professionis authorem, grauius animaduerteret. Fit enim, quæ maxime nobis nocitura sciuerint, siue hoc ad nostram perniciem inimici palam diuulgant. Tum ait Paulus sibi non esse curæ, dum quouis modo Euangelium annuncietur, & Christus orbi innotescat, suum hoc ad vitam, siue ad mortem illi sit cessurum. Maluit enim cum Euangelii lucro mori, quam absq; profectu viuere. Res profecto miraculo digna, si Petrus tunc Romæ fuerat, quemadmodum multis iam annis inibi agere debuerat, quomodo Christi nomen tam moleste à Paulo Roma audierit, vt subornati in hoc etiam pleriq; homines dolosi sub Christi prædicationis obtentu, Pauli exitium quærerent. Num vero otiosus tot annis illic delituerat, & Christi occultauerat fidem Petrus, timens ne in eum sæuisset tyrannus, vtq; facilius eorum insidias, qui aduersabantur Christo, subterfugerit? Nam si annuatim Euangelium Romæ prædicauerat, ea res non debuit esse Paulo timori, siquidem Roma tot iam annis antea Christum patientissime à Petro audierit, imo quantumcunq; tumultuante Roma, tyrannus ad vindictam irritaretur, in Petrum primitus resultasset hæc iniuria, vtpote qui caput eius negotii fuerit. Ecquid igitur formidarat Paulus, ne faba hæc in suo, quod dicitur, cuderetur capite, non video. Adhæc in fine eiusdem Epistolæ subdit: *Salutant vos omnes sancti, maxime vero qui de Cæsaris aula sunt*; maxime prorsus dicere debuit Petrus, omnium nostrûm veluti quidam antesignanus. En quam insecutum est, dicere, etiam tunc temporis Petrum Romæ fuisse, dum Paulus captiuus illic teneretur, hac persuasione clarissimum est.

Persuasio X.

COlossensibus per Tychicum ac Onesimum scribens Paulus, in recessu Epistolæ addit: *Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, & Iesus qui dicitur Iustus, qui sunt ex circumcisione. Ii soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. Salutat vos Epaphras qui vester est, seruus Iesu Christi salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas.* Vide quam omnes nominatim enumerat, qui tunc ei aderant, & cooperatores eius erant *in regno Dei*, hoc est Ecclesia Christi. Gregorius enim inquit, *sæpe in sacro eloquio regnum cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur.* Et Christus apud Lucam, *Regnum Dei*, inquit, *intra vos est.* Quas ob res Paulus dicit, *ii soli sunt adiutores mei in regno Dei* Quid ergo Petrus? nunquid tanquam veteranus quidam, ac emeritus miles in ocium tunc se receperat, vt non pro sua virili Euangelicas adiuuaret partes, cooperatorq; in regno Christi non fieret? quod de Petro sentire horret animus, proinde non te habuit tunc Roma Petre. Nam si fuisses Romæ, & Paulum eundē Christum prædicantem non iuueris, eius iam factionis fuisses Apostolus, quæ non Christum ædificaret, sed destrueret, ac demoliretur. *Omne enim Regnum*, Christo dicente, *in se diuisum desolabitur*, ac domus supra domum corruet.

Persuasio XI.

ONesimus, quem Phrygem genere quidam fuisse putant Philemonis Colossei seruus, compilatis rebus quibusdam ipsius Romam fugitiuus venerat, illicq; Paulo de Christo concionante audito, Christi nominis factus est candidatus, ac baptismate in Christicolarum consortium ascitus. Porro ne quid labis pristinæ scelestæ vitæ in eo remanserit, conscientiam Apostolo aperuit, & iniuriam, quā Domino suo intulit, rebus quibusdam illius surreptis cōfessus est, quem Paulus, quia nimium adamarat, non sibi temperare potuit, quin protenus benigno ac scito Epistolio eum Philemoni reconciliasset, hanc sibi iniuriam in Philemonem bene meritus donari postulans. Et si quid damni in re pecuniaria, aut alia quauis, Onesimi profugio, acceperit, pro eo se vadem ponens, omniaque se depensurum eius loco promittens. Et in Epistolij principio Philemonem, Appiam vxorem ipsius, & Archippum Colossensis Ecclesiæ Episcopum salutans, quo id facilius, pro quo interpellauerat, vt sentit Chrysostomus, impetrasset, Timothei nomen adiungit dicens: *Paulus seruus Christi Iesu, & Timotheus frater, Philemoni*, &c. Cur hic Petri nomen in salutatione Paulus supprimit, si Timothei apposuit, qui facilius tam magni Euangelici præconis authoritate motus, offensam forte Onesimo condonasset. Proh pudet me tot sæculorum, quibus Paulinæ literæ tineis corrosæ, situ ac pædore fœdatæ, intra angulos delituerant, passimque ab omnibus negligebantur, quarum lectio tot erroribus, ne in Ecclesia subnascerentur, vel sola occurrere potuerit. Quid enim tam manifeste ostendere potuit Petrum Romæ nō fuisse, quam hæc ad Philemonem Epistola à Roma per Onesimum transmissa? Sed nunquid forte Philemonem, & Presbyterum Colosseosem Archippum, nomine Petri saluere iubet Apostolus?

Anno 1523.

lius ? ad finem Epistolæ properemus: *Salutat te Epaphras*, inquit, *concaptiuus meus*, *Marcus*, *Aristarchus*, *Demas*, *& Lucas adiutores mei* O infelicem Petrum, si tum Romæ fuerat, & Paulum in hoc honestissimo destituit negotio.

Persuasio XII.

PEracto iam dicto biennio, multisq; Romæ ad fidem Christi conuersis, ac Epistolis hinc inde per Ecclesias transmissis, tandem Paulum in libertatem asseruit Nero, è compedibusque dimittere fecit, quod ipsemet ad Timotheum testatur Paulus dicens; *liberatus sum de ore leonis* Captiuitas etenim hæc intra hoc quinquennium fuerat, de quo Traianum Imperatorem Sex. Aurelius dicere solitũ memorat, *procul distant cuncti principes à Neronis quinquennio*. Adeo enim comis, benignus, affabilis & modestus quinq; primis sui Imperij annis Nero fuerat, vt de eo Tranquillus scribens, à pietate hunc imperii exordia fecisse dixerit, & tantum aberat, vt infra hoc quinquennium Nero morti deuoueret quempiam, quod moleste & indignanter eis, qui mortis sententiam in aliquem pronunciauerint, pro consuetudine subscribere etiam fuerat solitus. Nam semel admonitus, vt in supplicio cuiusdam capite damnati ex more subscriberet; *quam vellem*, inquit, *nescire literas*. Hic igitur pro summa erga omnes beneuolentia Paulum tunc temporis dimisit liberum. Reliquis autem nouem imperii sui annis, in omnem luxum, turpitudinem, truculentiam adeo se effudit, vt impietate omnes facile scelestissimos etiam homines superasset. Quamuis Iosephus *libro antiquitatum vigesimo, capite sexto*, nimis incertam de Nerone esse historiam tradat. Dicit namq;, *Multi de Nerone historiam conscripserunt, quorum quidam pro gratia beneficiorum eius neglexerunt veritatem. Alij vero propter odium & eius inimicitias, sic impudenter mendacijs inuoluti sunt, vt aperta reprehensione sint digni*. Ideo sæuiente iam Nerone, ac tyranno non Imperatore existente, post decennium iterum Paulus in vincula relapsus est, & peius quã vnquam antea ab eo habitus. Vnde Epistolam illam, quæ ad Timotheum habetur altera, scribens, prioris captiuitatis meminit his ferme verbis; *in prima mea defensione nemo mihi astitit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur, Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum ex ore leonis*. Vbi tunc Petrus fuisse censendus est? Romæ reuera non fuit: alioquin Paulo causam pro capite apud Neronis tribunalia peroranti, & sese defendenti eum non adfuisse, iniquum prorsus fuisset. Quem si ex industria quoq; dereliquerit, nulla excusatione deinceps dignus haberetur. Ego tamen millies tolerabilius iudico, Petrum nunquã Romæ fuisse credere, quam hanc calumniam, quod Paulum destituisset, in tam sublimem Apostolum reiicere.

Persuasio XIII.

NOtum est, Lucam Euangelistam, & Apostolicarum actionum historiographum, indiuulsum totius peregrinationis Paulinæ fuisse socium, quem ille filij semper dilexit loco, honorificamq; eius mentionem plerisq; facit in locis dicens, *illius maximam laudem in Euangelio fuisse*. Nam cum omnes etiam à Paulo defecerint, hic solus nunquam ei non adhærebat, non minis; non vinculis, non sexcentis persequutionibus perterritus. Cuius historia ad hæc vsq; tempora, quibus Paulus vinctus è Hierosolymis Romam perductus, ibiq; in conductu à milite custoditus est, peruenit. Veluti eius rei, *capite vltimo* copiose meminit, quomodo videlicet Paulus Romam perductus fuerit, quomodo fratres, qui eo tempore Romæ fuerant, ad Appii forum ei obuiam venerint, quomodo trium dierum spacio euoluto, Iudæos ad se accitos habuerit, quomodo colloquutus cum eis fuerit, quomodo eos confutauerit, & singula ordinatim prosequitur. Nullam tamen alicubi mentionem de Petro facit, an vel alloquio Paulum aliquando dignatus fuisset toto hoc biennio, vel quid rerum Petrus Romæ fecerit interim, dum Paulus verbum Dei ardentissime illic tum deprædicasset. Et tamen tunc temporis hanc historiam fuisse scriptam creditur, quãdo Paulo Romę in catenis degenti ille intrepide ministrauerat, qui vsq; adeo Pauli studiosus fuerat, vt quicquid hactenus de eo cõpererat, cuncta in suam historiam diligentissime congesserit, etiam Hieronymo de viris Illustribus attestante; *Luca*, inquit, *historia vsq; ad biennium Romæ commoranti Paulo peruenit, id est, vsq; ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem vrbe librum esse compositum. Igitur visionem Pauli & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter Apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, vt indiuiduus comes Apostoli inter cæteras eius res hoc solum ignorauerit?* hactenus Hieronymus. At quid hoc? nonne non solum Apocryphum, sed plus quam falsissimum erit, Petrum Romam secundo Claudii anno venisse, ibiq; vigintiquinque annis Episcopatum tenuisse? Cuius Lucas in tam præstantissima diligentissimaq; historia nullam mentionem facit, qui dubio procul, si tunc Romæ fuisset, non hoc toto biennio ociosus complicatis, vt dicitur, manibus illic sedisset, vel saltem non sic delituisset, quin à Paulo vel Luca conspici inueniriq; interdum potuerit.

Persuasio XIV.

CIrciter vigesimum septimum post ascensionem Christi ad patrem, ac Neroniani imperij quartum aut quintum annum, Petrum Romæ nondum fuisse, id iam tam manifestum, quam quod manifestissimum est. Sed quia neque vltimo Neronis anno, hoc est post passionem Christi, & eius ad patris dexterã ascensionẽ tricesimo septimo illic venire potuerit, hoc deducitur. Quoniã Paulus è manibus Neronis elapsus in Hispaniam, vt Lyra & alij quidam volunt, &

Anno 1523.

partes occidentis iter adornauerat. Eius enim intẽtionis Apostolum fuisse, etiã cum Romanis literas scripserat; certum est. Peractis aũt ibi decem annis rursum ad Neronis manus deuenit, & mortem accelerare videns scripto Timotheum commonefacit, vt assumpto secum Marco Romam sese recipiat, eo quod præter Lucã, nullus jam ei residuus fuerit collega. Sed quomodo tuis dictis, mi Paule, fidẽ habere potero, cum tota hæc Romana colluuies, à secundo Claudij anno vsque ad finẽ imperij Neroniani, Petrum perpetuo Romæ duasse exerta voce proclamet? Qui ergo fieri potuit, vt solus cum Luca Romæ fueris? O doctor gentium facile id tuæ credo veracitati, Petrũ Romæ nunquã te vidisse, & alijs recedentibus, solum cum Luca remansisse. Nihil me mouẽt verba sacræ scripturæ tyrannorũ, qui Christum, ac tua dicta adulterare, fœdissimeq; prostituere in delicijs habent. Cæterum eadem Epistola scribit: *Det misericordiã Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cum Romam venisset, solicite me quæsiuit & inuenit, det illi Dominus inuenire misericordiam à Deo in illa die* Non obscurum est ex his verbis, quantæ gratitudinis erga eos fuerit Apostolus, qui officium aliquod in eum contulerint, vt non possit hic satis gratulari, ac suum gaudiũ verbis exprimere, quod ei conciliauerat Onesiphorus suo aduentu, qui peregre veniens nõ tamẽ conquieuit, donec hunc inuenisset. Potuit certe Onesiphorus hic a Petro, si tunc fuerat Romæ, certior effici, quo locorum Paulus sese Romæ cõtineret, & liberatus fuisset multũ anxia illa sollicitudine, qua Paulũ hinc inde per Romã discurrendo inuestigauerat. Mirum, si Paulus neminẽ præterit, à quo aliquod persentiscere beneficium, quod Petrum Romanum, vt aiunt, incolam, suum nunquã scribit aduisitasse carcerẽ, quem tamen amantissimum sui semper habuerat fratrem, nempe à quo in *Catholica* illa sua Paulus charissimus nominatur frater. Quamobrem verissimum est, ad vltimum vsq; Neronis annum Petrum Romæ non fuisse, cum nec saluere iubens Timotheum, fratrum qui Romæ tunc aderãt nomine, Petrum admemoret: *Salutant te Eubolus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.* Non video cur ex industria supprimere Petri nomen voluisset, cuius alioqui semper fuerat obseruantissimus. Quomodo idcirco viginti & quinque annis Romæ egit? quomodo à Nerone passus est, cum nec sub eius imperio venire quoq; illac potuerit?

Persuasio XV.

PRæter Epistolas iam dictas, Pauli è Roma missas, sunt quædam aliæ familiariores responsiuæ Epistolæ ipsius ad Senecam, Neronis Imperatoris præceptorem scriptæ, quas ego nonnullis argumentis tunc fuisse scriptas arbitror, cum Paulus secundo iam Neroni præsentaretur. Primum, quia iam Nerõ Cæsar furibundus, atrox, petulens, adulter, & omni prope vitiorum cõtagio fuerat pollutus, quod de priore eius quinquennio nullus credere potest. Secundo, quia id temporis Paulinę quædã Epistolæ, quas, vbi in priori captiuitate Romæ teneretur, ad quasdam Ecclesiarum direxerat, ad manus Senecæ iam tunc deuenerant, ex quibus ille nõnihil profecit, quod priori biennio, quo Romæ tenebatur Paulus, fieri non potuit. Tertio, quod Seneca in vna Epistolarum ad Paulum descriptarum, Romani incẽdij à Nerone facti meminit, quod ad finem declinante Neronis Imperio factum est, cum Orosius nõ ita multo post, Petrum & Paulum cõmuni mendacio deceptus, à Nerone martyrium passus scribat. Et sequenti mox autumno, pestilentiã Romæ obortam adeo magnã, vt vno autumno ad triginta millia hominum vita decesserint, quam pestilentiã Neronis imperio decrescente factam, Suetonius *in vita* ipsius designat. Illis itaq; ambobus Romæ degentibus, Paulo in carcere, Seneca in Regia Neronis, cum alter de altero magna sibi polliceretur, & neuter neutrum alloqui potuisset, vel quod inde vtriq; immineret periculum (quandoquidẽ lege cautum fuerat, ne quispiam Christianum aut Iudæum alloqueretur) vel quod Senecę nõ fuerat integrum, Paulinum carcerem aduisitare, ne quid exinde tyrannũ offenderet, aut ipse quoq; cõijceretur in carcerẽ. Quapropter Epistolis hãc colloquẽdi sarciebãt penuriam, & quidẽ mutuum amorem vtrinq; præ se ferentibus, neuter tum Petri alicubi meminit, qui vigintiquinq; annis iam tum Romę agere debuerat, nondum tamen fuerat Senecę doctissimo, in Christianos benignissimo homini cognitus, cui proculdubio nõnihil gratificatus fuisset, si quod Paulus ob carceris impedimentum non poterat, ipse eius desiderio satisfecisset, & de Christo secum confabulatus, in numerum Christi fidelium asseruisset. Quod Paulus etiam facere debuit, vt ablata sibi Senecam alloquendi copia, eum ad Petrum nulli Apostolum postponẽdum relegaret, qui nihilo deterius fidei Christianæ primordia ei tradiderit. Sed quis, ni forte exoculatus, nõ videat omnia hic repugnare pestiferę huic opinioni, quod Petrus Romã vnquã venerit, à Nerone passurus, cum tot rationibus conuincatur, ad vltimum vsq; Neronis imperij annum, Petrum Romã nũquam venisse, tantum abest vt martyrium ab eo passus fuerit. Nam legitur & in ea, quæ tertia est Senecæ ad Paulũ Epistola, quod eius plurimum rei causa Nero Apostolo fuerat indignatus, quod à ritu & secta pristina Iudæorum, qui Pharisæus olim fuerat, non solum ipse recesserit, sed & alijs hoc suaserit faciendum. Quod plane Petrus prior Paulo Romæ facere debuerat, si tot annis ante aduentum in vrbem ipsius illic resederit.

Persuasio XVI.

NEminem adeò hebetem, ac stupidum puto, quin intelligat Petrum non modo Romæ passum non fuisse, sed ne eum fuisse illic quidem. Et ne quis moueatur inuerecunda illa Ro-

manæ

manæ curiæ voce, tot testimonia proferentis, perpendat secum, quam item de passione Petri & Pauli alterutrum conueniant authores. Ambrosius sermone illo sexagesimo septimo, de Petri & Pauli martyrio disserens, dicit: *Vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam*, & hæc cum multis aliis communis est ei opinio, imo totius Romanæ Ecclesiæ, in eorum solennitate decantantis: *Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.* Falsa vero esse hæc, passiones vtriusq;, sub nomine discipulorũ Pauli cõfictæ produnt, dum neq; cum istis, neq; secum cõueniant. Quod enim hic dicitur vna die eos passos fuisse, id Linus apertissime negat, & hoc varia quidẽ ratione, quas ego ob prolixitatẽ huc non adduco, verum lectorem ad passiones illas per commentitium Linum descriptas, & à Iacobo Stapulense latinitate donatas remitto. Dionysius vero, non ille Pauli discipulus, sed nescio quis mendacissimus nebulo, priori opinioni subscripsit. Sed nunquid & vno in loco passos concorditer omnes scribunt? hic vide mendaciorum portenta. Quidam enim hoc fatentur ingenue, cantante etiam Romana Ecclesia, ne in morte eos fuisse separatos, sed sicuti vna die, ita in vno loco morti fuisse traditos. At Linus Petrum in loco, qui Naumachia appellabatur, cruci præpostere affixum scribit; in quo autem Paulus ceruicem amiserit, non meminit. Sed hoc vno satis testatur noluisse se dicere, vno in loco passos, cum alios apparitores & carnifices, alios mortis spectatores eorum vtriq; assignet. Porro Dionysius ille, apertis verbis ab eorum diuariat sententia. Nam inquit, *cum ad mortem ducerentur, & ab inuicem separarentur, Petro dixisse Paulum, Pax tecum fundamentum Ecclesiarum, & pastor ouium & agnorum Christi.* Dein quod Neronis edicto ambo ad exitium peruenerint, ne hic quidem consentiunt. Nam cum omnes eius rei Neronẽ pronuncient authorem, solus tamen Linus, Agrippam Petrum interimere imperasse testatur. Scribit namq;, quod Petro Romæ degenti, multæ sexus fœminei monitu Petri allecebris luxuriæ abrenunciauerunt, inter quas Agrippæ concubinæ quatuor fuerunt, quarum continentia indignationis materiam Agrippæ præbuerat, ita vt Petrum cruce interimere iusserit, hac de re quamuis tota Roma tumultuaretur, Imperatore tamen nihil sciente. Et multa sunt figmenta, quibus illi mutuo dissident, dum nihil certi super ea re pronunciare nouerunt. Quæ ibi ergo fides, vbi nulla est concordia? Nam vel hoc solũ dissidium mendacium eorum prodit, nec dum vnum vidimus arbitrum, qui hanc intolerabilẽ inter eos litem dirimere aliquando ausus fuisset. Historiæ enim, quam de Nerone nobis quidam reliquerunt, insecurũ est credere, vt iam Iosephi adscripsimus verba. Imo res profecto miranda, quod Iosephus ipse, qui à Vespasiano, expugnata Hierosolyma, Romã perductus est, ibidẽq; agens Domitiani fere superauit tẽpora. Et historiã Iudaici belli in vrbe conscribens, Vespasiano, eiusq; filio Tito nominatim dicauit, in eaq; à Nerone interemptorũ, vt etiã alias in antiquitatibus meminit, nec vllam mentionẽ de Petro ac Paulo facit, qui tamen erga Christianos fauentissimus fuerat, & arrepta occasione, non sine honoris procœmio eorũ solebat meminisse, velut Ioannis Baptistæ in Macheronta castello obtruncati, *libro antiquitatum duodeuigesimo.* Et Iacobi Apostoli fratris Christi Iesu, ac Hierosolymitanorum presbyteri, *lib.* 20. Id propter crediderim ego vitæ exitũ Hierosolymis vna cum Iacobo, & quibusdam aliis Petrum accepisse: siquidem Iosephus, & alios nonnullos tunc temporis cum Iacobo, ab Anna Iudæorum Pontifice interfectos scribit. Nam & ipsa reclamat ratio, Petrum vna die interitum cum Paulo habuisse, qui à Christo vocatus vxorẽ & liberos, imo socrum, quã Christus à febre vexatam pristinæ sanitati reddidit, habuisse legitur, & omnium Apostolorũ habebatur annosissimus, vtpote cuius canitiem Paulus, vt Athanasio placet, reueritus, post tres conuersionis suæ annos, eius videndi gratia Hierusalem accessit, cum tamẽ ipse adolescens adhuc fuerit, vt *Actorum* habetur *septimo.* Attamen in Euãgelica functione tamdiu versatus est, vt ad discipulos vnice sibi dilectos scribens, ætate se iam confectum aliquoties fateretur. Quis se cõmittat labyrintho huic inextricabili, quem vobis tortuosissimis suis opinionibus, velut muscipulas quasdam, adornant scriptores? nec quippiam tam certi alicubi occurrit, quo ceu filo quodam ducti ad exitum earum perueniamus.

Persuasio XVII.

Ostenso, quod Petrus Romæ mortem non receperit, restat dicere, vbi locorum pro Christi nomine passus sit. Et antequam id probem, id testor prius, nullũ testimonium diuina exliteratura huc trahi posse, quo quis Paulum indubie Romæ passum fuisse à Nerone ostẽdat. Nam dum postremo iam Neroni oblatus fuerat, & ad Timotheũ scribens, hęc interposuit verba: *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* In iis Paulus decrepitam, & non martyrium suum intellexit, quem interea dum hæc scripserat, valde senio detritum & decrepitũ plane fuisse, si non alio testimonio, certe vel hoc solo constat. Quoniam ante decem annos Philemoni suo scribẽs, senẽ se nominauit: *Cũ talis sim*, inquiẽs, *vt Paulus senex.* Quantum vero putas intra hoc decennium cõtinuis laboribus, omniũ Ecclesiarũ sollicitudine corpusculum Pauli exhaustũ, & maceratum? vt iudicare Timotheo, suo charissimo cogeretur, quo Romam acceleraret, suoq; aduẽtu mortem ipsius præuerteret, qua ipse breui fuerat soluendus. Nã quod spiritu sancto illustratus liberationem sui è carcere præuiderit, verba ipsius indicant, significans enim, quomodo in priori ante Neronis tribunal statione, causam suam solitarius, & omni patrono destitutus perorauerit, à Neroneq; ereptus fuerit, sub hęc ita loquitur: *Liberatus sum de ore leonis, & liberabit me Dominus ab omni opere malo; & saluum faciet in regnum suum cœleste*, hoc est, ad ministerium corporis

sui

Anno 1523

Anno 1523.

sui mystici, Ecclesiæ sanctæ, quẽadmodum per regnum cœleste, Gregorii authoritate, Ecclesiam in sacris scripturis sæpiuscule nominari diximus. Sicut enim sua spes non illum fefellit, vbi in priori captiuitate constitutus, Philemoni scripserat; *para mihi hospitium; nam spero per orationes vestras donari me vobis*: ita neq; hic eum decepit. Sunt enim pleraque alia testimonia, eum à Nerone liberatum etiam secundario fuisse, veluti epistola illa Senecæ, quam Apostolo in carcere degenti miserat ipse. Ex quibus procliue est creditu, Neronis violentiam Paulum euasisse. Verum ne hic longius iusto immoremur, iam Petrum & Paulum Hierosolymis passum, testimoniis irrefragabilibus confirmabimus. Primitus solius Christi verbis, ad scribas & Pharisæos, imo ipsam Hierosolymam apud Matthæum & Lucam loquentis: *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta & dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus filii eorum in sanguine Prophetarum. Itaq; testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum, ideo dico vobis: Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis. & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos, &c.* Tandem dicit: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*, &c. Hæc loquutum Christum non de prophetis legis veteris, sed de Apostolis exponit Ioannes Chrysostomus, homilia in Matthæum septuagesimaquinta, ac ita dicit: *Significat iis verbis Christus Apostolos, & eos qui cum Apostolis, & post Apostolos fuerunt, ex quibus multi etiam prophetabant.* Quod diuus Hieronymus literarum sydus, clarius erga hæc verba Christi immoratus interpretatur, dicitq;: *Simul hic obserua, iuxta Apostolum scribentem, varia esse dona discipulorum Christi, alios Prophetas, qui ventura prædicent, alios sapientes; qui nouerunt, quando debeant proferre sermonem, alios scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in actibus Apostolorum Apostoli, & persequuti eos sunt de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudæa, vt ad gentium populum transmigrarent.* His verbis Hieronymus clarissime, vt Stephanum, ita & Paulum & Petrum Hierosolymis passos declarat. Et ne cuius testimonium desideretur, Nicolai Lyræ horum Christi verborum interpretationem subnectamus; *ex eis occidetis*, exponit Lyra, *sicut Iacobum fratrem Ioannis, Actuum 12. & Stephanum, Actuum septimo, & multos alios. Et crucifigetis, vt Petrum & Andream fratrem eius, & multos alios flagellabitis, sicut Paulum & Sylam, vt actuum sedecimo, & secunda ad Corinth. 11. traditur.* Quis contra hęc firmissima testimonia vel hiscere deinceps poterit? quis reclamare? quis non modo Hieronymum, Chrysostomum, Nicolaum Lyranum, sed & Christum mendacij arguere poterit? Cum ipsemet apud Lucam eadem repetens verba, de Petro, Andrea, & aliis quibusdam Apostolis, ea sese loquutum designat, inquiens; *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus & post hæc non habent amplius quid faciant, ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Præterea dicit Christus, Hierosolymis, & non Romæ, à Scribis & Pharisæis, & non ab Imperatoribus Romanis occidendos suos Apostolos, quamuis non negem quosdam & extra Hierusalem fuisse interemptos.

Persuasio XVIII.

VIdere mihi videor satis prolixe eorum me subneruasse opinionem, qui Petrum vt Romanum Episcopum celebrant, & hoc nomine Romanis Pontificibus nihil non tribuunt, dum in summi Apostolorum principis, vt aiunt, ipsi locum suffecti sint, hancq; desultoriam potestatem, ceu per manus sibi tradant. At vero si quis roget, quomodo hęc falsissima persuasio in Ecclesiam obrepserit, dicam compendio. Si alia quoque non minus nociua, quorum recens est adhuc memoria, negligentia tẽporum rata habentur, vt nihilominus pro articulis fidei reponantur, quanquam & historicorũ de his taceant libri, & Christi dogmata velut ex diametro cum eis decertẽt, solo tamen Ecclesiæ prætextu, nõ minus quam quęuis alia, sine quibus hominibus salus non contingit, credi pręcipiuntur, quibus si quispiam bono fretus testimonio occurrere voluerit, æque hæreticus habetur, quã qui in legẽ Christi fuerit impius. Quid ergo de tam remotis ac perturbatissimis temporibus, Romanæ curiæ palpones, circa Petri Romam aduentum, passionẽ, & pontificatum cõfingere non poterant? Putasne Ecclesiam, quam egenus constituit Christus, quam omnium facile pauperrimi auxere Apostoli, opibus ditare oportere, vnũ in ea cæteris omnibus dominari, imo Ecclesiam non aliud, quã tyrannidẽ fieri deberet? Ecquis hoc dixerit? At vero hodie solẽne id habetur: hoc gloriosum putatur, vt vnius arbitrio omnia fiant, circa vnũ summa, & caput Reip. Christianæ cõsistat, vnius iussu, aut iniussu singula gerãtur, ex vnius nutu cũcta pẽdeãt. Quod si quis minus reuerẽter hos Ecclesiæ proceres incesserit, si corripuerit, si annuere noluerit, cõtinuo fremũt classica, vndelibet plebs Christiana cõclamatur ad arma capessenda; ad omnes Christianos Principes id aiunt pertinere, ne expolietur Christus, neue iacturã patiatur Ecclesia, dũ aliquot annui cẽsus denarii eis decreuerint, omnia sursum ac deorsum versare nõ verẽtur, ac tot Christianorũ fœdã dilaceratione, & stupẽdã perniciẽ, interim ne pili quidẽ faciũt. Adeo tyrãnis hęc Romanæ curiæ isthac perniciosa opinione inualuit, dum primatum mediãte Petro supra omnes alias Ecclesias sese accepisse iactitat, & Romanus Põtifex vniuersalis Ecclesiæ catholicæ Episcopus cẽsetur, repugnãtibus omnib. omnium ferme libris, voce ipsiusmet Christi,

& rita

&ritu, ac exéplo primitiuæ Ecclesiæ. Cumq; recēs adhuc sit memoria, quādo hæc tyrannis exordium sumpserit: nonne tamen inueniuntur pleriq;, qui id perpetuo fuisse scribāt, id probēt, pro eoq; ad aras vsq; (quod solet dici) digladientur, quib. non aliter, quam solius Christi verbis passim vulgus credit. Præterea, Syluestrum à Constantino Imperatore honestis munerib. donatum, in sedeq; imperatoria repositum, qui hoc hodie è populo non credit? resistentibus omnib. historiographis, eorumq; cōmentitias bullarum nugas fortissimis rationibus, doctissimisq; viris reprobātibus. Quantum tamen veritatē promoueant, apud hanc futilem plebeculam pseudosacerdotum præstigiis delusam, in propatulo est omnibus, cum non minus reuerenter in has opiniones, quam in Christi verba iurent ipsi. Non difficile est exinde diuinare, quantum illis procliue fuerit, quæ hodie de Petro feruntur, confingere, cum eorum tēporum nullā certam habeamus historiam, præter cōmentitias illas aliquot de Petro & Paulo passiones, quæ adeo sibi nō constant, vt omnib. etiam tacentibus, ipsæ se satis confutent, præsertim quæ Græcorum linguagio conscriptæ sunt. Quod vel solum argumento esse possit, eas falsissimas esse, cum hæc natio ab omnibus passim scriptoribus in historia mendacii accusetur, Iuuenale dicente: *Quicquid audet Græcia mendax in historia.* Et alibi, non sine ioco mendacē græculum nominat. Et breuiter, nemo miretur hoc apertissimum mendacium suos patronos habere, cum non desint etiam, qui Tusciam *patrimonium Petri* appellent; qua voce nunquam delirius dici, aut cogitari aliquid potuit. Et Plinius haud ignobilis author, *nullum tam impudens mendacium inueniri dicit, quod teste careret.*

Anno 1523

Donatio Constantini.

SEQVITVR ALTERA PARTICVLA.

SOlet interdum fieri, Lector mi, vt dum vegeto semine agrum conspergimus, ni simul nociua quæque radicitus extrahamus, vrenda filix subnascens sementis pariat iacturam. Quod dum hic timemus, ne quidam cauilli animum tuum torquentes, nostris iis persuasionibus minus te credere permittant, alteram libelli particulam addidimus; in qua septem quibusdam Romanensium cauillis manus conferamus, de eis, dignis rationibus (si sors fauerit) prædam ablaturi: Proinde interim Romanum quempiam, obesis faucibus, ac ventre prominulo, imagineris sycophantam, qui sic more suo nobis instet.

Cauillus I.

QVod in persuasione dictum est quarta, improbius dictum est, quam vt credi debeat. Paulus enim, dum binam suam versus Hierosolymam peregrinationem in ea, quæ ad Galatas est, epistola commemorat, in quatuordecim annis post conuersionem suam, vtramque fuisse factam intellexisse volunt, & non septem & decem annis, vt tua fert opinio; idque Nicolai Lyræ testimonio confirmatur. Triennium enim, quo ante Paulus Hierosolymam venerat, in subsequentibus quatuordecim annis, quibus secundario illac cum Tito & Barnaba perrexerat, absorbetur, ita Nicolao verba Pauli exponente. Deinde post quatuordecim annos, videlicet à conuersione sua, assumpto Tito & Barnaba, &c. Et sic Petrus quatuordecim illis annis prælabentibus Romam diuertere poterat.

Responsio.

BElla Lyræ, nisi à tot bonis authoribus, quibus ne matellam dignus erat ipse porrigere, dissentiret, crederetur expositio. Sed quia non ausim dicere, an vllum habeat, qui isthoc sibi consentiat, rationabilius tot celeberrimi sequendi sunt interpretes, quam hic vnus & quidem ignobilior; qui in hoc (spero) aucupabatur sibi gloriam, si stulte ab aliis dissentiret omnibus. Et quia contra inermem & imbecillem frequentia militum non solet desiderari, quem vnus probatæ fortitudinis vir vel euiscerare possit, vnicum Hieronymum tot Lyranis anteponendum contra hunc producam, qui Epistolam ad Galatas exponens, hoc septemdecim annos non semel repetit. In principio fidei, inquit, in transitu Paulus Apostolos videt, post annos (vt ipse ait) decem, & septem plene cum eis loquitur, & se humiliat, & ne forte in vacuum aut curreret, aut cucurrisset, inquirit. Et inferius: Contulit Euangelium cum Apostolis, non quod Paulus timuerit, ne per decem & septem annos falsum in gentibus Euangelium prædicasset, sed vt ostenderet prodecessoribus suis, non se in vacuum currere, aut cucurrisse, sicut putauerunt ignorantes. Hæc Hieronymi verba; quibus manifeste, quantum Lyra deliret, ostenditur.

Cauillus II.

QVid ni creditur Petro Apostolorum primati, qui è Roma Epistolam, quam Catholicam dicunt, scribens se Romæ fuisse propriis exprimit verbis? Salutat vos, inquit, Ecclesia, quæ est in Babylone collecta. Quantum piaculum dissentire à Hieronymo, & Lyrano, quorum neuter Romam per hanc Babylonem non interpretatur: Hieronymus in libro virorum illustrium, Lyranus autem hæc verba Petri explanans. Dicit enim vterq;, Romam figuraliter nomine Babylonis designari.

Respon-

Responsio.

Anno 1523. DVplicem esse Bahylonem à Cosmographis didicimus, vnam in Assyria, quam Bahylo sapientissimus Medi filius condidit: vel (si Herodoto credimus) Semiramis. Alteram, quæ Ægyptiaca dicitur, non procul ab Ægypto distans, de qua meminerũt Stephanus, Strabo & Ptolomæus, & recentiorum Ludouicus Cælius in *Antiquitatibus*, & Raphael Volaterranus in sua *Geographia*, & quidam alii. Strabo tamen plus in Arabia, quam prouinciis Ægypti hanc esse sitam ostendit, vnde Arabum lingua, Chayrum illam vocant, quæ vox noo aliud eis designat, quam si Babylonem nostrates dixerint. Et sic persuasissimum est, Petrum ex hac Babylone, vel, si quem Arabum oblectat dictio, Chayro epistolam suam scripsisse, qui in Iudæa, & contermineis vndique circum & circa regionibus Christi nomen diuulgabat. Iudæa autem, vt Hieronymus vult, confinem sibi habet vtramq; Arabiam, hoc est, & Arabiam petream, & Arabiam desertam. Ab oriente enim habet Arabiam petream, & iuxta hanc ad meridiem tangit Arabiam desertam. Et Apostolus hoc testatur, dicens: *Syna mons est in Arabia, quæ coniuncta ei est, quæ nunc dicitur Hierusalem.* Quas ob res in eis collimitaneis Hierosolymæ prouinciis Petrum prædicasse Christum, & ex Chayro ad dispersos è Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia Christi fideles epistolam scripsisse, hoc iam quis neget? Atque eo modo verba Petri; *salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*, intelligenda sunt. At sinamus præterea suis figuris ludere Lyranum: *Quia sicut*, inquit, *Babylon fuit ciuitas maxima, & idololatriæ dedita, sicut patet in Daniele: sic Roma postea fuit ex simili opere.* Sed quid de ea Babylone, cuius mentio apud Danielem agitur. Deus per Hieremiam loquitur dicens: *Egredimini de medio Babylonis popule meus, vt saluet vnusquisq; animam suam ab ira furoris Domini.* Sed nunquid etiã eodem tropo cæteras noui Testamenti scripturas patietur interpretari Lyranus? quod certe necesse est. Quid de hac Babylone, hoc est, *Roma purpurata, & versuta*, vt Hieronymi vtar verbo, meretrice Ioannes in Apocalypsi loquatur, simul audiat: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorũ & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immũdæ, & odibilis, quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt. & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti sunt.* Mercatores hic nominat, de quibus loquitur Petrus: *Erunt in vobis magistri mendaces, qui in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Posthæc Ioannes: *Et audiui aliam vocem dicentem, exite de illa popule meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eorum ne accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.* Ecce quid eis sua figurata afferat interpretatio, vt omnibus scilicet à Romana curia impune liceat deficere. Ecquid ergo nos culpamur Boemi? O vtinam omnes pari modo ab hac nostro ducti exemplo deficerent Babylone, quo fortasse à sua impietate resipisceret citius. O vere typũ gessit Romanæ curiæ occidentalis Babylonis, illa non modo propheticis, sed etiã gentiliũ literis damnata Babylon, cui indultum, ac licitũ fuerat, vt Plutarchi repetam verba, *psallere, scorta alere, cauponæ indulgere, sinuosis tunicis amiciri, pudicitiam prostituere.* An non æquat modo, imo etiam superat Roma verissima Babylon ista omnia? Nonne & corporis & rerum sacrarum castitatem impudẽtius prostituit, quã vel illic munditiem corporis impudentissimæ fœminæ? Apud illas enim, quæ ex fœdo coitu prouenerat, Veneri sacra fuit stipes, hic quod rerum sacratissimarum affert prostitutio, Christo acceptum ferri dicitur. Sed ne hoc loci in Babylonem Romanensem pluribus inueham, aliquantisper me cohibebo, nam hæc aliàs pertinent.

Cautellus III.

SI nihil aliud, hoc profecto solum magno esset argumento, Petrum Romæ ante priorẽ etiam Pauli illac aduẽtum fuisse, quod dum è Hierosolymis, vt Lucas in *actis Apostolorũ* tradit, militibus comitatus, Romam vinctus duceretur, occurrerunt ei fratres ad Appii forum, quibus visis gratias Deo egit ille. Nam quo monitore in Christũ credidissent, si tunc Petrus Roma abfuerit.

Responsio.

CHRISTIANOS protinus post Christi passionẽ, & non duntaxat Paulo illac veniente Romæ fuisse Orosius, Tertulianus, Platina, imo Christianorũ hostis Suetonius Tranquillus testãtur. Orosius enim lib. 7. ad hunc modũ scribit: *postquam passus est Dominus Iesus Christus, atq; à mortuis resurrexit & discipulos suos ad prædicandũ misit, Pilatus præses Palæstinæ prouinciæ ad Tiberiũ Imperatorem, atq; ad senatum retulit, de passione & resurrectione Christi, consequentibus virtutibus, quæ vel per ipsum factæ fuerant, vel per discipulos eius, in nomine eius fiebant. Et de eo quod ceteratim crescente plurimorũ fide Deus crederetur. Tiberius ergo cũ suffragio magni fauoris retulit ad senatũ, vt Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, quod nõ sibi prius secundũ morẽ delatum est, vt de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, cõsecrationẽ Christi recusauit, edictoq; cõstituit exterminandos esse ex vrbe Christianos, præcipue cũ & Seianus præfectus Tiberij suscipiendæ religioni obstinatissime cõtradiceret*, Tiberius tamẽ edicto accusatoribus Christianorum mortem cõminatus est, de quo Tertulianus io Apologetico aduersus gentiles modestius aliquanto loquitur: *Tiberius*, inquit, *cuius tempore nomen Christianum in seculum introiuit aut nunciatum sibi ex Syria Palæstinaq;, illic veritatem illius diuinitatis reuelarat, detulit ad Senatum, cum prærogatiua suffragii sui senatus, quia non ipse probauerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Omitto dicere quid scribant Suetonius, & Platina, hic in Christi, ille vero in Tiberii vita, quibus satis insinuatur, tutam fuisse à Tiberii temporibus, ad Neronis

ronis vsq; imperium, & sub eius imperio ad vsq; Pauli aduentum, Christianam Romæ Religionem, Tertulliano adstipulante, his verbis: *consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam Cæsareano gladio ferocisse.* Quare nullus mirari debeat tot fratres Romæ fuisse, qui Paulo venięti occurrerint, quoniam gliscente etiam illic pietate, ordinatione spiritus sancti, nec presbyteri illis defuerant, vti Narcissus, Andronicus, Iulias & cæteri, quatenus nihil opus habuerint. Petri præsentiam desiderasse, quos deinde Paulus quoq; ipse tum per epistolam faciendorum admonuerat, tum præsentialiter inuiserat, vt iam abunde in *priori* nostri libelli *particula* singula hæc indicauimus.

Anno 1523.

Cauillus IV.

QVibus ea res magis comperta fieri debuit, atq; discipulis Apostolicis, & qui proxime viguerunt post Apostolos. At illi hoc nobis indubitato prodidere, Petrū & Paulū Romæ passos fuisse, quorū vnius videlicet Lini Timotheum salutauerat nomine Apostolus dicēs: *Salutant te Eubolus, & Pudens, & Linus.* Alterius autem in Actis Apostolicis celebratur memoria, inquiente Luca; *quidam vero viri adhærentes Paulo crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.* Præterea Ægesippus, qui Aniceti decimi post Petrum Romani Pontificis tempore Romam aduenerat, in laudibus fidei Christianæ versatus, eiusce passionis Petri & Pauli meminit.

Responsio.

SI mihi nil aliud esset, quatenus probem passiones illas Petri & Pauli, ab eorum discipulis non fuisse conscriptas, diuersitatem illam, & discrepantiam, quæ illic reperitur, firmissimæ probationis loco ponerem. Sed quia sunt mihi pleraque multa ad perditam hanc suspicionem tollendam, illius ne meminero quidem. Persuasum est doctis omnibus, non modo discipulis Apostolicis, sed & ipsis Apostolis adhuc superuiuentibus hanc iniuriam sæpius factam fuisse, vt multa eorum sub nomine Christianæ professioni repugnantia in publicum ederentur. Nomine enim Pauli (vt Origenes testis est) ad Thessaloniceos, à Pseudoapostolis quo facilius deciperentur, porrecta fuit epistola. Quos Apostolus re tandem comperta, propria ad eos data epistola admonet his prope verbis: *Non cito moueamini,* inquit, *à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam.* Et Hieronymus visionem Pauli & Teclæ, ac baptizati Leonis fabulam sub nomine Pauli, à quodam Asiæ presbytero fuisse editam scribit, quod ipsemet postea, Tertulliano teste, se fecisse Pauli amore confessus est. Clementis item; cuius Apostolus ad Colossenses scribens, mentionem facit, multis erroribus hæretici resperserunt libros, quorum quidam Eunomij hæresin sapiunt. Nam disputat quodam in libro filium Dei ex nullis instantibus creatum. Item dæmones non voluntatis malitiam fecisse, sed creaturam eos esse diuersæ qualitatis ab aliis productam. Et longe plures alii inibi reperiuntur errores. Rursum Dionysii cuiusdam Alexandrini Episcopi vsque adeo deprauati sunt libri, vt eius authoritate Arrianorum hæresis, filium Dei non eiusdem substantiæ esse cum patre, ausa sit confirmare. Origenis nondum mortui, tot iam subdititiis erroribus scatebant libri, vt sæpiuscule hanc iniuriam deplorasse legatur. Et Ruffinus in Apolog. pro Origene, *De hæreticorum,* inquit, *temeritate, vt credi istud scelus facile possit, illa res maximum credulitatis præstat exemplum, quod abstinere impias manus etiam a sacrosanctis quidem Euangelii vocibus non potuerunt.* Apostolorum vero vel actus, vel epistolas qualiter polluerint, qualiter corroserint, qualiter in omnibus macularint vel addendo impia, vel auferenda quæ pia sunt, si quis vult plenius scire, ex his libris Tertulliani, quos aduersus Marcionem scripsit, plenissime recognoscet. *Et alibi,* inquit, *peruersi homines assertionem dogmatum suorum, sub virorum sanctorum nomine tanquam facilius credenda inseruerunt ea, quæ ipsi nec sensisse, nec scripsisse credendi sunt.* Et ideo Origenes Homilia vigesima sexta super Matthæo dicit: *Oportet caute considerare, vt nec omnia secreta, quæ feruntur in nomine Sanctorum, suscipiamus.* Quantum ad Dionysium Areopagitam attinet, nulla est cunctatio, quin passio illa Petri & Pauli ei adscripta non sit subdititia. Probant enim & Lauren. Valla & Erasmus Rot. *in Annotationibus*, libros, qui sub nomine eius circumferuntur, falso ei attributos, vt sunt *de cælesti Hierarchia, de Theologica Hierarchia, de diuinis nominibus,* & cæteri. Nondum enim Ecclesia, cuius tempore viguerat ille, tantam nouerat ceremoniarum turbam, quanta in eis libris traditur. De cætero autem Petri & Pauli sub nomine Lini euulgatæ passiones, tantum habent permixtæ sibi falsitatis, vt in multis non modo Christo, & Paulinis literis, sed & Petri ipsius contradicant sermonibus, quod equidem nisi me prolixitas arceret, promtum esset ostendere. Persuadeo tamen mihi Græculum quempiam (vt Iuuenalis vtar verbo) mendacem, & lenonem potius aliquem, quam Linum has passiones commentum fuisse, qui Paulinam ad Thimotheum epistolam olfecerit magis aliquando, quam intellexerit. Nam cum mendacem memorem esse oporteat, ille obliuione sua ingenue se mentitum ostendit. Arbitror eum legisse aliquando Paulum his verbis Timotheum ad sese allectantem: *Festina ad me venire cito. Demas enim me reliquit diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus.* Qui quidem impostor non habens perspectum, quod vnam Apostolus epistolam ad Timotheum miserit, & vbi se locorum expectaturum dixerit, & vbi Titus ac Crescens recedentes Apostolum reliquerint, passionem Pauli ad hunc modum exorditur: *Cum venisset Romam Lucas à Galatia, & Titus*

Anno 1523.

à Dalmatia, & expectauerunt Paulum in vrbe, quos cum adueniens Paulus vidisset, lætatus est valde, & conduxit sibi extra vrbem horreum publicum. Hæc verba illius, in quibus Apostoli primum oblitus est dicentis; *Crescens abiit in Galatiam, Lucas mecum solus est.* Nam præpostere Lucam dicit rediisse è Galatia, quo nunquam abierat ipse, sed indiuiduus Apostoli fuerat minister. Et Apostolus Crescentem dixit petiisse Galatiam. Proinde credibilius fuisset si eundem redeuntem Galatia hic leno posuisset. Post hæc subinfert; *Expectauerunt Paulum in vrbe,* quasi Paulus è carcere quopiā recedere potuerit, & non aduentum Timothei ac Marci, quos optauerat ante hyemem ad se venire, expectauerit. Quomodo ergo venerat Romam, vnde non recesserat? Aut quomodo Lucas, & Titus expectassent aduenturum Apostolum, quem in carcere detineri sciuerāt? nimirum cum Galatiam & Dalmatiam proficiscentes illic eum reliquerant. Vlterius scribit, *& conduxit sibi horreum publicum, vbi cum iis, & aliis fratribus de verbo vitæ tractaret, cœpitq; interea corrigere multitudinem maximam, & adiiciebantur per eius fides multæ animæ, operante Dei gratia, ita vt per totam vrbem fama prædicationis & sanctitatis eius fieret, & exiret fama per vniuersam regionem de illo.* hæc ipse. Sed Paulus diuersum quiddam in epistola sua dicit: *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenā meam non erubuit, sed cum Romam venisset, sollicite me quæsiuit, & inuenit.* Confer verba Pauli, ac Lenonis huius. hic, inquit, *conduxit sibi horreum publicum:* ille, *Onesiphorum catenam meam non erubuit,* nisi forte cum catena ex aliquo carcere Romam Paulus profugerit, qua se liberare non poterat. Hic dicit, quod *fama non modo per vrbem, sed per omnem regionem vndique de eo ferebatur, & concursus hominum ad eum fiebat:* ille vero, *Onesiphorum* dicit *sollicite se quæsiuisse, ac vix tandem inter catenas inuenisse;* mirum quod fama, quæ de Paulo volitabat, illac eum non perduxerit. Atque in hunc modum totam illam passionem, & alteram Petri possem suppilare, sed proprii voluminis hoc iam esset negotium. Hæc enim pauca ideo refello, vt maximum eorum ostendam mendacium, qui passiones has commentitias, & incerto authore natas, in Linum transfundunt. Non enim tam rudis fuerat Linus, qui tunc Paulo adhærebat, cum epistolam ad Timotheum scripserat, vt statim dictorum obliuisceretur, imo confunderet verba Paulina, & diuersa scripserit ab eo. Quod idem sentire & de Ægesippo, qualiter enim homo ille post multa tempora Romam veniens, historiæ seruare potuisset veritatem? Qui neque rei gestæ aderat ipse, neque Roma illa tempestate de eorum passionibus quicquam sibi conscia erat, siquidem multis post Ægesippum temporibus fabulam hanc fuisse fictam certum est.

Cauillus V.

AT Ecclesia Romana, verba ex passione Lini, quem tu Lenonem potius aliquem, quā Linum fuisse blasphemas, deprompta annuatim decantat; id neutiquam factura, si eam non legitime descriptam sciret. Inter cætera in passione Petri & hæc ponuntur verba : *Vt autem portam ciuitatis voluit egredi Petrus, vidit sibi Christum occurrere, & adorans eum ait: Domine quo vadis? respondit ei Christus, Romam venio iterum crucifigi. Et ait ad eum Petrus, Domine iterum crucifigeris? Et dixit ad eum Dominus, etiam iterum crucifigar. Petrus autem dixit, Domine reuertar, & sequar te. Et his dictis, Dominus ascendit in cœlum. Petrus autem prosequutus est eum multo coniunctu atque dulcissimis lachrymis.* Et quo id magis factum credatur, hactenus extat ibi loci exædificatum sacellum, vbi hæc habita sunt verba.

Responsio.

BEne habet, quod vniuersalis ecclesia sancta prophanū hoc mēdacium contra Christū, contra Paulum, imo contra ipsummet Petrum, ac fidem catholicam non decantat. Orientales enim Ecclesiæ, quod sat scio, & multo etiam in occidēte fidelium hanc vocem non recipiunt. Romanam vero Ecclesiam hæc mendacia approbare, profiteri, decantare quid prohibet? quæ mēdaciis est alioqui refertissima. Potuitne discipulus Apostolic⁹ hæc portenta horrēdissima toto cœtui fidelium scribere, vt iā Christus Petro occursurus tunc è cœlis descenderit? Et tāquam Petrus Christi verbis admonitus, rursum Romam sese recepit fratribus ea, quæ euenerant, nunciaturus? Quid Petrus enim hac fabula apud eos promouisset, nō intelligo, quam vt pro seductore & mendace haberetur ab omnibus. Qui quondā ad Iudæos de Christo loquutus, vt actuum habetur tertio, dixerat: *oportet quidem cœlum Iesum Christum suscipere, vsque in tempora restitutionis omnium, quæ loquutus est Deus per os sanctorum suorum, à seculo Prophetarum.* Quomodo tūc ergo cœlum terris Christū reddiderat ante consūmationem omnium, quæ circa diem iudicii primum est futura, dicentibus ēt Angelis ad eos, qui intuebantur Christum in nube pergentem ad cœlum. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quod explanat Matthæus de aduentu eiusdē ad iudicium: *Videbunt*, inquit, *filiū hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maiestate.* Quēadmodum .n. in nube ascēderat, sic in nube ad iudicandū reueniet. Ecce quam inconueniat credere, vt vnquam Christus in ea persona, qua à nube correptus in cœlum deuolauit, in terras descēnderit. Sed reuera ad diem iudicii primum à fidelibus expectatur rediturus, vt ad eam sententiam Psalmista quoque alludit : *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Vnde nunquam adhuc personaliter descendisse creditur, vt alicui sanctorum in terris apparuerit. Enimuero in cœlis semper apparere dignat⁹ est, & abinde ad eos & loqui. Stephanus enim intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Iesum stātem à dextris virtutis Dei. Et Paulum appropinquantem Damasco subito circumfulsit lux de cœlo, qui cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi: *Saule, Saule quid me persequeris? Qui tremens ac stupens dixit, quis es Domine? Et ille: Ego sum*

Iesus

Iesus Nazarenus, quem tu persequeris, quod ille, de sua conuersione minificatum illic, cum Iudæos alloquitur *Actuum 22.* tum vbi apud Agrippam & Festum præsidem *Actuum 26.* data ei sese defendendi copia proprius verbis attestatur. *Cum irem*, inquit, *Damascum, cum potestate & permissu principum Sacerdotum die media, in via vidi, Rex, de cælo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen.* Et Petro olim, an gentibus prædicando sit Euangelium hallucinanti, non quidem personaliter Christus apparuit, sed in extasin raptum, ne quid commune diceret, ac immundum edocuit. Et nusquam prorsus post ascensionem suam, alicui sanctorum apparuisse in eo habitu, quo post resurrectionem suam, per dies quadraginta conuersatus est cum discipulis, conuescebatur, & loquebatur eis de regno Dei, Christum in sacra scriptura legimus: imo nec aliquando appariturum prius, quam dies iudicii venerint, credimus, fide catholica Christiani instructi. Quantum flagitium ergo, tanta contra legem Dei mendaciorum simulacra discipulo Apostolico attribuere, quibus bonum ille virtutis specimen de sese præbuerat, eorumque doctrinam pulchre percalluit? Possem hic & de sacello, quod in huius mendacii robur extructum est, nonnihil dicere, & probare copiose, nullum sacellum, nec aliquam basilicam ad aliquot annorum centurias Romæ, & locis ei adiacentibus exædificatam fuisse, sed Christianos in latebris, & speluncis subterraneis conuenire solitos vel ad mortem Domini annunciandam, vel hymnis & orationibus Christi suffragium, & diuinam gratiam sibi demerendam.

Anno 1523.

Cauillus VI.

MArcus Euangelista Petri discipulus à præceptore admonitus Romæ scripsit Euangelium. Quod Petrus dum audiuit, & approbauit Ecclesiæ ad legẽdum authoritate sua ædidit, vt & Clemens *libro informationum* scripsit, & Hieronymus *de viris illustribus* meminit. De quo Petrus in epistola sua loquitur: *Salutat vos Marcus filius meus*, qui post scriptum tandem Euangelium Ægyptum perrexit, & primus Alexandriæ Christum annuncians, illis ecclesiam constituit, exantlatisque laboribus, Neroniani imperio anno octauo vita functus est. De cuius conuersatione apud Alexandriam, Philo quoque Iudæus librum concinnauit.

Responsio.

QVi Clementi adscribuntur libri, minus est tutum eis credere, quoniam eorum quidam suppositicii sunt, ac falso Clementi adscripti, quidã vero magna ex parte deprauati, ac erroribus infecti, vt iam antea probauimus. Itaq; sciendum, quod in noui Testamenti libris, duos *Marci* cognomine insignitos inuenimus, quorum prior dicebatur Ioannes Marcus, & de hoc legitur *Actuum 13.* quod Paulo cum Barnaba Antiochiæ inter Prophetas, & Christi nominis doctores existente, postquam visum est Spiritui Sancto, vt ad opus ministerii segregarentur, seniores impositis super eos manibus in ministerium eos confirmabant. Qui profecti in Seleuciam, venerunt tandem in Cyprum insulam, & Salaminam eiusdem insulæ vrbem Christum per Synagogas annũciantes, quibus erat adiunctus & hic Ioannes, qui cognominabatur Marcus, non reprobus quidem ministerio. Postquam autem peruenerant Paphum, vrbem in Cypro insula sitam, & inde nauigare vellent Pamphiliam, iam dictus Ioannes Marcus renuit proficisci cum eis, sed econuerso rediit Hierosolymam, & posthac Antiochiam. Quo ascendentibus post aliqua temporum interualla Paulo & Barnaba, & aliquandiu Christum illis docentibus, dixit ad Barnabam Paulus, *reuertẽtes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, & in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant. Act. 15.* Barnabas vero secum volebat assumere & Ioannem cognomento Marcum, qui pridem iam ab eis desciuerat, sed Paulus hunc rogatum habuit, ne id faceret, eo quod non conueniat eum deinceps in munus Euangelicum reassumi, qui antea ab eis defecerat. Et pergentes Pamphiliam relinquens, discessit Hierosolymam. Et hinc orta est inter eos dissensio, ita vt alterutrim separarentur. Nam Barnabas assumpto Marco perrexit Cyprum, & Paulus electo Syla recepit se in Syriam & Ciliciam. Qui quidem Marcus, Barnaba ad nomen Christi in Cypro impiissime trucidato, quod Ægyptum tãdem iter occupauerit, nemo it inficias, cum Philo magni nominis scriptor in Alexãdria vrbe Ægypti prope ostium Nili sita, Christi nomen ipsum annunciasse prodat. Et Petrus ex Chayro, hoc est Babylone, quam Stephanus & Ptolomæus in Ægypto sitam esse tradunt, epistolam scribens ipsius meminit. *Salutat vos*, inquit, *Marcus filius meus.* Credibile est enim hunc Marcum, Petro familiarem fuisse, cum Alexandria non procul à Chayro distet. Et de hoc Marco multa figmẽta reperiuntur. Primum, quod dum crediderit in Christum, amputasse sibi pollicem, vt sacerdotio reprobus efficeretur. Deinde quod Romæ scripserit Euangelium ad vota Petri, quod protenus falsum est. Nuspiam enim hunc Marcum, perinde vt nec Petrum in libris canonicis Romæ aliquando fuisse inuenimus. Et scriptorum varietas mẽdacium hoc declarat. Hieronymus enim Clementis authoritate scribit, Marcum rogatum à fratribus Christi Euangelium scripsisse. Alii vero, quorum è numero & Platina non ignobilis historicus, tradunt, quod Petrus Romanorum precibus motus, Marco, qui ad hanc rem videbatur idoneus, Euangelii conscribendi negotium iniunxerit; quem omnes velut ex composito, octauo anno Neronis obiisse, Alexandriæque sepultum fuisse scribunt. Verum enimuero hos decepit eorum indiscretio, non enim alium Marcum inter Apostolorum discipulos fuisse crediderant: & ideo quicquid de vtroque legitur, ad vnum falso retulerunt. Alter namque fuerat Marcus nomine Aristarchus, qui cooperator & discipulus fuerat Pauli, de quo ipse in priori captiuitate sua, qua biennio Romæ à Nerone detinebatur, ad Philemonem

Anno 1523.

scribentis mentionem facit: *Salutant te Marcus Aristarchus, Demas & Lucas adiutores mei.* Denique vbi iam secūdario in manus deuenit Neronis, & ingrauescēte ætate, ac laboribus cōfectus, diem obitus accelerare videns, Timotheoque ex carcere scribens, eiusdem Marci iterum meminit: *festina ad me venire cito, Lucas enim mecum solus est, Marcum itaque assume & adduc tecum, est enim mihi vtilis in ministerio, penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas.* Quod Iacobus ille Stapulēsis non omnium deterrimus Apostolicus interpres, pulcherrime exponit inquiens: *Lucam secum habebat Apostolus, Marcum autem mandat obnoxie, & membranas quæ apud Carpum erant deferri. Sed ad quidnam? nisi vt Luca & Marco, electis à Spiritu Sancto diuinis scribis, eas relinqueret ad reponendum sanctum Euangeliū.* Quid apertius his verbis dici poterat, quam quod Marcus Aristarchus, & non Ioannes Marcus, sacrum Euangelium conscripserit? qui facile Neronis imperii annos superauit, cùm Apostolus circiter tredecimum eiusdem imperii annum, epistolam hanc scribens, eum sibi à Timotheo adduci postulat. Neque idem, ne quem id moretur, Aristarchus & Ioannes apud Hebræos sonat. *Aristarchus* enim perinde Hebræis significat, ac si dicas *Suscitans coronam. Ioannes* vero, *gratia Domini.* Ex his euidentissime patet, fabulam esse quod de Petro & Marco perperam scriptitant.

Cauillus VII.

PHilo Iudæus, vir literarum pollētissimus, sub C. Caligula à gente sua Romam missarius factus, dum nonnihil periclitaretur secunda vice sub Claudii imperio illac remissus, cum Petro Apostolo de nonnullis contulit rebus, & tam arctissimas secum iniit amicitias, vt tandem, quotiens modo licuit, in libris suis Christianos honestis traduxerit laudibus. Et in Ioannis Marci præconiis pleno libro versatur, vt Hieronymus in libro de viris illustribus prodidit.

Responsio,

HAs nænias vel solus risus potis sit explodere. Quinam Philo Iudæus sub Claudii imperio, Petrum Romæ cōuenire poterat, quem nunquam etiam Romæ fuisse tot iam rationibus persuasimus, siquidem Paulus in fine imperii Claudii Romanos literis suis, fidei & virtutum admonens, & omnes presbyteros seniores, & muneris Euangelici coadiutores, tamen etiam quosdam plebeios salutans, solius Petri ne tantillum quidem meminit. Tandem quarto Neroniani imperii anno Romam perductus, Petrum illic non inuenit, & biennio ibi existens nullam Ecclesiam eius salutat nomine. Lucas ad quartum vsque Neronis annum historiam Apostolicam Romæ scribēs, Petri nullam mentionem facit. Paulus decem præterlabentibus annis secundario Romæ captiuatus, nullum Petri præsidium sensit, sed ab omnibus fere destitutus rem Euangelicam cum vno Luca tractauit, sin vero ea ratione Philo Christianos laudasse putatur, quod cū Petro inierit amicitiā, ego in Iudæa potius id contigisse crediderim, vbi Petrus Christum prædicando ætatem suam consumpsit, & mortem inibi passus est. Aut nunquid solus Iudæorum Philo Christi nomen dignis encomiis extulerit? Iosephus enim, qui non commemoratur alicubi Petrum vel vidisse, vel amicitias secum pactum fuisse, tamen adeo honestam Christi mentionem in suis *de antiquitatibus* fecit libris, vt interim mirum videatur, è tam peruicacissima gente, aliquem reperiri potuisse, qui tanto laudis præconio Christum extulerit. Sed quid mirum, Iosephum talia de Christo dixisse, cum & dæmonum legiones Christum prædicare cogerentur? Cuius & nos veritatem in multa discrimina perductam nunc defendimus, sceleraque & errores occidentalis Babylonis patefacimus, præmia immarcessibilis coronæ ipsius benignitate dubio procul adepturi.

FRAN.

Anno 1523.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI

DISCVRSVS DE ORIGINE POTESTATIS SECVLARIS IN ROMANA ECCLESIA.

P. PITHOEVS LECTORI SALVTEM.



IN vadendis occupandisque Imperiis, iuris sæpe color initio quæri solet: stabilita vero fundataque semel tyrannide, vetera illa initia, quantum potest, obruuntur, lex tantum Regia nude, & veluti ἐν αὐτῷ νόμῳ obtenditur, in contemptores legibus maiestatis perduellionumq; vindicatur. Itaque simpliciter magis & ingenue, quam caute Paulus III. cum de summa ipsius potestate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere illos solitus erat vt scholasticos & rerum rudes, qui à Christo eam tam anxie repeterent, cuius se possessionem vel solam, optimum & firmissimum titulum habere dicebat, quam viribus opibusque summis, ciuitatibus munitissimis, & potentissimorum Principum sibi coniuratorum auxilio tueri ac defendere posset. Prudentius etiam Italorum pars maxima, quæ Pontificem Romanum non vti Deum aliquem, aut Dei Vicarium ob fulmina illa, quibus iam pene totus inermis est: sed vt Principem viris, armis, vrbibus, castellis, fæderibusque potentissimum reueretur & obseruat. Nos vero, quos ille vt puerulos sola vana religionis larua perterret, quibusque vt venalitiis mancipiis pro arbitrio abutitur, scire aliquando par est, quo iure, quaue iniuria tam duro inclementiq; domino seruiamus: non vt tanquam Spartaci bellum aliquod seruile moueamus, sed vt ingenui nati, & quorum maiores seruitutem illam non seruierunt, vindicibus tandem idoneis vel tertia assertione semel amissam libertatem & strenue recuperemus, & fortiter retineamus conseruemusque. Natales porro nostros vel ab eiusdem domini familia aliqua saltem ex parte repetere licet, ex qua est hoc quidem mancipium, sed frugi admodum, & manumissione dignissimum: cuius etiam hac in re fidem herus infidelissimus per alligatos obruere conatus est. Nos tabulas quasi ex naufragio, aut potius ex rogo vespillonū manibus extortas, omnibus reddimus. Quarum fidem & vindicum satis perspecta integritas, & auctoris stylus, & loci ipsius, vnde dolo malo detracta sunt, vel sola inspectio sic asserunt, vt de ea nemo bonus iuste dubitare possit. Reliquum est, vt hoc beneficio prudenter & serio vtamur fruamurque, ne, si nos ob pretium participandum iterum quodammodo venire patiamur, non eadem post hac spes libertatis affulgeat, & perpetua seruitute, dignissima etiam grauioribus flagris mancipia premamur.

FRANCISCI GVICCIARDINI LOCVS, REPONENDVS LIB. IV. FOL. 156. verſ. 44. post, Concessit.



AD cuius rei & multarum aliarum sequentibus temporibus gestarum clariorem notitiam, res ipsa poscit, vti quid iuris in Flaminiæ, quæ nunc Romagna dicitur, oppidis aliisq; compluribus, quæ vel nunc possident, vel antea variis temporibus possederunt, Romani Pontifices habeant, dicaturq; quoque pacto ab initio rerum sacrarum administrationi dūtaxat præfecti, ad regna & imperia peruenerint: ad hoc vt id etiam tanquam his annexum & cōiunctum, quæ ob has atq; alias causas contentiones diuersis temporibus inter Pontifices atq; Imperatores extiterint, commemoretur. Pontifices Romani, quorū primus Petrus Apostolus fuit, accepta ab Iesu Christo in rebus sacris ac diuinis auctoritate, charitate, submissione, patientia, Spiritu sacro & prodigiis magni, per illorum initia non modo potentia ciuili & mundana penitus nudari, verumetiam ab illa vexati, diu obscuri ac fere

Anno 1523.

ignorati fuere: corũ nomine nulla re magis quam suppliciis & cruciatibus perferendis innotescentes; quæ vna cum iis qui eos sequebantur, sustinebant. Nam etsi cum propter infinitam multitudinem diuersarum nationum & sectarum, quæ in vrbem Romam confluxerant, parum Christianorum progressus & actiones animaduerterentur, essentque ab quorundam imperatorum vi & vexationibus immunes, nisi si quando illorum publici ritus silentio præteriri non possent: nihilominus tamen aliqui alii siue innata feritate, siue deorum suorum insano quodam amore perculsi, eos tãquam nouarũ superstitionum auctores, & suæ religionis euersores, atrociter persequebãtur.

Hoc in statu tum voluntaria paupertate, tum vitæ reliquæ sanctimonia, cum suppliciorum acerbitatibus clarissimi, ad Syluestri Pontificatum perstiterunt. Cuius temporibus quum ad Christianam religionem Constantinus moribus sanctissimis Christianorum, & prodigiis ac miraculis, quę frequentissima in iis, qui Christi vestigia sequebantur, elucebant, permotus animum appulisset, Pontifices à periculis, in quibus annos circiter trecentos versati fuerant tuti, liberius cultum diuinum exercere, ritusq; Christianos palam profiteri. Quamobrem factum est, vt partim morum & vitæ admiratione, partim præceptorum, quæ nostra religione continentur, sanctitate, partim quoque facilitate quadam mortalium, qua plerunq; vel ambitione, vel metu, principis sui exẽplum imitantur, nomen Christianum mirifice omnib. in locis propagari, paupertas vero illa sacerdotum beata, diminui cœpere. Nam Constantinus templo in Laterano diuo Ioanni, in Vaticano Petro Apostolo, itemque Paulo, aliisq; diuersis in locis ædificatis, ea non modo pretiosis vasis ornamentisque ditauit, verumetiam, vt sarta tecta tueri, ac renouare quæ extructa erant, seque, qui rebus sacris operam darent, sustentare possent, prædiis atque aliis vectigalibus donauit: alii præterea multi post secuti, rati beneficiis huiusmodi faciliorem aditum in cœleste regnum sibi patefieri, aut noua extruebant fana, eaque donis cumulabant: aut iam extructis suorum bonorum portionem aliquam attribuebant, quin etiam siue lege quapiam inueterata, siue consuetudine, ad legis Moseæ exemplum, quisque de suorum bonorum fructibus, decimam partem locis religiosis pendebat: ad quod quidem efficiendum, magno cum ardore excitabantur: quod videret ab initio sacerdotes, eo excepto, quod ad parcissimum victum sibi reseruabant, quicquid reliquum erat, partim in ædificia religiosa, eorumque supellectilem, partim in egenos aliosque pios vsus impendere: cumque nondum superbia & ambitio in eorum pectoribus insedisset, ab vniuersis qui vbique erant, Christianis omnium Ecclesiarum supremus custos, & tanquam Petri Apostoli successor Episcopus Romanus agnoscebatur: primum quod ea ciuitas ob suam antiquam dignitatem, tanquam reliquarum caput & princeps, imperii nomen maiestatemque retinebat: deinde quod illinc in bonam Europæ partem religio Christiana diffusa erat: postremo, quia Constantinus à Syluestro ritu Christiano aquis initiatus, eiusmodi auctoritatem in eo atque in eius successoribus libentem agnouerat. Fama quoque est, Constantinum Orientis prouinciarum motibus imperii sedem Byzantium, post de suo nomine Constantinopolim appellatam, transferre compulsum; Pontifici Romanæ vrbis aliarumque & vrbium & regionum in Italia, imperium donasse. Quæ fama, quamuis à sequentibus Pontificibus diligenter fuerit enutrita & sustentata, eorumque auctoritate à multis credita, est nihilominus cum ab scriptoribus grauissimis, tum vero rebus ipsis refutata. Illud autem certo constat, & tunc & longo post tempore, vrbem Romam, Italiamque omnem tanquam Imperio Cæsarum obnoxiam, ab Imperatorum ministris ac præfectis fuisse gubernatam: nec desunt, qui quicquid de Constantino & Syluestro dicitur (vsque adeo sæpe profundis in tenebris res vetustæ demersæ latent) redarguant, ostendantque eos longe diuersis temporibus extitisse: nemo tamen negat, Imperii Constantinopolim translatione ad Pontificum potentiam, viam esse patefactam, ex eaque originem habuisse. Nã indies magis & magis Imperatorum auctoritate, tum ex illorum continua absentia, tum quod grauissimis in Oriente bellis distinerentur, in Italia debilitata, populus Romanus ab Imperatorum obedientia paulatim desciscens, atque ob eam rem tanto magis Pontifices præsentes respiciens, eis cœpit non obedientiam quidem, sed voluntarium quoddam obsequium exhibere.

Quanquam ne hæc quidẽ nisi lente sese ostenderunt, ob Gothorum & Vandalorum aliarumq; barbararum nationum in Italiam effusiones: à quibus capta sæpe ac direpta Roma, & Pontificum nomen, quod ad ciuiles attinet res, in obscuro pene contemptum iacebat, & Imperatorum in Italia auctoritas euanescebat: quandoquidem eam tanta cum ignominia prædæ barbaris expositam deserebant. Aliarum nationum impetus cum torrentis instar erupisset, Gothorum per annos septuaginta potentia permansit. Erant hi nomine & professione Christiani, genere à prima origine Scythæ & Dacæ: quibus tandem Cæsarum armis Italia pulsis, per Græcos iterum magistratus cœpit Italia gubernari: quorum qui cæteris imperabat, Græca voce Exarchus appellabatur, sedemque Rauennæ in vrbe vetustissima, eisque temporibus opulentissima, atq; ob agri bonitatem frequentissima, habebat. Nam post magnum incrementum ex Cæsaris Augusti atq; aliorum Imperatorum classe validissima susceptum, quam in eius portu vrbi pene coniuncto, cuius nunc vix vllum extat vestigium, continenter tenuerunt, à multis belli ducibus, deinde ab Theodorico Gothorum rege, eiusque successoribus fuerat habitata; qui quod Imperatorum potentiam suspectam haberent, eam potius quam Romam regni sui sedem maris opportunitate Byzantio propioris ducti delegerunt: quam opportunitatem Exarchi, & si contraria ratione secuti, cum ibi consedissent, Romanæ vrbi, aliisque Italiæ ciuitatibus propriis imponebant præfectos, quos

Anno 1523.

Duces appellabant. Hinc Rauennatis Exarchatus nomen; quo nomine omnia comprehendebantur, quæ proprios duces non habebant, sed vni Exarcho obtemperabant. Qua tempestate Pontifices Romani ciuilis potestatis penitus expertes, atque immortalium animis admiratione & obseruantia moribus ipsorum ab illa pristina puritate iam fatiscentibus, obsolescente, tanquam Imperatoribus subiecti, ætatem agebant: sine quorum, & eorum quos Exarchos diximus appellatos, auctoritate, quamuis sacerdotum populique Romani suffragiis renunciari, neque se pro Pontificibus gerere, neque pontificatum capere audebant: quinetiam Episcopi Constantinopolitanus & Rauennas, quoniam religionis sedes imperii atque armorum potentiam sequi consueuit, cum Romano Episcopo sæpenumero de principatu disputabant.

Cæterum haud multo post rerum mutatio consecuta. Nam Longobardi, gens ferocissima, in Italiam ingressi, Galliam Cisalpinam occuparunt: ab quorum imperio, Longobardia est appellata. Adiecerunt etiam Rauennam cum Exarchatu vniuerso: alias præterea multas Italiæ partes, armis Picenum vsque & Spoletum, & Beneuentum prolatis; quibus in locis Duces à se dictos imperare iusserunt; atque hæc omnia dum Imperatores partim ignauia, partim Asiaticis bellis detenti, hisce rebus parum prospiciunt. Horum igitur auxiliis Roma destituta, cum nec iam Exarchorum magistratus esset in Italia, consiliis atque auctoritate Pontificum gubernari cœpit: qui cum aliquot annis post vna cum Romanis ab Longobardis opprimerentur, ad Pipini Francorum Regis auxilia tandem se receperunt. Qui valido in Italiam exercitu, vbi Longobardi annos vltra ducentos dominatum tenuerant, ducto, eos inde pepulit: partemque ipsorum imperii, quasi belli iure parti, Pontifici & Ecclesiæ Romanæ condonauit: in quibus non modo Vrbinum, Fauum Fortunæ, Eugubbium (*Igunium* olim) multaque alia Romæ vicina oppida, verumetiã Rauennam cum Exarchatu suo: quo contineri aiunt quicquid à Placentiæ & Papiæ finibus Ariminũ vsque, Padum inter & Apenninum, stagna siue paludes Venetorum, & Adriaticum sinum clauditur: ad hæc ipsum Ariminum ad Toglam flumen, tunc *Isaurum* appellatum. Pipino autem mortuo, cum denuo Pontificibus Longobardi essent infesti, & quę ipsis donata erant inuaderent, Carolus eius filius, qui post ob maximas victorias Magni cognomentum merito est adeptus, eorum imperio funditus euerso, à patre Ecclesiæ Romanæ donata comprobauit: & nominatim Picenum & Spoleti Ducatum, quo Aquila oppidum, Brunorumq; pars continetur, Põtifici tum cum Longobardis bellum gereret attributa. Hæc sic habere certo affirmant, quibus Pontificii quidam scriptores addunt, eundem Carolum Ecclesiæ donasse Liguriam ad Varum amnem, Italię terminum: Mãtuam item & quicquid Longobardi in Foro Iulii, atq; in Histria possidebant. Idem quoq; aliquis scribit de Corsica insula, totoq; illo tractu, qui Lunam inter & Parmam interest: ob quę beneficia reges Galliæ celebrati, & honoribus à Pontificibus affecti, *Christianissimi* appellationem sunt consecuti.

Post etiam anno Salutis octingentesimo, Leo Pontifex vna cum populo Romano (verũ Pontifex, haud alia auctoritate, quam vt eius populi caput) eundemmet Carolum Romanorum Imperatorẽ nominarunt, nomine quoq; ipso hanc imperii partem ab Imperatoribus Constantinopoli agentibus seiungentes, tanquam Roma prouinciæq; Occidentis ab illis desertæ in periculis, propriorum Principum tutela opus haberent. Hac imperii distractione, transmarini Imperatores, nec Siciliæ insula, nec ea Italiæ parte, quæ ab vrbe ipsa Neapoli, Manfredoniam vsq; pertingens, mari terminatur, (quoniam semper illorum imperium agnouerant) exclusi fuere: nec ob id de consuetudine, qua Pontifices Imperatorum, quorum nomine Roma gubernabatur, auctoritate confirmarentur, derogatum est: quinẽt in suis diplomatibus, scripturæ tempus his verbis consignabant: IMPERANTE CAROLO DOMINO NOSTRO. In qua minime graui vel submissione, vel obseruãtia perstitere, dum rerũ euentus animos addidere, vt suo se nutu regerent: quippe cum Imperatorum potentia debilitari cœpisset, primum dissidiis inter Caroli Magni posteros, dum penes eos Imperii maiestas stetit: deinde Imperii ad Principes Germanos translatione, potentia Caroli Magni successorib⁹ minime pares Põtifices populusq; Romanus, cuius magistratibus Roma cœpit, quãuis perturbare & confuse gubernari Imperatorum auctoritati quibuscunq; modis derogantes, lege sanxerunt, *ne deinceps Pontificũ electio, Imperatorum auctoritate niteretur*: quod quidẽ per annos plures varie seruatum est, prout rerum vicissitudine Imperatorum potentia aut surgebat, aut inclinabat.

Quæ posteaquam ad OTHONES Saxonas imperium peruenit, aucta: Gregorius V. Othonis tertii fauore, qui tũ Romæ erat, ad Pontificatũ assumptus, hinc suæ gentis amore, illinc Romanorum quibusdam iniuriis impulsus, suo decreto legendi Imperatoris ius & auctoritatem, ea forma, quæ ad hæc vsque tempora perducta seruatur, in Germanorum nationem transtulit, atque vt Pontificibus in Imperatores auctoritatem aliquam retineret, eisque vicem redderet, interdixit, *ne quis Imperatoris Augustive appellatione, aliove nomine quam Regis Romanorum & Cæsaris vteretur, nisi prius imperii coronam à Pontifice* (vnde mos inoleuit, vt ad capiendam coronam Romam veniant) *accipiant*. Cæterum Othonibus extinctis, & potentia Imperatorum, quod ad magnos reges hæreditario iure Imperium non veniret, Roma palam ab illorum obedientia defecit: multæq; vrbes Conrado Sueuo imperante, rebellarunt: & Pontifices suæ amplificandæ auctoritati intenti, Romanæ ciuitatis dominatũ propemodum obtinebant: sæpe tamen propter populi insolentiam & discordias, multis difficultatibus laborabant: quẽ, vt in officio continerẽt, Henrici secundi fauore, qui tum Romę erat, Pontificis creandi ius in Cardinales solos transtulerant. Pontificum ma-

Anno 1523.

gnitudini noua accessio facta est. Nam cum Normanni, quorum primus Guilielmus Ferabrachius est appellatus, ab imperio Constantinopolitano Apulia & Calabria subtracta, Robertus Guicciardus ex illa gente vnus, siue vt colore iuris aliquo sese muniret: siue quo aduersus eos Imperatores potentia se armaret, siue alia de causa, Beneuento Pontifici, quasi Pontificii iuris esset, restituto, Apuliæ Calabriæque principatum, quasi Ecclesię Romanæ fundum, recognouit: cuius exemplum Rogerius eius successorum vnus secutus, inde pulso Guilielmo eadem familia orto, post etiam Sicilia occupata, fere anno Salutis M C X X X. harum prouinciarum ius à Pontifice accepit: estque Rex vtriusque Siciliæ, quarum vna vltra, altera cis fretum sita est, appellatus. Neque enim Pontifices ambitione & propria vtilitate adducti, alienam cupiditatem & vim fouere recusarunt. Hac iam specie freti, vlterius Pontifices progressi (vt cupido humana gradum sistere neqoit) quosdam reges illis regnis quasi contumaces priuare cœperunt, in aliosque transferre: quo more ad Henricum Federici Barbarossæ filium, ab hoc ad Federicum secundum eius filium, qui tres ordine Romani Imperatores fuerunt, ea regna peruenere. Verum cum Federicus Pontificem bello persequeretur, essentque illo tempore Guelforum & Gibellinorum factiones excitatæ, quarum alterius caput erat Pontifex, alterius Imperator: Pontifex, mortuo Federico, Carolum Andiouinorum & Prouinciæ Comitem (cuius antea facta mentio est) vtriusque Siciliæ Regem appellauit: hac lege, vt quotannis, auri vnciarum sena millia tributi nomine penderet, ac ne quis eorum regum in posterum Imperatoris Romani appellationem posset admittere: quæ exceptio semper ab eo tempore in regni Neapolitani diplomate expressa fuit. Nam Siciliæ regnum post à Tarraconensibus regibus occupatum, à Pontificum obedientia sese subduxit, atque à tributo pensitando vindicauit. Adhoc obtinuit fama (etsi haud ita certa, quam ea, quæ hactenus dicta sunt) Mathildam principem in Italia præpotentem, Ecclesiæ eam partem Etruriæ donasse, quæ Pescia torrente & Quirici castello in Senensium finibus ab vna parte, ab altera mari infero & Tyberi amne, quæ hodie *Patrimonium Petri* vulgo nominatur: & addunt alii, ab eadem Ferrariam Ecclesiæ donatam. Hæc postrema dubia fide retulimus: cæterum multo magis dubia, quæ ab aliquo scripta sunt, videlicet, Authpertum Longobardorum Regem, florente ipsorum regno, eidem Ecclesiæ alpes Coccias, in quibus Genua, & quicquid ab ea in Prôuinciam vsque Romanorum paret; & Luithprandum eiusdem gentis Regem, Sabinam Romæ propinquam regionem Narniam & Anconem, cum aliis quibusdam oppidis attribuisse.

In hunc igitur modum rerum statu variante, variæ pariter Pontificum atque Imperatorum res fuere. Nam à primis Imperatoribus per multa annorum curricula vexati, post Cōstantini ad Christum conuersionem, ab eo terrore liberati, rebus sacris tantum operam dantes, in reliquis Imperatorum auctoritati fere subiecti, sub eorum vmbra quieuerunt. In hoc humili statu diutissime post vitam egerunt, ab Imperatorum commercio, propter magnam in Italia Longobardorum potentiam seiuncti. Post autem Galliæ regum beneficio opibus & potentia aucti, cum Imperatoribus coniunctissimi stetere, ab illorum auctoritate, dum imperatoria maiestas in Caroli Magni posteris mansit, alacri animo pendentes, quod quidem fiebat, tum propter beneficia vicissim data & accepta, tum etiam ob Imperatorum potentiam: quæ vbi post cœpit inclinare, & quasi flaccescere, illorum amicitia prorsus reiecta, ita se gerere cœperunt, quasi pontificiæ dignitatis esset leges potius Imperatoribus dare, quam accipere. Cumque à veteri illo quo subiecti Imperatoribus statu penitus abhorrerent, veritique ne illi Romæ atque alibi antiqua Imperii iura recuperare, vt quidam illorum aut potentia maiore, aut animo erectiore efficere conabantur, tentarent, armata vi sese Imperatorum potentię, ab illis tyrannis qui se Principes appellabant, & ab illis vrbibus, quæ sese in libertatem vindicauerant, nec iam imperii auctoritatem agnoscebant, adiuti, opponebant. Hinc factum est, vt Pontifices sibi indies plura maioraque arrogantes, terroremque armorum cœlestium in res terrenas caducas vertentes, ius sibi atque auctoritatem in Imperatores, quasi Christi in terris vices gerentes, assumpserunt: affirmantes ad se multis in rebus regnorum atque imperiorum procurationem pertinere. Qua persuasione freti, Imperatoribus interdum imperii dignitatem abrogabant, Septemuiros Augustales, vt alios in eorum locum surrogarēt, incitabant. Vicissim quoque Imperatores aut ipsi creabant nouos Pontifices, aut vt crearentur, procurabant. Ex his controuersiis, atque etiam quod Pontifices per annos septuaginta Auenione sedem habuissent, nec non ex illo Ecclesiæ dissidio, quod in Italia Pontifice Romam reuertente, est exortum, cum Ecclesiæ status admodum concussus ac debilitatus esset, factum est, vt in oppidis Ecclesiæ subiectis præcipue vero in ea Italiæ parte, quæ olim Gallia togata dicta est, complures in eis ciues potentia cæteris superiores, in sua quisque patria tyrannidem occuparent: quos Pontifices aut persequebantur, aut, si ad eos opprimendos impares essent, quasi Ecclesiæ beneficio regnare iubebant, aut aliis in eos excitatis, regnandi ius attribuebant. In hunc igitur modum Galliæ togatæ oppida, proprios dominos ac plerosque quasi Ecclesiæ vicarios habere cœperunt. Eodem modo Ferraria Actio Atestino à Pontifice gubernanda tradita, eidem est post beneficii nomine attributa: ex quo deinde ea familia illustrioribus honorum titulis est exornata. Sic Bononia ab Ioanne Vicecomite Mediolanensium Archiepiscopo occupata, eidem pari iure concessa fuit. Iisdem quoque de causis in multis Piceni oppidis, diui Petri patrimonio, & Vmbria, quæ nunc Ducatus appellatur, plures Reguli, pars inuito, pars ad consentiendum adacto Pontifice, sunt exorti: nec Longobardia in imperii præsertim oppidis, ab huiusmodi mutationibus immunis fuit: sicut qui in Flaminia atq; aliis

Ponti-

Anno 1523.

Pontificijs locis dominabantur, à Pontificum obedientia deficientes, ad Imperatorum auctoritatem cōfugerent: & vicissim qui Mediolanum, Mantuam, & alia imperii oppida tenebant, à Pontificibus regnandi ius obtinerent. Roma vero quanquam nomen Ecclesiæ temporibus illis præ se ferret, magistratibus tamen regebatur propriis & suis: & quamuis initio cum Auenione in Italiam postliminio reuertissent, tanquam domini agnoscerentur, paulo tamen post Romani creato magistratu, quod Banderensium appellabant, in veterem contumaciam recidere: vnde cum Pontificum auctoritas apud eos esset perexigua, & ipsi alio translata sede, Romam reliquere donec Romani ad paupertatem redacti, atque in magnam propter eius absentiam confusionem delapsi, cum annus millesimus quadringentesimus appropinquaret: in quo anno si Pontifex in vrbe esset, sperabant ingentem fore propter annum secularem, quem Iubileum vocant, mortalium concursum, precibus quam demississimis Bonifacium Pontificem ornarunt, Romam rediret: id si faceret, Banderensium magistratum abrogaturos, seque ei obsequentes in omnibus futuros. His conditionibus in vrbem reuersus, dum Romani illius anni quæstum, vnum attendunt, Pontifex occupato omni vrbis imperio, Anglicam arcem communiuit eique præsidium imposuit: cuius successores ad Eugenium vsque etsi non paucis difficultatibus conflictati, nihilominus dominatu post plene stabilito, insecuti Pontifices citra vllam controuersiam, Romæ sunt pro sua libidine dominati.

His igitur fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati, ac sensim animarum salutis, diuinorumque præceptorum obliti, atque ad mundana imperia omni cogitatione conuersi, nec diuina auctoritate alio, quam quasi telo & instrumento rerum fragilium abutentes, principes potius gentium quam rerum sacrarum Pontifices videri cœperunt. Horum curæ & negocia, non iam vitæ sanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas, sed exercitus, sed bella in Christianos, cogitatione & manibus sanguine respersis sacra tractantes: sed pecuniæ immensa cupido, nouæ leges, nouæ artes, nouæ insidiæ ad pecuniam vndique cogendam. In hunc finem audacissime arma cœlestia vibrare: profanarum sacrarumque rerum nundinationem impudentissime exercere: hinc opes in immensum adauctæ, & in totam ipsorum aulā effusæ: ex quibus fastus, luxus, mores turpissimi, libidines, voluptatesque nefandæ: nulla de successoribus cura, nulla maiestatis perpetuæ pontificatus sollicitudo: sed horum loco cupido anxia & pestifera, filios, nepotes, item alios sibi coniunctos & necessarios non modo ad opes immoderatas, verumetiam ad regna & imperia euehendi: non iam honores & emolumenta in merentes & bonos conferendo, sed plerunque auctionando, aut in homines ambitione, auaritia, & pudendis voluptatibus perditos effundendo. His moribus effectum est, vt excussa penitus ex animis hominum illa vetere erga Pontifices reuerentia: tamen ex parte, eorum auctoritas religionis, qua nihil in terris ad homines vel impellendos, vel retinendos potentius inuenitur; nomine & maiestate, facultate qua pollent, Principibus, atque iis qui apud illos maxime possunt, sacris beneficiis & honoribus conferendis, gratificandi adiuta sustentetur. Qui cum sciant magna se in admiratione mortalium esse: & qui aduersus eos arma sumunt, eos grauis infamiæ notam, & sæpenumero aliorum Principum odia subire: ac quomodocunq; res cadat, perexiguum emolumentum ad eos, à quibus oppugnantur, redundare: & victores ex suo arbitrio victoria vsuros: victos, quibus velint conditionibus pacem habituros: ad hæc suos propinquos ex priuata conditione ad principatus attollendi cupidine inflammati, iam per multos annos bellorum auctores, nouorumque incendiorum faces in Italia extiterunt. Sed vt ad id, à quo iustissimus publici damni dolor me longius actusque, quam leges historiæ forsitan permittant, abduxit, reuertamur.

Æmiliæ Flamin. &c.

OPVS

no 534.

Opvs eximivm

DE VERA DIFFERENTIA REGIÆ POTESTATIS ET ECCLESIASTICÆ, ET QVÆ SIT IPSA VERITAS AC VIRTVS vtriusque.

BENEVOLO PIOQVE LECTORI.



NOn est vt multis te verbis onerem, amice pieq; Lector, aut vt me tuis tanquam auribus insinuem: quatenus id, quod conor, tanto facilius ad præfixum finem adducã. Nam res ipsa se plane manifestat, neq; externo quoquam eget adminiculo; res (inquam) ipsa sibi sufficit, suis saltem hinc inde fulta præsidiis, certe scripturis & antiquissimorum simul ac probatissimorum Interpretum authoritatibus. Adde (si libet) optimorum præclara piaq; facta virorum, idq; nonnũquam in frequenti cœtu sacrisque conciliis. Hæc vbi syncere peruideris (videbis autem hic apertissime) non arbitror opus fore, vt aliud quicquam inferam, quo te penitius incitem aut intimius alliciam ad bene sentiendum pieque iudicandum de præsenti opere, quod non ob aliam tibi iam proponitur, tuæque censuræ submittitur, quam solius veritatis enucleandæ, causam. Et hæc ipsa veritas semper inuicta mansit, inuictaque manebit, nec vnquam ita tenebricoso tempori cessit, quin aliquando tanquam ignis ex cinere clarior & lucidior emicarit. Vnde te velim inprimis exoratum, vt omnem hic deponas sinistram affectionem, certe qualemcunque & vndecunque natam; atque ad vnicæ veritatis metam patentes oculos intendas. Verum si id te moneat, quod mos ille, contra quem ferimur, diutius inoleuerit, & tanquam per manus à tam multis retro parentibus acceptus sit, ab ea te opinione reuocabit, quod mos quiuis veritati semper cesserit, aut cedere profecto debuisset, & iam debeat. Alioquin non tam bene Christus eos arguerat, qui discipulis suis obiectabant, quod traditiones seniorum transgressi fuerint: Quid (inquiẽs) vos Matth. 15. transgredimini præcepta Dei propter traditiones vestras? Nõ est vtiq; nostra, non est paterna (quam vocant) paterna traditio tanto tempore ponderanda, vbi Dei sacræq; Ecclesiæ negotium agitur. Sequendi sunt (inquit Ambrosius.) parentes nobis, qui sequuti sunt feliciter suos. Quod si non sapienter ac feliciter sequuti sint, neque sequendi nobis. Nam alioqui (quod idem ait) corrigit sequentem lapsus prioris, & de reprehensione antecedentis exempli, nascitur emẽdatio. Sed & quos, quæso, mihi patres narras? si vulgariter omnes, beluam ostentas multorum capitum vt vel poeta cecinit: sin Christum, qui verissime dicit: Matth. 23. vnus est Pater vester, qui in cœlis est Si sanctissimos Apostolos, si sanctissimos viros in cõcilio cõgregatos, si viuacissimos ac eruditissimos scripturarũ interpretes, immo veros Apostolorum sequaces: quales sunt, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, & alij quiq; istorum similes. Hi certe patres sunt, quos & nos imitamur, ac alijs omnibus censemus imitandos. Et hos à nobis stare clare videbis in ipso opere. Deniq; cum videris hic rationes illas esse, quas recte confutare non poteris, & oppositis multo validiores, immo tam validas (ni fallar) vt vere dilui, superariue non queant. Velim vt vltroneus huc animũ aduertas, & soli veritate fortiter adhæreas. Hanc, inquam, veritatem, pie Lector, amplexator, & præ rebus alijs omnibus charam habeto: nec aliquid ibi te deterreat, vbi vocat & hortatur tam certa propugnatrix. Quin si quem videris haud rectà pergentem, vel proteruius affectum, vt id etiam quod habet optime, deprauare non formidet; & contra id, quod verissime sonat, mussitare audeat: hunc tu benigne moneto, vt ante perlegat, quam pronũciet; prius omnia plene trutinet & expendat, quam iudicet; synceriter ante iudicet, quã proferat; & tanquam vir bonus ac sapiens, temere nihil effutiat. Sic quod omnipotenti Deo debet & suo Regi vni omnium meritissimo, non inofficiose responsurus. Bene vale Lector candidissime.

PRAE-

PRÆFATIO OPERIS.



Super omnia vincit veritas 3. Hesdr. 3.
Magna est veritas & praeualet, 3. Hesdr. 4.

CVm ea sit dignitas & prærogatiua veritatis, vt neque loco, neque temporí, neque authoritati aut potestati vlli cedat, siue submittat, sed gradu semper eminentiori subsistens, aditum omnibus præbeat difficilem quidem illum, interdum & hominum malitia multis sæpissime prætextibus impeditum; sed tamen Dei iudicio inculpatum, atque adeo hominum confessione laudabilem, si quis illuc bona fide contendere conetur, non est sane improbandus hic labor, quem nobis suscepimus, qui venerandæ veritatis studio adducimur, vt quæ deinceps sequuntur, diligenti deliberatione tractemus. Carebunt nouitatis illecebra, quæ dicemus, sed bonis satis applaudet etiam austeritas veritatis. Neque transit vnquam in rem iudicatam, quod in veritatem definitum est. Itaq; satis sit veritatis causam agere, ad illius tribunal iter arripere, in illius nomine illustrando laborare: absit modo dissimulatio; absit liuor & inuidia; absit pertinentia; absit affectus malitia corrupti, à quibus nos maxime abhorremus. Sed si nihil horum nobis imputari queat, remoueantur etiam procul à nobis ea præiudiciorum impedimenta, quæ malis & improbis recte obiicimus, videlicet ne veritatis negotium simulantes, dum malitiam exercent suam, negotia exhibeant publicæ quieti. Obstruantur malorum ora bonorum præiudiciis, nec sit phas quibusuis omnia tractare. Quod autem pio animo fit, quod cum modestia proponitur, quod magna cum religione inquiritur, magna etiam cum gratia & libertate procedat, vt ne ea vitio retulisse detur, quæ alios laudabiliter scripsisse & fecisse nemo diffiteatur. Non innitemur nostro iudicio, non ducemur sensu nostro, nihil comminiscemur, nihil fingemus, nihil inique calumniabimur aut peruertemus, sed sacras scripturas ac aliorum sententias, facta & gesta, quæ statuunt quod proponimus, fideliter, syncere & incorrupte proferemus. Sed nec temere in ista incubuimus, neque affectibus perturbati, casu dilapsi sumus in hunc tractatum; sed religio commouit, pietas hortata est, studium etiam veritatis detrectantem impulit, atque coegit. Videbamus enim, in quam laborioso & inextricabili Labyrintho conclusit nonnullos ecclesiastica potestas (quæ vocatur) quibuscunque initiis prognata, malis certe artibus deprauata atque corrupta. Non ignorabamus magnam esse hominum malitiam super terram, ac nihil esse tam bonum sub sole, quod malorum nequitia non subuertat. Sed simul occurrebat, magnam esse curam Deo eorum, quæ ipse peculiariter statuit; dedisse scripturas sacras, quod sit cognitu necessarium continentes; certissimos etiam veritatis professores esse; esse quidem diuinæ sapientiæ diuitias altas & inscrutabiles, & tamen humanæ cognitioni scripturis traditum, vt ex fructu arborem cognoscamus aliquando spiritus, deinde probemus ex Deo sint, an ex hominibus. Quod si probatio nostra esse potest, & malum à bono liceat discernere, non mirum si hactenus religio commouerit, pietas etiam hortata sit, ac denique adegerit studium veritatis, vt profunda meditatione altius cogitaremus, intra nos primum tam ambiguam huius potestatis rationem, deinde etiam inspiceremus & contemplaremur, num ad normam veritatis, hoc est, scripturæ testimonia quadrarint omnia, quibus hæc potestas ecclesiastica, & quicquid sub ea appellatione contineri hodie dicitur, fulcitur & constat. Sic enim cogitabamus, si Deo authore constituta est primum hæc potestas, ac tam late proiectis fundamentis, tam alta structura fabricata, vt hodie videtur vsurpari, tantum libet exclamare: O inscrutabilia consilia Dei, cuius prouidentiam in hoc corpore tenebroso non videmus. Si ob nostra flagitia à Deo tantum permissa est, vt flagellemur & doleamus peccata nostra. Grauis est enim cæcitas, quod non videamus, periculosissimus morbus, quem non sentimus; miserrima conditio nostra, quod Deum non seuerissime castigantem benigne nobiscum agere interpretemur, & impiam potestatis tyrannidem pro beneficio dedisse. Est sane *omnis potestas à Deo*, vt Apostolus habet, *& qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Sed perniciosissimus est error, vt datam à Deo potestatem, & permissam ab eodem tyrannidem non distinguamus, & vitiis nostris blandientes diuinas etiam vltiones non agnoscamus. Tandem vero succurrebat, huius ambiguitatis certissimam dissolutionem ex scripturis petendam, in quibus viget etiam hodie & spirat ille spiritus paracletus, quem Christus suis se missurum dixit, vt illos doceret omnem veritatem. Nam alioquin hominum traditionibus res admodum varia ac diuersa habita est alii aliter senserunt. Quidam germano (vt videtur) scripturæ sensui inhærentes, ac ex ipsius descriptione potestatis fundamenta demetientes potestatem ecclesiasticam tantum, ministerium verbi esse definiunt ac circumscribunt, & Pontificem atque Episcopos Apostolos datos affirmant, qui verbum Dei pro mandati finibus obseruarent; docerent autem & prædicarent quod scripturis traditum est, nec adiicerent vel detraherent, quasi diuina prouidentia, quæ absoluta & in-

Rom. 13.

Variæ opiniones de potestate Pontificis Romani.

essa-

Anno 1523.

effabilis est, humanæ etiam industriæ supplementum desideraret, vt hominum saluti melius consuleretur. Alii sic proferunt atque extendunt potestatis ecclesiasticæ limites, vt in cœlo & inferis terminos ponant. Sacra prophanaque omnia, diuina & humana illius potestati permittunt: Pontificem vero Romanũ non ministrum verbi, & seruum vicarium Dei constituunt; sed ius illi Dominij tribuunt, vt nihil non liceat, nisi quod non lubet: omnes illum iudicare posse, illum vero à nemine iudicari debere; in Imperatores, in Reges dominari, breuiter, omnibus atque adeo Concilio superiorem esse. Alii omnes Christianos pares faciunt, & quod Apostolis dictum est, ridicule ad omnes detorquent Christianos, omnes Christianorum ordines confundentes, illis aliis veluti ex diametro pugnantes. Et quemadmodum illi omnia sine modo tribuere pontificibus, sic isti pari vitio omnia adimere videntur. Sunt qui potestatem fatentur, & tamen de causa atque origine dissentiunt: & cum Pontifex diuino iure vendicet primatum, contendunt statutum iure humano. Non consentiunt sibiipsis ipsi Pontifices, quorum prout quisque vitæ sanctimonia & Religione aliis præstabat, ita quam minimum sibi potestatis arrogabat. Alii rursum etiam in sacratissima quæque manus iniecerunt, ne à diuinis quidem oraculis temperantes. Quæ opinionum altercatio & dissidentium inter se sententiarum conflictus, an non iustissimam causam affert, vt originem huius tantæ, tam amplæ & tam potentis potestatis inquiramus? Videlicet vt clare videamus vnde processerit, quomodo manarit, quanta data sit, quanta vsurpata, quid à Deo collatum, quid hominum voluntate additum atque adiectum, denique quid Principibus & Regibus ademerint Pontifices, quid in se transtulerint. Quorum omnium fides certissima ab ipsis scripturis petitur, quod est syncerissimum atque integerrimũ testimonium. Quod si scripturæ sensus tam clarus apparebit, vt de eo dubitare non liceat, iam non absurdum fuerit etiam aliorum factis & gestis id confirmare.

Diuisio operis.

Itaque primum inuestigare conabimur atque expendere, quomodo potestas ecclesiastica, vt hodie vendicatur, iure diuino non in[...]tatur. Secundo, quemadmodum obtineat de iure diuino. Tertio, qua modestia vsi sint ea potestate Pontifices boni. Quarto, quatenus propria sit Regum potestas illa ecclesiastica, quæ sic hodie appellatur.

PRIMA PARS.

a c.1. & ca. translato. de const.
b c. nouit, de iudic.
c c. ad Apostolica, de sent. & re iud. lib. 6.
d de sent. &c. per totum.
Tu es Petrus.

Itaque vt, quod primo loco posuimus, aggrediamur, sciendum est, sub [a] potestatis ecclesiasticæ appellatione hodie contineri ius condendi leges & statuta, quæ ligent quoscunque Christianos authoritate cogendi omnes, atque adeo Reges & Principes, vt [b] dicant causam quamcunque (modo peccatum prætendatur) apud Pontificem Romanum, atque apud illum litigare, [c] Principes de regni administratione submouere, alios (quos videtur) surrogare, subditos obedientiæ iuramento absoluere, [d] excommunicare, interdicere, hos in orcum deiicere, alios quos videtur in cœlum transmittere: breuiter, plus quam omnia facere. Et hanc potestatem ex quibusdam sacræ scripturæ locis confirmare conantur, quod nos ingenue & syncere examinabimus. Et præcipuus locus est Matth. XVI. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Ex quo textu si donetur illum habere intellectum vt significet, super Petrum fuisse ædificatam ecclesiam, sequeretur (vt illi dicunt) manifesta probatio plenitudinis potestatis: quod tamen nequaquam est concedendum. Nam vt Petrus fuerit primus & Princeps Apostolorum, & super priuata illius persona fuisset ædificata Ecclesia Christi (quod esset absurdum, vt infra ostendemus) tamen quæcunque habuerit fundamenta Ecclesia Christi, eam adhuc oportet esse sanguine Christi redemptam, fide in Christum coalescentem, & Christi Legibus coeuntem atque constantem. Cuius Christi si propria & vera est sponsa Ecclesia, vnum illum habet in summa libertate dominum, in illo tanquam in capite residet, ab illo pendet, per quem effectum est, vt non amplius sub lege simus, sed sub gratia, gratuito ipsius munere, ita grandescentes, vt à pædagogi cura soluti, ac spiritu Dei gratia illius afflati, per fidem iustificemur, quæ non per coertionem, non pœnis impositis, non propositis minis atque terroribus, sed per veram dilectionem operatur. Sed non videtur ex textu illo constare super Petrum fuisse ædificatam Ecclesiam, nisi quatenus sub Petri nomine vniuersa congregatio fidelium & vere Christianorum vel ipsa Petri confessio intelligatur. Nam quid grandius dici potuit, quam portas inferi aduersus ecclesiam præualere non posse? At si portæ inferi (quæ iuxta Hieronymum & Origenem atque Ambrosium vitia & peccata sunt) aduersus ecclesiam præualere non possunt, de summo Pontifice hoc intelligendum, qui homo & mortalis est, nemo dixerit, cum scriptum sit, quod [e] *septies in die cadit iustus.* & iuxta Paulum, [f] *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus circumdatus est infirmitate.* & propterea debet quemadmodum pro populo, ita & pro suis peccatis immolare. Et hoc etiam considerare oportet, quod Pontificum Romanorum nonnulli symoniaci fuerunt, alii Idololatræ, alii schismatici, alii hæretici, alii aliis vitiis, alii simul omnibus fere implicati, vt testantur, qui Pontificum gesta continent, Annales. Quorum vt plerosque male actæ vitæ demum pœnituerit, aduersus quos propter fidem in Christum, verum ecclesiæ fundamentum, non præualuerunt in fine portæ inferi & peccata: ita contra alios præualuerunt, qui non melius mortui sunt quam vixerant, sed peccata peccatis accumulantes, infeliciorem exitum habuerunt quam vitã. Quorum malus exitus certissimam nobis fidem facit, Petrum & successores suos in Ecclesia Romana non eos esse, aduer-

e Prou. 24.
f Heb. 5.

sus

sus quos portæ inferi nihil sint præualituræ, sed fidem & ipsam Petri cõfessionem. *Non enim* (vt inquit Ambrosius libr. de incarnat. Domini sacramento) *de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mortis ei non præualebunt.* Et idem super [a] Epist. ad Ephes. *Dicit Dominus ad Petrum: super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, hoc est, in hac catholica fidei confeßione statuo fideles ad vitam, ipso summo angulari lapide, Christo Iesu, in quo omnis structura compacta crescit in templum sanctum, in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto. Hic*, inquit, *sensus est, vnde Dominus ait; super istam petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et diuus [b] Hieronymus habet; *Secundum autem metaphoram petræ recte dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te.* Quam sententiam confirmans [c] Augustinus, *super hanc*, inquit, *petram quam confessus es, super hanc petram quam cognouisti dicens: Tu es Christus filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam, id est, super me ipsum filium Dei viui ædificabo Ecclesiam meam, super me ædificabo te, non me super te.* Nam quemadmodum Simon antea dictus, postea (vt [d] Hieronymus & Beda habent) ob fortitudinem fidei & confessionis suæ constantiam, à Domino Petri nomen accepit: ita & nos (testante [e] Origene) si patre nobis reuelãte, qui est in cœlis, confessi fuerimus, Iesum Christum esse filium Dei viui, recte Petri nomine appellabimur. Petra enim omnis est, qui imitator est Christi, Petra est Christus, Petra est Dominus Seruator, qui (secundum [f] Bedam) fideli suo cognitori, amatori, confessori, participium sui nominis dedit, vt videlicet à Petra Petrus vocaretur, super quam ædificatur Ecclesia. [g] *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Hæc petra tam firma est, hoc fundamentum tam stabile, vt superficiem suam corruere nunquam aut labefactari sinat. Quippe lapis angularis, constans robur, solida statio, firmum fundamentum Ecclesiæ, atque ita in pluribus locis scripturarum appellatum esse legimus. Et Chrysostomus in sermone de Penthe: *super hanc petram*, inquit, *non super hunc Petrum. Non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid est super petram? hoc est super confeßionẽ.* Quod si Christus illis verbis sic intellexisset, quasi super Petrum ædificaretur Ecclesia, vt illius & successorum eiusdem arbitrio Ecclesia regeretur, vtique etiam quo loco dixit, [h] *si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiæ*, quod significat, fidelium multitudini, aut iudici per multitudinem instituto ad hæc, aut generali concilio, dixisset Petro & successoribus suis. Quem sensum reiicit Æneas Syluius sic inquiens: *Iugum Christi suaue est & onus Christi leue. At dicite, quomodo leue, si præcipit Christus, quod est impoßibile? Præciperet autem impoßibile, si in omni contentionis causa adire Petrum, singulos orbis Christiani homines iuberet. Quo n. pacto potuit Petrus Ecclesiam, alioquin dispersam, singulosque Christicolas, hostiatim per ciuitates & oppida inuestigare? Vnde in actibus Apostolorum cõgregationes, quæ fiebant, appellantur Ecclesia.* Diuus autem Gregorius super ea re sic [i] scribit: *si in mea correptione despicior, restat vt Ecclesiam debeã adhibere.* Porro Æneas Syluius super hæc verba; *dic Ecclesiæ*, (Ecclesiam generale concilium interpretans) sic inquit: *Ecce Petrus remittitur ad cõcilium. Remittit veritas summum Pontificem ad concilium. Cur hoc? nempe vt non dedignentur Romani Papæ aliquam in terris potestatem supra se recognoscere, quam & in rebus grandibus consulant, & illius determinationibus acquiescant.* Vnde & Petrus alio nomine Simon est appellatus, quod (vt Rabano placet) lingua Hebraica interpretatur obediens, vt intelligerent omnes etiam in Romano Pontifice necessariam esse obedientiam. Gerson de Ablatione Sponsæ Ecclesiæ, hãc sententiam probat dicens: *Iudaisabat olim Petrus per dißimulationem, & [k] Paulus ei restitit in faciem, introducebat Petrus rem nouam in Ecclesiam Dei, introiens ad centurionem gentilem. Vnde [l] subortum est murmur in Ecclesia Dei, ita vt cõpulsus sit Petrus doctrinam insequi, quam scriptura tradidit, vt sc. [m] paratus esset coram tota Ecclesia rationẽ reddere de ea, quæ in ipso erat, fide ac spe.* Sic Symmachus, sic beatus Marcellinus, sic ipse Gregorius, sic alii plures iudicium subiere concilii, nequaquam ex humili condescensione (sicut singunt aliqui) sed ex debito & obligatione. Et sanctus Hieronymus ad Euagrium affirmat orbem Christianum, quoad authoritatem, vrbe ipsa, id est Roma, esse maiorem. Quod autem in his verbis (*dic Ecclesiæ*) fideliũ multitudo significatur, probat Apostolus dicens: *Ego quidem hoc decreui, vt is qui hoc patrauit congregatis vobis & meo spiritu tradatur Sathanæ.* Et super eundem textum Diu. Aug. ita cõmentatus est: *Hoc modo iudicaui, vt vos, (loquitur multitudini,) in vnum absq; vlla dissensione congregati, quibus mea authoritas & veritas Christi cooperabitur, tradatis Sathanæ huiusmodi hominem.*

Hanc præterea potestatem Ecclesiæ, nomine multitudinis, Petro fuisse concessam, Beda super illud (Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus:*) probat, scribens in hæc verba: *hæc potestas sancta Ecclesiæ Episcopis specialiter commissa est; generaliter vero omni Ecclesiæ data creditur. Nam quod Dominus alibi hanc ligandi soluendiquque potestatem Petro tribuit, vtiq; in Petro, qui typum gerebat Ecclesiæ, omnibus Apostolis hoc concessisse non dubitatur.* Id quod Aug. super Ioan. ostendit his verbis. *Petrus, quũ claues accepit, Ecclesiã sanctam significauit. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claues regni cœlorum.* Idem probant Diui Hieron. & August. ex textib. illis; *accipite Spiritũ sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Et, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, quas Aug. *discernendi scientiã & potestatem* nominat. Sed & Ambros. de dignita. sacerd. affirmat *cunctos sacerdotes in beato Petro Apost. claues regni cœlorum* suscepisse. Item Orig. *putas*, inquit, *soli Petro dantur à Christo claues regni cœlorum, & nemo alius beatorum accipiet eas?* Si autem commune est inter omnes, quod dicitur; *Dabo tibi claues regni cœlorum*, quomodo non omnia, quæ superius sunt relata ad Petrum, omnium videãtur esse communia? Apud Iohannem enim, dans Spiritum sanctum, Iesus discipulis suis per insufflationem, sic dixit: [n] *Accipite Spiritum Sanctum, si cuius dimiseritis peccata, dimittentur ei; si cuius autem tenueritis, tenebũtur*; quasi omnibus talibus cõstitutis, qualis erat & Petrus. Et cũ alibi dixit Christus,

Anno 1534.

a Ad Ephes. cap. 2.
b Super Matth. 16.
c De verbis Domini ser. 13.
d Super Matth. 16.
e Super Matth. hom 1.
f Matth. 16.
g 1. Cor. 3.
h Matt. 18
i in Regist. li. 4. epi. 38.
k Gal. 2.
l Act. 4.
m 1. Pet. 3.
n Iohan. 20.

Anno 1554.

a Luc. 22. b In quaest. nou. test. q. 75. c Super Psalm.

a *Rogaui pro te, Petre, ne fides tua deficiat, sed tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* An eam Petri prærogatiuam designat, quasi solus sit Petrus, super quem ædificatur Ecclesia, cæteris exclusis? *Nunquid* (inquit b Augustinus) *pro Petro rogabat, pro Ioanne & Iacobo non rogabat?* vt de cæteris taceamus. Manifestum igitur est, in Petro omnes contineri, quia Christus apud Ioannem dicit: *Ego pro eis rogo, quos mihi dedisti.* Quo fit, vt Ecclesiam frequentissimam per Petrum intelligamus, vt clarissime constat pluribus in locis, per c Augustinum præsertim, vbi ait: *quædam dicuntur, quæ & si proprie ad Apostolum Petrum pertinere videantur, nunquam tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ipse cognoscitur in figura gestasse personam.*

Pasce oues meas. d Ioan. vlt. e Super Ioan. vlt. f cap. 30.

Sed nũc veniamus ad illa verba Christi Ioh. vlt. quibus tanto tempore innituntur huiusmodi potestatis assertores, nimirum; *Petre amas me, Pasce oues meas.* Iam (secundum d Bedam) *pascere quidem oues Christi, est credẽtes Christo ne à fide deficiant, cõfirmare, & vt in fide magis magisq; proficiãt, instanter operam dare. Qui* igitur (vt inquit e August.) *hoc animo pascunt oues Christi, vt suas velint esse, non Christi, se conuincuntur amare, non Christum vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate; non obediendi, non subueniendi aut Deo placendi, charitate.* Et in lib. de f Agone Christiano, *Non,* inquit, *sine causa inter omnes Apostolos huius Ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus, huic Ecclesiæ claues regni cælorum datæ sunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me, pasce oues meas. Itaq; miseri dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claues regni cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt.* Beda etiam super illud Ioh. vlt. sic ait: *Quod Petro dictum est, omnibus Christi discipulis dictum est. Hoc namq; fuerunt cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pastores sunt omnes, grex vnus ostenditur, qui & ab Apostolis omnibus vnanimi consensu pascebatur, & deinceps à successoribus eorum communi cura pascitur.* Ambrosius præterea de dignitate sacerdotali, super illis verbis, *pasce oues meas,* prædictæ sententiæ astipulatur. *Quas,* inquit, *oues, & quem gregem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.* Sed cum omnes Episcopi & Presbyteri eandem cum Petro habent potestatem; ideo tamen eã specialiter accepit Petrus, vt omnes intelligant, quod qui ab vnitate fidei se separarit, nec à peccatis solui, nec cœlum ingredi possit. Et dixit Hieronymus, *ab vnitate fidei, non ab vnitate Petri aut Romani Episcopi.* Cæterum qui sedem Petri Romam aut aliquem alium locum esse existimant, Christi verba Matt. 23. perperã interpretati videri possunt. Dum enim ait Christus, *sedebant Scribæ & Pharisæi in cathedra Moysi,* per cathedram Moysi legem Moysi à Deo traditam & puram illius doctrinam significari, nõ exteram aliquam sedem, nemo est qui ambigat. Sic Petri, imo Christi sedes, in qua sedebant Petrus ac cæteri Apostoli omnes, nihil aliud esse manifestum est, quam purum Christi Euangelium. Ac vt Christus suos admonuit, vt à fermento Pharisæorum, quod est eorum doctrina, præter Legem Moysi cauerent; sic nos quoque cauere à falsis Prophetis, id est, à docentibus sua & non verba Dei præcipit. Quam interpretationem confirmat Augustinus super g Iohannem explicans hæc verba: *Scribæ & Pharisæi super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Quid aliud dixit* (inquit Augustinus) *nisi per mercenarios vocẽ pastoris audire. Sedẽdo enim super cathedram Moysi legem Dei docent; ergo per illos Deus docet: sua vero illi si velint docere, nolite audire, nolite facere. Certo enim tales sua quærunt, nõ quæ Iesu Christi.* Vnde patet, quod sedes Moysi, Lex est Moysi, & quod sedes Christi, in qua sedebant Petrus & reliqui Apostoli, Euangelium est: ac eos, qui non docent legem Moysi, nec verbũ Dei, nec in cathedra Moysi, nec in sede Christi, aut Petri, aut Apostolorũ sedere, sed in suis propriis cathedris & sedib⁹; ante Christũ veniẽtes ac per fenestrã intrantes, & nõ per hostium (quod est Christus) fures esse & latrones sibipsis sumentes honorem, non vocatos à Deo tanquam Aaron. In quam sententiam scribens h Chrysostomus ait: *Omnis Christianus, qui suscipit verbum Petri, thronus fit Petri, & Petrus sedet in eo.* Et idem i alibi: *Videte fratres quomodo sedetis super cathedram: non enim cathedra facit Sacerdotem, sed sacerdos cathedram: nec locus sanctificat hominem, sed homo locum: qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedra, qui male sedet iniuriam facit cathedræ. Ideoque malus Sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem.* Si vero id etiam donemus, cathedram Petri locum esse & sedem vbi præsederit Gregorius, tamen non minus Petri sedem k vocat Alexandrinam & Antiochenam, quam Romanam Ecclesiam. Ex prædictis igitur liquet, potestatem istam Ecclesiasticam (cuius plenitudinem in Pontifice Romano ponunt aliqui.) Sed Petrum quatenus omnium personam gessit, aut quatenus Christianæ fidei confessionem emisit, (quæ certum est & solidum Ecclesiæ fundamentum) non magis habet rationem, vt ex illo titulo Petri prærogatiuam in sede Petri Episcopali succedentes vendicẽt, quam vt succedens in regnis Hispaniarum post Cæsaris mortem ideo vendicet imperium Romanorum, quoniam rex Hispaniarum eo honore, dum vixit, functus est. Neq; enim Petrus ideo princeps Apostolorum, aut Ecclesiæ fundamentum dictus est, quod huic aut illi Ecclesiæ præsideret, sed speciali meritorum prærogatiua, vnus ex omnibus electus, qui cæterorum vices referret: cuius confessionem caro & sanguis non reuelauit, sed pater cœlestis, qui est in cœlis: quemadmodum nec Cæsar hodie fit Imperator Romanus, quoniam rex est Hispaniarum, sed quoniam elegerant, apud quos est ius eligendi. Christus elegit Petrum antequam esset Pontifex Romanus (quem locum an vnquam etiam viderit, ambigitur) qualitatem spectauit, non Petri personam. In sedibus Episcopalib. successio est in virtutibus & meritis nulla est. Et bonis succedunt mali, & malis boni. Si Sedi Romanæ hæc contulisset Christus, maneret etiam mortuo Petro. nunc aũt cũ Romæ nulla sit facta mentio, cur magis Romam quam Antiochiam primã appellamus, ac nõ potius pferimus Antiochiã, q sedem primũ Petrus obtinuit? Imo cur cæteras oẽs non antecellat Hierosolyma? vbi multis annis sedes erat Petri, anteq̃ Romam vidisset, vbi Spiritum S. accepit, vbi primum

Gloss. ord. Matth. 16.

g Tract. 46.

h Homi. 49. i Item 40. dist. ca. fin. vide Hiero. ibid. c. 9.

k Greg. in Regist. li. 4. c. 20.

inflatus spiritu Euangelici muneris functionem cœpit exercere, & quatuor illas solennes habuit conciones; vnam [a] de electione Matthiæ in Apostolatum, inde aliam [b] de missione Spiritus Sancti, tertiam [c] ad populum, vbi illi, qui ab vtero matris claudus fuerat, gressum restituit; quartam ad [d] Annã, Caiphã ac reliquos Sacerdotes & Seniores ac Scribas. Quid quod Hierosolymis tot ediderit miracula, vt in [e] plateis exportarent infirmos, & promouerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hierosolymam, afferentes ægros & vexatos à Spiritibus immundis, qui curabantur omnes. His adde, quod tanti semper faciebat Christus Hierusalem, vt Apostolos in vniuersum orbem profecturos, vt remissionem peccatorum non solum Iudæis, verumetiam vniuersis mundi nationibus prædicarent, ab Hierosolyma iussit sumere initium. Per [f] hãc iurare vetuit, quod ciuitas sit magni regis; de hac olim vaticinatus est [g] Esaias: *de Syon exibit Lex, & verbũ Domini de Hierusalem*. Ibi duntaxat antiquitus erat summum sacerdotium ibi templum, altare, Sancta Sanctorum, victimæ & oblationes. [h] *A die, qua eduxi populum meum de terra Ægypti* (inquit Dominus) *non elegi ciuitatem, vt ædificaretur in ea domus nomini meo, sed elegi Ierusalem, vt sit nomen meum in ea. Et Ierusalem* (inquit) *Euangelistam dabo*. Et sapientia, per quam Autores Christum Dei verbum, & secundam personam diuinam designari volunt, *in ciuitate sanctificata* (inquit) *requieui, & in Ierusalem potestas mea*. Et per [i] Zachariam loquitur Dominus; *habitabo in medio Ierusalem, & vocabitur Hierusalem ciuitas veritatis. Ecce ego saluabo populum meum de terra orientis, & de terra occasus solis, & adducam eos, & habitabunt in medio Hierusalem, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in veritate & iustitia.* Et tota scriptura plena est præconiis vrbis Hierusalem. Contra, Roma Babylon audit, cui maledictionem comminatus est Dominus in Apocal. (Si Hieronymo credimus aut Tertulliano.) Multo itaq; similius vero fuerat Hierosolymæ hunc fuisse relictum principatum, quam vrbem Deus semper clarissimam habuit, cuius curam ipse peculiariter suscepit Christus, quam & Petro nominatim reliquit, non Romam; sed Antiochiæ quoq; Episcopatum ante suscepit quam Romæ. Quod si dicatur, Petrum relicta primum Hierosolyma, deinde & Antiochia, Romam se contulisse. Iam dicendum sit electionem Petri constituisse primatum Ecclesiæ Romanæ, non Christi concessionem; & iam ab homine Petro, in illa quidem Ecclesia est prima (vt aiunt) authoritas, non à Christo Deo, non in scripturis sacris fundata, nisi quatenus de Deo id permittente fieri cõtendant. Qua ratione à Deo est omnis potestas, etiam tyrannica (videlicet quam Deus non impediuit, sed vt affligeret populum, permisit, & aliquando immisit.) Sin ea ratione cõtendant Petri prærogatiuam Romæ potius quam alibi relictam, quod Petri sanguine fuit consecrata. Cur non magis ea ratione longissime antecedat Hierosolymitana Ecclesia, quæ cõsecrata fuerat sanguine Christi. Sed ad potestatem Ecclesiasticam, de qua secundo loco dicere proposuimus, veniamus: quæ haud dubie sacris scripturis stabilita est, & etiam modum ab iisdem accepisse videtur.

Anno 1534.
a Act. 1.
b Act. 2.
c Act. 3.
d Act. 4.
e Act. 5.
f Luc. 24. Matth. 5.
g cap. 2.
h Zac. 24.
i cap. 8.

SECVNDA PARS.

PRimum, vt non vni præ cæteris concessa, sed omnib. simul Apostolis data censeatur, deinde ita attemperata, vt non ad ea pertinere intelligatur, quæ hodie sub illo titulo vsurpatur. Nõ autem vni, sed multis datam potestatem varii scripturarum interpretes affirmant. Nã cum in scripturis sit, [k] *Euntes docete omnes gentes*; &c., [l] *Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remissa erunt*, &c. In hunc modum scribunt, *qua potest* (inquit Chrysostomus) *maior authoritas inueniri*. His enim verbis secundum [m] Augustinum, *ius Ecclesiasticum & potestas Ecclesiastica collata intelligitur*. Atq; iuxta [n] Hieronymum & [o] Cyprianum, authoritatem & curam pastoralem ex æquo acceperunt omnes Apostoli, omnes indifferenter. *Eodem enim die*, nempe Pentecoste (ait [p] Augustinus) *Lex lata est, quo & Spiritus Sanctus decidit in discipulos, vt authoritatem caperent, & scirent Euangelicũ ius prædicare*. Quid Petri ac cæterorum Apostolorum æqualitatem aperte magis demonstrare potuit, quam phrases illæ tam generaliter enunciatæ? Adhæc cum discipuli Iesum rogarent, quisnam maior esset in regno cœlorum? ille extemplo in medio eorum paruulo statuto, respondit illis: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum*. Quicunq; ergo se humiliauerit, ille maximus erit in regno cœlorum. Hanc vero quæstionẽ ideo ab Apost. propositam fuisse, dicit Beda, quia de primatu cõtendebãt: itaq; Iesum puerũ in medio illorũ statuisse, vt ipsi primatũ non esse quærendum edíscerent. Pueros enim alienos esse prorsus ab omnibus ambitionis, eminentiæ, & inuidiæ affectibus. Glossa autem ad hunc modum interpretatur hunc locum: *nisi conuersi fueritis ab elatione & indignatione, in qua nunc estis, & efficiamini, omnes ita innocentes & humiles per virtutem, sicut paruuli sunt per ætatẽ, non*, &c. Dicit vero [q] Hieronymus, quod *quanquam generalis possit esse sentẽtia illa, aduersus omnes qui aliquem scandalizant, tamen iuxta sermonis consequentiam, etiam contra Apostolos dictum intelligi potest; qui interrogando, quis maior esset in regno cœlorum, videbantur inter se de dignitatis fastigio contendere. Et si [r] in hoc vitio permansissent, poterant eos, quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum Apostolos viderẽt inter se de honore disputare*. Huc accedẽs Chrysostomus, *Quicunque* inquit, *desiderauerit primatũ in terra, inueniet in cœlo confusionem, nec inter seruos Christi cõputabitur, qui de primatu tractauerit*. Itaq; cęteros Apostolos par consortium cum Petro, parem honorem ac potestatem accepisse Diu. Cyprian. & Anacletus consenserunt. Et Paulus ad Corinth. scribit: *Nulla in re inferior fui summis Apostolis*, de seipso loquens. Quin si in Petro primatum agnoscere debuisset, id vtiq; non dixisset tãtus Apostolus. Et alibi in eandem sententiam: [s] *Arbitror me nihilo inferiorem cæteris Apostolis*. Et rursum alio in loco ad hunc modum scribit; [t] *Sic nos æstimet homo vt ministros Dei, & dispensatores mysteriorum*

Potestas Ecclesiastica non vni sed omnib. Apostolis data.
k Matt. vlt.
l Ioan. 2.
m De quæstion. nou. test. q. 93.
n ad Iouin.
o de simpl. Prælat.
p Quæst. no. test. q. 95.
q Super 18. cap. Matth.
r Dist. 40. cap. multi.
s 2. Cor. 11.
t 1. Cor. 4.

Anno 1534.

a Ad Gal. 1.

Dei. Et verbis eiusdem Pauli in Epist. ad Gal. quibus ait, se cum aliis Apostolis Euangelium contulisse: addit Gloss. interlinearis: *Non didicit ab aliis tanquam maioribus, sed contulit cum illis tanquã paribus & amicis.* Et Diu. Ambros. super illis verbis ^a Pauli: *Cũ venisset Petrus Antiochiam restiti ei in faciem, &c. hoc non audebat* (inquit) *facere, nisi sciret se non imparem. Nã illi nihil mihi contulerunt, sed ego contuli illis.* Et in illis verbis eiusdem Pauli: *Iacobus & Iohannes qui videbãtur esse columna, dextras dederunt mihi & Barnabe, societatis, id est aequalitatis.* Et *dextras dederunt,* (inquit) *non mandatũ, videlicet vt designetur aequalitas.*

b 2. Cor. 11. & 12 & Gloss. ord. in c. 2. ad Gal.

Item confirmat Diuus ^b Ambrosius: *Caeteri* (inquiens) *Apostoli videbantur maiores, quia priores: iste minimus, quia nouissimus, numerum non meritis & authoritate, sed tempore distingui dignitates Apostolorum significans, quasi in caeteris sint omnino pares.* Ex praedictis aũt liquet, quaecunq; & quãtacũq; fuerat illa potestas, à Christo Ecclesiasticis data, videlicet Apostolis suis, omnibus quidem Apostolis pari mensura collatam fuisse, non ad primatus rationẽ, qui hodie vendicatur, distributam. Quod si Dei ordinatione vnus caeteris propositus fuisset, qui nam accidit, vt in nascentis Ecclesiae primordiis diuersum obseruaretur. Annon testatur ^c Historia Ecclesiastica, cõuenientibus in Nyceno concilio sanctissimis Episcopis, tres Patriarchas adfuisse, absente Romano Episcopo, qui quartus illic ordine recitatur. Si vnus de iure diuino est pater patrum, & omnia ad vnitatem reducere oportet, cur, Graecolatino vocabulo quatuor Patriarchę recensentur, id est, patres patrum, qui nulla sibiipsis relatione coniunguntur, sed quasi diuersis potestatibus illi aliis praeessent, ipsi vero subiicerentur nemini? Et in illo ordine vltimus est Pontifex Romanus, quẽ si diuino iure praeesse debuisset, ita in ordinem redigere impium: si humano, iniquum. Sed in tam sancto concilio, vt fuit illud Nycenum, verisimilius est omnia iustissime & aequissime obseruata, acta & gesta fuisse. Nec si Ecclesię Romanae Episcopus, caput Ecclesiae, fundamentũ Ecclesiae, princeps Ecclesiae, vous & primus vicarius Christi, iure diuino haberi debuisset, est credibile illos sanctos patres, vel tam ignaros fuisse quid facere deberẽt, vel tam impios, vt nõ facerent quod oporteret. Sed ab omnibus sanctissimum habitum est illud concilium, & rectissime celebratum, & (vt ex eadem Tripartita ^d historia patet) orientales Episcopi Pontifici Romano audacter restiterunt. De obseruatione autem paschatis nihil potuit à Lugdunensi Episcopo obtinere Papa Romanus. Pelagius autem secundus scribit, nemini phas esse vniuersalis Episcopi sibi nomen arrogare, habeot enim verba illius ad hunc modum: ^e *Pelagius Papa omnibus Episcopis scribit dicens: nullus Patriarcharum vniuersitatis vocabulo vnquam vtatur. Quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen caeteris derogatur. Sed a^l sit* (inquit ille) *hoc à fidelibus quenquam hoc sibi velle arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur,* &c. quae sequuntur in *can. nullus. 99. distinct.* Vbi etiã D. Gregorius in *can sequenti* idem quod supra affirmat, scribens Patriarchae Alexandrino: *Ecce* (inquit) *in praefatione epistolae, quam ad me ipsum, qui prohibui, direxistis, superbae appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicens imprimere curastis, quod peto mihi dulcissima fraternitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus quam ratio exigit praebetur.* Idem ad ^f Mauricium Imperatotem affirmat his verbis: *Ego autem fidenter dico, quod quisquis se vniuersalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum praecurrit, quia superbiendo se caeteris praeponit, nec dispari superbia ad errorem ducitur. Quia sicut* ^* *peruersus ille, Deus videri vult super omnes homines: ita quisquis iste est, qui solus Sacerdos appellari appetit super caeteros Sacerdotes.* Et Diuus ^g Hieron. ait: *Olim idem erat presbyter qui Episcopus, & antequam Diaboli instinctu studia vel schismata in Religione fierent, & diceretur à populo, Ego sum Apollo, Ego Pauli, Ego Cephae: communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur.* Et subdit postea: *Sicut ergo presbyteri sciunt se Ecclesiae consuetudine, ei, qui sibi praepositus est, esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispensationis Dominicae veritate, presbyteris esse maiores.* Et idem alias confirmans sententiam suam in Epist. ad Oceanum: *apud veteres* (inquit) *iidem Episcopi & presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, hoc aetatis.* Et ad Euagrium sic scribit: *manifestissime comprobatur eundem esse Episcopum atque presbyterum. Quod autem postea vnus electus est qui caeteris praeponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriae à Marco Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium nouerint & Archidiaconum vocent.* Et paulo post: *vbicunque fuerit Episcopus, siue Romae, siue Eugubii, siue Constantinopoli, siue Rhegii, siue Alexandriae, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est & Sacerdotii.* Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit, caeterum omnes Apostolorum successores sunt. Quod autem ^h Anacletus refert (si, quae Anacleto ascribuntur, vere illius sint) *primam sedem esse Romanam, secundam Alexandrinam,* &c. quum idem faciat omnes & nominet Patriarchas, ipsos aliis praeesse, sibi inuicem vero alium alii non subesse, res ipsa manifeste declarat. Et quo loco vnus Patriarcharum praesideat, non esse ibi alii Patriarchae ius, vt facta ad hunc modum Patriarcharum distinctione ab vnitate recessum appareat etiam à primis Ecclesiae patribus. Nam in ipso concilio Nyceno habentur quae sequuntur: *statutum est vt apud Alexandriam & in vrbe Roma, vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat,* quod in ^i aliis Codicibus his verbis habetur: *antiqua consuetudo seruetur per Aegyptum, Libiam & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & vrbis Romae Episcopo parilis mos est.* ^k *Similiter autem & apud Antiochiam caeteraque prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis.* Illud autem generaliter clarum est quod ^l *si quis praeter sententiam metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere. Sin autem com-*

muni

c Tripart. li. 2. ca. 1.

d Lib. 9. ca. 38. & Hist. Eccles. lib. 5. cap. 24.

e 99. dist. ca. nullus.

f In Regist. lib. 4. Ep. 30.

* Malus i. Diabolus.

g In Epist. ad Tit.

h in concilius Isidori de or. Episc.

i In Hist. Eccles. li. 1. ca. 6.

k Dist. 43. c. mos antiquus, & in conc. Nic. ex Isidoro.

l Dist. 64. ca. fin.

moni cunctorum decreto rationabili & secundum Ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum. Et in [a] concilio Africano multa statuta reperiuntur, quæ plane ostendunt fuisse & statutum & obseruatum, vt ne vnus Episcopus (puta Romanus) cæteris omnibus præsit. Primum enim statutum est, vt primæ sedis Episcopus non appelletur princeps Sacerdotum aut summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi: sed tantum primæ sedis Episcopus. Erant enim tum temporis tres Patriarchæ, quorum quisque primæ sedis Episcopus appellabatur: Antiochenus scilicet, Alexandrinus & Romanus, vt author est Giraldus in *Chronica sua.* Et in concilio Maleuitano cap. 18. *Quicunque autem non communicans in Africa si in transmarinis ad communicandum obrepserint, iacturam clericatus vel communionis excipiant.* Et cap. 25. *Si in matricibus cathedris Episcopus negligens fuerit aduersus hæreticos, conueniatur à vicinis Episcopis diligentibus, & ei sua negligentia demonstretur, vt se excusare non possit. Quod si ex die, quo conuentus intra sex menses si in eius prouincia executio fuerit, non eos ad vnitatem catholicam conuertendos curauerit, non ei communicetur donec adimpleat. Si enim executor ad loca non venerit, non ascribatur Episcopo.* Et cap. 22. *Item placuit vt presbyteri, diaconi vel cæteri inferiores clerici in causis, quas habuerint, si de iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint vicini Episcopi, eos audiant, & inter eos quicquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana concilia vel ad Primates prouinciarum suarum: ad transmarina autem qui putauerint appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiantur.* Et [b] Nycenum concilium sanciuit, *ne causæ extra prouinciam, in qua ortæ essent, terminarentur, & qui in vna prouincia excommunicarentur, à nemine in communionem reciperentur.* Nec excipitur Romanus Pontifex. Hac de re [c] exstat Epistola concilii Africani ad Cœlestinum Papam; adeo quidem, vt hodie aucta Ecclesia nihil prohibeat, postquam talis vnitas necessaria non est, etiam viginti constitui, quod ne fieret Romanos olim Pontifices timuisse est similius vero. Atque ideo cum [d] Phoca Imperatore egisse Bonifacium, vt Romanæ Ecclesiæ primatum, nullis tum fundamentis innixum, suis edictis & legibus statueret & confirmaret. Nam prisci Romani [e] Pontifices, vniuersalem illam prærogatiuam vltro oblatam in Chalcedonensi synodo respuebant, nec eorum quisquam eo honore vtebatur. Et omnium primus qui vniuersalem Episcopum se appellare ausus est, erat Iohannes Constantinopolitanus, cuius rei gratia maximam inuidiam sibi conflauit, & vniuersum orbem sua contentione commouit. Sed illi validissime restiterunt Pontifices Romani primum Pelagius, mox Gregorius, nec tamen sibi eum honorem tribuentes, sed Ioannis conatum duntaxat deprimentes, quousque tandem exortus est Bonifacius tertius, qui Phocæ Imperatoris ope & auxilio eum honorem atque primatum sibi & successoribus suis adeptus est, non sine maxima tamen contentione, quod Constantinopolitanus Episcopus constanter asseuerabat ad se spectare illam prærogatiuam. Et hic intelligit Roma, si non sit beneficiorum immemor & ingrata; quantum debeat duobus Bonifaciis III. & VIII. quorũ ille cathedram suam gladio vno, hic [f] duobus armauit, atq; adeo principibus suum abstulit gladium, nisi quatenus ille indulgentia sua permittit: & tanta dominandi siti regnum suum ampliauit, vt non contentus vni imperare mundo (quemadmodum de Alexandro ferunt) etiam apud inferos regnare cœperit, vt purgatorium sua spoliaret authoritate, & regnaret super duos mundos. Sed prior ille Bonifacius primatum suum edictis & statutis Phocæ Imperatoris impetrauit. Idem statuerat antea Constantinus, vt Martinus *in Chronica* scribit. Iustinianus vero Imperator, vir optimus, suis legibus refert, Constantinopolim vrbem etiam sacræ veteris Romæ prærogatiua gaudere. Et posterioribus seculis Auinioni in prouincia continuata successiue constitit, quæ vocatur Petri sedes. Cuius prærogatiua si localis sit & Romæ vrbis propria iure diuino, transferri nõ potuisset vllo modo. Personalis vero si fuerit, cum persona Petri interiit, nisi quatenus in Petro confessionem illam, aut personam Episcopi, consideremus. Quo casu sequeretur eam potestatem non illis competere, qui in Petri sede, sed qui in Petri confessione aut Petri dignitate succedunt, hoc est, vt Episcopis, quocunq; locorum fuerint (vt Diuus [g] Hieronymus refert) authoritas à Deo concessa intelligatur. Neq; tamen cum hanc dederit authoritatem, dedit etiam dominium. Nam de dominio loquens sic ait Luc. 22. *Reges gentium dominãtur eis, vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui princeps, sicut qui ministrat.* Ex quibus verbis [h] Bernhardus plane asserens omnem Apostolis dominatum interdictum, sic inuehitur in eos, qui dominium volunt sibi vẽdicare. *Ergo tu* (inquit) *vsurpare aude aut Dominum Apostolatum, aut Apostolus dominium. Plane ab vtroq; prohiberis: si vtrumq; simul habere velis, perdes vtrumq;. Alioqui inter illos eris, de quibus dictum: ipsi regnauerũt, sed non per me.* Cui bene cõsonat, quod & in Quadriuio legitur; *Gladium exerceat, qui accepit gladii potestatem. Potestates equidem à Deo constitutæ sunt, vt accipiant gladium ad vindictã malefactorum, laudem vero bonorum. De his autem, qui sibi vsurpant gladium, scriptum est: omnis qui accipit gladium, gladio peribit. Recole tu verba Christi, si te discipulum Christi profiteris: Principes gentium dominãtur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici sunt, vos autem non sic, sed qui vult inter vos maior fieri, sit vester minister. Si acceptas ministerium Christi, si iugum Domini non detrectas, permane in ea vocatione, in qua vocatus es, dimittasque Laicis populis principatum.* Beatus item Petrus 1. Epist. cap. 5. *Rogo vos* (inquit) *presbyteri, qui & ego presbyter sum, pascite (quantum in vobis est) gregem Christi, curam illius agentes, non coacte, sed volentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo, neque ceu dominium exercentes aduersus Cleros, sed sic vt sitis gregis exẽplaria.* Et [i] Bernhardus super hæc Petri verba scribẽs ad Eugenium sic ait: *Nunquid dominationem reliquit successoribus suis? Audi ipsum Petrum, non dominantes, inquit, & ne di-*

Anno 1534.

a Conc. Afric. 3. ca. 26. & dist. 99. c. primo

b Nic. Cõc. ca. 5.

c In conc. Carthag. 6. m[...]

d Paulus Diac. de gest. Rom. li. 18.

e Greg. in Regist. li. 4.

f De maio. & obed. in extrauag. c. vnam sanctam.

g Ad Euagrium.

h. De considerat. ad Eugen. li. 2.

i Ibidem.

Anno 1534.

ctum sola humilitate putes, ut dum etiam veritate vox Domini est in Euangelio: Reges gentili dominantur, &c. Porro Paulus 2. Epist. ad Corint. 1. *Non dominamur* (inquit) *vobis nomine fidei, sed adiutores sumus gaudii vestri.*[a] Chrysostomus vero huic subscribens sententiæ; *Non dominamur*, inquit, *nam hi qui foris sunt iudices seculares sc. malignos quoq; cum subdiderint, plurimam in eos ostendunt potentiam, & multos eos à prauorum morum prauitate compescunt; in Ecclesia autem non coactũ, sed adquiescentem oportet ad meliora conuerti, quia nec nobis à legibus data est potestas, vt authoritate sententia cohibeamus homines à delictis.* Cui sententiæ astipulatur Hieron. in Epist. ad Heliod. in Epitaphio Nepotiani; *Rex* (inquiens) *nolentibus præest, Episcopus volẽtibus; ille terrore subiicit, hic seruituti donatur.* Præterea [b] Gregor. Papa terrenarum causarũ examinationem illis tribuit, qui exteriorum rerum, hoc est, secularium & ciuilium prudẽtiam perceperũt. Qui autem spiritualibus bonis præditi sunt, omnem illis terrenorum negotiorum implicationem adimit, vt dum non coguntur inferiora bona disponere, melius valeant superioribus bonis deseruire. Quid autem significantius declarare potuit, nullo se imperio aut regno Pontifices & Episcopos intermiscere debere, quam illa Christi verba apud [c] Iohan. *Regnum meum non est ex hoc mundo*, i. (secundum communem Gloss.) *Regnare non veni regimine seu dominio temporali; hoc enim proprium est Regum, quemadmodum ex istis in Apostolorum* [d] *Actibus dictis licet colligere: ad tribunal Cæsaris sto, vbi oportet me iudicari. Item: Cæsarem appello*; per quæ verba Glossa communis, locum iudicii Cæsarum & Regum singularem esse, intelligit, atq; omne coactiuum Sacerdotum iudicium è medio tolli debere. Docet. n. apud Iohannem Christus, Apostolos suos, i. eos quos ille misit, cæterosq; qui Apostolorum doctrinam & autoritatem præ se ferunt, nullum hic regnum iactare aut vendicare debere. *Regnum enim* (inquit) *meum non est hinc: de quo sc. docere veni*, vt habet Glossa vulgaris. Quasi diceret (vt scribit [e] Augustinus.) *audite Iudæi & gentes, non impedio dominationem vestram in hoc mundo. quid vultis amplius? Venite credendo ad regnum, quod non est ex hoc mundo.* Quid enim est regnum eius nisi credentes in eum? Quare ea, quæ ad Deum pertinent, curent Pontifices & Sacerdotes, vt Amariæ Sacerdoti & Pontifici præceptum esse, in veteri [f] Testamento legimus. Et secundum [g] Hieronymum in Leuitico; *Hæc duo sunt Pontificis opera; vt à Deo discat legendo scripturas diuinas, & sæpius meditando, vt populum doceat; sed illa doceat, quæ à Deo ipso didicerat, non ex proprio corde vel humano sensu, sed quæ Spiritus Sanctus docet.* Item ex concilio Carthag. 4. *Episcopus lectioni, orationi & verbi Dei prædicationi tantummodo vacare debet: in secularibus autem & terrenis negotiis, Principibus & potestatibus subditi sint, dicto eorum obedientes atq; ad omne opus bonum parati.* Sic Paulus [h] Titum admonebat.

a Li. 2. Dialog. c. 3.
b In Iob. c. 24.
c Cap. 18.
d Cap. 25.
e In Ioan. tract. 115.
f 2. Paralip. 19
g Dist. 30. ca. fin.
h Cap. 3.

Confirmant quidem prædicta, potestatem Ecclesiasticam, sed dominium negant; tribuunt autoritatem, non iurisdictionem; admonere, hortari, consolari, deprecari, docere, prædicare, sacramẽta ministrare, cum charitate arguere, increpare, obsecrare, certissimis Dei promissis spem in Domino augere, grauibus scripturarum comminationibus à vitiis deterrere, eorum sit proprium, qui Apostolis succedunt, & quibus etiam dictum est: *Quorum remiseritis peccata*, &c. Leges autem, pœnæ, iudicia, cohertiones, sententiæ & cætera huiusmodi, Cæsarum & Regum & aliarum potestatum. Quæ scripturarum interpretatio, ad ipsam Christi, de libertate Euangelica, prædicationem proxime accedit. Alioquin enim si Christus hoc sensisset, vt quemadmodum in veteri Testamẽto Moyses & Lex, pro [i] pædagogis, populo Iudaico dabãtur; ita Pontifex Romanus apud Christianos eo munere fungeretur, vt leges populo imponeret directiuas (quas vocãt,) quę humanas etiam cõscientias tenerent alligatas, Christus iam non seruitutem libertate, sed seruitutem seruitute pronũtiasset, pessima conditione atq; grauissima videlicet, vt cum Iudæi legem Dei ore dictatam, sequerentur, eamq; certam nos Christiani ab hominum præceptis pẽdere cogeremur, variis illis & subinde mutabilibus, numerosioribus etiam, quam vt queat hominum ingenium vel intelligere vel meminisse. Sed ea sane potestas condendi leges, alii (de qua diximus) potestati diuinitus concessæ, addita est atq; adiecta. Et Christi iugum, quod tam suaue vocatur ab eodem in [k] Euangelio, multo acerbius atq; intolerabilius reddiderunt Pontifices Romani, quam fuit illud Iudæorum. Itaq; primæ Ecclesiæ patres, cum honestas & salubres traditiones excogitassẽt, quibus rudes & infirmi dirigerentur, modestia vocabuli à legibus distinxerant, & ne quid amplius arrogare sibi viderentur, quam à Deo tributum arbitrabantur, non leges aut iura, sed *Canones* appellarunt, i. Regulas, veluti quæ normam continebant Christianæ vitæ vtilem quidem, vt ipsi putabant, sed non eandem omnino necessariam. Neq; enim Canones ab Apostolis ipsis datos, omnes olim obseruarunt & aliquorum opinione inter Apocrypha numerantur, & quemadmodum Benedicti, Francisci, Dominici, & Augustini regulæ ab aliquibus quidem recipiuntur, nec Legum vim habent, nisi quatenus nos ipsos iisdem mancipamus, nec tanquam leges necessitate parendi amplectimur, sed tanquam regulas & normas honestas & sanctas, ac Deo non ingratas (quibus ita videtur) profitemur, vt illis vestigiis insistentes, ac illos bonos patres, quatenus ipsi Christum imitantes, in spiritu humilitatis sobrie ac pie vitam trãsigamus. Ita Pontificum Romanorum regulas, i. Canones, cum piæ apparerent & Christum solum sapere viderentur, admiserunt priores patres, neq; omnes tamẽ, sed aliquas; videlicet dum vnaquæq; prouincia (vt Canon habet) suo sensu abundaret, neq; illas etiam tanquam leges aut iura, sed quales nomine præ se ferebant, hoc est, pro normis & regulis. Semper enim Canones sunt appellati, donec posteriores Pontifices, etiam vt necessitatem parendi vsurparent vsuq; acquirerent, iuris verbum adiecissent. Quo effectum est vt etiam *ius Canonicum* sit appellatum. Nam si à Deo est datum illis ius condendi leges, quæ ligent & onerent hominũ cõscientias, sequeretur simul cum condendi authoritate etiam parendi necessitatem aliis impositã. Quod si verum esset, nulla vnq̃ ratione defenderetur consuetudo iuri canonico cõtraria atq; repugnans,

i Gala. 3.
k Matt. 11.

& tamen posse consistere talem consuetudinem, eadem iura canonica confitentur. Siquidē Telephorus vrbis Romæ Archiepisc. [a] statuit, vt 7. hebdomadas plenas ante festum Paschæ oēs clerici à carne ieiunarent. Sed *hoc decretum* (vt inquit Grat.) *quia moribus vtentium approbatum non est, aliter agētes, transgressionis reos non arguit.* Vnde constat Canones necessitate neminē obligare, vt iā vim suam non obtineant ex authoritate statuentis Pontificis canonica iura (quæ vocantur,) sed recipientis populi voluntate. Quum alioqui virtus legis necessitatem parēdi ab aliis exigit, ne delusoria statuendi authoritas per contemptū reddatur. Itaq; optima & certissima conclusio est: si non tenemur recipere oēs Canones, sub pœna peccati mortalis, ex diuina iussione: non habet certe Pōtifex aut quiuis alius Episcopus authoritatem statuendi Canones sub huiusmodi pœna. Rursum, si recipere tenemur, tenentur et hodie clerici omnes (i. quotquot in sortem Domini vocati sunt) quinquagesimale ieiunium obseruare, & quod non obseruant peccatum est, quod temporis diuturnitate non imminuitur, sed augetur. Aliud tamen vniuersi ferme orbis Christiani consensus longo vsu iudicauit, & Grat. non obseruantes à reatu transgressionis defendit. Quod & Gallicana Ecclesia ieiuniū Sabbathi (quamuis ab Innocentio Papa [b] indictum sit) vt per singulas hebdomadas obseruetur, inter Natalem tamen Domini & Purificationis diem Virginis Deiparæ sacrum, non obseruans, nobis euidentissime probat. Nam vt alibi scribitur (id quod supra recensuimus) *vnaquaq; prouincia suo sensu abundat*, nec hodie vbiq; & apud omnes obtinēt solidam vim omnia canonica (quæ vocantur) & Pontificia iura. Qua in re si Deus offenditur, si diuinitus data potestas violatur, mira conniuentia bonorum omnium, quibus ea res maxime applaudit. Annon Pontificio iure, Pontifici Romano, licet de beneficiis prouidere vbiq; & apud omnes (quam regulam suam etiam Pontifices olim curarant, vt veluti pro lege reciperetur quæ omnes alligaret, ne quid in diuersum molirentur, resisterent aut repugnarent. Et tamen in Anglia etiam postq̄ diu obtinuerat, restiterunt omnes & lege edita in transgressores eam seuerissima sanctione minuerunt, inter quos multos fuisse bonos viros non ambigitur. Extantq; adhuc, qui illa iura Pontificia in ea parte non ferrent, nisi illa digito Dei scripta retulerit Pontifex. Item Pontifices statuerunt, ne clerici coram iudicibus secularibus quacunq; in causa cōuenirentur: At istis statutis nullibi paretur, & promulgatis ea de re Canonib. multis, etiā sub grauissimis pœnis, magna cum securitate diuersum obseruatur. Qua certe ratione apparet non aliud quam regulas esse Canones, qui vocantur, quæ populus prout admiserit & approbarit, aut reiecerit, ita demum locum solent obtinere: Nam qua ratione aliquæ reiiciuntur, etiam omnes possint contemni. Neq; enim in populo & subditis est delectus, vt quibus parere, quibus non parere velint, arbitrari possint. Sed siquidem diuinitus constat authoritas, & eo detorquere liceat illud Euangelicum: [c] *Sedent in cathedra Moysi, qui docent & non faciunt, vos aūt quod dicunt facite, secundum opera eorum nolite facere*; Omnes grauissimo gehennæ reatu obstringimur, qui præcepta & dicta Roman. Pontif. alii aliter, omnes vero in aliquibus prorsus contemnimus, non ex ignorantia, sed scientes & volentes, ac videntes diuersum facientes. Et tamen cum hęc audierint, intellexerint, viderint, senserint Romani Pontifices, dissimulatione tolerarunt pastores Ecclesiæ, quos, non est dubium, si ita sensissent pro ea cura, quam habent animarum, vel Leges illas suas, quæ tot Christianos reddiderant obnoxios, tollere voluisse aut maiori cū diligentia curasse vt obseruarentur. Cum autem neutrum horum factum sit, ea quidem diligentia, quam rei grauitas exigit; annon ipsos etiam Pontifices de hac potestate legum suarū dubitasse apparet, ipsosq; existimasse sine vllo animarū detrimento posse illas vel non recipi ab omnib. vel cum displicere cœperint, etiam ab his, quos alioquin subditos vocant, reprobari? Sed magna astutia Romanorum Pontificum, quod cum ipsi imperium primum ac supremum obtinere ambirent, potestatem & iurisdictionem cum regibus, benignitatis titulo, diuiserunt, & vt se ipsos in spiritualibus Dominos constituerent, Regibus temporalia permiserūt. Nā alioqui vtrumq; gladiū summi Pontif. vendicāt, & omnem iurisdictionem in habitu se habere profitentur, ab ipsisq; in reges deriuatam affirmant iurisdictionem (quam vocamus) temporalē; h. e. *Diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet.* Et cum Principibus longa vsurpatione multa ademerint, & in se transtulerint, ita tamē tractarūt, vt suæ liberalitatis ac muneris fecerint quicquid sit potestatis, quod reges iam obtineant. Et (cum ita videtur) hos reges deturbant, illos erigunt: faciunt magna, quoniam potentes. Et quem habent, Regum simplicitate acquisitum gladium, ac benigna Principū collatione, terrenis opibus fabrefactum; in illos cum videtur, exercent & stringunt, quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi; factis sequentes non quę Pater cœlestis scripturis datis omnibus proposuit, quod tanquam scopum sequeremur; sed quod caro & sanguis reuelauerunt, humanam in dominando, adulterinam felicitatem, veræ ac perfectæ in Christo beatitudini præferentes. Atq; hinc certe sic creuit potestatis istius magnitudo, quæ tanquā gurges aquarum, alueum egressa, suum orbem vniuersum inundauit atq; corrupit, liceat quod verum est citra inuidiā referre. [d] *Nemo pōt duob. Dominis seruire*, dum alium curat, aliū negligit. Qui Deo seruit, Mammonam contemnit. Et Paulus habet: [e] *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Quod sane animaduertentes primores Ecclesiæ patres, etiamsi non ignorarent, nihil malum esse, quo quis bene vti posset; tamen quemadmodum Paulus de vino scribit omnibus: [f] *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: & vt non modo à malo, sed etiam ab omni specie mali abstinerent, & causam atque occasiones omnino vitarent: sic isti scripturarum authoritate inducti, facultates & possessiones (quæ vocantur) Clericis fugiendas omnino contendunt, atque vt contemptum persuaderent efficacius, dominium illis & proprietatem competere plane negarunt, non quod diuitiæ malæ sint, aut hominem ipsæ solæ corrumpant; (cum non quod per os intrat, aut cætera

Anno 1534.

a Dist. 4. ca. statuimus.

b De consec. dist. 3. c. Sabbato.

c Matth. 23.

d Matth. 6.

e 2. Tim. 2.

f Ephes. 5.

Anno 1534.

a Matth.15.
b Matth.13.
c Hebr.5.
d 12. q.1. ca. duo sunt.

huiusmodi externa,[a] coinquinant hominem, sed quod procedit de ore vero coinquinat & habet contagionem) sed quoniam diuitiæ & possessiones hominum mentes à suis sedibus interdum dimouent, & à cœlestium meditatione, ad vilem seculi curam deuocant, interdum vero sic retinent, vt erigere se aliquando vix possint; (id quod Dominus in [b] parabola manifestissime ostendit) magno cum consensu proprietatem & dominium Clericis ademerunt. Videlicet vt (quemadmodum [c] Paulus habet) tanquam Pontifices ab hominibus assumpti, pro hominibus cõstituti appareant in his quæ sunt apud Deum. Sic enim scribit Hieron. ad quendam [d] Leuitam: *Duo sunt genera, inquit, Christianorum: est autem vnum genus, quod mancipatum diuino officio & deditum contemplationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare conuenit, vt sunt Clerici & Deo deuoti, videlicet conuersi. Cleros enim Græce, Latine sors: inde eiusmodi homines vocantur clerici, id est, sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit, hi namq; sunt reges, id est, se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc designat corona in capite, hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo expectatur. Rasio vero capitis est temporalium omnium depositio, illi enim victu & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. Aliud vero est genus Christianorum, vt sunt Laici. Laos enim Græce, est populus Latine. His licet temporalia possidere, sed non nisi ad vsum. Nihil enim miserius est, quam propter nummum Deum contemnere. His concessum est vxorem ducere, terram colere, inter virum & virum iudicare, causas agere, oblationes super altaria apponere, decimas reddere, & ita saluari poterũt, si vitia tamen benefaciendo euitauerint.*

e 12. q.1. c. clericus

Idem vero Hieronymus ad [e] Nepotianum: *Igitur Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum, & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim Cleros Græce, sors Latine appellatur; propterea vocantur Clerici vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet & cum Propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus. Verbi gratia: si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem: cum istis partibus, Dominus pars eius fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Leuita & Sacerdos viuo de decimis & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his cõtentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaq; te, & repetens iterum iterumq; monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra seculi in Christi quæras militia, ne plus habeas quam quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi: Clerici eorum non proderunt eis. Nõnulli torum sunt ditiores Monachi, quam fuerant seculares, & clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos.*

f cap.2.

Diu. etiam Ambrosius de [f] Fuga seculi sic scribit. *Cui portio Deus est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui atq; huic nostro officio decerpitur. Hæc enim vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorũ & quædam alienatio charissimorum, vt sibi se abneget, qui seruire Deo elegerit.* Hilarius etiam super Psal. 118. eandem sententiam confirmat in hunc modũ, *Filiis Leui non erit portio, neq; sors in medio fratrum suorum, quia Dominus Deus est pars eorum. Nullam ergo, Deo seruientibus Lex data, terrenam esse voluit portionem, quia pars eorum Deus esset.*

g Act.3.

Meminit & Euangelii prædicator ille [g] Petrus, nullam sibi esse portionem possessionis humanæ, cum oranti alimoniam respõdit: *Aurum & argentum non est mihi, quod aũt habeo, tibi do.* Possidonius ẽt de vita Augustini sic ait: *Dum forte (vt assolet) de possessionibus ipsis inuidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei viuere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati, & paratum se esse illis cedere, vt eo modo omnes Dei serui & ministri viuerent, quo in veteri Testamento leguntur altari deseruientes, de eodem comparticipari.* Et postea: *nam & aliquas eum hæreditates recusasse nouimus, non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam iustum & æquum esse videbat, vt à mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerunt.* Et postea: *frequentius vero dicebat magis securius ac tutius Ecclesiam legata à defunctis dimissa debere suscipere, quam hæreditates forte sollicitas & damnosas: ipsaque legata magis offerenda esse, quam exigenda.* Item in opere, cui titulus est de contemptu mundi, habet idem Possidonius, quæ sequuntur: *Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Qui dixit, omnibus, nihil proprium à suis discipulis possideri voluit, qui quicquid possidet in terra, remotus est a Christi disciplina. Nunquid illi habebant proprium, quibus magister indixerat, nihil tuleritis in via? De quibus Lucas Euangelista refert: erant eis omnia communia. Videte quid Petrus dixerit ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Qui omnia reliquerant, nihil sibi penitus retinuerant. Vnde ergo sibi arrogant ligandi atque soluendi potestatem, qui in terra, præsumunt possidere facultatem, quomodo non erubescunt dicere, Dominus pars hæreditatis meæ? vbi est illud Apostolicum: quæ conuentio Christi ad Belial. Qui terrenas possessiones relinquere nolunt, cur peccata populi comedunt? si decimas cum filiis Leui accipiunt, quomodo inter tribus cæteras partem accipient? si nominis sui etymologiã attendunt, cur clerici à sorte dicti sunt, nisi quia Dominus eorum sors vel hæreditas sit?*

h In declamat. super Euangelio.

Diu. [h] Bernhardus etiam in hanc sententiam scribens ait: *Clericus, inquit, qui partem habet in terra, non habebit partem in cælo.* Itemq;: *Clericus si quippiã habuerit præter Dominũ, pars eius non erit Dominus. Verbi gratia: si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis Dominus pars eius fieri non dignatur.* Et postea: *de altari (inquit) viuat, non superbiat, non luxurietur, deniq; non ditetur, non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, ne loculos inda congreget, nec in vanitate aut superfluitate dispergat, non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat: res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates sunt Ecclesiarum: & sacrilega eis crudeli-*

tate

Anno 1534.

rate surripitur, quicquid sibi ministri & dispensatores, non vtique domini vel possessores, vltra victum accipiunt & vestitum. Audis in prædictis Ecclesiæ bona vocari, clericorumq; negari, & nihil habere eum, cui portio Deus est, plane confirmatum? Quæ si de omnibus cleris in vniuersum dicta sunt, annon multo magis de Pontifice idem dicendum est? si Laicus non est Pontifex Romanus, Clericus sit necesse est, secundum Hieronymum, qui tantum duo genera facit Christianorum. Si Clericus est, non modo omnibus, quæ possedit, renunciauit, sed etiam proprietatem & dominium omne, sua electione, cum Clericum esse elegerit, sibipsi interdixisse videtur, vt sentiunt & loquuntur hi Sancti Patres, quos supra commemorauimus.

Redeat itaq; nunc ab inferis Bonifacius ille VIII. temporis sui Diotrephes, qui primatum in Ecclesia gerere amabat, & causam dicat ac reddat rationem, cur se Dominum vniuersi orbis appellarit, cum in vniuerso orbe nihil liceat suum vendicare, nisi Pontificem Romanum, tertium genus hominum constituere comprobauerit; quod à clericis & laicis prorsus distaret. Sed ea est conditio humanę fragilitatis, vt in perpetuo motu & conatu versetur: quicquid ab effectu manat nunquam conquiescit, sed quoad suppetit materia, semper laborat. Qui dignitatem, honores & diuitias appetunt, modū nullum facientes, ad summa & suprema fastigia semper contendunt, & quum non habent, quo longius progrediantur, necesse est vt retro cedant. Pontificum Romanorum historias quisquis perlegerit, videbit plane, à quo tempore primum ad honores, dignitates & possessiones animū adiecerant, in eo semper laborasse, vt ad summum peruenirent, maioremq; curam temporalium, quam spiritualium fuisse. Et humanum quiddam est hoc, vt alia multa, quæ licet progressum quendam habent, ipsa specie plausibilem, tamen diuturnitatem non habent attestante [a] scriptura: *Si ex Deo est, stabit: si ex hominibus, corruet.* Non esse autem ex Deo, quæ sibi Pontifices hac in parte vindicarūt, authoritates, quas commemorauimus, plane confirmant, & rei exitus hoc seculo videtur comprobaturus. Ridicule enim sibi dominatum omnium arrogant, quibus nihil dominij iure licet vendicare.

a Act. 5.

TERTIA PARS.

SEd operæ pretium fuit in expendenda hac Pontificum potestate, et illud, de quo tertio in loco verba facere promisimus, animaduertere. Nū videlicet Pōtifices Romani ita se gesserint aliquando, vt ostenderint etiam ipsi dictis & factis suis, nō esse tam amplam authoritatem illius sedis Romanæ de iure diuino, nec tam late patētem potestatem sibi competere, vt hodie videmus vsurpari. Quorū sentētiæ si quid obtinerent, & Pontifici Romano hodie adimerēt, prout quisq; in hac aut illa re olim censuerit, videremus plane (quod de cornicula Æsopica in fabulis narratur) nudam & deplumem eius potestatem. Primum enim honorum vocabula adeniut [b] Gregorius atq; etiam præeminentiæ (vt videtur) prærogatiuam. Neq; enim permisit se vniuersalem appellari, quod certe non fecisset nisi suo iudicio existimasset, nō esse se (cum esset Pontifex Romanus) vere vniuersalem Episcopum; quum alioquin ipsa scriptura docemur à veris honorum appellationibus non abhorrere, videlicet cum Christus suis discipulis responderit: [c] *Vos vocatis me Magister & Domine, & benedicitis sum etenim.* Itaq; in aperto est Gregor. Episcopum, nulla alia ratione permotum, ne vniuersalis Episcopus aut diceretur aut scriberetur, quam ne [d] scripturam in ea parte offenderet, qua dicitur: *nemo sibi sumat honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Quoniam se non vniuersalem sciebat, noluit appellari vniuersalis, nec vocari quod non erat, quum respondere illi non licebat: *Sum etenim.* Vrbanus Papa sic [e] scribit: *Duæ sunt,* inquit, *Leges: vna publica, altera priuata. Publica Lex est, quæ à Sanctis Patribus, scriptis est confirmata, vt est Lex Canonum. Quæ quidem propter transgressiones est tradita. Verbi gratia. Decretum est in Canonibus, Clericum non debere de suo Episcopatu ad alium transire sine commendatitiis literis sui Episcopi. Quod propter criminosos constitutum est, ne videlicet infames ab aliquo Episcopo suscipiantur personæ. Solebant enim officia sua, cum non poterant in suo Episcopatu, in alieno celebrare, quod iure præceptis & scriptis detestatum est. Lex vero priuata est, quæ instinctu Sancti Spiritus in corde scribitur, sicut de quibusdam dicit Apostolus, qui habent Legem Dei scriptam in cordibus suis. Et alibi: Cum gentes Legem non habeant, si naturaliter, quæ Legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt Lex. Si quis horum in Ecclesia sua, sub Episcopo populum retinet & seculariter viuit. Et si afflatus Spiritu S. in aliquo monasterio vel regulari Canonica saluare se voluerit, quia lege priuata ducitur nulla, ratio exigit vt Lege publica constringatur. Dignior est enim Lex priuata quam publica. Spiritus quidem Lex est, & qui Spiritu Dei aguntur, Lege Dei ducuntur. Et quis est, qui Spiritui Sancto possit resistere digne? Quisquis igitur hoc Spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra authoritate. Iusto enim non est Lex posita, sed vbi Spiritus Dei, ibi Libertas. & si Spiritu Dei ducimini, nō estis sub Lege.* Ex quo textu liquet manifestissime; Vrbani sententia & opinione ad hominum cōscientias non pertinere, quæ Pontificiis sanctionibus statuuntur, ac illas etiam conscientiæ dictamine eneruari. *Cedit enim,* inquit, *Lex publica priuatæ.* Innocentius [f] Papa pontificiam potestatem sic cōtrahit, vt nihil valeat in ius diuinū. Sic e. n. scripsit: *inter diuinas & humanas leges tanta est differentia, quod contra Leges diuinas nunquā valeat dispensari: circa Leges autē humanas dispensari possit aliquando, prout necessitas vel vtilitas postularit.* Zosimus [g] Papa arctius adhuc contrahit Rom. Pontificum potestatem, videlicet qui scribit: *Contra statuta patrum condere aliquid vel mutare, ne huius quidem sedis potest authoritas. apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas.* Ex cuius sententia ad primum & pristinum Ecclesiæ statum omnia reducere oportet, reprobans atq; reiectis his, quæ deinceps Pontif. Romani statuerint. Quo tempore si in varias ac diuersas partes distributa fuit authoritas & cura debet et eo tenore hodie procedere. Et scripsit Greg. [h] Felici Episc. in eandē sententiā: *Si ea,* inquit, *destruerē, quæ antecessores nostri statuerūt, nō cōstructor, sed euersor esse iuste cōprobarer, testāte veritatis voce quæ ait:*

b Dist. 99. c. nullus.
c Ioan. 13.
d Heb. 5.
e 19. q. 2. c. duæ.
f Ad Comitem Niuernensem.
g 25. q. 1. c. contra.
h In Regist. li. 12. Epist. 30.

Omnis

Anno 1534.

Omne regnum in seipso diuisum non stabit, & omnis scientia & Lex aduersum se diuisa destruetur. Qua in re verendum, ne vates etiam verus sit idem Gregorius, vt hodie contrarietatum perplexitate dissoluatur ius canonicũ, quod multorum annorum labore, male cohærẽtibus lapidibus, cõstructum est.

a 12. dist. c. Noui

Hanc reuera Põtificiam Romanæ sedis authoritatem plerunq; de suis longissime finibus egressam, adeo nimirum vt & hoc regnum Angliæ, tã procul à se positum, sæpissime nõ paruis affecerit iniuriis, vexarit ac perturbarit, non solum cordati reges, sed & prudentes ac sancti eiusdem regni præsules repulerunt, nec in sua viscera grassari permiserunt, sed suam sibi tribuerunt iurisdictionem atq; authoritatem istiusmodi alienam excludentes; vt omnib. liquere poterit, qui Annales Anglorum verterint. In quibus habetur apertissime, quemadmodum Lauren. Archiepis. Canthuar. Diu. eiusdem sedis Archiep. Dunstanus, & vir præfectus Grostetus, Episcopus Lincolniens. potestatem huiusmodi externam recusarint atq; abdicarint. Idem vero [a] Greg. alibi Augustino scribens manifeste ostendit Romanæ sedis canones non apud omnes viguisse, nec talem curam habendam, vt potius de eorum obseruatione, quam de populi in Christum ædificatione agatur. Sic enim habent illius verba: *Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit esse nutritam. Sed mihi placet, vt siue in Romana, siue in Gallicana, siue in qualibet Ecclesia inuenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide noua est, & in constitutione præcipua, quam de multis Ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibuscunque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige; & hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Ex quo textu etiam illud apparet, Canones non exacta obedientia, sed allecta voluntate vim obtinere. Sic enim scribit Gregorius, vt *in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinẽ deponãtur*, non vt censuris exigantur. Nec prætereundum etiam, quod Hadrian. Papa in [b] *Synodo Romæ celebrata Carolo dedit ius eligendi Pontificem, & sedem Apostolicam ordinandi.* Verum hic Pontificum facta bonorum recẽsere desino. Raritas enim bonorum Pontificum in causa est, quod in hac parte pluribus nõ vtamur exemplis. Nam post Apostolos, qui, vt verbi prædicationi & orationi instarent, ministerium etiam mensæ (opus quantumuis bonum) reliquerunt, & à se prorsus abdicarunt, [c] dicentes: *Non est æquum nos relinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Nimirum significantes, præcipuum ac vere proprium ipsorum esse officium, vt verbi Dei prædicationi omnem operam & curam impenderent. Post istos (inquam) & paucos alios in primitiua Ecclesia, istorum sequaces omnes fere Pontifices, quantum tempore, tantum etiam & vita & institutis ab archetypo suo Christo recesserunt. Quod si hodie Pontifici obijciatur, quæ prędicta sunt, & ex bonorum Pontificum sententia illius potestas æstimetur, annon multa, quæ facta sunt, dissoluere cogeretur, ne eueniat, quod ex verbis Domini scripsit Gregorius, *vt omne regnum in se diuisum corruat & destruatur.*

b Dist. 63. c. Adrianus.

c Act. 6.

QVARTA PARS.

SEd nunc tractare aggrediemur, quod quarto & postremo loco proposuimus: nimirũ quatenus & regibus in rebus sacris vel diuina concessione vel humana permissione competat authoritas, in qua re, & de omnib. vbiq; regibus generatim, & deinde peculiariter de regibus Angliæ prosequemur. Primo ostendetur, Deum non modo signis luculentissimis in vniuerso naturæ ordine, suam de regum potestate regulã expressisse, sed etiam in scripturis veteris & noui Testamẽti verbis manifestissimis declarasse, Regesq; populo suo ore dedisse, & eorum potestatem latissime explicatam confirmasse. In naturæ exemplis viderunt & senserunt ex Philosophis optimis Plato, Aristoteles & Apollonius, quod sicut in vniuerso vnus est summus opifex omnium; inter stellas prælucet sol, in apibus vnus est rex, suum vnũ ducem greges habent & armenta rectorem; grues denique vnam sequuntur: sic in Republica vnum esse oportet regem, tanquam caput, cui membra consentiant. Atque hanc Reipublicæ rationem naturæ instinctu proditam, & obscurioribus notis in naturæ opificio delineatam, Deus nobis apertius explicauit in scripturis sanctis frequentem Regum faciens mentionem, ac illorum potestatem plane probans, ipsosque reges suo ore constituens, qui regant & pascant populum suum. Sed ab ipso [d] Geneseos exordiamur, in quo sic scribitur: *Terra Sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis*. quibus verbis planissime constat, terram regum fuisse, & ab illis, Sacerdotibus traditam, ipsorumque Regum (quatenus Reges erant) terræ dominium fuisse, de quorum manu sacerdotes, quicquid tum possessionum habebant, suscipiebant. Et Deut. 17. sic scribitur: *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus tuus dabit tibi, & dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Postquam autem sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Regis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus.* Ex quo textu liquet manifeste, omnes nationes habuisse tum tẽporis Reges, atq; eos in populo Dei diuina electione primum constitutos, quibus diuinæ legis volumen vt scriberent, mandatur, videlicet non vt haberent solum & retinerent apud se, sine omni alio vsu, sed vt illam obseruari mandarent atque præciperent; adeo vt ipsorum sit corrigere atque punire. Sacerdotum autem solum prædicare, atq; exemplar legis cæteris exhibere, si quando quæratur. Porro autem ad demonstrandam Regis præeminentiam, scribitur 3. Esdræ 4. *Rex autem super omnia præcellit, & dominatur eorum, & omne quod dixerit illis faciunt. Et si miserit illos ad bellatores, vadunt & demoliuntur montes, & muros, & turres, iugulantur & iugulant, & regis verbum non prætereunt. Nam si vicerint, afferunt regi omnia, quæcũq; prædati fuerint. Similiter*

d Genes. cap. 47.

& alij

Anno 1534.

& alii omnes & quotquot non militant, nec pugnant, sed colunt terram. Rursum cum fuerint metentes, afferunt tributa regi, & ipse vnus solus si dixerit, occidite, occidunt: dixerit, remittite, remittunt: dixerit, percutite, percutiunt: dixerit, exterminate, exterminant: dixerit, ædificate, ædificant: dixerit, excidite, excidunt: dixerit, plantate, plantant. Et omnis plebs & virtutes eum obaudiunt. Et super hoc ipse recumbit, & bibit, & dormit; hi autem custodiunt in circuitu eum, & non possunt ire singuli & facere opera sua, sed in dicto obaudientes sunt ei.

Et primo [a] Regum dixit Dominus ad Samuelem: prædic eis ius Regis, qui est regnaturus super eos: filios vestros, agros, vineas, & oliueta tollet, segetes & greges addecimabit, vosq; eritis ei serui. Et 2. [b] Paral. Zabadias, qui est in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinēt. Deniq; [c] Psalmista habet. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; Significans, Regum esse proprium iudicare terrā. Item Deut. 28. scribitur: Regem constitues super te. Et 1. [d] Reg. 9. Cum aspexisset Samuel Saulum, dixit ei Dominus: Ecce vir, quem dixeram tibi: iste dominabitur populo meo. Porro 2. Reg. 2. Me vnxit, inquit Dominus, Iudam in regem sibi. Et sequitur 2. Regum 5. Venerunt seniores Israel & vnxerunt Dauidem Regem. Dixit autem Dominus; Tu pasces populum meū & tu eris Dux super Israel. Salomon in [e] Prouerbiis scripsit; Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me Principes imperant & potentes decernunt iustitiam. Et Sap. 6. Audite reges & intelligite, præbete aures vos qui continetis multitudines, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur, Rex sapiens populi stabilimentum est. In libro Exodi cap. 32. legitur: Dixit Aarō summus Sacerdos ad Moysen, qui principis ac regis vicem gerebat; ne indignetur Dominus meus, &c. Et Achimeleth summus sacerdos seruum se appellauit regis Saulis 1. Regum 22. Misit rex ad accersendum Achimeleth Sacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris eius Sacerdotum qui erant in Nobe, qui vniuersi venerunt ad regem; & ait Saul ad Achimeleth: Audi fili Achitob, qui respondit, præsto sum Domine, dixit ad eum Saul, quare coniurastis aduersum me tu & filius Isai, &c. Et ait Achimeleth, absit hoc à me, ne suspicetur rex aduersum seruum suum rem huiusmodi, in vniuersa domo Patris mei, non enim sciuit quicquam seruus tuus super hoc negotio vel modicum, vel grande.

a 1. Reg. 8. b 2. Paralip. 19. c Psal. 2. d 1. Reg. 9. e Prouer. 8.

Cum ergo summi Pontifices, Reges appellarint Dominos, se vero Regum seruos, rectissime colligitur, Reges Pontificibus esse superiores, ac Pontifices Regibus subesse oportere. Hac ipsa argumentandi forma vsus est Diuus Petrus 1. Epist. cap. 3. probans Saram subiectam fuisse Abrahæ, quod appellarit eum dominum, ad cuius exemplum deberent cæteræ quoque mulieres suis subesse maritis. Nec alio argumento ostendit Christus Matth. 22. Dauidem Messia fuisse inferiorem, quam quod Dominum eum compellarit, dicens: Dixit Dominus Domino meo. Quin & illud loco aduertendum, regem in summum Pontificem mortis sententiam tulisse. Morte, inquit, morieris Achimeleth tu & domus patris tui. Neq; vitio datur, quod in Sacerdotē mortis tulerit sententiam, sed quod iniquam tulerit sententiam aduersus innoxium. Salomon autem, qui simili authoritate [f] Abiathar summum sacerdotem morte cōdemnauit, à nemine est hactenus reprehensus, quia dignā tulit sententiam & in meritum. Saul vero ideo merito notandus, quia in immeritum tulerit. Item Iud. 17. & vlt. refertur: In diebus illis non erat rex in Israel, sed vnusquisq; quod rectum sibi videbatur hoc faciebat. Ex his verbis videtur arcendi potestatem ad solos pertinuisse Reges & principes, non autem ad sacerdotes. Multi enim ea ætate erant proculdubio sacerdotes; sed quia regem aut ducem non habebant, vnusquisq; pro voto suo aut libitu viuebat, quod nulla esset superior regia potestas, cuius gladio à vitiis coercerētur. Præterea 4. Reg. 18. sic scribitur: Ezechias dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitq; serpentem æneum, quem fecerat Moyses. Siquidem vsq; ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum. Et cur non possit abusus rerum ecclesiasticarum & omnium, quæ intra Ecclesiam fuerint, ad regiæ maiestatis examen & correctionem hodie spectare, siquidem constiterit cōtra Dei honorem vergere? sicut Ezechias optimus rex, & cui nō fuit alius similis, qui seruaret omnia præcepta Domini, in cunctis regibus Iuda. Inter septa templi suam porrigebat potestatem, & serpentem ex Dei mandato erectam, nouo mandato suo sustulit, vbi viderat contra diuinam gloriam adorari. Si ea, quæ Deus fieri iusserat, mutare potuit rex, vbi male cesserint, & hoc intra Ecclesiam, quanto magis mutare possit, quæ hominum præceptis statuta male abutantur. Ad hæc facit quod est 2. Paralip. 8. Et constituit Rex Salomon iuxta dispensationem Dauid patris sui officia Sacerdotum in ministeriis suis, & Leuitas in ordine suo, vt laudarent & administrarent coram Sacerdotibus iuxta ritum vniuscuiusque diei, & Ianitores in diuisionibus suis per portam & portam. Sic enim præceperat Dauid homo Dei, nec prætergressi sunt de mandatis Regis tam Sacerdotes, quam Leuitæ ex omnibus quæ præceperat. Consentiunt prædictis quæ scribuntur 2. Paralip. 19. Constituit Iosaphat iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per singula loca, & præcipiens iudicibus; videte, ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. In Hierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes & principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius, præcepitque eis dicens: sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus, ostendite eis vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira Dei super vos, & super fratres vestros. Sic ergo agentes non peccabitis, Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porro Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent. Habetisque magistros Leuitas coram vobis, confortamini & agite diligenter & erit Dominus vobiscū in bonis. Iā hæc succincte cōferamus. Iudicia populi Israelitici erāt Dei iudicia & secun-

f 3. Reg. 2.

Anno 1534. & secundum præscripta verbi Dei omnia decernebantur. Cuius diuinæ Legis interpretes erãt sacerdotes & Prophetæ. Iudices vero illius electi erant & magistri, ex singulis tribubus in cunctis ciuitatibus, nisi quid natum esset ambigui. Tunc enim res Hierosolymam deferebantur, ad sacerdotem & iudicẽ, qui in illo tempore præsiderent, qui pariter sententiam ferebant, nec vlli fas erat eorum sententiam aspernari atq; reiicere. Quisquis. n. hoc fecisset, illi capitale erat. Et hoc modo se habebant iudices in aliis ciuitatibus, præterquam in Hierusalem, vbi omne iudicium commisit Rex Iosaphat, coniunctim sacerdotibus, Leuitis & principibus familiarum. Quod si reges & principes erãt iudices Legis diuinæ, & earum rerum, quæ per verbum Dei præscribuntur, cuius neq; authores erant, neq; doctores, quanto possunt magis iudices esse omnium rerũ, quæ per humanas leges sanciũtur. His accedit, quod est 2. Paral. 29. *In ipso anno & mẽse primo regni sui, aperuit Ezechias valuas Domini domus, & instaurauit eas, adduxitq; Sacerdotes & Leuitas, & congregauit eos in plateam orientalem, dixitq; ad eos; Audite me Leuitæ & sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum & auferte omnem immunditiam de sanctuario.* Et postea; *Congregauerunt fratres suos, & sanctificati sunt, & ingressi sunt iuxta mandatum regis & imperium Domini, vt expiarent domum Dei. Sacerdotes quoque ingressi domum domini vt sanctificarent illud extulerunt, &c.* Et postea; *pro omni quippe Israel præceperat Rex, vt holocaustum fieret pro peccato. Constituit quoque Leuitas in domo Domini, cum cimbalis, & Psalteriis, & citharis, secundum dispositionem Dauid Regis & Gad Videntis & Nathan Prophetæ; Siquidem Domini præceptum fuit, per manum Prophetarum eius. Steteruntque Leuitæ tenentes organa Dauid, & Sacerdotes tubas, & iussit Ezechias vt offerrent holocausta super altare, &c.* Et postea; *Præcepitque Ezechias & Principes Leuitis, vt laudarent Dominum sermonibus Dauid & Asaph Videntis: qui laudauerunt Deum magna lætitia, & incuruato genu adorauerunt. Ezechias autem etiam hæc addidit; impleuistis manus vestras Domino, accedite & offerte victimas & laudes in domo Domini. Obtulit ergo vniuersa multitudo, &c.* Cum Sacerdotes in templo & in sanctuario omnia facerent secundum iussum Regum & Principum, & eis obtemperarent, in offerendis victimis, in mundatione domus Domini & sanctuarii, in orationibus quæ in templo fiebant, videtur Regum & Principum esse in huiusmodi imperare sacerdotibus: Sacerdotum contra Regibus obtemperare. Item, *Misit quoque*[a] *Ezechias ad omnem Israel*

a 2. Paralip. 30.

& Iudam, scripsitque Epistolas ad Ephraim & Manassem, vt venirent ad domum Domini in Hierusalem & facerent Phase Domino Deo Israel. Inito ergo consilio Regis & Principum, & vniuersi cœtus Hierusalem decreuerunt vt facerent Phase mense secundo. Et postea; *perrexeruntq; cursores cum epistolis & Regis imperio & principum eius, in vniuersum Israel & Iudam, iuxta id quod Rex iusserat, prædicantes; filii Israel reuertimini, &c.* Et postea; *in Iuda vero facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerẽt iuxta præceptum Regis & Principum verbum Domini. Congregatiq; sunt in Hierusalem populi multi, vt facerent solennitatem azimorum in mense secundo. Et surgentes destruxerunt altaria quæ erant in Hierusalem, atq; vniuersa in quibus Idolis adolebatur, incensum subuertentes proiecerunt in torrentem Cedron, ad Regis imperium factum est Phase & solennitas azimorum.* Deinde 2. Paralip. 31. sunt quæ sequuntur. *Ezechias autem Rex constituit turmas Sacerdotales & Leuiticas per diuisiones suas, vnumquemq; in officio proprio, tam Sacerdotum videlicet quam Leuitarum ad holocausta & pacifica, vt ministrarent & confiterentur, canerentq; in portis Domini castrorum.* Et postea; *Præcepit etiam Ezechias populo habitantium Hierusalem, vt darent partes sacerdotibus & Leuitis, vt possint vacare Legi Domini.* Et postea; *Præcepit igitur Ezechias vt præpararent horrea in domo Domini, quod cum fecissent, intulerunt tam primitias quam decimas, & quæcunque vouerant fideliter. Fuit autem præfectus Chonenias Leuita & Semei frater eius secundus, post quem Iehiel, & Azarias, & Naath, & Asael, & Ierimoth, Iozabath quoque & Eliel, & Iesmathias & Maath, & Banaias, præpositi sub manibus Chonenia & Semei fratris eius, ex imperio Ezechiæ Regis, & Azariæ Pontificis domus Domini, ad quos omnia pertinebant.* Et postea: *Fecit ergo Ezechias vniuersa quæ diximus, in omni Iuda, operatusque est bonum & rectum & verum coram Domino Deo suo, in vniuersa cultura ministerii domus Domini, iuxta Legem & ceremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo, fecitque & prosperatus est.* Ecce vt bonus Rex Sacerdotibus & Leuitis officia impartitus fuerit, de decimis & primitiis præscripserit, & quæ ad Sacerdotum officia vel iura spectabant, etiam in cultu ministerii Domus Dei, ad ipsius iussum & imperium fiebant. Postremo, 1. Maccab. 10. scribitur: *Alexander rex scribit Ionathæ dicens: Nunc constituimus te hodie summum Sacerdotem gentis tuæ, & vt amicus voceris regis, &c.* similiter & Demetrius[b] statuit Simoni summum Sacerdotium. Constituit etiam Alchimum Sacerdotem. Et Antiochus primo Iasoni summum Sacerdotium conferebat, postea (illo submoto) in Menelaum transferebat sacerdotium: deinde quoque illo amoto Lysimachum præfecit. Sic semper ad principes pertinebat summi sacerdotii collatio, & translatio, siue quando non creabantur, sed nascebantur Sacerdotes (vt ætate Salomonis) siue quando suffragio petebantur, vt bonorum Principum tempore. Nunc contra, summi Sacerdotes Regna & imperia se posse conferre aiunt, quibus visum est quod nec in veteri, nec in nouo Testamento eos fecisse, aut auditum est vnquam aut lectum.

b 1. Macchab. 7.

Atq; hanc Regum potestatem in nouo Testamento legimus cõfirmatam. Sic enim refert Matt. cap. 17. *Accesserunt ad Petrum qui didrachma accipiebant, Petro autem dixit Christus: Reges terræ à quibus accipiunt tributum? &c. vt non scandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumẽs da eis pro me & te.* An non docuit hoc exemplo Christus venerãdam regum potestatem, quibus Reipublicæ præsidentibus & tributum atq; vectigal dari debeat, vt qui singulorum curam agit, etiam impensæ sollicitudinis accipiat hostimentum, quemadmodum etiam scribitur;[c] *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et Iesus Pilato respondit;

c Matt. 22.

Non

Anno 1534

[a] *Non haberes potestatem vllam aduersum me, nisi tibi datum esset desuper.* Denique, [b] *Reges gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos.* In eandem sententiam scribit Diuus Paulus: [c] *Omnis anima* (inquiens) *potestatibus supereminentibus subdita sit. Nam principes non terrori sunt bene agentibus, sed male; non enim frustra gladium gestant.* Et ibi glossa communis *gladium* interpretatur *potestatem iudiciariam.* Et ibidem: *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Itaque *qui vel vi, vel dolo potestati resistit, id est, homini* (inquit Glossa) *habenti potestatem in tributo, & huiusmodi Dei ordinationi plane resistit.*

a Ioan. 19.
b Matt. 20.
c Rom. 13.

Locus Pauli explicatur.

Hic paulisper immorandum censeo, & accurate expendendum locum hunc, qui mirum in modum confirmat Regiam & ciuilem potestatem, cui omnes subesse iubet; neq; Petrum excipit, neq; Paulum, nullum Sacerdotem, nullum Episcopum, non Cardinalem, nō Patriarcham, non Papam, deniq; neminem prorsus, nisi si quis sibi damnationem acquirere velit. Quod si cui non hæc de ciuili magistratu dicta videantur, is primum cogitet, quod sublimiorem potestatem Sacerdotibus fugiendam Christus docuit, deinde quod eos, de quibus hic loquitur, principes appellat, & timendos esse docet male operantibus, *Principis* autem vocabulum non solet in scripturis, in nouo præsertim testamento, de Sacerdotibus dici, ni quippiam addatur: vt, *princeps Sacerdotum, princeps synagogæ, princeps verbi*, aut aliquid huiusmodi. Et timendum docuit [d] Christus Deum, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittendi in gehennam ignis. Timendus etiam est Rex male operantibus, quos suo cohercet gladio. Sacerdotis autem & verbi ministri in Euangelicis litteris, peccantes arguunt, resipiscentes consolantur. Ceterum iudiciariam potestatem, forum & pœnarum exactionem, non tribuunt eis Euangelicæ & Apostolicæ literæ. Iam quod sequitur: *non sine causa gladium portat*, quis de Apostolorum successoribus interpretetur? An illos circumstrepebant lictores, gladios ac fasces iactantes? Non sunt Episcoporum arma gladius & fascis, sed pedum & mitra. Postremum illis magistratibus, de quibus hic loquitur Paulus, tributum præstandum admonuit; at Cæsari tributum soluebant, non Pontifici. Multis quoque alijs argumentis colligi potest, hunc locum de ciuili magistratu interpretandum, cui omnem animam subijciendam voluit, etiam summos Sacerdotes. Et hanc interpretationem magno consensu confirmant Christi & Apostolorum cum vita, tum doctrina, qui nunquam ciuilem magistratum non agnoscebant, vbi contra Deum nihil imperaret. Huic etiam interpretationi suffragatur vetustissimi quiq; & probatissimi authores, inter quos est Origenes, super eundem locum Pauli: *Iudices mundi* (inquit) *partem maximam Dei legis implent, omnia enim crimina, quæ vindicari vult Deus, non per Antistites & principes Ecclesiarum, sed per mundi iudices voluit vindicari. Et hoc sciens Paulus recte eum ministrum Dei nominat, & iudicem in eum, qui quod malum est, agit.* Et Augustinus contra Epistolam Parmeniani lib. 1. *Propter quid ergo gladium portat, qui dictus est minister Dei, vindex in iram eis qui male agunt? nisi forte (quemadmodum nonnulli eorum sane imperitissimi hoc intelligere solent) de honoribus Ecclesiasticis dictum esse contenderis, vt gladius intelligatur vindicta spiritualis, quæ excommunicationem operatur. Cū prouidentissimus Apostolus consequenti cōtextione lectionis satis aperiat quid loquatur. Ille quippe addidit, propter hoc enim & tributa præstatis: ac deinde subiunxit: Reddite omnibus debita, cui tributū, tributū; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorē; cui timorem, timorem.* Et Theophylact. enarrans hunc locū ad Romanos, *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit*: sic habet; *Vniuersos erudit siue Sacerdos sit ille, siue Monachus, siue Apostolus, vt se principibus subdant.* Et vix quisquam aliter interpretatur hunc locum, nisi qui vel ipsi Pontifices sunt, vel ex Pontificibus pendent, in quorum gratiam omnia deprauant, & scripturas trahunt inuitas & repugnantes. Sed alia scripturarum loca huc spectantia iam conferamus. Porro ad [e] Timoth. Paulus scribens, iubet *orare & deprecari pro Regibus, & omnibus in eminentia constitutis, vt sub eis placide & quiete viuatur.* Sic [f] Hieremias iussit orare pro salute Nabugodonosor & filiorum eius. Deniq; 1. Pet. 2. sic habetur; *Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ*; vbi glossa habet, *constitutæ scilicet in principatu.* Et sequitur in eodem textu; *Siue Regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, vt qui per eum mittantur ad vindictam, quia sic est voluntas Dei.* Addit glossa communis; *scilicet vt his obediatur, siue boni, siue mali sint.* Quod si Regia potestas huiusmodi in veteri Testamento toties comprobata, etiam in noua lege gratiæ recipiatur & confirmetur, ac in regum persona dominium, authoritas, præeminentia, dignitas, vindicta atq; coerctio probetur; in clericorum autem persona improbetur, annon vna eademq; lege, quod Apostolis & Episcopis ademtum est, ipsis terræ regibus tributum apparet? Apostolis dicitur; [g] *ite & prædicate Euangelium omni creaturæ*; [h] *Pasce oues meas*; Et [i] *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; deniq; verbum ministrent, sed interim non detrectent principū subiectionē, & [k] *reddant quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

d Matt. 10.
e 1. Tim. 2.
f Baruch 1.
g Marc. vlt.
h Ioan. vlt.
i Ioan. 20.
k Matt. 22.

Sed dixerit hic aliquis, datam Regibus potestatem etiamsi prædicta testentur, tamen non ostendunt omnimodam potestatem datam esse Regibus, ideoq; ex his scripturis nihil probari, cur Ecclesiasticarum rerum potestatem Regibus & principibus permissam esse fateamur. Sed videamus primum, quatenus ipse geminus scripturarum sensus largitur; deinde quatenus vsus & exercitium in veteri hominū & laudata simplicitate, confirmauit. Et certe in scripturis, Regum authoritatem stabilimus, quod supra ostēsum est, videlicet quia male agentibus terrori sunt, quoniam gladium gestant. In his scripturis indefinite enunciatis, non potest alius esse sensus, quam, vt quicunque, quandocunq; aut quomodocunq; male egerit, huic sit terrori Regius gladius. Neque conuenit vt dicamus, si male versatus quis sit in re minima, vltio sit; si in maxima, nulla sit;

Anno 1534.

& vt in rerum obseruatione humanarum, diligentia sit Regũ, in diuinarum non sit; & quod de omnibus in vniuersum dicatur, adhibita distinctione ad cæteros applicemus. Scriptura omnib. oquitur, de omnibus intelligit, & in verbis illis, *Male agere*, nullum certum crimen, aut causam definit; sed quacunq; ratione malum agatur, adesse vult Regiam potestatem quæ iudicet, quæ coherceat, quæ pœnam infligat, quæ præsit semper in ædificationem, videlicet vt reponatur quod collapsum est, & vt qui bonis negotium facessentes scandalizant, iuxta [a] Paulũ, abscindãtur, quoniam alios conturbant. Itaq; Gregorius in Registro lib. 3. in [b] Epistola ad Mauritium Augustum, inquit: *Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras; Ecce pro me, seruum vltimum suum & vestrum, respondebit Christus, dicens: Ego te de Notario, Comitem excubitorum; de Comite Cæsarem; de Cæsare, Imperatorẽ, non solũ hoc, sed etiã patrẽ Imperatorũ feci; Sacerdotes meos tua manui commisi, & tu à seruitio meo milites tuos subtrahis? Ego quidem iußioni subiectus vestra, legem vestram per diuersas terrarũ partes transmitti feci. Et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordet; Ecce per suggestionis meæ paginam serenißimis Dominis nunciaui, vtrobiq; ergo, quæ debui, exsolui: qui & Imperatori obedientiã præbui & pro Deo quod sensi, minime tacui.*

a Galat. 5.
b Epist. 61.

Et in alia [c] Epistola sequenti ad Theodorum Medicum scripta, hanc habet sententiam; *Valde mihi durum videtur, vt ab eius seruitio Imperator milites suos subtrahat, qui & ei omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiã Sacerdotibus concessit.* Ad hæc pertinent etiam quæ scripsit Diuus Augustinus, cuius [d] Epistola extat in hæc verba: *Quicunque autem legibus Imperatoris, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Nam & temporibus Prophetarum, omnes Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur: & qui prohibuerunt, super aliorum merita laudantur. Et Rex* [e] *Nabugodonosor cum seruus esset Idolorum, constituit sacrilegam legem, vt simulachrũ adoraretur: Sed eius impiæ cõstitutioni, qui obedire noluerunt pie fideliterq; fecerunt. Idem tamen Rex diuino correctus miraculo, piam & laudabilem legem pro veritate constituit: vt quicunq; dixerit blasphemiã in Deum verum Sidrac, Misac & Abdenago, cum domo sua penitus interiret.* Et postea: *quomodo ergo Reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra iussa Domini sunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit, quia homo est; aliter, quia etiam Rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter: quia vero etiam rex est, seruit, leges iusta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. Sicut seruiuit* [f] *Ezechias, lucos & templa Idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo. Sicut seruiuit* [g] *Iosias talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit* [h] *Rex Niniuitarum vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellando. Sicut seruiuit* [i] *Darius Idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius Leonibus ingerendo. Sicut seruiuit* [k] *Nabugodonosor, de quo iam diximus, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo, lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt Domino Reges in quantum sunt Reges, cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.* Et postea; *Neque enim &* [l] *Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei, quando contra illos, qui eum occidere conspirauerant, consilium eorum tribuno vt proderetur effecit; vnde factum est, vt eum ad locum, in quo fuerat producendus, deduceretur miles armatus, ne illorum pateretur insidias* [m] *Romanas etiam leges implorare minime dubitauit, ciuem Romanum se esse proclamans, quorum affligi verberibus non licebat. Itemque ne Iudæis ipsum interimere cupientibus traderetur, Cæsaris poposcit auxilium; Romani quidem principis, sed non Christiani, vbi satis ostendit quid facere deberent postea Christi dispensatores, quando Imperatores Christianos periclitante Ecclesia reperirent.* Et postea, *Si autem priuatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus.* Et in eandem sententiam facit, quod alibi scripsit Augustinus contra Cresconium [n] lib. 3. *In hoc enim Reges, sicut eis diuinitus præcipitur, Deo seruiunt in quantum Reges sunt, si in suo Regno bona iubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad diuinam Religionem. Frustra dicis, relinquat libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis, & in stupris & in quibuscunque aliis facinoribus & flagitiis libero te arbitrio dimittendum esse proclamas? quæ tamen omnia iustis legibus comprimi, vtilißimum & saluberrimum est.* Et idem Augustinus alibi testatur; *Regum esse proprium administrare iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos.* Porro autem idem confirmat sanctus Thomasde Regimine Principum lib. 1. cap. 12. *Hoc officium Rex se suscepisse cognoscat, vt sit in regno, sicut in corpore anima, & sicut Deus in mundo. Quæ si diligenter recogitet, in altero in se iustitiæ zelus accenditur, dum considerat ad hoc se positum, vt loco Dei iudicium exerceat in regno: ex altero vero mansuetudinis & clementiæ lenitatem acquirit, dum reputat singulos, qui suo subsunt regimini, sicut propria membra.* Adstipulatur quoq;, quod in Quadriuio legitur Ecclesia: *Ipsis principibus à Christo Ecclesia Dei commissa est, vt eam tueantur & defendant; & siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ, siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui ipsorum potestati suam Ecclesiã credidit. Cognoscant ergo principes seculi, Deo se debere rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendã suscipiunt.* Et Isidorus de Regũ cura & authoritate, scribit in hunc modũ: *Qui intra Ecclesiam positi cõtra fidẽ & disciplinam agunt, rigore principum terreantur, ipsamq; disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non præualet, ceruicibus superborum potestas principalis imponat, & vt venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiatur.* Et alio in loco: *Cognoscant* (inquit) *Principes seculares, se Deo debere reddere rationem, propter Ecclesiam, quam à Deo tuendam suscipiunt.*

c Epist. 64.
d ad Bonifacium.
e Dan. 3.
f 4. Reg. 18.
g 4. Reg. 22.
h Iona 3.
i Daniel 14.
k Dan. 3.
l Act. 21.
m Act. 25.
n li. 2. ca. 31.

Atq; hæc Regũ cura pcipua & peculiaris videtur q̃ in se suscepisse Cõstãtinũ, [o] historia Tripartita cõmemorat, vbi habentur quæ sequũtur: *victor Cõstantinus pius, Episcopis in Tyriorũ vrbe collectis. Ego quidem ignoro, quæ vestro consilio turbulenter atq; cum tempestate decreta sunt. Apparet enim quod cum* quæ-

o lib. 3. ca. 7.

Anno 1534.

quadam tumultuosa indisciplinatione veritas est oppressa, vobis quippe non considerantibus quæ placeant Deo propter iurgia, quæ contra proximos vestros habetis, & vota vestra inuincibilia esse contenditis. Sed erit opus diuina prouidentia, quatenus & hæc contentio aperte deprehensa possit euacuari, atque nobis palam fieri, si quid illic conuenientes sine qualibet gratia aut inimicitiarũ causa gessistis. Quapropter cum omni festinatione vos omnes ad meã reuerẽtiã volo concurrere, quatenus gestorum apud vos integritatem, per vos ipsos possitis ostendere. Verũ quæ gratia hæc scripserim vobis, vosq; ad me literis euocarim, per ea quæ sequuntur agnoscetis. Pergenti iam mihi ad cognominis nostri felicissimæ patriæ ciuitatẽ, dum essem conscensurus equũ, repente Athanasius Episcopus in media platea cum quibusdam Sacerdotibus, quos circum se habebat, sic inopinate nos adijt, vt nobis daretur subita cuiusdam formidinis causa, (testis est mihi Deus inspector omnium) quoniam neque cognoscere eum quis esset prima fronte præualui, nisi quidam nostrorum & quis esset & quam pertulisset iniuriam, cum narrasset. Et ego quidem neque consabulatus sum cum eo illo tempore, nec aliqua locutione participatus; dumque ille se audiri deposceret, ego vero refutarem & pene repelli eum præciperem, cum maiore fiducia nihil aliud à nobis quam vestrum postulauit aduentum, vt vobis præsentibus quæ passus est, necessario possit suis gemitibus explanare. Vnde quia rationabile mihi videtur & temporibus oportunum, scribi vobis libentius hæc præcepi, vt omnes, quicunque apud Tyrum concilium celebrastis, indesinenter & expedite ad nostræ præsentiam mansuetudinis concurrere festinetis, ipsis operibus ostensuri puritatem & rectitudinem vestri iudicij coram me, videlicet quem Dei ministrum proprium neq; vos abnegabitis. Igitur vbique pacificatur Dei nomen & integre benedicitur per meam in Deo culturam, etiam apud ipsos Barbaros, qui veritatem hactenus ignorabant. Certum namque est, quia qui veritatem ignorat, neque Deum scire potest; veruntamen, sicuti prædictum est, etiam Barbari, per me fidelem ministrum recognouerunt, Deum metuere didicerant, quem vtiq; protectorem meum vbiq; ac prouisorem ipsis operibus ostensum est, vnde præcipue Deum sciunt, & illi quidem propter nostrum timorem reuerentur Deum. Vos autem, qui sancta ministeria eius clementia proferre videmini, non dicam custodire, vos (inquam) nihil aliud agitis nisi quæ ad cõtentionem noscuntur & odia pertinere; & (vt absolute dicam) quæ ad humani generis tendere videntur interitum. Sed festinate, sicuti dixi, ad nos cõtinuo venire, scientes quoniã omni virtute agere conabor, quatenus quæ in Dei lege sunt, ea præcipue sine aliqua titubatione seruentur, quibus vtiq; neq; vituperatio, neq; mala suspicio poterit implicari, dispersis vbiq; ac palam contritis & penitus exterminatis sacratissimæ legis inimicis, qui sub schemate sancti nominis, blasphemias varias ac diuersas nutriunt. Porro autem Iustinianus Romanorum Imperator, nihil fere prætermisit legibus cauere, quod ad diuinorum pietatem pertineret. Itaq; de fide & hæreticis, de sacrosanctis Ecclesiis, de Episcopis & Clericis, de monachis & nuptijs, & omnibus illis causis specialiter statuit, quæ hodie a Regum iurisdictione distinguuntur, & Ecclesiasticæ potestatis cumulum faciunt. Quod certe idem Iustinianus non fecisset sine maiorum suorum exemplo, & nisi id sui muneris fuisse persuasissimum habuisset.

In Anglia vero conatos fuisse Principes, suum sibi ius & primam in omnibus authoritatem conseruare, & legibus id sibi prospexisse, testantur quam plurima. Primum quod de appellationibus statutum reperitur, in hunc modum: *Appellationes si emerserint ab Archidiacono, debent procedere ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, & si Archiepiscopus defuerit in iustitia exhibenda, postremo ad Regem est perueniendum, vt præcepto ipsius, in curia Archiepiscopi controuersia terminetur, ita quod non debet vlterius procedere absq; assensu Regis.* Et alibi: *Archiepiscopis, Episcopis & personis regni, non licet exire de Regno absq; licentia Regis, & si exire voluerint & Regi placuerit, assecurabunt quod nec eundo, nec in moram faciendo perquirant malum vel damnum Regi vel Regno.* Præterea vero Tunstanus electus Eboracensis Archiepiscopus, à Rege licentiam obtinuit eundi ad concilium à Calixto institutum; interposita tamen fide, vt benedictionem Episcopalem à Papa non reciperet. Quod si fidem interposuit, ne à Papa benedictionem acciperet, an non liquet illum existimasse Regiæ potestatis præeminentiam in conseruandis Regni libertatibus, Papa superiorem fuisse; quæ sacramenti religione Episcopum astringere potuit, ne Pontificis iurisdictionem in recipienda benedictione, quod certe inferior in superiorem non posset exsequi, admitteret. Et si in exemplis versari libet, constabit plane, Reges Angliæ, Imperatoriis priuilegiis Regnum moderantes, curam sibi assumpsisse, vt de sacrorum & spiritualium obseruatione populo præscriberent. Inter quos quidem Canutus diligentissime & præstantissime munus suum, in ea parte, obiit, ac leges dedit huiusmodi, quæ sequuntur.

[a] *Pecunia sepulturæ iustum est vt aperta terra reddatur.*

Si aliquod corpus à sua parochia deferatur in aliam, pecunia sepulturæ eius, iure in eam Ecclesiam pertinebit. — a De sepulturis.

[b] *Omnes rectitudines & Sancti Dei ceremoniæ (sicut omnibus opus est) obseruentur.* — b De feriis.

Die Dominica publica mercimonia, vel placitationum conuenta, venationes & huiusmodi acta secularia exerceri prohibemus.

[c] *Quicunq; Christianus curam impendet ad perceptionem corporis Dominici, ter saltem in anno, vt non hoc ad iudicium, sed ad remedium salutare manducet.* — c De eucharistia.

[d] *Si minister altaris hominem occidat, vel malis artibus vltra modum se ingesserit, ordine simul & dignitate priuetur.* — d De punitione Sacerdotum.

[e] *Si mulier viuente marito fecerit adulterium, & manifestetur, sit ad dedecus seculi, perdat aures & nasum.* — e De adulteris.

[f] *Sit omnis vidua sine marito duodecim mensibus, & si maritauerit, perdat dotem.* — f De viduis.

Anno 1534.

Sed & aliquot leges à Rege Etheldredo institutas legimus, quæ sequuntur, videlicet: [a] *Vnus Deus super omnia diligatur & honoretur, & vt omnes suo Regi pareant, sicut antecessores sui melius fecerunt, & cum eo pariter Regnum defendant.* [b] *Et constituit Dei misericordiam & auxilium inuocare ieiuniis, helemosynis, confessione & abstinentia, vt omnis presbyter eat cum populo suo ad processionem tribus diebus nudis pedibus, & cantet triginta Missas.*

a De cultu diuino.
b De ieiuniis & processionibus.
c De decimis.
d De presbyteris.

Sanciuit præterea Rex Edgarus has leges: [c] *Vt decimæ reddantur matrici Ecclesiæ.*

Vt solemne dies Dominici celebretur ab hora nona Sabbathi, vsq; ad lucidum diei Lunæ.

Vt omnis alia festiuitas celebretur, sicut à Sacerdote nunciatur.

Sed & Rex Edmundus congregauit magnam synodum De ordinis, & seculi, apud London in sancto Paschate, cui interfueruot Odo & Vlstanus Archiepiscopus, & alij complures Episcopi: qui perquirens de coosilio animarum eorum, qui ei subiecti sunt, ita statuit: [d] *In primis, vt sanctis ordinibus erecti, qui plebem Dei docere debent, lumen vitæ & castitatem teneant, secundum ordinem suum, vel sint eo digni quod dictum est in canone; decimas percipimus, si quis dare noluerit, excommunicatus sit.*

e De incestu
f De periuriis.

[e] *Qui cum Nunna vel sanctimoniali fornicetur, emendetur sicut homicida.*

[f] *Qui falsum iurabunt, sint in æternum à Dei consortio segregati.*

Rex item Adelstanus constitutiones quasdam circa res Ecclesiasticas promulgauit. Videlicet: *Vt omnis homo reddat Deo decimas, prout* [g] *Iacob dixit: cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Et Dominus dicit in Euangelio; omni habenti dabitur & abundabit.*

g Genes. 28.

De sortilegiis & sortem dantibus, si hominem occidant vita sua culpa adiudicentur.

Extant etiam leges per Iue Regem West Saxonum latæ, quæ res spirituales attingere videntur. Sunt autem in hanc formam editæ: *Ego Iue Dei gratia Rex VVestsaxonum, sollicitus de salute animarum, & de statu regni mei, constituo rectum coniugium, & recta iudicia, vt ministri Dei rectam disciplinæ sanctæ Regulam custodiant.*

Si seruum operetur die Dominico per mandatum heri, sit liber.

Puer inter triginta noctes baptizetur, sub pœna triginta solidorum.

Si quis in Ecclesia pugnet, centum & viginti solidos emendet.

Si quis coram Episcopo testimonium suum aut vadium mentiatur, triginta solidis emẽdet. Atque idem Rex Abbati & Conuentui de Glasconia concessit; vt horum dispositione finiantur omnes causæ, de homicidijs, sacrilegijs, veneficijs, furtis, rapinis, io dispositiooe Ecclesiarum, in ordinatione Clericorum, in omnibua Iudiciarijs examinationibus. Probibuit etiam interdictione Apostolorum Petri & Pauli ac omnium sanctorum, ne intra iurisdictionem illius monasterij Episcopus cathedram Episcopalem sibi statuat.

Porro autẽ magnam authoritatem in res Ecclesiasticas Reges Angliæ antiquitus habuisse, sanctiones illæ Regis Aluredi manifeste declarant. Ille autem has leges constituit, videlicet: *Vt si quis fornicetur cum vxore aliena, reddat marito in emendationem triginta solidos.*

Si quis in quadragesima sanctum velum in publico sine Recto deponat, emendet triginta solidos.

Vt Christiani Deum diligant, & Paganismo renuntient.

Si quis Christianitatem mutet, & Paganismum sequatur, reddat vitam.

In Clericos.

Si quis ordinatus in sacris furetur vel periuretur, emendet.

Si presbyter ad rectũ terminũ, sanctũ chrisma nõ perquirat, vel baptismũ pernegat ei, cui necesse erit, reddat vitã.

Si duo fratres vel cognati, cum vna aliqua fornicentur, emendent.

Hanc quidẽ Ecclesiasticã potestatẽ, nõ solum Regib. Angliæ nõ denegasse, sed dedisse etiam, atq; adeo propriã Regum esse, in regnis suis cõfessos fuisse quosdã retro Põtifices Romanos, Epistola quædam Eleutherij, Lucio Regi Britannorum, in hanc formam scripta, testatur: *Eleutherius, Lucio Britannorum Regi, benedictionem in Christo. Petijstis à nobis leges Romanas & Cæsaris vobis transmitti, quibus in regno Britanniæ vti voluistis. Leges Romanas & Cæsaris semper reprobare possumus, Legem Dei nequaquam. Suscepisti enim miseratione diuina in Regno Britanniæ Legem & fidem Christi, habetis penes vos in regno vtranq; paginam, ex illis, Dei gratia, per concilium regni vestri sume Legem, & per illam, Dei patientia, vestrum rege Britanniæ regnum. Vicarius vero Dei estis in illo regno, iuxta Psalmistam, Domini est terra,* &c. Ad hæc ex libro de gestis Pontificum Duoelmensium euidenter constat, Reges Angliæ magna vsus esse potestate in ordinatione Episcoporum. Habetur enim eodem in libro, iubente Rege Osunyn, Ceddam Eborniensis Ecclesiæ Episcopum ordinatum esse: Et quod Rex Egfridus fecerat venerabilem Cothbertum ordinari Episcopum Dunelmensem, quodq; Edmundus presbyter miraculosa Cuthberti voce nomioatus, multo cum honore ad Regem Knut deducitur, cuius electioni & ipse congaudens, solenoiter eum ordinari præcepit.

Ex Mattheo præterea Parisiensi liquido constat Regum io Episcopis inuestiendis authoritas. Refert enim Regẽ Henricum dedisse archiepiscopatum Cantuariensem Rodolpho tuoc Londoniẽsi Archiepiscopo, & illum per annulum & baculum inuestiuisse. Idemq; Rex (vt scribit idẽ Matthæus) dedit Episcopatũ Vintboniẽsem Gulielmo Gifford. & cõtinuo de possessionibus cunctis ad Episcopatum pertinẽtibus, tã fratrisans quã patrisans, illum inuestiuit: nõ obstãte statuto Vrbani Rom. Pontificis, sub Ecclesiasticis censuris prohibentis; *ne aliquis Clericorũ de manu Principis aut alterius Laicorũ Ecclesiasticas dignitates recipiat.* Inoumera huius rei exẽpla memoriæ ꝓdita sunt per eos, qui gesta Anglorum scripsere. Quod si quis cauillari velit, leges illas, quas ab antiquiori-

bus

bus Angliæ Regibus circa res Ecclesiasticas conditas fuisse recensuimus, temporalem authoritatem non spiritualem præ se ferre, sciat is Lynvvod super constitutiones prouinciales nobiscum consentire, in his verbis: *Ea* (inquit Lynvvod) *sunt mere spiritualia, quæ non sunt mixta cum aliquo temporali, vt puta, fornicatio, adulterium, baptisma, stuprum, hæresis, & huiusmodi.* Secundum autem præfatæ Eleutherij ad Lucium Regem epistolæ sententiam, etiam Wilhelmus Rex Angliæ, ille videlicet Normanus, qui bello, Regni Iure potitus est, cum vt locum victoriæ celebrem faceret posteris, in eodem monasterium construxerat, ad perpetuam & piam animæ suæ memoriam, & literas fundationis eo tenore concepit, vt ostenderet planè supremam & spiritualium & temporalium potestatem in Principe residere. Sunt autem literæ ad hunc tenorem: *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Ego Guilhelmus Dei gratia Rex Anglorum notum facio omnibus, tam posteris quam præsentibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitib. Baronibus & omnibus fidelibus Franciæ & Angliæ; quod cum in Angliam venissem contra hostes meos, qui mihi Regnũ Angliæ iniuste conabantur auferre, in procinctu belli iam armatus coram Baronibus & Militibus meis cum fauore omnium ad eorum corda corroboranda votum feci, ecclesiam quandam ad honorẽ Dei construere, pro communi salute, si per gratiam possemus obtinere victoriam. Quam cum essemus adepti, votum Deo persoluens in honorem Sanctæ Trinitatis, & beati Martini Confessoris Christi, Ecclesiam construxi pro salute animæ meæ & antecessoris mei Regis Eduardi, & vxoris meæ Maltidis Reginæ, & successorum meorum Regno, pro salute omnium, quorum labore & auxilio Regnum obtinui, & illorum maximè, qui in illo bello occubuerunt. Et quia in hoc loco, vbi sic constructa est Ecclesia, Deus mihi victoriam in bello præstitit, ob victoriæ memoriam ipsum locum Bellum appellari volui. Huic igitur Ecclesiæ Martini de Bello, hanc inprimis, Regali authoritate, concedo libertatem, vt habeant curiam suam per omnia, & Regiam libertatem, & consuetudinem tractandi de suis rebus vel negotiis, & Iustitiam per se tenendam, sitq; libera & quieta in perpetuum ab omni subiectione Episcoporum, & quarumlibet personarum dominatione, sicut Ecclesia Christi Cantuariensis. Et si quis latro, vel homicida, vel aliquo crimine reus, timore mortis fugiens ad hanc Ecclesiam peruenerit, in nullo lædatur, sed liber omnino dimittatur. Abbati vero ipsius Ecclesiæ liceat vbiq; latronẽ vel furem de suspendio liberare, si forte superuenerit. Concedo etiam eidem Ecclesiæ leucam circumquaq; adiacentem liberam & quietam ab omni geldo & scoto, & hidagiis, & denegildis, & opere pontium & castellorum, & parcorum, & clausuris, & exercitibus, & omnibus auxiliis, & placitis & querelis, & siris & hundredis, cum sara & soca, & toll & team, & infangthes, & vuarpeni: & lestagiis, & hamsocne, & forstall, & blodunite, & childenuite, & latrocinio, & libertatem ab omni consuetudine terrenæ seruitutis, & ab omni exactione Episcoporum. Huic igitur Ecclesiæ sancti Martini de Bello, do manerium Regale quod vocatur vuy cum omnibus appenditiis suis & mea dominica corona, cum omnibus libertatibus & regalibus cõsuetudinibus; ita liberum & quietum, sicut liberius & quietius tenui vel Rex dare potui, scilicet ab omni geldo & scotto & hidadgiis, & denegeldis, & opere pontiũ, & castellorum, & parcorum, & clausuris, denuq; ab omni terrenæ seruitutis consuetudine, & ab omni latrocinio, si acciderit. Similiter do duos denarios de omnibus forisfenturis & placitis omnium Hundredorum, quæ pertinent ad summonitionem de Vuy; in dingenariis vero, quod est vnum membrum Vuy; do etiam eidem Ecclesiæ sancti Martini, Ecclesiam de Radinges. Ecclesiam de Culcutina, & ecclesiam S. Olaui de Oxonia, cum terris & decimis & omnibus ad eas pertinentibus. Et si aliquis ex Baronib. meis vel hominibus aliquid de suo eidem Ecclesiæ in eleemosinam dederit, easdem libertates, quas concessi rebus, quas ego eidem Ecclesiæ dedi, eis concedo, & præsenti scripto, vt supra dicta Regali authoritate confirmo. Guilielmus Rex, Lanfrancus Archiepiscopus Cantarien. Thom. Archiepiscopus Eboracen. Mauritius Episcopus London. Episcopi Vuinton. Exonien. & Roffen. Comites Cestriæ, de Montegu, & de Vuar.*

Magna subinde & varia mutatio temporum atq; ingeniorum: Et prout astu atq; ingenio Põtifices Romani semper excelluerunt, & ad amplianda & dilatanda potestatis suæ pomeria occasionem nacti sunt; ita semper magna cum diligentia incubuerunt, vt omnem in se potestatem transferrent & vsurparent, atq; aliorum vel conniuentia, vel patiẽtia, vel simplicitate, interdum verò proposita spe maioris cõmodi, in rem suam abuterẽtur. Sed quoniã à Deo recesserunt, & confusam potestatis molem, tanquam arcem Babylonicam, non benè positis fundamentis, construere conati sunt, stare non potuit inconcussa, nec integram hominis vitam illibata & intacta hactenus constitit. Multa passi sunt Principes, & tamen alio alium audaciorem fuisse historiæ testantur, & prout quisq; se grauatum sensit, ita & asperius de iure suo ausus est Pontifices compellare, atq; etiam officii sui cõmonere. Multa interim dissimulantes, quæ tum tractare non admodum oportunum videbatur. Sed vt idem Guilielmus scripsit ad Papam, qui in Regno Angliæ prouisionibus abutèbatur, ad hunc modum: *Papæ Rex, &c. Dominus Dominantium Iesus Christus, qui cælestia vna & terrestria moderatur in secula, Celsitudinis Apostolicæ diuinitus vos erexit ad remouenda scandala, tollenda pericula & prosperanda commoda plebis suæ. Nobis itaq; gregi dominico (cui disponẽte Domino præsidemus) desiderantibus, vt tenemur consulere, necessitatibus atque periculis obuiare, nec non honores & libertates Ecclesiæ nobilis Anglicanæ, ac iura nostra hæreditaria, quæ progenitorum nostrorum digne recolẽda prioritas, magnifice defensauit, nostris tueri temporibus & augere, quædam, quæ præ cæteris occupant mentem nostram in puritate spiritus sanctitati vestræ patefecimus. Ipsa quidem Ecclesia mater nostra, quæ inter alias Ecclesias orbis terræ in censu temporalitatis exuberans, & diuini cultus officiis, ministrorum deuotorum obsequiis, pietatis & hospitalitatis operibus, ac nobilitatis prærogatiua semper floruit, & honoris dum sua petebat opulentia filiis propriis in eius ministerium non per ambitionem, sed à Deo vocatis, iam per impositiones importabiles & prouisiones excessiuas sedis Apostolicæ factas, indistinctè tam exteris, quàm Anglicis, plerumque nobis suspe-*

ctis & exosis, precibus nostris oblatis prædilectis nobis, peritis & prouidis,penitus obauditis,sic atteritur, deprimitur & turbatur prouentibus complurium dignitatum & beneficiorum suorum pinguium collatis personis alienigenis, qui non resident in eisdem, suorum vultus pastorum non agnoscunt,linguamnon intelligunt, sed velut mercenarii solummodo temporalia lucra quærunt. Et (vt de turpibus aliis taceamus, per quæ scandala pullulant, & neruus vilescit Ecclesiastica disciplina) si animarum cura negligitur, diminuitur Christi cultus, ruinis patent ædificia Clericorum, quæ sumtuosa manus construxerant prædecessorum, perit hospitalitas, & eleemosynæ solitæ subtrahuntur,per quod multorum deuotio euacuatur. Nunquid hæc fuit primitiua voluntas, & liberalis intentio fundatorum, & principum, vt eleemosynæ ac patrimonia Regum & aliorum, quæ ministris Ecclesiæ pro diuini cultus exercitio, & pietatis operibus assignata sit, vtilitatibus cederent exterorum? Nunquid Deo placitum est, vt Ecclesia sic dotata, quæ tot producit filios prouidos & discretos, ad sui curam & ministerium vtiles & necessarios, esurientibus filiis propriis: vbera sua porrigere cogatur alienis, ne dum sugenda, sed potius discerpenda.

Nam lac sugunt filij, sed sanguinem eliciunt extranei, nihil quod rapere potuerint dimittendo. Inter quos Reuerendos patres Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vestris lateribus assistentes, qui maternis possunt mederi languoribus & continuis auxiliis præuenire, non intelligimus contineri.

Nunquid per simplicitatem & patientiam indiscretam sunt toleranda, quæ manifestissime nobis & toti regno nostro pericula comminantur? Nam exhausto regni thesauro & ipsius destructo Sacerdotio, redderetur Regnum debilius, in aduersis quod forsan habet nostra callida coniectura æmulorum. Quamobrem hæc & alia grauia prætidentes incommoda, quæ dissimulata diutius, adiicerent grauiora, de digesto fidelium & peritorum nobis assistentium consilio vestræ Beatitudini votiuis precibus supplicamus, quatenus præmissis in statera recti iudicij ponderatis, cum vestræ deuotionis & patientiæ plenitudine, quibus domus nostra regia, Clerusq; & populus Regni nostri extiterunt, hactenus præ cæteris sui obedientia dictæ sedis, propter quod non ipsos deprimere, sed releuare potius deberet vera nobilitas & bene disposita gratitudo.

Reseruationes & prouisiones præcipua pro personis alienigenis ac impositiones à sanctitate vestra per importunam ambitiosorum instantiam frequenter extortas, ac commissiones alias executorum bonorum defunctorum, sub colore decedentium ab intestato, & pecuniæ relictæ in subsidium Terræ sanctæ, nec non indistinctè legatorum, quibus populus nobis per ministrorum vestrorum subtilitatem (non dicamus malitiam) præter conscientiam vestram (vt confidimus) plures perperam est vexatus, de solita dictæ sedis benignitate, quæ auaritiam perimit, & labem simoniacam detestatur, si moderari dignemini, vt Ecclesiæ cathedrales & Regni nostri aliæ liberas electiones & efficaciam habeant, iuxta concessiones progenitorum nostrorum Regum Angliæ factas pariter & per sedem Apostolicam confirmatas, Clerique patroni patronatus sui solatia non amittant, sed adimatur onus deprimens filiorum humeros, ne cogat eos necessitas ea tandem deiicere, quæ diutius non possunt absque detrimento nimio supportari.

Sed vt nostra nostrorumque deuotio crescat erga sedem apostolicam, iugiter optamus, vt fideliter acquiescat. Nam torpescere non valemus, quin (vt tenemur) tanta discrimina pro viribus euitemus.

Itaque Rex Edgarus, vt ostenderet populi sui regimen in istiusmodi rebus ad se spectare, ad Clerum suum vsus est ea ratione, quæ sequitur: *Quoniam magnificauit Dominus misericordiam suam facere nobiscum, dignum est, ô Patres Reuerendissimi, vt innumeris illius beneficiis dignis respondeamus operibus.* a Psalm. 43. *Neque in gladio nostro* [a] *possidemus terram, & brachium nostrum non seruauit nos; sed dextra eius & brachium sanctum eius, quoniam complacuit illi in nobis. Iustum proinde est, vt qui omnia subiecit sub pedibus, subiiciamus ipsi & nos & animas nostras, & vt hi, quos nobis subdidit, eius subdantur Legibus, non segniter elaboremus. Et mea quidem interest, Laicos cum æquitatis iure tractare, inter virum & proximum suum, iustum iudicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem & manu fortiorum eius egenum & pauperem à diripientibus eum.*

Sed & meæ sollicitudinis est Ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, Choris virginum, necessaria procurare, ac paci eorum & quieti consulere. De quorum omnium moribus ad nos spectat examen, si vixerint continenter, si honeste se habeant ad eos qui foris sunt, si diuinis officiis solliciti, si ad docendum populum assidui, si victu sobrii, si moderati habitu, si in iudiciis sint discreti, (pace vestra loquor, Reuerendi patres,) si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrēda & abominanda ad aures nostras, de Clericis, peruenissent. Taceo quod nec illis est corona patens, nec tonsura conueniens, quod in vita vestra lasciuia, insolentia in gestu, in verbis turpitudo, interioris hominis loquuntur insaniam.

Præterea in diuinis officiis quanta sit negligentia, cum sacris vigiliis vix interesse dignētur, cum ad missarum solennia, ad ludendum vel ridendum magis, quam ad psallendum congregari videantur. Dicam, dicam, quod boni lugent, mali rident, dicam dolens (si tamen dici potest) quomodo diffluant in comessationibus & impudicitiis, vt iam domus clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum, ibi alea, ibi saltus & cantus, ibi vsque ad mediam noctem protracta cum clamore & horrore vigiliæ. Si sic patrimonia Regum, eleemosinæ principum, imò, quod magis est, illius pretiosi sanguinis pretium profligatur.

Ad hoc igitur exhauserunt thesauros suos patres nostri? ad hoc fiscus Regius, retractis redditibus multis, decreuit? ad hoc, Ecclesiis Christi, agros & possessiones Regalis munificentia contulit? vt delitiis clericorum meretrices ornentur? luxuriosa conuiuia præparentur? canes ac aues ad talia ludicra comparentur? Hæc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant, & saltant, & vos negligitis, vos parcitis, vos dissimulatis. Vbi b Gen. 34. *gladius* [b] *Leui & zelus Simeonis, qui vt scorto abutentes filia Iacob Sichimitas (eorum habentes figuram, qui Christi Ecclesiam pollutis actibus fœdant) & circumcisos succiderunt? vbi Spiritus* [c] *Moysi, qui capiti vituli* c Exod. 32. *adorantibus, etiam domesticis sui sanguinis, non pepercit? vbi pugio* [d] *Phinees Sacerdotis, qui fornicantem cum* d Num. 25.

Madi-

Madianita confodiens, sanctâ hac æmulatione Deum placauit iratum? vbi Spiritus c Petri, cuius virtute perimitur auaritia, hæresis simoniaca condemnatur? Æmulamini, ô sacerdotes æmulamini vias Domini a, & iustitias Dei nostri. Tempus faciendi contra eos qui dissipauerunt legem Dei. Ego Constantini, vos Petri gladium habetis in manibus, iungamus dexteras, gladium gladio copulemus, vt eiiciantur extra castra leprosi, vt purgetur Sanctuarium Domini, & ministrent in templo filij Leui, b qui dixit patri & matri, nescio vos, & fratribus suis ignoro vos. Agite quæso sollicite, ne pœniteat nos fecisse quod fecimus, dedisse quod dedimus, si viderimus illud non in Dei obsequium, sed in pessimorum luxuriam impunita libertate consumi. Moueant vos sanctorum reliquiæ, in quibus insultant veneranda altaria, ante quæ insaniunt. Moueat vos antecessorum nostrorum mira deuotio, quorum eleemosynis vesania Clericorum abutitur. Proauus meus, vt scitis, omnem terram suam Ecclesiis & monasteriis decimauit. Sanctæ memoriæ atauus meus Alfredus, vt Ecclesiam ditaret non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non redditibus parcendum putauit. Auus meus senior Eduardus, quanta contulerit Ecclesiis, paternitatem vestram non latet. Pater meus & frater eius, quibus donariis Christi altaria cumulauerint, meminisse vos decet. O pater patrum Dunstane, contemplare, quæso, patris mei oculos, ab illa lucida cœli plaga, in te radiantes, audi querulas eius voces cum quadam pietate in auribus tuis resonantes. Tu mihi pater, tu mihi de construendis monasteriis, de Ecclesiis ædificandis consilium dedisti, tu mihi adiutor in omnibus & cooperator extitisti, te quasi pastorem & Episcopum animæ meæ morumque meorum custodem elegi, quando tibi non parui? quos vnquam thesauros tuis consiliis prætuli? quas possessiones te præcipiente non spreui? Si quid pauperibus erogandum existimabas, præsto fui, si quid conferendum Ecclesiis iudicabas, non distuli, si quid monachis clerisue deesse querebas, suppleui, æternam dicebas eleemosynam esse, nec aliam fructuosiorem, quàm quod monasteriis Ecclesiisve confertur. Eo enim & Dei serui sustentantur, & quod superest pauperibus erogatur.

c Act. 5.
a Act. 8.
b Deut. 33.

Præclaram eleemosynam, ô dignum animæ pretium, ô peccatis nostris salubre remedium, quod à sinu Sybillæ in peregrinis muris pellicula fœtet, quod eius auriculas ornat, quod componit digitulos, quod corpus delicatum in bysso stringit & purpura. Hiccine est, pater, eleemosynarum mearum fructus? hiccine est desiderij mei tuæq; promissionis effectus? Quid huic patris mei querimoniæ respondebis? Scio, scio cum videbas furem, non currebas cum eo, nec cum adulteris portionem tuam ponebas, arguisti, obsecrasti.

Contempta verba sunt, veniendum est ad verbera. habes hic tecum venerabilem patrem Eduualdum Vuynton. Episcopum, habes Reuerendū præsulem Vuigoriensem Osuualdum, vobis istud committo negotium, vt & Episcopali censura & Regia authoritate turpiter viuētes de Ecclesiis eiiciantur, & ordinatè viuētes introducantur, &c.

Præterea etiam Domini temporales & Parliamentum Angliæ, cum Pontifex id sibi arrogare conaretur, vt de titulo Regni Scotiæ, quem Rex Angliæ sibi vendicabat, cognosceret, literas ad Pontificem, in hunc tenorem, qui sequitur, dedit. *Sancta Romana mater Ecclesia, per cuius ministerium sedes catholica gubernatur, in suis actibus cum ea, sicut firmiter credimus ac tenemus maturitate procedit, quod nulli præiudicare, sed singulorum iura non minus in aliis, quam in se ipsa, tanquam mater alma conseruari velit illæsa.*

Sanè conuocato nuper per sacratissimum Dominum Eduardum, Dei gratia Regem Angliæ Illustrem, Parliamento apud Lincolne generali, idem Dominus noster, quasdam literas Apostolicas, quas super certis negotiis conditionem & statum Regni Scotiæ tangentibus ex parte nostra receperit, in medio exhiberi & seriosè coram nobis fecit exponi,

Quibus auditis & diligentius intellectis, tam nostris sensibus admiranda, quam hactenus inaudita in ijsdem audiuimus contineri. Scimus enim, Pater Sanctissime, & notorium est, in partibus Anglicanis & nonnullis alijs non ignotum, quod à prima institutione Regni Angliæ, ad Reges eiusdem Regni, tam temporibus Britonum quam Anglorum, certum & directum dominium Regni Scotiæ successiuis temporibus, & ad ipsum Regnum in temporalibus pertinuit, nec pertinet quouis iure ab Ecclesiam supradictam. Quin imo circa idem Regnum Scotiæ progenitoribus prædicti Domini nostri, Regibus Angliæ atq; sibi, feudale extitit ab antiquo. Nec etiam Reges Scotorū & Regnum, alij, quam Regibus Angliæ subfuerunt, vel subiici consueuerunt.

Neq; Reges Angliæ super iuribus suis temporalibus coram aliquo Iudice Ecclesiastico vel seculari, ex libera præeminentia status suæ Regiæ dignitatis, & consuetudinis, cunctis temporibus irrefragabiliter obseruata responderunt aut respondere debeant. Vnde habito tractatu & deliberatione diligenti, super contentis in vestris literis memoratis, communis concors & vnanimis omnium nostrorum & singulorum consensus hic est, ac erit inconcussè (Deo propitio) in futurum: quod præfatus Dominus noster Rex, super iuribus Regni sui Scotiæ aut aliis temporalibus, nullatenus iudicialiter respondeat coram vobis, nec iudicium subeat quoquomodo, aut iura sua prædicta in dubium quæstionis deducat, nec ad præsentiam vestram procuratores aut nuntios mittat, præcipue cum præmissa cederent manifestè in exhæredationem Iuris coronæ Regni Angliæ & Regiæ dignitatis, ac subuersionē status eiusdem Regni notoriam, nec non in præiudicium libertatum, cōsuetudinum & legum paternarum. Ad quarum conseruationem atq; defensionem ex debito præstiti iuramenti astringimur, & quæ manutenebimus toto posse, totisq; viribus cum Dei auxilio defendemus. Nec etiam permittemus, sicut nec possumus nec debemus, præmissa tam insolita, indebita, præiudicialia & alia inaudita, prælibatum Dominū nostrum Regem, etiamsi vellet, facere, seu quomodolibet attentare. Quoniā sanctitati vestræ reuerēter & humiliter supplicamus, quatenus eundē Dominum nostrum Regem Angliæ, qui inter alios Principes orbis terræ catholicum se exhibet, & Ecclesiæ Romanæ deuotū, Iura sua, libertates, consuetudines, & leges prædictas sine omni diminutione & inquietudine pacificè possidere, & ea illibata persistere, benignius permittatis. In cuius rei testimonium sigilla nostra, tam pro nobis, quàm pro tota communitate prædicti Regni Angliæ, præsentibus sunt appensa. Data apud Lincolne, Anno Domini 1301.

Extat etiam cuiusdam Cassiodori Epistola ad Ecclesiam Anglicanam, de abusionibus Ro-

mariæ Ecclesiæ, in hæc verba: *Ecclesia nobili Anglicana, in luto & latere ancillata, Petrus filius Cassiodori, miles catholicus, pugil Christi deuotus, Salutem & captiuitatis iugum abijcere & brauium accipere libertatis.* (a Thren. 2.) *Cui comparabo te, vel cui [a] assimilabo Te, filia Hierusalem? cui assimilabo te, filia virgo Sion? magna est* (b Thren. 1.) *enim tua [b] contritio, velut mare sola facta est, sine solatio tota die mœrore confecta. Data est in manum eius, de qua non potest surgere absque auxilio subleuantis. Nam scribæ & pharisæi super cathedram Moysi sedentes, principes tui Rom. hostes in capite tibi facti; sua phylacteria dilatantes, & ambientes locupletari suorum ossium ex medullis, grauia & importabilia in tuis & tuorum ministrorum humeris imponunt onera, & vltra quàm decet te constituunt sub tributo, quæ libera fueras ab antiquo. Recedat abhinc omnis admirationis materia, quia mater tua domina gentium, viduatum more suo subdito desponsata, tibi ipsum in patrem constituit, Romanæ videlicet vrbis Pontificem summum, qui tibi in nullo tamẽ paternitatis genere hoc ostendit, super te quidem suas magnificat fimbrias, & experimento docet se tuæ matris esse maritum. Commemorat* (c Esa. 8.) *enim apud se propheticum sæpe verbum, quod est in scrinio sui pectoris sic digestum: [c] sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis velociter, spolia detrahe, cito prædare. Nunquid Apostolus ad hoc docet* (d Hebr. 5.) *eum constituit? dum sic scribit: [d] Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Dominum, non ad spolia, non pro censibus annuis imponendis, nec pro necandis hominibus, sed vt dona offerat & sacrificia, pro peccatis, qui etiam condolere his possit, qui ignorant & errant, & de [e] Pe-* (e Ioan. 21.) *tro legitur piscatore, cuius se commemorat esse successorem, quod post* CHRISTI *resurrectionem cum cæteris Apostolis ad piscandi officium est reuersus, qui cum nihil in sinistra parte nauigij caperet* (CHRISTO *iubente) ad dexteram se conuertit, & in terram plenum magnis piscibus rete traxit. Est igitur ministerium Ecclesiæ visis in parte dextra exercendum, per quod & Diabolus vincitur, & eidem* CHRISTO *copia capitur animarum. Certè sic labor sinistra partis nauigij non se habet, quia in eo fides titubat, dominatur tristitia, tum quod acquirendo appetitur, minime inuenitur. Quis enim credat se simul & semel posse seruire Mammonæ atque* DEO; *ac suæ voluntati placere, seu carnis & sanguinis reuelationibus inhærere, & offerre* CHRISTO *munera digna. Et sine dubio pastor, qui super gregis ædificationem non vigilat, aliam rugienti Leoni & quærenti quem deuoret, parat viam. Vide, inquam, facta inaudita nuncupatiuæ, filia, patris tui, qui pastores bonos à caulis ouium amouet, & suos nepotes consanguineos & parentes nonnullos literas ignorantes, & alios velut mutos & surdos, ouium earundem non intelligentes balatum, nec de morsibus luporum curantes, velut mercenarios vellera auferentes & metentes semina aliorum, in Episcopos vt præsint, non vt prosint, constituit pro ipsis* (f Psalm 80.) *dem, [f] quorum manus in cophinis seruiunt, & ipsorum dorsa ab honoribus diuertuntur. Ex quibus liquet, quod Sacerdotium peruertitur his diebus, obsequium diuinum subtrahitur, & eleemosinarum largitio adnullatur, per quæ Regum, Principũ & Christianorũ sancta deuotio vacuatur. Nõne debet in oculis omnium mirabile reputari, quod vbi Christus pro se, & Petro Regibus iussit solui tributum, ipse Regna & regnorum Principes, contra voluntatem illius, cuius se vicarium esse dicit, qui à se Regna & mundi iudicia abdicauit, suæ subiicere nitatur ditiõni, Domino sui sibi, quia totum sibi vendicat, quod scriserit esse suum? De te filia quid plus agit? Ecce à* (In Annatas.) *te trahit quod libet, nec tamen reputat se contentum, si partem rerum tuarum à te decimam auferat, nisi primos fructus beneficiorum, tuorum habeat ministrorũ, vt tam pro se quam suo sanguine nouũ constituatur patrimonium, de iisdem abiectis pristinis voluntatibus fundatorum, & alia etiam execrabilia præcursorum stipendia, quos transmittit in Angliam, iam imposuit, qui non tantum tuum & tuorum victum auferunt, & vestituras;* (g 4. Reg. 24.) *sed & eorum carnes & pelles lacerant velut canes. Nunquid [g] Nabugodonosor Regi debeat comparari, qui templum Domini deuastauit, & vasis suis argenteis & aureis spoliauit. Quod egerat enim ille, agit & iste. Ille Domus Dei spoliauit, ministros & ipsos debito destituebat auxilio; hæc & hic facit. Certè melius est occisis gladio, quàm fame aliqualiter interfectis; quia sunt illi mortui statim, & isti sunt à terra sterilitate consumpti. Compatiantur tibi filia omnes transeuntes per viam, quia non est dolor similis dolori tuo. Iam enim præ dolore nimio, & nimia effusione tua lachrimarum, super carbones est facies tua denigrata. Itaque quod non est cognita amplius, in plateis, in tenebris te suis, præfatus superior collocauit, inebriauit, absinthio atque felle. Afflictionem populi tui, eiusque gemitum audi Domine; vide Domine & descende; quia cor dicti Viri supra cor Pharaonis est nimium induratum, quoniam populum tuum abire liberum non dimittit, nisi in seruitudine manus tuæ. Non enim eum tantũ flagellat super terram miserabiliter, sed post mortem; quia quorumcunque Christianorum bona sub nomine tituli de intestatis, omnia post decessum occupare intendit.*

Animaduertat igitur Militia Anglicana, qualiter retroactis temporibus Franci in Regnum Angliæ suæ concupiscentiæ oculos dirigentes, machinabantur illud suæ subiicere potestati. Sed quod in his hactenus defuit, est timendum, ne in vos suppleat prædicti Viri noua coniecturatio noui hostis, quia regni deficiente thesauro & ipsius destructo sacerdotio, efficietur Regnum impotentius contra hostes.

Ne igitur, Tu filia, tuique sacerdotes in miseriam deducamini longiorem, expedit, vt pro tua tuorumque salute, Rex tuus Christianissimus & regni potentes, qui amplissimis beneficiis vos dotarunt, quique vos & beneficia huius habent in hoc casu tueri, resistant coniecturationibus, conspirationibus, arrogantiæ, ac superbiæ dicti Viri, qui non Dei contemplatione, sed pro suis ditandis parentibus, & proinde suo quasi aquilam exaltando per præmissa & alia imposita per eundem, totalem pecuniam Angliæ nouo Dominis genero emungere iam contendit. Ne dissimulata in hac parte simplicitas Regni huius subuersionem afferat, & serò adhibeatur remedij tunc cautela. Auertat Virtutum Dominus de corde Viri illius velamen, sibique cor contritum & humile largiatur, & agnoscere eum faciat vestigia veri Dei, per quæ à suis tenebris eruatur, & præmissos labores sinistros dimittere cõpellatur, nec nõ & quod vinea, quã plantauit dextera Dei sacra, fides cultoribus iugiter repleatur. Animẽt vos verba Domini & prophetica [h] Hieremiæ, ad ꝓpulsãda huius inchoata quæ dicũt, (h cap. 1.)

Tu

Tu pastor, qui populum meum dispersisti, & eum de suis habitationibus eiecisti, ecce visitabo super te tuorum malitiam studiorum, nec erit vir qui super solium Dauid, de tuo semine, sedeat; nec qui in Iuda vltra habeat potestatem. Fiat nidus tuus desertus, & sicut Sodoma & Gomorra totaliter sit subuersus. Quod si perterritus ex his dictis non destiterit ab inceptis, & restitutionem non fecerit de perceptis, psallent pro eo, ex tunc nequiter indurato, psalmum centesimum octauum, illi, cui omnia sunt aperta, singuli singulis diebus clara voce, in Christo deuotissimi, Deus laudem, &c. Anno 1534.

Et certe vt fauor, gratia & beneuolētia multa remittit & negligit; ita nimium oppressa & grauata benignitas dum se liberari cupit, & quærit leuamen, in certam veritatis incumbit cognitionem, & qua parte dolet, iugum, quocunq; modo potest, excutit. Itaq; isti, quos supra commemorauimus, cum quædā tantum & parce attigerint, omnes tamen se aliqua in parte grauatos sentiētes, prout ratio temporis ferebat, & oportunitas videbatur, oneri à sede Romana imposito indoluerunt, & resistere conati, in illis ignorantiæ tenebris delitescente, atq; oppressa hominum erroribus veritati, aliqui (vt verum dicatur) succubuerunt, hoc est, à bonis inceptis destiterunt, & potentiæ Pontifici manus dederunt, nō veritatis virtute adducti, sed humanæ potentiæ vi adacti, vt iugum resumerent tam duræ potestatis. Cessit itaque veritas tempori, & aliquandiu latens tam tādē emergit. Nec quia illi sic scripserunt, veritas statuitur & cōstat, sed quia vera fuerint, illi scripserunt, & quoniam dies mali erant, & veritatis acerbitatem non ferebant; prior ratio fuit silentio veritatis tueri mundana, quam suscepti veri patrocinio amittendæ rei periculum subire. Quia in re homines vt erant se ostenderunt, qui non semper optima incœpta sic persequuntur, vt illustrandæ atq; tuendæ veritatis studio rem familiarem, vitam, honores, & cætera terrena negligant. Quo nomine magna huius seculi felicitas, in quo ita jam resipiscere homines videntur, vt liberas atq; apertas aures habeant, & ad veritatis persuasionem recipiendam attentas, quibus nulla cum offensione licet vera proferre. Iam hæc cum ita se habeant, cum tam luculentis & apertis rationibus sit hic vtriusq; potestatis ipsa veritas ostensa, quemadmodum (nisi velitis vltro in media luce cæcutire) clarissime videtis. Vos itaq;, Clarissimi Lectores, expergiscimini; apud vos concedat vmbra veritati, immò [a] lumen veritatis tenebras expellat, neu velitis vnquam variis & peregrinis doctrinis abduci, sed (adhortante [b] Petro) præmoniti custodite vos, ne insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate. Crescite vero in gratia & in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, cui gloria & nunc, & in diem æternitatis: Amen.

a Hebr. 13. b 2. Pet. 3.

CAROLI MOLINÆI IC.
FRANCI REGIS ET REGINÆ NAVARRÆ
À SVPPLICIBVS LIBELLIS ORDINARII MAGISTRI, & Principum Germaniæ Consiliarii,
TRACTATVS
DE ORIGINE, PROGRESSV ET PRÆSTANTIA Monarchiæ regniq; Francorum.

Prouerb. 25.

Regum Gloria in inuestigatione verbi consistit.

Esa. 42.

Gloriam meam aliis non dabo; neq; laudem meam sculptilibus.



INSTITVENTI mihi de origine, progressu & præstantia Monarchiæ Francorum, Regni coronæque Galliæ tractationem, duo potissimum occurrunt miranda diuinæ, omnipotentis, atque mundi moderatricis prouidentiæ opera, dona, priuilegiaque plane specialia. * Primum, quod à mundo condito ad nostrum seculum, inter tot regna, quæ hactenus extiterunt, nullum visum est aut extat, quod à suo initio, ingressu, progressu, Francicum præcesserit: quamuis semel & iterum ante paucos annos ab imminentis ruinæ cladisque periculo sit ereptum. * Alterum, quod nunquā, vt nec hodie, regnum vllum Dauidico in Iudæa similius visum sit, quam Francicum, successionis & legitimæ deuolutionis respectu.

1. *Regni Franciæ duratio omniū longissima.*
2. *Eius cum Dauidico conuenientia.*

* Quoad primum, antiquissima omnium Monarchia, iuxta veterum sententiam Babylonica & Chaldæa putatur, anno post diluuium circiter 13. inchoata sub Nimrodo nepote Chami, qui Patrem Noachum irridens sibi suisque maledictionem conciliauit, à Mose descriptam *Genes.* 9. nec non à Iosepho, *antiqu. Iud. libr. primo cap.* 13. Noachi abnepos Nimrodus tyrannidem primus mortalium affectauit, & in alios homines dominatus est, potentiæ elatiq; animi nomine adeo clarus, vt quicunq; fortem virum cæterisq; superbe imperantē, designatum vellet, Nimrodi, coram Domino fortissimi venatoris diceret successorem. Regnum is inchoauit in Babylone, quam ædificauerat, *Genes. decimo & primo Chron.* 1. Maiora vero molitus eum

3. *Regnum primum à Babylonis ad Assyrios trāslatum.*
4. *Turris Babelis vbi linguarū confusio.*

Anno 1561

5. Prima monarchia translatio. 6. Secunda periodus. 7. Vtriusq; distinctio.

cum suis (in Noachi etiamnum superstitis, piorumque despectum) turrim illam verticẽ nubes ferientem erexit, vnde Babelis nomen, quoniam ibi iusto Dei iudicio linguæ confusæ sunt, Mose teste, *Genes.* 11. Idem asserit Iosephus *antiquit. libr.* 1. & Berosus Chaldæus, longe antea, nempe Gedeonis tempore, *lib.* 4. * Hac ratione monarchia prima quamprimum inclinationem passa est linguis & nationibus dissectis, postea etiam ad Assyrios, Herodoto vetusto scriptore teste, translata.* Chronographi recentiores Babylonicam annorum 1358. curriculũ absoluisse tradũt, Regesque 38. cõtinua serie ad Sardanapalum, postremum regem à suis interfectum, quod voluptatibus fœdis nimium indulgeret, numerant, monarchiamque à Medis vsurpatã. * Enimuero falluntur, dum Babylonicã & Assyriam confundunt, eandẽq; constituunt. Priori quingenti anni auferendi sunt, atq; Assyriis tribuendi Chaldæis & Babyloniis sud iugum redactis: deinde Assyriis rerum potita est per annos quingentos vsq; ad Sardanapali interitum, teste Herodoto.

8. Idololatria primordia.

* Durante vero Chaldaica seu Babylonica, circa annum confusionis linguarum *120.* diluuij autem *250.* Nino regnante Inuectus est imaginum cultus, quo errore Abrami pater Tharæus inquinatus est cum tota familia apud Vrum Chaldęorum: *Iosu.* 24. Vnde mandato veri Dei exierunt, vt in terram Chanaan peruenirent: *Genes.* 11.

9. Impietas & idolorum cultus primam ma narchiam pessundat.

* Medi sub Arbace, qui Sardanapalum deleuit, Monarchiam Assyriis, Chaldæorum debellatoribus, eripuerunt. Pręda illa non diu potiti sunt, victi ab Assyrijs, qui Babylonem & Chaldæam suo imperio adiunxerunt, Syriam totam, Tyrum, Ægyptum sibi subiecerunt, potentissimam illam monarchiam constituentes, quam Propheta Daniel, *cap.* 2. *&* 7. primam appellat, aureoque capiti, nec non aquilæ volanti, propter huius amplitudinem & præstantiam, assimilat. Sed vix ducentos quinquaginta annos impleuit, neque mediam horum partem pacifice exegit. Nebucadnezaris enim primi, deinde filij eius, cognomine Magni, Ierosolymę euersoris, & nepotum

10. Huius interitus.

eius imperium, 122. annorum spatiũ haud superat. * Belsazar horum nouissimus, princeps blasphemus & idolorum cultor (à quibus malis Euilmerodacus pater & Nebucadnezar auus, Danielis opera liberati fuerant) à Cyro interfectus est, atque ad Persas & Medos regnum peruenit:

11 Persarũ monarchia 12. Græcorũ.

Daniel 5. * Ea fuit altera monarchia, quam sanctus Propheta argento, vrso, arieti comparat, *Dan.* 2 7. *&* 8. *cap.* Medorum monarchia ducentos annos absoluit: Dario 6. Persarum *14.* regeà Macedone Alexandro, quem Daniel leopardo & hirco (*7. atq;* 8. *cap.*) comparat, deuicto. * Tunc ad Græcos translatum est summum imperium, æri apud Danielem, *capit.* 2. assimilatum, & Alexandro mortuo in quatuor regna diuisum, quæ tandem Romanorum potentiæ subiecta sunt.

13 Quarta monarchia, nempe Romanorum.

*Quartam illam monarchiam Daniel pedibus ferreis, & digitis, partim ex luto figuli, partim ex ferro compositis, similem esse tradit. Huius initia Romulo plane ignota fuerunt, vt qui Romæ limites vix excesserit. Tandem anno vrbis conditæ 244. regibus decernente populo Roma exactis, paulo post Respublica mirum in modum aucta est. quamuis anno 544. nihil extra

Decad 3. lib. 7.

Italiam (cuius mediam partem nondum obtinebat, Liuio teste) possideret. Paulo post Franci in Gallias arma sua intulerunt. Quarta igitur monarchia, quum populus Romanus Africæ, Macedoniæ, Grçcæ, Asiæ imperium obtineret, non Galliæ (cuius vires semper formidauit) neque Germaniæ, multo minus Francię Orientalis, quam Antenor Francorum seu Sicambrorum rex regebat, cœpit initium, anno vrbis conditæ 608. ante Christum natum 144. deuicto & ad tributum adacto Antiocho magno. Tunc vero Romani terrarum orbis domini nominati sunt, vt refert Liuius, *Decad.* 4. *lib.* 7.

14 Huius inclinatio.

* Maximum illud imperium ad occasum inclinauit anno Christi nati 400. Theodosius etenim, cognomine magnus, filios duos iuniores reliquit, Arcadium nempe Orientalis imperij, cuius sedes Constantinopolis, Honorius Occidentalis in vrbe Roma, dominos, quorum tute-

15. Euersio.

lam, relicto senatu, * strenuis, sed extraneis viris, Rufino & Stuliconi, commisit. Illi vero imperium suis liberis ambientes, obliquis modis eo rem deduxerunt, vt Constantinopolis obsessa, Roma vero expugnata direptaque fuerit ab Alarico Gothorum rege, anno Christi *422.* Capta tunc est Placidia, Theodosij magni filia, Cæsarum soror, paulo post in vxorem data barbaro Ataulpho, post Alarici in Consentię vrbis direptione cęsi obitum, Gothorum regi designato. Coniugium equidem Romæ fructuosum, quam Ataulphus delere, vt nouam vrbem, nomine Gothiam, ædificaret, animo constituerat: nisi Placidiæ monitis & precibus placatus mutasset consilium. quod ei male cessit, à Gothis interfecto, quoniam vxoris intercessione Gothicarum victoriarum de Romanis partarum felicem cursum abruperat, id referente Paulo Orosio, horum temporum oculato teste, circa historiæ suę finem: cui succinunt Platina *in Zosimo*, Sabellicus,

16. Idololatrarũ scandalum acceptum.

alij Chronographi, & Volaterranus, *2. Geographia lib. cap. de Gothis.* * Quum tam fœda tamque subita tanti imperij labes indoctos homines multum afficeret, idolorum sacrificulis obijcientibus tot malis Rempublicam fuisse afflictam, quod Romani antiquam Deorum religionem, sub qua natum fuerat & auctum imperium, neglexissent & immutassent, D. Augustinus huic scandalo occurrens errorem detexit atq; confutauit *22. libris de Ciuitate Dei* aduersus Gẽtiles conscriptis.

17 De Antichristo prædictum D. Augustini.

* *Lib.* 20. *cap.* 19. de futuro Antichristo, prophetico spiritu ductus, iuxta Scripturæ Sacræ analogiã, asserit eum fore, qui in Ecclesiam Catholicã, tanquã illius caput, insurget. 2. *Thess.* 2. Eodẽ tẽpore Paulus Orosius, Augustini discipulus, historiã conscripsit, vt illorum sententiam euerteret, qui orbem terrarum grauius oppressum esse post susceptum Christianismum, quam antea vociferabantur.

Sub

Anno 1561.

18. Pontificum Rom. artes & primordia.

Sub idem tempus, Romani Episcopi, rudera imperij in commodum suum mundanum atque Satanicum conuerterunt. Quum enim sanis consilijs suis ciuitatem & patriam, absentibus aut parum potentibus Orientis Imperatoribus, iuuare velle viderentur, paulatim dominatum inuaserunt: rebus eo tandem deductis, vt Imperatorum auctoritatem (cui semper subditi fuerant) superbe reijcientes, populum Romanum & Italicum, ne Cæsaribus vectigalia persolueret, impedierint, ipsosq; Cæsares anathematis fulmine percusserint.

19 His reclamant Ecclesia Africana.

* Eadem manu rerum in Ecclesias Italicas & Africanas dominatum, nec non Cismarinas appellationes vsurparunt, Zosimo, Bonifacio I. & Celestino I. per legatos in nationalibus Africæ Concilijs, Carthaginensi 6. præsertim, anno 420. vbi D. Augustinus interfuit, negotium illud fortiter promouentibus. Porro vt spe sua potirentur, corrupta quædam Niceni Concilij decreta protulerunt, quorum falsitate detecta repulsi sunt; atque paulo post iterum in Concilio Mileuitano, cui idem Augustinus præfuit, teste Conciliorum collectore, *tomo primo.*

20. Idololatria Romanorum imperium pessum dedit.

* Ita Romanæ monarchiæ curriculum sexcentos annos haud absoluit. Qui vero diligenter historias persequetur, huius exitium ex idololatria, & senatus Romani superstitionem, quam veterẽ religionem appellabat, propugnantis pertinacia, fluxisse deprehendet. Honorij & Theodosij iunioris Arcadij F. Cæsarum leges dissimulatrices iram Dei prouocarunt. Nam circa 12. vel 13. annum post Theodosij magni excessum, Christi 411. suis rebus dum bene consultum putant, edicto statuerunt, ne Christiani Iudæis & Ethnicis pacifice viuentibus, neque aduersus leges & Rempublicam peccantibus, damnum vllum inferrent. In Codice Iustiniani, tit. 10. *de Paganis, eorumque templis & sacrificiis*, ea lex extat, cuius verba: *Christianis, qui vere sunt, vel esse dicuntur, specialiter demandamus, vt Iudæis ac Paganis quiete degentibus, nihilque tentantibus turbulentum legibusque contrarium, non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi,* &c.

21. Vana Cæsarum consilia malum auxerunt.

22. Tãdem Roma oppressa est à Gothis.

* Nationalis item synodus Africana, sub his imperatoribus habita, Can. 76. pudendæ legis meminit, quæ *cuique Christianismum amplecti vel repudiare liberum relinqueret.* Fuerunt equidem tunc temporis principes illi iuuenes, & improbis ac perfidis tutoribus commissi, qui malis artibus imperium affligere & vsurpare moliebantur. * Sed anno sequente, anno vrbis conditæ 1164. Romam captam diripuit Alaricus Gothorum rex, publico iubẽs edicto, vt *quicunq; ad Christianorum templa confugissent, illæsi dimitterentur: sæuiretur autem in eos, qui essent idolorum delubra ingressi:* sicuti Augustinus, Orosius & Socrates *Hist. Tripart. lib. 7. c. 10.* coætanei testantur quibus consentiunt cæteri omnes historici. Paulo post, Romam iterum expugnauit & spoliauit Ataulphus Alarici successor. At si quis collationem instituat prophetiarum Ieremiæ, & historiæ Regum, sub quibus ille prophetauit, easdem causas comperiet, quæ Deum ad Iudæos & Romanos iusto peculiariq; quodam iudicio puniendos compulerunt.

23. Regnum Ægyptium varijs mutationibus obnoxium.

24. Hispanicum.

* Regnum Ægyptium monarchiam Babylonicam proxime sequutum est, varijs interruptionibus & mutationibus discerptum. Thebani illud occuparunt, ab Ægyptijs postea eiecti, quibus Assyrij prædam abstulerunt: quam iterum Ægyptij vendicauere. Illos Alexander Macedo debellauit, atq; Monarchiæ Græcæ adiunxit, qua velut in fumum abijt, exiguo quidem momẽto. Tandem anno 284. post Alexandri interitum, 28. ante Christi natiuitatem, Octauianus Cæsar, solus ex Triũuiris superstes, deuicto Marco Antonio & Cleopatra imperij æmulis, regnũ extinxit Ægypti, quam in prouinciã Romanã redegit. * Regnum Hispaniæ recens est admodum, nec certa extat historia, quæ regis aut stirpis regiæ in Hispania ante Romanum imperium meminerit.

25. Romanis negotium facessunt Hispani.

26. Tãdem subacta.

27. A Gothis deprædata.

* Nulla vero prouincia Hispaniarum fortitudinem contra Romanos pro libertate certantium superauit. Nam ante Christum natum anno 25. nempe 200. annis à prima Scipionum aduersus Hispanos expeditione, Augustus Cæsar obfirmato animo Cantabriæ partem Septentrionalem, quæ nunc Gallicia, Biscaya, Nauarra dicitur, armis expugnauit. Quo bello peracto, in signum pacis Iani templum denuo clausit. Quater igitur ab vrbe condita, Eutropio teste, templum illud, belli pacisque gratia, apertum & occlusum est. * Ita imperij Romani nomine per 450. annos vsq; ad Honorij finem Hispaniæ partes omnes sub Cæsarum præfectis pacis publicæ beneficio gauisæ sunt. Circa Honorij finem Gothi & Vandali Hispanias ingressi leguntur. * Qui diffusis Alphonsi Tostati, Hispani docti, operibus Epistolam præfixit, nobiles omnes & Hispaniæ reges à Gothis oriundos esse asserit, non sine iactantia, quemadmodum ipse palam profitetur. Parũ honorifice de sua gente, de Principibus Hispanis sentit, qui stirpẽ, gloriam, nobilitatẽ illorum haurit ex sanguine Gothico. Sed peccat in historiam. * Nam etiamsi Hispaniam occupauerint, & in ea regnauerint Gothi circa annũ Christi 450. atq; adeo hæresis Arianæ veneno Hispanos infecerint: regno tantũ ad 260. annos potiti sunt. Anno etenim 714. Hispaniarũ maximã partem occuparũt & retinuerũt, ad annos 80. vsq; ad Carolũ magnũ. Is ab Adriano Romæ Episcopo rogatus, quũ in Italia regnũ Longobardicũ, quod 204. annos durauerat, armis oppressisset, Alphõsi 2. Castellæ regis, precib. pertractus, cũ Francorũ exercitu valido Hispanias ingressus, Saracenos debellauit, aliquot prouincijs Alphõso restitutis, sicuti horũ temporum affirmant historiæ.

28. A Saracenis sub iugum redacta, quod Carolus Magnus disrupit.

29. Quid Hispani Francis debeant.

* Toletanus quidam contrarium asserit referente Volaterrano, *libro 2. Geographiæ, capit. de Saracenis.* Ita Hispanis nonnullis magis placet suos extollere, quod à Barbaris Gothis & hæreticis Arianis deuicti sint, quam fateri eosdem nobilium Francorum auxilio, sanguine, opibus fuisse liberatos. Quinimo Gothi præterquam quod tyrannica vsurpatione pestilen-

ticon-

Anno 1561.

ti contagio hæreseos, & Gothicis legibus scripto traditis atque constitutis circa Christi annum 420. Hispanias vastarunt, tandem nefariis pollutionibus Saracenicum regnum stabiliuerunt, quod longius perdurasset, nisi Francorum armis Saraceni fuissent debellati.

30. Gothicæ leges in Hispania ius ciuile Romanũ damnant.

* Inter leges Gothicas Hispanis datas, prima (ius ciuile abrogans) hæc est: *Quicunque coram iudicibus legem imperialem citauerit, morte moriatur*: sicut refert Oldrad. *quæst.* 79. & Ioan. Andreas in *Nouella sua, libr. sexto cap. vltimo.* Nuper etiam Io. Lopes Hispanus initio *cap. Per nostras, numero decimo nono.* Non sine causa Gothi legem hanc proposuerunt. Prima enim Theodosij Magni constitutio (quam post 143. annos Iustinianus primo titulo sui Codicis adfixit) Arianos oppugnat, vt in omnibus imperij sui ditionibus sarta tecta maneat de sacrosancta Trinitate orthodoxa cõfessio, quam Gothici reges Hispaniæ impugnarunt.

31 Franci Hispaniarum liberatores.

* Clodoueus, primus Francorum rex, Gothos fortiter repressit, Aquitania & Occitania pulsos, & in Hispanias veluti relegatos, quæ Arianismi & Mahumetismi morbo laborarunt, donec Caroli Magni auxilio sunt liberatæ. Hispanias multum celebraui in *commentariis ad Consuetudines Parisienses*, à me editis, *artic.* 29.

32. Siciliæ regnum.

* Siciliæ regnum, Hispanico recentius, per 2000. annos tyrannide fere perpetua oppressum, Carthaginensibus, qui illud inuaserant, ereptum est à Romanis, & in prouinciam atque horreum populi Romani reductum.

33. Orientis Imperatori datum & ereptum.

* Carolus Magnus Occidentis Imperator constitutus, Calabriam, Apuliam, Siciliam Orientis Cæsari sorte reliquit. Postea, nempe anno Christi 914 Siciliæ magnam partem Saraceni occuparunt, donec tandem circa annum 1008.

34. Ad Normannos peruenit.

* Gulielmus Normannus, cognomine Ferrebachius, Tancredi filius, coniunctis viribus Constantinopolitani Cęsaris præfectum Malocum adiuuit, vt Saracenos Sicilia pelleret. Quoniam vero Malocus (Platina teste) in præda diuidunda parum fidelis apparuit, Gulielmus collecto Francorum & Normannorum numeroso, nempe 40000. bellatorum, exercitu, Calabriam, Apuliam, Siciliam, occupauit, tunc à Græcis translatam ad Normannos,

35. Francorum consuetudines in Siciliam illata.

* quorum opera, ante Carolum Andegauensem, Francorum consuetudines de feudis & successionibus Siculis traditæ sunt, apud quos etiamnum multis in articulis obseruantur, quemadmodum in *Commentariis ad Consuetudines Parisienses* demonstrauimus. Ita paulatim Tancredi & Gulielmi Ferrebachij successores Siciliæ dominatum, primo Comitum, deinde Ducum, tandem Regum titulo atq; nomine retinuerunt.

36. Pontificum Rom. astuta auaritia & ambitio.

* Vt amplius sibi cauerent, à Pontificibus Romanis titulos obtinuere. Sub initia Pontifices quod illorum non erat, nempe feudi largitionem gratis concesserunt. Sed anno 1267. quum auxilium Caroli Andegauensis, Prouinciæ Comitis, Ludouici IX. regis Franciæ fratris auxilium impetrassent, pro Siciliæ feudo 40000. coronatos annuos impetrarunt, Platina, scriba pontificio, teste.

37. Angliæ fabulosa historia.

* Fabulosum est, quod nonnulli referunt in Angliæ regno centum reges ex Bruti, Æneæ abnepotis, prosapia alijs alios ordine successisse, 100. ann. ante Dauidis regnum, nec non ab eo successiue alios, partim Anglos, partim Saxones, vel aliarum gentium ad nostra tempora, tres mundi ætates & 2500. annorum complectentes curriculum. Quum anno 1555. mense Nouembri Pandectarum legem *Lucius* interpretarer publice, veterum illarum Angliæ historiarum figmenta refutaui.

38. Seuerus Angliam Romanis subiecit.

* Quod ita sit, Alexandrum Seuerum Cæsarem aiunt Angliam armis acquisiuisse, Eboraci fato functum, ex Anglicana muliere suscepto filio Bassiano Caracalla, post patris excessum Angliæ rege, dein Imperatore Romano in Italia. Seuerus equidem, anno Christi 210. cum potenti exercitu Angliam ingressus, totam primus sibi subiecit, in expeditione sublatus è viuis. Huius filij & præfecti insulam in Romanæ prouinciæ formam redegerunt.

39. Nullus Rex in imperio Rom.

* Neque Seuerus igitur, neque eius filij, Anglię Reges facti vel dicti sunt. Lex enim Romana est Euangelico dicto firmata, *Ioann.* 19. *cap.* cum contradicere Cæsari, nempe imperij dignitati atque maiestati, qui se Regem constituit: quoniam nulla regio Regem acceptat, sed extra imperialem sedem, quæuis in prouinciæ formam reducta videatur.

40. Bassianus in Africa, non in Anglia natus.

* Nec verisimile fit, Seuerum in Anglia ex patritia muliere suscepisse Bassianum, quandoquidem 80. annos natus erat, priusquam in Angliam penetraret, non necessitate, sed dolore ductus, quod Bassianum & Getam filios diffidentes ab odiis & rixis domesticis per longinqua bella auellere cuperet. Angli, tunc Britanni, manus Seuero accedenti porrigentes, repulsam passi sunt: voluit enim Seuerus ferro decernere, noui tituli acquirendi gratia, nec non vt filios ab intestinis simultatibus auerteret. Bassianum natu maiorem, ex Africana Leptensi, legitima vxore, prius quam esset Imperator, susceperat: quem in imperio collegam adsciuit, vt annotat Capitolinus, qui eo tempore scripsit. Codex item Cæsareus, plures leges Seueri & Bassiani simul complectens.

41. Geta ex meretrice natus.

* Seuerus iam Imperator ex formosissima meretrice Iulia, viuente vxore, Getam spurium habuit: nec alios postea, nam octogenarius Angliam aggressus, podagra afflictus, in lectica vectus, bello difficili implicitus, de noua prole minime cogitauit: paulo post & inter armorum strepitũ morte sublatus, Herodiano teste, *lib.* 3.

42. Bassiani scelera.

* Bassianus, qui in Anglia vitã Seuero patri auferre conatus erat, Romę Getam fratrem in gremio Iuliæ matris interfecit: & Papinianum iurisconsultum eximium trucidari iussit, quod patricidium Bassiani excusare recusasset. Impius ille paulo post Iuliam nouercam vxorem duxit, neque in Italia cæsus, sed in Mesopotamia, fœdissimas ob tyrannides varias trucidatus est.

43. Angliæ nomen à quibus acceptum.

* Falsissimum & illud est, Bassianum in Angliæ regno successores habuisse. Permansit

enim

enim Anglia, Romanorum prouincia, ad annum Christi 449. sub Honoriani imperij finem. Tunc enim Picti & Scoti Angliam, Britanniæ nomine designatam, inuaserunt: neque Romanis neque Britannis propugnantibus. Italiam etenim & Hispanias Gothi Vandalique premebant, Franci vero maiorem Galliarum partem occupauerant, Romanis vi depulsis. Britanni auxiliis destituti, Saxones (qui & Angli dicti sunt) accersiuere. Illi vero, Britanniam inuadentes Angliam seu Anglorum terram appellauerunt. * Incolæ autem tyrannidis Anglicæ pertæsi nauibus conscensis, Armoricam occuparunt Occidentalis Galliç partem, quç in hunc vsque diem à profugis istis Britanniæ nomen retinuit. Claudianus profectionis huius meminit, in adulatorio carmine ad Stiliconem perfidum Honorij præfectum, nempe eius patrocinio Britanniam Romanorum prouinciam à Pictorum, Scotorum, Saxonum incursionibus fuisse conseruatam. Aliter autem sentiunt Historiæ.

Anno 1561.

44. Armorica, Galliarũ pars hodie Britannia Ducatus.

* Quando vero prouinciæ Romanæ nomen amisit insulam, (quæ Albion & Britannia olim dicta, tandem Anglia vocata est ab Anglosaxonibus) Reges habuisse nisi post Caroli magni tempora, constat ex probatis historicis. Abhinc Regibus paruit ad hunc diem. Caroli magni seculo multis tenebris circumfusa est Anglicana historia, vt & præcedentibus aliquot seculis, Anglorum ipsorum confessione: magis fabulosa antiquior descriptio censetur. Quid enim insulsius figmento illo de Seueri & Bassiani dominatione Britannica? * Nihil equidem minus verum, quam quod asserunt Cohelem magnæ Britanniæ LXXVIII. Regem Constantii Cæsaris, Hispaniarum domitoris arma victricia formidantem, tributum promisisse, paulo post autem morte oppressum vnicam filiam Helenam apud molitorem aquarium reliquisse, latitantem, ne interficeretur à Constantio, qui rex Britanniæ coronatus & acceptus Helenam rapuit, concubinam habuit, dein quum audisset filiam regis Cohelis esse, duxit vxorem, quæ filium peperit ei Constantinum, cognomine Magnum, diuæ Catharinæ, Constantis Cyprij regis filiæ patruum. * En mendaciorum voraginem. Constantius Chlorus, (quem isti Constantis Cyprij patrem fuisse somniant) patricius Romanus, & iuxta Eutropium *lib. 2 Rom. hist.* illustris cuiusdam Senatoris filius matrem habuit nobilissimam matronam ex stirpe optimi atque fortissimi Cæsaris Claudij II. oriundam. Absit autem vt dicamus Constantium illum crimine maiestatis laborasse, & in prouinçia Romana regnum vsurpasse. Talis autem fuit Constantis seculo, & toto sequente, Britannia, nempe imperij Romani prouincia. * Creatus equidem Imperator Constantius Chlorus cum Galerio Maximo, quo die Diocletianus Nicomediæ Bithinicæ in Asia, Maximianus Mediolani, imperij per viginti annos inter cædes horrendas immanesque Christianorum lanienas occupati, habenas reliquerunt. Quum enim frustra Christum oppugnassent, neque noua crudelitatis facies vel machina carnificibus istis cæde fractis occurreret amplius, meritas pœnas veriti, quod sacrificulis idolorum cultoribus fidem adhibuissent, imperium abdicarunt. At Constantius Hispanias minime deuicit, ante trecentos triginta annos in prouinciæ Romanæ formam redactas. * Fuit certè Constantinus filius nothus ex Helena, neque Angla, nec Angliç incola, multo minus Regis filia: neque in Anglia Constantinus ortus ex regio sanguine, sed Drepani (quod est Asiæ minoris oppidulum, promontorium & Propontidis maris portus, iuxta Nicomediam Bithiniæ) natus. * Ibi quum Constantius appulisset, à Diocletiano delegatus, non Cæsar, vt cum Persis, Parthis, aliisque populis in Oriente imperij limites inuadentibus, de pace ageret: nactus est hospitem, qui filiam Helenam, non in vxorem (nec enim coniugium eiusmodi inire voluisset vel potuisset Constantius, constitutionibus Romanis in lege Iulia, *libro 23. Pandect. titulo secundo, & Cod. libro quinto* comprehensis, impeditus) sed in concubinam ad aliquot dies, ei concessit, sibi optime consultum putans Ethnicus infelix, si primarium virum inter Romanos ita exciperet. * Neque Constantius fuit Gallia oriundus, vt quidam fabulantur, sed Romæ natus, ad quam alia via tandem reuersus est. Tunc Diocletianus collegam assumpsit Herculianum, & Constantius ab iisdem Cæsar est nominatus, cui vxorem dederunt Theodoram Herculiani priuignam. * Tandem Constantius certior factus se ex Helena concubina Drepanensi filium eximia forma suscepisse, matrem & puellum Romam accersiuit. Ne vero in Theodoræ zelotypiam incideret, Helena dimissa, puellum in aula Diocletiani & Galerij Maximini Nicomediæ residentium educari curauit, teste Nicephoro, libro septimo, cap. 18. & libro octauo, capite secundo. * Hospes Drepanensis maternus & Helena, Constantij nomen integrum tribuere non ausi, quod puellus non esset legitimus, Constantinum, id est pusillum Constantem vel Constantium appellarunt. * Quod autem Helena diuersorium seu hospitium equitibus commodum tenuerit, colligitur ex funebri cõcione Theodosij, quæ *tomo vltimo operum Diui Ambrosij* continetur. Et quamuis ex Erasmi censura tomus ille Diuo Ambrosio falso tribuatur: nil aliud sequitur, quam quod longe post D. Ambrosij obitum, multis haud ignotum fuit, Helenam in diuersorio fuisse concubinam. Et hoc nomine notatur à Blondo, *Roma triumphante libro tertio.* * Hinc sequitur falsum & ridiculum esse, quod inertes illi rhapsodi (ex quorum grege Galfredus Monnmetensis) vt Angliam illustrarent, de priore Constantij coniugio cum regis Cyprij filia confinxere, Cyprum alij in Græcia, alij in Persia collocantes, nempe vt Europæ & Asiæ Indicæ terminos insulse miscerent.

45. Angliæ regnũ quando inchoatum.

46. Figmenta de Cohele rege.

47. Constantius Chlorus an rex Angliæ fuerit.

48. Idẽ Imperator creatus Diocletiano & Maximiano exauctoratis.

49. Constantinus, cogn. Magni, natalia.

50. Helena Constantini mater nunquã in Anglia fuit.

51. Constantius Herculiani priuignã duxit.

52. In aula Imperatoris Cõstãtinus educatus.

53. Cur eo nomine insignitus.

54. Helenæ conditio.

55. Supinus error fabulatorum.

* At quidem ex historiis & Geographis apparet longè ante & post Constantii seculum Cyprum Romanorum fuisse prouinciam. Quidam Alexandri magni successores, regni titulo Cy-

56. Regnum Cyprii usurpatũ à Re-

E prum

Anno 1561. manis oppressum.

prum possederunt, ad annum 54. ante Christi natiuitatem, quo populus Romanus, procurante Clodio, decreto publico, sed iniquo, Ptolemæi Cyprium regnum facultatesque cunctas fisco adiudicauit. Id autem Clodij artibus consectum est, vt Catonem Vticensem, cui decreti exequutio commissa fuit, Senatu eiiceret. * Inuitus expeditionem illam suscepit, vir integer vitæ, scelerisq; purus, virtutis antiquæ custos rigidusq; satelles, atq; Reipublicæ amātissimus: quam domi & foris Romani vnicam respiciebant. Equidem Reipublicæ salus illis suprema lex, summum bonum fuit, & Numen: id fatente Cicerone in oratione ad Quirites & Senatum, quos reputat atq; veluti in numerum Deorum relatos reueretur. Eiusmodi blasphemiis impuri homines delectabantur: at tantum nefas haud impune tulerunt, bellis ciuilibus, & Reipublicæ suæ casu tandem attriti.

57. Romanorum antiqua idolatria.

58. Cyprus subacta & in prouinciam redacta.

* Interea dum Cato manum operi admouet, Ptolemæus Cypri rex manus sibi ipsi intulit: inde status mutatio, & insula, rege atque auxilio destituta, in perpetuæ prouinciæ populi Romani formam redacta est. Ingentes regis defuncti diuitias sedula cura reconditas Cato Romam aduexit, cui velut triumphabundo populus, Senatus, magistratus occurrerunt: teste Valer. Max. *lib. 4. cap. 1. 2. 3. 4 & lib. 8. cap. 16.* Plutarcho *in Catone*, Sabell. *Ennead. 6. lib. 5.*

59. Ad Venetos & ab iis ad Turcas peruenit.

* Prouincia Romana Cyprus ab eo tempore remāsit, ad imperij excidium, neq; regem agnouit, ante Ricardum Anglum, qui in Syriam nauigans anno 1181. ab Insulanis superbe repulsus, Cyprum occupatam in regnum erexit, quod post varias calamitates ad Venetos peruenit anno 1470. (iisdem ereptum anno 1570. & 1571. à Turcis, qui etiamnum insulam totam possident.) Qui aliter sentiunt, & fabulis pascuntur, sacram ignorant vel corrumpere conantur historiam. Nam ex *cap. 23. actuum Apostolicorum* apparet Cyprū fuisse prouinciam Romanam.* Falsum item est, quod isti narrant, Maxentium in Alexandriam fugisse Constantino petente Romam, & in Ægypto persecutionem instituisse aduersus Christianos, quos interfecit, nominatim Diuā Catharinam, quam regis Costi seu Cōstantini Romæ regnantis neptem, eruditam virginem, Græcos Philosophos in Ægyptum ex Constantini regionibus adductos confutantem somniant. Illud quidem certum est, Maxentium, quum Constantinus ex Gallia Romam proficisceretur, imperij capessendi gratia, anno 311. in Ægyptum nō aufugisse: priusquam enim Constantinus Romam ingrederetur, Maxentius prælio victus & interfectus est. Neq; igitur in Ægyptum abiit, neq; post imperium adeptum ex Italia mouit pedem.

60. Maxentius nullam in Ægypto persecutionem mouit.

61. Christianus factus Constantinus.

62. Helenopolin & Cōstantinopolin ædificat.

* Præterea Constantinus victor toto imperio persecutiones in Christianos excitatas pacauit: & patris exemplo Christianis fecit otia, fauitq;, debellatis omnibus aduersantibus ethnicis fidei Christianæ hostibus infensissimis. * Solus imperator relictus, Drepanum oppidulum in ciuitatem, nomine Helenopolin, transmutauit, iuxta quam dum Constātinopolin ædificare cogitat, quod inculta esset regio & aridum solum, in opposita parte, Thraciam versus, clementiore solo & cœlo, supra Byzantij à Senero deleti rudera, ad superum littus maris Propontidis, nobilem illam vrbē construxit, nouamq; Romam, veteris æmulam, orientalisq; imperij sedē nominauit.

63. Samaria & Iudæa tributaria.

64. Misera eorum conditio, qui Scripturas sacras contemnunt.

* A morte Herodis Agrippæ secundi, & paulo post excidium Hierosolymitanum, nullus in Samaria rex extitit, vt nec in Græcia: neque Samaria populorum multorum Græcorum priuilegiis vnquam gauisa, sed prouincia tributaria facta est. Iudæam & Palæstinam in duodecim præfecturas Romani distinxerunt: teste Blondo, *libro tertio de Roma triumphante.* * Extra oleas vagari non fert animus, alioquin facile figmenta mendaciaque confutarem, in hunc vsque diem recepta, & Sacrarum literarum veritati anteposita, iusto quidem Dei iudicio, in efficaciam erroris eos relinquente, qui doctrina cœlesti repudiata, Christo, quem Pater dederat, atque obsignarat, derelicto mendaciis suis adhæserunt: *2. Thessalon. 2.* Quum Argentinæ essem, à fide dignis hominibus accepi, beatæ memoriæ principem Eduardum sextum Angliæ regem flammis vltricibus, fabulosas istas commentationes adiudicasse, quod pridem factum erat ab Ephesiis, qui audito Apostolo sacras conciones & disputationes per biennium in primarij cuiusdam viri ædibus habente, curiosarum artium comportatos libros exusserunt in omnium conspectu: quorum supputatis pretiis repererunt denariorum quinquaginta millia: *Act. 19.*

65. Ante Christum natum Franci floruerunt.

Quicquid est de Francorum origine & antiquitate, nec non de Regum Frācicorum prosapia libris consignatum, tanquam fide dignum, si recipiendum sit, iam 2000. anni effluxerint. Sed certam temporis designationem ex probatis auctoribus collectam prosequi sufficit. Vulgata sententia est Francū, huius nominis secundum, Francis quibus imperauit anno ante Christi natiuitatē 37. Romanos idem variis præliis attriuit, Galliæ nec non populos, quā ingressus est, ponte ad Mosam constructo. At longè falluntur, qui ab hoc rege Francos nomē mutuatos esse putant. * Longè antea id factum, Romana historia teste. Iulio enim Cæsare Gallias ingresso, vt Heduis Romanorum confœderatis ferret suppetias, regionem totam Romanis subiicere cogitauit, anno ante Christum natum quinquagesimo sexto, Francorum nomen & fama ad Senatum populumq; Rom. iamiam peruenerat, teste Cicerone, qui in *epist. ad Att.* Gallorum nec non legationis Galliciæ meminit.

66. Gallias subigere Cæsar studet.

67. Francorum virtus experitur.

* Quales viri essent Cæsar expertus, *libro sexto* ingenue fatetur. *Cogunt* (inquit) *equitum duo millia Sicambri, primos Eburonum fines adeunt, multos ex fuga dispersos excipiunt, magno pecoris numero potiuntur, inuitati prædâ longius procedunt.* Quid postea sint ausi Sicambri, quos Germanos appellat, castra Cæsaris inuadentes, & Romanos terrore replentes, prædaque onusti iter repetentes

refert

refert idem autor. Equidem Sicambri, ij fuere, quos Roma Ciceroque Francos tunc temporis appellauit. Horum Rex fuit Autharius, anno ante Christũ septuagesimo secundo. Inde colligimus regnum Francorum à sua origine ad annum 1561. quo noster Commentarius scriptus est, 1632. annos adimpletos numerare. Nullum aliud regnum, nullam rempublicam tam diu perdurasse legimus. Veneta enim nondum 1200. annos impleuit.

Anno 1561.

* Quamuis autem, scriptore Hunibaldo, post mortem Marcomiri Francorum regis, ex Autharij stirpe, Franci deniq; eiusdem filij, in bello contra Valentinianum primum interfecti, rege per 25. annorum spacium Franci caruerint, à Ducibus gubernati; stirpe regia oriundi illi Duces fuere, qui populum conseruarunt, donec assumptis viribus, & traiecto Rheno, receptaq; à Romano præsidio Treuirorum vrbe, tota etiam Gallia vsq; ad Sequanam, * Pharamundum elegerunt, qui Francorum primus rex thronum regium in Gallia fundauit, anno Domini 420. Et quidem Pharamundus ille directa linea & prosapia Francorum Regum fuit oriundus, neq; vllum fuit interregnum, tametsi dominationis nomen per aliquot annos immutatum sit: vt nec quando Pipinus, cognomento Breuis, Ordinum regni consensu, rex creatus, & Childerico IV. stirpis Merouei postremo, post Pharamundum tertio, propter mores regio munere prorsus indignos suffectus est. * Illa enim electione non interueniente, regnum Franciæ ad Pipinum pertinebat; vt qui masculina stirpe recta ortus esset à Ranchario Clodionis Comati, Pharamundi F. maiore natu filio. Merouęus autem, non filius, sed Clodionis consanguineus, & filiorum eiusdem tutor constitutus, Rancharium legitimum regem regno expulit, quod Ranchari successores recta linea masculi 300. anno post Rancharium eiectum recuperarunt.

70 Regnum Franciæ in interregno minime abruptum.

71. Pharamundus in Gallia regnauit.

72 Pipinus recta linea ortus à Pharamundo.

* Ranchario originem duxit Carolus Martellus Palatij magister, & regni Francorum præfectus anno 719. Is autem quum legitimè posset regnum accipere, tanto tranquillitatis publicæ zelo flagrauit, vt præfectura regni contentus eos ordine reges institueret, quos iure destituere, sceptroq; priuare potuit. Et sane tandem cum alta pace, magnoq; splendore, feliciq; successu regni ius & diadema tandem, nempe anno 751. ad Pipinum Martelli filium rediit.

73 Caroli Martelli temperantia.

* Porro, qui Pipinum, Caroli magni filium nouæ stirpis (quam vocant Carolouingiorum) constituunt conditorem, à via veritatis deflectere videntur. Pipinus enim recta linea à maioribus & prima Regum nostrorũ stirpe, à Pharamundo vel eius antecessoribus ducebat originem. Duas tantummodo numeramus regum Franciæ prosapias: priorem, veterum Francorum, qui longè ante Christi natiuitatem vsq; ad Ludouicum V. stirpis Carolinæ postremum regem, anno Christi 989. extinctum, perdurauit.* Tunc desinente priore illa antiquissima prosapia, quæ ab Authario Franci 2. filio perdurauerat per annos 1060. & post Pharamundum per annos 568. Ordinum regni consensu, Hugo Capetus rex adscitus, non sibi tamen, sed filio suo Roberto regni diadema Aureliæ imposuit. Hæc est posterior stirps, quæ etiamnum perseuerat per annos 572.* Nec enim regni Franciæ corona, quam vocant, ad alios principes quam vere Francos vnquam pertinuit. Priorum vero accisa mascula prole, quæ per mille & amplius annos regnauerat, Princeps à Francis oriundus ab Ordinibus regni,* sub conditionibus & limitationibus legis Salicæ, sub qua veteres Francorum reges alii aliis successerant, electus est. Nec Pharamundus sub lege Salica natus & corona insignitus, eam legem instituit, sed confirmauit. Ante priores Francorum reges extitit, nec alios Franci quam mascula prole principes Francos agnouerunt.* Ad exteros regnum nunquam translatum est, in linea sua constitutum permansit à patre ad filium, seu à masculo ad masculum proximiorem, legitimum successorem, perueniens, nec vlla ratione ad fœminas, seu ad fœminarum filios, vnquã peruenit. Hæc perpetua peculiarisq; fuit lex Francorum ab initio regni, quam Pharamundus renouauit & cõfirmauit posterior autem stirps iterum stabiliuit & continuauit.* Qua lege antiquissima, fundamẽtali, nec non inuiolabili, sublata, Eduardus Angliæ rex, Elisabetę Francicę, Philippi Pulchri filię primogenitę filius, extincta prole mascula Philippi, rex Franciæ creatus esset: sed intercedente lege Salica Philippus Valesius Caroli Comitis Valesiani filius, quamuis gradu remotior, sed masculus, masculo oriundus, rex agnitus & tandem coronatus est, acquiescente Eduardo,* qui anno sequente 1329. tanquam legitimo Franciæ regi pro Aquitaniæ Ducatu homagium Ambiani Veromanduorum Philippo Valesio præstitit. Postea tamen Eduardus malo consilio impulsus, non sine iusto Dei peccata Francorũ vlciscentis iudicio, regnum Franciæ, cuius se regem asserebat, inuasit, & per centum annos sua successorumq; suorum manu grauiter afflixit. Tandem verò Angli spe sua frustrati, à lege antiquissima Salica deiecti sunt.

74. Duæ tãtum Francorũ regum stirpes.

75. Robertus Capeti filius rex Franciæ.

76 Regni firmitas.

77. Legis Salicæ antiquitas.

78 Hæc fœminas & fœminarũ filios à regno excludit.

79. Alioquin Angliæ regnũ Francorum obtinuisset.

80. Sed Philippo Valesio cessit.

* Altera nunc occurrit consideratio, regnum videlicet Francorum, prę aliis, Iudaico & Israelitico regno, quod Deus in Dauide fundauit anno mundi 2891. iuxta Hebræorum calculum, simile esse & fuisse: nempe iure successionis ad primogenitum regis, idem ad prolem masculam, & legitimè natam.* Dauid equidem, tum ex Dei dono peculiari, tum spiritu prophetico præditus natu minorem primogenito prætulit, 1. Reg. 1. speciali oraculo impulsus, 1. Chr. 28. Verum instituto & confirmato Salomone filio legitimo, & successore, regnum in sobole mascula, & primogenito, ordine continuo permansit.* Quæ lex iuramento Dei, Ps. 132. sancita viguit semper. Huic conformis apparet Salica, primitiua regia monarchiæ Francorum, quæ cum nata & confirmata est, ad Dauidici regni exemplar.* Salomone mortuo diuisum quidem est regnum illud, & partes decẽ Ieroboamo illegitimo domino cõcessæ sunt; idq; Dei irati iusto iudicio per Semeiam Pro-

81. Frãci & Dauidici regni collatio.

82. Primogenitura Francica.

83 Legis Salicæ origo.

84.

Anno 1561.

phetã promulgato, *1. Reg.* 12. *& 2. Chron.* 11. cui Roboamus, ad bellũ accinctus cum suis, acquieuit; duas tantum tribus integras retinens.

85. Tribus Leuitica officium.

* Leuitica quidem, per reliquas omnes dispersa est, vt populum erudiret, doctrinam diuinæ legis sartam tectam conseruaret, sabbata celebraret, oppidatim & vicatim ritus sacros obseruaret, Dei verba & præcepta piis inculcaret diligenter. Sacerdotes autem in templo Ierosolymitano in tribu Iudæ constituto & ædificato, ministrabant.

86. * Duodecim tribus Israelis Dauidi eiusdemq; posteris masculis Deus concesserat, & domum illud sanciuerat iureiurando: sed ea conditione, si fœdus diuinum seruarent, nec vero Deo relicto confugerent ad idola: atq; tantisper dum Messias appareret, veram religionẽ, traditam Mosis manu, illibatam conseruarent. *2. Chron.* 6. 7. Quoniam vero Salomon senex, mulierum multarum blandiciis irretitus, idola coluerat, superstitiosum atq; impium cultum inuehens, iure potuit Deus illum cum posteris regno spoliare. Verum, propter Dauidem, qui verę pietatis cultum retinuit, filiis & posteris ipsius masculis regnum Iudæ Deus conseruauit: quæ quidem ratio disertis verbis in historia sacra exprimitur.

87. Ieroboami apostasia.

* Eadem promissio, Dei iussu, Ieroboamo post Salomonis lapsum proposita est, *1. Reg.* 11. Quod si Ieroboamus veram religionem à Deo constitutam obseruasset, diuinarum promissionum fructus collegisset vberrimos: sed incredulus & impius hominum respectu perculsus, & rebus caducis nimium attentus, vt terram retineret, cœlum amisit, in idololatriam prolapsus. Inde Leuitarum, Ierosolymam petentium eiectio. *2. Chron.* 11. nouorum sacerdotum & rituum institutio, *1. Reg.* 12. Dignitatẽ regiam, quam diuinæ maiestati prætulerat, paulo post amisit.

88. Dauidis pietas.

* Contra, pius Dauid atq; sinceræ religionis amantissimus, Dei gloriam regio suo diademati anteposuit. *2. Sam.* 15. Quum ab Absalomi facie fugienti Sacerdotes & Leuitę dominici fœderis Arcam sacram, regni Israelitici thesaurũ maximum offerrẽt, eam vt Ierosolymis referrent præcepit rex pius his verbis: *Reducite arcã Dei in ciuitatem: si inuenero gratiã in oculis Domini, is vtiq, reducet me, & faciet vt reuisam se & habitaculũ suum. Quod si ita dixerit, nõ delector te, faciat mihi prout bonũ videtur in oculis suis.*

89. * Ideo testatur Deus præceptis suis Dauidem paruisse, & quod rectum erat coram oculis Dei diligenter obseruasse: *1. Reg.* 11. Saul vero, de grauissima culpa monitus, neq; vera resipiscentia ductus, neque Deo supplex factus est: illud tantum exoptans, vt Samuelem placaret, & propitium haberet corã populo. Ideo aspera voce exceptus audiuit. *Quia spreuisti verbum Domini, spreuit similiter te, ne sis rex.* Inde regnum Sauli tum eiusdem posteris ablatum est. *1. Sam.* 15. 16. &c.

90. * Quinetiam ereptum legimus Ieroboami filiis à Baasa cæsis, propter idiololatriæ crimen. Quoniam vero Iehu Baalitas interfecerat, templa & idola succenderat, regnum illi posterisq; in quartam generationem conseruauit Deus: *2. Reg.* 10.

91. * Tandem quum decem tribus Israelitice ardentius quàm antea idolorum cultum essent amplexæ, Samaria regni caput triẽnalem obsidionem quum tolerasset, capta, & populus in captiuitatẽ ductus est à Salmanassare, anno post Salomonis excessum ducentesimo quadragesimo tertio. *2. Reg.* 16. Anno autem 290. idem Salmanassar reuersus, Samariam expugnauit, & Israelitas omnes abductos, nec non strenuos bellatores Ephraimitas, anno sexto regni Ezechiæ, in Mediam deportauit: *2. Reg.* 17. Ita regnum Israelis idololatriæ causa planè euersum est, iuxta Esaiæ vaticinium, *cap* 7.

Regnum Israeliticum planè euersum.

92. Iudaici regni status & duratio.

* Israelitico regno exciso, Iudaicum per octoginta annos stetit. Quum enim pij & docti viri Ierosolymam potius quam Samariam incolerent, tardius corrupti sunt Iudæi; ita vt post illam multorum annorum crudelissimam Manassis Ezechiæ filij lanienam, temporibus Iosiæ tum iuuenis admodum

93. Cancellarius sapiens. Pius rex.

* Sacerdos quidam Ierosolymitanus diuinæ legis librum repertum tradiderit Saphani regis Cancellario. Is antẽ indicauit regi quid acciderat; vnde religionis instauratio, populique ad meliorem mentem reductio: *2. Reg.* 22. Quapropter sub Iosiæ regno vindictam Deus cohibuit. At vero post Iosiæ cædem,

94. Insipientes reges.

* Iehojakimus in regno successor, quod prophetiarum Ieremiæ volumen combussisset, Ierosolyma expugnata, interfectus est, & cadauer eius asini sepulturam habuit, æstui diurno & gelu nocturno proiectum. *Ier.* 22. *&* 36. Iechonias in captiuitatem abiit. Eius successor Sedecias in idololatria perseuerans, iugum Nebucadnezaris excutere conatus, excidium vrbi attulit, & sobole sua coram iugulata, oculis erutis occæcatus in Babylonem cum populo tractus est, regno Iudaico in posterum extincto.

95. Idola regnum Iudæ cum pessumdant.

* quod non accidisset, si modo Iudæi propheticis sermonibus attentas aures præbuissent. Longè antea crassam supinamq; populi inscitiam Esaias damnauerat, quod dicere recusassent se in religionis negotio Dei vocem per prophetas declaratam sequuturos: nec regis vel sacerdotum mandata impia audituros. Quoniam verò scientiam verã populus repudiauerat, in captiuitatẽ deductus, rege, templo, tabernaculo, sacrificiis, politia destitutus, per 70. annos miserrima sorte, veluti in sepulchro latens, visus est.

96. * Ex Babylone in Iudæam reuersus, regnum terrenum à Deo minimè recepit, cuius gratia toties rebellis fuerat, & Prophetas quamplurimos interfecerat: sed sacerdotium externum & Mosis sacros ritus, vsque ad Messiæ aduentum solummodo obtinuit. Quicunque etenim post Maccabæorum arma, contra Antiochum Epiphanem & eius posteros pro Iudæorum patrocinio & Religionis libertate instè suscepta, reges Iudææ dicti sunt, nomen illud iniustè vsurparunt: ideò à Romanis & ab Herode Idumæo quamprimum oppressi sunt. Herodem verò Antonius Triumuir, dein Augustus, modo Romanis pareret, Regem Iudææ constituit. Et Augustus Iudæos tanquam sibi subditos per Cyrenium recensuit, quo tempore ex virgine beata Iesus Christus vnicus Ecclesiæ Dei Seruator & Mediator natus est.

*Neque

Anno 1561.

* Neque regno Israelitico, neque Iudaico idolorum stercoribus polluto Deus, gloriæ suæ (quam statuis & simulacris concedere recusat) zelotes, vindictam in ira sua sumens de iis qui filium eius vnicum Seruatorem & Mediatorem recipere detrectant, vllo modo pepercit: absit igitur vt Franciæ regnum, propterea quod durationem regni Israelitici & Iudaici per repetita annorum secula bis superauerit, sibi applaudat. quinimò Ezechiæ Iosiæque, piorum regum in Iudæa, religionem ex Dei verbo instaurantium, idololatriam & idolorum sacrificulos expellentium imitetur exempla. nec alia ratione imminens ira Dei vitari potest. *Psal. 2.* * Si quis obiiciat munus illud ad principes & reges minime pertinere, is authoritatem principibus ac regibus à Deo commissam conuellit, in maiestatis crimen incurrit, in Deum blasphemus apparet, quem calumniæ profanæ telis adoritur. Huius authoritatis exēpla passim in historiis sacris occurrunt: regnūque Francorū domesticis in eam rem testimoniis abundat. * Iamdudum enim Franciæ reges statuta, leges, edicta de rebus Ecclesiasticis promulgarūt, præsertim ad cōpescendas Ecclesiasticorum, nominatim vero Episcoporū & Pontificum Romanorum pessimas artes. Nam ante 1050. annos Clodoueus Francorum rex primam Synodum Gallicanam Aureliæ indixit, & iussit haberi: in qua triginta tres Episcopi conuenerunt, atque triginta tres Canones Ecclesiasticos conscripserunt, quos Gratianus monachus Italus fere omnes decreti sui compilationibus inseruit: & ad finem prioris partis Conciliorum additos legimus. Vincentius historicus, *libro 12.* huius Synodi meminit: Gratianus item, *dist. 16. c. prima annot.*

97 Qua ratione ira Dei vitari possit.

98 Res Ecclesiasticas Franciæ reges constituerunt.

99.

Clodoueus primam Synodum Gallicanam indixit & haberi iussit.

* Ante annos 800. Carolus magnus Francorum rex, postea Occidentis imperator (vel, teste Alberto Crantzio histor. Eccles. lib. 1. c. 2. titulos eiusdem ex antiquis diplomatibus describente, *Imperii Romani gubernator, dominus & rex Francorum ac Longobardorum, Saxonumq; dominator*) non modo leges politicas, in hunc vsque diem à Saxonibus obseruatas, constituit, verumetiam per Gallias quinq; concilia haberi curauit: primum Moguntiæ, alterum Rothomagi, tertium Rhemis, quartum Catalauni ad Ararim, quintum Arelatæ: in quibus Clero leges & regulæ præscriptæ sunt. * Ludouicus Pius Concilium Aquisgrani habuit, in quo præter *Ecclesiasticarū constitutionum libros*, anno 830. promulgatos, vestes pretiosas & artificio multo confectas Clericis abstulit, Platina in *Gregorio quarto*, Roberto Gaguino, ac Paulo Æmylio testibus. * Iterum Carolus solus, dein cum Ludouico Pio imperii consorte: postea Ludouicus per se, tandem adscito Lothario filio natu maiore varias leges Ecclesiasticas tum de doctrina Christiana & Sacramentis, tum de Episcopis & Clericis sanciuit. * Quibus legibus Ecclesia paruit, quemadmodum ex *capitulis* Caroli magni, Ludouici Pij, Clotharij, & Gratiani *Decreto* facile colligitur. In decreto autem quamplurimæ leges ex iisdem capitulis collectæ leguntur. Ansegisus abbas autem *Capitulorum Caroli magni & Ludouici Pii libros quatuor* edidit etiamnum extantes. Quorum summā his verbis idem Abbas in præfatione sua complexus est. *Hoc notum sit lectori, quia prædicta capitula, quæ per interualla temporum à præfatis sunt Principibus edita, in quatuor distruxi libellos. Illa scilicet, quæ Dominus Karolus Imperator fecit ad ordinem ecclesiasticum pertinentia in primo adunaui libello. Ea vero Ecclesiastica, quæ domnus ac piissimus Ludouicus Imperator & Lotharius Cæsar filius ipsius ediderunt, in secundo descripsi. Illa autem quæ domnus Karolus in diuersis fecit temporibus ad mundanam pertinentia legem, in tertio adunaui. Ipsa vero quæ domnus Ludouicus præclarus Imperator & Lotharius Cæsar filius eius fecerunt, ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarto congessi.* * Priore libro cap. 78. edicit Carolus lege sancta & catholica, *vt in Ecclesia libri Canonici sacræ Scripturæ tantum legātur.* Idem statuerat Concilium Carthaginense tertium, *can. 47.* subiunctio Canonicorum librorum veteris nouique Testamenti catalogo. Docet præterea Carolus, *cap. 81.* Ecclesiarum pastores (mendicantibus & aliis monachis pulpitum conscendentibus, nondum natis) quid agendum sit, his verbis: *Summopere vobis videndum est, dilectissimi & venerabiles pastores & rectores Ecclesiarum Dei, vt presbyteri quos mittitis per parochias vestras ad regendum & prædicandum per Ecclesias populum Deo seruientem, rectè & honestè prædicent: & non sinatis noua vel non Canonica aliquos ex suo sensu; & non secundum scripturas sacras fingere & prædicare populo. sed & vosmetipsi vtilia honesta & rectè, & quæ ad vitam ducunt æternā prædicate, aliosq; instruite, vt hæc eadem prædicent.* Proposito deinde Symboli Apostolici, decalogi, dominicæ item orationis compendio, tandem subiicit: *Ideo, dilectissimi, toto corde præparemus nos in scientia veritatis, vt possimus contradicentibus veritati resistere: & diuina donante gratia verbum Dei crescat, & currat, & multiplicetur in profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & salutem animarum vestrarum, laudem & gloriam nominis Domini nostri Iesu Christi. Pax prædicantibus gratia obedientibus, gloria Domino nostro Iesu Christo, Amen.* * Eiusdem libri 1. cap. 87. *Statutum est* (inquit Carolus) *vt quicquid tempore imperij nostri à fidelibus Ecclesiæ sponte collatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in vsus pauperum, tertiam in stipendia cedere clericorū aut monachorum, in minoribus vero locis æquè inter clerum & pauperes fore diuidendum: nisi forte à datoribus, vbi specialiter danda sint, constitutum fuerit.* * Cap. autem 83. *Quia iuxta sanctorum patrum traditionem nouimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: cuiq; non solum habita conseruare, verum etiam Deo opitulante conferre optamus. Tamen vt multa ab Ecclesiasticis de non diuidendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoueremus, statuimus, vt neq; nostris, neq; filiorū & (Deo dispensante) successorū nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatē vel exemplum imitari voluerint, nullam penitus diuisionem aut iacturam patiatur.* Synodus Moguntina capitulum illud sequuta est, aduersus Abbatum & Monachorum auaritiam turpisque lucri cupiditatem, à Gratiano repressam, *caus. 10. quæst. 3 can. vlt.*

100. Caroli magni nomina, leges, indicta concilia.

101 Ludouici Pij Constitutiones Ecclesiasticæ.

102.

103. Caroli magni capitula.

104. De sincera verbi Dei administratione.

Nouis & apocryphis scriptis exclusis.

105. De collatis Ecclesiæ diuidendis, & non diuidendis.

104.

 *Ecce

Anno 1561.

107. *De mortuorum sepultura.*

*Eodem libro piam Christianamque legem de verbi Dei prædicatione sancit Carolus, capi. 109. his verbis: *Episcopis monemus, vt siue per se, siue per vicarios, pabulum verbi diuini sedulo populis annuntient: quia, vt ait beatus Gregorius, iram contra se occulti iudicis excitat sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit, & vt ipsi Clerum sibi commissum in sobrietate & castitate nutriant, diuinisq; officiis imbuant, qui ritè ad sacrosanctos Ecclesiasticos ordines promoueri possint.* Paulo post: *Et vt superstitiones, quas quibusdam in locis in exequiis mortuorum nonnulli faciunt, eradicent.* Postrema hæc verba Christi præcepto conueniunt, *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos*: Luc. 9. 60. Dicto item Mosis, *Leuit.* 21. 1. 11. & Apostoli, 1. *Thessal.* 4. 13. & Ambrosij, lib. 1. de Abrahamo patriarcha. cap. 9. scribentis in dictū illud Genes. 23. 3. *Surgens vero Abraham, quum recessisset à facie mortui sui; Docemur, inquit, non diu adhærere mortuis, sed eis deferre quod humanitatis officio sufficit.* Dictum vero Gregorij à Carolo citati, extat in eiusdem libro *de cura pastorali. par.* 2. *c.* 4. primo item *epistolar. lib. cap.* 24. à Gratiano postea in decreti volumine comportato, *dist.* 43. *can.* 1. * Toletana Synodus tertia, c. 22. statuit, vt in Christianorum sepultura nullæ vsurparentur ceremoniæ præterquam Psalmorum cantus: precesq; funebres omnes reiicit, ad spem resurrectionis cantum illum Psalmorum reuneans. Ex Euangelicis autem literis & Pauli doctrina Canonis sui ratione reddita, tandem infert, per vniuersum orbem Christianorū corpora eo modo esse inhumanda. Fuit equidem Synodus hæc planè orthodoxa, quæ Arianā hæresim anathemate feriit, atq; quamplurimos, nominatim presbyteros & Episcopos ab Arianismo ad veram fidem reuocauit. Et extat in Decreto Gratiani, XIII. *q.* 2. *c. Qui diuina.*

108. *Preces funebres vetita, vnicus Psalmorum cantus, in spem resurrectionis admissus.*

109.

*Ludouicus autem Pius, Caroli magni Francorum regis & Romanorum imperatoris filius: Clotharius item Ludouici filius, Ansegisi lib. 2. Christianissimam & sanctissimam legem de sacro Cœnæ Dominicæ sacramento statuerunt, cap. 40. his verbis, *in perceptione corporis & sanguinis dominici magna discretio adhibenda est. Cauendum est enim ne si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Si verò indiscretè accipiatur, timendum est illud quod ait Apostolus. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Iuxta eiusdem ergo Apostoli documentum: probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice, bibere, vt videlicet abstinēs aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animamq; suam, præparet se ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo Dauid, qui nisi confessus fuisset se abstinuisse ab opere coniugali ab heri & nudius tertius, nequaquā panes propositionis a sacerdote accepisset.* Et ca. 45. *Vt si non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent, nisi forte quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur.*

110. *Communio sub vtraque specie.*

Caroli magni seculum vsum sacramenti sub vtraq; specie laicis mādati retinuit, teste Ioachimo Vadiano, qui in *Europa descriptione* varia decreta Germanicarum Synodorum, à Caroli magni excessu habitarum, profert edita, quæ describere non fert animus.* Manifestum est communionem sub vtraq; specie laicis vtriusq; sexus publicè & semper in Gallia, vsque ad Synodum Constantiæ habitam, obseruatam esse. Paulo post Basiliensis Synodus eandem cōmunionem Bohemis horumq; vicinis concessit. Quinimo epistolę decretales Pontificum, non ita corruptæ, vt Sextus, Clementinæ & extrauagantes, quæ postea successerunt, communionem eandem haud improbant; & parœciarum sacristæ huius rei curam gerere præcipitur, vt ægroti ipsi panem & vinum sacrum petentes sumerent, quemadmodum refertur *lib* 1. *Decretalium, capite secundo & tertio tituli* 24. *de Archipresbyteri officio.* * Cæterum eo loco Cardinalium presbyterorum nomine intelliguntur Curiones, ita dicti, quod parœciæ præcipuam curam gerant. Illo etiam seculo & prioribus ab omni æuo, Romæ nominatim, Cardinales nihil aliud fuere quam parœciarum Curiones, sicuti Gregorij magni Romani episcopi epistolæ testantur. Idem affirmat Cardinalis Florentinus Canonistarum princeps, qui ante 180. annos floruit, consiliisq; suis admiscet, *cons.* 65. Cardinales Romanos asserens parœciali iure niti in locis titulorum suorum.* Clotharij autem Cæsaris, atq; Caroli Calui Franciæ regis & imperatoris, Ludouici filiorum, seculo, Leo IIII. Romæ episcopus de gradu deiecit, sancti Marcelli Cardinalem, quod per quinquennium in parœcia sua non resedisset: teste Platina *in Leone quarto.* * Postquam vero Innocentius quartus Fridericum secundum imperatorem anno 1247. armis debellauit, ex eius spoliis (vt refert Platina) Cardinalibus rubros galeros tribuit: ex quo relictis parœciis suis curiones isti Principes & Regum cognati facti sunt.

111. *Cardinalium origo.*

112

113. *Cardinalium galeri.*

*Plures alias constitutiones Ludouicus & Clotharius euulgarunt de ministris & disciplina Ecclesiæ, quæ paucis attingam. Priore libro Capitulorum Caroli Magni, cap. 2. *Eorum,* inquit, *qui ad ordinandum veniunt fides & vita prius ab Episcopo diligenter discutiatur, & posteà ordinentur.* Cap. 142. *Presbyteri non ordinentur, priusquā examinentur, & excōmunicationes passim ac sine causa non fiant.* cap. 19. *Non oportet Episcopum aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari. Vtriq; deponendi sunt, & qui ordinat, & qui ordinatur, nec non qui mediator est inter eos. Item de eadem re in Canonibus Apostolorū legitur; Si quis episcopus, aut presbyter aut diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiiciatur & ipse, & ordinator eius, & à cōmunione abscindatur: quam hæresim iam ipse princeps Apostolorum in Simone Mago terribiliter damnauit.*

115. *Episcoporum electio ad quos pertineat.*

*Præterea Carolus magnus & Ludouicus magnus edixerunt *cap.* 84. *lib.* 1. vt episcopi per electionem clericorum & populi, secundum statuta Canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, vt exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaq; prodesse valeant. quam constitutionem Gratianus fideliter inseruit *c. sacrarum, distin.* 63.

116. * Alibi vero liberos homines vetant ad monachatus professionem admitti.

Anno 1561.

mitti, nisi per regem eis liceat: *Relatum enim (inquiunt) nobis est, quosdam non tam deuotionis gratia, quã vt belli labores aliudve Regi debitũ obsequium vitarent; illud vitæ genus ambiisse: alios autem auaritia nonnullorum hæredipetarum eo fuisse inductos & adactos.* Seruilis conditionis homines à dominorum suorum arbitrio pendere iubent.* Quæ lex honesta sanctaq; damnat Valentis edictum, post Valentiniani fratris mortem promulgatum, quo (relatu Pauli Diaconi *lib. 12.*) monachi ad bellum proficisci iubebantur. * Lib. 2. cap. 37. edicunt, *vt iuxta Apostoli vocem sacerdotes irreprehensibiles sint, moribus ornati, & nequaquam turpibus lucris deseruiant, iuxta illud, quod ait Scriptura, Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat cui se probauit.* Et cap. 41. *Quia constat in Ecclesia diuersarum conditionum homines esse, vt sunt nobiles & ignobiles, serui, coloni, inquilini, & cætera huiuscemodi nomina, oportet, vt quicunque eis prælati sunt, clerici siue laici, clementer erga eos agant, & misericorditer eos tractent, siue in exigendis ab eis operibus, siue in accipiendis tributis & quibusdam debitis: sciantq́; eos fratres suos esse, & vnum secum patrem habere Deum, cui clamant, Pater noster qui es in cœlis: & vnam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis vtero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima, & gubernatio opportuna adhibenda est: disciplina, ne in disciplinate viuendo auctorem suum offendant: gubernatio, ne in cottidianis vitæ cõmeatibus prælatorum adminiculo destituti fatiscant.*

117.

118. *De sacerdotum officio.*

119. *De monachis, & monialibus.*

* Præterea lib. 4. cap. suorũ, sequentes articulos conscripserunt, quod Ansegisus libro 1. suæ compilationis adiunxit his verbis, cap. 101. (postremę editionis Parisiẽsis, quam sumus sequuti,) *Ne pueri vero sine voluntate parentum tonsurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum est: & qui hoc facere tentauerit, mulctam, quæ in capitulis legis mundanæ à nobis constitutis continetur, persoluere cogatur.* Et cap. 107. *Ne verò puellæ indiscretè velentur, placuit nobis etiam de sacris canonibus qualiter obseruandum sit, hic inserere. De tempore velandarum puellarum in Africano Concilio, cap. 16. continetur, vt non ante xxv. annos consecrentur.** cap. 120. *Vt nullus deinceps in ecclesia mortuum sepeliat.* Quod antea constitutũ fuerat à Gratiano, Valentiniano, & Theodosio imperatoribus, circa annum Christi 380. &c. vt refertur *l. 2. Cod. De sacrosanctis Ecclesiis*, postea item in aliis Caroli magni capitulis, nec non in comitiorũ Wormatiæ habitorum lege Carolina, quam decretalium Pontificiarum compilatores, auctoris nomine suppresso, sibi tribuunt, *c. 1. extra, de censibus*, quemadmodum in *annotat. ad contextum* attigi, tum in *3. part. stili Curiæ Parisiensis, tit. 50.* & in *notis ad Gratiani decretum, c. Sancitũ est, 23. quæst. 8.** Idem Carolus magnus in edicto Martij mensis, regni sui anno 21. priusquam Augustus salutaretur, anno 22. cap. 8. *homicidas aliosve reos, mortis supplicio iure afficiendos, ad ecclesias confugientes, immunitate priuat*; quod Iustinianus magnus longè antea constituerat, nẽpe circa annum Christi 540: sicut in *annotationibus ad Alexandri cons. lib. 7. cons. 145.* obseruaui.

120. *De sepultura.*

121.

122. *Episcopi & Clerici legib. regiis obedinerũt.*

* His multisque eiusmodi constitutionibus, quarum descriptionem, breuitatis gratia subiicere nolo, non tantum laici, verum etiam clerici, sacerdotes, episcopi, atque adeo pontifices ipsi paruerunt, iuxta S. Pauli doctrinam, Romanis [veteribus] Christianis traditam, Roman. capite decimotertio: *Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto.* πᾶσα ψυχὴ, inquit Chrysostomus, Apostoli verba referens, *Omnis anima*, vt demonstraret neminem ab hac subiectione esse immunem; etiamsi Apostolus, Propheta, Euangelista, Presbyter, monachus nominaretur: quum etiam hæc subiectio pietati nequaquam obsit. Sanctus Petrus etiam, prima epistola, cap. 2. *Subiecti estote*, inquit, *cuiuis humanæ ordinationi, propter Dominum: siue regi, vt qui supereminet, siue præsidibus, vt qui per eum mittantur.*

123.

123. *Romani pontifices regibus subiecti.*

124.

* Historia autem testatur, totam Ecclesiam, Romanosq́ue pontifices, principibus fuisse subiectos, vt disertis verbis traditur c. de capitulis, 10. dist. vbi Leo quartus (inter sanctos Romanos episcopos relatus) expresse humiliterque pollicetur Lothario primo, Ludouici Pij filio, se imperatoria capitula & iussa, tum etiam Caroli magni & Ludouici Pij præcepta, *diligenter, inuiolata fiue, indesinenter, perpetuo modisque omnibus obseruaturum*: *mendacem* appellans *eum qui secus dixerit vel in posterũ dicet.** quæ postrema clausula obseruatu dignissime videtur, tanquam censura prophetico spiritu concepta, subiunctaque contra futuram Pontificum ambitionem atque vsurpationem, Canonistarum item imposturas & fraudes, præsertim Archidiaconi & Alexandrini Cardinalis, qui in Canonem illum *de Capitulis* scribentes Leonem quartum pusillanimem appellarunt, ac si pauore pressus huiusmodi professionem edidisset. Atqui Leo ipse mendacij arguit istos, sicut ante Gratianum Iuo Carnutensis episcopus, *decretorum* suorum *libro secundo* testatur. Iterũ cap. vltimo eiusdem distinctionis Leo IV. ad Lotharium scribit, *Clementiam vestram supplices rogamus sicuti hactenus lex Romana* (ab Imperatorib. Francicis edita) *vim suã sine vllo tumultu obtinuit; nec auditũ sit eam in alicuius gratiam vel tantillũ violatã esse, vt etiamnũ vestra auctoritate sarta tecta manet:*

125. *Leo IV. coram Ludouico II. capitis causam dicit.*

126. *Et de armis contra Saracenos inductis reddit rationem.*

* Idem Leo, postquam Lotharius cucullam induit, à sycophantis crimine maiestatis insimulatus, nempe quod imperium Græcis restituere molitus esset, in iudicio stetit coram Ludouico secundo, Lotharij filio, cuius iudicio est absolutus, vt refert *c. Nos si incompetenter aliquid egimus, 11. quæst. 7.** Idem Leo rationem prolixè reddidit Ludouico secundo, quod pro Italiæ & vrbis defensione arma induerat, feliciterq́; cõtra Saracenos pugnauerat. quod refertur *c. Igitur, & sequentes 23. q. 8.* quemadmodum *in annotationibus* meis ad eundẽ locum attigi, teste etiã Platina in *Leone 4.* Res ita habuit. Saraceni quum Ostiæ vrbem & portum inuasissent, vt ex improuiso Romam (belli suspicione liberam, præsidiario milite destitutam, præsentia subsidioque Cæsaris, quem in tanto periculo implorare ciues non poterant, nudatam) sine labore expugnarent atque diriperent, Leo episcopus Romanus strenui bellatoris & imperatoris personam induens,

 popu-

Anno 1561.

populum ad arma conuocatum, vrbe excedens, duxit aduersus Saracenos, quos alacri pugna aggressos prostrauit, fudit, fugauit, multis in prælio desideratis, alijs captis, in seruitutẽ adactis, vel iusto mortis supplicio affectis. Captiuos autem coegit ad instaurationem profanorum & sacrorum vrbis locorum, quæ Saracenorum maiores olim diruerant. Deinde Leo per nuncios apud Imperatorem in Gallia degentem, factum excusauit, periculi improuisi necessitatem causatus, & rem totam explicuit, ne in Imperatoris auctoritatem & iurisdictionem vel tantillum sibi tribuere velle videretur. Id contextus *c. Igitur.* asserit: vbi glossa prior præpostere & ridicule, pro more Canonistarum, infert vrbem Romam ad Pontificem, nõ ad Cæsarem, pertinere.

127. Roma non ad Pontificem, sed ad Cæsarem pertinet.

* Atqui contrarium planè sequitur, & inferendum est: quorsum enim Leo negonj causas Cæsari aperuisset, vel tãquam subditus & imperij legibus adstrictus, imò reus, iudicio stetisset, sicuti diximus? Præterea videt lector, quam imperite Canonistarum temeritas Leonem timiditatis arguerit; quum prompta manu acies belli cõmeatu munitas fortiter profligauerit: & quam iniquè dicta factaq; Leonis, inter Diuos relati, nebulones isti vellicent. Sed, quid miramur istorum audaciam, quum etiam in Christo & Apostolis improbent quicquid dictum in nouo Testamento legitur, quod suorum Pontificum ambitiosæ tyrannidi repugnet?

128. Ioannes octauus.

*Pontifex Ioannes VIII. eandem obedientiam Ludouico secundo Francico Imperatori detulit: *c. Vides, 10. distinct.* vbi de iisdem legibus agitur, sicuti personarum, temporum, & aliarum circumstantiarum historia demonstrat, & infra prolixius declarabitur.

129. Ludouicus IX. cognomine sanctus.

* Ludouicus IX. Francorum rex anno 1228. antecessorum suorum exemplo, iuxta veteres Canones, legem promulgauit aduersus nouas Curiæ Romanæ technas, reseruationes, exactiones, præuentiones: qua statuit vt Franciæ episcopi & prælati, patroni item omnes ac beneficiorum collatores, iure suo plenè fruerentur: cuiq; sua iurisdictione conseruata, cathedrales item Ecclesię, nec nõ collegiales, immunitatibus, decimis aliisq, prouentibus gauderent; atq; iuxta iuris communis dispositionem, Conciliorum S. Ecclesiæ statuta, sanctorum patrum institutionem, promotiones, collationes, prouisiones & constitutiones prælaturarum, dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum in Franciæ regno fierent.

130. Præuentiones Romanæ à prima Gallicana Ecclesia Synodo damnata.

* Hæc sanctio in gratiam libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, conseruationis Canonum & Conciliorum, nominatim primi Gallicani, promulgata est. Etenim can. 19. quem Gratianus inseruit. *16 q. 7. c. Omnes Basilicæ*, quotquot Ecclesię tũm erant, præsentes, tum futuræ, diœcesæos Episcopo subiiciuntur. Præterea Ludouici lex sartam tectam custodit Synodi Nicenæ constitutionem, *c. 6.* & Antiochenæ, *c. 9.* quæ extat apud Gratianum, *causa 9. q. 3. c. per singulas*: conseruat itẽ veteres Cæsareas & Regias constitutiones contra abusum reseruationum, annatarum, præuentionum, & nouorum pontificum technas quæstuarias. Porro legem hanc Ludouici in *stilo Parlamenti Galliæ suprem. par. 3. tit. 3. art.* 1. describere & inserere visum est. Anno 1228. idem Ludouicus IX. aliam legem tulit aduersus Simoniæ crimen pestiferum, eidem *partis 3 titulo* additam *art 39.*

131. Pragmatica Sanctio Ludouici IX.

* Anno autem 1268. idem rex in solenni conuentu legem Ecclesiæ Gallicanæ priuilegia conseruantem scripsit, quæ S. Ludouici *Pragmatica Sanctio* dicta est. Hac lege Romanæ Curiæ exactiones omnes iugulantur. *Ex regestis supremæ Curiæ* articulum sequentem, vel potius eius summam descripsit. *Exactiones*, inquit, *& grauissima pecuniarum onera Gallicanæ Ecclesiæ à Curia Romana, in regni nostri perniciem imposita nullo modo colligi volumus, nisi sit honesta, pia, planè necessaria causa, necessitasq; prorsus ineuitabilis: accedente expresso mandato, proprioq; nostro, nec non Ecclesiæ nostri regni, motu.* In huius legis expositionem regium Parlamẽtum varia pronunciauit Senatuscõsulta.

132. Philippus Bellus.

* Anno 1303. Philippus cognomine Pulcher, nobilem legem, quæ *Philippina* dicitur, promulgauit, qua vetat Episcopis, curionibus, & quibusuis aliis regni Franciæ clericis, seu Ecclesiasticis hominibus, nouarum decimarum, primitiarum, onerum insolitorum exactiones: decimas vsitatas, nullas alias autem permittens. Partem suæ iurisdictionis ab Ecclesiasticis vsurpatam, Philippus Valesius repetiit.

133. Carolus V sapiens.

* Carolus V. cognomine sapiens, aduersus Pontificum fastum, rabularumque pontificiorum falsas opiniones *Somnium viridarij*, dialogum, in quo Eques Clerici sophismata refellit, conscribendum curauit. *Biblia sacra* etiam Gallico idiomate, tum Lutetiæ Parisiorum, tum in Gallia Belgica, Normannia & aliis regni partibus euulgauit, vt quisque natiua lingua sua sacris literis frueretur. Veteres illæ interpretationes etiamnum extant, cum inscriptione, *De mandato regis Caroli V.* non modo nomine, sed re ipsa principis sapientissimi.

134. Aduersus interdicta & anathemata pontificia.

* Præterea anno 1369. quinta die Ianuarij, idem Rex edicto prohibuit, ne Episcopi aliive Franciæ prælati, horum item officiales, vt vocant, censuræ notam vel anathematis interdictum in ciuitates, oppida, collegia, communitates vllas regni sui promulgarẽt. Edictum illud inter vetetum *Curiæ Parlamenti supremi constitutionem regesta* legitur, *fol. 62.*

135. Carolus VI.

*Anno 1365. Carolus sextus edicto publico Põtificum & Cardinalium collectores tota Gallia expulit, extraneos dignitatibus Ecclesiasticis exuit, Cardinalium atq; Pontificum promotiones irritas & nullas esse declarauit. Iterũ anno 1388. potestatem pontificiis exactoribus cõcessam reuocauit, iussitque regni sui Ecclesiasticis quæcunq; ipsis eo nomine facultates ereptę fuerant, restitui. * Edicto etiam, *in stilo Parlamenti parte 3. tit. 37. art. 1.* à capite ad calcem addito, cõtra Cardinales aliosque Pontificis emissarios, munerum Ecclesiasticorum, quę in regno possidebãt, opima spolia extra Gallię fines auferebãt, collectores etiã qui Episcoporum Prælatorumq; morientium facultates corradebãt, mandauit vt omnium beneficiorũ Ecclesiasticorũ regni sui, quæ à Car-

Anno 1561.

à Cardinalibus cæterisq; extraneis possidebantur, reditus & pensiones à cōmissariis per iudices præsidiales delectis colligerentur, distribuerentur in necessarios & legitimos vsus: quod autem reliquum esset, iis ad quos ex iudicum arbitrio pertineret, à cōmissariis persolueretur. Episcoporum etiam, Abbatum, Priorum, Xenodochitarum & Leprositarum morientium facultates, à regiis cōmissariis tractarentur, & mortuorum hæredibus legitimis conseruarentur, vulturibus illis pontificiis exclusis. * Paulo post Franciæ regnum & Delphinatus à Pontificis obedientia recessit, quemadmodum ex eiusdem *Curia regestis* colligere licet. Franciæ historiographi illud omiserunt, nempe Pontificis stipendiarij, qui plura beneficia sperabant, suisque commodis arte adulatoria cauebant. Contra extranei, viri nobiles, magna authoritate præditi, inter quos Baldus eximius iurisconsultus, In Academia Patauina tunc temporis legum professor, scribit regem Franciæ, nempe Carolum sextum, anno 1390. neque Benedicto XIII. Auenioni, neque Bonifacio IX. Romæ sedenti, obediuisse: denique idem iurisconsultus satis superque demonstrat illam obedientiæ subtractionem iustam fuisse. * Bonifacium boui, Benedictum efferæ bestiæ comparat: vtrunq; testimoniis Scripturæ sacræ reprobans, subiectis ex Psalmo 100. iuxta vulgatam editionem his verbis, *Ambulans in via immaculata ministrabit mihi*. Quoniam verò vterq; praua via incedebat, concludit Baldus nullum istorum esse Dei ministrum. Ad expositionis suæ confirmationem glossam ordinariam in eundem Psalmum citat, in pronomen *Mihi*, vbi glossa, *Mihi*, inquit, non *sibi*, & continuò subiicit Baldus, *Sicut faciunt isti*, in prælectionibus & scriptis publicis digitum intendens in Pontifices, sibi non Deo, neque Ecclesiæ Dei ministrantes. Id expressis verbis testatur in c. *Olim, colum. penult. De rescriptis in Decretal.* * Circa finem huius lecturæ scribit, *Pontificis intrusi acta, etiam priusquam deponatur, esse vitiosa: quum vero canonica ratione probata, via ingressus est, ac postea destituitur: quod ante exequutus est stat, post destitutionem fit irritum.* Præterea, *contra Pontificem abutentem, primum verbis, secundo herbis & remediis, tertio lapidibus & violentia vtendum esse* ait. Non interfuit Constantiensi concilio Baldus; antea enim fatis concesserat: sed eius authoritas multis in Constantiensi, dein Basiliensi synodo congregatis profuit.

137. Obedientia, Pontifici ablata.
Baldus.
138. Pontificum pictura.
139.
Remedia contra pontificem furiosum.

* Pontifex anathemate percussit regem, Principes, & horum asseclas. quum autem bullas suas neglectas videret, famosum emisit libellum, quo populum, sacerdotes & monachos contra regem excitaret. Quidam libelli tabellarius, se Tholosatem nuncium asserens, Curiæ Parisiensis senatusconsulto, Iulij 16. anno 1401. libellum palam laceratum conspexit.

140. Anathemata pontificia.

* Die vigesimo sexto eiusdem mensis & anni lictores ex arce Lupara duos Bullistas, qui diplomata Pontificis attulerant, eduxerunt. Ij vero ignominiosè traducti, mitris chartaceis redimiti, plaustro stercorario per vrbis compita pertracti sunt: iussitq; Senatus in seditiosos, & à regiis edictis prouocantes, tanquam maiestatis reos, inquisitionem fieri.

141. Pontificis emissarij duriter excepti.

* Deinde Pontifex, siue Cardinales ac cameræ Romanæ serui, coram Parlamento Parisino accedentes, & auditi, iudicium subierunt anno 1406. die 12. Septembris, quo iussi sunt ab Annatarum prouentibus manus abstinere, & exactos restituere numos.

142. In eosdem senatusconsultum.

* Neque heri, vel nudiustertius Pontifices sacrificulorum & monachorum opera inuaserunt, (ab iis enim iuramentum aduersus quoscunque exigunt) & contra regem in regno ipso excitauerunt tumultum. Circa annum 1300. Bonifacius VIII. contra Philippum, cognomine Pulchrum eundem mouit lapidem. Conatus est autem iura regalia, præbendarumq;, vt vocant, collationes ad regem, propter summam in Gallia dignitatem pleno iure pertinentes, euertere. Deinde maiora ausus, quum adscripsisset se in temporalibus & spiritualibus Dominum in vniuerso mundo, atq; adeo Franciam studeret sibi subiicere, Ioannem monachum Canonistam & Cardinalem legatum misit à latere, qui non tantum exploraret, verum etiam Episcoporum atq; Prælatorum animos in regem accenderet, conuentusq; cum asseclis suis clandestinos haberet, in quibus rex perduellis & hæreticus pronuntiaretur, Franci à fidelitatis iuramento regi præstito absoluerentur, rex toto regno pelleretur, vel regia iura coactus relinqueret, Pontificemque dominum agnosceret, quemadmodum id antea factum fuerat à Ioanne Sine terrâ, Angliæ rege.

143. Franciæ regnum turbare Pontifices conati sunt.

* Animaduersis his artibus, fuga monachus sibi consuluit: Bonifacius autem agens aperto marte Alberto Cæsari electo regnum Franciæ dono dedit, coronam Imperij & Galliarum ei offerens, si modo Philippum armis aggrederetur: nec sumptibus vllis deinde pepercit, vt Franciam pessundaret. Elogium isti Bonifacio ab Italis ipsis magniq; nominis scriptoribus adpictum est, *Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis.*

144. Bonifacij VIII. audacia summa.

* Martinus V. à Constantiensi synodo pontifex electus, papatus possessionem pacificam quamprimum adeptus est, cumulatis monarchię suę prouentibus non acquiescens (etiam si per triginta tres annos duo antipapæ horum prouentuum subsidio fulti vixissent in deliciis, & armis certassent: ante sexennium verò tres, dein quatuor simul Pontifices sese commodè sustentassent) omnes & singulas ecclesias stipendiarias reddere, & veteres reseruationes à synodo Cōstantiensi damnatas instaurare studuit. At frustra; molitiones enim omnes, durante schismate quadragenario, præsertim in Franciæ regnum, conflatę, tunc euanuerunt. Quod vt commodius absolueretur, anno secundo pontificatus Martini, Francię ordines tres Parisiis conuocati statuta atq; edicta antiqua aduersus Pontificum grauamina & vsurpationes Ordinum communi consensu & edicto anno 1418. Maio mense renouata sunt. Ex Ordinum præscripto quicquid super eo negotio constitutum fuit, ipsi Martino significatum, cui plenè acquiesceret, alioquin Pontifex non agnosceretur.

Bald. c. 1. de nat. feud. col. 1. in vsib. feud.
145 Martini V. impia artes, irrita.

* Quo-

Anno 1561.

146. Eiusdē audacia repressa.

* Quoniam vero id præstare Martinus & Cardinales detrectarunt, quinetiam interdicto Lugdunensem Ecclesiam obligare ausi sunt, supremæ curiæ arresto, 1422. anno interdictum illud nullius momenti & tanquam abusiuum declaratum atq; neglectum fuit. Procuratore autem regio id requirente, inquisitum est in quosdam pontificios seditiosos, præsertim in Vniuersitatis rectorem, qui ab edictis regiis ad Pontificem prouocauerat; tanquam in læsæ maiestatis reos, sicuti ex eiusdem curiæ regestis colligere licet.

147 Grauamina nationis Germanicæ.

* Eodem tempore Ecclesia & natio Germanica, iamdudum oppressa & expilata quæstorum pontificiorum artibus quamplurimis supplicibus libellis onerum subleuationem postulauerat. Pontifices contra regerebant se spiritualia spargere temporalibus longè pretiosiora: Germanos centuplum per indulgentias pridem recepisse. Æneas Syluius, tunc temporis agens, id luculenter *in epistolis* testatur.

148. Æneas Syluius versipellis.

* Qui quidem synodum Basiliensem quamuis antea laudasset & valde probasset, postea tamen abolitam cupiens, in Pontificatus gratiam tot formas assumpsit, vt tandem voto potitus Germaniam ad Pōtificis obedientiam pertraxerit, Friderici Austrij Cæsaris armata manu adiutus. Ideo, quum Amedeus Sabaudus in eadem synodo electus, & Felix nominatus, vi coactus esset Romano Pontifici sedem vacuam relinquere, Fridericum illum Imperatorem coronauit Pius Pontifex.

149. Caroli VII gesta aduersus Pontificem.

* Carolus septimus anno 1437. regni Franciæ prælatis profectionem Ferrariensem interdixit, quamuis eo citati essent ab Eugenio quarto Martini successore. Anno autem 1438. *pragmaticam sanctionem* Biturigibus scripsit contra annatas, reseruationes & artes pontificias. Anno 1440. diplomata publica, in curia Parisiensi perlecta & probata promulgauit, quibus rescripta pontificia, citationes, præuentiones aut censuras Romanas regno suo eliminabat, secus facientes vt perduelles suppliciis adiudicans.

150. Ludouicus XI. pastores aquus Pontifici.

Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, Ludouicus vndecimus edictis publicis vetuit, ne Francorum quisquam Romæ pecunias mitteret, vel deferret, aut inde bullas adferret. quæ edicta renouauit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo, (sicuti longe antea idem præstiterat Philippus cognomine Pulcher) vigiles item ad itinerum stationes certas cōstituit: beneficiarios quoscunq; iussit residere, secus facientes prouentuum perceptione priuauit.

151 Procuratoris regij egregium facinus.

* Quum verò Æneas Syluius ad Pontificatum peruenisset, Ludouicus tum blanditiis pontificiis illectus, tum Sixti quarti Æneæ successoris fraude captus, pragmaticæ abolitionem promisit sed optimo viro N. Sauromano, procuratore generali, reclamāte rex male promissum reuocauit.

152. Iulij 2. ingratitudo in Ludouicum XII.

* Armis multas Italiæ vrbes acquisitas Ludouicus XII. Iulio II. concessit. at gratus Pontifex optimum regem sannis exceptum, Italia tota expulit, atq; in eundem Hispanos, Germanos, Heluetios, Anglos, qui Galliam vastarent, pontificiis artibus excitauit: Synodum Pisis indictam ferro profligauit Mediolanum vsq;, inde Lugdunum, Philippi Decij Iurisconsulti, qui pro synodo sententiam dixerat, ædes & musæum diripi iussit. Quoniam vero idem Iulius dignitate pontificia ad tempus Lugduni priuatus fuerat, Gallos non tantum communione priuauit, sed etiam diplomata plenæ remissionis peccatorum concessit omnibus, qui Francum occurrentem interficerent.

153 Ioannes Castellæ administrator Nauarræ regnum inuasit.

* Et quoniam primo occupanti Franciæ & Nauarræ regna dederat, Ioannes cognomento Gipponus, regni Castellæ administrator, Pompilonam maximamq́ue regni Nauarræ partem occupauit, spoliatis absentibus Ioanne Albretio regináq; Catharina eius vxore, Gastonis Nauarræ regis filia & hærede, nihil quicquam eiusmodi cogitantibus: neq; inuasoris istius successores alio iure nituntur, sicuti pridem in *commentarius ad Consuetudines Parisienses artic.* 29. demonstraui. Quicunque historici quadringentos annos ante Castellam in regnum erectam vel natam scripserunt, Augusti Cæsaris seculo Pompilonam & regionem circumuicinam à Vasconibus habitatam & possessam fuisse affirmant. Vide Strabonis *Geographiam lib.*.

154 Iulius Albigēsium vel quasi ferro & igne persequutur.

* Quo autem spiritu Ludouicus XII. pius Princeps, populiq; & iustitiæ amantissimus, impulsus fuerit, vt exercitum mitteret, qui igne & ferro Merindolenses & Caprarianos, Albigēsium ab Innocentij tertij seculo reliquias deleret, non est obscurum. Vociferabantur pontificii Merindolenses esse sortiarios, incestuosos, regē multa merita & diuitias à Deo sedeq; Romana impetraturum, si sceleratos illos deleret, nec horū legatis præberet aurē. Respōdit rex optimus, etiā si mihi bellū esset aduersus Turcā, aut diabolum, quid dicere optarēt intelligere haud recusarem.

155. Piorum hominum legatio.

* Merindolensium & Caprarianorum legatus liberè dixit Ludouico, *Nō proprio motu, Domine, nobis bellum inferes, sed à Pontifice falsò accusatore nostro impulsus. Hunc minimè agnoscimus qualem se iactat, nec audimus quoniam erroribus suis nos seducere nititur. Credimus autem Euangelio, verbo Dei in Biblijs scripto, Symbolum amplectimur Apostolicum, sicuti Rex & populus eius profitentur. Hoc nomine infantes baptisamus, Dei præcepta admittimus & obseruamus: nec mortis supplicia detrectamus, si aliter viuimus, obnixe rogantes vt priusquam vita priuemur, an res ita nec ne se habeat, diligenter inquiratur.*

156. Ludouicus Valdensium priuilegia confirmat.

* Rex N. Fumeum supplicum libellorum magistrum, & Sorbonicum doctorem Dominicanum Gulielmum Parui, regis à confessionibus, ad eos misit. Perlustratis parœciis & templis, nullæ imagines, nulla Missarum vestigia, vel indumenta, nullæ ceremoniæ pontificiæ apparuerunt. Accurata inquisitione habita, criminum, quæ Albigensibus istis imponebantur, ne vmbra quidem visa vel audita est. Contra, liquido constitit Merindolenses cum sociis Dominicæ diei pios esse obseruatores, infantes apud eos baptisari iuxta primitiuæ Ecclesiæ ritum, rectè institui in doctrina symboli Apostolici & diuinæ legis. Audita Fumei & Parui relatione, Rex iureiurando affirmauit, Valdenses illos esse Francorum omnium optimos: eorundem priuilegia

&im-

Anno 1561.

& immunitates confirmauit, copiasque ad bellum paratas dimisit. In *Fasciculo temporum*, Coloniæ edito anno 1541. variæ de Albigensium religione disputationes leguntur. * Sub Francisco I. calumniæ in Merindolenses & Caprarianos acrius quam antea renouatæ. Vt se tuerentur, Confessionem fidei suæ Regi obtulerunt, his verbis Gallico sermone expressam.

157 *Horum conditio sub Francisco I. Confessio fidei Valdensium.*

1. Credimus vnum tantum esse Deum, qui spiritus est, rerum cunctarum conditor, pater omnium, super & per omnia, in nobis omnibus, adorandus in spiritu & veritate, quem solum expectamus, datorem vitæ, alimentorum, indumentorum; prospera item valetudinis, infirmitatis, commodorum & incommodorum: hunc diligimus, tanquam omnis bonitatis authorem, & ceu cordium inspectorem timemus.

2. Iesum Christum credimus esse Patris filium & imaginem, in quo omnis plenitudo deitatis habitat, per quem cognoscimus Patrem, qui noster est Mediator & Aduocatus: nec vllum aliud sub cælo nomen hominibus datum est, per quod seruari nos oporteat. In huius nomen solum inuocamus patrem: nec vllas preces effundimus coram Deo, præter eas, quæ in Scriptura sancta continentur, aut cum eiusdem sensu planè conueniunt.

3. Credimus nos habere consolatorem Spiritum Sanctum, à Patre & Filio procedentem, cuius inspiratione precamur, & efficacia regeneramur. Is in nobis omnia bona opera efficit; atque per eum in omnem deducimur veritatem.

4. Credimus vnam sanctam Ecclesiam, omnium electorum Dei à constitutione ad finem mundi congregationem, cuius caput est Dominus noster Iesus Christus. Hanc verbum Dei gubernat Spiritus Sanctus ducit. In ea sinceri Christiani omnes versari tenentur: pro omnibus etenim indesinenter orat, grata Deo ad quem confugit, & extra quam nulla est salus.

5. Illud apud nos est constitutum, ministros Ecclesiæ, Episcopos nempe & Pastores, in moribus & doctrina irreprehensibiles esse debere: alioquin deponendos, aliosq; substituendos, qui eorum locum & officium impleant. Nemo autem hunc sibi honorem assumat, nisi à Deo vocatus, vt Aaro, gregem Dei pascens, non turpe affectans lucrum, vel vt clero dominans, sed prompto animo exemplum piis præbens, in sermone, conuersatione, charitate, fide & castitate.

6. Reges, Principes & Magistratus confitemur à Deo institutos esse ministros, quibus parendum sit: nam gladium gestant vt innocentes tueantur, & malos puniant. Propterea honorem eis deferre, tributaq; persoluere tenemur. Nullus autem ab hac obedientia sese eximere potest, si modo Christianus dici velit, Iesu Christi Domini & Seruatoris nostri exemplum sequens. Is enim tributum persoluit, nec iurisdictionem dominationemue temporalem vsurpauit, in statu illo humiliationis gladium verbi cælestis exercens.

7. Credimus aquam in Baptismi sacramento esse signum visibile & externum, nobis repræsentans illud quod virtus Dei intus in nobis operatur, nempe Spiritus renouationem, & in Christo Iesu carnis nostræ mortificationem: per quem etiam Christum sanctæ Dei Ecclesiæ membra efficimur, in qua fidei nostræ professionem & vitæ emendationem demonstramus.

8. Sanctum mensa vel cœna Domini nostri Iesu Christi sacramentum credimus esse sacrum memoriale & gratiarum actionem ob beneficia per Christi mortem nobis collata, in cœtu piorum, in fide, charitate, suiq; ipsius probatione celebrandam: & ita panem & poculum sumendo Christi carnis & sanguinis communicare, sicuti in sacris Scripturis edocemur.

9. Coniugium esse bonum, honorabile, sanctum, & à Deo institutum profitemur: nemini prohibendum, nisi Dei verbum intercedat.

10. Pios & Deum timentes credimus Deo se probaturos vt bonis vacent operibus, quæ præparauit, vt in eis ambulent. Hæc autem opera sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, probitas, modestia, temperantia, aliaq; opera in Scripturis commendata.

11. Contra, fatemur cauendum nobis esse à pseudoprophetis; quorum scopus est, populum ab adoratione religiosa, vni Deo & Domino debita, reuocare, creaturis adhærere & confidere: bona opera in Scripturis mandata relinquere, & hominum figmenta sequi.

12. Regulam fidei nostræ vetus & nouum Testamentum retinemus: symbolumq; sequimur Apostolicum. Quisquis autem dixerit nos aliam profiteri doctrinam, longè eum falli & fallere demonstrabimus, si modo per iudices ordinarios nobis liceat.

159. *Merindolensium & Caprarianorum lanienа.*

* Alij, inter quos Sleidanus, prolixè descripserunt Merindolensium & sociorum crudelem lanienam anno 1545. Quoniam vero regium edictum Pontificij obtendebant, Iudæorum more, Cardinalis quidam, qui tunc primarius rerum administrator habebatur, cædem illam damnauit: præterea Merindolensium innocentiam in summa curia publica actione patefieri curauit: Franciscum I. Henrici II. parentem tantum scelus nullo modo mandasse affirmans. Actio tantum inchoata est ad finem Septembris 1551. bello aduersus Pontificem & Cæsarem indicto, Tridentinaque synodo à rege improbata. Tamen carnifices & rei tanti criminis, euaserunt incolumes. Quod in actione illa præclarum apparuit, in confessione fidei Merindolensium palam recitata (cui etiam tunc interfui) auditum est.

160. *In causis Ecclesiasticis Pontifices legibus Cæsareis parebant.*

* Vt ad propositum reuertamur, ipsum ius ciuile Romanorum leges varias continet, à Christianis Imperatoribus latas de personis & rebus Ecclesiasticis, atque de tota domus Dei disciplina: quemadmodum in Codice titul. *de sacris ecclesiis; de episcopis item & clericis*: & titul. *de obedientia episcopali*. In nouellis etiam constitutionibus Iustinianeis, constitut. 3. *de clericis ad certum numerum redigendis*. constitut. 5. *de monasteriis & monachis*. constitut. 6. *de episcoporum & clericorum promotione*. constit. 16. *ne episcopus presbytero vel diacono defuncto alium promoueat, quandiu alii iam promoti apparent, beneficiis exclusi, vacantisq; beneficii capaces*. cõst. 47. *de Africanarũ eccle-*

Anno 1561.

ecclesiarum regimine. constit. 56. *qua curiones & alij sub primaria Ecclesia constituti quicquam percipere in nouorum clericorum & sacerdotum receptione prohibetur; nisi suis beneficiis priuari velint.* Deinde iubet Imperator, vt ministerium Ecclesiasticum purè administretur, gratis, absque simonia turpisve lucri cupiditate. const. 58. *de clericis ecclesiam suam deserentibus*, iubet vt beneficia aliis conferantur, absque redintegrationis spe. *constit.* 59. mercedem pro sepultura, & pro defunctorum funere, exigi vetat. *constitut.* 67. residentiam præcipit Episcopis. Secus agentes reditibus & impensis priuat, aliisque applicat vsibus.

161. Clericorum priuilegia.

* *Const.* 83. rogatus ab Episcopo Constantinopolitano, clericis, quoad res tãtum ciuiles modo etiam Episcopus iis non distrahatur, iurisdictionis priuilegium concedit. Causas autẽ criminales iurisdictiooi seculari omnino relinquit, quicquid Episcopus obtendat vel polliceatur. Hanc constitutionem veteres canonistæ probarunt & decreto suo inseruerunt, *xi. quæstion.* III. *c. Si quis cum clerico.* Coostit. 123. *de variis capitulis ecclesiasticis*, inter cætera, ad præscriptum sancti Apostoli, I. *Corinth.* 14. Episcopi & sacerdotes iubentur sublata voce sacras preces lingua populo fideli cognita pronunciare. quod postea Gregorius Magnus approbauit, sua *in prophetam Ezechielem præfatione.* Præterea, *constitut.* 133. idem Iustinianus monachorum & monialium conuersationem ordinat. & constit. 146. de Iudæis, quomodo sacras Scripturas legere debeant.

Preces publica, qua voce & lingua pronuncianda.

162. Legibus Cæsarum paruerunt veteres Ecclesiastici. Canonistarũ insania.

*Porrò, certum est, Iustiniaoi aliorumve prædecessorum imperatorũ Christianorum leges valuisse legitimasque fuisse, sicuti constat tum ex Ioannis secundi epistola & coofessione in lege, *Inter claras C. de summa Trinitate*, reposita; verumetiã ex veteris historiæ, veritatis testis certissimæ, relatione fide, nec non ex historiis ecclesiasticis consentientibus, quibus vt ex nominatissimis, Ecclesiæ doctoribus, patefit ridicula vanitas, ne dicã indocta & adulatoria impietas) Canonistarũ, qui dente sycophantico leges sacras Cæsarum arrodere ausi sunt: ac si nullæ vel impiæ essent. Nec expendunt vel propter ingentem cordis cæcitatem obseruant, sese primitiuæ Ecclesiæ sanctissimæ iudices constituere, ab ea diuortium facere, & à Christi corpore mystico separare.

163. * Quum enim oemo (nisi mente captus vel fidei hostis) eat inficias, Ecclesiam primitiuam, sanctam, illuminatam & gubernatam fuisse à Spiritu sancto, seculique nouissimi Ecclesias longè antecellere: idem fateatur oportet, leges ab Ecclesia sancta circa politiam externam latas, cum gratiarum actione susceptas, tanquam Dei dona, quibus iuxta doctrinam Apostolicam obediuit, legitimas & efficaces fuisse. Quinimo, non tantũ Iustiniani magni, sed etiam antecessorum eius tum Christianorum, tum Ethnicorum, qui religionem vere Christianam crudeliter persequuti suot, quatenus de fide & præceptis Dei non agebatur, legibus & edictis episcopi veteres, adeoque Romani pontifices, fideliter paruerunt.

164. * Ita factum est, vt Cæsares idololatræ patientia & sincera Christianorum obedientia fracti deuictique fuerint. Horum industria in magni momenti negotiis vsi suot, reipsa experti nullos in toto imperio Christianis iustitia & fide præstantiores viuere. Id testantur Ecclesiasticæ historiæ: Marcus item Aurelius, circa annum Christi 170. Senatus denique Romanus ab Aurelio doctus; referente Tertulliano *in Apologetico contra gentes.*

Marcus Aurelius.

165. Constantinus magnus.

* Quid vero indocti Canonistæ respondebunt de Constantino magno, quem laudibus euehunt supra nubes, tanquam Ecclesiæ fulcrum & seruum? Is coram tribunali seculari lites ecclesiasticas componebat, non tantum per præfectos, proconsules, aliosue prouinciarum iudices ordinarios: verum etiam ab illis inferioribus iudicibus, nec non ab Episcopis, quinetiam à septuaginta episcoporum synodo prouocationes audiuit, vel per seipsum, vel per delectos iudicauit.

166. Prouocatio à Pontifice ad Cæsarem.

* Hac ratione Romanum episcopum & alios Constantinus delegit iudices: Romanus autem paruit, atque passus est à se prouocari ad Cæsarem, qui num bene vel male iudicatum esset à Romano & aliis, per se ipsum, aut per delectos in eam rem pronuntiauit. Nunquid tanti Principis, ipsismet testibus, factum damnabunt? Id si fecerint, nunquid litem episcopis, Pontifici Rom. mouebuot, adeoque totam Ecclesiam primitiuam accusabunt? Obiicient fortasse, huius temporis episcopos & Pontifices, viuente Constantino quicquam mouere minimè ausos fuisse. Absurda nimis & explodenda cauillatio. quid enim respondebunt Augustino, veterum omnium Theologorum præstantissimo, qui anno post Constantini obitum fere centesimo, libere scribens acta iudiciaque tanti principis recitat & approbat, competentem iudicem eum agnosceos: vt constat ex *epistol.* 88. 162. 163. duabusque sequentib. & *cap.* 21. *lib.* 1. *Retractationum*: testimonio item Nicephori, Græci monachi, *libro* 7. *cap.* 43.

D. Augustinus.

167. Canonistæ suis telis transfodiuntur.

* Atqui suismet libris, multisque argumentis, (quæ ex variis colliguntur contextibus excipiuntur) imo ipsis vulgatis cootextibus falsitatis arguuntur: vt c. *Principes seculi.* & c. *Administratores*, *causa* XIII. *qu.* 5. quibus constat Principes & potestates seculares, sæpius in Ecclesiæ sinu in personas & res ecclesiasticas, ad instaurandam & conseruandam Ecclesiæ disciplinam potestatem suam exercuisse. Strictius quidem Canonistæ textus illos exponunt, nempe si perfunctorie agunt clerici, vel munere suo abutuntur, aut si brachium (vt vocant) seculare in auxilium suum accersunt. Nouis vocibus autem secure ludunt, ac si Regia Cæsareave maiestas, dignitas, authoritas, potestas, curiaque senatoria nihil aliud esset quam sinistrum brachium, ab istis clericis dependens, & Ecclesiasticum mancipium, quorum Rex, aut Cæsar est Dominus &

Prin-

Princeps summus in terris, à Deo iureque diuino constitutus. Magni decreti Canones haud ita contemptim loquuntur: nam de potestate & dominatu Principum sic sentiunt, vt Ecclesiasticos Principibus, tanquam iis inferiores, non superiores, subiiciant. 181.

168. * Frustra student nuperi isti Canonistæ friuolis restrictionibus ludere, latebras in planicie captantes. Nam in ipso Gratiani decreto, *dist.* 10. *C. de Capitulis. & C. Vides. & Ca. Quis autẽ, & C. vlt.* vt supra *num.* 123. (ne quid repetamus) expressa extant testimonia, de præcipua Regum & Cæsarum potestate, de eorundẽ legibus & constitutionibus in personas & res Ecclesiasticas, non subsidiario, vel vt negligentiam & abusus quosdam emendent; aut in adiutorium vocati vel per accessorium quoddam manum operi admouendo, sed præcipuè tanquam primarii legislatores, iure suo directo, vi suarum legum ab Ecclesia Orientali, Occidentali, Romanaque: neque modo vetustissimæ Ecclesiæ Apostolicæ seculo, sed longo temporum sequentium interuallo, postq̃ Cęsarea sedes Cõstantinopolin delata est, deinde post diuisum imperiũ. 169.

* Peccant etiam in contextum *C. Ecclesia, & C. Victor,* 97. *dist. C.* 1. in qua pontifex Bonifacius primus, per libellum supplicem Honorium tunc temporis Italiæ regẽ, & Occidentis imperatorem, rogauit, lege perpetua statuere vellet, ne Episcopus Romanus vnquam ambitiosis artibus promoueretur. Id præstitit Honorius, constitutione publicata de Romani episcopi electione, qua ambitiosæ artes ab omnibus nominatim clericis & ecclesiasticis excogitatæ damnantur. Quod si duo Romani episcopi (quod non tanquam ambitiosorum factionibus accidit) eligerentur, vterque vt de grado deiiceretur, edixit: nouaque electione qui Ecclesiæ acceptus foret, eidem præficeretur. hanc constitutionem Gratianus inseruit eodem *C. Victor,* omissis vocculis ad dispositionem pertinentibus, quas antea transcripserat, *dist.* 79. *C. si duo.* *Lex Cæsaris de Pontificis electione.*

* Alium Canonem, longe post ea, nempe imperio pessundato, & quum Imperatores in Italiam redire palam non audebant, sed tantum Exarcham Rauennæ residentem habebant, quod Romæ subsistere non posset, conditũ addimus, *dist.* 53. *C. Legem.* quo Gregorius magnus Romanus episcopus anno 600. leges Cæsareas in Ecclesiasticorum causis & negotiis agnoscit, curatq; obseruari. Inter cæteras erat Mauricii *Nouella,* quæ milites aut ærarii publici quæstores à Monachatus professione, ministeriisque Ecclesiasticis arcet. Hanc constitutionem Gregorius ad Italos & Siculos episcopos obseruandam mittit: sicut legimus *epistolarum libr.* 1. *epistola.* 11. vnde C. ille *Legem* desumptus est. Adde, quod idem Gregorius sæpius & serio in epistolis se Constantinopolitanorum Imperatorum, Exarcharumque Rauennatensium, qui horum nomine Italiam regebant, se subditum agnoscit, eosdemque dominos suos appellat. *170. Canon Gregorii magni, iurisdictionem Cæsaream temporalem agnoscentis.*

* Præterea Gelasii primi, centum annos ante Gregorium magnum Romani episcopi Canonem subiicio, *dist.* 54. *Quis aut leges Principum,* inquit Gelasius, *aut patrum regulas, aut admonitiones modernas dicat debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum æstimet transire commissum? Actores siquidem filia nostra illustris & magnifica Maxima, petitorii nobis insinuatione conquesti sunt, Siluestrum, atque Candidum Originarios suos* (i. seruos dominatos) *contra constitutiones* (aduersus seruos latas) *& contradictione præeunte à Lucerino pontifice diaconos ordinatos. Ideo, fratres charissimi* (Rufinum & Aprilem episcopos alloquitur) *tanta præuaricationis excessus noueritis sagacius inquirendos: & si constiterit querelam veritate fulciri, continuo qui contradictione præuia te non legitime sunt creati, à sacris officiis repellantur.* Verum est quidem interdictum illud fuisse postea Iustiniani iussu moderatum, *Nouel.* 23. in varias regulas Ecclesiasticas conscripta, necnon à multis episcopis admissa, teste *C. Si seruus sciente, &c. distinct.* 54. cuius superscriptio Gratiani est, amanuensium vel typographorum errore Leoni I. imperatori tributa. Sed ex *Nouella* titulus Iustiniani esse constat: ideo emendandam censeo superscriptionem illam, quam & in meis *annotationibus ad Canonem* illũ restitui. Ideo videmus Iustinianum Gelasii primi canonem prohibitorium illum castigasse. *171. Gelasius I. iuxta leges principum, regulas patrum antepositas, seruos à muneribus ecclesiasticis arcet.*

* Alium Canonem profero paulo ante Gregorii pontificatum, 63. *distinct. Cap. Principali,* scriptum, quo constat nouellam in Italia ipsa parœciam, non diœcesani neque Pontificis, sed Imperatoris statuto erectam esse. Exempli gratia, *Principali* (inquit Gelasius) *deuotissimorum militum, qui illic in ciuitate Centumcellensi consistant; relatione ad nos directa, sacram insinuant se clementissimi principis impetrasse, qua eis presbyterum, diaconum, & subdiaconum fieri debere præcepit. Ideo hortamur dilectionem tuam, vt personas ipsas videas, & diligenter inquiras ne aliquid contra canones commisissent: & si eos inculpabiles reperens, & vita ipsorum laudabile testimonium videris, veniente mediana septima Pascha, si Dominus voluerit, & si vixerimus, vnumquemque per officia, quæ prædiximus, non differas promouere.* *172 Gelasius sacram (i. epistolam) Imperatoris in rebus ecclesiasticis & sacris audit & sequitur.*

* Canonem alium post Imperii ad Francos translationem, subiicio *C. de illicita, causa* 24. *quæst.* 3. Est autem Synodi Parisiensis constitutio, regnante Ludouico Pio, in qua verbatim nouella 123. Iustiniani *C. Omnibus vero* pro lege recitatur, *& caus.* 2. *quæst* 1. *C. Nemo episcopus* his verbis expressa est à Gratiano: *Nemo episcopus, nemo presbyter, excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri iubent. Si quis autem aduersus eam excommunicauerit aliquem: ille quidem qui excommunicatus est, maioris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat: is autem qui non legitime excommunicauit in tantum abstineat tempus sacrosancta cõmunione, quãtum maiori sacerdoti visum fuerit: vt quod iniuste fecit, ipse iuste patiatur.* C. autem *Illicita,* synodus Parisiensis attestatur legem istam à Catholica Ecclesia probari & obseruari. Atqui legis illius author magnus Iustinianus tunc temporis ante trecentos annos fato functus erat. *173. Synodi Parisiensis Canon adu. tyrannidem pontificiam. Titulus est. De libro constitutionum, nempe Iustiniani, cuius nomen isti dissimulant.*

F Porro

1561. *174 Regis Franciæ authoritas.* * Porro certum est Franciæ regem, in regno suo supremum dominum, non minori potestate, quam Iustinianus aut alii Cæsares in imperio suo, pollere. Et certe Synodus Parisiensis, regis Francorum iussu habita (vt refert C. *Secundum*, ad finem *caus. 23. quæst. 8.*) renouauit & obseruandam proposuit Ludouici Pii legem in capitulis extantem *de collectionibus, decimis & oblationibus cuiusque Ecclesiæ.*

175. Honorius tertius. * Ante annos 360. Honorii tertii Romani pontificis seculo, paulo ante Decretalium partum, nulla Romæ quæstio fuit, num clerici, episcopi, vel ipsemet Pontifex legibus Cæsareis obligarentur ad res spirituales factas, vt supra, iuramentis: etiamsi in genere, nō speciatim de personis ecclesiasticis agerent. Is est contextus C. 1. *tit. De iuramento calumniæ*, in Pontificum decretalibus, quo constituitur vt lex secunda Codicis Cæsarei titul. *De iuramento calumniæ*, in omni curia & iurisdictione, quinetiam in Romana à quibusuis Ecclesiasticis obseruetur, nisi alia lege, nempe *Martiani lex.* Martiani imperatoris, cuius initium *Clericis*, §. *Quod si is*. C. *De episcopis & clericis*, excipiatur. De huius legis autem interpretatione disceptatum est: quam nonnulli ad clerum Constantinopolitanum, (quem proprie respicit, & cuius tantum meminit) restrinxerunt, inferentes inde legis exceptionem & priuilegium alios Ecclesiasticos non amplecti; quos Iustinianea constitutio retinebat. Alii vero dubii hæserunt, quum Iustinianus Martiani legem in Codicem suum comportarit: ideo iure communi, non autem Constantinopolitanis clericis peculiari, videri repositam.

176. Henrico Cæsari cedit Honorius 3. * Huic quæstioni respondere Honorius 3. pontifex minime præsumpsit, sed iure Henrici Cæsaris Germanici sensum sequutus est. Is vero Martiani legem, quibusuis omnium Ecclesiarum ministris generalem esse censuit, vt & Iustiniani: nullo modo vero restrictam. Agit enim de speciali casu, in causa certa iustaque iuramentum exigente. Henricus igitur, vt vtrique legi satisfaceret, atque sine offensa confirmaret, nec recederet à lege diuina perpetuo sanciuit edicto, *vt Episcopi, Abbates, Ecclesiastici vel alii neq; ore neq; nomine suo amplius coram iudicibus secularibus agerent, sed per idoneos Syndicos & patronos, qui iuramentum calumniæ præstarent, ea tamen conditione, vt si Ecclesiarum commoda præsentiam suorum prælatorum in iudicio requirerent, tunc ipsimet iuramentū illud ad præscriptum legis Iustinianeæ præstarent.*

177. * Et hæc quidē sunt veterum Imperatorum Christianorū, Ethnicorum, tum in Oriente, Occidente, & Germania ipsa leges obligatoriæ, non tantum Romæ verum etiam in Pontificum curia obseruatæ, à Canonibus & decretis eorundem confirmatæ, ipsarum Decretalium, ante 400. annos collectarum, seculo, donec liber nomine *Sextus & Clementina* appareret. Tunc paulatim omnia

In peius ruere & retro sublapsa referri

Visa sunt, Pontificibus ipsis Cæsarum & Regum maiestatem vsurpantibus. Plura alia exempla & testimonia probatorū authorū facile proferre possem: sed superiora dicta ex ipsorū libris descripta sufficiunt. *178. Scripturæ S. testimonia & exempla.* * Veruntamen vt diuinis os eorum obturetur, qui à clarissima lucè veritatis conuicti, sophismatum nebulis recti semper cauillantur, superioribus dictis Scripturæ sacræ testimonia & exempla suffragari assero. Dauid rex ad senium vergens, Sacerdotes & Leuitas descriptos in ordines certos & 24. classes distribuit, vt vnaquæque familia per suas vices in perpetuum ministerio sacro inseruiret: *Chronicor. libro 1. cap. 23. 24. 25. 26.* quem ordinem *Ecclesiastici liber*, c. 47. apprime laudat.

179. Politia legalis quomodo conseruata. * Politiam illam Ecclesiasticam sub lege laudatissimus princeps Ezechias instaurauit. Is enim quod rectum erat coram Domini oculis diligenter præstitit, Dauidis patris sui vestigia sequutus, excelsaque sustulit & statuas confregit. 2. *Reg* 18. constituit item Sacerdotum & Leuitarum ordines, prout vniuscuiusque munus postulare videbatur.

180. Ordinis continuatio. * Hæc Dauidis institutio, per eius successores continuata, ad Christi aduentum vsque perseuerauit: sicuti Lucæ 1. cap. fertur his verbis, *Quum Zacharias sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum ritum functionis sacerdotalis.* Erat autem ex vice Abia, quæ octaua fuit, iuxta Dauidicam institutionem, *1. Chronic. 24.* Iosephus etiam *in vita sua*, senatū sacerdotem ex vice prima gloriatur.

181. Regum magna authoritas inter Ethnicos & Iudæos. * Ethnicorum mitto exempla, quorum reges sacerdotale munus exercuerunt. Plato *lib. de regno*, AEgyptiis, Isidorus *etymolog. lib. 8. 1.* has partes tribuit. Omissis variis exemplis & rebus gestis sanctorum regum circa collationes oblationum templi, instaurationes eiusdem, remotis sacerdotibus, sacra pecunia regibus commissa, 2. *Reg. cap.* 12. sub Ioa, *cap.* item 22. sub Iosia. Salomon duodecim tribuum rex authoritate sua fretus Abiatharum summum Pontificem loco remouit, Sadoco substituto. 2. *Reg.* 2. & cum populo templum quod ædificauerat, dicauit, atque toti Ecclesiæ benedixit: 1. *Reg.* 8. Iudas Machabæus sanctos Sacerdotes elegit, diuinæ voluntati addictos, vt sacra loca polluta, templumque Dei à Gentilibus & idolorum cultoribus prophanatum mundarent. *1. Machab.* 4.

182. Pii reges falsam religionem profligarunt. * Pii certe regni Iudaici reges pseudoprophetas, idolorum sacrificulos profligarunt, corruptam religionem restaurarunt, iuxta verbi Dei præscriptum nitori suo restituerunt. Ezechias excelsa diruit, statuas euertit, lucos superstitioni aptatos succidit: serpentem æneum à Mose iussu Dei erectum, comminutum in puluerem redegit, ne Judæi ad idololatriam eo amplius abuterentur. 2. *Reg.* 18. Sacerdotes & Leuitas congregauit, quibus sinceram legis diuinæ

custo-

custodiam & obseruantiam commendauit. Peccauerunt, inquit, Patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: auerterunt facies suas à tabernaculo Domini, & obuerterunt dorsum. 2. *Chr.* 29. *cap.* His non acquiescens pius rex, ad Israelitas post cladem à Salmanassare editam, & decem tribuum transmigrationem, misit literas exhortatorias, per cursores, regis iussu proclamantes, *Filii Israel reuertimini ad Dominum Deum Abraha, Isaaci & Israelis, ipseque reuertetur ad reliquias qua effugerunt manus regis Assyriorum. Nolite fieri sicut patres & fratres vestri, qui recesserunt à Domino Deo patrum suorum, & tradidit eos in desolationem, quemadmodum vos cernitis.* 2. Chro. 30. Ideo dicitur Ezechias fiduciam suam collocasse in Domino Deo Israelis, 2. *Reg.* 18. qui ei adfuit, ita vt in omnibus prospere ageret, deuictis Assyriis & Philisthæis. Iosias, princeps piissimus, rex Iuda, religionem ex diuini verbi præscripto, sublatis traditionibus humanis, in integrum restituit. 1. *Reg.* 23. & 2. *Chron.* 35. 1561

* Certissimum est igitur, etiam in Ecclesia & Dei populo Israelitico, reges in ipsos summos sacerdotes & clerum vniuersum, dominium, auctoritatem & iurisdictionem habuisse, constitutiones & canones de disciplina & politia Ecclesiastica promulgasse: idque iure, iuste, laudabiliter: nec propterea sacrificiorum mysteria sacra ceremoniasve legales Sacerdotibus & Leuitis à Deo commissas tractarunt. Ozias rex, quum arrepto thuribulo adolere vellet suffitum super altare thymiamatis, minareturque sacerdotibus, statim orta est lepra in fronte eius. 2. *Chronicor.* 26. Aliud enim est sacrificare, & res sacerdotibus Ecclesiæque ministris commissas exercere: aliud sacerdotiorum titulos distribuere, disciplinam Ecclesiasticam restituere & in ordinem idoneum conseruare: quæ munera Deus distinxit, confundi autem minime voluit. Id iterum Iosaphati regis Iudæ, laudatissimi principis, exemplo statutisque confirmatur. Elisæo prophetæ percarus ille princeps, 2. *Reg.* 3. in regno suo iudices constituit in omnibus munitis ciuitatibus, idque oppidatim, quorum officium ad normam Mosi præscriptam, *Exo.* 18. reuocauit. Sed & Ierosolymis constituit quosdam ex Leuitis & sacerdotibus, & ex principibus familiarum, qui controuersias ecclesiasticas iudicarent: *præcepitque eis, dicens, Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. Quæcunque causa venerit ad vos de fratribus vestris, habitantibus in ciuitatibus suis, inter sanguinem & sanguinem, inter legem & præceptum, inter statuta & iudicia, monetis eos ne delinquant contra Dominum, ne ira Domini veniat super vos & super fratres vestros. Hoc si feceritis, non delinquetis. Et ecce habetis vobiscum Amariam summum sacerdotem in omni negotio Domini: adhæc Sebadiam filium Ismaelis, principem domus Iuda in omnibus negotiis regis: denique Leuitas, executores coram vobis. Fortes igitur estote & satagite; eritque Dominus cum eo qui bene egerit.* Monitionis nomine institutiones intelligit ad legis diuinæ præscriptum efformatas. Ita pius rex sacrificia & mere diuina sacerdotibus reliquit: politiam vero tum ciuilem tum ecclesiasticam adornat, & regiæ auctoritatis nomine administrari curat à iudicibus delectis, qui in Ecclesiasticos & res iudiciarias ius coercitionis haberent. 184 *Munerum politicorum & ecclesiasticorum distinctio.*

* Et certe princeps, magistratus, præfectus, quem Pontificii secularem appellant, custos est vtriusque tabulæ, rerum externarum respectu, idque Dei mandato peculiari: Deuteron. 1. Iosu. 1 Quapropter de externis operibus, vtramque tabulam respicientibus, iudicium ferre potest ac debet. Nec enim posterior tantum, sed etiam prior Decalogi tabula ad vitam corporalem & temporalem, disciplinæ respectu, pertinet, dummodo ex lege diuina statuat, neque addat, minuat, vel peruertat in iudicando. Etenim si eo respectu Episcopus ipse vel quispiam alius Ecclesiæ minister, tantum dispensator & executor dicendus est, multo magis magistratus ipse. Et circa finem tractatus de pace Constantiensi prudenter Baldus annotat, in rebus iuris diuini vel naturalis, summum principem nihil posse contra veritatis præceptum. alioquin quicquid fecerit nullum esse, quemadmodum quod à commissario vel procuratore contra mandatum committitur. 186 *Verbi diuini discipulus & obseruator esse oportet.*

* Nec iurisdictione litigiosa in rebus ad religionem pertinentibus sacerdotes gaudebant. Ad eos vnus tantum religionis articulus & apex pertinuit, cognitione alia de cætero spoliatos, teste Cicerone in *oratione pro domo sua ad Pontifices*: & T. Liuius *decad.* 4. *libr.* 9. refert collegium Pontificum Senatui respondisse; de sumptibus ad religionis & deorum cultum pertinentibus cognitionem atque iudicium pertinere ad pontifices. 187.

* Quis autem in Ecclesia Christiana contendet, pios reges Israeliticis inferiores esse? Num Christus illos è gradu dedit præcipites? Sed quis alius? Non Christus equidem, qui regnum sibi à turbis oblatum respuit: *Ioann.* 6. Coram Pilato etiam regnum suum esse de hoc mundo negauit constanter: *Ioann.* 18. Non Apostoli, non Apostolici viri, non veteres Theologi Extant Sanctorum Petri & Pauli epistolæ, occurrunt aliorum scripta; præsertim Ambrosii & Chrysostomi, quibus adde *Cap. Magnum, caus.* 111. *quæst.* 1. Vno ore omnes Regibus & magistratibus, Dei ministris, obediendum esse præceperunt, idque non tantum ob iram, sed & propter conscientiam: *Rom.* 13. & 1. *Petr.* 2. modo ne quid contra Dei verbum instituant vel præcipiant. 188 *Principum Christianorum auctoritas.*

* Præterea, Christianorum Principum officium in eo consistit, vt passim & in cunctis suarum ditionum locis præcepta Dei obseruari curent: sicuti Hieronymus in *commentar. ad Ieren. c.* 22. scribit, & refert Gratianus C. *Regum officium, caus.* 23, *qu.* 5. Id colligitur ex Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, Iosiæ, piorum Iudæ regum historiis. Hos ideo laudibus effert Spiritus sanctus, & in 189. *Eorundem officii.*

F 2 exempla

1561 exempla proponit, *Ecclesiastici cap. 47. 48. 49.* Augustinus item *epist.* 50. & Gratianus *dist.* 9. *Ca.* 1. Euanescant igitur præstigiæ, falsitates, & fabulæ Canonistarum quorundam, nempe Innocentii tertii & aliorum in *C. Licet in suscepto de foro competenti.* Hæc supradicta satis superque murmurantium & irrisorum ora obturant, si qui forsitan supersunt qui summam Regum authoritatem allatrare velint.

190. Apologia ad Henricum 2. epistola. * Hic commodum occurrit, ad Henricum 2. regem, Calend. Ianuarii 1551. epistola nostra, quum paulo ante edictum promulgasset contra paruas datas & Romanæ curiæ abusus. Hanc Gallice scriptam, & ab omnibus auide lectam, Cardinales, Sorbonici doctores, Curiæ Parisiensis Senatores, regiarum causarum patroni precibus & minis impugnarunt, petentes vt à me improbaretur, vel saltem pateret è *commentarii mei* primis pagellis eam expungi. Ego vero non æqua vota respuens, epistolæ meæ suscepi patrocinium coram Curia, Camera, & sanctiore consilio Catalauni habito, vbi auditus sum, die XV. Maii 1552. Epistola tunc scripta, postea ex Gallico in Latinum sermonem conuersa, hæc est.

Authoritas regia à Deo. Pro. 8. Rom. 13. C. quæst. 23. *Quo semper affectu ductus sum Domine, vt honorem vestrum, nobilissimi regni vestri Reipublicæq́ Francicæ commoda procurarem, eodem impulsus scripsi, vobisque consecraui nouum hunc, imo peruetterem quoad argumentum, & res in eo tractatas, commentarium. Agit enim de regia authoritate vobis, nobilissimis etiam atque fortissimis antecessoribus vestris à Deo* * *collata, conseruata, sanctis legibus & constitutionibus statum, administrationem, & gubernationem rerum Ecclesiasticarum, tum ipsas ecclesias, tum ecclesiarum ministros, Franciæ nempe Episcopos atque Prælatos respicientibus, obseruata: sicuti constat Carolum cognomine Magnum, Ludouicum Pium, eiusdem filium, principes illustrissimos, Franciæ reges, aliosque quamplurimos eorum successores, qui cum diademate sceptroque regio maiestatem eandem & authoritatem (indiuiduo nexu colligatas) ad vos transmiserunt.* *(191.)* * *Veteres horum principum, præsertim Caroli Magni & Ludouici Pii, constitutiones, in hunc diem summa vestra Curia, regiarumq́ Rationum Cameræ registris, aliis item authenticis libris & scriptis commissa, partim etiam in Gratianici decreti compilatione vetusta inserta reperiuntur. Has constitutiones ecclesiasticas etiam humiliter admisit & respexit Ecclesia, quemadmodum ex Ansegisi Abbatis, Gregorii Turonensis, Pauli Diaconi, Aimoini historiis, nec nõ sanctis veterũ Theologorũ & Synodorũ Canonibus colligere licet.* *(192. Carolus Magnus. Ludouicus Pius.)* * *Nobiles illas antiquitatis proferre necesse fuit, non vt nouam authoritatẽ R. V. M. cuderemus, sed vt eandem illam, solidam, perfectam, quam vestri maiores obtinuerunt & exercuerunt, pro virili tueremur, atq́ ostenderemus omni tempore viguisse, aduersus sciolorũ & tenebrionũ quorundã nebulas, qui in vestræ dignitatis & authoritatis Regiæ splendorẽ obscurare nituntur.* *(193.)* * *Huiusmodi vanis iã dudũ Francia inquinata est: nec defuerunt sycophantæ qui nouis commentis & fallacibus verbis primariũ R. V. M. membrum ac decus, summũ nempe vestrum imperiũ, atq́ leges statutaq́ condendi potestatẽ vobis, tanquã regni Franciæ summo domino, concessam, discerpere conati sunt. Ante 240 annos, iurisdictionẽ vestrã regiã tanta violentia isti vsurparũt, maximamq́ Francorũ partẽ à suo seduxerunt officio, vt neq́ audire vellent neq́ statutis iudiciariis acquiescere. Rescripta, dicta gesta Maiorũ vestrorum adeo superbe delenerant, summo iure vestro sublato, omnes Franciæ regem in Ecclesiasticos homines quos vocãt, nullo iure agere posse statuerẽt, nisi impetrata ab eis venia, vobis, cen mandatorũ Ecclesiæ executori tantũ cõcessa: clericos item, necnon etiam simplici tonsura distinctos (quamuis nullo ecclesiastico ministerio ornatos, sed priuatos, seculares, mechanicis artib. addictos, & mere laicos) neq́ potestati iurisdictioniq́ vestræ neq́ regiis edictis putabant esse obnoxios, verum ab iis plane immunes, haud vllo vestro antecessorumq́ vestrorũ priuilegio, sed proprio suo iure, vtpote nouos terræ filios, qui gentẽ & monarchiã à vestra separatã constituerẽt.* *(194. Pontificiorum artes impiæ. 195. Audacia profana.)* * *Fuimvero intra regni vestri viscera nouum regnum haud vobis subditũ, regiis legitimis legib. obedire nesciũ, potestatis regiæ mãdatis minime adhærens, isti erexerũt: quinimo regni vestri ciues & incolas ad se pellexerũt: adeo vt Philippi Valesii laudatissimæ memoriæ regis, triaui vestri, tẽpore, M. Petrus de Cognetiis, Cõsiliarius & Aduocatus regius, vir laudatæ memoriæ, non sine graui labore atq́ ingenti conatu vestrã ad iurisdictionẽ reduxerit vsurpationes nõnullas à Gallicanæ Ecclesiæ episcopis eorundemq́ ministris & affeclis contextas, multosq́ R. V. M. subditos ad debitã obedientiã pertraxerit, quos isti vel prorsus, vel variis prætextibus, proprios sibi fecerãt, exclusa R. V. potestate magno ũ eiusdẽ detrimento, dedecore, præiudicio,* *(196. Philippus Valesius. Petrus de Cognetiis.)* * *subditorũ item regiorum distractione & oppreßione. Hi si u. ad sua tribunalia rapiebãt, prouocantesq́ Romã amandabant, vbi tum subditi vestri, tũ Franciæ thesauri deportabãtur.* *(197. Tyrannis intoleranda.)*

198. Decretalium & Canonistarũ largitio. * *At priusquam noua hæc Pontificum iura, quæ Decretalia dicta sunt, apparuissent, innouationes illæ & constitutiones in M. V. silebant: sed Decretalib. succedentibus, horumque prælectionib. in Academiis Franciæ permißu, eam sibi licentiam Pontifices tribuerunt, quæ V. M. authoritatem iurisdictionemque pene deuorauit, ac subditos vestros distraxit. At Philippus Valesius sana sequutus consilia, doctis item præclarisque aduocatis sui generalis actionibus excitatus, manum reformationi quadantenus admouit.*

199. Inscitia eorundem. * *Quum vero certum sit, Pontificios illos scriptores, Canonistas seu Decretalistas, qui eiusmodi fragmenta probarũ & veterib. legibus, nec nõn vestris constitutionibus præferunt, indoctos esse, sacrarum literarum, historiarum antiquitatum, probatorum auctorum, sacrorum Canonum, vetustißimarum Ecclesiæ Synodorũ plane rudes & ignaros, in eodem errore versantes, sycophantis agere, sacræ vestræ constitutioni obloqui ac resistere audens; officio meo defuissem, si dubiorum quæ in singulos constitutionis illius articulos incidunt ad consultantium & iudicantium institutionem, explanatione contentus, in præclaras illas antiquitates, sanctiones & synodos Ecclesiæ non penetraßem: quib. summa vestra potentia & auctoritas, circa res istas, conspicua fieret, atq́ adeo sycophantis & sophistis indiceretur silentium.*

200. Caroli Magni præclara constitutiones. * *Rem gratam præterea me vobis, fidisq́ consiliariis, & bene erga vos affectis viris fecisse confido, quod detexerũ, explicauerim, ac in memoriam luceq́ reuocauerim sacras illas cõstitutiones & leges Maiorũ vestrorum,*

1561

rum, de rebus Ecclesiasticis, sacris sanctionib. & vetustissimis Ecclesiæ synodis, eas præsertim quas Carolus Magnus de sincera verbi Dei Sacramentorumq; administratione edidit, in Capitulis seu Canonib. Ecclesiasticis Episcopos compellans, vt verbũ Dei populis diligenter annuntient, absq; cuius sono incedere nequeunt, quin iusti iudicis iram prouocent: clericos etiam sobrios & castos esse curent: præterea præcipiens omnib. vt corde toto in scientia veritatis ambulare satagant, ad contradicentium confusionem: qua ratione verbum Dei crescat, currat & multiplicetur in profectũ sanctæ Dei Ecclesiæ. & salutẽ (inquit) animarũ nostrarũ, ad laudẽ & gloriam nominis Domini nostri Iesu Christi. Quam sacrã constitutionẽ clausula admodũ cõmendabili obsignauit, subiiciens, Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino nostro Iesu Christo, Amen.

201. Religionis dignitas.

* Nouerat ille sapientissimus & inuictus heros, putã Religionẽ, quæ Christiana vera atq; vnica est, à Dei institutione & verbo omnino pendere, non ab alia secundaria causa, nec homini, Angelo, vel qualicunq; causæ aut creaturæ concessum esse, vt huic verbo quicquã addat vel detrahat, teste Psalmista, Cœlũ cœli Domino, terram autem dedit filiis hominũ. Psal. 115. Cœlũ hoc loco, religionis vera doctrina, res illa supercælestis dispositioni diuinæ atq; constitutionis in verbo inclusa reseruata est: * res vero terrestres, Monarchia nẽpe, Respublica, secularia negotia, quanuis à summo Dei nutu pendentia, etiã ab hominũ consiliis, & aliis causis secundis quadam ex parte dependent, quatenus iis causis ea Deus alligauit. Ideo cultus ab Ethnicis excogitati falsitate, nullitate, multiplici errore laborant: sicuti quatenus priuatus quispiã in reb. ad Principẽ proprie pertinentib. & Maiestatis iudicia tractauerit, aut regiis vestris diplomatib. addiderit, vel detraxerit. Nec n. tantum crimine falsi, verum etiã sacrilegii & læsæ Maiestatis reus tenebitur.

202. Verbi Dei auctoritas.

* Sanctus Iohannes Euangelista, de Christi doctrina eiusdemq; certitudine ac perfectione agens, testatur eam æterni Dei magno sigillo fuisse obsignatã, nẽpe in Christo Iesu, qui in cruce pro nobis oblatus clamauit sublata voce, Consummatum est. Quis igitur huic doctrinæ oculum ferre vel auferre audeat, quin crimine falsi, sacrilegii & læsæ Maiestatis diuinæ se alliget? Idẽ sub veteri Testamento seuere prohibuit Moses, dãnarunt Prophetæ.

203. Christianismi perfectio.

* Hieronymus in ea capitis primi Esaiæ verba, Caupones tui vino aquã miscent, dãnat refellitq; traditiones humanas pro lege in religionis negotio cõstitutas. In sincera & immota Dei veritate, seu vino puro, vera religio tantũ consistit. Explodit igitur eos caupones falsarios quotcunq; suis cõmentis vel aquis sinceritatẽ eius illius corrumpere tentant. Eiusdem Prophetæ c. 29 verba extant, deinde Christo repetita, Matth. 15.

204. Caupones miscendo.

* In vanum me colunt doctrinis & mandatis hominum. Quod de religione intelligendum est, non autem de constitutionibus quas tuis subditis, Rex, potes præscribere, quarum obseruationi per Apostolos suos Deus nos adstrinxit, non tantum vt vestræ potestatis, in hunc finẽ à Deo institutæ, timore percellamur, sed & propter conscientiam.

205. Regum auctoritas.

* Quo ad doctrinæ cælestis præconium, per Hieremiam prophetam c. 24. Hæc dicit Dei Spiritus, Quicunq; verbum meum profert, vere loquatur. Quid paleæ cum tritico? In hunc locum scribens Hieronymus, paleæ nomine traditiones humanas intelligit, non modo vulgares, verum etiam eorum qui Domini, Doctores, & omnium præstantissimi videntur.

206. Palea & triticum.

* Paulo post D. Augustinus Donatistas hæreticos oppugnãs, dicebat, Non afferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc graue, hoc leue est: sed afferamus diuinam staterã de Scripturis sanctis, tanquã de thesauris dominicis, & in illa, quid sit grauius appẽdamus, imo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Hoc vult Augustinus, eos dolosas stateras proferre, qui religionẽ non ex solis Scripturis sanctis: verũ etiã ex hominũ statutis & traditionib. librare atq; ponderare student. Augustinus hæc habet lib. 2. contra Donatistas, c. 6. tom. 7. & referuntur à Gratiano, causa 24. q. 1. can. 21. Non afferamus. Alios prætereo locos perspicuos & expressos, ne actũ agere velle videar.

207. Scriptura S. statera.

* Præterea, ne aliud exemplũ ex piis Ludouici Pii constitutionib. ad religionẽ pertinentib. omittã: is nõ sensu humano impulsus, sed iuxta Dei verbũ, de sacrosancta Domini Cœna sacramento, instituit, vt ter in anno, ad minus, corporis & sanguinis Christi deuote laici cõmunicent. * Alia constitutione vestes preciosas & luxu diffluentes Episcopis & Prælatis eripit; eos humilib. vestimentis contentos esse iubens. Ingentẽ illũ constitutionũ aceruum omitto, ex nonnulla de Ludouico Pio posteris attingã: inter quæ Diui Ludouici antecessoris vestri pragmatica occurrit, qua pius Rex Ecclesiæ Gallicanæ priuilegia aduersus Pontificiũ noua iura & vsurpationes expresse cauit. Hæc vero recepta multisq; summæ Curiæ vestræ solennib. sanctionib. anno 1463. promulgatis suffulta est. Adde Philippi Pulchri, Caroli V. Sapientis, Caroli VI. constitutiones; & huius etiã, nẽpe Caroli VI. edictum, & summæ Curiæ statutũ aduersus Annatas, exactiones, & Curiæ Romanæ molitiones:

208. Ludouici Pii constitutio.

209. Aliorũ item Francia regum.

* præcipue vero inter tot heroica gesta, ad Oecumenicã Synodum Philippi Augusti, cognomine Conquestoris, prouocationẽ, aduersus Innocentiũ tertiũ & eius legatos: qua via conatus minasq; Pontificis cum hoste coniurati repressit, & reipsa fortiter exequutus est quod à Parlamento constitutũ erat de restitutione in integrũ atq; reunione ducatuũ Aquitaniæ & Normanniæ, Comitatuũ itẽ Andegauẽsis, Manis & Turonẽsis, qui à Frãcia corona diuulsi fuerãt.

210. Philippi Augusti prouocatio ad Synodum Oecumenicam.

Hic sisto gradum, ne prolixius agam. Epistolam meam vernacula lingua scribere conuenient duxi, quanuis Commentarium ad edictũ contra paruas datas eulgauerim Latina lingua. Nã tibi, Domine, fidisq; Francis omnib. meus ille labor consecratus est. Etenim inter multos primi nos librũ de Franciæ regno Francica lingua cõscriptum R. T. M. vereq; Francis omnibus, cõmodi, honoris, nominis R. T. M. studiosis dicatum exoptanimus. Deus Omnipotens, exercituum Dominus, omnis boni fons vnicus, tueri, conseruare R. T. M. euehere in dies dignetur, ad nominis sui laudem & gloriam. Lutetiæ Parisiorum Calendis Ianuariis 1551. stilo Francico.

211. Epilogus libelli.

* Anno autẽ 1552. hęc epistola horrendis modis traducta est à Sorbonicis concionatoribus, qui clamoribus tribunitiis populum ad seditionem concitare studuerunt. Cardinales accessere, inter quos quidam qui tunc rerum habenas tractabat. Auctor vero Catalauni causam egit corã illustrissima regina regnum tunc administrante, & inducialia obtinuit diplomata ad curiarum regni Senatores, prouinciarum præfectos, diœcesanos, Sorbonæ doctores, Episcoporũ officiales, fidei Inquisitores & alios quoscunq; vsq; ad regis absentis & de re tota certioris ad-

212. Molinæi hostes & defensio.

uentum, coram cuius Maiestate Principumque sacro consessu auctor aduersus cunctos accusatores & oppugnatores audiri supplex postulabat. Agebatur enim præcipue de iure regni, nec propositionem vllam erroneam maleuoli in ea quam impugnauerant epistola, neque in *Commentario contra paruas datas*, annotare poterant: sed collationem omnem detrectantes, inauditum hominem clamoribus stentoreis opprimere conabantur.

213. Quæ tandem fuerit eius conditio. * Neque sanctioris consilii decretum, neq; diplomata patentia, pro more significata, quibus summa Curia manum admouere recusauit, aduersariorum effrenis potentia, factiones & artes adeo inualuerunt, vt auctor regno excedere coactus sit. Inseruiit autem iuniori Hassiæ Landgrauio, cuius nomine obtinuit cunctas ditiones, vrbes, arces & dominia, quibus pater eius Philippus, Cameræ imperialis arrestis tribus, dum captiuus viueret, pronunciatis grauatus, tandem spoliatus fuerat. His peractis auctor in Franciam reuersus est, vt se regi, quem ex bellica profectione reuersum esse nouerat, sisteret. Sed Cardinaliū & Pontificiorum technis auctor longius quam antea in Germania latebras captare coactus, Principibus regis Franciæ confœderatis operam suam accommodauit, lautissimis stipendiis quæ Regis Romanorum aliorumque Principum nomine ei deferebantur constanter repudiatis.

QVÆSTIO

Anno 1570. IN THOMAM VVATSONVM THEOLOGIÆ DOCTOREM, PAVLO ANTE EPISCOPVM LINCOLINENSEM, aliosque nonnullos Angliæ Pontificios eius ætatis doctissimos, super Articulis quibusdam, de Bulla Papali, quæ contra Reginam Elizabetham tum recens exierat, habita.

Anno 1570.

Thomas VVatsonus.

1 *VTrum sciat, audierit, aut intellexerit, Episcopum Romanum, (quem Papam appellant) in serenissimam Dominam nostram Elizabetham Reginam Excommunicationis sententiam tulisse: Eamque, legitimam non esse Angliæ Reginam, aut vllam Ei, vt Reginæ, à subditis suis Anglis obedientiam deberi, per Bullam publicam declarasse.*

Respondeo, me eam rem non aliter, quam ex auditu compertam habere. Neque enim Bullam præfatam, aut legi vnquam, aut vidi.

Thomas VVatsonus.

2 *Vtrum non obstante præfata Pontificis Bulla, & eiusdem declaratione aut sententia, vel quacunque alterius Papæ Bulla, aut sententia, Reginam Elizabetham sentiat, nunc Regno potientem, veram esse & legitimam Angliæ & Hiberniæ Reginam, Eique, vt veræ Reginæ Angliæ, ab Anglis & Hibernis omnibus obedientiam deberi.*

Confiteor, Reginam nostram Elizabetham, nō obstante Pontificis Romani Bulla, aut declaratione quacunque, veram nostram esse & legitimam Angliæ & Hiberniæ Reginam, Eique vt reginæ, ab omnibus suis subditis obedientiam debere præstari.

Thomas VVatsonus.

3 *Vtrum non obstante Bulla prædicta, vel alia quauis iampridem facta, vel ex Episcopi aut Papæ Romani authoritate, imposterum mittenda, aut facienda, prædictæ Reginæ Elizabethæ, vt subditum legitimæ suæ, veræque Reginæ & supremæ Principi obedientiam, fidem, & fidelitatem ipse non debeat.*

Confiteor, me non obstante Bulla præfata, vel quacunque alia iam facta, aut deinceps facienda, Reginæ Elizabethæ, vt subditum legitimæ Principi suæ, obedientiam, & Fidelitatem debere.

Thomas VVatsonus.

Io. Fecknamus.

Ad primum Articulum.

1 ACcepi de prædicta excommunicationis sententia, Bullæque præfatæ exemplar à D. Henrico Neuilio Equite lectum, dum in Turri Londinense incarceratus essem, audiui (etsi, propter inserta verba quædam Maiestate Regia indigna, falsum ducerem:) sed & rem ex Edicto tum statim contra eam publicato resciui.

Iohannes Fecknamus.

Ad secundum Articulum.

2 Exploratissimum habeo, Reginam, quæ nunc est, Elizabetham, non obstante Bulla prædicta vel quauis Papæ alterius Bulla, sententia, aut declaratione veram nostram esse, & legitimam Angliæ & Hiberniæ Reginam, Eique vt veræ Reginæ Angliæ, ab Anglis, & Hibernis omnibus obsequium deberi.

Iohannes Fecknamus

Ad

Ad tertium Articulum.

3 Confiteor, me non obstante Bulla prædicta, vel quacunque alia antehac facta, vel dehinc facienda, Reginæ Elizabethæ obedientiam, fidem & Fidelitatem, vt subditum legitimæ suæ, veræque Reginæ & supremæ Principi, debere.

Iohannes Fecknamus.

Henricus Colus.

Ad primum Articulum.

1 RESpondeo, me de prædicta Bulla audiuisse: non tamen vnquam vidisse: nec de ea vllam eius generis notitiam accepisse, cui fidem habere debeam. Nec aliter ad hunc Articulũ habeo respondere.

Henricus Colus.

Ad secundum Articulum.

2 Confiteor, & sentio, Reginam Elizabetham (quæ nunc Regnum obtinet,) non obstante Pontificis Bulla, eiusque declaratione, aut sententia, vel quauis alterius Papæ Bulla, aut Sẽtentia, nostram veram esse & legitimam Angliæ & Hiberniæ Reginam, Eique ab Anglis & Hibernis omnibus, vt veræ Reginæ Angliæ, obedientiam debere præstari.

Henricus Colus.

Ad tertium Articulum.

3 Confiteor, non obstante prædicta Bulla, vel alia quacunque antehac facta, aut deinceps ex authoritate Episcopi aut Papæ Romani mittenda, aut facienda, me præfatæ Reginæ Elizabethæ obedientiam, fidem, & fidelitatem, vt subditum legitimæ suæ, veræque Reginæ & supremæ Principi debere, quantum hactenus mihi constat.

Henricus Colus.

Iohannes Harpesfieldius.

Ad primum Articulum.

1 AVdiui de Bulla quadam, non tamen vidi: neque de omnibus hisce particularibus circumstantiis intellexi.

Ioannes Harpesfieldius.

Ad secundum Articulum.

2 Ita sentio, non obstante quacunque einsmodi Bulla, declaratione, aut sententia.

Ioannes Harpesfieldius.

Ad tertium Articulum.

3 Non obstante quauis eius generis Bulla facta aut facienda, ego tamen prædictæ Reginę Elizabethæ, iuxta formam in articulo comprehensam, obedientiam debeo.

Iohannes Harpesfieldius.

Nicolaus Harpesfieldius.

Ad primum Articulum.

1 AVdiui, eiusmodi Bullam esse: ad quam tamen ego nec actor, nec suasor, nec instigator fui.

Nicolaus Harpesfieldius.

Ad secundum Articulum.

2 Respondeo affirmatiue, Eam veram esse Reginam: Eique, vt veræ Reginæ, obediendum esse.

Nicolaus Harpesfieldius.

Ad tertium Articulum.

3 Ego Regalem eius authoritatem, in omnibus rebus, causisque ciuilibus & temporalibus, iampridem agnoui, eamque nunc denuo, iuxta tenorem huius Articuli, agnosco, nec minus amplam & prolixam, quam qua vel alii Principes fruuntur, vel inclyti eius Proaui vnquam fuerunt prædíti.

Nicolaus Harpesfieldius.

Anno 1586.

BRVTVM FVLMEN

PAPAE SIXTI V. ADVERSVS HENRICVM SERENISS. Regem Nauarræ, & illustrissimum HenricumBorbonium, Principem Condæum.

BENEDICTIONES S. D. N. PAPÆ SIXTI V. IN REGEM NAVARRVM ET PRINCIPEM CONDÆVM.

Pag. 1.

Exercemus arma militiæ nostræ contra duos iræ filios Henricum Borbonium; QVONDAM Nauarræ regem, & Henricum item Borbonium OLIM Principem Coodensem. Ille hæreses ab ineunte adolesceotia secutus pertinax earum patrocinium exercuit.

Pag. 2.

Idem reuolutus in cœno, caput, dux, & propugnator hæreticorum & perduellium, arma contra regem suum Christianissimum aduersus ipsum & reliquos catholicos sumpsit: ciues regni ad suam capescendam impietatem verberibus coëgit: conciliabula hæreticorum habenda curauit.

Pag. 3.

Princeps Coodæus vtroque parente hæretico genitus, patris, & matris secutus hæreses, viam patris sui impiissimi catholicæ ecclesiæ persecutoris ingressus, bellorum ciuilium & seditionum auctorem se præbuit, omne feritatis & sæuitiæ genus exercuit: proles detestabilis ac degeoer familiæ Barboniorum.

Pag. ead.

Pronuntiamus illos esse hæreticos, in hæreses relapsos, impœniteotes, hæreticorum duces & fautores, & læsæ maiestatis diuinæ reos, & fidei Christianæ hostes, priuatos illum Nauarræ regno, hunc & vtrumque eorumque posteros omnibus principatibus, ducatibus, dominiis, & feudis, honoribus & officiis regiis: fuisse & esse inhabiles & incapaces ad illa retinendà.

Pag. 4.

Ac pariter priuatos, incapaces, & inhabiles ad succedendum in ducatibus, principatibus, ac regnis, & specialiter in regno Franciæ: & ex abundanti nos illos illorumque posteros priuamus in perpetuum & inhabilitamus ad successionem in ducatibus, principatibus, dominiis, & regnis, & signanter in Fraociæ regno.

Pag. ead.

Proceres, feudatarios, vassallos, & ceteros omnes qui illis quomodocunque iurauerint, ab eiusmodi iuramento & fidelitatis & obsequii debito absoluimus & liberamus, & interdicimus ne illis audeant obedire.

Pag. ead.

Monemus & hortamur Francorum Regem Christianissimum, vt ad executionem nostræ senteotiæ incumbat. Datum Romæ 5. Id. Sept. anno 1585.

Psalm. 109.

Domine, maledicent illi & tu benedices: qui insurgent in me confundentur, seruus autem tuus letabitur.

BRVTVM FVLMEN PAPÆ SIXTI V. ADVERSVS HENRICVM SERENISSIMVM REGEM NAVARRÆ, ET ILLVSTRISS. HENRICVM Borbooium Principem Condæum.

Vna cum protestatione & declaratione multiplicis nullitatis.

QVod nuper à Papa Sixto quinto Franciscano pronuntiata Declaratio est, pauloque post edita & promulgata, vt Henricus Sereniss. Rex Nauarræ, itemque Henricus Borbonius Illustrissimus Prioceps Cōdæus primùm tanquā hæretici nominis ex cōmunione Christianorū arcerentur, tum vt imperiis, honoribus, dignitatib. omnibus, ac potissimum spe legitimæ successionis regni Galliæ abdicarentur: deinde vt eorum clientes ac vassalli fidelitatis iuramento, quo illis obstricti sunt, soluerentur: postremo vt à potentissimo Rege Galliæ vi, ferro, armis, & castris oppugnarentur: DE EA RE supradicti Serenissimi & Illustrissimi Principes ita protestati sunt: (bona Catholicorum omnium pace, saluaque religionis vtriusque concordia, quam sidem Principes magnopere in Gallia conseruari cupiunt,) proscriptionem, siue DECLARATIONEM illam Papæ monachi Franciscani, contra iura omnia diuina & humana pronuntiatam, editam, ac promulgatam fuisse: ob eamque caussam ipso iure nullam, ac pro nulla

nullam habendam esse: totamque illam furibundam execrationem nihil esse, nisi brutum Papatus R. fulmen, cuius inanes, vani ac ventosi sunt impetus: idque quatuor præcipuè de caussis: nempe, propter temerarii iudicis incompetentiam, allegationis falsitatem, ordinis iudicialis defectum, & conceptæ formulæ stultitiam: de quibus ea, qua propositæ sunt, ordine, deinceps differemus. 1586

Capvt I.

De iudicis incompetentia.

PRima igitur Nvllitatis caussa est temerarii iudicis incompetentia, quæ ex eo perspicitur, quod Papatus Romanus, qui sibi hoc in tantos Principes iudicium sumpsit, iam pridé à maxima Christianitatis parte, nempe Anglia, Scotia, Dania, Suecia, maxima Germaniæ, itemq; maxima Heluetiæ parte septem grauissimorum criminum nomine damnatus est: nimirum impietatis, tyrãnidis in ecclesia occupatæ, corruptæ religionis, sacrilegii, maiestatis, perduellionis, & falsi. Certum est autem, etiã si nõdum tantorum criminum dãnatus fuisset, sed reus duntaxat factus, tamen, non dico iudicem ei esse non licere, sed ne infimum quidem ac tenuissimum hominem, vllius culpæ aut delicti accusare, priusquam illis se omnibus criminibus idonee purgasset: tantum abest, vt in hoc rerũ statu tantos & tã illustres ac potentes Principes tanti sceleris, præsertim inauditos, & causa indicta, cõdemnare possit. *l. negãda, 19. C. de his qui accus. non possunt. l. si qui reus. 8. D. de public. iudi.* quod idem ab ipsis Canonistis traditur. *4. q. 1. c. 1. 25. q. 1. c. omnes 24. q. 1. c. ait, & duob. capp. seqq.* Quinetiã illud accedit, quod cum in hac supradictorum principum causa de re & statu ipsius Papatus potissimum agatur, nulla nec ciuilis, nec naturalis ratio patitur, eum rei suæ iudicem sedere, sibiq; de re propria ius dicere. *l. qui iurisdictioni, D. de iurisd. l. 1. C. ne quis in sua caus. iud. l. Iulianus, 17. de iudic.* Quod si Papa iudex in hac causa non est idoneus, sed incompetens & incongruus, quemadmodum ex iis quæ posterius dicentur, dilucide constabit: sequitur, vt sententia ab eo pronuntiata ipso iure nulla sit, & per se, ac sine appellatione vlla concidat. *l. 1. & pass. C. si à nõ compet. iud. l. 6. §. quod si quis, D. de iniust. rupt. test.* Plurimum autem momenti habiturum esse apud magistratus, atq; ordines, ac præsertim apud Parlamenta regni Gallici supradictæ maximæ Christianitatis partis iudicium atque auctoritatem, dubitare non possumus: cum omnium gentium hoc ius esse constet, vt in deliberationibus, præsertim arduis & grauibus, semper ea maioris partis sententia iudicetur. *l. item si vnus, 27. §. vlt. & l. seq. D. de recep. arbit.* præsertim vbi maior pars non tantum ex personarum numero, verum etiam ex vniuersi ordinis modo & quantitate censetur: veluti cum è trib. iudicum partibus duæ discessionem faciunt, putà octo è duodecim. *l. 3. de decret. ab ord. fac. l. 3. & l. 4. D. quod cuiusq; vniuer. l. nominationũ, 46. C. de decurio. l. quod maior. 19. D. ad municipal.* Angliam autem, Scotiam, Daniam, Suetiam, maximam Heluetiæ & Germaniæ superioris & inferioris partem facile duas Christianitatis partes è tribus obtinere, ac proinde magnum apud ordines & Parlamenta Galliæ pondus atque auctoritatem habituras, pro singulari nostro de prudentia illorum iudicio ambigere nec possumus, nec debemus. Quin ne illud quidem prætermittendum videtur, Papam non tantum à maxima Europæ parte pro incongruo & incompetente iudice reiectum esse, verum etiam ab iis Ecclesiis & nationibus, quæ in Africa, Ægypto, Syria, Oriente, Asia, & Græcia nomen suum inter Christianas Ecclesias profitentur.

Capvt II.

Crimen impietatis multiplex, at primum de arrogata diuinitate.

PRimum igitur crimen, cuius à maxima Europæ parte Papatus conuictus & condemnatus est, dicimus esse Impietatem, eamque triplicem: primum quia Papa sibi Diuinitatem asciscit: deinde religionem Christianam illudit ac deridet: postremo falsas & commentitias religiones in Ecclesiam inducit. Primæ impietatis testimonia hæc sunt: Papa Devm se appellari & gaudet, & gloriatur. *distinct. 96. cap. satis*: vbi scriptum ita est. *Satis ostenditur a seculari potestate nec ligari prorsus, nec solui posse Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino Devm appellatum, cum nec Deum posse ab hominibus iudicari manifestum sit.* Quem locum Augustinus Steuchus patronus Papæ vehemẽtissimus, eiusdéq; Bibliothecarius in lib. de donat. Cõstant. pag. 141. laudãs, & cõmemorans, ita subiungit: *Audis summũ Pontificẽ à Cõstãtino Devm appellatũ, & habitũ pro* Deo? *Hoc videlicet factum est, cum eum praeclaro illo edicto decorauit*, Adoravit vti Devm, *vt Christi & Petri successorem, diuinos honores ei, quoad eius potuit, contulit, velut viuam Christi imaginem veneratus est.* Hæc Steuchus in supradicto libro, edito Lugduni anno 1547. Ex eodem impietatis genere illud est glossæ in præfat. Clement. *Papa nec Deus est, nec homo sed neuter est inter vtrumq;*, idemq; illud alterum in c. fundamenta, de elect. io 6. vbi cũ in textu scriptũ esset, Papã nulli homini subesse, ita subiungit, *Et in hac parte Papa non est homo, sed Dei vicarius.* Sequitur altera blasphemia, ex libro Ceremon. Pontifical. 1, tit. 7. *Papa, inquit, in nocte natiuitatis Domini benedicit ensem,*

1586. *cui ensem, quem postea donat alicui principi, in signum infinitæ potentiæ Pontifici collatæ: iuxta illud, Data est mihi potestas in cælo & in terra.* Item, *Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.* Sed nulla capitalior vsquam, ac detestabilior blasphemia reperitur, quam illa est in c. quoniam, de immunit. in 6: vbi Papa Ecclesiam catholicam sponsam suam appellat. *Nos iustitiam nostram,* inquit, *& Ecclesiæ* SPONSÆ NOSTRÆ *volentes negligere* &c. Nam inter omnes constat, solius Christi esse hoc proprium, vt vir Ecclesiæ appelletur, Ecclesia ipsius sponsa: velut apud Paulum 2. Corinth. 10. *Adiunxi vos vni viro, ad exhibendã virginem castã Christo.* Sed alia audiamus. quale illud est c. dist. 93: *Papa is est, cui tota parere debet Ecclesia.* Item c. inter corporalia, de transla. prælat. *quandò Papa dissoluit matrimonium, videtur quod solus Deus dissoluit: quia Papa canonicè electus est Deus in terris.* Feli. in c. ego N. De iureiur. *Papa gerit vicem in terris, non puri hominis, sed veri Dei.* Item c. si papa, dist. 40. *si Papa cateruas animarum in inferos detruderet, non tamen cuiquã liceret ex illo quærere, Cur id facis?* Ecquis est de Christiana religione bene sentiens, qui in his verborum portentis non certissimum Antichristum agnoscat? de quo Paulus ita loquitur 2. Thessal. 2. *Patefiet homo ille nefarius, filius, inquam, ille perditionis, sese opponens, & efferens aduersus id quod dicitur* DEVS, *aut Numen: adeo, vt in templo Dei sedeat ostentans se quasi sit Deus.* Quid? quod etiam profiteri ac palam prædicare ausus est, tantam esse vim tantamque sanctitatem sedis suæ, vt quicunque ganeo, & quantumuis impius, periurus, sceleratus in ea consederit; confestim ex illa sessione sanctimoniam hauriat? cuius nefariæ blasphemiæ testimonium hoc extat in c. non nos, distin. 41. *Beatus Petrus perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ transmisit ad posteros. quod illi concessum est per actuum lucem, ad illos pertinet, quos par conuersationis splendor illuminat. Quis enim* SANCTVM *dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit? in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci prædecessore præstantur.* Quid? Annon illam audire fabulam videmur, quam poetæ de tripode Pythia confinxerant, & alta quadam specu, vnde anhelitus sic afflabatur, vt simulatque Pythia vates in illa tripode consedisset, hausto à tergo diuinationis spiritu confestim oracula funderet? Strabo *li. 9.* & tamen execrata illa Papæ Symmachi blasphemia paulo post in c. *multi* apertissime Chrysostomi verbis coarguitur: ex quo & aliis sexcentis Gratianici Decreti locis de illius libri stultitia existimari potest. Sed age: nunc alia testimonia proferamus. *Papa est Deus in terris,* secundũ Bald. *l. vlti. C. sentent. rescind.* Decium in *c. 1. de const.* Felin. in *c. ego N. de iureiurand. Papa & Christus faciunt vnũ consistoriũ: ita quod excepto peccato potest Papa quasi omnia facere, quæ potest Deus, & à nemine potest iudicari:* secundũ Abb. in *c. licet, de elect. & quæ facit, facit vt Deus, non vt homo:* c. inter incorp. de translat. prælat. Cardin. Paris. *in consil. 63. n. 162. vol. 4. Papa est quoddã numẽ & quasi visibilẽ quoddã Deũ præ se ferẽs:* vt ait Ludouicus Gomes. *in reg. cancel. Papa potest de iniustitia facere iustitiã.* c. debitius, de appellat. *Papa potest contra Apostolũ dispensare, & contra canones Apostolorum.* 38. dist. c. lector. 87. distin. presbyter. *Papa est supra ius.* c. proposuit, de conces. præben. *Factum à Papa reputari debet factum à Deo.* c. quãto. de transla. prælat. quarũ blasphemiarũ partẽ enumerat Philip. Deci. *in consil. 137. diligenter pro tenui, n. 3. vol. 1.* Iason autem præter illa superiora ex eorundem Canonistarum sententia hæc recensét: quæ tamen (vt facile apparet) non probat. *Papa est omnia, & super omnia,* secundum Baldum in l. barbarius, De officio Præto. *Papa supra ius, contra ius, & extra ius omnia potest:* secundum Bal. in c. cũ super, de caus. prop. & pos. *Papa est dominus dominantiũ, & ius Regis regum habet in suos subditos:* secũdum Bald. in c. Ecclesia, vt lit. pend. *Papa potest mutare quadrata rotundis:* secundũ Hostiens. in c. cũ venissent, de iudic. *De potẽtia Papæ dubitare sacrilegiũ est.* l. sacrilegii, C. de crimi. sacrileg. *Papa n. est causa causarũ. vnde non est de eius potestate inquirendum, cuius prima causa nulla sit causa:* secundũ Bald. in d. c. Ecclesia, vt lit. penden. & *nemo potest dicere Papa, Cur ita facis?* secundum Specul. in tit. de leg. §. nunc ostendendum. versi. 89: & Bald. in prælud. feud. Hæc ad verbum Iason in *consil. 145. circa primam, num. 3. vol. 1.* quæ eadem rursus, paucis prope mutatis verbis inculcat, in *consi. 95. requisitus, col. pen. vol. 4:* Satis multa videmur primæ impietatis Papalis argumenta proposuisse, vt iam ab illustrib. Regis Galliæ consiliariis, & Parlamentorũ senatorib. intelligi possit, non sine iustissimis & grauissimis causis Paparum à multo maxima Christianitatis parte reprobatũ ac repudiatũ fuisse. Sed tamẽ alia quædam insuper addemus, atque illud inprimis: *Papam tantam habere tum in Purgatorio, tum in inferis potestatẽ, vt quantũ quantũ velit animarũ numerũ, quæ in illis locis cruciantur, per suas indulgẽtias liberare, & confestim in cælis & beatorũ sedib. collocare possit.* vt est in Bulla Clemẽtis VI. & apud Ant. Florent. part. 3. t. 21. c. 6. Papã habere tantã in cælo potestatem, vt quem velit hominem defunctum canonisare, & in Diuorum numerum referre possit, etiã inuitis Episcopis & Cardinalib. omnib. Hæc Troilus Maluit. *in trac. de canonis. sanct. 3. dub.* Ex quib. & aliis consimilib. licebit agnoscere, quã vera illa fuerit Eberhardi Salisburgensis quondam Archiepiscopi oratio annis ab hinc ducentis habita in publico Imperii Germanici cõuentu, quã ex Annalium Ioh. Auentini lib. VII. proferemus, edito Ingolstadii anno 1554. *Flamines illi Babylonia,* inquit, *soli regnare cupiunt: ferre parem non possunt. non desistent, donec omnia pedibus suis proculcarint, atque in templo Dei sedeant, extollanturque super omne id quod colitur. fames opum, sitis honorum inexplebilis est. Quo plura auido concesseris, eo plura appetit. porrige digitum, & manum concupiscet. Qui seruus seruorum est, dominus dominorum, proinde, ac si Deus foret, esse cupit. Ingentia loquitur, quasi Deus sit. Leges commutat, suas sancit. contaminat, diripit. spoliat, fraudat. occidit, perditus homo ille, quem* ANTICHRISTVM *vocare solent: in cuius fronte blasphemiæ nomẽ scriptum est,* DEVS SVM: *errare non possum. In templo Dei sedet, longe lateque dominatur.*

natur. Hæc Eberhardus, qui etiam apud eundem Aventinum eodem libro, hæc Imperatoris Friderici II. querimonia extat in epist. ad Ottonẽ Bavariæ Ducem scripta: *Pontifices Romani affectant dominationem atq;* DIVINITATEM, *nempe, vt ab omnib. haud aliter, imo magis quam Deus timeantur. Nam multos Antichristos inesse Romanensib. illis constat: nec vllos alios exitio Christiana religioni esse.* Et paulo post: *Homo ille, qui dicitur* PAPA, *dinitiis nimirum auctus, maxime Christiana pietatis detrimento omnia sibi licere more tyrannorum putat. rationem actuum nemini,* QVASI SIT DEVS, *reddere vult. Id quod soli Deo convenit, vsurpat: se errare, vllave mendacii religione astringi non posse credi sibi impudentissime, simulque imperiosissime postulat.* Hæc ille. Quinetiã Erasmus in Annot. Novi testam. I. ad Timot. c. I. testatur, suo tẽpore in Theologorũ scholis disputari hæc cõsuevisse: *An Papa possit abrogare id, quod scriptis Apostolicis decretum est, an possit aliquid statuere, quod pugnet cum doctrina Euangelica, an possit novum articulum condere in fidei symbolo. Vtrum maiorem habeat potestatem quam Petrus, an parem. Vtrum possit præcipere Angelis: An possit vniversum purgatorium tollere: Vtrum simplex homo sit. (O detestandam blasphemiam) an quasi Deus participet vtramq; naturam cum Christo: an clementior sit, quam fuerit Christus, cum is non legatur quenquam à purgatorii pœnis revocasse: An solus omnium non possit errare. Sexcenta id genus disputantur magnis editis voluminibus. Idq; à magnis Theologis, præsertim professione religionis insignibus.* Hæc totidem verbis Erasmus, Annotat. pag. 663. 1586.

CAPVT. III.

Crimen illusæ religionis.

SEd hæc, dicet fortasse quispiã, verborum tantũ impietas & blasphemia est. Facta igitur eiusdem Papatus impia & nefaria è multis pauca, quasi exempli causa, proferamus: vt quivis intelligat, Papas multis ab hinc seculis, Christianam religionem irrisui ac ludibrio habuisse. Atque illud imprimis Gregorii septimi, quod Benonis Cardinalis verbis exponemus. *Imperator Henricus III. inquit, solitus erat frequenter ire ad orationem, ad ecclesiam sancta Maria, quæ est in monte Aventino, Hildebrandus autem, qui postea Papa factus Gregorius septimus appellatus est, cum per exploratores suos omnia eius opera sollicite inquireret, locum in quo frequentius Imperator orabat, notari fecit: & quendam promissa pecunia ad hoc induxit, vt supra trabes ecclesia occulte lapides magnos collocaret, & ita aptaret, vt de alto supra caput orantis demitteret, & ipsum contereret. Quod minister tanti sceleris cum festinaret implere, & lapidem magni ponderis super trabes aptare vellet, lapis pondere suo eum traxit: & fracta sub trabibus tabula, & lapis, & ille miser homo Dei iudicio in pavimentum ecclesia cecidit, & eodem lapide penitus contritus est. Cuius rei gesta ordinem postquam Romani cognoverunt, pedem illius miseri fune ligaverunt, & triduo per plateas vrbis ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem solita clementia iussit eum sepeliri.* Hactenus Beno. Vnde intelligitur quam detestabilis Papæ impietas fuerit, qui neque loci, in quo Imperator orabat, & quem Papa sacrum sibi esse profitetur, neque temporis quo idem orabat, rationem habeat, sed cœco furori atque amentiæ suæ serviens, Imperatori ac principi suo perniciem molitus est. Age porro, & aliud impietatis testimonium ex eodem Benone proferamus. *Iohannes Portuensis Episcopus,* inquit, *qui intimus fuerat à secretis Hildebrandi, ascendit in vmbonem beati Petri, & inter multa, audiente clero & populo ait, Tale quid fecit Hildebrandus, vnde deberemus vivi incendi, significans de sacramento corporis domini, quod Hildebrandus, responsa divina contra Imperatorem quærens, iniecit igni, contradicentibus Cardinalibus qui assistebant ei.* Præclara hæc sunt pietatis Papalis testimoniã in Gregorio VII. Nunc aliud de Sylvestro II. proferamus ex lib. Ioannis Stellæ Veneti, ad Patriarcham Aquileiensem Romanæ ecclesiæ tituli S. Marci presbyterum Cardinalem. *Postremo,* inquit, *Romanus Pontifex Diabolo adiuvante fuit constitutus. hac tamen lege, vt post eius obitũ & in anima & in corpore totus illius esset, cuius fraudibus tantã adeptus esset dignitatem. Post hoc quæsiuit Sylvester à Diabolo, quandiu in pontificatu victurus esset? Respondit, quandiu, inquit, in Hierusalem celebrabis, vives. Postremo quarto Pontificatus sui anno, cum quadragesimali tempore in Basilica sancta crucis in Hierusalem Roma sacrificaret, fato se moriturum statim cognovit. Vnde pœnitentia ductus, errorem suum coram populo confessus est: rogavitque omnes, vt corpus suum diabolicis artibus seductum membratim detruncarent, ac sectumq; ac laceratum super currum imponerent, & eo loci sepelirent, quo sponte ab equis foret vectum. Ferunt itaque Dei nutu, (vt scelerati discant apud Deum veniæ locum sibi relictum esse, modo in vita pœnituerint) equos ipsos sponte ad Lateranensem ecclesiam pervenisse, ibidemque sepultum fuisse.* Hæc Stella Venetus. Extat etiam Ioannis Gersonis Parisiensis academiæ rectoris sermo quidã Paschalis, in quo scriptum reliquit, Papã Ioannẽ XXII. contendisse, *animas impiorum non puniri ante diẽ iudicii.* quã illius hæresim fortiter Sorbonica eiusdem Parisiensis academiæ schola damnavit, & Papam illum ad retractationẽ compulit. Ex eodem impietatis genere illud est, quod Raphaelis Volaterani verbis proponemus ex ipsius libro Geogr. V. vbi de Papa Sixto IV. cuius hic noster Quinctus & nomẽ sumpsit, & pietatẽ imitatur, cõmemorans, ita scribit: *Conscio & adiuvante Pontifice coniurati Florentiam veniunt, & in ædem sancta Reparata mane omnes ad missã & sacrificiũ conveniunt. Salviatus interĩ cum suis clã armatis tẽplo descedens, in curiã, vt vexilliferum alloquatur, alio simulato negotio proficiscitur. eo tamen consilio, vt orta cæde in templo ipse presto esset, qui curiam simul cũ magistratu invaderet. Igitur dato signo, cũ Eucharistia tolleretur* (notetur insigne pietatis papalis testimoniũ: Constituto, inquit, signo cum Eucharistia tolleretur). *Bãdinius Iulianũ Medicem Laurentii fratrẽ confodit. Antonius, qui primas sibi partes depoposcerat, Laurentium ex altera parte aggredi-*

tur.

1586 *tur, post tergum: paululumque infra iugulum ferit. Cum ille statim ad clamorẽ conuersus ictũ vitaret, iterare vulnus volentem propere superfugit in adis sacrarium proximum. Tum legatus Papæ* (qui signum illud cædis faciendæ contulerat, dum Eucharistia tolleretur) *à ciuibus comprehensus, & è templo in curiã ductus, ac custodiæ traditus, pro viri dignitate tractatus est. Interea Saluiatus Pisanus Episcopus, qui cũ vexillifero de industria sermonem protrahebat, vt finem expectaret, statim comprehẽsus, eodem die ad curiæ fenestras suspensus fuit. Quo nuntio Pontifex accepto, Laurentium Medicem (quem fuga salutem sibi quæsisse docuimus) sacris interdixit, quod Dei sacerdotes legatumque attigisset, bellumque Florentinis aperte decreuit.* Hæc Volateranus. Ex quibus perspicuum cuiuis esse potest, quanti suam Eucharistiam Papæ facere soleant, in qua tamen adoranda, circumgestanda, venerãda, & omni honoris genere afficienda, religionem omnem Christianam positam esse volunt. Sed aliud argumentum proferendum est. Nam quid certius ad demonstrandam Papatum impietatem afferri potest, quam quod omnium sermone celebratur, moris esse Romæ, quoties Papæ peregre proficiscuntur, vt illa Eucharistia equo alicui strigoso & exili imposita, cuius ex collo tintinabulum propendeat, agasoni cuidam committatur, & inter lixas & calones cæteraque impedimenta, quasi aduentus Papæ prænũtia præmittatur. Nam in libro Ceremon. Pontifical. 1. section. c. 3. scriptũ ita est. *Post eos ducitur per familiarẽ sacristæ rubro indutũ, & baculũ in sinistra habentẽ equus albus, mansuetus, portans sacramentũ corporis Christi, habẽs ad collũ tintinnabulũ bene tinniens. Post sacramentũ equitat immediate sacrista: qui, vt cæteri prælati, habet equũ totũ coopertũ bocasino, &c.* Itẽ section. 12. c. 1. *Ducitur post hos equus albus, phaleratus, mãsuetus & pulcher, cũ tintinnabulo ad collũ bene sonãte qui capsulam vehit cum sacratissimo Christi corpore.* Itẽ c. 4. *Ante Pontificem semper præfertur crux per subdiaconum, & post crucem portatur corpus Christi super equum albũ cũ campanella &c.* atq; hæc quidẽ pompæ Papalis instituta sunt: sed instituta duntaxat. Nam qui Romę frequentes sunt, summo consensu & de præcursore iumento, & de eodem inter impedimenta præmitti solito attestantur. Extat liber à Iohanne Monlucio Episcopo Valentino scriptus, qui Romæ plurimas Regis Galliæ nomine legationes obiit, & *De religione ad Reginam matrẽ* inscriptus: cuius pag. 101. verba hæc sunt, ex Gallico in Latinũ conuersa: *Quoties Papa peregre proficiscitur, ne nimium honorem Eucharistiæ suæ præbere videatur, non illã manib. suis gestat: sed eam triduo vel quatriduo ante suum ex vrbe egressum præmittit, equi tergo impositã, cui comites adiungit cantores mulionès, agasones, cæteraq; aulæ suæ impedimenta, hoc est calones, lixas, & curtisanas.* (verba illius hæc sunt.) *Tũ Papa qui se ipsum vicarium esse prædicat, sequitur, stipatus Cardinalibus, Episcopis, & aliis eiusdem generis primatibus. vbi ad oppidum aduentat, tũ id quod appellat corpus Christi, quod aliquandiu ibi quieuit, extra oppidũ ei obuiã affertur: statimq; nutu inter se, sine vlla voce, consalutant simul illud iterum ante se præmittit. sed quanto cum honore? Papa sub vmbone honorifico in vrbem inuehitur, corpus Christi sub dio defertur. Quid opus fuerat illud Roma efferre, & in alterum oppidum deportare, cũ parrœcia nulla sit, quæ hoc genere nõ abundet? quid necesse est illud præmittere, quarto, sexto, decimo ante Papæ aduentũ die? Si eo consilio Papa istud instituit, vt sibi obuiam ad comitandum & cohonestandum suum in vrbem ingressum referatur, nullum tam tenue est oppidulũ, vbi non eiusmodi corpora reperiantur. si Roma afferri oportet, quidni Papa ipse exportat, aut certe secum deportari iubet. potius, quam inter iumenta sarcinaria & calones illud præmittit? Atqui si ad pluuiã cœlitus impetrandam (vt Lutetiæ & aliis locis fieri consueuit) signum alicuius sancti sanctæue ex vno templo in alterũ deportetur, moris est, vt magna pompa & celebritate hominum id fiat: vt cruces, vexilla, tædæ ardentes, & alia ornamenta præferantur. Quinetiam plerumq; ij qui simulacra illa deportant corpora nuda, ac linteis tantum amicti, aut certe nudis pedibus ingrediuntur. Et Papam non pudebit præmittere id, quod credi vult esse corpus Christi, cum paruula lanternula, & in capsula inclusum, equi tergo impositum, stipatum aulæ suæ fecibus? Cui verisimile fiet, eum qui se caput ecclesiæ profitetur, tantum in se facinus admissurum fuisse, si vere credidisset Iesu Christi corpus sub illo sacramento corporaliter fuisse?* Hæc Monlucius. quib. addi etiam illud poterit, quod ex multorum Paparum auctoritate comprobatum, & palam in Romana ipsius ecclesia receptum ex libro conformitatum beati Francisci: fol. 72. *Frater Franciscus dicendo missam in calice araneam inuenit: quam nolens proiicere, bibit cum sanguine, postea fricans crus, & scalpens, vbi pruritum sentiebat, ipsa aranea à crure exiuit, sine læsione fratris.* Item folio. 67. *Quidam nomine Bonelus noluit credere quod hostia consecrata esset corpus Domini: & dixit quod sua asina comederet hostias: quod audiens B. Antonius missam celebrauit, & hostiam consecratam asinæ detulit, & ostendit, statim asina genu flexit, & capite inclinato reuerentiam exhibuit. quod videns Bonelus, catholicus est factus.* An non ex huius asinæ schola didicisse Papa videtur, quod superius diximus, cum ad illum Eucharistia refertur, moris esse vt eam nutu & demisso capite salutet?

CAPVT. IV.

De cõfictis religionibus.

Restat tertium Papalis impietatis argumentum. Nam cum & religionis Christianæ & Dei colendi formam à Christo & ipsius Apostolis præscriptam, atque in noui testamenti libris traditam habeamus, & Deus toties eos execretur, qui commentitias religiones in ecclesiã inuehũt, tamẽ Papatus noua nobis religionum figmẽta inuexit, adeo absurda & ridicula, vt in tanta calamitate gratiæ tamen Deo immortali agendæ sint, quod tantã improbitatẽ nõ nisi in stolida ingenia passus est incidere. Figmẽta religionũ hæc fere sunt: primũ innumerabiles monachorũ copiæ, Augustinianorũ, Battutorũ, Benedictinorũ, Bernardinorũ, Carmelitarũ, Capuchino-

Anno 1586.

puchinorum, Cartusianorum, Cælestinorum, Dominicanorum, Fratrum ignorantium, Franciscanorum, Hieronymitanorum, Maturinorum: quorum ordines singuli proprias habent, & ab aliis separatas, cucullatarum togarum formas, variis coloribus distinctas: singuli proprias ac diuersas Deorum suorum colendorum, atque (vt aperte loquuntur) religionis suæ præscripras formulas, ritus atque instituta, longe aliorum dissimilia. Eorum autem tanta multitudo est, vt in Europa nostra facile excurrere numerus potetur ad milia quingēta. cuius rei non difficilis coniectura est. nam Sabellicus *Eunead 9. lib. 6.* scriptum reliquit, Franciscanorum sectam vsque adeo per vniuersum orbem pullulasse, vt quadraginta prouincias obtinuerit, & sub qualibet plures Custodias conuentus (*Guardianos* vocant) & sexaginta millia hominum exisse, adeo vt magister vniuersi ordinis, quem *Generalem* vocant; sæpius auditus sit Papæ expeditionem in Turcas paranti polliceri, ex Seraphici Francisci familia triginta bellatorum millia, qui bellica munera gnauiter obire possent: nihil sacrorum cultu interpellato. Deinde commenta sunt miraculorum & doctrinarum adeo fabulosa, vt iam plerosque illorum tantæ stultitiæ non modo pigeat, verum etiam pudeat. Neque verisimile cuiquam hoc tempore videretur, tantam humani quondam generis vanitatem fuisse, tantamque religionis caliginem, nisi documenta Sole ipso clariora extarent. Nam apud Romanos quidem & alias profanas gentes figmenta religionum fuisse absurdissima, nemo inficiatur. sed miseri mortales per ea tempora in terris ac tenebricosis nubibus, & quasi nocte illuni, hoc est, sine vllis Scripturæ sacræ monimentis versabantur. Verum vbi eiusdem scripturæ libri extiterunt, vbi Christus tanquam Solis iubar generi hominum illuxit, cui verisimile videretur, Satanam & Papas tantum per emissarios suos potuisse, vt in tanta luce tamen hominum oculos quasi fasciis præstringeret? Age igitur, & aliquot istius generis figmentorum exempla ex Franciscanorum & Dominicanorum monimentis depromamus. Nam cum hic Papa Sixtus ex illa Franciscanorum colluuione prodierit, videndum est, cuiusmodi religionis formam ex illa schola nobis afferat. Primo igitur loco prodeat peruulgatum illud oraculum, quod ex libro *Conformitatum Franciscanarum* passim in Ecclesia Romana receptum atq; approbatum esse docebimus. Franciscū Petri Bernardonis filium in ectasi cum Christo commissum, atq; compositum totidem plagis ac stigmatibus, iisdemq; in locis à Christo compunctum fuisse, quot Christus in cruce pendens affectus fuerat: ob eamq; causam eum appellari IESVM TYPICVM, hoc est, quasi Iesu crucifixi antitypum. vt quemadmodum character in cera signum imprimit, ita Christus sua in Frācisci corpore vulnera impresserit: quemadmodū Iesus Christus est imago Patris, ita Franciscus sit imago Christi: deniq; vt Christus in Francisci corpore tanquā imago in speculo appareat. Vnde illud in eiusdē libri fronte nefarium atq; abominandū carmen:

Francisce, IESV TYPICE, dux normaq; Minorum,
Sedes nobis perpetuè da regni cælorum.

Iam vero vt quiuis intelligat, cuiusmodi stigmatisatio illa fuerit, quam Ecclesia Romana credi ab omnibus fidelibus statuit, operæpretium est, verba ipsa scriptoris attendere: siue potius monachi nostri Papæ Sixti, qui publicam illi scriptori fidem atq; auctoritatem adiungi statuit. Nam fol. 228. *Non solum*, inquit, *manus & pedes fuerunt perforati, sed conclauati, ita quod claui in eis apparuerunt. deinde clauorum capita erant nigra: cum tamen carni vel neruis similes esse deberent, ex quibus facti erant: tertio, capita clauorum erant oblonga & repercussa, cum tamen martellus nec ictus affuerit. Quarto in loco osseo & non molli stigmata sunt impressa. Quinto licet claui essent carnei, vel neruei, ad instar tamen ferri erant duri, fortes & solidi. Sexto, ipsi claui non erant breues, solum acumina habentes, seu capita: sed erant longi, ad partem aliam resultantes. Septimo, claui non stabant ex parte alia longi, sed recuruati, sic vt digitus intra recuruationem arcualem ipsorum immitti valeret. Octauo, cum claui essent facti ex carne, vel neruis, & ex vtraq; parte pedum & manuum resultarent, & excederent, profecto non erant nec pedes, nec manus deformata, vel contracta. Nono, claui erant circunquaq; à carne alia separati, vt pecia circumcirca ponerentur, propter sanguinis restrictionem. Decimo claui mouebantur, & tamen à manibus nec à pedibus remoueri poterant, cùm B. Clara & alij hoc facere attentassent. Vndecimo, cicatrices clauorum & lateris per tantum tempus non sunt putrefacta, scilicet per duos annos & vltra. Duodecimo, vulnus laterale erat ad instar vulneris lateris Christi. Insuper miraculum erat. quomodo B. Franciscus, cum maximum haberet dolorem ex apertione corporis in quinq; locis, videlicet manibus, pedibus, & latere, & sanguis iugiter à locis prædictis emanaret, potuerit per tantum tempus viuere, scilicet post biennium, quod superuixit à stigmatum susceptione.* Audisne hæc Monache Bardocuculle noster, qui cum per tot annos Franciscanici ordinis Antistes generalis, & magister summus fabulas istas in tuis scholis tradideris, nunc eiusdem ordinis columen, & vniuersæ (vt ais) Ecclesiæ Pastor factus, eadem portenta nobis pro diuinis oraculis tradere conaris? Quid? an si quid in te aut Franciscanis tuis pudoris aut verecundiæ resideret, maneretne Blæsis, nobili Galliæ ciuitate, nefarium illud de Francisco Bernardone palam pro templi foribus inscriptum elogium: QVÆRETVR PECCATVM ILLIVS, ET NON INVENIETVR? Sed iuuat nos, vnde istis oraculis auctoritatem asciscat, paulisper exponere. Nam paucis post versibus ita loquitur: *Diabolus dixit, quod Christus videns Franciscum sibi datum pro signifero tanti ordinis, ipsi suorum vulnerum stigmata impressit, & clauos in manibus & pedibus, & in latere dextro, vulnus. Hec Diabolus & quare sit factum, Diabolus adiuratus à quodam sacerdote de veritate dicenda, post plura, per os mulieris apud Rauennam morantis, nomine Zantese sic inquit: In cælo sunt tantum duo signati, scilicet Christus & stomachosus Franciscus. Scient igitur Christus, se daturum illi stomachoso bullam*

Anno *suorum stigmatum, non permisit illi accipere à Papa bullam, manu hominis fabricatam.* Hæc Diabolus:
1586. Verba hæc sunt totidem literis exscripta ex eodem *Conformitatum libro, fol.230. col.4. & fol.231. col.1.* Ex quibus intelligi licet, quantum auctoritatis istis oraculis & huic præclaro illorum testimonio à Satana prolato debeatur: cum neq; Christus, neque Apostoli facere potuerint, vt vllum sibi testimonium præberet. Nunc generosi & illustres Regis Galliarum Consiliarii pro sua prudentia deliberent, cum Sixtus Quartus, & Sixtus Quintus ambo Franciscani, & Franciscanorum antistites, & alii Papæ complures commentitias istas, & blasphemas fabulas in Ecclesiam inueherint, ac tamdiu sua auctoritate confirmarint, hodieque tantopere confirment, verum iure an iniuria sint à maxima Christiani orbis parte sceleris atque impietatis damnati. De quo, vt commodius deliberare possint, alterum item locum ex *eod. lib. fol.231.* subiungemus, vbi scriptum ita est: *Franciscus in monte sacro Aluernia corporaliter eleuatus est, vt frater Leo socius eius vidit. Aliquando enim inuenit eum in aëre, per tantum spatium eleuatum, quod vix poterat tangere pedes eius, & tunc ipsos amplexabatur cum lachrymis. Aliquando inuenit eum vsq; ad medios fagos eleuatum à terra. Aliquando inuenit eum in tanta altitudine eleuatum, quod vix eum videre poterat. Et sæpe inuenit eum frater Leo cum Christo loquentem.* O bone Iesu! quis est, cum ista portenta verborum audit, qui non toto corpore perhorrescat? Nam quid aliud est, populo ista pro concione tradere, quam Franciscum Deum corporatum facere, eumque Christiano populo adorandum proponere? Et tamen teteriora etiam ac turpiora sequuntur. Nam *fol.232.* Franciscus ipse his loquens verbis inducitur: *Post hæc D. Iesus crucifixus manus suas corpori meo applicauit, & primo manibus, secundo pedibus, tertio stigma lateris cum vehementissimo dolore sensi: & cum magna voce clamoris mei qualibet vice impressit, & verba quædam secreta mihi dixit, quæ nulli adhuc homini reuelaui.* Ecquem hoc seculo tam excordem futurum Cucullifer Sixtus noster putat, vt istis blasphemis ac nefariis fabulis fidem habeat? vsq; cóne Consiliarios Regis Galliæ & Parlamentorum Senatores stupidos ac bardos fore arbitratur, vt non impia ista commenta simul cum illorum auctore Putri Berozdonis filio execrentur? Nisi dicat fortasse quispiam, quibus in claustris & carceribus monachorum hæc nata sunt, in iis eadem hæc arcana concludi, & quasi mysteria Cereris coerceri: neq; quemquam esse hodie tam expertem ingenii, qui non has norit esse fabulas aniles, & delirantium somnia. Verum ex aduerso ecce nobis in manibus decreta Paparum horrifica, quibus seuerissime interdicunt, ne quis de historiarum istarum fide dubitare audeat: sanciuntque, vt in Ecclesia Catholica Romana recipiantur: si quis secus senserit, tum is pro hæretico & schismatico habeatur. Nam eiusdem *libri fol.234. col.3.* scriptum ita est: *Papa Gregorius IX. de sanctitate B. Francisci, & de eius stigmatibus plures bullas fecit, in quibus asserit, B. Franciscum stigmata D. Iesu veraciter in suo corpore impressa a Christo habuisse:* ET HOC TENENDVM MANDAT FIDELIBVS, *& credendum, & sub nota hæresis puniendum, oppositum sapientem: Dominus Alexander IV. qui stigmata vidit propriis oculis B. Francisci, ipso B. Francisco adhuc viuente, qui in Bulla sic loquitur: Stigmata in eiusdem sancti corpore dum adhuc vitali spiritu foueretur, viderunt oculi fideliter intuentes, & certissimi contrectantium digiti palpauerunt. Tertio, D. Papa Nicolaus III. dedit similem Bullam. Quarto, D. Papa Benedictus XII. Et cum S. Romana Ecclesia determinatio sit verissima, & certissima (ipsa enim Romana Ecclesia tanquam magistra sequenda est in omnibus dist.11. in fin. dist. 12. c.1. & seq. & dist. 22. c. reputatur. dist. 21. c. omnes in fin. & qui contra eam loquitur hæreticus reputatur. dist. 22. c. omnes. quod ipsa nunquam à tramite Apostolica traditionis errauit. 24. q.1. ad quam in dubiis & arduis est recurrendum. dist. 11. c. palam dist. 12. c. præceptis. 24. q.1. c. quoties ipsaq; valet omnes iudicare, de ipsa iudicare nulli permittitur. 11. q.3. episcopo. §. sola. 17. q.4. nemini.) & ipsa Ecclesia Romana declarauit, B. Franciscum stigmatizatum à Christo, vt patet ex Bullis præfatis. Quare hoc est firmissime, tanquam verum, tenendum, & oppositum tenentem, vt* HÆRETICVM *ab omnibus despiciendum: & præsertim, cum dicti duo summi Pontifices, Gregorius & Alexander, non solum oculis propriis viderint, sed fide dignis testibus hoc esse attestatum dicant expresse.* Et mox, col.3. *Sexto, B. Francisci stigmatizatio authenticatur etiam testimonio malignorum spirituum, de quibus supra dictum est.* Hactenus ex libro Conformitatum, fol. vt dixi, 234. vt iam perspicuum omnibus esse possit, non de nihilo esse, quod tantopere hæc vrgemus. Neque enim pro leuibus nugis & ludicris narrationibus hæc haberi Monachus noster Regum & Principum excommunicator patietur: præsertim cum in Franciscanorum cœno tamdiu volutatus, nunc illius se ordinis patronum ac defensorem profitetur: & eos pro hæreticis habere iubet, qui Eccl. Rom. non vsquequaq; fidem atq; auctoritatem adiungant. Qua de re, ne cui dubium esse possit, non vno hæc illius libri loco traduntur, hoc est, fol.234. verum etiam in ipso libri exordio, fol.3. his verbis: *In quo sancto prodigiosa stigmatizatio facta est? Certe in nullo alio, nisi in beato patre nostro Francisco, vt asserit* ECCLESIA ROMANA, *& fidelibus ingerit ad credendum. Deinde etiam Papa Benedictus festum de stigmatibus colendum concessit ordini.* Quin etiam Antoninus Episcopus Florentinus, lib. Historial. 3. tit. 24. §. 10. ita loquitur: *Papa Alexander IV. anno* CIↃ CCLIIII *montem Aluernia propter impressionem sacrorum stigmatum ibi factam in corpore S. Francisci in specialem protectionem assumens, immediate Romana Ecclesia ipsum subiiciens, B. Franciscum multis laudibus extollendo, montem illum sacrum à fratribus nunquam relinqui, præcepto efficaci mandauit. Eodem anno Anagniæ existens misit vnum seruum Christi fidelibus literas deferentem, iuxta seriem literarum Gregorii IX. de sacris stigmatibus B. Frācisci, in quibus innuit, se illa propriis oculis vidisse. Itē alias literas misit Archiepiscopo Genuensi, præcipiēdo, vt illos, qui de imagine S. Francisci in Ecclesia S. Mariæ & ministerio S. Xisti malitiose deleuerant stigmata, citaret personaliter coram ipso, pro meritis recepturos vltionem, inhibēdo sub interminatione anathematis, ne*

quis

Anno 1586.

quis de cetero similia attentaret. Nicolaus Tertius Papa circa annum CIↃ. CCLXXX. *misit literas vniuersis Christifidelibus de sacris Francisci stigmatibus certum testimonium continentes.* Hæc Antoninus. vt iam dubium nemini esse debeat, quin Christiani omnes, præsertim hoc Monacho Franciscano in Ecclesia dominante, comparati, esse debeant vel ad subeunda supplicia schismaticis & hæreticis constituta: vel ad ista Franciscanorum commenta pro diuinis oraculis, ab Ecclesia Romana traditis, amplectenda. Atque vt maior & commodior opinionis facultas sit, non alienum videtur, alia quædam ex eodem Conformitatum volumine insignia proferre, quale illud est, fol. 66. *Quidam ciuis, inquit, dormiuit, & raptus in cœlum, vidit Christum. B. Mariam, & alios Sanctos, qui processionaliter ibant omnes, Christo & matri reuerentiam exhibentes. Sed cum B. Franciscum non videret, Angelo ipsum ducenti dixit, Vbi est B. Franciscus, cum suis in isto loco? Angelus respondit, Expecta, & videbis B. Franciscum, & quem statum habet. & vidit: & ecce, Christus eleuauit brachium dextrum, & de ipsius vulnere laterali exhibuit B. Franciscum cum vexillo crucis explicito in manibus, & post ipsum maxima multitudo fratrum, & aliorum. Tunc ciuis ille bona sua dedit fratribus, & factus est frater minor.* Item, fol. 2. *B. Franciscus repræsentationem faciens Natiuitatis, Christum in vlnis habuit: & dum oraret Virginem, vt sibi consolationem de Iesu paruulo faceret, Virgo ipsa pulcherrima astitit. & in brachiis B. Francisci à principio noctis vsque ad diem, tenendum & osculandum præbuit, & concessit.* Ridicula hæc sunt, dicet aliquis, & plane nugatoria: sed hæ nugæ (vt quodam dictum est) seria ducunt, simul ex iis intelligitur, quam impie Papæ illi superiores Ecclesiæ Christianæ in confingendis religionibus illuserint, cum Bartholomæi nescio cuius Pisani opera in his consarcinandis fabulis, & sacræ Scripturæ loco imperitæ multitudini obtrudendis sint vsi. Quid? Vtrum hæc ludicra dicenda sunt, an vero detestanda & execrabilia, quæ fol. 18. his verbis scripta sunt: *Franciscus plus fuit, quam Iohannes Baptista, quia Iohannes Baptista tantum fuit pœnitentiæ prædicator, Franciscus fuit prædicator, & ordinis pœnitentiæ institutor. ille fuit præcursor Christi: hic prædicator & signifer Christi, qua in re Ioannem ipsum excedit. Item, Ioannem Franciscus præcedit, quia plures ad Dominum conuertit, & pluribus in locis, videlicet in toto mundo. Ioannes duos annos, & parum plus prædicauit: Franciscus 18. annos. Ioannes verbum de pœnitentia accepit à Domino: Franciscus à Domino & à Papa: quod plus est. Ioannes Baptista qualis esset futurus, per Angelum patri, per Spiritum sanctum, & Prophetas fuit declaratus. S. Franciscus vero à Prophetis, à Domino Iesu Christo, item per Angelum matri & famulis in specie peregrini declaratus. S. Ioannes in vtero & extra prophetauit: B. Franciscus in vtero, id est, in carcere apud Perusium captus, cum gaudio se magnum futurum prædixit. S. Ioannes amicus sponsi: B. Franciscus similis Domino Iesu Christo. Ioannes mundo singularissimus fuit sanctitate: Franciscus excellentissimus fuit ad Christum præ aliis, stigmatisationis conformitate. S. Ioannes in ordine Serafico sublimatus: B. Franciscus in ipso ordine in sede Luciferi collocatus.* Quid est Christianam religionem, & sacram de Ioanne Baptista historiam irridere, si hoc non est? O Deus, vltionum Domine, quandiu monstra ista Paparum sacrosanctæ Maiestati tuæ tam contumeliose illudere patiere? quandiu eos impune in templo tuo sanctissimo debacchari sines? At enim locus est, in eodem illo blasphemiarum promptuario alius prope detestabilior. nam pag. 39. *Franciscus*, inquit, *est melior Apostolis, quia illi nauem tantum & alia reliquerunt, non tamen vestimentum, quod in dorso habebant. B. vero Franciscus non solum omnium terrenorum facultati abrenunciauit: sed etiam pannos & fœmoralia reiecit, atque nudum corpore & mente se obtulit brachiis Crucifixi: quod de nullo alio Sancto legimus. vnde bene poterat Christo dicere, Reliqui omnia, & secutus sum te.* Vbi sunt Pharaones, & Pharaonum deteriores satrapæ, qui Magorum præstigias, Mosis miraculis potiores ducunt: & his se monachalibus portentis oblectari simulant, vt plebem imperitam à Scripturæ sacræ lectione ac studio remoueant: & suis ciuibus quasi pro pecudibus ac brutis abutantur? Credita tamen hæc sunt superioribus seculis. nec mirum, cum Paulus tam aperte prædixerit, Antichristum venturum cum efficacia Satanæ, cum omni potentia, & signis, & prodigiis mendacibus: & cum omni fraude iniustitiæ, in iis, qui pereunt, pro eo, quod amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio: vt omnes, qui non crediderunt veritati, damnentur. 2. Thessal. 2.

CAPVT V.

Figmentum Dominicanæ Religionis.

VErum hæc quidem de confictis in Francisci Bernardonis persona religionibus hactenus dicta sint. deinceps de alterius monachi, nomine Dominici, commentis videamus. in quibus primus ei nefariæ comparationi debetur locus, qua Dominicus (ignoscat nobis Deus misericordiæ pater, qui has blasphemias commemorare cogimur) cum Deo Christo contenditur. Nam apud Antoninum Episcopum Florentinum, in Historial. part. 3. tit. 23. & tit. 24. scriptum ita est: *Dominum Christus*, inquit, *est dominus absolute & auctoritatiue: Dominicus possessiue. Ipse habuit multas visiones diuinas: semel vidit Christum volentem mundum iudicare, & finire: sed Virgo Maria rogauit, quod expectaret, & mitteret prædicatores, Dominicum & Franciscum. & iterum cum vidit cœlum apertum, & de omni genere religionum fratres in gloria: & suos Dominicanos non vidit, sed à filio Dei fuit dictum, quod erant sub chlamyde Virginis Mariæ, quos ibi vidit: & dicit quidam magister ordinis minorum, qui composuit librum magnum de B. Dominico valde magistralem,*

Anno 1586.

quod in dicta visione posset dici, quod tunc viderit Dominicus Deum per essentiam, sicut Paulus in raptu. Ap-
parebit autem magna similitudo eius ad Christum, ex discursu vitæ & operum eius. Itaq; quia Domino
Christo similis, aptissime denominatus est Dominicus. Dominus ait: Ego sum lux mundi: Ecclesia de Domi-
nico canit, Vos estis lux mundi. Domino Prophetæ omnes testimonium perhibent, Act. 10. De Dominico &
ordine suo Zacharias cap. 11 dixit in persona Dei. Assumpsi mihi duas virgas, vnam appellaui Decorem, aliam
Funiculum. Decor est ordo Prædicatorum, Funiculus ordo Minorum: quia funiculo manifesto cinguntur.
Antequam Dominicus nasceretur in mundo, imagines duorum depictæ cernebantur Venetiis, in Ecclesia sancti
Marci: quarum vna erat admodum religiosi, in habitu ordinis Prædicatorum, cum lilio in manu. Altera
similitudinem habebat Apostoli Pauli, prout pingi consueuit: super quam scriptum erat, AGIOS PAV-
LVS: sub figura vero ad pedes, sic: PER ISTVM ITVR AD CHRISTVM: sub figuram alteram
scriptum erat: AGIOS DOMINICVS, sub ipso vero: FACILIVS ITVR PER ISTVM.
Nec mireris de scriptura huiusmodi, quia doctrina Pauli, sicut & ceterorum Apostolorum, erat doctri-
na inducens ad fidem. Doctrina Dominici ad obseruationem consiliorum, & ideo facilius per ipsum itur
ad Christum. 2. Dominus nascitur super terram nudam, sed ne nimis lædatur à frigore, à matre Vir-
gine in præsepio collocatur. Dominicus natus infantulus, sub nutricis custodia positus, egressus è lectulo,
quasi iam carnis delitias abhorreret, super nudam terram iacere sæpius est repertus. 3. Domino nato sydus
coruscans emicuit, quod magos ad ipsum perduxit, per eum mundum vniuersum illuminandum insinuans.
Dominicus oritur, & super baptizandum mater spiritualis stellam aspexit in fronte, nouum iubar præ-
monstrans seculi. 4. Dominum duodennis à parentibus in templum adductus, in eo permansit puer so-
lus. Dominicus à propinquis in puerilibus annis ad Ecclesiam fertur, diuino imbuendus officio in ea re-
lictus. 5. Abinde vsque ad iuuenilem ætatem de Domino authentice nihil reperimus, nisi quia proficie-
bat ætate, vt verus homo, sapientia & gratia apud Deum & homines: sed hoc apparenter. Domini-
cus autem non solum corpore crescebat, sed & mente virtualiter. 6. Dominus, cum à Ioanne baptizare-
tur in Iordane, descendit Spiritus sanctus in columba super eum, ad designandam plenitudinem gratiæ, de-
fertumq; petiit. Dominicus fame inualescente in vniuersis Hispaniæ partibus, cum videret egentes pluri-
mos, neminemq; consolatorem, in feruore spiritus, venditis libris & supellectili pretium pauperibus disper-
sit, & dedit, & Spiritu sancto quasi noniter & apparenter repletus, statim regulam sub Didaco Episco-
po apprehendit, vt alterum baptismum & spirituale desertum à delitiis & mundalibus sequestratum.
7. Dominus post discipulos congregat paucos, & in breui multiplicat, mittens eos binos ad prædican-
dum regnum Dei. Dominicus ex mediis ad vitam religiosam secum assumptis, ad multitudinem proueh-
tur copiosam, quos ad euangelizandum destinauit, & sanandum infirmos. 8. Dominus elegit pauperta-
tem in se & Apostolis: sed habebat loculos à fidelibus oblata conseruans, eosq; Iudas deferebat: sed Domi-
nicus verus erat paupertatis amator, fratres suos ad ipsam exhortans. 9. Dominus quando ducebat disci-
pulos ita famelicos, vt per sata transeuntes, spicas vellentes manibus confricarent ad edendum: & cum
esset iam meridies, fatigatus ex itinere, misit eos in Sichar, ad emendum cibos, & inde forte præ fame
non lotis manibus manducabant aliquando. De qualitate ciborum satis creditur non comedisse carnes,
nisi agnum Paschalem, propter obseruantiam Legis. Dominicus Patriarcha, qui aliquando totam qua-
dragesimam, non quidem sine cibo, sed pane & aqua peregit, hanc asperitatem suis moderauit, vi-
num & lacticinia concedens. 10. Forte aliquis dicet, à similitudine discrepare, quod Dominus disci-
pulis suis dixerit: Neq; calceamenta habebitis in pedibus: cum tamen Dominicus cum suis calceati proce-
dant in publicum. Sed sciendum, quod mandatum illud temporale extitit, super quo dispensauit in vlti-
ma cœna. Nam & Dominum calceatum videre possumus in eo, quod ait Baptista: Cuius non sum dignus
soluere corrigiam calceamentorum eius. Petro quoque in Actis dictum fuit ab Angelo: Accipe caligas tuas:
nisi quis dicat, caligatum fuisse, sed non calceatum: quod non est consuetum. Et Marcus optimus eius
imitator, calceamentum eius fractum cerdoni obtulit ad resarciendum. sic igitur Dominus & discipuli
aliquando calceati, aliquando discalceati incesserunt. Et sic Dominicus in vrbibus calceatus, extra, in iti-
nere frequenter discalceatus agebat. 11 Dominum natum non alia persona, quam mater sua Virgo Ma-
ria pannis inuoluit: & iam adulto tunicam suam inconsutilem, & alias vestes mater ipsa consilio manuum
suarum texuit: cuius autem coloris fuerit, non inuenitur, ne videlicet eo noto falsi Prophetæ induti ininim
agnoscerentur esse lupi rapaces. Dominico & ordini suo Beatissima Virgo Maria habitum gestandum osten-
dit, ac etiam colorem. Nam beato Reginaldo grauiter infirmanti apparuit, & sanauit, habitum osten-
dens, quo Dominicus cum filiis suis esset induendus: Cappa videlicet magna, & tunica cum scapulari, albis.
12. Dominus & Dominicus virgo vterque mente & corpore, & humilis valde. vt Scriptura conclamant:
sic Dominicus virgo purissimus, & humilis multum. 13. Dominicus cum Christo proprium non possidebat
lectulum, post lachrymarum fluuium vix humi dans corpusculum. 14. Domini oratio semper fuit ex-
audita, cum voluit. vnde & Patri dixit: Ego sciebam, quia semper me audis. nam etsi in horto, cum ora-
uit, calicem à se transferri; non fuerit exauditus: hoc ideo, quia secundum sensualitatem postulans, se-
cundum rationem exaudiri nolebat. Dominicus autem cuidam religioso viro sibi familiari in Dominica lo-
cutione insinuauit, nunquam se à Deo aliquid postulasse, quod ad votum non obtinuerit. 15. Dominus Apo-
stolos suis exemplo ad vitam mixtam, id est, contemplatiuam & actiuam prædicando dedicauit: matrem
eius Virginem & Magdalenam ad contemplatiuam. Maria enim stabat secundum pedes Domini, & au-
diebat verbum eius, Luc. 10. Martham vero, & alias mulieres ad actiuam. Sic Patriarcha Domi-
nicus, vt alter Noe, arcam suæ religionis ex lignis bitumine charitatis conglutinatis tricameratam fe-
cit. Fratres vnà secum ad contemplanda cælestia, & prædicanda salutis proficua, in vna collocans: mo-
niales

aiales reclusas ad contemplationem assumens, in secunda vtriusq; sexus homines ad actiuam applicant, Anno 1586.
qui dicerentur de pœnitentia fratres & sorores, seu militia Iesu Christi in terra mansione. 16. Discipuli Christi scilicet LXXII. *semel scandalizati ex doctrina Christi, quam non intelligebant, recesserunt ab eo: quibus recedentibus, Christus remanentibus secum ait: Nunquid & vos vultis abire? At Petrus pro omnibus respondit: Domine, ad quem ibimus? Et B. Dominicus, cum secum haberet aliquos discipulos, vna die centati recesserunt ab eo: tantum remanentibus tribus, quibus Dominicus ait: Nunquid & vos vultis recedere? Cui vnus respondit: Absit pater, vt relicto capite sequamur pedes. Deinum sicut & discipuli Christi, qui recesserant, redierunt ad eum, ita & discipuli Dominici oratione eius reuersi sunt. 17. Dominus multas derisiones, detractiones, & persecutiones vsque ad mortem fortiter tolerauit, quærentium eum in verbo capere, aliquando lapidare, aliquando præcipitare. Dominicus contumelias, subsannationes, & oblocutiones non curauit: ita vt quidam paleas à tergo ei pro derisu alligarent: alij lutum, & alia in eum vilia iacerent. 18. Dominus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Dominicus vero charitatis perfectione non vacuus, noctem impendebat Deo, meditationi & orationi vacans. Trinam disciplinam quasi quotidie de manu propria, non cordula, sed catena ferrea vsque ad sanguinis effusionem capiebat: pro suis culpis vnam, quæ minimæ erant: pro in purgatorio existentibus, aliam: tertiam pro iis, qui versantur in mundo. 19. Dominus cum iter faceret versus Hierusalem, videns ciuitatem, fleuit super eam, multaq; prædixit occulta cordium, & euentus futurorum, propter quod in laudem eius dicebatur, Propheta magnus surrexit in nobis. Dominicus cum ciuitatibus propinquaret, cernens mente, amarè flebat, propter peccata eorum, multaque, vt verus Propheta, occulta & futura reuelauit: sicut mortem Regis Aragonum in bello: conuersionem hæretici Adæ fucuram, quem propterea liberari iussit ab incendio.* Hactenus Antoninus: Ex quibus potentissimi Regis Galliarum Consiliarii existimare poterunt: vtrum inte an iniuria maxima Christianitatis pars figmenta ista religionum à Papis inducta repudiarit: cum adeo nefarie ac scelerate ausi sunt monachum Dominicum tanquam idolum in Ecclesia Dei adorandum proponere, eumque cum Christo Deo & Conseruatore nostro contendere. Neque enim audiendus erit, si quis dicat, monachales istas esse quisquilias, quas eruditi viri & graues aspernantur. Quod enim superius de Franciscanis eiusdem generis nugamentis dictum est, idem hoc loco de Dominicanis dicimus: cum in Ecclesia Romana pro diuinis oraculis receptæ sint, aut eas Christianis omnibus venerandas esse, aut constituta hæreticis supplicia ab isto furcifero, cucullifero, cordigeruio monacho expectanda. Sed iam alia audiamus. Nihil videtur ad hanc impietatem addi posse. Verumtamen experiamur. Nam idem Antoninus capite sequenti, vbi Christi & Dominici miracula inter se comparat, pag. 187. ita loquitur: 1. *Dominicus tres in vrbe Roma resuscitauit, filium viduæ, quod Pontifici noctu publicari voluit: sed præ humilitate omnino Dominicus recusauit. Architectum à fratribus conductum, & à muro super eum diruto conquassatum: & Neapoleonem Cardinalem de fossa noua nepotem, ex equo lapsum, & totum dilaceratum. Satis credo, & alios Dominum suscitasse, propter quod dixit in plurali, Matth. 11. Mortui resurgunt, scilicet per me: vnus tamen adhuc non nisi filiam Archisynagogi rediuiuam fecisse habeatur, secundum Euangelia. Sic & B. Dominicus alios mortuos, etsi non ita notorios, viuificasse inuenitur. Quid enim illos* XL *peregrinos, qui in flumine magno, iuxta Tholosam nauigio ferebantur, cum naui submersa sub aquis diu stetissent, sacra oratione à B. Dominico ex aquis exierunt sospites: nisi vita redditos existimemus, vel in aquis vt pisces conseruatos? 2. Dominus bis famelicos pane multiplicato satiauit, aquamque conuertit in vinum. Dominicus bis panes diuinitus fratribus procurauit, Romæ & Bononiæ: deferentibus angelis à pane cœlesti: vnde & suauissimos. Vegetem vacuam vino redundare fecit, & vice altera lympham in vinum suaue conuertit. 3. Christus febricitantem Simonis socrum febri perfecte sanauit, & languidos multos. Dominicus mulierem quartanariam ex toto liberam reddidit. 4. Exibant dæmonia à multis, clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei. Dominicus à dæmonibus vexatos in anima & corpore plurimos liberatos effecit. 5. Christus immortalis effectus, bis ianuis clausis ad discipulos intrauit: Dominicus vero adhuc mortalis (quod mirabilius est) in Ecclesiam clausam noctu ingressus est, ne fratres excitaret. 6. Dominus postquam transiuit ex hoc mundo, innumerabiles homines ad viam veritatis attraxit: Dominicus quamuis millia hæreticorum ab erroribus reuocasset, tamen post transitum eius multo plures. O spem miram, quam dedisti (canit Ecclesia de B. Dominico) mortis hora te flentibus; Dum post mortem promisisti, Te profuturum fratribus. 7. Et vt perueniamus ad calcem, Dominus ait, Data est mihi potestas in cœlo & in terra. Hæc potestas non parum est communicata Dominico, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Nam angelos sanctos in sui ministerium habebat. sed & ipsi angeli accedentes in humana specie ad fratres, panes ad escam ministrabant eis. Si de elementis loquimur, vim virtutis suæ obliuit est ignis: quando ter libellus eius doctrinæ in flammas traditus, ter exiuit illæsus penitus, libris aduersantium hæreticorum subito combustis. Signo crucis obedit pluuia ex aëre copiose descendens; dum nec gutta vna eum itinerantem tangit, tota regione illo imbre inundata. Aqua fluminis, in quod libri eius per ipsum transeuntis ceciderant, nec humectare valuit: sed post dies à piscatoribus loco piscis de aquis extracti, illæsi & sicci, ac si in capsa fuissent, ei sunt restituti. Terra quoque, quæ metalla continet, in pecunia sibi necessaria non defecit. nam cum flumine quodam transito per nauiculam nauclerus naulum postularet à B. Dominico, illeque, vt pauper, se pecuniam non habere asseueraret, importunusque nauclerus ille per cappam tenens naulum peteret, B. Dominicus oratione facta in terram aspiciens, vidit pecuniam sibi necessariam ibi iacentem, qua illi oblata, se liberauit: sed & (quod maius est) cum quidam clericus continere non posset,*

Anno 1586. *osculata manu B. Dominici à Missa redeuntis tum odore suaui, tantum eius consistentem virgo in mentem eius diffusus est, vt postea facile contineret. Quid de infernalibus dicam? Certe ad nutum eius Dæmones contremiscebant, nec imperium eius recusare valebant. Quod patet: quando apparentem ipsum in forma fratris secum duxit per conuentum officina, scili et dormitorij, chori, refectorij, locutorij, & postea capituli, & interrogauit de singulis locis, quid cum fratribus ibi lucraretur? quæ omnia coactus est explicare.* Hæc Antoninus. Ex quibus diiudicandum Regiis Consiliariis relinquimus, vtrumne hæc vera Christi religio sit, Ecclesiæ ab Apostolis tradita, an vero commentitia Sathanæ fabula, consulto à Papis in Ecclesiam inducta, vt vel sacræ Scripturæ legendæ studium extingueretur, vel certe par vtrique auctoritas tribueretur? Sane dubium nemini fore speramus, quin iam Papatus ementitarum & confictarum religionum apertissime sit conuictus: ac proinde si Regem Nauarrum ac Principem Condæum ex eius Ecclesiæ communione, quæ Portenta illa tuetur, eiiciat, non illos ex Christi Ecclesia, sed ex Dominicanorum cloaca, vel potius ex Sathanæ synagoga eiicere. Quod vt planius ac certius etiam confirmetur, consimile Papalis Ecclesiæ figmentum ex eodem Antonino proferemus. Nam cap. sequenti, pag. 190. ita scribit: *Dominicus,* inquit *Romæ nocte quadam orationi incumbens, vidit ad patris dexteram exurgere filium in ira sua, vt interficeret omnes peccatores terræ: & disperderet omnes operantes iniquitatem. Stabat autem in æthera, aspectu terribilis, & contra mundum in maligno positum lanceas tres vibrabat, quarum prima superborum ceruices erectas transfigeret, altera cupidorum viscera effunderet: tertia concupiscentia carnis deditos perforaret. Cuius iræ dum nemo posset resistere, occurrit propitia Virgo mater, & pedes amplectens eius, rogauit, vt parceret eis, quos redemerat, & iustitiam misericordia temperaret. Ad quam filius, Nunne vides, inquit, quantæ mihi irrogentur iniuriæ? Tunc mater: Tu scis, ait, quia omnia nosti, quia hæc est via, per quam eos ad te reduces. Habeo seruum fidelem, quem mittes in mundum, vt verba tua annuntiet eis, & conuertentur ad te omnium Saluatorem. Alium quoq; habeo seruum, quem dabo ei adiutorem, vt similiter operetur. Filius dixit, Ecce placatus suscepi faciem tuam, verumtamen ostende mihi, quos velis ad tantum officium destinare. Tunc Domino mater obtulit B. Dominicum Iesu Christo: & ait Dominus matri, Bene & studiose faciet, quod dixisti. Obtulit quoq; & sanctum Franciscum, quem similiter Dominus laudauit. Sanctus ergo Dominicus in visione considerans socium diligenter, quem prius non nouerat, in crastinum eum in Ecclesia, ex eis, quæ in nocte viderat, recognouit, & in oscula sancta ruens, & sinceros amplexus, dixit, Tu es socius meus: tu curres pariter mecum.* Item paulo post: *Dominicus orabat noctu in Ecclesia, & ecce repente facta manu Domini super eum, raptus est in spiritu ante Deum, & vidit Deum sedentem, & matrem eius, quæ sedebat ad dextram eius, amictam cappa coloris sapphirini. Aspiciens autem in circuitu, vidit ex omni natione spiritualium patrum, qui ex sacris religionibus Christo & filios & filias spirituales genuerunt, multitudines innumeras in conspectu Altissimi gloriantes. Et cum nullum ibi conspiceret suorum filiorum, erubescens, compunctus ex intimis, amarissime flere cœpit. exterritus ergo à gloria maiestatis Domini, stetit à longe, nec audebat vultui gloriæ, & Virginis excellentiæ propinquare. Innuit autem ei manu domina, vt ad se veniret. At ille tremens & pauens, non præsumpsit accedere, quousq; eum similiter vocauit Dominus maiestatis. accessit itaq; homo compunctus, & humilis spiritu, & contritio suis lachrymis filij & matris propitius pedibus demississime & humilime se prostrauit. At consolator flebilium Dominus à gloria dixit ei, Surge. qui cum staret coram Domina, interrogauit, dicens: Cur sic amarissime ploras? qui ait: Quia in conspectu tua gloria omnium religionum homines intueor: de meis vero ordinis filiis hic, proh dolor! nullum aspicio. Cui Dominus: Vis videre ordinem tuum? At ille: Hoc desidero, Domine. Tunc filius manum suam sub scapulari Virginis matris suæ ponens, dixit ad illum: Ordinem tuum matri commisi. Et cum hoc pio haberet affectu, ordinem suum videre desiderans, Dominus iterum dixit ei: Omnino vis eum videre? Respondit: Hoc affecto, mi Domine. Et ecce mater Domini complacuit filio: cappamq; deauratam, qua operta videbatur, euidenter patefaciens aperuit: & expandens coram lachrymoso Dominico seruo suo, eratq; hoc tantæ capacitatis & immensitatis vestimentum, quod totam cœlestem patriam amplexando dulciter contineret. Sub hoc securitatis tegmento, in hoc pietatis gremio, vidit ille contemplator sublimium, & perspector Domini secretorum, Dominicus fratrum sui ordinis innumeram multitudinem. Conuersus est ergo luctus in gaudium, & lamentum in iubilum.* Hæc Antoninus. Ridicule, insulse, & absurde: dicet fortasse quispiam, quis negat? Sed quemadmodum superius de nugis Bernardonicis diximus, cuiusmodi hæc sunt, tamen & Papatus auctoritate comprobata sunt, & ab Ecclesia Romana recepta: ac proinde, cum indiuidua religio sit, (nam, vt ait M. Tullius, *aut vniuersas religiones tolle, aut vsquequaq; conserua,*) ab iis omnibus, qui Ecclesiæ Romanæ nomen dabunt, oraculorum loco ac numero habenda: graui sanctione adiecta, vt, qui secus sentiat, in hæreticorum & schismaticorum numero censeatur: quandoquidem his commentis à Papa comprobatis, Dominicus æque ac Franciscus in Diuorum Ecclesiæ Romanæ numerum relatus est, eodem auctore Antonino, *tit. 23. §. 17. fol. 197.* Ex quibus intelligitur, primum, quot & quam iustis caussis adducti plerique Christiani Reges, Principes ac Magistratus Papatum impietatis, & confictæ religionis nomine damnarunt. deinde, quantum auctoritatis habere apud Parlamenta Gallica debeat hæc execrata Sixti Quinti nuper excucullati monachi Declaratio, qua supradicti serenissimi Principes non aliam ob causam hæretici pronuntiati sunt, quam quod istius generis commenta non eodem, quo Scripturam sacram loco sibi habenda esse iudicarunt. Nam vt sæpenumero antehac professi sunt, & hodie quam maxime possunt, apud omnes omnium generum atque ordinum homines profitentur, palamq; denuntiant, cum

Ecclesia

Ecclesia Rom. mixtam habeat & confusam cum istius generis commentis ac fabulis religionem, quæ ex puris Scripturæ sacræ fontibus hausta sunt, ea studiosissime amplectuntur: quæ ex istis monachalibus lacunis & colluuionibus in religionem inducta sunt, ea repudiant, ac detestantur. Quæ tamen sola caussa est, cur Papa Sixtus Quintus vtrumque illorum nuper ita superbe ac ferociter est execratus. De quo Papa Sixto dicendum aliquid hoc loco videtur: vt & qualis, & quibus ortus radicibus in tantam confidentiam venerit, tantosque sibi spiritus sumpserit, ab omnibus intelligatur. Nomen igitur illi ab initio fuit FELIX PERETVS. Natus est in pagotenui, proximo ciuitati Formanæ, cui nomen est Montalto, Anno CIↃ IↃ XXI. die Decembris XIII. Puer inter monachos, id est, (ne quid aliud dicatur,) inter hircos educatus, tandem adolescentulus in Franciscanorum ordinem ascitus est: quorum sacris initiatus, ac iam grandior factus, ad extremum ab Inquisitoribus fidei Romanæ in ipsorum collegium cooptatus est. quo magisterio cùm aliquot abhinc annis ita fungeretur, vt pauci truculentum ipsius ingenium ferre possent forte tum accidit, vt nobilem quendam Venetum ad suum tribunal euocaret. Cùm hominem contumeliis audiendis insuetum ferociùs accepisset, non ita multis interiectis diebus eidem Nobili forte obuiam factus est. quem vt primùm Nobilis animaduertit, vni ex suis assectis imperauit, vt fuste, quem gestabat, ferociam infelicis Pereti contunderet. Infelix illico Romam profectus, casum illum suum Papæ Pio Quarto, qui tum Romæ imperabat, renuntiat. Indignatus Papa, rursus illum cũ auctoritate ac potestate maiore Venetias mittit. Simul ac suam Senatui bullam exhibuit: sapientes viri, qui turbulentũ hominis nõ ingenium ignorabãt, eumq; vltionis studio inflammatum esse animaduertebant, confestim cereum accendi iusserunt: eiq; seuere imperarunt, vt prius quam cereus igne consumptus esset, mature, si saperet, è suis finibus excederet. Infelix iterum Romam profectus, suam Papæ querimoniam detulit. Papa cùm hominem ad suas rationes accommodatissimum fore indicaret, primùm hoc illum honore affecit, vt sui eum palatij magistrum crearet. deinde cùm in Hispania Toletanus Archiepiscopus ab inquisitione Hispanica, gentibus omnibus formidabili, in suspicionem hæresis vocatus esset, Papa eum, vt illi quæstioni ac iudicio interesset, in Hispaniam misit. Forte per id tempus accidit, vt qui tum Generalis, hoc est, antistes Franciscanorum erat (quæ summa apud illud hominum genus præfectura ac dignitas habetur) mortem obiret. quam hereditatem Papa Pereto Felici detulit: qui hoc modo Franciscanorum Archicucullus, Protocucullus, Bardocucullus factus est: paucisque post annis etiam in Cardinalium ordinem ab eodem Papa cooptatus. Tandem, Papa Gregorio XIII. mortuo, noster Archicucullus studiosissima eius commendatione & gratia, qui Romæ in his procurandis negotiis dominatur, & cui non obscure suam in reliqua Nauarreni regni parte occupanda operam nauat, in demortui locum Felix in conturbanda Gallia suffectus est. His gradibus atq; incrementis, qui aliquot abhinc annis cucullus cordigerulus despicatissimus monachus fenestratis calceis reptabat, nunc fulguritor, fulminatur, Regum ac Principum proscriptor factus est: Anno 1586. Sixti V. Patria.

Ense potens gemino, cuius vestigia adorant
Cæsar, & aurato vestiti murice Reges.

vt Mantuanus de Iolio II. cecinit.

CAPVT VI.

Crimen occupatæ in Ecclesia tyrannidis.

PRoximum est, vt ad secundum Papatus crimen accedamus, quod in occupato in Ecclesiam Christianam dominatu consistit. Nam Scriptura sacra docet nos, solum Christum esse caput Ecclesiæ, *1. Pet. 2. & 5. Hebr. 5. & 7. & 9. 4. Ephes. 15. & 16.* item *in c. 5.* item alio loco, Christum esse caput corporis Ecclesiæ, *1. Col. 18.* Eadem Scriptura soli CHRISTO hoc nomen tribuit, vt sit ἀρχιποίμην & ἀρχηγὸς, *1. Petr. 2. & 5. Hebr. 6. & 7.* At Papa Romanus: *Cuncta,* inquit, *per mundum nouit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi: neq; cuiquam liceat de eius iudicare iudicio.* Et c. sequenti: *Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet iudiciis ligata Pontificum sedes Beati Petri ius habeat resoluendi, vtpote qua de omni Ecclesia ius habeat iudicandi.* Item Clement. pastoralis, de sentent. & re iudic. *Pastoralis cura solicitudinis nobis diuinitus super cunctas Christiani populi nationes iniuncta.* Item e. 1. Extrauag. de empt. & vend. *Regimini vniuersalis Ecclesiæ, disponente Domino præsidentes.* item c. ad Regimen, extrauag. de præbend. *Ad regimen Ecclesiæ generalis superna dispositione vocati.* item e. t. de treug. & pac. *Ad vniuersalis Ecclesiæ regimen diuina disponente clementia vocati.* item c. 1. de consuet. *Super gentes & regna Romanus Pontifex à Domino constitutus est.* item c. 3. de elect. *Sancta Romana Ecclesia, qua disponente Domino super alias omnes obtinet principatum à Deo, vtpote mater vniuersorum fidelium, & magistra.* Item, *Ideo Ecclesias omnes Romanæ sedi subiectas esse, quia sedes Petri ab Antiochia Romam translata est.* 24. q. 1. c. rogamus. & c. sacrosancta. Item, *Romanam sedem esse caput & cardinem omnium Ecclesiarum: & sicut cardine ostium regitur, ita illius sedis auctoritate omnes Ecclesias regi.* d. c. sacrosancta. Sed quid illa vetera conquirimus? cum Franciscanus noster Sixtus Quintus Bullam hanc suam ita sit exorsus: *Auctoritatem sibi à Christo & Beato Petro traditam supereminere omnes omnium Regum & Principum potestates, & incumbere sibi Ecclesiarum omnium, populorum, ac gentium solicitudinem.* Hæc igitur Papa Romanus. Nunc quo iure, quaque auctoritate tantam sibi potestatem ac dominatum arroget, paulisper consideran-

Anno 1586.

derandum est. Duplicem enim videmus ab ipso titulum, caussamque istius dominii ac principatus afferri: priorem, ex Christi decreto: *Pasce oues meas:* Et, *Tu es Petrus, & super hanc petram. Nam dicente Domino, Pasce oues meas*, inquit Papa, *& generaliter, Meas, non singulariter, Has vel illas, per hoc commisisse sibi intelligitur vniuersas.* c. vnam sanctam: Extrauag. de maiorit. & obedient. Alteram caussam Papa profert ex donatione Imperatoris Constantini, distinct. 66. c. *Constantinus*, vbi Constantinus dicitur ei *principatum tribuisse super omnes vniuersi terrarum orbis Ecclesias.* Sed videamus, ne Papa in illum errorem incurrerit, qui tolerari in iure ac iudiciis non solet, neque vero ferri vllo modo potest: vt actor intentionis suæ caussas alleget inter se contrarias. *l. si quis, 7. D. de petit. hered. l. 1. C. de furt. l. Titius, 99. D. de condit. & demonstrat.* Repugnant autem inter se, Christum dedisse Papæ principatum in omnes Ecclesias, (quod apertissime supra scriptis locis affirmat,) &, Eundem principatum eidem à Constantino donatum. quia quod suum cuiusque est, pluribus ac præsertim contrariis ex caussis suum esse non potest. *l. & an eadem, 14. §. penult. D. de except. rei iudic. l. non vt ex pluribus, 159. de regul. iur.* Neque enim ferri commentum eorum potest, qui disputant, principatum illum primùm à Christo Papæ Romano tributum fuisse: Constantinum autem illam Christi donationem confirmasse: & cum primus Imperator Christianus esset, Sylvestro Papæ vacuam illius possessionem tradidisse. Primum, quia Pseudoconstantinus diserte scribit, se duarum maximarum rerum donationes conferre: Ecclesiastici principatus in omnes, qui in orbe Christiano sunt, sacerdotes: quem Papæ Spiritualem principatum appellant: & totius Occidentalis Imperii dominatum, quem iidem Temporalem vocant. De priore, Pseudoconstantinus ita loquitur: *Constantinus priuilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, vt in toto orbe Romano sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut iudices Regem.* Et mox: *Sancimus, vt principatum teneat, tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Ecclesias Dei.* Quid dilucidius scribere potuit, vt ostenderet, se nouum quoddam ius Papæ tribuere? Quis ignorat, Priuilegium opponi Iuri communi? Et, si Constantinus priuilegium Papæ tribuit, Papam antea paris eiusdemque iuris fuisse, quo reliqui Episcopi vtebantur? Quod si donare principatum vniuersalem Ecclesiasticum Constantinus potuit, certe pleno iure dominum illius principatus eum fuisse oportet. quod esse absurdissimum, etiam Canonistæ omnes fatentur, vt secularis Princeps spiritualem principatum, id est, vniuersalem Episcopatum in omnes Ecclesias possideat, cum ne vnius quidem Ecclesiæ quantumuis exiguæ sacerdotium, aut episcopatum habeat. Quod si nullum omnino Constantinus Episcopatum habuit, quomodo vniuersalem orbis terrarum Episcopatum donare Syluestro potuit, cum nemo plus iuris transferre in alterum possit, quam quantum ipse habeat? Et hoc argumentum videmus ante annos ducentos Papæ obiectum à Marsilio Patauino, in Defens. pacis, cap. 11. vbi sic scribit: *In decretis reperitur priuilegium quoddam Imperatoris Constantini, à Pontificibus approbatum, quo B. Syluestro Romano Pontifici concessit iurisdictionem coactiuam super omnes mundi Ecclesias, reliquosq; presbyteros seu Episcopos omnes. Cumq; concessionem illam fuisse validam fateatur Papa Romanus, & cum eo Presbyterorum seu Episcoporum reliquus cœtus, consequenter ipsis concedendum est, eundem Constantinum hanc iurisdictionem seu potestatem in eos penitus habuisse.* Sed redeamus ad dilemma propositum. Nam siue Papa se principatum illum à Deo adeptum esse contendit, vt in locis proxime prolatis profitetur: siue ex Constantini donatione: falsum esse vtrumque probabimus. Primum ex illa repugnantia, quam modo exposuimus. deinde ex eo, quod ipsemet suo se gladio iugulat. nam in Decreto locum hunc ex Chrysostomo producit: *Quicunq; desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cælo, nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit.* distinct. 4. c. multi. §. quicunque. Item, *Primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid eiusmodi, sed tantum Primæ sedis Episcopus. Vniuersalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur.* c. primæ sedis. distinct. 99. quod idem duobus cc. seqq totidem prope verbis inculcatur. Quod si ex iure ciuili disputandum est, satis constat, tria successorum esse genera. Nam alii sunt successores iuris, quales sunt heredes, qui successores vniuersales dicuntur: alii successores rei, veluti legatarii, emptores, donatarii: qui successores singulares appellantur. *l. vlt. D. de except. rei vend. l. 1. §. in locum, D. quod legat. l. 7. l. 8. de iureiurand.* Postremo alii sunt successores muneris personalis, qui Functionis succedanei appellantur, *in l priuilegia, 27. C. de decur. lib. 10.* Prioris generis successores ius & caussam habent ab iis, quibus succedunt, siue vniuersales sint, siue singulares, *l. qui in ius, 177. D. de regul. iur. cum similib.* Tertii vero non ab antecessoribus suum ius & caussam habent, sed ab iis, à quibus eliguntur, & in illorum locum sufficiuntur: quales sunt successores magistratuum, tutorum, curatorum. munus enim personale est, quod solicitudine animi ac vigilantia sustinetur. *L. 1. §. 1. l. 6. §. vlt. l. vlt. D. de munerib. & hon.* Itaque magistratu vel tutore mortuo, alter est hereditatis, alter muneris successor, *l. 1. §. sciendum, l. 4. l. 6. D de magist. conuen. l. 6. §. vlt. D. de his qui not. infam.* His ita constitutis, cum Papa contendit, se Christi successorem esse, quærere ex illo possumus, cuius se generis successorem esse profiteatur. Nam heres quidem & iuris vniuersi successor dici non potest, cum hereditas viuentis ne cogitari quidem possit. *l. 1. D. de hered. vend.* Christus autem morte extinctus non est, sed vitam viuit & beatam & sempiternam. Nihilo magis rei singularis successor dici potest: cum regnum Christi neque communionem recipiat, neque diuisionem, ne inter Angelos quidem. *Hebr. 1. vers. 5.* quia Deus constituit illum, vt Paulus loquitur, longe supra omne imperium,

Successio Petri

perium, ac potestatem, & potentiam, & dominium, & omnia subiecit sub pedibus eius, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ. *Ephes. 1. 21. & 22.* Muneris autem sui vniuersi quomodo successorem aut vicarium haberet, qui neque morte extinctus est, sed vitam viuit beatam & sempiternam: & cum perpetuo in Ecclesia sua præsens sit, semper summi pastoris ac sacerdotis munere fungitur? *1. Petr. 2. Marc. vlt. 20. Psalm. 110. Hebr. 2. & 4. & 7. & 9.* Quin etiam addere illud sine dubitatione possumus, nullum Episcopum, ne Petri quidem, aut alterius Apostoli, successorem dici posse, quomodo Papa solet à Canonistis Petri successor appellari, apud Decium, *in l. qui per successionem, De regul. iur.* vbi cum Iurisconsulti dicere soleant, Heredem heredis testatoris, esse heredem testatoris, quamuis per successionem longissimam heres sit: Canonistæ ratiocinantur, quemlibet Papam esse successorem Petri, licet quamplurimi intercesserint. Neque enim causam habet vllus Episcopus à Petro, vel alio quouis Apostolo: sed ab electione, Christi auctoritate facta: neque successionem facit locus, aut sedes, siue cathedra: sed Christianæ doctrinæ continuatio: cum accepta à Christo religio continenter per singulos successores, quasi per manus, populo Christiano traditur. Quare nihil nobis aduersantur nouæ quorundam assentatorum Papalium argutiæ, qui spe sacerdotii alicuius adducti sic disputant: Papam Romanum non spirituale esse caput Ecclesiæ Catholicæ, sed ministeriale: quia quemadmodum Christus particulares Ecclesias, (hoc est, diœceses singulas) per Episcopos particulares vicarios suos regit, eodem modo idem Christus vniuersalem Ecclesiam per aliquem vniuersalem vicarium suum, Papam Romanum administrat: qui inferiores illos & particulares Episcopos suæ iurisdictioni subiectos in officio contineat. Nam huic obiectioni triplex parata responsio est: Primo, quod hic Principatus non modo à Christo institutus non est, verum etiam contra perspicuum Christi institutum ambitione & libidine dominandi à Papa Romano introductus. Etenim Christus duodecim Apostolos ad prędicandum Euangelium suum circummittens, non vni alicui singulare aliquod & præcipuum mandatum dedit, sed par vnumque vniuersis, hoc modo: *Ite te in omnes terrarum oras, & prædicatote apud gentes ac nationes omnes Euangelium.* Itaque in Apocalypsi cœlestis Hierusalem non vnica & singulari, vel vna ex omnibus potissimum, sed simpliciter duodecim columnis fundata esse dicitur: & cum die Pentecostes Spiritus sanctus in duodecim Apostolos effusus est, non in vnum aliquem ex iis potissimum ac præcipue effusus dicitur, sed simpliciter effusus in cunctos. Denique cum Paulus pastorum Ecclesiæ procurationes ac munera describit, nemini vni principatum super alios tribuit, sed his illud disertis exponit verbis: *Christus ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. nam alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores & doctores ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis ad ædificationem corporis Christi.* Anno 1586. Vniuersalis.

Altera responsio est, quod si Christus aut Petrus principatum aliquem & vnum ministeriale caput in Ecclesia instituisset, non dubium est, quin Ecclesia primitiua, tam recenti memoria institutum illud tenuisset. At ex contrario videmus, antiquissimas omnium synodos vniuersales, Nicænam nempe, Constantinopolitanam, Ephesinam & Chalcedonensem instituisse, vt singulis ciuitatibus singuli præficerentur Episcopi, tum singulis prouinciis singuli Archiepiscopi, siue Patriarchæ, pari omnes eademque dignitate, auctoritate, iurisdictione, potestate, gradu: extra quam, quod Archiepiscopo Romano propter vrbis antiquitatem & amplitudinem, ius dabatur in synodis & comitiis, vt primo, ante omnes, non tamen superiore loco, sederet: tum proxime ipsum Archiepiscopus Constantinopolitanus assideret, propter eandem caussam, quia nouæ Romæ Imperatoriæ vrbis antistes erat: cum, si antiquioris Ecclesiæ habita ratio fuisset, aut primus, aut certe secundus ille locus Antiocheni Episcopo deberetur: tum deinde Alexandrinus, Hierosolymitanus, postea tres Archiepiscopi Iustinianici, propter leuissimas caussas ab Imp. Iustiniano creati, locum in paribus sellis caperent: quas caussas posterius sub crimine falsi demonstrabimus: vbi falsitates, imposturas, & corruptelas à Papa Rom. ad hanc explendam ambitionem suam institutas commemorabimus. Tertia responsio est, quod cum Christus instituerit Apostolos, vt essent nuntii & præcones mandatorum suorum per varias orbis terrarũ oras concursantes, nullum aliquem ab eo legimus institutum Archinuntium: præsertim mutum & quiescentem, qui Romæ deses & ignauus, quæ à cæteris vbicunque terrarum gesta essent, auditione acciperet, luxuq; interea ambitioni seruiret. Episcopi enim nihil aliud sunt, nisi Christi nuntii & præcones mandatorum ipsius, in singulis ciuitatibus instituti: sicut olim mandata Proconsulibus & Præsidibus ab Imperatoribus Rom. dari solebant, vt inter omnes Iuris & antiquitatum Rom. studiosos constat. Itaq; qui vel natura, vel voluntate mutus est, hoc est, qui tacet, neq; nuntii & præconis officio fungitur, & Euangelium prædicat, is non modo iure, sed ne nomine quidem Episcopi, aut Archiepiscopi dignus est. Sed quoniam Papæ in suis Decretalibus tertio quoque versu cantilenam illam inculcant, *Quia Petro dictum est, Pasce oues meas.* Et, *Super hanc petram: operæpretium est, veram ac germanam illorum locorum interpretationẽ subiicere. Nam August. in tract. 124. in Ioan. Quando, inquit, dictum est Petro, Tibi dabo claues regni cœlorum: &, Quodcunq; ligaueris super terram: vniuersam significabat Ecclesiam, quæ fundata est super petrã. Vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed à petra Petrus: sicut nõ Christus à Christianis, sed à Christo Christianus vocatur. Ideo quippe, ait Dominus, Super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meam, quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei viui. Super hãc ergo, inquit, petrã, quam confessus es, ædificabo Ecclesiã meam. Petra enim erat Christus, super quod funda-*

Anno 1586. *fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Iesus. Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro: id est, potestatem ligandi soluendiq; peccata. Quod enim est per proprietatem Christus in Ecclesia, hoc per significationem est Petrus in petra: qua significatione intelligitur Christus petra: Petrus Ecclesia.* Hæc August. quod idem inculcat in lib. contra Iud. paga. Itemque in Ioan. tractat. 10. & de verbo Domini, Sermon. 20. quam in sententiam Cyrillus in Dialogis de Trinitate lib. 4. *Petram*, inquit, *per agnominationem aliud nihil, quam inconcussam ac firmissimam discipuli fidem vocauit: in qua Ecclesia Christi fundata est.* Et hoc idem confirmant Ambrosius in Epistol. ad Ephes. cap. 2. Chrysostomus in homilia in Matth. 55. quin etiam Canonistæ in c. quodcunque. 24. q. 1. hanc Augustini sententiam proferunt. *Quoniam in persona Petri Ecclesia ipsa claues accepit.* quod idem inculcatur ex Hieronymo. in c. omnib. ead. q. Bernardus autem acriter in illam Paparum arrogantiam inuehens, tandem in Epist. 230. in hæc verba prorumpit: *Et olim quidem, eratis contra Apostolum Petrum, dominantes in Clerum: imo & contra coapostolum eius Paulum dominabamini fidei totius orbis. At nunc nouum aliquid addidistis, vsurpantes amplius & in ipsam religionem. quid restat, nisi vt adiiciatis, & ipsis Angelis sanctis dominari?* Gregorius autem cognomento Magnus, Epist. 30. ad Mauritium Imp. lib. 16. *Ego fidenter dico, quod quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* quorum similia multis locis videre licet apud eundem, & ad eundem Mauritium lib. 6 Epist. 188. & Epist. 194. item lib. 7. Epist. 3 & 74. & 79. & 86. Atque hæc quidem hactenus de priore dilemmatis superioris parte. Nunc de altera, hoc est, de Constantini donatione videamus. quanquam cum idoneior de illa disserendi locus fore videatur, vbi de falsi crimine exponemus, commodius est in præsentia vno hoc verbo totam illam disputationem transigere: Totum videlicet illud donationis instrumentum, quod à Papa profertur, falsum, fictum, & adulterinum esse, atque ex eadem officina profectum, vnde superius ostendimus *Conformitatum Franciscanarum* volumen prodiisse: cuius rei, quia posterius suo loco 25. argumenta certissima proferentur, nunc secundo huic crimini finem imponemus. Tantum coronidis loco quæstionem huic monacho nostro Franciscano proponemus, haud sane (vt videtur) explicatu facilem. Sixtus noster est Papa, & simul Franciscanus. quatenus est Papa, dignitatem habet (vt superius demonstrauimus) non modo summam in terris, verum etiam magnam in cœlo, purgatorio, & inferis. quatenus est Franciscanus, non dubium est, quin pro sua erga patronum suum pietate fateatur, B. Franciscum Supercherubinicam dignitatem obtinere. *Non dicimus inter Cherubinos* (ait Antoninus Florentinus) *sed super Cherubin, & certum est secundum doctores, quod super Cherubin, sunt Seraphim.* hæc Anton. lib. hist. 3. tit. 23. cap. 1. Quæritur ergo, cum hic Papa è vita excedens à Beato Francisco excipietur, vtrum super Cherubin, an super Seraphin sedem sit habiturus? nam sub stola B. Virginis solis fratribus Dominicanis locum esse demonstrauimus. Ambigui caussa permagna est: quoniam *Papa* (vt Augustinus Steuchus ostendit) *Deus est*: vt Canonistæ disputant, *semideus*. At Franciscus (vt superius ex Diaboli testimonio dictum est) nihil nisi *monachus stomachosus*. Ex altera parte Franciscus appellatur ab hoc nostro monacho, *Iesus typicus*: quasi quis dixerit, Alter Iesus, vel cum priore Iesu conformatus. si Franciscum super Papam collocaremus, super Deum suum aut semideum illum collocaremus, quod esset absurdissimum. Si infra Papam ei locum attribueremus, nihilominus absurde alterum Iesum Papæ subiiceremus: neque id fortasse Iesuitæ propter eximiam nominis sui dignitatem ferre possent. Quid igitur dicemus? Bartolus in arduis quæstionibus monere auditores solebat, vt cogitarent. Nos sine præiudicio veritatis interea locum huic Papæ relinquemus eum ipsum, quem ei Gregorius Magnus attribuit: qui qualis sit, aliquanto posterius, vbi de Luciferi apud inferos aduentu mentio fiet, describemus.

CAPVT VII.

Crimen corruptæ Religionis.

HActenus de secundo Papatus crimine summatim pro instituti nostri ratione dictum videtur satis. Proximum est, vt de crimine corruptæ religionis disseramus. Nam cum Papa summum illum dominatum sibi in Christianam religionem sumpsisset, tum quasi pro suo iure nouare, interpolare, ac transformare illam arbitratu suo instituit. Cuius rei primum hoc documentum est: Scriptura sacra docet nos, vnicam esse religionis & colendi Dei formam, eam quæ Prophetarum & Apostolorum literis consignata est: sic, vt ei nihil vel addere, vel detrahere, ne per Angelum quidem cœlestem, liceat: *Ioan 14. 2. Tim. 3. Matth. 15.* Itaque Christus, *Frustra*, inquit, *me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.* Et Ierem. 7. *Quas nunquam præceperam, neq; in cor meum ascenderant.* Itaque Irenæus Lugdunensis Episcopus, auctor antiquissimus: scripsit enim circiter annum Christi 198. *Postquam*, inquit, *surrexit Dominus noster à mortuis, & imbuti sunt Apostoli Spiritu sancto, superueniente virtute ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam cognitionem salutis.* Item cap. 4. *Non oportet apud alios quærere Veritatem: cùm Apostoli plenissime in Ecclesia contulerint omnia, quæ sunt veritatis: vt omnis, quicunq; velit, sumat ex ea potum vitæ.* Item Athanasius in princip. lib. 2. aduersus gentes: *Sancta*, inquit, *& diuinitus inspirata Scriptura sola ad omnem veritatis instructionem abunde sufficit.* Hæc ille. At Papatus ex contrario statuit, *disciplinam Ecclesiæ,*

præter

præter sanctam Scripturam, (sic loquitur in Concilio Tridentino,) *contineri in traditionibus maiorum, quæ quasi per manus tradita, ad nos vsque peruenerunt, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatæ.* Tridentin. Concil. sess. 4. cap. 1. Videamus iam, cuiusmodi traditiones per manus à maioribus traditæ, nobis obseruandæ sint. Atque inprimis illa proferatur. Papa solet certo & stato die imagunculas quasdam effingere in formam agni, ex alba cera oleo delibuta. Has affirmat de collo suspensas, peccata hominum æque purgare, vt Christi sanguis purgat: easdem affirmat fulgura depellere, parturientibus opem ferre, & homines ex incendio ac naufragio seruare. Quid scelerstius dici aut cogitari potest? Atqui maiorum hæ traditiones appellantur, huic Papæ à superioribus per manus traditæ. Nam in lib. Ceremon. Pontific. 1. sect. 7. scriptum ita est: Anno 1586.

Balsamum & cera munda, cum Chrismatis vnda,
Conficiunt agnum: quod munus do tibi magnum.
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellit, omne malignum
Peccatum frangit, vt CHRISTI SANGVIS, *& angit.*
Pregnans seruatur, simul & partus liberatur.
Dona refert dignis, virtutes destruet ignis.
Portatus mundè de fluctibus eripit vnda.

Esto igitur hæc prima Paparum traditio, quæ nobis pari eademque, qua Scriptura sacra, auctoritate traditur. Sequitur altera: Scriptura sacra docet nos, Sacramentum Baptismi esse aspersionem sanguinis Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & iustitiæ ipsius imputationem, *Act. 22. Rom. 6. 1. Corinth. 6. & 15.* At Papæ traditiones tribuunt Baptismum Campanis: tantoque Sacramento sacerdotes Papatus passim ita scelerate ac nefarie abutuntur, vt Imp. Maximilianus Primus querelam ea de re conscripserit, quæ inter ipsius grauamina his extat verbis: *Item suffraganei excogitauerunt, vt solum ipsi & nullus alius sacerdos Campanas baptizaret. Credunt deinde simpliciores, ita affirmantibus suffraganeis, tales campanas baptizatas, dæmones & tempestates pellere. quapropter innumeri interdum adhibentur compatres, præcipue vero, qui fortuna pollent, exorantur, quo baptizationis tempore funem quo campana ligata est, tangunt, ac suffraganeo præmonte (quemadmodum in infantium baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent ac campanæ nomen ingeminant, vestéq; noua (quemadmodum & Christianis fieri solet) induunt.* Et mox: *Res igitur tam nefanda & illicita merito aboleri debet.* Præclare Maximilianus, ac luculenter. Sed vt sues cœno, ita Papæ corruptelis istis ac sordibus delectantur. Et de ista turpissima Sacramenti polluendi consuetudine videatur Martin. de Arles *in tract. de superstit num 3. num 9 num. 14.* Age porro: & aliquot insuper religionis corruptelas persequamur. Scriptura docet nos, vnicum esse Mediatorem Dei & hominum, Iesum Christum, *1. Timoth 2.* & rursus *1. Ioan. 2. & Rom. 8. Hebr. 7.* Itaque Ambrosius in eandem Epistolam: *Solent,* inquit, *misera vti excusatione, dicentes, per istos posse iri ad Deum, sicut per Comites peruenitur ad Regem. Age: nunquid tam demens est aliquis, & salutis suæ immemor, vt honorificentiam Regis vindicet Comiti. cum hac de re si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis. Et isti non putabunt reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino, conseruos adorant: quasi sit aliquid plus, quod seruitur Deo. Nam & ideo ad Regem per tribunos & Comites itur, quia homo vtiq; Rex: & nescit, quibus debeat Rempublicam committere. Ad Deum autem, quem vtiq; nihil latet (omnium enim merita nouit) promerendum, suffragatore non est opus, sed mente deuota. Vbicunq; enim talis locutus fuerit, nihil respondebit.* Hæc Ambrosius. Quid? Papatus quam religiose hoc Scripturæ sacræ & Ecclesiæ veteris institutum seruat? Negat vllum vnquam ex hac vita sanctum excessisse, & in beatorum sedes receptum esse, qui non Mediatoris ac deprecatoris officio fungatur. Tantumne? Imo vero quoscunque Papæ vita defunctos gancones, quoscunque Franciscos, Dominicos, & eiusdem generis planos atque impostores in diuorum numerum referre voluerunt, eosdem mediatores ac suffragatores nobis induxerunt. Scriptura docet nos, duo tantum esse loca mortuorum animis post hanc vitam constituta, beatis quidem cœlos, maledictis autem inferos, *Ioan. 5. Matth. 25.* Itaque Augustinus libro hypognost. *Primum,* inquit, *fides Catholicorum diuina auctoritate regnum esse credit cœlorum: secundum, gehennam, vbi omnis Apostata, vel à Christi fide alienus, supplicia experitur. Tertium penitus ignoramus: nec esse in Scripturis sanctis, reperimus.* Hæc ille. At Papatus locum fingit esse tertium, vbi quorundam animæ leuiusculis & (vt loquuntur) venialibus peccatis obnoxiæ, priusquam in cœlum ascendant, purgantur: quem idcirco Purgatorium ignem appellent: quasi præter Christi sanguinem, qui nostri purgandi caussa effusus est, aut illis agnorum imagunculis, aut hoc imaginario igne sit opus: cum tamen dilucide nos Scriptura doceat, animos nostros solo Christi sanguine purgari, eorumque labes hoc solo medicamento dilui. 1. Ioan. 1. *Sanguis eius purgat nos ab omni peccato.* & Matth. 26. *Sanguis meus pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Denique verba Tridentini Concilii, sess. 25. hæc sunt: *Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio, iuuari.* Item sess. 6. c. 30. Sessione 22. c. 2. & c. 3. videmus, quantas in Christianam religionem Papatus corruptelas inuexerit. Sed aliæ præterea recenseri solent innumerabiles. Scriptura docet nos, duo tantum esse Sacramenta, nempe Baptismum, & Cœnam: quorum illud institutum est *Matth. 28. Marc. 16.* hoc vero *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Corinth. 11. 23.* Itaque August. Epist. 118. ad Ianuarium: *Christus,* inquit, *Sacramen-*

Anno 1586. *cramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit, sicut baptismus Trinitatis consecratus, & communicatio corporis & sanguinis ipsius.* Item lib. 3. de doctrin. Christian. cap 9. *Pauca signa Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicut est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Ac pari numero Ambrosius *in lib. de Sacram.* duo tantum agnoscit, Baptismum & Eucharistiam. At Papatus quinque insuper adiungit: Ordinem, Confirmationem, Vnctionem, Pœnitentiam, & Matrimonium: *Trident. Concil. sess. 6 c. 14. sess. 14. c. 1. & seq.* Scriptura sacra docet nos, coniugium non modo esse hominibus omnibus decorum atque honorabile, verum etiam ad scortationes vitandas pene necessarium: *Hebr. 13. & 1. Corinth 7.* Itaque Petrum Apostolum vxorem habuisse legimus, *Marc. 1. & Matth. 8.* vbi de Petri socru mentio fit. Quinetiam Chrysostomus ad Tit. homil. 1. *Apostolus,* inquit, *obturat os hæreticis, qui calumniantur nuptias: ostendens, quod non sit res detestanda, sed tam honorabilis, vt cum ea possint etiam in sanctum thronum, Episcopalem scilicet, ascendere.* Quid multa? Papa ipse in decret. distinct. 28. *Si quis docuerit,* inquit, *sacerdotem sub obtentu religionis propriam vxorem contemnere. anathema sit.* Item distinct. 31. *Quoniam cautum est, ne foneretur cœlibatus, & vt à communione fidelium arceretur, qui propter ecclesiasticos ordines ab vxore sua se separat.* Item distinct. 3. c. si quis nuptias. At idem Papa in Concilio Tridentino vsque adeo clericis & monialibus suis coniugio interdicit, vt etiam sacris suis initiatos ad iusiurandum adigat, se in perpetuo cœlibatu victuros: quam esse certam Antichristi notam, Paulus demonstrat *1. Timoth 4. Tit. 3.* Scriptura docet, soli misericordiæ Dei accepto ferendam esse salutem & iustificationem nostram per Iesum Christum. Isaiæ 4; *Ego, ego sum,* Inquit Dominus, *qui deleo iniquitates vestras.* Item Matth. 9. *Vt sciatis, filium hominis habere potestatem in terra remittendi peccata, dico Paralytico, Surge, tolle lectulum tuum, & abi domum.* At Papa sic loquitur apud Bernardin. Rosetum, Sermon. 20. *Nos operibus possumus vitam æternam promereri. Ergo debemus præsumere, & pro certo tenere, quod post hanc vitam sine dubio habebimus vitam æternam, pro remuneratione bonorum operum.* Item in compendio de grat. sanctific. *Opera bona sunt meritoria trium, scilicet vitæ æternæ, augmenti gratiæ, remissionis pœnæ.* Quasi vero vel tanta esse carnis nostræ castitas & sanctimonia possit, vt non semper serui inutiles iudicemur, vel eas operas Domino ac patrono nostro præter debitas præstare, vt mereri aliquid possimus. Sed cætera videamus. Scriptura docet nos, in Cœna Dominica æque vinum vt panem accedentibus præbendum esse, *Matth. 26. Marc. 14 1. Corinth. 11.* At Papa non nisi panem præberi populo permittit; sumptione calicis & vini interdicit: *Concil. Constantiens. sess. 13.* quod interdictum eo magis mirari licet, quod Papa *in Decret. de consecrat. distinct. 2. c. comperimus.* ita scriptum reliquit: *Comperimus, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstinent: qui proculdubio aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdemq; mysterij sine grandi sacrilegio non potest peruenire.* Eadem Scriptura iubet omnes accipere, comedere, & bibere. At in Papatu soli sacerdotes accipiunt, comedunt, & bibunt. quod tamen differre prohibitum est *in eodem Decret. de consecrat. distinct. 2. c. peracta.* his verbis: *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere (arceri) liminibus. sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Eadem Scriptura sacra statuit, vt in Ecclesia & piorum conuentu pronuntientur omnia vulgari lingua, vt quid à quoquo dicatur, facile à multitudine intelligatur: & rationem subiungit, quia si quid alieno & ignoto sermone pronuntiaretur, assensum præbere multitudo non posset, & respondere, Amen. At in Papatu non tantum à sacerdotibus, verum etiam à multitudine & mulierculis certas precationum formulas admurmurantibus omnia Latina lingua pronuntiantur. Scriptura docet nos, Christum esse solum Pontificem & sacerdotem, qui suum corpus semel pro genere humano sacrificauit. 1. Timoth. 2. Ephes. 5. & Hebr. 9. *Christus semel oblatus, vt multorum peccata tolleret.* Et cap. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel factam.* Item: *Vna oblatione consecrauit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* At Papa innumerabiles creauit sacerdotes, quibus mandauit, vt, quoties missificarent, toties Christi corpus & pro viuis, & pro mortuis sacrificarent. vnde illa Canonis formula in Missa: *Petimus, vt accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua.* Item die Pasch. in secret. Missæ: *Suscipe preces populi tui, cum oblationibus hostiarum.* Item ex Missa pro defunctis: *Hostias, quas tibi pro animabus famulorum famularumq; tuarum offerimus.* Item: *Hostias tibi, Domine, pro anima famuli tui offerimus.* Item *in lib. Conformitatum, fol. 65.* Frater Iohannes Missam celebrans, & corpus Domini leuando, cùm ipsum pro animabus defunctorum Deo Patri offerret, vidit infinitas animas de purgatorio egredi, quasi multitudinem scintillarum de ignita fornace, & ad cœlestia volantes ob merita Christi, qui quotidie in sacratissima hostia offertur pro viuis & mortuis. Verum hæc quidem de corrupta, inquinata, contaminata, conspurcata religione hactenus, exempli tantum causa, dicta sint. Nam cum hoc Papatus crimen multis magnisque voluminibus per annos amplius quinquaginta continuos, à Theologis Germanis, Heluetiis, Gallis, Anglis, & aliis copiosissime sit expositum ac tractatum, commodius videtur, ad quartum eiusdem Papatus crimen accedere.

Anno 1586.

CAPVT VIII.

Crimen Sacrilegij.

HActenus de tertio Papatus crimine dictum est. Deinceps ordo postulat, vt de sacrilegio disseramus, & eo scelere, quod vulgus *Simoniam*, à Simone mago, appellat. Nam Romæ duas à Papa Simoniacas nundinationes exerceri constat, earum rerum, quas Spirituales vocant. Vna est, in qua sacerdotia palam, sine vlla dissimulatione, veneunt, eaque longe quæstuosissima. Altera non ita quæstuosa, sed nihilominus turpis, ac detestanda: quæ *Taxa pœnitentiariæ Apostolica* appellatur: cum peccatorum & scelerum omnium impunitas certo cuique imposito pretio ita palam atque aperte diuenditur, vt etiam nonnulli Canonistæ insatiabilem illam auaritiam & rapacitatem detestentur. Velut apud Gloss. *in c. fundamenta. de elect. in 6.* vbi Ioannes Monachus ait, *Romam à prædonibus fundatam, adhuc de suis primordiis retinere.* Et profecto ita est, vt Romam quotannis incredibile pondus auri ex opulentissimi cuiusque regni gazis exportetur, quod Papæ, Cardinales, cæterique ordines eiusdem Epicurei in profundissimum libidinum suarum gurgitem summa cum Christiani nominis infamia, profundunt. Prioris nomina, & tituli sunt innumerabiles: sed ex tanta copia hi fere præcipui nominantur: Tributum ex *Annatis*, siue *Vacantiis*: quo verbo primi anni reditus appellantur, quos ærario suo Pontifices asciscunt: sed iј plerunq; duplicantur, ac triplicantur. Item tributum ex *præuentionibus, resignationibus in fauorem, commendationibus, dispensationibus ætatis, ordinis, irregularitatis, vitij corporalis.* Item ex *gratiis expectatiuis*, ex *deuolutionibus*, ex *beneficiis vacaturis*, ex *priuilegiis*, *exemptionibus non visitandi*, vel *per procuratorem visitandi, homologationibus concordatorum, transactionibus sub beneplacito Papæ factis, permutationibus beneficiorum cum dispensatione, mandatis Episcopalibus*, *expeditionibus in forma ratione congrui*, *creandis protonotariis, & notariis Apostolicis*: cum *coadiutoribus, literis maioris aut minoris iustitia*, *dignitatibus secularibus, ecclesiasticis, nouis fundationibus*, vel *immutatione antiquarum*, vel *reductions regularium monasteriorum in secularem statum*, vel *restitutione in integrum*, pro *fructibus percipiendis in absentia*, pro *legitimationibus, altaribus portatilibus*, pro *non obstanteis*, pro *indultis clericorum secularium*, pro *reuocationibus, & reductionibus*, pro *Toleramus*, siue tolerantiis concubinarum, & pro *rescriptis ad lites*. Dies nos deficeret, si singulas ærusationum, ac potius latrociniorum istorum species enumerare conaremur. Neque vero necesse est. Nam extat his de rebus ac nundinationibus liber Pontificius, hoc titulo, *Taxa cancellariæ Apostolica cum notabilibus, iuxta stylum hodiernum curiæ Romanæ*: quo in libro memorabilis extat quodam loco sententia, his expressa verbis: ET NOTA *diligenter, quod eiusmodi gratiæ & dispensationes non conceduntur pauperibus: quia non sunt: ideo non possunt consolari.* Quis tam securus numinis diuini contemptor? quis tam nulla conscientia inter Regios Consiliarios reperiri poterit, quem hæc latrociniorum, sacrilegiorum, simoniarum portenta non moueant? Quis tam ferreus, ac patriæ inimicus, qui Gallicarum opum direptione, & miseræ plebis depopulatione, cuius ex medullis ac visceribus illæ pecuniæ diripiuntur, quas profundæ Papatum & Cardinalium libidines deuorarunt, non magnopere commoueatur? Incredibile videbitur, quod iam dicturi sumus, sed tamen certum & exploratum. Stante quondam Romano Imperio tanta ex omnibus orbis terrarum partibus opum ac diuitiarum copia, tanta auri argentique vis ex gentium populorumque pene omnium tributis ac vectigalibus imperatis Romam quotannis importabatur, vt ciuitas illa dici vocabulo Græco soleret, *Epitome orbis terrarum*: Athenæus *lib. 1.* ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης. Quid si iam doceamus, Papam Romanum suis technis, præstigiis, ac nefariis artibus ex sola Europa (quæ pars orbis tertia numeratur) non minus auri argentiq; Romam quotannis elicere, quam quantum Imperatores Romani tot legionibus præsidio vbique impositis ex omnibus terrarum oris exigebant? Audiamus Flauij Blondi, hominis Itali, & summi Paparum assentatoris testimonium, ex ipsius libro Romæ instauratæ tertio. *Nunc*, inquit, *principes orbis terrarum Dictatorem perpetuum, non Cæsaris, sed piscatoris Petri successorem, & Imperatoris prædicti vicarium, Pontificem summum* ADORANT, *& colunt. Nunc orbis terrarum Cardinalium senatum in Vrbe Roma, post Pontificem veneratur. Quid? quod maiora, vel certe paria priscorum temporum vectigalibus Europa pene omnis tributa Romam mittit, dum singulæ ciuitates à Romano Pontifice beneficia sacerdotalia accipiunt?* Hæc Blondus. Sed huius immanis sacrilegij ratio paulo diligentius conficienda est. Nam Suetonius in vita Iulij Cæsaris ita scribit: *Omnem Galliam in prouinciæ formam redegit, eiq; in singulos annos quadringenties sestertiûm stipendij nomine imposuit.* Hoc idem Eutropius *lib. Breuiarij 6.* totidem prope verbis scriptum reliquit. Hunc sestertiûm numerum, si Guilielmi Budæi rationem sequamur, reperiemus respondere nostrati pecuniæ ad decies centena aureorum coronatorum millia: siue (vt vulgus loquitur) vnum millionem: vt Germani vsurpant, decem tonnas auri. Ingens hoc fuit Galliæ tributum: quod (vt dixi) quotannis ita Cæsaribus pensitabat, vt tamen ex eo stipendium præsidiariis aliquot legionibus persolueretur. Quid si iam doceamus, Papam Romanum non minorem quotannis summam, sine vllo impendio, Romam suis præstigiis atq; artibus elicere? Incredibile fortassis alicui videbitur, ac plane monstri simile, vt ante dixi, sed tamen esse verissimum, certissimo testimonio conuincemus. Ecquis igitur istius tam immanis latrocinij, vel potius sacrilegij testis est? Senatus ipse Parisiensis, qui in Gallia dominatur, qui circiter centum ab hinc annis Regi Ludouico XI. postulata quædam pro Gallicis Ecclesiis detulit his verbis, quæ Franciscus Duarenus Iurisconsult. Latine conuertit, & edidit, cum priuilegio

Anno 1586.

gio Regis, bis Lutetiæ, & iterum bis Lugduni, sub finem libri *de Beneficiis.* Nam sub illorum postulatorum articulo LXXII. ita scriptum est: *Vt speciatim ac sigillatim demonstremus, quantopere hoc triennio pecunia regnum exhaustum sit, animaduertendum est, Pij Pontificis tempore vacasse in hoc regno plus quam viginti Archiepiscopatus & Episcopatus. nec dubium est, quin tam pro annuo illo vectigali, (quod Annatam vocamus) quam pro reliquo sumptu accessorio & extraordinario in singulas Bullas sena aureorum millia depensa, numerataq; sint: quæ summa est centum & viginti millium aureorum.* Sequitur articulus LXVIII. *Abbatiæ ad sexaginta eo amplius vacauerunt in hoc regno: quarum singulæ duobus millibus aureorum minimum constiterunt. Summa ergo est centum & viginti millium aureorum.* LXXIV. *Eodem tempore Prioratus, Decanatus, præpositura, præceptoria, & aliæ dignitates, quæ lituo insignitæ non sunt, plus quam ducenta vacauerunt: ac in singula huiusmodi beneficia aurei numerati sunt quingenti. Summa igitur est centum millium aureorum.* LXXV. *Constat in hoc regno vt minimum centum millia parœciarum esse, quæ inhabitentur & incolantur. Nec vlla est, in qua eo tempore gratiam expectatiuam aliquis non impetrauerit: in quarum singulas viginti quinq; aurei impensi sunt, tam pro itineris sumptu, quam bullarum confectione: pro non obstantiis, prærogatiuis, annullationibus, & aliis specialibus clausulis, quæ gratiis expectatiuis adscribi consueuerunt. Item pro executorio processu super eisdem gratiis facto. Summa hæc est vicies quinquies centena millia aureorum.* Hæc Senatus Parisiensis. Colligatur nunc illarum summarum summa. Reperietur ad nouies centena sex & quadraginta millia sexcentos sex & sexaginta coronatos, & insuper vnius coronati bessem: quæ tertia pars est eius summæ, quam Senatus Parisiensis demonstrat illo triennio Romam esse delatam: nempe duodecies centenûm & quadragenûm millium coronatorum: siue (vt vernaculo sermone vtamur) trium auri millionum, minus centum sexaginta millibus: siue (vt Germani loquuntur) ad octo fere & viginti auri tonnas. Quinetiam compertum est, *taxam vacantiarum* descriptam in *libris Cameræ de Ecclesiis cathedralibus & Abbatiis Gallicarum*, taxatis tantum: sexto quoque anno conficere summam sexenorum nonaginta septem millium septingentarum quinquaginta librarum Gallicarum extra prælaturas non taxatas: & alia beneficia, quorum exactiones fere illam summam exæquant. Et erit quisquam in Regiis Parlamentis Gallicis, qui hanc siue voraginem, siue potius Scyllam, Charybdim, gurgitem æquo se animo ferre fatebitur? ac non potius vbi tantarum summarum iacturam audierit, non illam immanem ac tetram beluam precibus omnibus detestabitur? Neque tamen vnum hoc testimonium proferemus. Ecce nobis aliud ex libello, cui titulus est, *Sylua locorum communium*, sub exitum Concilij Basiliensis edito, vbi ratio confecta eius pecuniæ, quæ sub Papæ Martini Quinti Pontificatu ex sola Gallia Romam exportata est, excurrisse dicitur ad nonagies centena aureorum coronatorum millia. Et miramur, eundem illum Parisiensem Senatum, in iisdem postulatis, *artic.* LXXI. grauiter & acerbe questum esse, tantam auri argentiq; Gallici copiam quotannis Romam exportari, vt interdum ad vsum plebis Gallicæ pecuniam æream pro argentea cudi oportuerit? Sed audiamus articulum eorundem postulatorum LXII. *Antehac* (inquit Senatus Parisiensis) *populares regni huius certatim concurrebant Romam, quorum alij Cardinalibus & aulicis inseruiebant: alij nullius hominis familiæ mancipati, sed aliqua spe vana illecti, suam, parentumq; suorum substantiam absumebant: alij, & hi quidem plurimi, eo consilio Romam migrabant, vt ceteris hic manentibus, molestiam exhiberent, & Ecclesias, beneficiaq; ab eis, quo iure, quaq; iniuria extorquerent. Nam experimento compertum est, maximam eorum partem, qui hinc Romam proficiscebantur, siue ob itineris periculum & molestiam, siue ob pestem, quæ Romæ crebro grassatur, mortem statim oppetere solitos fuisse: qui vero ex his periculis incolumes euadebant, negotium facessebant senibus, valetudinariis, & aliis eiusmodi, qui in Ecclesiis & beneficiis suis erant assidui. At sæpenumero contingebat, vt miseri homines in curiam Romanam citati, cum aduersus istos calumniatores se defendere nequirent, præ tædio & mœrore vitam finire cogerentur.* LXIII. *Plerique beneficiorum captatores parentum & amicorum loculos exhauriebant omnino, tandemque ad summam inopiam, atque adeo mendicitatem redigebantur. Nec vero vlla spe alia tantas perferebant miserias, nisi vt plumbum forte pro auro domum aliquando referrent: accidebatq; interdum, vt eorum inhiantes deluderetur, vtq; plumbum auro emptum, nihil plane aliud, quam plumbum esset. Cum enim bullis suis plumbeis confiderent, interueniebat alius, qui annullationem aliquam ex insperato afferret: ac interdum decem aut duodecim ad idem beneficium anhelantes & attepiantes existebant. Orta vero lite inter eos, Romam denuo redeundum erat litigandi caussa. sic omnibus passim Romam confluentibus, regnum popularibus ac subditis miserabiliter destituebatur.* Atque hæc quidem Senatus Parisiensis querela fuit de insatiabili Paparum auaritia, & inexplebili rapacitate annis ab hinc amplius centum, Regi Ludouico delata, neque tamen ex nouis & recentibus Paparum latrociniis nata. Extat enim eius Ludouici Regis, qui Beatus dictus est, ex anno CIↃ CCXXIIX. constitutio, quæ quanta iam tum in Galliæ regno Papatum auaritia grassaretur, non obscure ostendit, sub titul. de Taliis: *Exactiones*, inquit, *& onera grauia pecuniarum per curiam Romanam Ecclesiis regni nostri imposita, quibus regnum miserabiliter depauperatum extitit, seu etiam imponenda leuari & colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationabili, pia, & vrgentissima, vel inevitabili necessitate, ac de expresso & spontaneo consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri.* Iuuat etiam hunc in locum illud præclarum Abbatis Vrspergensis epiphonema transscribere, ex vita Philip. Imp. pag. 321. vnde intelligatur, quam vetus querela hæc fuerit de Papatus R. sacrilegiis, quæ Sixtus V. pro sua tyrannide fortiter tueri instituit. *Vix remansit*, inquit, *aliquis Episcopatus, siue dignitas ecclesiastica, vel etiam parochialis Ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & Romam deduceretur ipsa caussa: sed non manu*

Anno 1586.

vacua. Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, vt confluant riui & aggeres numorum in magna copia. Lætare super iniquitates filiorum hominum: quoniam in recompensatione tantorum malorum datur tibi pretium. Iocundare super adiutrice discordia: quia erupit de puteo infernalis abyssi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. habes quod semper sitisti. decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, orbem vicisti. Ad te trahit homines non ipsorum deuotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & litium decisio pretio comparata. Audiamus præterea Theodori Nihemii non dissimilem in hoc genere querimoniam, ex *Tract. 6. c. 37.* vt Regis Galliæ Consiliarii cognoscant, quam libere complures boni viri iampridem hæc Papatus R. sacrilegia detestati sint: & per ea tempora detestati, quibus Ecclesia Christiana crudelissimo eiusdem Papatus dominatu premebatur. *Camera Apostolica,* inquit, *assimilatur mari, in quod intrant omnia flumina, & non exundat. Sic enim in istam portantur ex diuersis mundi partibus auri pondo millia: attamen non impletur: in qua est generatio, quæ pro dentibus gladios commutat: vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus: in qua sunt multi sanguisugæ, dicentes,* AFFER, AFFER. *cuius quidem cameræ officiales Gentes cameræ nuncupantur. Bene quidem. Gentes enim sunt barbaræ nationes, habentes ritus extraneos à moribus hominum. O iustissimæ gentes, rectè cum infernalibus Furiis, seu Harpyis, & Tantalo sortem sitibundi posituri, qui nunquam satiantur.* Quinetiam Canonistarum quorundam extant versiculi, perditam Paparum auaritiam execrantium: in his Ioannis Monachi, eius quem paulo ante memorauimus, cuius ex præclaris monimentis hæc celebrantur:

Roma manum rodit, quas rodere non valet, odit,
Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit,
Curia curarum genitrix, nutrixq́ malorum,
Ignotos notis, inhonestos æquat honestis.
Item alio loco:
Curia vult marcas, bursas exhaurit & arcas:
Si bursæ parcas, fuge Papas & Patriarchas:
Si dederis marcas, & eis impleueris arcas,
Culpa solueris, quaq́ ligatus eris.
Intus quis? tu quis? ego sum: quid quæris? vt intrem.
Fers aliquid? non. sta foris: fero quod satis, intra.

Adhuc de prodigiosis Paparum latrociniis, & priore sacrilegiorum ac simoniacorum criminum genere dictum est: Deinceps ordo postulat, vt de altero dicamus, quod *Pœnitentiaria taxa* vulgo nominatur, si prius vnum illud addiderimus, quod Franciscus Petrarcha, homo Italus de Papa Ioanne XXII. scriptum reliquit, reperta in eius mortui ærario, ab ipsius heredibus fuisse non minus vicies quinquies millena aureorum millia. quam summam Galli sic exprimunt, viginti quinque milliones auri: Germani vero, ducentas quinquaginta auri tonnas. Ex quo de aliis consimilium prædonum sacrilegiis, ac latrociniis cuiuis existimandi copia est. Extat igitur liber editus Lutetiæ, anno 1520: cum priuilegio Parlamenti Parisiensis, ex die Iunii 6. eodem anno, cui titulus est: *Taxa Cancellariæ Apostolicæ, & Taxa sacræ pœnitentiariæ itidem Apostolicæ:* vbi folio 36. videre hæc absolutionum pretia, & nundinationes Apostolicas licebit: *Absolutio pro monacho portante sotulares rostrates, & tunicas nodatas grossi septem. Absolutio pro presbytero, qui coniunctos in gradu prohibito matrimonialiter copulauit, & coram eis celebrauit, grossi septem. Pro eo, qui in Ecclesia cognouit mulierem. & alia mala commisit. grossi sex. Pro presbytero, qui nonnullas personas clandestino matrimoniauit, & clandestinis matrimoniis interfuit. grossi septem. Pro laico, qui res sacras de loco sacro cepit, g. 7. Absolutio pro eo. qui matrem, sororem, aut aliam consanguineam, vel affinem suam aut commatrem carnaliter cognouit. grossi quinque. Pro eo, qui virginem deflorauit, g 6. Pro periuro, g 6. Pro laico, qui Abbatem, aut alium presbyterum minorem Episcopo, monachum vel clericum interfecit, grossi septem, 8 vel 9. Absolutio super homicidio laicali, pro laico, g. 5. Pro presbytero, decano, aut clerico, quando signatur supplicatio per Fiat g. 18. vel 16. Absolutio pro eo, qui interfecit patrem, matrem, fratrem, sororem, vxorem, aut alium consanguineum laicum: quia si esset aliquis eorum clericus, teneretur interfector visitare sedem Apostolicam, gr. 5. vel 7. Pro marito, qui vxorem suam percussit, de qua peperit abortiuum, & ante tempus, grossi sex. Pro muliere, quæ bibit aliquem potum, aut alium actum fecit, per quem destruxit fœtum in vtero viuificatum, gr. 5.* Annon misera, ac deploranda gentium Christianarum conditio est, quarum ex sanguine & visceribus tanti pecuniarum aceruι Romam exportantur; quæ mox in lustris, ganeis, & helluationibus Paparum, Cardinalium, & eiusdem generis Epicureorum consumantur? Annon funestum ac luctuosum plebis Galliæ spectaculum videtur, cum his temporibus toties instauraris ac renouatis Ecclesiarum reformatarum persecutionibus, innumerabiles familias intuemur, fame & inopia eiectas, vicatim miseria perditas ac deploratas, mendicare? Romanos autem Epicureos opimos & pingues, ciuium nostrorum sanguine saginari: Gallos indigenas antiquissimis ortos familiis, patriis sedibus expulsos, per exteras regiones vagari egentes, cum coniugibus & liberis? Romanos Ganeones à Sixto V. in illorum locum summissos benigne & liberaliter ab iis, qui rerum potiuntur, excipi. O nationem Gallorum, cæteris gentibus omnibus ridiculam, quæ tamdiu tyrannicum istum Papatus dominatum ferre potest! O Iesu Christe, crucifixe pro nobis, & resuscitate, & ad Dei Patris dextram collocate, ecquem ostendis exitum nobis, aut quem das finem Rex magne laborum?

Anno 1586. Atque vt clarissimi Parlamentorum Senatores Iurisperiti intelligant, fuisse iampridem eiusdem ordinis eruditos viros, qui crudelem istam ac barbaram tyrannidem aperte detestati sunt, deinceps aliquot ex ipsorum libris testimonia proferemus, quorum illud primum est ex Doctore Alberico, in l. bene à Zenone. num. 18. C. de quadr. præscrip. *Præsidentes Ecclesiæ Romanæ,* inquit, *eorum astuta & sagaci prudentia secundum temporum varietatem sua variauerunt statuta, modo imperium sublimando, modo paulatim deprimendo, de tempore in tempus. Sed ad quid? nisi vt sensim omnia, & cœlestia & terrena, & spiritualia & temporalia (vt vocant) pedibus suis, vt palam gloriantur, subycerent.* Secundus auctor prodeat Ioan. Petrus Ferrariensis, cuius in Practica forensi, quam ante annos amplius centum quinquaginta scripsit, verba hæc sunt in Formul. act. confess. *In tantum excreuit hic appetitus, quod nedum laici, sed etiam summi sacerdotes & clerici, sunt tali modo & vitio penitus infecti. Vides enim, quod ipse, qui deberet, tanquam verus vicarius, vestigia sequi Iesu Christi, possidere, & manu armata nititur detinere iurisdictionem in terris, ciuitatibus, & villis, & locis, quæ sunt naturaliter & à mundi creatione, & Christi ordinatione imperij Romani, iuxta illud: Quod est Dei, reddatur Deo: & quod est Cæsaris, Cæsari. Imo ipse Papa in ipsum Imperatorem nititur superioritatem habere, quod ridiculum est dicere, atque abominabile audire.* Item in forma respons. rei conuen. num. 10. *Nota, quo modo, & quot modis isti clerici illaqueent laicos, & suam iurisdictionem amplient. Sed heu miseri Imperatores & Principes seculares, qui hoc & alia sustinetis: & vos seruos Pontificum facitis, & mundum per eos infinitis modis vsurpari videtis, nec de remedio cogitatis: quia prudentia & scientia non intenditis. Ideo attendite, & memoriæ commendate, quid dicat Hieronymus: Veteres scrutans historias, inuenire non possum, scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos, qui sacerdotes Deo positi fuerant.* Hæc ille Pragmaticus, ante annos, vt diximus, centum & quinquaginta, libere, fortiter, & animose: cum tamen per id tempus Ecclesia Christiana tyrannico Papatum dominatu, vel maxime premeretur. Quid est igitur, quod quisquam hoc tempore miretur, si Sixti Quinti impietatem in confictis Francisci sui religionibus tuendis, crudelitatem in Galliæ regno toties lacerando, impotentiam in Regum maiestate conculcanda, rapacitatem & sacrilegia in bonis ecclesiasticis diripiendis tantopere detestemur? Audiamus alteram eiusdem Pragmatici sententiam in Formula rei conuen. §. Præscriptionis. vbi sic inquitur: *Nunquam quiescet Italia, donec ipsa Ecclesia non possideat omnes ciuitates, vel castra: & donatio eidem facta per Constantinum, fuerit per aliquem probum & potentem Imperatorem penitus reuocata: cum non bene conueniat psalterium cum cithara: nec datum sit à Christo, nec Beato Petro, quod possidere debeant talia: sed quod est Cæsaris, reddatur Cæsari, & quod est Dei, Deo.* Item in form. Sent. indefinit. §. Sed ad quemcunque. *Ad Papam,* inquit, *quocunq; omisso medio appellare licet. Quod ideo prouiderunt, vt lites ad curiam suam traherent, & suam auaritiam satiarent: quod tamen nunquam facient: quia clericorum animus & appetitus & conatus præ cæteris, in pecuniis cumulandis, contra honestatem communem, & fidem Deo promissam: non attendentes, nec studentes bonis moribus, nec scripturis diuinis.* Item in forma libel. quo agitur ex substitut. §. ex suo corpore. *Scire debes tu, ignare laice, quod imperium aliquando habuit vtrumq; gladium: temporalem scilicet & spiritualem: adeoq; quod tum Imperatores conferebant omnia beneficia Ecclesiastica per vniuersum orbem, & amplius eligebant Papam, vt habetur in c. Adrianus. 13. distinct. & notat Innocent. in c. 2. de maiorit. & obedient. Imperatores concesserunt priuilegium, vt bona ingredientium monasteria applicarentur ipsis monasteriis: propter quod priuilegium multiplicata sunt, & fundata monasteria infinita, per vniuersum orbem: olim causa deuotionis, licet hodie causa rapinæ & auaritiæ: in tantum, quod destruxerunt hodie mundum & annihilauerunt statum imperij, & omnium laicorum. Possunt ergo dici merito illa loca facta vel fienda, Retia contexta ad capienda laicorum bona. Surgat ergo bonus Imperator, & dicant omnes, Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.*

CAPVT IX.

Crimen Maiestatis.

PRoximum est, vt ad crimen conculcatæ maiestatis accedamus. Quid enim Læsæ dicemus aut imminutæ? Cum Papatus his prope quadringentis annis, ita superbe, & Imperatores & Reges, ac Potentatus Europæ omnes contempserit, vt eos non tantum pro vasallis ac feudatariis suis, sed etiam pro vilissimis mancipiis habuerit. Cuius furiosæ superbiæ testimonia hæc sunt certissima: primum in c. vnam sanctam. Extrauag. de maiorit. & obedient. *De necessitate salutis credendum est, Papæ Romano creaturam omnem subesse.* Item illud: *Super gentes & regna Romanus Pontifex constitutus est.* c. 1. Extrauag. de consuetud. *Papa superioratum habet in Imperium, & vacante Imperio, Imperatori succedit.* Clement. Pastoralis. de re iudic. *Papa potest transferre imperium de gente in gentem.* c. venerabilem. de elect. *Papa potest Imperatorem deponere.* c. 2. de re iudic. *Papa Romanus habet vtriusque potestatis, temporalis & spiritualis monarchiam: Habet sacerdotij principatum, & est Christianæ religionis caput.* c. fundamenta. de elect. in 6. *Quanto Sol superat Lunam, tanto Papa superat Imperatorem.* c. solit. extr. de maior. & obedient. *Omnes homines, cuiuscunque sint dignitatis, & præeminentiæ, vt primum in conspectum Papæ veniant, distantibus spaciis, ter debent ante illum genua flectere, & eius pedes osculari.* lib. 1. Cerem. Pontific. sect. 3. c. 3. *Quando Papa per scalam ascendit equum, maior Princeps, qui præsens adest, etiamsi Rex esset, aut Imperator, stapham equi Papalis tenere debet, & deinde ducere equum per frænum aliquantum. Si Imperator, aut Rex soli essent, id est, non esset alius Rex, soli equum ducerent cum dextra manu. Sin vero esset alius*

dextr

Rex, dignior à dextra, alius à finistra frænum tenerent: si vero Pontifex, non eque, sed sella veheretur, etiamsi Imperator aut Rex adesset, sellam ipsam cum Pontifice humeris suis portare aliquantulum debent: Anno 1586. Item section. 12. cap. 5. *Princeps ciuitatis quam Papa intrabit, etiamsi esset Rex, ducet equum Pontificis fræno: vel si Pontifex vehitur sella, subit sellam cum suis proceribus dignioribus per aliquot passus: deinde iubente Pontifice, Rex ascendit equum, & equitat suo ordine.* d. lib. 1. tit. 2. *Quod si ita placeat Papa, vt non equo, sed sella vehatur, tunc Imperator vel Rex, si quis adsit, debet ipsam sellam suis humeris sustinere.* tit. 2. *Imperator in conuiuio aquam Papæ manibus ad lotionem prabere debet.* tit. 2. *In Papali conuiuio Imperator vel Rex Romanorum debet portare primum ferculum.* eod. tit. 2. *Imperator tenetur præstare Papæ iuramentum fidelitatis, & obedientia*, cuius formula extat in *c. 1. de iureiur. & c. tibi domino, dist. 63.* Satisne perspicue Paparum intoleranda audacia his testimoniis conuicta est? Sane sic videtur, apud eos quidem iudices ac Parlamentorum senatores, quibus aliquis conscientiæ & diuini numinis metus supererit, præsertim cum etiam Doctores Canonistæ hoc ipsum fateantur. Nam Cardinal. Zabarella, qui tractatum scripsit de schismate circa annum CHRISTI CIƆ. CCCCVI. in illo tractatu ita scribit: *Considerandum est de honorificentia facienda Papæ, ne in ea excedatur modus, vt videatur non magis honorari Papa, quam Deus. Ita enim honorandus est, vt non adoretur. quod de se fieri passus non fuit B. Petrus: de quo legitur Act. 10. quod Cornelius procidens ante pedes eius adorauit eum; Petrus vero eleuauit eum dicens, Surge: Ego ipse homo sum, sicut & tu.* Hæc Zabarella, quibus consentaneum est illud Ioh. Fabri in præfat. Institut. *Papa*, inquit, *in verbis se dicit seruum seruorum: de facto tamen se adorari permittit, quod Angelus in Apocalypsi refugit.* Hæc Faber.

Papæ autem huius tantæ superbiæ titulum atque auctoritatem proferunt ex Imperatoris Constantini Magni beneficio, cuius instrumentum extat primum Latine in *distinct. 96. c. Constantinus:* deinde Græce apud August. Steuchum Papæ Bibliothecarium in *libr. de donat. Constant.* impresso Lugduni anno CIƆ IƆ XLVII. in hanc sententiam: Vt totius Occidentis, hoc est, Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Germaniæ, imperium sit penes Papam Romanum: eoque nomine pari ornatu, parique, atque adeo maiore dignitate, maiestate, imperio & potestate præditus sit, atque ipse Constantinus fuerat: comitatum etiam equitum consimilem habeat: vsque eo vt ei in equo sedenti Imperator aliquantisper pedissequi operam præstet, & ipsius equi frænum tenens aliquandiu eum assectetur. Qua de re idem Steuchus libro secundo capitulo sexagesimosexto, pagina 134. ita scribit. *Illa quoque edicti pars, qua magnus Imperator prædicat se frænum equi S. Syluestri Papæ Romani tenuisse, equumque duxisse (in quo nescitur pedum deosculatio) probatur vera esse, quod successores Imperatores, non multo post tempore similia fecerunt. Nam ingrediente Pontifice Romano Constantinopolim, Iustinianus cum regno in capite sese prostrauit, & pedes osculatus est Pontificis. Item cum Stephanus Pontifex proficisceretur ad Francorum Regem Pipinum, audiens idem Rex eiusdem aduentum, nimis festinanter in eius aduentu occursum: vna cum coniuge, & filiis, & primatibus, & fere ad centum milliaria filium suum Carolum ei misit, cum aliquibus optimatibus. Ipse quoque in Palatio, quod dicitur Ponticone fere ad trium milliarium spatium descendens de equo suo, cum magna humilitate, terra prostratus, vna cum coniuge & filiis, & optimatibus eundem suscepit Pontificem, cui & vice stratoris vsque in aliquantulum locum iuxta eius sellam properauit, & cum gloria ad palatium duxit. Hæc ad verbum protuli ex Iuone Carnotensi: illo (vt reor) ex Anastasio bibliothecario.* Hactenus Steuchus: quorum similia, Platina in *vita Stephani II.* de Pipino & Carolo commemorat. Conferamus iam cum istis Thrasonicis ac phaleratis Papæ Romani verbis CHRISTI modestiam, & præcepta, cuius se Papa vicarium & successorem esse contendit. *Scitis*, inquit, *principes gentium in eas dominari, & qui magni sunt, potestatem in illas exercere. Verum non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister. & quicunque voluerit inter vos primus esse, sit vester minister: sicut filius hominis non venit vt sibi ministraretur, sed vt ministraret:* Matth. 20. *Ego sum in medio vestrum, vt qui ministrat:* Lucæ 22. Itaque quoties Apostolis mandatum aut negotium aliquod dedit, nusquam vnum aliquem ceteris anteposuit: sed omnes pari eodemque loco habuit, vtpote negotii eiusdem collegas ac socios. veluti cum eos obire iussit terrarum orbem, & euangelium prædicare, ac miraculis eam prædicationem confirmare: *Matth. 10. 7. & 8. Luc. 10. 9.* aut cum iisdem prædicit fore, vt XII. tribus Israel iudicent, nullum ex iis aliquem in tribunali, reliquos in subselliis sessuros dicit: *Matth. 19. 36.* sicuti Pseudoconstantinus scribit, *Concedo Ecclesia Romana Pontifici, vt sacerdotes ita eum caput habeant, sicut iudices Regem.* c. Constantinus, 96. distinct. cum in Apostolos congregatos Spiritus sanctus immissus est: cum iis ligandi & soluendi ius datum est, cum ad prædicandum euangelium missi sunt, cui tandem illorum aliqua iuris prærogatiua, aut priuilegium conceditur? *Iohan. 20. Matth. 28. Actor. 1.* Ac magna quidem illa sunt Papalis insolentiæ, superbiæ, & contumaciæ exempla: sed illud aliquanto maius ac mirabilius, quod de Imperat. Friderico Ahenobarbo historici complures memoriæ prodiderunt: in his Helmoldus *Chronic. Scl. capitulo octauo 1.* Nauclet. *generat. 39.* Barnus *de vit. Pontif.* Cum inter ipsum & Papam Adrianum conuenisset, vt ipse Papæ quantam maximam posset reuerentiam, quasi B. Petri successori, exhiberet: denique vt ei ex equo descendenti strepam teneret, Imperatorem ad latus dextrum extitisse, strepamque dextram contigisse. quo facto Papam indignatum, Imperatorem increpuisse: sed hunc illi respondisse, factum id retinendarum streparum inscientia; quod eo primum tempore tenendæ strepæ munus obiisset. Quæ cum ita sint, ac tantum sibi Papa dominatum in summos

Anno 1586. mos quosque orbis terrarum Principes sumserit, tamen suaue auditu est, quod Papa noster Sixtus V. dominatum illum FAMVLATVS nomine appellat. Nam initio suæ contra Regem Nauarrum Declarationis his vtitur verbis: *Ideo se Nauarrum Regem & Condæum Principem excommunicare, vt SVI FAMVLATVS tempora sublatis hæreticis, pace & otio fruantur.* Quod malum, istuc *Famulatus* genus est, quod in occupando orbis terrarum imperio, in conculcanda Regum & Imperatorum maiestate consumitur? Ex eodem Famulatus genere illud est, quod idem Adrianus Papa eidem Friderico scripsit his verbis: *Super prudentia tua non mediocriter miramur, quod B. Petro, & S. Roman. Ecclesiæ non quantum deberes, exhibere reuerentiam videris. In literis enim ad nos missis, nomen tuum nostro præponis. in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris.* Qua de re idem Nauclerus *Gener. 39.* testatur. Sed iam ad summum ac præcipuum Papalis superbiæ, & conculcatæ Regum Maiestatis testimonium veniendum est. Nam cum illius Adriani successor Alexander supradictum imperatorem Fridericum in illis tetris Ecclesiæ Christianæ nubibus, ac tenebris, vsitata excommunicatione terruisset, Fridericus autem, temporum illorum superstitione imbutus, absolui se ab illa postulasset, diem ei Papa præstituit, qua se Venetiis in summo templo sisteret. Vbi eo ventum est: adstante magna Cardinalium & Episcoporum copia, tum Papa negauit se gratiam ei suæ proscriptionis facturum, nisi prius ad ipsius pedes prostratus ac supplex veniam ab ipso deprecaretur. Quod vbi factum est, tum Papa pede altero sublato, & collo prostrati Imperatoris imposito, carmen illud ex Psalmis Dauidis à suis sacerdotibus canì iussit: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* cuius Cyclopicæ immanitatis testimonia luculenta extant apud eundem Nauclerum *Gener. 40.* Barnum *de vit. Pontific.* & Funccium *in Chron.* Ecquis est ex tanto Regis Galliæ Senatorum & Consiliariorum numero, qui maius aliquod aut certius conculcatæ maiestatis testimonium requirat? Quanquam dixerit fortasse quispiam, Cur tam angusto animo tantus Imperator, & tam potens Monarcha? Nimirum hæc fatalis temporum illorum superstitio fuit, quæ mentes hominum in illa caligine occupabat. quo de genere scitum est illud T. Liuii, de Bacchanalibus scribentis: *Nihil est in speciem fallacius quam praua religio, quum Deorum numen prætenditur sceleribus. Subit enim animos timor, ne fraudibus humanis vindicandis diuini iuris aliquid immixtum violetur.* Hæc ille. Sed iam alia quædam Papalis Famulatus testimonia ex conculcata Regum nostrorum maiestate proferenda sunt, quo facilius intelligatur, quam admiranda non sit in hoc Papa Sixto tanta illa vetustate corroborata audacia, cum serenissimum Regẽ Nauarræ & Illustrissimum Principem Condæum hoc verborum honore afficere est ausus, vt eos IRÆ FILIOS appellaret: *Superbientis Luciferi ministros: Hæresum & Hæreticorum patronos: in luto ac cœno peruolutatos: seditiosorum capita, Duces, & propugnatores hæreticorum, exterorum acerrimos fautores: concitatores armorum contra suum Regem, & aduersus ipsum, & omnes Catholicos: Religiosorum hominum trucidatores.* Condæum autem separatim *hæreticis parentibus genitum, patris sui impiissimi Ecclesiæ Catholicæ persecutoris vestigiis insistentem: bellorum ciuilium, & seditionum auctorem, omne feritatis & sæuitiæ genus exercentem.* Vtrumque autem *prolem detestabilem, ac degenerem: læsæ maiestatis diuinæ reos: Orthodoxæ fidei Christianæ hostes.* Malam vero tibi pestem, Antichriste sacerrime, qui hæc incesto ore contra tales ac tantos Principes eructare, & istuc acerbitatis tuæ virus euomere ausus es. Sed quid miremur, vt iam dixi, tantam Papæ in hos duos Principes serenissimos insolentiam? cum etiam in potentissimum quondam Galliæ Regem Philippum Pulchrum nihilo minore audacia sit vsus? Nam anno CIƆ CC XVI. Bonifacius octauus tanta fuisse superbia narratur, vt eum imperio ac potestati suæ subiectum esse contenderet, non tantum in spiritualibus, verum etiam in temporalibus. Tantumne? Imo vero schismaticum, & hæreticum illum pronuntiauit. dirisque omnibus deuotum excommunicauit. At Rex inprimis magnanimus, huic tantæ illius audaciæ cedendum sibi non putauit: imo vero, vt fortem Principem decuit, eam ferociam atq; amentiam contriuit, ac contudit. Nam & de nefariis ipsius sceleribus cognitionem iudiciumque instituit, & vbi manifestis eum testimoniis conuictum esse comperit, tum illum Romæ comprehendendum, & in carcerem compingendum curauit: qua in custodia, (vt Baldi & Plannæ verba vsurpemus) *qui tanquam Leo regnarat, tanquam canis interiit:* cuius historiæ præter Platinam auctores sunt plerique Gallicorum Annalium scriptores. Huiusmodi quondam fuit Regum nostrorum magnanimitas in aspernenda & reprimenda Paparum impudentia. Nam ecquis tota Gallia vel nobilis, vel plebeius, vel cum imperio, magistratu, potestate, vel etiam priuatus, bene erga Regiam maiestatem animatus existimabitur, cui non ista tanta Romani tyranni superbia stomachum moueat? Et miramur, Sixtum nostrum ista Sathanæ disciplina institutum, ista ferociæ vetustate corroboratum ausum esse in hac sua DECLARATIONE pronuntiare, *se Henricum Nauarræ Regem, & Henricum Condæum Principem, eorumque omnes posteros, regno, principatibus, Ducatibus, dominiis, ciuitatibus, & locis feudisque priuare: itemque dignitatibus, honoribus, & officiis etiam Regiis:* Hæc enim illius verba sunt. Item eosdem *incapaces declarare, & inhabiles ad succedendum in quibuscunque ducatibus, principatibus, dominiis, & regnis, ac specialiter in regno Franciæ.* Quæ, malum ista Tragica & Thyestea execratio est, & furiosa Antichristi, ac monachi impudentis superbia? Cuius vnquam molossi, aut Cerberi latratus rabiosior auditus est?

Sed non magnopere admiranda, vt dixi, hæc Papæ aduersus Regem Nauarrum audacia est, cum tam effrænatus eiusdem furor in potentissimum Galliæ Regem extiterit. Quare alia

potius

potius paris eiusdemque superbiæ testimonia audiamus: neque enim maledictis cum Sathana certare, humanum est: satisque fuerit illam Michaelis Angeli imprecationem vsurpare, *Increpet te Dominus*, Iud. 1. cap. 9. Ergo vt ad institutum redeamus, ne illud quidem eiusdem Papalis famulatus testimonium prætereundum est, quod de eodem Bonifacio memoriæ est proditum, qui anno CIↃ CCC. magno populorum concursu ad vrbem Romam, propter Iubilæum facto, primo solenni die, Pontificalibus infulis ornatus, sese multitudini spectandum præbuit: postero vero die Imperatorio paludamento insignis, nudatum ante se gladium deferri iussit, magna voce clamitans: *Ego sum Pontifex, & Imperator, terrestreque ac cœleste imperium habeo.* paucisque post diebus Albertum Imperatorem à Germanis electoribus creatum, & confirmationem ab ipso postulantem superbe repudiauit, negans electionem sine sua auctoritate factam, ratam haberi oportere: quippe, cum solus vtriusque gladii potestatem haberet. Aliquammultis post diebus ea conditione illum confirmauit, vt quamprimum Regi Galliæ bellum inferret, cuius ei regnum in prædam & victoriæ præmium condonabat. Quarum rerum testes sunt Cuspinianus in *vita Alberti*, Paralip. Vrspergens. & Gallicorum Annalium scriptores. Sed quid hæc leuia & minuta persequimur? Superius demonstratum est, Papam Rom. totius Occidentis imperium sibi ex Imperatoris Constantini donatione vindicare. Nuda hæc verba sunt. Quare rem ipsam videamus. Negamus enim vllum esse in Occidente Regem, Gallum dico, Hispanum, Aragonicum, Portugallicum, Hungaricum, Bohemicum, Anglicum, Scoticum, Danicum, Suecicum, Ruscianicum, Croaticum, Dalmaticum, quem non Papatus Rom. suum sibi vasallum & feudatarium asciscat: quasi qui ab ipso Regnum suum feudi ac beneficii loco acceperit, eoque nomine fidelitatem, atque hominium ei præstare debeat. Magnum est quod dicimus, ac dictu prope incredibile. sed prolatis instrumentis, adhibitisque testimoniis veritas illustrabitur. Nam regna singula literarum ordine persequemur. Anno 1586.

DE ANGLICO, August. Steuchus Papæ bibliothecarius in libr. de donat. Constant. 2. pagina 138. testatur, in illa Papæ bibliotheca extare Registrum Papæ Alexandri tertii, in quo hæc ad Gulielmum Anglorum Regem Epistola reperitur. Nam vt ex illo Steuchi Bibliothecarii libro intelligitur, singulorum Paparum acta omnia singulis quibusque registris attributis consignata sunt: quibus quemadmodum fides habenda sit, regula iuris ostendit, qua dicitur, Priuatæ scripturæ fidem haberi, sed aduersus ipsum scriptorem tantum. Ergo Alexandri Epistola hæc fuit: *Nouit prudentia tua Anglorum Regnum, ex quo nomen Christi ibi glorificatum est, sub Apostolorum principum manu & tutela extitisse. Nam vt bene nosti, Angli fideles erant & pia deuotionis respectu ac cognitione Religionis, annualem pensionem Apostolicæ sedi exhibebant: ex qua, pars Romano Pontifici, pars Ecclesiæ S. Mariæ, quæ vocatur schola Anglorum, in vsum fratrum deferebatur.* Hæc ex Steucho. sed præter Steuchum aliis locis hæc testimonia reperio. Flau. Blondus libr. 6. Decad. 2. *Tunc*, inquit, *Ioannes Anglorum Rex vires suas Regi Francorum impares fore veritus, ad Innocentii III. Pontificis Romani misericordiam confugit. nam Angliam, Hyberniamque Romanæ Ecclesiæ feudatarias ex fœdere constituens, centum auri marcas pro vtraque insula quotannis soluere est pollicitus.* Anton. Florent. Histor. part. 3. titul. 19. §. quinto. *Anno MCCXIII. Ioannes Rex Anglorum sponte de consilio suorum Principum obtulit ac libere concessit DEO & Apostolis eius sanctissimis, Petro & Paulo, & S. Romanæ Ecclesiæ & D. Papæ Innocencio III. totum Angliæ Regnum & Hyberniæ pariter, cum omnibus iuribus & pertinentiis suis: & fecit ac iurauit homagium pro dictis Regnis, dicto Innocentio Papæ, vt illa de cetero, vt feudatarius, ab ipso Papa & successoribus eius teneret.* Quod idem Polydorus Virgilius libr. 15. commemorat. Hoc Papæ instrumento, si fides priuatæ, vt dixi, scripturæ habenda est, regnum Angliæ Papæ feudatarium est. Age, reliqua videamus.

DE REGNO ARRAGONIÆ, Steuchus eodem libr. pag. 193. *Petrus Rex Arragoniæ anno tertio Domini Innocentii III. Papæ venit Romam ad eundem Innocentium, ab eoque militiam solenniter, ac honorifice accepit: obtulitque sponte totum regnum B. Petro, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ: ibique accepit in feudum, prædictum regnum. Itemque pro regno Sardiniæ, certam pecuniæ summam constituit se daturum.*

DE REGNO CROATIÆ ET DALMATIÆ, Steuchus eodem libro, pagin. 191. in registro Gregorii VII. ita legitur. *In nomine Domini S. & indiuiduæ Trinitatis, anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo sexto: indictione quarta, decima mensis Octobr. Ego Demetrius, qui & Suinumir nuncupor, Dei gratia Croatiæ Dalmatiæque Dux à te D. Gebizo, ex Apostolicæ sedis legatione, Domini Papæ Gregorii potestatem obtinente, in Salonitana Basilica S. Petri, synodali & concordi totius cleri & populi electione, & Croatiorum Dalmaticorumque regni regimine per vexillum, ensem, sceptrum, & coronam inuestitus atque constitutus Rex, tibi deuoueo & polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reuerenda iniunget sanctitas, vt in omnibus & per omnia Apostolicæ sedi fidem seruem, & quicquid in hoc regno tam Apostolica sedes, quam legati sui sanxerunt vel sanxerint, irreuocabiliter custodiam: Iustitiam excolam, Ecclesiam defendam, ducentorum quoque Bizantiorum tributum, meorum omnium consultuum, primatuum, sancto Petro per singulos annos in resurrectione Domini, de mihi concesso regno persoluendo statuo. Præterea, cum DEO seruire regnare sit, vice B. Petri ac domini nostri Papæ Gregorii, atque post se successorum in Apostolica sede me tuis manibus committo, & committendo, hanc fidelitatem iuramento stabilio: Ego, inquam, Demetrius, qui & Suinumir, DEI gratia & Apostolicæ sedis dono, Rex ab hac die in antea Sancto Petro & domino meo Papæ Gregorio & suis successoribus cano-*

Anno 1586. *niçe intrantibus, ero fidelis. Regnum autem quod mihi per manum tuam, domine Gebizo, traditur, fideliter retinebo, & illud suumque ius Apostolica sedi aliquo ingenio aliquando non subtraham: Dominum meum Papam Gregorium, & suos successores atque legatos, si in meam potestatem venerint, honorifice suscipiam, & honeste tractabo, & remittam, & vndequaque me inuitauerint, prout potero simpliciter eis seruiam.* Hæc Steuchus. Ex quibus cognosci licet, quam scitos & literatos scribas habere Papæ soleant, qui non modo Francisci & Dominici res gestas & admiranda facinora literis mandare possint, verum etiam inuestiturarum feudalium instrumenta & breuia testata conscribere.

De Regno Danico, Steuchus eodem libro 2. pag. 189. *Regnum Danorum*, inquit, *est peculium & vectigal sacrosancta Rom. Ecclesia: quod eadem Pontificum vera monimenta testantur. Alexander Episcopus S. S. D. dilecto filio Sueni, Regi Danorum salut. & Apostolic. benedict. Prudentiam tuam monemus, vt censum regni tui, quem antecessores tui sancta Apostolica Ecclesia persoluere soliti sunt, nobis & successoribus nostris transmittere studeas: ita tamen vt non sicut oblatio super altare ponatur, sed tam nobis, quam successoribus nostris, vt certius approbetur, præsentialiter offeratur.*

De Regno Franciæ. Extat apud Nicolaum Gillium Gall. Annal. scriptorem, insignis Papæ Bonifacii VIII. epistola, quam subscribemus. *Bonifacius seruus seruorum Dei Philippo Francorum Regi: Deum time, & mandata eius obserua. Scire te volumus, quod in spiritualibus & TEMPORALIBUS nobis subes: Beneficiorum atque præbendarum ad te collatio nulla spectat: & si aliquarum vacantium custodiam habeas, vsumfructum earum successoribus reserua: & si quas contulisti, collationem haberi irritam decernimus. aliud credentes Fatuos reputamus. Datum Laterani, IIII. Non. Decembr. Pontificatus nostri anno sexto.* Hoc Papæ Bonifacii instrumentum est à Bibliothecariis, sine dubio in ipsius registro ex consuetudine reconditum: sed audiamus quid pars aduersaria respondeat. Nam ex Regis responso quantum fidei atque auctoritatis istis registris tribui oporteat, cognoscemus. *Philippus Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam, sine nullam. Sciat tua maxima FATVITAS in temporalibus nos alicui non subesse. Aliquarum Ecclesiarum & præbendarum vacantium collationem ad nos iure Regio pertinere, & percipere fructus earum contra omnes possessores, viriliter nos tueri: secus autem credentes, fatuos reputamus atque dementes.* Hæc ex Chron. Brit. Armori. *lib. 4. cap. 14.* Nicol. Gillio in *Chron. Gallic.* ex quibus facilis coniectura est, vt maxime concedamus fatales illas literas superiores à Papis ad Reges missas fuisse, tamen eos acriter ac vehementer illorum audaciam ac temeritatem compressisse. Et tamen idem Steuchus, Papæ, vt diximus, Bibliothecarius illo suo registro fretus, in eod. suo libro, pag. 198. ita scribere est ausus: & Lugduni edendum curare. *Bonifacius VIII. contra Philippum Gallorum regem, quod contra Ecclesiam sese extolleret, cum ei Pontifex vetera monimenta explicasset, quibus doceret, quod Romana Ecclesia & in sacris, ET IN PROFANIS Galliæ subesset, quo necesse esset Pontificem VTI DOMINVM REGNI SVI eum venerari, & colere, cum ille despiceret, eum excommunicauit.*

De Germanico Imperio. Apud eundem Steuchum de hoc imperio summum silentium, propter summam (vt credi par est) Imperatoris Caroli V. potentiam, quem offendere Steuchus metuebat. sed aliunde permulta testimonia suppetunt. Primum apud Canonistas in *c. tibi domino, distinct. 63.* vbi Imperatoris Othonis iusiurandum continetur, Papæ præstitum, quod Papa Clemens contendit esse iusiurandum fidelitatis, quod vasalli feodo accepto, suis patronis præstant in *c. de iureiurand. in Clem.* Vnde Canonistæ fortissime disputant, ac ratiocinantur, Imperatorem esse Papæ vasallum, & imperium ab eodem feudi nomine teneri: sed & Papa Innocentius III. in c. venerabilem, extra, de elect. scribit, *ius eligendi Imperatoris ad Principes Germania ab Apostolica sede peruenisse* & c. 2. de re iudic. in vj. *Imperatorem posse à Papa deponi:* & in c. 1. Extr. Ne sed. vacan. *Papam vacante Imperio Imperatorem esse.* Atque hinc illa Papæ Innocentii II. nata confidentia est, vt Romæ in Lateranensi Basilica Lotharium Imperatorem pingeret, quasi vasallum ad pedes ipsius prostratum, & Imperii coronam ab eo accipientem: atq; hos illi picturæ versus adscriberet:

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores,
Post homo fit Papæ: sumit, quo dante, coronam.

cuius rei memoria extat in Chronic. Hirsaug. in vit. Abbatis Hartuingi, & apud Radeuic. lib. 1. num. 9 & 10. *Et cum ea die Imperator Fridericus cum Adriani Papæ legatis expostulasset, Radeui. m sic eos respondisse scribit, A quo ergo habet, si à Domino Papa non habet imperium?* Quinetiam extat apud Ioannem Auentinū lib. 6. pag. 636. Adriani Papæ Epistola ad Archiepiscopos Treuirensem, Moguntinensem, & Coloniensem his verbis: *Romanum imperium à Græcis translatum est ad Alemannos: vt Rex Theutonicorum non antequam ab Apostolo coronaretur, Imperator vocaretur. Ante consecrationem, Rex: post, Imperator. Vnde igitur habet imperium nisi à nobis? Ex electione principum suorum habet nomen Regis, ex consecratione nostra habet nomen imperatoris & Augusti, & Cæsaris. Ergo per nos imperat: Roma nostra sedes est: Imperatoris est Aquis, in Arduenna, qua est sylua Gallia. Imperator, quod habet, totum habet à nobis. Sicut Zacharias transtulit imperium à Græcis ad Teutonicos, ita nos possumus ab Alemannis trāsferre ad Græcos. Ecce in potestate nostra est, vt demus illud cui volumus. propterea constituti sumus à Deo super gentes & regna, vt destruamus, & euellamus, ædificemus, & plantemus.* Hæc Papa de Germanico imperio: satis, vt videtur, confidenter; cum illum Aquisgranum, & in syluam Arduennam, quasi pastorem ac bubulcum quendam, relegat. Ecquis erit ex illustribus inuictissimi Imperatoris consiliariis, qui tam immanem atque importunam illius Tyranni vocem ferre possit? Sed alia audiamus.

De

De Regno Hispanico. Steuchus eod. lib. 2. pag. 133. *Gregorius VII.* inquit, *scribens Regibus ac Principibus Hispaniæ, ita dicit: Vos scitis, quod antiquitus Regnum Hispaniæ est Romanæ Ecclesiæ.* Anno 1586. Et paulo post, ex Registro Epistolarum eiusdem Papæ, quod in sua bibliotheca religiose asseruari affirmat, hanc Epistolam profert: *Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Regibus, Comitibus, cæterisq; Principibus Hispaniæ salutem. Notum fieri vobis volumus, Regnum Hispaniæ ex antiquis constitutionibus B. Petro, & S. Romanæ Ecclesiæ in ius & proprietatem traditum esse, & quæ sequuntur.*

De Regno Hvngariæ testimonium eiusdem generis extat apud eundem Bibliothecarium, pag. 186. *Gregorius Episcopus S.S.D. dilecto filio Salomoni, Regi Hungariæ salutem. Sicut à maioribus patriæ tuæ cognoscere potes, regnum Hungariæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, à Rege Stephano olim B. Petro, cum omni iure ac potestate sua, oblatum, & deuote traditum. Et mox. Idem Gregorius ad Geusum Hungariæ Regem: Notum tibi esse credimus, Regnum Hungariæ, sicut & alia nobilissima Regna, in propriæ libertatis statu debere esse, & nulli Regi alterius Regni subijci, nisi sanctæ & vniuersali matri, Ecclesiæ Romanæ.*

De Regno Polonico. Albertus Krantz. in Wandal. lib. 8. cap. 2. *Lakoldus hac tempestate Dux erat Cracouiæ, & qui per omnem Poloniam facile principaretur. hic à Iohanne Pontifice Romano suscepit coronam: quod Ludouicum (quia eum execrabatur & excommunicabat Papa) non duceret legitimum Imperatorem Iam enim Pontifices in eam venerant maiestatem (quam Principes seculares dicunt Præsumptionem) vt Reges crearent: citantes verbum primi post Christum Pontificis: Ecce, inquit Petrus, duo gladij hic. Contra quod Principes ipsi verbum æterni Pontificis, Mitte gladium tuum in vaginam, de gladio carnali humano & seculari interpretantur: quasi non liceat summo Pontifici in eo pugnare. Lakoldus autem à Pontifice Rex nominatus & consecratus, omne regnum fecit B. Petro tributarium, vt per singula quotannis capita solueretur nummus vnus, qui appellatur S. Petri.*

De Regno Rvsciæ. Steuchus eodem lib. pag. 109 *Regnum item Rusciæ iuris ac districtionis est Romanæ Ecclesiæ, quod eadem prisca monimenta præ se ferunt. Gregorius VII. Regi & Reginæ Rusciæ scribens: Dilecto, inquit, filio, Demetrio Regi Ruscorum: & Reginæ vxori eius salutem, & Apostolicam benedictionem. Filius vester, limina Apostolorum visitans, ad nos venit, & quod Regnum illud dono sancti Petri per manus nostras vellet obtinere, eidem Beato Petro Apostolo, debita fidelitate exhibita, deuotis precibus postulauit: indubitanter asserens, illam suam petitionem nostro consensu ratam fore, ac stabilem, si Apostolicæ auctoritatis gratia ac munimine donaretur. cuius petitionibus assensum præbuimus: & regni vestri gubernacula ex parte B. Petri illi tradidimus, ea videlicet intentione charitatis, vt B. Petrus vos & Regnum vestrum sua apud Deum intercessione defendat.*

De Regno Siciliæ. Papa Clemens V. in clement. pastoralis. de sentent. & re iudic. *Rursus non est silentio relinquendum, quod ipse Rex Siciliæ noster & Ecclesiæ Romanæ ratione regni prædicti notorie subditus, homoq; ligius, & vasallus in eadem regno continuum habet domicilium.*

De Regno Scotico. Polydorus Virgil. lib. 17. ita scribit: *Bonifacius interea Pontifex à Scotis precibus fatigatus, interdixit Eduardo Regi, ne amplius posthac Scotos bello vexaret: quod id regnum antea in Romani Pontificis fidem & potestatem à Scotis ipsis permissum fuisset. Et ideo asseuerabat, sibi soli integrum esse, cuicunq; liberet, dare aut auferre.*

Hactenus regna Christianorum Regum omnia enumerauimus, quæ Papa feudi ac beneficij ab se accepti loco teneri ac possideri contendit. Ex quibus singulis atque vniuersis diiudicandum cordatis viris relinquimus, vtrumne hæc modesti Ecclesiæ pastoris humilitas esse videatur, tantopere à Christo commendata, an potius immanis atque intolerandi Cyclopis confidentia. simul ab iisdem cogitari cupimus, an non tanta ista Paparum superbiloquentia ex eodem spiritu profecta sit, vnde illa Tyranni Neronis Oratio à Seneca, libro de Clementia primo posteritati tradita: *Ego ex omnibus mortalibus placui, electusq; sum, qui in terris deorum vice fungerer. Ego vitæ necisq; gentibus arbiter. Qualem quisq; sortem statumq; habeat, in manu mea positum est. Quid cuiq; mortalium fortuna datum velit, meo ore pronuntiat. Ex nostro responso lætitiæ causas populi, vrbesq; concipiunt. Nulla pars vsquam, nisi volente propitioq; me, floret. hæc tot millia gladiatorum, quæ potestas mea comprimit, ad nutum meum stringentur. Quas nationes funditus exscindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quorumq; capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant vrbes, quæ oriantur, mea iurisdictio est.*

CAPVT X.

Crimen Perduellionis.

SEquitur sextum crimen, cuius Papam Romanum iampridem à maxima Christianitatis parte non modo accusatum, verum etiam conuictum & condemnatum esse diximus. Nos *Perduellionatum* illud appellamus, hoc est, factiones hostili animo ad euertendum omnium Rerumpublicarum statum, quæ in orbe Christiano sunt, comparatas. Sed quoniam Galliæ nostræ causa potissimum hæc à nobis instituta disputatio est, in præsentia satis futurum videtur, si ex sola, atque adeo ex recenti factionum illarum memoria, huius criminis testimonia proferamus. Annus iam abiit tertius & vicesimus, ex quo Gallia nostra continuis prope bellis ciuilibus miserandum in modum vexatur. Bellis dico? Imo vero lanienis, & cruentis, ac furia-

Anno 1586. furialibus carnificinis. Qui eorum, quos illa bella sustulerunt, numerum diligentius inierunt, non minus reperiunt duodecies centenis Gallorum indigenatum millibus. Ecquis est in Gallicis Parlamentis, vel Præses, vel Senator, qui ex animi sui sententia deierare audeat, Papam Romanum non tantis malis Alastorem, non præcipuam tantorum incendiorum facem extitisse? Non assidue Cardinales aut Episcopos, & alios ex suo comitatu emissarios ad aulam Gallicam misitasse, qui Regum animos tanquam mali genii, ad hæc funesta, & internecina bella, ad carnificinas, ad vastitatem terræ Galliæ inferendam inflammarent? Cum interea quasi lanista sanguinarius, commissis inter se gladiatoribus, cruentos istos ludos ex sua Santangeli mole spectaret: aut, tanquam alter Nero, incensam ab se vrbem, è sua turri despiceret: suosque oculos istis funestis spectaculis pasceret, crudelemque animum exsaturare cuperet? Quod si quæ patrum memoria in hoc regno contigerunt, recordari volumus, primum hoc reperiemus: Ludouicum XII. (at, quem Regem? qui Patris patriæ nomen summo bonorum omnium consensu adeptus est,) vrbes aliquot Italiæ bello captas, Papæ Iulii Secundi ditioni adiunxisse. Papam intermissis aliquot mensibus, hanc Regi pro accepto beneficio gratiam retulisse, vt non modo eum schismaticum & hæreticum pronuntiaret, proscriberet, diris suis excommunicationum fulminibus insectaretur: verumetiam Gallos omnes hostilem in modum cruciandos, interficiendosque curaret: præmium etiam percussoribus polliceretur, peccatorum omnium veniam, & impunitatem, si quis vel vnicum Gallum quoquo modo trucidaret. Quid est Perduellem esse, aut vero perduelles omni scelere & crudelitate superare, si hoc non est? Sed operæpretium est, aliquanto planius totam illam tragœdiam exponere. Erat is Papa ingenio truculento, atque ita diro, immani, turbulento, vt ne sui quidem latrocinii sociis, Episcopis & Cardinalibus Romanis ferendus, Regibus vero & Principibus plane intolerandus videretur. Itaque summo omnium consensu Concilium in vrbem Italiæ Pisas indictum fuit, vt communi consilio impendentibus ab ipso Ecclesiæ Christianæ malis obuiam iretur. Quam prudenter autem, & legitime, ac solenniter Concilium illud conuocatum fuerit, patet ex Philippi Decii Iurisconsulti per ea tempora celeberrimi Consilio CLI. quod Mediolani aduersus illum Papam & scripsit, & edidit. Eum conuentum furibundus Papa confestim bello & armis deturbauit. Quapropter Regis nostri auctoritate Mediolanum primùm, tum deinde Lugdunum translatum est, vbi re cognita, & deliberata, Iulius à suo Papatu suspensus fuit: hoc est ad tempus Papatus administratione circumscriptus. Quo nuntio Iulius accepto, tanto dolore atque iracundia exarsit, vt non modo Gallis omnibus aqua & igne interdiceret, verumetiam obuium quemque mactari, trucidarique imperaret: præmiis etiam, vt dixi, sicarios ac percussores inuitaret. Quam ipsius insaniam, ac potius rabiem, quoniam Gulielmus Budæus, Parisiensis, vir non minus patriæ amans, quam doctus & literatus, in suis *de Asse* libris acriter atque animose persecutus est, commodissimum videtur, totam illam cordati viri ac ciuis boni querimoniam non modo Parlamentorum nostrorum Senatoribus, verum etiam omnibus omnium generum atque ordinum hominibus legendam proponere: præsertim cum historici ad vnum omnes in eadem querela exponenda, mirifice cum eo consentiant. Nam is est Iulius Secundus, de quo & Arnaldus Ferronus, vir inprimis doctus, & Galliæ nostræ historicus, & Burdegalensis quondam Parlamenti Senator, itemque alii complures memoriæ prodiderunt: quod cum exercitu comparato Roma in Galliam, infesto in Regem nostrum animo, contenderet, suasque armatas copias ipse loricatus ex vrbe per Tyberis pontem educeret, multis hominum millibus audientibus hæc pronuntiauit: Quando nobis claues Petri nihil prosunt; age, gladium Pauli distringamus: simul claues, quas secum attulerat, in Tyberim proiecit, gladiumque vaginæ eduxit. Qua de re notum illud vetus carmen est:

In Gallum, vt fama est, bellum gesturus acerbum
Armatam educit Iulius vrbe manum.
Accinctus gladio, claues in Tybridis amnem
Proiicit, & sæuus talia verba facit:
Cùm Petri nihil efficiant ad prœlia claues,
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

Sed iam ad Budæi querimoniam accedamus: quam in libro de Asse quinto, his luculentis expressit verbis: *Cleri magister sanguinarius, effractis timoris diuini repagulis, feras nationes in Domini populum immittebat, & Gallorum partes, eorumque fautores diris execrationibus deuouens, scelere plus quam Tragico totum pene orbem religione solutum in deuotos concitabat. An eius temporis in mentem non venit, cum Diuus Petrus Paulusque, & eorum sequaces, Ecclesiæ Architecti, non armorum splendentium fiducia infesti, ad prœlia grassabantur, sed cruore, sed innocentia freti, cætera inermes, ad castra Christi tuenda, in tumultu flagrantissima charitatis classico ciebantur? Nunc inania tantum ipsi nomina tanto interuallo facti, etsi eorum demum maiestate apud populos sacrosancti sacerdotum ordines primarij fastus suos obumbrant. O duram, portentosamque vecordiam sacrosanctæ potestatis! Quis enim vnquam tantum animo concepit nefas, vt* SACERDOTUM CULMEN, *vt cleri magister, vt sacrorum summus opifex manus inauguratrices, ab altaris operatu adhuc calentes, in familiam Domini armare sustineret? vt animo plus quam gladiatorio grassaretur ad Christiani nominis culmen, nempe Regem Christianissimum mundo stupente delendum! & nunc mysticum illum*

ensem

Anno 1586.

inferri casum punctimque irato, vt credimus, proposito vibraret: nunc à Marte sanguinariam frameam mutuaretur, & consternatos diris execrationibus, quæ fortasse in eum ipsa verterunt, ad internecionem quoque conuteretur? En quos pedes, quas manus lubens exosculere, vnde vel os cruentum, atque pollutum referres. Miserum vero te tum, IVLI, *atque intemperiis actum, qui vsque adeo ira cæca indulgendum putaris, tute, vt transuersus, vesana animi cæcitate raperere? & nec te, nec decorum maiestatis beatissimæ præ odio respicere, sed ordinem amplissimum, sed senatum illum purpuratum, præcipua veneratione insignem, sed Libani gloriam tecum rapiens inuitum bona ex parte, & mussitantem arcis Ecclesiæ ruina nos obruere, teque adeo ipsum cuperes? orbem etiam pene totum immutares, fulminibus ciendis, intorquendisque collabefactum, vt nos odio & inuidia flagrantes, igneque deinde ardentes toruis istis oculis inspiceres, nec iam recusares, quin in Regem nostrum flammantem voti compos insilires? Proh superi immortales! tantumne de summo sanctuarij vertice licuit male suada nexa, vel œstro vindictæ plus quam Atrea percitum, per fas agere, nefasque præcipitem vt vel corpus animumque in busto inimicorum properares ire perditum. Non fuit ira efferatissima satis, retro nos in fines fulmine perterrefactos egisse, Italia perdita nobis adamata possessione cedentes cum fremitu gemituque, nisi de aris insuper & focis dimicare, extremaque deinde exempla timere coegisses? Cum interim sub ipso lanista sanguinario totus propemodum hic orbis nobiscum pariter digladiaretur animo infestissimo. Vbinam erat igitur ille Zelus Domini, qui est ira iusta læsa aut imminuta vindex diuinæ maiestatis? Hoc enim demum signifero in aciem prodire sacris cohortibus fas est, si quando prodire fas est. Num tandem igitur ex illa arce charitatis aut fidei sacello auxilia promferat, & signa cruciata? Ecquid igitur eum pudebat,* SERVVM SERVORVM *Dei se vocare, cum Franciam, Christianorum decus semper, & Pontificum ædem, religionisque asylum bustis ipse Gallicis insignitre gestiret? Cum sacerdos septuagenarius, Christi, pacis conditoris & parentis, legatus Bellonæ sacris operaretur: cui cum genere humani luculento dispendio litare contendebat. Idque tum, cum profanum vulgus ad delubra pacis & concordiæ miserabili specie supplicationes imbat. Enimuero visendum spectaculum. Patrem non modo sanctissimum, sed etiam senio & canitie spectabilem, quasi ad tumultum Gallicum Bellonæ fama suos euocatos cientem: non trabea, non augustis insignibus venerandum, non Pontificiis gestaminibus sacrosanctum, sed paludamento & cultu barbarico conspicuum, sed furiali, vt ita dicam, confidentia succinctum, fulminibus illis brutis & inanibus lucidum, eminente in truci vultu cultuque spiritum atrocitate. Profecto nos vidimus in paucis annis multa, quæ prorsus maiora fide posteris videbuntur. Hoc turbine, hac procella luxata Ecclesiastica auctoritatis ac disciplinæ compage, quonam modo fides recta, nisi clauis trabalibus & æternis fixa, sacrisque monumentis semel affirmata constabilitaque fuisset?* Hactenus Budæus, vir, vt ante dixi, patriæ amans, & omni laude dignus. qui, etsi nondum plane cognorat, quantum inter Christum & Antichristum interesset, tamen patriæ charitate impulsus, non potuit non illam Papæ crudelitatem, ac barbaram immanitatem literis ad sempiternam Papatus ignominiam commendare: vt omnis posteritas intelligeret, quam hostili ac perduelli animo Alastores nostri in Gallia, Budæi ætate, grassati essent. Age: alterum haud paulo vetustius eiusdem in Galliæ Reges perduellionatus testimonium audiamus. Nemo ignorat, partem Galliæ regni prope dimidiam per annos amplius trecentos ab Anglorum Regibus quondam occupatam fuisse. Eam regionem cum Rex Galliæ Philippus (cui posterius Augusti cognomen fuit) bello recuperare conaretur, dici non potest, quam superbe ac ferociter Papa Innocentius III. ei sit aduersatus. Neminem paulo humaniorem esse arbitramur, qui nesciat, Romanorum quondam hanc artem ad subigendas gentes cæteras fuisse, vt si quam inter vicinos aut Reges, aut populos contentionem exortam animaduertissent, eam studiose alerent, partique alteri amicitiam ac societatem honorificentissimis Senatusconsultis deferrent: simul ei auxilium aduersus alterum pollicerentur. His artibus altera superata & subacta parte, postea breui tempore interiecto, perfacilem alterius opprimendæ occasionem reperiebant. *Noster populus,* (ait M. Tullius in lib. de Repub.) *sociis defendendis terrarum iam omnium potitus est.* Hanc eandem maiorum suorum, hoc est, (vt Ioannes Monachus, Canonista nobilis, interpretatur) prædonum ac latronum viam ac vestigia secuti Papæ, vt primum aliquid inter vicinos Reges aut Principes discordiæ subortum esse cognouerant, eam per emissarios quosdam Cardinales augere atque alere incipiebant: simul pactiones cum alterutro facere, vt si sua opera regno aduersarii potiri possent, tum sedem Romanam tanti beneficii auctorem agnoscerent: eique de nouo adepto regno fidem, hominium, ac proinde tributum annuum præstarent. Hac pactione & coniuratione facta, illico Princeps aduersarius à Papa schismaticus & hæreticus pronuntiabatur: Regnumque ipsius primo occupanti adiudicabatur. quibus artibus dici non potest, quot incendia Papæ in omnibus Christiani orbis partibus quadringentis hisce annis excitarint: quam multos sibi suæque stercorariæ sedi Reges ac Principes, vasallos, feudatarios, stipendiarios redegerint. Qua de re, quia paulo ante copiose dictum est, satis erit de duobus illis Galliæ & Angliæ Regibus exponere. Exorta igitur inter illos contentione, Papa Innocentius III. primum ex suo Consistorio duos Legatos in Galliam misit, qui & Regem execrationum minis terrerent, & regni populares aduersus ipsum Regem concitarent, & arcana cum Episcopis Gallis, cæterisque sacerdotibus consilia & conuentus inirent. Tum deinde Imperatorem Othonem IV. itemque Ferdinandum Flandriæ Comitem, aliosque complures exteros Principes ad arma contra Regem Gallorum ita celeriter atque acriter concitauit, vt nisi forti magnoque animo Papæ illius minas &

Anno 1586.

bruta fulgura contempsisset, non tantum illas regni sui regiones, verum etiam breui tempore reliquas omnes amisisset. Cuius rei memoria extat non modo in Gallicis nostris Annalibus, verumetiam apud Canonistas, *in c. nouit. 13. extr. de iudic.* Nam illa Decretalis sempiternum erit Papalis erga Reges ac Patriam nostram odii, ac perduellis animi monimentum. Ex his igitur, & aliis, quæ superius demonstrauimus, perspicuum omnibus esse arbitramur, quantum auctoritatis huic Papæ Sixti DECLARATIONI tribui ab ordinibus & Regni Galliæ Consiliariis oporteat: quem apertissimis testimoniis docuimus, multis atrocissimis criminibus à maxima Christianitatis parte non modo accusatum, verumetiam conuictum, & condemnatum fuisse. Quod si qui forte sint, qui disputent, quemadmodum ex eo, quod duæ partes è tribus Europæ partibus Papam exauctorarunt, nulla ei auctoritas à reliqua parte tertia tribuenda est: ita cum duæ partes è tribus Galliæ partibus suam illi auctoritatem conseruatam velint, æquum esse, vt suum ei ius in Gallia conseruetur: duplex nobis in promptu responsio est. Prior, quoniam ex illo Gallorum numero, qui Paparum partibus student, omnes Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Sacerdotes, monachorum phalanges innumerabiles, & clerici, cæterique generis eiusdem scarabei, Papæ beneficiarii, canes denique omnes, qui Papæ tribunal lambunt, primo loco eximendi sunt: propter regulam iuris, qua dicimus, Quo in negotio res alicuius agitur, (quoniam ipsius aliqua ex parte interest) eum in eo negotio testem idoneum non esse. *§. sed neq. Instit. de testam. ordin. l. nullus. 10 D. de testib. l. omnibus. 9. C. eod l. 1. § in propria. D. quand. appell sit.* Secunda est, quod illis omnibus è numero exemptis non exigua pars cæterorum, qui inueteratam in Gallia religionis consuetudinem sequuntur, non iudicio & sponte id faciunt, sed terrore & minis compulsi: vt nihilo magis inter Papatus clientes numerandi sint, quam (vt Iurisconsulti dicunt) testes aut tutores vi & metu in aliquo negotio retenti, inter idoneos testes & auctores numerantur, de quibus eleganter Vlpianus scribit, eos, qui inuiti negotio & actui alicui præsentes adsunt, non magis adesse videri, quam si somno vel morbo comitiali occupati in eo loco fuissent. *l. 1. § vltim. D de tutel. l. qui testamenta. 20. §. vltim. D. qui testamen. fac. l. nouissime. 7. §. 1. quod fals. tutor. auctor. l. 2. D. de iudic.* Denique constat inter omnes, si par Gallis hominibus vtriusque colendæ exercendæque religionis libertas daretur, vix quartam popularium regni partem in sedis Romanæ religione permansuram. Quo loco iuuat nos vetus illud Bartoli commemorare, qui in præfat. Digest. numer. 14 vbi de donatione Constantini disputans, & aliorum Doctorum sententias enumerans, cum ad suam ventum est, ita loquitur: *Videte, nos sumus in terris Ecclesiæ,* (nam Bononiæ docebat,) *& ideo dico, quod illa donatio valuit.* Vbi tamen multa contra illam donationem non obscure subiungit. Ac pari modo cum Canonistæ disputaretur, non licere Imperatori quenquam perduellionis crimine damnare, qui Pontificiam factionem sequeretur, Bartolus de Imperatoris Henrici sententia, qua Robertum Siciliæ Regem perduellionis damnarat, & contraria Papæ Clementis V. sententia, qua eundem Robertum absoluerat, commemorans: Papæ quidem se aduersari non audere ostendit, Imperatoris autem sententiam probare non dissimulat: Canonistis Bartolo idcirco vehementer indignantibus: qui de Papa & Cæsare versum illum vsurpant, Papam suum Iouem appellantes:

Diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet.

Quin etiam eodem loco Bartolus disputat, tantum abfuisse, vt Robertus Papæ vasallus esset, quemadmodum Papa contra Imperatorem contendebat, vt testetur, mortuo Roberto, Aloysium ipsius heredem Imperatori fidelitatem Siciliæ nomine iurasse, in ciuitate Pisarum, se præsente. Qua de re videnda Henrici constitutio. *Ad reprimendam, Qui dicant. rebell.* & contraria Papæ constitutio, illam abrogans, & contumeliose rescindens, *in clement. pastoralis. de iudic.*

Quod si de Perduellionatu Paparum ecclesiastico dicendum aliquid videtur, non alienum erit proferre testimonium Senatoris quondam Parisiensis celeberrimi; nomine Cosmæ Guymerii: qui *in præfatione Pragmaticæ sanctionis*, Biturigæ, auctore Rege Carolo VII. conscriptæ, nonnulla commemorat, magnopere ad cognoscendam Alastorum Romanorum insaniam pertinentia: *Circa annum Domini, inquit,* CIↃ CCCXXC. *mortuo Gregorio XI. Cardinales debentes procedere ad electionem successoris, fuerunt à Romanis comminati, quod occiderentur, si non eligerent Italicum aliquem Elegerunt ergo Archiepiscopum Barensem, qui tunc erat Romæ, exprimentes ei, quod eum eligebant ad vitandum periculum, seu fingebant eligere: sed postea data opportunitate alium eligere libere intendebant. Electo igitur illo, qui Vrbanus VI. dictus est, ille dixit, quod si volebant eum eligere, quod eum eligerent, quia intendebat Papa esse. Illi tamen Cardinales post aliquod tempus recesserunt ab eo, & fugientes ad ciuitatem Fundansem, elegerunt alium, qui dictus est Clemens VI. qui transtulit curiam suam in Auenionem, illumq; veneratus est pro Papa Francia, Hispania, Catalonia. Alteri vero, scilicet Vrbano, adhæsit obediens Italia, Alemania, & Hungaria, & durauit hoc pessimum schisma vltra* XXX. *annos. Durante hoc schismate, post Vrbanum successit ex illa parte Bonifacius IX. Bonifacio successit Innocentius VI. Innocentio Gregorius XII. Ex alia parte Clementi successit Benedictus XIII. qui dicebatur Petrus de Luna, sub quibus fuit factum Concilium Pisis, anno* CIↃ IↃCCX. *in quo, ipsis depositis, fuit electus Alexander, qui dicebatur Petrus de Candia, cui successit Iohannes XXIII. propter quod generatum fuit aliud schisma. Tandem Concilio congregato Constantiæ, per Imperatorem Sigismundum, consentientibus dictis Ioanne XXIII. & Gregorio XII. & Cardinalibus D. Benedicti ibidem accedentibus, ibidem cessit Gregorius XII. & alij duo depositi fuerunt propter cõtumaciam, & ad sedandũ schisma.* Hæc Guymerius.

Nunc

Nunc alterum eiusdem testimonium audiamus ex eodem libro, folio 5, columnâ secundâ. *Martinus, inquit, fuit electus in Papam per concilium Constantiense, depositis aliis contendentibus, qui diu schisma habuerunt. Et concilium iussit congregari in Basilea, cui morte præuentus non interfuit. ibidem tamen misit Iulianum tunc Legatum suum, tituli Sancti Angeli, anno decimo quarto sui Pontificatus, Calend. Februar. pro celebratione concilii, & ei successit Eugenius quartus, qui licet approbasset concilium Basiliense & Basileam misisset dictum Legatum præd. Calend. Martii Pontificatus sui anno primo, ac etiam dissolutionem dicti concilii per ipsum attentatam anno* CIↃ CCCCXXXIII. *& sui Pontificatus anno tertio reuocasset in publica sua sessione, Romæ celebrata apud Sanctum Petrum* XVII. *Calend. Ianuar. eodem anno, & per suas bullas patentes promisisset de cætero dicto concilio obedire confitendo ipsum concilium semper fuisse vere continuatum, noluit tamen postea Decreta concilii Constantiensis seruare, nec obedire Concilio Basiliensi, asserens magis è contra debere fieri, & illud iterato dissoluit, & transtulit Ferrariam, propter reductionem Græcorum, & inde Florentiam, propter superuenientem ibi pestem. vnde orta est grandis altercatio scribentium de hac materia. nam vna pars dicebat Papam esse supra concilium: alia, concilium esse supra Papam, Propterea à concilio Basiliensi fuit citatus, pridie Calend. Augusti, anno* CIↃ CCCCXXXVII. *suspensus ab administratione Papatus vndecimo Calend. Februar. anno* CIↃ CCCCXXXIIX. *& etiam depositus 7. Cal. Iulii, anno* CIↃ CCCCXXXIX. *in locum cuius fuit electus à concilio Basiliensi Amedæus, Dux Sabaudiæ postea dictus Felix Quintus, sed non curauit Eugenius propter quod fuit schisma, quod durauit annis nouem, & vsque ad mortem Eugenii, cuius in locum fuit electus in vrbe Nicolaus Quintus, cui cessit Fœlix, in fauorem vnionis Ecclesiæ. Papa Pius Secundus ante dictus Æneas Syluius, qui interfuit concilio Basiliensi fecit tractatum pro auctoritate concilii Basiliensis: sed factus Papa eum retractauit.*

Hæc Guimerius Parisiensis, vt diximus, quondam Senator: quo attentius huius ætatis Senatores intelligant, quanta ambitione, contentione, insania Romani Alastores Perduellionatum in Ecclesia exercuerint, & quam furenter inter se bacchati sint, quot incendia in omnibus Europæ partibus, vt ambitioni suæ seruirent, passim excitarint. Quinetiam quam antiqua & inueterata hæc sit illorum insania, cognosci licet ex historia Ammiani Marcellini Christianæ religionis expertis, libro vigesimo septimo, cuius hæc sunt verba: *Damasus & Vrsicinus supra humanum modum ad rapiendam Episc. sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur ad vsque mortis vulnerumque discrimina adiumentis vtriusque progressis: quæ nec corrigere sufficiens Viuentius vrbis præfectus, nec mollire, vi magna coactus secessit in suburbanum, & in concertatione superauerat Damasus, parte quæ ei fauebat instante. Constatque in Basilica Sicinini, vbi ritus Christiani est conuenticulum, vno die centum triginta septem reperta cadauera peremptorum, efferatamque diu plebem ægre postea delinitam. Neque ego abnuo ostentationem rerum considerans Vrbanarum, huius rei cupidos ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere: cum id adepti, futuri sint ita securi, vt ditentur oblationibus matronarum procedantque vehiculis insidentes circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo vt eorum conuiuia regales superent mensas, qui esse poterant Beati reuera, si magnitudine vrbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam Prouincialium viuerent: quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum & supercilia humum spectantia, perpetuo numini verisque eius cultoribus, vt puros commendant & verecundos.* Hæc Ammianus: ex quibus perspicuum est, quam vetus hæc fuerit Papatum Romanorum ambitio, ac libido dominandi, feritate & crudelitate coniuncta. Sed vt vetera omittamus, & ad ea quæ nos nostramque Galliam propius attingunt, veniamus: ecquis est ex tanto Regiorum Senatorum numero, qui nesciat, quod bella Papæ Romani inter Christianos Principes his quinquaginta annis potentiæ suæ vel tuendæ, vel amplificandæ caussa in Europa excitarint? primum fuit Heluetičũ, quo pacatissimas ciuitates, nec tam fœderis arctissimi necessitudine, quam charitate mutua, communisque patriæ conseruandæ studio coniunctas crudelissime inter se commiserunt. Secutum est bellum Germanicum, inde Anglicum & Scoticum, quod etiam nunc iidem Alastores per emissarios suos Iesuastros, certissimos orbis Christiani incendiarios renouare conantur. Quid de nostris Gallicis ciuilibus & funestis bellis dicemus? Nam primum omnium Papæ Romani à Francisco primo efflagitarunt, vt si qui reformatam religionem amplecterentur, viui, præsecta lingua, subiectis ignibus, cremarentur. Extant inter regias constitutiones Gallicas, edicta illius Regis, edita anno CIↃ IↃ XXXIV. itemque anno quadragesimo, & rursus anno quadragesimo secundo; quorum auctoritate Senatores parlamentorum tantum Christiani sanguinis profuderunt, & tamen tanta cum martyrum pietate & constantia, vt vix apud posteros fidem habitura videatur. Quid hæc Alastoribus illis crudelitas profuerit, operæpretium est ex eius testimonio cognoscere, quo nemo locupletior hoc in genere produci testis potest. Is est Rex Henricus secundus, horum recentiorum regum pater, Princeps, (vt plerique meminisse possunt) belli domique clarissimus. Extat enim eius edictum mense Iunio anni CIↃ IↃ LI. Castrobrianti scriptum: cuius hæc verba sunt: *Videre antehac omnibus licuit, quanto studio, quantaque contentione pater noster (quem Deus absoluat) Rex Franciscus, vir ille Princeps Christianissimus & maxime catholicus, per vniuersum vitæ suæ tempus conatus sit hæreses, & falsas doctrinas, quæ in suo regno contra nostram sanctam fidem & religionem catholicam pullulabant, extirpasse: & quammultas leges & constitutiones idem rex eodem animo & consilio promulgarit: prout varietas & necessitas temporum ferebat. Verumtamen illud tantum studium tantaque contentio non magnopere profuit. Nam ille morbus ita per nobilissimas quasque regni nostri ciuitates peruasit, vt omnium generum, atque ordinum familias, quasi contagio quadam infecerit.* Hæc ille in edicto, cuius sex & quadra-

ginta sunt articuli, omnes ad cohibendum illius religionis cursum, acerrime & seuerissime conscripti. Quinetiam aliquanto post, id est, anno CIↃ IↃ XLVII. aliud eiusdem regis edictum promulgatum est, quo nominatim multis verbis profitetur; palamque denuntiat, se nullum in illa opprimenda religione laborem, nullum studium, nullam diligētiam prætermisisse. Tantomne? *imo vero*, inq̃t, *quāto studiosius ac labori usius in eam curā incubuimus, tāto magis magisq; doctrina illa inualuit.* De studio certe & conatu, vel ex eo fieri coniectura potest. quod inter omnes constat, magnum omnis generis hominum numerum illo misero & acerbo supplicii genere interiisse. Successit illis Regibus, auo nempe, & patri, Rex Franciscus secundus: eius edicta videre licet numero sex acerrima & vehementissima, præter innumera diplomata & patentes literas, quas assidue per singulas regni sui prouincias mittitabat, tanto animi ardore ac stomacho, vt homines amplius trecenti, vix trium mensium spatio Parisiensis præsertim & Tholosani Senatus Decretis, cruciati, vstulati, cremati, (atque vt perscribi in Senatusconsultis solebat) in cineres redacti sint. Satiare fortasse hæc tanta profusi sanguinis copia vel immanissimos tyrannos potuit: quales antiquis temporibus fuisse memorantur Cyclops, Busiris, Syron, Phalaris, Tython, Gyges. At Papam Romanum, quem vere generis humani perduellem appellare possumus, explere tanta crudelitas non potuit. Quid profecerit, audire est operæpretium. Extat enim constitutio eiusdem regis Francisci secundi, edita Ambosiæ, mense Martio, anni CIↃ IↃ LIX. his verbis, quæ pera:tente legi à consiliariis Regiis optamus, momentoque suo ponderari. *Nos vt officio & functioni nostræ regiæ satisfaceremus coacti fuimus variis vti suppliciorum & pœnarum generibus, prout rerum status & tempora postulabant. Sed ex causarum criminalium instrumentis cognitum & patefactum est ingentem numerum virorum, mulierum, ætatum, generum, & ordinum omnium interfuisse illicitis & clandestinis concionibus, cœnis, baptismis, per eos administratis, quibus id facere non licebat: Quod si de vnoquoque illorum supplicium sumeretur, prout iuris & Legum nostrarum rigor postulat, admirabilem sanguinis effusionem fieri oporteret, virorum, mulierum, virginum adolescentum florescentis adhuc ætatis, quorum alii inducti & subornati alii simplicitate quadam & ignorantia persuasi, alii curiositate quadam potius quam malitia illecti, in istiusmodi errores & incommoda inciderunt. Quod si fieret magno & perpetuo animi dolore afficeremur: neq; id vel naturæ nostræ, vel ætati satis conueniret: quarum vtraque nos ad clementiam & mansuetudinem ac misericordiam hoc in genere exercendam inuitat. Itaque notum omnibus esse volumus, cum hac tota de re, mature à consiliariis nostris coram nobis deliberatum fuisset, non esse nobis in animo primum regni nostri annū memorabilem posteritati relinquere, tanquam cruentum, sanguinarium, & cædibus miserorum nostrorum ciuium plenum: etiamsi hoc maxime meriti fuissent: imo ad exēplum patris cœlestis statuimus parcere sanguini nostrorū populariū, & subiectos nostros ad viam salutis reducere, eorumque vitam conseruare sperantes per Dei misericordiam fore, vt per viam mansuetudinis & clementiæ plus, quā per suppliciorum rigorem proficiamus. Itaque de supradictorum nostrorum consiliariorum sententia dicimus, statuimus, ordinamus, ne posthac propter causam criminum præteritorum fidem & religionem concernentium, per iudices nostros molestia exhibeatur nostris subditis, cuiuscumque sint generis & conditionis, neque in iudicio neque extra iudicium. Declaramus insuper nos talium criminum, fidem & religionem concernentium, gratiam, remissionem, & abolitionem generalem omnibus nostris subditis condonasse.* Et paulo infra. *Ex auctoritate regis qui huic consilio præfuit: & de sententia dominorum Cardinalium de Bourbon, de Lorraine, de Castillon, les ducs de Montpensier, de Guise, de Niuernois. & d' Aumale.* Hactenus Rex Franciscus secundus: perspicue, vt apparet declarans ac testificans, superiorum temporum cruciatus & supplicia nihil omnino ad hanc extinguēdam religionem valuisse. Quid tum Alastores, ac perduelles humani generis, Papæ Ro. quid egerunt? Vbi senserūt aliquot eiusdē regni proceres, aliquot præterea regii sanguinis Principes religionē illā degustasse, & Bernardonicas ac Dominicanas fraudes atq; imposturas repudiasse, vbi præuiderunt fore, vt Gallia paulatim ac pedetētim è Papatus seruitute sese in Christianam libertatem vindicaret, vbi denique tam opimam prædam è suis faucibus ereptum iri senserunt, tum vero nouas bellorum ciuilium faces passim per vniuersam Galliam immittere cœperunt. deinde cum ne hac quidem illis via succederet, furiales carnificinas, & lanienas cum sempiterna Gallici nominis ignominia instituerunt: ad extremum, vbi ne hoc quidem modo profici quicquam posse animaduerterunt, exortus est monachus Bernardonicus, Sixtus noster quintus, qui meretricia & monachali impudentia fretus, Serenissimos Principes nostros proscriberet, potentissimumque Galliæ regem iuberet, vt eos vi, armis, castris insectaretur, miserumque suum regnum denuo cædibus, rapinis, incendiis compleret. Sed de furiali Alastorum Romanorum perduellionatu satis iam videtur dictum.

CAPVT XI.

CRIMEN FALSI.

RESTAT, vt de crimine, quod in postremum locum reiecimus, quam breuissime fieri poterit, disseramus: nempe Falsi, siue subiectarum aut corruptarum tabularum. Cum autem huius sceleris permulta nobis vndecunq; testimonia suppetunt, tū præcipue ex Pōtificali Decreto Gratiani, quod huius generis corruptelis & falsitatibus redundat. Ex quibus paucas quasdā, quasi exempli loco, delibabimus, atq; inprimis instrumentum illud donationis Cōstantini, quo

Papa donatam sibi ab illo Imperatore vrbem Romam, itemque Italiam, Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, Germaniam, & Britanniam concedit, dist. 96. c. Constantinus. & plenius apud Bartholomæum Picernum; & Augustinum Steuchum, qui instrumentum illud Romæ in Bibliotheca Papæ, Græca lingua scriptum repertum esse affirmauerunt, Latineque ab se conuersum ediderunt. Nam eius hæc summa est: *Imperator Constantinus, Christianorum hostis, lepra morbo affectus, in somnis à Petro & Paulo Apostolis admonitus, vt se Syluestro Papa Romano purgandum traderet, confestim ab illo baptizatus atque sanatus tanti beneficij remunerandi causa donauit eidem Syluestro, eiusque successoribus vrbem Romam, totumque Occidentis imperium: simul coronam suam auream, & sceptrum, & reliqua imperatoria insignia, vt maiorem dignitatem Papa Romanus haberet, quam ipse Imperator. Simul imprecatur suis successoribus vsque ad finem mundi, concremationem in inferno inferiore, cum Diabolo & impiis, nisi eam donationem ratam habeant, & obseruent. Datum Romæ 3. Kal. April. Constantino A. quater & Gallicano Coss.* Hoc igitur instrumentum, quo solo Paparum dominatus sustinetur, falsum, fictum, ementitum, atque à Papa nescio quo, perinde vt librum *Conformitatum* subiectum fuisse quamplurimis argumentis euincemus: quorum illud primum est. I. Quod cum tot extent historici, qui res Constantini literis mandarunt, nullus tamen auctor locuples reperitur, qui tam immensæ, tam effusæ, ac tam inofficiosæ prodigalitatis mentionem faciat: in his Eusebius, qui *libros quinque de ipsius vita* conscripsit. Item Socrates, Theodoritus, Euagrius, Rufinus, Eutropius, Paulus Diaconus, Orosius, Beda, Zonaras, Nicephorus: quos non est verisimile, si vera illa donatio fuisset, tantam rem, tanto silentio prætermissuros fuisse. Quinetiam Papæ ipsi Romani, qui sæpe multumque de sua potentia & amplitudine cum aliis Episcopis contenderunt, tamen in suo iure persequendo, & instrumentorum suorum editione, nullum vnquam de illo instrumento fecisse verbum leguntur. II. Quod complures Papalis dominatus patroni & defensores testificantur, totum illud caput ab antiquis Gratianici Decreti Codicibus abesse: in his Antoninus Florẽtinus Episcopus *primæ partis historialis titulo octauo, cap. primo*, & Volaterranus vbi de Constantino commemorat. *Caput illud*, inquit Antoninus, *non habetur in antiquis Decretis. Quid ergo & quantum Constantinus donauit, non est bene certum.* Nicolaus autem Cusanus lib. de concord. Cathol. 3. *Absque dubio*, inquit, *si non fuisset illud dictamen apocryphum, Gratianus in veteribus codicibus, & canonum collectionibus inuenisset: & quia non inuenit, non posuit.*

Quinetiam Æneas Syluius (is qui postea Papatum adeptus, dictus est Papa Pius) in *dialogo* quodam, quem adhuc Cardinalis scripsit, aperte instrumentum istud falsitatis arguit: & stolidos Legistas appellat, qui tantopere sudarint in disputando, an ea donatio valeat, quæ nunquam facta fuit. III. Quod Eusebius *libro de vita Constantini Quarti* memoriæ prodidit, eum perexiguo ante obitum tempore hanc imperii sui diuisionem inter suos filios fecisse, vt natu maximo Occidentem, secundo Orientem, tertio interiectam regionem assignaret. Sed & Socrates histor. Ecclesiastic. 3. capt. vltimo. *Cum tres*, inquit, *filios haberet, singulos eorum imperii sui participes esse constituit. Primum quidem filium, sui nominis Constantinum, Occidentalium partium. Secundum, aui nomine, Constantium, in Oriente constituit. Iuniorem vero Constantem in media regione ordinauit.* Item Sext. Aurel. Victor. *Ad tres*, inquit, *orbis Romani dominatio redacta est, Constantinum, Constantium, & Constantem filios Constantini. Hi singuli has partes regendas habuerunt.* Item Zosimus lib. hist. pr. 2. *Eius liberi*, inquit, *successionẽ in Imperio nacti nationes inter se partiti sunt. Et Constantinus quidem natu maximus cum minimo natu Constante omnia trans alpes sita, & Italiam & Illyricum sortitus est.*

Nunc posteriorum temporum historiam consideremus. Nam vt inter omnes Chronographos constat, non tantum Italiæ, verumetiam Romæ vrbis imperium penes Constantini successores per annos centum & quadraginta permansit, vsque ad annum Christi CCCCL. quo tempore imperium illud Occidentis vexari cœptum à Gottis, Francis, Alanis, Burgundis, Vandalis: semper tamen in iure Imperatorum Romanorum mansit vsque ad Imperatorem Augustulum, quem Odoacer Gottorum Rex Italia expulit, vrbe Roma potitus, anno CCCCLXXVI. quo tempore Romanum Imperium in Occidente defecit, Barbaris & Romæ & in Italia regnantibus. Nam regium Romanorum nomen, penes Odoacri posteros ac successores per annos CCCXXV. permansit. Itaq; videre licet quamplurimas apud Cassiodorum Theodorici Regis literas partim ad Senatum vrbis Romæ, partim ad populum Romanum regio nomine atque auctoritate scriptas: vt nemini dubium esse possit, quin & Italia, & vrbs ipsa Roma sub Gottorum regum ditione, non sub vllius Papæ dominatu permanserit: vsque dum Gottis ab Imperatore Constantinopolitano Italia exactis, præsides in illam prouinciam mitti cœperunt, Exarchorum nomine: qui etsi Rauennæ domicilium habebant, tamen in Italia per annos complures dominati sunt. Rursus Longobardi, quorum regnum exortum est anno IↃLXVIII. vniuersam Italiam, præter vrbem Romã per annos CCVI: hoc est vsque ad annum IↃCCXLIV. tenuerunt, quæ omnia ex Procopii, Iornãdis, Marcellini, Pauli Diaconi, & aliorum scriptis intelliguntur: vt perspicuum cuiuis esse possit, falsum esse, quod Papæ contendunt, maiores suos vel in Italia, vel in vrbe Roma dominatum ex Constantini donatione obtinuisse: cum is dominatus anno demum Christianæ salutis octingentesimo initium habuerit, ex Pipini & Caroli Magni liberalitate, qui Exarchatum Longobardis ereptum vna cum vrbe Roma Papæ Stephano Secundo donarunt: vt Platina, Volaterranus, &

alii omoes testantur, sed præsertim Sabellicus *Ennead. 8. libr. 8.* vbi præter cæteros adscribit, Constantinum Quartum Orieotis Imperatoris legatos ad Pipinum in Italiam misisse, qui ab eo peterent, vt Rauennam & cætera Exarchatus loca suo Imperatori restituenda curaret: *quippe, quæ imperii essent* (sic loquitur Sabellicus) *non autem Pontificis. Neque se Pipinus Constantino aut cuiquam hominum præterquam Ecclesiæ Romanæ militare, eoque consilio se arma induisse, vt Apostolicam sedem ab omnium mortalium iniuria vindicaret: vtque Rauennam & quidquid Longobardi vi & armis subegissent, Romanæ subiiceret Ecclesiæ. Ita Græci oratores re infecta domum redierunt.* Hæc Sabellicus. Platina autem Exarchatum Astulpho Longobardo ereptum, & Papæ Stephano traditum subiungit, anno DCCLVI. simulque Imperatoris oomen Carolo Magno Pipini filio tribuisse, quod Imperatores Orientis ægre per ea tempora tuebantur, hoc est, anoo IↃCCCI. qua de re Albertus Krantzius in Saxon. lib. 2. c. 1. sic scribit: *Tribuunt nonnulli Constantino Magno donationem illam Italiæ, & Germaniæ, & nescio quarum prouinciarum Ecclesiæ Romanæ factam: de qua ipsi viderint. Carolus erat, qui ex victoria Longobardorum Romanam Ecclesiam ditauit, cum pridem aliquanta & Gotti per sua tempora, & deinde Longobardi Reges nonnulla contulissent.* IV. Quod Papæ ipsi inter se de hac donatione pugnantia loquuntur & valde discrepantia. Nam cum hoc loco (id est, in *dict. cap. Constantinus. dist. 96.*) regnum Romanum atque Italiæ & Occidentis totius Constantino acceptum referant, & anno Christi CCCXXVIII. tamen alio loco sui huius beneficii auctorem laudant Ludouicum Pium, Caroli Magni filium, ex anno Christi IↃCCCXXXV. Cuius mendacii ac falsitatis impudentia quo dilucidius appareat, bina huius posterioris donationis instrumenta, quæ Papæ & Caoooistæ nobis ediderunt, inter se comparabimus. Nã Volaterranus libr. Georg. 3. sic loquitur. *De pietate ipsius Ludouici Pii in Romanos Pontifices multa Bibliothecarius refert, ciuitates quas eis dedit enumerans. Ego quoque ex Antigrapho vetusti libri, quod in Bibliotheca Vaticana hodie continetur, vbi eius enarratur donatio, Apographum excerpsi.*

INSTRVMENTI VOLAterrana editio.

Ego Ludouicus Imp. concedo tibi beato Petro Principi Apostolorum, & per te vicario tuo Domino Paschali summo Pontifici, successoribusque eius in perpetuum, ciuitatem Romanam, cum sua iurisdictione omnibusque circa terris, ciuitatibus, portubus, ac maritimis locis Hetruriæ: In eademque mediterraneam vrbem veterem Balneiregium, Viterbium, Saonam, Populoniam, Rosellas, Perusium, Mathuranum, Sutrium, Nempe versus Campaniam, Ananiam, Signiam, Ferentinum, Alatrium, Patricum, Frusinonum, cum omnibus circa oppidis & vicis: nec non exarchatum Rauennæ integrum, sicut piæ recordationis Carolus pater, & item Pipinus auus noster (notet Lector mirum de Constantino silentium) *Beato Petro dudum concessere. Videlicet Rauennam, Bonium, Æmiliam, Forum populi, Forum Iulii, Fauentiam, Imolam, Romaniam, Ferrariam, Comadum, Adriam, Seruiam. In Marchia, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Oximum, Numanam, Esium, Forum Sempronii, Feretrum, Vrbinum, territorium Valnense, Callium, Luceolos, Eugubium. In Campania Sorum, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam, patrimonia quoque ad vestram pertinentia ditionem, Beneuentanum, Salernitanum, Calabriæ inferioris ac superioris, ac Neapolitanum ducatum: insuper Spoletinum, Tuderotreculum, Harniam, reliquaque eius ditionis: Insulas quoque inferi maris, Corsicam, Sardiniam, Siciliam, quæ omnia piæ memoriæ Pipinus auus, deinde Carolus Imperator genitor noster, per Athenium & Maiuardum Abbates, ad hoc sponte missos, Beato Petro eiusque successoribus scripto concesserunt, nos item probamus atque concedimus. Præterea summi Pontificis deligendi Romano consilio potestatem esse volumus, modo sine discordia fiat, ac post consecrationem legati ad nos successoresque nostros Reges Francorum conciliandæ charitatis & amicitiæ causa mittantur: sicuti temporibus Domini Caroli ataui, & Pipini aui, & postremo Caroli genitoris nostri mos fuit. Hanc igitur volun-*

INSTRVMENTI DEcretalis editio.

Ego Ludouicus Imperator Romanus Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ Beato Petro principi Apostolorum & per te vicario tuo Domino Paschali, summo Pontifici, & successoribus eius in perpetuum, sicut a prædecessoribus nostris vsque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis, & disposuistis, Romanam ciuitatem cum ducatu suo, & suburbanis, atque villulis omnibus, & territoriis eius montanis, & maritimis litoribus, & portubus, seu cunctis ciuitatibus, Castellis, , oppidis, ac villis in Tosciæ partibus. Item quando diuina vocatione huius sacratissimæ sedis Pontifex de hoc seculo migrauerit, nullus ex regno nostro aut Francus, aut Longobardus de qualibet parte homo sub nostra potestate constitutus licentiã habeat contra Romanos aut publice aut priuatim conueniendi, aut electionem faciendi, nullusque in ciuitatibus aut territoriis ad ecclesiæ Beati Petri Apostoli potestatem pertinentibus aliquod malum præterea facere præsumat: sed liceat Romanis cum omni veneratione & sine qualibet perturbatione honorificam suo Pontifici exhibere sepulturam: & eum quem diuina inspiratione, & Beati Petri intercessione omnes Romani vno consilio atque vna concordia, sine ali-

qua

iatem nostram scripto ac iureiurando firmauimus, & per legatum S.R.E. Theodorum Domino Paschali misimus, manuque propria nos subscripsi, EGO LVDOVICVS. subscripsere quoque tres filii eius, Episcopi decem, Abbates octo, Comites quindecim, Bibliothecarius, Mansionarius, Ostiariusque vnus numerabatur annus ab incarnatione Domini DCCCXXXV.

qua promissione, ad Pontificatus ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate atque contradictione more canonico consecrare: & dum consecratus fuerit, legati ad nos, vel ad nostros successores Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam, charitatem & pacem concilient.

Ex hac comparatione perspicuum est, quibus fraudibus, & quam malis artibus Papatus, ad consequendum summũ illũ Italiæ dominatum sit vsus. Nam, vt verus Imperator Constantiuus apud Iustinianum loquitur, *Scriptura diuersa, & fidem sibi inuicem derogantes, nihil habere firmitatis possunt.* leg. scripturæ, 14 Cod. de fid. instrum. quippe, cum duæ orationes pugnantia continentes veræ esse non possint. *leg. si is qui decimo tertio §. verum, D. de rebus dubiis, leg. vbi pugnantia, 188. D. de reg. iur.* Itaque quoties plura eiusdem actus instrumenta conficiuntur, oportet ea inter se totidem verbis congruere, tametsi error in aliqua notula sit tolerabilis: veluti si L. pro C. scripta sit. *leg. Sempronius, 47. D. de leg. 2.* Sed aliud est error in nota numeri, aliud diuersitas in reb⁹ ipsis; velut hoc loco, vbi in vno instrumento sola Romæ suburbana quædam nominantur, in altero, præter maximam Italiæ partem, etiam Sicilia, Sardinia, & Corcyra: quo casu quia diuersæ donationes sunt, diuersa instrumenta res[illegible]tur. *l. sancimus. 34. §. si quis autem, C. de don. l. quingenta, 12. D. de probat.* Deniq; si Constantinus tanto ante Occidentis Imperium Papatui donarat, ecquod ius nouum adipisci Papa ex [illegible] noua Ludouici donatione potuit? cum, vt vulgo traditur, rei suæ acquisitio nulla sit. *l. 4. C. de contrah. empt.* V. Quod alio etiam loco Papæ pugnantia inter se de hac eadem donatione locuti sunt. Extat enim in eodem Gratiani Decreto, *12. q. 1. c. futuram*, Melchiadis Papæ testimonium, qui ante Syluestrum Papalem sedem obtinuit, vbi iam tum, ante Syluestri, inquam, Papatum huius donationis à Constantino etiam ante suum Papatum factæ mentionem his verbis facit, *Donaria immensa contulit, & fabricam templi primæ sedis Beati Petri instituit: adeo vt sedem Imperialem relinqueret, & Beato Petro successoribusque suis profuturam concederet.* Nam si ante Melchiadis tempora Constantinus illam donationem fecit, quid argumenti habere hæc Syluestri fabula poterit, affirmantis & baptizatum à se Constantinum, & se ab illo tanto imperio donatum fuisse? VI. Sed iam propius ad ipsum donationis instrumentum, & historici verba veniendum est. Nam cui verisimile videbitur, somnium diuinitus oblatum fuisse homini, non tantum ethnico, & idolorum cultori, verumetiam acerrimo religionis Christianæ insectatori? aut si oblatum fuisset, quis credat Deum non id potius per angelum aliquem, ex vetere (vt scriptura testatur) ac perpetua consuetudine, quam per Apostolos mortuos, id factum fuisse? denique temerarium est quicquam de somniis præter Scripturæ sacræ auctoritatem credere. Quare dubium nemini esse debet, quin hoc instrumentum ex eadem officina prodierit, vnde alia eiusmodi innumerabilia Papatus commenta, figmenta, & mendacia nata sunt, quale illud est apud Antoninum, part. 3. tit. 24. §. 3. *Cum Dominicus esset Romæ, & in basilica Sancti Petri orationẽ suam pro conseruatione & dilatatione ordinis sui effunderet, facta manu Domini super eum, gloriosos Principes Petrum & Paulum ad se vbi venientes aspexit: quorum Petrus baculum, Paulum vero librum tradere videbatur: addebantque dicentes: Vade, prædica: quoniam à Deo ad hoc ministeriũ electus es.* aut illud alterum Papæ Stephani Secundi, apud Reginonem in Chronic. anni IↃCCLIII, vbi Stephanus Papa, cui Pipinus exarchatum Italiæ (vt paulo ante dicebamus) donarat, scribit se *cum in monasterio Sancti Dionysii apud pagum Parisiacum* (hæc illius verba sunt) *subter campanũ dormiret, vidisse ante altare Diuum Petrum, & magistrum Gentium Paulum, quos de illorum fiparis cognouit, Beatum Dionysium subtilem & longiorem: dixisseque Dominum Petrum, Hic frater noster postulat sanitatem, & Diuum Paulum respondisse, modo sanabitur, & appropinquantem misisse manum suam ad pectus Domini Dionysii amicabiliter, & dixisse D. Petrũ ad Dominum Dionysium hilariter. Tua gratia est sanitas eius. Et statim Dominum Dionysium thuribulum incensi, & palmam in manu tenentem, presbytero & Diacono dixisse prælibato Stephano Papæ, Pax tecum frater: Noli timere: surge sanus. Et mox*, inquit, *factus sum sanus: & volebam implere quod mihi præceptum erat: & dicebant qui ibi aderant, quod dementabam.* & cætera, quæ adeo stolida, atque insulsa sunt, vt Papa Stephanus illo commento risum captasse videatur. Sed laudandus Deus, quod tantam improbitatem non nisi in homines stolidos incidere passus est. Quin ne illud quidem de visis in somnis Petro & Paulo Apostolis prætermittendum est, quod in *libro Conformitatum* legitur, folio 51. *Beatus Franciscus Romam pergens fuit à sanctis Apostolis Petro & Paulo dulciter amplexatus.* ibidem Petrus & Paulus à Francisco rogati impetrarunt à Christo regulæ Minorum confirmationem. VII. Quod verisimile non est, Constantinum magnum illo lepræ morbo laborasse: quandoquidem neque Eusebius, qui vitam eius accurate quinque, vt dixi, libris complexus est, neque Zosimus, qui religionis odio Constantinũ quibus potest contumeliis exagitat, neque Paulus Diaconus, neque alius quisquam vllam illius morbi mentionem facit: vt omittam Baptistę Mantuani argumentum ex lib. *de Patient. primo, cap. 30.* vbi cum ex Plinii lib. 21, cap. 1. docuisset, genus illud morbi iampridem in Italia restinctum fuisse, sic infert: *Si ergo tempore Plinij, qui sub Vespasiano floruit, erat iam restinctus hic morbus in Italia, verisimile non est, Constantinum eo laborasse, qui post longum tempus imperauit.* VIII. Quod etiam impium commentum illo loco

ſubiicitur,& quod Chriſtianorum aures animiq; reſpuunt, Cõſtantinum, dũ in lauacro à Papa baptizabatur, vidiſſe manũ Dei de cœlo in ſuum corpus demiſſam, quæ illum lepra purgauit. *In ſinu lauacri poſitus*, inquit, *manum tangentẽ me à cœlo propriis oculis aſpexi, ſub qua mundatũ me à lepra cognoui.* Nam quis non videt figmentum hoc eiuſdem eſſe generis, cuius illa ſunt, quæ paſſim in lib. *Conformitatum Franciſcanorum, aut in vita Dominici* leguntur? IX. Quod neq; veriſimile eſt tã inconſultum Syluestrũ Papam & Diaconos ipſius fuiſſe, vt Conſtantino Chriſtianorum ac præſertim Eccleſiæ Rom. hoſti infeſtiſſimo tam repente, poſt ſuum illis narratum ſomniũ, baptiſmum cõferre vellent: ac nõ prius ei Chriſtianæ religionis myſteria, Catechumenorũ inſtituto, traderẽt. Quinẽt Zoſ. Chriſtianæ, vt dixi religionis inimicus narrat, eũ ab Hiſpano quodã eã religionẽ edoctũ, didiciſſe, quãta vis illius eſſet in delendis hominũ peccatis: ac tũ demum hariolos & flamines, cæteroſq; Rom. ſuperſtitionũ Sacerdotes ab aula ſua remouiſſe. X. Quod ſummi auctores atq; hiſtorici teſtãtur, Conſtantinum non niſi paulo ante mortẽ, & anno deinũ ætatis LXV. baptizatũ fuiſſe, neq; id Romæ, vel à Syluestro Papa, qui 5. prope ante annis vita exceſſerat, ſed Nicomediæ, ab Euſebio Nicomedienſi, magna Epiſcop. frequentia. Hęc Euſeb. in *li. de vita* 4. Hieron *in Chro.* Rufinus *li. 1. c. 11.* Socrates *li. 1. c. 39.* Theod. *li. 1. c. 31.* Ambroſ. li. *de obitu Theod.* Neq; enim Nicephoro fides habenda eſt, qui *li. 7. c. 35.* cum Romæ illum baptizatum ſcribit, ſimul adiungit, ſe Rom. Eccleſiã in ea re auctorem ſequi. Præſertim cum Vincent *lib. hiſtor. 24.* non dubitarit ſcribere, ſecundum S. Hieron. Conſtantinum vxorem Fauſtam, & filium Criſpum crudeliter occidiſſe, & in extremo vitæ ab Euſebio, Nicomed. Epiſ. baptizatum fuiſſe. XI. Quod nec veriſimile eſt, ſi Conſtantinus calido puerorum infantium ſanguine ſuum morbum curare inſtituiſſet, vel eum voluiſſe pueros illos palam à Capitolii Sacerdotibus iugulari, vel tanta ſanguinis copia opus fuiſſe, vt eo ciſterna tota impleretur. XII. Nihilomagis credibile eſt, Conſtantinum tandiu Chriſtianam religionem oppugnaſſe, quin aliquid de Petro & Paulo, celeberrimis Chriſti Apoſtolis auditione accepiſſet, neq; adeo rerum Chriſtianarũ imperitum fuiſſe, vt ſomno illo excitatus ex Syluestro quæreret, quinam eſſent illi Dii, qui Petrus & Paulus appellabantur: nam vt nihil omnino præter diuinam viſionẽ didiciſſet, tamen non eſt veriſimile Petrum & Paulum ei ſe pro diis venditaſſe. XIII. Quod impium fuiſſet, beneficium recuperatę valetudinis referre potius acceptum Apoſtolo Petro, Dei internunrio, quam ipſi Deo, à quo Petrus ad eum miſſus fuerat. Deinde ſoli Petro, potius, quam cõiunctim Petro & Paulo. His enim verbis vtitur, *Et beneficentia ipſius Petri ſanitatem corporis redeuntem integerrime ſenſi.* XIV. Abſurdius eſt etiam quod ſubiicitur, Conſtantinum, qui 5 liberos habebat, *tamen de ſententia omnium Satraparum ſuorum* (quod verbum in legib. & monumẽtis Impp Romanorum plane nouum, inſolens, atq; inuſitatum eſt) & *vniuerſi Senatus & optimatum, & cuncti populi, qui Romano imperio ſubiacebat, dimidiam imperii ſui partem pauperculo ſacerdoti donaſſe*: cum inter omnes cõſtet, Senatum Rom. non illo tantum tempore, verumetiam vſq; ad Valentiniani imperium Gentiles ſuas ſuperſtitiones retinuiſſe: quod vel ex Symmachi Epiſtola intelligitur, ad Impp. Valẽtin. Theodoſ. & Arcadium ſcripta, *li. 10. Epiſt. 54.* vbi Senatus Romani nomine, ab illis petit, vt ſuperſtitio & idolorum cultus in vrbe Roma reſtituatur: cui B. Ambroſius *duabus Epiſt.* ad eundem Imp Valentinianum ſcriptis. Aurelius autem prudentius & piis elegantiſſimis verſibus reſpondet. XV. æque abſurdum eſt, & Chriſtiano Epiſcopo plane indignum, quod ſubiicitur, Conſtantinum non tãtum parem Imperiali ſuæ poteſtatem Syluestro Papæ tribuere, *verumetiam maiorem poteſtatis principatũ quam noſtra*, inquit, *Serenitas regia ab omnibus habere dignoſcitur.* & mox: *Tradentes ipſi poteſtatẽ & gloriã dignitatem, vigorem & efficaciam, & honorificentiam Imperialem.* Qua de re ac Paparum ambitione operæpretium eſt Bernardi Abbatis Clareuallenſis iudicium audire, ſcriptũ Eugenio Papæ lib. de conſider. 2. *Diſce*, inquit, *exemplo Prophetarum, præſidere non tam ad imperitandum, quam ad factitandum quod tempus requirit. Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, vt opus facias Prophetæ. Item, eſto, vt alia quacũq; ratione hæc tibi vindices, ſed non Apoſtolico iure. Nec tibi Petrus dare potuit quod non habuit, quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem ſuper Eccleſias. Nũquid dominationem? audi ipſum. Non dominantes*, inquit, *in clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Euangelio: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu: & tibi vſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatũ, plane ab vtroq; prohiberis: ſi vtrunq; ſimul habere voles, perdes vtrunq;.* XVI. Nihilo tolerabilius eſt quod ſubiicit, ſe Papæ Romano tribuere Principatum ſuper 4. præcipuas ſedes, Antiochiæ, Alexandriæ, Conſtantinopolis, & Hierſolymorum. In quo non modo manifeſta, verumetiam ridicula falſitas deprehenditur. Primum, quia ne Conſtantinopolis quidem adhuc vlla extabat: quippe, quæ anno demum Imperii Conſtantini decimo ædificari cœpta eſt, vt teſtatur Nicephorus lib 8 c. 4. & ciues plerique omnes idolorum cultui per id tempus erant dediti. Tantum abeſt, vt vlla ibi vel Eccleſia, vel Eccleſiarum metropolis, aut prærogatiua fuerit. XVII. Minus etiam ferri poteſt, quod ſubiicitur, Papam Romanum conſtitui ſuper omnes in vniuerſo terrarum orbe Eccleſias. Mitto enim, quod alio loco demonſtrauimus, veriſſimam & certiſſimam hanc eſſe Antichriſti notam, cum ſibi quis Principatum in omnes Eccleſias arrogat. Sed inſignis hoc loco Paparum amentia perſpicitur, quam etiam alio loco perſtrinximus, cum ex hoc inſtrumento contendant ſe Principatum illum ex Conſtantini beneficio habuiſſe, quem tamen aliis locis innumeris gloriantur ſe immediate ab ipſo Chriſto accepiſſe. Nam, vt inter omnes conſtat, quod ſuum cuiuſque eſt, id pluribus ex cauſſis eius eſſe non poteſt, quandoquidẽ Dominium non ex pluribus cauſſis, ſed vna tantum contingit. *l. 3. § ex pluribus, D. de acq poſſ.*

XVIII.

XVIII. Ridiculum autem illud est, quod Constantinum inducunt hæc de se prædicantem, *In ædificando Romano templo duodecim se terræ cophinos suis propriis humeris extulisse, æquales*, inquit, *numero XII. Apostolis*. Nam cum toties vni Petro plus honoris tribuat, quam coniunctim reliquis XI. omnibus, nunquid proportionis ratio postulabat, vt pluresin illius vnius honorem terræ cophinos exportaret, quam in omnium reliquorum? XIX. Neque vero minus ridiculum est, quod subiungit, *se pro continuatione luminariorum, quæ in illo templo ardebant, non modo possessiones & agros contulisse, verumetiam in Oriente, Occidente, Septentrionali & Meridionali climate, in Iudæa videlicet, Asia, Thracia, Græcia, Africa, Italia & in diuersis insulis suam illis libertatem, id est, ius ac potestatem concessisse: vt per manus B. patris Syluestri, & omnium eius successorum disponantur*. Hæc Papa totidem verbis & syllabis. Ex quibus intelligi potest, mirificam fuisse cereorum ac luminarium illorum caritatem: quibus tuendis cum vniuersi terrarum orbis, tum speciatim quatuor ipsius partium vectigalia & annuos prouentus attribui oportuit. Neque vero id solum: sed quia Quæstorum fides interdum in hoc genere suspecta est, Constantinus statuisse mortuo, vt illorum prouentuum administratio ac dispensatio ipsis Papis committatur. Vt non facile diiudicari posse videatur, vtrum maior Paparum impudentia fuerit, conantium nobis istas aniles fabulas tradere, an eorum hominum stupiditas, si qui vnquam adeo stolidæ atq; anili fabulæ fidem habuerunt. XX. Æque porro ridiculum atque fabulosum est, quod sequitur, de 10. muneribus, quibus Papa se à Constantino donatum scribit. 1. palatio Lateranensi. 2. diademate aureo 3. mitra 4. collari Imperatorio 5 purpurea chlamyde 6. coccinea tunica. 7. indumentis imperatoris 8. Pompa præcedentium equitum. 9. Imperiali sceptro. 10. cunctis signis, bannis & vexillis. Fuerit ergo Petrus Apostolus olim squalidus, ubsoletus, sordida penula, piscatoris modo, amictus: nunc vicarius ipsius auratis vestibus, ornatu ac vestitu Regio insignis, equitum peditumque comitatu cinctus, agmine quadrato, pompa & apparatu magnifico, triumphans per orbem terrarum vagabitur. Quanto vicarii Principis Apostolorum, quam ipsius Principis melior conditio est? O summe Deus, quanta tua est clementia, mansuetudo, patientia, qui tandiu propudium, ac prostibulum istud tam impune Christo tuo illudere pateris? O miseri Reges ac Principes, qui tandiu spurca, & fœda meretricis istius menstrua lambitis! O bone Iesu, quantum inter tuam illam speciem ac figuram, atque inter istius tetri, crudelisque tyranni fastum, ac superbiam interfuit! *Nulla fuit*, inquit Esaias, *in Christo forma, nullus decor. Vbi eum aspeximus, oculos aspectumq; nostrum auertimus. Abiectus, & ab hominibus contemptus, doloribus confectus, continentibus morbis affectus, abscondens vultum à nobis. Adeo despectus, vt pro nihilo habeatur.* Et quisquam mirabitur Papã gloriari esse ausum, se à Constantino Deum esse appellatum? Nam in hac dist. 96. c. satis, ita scribit: *Satis ostẽditur, à seculari potestate nec ligari prorsus, nec solui posse Põtificem, quẽ constat à pio Principe Constãtino Deum appellatum, cum nec Deum posse ab hominibus iudicari manifestum sit.* Sed operæpretium est Doctoris Bernardi de hoc toto pomparum genere iudicium audire, qui lib. de considerat. 4. ad Papam Eugenium his scribit verbis: *Petrus nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis: non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepẽtibus septus ministris. Absq; his & credidit satis posse impleri salutare mandatum: Si amas me pasce oues meas.* Item alio loco: *Cõsideres ante omnia S. Ecclesiam Rom. cui Deo auctore præes, Ecclesiarum matrem esse, non dominam: te vero non dominum Episcoporum, sed vnum ex ipsis.* Hæc Bernardus, verum quid de subsequente clausula dicemus, vbi Constantinus post illam Regiam Papæ Syluestri inuestituram subiungit, se frænum æqui Papalis manu tenuisse: *pro reuerentia B. Petri, & stratoris ei officium exhibuisse?* Væ, væ meretrici veneficę, cuius obscœna menstrua tanti Principes tandiu liguriunt. Nam hunc eundem honorem sibi Papa Stephanus II. à Pipino Rege proxime Lutetiam Parisiorum tribui passus est. Eundem sibi Alexander Ternus ab Imperatore Friderico haberi voluit. vt non immerito B. Hieronymus in *prolog. de Spiritu Sancto* nominatim Romam appellet *Babylonem, & purpuratam illam Meretricem, quæ in Apocalypsi describitur.* Sed hoc de genere toto iterum supradicti Bernardi iudicium audiamus, qui in Cant. cãt. serm. 33. his scribis verbis: *Honorati incedunt de bonis domini, cui domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, histrionicus habitus, Regius apparatus, inde aurum in frænis, sellis & calcaribus, & plus calcaria quam altaria fulgent. Inde splendida mensa, & cibi, & scyphi. Inde comessationes & ebrietates. Inde cythara & lyra & tibia. Inde redundantia torcularia, & prõptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria. Inde referta marsupia. Proh! huiusmodi volunt esse & sunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidecani, Episcopi, Archiepisc. Nec enim hæc cedunt negotio illi quod perambulat in tenebris:* & mox, Ipse enim est Antichristus. Ecquid vnquam vel Lutherus, vel alii consimiles Papatus insectatores planius aut vehementius ad Papam Romanum antichristianismi crimine accusandum protulerũt? Sed pergamus porro. XXI. Neq; enim satis hoc purpuratæ meretrici visum est. nam in sequenti versu Cõstantinũ ita loquentem facit: *Clericis Ecclesiæ Rom. seruientibus eandem gloriam & potentiam & præexcellentiam tribuimus quã amplissimus Senatus noster habet: & sicut imperialẽ exercitum, sic & clerũ Ecclesiæ Rom. adornari decernimus.* Hac igitur libertate freti Cardinales, & cæteri clerici, deinceps loricis, galeis, scutis, gladiis, aliisq; telis instructi ac parati vel ad pdicandũ Euãgelium, vel ad missificationes obeũdas accedẽt. Tantũne, imo, inqt, *quẽadmodum imperialis potẽtia diuersis officiis cubiculariorũ, hostiariorũ & excubitorũ decoratur, ita & S. Ecclesiam Rom. decorari volumus, & vt candidissimo colore decoratos equos equitẽt, & sicut Senatus noster calciamentis vtitur cum vlonib. ita candidissimo linteamine illustrentur.* Ecqs est ex tanto Senatorum Galliæ Regis numero, qui cũ humilitatẽ, & modestiã Christi & ipsius Apostolorũ recordatur, non istum Paparum fastum, ac superbiã precibus omnib. detestetur? XXII. Quin etiã illud

subiungit, vt si Papa velit aliquem è Constantini Senatoribus in Clericorum ordinem asciscere, ne per superbiam illum honorem recusent. Quæ, malum, tyrannica ista barbaries est, vt alicui collegio Clericorum liceat vnum aliquem è Senatorum ordine arbitrio suo deligere, quem etiam inuitum, Clericum aut Monachum fieri compellant? XXIII. Pergit porro: atque vt Iurisconsulti meminerint, geminatæ orationis vim esse maiorem, iterum pronuntiat, se, & suum palatium & vrbem Romam, & totius Italiæ & Occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, Papis omnibus Romanis vsque ad mundi finem donare. Quinetiam cessionis & traditionis formulam adiungit, vt sese deinceps, relicto in Papæ possessione Occidentis imperio, ad Orientales regiones transferat, & in prouincia Bizantia sedem imperii sui constituat, addita insuper causa valde idonea, *quoniam*, inquit, *iniquum est, regem terrenum in ea regione potestatem habere, vbi Christianæ religionis caput & Sacerdotum Principatus à cœlesti rege constitutus est*. Præclare se huiusce sententiæ initium dedit. Nam Constantini ætate, hoc est ducentis ante Iustinianum annis, ad donationem perficiendam traditione vacuæ possessionis opus erat, sed alia multa sunt quæ conturbent. Primum quod si Constantinus vacuam illius regionis possessionem Syluestro tradidit, non potuit eandem postea in suo testamento filio Constantio relinquere: cum alienatio rei alicuius inter viuos facta, nullum de ea testamenti factioni locum relinquat, *leg.6.Cod.de test.l.sequens.52.D.de leg.*a Sin autem donatio post illam inter filios partitionem facta est perspicue fuit lusoria: quia patris partitio inter liberos, testamenti, ac proinde vltimæ voluntatis vim obtinet *leg.pen.& vlt.C.fam.ercisc.* cum similibus. Secundo, qua pietate potuit Constantinus, qui tres filios & duas filias habebat, tantam suis liberis iniuriam facere, vt illos dimidia hæreditatis suæ parte priuaret, eamque in extraneum aliquem, præsertim homunculum abiectum & vilem transferret? Nam scitum est illud Augustini: *Quicunque vult exheredato filio Ecclesiam hæredem facere, quærat alterum, qui suscipiat, quam Augustinum.* 17.q.vlt.c.vlt. vbi ei laudatur eius Episcopi factum, qui testatori cuidam, à quo liberos non habente bona sua Ecclesiæ relicta fuerant, postquam liberos præter spem & opinionem susceperat; omnia restituerat, quod idem traditur 13.*q.2.c.si quis irascitur*. Sed nihil æque ridiculũ est, ac illa, quã Pseudoconstantinus subiicit, consiliũ sui ratio: *iniquum esse, qua in ciuitate Summus Sacerdos præsidet, in eadem ciuitate Imperatorem Imperii sui sedem collocare.* Væ tuo capiti, carnifex sacerrime. Nam quid de Solomone, de Aza, de Iosia, & aliis piis Regibus Israelitis dicemus, qui sui domicilii ac regni sedem Hierosolymis collocarunt? Quid de Theodosio, qui Mediolani? Sed ne longius exempla petantur, quid de Constantio Cõstantini filio, qui ex patris testamento Romæ nõ tantum summum Imperium & iurisdictionem exercuit, verumetiam Papam Liberium propter susceptum Anastasii Episcopi cuiusdam Magi ac sacrilegi patrocinium, & Papatu suo exauctorauit, & vrbe Roma exterminauit? quemadmodum Theodoricus, Sozomenus & Amm. Marcellin. *libr.15.* scriptum reliquerunt. XXIV. Sed iam ad institutum reuertamur. Nam ad extremum, sanctio subiicitur horribilis; *Si quis*, inquiens, *ex nostris successoribus temerator aut cõtemptor extiterit, æterna damnationi subiaceat innodatus, & in inferno inferiore concrematus cum Diabolo & omnibus impiis deficiat.* At ista execratione primus se ipse Constantinus induit: qui, vt modo dicebamus, in suo testamento imperium Occidentis filio suo natu maximo attribuit: eadem deniq; execratione, quicunque vel Occidentem, vel Occidentis partem aliquam vel Regio, vel Ducali, vel quouis alio nomine pro suo possedit, obligatus fuit. Neque ista ratione quisquam antehac vel Galliæ, vel Hispaniæ Rex fuit, qui non in inferno inferiore vna cum Diabolo & impiis omnibus concremetur. XXV. Iam vero ecquis tam imperitus linguæ Latinæ reperietur, qui non videat, genus dicendi, quo illius instrumenti scriptor est vsus, longissime ab illius seculi consuetudine abhorrere? quam reprehensionis partem Platina in illo Syluestro non prætermisit, sed susius persecutus est vir acerrimo in hoc genere iudicio Laurent. Valla. cui vnum hoc subiungemus: si quis genus dicendi consideret, quo Constantini leges in Theodosiano & Iustinianico Codice scriptæ sunt, eum nullo negotio animaduersurum, instrumentum hoc ex illa officina prodiisse, quã superius ex *Franciscanicis Conformitatibus, aut Dominici vita* demonstrauimus. Neque vero silentio prætereunda est altera Papæ cuiusdam recentioris (Leonis, vt videtur, decimi) calliditas plane veteratoria, qui, vt vitium istud orationis ac styli quasi fuco aliquo tegeret, falsitatem falsitate cumulauit. Græculum.n. quẽdam, Bartholomæi Picerni nomine subornauit, post vero Aug. Stenchũ bibliothecarium suũ, qui diceret, se in bibliotheca Papæ nescio qua instrumentũ istud Græca lingua conscriptum repetisse, tum aliquanto cõmodius in Latinum sermonem conuertisse. Quod commentũ Gregorius XIII. nunc nuper in recenti editione Decreti Gratiani confirmauit, Atqui leges Constantini omnes in supradictis Codicibus Theodosiano, & Iustinianico, Latina lingua conscriptæ extant: quamuis & Constantinopoli, & Græca vrbe, & apud Græcos ederentur. Præterea Eusebius *li.de vita Const.3.* memoriæ prodidit, eũ in Synodo Nycæna Latine verba fecisse. Et *lib.2.* testatur se illius Epistolas & Decreta latine scripta in Græcum sermonem conuertisse: vt suspicari aliquis possit, aut Græce illum nunquam instrumenta istud scripsisse, aut, si & Græce & Latine scripsit, certe non isto Bœotico & stolido dicendi genere vsum esse. Sed iam de falsitate & impio Paparum de Constantini donatione commento satis videtur dictum: vt perspicuum omnibus esse possit, totum Papatum, qui hoc solo fundamento nitebatur, subruto fundamento stare diutius non posse.

CAPVT XII.

ALIVD FALSITATIS CRIMEN ANTIQVISSIMVM.

COMMODISSIMVM tamen videtur, alia quædam Papalium falsitatum ac periuriorum exempla proponere, ac potissimum ea, ex quibus intelligatur, Papam Romanum non modo contra Scripturæ sacræ, verum etiam contra veteris Ecclesiæ primitiuæ auctoritatem tyrannicum istum dominatum affectasse. Nam cum ambitio ac libido dominandi nonnullos tum Episcopos occupasset, Nycæna Synodus anno Christi CCCXXV. coacta est: in qua decretum fuit, vt in quaque *prouincia* siue *diœcesi* (vtroque enim vocabulo patres illi veteres vtebantur) pastor aliquis, ætate (vt credi par est) & doctrina præstans deligeretur, cui potestas permitteretur, cum vsus veniret, collegas aduocandi, atque ad eos de communium Ecclesiarum negotiis referendi. Hic per ea tempora modo *Patriarcha*, modo *Metropolitanus*, modo *Archiepiscopus* promiscue dicebatur: ita tamen, vt neque minores Episcopi sine huius, neque hic sine illorum consensu atque auctoritate grauius quicquam administraret. Verba Synodi cap. 6. hæc fuerunt: *Antiqua consuetudo valeat, quæ in Ægypto, Lybia, & Pentapoli fuit, vt Alexandrinus Episcopus super his omnibus auctoritatem habeat, quoniam & Romano Episcopo hæc eadem cõsuetudo est. Similiter autem & apud Antiochiam, & in cæteris prouinciis priuilegia conseruentur. Illud autem planum est, quod si quis sine cõsensu Metropolitani fiat Episcopus, hunc magna Synodus statuit Episcopum esse non oportere.* Rufinus autem lib. 10. Eccles. histor. Decretum illud sic interpretatur, *Apud Alexandriam, & in vrbe Roma hæc consuetudo seruetur, vt & ille Ægypti, & hic suburbicarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.* Ex quibus intelligitur, fines Episcopatus Romani suburbicarum tãtum Ecclesiarum terminis à Nycæna Synodo circumscriptos fuisse: tantum abest, vt ei vel Principatus, vel auctoritas in omnes orbis totius Ecclesias ab Imperatore Cõstantino tributũ fuerit. Audiamus nunc quid anno post sexto & quinquagesimo in Synodo Constantinopolitana prima eadem de re constitutum fuerit? hoc est anno Christi CCCXXI. Nam c. 2. scriptum ita est: *Episcopi, quibus sua diœcesis attributa est, ne in Ecclesias, quæ extra fines suos sunt, se inserant: neue Ecclesias confundant, sed secundum canones, Alexandriæ quidem Episcopus ea tantum, quæ in Ægypto sunt, gubernet. Orientis vero Episcopi solum Orientem administrent. Conseruetur q; sua Ecclesiæ Antiochenæ dignitas, quæ in Nycena Synodo declarata est. Et Episcopi Asiæ diœcesis sua præfectura, ea tantum, quæ in Asia sunt, gubernent: qui in Ponto sunt, quæ in Ponto tantum. Thraciæ vero ea tantum quæ sunt in Thracia. Episcopi autem nisi aduocati, ne in alienam diœcesim & præfecturam se inserant, siue ad suffragia, siue ad alias vllas administrationes Ecclesiasticas: quod si prædictus canon super præfecturis & diœcesibus conseruetur, perspicuum est, quod cuiusq; prouinciæ negotia vnaquæq; Synodus prouincialis gubernabit, quemadmodum à Synodo Nycæna constitutum est.* Quinetiam Socrates li. hist. Eccl. 5. his eandẽ rẽ confirmat verbis. *Rursus fidem à Nycæna Synodo traditam confirmarunt, & Patriarchas descriptis prouinciis constituerunt: vt Episcopi certæ diœcesi præpositi in alienas Ecclesias ne inuaderent.* Ex mox. *Conseruantes tamen primum honoris & dignitatis gradum Antiochensium Ecclesiæ, quem ei qui tunc aderat Miletio dederunt. Statuerũt autem, vt quoties res postularet, de cuiusq; Prouinciæ negotiis cuiusq; prouinciæ Synodus constitueret.* Hæc Socrates. Atque illam ipsam Ecclesiarum descriptionem videre licet ab Imperatore Gratiano, Valentiniano & Theodosiano traditam, & constitutam in *l. 3. C. Theo de fide Cathol.* Eat nunc Romanus Episcopus, & sibi Principatum in omnes vniuersi orbis Ecclesias, & nominatim in sedem Antiochenam, Hierosolymitanam, Alexandinam & Constantinopolitanam ab Imp. Constantino tributam fuisse glorietur. Nam hunc Ecclesiæ primitiuæ statum, & cõditionem vsq; ad annum Christi CCCXXCI. fuisse demonstrauimus. Quinetiam eiusdem Synodi c. 5 ita scriptum est: *Cõstantinopolitanus Episcopus habeat primatum honoris post Romanum Episcopum, quia ipsa est noua Roma.* quod etiam relatum est *dist. 22. c. Constantinop.* Vbi nuper Canonista Gregorius XIII. annotauit, canonem illum à Romana sede receptum non fuisse. Nec mirum: cum eo canone Papatus manifestæ falsitatis conuictus esset. Audiamus etiam Ioan. Chrysost. hac de re iudicium, qui circiter annum Christi CCC. floruit, & primatũ illum Antiochenæ Ecclesiæ perspicue vindicat his verbis. hom. 3. ad populũ Antiochen. *Ciuitatum omnium Antiochena nostra Christo est optatissima: & sicut Petrus inter Apostolos primus Christum prædicauit, sic inter ciuitates (sicut iam prædixi) hæc prima tanquam coronam quandam admirabilem Christianorum tenet appellationem.* Item Humil. 16. *Quæ vero est ciuitatis nostræ dignitas? contigit primum Antiochiæ discipulos appellari Christianos: hoc autem ciuitatum quæ sunt in mundo ciuitas habet nulla, neq; ipsa Romuli ciuitas: propterea contra oẽm terrarum orbẽ Antiochia oculos erigere potest.* Atq; hæc quidem (vt dixi) temporum illorum conditio fuit, cum Papa Romanus ab illa tyrannide, quam postea in Ecclesia occupauit, lõge longeq; abesset. Nunc, quid posterius obseruatum fuerit, consideremus. Nam in Synodo Ephesina, quæ quinquaginta post annis, hoc est anno Christi CCCCXXXI. habita est, cap. postremo ita scriptum est, *Visum est Sanctæ & vniuersali Synodo, seruando vnicuiq; prouinciæ pura & integra iura, quæ ad ipsam pridem & ab initio pertinent, secundum morem, qui iam pridem obtinuit, &c.* Vbi est ille summus super vniuersi mundi Ecclesias tributus Papæ Rom. ab Imperatore Constantino Principatus? Audiamus insequentem vniuersalem Synodum XX. post annis, hoc est anno Christi CCCCLI. Chalcedone congregatam. Nam cum Episcopus Cõstantinopolitanus propter Orientalis Imperii sedem, in vrbe sua collocatam, pari eodemque ambitionis morbo, quo noster Romanus laboraret, artibus ac technis suis perfecit, vt ea Metropolis, quæ tantam dignitatem haberet, ius quoddam præter cæteras obtineret: atq; vt ipse Asiæ, Ponti, & Thraciæ Metropolitas solus constitueret: vnde accidebat vt Ecclesiæ Antiochenæ auctoritas tantopere à Chrysostomo celebrata, & Nycena primum, tum deinde Constantinopolitana Synodo

consti-

constituta funditus euerteretur. Simul his artibus effectum est, vt quatuor viri regundo terrarum orbi crearentur, qui Metropolitas suæ perfecturæ subiectos haberent. Nam Alexandrino Africa, Oridens Romano, Constantinopolitano vero pars illa Europæ & Asiæ prope tota tributa est, præter perpaucas Ecclesias, quæ Hierosolymitano propter antiquitatem & auctoritatem vrbis, quasi dicis causa, relictæ sunt. Itaque cum olim Archiepiscopi, Patriarchæ, & Metropolitæ iidem essent, totidemque nominibus promiscue appellarentur, deinceps Archiepiscopi (qui Patriarchæ quoque dicti sunt) quatuor tantum facti sunt, qui Metropolitanis, vt diximus præessent. Nam cap. illius Synodi 28. scriptum ita est: *Vbique leges sanctorum patrum nostrorum sequentes, eadem & nos definimus, ac statuimus de dignitate atque præstantia huius sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis, nouæ Romæ. Etenim sedi antiquioris Romæ, quia tum ciuitas illa regnabat, patres nostri merito primum honoris gradum tribuerunt. Atque eadem consideratione moti CL. Deo amantissimi Episcopi parem honoris gradum tribuerunt nouæ Romæ* (notentur hæc verba) *sedi sanctissimæ: merito decernentes, vt ea ciuitas, quæ tantum honorem adepta est, vt & sedes esset imperii, & Senatum haberet, & parem dignitatis gradum obtineret, atque antiqua sedes imperii Romani obtinet: etiam in Ecclesiasticis negotiis parem atque illa honorem & dignitatem obtineat, cum post illam secunda sit.* Vbi tum ille Romani Papæ Principatus ac dominatus summus latebat, quem Imperator Constantinus ei super omnes Ecclesias tribuisse dicitur. Audiamus verba secundæ Synodi Constantinopolitanæ ex cap. 36. *Renouantes quæ à CL. Patribus qui in hac à Deo seruata & regia vrbe conuentum egerunt, & sexcentorum triginta, qui Chalcedone congregati fuerunt, instituta sunt, definimus, vt Constantinopolis sedes parem habeat dignitatem sedi antiquioris Romæ, & in Ecclesiasticis negotiis æque atque illa magnificetur,* (Notentur hæc verba) *tum sit post ipsam secunda: post eam autem Alexandrina magna vrbis, & post hanc Hierosolymitanum Episcopus succedat.* Sed postea sensim Archiepiscoporum numerus Imperatorum arbitrio adauctus est. Nam Imperator Iustinianus vrbi suæ patriæ honorem illum tribuit Nouel. x I. vbi sic scribit: *Multis & variis modis patriam nostram augere cupientes, in qua Deus præstitit nobis ad hunc mundum venire iubemus, vt eius sacrosanctus antistes non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat, & certa prouinciæ sub eius sint auctoritate: id est, Dacia mediterranea, Dacia Ripensis, Mysia secunda, & Dardania, & Praualitana, &c.* Item ad extremum: *Archiepiscopum eius à venerabili concilio Metropolitanorũ ordinari sancimus.* Fuerunt & aliæ eodẽ nomine vrbes Iustinianæ dictæ, in Africa Iustiniana Carthaginensis, quam idem Imperator Romano imperio adiunxerat, in Cypro insula, Iustiniana Theodoræ vxoris einsdem patria, quibus parem iuris, honoris, & dignitatis prærogatiuam Iustinianus tribuit. Ex his igitur multiplex Paparum Romanorum impudentia perspicitur: primũ in eo, quod quatuor tantum Patriarchas siue Archiepiscopales sedes per ea tempora numerantur: tũ in eo, quod suam sedem illis quatuor sedibus superiorem faciunt, & sibi in illas principatum ac iurisdictionem arrogant: deinde, quod illorum Patriarcharum ius ac potestatem sibi asciscunt, cum euidentissime appareat, Imperatorum illam auctoritatem ac potestatem fuisse: quæ omnia quo planius ac dilucidius cognoscantur, vnico insuper einsdem Iustiniani testimonio contenti erimus: cuius in Nouel. 230. verba hæc sunt, Latine à Iuliano antecessore conuersa. *Iubemus igitur beatissimos quidem Patriarchas, id est, Papam Romanum & Constantinopolitanum & Alexandrinum & Theopolitanum, i. Antiochenum, & Hierosolymitanum, siquidem consuetudo est, &c.* Et mox: *Metropolitanos autem, qui à consilio suo vel beatissimis Patriarchis, vel à Metropolitanis consecrantur, &c.* Item Nouel. 131. *Papa Romanus,* inquit, *prior omnibus Episcopis & Patriarchis sedeat: & post illum Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopus: Archiepiscopus primæ Iustinianæ habeat sibi subiectos Episcopos Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, item Praualeuæ, & Dardaniæ, & Mysiæ superioris, & Pannoniæ: sed & ille ab ipsis consecretur, & eadem iura super eos habeat, quæ Papa Romanus habet super Episcopos sibi suppositos.* Perspicuum est igitur, primis Christianæ libertatis temporibus quatuor tantũ Patriarchas fuisse, pari omnes honore, dignitate, iurisdictione, auctoritate, gradu: nisi quod in Synodis vniuersalib. Rom. propter veterẽ veteris Romæ dignitatẽ, primus considebat: deinde Patriarcharum numerum auctum fuisse, non à Papa Romano, sed ab Imperatore Romano: vt essent 5. tum 6. tum 7. tum ad extremum 8. tot enim sub Iustiniano numerauimus. Ex quibus simul animaduerti volumus, insignem Romani Papæ in illo Synodi Constantinopol. c. 36. corrumpendo fraudem atq; impudẽtiam. Nam apud Grat. dist. 22. c. renouantes, verba Synodi Græca ita vertetunt. *Renouantes S. Constantinopol. Decreta concilii petimus* (imo definimus, ὁρίζομεν) *vt Constãtinopolitana sedes similia priuilegia quæ superior Roma habet, accipiat. Non tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur vt illa: sed hæc secunda post illam existens, priusquam Alexandrina sedes numeretur, deinde Antiochena, & post eam Hierosolymitana.* De qua falsitate ne cui dubium esse possit, Græca ipsa verba proferemus: ὁρίζομεν ὥστε τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον τῶν ἴσων ἀπολαβεῖν πρεσβείων τῷ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνῳ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι πράγμασι. Veruntamen, dixerit fortasse quispiam, mendum istud nuper in editione Greg. XIII. sublatum est, & pro *Non tamen*, repositum, *Necnon*, Præclare. Nam ista ratione primum fateri Papa cogitur, apertissimæ se falsitatis conuictum esse: eaq; falsitate & corruptela per annos amplius c c c. ad fallendam Christianam Ecclesiam improbe ac veteratorie vsum esse. Præterea nunquam illam falsitatem correctam fuisse, nisi à nostris iam pridem falso accusatus & conuictus fuisset. Sed quid respondebit vel Greg. XIII. vel Sixtus noster de iterata, & renouata hac eadem falsitate in *c. antiq. extra de priuil.* vbi turpior etiam impostura commissa est his verbis. *Antiqua Patriarchalium sedium priuilegia renouantes sancimus, vt post Rom. Ecclesiam* (*quæ disponente domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum fidelium & magistra*) *Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat: seruata cuilibet propria dignitate: ita quod postquã antiste-*

tes eo-

ecorum à Romano Pontifice receperint pallium (quod est plenitudinis officii Pontificalis insigne) prestito sibi fidelitatis & obedientie iuramento licenter, &c. Ecquis est vel tam ferreo pectore, vel tam vecordi mente, quem ista tanta Paparum incorrumpendis Ecclesiæ Christianæ monimẽtis impudentia non moueat? Neque vero consimilis altera impudentia silentio prætereunda est, ex *c. placuit. 2. quæst. 6.* Nam cum in Synodo Carthaginensi sextâ, cui B. Augustinus interfuit, cap. 105. Decretum aduersus Papam R. fuisset, ne ad ipsius sedem ex transmarinis Ecclesiis prouocaretur: si quis prouocare auderet, anathema esset: tamen idem Papa in illo c. placuit, post hæc verba: *Ad transmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communione recipiatur:* impudenter hanc exceptionem subiunxit, *Nisi forte Rom. sedem appellauerit:* vbi nuper Greg. XIII. perfidiosæ falsitatis atque imposturæ manifesto conuictus, hanc excusationem adiecit, *Hæc in antiquis Codicib. scribuntur tanquam Gratiani verba.* Præclare rursus. Nam hoc modo intoleranda Paparũ R. impudentia perspicitur, qui non modo Decretum data opera contra ipsorum ambitionem scriptum illa exceptionẽ corruperunt, verumẽt per annos amplius 300. vsq; dum à nostris illa falsitas atq; impostura patefacta est, illo mendacio Christianam Eccl. circumuenerunt. Et quoniam Gallis nostris hæc potissimũ à nobis opera nauatur, nõ alienũ erit ex D. Bernardo, quid aliquãdo Lutetiæ Par. ex hac Romanarũ appellationum ambitione acciderit, verbis ipsius exponere: ex li. de consid. 3. *Parisiis, inquit, contigit hoc nobili Galliarum ciuitate, sede regia. Quidam sibi publice desponsauerat vxorem: adest dies celebris nuptiarum, parata omnia, inuitati multi: & ecce homo concupiscens vxorem proximi sui, in vocẽ appellationis inopinata prorumpit, affirmans sibi traditam prius, suam potius esse debere. Stupet sponsus, hærent aures, sacerdos non audet progredi, frustratur omnis apparatus ille, descendit quisq; in domum suam, suã cœnam manducaturus; Sponsa à mensa & thalamo sponsi suspenditur, quousq; Roma reditũ est. Rursus in eadem Paris. ciuitate quidã sibi desponsata vxore diem cõstituit nuptiarum: interim emergit calumnia, dicentibus quibusdã, non debere coniungi: ad iudicium Eccl. causa delata est. Sed non expectata sententia, appellatũ est. At ille nihilominus, quod proposuerat, contempta, siue dissimulata appellatione peregit.* Age posterioris temporis rõnem consideremus. Nam anno 485. Carthagin. synodus, eaq; vniuersalis habita est, ad quam Episc. Ro. tres legatos, Faustinum, Philippum, & Asellum, cum his mandatis misit, vt ius suæ sedi à synodo Nycena tributum, nimirum vt ab omnib. metropolitanis ad illum appellaretur, sibi conseruaretur. Tũ repẽte scriba, nomine Daniel, iussꝰ est de scripto mãdata illa recitare: ac simul caput illud synodi Nycenę, quod Papa R. illis pro causæ suæ instrumento adiunxerat. Recitatum est *5. c.* integrum *synodi Sardi. inser.* quod Episc. Rom. fraudulẽter ac malitiose pro Nicena synodo supposuerat. Oẽs qui tũ aderãt Episcopi & Archiep. negarunt id se vnq̃ in synodo Nicæna legisse. Itaq; placuit vt exemplar Nicænæ synodi, quod tum erat in manib. recitaretur. Verbum de appellatione nullum. Decretũ fit, vt certi homines Constantinop. Alexand. Romam deniq; mitterentur, qui alia exemplaria Nicænæ synodi asportarent, sed maxime Constantinopolim: vbi authoritas ipsa siue ἀρχέτυπος Nicænæ synodi asseruabatur. Anno vertente allata sunt. Recitata. Nulla de isto Episc. Rom. priuilegio se præcipuo iure suspicio. Scribitur Epistola de communi patrum sententia R. Episcopo. Nusq̃ illud in Nycena synodo repertum: imo ex contrario, in illa ipsa synodo Decretum, vt ipse suis se finibus, item vt alii Papæ & Metropolitani, contineret. Quare si saperet, deinceps sua diœcesi & præfectura contẽtus esset, neq; in alienã possessionẽ inuaderet: huic sentẽtiæ subscripserunt 230. patres: in iis, illi ipsi quos antea nominauimꝰ Faustin. Episc. Potent. Ecclesiæ, legatus Episc. R. Philippus Presbyter & legatus Episcopi R. Asellus presbyter & eiusdem Episcopi legatus. Quinetiam illius Nycenorum patrum decreti quatuor hasce causas synodus ascripsit, quas non alienum est exponere. *Prudentissime, inquiunt, iustissimeq; Nicæni patres prouiderunt, quæcunq; negotia in suis locis, vbi orta essent, finienda: nec vnicuiq; prouinciæ gratiam spiritus Sancti defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissime teneatur: maxime, quia vnicuiq; concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ prouinciæ vel etiam vniuersale prouocare, nisi forte quisquam est, qui credat, Deum vni alicui cognitionis & examinis inspirare iustitiam, innumerabilibus autem in synodo congregatis Sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexum, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis interuenientibus impedimentis adduci non poterunt?* Delegatis autẽ illis tribus, Faustino præsertim, graues querimoniæ in iisdem literis perscriptæ sunt, quod conuentui magnas molestias exhibuissent, cum simularent se Rom. Ecclesiæ priuilegia defendere. Videmus igitur Rom. Papæ iam tum per illud tempus patefactam improbitatem, perfidiam, falsitatem, impudentiam, atq; aperte ab vniuersali synodo conuictam & condemnatam. Ecquid illum sublatis omnibus ex Africa & Asia suis vel æmulis vel certe riualibus se. . . arbitramur, vt potentiam iam tum illis temporibus affectatam in Occidente suo constabiliret? Atq; hæc quidẽ hactenus de prima Nullitatis causa, & iudicis incompetentia dicta sunt: quæ tamen quo magis apud clarissimos Parlamentorum regiorum senatores, & alios iurisperitos testata esse possint, auctoritate Doctorum confirmabimus. Ac primum illa peruulgata Canonistarum sententia, Papam etiam in solo hæresis crimine non esse idoneum iudicem, sed ab aliis iudicari oportere. *c. si Papa, dist. 40.* Et eo casu Philippus Decius fortiter contendit, concilium auctoritate Papæ non esse congregandum, in *c. cum venissent, n. 37. extra de iud.* Idem Panor. & Decius in *c. significasti, n. 4. & n. 9. de elect.* Sed omnium eruditissime & doctissime Lud. Rom. in *consil. vlt. nu. 15. & seqq.* vbi ex ipsius Decreti auctoritate contendit, eum qui rebelliter viuit, & discere atq; agere bona recusat, magis esse membrum Diaboli, quam Christi: & potius infidelem, quam fidelem monstrari. *Gratian. d. 38.* Idem Iason in *consil. 93. repositum, vol. 4.* Decius *consil. . . .*

CAPVT

CAPVT XIII.

SECVNDA NVLLITAS EX FALSITATE ALLEGATIONIS.

SECVNDAM igitur nullitatis causam in allegationis falsitate consistere dicimus: hoc est in allegata falsa causa, quam Papa in concipienda sentētia secutus est. Nota enim regula iuris est, vt sententia ex falsis causis, falsis allegationibus, falsis instrumentis, falsis testimoniis pronunciata, ipso iure, ac sine appellatione nulla sit: præsertim vbi sententia præcipuam causam ac fundamentum habuit allegationis falsitatem. *leg. 1 & pass. C. si ex fals. instr. l. si prætor. 7. D. de iudic. l. cum vero. 26. §. subuentum, de fideic. libert. l. Seia. 26. D. de tutor. & cur. dat. l. 1. §. hac verba, D. ne vis fiat ei. l. 1. C. si ex fal. alleg.* At Papa Sixtus idcirco Regem Nauarrum & Principem Condæum ab se proscriptos esse prædicat, quia sunt notorii (vt ipse loquitur) hæretici. Festiue. Nā hac ratione, si Principes illi notorii sunt hæretici, tum armis & bello persequēdi sunt: si non sunt hæretici notorii, tum proscriptio & execratio nullius momenti est. Videamus igitur quo nomine, & quanam allegatione supradicti Principes pro hæreticis damnentur. Neque enim tantum crimen vel infimo cuiquam Christiano, sine magna & graui causa imponendum est: nedum illis tantis Principibus, & tanti regis agnatis proximis. Imperatores Gratianus, Valent. Honor. statuerunt, *vt hæreticorū numero habeantur, qui vel leui argumento à iudicio catholicæ religionis ac tramite detecti fuerint deuiare.* l. 2. C. de hær. et & Manich. Quis illam definitionem probaret? Nam Augustinus eos *qui sententiam suam, quamuis falsam & peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam nō audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atq; in errorem prolapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam hæreticos deputat:* vt loquitur text. 24. *dist. 3. c. dixit.* Rursus Iohann. Auentin. libr. Annal. 3. scriptum reliquit Episcopum quendam Germanum, nomine Vergilium, Mathematicis artibus eruditum, in crimen hæresis idcirco vocatum fuisse, & Romam à Zacharia Pontifice accersitum, quod Antipodas esse affirmasset. Canonistæ decreuerunt eum hæreticum habendum esse, qui non omnibus ac singulis Papę Decretis obtemperaret. Gloss. *dist. 10. c. nulli & dist. 21.* Papa ipse decreuit, vt qui negat Imperat. Reges, Principes, humanam deniq; omnem creaturam temporali & materiali gladio Rom. Pontif. subesse, hæreticus habeatur: quoniam hoc credere est de necessitate salutis: hoc est, vnus est ex fidei articulis. *c. 1. eg. si extrau. de maior. & obed.* Anno Christi CXCVIII. Victor Papa Ro. Ecclesias Orientales idcirco hæreticas esse pronuntiauit, quod de festo die Paschatis non idem quod ipsius Ecclesia sentiebant. Qua de causa Irenæus Lugdunensis Episc. Papā illū vehemēter increpuit: auctore Euseb. *li. 5. 26. & Epi. 24.* Quid opus est multa? Hæreticus in Papatu definitur qui non credit iis omnibus, quæ in Ecclesia R. pro veris tradita sunt. *c. nulli, dist. 19.* At superius demonstratum est, Paparum auctoritate atq; imperio traditam hanc Ecclesiæ Christianæ doctrinam fuisse ad credendum, Dominicum plura edidisse miracula, quam Christum, & omnes ipsius Apostolos: eundem Dominicum multo præstantiorem fuisse Christo, & omnibus eiusdem Apostolis. Ioan. Baptistam, cui scriptura sacra elogium hoc tribuit, neminem vnquā mortalem in terris illo maiorem extitisse, multis partibus inferiorem illo impostore Dominico fuisse. Demonstratum est præterea, fabulam de stigmatibus Francisci Bernardonis à Papis approbatam fuisse, Ecclesiæq; Romanæ traditam ad credendū, & sub nota hæresis puniendum oppositū sapientē: his enim ipsis verbis Papæ in suis Bullis vtuntur, li. Conformat. fol. 234. col. 3. *Quare, inquit, hoc est firmissime, tanquam verum tenendum, & oppositum tenentem, vt hæreticum ab omnibus despiciendum.* Pari ratione Anton. Florent. hist. part. 3. c. 1. §. 3. sic scribit: *Ecclesia indubie approbauit & declarauit festum de hoc celebre instituēdo: quod Francisco orāti & transformato D. Iesu in modum Zeraphyn (sc. cum sex alis) crucifixus ei impressit in manibus & latere signa suæ passionis, in quibus sentiebat maximum dolorem.* Iudicēt nunc clarissimi & prudentissimi Regis Galliæ consiliarii satisne vera illa hæretici definitio sit, vt qui turpissima illa de Dominico & Bernardone cōmenta Ecclesiæ Romanæ auctoritate comprobata non crediderit, pro hæretico habeatur. & ab Ecclesiæ communione arceatur? Si non æquum hoc Papatus R. Decretum esse statuant, tum meminerint eius regulæ, qua traditur, leues & temerarios accusatores, non modo calumniæ damnatos, infamia notari, verumetiam talionis pœna damnari. *l. vlt. C. de accus.* ac proinde Papā Sixtum V. qui Nauarrum Regem, & Condæum Principem hæresis crimine calumniose accusauit, perspicue pro schismatico & hæretico habendum esse. Sed iam paulo attentius consideremus, in quos nefarium illud crimen ac nomen hæreticorum cōueniat. Nam quantum ex sacræ scripturæ & veterum Ecclesiæ doctorum auctoritate cognosci licet, Hæreticus is demum dicendus est, qui doctrinam cum regula fidei (hoc est symbolo Christianorum) pugnātem legitime admonitus, & conuictus, tamen & contumaciter tuetur & seditiose disseminat. Sic n. Aug. li. de ciu. Dei 18. c. 51. *Qui in Ecclesia Christi,* inquit, *morbidū aliquid prauumq; sapiūt, si correpti vt sanum rectumq; sapiāt, resistunt contumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* Iam vero de Symbolo Christianorum, quam fidei regulam Tertullianus appellat, præclarum eiusdem Tertulliani hoc testimonium extat in libro de præscript. hæret. *Regula fidei est,* inquit, *qua creditur vnum omnino Deum esse* (notetur hæc pia Christiani symboli paraphrasis) *nec alium præter mundi creatorem, qui vniuersa de nihilo produxerit per verbum suum. P. Id verbum filium eius appellatum, varie visum patriarchis, à Prophetis semper auditum postremo delatum à Spiritu Patris Dei & virtute in virginem Mariam, carnem factum in vtero eius, & ex ea natum* [illegible] esse

egisse(euisse) Iesum Christum, exinde prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cælorum, virtutes fecisse, fixum cruci, tertia die resurrexisse, in cælis ereptum sedere ad dextram patris, misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat, venturũ cum claritate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorũ cælestium fructum. & ad prophanos iudicandos igni perpetuo: facta vtriusq; partis resuscitatione cum carnis restitutione. Hæc regula à Christo instituta nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Hæc Tertullianus. Ex quibus intelligitur, hæreticos ab eo definiri, qui doctrinã Christianorum Symbolo contrariam in Ecclesiã inducunt: quod illi Pauli Apostoli præcepto consentaneum est: *Qui aliud vobis Euangelium attulerit, quam quod nos attulimus, anathema esto.* Itaq; Tertullianus alio eiusdem libri loco, *Vnde,* inquit, *extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisq; de suo arbitrio aduersus Apostolos, aut protulit aut recepit? Illic igitur & Scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ.* Item alio loco: *Hæretici edant origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primũ ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris,* QVI TAMEN CVM APOSTOLIS PERSEVERAVERIT, *habuerit auctorem & antecessorem.* Apostolicos Tertullianus disertè appellat, neq; alios hoc nomine appellari patitur, quã qui cum Apostolorũ doctrina cõsenserint, & in ea perseuerauerint: vt facile intelligatur, Apostolicos non ex sedis & loci, sed ex doctrinæ successione & perpetuitate æstimandos esse. Itaq; alio loco: *Hæreticorum doctrina,* inquit, *cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronuntiabit, neq; Apostoli alicuius auctoris esse, neq; Apostolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent: nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt.* En, vt aperte Tertullian. ostendit, eos qui doctrinam cum Christianorum Symbolo pugnantem inducunt, Hæreticos propriè appellandos esse, quamuis se Apostolicos nominent: quandoquidem, inquit, ab Apostolis desciuerunt: & (vt aliquanto ante dixit) ex suo arbitrio, id est, ingenio & cõmento, aliquid præter Sacram Scripturam affinxerunt. Animaduertendum præterea, dici à Tertulliano *Apostolicos* nõ propriè ac præcipuè qui Petro, sed generaliter qui alicui ex ipsius omnib. Coapostolis successerunt; neq; id præcisè: vt referri ad locum & ciuitatem certam oporteat: sed connexè, qui Apostolis in Christi doctrina per manus tradenda successerunt. Ex quo Paparũ impudẽtia perspicitur, qui nõ modo Apostolici nomẽ propriè ad Romanũ Episcopum restrinxerunt, verum etiam stolidis rebus nomen illud imposuerunt, veluti: *Sedes apostolica, Legatus apostolicus, Nuntius apostolicus, Notarius apostolicus, Cancellaria apostolica, Pœnitentia apostolica, Camera apostolica, Priuilegium apostolicum, Prouisio apostolica, Bulla apostolica:* vt tandem aliquãdo (sit honos auribus) dicatur, Mulus apostolicus, Matellio apostolicus: & si quid eiusmodi. Verum vt ad institutum redeamus, quo planius discrimen inter Hæreticum & Apostolicum intelligeretur, exemplum Tertullianus subiungit apertissimum, & valde ad id quod agimus accõmodatum: *Paulus,* inquit, *Timotheum instituens, nuptiarum interdictores inter hæreticos suggillat.* Quid ita, Tertulliane? Nempe; quoniam Apostolorum doctrinæ interdictum illud contrarium est: qui disertè docuerunt, matrimonium esse omnibus omnium generum atq; ordinũ hominib. nõ modo decorum; & honorabile, verumetiam plerumq; necessarium. Ex quo intelligitur, prohibitionẽ matrimonij nõ esse apostolicam, sed hæreticam: quoniam hæretici ex Tertulliani sententia definiuntur, qui doctrinam apostolorum scriptis contrariam inuehunt. Apostoli vero & Orthodoxi, & Catholici, qui scriptis Apostolorum contenti, eos qui de his quicquam detrahunt, aut aliquid affingunt, vna cum Apostolo execrantur. Porro huic Hæreticorum definitioni cõsentanea altera illa est, quam B. Augustinus tradit in lib. de vtilit. creden. *Hæreticus est,* inquiens, *qui ob amorem lucri aut principatus nouas aut gignit, aut sequitur opiniones.* Vbi Principatum intelligit factionis & secessionis ab Ecclesia, cuius se Ducem ac Principem quasi sublato signo profitetur. Et hac eadem mente Paulus Philetum & Hymenæum Hæreticos appellat, quod non modo à fide aberrassent, sed etiam quorundam fidem subuertissent: quos etiam alio loco πλανῶντας, καὶ πλανωμένους appellat: id est, errantes, & alios in errorem inducentes: 1. *Timoth.* 2. 2. *Tim.* 3. Sed & Petrus hæreticos describẽs, ait eos leuium & infirmorum hominum mentes inescare. Item alio loco: *Inter vos* inquit, *erunt falsi doctores, qui etiam inducent hæreses, siue sectas exitiales.* 2. Petri 2. Quantum autem ad formam declarandorum hæreticorum attinet, Paulus eam his demonstrat verbis: *Hæreticum post vnam & alteram admonitionem deuita.* 1. Tim. 3. quam ad formam ille quoq; ordo pertinet, quem Christus *Matth.* 18 præscribit, vt apud Ecclesiam accusetur; & si se contumacem præbuerit, pro ethnico & profano habeatur. Et in hanc eandem sententiam videmus etiam Doctores scholasticos cõsentire in his Magist. in 4. dist. 18. c. 7. vbi sic scribit: *Excommunicationem fieri debere, cum quis secundũ Canonicam disciplinam tertio vocatus ad emẽdationem manifesti delicti, & satisfacere vilipendens, sententia Ecclesiæ à loco orationis & sacramentorũ communione & fidelium consortio præciditur; vt erubescat, & pudore sceleris conuersus pœniteat, vt spiritus eius saluus sit. qui si pœnitentiam profitens resipuerit, negata communioni admittitur, & Ecclesiæ reconciliatur.* Ex quibus omnibus perspicuè intelligitur, tres hæreticorum esse notas, quibus ab orthodoxis internoscuntur: si quid à regula fidei alienum in Ecclesiam inducant, si secessionem faciant, & si solenniter admoniti contumaciter perseuerẽt. Sed quoniam ad Regios Senatores Iuris peritos magna ex parte hæc disputatio pertinet, non alienum videtur, alteram ex Iustiniani libris Hæreticorum definitionem proponere. Nam in *Nouell.* 115. §. *si quis,* vbi inter legitimas liberorum exhæredandorum causas hæresim enumerat, Iuliano antecessore interprete hæc subiungit: *Orthodoxos autem dicimus eos, qui communicant in sacrosancta Ecclesia Catholica;*

Anno 1586.

in quam omnes Patriarchæ vna conspiratione & concordià colliguntur: & quatuor sancta concilia prædicantur: Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonense. Hæreticos autem dicimus eos, qui Catholicis non cõmunicant. His igitur ita constitutis, videamus nunc, quo iure supradicti Principes nostri a Papa Sixto V. pro hæreticis dãnentur. Nam siue priorem, siue posteriorẽ definitionem sequamur, supradicti Principes quãta maxima possunt cõtentione profitentur, ac prędicant, Deumq; & Angelos, atq; omnes omnium ordinum ac generum homines, cœlum deniq; & terrã contestantur, se neq; quicquã à regula fidei & vsitato Christianorum Symbolo, neq; ab illis antiquissimis quatuor cõciliis alienum in Ecclesiam inuehere, sed eorum doctrinã & cõfessionem, qualis in Synodo Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensi concepta est, ex animo amplecti, neq; ab Athanasij formula, vel latum (vt dicitur) vnguem discedere. Profitentur præterea, se nullam ab iis Ecclesiis, quæ in illa fidei regula, & confessionum formula permanserunt (quales sunt illustrissimorum & potentissimorum Electorum, & Principum Augustanę cõfessionis Ecclesiæ) secessionẽ fecisse, aut facere velle. Postremo nunquam vsq; adhuc ab vlla huius generis Ecclesia, quæ in Apostolorum doctrina perseuerarit, admonitos, aut reprehensos fuisse. Quod si Parisiensis carnificinæ cruore & cædibus infinitis adolescẽtuli cõterriti, Regisq; potentissimi cõspectu ac præsentia permoti, multis postremo militum armatorum gladiis circumuenti, ea quæ vel facere, vel pronuntiare iussi sunt, inuiti fecerunt, ac pronunciarunt, nõ hanc legitimam ac solennem, & qualem Christus instituit, Apostoli & Apostolici seruarunt, Ecclesiasticæ cõmonefactionis formã habendam esse: pręsertim cum aliquãto post, recuperata libertate, protestati sint, se, quicquid illius fecerant, inuitos ac minis compulsos fecisse: suæque illius infirmitatis veniam à Deo, & Christianis palam, pro concione, in Ecclesia reformata postularint. Ex contrario vero demonstrant, Papã Romanum iudicio maximæ partis Europæ, nõ modo inter hæreticos, sed etiam tanquam hæresiarcham, & factionis principem, auctorem, ducem damnatum esse. Primum quia fabulas impias, & blasphemas de falsis monachorum miraculis, in Ecclesiam inuexit, & traditiones ab illis quatuor antiquis conciliis alienissimas: quales superius protulimus de cõmentitio Purgatorio, de inuocatione mortuorum, de veneratione imaginum, de quotidiana renouatione sacrificij Christi in missa, de idololatrica panis & calicis veneratione, de prohibitione coniugij, de monachis Dominicanis sub virginis Mariæ stola occultis, de pluribus & maioribus miraculis à Dominico & Francisco factis, quam aut à Christo, aut ipsius Apostolis: quæ sunt blasphemiæ adeo nefariæ, sceleratæ, atque impiæ, vt illarum commemoratione piorum omnium animi cohorrescant. Deinde quoniam dominatu ac potentatu Regio in Ecclesiam vniuersam arrogato, adhibitisq; ad eum tuendum & ornandum administris & satellitibus, satrapis, & Cardinalibus purpuratis, nouæ se factionis & Synagogæ ducem ac principem professus est. Postremo quoniam quadringentis ab hinc annis cõtinuis, omnium Christianorum principum precib. rogatus atq; admonitus, vt emendationem & reformatiõe aliquam admitteret, superbe postulata & preces illorum repudiauit. Cuius rei, ne longius testimonia petantur, patrum certe atq; auorum nostrorum memoria testis esse poterit ex cõcilio Cõstantiensi, Basiliensi, Florentino, & Tridentino: in quo postremo, nõ modo falsæ & adulterinæ doctrinæ sublatæ nõ sunt, verumetiã magis ac magis cõfirmatæ: vt iam dubiũ nemini esse possit, quin tres illæ notæ, quibus paulo ante dicebamus hæreticum ab orthodoxo internosci, euidentissime in Papa Romano appareant. Quæ cum ita se habeant, satis iam perspicuum esse arbitramur, cuius momẽti hæc apud Regis Galliæ consiliarios esse debeat Papæ Sixti accusatio, cui se maxima Europæ pars subscripsit, simul intelligitur, cuius auctoritatis esse apud eosdem debeat hæc ab illo contra Regẽ Nauarrum & Principem Condæum instituta criminatio. Nam, vt illum suo etiam (vt dici solet) gladio iugulemus, ecce in ipsius *Decret. 24. dist. 1.* multis passim testimoniis traditur, lapsum in hæresim nõ posse aliquem officio priuare, vel sententia innodare: velut in c. Acasius. *Si ergo, episcopus,* inquit, *in hæresim iam damnatam lapsus est, antiqua excõmunicatione damnatus alios dãnare non potest. Excommunicatus enim alios excommunicare non valet.* Quod idem seq. cõfirmatur, hac subiecta ratione: *Ligandi namq; vel soluendi potestas veris, non falsis sacerdotibus à Domino tradita est* & c. seq. *Manet Petri priuilegium, vbicunq; ex ipsius æquitate fertur iudicium.* Facit quod scribit Ias. in cõs. 145. requisitus, n. 3. vol. 2. *quod Papa non potest sine causa quemquam in dignitate constitutum deponere: quia potestas data Petro, ad pascendum oues Christi non extenditur, ad necandum eas.* c. in nouo. 21. dist. *manet enim potentia Petri, dum verè iudicat, & clauis non errat.* d. c. manet. &c. Hoc idem scribit Abb. *in c. vlt. col. pen. & vlt. de confirm. vtil vel inutil. & in c. constitutus, col. 3. de religios. dom. & c. vlt. de postul prælat. & in c. de multa, de præbend.* Planius etiam Ias. in cons. 95 requisitus, vol. 4. *Quando Papa,* inquit, *impeteretur de hæresi. cum ab hoc ordine possit deponi, c. si Papa, 40. dist. per hoc desinit esse Papa, cum sit extra Ecclesiam catholicam: iuxta not. per Innocent in c. ex parte, de verb. signif. & eodem modo quãdo Papa esset criminosus notorius, & grauibus criminibus irretitus, ita quod Ecclesiam scandalisaret, &c.* Item col. 3. *Sed fortius te cum glossa tuta, quam totus mundus allegat in d. c. si Papa, quod etiam de alio crimine, puta simonia, vel adulterii, quod sit notorium, & admonitus Papa est incorrigibilis, ita vt scandalisset Ecclesiam Dei, potest accusari, cum habeatur pro hæretico: & sic Papa non solum pro caussa hæresis, sed etiam pro quocunq; alio crimine, in quo Papa committit excessum scandalisantem Ecclesiam, si sit notorium, & Papa sit incorrigibilis, potest accusari & puniri: quia notoria inobedientia habetur pro hæresi. Vnde sicut Papa potest pro hæresi accusari, & damnari, ita etiam pro quocunq; notorio crimine, in quo sit incorrigibilis quinetiam Felin. in c. ego N. de iureiur. Papa non Canonicè electus est diabolus, non habens claues regni cœlorum, sed inferni.*

TERTIA

Anno 1586.

CAPVT XIV.

TERTIA NVLLITAS EX DEFECTV ORDINIS iudicialis.

VEniamus iam ad tertiam nullitatis causam, quam esse dicebamus, defectum formę & ordinis iudicialis. Nam vt quondam ab Oratore summo dictum est, *quid indignius, quam qui neq; adesse iussu sit, neq; citatus, neq; accusatus, de eius capite ac fortunis omnibus iudicare?* Demonstratum est superius, formam hanc atque ordinē ecclesiastici iudicij à Christo & ipsius Apóstolis in hæreticis iudicandis institutum fuisse, primum vt aliquoties erroris sui conuincerentur: tum, si monitis Ecclesiæ non vnis, sed pluribus ac repetitis non parerent, sed (vt Augustinus loquitur) *contumaciter resisterent atq; in errore perseuerarent*, tum in hostium ac profanorū numero haberentur. Monitionibus igitur opus est, & causæ cognitione solenni ac legitima. Non ignorabat Deus, quid contra suum interdictum Adamus & Eua commisissent, euocauit tamen vtrumq;, & quasi quæstionem causæq; cognitionem instituit: ac tum demum in illos conuictos sententiam pronuntiauit. Non ignorabat idem, seuerissimus flagitiorum vindex Deus, quāto se scelere, & quam nefario Sodomitæ, & Gomorrhęi polluissent. Verumtamen vt mortalibus iurisdictionem exercentibus æquitatis exemplum præberet, causæ cognitionē suscepit, descensurumq; se & cogniturum dixit, quod etiam Canonistæ multis verbis tradiderunt *in* 1. *q.* 2. passim, sed præsertim in *can. Deus omnipotens.* Sed & eadem scriptura alio loco testatur, seniores populi Iudaici, qui ad radices montis Sinai res iudicabant, non nisi vtraque parte audita, & causa vtrinq; perorata sententiam pronuntiasse. Quinetiam Iudæi quamuis malitiose perniciem atque interitum Christo molirentur, tamē vsitatum iudiciorum ordinem consectuarunt, vt illum apud Caipham Pontificem maximum & iudicem competentem reum facerent: tum eundem comprehensum ad eiusdem Pontificis tribunal adducerent, simulque testes in suam accusationem producerent: causa igitur vtrinque dicta est: rogatæque confessorum sententiæ: ac tum demum, ordine iudiciali seruato, pronuntiata condemnatio est. Sed quid opus est pluræ? cum in adulterio deprehensa mulier fuisset, vt scriptura loquitur, *ἐπαυτοφώρῳ* neque quisquam esset, qui aduersus eam accusationem institueret, ac testes produceret, tum Christus, *Nec ego*, inquit, *te non conuictam damnabo.* Iohan. 8. Item alio loco: cum Iudæi quodam die Christum inauditum condemnare vellent, tum eos Nicodemus his verbis increpuit: *An lex nostra vllum hominem condemnat, quin prius auditus sit, & de eius facto cognitum?* Deniq; nihil est, de quo veteres Christianorum patroni, in his Tertullianus, Arnobius, Augustinus, Lactantius tantopere querantur, quam quod Ethnici Christianos inauditos, atq; indicta causa passim ac temere damnabant. At horum Ethnicorum temeritatem Papa Sixtus & eius assessores Cardinales in hac insanissima DECLARATIONE secuti sunt, cum supradictum Serenissim. Nauarræ Regem & Illustrissimum Principem Condæum, non dico inauditos, sed ne adesse quidem iussos aut citatos, barbara & cyclopica quadam arrogantia condemnarunt. At enim, dixerit fortasse quispiam, condēnati sunt illi Principes, non simpliciter tanquam hæretici, sed connexe tanquam hæretici notorij, & manifesti. Sic enim multis locis in illa furiali declaratione appellantur. Est autem inter Canonistas hoc ius receptum, vt in manifestis & notoriis criminibus accusatione, & ordine iudiciali opus non sit. *c. manifesta, & cet. seqq.* 2. *q.* 1. Ex quo concludi volunt, cum supradicti Principes palam atque aperte se ab Romana sede desciuisse profiteantur, nulla vel citatione, vel accusatione vel causæ cognitione ad eos condēnandos opus fuisse. Sed facilis ad hanc obiectionē responsio est: eaque triplex. Prior est, quod Papa sumit pro concesso, quod ei à maxima Christianitatis parte fortiter negatur, religionē supradictorū principum ac tam multorum aliorum Regum ac procerū idem sentientium esse hæreticam: ac proinde absurdū esse notorios hæreticos appellari eos, qui ne hæretici quidē sunt. Altera responsio est, quod omnia illa Decreti Gratiani cap. 1. *q.* 1. quę obiici nobis possent, nulla ex parte ad crimen hæresis pertinent: sed (vt Nicolaus Papa c. 16. loquitur) *ad opera carnis: quæ* (quemadmodum ex Apostolo eodem loco subiungit) *manifesta sunt: velut homicidium, latrocinium, stuprum, incestum, adulterium*, & cætera cōsimilia. Neq; omnibus illis locis vox vlla de hæresis crimine reperietur: quod crimen à carnis operibus, & cæteris maleficiis eo discrepat, quod in hæresi damnanda personæ correctio & emendatio quæritur: quam Paulus iccirco *νουθεσίαν* appellat; eodem ipso vocabulo, quo Plato eam castigationem nominat, quæ adhibetur emendandi gratia. nam in reliquis pœnis non personę delinquentis emēdatio quæritur, sed aliis exemplum datur: vt homines consimilis pœnæ metu à maleficio deterreantur. Qua de causa *παράδειγμα* ab eodem Platone nominatur: Agell. 6. *c.* 4. & Plato *in Gorgia.* Quāuis igitur quis in aliquo religionis articulo caliget, manifesto etiam erret, ac labatur, non tamen continuo vel ab Ecclesiæ communione arcendus est, vel in hostium, atq; (vt Augustinus loquitur) *inimicorum exercentium* numero habendus est: sed semel ac sępius admonendus, castigandus, edocendus, neque prius à fidelium cōmunione submouendus, quam se cōtumacem ac pertinacem ostenderit: atq; (vt eiusdem Augustini verba vsurpemus) *contumaciter* Ecclesiæ *resistent.* Quare cum supradicti Principes, neq; nullam doctrinam profiteantur, à fidei regula (vt superius diximus) alienam, sed quatuor superius à nobis nominata Concilia studiosissime amplectantur, neque ab vlla Ecclesia Apostolica: quæ (vt Tertullianus definit) in *Apostolorum doctrina perseuerarit*, sint reprehensi, neque se in discendo contumaces præbuerint; Sed si alicuius erroris conuincantur, emendare parati sint: Sine vlla cunctatione cōclu-

Anno 1586. dimus, Nullitatis causæ à nobis tertio loco propositæ abunde satisfactum fuisse. Quid multa? Nam etiam Canonistarum iure tota hæc Papæ declaratio iniusta, & irrita esse conuincitur: quandoquidem vbi vel non iusta ex causa, vel non seruato iudiciali ordine emissa excommunicatio est, tum ipsa excommunicationis maledictio, in caput maledicentis redundare dicitur. De iniusta causa testimonia extant ex scriptis Augustini in c. Temerarium, eod. vbi sic scribit: *Temerarium iudicium plerumq; nihil nocet ei, de quo temere iudicatur, ei autem qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est noceat.* Item c. seq. *Quid obest homini quod ex illa tabula vult illum delere humana ignorantia, si de libro viuentium non deleat iniqua conscientia? Senti de Augustino, quicquid libet. Sola me in oculis Dei conscientia non accusit,* &c. Etsi, ex eodem Augustino hæc proferuntur. *Etsi ad tempus damnaris ab homine, aliud est sella terrena, aliud est tribunal cæleste: ab inferiori accipit sententiam, à superiori coronam.* Item in c. illud planè, ex eodem Augustino. *Illud plane, non temere dixerim, quod si quisquam fidelium fuerit anathematisatus iniustè, potius ei oberit qui facit quam qui hanc patitur iniuriam. Spiritus enim sanctus habitans in sanctis, per quem quisq; ligatur, aut soluitur, immeritam nulli ingerit pœnā.* In ordine autem iudiciali primo requiritur citatio, & citati contumacia, *11. q. 3. c. episcopi, c. nemo, c. certum, c. ex parte. cap. cum olim.* De senten. excommun. *vt puta,* inquit Hostiensis, *si aliquis iussus vel monitus noluerit maleficium emendare.* Host. in Summ. tit. *de sent. excommunic. nu. 7.* Gloss. in *c. Statuimus. eod. tit. in 6.* Requiritur præterea vt excommunicator sit iudex competens: alioqui iudicis incongrui excommunicatio nulla est. *cap. ad nostram, de consuetud.* vbi concordantes in glos. Tertio si excōmunicatus legitime appellauit, aut appellationis loco idoneè sit protestatus. *c. solet, & c. venerab. item, & c. per tuas. eod. tit. in 6.* Nam allegans sententiam nullam, quamuis non petat se absolui, sed (vt in hac causa vsuuenit) legitimas nullitatis causas proferens præsertim tanto numero, & tam legitimas, audiendus est: atq; interea sententia suspenditur: vt communiter iidem Canonistæ tradunt *in d. c. per tuas, & in d. c. solet.* Pari modo si sententia continet errorem intolerabilem: vt per eosdem Canonistas *in d. c. solet, & d. c. per tuas* velut in hac causa nostra, vbi Bulla Sixti Papæ manifestissimis erroribus conuincitur: quemadmodum in postrema nullitatis causa demonstratum est. præsertim vbi sententia perspicuè continet errorem facti: vt notat Ang. in *Summ. contra glos. in d. c. per tuas.* Nam sententia ex falsis allegationibus pronuntiata ipso iure nulla est: vt paulo ante copiose docuimus.

CAPVT XV.

QVARTA NVLLITAS EX FORMVLA SENTENTIÆ.

SVperest quarta nullitatis causa, ex stulta conceptæ sententiæ formula. nam, vt dici solet, stultitia sermonis, mentis stultitiam indicat. *l. pen. D. de cond. & demonstr. l. 1. § pen. & vlt. D. de adil. edict.* Itaq; Iudex inepte, stulte & absurde sententiam pronuntians, stultus appellatur *l. vlt. C. de fideic. libert.* qualem hunc monachum Francisci Bernardonis discipulum, ex hac ipsius sententia & monachali bulla demonstrabimus. Sic enim exorditur: *Ab immensa æterni regis potentia B. Petro eiusq; successoribus tradita auctoritas, omnes terrenorum Regum & Principum supereminet Potestates.* Vt sententias loquitur carnifex. At vetus Dialecticorum præceptum est, comparationes non nisi in rebus quæ generis eiusdem sunt, vsurpari. Quid vero commune est inter auctoritatem Apostolis tributam, quæ ad religionem & conscientias pertinet, & potestatem regibus concessam, quæ in ciuilibus & politicis rebus versatur? Itaq; proinde Bardocucullus noster loquutus est, quasi dixisset: Stultitia discipuli Bernardonis supereminet auriculas omnium onagrorum, qui sunt in Arcadia. Verumtamen vt serio aliquid respondeatur, prodeat hęc in mediū conclusio. Nō plus habet successor Iuris, quā quantum auctor suus habuit. Petrus non habuit auctoritatem supereminentem potestates regum, sed iis tanquam superioribus parere iussus est. Ergo etiam si Papa esset Petri successor (quod superius falsum esse docuimus) tamē Regibus inferior parere illis deberet. Assumptio perspicua est ex illis verbis: *Omnis anima Potestatibus supereminentibus subiecta esto. Quisquis opponit se potestati, Dei ordinationi resistit:* Rom. 13. *Suggere ipsis, vt se subiiciant Principatibus ac Potestatibus, vt obtemperent.* Tit. 3. *Subiecti estote cuiuis humanæ ordinationi, propter Dominum: siue Regi, vt qui superemineat: siue Præsidibus, vt qui per eum mittuntur.* 1. Pet. 2. Sed quid apud Papam Scripturæ sacræ auctoritas valebit? nam vno iam hoc verbo refelletur: Constantinus omnia Papæ Occidentis regna donauit, statuitq; vt Imperatores & Reges, ei in equum ascendenti strepam teneant, asseclas eidem se præbeant, deniq; vt humi prostrati, osculum ipsius pedibus ferant. Hæc est illa, quā hoc loco significat, Paparum supereminentia: qualis Dei sui Francisci, vel fuit quondam in terris cum in mediam aeris regionem sublatus familiariter cum Christo fabulabatur: vnde frigoris illius vitandi causa, cucullatum vestimentum induit: vel hodie est in cœlis, super Cherubin sedere diuaricatus dicitur. Sed iam sequentia videamus: *Stabulis in petra consistens, nec vllis aduersantibus, vel etiam secundis flatibus à recto cursu deflectit.* Ecquis antehac audierat, vel auctoritatem in petra positam nauigare, vel nauem aliquam secundis flatibus à recto cursu deflecti? Verumtamen vtcunq; nauis ista nauiget, superius demonstratū est, ei qui se in eius puppi sedere clauumq; tenere gloriabatur, nec in ima quidem sentina locum relictum esse. Consimile illud est quod sequitur: *Si quos ordinationi Dei resistentes inuenit, sæuiore hos vindicta vlciscitur.* Quasi vero vel in vrbe Roma, quod flagitiorum omnium domicilium est, nullis ordinationibus Dei resistatur: vel Papa vllos istiusmodi resistentes sæuiore vindicta vlciscatur. At Petrarcha, Mantuanus, Sannasarius, & alij complures Itali *Romam* appellant *scelerum omnium officinam, Babylonem, Sodomam, scholam errorum, templum hæresium, scortum perfrictæ frontis.*

Pudor

Anno 1586.

Pudor in villas: si non patiuntur easdem
Et villa vomicas. Roma est iam tota lupanar.

Inquit Mantuanus: Item alio loco:

Venalia Roma
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, corona,
Ignis, thura, preces, cœlum est venale, Deusq;.

Item Albericus Rosat. in verbo Roma:

Curia Romana non petit ouem sine lana,
Dantes exaudit: non dantibus hostia claudit.

Item B. Bernardus lib. 4. de consi. ad Eugenium Papam, cap. 1. *Quem dabis mihi de tota maxima vrbe, qui te in Papam receperit, pretio seu spe pretii non interueniente. Hi inuisi terra & cœlo, vtriq; iniecere manus: impii in Deum: temerarii in sancta: seditiosi in inuicē.* Itē Petrarcha in Epistol. *Quicquid de Assyria, vel Ægyptia, Babylone, quicquid de Labyrinthis, quicquid deniq; de Auernis limine, deq; Tartareis sylvis sulphuribus legitur, huic Tartaro admotum fabula est. Hic turrificus simul & terrificus Nimrod. hic pharetrata Semiramis. hic inexorabilis Minos. hic Rhadamantus. hic Cerberus, vniuersa deuorans. Hic Tauro supposita Pasiphae, mixtumq; genus, quod Maro ait, prolesq; biformis, Minotaurus inest Veneris monimenta nefandæ. Hic postremo quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile vsquam est aut fingitur, aspicias: &, vt breuiter dicam scelerū ac dedecorū omnium sentina.* Quid ad hęc Papa noster? Audiamus elogiū vrbis Romæ ex cap. fundamenta 17. de elect. in 6. *Roma*, inquit, *est gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia, per sacrā B. Petri sedem caput totius orbis effecta.* Ecquod fuit vnquam tam perfricta fronte prostibulum, cuius ex ore dictū impudēntius prodierit? aut quid de monacho Bernardonico nostro dicemus, qui quę trans Alpes fiunt, curat: quę domi gerūtur negligit? cū Paul⁹ statuerit, ne qui familiā suā regere nō potest, ei regimē Ecclesiæ cōmittatur. Sequitur. *Quamuis potentiores de solio deiiciens, velut superbientis Luciferi ministros ad infima terra deturbatos prosternit.* Quam amenter monachus temulentus incurrit in locū Isaiæ ex *cap. 14.* qui propriè in Papas Romanos, & vniuersales Ecclesię sacerdotes cōuenit? Nam Gregorius Magnus dilucidè testatur, sub persona Nabuchardnosoris Papā vniuersalē describi. Inducuntur quippe in inferis Reges & Principes dānati, quasi post Papę mortem ad se venienti gratulandi causa obuiam procedentes, eiq; sic illudentes: *Infernus expauit propter te in occursum aduentus tui, exurgunt tibi mortui omnes Principes terra. Exsurgunt ex Soliis suis omnes reges gentium, teq; his affantur verbis: Etiamne tu infirmatus es, sicut nos, & nobis similis factus es? Detracta est ad inferos superbia tua. Quando cecidisti de cœlo Lucifer, fili Auroræ & succisus es ad terram, qui territabas gentes? At tu dicebas in corde tuo, Cœlum ascendam: super stellas cœli exaltabo solium meum. ascendam super altitudinem nubis, & similis fiam altissimo. Qui te videbunt, dicent, Num hic est qui conturbabat terram, & concutiebat regna?* Nunc Gregorium audiamus ex lib. 4. epist. cap. 82. vbi locum illum Isaiæ ad eum, qui se Papam & Episcopum vniuersalem profitebatur, accōmodās, *Ascendam*, inquit, *super altitudinem nubium: similis ero Altissimo. Quid enim fratres tui omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt? quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis proponere, eorumq; nomen tui cōparatione calcare, quid aliud dicis, nisi. In cœlum ascendam: super astra cœli exaltabo solium meum? quos dū vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc quod ab antiquo hoste dicitur, Ascendā super altitudinem nubium? Quæ cuncta ego cum flens respicio*, &c. Quibus ex verbis intelligitur, locum Isaiæ de Lucifero in infima terræ præcipitato, & eius ferocitate in inferos depressa, nō ad Serenissimū Regem Nauarreū (quo nihil mansuetius, nihil clemētius sol intuetur) sed ad Polyphemū nostrum Sixtum v. & eius in conculcanda Regum maiestate superbiam pertinere. Quod si suo Cyclops ille gladio iugulādus est, ecce tex. in suo Decreto dilucidū, de pœnit. dist. 2. §. qui vero reprobi. vbi scriptum ita est: *Lucifer dum de se superbiēdo præsumpsit, ex Paradyso deiectus est in infernū.* Itē 23. q. 5. §. hinc notādum: *Nabuchodnosor dū in corde suo superbiēdo diceret, Nōne hæc est Babylon, quā ego cōdidi, &c. statim mutauit Deus rationabilem eius mentem, & immutauit eum in formā bestialitatis, vt ab hominib. fugiens cum bestiis viueret.* Quæ verba cōmemorat, ad Papā ea referens, (quod summe notari volumus) & laudat Ludouic. Rō. *in cōs. vlt. n. 2.* Sed iā ad reliqua pergam⁹, si modo quoniā de sede Luciferi instituta cōmemoratio est, illud ex libri Cōformitatum fol. 38. adscripserim⁹: *Frater Pacificus raptus in cœlum, siue corpore, siue extra corpus, Deus nouit* (cōsiderent lectores quā impie verba Pauli nefarius monach⁹ irrideat) *& vidit in cœlo multas sedes, inter quas vnā vidit eminentiorem aliis, ornatā lapide pretioso. Et audiuit vocē dicentem sibi. Hæc sedes fuit Luciferi, & loco eius sedebit humilis Franciscus.* atq; hoc nimirū est, quod superius diximus, Franciscum Bernardonē vna cum ceteris suis histrionib. & comœdis locū apud Luciferi regnum habiturum, vt nō magnopere quærendum sit, vtri dignior sella debeatur, Frācisco, aut Papę Sixto v. Franciscanici ordinis antistiti. Sequitur in Bulla: *Pro incūbenti nobis Ecclesiarū omnium, populorum, ac gentium sollicitudine.* Papę! quātum in se Pandocucullus noster onus suscepit, cū & Ecclesiarum omnium & populorum ac gētium curā ac sollicitudinē in suos humeros sustulit? deinceps mirari desinem⁹, quid sit, q̄ Pictores in ipsius imagine nitētis formā effinxerint. Vix Atlas, quē suis humeris cœlū sustinuisse fabulantur, grauius in sese onus susceperat. Quid igitur nobis fiet, si Papa sub onere isto tanto, quod sibi vni incumbere queritur, labascere ac succumbere incipiat? quam ægritudinis causam melancholico cuidā fuisse aiunt, metuenti assiduè ne Atlas, qui tandiu tantū onus sustinuerat, aliquādo succumberet. Sed iuuat nos Guillelmi Budæi viri, nō minus (vt iam ante dixi) patrię amātis, quā eruditi de his Atlantib. facetā quandam narrationē, hoc loco proponere ex ipsius quinto de Asse libro: *Concionator quidā perlepidus*, inquit, *& facetus cauillari, non ita pridem in eos solebat, vt diceret eos sibi tales videri, quales sunt in ædibus sacris mutulares statuæ, quæ pilis aut columnis impo-*

Anno 1586.

nuntur. Vt enim illa simulachra quadam veluti oneri cedentia videmus, quæ vel mutulorum vicem sustinent, vel extra abacos mutulorum porrecta sunt, eamq; speciem intuenti præbent, vt magnopere niti operi serũdo atq; insudare videantur: cum reuera sensu sint carentia: ac nihil ipsa facie nitentium saxeam adiuuent firmitatem: ita Atlantes istos sanctos summus scapu columnarum in fano Domini superpositos, fabulosa quidem illa amplitudine, appellationumq; maiestate venerandorum senum instar, sanctitatemq; præferre, morum, speciemq; luculentam præbere grauissimorum Patrum, sanctuarium Domini fulcientium: stupidam autem eorum ignorantiam, aut incuriam dissolutam intuentibus patere eos nihilo vtiliores statuis lapideis esse. Hæc Budæus. Sed ocillud quidem prætermittendum videtur, quod Antoninus Archiepisc. Florent. quem superius aliquoties cõmemorauimus, nos docuit, cum oneri tanto Papa iampridem succumbere cœpisset, repertos esse, qui eum labentem suis humeris fulcirent, nempe Monachos Dominicanos. Nam historiar. part. 3. titul. 23. §. 3. fol. 191. sic scribit: *Dominicus Papam Innocentium adijt, & ab eo petiit, vt suum prædicatorium ordinẽ confirmaret. Papa primitus se difficilem exhibuit. at nocte quadam Deo sibi reuelante, vidit in somnis, quod Lateranensis Ecclesia quasi suis compagibus resoluta, grauem subito minaretur ruinam. quod cum tremens simul ac mœrens aspiceret, ex aduerso vir Dei Dominicus occurrebat, qui humeris suppositis, totam illam casuram fabricam sustentabat: cuius quidẽ visionis & nouitatẽ admirans & significationem prudẽter intelligens, Dominici petitionẽ hilariter acceptauit: anno Domini* CIↃ CCX. Hæc ille. Sed quid si etiã Dominicani, qui annos iã amplius trecentos suis humeris ruentem Papatum sustinuerunt, ipsi quoq; labascere ac debilitari cœperint? Repertum est alterum columẽ subsidiarium. Nam Iesuitæ nuper exorti sunt, qui defessis Dominicanis integri ac recentes succurrerent. Ita (vt in vetere prouerbio est) ad triarios rediit. quibus iam debilitatis Papa summæ rei diffisus, ad hoc brutum excõmunicationum fulmen descendit. Sequitur in bulla: *Vt nõ solum* FAMVLATVS *nostri, sed etiam omnia futura tempora cunctis Christiani orbis partibus pacem afferant.* De hoc FAMVLATVS genere superius dictum est. quod in eo versari docuimus, vt Reges & Imperatores Papæ ex equo descendenti strepam teneant, vt eidem in oppida ingredienti seruilem pedissequi operam præstent: vt eidem in regali solio considenti venerationem & cultum diuinum præbeãt: soloq; prostrati, & ad pedes ipsius iacentes, ad testificandam seruitutem calceis ipsius osculum ferãt. Sed quid hoc verbi est: *Hoc tempore dãnamus Hæreticos, vt futura tempora orbi Christiano pacem afferant?* Nunquid nisi pransus, potus, ebrius Sixtus noster fuisset, scripturus potius fuerat, *Vt futuris temporibus orbi Christiano pacem afferamus?* Sed pergamus ad reliqua huius Bullæ oracula. Sic enim subiungit: *In Galliæ regno Christiana religio omni tẽpore viguit, tantaq; regum illorum pietas, fides, ac deuotio fuit, tot in Romanã Ecclesiam merita, vt Christianissimorum cognomẽ ab ea sint cõsecuti.* Si omni tempore religio Christiana à Regibus Gallorũ tantopere culta est, quid ita tot Papæ, tot Gallorum Reges toties suis istis insanissimis execrationib. & proscriptionib. incesserũt. Merces scilicet hęc fuit & gratia, quã Papæ pro tantis Gallorum Regum in se & sedẽ suam meritis ipsis retulerunt. Nã quicquid potentiæ Pontifices obtinent, id omne ex Gallorum Regũ beneficiis & largitionib. immẽsis eos cõsecutos cõstat, ac præcipue Regis Pipini & Caroli Magni, & Ludouici cognomẽto Pij: vt superius demonstratum est. Sequitur, *Arma nostra, quæ non carnalia sunt, in duos* IRÆ FILIOS *Henricũ quondam Regem Nauarrum, & Henricum olim Principem Cõdensem exercere compellimur.* Carnalia certe Paparum arma non esse, sed ferrea, & (vt Bonifacius VIII. loquitur) materialia, si quis ex Italij secundi gladio, quem superius cõmemorauimus, non meminit. at ex his eiusdem Bonifacij verbis cognoscet: in c. vnam sanctam, Extrauag. de maiorit. & obed. *Certe*, inquit, *qui in potestate Petri temporalem gladiũ esse negat, male verbum Domini attendit proferentis, Cõuerte gladium tuum in vaginam. vterq; ergo gladius est in potestate Ecclesiæ spiritualis scilicet gladius & materialis.* Ecquis Saunio magis ridiculus in comœdia vlla fuit, quam Bonifacius, qui gladium Petri, quem piscator forte tum ad zonã alligatum gerebat, dicit eiusmodi gladium fuisse, qualem Paulus scribit à Deo tributum esse magistratib. vt in facinorosos & dãnatos animaduertant? præterea quãta ista est stoliditas, ex eo quod Christus vetat Petrum vti suo gladio, cumq; iubet districtum ab se gladium in vaginam recondere, hoc modo argumentari: Licere ergo Papis vti gladio materiali? Videat igitur Sixtus noster, qua ratione ab ista sese extricet repugnantia: Paparum arma nõ esse carnalia, & Papã habere ius gladij tẽporalis, materialis, ferrei. Arma Paparum non esse ferrea, sed Regem Galliç à Papa iuberi ferro, armis & castris Nauarrum Regem agnatum suum proximum insectari: & hanc suam sententiam sic exequi, vt incẽdiis & cædibus vniuersa Gallia compleatur. Nam hoc illud est, quod eodem loco Bonifacius scribit: *Spiritualem gladium ab Ecclesia, temporalem pro Ecclesia exerceri: illum Sacerdotis, hunc manu Regum & militum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis.* Hæc sunt totidem literis exscripta Bonifacij Papæ verba ex *d. ca. de maiorit. & obed.* ne quis forte dubitet, quin Reges ad nutum Papæ, tanquam gladiatores ad nutum Lanistæ, parati in armis esse debeant, & eadem ad eiusdẽ nutum deponere: ne cui inquam, dubium sit, quin crudelissimus, & immanissimus Tyrannus Papa Sixtus V. qui hoc loco Nauarrum Regem & Condæum Principẽ nouo & inaudito cõtumeliæ genere IRÆ FILIOS appellat, Gallis omnib. gladios, incendia, cruciatus, tormenta, pestem, perniciem, exitium denunciet. *Omnes quidem iræ filij natura sumus:* vt ait Paulus Rom. 3. & Ephes. 2. Sed Papa irę filius est iudicio, malitia, & voluntate. Sed quid illud est, quid identidem in hac Bulla inculcat: QVONDAM REGEM? Posterius de regno videbimus. Sed quo iure Henricus noster Regis nomen amisit? an quo Scarabeus Francisci Bernardonis discipulus in hac Bulla sese Monarcham ecclesiæ appellat? Væ tuo capiti, trifurcifer execrande, & Antichriste sacerrime. Tu DEVM te appellari gloriaris, & gaudes: vt superius demonstrauimus. Tu Imperatores & Reges mancipiorum habes loco: tibi diuinos honores ab iis præbe-

[illegible] ri po-

Anno 1586.

ri postulas. Au siquis seruilem istam idololatriam tibi deneget, Regis aut Principis nomen amittet? Audiamus quantopere hunc Antichristum B. Bernardus detestetur in sermone sexto, ad Psal. xc. *Ipsa quoq;*, inquit, *Ecclesiæ sacra dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transiuere. nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, missas celebrant, Psalmos decantant. Pro episcopatibus, archidiaconatibus, abbatiis, aliisq; dignitatibus impudenter hodie decertatur, vt Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis vsus dissipentur. Superest vt reueletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed & meridianum, quod non solum transfiguratur in Angelū lucis, sed extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Quibus verbis Sixtus noster non HERI aut QVONDAM aut OLIM Antichristus esse ostenditur, sed HODIE, cras, perendie, & quandiu occupatam in Ecclesia Dei tyrannidem impiè ac sceleratè retinebit. Sequitur in Bulla: *Errores & hæreses ab ineunte adolescentia secutus est, quoad multorum hortationibus ad Ecclesiam Romanam (vt existimabatur) conuersus, hæreses omnes Parisiis in Ecclesia publicè abiurauit.* Quid hoc verbi est, *Ab ineunte adolescētia?* cum illam religionē fere ab incunabulis ac prope cum lacte imbiberit, quam hic noster Carnifex Hæresim appellare audet. Sed illud multo absurdius, Qui falso ab hæresibus cōuersus existimabatur, eas hæreses damnauit. Nam qui falso existimatur conuersus, quomodo dici potest priorem sententiam mutasse? Quod vero de abiuratione Bardocucullus noster fabulatur, paulo planius explicandum est.

Adolescentulus vix annos vndeviginti natus hospitio à rege affiue suo exceptus multo ante lucem, è geniali thoro euocatus, inter cruentos ac madentes sanguine gladios adductus, quæ facere ac pronunciare iussus est, tremebundus ac gemens fecit, ac pronunciauit: quę Papę Gregorio per legatos nuntiare iussus est, nuntiauit. Ecqua vnquam in Barbaria ius illud receptū fuit, vt quę hoc modo gesta essent, vel rata & firma haberentur, vel ex animi sentētia gesta esse crederentur? Vetus illud est Doctoris Baldi, & verū, *Spiritus sanctus posuit in ore Prætoris, Quod metu gestum est, ratum non habebo:* Itē illud, *Præsentia & multo magis cōminatio Principis & potētioris inducit verū metum.* Hæc Angel. in *cōs.223.* Et rursus in *cons.378.* Ab. Sicul. in *cons.3. vol.2.* Itaq; scriptura sacra testatur, Petrū Apostolum muliercula voce territum, etiam cum execratione Deum abnegasse: sed cū id metu ac terrore factūm esse cōstaret, facile veniam ab eodē impetrasse. Canonistę narrant, Marcellinū Papam Paganorū terrore permotum in idolorū sacrificiis thura incendisse: sed tamen facti ac sceleris illum sui postea pœnituisse: *c. nunc autē, distin.21.* Cur in Papa, qui se Christianę religionis columē profitetur terrore gestum excusabitur: in adolescente cruentis & stillantibus sanguine gladiis circumuento ratum haberi oportebit? Sequitur in Bulla: *Idē Gregorius literis Regis Nauarræ, vtpote Regiis, fidem habēs, eum à censuris incursis absoluit, omni inhabilitate ab eo sublata.* Pondus esse Papa voluit in his verbis: *Vtpote regiis:* quasi firmissima debeat esse regiarū literarū, diplomatum & edictorū auctoritas. Quo loco primū ex illo scire cupimus, semperne auctor ac suasor fuerit, vt sua regiis edictis & literis firmitas maneret? cuius rei sempiterna manebit apud nationes ac gentes orbis terrarū omnes, memoria dicā, an infamia fœdissima? Sed cum Gregorius XIII. tantus Iuris Doctor ac professor fuisse dicatur, an nō meminisse debuerat, nullam literis, & instrumentiis, vi ac metu extortis auctoritatē tribui oportere? *l. si donationis, 7. C. de his quæ vi aut met. caus. l. interpositas. 13. C. de trans.* Sequitur: *Dispensauit vt nō obstantib. impedimētis tertii & aliorum forsan inter eos graduum consanguinitatis matrimonium inter se contrahere possent, prout in facie Ecclesiæ cōtraxerunt.* Vix dici potest, quam multa in his paucis verbis stultitiæ & fatuitatis Papalis signa appareant. Primū est in eo quod ait, matrimonium Regis Nauarri suo concessu ac dispensatione contractum fuisse post abiurationem religionis ab eodē Rege factam. Redeamus ad Ephemerides. Cardinalis Borbonius eiusdem Regis patruus, anno 1572. decimo septimo die mensis Augusti, post missam in summo Parisiensi templo, summa cum pompa & solennitate, hora tamen post meridiem quarta missificatam, matrimonium illud in Regis Galliæ Caroli noni, duorumq; ipsius fratrum conspectu, summaq; principum frequētia celebrauit. Sequuta est carnificina Parisiensis festo Bartholomæi die, hoc est, eiusdem Augusti mensis die XXIV. Abiuratio vero à Rege Nauarro compluribus post diebus facta est. Dixerit fortasse quispiam: At post illam abiurationem dispensatio Papæ Gregorij, postulatu Cardinalis Borbonij allata est. Vtrum igitur allata est, vt contrahere matrimonium liceret, quod tanto ante contractum & consummatum fuerat: an verò, vt prius non iure contractum nunc auctoritate, & dispensatione Papæ confirmaretur? Si vt contrahere liceret, maior Papæ potestas est, quā quantam & Theologi, & Philosophi, & Iurisconsulti omnipotenti Deo tribuunt, vt præterita mutari possint, vt quod factum est infectum reddatur: auctoribus Augustino *lib. aduersus Faustum 25.* Platone *libro de Legibus 2.* Aristot. *moral. ad Nicomach. 6. cap. 2.* Nouel. *de æqualit. dot. §. 1. l. in bello, 12. §. facta. D. de captiu. l. verba, C. de testam. l. verum. D. de reg. iur.* *Audacter dicam,* inquit Hieronymus, *cum omnia possit Deus, tamē suscitare virginē non potest post ruinam.* c. si Paulus, 32. quæst. 5. Maior igitur, vt dixi, Papę, quā Deo, potestas tribuitur: qui matrimonium iam cōtractum, perfectum, celebratum, cōsummatum, facit tamē vt neq; cōtractum, neq; celebratū fuerit. Sin autē Papa dispensauit, vt matrimonium nefarium & cōtra leges Ecclesię contractum, celebratum, & consummatum, accedente sua auctoritate ratū haberetur: videamus, ne atrocissimi sceleris potētissimū Gallię Regē, & illustrissimos ipsius fratres, & Reginā ipsorū matrē condēnet: quib. auspicib. auctorib. suasoribus, matrimoniū illud cōtractū fuerat. Dānat prçterea Principes regij sanguinis omnes, & sūmos quosq; regni Gallici proceres, qui & illi cōtractui, & missę quarta post meridiē hora missificatę interfuerūt, suaq; pręsentia festiuitatē illius matrimonij cohonestarunt. Sed Papa his verbis neminem æque

Anno 1586. vehementer atq; acriter vulnerat, vt supradictum illustrissimum Principẽ Cardinalem Borbonium: quẽ ait, matrimonium illud inter suum ex fratre nepotẽ & Regis Galliæ sororem, cõtra sacros Canones celebrasse: vt omittam Episcopum, qui missam illam in summo Parisiensi templo, tanta cum solennitate occentauit: Diaconum, & Subdiaconũ qui succentarunt: Canonicos eiusdẽ templi, & ceteros symphoniacos atq; organistas omnes qui cõcentarunt: quos omnes, si nefarium & incestum illud erat matrimonium, vel excõmunicare Papa debuit, vel certe ab incursis (vt ipse loquitur) cẽsuris & pœnis absoluere. Ecquis est qui barbarã & immanem istam arrogantiam ferat, vt Francisci Bernardonis discipulus Regem, quẽ ipse Christianissimum ab se appellatum gloriatur, tanti sceleris dãnare audeat, ac dicere, illum incestas ac nefarias sororis & agnati sui nuptias cõciliasse? Iam vero quis est in tanto Cardinalium numero, qui hanc superioris Papæ Gregorij memoriæ contumeliam æquo animo fieri ab isto Bernardonico patiatur, vt eum dicat sorori Regis Christianissimi veniam dedisse cõtrahendi cum hæretico notorio matrimonij: hæretico potestatem illam aut nõ fecisse, aut non nisi post abiurationẽ fecisse? An non his verbis perspicuẽ defuncto Gregorio illudit: quasi fuerit alter Celestinus Papa, quem Ioan. Andreas, Baldus, Iason, & alij scribunt fuisse *vnum pecus, in eo quod de mane faciebat gratiam, & de sero reuocabat*: vnde Cardinales, licet scirent, quod per fatuitatẽ renuntiarat Papatui, tamen quia erat vnũ pecus, lubenter acceptarunt renũtiationẽ: & creauerunt Bonifacium octauum, qui depingitur *vulpes in ingressu, leo in accubitu, & canis in occasu*. Hęc totidem verbis Bal. *in c.1. De natur. feud.* Ias. *in cõs. 145. circa primam, n.2. vol.2.* Quod si propius accedendum est, Ecquid tandẽ Excucullatus noster, de vetere illa & famosa Paparũ contentione statuet, quorum alter, nimirum Celestinus III. potestatem fecit coniugi, nouum matrimonium contrahendi, si alter in hæresim lapsus esset: alter, nimirũ Innocentius III. nõ cõcedit? *c. quanto, Ext. de diuort.* Sed fanaticus impudens respondebit primum, id, quod supra diximus, raro reperiri monachos, qui sint boni Canonistæ: deinde quãuis Papa Bonifacius VIII. dixerit, Papas iura omnia in scrinio pectoris continere: *c.1. de constit. lib.6* non tamen minus verè Baldum subiunxisse, quod licet Papa, ex eo quod est Papa, est Doctor vtriusq; iuris, tamẽ plerunq; est Doctor auctoritate, sed non scientia: vt dicit Iason in *l. præscriptione, col.2. C. si contra ius vel vtil. publ.* Prima igitur huius articuli stultitia ex eo demõstrata sit, quod Papa dicere ausus est, nefarium matrimonium voluntate, studio & auctoritate Regũ & Reginę ipsorum matris contractũ fuisse. Secunda ex ipso intelligitur, quod scribit se dispensasse, vt matrimonium illud propter præcedentẽ abiurationem contraheretur, quod erat tanto ante illam peractum. Tertia ex eo, quod ait semel contractũ matrimonium, vt iterũ contraheretur dispensasse: proinde quasi actus legitimi, quale matrimonium esse cõstat, iterentur. Nam quod de secundo consanguinitatis gradu subiungit, hoc quale sit, posterius magis idoneo loco demõstrabimus. Deinceps alia videamus. *Misit Iohannẽ Durati Dominum, oratorem suum, qui de pœnitentia & conuersione in sedis Apostolicæ conspectu sponderet*. Quæ ex officina literę prodierunt, ex eadẽ legatus ille profectus est: nimirũ ab iis qui capto & armis territo adolescẽti mortẽ, nisi dicto pareret, minabãtur. Sed q̃ tãndem istud ænigmatis videtur genus, *In cõspectu sedis Apostolicæ?* Vtrũ illo sedes aliqua cõspicatrix, & oculata delata est, an illa quã Papę ipsi in libro Põtificali *Stercorariam*, alij *Testiculatricem* appellant, ex qua de inaugurati Papę, vel habilitate vel inhabilitate pronũciatur? Et sane iuuat nos ioculare illud de Stercoraria sede acroama recitare, ex lib. Ceremon. Põtifical. 1. sect. 2. c.3. *Põtifex creatus ducitur à priore & Canonicis Ecclesiæ Lateranẽsis ad marmoreã sedem quæ* STERCORARIA *appellatur, & ibi eum sedere faciunt. qui ita tamẽ sedet, vt magis iacere videatur: ad quẽ mox accedẽtes Cardinales eleuant eũ honorifice, dicẽtes: Suscitat de puluere egenum: & de stercore erigit pauperẽ: vt sedeat cũ principib. & solium gloriæ teneat. Tum surgens Põtifex accipit de gremio Camerarii sibi assistentis, quantũ pugno potest cõplecti pecuniarũ, vbi tamẽ nihil prorsus fit argẽti, aut auri, & spargit inter populũ, dicens: Argentum & aurum non est mihi: q̃ autem habeo hoc tibi do.* Verũ hæc risu excipienda Paparũ stultitia videtur, an potius execrãda profanãdi verbi Dei cõsuetudo? Sed pergamus in Bulla, fortasse stultiora reperiemus. Sequitur: *Sed ille vt erat vario & inconstanti animo, paulo post à Catholica fide & debita erga sedẽ Apostolicã obedientia defecit.* Vtrũ igitur hæc stultitia an potius insania dicenda est? Rex Nauarrus falso existimatus est, ad sedis Romanæ obedientiam rediisse: & idẽ incõstanti animo ab eadem defecit. Imo vero summa & planè singularis apparuit in tali adolescente cõstantia, qui dies ac noctes armatis hominib. circũsessus, tamẽ fugiendi facultatẽ assiduè captauit, vt quod vi metuq; coactus gesserat, liber & solut⁹ detestaretur. Sequitur: *Sæpius hæreticos perduelles & seditiosos ad arma cõtra Regẽ Christianiss mũ aduersus ipsum, & reliquos catholicos cõcitauit.* Latinitas istã Papalis eũ reliquis ipsius argutiis cõsentanea est. *Rex Nauarrus cõcitauit hæreticos cõtra Regẽ Christianissimũ, aduersus ipsum & reliquos Catholicos.* Sed sentẽtiam potius attẽdamus. Nõ enim cõtra, nec aduersus Regẽ Christianissimũ arma vnquã Rex Nauarrus cepit: sed aduersus Papę cõiuratos, & Papalis tyrãnidis socios, adiutores, administros: periuriorũ deniq; ac perfidiarũ auctores quẽadmodum Rex ipse quãplurimis edictis Pacificatoriis planissimẽ testatus est. Itaq; nefariã hoc loco Protocucullus noster potentissimis Galliæ regibus iniuriam facit: cum eorum Maiestatẽ mendacij arguere ausus est. à quib. toties in edictis Pacificatoriis declaratum est, bellũ à Nauarrenis & Cõdianis non aduersus se, sed pro sua dignitate & statu suo cõseruando susceptũ fuisse. Sequitur, *Ciues & incolas ad eandẽ impietatẽ capessendam minis verberibusq; cogit.* Capessere impietatem, genus est eloquentiæ Papalis. Coactum autem quenquã hisce viginti annis ad mutandã religionem, vel à Nauarrenis, vel Condianis fuisse, tam verum est, quam certum & exploratum, nullum vnquam in lupanaribus vrbis Romæ prostibulum impudentius Sixto quinto in profundendis mendaciis fuisse. Quanquam bene habet, & est

hisce Papæ habenda gratia, quod eos accusat, à quibus miseri captiui minis & verberibus ad mutandam religionem adiguntur. Nam, vt verissime Lactantius scripsit, *religio cogi non potest:* verbis potius quam verberibus res agenda est. Sed quoniam Lactantius illo loco ita disputat, vt de industria & Nauarri Regis, & Gallicarum Ecclesiarum causam agere videatur, operæpretium est illum disserentem audire. *Aduersarij,* inquit, *fingunt se hominibus pijs consulere, & illos ad bonam mentem velle reuocare. Num igitur hoc sermone, aut aliqua ratione reddita facere nituntur? minime: sed vi aeq; tormentis, ô mira & cæca dementia! in iis putatur mala mens esse, qui fidem seruare conantur: in carnificibus autem bona, in ipsis mala mens est, qui contra ius humanitatis, contra fas omne lacerantur?* an potius in iis, *qui ea faciunt in corporib. innocentium, quæ, nec sæuissimi latrones, nec iratissimi hostes, nec immanissimi barbari, aliquãdo fecerunt?* Et mox: *Et quoniam vi nihil possunt (augetur enim religio Dei quanto magis premitur) ratione potius & hortamentis agant: Procedant in medium Pontifices, quiq; sunt sacerdotes, & Antistites religionum. Conuocent nos ad concionem:* (Postulata hæc sunt Regis Nauarræ quotidiana, & sæpe Gallorum Regi delata) *Distringant aciem ingeniorum suorum: si ratio eorum vera est, afferatur: parati sumus audire si doceant. tacentibus certe nihil credimus, sicut ne sæuientibus quidem cedimus. imitentur nos, aut rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, vt ipsi obiectant: sed docemus, probamus, ostendimus. itaq; nemo à nobis retinetur inuitus. Inutilis est enim Deo, qui deuotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente. Doceant isti hoc modo, si qua illis fiducia veritatis est, loquantur, discant, audeant inquam disputare nobiscum aliquid eiusmodi: iam profecto ab aniculis, quas contemnunt, & pueris nostratibus error illorum ac stultitia irridebitur.* Quid potuit à Lactantio scribi pro rege Nauarro, & Gallicis Ecclesiis aptius, & ad horum nostrorum temporum rationem accommodatius? Pergit idem: *Longe diuersa sunt* inquit, *Carnificina & pietas: nec potest aut veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate coniungi.* Hactenus Lactantius. ex quibus quantopere inter se veterum illarum & nostrarum Ecclesiarum iura conueniant, perspicue intelligitur. Sequitur in Bulla Papæ: *Intimum quendam suum nefariis artibus suis instructum extra Galliarum fines misit, per quem cum primariis hæreticis impia consilia sua communicauit: eorumq; vires & arma contra religionem catholicam, & Romani Pontificis potestatem prouocauit.* Quem his verbis Cucullatus noster designet, nihil attinet dicere: vnum hoc subiungemus, quanquam is, quem Nauarri Regis intimum appellat, inter præcipuæ nobilitatis Gallicæ viros, dignum suo genere locum obtineat, Papa autem Sixtus v. nuper ex cucullatorum mendicitate ac sordibus emerserit, non tamen Nobilem illum grauaturum impudentis illum mendacij arguere: & hanc illi, si quam requirat, duelli chartulam mittere (honor sit auditorum auribus) sumpta ex Conformitatum suarum fol. 51. Diabolus tentauit Ruffinum, dicens: *Tu es damnatus, & ipse Franciscus est damnatus, & quicunq; eum sequitur, decipitur. Quod cum Ruffinus Francisco dixit, respondit Franciscus, Si iterum apparuerit, & iterum aliquid dixerit, dicas ei, scilicet Diabolo, Aperi os tuum, & ego stercorisabo in illud. Postea Ruffinus cum oraret, iterum apparuit ei Diabolus in specie Christi, dicens: Frater Ruffine nonne dixi tibi, quod non crederes filio Petri Bernardonis? cur te affligis? Et statim frater Ruffinus sibi dixit, Aperi os tuum & ego in ipsum stercorisabo. Tunc Diabolus indignatus cum furia & tempestate ab eo recessit.* Honor, vt præfati sumus, auditorum sit auribus. Sed istius os impudens monachi breui hac responsione verberandum fuit. Neq; enim vnquam nobilis ille apud vllos vel Regs vel Principes verbum vllum de bello cuiquam inferendo interposuit: sed tantum de constabilienda inter Ecclesias reformatas charitate & fraterna beneuolentia. Quanquam quis non videt, quanti totius Christianitatis intersit, impium istum & sanguinarium Ecclesiæ Christianę parricidam, fictarum religionum auctorem ac defensorem, conculcatæ Regum maiestatis cõuictum, & certissimum patrię nostrę incendiarium radicitus è terra viuentium auerruncari? Doluit quidẽ illi tantis vectigalib. spoliari, quę ex Dania, Suetia, Anglia, Scotia, Germania, & Heluetia superiorib. seculis auferebat. Sed nobilis, quem hoc loco perstrinxit, ait illum nunquã æque insanisse vt nunc, cum in periculũ amittendi Galliæ regni adductus est: idemq; fecisse, quod asini cicuta pasti, facere in Thuscia dicuntur: quos Matheolus scribit, tã arcto somno cõsopiri, vt plane mortui videãtur: adeo vt rustici plerunq; ad pellẽ detrahendã accedant, & partẽ eius prope dimidiã detrahant, priusquã asini excitentur. Verũ vbi ad mediam tergoris partẽ ventum est, tum illos repẽte in pedes exilire, & dimidia pellis parte propendente, fœdum faucib. ruptis rudorẽ edere: sic, vt rustici interdũ magno terrore afficiantur. Simillimũ hoc tẽpore Papę Sixti vlulatum videri, dimidia prope regnorũ suorum parte spoliati, & de reliqua desperãtis, ac iã collum in laqueum inserẽtis, nisi potentissimi Reges ac Principes, restituendę ipsius potẽtię causa, miserã Galliam cædib. atq; incẽdiis nouis cõpleant. Verum hęc quidẽ quantum ad Serenissimi Nauarrorũ Regis protestationẽ attinet, hactenus dicta sint. Quæ vero deinceps in eadẽ Bulla cõtra illustrissimi Principis Cõdęi dignitatẽ proprie ac separatim dicuntur communi hoc respõso satis refutata esse arbitramur. Criminatur eum Papa, quod vtroq; parente hęretico sit natus. Sicuti pręclarũ est laudari, sed à laudato viro: ita præclarũ est vituperari, si modo à vituperato & vituperabili nebulone id fiat: qualem & hunc cucullatũ ganeonẽ & nescio quos ipsius asseclas Cardinales esse cõstatià quibus ita fulmen istud Romę fabricatum est, vt quõdam à Cyclopibus fulmina in Ætna monte Ioui fabricabãtur. Quis enim nõ intelligit, quorsum hæc nefaria de vtroq; parẽte hæretico cõtumelia, proprie in Cõdęum Principẽ cõiecta, pertineat? Nam apud Canonistas regula est, ne filiis Hęreticorũ vsq; ad secundã generationem dignitas vlla Ecclesiastica mandetur. *c. quicunque* §. *Hæretici, & c. statutum. De hæretic. in 6.* gl. in *c.* t. in verb. *Regnum. Extrauag. de praebend.* Itaq; non dubium est, quin Sixtus noster hanc sibi viam Marranorum quorum

Anno 1586.

Anno 1586.

rundam consilio muniret, ad Cardinalatum & Sacerdotia illustrissimo Principi Carolo, Condæi Principis fratri, & iisdem hæreticis parentibus genito eripienda: quod illum speramus, qua prudentia est, perfacile animaduersurum. Sed iam ad reliquas Sextinæ Bullæ sententias pergamus. Nam paucis versibus interiectis, Papa eidem Principi Condæo suam dispensationem exprobrat, vt ei liceret matrimonium cum illustrissima consobrina sua contrahere. Quanta mentis cæcitas in tam impudenti mendacio cernitur? Princeps matrimonium illud, aliquã multis ante dispensationem illam Roma allatam mensibus, contraxerat. Dispensationem ipse nunquam petiit, sed armatis hominibus circumuentus, qui ei imperabant, vt Epistolæ ab ipsis scriptæ, & dispensationem postulanti manu sua subscriberet, paruit inuitus: eadem prorsus ratione, quam superius in Rege Nauarro, Principis ipsius patruele commemorauimus. Sed operæpretium est, considerare, qualis tandem hæc Papæ liberalitas fuerit, vt Principi consobrinam suam ducere liceret: quod matrimonium neq; diuino, neq; ciuili iure interdictum esse constat. Nam in eo libro cuius supra mentionem fecimus, cui titulus est, *Taxa Pœnitentiaria Apostolica*, absolutio Papæ pro eo qui in quarto gradu contraxit, taxata est grossis duntaxat decem & septem. Sic enim pag. 37. scriptum est: *Dispensatio super quarto gradu cõsanguinitatis de contrahendo vel cõtracto ignoranter, gross. 17. Super tertio & quarto gradu 27. Super quarto & quinto, gross 27. & debet concordare cum camera apostolica. Si verò contraxerint scienter, & consummauerint, gross. 21. & eodem modo de affinitate, gross 29.* Quid? an nõ Papa iam aliquoties contra manifestum diuinarum legum interdictum dispensauit, vt & patruo & auunculo cum fratris sororisve filia contrahere matrimonium liceret? quod tamen eo minus debet mirum videri, quia Papa Martinus v. habita (vt historicus loquitur) cum suis Doctoribus & Theologis consultatione, cum quodam dispensauit, vt sororem suam germanam impunè in matrimonium haberet. Nam hoc sacrilegium literis mandauit Anton. Floren. in sua *Summ. 3. par. tit. 1. capit. 11. §. quod Papa.* quem refert & sequitur Angel. de Claua in sua *Summa*, in verbo *Papa*, & Nicol. Boerius *in consil. 20. Vtrum Papa, num 26.* Et quoniam Papa sermonem de suis dispensationibus intulit, nõ prætereunda, ne illa quidem altera memorabilis dispensatio videtur, vt monacho liceat, deposito ad tẽpus cucullo, vxorẽ ad certũ tempus ducere: nempe vsq; ad procreationem sobolis: ne stirps nobilis sine prole deficiat: ea lege, vt simulatque proles suscepta fuerit, tum pater patratus demissis auriculis ad suum cucullum redeat qua de re videre Baldi testimonium licebit, in *l. si tibi filius, & l. si paterfamilias. §. in arrogationibus. D. de adopt.* Iohan. Andre. *in cap. aliàs legitimi*, & in *cap. semel Deo, de reg. iur. in* VI. Innocent. *in c. cum ad monasterium*, in verb. *licentiam*, & ibi Panorm. qui & alios antiquiores producit. *De stat. mona. b.* Petr. Anchar. *in consil. 3. 9. parum dubitationis*, Marian. *cons. 13. præsens consultatio. & cons. 28. circa primum* Guill. Benedict. *in cap. Raynutius* in verb. *Qui cum alia. num. 26. par. 3.* vbi notat Papæ potestatem esse, dispensare vt matrimonium temporale contrahatur. Talis igitur Papæ fuit liberalitas in permittendo monachis temporali matrimonio, quod ex Apostolo Paulo didicerat esse inter omnium ordinum homines maxime honorabile. Veruntamen ecce alia ex aduerso mirifica eiusdem siue parsimonia, siue seueritas. *Nam Papa Callistus* III. (inquit Boerius) *recusauit dispensare super coniugio Diaconi, qui allegabat se continentiæ donum non habere, neq; legi carnis posse resistere, atq; vxore carere: quamuis pro eo intercederet tunc Cardinalis Senensis, qui postea successit Callisto, dictus Pius secundus: vt in suis epistolis in Cardinalatu compositis testatur: scribens illi suo amico, alterum Papam expectandum esse, qui melior sit.* quam historiam idem Nicol. Boerius in eodẽ illo *cons. 20.* memoriæ prodidit. Hæc igitur ad illam dispensationis exprobrationẽ responsa sunto. Nam quod ad postremam Papalis Declarationis partem attinet, in qua conuocatim supradicti Principes bombis Papalibus conquassantur, excommunicantur, proscribuntur, eorumque regna, ditiones, ducatus, principatus, & iurisdictiones, primo cuique occupanti adiudicantur, satis iam superius demonstratum est, totum hoc nugarum genus eodem loco iampridẽ à maxima Christianitatis parte habitũ fuisse, quo Bernardonis & Dominici miracula hodie à plerisque Pontificiæ religionis studiosis habentur: quæ tamen religio ita Franciscanorum & Dominicanorum ordinibus, tanquam firmissimis columnis sustinetur, vt si columnas illas subrui paterentur, actum de sua religione existimarent. Sed de brutis illis Paparum fulminibus, iampridem contemptis, ac pro nihilo habitis, paulo vberius differendum videtur.

CAPVT XVI.

DE BRVTIS ET CONTEMPTIS PAPARVM FVLMINIBVS.

NAM, vt pauca è variis testimonia proferamus, cum Papa Bonifacius VIII. Regem Galliæ Philippum Pulchrum hac eadem inueterata audacia proscripsisset, Rex coactis Regni sui comitiis, de ordinum sententia decreuit, vt legati Papæ sordidati, omni dedecore infamiaque affecti, è regni sui finibus exterminarentur. *Bonifacius Papa*, inquit Laurentius Valla, *qui Cœlestinum tubis parieti insertis decepit, Regem Franciæ regno priuauit, regnumque ipsum (quasi donationem Constantini exequi vellet) Ecclesiæ Romanæ fuisse, & esse subiectum iudicauit.* Quid? Rex Philippus quo animo hanc illius insaniam tolerauit? cõmodius videtur, rem omnem ex ipsius Platinæ verbis cognoscere. *Bonifacius* (inquit Platina) *misit Narbonensem Archidiaconum, qui Regi minitaret, vt missum faceret Episcopum Apamensem. Id si non impetraret, diceret audientibus omnibus Regnum Franciæ ad Ecclesiam deuolui, adderetque anathema, & omnes Francos iuramento Regio absolueret.* An non hãc eandem proscriptionis formulam agnoscimus, quã Fanaticus noster Sixtus, in Rege Nauarro, & Principe Condæo proscribendis vsurpauit? Pergit Platina: *Interim verò*, inquit, *Philippus*

Rex

Anno 1586.

Rex Franciæ Bonifacij arrogantiam iniquo animo ferens, habito apud Parisios Ecclesiasticorum & nobilium magno conuentu, commemoratisq; iniuriis à Bonifacio acceptis, & eius ambitione, ac malis artibus ad occupandum Pontificatum, quem iniustè teneret, ad sedem Apostolicā, tum (vt ipse dicebat) vacantem futuramq; concilium appellauit. Qua quidē re percitus Bonifacius, habito generali concilio, Philippum eiusq; regnum Alberto Imperatori subiicit, quem initio Pontificatus sui repulerat. Tum vero Philippus superbiam hominis domiturus, Sarram Columnēsem in parte Massiliæ cognitū, à Pyratis redemptū, cum Nogaretio Gallo Equite fidissimo Romā mittit, hac ratione (vt ipse palam dicebat) vt appellationem suam publicarent. Verum eis longè alia mens fuit. Nam Sarra seruili habitu Latium ingressus, collectis vndiq; amicis, Nogaretum cum ducentis Equitibus Gallis mercede cōductis à militia Caroli Valesij Ferentinū præmittit, qui inde ei, si opus esset, præsidium ferret. Ipse verò Agnaniam clam noctu ingressus, adiuuantibus Gibellinis, quos Bonifacius diu multumq; vexarat, Pontificem nihil tale metuentem in domo paterna capit, refractis valuis, captiuumq; Romam perducit: vbi quinto & tricesimo die post, dolore animi confectus, periit. Hæc Platina: vbi etiam illud Iohānis Andreæ & Baldi subiungit, eum esse vt canē mortuum, qui vt vulpes ingressus, vt leo imperarat. Baldus in 1.1. *de nat feud.* Quo loco prætermittendum nō videtur, quod Bardocucullus noster in suo Conformitatum libro fol. 103. scriptū reliquit his verbis: *Papa Vrbanus Quintus iurauerat destruere ordinē nostrum, sed paulo post obiit: Papa Bonifacius octauus bullas innumeras fieri fecit, omnes eiusdē tenoris, vt de fratribus minoribus fieret, sicut de Templariis, vt ordo noster destrueretur totus vna die. Antequā ipsas mitteret, captus fuit, bulla cōbusta, & Papa infeliciter obiit.* Sed omissis nugis cætera videamus Ex his certè intelligitur, iam tum per ea tempora, id est anno CIↃ.CCC VI. Paparum insanas istas & furibundas proscriptiones, à Regib. Gallis contēptas, ac pro nihilo habitas fuisse. Neq; verò minor fuit Regis Caroli VI. virtus, circiter annū CIↃ.CCCCXVIII. Nam, vt ex Senatus Parisiensis Archiuis & Gallicis ac Germanicis Annalibus intelligitur, vt primum Martinus V. in concilio Constantiensi Papa factus est, non contentus tot tamq; magnis vectigalib. ac tributis, quib. freti duo superiores Antipapæ, tres itē superiores Antipapæ, aliquāto etiam ante quatuor Antipapę, funesta inter se bella, per 40. prope annos aluerant, noua insuper in Ecclesiis ac præsertim Gallicis, tributa imperare cœpit. Quo nuntio Rex accepto, confestim regni comitia de more habere instituit. In eo conuentu, re diu multumq; cognita & deliberata, decretum fit, vt nouum illud exactionum Papalium genus inhiberetur. Quod vbi Martinus Papa cognouit, repente legatos è suo comitatu in Galliam misit, qui Lugdunensi præcipuè ciuitati sacris omnibus interdicerent. Horum Papæ interdictorum (si quis fortè id nesciat) vis esse in illorum temporum caligine hæc solebat, vt templorū omnium valuę pręcluderentur, sacra nulla fierent, nullus esset religionis vllius vsus aut exercitatio, cāpanarum etiam sonitus conquiesceret. tantumne? Imò vero etiam mortuis cæmeteriorum sepultura denegaretur. Quibus reb. dici vix potest, quantopere hominū animi superstitione imbuti perterrerentur. Quid igitur factum est? statim de publici cōcilij auctoritate, & Parisiensis Senatus decreto pronuntiatū est, anathema illud pro nihilo habendum esse. Hæc recordētur, hæc cogitent, hæc meditentur, si qui in Gallia nostra, vel tam ignari atq; imperiti rerum, vel tam male erga summos Principes animati sunt, vt istam stultam & ridiculam Bardocuculli nostri monachi proscriptionem alicuius esse momenti arbitrentur: præsertim hoc tempore, quo paparum hypocrisis tota ferè Europa patefacta est. Nam idē fecit PERETVS noster, quod limaces solent hyeme præterita: quę vbi sentire Solē cœperunt, tum è suis cochleis tumidas ceruices, & bina cornua protendunt, quib. nōnunquam infantuli terrētur. Sic ille cōplures annos in suo monachali latibulo tacitus delituit, famem suam hostiatim mēdicando misere tolerans. Nunc vbi se in tantum honorem collocatum videt, reiecto de capite cucullo cornua insolenter ostentat, iisq; se terrorē Principibus ac Regib. illaturum sperat. Verum, vt diximus, iam pridem Principes pleriq; Christiani belluarum istarum cæcitatem norunt. iampridem quid inter leonem & asinum Cumanū intersit, didicerunt: neque Manduci latè dehiscentibus malis, & clarè crepitantibus dentibus, aut aliis generis eiusdem puerilibus terriculamentis mouentur. Memoriæ proditum est, eum quem modo dicebamus Galliæ nostræ Regem, Carolum sextum circiter annum CIↃ CCCXAX. pari animi magnitudine brutum Papæ fulmen despexisse. Nam eum propter prohibitas nouas quasdam & inusitatas Papæ Benedicti XIII. exactiones, ab illo proscriptus fuisset, de publici concilij, & ordinum sententia decreuit, vt Legati Papæ, qui bullam illam pueris & mulierculis horribilem, in Galliam attulerant, Lutetiæ hac ignominia damnarentur: primum vt hora ante meridiem decima, quo tēpore dimitti Senatus Parisiensis solet, ad Palatii gradus adducti adstantibus Episcopis aliquot, & magno sacerdotum numero, nudi ardentem dextra tædā tenentes, palā admissum ab se facinus cōfiterentur; eiusque veniam supplices peterent. Tum vt à carnifice pictis ad ignominiam vestibus induti ac mitellati, cum illius Papæ insignibus ad ignominiam inuersis, per celebriores vrbis vias lutulento plaustro circumuecti, plebis ludibrio exponerentur. quod & factum, & celeriter executioni mandatum fuisse, Parisiensis Senatus monimentia declarant, & refertur à Papontio in libro *Arrest. 1. titul. 5. articul.* 27. Quin etiam extat Doctoris Baldi auctoritas aduersus illam Benedicti XIII. temeritatem, *in capit. olim, colum. penult. Ext. de rescript.* vbi animosè atque acriter in illius temporis Antipapas inuehitur: quorum hic Benedictus Auenione, alter Bonifacius Romæ sedem occuparat: illumq; bouē boantem, hunc belluam bellantem appellat: atque vtrumq; acerrimè ac liberrimè insectatur. Quin etiā extat epistola vniuersitatis ac studij Parisiēsis apud Theod. Nihemiū, tract. 6. c. 7. vbi hæc prima requesta proponitur: *Quod laceretur*

& fian-

Anno 1586.

& frangatur litera Papę ad Bullæ modum confecta, tanquā iniuriosa, seditiosa, fraudulenta, ac Regiæ maiestati offensiua, cum protestatione ad maiora procedendi: & capiantur & detineantur omnes suggestores, fautores, receptores pro puniendo & corrigendo secundum Canones. Par Florētinorum ciuium virtus enituit aduersus Papā Sixtum IIII. cuius hic noster Sixtus V. & nomen sibi asciscendum, & exemplum imitādum putauit: quippe, qui ex eodem Bernadonicorum seminario prodierit. Nam cum Florentinos ob illum proditorē Episcopum, de quo supra cōmemorauimus, è curiæ fenestra suspēsum, proscripsisset, eosq; Ferdinando Siciliæ Regi in prædam addixisset, Florentini, cōtempto Papæ bruto fulmine, ac Duce Ferrariæ in belli societatem ascito, furibundi ac ferocis execucullati vesaniam cōpresserunt: eumq; ad obliterādū suum anathema bello atq; armis cōpulerunt. Quā historiam Raphael Volaterranus *lib. Geograph.* V. cōmemorat. Quinetiam extat cōsilium Franc. Aretini Iurisconsulti, per id tempus inprimis clari ac nobilis: in quo Florentinorū causam defendens his verbis vtitur: *Crimen quod infertur magnifico Laurentio de Medicis de rebellione, adeo manifeste refellitur, vt erubescam vocem summi Pontificis in hac parte. Nam ex literis suis scriptis ad eundē magnificum virum, de mense Septembris præteriti declaratur, quod de crimine illo habet eum pro innocente & innoxio, & quod nihil sinistri de eo suspicatus est. Vnde ergo beatissime pater, post paucos mēses etiam multa & enormia crimina in eum cōgeris, tu videris. Meum non est ponere os in cœlum. hoc tantum dixerim, In eo qui sedet in throno Dei non est satis honestum tanta varietate vti.* Hæc Aretin. *cons.* 163. *sicut Iohannes, nu.* 3. Dies nos deficeret, si Principes ac proceres, qui proscriptiones istas & inania tonitrua, fulmina, fulgetra, Papalia, etiam superioribus seculis, in tanta temporum caligine, cæcisq; tenebris cōtempserunt, persequi conemur. Imperator Ottho IIII. ab Innocentio proscriptus est. Henricus IIII. à Gregorio VII. Henricus V. a Paschali II. Fridericus I. Sueuus ab Adriano IIII. & Alexandro III. Philippus Friderici primi filius, ab Innocentio III. Fridericus II. à Gregorio IX. non semel, non iterum, sed tertium excōmunicatus est. Conradus IIII. ab Innocētio IIII. A quo vero primum istius audaciæ ac furoris initium natum fuerit, non satis inter historicos Germanos constat. Ottho quidem Frisingensis refert ad annum CIƆ. LXVI. quo Guilh. Angliæ Rex à Papa Alexandro secundo proscriptus est, lib. Chron. 6. c. 35. *lego*, inquit, *& relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta; & nusquam inuenio quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excōmunicatum.* At Iohan. Trithemius in Chronic. Hirsaug. c. 4. de Imp. Henrico IIII. scribens: *Is à Gregorio* VII. inquit, *excōmunicatus, & ab Imperio Synodali Episcoporum decreto fuit depositus: quamuis non curaret. Ipse autem primus est inter omnes Imperatores per Papam depositus.* Verum vtcunq; sit, (neq; enim ad id quod agimus magni interest, quo tempore hæc Paparum insolentia cœperit) constat omnibus seculis cordatos complures viros extitisse, qui tonitrua ista Papalia, tanquam Bruta fulmina, & aniles bombos, ac puerorum terriculamenta cōtempserunt.

CAPVT XVII.

DE NAVARRÆ REGNO A PAPA PRODITO.

NEque verò prætereunda hoc loco videtur execratio, qua Rex Galliæ Ludouicus XII. vna cum Iohāne Nauarro Rege, cognato ac populari suo proscriptus est. Nā anno CIƆ IƆ XI. quo tempore bellum illud, de quo superius commemorauimus, inter Papam Iulium secundum & Regem Galliæ Ludouicum XII. patriæ suæ parentem appellatū, vehementissime exarserat, ac tyrannus ille furiosus, eundem Regem brutis suis fulminibus terrere conabatur, eiusq; regnum prædæ ac direptioni exposuerat, regnabat in Nauarris Iohānes huius Henrici nostri proauus. Is cum & in Galliæ regno natus esset, & Galli Regis propinquus & propter magna, quę in ipsius regno possidebat feuda, eiusdem cliens ac vasallus, rogatus à Rege Ludouico est, pro senioris iure & clientelarum feudalium institutis, vt sibi aduersus hostem suum auxilium adduceret. Nauarrus sui erga Regem officii non immemor, mature coactis in suo regno peditum equitumq; copiis, tantum in Galliæ fines adduxit exercitum, vt regnum suum viris prope nudatum ac destitutum relinqueret. Qua re cognita Papa Iulius confestim cum Hispanorum Rege Ferdinando (cui tum primum Catholici cognomentum anno 1492. imposuit) per internuntios agere instituit, vt celeriter copias compararet, Regisq; Nauarræ absentis ditionem inuaderet: pollicetur q; se, & Nauarrum pro hæretico ac schismatico proscripturum, & ipsius regnum eidē pro præmio addicturum. Ferdinandus tantam rei gerendæ occasionem nactus, sibi non deesse statuit. Promulgata in Nauarrum Regem execratione, manus cogit: atq; in vicini Regis absentis fines ingressus, primum vrbem primariam, nomine Pompeiopolim, tum deinde maximam totius Regni partem occupat auctore, (vt dictum est) Papa Iulio, bono & sine vlla dubitatione idoneo: si modo in regula iuris, qua dicitur, eum iniuste possidere, qui prætore auctore possidet: pro *Prætore auctore*, scriptum esset, *Papa auctore*. Aliquanto post Rex Galliæ non ignorans Seniorem suo vasallo periculum illius euentus præstare oportere, (quod etiam Bellaius Langæus, Galliæ quondam clarissimum lumen *lib. Commentariorum primo* dilucide testatur) exercitum suum ad recuperandam Pompeiopolim misit, cui ducem præfecit Aquitaniæ præfectum Dunosium, Longouillanum Ducem. Sed quidnam & illo tempore & multis post annis acciderit, commodius visum est in aliud tēpus differre, & in libellum iis de rebus institutum cōferre. Nunc enim satis est intelligi, Regem Nauarrum, huius nostri proauum, non alia de causa Regno suo spoliatum fuisse, quam quia Regi Galliæ, propinquo suo, vicino suo, Seniori suo, à Papa Iulio excommunicato, proscripto, hęretico ac schismatico pronuntiato, debitū subsidium adduxerat. Cuius rei nō modo Galli omnes historici testes sunt, in his Arnoldus Ferronus, & Bertrandus Helias,

verum-

verumetiam Itali & Hispani, ac præcipue Stephanus Garibaius *lib.* 29. Franciscus Tarapha, & Antonius Nebrissensis *lib. de bello Nauarrensi* 1.*cap.*1.2.3. quibus locis non prætereunda videtur Hispani (vt vulgo loquimur) Pedantis arrogantia, qui Regẽ Galliũ, omniũ qui vnquam fuerunt & prudentissimũ & moderatissimum, tamen hoc verborum honore affecit (ca.2.) *Ludouicus*, inquit, *Gallorum Rex, homo more gentis suæ leuissimus, non contentus se intra pelliculam suam, hoc est intra regni sui fines continere, animum in Italiam iniecit.* Et paulo post: *Igitur Pontifex Iulius secundus, ira percitus, gladium ex Petri manibus corripit, in rebelles contumacesq; stringit, ipsos schismaticos ac proinde hereticos declarat: bona publicat: ad cuius sententiæ executionẽ Christianos Principes inuocat, atque imprimis nostrum.* Item cap. 3. *Igitur Hispani orbis moderator, verens Gallorum rabiem, Henricum Britannorum Regem (ad quem Aquitania pertinebat) hortatur, vt repetat bello: atque vt iustior esset repetendi caussa, Apostolica intercedit auctoritas, qua Gallum Aquitania priuat* (attendant senatores & cõsiliarij Regij in Gallia) *Britannoq; occupandã proponit.* Et mox eo loco vbi Papã cum Cardinalib. colloquentẽ inducit: *Iuuandus est*, inquit, *Rex Hispaniæ. In communes bonorum omnium hostes Gallum & Nauarrum Reges, noster vterque stringendus est gladius: atque dum secularem alterum acuimus, interim spiritualem alterum in schismaticorum ceruices intentemus. Itaque communi Cardinalium decreto Rex Nauarrus declaratus est schismaticus ac proinde hereticus: quia identidem admonitus pertinacius agebat, & se iam non obscure Gallum profitebatur, mulctatur regno & omnibus fortunis: non modo ipse, sed & vxor & filii cum omni posteritate sua, & in Hispaniam omne ius regnandi transfertur.* Hæc totidem verbis Hispanus Nebrissensis: ex quibus intelligitur, quo iure, quo auctore, & qua de caussa Rex Nauarrus regno suo spoliatus fuerit. Guicciardinus quidem lib. Histor. Italic. 11. his verbis suum ea de re iudicium exponit: *Hispanorum Rex*, inquit, *cum se Nauarra regnum legitime possidere alio nomine affirmare non posset, occupationem iure Pontificii imperij factam esse sacrosancta sedis auctoritate, differebat. Pontifex enim rebus in Italia feliciter gestis minime contentus paulo ante edictum in Galliæ regem promulgarat, quo illum non amplius Christianissimum, sed illustrissimum appellans eum & quotquot illi studerent, omnibus Hæreticorum & schismaticorum pœnis subijciebat: cuius fortunas regna, resque illorum omnes iure occupandi facta potestate damnatos declarabat.* In eandem quoque sententiam Arnoldus Ferronus doctissimus rerum Gallicarum historicus, & Burdegalensis quondam Parlamenti senator, his scribit verbis: *Ferdinandus*, inquit, *Rex Hispanus vbi fœdus inter Gallum & Nauarrum Reges initum intellexit, instructas copias, quas in Galliam ducturus erat, vertit in Nauarrum: atque hac caussa fuit Ferdinando vicini Regis eijciendi: quamuis alteram etiam prætexuit, quod edicto Pontificio & Gallorum Rex, & qui auxilium ei ferrent, impij pronunciati essent, eorumque regna publicata.* Hæc Ferronus, ex quib. fieri coniectura potest, quantũ illustrissimis Germaniæ principibus, atq; adeo Regibus Europæ omnibus, ex illa tam arcta Paparũ, & Maranicæ inquisitionis cõspiratione periculi impẽdeat. Nam ista cõpendiaria ratione, monachus aliquis, dũmodo vafro & callido ingenio sit, aliquandiu in Hispania (vt Sixtus hic noster) cõmoratus, & cũ Inquisitorib. Maranicis versatus, facere cũ illis fœdus & pactionẽ huiusmodi poterit, vt si eorum gratia & cõmendatione consequi Papatũ possit, tum primum quemq; Regẽ aut Principem, arrepta vndecunque occasione, schismaticum & hæreticum pronuntiet, regnum ipsius quasi feudum sedi Romanæ apertum & commissum illis adiudicet. Optandum est igitur, vt nobis tandem Rex aliquis heroico animo diuinitus detur, qui meretricem istam Babylonicam è sua sede deturbet, & Christianam Ecclesiam ex tam diuturna ac misera seruitute, in pristinam suam libertatem ac dignitatem vindicet: quã animi magnitudinem Ludouicus ille Rex noster 12. parens patriæ nominatus, ac seruitutis illius pertæsus, susceperat, cum post illam Papæ Iulij furibundam execrationem nummos aureos in Gallia, cum hac inscriptione cudi iussit: LVD. 12. D. G. FRANC. REX: DVX MEDIOLANI. tum ex altera parte insignia Franciæ & Mediolani coniuncta, cum hac inscriptione: PERDAM BABYLONEM. Quod nomen, si quis forte non intelligit, consulat *Apocalypsim Iohan. cap.* 17. & Hieronymum in *Catalogo*, vbi Marci meminit, & aperte scribit, Romam à Petro in Epistola priore, cap. 5. *Babylonis* nomine figuraliter intellectam. Itemque in prologo lib. de Spiritu sancto, vbi *Romam* aperte *Babylonem* appellat, *& purpuratam illam meretricem*, quæ in Apocalypsi designatur. Quod idem etiam confirmat in *Esaiam c.* 14. *& iterum c.* 47. *& ad Aglasiam in* 11. *quæst.* Qua de caussa Paula quoq; & Eustochium in ea Epistola, quam ad Marcellum scripserunt, similiter *Babylonis* nomine Romam appellant: nec obscurius idem Hieronymus in Epist. *Cum apud Babylonẽ*, inquit, *essem purpurata meretricis colonus: &c.*

Anno 1586.

CAPVT XVIII.

SVPERIORIS PROTESTATIONIS CONCLVSIO.

HIs igitur ita constitutis, superest, vt conclusa nobis hæc sit ratio: CVM PAPA SIXTVS V. septem grauissimorum scelerum nomine, à maxima Christianitatis parte damnatus sit, nimirum impietatis, occupatæ in Ecclesia tyrannidis, corruptæ religionis, sacrilegij, maiestatis, perduellionis, & falsi: cumq; superiorum suorũ insolentiam, audaciam, ac ferocitatem secutus, insanissimum hoc decretum contra omnia diuina & humana iura, falsis vsus allegationibus, sine vllo iudiciali ordine, stulte, stolide, atq; impudenter aduersus Serenissimum Nauarræ Regem & Illustrissimum Principem Condæum promulgarit, eosque spurcis & inauditis verborum contumeliis onerarit. cum eos Iræ filios, Hæreticos pertinaces, notorios, relapsos, in cœno volutatos, contra Regem Christianissimum rebelles, Ecclesiæ persecutores, prolem detestabilem, læsæ

diuinæ atq; humanæ maiestatis reos appellaret: atq; his de causis eosdem suis principatibus, ducatibus, dominiis, feudis, honoribus omnibus, & iure legitimæ in regno Galliæ successionis priuaret; cumque hæc illius abiudicandorum & adiudicandorum regnorum inueterata atq; effrenata audacia, perspicue ad omnes Europæ Reges Principes ac potentatus pertineat, periculumq; sit, ne qui alienorum regnorum cupidi atque appetentes erunt, deinceps per hanc excommunicationum & proscriptionum artem, aliis pacatis & quietis Principibus insidias moliantur: OB HASCE RES, supradicti serenissimi Principes protestantur, eundem Papam Sixtum V. pro impio, periuro, sacrilego, tyranno, confictarum religionum auctore, crudeli & truculento Ecclesiæ Christianæ parricida, importuno ac scelerato religionis hoste, certissimoque Antichristo habendum esse: rogãdosq; & implorandos Christiani orbis Monarchas omnes, Reges, Principes, potentatus, quiq; cum aliquo imperio vel legitima potestate sunt, vt iisdem Serenissimis Principibus ad comprimendos huius immanis tyranni furores, frangendosque crudeles ac furibundos ipsius impetus, auxilium ferre velint: suaque consilia & arma conferre ad illam humani generis pestem extinguendam, Remque publicam Christianam ab illo prodigioso atq; exitiali monstro liberandam. Interea supradictum Papam Sixtum V. pro intolerandis verborum immanium contumeliis, quas vecordi mente aduersus supradictos nostros Principes effudit, haberi diciq; à cunctis Christianis oportere, prodigium immanissimum, portentũ fœdissimum, ac monstrum non in vltimas terras exportandum, sed ex humanæ naturæ finibus exterminandum, tanquam certissimum, notorium, ac manifestum Antichristum: cuius exsecrato capiti, malam omnes Christiani pestem, exitium atque interitum imprecari debeant, vt quandiu anima maledicta in ipsius cadauere spirabit, tandiu piis omnibus sit (vt spiritus sanctus loquitur) ANATHEMA MARANATA. Et ne cui forte nostrum hoc imprecationis genus nouũ & inusitatum videatur, rogatos lectores volumus, primũ vt eorum locorum meminisse velint, quos superius ex Diui præsertim Bernardi libris deprompsimus: vbi Papatus Romanus, diserte, dilucide, nominatim appellatur Antichristus, Filius perditionis, Homo peccati, Dæmonium non modo diurnum, sed etiam meridianum, quod non solum transfiguratur in angelum lucis, sed extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Hieronymus autem Romam appellat Babylonem & Purpuratam meretricem. Deinde vt legant, atque attente considerent sanctionem Decreti Pontificalis sanctissimam, in c.2. dist.23. & c. si quis pecunia, dist.79. vbi statuitur, *vt qui vel pecunia vel gratia humana*, (qualem huius monachi gratiam Occidentalem fuisse constat) *vel populari tumultu vel quolibet ingenio* (id est ambitione & malis artibus) *Papatum adeptus erit, is non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur, & cum suis fautoribus & sequacibus à liminibus S. Dei Ecclesiæ separatus abijciatur, sicut* ANTICHRISTVS *& inuasor & destructor totius Christianitatis.* in quam sententiam audacter Canonistæ summo consensu scribere, ac palam profiteri ausi sunt, *Papam aliter quam Canonice electum: esse Diabolum, & habere claues non cœli, sed inferni.* Nam hæc Felini verba sunt *in capit. Ego N. de iureiur.* Considerent præterea Papas, Cardinales, & Episcopos omnes, qui annis abhinc amplius centum in Ecclesia Romana dominati sunt, ex certissimo schismaticorum & Apostatarum seminario profectos esse. Nam annus iam agitur supra centesimum prope quinquagesimus, ex quo Basiliense concilium summo Christianorum omnium ordinum studio ac voluntate celebratum fuit: Hoc concilio nullum vnquam aliud constat in Ecclesia Romana maiore adhibita solennitate indictum, habitum, & celebratum fuisse. Nam & duorum Paparum decreto indictum erat, nimirum Martini quinti, & Eugenij quarti, & eorum legatis præsidentibus habitum ac celebratum. Per idem concilium solenniter citatus & euocatus Eugenius, tandem adhibita summa & solenni causæ cognitione, fraudum, præstigiarum, machinationum, ac factionum aduersus eius concilij libertatem conuictus, tandem Papatu suo abdicatus est, & pro schismatico & Apostatico, vna cum Cardinalibus & Episcopis omnibus, qui partes ipsius secuti erant, exauctoratus. Amedæus autem Sabaudorum Dux in ipsius locũ suffectus. Audiamus cuiusmodi fuerit istius exitus tragœdiæ. Breui post tempore, ille ipse Eugenius damnatus, abdicatus, exauctoratus, tamen Principum quorundam gratia & contentione in suam sedem restitutus, Cardinales & Episcopos suarum partium omnes secum pariter restituit. Amedæus autem, & si non sponte, tamen galero Cardinalitio donatus, Papatu se abdicauit. Considerent nunc graues & cordati viri, secundum illam, quam modo commemorauimus, sanctissimam Decreti Pontificalis sanctionem, vtrumne Apostolicorum, an potius Apostaticorum loco habendi sint: vtrum cœli, an potius inferni claues habeant qui orti ex illo Eugenianorum seminario in Ecclesia Romana per hæc tempora dominantur. Quod vt commodius iudicari possit, operæ pretium est, Doctorum & Iurisconsultorum sententias cognoscere, qui aliquid hac de re scripserunt, atque imprimis Ludouici Romani, qui Basiliensi concilio interfuit, vbi cõsilium scripsit vltimum, cuius num.15. verba hæc sunt: *Si pastor pastorũ Ecclesiam scandalose regens & inordinate tractans, per Ecclesiam monitus, non mox resipiscat, imo in sua perseueret insolentia regendi, officio potest & debet exui. Cum enim ipse Ecclesiam non honoret, ipsum salubriter admonentem, nec tunc merebitur ab Ecclesia honorari: ita vt toleret ipsum scandalose regentem, atq; incorrigibilem. argumẽto eius, quod dicit Orator Domitius: & refert Hieronymus in Epistol. ad Neapol. sic inquiens: Cur ego te habeam vt Principem, cum tu me non habeas vt Senatorẽ? dist.95. c. esto subiectus. Est ergo veritas, Papã suis criminibus Ecclesiam notorie scandalisantem,*

Anno 1586.

tem, ac etiam manentem incorrigibilem posse apud Ecclesiam accusari, atque per illam denudari Papam. Quæ conclusio demonstratur vlterius sic: Papa stans in crimine notorio scandalisante totam Ecclesiam, nec desistere volens, incidit in suspicionem hæresis. c. nullus, 38. dist. sic dicente: Qui rebelliter viuit, & discere atq; agere bona recusat, magis diaboli, quam Christi membrum esse ostenditur: & potius infidelis, quam fidelis esse monstratur. Hæc Ludou. Rom. qui Basiliensi, vt diximus, concilio magna cum auctoritate interfuit. Vbi sunt qui disputant, Hæreticorum numero habendos, qui Paparum tyrannidi aduersantur? qui effrænatam ipsius in proscribendis Regibus audaciam diutius ferendam esse non putant? qui Sixti quinti impietatem in confictis Bernardonicis & Dominicanis religionibus tuendis detestantur? Sed iam alteram eiusdem summi viri auctoritatem ex eodem Consilio proferamus: nam aliquanto post numer. 17. ita loquitur: *Si ratio naturalis dictat, membrum incurabile totius corporis infectiuum pro salute corporis amputandum: pariter quoq; dictare debet ciuilis ratio, membrum incurabile, quod est totius Ecclesiæ mysticæ infectiuum, amputandum fore, ne reliquum corpus inficiatur aut scandalisetur; & consequenter Papam:* (adhibeatur in his legendis animorum æquitas, & comparentur hæc Lud. Romani verba cum illa nostra imprecatione ac detestatione) *qui etsi pars sit Ecclesiæ præcipua, tamen etiam est membrum de corpore ipsius Ecclesiæ, secundum gloss. in c. recte, 93. dist. Hoc etiam suadet ratio diuinæ scripturæ, approbantis asseuerationem Caiphæ principis sacerdotum, dicentis: Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat: cùm etsi foret Papa positus ad gubernationem populorum, non tamen esse deberet ruina illorum: dicit text. 11. q. 3. c. ita corporis. Imo tot mortibus dignus est, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittit, dicit text. ead. caus. & q. in c. præcipue. Sicut enim laudabile & discretum est, reuerentiam & honorem exhibere prioribus, ita rectitudinis & Dei timoris est, quæ in eis sunt, quæ indigeant correctione nulla dissimulatione postponere: ne totum corpus morbus inuadat, si languor nõ fuerit curatus in capite, dicit text. 2. q. 7. c. sicut inquit. Et hãc cõclusionẽ corroborat text. in c. in canonibus, 16. q. 1. & in d. c. sed illud. sic similiter, & ille extors debet fieri ab Ecclesia, qui Ecclesiæ admonitione nõ corrigitur: dicente Domino, Auferte malũ ex vobis. Ferro enim secãda sunt vulnera quæ non sentiunt medicinæ fomẽta. 82. dist. c. quia aliquanti. 1. q. 1. c. reperiuntur.* Hęc ad verbũ Ludou. Romanus. Ex quib. cũ illa nostra detestatione cõparatis, æqui lectores diiudicare poterũt, iure ne an iniuria tã animose tyrannicam istius Papæ audaciam execrati simus. Quinetiam illi Lud. Romani querimoniæ consentanea sunt, quæ Cardinalis Zabarella, circa annum CIↃ CCCCVI. scripsit tractatu de schismate, nu. 20. *De quolibet,* inquit, *notorio crimine Papa, si est incorrigibilis, & scandalisat Ecclesiam, potest accusari, quia censetur pro hæretico. not. in gloss. 40. dist. c. si Papa. nam hæc incorrigibilitas concernit causam fidei: vt in ead. gloss. Et si contingat, quod isti tueãtur se per potentiã tẽporalem, poterunt de facto coerceri, etiã per secularẽ potestatem, arg. de iudic. c. cum non ab homine.* Hæc Zabarella. Sed breuius Baldus in c. olim, col. pen. ext. de rescript. vbi sic scribit: *Contra Papam sua potestate abutentem, primo vtendum est verbis* (id est admonitionibus) *secundo herbis* (id est cõminationibus) *tertio lapidibus: & quod vbi non sufficit virtutis ingenium, ibi valere debet armorum præsidium.* Et in eandem sententiã Iason in cons. 95, requisitus. col. 4. *Papa,* inquit, *scandalisans Ecclesiam, licitum est resistere, & non est tolerandus etsi illa, 1. q. 7. & c. sunt quidam. 25. q. 1. Innocentius in c. inquisitionis, de sent. excomm. & in c. quanto, de consuet. Abbas in c. cum teneamur, de appellat. Item Hier. loquens de Papa in c. non omnes Episcopi, 2. q. 7. dicit, quod infatuatum sal ad nihilum prodest, nisi vt proijciatur foras, & à porcis conculcetur.* Hæc Iason nihilo, vt apparet, segnius, quam aut Lud. Romanus, aut Zabarella: cum tamen & in Italia, & in tãtis Ecclesiæ Christianæ tenebris hæc scriberent. Philippus autem Decius in eandẽ sententiam loquitur in consil. 151. maximi ponderis, nu. 4. vol. 1. *Quando Papa,* inquit, *est incorrigibilis in aliquo notorio delicto, pro quo Ecclesia scandalisatur. glo. in terminis in c. si Papa. 40. dist. tenet, quod Papa accusari possit. & de illa glossa maximũ fuit factũ fundamentum contra Eugenium 4. in concilio Basiliensi: & illa glossa communiter tenetur per omnes, vt Abbas dicit in c. significasti. de elect. & in disput. Episcopus & quidam rector: Vbi inquit, quod totus mundus approbat illam gloss. & illam glossam pluribus rationibus comprobat Ludouicus Rom. in consil. 523. Primo quia Papa qui in notorio crimine persistit & nõ vult corrigi in suspicionem hæresis incidit. 38. dist. c. fin. 86. dist. c. si qui sunt. & c. fin. de pœnit. Sed pro hæresi Papa accusari potest. d. c. si Papa. Ergo pro tali crimine. Secundo quia remouetur Episcopus ab Ecclesia particulari, vt scandalum tollatur, vt notat Innocent. in c. cum pridem, de renunt. idem à fortiori videtur dicendum in summo Pontifice, in quo est periculum vniuersalis Ecclesiæ. Tertio per auctoritatem Euangelij, Si oculus tuus aut pes scandalizauerit. de quo text. eleganter loquitur in c. illud sane, 24. q. 3. Expedit enim vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat. Ergo Papa incorrigibilis moriatur ciuiliter, ne tota Ecclesia pereat, quia Papa positus ad gubernationem populorum, non debet esse ruina illorum: vt tex. dicit 11. q. 3. in c. ita corporis. Nam tot mortibus dignus est, quot exempla perditionis ad suos transmittit, c. præcipue: 11. q. 3.* Quæ cum ita se habeant, iterum sine cunctatione concludimus, non modo anathema supradicti Papæ Sixti 5. propter temerarij iudicis incõpetentiam, falsæ caussæ allegationem, defectum ordinis iudicialis, & conceptæ sententiæ stultitiam pro nullo habendum esse: verum etiam, vt execrationes eiusdem Sixti in ipsius caput redundent, cum ipsum septem atrocissimis criminibus certissimisque testimoniis conuictum, cunctis Christianis esse deinceps oportere EXECRABILE ET DETESTANDVM ANATHEMA MARANATA:

AMEN.

SANCTISS. D. N.

SIXTI PAPÆ V.

DECLARATIO

Contra Henricum Borbonium assertum Regem Nauarræ, & Henricum item Borbonium, prætensum Principem Condensem, Hæreticos, eorumq; posteros & successores: Ac liberatio Subditorum ab omni fidelitatis & obsequii debito.

Ad futuram rei memoriam.



AB immensa æterni Regis potentia beato Petro, eiusque successoribus tradita auctoritas omnes terreoorum Regum, & Principum supereminet potestates, stabiliq; in petra consistens, nec vllis aduersantibus, vel etiam secundis flatibus à recto deflexa, inconcussa profert in omnes iudicia: & ne diuinæ maxime leges violentur, summa ope prouidet, & si quos ordinationi Dei resistentes inuenit, seueriore hos vindicta vlciscitur, & quamuis potentiores de solio deiiciens, veluti superbientis Luciferi ministros ad infima terræ deturbatos prosternit. Quare pro incumbenti nobis Ecclesiarum omnium, populorum, ac gentium sollicitudine, vt animarum saluti imprimis prospiciatur, & non solum famulatus nostri, sed etiam omnia futura tempora impiis ac detestandis monstris purgata cunctis Christiani Orbis partibus pacem afferant & quietem: & præsertim amplissimo Galliæ regno, in quo Christiana Religio omni tempore ita viguit; tantaq; Regum illius pietas, fides, ac deuotio; tot in Romanam Ecclesiam merita extiterunt; vt ij iure optimo gloriosissimum Christianissimi cognomen ab ea fuit consecuti; ac etiam ne nos de neglecta officij nostri cura vnquam apud Deum argui possimus, arma militiæ nostræ, quæ non carnalia sunt, sed potentia Deo in destructionem munitionum, nunc contra duos potissimum iræ filios, Henricum Borbonium quondam Nauarræ Regem, & Henricum Borbonium olim Principem Condensem exercere compellimur. Ille enim quondam Rex, Caluini errores, atque hæreses etiam ab ineunte adolescentia secutus est, pertinaxque earum patrocinium tandiu exercuit, quoad claræ mem. Caroli Noni Francorum Regis, & charissimæ in Christo filiæ Catharinæ Reginæ eius matris pientissimæ, atque etiam dilecti filij nostri Caroli tit. s. Chrysogoni presbyteri Cardinalis Borbonij patrui sui, & Ludouici Mompenserij Ducis, piis frequentibusque hortationibus, apertisq; eximiæ virtutis ac doctrinæ Theologorum demonstrationibus ad fidem Catholicam & Apostolicam Romanam (vt existimabatur) conuersus, hæreticas omnes contra fidem Catholicã opiniones Parisiis publice in Ecclesia damnauit, anathematizauit, & abiurauit, fidemque ipsam Catholicam expresse professus est; datisque subinde suis ad fe. re. Gregorium Papam XIII. prædecessorem nostrum literis, quibus eundem prædecessorem supremum Catholicæ Ecclesiæ caput iam agnoscens, ipsum supplex deprecabatur, vt pœnitentiæ, conuersionis, & obedientiæ suę confessionem acceptam habere, & anteactorum veniam, remissionisque gratiam concedere dignaretur: firmiter promittens se fidem ipsam Catholicam perpetuo integre, ac inuiolate seruaturum. Quibus literis, vtpote Regijs idem prædecessor credens & paternæ charitatis visceribus commotus, ac etiam grauissimo Regis, Reginę matris, Cardinalis & Ducis prædictorum de huiusmodi cõuersione testimonio adductus, illum ipsum pręteritos errores cõfitentem, veniamq; humiliter petentem à crimine hæresis & à censuris Ecclesiasticis propterea incursis absoluit, & in gremium Sanctæ matris Ecclesiæ communionemq; fidelium admisit, omni inhabilitate ab eo sublata. Quin etiam vt arctiori, & firmiori vinculo ligaretur, cum eo, & Margarita dicti Caroli Regis sorore, quæ ex illa Christianissima stirpe nata, atque alta facile maritum in officio, & Religionis Catholicæ obseruantia continere posse sperabatur, dispensauit, vt non obstantibus impedimentis tertii, & aliorum forsan inter eos graduum consanguinitatis, & cognationis spiritualis, matrimonium inter se contrahere possent, prout in facie Ecclesiæ cõtraxerunt; excursisq; deinde aliquot mensibus ille Iohannem Duratij Dominum Oratorem suum, qui nomine suo de pœnitentia, conuersione, fide & constantia sua in sedis Apostolicæ conspectu sponderet, ad dictum prædecessorem delegauit; habitoq; pro eo publico, solemnique in aula Regia de more consistorio, in consessu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Prelatorumque & aliorum frequentissimo concursu, professis omnibus supradictis, idem Henricus tanquam Rex recens ad fidem conuersus, & vt Catholicus admissus est, tota Vrbe exultante, & ingentes Deo de conquisita & inuenta oue gratias agente. Sed ille, vt erat vario & inconstanti animo, haud multo post à Catholica fide, & debita erga sedem Apostolicam obedientia, cæterisque à se expresse, & & cum iuramento professis deficiens, atq; in eo, quo prius erat, cœno reuolutus, à Rege Christianissimo clam se subducens, collectoq; in loco ab ipsius Regis aula satis remoto, quam potuit copioso hæreticorum sceleratorum, aliorumque id genus impiorum hominum numero, ibi ea omnia, quæ de Caluinismi detestatione, hæresum omnium abiuratione, ac Romanæ fidei Catholicæ & Apostolicæ professione antea fecerat, palam reuocauit: testificans, se Caluinismum ipsum profiteri; prout professus est, eiq; hæresi pertinaci, & obdurato animo semper adhæsit; &

in ea

in ea hucusq; viuens, sæpius hæreticos perduelles, ac seditiosos (quorum caput, dux, & propugnator in Gallia, & etiam exterorum hæreticorum acerrimus fautor semper fuit ad arma contra prædictum Carolum, ac etiam charissimum in Christo filium nostrum Henricum Regem Christianissimum, tametsi eum vt Regem, ac Dominum suum colere, vt sororium amare, & sequi debebat, omnis scilicet officij, ac pietatis immemor, aduersus ipsum, & reliquos Catholicos omnes concitauit, infestissimos exercitus, accitis etiam externarum nationum hæreticis contraxit, à quibus omnia passim loca cruentis piorum hominum cædibus fœdata, sacra Dei templa temerata & direpta, Sacerdotes, & viri religiosi cruciatibus trucidati sunt: oppida præterea, & munitiones Catholicorum partim insidiis, partim vi, & armis occupauit; & in eis Catholicæ Ecclesiæ ritus prohibuit, ac sustulit, ministros, & concionatores hæreticos constituit, ciues & incolas ad eandem impietatem capessendam minis, verberibusq; coegit. Sed ne hæc quidem satis sibi existimans, inter alios, intimum quendam suum nefariis artibus suis instructum, extra Galliæ fines ad diuersa loca misit, per quem cum primariis hæreticis impia consilia sua cômunicauit, eorumq; vires & arma contra Religionem Catholicam, & Romani Pontificis potestatem prouocauit; conciliabula quoq; hæreticorum in diuersis Prouinciis habenda curauit; quorum nônullis (dum iniquissima illa fœdera contra fidem Catholicam, ac præsertim contra Ecclesias, Clerum, & vniuersos Catholicos Regni Franciæ tractabantur.) ille non solum interfuit, sed etiam præfuit: Henricus vero Borbonius Princeps Condensis, vtroq; parente hæretico genitus, cum illi exitialia Caluini dogmata, eorumq; ministros pertinaciter in omni vita fouissent, eorundem, patris, ac matris secutus hæreses, consimilia facinora etiam adolescens perpetrauit: deinde eadem illa, qua alter Henricus, opera, viam veritatis pœnitentia, & humilitate cordis quantum conici potuit, arripiens, detestatisq; pariter, & abiuratis publice omnibus hæreticorum erroribus & deliramentis, fidem Catholicam, vt præfertur, professus est. Quibus ad eundem Pontificem perlatis, ac etiam pro eo similibus precibus porrectis, ipse prædecessor illum, ac etiam quondam Mariam Cliuensem prætensam coniugem suam, eodem tunc hæresis crimine infectam, simili modo pœnitentem, detestantem, ac profitentem ab hæresi & censuris huiusmodi absoluit, eosq; in gremium Catholicæ Ecclesiæ, fideliumq; cõsortium recepit; quinetiam ex paternę charitatis abundantia, cum eis, vt non obstante impedimento secundi gradus consanguinitatis, quo inuicẽ tenebantur, matrimonium inter se contrahere possent, dispensauit. Sed ille paulo post ad pristinam impietatem rediens, deterrimamque illam viam, quæ signata, & impressa erat vestigiis quondam Ludouici Condensis patris sui impiissimi Catholicæ Ecclesiæ persecutoris ingressus, eisdemq; vestigiis insistens, se quoq; hæreticorum ac consceleratorum hominum dicti Regni Galliæ ducem, & defensorem, bellorumq; ciuilium, ac seditionum auctorẽ præstitit; militum hæreticorum exterorũ copias in Galliam transduxit, Vrbes & oppida expugnare tentauit, Templa euertit, sacra violauit & populatus est, Sacerdotes indignis modis necauit; ministrosq; impietatum substituens, peruersam illorum doctrinam publicari, & custodiri iussit; & denique omne feritatis & sæuitiæ genus, tam in Dei ministros, quam in cæteros Catholicæ fidei cultores exercuit. Quæ omnia cum manifesta, publica, & notoria sint: cumq; nobis plene, & legitime cõstet. pręsertim ex processu tempore eiusdem fe. re. Gregorij Papæ prædecessoris nostri confecto, & aliis quamplurimis documentis, & grauissimis testimoniis, Henricum quondam Regẽ & Henricum Condensem prædictos notorij, & inexcusabilis criminis hæresis, & in hæresim relapsos, atque etiam hæreticorum fautoriæ reos existere; Nos gladium vindictæ contra eos pro officij nostri debito exerere coacti, vehementer indolemus, quod illum in hanc prolem detestabilem, ac degenerem inclytæ Borboniorum familiæ, in qua spectatæ Religionis candor, & virtutis decus, ac in sedem Apostolicam obseruantia omni tempore emicuit, pro his sceleribus conqertere debeamus. Itaque in præcelso hoc solio & in plenitudine potestatis, quam ipse Rex Regum, & Dominus dominantium, licet nobis indignis tribuit, constituti, auctoritate Dei omnipotentis, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, & nostra, ac de venerabilium fratrum nostrorum Sanctę Romanæ Ecclesię Cardinalium cõsilio, pronuntiamus, & declaramus Henricum quondam Regem, & Henricum Condensem supradictos fuisse, & esse hæreticos, in hæreses relapsos, & impœnitentes, hæreticorum quoque duces, fautores, & defensores manifestos, publicos, & notorios, sicque læsæ Maiestatis diuinæ reos, & orthodoxæ fidei Christianæ hostes, adeo vt nulla possint se tergiuersatione, aut excusatione defendere, ac proinde eos damnabiliter incurrisse in sententias, censuras, & pœnas sacris canonibus, & constitutionibus Apostolicis, legibusque generalibus, & particularibus contentas, ac hæreticis relapsis, & impœnitentibus debitas, & specialiter eosdem fuisse, & esse ipso iure priuatos, Henricum quondam Regem, videlicet prætenso Nauarræ Regno illiusq; parte, quam adhuc obtinuit, nec non Bearni; alterum vero Henricum, Condensi, & vtrumq;, eorumq; posteros omnibus, & quibuscunque aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Ciuitatibus, & locis, feudisque, & bonis etiã emphyteuticis, & successionibus, nec nõ dignitatibus, honoribus, munerib. & officiis, etiam regiis, ac iurisdictionibus, & iuribus, quæ de facto detinent, & ad quæ ius quomodolibet habuerunt, seu prætendunt, eosdemque propterea se illis reddidisse indignos, ac fuisse, & esse inhabiles, & incapaces ad illa retinenda, & alia huiusmodi in posterum obtinenda. Ac pariter eos ipso iure priuatos, & incapaces, ac inhabiles ad succedendum in quibuscumque Ducatibus, Principatibus, Dominiis, & Regnis, ac

ſpecialiter in Regno Franciæ, in quo tot atrocia & nefaria crimina patrarunt, ac Regno ipſi annexis dominiis, iuriſdictionibus, & locis, cæteriſque omnibus bonis, & rebus prædictis, & ad illa alias quomodocumq; acquirendum, prout etiam ex abundanti, & in quantum opus eſt, nos illos, illorumque poſteros priuamus in perpetuum, videlicet Henricum quondam Regem Regno Nauarræ, & illius parte, ac Bearni, & alterum Henricum Condenſi; at vtrunque, & eorum poſteros aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis, ac cæteris omnibus bonis, & rebus necnon iure ſuccedendi & acquirendi, aliiſq; prædictis vniuerſis, & ſingulis: ac etiam in perpetuũ inhabilitamus eoſdem, eorumq; poſteros ad illa, & ad ſucceſſionem in quibuſuis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis, & Regnis, & ſignãter in Franciæ Regno, & illi annexis omnib. ſupradictis, ſupplentes omnes iuris & facti defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdẽ. Quinetiam Proceres, Feudatarios, Vaſallos, Subditos, & Populos regnorum, Ducatuum, Principatuum, & aliorum Dominiorũ prædictorum, etiam alium ſuperiorem non recognoſcentes, ac cæteros omnes, qui illis quomodocunq; iurauerunt, à iuramento huiuſmodi, ac omni prorſus Dominij, fidelitatis, & obſequij debito perpetuo abſolutos eſſe, prout nos illos omnes tã vniuerſę, quam ſingulatim, auctoritate præſentium abſoluimus, & liberamus, præcipimuſq; & interdicimus eis vniuerſis & ſingulis, ne illis, eorumve monitis, legibus & mandatis audeant obedire: qui ſecus fecerint, eos excommunicationis ſententia innodamus eo ipſo. Cæterum eundem chariſſimũ in Chriſto filium noſtrum Henricum Francorum Regem Chriſtianiſſimũ per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti hortamur, rogamus, ac etiam monemus, vt memor pręſtãtiſſimæ fidei, & religionis Regum maiorũ ſuorum, quam quaſi hæreditatem longe ipſo Regno potiorem ab eis accepit, memor etiam illius iuramenti, quod in eius coronatione de exterminandis hęreticis ſolenniter pręſtitit, auctoritate, poteſtate, virtute, atq; animi magnitudine verè regia ad executionem tam iuſtæ huius ſententiæ noſtræ incumbat, vt ſcilicet in hoc quoq; gratum ſe omnipotenti Deo exhibeat, & matri ſuę Eccleſię obſequium debitũ perſoluat. Præterea omnib. venerabil. fratrib. noſtris Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Regnũ Francię, Nauarrę, Bearni, & alia pręnominata loco conſtitutis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, vt cum primum harum literarum exempla ad eorum manus peruenerint, illa publicari faciant, & quãtum in ipſis erit, ad effectum perduci curent. Volumus autẽ quod eædẽ præſentes noſtræ literæ ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ de Vrbe, vt moris eſt, affigantur, & publicentur. quodq; earum exemplis etiam impreſſis, ac notarij publici manu, & prælati Eccleſiaſtici, eiuſve Curiæ ſigillo obſignãtis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud vbiq; gẽtium habeatur, quæ haberetur ipſis præſentib. ſi eſſent exhibitę vel oſtenſę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ pronuntiationis, declarationis, priuationis, inhabilitationis, ſuppletionis, abſolutionis, liberationis, præcepti, interdicti, innodationis, hortationis, rogationis, monitionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, quingenteſimo, octogeſimo quinto; Quinto Idus Septembris, Pontificatus Noſtri Anno primo. *A. de Alexijs.*

Ego Sixtus Cath. Eccleſiæ Epiſcopus.



† Ego Ioan. Anton. Epiſc. Tuſc. Card. S. Georgij.
† Ego M. S. Card. ab Altaemps.
† Ego Io. Ant. Card. de Arag.
† Ego P. Card. Sanctacruſcius.
† Ego Gulielm. Card. Sirlitus.
† Ego Mic. Bo. Card. Alex.
† Ego Lud. Card. Madrutius.
† Ego N. Card. Senonenſis.
† Iul. Ant. Sanctorius Card. Seuerin.
† P. Card. Cæſius.
† Ego Hier. Card. Ruſt.
† Ego Io. Hier. Card. Albanus.

† P. Card. Deza.
† Ego Ant. Card. Caraſ.
† Ioan. Ant. Card. SS. Quatuor.
† Ioan Ba. Card. S. Marcelli.
† Aug. Card. de Verona.
† Ego Vinc. Card. Montis Regalis
† Ego M. Card. S. Stephani.
† Scipio Card. Lancelotus.
† Ego Fer. Card. de Medicis.
† Phil. Vaſt Card. Cam.
† Ego Vincent. Card. Gonzaga.
† Ego Fr. Card. Sfortia. S. Nicol.
† Alex. Card. de Montealto.

Anno à Natiuitate Domini 1585. indictione 13. Die vero 21. menſis Septembr. Pontificatus ſanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno primo, Retroſcriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ per nos Hieronymum Lucium, & Nicolaum Talliottum, ſanctiſs. D. N. Papæ Curſ.

Ioan. Andreas Panizza Mag. Curſ.

Ioannes Cayanus Cur. Card. Camerarij Apoſtolicæ Iborus Ful.

IVDICIVM CVIVSDAM BONI SORBONISTÆ; NON ADDICTI LIGÆ SVPER MONITORIO PAPÆ CONTRA REGEM CHRISTIANISSIMVM. Anno 1588.

MONITORIVM Papæ factum * Regi Christianissimo, consideratum & examinatum spiritu tranquillo & affectione ad veritatem & æquitatem tendente, vt omnino necessarium est ad bene iudicandum de quæstionibus & controuersiis inter homines incidentib. videtur potius spiritu quodã partialitatis humanæ, quam caritatis diuinæ dictatũ, cum in eo appareat vbiq; nimis ardens dispositio pro parte, ad quam admonitor habet interesse, & iudicium nimis præceps contra suam Maiestatem, quæ in miserabili statu constituta propter infelicem eorum conspirationem, qui sub falso prætextu religionis ei magnam sui regni partem interuerterunt, nunc constituitur in periculo suæ personæ & suæ vitæ. Vnde nemo quantumcunq; parum versatus in rebus vere Apostolicis sanctis & spiritualibus non offenditur tam tumido & inflato sermone & tam discrepanti à modestia discipulorum Domini nostri Iesu Christi, dum audet dicere: *Quod Deus tradiderit Diuo Petro plenitudinem potestatis Apostolica*, cum nunquam Christus eiusmodi quicquam dixerit, & diuus Petrus cauet sibi ab vsu talium præfationum. Imò diuus Paulus nunquam in Apostolatu minor ipso habitus fuit, nec reliqui Apostoli suam autoritatem à diuo Petro, sed immediate à Iesu Christo receperunt, nec antiqui martyres sui successores vnquam vsurparunt Dominatum super Cleto, sed contenti fuerunt, quod alii Episcopi darent eis titulũ *carissimi fratris*, recognoscendo eos consortes & participes eiusdem gratiæ diuinæ, non quod ipsi aut suæ sanctæ sedi submitterentur, ac si fuissent eius creaturæ aut ab ipso formati, quemadmodum audax iste sermo prætendit. Et prætarea vsus introductus non habendi pro Episcopis perfecte Catholicis, nisi eos qui magis à successore Diui Petri quam ipsomet Domino nostro Iesu Christo dependent, nonne id arguit, quod alii Apostoli debuissent recognoscere, se missos à diuo Petro, & nõ immediate à Iesu Christo, & quod hac ratione eorũ fides & authoritas tam alto gradu fuisset delapsa, quam fuit differentia inter Iesum Christũ & diuũ Petrũ? Nonne apparet, ꝙ his mediis laboretur vt demittãtur alij Episcopi, & vt ex iis fiant seruitores, cõtra expressam doctrinã & cõsuetudinẽ domini nostri, qui vsurpationẽ authoritatis & potestatis, vt rem tyrãnicã, & paganicã prohibuit, & voluit vt sui in eo inter se cõtenderẽt, quis eorũ humilitate & modestia socium suũ vinceret, & se per charitatẽ vsq; ad seruitia vilissima lauandi pedes demitterẽt, recognoscẽdo maioritatẽ & superioritatem, pro obligatione vtendi tanto maiori charitate, & nõ pro occasione arripiendi prærogatiuã super aliis? Nõ cõprehendis ex his modis loquẽdi & faciẽdi, quod amor sui ipsius & propriũ interesse multo magis hunc admonitorẽ quam publicum bonũ ei tam cordi est, quã seruit suis passionib. particularib. eadẽ licentia vim afferendi scripturę, & eam cogẽdi, vt seruiat suæ magnitudini, detegitur similiter ex suis dictis, quod *dominus noster fundauerit suam Ecclesiam super firmitate fidei S. Petri.* Quandoquidẽ dominus noster suam Ecclesiã fundauerit super firmitate fidei in Deum & in se, quod attinet ad sanctũ Petrũ eum laudauit, quãdiu audiuit & locutus fuit ex sentẽtia patris cœlestis; sed cum idẽ post sanctum illud respõsum sensu humano & non diuino loquebatur, minimè dissimulauit, quin eum Satanam appellaret, & retro ire iuberet, & totus iste sermo habitus cum sancto Petro laudat & commendat promissam ipsi anthoritatem officij aperiendi & claudendi cœlum, non fidelitatem Petri nec suorũ successorum, cum bene sciret Dominus noster, quam male sit fundatus qui in aliqua creatura confidit. Et quod tam diuus Petrus, quam successores eius non possent solum in fide vacillare, verum etiam abuti anthoritate ipsis concessa, aperiendo scil. iis quibus deberent claudere, & claudendo iis quibus deberent aperire portam cœli & gratiæ cœlestis. Hinc sibi reseruauit semper authoritatẽ eos corrigendi aut per medium Apostolorum aut aliorũ membrorum Christiani corporis aut sua manu, aut suo iudicio. Voluit quidẽ vt cognoscerentur pro suis ministris & dispensatorib. suorũ ministeriorũ, sed pro reliquo vt examinarẽtur, & haberetur cura vt essent fideles, ne suas res humanas & minus quã humanas ꝓ diuinis obtruderẽt, & vt discerneretur, an in suo officio fideles essent, an non, nobis dedit Regulam attendendi, an minister suam propriam gloriam, an Domini sui quæreret, ob id ꝙ minister infidelis præcipue curam habeat magnitudinis creaturæ; fidelis autem cõtra semper respicit honorẽ creatoris. Cum itaq; admonitor hic attribuat soliditati fidei S. Petri, ꝙ ad eam nõ pertinet, sed soli Deo & Iesu Christo, nos sumus certi quod non fideliter se gerat & gubernet, & quo minus ipse sui creatoris rationem habet, eo magis nos ipsius habere rationem conuenit.

Henrico III.

Quod reliquũ est, miserentes huius ministri, qui propria sua passione & cholera ita se agitari patitur, & cupientes, vt se respiciat & emendet, recordetur & meminerit, quod Christiani prudẽtes & discreti fidãt ei quantũ requirit fides in Deum & in Iesũ Christum, & quod nõ credãt Deo aut Iesu Christo propter firmitatem aut securitatem suæ fidei, aut eius fidei quã habuit diuus Petrus, aut aliæ creaturæ, & quod sint obligati ad audiendũ eos qui sedent in sede aut cathedra diui Petri, sed nõ ad faciendũ secundũ opera eorũ. Qua de causa cum cõmenta faciunt contra textum Euãgelij: & cõtra S. Spiritũ, loquendo per medium S. Petri & aliorũ Apostolorũ, ea commenta

Anno 1588.

ſant pro operibus eorum cognoſcenda & fugienda, probando eorum fidem & diſcretionem, & adiuuando plurimum publicum bonum in procurando, ne lex diuina falſificetur aut torqueatur, vt ſeruiat ambitionibus aut cupiditatibus hominum. Nam nimis craſſus error eſſet, credere quod claues traditæ Domino Petro & ſucceſſoribus eius eſſent adeo obnoxiæ fidei aut voluntati eorum, qui eas tractant, vt poſſint ſuo arbitrio aperire & claudere ſiue ius ſiue iniuria requirat; Et quod ab eorum fidelitate dependeret hominum ſalus & damnatio, & quod tam vtilis eſſet abuſus atque vſus huius authoritatis; & quod nō putarent ſe aliquo modo teneri ad reddendas de ea rationes præſertim Domino noſtro, qui ordinauit dictos ſuos miniſtros & procuratores, vt eum repræſentantes ius redderent in terris, non pro placito eorum ex iniuria ius, & ex iure iniuriam facerent, nec traducerent ad ſe fidem, & authoritatem, quæ debetur altiſſimo. Ideo tenendum eſt, quod ſententiæ terrenæ valent, ſi æquitate nitantur, alias non. Et quod improbus, cui aperta fuiſſet porta, abigetur cum dedecore. Et quod iuſtus, cui clauſa fuiſſet porta, intrabit medio Dei noſtri in cœlum, dedecus vero atque damnum cadent in Ianitorem temerarium.

Præterea animus huius admonitoris nimium affectionibus ſuis dediti cognoſcitur inſuper ex allegationibus verborum ex propheta Hieremia decerptorum, ob id quod ſanctus ille vir antequam ſcriberet hæc verba: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna, &c.* ſic ait: *Miſit Dominus manum ſuam & tetigit os meum, & dixit ad me, Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie, &c.* Vbi apparet, quod denuò faciat eum nuncium & portatorem ſuorum verborum, quæ continebant exterminationem & ruinam, quam conſtituerat facere. Et regnum fœlix, quod eiuſmodi ruinam ſubſequi debebat. Sed ideo inferri non debet, quod ſucceſſor diui Petri habeat *poteſtatem ſupremam ſuper omnes reges & principes totius terræ, & ſuper omnes populos, gentes & nationes ipſi conceſſam non ordinatione humana, ſed diuina.* Vt hic admonitor paulo audacius, ne quid grauius dicatur, iactat. Nam cum Deus & Ieſus Chriſtus reliquerint hominibus libertatem non credendi Apoſtolis, ipſi non habent poteſtatem & authoritatem in eos, qui ipſos nec cognoſcunt, nec cognoſcere, nec ipſis fidem adhibere volunt. Nam diuus Paulus dicit, quod ad eum non pertinebat iudicare extraneos, & quod Deus eos iudicaturus eſſet. Et conſtat, quod tam diuus Petrus quam ipſe, obſeruauerint principum infidelium, & pontificum Iudæorum, & quod nullam vſurparint authoritatem in eos, quin potius eis obediuerint, & alios ad eandem obedientiam exhortati fuerint. Cum Ieſus Chriſtus non alios quam voluntarios velit ſubditos.

Verum quidem eſt, quod qui non adhibebat fidem ſanctis Apoſtolis teſtibus fide digniſſimis, à quorum partibus erat Deus, qui cum ipſis miraculoſe teſtabatur implendo viſibiliter ſpiritu ſancto eos, qui eorum teſtimonio fidem adhibebant, merebatur grauiſſimam caſtigationem, monſtrando ſe improbum aduerſus creatorem, qui eos mittebat, & ipſis authoritatem dabat ad annunciandum toti mundo Euangelium beneficij Ieſu Chriſti; ſed hoc non tribuit tantam authoritatem pontifici Romano, quantam ſibi vſurpat. Et dum hoc modo ſacram ſcripturam tractat, plus perdit quam acquirit authoritatis, cum homines teneantur ipſi adhibere fidem, in quantum ſe fide dignum & miniſtrum Dei monſtrat. Et quod ad reliqua attinet, non eſſe opus timere eius minas & fulmina, cum appareat, quod ipſemet altiſſimus non honoret ipſius ſententias fulminatas indiſcrete pronunciatas, ſed potius efficit, quod tela per furias magis, quam per rationem iacta in ipſius caput & eorum, qui nimis ipſi fidunt, recidant.

Cum generaliter demonſtrauerimus, ſpiritum partialitatis & amorem ſui ipſius occupaſſe & mouiſſe cor huius admonitoris, nos in cauſa regis Chriſtianiſſimi conferemus effectus tali diſpoſitione, & fructus tali planta dignos. Nam etiamſi promittat imitaturū ſe patientiam & dignitatē Domini noſtri, nihilominus tam duriter & præcipitanter & tanta affectione & partialitate procedit, quod neceſſe ſit miſereri tanti prælati & miniſtri DEI, qui ita ſe exponat iudicio ſuorum aduerſariorum & inimicorum, & monſtrat per ſua verba ſola, quod iniuria ſit à ſua parte, ita quod pars per ipſum perſecuta ſub prætextu admonitionis non egeat ſui defenſione, quandoquidem magna illa perturbatio & horror, quibus ipſe fatetur ſe occupatum fuiſſe, dum reciperet noua de morte & captiuitate quorundam prælatorum, qui machinabantur contra ſtatum & perſonam ſuæ Maieſtatis Chriſtianiſſimæ, non debuerit mouere iuſtum iudicem & patrem communem ad condemnandum potius partem caſtigantem quam caſtigatam, donec bene de cauſa informatus eſſet. Et indignatio non in alium quam in reum cōuerti debuiſſet. Cum certum ſit, in materia ſtatus, quod rex nec poſſit nec debeat pati ſe præueniri, imò officium eius eſt, præuenire eum, qui contra ſe aliquid attentare vult, & quod prætextus religionis ſit quaſi ordinarius omnibus conſpiratoribus. Et quod prælati toties aut ſepius, quā alii homines, in eiuſmodi tentationes incidāt. Et quod noſtro ſæculo & aliis alii Cardinales hoc modo à regibus puniti fuerint, vt exemplū fratris Georgij non minus aptū quam recens receptū teſtatur. Si magni principes nō poſſint facere iuſtitiā de prælatis inſidias ſtruentibus eorum regnis & perſonis: Et quod Papa aut magnus Pontifex iis faueat non ſolum durāte eorum vita, & antequam ſint detecti & puniti, ſed adhuc poſt eorum mortem, quando crimen & peccatum eos ad ſupplicium ipſis debitum appellat, conſiderent omnes poteſtates, quam miſera ſit conditio capitum coronatorum. Quam audaciam inde arripient ambitioſi, & quam

Prælati à Regib. poſſunt puniri.

facile

facile erit sub prætextu religionis & curæ animarum inuadere reliquum bonorum & authoritatis, quod adhuc habent sæculares? Accipiant exemplum huius conspirationis, quæ fouetur & sustinetur in hoc regno à tempore nostræ Infantiæ, sub nomine sanctæ ligæ, & videant pericula, quæ minantur statibus eorum, si non liceat punire eos, qui hoc modo volunt tollere coronas à capitibus stemmatum & familiarum, quæ eas spacio sexcentorum annorum portarunt, & eas transferre in sanguinem alienum & domum extraneam. *Anno 1588.*

Deinde quis non videt cum prælati conscii sint omnium nostrorum Secretorum medio confessionis, habentes oportunitatem se iungendi cum inimicis nostris, & tecte struendi suas machinationes fallendo quam plurimos homines sub colore religionis, quam facile ab iis opprimeremur, si magnus pontifex eos defenderet & excusaret eum ea partialitate, quam hic in scriptis videmus, & quam experti sumus, & quotidie per effectum experimur? Quis ignorat omnes principes habere inimicos, male contentos & competitores in eorum statibus, qui nouerint vti occasione, si certi sint pontificem & ordinem Ecclesiasticum se à partibus suis habituros, quoties aliquem prælatum suæ factionis habebunt? *Cõfessionis auricularis secreta in perniciem Regis.*

Nos videmus, qua securitate & audacia Papa appellet suam Maiestatem Christianissimam ad pœnitentiam & recognitionem sui erroris, ac si nemo præter eam, iniustam fouere posset causam. Nos videmus, quod sententia sit lata, antequam causa sit intellecta aut examinata, & quod pro habenda iusta causa apud hunc iudicem sufficiat esse suæ factionis. Nos videmus, quam Imperiose mandet in Libertatem constitui caput factionis suæ Maiestati inimicæ, quod cum ea concurrit ad tollendam ei coronam, quod minatum est ei detensionem in monasterium.

Nos videmus, quod Papa, qui sustinet personam iudicis & patris communis, se aperiat pro parte inimica Regis sine vllo freno aut retinaculo pudoris aut æquitatis. Nos videmus, quod sub prætextu admonitionis suscipiat protectionem rebellium & seditiosorum tanto calore, quo maiori nõ possent eorum complices & socij. Nos videmus, quod exprobret suæ Maiestati, quod expectarit sex mensibus, quibus se recolligeret, semper tamen præsupponit quod suæ excusationes sint vanæ, & quod male fecerit, sumendo supplicium de suis rebellibus. Et ne quid omittat in factis & dictis, quod spiritum suum affectibus laborantem & cœcum cholera detegat, vult quod ea admonitio sola seruiat pro tribus cum termino solum decem dierum pro oneribus tribus contra formam Iuris & iustitiæ sine induciis ad respondendum primæ admonitioni, & sine induciis cogitandi aut consilium capiendi, vt is qui maxima qua potest furia verberat & tam submisse dicit, *Caue caue*, quod Verber non possit præuideri nec auerti.

Est itaque hæc magna illa patientia similis patientiæ diuinæ, qui cum tanta longanimitate conniuet & expectat peccatorem?

Est hæc æquitas & benignitas paterna in supremo pastore requisita & necessaria?

Est hic respectus, qui habetur erga filium Ecclesiæ natu maximum? Est hic honor, qui fit sanctis pontificibus, qui hanc coronam titulo Christianissimi honorarunt?

Est hæc gratitudo & recognitio benefactorum antiquitus à Galliæ Regibus receptorum, qui Romanis pontificibus donarunt principatum ipsorum temporalem bonæ partis Italiæ?

Est hæc recompensa, quæ redditur Regi, quod frequentissime suam personam & suum regnum in maximum coniecerit periculum, vt procuraret, quod Papæ retinerent suum gradum in Francia?

Est hoc obseruare mandatum diuo Petro datum, vt misereretur eius qui eum offenderet, non solum septies, sed septuagesies septies? Est hæc humilitas & modestia conueniens *cuidam nuper à cura & custodia animalium ad custodiam & pastoratum gregis IESV CHRISTI vocato? Sunt hi modi & mores similes illis, quibus filius Dei noster æternus pontifex vsus est, qui dedit quadraginta annos pro termino se recolligendi pontificibus, qui cum maxima iniuria eum crucifixerant? Sunt hæc media ad obstruendum os infidelibus vita iure reprehensibili & sanctitate Apostolica? Est hæc via reduendi ad vnionem Ecclesiæ decem aut duodecim Regna, quæ hoc seculo propter vitam scandalosam & prauos mores Ecclesiasticorum, & præcipue pontificum Romanorum, sunt alienata? ** Sixto V. Papa qui fuit in pueritia subulcus.*

Sed fieri potest, quod nolit audire causam Regis & eorum, qui sumpserunt supplicium de rebellibus? Imo contra vult insuper hoc medio maiorem captare occasionem fulminandi contra eos. Nam citat eos ad comparendum intra sexaginta dies, & vult quod vna citatio seruiat pro tribus, & quod interim Rex se intelligat ita excommunicatum, quod non possit absolui nisi à Papa, & annullauit omnes leges, omnia priuilegia, omnes exemptiones concessas à pontificibus præteritis, & per semetipsum. Non vult quod ius humanum aut diuinum valeat, quod promissa sua aut aliorum teneant, quod nec fides nec iuramentum sit alicuius roboris aut potestatis contra suam choleram & passionem præsentem. Quis vnquam audiuit inimicum durius suum inimicum excipere, quam hic suum filium deuorat? Quis vnquam habebit iustam causam sub indice tam alienato per primam impressionem & per affectionem ad suam partem? Quomodo fieri potest, vt ex Gallia Romam in sexaginta diebus curratur ad informandum de nouo cum, qui iam male informatus est & formalizatus pro parte vna & adeo interessatus?

Quæ rationes & leges poterunt apud eum allegari, qui per vnum *non obstantibus, &c.* deiicit & cassat omnes leges diuinas & humanas, promissa facta per alios & per semetipsum, sententias

omnium

Anno 1588. omnium iudicum & omnium tribunalium, consuetudines suarum & aliarum ditionum, testimonia fide digna, scripturas sacras & prophanas & authoritatem & maiestatem regalem & imperialem, vt & priuatam.

Sed laudetur deus & Dominus noster Iesus Christus, qui cum esset sapientia & ratio patris supremi, noluit nos quicquam timere magis quam rationem, & reseruauit appellationes ab iniuriis nobis in terra illatis ab iis, qui in sublimibus locis sedent, vt dicant ius populis. Propterea ordinauit quod à Papa male informato ad eundem melius informandum & spiritus sedationis possit appellari. Et si negotium sit cum pertinacibus & obstinatis, quod ab ijs possit appellari ad concilium, & eos per leges diuinas & naturales, quas pessime dare vellent, eo compellere.

Et idem Deus nos docuit in resolutione Regis Salomonis per ipsum sapientia diuina impleti, quomodo Supremi pontifices conspirationes contra Maiest. regalem manutenentes possint per eandem deponi & mutari: Quandoquidem Salomon iuuenis 14. annorũ Abiathar magnum pontificem abdicauit, & in eius locum stabiliuit alium, quia ille in eo laborabat, vt deuolueretur corona in quendam sanguinis regij alium, quam qui erat destinatus & sacratus. Nam pontifices & reges sunt dati populis ad pascendum eorum animas & corpora, & debent se mutuo in seruitio religionis & diuinæ rationis iuuare.

Sed dum nata est dissensio inter pontifices & reges, is qui iniustam habet, debet ab eo castigari, qui iustã habet causam. Et ideo videmus, quod idem Deus medio bonorum pontificum refrenauerit & castigauerit reges, item quod medio bonorum regum tenuerit in freno & puniuerit pontifices, vt apparet vltra exemplum de Salomone citatum. Quod Otto Imperator deposuerit Iohannem. Et quod Sigismundus deposuerit de sede Papali Ioannem 23. & duos alios.

Cum itaq; Deo semper omnino placeat, quod homines rationales se ratione gubernent, & ratione finiant suos processus & querelas, nec desit suo fauore rationi contra iniustam causam, quoties ad iustam collationem & disputationem venitur. Ideo cum consilium liberum sit post Deum supremus Iudex Christianitatis, eo appellando sua Majestas Christianissima suspendet omnes censuras Ecclesiasticas, cum nihil debeat innouari pendente appellatione. Et in eo consilio sperabit se habituram rationem de iniuria, quæ ei affertur. Et si desit ei iustitia in terra, eam expectabit sine dubio à summo pontifice cælesti Iesu Christo; qui cum sit rex iustissimus, non deerit sustentationi iuris regij in quantum opus est. Vnde sua Maiestas Christianissima nunquam recedet, Amen,

Amen fiat.

PIVM



PIVM

CONSILIVM SVPER

PAPÆ SFONDRATI DICTI GREGORII XIV. MONITORIALIBVS VT VOCANT BVLLIS, ET EXCOMMVnicationis, atque interdicti in Galliæ Regem, Ecclesiam, & regnum minis, è Francorum maiorum nostrorum exemplis in rebus iisdem repetitum;

A TVSSANO BERCHETO LINGONENSI E GALLICO IN Latinum sermonem conuersum.

Psalm. 109.

Maledicent ipsi, & tu, Iehoua, benedices:
Insurgent, & pudore afficientur.

HENRICO IIII. CHRISTIANISSIMO GALLORVM ET NAVARRORVM REGI

Tuss. Berchetus S.D.



VI *rei veritate ac iustitia, & firmis vtriusque propugnandæ fundamentis nituntur,* HENRICE *Christianissime, illi nec lucem, nec forum, nec iudicem, nec disputationem refugiunt: sed in causa sua defensione recta via, ratione nimirum, iure & modestia progrediuntur, vt præter victoriam, quam merito sperant, moderationis etiam laudem consequantur. Contra, quibus iniusta causa est, nec verisimilis vlla illius, quo iure quaque iniuria defendenda facultas, ii pro argumentis & exemplis optimis, quibus deficiuntur, contumelias, vim & violentiam non iniuste tantum, sed proterue etiam sæpenumero adhibent, iniustitia simul & petulantia insignes. Ita nimirum, exempli causa, in scholis (vt à minimis ad maxima sensim progrediar) vsuuenire videmus, vbi qui vel ingenii exercẽdi ostentandiq; vel veritatis illustrandæ gratia disputant, nec habent vnde quod volunt efficiant, ad clamores, ad rixas, ad pugnos & pugnam veniunt: fitq; vt, qui insana vociferatione, petulantiq; contentione vicerint, iudice vulgo, quod ea miratur & probat, eruditiores habeantur. In foro idem dicendum: vt enim eruditus & iusta causa vindex patronus grauiter & modeste causam agit: sic ineptus rabula & veritate & ratione destitutus, iniuriis complet forum, ridiculis tergiuersationibus causam eludit, clientem frustratur, furiosis clamoribus auditorum aures obtundit, iudicum etiam animos enecat: qui tamen corona plerumque imperita opinione, bene dicendi palmam refert. In templo etiam, qui Spartam, quam nacti sunt, digne ornare, & susceptam probandæ atque illustrandæ veritatis prouinciam, muneris sui functioni auditorumque expectationi conuenienter, tueri non possunt, quia nulla veritate nituntur, pro frugibus obtrudunt famelico populo siliquas, pro luce tenebras offundunt, pectus præ dolore aut furore potius tundunt, pulpitum feriunt, vociferantur, in veritatis assertores contumelias despumant, fulmina contorquent, eosque ad fasces & secures, ad ignes & sæuissimos quosque cruciatus damnant. At veri piique Ecclesiastæ, etsi vitia & errores paulo acrius reprehendant, modestiæ tamen fines non excedunt, veritatem, quam profitentur & tenent, docere contenti. Siquid autem occurrit, quod in quæstionem iure vocari possit, in campum lubenter descendunt, disputationis eruditæ & modestæ certamen nec declinant, nec detrectant: sed pedem amice conferunt, loca locis, argumenta argumentis, exempla exemplis, tempora temporibus, personas personis opponunt: vnde controuersia vtrinque diligenter excussa & disceptata, veritas elucescit & confirmatur, quæ postea ad Dei gloriam & publicam salutem fletur. Ne te, ô magnanime Rex, tam multis magnisq; rebus iam intentum & omnino affixum pluribus morer, in tua perduelliumq; causa hoc ipsum perspici potest. Illi enim, vt ab iis dicendi initium faciam, & in te mox desinam, iniustissimam regni alienationem, conflata iamdudum omnium ordinum coniuratione, perfide moliuntur: ac ne, quod palam (bonorum quidem omnium iudicio) nefarium & impium est, id nulla causa freti aggredi videantur, religionis nomen coniurationi suæ obtendunt: speciosum sanè prætextum, quo plerique delusi & pæne dicam fascinati, sceleratam hanc cum perduellibus istis euertendi regni societatem ineuntes, viui videntesq; pereunt. Hæc illorum causa est. Quo tandem modo eam defendunt? armis, incendiis, rapinis, cædibus, venenis, mercenariis, homicidiis, sacrilegiis, dum nec sacris rebus (quarum vindices videri volunt) nec profanis, nec sexui, nec ætati, nec personis, nec dignitati, nec tuæ etiam, quam revereri & colere imprimis debuerunt, maiestati parcunt, non tuo tantum regno (cuius maximam partem occupatam tenent) inhiantes, sed tuæ etiam insidiantes saluti. Saltem si in sua causa propugnanda paulo moderatius & humanius, vt patriæ religionisq; studiosi aliquantulum viderentur, se gererent. At eáne est recta & legitima religionis propugnandæ, & hæreseos, cuius tuam Maiestatem falso insimulant, sanandæ & extirpandæ via? Ad has etiam tam multas iniurias accedunt Papæ Romani Bullæ, & contorta in te tuosque omnes fulmina, quibus téque vulgo rerum imperito odiosum & execrandum reddere, tuosq; tibi addictissimos ciues à tua, si possent, salutis & dignitatis propugnatione auocare tentant. At, ô Christianiss. & potentiss. Rex, & tua causa iustissima est, & sancta legitimaque illius defendendæ ratio. Regni enim successio in nullam tam controuersiam dubitationemque vocatur. At de religione, inquiunt, agitur: Verum religio non armis, sed argumentis diiudicanda est: non perduellione, sed sacra scriptura vindicanda: non impio bello, sed pio concilio illustranda & comprobanda est. Rationi autem, scripturæ sacræ, concilio iampridem te erudiendum offers, iisque libenter cessurum & regiè & sanctè afferis:*

Anno 1591

asserit: vt grauissimis scriptis sæpe testificatus es, & præcipue Declarationibus aliquot (fidelissimis tui candoris, ingenij, consilij & propositi testibus) quas ideo non ita pridem Latinas feci, vt non Gallis tantum, sed alijs etiam omnibus, ad quas ea peruenirent, caussa tua veritas & æquitas pateficeret. Præterea tum vir quidam pius & eruditus, idemq; tui obseruantissimus edito lingua vernacula libro erudite caussam tuam confirmasset, & omnia, quæ contra obijciuntur, vere ac perspicue refutasset: illum ego eadem ratione motus, in Latinum etiam sermonem conuerti, vnde cæteræ nationes abunde discerent, quam iusta tua caussa esset, & quam iniusta horum bellorum occasio, vt re tota penitus comperta, ad iustissimam tui defensionem vna tecum suscipiendam excitarentur. Cum enim coniurati isti nec rei veritate, nec iustitia, nec pietate, nec consilijs, nec æquissimis à te propositis conditionibus à nefario suo consilio abstrahi possint, sed iniustis armis regnum tuum magis ac magis vsurpare, & ad Hispanum transferre pergant, atq; in ea re modis, artibus, machinisq; omnibus enitantur: Æquum est profecto atq; adeo necesse, pientissime Rex patriæq; amantissime, vt, si & tuæ, & tuorum, totiusq; regni saluti consultum velis, iustam causam iustis rationibus necessarijsq; armis propugnes, regnum tuum è luporum istorum faucibus eripias, bonos tam indigna & atrocia tecum passos recrees, eos patriæ, ijsq; patriam restituas: atq; pietatem & iustitiam (quo tua consilia & arma omnino spectant) coniuratorum perfidia & pertinacia afflictas ac profligatas erigas & stabilias, pacemque solidam, quantum in te erit, constituas. Ast restat vnus non tibi quidem, qui meliora & sapis & sentis, sed tuis tum Gallis, tum externis etiam aliquot, veteris historiæ & cognitionis rerum non satis peritis, à Sfondrato nuper iniectus scrupulus, vnde fortasse aliqua caussa tua minus constanter ab illis propugnandæ occasio nasci possit. Verum huic quoque malo ab eodem superioris libri auctore, præsens hoc pio simul & erudito libello remedium adfertur, quo bullarum istarum vanitas ostenditur, infirmiorum animi aduersus hos inanes metus confirmantur, atq; ad caussam tuam alacriter fortiterq; defendendam tum optimis, tum verissimis exemplis edocti excitantur. Libri huius probe intellecti vtilitas & necessitas, tum piorum tuiq; amantissimorum virorum, qui de eo Latine vertendo mecum egerunt, consilium & auctoritas: denique (quod dicere primo debui) summa mea erga tuam Maiestatem obseruantia, illique obsequendi & patriæ pro mea parte consulendi voluntas huc me adduxerunt, vt eum etiam in Latinum sermonem conuerterem: vnde Germania quidem tota, Anglia, Scotia, Heluetiorum gens in fide, in sancta hac societate, in proposito susceptoque nostri defendendi consilio permaneant: magna vero Italiæ pars, & Hispania tota huius regis & regni, immo Christi & religionis veræ hostes, aut sapere discant, aut quod nobis exitium machinantur, sibi ipsis certo impendere sciant. Tu vero, rex Christianissime, optima conscientia, caussæ æquitate, bonorum omnium precibus, fortissimorum populorum tum Gallorum tum externorum præsidijs, sed Dei inprimis, cuius & caussa (nō tua tantum) & nomē & cultus hic aguntur, bonitate & misericordia, iustitiaque nixus, ridiculis istis Bullis, & infestis hostium armis contemptis, fortiter, vt facis, in hanc caussam incumbe: nec prius à iustissima tui, regniq; defensione pie & necessario à te suscepta desiste, quam hac tota coniuratione, coniuratisq; omnibus funditus extinctis, Deo suus honos, Ecclesiæ sua dignitas, Galliæ sua libertas per te tuorum votorum compotem factum restituatur & constet. Quod Deus Opt. Max. quo tu præcipue vno & niteris & confidis, faxit, ac vitam tibi tuisque omnibus longissimam & felicissimam largiatur. Vale ô Rex Christianissime, atq; hunc (quem mihi vnum vendico) vertendi alieni operis laborem à me tua gratia susceptum, tuæque etiam Maiestati dicatum, summisseque oblatum pro tuo singulari candore, & vere regia humanitate, serena fronte accipe. Sedani è Museo nostro 2 Augusti, 1591.

Anno 1591

Tuss. Berchetus pio & candido Lectori S.

MIRANTVR hodie multi quonam malo genio, quoue fato nostro bella hæc ciuilia aut nata sint, aut alantur tandiu, & magis indies augeantur, itaque propagentur & confirmentur, vt nullis quæcunq; opponantur nec opibus, nec viribus, nec rationibus, nec machinis labefactari, percelli, interireq; omnino possint. Non abs re quidem id mirantur, & dolent etiam, ob rei, quæ tam multa secum mala inuehat, & pietati iustitiæque interitum minetur, diuturnitatem & magnitudinem. Verum si admiratores illi, & animorum nostrorum prauitatem, & corruptelam morum, & vitæ labem, ac grauissima, quibus ea tota scatet ac sordet, vulnera sibi ob oculos ponant, & quod proximum est, in tot ac tantis, quibus laboramus, morbis nullam fere sanitatis speciem & spem reliquam esse considerent, non amplius mirabuntur: sed dolebunt nihilominus, quod de morbis nostris curandis nullo modo nec cogitemus, nec laboremus. Vitia hæc sunt, vt vno verbo dicam, & scelera, bellorum & calamitatum fons & caput: quibus nisi extirpatis, nullus miseriarum finis sperandus videtur. Non persequar omnia, quia & infinita sunt, & alibi ab aliis explicata satis, sed maiori quidem illorum, qui sapienter ea disseruerunt, & nos ad meliora erudierunt, laude, quam nostra, qui nec vllis præceptis moniti sapere, nec vllis malis affecti resipiscere possumus, vtilitate. Et quid pluribus commemorãdis tempus teram, cum, si auaritiam & ambitionem teterrimas animorũ pestes, vnam bellorum caussam esse dixero, complexus omnia fuisse videar? Hic vnus malus genius est, qui nos tandiu vexat: hoc ipsum est illud factum, quod & priuatis rebus detrimentum, & publicis exitium adfert. Infestus ille est morbus, qui pietati & iustitiæ, qui Galliæ nostræ, qui Ecclesiæ vniuersæ extremam, si qua possit, perniciem machinatur. Quis enim iam tantæ aut cæcitate, aut stupore, aut peruersitate est, qui non videat, non sentiat & fateatur impiæ istius & perfidæ coniurationis caussam vnicam esse ambitionem, & huius comitem auaritiam? excipio coniuratos ipsos, qui speciosum religionis (cuius se vindices profitentur) nomen nobis obtendunt, & ea se vna permoueri ad capessendum hoc bellum dicunt, vt ea in antiquam scilicet dignitatem suam restituatur. At eos ipsos potius testor, si modo conscientia conuicti, quod sentiunt, aperte eloqui velint, annon religionem euertant potius quam stabiliant: annon Ecclesiam expugnent potius, quam propugnent: annon maiorem vsurpandi regni, quam vindicandæ pietatis curam gerant: annon maiorem Hispani, quã Christi rationem habeant: annon deniq; magis de priuata re augenda, quam de publica aut ornanda aut amplificanda laborent? De iis etiam ipsis, si modo quid sapiunt, quæro, an ea, quam ineunt, vera & legitima sit restituendæ, si collapsa est, religionis via & ratio? Certe priscos pietatis tum fundandæ & ædificandæ auctores, Deum, Prophetas, Christum, Apostolos, & alios pios Doctores: tum eiusdem confirmãdæ adiutores, vt Imperatores, Reges, Principes, piasq; Respublicas, & populos si consulunt & audiunt, longe aliam viã inibunt, longe aliam rationem sequentur. Sed (vt non minus vere quam festiue dicitur) famelicus venter auribus caret: vesana illa & habendi & dominandi fames nihil audit, donec plene satiata fuerit, si plene tamen vnquam satiari potest: quæ contra quo plura absorbuit, eo plura appetere, & gazas gazis, regnaque regnis cumulare & solet & gaudet. Sed mittamus iam coniuratorum sordes ac perfidiam, & ad nos ipsos, qui puriores videri volumus & fideliores haberi, iamiam veniamus. Ingenue fateamur necesse est, nos huius culpæ, vel grauissimi potius sceleris conscios & socios esse, qui nascens huius impiæ coniurationis monstrum non oppressimus, & iam natum ne adolesceret, non extinximus: immo illi cum nascenti (ea fuit nostra secordia) præsto fuimus, tum quæ nostra aut peruersitas, aut inertia, aut perfidia fuit, natum aluimus, & eo vsq; euéximus, vt eam nec opprimi, nec extingui posse videatur. Alii enim de rei exitu dubii, medii & securi desident: alii pecunia corrupti in propriam perniciem ruunt: alii honoribus inhiantes patriam produnt & libertatem seruitute, Hispanum crudelissimum superbissimumque tyrannum, Gallo humanissimo & moderatissimo rege commutant: pietatis, libertatis, fidei, in patriam &

Anno 1591. suos, seque adeo ipsos amoris & officii, naturæ deniq; totius obliti, neque solum, sed hostes potius, vexatores, & afflictores infestissimi. Hæc igitur tantæ malorum grauitatis & diuturnitatis caussa breuiter explicata esto. Neq; enim mihi declamatio ad hæc dilatanda instituta est, sed præfatio, quæ breuitate cōtenta, contractiorem me esse iubet, quam & rei natura, & meæ consuetudinis atq; instituti ratio ferant. Huiusce tamen diuturnitatis caussam alteram si postulas, hanc vere subijciam: Nempe Hispanum regem, atq; Romanum Pōtificem, illius, de qua diximus, ambitionis & auaritiæ ministros & instrumenta præcipua, vel potius artifices & architectos summos: quorum ille suis nummis, hic suis bullis, vterq; seditione, dolis, scelere, atque libidine, & ira quiduis permiscet, captat, corrumpit, rapit, perdit, donec & omnes & omnia sua tyrannidi subiecerit, & ita quidem afflixerit ac prostrauerit, vt nulla vnquam ratione ne exurgere quidem, nedum consistere possimus. Mirum tamen istud & perquam deplorandum, quod nos in tanta & iniuria indignitate, & mali grauitate, pristinæ virtutis & libertatis immemores, Marranis istis & mercenariis Marranorum satellitibus & mancipiis Sabaudis, Lotharingis, & Guisiis nostras opes, vires, & animos tam frigide & lente opponamus. Turpissimum hoc quoque & pæne ridiculum, quod nescio quos Caprarios & Sfondratos Bullis, hoc est meris nugis (quibus ne pueri quidem hodie mouentur) armatos sic reformidemus: quos potius Maiorum nostrorum exemplo ridere, persequi & mulctare decuit. Sed Hispanū fraudibus, insidiis, tyrānide, & nummis, quā gladiis, virtute & viribus validiorē ac formidabiliorē iam omittamus: redeamus ad Romanos pontifices rerū omnium Dominos, qui nec Christi nomine, nec religionis caussa moti, sed vna tantum auaritia & ambitione, atq; eorum à quibus spernuntur, & de ea, quam sibi immerito arrogant, dignitate deturbantur, vlciscendorum cupiditate abrepti, has nobis turbas faciunt, has tragœdias excitant, has bellorum ciuilium faces accendunt, vt soli sine cōtrouersia dominētur, & nos suis artibus, si consequi id possint, ad Barbariem & ignorantiam redactos, suis Bullis & excommunicationibus Panico metu terreant, & ita suis pedibus subijciant, vt ne hiscere quidē audeamus. Notū est omnibus, quomodo Germanos Imperatores quondā habuerint, donec pristinæ virtutis memores se tandē collegerunt, & pontificiis istis Bullis forti animo restiterūt. Quid de Gallis nostris dicam? sed tū res ex Annalibus nostris satis cognitæ, tum proposita mihi breuitas decori me monent, atq; ad multa, quæ ex hoc libello & aliis nuper editis, peti debent, prætermittenda hortantur: vt quod præsentis instituti magis proprium esse, & ad libri argumentū pertinere videtur, id maxime attingam. Nō igitur repetam Bonifacios, Benedictos, Iulios, Gregorios, & cæteros eiusdē furoris, ambitionis & tyrannidis Pontifices: sed de Sixto tantummodo agam. Deum immortalem! quo in regem nostrum & Henricum III, quem suis consiliis trucidandum curauit, furore est debacchatus? quo animi impetu correptus in vtrumq; sæuiit? At Dei, qui eius tela retudit, bonitate inanes fuerunt illius conatus, & bruta omnino fulmina. Verum enimuero dum animo suo morem gerit, dum Hispani libidini seruit, dum Ecclesiæ Romanæ dignitatem & sacræ sedis autoritatem tuetur, pius esse pōtifex, & verus Petri successor prædicatur: Immortalitate etiā & Diuorum consortio dignus putatur. At Vrbanus illius successor ingenio longe dissimili præditus, & ad pacem quam ad bellum propensior, quia minus à natura ad furiosa Sixti cōsilia exequenda cōparatus & aptus esse videbatur, cum paucos tantum dies in sede Pontificia moratus esset, à coniuratis, quorum caussam nec probabat nec promouere curabat, è medio sublatus est. Sfondratus in Papatū illi successit, qui ne in Vrbani vicem succederet, & ne Hispani & Hispanæ factionis expectationē falleret, atrocissima & grauissima quæq; in Galliæ regē regnūq; ipsum machinari, & quidquid auctoritatis ac potentiæ sui decessores sibi vsurparunt, ad vtriusque perniciem & euersionem conferre decreuit. In Gallia, Nobilitas, & reliqui fideles Galli sese erga regem suum optime Dei beneficio animatos esse ostendunt: vnde coniurati & familiæ regiæ interitum, & Gallici regni ad Hispanum abalienationem, quam iamdudum cogitant, & moliuntur, se posse vnquam assequi desperant: Nullum vero præsentius efficaciusq; remedium esse vspiam putarunt, quam si Papa veterem illum & rubiginosum gladium, quo maiores ipsius instructi cū Germaniæ principibus & aliis bella gesserunt, exprομeret: atq; sua tonitrua & fulmina maximo cum sonitu & fragore vbiq; audienda ad terrēdos hominum animos, & aliquem religionis scrupulum iis inijciendum, contorqueret: quo perculsi & perturbati, singularem suam, omnia quæ à Deo mandantur officia regi ac regno præstandi voluntatē (quā hactenus perpetuā & constantē habuerunt) immutarent, planeq; abijcerent. Sfondratus præcla-

rum

Anno 1591.

*rum illud Hispani & Galliæ coniuratorum consilium sequutus, à nouissimis Martiis Calendis duas Monitorias Bullas stylo Papali à se compositas Rhemos per Marcilium Landrianum Referendarium suum hoc maxime consilio & animo misit, vt eas per totam postea Galliam dispergeret, quæ veneno suo magis ac magis imbuta, coniurationem vehementius confirmaret. Ex iis altera ad Nobilitatem & reliquum populum; Altera ad Ecclesiasticos & ad Cardinales maxime, qui stant cum rege, mittitur. Quæris, lector, ad quem finem? Dicam hic paucis, quod fusius postea auctor proponet ac refutabit. Papa vnica religionis specie, & hæreseos (quam impudentissime coniurati per calumniam & maliciam confingunt, suæque in regem perfidiæ falsissime prætexunt) crimine ductus, nulla omnino nec regii iuris, quod nullo pacto conuelli potest, nec diuini mandati, quod nominatim de obedientia regibus & principibus exhibenda sancitum est, ratione habita, tum hos tum illos admonet, immo & imperat, vt à rege si non iam defecerint, quam primum deficiant, atque ad alium recipiendum colendumque se comparent. Quem (inquies) regem nobis constituere in animo habet? Hispanum, inquam, cui totus hic desudatur labor, ad cuius sitim non prorsus quidem sedandam (*vnus enim Hispano regi non sufficit orbis*) sed nonnihil restinguendam hæc tota coniuratio conflata est: hæc arma, hi exercitus, hæ faces spectant. Vide quam vere Sfondratus* CHRISTVM *spiret,* PETRVM *referat, vtriusque modestiam sapiat, & imitetur: qui non contentus hæc nefarie monuisse: militariter etiam vel tyrannice potius comminatur, nisi certo & à se præscripto tempore imperanti sibi pareatur, eos omnes execraturum, atque ad tartara ipsa detrusurum, Ecclesiasticos sacerdotia sua erepturum, denique rerum omnium sacrarum communione & vsu iis omnibus interdicturum. Sani quidem homines Sfondratum vt insanum & furiosum merito ridebunt, qui talia præter fas & ius omne audeat: At cæteri, iique ab nimium multi, qui, quam inania hæc Paparũ fulmina sint, quam parui ea veteres Galli fecerint, quamq; vana sit tanta ista, quam nobis ostentant, potestas & auctoritas, non satis intelligunt: vt ne animo consternati & regi, & regno, & sibi ipsis desint, has brutas vanasque minas libri huius auctor erudito sane & pio scripto eludit, atq; tum grauissimis rationibus è sacra maxime scriptura petitis, tum Regum exemplis, tum Senatuum & Academiarum Decretis ex Gallica historia depromptis, nefarios istos Sfondrati cæterorumque eiusmodi conatus accuratissime retundit: ac docet, quantum hæc Papæ mandata cum Dei, cuius se vicarium mentitur, pugnent, quam impudenter etiam & falso coniurati, omni vero prætextu destituti, regem & hæreticum, & Ecclesiæ hostem incusent. Hanc autem responsionem auctor Gallis primo ac proprie destinauit, in eorumque potissimum gratiam & vsum Gallice conscripsit, & ita quidem clare & perspicue, vt ab ignaris etiam facile intelligi possit. At ob rei, quæ in eo tractatur, grauitatem, & eam, quæ inde ad omnes manare potest, vtilitatem, dignissimum opus esse iudicaui, quod Latinæ linguæ beneficio ad externos etiam transferretur. Nam bellorum quidem ciuilium, quibus Gallia flagrat, rumores vbiq; terrarum disseminati sunt, sed dubium non est, quin multi speciosas istas (quales à Catilinariis obtenduntur) coniurationis faciendæ, statusq; nostri perturbandi caussas ignorent: quibus perfacile gratum futurum esse puto, si eas vere, vt hic edisseruntur, & plane intelligant, & certius de iis sermonem inter se conferant, atq; miseriis nostris vehementius commoti si non opibus & viribus, certe precibus nos iuuent. At hoc me ad hunc vertendi laborem multo magis impulit, quod principum & Rerumpubl. omnium Christianarum caussa cum nostra simul agatur. Gallia enim à coniuratis bello impio & miserando prima appetitur. Illic Papa ciues aduersus regem concitat, alios etiam à suis consiliis non valde alienos & ad rebellionem confirmandam satis propensos fulminibus territat, quo facta publici status mutatione, regnum Gallicum in Hispani regis ditionem & potestatem redigat. Quod quidem si (vt iamdudum machinatur) hoc modo assequatur, viam ad cætera imperia sibi eadem ratione subycienda patefactam & perfacilem esse putat. Opera est vero pretium eadere principes & Respublicas certiores fieri, vt sibi suisq; rationibus diligenter consulant, & ex nostris calamitatibus, quod sibi ex vsu futurum sit, periculum (vt ille monet) faciant. Cumq; Deo supplicium, vlciscendi sui caussa, de nobis sumpturo, visum ita decretumq; fuerit, vt funesta hæc fax in mediis regni nostri visceribus primum accendatur: est principum omnium, si bene secum agi velint, munus, ad hoc restinguendum, quo Gallicum regnum misere deflagrat, incendium, priusquam eius scintillas in sua ipsorum tecta immitti videant, nobis succurrere, præsentemq; opem ferre. Neminem certe tanta ingenij tarditate ac stupore, tanta etiam iudicij debilitate esse puto, qui nesciat, quanta sit Hispanorum ambitio, ac dominandi libido: qui-*

Anno 1591.

que aperte non videat eam esse vnam illorum mentem, eoq; tantum illorum cogitationes & consilia spectare, vt Catholici reges vbiq; terrarum euadant. Germania, Anglia, & aliæ satis multa ditiones id iam expertæ fuerunt. Illi autem, quo facilius optata consequantur, Papas ad nutum, arbitriumq; suum fingant, paratosq; habent, nec non eorum Bullas & fulmina (efficacissimas ad superstitiosum & imperitum vulgus contra Principes religionis nomine concitandum machinas) vt olim, sic & nunc totis viribus adhibent. Quod consilium si ex eorum animi sententia in hoc regno successerit, hoc profecto exemplum plures in eandẽ postea calamitatem trahet, eritq; non mediocre pontificiæ potestatis argumẽtum. Bullæ, quas Papa Sfondratus ad nos dedit, nuncupantur Monitoriæ. *Et verè quidẽ Monitoriæ sunt: quibus nimirum Principes omnes admonẽtur, vt toto pectore de suis rebus cogitẽt, atq; furiosa ista execrãdorum perduellium, qui omni studio & conatu ad regnorum & Principatuum euersionem perniciemq; incumbunt, consilia serio & sedulo animaduertãt, quo à comparatis per eos insidiis, certissimaq; ruina præcauere sibi possint. Ego vero præpotentem illum Deum imperiorum auctorẽ ac propugnatorem omnibus precibus obsecro, vt hoc regnum cæterosq; principatus ac Respublicas saluas & incolumes conseruet, ac pro summa, qua valet potentia, Paparum & coniuratorum furores coerceat, vt antiqua illa & salutari Christianæ Ecclesiæ tranquillitate restituta, Pietas & iustitia, quæ ab his bellis oppressæ & extinctæ omnino iacent, ad eius nominis gloriã felicissimè vbiq; locorum denuo excitentur & vigeant. Atq; hæc pro libri quidem mole, quæ non valde magna est, & præfationis etiam (cuius, vt ille sapienter præcipit, euitanda est immodica longitudo, ne in caput excreuisse videatur) ratione nimis fortasse multa: sed pro argumenti quod præsens calamitas suppeditat vbertate & copia, nimis certe pauca dicta sunt. Verum & decori & meæ quoq; imbecillitatis ratio habenda fuit, & nimia illa, qua sum antea in eodem fere argumento vsus, reprimenda luxuries. Hoc autem, candide lector, qualecunq; est, æquo animo accipies, & si qua hic aut minus proprie & eleganter dicta, aut non satis continue & venuste contexta (qualia esse multa fateor) te offendent, ea vel commode transferendi difficultati, vel argumenti generi, vel meæ potius imbecillitati tribues: atque huic in tuam gratiam suscepto labori, meoq; in publicam vtilitatem studio gratulaberis. E Museo nostro 4. Augusti 1591. Sedani.*

PIVM



Anno 1591.

PIVM CONSILIVM SVPER PAPÆ SFONDRATI DICTI GREGORII DECIMI QVARTI MONITORIALIBVS, VT VOcant, Bullis, & Excommunicationis atque interdictis in Galliæ regem, Ecclesiam, & regnum minis, è Francorum maiorum nostrorum exemplis in rebus iisdem repetitum:



VANQVAM & tempus & hostium actiones, ipsorum consilia ita patefecerunt atq; illustrarunt, vt nullum iam artificium religionisque prætextus obstet, quo minus apertè omnes videant illos eo tantum spectare, vt hoc regnum ad Hispanos transferant, nosque vniuersos ad miserrimam seruitutem redigant: sperandumq; sit, nouum istum Pontificiarum Bullarum conatum nihil maius quam antea effecturum: Ego tamen veris ac fidelibus Gallis operæ me pretium facturum putaui, si eos hac tantulla historiarum collectione nonnihil iuuarem, maiorumq; nostrorum exempla iis ante oculos proponerem, vt super illis, qui de diro illo Papæ programmate habentur, sermonibus & controuersiis, eorum, qui à iusta caussa stant, fidem confirmem, & eos qui ab ea defecerunt, officij sui admoneam. Nostri huiusce regni status à mille & ducentis annis ad hæc vsque tempora cum suauissima & singulari libertate conseruatus est: neque id tamen sine grauissimis offensionibus & iniurijs, quibus alioqui firmissima quæq; & florentissima mundi imperia obnoxia sunt. Hic vero nihil consultius cogitari, fieriq; vtilius potest, quam si attente dispiciamus, quid patres nostri præstiterint, vt ab omnibus casibus & periculis, & iis maxime, quæ à Roma fatali & infesta Galliæ hoste emanarent, & vnde nobis per priscos illos Romanos primum seruitutis iugum impositum esset, se sartos tectosq; tuerentur: vt id, quo nihil carius & antiquius habere conuenit, eadem prudentia & cõsilio, iisdemque artibus & rationibus, quibus nobis hactenus illud conseruarunt, retineamus. Verum, non omnibus historias, ex quibus perspicere hoc licet, videre contigit. Permulti interim proculdubio, (quidquid hostes sermonibus suis eructent) summo & sui in regem obsequij, & cum suæ libertatis, tum Regiæ dignitatis ac splendoris propugnandi desiderio tenentur: qui tamen idipsum multo alacrius, proculdubio præstarent, si scrupuli quidam, qui, quum de Roma, de Papa & Religione agitur, eos adhuc male habent, illis ex animo euellerentur. Alij, qui Vrbes ab hostibus occupatas incolunt, ad sese coniuratorum perfidia distractos, rursus in pristinam concordiam, consensionéq; reducendos diligentius multo incumberent, si prætextus iste, quo fascinati tandiu obtorpescunt, & quo eorum aures ab istis seditionum facibus, & regni proditoribus assiduè complentur, ex illorum animis eximeretur. In hoc ergo potissimum elaborare, & ad publicam hanc causam, ad quam defendendam optimi quique, patriæq; amantes viri, summo studio conspirarunt, pro virili parte aliquid etiam cõferre volui. Res equidē tanti refert, vt nulla alia vnquã antea magis. Agitur enim hoc ab aduersarijs, vt summa & à regis auctoritate plane diuersa, in hoc regno cõstituatur dominatio. Agitur hoc etiã, vt status mutatio fiat, quæ certè omnes regni partes secum trahat necesse est. Mortalis hominis mandatum, Dei mandato planè opponitur: vnde nobis magnopere metuendum, ne quid hic offendamus, quod extremam regno perniciem adferat, nisi maturè nobis præcaueamus. Id sane ad nostros omniũ animos excitandos, & ad curam de libertate saluteq; nostrá serio habendam plurimum valere debet. Quam quidem ad rem vt adiumenti aliquid hominibus nostrìs adferam, ego eorum, quę in hoc aliquando regno in eiusmodi casibus contigerunt, historias lectoribus ante oculos fideliter constituam, atque edisseram, quo se modo maiores nostri gesserint, quum Papę sua fulmina hoc consilio immiserunt, vt nostris regibus, eorumq; potestati subiectis sacrorum communione interdicerent. Quoniam vero nobis hinc constabit, priscos illos germanosque Gallos eiusmodi consilijs nefarijsq; molitionibus fortissime semper restitisse, atq; Papam ipsum, ipsiusq; Bullas Romam amandasse, cum tantã illius, quam in se vsurpare conabatur, tyrannidem ferre non possent: Secundo huius libelli capite rationes, quæ eos ad id impulerunt, & quid nobis quoque in ijs obseruandum sit, pertractabo. Denique omnia ad eam rem, quæ hodie in controuersia & contẽtione versatur, accommodabo & referam, doceboq;, ad id, quod Deus iubet, præstandum, atque ad regni decus & dignitatem vna cum libertate nostra conseruandam, nullum vsquam præsentius præstantiusque remedium dari posse, quam si eodem planè, quo illi, & animo & fide simus.

Anno 1591.

PRIMA PARS.

Historiarum quarundam, in quibus de Paparum Bullis & excommunicationibus agitur, Epitome.

BREVITATIS, quam mihi in hoc scripto proposui, ratio non fert, vt quicquid in veterum monimentis de Paparum aduersus reges nostros regnumque nostrum contentionibus extat, id colligam: hoc mihi iam satis esse videtur, si ea de re tria, aut ad summum quatuor maxime insignia è multis exempla proponam. Quotiescunq; enim hæc quæstio in controuersiam vocari cœpit, toties & eodem prorsus modo disceptata fuit. Cum igitur Papæ principem vbique locum & auctoritatem tenere, atq; principum & principatuum, imperiorumque vniuerse & cum summo iure in rebus humanis æque ac diuinis dominos esse in animum suum induxissent: tardius aliquanto in Gallicis regibus, quam in Germanis Imperatoribus & aliis Monarchis conatus viresque suas exprompserunt. Nam ab initio regum nostrorum ope atq; opera in rem suam vsi sunt, atque Pipinum, deinde Carolum magnum, eorumq; successores ad Principatum suum constituendum in Italiam arcessiuerunt. Tunc vero summum in principes nostros honorem, summissionem & obsequium tum oratione, tum vultu gestuq; toto præ se ferebant. At enim postquam illis ita vsi vel potius abusi fuissent, & omnibus aliis principibus atque ipsis adeo Germaniæ Imperatoribus formidolosos sese reddidissent, tunc eos, quibus suam omnem illam amplitudinē debebant, non modo non curarunt, sed ne meminerunt quidem: quin potius militis, qui à rustico benigne acceptus lauteque tractatus, in illius ædibus & fortunis dominari tentat, more & exemplo sese omnino gesserunt. Primus autem, quem hic commemorabo, illorum conatus aduersus Philippum Augustum extitit: talisque prorsus fuit, qualis in Chronicis extat, & ex Innocentij III. qui in hac tragœdia Papa erat, *Decretalibus* colligitur. Richardo Angliæ rege defuncto Ioannes, Santerrus dictus, regnum occupauit, quod Arcturus Britanniæ dux iure hæreditario suum esse contendebat, quod ex maiore natu ortus esset. Et quidem contentio eo progressa est, vt ipse Arcturus eorum, quæ Angliæ reges feudi nomine ab imperio Gallico citra mare tenebant, possessionem vicissim occupare aggressus sit. Quod quidem Santerrus ille animaduertens, iurique suo diffidens, eum crudeliter interficiendum curauit. Arcturi autem propinqui Britanniæque proceres cædis auctorem ad supplicium à Philippo Augusto depoposcerunt, cuius & Ioannes Santerrus & Arcturus beneficiarij, cuiusque iurisdictioni, eorum feudorum, quæ in Regno Francico possidebant, nomine obnoxii erant; præsertim cum ea cædes in ipsius regis imperio patrata esset. Rex caussæ cognitionem iudiciumq; iis recusare nec potuit, nec debuit. ataq; iure agi cœptum in Patriciorum Franciæ curia aduersus Ioannem, diesque illi dicta est, ad quam se ipse in iudicio sisteret. Quod cum recusasset, auditis testibus, causa tandem dirempta & ad extremum perducta, regio procuratore palam postulante, reus ob desertos vadimonij dies damnatus, & suis prædijs ac ditione omni, cuius patronum & vindicem regē habebat, multatus est, iis omnibus fisco adiudicatis. Hoc decretum factum anno 1202. Rex ex eo decreto ducatus Aquitaniæ & Nortmanniæ, aliaq; ipsius Santerri clientelaria prædia in suam ditionem ac potestatem redegit: qua in re Deum sibi aduersus multos, qui contra niterentur, valde propitium habuit. Hic Ioannes suis rebus ita se exutum, ac omni & iure & viribus, quibus tale Patriciorum decretum conuelleret, destitutum videns, ad Papam, cuius fulmina & excommunicationes potentissimis quibusque Monarchis terrori tunc erant, confugiendum sibi putauit. Papa Innocentius III. accurate, vt debuit, quam iusta illa caussa esset, necne, quantamq; nomini suo infamiæ notam inureret, si & parricidam illum receptaret, & legibus eriperet, expendere nihil quidquam pensi habuit: sed occasionem oblatam arripere, & in rem suam conuertere maluit. Ioannes siquidem eum venerabatur, illius se clientem profitebatur, ex fœdere tum suum illi regnum mancipabat, subditosque suos tributarios facturum, tum Angliam illi beneficiariam & feudatariam habiturum se pollicebatur. Magna vero hæc erat potestatis Pontificiæ amplificatio, qua ad Angliam & Hyberniam vsque, Romani olim Imperij fines, ea protenderetur. Papa etiam vehementer lætabatur, datam hinc sibi occasionem esse, per quam & Regem & regnum illius adoriretur. Sic enim, cum primum regi ediceret, vt quod in suam ditionem transtulerat, id Ioanni redderet, atq; ad id sanciendum, excommunicationis, quæ tantam vim aduersus Imperatores ipsos iam habuerant, minas adderet, illum præ metu & sua in illam sedem obseruantia, imperio suo pariturum, indeque præclarum scilicet regum Galliæ & regni totius sub Paparum potestate & auctoritate constituti, argumentum fore sperabat. Ergo Pontificia illa sanctitas Ioannis caussam tuendam suscipit, suosque ad regem legatos cum his mandatis mittit, vt arma quamprimum ponat, & quicquid ex decreti auctoritate vsurpauerat, Ioanni restituat: excommunicationem, totiusque regni interdictionem comminatus, nisi morem imperanti sibi gereret. At prudens & cordatus rex eiusmodi comminationibus nihil territus, magnam sapientissimorum virorum, quos consuleret, multitudinem conuocauit. Res ab iis tota excutienda ac definienda in medium adducitur, atq; hinc quidem, quid, quantumque officii Papę deberetur, illinc vero quanti momenti decretum illud esset, quanta causæ æquitas, quæ denique regis auctoritas, mature dispicitur. Ea re diligenter considerata & perpensa, coniunctis animis & sententiis datur tandem hoc regi consilium, vt spretis omnibus Papæ mandatis & minis

Ioannes Rex Angliæ ob parricidiū in Parlamento Gallico condemnatus & proscriptus.

Papa parricida patrocinium contra Regem Galliæ suscipit.

illi minime obtemperet, atque ad futurum concilium prouocet. dictum, factum. Papa vero ægerrime omnium ferens se adeo sperni, Principemq; tantæ audaciæ vsquam reperiri, qui iugum suum, & sacræ sedi obsequium recusare auderet, furore pro suo more abreptus, literas, quæ etiam nunc extant, ad Galliæ Clerum misit, speciosis quidem nominibus valde insignes. sed quæ vere ad eum contra Regem concitandum, populumq; seditionibus illius opera & artibus distrahēdum, atque à sua in regem fide & officio auertendum spectarent. Quid plura? omnium finitimorum Principum, & Othonis Imperatoris maxime factionem ad se trahit, quacunq; ratione sibi conciliat, & Galliæ regnum à se proscriptum ad prædam iis proponit. Illorum omnium copiis post paulo in vnum coactis, regnum Gallicum in maximo sane discrimine versabatur. Nihilominus tamen rex magno semper fortique animo fuit, omnesque & Papæ & factiosorum furores, causæ suæ bonitate fretus, contempsit. Similiter etiam Clerus, nobilitas, vniuersusque populus, quidquid Papa in ipsis regni visceribus moliretur, à sua in regem fidelitate & obsequione minimum quidem auocati vnquam fuerunt. Non est tamen quod quisquam hinc suspicetur regem non summa obedientia tum Episcopos, tum reliquos sacrorum antistites prosequutum fuisse, vt in Yssamberga prima sua coniuge, quam repudiauerat, satis id docuit: nam & admonitionibus erga se adhibitis paruit, & Ecclesiasticas censuras pertimuit. Verum simulatq; auctoritas illius peti cœpit, compertumq; est Papæ cogitationes & consilia eo pertinere, vt potestatem suam & imperia ad nostram vsq; Galliam; quemadmodum alibi fecerat, non sine & regiæ amplitudinis, & regni dignitatis, & Ecclesiæ libertatis detrimento proferret: Tunc vero rex cum summo totius populi consensu, nefariis Papæ consiliis suam auctoritatem potentiamq; opposuit. Iam ad secundam alterius Philippi historiam veniamus. *Anno 1191.*

PHILIPPVS cognominatus Pulcher, Philippo Augusto aliquot post annis successit. Eo regnante, Romæ quidam Papa fuit, eorum omnium, qui in ea sede vnquam fuerunt, versutissimus, ambitiosissimus, statuum ac publicæ quietis perturbator infestissimus, atq; etiam furiosissimus. Ego autem de eo ita loquor, illius temporis scriptores, & eos maxime, qui Paparum vitas posteritati prodiderunt, sequutus. Bonifacius 8. ille ipse fuit. Ille vero dolore dirūpebatur, quod potestatis & auctoritatis tantū, quantū appetebat, in Gallia non obtineret, atq; hoc vnum cis Alpes regnū Paparū ambitioni & tyrannidi resisteret. Ad id consequendū, contentionisque faciendum initium, ex suis intimis, quo maxime vno cōfidebat ac nitebatur, quēdam, eumq; arrogantē ac inquietum, & ad res nouas spirantem adhibuit. Atq; vt turbulentum istum cum maiori dignitate & auctoritate in Gallia constitueret, Tolosanum Archiepiscopatum in duo mēbra secuit, nouūq; Episcopatū, quo illū ornaret, Apameæ, Galliæ Narbonensis vrbe, creauit. Id factū regi nō admodum placuit: dissimulatum tamen fuit. Nouus ille Episcopus, vt viam ad ea quę à Domino suo mandata habebat, perficienda sibi muniret, multa in vulgus de rege spargere ac disseminare cœpit, eaq; probrosa & contumeliosa, per quæ odium illi conflaret, & de eo, qui merito illi deferebatur, honore nonnihil delibaret: aperte palamq; dictitans, se non in regis, sed in Papæ imperio & potestate esse, vt cæteris Ecclesiasticis viris ad idem audendum exemplo esset. Historici aiunt eiusmodi sermones de industria ab Episcopo illo iactatos fuisse, vt populus aduersus regem concitaretur. Ea verò tempora tunc difficillima erant. Nam ob maxima & diuturna, quæ rex aduersus Anglos sustinuerat, & adhuc sustinebat bella, populus grauissimo nouorū tributorum onere premebatur, cogebaturq; rex alia atq; alia illi subinde imponere: neq; solum, sed Ecclesiasticorum etiam fidem atq; opē implorare, & ab iis pecunias, belli subsidia, flagitare. Cæterū cum rex videret Apamensem illum Episcopum in se magis ac magis indigna intolerandaq; licentia insultare, nouaq; subinde moliri, quibus regni statum in Pontificis sui gratiam labefactaret: postquam diutissime tantam insolentiam pertulit, iusto tandem dolore & rei indignitate permotus, comprehendi hominem & in vincula conijci iussit. Papa eo acto irritatus, multas magnasque occasiones sibi ad ea quæ animo agitabat efficiūda oportunissime datas esse tunc putauit. Primum, populum Gallicum ob ingentia tributorum, quibus vexabatur, onera ad factiones & discidia facile inclinaturum. Et reuera magnis seditionibus & Lutetiæ & aliis aliquot in locis coortis, regii ministri aliquot trucidati tum fuerunt. Idq; pro certo habebatur (Historiæ sic produnt, atq; ita in trium Ordinum cœtu propositum fuit) Papam ipsum suis consiliis & artibus hos motus concitasse, earumq; cædium caput & auctorem fuisse. Quod ad Clerum attinet, existimabat Papa eum tanta sibi imponi tributa passurum nunquam, proindeq; eum facile eo adducturum, vt à regis caussa regnique defensione desisceret: non intelligens videlicet, aut potius intelligere nolens, id in Gallia non esse nouum nec inauditum, pręcipue in Abbatiarum prouentu, partem illius quandam in sumptus belli necessarios conferri, vt monachus Aymonius in sua *de rebus Gallorum gestis* historia testatur. Attamen, vt hanc qualemcunq; Cleri offensionem augeret *Lib.5.c.34.* ac promoueret, ad hanc contentionem aggreditur & incumbit, de Cleri ab oneribus publicis immunitate decretum facit, atque regem, vt ab eiusmodi pecuniis exigendis abstineat, admonet. De Apamensi aūt Episcopo, facinus indignū clamitat, quasi rex, cuius iussu factiosus ille in carcere asseruaretur, Ecclesiæ hostis & afflictor esset. Nec his cōtētus, aliud pręterea artificium cōminiscitur, quo sæpe Pōtifices aduersus reges nostros vsi sunt, vt pia salutariaq; eorū cōsilia impedirēt, & eos apud suos in neglectæ aut violatæ religionis suspicionē adducerēt. Etenim regi pcipit, vt transmarinā in Saracenos expeditionē suscipiat: quanquā is alioqui de Saracenis repriman-

Anno 1591

dis non valde laboraret, qui Venetiarum & Genuæ respublicas, (pacis tempore duo præcipua ac firmissima Christianorum ab oriente propugnacula) bello grauissimo inter se commisisset, eoq; necessitatis adduxisset, vt Saracenos Ecclesiæ hostes suæ ditionis fines propagare sinerent. Quæ quidem omnia non alio sane pertinebant, quam vt modis omnibus extremam & regi & regno ipsi perniciem compararet. Regem enim extra regni fines amandare, eiq; ne pecunias ad bellum gerendum necessarias de suis exigeret, interdicere, nihil profecto aliud erat, quam regnum omni ad sui defensionem ope ac subsidio spoliare, & facillimam Anglis alijsque hostibus ad illud inuadendum atque diripiendum, viam aperire. Rex itaque non ignorans, quantæ curæ & commendationi sibi esse deberet regni à Deo suæ fidei concrediti conseruatio: sciens præterea quid sui sibi deberent, quæ sua etiam esset auctoritas: statuit eorum, quæ à Papa præscriberentur & præciperentur, nihil planè sibi faciendum esse. Ibi tum Papa furere, & per Archidiaconum Narbonensem Bullis & mandatis instructum regi imperare, vt Apamensem Episcopum vinculis solutum dimittat, nihilque tributi de Clero exigat: nominatim hoc illi edicere, summam in hoc regno, etiam in rebus temporalibus, auctoritatem penes se esse: his nisi rex pareat, hancque dignitatem & ius sibi sponte sua concedat, diro se & exsecrabili anathemate illum configere, regni ius illi abrogare, illudque sacræ sedis possessioni iure caduci adscribere: eos omnes, qui Papæ summum ius in Gallicum regnum esse negauerint, hæreticos censere. Historici aliquot ipsa excommunicationis verba referunt, hæc scilicet, *vt rex pronunciaretur hæreticus, schismaticus & Ecclesiæ hostis: ideoque ipse vna cum vxore & liberis à sacrarum rerum piorumque virorum communione & concilio abdicatus*: quæ excommunicationis formula vulgaris erat, & in Imperatores aliosque nonnullos sæpenumero vsurpari solita. Immo vero Bonifacius furorem furore, ac scelus scelere cumulãs, hoc etiam addit. Nam vt sua fulmina formidabiliora & horribiliora redderet, cęterosq; principes libidinis suæ ministros & actores, pro Paparum consuetudine, haberet, emisit quosdam, qui Anglos aduersus regem sollicitarent, atq; regnum Alberto Romanorum regi eo consilio tradidit, vt bello eum peteret. Interim Cardinalis Monachus in medio regno versabatur, Ecclesiasticorum coitiones factitans, vt ipsos primum, deinde per eos populum concitaret: & quidem nonnullos iam sibi ad eam rem conciliauerat. Grauis sanè casus regno à Papalibus istis fulminibus impendebat, si horrendum illorum fragorem par euentus fuisset consequutus. Verum quid rex hic agit? quo animo est? Aduersus effrænatos Papæ istius furores celeberrimum omnium ordinum conuentum Lutetiæ agit, vt, quid in re tanta sibi agendum esset, cognosceret. In eo autem inania illa Bonifacii tonitrua ludibrio & contemptui habita, & hęc, quæ sequuntur, capita sancita sunt: *A Papa ad Concilium prouocari: Illi interim non parendum: Papam ipsum de omnium sententia, hæreseos, simoniæ, homicidij, & aliorum atrocissimorum flagitiorum criminibus, quæ ipsi diluenda & expianda essent, manifesto teneri: Auctoritatis regiæ esse, eum coercere: aurum, argentum, merces Romam non amplius importandas: Episcopis ab illo in ius vocatis Romam non eundum.* Quoniam vero Papa summam potestatem sibi arrogauerat, ac omnia in rebus & sacris & profanis sibi licere persuasum esse nobis volebat: ob idq; se posse & Regib. & Principibus imperare: atq; regnum adeo Gallicũ potestati suæ subiicere: quia etiã satis notũ & exploratũ omnib. erat, dogmata, quæ in regno in vulgus per Episcopum Apamensem & Cardinalem Monachũ sparsisset, ea ipsa esse: valdeq; metuendum videbatur, ne quis in hominum cum aliorum, tum Ecclesiasticorum maxime animis scrupulus inde adhuc resideret: omnes, qui in cœtu illo tunc aderant, cuiusuis ordinis homines apud regem professi sunt, quid ea de re tota sentirent, & in ijs Ecclesiastici ipsi potissimum: rege postulante, vt omnes ingenue suam sententiam & aperte proferrent. Ibi demum cuncti nullo modo Papæ se obnoxios, nec cuiquam vlli præterquam regi subiectos esse, libere agnouerunt. Tunc rex iureiurando confirmauit se vicissim cum suas vires omnes, tum vitam maxime ipsam pro regni libertate & iure conseruando profusurum, idque (vt Chronicon ait) *pro consueto more*, hoc est, in eadem caussa se effecturum omnia, quæ sui decessores aduersus Papas antea effecissent. Ipsa quoq; nobilitas & cæteri denique omnes eodem se animo fore testificati sunt. Atque is Parisiensium comitiorum exitus fuit: quorum quidem ea fuit vis & efficacitas, vt monachus ille Cardinalis è regno mox profugeret. Papæ autem ministri aliquot, qui Trecas vsque peruenerant, & comprehensi & ignominiose accepti fuerunt. Asseruntque Chronographi nostri eum, qui Legatus nominabatur (pro eo honore, quo Gallia Dominum eius prosequebatur) ita honorifice habitum fuisse, vt inde phreneticus euaserit. His aliud præterea & longe grauius accessit. Nam rex Pontifici probare volens, se illius Bullas nihili prorsus facere, eaque potentia, quæ longius latiusque & efficacius quam illius, pateret, instructum esse: ducentos egregie armatos equites Sarrę Columnensis Itali, & Vasconis nobilis Gulielmi Nogareti Samfelicij ductu atque auspiciis, in Italiam vsque misit. Illi vero duces vna cum suis tam præclare feliciterque rem gesserunt, vt Papam Agnaniæ deprehensum Romam captiuum deportarint, vbi præ stomacho & ægritudine supremum diem obiit. Atque hęc historiæ huius summã est. Verum in ea fuere insignia quædam obseruatuque dignissima, quæ ab historicis etiam commemorantur. In hac enim regis & Papæ contentione vltro citroque literæ missæ sunt, quarum alteræ tam insolentem ac proteruam in isto Papa audaciam, impudentiam & arrogantiam arguunt, præ seq; ferunt, vt id vlli vix homini credibile videretur, nisi literarum ipsarum exemplum in nostris Chronicis tum Gallice, tum Latine eo consilio consignatum extaret, vt id omni posteritati testatum certo esset. Alteræ vero

Nicolaus Gillius.

Platina.

Papa à rege Galliæ captus.

satis

satis docent, quam exiguam Papæ rationem prisci Galli haberent, si quando eó furoris veniret, vt aliquam in hoc regnum auctoritatem sibi assumere, & minas etiam adhibere auderet. Hæ igitur sunt Pontificis literæ. *Anno 1591.*

Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei, Philippo Francorum Regi, Deum time, & mandata eius obserua. Scire te volumus, quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes: beneficiorum & prebendarum ad te collatio nulla spectat: &, si aliquorum vacantem custodiam habeas, vsumfructũ eorum successoribus reserues: &, si qua contulisti, collationem haberi irritam decernimus, & quatenus processerit, reuocamus: Aliud credentes fatuos reputamus. Datum Laterani quarto nonas Decembris, Pontificatus nostri anno sexto. Regis autem responsio hæc fuit.

Philippus, Dei Gratia Francorum rex, Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam, siue nullam. Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse aliquarum Ecclesiarum & prebendarum vacantem collationem ad nos iure regio pertinere & percipere fructus earum, contra omnes possessores vtiliter nos tueri: secus autem credentes fatuos reputamus atq; dementes. Datum, &c. Atque literarum vltro citróque missarum exemplum eiuscemodi fuit. Narratur item aliud superbiæ & furoris, acerrimique in Galliæ regem odij in hoc Pontifice argumentum. Inter istas tam acerbas & pertinaces inimicitias atque concertationes, secularis lustralisque iam anni celebritas (Iubilæum vocant) Romæ indicta fuit, quo infinitæ hominum multitudinis ex locis omnibus concursus factus est. Primo Iubilæi die, BONIFACIVS cultu Pontificio decoratus se vniuerso illi populo spectandum dedit. Secundo autem die, habitu & splendore Imperatorio in medium processit, nudó ense, qui ante illum gestabatur, insignis & conspicuus: summaque voce, *vtrumque Imperium, nempe cæleste & terrenum seu temporale, suum esse*, pronunciauit. Illud scilicet Euangelium hominibus ad Iubilæum profectis prædicauit. Alberti Austriaci Rodolphi filij, quam postulabat, electionem antea in Germania factam, ratam habere noluit, vtpote nulla sua voluntare factam: quum præsertim vtriusque gladij potestatem sibi iam vendicaret. Atq; illum Principem supplicem ad se venientem, & multa cum indignitate se prensantem, diu suspensum & incertum tenuit: Tandem tamen electionem illius sua assensione atq; approbatione confirmauit, sed ea lege, vt ille se Romanorum pariter & Gallorum Imperatorem profiteretur. Quantum ad hæresim, cuius fuit in trium ordinum conuentu insimulatus, Docti quidam & Catholici viri dicunt illum in hoc crimen & inuidiam vocatum fuisse, quod contra Euangelij doctrinam & Apostolorum exemplum, summam istam regibus & principibus imperandi potestatem sibi arrogaret. In illius morte quædam valde insignia & notanda extiterunt, quo fit, vt ea Chronici nostri scriptores nimime sibi prætermittenda esse censuerint. Cum enim peruersis suis moribus ciuium Romanorum maleuolentiam sibi conflasset, omnesq; præ odio sibi infensos & infestos esse animaduerteret, Anagniam (Hernicorum in Latio vrbẽ) patriam suam recepit, tutissimum sibi apud propinquos & ciues suos asylum fore arbitratus: sed spe sua falsus, ab ijsq; ipsis & proditus, & regiis equitibus traditus fuit. Hoc ille nimirum ob praua sua, quibus ciues aduersus regem suum concitare tentauerat, consilia, pretium tulit. Inde Romam captiuus cum summo probro atq; dedecore pertractus est, qui cum in sua illa Santangeli arce inclusus esset, alui profluuio correptus, in phrenesin, vt fertur tam diram vehementéq; incidit, vt manus proprias corroserit & deuorauerit: atque in ipso mortis illius articulo, fulgura tonitruaq; plane horribilia in eadem arce exaudita etiam fuisse dicantur. En miserabilis quidem, sed iustissimus profecto illius exitus, qui totum orbem fastu suo & tyrannide indigne calcaret, qui se arrogantissime supra reges & Imperatores ipsos efferret, atq; insolentius iactitaret manus sibi satis esse longas & amplas, quibus summam vbiq; gentium dominationem apprehenderet: qui denique, pro animi libidine dextram diris fulminibus contra reges armatam se habere dictitaret. Platina Pontificum historicus, narrata illius morte hæc addit: *Moritur autem hoc modo Bonifacius ille, qui Imperatoribus, regibus, principibus, nationibus, Populis terrorem potius quam religionem iniicere conabatur, quique dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur: aurum vndiq; conquisitum plus quam dici potest sitiens*, hæc ille. Atque hic nonnulli alij historici ple sane & valde apposite & Papas & alios sacrorum antistites admonent, vt sapientius vitæ suæ cursum instituant ac moderentur, & se intra muneris sui fines modeste contineant. Quas quidem admonitiones si boni illi viri audissent, non tot tantisq; malis iam res humanæ concuterentur & afflictarentur. Papa iste omnibus scelerum & flagitiorum notis ita insignis fuit, & ad omnem posteritatem nobilitatus, vt in sempiternam illius memoriam Epitaphium hoc scriptum fuerit. *Intrauit vt vulpes: regnauit vt Leo: mortuus est vt canis.* Rex, vt quidam historicus Anglus scriptis prodidit, à successore ossa illius petijt, quæ tanquam hæretici combureret. Talis fuit Paparum, qui se contra reges nostros commouerunt; & eos suis fulminibus petiuerunt, status & conditio. Regis constantia & virtus, Gallorum quoque studium & fidelitas in hac tota re, quæ ad Bonifacium attinet, tam magnæ illustrésque fuerunt, vt cæteri, qui sequuti sunt, Pontifices omnem quidquam amplius è Gallia extorquendi spem abiicerent: quin potius operæ se pretium facturos existimarent, si ad Gallorum caussam, & rationes sese accommodarent, & ijs quam maxime gratificarentur. Porro successor illius, ex sua Cardinaliumque suorum sententia, excommunicationis à Bonifacio decretæ absolutionem si ad regem vltro misit, qui non modo non eam rogauerat, sed à Papa excommunicari ne pili quidem fecerat. Historici enim publicis monimentis consignatũ reliquerũt, in absolutionis

Cuspinianus in vita Alberti Palatino. Vrspergensis.

Historia Florentina.

Nicolaus Gillius.

Historia comitis Monfortis Haillanus & alii.

Nicolaus illius.

Bulla

Anno 1591. Bulla id nominatim additum fuisse, regem de ea impetranda ne verbum quidem fecisse. Papæ etiam in suis [a] decretis agnouerunt, & confessi sua sponte sunt Gallicum regnum Pontificiæ sedi nullo modo subiectum obnoxiumq; esse: professiq; aperte sunt, minime se obstare velle, quo minus pecuniæ & tributa de Ecclesiasticis exigerentur, per quæ regno magnitudine ac difficultate rerum affecto afflictoque succurreretur. Atq; hæc Philippo Pulchro regnante contigerunt. Iam ad Caroli 6. regnum veniamus.

a c. meruit. Extrau. comm. de priuileg.

Qui eius temporis historias legerunt, miserum & calamitosum, in quem Christianus orbis effrænata Paparum ambitione redactus erat, statum nouerũt. Etenim toto 40 annorũ spatio, & eo amplius, duo, tres & aliquando quatuor Antipapæ eodẽ tempore fuerunt, qui crudeli & exitioso bello sese peterent, sua quisq; factione instructus, inter multa, quæ inde acciderunt mala, hoc maxime vnum erat, quod cum plures essent, vnusquisq; rei parandæ inhiabat, tantum commodi sibi comparare studens, quantum si vnus duntaxat Pontificatum quiete obtinuisset. Adde quod ad fouendum retinendumq; suum tam numerosum comitatum, simul & eos, qui à suis partibus starent, ingentes sumptus faciebant. Quibus cum haud pares essent, cogebantur singuli, vbi auctoritate valerent, maximam pecuniæ vim exigere, & sacerdotia in eos, qui se ad suam dignitatem tuendam aggregassent, non sine maxima vitæ perturbatione, rerumque confusione conferre. Itaq; regnante primum Carolo sexto, grauissimæ ea de re apud regem querelæ habitæ sunt, qui edictis eo nomine à se editis, *Papæ & Cardinalium quæstores è suo regno eiiciebat*, item, *ne sacerdotia ab extraneis amplius tenerentur, sanciebat: omnes sacerdotiorum, quæ à dictis extraneis possidebantur, fructus sibi subiiciebat, ac de iis pro suo arbitrio & auctoritate constituit*; & vt breuiter dicam, se à Papæ obsequio prorsum segregauit, atq; suo decreto, illius, delegatorumque ipsius ambitionem & auaritiam repressit. Benedictus 13. Pontificatum iniens, se ad hunc modum frænari, ac potentiæ suæ fines ad regnum vsq; Gallicum non proferri ægre admodum tulit. Quamobrem seueritatem sibi adhibendam, suaq; fulmina & excommunicationes sibi contorquẽdas statuit, per quas sui metum incuteret, & obedientiam etiam ab inuitis extorqueret: non satis secum reputans, & vt videtur plane oblitus, quam male talia decessorum suorum tela à nostris excepta Gallis antea fuissent. Ea Bulla tum regis, tum regij sanguinis Principum, tum eorum etiam omnium, qui cum rege faciebant, excommunicationem complectebatur. Gallia omnis ea indignitate vehementissime accensa est, sed Parisiensis potissimum Academia, cuius præcipua membra scholæ Theologicæ erant. Ea cum rege de tanta contumelia conquesta est, additis ad eam vlciscendam, multis, iisque præclaris admonitionibus, quibus rex permotus, celeberrimum in senatu Parisiensi in eam rem conuentum egit. Atque ex grauissimis Academiæ suæ cohortationibus, de senatus vniuersi sentẽtia edictum fecit, quo alia omnia superiora aduersus Paparum ambitionem, auaritiam, & vsurpationes confirmabat, cum ad Ecclesiæ Gallicanæ iura, immunitates, & priuilegia tutanda, tum ad personæ regis, regniq; totius auctoritatem dignitatemq; conseruandam; Benedicti illius fulminationum, quibus conciliũ opponebatur, nulla prorsus ratione habita. Atque ij omnes, qui huius regni constitutiones Paparum Bullis postponerent, læsæ Maiestatis crimine palam damnati sunt. Decretum etiam, *Papis non licere in posterum vllum Galliæ tributum imponere, nisi regis voluntate, quantum quidem ipsi pro necessitatis ratione, concedere placeret.* Quoniam vero Papa in nonnullos, quos sibi aduersarios esse intelligebat, excommunicationis telum vibrauerat, rex liberos solutosq; declarauit. Hoc edictum in maxima clarissimorum virorum frequẽtia grauissime sanctissimeque compositum fuit, atque in publicis senatus tabulis adhuc asseruatur. Hæc

1406. antè acta sunt anno Christi 1406. Postea Martinus V. Papa, iratus pennas sibi adeo incisas esse, infenso & infesto erga nos animo hanc concertationem vetustis illis excommunicationis & interdicti artibus renouare tentauit: sed in ea re nihilo sane plus, quam cæteri, promouit. In his autem Paparum controuersiis multa interuenerunt perquam sane memorabilia, quæ silentio præterire non possumus. Theodoricus Nihemius historiographus suæ historiæ inseruit Academiæ Parisiensis super ea re Epistolam, petitionis supplicis instar exaratam, cuius hæc summa est & scopus. *Papæ literas Bullæ nomine conscriptas, quia contumeliosæ, seditiosæ, imposturis, dolis, & fraudibus refertæ sunt, regiamque Maiestatem lædunt, dilacerandas & in frusta secandas esse: quinetiam, si rei grauitas ita postulet, ad grauiorem & probrosiorem vltionem (quæ cæteris exemplo & terrori sit) progrediendum.* Et quidem id re postea comprobatum constat. Nam in publicis tabulis scriptum hoc reperitur, factum fuisse in hanc sententiam senatusconsultum, vt qui has bullas attulerant, ex Lnparę carceribus per lictores extracti, & ad Palatij gradus plaustro stercorario vecti ad vndecimam horam dimisso senatu, coram sacrorum Antistitibus & Clero se sisterent; illicq; honoraria pœna multarentur, tædam gestantes, lineis vestibus, ac mitris chartaceis, cum imaginibus horribili specie depictis, & Papæ ipsius insignibus inuerso & præpostero modo effictis, per ludibrium induti: atq; hoc habitu cultuq; insignes, extremis plaustris alligarentur, & à carnificibus ad omnia Lutetiæ compita per summum dedecus & ignominiam pertraherentur. Id quod articulatim & singillatim effectum fuit, Boni isti viri Papæ ministri Bulligeri, Hispani fuisse dicuntur. Sed hos iam cum suis Bullis missos faciamus. In regio autem aduersus Benedictum 13. edicto longa est apposita narratio, pias & graues admonitiones ac postulationes à multis Antistitibus & Parisiensi Academia factas continens. quæ quidem admonitiones vt tunc plurimum valuerunt, sic nunc etiam

Tractat. 6. § c. 17.

plu-

Anno 1591.

Edictum Regium contra Papam.

plurimum apud nos valere debere, quo perniciosis Paparum cõsilijs & molitionibus forti constantiq; animo intercedamus ac renitamur. Eæ autem huc maxime spectabant, vt regem docerent, nisi immensa Paparum auaritia, & iniquissimæ vexationes diligenter & serio reprimerentur, Ecclesiæ perniciem & interitum impendere: regũ hoc esse officij & auctoritatis, ad Ecclesiæ propugnationem ac tutelam, etiam contra Papas ipsos, quum eam diuexant & opprimunt, toto animo & studio omni incumbere. Edisserunt preterea, quot casus, quantaq; vulnera publici status dignitatem maneant, si regnum tyrannicæ Paparum oppressioni subijciatur. hoc se fundamento vere niti, sese à Papa seiungere, non esse ab Ecclesia se seiungere: sed, quod à D. Paulo 2. Thessal. 3. præcipitur, id ipsum præstare, cùm ait, *Seducite vos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit.* Ecclesiam à Christo redemptam, & in libertatem vindicatam fuisse: itaque nullo modo rationi esse consentaneum, eam vnius, à quo ita diripiatur & vexetur, seruituti ac libidini dedi. Atque ad id confirmandum 5. cap. Epistolæ ad Galatas proferunt, *In libertate, quà Christus nos liberauit, nobis esse perstandum,* &c. Immo quum de Papa loquuntur, tyrannidis nomen vsurpant. Docent quantopere indignum sit & intolerandum, eum, quem ex Euangelij doctrina seruum & ministrum esse decuit, dominum se ad diripiendam Ecclesiam profiteri. Quin addunt, si Paparum viuendi ratio cum ea Prophetarum & Apostolorum conferatur, eos nihil minus quam bonos pastores reperiri: vel potius, malorum pastorum notas (quibus à Prophetis & Apostolis describuntur, & à bonis pastoribus discernuntur) in iis & multas & certas apertissime animaduerti. Postulant vt constitutiones de se ab iis separandis antea factæ, firmæ inuiolatæq; seruentur. Qui vero Paparũ caussam propugnabant, persuadere populo conabantur, si rex edicto sanciret ne Papæ obtemperaretur, id esse bellum cum Ecclesia gerere, & ab ea deficere: Deo autem potius quam hominibus parendum esse. Quasi vero Regia edicta, Dei mandatis repugnarent. Academia Parisiensis, & cæteri, qui ad caussam regis defendendã se cum illa cõiunxerant, respondẽt nulli id impedimento regi esse debere: hæc vana esse verba, & inanem adulatorum, qui volunt Papas omnibus legibus solutos, omnisq; emendationis expertes ac securos cum omni impunitate ac licentia viuere, garrulitatem: proferentes etiam eius rei probandæ ergo, quandam Pelagii II. sententiam, quæ in decretalibus extat, eum nõ esse persequutorem, qui peccatum aut iam admissum punit, aut ne admittatur, impedit. Quin etiam aliud & longe maius addunt, potestatem, qua Ecclesia Romana exultat & triumphat, meram esse *Constantini donationem*, de qua etiam hodie à Constantinopolitana & Alexandrina Ecclesia & alijs contenditur, eaque, quantumuis reclament, falsa esse demõstratur. In summa, quicunq; sua potestate abutuntur, ea abdicandos esse. Et de iis quidem, de quibus Academia & Galliæ antistites apud regem contra Papam disseruerant, hactenus: Eaq; ipsa fuerunt edicti regij in Paparum molitiones & vexationes fundamenta.

POSTREMO, quartam historiam eorum quæ Ludouici 12. tempore anno ante hunc vixdum centesimo hac de re contigerunt, superioribus etiam addam. Si vllus alius princeps à Paparum furoribus tutus esse debuit, hunc certe ex omnibus præcipue vnum esse decuit, cum ob suas præclaras virtutes, tum quod Iulium II. multis magnisqueà se affectum beneficiis, quibus vix vnquam par gratia haberi poterat, sibi plurimum deuinxisset, multis illi restitutis vrbibus, quæ à Bentiuolis & Venetis occupatæ, & ex ipsius ditione vsurpatæ fuissent. At enim ambitionis quidam æstus, qui superiorum Paparum animos corripuerat planeque corruperat, & serie quadam fatali ad successores transibat, in Iuliũ istum inuasit, omnemque illi mentem & rationẽ ita eripuit, vt ingrato supra modum fidemq; animo, inauditaq; perfidia suas omnes vires in eum conuerterit, illum si potuisset, totumq; ipsius regnum oppressurus. Nempe stomachabatur, grauissimeq; ferebat res nostras in Italia prospere succedere, nosque, à quibus suorum decessorum iniquæ vsurpationes, immoderatæq; actiones repressæ fuissent, nimium sibi vicinos atq; imminentes habere. Ex finitimis igitur fere omnibus ciuitatibus factionẽ sibi conciliat, atq; Hispaniã, Angliã, Germaniam, & Heluetios contra regẽ Galliamq; ad arma concitat. Cumque suorũ furorũ ac fulminationũ ministros ita cõparasset, Bullã aduersus regem promulgat, eum excommunicat, ius illi regni abrogat, prædæque obijcit. Guicciardinus ait regẽ ista Bulla expresse nominatũ, atq; hæreseos & schismatis reũ, pœnisq; obnoxiũ: Regnũ denique ipsũ proscriptũ, & primis occupãtib. expositũ fuisse. Idẽ quoq; in Nauarræ regẽ Hẽrici 4. regis, qui hodie regnat, proauũ est ausus: idq; nõ aliã ob causam, quam q̃ à regis caussa staret; cui ob id regnũ suũ ereptũ, & ab Hispano ex bellæ istius Bullæ auctoritate ereptũ fuit. Qui de iis tẽporib. scribũt, hoc etiã addunt, (atq; sic à Patribus nostris accepimus) Iuliũ istũ libellos aliquot per Italiam disseminasse, quibus populi cõtra nationẽ nostrã sollicitarentur: neq; id solũ, sed dedisse etiã ei peccatorũ veniã, qui Gallũ aliquẽ interficeret: adeo vt horribilis nostrorum cædes per vniuersam Italiã facta fuerit. Rex Ludouicus ita furiose petitus, ad consuetũ apud maiores suos remedium sese cõuertit, ordinũ cõuẽtũ agit & consulit, atq; ex optimorum & grauissimorũ virorũ cõsilio celebre Episcoporũ & aliorũ regni sui Ecclesiasticorum cõciliũ Turonib. conuocat. Ibi quid sibi agẽdum esset, ab eo cõsilium petit. Nõ fuit illic decretum, vt rex Papæ fasces summitteret; moreq; gereret: sed cõtra hæc sunt præcipua illius cõcilij capita, vt hodie publicis monimẽtis cõsignata extãt: *Auctoritatẽ summãq; potestatẽ vnius regis in hoc regno esse: Ecclesiasticos, vniuersumq; populũ nulli alij præterquã illi, inuiturãdo obsequioq; obstrictos esse: regẽ nulla prorsus in re Papæ obnoxiũ esse, bonaq; fide & recta cõscientia se ab illo abstrahere; atq; adeo bellũ cũ illo ad suã dignitatẽ auctoritatẽq; retinẽdã gerere posse.* Hæc in cõcilio illo Tu-

Lib. 11.

Conc. Turonense.

toneti-

Anno 1591

roncnsi aduersus Papæ Bullas decreta sunt: iis planc congruenter, quæ in superioribus ætatibus eadem dc re constituta semper fuissent. Stupendum profecto atque horrendum est, ea quæ de Huius Papæ væsania à clarissimis, qui tunc temporis viuebant, viris (vt à Budæo, Philippo Decio & alijs permultis) scripta fuerunt, legere, & quot quantisq; detrimentis & cladibus Gallicum regnum furiosus iste Iulius affecerit & afflixerit, ex illis cognoscere. Illius sanc consilia & actiones bonos valdc offenderunt, ideoque multis in locis concilium habitum fuit, vt iure in illum ageretur, sed concilium illud vbiq; locorum armis dissoluebat, vt iustis, ac suo furori debitis, quas vitarc non poterat, pœnis sese eriperet. Ille copiis instructus, Roma egrediens, aduersus regem progressurus, lorica armatus, licet natu iam grandis, infinita hominum multitudine illic spectandi gratia circunstante, summa vocc contendens, *cum sancti Petri claues*. ait, *nihil nobis prosint, gladium iam distringamus*: & continuo proiectis in Tyberim clauibus, nudum ensem manu arreptum toti populo militariter ostentabat. Iam mihi lector considera, quo spiritu ducti & afflati Pontifices illi fuerint, qui sua fulmina in reges nostros contorserunt. Sed nihil suis illis furoribus consequuti sunt: Dei nimirum beneficio, qui tanta fortitudine & prudentia tum Reges nostros, tum corum populos maiores nostros roborauit, vt summa animi firmitate, & constantia contra illorum minas & fulminationes parati & armati de iure suo nihil illis remiserint. Possem & alia exempla proponere: sed quatuor hisce contentus addere plura supersedebo, cum in eadem rc eodem prorsus modo aduersus eosdem semper maiores nostri vsi fuerint. Atque hoc consilio sanctaq; constantia regni nostri status contra furiosos istos conseruatus est, quem proculdubio in miserrimam seruitutem redegissent, & sexcenties etiam pessundedissent, vt in altis idem effecerunt, nisi fortissime illorum conatibus obuiam itum fuisset.

lib. 5. de Asse.

Arnaldus Ferronus.

Huius constantiæ exempla effecerunt, vt alia quędam Imperia Paparum excommunicationibus fortissime etiam restiterint; Vnde & optime sibi suisque rationibus consultum senserunt Veneti, quod statũ Ferrariẽsem in fidẽ ac tutelam suam recepissent, à Clemẽte 5. sacris interdicti, Ecclesiæ hostes indicti, & hostiũ libidini ac p̃dæ expositi, otioso nihilominus & securo animo fuerunt. Florẽtini eorumq; fœderati sæpenumero à Papis petiti, armata illis manu obuiam ierunt, à quibus alioqui oppressi absorptiq; omnino fuissent. Deinde aliquot post annis Germani, qui superiorib. sæculis illorũ cupiditati nimio plus quã expediret, nec sine suo magno malo indulserãt: itemq; aliæ quædã nationes è profundo quasi somno, quo sopitæ diu fuerãt, excitatæ sese tandẽ collegerũt, & ad Paparũ conatus retundẽdos mirabili omniũ ordinum cõsensu & studio cõspirarunt. Sed hæc & alia eiusmodi, quæ in historijs passim occurrũt, exẽpla aliis diligẽtius exquireoda, & vberius ac fusius tractanda iam relinquã, his vnis, quæ domestica nobis & familiaria sunt, cõtẽtus: cum nullæ vsquã extare nationes videãtur, quæ maiorẽ in regẽdis cõseruãdisq; suis imperijs religionẽ, prudẽtiã ac fortitudinẽ, quã maiores nostri adhibuerint & quæ melius quam illi quid nobis hoc grauiss. Reip. tẽpore prę̃stãdum sit, docere possint. Vt igitur paucis rẽ cõplectar, ex supra dictis p̃spicuum est Papas hisce excõmunicationum telis nõ nunc demum reges nostros vexasse, funestis bellis petiisse, factiones in eos concitasse, & modis artibusq; omnibus, per quas huius regni status cõuelleretur, religionis nomine tẽtasse. Ad hæc reges nostros & hæreticos & schismaticos & Ecclesiæ hostes de industria, vt ipsis odium cõflarẽt, appellare consueuisse. Pręterea omnium harum rerum caussas, præter inuidiam & indignationem, nullas alias fuisse, ex eo duntaxat natas, quod nõ possent & leges & reges in hoc regno cum summo imperio aut constituere, aut de medio tollere: ac res tum diuinas, tum humanas pro animi libidine dispẽsare, vt alijs in locis citra cõtrouersiam factitabant. At vicissim maiores oostros ea semper animi magnitudioe fuisse, vt eorum minis territi nunquã fueriot, sed contra strenuissime ac fortissime ijs seq; suasq; vires obiecerint, ad suam auctoritatẽ regniq; totius dignitatem ac libertatẽ tuendam. Neq; vel temere ea, quæ Papæ de suis Principibus deblaterarent, credidisse, vel ob istas fallacissime confictas & impactas hæreseos & excommunicationis calumnias, eos amare & colere destitisse: sed potius eorum dignitatem aduersus. Papas modis omnibus, & armis adeo ipsis quandocunque id à se peterent, suaque opera ad caussam ita iustam propugnandam vti vellent, se tutaturos coram ijs professos fuisse: haud metuentes aduersante hic & repugnante conscientia quidquam admittere, cum nec auctoritate nec ratione vlla cò vnquam adduci potuerint, vt agnoscerent & faterentur se vllorum aliorum quam regum suorum potestati subiectos esse. Similiter reges summã semper animi fortitudinẽ præ se tulisse, non vultu tantum & verbis significãdo, sed re quoq; ipsa declarando, se de auctoritate, quã à Deo haberent, nihil omnino nec quidquã nec vlli cuiquam, cuiuscunq; fortis aut dignitatis esset, velle vnquã cõcedere. Hæc autẽ posthac nobis accuratius & sigillatim explicanda, atq; rationum omnium, quæ illos pro suis legibus & regibus aduersus Papas vindicandis mouere potuerunt, pondera diligenter examinanda erunt, vt quid & quatenus illorum exempla nos iuuare possint, planius & plenius intelligere possimus.

SECVNDA PARS.

Compendiaria caussarum, quæ Gallos maiores nostros aduersus Paparum excommunicationes concitarint, & quæ in eorum constantia nobis obseruanda sint, disquisitio.

ETsi nihil aliud quam simplicem eorum, quæ à maioribus nostris aduersus Papas facta sunt, narrationem, vnamq; illorum in proposito susceptoq; consilio cõstantiã, animiq; firmitatẽ habe-

Anno 1591.

habebemus, cum præsertim tam multa, tam certa, tamque constantia exempla sint: attamen id vnum ad incitanda eorum consilia & actiones nobis satis esse deberet. Sed vbi de exemplis agitur, illa demum vere certoque sequimur, quorum rationes cognosci possunt. Ad intelligendas autem maiorum nostrorum rationes valde quidem illud optabile fuisset, vt præter eorum decreta, graues quoq; illorum sermones sapientesq; admonitiones iam extarent, in celeberrimis illis & solennibus comitiis adhiberi solitæ, quæ regum nostrorum, quoties à Papa indigne acciperentur, imperio & auctoritate fiebant. Veruntamen satis adhuc inde nobis constabit, nos posse citra vllum scrupulum ac dubitationē, illorum exempla imitari. Illud enim primo magnum est, certo nos scire, quum ita se Papis opponebant, nulla id contemptæ religionis aut minus synceri in eam amoris culpa factum, cum omnium religiosissimos & pientissimos fuisse inter omnes constet: vnde reges nostri hoc elogio dignati ornatiq; sunt, vt *Christianissimi* cognominarentur. Nisi vero perspectum hoc planeq; cognitum habuissent, quidquid aduersus Papas dicerent & facerent, id fere salua omnino ac integra conscientia dicere & facere, ab eo quidem certe linguas, manus, animosq; ipsos abstinuissent, cum cæteri multi, tum ii potissimum, qui multis magnisq; virtutum ornamentis & existimatione pietatis maxime floruerunt, antea cōmemorati reges: quorū vnus per excellentiā Augustus, alter carissimus, & (vt alter Titus ille Imperator) populi deliciæ, alius item populi parens dicti sunt. Præterea quod ea de re factum est, non præcipiti quadam iracundia, aut solo regum, quibus aliquando peccare contingit, quum nullo adhibito consilio aliquid suscipiunt, motu factum est: sed hæc omnia contra Papas decreta, lente & legitime facta sunt, sumpto nimirum ad rem maturo iudicio deliberandam & concoquendam spatio, atq; habitis solennibus & celeberrimis senatus, trium ordinum, & aliquando conciliorum conuentibus. Credendumque profecto, in tanto tam clarorum sanctorumq; virorum conuentu omnia prudēter ac religiose consultata, constitutaque fuisse. Quare si sapientum virorum sententiæ, si clarissimorum Theologorum & Iuriscōsultorum responsa, si placita senatus, si comitiorum decisiones, & conciliorum decreta legis vim interdum obtinent: eadem certe dignitas & auctoritas hisce contra Papas decretis debetur, cum in iis hæc simul omnia concurrerint, obseruataque fuerint. Atq; hoc persuasum omnino habere debemus, nec rationes, nec fundamenta illis ad ea constituenda ac suscipienda defuisse. Vti etiam explicatu non admodum difficile nobis erit, cuiusmodi rationes illæ fuerint, si eas paulo diligentius exquirere velimus. Ex Caroli VI. decreto videre est priscos illos patres sacras scripturas vsurpasse, ex iisque præcipua causæ tuendæ fundamenta deprompsisse: nec non in veterum doctorum scriptis, Ecclesiæque historiis legendis diligenter versatos fuisse. In illis omnibus, in quibus hæ patrum aduersus Papas controuersiæ maxime viguerunt, ætatibus, clarissimi floruerunt Theologi, vt inprimis Sanctus Bernardus, maximi item Iurisconsulti eruditissimis & luculentissimis scriptis insignes: in quibus etiamnum extant querelæ aduersus Papas, illis, quæ in huius regni comitiis fierent, omnino similes: vbi etiam quæ in ipsis comitiis de Paparum potestate, de eorum excommunicationibus, molitionibus, & improbitate ac peruersitate habebantur controuersiæ, manifesto cernuntur: additis etiam ibidem illis ipsis, quibus decreta sua confirmabant, rationibus. Et quanquam libri illi non extarent, vnicæ Parisiensis Academiæ in Caroli VI. edicto admonitiones ad huius rei fidem cum habendam, tum faciendam satis esse, atque firmissimas, & quæ nulla omnino vi labefactari conuellique possint, rationes nobis abunde suggerere possunt. Quin etiam his ego subiciam nostra memoria Henrici II. tempore, *edictum aduersus paruas*, quas vulgo dicunt, *Datas, Paparumq; abusus* factum fuisse: ad quod libellus quidam [a] commentarii vice continuo accessit, in quo solennium aduersus Papas actium rationes & argumenta, renouata atq; in memoriam reuocata fuerunt. Quem quidem librum bonorum sapientumq; virorum iudicio comprobatum fuisse, ex regis priuilegio illi affixo patet: vt illinc omnibus constaret, non esse rem in hoc regno & nouam & inauditā, cum Papis contendere, & cur id fieret, demōstrare. Quæ cum ita sint, hoc merito nec inuiti fateri debemus, maiores nostros in hac regū aduersus Papas cōcertatione sapientissime sanctissimeq; se gessisse, eorumq; decreta nobis etiamnum esse debere sacrosancta, & pie inuiolateq; seruanda Ecclesiæ & regni libertatis axiomata: nec rectius quidquam & consultius à nobis hic fieri posse, quam si ea diligenter cum animis nostris consideremus ac perpendamus, vt quid consilii in hac tanta deliberatione dubitationeq; capiendum nobis sit, ex iis hauriamus.

Decreta in Papas.

a Authore Carolo Molinæo

Papas errare posse.

PRIMVM inde intelligimus Maiores nostros ab eo longissime abfuisse vt crederent, quod Paparum adulatores dictitant, vt nouos sc. Deos nobis fingant, *Papas errare non posse*. Nam si hoc credidissent, iis nunquam repugnassent, nunquam de illorum iniuriis expostulassent, nunquam eos accusassent, in iudiciumque adduxissent, nunquam etiam ab iniquis eorum sententiis ad concilia prouocassent. Atqui ea omnia, vt ex superioribus historiis liquet, faciunt, nec quidquam verentur eos hæreseos, simoniæ, ambitionis, tyrannidis, furoris & cædis insimulare: nam ea omnia crimina in actis illis & regum edictis commemorantur. Nempe maioribus nostris id perspectum & compertum satis superque erat, Papas homines esse: quin integerrimos quosq; & innocentissimos homines, etsi à scelere liberati sint, aliqua tamen erroris humani culpa teneri. Non ignorabant D. Petrum ipsum clarissimum Ecclesiæ lumen, turpissime lapsum fuisse, alios item præstantissimos Dei seruos non leuiter aliquando peccasse: Denique optimis & perfectissimis quibusq; delictum suum vltro agnoscendum, prædicandum, confitendum esse. Verum vt tam libere de Papis loque-

Anno 1591.

tentur, hoc faciebat, quod totam eorum vitam intus & in cute exploratam haberent: & scirent quali fuissent ingenio moribusq; præditi, quicũq; à seculis aliquot Romanæ sedi præfuissent, quid item probatissimi & spectatissimi viri de iis scripsissent: quid hoc etiam regnum de iis antea expertum esset, & quotidie adhuc experiretur. Permultorum ex iis impietatem, blasphemias & hæreses, quas Parisiensi Academiæ necesse aliquando fuit, & lingua & manu oppugnare, probe nouerant: nec eorundem auaritiam, simoniam, fraudes, denique hominum cædes, & bellorum clades, per quas ad Papatum grassarentur, ignorabant. Sciebant & quales essent Bonifacii, Benedicti, & Iulii, per quos funestis bellis vexarentur. Quantamcunq; igitur istius sedis rationem Maiores nostri haberent, videbant nihilo minus in Papas, vt & in reliquos homines, cadere vt peccare possint, nec in facto tantum & moribus, sed in doctrina etiam. Summæ enim, quam sibi arrogant, nobisque persuadere conantur, potestatis caput, partem quandam doctrinę esse, in qua pii illi patres Papas ipsos & falli & alios etiam fallere recte censuerunt, nec ei vnquam se subiicere voluerunt.

Cum igitur Maiores nostri persuasum hoc planie haberent, Papas errare posse, non imprudentes religionis, & rerum omnium ignari incautique fuerunt, vt quicquid Roma emanaret, id delectu omni ac discrimine remoto, acciperent: quicquid etiam sibi à Papis imperaretur, id ipsum sine vlla dubitatione perficerent: tanquam ea, quæ simplici & rerum imperito vulgo iniicitur, opinione imbuti essent, qua putatur, aliter quam Papæ præcipiunt ac præscribunt, agere, id esse Deo ipsi repugnare, & piaculum quoddam admittere. Si patres nostri in ea opinione fuissent, nunquam illis certe hoc in mentem venisset, vt Paparum auctoritatem defugerent. At eam illic adhibuere prudentiam, quæ toties tantoque opere in sacris scripturis commendatur: nempe *vt [a] probentur Spiritus*, *[b] quod bonum est retineatur*, *[c] à malo abstineatur*: eam autem probandi rationem ex sacris scripturis petunt. Quod ne dubitare possimus, Parisiensis Academiæ admonitio, in qua toties scripturæ sacræ testimonia citantur, magno ad id nobis argumento erit. Illud quidem certe perspicuum est Ecclesiæ fundamenta Romæ ab initio præclare iacta fuissę, Romanorumque fidem & pietatem in toto terrarum orbe constanti fama atque omnium sermone tum priuatim, tum publice celebratam fuisse, vt D. Paulus suo id testimonio comprobat, illic etiam Episcopi satis longa annorum serie & docti & pii floruerunt. Vnde factum est, vt illius Ecclesiæ præ cæteris omnibus maxima & dignitas & existimatio esset, ac sententiæ & consilia, quæ ab ea prodirent, præcipuum apud omnes locum haberent: quanquam interim reliquis Ecclesiis pro suo iure liceret, quæ minime in illa probarent, ea reprehendere ac respuere: vt ex Irenæi aduersus Victorem Episcopum de Orientalium Ecclesiarum excommunicatione, & aliorum etiam exemplis liquido constat. Verumenim vero probi illi Episcopi paucos admodum aut potius nullos sui similes successores Romæ habuerunt: ex quo potissimum tempore & otium & opes auctæ sunt: Ea enim auaritiam, ambitionem, & alias corruptelas secum innexerunt. Maiores nostros id minime fugiebat, Papasq; non eodem iam Spiritu, quo primos, regi. Ideoq; vt prudentes cordatiq; viri, quandocunq; mandata aliquot à Papis afferebantur, & rerum & virorum delectum prudenter habebant, nec vnquam, vt eorum libidini per omnia obsequerentur, adduci poterant. In quo quidem præclarissimum sui in vindicanda religione & libertate imitandi exemplum nobis reliquerunt, nisi plane falli velimus.

a 1. Ioann. 4. b 1. Thess. 5 c Ephes. 5.

Roman. 1.

Appellatio à Papa ad Concilium.

Quoniam vero Papæ & minas & vim ad terrendum vlciscendumque adhibebant quandocunque id fieret, ad concilia confugere solebant. Id quod salua conscientiæ fide se facere, iure ipso reique veritate freti confidebant: quippe qui certo scirent, vt cæteros, sic & Papas ipsos censuris & correctionibus Ecclesiasticis æque obnoxios esse: Contra quam ipsorum adulatores, clientesque mercenarii sentire videntur, dum contendunt nulli prorsus homini licere in eorum mores factaque inquirere. At patres nostri didicerant, *vbi quid peccatum est, ibi reprehensioni locum esse.* Meminerantque D. Petrum ipsum à D. Paulo reprehensum fuisse, hancque esse libertatem vere Christianam, vt citra fastidium & arrogantiam summi quique viri infimorum etiam admonitionibus & animaduersionibus sese submittant. reprehensionem vero repudiare, odiosissimam esse & pene Diabolicam hominis sua ipsius culpa exitium sibi arcessentis arrogantiam. Patres igitur nostri libertate vere Gallica Papis intercedebant, & patronam illam religionis, ac vindicem libertatis prouocationem ad reprimendos illorum conatus in remedium adhibebant: hinc satis probantes se Paparum auctoritati non tantum tribuere, quantum isti ab illis non ita pridem nati & alii Iesuitæ, dum Papas supra concilia esse, persuadere nobis conantur. Prisci illi patres suos Iesuitis longe saniores & sanctiores Theologos habebant, Gersonem, Occamum, & alios Parisiensis Academiæ doctores, qui contra semper senserunt & statuerunt. Tenebant illud memoria, quid Ecclesiastici doctores ea de re animo tenuissent: quid sancta Concilia constituissent & sanctitassent, & ea maxime, quæ postrema fuerunt, Constantiense & Basiliense. Sibi etiam ante oculos ponebant modestiam illam à Paparum nostrorum arrogantia valde abhorrentem, Diui Petri submissionem, quum se Ecclesiæ Hierosolymitanæ sistere non recusauit, sui ad gentiles aditus rationem redditurus. Vbi etiam D. Paulus ac Barnabas primo Hierosolymorum concilio interfuerunt, suæ profectionis causas edocturi: etiamsi tamen Apostoli, & longe maioribus quam Romani Pontifices prærogatiuis instructi essent. Nostri ergo Maiores quum à Paparum decretis ad concilia appellabant, sapientiores multo melioresque Theologi erant iis, qui Papis nostris, quales hodie cognitos habemus, summam & omni exceptione maiorem, nulla norma, nullaque

men-

Anno 1591.

mensura circumscriptam auctoritatem attribuunt, idque cum tanta licentia & impunitate, vt eam summa vitæ perturbatio, horribilisque rerum omnium, nisi mature occurratur, & prouideatur, confusio inde sequutura videatur. Interim nos suo exemplo docent, prouocationis auxilium in Ecclesia aduersus omnem cuiuslibet, ipsorum etiam Paparum vim & violentiam locum habere debere.

In eiusmodi autem prouocationis ad concilium intercessione hæc erat Patrum nostrorum mens, hic animus, vt, quicquid Papæ suis Bullis & fulminibis tentarent, veluti Regum, quos illi hæreticos, schismaticos & Ecclesiæ hostes pronunciabant, condemnationem itemq; excommunicationes & interdictiones tantisper differrent, dum concilium haberetur, illis interim, quasi nunquam indictæ fuissent, irritis & nullo numero habitis. Papæ hic fremebant, æstuq; furoris abrepti, sua fulmina eo vehementius & amentius quam antea eiaculabantur, omniq; ope & opera, atq; armis adeo ipsis cõtendebant, vt concilii conuocationem impedirent: vt Iulius contra Ludouicum 12. Verum Patres nostri constanter in sententia perstabant, non ignorantes quod sit prouocationis beneficium & vis: nec metuebant nequid sibi Paparum tonitrua, & bullæ nocerent.

Iudex in concilio quis sit.

Prisci illi patres nos ex his docent, quis sit iudex habendus in concilio, quum eò prouocatum est, & quid in Ecclesiæ controuersiis fieri debeat, quum in concilio eæ disceptantur. Papa iudicis munus, summumque decernendi ius & auctoritatem in eo sibi arrogat. Sed patrum nostrorum longe alia fuit opinio. Nam prouocando ad concilium sic statuebant, Papas illic causæ disceptationi interfuturos tanquam reos, non autem vt iudices præfuturos, atque latas à se præcipiti amentia sententias, à quibus iure prouocatum fuerat, rescindi & infirmari passuros. Deindè accusaturi Papas, hoc animo & consilio eos accusabant, vt iudicio de obiectis criminibus se purgaturi adessent: veluti cum Bonifacius de hæresi, simonia & homicidio postulabatur. Patres igitur nostri summam potestatem & auctoritatem conciliis tribuebant, ac censebant, quæcunq; controuersiæ aduersus quoscunq; & Principes Christianos maxime interuenirent, eas illic, non autem in Romano consistorio dirimendas esse.

Contra Paparum vexationes.

Hoc etiam in his patrum institutis obseruandum videtur, eos nimirum, contra Paparum vexationes eorumque excommunicationes cum vix possent concilia cito conuocari; aut Papæ suis artibus, ne conuocarentur, impedirent, querelis & supplicationibus apud reges suos & magistratus adhibitis, sibi suisque rebus prouidisse: quippe qui scirent atque proponerent regum auctoritatis esse & muneris, eorum, quos in sua potestate habent, curam defensionemque aduersus iniqua Paparum imperia & decreta suscipere. Ita sane Caroli VI. temporibus factum fuit. Nam is audita Antistitum & Academiæ Parisiensis querimonia & postulatione, rem in concilium & iudicium adduxit: Clerum quem Papa tyrannicis vexationibus oppressum tenuerat, seruitute liberauit, atque excommunicationum fulmina aduersus quosdam contortas, bruta irritaq; de communi sententia pronunciauit. Nec vero id aggrediebantur, ciues quidem, vt ad Principem suum aduersus Papam confugerent: Rex vero & Senatus, vt iis de rebus statuerent (quantumuis ipsi Papæ illius procuratores, qui sibi fecerant in eo consilio audientiam, intercederent:) non hoc inquam suscipiebant, quin plane cognitum haberent id sibi recte ac iuste licere. Viri Academiæ primarii firmissimis argumentis in sua illa admonitione id Regi confirmarunt. At nobis procul dubio habendum est Regi penitus persuasum fuisse, se à Deo in regiæ dignitatis culmen ideo euectum, vt omnem ordinis perturbationem, rerumque motum in Ecclesia inhiberet, & eorum, qui suæ sortis immemores & alienæ dignitatis contemptores in suis se finibus non continerent, insolescerent, aliosque vexarent, audaciam ambitionemque reprimeret, idque decessorum suorum optimorum Principum, qui sine dubio illi ad imitandum proponebantur, auctoritate & exemplo. Et quidem Rex ipse in eo decreto palam profitetur, *agnoscere se suarum esse partium, eos, quos sua potestati & imperio subiectos haberet, ab omni vexatione* (Papam innuens) *eripere, eiusq; rei culpam sibi coram Deo præstandam esse.* Atq; ex Theodosij, Honorij, Constantini, Caroli Magni, & aliorum, qui eo se modo habuerant, similitudine, huius sui officii exemplum capit. Quod cæteris etiam ætatibus documento sit, si quid forte illorum, qui summam totius Ecclesiæ administrationem sibi assumunt, ambitione & auaritia fieret, quod ciuibus damnum regnoque ipsi fraudem ac detrimentum adferret, vt populus quidem ad regem velut sacram quandam anchoram, sæuiente tempestate se reciperet: Rex vero pro summa sua auctoritate, & officii quoque sui ratione illam à suorum ceruicibus auerteret, videretq; ne quid regnum detrimenti caperet.

Reges penitus persuasi eam prouinciam ad se pertinere, eam quoque gesserunt & ornarunt, non gladio tantum & armis, quum res ita tulit, vsque adeo sane, vt Alpes ipsos transcenderint, Papas comprehensuri & vlturi, sed etiam, & præcipue quidem solenni regni sui Antistitum & Theologorum conuocatione, concilia prouincialia Gallicæ gentis, ex regum auctoritate, priusquam à Papis vexarentur, semper habita fuerant, vt optimus ordo in regni Ecclesiis constitutus integer conseruaretur, & necessitatibus difficultatibusque rerum, quæ interuenirent, consuleretur: At ex quo Papæ illis infesti esse, regnique tranquillitatem interpellare cœperunt, tunc ea propugnaculo & præsidio illis aduersus Papas fuerunt, ad concilii vsque Turonensis, quod ab ætate nostra propius abest, tempora.

Anno 1591.

Primatus Papæ politicus.

Quod ad primatum, summumque imperium & potestatem attinet, quam Papæ vbique locorum sibi sumunt, nullis nec circumscriptis, nec circumscribendi finibus & rationibus, vt velint & sua etiam opinione possint regibus principibusque imperare, & de imperiis pro animi libidine statuere, operæ est pretium audire, quid maiores nostri in frequentibus illis Theologorum & Iurisconsultorum consessibus senserint. Necdum de hoc regno speciatim loquor, in quo Papæ hanc nunquam auctoritatem obtinuerunt: sed generatim, an ita habendum sit de illa quam sibi arrogant dignitate, & quæ ipsis fuit, semper & adhuc est in suis bullis mandatorum, sententiarum, damnationum, & excommunicationum, quas Roma quocunque emittunt, fundamentum. Nunquam vero patres nostri hoc ita habere illis assensi sunt. Nam si de temporali potestate agitur, qua sibi fas esse putant, omnibus humanis imperiis cum summo iure imperare, principesque, reges & Imperatores omnes sibi subiicere, illud quidem erat, quod suis literis & Bullis ad reges nostros missis continebatur: vt in literis Bonifacii nobis supra constitit. Verum illud quoque ipsum est, de quo præcipue contentio aduersus eos suscepta erat, atque adeo id ipsum, quod in Bonifacio, qui se impudentius quam cæteri & arrogantius de sua illa in omnes & omnia auctoritate iactabat, hæreseos crimen esse dicebatur. Nostri patres probe hoc tenebant, Ecclesiam non esse imperium humanum, humanis aliis imperiis simile, sed omnino spirituale: atque inter Mundi regna, & animarum gubernationem, inter principes ac Dominos, qui orbis regnorum potiuntur, & eos qui spirituale regnum obtinent, cancellos quasi quosdam, manifestumque discrimen nominatim interiectum esse. Quanquam alioqui, quum res quo decet ordine modoque reguntur ac temperantur, mirifica est huius cum illo consensus & conuenientia: sed non eo pacto tamen vt inordinata debeat esse & indistincta vtriusque potestas & administratio. Patres nostri in his disputationibus aperte probarunt se in sacris scripturis longe melius versatos esse, quam Papas qui pro libris sceptra armaque tractarent. Legerant in Euangelio quod Christus de seipso (quantum quidem ad hanc distinctionem attinet) & verbo & exemplo docuerat. Ille vnus vere est [a] *Ecclesiæ caput, summusque omnium Episcopus & pastor.* Apostoli hisce eum duntaxat, nec vllum præterea quenquam alium nominibus ornant. [b] *Pater omnem illi in cœlo terraque potestatem dedit.* Si in vllo alio terrena potestas cum spirituali Ecclesiæ moderatione coniungi debuit, in illo id potissimum fieri decuit. At, quandiu hic vitam degit, diligenter sibi cauit, ne quidquam admitteret, quo vel minimam suscipiendæ rerum humanarum administrationis suspicionem hominum animis afferre videretur. Illius aduersarii quid ea de re sentiret, tentare voluerunt: sed vt eam, quam modo posuimus, distinctionem confirmaret, respondit, *reddendum esse Cæsari, quod esset Cæsaris, & Deo, quod Dei.* Hinc declarans non eo se è cœlo in terras venisse, vt ex imperiis humanis vel minimum vsurparet, & ex Imperatorum authoritate quidquam detraheret. Quin & coram Pilato rogatus de eo quod ipsi per calumniam malitiamque impositum fuerat, respondit *regnum suum non esse ex hoc mundo.* Iidem patres nostri, qui id in Euangelio legerant, sic ratiocinabantur ac vere concludebant, Iesum Christum Episcoporum principem, aliis quos Ecclesiæ suæ curatione & administratione ornaret, sui exemplum proponere voluisse: cumque gubernationem hanc ciuilem ne minimum quidem attingere voluisset, vt ex ea quidquam intermitteret, ad seque transferret, absurdum & ab omni ratione alienum fore, si alii id cogitarent & susciperent. Ita enim eos admonebat, sicut me misit pater, ita & ego mitto vos. Iidem alias quoque admonitiones legerant, quibus apud suos Apostolos vsus fuerat, vt perniciosæ isti ambitioni occurreret, quam in mentes hominum irrepturam, & in media sua Ecclesia breui grassaturam certo præuidebat, quum diceret: *Reges gentium dominantur eis: Vos autem non ita estote.* Meminerant præterea Diuum Petrum & alios Apostolos talem vitæ statum ad mortem vsque obtinuisse atque Domini Ecclesias ædificare, easque Euangelii prædicatione regere, solum & simplicissimum illorum munus fuisse: ita vt ne minimum quidem affectatæ terrenæ administrationis indicium & vestigium in iis vnquam apparuerit. Nec eos prætcribat quam studiose Apostoli ipsi, Ecclesiarum seniores & pastores, (quibus generaliter omnibus dignitate longe superiores erant) hortarentur, vt sub summo illo quem nominant, pastore nempe Iesu Christo, [c] *greges sua fidei concreditos diligenter pascerent: ab omni dominatione abstinerent;* & [d] *rerum humanarum cura nullo modo se implicarent.* Hæc omnia patres illi in sacris scripturis videbant: ad quæ præterea adiungebant, qualis fuisset perpetuus totius veteris Ecclesiæ vsus: quomodo etiam cum alii omnes, tum Romani Episcopi, Imperatores & alios Monarchas pro suis summis Principibus semper habuissent, & eo, quo modestos & summissos clientes decet, nomine, obseruantia & honore appellassent: habebant etiam in suorum regum historiis, post comparatam sibi in Italia inde à Carolo Magno dominationem, ea quæ de Paparum erga Principes officiis, summissionibus, & obsequiis nominatim & luculenter scripta essent, & quæ hodie etiamnum in illis extant. Habebant deinde in manibus clarissimorum doctorum, nec veterum duntaxat, sed æqualium etiam suorum libros, querelarum de misero per Paparum ambitionem Ecclesiæ statu plenos; Itemque accusationum & testificationum aduersus tam insolentem & antea inauditam affectatæ, & vsurpari iam cœptæ in Imperatores & principes dominationis libidinem. Nec desiderabant tam multas, tamque eruditas præstantissimorum Iurisconsultorum aduersus hanc rerum confusionem disputationes: præclaras etiam simul & seueras & graues Diui Bernardi ad Eugenium Papam contra effrænatam eiusmodi superbiam admonitiones, in hanc maxime sententiam: *Papas, si Diui Petri exem-*

a Ephes. 1. & 5. &c. 1. Pet. 5.

b Matth. 28. Ioan. 17.

Matth. 22.

Ioann. 18.

Luc. 22.

c 1. Pet. 5.

d 2. Tim. 2.

Lib. de consid. 2, 4.

plum

Anno 1591.

plum imitari vellent, non ita se pro Imperatoribus gesturos, sed sarculum potius & pedum ad excolendum Ecclesiæ agrum, & illius gregem gubernandum gestaturos, non autem regum insigne, sceptrum & Diadema. Nusquam hoc reperiri probarique posse eos tantam potestatem vllo iure habere: cum eam nec à Diuo Petro adepti essent, quoniam Diuus Petrus dare iis non poterat, quod nunquam ipse habuisset: nec à Christo etiam ipso, cum iis ne Principum more dominarentur, prohibuisset. Diuum Petrum hac regia magnificentia nunquam sibi gloriam & dignitatem quæsiisse, sed vnica eorum, quæ sibi Christus tantopere commendasset, meditatione, cum dixit, Pasce oues meas. Ecclesiam Romanam posse quidem cæterarum Ecclesiarum matrem dici, at non Dominam: ipsumque Eugenium, vnum ex Episcopis, non reliquorum vero Dominum. Patres, inquam, nostri hæc omnia non solum ex Diui Bernardi scriptis didicerant, sed ex ipsius etiam ore exceperant. Ad hæc intelligebant, probra, quæ alii præter hunc doctores scriberent aduersus istos Romanenses Episcopos, qui se verbo tenus *seruos seruorum* dicebant, cum superbissimum re ipsa in omnes dominatum vsurparent, quos nihil pudebat sese adorandos præbere, cum id Diuus Petrus à Cornelio tentatum respuisset. Hæc ergo omnia, vt etiam miseriæ & confusiones, itemque bella & cædes ex Paparum ambitione enatæ bonos illos patres, quibus ante oculos hæc omnia tum in imperio, tum in Italia versabantur, plurimum commouebant: Eosdem quoque grauissime afficiebant tam multæ quam plurimis ac fortissimis Imperatoribus, qui pro religione Christiana tuenda ac propaganda tam strenue feliciterque aduersus infideles transmarinos dimicauerant, illatæ ab iis indignitates & contumeliæ, eæque tantæ, vt modo illum imperio priuarent, hunc modo pedibus suis calcarent, filios etiam in patres aliquando sollicitarent: interim dum Satrapæ isti de imperii rationibus pro arbitrio statuût, & suis excommunicationibus horribiles ciuium erga reges suos seditiones, & turbas vbique gentium conflant. Hæc cernuntur in Iuonis Carnutensis Episcopi *literis ad Papas scriptis*, quibus eos libere admonebat, rebelliones & discidia, illorum consiliis & artibus in Germania excitata, omnium Gallorum animos aduersus illos inflammare. Patres igitur nostri cum tam multa suis oculis atque animis subiicerent, nunquam eo adduci potuerunt, vt superba ista terrenæ potestatis nomina in Papis probarent, ferendaque putarent, sed ea semper vno ore condemnarunt: Regibus, Nobilitate, & Clero, vniuersoque populo pia conspiratione ad hoc consentientibus, vt viribus suis omnibus impedirent, ne istæ regnorum & Imperiorum pestes, nec ista etiam monstrosissima de summa Paparum potestate doctrina (quam Philippus Augustus errorem regnis perniciosissimum appellabat) in regnum hoc sese insinuaret, & radices ageret. Eoque factum est, vt ille ipse Philippus Augustus Innocentii Papæ imperia & minas omnino sperneret: vt Philippus alter tam dure & aspere tum Bonifacium, tum illius ministros acciperet, quasi rem marte aperto hostiliterque agens: vt etiam recenti hominum memoria, cum Ludouicus 12. in Turonensi concilio, ab illis omnibus, qui eo conuenerant, quæsiisset, an se pro suo principe haberent, omnes, & Ecclesiastici inprimis (maxima Iulii excommunicationum contemptione) vno animo atque vna voce agnoscere se & profiteri illum suum & summum & solum Principem esse responderent. Eiusmodi autem actis & sexcentis aliis, quæ in nostris historiis, edictis regiis, & curiæ commentariis consignata extant, patres nostri satis testificati sunt summam illam, quam Papæ in regna & imperia sibi arrogarent, potestatem, intolerabilem sibi & meram etiam tyrannidem videri.

Matthæus Paris in sua historia.

Qnod autem ad alterum gradum, &, quam spiritualem aut Ecclesiasticam vocant, potestatem, attinet, patres nostri nihilo plus in hoc regno Papis concesserunt, tanquam eos aliquid in eo iuris ex verbo diuino habere putarent. Non quod reges nostri Episcoporum & pastorum, (quorum officium est docere in Ecclesia & sacramenta administrare) partes agere vnquam voluerint. Nouerant vtriusque administrationis discrimen, illudque nihil ad se pertinere. At pastores ad officium omni ratione cogere: hominum conuentus ad res Ecclesiasticas consultandas necessarios celebrare: electiones vsitata & legitima via constitutas confirmare: qui quantique sacerdotiorum prouentus essent, exquirere: ne iis abuterentur prouidere: eos in Ecclesiæ & regni vtilitatem dispensare: correctionem & pœnas in suis edictis ad ea, quæ perperam admitterentur, coercenda decretas adhibere, hæc vero nostri reges sui iuris & muneris nec cuiusquam alius esse semper crediderunt: illiusqne nunquam subditi, immo ne ipsi quidem Ecclesiastici in eo iure vnquam reclamarunt. Contentiones quidem ea de re à Papis sæpe factæ sunt: sed potestas tamen & authoritas penes reges nostros integra remansit. Si quid Papæ hic obtinuerunt, id certe precatio & bona regum nostrorum, quamdiu ipsis visum est, venia potius, quam vllo prorsus iure obtinuerunt. Negotiorum Ecclesiasticorum (in eo quidem quod ad homines pertinet, atque hodie etiam vsurpatur) auctoritas, in ministeriorum collatione & confirmatione, in fructuum sacerdotalium dispensatione, & in Comitiorum Ecclesiasticorum conuocatione sita est. Ex publicis autem monumentis harum rerum omnium ius apud reges nostros fuisse manifestum est. Ac de electionibus quidem id ita se habere regum nostrorum in eam rem latæ leges & constitutiones satis probant. Papæ quidem super ea re & Romæ, & in Italia, & vbicunque plus poterant, suas leges habebant. At hoc regnum iis nunquam obstrictum teneri voluit, sed suam atque auitam libertatem constanter retinuit, per quam suas separatim de iure suffragiorum constitutiones, regia auctoritate confirmatas haberet. Id quod adhuc in comitiorum Aurelianensium actis testatum videmus. Est vero aliud etiam, & longe maius. Publicis enim literarum monimentis celebratũ est, postquam reges nostri ditionis suæ terminos Romã vsq; protulissent, ac suis in Lombardos & Ex-

Primatus Papæ Ecclesiasticus.

Anno 1591. archas victoriis Italiam sibi subiecissent, necesse fuisse, vt Romanorum Episcoporum electiones regum ipsorum auctoritate fierent, nec prius ratæ haberentur, quam illorum testimonio & suffragio comprobatæ essent. Ludouicus Pius Francorum rex & Imperator non paucos ad eum modum in Paparum asciuit, & in iis Gregorium IV. qui non ante id munus suscipere & obire voluit, quam de illius voluntate sibi constaret. Ac Platina illum nominatim ait Paparum electionem consulto confirmasse, ne imperij iura amitteret. De sacerdotiorum autem reditu, idem sentiendum. Regum enim nostrorum edicta in eo legis vim & auctoritatem obtinent, non autem Paparum decreta. Si quid aliquando in Papis tolerabatur, aut si quid solerter & callide per nostram incuriam vsurpabatur, simulatque fraus manifeste deprehendebatur, adhibebatur continuo remedium: Paparum ministri & exactores è regno statim exigebantur; vsurpationes præcidebantur, & de illis agendum esset, ex Regum, ordinum, & senatus auctoritate, ac sententia constituebatur, tanquam de re, quæ in huiusce regni potestate plane sita esset, non autem in Paparum arbitrio & libidine. Historiæ nostræ eiusmodi exemplis refertæ sunt: præcipue à trecentis aut quadringentis annis, quum Papæ plus auctoritatis consequuti, suas omnes vires & opes eo conferebant, vt manus & cupiditatem suam ad nostros vsque fines extenderent. Is fuit Benedicti XIII. regnante Carolo Sexto in sua illa contentione scopus. Verum docuit Academia hanc meram esse Paparum vsurpationem, quæ coercenda erat: ac totam sacerdotiorum rationem ab vno rege pendere, vt ex eius auctoritate, quatenus regni vtilitas postulare videretur, de illis omnino constitueretur. Papas enim diuitiarum satis superque habere: si vero casu aliquo Romana Ecclesia ad inopiam redigeretur, illique Galliæ opibus nonnihil opus esse videretur, tum quidem opem ei ferendam, sed his tamen conditionibus: Id maturo iudicio faciendum, modo adhibito, iusta & graui de causa, sine fraude ac damno, dummodu Papæ culpa nihil secus admissum antea fuisset: atque tantisper dum vrgeret necessitas: idque voluntario regum, patronorum, & aliorum Antistitum consensu ac liberalitate, nulloque cæterarum Ecclesiarum detrimento. Vt breuiter dicam, id charitatis & humanitatis beneficium fore, premente rerum angustia: hoc est, non esse hinc Pontificibus putandum vllo sibi iure licere pecunias ex hoc regno iure exigere.

Hæc fuit Antistitum & Academiæ Parisiensis ad Carolum regem Sextum pro tribunali sedentem, postulatio. Academia autem doctis tunc viris instructa, & cum ea Antistites nunquam id aggressi fuissent, nisi rem & accurate perpendissent, & iustissimam esse pernouissent: vt re vera & à rege & ab vniuerso Senatu, & magna bonorum, qui eo conuenerant, multitudine talis dicta atque habita fuit. Nec vero hæc actio contra ipsum duntaxat Benedictum instituta erat: Nam Romana Ecclesia nominatur: postulabatur, vt constitutio in posteritatis gratiam ea de re fieret. Generalia sunt quæ ab iis ponuntur fundamenta. Atque Senatusconsultum, ordinem, qui perpetuo à posteris obseruari debeat, continet. Et vero nihil nouum tunc constituebatur, cum id ipsum edictis nominatim ea de re factis tum ab aliis, tum ab ipso etiam Diuo Ludouico iam pridem constitutum fuisset. Extat enim pragmatica illius sanctio, in qua hoc caput his omnino perscriptum verbis legitur: *Exactiones & onera grauia pecuniarum per curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri imposita (quibus regnum miserabiliter depauperatum existit) seu etiam imponenda leuari & colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationabili, pia, & vrgentissima, vel ineuitabili necessitate, ac de expresso & consentaneo consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri.* Hæc ille. Quod si ex voluntate regia illiusque animi sententia, inde certe consequitur nihil rationis aut iuris fuisse, quo & Rex & Gallicana Ecclesia obstricti tenerentur id Papis largiri. Plures paginæ adhibendæ essent & complendæ, si omnia edicta & decreta, quæ in eam rem facta reperiuntur, hic perscribere vellemus, quibus omnibus est constitutum, Papas nullo iure ex huius regni sacerdotiis quidquam attingere, & ad se transferre posse. Ex iis tamen si quid vtilitatis ad eos peruenit, id regum nostrorum beneficio, liberalitatique soli, non alii cuiquam, aut rei, aut homini acceptum ferendum. Vnde factum, vt quoties illis ad nostra vsque tempora ita placuerit, edictis cauerint, ne istius sacerdotiorum nundinationis ergò, Romam iretur, pecuniaue vlla eo exportaretur. Quantum vero ad conuentus Ecclesiasticos & concilia pertinet, quæ grauioris quidem ponderis sunt, & in quibus clarius apparet, cuinam summa auctoritas præcipue debeatur: ex Merovingiorum, & Carlinorum maxime, & posterorum etiam aliquot regnis certo probari potest, non Papas, sed reges sua ipsorum auctoritate ea conuocasse, & quæ in iis constituta fuissent, confirmasse. Extant adhuc concilia, in quibus id cernitur. Multis post annis reges in suo iure retinendo negligentiores, plura Papis tribuerunt, parum animo cernentes, quæ inde consequuta essent: vsque adeo, vt quosdam Paparum nomine interdum acciperent, qui conciliis cum summa auctoritate præessent. At cum à Carolo Caluo forte id factum fuisset, Papæ obsequendi gratia, vniuersus regni Clerus ei rei, vt testatur Aimo-
Li.5.c.35. nius, intercessit. Postea vero cum aliter regibus nostris visum est, aliter sane & contra Papas etiam ipsos ad retinendam pristinam libertatem factitatum quoque fuit. Ex his igitur plane constat, in omnibus petitæ Ecclesiasticæ partibus, quod ad homines quidem attinet, auctoritatem summam penes reges nostros fuisse: eosque nihil hic suscepisse aut gessisse, quam quod sibi à Deo commissum, mandatumque esset, Christianique Imperatores ante se fecissent, itemque prisci illi piiq; sub lege reges, qui eam ipsam politiam sua auctoritate & prudentia moderabantur: vt Academia propositis Ioæ & aliorum exemplis Carolum VI. admonebat.

Anno 1591.

Quæ igitur hactenus à nobis cõmemorata sunt, satis docent Papis summa, quam iam sibi tribuunt, auctoritate in Galliis nostris præditos minime fuisse: duosque illos ita terribiles, quos nobis proferunt gladios, non potuisse vnquam in huiusce regni fines, vt in eo auctoritatis aliquid obtinerent, penetrare, quemadmodum Papæ superbissime hodie iactant. Reges nostri de rebus & actis Ecclesiasticis cognoscebãt, in quibus maiori quam quotidiana eorum, qui Ecclesiis præerant, auctoritate opus esset: ad eos confugiebatur, etiam aduersus Paparum abusus: Apud eos Papæ accusabantur: ab iis edicta manabant, per quæ recte omnia constituerentur. Si quando in comitiis, quæ à regibus extra ordinem aduocabantur: aut in suprema curia Paparum procuratores, & ministri existerent (vt in eo conuentu, quem Carolus VI. habuit) illic assistebant, non decreta quidem ipsi in tribunali facturi, sed vt rei in subselliis caussam acturi, & quæ haberent postulata in publico propositiuri: quæ eatenus admittebantur, quatenus regi curiæque probarentur. Si qua rescripta, mandatave à Papis in hoc regnum emissa sunt, ea certe hactenus recepta non fuerunt (quum præsertim aliqua vniuersalis nota in iis obseruabatur) nisi regis codicilli, illius voluntatis & assensionis testes, iis apponerentur, eaque in supremo senatu lecta examinataque fuissent. Eadem quoque ratio est legatorum, qui à Pontificibus in Galliam mittuntur: quibus nullus est ad eam neque accessus, neque aditus, neque auctoritas, nisi cum bona regis venia, quam suo diplomate testatam fecerit: nisi etiam hac declaratione scripto expressa, quæcunque facient, ea omnia ex illius concessione & auctoritate, & pro temporis, quod ipse præstituerit, ratione, se facturos: nisi denique eorum potestate in ipso Senatu probata; qui eam pro suo iure moderatur & coangustat, quatenus id optimum factu iudicat, vt videat nequid regis, regniq; iura & prærogatiuas, atq; Ecclesiæ Gallicanæ libertatem infringat. Hæc omnia quam plurimis actis confirmata in publicis curiæ monimentis videntur. Denique Franciæ regnum libertatis semper imperium fuit, non obedientiæ, vt nostri Iurisconsulti dicunt, hoc est nullo modo Paparum potestati & libidini obnoxium. Nec est quod Paparum patroni nobis persuadere conentur, hanc totam auctoritatem Paparum priuilegio tantum & indulgentia, penes reges nostros fuisse. Ea enim iure, quod sibi à Deo datum esse sciebant, nitatur, etiam in caussæ aduersus Papas contestatione, si forte illam vel digito attingere tentarint: vt proximis etiam annis tentarunt: Vnde factum est, vt reges, ordines, & Parisiensis Senatus concilii Tridentini (propter quod tantæ flagitationes adhibitæ, tot contentiones factæ sunt: quod etiã Papæ præ stomacho & iracundia hanc tam funestam nobis calamitatẽ conflarunt) promulgationi tã strenue & constanter intercesserint. Intercessionis autem illius hæc inter alias caussa præcipua fuit, quod sine maxima perpetuæ regum nostrorum authoritatis, & veteris Gallicanarum Ecclesiarum libertatis pernicie, concilium illud promulgari non posset. At è contrario Papæ nisi admodum ingrati essent, deberent ingenue agnoscere & confiteri, reges nostros de suæ libertatis & potestatis iure in eorum gratiam multum sæpe remisisse: idq; eo duntaxat animo fecisse, vt eorum opera concordia & consensio cum cæteris Ecclesiis foueretur. His accedunt assiduæ nostræ, quæ postremis temporibus nobis cum Anglis intercesserunt, dimicationes, nec non ea, quæ in Italia & cum Hispaniæ gente gessimus bella, quorum necessitate adducti multa Papis præter ius tradidimus, ne in eorum odium incurreremus. Neq; id Papas fugiebat, qui data opera his nos bellis implicatos & constrictos tenebant, vt id à nobis etiam inuitis extorquerent. Verum, non inde consequitur, id regis auctoritati & regni libertati fraudi esse debere, vnde Papa pro animi arbitrio de rebus nostris constituere, & sub Hispanicum iugum nos redigere aut possit, aut debeat.

Vt maiorum nostrorum propositum recte accipiamus, tot tamque præclaræ, & constantes eorum actiones nobis aliunde testificantur, eos nunquam penitus credidisse summam esse Papis iure diuino in reliquas omnes tum huius regni, tum aliorum etiam imperiorum Ecclesias auctoritatem, qualem sibi arrogant. Id enim si credidissent, vt pii & religiosi viri erant, si nunquam profecto ea de re cum Papis contendissent. Equidem cum populo & nomine & animo vere franco, hoc est libero, tum tot tamq; magnanimis regibus indignissimum & grauissimum erat, belluæ reuiuiscentis imaginem videre, & vrbis Romæ iugo iterum subiici, postquam tamdiu tamque acriter pugnatum fuisset, tantumque sanguinis effusum, vt iniuste erepta libertas postliminii quodam iure aliquando recuperaretur. Attamen pietas, religiosusque Dei metus, quo tantopere apud omnes celebrati erant, eos procul dubio nec inuitos impulisset, vt Papis se subiicerent, rerum diuinarum & humanarum sui regni dispensationem eorundem arbitrio potestatique permitterent, si ea Dei voluntas fuisset. At cũ id prætermiserint, vt satis cõstat, immo vero Papas lõgissime à suis finibus repulerint: persuasissimum habeamus, longe aliter eos persuasum hoc habuisse: Etenim quod rei caput est, summos habebant sua ætate doctores, à quibus quid ea de re in sacris scripturis contineretur, didicerant. Eorum testimonia nulla iam, breuitatis caussa proferam: nec ad rem totam pernoscendam vltra ea, quæ antea proposui, exempla progrediar. In Parisiensis Academiæ admonitione, quam Caroli Sexti decretum sequutum est, hoc nominatum scriptum extat: *Prærogatiuam summamq; authoritatem, quam Romana Ecclesia sibi vendicaret, à Constãtino delatam ei fuisse: quam tamen Constantinopolitana, Alexandrina, & alia certatim sibi deberi contenderent.* Atque hoc vnum illud est, quod in Gallia de Romanæ Ecclesiæ iure tenebatur. Quin etiam poterant eam Constantini donationem in controuersiam vocare. Illis enim non difficile erat ex regum etiam nostrorum historiis probare, præcipuam Paparum potentiam & dignitatem multis post Constanti-

Constantini donatio.

Anno 1591.

num annis extitisse, Papasque totam eius rei laudem Pepino præcipue & nostris illius successoribus regibus debere. Sed nulla mori ratione id agnoscere & confiteri volunt. Summa tamen rei huc redit, Ecclesiæ Romanæ sedis prærogatiuæ causam ad *Constantini donationem* vulgo referri: hoc est, maioribus nostris cognitum & exploratum fuisse, ius illud omne, quo se venditabant, positiuum esse, *hominum donatione, non vlla Dei constitutione sacris literis comprehensa, constans. Eo autem nomine regnum hoc illi nullo modo obnoxium esse posse: immo confictam illam donationem nullam omnino exigendæ pecuniæ potestatem Papæ permittere, tantamque illi duntaxat concedendam esse, quantam Ecclesiæ facultates ferrent, citra suum vllum detrimentum.* Hæc illorum verba sunt. Quod si de Constantini donatione aliter sensissent, indeque consequutum fuisset illius vi & auctoritate Papam pecuniæ ex hoc regno exigendæ ius habere, Parisiensis Academiæ & Galliæ Antistites secum ipsi pugnassent. Verum id probe sciebant, Constantini donationem non esse Dei mandatum, quo tenerentur, Constantinique munificentiam imperii Gallorum libertati ac dignitati fraudi ac damno esse non posse. Sciebant hoc quoque, ius illud qualecunque tandem esset, ab iis, quas nominant, Ecclesiis in contentione poni: quod quidem de illius vi & veritate multum detrahit. Ita certe maiores nostri de ea loquebantur, quia certo scirent totam orientalem & occidentalem plagam de primatu aduersus Papas multis grauissimisque rationibus dimicasse, & Africanas Ecclesias Diui Augustini tempore in magnam ea de re contentionem venisse. Romana Ecclesia asserebat transmarinas Ecclesias sibi subiectas esse: Contra Diuus Augustinus aliique Africæ patres & Episcopi id negabant. Ea controuersia vtrinque sic agitata fuit, vt Papa Romanus falsi compertus sit, quod concilii Nyceni in eam rem decretum supposuisset: nihilque aliud in Episcopi Romani gratiam reperiri potuit, quam vt Romæ locorumque vicinorum rationem, curamque haberet. Et ex concilii auctoritate vetitum fuit, ne ad Romanum Pontificem in posterum prouocaretur.

De simplicitate prælatorum, &c. A Cypriani vsque temporibus Romani Episcopi aliquid huic non dissimile in Africanos mouere in animo habuerant. At Diuus Cyprianus aduersus Romanum Episcopum hanc constantissime causam egit, firmissimisque argumentis docuit, nullam esse illius in alios prærogatiuam & auctoritatem. *Vnum Christum summum esse omnium Episcopum, sub quo alii omnes Episcopi idem munus & onus haberent.* *In Epist. ad Euagrium.* Postea Diuus Hieronymus (quanquam Ecclesiæ Romanæ presbyter) professus est, scriptoque confirmauit, *tantum esse oppiduli* (cui Eugubium nomen erat non procul ab vrbe) *Episcopum, quantus ille Romanus esset.* Idipsum quoque Diuus Bernardus Papam Eugenium (vt supra dictum est) edocuit, dum ait, *eum non esse Episcoporum Dominum, sed ex iis vnum.* Parisiensis Ecclesiæ primarii & Antistites Caroli VI. imperii tempore hæc omnia non ignorabant, quæ hodie etiam in sanctorum patrum libris & Ecclesiæ historiis extant. Sciebant quoque quantæ contentiones ob istam Episcopi vniuersalis prærogatiuam & auctoritatem inter Constantinopolitanum & Romanum Episcopum exarsissent, & quo animo ac studio Diuus Gregorius Romanus Episcopus aduersus alium, nempe Ioannem Constantinopolitanum, qui summam hanc dignitatem sibi arroganter attribuebat, inuectus fuisset, in multis librorum suorum locis testificatus, *eum qui Episcopi vniuersalis nomen & auctoritatem sibi arrogaret, Antichristi præcursorem esse.* *Li. 4. Epist. 76, 78, 80, 83. & lib. 7. 194. & lib. 6. Epist. 188.* Hoc ergo maioribus nostris aduersus vsurpatam Romani Pontificis auctoritatem probe cognitum erat, illudque Parisiensis Academia & illi adiuncti Gallicanæ Ecclesiæ Antistites in sua aduersus Papam expostulatione præcipue commemorabant. Quin & rex, & suprema illius curia id minime repudiarunt, sed confirmarunt, & suo etiam decreto, solenni quodam ritu, inseruerunt: nimirum tanquam rem certissimam, & validum aduersus Paparum vsurpationes fundamentum, id esse rati. Deinde Ecclesiasticus ordo in concilio Turonensi non dixit Papam vllum in se ius potestatemque habere, sed regem tantum, nulli alii præterquam illi subiectum se asserens. Quod si Papa ista primatus opinione elatus regi molestus esse pergeret, nihil obstare, quin rex illum iusto bello ad retinendam suam auctoritatem persequi posset. Atque hæc de Papæ auctoritate, quantum quidem in maiorum nostrorum monimentis scriptum extat.

Papæ excommunicatio. In illis autem discemus etiam, quomodo Paparum excommunicationes & interdictiones accipi debeant. Nobis enim constabit tales excommunicationes, in quibuscunque temporibus vana fuisse tonitrua brutaque fulmina, quæ magnum quidem sonitum ederent, sed nullam tamen lædendi vim haberent: maioresque nostros ea nullo modo vnquam timuisse, sed reiecisse potius, contemptuique & ludibrio habuisse. Atque adeo supremam ipsam curiam & legibus & maiorum exemplis fretam, licere sibi arbitratam fuisse, ea vt inania & falsa damnare, & eos, in quos ea distringerentur, absoluere noxaque liberare. Patres vero nostri id non susceperunt, quin scirent quid sibi vellet *excommunicatio*, & quorsum Deus in Ecclesia eam constituisset: *eos, quos in terris Ecclesia ligat, ligatos quoque & excommunicatos coram Deo esse*, vt in Euangelio scriptum est. *Matth. 18.* Sed iidem tamen patres non ignorabant etiam Deum suas promissiones explere, quum ipsius voluntati paretur, & ex eius præscripto res quæque geritur. Nam vnicum illius verbum, cuius homines ministri tantum sunt, proprie & per se ligat: quod si aliter quam Deus instituit ac præcepit, ab hominibus vsurpatur, nullum est iam Dei promissum, ac proinde excommunicationes nihil amplius sunt, quam mera hominum verba, & minæ, quæ momento euanescunt, nec vllis aliis, nisi authoribus ipsis nocere possunt. Neque enim Deus peccatorum, quæ in iis admittuntur, aut peruersarum affectionum, quas ad eas adhibent, actor & executor est. Tales nimirum erant summorum Hierosolymis Pontificum eorumque consistorii cõtra Apostolos & Christianos

stianos

ſtialios excommunicationes. Id,inquam, patres noſtri nouerant, atque ex ſacris ſcripturis priſco- *Anno* rumque doctorum, Diui Auguſtini maxime libris, didicerant, qui præclaras ea de re ſententias *1591.* ediderit, quarum nonnullas DEVS ſua prouidentia Paparum decretis inſeri voluit, quibus aduerſus illos ipſos vteremur. Itaque Paparum excommunicationes merito pro nihilo duce- bant, quod nullo iure aut potius præter omne ius, vt multis & grauiſſimis rationibus probari po- teſt, fierent. Ac primum, quod Papæ eas emitterent, iſta vtriuſque gladii poteſtate, quam ſibi in vniuerſum orbem datam eſſe volunt, freti: quod noſtri patres minime credebant. Ita e- nim falſo fundamento iacto, quicquid in eo ſuperſtruebatur, omnino corruebat. Deinde quod id omni legitimæ actioni repugnaret. Priuſquam enim aliquis excommunicetur, tum pro- batam culpam: tum iuſtas cauſas, & eas, quæ excommunicationem commereantur, eſſe opor- tet. Vt autem de illis plane conſtet, in rem præſentem veniendum eſt, vbi delictum admiſſum fuit, auctoreſque adeo ipſi, ſi fieri poteſt, inſpiciendi, vt nihil præcipiti iudicio fiat: cauendumque diligenter, ne ad vltimam hanc (quæ tantam à reliquo grege ſeparationem continet) reſectio- nem ante veniatur, quam ſalutaribus & appoſitis admonitionibus tentata fuerit eius, qui pecca- uit, ad meliorem mētem reductio. Præter hæc etiam, de illius pertinacia & propoſiti obſtinatione iudicandum. At niſi à paſtoribus & ſenioribus, qui in locis ipſis degunt, fieri hoc non poteſt, niſi etiam res illic, vbi admiſſa fuit, diſceptetur, vt vetus Eccleſiæ diſciplina præſcribit. hoc præterea re- quiritur, vt excōmunicationis fines pii ſint, & ad nocentis hominis ſalutē referantur: vt ad extremū hoc remedium non ſimultate & odio, ſed pio ſynceroque in ſontem affectu veniatur, totiuſque Eccleſiæ vtilitati conſulatur. Si hæc in excommunicatione deſiderentur, Dei ſane conſtitutio per- uertitur. Nec eſt quod putemus Deum id ratum vnquam habiturum. Quinetiam ſi id per alios fiat quam per eos, quos Deus ei muneri præfecerit, nullo auctore fit, nullo etiam fructu. Atque hic verus eſt ſummatim excommunicationis à Deo inſtitutæ vſus. Patres vero noſtri omnia his omni- no contraria in Papis animaduertebant, ſine munere, ſine vlla cauſæ cognitione, nulla legitima a- ctione obſeruata, ſine iuſta cauſa ſtomachoſos & animo affectos homines non ad ſeruandum, ſed perdendum potius, & diris ſuis fulminationibus, ſi modo id potuiſſent, opprimendum. Pro- inde ſine vlla dubitatione infimos etiam quoſque homines excommunicationis nexu ſolu- tos, ac nulli pœnæ obnoxios iudicabant, eorumque prouocationes ex Paparum tyrannide profe- ctas recipiebant. Sed imprimis, ſi forte Papæ in reges ſua fulmina contorquerent, grauiſſime hoc ferebant. Non quod neſcirent, reges etiam ipſos diſciplinæ cenſuriſque Eccleſiaſticis, itemq; paſto- rum ſuorum reprehenſionibus, & correctionibus, atque huius etiam excommunicationis pœnæ, ſi quid ea dignum admiſiſſent, obnoxios eſſe debere, vt hac via ſe ad Deum, ad ſanitatem, melio- remq; frugem conuerterent. Verum in illis Paparum contra reges noſtros excommunicationibus, grauiſſimæ aliæ præter eas, quæ ſupra iam commemoratæ ſunt, cauſæ erant, ob quas non illi ſolum merito damnarentur, ſed vniuerſi etiam regum ſubditi iuſto dolore accenſi vno animo conſpirarent ad ſuſcipiendam eorum, qui tam indignis modis à ſuperbis illis accipiebantur, de- fenſionem. Conſiderabant enim patres noſtri, reges eſſe *vnctos Domini*, in quibus illius maieſtas no- bis quodammodo ante oculos ponitur: quod nobis argumento eſſe debet ad eos ſumma ob- ſeruantia proſequendos, & nunquam, niſi eorum amplitudinis ratione diligenter habita nomi- nandos. Sciebant, vt ſacra ſcriptura continetur, à Deo nominatim fuiſſe hoc vetitum, [a] *ne quis ſui po- puli principi malediceret*: Et [b] ab Apoſtolo eos condemnari, qui de principibus aliter quā honorifice loquerentur: dum iis, qui in Principes & reges contumelioſi eſſent, ipſorum etiam Angelorum ex- emplum opponunt, his verbis: [c] *Non horrent conuitiis dignitates inceſſere: cum ipſi Angeli qui ſunt robore ac poteſtate maiores, non ferant aduerſus eas apud Dominum, maledicum iudicium.* Id autem ab Apoſtolis di- cebatur de illius ætatis Principibus, licet Ethnicis, uſque vt plurimum ſceleratiſſimis. Maiores igi- tur noſtri, literas contumeliis in principes ſuos refertas Roma ad ſe perferri, facinus plane indi- gnum, & ſibi etiam nullo modo tolerandum putabant: adde quod facile ex iſtis bullis animo cer- nerent, quo Papæ ſua conſilia & cogitationes referrent, nempe ad Principum ſuorum perniciem, cum de eorum ſalute nullo modo laborarent: quippe illorum plerique omnes profligatiſſimi & perditiſſimi, omniſque pietatis expertes, vt Platina & alii hiſtorici eorum facta & mores ſuis ſcriptis nobis depingunt. Sed aut flagrantiſſimus principum noſtrorum vlciſcendorum & op- primendorum ardor erat, ſi quid pro regni dignitate & commodis, quod Papis minime cordi eſſet, effeciſſent: aut artificia hæc erant, & inſidioſa commenta, per quæ & reges & regum conſiliatu metu perterriti ne hiſcere quidem auderent, miſerum popellum & Clerum præcipue immenſis Paparum exactionibus obiicerent, & ipſos, vt alibi, ſic in hoc regno tyrannidem ſuam ſtabilire ſinerent: (Academia Pariſienſis & Antiſtites de iis ita loquuntur (Aut denique, hoc inter eos & huius regni hoſtes ex mutuo fœdere conuenerat, vt dum hi regnum infeſtis armis inuaderent, illi viciſſim hunc ludum luderent, & (quomodo Iupiter quidam in tabula depictus) ab excelſa ſua ſede fulmina ſua eiacularentur, quorum ſtrepitu & reges ipſos & eorum populos percellerent, eorum vni pro iure ſummo imperantes, vt de ea poſſeſſione, quam in Anglum iuſte acquiſierat, illi concederet: Alteri, vt Italica, quam iure poſſidebat, ditione excederet: a- lii vt regnum ſuum ſpoliari & diripi ſineret, & alia eiuſmodi. Ea neminem hominem fugiebant: omnibuſque hoc conſtabat, Papis nihil curæ eſſe de ſequendis rectis excommunicationum fini- bus, &

a Exod. 22.
b 2. Pet. 2.
c Iudæ 1.

Anno 1591. bus,& hoc maxime vno, Ecclesiæ vtilitate & ædificatione: quibus contra scopus hic vnus esset propositus, suas ad hunc præcipue finem excommunicationes de arce sua emittere,vt & in Ecclesiis & imperiis ipsis misertime omnia permiscerent & euerterent. quippe quæ his nominatim verbis conceptæ essent,vt populos fidelitatis,quam Principibus debebant, iuramento liberarent, imperarentque iis,vt arma in eos caperent, contra quam Dei mandatis præcipitur,totiesque repetitur,obediendum regibus esse licet impiis,quales Christi & Apostolorum æuo tum Imperatores tum alii etiam magistratus erant.Hæc omnia maiores nostri non sine horrore intelligebant, ideoque iusto dolore permoti,quod Deum illiusque constitutiones pedibus adeo proteri, regum suorum dignitatem ita exauctorari & conuelli, regnum ipsum vastari hostiumque libidini exponi viderent,Bullas arreptas dilacerabant, & eos qui eas in regnum auderent inferre, in crimen iudiciumque vocabant:certo scientes eiusmodi fulmina non è cœlo,sed ex imis inferis emitti. Cuncti eo conueniebant,vt gladium è furiosorum illorum manibus eriperent. Reges ipsi palam testificabantur minime se vnquam passuros, vt sui hostium seruituti obiicerentur. Principes,nobilitas, vniuersus populus vltro ad id suas opes, & vitam adeo ipsam offerebant. Supremus Senatus vim legum & iudiciorum pollicebatur: Clerus tam superbum primatus dominatum abnuebat,illique palam renuntiabat: vniuersi denique regi obsequium & fidem perpetuam pia conspiratione promittebant. Qui nostras historias percurrunt, nec satis accurate harum iustarum offensionum dolorumque caussas ponderant,accusant nostrum illum Augustum, quod nimia in sacram sedem irreuerentia fuerit:accusant Philippum alterum , quod stilo paulo acerbiori ab Bonifacium scripserit:accusant nostros senatus,quod sanctorum istorum patrum ministros & legatos carnificibus cum summo dedecore & probro tradiderint: accusant nostram Nobilitatem, quæ bullarum istarum inuidia Alpes superarit , Papamque adeo ipsum armis perquisitum, & in carcerem pertractum,ad furiosum mortis genus adegerit. Sunt ergo nonnulli,quos id offendit. atque Paparum assentatores,quum de his scribunt, has eorum actiones verbis lenire conantur. At contra hæc summa est Gallici nominis gloria: Vbi nimirum studium, virtus, libertatis amor, Gallorumque fides multo quam vllo alio in facinore clarius extitit & eminuit: quod sit posteris (qui à maiorum virtute degenerare minime omniū volunt) exēplo, vt idem quoq; in eadē causa pari animo & fide suscipiant, caueantque furiosorum istorum bullas ita reformident, vt ab ea,quam suis regibus,sibi ipsis patriæque debent, fide & officio vel minimum auocentur. Religionis nomen & prætextus vt nunc,sic & olim Papis non deerat. Principum nostrorum accusationis caput hoc erat & fundamentum,quod illi essent hæretici, schismatici atque Ecclesiæ hostes. Id nominatim ab historicis commemoratur:Nec illi alio stilo aliaque scribendi forma,atque ea, quam nunc videmus, vtebantur.At patres nostri non ita rudes erant, rerumque imperiti ,vt leuissima quaque de causa se ad defectionem & perfidiam induci paterentur. Ad hæc aduersus omnes Paparum accusationes prouocatio ad concilium præsto erat, vsitatum ac potentissimum ad eorum furores, dum concilium haberetur,coercendos remedium. Et hæc quidem de excommunicationibus.

Paparum interdictiones. Quod autem ad istas interdictiones attinet, de iis nihilo certe magis laborabant. Paparum aduersus Ecclesias & imperia,interdictiones eò spectant,vt templorum fores occludantur,ideoq; nulli Christianorum conuentus agantur, nullæ sacræ conciones, nullæ etiam preces publicæ habeantur,nulla sacramenta administrentur,ac ne Baptismus quidem infantibus. Quid plura? vt ne mortui in cœmeteriis sepeliantur.En præclare illæ interdictiones,quæ patrum nostrorum temporibus indicebantur,vt à nescio quo Martino V. Iulio II. & aliis eiusdem notæ Pontificibus. Atq; haud satis scio,an hoc vnquam plane creditura fuisset posteritas, nisi noster hic Papa, ingenii,consuetudinisq; & instituti aliorū successor,idem prorsus nobis minitaretur. Patres vero nostri, qua erant prudentia,animiq; magnitudine, ila omnia pro nihilo habuerunt, non quod pietate religioneque deficerentur:sed illud probe tenebant , totam Paparum simul & inferorum omnium potestatem non posse sibi vero harum rerum omnium vsu interdicere. hæ siquidem interdictiones omnes excommunicationum ab illis latarum, quæ diuino & humano iure nullæ erant, naturam & vim sequebantur,idq; totum vnico summæ vbique terrarum in rebus diuinis & humanis potestatis nomine,quasi fundamēto nitebatur,quod patres nostri plane falsum esse sciebant:ac proinde,quidquid inde consequeretur & exædificaretur, falsum quoq; & irritum credebant. Iidem patres illud quoque intelligebant, quicquid fit in Ecclesia, ex vno Deo, qui id præscripsit, non autem ex vllius mortalis hominis, qui pro animi libidine dispensare omnia vellet, auctoritate pendere. Illud quidem constat,si quis excommunicatus fuerit, illum ad sacramentorum communionem admittendum non esse.verum hoc plane constare debet, an eiusmodi excommunicatio legitime adhibita fuerit,necne. Deinde pastorum est,qui ei muneri obeundo præsunt,id agere. Interim illa sacramentorum interdictio, illis quoque sacrarum concionum, quæ in templis celebrari debent, auditione nō interdicit.Nam cōtra,vt iis sæpe & studiose intersint,omni ratione curandum est,vt diuini verbi virtute moti resipiscant. Quin D. Paulus hoc nominatim præcipit,non esse eos pro

1.Thess.3. inimicis habendos & durius tractandos, sed tanquam fratres admonendos, & ad officium lenitate & humanitate adducendos.Præterea si cui rebus sacris & piorum hominum cœtu ob aliquod à se admissum scelus interdictum sit, rationi profecto iuriq; consentaneum est, vt in eo plectatur: sed rationi & æquitati repugnat,illius vxorem & liberos,nisi in eadem culpa fuerint, in eadem excommu-

Anno 1591.

communicationis pœna esse. Immanior quidem certe hæc esset crudelitas, & in liberos præcipue, qui in Ecclesia geniti & nati fuissent. At totam ciuitatem, vniuersum etiam imperium eadem pœna cum sceleris auctore permiste implicari, immanitas profecto & barbaries atrocissima fuerit, & cuius exemplum nusquam, nisi Romæ, extare puto. Fingamus enim animo & cogitatione totum Ecclesiarum corpus peccasse, Deumque offendisse: quid tunc faciendum? Intercludendus ne omnibus ad templa aditus esset? Immo vero aperienda tunc maxime forent, cogendusq; etiam ad sacras conciones frequentandas populus, vt Dei verbo audito, officii sui admoneretur, & vitam ante actam meliori viuendi ratione commutaret; cultuiq; diuino & precibus studiosius quam antea interesset, vt iræ Dei occurreretur. Nempe Ioel & alii Prophetæ, quum populus Deum offenderat, ita se omnino gerebant, præcipientes vt tubæ altius canerent, ad populum in templa conuocandum. Templorum autem aditus Christianis nunquam, nisi à Tyrannis & acerrimis Ecclesiæ hostibus, prohibitus fuit. Imperatores Romani Pagani, exempli caussa, id postremis Ecclesiæ persequutionibus fecerunt, ex quo primum Christiani publica loca habere cœperant, concionis habendæ ergo. Iulianus Apostata idem postea fecit, & ab eo, Arriani Imperatores aliquot. Sed hic infidelium furor erat. Christiani vero nihilo minus consuetos cœtus celebrabant, Deo preces publice fundebant, sacramentorum communioni intererant (idque in ipsis etiam syluis & speluncis, si alibi non liceret) sine vllo minarum, quæ à furiosis illis iactabantur, metu. Postea vero Theodosius & pii alii Imperatores Ethnicorum templa claudi quidem iusserunt, sed ob id idola quæ in iis erant, & quia quicquid illic gerebatur, impietatis & superstitionis plenum esset. Nulla possunt alia templorum clausorum exempla proferri. Quare, quum Papa imperabit, vt ædes sacræ in hoc regno claudantur, aut eodem furore, quo primi illi Tyranni Ecclesiæ hostes, corripiatur, aut certe impietatis idololatriæ, quæ illic aguntur, damnet necesse est. Patres nostri ea omnia considerabant, & Christianorum priscorum more istas omnes interdictiones ridebant. Hoc vero illorum animos iusta indignatione vehementer exulcerabat (Id quod etiam piorum virorum pectore acriori vulnere transfodiet) quod Papæ pio populi affectu & religione scelerate abuterentur, vt eum ad flagitia confidentius suscipienda impellerent. Videbant, quam cara Gallico populo essent religio, templorum ingressus, sacrarum rerum vsus: Itaque sancti illi viri comminationes suas illi intentabant, & ea ipsi erepturum se minabantur, vt facilius ad principibus suis reuunciandum, & ab iis deficiendum inducerent. Hi profecto abusus sunt, & profanationes plane intolerabiles. Si quis vim in aliquem adhibet, & gladio districto iugulum illius petit, capitis periculum minitans, vt flagitii alicuius aut admittendi assensionem & societatem, aut iam admissi dissimulationem silentiumque extorqueat: id sexcentis tormentis & crucibus dignum iudicabitur. At pii illi totius scilicet Ecclesiæ præfecti & moderatores, vt sacrum & deuotum Deo populum contra Regem suum arment, atque ex illius animis & manibus iustissimam publici status defensionem eripiant, duos illos fulgentes gladios, quibus se instructos dicunt, illius capiti inferunt: &, nisi impia coniuratione ac perfidia tum regem suum regno spoliauerint, tum seipsos externorum seruituti dediderint, tunc vitam se illi adempturos interminantur. At quam tandem vitam? Non corporis quidem, sed animorum vitam, spirituale pabulum, salutem æternam, dum & Christianis concionib. & publicis precibus, & sacramentorum vsu nefarie iis impieq; interdicũt. Id vero præcipue prauas Paparum mentes manifestius aperiebat, patrumq; nostrorum animis & pene oculis ipsis subiiciebat, quonam genio afflari, quo & ingenio præditi essent: vt ea re perspecta & plane comperta, patres citra vllam dubitationem & religionem, conscientiæve & dignitatis suæ labem, ad tollenda eorum decreta conspirarent: facileque iudicabant, quod olim à Christo Scribis & Pharisæis vt probrum obiectabatur, id ipsum meritissimò & conuenientissime Papis nostris exprobrari posse, eos scilic. putare se regni cœlorum claues, omnemque earum pro animi arbitrio dispensandarum potestatem adeptos esse, cum interim non solum nullam eo ingrediendi voluntatem haberent, sed etiam illius ingressu populum excluderent. O detestabilem impietatem! O facinus exsecrandum! Populum templorum, in quibus Dei præcepta discat, aditu prohiberi, nisi prius Papæ, à quo ad defectionem sollicitatur, mandatis pareat! Populum non decere Deo supplicare, numenque illius & fidem implorare, nisi prius gratiam à Papa ineat, illique patriæ suæ libertatem perfide vendat! Populum sacramentorum vsu priuari, nisi prius Hispaniæ insignia & arma sumat! Populum non posse amplius Deum colere, nisi prius Papam, ipsiusque bullas colat! Quantum autem ad mortuorum sepulturam attinet, tam immanis est eius rei atrocitas, vt de ea pluribus agere nihil sit opus. Nostri igitur piique illi patres, non sine acerbissimo animi sensu & dolore hæc secum reputabant. Ecclesiæ doctores, & eius seculi Iurisconsulti suis scriptis lachrymas & suspiria in posteros deriuabant, vt hodie apparet, omnisque Gallica Ecclesia hoc certo sibi pollicebatur, regni & libertatem & dignitatem, simulque rerum omnium sanctarum (quæ quidem omnia Papæ indignissime distrahere conabantur) vsum bona fide à se retineri. Atque aduersus Paparum excommunicationes & interdictiones tam præclarum & constans maiorum nostrorum propositum fuit, vt Papæ aliquando cedere coacti sint, promiserintq; se non amplius nec contra regem, nec contra regnum iis vsuros. Ea de re Martini 3. & 4. tum Gregorij 8. 9. 10. 11. & aliorum quam plurimorum conscriptæ Bullæ in Tabulario regio adhuc extant. Id quoque ius ad Franciæ Patricios, atque adeo ad minimos vsq; regis ministros pertinuit, cuiusdam *capitularis*, vt vocatur, à Carolo magno, eiusq; filio sanciti vi &

Ioel 2.

virtute,

Anno 1591.

virtute, cuius hoc est initium, *Si quos culpatorum, &c.* Quod si Papæ seueritatem censoriam in nobilem quendam virum, aut Galliæ ciuitatem adhibuissent, cogebantur eiusmodi sententiam reuocare, & eos, quibus censoria illa nota inusta fuisset, in pristinum statum restituere. Quinetiam Maiores nostri impetrarunt, vt eiusdem libertatis beneficio fruerentur reliquæ ciuitates & principatus, qui huius regni beneficiarii & clientes essent: quemadmodum anno 1448. Bullæ contra Gandauenses & Brugenses decretæ oppositum fuit, quæ ob id abrogata & antiquata est. Idque adeo ad nostram vsque ætatem valuit, quum Senatus certior factus anno 1580 Gregorii 13. Bullam clandestino introitu in hoc regnum irrepsisse, communi decreto 4. Octobris in eam rem facto cauit, ne ea promulgaretur: hac etiam sanctione addita, vt eorum, qui eam recepissent, sacerdotis manus regia iniiceretur: decretumque est, vt illud Senatusconsultum typis mandaretur. Maiores igitur nostri, vt ex his constat, quandiu sententiæ suæ perseuerantiam retinuerunt, tandiu & regni dignitatem libertatemque retinuerunt.

Papa regna & imperia transferūt.

Papæ in suis Bullis proponebant, si Reges nostri sibi non obtemperarent, eorum imperia pro suo arbitratu, ad alium translaturos, eorumq; populis minabantur se alios principes ipsis præfecturos: summam illam vbiq; gentium imperandi in temporalibus & spiritualibus rebus potestatē arrogantissime, vt iam antea diximus, venditantes nobis, & ostentantes, ac diram funestamq; imprecationem in id imperium immissuros se minitantes, nisi ad suum nutum & arbitrium regeretur. Sed his rebus omnibus Patres nostri ob ea, quæ diximus, nihil prorsum terrebantur. Sapientius nimirum instituti, & vsu rerum peritiores facti erant, quā vt nugis istis vel tantillū mouerentur, qui satis scirēt Deum auctoritatem illā sibi vni reseruasse, illiusq; vnius esse imperiorum statum mutare, & reges in iis pro iure suo summo constituere; iisque vt & reliquis ab eo constitutis magistratibus parendum esse: alioqui Dei mandato & auctoritati repugnari, nec impune id quidem aut inculpate, quæcunque tandem causa contra obtendi possit. Diabolus idem agebat in sua illa contra

Matth. 4.

Christum tentatione, *mundi regna illi ostendens, atque se traditurum etiam pollicens, si honorem sibi cultumque tribuere vellet.* Perditus ille dicebat omnia se regna in manu sua habere, de quibus pro animi libidine constituere posset. Qui vero hanc tantam in mundi regna potestatem, quæ vni Deo debetur, sibi assumunt, ii certe Dei sunt hostes, fallacesque spiritus. Maiores nostros prudentesque probosque viros minime latebat, Christum, *vt hæreditatem inter fratres diuideret*, rogatum id recusasse, quanquam ea hæreditas minimi fortasse pretii esset. Inde concludebant, Christum nunquam huius facti rationem probaturum, si Papa, pro ea, quam sibi arrogat, potestate sceptra & imperia partiretur, venderet, transferret. Enimuero ex sacris libris cognitum hoc habebant reges, vt Dauidem, Salomonem, & alios à Prophetis reprehensos fuisse, seueriusque & minaciter admonitos, nisi morem Dei mandatis gererent, summum esse periculum, ne iusta Dei offensione suum sibi regnum eriperetur. At pii illi viri eam calamitatem Dei nomine minabantur, nec eorum quisquam eo audaciæ vnquam venit, vt regna per se à propriis Dominis alienata interuerterit & ad alios transtulerit. D. Ambrosius Theodosio sacris quidem interdixit, sed non imperio, atque ista comminatione in eum nunquam vsus est, nec aliter eum compellauit, nisi cum ea animi submissione & obseruantia, quæ ciuem clientemque decet. Patres nostri in eo quidem probe se instituros ostendebant: & præter Dei mandatum, quo præcipitur colendos esse reges, iisque obtemperandum, ingenio etiam ad principes suos inprimis amandos propenso semper fuerunt. Vnde præ cæteris omnibus nationibus celebrati fuerunt. Itaque Papis, quos videbant tam infirmis fundamentis niti, fidem non habebant, sed eorum Bullas detestabantur & iusto dolore accensi vniuersum suum studium operamque regibus suis pollicebantur & deferebant, à quibus mandata ad retinendam Paparum insolentiam reciperent: satis patrum & sua ipsorum memoria experti, neminem vnquam illorum fulminibus sauciatum fuisse. Quinetiam quum reges tot tantisque indignitatibus à Papis se affici, tot onerari contumeliis, regnumque per illorum artes hostibus prædæ obiici viderent, tunc nec vllum religionis & Ecclesiæ falso vsurpatum nomen moram afferebat, nec vlla Paparum sanctitas obstabat, quo minus reges suorum tum sententiis freti, tum studiis moti, armis se tueri, & superbos istos hostilem in modum tractare decernerent: quippe qui nullam belli gerendi causam iustiorem dari posse arbitrarentur. Neq; id tamen sine maximo dolore sic statuebant, ob eam, qua sedem illam semper coluerant, obseruantiam, & eam etiam, quæ inde consequi posset, offensionem & inuidiam, cum aliqua nec minima Ecclesiæ pars cum eo dimicaret, qui præcipuam illius administrationem ac moderationem sibi sumeret. Verum publica salus, suprema lex esto. Aut sui defensio iuste strenueque suscipienda erat, aut rex perfide deserendus & prodendus, collumq; seruitutis iugo turpiter offerendum. Quod si vt sui regis sarta tectaq; conseruetur auctoritas, vt status & patria tota defendatur, vt libertas, qua nihil est dulcius & carius, retineatur, bellum à nobis suscipitur: idq; aduersus eos maxime, quorum amicitiam expetimus, ac nobis conciliare inprimis studemus, & qui sub pietatis specie ambitionem, auaritiam, & arrogantiam (à quibus ad status euersionem machinandam impelluntur) præ se aperte ferunt: cui iam dubium esse potest, quin cum eorum, qui necessariam sui defensionem suscipiunt, causa, vna cum iustitia, tum Dei assensio, tum optima conscientia coniungantur? Nunquid sanctitas, pastoris officium, Deique nomen, iis qui res perturbare & imperia bellis & confusione permiscere vellent, occasioni ad id & causæ esse deberent? Abiathar summus Sacerdos muneris sui oblitus, ad Adoniæ factionem contra Salomonem transiit: putans se, pro ea, qua præditus

erat

erat auctoritate, ius imperii ad quemcunq; vellet transferre posse, neglecto Dei, qui aliter ea de re cõstituisset, mãdato. At in sacerdotii dignitate tantũ momenti non fuit ac præsidii, vt non is morte damnaretur, censereturque dignus, cum quo tanquam cum hoste ageretur. *Omnis anima potestatibus superenunentibus subiecta esto*, ait Diuus Paulus. *Nec Apostolus, nec Episcopus, nec vlla alia Ecclesiastica persona excipitur*, vt Diuus Chrysostomus in eum locum scribit, ac proinde ne Papa quidem ipse. Qui est omnium supremus, gladium sibi à Deo commissum gestat, vt eos qui se præter modum contra suam auctoritatem efferre audeant, æque omnes reprimat. Patres nostri id sciebant, credendumque est eos, nisi perquam considerate, eiusmodi bellum non suscepisse. Et certe in illo Turonensi concilio palam statutum fuit, *bellum salua conscientia Papæ inferri posse.* Ac illud ipsum decretum vsurpatum iam aliquando fuerat, ideoq; normæ instar esse debebat, ad quam hoc regnum sua consilia & actiones in eadem re dirigeret.

Anno 1591.

1. Reg. 1. Rom. 4.

Non ignorabant autem reges, itemque alii, qui in celeberrimos illos cœtus accersebantur, quæ sit Episcoporum habenda ratio, & quo sint honore & obseruantia digni. Nam si Romani Episcopi in officio suo permansissent, nunquam nisi perhonorifice appellati fuissent. Quinimo vero maiores honores in Romanos Episcopos effuderunt, aut eorum auctoritatem magis amplificarunt, quam nostri Caroli, Ludouici & nostri alii Principes? Sed quum muneris sui limites prætergressi, pro pastoribus lupi fiunt, & in media regna irruunt, vt ea funditus euertant, nullam officii partem attingentes, sed contra præter officium & decorum facientes omnia: tum vero demum nullus est honori & obseruantiæ relictus locus: non enim laus personam sequitur, sed munus, si quis in eo fungendo præclare se gesserit. Si munus desinit, honor & meritò desinit. Nostri igitur patres, qui Papas erga se non pastores, sed perditores, non mandatorum Dei præcones: sed è contrario bellorum ciuilium tubas, & rebellionis aduersus principem concitatores: nec iam patres & seruatores, sed hostes vexatoresque infestissimos, perniciem sibi & exitium machinantes experirentur, rectissime profecto & rationi conuenientissime facturos se putarunt, si erga eos ita se omnino gererent. Parisiensis Academia sentiebat, *quod Diuus Paulus monet, discessionem ab omni fratre qui se inordinate gerit, faciendam, de Papis intelligendum esse, quum rerum superbo dominatu potiri vbique volunt omnes misere diuexant, & furiose permiscent omnia.*

Cæterum hæc patrum nostrorum aduersus Papas contentio fieri non poterat, quin fieret quoque discidium. Itaque Paparum adulatores iræ pleni, cupidissime inculcabant nihil hoc aliud esse, quam se à catholica Ecclesia segregare. Vti etiam Papæ videri volebant eos suis excommunicationibus ab Ecclesia catholica abstraxisse. Verum patres nostri de iis admodum securi erant: imo vero instabant atque vrgebant, summo cum studio, vt sibi à Paparum, qui se in suo munere obeundo ita tyrannice gererent, consortio quam primum recedere liceret. Censebatque Turonense concilium, bellum etiam illis inferendum. Non quod pii illi patres hoc vnquam in animo habuerint, cum Ecclesia catholica diuortium facere. Illud enim probe sciebant, quicunque in catholica Ecclesia sit, eum esse in domicilio Dei, in filiorum ipsius cœtu, & in recta, quæ ad vitam æternam ducit, via: Contra vero quisquis in ea non fuerit, extra Christum esse: non domesticum, sed externum esse, nec hæreditatis promissiones habere: quisquis vt breuiter dicam, extra Ecclesiam sit, huic nullam salutis spem relictam esse. Quid ergo? à Papæ communione separatum esse, annon ab Ecclesiæ communione separari erat? Hoc sane quidem pro ea, quæ maiorum nostrorum pietati & integritati debetur, obseruantia, nobis pernegandum, cum ipsi se à Papis vltro segregarint. Alioqui eo nunquam venissent. Verum hoc inde factum ab ipsis fuit, quod aliter ab Ecclesia instituti essent, quam Pontificiæ dignitatis studiosi ac fautores nobis inculcant. Etenim, si eos audiamus, non est hoc in Ecclesia esse, nisi Papam errare non posse credamus. Patres autem nostri, vt ex superioribus constat, eorum sententiæ minime assentiebantur. Non est hoc in Ecclesia esse (si modo fides illis habeatur) si quis pro certo non habeat Papam summum vbique moderatorem præfectum esse, atque vtrumq; gladium habere: At patres nostri hoc illi nunquam concesserunt. Non est hoc in Ecclesia esse, vt id etiam nobis obiiciunt, si quis ingenio sit ita comparatus, vt omnibus Papæ mandatis, qualiacunque tandem illa sint, parere nolit. Patres vero nostri ad hunc sibi modum imperari passi non sunt, sed iudicio prudentiaq; adhibita, quicquid sacris scripturis minime consentaneum videbatur, etsi à Papa manaret, id plane reiiciebant. Iidem appellant eos hæreticos & excommunicatos, qui ea nolunt in suos etiam reges admittere, quæ suis Bullis imperant. Patres autem nostri id prorsum negabant, atque Paparum excommunicationes cum deridebant, tum minutatim dissecabãt: quinetiam Papas, qui potestatem in hoc regnum sibi vendicarent, fatuos, insanos, atque adeo hæreticos appellare non dubitabant. Atque hæc ita omnino, vt dictum est, se habere Senatusconsultis, decretis, variis quoque scriptis & actionibus suis nobis confirmarunt. Quod si aliter, quam faciebant, credidissent, in eo conscientiæ repugnassent: quod de tot claris piisque viris, qui nos ætate antecesserunt, vel cogitare est nefas fane, si in Ecclesia esse is non est habendus, qui in Paparum obsequio non manet, neque illi totus adhæreſcit. Si vero nulla conscientiæ labe aliter faciebant quam crederent, tunc aut errore, aut ignoratione peccaretur necesse erat. At extra omnem controuersiam est, nostros illos patres iis, qui Paparum decretis omnino addicti & consecrati sunt, prudentia, eruditione & fide longe præstitisse. Quomodo igitur, dicet aliquis, se in catholica Ecclesia esse credebant, interim dum à

Discessio à Papis eorum communione.

Anno 1591.

Papis dissiderent, eosque adeo armis peterent? Nempe ex sacris scripturis & piorum Doctorum libris persuasum bene penitus atque confirmatum habebant, Dei Ecclesiam nec ex Papa, nec ex vllo alio mortali pendere. Nam si in Papa esset illius caput & fundamentum, male equidem ipsi consultum fuisset, & adhuc esset, si quis miserum hominum etiam perfectissimorum statum considerauerit. Præsertim quum tot Papæ à multis exciterint seculis, variis infandisque sceleribus (vt ab ipsorum historicis describuntur) cooperti & corrupti, nullis etiam bonorum pastorum notis insignes; quippe maxima ex parte Simoniaci, & viis atque artibus, quæ cum legitimæ vocationis regulis (quales in propriis ipsorum canonibus scriptæ reperiuntur) è diametro pugnant, ad Paparum ingressi: alii manifesto hæretici, & à fide aberrantes, atque alieni, quos ideo Academiæ nostræ, causa diligenter disceptata graui infamia multatos damnarunt. In iis vero, quas prope continuas aduersus Germanos Imperatores habuerunt, contentionibus, necnon in suis ipsorum, quas inter se quum de sedis primatu dimicarent, exercuerunt controuersiis & dissensionibus; quænam recta illorum conscientia, quis pacis & concordiæ amor, quæ etiam integritas & synceritas extitit? Patres nostri qui horum omnium testes erant, omnemque Paparum vitam penitus cognitam habebant, nõ potuissent vnquam in animum hoc suum inducere ac plane credere, Ecclesiam ex eorum auctoritate pendere, ac, si in Ecclesia esse velimus, Papis necessario adhærescendum esse. Quid ergo Christiani illi erant, profitẽtes se Prophetarum & Apostolorum doctrinam credere, Christum vt seruatorem suum agnoscere, Deum colere, & in ea, quæ fuisset in sanctis Patriarchis, Prophetis & Apostolis, & in omnibus Dei electis, qui in vniuerso mundo vocati fuissent & essent, fide manere. Ex his certo sibi persuadebant, etiamsi Papa destituti essent, se tamen in catholica Ecclesia esse, ac dum Christum haberent (in cuius tutela & ductu longe tutiori, quam in illo Paparum conquiescerent) Ecclesię sponsum verumq; præfectum & caput, ac pastorem Pontificemq; summum, se habere. Nec firmiora & arctiora concordiæ, qua Ecclesiæ catholicæ coniuncti essent, vincula requirebant, quam eiusdem corporis in Christo membra esse, eodem cum fidelibus omnibus spiritu regi, eandem fidem, eundem etiam Baptismum habere. Patres nostri à Papis distracti, atq; adeo ad bellum iis inferendum coacti, hisce consolationibus & persuasionibus aduersus eos, qui diuortium à se cum Ecclesia factum sibi exprobrarent, animos suos confirmabant: atque totius veteris Ecclesiæ, quæ Papis subiecta nũquam fuerat, statum, vti eas etiam Ecclesias, quæ de primatu cum Papis contenderant, sibi proponebant, quas tamen catholicæ Ecclesiæ membra esse negare non poterant, etiamsi in eo graues Papis aduersariæ essent, vt & Africanæ Ecclesiæ D. Augustini tempore fuerunt. Paparum fautoribus, à quibus probrose excommunicati appellabantur, obiiciebant summos in Israelitica Ecclesia Pontifices nec semel nec iam primum à recta via deflexisse, & tyrannicum dominatum occupasse, dum excommunicabant, atque anathemata, execrabilesque eos pronuntiabant, qui secum non facerent. Atenim illi, quos diris ita deuouebant, Apostoli erant, veriq; fideles & Christiani, qui vera Ecclesia catholica erant, non autem ambitiosi isti Christi hostes, qui primum sibi in Ecclesia locum tribuebant, in qua tamẽ nihil loci omnino haberent. Confidebant, quandiu ex vero Ecclesiæ capite, & nostræ omnium salutis auctore penderent, non posse vnquam à Deo & Ecclesia, quantumuis & Papæ & inferi omni ope retinerentur, diuelli: omnesq; Paparum omnium imprecationes gloriæ sibi & saluti fore. Ex his igitur apparet patres bona fide à Papis se abstraxisse, regiis edictis, supremæ curiæ decretis & conciliis, & eo quidem vsque, vt bellis etiam eos inuadere nihil dubitarent.

Regum Galliæ vet. & constãs voluntas in Remp. contra Paparum turbationes.

Ego vero inprimis optaui, vt in maiorum nostrorum historiis hæc & alia huiusmodi attente considerarentur, vt ea in his, quæ Papæ per suas Bullas nobis facessunt, negotiis in vsum nostrum referremus. Papa Sfondratus quod his contrà obiiciat, non habet. Ille enim ipse in sua ad Nobilitatem & populum vniuersum *Monitoria Bulla* eximiam regum maiorumque nostrorum pietatem ac religionem laudat, quod piis in Deum Deique Ecclesiam officiis Christianissimorum nomen adepti fuerint: additque eos, quo propius auorum suorum exempla sequentur, eo propius ad veram quoque nobilitatem accessuros. Quid autem illi præstiterint, suo nos exemplo docent. Primi ex Merouingiorum prosapia reges ad Pepinum vsque (quantum ex historiis colligere licet) non magnam admodum Paparum notitiam vnquam habuerunt. Per ea enim tempora non magni adhuc nominis erant. Carlinis Papæ subiecti erant, eorum gratiam & subsidium emendicantes, in suisque electionibus & grauioribus etiam aliis rebus ab illorum nutu & auctoritate pendentes: vt ex Chronicis & aliis eorum temporum monumentis facile probari potest. Non quod maxima iam tunc ambitione & summo cresendi desiderio non flagrarent. Sed non audebant ita aperte, vt postea, regibus nostris molestiam exhibere. Vnas tantummodo occasiones cupide captabant: vt ii facere solent, qui clam & occulte aliquid moliuntur. Si qua in regum familiis discordia esset ob vxorem quandam repudiatam, quæ magnæ auctoritatis Principes cognatione contingeret, eo, tanquam ad rem patrocinio dignam, & ex qua præmii aliquid se relaturos sperarent, auide se conferebant, sua & obsequia & excommunicationum fulmina oblaturi. Si ad has controuersias disceptandas ac componendas adhiberentur arbitri, ea re ad potestatem suam constituendam abutebantur, hinc scilicet ius in dirimendis Principum omnium litibus captantes: Vt Nicolaus primus in Lotharii regis causa. Sed iræ imprimis & contentiones, quæ inter Principes erant, luculentæ illis & valde speciosæ caussæ videbantur, quas etiam cupidissime arripiebant, vt inde compendii aliquid facerent, & in a-

in aqua, vt dicitur, turbida piscarentur: ad eos se adiungentes, per quos potentiam suam amplificarent. Omnibus tamen suis artibus & machinis efficere non potuerunt, vt iuris aliquid in hoc regno consequerentur. Magna extitit filiorum Ludouici Pii aduersus suum ipsorum patrem coniuratio. Ecce Papæ in mediam hanc tempestatem illico se coniiciunt, nec ad patris, cuius caussa iustior erat, sed ad filiorum partem, eamque deteriorem se applicant, ex qua nimirum maiorem quæstum se consequuturos putabant. Nam Ludouico patri semper subiecti fuerant, nec quidquam vberius & quæstuosius ex eo obtineri posse sperabant. Sed suum studium & operam ad liberos deferendo, sibi certo pollicebantur, si superiores essent, amplam se remunerationem adepturos. Gregorius igitur Quartus in Galliam venit, Ludouicum ab Ecclesia abdicaturus, vt quidem plerorumque omnium opinio hæc erat: sed continuo comperit Regem ea re nihil moueri, ac regni Episcopis certum deliberatumque esse, sibi resistere: Itaque à consilio suo destitit, simulauitque se eo animo venisse, vt pacem inter patrem & liberos conciliaret. Qui res eo tempore gestas memoriæ prodiderunt, aiunt Episcopos summa voluntatum & sententiarum consensione decreuisse, *se Papæ quanquam excommunicationes suas minanti non obtemperaturos, voluntatique illius nulla in re cessuros, eumque adeo, si excommunicaturus veniret, excommunicatum rediturum.* Ea ipsa sunt eorum verba: propterea quod perspectum penitus ac persuasum haberent, Papæ non maiorem quàm sibi ipsis potestatem esse. Hoc vero & in eius temporis *Annalibus*, & in eo qui *Aimonii Monachi historiam* persequitur, & in peruetusto quodam, quod Diui Dionysii dicitur, *Chronico* scriptum extat. Atque illud primum habetur Paparum aduersus Reges nostros tentatum præludium. Deinde ex contentionibus inter Ludouici Pii successores exortis, commodis suis consulere conati sunt, sed nihilo plus quam antea promouerunt. Post primos autem Carlinorum familiæ Principes, vt maior Papis ab aliis nationibus honos tribuebatur, sic Reges nostri plusculum aliquid, aliorum potius exemplo, quam vllius iuris ratione, iis tribuerunt. At vt sibi dominarentur, vt regno imperarent, vt de se, suoque statu pro animi libidine statuerent, pati certe nunquam potuerunt: immo vero protinus omni ratione, & marte etiam aperto, infestisque armis sese illis interdum obiecerunt.

TERTIA PARS.

Quæ est rerum à maioribus nostris aduersus Papas gestarum, ad eas, quæ hoc tempore occurrunt, accommodatio, vt quid nobis hic agendum sit, intelligatur.

PRÆCLARE admodum ab oratore olim dictum est, cum *historia sit fidelis temporum testis, lux veritatis, vita memoriæ, nuntia vetustatis, eam quoque nobis eadem opera magistram vitæ esse.* Cum enim quædam incidunt, quæ aliquando ante acciderunt, tunc veterum monumenta exquirimus, ex quibus quid viri doctrina virtuteque præditi in iis egerint, & quid iis inde euenerit, plane cognoscamus: illudque nobis magistri fidelisque consiliarii vice est, à quo docemur, qua fide animique præsentia, sublata omni dubitatione, nos in iis gerere debeamus. Ad ea igitur, historias, quæ supra commemoratæ sunt, & quid in illis obseruatum sit, referemus & accommodabimus. Francorum historiæ, in iis quæ ad prima huius Monarchiæ tempora pertinẽt, mancæ quodāmodo & imperfectæ sunt: quod prisci illi Galli bene rem gerere mallent, quam multa scribere: At de postremis temporibus, in quæ Paparum contentiones inciderunt, pleniores eæ sunt, certiores, & pluribus testibus instructæ. Nec dubitandum est, quin hoc Dei prouidentia ita contigerit, qui multo ante prouideret, quam difficile nobis fuisset in tam graui & ancipiti contentione certi quidquam statuere, nisi narratum nobis probatumque scriptorum diligentia fuisset, quid patres nostri à Papis indigne prouocati, & sacris interdicti præstiterint: propterea quod de religione hic etiam agatur, quæ scrupulum & dubitationem animis nostris iniicit, vnde optima sæpe consilia impediri solent. Verum Maiores nostri eius rei viam, quam ducebant esse rectissimam, tam multis ac præclaris exemplis tritam passim reliquerunt, vt si modo velimus, errare minime possimus. Ea vero non semel, sed sæpenumero acciderunt. Consilia non vnius, aut paucorũ hominum sunt. Solennia sunt Senatusconsulta, & grauissima ordinum conciliorumque decreta. Quod ad eorum exitus effectaque attinet, si paulo attentius consideremus, quales fuerint Paparum & factiosorum, quos suis artibus & opibus ad suam caussam suscipiendam allexerant, conatus & machinæ: quam luctuosæ tragœdiæ in Germanorum imperio ab iis excitatæ, quæ item aliorum ruinæ & mutationes: fatendum certe ac prædicandum nobis est, saluberrima fuisse eiusmodi maiorum nostrorum consilia, sine quibus nullum iam regnum teneremus, nulla libertate frueremur. Ea igitur exempla magni apud nos esse debent, quippe quæ sint eiusmodi, vt nos fallere non possint. Ita vt, si quæratur quid nobis hodie faciendum videatur, quum Papa excommunicationis fulmen nobis intentat, si regi parere sit animus, non magna hic deliberatione & consultatione sit opus, in eo etiam quod de conscientiis agitur, exstat iam hæc, constatque plane sententia. Regni propria super hac re sunt nobis axiomata: Rex inde intelligit, quam virtutem, quamque animi firmitatem & constantiam adhibere debeat: Senatus præscriptam in iis legem habet, quam sequatur: Clerus illic cernit, quid veteres regni huius Episcopi & concilia de eo statuerint ac responderint: Denique nobi-

Anno 1591.

Cicero.

Anno 1591.

licas, militares viri, ac reliqui omnes docentur, qua fide & alacritate suo hic Principi obsequi debeant.

Fraus ficta verborum Papalium.

Quoniam vero nullus est exemplorum vsus, nisi res, ad quas probandas & illustrandas adhibentur, persimiles fuerint: vt nullus sit obiectionibus relictus locus, docere mihi propositum est, nos in eadem omnino causa versari, in qua olim patres nostri versabantur. Si quid in ea re discriminis inesse videtur, id sane quidem aut in Papæ proposito & consilio, aut in ipsius, & eorum, qui hunc tantum motum mutationemque moliuntur, aut in regis ipsius persona insit necesse est. In Papæ autem scopo oullum omnino discrimen existit. Papa quidem Sfondratus in suis *Monitoriis Bullis*, speciosis prætextibus oempe verbis sanctimoniæ plenis, Dei nomine, Ecclesiæ cura, non caret: sed ea verba præpostero inuersoque sensu accipienda suot, & eadem omnino significatione, qua cætera, quæ vsurpare, nobisque identidem obtrudere solet, quum se seruorum seruum nominat, dum in thronum longe omnium excelsissimum ascendit, se omnium summum profitetur & gerit, ac regibus, Principibus, Imperatoribus, imperiisque omnibus præfici dominarique conatur, quum de sua submissione, & sua in oos beneuolentia loquitur, dum tota mente in hanc curam incumbit, vt nos in miseram seruitutem redigat, pedibusque suis conculcet & proterat: quum & is ipse & reliqui se Bonifacios, Clemeotes, Innocentios, Gregorios appellitant: præclara quidem ea nomina, quorum splendore, simplicium & rudium hominum oculos præstinguant, dum pessime de oobis merentur, dum luporum noctu grassantium more Respublicas diripiunt, mortiferisque vulneribus cruentant: dum nos in imum inferorum barathrum coniiciunt, & tanquam furiæ quædam dies noctesque peruigilant, quieti nec tantillum indulgentes quo noua malorum genera excogitent, ciuiles motus concitent, vniuersum (vt verbo rem complectar) orbem incensione, internecione, vastitate & interitu perdant. Sed veniendum ad rem est, videndumque quo potissimum isthæc lenitatis species & verborum blanditiæ spectent. Sfondratus ægritudinem animi summam præ se fert, quod in hoc regno tantopere ac tandiu affligemur, atque se acerbissimo cordis cruciatu rumpi, quod ita perturbemur, & à nobis ipsis discerpamur. At si tot tantæque nostræ calamitates, quibus ita diuexamur, eius mentem vel modice tangerent, pacis ineundæ viam oobis aperiret, & ad eam ingrediendam hortaretur: aut, si ad rem tam salutarem necessariamque mentem atque animum adhibere negligeret, saltem pateretur, vt de his controuersiis compooendis, & nobis in pristinam concordiam reducendis cogitaremus. Illum fugere non potest, non ounc demum Ecclesiam dissensionibus religionis ergo coocitatis exagitari. Ab ipsis Apostolorum temporibus, sæpeque postea id mali Ecclesiam inuasit. Nec is ignorat harum controuersiarum dirimendarum rationem, arma apud veteres noo fuisse, quæ iam tanto furore & pertinacia intentantur, sed concilia & placida colloquia. Si tranquillitati, vtilitatique oostræ consultum vellet, ille quidem se io nostri pacificationem interponeret, à diuturniore grauioreque contentione nos reuocaret, has ad regni incendium accensas faces restingueret, & ad arma deponenda hortaretur: Regem etiam Hispaniæ & alios Principes finitimos deprecaretur, vt per eos oobis aliquando quiescere liceret. Deinde regi nostro & aliis Christianis eodem animo & studio Principibus præsto esset, suam opem & operam pollicens ad salutare piumque concilium conuocandum, in quo omnes de religione controuersiæ quiete dirimerentur, & Christiana Ecclesia à tot perturbationibus cladibusq; liberaretur. Si id efficeret, oosque ad omnem animorũ acerbitatem exuendã, ad omnes iniurias ex animo delendas, ad nos mutuo recoociliandos exhortaretur: equidem illum oostris malis misericordia commoueri, nosque amore prosequi crederemus: ac tunc verum ill'um & Apostolicum spiritum, qui in Diuo Petro, in Diuo Paulo piisque aliis Dei seruis, Ecclesiæque patribus elucebat, in eo agnosceremus, & laudaremus. At nihil aliud quam bellorum continuationem proponit: etiamsi potuerit, quot quantisque miseriis ab annis triginta oppessi fuerimus, intelligere, & longa experieotia cognoscere, bella inter nos ciuilia non esse accommodata ad oos in eandem religionem concordiamq; reuocandos, remedia: sed & potius addere oleum, quod aiunt, incendio, ac totius regni perniciem & exilium accelerare. Idem coniurationem rebellionemq; auctoritate sua comprobat. Bullæ illius huc tantum spectant, vt à rege nostro deficiamus, si oondum defecimus; hoc, inquam, suadent, vt bellum aduersus principem, cui oon desunt idooea ad sui defensionem subsidia, perpetuemus, & ad mutuam interoecionem ac lanienam immortali exitialique bello ruamus. Illius igitur omnia de sua misericordia, tristitiaque verba, Crocodyli sunt lacrymæ, mera simulatio est. Qualis cæterorum Paparum scopus fuit, dum summi iuris in temporalibus & spiritualibus nomine, hoc sibi olim sumebant, vt hoc regnum cui pro arbitratu suo imperare liceret, sibi subiicerent. Talis omnino Sixti postremi scopus fuit: talis etiam huiusce Sfondrati nostri mens & cogitatio, qui suas ad oos bullas hoc consilio mittit, vt obsequium à nobis extorqueat: sperans tantilla membrana plumbeis orbiculis armata, totum terrarum orbẽ permiscere posse. In verbis quidem totaq; oratione plusculum artificii, plusculum etiam moderationis inest, quam in Bonifacij & aliorum eiusmodi literis, quod sciant in ea se deuenisse tempora, quum Papa non eo loco & numero habetur, quo antea. At imperandi vbique cum summo iure eadem certe omnino voluntas. Nomina hæc Bullis illius præfixa, *Seruus seruorum, sancta sedes*, & eiusmodi alia, tituli sunt per honorifici, qui ad alios summam auctoritatem deferebant. Et quidem Sfondratus non ita potest ingenium suum dissimulare,

quin

Anno 1591.

quin velit hoc de se nobis penitus persuasum esse has suas omnes cogitationes noctes diesque (sic enim loquitur) eo duntaxat pertinere, vt alium nobis regem substituat. Ea est sollicitudo, quæ cor illius exedit & vrit: ille animi labor est & vexatio, quæ illum respirare non finit: nempe obtinere à nobis vult, quod decessores à maioribus nostris nunquam obtinere potuerant, summam in hoc regno potestatem, per quam totius regni status ab eo vno pendeat. Nam si hanc, quam molitur, rerum mutationem inuehere potest, & regem ex animi sui sententia constituere, quid iam maius ad summam in totum hoc regnum potestatem desiderare poterit? Atque hæc ambitio non minus in hoc, quam in maioribus ipsius instructa est affectibus, iracundia & odio in hoc regnum concepto. Non minus etiam quam cæteri in animo habet, regiam familiam funditus extinguere, & ad mutuam carnificinam nos concitare: Vt impedimentis omnibus, quæ illi obstant, quo minus regnum ad alium transferat, sese hac ratione explicare, atque viam Hispanis (quo spectat illius animus) aperire, nosque omnes durissimo miserrimæ seruitutis iugo subiicere possit. Hæc cuiuis obuia cognituque facillima sunt. Vis semel dicam? In Papæ Sfondrati & decessorum ipsius, infestorum regni Gallici hostium proposito nullum certe discrimen apparet, nisi hoc vere vnum, quod furor maior iam exardescere videatur, quam antea. Coniuratio enim aduersus regni statum eadem semper conflata est, cum qua finitimi hostes sua arma, populus religionis specie delusus & excæcatus, rebellionem; Papa vero suas de more fulminationes coniungunt. Pactio de hac regni alienatione iam dudum inter Papas & Hispanos facta est. Papa præmium hoc ab Hispano pactus est, vt Ecclesiæ vniuersæ primatum in hoc etiam regno pecuniis & armis Hispaniæ tranquille obtineat: Rex vero catholicus hoc vicissim à Papa est stipulatus, vt Papæ excommunicationibus instructus, & in Gallia & in reliquis Christianæ professionis finibus summũ Monarchæ imperium & authoritatẽ consequatur. Italia, vt eo facilius perueniretur, nobis adempta est. Illius principatus, Romanæ Ecclesiæ beneficiarii, ad Hispani ditionem & imperium translati sunt: suffragia in purpuratorum Cardinalium conclaui imminuta, nobis Hispanis vero aucta sunt: Concilii Tridentini actu præcipua sedes nobis erepta fuit, & Hispanis attributa: Ideoque seditionum faces in nobis, sub zeli & religionis nomine accendunt, vt nos viris, viribus, opibus, & mutua beneuolẽtia exuti, illis ipsis, qui infestis animis, funestisq; armis nos inuadunt, dedamur.

Pactio inter Papam & Hispanum.

Quod ad Papæ Sfondrati (vt & Sixti decessoris, qui defunctum Regem suo quoque fulmine aggressus est) personam attinet, non plus equidem pietatis, non plus veri zeli & integritatis in eo, quam in aliis reperiemus. *Romanum se Papam* vocat: nomen illud est, quo veteres Episcopi cognominabantur. Hoc nimirum innuit, si saperet & optimi Episcopi Romani (quales primi illius Ecclesiæ Episcopi fuerunt) munere fungeretur, nihil curare & agere aliud debere, quam gregem suum Euangelii prædicatione pascere. Constat, qualis fuerit à multis sæculis vrbis Romæ status: Quam amplam piis & eruditis viri, vt Petrarchæ & aliis, ipsi etiam Diuo Bernardo de illa scribendi materiam suggesserit, tanquam de fœcunda omnium flagitiorũ, turpitudinum, & abominationum matre, de Babylone quadam, atque adeo de Sodoma & Gomorrha ipsa, & si quidquam aliud in vniuerso mundo vnquam fuit sceleratius & detestabilius. Sed ea hodie longe deprauatior & corruptior euasit. Si Sfondratus bonus esset pastor, qualis haberi vult & dici, atque aliquo duceretur muneris sui obeundi studio, satis domi haberet quod ageret, in expurgandis & emẽdandis Cleri sui sordibus, & omnibus vrbis suæ partibus. Sed his minime mouetur: longe altiora & magnificentiora meditatur & suscipit. Quis tamen credet illum zelo satis ardenti flagrare, satisque magna sapientia præditum esse, vt vniuersum terrarum orbem satis digne moderari possit, & bonum etiam pastorem, vt sese nobis vendirat, inter nos agere, cum nullam suæ familiæ curam habeat, & vicinorum saluti nullo modo prospiciat & consulat? At Euangelii prædicatione gregem pascere, humilius quiddam est & vilius, quam vt Papam eo se demittere deceat. Hoc etiam restrictius est ac seruilius, si aliis ad placidiorem & modestiorem viuendi rationem exemplo esse cogeretur. Arrogantia, quæ ab istis terrarum & imperiorum omnium dominis ad alios perpetua serie transit, longe subliniora petit. Episcopatus iamdudum iis sordet. Successionis, paupertatis & ignobilitatis Apostolicæ eos iã pridem tædet ac pudet. Principatum spirant, Dominatum noctes diesque cogitant. Quod si Apenninus, superumque & inferum mare, istam superbiam capere & coercere possent, ferenda ea vtcunque videretur. At ea est isthæc ambitio & auaritia, quæ totum terrarum orbem peruadere, quæ omnia effodere, congerere & vertere, sibique vendicare possit. Tota illa dignitas, mera est magnificentia, merus luxus, meræ voluptates & deliciæ. Quin eo furoris & fastus ventum est, vt si vilissimus quidam Caprarius (cuiusmodi olim Sixtus fuit) hoc summum totius orbis imperium assequutus fuerit, amplitudo & sanctitas illius postulet, non esse prius ex hac sibi vita emigrãdum, quam filios ac propinquos suos Duces, Comitesque, de illo Diui Petri scilicet patrimonio effecerit: & si fieri potest, bellum aliquod conflauerit, cui gerendo eos præficiat. Quod nunc Sfondratus agit, dum copias sub consanguinei sui ductu & auspiciis in nos immittit. Vt autem sumptus ad eam rem necessarii suppetant, illi sunt *subuertenda, euellenda, dissipanda omnia.* (His enim verbis Sixtus in sua aduersus defunctum regem Bulla vtebatur, Ieremiæ loco abutens,) hoc est, mundi regna & imperia euertenda illi sunt, vt noua alia excitentur. Sed diutius hanc Camarinam mouere non est animus. In sermone

Papa Romanus.

Anno 1591.

mone de illorũ in Principes nostros studiis & actionibus instituto maneamus, & ex insignioribus quibusdam illorum actis videamus, an hi postremi Papæ saniores sint (quod ad ipsorum personas attinet) & sanctiori spiritu regantur, quam alii quibus successere.

Sixtus Papa Bulla contra Henricum III.

Sixtus ille (cuius modo memini) ex recentioribus illis primus fulminibus & excommunicationibus Principes nostros est aggressus. Audiamus vero qua moderatione & modestia. Audita statim Guisii Ducis & eius fratris morte, Papa iste videns cruentæ huius contra Henricum Tertium conflatæ coniurationis (cuius caput & auctor erat) spem infractam & desperatam esse, pro ardenti suo in catholicam Ecclesiam zelo, incredibili quadam iracundia vel potius furore correptus, nulla hic legitima actione, vt nec in superioribus regis nostri, qui hodie rerum potitur, ac defuncti cognati illius Condæi Principis excommunicationibus mature obseruata, fulmina sua statim arripit: præ desperatione perstrepit, fremit, spumat ex ore scelus, crudelitatem anhelat, diras concrepat, insano murmure complet omnia, horribilibus minis ex arce sua tonat: & vindictæ æstu quodam absorptus, furias ex ipsis inferis excitare statuit, per quas populum Gallicum aduersus regem & moderatorem suum conciret, eum & hæreticum & hæreticorum fautorem, & Ecclesiæ hostem pronuntians: Eum ipsum inquam, quem paulo ante ob singularem suam pietatem, laudibus in cœlum ferebat, quem filii nomine ornabat, quem etiam Christianissimum regem appellabat. Præclarum vero Papæ illius iudicium, recta conscientia, & paternus, quo se Galliam nostram prosequi dictitabat, animus: denique candor & integritas, quam tum ipse, tum alii in suis emittendis excommunicationibus adhibuerunt, quid enim causæ apparebat, quamobrem defunctum regem vt hæreticum, & hæreticorum patronum criminaretur: quænam occasio subesse videbatur, cur Principem ab Ecclesiæ communione abstraheret, qui à subditis suis debitas ac meritas pœnas gladio sibi à Deo tradito persequutus erat, & se quidem ab imminenti ac dudum meditata cæde, populum vere à misera seruitute vindicauerat? Deinde cum nostri coniurati per emissarios suos Romam effusis habenis contendẽtes, Pontifici & expetitam & machinatam, tamque diu tantoque opere regis à Monacho quodam perfide interfecti cædem renuntiassent: quo ore, quaue fronte, effrænatam illam ex facinore ita inaudito & horrendo, & ob quod stupore omnia perculsa, lachrymis omnes perfusi erant, contractam lætitiam dissimulauit? Tota Roma omni voluptatum & triumphorum genere exultante vel bacchante potius, Sixtus Cardinales & alios clientes suos in consistorium conuocat, concionem Papalem apud eos habiturus. Id actum 11. Septemb. 1589. Eius argumentum fuit, proditorem illum & perfidum Monachum sui regis parricidam, in Diuorum numerum referendum, illiusque zelum magnificis laudibus ad astra vsque extollendum esse. Quoniam vero non ignorabat in comparationibus plurimum inesse momenti ad præclarum aliquod facinus exaggerandum, si cum laudabilissimo alio quodam conferatur: cum nullum satis gloriosum facinus in iis omnibus, quæ de heroicis illustrium virorum actis referuntur, illi occurreret, quod cum illo conferri merito posset: ex Deo ipso comparationem illam repetit (tantam scilicet Dei operam, & eorum maxime quæ in nostra redemptione cernuntur, rationẽ illius sanctitas habuit) ac Principis Christiani parricidium, monachi ipsius subditi perfidia patratum cum mundi creationis opere (horresco referens) atque adeo Incarnationis Christi, & aliis salutis nostræ mysteriis cõparare nõ veretur. In secũda põtificię illius cõcionis parte, demortui regis, quem nefariis suis consiliis crudeliter trucidandum curauerat, infandis modis lacerat. Tandem omni contumeliarum genere bacchatus (pro ea quam Papæ quod malum est, bonum iudicandi, & ita quidem, vt nulli refellere id impune liceat: itemque ad inferos etiam ipsos quoscunque & quomodocunque libuerit, detrudendi sibi sumunt, potestate ac licentia) è suo suggesto declarat, regem apud inferos damnatum esse, peccatum aduersus Spiritum Sanctum admisisse, nec preces pro illo esse fundendas. Quin & sancit, vt omnibus iustorum funebrium honoribus, quibus Principes ornari solẽt, priuetur. Quæ quidem egit omnia, tanta & animi acerbitate, & orationis acrimonia, vt, si mortui cadauer Romę fuisset, proculdubio de illo aut in fœtidam cloacam, aut in sterquilinium quoddam proiiciendo sententiam fuerit laturus. Illius deinde sanctitas de Dei prouidentia & iustitia sermocinatur, tanquam si diuino spiritu Monachus ille afflatus impias manus Domini vncto iniecisset, diuina etiam virtute ideo confirmatus, tam immane parricidium confidentius patrare ausus fuisset. Vt paucis dicam, illius concionis hic vnus scopus fuit, vt perfidum illum sicarium & sui etiam regis (à quo fuerat summa humanitate receptus & intromissus) homicidam magnifice prædicaret, & eum diuis adeo ipsis æquaret. En Euangelium, quod Sixtus Papa Romæ annuntiabat. Quis nostrum arbitraretur id posteritati credibile fore? At Papa eam orationem intra conclauis septum contineri non passus, in vulgus edendam curauit: vsque adeo eam probabat, & ad prodenda nationibus omnibus, & toti etiam posteritati manifesta suæ eloquentiæ, doctrinæ & summi in catholicam Ecclesiam zeli testimonia satis virium habere iudicabat. In hac vero tanta, qua tunc fruebatur, alacritate & lætitia, ecce alius de Henrico Quarto felicissime recepto, deque admirabili Principum, primariorum coronæ ministrorum, Nobilitatis, fideliumque Gallorum consensu ad restituendam illi regiam auctoritatem, & regis mortui cædem vindicandam, nuntius interuenit. Audito vero Henrici Quarti nomine totus cohorruit Sixtus, simul & magis ac magis furere bacchari que cœpit, quum videret, eum, quem suarum excommunicationum vi omnino exaugurasse putabat, in thronum regium euectum esse. Commini-

mini-

Anno 1591.

miniscitur, secum animo voluntat, consilium cum suis captat, decernitque tandem vniuersum potius Acheronta mouere, quam patiatur regni Gallici administrationem in eius manu esse, cuius nomen egregiaque facinora & virtutes terrorem sibi horroremque singulis horarum momentis incuterent. Dum ea dubitatione æstuaret animus, seque in omnem partem subinde versaret, Iesuitarum & Ecclesiasticarum Parisiensium decreta ad eum afferuntur furoris & sanguinis plena. Sixtus occasionem arripit, speratque satis inde & argumenti & præsidii nactum se esse, ad regem vel chartulæ frusto opprimendum, dummodo chirographum suum illi apponeret. Sed in ea iam tempora ventum est, quum Papæ non tam facile quam olim tenebras nobis offundunt, nec in suam qualemcunque sententiam trahunt. Earum propositionum hæc erat sententia, *iure diuino* (hoc est eorum, qui se Deos in terris profitentur, iure) *Gallos non posse Henricum 4. pro rege suo agnoscere, sed debere infestis armis vsque persequi: eum, qui de pace cum illo facienda vel cum animo suo cogitabit, pro hæretico habendum: contra quos in sacro hoc bello pro Romana Ecclesia, pro regni libertate, pro harum propositionum auctoritate tuenda suum sanguinem, vitamque effunderent, beatissimos Martyres, vno quidem martyrii genere, perpetuo fore.* Id factum est 14. Martij mensis die, Anno 1590. eo ipso die, quo Deus in Santandræa planitie ad fluuium, qui hodie Eurus dicitur, longe alia manu consignabat futuri coniuratorum excidij decretum, per victoriam, quam Regi non bullis, id est, verbis & nugis, sed re vera dedit. Atq; hæc consiliorum & actionum Sixti contra Reges nostros & hoc regnum specimina quædam feruntur.

Sfondrati Bulla in Henricum IV.

Sfondratus illi in Papatum successit (Deus enim per feralem & atratum lictorem, prouinciæ administratæ rationem ab illo mox repetiit.) Hic summus pontifex inauguratus decessoris sui spiritu imbutus illico, indutusque fuit. Atque vt pactionem cum Hispano rege (cuius consiliis & corruptelis pontificatum erat adeptus) factam præstaret, & Galliæ occupationem faciliorem illi efficeret, maiora etiam & grauiora quam Sixtus in animo suo molitur. Sixtus enim bullis nos terrere & decretis contentus, de ærario augendo magis laborabat: Hic vero vt olim Iulius 2. clauibus S. Petri & spiritualibus armis, quæ in Sixti manibus parum omnino potuerant, non admodum confidens, vtendum sibi gladio putauit. valde stomachatus, quod per ingrauescentis senectutis incommoda thorace quoq; armari, & in equum insilire, Iulii in modum, non posset. Sixtus breui tempore ingentibus gazis arcas suas collocupletauerat; hic sacrilegas manus illis afferre audet, tantum nummorum erepturus, quantum ad comparandum exercitum satis esset. Deus tunc ex alto intonuit, & fulmine Capitolium percussit: Vnde populus Romanus id, vt infaustum & ominosum incepti pontificii augurium, accepit, obmurmurans illiusq; consilia detestatus, quod pecunia, quæ aduersus infideles Turcas destinata erat, contra Christianos impenderetur, & contra illud regnum præcipue, quod præcipuum semper fuisset, Christiani imperij propugnaculum & salus. His igitur auspiciis Sfondratus pontificatum init. Ego autem istorum pontificum, qui & harum perturbationum autores fuerunt, & perniciale hoc bellum nobis conflarunt, facta aliquot de industria proponere volui, vt docerem inter eorum, qui olim & regum & regni hostes fuerunt, & horum, qui hodie dominantur, furores nihil omnino interesse: Ac proinde, vt in belli, quo nos vexant, caussa nihil dissimile est: ita quoque, quod ad eorum personas attinet, nihil omnino nisi forte à maiori ad minus fiat collatio, dissimile esse. Nam vere fatendum nobis est superiores illos Papas, quantumuis effrænata aduersus Patres nostros audacia & væsania insignes, ab horum tamen odiis, furoribus & violentia longissime abfuisse.

Henricus IV. Galliæ & Nauarræ Rex.

Iam hoc restat, vt expendamus, An in Regis persona dissimile aliquid videatur. Nihil autem omnino dissimile esse, ex his quæ dicam, probaturum me spero. Et quidem quin Rex verus sit & legitimus regni successor, coniuratorum adhuc nemo in disceptationem quæstionemq; vocare ausus est, nec Hispanus, nec Sabaudus, nec Guysius, nec Lotharingus, nec Papa: etsi horum singuli, pro sua quisque parte in regni societatem venire contendant. Quin ille etiam regno sit dignissimus, & præclaris omnibus virtutibus ad amplissimum regnum gubernandum necessariis instructissimus, coniuratorum certe illiq; infestissimorum hostium (etsi ambitiones & impudentia eos omnes qui antea fuerunt superantium) nullus id negare vnquam ausit. Etenim pacis belliq; artes, quibus inter cæteros maxime princeps ille floret, tam magnæ tamque illustres sunt, vt nullus existat, qui de eo aliter aut sentire aut loqui possit. Quamobrem, eum tot animi corporisq; dotibus clarum omnes (eos duntaxat vnos, qui cum insignibus barbarum pectus, armaque Hispaniæ hostilia induentes, Gallicum simul animum exuerunt, semper excipio) veri, inquam, Galli omnes eum, Dei beneficio amplectuntur, amant, prædicant & colunt, vt nullum ex ipsius maioribus vnquam magis. Quin & ingenue agnoscunt ac profitentur, tali nobis Dei ipsius benignitate peropus fuisse, qui sua prudentia animiq; magnitudine Gallicum regnum ex hoc, quo demersum est, naufragio, eripiat, & in optatum portum, in pristinam videlicet dignitatem ac splendorem restituat. In quo igitur à priscis regibus differt? Coniurati eum esse hæreticum, relapsum, excommunicatum criminantur. Mihi autem non est iam propositum longam & accuratam defensionem instituere, vt doceam id quod obiicitur falsissimum: & quanquã verũ esset, eũ tamen quando talẽ nobis Deus dederit, pro Rege habendũ, illiq; obtẽperãdũ esse. Hæc plurib. & accuratius in multis libellis in eam rem præcipue editis disputata extãt; quos lectorib. perlegere & diligenter examinare operæ esse pretium puto, vt huius quæstionis cognitionẽ explicatã illustrẽq;

Anno 1591. habeant. Paucis tantummodo dicam, quantum satis esse videbitur ad intelligendum statuendumque nihil prorsus in hac tota controuersia scrupuli esse, quod obstare debeat, quominus maiorum aduersus Papas exempla in hac & animorum contentione & armorum dimicatione consulamus, atque ad imitandum etiam nobis proponamus.

Rex an propter hæresin abdicandus. Papæ regem hæreseos crimine damnarunt & à sacris abdicarunt. Ea vero damnatio nullius momenti esse debet: hic enim mos pro Paparum tyrannide & furore inualuerat, vt Reges nostri quandocunque iis ita liberet, hæretici, schismatici, & Ecclesiæ hostes, vt antea patuit, pronunciarentur, etsi longe aliter se res haberet. Ita Sixtus Henricum Tertium in crimen hæreseos recens vocauit, etsi falsum id esse omnibus constaret. Papæ ergo, qui mentiri consueuerunt, & qui furore atque amentia cæci in summos quosque & optimos Principes iniurias temere & inconsiderate, vt bruta quædam fulmina, iaciunt, non sunt audiendi. Papæ etiam ipsi Regis nostri infensi aduersarii infestique hostes, ea de re sententiam, quæ sit alicuius quidem ponderis, ferre iure non possunt, nisi omnem & legum & iudiciorum ordinem peruertere velimus. His accedit Regis ad concilium prouocatio, quæ iudicio cuilibet moram afferre debet: & nulli, quanquam loco, genere ac dignitate longe inferiori, in re præcipue tanta, denegari potest. Ac nostri maiores, qui rones ea vsi sunt, quoties à Papis hæretici & excommunicati declarabantur, id tanquam verum atque efficax aduersus omnem Paparum authoritatem remedium senserunt ac statuerunt. Addamus & hos reges Principesque nostros Paparum censuris ex ipsorum etiam (quum ad saniorem mentem redierunt) consensu & canonib. minime obnoxios esse. Verum, vt liberius dicam quod sentio, illud proculdubio constabit, etiamsi Rex, qualem obiiciunt, talis reuera esset (quod Dei beneficio falsum est, idque postea probaturum me spero) iustam tamen Papæ caussam non fuisse, cur nequid obsequii illi præstaremus ediceret, atque eorum, qui coniuratione facta eum bello persequuntur, rebellionem comprobaret. Neq; enim Papæ est ea de re quidquam statuere: Dei viuis est, qui ei rei iam prouidit, eamque tam claris certisque in Ecclesia testimoniis comprobauit, vt qui contra differere volet, mala mente cum veritate ipsa pugnare sit iudicandus. Dei est, inquam, reges & Principes in toto mundo constituere, & quidem tales, quales ipse voluerit. Quum vero eos constituit, Deique vocatio certa est, non iam contra disputare, illique repugnare licet. Id enim si liceret, nulla vnquam inter homines certa, firmaque vocatio constaret: huic nimirum contra regem de hac re certamen esset, illi de alia: & qui omni virtutum genere cumulatus multis placeret, pluribus idem displiceret. Vnde in regnis & imperiis nihil vnquam stabile, fixum, ratumque permaneret; sed alia atque alia subinde nasceretur mutatio & confusio. Regum autem vocatio certa est, nec dubitare possumus, quin Deus eos nobis dederit, quum ordine & via vnicuique imperio maiorum exemplis vsitata ac trita illos habemus: ibi electione, alibi sorte, hic successione pro varia variorum imperiorum constitutione. De vocationibus ordinariis loquimur. In Galliis nostris Dei vocatio in successione cernitur: quem ordinem patres nostri probarunt, suisque & regni totius rationibus opportunissimum esse senserunt: atque reges suos à Deo ipso hac sibi ratione & via dari ita agnouerunt, vt potius, quam ei repugnarent, pueros pro regibus suis acciperent: aliquando etiam eos, quod mirere magis, qui nondum nati erant, expectantes dum matres puerum enixæ fuissent: Siqui vero ex iis mente non admodum valerent, id æquo animo tulerunt, ita vt nihil illis de consueta dignitate & auctoritate detraherent. Cum igitur notum manifestumque omnibus sit, Henrico Quarto regnum successionis ordine obtigisse (nemo enim in dubium id reuocat) haud dubitandum nobis est, quin Deus illum nobis præfecerit, præceperitque, vt omnes illi obsequium *Rom 13.* præstemus, alioqui illius voluntati repugnaturi. *Omnis anima potestatibus supereminentibus* (Apostolus ait) *subiecta esto. Non est enim potestas nisi à Deo, & , quæ sunt potestates, sunt a Deo ordinatæ. Itaq; quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent.* En Dei de- *August de ciuit. Dei lib.5.c.21. & 33.* cretum, contra quod contendere est nefas. Optandum quidem, vt Principes omnes pii probique essent, sed optio in vno Deo est, qui non semper bene moratos reges nobis constituit, seu populi plectendi consilio, seu quacunque alia causa ductus, pro variis iudiciorum suorum causis, quæ plerunque nobis obscuræ & ignotæ esse solent.

Infideles vero, atque in vera religione peregrinos & hospites, atque adeo illius hostes paganos aut alios eiusmodi, dubium non est, quin Deus etiam ipse constituat, velitque vt omnes *Rom.13. Tit.3 1 Pet 2. 2. Pet. 2. Iudæ 1. 1. Tim 2* iis subiiciantur. Ad Dei enim mandata exempla etiam, quibus id probatur, multa accedunt. Non citabo hic omnia Apostolorum testimonia, quæ in nouo testamento cuique obuia sunt. Summa illuc pertinet, vt sciamus in usà Deo præcipi, regem & eos, qui publico alicui muneri ab eo præficiuntur, Principes & gubernatores honorandos esse: Vt breuiter dicam, omni humanæ politiæ parendum, Principum nostrorum prosperitatem optandam, votaque pro iis facienda. Illud autem de Imperatoribus & Magistratibus, qui tunc inter homines agebant, dictum erat. Nam Christus etiam ipse, vt omnem dubitationem tolleret, Cæsarem nominat, qui tum Imperator e- *Matth 22.* rat, dum ait, *Reddite Deo, quod Dei est, & Cæsari, quod Cæsaris.* Atque coram Pilato, qui Imperatoris nomine Iudææ procurator erat, id de illo agnoscit. Illi autem omnes Pagani erant Ecclesiæ hostes, & fortasse omnium, qui vnquam fuerunt, sceleratissimi Principes. Sub lege, Assyrii totius orbis Monarchiam adepti, armis Iudæos subegerunt. Deus populum suum per Prophetas docuit id ita ex decreto suo fieri, seque velle, vt Nabuchodonosoris & filiorum ipsius imperio subiiceretur,

tur, ac pro eorum, quanquam flagitiosorum, & Ecclesiæ persequntorum salute deprecaretur. Non quod obtemperandum iis esset, si quid contra honorem & cultum, quem Deo imprimis debemus, imperarent. In eo enim genere, honor qui Deo debetur, primum locum tenere debet, vt monent Apostoli his verbis: *Præstat obedire Deo, quam hominibus*: Sancti Prophetæ, Apostoli & martyres illud etiam ad hunc modum obseruarunt. Vt vero ciues contra Principes se commoueant, seditiones concitent, imperia perturbent, obedientiæ & officij erga eos sui munera abuciant, & relinquant, Deo certe nunquam placuit. Quod ad exempla attinet, id semper ita vsurpatum fuit. Populus Israeliticus in Ægypti regum ditione potestateque fuit (quanquam illic tantum commoraretur vt hospes & peregrinus, non vt ciuis & incola habitaret) & seruitutis quamuis durissima, iugum ceruicibus suis impositum patienter tulit, nec de eo excutiendo cogitauit, donec Deus liberatorem sibi extra ordinem suscitasset: neque id tamen aggredi voluit, nisi cum bona regis ipsius venia. Postea captiui ad Assyrios abducti sunt, eisq; paruerunt. Christi vero tempore, & trecentis circiter ab eo annis, fuere imperatores perpetua serie pagani, & in prouinciis Magistratus, crudelissimi Christianæ religionis hostes, qui multos vel potius innumerabiles Christianos omni suppliciorum genere excarnificatos trucidarunt. Mos tamen illis perpetuo gestus fuit, nec vlli vnquam Christiani obsequium illis recusarunt, etiamsi potuerint: sed potius eos coluerunt, de illis honorifice loquuti sunt, tributa contulerunt, sub illis stipendia in bello meruerunt, in iudicio se stiterunt, pro illorum salute & prosperitate preces fuderunt, aliaq; omnia (vt in Ecclesiæ [a] historiis, eorūdemque [b] Apologiis & testificationibus perspici potest) obedientiæ munera iis præstiterunt.

Act. 4. & 5.

a Euseb. lib. 4. c. 15. & 7. c. 11.

b Iustin. Apolog. 2. Tertull. in Apologet.

Quod vero de obedientia & submissione paganis debita dictum est, ad principes etiam hæreticos referri debet, si Deus tales dederit. Non minus enim paganus à salute alienus est, quam hæreticus, cum sit Idololatra, atq; in omnibus fidei partibus & capitibus corruptus: hæreticus vero in paucis aliquando. Vtut se res habeat, diuini mandati ratio vtrobiq; eadem est: Vterq; enim à Deo est constitutus; quum ordine & vocatione in imperiis vsitata & solenni, in rerum administrationem venit. Atq; exempla ab omni antiquitate, eam semper fuisse hac de re Ecclesiæ mentem, satis ostendunt. Sub lege sæpenumero principes quidam à fide veraq; doctrina deflexerunt, in eiusque locum, idololatriam falsumque & impium cultum substituerunt: neque solum, sed crudelissimi etiam Ecclesiæ vexatores fuerunt, vt Saulus, Achabus, Manasses & alii, quibus tamen propria & stabilis fuit regia sua auctoritas. In Ecclesia similiter Christiana fuere imperatores hæretici, *Arriani, qui hæreticis pro virili fauerent, crudelissime vero Domini Ecclesias, & pios atque orthodoxos Episcopos vexarent: nemo tamen Christianorum se contra eos commouit. Quinetiam eorum quidam Paganus fuit simul & hæreticus, & si quid deterius dici aut etiam fingi potest, cognominatus *Apostata*: quo Ecclesia nullum infestiorem hostem vnquam habuit. Iulianus ille fuit: Imperator tamen habitus est, illiusque mandatis obtemperatum. Harum rerum exempla, eaque permulta, sibi omnia constant, nec quisquam in doctrina fidei probe institutus contra vnquam sensit, faciendumue censuit. Prophetarum quidem temporibus Iudæi seditiones concitarunt, & ab Assyriis Chaldæisque defecerunt: sed ob id & à Prophetis reprehensi, & à Deo ipso grauissime multati sunt. Per Apostolorum tempora peruersi quidam turbulentique homines extitere, qui male de Magistratibus loquerentur. At D. Petrus & D. Iuda in eos scripserunt: ex eorumque verbis satis colligi potest, seditiosos illos fuisse nequissimos quosdam nebulones, qui libertate Christiana abuterentur. Post Christi mortem Iudæi idem quoque aduersus Romanos tentarunt, dictitantes se esse Dei populum, ideoq; infidelibus Imperatoribus obnoxios esse non debere: Sed iustas grauesque Deo suæ rebellionis pœnas dederunt. Anabaptistæ idem omnino ætate nostra fecere, sed satis superq; perspicuum est, eos fanaticos homines & à mente alienatos fuisse. Deniq; quotquot senserunt, principes pietatis religionisq; veræ expertes non esse colendos, illi omnes furiosi fuere, mentis impotes, iustoque Dei iudicio furoris sui pœnas luerunt. Papa tamen illud dogma suis illis bullis sacrisque admonitionibus, nostris animis inserere omnino tentat, Regem infidelem esse, & regno suo per nos demouendum. Nempe hoc illud est Euangelium, quod vbique terrarum per ministros suos Iesuitas, turbarum ciuilium faces, prædicandum curat: Illa etiam sunt Theologorum Parisiensium, qui cum nostris coniuratis faciunt, decreta.

* Vt Constantius, Valens, Theodoricus, &c.

Rationes & fundamenta, quibus ad has faciendas turbas vtuntur, ea ipsa sunt, quæ seditiosi quidam Iudæi, Anabaptistæ aliique principatuum & imperiorum hostes, imperiti vulgi auribus inculcabant. Proponunt rem esse indignam, Ecclesiam, quam Deus tanti facit, & populum, quem Christus suo ipsius sanguine redemptum in libertatem vindicauit, sceleratis principibus ita subiici atque auctoritatem & potentiam in eorum manibus esse, qui ad diuexandam Ecclesiam ea impie & crudeliter abutantur. At respondemus, satis quidem hinc causæ esse, cur tanto pressi onere, vehementer ingemiscamus. Verum respiciendus nobis Deus est, qui de eo ita statuit, quique satis magnas id faciendi caussas semper habet, siue pœnas sceleribus nostris debitas à nobis repetere, siue fidem patientiamque nostram, salutis nostræ, gloriæque suæ gratia probare velit. Id quod nec gratiæ, ad quam nos vocat, nec Ecclesiæ dignitati, nec ei,

Anno 1591.

Papis dissiderent, eosque adeo armis peterent? Nempe ex sacris scripturis & piorum Doctorum libris persuasum bene penitus atque confirmatum habebant, Dei Ecclesiam nec ex Papa, nec ex vllo alio mortali pendere. Nam si in Papa esset illius caput & fundamentum, male equidem ipsi consultum fuisset, & adhuc esset, si quis miserum hominum etiam perfectissimorum statum considerauerit. Præsertim quum tot Papæ à multis extiterint seculis, variis infandisque sceleribus (vt ab ipsorum historicis describuntur) cooperti & corrupti, nullis etiam bonorum pastorum notis insignes, quippe maxima ex parte Simoniaci, & viis atque artibus, quæ cum legitimæ vocationis regulis (quales in propriis ipsorum canonibus scriptæ reperiuntur) è diametro pugnant, ad Papatum ingressi: alii manifesto hæretici, & à fide aberrantes, atque alieni, quos ideo Academiæ nostræ causa diligenter disceptata graui infamia mulctatos damnarunt. In iis vero, quas prope continuas aduersus Germanos Imperatores habuerunt, contentionibus, necnon in suis ipsorum, quas inter se quum de sedis primatu dimicarent, exercuerunt controuersiis & dissensionibus; quænam recta illorum conscientia, quis pacis & concordiæ amor, quæ etiam integritas & synceritas extitit? Patres nostri qui horum omnium testes erant, omnemque Paparum vitam penitus cognitam habebant, nō potuissent vnquam in animum hoc suum inducere ac plane credere, Ecclesiam ex eorum auctoritate pendere: ac, si in Ecclesia esse velimus, Papis necessario adhærescendum esse. Quid ergo Christiani illi erant, profitētes se Prophetarum & Apostolorum doctrinam credere, Christum vt seruatorem suum agnoscere, Deum colere, & in ea, quæ fuisset in sanctis Patriarchis, Prophetis & Apostolis, & in omnibus Dei electis, qui in vniuerso mundo vocati fuissent & essent, fide manere. Ex his certo sibi persuadebant, etiamsi Papa destituti essent, se tamen in catholica Ecclesia esse: ac dum Christum haberent (in cuius tutela & ductu longe tutiori, quam in illo Paparum conquiescerent) Ecclesię sponsum verumq; præfectum & caput, ac pastorem Pontificemq; summum, se habere. Nec firmiora & arctiora concordiæ, qua Ecclesiæ catholicæ coniuncti essent, vincula requirebant, quam eiusdem corporis in Christo membra esse, eodem cum fidelibus omnibus spiritu regi, eandem fidem, eundem etiam Baptismum habere. Patres nostri à Papis distracti, atq; adeo ad bellum iis inferendum coacti, hisce consolationibus & persuasionibus aduersus eos, qui diuortium à se cum Ecclesia factum sibi exprobrarent, animos suos confirmabant: atque totius veteris Ecclesiæ, quæ Papis subiecta nūquam fuerat, statum, vti eas etiam Ecclesias, quæ de primatu cum Papis contenderant, sibi proponebant, quas tamen catholicæ Ecclesiæ membra esse negare non poterant, etiamsi in eo graues Papis aduersariæ essent, vt & Africanæ Ecclesiæ D. Augustini tempore fuerunt. Paparum fautoribus, à quibus probrose excommunicati appellabantur, obiiciebant summos in Israelitica Ecclesia Pontifices nec semel nec iam primum à recta via deflexisse, & tyrannicum dominatum occupasse, dum excommunicabant, atque anathemata, execrabilesque eos pronuntiabant, qui secum non facerent. Atenim illi, quos diris ita deuouebant, Apostoli erant, veriq; fideles & Christiani, qui vera Ecclesia catholica erant, non autem ambitiosi isti Christi hostes, qui primum sibi in Ecclesia locum tribuebant, in qua tamē nihil loci omnino haberent. Confidebant, quandiu ex vero Ecclesiæ capite, & nostræ omnium salutis auctore penderent, non posse vnquam à Deo & Ecclesia, quantumuis & Papæ & inferi omni ope retinerentur, diuelli: omnesq; Paparum omnium imprecationes gloriæ sibi & saluti fore. Ex his igitur apparet patres bona fide à Papis se abstraxisse, regis edictis, supremæ curiæ decretis & conciliis, & eo quidem vsque, vt bellis etiam eos inuadere nihil dubitarent.

Regum Galliæ vere & constās voluntas in Remp. contra Paparum turbationes.

Ego vero imprimis optaui, vt in maiorum nostrorum historiis hæc & alia huiusmodi attente considerarentur, vt ea in his, quæ Papæ per suas Bullas nobis facessunt, negotiis in vsum nostrum referremus. Papa Sfondratus quod his contrà obiiciat, non habet. Ille enim ipse in sua ad Nobilitatem & populum vniuersum *Monitoria Bulla* eximiam regum maiorumque nostrorum pietatem ac religionem laudat, quod piis in Deum Deique Ecclesiam officiis Christianissimorum nomen adepti fuerint: additque eos, quo propius auorum suorum exempla sequentur, eo propius ad veram quoque nobilitatem accessuros. Quid autem illi præstiterint, suo nos exemplo docent. Primi ex Merouingiorum prosapia reges ad Pepinum vsque (quantum ex historiis colligere licet) non magnam admodum Paparum notitiam vnquam habuerunt. Per ea enim tempora non magni adhuc nominis erant. Carlinis Papæ subiecti erant, eorum gratiam & subsidium emendicantes, in suisque electionibus & grauioribus etiam aliis rebus ab illorum nutu & auctoritate pendentes: vt ex Chronicis & aliis eorum temporum monumentis facile probari potest. Non quod maxima iam tunc ambitione & summo cresendi desiderio non flagrarent. Sed non audebant ita aperte, vt postea, regibus nostris molestiam exhibere. Vnas tantummodo occasiones cupide captabant: vt ii facere solent, qui clam & occulte aliquid moliuntur. Si qua in regum familiis discordia esset ob vxorem quandam repudiatam, quæ magnæ auctoritatis Principes cognatione contingeret, eo, tanquam ad rem patrocinio dignam, & ex qua præmii aliquid se relaturos sperarent, auide se conferebant, sua & obsequia & excommunicationum fulmina oblaturi. Si ad has controuersias disceptandas ac componendas adhiberentur arbitri, ea re ad potestatem suam constituendam abutebantur, hinc scilicet ius in dirimendis Principum omnium litibus captantes: Vt Nicolaus primus in Lotharii regis causa. Sed iræ imprimis & contentiones, quæ inter Principes erant, luculentæ illis & valde speciosæ caussæ videbantur, quas etiam cupidissime arripiebant, vt inde compendii aliquid facerent, &

ina-

in aqua, vt dicitur, turbida piscarentur: ad eos se adiungentes, per quos potentiam suam amplificarent. Omnibus tamen suis artibus & machinis efficere non potuerunt, vt iuris aliquid in hoc regno consequerentur. Magna extitit filiorum Ludouici Pii aduersus suum ipsorum patrem coniuratio. Ecce Papæ in mediam hanc tempestatem illico se coniiciunt, nec ad patris, cuius causa iustior erat, sed ad filiorum partem, eamque deteriorem se applicant, ex qua nimirum maiorem quæstum se consecuturos putabant. Nam Ludouico patri semper subiecti fuerant, nec quidquam vberius & quæstuosius ex eo obtineri posse sperabant. Sed suum studium & operam ad liberos deferendo, sibi certo pollicebantur, si superiores essent, amplam se remunerationem adepturos. Gregorius igitur Quartus in Galliam venit, Ludouicum ab Ecclesia abdicaturus, vt quidem plerorumque omnium opinio hæc erat: sed continuo comperit Regem ea re nihil moueri, ac regni Episcopis certum deliberatumque esse, sibi resistere: Itaque à consilio suo destitit, simulauitque se eo animo venisse, vt pacem inter patrem & liberos conciliaret. Qui res eo tempore gestas memoriæ prodiderunt, aiunt Episcopos summa voluntatum & sententiarum consensione decreuisse, *se Papæ quanquam excommunicationes suas minanti non obtemperaturos, voluntatique illius nulla in re cessuros, eumque adeo, si excommunicaturus veniret, excommunicatum rediturum.* Ea ipsa sunt eorum verba: propterea quod perspectum penitus ac persuasum haberent, Papæ non maiorem quam sibi ipsis potestatem esse. Hoc vero & in eius temporis *Annalibus*, & in eo qui *Aimonii Monachi historiam* persequitur, & in peruetusto quodam, quod Diui Dionysii dicitur, *Chronico* scriptum extat. Atque illud primum habetur Paparum aduersus Reges nostros tentatum præludium. Deinde ex contentionibus inter Ludouici Pii successores exortis, commodis suis consulere conati sunt, sed nihilo plus quam antea promouerunt. Post primos autem Carlinorum familiæ Principes, vt maior Papis ab aliis nationibus honos tribuebatur, sic Reges nostri plusculum aliquid, aliorum potius exemplo, quam vllius iuris ratione, iis tribuerunt. At vt sibi dominarentur, vt regno imperarent, vt de se, suoque statu pro animi libidine statuerent, pati certe nunquam potuerunt: immo vero protinus omni ratione, & marte etiam aperto, infestisque armis sese illis interdum obiecerunt. *Anno 1591.*

TERTIA PARS.

Quæ est rerum à maioribus nostris aduersus Papas gestarum, ad eas, quæ hoc tempore occurrunt, accommodatio, vt quid nobis hic agendum sit, intelligatur.

PRÆCLARE admodum ab oratore olim dictum est, cum *historia sit fidelis temporum testis, lux veritatis, vita memoriæ, nuntia vetustatis, eam quoque nobis eadem opera magistram vitæ esse.* *Cicero.* Cum enim quædam incidunt, quæ aliquando ante acciderunt, tunc veterum monumenta exquirimus, ex quibus quid viri doctrina virtuteque præditi in iis egerint, & quid iis inde euenerit, plane cognoscamus: illudque nobis magistri fidelisque consiliarii vice est, à quo docemur, qua fide animique præsentia, sublata omni dubitatione, nos in iis gerere debeamus. Ad ea igitur, historias, quæ supra commemoratæ sunt, & quid in illis obseruatum sit, referemus & accommodabimus. Francorum historiæ, in iis quæ ad prima huius Monarchiæ tempora pertinent, mancæ quodãmodo & imperfectæ sunt: quod prisci illi Galli bene rem gerere mallent, quam multa scribere: At de postremis temporibus, in quæ Paparum contentiones inciderunt, pleniores eæ sunt, certiores, & pluribus testibus instructæ. Nec dubitandum est, quin hoc Dei prouidentia ita contigerit, qui multo ante prouideret, quam difficile nobis fuisset in tam graui & ancipiti contentione certi quidquam statuere, nisi narratum nobis probatumque scriptorum diligentia fuisset, quid patres nostri à Papis indigne prouocati, & sacris interdicti præstiterint: propterea quod de religione hic etiam agatur, quæ scrupulum & dubitationem animis nostris iniicit, vnde optima sæpe consilia impediri solent. Verum Maiores nostri eius rei viam, quam ducebant esse rectissimam, tam multis ac præclaris exemplis tritam passim reliquerunt, vt si modo velimus, errare minime possimus. Ea vero non semel, sed sæpenumero acciderunt. Consilia non vnius, aut paucorũ hominum sunt. Solennia sunt Senatusconsulta, & grauissima ordinum conciliorumque decreta. Quod ad eorum exitus effectaque attinet, si paulo attentius consideremus, quales fuerint Paparum & factiosorum, quos suis artibus & opibus ad suam caussam suscipiendam allexerant, conatus & machinæ: quam luctuosæ tragœdiæ in Germanorum imperio ab iis excitatæ, quæ item aliorum ruinæ & mutationes: fatendum certe ac prædicandum nobis est, saluberrima fuisse eiusmodi maiorum nostrorum consilia, sine quibus nullum iam regnum teneremus, nulla libertate frueremur. Ea igitur exempla magni apud nos esse debent, quippe quæ sint eiusmodi, vt nos fallere non possint. Ita vt, si quæratur quid nobis hodie faciendum videatur, quum Papa excommunicationis fulmen nobis intentat, si regi parere sit animus, non magna hic deliberatione & consultatione sit opus, in eo etiam quod de conscientiis agitur, extat iam hæc, constatque plane sententia. Regni propria super hac re sunt nobis axiomata: Rex inde intelligit, quam virtutem, quamque animi firmitatem & constantiam adhibere debeat: Senatus præscriptam in iis legem habet, quam sequatur: Clerus illic cernit, quid veteres regni huius Episcopi & concilia de eo statuerint ac responderint: Denique nobi-

Anno 1591.

litas, militares viri, ac reliqui omnes docentur, qua fide & alacritate suo hic Principi obsequi debeant.

Quoniam vero nullus est exemplorum vsus, nisi res, ad quas probandas & illustrandas adhibentur, persimiles fuerint: vt nullus sit obiectionibus relictus locus, docere mihi propositum est, nos in eadem omnino causa versari, in qua olim patres nostri versabantur. Si quid in ea re discriminis inesse videtur, id sane quidem aut in Papæ proposito & consilio, aut in ipsius, & eorum, qui hunc tantum motum mutationemque moliuntur, aut in regis ipsius persona insit necesse est. In Papæ autem scopo nullum omnino discrimen existit. Papa quidem Sfondratus in suis *Monitoriis Bullis*, speciosis prætextibus nempe verbis sanctimoniæ plenis, Dei nomine, Ecclesiæ cura, non caret: sed ea verba præpostero inuersoque sensu accipienda sunt, & eadem omnino significatione, qua cætera, quæ vsurpare, nobisque identidem obtrudere solet, quum se seruorum seruum nominat, dum in thronum longe omnium excelsissimum ascendit, se omnium summum profitetur & gerit, ac regibus, Principibus, Imperatoribus, imperiisque omnibus præfica dominarique conatur, quum de sua submissione, & sua in nos beneuolentia loquitur, dum tota mente in hanc curam incumbit, vt nos in miseram seruitutem redigat, pedibusque suis conculcet & proterat: quum & is ipse & reliqui se Bonifacios, Clementes, Innocentios, Gregorios appellitant: præclara quidem ea nomina, quorum splendore, simplicium & rudium hominum oculos præstinguant, dum pessime de nobis merentur, dum luporum noctu grassantium more Respublicas diripiunt, mortiferisque vulneribus cruentant: dum nos in imum inferorum barathrum coniiciunt, & tanquam furiæ quædam dies noctesque peruigilant, quieti nec tantillum indulgentes quo noua malorum genera excogitent, ciuiles motus concitent, vniuersum (vt verbo rem complectar) orbem incensione, internecione, vastitate & interitu perdant. Sed veniendum ad rem est, videndumque quo potissimum isthæc lenitatis species & verborum blanditiæ spectent. Sfondratus ægritudinem animi summam præ se fert, quod in hoc regno tantopere ac tandiu affligemur, aitque se acerbissimo cordis cruciatu rumpi, quod ita perturbemur, & à nobis ipsis discerpamur. At si tot tantæque nostræ calamitates, quibus ita diuexamur, eius mentem vel modice tangerent, pacis ineundæ viam nobis aperiret, & ad eam ingrediendam hortaretur: aut, si ad rem tam salutarem necessariamque mentem atque animum adhibere negligeret, saltem pateretur, vt de his controuersiis componendis, & nobis in pristinam concordiam reducendis cogitaremus. Illum fugere non potest, non nunc demum Ecclesiam dissensionibus religionis ergo concitatis exagitari. Ab ipsis Apostolorum temporibus, sæpeque postea id mali Ecclesiam inuasit. Nec is ignorat harum controuersiarum dirimendarum rationem, arma apud veteres non fuisse, quæ iam tanto furore & pertinacia intentantur, sed concilia & placida colloquia. Si tranquillitati, vtilitatique nostræ consultum vellet, ille quidem se in nostri pacificationem interponeret, à diuturniore grauioreque contentione nos reuocaret, has ad regni incendium accensas faces restingueret, & ad arma deponenda hortaretur: Regem etiam Hispaniæ & alios Principes finitimos deprecaretur, vt per eos nobis aliquando quiescere liceret. Deinde regi nostro & aliis Christianis eodem animo & studio Principibus præsto esset, suam opem & operam pollicens ad salutare piumque concilium conuocandum, in quo omnes de religione controuersiæ quiete dirimerentur, & Christiana Ecclesia à tot perturbationibus cladibusq; liberaretur. Si id efficeret, nosque ad omnem animorũ acerbitatem exuendã, ad omnes iniurias ex animo delendas, ad nos mutuo reconciliandos exhortaretur: equidem illum nostris malis misericordia commoueri, nosque amore prosequi crederemus: ac tunc verum illum & Apostolicum spiritum, qui in Diuo Petro, in Diuo Paulo piisque aliis Dei seruis, Ecclesiæque patribus elucebat, in eo agnosceremus, & laudaremus. At nihil aliud quam bellorum continuationem proponit: etiamsi potuerit, quot quantisque miseriis ab annis triginta oppressi fuerimus, intelligere, & longa experientia cognoscere, bella inter nos ciuilia non esse accommodata ad nos in eandem religionem concordiamq; reuocandos, remedia: sed & potius addere oleum, quod aiunt, incendio, ac totius regni perniciem & exilium accelerare. Idem coniurationem rebellionemq; auctoritate sua comprobat. Bullæ illius huc tantum spectant, vt à rege nostro deficiamus, si nondum defecimus; hoc, inquam, suadent, vt bellum aduersus principem, cui non desunt idonea ad sui defensionem subsidia, perpetuemus, & ad mutuam internecionem ac lanienam immortali exitialique bello ruamus. Illius igitur omnia de sua misericordia, tristitiaque verba, Crocodyli sunt lacrymæ, mera simulatio est. Qualis cæterorum Paparum scopus fuit, dum summi iuris in temporalibus & spiritualibus nomine, hoc sibi olim sumebant, vt hoc regnum cui pro arbitratu suo imperare liceret, sibi subiicerent. Talis omnino Sixti postremi scopus fuit: talis etiam huiusce Sfondrati nostri mens & cogitatio, qui suas ad nos bullas hoc consilio mittit, vt obsequium à nobis extorqueat: sperans tantilla membrana plumbeis orbiculis armata, totum terrarum orbẽ permiscere posse. In verbis quidem totaq; oratione plusculum artificii, plusculum etiam moderationis inest, quam in Bonifacij & aliorum eiusmodi literis, quod sciat se in ea se deuenisse tempora, quum Papa non eo loco & numero habetur, quo antea. At imperandi vbique cum summo iure eadem certe omnino voluntas. Nomina hæc Bullis illius præfixa, *Seruus seruorum, sancta sedes*, & eiusmodi alia, tituli sunt per honorifici, qui ad alios summam auctoritatem deferebant. Et quidem Sfondratus non ita potest ingenium suum dissimulare,

quin

Fraus fictorum verborum Papalium.

Anno 1591.

quin velit hoc de se nobis penitus persuasum esse has suas omnes cogitationes noctes diesque (sic enim loquitur) eo duntaxat pertinere, vt alium nobis regem substituat. Ea est sollicitudo, quæ cor illius exedit & vrit : ille animi labor est & vexatio, quæ illum respirare non sinit : nempe obtinere à nobis vult, quod decessores à maioribus nostris nunquam obtinere potuerant, summam in hoc regno potestatem, per quam totius regni status ab eo vno pendeat. Nam si hanc, quam molitur, rerum mutationem inuehere potest, & regem ex animi sui sententia constituere, quid iam maius ad summam in totum hoc regnum potestatem desiderare poterit? Atque hæc ambitio non minus in hoc, quam in maioribus ipsius instructa est affectibus, iracundia & odio in hoc regnum concepto. Non minus etiam quam cæteri in animo habet, regiam familiam funditus extinguere, & ad mutuam carnificinam nos concitare: Vt impedimentis omnibus, quæ illi obstant, quo minus regnum ad alium transferat, sese hac ratione explicare, atque viam Hispanis (quo spectat illius animus) aperire, nosque omnes durissimo miserrimæ seruitutis iugo subiicere possit. Hæc cunctis obuia cognituque facillima sunt. Vis semel dicam? In Papæ Sfondrati & decessorum ipsius, infestorum regni Gallici hostium proposito nullum certe discrimen apparet, nisi hoc vere vnum, quod furor maior iam exardescere videatur, quam antea. Coniuratio enim aduersus regni statum eadem semper conflata est, cum qua finitimi hostes sua arma, populus religionis specie delusus & excæcatus, rebellionem; Papa vero suas de more fulminationes coniungunt. Pactio de hac regni alienatione iam dudum inter Papas & Hispanos facta est. Papa præmium hoc ab Hispano pactus est, vt Ecclesiæ vniuersæ primatum in hoc etiam regno pecuniis & armis Hispaniæ tranquille obtineat: Rex vero catholicus hoc vicissim à Papa est stipulatus, vt Papæ excommunicationibus instructus, & in Gallia & in reliquis Christianæ professionis finibus summũ Monarchæ imperium & authoritatẽ consequatur. Italia, vt eo facilius perueniretur, nobis adempta est. Illius principatus, Romanæ Ecclesiæ beneficiarii, ad Hispani ditionem & imperium translati sunt: suffragia in purpuratorum Cardinalium conclaui imminuta, nobis Hispanis vero aucta sunt: Concilii Tridentini actu præcipua sedes nobis erepta fuit, & Hispanis attributa: Ideoque seditionum faces in nobis, sub zeli & religionis nomine accendunt, vt nos viris, viribus, opibus, & mutua beneuolẽtia exuti, illis ipsis, qui infestis animis, funestisq; armis nos inuadunt, dedamur.

Pactio inter Papam & Hispanum.

Quod ad Papæ Sfondrati (vt & Sixti decessoris, qui defunctum Regem suo quoque fulmine aggressus est) personam attinet, non plus equidem pietatis, non plus veri zeli & integritatis in eo, quam in aliis reperiemus. *Romanum se Papam* vocat: nomen illud est, quo veteres Episcopi cognominabantur. Hoc nimirum innuit, si saperet & optimi Episcopi Romani (quales primi illius Ecclesiæ Episcopi fuerunt) munere fungeretur, nihil curare & agere aliud debere, quam gregem suum Euangelii prædicatione pascere. Constat, qualis fuerit à multis sæculis vrbis Romæ status: Quam amplam piis & eruditis viri, vt Petrarchæ & aliis, ipsi etiam Diuo Bernardo de illa scribendi materiam suggesserit, tanquam de fœcunda omnium flagitiorũ, turpitudinum, & abominationum matre, de Babylone quadam, atque adeo de Sodoma & Gomorrha ipsa, & si quidquam aliud in vniuerso mundo vnquam fuit sceleratius & detestabilius. Sed ea hodie longe deprauatior & corruptior euasit. Si Sfondratus bonus esset pastor, qualis haberi vult & dici, atque aliquo duceretur muneris sui obeundi studio, satis domi haberet quod ageret, in expurgandis & emẽdandis Cleri sui sordibus, & omnibus vrbis suæ partibus. Sed his minime mouetur: longe altiora & magnificentiora meditatur & suscipit. Quis tamen credet illum zelo satis ardenti flagrare, satisque magna sapientia præditum esse, vt vniuersum terrarum orbem satis digne moderari possit, & bonum etiam pastorem, vt sese nobis venditat, inter nos agere, cum nullam suæ familiæ curam habeat, & vicinorum saluti nullo modo prospiciat & consulat? At Euangelii prædicatione gregem pascere, humilius quiddam est & vilius, quam vt Papam eo se demittere deceat. Hoc etiam restrictius est ac seruilius, si aliis ad placidiorem & modestiorem viuendi rationem exemplo esse cogeretur. Arrogantia, quæ ab istis terrarum & imperiorum omnium dominis ad alios perpetua serie transit, longe sublimiora petit. Episcopatus iamdudum iis sordet. Successionis, paupertatis & ignobilitatis Apostolicæ eos iã pridem tædet ac pudet. Principatum spirant, Dominatum noctes diesque cogitant. Quod si Apenninus, superumque & inferum mare, istam superbiam capere & coercere possent, ferenda ea vtcunque videretur. At ea est isthæc ambitio & auaritia, quæ totum terrarum orbem peruadere, quæ omnia effodere, congerere & vertere, sibique vendicare possit. Tota illa dignitas, mera est magnificentia, merus luxus, meræ voluptates & deliciæ. Quin eo furoris & fastus ventum est, vt si vilissimus quidam Caprarius (cuiusmodi olim Sixtus fuit) hoc summum totius orbis imperium assequutus fuerit, amplitudo & sanctitas illius postulet, non esse prius ex hac sibi vita emigrãdum, quam filios ac propinquos suos Duces, Comitesque, de illo Diui Petri scilicet patrimonio effecerit: & si fieri potest, bellum aliquod conflauerit, cui gerendo eos præficiat. Quod nunc Sfondratus agit, dum copias sub consanguinei sui ductu & auspiciis in nos immittit. Vt autem sumptus ad eam rem necessarii suppetant, illi sunt *subuertenda, euellenda, dissipanda omnia.* (His enim verbis Sixtus in sua aduersus defunctum regem Bulla vtebatur, Ieremiæ loco abutens,) hoc est, mundi regna & imperia euertenda illi sunt, vt noua alia excitentur. Sed diutius hanc Camarinam mouere non est animus. In ser-

Papa Romanus.

Anno 1591.

moue de illorũ in Principes nostros studiis & actionibus instituto maneamus, & ex insignioribus quibusdam illorum actis videamus, an hi postremi Papæ saniores sint (quod ad ipsorum personas attinet) & sanctiori spiritu regantur, quam alii quibus successere.

Sixti Papæ Bulla contra Henricum III.

Sixtus ille (cuius modo memini) ex recentioribus illis primus fulminibus & excommunicationibus Principes nostros est aggressus. Audiamus vero qua moderatione & modestia. Audita statim Guisii Ducis & eius fratris morte, Papa iste videns cruentæ huius contra Henricum Tertium conflatæ coniurationis (cuius caput & auctor erat) spem infractam & desperatam esse, pro ardenti suo in catholicam Ecclesiam zelo, incredibili quadam iracundia vel potius furore correptus, nulla hic legitima actione, vt nec in superioribus regis nostri, qui hodie rerum potitur, ac defuncti cognati illius Condæi Principis excommunicationibus mature obseruata, fulmina sua statim arripit: præ desperatione perstrepit, fremit, spumat ex ore scelus, crudelitatem anhelat, diras concrepat, insano murmure complet omnia, horribilibus minis ex arce sua tonat: & vindictæ æstu quodam absorptus, furias ex ipsis inferis excitare statuit, per quas populum Gallicum aduersus regem & moderatorem suum conciter, eum & hæreticum & hæreticorum fautorem, & Ecclesiæ hostem pronuntians: Eum ipsum inquam, quem paulo ante ob singularem suam pietatem, laudibus in cœlum ferebat, quem filii nomine ornabat, quem etiam Christianissimum regem appellabat. Præclarum vero Papæ illius iudicium, recta conscientia, & paternus, quo se Galliam nostram prosequi dictitabat, animus: denique candor & integritas, quam tum ipse, tum alii in suis emittendis excommunicationibus adhibuerunt, quid enim causæ apparebat, quamobrem defunctum regem vt hæreticum, & hæreticorum patronum criminaretur: quænam occasio subesse videbatur, cur Principem ab Ecclesiæ communione abstraheret, qui à subditis suis debitas ac meritas pœnas gladio sibi à Deo tradito persequutus erat, & se quidem ab imminenti ac dudum meditata cæde, populum vere à misera seruitute vindicauerat? Deinde cum nostri coniurati per emissarios suos Romam effusis habenis contendẽtes, Pontifici & expetitam & machinatam, tamque diu tantoque opere regis à Monacho quodam perfide interfecti cædem renuntiassent: quo ore, quaue fronte, effrænatam illam ex facinore ita inaudito & horrendo, & ob quod stupore omnia perculsa, lachrymis omnes perfusi erant, contractam lætitiam dissimulauit? Tota Roma omni voluptatum & triumphorum genere exultante vel bacchante potius, Sixtus Cardinales & alios clientes suos in consistorium conuocat, concionem Papalem apud eos habiturus. Id actum 11. Septemb. 1589. Eius argumentum fuit, proditorem illum & perfidum Monachum sui regis parricidam, in Diuorum numerum referendum, illiusque zelum magnificis laudibus ad astra vsque extollendum esse. Quoniam vero non ignorabat in comparationibus plurimum inesse momenti ad præclarum aliquod facinus exaggerandum, si cum laudabilissimo alio quodam conferatur: cum nullum satis gloriosum facinus in iis omnibus, quæ de heroicis illustrium virorum actis referuntur, illi occurreret, quod cum illo conferri merito posset: ex Deo ipso comparationem illam repetit (tantam scilicet Dei operam, & eorum maxime quæ in nostra redemptione cernuntur, rationẽ illius sanctitas habuit) ac Principis Christiani parricidium, monachi ipsius subditi perfidia patratum cum mundi creationis opere (horresco referens) atque adeo Incarnationis Christi, & aliis salutis nostræ mysteriis cõparare nõ veretur. In secũda põtificię illius cõcionis parte, demortui regis, quem nefariis suis consiliis crudeliter trucidandum curauerat, infandis modis lacerat. Tandem omni contumeliarum genere bacchatus (pro ea quam Papæ quod malum est, bonum iudicandi, & ita quidem, vt nulli refellere id impune liceat: itemque ad inferos etiam ipsos quoscunque & quomodocunque libuerit, detrudendi sibi sumunt, potestate ac licentia) è suo suggesto declarat, regem apud inferos damnatum esse, peccatum aduersus Spiritum Sanctum admisisse, nec preces pro illo esse fundendas. Quin & sancit, vt omnibus iustorum funebrium honoribus, quibus Principes ornari solẽt, priuetur. Quæ quidem egit omnia, tanta & animi acerbitate, & orationis acrimonia, vt, si mortui cadauer Romę fuisset, proculdubio de illo aut in fœtidam cloacam, aut in sterquilinium quoddam proiiciendo sententiam fuerit laturus. Illius deinde sanctitas de Dei prouidentia & iustitia sermocinatur, tanquam si diuino spiritu Monachus iste afflatus impias manus Domini vncto iniecisset, diuina etiam virtute ideo confirmatus, tam immane parricidium confidentius patrare ausus fuisset. Vt paucis dicam, illius concionis hic vnus scopus fuit, vt perfidum illum sicarium & sui etiam regis (à quo fuerat summa humanitate receptus & intromissus) homicidam magnifice prædicaret, & cum diuis adeo ipsis æquaret. En Euangelium, quod Sixtus Papa Romæ annuntiabat. Quis nostrum arbitraturus id posteritati credibile fore? At Papa eam orationem intra conclauis septum contineri non passus, in vulgus edendam curauit: vsque adeo eam probabat, & ad prodenda nationibus omnibus, & toti etiam posteritati manifesta suæ eloquentiæ, doctrinæ & summi in catholicam Ecclesiam zeli testimonia satis virium habere iudicabat. In hac vero tanta, qua tunc fruebatur, alacritate & lætitia, ecce alius de Henrico Quarto felicissime recepto, deque admirabili Principum, primariorum coronæ ministrorum, Nobilitatis, fideliumque Gallorum consensu ad restituendam illi regiam auctoritatem, & regis mortui cædem vindicandam, nuntius interuenit. Audito vero Henrici Quarti nomine totus cohorruit Sixtus, simul & magis ac magis furere bacchari que cœpit, quum videret, eum, quem suarum excommunicationum vi omnino exauguraſſe putabat, in thronum regium euectum esse. Commini-

Anno 1591.

miniſcitur, ſecum animo voluntat, conſilium cum ſuis captat, decernitque tandem vniuerſum potius Acheronta mouere, quam patiatur regni Gallici adminiſtrationem in eius manu eſſe, cuius nomen egregiaque facinora & virtutes terrorem ſibi horroremque ſingulis horarum momentis incuterent. Dum ea dubitatione æſtuaret animus, ſeque in omnem partem ſubinde verſaret, Ieſuitarum & Eccleſiaſticarum Pariſienſium decreta ad eum afferuntur furoris & ſanguinis plena. Sixtus occaſionem arripit, ſperatque ſatis inde & argumenti & præſidii nactum ſe eſſe, ad regem vel chartulæ fruſto opprimendum, dummodo chirographum ſuum illi apponeret. Sed in ea iam tempora ventum eſt, quum Papæ non tam facile quam olim tenebras nobis offundunt, nec in ſuam qualemcunque ſententiam trahunt. Earum propoſitionum hæc erat ſententia, *iure diuino* (hoc eſt eorum, qui ſe Deos in terris profitentur, iure) *Gallos non poſſe Henricum 4. pro rege ſuo agnoſcere, ſed debere infeſtis armis vſque perſequi: eum, qui de pace cum illo facienda vel cum animo ſuo cogitabit, pro hæretico habendum: contra quem ſacro hoc bello pro Romana Eccleſia, pro regni libertate, pro harum propoſitionum auctoritate tuenda ſuum ſanguinem, vitamque offunderent, beatiſſimos Martyres, vno quidem martyrii genere, perpetuo fore.* Id factum eſt 14. Martij menſis die, Anno 1590. eo ipſo die, quo Deus in Santandræa planitie ad fluuium, qui hodie Eurus dicitur, longe alia manu conſignabat futuri coniuratorum excidij decretum, per victoriam, quam Regi non bullis, id eſt, verbis & nugis, ſed re vera dedit. Atq; hæc conſiliorum & actionum Sixti contra Reges noſtros & hoc regnum ſpecimina quædam feruntur.

Sfondrati Bulla in Henricum IV.

Sfondratus illi in Papatum ſucceſſit (Deus enim per feralem & atratum lictorem, prouinciæ adminiſtratæ rationem ab illo mox repetiit.) Hic ſummus pontifex inauguratus deceſſoris ſui ſpiritu imbutus illico, indutuſque fuit. Atque vt pactionem cum Hiſpano rege (cuius conſiliis & corruptelis pontificatum erat adeptus) factam præſtaret, & Galliæ occupationem faciliorem illi efficeret, maiora etiam & grauiora quam Sixtus in animo ſuo molitur. Sixtus enim bullis nos terrere & decretis contentus, de ærario augendo magis laborabat: Hic vero vt olim Iulius 2. clauibus S. Petri & ſpiritualibus armis, quæ in Sixti manibus parum omnino potuerant, non admodum confidens, vtendum ſibi gladio putauit. valde ſtomachatus, quod per ingraueſcentis ſenectutis incommoda thorace quoq; armari, & in equum inſilire, Iulii in modum, non poſſet. Sixtus breui tempore ingētibus gazis arcas ſuas collocupletauerat; hic ſacrilegas manus illis afferre audet, tantum nummorum erepturus, quantum ad comparandum exercitum ſatis eſſet. Deus tunc ex alto intonuit, & fulmine Capitolium percuſſit: Vnde populus Romanus id, vt infauſtum & ominoſum incœpti pontificii augurium, accepit, obmurmurans illiuſq; conſilia deteſtatus, quod pecunia, quæ aduerſus infideles Turcas deſtinata erat, contra Chriſtianos impenderetur, & contra illud regnum præcipue, quod præcipuum ſemper fuiſſet, Chriſtiani imperij propugnaculum & ſalus. His igitur auſpiciis Sfondratus pontificatum init. Ego autem iſtorum pontificum, qui & harum perturbationum autores fuerunt, & perniciale hoc bellum nobis conflarunt, facta aliquot de induſtria proponere volui, vt docerem inter eorum, qui olim & regum & regni hoſtes fuerunt, & horum, qui hodie dominantur, furores nihil omnino intereſſe: Ac proinde, vt in belli, quo nos vexant, cauſſa nihil diſſimile eſt: ita quoque, quod ad eorum perſonas attinet, nihil omnino niſi forte à maiori ad minus fiat collatio, diſſimile eſſe. Nam vere fatendum nobis eſt ſuperiores illos Papas, quantumuis effrænata aduerſus Patres noſtros audacia & væſania inſignes, ab horum tamen odiis, furoribus & violentia longiſſime abfuiſſe.

Henricus IV Galliæ & Nauarra Rex.

Iam hoc reſtat, vt expendamus, An in Regis perſona diſſimile aliquid videatur. Nihil autem omnino diſſimile eſſe, ex his quæ dicam, probaturum me ſpero. Et quidem quin Rex verus ſit & legitimus regni ſucceſſor, coniuratorum adhuc nemo in diſceptationem quæſtionemq; vocare auſus eſt, nec Hiſpanus, nec Sabaudus, nec Guyſius, nec Lotharingus, nec Papa: etſi horum ſinguli, pro ſua quiſque parte in regni ſocietatem venire contendant. Quin ille etiam regno ſit digniſſimus, & præclaris omnibus virtutibus ad ampliſſimum regnum gubernandum neceſſariis inſtructiſſimus, coniuratorum certe illiq; infeſtiſſimorum hoſtium (etſi ambitiones & impudentia eos omnes qui antea fuerunt ſuperantium) nullus id negare vnquam auſit. Etenim pacis belliq; artes, quibus inter cæteros maxime princeps ille floret, tam magnæ tamque illuſtres ſunt, vt nullus exiſtat, qui de eo aliter aut ſentire aut loqui poſſit. Quamobrem, eum tot animi corporiſq; dotibus clarum omnes (eos duntaxat vnos, qui cum inſignibus barbarum pectus, armaque Hiſpaniæ hoſtilia induentes, Gallicum ſimul animum exuerunt, ſemper excipio) veri, inquam, Galli omnes eum, Dei beneficio amplectuntur, amant, prædicant & colunt, vt nullum ex ipſius maioribus vnquam magis. Quin & ingenue agnoſcunt ac profitentur, tali nobis Dei ipſius benignitate peropus fuiſſe, qui ſua prudentia animiq; magnitudine Gallicum regnum ex hoc, quo demerſum eſt, naufragio, eripiat, & in optatum portum, in priſtinam videlicet dignitatem ac ſplendorem reſtituat. In quo igitur à priſcis regibus differt? Coniurati eum eſſe hæreticum, relapſum, excommunicatum criminantur. Mihi autem non eſt iam propoſitum longam & accuratam defenſionem inſtituere, vt doceam id quod obiicitur falſiſſimum: & quanquā verū eſſet, eū tamen quando talē nobis Deus dederit, pro Rege habendū, illiq; obtēperādū eſſe. Hæc plurib. & accuratius in multis libellis in eam rem præcipue editis diſputata extāt; quos lectorib. perlegere & diligenter examinare operæ eſſe pretium puto, vt huius quæſtionis cognitionē explicatā illuſtrēq;

Anno 1591.

habeant. Paucis tantummodo dicam, quantum satis esse videbitur ad intelligendum statuendumque nihil prorsus in hac tota controuersia scrupuli esse, quod obstare debeat, quominus maiorum aduersus Papas exempla in hac & animorum contentione & armorum dimicatione consulamus, atque ad imitandum etiam nobis proponamus.

Rex an propter hæresin abdicandus.

Papæ regem hæreseos crimine damnarunt & à sacris abdicarunt. Ea vero damnatio nullius momenti esse debet: hic enim mos pro Paparum tyrannide & furore inualuerat, vt Reges nostri quandocunque iis ita liberet, hæretici, schismatici, & Ecclesiæ hostes, vt antea patuit, pronunciarentur, etsi longe aliter se res haberet. Ita Sixtus Henricum Tertium in crimen hæreseos recens vocauit, etsi falsum id esse omnibus constaret. Papæ ergo, qui mentiri consueuerunt, & qui furore atque amentia cæci in summos quosque & optimos Principes iniurias temere & inconsiderate, vt bruta quædam fulmina, iaciunt, non sunt audiendi. Papæ etiam ipsi Regis nostri infensi aduersarii infestique hostes, ea de re sententiam, quæ sit alicuius quidem ponderis, ferre iure non possunt, nisi omnem & legum & iudiciorum ordinem peruertere velimus. His accedit Regis ad concilium prouocatio, quæ iudicio cuilibet moram afferre debet: & nulli, quanquam loco, genere ac dignitate longe inferiori, in re præcipue tanta, denegari potest. Ac nostri maiores, qui toties ea vsi sunt, quoties à Papis hæretici & excommunicati declarabantur, id tanquam verum atque efficax aduersus omnem Paparum authoritatem remedium senserunt ac statuerunt. Addamus & hos reges Principesque nostros Paparum censuris ex ipsorum etiam (quum ad saniorem mentem redierunt) consensu & canonib. minime obnoxios esse. Verum, vt liberius dicam quod sentio, illud proculdubio constabit, etiamsi Rex, qualem obiiciunt, talis reuera esset (quod Dei beneficio falsum est, idque postea probaturum me spero) iustam tamen Papæ causam non fuisse, cur nequid obsequii illi præstaremus ediceret, atque eorum, qui coniuratione facta eum bello persequuntur, rebellionem comprobaret. Neq; enim Papæ est ea de re quidquam statuere: Dei vnius est, qui ei rei iam prouidit, eamque tam claris certisque in Ecclesia testimoniis comprobauit, vt qui contra disserere volet, mala mente cum veritate ipsa pugnare sit iudicandus. Dei est, inquam, reges & Principes in toto mundo constituere, & quidem tales, quales ipse voluerit. Quum vero eos constituit, Deique vocatio certa est, non iam contra disputare, illique repugnare licet. Id enim si liceret, nulla vnquam inter homines certa, firmaque vocatio constaret: huic nimirum contra regem de hac re certamen esset, illi de alia: & qui omni virtutum genere cumulatus multis placeret, pluribus idem displiceret. Vnde in regnis & imperiis nihil vnquam stabile, fixum, ratumque permaneret; sed alia atque alia subinde nasceretur mutatio & confusio. Regum autem vocatio certa est, nec dubitare possumus, quin Deus eos nobis dederit, quum ordine & via vnicuique imperio maiorum exemplis vsitata ac trita illos habemus: ibi electione, alibi sorte, hic successione pro varia variorum imperiorum constitutione. De vocationibus ordinariis loquimur. In Gallis nostris Dei vocatio in successione cernitur: quem ordinem patres nostri probarunt, suisque & regni totius rationibus opportunissimum esse senserunt: atque reges suos à Deo ipso hac sibi ratione & via dari ita agnouerunt, vt potius, quam ei repugnarent, pueros pro regibus suis acciperent: aliquando etiam eos, quod mirere magis, qui nondum nati erant, expectantes dum matres puerum enixæ fuissent: Siqui vero ex iis mente non admodum valerent, id æquo animo tulerunt, ita vt nihil illis de consueta dignitate & auctoritate detraherent. Cum igitur notum manifestumque omnibus sit, Henrico Quarto regnum successionis ordine obtigisse (nemo enim in dubium id reuocat) haud dubitandum nobis est, quin Deus illum nobis præfecerit, præceperitque, vt omnes illi obsequium

Rom. 13.

præstemus, alioqui illius voluntati repugnaturi. *Omnis anima potestatibus supereminentibus* (Apostolus ait) *subiecta esto. Non est enim potestas nisi à Deo, &, quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ. Itaq; quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit. qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent.* En Dei decretum, contra quod contendere est nefas. Optandum quidem, vt Principes omnes pii probique

August. de ciuit. Dei lib. 5. c. 21. & 11.

essent, sed optio in vno Deo est, qui non semper bene moratos reges nobis constituit, seu populi plectendi consilio, seu quacunque alia causa ductus, pro variis iudiciorum suorum causis, quæ plerunque nobis obscuræ & ignotæ esse solent.

Infideles vero, atque in vera religione peregrinos & hospites, atque adeo illius hostes paganos aut alios eiusmodi, dubium non est, quin Deus etiam ipse constituat, velitque vt omnes

Rom 13. Tit. 3. 1 Pet. 2. 2. Pet. 2. Iuda 1. 1. Tim. 2.

iis subiiciantur. Ad Dei enim mandata exempla etiam, quibus id probatur, multa accedunt. Non citabo hic omnia Apostolorum testimonia, quæ in nouo testamento cuique obuia sunt. Summa illuc pertinet, vt sciamus in iis à Deo præcipi, regem & eos, qui publico alicui muneri ab eo præficiuntur, Principes & gubernatores honorandos esse: Vt breuiter dicam, omni humanæ politiæ parendum, Principum nostrorum prosperitatem optandam, votaque pro iis facienda. Illud autem de Imperatoribus & Magistratibus, qui tunc inter homines agebant, dictum erat. Nam Christus etiam ipse, vt omnem dubitationem tolleret, Cæsarem nominat, qui tum Imperator e-

Matth. 22.

rat, dum ait, *Reddite Deo, quod Dei est, & Cæsari, quod Cæsaris.* Atque coram Pilato, qui Imperatoris nomine Iudææ procurator erat, id de illo agnoscit. Illi autem omnes Pagani erant Ecclesiæ hostes, & fortasse omnium, qui vnquam fuerunt, sceleratissimi Principes. Sub lege, Assyrii totius orbis Monarchiam adepti, armis Iudæos subegerunt. Deus populum suum per Prophetas docuit id ita ex decreto suo fieri, seque velle, vt Nabuchodonosoris & filiorum ipsius imperio subiiceretur,

tur, ac pro eorum, quanquam flagitiosorum, & Ecclesiæ persequutorum salute deprecaretur. Non quod obtemperandum iis esset, si quid contra honorem & cultum, quem Deo imprimis debemus, imperarent. In eo enim genere, honor qui Deo debetur, primum locum tenere debet, vt monent Apostoli his verbis: *Præstat obedire Deo, quam hominibus*: Sancti Prophetæ, Apostoli & martyres illud etiam ad hunc modum obseruarunt. Vt vero ciues contra Principes se commoueant, seditiones concitent, imperia perturbent, obedientiæ & officij erga eos sui munera abiiciant, & relinquant, Deo certe nunquam placuit. Quod ad exempla attinet, id semper ita vsurpatum fuit. Populus Israeliticus in Ægypti regum ditione potestateque fuit (quanquam illic tantum commoraretur vt hospes & peregrinus, non vt ciuis & incola habitaret) & seruitutis quamuis durissima, iugum ceruicibus suis impositum patienter tulit, nec de eo excutiendo cogitauit, donec Deus liberatorem sibi extra ordinem suscitasset: neque id tamen aggredi voluit, nisi cum bona regis ipsius venia. Postea captiui ad Assyrios abducti sunt, eisq; paruerunt. Christi vero tempore, & trecentis circiter ab eo annis, fuere imperatores perpetua serie pagani, & in prouinciis Magistratus, crudelissimi Christianæ religionis hostes, qui multos vel potius innumerabiles Christianos omni suppliciorum genere excarnificatos trucidarunt. Mos tamen illis perpetuo gestus fuit, nec vlli vnquam Christiani obsequium illis recusarunt, etiamsi potuerint: sed potius eos coluerunt, de illis honorifice loquuti sunt, tributa contulerunt, sub illis stipendia in bello meruerunt, in iudicio se stiterunt, pro illorum salute & prosperitate preces fuderunt, aliaq; omnia (vt in Ecclesiæ [a] historiis, eorúdemque [b] Apologiis & testificationibus perspici potest) obedientiæ munera iis præstiterunt.

Anno 1591.

Act. 4. & 5.

a Euseb. lib. 4 c. 15 & 7. c. 11

b Iustin. Apolog. 2. Tertull. in Apologet.

Quod vero de obedientia & submissione paganis debita dictum est, ad principes etiam hæreticos referri debet, si Deus tales dederit. Non minus enim paganus à salute alienus est, quam hæreticus, cum sit Idololatra, atq; in omnibus fidei partibus & capitibus corruptus: hæreticus vero in paucis aliquando. Vtut se res habeat; diuini mandati ratio vtrobiq; eadem est: Vterq; enim à Deo est constitutus; quum ordine & vocatione in imperiis vsitata & solenni, in rerum administrationem venit. Atq; exempla ab omni antiquitate, eam semper fuisse hac de re Ecclesiæ mentem, satis ostendunt. Sub lege sæpenumero principes quidam à fide veraq; doctrina deflexerunt, in eiusque locum, idololatriam falsumque & impium cultum substituerunt: neque solum, sed crudelissimi etiam Ecclesiæ vexatores fuerunt, vt Saulus, Achabus, Manasses & alii, quibus tamen propria & stabilis fuit regia sua auctoritas. In Ecclesia similiter Christiana fuere imperatores hæretici, * Ariani, qui hæreticis pro virili fauerent, crudelissime vero Domini Ecclesias, & pios atque orthodoxos Episcopos vexarent: nemo tamen Christianorum se contra eos commouit. Quinetiam eorum quidam Paganus fuit simul & hæreticus, & si quid deterius dici aut etiam fingi potest, cognominatus *Apostata*: quo Ecclesia nullum infestiorem hostem vnquam habuit. Iulianus ille fuit: Imperator tamen habitus est, illiusque mandatis obtemperatum. Harum rerum exempla, eaque permulta, sibi omnia constant, nec quisquam in doctrina fidei probe institutus contra vnquam sensit, faciendumue censuit. Prophetarum quidem temporibus Iudæi seditiones concitarunt, & ab Assyriis Chaldæisque defecerunt: sed ob id & à Prophetis reprehensi, & à Deo ipso grauissime multati sunt. Per Apostolorum tempora peruersi quidam turbulentique homines extitere, qui male de Magistratibus loquerentur. At D. Petrus & D. Iuda in eos scripserunt: ex eorumque verbis satis colligi potest, seditiosos illos fuisse nequissimos quosdam nebulones, qui libertate Christiana abuterentur. Post Christi mortem Iudæi idem quoque aduersus Romanos tentarunt, dictitantes se esse Dei populum, ideoq; infidelibus Imperatoribus obnoxios esse non debere: Sed iustas grauesque Deo suæ rebellionis pœnas dederunt. Anabaptistæ idem omnino ætate nostra fecere, sed satis superq; perspicuum est, eos fanaticos homines & à mente alienatos fuisse. Deniq; quotquot senserunt, principes pietatis religionisq; veræ expertes non esse colendos, illi omnes furiosi fuere, mentis impotes, iustoque Dei iudicio furoris sui pœnas luerunt. Papa tamen illud dogma suis illis bullis sacrisque admonitionibus, nostris animis inserere omnino tentat, Regem infidelem esse, & regno suo per nos demouendum. Nempe hoc illud est Euangelium, quod vbique terrarum per ministros suos Iesuitas, turbarum ciuilium faces, prædicandum curat: Illa etiam sunt Theologorum Parisiensium, qui cum nostris coniuratis faciunt, decreta.

* Vt Constantius, Valens, Theodoricus, &c.

Rationes & fundamenta, quibus ad has faciendas turbas vtuntur, ea ipsa sunt, quæ seditiosi quidam Iudæi, Anabaptistæ aliique principatuum & imperiorum hostes, imperiti volgi auribus inculcabant. Proponunt rem esse indignam, Ecclesiam, quam Deus tanti facit, & populum, quem Christus suo ipsius sanguine redemptum in libertatem vindicauit, sceleratis principibus ita subiici atque auctoritatem & potentiam in eorum manibus esse, qui ad diuexandam Ecclesiam ea impie & crudeliter abutantur. At respondemus, satis quidem hinc causæ esse, cur tanto pressi onere, vehementer ingemiscamus. Verum respiciendus nobis Deus est, qui de eo ita statuit, quique satis magnas id faciendi caussas semper habet, siue pœnas sceleribus nostris debitas à nobis repetere, siue fidem patientiamque nostram, salutis nostræ, gloriæque suæ gratia probare velit. Id quod nec gratiæ, ad quam nos vocat, nec Ecclesiæ dignitati, nec ei,

quam

Anno 1591. quam Christus nobis comparauit, libertati quidquam obstat: quoniam ea omnia spiritualia sunt. Addunt quinam inde sequuturi sint casus & pericula, ac proponunt Ecclesiam grauissimis ob id incommodis ac calamitatibus mulctatum iri, præcipue si principes hæretici fuerint. At respondetur à Deo hæc non fieri, quin casibus & incommodis illis, quæ metuuntur, prouidere, eaque ab Ecclesiâ sua propellere facile possit. Summum quidem in eo periculum est, ne hæresis sub hæretico, vt Paganismus sub Pagano, ad plures serpat, & indies latius manet.

1. Cor 11. At Diuus Paulus nos docet hæc non ita euenire sine Dei consilio, *oportereque inter nos hæreses etiam esse* (hæc sunt illius verba) *vt, qui probati sunt, manifesti fiant.* Deus varia in Ecclesiam probationum genera immittit, non ad perdendos suos electos, sed ad eorum potius salutem promouendam, suamque ipsius gloriam propagandam. Inter eas autem probationes, hæc præcipua est, vt Euangelii veritas aliquando ab hæresi & mendacio inuadatur: sed ex euentu, qui consequitur, Deus eos qui vere sui sint, diiudicat & patefacit; ipsiusque veritas quotidie magis elucet, enitescitque magis, vt experientia probat. Papa Sfondratus Theologiæ valde peritus vult videri, eiusque rei probandæ gratia quendam secundæ ad Corinthios Epistolæ locum profert,

2. Cor. 6. *nullum consortium iustitiæ cum iniustitia, nullam communionem luci cum tenebris, nullam concordiam Christo cum Belial, nullamque partem fideli cum infideli esse:* vnde concludit eiiciendos esse Principes, deque rerum administratione deturbandos, qui non eandem cum Papis religionem profiteantur. Si Papa maiorem sacræ scripturæ cognitionem, intelligentiamque in cæteris locis non est assequutus, meram sane ignorantiam, vel insignem potius malitiam apertissime indicat. Nam vt Apostoli mens & scopus attente consideretur, locus ille nihil prorsus ipsius sententiam iuuat. Apostolus enim sæpius alibi verba fecerat de obedientia & obsequio, quod Principi debetur, docueratque impietatem quæ in iis apparet (qualis in eius seculi Principibus re vera inerat) nulli impedimento esse debere, quo minus illis pareatur. In hoc tamen loco vetat, ne impari iugo cum infidelibus copulemur. Nec vero à seipso dissentit Apostolus. Nam quum præcipit vt Principũ nostrorum partes sequamur, iisque cedamus, id ad res humanas, quæ in illius imperio sunt, referendum est. Hic vero quum prohibet, nequid commercii cum impiis habeamus, id de rebus diuinis, & quæ ad fidei Christianæ professionem spectant, est intelligendum. Corinthii, qui non satis animo percipiebant, quantum mali adferret sacrificiorum, quæ idolis à paganis fierent, & aliarum rerum quæ ea comitarentur, participem & conscium esse: ad idololatras, in eorum viuendi ratione, inconsideratius sese adiungebant, vt Diuus Paulus pluribus prima sua ad eosdem scripta Epistola, ea de re disserit. Illud vero erat Iustitiam cum iustitia, lucem cum tenebris, Christum cum Belial miscere velle: quod fieri minime debuit. Deus enim maiori puritate & synceritate colendus est, atque ab iis omnibus quæ Euangelicæ fidei, & illi, quem verbo suo præscribit, cultui aduersantur, nobis discedendum. Hæc est Apostoli in eo loco sententia: vt clarius de ea nobis constabit, si quæ in vtraque Epistola scribit, diligenter conferemus. At in iis quæ ad res humanas seu temporales attinent, non idem est nec sentiendum, nec agendum. Nam si in illis nulla omnino esset nobis cum impiis & sceleratis, quibus mundus est refertus, habenda ratio & consuetudo, è mundo ipso nobis esset exeundum, vt idem Apostolus ad Cor. scribens docet:

1. Cor. 5. *Scripsi*, inquit, *vobis in Epistola, ne commisceamini cum scortatoribus. At nõ omnino cũ scortatorib. mundi huius, aut cum auaris, aut cum rapacibus, aut idololatris: alioqui debetis scilicet è mũdo exire.* Hic idololatræ & infideles ipsi aperte nominãtur. Innuit autem Apostolus ex hoc cum rebus ad hanc vitam pertinentibus commercio, (veluti quum Principes pagani & infideles nobis regendis præficiuntur) conscientiam nostram pollui non posse, dummodo in nullam cum falsis illorum religionibus societatem veniamus. Christi & Apostolorum ea fuit mens. Christus enim ipse Cæsari obediebat, tributumq; pendebat: sed in iis quæ ad Dei cultum resque diuinas attinebant, eum non audiebat. Vnde hanc præscribit regulam, *Reddenda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ Dei:* docens, hæc duo minime secum pugnare, nempe Christianum esse Deumque colere: atque, si Dei voluntate Principem vel Paganum nacti fuerimus, illius potestati & obsequio nos totos submittere, vt hac ratione Dei etiam mandatis pareamus. Apostoli in iis, quæ ad res spirituales, Euangliique professionem spectant, asserunt, Deo quidem potius quam hominibus obtemperandum esse: sed in aliis, quæ ad vitam humanam referuntur, iis non inuiti obsequebantur. Atque ab omnibus veteris Ecclesiæ Christianis id semper ita intellectum obseruatumque fuit. Papa igitur ineptissimus est Theologus, aperteque ostendit se, dum suis monitoriis bullis ad eum, quem à Deo constitutum habemus, Regem repudiandum incitat, omni fundamento destitutum esse, cum vnicum duntaxat sacræ scripturæ locum ad suam confirmandam sententiam citet, & falso etiam citet. Debuit paulo attentius secum reputare calamitates & discrimina, in quæ, dum hanc nobis doctrinam subiicit, imperia mundi coniicit. Experientia satis quotidiana comprobatum est, quam facile populi ad rebellionem concitentur, & quicquid de Principibus in vulgus spargitur, nullo iudicio moraque adhibita, libentissime credant. Vbi semel quis dixerit Principem suum sceleratum esse, Paganum, hæreticum, qui tamen fortasse & catholicus erit & probus, satis magna & luculenta ea esse occasio putatur.

2. Reg 16. Annon enim de Dauide in Absalonis coniuratione dictum fuit eum improbum esse, execrandum Deo, & detestabilem, & qui dominatum in Dei populum obtineret, plane indignum? Mahometem & Mahometis sectæ vindices constat, il-

Anno 1591.

ſtat, illud ſacrum quoddam fidei axioma habuiſſe, vt eos Principes, qui non eſſent eiuſdem ſecum religionis, de ſua ditione deiiciendos eſſe crederent, nullo fere alio ad bellum gerendum fundamento & argumento freti. Niſi Papis cordi voluptatique eſſet, rerum omnium perturbationem & confuſionem in rebus humanis videre, non ita hæc populo prædicatum irent. Verum, vt ſummatim dicam, nulla hic obiectio quantumuis ſpecie probabilis, ſatis magna eſt ad affirmandum & perſuadendum, Principibus infidelibus obtemperandum non eſſe. Neque vſpiam probari etiam poteſt, Chriſtianos vllam eorum, quæ de recuſando illis obſequio dici contra poterant, rationem vnquam habuiſſe: id quod de veteribus Gallis maioribus noſtris, qui & Pharamundum, & alios reges primos paganos habuerunt, dici eodem modo poteſt. Chriſtianis, qui Principes infideles adepti erant, hoc vnum propoſitum erat, vt ſe in Dei veritatis confeſſione confirmarent, atq; ad cruciatus conſtanter perferendos, ad magiſtratuum ſuorum ſeueritatem ſumma animi æquitate ſuperandam, ad preces pro iis fundendas, & ad eorum animos omni obſequii & obedientiæ genere ſibi conciliandos, inter ſe hortarentur. Illis vero nunquam hoc in mentem venit, vt vel minimam rebellionis ſuſpicionem darent, vel iis, qui aduerſus ſuos Principes, quippe paganos vel hæreticos rebellionem molirentur, exemplo eſſent: nec id ab iis factum aut vere obiici aut certo probari poteſt.

Rex excommunicatus an ſit deponendus.

Cæterum Reges ac Principes excommunicatos nihilo eſt æquius de ſua ſede & ſtatu demouere. Si enim ſunt Principes legitime à Deo vocati, illud pro firmiſſimo, nec vlla ratione labefactando fundamento nobis eſſe debet, eos imperandi ius & auctoritatem habere: cum poteſtates ſint à Deo conſtitutæ, quibus, vt dictum eſt, reſiſti non debet, quæcunque tandem cauſa adferri in excuſationem poſſit. Equidem, ea quæ nobis cum Chriſto eiuſque Eccleſia eſt communio, liberorum ius nobis dat, veroſque & legitimos in bonorum vitæ præſentis (quatenus ad Deum pertinet) poſſeſſione, & vſu etiam ipſo hæredes facit. Verum nulli eſt hoc impedimento, quin aliud præterea generalius hominum & Imperiorum conſtitutionis reſpectu ius ſit, quod eorum etiam, qui huius communionis non ſunt, intereſt: in eo quod Deus ipſe huius mundi bona partitur, tantum omnibus ſeu libens ſeu alienis tribuens, quantum pro ſuo arbitratu ſtatuit, & cuique proprium eſſe decernit. Principatus & ditiones eodem modo ſe habent. Nec eo nomine, quod in ea communione ſimus, Deus iis nos ornat. Nam Deus ea ſæpe illis donat, qui in ea communione nec ſunt, nec erunt vnquam. Quod ſi ius illud in hoc genere, ab Eccleſiæ communione vt à ſua cauſa non proficiſcitur, ſequitur profecto hoc ius illi minime periturum, qui ab hac communione fuerit ſegregatus. Excommunicatio Eccleſiaſticæ diſciplinæ pars quædam eſt. Eccleſiaſtica autem diſciplina regiminis ſpiritualis eſt, quod res humanas & ad hanc vitam pertinentes nullo modo attingit: vt huius etiam diſciplinæ animaduerſiones & cenſuræ à ciuilium iudiciorum pœnis multum differunt. Nuſquam ſcriptum probatumq; extat priuatum quemquam, quod ab Eccleſiæ communione abdicatus eſſet, bonis ſuis exutum fuiſſe, ſi res probe in ea conſtitutæ fuerint. Sontis animam & conſcientiam ea pœna tantum afficit, quando tum ciuitatis, tum priuilegiorum & prærogatiuarum, quæ Dei filiorum propriæ ſunt, tum teſſerarum fœderis, optimarumque ſalutis promiſſionum iure abalienatum, quando etiam per excommunicationem ex Chriſti domicilio & corpore abſtractum ſe videt. Idque vt huius miſeriæ (in quam ſe ſua culpa incidiſſe reputat) cogitatio & horror eum vrgeat, & ad reſipiſcendum impellat. Ex his igitur videre eſt, ea pœna bonorum huius vitæ priuationem nullo modo contineri. Quod ſi priuati homines nec bonorum ſuorum poſſeſſionem & vſum, nec alia ſua iura excommunicationis vi amittunt: quæ tandem cauſa eſt & ratio, quamobrem maior in Principes ſeueritas adhiberi debeat? Adhæc excommunicatio ad tempus duntaxat vim ſuam retinet. Quam primum enim reus peccatum ſuum confitetur, eiuſque ſe pœnitere profitetur, Eccleſia ex Dei mandato eum noxa liberat, communionemque illi reſtituit. Si bona per eam ſeparationem auferrentur, per communionis reſtitutionem, bona illa, in quorum poſſeſſionem alter fortaſſe iam veniſſet, reſtitui quoque neceſſe eſſet. Neque enim Eccleſia omnia excommunicatorum bona tandiu ſibi vendicaret, quoad reſipuiſſent: quod fortaſſe in nonnullis nunquam fieret. Regi excommunicato ius regni abrogaretur: Itaque è veſtigio illud ad alium quempiam transferri neceſſe eſſet. Monarchia enim in hoc præcipue regno interregnum pati non poteſt. Rex igitur reſipiſcens, in integrum eſſet reſtituendus: quod quidem non ita facile fieret, ſi poteſtas ſumma penes alterum iam eſſet. Addamus familiarum & liberorum, quos etiam excommunicationis pœna tangeret, detrimentum, quanquam tamen culpæ patris nec ſocii nec conſcii eſſent: quod legitimo excommunicationis vſui plane repugnat. Magnæ interim in imperiis confuſiones exiſterent, ſi priuatis duntaxat id accideret: at ſi in principatuum & imperiorum iure hoc quoque locum haberet, ea certe in extremo diſcrimine verſarentur. Nunquam hoc fuit Dei conſilium, cenſuras animaduerſionesq; Eccleſiaſticas cum iudiciis humanis ita commiſcere, & feneſtram ad confuſiones perturbationesque rerum patefacere. Theodoſio Imperatori per Diuum Ambroſium ſacrorum vſu interdictum fuit: ac tantam in illum ſeueritatem vir ille pius adhibuit, vt aulicos illius clientes plurimum offenderet. Illum tamen pro ſuo Principe ſemper habuit: nec in vllius mentem hoc vnquam venit credere, vt per excommunicationem imperii ius abrogatum illi fuiſſet. Veteri Eccleſiæ nec cognitum nec vſurpatum vnquam fuit, vi excommunicationis imperii adminiſtrationem cuiquam eripi. Poſtremi Epiſcopi Romani hoc primo cogitarunt & auſi ſunt, vt inde ſe Principibus for-

bus for-

Anno 1591.

bus formidabiles redderent, eoq; sibi hoc terrore subiicerent, suæ summæ auctoritatis vbique stabiliendæ gratia. At Deus id nec voluit, nec verbo suo vnquam statuit. Itaque patres nostri Dei voluntatis non ignari, toto studio & conatu isti Paparum tyrannidi reluctati sunt, eamque opinionem in Bonifacio VIII. hæresin vocarunt. Cumq; ita ratio comparata sit vitæ naturæq; nostræ, vt omnes ad peccandum propensi simus, & ita grauiter aliquando peccandum, vt nisi Dei virtus presto sit, censoria excommunicationis nota reprimendi simus: ecquis Princeps, aut etiam vir priuatus, qui modo aliquid possideret, in tanto amittendorum bonorum metu, disciplinæ Ecclesiasticæ submittere se vellet? Quanta hæc remora, quantum etiam impedimentum esset, Principibus maxime, ne se ad Ecclesiam Christianam adiungerent, si ab ea semel ob delictum aliquod abdicati, à suo etiam imperio abdicarentur? Statuamus igitur hoc tandem & concludamus, Principes per excommunicationem suo principatu & ea, quam antea in suos habebant, potestate & auctoritate nec iure priuatos fuisse, nec esse priuandos.

Princeps relapsus an principatu priuandus.

Idem quoque de relapsis quos vocant est statuendum. Nam etsi pœnæ grauiores in eos constituantur, ea tamen non debent regiminis spiritualis fines excedere. Atque Ecclesia debet ad eos, si ad se redeant, absoluendos prompta semper & parata esse: ac proinde ad ipsorum vitam ac salutem pœnas referre, ob idque lenitate, quæ in correctionibus omnibus necessaria est, seueritatem temperare, vt qui in eandem culpam relabuntur, ad vitæ emendationem facilius attrahantur: qui misericordia eo digniores sunt, quo maior infirmitas in iterato eorum lapsu videtur. Dicere autem relapsos deploratæ esse salutis, relabi hoc esset in Nouati hæresim, quæ tanto omnium consensu à tota veteri Ecclesia damnata fuit. Priuati homines si forte in idem hæreseos crimen reciderint, aut alio quodam modo bis offenderint, nihilo magis sua bona amittunt, quam si semel tantum offendissent. Probandum esset aut locis ex sacra scriptura depromptis, aut idoneis aliquot exemplis, aliam quandam ob principes legem constitutam esse: quod nusquam, nisi in Paparum consistoriis, reperietur, vbi hasce perturbationes & confusiones ad Principes opprimendos nullo nec auctore nec exemplo conflant. Subditorum in suos principes officia eiusmodi omnino sunt, cuiusmodi liberorum erga parentes, seruorum erga dominos, & vxorum erga maritos officia esse solent. Deus enim hæc omnia vno legis mandato summatim complexus est, quo præcipit parentes honorandos esse. Nunquam vero visumue auditumue fuit, vt ob vnicam religionis caussam & eas quæ inde accidunt mutationes, vno ad fidem vocato, altero in infidelitate permanente, illo in Ecclesiæ communione hærente, hoc ab illa separato, vlla fiat conditionis mutatio, ita vt filius è patris potestate emancipetur, seruus ex domini imperio manumittatur, vxor mariti auctoritate soluatur. Nam contra liberis citra vllam omnino exceptionem præcipitur, vt parentibus obediant. Apostoli etiam censent, vt *fideles serui in fide & officio erga Dominos suos maneant*: fidæ vero coniuges maritis suis subditæ perpetuo sint. In principum autem imperio & potestate, qua cæteræ omnes comprehenduntur, mutatio minus etiam probanda est, quippe multo magis periculosa & lubrica. Porro ego, priusquam huic sermoni finem faciam, præclarum hoc maiorum nostrorum facinus hic addendum putaui, vt quid illi de hac Paparum doctrina senserint, plane intelligamus. Papa Vrbanus II. Philippum I. excommunicare in animo habuit, & postea Paschalis Ludouicum Crassum. Papæ his fundamentis nitebantur, quod illi reges flagitiosi essent, ideoque digni, quibus regnandi ius ac potestas adimeretur. Tota Gallia, cui hoc erat inuisum & inauditum, aduersus sedem Romanam vehementer irritata fuit, illicq; omnes, qui Papæ caussam tuebantur, durius accepti sunt. Id perspici potest ex Iuonis Carnutensis Episcopi *ad Papas literis*, quibus eos mouebat, vt consilium suum mutarent, ne grauius aliquid in se statui sentirent. Quum vero eius temporis Scriptores de Galliæ aduersus Papas accensæ caussis loquuntur, hæc commemorant: *ea Paparum verba, nouitatem esse aut hæresim, quæ antea nunquam in mundo extitisset, per quam scilicet populus doceretur, principibus sceleratis nihil prorsus obedientiæ & obsequii præstari debere: & quanquam fidelitatis sacramento illis obstrictus esset, omni tamen erga eos fidelitate solutum ac liberum esse: nec periuros eos esse habendos, qui à suo rege ad alium quemlibet descisceret. Immo vero, quicunque Regi pareret, pro excommunicato existimandum: contra, qui facinus aliquod aduersus regem patraret, omni iniustitia & perfidia crimine absoluendum.* Historia nominatim hæc refert, vt doceat, quantopere doctrinam eiusmodi, quam Papæ in totum orbem spargerent, & disseminarent, exhorruerint, & quodnam esset istarum excommunicationum, per quas principes omni dignitate & auctoritate spoliarentur, & ciues ad seditionem concitarentur, fundamentum. Verum tam multis grauibusque Iuonis admonitionibus Papæ nihilo sapientiores & meliores effecti sunt. Eandem enim omnino doctrinam Sfondratus Papa per suas Bullas nobis obtrudit, ad institutam hanc rebellionem confirmandam. Ea doctrina iam inde à Philippi primi ætate, noua, atque adeo à nostris maioribus hæresis esse dicebatur. Res vero grauior est, quam vt temere Bullis fides habeatur, in quibus nihil quidquã adfertur, quod aut vero vllo sacræ scripturæ testimonio nitatur, aut certo aliquo veteris totius in suis omnibus ætatibus & partibus Ecclesiæ vsu confirmetur. Sfondratus equidem nescio quas Paparum constitutiones nobis inculcat: at nos solidas & expressas Dei ipsius constitutiones & placita postulamus. De sanctæ etiam Sedis reuerentia verba facit. At est alia sedes, cui summam obseruantiam debemus, longe sanctior, apud quam omnes sistendi sumus, nempe Christi tribunal: ex quo consilia & decreta nobis sumenda sunt, vt ne à recta viuendi ratione aberremus. Idem agit de

1. Pet. 2.

Abbas Sigebertus.

pre-

præstanda Ecclesiæ obedientia: recte: id etiam ipsi desideramus. Sed vera Ecclesia docet, vni Deo, cui ipsa in rebus omnibus cedit, seque totam submittit, parendum esse. Edicit suis omnino mandatis parendum esse, cæteris omnibus, quibus studium, amorem honoremque & obseruantiam debeamus, postpositis. Et quis tandem Sfondratus iste est, cuius imperiis cæterorum omnium imperia postponi, cuius Bullis Dei etiam ipsius, qui aliter omnino præcipit, mandata subiici debeant? Atque hæc, quod pluribus alibi explicata & illustrata fuerint, paucis tantum hic attingere volui: quæ tamen, licet paucula; ad eas dubitationes; quas Papæ Paparumque clientes Iesuitæ, harum quibus iactamur tempestatum concitandarum ergo simplicium animis iniecerunt, penitus tollendas, satis magna mihi quidem videntur: quanquam Rex noster diuina gratia talis, qualis ab iis fingitur, non sit nec Paganus, nec Hæreticus, nec excommunicatus, nec Relapsus, si diligenter omnia, vt in re tanta decet, ponderentur.

Anno 1591.

Rex equidem Paparum doctrinæ fidem non habet, seque prorsus ab eorum consortio & cõmunione segregauit: Sed patres nostri docuerũt eos omnes, qui Papis non credunt, seque dum inordinate se gerunt, ab iis separant, non esse propterea hæreticos. Papam autem indecore se gerere nemo nescit. A tam multis iam sæculis pii clarique viri id conqueruntur ac deplorant; tota Christianorum gens eum accusat, & aliquando, si Deus dederit, re tota sapienter & accurate disceptata, illum ipsum damnabit: quantumuis id refugiat, & suis omnibus, quas vbique terrarum commouet, procellis, furiosisque consiliis impedire conetur. Sunt quædam religionis capita, in quibus Rex ab Ecclesia Romana dissentit: non propterea tamen comperietur hæreticus; si dispiciatur, in quibus & quomodo in iis se gerat, & quid profiteatur ac testificetur. *Hæreses*; (vt ex hæresibus, quæ veterem Ecclesiam exercuerunt, videri potest) *versantur aut in Trinitatis materia, aut in Christi mediatoris nostri persona, aut in illius officiis, salutisque rationibus, aut in Ecclesiæ definitione & natura, aut denique in iis; quæ ad scripturæ sanctæ veritatem & auctoritatem labefactandam spectant.* Regis fides super his capitibus omnibus examinetur, nihil causæ reperietur, quamobrem hæreticus sit habendus. Nec Paganus est, nec Iudæus, nec Mahometista: quin falsas illas impiasque Religiones omnes ex animo detestatur: illum duntaxat pro vero & vnico Deo habet, quem Patriarchæ, Sancti Prophetæ, totaq; Israelitica Ecclesia ob omni æuo cognouit, veneratá est & coluit: Illum, qui Mosi legem dedit; & per Prophetas cum patribus loquutus est: quique postremis temporibus sese in Christo Domino nostro manifestius nobis patefecit. De sancta Trinitate credit, quicquid ab vniuersis conciliis de ea definitum decisumque atque summatim *Athanasii symbolo* comprehensum fuit; Vt id etiam, quod de Christo Mediatore est traditum, quem esse credit & agnoscit verum & in æternum prædicandum Deum, simul & verum hominem è virgine Maria natum. Persuasumque habet, eum, quemadmodum à Deo constitutum ab omni æuo fuerat, ita etiam redemptionem nostram omni ex parte expleuisse, solumque nobis & salutis & æternæ vitæ caussam auctoremque esse: ac nos ipsius, vt in Euangelio docetur, per fidem participes fieri. Ecclesiam Catholicam, & extra eam nullam esse salutem, credit, precibus votisque omnibus in ea ad extremum vsque vitæ spiritum manere exoptans. Sancta etiam sacramenta, prout à Christo fuere instituta, credit. Postremo sanctam scripturam, certam Dei veritatem esse, eaque omnem doctrinam nobis necessariam contineri credit: atque, quod tum ad salutem consequendam credendum, tum ad obseruantiam, quæ Deo placeat, exhibendam præstandum sit, non aliunde petendum esse. Atque eorum, quæ & Rex, & eiusdem cum eo religionis homines tenent, vt ex eorum scriptis abunde constat, hæc summa est. Rex itaque his fretus & confisus, impias omnes Arrianorum & Manichæorum, itemque aliorum omnium hæreses, quæ cum à sacris Ecclesiæ doctoribus refutatæ, tum sanctorum Conciliorum decretis vna voce & consensu damnatæ fuerunt, ex animo etiam damnat. Controuersiæ, quas cum Romana Ecclesia habet, eiusmodi sunt, vt si quid errat, in hoc maxime erret; quod concedere patique non possit, vt, vel hominibus vel rebus vllis creatis, præterquam Deo, cultus religiosus tribuatur: vt Christus non solus ad Deum nobis sit via & aditus, sed quispiam alius illi adiungatur, & in nostræ salutis causis quidquam aliud habendum sit, quam vnicum Christi mortis & passionis, atque eius, quam Deo patri præstitit, obedientiæ meritum: vtque alius quisquam gratus Deo cultus censeatur, quam qui ab eo in sacris scripturis fuit præscriptus & constitutus. In his omnibus si quis sit error, in eo duntaxat est, quod omnia Deo vni, nihil autem hominibus tribuat. Eiusmodi autem error, si tamen error habendus est, non potest esse hæresis. Atq; hæc de controuersiarum materia dicta sint.

Regem non esse Hæreticum

Quomodo autem in his rebus se gerat, omnibus compertum est. Neque enim aut pertinax est, aut aliqua vel arrogantia, vel malitia, vel prauo perturbandæ Ecclesiæ affectu ducitur: Papa in suis Bullis ait, eum per matrem iam inde ab infantia hæresi imbutum fuisse: at, vel hinc eum talem non esse mala mente, & insolenti ac voluntaria euertendæ Ecclesiæ alacritate, manifesto colligitur. Ac Diuus ipse Augustinus eos, qui sic à parentibus educati & instituti fuerint, magis excusandos esse tradit. Papa eorum meminit, quæ nefastis illis Diui Bartholomæi diebus illi acciderunt, illiusque abiurationem omni colorum & exornationum genere exaggerat, multa simulans, & veris falsa consulto admiscens. At dies illi ita nobiles sunt & insignes, vt vnica violentiæ recordatio pro iusta defensione illi esse possit. Nihil ea de re amplius dicam. Dira illa fuit

Regis excusatio Bartholomæana.

Anno 1591. & inaudita Tragœdia, quam Deus pro sua bonitate huic regno diutius non imputabit. Equidem rex multa tunc admisit: religione sua eiurata, Romanam se amplecti professus est, Missæ interfuit, Romam misit, vera hæc omnia sunt. Sed vi adactus hæc faciebat omnia, cum probi ac fideles serui in eius sinu atque amplexu trucidati fuissent, ipse quoque in summo capitis discrimine quotidie versaretur, & in arctissimam iam captiuitatem detrusum se & compactum videret. Illius adolescentia, perpetuæ aduersus ea quæ per vim ageret testificationes, mandata, quæ ad populum suum Bearnensem clandestina denunciatione perferenda curabat, viæ & rationes ex istis se laqueis extricandi toties captatæ ac tentatæ, & quæ primum enadendi oblata fuit, arrepta confestim occasio, vim illi factam fuisse, & quæcunqoe tunc temporis, faceret, ea vi coactum & præter voluntatem fecisse satis comprobarunt. Metus ille fuit in prima & teneriori ætate incussus, & eo imminente periculo, quo nullum aliud maius excogitari possit. Diui Petri abiuratio non est illi iam vlli probro & dedecori. Nam formido, qua fuit correptus, eam extorsit, & illum ad peccatũ etiam longe grauius, audita vnius ancillulæ voce adegit. Verum id factum illico acerbe deplorauit & lamentatus est. Ergo peccatũ p metũ admissum, culpæ excusationẽ in alio meretur, non probrum & damnationem, vt Papa de Principe nostro pronuntiat. Infirmitas hæc est, animique imbecillitas, quam Deus pro sua immensa misericordia tolerat. Quin apud homines, siquid grauioris pœnæ aut infamiæ metu factum fuerit, id ex legibus nominatim ad eam rem latis, pro infecto habetur, nullique pœnæ obnoxium esse censetur.

Papa Regem præceptis ad religionem necessariis abunde instructum fuisse proponit. At vt probe aliquem instruas, gladius illi non intentatur: sed ter quaterque cum lenitate summa de officio admonetur, vt Apostoli nos docent, nulla vi illius conscientiæ facta. Rex igitur de Papa, à quo hæreticus, & relapsus declaratus fuit, identidem quæret, quid officii tum ipse, tum ipsius decessores hic præstiterint: quando testimoniis è sacra scriptura peritis hæreseos conuictus damnatusque fuerit: quando tutus suis ministris accessus patuerit, ad familiariter coram se cum Sorbonicis doctoribus disputandum: vnde sibi de suo errore aperte constaret. Quod enim Papa obiicit, regis ministros illic adfuisse, ita quidem se res habet. Misellus quidam & vere miserandus minister, nomine Hugo Suræus, alias Roserius Parisinam carnificinam fugiens, ab hostibus captus, Lutetiamque retractus præ metu religionem abiurauit, & sese ad eorum nutum arbitriumq; & dicturum & facturum omnia promisit. Is ad regem perductus, Doctoribus Sorbonicis assensus est. At postea culpam suam, libris in eam rem æditis palam agnouit, atque à Rege, ad quem peruertendum & in errorem inducendum adhibitus fuisset, veniam petiit. Fuit hæc igitur partis vtriusque collusio, non verum ac pium colloquium ad docendum accommodatum. Rex igitur nihilo sapientior ab illis factus, in iis quæ à pueritia didicerat & crediderat, constanter permansit, quippe præclare se ac pie parentum cura institutum fuisse, ac purioris religionis fundamenta optime iecisse persuasus. Neque vlla mala mente prauaque conscientia in eo perseuerat, quasi aut nouitatis studio, aut quadam contradicendi libidine ductus. Molestiæ & ærumnæ, quas tandiu pertulit: negotia & impedimenta, quæ illi adhuc à coniuratis tanta pertinacia inferuntur: hostium praua consilia & assiduæ interpellationes, amicorumque importunitates, id satis confirmant: à quibus omnibus posset semel omnino se vendicare, religioni suæ renuntiando, nisi Dei offendẽdi, amittendæq; salutis metus eum perpetuo moneret, ne inuita & repugnante conscientia quidquam faciat: sed potius meliorem, siqua vsquam extat, & quam à nemine hactenus accepit, institutionem exspectet. Præterea in hisce de religione controuersiis nõ solus requirit vt errorum, qui eam occuparunt, ac deformarunt, reformationi prouideatur: Bona pars Christiani orbis idem ipsum cum illo postulat, & aduersus Papam, qui rei tam necessariæ obstat, vno ore proclamat. Nemo fere iam existit, qui non multa in Ecclesia peccari fateatur, idque vehementer conqueratur & deploret: qui non horribilem & prodigiosam in Clero confusionem corruptionemq; videat, & qui institutionem ac disciplinam illa, quæ ad Sacerdotum quæstum & auaritiam omnino accõmodata fuit, frequentiorem & fideliorem, perquam necessariam esse nõ censeat. A multis iam sæculis, permulti præstantissimi doctrina & pietate viri in hoc etiam regno, vt Diuus Bernardus & alii complures, libros in lucem editos querelis & expostulationibus ob istas labes & confusiones refertos nobis reliquerunt. Hæc omnia Regis causæ inseruiunt, qui nihil aliud vehementius desiderat, quam illud venire adesseq; tempus, quum tot tantaq; vulnera per legitimum piumq; concilium sanentur, ac sancta totius Ecclesiæ reconciliatio summaq; omnium concordia fiat: testificans ex animo ac profitens primum se iis, quæ illic summo omnium consensu & sacrarum scripturarum auctoritate decreta constitutaq; fuerint, libenter obtemperaturum. Nullaq; re omnino in his tam diuturnis & infestis, quibus vexatur, bellis æque offendi & angi, atque longa illa, quæ tum percipiendæ ex sacro illo concilio vtilitati, tum perficiendæ illi, qua se regni sui statum initio ea de re obstrinxit, promissioni affertur, tarditate & mora. Quum hæc omnia in rege considerabuntur, atque ex aduerso dispicietur, quis sit habẽdus hæreticus, vt quidem in sacris scripturis describitur, & à piis Ecclesiæ doctoribus definitur: Ex iis profecto nec constabit nec probabitur, regem hæreticum esse. Siquis error inesset, humanus ille error esset, quo qui tenẽtur, nec deplorati nec ab Ecclesia abdicati censendi sunt: Ideoq; apud eos ex D. Pauli doctrina *adhibendæ sunt cum omni animi lenitate admonitiones*, non autem ea, quæ hodie intentatur, violentia.

Nec vero rex noster ex iis, quæ Sixtus Papa illius aduersarius edidit, vllo modo habendus est,

excom-

iurisdictionem ad eum vsque ac minimum etiam huius regni incolam proferre posset, quod profecto non potest: si Iudicium in Seniorum, vt Deus præstituit, cœtu factum fuisset: si iusta eum damnandi causa extitisset: si actionum ex verbi diuini regulis, & canonibus etiam antiquis via & ratio in iudicando obseruata fuisset: si legitimæ excommunicationis fines propositi, rectaque & eius qui peccauit salutis, & volitatis Ecclesiæ studia adhibita fuissent: si Ecclesia recte congregata rem assensu suo comprobasset: Postremo, si Dei verbum in tota illa actione præcipuum locum obtinuisset, fuisserque pro regula: ex his quidem certe omnibus excommunicationem recte factam fuisse constaret. Sed horum omnium nihil quidquam vsurpatum obseruatumque fuit. Consilia aduersus Galliam nostram quotidie inita: inueteratum aduersus reges ac Principes nostros odium: indignatio, in quam erumpunt, quod amplitudinem suam in hoc regno cum summa potestate nondum stabilitam esse videant: coitiones & pactiones, quas cum externis hostibus habent ad prodendum ipsis tradendumque hoc regnum: vt vno verbo dicam, furor & nocendi, perdendique omnia libido, solæ fuerunt veræque aliis Papis causæ cur hæreseos sententiam & excommunicationem in superiores reges, & in ipsum etiam Henricum Regem Tertium defunctum, pronunciauerint, & ea quidem impudentia, ne impietate dicam, vt nihil supra. Hodieque adeo illis ipsis causis adducti, suas ad nos Bullas emittunt. Hoc vero plane nihil aliud est quam stomachosum ac peruersum & regiam gentem opprimendi, & regnum simul totum euertendi propositum. Religio autem, quam illi admiscent, prætextus tantummodo est, ac mera simulatio. *Anno 1591.*

Sfondratus contumeliose nobis de rege loquitur, quasi eum nos in hoc regno melius cognitum non habeamus, quam ille in suo Capitolio. Ait eum, qui datam fidem fregerit, perfidum esse, nec fidem illi vnquam habendam. Væ tibi impure Sfondrate, qui tibi iamiam impendente, qua totus exentereris, ruina crepans, tam dirum tuæ acerbitatis virus in tantum Principem eructes, & euomas: qui contra Dei mandatum populi Principi, atque adeo Galliæ regi maledicere audeas. Dicis eum fidem violasse. Idem & grassator aliquis diceret, si arrepto, exertoque pugione promissum aliquod à quouis alio extorsisset, quod ille postea, quippe aut contra Deum, aut contra Rempublicam, aut contra bonos mores factum, perficere nollet. Non repetam quod iam dixi, de vi, quæ Regi incussa fuit. Promissis ita extortis nemo vllo aut pacto aut iure obligari potest: vbi autẽ nulla est obligatio, fidei quoque violatio nulla est. Si Rex putauit se contra Deum facturum, id præstans quod metu coactus promiserat, nunquid promisso suo stetisset, Deum conuictus conscientia offensurus? Cuinam potius fide & promissi religione obligatus tenebatur, quam Deo? Longiori & accuratiori patrocinio non est hic opus. Regis fides & integritas satis spectata est & cognita: nec perfidus vllo modo dici potest, vt eum Papa nominat. Ex multis magnisq; illius virtutibus, quarum omnes testes sumus (& quas infestissimi etiam illius hostes fateri & prædicare coguntur) hæc maxime vna elucet, quod in suis dictis promissisq; omnibus seruandis, in iis sit numerandus, qui candore, firmitate, constantia, & integritate maxime excelluerunt. *Regem non violasse fidem.* *Exod.22.*

Sfondratus contumeliis & calumniis quam Apostolicis virtutibus fœcundior, addit Regem Ecclesiæ hostem esse: Rex autem nullam vnquam id suspicandi causam dedit. Armis aliquando sese propugnauit: sed legitima quidem propugnatione id fecit aduersus eos, qui iam tum regiam stirpem adoriebantur, attractis ad suam causam sub religionis nomine regibus etiam ipsis, qui insidiosas eorum artes, occultaque & impia consilia non satis tunc animaduertebant, vt ea postea, sed sero & magno suo damno animaduerterunt, compertaq; penitus & perspecta habuerunt. Verum Deus sua prouidentia hostium regis animos aperuit, & quonam zelus ille speciosique religionis prætextus spectarent, omnibus patefecit & illustrauit. Quare hoc bonorum omnium virorum iudicio certum & manifestum semper erit, regem suosque iniuste lacessitos iuste quidem se interdum propugnasse, Ecclesiam vero oppugnasse nunquam: hosque pro sui Principis salute, & pro sola Galliæ, proindeque Ecclesiæ conseruatione arma cœpisse. Nec in tanta animorum contentione, irarumque æstu testatum probatumque vsquam reperietur, Regem vllius hominis conscientiæ vim attulisse. Vt hodie etiam, ex quo regni clauum tenere & gubernaculum Reipublicæ tractare cœpit, tanta humanitate & lenitate cum clero vbique locorum egit, vt satis hinc probet se de molestia vlli omnino homini ob religionem exhibenda nullo modo cogitare. Accusatur, quod sacerdotiorum fructus iis, qui pro ipsius dignitate & salute arma ceperunt, largiri soleat. At hæc temporum culpa est, non illius: qui non voluntate sua, sed belli necessitate coactus hoc agat: atque magis in eos, qui arma contra se gerunt, quam in reliquos, idque maxima prudentia & æquitate. Prisci Reges, vt accepimus, certum hoc & exploratum habuerunt, licere sibi horum fructuum partem in sustentandis belli sumptibus impendere, si ea esset regni, rationumque illius necessitas, vt fieri aliter non posset. Publicæ vero rei necessitas tanta est hodie, vt maior certe antea nunquam fuerit, aut in posterum esse vnquam possit. Si eam ob rem Ecclesiæ hostis declarandus videtur: idem quoque de superioribus Regibus habendum ac docendum erit. Si qua tamen culpa hic est, ea profecto ipsius hostibus, qui illum eo necessitatis compulerint, assignanda est. Quid sit Ecclesia, nouit, & quantopere Deus eam Principibus commendauerit, non ignorat. Ex multis illius optatis hoc non est postremum, vt his bellis cõpositis summa temporum exoriatur tranquillitas, & animorum consensio, per quam concilium congregare tuto liceat, vbi aperte vereque patefacere omnibus possit, quo amore *Regem non esse Ecclesiæ hostem.*

Anno 1591.

Christianam Ecclesiam prosequatur, & quo studio atque animo illius dignitatem & commoda curare, atque adeo pro sua quidem facultate, augere velit.

Papa alio argumento in suis Bullis vtitur, quo probet Regem nostrum non esse legitimum regni successorem: itaque à regni administratione repellendum. Argumentum è cladibus & calamitatibus, quibus in hoc regno tandiu affligimur, sumptum est. Argumenti fundamentum hac præcipue, quæ his verbis ab eo consignata est, propositione nititur. *Vbi Deus colitur, aduersitas non habebit effectum,* & contra: *Vbi aduersitas locum & effectum habet, ibi Deus non colitur.* Dei autem cultui nullum inter nos locum esse, ita vult inde intelligi, quod Regem legitimum & Deo carum, probatumque non habeamus. Vsuuenit sane Sfondrato nostro, vt hac in re in eandem temeritatem inciderit, in quam alii complures, qui de calamitatibus & vexationibus, quas Deus immittit, longe aliter senserunt, quam deceret. At primum quum ait, Vbi res aduersæ vigent & vigent, ibi Deum non coli: Ea propositio, quæ ex publicæ calamitatis causarum ignoratione proficiscitur, falsa est: vt & altera huic contraria æque falsa est: Vbicunque Deus colitur, res aduersas nullum locum, nullam etiam vim habere. Id enim falsissimum esse peruetus ætatum omnium experientia conuincit, & Dei quoque ipsius ea de re decretum. Deus alibi non colitur, quam in Ecclesia: ipsa tamen Ecclesia duriores rerum aduersarum effectus ac frequentiores hic sensit: Ei suæ conditionique quamuis acerbæ Deus eam obiecit ac subiecit. Quemadmodum etiam optimi quique, & qui Deum puriori mente coluerunt, vt Prophetæ, Apostoli, & clarissimi alii Dei serui, grauioribus vsque casibus expositi fuerunt. Contra patet, aduersitates minora effecta habuisse (vt ita cum Sfondrato loquamur, in improbis, in quibus minor Dei metus, illiusque colendi studium minus appareret. I nunc, & ex Sfondrati propositione, quid hic sentiendum statuendumque sit, conclude: Inde profecto & Ecclesia & optimi omnes impietatis damnabuntur. improbi vero omni culpa soluti, absoluentur. Ita nimirum olim de Dauide, de Iobo & piis aliis viris. atque adeo de Christo ipso iudicari solebat. Interim tamen non inficiabor, peccata nostra & non valde religiosum, quem Deo in hoc regno tribuimus, cultum calamitatum, quibus adeo vexamur, causam esse. Nobis enim omnibus in Dei conspectum est prodeundum, vt iudicium illius subeamus, damnationique nos vltro ipsos subiiciamus. Impietates & blasphemiæ, iniqua hominum iudicia, homicidia, & ciuium trucidationes, libidines, & in omnibus regni partibus confusiones hanc regni labem atque eluuiem, hanc etiam miseriarum & malorum Iliadem in nos iusto Dei iudicio inuexerunt. Verum cum tam multis magnisque flagitiis Deum offenderimus, cum & superstitioso & impio cultu eum irritauerimus, nulla certe ratione pro calamitatum nostrarum causa id habendum est, quod non modo non peccatum est, sed etiam vnum ex præcipuis illius, quam Deus de nobis exigit, obedientiæ caput, nempe regi à Deo nobis constituto parendum esse. Quanquam vero hoc etiam iis assentiremur, Deum aliquando in populos animaduertere ob malos Principes, qui in iis dominatum tenent; non inde tamen consequeretur, quod Sfondratus contendit, Regem, qui iam nobis præest, illegitimum esse. Regum enim peccata (vt iniustitia, crudelitas, & grauissima alia facinora, quæ Deus aliquando in populos deriuare solet,) efficere non possunt, vt reges sint illegitimi, ac digni, contra quos populi coniurent, eosque de sede sua deturbent, vt antea docuimus. Iudicia hæc sunt eiusmodi, vt Deo ipsi disceptanda omnino ac decidenda permittere debeamus. Reges qui olim Dei populo regendo præfecti erant, plerunque fuerunt Idololatræ, vitaque vitiosa & flagitiosa præditi. Ideoque Deus non in illos tantum, sed in subiectos etiam eorum imperio populos iræ suæ tela coniecit. Nunquid tamen in vllius vnquam mentem venit dicere, eos Reges, qui casus & clades suis sceleribus in populum attraherent, nullum ius potestatemque dominandi habere, populoque imperatum hinc fuisse, vt obsequium erga eos exueret? Interim hoc necessario non consequitur, si populus plectatur, id ad Regem tanquam auctorem referendum esse, cum eius rei caussæ in populo ipso vere inesse possint. Qualia, rogo, Ezechiæ tempora fuerunt, quum tota regio ab Assyriis funditus direpta, vastataque fuit? Quale etiam Iosiæ regnum, si calamitates illius expendantur? Veruntamen maxima piis illis regibus facta fuisset iniuria, si quis ita, vt Sfondratus, argumentatus fuisset. Nempe, vbi res aduersæ vigerent, ibi Dei cultum & frigere & penitus iacere: & quia populus Ezechiam Iosiamque Principes ac moderatores suos haberet, ideo Deum non coli. Sfondratus igitur calamitates nostras procul hinc videt, de iis fert sententiam, easque nobis exprobrat: sed inconsulto & temere. Si ad Deum respiciamus, satis magnas nos affligendi causas habet: sin, ad homines quod attinet, proximæ caussæ inquirantur, nulla sane maior est, & quæ tot malis nos oppresserit, quam Paparum superiorum & Sfondrati ipsius furores, qui nobis vniuersam hanc coniuratorum factionem conflarunt, illisque Galliam nostram bellis exitialibus vastandi facultates antea suppeditarunt & etiamnum suppeditant. Papæ tantummodo longissime à nobis, rebusque nostris absint, nos omittant, nos vexare, res nostras, quæ ad se nihil attinent, curare desinant; dicto citius miseriæ nostræ desinent.

Ne multa, Papa quicquid volet de Rege nostro effutiat (pro eo more, quo Papæ Principum nomen contumeliis lacerare solent.) Nos Regem nostrum satis notum exploratumque habemus, & locupletes eximiarum, quibus Deus eum cumulatissime ornauit, virtutum testes sumus. Prisci Reges illius decessores à suis semper celebrati, & summis laudibus honorati fuerunt, quantumuis Papæ illorum famam suis fulminibus obscurare & inquinare conati sint. Hic vero, qui ab ea-

ab eadem stirpe nobis à Deo est datus, illorum dissimilis minime nobis videbitur: etsi Papa aliam de illo animis nostris opinionem inücere nitatur. Si quis contra contendat atque asserat, huius & superiorum regum facta inter se differre, quod tunc temporis de religione non ageretur: Dicam in patrum nostrorum contra Papas contentionibus aliquam religionis mentionem factam semper fuisse. De aliquo priuatim capite non dimicabatur: sed de eo quæstio erat, quod Papæ tanquam religionis totius fundamentum statuunt, nempe de summa illa, quam in vniuersum orbem sibi arrogant, auctoritate, per quam coli ab omnibus, moremque sibi geri velint. Nam si hoc non maneat, fixumque sit, Papa in suis canonibus sæpe declarat nullam vsquam gentium religionem superesse. At patres nostri ei sententiæ toto conatu obnitebantur. Qua quidem re Papæ adducti, tanquam de religionis summa omnino ageretur, in sua, quam aduersus eos ferebant, sententia, hæreticos, schismaticos Ecclesiæque hostes nuncupabant. Vt vero apertius docerent, ob istam obedientiæ & obsequii recusationem, omnem è Gallia religionem plane sublatam esse, suis interdictionibus vetabant, ne templorum ianuæ aperirentur, ne vllus Dei cultus obseruaretur, ne vlla sacramenta vsurparentur. Contentio igitur in hoc capite versabatur, quod Papæ fidei articulum vocant, & religionis vniuersæ fundamentum. Et quidem tota illa inter Papas & protestantes, dum ad concilium appellant, orta iam dudum controuersia in hoc maxime vno consistit. Nam hac parte controuersiæ dirempta, Papæ videlicet auctoritatem minime esse tantam, quantam sibi sumit: Deo vni, vt Domino summo in sua Ecclesia auscultandum & obtemperandum: Papam, omniaque illius mandara & decreta sanctarum scripturarum normæ submittenda esse, eadem opera reliquæ omnes controuersiæ discussæ sublatæque prorsus erunt. Verum, cur ex religionis controuersiis hic verba facimus, cum, vt iam omnibus perspicuum est, de regno quod hostes inuadunt atque vsurpant, agatur: religio autem merus tantummodo sit prætextus? Concludamus igitur, inter hasce nostras, de quibus hodie ita digladiamur, & inter eas, quæ patribus nostris cum Papis intercesserunt, controuersias, seu in Paparum, qui bello nos persequuntur, consilio & proposito, seu in eorum personis, seu in regis, quem Deus ex sacrosancta regni lege nobis præficit, causa, nullum omnino discrimen, nullam plane dissimilitudinem interesse. Ac proinde nullum opportunius & melius consilium in rebus prorsum similibus, à nobis capi posse, quam si ad patrum nostrorum exempla confugiamus, nosque totos ad eorum prudentiam, animique magnitudinem & constantiam conformemus.

CONCLVSIO.

AMPLISSIMAM hic locus & valde luculentam admonitionis ad omnes huius regni ordines mihi daret, materiam, per quam, priusquam dicendi finem facerem, eos ad causam hanc pro communi dignitate & salute contra Papam & coniuratos suscipiendam exhortarer: nisi animi ampla quædam & splendida propositio passim in multis ita eluceret, vt actionibus ad eos animandos incitandosq; stimulis nihil amplius opus esse videatur. Si vlla vnquam causa certas diuinæ vocationis notas habuit, quibus freti ad eam recta conscientia propugnandam aggrederemur, hæc quidem certe est. Vbi primum priuatorum aliquot hominum quies in aliquo principatu ab externo quopiam hoste interrupta, aut populi alicuius libertas tantulum attentata fuerit, aut Deus aliquam aliam ob causam ad arma vocauerit, continuo ab vniuersis accurritur, idq; persuasissimum & exploratissimum omnibus est bellum tunc legitime geri. Quæ vero ad bellum iuste & legitime suscipiendum, atque tum ad vitam, tum ad facultates omnes in illud profundendas nos mouere possunt, ea omnia ad hanc profecto causam concurrunt. Hispanus aliique finitimi hostes nos aggrediuntur, inuadunt, hostiliter petunt, oppressuri nos, & si possint, euersuri funditus, quanquam nullam in nos iuris speciem, nullam etiam id tentandi causam habeant. Infert vim Papa, quem nihil offendimus, qui contra maximam sui splendoris & amplitudinis partem acceptá nobis meritissimo referre debet qui etiam pacis inter nos conciliandæ auctor esse deberet, si qualis haberi vult, talis & re vera esset: atq; interim vt hostium, quibuscum facit, libidini seruiat, sua in nos fulmina armatasque acies immittit, quarum vi adacti seruitutis iugum subeamus. Ciues adeo ipsi patriæ suæ proditores nefarie rebellant, & ii etiam ipsi, qui superiori rege à se impie trucidato, alterius iam, atque totius etiam gentis regiæ vitam petunt, qui nostras fere omnes facultates diripuerunt, qui domos & vrbes nostras ad interitum & cineres redegerunt, & à seipsis ita degenerarunt, vt hostis in media regni ipsius viscera perfide admissi insignia, conculcatis Gallicis, ostentent. Hic Dei mandatum nominatim sancitum & perscriptum est, quo præcipitur, *vt regem ab eo nobis constitutum honoremus*, illiusque vitam atque auctoritatem aduersus omnes conseruemus. Hic bonorum omnium patrum exemplum propositum est, qui in re simili ad communem & regni & regis sui causam, egregiam fidem alacri promptoque animo adhibuerunt, nulla hominis cuiusquam ac ne Papæ quidem ipsius ratione habita. Aguntur hic nostræ opes, vita nostra, familiarum nostrarum honor, liberorum nostrorum conseruatio, & qua nihil in rebus humanis omnibus prius & carius esse debet, nostra libertas. Venditioni & direptioni à Papa, & quod longe est grauius atque indignius, à nostris ipsis expositi sumus. Status publici mutationem moliuntur, ex

Anno 1591.

qua quidem, vt facile colligere est, vniuersa partium omnium mutatio & conuersio necessario consequatur, per quam omnia horribili confusione permisceantur, funditusque intereant. Quos dominos in regis nostri locum substituere conantur, non sunt aut Scythæ, aut Turcæ, sed qui omnem totius orbis Barbariam immanitate & tyrannide longe superant: vt in omnibus regnis, dicionibus & imperiis, quibus dominantur, obseruare licet. Atque hic est belli huiusce status, causæ consilium & scopus. Quid vero in eo desiderari potest, quominus legitimum habeatur, atque frigidissimorum & ignauissimorum quorumque animi ad belli huius societatem nobiscum ineundam excitentur, vt Dei qui nobis id præcipit, oomine ac numine freti, hasce omnes, quæ nobis imminent calamitates, à nobis propulsemus? Religionis nomen obtenditur, Papa honorificos illos, quibus insigniter est ornatus, otulos proponit. Atque hine eo grauiot & indignior, quæ nobis infertur, iniuria videri debet, quod & sacrosanctorum Dei nomen ita profanetur, & sacra omnia iura peruertātur, vt aduersus præscriptum Dei mandatū ad nos ipsos prodēdos, ad patriam ipsam perdendam, & durissimæ omnium crudelissimæque seruituo exponendam concitemur. Patres nostri seu quod reges à Papis durius appellati fuissent, seu quod Papæ contempta regum auctoritate pecuniam exigere ausi essent, seo quod summam aliquam potestatem in hoc regno vsurpassent, caussa diligenter ex legibus diuinis & humanis, itemque ex regni institutis & moribus disceptata ac diiudicata, Papas sine vlla dubitaoone damnarūt, ac relegarunt, eorum ministros ignominiose acceptos è oostris finibus expulerunt, eosdem suis edictis & Senatusconsultis hostes declararunt, atque iustissime bellum iis inferri posse censuerunt. Sed non de bullis iam agitur: alia longe grauiora vrgent. Pontificiæ aduersus demortuum regem excommunicationis virtute, finitimi ditionem hanc inuaserunt, extrema regni propugnacula occuparūt, atq; in media etiam illius oppida suis & callidis consiliis & aureis Philippis se insinuarunt. Quin Sfondratus Sixti decessoris sui furores imitatus, initam dudum rebellionem confirmat, omnem pacis inter oos conciliandæ viam intercludit: vicinos, vt ad nauis quasi laceratæ direptionem certatim accurrant, enixe sollicitat: thesauros è nostris loculis eo animo (hic enim putabatur) & consilio, vt ad bellum contra Turcas gerendum conuerterentur, corrosos expromit & totos exhaurit, per quos armata manu nos inuadat, &, si modo potest, penitus etiam perdat. Huccine rerum venimus, hæc oe est horum temporum ratio, hicne regni status, vt deceat Gallos aut medios esse, aut quibusdam taoonibus repressos frigere, aut publicæ defensioni aliqua in re deesse, & turpiter à Maiorum suorum pietate, fortitudine, & fide degenerare? Non mediocris equidem bonorum virorum, patriæque studiosorum ciuium animis incutitur dolor, quum ad arma venitur: quæ si ob religionem capiantur, conduplicatur mœror, suspiriaque magis ac magis inualescunt. Noo sine maximo igitur animi angore bellum hoc suscipietur, in quo Dei nomen in prætextum vsurpatur. At Deus ipse sancte præcipit, vt regi pareamus: rei necessitas & perpetua maiorum nostrorum exempla ad id nos inuitant & compellunt. Papa nullam conquerendi occasionem habet. Non nos Ecclesiam perturbamus aut vexamus: ille ipse mali huius est auctor. Quam responsionem Elias Propheta Achabo faciebat, eandem ipsi nos facere merito possumus. Ille ipse tragœdiam hanc excitauit, ille ipse hanc oobis perniciem machinatur, ille ipse pro pace, quam suadere nobis debuit, classicum canit, ad bellum etiam ciuile & intestinum nos concitat. Ille ipse pro pacifico Euangelio, & consolaoonibus, quæ in rebus aduersis nobis peropus sunt, copias infestas, & excommunicationum tonitrua in nos emittit. Bonos Ecclesiæ pastores maximi semper faciemus, & illum ipsum imprimis, si talis esset. Ille quidem se talem, ac Patrem sanctum in suis Bullis nuncupat, sed facta & mores tepugnant. Patres in Benedicti XIII. causa nos docuerunt, quomodo de bonis pastoribus iudicare debeamus. Ille enim tunc eosdem quoque vsurpabat otulos, quos & Sfondratus sibi iam arrogat: sed illi verba sibi dari non sinebant. Iudicii, quod faciebant, regula, status Prophetarum & Apostolorum, atque Benedicti condirionis comparatione nitebatur. Quum enim Samuelis, Diui Pauli & aliorum Dei seruorum integritatem sibi proponebant, & cum ea Benedicti mores actaque componebant, libere iudicabant, *Benedictum non eum esse, quem se diceret, pastorem scilicet & patrem sanctum: sed auarum, Ecclesiæ vexatorem, ac tyrannum*: hoc etiam verbum vsurpantes. Id in Caroli VI. edicto ita scriptum extat. Si hac maiorum regula vtimur, de Sfondrati pietate & zelo iudicaturi, quid sentiemus, quid statuemus? Ecquid vnquam aut in Apostolis, aut io vllis aliis Dei seruis Sfondrari consilus & actis simile repetietur: vt nuntium ciues in principes suos concitarint, vt etiam Ecclesiæ ærarium (quod saoius & sanctius ad pauperum inopiam subleuandam, & alias res eiusmodi necessarias conferretur) emunxerint ad colligendos exercitus, & eo consilio immittendos, quorum opera, cum aliis suis opibus & honoribus, tum reges maxime ipsi dignitate & potestate sua exspolientur? Hoccine Euaogelium Apostoli prædicarunt? Itane omoem dominaoonem fugerūt? Siccine ab omnibus humanis negotiis abstinuerunt? adeone salutem omnium procurarunt? Tantone studio & cura hominum offensionem vitarunt, vt potius quam minimā et infimis conquerendi occasionem darent, de suo aliis iure concederent? Nūqu. I senserunt dixeruntue vnquam, sua, quibus maxime vterentur & niterentur, arma, aut in militū collectione, aut in opibus viribusq; humanis consistere? Si igitur Sfondratus se nec lupum, nec cōiurationis ad nos funditus perdendos conflatæ caput esse, sed pooius verū pastorē & pium patrem re ipsa comprobaret, nos omnium primi honorem illi & obseruantiam libentissime deferremus. Sed patres suo nos exemplo docuerunt, vbi Dei mandatum proponitur, vbi publica salus agitur,

nullè

nulli cuiquam quamuis præstantissimo & potentissimo cedendum. Subiiciat quantum volet se [Anno 1591.] in D. Petri cathedra sedere: successionem suam obiiciat: se Apostolum etiam venditet: veritas ipsa id omnino falsum esse clamat. Tota illa, quam Episcopi vendicare sibi possunt, auctoritas, vna est cultus diuini, cui regendo & administrando à Deo constituti sunt, non dominationis, nedum tyrannidis, auctoritas. Omnia vestra sunt (ait Apostolus) siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, &c. [1.Cor.3.] omnia inquam vestra sunt: vos autem Christi: Christus vero Dei. Maximi quiq; in hoc Ecclesiæ seruorum numero sunt, & in iis D. etiam Petrus, qui illic nominatur Cephas. Atq; Academia Parisiensis in sua illa præclara ad Carolum vi. admonitione, huius loci meminit, eumq; ad eam, de qua tunc agebatur, controuersiam scite & apposite accommodauit. Si qua igitur Papa est auctoritate præditus, eam ad opprimendam Ecclesiam, vexandosq; Christianos adhibere non debet. Alioqui, si Apostolorum statum exuit, vt Monarchæ exercitum conscribentis statum induat: totus adeo ad regnum, quod in suis Monitoriis Bullis præcipuum Ecclesiæ adminiculum nominare cogitur, penitus euertendum comparatus: si, inquam, talem se gerit, non item seruum, pastorem & patrem: nulla est iam illius auctoritas, merus est verusq; lupus, quem oues auersari & fugere debent. Quum patres nostri flagitiosos eiusmodi Papas habebant (qui tamen prauis affectibus, odiis, & sceleratis contra hoc regnum conspirationibus, ab istorum furoribus longissimo interuallo aberant) solenni iudiciorum ritu proclamabant ac decernebant, sibi ab iis discedendum esse, Apostoli consilio freti, dum ait, Segregate vos ab omni fratre, qui se inordinate gerit. Quin etiam eos ipsos si prouinciæ suæ finibus egressi, in regnum hoc infestis armis irruere tentarent, hostes edixerunt, statueruntq; bellum cum iis iuste geri posse. Hæc nobis esse debent sacrosancta inuiolateq; seruanda iudicia, si hoc regnum esse saluum velimus. Publicæ saluti omnis dignitas & auctoritas, etiam pontificia, quanquam dirumpatur & crepet Sfondratus, cedat necesse est. Cum tot bonæ fidei rectæque conscientiæ testimonia nobis non desint, errare iam & labi non possumus.

Nec vero mali quidquam nobis hinc metuendum est, modo armis, quæ Deus ipse nobis tradit, recte vtamur. Sfondratus mira pollicetur, si quod imperat præstemus: contra dira minatur, si imperium detrectemus. Lenis quidem & benignus pater est, sed continuo fulmen arripit, arma & copias, quæ consanguinei sui ductu & auspiciis regantur, insolenter iactat. Nunc sacri ad precandum vel imprecandum pontificis: Nunc armati ad bellum gerendum Imperatoris, vt quondam Bonifacius, habitum & personam suscipit. Senectutem suam stomachatur & conqueritur, per quam ipse rei gerendæ adesse non possit. Vitam etiam suam se profusurum promittit; sed procul admodum, & periculi securus. Alter est Iulius 2, furoris & cædis plenus, qui libenter D. Petri claues in Tyberim proiiceret, ensem & loricam arrepturus. Nempe ille Christi vicarius, ille Petri successor Sfondratus in suis Bullis talem se ostendit. Sed ea omnia meræ sunt minæ, & vana puerorum terricula. Patres nostri aliorum Paparum nec rabie, nec illis, per quas finitimi aduersus regnum coniurabant, comminationibus vllo modo terrebantur. Nec Sfondrati copiis magis terrebitur Gallica nobilitas, aliique optimi viri patriæque studiosi ciues, qui se animorum æque ac nominis & facultatum auitarum successores vere præstabunt. Papę fulmina, fumi vmbra tantum sunt: Illius monitoriæ literæ nihil sunt aliud quam inanes, confractæ, &, vt ita dicam, exenteratæ bullæ, quæ leuem duntaxat & euanidum strepitum edant.

Quod si aut temeritate quadam, aut nonnulla imperii alieni inuadendi cupiditate, aut aliquo alio prauo consilio, in gerendo hoc bello duceremur, næ metuendæ valde nobis essent non hominis cuiusdam, sed Dei ipsius comminationes, qui nec vult, nec patitur, vt bella ita iniuste gerantur. At nos huius belli Deum ipsum comprobatorem habemus, cum illis mandati auctoritas iubeat, cum Maiorum exemplum moneat, cum (acerrimum ad res gerendas telum) maxima, & quam antea vnquam longe maior necessitas moueat, vt ad iustam ac legitimam regis nostri regnique totius defensionem aggrediamur: cum denique regem, quem Deus tam multis sui in nos amoris & beneuolentiæ argumentis nobis præfecit, ducem auspicemque habeamus. Ea est Dei vocatio, cui illius ipsius beneficio comes erit successus & felicitas. Qui bellum suo regi indicunt & inferunt, qui patriam hosti produnt, qui vniuersum regnum incendio, sanguine, & confusione complent, his iustum Dei iudicium, & quo tardius, eo grauius certo impendet. Certa enim hæc est stabilisque & immutabilis Dei sententia; *Quicunque potestati resistit* (Apostolus ad Roman. 13. de principe à Deo constituto ita loquitur) *Dei ordinationi resistit: qui vero illi resistunt, ipsi sibi condemnationem adferent.* Hæ sunt autem Monitoriæ Dei viui literæ, non hominis mendacis Bullæ rebellionis atque nefariæ ciuium in principes suos coniurationes, impunitæ nunquam & inultæ relinquentur. Illæ demum minæ metuendæ sunt. Coniurati de suo Papa insolenter gloriantur, eum nobis superbe ostentant, subindeque obtrudunt: Putant illum Dei cuiusdã instar sibi esse, qui dextrã ad nos pessundandos fulmine armatã habeat. Ex vexillis Papæ ipsius ore manuq, cõsecratis miranda sibi promittunt. At eæ bullæ sunt & nugæ. Promissiones & cõminationes, itẽq; elogia & imprecationes, in Dei vnius nec alius cuiusquam manu & dispensatione sitæ sunt. Aduersus Dei minas, istius furiosi benedictiones nulli plane auxilio & præsidio erunt: aduersus vero vesani istius execrationes, quas in nos vsque iaculari se putat, Dei studiũ & patrocinium, tutissimũ nobis semper erit certissimũq; propugnaculum. *Conuertetur peruersitas eius in caput eius* (vt in Psalmo dicitur:) *& super verticẽ eius iniquitas eius descẽdet:* [Psal.7.] Caroli 6. tẽpore in Parisiẽsi cõuẽtu, concionis cuiusdã à Doctore

Anno 1591. Theologo, dicto Crucicorto in Benedictum Papam institutæ atq; habitæ argumentum fuit: Illud etiam hodie nobis aduersus Sfondrati, eiusque similium conspirationes & fulmina, sacrosanctum diuinæ iustitiæ decretum esto.

T. Berchetus Lectori S.

QVum post conscriptum & pœne iam editum hunc libellum grauissimum supremi senatus aduersus Papam ipsiusque Bullas decretum, quo libri argumentum ita confirmatur, vt alterum ex altero confectum descriptumque esse videatur, ad nos perlatum fuisse: illud quoque Lector, Latine mihi vertendum, & in tuam gratiam huic libro apponendum putaui, vt de Bullarum Papalium inanitate & errore, de caussa regia iustitia & veritate, atque de admirabili senatus integritate & fide tibi magis constaret. Nempe par erat, vt Patricii à patrum suorum ac veterum illorum senatorum, qui tam magno fortique animo decreta eiusmodi non semel aduersus Paparum tyrannidem fecerant, constantia & animi magnitudine non degenerent: sed potius in eadem caussa eodem quoque animo essent, & virtutem illorum ac fidelitatem fortiter imitarentur. Vere hoc profecto patrissare est. Sed iam senatusconsultum lege, examina, & perpende: nullum quidem certe aut iustius aut sanctius aut magnificentius ea de re factum vnquam fuisse dixeris. Vale.

Supremi senatus Decretum.

DEcreuit senatus vt in postica complicatarum literarum parte hæc inscribantur, lecta, publicata, in tabulas relata.

Audito, & hoc postulāte generali regis procuratore, atq; habita reliquarum petitionum ab eo propositarum ratione, Monitorias Bullas primo die Martii Anno 1591 Romæ datas, irritas, fallaces, seditiosas, damnandas, impietatum & imposturarum plenas ac refertas, sacris Ecclesiæ Gallicanæ decretis, iuri, immunitatibus & libertatibus contrarias esse declarauit ac declarat. Constituit vt literarum Marcilli Landriani sigillo consignatarum ac Sextilii Lampini nomine subsignatarum exempla per † publicum supremæ Iurisdictionis executorem dilacerentur, atque in ignem, qui hanc ob caussam ante præcipuam curiæ portam incendetur, cremanda conuciantur. Omnibus Antistitibus, Curionibus, Vicariis & aliis Ecclesiasticis viris ne vlla Bullarum istarum exempla promulgent: itemque cæteris omnibus cuiuscunque status, conditionis & sortis hominibus, ne illis pareant, ne vllas etiam omnino habeant & conseruent, sub læsæ Maiestatis criminis pœna interdixit. Gregorium Papam se venditantem, huius nominis XIV. publicæ pacis, Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ concordiæ, regis Gallicique regni hostem, Hispanæ coniurationis socium, rebellium & in regem contumacium fautorem: crudelissimi, immanissimi, & detestabilissimi parricidii in Henricum III. fidelissimæ memoriæ ac Christianissimum & summæ Catholicum regem per proditionem patrati conscium pronunciauit ac pronunciat. Omnibus mensariis qui ad Bullas & Canonum † gratiam, atque ad aliam quamcunque aliarum rerum facultatem impetrandam vel spondeant, fidemq; suam interponant, vel mensariæ negotiationis opera, aurum argentumue Romam perferendum curent sub eadem pœna interminatus est atq; interminatur. Si quid vero eiusmodi iam transactum confectumq; fuerit, Magistratibus ac iudicibus, vt in id diligenter animaduertant mandat. Idem senatus sancit, vt Marcillus Landrianus dicti Gregorii Nuntius, qualem quidem se profitetur, itemque Bulligerulus, iniecta manu comprehendatur, & in curiæ carcerem captiuus pertrahatur, caussa dicta disceptataq; ex legibus pro merito condemnandus. Quod si capi comprehendiq; nullo modo possit, vt tribus perendinis, è quam proximo sessionibus, accessuq; facili loco, ad caussam dicendam vadimonium illi denuncietur. Omnibus vrbium gubernatoribus, atque arcium & propugnaculorum in regis ditione & imperio constitutorum præfectis, vt supradicto decreto exequendo opem atque auxilium ferant, iubet. Atque, vt iusta sanctaque regis voluntas ipsius subditis testata & manifesta fiat, edicit, vt exscripta tum regis codicillorum, tum huius senatusconsulti cum exemplari collata & recognita exempla, in huiusce vrbis compitis ac præcipuis templorum portis apponantur & affigantur: atque ad huius Iurisdictionis præfecturas ac municipia mittantur: quo illic publicentur, in tabulas referantur, &, vt iam dictum est, affigantur: necnon ad Archiepiscopos & Episcopos, qui ea deinde Ecclesiasticis suarum Diœceseωn hominibus patefaciant. Munus hoc † Iuridicis prouinciarum præfectis, eorum tum generalibus tum specialibus subpræfectis iniungit, vt illorum promulgationem curent. Ad hæc procuratoris generalis substitutis, vt omni studio & opera ad decretum hoc exequendum incumbant, in contumaces inquirant & animaduertant, senatumque de adhibita à se in eam rem totam diligentia intra mensem certiorem faciant, alioqui Magistratibus suis abdicandi. Turonibus in supremo senatu Anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo, quinto Augusti die, quo ad huius Decreti executionem pomeridianis horis ventum fuit.

** Forenses viri nostrates carnificem hoc verborum circuitu significant.*

** Vulgo dispensas vocant.*

** Balinos & senescballos hodie vocamus.*

Idem

Anno 1591.

Idem Berchetus Lectori S.

EN alterum adhuc, Lector, Senatusconsultum altero post prius illud die allatum & conuersum: idque superiori adeo germanum & simile, vt si perpauca mutaueris, geminum quodammodo, & vna pæna, aut potius plane anima in duobus corporibus inesse videatur. Facit vero id summa in tuenda Regis maiestate ac propugnanda patria libertate consensio, & conspirans membrorum cum suo capite sympathia, vt, quod antea vnicum supremæ curiæ corpus fuerat, nunc temporum iniquitate, longa licet à se locorum interuallo distractum, idem tamen prorsus & sentiat & sanciat, certatimque de fide & officio contẽdat ac laboret. Verum, cum res ab his & illis grauissimis Senatoribus iudicata ita belle libelli huius sentẽtia cõgruat, vt altera ab altera omnino probetur & confirmetur: operæ aliquod pretium facturum me sum arbitratus, si darem pro mea parte operam, vt quæ tam apposite & conuenienter quadrant, ederentur simul, & eodem quoque libello concluderentur: vnde haberes, in quo vere vtiliterq; conquiesceres. Vos vero ô grauissimi patres, quotquot iam & Turonibus & Catalauni superestis, non minima, immo potius potissima & splendidissima Danaûm atq; immitis Achillei reliquia, cum pristina auorum, tum vestra ipsorum pietatis ac virtutis memores, vos fortiter vt facitis colligite, & ad Gallici regni coniuratorum scelere perfidiaque labantis statum erigendum, & in antiquum splendorem restituendum summo consensu conspirate atque, vt verbo dicam, ad diuina & humana iura à Catilinariis istis fere conuulsa & euersa instauranda stabiliendaque omni ope atque opera incumbite: vt publica res conseruata ac restituta partem non mediocrem vobis ipsi nulla inuidia vendicare: Nos autem & tota adeo posteritas. tantam istam, quam in difficillimis Republicæ temporibus opportunissime præstiteritis, virtutem ac fidem grata memoria, honorificisque laudibus meritissimo prosequi ac celebrare possimus. Vale iterum Lector, & tantillo hoc nostro labore libenter fruere. 5. die Septembris 1591.

SVPREMÆ CVRIÆ CATALAVNI CONSIDENTIS DECRETVM IN prouocationem per generalem regis procuratorem de iniqua & fallaci quarundam Bullarum, quæ Romæ emanarunt, concessione & executione interiectam, factum.

OB monitorium Bullarum, excommunicationum, & fulminationum Romæ aduersus Henricum huius nominis III. & hunc qui iam regnat, decretarum concessiooem, & executionem: tum ob Bullarum de Cardinalis Caietani legatione, ac de iis omnibus, quæ inde sequuta sunt: atque aliarum quoq; Romæ primo Martii die 1591. datarum, actuúq; & promulgationum per Marcilium Landrianum Papæ se nuntium profitentem factatum, quia irritarum, frustratoriarum, bonis omnibus inuisarum & odiosarum, seditiosarum, atque aduersus sacrosancta Gallicanæ Ecclesię decreta, iura & libertates confectarum editionem: Legitima inter generalem Regis procuratorem iure, quippe de re fallaci & iniqua prouocantem, criminisq; ac maleficii nomine agentem, atque inter ipsum Marcilium Landrianum Referendarium Papæ se nuntium vulgo vẽditantem, in hoc regnum regis iniussu clam ingressum, citatum reum, & ad nomen non respondentem actione instituta.

Curia ad pronocationem à dicto generali procuratore factum iudicium reddens, & de absente secundum præsentem iudicans, statuit ac pronunciat, quicquid contra defunctum Henricum III. felicissimæ memoriæ Regem, & hunc, qui regni gubernacula nunc tenet, eiusq; clientes, & ditioni atque imperio subiectos ciues constitutum, tentatum, actumq; fuerit, id perperam, vane & falso constitutum, tentatum & actum: ideoq; ab actore publico & regio recte appellatum fuisse. Supra dictas omnes Bullas, acta, excõmunicationes, & fulminationes vt brutas & irritas, odiosas & inuisas, seditionis faces, imposturarum plenas, atq; aduersus sacra decreta, canonicas constitutiones, approbataq; concilia, nec non Gallicanæ Ecclesię iura & priuilegia contextas confregit, reuocauit, antiquauit: confringit etiamnum, reuocat & antiquat. Sanxit & sancit, vt, siqui eiusmodi Bullarum & actuum virtute excommunicati fuerint, hac pœna soluãtur: istæq; Bullæ & omnes inde profectæ actiones, in publica huiusce vrbis platea per supremæ iurisdictionis ministrum, carnificem, concrementur. Edicit vt prædictus Landrianus, Nuntius vulgo habitus, qui clandestina via in hoc regnum nulla à Rege impetrata venia, irrepsit, manu in ipsum iniecta comprehendatur, & in regiam Catalauni oppidi custodiá tradatur, quo in eum ex legibus extra ordinem statuatur. Qui si nulla conprehendi ratione poterit, in trinundinũ dies illi consueto more dicatur: ei vero qui viuum illum in curiæ potestatem tradiderit, decem aureorum millia persoluantur.

Omnes cuiuscunq; sortis, dignitatis & conditionis homines sub capitis pœna vetuit & vetat dictum istum Nuntium apud se tenere, celare, abscondere, aut hospitio excipere: Archiepiscopis etiam, Episcopis & Ecclesiasticis aliis vitis grauiter interminatur, ne vlla iudicia aut acta à Nuntio illo emanantia promulgent, promulgariue patiantur, ne in perduellionis pœnam incurrant.

Declarauit ac declarat Cardinales, qui Romæ agunt, itemq; Archiepiscopos, Episcopos aliosq; Ecclesiasticos, qui in Bullas istas & excommunicationes suaserunt & consignarunt, quiq; immanissimum, perquam abominandum, & detestabilissimum in Christianissimum & catholicum imprimis vita defunctum regem perfidiosissime admissum parricidiũ comprobatunt, sacerdotiorũ, quibus in hoc regno potiuntur, possessione exturbatos esse. Atque generali Regis procuratori munus

munus hoc imponit, vt regiam manum eiusmodi sacerdotiis iniiciat, iis regis nomine vendicandis & dispensandis idoneos fidelissimosque sequestros præficiat, denique curiam de collata à se ad eam rem diligentia commonefaciat. Hoc interim decreto edicit, nequis aurum vel argentum Romam aut ferat aut ferendum curet: neue illic de sacerdotiorum possessione sibi cauenda & confirmanda vllo modo agat, rationemque ineat, donec ea de re constitutum quid à rege decretumq; fuerit. Postremo cauet & sancit vt regius procurator à se interpositæ ad proxime futurum legitime quidem riteque congregatum concilium, prouocationis auctoritatem de Cardinali Sfondrato Gregorium XIV. se mentiente, qui in sanctam sedem Apostolicam grassatoris instar inuasit, consignatam penes se habeat.

Hoc vero Decretũ in huius iurisdictionis præfecturas & municipia perferendum curabitur, vt in iis ad tubæ sonum promulgetur, & in vrbium compitis ac præcipuorum templorum foribus affigatur. Procuratoris item generalis substitutis mandatur, vt eam rem totam diligenter curent: Iudicibus vero, vt ad rei conficiendæ rationem aggrediantur, & curiam ea de re certiorem faciant.

Datum in curia Catalauni, 29. die Augusti, 1591, & pomeridianis eiusdem diei horis effectum.

Anno 1592.

IOANNIS SERVINI
ADVOCATI REGII
VINDICIÆ
SECVNDVM LIBERTATEM ECCLESIÆ GALLICANÆ, ET REGII STATVS GALLO-FRANCORUM,
SVB HENRICO IV. REGE FRANCORVM ET NAVARRÆ.

PSALM. CXIX.

Ne auferas de ore meo verbum veritatis.



I tantus à natura maiorum nostrorum mentibus libertatis amor insitus est, vt ex eo Francorum nomen quæsierint, dedecus & flagitium magnum esset, eam indolem, priusquam Reipublicæ prodesse potuerit, ex animis nostris effluxisse. Si vero inter nos iura sua virtus & prisca libertas retinent, nunquam ipsimet debemus nobis velut ignauis & degeneribus recte sentiendi & vere dicendi arbitrium præcidere, sed quæ ex animi nostri sententia Regi, & patriæ conducere videntur, in medium proferre, & pro vetustis Ecclesiæ Gallicanæ legibus, ad libertatem proclamare aduersus impios & tyrannicos Regis Hispanorũ conatus: qui perniciose de Ecclesia Christiana Apostolica & Romana meretur, dum ea lege Catholicos defendit, vt miseriores reddat defendendo. Ac non modo vitia concipit ipse, sed ea diffundit in vniuersum orbem, & quoscunque tanquam iubatus draco serpens afflauit, illi impuram adeo labem contrahunt, vt si omnes omnia sua consilia conferant, atque huic morbo salutem quærant, nil auxilii adferre posse videantur. Dicam igitur libere, quibus modis fraus impiorum hominum ad perniciem, & innocentia Gallo-francorum ad pristinam dignitatem reuocari possit. Et quoniam ad spem libertatis exardescendum est, vnum à vobis contendo, Viri Principes Reipublicæ sub rege constituendæ, quibus curæ est, ne quid Ecclesia Gallicana & Franciæ status detrimenti capiat, vt tepidos & emansores omnes arceatis, nec moratores, qui inter duos mundos propter ruinarum metum habitationem quærunt, in libertatis æde diutius versari permittatis. Quod si prophanos eieceritis, & pendentes animi, qui duabus sellis sedent, suffragiis publicis interdixeritis, mala denique intestina ac domestica quæ indies ingrauescunt ab vrbibus, à pagis, à familiis & ab animis ipsis studueritis auertere, & pestes istas Reipublicæ tanquam strumam exsecare, tum voluptatis causa cum Hispanis & Lotharingis depugnabimus, prouocabimus, & Regem nostrum Henricum Quartum Francicum & Nauarricum sibi nomen & cognomen iure ex eorum spoliis induentem comitabimur. Equidem scio summam ac singularem fuisse moderationem dictorum atque factorum in veteribus Christianis: sed tranquillitas mentis ex dissimillimis rebus interdum miscenda, ac temperanda, & animus ad

mus ad fortitudinem habendus, vt veritatem seminiuis vocibus vix quiritãtem, & fallaciis aduersariorum obductam atque obrutam eruamus. Et licet magnum opus aggredior & arduum, tamen cum hodie rerum nouarum causa quærenda sit, non patiar orationis aculeum in prima velitatione hebescere, sed quid animus ferat, oratione, quæ rerum regina est, conabor aperire.

Non vereor, Gallo-franci, non vereor, ne odio contra Hispanos inflammatus liberius in aduersarios dicere videar, quam verius. Nemo etenim vestrum nescius est Hispanæ fraudis, quam nectit infelix illud silicernium, fax omnium discordiarum, quibus perimus, vt Francico regno potiatur, & quibus oculis cruentas filii sui ceruices vidit, iisdem Frãcos omnes sedis A. R. indicio perpetua seruitute damnatos intueatur. Adsunt ei Lotharingi vafri & callidi, qui secum belle actum iri putant, si turbas vndiq; cieant, si bonis & priscæ fidei seruãtibus negotia facessant, si deniq; sublato Rege Henrico Tertio, vitæ patris patriæ Henrici IV. quotidie nouis artibus insidientur. In hos dicturus in primis iure lætandum esse mihi video, quod talis causa oblata sit, in qua oratio nemini deesse potest. Dicendum est enim de Regis nostri singulari eximiaque virtute, & si quid ego hactenus agendo consequi potui, quod ad rem pertinet, & ad officium meum, vobis ostendam.

Anni sunt DCCC. ex quo Franciæ Principes, à quibus Rex noster ortus est, à vetusta Germanorum & Saxonum Principum nobilitate genus suum duxere: quorum æmuli Hispanici Tyranni post trecentos annos ab illo oriundi, qui dominum suum Adolfum Nassauium Imperatorem nefando parricidio sustulit, regna Franciæ & Nauarræ inaudito genere furoris inuadere cogitarunt, ambitiosa finium suorum augendi libidine incensi, non vi sua nitentes, sed Pontificum Romanorum auxilio. Et quemadmodum illorum artibus in Philippum Pulchrum vtriusque regni Principem olim insurrexit Bonifacius Octauus gente Caietanus, vir legibus nocens, falsi, violatarum legum & fidei damnatus, (cuius dolis & audacia pellectus Pontifex Sanctus Cœlestinus contra veterum canonum authoritatem de summi Sacerdotii dignitate cesserat) ita eius exemplo, Iulius Secundus è Ruriorum familia, Ligur vanissimus, vir superbo animo frustra elatus, vt regni Francici & Nauarrici statum mutaret, Hispanorum studiosus fuit, eisque adiutor & consiliorum author exstitit, & in rebus Ecclesiasticis agendis ruens ac peccans, nil non tentauit aduersus Gallo-francos, quasi ius illi esset dare & adimere regna, & iura omnia peruertere. Et nuper eodem consilio Philippus Austriacus Hispaniæ Rex, sub Xysti Quinti Romani Pontificis authoritate & nomine, per Cardinalem Caietanum, qui se illius Legatum dixit, ad inuadendam Franciam viam sterni curauit: sciensque precarium seni Pontifici in Ecclesia imperium, ac breui transiturum, illi persuasit vt sub vindictæ publicæ nomine suos inimicos atrociore consilio conficeret, vt hac exercitatione assuefactus, & crudelitate sanguinis perlitus, postea gladium in Franciam distringeret. Ille principatum Ecclesiæ ingrediens, quod ab Hispanis suadebatur in Italia fecit, & sine more in comites multos aduertit. Iurene an iniuria, Itali viderint. Nunc haud existimamus perinde diiudicari quid tunc illi optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est. At certum, Romanum Pontificem in regno Franciæ gladii ius non habere: Imo, & in territorio, quod nouo Iure ab Ecclesiæ Romanæ Pastore possidetur, puto veteres Vrbis Episcopos ab eo imitandos esse, quorum vt monitiones acerbitate, ita obiurgationes contumelia carebant, & à quibus nunquam effusum sanguinem, sed eorum dicta audientibus ruborem tantum suffusum, & lachrymas obortas legimus. Nos autem sperabamus Xystum Quintum cognitis Hispanorum flagitiis ac fraudibus aures suas impostorib. amplius non daturum, sed ad solam veritatẽ rationem reuocaturum. At postquam per literas illustrissimi Principis Francisci Luxemburgii Ducis Pinæi & Franciæ Paris, qui nunc Principum, Procerum, & Nobilium Gallofrancorum in vrbe Roma Legatus est, certiores facti fuimus hunc Pontificem non opinione & fama: sed veris demum sibi persuaderi velle, eheu! nobis nunciatum fuit, frustum ei oblatum à ministratore eius escario præposito cultro venenato diuisum, quo miserrime necatus est. O quam funestus culter! O quam grauis cibus! O quem bolum subito è Xysti faucibus Hispani eripuer[e]! O quam fœda viscerario! At nec Vrbanus Septimus Xysti successor gratior Hispanis fuit qui XI. Pontificatus sui die vita functus dicitur. Nũc enim cum Ecclesia Christiana ad inter regnum adducta sit, non modo sanctum Pontificem optare & expetere debemus, sed de statu rerum nostrarum, tum de causa, post de genere belli nostri, dein regis laudibus, qui legitimus regni successor, & in castris Imperator agnitus, Deo iuuante, malis nostris finem dabit, tum de illius iure dicendum, & veteris Christianæ Catholicæ & Gallicanæ Ecclesiæ libertas & regni status acri animo defendendus.

Reges Franciæ à Saxonibus oriundi.

Atque vt inde oratio mea proficiscatur, vnde hæc omnis causa ducitur, nobis cum iis, qui Franciam delere voluerunt, belligerandum est. Nolo miserias nostras à principio repetere. Nam alii negotiorum initium, progressus & finem accurate differentes literis prodiderunt, quæ per multos annos Gallias excidere. Sed quoniam hodie iuuat animos vestros ad rerum in Francia gestarum memoriam reuocare, vt quisque morbi causam cognoscat, & vulneribus medicamentum præsto sit, dicam non omnibus nota, quæ à Guisianis facta sunt. Horum abauus, homo ita natus, vt & blandiri & suppliciter se insinuare posset, primus Regem nostrum vt Armoricæ Prouinciam, Andegauensem Ducatum, & Prouinciæ Comitatum, quem ad Lotharingos pertinere dicebat, illis restitueret, rogare & vehementer petere cœpit. At vt ius nullum habe-

Guisianorum Ducũ origo & incrementa.

habebant cum tam ex lege regni, quam ex conuentionibus cum Armoricæ Ducissa pactis, & testamento Renati Siciliæ Regis, quæ ab iis petebantur iure optimo à Rege possiderentur: ita hic orator repulsam tulit: cumque se Franciæ Principem mutato nomine diceret, is qui tunc erat maris Præfectus, quem Amiralium vocamus, eius impudentiam repressit. Mox illius filius callidus & occultus, ne idem velle agnosceretur, quod patri denegatum fuerat, per dissimulationem Regis animum subiens, rem quæ prius aperte petebatur, postea cuniculis oppugnauit, & facilitate Principis, qui primo Cardinali Lotharingio fauebat, immoderate abusus, nouo furore Gallo-francorum bonis imminés, multos Nobiles fortunis & dignitatib. euertere conatus est, inter quos Rouillium, venatorum regalium præfectum, spoliauit. Dein eius liberi sese dignos Regis coniunctione censuerunt, vbique dicentes, *Optimos quosque mortalium altissima cupere.* Hi fuere tandem ingenuum exercituum moderatores. Inerat quippe illis palam compositus pudor, gentile domus Lotharingicæ bonum: sed intus summa apiscendi libido, & mutationis cupiditas, eiusque causa luxus, & sæpius industria, ac vigilantia baud minus noxiæ artes, quando subuertendæ Reipublicæ causa comparantur. Hoc aduerterat Rex Franciscus Primus & leuia licet quæ tunc ab iis cœpta, cauenda nihilominus liberis suis edixerat, vt parua, ex queis magnarum rerum motus orirentur: nunquam satis fidam potentiam, vbi nimia est: rebus suis prospicerent: nec maiores domus eos crearent, quibus mos erat vim Principis complecti, nomen remittere. Vtinam Henricus Secundus patris consilium haud aspernando, liberis suis consuluisset, nec Guisianos rebus gerendis præfecisset, qui virilia scelera exercuerunt, turbideque & seditiose Galliam habuerunt, ac etiam erga affines impii, nobilissimam atque antiquissimam Lenoncuriorum familiam, Cardinalis Lotharingii dolo malo, Comitatu Nantoliaco & splendidissimis monumentis nudatam & priuatam impie spoliarunt. Erat enim in illorum mentibus pessimum veri affectus venenum, sua cuique vtilitas. Quod si ditis fouendum id facinus, eo plus indignationis inesse debet, quo plus inest perfidiæ. Nam Cardinalis ille Lotharingius irritum fecit iusiurandum, quo se hunc Comitatum restituturum conceptis verbis pollicitus fuerat, & negauit posse reddere: & ipse, qui nuper Longæ-Villæ Ducis hæreditatem captauerat, & cæteri Guisii, qui non modo priuatorum fortunas inuaserunt, sed & Regis pecunias sunt depeculati, flagitium in his acquirendis admiserunt: sed in insumendis longe maius. Etenim si quis multarum palmarum insignis sicarius, si quis ingenio ferox, manu promptus, aut (quod virtutis instar erat) vetere odio in Borbonios inflammatus esset, nihil eis antiquius fuit, quam eiusmodi homines è sordibus erigere, & in suam factionem spe largitionis & profusis opibus prolectare. Sed vni rei maxime studebant, vt deditam superstitionibus Parisiorum plebem, quæ vanos homines inter alios colit, aucuparentur. Erat illis initio vergentis tyrannidis calonum ac lixarum amplus numerus in sæuitiam ac libidinem corruptus, qui eorum fauore ad dignitates euecti sunt, ferocissimo quoque assumpto, & quibus ob egestatem ac metum maxima erat peccandi consuetudo. Mox illorum artibus Dux Anguienus misere stratus iacuit: post Senatus authoritas extincta, deleta iudicia, summi Galliarum Senatus Princeps Lizerius eiurare coactus, quod Principis nomen à Guisiis assumptum deleri iussisset: in eius locum alius suffectus, à quo multi corrupti, quorum studio & suffragio Guisii viam ad tyrannidem munirent. Excitati tumultus sub his hominibus: rebusque turbatis malum extremum discordia accessit: & à primoribus, maximeque à magistratibus trepidatum, quibus infesti sunt nouarum rerum cupidi. Interea, qui prosperiore eloquentia, quam rerum fama erant oratores validi, eos infirmis ingeniis commendarunt, vt amicitiæ erga ipsos semina mollioribus mentibus, dein sensim ac sine sensu fortioribus inderent. Illi tum immanes animos subdola modestia regentes, non famæ suæ, non aliorum pudori parcentes, fœminas inescabant, quæ maritis vecordiam inicerent, & Gallorum quorundam mobiles animos variis modis flectebant, cum lenibus verbis, tum officiosa sedulitate & silentio: quod cum à nonnullis in superbiam acciperetur, aliis ciuile videbatur. Et vt tyrannidem, cuius fundamenta iecerant, firmare possent, liberos suos in Germaniam educandos pædagogis Protestantibus tradiderunt, non quod Protestantium ritus & Augustanam confessionem ac religionem amplecterentur, verum vt Germani Lotharingiæ vicini, si quod ab illis aliquando subsidium peterent, in partem periculi venirent, eosque milite & commeatu iuuarent. Sed cum detecto religionis fuco, minus fidos sibi amicos fore Protestantes vererentur, versis ingeniis, prout noua rerum facies postulabat, ad Catholicos concesserunt, atque alios spe & præmiis sollicitarunt, animosque & mores quorundam faciles & leues, ac tandem ipsa Franciæ iura, & exempla corruperunt. Mox Franciscum Regis filium ad se alliciunt, & vt olim Stilico imperii appetés Mariam filiam suam Honorio despondit, sic illi pari dominandi cupidine Mariam Scotorum Reginam Guisianorum sororis filiam conciliarunt. Nulla prouincia, nulla ciuitas, nulla domus, quæ tunc Guisiorum libidinem, auaritiam, & crudelitatem non experiretur. Illi enim seditiosos homines, quos nemo pius aspicere sine suspirio posset, Reipublicæ imposuerant, & exercitibus Duces, classium Præfectos, & ærarii tribunos creauerunt: vnde sæpius ab iis exhausta publica pecunia; correpta vectigalia, & Regiæ fortunæ denudatæ ac diuenditæ. Denique Ducissæ Valentinæ gratia, quæ, collocata Lotharingio Aumalio filia, affinitatem cum illis contraxerat, tantum valuit apud Regem, vt ipsius suffragio Senatores creati & iudices dati fuerint; ac plurimi inæquabili partitione mandatis honoribus,

his Lu-

hi Lutetiæ, alii Rothomagi & Burdegalæ, & in aliis ciuitatibus ad summa publicorum munerum & magistratuum fastigia prouecti. Nonne scitis, eorum iussu multos Ambosiæ Nobiles, quia Guisianarum partium non erant vltimo supplicio affectos? Sed viles has hostias litari non posse crediderant, sanguine Regali non populari Guisiorum furiæ placandæ fuere. Idque Aureliæ perfecissent, Rege Nauarrico, & eius fratre Principe Condensi in vincula coniectis, ni Rege Francisco II. stato, & quasi condicto die fatis concedente, Deus Principes fatis eripuisset. Condensem enim ad cædem extrahi iusserant, iam parato spectaculo, peluibus ad excipiendum cruorem instructis, & spiculatore ceruicibus imminente. Regem vero Nauarricum statuerant in arce Lochiensi perpetuæ custodiæ mancipare, & Nauarræ Principem eius filium, atque Annam Mommorantium Equitum Magistrum in D. Dionysii monasterium detrudere. Quis nescit Colloquium Possiaci ante obitum Regis illius Francisci II. à Cardinale Lotharingio promotum, postea Catharina Regina instigante, cum Protestantibus factum, & quæ ex eo secuta sunt? Tum ille Cardinalis non tam quod Reipublicæ Gallo-francicæ, quam quod sibi opus esse vidit, faciendum censuit, omnia ad vtilitatem suam referens, vt in gratiam cum iis rediret, quos afflictos violauerat, non bona fide, sed aliud agens, aliud simulans, vt rebus suis consuleret, Guisianorum more, quorum omnium cura in eo versari solet, vt sibi tantum prosint.

Nolite igitur horum hominum vitam, in quibus nulla pietas, nulla religio etiam priuati officii vnquam fuit, nolite eorum facta ad antiquæ religionis rationem exquirere. Ecquis vestrûm (Gallo-franci) ecquis ignorat ab iis facta in conuentu, qui in Hispanorum gratiam Baionæ habitus est? Quis nescit, quam iniuriam Cardinalis ille Lotharingius Catoni illi Francico Michaeli Hospitalio magno Franciæ Cancellario intulit, cum exprobranti Lotharingio, suis enim suffragiis ad summam dignitatem promotum, aliaque multa dicenti, vt ab eo sententiam aduersus Franciæ leges extorqueret, ille grauissime respondit, iniuriam ad se peruenire non posse, & grauiorem ac difficiliorem animi ac sententiæ, maximis præsertim in rebus, & quidem pro altero, quam pecuniæ, vel rerum similium obligationem: se itaque à recta sententia ne transuersum quidem vnguem discessurum. Erat quippe Lotharingij Cardinalis, iniuriam facere, Hospitalij spernere. Tacebóne Henricum Guisium spes suas nimia ambitione donantem, & Margaritæ Valesiæ nuptias ambientem, qui Regis Caroli non iussu, & Ducis Andegauensis minis territus, & ad necem designatus, luisset audaciæ suæ pœnas, ni iræ Principum subtractus fuisset? Is tamen primam, quæ eius animo insederat, opinionem non potuit excutere. Replicate quæso memoriam eorum, quæ ipse cum suis, Italo gallorum consilio fecit, Anno 1572. quo tempore, quia multos Guisiorum hostes vi corripere intutum, dolus interualla scelerum poscebat: ideo placuit occultior via, & à Collignio Maris Præfecto incipere, in quem Rex Carolus, à Guisijs atque Italis & Hispanorum amicis exstimulatus, recenti ira ferebatur. Eo vero interempto, in eos, qui ab eius partibus steterant, crudeliter, ne dicam, prodigiose, sæuitum: iacuit immensa strages interfectorum, nullo sexus, ordinis, ætatis discrimine, multique ex Catholicis, specie publicorum hostium, odio priuato proscriptorum titulis adiecti: nulli tuta domus; nulli curia; nulli sacra basilica: credas omnes vrbes esse spoliatas. Quicunque Guisianis partibus infestus extitisset, ad certam cædem deposcebatur. Sed illud miserrimum fuit, quod Regem, qui factum, literis ad Præfectos prouinciarum datis, antea improbauerat, oratione in Senatu recitata, tot flagitiorum authorem & fraudum sese profiteri coegere, & Regium Aduocatum, cuius erat horum criminum reos postulare, tot immania facinora magna Principum, Senatus & populi corona circumstante, publicis laudibus efferre. Post sub Lotharingis in turbas ac discordias pessimo cuique plurima pax. Et Henricus Guisius inter illos primus, simplicitatis & modestiæ imagine in altitudine conditus, spes suas alebat, clamque Gallo-francis insidiabatur, curans per nobiliores ciuitates aliquot Senatores, quibus dignitates in aula pater eblanditus fuerat, misceri armis ciuilibus, eosque impellens, tam quod industria quorundam egeret, quam vt Senatus nomen surgentibus tum maxime partibus, honesta specie prætenderetur. Id & antea fecerant eius parentes, & patrui, quibus aderat facundia, mulcendique homines artes & authoritas, ex eorum genere, queis afflicta fides in pace, ac turbatis rebus alacres, & per incerta tutissimi, existimantes, se non aliter valere, quam si dissidio Regiæ familiæ, suæ damnum imminuerent. Deterrima quęque impune, honesta sibi exitio fore: nihil non tentandum, maxima quæque ambigua. Ideo in malis temporibus participes se Reipublicæ faciunt. Sed ea Guisiorum scelera inulta non fuere. Quippe Deo immortali tot cædes, tot cruenta patricidia spectante, seras, sed iustas pœnas aliquando pependerunt, vt postea dicam.

His porro gestis Henricus Guisius paternæ calliditatis successor, instante Cardinali patruo, qui moriens, ei Franciæ inuadendæ consilium fidei commiserat, fauentibus passim improbis, & scelerum consciis, ad cœpta manus admouet, reluctantibus fatis, & horrendo minitante præsagio. In cœlo enim dirus Cometes apparuit. Sed qui pridem iuxta fas & nefas omnia existimarant, nequicquam oriri sydera, & ruere tempestates iudicauere. Mortuo Carolo, Henricum III. è Polonia reuersum, Francico diademate suscepto, variis artibus adorti, vt apud illum plurimum possent (quia displicent regnantibus ciuilia fratrum ingenia) Alenconium, & Henricum Borbonium, qui nunc Galliæ præest, calumniis incessunt, ac eos affectari principatus insimulant. Etenim superstitibus ipsis, & Regia potentia innixis, tuto se posse Regem

In Henrici III. Regem machinamenta.

aggredi diffidebant. At vbi fuere voti compotes, quas non vineas, quos non arietes ad Regem oppugnandum, & regnum expugnandum comparant? Ei rei testimonium ingerunt *Dauidis à Commentaria* Romæ confecta Cardinalis Pelueï consilio, quæ à Vinonæo Marchione Pisano, tunc temporis Regis nostri in Hispania Legato intercepta. Summa Consiliorum erat, monendos esse Guisianarum partium sacerdotes, vt, dum peccata confitentes & ad se accedentes consultores audirent, monerent illos, fauendum Lotharingis à Carolo Magno oriundis, à quibus sperandam Religionis Romanæ labescentis restaurationem, Henricum III. regno deijciendum, quem motus omnis animi, tanquam virtus hominem defecisset. Dum ea Romæ nonnulli commentantur, Guisius interim in Francia oratores corrumpit, qui sacris concionibus Regios luxus, socordiam ac desidiam arguant, Guisijque virtutes imperio dignissimas prædicent, singularem modestiam, popularem beneuolentiam, rei militaris peritiam. Contrà ea in Regem dicentes, quæ à Pipini familiaribus Danieli Merouingiorum vltimo probro olim obiecta sunt, eum curis luxum obtendere, non parare arma, non alloquio exercitioque militem firmare posse, non in ore vulgi agere, sed in vmbraculis monasteriorum delitescentem, præterita, instantia, futura, pari obliuione demisisse, nunquam ita ad curas intentum, vt negotia publica duceret voluptate potiora. Interea Guisius, quo paratior esset ad præuisos ictus excipiendos aut inferendos, præmijs eorum fidem adoritur, quibus arctius erat cum Rege necessitudinis vinculum, vt eius omnia consilia detegeret. Tum quoque plurimi illum rebus nouis studentem, acerrime impellunt, ne ipse, in cuius manu tot milium legiones fuerant, cui immensa forent sociorum auxilia, & mirus apud populum fauor, regnum expectare, quam habere mallet. Moritur Alenconius non sine veneni & crudelitatis suspicione. Quis enim ignorat, Guisiorum veneficia in hunc Principem & deuotiones? Quis nescit, quod à Salcedio Hispano dictum, dum quadrigis distentus concitatis in diuersum equis tractus, & laceratus, clamauit, se à Guisijs corruptum, vt veneno malo Ducem Alenconium necaret, eosque pridem animo concepisse, quæ postea emerserunt, vt Regem in cellulam Monasticam ablegatum abdicare cogerent, ac Principum Borboniorum familiam flamma ferroque excinderent ad inuadendum Franciæ Regnum? Vt hæc faciant, per Guisiorum ministros vago rumore fertur apud imperitissimi cuiusque promptas aures, aut rursum apud timidos, eosque noua cupientes, Regem Henrici Borbonij (quem Biarnensem vocant) processui studere, ad eum missum ex aulicis Borboniorum amantissimum Espernonium Ducem, suasurum, vt cultum religionemque Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ susciperet, verum illum ab ijs ritibus, quibus à teneris addictus erat, deduci non potuisse. Hæc Guisius habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti, cæterum animi perfidiosus & subdolus, vt erat illi dominandi cupido omnibus affectibus flagrantior, ambitionem tamen virtutis signis, & vera obscuris velans, falsum renidens vultu, seu loqueretur, seu taceret, ipse adire municipia, multa dici & scribi curans speciosa verbis, re inania & dolo plena. Credebatur à vulgo, si rerum poriretur, libertatem & immunitatem à vectigalibus & tributis redditurus: illi vulnerata facies & cicatrice deformis: clamabat, se hæc vulnera pro libertate publica accepisse, quæ grata sane ac popularia, duratura etiam si à virtutibus profecta essent: at memoria vitæ prioris apud Gallo francos nobiles indecora & vilia, quod ab ambitione vel à temeritate procederent. Illi tamen inde in Gallia apud populum fauor & spes eadem, vbi præsertim erat ignotus. Sed quæ dicebat, quanto maiore libertatis imagine, tanto erant erupturæ ad infensius seruitium, & à multis adipiscendæ potentiæ properus existimabatur. Eius inceptis fauebant aliqui inter Nobiles, qui incerta pro certis, bellum quam pacem malebant. Iam tum, vt sunt procacia vrbanæ plebis ingenia, multi Luteriæ petulantibus iurgijs Henrico III. illudebant, famosos libellos spargentes. Dux vero ille Guisius, qui ex *Annalium Taciti*, quos quidam Aulicorum Euangelium appellarunt, frequenti lectione proficiebat, ac dolis fiebat auctior, boni publici specie ingentem perditorum ciuium manum coegit, & magnus censor de multitudine vectigalium & capitationum conquestus, Regem multis calumnijs appetijt, & ita se composuit, vt imperita multitudine conciliata, nihil ei Regij præter regnum deesse diceretur. Et certe virtutum ac vitiorum tantus in illo erat numerus, vt alternis in eius animo regnare viderentur. Non illi, vt sapientibus, quietis & Reipublicæ cura, sed leuissimus & futuri securus spe vana tumescebat: nec recordabatur patrem obijsse multa quidem claritudine, sed improspera, & summo Dei iudicio per violentam mortem ambitionis pœnas dedisse. Frater eius Maynius in Aquitaniam missus cum magno exercitu, dissipatis copijs, quas contra Nauarricum Regem duxerat, Luteriam reuersus, conquerictur, se Henrici III. fraude opibus & commeatu destitutum, rem minus prospere gessisse, Caroli Magni posteros sperni (hoc enim assumebant falsæ gloriæ) quibus si belli cura committatur, nulli dubium esse debere, quin hæresis breui peritura sit. His inducti verbis, & spe prædæ ac dulcedine illecti saga plurimi poscunt, atque dant nomen militiæ, & cum suo nomine bellare & regnum inuadere non possent, iurant in verba Caroli Borbonij Cardinalis, quem sub religionis imagine fictæ pietatis laqueis irretitum in sua potestate habebant. Exinde contra Regem ac Regij sanguinis principes aperte vim belli conuertissent, atque flamma messes vbique flauescentes deuastassent, mutassentque faciem locorum omnium, ni veriti fuissent, in nascentem potentiam odia prouocare. Sed nec ausi sunt Parisienses, aut alios vicinos post multos annos molliter habitos

bitos ad duriora vertere, neque Henricum III. Catholicum manifeste aggredi. Bellum suadent aduersus Regem nostrum, quem tunc, vt Hispano gratificarentur, Bearnensem & hæreticum dicebant. Cauete tamen, ne credatis alium, quam Regem, hisce bellis appetitum. Causa enim belli erat dominandi libido, prætextus religio.

Vt belli signum Guisius dedit, continuo potentissimas vrbes & Nauarrico nomini inimicissimas recipit, & omnes iniurias Catholicis infert, quas Borbonicis partibus minitabatur, ac tandem ita se gerit Regis Hispanorum impulsu, in cuius fide & clientela erat, vt Regi Henrico III. extorserit horrendi carminis edictum aduersus eos, qui se puram religionem profiteri contendunt: cederent Gallia, nisi certum ante diem nouos ritus exuissent. Illi disiecti in diuersas terras, trahebantur quocumque voluerat Rex pacem sapientia firmare: lætiorque fuisset, quam si bellum confecisset per acies. At quemadmodum eius ingenium mite & amœnum erat, Guisij atrox & auidum, fuit coactus bello transigere. Tum Sedanicos agros populatum it Guisius: sed resistente Monloetio, fuga salutem quærit, dare se in discrimen haud imperatorium ratus. Deinde arma in Franciam rursum conuertit, vnde facile iudicari potuit, ijs, quos hæreticos vocabat, non vsque adeo fuisse infensum, quorum agris excederet; quin mallet in Gallijs res nouas contra Regem moliri. Sed cum dubius animi Hispanum in partem prædæ aduocat, monet fessas Gallias ministrandis militibus, curribus & equis. At si mari fiat expeditio, promptam ipsi exscensionem & hostibus ignotam: primum in Britanniam, quam inuadendam dicit, ad vlciscendam Mariæ Scoticæ necem, post in Franciam facilimum iter fore. Simul bellum maturius incipi, legionesque & commeatus pariter vehi. Integrum equitem equosque per ora & alueos fluminum media in Britannia & Gallia fore. Hæc eo tempore texuntur, quo sperat facile persuasum iri plebi Gallorum, vt paria sentiret cum Hispanis, neve eorum copias necessarias auersaretur: & ad eam rem prospere aduenit nuntius de fuso exercitu, quem Dux Ioysius aduersus Nauarrum duxerat. Dicunt Guisij, Ioysium aliter, quam iure belli cæsum: & vt maledicendo verbisque, quam rebus gerendis potiores sunt, nihil omittunt eorum, quæ ab impostoribus fingi & excogitari consueuere. Interea Germani ad auxilium Regi Nauarrico ferendum, partim Regis, qui Ligeris transitu ad Conam eos prohibuit, & eorum, qui cum ipso erant virtute, partim Guisiorum dolo fusi, cæsi, prostrati. Hinc aura populi suffragante, quæ veræ virtuti inuida est, victoriæ palma Guisijs eam aucupantibus cessit. Fauebant illis Parisienses, inter secunda non diuini non humani iuris memores, vt aduersis pauidi. Interim his gestis, Dux Aumallius non in Aquitaniam contra eos, quos hæreticos vocabat, sed in maritimam Belgicæ oram proficiscitur, & Bononiam atque Abbatis villam aperte obsidet, vrbes Regias, quas nulli incolebant præter Catholicos. Interim Guisianorum primi cum Cardinale Borbonio in Suessionum ciuitate conuentum habent, conscijs Parisiensium quamplurimis, qui stimulis conscientiæ torti, pœnæ formidine, ob varias in Regem coniurationes ab eo detectas præsentissimo discrimini obuiam eundum esse indicarunt: atque eam ob causam Guisium Suessionibus euocant, qui literis acceptis, præter iussa Regis interdicentis, extemplo Lutetiam aduolauit. Si quis vestrûm hominis audaciam & confidentiam miretur, Regis iussa parui facientis, cogitet, eum qui semel verecundiæ fines transierit, oportere bene & gnauiter esse impudentem. Igitur cum primum in vrbem venit, Regem alloquitur, & altius metuens tacita suspicionum ingruentem inuidiam deprecatur. Volebat abscedere: sed vt est insita mortalibus natura, propere sequi, quæ pigeat inchoare, subito mutat consilium, vnde apparuit, scelera impetu, consilia morâ valere. Factiosi namque tum exclamabant, bellum acriter gerendum, initium belli ciuilis fortunæ submittendum victorum consilijs & ratione, ac pecunia, quæ in vrbe erat, perfectum iri. Moratur igitur, & clandestinos cœtus init. *Rex* salutatur à quibusdam è vulgo, qui suum erga illum studium promittebant non frustra fore, neque tamen ob id Regium nomen & *parentis patriæ* delatum à quibusdam vocabulum sumpsit, verum quosdam ex apparitorum genere, quos Romani *Cæsarianos* appellabant, nos *Servientes* dicimus, semilis ingenij homines, qui flexis genibus ipsum Dominum vocabant, increpuit. Nolebat enim occasionem rei bene gerendæ futilibus honorum simulacbris impediri. Eius aduentu recreati Parisienses, cuncta gaudio & amore miscebant indulgentia veri, & adulandi libidine, miseram seruitutem, cui se submittebant, falso pacem vocabant. En quid possit studij popularis intemperantia! Introducti in vrbem, queis per latrocinia & raptus apta bello manus, in omne fas nefasque auidi milites, quanto laboris & rei militaris insolentes, tanto ad discordias promptiores. Nec dici potest, traxeritne Guisius aliquot alios, an (quod euenit inter malos vt & similes sint) eadem illos prauitas impulerit, quorum maxima pars spe prædæ adducti, queis bellum maxime vsui erat, alij, quod non statim dignitates, quas à Rege petierant, adepti essent, iniquam inuidiam flagitiosa perfidia vlti sunt. Lutetiam occupandam censent, caput rerum vrbem, Senatum & populum nusquam obscura nomina, etsi aliquando adumbrentur. Exultat vulgus mutabile subitis, dum trepidant pij suspensis ad cœlum oculis & animis, Deum orantes, donec faciscat seditio. Mouetur tumultus sub querelarum publicarum prætextu, quod milites per vicos dispositi, Lutetiæ ad præsidia designati dicerentur. Sed anceps erat Guisius, dum quærebatur tempus locusque; & quod in re tali difficilimum est, prima vox, dum animo spes, timor, ratio, casus obuersantur. At subiectis in rem oculis, cum monasteria & gymnasia non esse

occupata ei renuntiatum fuisset, occasione vtitur, omnes vrbis vicos & angiportus sepimentis vallari iubet, & ex armamentis publicis arma populo distribuit, ac duces mittit, qui vicatim tota vrbe delectum habeant. Tum incertus inter optimates it clamor, ad Guisium eum tantam licentiam nunquam peruenturam fuisse, nisi multorum impunita scelera Senatores tulissent. Sed qui aduersari volebant, tum sibi metuentes, fiunt temeritatis alienæ comites, non velle simulantes, quo plus authoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret. Armatur plebs in Regem ob edicta Guisianis authoribus facta, queis illi inuidiam creauerant: ipse cogitur ex vrbe secedere. Illo prodito, mox vilis fides. Guisius, qui clementiæ famam aucupabatur, cum illi mens à metu ad fortunam transiisset, egit mitius, quam facturus credebatur. In ipso nihil tumidum, nihil insolenter adrogans, nihil denique nouum in rebus nouis fuit. Nam cum ad Harlæum Senatus Principem venisset, eique Regis discessum subtristi facie renuntiasset, rogauit, ne nouis motibus perculsus deserendæ vrbis occasionem arriperet. Verum ille respondit, nihil se minus, quam fugam parare, sed cum meminisset officij sui, patribus, vt in Senatum, postridie venirent, condixisse: Post sciscitante Guisio, cur eos conuocasset? vt Rege, inquit, absente, conseruandæ illius authoritati, & stabiliendæ saluti publicæ consuleretur. Guisius breui dolorisque conscio responso territus, timensque, ne ob proditionis & adfectatæ tyrannidis crimen S C. in se fieret, domum reuersus, dubitans magis, quam fidens rebus suis, & certo sciens, Harlæum, cui semper idem vultus fuerat, nec muneri suo, nec Regis dignitati, nec suæ erga illum fidei defuturum, nocte intempesta quendam è suis Harlæo familiarem ad eum misit, qui summis precibus contenderet, ne Senatus haberetur. Quod cum is negasset, Guisius suspicione solicitus, ac metu suspensus, Reginam Regis matrem adit, vt quod frustra precibus tentauerat, illius iussu consequeretur. Dicam libere, quæ de illa tempestate censeo. Vt fide nihil melius, ita nihil rarius tunc inuentum fuisse. Multi pretio empti ad Guisium transiere: multi quoque penes eum manserunt, non partium studio, sed quoniam graue erat momentum in nomine vrbis, ac prætextu Senatus. Vnde plures erant, omnes fuere. Tum seditiosi immodicæ linguæ, & obsequij insolentes, exclamant, non dignos homines à Rege Henrico III. bonore honestatos fuisse; Henricum Lotharingium Ducem Guisium Regem fieri debere. Id optabat vulgus sine ratione præceps, pauidum, secors, ignauum, & nihil præter verba ausurum. Multi quoque nobiles, neque fidei constantes, neque strenui in perfidia fuere. Cum enim concionatores illos bis vocibus excitarent, suismet ipsis cædibus sæuiendum, seu finis miseriis venisset; seu mallent arma resumere: vnicum victis in consensu leuamentum: *Politicos* denique (sic enim pios & Regi obedientes vocabant) funditus excindendos. Tunc Myolantius Cheuretius id consilium aspernatus, dissuasit Guisio, quod concionatores suaserant: in quo non minimum ab eo laboratum, vt hoc pie faceret: sed vt difficile est temperare felicitatem, qua quis se non putet diu vsurum, Guisius suspensis & obscuris verbis, vt ij solent, quorum infelicia sunt consilia, ait, se constituisse bellum Regi facere, & extrema omnia experiri, cum fere cuncta, quæ occulte tentauerat, aspera fœdaq; euenissent, ac metuens, ne, qui illum sequebantur, à se deficerent, ad primum consilium reuertitur. Mox cogitat de conficiendis pecuniis, illas inter ciuiles discordias ferro validiores credens, & belli ciuilis neruos dictitans.

Rex Guisii insidias fugit.

Nunc adeste, quotquot estis, animis, atque singularem hominis impudentiam & amentiam dispicite. Vbi Regem subductum manibus suis intellexit, se tamen infamia cœpti, nec perfecti facinoris laborare, in omnes animi partes cœpit obseruare, si qua ratione posset tantam inuidiam amoliri. Ac primum dat literas ad Regem, quibus discessum ab vrbe ægerrime sese tulisse profitetur, nullam metuendi fuisse causam inter tot fidissimos & addictissimos: Sibi, si quid in eum tristius cogitasset, facile factu fuisse: Die 4. Idus Maij vitam eius ac libertatem in sua manu habuisse: defuisse nocendi animum, quem semper defuturum pollicetur. Rex atrocissimam iniuriam mussitans, in Carnutum vrbem se confert, comitantibus Cardinali Lenoncurio, ac Birouio, & Daumontio Franciæ Mareschallis, aliisque proceribus, qui in fide remanserant. Cæteris omissis de Guisiorum contumeliis apud Romanum Pontificem conqueritur, optatque telis eius acceptas iniurias vindicari; sed qui tunc erat factionis adiutor & caput Pontifex, respondet, nullam sibi videri causam, cur in Guisios fulmina sua contorqueat. Quamobrem mutata sua sententia Rex, Rothomagum proficiscitur, vbi scriptum edictum, quod *Vnionis legem* Guisiani vocabant, Lutetiam missum & promulgatum, ac sacramentis omnium ordinum sancitum, quo hæretici omnes, eorumque fautores dignitatibus indigni declarati. Et quamuis hoc edicto, religionis causa fœdissime à Guisianis acta, aliquem pietatis colorem haberet, tamen, vt illius vestis fuco illita, ac sine succo & sanguine, statim immutata est. Tum enim, quasi de Henrico Borbonio Rege Nauarrico actum esset, Guisij à Rege diploma sibi dari procurant, quo Carolum Cardinalem Borbonium proximum sibi agnatum declarabat, eique cooptandorum inter municipiorum corporatos artificum iura concedebat: quo diplomate, vt iura sanguinis tolli non poterant, ita nullum à Rege præiudicium Henrico Borbonio factum. Nam licet gradu proximior Cardinalis Borbonius foret, non ideo, viuente Henrico Antonij primogeniti fratris filio, habilis ad successionem erat. Mortuus enim non videbatur Gallo-francis recte iudicantibus, qui filium reliquerat, sed eadem patris & filij persona censebatur, vt in *Ecclesiast. c. 30.* Et artificum creandorum ius non semper in Francia secundæ personæ permissum,

Papa omnium factionum in Francia author & caput.

Carolus Cardinalis patruus nepoti per edictum præfertur.

missum, verum remotioribus, vt anno M D X V. Carolo Borbonio Equitum Magistro, quem *Comitem stabuli* vocamus. At hoc colore tamen Guisij ad occupandum regnum sub istius Cardinalis nomine, viam sibi parabant.

Post hæc Rex Carnutum reuersus, eo Guisium vocat. In cuius pectore magni metus, & magnæ iræ silebant, cum id præcipue niteretur, vt sensus suos abderet. Antea enim spernendis rumoribus validus, & conscientia matris innexus, à paucis monebatur, neque multi audebant illi consilium dare, quia sæpius suos rogauerat, ne, quod dolori eius causa coniuncta erat, obiecta Guisianis crimina, pro adprobatis acciperent. At memoria repetens, quæ à Salcedio dicta, cum de eo quæstio haberetur, detectis in se Guisiorum machinationibus, quorum vt causæ acriores, quis iniquæ, ita infractos animos eorum expertus, & illis commotus, ad comitia condicta prius Blæsis habenda contendit. Interea renunciatur Hispanæ classis iuxta portum Calcitinum clades insignis, naues fere omnes clausas fuisse, & æstu maris absorptas; vel in Syrtes & vada deiectas, vt solæ tempestates incruentam victoriam Anglis deportarint: quod diuino numine cecidisse, proculdubio est ad nimiam Pontificis & Hispani potentiam reprimendam. Siquidem inter se prius Romæ consilia contulerant, atque his legibus suscepta fuerat expeditio, vt, si Angli venirent in potentiam eorum, regno sororis Pontificiæ filius præficeretur. De successu certior factus Guisius per Mendozium Hispaniæ Legatum ad Philippum Austriacum, & in Galliæ vrbes per suos ministros læta sæpius, quam comperta, nuntiari curat, & in ædem beatæ Mariæ Virginis Carnotensis ingrediens, illic gratias egit, quod Hispaniæ Rex gloriosam victoriam consequutus esset. *Classis Hispanica clades.*

Interim Blæsis conueniunt vndique collecti factionis Guisianæ primores ex singulis Galliæ ciuitatibus. *Comitia Blæsensia.* Quibus congregatis Rex Cardinali Borbonio stipatus, & Vindocinensi (qui semper illi vt coniunctissimus, ita fidissimus fuit) de rebus gestis orationem habet, meditato temperamento non in speciem verbis adornatam, sed quæ penitus sentiebat dicens, intentior fide & sermone. Guisiani offensi dicta liberius reprehenderunt, ne in lucem edita oratio, vti pronuntiata fuerat, verum retractata. Post hæc, manente aliquot diebus ex parte Guisianorum concordia, offensionum operta metuebantur, & missi è prouincijs, qui Guisio fauebant, aduersus Regem exclamant. Tum haud facile dispiciebatur in ijs, quæ respondebat, mens Principis: adeo vertebat ac miscebat iræ & clementiæ signa. Comitem Suessionensem ad Concilium fide sua venire iubet. Post cuius aduentum, eum hæreticorum fautorem Guisiani clamabant, & iussu ipsius Ducem Ioysium in Corriaco prœlio contra fas gentium & belli iura impie cæsum: illum itaque trium ordinum iudicio, vt hæreticorum fautorem, dignitatibus omnibus priuandum contendebant. Regij contrà falsa dicentes, quæ Suessionensi à Guisianis obiectabantur, Regem monuerunt, frustra Borbonium P. Condæi filium in aulam euocatum, si gliscere & vigere Guisios æmulos passurus esset: Principem Contiom illius fratrem, & Cardinalem Vindocinensem, ac Montispenserij Ducem, omnes denique Borbonios, vt vere Francos, id ferre non posse. Nullos mortalium armis, aut fide erga Deum & Regem ante illos esse: perspectam Regi Cardinalis Vindocinensis indolem, qui hoc habet solidæ gloriæ, non adumbratæ, quod factiosos, & regnandi spem inijcere volentes, oculis fugit, auribus respuit, & animo aspernatus est: qui sæpius dixisset, non sibi animum initio, non fidem ad extremum defuturam. Regalem certe, & dignam Borboniorum genere sententiam. Quæ Rex audiens, sæpe apud se pensitauit, an aperte faueret Borbonijs, dubitans, num coerceri tam profusæ Guisianorum cupidines possent, ne coercitio plus damni quam commodi in Republica adferret. Plena erant omnia suspicione, & quod in perditis rebus accidit, multi præcipere & consulere, quæ agenda videbantur, nemo exequi. Interim Guisius congregat suos, qui Regem authorem fieri voluerunt eorum, quæ plebs contra Henricum Borbonium Nauarricum Regem & Suessionensem Comitem scitura esset, antequam inita essent suffragia. Videte quæso, Viri Principes, num commodis publicis, num paci stabiliendæ, tot inimicitiarum, tot proscriptionum semina disserebat. Hac certe ratione Franciæ Principatum ambiebat Guisius, fratris sui auxilio, qui, licet Cardinalis dignitate fungeretur, aliquot ante diebus Trecis inter asotos, & libidinis causa, & vt plebicola videretur, sese cibis ingurgitauerat, ventre & gula ipse sibi plus quam hæreticis hostis: sed ciuile tebatur misceri voluptatibus vulgi, & impetu magis, quam cura valebat. Tunc plena erat vrbs Blæsensis Lotharingis & Hispanorum affeclis, periuris, infamibus, decoctoribus, prædonibus, iuris legumque temeratoribus, qui agitabantur magis magisque indies, feroces inopia rei familiaris & conscientia scelerum, quibus bello ciuili opus erat. At Guisius summam dignitatem Tribuni militum, quem Franci *Comitem stabuli* vocant, ambitiose petit: & Concilij Tridentini multa contra authoritatē Regiam capita continentis, promulgationē postulat, id agens per Episcopos aliquot seditiosos, quales erant ij, qui sub Ludouico Pio in conuentu Compēdij habito olim in Regē insurrexere. Nec mirum, si parum pij, & perduellionis rei, similes successores habuerunt, cum diutius durent exempla, quam mores. Sed quoniam his machinis authoritatem Regiam conuelli, & Gallicanæ Ecclesiæ iura euerti, ac libertatis neruos incidi sensere peritiores, omni studio depellendum esse à Gallorum ceruicibus iugum conclamauerunt, atque non proscriptionis, non infamiæ, neque mortis minis adduci potuerunt ad Reipublicæ causam deserendam. Vere nobiles animi, macti estote tantis virtutibus. At alij multi metu & Guisiorum minis, alij su-

perstitione aut nimia religione ab officio suo discessere, in domesticis quidem rebus continentiæ gloriam, at in publicis dignitatis laudem non quærentes.

Rex interim dubius à quodam Roma nuper reuerso, quærit se certare, quid de Rebuspublicis Xystus Pontifex sentiret? Is Regi respondit, se ab illo audijsse, occurrendum malo, & inijciendos ex duce metus sublatis seditionum authoribus. Sic Papæ visum, cui statim ac aliquid in se hostes suos moliti renunciatum fuerit, non relinquebat famam, sed præueniebat. His auditis; Rex incertus suos sensus premeret an promeret, Guisium lenibus verbis alloquitur, nihil tam verens, quam ne dubitare quidem de re videretur, & fidenter forte cum eo egisset, ni detecta Guisianorum, qui in illum conspirauerant, coniuratione à Duce Maynio monitus fuisset eorum, quæ fratres contra fas & obsequium debitum meditabantur. Sed cum intellexisset, eos ita paratos, vt vim corpori ac vitæ, cum vellent, inferre possent, in extremo stomachatus sese ipsum collegit, & vt in factione cruenta, & seditione præmpta fieri expedit, eos interfici iussit. Nec enim inter tot hostes, tot infidos & corruptos satellites alia salutis tenendæ via. Id factum accusant multi, quod indicta causa duo illi fratres puniti sint, pœnam non priuatis odijs, sed legibus pendendam, eos, si quid deliquissent, capitali iudicio postulari potuisse. Pessima mehercule capita sic sentientium. Nam quotus quisque est seu Catholicus, seu Christianus, qui nesciat, summum Principem ius gladij & meri Imperij habere, & præsertim Regem Francorum, qui statim à Regni cunabulis excellens inter omnes, *Rex* per antonomasiam vocatur (vt testatur Suidas) quemadmodum olim Persarum Princeps. Non licet nobis inter Regem & Guisianos ius & iniuriam discernere, id sacris legibus prohibitum, & Concilio Constantiensi contra Ioannem Hussum & Vicleuum, quorum hæresis in multis capitibus damnata: inter quæ vnum erat, *Principem à subditis corrigi posse.* Aliæ enim leges Christi, alia præcepta Petri & Pauli, qui ne tyrannis quidem Iudæam & Romanum Imperium tenentibus resistere voluerunt, multo minus Principibus legitimis, & hæreditario iure in regno succedentibus à suis bellum inferri permiserunt: Sperabatur optimus post mortem Guisiorum dies primus. At Maynius cum suis hæretica Hispanorum Marranorum labe infectis, inter quos nulli instantius mœrebant, quam qui maxime lætabantur, per vltionem fraternæ cædis sibi iter ad occupandam Franciam patefactum existimans, & regni causa ius violandum putans, vindictæ colore Hispanorum consilio atque artibus, qui partem regni sperabant, vrbes Henrici III. & bona, & Regium diadema sibi ad prædam proposuit, ratus, se facilius ad regnum peruenturum, si nefarijs flagitijs populum Parisiensem perpetuæ indeuotioni obliget, quo minore spe veniæ cresceret vinculum sceleris. Ista secum voluens, cogitat de Guisianæ familiæ incendio, ruina Reipublicæ Francicæ extinguendo. Ad Parisienses scribit, se omnia bona in spe habere. Acceptis ab eo literis, it in Senatum Dux Aumallius Lotharingus, inter quem & leges cum Senatus disceptaret, victæ sine dubio leges fuere: sed neque statim & paucis suffragijs, quomodo etiam, cum valerent leges, vincebantur, quia non elanguerant adhuc Præsides & Senatores. Erat enim & post mortem Ducis Guisiani adhuc frequens illis, si quid è Republica crederent loco sententiæ promere: & cum rogati fuerunt, vt Regem indignum administratione Regni & Reipublicæ hostem ex decreto Sorbonici Collegij iudicarent, responderunt, quod à Rege factum sit, neque Pontificiæ, nec Sorbonicæ notionis esse, Principem legibus solutum à Deo solo pendere. Tum supererant aliqua vestigia morientis Senatoriæ libertatis. Et Senatus Princeps Harlæus minitantibus Guisijs grauissime dixit: Mori se posse, sed ad fidem deserendam cogi non posse: ita se confirmatum, vt iniqua cum Rege conditione, quam æqua cum subditis deficientibus esse mallet. Post hæc Dux Aumallius armatos nebulones, vulgus obæratorum, qui honores, quos quieta Republica desperauerant, perturbata se consequi posse arbitrabantur, in forum mittit, inter quos erat homo abiectus inbm sub sellij & postremi ingenij, Deus bone, quam teter, quam truculentus, quam impius, quam terribilis aspectu, qui non tam pragmaticum vultu præferebat, quam sacrilegum & latronem.

Rex pro Rege Francorum propter excellentiam.

Consiliarii Regis in Parlamento capti.

Ab illo deturbatis ac diuulsis, qui in supremo tribunali sedebant, extrema vis paratur, insontes in vincula abripiuntur. Nunquam vidistis grauiorem Senatorum incessum, nec digniorem. Putassetis eos, qui ducebant, ab ijs in carcerem abductos. Erant hilari & læto vultu, vt in magnifico ornatu & comitatu: eadem illis frons, quasi niterent vnguentis, vt Romani veteres, & fulgerent purpura. Quod si qui in Senatum post hanc perturbationem & tumultum ingressi sunt, se & fidem suam domi continuissent, id quod maiores consilium publicum vocari voluerunt, præsidium sectorum non fuisset, vt postea fuit. Sed heu (quod piget dicere) missi sunt horum hominum consilio ad vrbes, & fundos, quos Lotharingi vocabant, populos, sacramento fidei adactos, quasi ad ligios vasallos Guisiarum querelarum legati. Erupere aliquot, Parisiorum & Aureliorum exemplo, quibus Guisij illum colorem introduxere, quo frequenter vti consueuerunt, religionis nimirum & pietatis. Erupissent quoque Andegaui, Turonij, & multi alij, nisi Præfectorum & nonnullorum, qui se suaque pro Principis incolumitate deuouerunt, fide, prudentia, ac vigilantia cohibiti fuissent. Propere fessis factiosorum rebus, succedit Maynius, atque cunctantem Regem & futuri securum fere opprimit. Nutantem ille fortunam suscipiens, Parisiensium mobiles animos occupat, quo summæ rerum facilius præficiatur. Illi enim, dum libidini suæ parerent, nil pensi habebant, sumerent Principem, an quærerent. Sic in Maynium collatum rerum omnium arbitrium sub Vicarij generalis nomine.

mine. Atque vbi primum hac potestate auctus est, Senatores quosdam aduersus Henricum III. Regem quæsitores dari iussit, ob cædem fratrum: qui cum ad Senatum corruptum elogia retulissent, dies dicta Regi ac Regis ministris, id requirente eo cui Maynius Regni procurationem commiserat, qui primum religionem nouam, quam dicunt, professus, vtilitatis causa consilia sua referens, Catholicum simulauit, ratus, se inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem gloriam consequi posse. Cum eo Rempublicam corrupere pessimi oratores, vel, vt vere dicam, impij scriptores, atque leuem plebeculam ad omnia flagitiorum extrema suis verbis & exemplis impulere.

Dum hæc Luteriæ geruntur, malis nostris adhibitum remedium, pactis inter Regem Henricum III. & Nauarricum inducijs, quas boni omnes optabant. Hæ diu impeditæ fuerant à non nullis, qui Regi dicebant, solidam inter eos fidem coalescere non posse: at nihil æque nobis profuit, quam potentia impotens criminantium, qui propria ira moti, innocentiæ ac industriæ Henrici Borbonij, quasi malis artibus infesti erant: quibus cum aliqui Gallo-franci acriter restitissent, monentes Regem, ne auxilium sperneret, quo pereunte, pereunt imperia, & nullum cunctationi locum in eo consilio, quod non poterat laudari, nisi peractum, & præcipuum bonorum incitamentum ad id faciendum, quod improbi mœrebant, cum diuersis sententiis Regij Consiliarij forent. Rex, qui cunctator erat naturâ, diu moratus, non dicta sententia, tandem ad Nauarrum scribit, se & illum in eundem casum tractos, velle itaque Borboniam familiam pristinæ dignitati restituere. Salue fortunate dies, quo primum in spem libertatis ingressi sumus, quo accedente Henrico Borbonio Rege Nauarrico, Principe ad æternitatem Francici nominis nato, fraternas Regum dextras coniungi vidimus. Salue ô magne Princeps, qui tuorum multis dissentientibus, & aditum ad Henricum III. improbantibus, nisi magna comitante militum caterua, Reipublicæ, quam tuæ saluti potius credens, nullam diffidentiam in consilium cogitationum tuarum adhibuisti, sed continuo ad Regem tuum exoptatus aduolasti, clamans nihil illustre, aut ex dignitate Francorum fieri posse, nisi coram & sub oculis tui Regis. Ante aduentum tuum nobis fuit domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior: denique nil reliqui habebamus, præter miseram animam. Post sese obtulit illa, quam sæpe optauimus, libertas. Non iam seruire, sed imperare Franci parati sunt. Sic inter se coniuncti fratres ad Plessæos hortos capita conferunt. Offert se Nauarricus belli & periculi socium, & si Rex velit Ducem, Regiis tamen auspiciis, admonens illum, ne amplius consilia post res capiat, ne agendi tempora consulendo consumat, ne dies rerum verbis terat: hostes non verbis, sed armis vincendos: vnam in tua salutem, & licet ea consilio temperanda, celeritate opus esse: non sibi vitam tanti, si illam perpetuo armis tegi oporteat, bellum tamen gerendum, & pacem victoria, non pactione pariendam. Facile hostes superari posse: nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum, quam famam potentiæ non sua vi nixæ. Magnas res Guisiorum, sed non ad summum elatas, stante adhuc Rege, & Borboniorum familia, validisque per Franciam militibus: Guisios ab Hispanis auxilium sperare, sed tardum illud, aut si celerius venerit, infirmum fore. Dum eos sermones inter se serunt, intenta erant in Nauarricum vniuersi populi lumina satiantis oculos eius Principis figura, quem ad omnium aures iampridem fama retulisset. At cum primum illinc discessum est, Salmurnium profectus, cogit copias, suisque militibus promittit, se ducturum, Regisque voluntate ac authoritate suas cohortes ab aliis separatas, licet iisdem in castris habiturum, vt discretus labor alios ab aliis distingueret, atque ipsa contentione decoris accenderentur. Monitus per exploratores & proditores Maynius, qui tum Vindocini erat, cum Nauarricum absentem intellexisset, ad Turonum suburbia exercitum ex ingenti equitum & peditum numero conflatum adducit, vbi vna die certatum. Sed audito Nauarricià Rege euocati aduentu, fugam adornat, atque paulo post Syluanecti prœlij nuntio perterritus, & pugnæ iuxta Bonæ-vallis vrbem commissæ, vbi factiosi victi fuerant, ad Parisios se contulit.

Rex illum secutus, paucos habens milites, sed virtute præstantes, Lutetiam obsidet, quam pauentem & anxiam breui cepisset, ni fuisset morte præuentus. At quem virtute & armis superare non poterant, dolo oppugnant Guisiani: & vt eis mens est ad templa perfugere, vti eo ad flagitia subsidio vtantur, ita impurum monachum Iacobum Clementem Dominicanum claustro auellunt, & variis Dæmonum præstigiis animæ simplici & rudi illudentes, tandem illam corrumpunt, eique Regis cædem mandant: & cum ab iis contenderet, vt securitatem præstarent, & nisi ea data, se non exiturum: Responderunt illi, turpe esse monacho rediturae vitæ parcere: pergeret igitur audacter, Politicorum omnium, præsertim Nobiliorum in carcerem coniectorum condemnationem obsidem illi dantes, si patrato facinore atrocius in eum animaduerteretur. His promissis persuadetur & vincitur monachus. Circumuenitur etiam alio commento hominis egregij fallendi artificiis, & capitis polluissimi, qui literas mentitas & falsas ad Regem à viro gratissimo perferendas Dominicano tradit, cui vt facilior aditus ad Principem esset, hæc insusurrant Guisij: Rex, inquiunt, & Regis familiares signa & manum eius requirent: est enim Regi charissimus, nec metuendæ custodiæ: has tu ferens literas lætè excipieris ab omnibus. Pergat itaque, iubent, & credat sibi ab omnibus, qui tyrannos occiderunt, & patriam seruarunt, certum esse in cœlo ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur. Istis verbis impulsus, ad Regis castra proficiscitur, & infelici viri cæteroqui

Induciæ cum Rege Nauarrico.

Henrici III. Regis cædes.

boni & Regi fidi admissione Regem ipsum, proh facinus! nefaria manu percussit, Rex vulneratus suos acciri iubet: fleri se velle, sed non vindicari dicens: Henricum Borbonium Nauarricum Regem hæredem Regni & successorem agnosci præcipiens, à quo sciret ab institutis piorum nihil immutatum iri. Horret animus tanti flagitij imagine, mihique dolor vocem debilitat & includit. Non enim Francorum, sed Gothorum est, à quibus Hispani orti sunt, Reges suos occidere, qui, vt Aimoinus scripsit, iam olim vitium hoc in consuetudinem vertêre, vt, dum eis Rex suus displicuerit, à suis interimatur. Sed hostes factum scelus loquuntur, faciuntque: & nuper ab illis edita Oratio sub Xysti Quinti Romani Pontificis nomine, vt parricidio nefandissimo sacrosancti Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ patris authoritas præstetur, quasi Inclemens ille monachus à Deo missus fuerit, vt Parisios liberaret. At vbi tanti facinoris nuncius in exercitu percrebuit, Me miserum, quantus omnium animos luctus inuasit! fletu confusa primum ora, mox dolor in furorem versus est: iurat exercitus Henrico IV. præeunte se id parricidium vitæ omnium discrimine vindicaturum, & Henricus IV. Rex noster iustissimus cæso Rege & fratre dixit, cadere se potius velle, quam mortem Regis & fratris sui amantissimi impunitam sinat. Hic itaque mihi eius nomine exclamare liceat: Tua Rex Henrice, qui amicitias magis meruisti, quam habuisti, tua cœlo recepta mens, tua pater Antoni imago, tua Ludouice Condæe Princeps charissime patrue, tui memoria cum Gallo-francis militibus, quos iam pudor & gloria teneat, eluant hanc maculam, irasque ciuiles in Regis Hispaniæ & Guisianorum caput vertant. Restat eheu tantum illa scelerata, & pene dicam deletrix huius Regni sica deprehensa. At si Francia impleta luctu continuo, & per omnem aciem miraculum, questus, & sæuissimi belli exeeratio fuit, si quos spes Francorum, si quos propinquus sanguis, etiam quos inuidia erga viuentem mouebat, inlachrymarunt quondam florentem & tot bellorum superstitem Regem monachi fraude cecidisse: Ego illos sequar, qui nunciata morte Principis, quanquam ne insignibus lugentium abstinerent, altius animis mœrebant. Trepidare nolo, vt fecerunt quidam, qui verba iurisiurandi in Regis Henrici IV. manu data per varias artes mutarunt: illi videlicet, quos flagitiorum Guisianorum conscientia vexabat. Neque mihi, neque pijs Gallo-francis placet eorum religio (si religiosi dici possunt) qui iusta & exequias Henrico III. Regi denegarunt, cum ne hostes quidem sepulturam inuideant. Nostrum est voce, vultu, & lachrymis à Deo misericordiam elicere, vt benignis oculis nos respiciat, & Franciam tueatur, eoque fauente, rerum faciem, quæ mutata est, restitutam videre liceat, impiosque illos vlcisci, qui ægro Principe lætos dies egerunt, & furias illas ingentis animi, quæ sæpius dixerunt, beatas se fore, si pauissent oculos, spectata Henrici III. morte, horrendas mulieres, quæ in modum ferarum veste ferali crinibus disiectis per varias Galliæ vrbes facem belli prætulerunt, crudeli mente incitatæ, & scelus anhelantes. Iuuabit nos Deus, fient elogia & notoria, quæ reos huius abominandi parricidij conuincent, & licet quidam adroganti & subdola mora scelerum probationes subuertere conati sint, tandem sciemus, quis cædem mandauerit, quis persuaserit, quis compulserit parricidam, cum mediæ illi spes essent: & incantatorum ac impostorum, qui clericum ad percutiendum induxerunt, nota erunt artificia, denique vt iusto Dei iudicio Clemens ille impius, ille impius suo gladio occisus est, licet stolidum vulgus eum inuiolabilem crederet, tandem manu diuina parricidij huius conscij plectentur: & si quidam nuper accepto supremæ necessitatis nuntio cædis authores nominare noluerunt, ne sectæ, cui sunt à Iesuitis initiati, mysteria referent, veritas in monasterijs non semper latebit, nec impiæ frontis integumento, aut alijs artibus ad occultandum tantum facinus diutius vti licebit. Recordamini Gallo-franci eorum, quæ ab Henrico IV. vobis dicta sunt, cum post Henrici III. obitum iuuenes authoritate, viros exhortationibus, & senes precibus admonuit, placidus ore, intrepidus verbis suorum lachrymas coercens. Nonne scitis, Guisianis ipsis hoc parricidum abominandum & execrabile visum fuisse, & eos, licet ipsorum consilio perpetratum esset, vt inuidiam à se amolirentur in Regis Nauarrici, quem Biarnensem Principem vocant, tanquam sceleris architecti caput, crimen reijcere voluisse? Quod ipsos non puduit falso Romam & in Germaniam post Regis obitum scribere, vt ex literis interceptis didicimus calumniarum & conuitiorum plenis, quibus hi pro suo more emolumenti sui causa mentiuntur.

Papa Oratio pro perpetrato parricidio in Regem.

Iesuitarum mysteria.

Non possum credere, Papam Xystum adeo amentem fuisse, vt vel dixerit, vel scribi iusserit Orationem illam, in qua parricidium illud incarnationis D. N. Iesu Christi mysterio comparatur. Absit, absit hoc à Catholicis, veram Apostolicam & Romanam fidem profitentibus, vt parricidas defendant. Crimina ista facilius patiuntur, quam accusantur: & certe qui illa sua Oratione defendere voluerunt, stoliditatem animi patefecerunt; cum incarnationis mysteria defecatissimis mentibus vix percipiantur. *Homo enim*, inquit Gregorius Nazianzenus, *ad imaginem Dei conditus, cum filios habuisset, quorum vnus cæde fraterna sese incestauerat, multifariam ob multa peccata, quæ ex vitij radice pullularunt, secundum diuersas causas & tempora castigatur, sermone, lege, prophetis, beneficiis, comminationibus, plagis, aquis, incendiis, bellis, victoriis, cladibus, signis ex cœlo, aere, terra, mari, hominum, gentium, vrbium insperatis mutationibus, quæ omnia eo tendebant, vt malitia protereretur, validiori tandem medicamento propter grauiores morbos indigere cœpit. Hoc autem erat ipse Dei filius archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus, & ratio: ille, inquam, ad imaginem suam se contulit, carnemque carnis causa gessit, vt simile similis*

Papa parricidium comparat incarnationi Iesu Christi.

opera

opera & adiumento repurgaret, atque humana omnia, excepto peccato, suscepit, seipsum exinaniuit, formam serui suscipiens, qui plenus erat, vacuatus est, vt plenitudinis ipsius homo particeps efficeretur, propter hominem egenus factus: qui locupletes alios fecit, eget. Carnis enim humanæ paupertatem subijt, vt homo illius diuinitate ditesceret. Quænam bonitatis diuitiæ? quodnam hominem circumstat mysterium? Diuinam imaginem habuerat homo, at nec sartam tectam illam habuit. Ideo illi restitutore Christo opus fuit. Quantum ab hoc mysterio, quo non occiditur homo, sed sententiam passus, restituitur, quantum abfuit Clemens parricida, qui diuinam Regis imaginem deleuit, & affinitatem, quæ inter cœlestia & terrena contracta erat, impio parricidio dissoluit? Monachus formam habens serui, plenus abominationis, qui seipsum exinaniuit, vt orbem terrarum omni impietatis cumulo repleret, qui non solum alteri nocuit, sed patriæ, & vniuerso populo Francorum, & sibiipsi per peccatum labefactatus. Sed placent Hispanis, qui in miraculum corrupta veris antehabent, falsæ similitudines: cum apud illos superstitio pro religione, parricidia pro mysteriis iampridem haberi consueuerint. At pietas in specie fictæ simulationis esse non potest. Vera esse debet: & hoc fundamentum est omnium virtutum. Damnanda igitur, non colenda parricidæ istius memoria, qui parricidium perpetrauit, quod excusari non potest: & detestandæ hæ, quæ in Euangelio vocantur viperarum generationes. Qui eas venerantur, vt meliores reddi possint, videant ab Augustino Heremita Anconitano scripta, cum de incarnatione loquitur. Lubet hic Itali hominis authoritatem, qui ex eadem, ex qua Xystus Quintus regione oriundus fuit, Hispanis opponere. Ait, *In Christi incarnatione in potestatis regalis ostensum esse, quia Christus ex tribu regali traxit originem secundum carnem: potestatem etiam sacerdotalem demonstrari, quia suum aduentum per filium sacerdotis Iohannem Baptistam voluit nunciare.* At quam ab isto incarnationis mysterio diuersum est Clementis parricidium? Imo quam illi contrarium? Clemens enim à Dæmonibus & eorum satellitibus Lotharingis & Hispanis impulsus, vt Regalem familiam, imo & dignitatem cum Rege extingueret, & sacerdotium perderet, vt religiosas manus scelesto gladio contaminans sacra & prophana misceret, denique vt hostes Christiani & Gallici nominis Hispanos in Francorum regnum introduceret. Sed libet etiam adhuc proferre differentiam inter incarnationem CHRISTI, & parricidium Clementis. Summa & generalis incarnationis ratio à veris Theologis tradita est, vt à peccato, à regno Satanæ, & æterna condemnatione redimeretur genus humanum. De hoc Apostolus in Epistola ad Hebr. 2. *Quoniam*, inquit, *pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse particeps factus est eorundem, vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum, & liberos redderet eos, quicunque metu mortis obnoxij erant seruituti.* At Clemens parricida seipsum æternæ damnationi submittens, Regem suum percussit, & monachus audacia furens, Franciam fere totam perdidit. Hoc non fecit Clemens, quod amans patriæ suæ esset: nec imitatus est CHRISTVM, qui carnem suscepit, quod humanus esset circa homines, ideo non effigie, sed natura mutatus: sed monachorum impiorum prædicationibus, & confessorum suorum persuasionibus inductus ipse postremæ ignorantiæ cucullio in suum Principem inhumanus fuit. DEVS, quia dilexit mundum, filium suum dedit: at Clemens à Diabolo missus, vt Regem occideret, quem Hispani & missi ab iis, non concionatores, sed belli præcones oderant. CHRISTVS incarnatus est, vt fratribus similis fieret, iuxta illud Apostoli: *Debuit per omnia fratribus similis reddi.* Etenim qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. At Clemens parricida à pura religionis vita abhorrens, suo iniquo facinore fratres prophanauit, eisque notam inussit, quæ illos perfidiæ, parricidij, & omnium criminum reos posteris testabitur. Nolo exclamare, vt multi faciunt, ablegandas eiusmodi hominum propagines. Nam qui bene facient, à nobis colentur. Nunc pergendum, vt, quantum Clementis parricidium ab incarnationis mysterio differat, ostendamus. CHRISTVS incarnatus est, vt misericors esset, ac fidelis Pontifex in iis, quæ apud Deum forent agenda, vt pontem sterneret, per quem homo ad cœlum ascenderet, & ad expiandum peccata populi propter nos natus est, vt, qui dederat, vt essemus, daret, vt bene essemus, imo vt nos, qui propter malitiam bene esse desieramus, ad idipsum per incarnationem reduceret, vt nouum hominem indueremus, veterem exuentes, & vt in primo obieramus, ita in Christo secundo viuere possemus, & simul existentes, & simul patientes, & crucem gerentes, & simul crucifixi, & eodem tumulo sepulti, & vna cum eo resurgentes. Clemens contra, fœdissimum & teterrimum parricidium patriæ commisit, homo furore & amentia perculsus, vt qui tam immania admittunt facinora, quorum improbitas, quæ in animo versatur, nunquam sinit eos respirare, neque vnquam quiescere. Satis foret hæc stultis respondisse secundum stultitiam suam. Sed vt monachi monachorum argumentis refutentur, addam ex D. Thoma, *incarnationem Christi ad delendum omne peccatum destinatum fuisse.* At parricidium Clementis supra omne scelus est. Incarnationis mysterio demonstratur Dei bonitas, sapientia, iustitia, & potentia: facinore Clementis eius improbitas, amentia, iniquitas, & impotentia naturæ motus. Incarnatione Deus nullo modo mutatus est. At Clemens parricidio mutatus, ex homine in monstrum conuersus, membrum Satanæ factus est.

Addunt impij in Oratione illa Romæ edita, facinus Clementis resurrectionis mysterio comparari posse. At quantum vnum ab alio distet, inde colligi potest, quod Christus resurrectionis præsidio acerbum incendium, quo non solum omnium hominũ fortunæ, sed & animæ conflagras-

grassent, vt incarnatione tanquam aqua, sic morte sua, vt ruina reparans resurrectionis ope restinxit. At impius monachus tantum Diaboli seruorum consilio in vniuersalem Franciam incendium, imo in totum Christianum orbem excitauit, vt à nemine, præter Deum & Regem nostrum, cum quo Dei manus est, Ecclesiæ Catholicæ subueniri possit.

Ne itaque Hispani clament miraculum à Clemente factum. Nam quid inde consequi possent? Nihil plane. Iuris enim Pontificij Doctores tradunt, miracula quandoque fieri per malos: nec ideo oportere nos venerari pro sancto, quemcunq; miracula facientem. Siquidem aliquando per efficaciam erroris, & vt puniantur, qui Diabolo credunt, Deus permittit mira fieri per Thaumaturgos: sed antequam illis fides adhibeatur, & in Diuorum numerum referantur, de vita anteacta inquirendum, & Pontifex certior fieri debet. Imo grauissimus Doctor præclare dixit olim, *Nos multorum corpora venerari in terris, quorum animæ cruciantur in inferis.* Vt olim Athonis Ethnici, Epimenide Crete suadente Cylonio scelere expiato, fecerunt contumeliæ fanum & impudentiæ, & cum virtutibus vitia consecrarunt: ita hodie Hispani faciunt, mori forsitan eorum consilio, qui adserunt, non esse contra religionem, nocentem defendere, licet id fugiendum sit. Sed si qui Clementem mortuum laudibus extollunt, vitam eius nossent, illius memoriam damnandam agnoscerent. Homo erat impius, vili & seruili ingenio, criminum ignobilium reus ob furta grauioresque mores antea cœnobiarcharum iudicio motus ab ordine, iampridem dignus, qui infelici arbori suspenderetur. Nec habebat vlla Spiritus sancti dona, quorum nomine commendari posset.

Quis igitur credat, summum Pontificem Xystum V. Orationem habuisse de laudibus Clementis? Quinimo si ei licuisset suo, non Hispanorum arbitrio viuere, dixisset potius ea, quæ scripsit Hieronymus in Ieremiam: *Vnius peccato iram Dei super omnem populum venturam.* At Hispani, qui doctores non habent, sed percussores; in eam sententiam aliquem Romanum induxerunt, vt sermone inutili sub authoritate Pontificis infirmiorum conscientiam vulneraret, contra ius diuinum, & decretum Anacleti Papæ his verbis conceptum: *Tenere vos, & omnes fideles oportet, eum, qui secundum doctrinam fidelis est, sermonem, vt possit consolari in doctrina sancta, & contradicentes redarguere, & recte viuentes, ac rectam fidem tenentes, conseruare.* Quod si Pagani olim à recta conscientia nullo modo discedendum existimarunt; quid Christianis faciendum? Num eos deuouere, & eorum scripta execrari debent, qui illos imitantur, à quibus *Encomium Neronis*, & aliorum parricidarum scriptum est, & qui parricidam perditissimum, Italico stylo, quamuis ita de suo scelere & immanitate audierit, vt & naturæ nomen amiserit, tamen quasi egregiæ & præclaræ indolis virum laudarunt: denique, quod ab omnibus vituperatum est, quasi illustre facinus magnificis laudibus exornarunt. At scire deberent isti laudatores, inter ea, quæ pro iustis recepta sunt, vltionem non esse, & licet vulgus animosa miretur, & audaces in honore sint, placidique pro inertibus habeantur, id primo tantum aspectu videri, nec laudandum esse ferum illum & hostilem affectum; qui nihil in se habet neque honestum, neque vtile, maxime in monachis, queis casta omnia, pura & integra esse oportet: & ab ijs, qui inter illos sunt, impuras mentes, & iniustas manus sacrosanctas censeri non debere. Quo enim sanctiores illos esse oportet, eo ipsorum iniuria latius patet, atque infamia & odium seculis traditur. Et si natura Regum inter apes iram inermem esse voluit, multo magis monachorum, qui in seruitutem se tradiderunt, quibus pro regula est obedientia animi fracti & abiecti, atque arbitrio carentis suo. Quapropter ne quis Clementem istum monachum vt sanctum laudet, non diuino Spiritu incensum, sed Guisianorum & Hispanorum consilijs & suasionibus inflammatum, qui animo gladiatorio ad Regem accedens, Dei vncto percusso, Dominicanorum ordini perpetuam infamiæ labem & ignominiam aspersit. Quis sanctum illum putet, qui, cum impij illum cohortarentur, vt parricidium perpetraret, sermonibus eorum suas aures dedit, non recordatus, eas in alta corporis parte collocatas, vt nihil nisi diuinum exciperent? At obtusæ erant criminatione Burgonij, & eiusmodi concionatorum, tam ex prædicatorum ordine, quam aliorum, qui in Regem debacchabantur, eum Tyrannum vocantes, & in rudes ac crassas simpliciorum mentes, quidquid à Guisijs iubebatur, quæstus causa infundebant. Quis ergo hunc parricidam laudet, nisi hæreticus & Ophitarum sectator, qui serpentem colebant, dicentes, illum in paradisum virtutis cognitionem induxisse? Certe isti parricidarum laudatores magni sunt patroni. Hominem occiderit oportet, qui illorum indigeat opera. Cum pietatem non colant, impietatem laudant. Num videtis (Gallo-franci) id quod Guisiani & Hispani; aut illorum fautores, qui Romæ sunt, huic parricidæ laudi tribuunt, statim in dedecus conuerti, velut quod in honorem serpentis dicitur, à quo mors hominibus oblata est?

At impij isti parricidam Eleazaro similem dicunt, qui in Machabæorum historia idē fecisse dicitur, quod Mutius contra Porsennam. Sed Clementis flagitiū his exemplis defendi nō debet. Olim equidē Caius Mutius adolescens Romanus, cum penetrare in hostium castra constituisset, profectus est, vt Porsennam Hetruscorū Regē occideret, ideo laudatus, quod ei indignū visum fuerat, populū Rom. seruientē cum sub Regibus esset, nullo bello, nec ab alijs hostibus obsessum esse, liberū eundem ab Hetruscis obsideri, quorū sæpe exercitus fuderat. Is igitur approbantibus patribus exijt abdito intra vestem ferro, & scribā ornatu Regio multa agētem, pro Rege obtruncauit,

fuit, nec solum à suis honos illi delatus, & ob cladem dextræ, quam ignibus torrendam iniecerat ei Sceuolæ cognomen inditum: sed ob constantiam insignem, iubente Porsenna, liber, intactus, & inuiolatus iure belli dimissus est. At Clementis facinus ei laudi esse non debet: imò ob id, quod fecit, etiam hostes nostri à Dominicanis caedendum dicunt. Quis est igitur laudator, quis orator, qui sine culpa, imo sine crimine possit infandum istud illius scelus celebrare? Is non hostis dici potest, cum esset subditus, non inimicus, sed perduellis, non adolescens nobilis, sed monachus ignobilis, qui non adierat Senatum, vt illi author esset, sed à rebellibus corruptus, non patribus approbantibus, sed seditiosis concionatoribus, & Hispanicæ ac Guisianæ factionis principibus suadentibus in Regis castra profectus est, vt eum necaret: cui non vile corpus, vt magnam quæreret gloriam, sed mens ab Hispanis, Guisianis, Iesuitis & Dominicanis furibundis alienata. Sane ipsius facinus illi potius comparandum, quod ab ordinis Prædicatorum fratre Bernardo sexagenario patratum est, qui persuasus à Florentinis & Roberto Siciliæ Rege fraudem vulpeculæ, non vim leonis habentibus, festo beatissimæ Virginis die panem & calicem infectum & venenatum pro Eucharistia Henrico Luxemburgensi Imperatori præbuit, qui statim ægrotauit, & morbo oppressus est. Sunt & alia multa Dominicanorum flagitia, quæ recitari possent, & Clementis parricidæ facinori conferri. Sufficiet vnum proferre, quod in historia Stumpfij *de rebus Heluaticis*, & in Sebastiani Franci *Chronico* legitur. Cum sub Iulio II. Pontifice, Anno Domini M D IX. Franciscani & Dominicani in graue certamen descendissent, his beatam Mariam virginem, ex D. Thomæ sententia, cum peccato originali, illis sine peccato conceptam adseuerantibus, Dominicani falsis miraculis suam opinionem defendendam censentes, & populum simplicem illis persuasum iri credentes, Ioannes Hezerus licet adolescens flexibili ætate à quatuor monachis, qui illum verborum præstigijs, & Dæmonum fallacijs deprauare nitebantur, in vitium flecti non potuit. Is Prædicatorum religionem nuper professus, cum maior ipsi ad virtutem, quam fratribus suis esset indoles, à parentibus, qui sine mendacio vixerant, admonitus, vt veritatem ex animo amplecteretur, fraudes, imprecationes, execrationes ac coniurationes Magicas & Diabolicas Vetteri Prioris, Vlschij Subprioris, Bolzotsij Lectoris, & Steineccerì monachorum artes celare non potuit. Quod illi ægre ferentes, veneno ipsum tollere conati, cum irrita viderent sua consilia, tandem hostiam venenatam per vim ori intruserunt, quæ, vomitu eiecta, sanguine manare cœpit. Quibus à misero illo adolescente profugiente, parentibus & magistratui detectis, à Lausannensi Episcopo, & Cardinale Sedunensi iudicibus, à Iulio Pontifice delegatis causa cognita, octouirorum à Magistratu delectorum sententia impostores damnati, & publice Bernæ exusti fuere. His similis I. Clemens, martyr tamen à suis dicitur. Sed hoc nomine indignus, qui, cum Iesu Christi vitam non habuerit, mortem habere non potuit. Martyres enim viros non facit pœna, sed causa: & Dominus *beatos* illos dicit, non *qui patiuntur* tantum, sed qui *propter iustitiam*.

At Hispani, quod à Clemente factum est, simile, aiunt, ijs, quæ ab Hebræa fortis & excelsi animi fœmina in libro Iudith gesta legimus. Illis nolo respondere, quod à D. Hieronymo notatum est, qui librum illum sibi multis nominibus suspectum scripsit. Siquidem à sancto Concilio Niceno inter sacrarum Scripturarum volumina receptum scio. Sed lata est differentia inter ea, quæ à Iudith facta sunt, & Clementis facinus. Illius orationibus paruit cœlum: hic ab inferni dæmonibus suscitatus Regem occidit. Cùm illa in hostium exercitum profecta est, squalebat ciuitas Hebræorum obsidione barbaræ feritatis: At cum Rex Henricus III. ab isto monacho cæsus est, ciuitati Parisiensi perduellium impiorum, vt Regi, ita Dei constitutioni resistentium plenæ, à qua subiecti illum expulerant, castra admouerat. Illa secura facta est, dum ad timendà peruenit: huic facilis ad Principem accessus, ac securum iter: ideo nihil timendum. Nec vllum in eo meritum. Dignus enim erat, qui summo cruciatu periret. Iudith liberata est in medio & denso potentissimorum hostium agmine. At Clementis vita eius cultro exhausta iusto Dei iudicio, quo supplicia peccatis, præmia recte factis extant. Pulchra erat Iudith, casta, & quæ bonis artibus magni eius exercitus Imperatorem suæ gentis inimicum deciperet. At in Clemente deformitas animi ac perinsignis corporis prauitas, & malæ artes, quibus Regem suum Henricum III. monachorum nimium, heu nimium amantem fefellit.

Quid igitur Hispani facinus, quid Guisiani, quid eorum mancipia, dum edunt orationes, queis detestandum parricidium, quasi laudabile facinus, posteritati commendare conantur? Certe nihil dicunt, quod ineptum, ridiculum, &, quod peius est, impium non sit. At dum vident in cæteris, tam turpis flagitij defensionem trepidare, obijciunt, Henricum III. cum Rege Nauarreo, quem Biarnensem & hæreticum vocant, fœdus pepigisse. Sed si quondam Iacob filiam Labani vxorem duxit, Moyses Æthiopissam, & Iabin Rex Hazor cum familia Heberi Kenei pacem fecit, & Samson in Timnath descendit, ibique cum filia Philistinorum nuptias contraxit, vt Booz cum Ruth Moabita, Dauid cum Mahacha filia Regis Gessur, & Salomon cum filia Pharaonis: si Machabæi cum Spartanis & Romanis pactiones fecerunt: si fidelis cum infideli matrimonium à D. Paulo probatum, vt pacem habeamus cum omnibus, quantum in nobis situm est: si legio fulminatrix, & multi inter primos Christianos Imperatoribus Ethnicis paruerunt: si Iulianus Imperator, quamuis fuerit Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus (teste Ambrosio) cum dicebat, *Producite aciem pro defensione Reipublicæ, illi obediebant*: si Papa

Fœdus cum Protestantibus.

Ioan-

Ioannes I. à Theodorico Rege Italiæ Constantinopolim missus, eo profectus est, vt Episcopis Arrianis & Presbyteris dignitates & bona restitui peteret: si Agapetus Pontifex aliquot post annis ab Ostrogothorum tunc in Italia regnantium Principe ad Imperatorem Iustinianum missus, ad excusandam Amalasunthæ Reginæ necem (vt illo tempore defendendis parricidiis Romani Pontificis authoritas quærebatur, quemadmodum hodie à Guisianis & Hispanis.) Quis Regi Henrico III. crimini dare possit, quod, vt subditorum armis se tegeret, eos homines vocauerit, qui, si aliqua culpa tenentur erroris humani, certe à scelere liberati sunt, & qui non ab Ecclesia alieni dici queunt, vt erant Arriani: ac præcipue Henricum Borbonium, Regem Nauarricum, quem sibi, vt agnatum proximum, ita fidissima gratia coniunctum fore sperabat. Si id non fecisset, certum erat, idem illi euenturum, quod iis, qui credunt, non habenda ferramenta, ne quis iis vel se, vel alium interimat, quod pusilli animi esse, docuit sanctus Augustinus *Epistol.154*. Sed istud à Guisianis & Hispanis obiectum fœdus cum iis, quos hæreticos vocant, argumentum est hominum, qui id maxime dolebant, quod Rex Henricus III. eorum nefariæ crudelitati ceruices suas non daret. At si veteribus Synodis, inprimis sextæ Carthaginensi, iustum auxilium ab omnibus Imperatoribus & Regibus, etiam infidelibus, aduersus Ecclesiæ hostes licebat implorare: cur non licuerit Regi cum Nauarrico inducias facere, eiusque armis ius suum tueri, cui soli Francorum hostes deberi iudicio multorum fata portendebant: hic vnus ad arma satus, quem turbata Francia Regi suo optionem exoptaret. Itaque Henrico III. fœdua cum eo facere licuit, multo magis, quam illud, quod à Regibus nostris aduersus Carolum Martellum factum legimus, cum eius armis Gallo-franci affligebantur eo tempore, quo Ducem Aquitaniæ Eudonem & Saracenos ab Hispanis venientes copiis suis adiunxerunt. Quod Gallis profuit, & Carolum Martellum in eam necessitatem adduxit, vt pacem facere coactus fuerit. Multa sunt alia domestica exempla pacis, à Carolo Christianissimo Francorum Rege cum Rolone Danico, licet pagano, pactæ, Wictonis Archiepiscopi Rothomagensis consilio. Notum est etiam Geloni, Rolonis agnato, fuisse desponsatam filiam Illustrissimi Francorum Principis, & ex his nuptiis Campaniæ Comites originem traxisse. Nec possum præterire, quod scripsit Nithardus, Caroli Magni ex filia nepos, in historia *de dissensionibus filiorum Ludouici Pij*, vbi, postquam testatus est dolere se illorum vicem, & quod sinistra de iis dicere cogeretur, quorum erat cognatus: tamen cum rebus gestis interfuisset, illas, vti erant, scribens, sic ait: *Ludouicus & Carolus Aquas palatium (quod tunc sedes prima Franciæ erat) petunt: vbi postquam Lotharium à regno suo abesse, certis indiciis cognouerunt de regno à fratre relicto deliberatum. Et cum rem ad Episcopos retulissent, consilio ipsorum, qui responderunt, eos posse regnum fratris, secundum Dei voluntatem regere, & inter se diuidere, vterque XII. è suis ad diuisionem faciendam eligunt* (inter quos fuit Nithardus) *eueniteque Ludouico omnis Frisia cum Orientalibus regnis: Carolo regna Occidentalia à Britannico Oceano vsque ad Mosam fluuium, in qua parte ab eo tempore nomen Franciæ remansit. Mox Lotharius post victoriam fratrum videns populum à se desciscentem, quomodocunque poterat, subsidium quærebat, Rempublicam propriis vsibus tribuebat, quibusdam libertatem dabat, quibusdam post victoriam promittebat. Hinc etiam in Saxoniam misit (vbi tres hominum status erant, Edhilingi, id est, nobiles, Frilingi ingenui, & Lazzi serui) Frilingis Lazzibusq́ue (quorum infinita multitudo erat) promittens, se legem, quam antecessores sui tempore, quo idolorum cultores erant, habuerant, eandem illis deinceps habendam, concessurum.* Tum adiicit, *Lotharium cum his hominibus adscitis Normanis & aliquibus Christianis bellum mouisse, ad ripam Rhodani accessisse, legatos ad fratres misisse de pace tractaturos: qui, cum solito tunc more ad Episcopos sacerdotesq́ue rem retulissent, illis, vt pax inter eos fieret, melius visum, & placitum à fidelibus illorum statutum. vbi ex compromisso diuisio facta est.* Si igitur Lotharius Christianus & Catholicus Paganorum armis ius suum defendit aduersus fratres Christianos & Catholicos, quis obiiciat, peccasse Henricum III. cui necesse erat fratris sui Christiani Henrici Borbonii Gallo franci armis, telis ac robore causam suam aduersus Lotharingos & Hispanos tueri, qui solus domestici belli extinctor esse poterat? Nonne ipsi licuit, quem tanta necessitas premebat, quod Regi Hugoni, qui in Italia aduersus Berengarium Saracenos armauit? Nonne Imperatores, Basilius & Constantinus, Apuliam & Calabriam aduersus hostes suos, tam Christianorum, quam Saracenorum armis defenderunt. Imo & ipsi Romani Pontifices cum infidelibus multa fœdera percusserunt, vti diximus *in Oratione, à nobis anno superiore habita*. Et nuper Cardinalis Caietanus Germanorum peditum Protestantium copiis & densa manu stipatus in Gallias venit. Quapropter aduersariis nostris obiicere possumus edictum illud Romani Prætoris: *Quod quisq́ue, iuris in alium statuerit, eodem ipse vtatur.* Male certe illi, qui, vt Tarquinius Porsenam, vt alij Octauium Mamilium contra patriam vocarunt, vt Coriolanus à Volscis, ita ab Hispanis aduersus Gallo francos, auxilium petunt. At Henricus III. recte & iure contra perduelles Guisianos pro patria, pro regno suo, & pro subditis Regem Nauarricum Henricum Borbonium vocauit, cuius certe sciebat studia ad amplificationem Francicarum rerum prompta & parata esse. Et ideo, quod fecit, non minus laudandum est, quam vehementer accusandum, quod ab Alexandro III. Romano Pontifice olim factum legimus, qui Fridericum Imperatorem, quem acerrime oderat, cum opprimere non posset, ad bellum sacrum profectum per Soldanum, non Christianum, sed infidelem, persecutus est, misso ad Barbarum pictore, qui effigiem Friderici expresserat, vt si in eius manus incideret, aut per insidias deprehendi posset, ab eo necaretur. Verebatur

Alexandri Papa perfidia in Frid. Imp.

etenim bonus ille Pontifex, ne si Princeps ille & strenuus & fortis in Germaniam & Italiam reuerteretur, integram Imperii maiestatem retinere vellet. At Christiano Pontifice longe homanior Soldanus Imperatori à suis capto vitam auferre noluit, sed detectis Pontificis, quem nequitiæ condemnabat, impiis literis, eum vt libero & soluto animo esset exhortatus est. Male igitur Alexander III. Romanus Pontifex: at optime Rex noster Henricus III. Quod si Carolus Dux Andegauensis Prouinciæ Comes in Siciliam contra Manfredum pugnans, Vrbani IV. & Clementis Pontificum authoritate, regno suo recuperato, cum Saracenis pacem fecit, vt historici scripserunt: induciæ inter Henricum III. & Regem Nauarricum factæ à Xysto V. Romano Pontifice improbari non potuerunt. Nota vobis est pax inter Franciscum I. Regem nostrum & Turcarum Imperatorem, quam defenderunt eximii viri Cardinalis Bellaius, Præses Oliuarius qui postea Franciæ Cancellarius fuit, & Præfectus Diuionensis, Legati ad Spirensem conuentum à Rege missi. Notæ pactiones inter Henricum II. & Protestantes Germaniæ. Quod *si Solis luce, & ventis vtimur ad nostras commoditates* (vt ait Augustinus) *licet iis sacrificetur ab Ethnicis*, cur à quibuslibet hominibus auxilium petere non liceat? Si illud quod in agris nascitur cõsecratur idolo, vel sacrificatur, tunc inter idolothyta deputandum: sed cauendum ne si putauerimus non vescendum olere, quod nascitur in horto templi idoli; consequẽs sit vt existimemus non debuisse Apostolos apud Athenas cibum sumere, quia ciuitas erat Mineruæ eiusque numini consecrata. Quod non minus ineptum, quam quod B. Mendozzius Regis Hispaniæ Legatus dixit, cum Rex Henricus III. decreuisset vt ei, & Stafforio Reginæ Britanniæ, Mocenigo Ducis & Reipubl. Venetorum, & A. Ducis Sabaudiæ legatis hospitium Vindocini fieret, clamans, aerem & territorium Principis Biarnensis impurum esse. Nihil igitur impium, nil turpe, nil contra bonos mores, in sque diuiduum ab Henrico IV. factum, cum Nauarrico Rege ad se vocato saluti suæ consuluit. Vita eius erat omnibus telis Guisianorum & Hispanorum proposita. Itaque cum prouidentia à Deo illi data esset vt sibi prospiceret ac suorum simul incommodis mederetur, quod pro necessitate temporum ab eo factum est, in crimen vocari non debet. Nã & si hæretici copias suis iunxisset, nullius criminis reus foret. Quod tamen dici non potest ab illo factum. Quis enim dicat Hẽricum Borbonium tunc Regem Nauarricum, hodie Francicum fuisse vel esse hæreticum? Concilium liberum petiit, doceri studens, & iis quę in eo statuerentur parere sese paratum professus. At quamuis fateremur hæreticos fuisse eos, quorum armis sese defendit Henricus III. nihil inde inferre possent Hispani.

Protestantes non sunt hæretici.

Sciendum enim duo præceptorum esse genera, vnum immobilium, alterum mobilium. Immobilia sunt præcepta Decalogi, & quæ lex æterna sanxit, quæ obseruata salutem conferunt, non obseruata eandem auferunt: mobilia sunt quæ hominum diligentia vtilitatis rationem inuenit, *non ad salutem principaliter obtinendam, sed*, vt ait Yuo Carnotensis Episcopus, *ad tutius muniendam*. Quale illud Apostoli, *hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita*: non quod eius colloquium per se saluti obsit, sed quod frequentatum quorundam simplicitatem oblique possit corrumpere. Hæc vero præcepta mobilia ita scripta & composita sunt, vt in iis temporis necessitati cedendum sit. Vt cum D. Paulus Petro restitisset in faciem, quod Iudæis quibusdam consensisset, qui circuncisionem salutarem putabant, Timotheum Listris circumcidit, vt scandalum Iudæorum ibi commorantium euitaret: *Factus*, inquit, *Iudæis tanquam Iudeus vt ipsos lucrarer*. Sic legimus Arrianos, postquam conuersi fuerunt, in officiis fuisse susceptos. Et si hoc consilio vsus fuisset Xystus V. & se lenem ac mansuetum erga Gallofrancos præbuisset, poterat ius primatus, quod in Ecclesia habebat, pacis & lenitatis præsidio conseruare, & si eam partem, quæ in Gallo-francia est, in tranquillitate continuisset, hodie adhuc viueret, & Ecclesiam quiete & pacifice regeret. Sed Hispanorum artibus contra edictum Christi, & leges Ecclesiasticas sine vlla religione aduersus Henricum III. decreuisse dicitur, quia peruersa & impia perduellium consilia anteuerterat.

Præceptorum Duo genera.

Vidimus, eheu, vidimus Bullam, quam ab eo missam ferunt, qua cum ipsi renunciatum esset Cardinalem Guisianum cæsum fuisse Blæsis, ob id Regem monuit, & vt Cardinalẽ Borbonium & Archiepiscopum Lugdunensem vinculis solui iuberet, quod ni faceret, se illum excommunicaturum minatus est. Sed dicimus hanc monitionem & citationem non patrium fulmen esse, nec ab eo emissum qui illud iacere potuerit. Nec enim Rex Franciæ à Xysto V. ita moneri debuit, cum solum Deum agnoscat eorum iudicem, quæ authoritate Regia & summi imperii iure ab eo gesta sunt, quod latius post hac ostendemus tam ex sacris legibus & Regũ nostrorum iudiciis à veteribus Ecclesiæ patribus comprobatis, quam ex multorum Pontificũ Romanorum bullis, & exemplis ac Senatusconsultis, & historicorum testimoniis atque aliis authoritatibus, quas proferemus, cum pro Rege Henrico IV. & pro libertate Gallicanæ Ecclesiæ aduersus Pontificis fulgura proclamabimus. Nunc dicam monitionem illam acerbitatis & contumeliæ plenam à Xysto V. aduersus Henricum III. non sponte, sed per vim scriptã, fieri non debuisse.

Bulla pontificia.

Nam quod exclamat, Cardinalem Guisium occidi & Borbonium in vincula coniici ipsius iussu non potuisse, neque etiam Lugdunensem Archiepiscopum, id legibus regni & rerum iudicatarum exemplis facile refutari potest. Notum est quod Gregorius Turonensis de AEgidio

Potestas regia in Episcopos.

R Rhemensi

Rhemensi Episcopo recitat, qui Childebertum interfecerat. Hic Regis iussu captus vt Maiestatis reus. Nota etiam in Prætextatum Rothomagensem Episcopum lata sententia, quam refert Aimoinus *III. de gestis Francorum.* Is iubente Chilperico Rege captus & in exilium missus est. Fuit & Desiderius Viennensis Archiepiscopus Regio iudicio damnatus. Et Sygebertus in *Chronico circa annum Dom. DCLXXX.* dicit Theodoricum Regem Francorum Maioris Ebroini consilio Synodo congregata Amandum Senonensem Episcopum & Lambertum Vltraiectensem in exilium misisse. Id & regnantibus Carolo Magno, Ludouico Pio, Carolo Caluo & aliis Gallo-francorum Regibus sæpenumero visum, à quibus nō modo Galli & Germani Episcopi, sed & ipsi Rom. Pontifices iudicati fuere. Quod non solum in prima & secunda, sed & in tertia Regum nostrorum stirpe obseruatum est secundum *antiqua legum capitula* ab Yuone Carnotensi Episcopo recitata, sed etiam in Hispania locum habuit vt in *Concilio Toletano* 12. Regis Eringii iussu congregato sancitum legimus, vbi cum Principibus sibi illatam iniuriam summi imperii potestate vindicare liceat, ipsi eam soli remittere & condonare possunt. Quod ex his verbis colligi potest, quia inquiunt illius Concilii Patres, *remissio talium qui contra Regem, gentem, vel patriam agunt, per definitiones antiquorum canonum in potestate solum regia ponitur, cui & peccasse noscuntur, ab eis nulla deinceps abstinebit sacerdotum communio, sed quos Regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos etiam sacerdotum & populorum conuentus suscipere in Ecclesiasticam communionem debebit, vt quod iam Principalis pietas habet acceptum, nec à sacerdotibus Dei habeatur extraneum.* Id factum à Ludouico XI. qui Cardinalem Balluam in carcerem coniectum quod maiestatis reus esset, precibus & intercessione Rom. Pontificis liberauit. Et didicimus à patribus Legatum ab illo Pontifice ad Regem missum, qui non accessit ad decretorium stylum, sed cum supplex Cardinalis miseri liberationem petiisset, restitutionem à Rege impetrauit. Cum igitur videamus ipsum Romanum Pontificem id agnouisse, quod hodie à Romanæ curiæ assentatoribus negatur, nimirum Regem Francorum in omnes suos subditos cuiuslibet conditionis & status gladii & meri imperii ius habere, quis aliter dicat, aut quis monitionem furiosam non iudicet, qua Romani Xystum V. solum Cardinalium etiam in Francia natorum & degentium iudicem affirmare ausi sunt? Haud quidem ignoro à quibusdam Pontificibus constitutiones factas esse, quæ is statuerunt, eum qui Rom. Ecclesiæ Cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel ipsum percusserit, infamem perpetuo censeri. Id à Bonifacio VIII. Francorum inimico statutum. At si in territorio suo (si quod iuste habuit) ius istud dicere potuit, in Gallo-francia, quæ neque ipsi neque aliis vnquam Rom. Episcopis fuit subdita, legis non habet vigorem. Et qui ad constitutionem illā, quæ est *in 6. decret. sub t. de pœnis*, & ad Clementinam, *si quis suadente, eod. t.* scripserunt, distinguendum notarunt iure an iniuria Cardinalis cæsus sit.

Cardinalis & Archiepiscopus iure à Rege punitι.

Sed vt Reges nostri eorum, quæ faciunt, rationem reddere non tenentur, neque nos pro ipsis, queis in orbe terrarum neminem superiorem agnoscimus. Dicam tamen, si in Cardinalem, Guisium & alios, quorum sese Pontifex in bulla sua iudicem dicit, acerbe & seuere ab Henrico III. at certe iuste ac merito statutum fuisse. Cum enim Ecclesiasticis legibus clerici sacra tantum tractare debeant, quod ab illis contra eas factum, in quos Rex animaduertit, satis notum est ex iis, quæ diximus in Suessionum vrbe, Lutetiæ, & Blæsis à Guisianis gesta, vbi Cardinalis Guisius & Lugdunensis Archiepiscopus in caput Regis sui coniurauerant. Olim certe Leuitæ Mosis iussu in sanguine quisque fratris sui, & filii, proximi, amici consecrarunt manus Domino, & eorum quisque occidit filium & fratrem suum, vt daretur illis benedictio, vt in *Exodo* legimus *cap.* 32. Et cum Moses ille magnus vltimas preces filiorum Israel pectoribus reliquit eisque benedixit, ad Leui conuersus ita ait: *Qui patris sui & matris suæ non est misertus, quando rei fuerunt diuini iudicii: faciem fratrum suorum & filiorum suorum non accepit, sed custodiuit custodiam verbi tui, & pactum tuum non irritum fecit.* Sic Paraphrastes Chaldæus Onkelos sororis Titi Imperatoris filius in *Deut* 33. Et multa sunt exempla, quibus lege veteri à sacerdotibus infligebatur pœna corporis; quia nimirum hæc erat illorum temporum expiatio. Sed nouo iure & lege Christi vetus ista lex abrogata, & vt inter Mosis & Christi leges lata est differentia, iura Israelitarum abrogata, & antiqua illa in exemplum proferri non debent, vt dicamus hodie licuisse Cardinali Guisio aliisque multis, qui Cardinalis Borbonii nomine & moribus facillimis diu abusi sunt, ius sibi adrogare & statuendi, & arma sumendi aduersus Regem suum Henricum III. non idololatram, vt erant ii qui à Leuitis cæsi fuere, sed Christianissimum ab Archiepiscopo Rhemensi consecratum, in Ecclesia Catholica, Apostolica & Romana baptizatum, enutritum, & institutum, & qui in eius fide ad extremum vsque vitæ spiritum constantissime perseuerauit. Isti coniurati Guisiani, qui cœlum quoque posse rescindere putabantur, non ignorabant Euangelicam legem à Mosaica distinctam. Nam à Doctorib. Ecclesiæ Catholicæ didicerant, Christum nihil pro pristino regis more vel virgis ad castigandos homines vel vinculis egentem venisse, cui satis foret monere, docere, & verbi sui semina sereris omnibus mandare. Ius illud à Guisianis, qui se Catholicos dicunt, ignorari non debuit. Nonne enim in Euangelio scriptum est, ipsum Petrum gladiū in vaginam immittere à Christo iussum? Sane cum duo sunt gladii, vnus sacerdotis, alter militis est, vt ait D. Bernardus ad Eugenium de consideratione lib. 4. *Verendum, dicens, ne qui spirituali potestati volunt tempora-*

Bellare prohibentur Episcopi.

lem

lem miscere, vtriusque iacturam faciant. Et vir ille sanctus, qui famulam Gallorum in terram sanctam expeditionem quibuscunque poterat viribus corroborauit, cum in Carnotensi conuentu militiæ quasi Dux & Princeps electus fuisset, ideo se excusauit quod neque sui id esset consilii, neque si vellet posset eo vsque peruenire. *Quis sum, inquiens, vt acies castrorum disponam, ante facies armatorum progrediar? quid tam à professione mea remotum, etiamsi vires suppeterent, peritia non deesset? Obsecro per charitatem, qua mihi specialiter debetis, ne voluntatibus humanis me exponatis.* Quod si D. Bernhardus arma quæ à Theologis vocatur carnalia sumere aduersus infideles hostes Christiani nominis nec voluit nec potuit, an Guisianis clericis id licuit contra Regem suum, qui non solum Catholicam, Apostolicam & Romanam religionem professus est, verum acerrimus eius defensor & protector fuit? Sed quomodo prælati Guisiani Bernardum sequi potuissent, cum nec ipsi Christo crederent, à quo moniti fuere discipuli, vt bellicum gladium deponentes pacificum acciperent, quem Paulus vocauit *gladium spiritus*? Certe si credidissent, quæ à veris quibusdam Theologis, licet Parisiensibus, vni eorum, qui in bulla Xysti V. pro sanctis & inuiolatis habentur, anno 1561. scripta vidimus, ab illis prædicta veriti fuissent. Aiebant enim, *omnes non pacificos, sed belli concitatores bello, quod mouebant, perituros, vt eis esset gladius litis & belli mysterium: optantes toto animo vt Petrum in feriendo imitati, tandem in recondendo gladio imitarentur.*

Arma itaque deponenda vt clericis prohibita multarum Synodorum canonibus, vt *Calchedonensis VII. Triburiensis XI. & XXVII. Toletana IV. 44. Turonensis 15.* & *Concilio Pictauiensi*, qua clerici armati excommunicantur. Addebant sancti illi viri, ab ipsis Rom. Pontificibus sancitum, vt clerici non bellis, sed precibus vacarent, & Ioannem Papam Angelbergæ Imperatrici scripsisse, Ioannem Episcopum iure vetitum esse militiam secularem exercere, cum terram defendere terrenæ potestatis sit. Et certe quando non de vsurpandis regnis (quod vnum fuit nostro sæculo Cardinalis Guisii & suorum votum) sed & cum de religione agitur. Ioannes Papa Paulino Episcopo scribens, qui in Germania & Pannonia legatione fungebatur, dicit, *Ecclesias qua corporalia nesciunt arma, solum Deum & propugnatorem suum quādo misereri voluerit patienter expectare.* Et sub Zacharia Pontifice & Carlomanno Duce in Francia congregata Synodus à Bonifacio misso Apostolico & Francorum Episcopis habita, *Dei seruos armari & pugnare aut in exercitum & hostem pergere prohibuit, exceptis iis qui ad diuinum ministerium missarum videlicet implenda solennia electi erant, vt vnum vel duos Episcopos cum Capellanis & Presbyteris secum haberent.* Vetitum etiam clericis ne in causa sanguinis iudices essent. Nam licet Deuteron. 17. ita scriptum esset, *Ascendas ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniasque ad sacerdotes Leuitas, & ad iudicem qui fuerit in diebus illis* (id est ad Pontificem) *& inquiras, & illi indicabunt tibi verbum iudicii*, tamen hoc in Ecclesia Christiana locum non habuit, imo & ante Christi aduentum cessauit inter Iudæos iurisdictionis exercendæ potestas, quoniam Herodem alienigenam Regem constituerant, & non *de medio fratrum suorum* vt illis præscriptum fuerat. Ideoque in 23. Matthæi sic ait Christus: *Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi:* non dixit (*sedent*) quia iudicia pœnarum amplius dare non poterant. Itaque ipsimet dixerunt, *non licere sibi interficere quemquam.* Et licet *Actorum* 7. scriptum sit, Stephanum extra ciuitatem eiectum veteri more lapidatum fuisse, & idem notatum à Iosepho de Iacobo fratre Iesu, & aliis quos Ananus Pontifex tradidit lapidandos, non ideo tunc iuris dicendi potestatem habebant, quæ olim illis concessa fuerat, extra consistorium, vt adoerterunt qui interpretati sunt locum illum. *Educ blasphemum* & cæt. sed vt, qui prætores non erant, aliquando prætura functi sunt, idem ab illis factum, non tamen semper. Nam in *Actor.* 12. legimus Iacobum fratrem Ioannis ab Herode gladio occisum. Quod si Iudæis ablata est interficiendi potestas die tantum festo, (vt putat D. Augustinus) certe inter Christianos non licuit clericis gladio quenquam occidere, imo eis prohibitum sæculo se immiscere, vt ait Synesius Episcopus Cyrenensis in Epistola ad Anastasium, *Postquam*, inquit, *vita nostra diuisa est in sacerdotalem & ciuilem, illis pretes, his negotiorum administratio & iurisdictio mandata est.* Quod multorum Imperatorum sanctionibus probari posset: verum aduersus clericos Romanos, qui de se nimium magnifice sentiunt, clericorum testimonia proferre sufficiet. Notum est inter plurima D. Ambrosium Mediolanensem, cuius Ecclesia diu à Romano iugo libera exstitit, ac beatum Martinum Turonensem Episcopum, Priscilliani accusatores, quod iugulum illius peterent, acerbe reprehendisse. Ita quidam ferunt Celidonium ab Hilario Arelatensi Episcopo depositum, quod seculi administratione perfunctos aliquos capitali condemnasset sententia. Et Gregorius I. qui Magistratibus & Imperatoribus paruit, dixit Ecclesiam reorum sanguinis participem fieri non debere. Quod & à Synodis *Matisconensi 2. capit. 18. Antissiodorensi 33. & 34.* statutum fuit, & *Tolet.* 4. 39. quæ monent Episcopos, qui contra maiestatis accusatos Regibus adsistunt, vt ibi tantum iudices fieri consentiant, vbi iureiurando supplicii indulgentia promittitur, non vbi discriminis sententia præparatur. Qua ratione Nicolaus Pontifex Radulpho Episcopo Ecclesiæ Argentorensis rescribens, quæ sit pœnitentia parricidæ imponenda, *per annum integrum*, inquit, *in Ecclesiam non ingrediatur*; de pœna capitis, qua parricida dignus erat, nihil dixit in *capit. lator. caus. 33. quæst. secunda* & Alexander 3. Pontifex in *titul. ne clerici vel monachi.* Constitutionem fecit, ne quis sacerdos officium Vicecomitis habeat, vel præpositi secularis. Et idem Episco-

Arma clericis interdicta.

po Panormitano rescripsit, Raptorem ita puniendum, vt ad sanguinis vindictam transire non videatur. Cui statuto simile fuit Vrbani III. responsum, cum fuisset consultus in causa clericorum, qui Regis nostri sigillum falsauerant (si ita cum canonistis loqui liceat.) Denique *in Concilio Lateranensi* statutum, vt nullus clericus chirurgus sit, quod & multis S.C. prohibitum. Equidem Gregorius ad Libertinum Siciliæ Præfectum scribens contra Iudæum Nasam, & in Hilarium quendam calumniatorem, vnum corporali pœna afficiendum, alterum verberibus castigandum monuit, & in exilium mittendum, & Adrianus linguam abscindendam dixit. Sed mortis pœna nemini ab iis indicta: consilium tantum aliquando datum est, quemadmodum Gregorius violentorum, adulterorum, furum & aliorum huiusmodi correctione Deum placandum Brunechildæ Francorum Reginæ suasit, & *in Decretalium titul. de excessibus Prælat.* descripta est Innocentii constitutio, qua Episcopum Albiganensem indignum Episcopatu declarat, quod furti accusatus, à iudice, eo præsente damnatus fuisset. Imo Clemens 4. alia constit. sanxit, ne quis *clericus sit aduocatus in causa sanguinis, si condemnatio sequi debeat*: & in Concilio Moguntinensi, *ne postulet nisi in causis orphanorum & viduarum*. Et Innocentius 4. ait clericum falsi reum ab Episcopo Parisiensi priuilegio clericali exutum seculi iudici tradendum. Denique Bonifacius 8. cum clericis de sanguine cognoscere vetitum sciret, id per alios fieri oportere dixit *in iis locis, in quibus iure Domini territorium & iurisdictionem habent*. Quas constitutiones hic recito, vt Guisiani & Hispani Romanorum Pontificum decretis, quæ se venerari profitentur, ea impugnari videant quæ contra Ecclesiæ & potissimum Apostolicæ Romanæ, cuius se obseruantissimos fingunt, consuetudinem ab iis facta sunt, ac etiam hodie fiunt. Nam & si in Gallia Pontificum Romanorum decreta, & aliorum quam Regum nostrorum citari non debeant, vt inter Gallo-francos vim legis obtineant, tamen quæ ex illis induci possunt quæ Franciæ aduersariis nocent, ea libere allegare possum.

Papa nullam iurisdictionem habet in Francia.

Et vt probem Regem Henricum III. ob Cardinalis Guisiani factiosi cædem neque à Pontifice Rom. damnari neque ab alio culpari posse, quia iam dixi maiores nostros, homines sceleftos, qui malo Reipublicæ creuerant, & seditionibus Rempublicam exagitabant, iugulari iussisse; nunc proferam constit. Clementis 3. in titul. de sententia excommunicationis. *Perpendimus, inquit, ex literis tuis, quod quidam sacerdos pro eo, qui se filium Regis falso nominare præsumpsit, & armis accepit seditionem fecit & guerram, à B. Comite iussum est fustigari, qui postea suis mandato traditum patibulo expirauit. F. T. duximus respondendum, quod si memoratus sacerdos tali modo excessit, & non propulsando sed inferendo iniuriam fuit occisus, non videtur nobis quod interfectores eius propter hoc ad obtinendam absolutionem Apostolicam sedem adire cogantur.* Scripta est hæc epistola ad Gualterium Panormitanum Episcopum, vt ex historia Fazelli colligere possumus. Nam cum Tancredus à Rogerio Siciliæ Rege ex pellice susceptus Guillelmo, qui illum sæpius à Rogerio non esse progenitum dixerat, sine liberis defuncto regnum occupasset, Gualtarius ille ipsi infensissimus Clementis III. Regnum ad Ecclesiam Romanam pertinere contendentis causam fouebat. Sed non ideo tamen Pontifex per eam epistolam ei aliquid concessit. Etenim eum, qui clericum armatum in seditione interfecerat, Panormitanus Episcopus authoritate ordinaria potuit absoluere, non expectata Romani Pontificis sententia. Itaque si in Sicilia, quam vendicabat Clemens, noluit tamen iurisdictionem exercere, cur id in Francia tentauit Xystus V. ?cur in Regem nostrum qui Deum solum in temporalibus agnoscit, quod sibi à Deo non datum sed prohibitum fuit, vsurpare conatus est? At à Guisianis & Hispanis eorum fautoribus obiicitur, Cardinalem Guisium cum purpurea veste procedentem à militibus Regiis occisum. Sed & si vestem non mutasset, tamen vt Dux Guisius quod in Regem & Borbonios iurauerat, vt euersa eorum sobole Franciæ regnum adipisceretur, iubente Rege interfectus fuerat: ita expediebat mori illum Prælatum, qui in Regem ipsum Dominum suum insultauerat, licet Ecclesias multas ipsius verbo teneret: qui Trecas & alias multas vrbes regias inuaserat. Publica namque vtilitas Regis animum pellebat, vt duos illos fratres è medio tolli iuberet, cum certo sciret aliter Remp. saluam fieri non posse. Sane fatendum est id Christianis vtile demum videri debere, quod non iniustum sit. At quis iustum negabit quod à Rege factum est non pœnæ festinatione, sed præueniendi periculi causa? Sed dicunt Guisii non obseruatas à Rege Henrico III. solênes & consuetas quæstionum & iudiciorum formulas. Verum cum promptum ad aspera Principibus ingenium esse oporteat, commotis seditionibus leges accelerandum monent, & vt quisque præcipuus turbator conquiri, ac cædi intra tabernacula & vbicumque obrui debet. Notum enim est illud ex legibus Rom. *Puniat Præses, deinde rescribat*: & facta iamdudum in Francia à Carolo Magno constitutio aduersus turbulentos & seditiosos, quæ extat in tertio capitulorum libro, vbi leges illius mundanæ recitantur capit. 9. his verbis. *De conspirationibus vero, quicunque facere præsumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmauerint, triplici ratione iudicentur. Quarum prima, vt vbicunque aliquod malum per hoc perpetratum fuit, auctores facti interficiantur: Adiutores vero singuli eorum alter ab altero flagellentur, & nares sibi inuicem præcidant: vbi vero nihil mali perpetratum est similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi inuicem detondeant. Si vero per dexteras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt aut iurent cum idoneis iuratoribus hoc pro malo non fuisse, aut si facere non potuerint suam*

legem

legem componant: si vero serui sint flagellentur, & vt de cetero in Regno nostro nulla huiusmodi conspiratio, nec per sacramentum nec sine sacramento fiat. Et lib. 5. cap. 118. sancitum, *vt conspirationes non fiant, quas facientes sacri Canones grauiter damnant, & Ecclesiasticis personis plus quam aliis prohibent.* Quod si alia lege in 3. libro cap. 28. descripta de armis ad placitum non portandis ita cautum est absque exceptione, *vt nullus ad mallum vel ad placitum infra patriam arma, id est, scutum & lanceam portet:* nonne legum violatarum & Maiestatis rei non solùm Dux Guisius & Cardinalis eius frater, & eorum adiutores à quibus conuocati & armati multi homines ac legiones paratæ, vt Regem suum neci darent? Illos nimirum ad Regem reducendum Parisienses impulerant, vt eo spectante expellerentur è Francia ii omnes, per quos restitui poterat. At hæc omnia tegebant solo religionis prætextu. Nec enim aperte audebant regnum Franciæ petere, licet factiosi quidam eos à Carolo Magno ortos regnandi ius dicerent. Sed si à Louaniensi familia, vt quidam scripserunt, originem ducere, nec a masculis, nec a filiabus Caroli Magni descenderunt. Quis enim nescit lineam Caroli masculinam in liberis Caroli Lotharingiæ Ducis Regis Lutharii fratris defecisse, & ideo lege Salica incapaces esse filias, & ab iis vt ab infecta radice descendentes? Ad filias vero nullus certus author Lotharingorum, qui hodie sunt, originem retulit. Quod si Louanienses ab illis nati sunt, ius nullum in Regno habent: neque illos sola præscriptio, quam pro titulo Iiptah Ammonitis obiiciebat, sed ex Regno excludit. Et si Lotharingii aliquod ius in Regno Franciæ ad se pertinere existimassent, certum est illos lassuros non fuisse quod ex librario Curiæ Parisiensis ab ipsis agnitum didicimus, vbi per scriptum est anno Christi DCCCXCVII. *cum Dux Lotharingius à Rege Franciæ abolitionem & indulgentiam impetrasset, ac patres supplicasset vt pœna sibi gratia fieret, Senatum iussisse illum accusatori satisfacere Præsidis Prouinciæ Calumontii arbitrio, tum duos è suis Consiliariis ab eo mitti, qui supplicem libellum Curiæ porrigerent.*

Duces Lotharingiæ nõ descendunt à Carolo Magno.

Hæc vt cunctis innotescant vului proponere, non quod defendere opus sit quæ a Rege Henrico III. facta sunt. Nam si Pontificii iuris professores Papam legibus solutum dicunt, & sicut Iacob a mendacio, Israelitas a furto, & Samsonem ab homicidio, sic illum ab eis quæ facit excusandum, certe non minori ratione Rex noster Henricus III. defendi potest. Imo cum legibus subiectus nõ esset. Ita & Rex noster, patrum suorum exemplo, facere potuit quod voluit. Quis enim imperat Regi? Lex tantum naturalis: quam quidam *Regem omnium* rectè dixit *mortalium & immortalium.* Sed existimaui operæ pretium esse omnibus manifestum fieri illum iustissima ira motum & quod potuit & quod debuit fecisse. Gestum vero est (vt ait Gerson Doctor Francicus & pius *in libro de vita spirituali*) nos sine graui periculo eius peccati quod mortale Theologi vocant non posse fugere eum, qui sacerdotem occidenti adfuit, vel qui ipsum occidit. Fieri enim potest vt id fecerit vel ei adfuerit qui naturali defensione, & vt vulgo dicitur, cum moderamine inculpatæ tutelæ, inimicum aggressorem interfecit, vel seditiosum clericali (vt loquuntur Pontifices) priuilegio exutum percuti iussit, cum iis similis foret aduersus quos scripti sunt *canones Apostolici* 82. & 84. (quos hic citamus quia Romani pro veris illos habent) qui cum Episcopi vel presbyteri, vel diaconi essent Romanum magistratum & sacerdotalem administrationem simul obtinere tentabant contra illud Christi præceptum, quo *Cæsari quæ sunt Cæsaris reddenda, vt quæ sunt Dei Deo:* & ideo depositi fuerunt, vt ii qui Regem vel Principem contumelia afficiebant, quemadmodum & illi quorum fit mentio in Cõcilii Meldensis *canonibus* 14. & 15. qui contra Regiam dignitatem satagere audentes, & sublimi potestati, quæ non est nisi a Deo contumaci ac inflato spiritu pertinaciter contradicentes anathemate multari iubent. Itaque considerandum quid, quomodo, vbi, a quo & in quem factum sit. Et cum hæc ita se habeant inter obscuræ conditionis homines vt eorum consortium vitare non debeamus, multo minus Reges fugere debemus, sed veterum Christianorum more, bonos colere oportet, qualescunque, tolerare. At bonus fuit Rex noster, & vtinam sibi ac suis melior, vt esse poterat, si sublatis Guisianis illis duobus fratribus, tot aliis facinorosis quos in sua potestate habuit non pepercisset. Accusari igitur non potest, nisi quod nimium clemens fuerit. Nam quis non Rex Franciæ sed Italiæ Regulus subditum suum Hispaniæ Regis stipendiarium ferat, & infinitam seditiosorum turbam cum eo conspirantium? Itaq; quod factum est a Rege nostro Henrico III. *non effusio sanguinis, sed legis ministerium censeri debet*, vt de iis quæ a Magistratu fiunt dixit Hieronymus. Et si in sexta synodo Romana regis Theoderici iussu Symmachi Papæ tempore congregata statutum fuit, *ferro abscindenda vulnera quæ fomenta non sentiunt*, nonne nostro sæculo eodem remedio opus fuit? Estne aliquis inter vos (Gallofranci) qui nesciat quod post Guisiorum fratrum obitum Blæsis detectum fuit? Ibi inter Ducis Guisiani chartas repertæ fuerunt turpes illæ tabulæ, quibus ipsi quotannis CL. ab Hispanis pendebantur aureorum millia, & pactiones quas cum Hispaniæ Rege fecerat perfidiæ plenæ, per quas insidiæ Regi nostro tendebantur. At tandem maximas luit pœnas temeritatis & audaciæ suæ, quam ipse non solus in vicem magnarum virtutum præferebat, verum etiam Cardinalis Guisianus, in quem patibus cum fratre præmiis paria debuere scelera vindicari. Quis (o prisca fides) beneficia maxima maioribus iniuriis repensauit? Tuos manes appello, pie Henrice, cui vt magnum ingenii lumen, ita præclara fuit eloquentia, quietemque perennem qua compositus es vsurpo, vt cum eam familiam multis beneficiis exornaneris, au-

Ratio iustissima, qua Rex motus fuit contra Guisios.

Guisiorum perfidia & coniurationes in Henricum III. Regem.

gustiore cum seueritate possis ea hominibus ingratissimis exprobrare. His sermonibus eos affari mihi videris. Quibus (ò proditores) opibus freti gestit ambitio vestra mihi & meis regnum auitum eripere? Magnus ille vester patruus Ioannes Cardinalis Lotharingius ex hæreditate paterna nihil aliud habuit quam aquimanale argenteum, quamuis tanta non esset eo tempore sæculi seueritas, vt ampliorem supellectilem non admitteret. Sed ea erat humilitas vestræ familiæ, vt nulla in ea vasa essent imparia, imo nec quæ ad quotidianum vsum sufficerent. Et patruo vestro Carolo vas vnum tantum vulgare obrigit. Nec illi à fratribus suis legitimè petierunt. Sperabant n. se liberalitate regia magnos in Ecclesiasticis prædiis red'it⁹ habituros. Vterque tamen indignus Regia munificentia: vterque igne damnandus. Siquidem fuere multi quibus perspectum est, eos, qui ædes illorum frequentabant, parum honeste pudicitiam habuisse. Et quomodo cum hæc comperta fuerint illis mens erga Deum & Regem casta esse potuit? Auus vester Claudius Burgundiæ Prouinciæ præfectus est à Francisco Magno auo meo, qui illum magni cubicularii titulo exornauit. Ab ipso familia vestra aucta est magnis honoribus & bonis. Pater meus Henricus II. patrem vestrum Ducem Guisianum liberaliter complexus ei Delphinatum administrandum concessit (qui honos maximus in Gallia habetur) post eum præfectum cubiculi & venationis Regiæ constituit, ac Maiorem domus fecit, qui sane ita natus factusque erat, vt & agendi pro Francia & diligendi Regem suum & referendæ gratiæ principia in se contineret. Erat illi animus insolens malarum actium, sed a Cardinali Lotharingio ambitiosissimo fratre suo corruptus prauam & incorruptam vitæ consuetudinem vitiosa ac deprauata contaminauit, & quod prauum in patre vestro & in patruo vobis ingeneratum a stirpe generis ac seminis fuit. Vestræ iuuentuti nimium feroci, sed cuius viribus putabam dignitatem meam sustineri posse, imperia multa ascribi iussi. Vnus vestrum ausus est nobis se parem dicere, quasi quod Deus æqualiter cœlum circa mundum, ita dignitates inter homines distribuerit. Tu Dux Guisiæ belli ciuilis tuba, qui non vere ac sapienter, sed ficte ac fallaciter popularis fuisti, in quo puniendo & ego & Rex Carolus frater meus iram a nobis sæpe prohibuimus, in nobis violandis & in euertenda Francia cum Hispanis fraudes inexplicabiles concepisti. Non tibi satis fuerat angi alieno bono cum nolles familiæ meæ Principibus cedere, & adsurgere, dum videres te nō idem quod me, vel alios quos amaui, idem quod te esse consecutos. Tu & frater tuus & in istos Principes quos respicere & colere debuissetis, & in nosmetipsos inofficiosi. Ego nascentem coniurationem vestram in initio non credendo corroboraui. Vos mihi gloriam præripere conati cum nuper Germani a me victi sunt & plebs falsis rumoribus indulgens a vobis corrupta res cunctas magis ex libidine quam ex vero celebrans a me gesta obscurauit. Maiores mei sæpe humilibus personis iniuriose tractatis etiam sibi charissimos ad supplicium rapi iusserunt. Ego libellos famosos a vobis scriptos diu spreui, vana a scelestis, dicta a maleficiis distinguens. Ego vos vt amicos putaui leuiter castigandos, ne magnitudo animi mei caderet. Dum sic facerem putabam me bene vti viribus meis. Multi meorum spes vestras mollibus sententiis aluerunt ad sui Regis exemplum compositi. At tandem cum subditos meos aduersus me armatos illo nefasto sceptorum die, quo me adorti estis, a vobis concitatos Lutetiæ vidi, cum in Concilio Blæsis congregato vos cum aliis factiosis agnoui maligne circa sanguinem meum iudicium vestrum inferentes, quod ad Regnum aliter quam per eum transcendere non possetis (quasi ius vobis esset id facere) tum clausus, tutus, & contra vos a Deo munitus paucorum amicorum præsidio me seruandum a memet ipso duxi, ne maiestatis imminutæ a meis accusarer, si a me ipso diutius deficerem , cum nil vacuum a scelere in vobis esset, cum non gloriæ memores, non infamiæ metuentes, non emendabiles essetis. Vos patere consilia vestra non sentitis, & constrictam iam omnium conscientia teneri coniurationem vestram non videtis? Bellum quod patientia mea in meis ipse visceribus aluerā nunc cogor extinguere, & vt malo caream ea radicitus euellere quæ mihi nocent. Fingite vobis Gallo-franci & cogitatione depingite Regem illum Guisiano Duci qui de eo male meritus fuerat ista dicentem. Num tibi satis fuit, cum ariolo crederes, qui circiter annum M. D.LXXX. me prima Autumni tempestate moriturum dicebat interim militum copias cogere, qui in Alenconium Ducem fratrem meum irruerent eumque incautum interficerent? An ignoras sciuisse me quid a te factum, vel quid fictum fuerit, cum simulabas te in Germaniam proficisci velle, vt Argentinam inuaderes, quo Maltoium tuum cum Buyo Germano miseras? Nonne interim Legati Regis Hispaniæ, qui Genuæ erat, consilio frater tuus a te impulsus Belgardium Franciæ Mareschalum corrumpere tentauit, & cum irritis precibus surdas illius aures adstrepens nihil ab eo potuisset extorquere, nonne tu rursum in expeditionem contra Argentinenses milites tuos velle educere simulans, cum nihil aliud a te cogitari mihi persuadere midereris, & mihi & fratri meo & Principibus Borboniis parasti insidias, Argentinam quoque crudelissime prædaturus, si eam in ditionem tuam potuisses redigere? At ego a Deo, & Argentinenses a me moniti diuina gratia ex impiorum manibus liberati fuimus. Nunc cum in regni mei ordinum conuentu a te ac tuis impetar, in eam necessitatem adductus sum, vt quos dubiis rebus lædere nolui, desperatis tollam. Hæc apud se reputans, & varia quæ imminebant mala, quid prudentius cogitare potuit quam de inimicis potentibus confestim conficiendis? At pluris erat considerate age-

te age-

te agere, quam cogitare prudenter. Quod si plures quam duos illos fratres tolli iussisset, non vidissemus parricidium illud fœdissimum ac teterrimum, quod Guisianorum superstitũ consilio non tam ipsius Regis quam patriæ a Clemente Dominicano perpetratum est. Sed, eheu! quidam inter Regis consiliarios legum custodiam consignatam habentes ei, quod ad diuturnitatem vitæ ac dominationis expediebat, non consuluerunt, cum tamen Christi præceptum sequi deberent, qui sequester. De atque hominum appellatus ex vtriusque partis deposito sibi commisso, *Beatos eos qui faciunt iustitiam*, dixit. O vtinam hi, quibus sacrum iustitiæ commendatum erat, non tam misericordes fuissent. De istiusmodi sequestris nolo dicere illorum misericordiam dolo proximam fuisse. Verum libere adseram hanc clementiam crudelitatis genus esse. Et inter ipsos non nulli ex eorum numero sunt, quos alunt bella ciuilia, qui discordiarum semina prorsus corrumpi nolentes improbo consilio Regi mitissimo persuaserunt, reliquos famæ quam iniuriæ consectari posse: viri imprudentissimi, quibus placuit clementia quam iustitia gloriam aucupari. Vos Gallo-franci culpa vacui cauete ne in amicitiam horũ hominum incidatis, ne quotidiano vsu atque illecebris pares ei similesque efficiamini. At vero qui a bonis secessere ob Cardinalis Guisiani necem potissimum dolorem præ se ferunt, quasi alienam vicem pro sua iniuria doleant.

Sed si illos Romani Cardinalis dignitas mouet, cur Cardinales Vindocinensem & Lenoncurium bonis, quæ Luteriæ & aliis multis in locis habebant, indigne spoliarunt? Cur etiam Episcopo Parisiensi Cardinali Gondio aditum ad Ecclesiam suam intercluserunt? Nos vt Pontificem Romanum, sic Cardinales vt Romanæ Ecclesiæ presbyteros auguste sancteque veneramur. Non sic Guisiani; non sic Parisienses aliique Hispano-galli, qui Cardinalem Borbonium, quem Regem suum Carolum X. appellabant, quasi perditum hominem parui fecerunt, qui periisset misere, ni vi Gastius Henrici III. Regis nostri iussu ita quoque iubente Henrico IV. nobilissimi & fidissimi Chauignius & Bolaius, qui illum in libera custodia detinuerunt, omne studium & omnem curam in eius salutem contulissent. Nimirum Guisianos, qui Regem illum vocabant, habebat vnus ardor sub eius nomine regnare, cum Franciæ legibus Regii diadematis plane incapaces forent. Sed horum hominum est amicitias ad commodum referre & vtilitatis suæ causa Pontificem & Cardinales colere. Nos illos in diuorum numero habendos putamus non alia ratione, quam quod id fieri debeat. Nam & Dii sunt cum animarum sint iudices. Verum quamuis principatum rerũ spiritualium teneant, cum eorum quisque in diuersis regionibus habitet, vel Regi vel Principi, qui diuini numinis imperio constitutus est, humili mente obedire debent. Quod si quis eorum secus fecerit, contra Christi legem facit, qui ipse reddidit Augusto quod erat ipsius, & cum vt iudicaretur in orbem venisset non autem vt iudicaret, quoniam parere minori maiorem haud decebat, clericos quacunque dignitate præditi forent, veteri legi morique ac Regum imperio subiici voluit. Siquidem, *omnis anima sublimioribus potestatibus subiecta est*, siue subditus sit Apostolus, siue alio munere in Ecclesia fungatur. Qui igitur pro Cardinalibus dicunt videant, ne illis obiiciatur, dum illorum priuilegia *Bonifacii VIII. decretis*, & aliorum qui in Franciam ius maiestatis atque imperii sibi tribuere voluerunt, præter æquum & bonum tueri student; eos potius hominibus obedire quam Deo.

Cardinalũ dignitates & reuerentia etiam est Regibus subiecta.

Sed licet non ignorent Franciæ Regem summo in imperio esse; ita loquuntur quasi is eiusque populus sub Pontificis Romani ditionem ceciderit, atque tanto desciscendi desiderio feruent, vt *decreta Sorbonica* confisi populum sacramento solutum quod Regi præstitum est in aliorum acta iurare posse contendant. Sed vnde nouis istis Theologis in Reges animaduertendi ius datum? Vetus est sane Sorbonico collegio malum insitum, vt similia monstra progeneret. Notissima historia est Ludouici Aureliani Ducis crudeliter occisi circa annum MCCCCVII. Tunc Ioannes Paruus seditiosorum illius temporis Sorbonistarum primus à Duce Burgundionum pretio corruptus, & quingentarum librarum annuo reditu donatus parricidium illud detestandum non modo excusauit, sed quantum potuit laudibus extulit non minus inepta oratione quam ea quæ a Romanis contra Henrici III. Regis nostri memoriam in parricidæ Clementis laudem scripta est. Nota etiam sunt, quæ in illum ineptum laudatorem Ioannes Gerson eximius & constantissimus veræ fidei & pietatis defensor fecit, quo promouente Parui illius, qui inter Burgundiones & parricidas vir magnus habebatur, propositiones vt hæreticæ & prauæ a sanctis Ecclesiæ patribus improbatæ & damnatæ fuere, vt damnati debent ne per proposita ab illo qui in sua * *Chronologia* circa annum Christi DXCC. Hilpericum Regem Francorum a subditis iure cæsum dicit, vocans illum hæreticum Catholicorum hostem, & Neronem siue Herodem suæ ætatis: vir sane impius qui cum bene dicere non possit, id vnum studet vt maledicta omnia in Reges nostros congerat. Vtinam illi & aliis Sorbonistis prisca inesset fides, & D. Pauli doctrinam sequerentur, eorumque Ecclesiæ pastorum, qui circiter tempus illud, quo Chilpericus occisus est, Recaredũ Leouigildi Regis filium in Tuletana synodo ab Arriana hæresi ad rectam fidem conuerterunt, quod ab iis non conuitiis, non libellis famosis, non contumeliis, quæ a Principibus contemni solent, sed precibus sacrosanctis effectum est. Verum impudens ille & alii quos Parisienses Theologos vocant a Xysto V. Papa datã in Henricum III. Regem senten-

Iuramento soluere subditos a Papa posse.

Sorbonistarũ monstrosa Theologia.

* *Genebrardus.*

tiam profecerunt, & a Sorbonicis Doctoribus determinata ab eo confirmata dicunt. At si diutius vixisset bonus ille Pontifex, qui paucis ante obitum suum diebus aures suas Hispanis dederat, deleuerat, hodie in illos Matæologos vt impios & hæreticos inquireretur, & meritas pœnas luerent, cum plus sibi ipsi iuris vindicent, quam Christus ipse qui Regibus & Principibus parendum dixit, imo ipse paruit. Nolebat ille sibi arrogare quod nonnulli Episcopi Romani terminos suos egressi in Imperatores, & quod Galli quidam sub secunda Regum stirpe in negotiis secularibus sibi assumpsere, cum inter Reges & Princeps eorum fratres arbitri esse voluerunt. Quamobrem Xysti V. bulla vim legis in Francia habere non potest, maxime aduersus Regem & suos, qui non ex priuilegio tantum, sed summi imperii iure à iurisdictione Pontificia liberi sunt, ita vt Ius summum & regni leges à Xysto V. tolli non potuerint. Aiunt Parisienses illum vltima suæ monitionis clausula eorum Pontificum bullis derogasse, & pactionibus cum illis initis quibus Regum nostrorum & Franciæ iura ab iis confirmabantur. Hic mihi adest Gerson Gallo francus Theologus purus & verus, qui in tractatu de potestate Ecclesiastica sic dixit, *non licere Papæ facere tot & tales* (quas vocat) *Nonobstantias earum quæ in generalibus Conciliis statuta, & à patribus vniuersalis Ecclesiæ approbata sunt, tollendorum gratia.* Non igitur potest subditos à fide erga Principem & à debita obedientia liberare. Nam quamuis Petrus habuerit a Deo concessam ligandi & soluendi potestatē, hoc ius de vinculis peccatorum scriptum est, non vt soluantur sacramenta diuinarum scripturarum, vt eleganter dixit author libri illius *de vnitate Ecclesiæ conseruanda*, qui Henrici IV. Imperatoris tempore aduersus Gregorium VII. schismaticum Pontificem in Germania editus est. *Præcepit*, inquit, *Dominus per Moysen filiis Israel, imo filiis Ecclesiæ, ne assumerent nomen Dei in vanum. Quis poterit soluere istam Domini sententiam? Dominus per Ezechielem Prophetam comprobans iuramentum quod Sedechias Regi Babylonis fecerat, atque irritum ab eo factum videns, suum magis quam alterius fuisse iudicans: Morietur*, inquit, *in præuaricatione quia despexit me: & periuri* (*ait Apostolus*) *regnum Dei non possidebunt.*

Qui vero à Rege desciuerunt, cui tacito legis & naturæ pignore sunt omnes astricti, certum est illos maximis piaculis obligari. Regnum suum populo acceptum reges nostri haud ferunt: non prius illos homines quam Principes radii solis intuentur, cum successionis iure ad regnum veniant. Quod si Diuus Petrus subditos a iureiurando non potuit absoluere, multo minus eius successores, cum ipse potestatem sibi a Christo datam non pure ea lege Clementi concesserit, vt ligaret ac solueret quæ ligari & solui expediret, vti ipsemet ait *in epistola prima ad Iacobum*. Itaque ex Petri doctrina qui Neroni licet impio Principi modeste paruit, Romanus Pontifex Xystus V. illius verbis Gallo-francos Regis Henrici III. pii Catholici & Christianissimi Principis subditos sic monere debuit, *Deum timete, Regem honorate, scilicet vt in hoc timor Dei comprobetur, si quilibet Rex honorificetur.* Et vtinam hanc regulam vti sancte præscripta est, ita seruari iussisset Papa Xystus, & ex Apostoli precepto debitum honorem & reuerentiam magistratibus exhiberi, cum ministri Dei sint, quorum opera & potestate mundus regitur ac gubernatur. Nec enim solum *propter iram*, id est metu pœnæ illis obediandum est, *sed propter conscientiam*, quia nimirum omnes scire oportet, id ex diuina voluntate & constitutione fieri debere. Quod etiā Ethnici agnouerūt, inter quos illo sæculo quo D. Paulus scripsit, hęc Seneca sapiens Philosophus dicebat, *Principes Regesque & quocunq; alio nomine sunt tutores status publici amandos etiam vltra priuatas necessitudines. Et olim*, inquit, *ita se induit Respub. Cæsar, vt diduci alterum non possit sine vtriusque pernicie. Ille enim est vinculum per quod Respubl. cohæret: ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur.* At vere in Francia subtracta est per Romanorum fulminum prodigia. Multi Catholici Lutetiæ oppressi, Senatus Parisiensis in vincula coniectus, Tolosæ Princeps Senatus & fisci patronus interempti discerptique, Rex denique sacrosanctus à Dominicano Monacho ferro confossus. Inest certe his fulminibus vis pestifera, sed quæ viuas Gallo-franciæ arbores terebrare & frangere non possit, nec interiores libros interioresque radices rumpere. Altæ enim sunt & quæ scindi non queant. Nam nec ipsa liliorum folia perstringi, nec tundi possunt. Ea nos fulgura (quando ita res est) non bidente, sed bipenne procurabimus. Romani olim regalia illa metuebant fulmina, quorum vi tangebatur Comitium, vel principalia vrbis liberæ loca, & significatio regnum ciuitati minabatur. Hodie Francica veteri deberent, non in Reges & Principes late & insolenter exultare. Nam si Galli quondam Romanorum superbiam contuderunt & audaciam compresserunt, hoc iterum poterit cōtingere, ni secundum Leges Ecclesiasticas & iura in Gallia seruatas qui erit Pontifex nobiscū agat, quorum pręscripto Francis viuendum est. Ille bene sibi consulet, si Christianos omnes, & præsertim Gallo francos in tranquillitate & otio contineat. Vtinam igitur is eligatur, qui ea moderatione & æquitate Ecclesiam Rom. regat, ne Gallos cum Hispanis summos cum infimis pari iure retineat. Interim ne nos absterreant Hispanorum minæ, quominus Henrico III. Regi optimo iusta persoluamus. Lugendus est Princeps Henricus III. præponenda thoro illius effigies, recitanda carmina ad memoriam virtutis meditata, scribendæ laudationes, spargendæ lachrymæ in Regis nostri oculis, in cuius facie habemus imaginem Martis vltoris. Audistis Gallo-franci quæ ab Hispanis & Guisiis in Henricum III. Regem nostrum dicta, scripta, & facta sunt.

& quid

& quid defuncti memoriæ debeamus. Nunc audite quæ in Henricum IV. ab iis dicuntur & fiunt, & quæ ægrotæ Reipub. adhibenda sunt remedia.

Hispanorum machinationes in Regem Henricum IV & Regnum Franciæ.

Rex Hispanorum in hunc vsque diem Xysti Pontificis auxilio & dissidiis Francorum occasionem sibi ad occupandam Franciam oblatam arbitratus est. Ait religionem publicas sanctissime tuendas, Deum colendum iure Pontificio, & more maiorum, & ceremonias veteres cum à patribus proditæ & approbatæ sint, repudiandas non esse. Denique Franciæ regnum affectans, vt eius auus Nauarricum, ipse Lusitanicum, inuasit, ita omnium quas occupare potest regionum, imperium quærens, & vt se *Regem Catholicum* dicit, omnibus dictis & factis viam sibi ad potentiam sternens, ea spe ducitur se posse turbulenta ratione honori velificari suo: super insitam ferociam, & Francici nominis odium, in regem nostrum propriis stimulis accensus. Retinetur ab illo, vt à subditis suis Hispanis mos, religio, disciplina, ius Pontificium, collegii Rom. authoritas, plus ad opinionem vulgi, quam ad vtilitatem Reipublicæ Christianæ. Omitteret hic & pietatem, ad id quod vtile sibi videtur consequendum, si aliam honestatis speciem aliquantulum probabilem posset opponere. Sed omnia quæ fiunt, quæque aguntur acerrime, religionis principiis Hispanus prætexit. At quod tempus fuit aut nostra aut patrum nostrorum memoria quo hæc ambitio non fuerit? Adeo pii sunt Hispani tantumque illis religionis studium, quantum olim Austriacis, qui causæ suæ non fauentes impietatis criminabantur. Notum est quod in Bonifacium 8. & Iulium 2. ab illis dictum, quorum successor in Hispania regnat, cum vterque illorum primis Pontificatus sui diebus Christianissimi Regis nostri amicus esset. Xystum etiam V. accusarunt Hispani, cum Henrico III. eiusque legatis propitias aures dedit. In eum enim dixerunt, Hispanorum regem ab eius violentia liberandum, qui iracundiam suam ad fortitudinem vtilem putabat: dirum & triste omen à ceruicibus suis auertendum, & furias Romanas in Franciam mittendas. Tandem Cardinalis Pelneus iamdudum Lotharingis addicti, & aliorum quorundam qui Romæ degunt dolosis artibus, illum armarunt in Gallo-francos Henrico III. deuotos, & in eos qui Regi nostro Henrico IV. nunc obediunt, vt omnem iræ suæ feruorem in Gallias effundat. Factum est Romæ quod Hispani volebant: & inde iræ magnæ multorum Principum, Cardinalium, Episcoporum, & Nobilium, à Pontifice ad Senatum & ad Concilium liberum prouocandum clamantium. Non mihi probatum, quod à quibusdam aliis male feriatis liberius dictum est, non esse metuendum eum qui vt furiosus ebullit, non vt beatus & sapiens. Qui melius sentiunt, dixere quidem timendam etiam iniustam pastoris sententiam, sed verendum illi ne qui vetere lege Ecclesiastica, & consuetudine à Christianis recepta primus inter sacerdotes factus est, si aliud quam sacra & ius Pontificium, si res non bonas tractet, ac parum pie & nimis aspere cum Rege nostro agat, belli fortuna euadat inferior. Causa quæ sit, Gallo franci, videtis. Nunc quid agendum considerate. Et vt rebus vestris consulatis diligentiam adhibere, quæ vobis adsit et temporis reliqui recuperandi rationem, & præsentis tuendi. Et vt Philippum IV. & Henricũ IV. eiusdem sanguinis & honestorum studiorum consuetudo, ac eorundem Regnorum titulus coniunxit (quod fuit illorum vtrique fatale) vt eis Hispanici tyranni per Rom. Pontificem insidias compararint, ita vestra ope faustum erit Henrico IV. vt Philippo IV. fortunatum fuit. Nam vt ille quondam, sic iste hodie omnia crimina aduersariis obiecta in suam laudem conuertet, & dum stimulos doloris ac frustra iactorum fulminum ictus contemnit, quæ superiora infirmis videntur, inferiora redder. Vobis est res (Gallo franci) cum Hispanis & Guisianis gloriæ appetentibus: Et vos præter cæteras gentes auidi laudis estis. Quod si contigerit rebus nostris exitus quem optamus, quem fore confidimus, & quem meretur Henricus IV. erit Philippo IV. longe felicior. Nam illo Rege postquam occiderat tyrannos, viuebat tyrãnis, at Henrico IV. nec tyranni manebunt, neque tyrannis. Quis vestrûm (Gallo-franci) ferre possit crassos & inertes homines alacrib. & fortissimis insidiari, & vecordes constantissimis, stultissimos prudentissimis, ebriolos sobriis? Ne sinatis Regem Hispanorum & Guisianos (qui veluti mente incitati cum furiosa plebeiorũm turba in Regem nostrũ exclamant,) læte & impudenter gloriari.

Henrici IV. ortus educatio vita.

Regem habetis Henricum IV. quo nascente Gallo-franci pii clamarunt, datum à Deo principem, qui Regno Franciæ necessarius foret, & veteres Francorum hostes Hispani ac Guisiani iudicarunt sibi æternum laborem portendi. In lucem editus est anno M. D. L. IIL. XV. Calend. Ian. quæ dies fatalis fuit. Eadem enim ipsa Dux Guisianus eius hostis infestissimus morte merita sublatus est anno M. D. LXXXVIII. Vnde Gallo-franci pii magnas Deo gratias egere, multasque excussérunt è lætitia lachrymas, & spem ex eo conceptam videre, vt Nauarricus penatibus auitis redderetur. Huic non fuit parens altrix illa Romani nominis Martia, cuius filios & pastores titulorum & triplicis coronæ vanitas delectat, non nutrix lupa vt Romæ conditoribus, sed vt pater optimus Antonius Borbonius Dux Vindocinensis, ita mater sanctissima Jana Albretta Nauarræ insignis regina Henrici Albretti & Margaritæ Valesiæ Regis Francisci Magni sororis filia, summæ probitatis & antiqui moris fœmina, quam aliquot ante annis Hispani è Turonum vrbe Regum & Principum asylo ex Nancei, qui illam ibi fidissime adseruabat manibus, abducere tentauerant, vt antea Henricum Albretium eius patrem, ni ex arce Pisquerona Vincsii & Porriquii familiarium bono dolo, post prælium Pa-

uiense

uienſe è manibus hoſtium euaſiſſet, in perpetuam cuſtodiam tradere ſtatuerant, & Ioannem Albretium auum ac Catarinam Foxiam Reginam Nauarricam auiam, eo tempore, quo Regnum Nauarræ ab ipſis occupatum fuit. Sed vt in cœlis deſtinatæ ſunt nuptiæ, erat illa Ioanna Albretia Nauarrica Regina Francico Principi a Deo deſponſa, è cuius oſſibus exoriretur Hẽricus Magnus hodie Rex noſter, qui iniuriarum ab Hiſpanis Franciæ & Nauarræ Regibus illatarum vltor & noſtræ ſalutis author foret. Ipſa illum in montoſo & ſylueſtri loco his nutrimẽtis educauit, vt capite & pedibus nudis incedens calore & frigore dureſceret, condiſceretque à teneris annis eſſe pulueris & Solis patiens: poſt in Galliç ſinu multis agitatum periculis, & variis fatis exercitum ita fouit, vt ea ſublata facile primis inſiſtens veſtigiis omnes virtutis apices attigerit, & cunctas fortunæ inſidias euitarit, aſſiduaque & quotidiana exercitatione aſſuetus impiger ad labores, & intra annum XXX. ex voto patris, belli Dux præſtantiſſimus factus ſit. Hic è ludo atque pueritiæ diſciplina in militiæ diſciplinam profectus iubente patre, vti erat animo, ita corpore armatus fuit, non vt Crupellarii Heduorum, quibus, vt refert Tacitus, more gentico ferri continuum tegimen, qui accipiendis ictibus impenetrabiles quidem ac inferendis inhabiles erant. Nam ipſe habilis fuit, & eius vita ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis ſed ſuis imperiis, non offenſionibus belli ſed victoriis eſt traducta. Iampridem illi Hiſpani hoſtes fuere homines fraudium & nefariorum conſiliorum artifices eruditi, quorum perſuaſionibus, & Prudentii Biſcaii Cantabri ab illis impulſi, Gamboas gladiator Antonii Borbonii & Ianæ Albretiæ ipſiuſq; capiti ſicam intentarit circiter annũ M.D.LIX. Sed Deus hunc principem ab Hiſpanorum manibus vt antea matrem & eorum maternum liberauit. Poſt, eius vitæ rurſum inſidias compararunt per Dominicum quendam centurionem, qui à Lotharingiis corruptus & inductus homo audax & ſæpe in cæde verſatus, nihil adhuc quam ſicas vibrare & venena ſpargere didicerat, & peregiſſet facinus, ni ab Hiſpaniæ Regina Francorum Regis filia, & à Veſperio viro optimo detecta fuiſſet coniuratio. Poterat ipſe inſidiis hoſtes ſuos adoriri: at palam ſemper fecit omnia, & omnes anguſtias, omnes altitudines, omnium obiecta tela ſemper vi & virtute perfregit. Molles ſunt in calamitate aliorum hominum animi: at illi & corpus laborũ tolerans & fortis animus ſemper fuit, nec eſt ſomno, nec libidinoſis vigiliis marcidus. Nihil in illum potuerunt nouem fortiſſimi à Guiſianis miſſi exercitus. Nam illos in ſe irruentes videns quietus intentuſq; erat quando hoſtis imprudentia rueret, vt alienã ſtultitiam operiri loco ſapiẽtiæ eſt. Nunquam animi conſternatus fuit, licet quotidie diuerſæ ſollicitudinum formæ orirentur. Copias habuit genere & fide pluſquam numero firmas. Non dolo certauit, ſed virtute, & ea ſane melius quam pecunia res eius ſtetit. Aperte odit Hiſpanos, id magis ingenuum putans quam fronte occultare ſententiam. Siquidem ad honeſtatem illum natura finxit, non ad ſimulationem & fraudem. Itaque virtute dexteræ ſuæ inimicis reſiſtens, dolum malum bonis artibus eludens, à Deo ſeruatus eſt. O beatũ principem, & laudibus omnibus ſuperiorem, qui à recto tramite auerti non potuit: Nonne ſcitis ante vltimum bellum à Guiſianis in Francia motum à Rege Hiſpaniæ ad hunc Principem legatum miſſum, qui eum ſollicitaret vt regnare in Francia vellet, à quo cum ad ipſum nobilis quidam è ſuo comitatu acceſſiſſet, & primo congreſſu illum rogaſſet vt aliquem ex ſuis fideliſſimis delegaret, cui mandata à Rege ſuo exponi poſſent (ſic enim de grauiſſimis & maximi momenti rebus eum eo agendum) Princeps orationem eius excipiens, protinus vnum integerrimum in Galliæ fines ad eum miſit, cui legatus Hiſpanus hanc mandatorum ſummam aperuit.

Tractatio Hiſpani cum Rege Nauarreno de Regno Franciæ inuadendo

Nempe Regem Catholicum hæc conſilia animo agitare: primum de affinitate cum illo Principe, quem Biarnenſem vocabat, contrahenda, deinde armis aduerſus Franciæ Regem ſumẽdis, vt acceptas iniurias vltum iret: cauſas belli prætexens, quod cum gentis ſuæ ordinibus in perniciem & euerſionem Flandrici principatus conſpiraſſet, bellumque in Flandria concitaſſet per fratrem ſuum Alenconium Ducem. Addens Biarnenſi occaſionem opportuniſſimam offerri augendæ poteſtatis ac dominationis, & iniurias ſibi nuper à Frãciæ Rege illatas aſperrime vindicandi. Ad hæc, Regem Hiſpaniæ de Nauarrici Regni poſſeſſione deceſſurum, atq; ipſam demum Pampelonam reſtiturum quam Biarnenſis Gallicis præſidiis pro arbitrio firmare poſſet: inque eius rei fidem trecenta millia aureorum ſcutatorum numeraturum, ac non multo poſt eandem ſummam duplicaturum, quam paratam ac expeditam haberet ad belli ſumptus. His mandatis expoſitis, cum ipſa Rex tum Nauarricus intellexiſſet, eum cuius fidei rem commiſerat quid ſibi videretur rogauit, qui cum ex tempore reſpondiſſet non poſſe ſalua conſcientiæ integritate authorem eſſe conſilii de bello aduerſus Franciæ Regem Principem ſuum inferendi, hoc conſilium vt ſanctum arripiens ſibi probari dixit, ac confeſtim nuntium remiſit, qui diceret, ipſum quidem inter ſummos orbis principes Hiſpaniæ Regem deputare: verum ſe domo vetuſta atque ampliſſimis ortum maioribus, neque pietate, conſcientia, religione Hiſpaniæ Regi quamuis Catholico cedere. Mortalibus cæteris in eo ſtare conſilia, quod ſibi conducere putant: principum diuerſam ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda: ſibi bella inteſtina, cædes, rapinas, diſcordias inter Francos gratas eſſe non poſſe, quod hæc Hiſpanis ſolis profutura eſſent, ſed ingenium ſuum exercuiſſe, vt Franciam ſeruaret. Hæc cum Hiſpanus audiſſet, dixit dolere ſe oblatas à ſuo Principe conditiones à Biarnenſi non recipi, quas ſi amplecti in animo habuiſſet, atque ad religionem Catholicam

Aposto-

Apostolicam Romanam animum vellet appellere, bene & prospere omnia illi cessura, filia splendidissimo genere ei in connubiũ destinata. Quin apertius narrauit Catholicum Regem cum summo Pontifice effecturum atque curaturum vt Principem Biarnensem connubii legibus solueret, atque Hispaniæ regis filiam ei desponderet. Sed quoniã ꝓpositas conditiones spernaretur, Hispanus addidit se cum alio negotiatore, quem in promptu haberet, facilius rem confecturum qui motum in Gallia concitaret. Is erat Dux Guisianus, qui vt rerum nouarum studiosus, ita Hispaniæ Regi aliis omnibus accommodatior fuit. Erat enim illi vastus & audax animus, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens, ardens in cupiditatibus, qui immoderata omnia & nimis alta semper cupiebat, quem iamdiu inuaserat libido Reipublicæ capiendæ. Alia mens Henrici Borbunii nunc Regis nostri, alius animus, qui nec ab inimicis nec ab amicis flecti potuit. Iuuat hic meminisse quæ feruntur ab eo dicta in colloquio cum D. Lenoncurio nunc Cardinali, babito: qui ab Henrico III. Rege Christianissimo ad eum missus fuit, cum is illum moneret vt Franciam patrum suorum religione per multos annos seruatam, eadem fide amplecteretur, & nouorum morem sacrorum a Regni splendora & maiorum institutis abhorrentem relinqueret: id si faceret, bellis ciuilibus finem dicens fore. Sic enim illi respõdit, se ab iis educatum qui ad morem multitudinis ficta simulachra non amplectends docuerunt: magnam vim, magnam necessitudinem, magnam religionẽ possidere paternũ sanguinẽ, sed fidei parentũ & obseruatæ ab eis consuetudini veta legem cedere debere. Si doceatur, paratum se credere quæ meliora ꝓbabuntur. Ea sequi velle quæ non à Guisianis familiæ suæ hostibus, sed ab amicis, non per vim improbam, verum charitati Christianæ armis & candido animo proponerentur. Eum qui Princeps est aliter persuaderi non posse. Causam bellis non dedisse: nolle, ni cogatur, armis se defendere, nec Germanorum & Anglorum copias in Galliam aduocare, suisque fratribus & amicis, ac patriæ suæ famem & vastitatem inferre. Hic recordor alterius colloquii, inter Catharinam Mediceam Henrici III. Regis matrem, & ipsum, habiti. Illa, vltra fœminam ferox, eum vrgebat vt religionem Catholicam Apostolicam Romanam profiteretur, & quemadmodum à maioribus acceperat sic posteris traderet, monens quædam ea horrida antiquitate ad præsentem vsum flectenda. Ne armis fideret, se suosque sæpe fusos, multis calamitatibus oppressos, conuitiis ac contumeliis expositos. Verendum ne dum cœlestia cogitabat, terrestrib. careret. Ipse itaque dubiis præliorum exemptus, summæ rerum & regno se reseruaret. Post minas addens, precibus Regiam maiestatem opponebat. Tum rogabat ipsum id quod vellet peteret, curaturam se spondens vt à Rege consequeretur. Sed illi immotum aduersus hos sermones fixumque fuit non omittere caput rerum suarum, neque se Remque publicam Francorum in casum dare. Ideo respõdit se nec velle nec posse religionem & consilium mutare. Multa bella in se mora impetu valida per tædia & moras euanuisse. A Deo semper auxilium expectasse, minantibus intrepidum & blandientibus incorruptũ fuisse: suos nemini inuisos nisi immerito, & tamen per Guisiorum insolentiam cum ad nuptias vocati essent anno D. M.LXXII. gaudentes & incautosos captos & contra fidem interpositam interfectos. Mœsta vbi semel prorupere difficilius reticeri. Queritur itaque, & Catharinæ Reginæ dicit nihil securum ab ea promitti posse: recordari se anni illius & vrbis in qua iaret sacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, Guisii, ipsa fauente, vincula & laqueos induxere. Se armis nihil arrogare sed ad Deum confugere. Esse & fuisse semper deterrimo cuique licentiam impune probra & inuidiam in bonos excitandi. Se à Guisiis petitum fuisse non sua culpa, sed quod flagitiorum fuerit impatiens. Vitam miseram & ærumnarum plenam, quam Regina probro & crimini esse dicebat, tam se quam suos, quos illa mœstos & sordidatos vocabat, honestissimam arbitrari. Intelligeret igitur, se inopia crimioum summam laudem ei vitio & culpæ dedisse, dum florentem suam fortunam cum eius spoliata conferret. Nec se suosve Regnum vel diuitias petere, quarum rerum causa bella atque certamina à Guisianis mota. Non sibi opponendam Regiam Maiestatem: se illam respicere & colere: fidum obsequium illi præstitisse & semper præstiturum, sed religionem imperari non posse, cum nemo cogendus sit vt credat inuitus. Minas quæ proponebatur parum illum tangere: sed bellum fugisse, & genus omne belli quamuis à suis sæpe monitus pace suspecta tutius illud esse, idque maxime quo crudeliora in Gallia agitari & parari videbantur. Quidquid illa diceret se non credere Henricum III. Regem tantum immanitatis animo concepisse, vt suos vellet perdere: Frãciæ Principẽs gladio quidem necari, aut veneno tolli, at exheredari non posse. Se nec Ducatum Andegauensem nec Aleneonicum, nec aliud quidquam quod Regis reditus minueret desiderasse. Videri sibi iter expeditius communis salutis quam suæ laudis & priuati commodi. Nil se à Rege petere præter cõscientiæ libertatem. Hæc quæ varie à multis accepta sunt ex animo sincero dicta esse Deus Opt. Max. euentu comprobauit, ac eum multis decursis spatiis tandem per ania ad Regni fastigium duxit, ita vt per vsum aduersorum ad secunda pernenerit: quo tempore maior in eum imperus parabatur. Credebant perduelles res nostras subuersas esse, atque exercitu dissipato Regem nostrũ in eorum potestatẽ peruenturũ. At versa fortuna versi sunt animi, & Rex iste magnus stupente vesana proditorũ turba, nõ fraude, nõ dolo, sed iure legitimo in omnia defuncti iura & necessitudines successit. Hũc vis illa cœlestis hominẽ fabricata tã bene composuit, vt non putet falla-

[illegible] ciis

Henrici IV. continentia in fide sua.

etis ac impostorum dolis sibi opus esse. Id proprium Hispanici tyranni, & aliorum huiusmodi hominum, qui non solum aspectu, sed etiam impiis flagitiis & stupris ceremonias, quarum se studiosos dicunt, inceste polluunt: in quibus nihil sanctum, nihil sincerum, nihil integrum: qui domos habent pudori & honestati clausas, & quorum mos est calumnia litium, aut iniustis vindiciis & sacramentis alienos fundos petere, & principes quibus secreta Principum innituntur corrumpere: denique per leuium hominum venalem vocem, qui sinistros de Rege suo sermones habentes per varias vrbes vagantur, & mentiendo tempus eximunt compositæ orationis insidiis Gallo-francorum attentare fidem ac falsis rumoribus vulgi aures implere: quod infirmis ac vecordibus præcipuum alimentum famæ est. At Regis nostri Henrici IV. natura sancti & boni castris, exercitu, & signis inferendis superbiam Hispanorum debellare, virtute nodos resoluere, & clementia, quæ Reges Deo similes reddit, suorum amorem conseruare & exterorum beneuolentiam conciliare, neminem honoris gradu sibi superiorem ferre, sed Duellium esse, hostes acie ac iustis locis fundere, omni dedecore maculosos egregia fama anteire, fraudem & dolum vt leuis animi seruilia & ignobilium animalium vitia spernere, nō clam sed palam hostes suos vlcisci. Nec verendum est quod Caietanus Cardinalis de eo dixit, ne Atqnensis pugna & victoria, quam nuper aduersus Hispanos & Guisianos in Euriacis campis obtinuit, & in cuius possessione Deo iuuante permanebit, reddat illum ferociorem. Ad Deum enim, qui ipsum melius quam optare auderat, liberauit, ad Deum beneficum, generique Borboniorum propitium, omnia sua reuocat commoda, lucem qua fruitur, & spiritum quem ducit, ab illo sibi datum agnoscens, cui desiderat pie & caste satisfacere, & cuius benignitate peruerse non vtetur. Scit Guisianorum & Hispanorum esse, Deorum nomine homines impios ac parricidas & res sordidas ac deformes afficere. Ac ipsius gloriosam victoriam diuino nomini tribuere. Et tametsi improborum prosperitates, & secundæ res Dei vim ac potestatem arguant, ei persuasum est illum etiam piorum habere rationem, cum rerum omnium moderator sit, quas ipsius iudicio regi ac geri certum est. Victoria profecto natura superba, & vt in ciuilibus bellis nil ea miserius, sic fere semper insolens est. Sed ex illa si malum aliquod, at certe tyrannis non exsistet. Neque pertimescenda vlla sæuitia. Rex enim noster natura moderatus est, & multi illum audierunt sæpe dicentem se voluntate non esse crudelem, non autem quod existimet popularem esse clementiam, vt qui nouum imperium inchoantibus vtilem mansuetudinis famam putant. Quod sæpius respondit cum ipsi à suis diceretur, *Si clemens esse volueris, nunquam deerunt bella ciuilia.* Hæc enim verba illi non placuere: nec aliorum etiam, qui, si quid leniter fecisset, vt dissolute factum arguerunt. Videtis quanta sit in hoc Principe comitas, quanta humanitas, & mansuetudo. Romani Imperatores damnatos fidei crimina (quod grauissimum est inter desciscentes) occidi iubebant. At hic eis pepercit. Apud quosdam Principes vicit ratio condonandi, qui idcirco imagines hostium ne victores quidem aboleuere, ne sublata spe veniæ victi pertinacia accenderentur, sibi potius quam victis consulentes. Hic subditorum commodum vtilitati suæ præferens, & benignus est, & benefacit, quoniam aliter nō potest, nullam aliam ob causam quam quod sic faciendum, & non tantum quod non it egregios bellorum esse fines quoties parcendo transigitur. Alii vbi consiliis vincuntur, ad ius imperii transeunt: Hic quamuis suo consilio sapiens alieno tamen sæpius vtitur tam Principum Borboniorum, Cardinalium, Vindocinensis, Lenoncurii, Mareschallorum Franciæ, & aliorū *Baronum* (sic enim nobiles voco, vt à maioribus nostris appellati fuere, quod mares animos ad bellum gererent.) Hic & suo Marte & suorum consiliis impulsus erga subditos indulgens, vt pater liberis, sic princeps subditis ignouit. Ne quis vero, qui forte ab eo vel à Republ. vel à se ipso desciuerit, insidiosam eius humanitatem aut fictam mansuetudinem putet, sed in verba illius iuret? id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit. Si est comis erga hostes, qualem erga suos Franci omnes illum futurum sperare debent? Capti ciuilibus bellis à Romanis non vertebantur in prædam, & victoribus multa militum arbitrio per quos vicerant etiam inuitis facienda erant. At Rex noster clementissimus sua humanitate victoriam ipsam vicit, & subditis suis maiestatis reis, vt est Princeps rerum humanarum optimus, vitam, famam & fortunas abolitione generali restituit. Videlicet cum sit extinctor pestiferæ tyrannidis, re bene gesta, gaudio victoris exercitus à Gallo-francis Dux inuictissimus conclamatus inimicorum contemptum spernit, & subiectis veniam concedens, illis Dei more in precibus & votis occurrit. Princeps quippe est ad conseruationē Francici nominis & bono Reipubl. natus, cui plus debemus quam Galli veteres Herculi suo victori Polluenti & potenti. Quod si olim Ethnici Imperatoribus suis sacra posuerunt vt illud *numini Diui Augusti, Genio conseruatori;* & alia *Fortunæ primigeniæ voto suscepto, & Spei Augustæ & Felici ac Nemesi pro salute Dominorum Augustorum, & Saluti perpetuæ, liberatique populi Romani,* nos non vt olim Senatus triumphalia ornamenta hominibus ob res bene gestas, sic hodie decerni rogabimus: non ponemus sacrum Fortunæ reduci domus Borboniorum Gallo-francorum, sed Deo reduci pro pace perpetua quæ à piis & bonis quotidie optatur pro victoria æterna magni & inuicti Principis, restitutoris Franciæ, & pro inclyti Regis iustitia, indulgentissimi Domini Maiestate, qui virtute fortissimus & pietate clementissimus est, sacra fieri curabimus. Denique vnum præcipue votum pro eius salute nuncupabimus, vt Dominus vitam eius ad spē seruet, inter cuius eximias virtutes vna maxima est cog-

nolcendi

noscendi & ignoscendi consuetudo, & illud præcipuum virtutis ac vitium argumētum quod vt superior regat, non per iniurias adsequitur: & si quæ illis ab inimicis inferuntur, credit eas in se cadere non posse. At hoc mirum non est, cum Rex sit legitimus, non tyrannus: & ideo recte facit quoniā male facere nequit. Ideo nolle se iniurias suas ꝓsequi sæpenumero protestatus, solam vltionem fraternæ cædis a Deo sibi mandatam dicens in memoriam Henrici III. Regis ac fratris sui. Quod quam laudabile sit ex eo iudicari potest, quod Rex Selomoh, cum ei præcepisset Rex Dauid ne Simei filium Gera innocentem dimitteret, curauit eum deduci cū sanguine ad sepulchrum, vt in *Regum libro* scriptum est. Hic cogor illius temporis meminisse quo Rex Henricus III. occidit. Equidem cum eo libertas, Francici nominis dignitas, & Regia authoritas visæ sunt occubuisse. At cum recordor quæ Gallo francis deuotis & solduriis de Hērico IV. qui nunc Rex noster est ab illo piu Henrico III. dicta sunt, imaginē video eius temporis quo Rex ille Dauid sibi successorem designās suos vt cuique ætas aut dignitas, comiter appellans talia loquebatur, *Capite vobiscum seruos domini vestri & sedere facite Selomoh filium meum super mulam meam & deducite eum in Gihon*. Vt enim sanctus ille Rex post Dauidis obitum equo Regio impositus (quod Regiæ potestatis symbolum erat, cum alium quam Regem ei insidere nefas esset) sic Rex noster iustissimus ac legitimus successor, & ab Henrico III. vocatus, qui vt regium equum regeret, ita legum habenas ad patriæ salutem flecteret. Hic vbi primum in illum conuersa sunt omnium ora, deiecit e Francorum animis obscuras doloris nubes quasi nouus sol exoriens & deficientes virtutes certa fauentis numinis præsentia recreauit. Rex est legitimus, cuius Antonii Burbonii patris gradum succedenti Gallo francorum iure, adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne Regium à Deo capiti impositum fuit, qui se neque intulit, neque intrusit: qui non vi sed iure grassatus est. Hic via iuris à Regni proceribus & militibus mediis in castris honoratus est, qui illum Regem venerantes cōmuni voto cōsalutauere, virum in omni virtute Principem & Gallo-francis Christo signifero Regem datum. O diem faustum quo non felicior illuxit, quo respexit nos è cœlo dominus. Hunc vere natalem Franciç aut recte salutarē appellare possum, & vt nobis faustum, sic horribilem hostibus. Deus in Rege nostro est, per ipsum viuit & viget, atque ex illius spiritu calescit. Hic à Senatu menti publicæ principe agnitus populo acclamante & lætis vndique vocibus nobis ob Henrici III. excessum lachrymas, & ob huius ingressionem gaudia miscentibus. Si vultis Gallo-franci plura a me de isto Principe vobis dici, vt quid de illo sperandum cognoscatis, id ex anteacta vita iudicate. Hic vt matris elegantia tinctus; sic à patre optimo sanctissime institutus Regi Francorum principi suo lubentissime paruit. Quis igitur illi hodie non pareat? Ego certe illos recta conscientia frueri existimo, qui legitimo Principi obediunt. Is sæpius ad Regem Henricum III. scripsit, & cum in principio literarum Deum veneratus esset, orauit illum sanctissimum Principem suum ne Guisianis crederet, sed meminisset tot præliorum quib. religionis dissidia terminari non potuerant: multos sibi adesse milites monens, queis merus atque viuus expugnatis plerisque monstrauerant, multos antiquç nobilitatis etiam inter angustias fortunæ retinentes, qui patriam, parentes & antiqua mallent, quam dominos nouos, quam Hispanos, quam Lotharingos Francorum regnum adfectantes. Illorum auxilium ei aduersus hostes publicos pollicitus, quib; eum vti rogabat, quod ad Hispanorum exitium nati essent: malo occurrendum esse, & verendum ne in Francia parricidia contingerent qualia multis in locis, vbi in bellis ciuilib. cum frater à fratre interemptus fuisset, nec honorare defunctum ius hominum, nec vlcisci cædem ratio belli permittebat. Si ipse Regem offenderit, vt à Borbonici nominis aduersariis illi obiiciebatur, nouissimum se ad culpam, (si quæ tamen culpa est, in eo qui vitā & famā iure naturali permittente defendit) sed primum ad pœnitentiam fuisse, ac semper fore. Daret igitur Rex finē malorum pœnitentiæ, & bonorum consensui spatium. Vota se fecisse & facturum perpetuo pro incolumitate ipsius, quippe qui non sponte, sed à matre impulsus, multa in ipsum fecerat eorum consilio qui illā dominationis sociam cuperent, quæ ideo lædebatur, quod nō regnaret. Voluisse illā Lotharingios rei Francicæ imponere. Regem persuasum à Guisiis, vt illi obsequium præstaret nec eam depelleret, cum dominationem donum eius accepisset. Id ab Hispanis summopere optatum: & quamuis nouum esset fœminam signis Gallo-francorum præsidere, cum eorum morib. leges io imperiis discernatur, tamen id ab illis ꝑ Guisianos tentatum, vt aliquādo per fœminam regnarent. Ista nihilominus testatus sibi curæ non esse, quæ ad Regni administrationem pertinebant; queri tantum velle publicas Francorum miserias, in quib. vnam præ omnib. deplorandam, quod vis non modo corporibus, verum animis adhiberetur. Sibi ne solitos quidem cuicunque nobili honores contigisse: ob id tamen non clamare, vt questi sunt Guisiani; qui, licet indigni, multis honoribus dignati fuerant. Nec illorum esse, neque ipsius etiam, nec alterius cuiusquam æstimare, quem Rex Henricus III. supra cæteros, & quibus de causis extolleret: anteferret Princeps quos vellet, se postpositum contumelia offendi non posse. Satis sibi fore si quæ tam à patre, quam a genere, & rerum natura illi per Dei manum tributa erant, à Gallo francis agnoscerentur. Se post Regē primū: nec statū suum, neq; conditionē mutari, nec quidquā sibi addi nec ius suum minui posse. Illum itaq; exornauit vt supplicis misereretur, nec illi inueteratum erga matrē obsequium ipsum aduersus Borbonios inflammaret, ne inaudito agnato exitiū afferret nullo ad pœ-

Henricus IV. legitimus Rex.

nitendum regressu. De religione non agi, sed de regno: & rem religionis, si de ea agatur, bello transigi non posse. Nullum in Republica Francorum legib. locum inter arma ciuilia, quæ neq; parari neq; haberi possent per bonas artes. Se Regem suum vnice diligere, quamuis ini eo beneuolentia Guisianorum artib. impar foret. Tantam malorum iliadem impendere si præteritarum iniuriarum non obliuisceretur, vt vix vllum remedium reperiri posse crederet præter obliuionem. Sibi animum mollem non esse ad accipiendam iniuriam, sed ad deponendã. Nõ se Francicã familiam sanguine, sed æquitate regni leges tueri velle. Non sibi similem Ducem Guisium, qui cum legitimæ hæreditatis iure ad regnum peruenire non posset, contra fas disciplinæ & morem obsequii, vim meditaretur. Se namq; stabilire Rempubl. cupere, Guisiũ vero euertere: Guisium qui famã moderationis quærebat, postquã superbiã expleuerat, quæ omnia certa & honesta negligebat dummodo potentiã consequeretur, qui veneno nõ armis, dolo nõ virtute, non modo ipsum sed & Regẽ tollere tentauerat. O pium & beatum principem! Cũ hæc scriberet, orabat Deum vt illo inspirante Henricus III. ipsum fratrem obsequentem agnosceret, suisq; copiis seditiosorum a Guisianis in se concitatorum motus sedaret: non permitteret vt Germanorum principum, & Heluetiorum, quanquã offerentium decus illud foret & claritudo, subuenire Regi Francorũ, & Hispanos ac Lotharingos Gallo-francorum hostes cõpressisse. At heu rex ille miser nimium quorundam Guisianorum consiliis credebat, vel aliorum qui re omissa nomen tantum consilii tenebant, sæpius admonitus tarda fore illi senatus aut legum auxilia nisi armis sibi caueret. Equidem declarationem aduersus Guisios fecerat, sed felicissimus futurus, si illam senatus authoritate promulgari iussisset. Imo etiam beatior, si vt senatum defenderet, gladius ab eo fuisset districtus. Miseram enim pacem quam cum Guisiis fecerat, vel bello bene mutare poterat. Vtinam Regis nostri, qui tum Nauarricus dicebatur consilium secutus, Guisianis bellum apertum mouisset. At impotentia matris coactus, contra proprium sanguinẽ armatus, ni Deus omen auertisset Francorum Regnum ad Lotharingos & Hispanos transtulisset. Tunc tamen iste princeps qui nunc nobis imperat nihil quã quod honestum, non quod vtile sibi & optandum & faciendum censuit. Et ideo sperandum sub eo falsam vtilitatis speciẽ ab honestatis authoritate superatum iri. Quomodo igitur eum laudare possumus? Nihil tã excelsum quod non virtus eius & animus in Deum mereantur. Ea semper ipsius mens fuit, vt quemadmodum Lotharingis & Hispanis placent omnia vitia, sic ei sola virtus, proprium hominis bonum. Hic non solum vitiosa respuit, sed vbi plus mali quam boni reperit, id totũ abiudicat atque reiicit. Nihil tam clausum quod non Hispanorum & Guisianorum cupiditati apertissimum promptissimumq; fuerit. At hunc tanta regnandi cupiditas non inuasit, quin ad vitã pro Rege Henrico III. & pro regno fundendam sese paratiorem ostenderet. De regni successione viuente Rege Henrico III. nunquam sollicitus fuit, ne quid de prouinciis decerneretur: nec a Regina Catharina, nec a Rege oblatum ei Alenconicum Ducatum nec alias prouincias suscepit, quod ea lege offerrentur, vt religionem mutaret, & cum Guisianis pacem iniret: apud sapientes cassa habenda existimans, quæ neq; dari, neq; accipi salua Republica & conscientia possent: Guisianos a Rege Hispaniæ corruptos dicens. Hic, cũ in regni calamitate dignus motor inueniri non posset, lachrymans sæpe monuit obnitendum Regi vt dignitatem suam tueretur. Et nonne inquit emori per virtutem præstat, quam vitã miseram atq; inhonestã, vbi Hispanicę superbię ludibrio fuerit expositus per dedecus amittere? Quis illis temporib. aut dicere melius aut facere potuit? Nunquam ab institutis suis vllis persuasionib. à quoquam abductus fuit; sed in aduersis semper exultauit quoniam ea ante contempserat. Num illi igitur parebimus, qui tam sancte vixit? Nobis erat maxima laus idem velle quod ipse, atque idem nolle. Ea demum firma erit inter ipsum & eius subditos amicitia. Colite itaque illum (Gallo-franci) cuius virtuti aduersarii ipsi testimonio fuere. Nec enim tantum illum strenuum militem, sed bonum Imperatorem fateri coacti sunt. Et id agnouit Dux Maynius qui hodie aduersus eum in Galliam Hispanos adducit, nulla vnquam iniuria ab eo prouocatus. Nam quod de fratribus Duce & Cardinali, qui Blesis occisi fuerunt, acerbe conqueritur (& nos iuste factum docuimus) si illum ad bellum contra Henricum III. gerendum mouit, deberet arma ponere, quæ se vlciscendi causa sumpsisse dicit. Etenim quod Henrico IV. nesciente factum est, ei crimini dari non potest. Quid est igitur quod hostes nostri nominis obiiciunt, vt eum probent Francorum Regem esse non posse? Nos paucis docebimus Regnum ad Henricum IV. iure legitimo pertinere, quod nec à Guisianis nec ab Hispanis vllo modo controuerti potest.

Henricũ IV. iure legitimo Regnum habere. Certe ignari quidam aut maleuoli illum ad Regni Francorũ successionẽ non admittendũ dixere, cum in Guisianorum & Regis Hispaniæ gratiam contra legem Salicam scripserunt, Guisianis nimium fauentes vt à Ludouici XII. filia procreatis, & Hispano, qui ex filia Henrici II. Francorum Regis liberos suscepit. Sed ista dicentes, nõ aduerterunt se nõ tam Hispanicam & Guisianam causam, quã Anglicã defendere. Etenim lege Francorũ ad successionẽ vocatus est, vt familiæ Borboniæ Princeps & proximior agnatus patrem suum Antoniũ Borboniũ *Lex Salica* familiæ Vindocinensis primogenitũ repræsentans. Obiecerũt aduersarii legẽ Salicã esse naturæ contrariã, a qua nõ modo masculi, sed etiam fœminæ in lucẽ editæ. Adiecerunt nõ esse legem, neque vnquam scriptam vel fixam fuisse, sed fictam & commẽtitiam fabulam à Philippo Valesio, qui se Francorum Regem dixit, Eduardo III. Angliæ Regi oppositam. Non est nostri in-

furati

ſtituti legis iſtius originem exquirere. Etenim vetus eſt conſuetudo quam alteram naturam dicere poſſumus,& noua videri non debet,cum ex Saliorum, Thuringorum, & veterum Fräcici nominis authorum fontib. hauſta fuerit. Nec vero gés noſtra ſola hanc lègem fixit. Similem ſiquidem & Armenii & alii multi habuere in prædiis quæ ab Imperatore Iuſtiniano *genearchica* dicuntur. Et eodé iure multæ vtuntur familiæ & in Gallia & in Germania & in vicinis regionibus. Extat legis iſtius fragmentum inter leges Salicas in titulo *de Alode*, vbi ſic ſcriptum eſt, *vt de terra Salica nulla portio hæreditatis ad mulierem perueniat*. Sed cauſa noſtra nõ iure ſcripto, verum non ſcripto mihi videtur defendenda. Eſt n. ius noſtrum longe antiquius illis ſcriptoribus, qui leges Salicas cum aliis Ripuariorum, Baiuuariorum & Burgundionum memoriæ prodiderunt. Et ideo ius illud maiores noſtri tanquam myſterium tacitum tenendum exiſtimarunt, neque aliis nationibus enuntiandum, vt Regni ſecretum in animis ſignatum perpetuo ſilentio tuendum & venerandum, potius quam ſciendum. Quapropter antiquitatis commemoratio, & breuis exemplorum prolatio ſatis fidei orationi meæ adferet, & ſufficiet ſi, vti verum eſt, dixero poſt mortem Childeberti Clodouei filii, qui duas tantum filias reliquerat, Clotarium eius fratrem Regno Francorũ ſucceſſiſſe. & cum Cherebertus Clotarii filius ſine liberis maſculis deceſſiſſet, certũ eſt Sigebertum fratrem, & poſt eum Chilpericum regnaſſe? & Guntrãno Aureliani ac Burgundiæ Regi, excluſa eius filia, ſucceſſit Childebertus fratris Sigeberti filius, tam ex iure Francorum, quam ex Guntranni voluntate, qui cum Childebertum illum fratris primogeniti filium e Regno Franciæ deieciſſet, eum reſtituit, tam ꝙ illi mens impedita eſſet, atque oppreſſa, illatæ a ſe iniuriæ conſcientia, quam quia Regnum Aureliani & Burgundionum eiuſdé cõditionis & naturæ ac Francicũ ipſum agnoſceret, indubitabili ſigno quod volebat demonſtrans, & filiam ſuam Regiæ ſucceſſionis incapacem faſſus, tradita Childeberto, quam manu gerebat haſta, ſic eum allocutus, *hoc indicio amantiſſime nepos noueris te mihi ſucceſſurum in regno: idcirco tradita tibi à me poteſtate cũctas regni mei ciuitates tanquam tuas diſpone*. His moti exemplis, Frãcorum principes, proceres ac nobiles Regiæ dignitatis ſacro-ſancti & perpetui defenſores, cum ſcirent eorum etiam filias, qui Regnum Francorum occupauerant, in Carolingorum Pipini liberorum ſtirpe, a Regiis ditionibus excluſas, & in Regum, qui ab Hugone Capetio Gallo frãco Regni recuperatore deſcenderunt, iuſtiſſima ſobole ac linea, filias Philippi Pulchri Ludouici Vtini ad regni ſucceſſionem haud admiſſas, idem poſtea iudicandum cenſuerunt. Et ideo poſt Caroli Pulchri obitum ſine liberis maſculis, pro Philippo Valeſio, contra Anglorum Reginam & eius filium, ius vetus Franciæ obſeruandum dixerunt, quia cum mater Regni Francorum capax non eſſet, filius ex ea ſuſceptus plus iuris non habebat, cũ ſecundum, Italorum Doctorum Philoſophicam doctrinam, non plus ſit virtutis in cauſato quam in influenti potentia cauſæ. Ne quis igitur legis Salicæ tabulam fabulam eximet. Veteres enim Franci rerum authores fuere non fabularum: & licet plura fecerint quam ſcripſerint, quæ longo vſu ab iis recepta ſunt, illa tamen tantum habent fidei & authoritatis, vt ſe per ſe ipſa defendant. Nemo itaque præſumat id eo tempore quo Philippo Valeſio regnum delatum eſt ita contigiſſe, vt in ſcena vel in concionibus aliquando accidit, in quibus rebus fictis & adumbratis loci plurimum eſt. Nam apud nobiles & ingenuos Gallo francos veritas tantum valet. Sed de his plura dicere non opus eſt. Etenim ſi in ipſa verba, quæ Guiſiani Lutetiæ & Bleſis ediderunt, iudicium accipiendum foret, & ex libellis quos per Galliam, Italiam & Hiſpaniam ſpargi curarunt, ipſimet faſſi ſunt legibus Francorum ad alios quam ad Principes Borbonios Regni hæreditatem pertinere nõ poſſe. At cum Guiſiani iſti & Hiſpani principatus quod ambiebant fundamenta iacere volentes contra legem Salicam nihil proficerent, quod vna non potuerunt, alia adgreſſi ſunt via, Carolum Martellum imitari, qui vt Childericum ergo ſpoliaret, patruum eius in ipſum armauerat. Quapropter Cardinalem Borbonium plebi Pariſinæ & Francorum populo offerendum indicarunt, qui Rex deſignaretur. Et vt ſub eius nomine aliquando regnarent, multa pro patruo ſcripſere contra primogeniti fratris filium. Sed ea, vt iuri inter primos homines ſeruato & legibus ac maioribus Francorum repugnantia, ipſemet Cardinalis Borbonius ſibi non probari ſæpiſsime teſtatus eſt, ſolam ſe religionem Catholicam Apoſtolicam & Romanam fouere velle dicens. Nec etiam probauit quæ Guiſiani contra Regis noſtri tunc Nauarrici ſtatum per concionatores aut diffamatores palam dici, & libellis huc illuc diſperſis diuulgari curauerunt, iis ſimilia quæ Carolus ille Martellus Chilperico Francorũ Regi, appoſito accuſatore aut prævaricatore Clotario illo Magno eius patruo, obieciſſe dicitur, non fuiſſe illum legitimum Dagoberti filium. Fuit Cardinalis Borbonius, vt Clotario lõge ſanctior & religioſior, ita veterum Franciæ legum & pietatis in Antonium Borbonium fratrem primogenitum eiuſque familiæ ſtatum, deniq; veritatis obſeruantior. Ipſe vt fratris ſui iuſtis nuptiis cum Iana Albretia Nauarræ Regina interfuerat, ita cum Rex noſter Nauarræ tãtum Princeps eſſet viuente adhuc Regina eius matre, coram noſtro rege Carolo IX. Rothomagi in conuentu publico Franciæ Principum & procerum illum coluit atque obſeruauit, vt Borboniæ familiæ caput ac gentis ſuæ Principem. Quod & anno M.D.LXXII. rurſus agnouit cum matrimonio inter illum & Margaretam Valeſiam Francorum Regis ſororem contracto adfuit & conſenſit. Tum enim ipſum & perofficioſe & peramanter colebat ea reuerentia, per quam honore & dignitate antecedentes veneramur. Denique cum Dux Ioyſius Principatus

Pro patruo contra nepotem.

Bearnensis & aliorum Nauarricæ domus ac Vindocinensis familiæ bonorum a Papa in se collatam donationem (quasi iusta esset) ostentās, & Pontificium numen atque interdictum Romæ emptum flammam temporis ac vocem furoris inter suos mittens, verborum iactatione & periculi denunciatione sese illum terrere posse arbitrabatur. (Siquidem cum eo tempore Cardinalis ille Borbonius, cuius animus nec sanitatem nec constantiam amiserat, Borbonio Principi illatam iniuriam ferre non posset) Ioysio respondit fratris sui filium, cum Borbonius foret, inani verborum strepitu moueri non posse. Quod ab eo dictum nec mirum nec nouum videri debet, cum inter Francici sanguinis Principes nihil oriri queat quod obseruātiam mutuam a vetere officiorum instituto valeat excludere, & iniuria in illis hærere non possit.

Regis Henrici IV. clementia.

Nūc videamus quæ sunt in rege nostro non tantum laudanda sed admiranda. Est iniuriarū perferens, earumq; molem sustinet: nec ipse Ioysio irasci voluit, quia sciebat ab eo se lædi non posse. Et ad eum scripserat aliquot ante pugnam Cotriacam diebus, nolle se in Regem suum; nec in illum qui Protex esset, prælium committere, cum nec in victoria decus, nec in fuga flagitium foret: non itaq; pugnaturum ob effigiem Regis oppositam, at sibi super claritatem natalium & elegantiam morum, fidei semper obstinationem futuram. Ne quis vero putet in illis verbis plus dignitatis quam fidei fuisse. Notæ enim sunt res ab eo gestæ, quæ dictis responderunt, imo illis maiores fuere, & nemo ignorat multos Ioysii milites liberos ab eo dimissos. Nec quisquam credat id verum esse q; illi a Guisiis obiectum est, Ducem Ioysium, qui eis affinis erat, in Cotriacis campis violato iure belli cæsum fuisse. Non oportet Gallo-francos falsis criminibus faciles aures dare, nec temere credenda quæ a Guisiis renunciantur. Nam vt falsa festinatione & incertis, vera visu & mora valescunt. Et quis, eorū qui prælio interfuerunt, ignorat in eo facta? A Rege nostro tunc Nauarrico pes consertus, dispositæ turmæ, cuncta prælia prouisa. Ioysio contra & suis, non ordo, non consilium. Tum qui non fugerant, videre potuerunt Ioysium acriter & strenue pugnantem & velut exsolutis frænis in Nauarricos prorumpentem, a feruentib. adhuc & duris, in quos ferebatur, militibus in acie prostratum. Ne igitur Henricum IV. crudelem existimeris. Post Cotriacam illam pugnam, tam victi quam victores effusi in lachrymas fuere, & Nauarri virtutem admirati hostes, qui ante illi irascebantur. Hic inter omnes suos dolorem suū præcipue testatus lugebat Ioysium, cuius abauus Comitis Vindocinensis filiam vxorem duxerat, & multos qui illum secuti erant lectissimos milites, qui si hodie viuerent in Hispanorum campis alacri animo currerent, & si aliquando victi ab Hispanis Gallo-franci fuere abolerent labem prioris ignominiæ & Henrico IV. Regi Frāciæ & Nauarræ gloriam Francici nominis recuperanti adsisterent. Quis ergo Rege isto melior, quis sanctior? Notum q; ab illo Guisianis scriptum fuit, quos sæpissime admonuit, si quid gloriæ habebant, id solum ob affinitatem cum Borboniis contractam: ideo obtestatus vt quietā relinquerent Galliam: aliàs qui denuncians (vt fere acerrima sunt proximorum odia) ea quæ apud concordes amicitiæ vincula irarum incitamenta apud infensos fore. Certe non fuit offensionum auidus, nec eum tanta regnandi cupiditas inuasit, quin ad vitā pro Republica fundendam sese paratiorem ostenderit. Itaq; singulare certamen Guisiano Duci obtulit, non se gladiatorib. similem videri cupiens, qui ignominiam iudicant cum Inferiorib. componi, sed quia putabat bonum publicum priuatis simultatib. impediri, ideo ipse qui a perenni contestataq; maiorum virtute nunq̄ degenerauit, vt pius & sanctus est, priuata odia publicis vtilitatib. remittere voluit, si modo suo casu aut confirmare patriæ salutem, aut periculum morari posset. Idcirco rogauit Guisios, ne abuterentur iis, quæ consecuti erant ex nimia & profusa Regum liberalitate. Addidit prope euersum orbem etiā cum de principatu inter bonos certaretur; prophana simul & sacra solo æquari. Sed heu! Guisiani ab Hispanis corrupti hasce monitiones probere noluerunt. Quippe in mente illis erat, vt adhuc hodie est, Regiis armis Franciæ regnum destruere. Quid igitur agendū? Id vnū superest (Gallo-frāci) vt horū omniū cōsilia dānetis, vt hos Reip. hostes quib. nec in facinore, nec in libidine, nihil vnquam nefas fuit, infames & supplicio dignos iudicetis, & Regis nostri bene actam vitam recordemini. Nam vt in iis quæ a Guisianis facta sunt, præteritorum acerba est recordatio, & prudenter sentientib. acerbior esse debet expectatio reliquorum, sic in reb. a Rege nostro gestis, vt præteriti doloris secura memoria, ita spes eximia & explorata quæ in eius virtute residet, nō modo in nostris miseriis vos consolari debet, sed magnam, si vultis animis vestris adferet delectationem.

Hæc proponēda existimaui, vt in ea cōscientia recte sanctorū, qua comite cum Hērico IV. Rege nostro legitimo ad bellum cōtra Hispanos & Guisianos, nobiles & generosi multi profecti sunt, satis magnum suorum laborum fructum se habere existiment: vere Frāci & laude digni viri, moderati, gratuiti & religiosi, qui vt cupidis, mercenariis & impiis bellum perpetuū indixerunt, certe illis non solum sed aliis omnib. hominib. anteferri debent. Ad hos mea se cōuertit oratio quorum fide singulari Henrici IV. Regis nostri vita quotidie cōseruatur. Discite (pii viri) non haruspicum responsis eum edoctum, sed Deo plenum literis ad Senatū & omnes regni ordines scriptis multos ante menses prædixisse intra Id. Mart. an. M.D.X.C. se magnum a Deo institutum opus & hominum aurib. dignum effecturum: Id pridie Idus ab eo perfectū est. Esto vobis Gallo-franci fides integra & erit fœlix. Sequi oportet præcepta magni illius R. Ananiæ sacerdotum Pontificis, cuius inter capitula patrum exstat hæc sententia. *Orandum pro*

pace

pace regni, quia nisi metus esset magistratus, alter alterũ viuum deuoraret. Et si Deus Ecclesiæ Romanæ pium Pontificem imponat, is idem iubebit. Habemus Regem Henricũ IV. qui existimat seruilis ingenii & perditorum abiectorumque latronum esse, quod sanguine non queant, sudore & vulpinis artib. quærere, Hispanorum & Guisianorum populo rebelli mentẽ durare, socios se cuiuscunq; fortunæ & comites exitii promittere, nil nisi cædẽ Gallo-francorum cogitare, vicatim ambire, ac Parisiensib. quasi seruis spem libertatis ostẽdere, queis tamen Hispaniæ seruitutis iugũ imponere conantur, dũ aliter de religione Christiana constituunt, quã ius receptarum ab antiquis Gallicanę Ecclesię patrib. & à Senatu probatarum ceremoniarum ferat. Ab his hominib. misera & insana plebs attrahitur, & (vt religionẽ imitatur superstitio) res istas nouas populus non tantum videt, sed omni studio visendas putat a Iesuitis & Theatinis corruptus, qui sacra priuata in multis familiis colunt, & in variis ciuitatib. publicis sacrificiis præsunt. Hi sunt qui imbecillos ac imperitos animos, qui omnia facile concipiunt, inani timore impleuerunt ac contaminarunt, vt ex Mahumedicæ doctrinæ regulis nouos in terra paradisos fingentes idem facere possint, quod qui olim Romæ Bacchanalium sacris initiabantur, vbi clandestinæ coniurationes in Rempublicam fiebant, & multitudinis imperitæ mẽtes fide abducebantur. *Iesuitæ* At qui hæc faciunt & sacris illis execrandis mentem applicant imperia tantum degustant, & breuis solet esse eorum potentia, cum non honeste viuant, sed vnde vtilitas ostenditur illuc libidinem transferant, magisq; vultum quam ingenium bonum habeant. Sint illis sua consilia perditissimis hominibus. Rex noster haud fidit dolis, sed vera virtute vincit. Nõ adsunt ei nefarii proditores, quib. fama scelere quæsita: sed viri vitæ integri virtutis amantissimi, qui dãnis & iniuriis à pessimis proditorib. acceptis innotuerunt, qui se liberos putant cum Regi suo naturali ac legitimo libenter obediunt. Hæc eis videtur sancta & eximia libertas, vsque ad mortem seruanda, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit. Non illis mens angusta, non humilis, non praua, nec solet male quidquam sed sancta atq; æterna moliri. Hi nec prece, nec pretio, nec gratia, nec simultate, à via Regia deduci possunt: sed vt sunt salutares ciues ita rei malæ intercessores, qui toto animo in Rempublicam incumbunt. Itaq; illis iustis Henrici IV. Regis nostri armis sua procuratio authoritasque Deo iuuante restituetur. Interim recte faciamus, nec quis illorum qui se religionis Catholicæ studiosos dicunt, cuius tamen fundamenta subuertunt, vos sub pietatis prætextu a sententia vestra amoueat. Si Gallo-franci estis, non isti homines quibus honores a Duce Maynio vel à Mendozzio, Moreo, & Caietano Hispanorũ ministris mandati sunt, & alii quibus a Parmensi Duce hodie promittuntur, etiam si suaserint, non persuadebunt.

Aiunt Regem nostrum, quem Biarnensem vocant, Regem Francorum dici non posse, cum ab Archiepiscopo Rhemensi vel ab alio nõ fuerit cõsecratus. Libens concedã mores antiquos a nobis quantũ fieri poterit obseruandos, & docendũ Regẽ vt oleo illo, quod è cœlo a Deo missũ patres nostri crediderunt, vngatur, & cõsecretur. Sed Gallo-francorũ ingenia nimiũ inhærere nõ debent externarũ ceremoniarũ argumentis, quæ plerumq, captiosa sunt & fallacia, & quibus nõ firmæ mentes, sed superstitiosi & leues animi, ac plebeculæ voluntates captari possunt. Et subtilis, aut vt verius dicã, futilis ista vanorũ & fanaticorum hominũ prudentia facile frãgi poterit ab iis qui recto iudicio quæ de cõsecratione Regum scripta ac seruata sunt secundum mores gentium, tempora, & regiones distinguet. Inter Hebræos Rex Saul primus vnctus fuit, & ante illum nulla alterius Regis consecrati fit mentio, præterquã in Apologo Iothami, qui ad Sichemitas sic exclamauit, *Audite me viri Sichemitæ & audiat vos Deus. Eundo iuerunt arbores ad vnguendũ super se Regẽ, dixeruntq; oleæ, Regna super nos.* Sed in *libro Iudicũ*, vbi hæc scripta sunt, nõ dicitur Abimelechum vnctum fuisse. Imo Doctores Hebræi tradunt, nõ fuisse necessarium vt Regis successor vngeretur. Nam primus pro se ac posteris vnctionem accipiebat. Et ita demum, si mutaretur Reip. forma, aut regnum ab vna familia in aliã transferretur, nouus Princeps vngebatur, vt cum Rex Selomoh ad regnum venit, quia turbato ordine vocari videbatur, Adoniah fratre regnum ad se pertinere contendente. Dicunt nonnulli vnctionem ex præcepto quod in veteri testamento recitatur inter Christianos inductã, non iure diuino, sed ex lege humana quæ mutabilis est. Fatendum tamen est vt sacerdotes & Prophetas, sic Reges post Saulem Deo iubente oleo terreno inunctos. Eoq; symbolo in Regnum, sacerdotium, & prophetiæ munus inauguratos fuisse. Sic Dauid Saulem *vnctũ Domini* vocauit. Sic Aaron vocatus est & eius successores: sic Elisæus in *lib. Reg. 3. c.* 19. Et quoniã hic de Rege præcipue tractandum est, ideo vngebatur vt cõmonefieret omnia splendide & cum honore agenda ab eo qui facis instar omnib. deberet prælucere: & Regio capiti vt lumini oleum instillabatur, ne lux vnquã exstingui posset: atque alia etiam ratione, scilicet quoniam sacræ vnctionis oleum mista habebat aromata, queis docerentur Reges ita sese componere, vt nihil aliud quam purã & suauem sanctitatem redolentes in fœtore non iacerent, sed vrbanitatis & bonarum legum odore ac sanctę vitæ exemplo subditos suos recrearent, vel vt potius & sanctius dicamus, externa illa Regum vnctio Domini nostri Iesu Christi consecrationem denotabat, *quem vnxit Deus spiritu sancto* vt in *Act.* 10. *capite* scriptum legimus. De quo sic Iohãnes in Epistola sua canonica, *vnctio vos docebit omnia.* Vnde in eum credentes Diuus Petrus sic vocat, *Vos genus electũ, regale sacerdotiũ, & gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutẽ annuntietis eius qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumẽ suum.* Is est de

Vnctio & coronatio Rhemensis.

quo fide digni scriptores tradiderunt, eo die quo natus est, Romæ fontem olei è terra abunde emanasse, quod forte signum fuit tertenu haud amplius oleo opus fore, cum aduenitet filius Regis cœlorum, sed huc, illuc diffusum iri sancti spiritus gratiam. Nascente vero Christo, sepultæ fuerunt leges ceremoniales Iudæorum, cum vetus testamentum hircorum sanguine dedicatum fuisset, intercedente Christi morte, per nouum abolitum fuit. Sic translato sacerdotio translata quoq; lex, & nouæ sanctiones sub regno Christi factæ, vt ait Diuus Paulus *9. epistola ad Hebræos* Et de hoc regno Christi, cuius erat typus regnum Solomonis, intelligenda sunt quæ in Dauidis Psalmis leguntur, *vt illud, Vnxit te Deus oleo lætitiæ*: q symbolum habebat animi per Dei gratiā ala ris ac mitis, vel fauoris diuini, in quo vno Reges exultabant. Certe haud contēnenda sunt à Regib. Christianis vnctionis, sedis, sceptri, & alia huiusmodi Symbola. Sed quoniam Regum tā Hebræorum quā aliorum & potissimum Frācorum administratio diu & ex maiori parte remansit in symbolis, non in vera potestate, cum multi fuerint non ipsi sibi sapientes, quippe qui per alios Republicā gererent: hodie Princeps noster licet priscos mores haud aspernetur, genio suo nō indulgens, sed sceptri sui & solii rationē habens, ipsemet Regnum suum administrans, primum stabilienda eius fundamenta existimat, & postea, q̄ ad ceremonias pertinent, facere poterit, si viri pii & erga ipsum bono animo affecti id faciendum cum dignitate & ratione doceant. Interim Gallo-franci *nolite tangere Christum Dei* Regē nostrum Christianissimum qui sanctæ genti & fidem Christianā profitenti ipse sanctus imperat. Scitote illum Regem natum esse non electum, neq; a ceremoniis externis iura Regia pendere. Nonne antequam Christianus esset Chlodoueos, Francorum Rex erat, & Rex iure successionis à tanto tēpore cuius memoria nō extat introductæ, & ex ordine longa consuetudine inter Francos seruato? Quamobrē cum non ex vnctione & coronæ impositione Regalis potestas ad Francorum Regē pertineat, sed hæreditario iure: vt Rex Romanorū statim post electionem potestatem in terris imperii consequitur, vti optime docuit Leopoldus Pabebergensis in *in tractatu de iure Regni & imperii Romani*, dicens eum regnare antequā eius capiti corona imponatur ab Archiepiscopo Coloniensi Aquisgrani, & à Mediolanensi in Modœcēsi villa, ex consuetudine quam Ioannes Andreas & alii diu obseruatā testantur: ita cum de similib. idem iudicium habendum sit, eadem de Rege nostro dicere possumus, statim atque ei regni successio delata est. Nam eius electionis quæ fit ab homine, & naturalis per quam hæreditas quasi iuncta descendit ad heredem, eadem est vis, imo multo maior. Et si pater filium, vt Carolus Magnus Ludouicum Pium, consortē imperii sibi constituens Imperatorem fecit, non ab vnctione vel coronatione imperium adeptus videri debet: multo minus qui patri, vel agnato succedens eius personam repræsentat, maxime in regno Francorum, q ad naturæ legem compositum est. Neque necessarium, vt quis in Francia vel etiam in aliis regionibus imperet, eum ab aliquo Regni Antistite consecrari priusquam Regnum administret. Etenim antequam in diadematis insigni susceptione iuramentum præstet, administrare potest, ac priuilegia & rescripta dare. Nā & id Papæ licet antequā coronetur, vt Ioannes & alii Doctores scripserunt in *extrauag. Clementis V. Quia nonnulli*: sicut electus Imperator ante coronationem regit per *extrauag. imperialis, tit. de pace Constantiæ in lib. feudorum*. Quod sub Carolo V. Rege Francorum multis rationibus docuit author eius libri qui inscribitur, *Somnium Viridarii*. Et tametsi Rex ille constitutione sua sanciuerit Regem Francorum anno ætatis 14. inaugurari, non ideo minus qui infra eam ætatem ad regni successionem vocaretur Regis titulum haberet. Et Gallici iuris peritissimus interpres in prœmium pragmaticæ sanctionis Regis Caroli VII. *Quoad potestatem* (inquit) *administrandi Regni vnctio & coronatio nihil addunt*. Et certe Rex iste Carolus VII. melius & prosperius rem Regni gessit antequam vngeretur, quam post consecrationem, eique tunc subditi & maxime nobiles ardenti animo parebant, vt Rempublicam Francorum sub eo restituerent. Quod ego non dico quasi vnctio Regi illi nocuerit. Id enim non puto. Sed quoniam antea erat vigilātior, per laborē continuū & rerū aduersarū patientiā iter ad secūdas fecit.

Hæc sufficerent, ni docendi essent infirmi, quibus Guisianorum concionatores persuaserunt Regi nostro non obediendum, nisi consecratus fuerit. Sed ostendendum est nos non esse hæreticos, quod illi ante vnctionem pareamus. Etsi olim post cōsecrationem Dauid iussit populum alta voce clamare: *Viuat Rex Solomoh*, nos qui sæpius acclamauimus, & applaudentes pueros vidimus non ideo damnandi sumus. Etenim omnes scire debent etiamsi Reges non vncti sint, non idcirco minorem illis authoritatem & Maiestatem in terram ad meri & summi imperii ius pertinentium administratione competere. Quatuor sunt tantum in orbe terrarū Reges qui vnguntur, Rex Francorum, Rex Hierosolymorum, & Reges Anglorum ac Siculorum, vt ex Albetico & Ostiensi discimus, & ex Gofredo in *titulum decretalium de sacra vnctione*, & à Doctoribus *in capit. nouit. de iudiciis. & c. non est. de sponsalibus*. Corona vero etiam illis imponitur tam ex Paganorum quam aliorum Regum moribus. Alii autem multi sunt Reges qui nec vnguntur, nec coronantur, vt Rex Castellæ, cui si obiiceretur illum Regem non esse, nonne diceret sibi iniuriam fieri? Ita neque vngi neque coronari multos alios, vt Reges Aragonū, Legionis & Lusitaniæ, multi scripsere. At obiiciunt aduersarii iuramentum a Regibus nostris Archiepiscopo Rhemensi & aliquando Senonensi, aliis etiam præstitum, idque in consuetudinem transiisse. Sed ista propositio regi nostro obesse non potest. Siquidem consuetudo quā

Iuramentū Regum.

allegant,

allegant, vim legis non obtinet. Et si verba spectemus quib. iusiurandum illud conceptum fuit, nihil ex ipsis aduersarii colligere poterunt quod eis prosit. Quapropter illa examinanda censeo. Prima iuramenti forma quod a Rege Philippo adhuc iepieni præstitũ fuit anno M.C.IX. vti in bibliotheca Bellouacensis capituli descriptum est, hæc continet, *Ego Philippus, Dei gratia proximo Francorum Rex ordinandus, promitto in hoc die consecrationis meæ coram Deo & suis sanctis, me conseruaturum legem canonicã ac iustitiam vnicuiq; vestrum prælatorum debitam, & vos quantum potero, Deo iuuante defensurum, vt Rex iure debet vnumquemq; Episcopum in suo regno defendere, & Ecclesiam sibi commissam, & me concessurum populo mihi commisso defensionem legum optimo iure in nostra authoritate consistente*. Sed alia noua profertur iurisiurandi formula, in qua multa sunt veteri addita. Hæc illius verba sunt, *In nomine Iesu Christi populo Christiano mihi subiecto hæc promitto, me populo meo Christiano in Ecclesia Dei veram pacem vestro consilio seruaturum, & a cunctis rapinis & iniquitatibus vos defensurum in omnibus gradibus & in omnibus iudiciis æquitatem & misericordiam imperaturum, vt Deus clemens & misericors mihi vobisque misericordiam suam concedat, & bona fide me à Regno expulsurum omnes hæreticos ab Ecclesia declaratos. Ista omnia iuramento confirmo*. Hæc sunt verba quæ à quibusdã Regibus feruntur pronuntiata, post quæ dicunt nõnulli iusiurandum regium a Principe corporaliter, id est, tactis sacrosanctis Euangeliis firmari: rudia sane sed quæ ob sanctitatem & reciramus, & laudamus. Nam quis vituperet hoc sacramentum nisi sit ex eorum numero qui rea sacro-sanctas reipuunt? Certe adeo extollendum est, atque illud accusandum, quod olim Rex magnus fecisse fertur his verbis, *populum meum, quantum potero, malo tractabo*. Licet enim à Regibus permittendum non sit vt populus authoritate valeat, tamen leges tyrannicas non irrogãdas, neque iuramenta impia à Principibus facienda existimo. Sed id quod à Regibus nostris factum profertur, quantumuis pium sit, præter iurantis mentem per subtiles interpretationes extendi non debet. Simile enim est illi sacramento, quod Rex Romanorum Ecclesiæ Romanæ præstare dicitur, cuius extat formula in distinctione 63. Decreti à Gratiano scripti in canone *Tibi Domino Ioanni Papa ego Rex Otho* & cæt. in quo nulla hominii fides (vt cũ Helmodio & feudistis loquamur) sed promissio tantum facta est defensionis per ipsum Papæ & Ecclesiæ impendendæ. Quod autem promiserunt Reges nostri, se in Ecclesia pacem seruaturos, nonne multis declarationibus Rex noster pollicitus fuit? Et quod ad calcem nouæ illius formulæ de hæreticis expellendis additum est, de hæreticis damnatis ab Ecclesia intelligitur, vti expressum est videlicet de legitime damnatis & conuictis siue in legitimo Concilio siue in Prouinciali Synodo, per sententiam à iudicibus congruis (quos *competentes* vulgo vocamus) & incorruptis latam, non autem Tridentinorum vel aliorum similium iudicio qui vt non rite multa fecerunt, (vti postea docebimus) ita hæreticos declarare non potuerunt eos qui sese semper paratos protestati sunt ad eam doctrinam amplectendam quæ purior & verior ostenderetur, sicut hodie Rex noster & fere omnes Protestantes, qui eandem cum ipso fidem colunt, id se cupere profitentur. At aduersarii ex Regum nostrorum iuramentis inferre nituntur, Regem Frãcorum Ecclesia inferiorem, & Pontificis legibus subiectum. Verum volentes & scientes falluntur. Et vt id doceam, scire vos desidero nullam ex consuetudine tyrannidem induci posse, vt cogatur Rex Francorum oleum ab Archiepiscopo Rhemensi accipere. Quod facile probabimus. Nam Reges nostri ab aliis Archiepiscopis cõsecrati fuere, vt Carolus Caluus à Wenilone Senonensi, & alii alibi, quemadmodum Yuo Carnotensis fuse docuit, & in eorum arbitrio fuit ibi vngi, vbi voluerunt, donec longi temporis præscriptione Rhemensi Archiepiscopo ius quæri voluerunt, cuius conseruandi gratia Rex Carolus VII. diu consecrationem suã differri voluit, quod vt hodie Guisiani Hispanorum serui, ita tunc Angli, qui Francorum hostes erant, Rhemorum ciuitatem occupabant. Itaq; a Regis Francorum voluntate & arbitrio pendet, vtrum, quando, & vbi consecrari debeat. Exceriium est, per vnctionem etiam eum, qui consecratur, nullis adstringi legibus, neque sese populo suo subiicere, nec Antistiti Rhemensi, nec Ecclesiæ, vt vel in minima parte ius maiestatis & dignitatem imperii sui, in iis quæ temporalia dicimus, diminuat. Nã in iis quæ populo a quibusdam regibus iurantibus promissa sunt, nulla ad populum potestas transferri potuit, vt Reges vel eorum successores obligati esse videantur, præsertim in Francia, quæ non veteri illa Romanorum lege Regia, qua populus potestatem suam in Reges transtulerat, sed aliis moribus regitur. A Deo enim & hæreditatis iure regnum Franciæ ad Reges, non populi suffragiis, nec per electionem, teste Agathia pertinuit, sed ius successionis a Francis semper obseruatum est. Subditi quidẽ, qui se & sua Principi vouent, præter mutuum naturæ iusiurandum, quo statim atque in lucem prodeunt, erga principem obstricti sunt in acta Regum iurantes, nouo fidei vinculo retinentur. Rex vero non cogitur, cum electus non sit, nec ab ipsis ius habeat, quidquã illis promittere. Equidem olim Rex Spartanorum, vt Xenophon in *libro de eorum Republica* testatur, Delphicum oraculum consulẽs rogasse fertur, an Spartæ vtilius foret, vti ipse legibus, quas in regno suo tulerat, obediret. Cui cum Apollo respondisset id melius fore, impium statuit, legibus oraculo Pythio confirmatis non parere. Digna certe vox magno Principe. At alia est Regis nostri authoritas, qui tamen Regni leges seruare & tueri debet, non vi, sed sponte, non cogentibus subditis, sed monentibus. Nec enim, vt Ephori, qui Regi Spartanorum ex subselliis haud adsurgebant, ita magni iudices in Francia, Senatores nimirum faciunt. Illi enim cedunt & venienti reuerentiam exhibent atque in inferiorib. sellis sedent. Non vti Ephori, ciuitatum nomine, sic illi iusiurandum

faciunt, sed Regi, aut Cancellario aut Principi Senatus præstant. In aliis Regnis, vt in Polonia, inter reges electos & populum eligentem, equidem securitas mutua securitate pangitur. At Rex Francorum, eam demum quam vult, pollicetur: & is qui nunc regnat, ideo laudãdus est, quod sua ipse sponte subditis suis promiserit se religionem Catholicam Apostolicam & Romanam profitentes in regno suo conseruaturum. Tenentur itaque subditi iuramentum præstare, quotiescunque Princeps voluerit, sed Rex non tenetur. Et si ipsos sæpius iurare iusserit, ac ipsi parere noluerint, ideo puniri possunt, non solum quemadmodum olim Apilius Merula, qui quod in acta D. Augusti non iurasset, albo Senatorio erasus fuit, sed etiam multo grauius: quia ferendus nobis est Princeps qualis natus est, & iurare omnes oportet cuiuslibet conditionis homines siue laicos siue clericos in Francia degentes, se acta Regis nostri rata habituros, ex diuino & Apostolico præcepto, eum non modo tacitis precibus, sed iuramentis nostrã erga ipsum obseruantiam integræ fidei & obnixæ voluntatis obsidem tradere debeamus, per eius nomen iurandas aras ponere. In iis autem quæ ad Ecclesiæ defensionem pertinent, prætetea quæ de Regis Romanorum iuramento & coronatione protulimus, nihil est quod Regis nostri authoritatem Romano Papæ vel Ecclesiæ, maxime quoad gladii, & meri ac summi Imperii ius subiiciat.

Nam q̃d ineptius dici potest, quã q̃ nuper a Iesuita quodã ꝓpositum fuit, cum vt reges Episcopis minores ꝓbaret, eum qui ab Episcopo vngitur illo minorem adseuerauit ex D. Pauli ad Hebr. c. 7. vbi sic ait, *sine contradictione minor a maiori benedicitur*. Certe in spiritualibus maior est Principe Episcopus, sed in temporalib. secus. Itaq; indefinitæ ꝓpositiones a Iesuitis factę Gallo-francis admitti no debent. Vereor Gallo-franci ne in rebus istis me nimium longum esse dicatis. Sed hæc omnib. non aperta sunt. Videte quorsum Romani Theologi & Papæ assentatores vnctionem adeo necessariam esse contendunt, vt sine ipsa Regem Francorum neq; dici posse neq; esse, neq; a subditis agnosci debere concludant. Id eo animo faciunt, vt inde inferatur a Pontifice Romano Imperatori & Regibus potestatem imperialem & regalem tradi. Sed q̃ dicunt ex Paulo, de benedictione & consecratione clericorum, quæ fit per manus impositionem & consecrationem atq; ordinationem, non de Regum vnctione debet intelligi. Et cum Imperatores ac Reges ab Episcopis inuncti fuerunt, Episcopi illis non dixere se potestatem ciuilem ipsis tradere, vtpote quã a Deo haberent, sed id egerunt vt post datum ipsis a Deo Regem preces pro eo fierent. Quod nõ melius probare volumus, quam ex ipsis Paparum decretis, inter quæ notandum illud Ioannis Papæ in distinctione Gratiani 96. *c. si Imperator*, vbi sic scriptum est, *habet Imperator priuilegia suæ potestatis qui administrandis legib. publicis diuinitus cõstitutus est*, & ibi glossator, *non ergo*, inquit, *a Papa. Nam imperiũ à solo Deo est*. Vtinam eadem fuisset

Bonifacii Papa decreta confutãtur. aliorum Pontificum qui Ioanni isti successerunt, modestia. Sed Bonifacius VIII. de quo sæpe loqui cogor, & quem iure Malefacium vocare possum (vt alter eiusdẽ nominis a Franciæ prælatis appellatus est) longe aliter sensit & dixit. Volo istius hominis gẽti nostræ & Regis Frãcorum ac Nauarræ hostis infestissimi constitutiones examinare, vt eas impias atque a piis omnibus damnandas ostendam. Hic quamuis sciret aut scire deberet illud D. Pauli, *omnis potestas a Deo est*, tamen in sua extrauagante *Vnam sanctam* & cæt. *de maiorit. & obed.* dixit se potestatem Imperatoribus tradere, & ideo maiorem illis esse, quod eos consecraret: idque postea eius successores ipsius exemplo mouit, vt suo soli arbitrio & tyrannico furore, sine accusatore, sine testibus, inauditos Principes damnare ausi sint, non more prisco in eos aduertentes, sed sine canonico examine, vt antea contra Lotharium Regem fecerat Nicolaus I. Sed redeo ad con-

Consecratio secrationem. Velim hic mihi Romani dicant, quis illum Pontificem Bonifacium VIII. consecrauerit, & ordinauerit. Nonne Episcopus Ostiensis? Certe is fuit non Metropolitanus aut Metropolitano dignior, sed quia, vt proximior, ordinare solet Romanum Episcopum, veluti ex Ecclesiæ consuetudine Carthaginis Episcopus non à Numidiæ sed a propinquioris Ecclesiæ Episcopo ordinandus, teste D. Augustino in *collat. 3. diei breuiculi collationum cum Donatistis*. Si quis vero eo argumento, quo Bonifacius se maiorem Imperatoribus dicit, Ostiensem Episcopum maiorem Papa dixerit, eadem ratione cõclusionem suam poterit defendere. Verum nec illa nec ista conclusio vera est. Vt n. monstrosum foret inter Episcopos, Metropolitanum, qualis est Romanus, Ostiensi subiicere, cum hodie per longam consuetudinem in Ecclesia receptam, Papæ, Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, & Episcoporum gradus & ordines constituti sint: non minus deforme esset Imperatorem Episcopo, siue Metropolitano, siue alteri Antistiti, aut Pontifici consecrationis & vnctionis imperialis aut Regalis ratione inferiorem dicere. Nam vt regnum Christi, quod spirituale est, nihil commune habet cum huius mundi regnis, vt Christus ipse dixit, sic neque regni Francorum ciuilis potestas cum Pontificia aut Episcopali confundi vel in temporalibus ei subiici debet. Licet enim Deus regni vtriusque spiritualis nimirum & temporalis author sit, Episcopi non dant potestatem regibus, imo ab ipsis & dignitatem & ius sedendi in Senatu & iuxta Principes ac proceres accipiunt, vti Patriarcha Constantinopolitanus, cui, vt scribit Nicetas, Imperator Andronicus, quod eum ab obedientiæ iuramento absoluisset, quo Manueli Imperatori obstrictus erat, ius adsidendi cõcessit, subselliis ad imperatorium solium cullucatis: (quasi ius illi Patriarchæ fuisset id facere, & subditum tyrannice imperium vsur-

pantem

partem à legibus diuinis soluere. Sed ea erat huius Antistitis ambitio, vt etiam cōtra ius diuinum potestatem ligandi ac soluendi se habere diceret, quemadmodum & multi Pontifices Romani ius idem sibi ipsi tribuerunt.

At ne digrediamur, adhuc de vnctione dicendum est. Ecquis iā ignarus est, qui nesciat multos fuisse Christianos Principes etiam in regnis vbi vnguntur, qui consecrati non fuere, & nihilominus eos regnauisse certum est, & vota pro ipsis nuncupata, eosq; ab historicis in Principum piorum catalogo recenseri? Quod si opus esset, multis exemplis probare possem à Regibus & Magistratibus ciuilibus Pontifices consecratos fuisse, sicut fuit Aaron à Mose: & licet Moses non dicatur ab alio quam à Deo consecratus, qui in illum spiritum suum infuderat, tamen sæpissime Deus illum in conspectum suum solum iussit accedere, eiusq; fidei præcepta de rebus sacris populo suo tradenda commisit. Ex his satis apparet inutilia esse & frustra conquisita quæ aduersarii nostri de consecratione scripserunt, quam quidem approbamus, sed non vt concedamus Regem absq; illa regnare non posse, aut potestatem à Pontifice vel Archiepiscopo vnctore consequi. Quod vero de corona dicūnt quæ à Pontifice vel Antistite Imperatori vel Regi imponitur, præter ea quæ notauimus, ea interpretari oportet, vti docuit Glossator in notis ad illam extrauagantem Bonifacii VIII. *vnam sanctam*, vbi ait *potestatem regibus à solo Deo tradi, & idcirco eos coronam quidem ab Episcopo accipere gladium vero ab altari.* Parendum igitur Regi Henrico IV. etiamsi vnctus & coronatus nōn sit.

At Cardinalis Caietanus aliique Hispani & Guisiani obiiciunt eum esse hæreticum. Verū scientes falluntur: & ignaros decipiunt, quibus in hunc vsque diem imposuerunt. Rex enim noster commodis est moribus, patrium morem contumaciter non repudiat: non illi mater est superbia cuius hæretici sunt filii, sed Rex est humanissimus & clementissimus vt erant Reges domus Israel. Nolo hic repetere quæ de illo dixi cum inducias & pactiones inter Regem Henricum III. & ipsum legitimas esse docui. Sed quandoquidem Hispani mollibus animis religionis vmbram opponunt, operæpretium existimo in hac orationis parte tenebras ab iis iniectas discutere. Quocirca Regem nostrum non esse hæreticum dico, quia matris fidem sequitur, in qua educatus & inductus fuit, & ideo fidei alumnus & custos merito dicendus, paratus tamen aliter credere si ex legibus Christi à piis Doctoribus Romano more in Francia viuendum esse doceatur. Quapropter ab Orthodoxis & vere Catholicis hæreticus dici nō potest. Eteoim Apostolus eum quidem *hæreticum* dixit atque *euitandum post vnam correptionem* qui subuersus est atq; a seipso damnatus. Verum D. Augustinus ex Ecclesiæ Catholicæ sententia in *Epistola 162.* ab huiusmodi homine illos discernit, qui *sententiam suam, quamuis falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt* (sic enim loquitur) *præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed à se ductus atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint: & hi* (inquit) *nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Cum itaque Rex noster, qui millies dixit se doceri velle, id etiam scripto protestatus sit, ac iudicium Ecclesiæ in causa Fidei non fugiat, nihil in eum mali præsumendum est. Id vsque Bonifacius Papa Episcopis Galliæ rescripsit, eum demum nocentem videri, qui iudicium subterfugit *in cap. Nullus. de præsumptionibus, in decretalibus à Gregorio* IX. collectis. Quod si veterum patrum authoritatem sequi volumus & in primis Augustini, Ecclesiam imitemur. De ea enim vir ille sanctus ita loquitur, *Sustinet eos Ecclesia mater piis visceribus sanandos & docendos, ut plangat mortuos.* At Guisiani & Hispani Regem nostrum non modo hæreticum, sed in hæresim relapsum dicunt, & ideo regni Francorum incapacem: cum tamen relapsus dici non debeat, qui non fuit hæreticus: tum etiam Louanienses Theologi, licet Hispaniæ Regis subditi, hoc illi quantumuis Hispanorum inimico non obiiciendum censuerint. Notum siquidem ex historia rerum in Francia gestarum professionem religionis Catholicæ A. & R. die festo Bartholomæi anno M.D.LXXII. ab eo factam per vim & metum extortam, non certo consilio, nec voluntaria animi destinatione, quæ in votis omnibus ac promissis Deo factis requiritur. Itaque si aliqua culpa tenetur erroris humani, certe à scelere liberatus est. Et si Manassen Regem coluerunt Iudæi, cuius fere omnibus piis salus erat desperata, quid nos facere debemus? Erāt scelera Manassis peiora quam quæ pessima, vt in 2. *Reg libro* legimus. Ait sacra historia de isto Rege, *errare fecit eos, ita vt facerent peius quam gentes quas deleuit Iehouah à facie filiorum Israelis & peccare fecit in idolis.* At ipse tandem ad pœnitentiam adactus impulsu diuini numinis à Deo receptus dicitur, nec ab eo, qui inter ipsius subditos pii erant, desciuerunt. Rex noster Henricus IV. a peccatis Manassis non modo alienus, sed ei sanctum pectus Deus largitus est. Nec hæreticus dici potest, nec relapsus. Quod si hoc illi obiici posset, nonne etiam relapsis Euangelica scriptura parcendum admonet cum hæc dicit, *si frater tuus septuagesies septies peccauerit, parce illi.* Idem statutum Niceni Concilii I. *canon 8.* & in Ecclesiis Africana seruatum teste Cypriano, & à Carthaginensibus patribus sancitum in Concilio contra Nouatium hæresiarcham satisfactiones pro pœnis peccatorum reiicientem? Nonne Græci Doctores idem sentientes dixerunt eum qui millies lapsus sit regredi in Ecclesiam posse? Adnotauit Balsamo in illum 8. *Niceni Concilii canonem*, aliquos fuisse, qui Nouatianos vt fideles laicos simpliciter suscipiendos dicebant, nō vt priores gradus exercerent in cleris, quod Nicenis patribus non placuit, sed concessum eis vt in suos gradus restituerentur. Et Eusebius Papa suscipiendos dixit in

Henricus IV. Rex non fuit Hæreticus.

sancta

sancta Trinitatis fide baptizatos. Denique in Concilio Epaunensi statutum fuit, lapsos per pœnitentiam restituendos. Tanta vis est pœnitentiæ, vt cœli fores frangat. Fateor in *canone* 10. illius Concilii Niceni lapsos per restitutionẽ in Ecclesiam receptos ad sacros ordines non admissos, imo fuisse depositos secundum 62. *canonem Apostolicum*, quem allegat Balsamo. Sed hoc de lapsis in Idololatriam statutum est, quod Regi nostro obiici non potest. Item de Principibus Canones illi non loquuntur. Et quæ a Concilii patrib. de Ecclesiasticis dignitatib. statuta sunt, ad seculares administrationes porrigi non debent, quidquid in contrarium noua Romanorũ finxerit Iurisprudentia. Equidem in *Canone* 12. illius Concilii Niceni, qui suũ ardorem ostendẽtes cingula deposuerant, postea antẽ vt canis ad vomitum reuertebantur, pecuniam profundẽtes vt in priores suas militias beneficiis ac donis restituerentur, si eos pœniteret, & sincero consilio veniam peterent, trib. annis extra Ecclesiam stare iubebantur, decẽnio vero integro post ambonem stantes cum cathecumenis exibant. Qua lege viros etiã Principes astrictos fuisse forsitan concedi possit, vt Theodosius Imperator publicã pœnitentiam egit, quæ tamen tanti temporis non fuit. Obiter tamen ad illum Concilii canonem aduertendum puto nõ esse ipsum pro lege perpetua habendum. Forte n. Niceni patres, vt ex actis Concilii colligimus, vel vt Nouatianos & Catharos in rectam sententiã adducerent non omnino illis cedere volẽtes (vt id rationi consentaneum non erat) aliquid de summo iure illis remittendum censuerunt, & quædam longiora tempora pœnitentiæ concedenda, vt eorũ sententiæ quadantenus adstipulari viderentur: quemadmodum veteres Christiani nonnullas Ethnicorum ceremonias & ritus in Ecclesia retinuerunt, vt eos lucrifacerent. Aut certe dici potest, has de satisfactionibus & pœnitentiæ temporib. leges, ab iratis patrib. aduersus Arrianos scriptas fuisse: quam iracundiam aliqui laudarunt, alii improbarunt, spiritum mansuetudinis in ipsis desiderãtes, quã etiam ideo notabant, quod & Catholici in Catholicos accusationes factitassent. Quod si hæc Niceni Concilii constitutio vim habuit in Principes, ne illis in Ecclesiam, nisi post præfinitum tempus elapsum, ingressus permitteretur, non idcirco cingulo & Imperiali Maiestate priuati fuerunt, vt aliqui Franciæ Episcopi Ludouicum Pium Imperatorem ob pœnitentiam, ad quam ab ipsis adactus fuerat, Imperiali dignitate priuatum declarauerunt. Nam hęc sententia, & à non iudicib. lata, & iniquissima fuit, & sine more ac exemplo, imo contra ius vetus pronunciata. Siquidem si a legib. Iudæorum argumentandum est, cum Rex Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiã, tamen in honore suo dignitate Regia perstitit, vt scribit Augustinus *ad Bonifaciũ*: & non modo Reges per pœnitentiã de statu suo deiecti non fuere, sed ne quidem clerici & Apostoli dignitatib. spoliati sunt. Et in Euangelio videmus beatum Petrum amarissimas lacrymas fudisse, cum eum pœnituit, quod Christũ negauisset, nec ideo tamẽ Apostolatu priuatum fuisse. Et in iis causis, in quibus per graues offensionũ scissuras non huius aut illius hominis, sed populorum plurimorum strages metuẽda est, detrahi debet aliquid seueritati, vt maiorib. sanandis morbis charitas sincera subueniat. Hæc non profero (quæ tamẽ ex authoritate sacræ scripturæ, & ex D. Augustini doctrina diximus) vt inde concludam a vobis damnandam posteriorum Doctorum seueriorem diligentiam, qui, vbi nihil saluti detraheretur, aliquid humilitati addiderunt, quo salus tutius muniretur, & ad clericatum pœnitentes primo quoque die admittere noluerunt. *Cogunt enim*, inquit vir ille sanctissimus, *multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum*. Et in iis morbis, in quibus salus desperata est, corrupta censeri debent iudicia, si minora sint legibus, acutisque febribus acuta sunt adhibẽda remedia. Sed quæ gladio spiritus fieri debent, ad Principum imperia & Regna, ac terrenæ dominationis iura non extendenda sunt, neque possunt subditos a fide & obedientia, quæ Regibus debetur, liberare. Quod aliquot exemplis veterum Christianorum probari potest. Siquidem illos Iuliano Imperatori etiam Apostatæ paruisse certũ est, quamuis Apostasis crimen sit hominis perditi, in quo proprium Imperatorem Christiani esse dixerunt, vt pœnitentia non aboleatur. Nam etsi Ecclesiæ patres a Manichæis abhorrerent, & ab iis, qui penitus a Religione Christiana descisentes, vel Iudæi fiebant, vel Pagani, tamen si quis Imperator vel Rex à Deo ordinatus, vel hæreditario iure, vt Reges Francorũ, vel per electionem in huius Apostasiæ crimen lapsus foret, non licebat subditis ab eius potestate se subducere. Illi quidẽ poterant, qui inter eos Pastores fuerunt, vitia Principum reprehendere, vti Ioãnes Herodem arguerat, sed non licuit vnquam in Reges & Imperatores siue hypocritas, siue dissimulatores, siue Paganos, siue aliam quam Christianam religionem profitentes insurgere, cũ eorũ non sit, qui in Ecclesia munere aliquo funguntur, præsertim si Regi subditi sint, statum Republicæ mutare. Dei enim est dare Principem quem velit, & ideo Samueli dixit, *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Eam ob causam primi Christiani Ethnicis Imperatorib. obtemperauerunt, & Principem coluerunt tanquam hominem a Deo secundum, & quicquid erat à Deo consecutum solo Deo minorem. Et cum Reges coronã non susceperint ea lege vt religionem Christianam sequantur, etiamsi eam professi, vel in hæresin vel in aliud magis detestandum vitium laberentur, non est fas subditis aduersus eos ceruices erigere, quasi hoc facinore terrenis bonis & dignitatibus priuati sint, sed ipsi tantum sacris arceri possunt, non subditi, qui illos quo debent officio colunt. Nec in Ecclesia Gallicana, nec etiã in vniuersa, pro lege recipitur decretalis Papę Lucii II. quæ extat in *c. ad abolendã in tit. de hæretis*. aduersus Humiliatos quos impœnitentes

nitentes

nitentes declarauit. Nam Clemens III. eius successor illam constitutionem vt ab homine factã antiquauit, & eos, quib. Lucius pœnitentiæ ac salutis hostium & aditum intercluserat, in integrum restituit, vt Pontificii iuris interpretes notarunt ad *cap. Olim, de restitutione spoliatorum*. Et nihilominus Humiliatis illis, à quib. Dominicanorum & Thomistarum Nouati discipulorum sectæ ortæ sunt, portus iste pœnitentiæ claudi potius debuisset, quã Regi nostro Henrico IV. ob mala quæ multi sancti & pii viri in illorum hominum ortu ab ipsis prouẽtura prospexerãt. Itaq; inuitis Romanis & Hispanis, qui nobis aduersantur, licet pro ipsius salute & conuersione ex Cælestini Papæ ad Clerum nostrum Admonitione, continuas preces facere, cum pro omnibus tam principibus, quam aliis orandum sit, vt lapsis remedium cooperatur.

Nec n. illum excommunicatum credimus, nec à Gallo-francis suis subditis deuitandum, quamuis aduersarii nostri obiiciant illum & Principem Condensem ac eorum posteros a Xysto V. Pontifice anathemate mulctatos, ac dignitatib. quæsitis & quærendis spoliatos. Et cum de Regni Francorum legibus, ac nõ modo de priuilegiis, sed de iure ac libertate Ecclesiæ Gallicanæ postea disseremus, hanc anathematis sententiam nullam, & a nõ Iudice pronunciatam probabimus. Sed satis erit hic dicere illum incõpetentem & incõgruum Iudicẽ (vt Romanorum Imperatorum verbis vtamur) non seruato Iudiciorum Ecclesiasticorum ordine, non cõgregata Synodo, extra Franciam, in alieno territorio inauditos Principes Regis Francorũ subditos, indicta causa, non tam condemnasse, quam nimia iracundia, & temerario affectu, non ꝓprio, sed Peluei Regis sui & patriæ proditoris, & aliorum aliquot Cardinalium, qui Regis Hispaniæ stipendiarii sunt, impulsu, in gratiam Hispanorum diris deuouisse. Nolo nunc plura dicere, nec mihi animus est relatione criminum Regem nostrum defendere, sed legibus & earum præsidio causam eius tueri. Hoc vero loco sufficiet Gregorii I. Romani Episcopi sentẽtiam aduersus Xysti V Iudicium (si ita appellari debet) recitare. *Non debet* (inquit) *in pœnam sustinere canonicam in cuius damnatione non est canonica prolata sententia*. Imo eodem teste, quem Gratianus citat in *caus. 11. q. 3.* si priuilegium omnino meretur amittere, qui permissa abutitur potestate, Papa, cui à nostris patrib. in spiritualib. primatus concessus est, vt aliquis ordo seruaretur in Ecclesia, secundum morem antiquum iure suo vti debet, non abuti: nec eum ad secularia extendere, vt postea fusius dicemus. Nunc de iis tantum loquor quæ spiritualia sunt, in quib. etiam terminos suos & Iurisdictionis fines egredi non debet, nec syluam alienam cædere. Nam in Regno Francorum si quod ius habet, certe nec in Reges, nec in eorum agnatos: & si in aliquibus causis spiritualib. Iurisdictionem exercuit, nil ab eo statutum, præterquã causa cognita: & si quæ rescripta ab eo ad Episcopos vel alios clericos missa sunt, alio modo concepta à Iudicibus Regiis fuere examinata, & nulla, atque, vt Francorum verbo vtar, abusiua declarata. Et quanto magis nullum est dirum illud Anathema in Regem nostrum quem Henricũ Borbonium assertum Regem Nauarræ nominasse dicitur, quo eum impœnitentẽ declarat? Certe suspendio digni sunt qui Anathema istud & fulmen emittendum curarunt. Ea enim est eius atrocitas vt solum verbum crudele sit: & ideo cogor sancti viri & Martyris authoritatem ꝓferre, qui sub Apostolorum tempora de hac re sententiam dixit, *Si quis*, inquit, *primatus Regiã purpuram induens, cum ea procedat, is cum omnibus facinoru consciis vt tyrannidis adfectata rem plectertur, ita qui Domini sententiam præoccupant, hominem à Christo separat, & anathematizat, in præsens sese exitium conicit, dignitatem Dei sibi præripiens.* Ea nempe erat primorum Ecclesiæ pastorum modestia, vt sic hæreticos ab Ecclesia deiicerent, quasi dexter oculus esset effodiendus. Itaq; cõmiseratione & mansuetudine rei tristitiam mitigarunt ex diuino Christi consilio qui id commendauit. *Matth. 5. 18* & *Marc. 9*. Nec decet Romanum Pontificem, nec Cardinales qui hodie vestes purpureas gestant, & presbyteros qui secundum Gangrensis synodi *canonem* 12. cum pietate veros fructus ferre debent, tunicam Christi discindere, totamque Galliam, imo totum orbem Christianum cruentis literis inuerere, neque vellera Christianarum ouium & albi agni stolam hominum sanguine tingere. Melius enim faciunt Ecclesiæ pastores, qui fortunæ suæ dignitatẽ tuentur candidæ mentis bonitate, & non præsentis maris colore, verũ albo illo, qui Deo præcipue decorus est: & sancti sunt ii qui cum in procurandis monstris eorum disciplina versetur, bellorum violentis tempestatibus concitatorum crudelitatem à Christianorum iugulis auertunt, nec in Ecclesię pulmonibus ac visceribus tela, quæ in infideles coniici debent, diu exerceri patiuntur. Etenim circumspicere debent, & agnoscere se non maiori dignitate nec potestate præditos esse, quam Michaelem Archangelum, qui teste Iudá Apostolo, cum diabolo disputans de Moysis corpore, non ausus est ei blasphemiæ iudicium inferre, sed dixit, *Increpet te Deus*. Et quicunque in Ecclesia vel Episcopalem vel maiorem habet authoritatem, sibi debet ob oculos exemplum Osii proponere, quod ex Isidori libro *de viris illustribus* a Vasæo Hispano relatum est. Ille, qui quondam vt nomine, ita vita sanctus & insignis in Niceno Concilio & in Sardicensi magno loco apud patres fuerat, vt Constantio placeret, prævaricatus, Clementinum eius præfecti vicarium iussit Gregorium in exilium mittere. Et cum respondisset se id non audere, nisi prius illum Osius ab Episcopatu deiiceret: vt vidit Gregorius Osium velle dare sententiam, appellauit Christum, totis fidei suæ visceribus exclamans, *Christe Deus, qui venturus es vt iudices viuos & mortuos, ne patiaris hodie humanam ferri sententiam aduersum me minimũ seruum tuum, sed tu ipse, quæso, in ca(u)sa tua hodie iudica.* His dictis, ecce repente Osius renidẽs fastu

quasi

Sixti V fulmen excommunicatio.

quasi regalis Imperii, cum sententiam conaretur exprimere, os vertit distortoque & ceruicem, ac in terram eliditur, atq; illico expirauit. Scio aduersarios dicturos aliq[illegible] esse casus, in quibus anathematis iudicium irrogari posse canones dicunt, vt in eos qui aliter corrigi nequeant: in quos etiam perpetuum tulit Stephanus III. vt in eos qui contra canonicas sanctiones vel S. A. inuaderent, vel in gradum filiorum eius irrumperent in *c. si quis ex Episcopis, dist. 79.* Sed respondemus primorum pastorem exemplum sequendum esse. qui (vt vir doctus post aliquot annos scripsit) perdiligentes fuerunt in redarguendis aut procul eiiciendis hæresibus, nulli tamen hæretico pœnam aut probrum perpetuum anathematis impegisse, quasi sic diabolo denotus foret, & à Christo alienus, vt nullus ei locus, nulla salutis via relinqueretur. Et Chrysostomus in *sermone de anathemate* dixit, eo fulmine quo vita æterna eripitur & mors perpetua irrogatur, nec viuos nec mortuos vllos esse plectendos. Illi igitur qui eligerunt Pontifex considerandum erit, ipsum Christum Iudam proditorem aperto iudicio anathematis multare noluisse: sed singularem humanitatem suam denotasse, cum eum nominatim non arguit, vt nos doceret inimicorum nostrorum vicem dolere, neque illis aut furenter irasci, aut infamiam inferre. *Vnus* inquit, *è vobis diabolus est*, quod dixit vt ostenderet non tantum amicos meritis ad charitatem prouocandos, sed etiam aduersarios, vt *in Ioannem* adnotauit Chrysostomus. Quod si vulgares, & viles homines leniter tractandi sunt, non ab Ecclesia repellendi certe Pontifex Principes anathemate ferire non debet, & præsertim viuentes cum etiam mortuos sine causæ cognitione ab Ecclesia separatos pronuntiare non debeat, vti post mortem à Romano Pontifice poetæ Dantis Itali damnata dicitur memoria, quod pro iure & maiestate Imperii contra Pontificias vsurpationes scripsisset. Nam vt ideo Petrarchæ nomen, sic & illius [vi]rtus satis laudari non potest, quippe qui dubio seculo contra Babylonicam tyrannidem vere dicere & scribere ausus sit. Sed non modo anathematis fulmen, imo ne quidē excommunicationis, quæ anathemate leuior est, indicta causa in quēquam emittendum est, vt sanctissime dixerunt Cōcilii Parisiensis patres Regis Ludouici Pii tēpore, ex Imperatoris Iustiniani *constitutione*, quæ non pro lege, sed pro ratione ab eis recitata est, vti nos quotidie ex Romanorum legibus quid iudicandum sit dicimus. Et Gratianus hanc constitutionem recitans in decreti sui caus. 23. q. 3. his verbis, *Nemo*, inquit, *presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur propter quam Ecclesiastici canones hoc fieri iubent.* Et quod aduersarii dicunt D. Paulum in *Epistola prima ad Corinthios ca. 5.* iudicium suum in absentem & inauditum pronunciasse, quod crimen esset notorium, aut male intelligunt, aut locum illum Apostoli contra eius mētem deprauant. Siquidem Paulus, qui tum Philippis erat, non quasi incesti conuictum reum iudicat, sed auditi dicit fornicationem inter Corinthios, & cum adiicit, *ego absens corpore, præsens autē spiritu, iam iudicaui vt præsens eū qui sic operatus est*, non hoc dixisse cēsendus est eorum exemplo quos in vrbe Romana sine more & ordine tumultuosius ad se perlata suspicione crimina, & accusationes tanquam aduersus receptos iam reos instruebant, vt *in Annalibus Taciti* videmus. Nam si in rebus profanis iudiciorum ordo seruari debet, longe maiori ratione in sacris tenendus est: nec semper famam & voces publicas pro oraculis veteres habuerunt. Sed in iudiciis probationes requiruntur, & credendum est, si ad D. Paulum à Corinthiis missa non sunt elogia, qualia ab Irenarchis, qui reos adprehendebant, cum interrogationibus literis inclusis atq; obsignatis ad cognitionem magistratus mittebantur, illum respondisse vt fieri in cōsiliis solet (*si quæ proponūtur vera sint*,) Et ita hæc verba intelligi debent, *qui sic operatus est*. Alioqui si in absentem, inauditum, causa non cognita sententia ferretur, idem de ea dici posset, quod Chrysostomus in *Epistola ad Innocentium Episcopum Romanum* scripsit aduersus Theophilum Alexandrinum, à quo non vt Iudice, sed vt inimico & hoste manifesto se iudicatum conqueritur, eius sententiam contra leges datam dicēs: qui tamen malam causam fouebat, quod nollet Alexandrino Episcopo adsurgere, cum ille ex *decreto Concilii Nicen. 1.* secundum veterem consuetudinem post Romanum primus & inter 4. Apostolicarum sedium Præsules secundus esset. Sed iuste querebatur, si verum erat eum ab Ecclesia sua & ab vrbe expulsum per vim, non per iudicem, inauditum, contra veterem iudiciorum morem: quod vt ipse dicit, non in Barbarorum Prætorio à Scythis aut Sarmatis factū fuisset. Nam, vt recte dixit Rhetor Apsinus, qui ita iudicant, *non iudices sed accusatores censeri debēt.* Quis vero talem D. Paulum præsumat? Ipse idem cum Corinthiis sentiens, non tam vt iudex, quam vt consuleris sic ad eos scripsit, *congregatis vobis & meo spiritu*, scilicet vt ostēderet excommunicationem in Synodo faciendam esse communi Pastorum & fidelium sententia. Et ipse qui pro fratribus anathema fieri cupit, *in Epistola 2.* ad eosdem *Corinthios ca. 2.* eos obsecrauit, vt ei qui eiectus ab Ecclesia fuerat, resipiscenti condonarent, & charitatem in illum confirmarent. Neque illi obiecit crimen ob quod ab Ecclesia ad tempus segregatus fuerat. Tanta erat sancti huius Apostoli mansuetudo & modestia, vt consolandum dixerit resipiscentem, ne abundantiori tristitia absorberetur, & obsecrauit Corinthios, non eis imperauit, vt frater, non vt Dominus eos alloquens. Imo eos in iudicii solio constituens, ipse aduocati personam sustinuit, vt eleganter ait Chrysostomus. Hæc satis demonstrant ipsum non eo animo hæc scripsisse, quo Romani quidam Episcopi, qui in omnes Christi Ecclesias potestatem vendicarunt, & ius sibi esse dixerunt omnes, quos reprobos censebant excommunicandi, vt Regem ac Principes Francorum & alios opprimerent. Sed orandus est Deus, vt in vrbe Rom. [illegible] pius Pontifex eligatur. Nos

tur.Nos

tur. Nos vero Regem nostrum omni officio colere, venerari, & respicere debemus.

A Rege non esse desciscendum.

Nec quisquam moueri debet Edomæorum exemplo, quod aduersarii nostri proferunt ex *2. Reg. cap.* 8. qui à Rege suo Ioram defecisse dicuntur, & quos Iosephus scribit Regem sibi constituisse, qui nullo modo à Iuda penderet. Nam is, quem Parisienses & alii seditiosi Proregem crearunt viuente adhuc Henrico III, Rege Christianissimo pro religione Catholica A. & R. contra Idolorum cultores non pugnat, vt Edomæi aduersus Idololatras certabant. Et Rex Henricus IV. nec est idolorum cultor vt erat Ioram, nec subditos suos ad idololatriam conatur inducere. Dicunt aduersarii, ciues vrbis Libnah, eodem tempore quo Edomæi, a Rege illo Ioram abscessisse, seq; intra ciuitatis mœnia recepisse, ne in eius manus inciderent, qui eos in terra à Deo ipsis data ea conditione & lege, vt ibi solus adoraretur ad falsorum & alienorũ deorũ cultum cogere nitebatur. Nec Edomæorum nec illorum factum à Parisiensibus, aut aliis Guisianis & Hispanis in exemplum trahi debet. Nam præterquam quod ciues Libnah non adeo rebelles fuerunt ac Edomæi, & nouum sibi Principem non crearunt, licet eadem illis foret pduellionis occasio (si quæ tamen potest esse legitima:) quod historia recitat non ideo adprobat, verum diuinum iudicium notat in eos qui a Deo secesserunt: & ꝙ Deus sibi iudicandum retinuit ab hominib. in consequentiam produci non debet: imo diuinam expectare oportet sententiam. Et Christianis non licet exempla Iudæorum pro legibus allegare, cum ab Euangelicis Doctoribus iussi sint non bellum Principib. inferre, sed e ciuitate in ciuitatem fugere, si vel Reges vel Magistratus ad nouos ritus amplectendos velint eos cogere. At hoc Rex noster non facit. Imo subditis suis Catholicis liberam relinquit conscientiam, liberas ædes sacras, & se relictutum *Declarationibus* suis protestatus est, eodem momento quo, ex generali Regni consuetudine, Regi Henrico III. in regno successit. Ne igitur vos moueant argumenta illa nimis infirma, quæ dissimilib. exemplis nituntur, ex quib. iudicium ferri non debet, sed ex legibus: & non ex legib. aliarum gentium, sed ex nostris quæ aliæ sunt. Nam vt ea refutemus, iis quæ dixi addi potest Regnum Francorum omnino Iudaico simile non esse. Nostris n. Regib. datum non fuit ea lege, qua Iudaicum sancti populi Principibus. Etenim primi Francorũ Reges Ethnici erant, & tamen eorum subditi, tam Christiani, quam Pagani illis paruerunt. Cur igitur Christiano non obediant? Certe etsi foret hæreticus (ꝙ dici nõ potest nisi ab hæreticis) illi tamen parendum esset veterum Christianorum exemplo. Quod ꝓbare possem multis priscorum & piorum doctorum & historicorũ authoritatibus. Sed corã Gallo Frãcis dicenti sufficiet ex historia nostra pium Gallorum morem & fidum obsequium ostendere. Post Christianam fidẽ a Regib. nostris susceptam Chilpericus Rex Francorum 9. malam de Trinitate opinionem habuit, & Episcopis ac Prælatis Franciæ lege nominatim edixit, vt secundum eam populi animos imbuerent. Et tamen Franci Regi illi quamuis Arriano, licet Arrii hæresis multis fuisset damnata Conciliis, non ideo minus paruerunt, vt & Hispani multis Principib. qui eodem instituto tenebantur. Rex noster Henricus IV. nec est, nec fuit vnquam Arrianismi labe infectus, nec quenquam è Catholicis vllo modo cogere statuit, vt a sua fide discedat. Cur non igitur illi obediemus? Christus ipse sub Pagano & veræ fidei ignaro, vel non obseruante Imperatore nasci voluit, eo tempore quo censebatur vniuersus Orbis terrarum, vt eo magis demonstraret se in hunc Orbem non venisse, Regni terreni occupandi animo, vel Regnorum & Imperiorum dandorum aut adimendorum ergo, sed vt qui eius dicto paterẽt, Deum agnoscentes ex eius præcepto tributa Regibus penderent.

Concilium legitimum.

Audistis Regem nostrum concilium optasse, vt dissipati congregentur, & quando de induciis a Rege Henrico III. cum eo factis locuti sumus, id in argumentum protulimus, vt eum nõ esse hæreticum diceremus. Nunc ostendemus illum Christianissimum cẽseri debere, qui existimat animo dignum regio præcipitib. omissis tuta & salutaria capessere. Ideo Synodum expetit, vt non solum Franci omnes, sed si fieri possit Christiani ad vnius religionis & vitæ societatem conuocentur. Quid melius, quid sanctius, quid vtilius desiderari potest? Hæc illis iampridem scripsit qui se in Sorbonico gymnasio Theologiam profiteri dicunt, & idem sæpe respondit iis qui illi obiecerunt diu expectandum, antequam Protestantium iura quæ defendebat in vetustatem consuetudine verterẽtur. Et sane hoc singulare atq; vnicum remedium est, Synodos contrahere, vt Christianorum dissidia sedari possint. Multa enim fuerunt colloquia etiam cum acerrimis hostibus & cum grauissime dissentientibus ciuibus, quæ bella externa & domestica plane extinxerunt. Et vt optime notauit Vincentius Lirinensis, qui circa illud tempus, quo Franci in Galliam venerunt Christianam militiam sequebatur, *Ecclesia sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos est: nihil vnquam in his permutat, nil addit, nil minuit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua: sed omni huic rei studet, vt vetera fideliter sapienterq; tractando, iam antiquitus informata & inchoata accuret ac poliat, iam expressa ac enucleata consolidet atq; firmet, iam confirmata & definita custodiat. Denique quid aliud vnquam Conciliorum legitimorum decretis effectum est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, tentius prædicabatur, securius colebatur, hoc idem post ea diligentius crederetur, instantius prædicaretur, sollicitius excoleretur?* Et quamuis magna sit Conciliorum præsertim legitimorum authoritas, tamen cum ab antiquis nostris Patribus didicerimus etiam postea de multis fidei capitibus disputatum, neq; trepidatum ab eis qui veris sacræ scripturæ fundamentis nitebantur, ideo D. Augustini doctrinã sequi debemus, qui cum Ma-

ximino Arriano Episcopo disputans lib. III. c. 14. sic ait, *Nec ego Nicenũ, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris: scripturarum authoritatibus non quorumque propriis, sed vtriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Nec enim verbo diuino quidquam addi neque detrahi potest: nobisque cauendum est ne Iudæorum Doctoribus similes simus, qui Dei præcepta propter suas traditiones euacuant. Et sequi oportet diuinam sententiam 4. Deuteronomii perscriptam his verbis, *Non addatis ad verbum quod præcipio vobis, nec minuatis ab eo vt seruetis præcepta Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Hæc scripturæ regula credendorum aut non credendorum, agendorum aut non agendorum amussis est, & dum eam sequemur non errabimus. Certe olim Masoreth inter Hebræos sepes erat legi, cuius primum authorem nonnulli Ezram scribam statuerunt, alii Iudæos qui quondam Tiberiade habitabant, quod ibi custodiebatur genuina sacræ scripturæ lectio, & expositio vt docuit R. Akiba, ne quis in sacrosanctis literis grassaretur, sed intra veterum sapientum septa remaneret. Et ita inter Christianos quædam in sacras scripturas adnotata sunt, imo & alia multa tradita iure non scripto, quorum vsus (vt D. Petri verbis vtamur) sancto mandato traditus fuit, quæ temere improbari non debent, siue à patribus prodita, siue in Conciliis statuta fuerint. At quamuis Doctoribus & interpretibus probatis magna debeatur reuerẽtia, vt ab iis dicta, scripta, & adnotata examinentur, & infirmi ea discant & rationibus per disputationem conquisitis veritatem cognoscant, Concilium congregandum est. Et si ob Berengarii opinionem non vna tantum synodus, sed plures contractæ sunt, idem hodie fieri poterit: neq; est timendum ne quæ pie in primis determinata sunt conuellantur aut immutẽtur. Nam *verbum Dei in æternum permanet*, cum veritati neque spatia temporum, neque priuilegia personarũ possint vllo modo præscribere. Traditiones autem hominum ab errantibus fieri possunt, qui plerumque non sapiunt ea quæ sunt Dei. Vnde Christus Petro dixit, *Vade post me Satana*. Matt. 16. Et ideo Hieronymus ad Euagrium Episcopum de ordine Episcoporum & Diaconorum loquens, Ecclesiæ Romanæ ministros errare dixit, & cum in aliis Ecclesiis ad testimonium diaconi non ordinarentur presbyteri, ei qui Romæ ordinatos fuisse dicebat sic respondet, *Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem, quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vindicas?* antea dixerat, *Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe.* Neque nouum videri debet primis synodis decisas quæstiones rursum in aliis agitari. Notauimus in *Concilio Niceno* 1. quædam tãcita quæ ad satisfactiones & pœnitentiæ tempora pertinerent tunc temporis recte constituta, vt Nouatiani in Ecclesiam reducerentur, alio sæculo forte nõ obseruanda. Et Iulius Papa Romanus in *Epistola ad Antiochenos* scripsit patres in Nicenã prima œcumenica synodo congregatos Deo consulente permisisse ipsius acta in alia denuo examinari, vt & qui primi iudices fuerant rursus qua fieri posset diligentia & fide causam Catholicam expenderent, & qui iudiciũ acciperent, fateri cogerentur se iure condemnatos fuisse. Nempe qui legitimi Concilii congregationem expetebant, vel indicebant, & sperabant & credebant multos homines in vnum congregatos, quibus libere loquendi facultas foret, vno consensu rite & recte iudicaturos, nec humanam sed diuinam latuios sententiam, qualis ea fuit quæ in quinta actione octaui vniuersalis Concilii à patribus dicta est, diuina inspiratione deprompta, vnanimi sanctæ synodi concordia promulgata, cum omnes ita saperent, ita prædicarent, vt libere concinentes & cõsentientes prompte conscriberent. Quod si hodie fiat & magna conueniat multitudo pastorum, tutum erit in fidei materia iudicium, & ex sententia Cypriani & Cusani, *maior pars secundum Christi decretum absque errore permanebit.* Sed cum hodie plerique in Gallia, ambitione, & concertatione discordes seditiones ad exercendos Theologos necessarias putent, quasi per rixas florere possit Ecclesia, vt extra ruinam simus, & vanitate philosophica relicta ex Apostoli consilio puram & incorruptam Christianæ fidei regulam teneamus, liberi conuentus habẽdi sunt, qui iãdiu esse desierunt. Nã etsi multa ante seculũ nostrũ celebrata sunt cõcilia, aliquot etiam fuerunt quæ Conciliabula illegitima, non synodi legitimæ dici debent, quamuis iis interfuerunt vel Romani Episcopi, vel eorum legati. Talis fuit *Ephesina* 2. in qua Episcopi manu militari Theodosii & Valentiniani Imperatoris iussu Chrysaphii palatii præsidis, qui Principibus gratus erat, opera, & Eudoxia Augusta promouente congregati fuere, & a Dioscoro Alexandrino coacti decretis contra Flauianum Archiepiscopum C.P. editis volentes nolentes subscripserunt. Certe Liberatus testis est, Dioscorum Leonis Episcopi Romani Legatis consessum in synodo permittere noluisse, nec pati voluisse vt literæ Leonis & Flauiani ad synodũ scriptæ in Concilio legerentur, ideoque illos discessisse. Verum an in hoc tantum concilio vis illata est patribus? Nonne & in aliis multis? Nam Leo Papa Chalcedonense Concilium *in eo capite* reprehendit, in quo Græci Patres Alexandrinum Episcopum dignitatis Patriarchalis gradu illi à Niceni patribus concesso nouo iudicio priuarunt & C.P. ei prætulerunt cõtra sanctum illum canonem, quo statutum fuerat vt mores antiqui seruarentur? Nonne Romani alii Pontifices in C.P. Patriarcham sæpius exclamarunt eum minorem esse debere qui maior esse vellet. At nouæ synodi vetera Concilia soluerunt. Doctrinæ tamen eadem atq; perpetua semper fuit authoritas. Et multa sunt quæ vel testibus Iesuitis ratione temporum & locorum statuta fuerant, postea nonis sanctionibus immutata, vt videre est ex constitutionibus Ecclesiasticis quæ de imaginibus factæ sunt. Nam cum in concilio Elibertino *canone* 36. placuisset in

Eccle-

Ecclesia picturas esse non debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingeretur, hoc Iesuitæ tunc adeo sancitum dicunt, quia periculum erat ne Gétiles existimarent Christianos ligna & lapides adorare: sed postea in *septima synodo & in 8. canone 3.* & in *concilio Romano* sub Gregorio III. denique in alio sub Carolo Magno Imperatore contra Iconomachos plurimas sanctiones factas vidimus. Et quod ex Epiphanio profertur in *Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum*, illum dixisse contra scripturæ authoritatem esse q̃ in Ecclesia penderet imago hominis, quam Epistola testatur aut fuisse Christi, aut sancti alicuius, iidem Iesuitæ ex Thoma Waldẽsi notarunt ab illo dictum propter hæresim Antropomorphitarum quæ tunc vigebat. Et ex *7. synod. act. 6.* referunt discipulos sancti Epiphanii Templum ipsi erexisse, & imaginem eiusdem in eo posuisse. An quæ ab illis dicuntur omnibus probanda sint vos iudicate: & quanta Iesuitis fides adhibenda sit, videte, cum à nõnullis accusentur quod in *officio beatæ Mariæ Virginis*, q̃ vulgo *Horas* nostri vocant, e decem præceptis Domini secundum ab illis expunctum fuerit, reliqua tantum edita. Verebantur fortitan ne reliquis argumẽtum à tempore ab illis factum nimium infirmum esse diceret, vt contra Tertullianum Patres Orthodoxi aduertendum dixerunt, cum ex doctrina Muntani in libro de fuga in persecutione adsereret præceptum illud Christi, *Cum persequatur vos in ciuitate ista, fugite in aliam*, tẽporale omnino fuisse, quod aduersus Ecclesiam scriptum Hieronymus nominatim notauit. Sed non oportuit secundum Decalogi præceptum supprimi ab iis qui sese veritatis studiosos dicunt. Et quod ab iis notatum de habenda ratione temporis verosimilius erat, quam quod a Tertulliano *de persecutione* scriptũ fuit. Siquidem ex Iudæi doctissimi libro, qui ante CC. annos *de Religione Christiana* scriptus est aduersus calumnias Iudaicas, facile disci potest, Christianos postquam Christi imperium per Orbem propagatum est, quia multi infirmi & ignari erant, imagines in Ecclesia pingi voluisse, quæ nonnullis qui legere non poterant libri loco essent, & aliorum memoriam iuuarent, vt olim Moses iubente Domino serpentem igneum fecerat, signo super eum posito, vt omnis qui morsus foret intuerentur & viueret. Itaque cum, vt ait Ecclesiastes: *tempus sit omni rei*: quid quid nunc impedit quominus nouum Conciliũ congregetur? Non est timendum ne fiat præiudicium veritati *Christus enim semper est & prior omnibus*, vt ait Tertullianus, & regula fidei vna omnino est sola immobilis, quæ in Apostolorum Symbolo continetur: qua remanente, videte num id sentiendum sit, quod a viro illo magno dictum est, *cætera iam disciplinæ & conuersationis nouitatis correctionem admittere, operante scilicet & proficiente vsque in finem gratia Dei.* Nunc igitur, Gallo franci, nunc iudicate, quis rebus nostris modus statuendus sit. Ego, cum omnis oratio & componi ratione & finiri debeat, eorum quæ videntur vtilia nil omittendum censeo, vt beatis honoribus, in hoc mundo fruatur Ecclesia Catholica Apostolica & Romana, donec præclarus ille dies adueniat, cum ad illud diuinum animorum concilium cœtumq; ꝓficiscemur, cumq; ex hac colluuie & turba discedemus. Scio a quibusdam obiici, ex *Epistola* Gelasii Papæ *ad Episcopos Dardaniæ*, q̃ vbi Synodus semel gesta ab hæreticis aliquam opinionem dãnauit, vlterius ad noua concilia venire non sinit, quæ verba recitat Gratianus in *in c. maiores 24. q. 1.* Sed præter quam quod alios Papas aliter sensisse docuimus, ex prima actione octaui Concilii apparet Adrianum Gelasii ipsius authoritate ita scripsisse, *vt cum Gelasio Papa dicamus*, necessaria rerum dispositione constringimur ex Apostolicæ sedis moderamine conuehimur, sic canonum paternorum decreta librare & retro præsulum decessorumq; nostrorum præcepta metiri, vt quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti quantũ potest fieri temperemus, quod & nos æqua possumus pro lucrandis fratribus ratione prosequi, & temporum necessitati consulendo penitus imitari. Hæc etiam habentur in *c. necessaria 1. q. 7.* Danda est ergo opera ne amplius dissidia in Ecclesia durent: Et sacrosancta vniuersalium Constantiensis & Basiliensis Conciliorum constitutio ꝓ lege amplectenda est, maxime cum pragmatica Regis Caroli VII. sanctione confirmata sit, qua nominatim statutum fuit. *De decennio in decennium generalia concilia perpetuo celebrari in locis quæ summus Pontifex, post mensem ante finem cuiuslibet concilii approbante & consentiente Concilio vel in eius defectum ipsum Concilium deputare & assignare teneantur, vt sic per quandam continuationem semper aut Conciliũ vigeat, aut per termini pendentiã expectetur?* Erit vero facile volentib. Christianis omnibus Synodum etiam vniuersalem congregare, nimirum vt sit Apostolicæ sanctæ sedis iussione ab Episcopis Sacerdotibus & pastoribus in vnum conuenientibus, & vt bene sit Principum omnium mandato, quorum in suo quisque territorio illos conuocari iubebunt, vt quondam Nicenum Concilium a Constantino Magno, Ephesinum a Theudosio, Calchedonẽse a Martiano, & sextum vniuersale a Constantino Rinothmeto indicta sunt: & adhortãdus is qui erit Pontifex, quemadmodum olim celebrandi concilii necessitatem a patriarchalibus sedibus apertam fuisse legimus: & dies ac locus constituendus tam ab Imperatore quam ab aliis Regibus & Principibus, & libertatis protectio absq; oppressione vel timore offerenda, secundum veterum synodorum conditiones. Deniq; literæ ad Papam scribendæ quales a Valentiniano & Martiano ad Leonem sanctissimum Papam missas in Concilii Calchedonensis actis legimus, & a Constantino III. ad Agathonem ante conuocationem sextæ synodi & is cuius sanctitas in Episcopatu diuinæ fidei principatum possidet sacris literis prior alloquendus. Hæc n. vetus est congregãdorum vniuersalium conciliorũ forma. Et idcirco nefas puto ab ea recedere.

Iesuitæ præceptum Decalogi expunxerunt.

Nec minuẽda est Principum auctoritas, cum eadem esse debeat quæ sub Valentiniano Imp. olim fuit, qui cum ad Niceam vrbem Concilium indixisset, iussit Papam Romanum vna cum Episcopis sub eius sacerdotio constitutis ad Niceam ciuitatem intra certum tempus aduenire. Et hæc dixit, *Quisquis generalem & omni mundo vtilem futuram Synodũ refutauerit, peccat equidem & nostrã diuinitatẽ offendit.* Post Concilium Chalcedona transtulit. Ipse vero Pontifex veterũ Ecclesiæ Romanæ Episcoporum more concilio interesse & præesse debet. Alioqui si expectatus non mitteret, vel non veniret, vel nollet, Concilium congregatum suæ necessitati & Ecclesiæ saluti prouidere posset ac deberet, vti ex octauo vniuersali Concilio discere facile est, vbi recitatur definitio concilii ante aduentum vicariorum senioris Romæ vbi sic scriptum est: *Quoniã dudum expectati fuerunt vicarii senioris Romæ, & amplius expectare non sit iustum, indignum omnino putamus despicere fluctuantem Christi Saluatoris nostri Ecclesiam, per dilationum dispositionem quæ illi debetur.* Sustinendum tamen quantum fieri poterit iudicium, & nihil præcipiti progressu in Concilio statuendum, ne si temere procedatur in iis quæ ad finem spectant, sine deliberatione quicquam fiat, vt omnium ad Cõcilium vocatorum consensus & maxime Romani Pontificis accedat authoritas. Nam etsi in liberis conciliis plus sentẽtiarum valeat dignitas quã Episcoporum numerus *c. attinm 34 q. 1.* nihilominus piorum multitudo habet maiestatis suæ pondus, vt not. Grat. in *capite in canonicis distin. 19* Nos itaq; eam concilii formam expetimus, in quam Romanus Pontifex cum vniuersis Synodis sedis Apostolicæ concilio subiacentib. viros eximios & pietatis studiosos mittat Agathonis Papæ exemplo, à quo piam Imperatorum Constantini, Heraclei & Tiberii erga Christianam Ecclesiam voluntatem, quanta potuit fide charitate ac diligentia, in sexta Synodo adiutam legimus. Et quemadmodum in illo Concilio Pastores definiebant, alii consultabãt, & audiebant, vti antea in Apostolico primo Hierosolymis habito, cui interfuerant Apostoli Seniores & fratres, ita hodie congregationem fieri oportet, in qua iudicante vnoquoque, & de suo affectu, sua fide, & conscientia examen habente, secundum Ambrosii & aliorum veterum Doctorum sententiam, quolibet siue legato Principis, siue alio proponente, statuatur ab iis qui iudices esse consueuerunt, quod verum & rectum videbitur. Et quam id necessarium sit inde apparet, quod in prisca Ecclesia humiliores & eo excellentiores quo abiectiores aliquando salutaria protulerunt consilia, quæ à patrib. adprobata sunt, vt quod à Paphnutio in *Concilio Niceno* 1. propositum fuit. Et sancta est Panormitani sententia, qui *laico magis credendum* dixit, *si ex sacrosanctis scripturis loquatur, quam Papa si absq; verbo Dei agat.* Addere possumus ex Apostolicis verbis, *quam Angelo*, si verbo diuino addat vel detrahat. Neque vero laici conciliis excludendi sunt, quod quidam dicant Pulcheriam Augustam Theodosii sororem iunioris Marciani Imp. vxorem in *Epistola ad Consularem Bithyniæ Strategum* (quæ extat in procemiis Concilii Chalcedonensis) scripsisse omnes clericos qui præter Imperialem euocationem aut suorum Episcoporum permissionẽ Chalcedone commorabantur, vel Monachos aut laicos omnimodo ciuitate expellendos. Id enim ab ea iussum, ne illis turbantib. cõsilium dimitteretur: & hanc tantum ob caussam illa à Stratego circa Synodi disciplinam curam haberi voluit, vt eum omni ordine considente sancta Synodo, sine vlla commotione atq; contentione quæ Dominus Christus reuelaret, communi cõsensu, ab omnibus qui iudicium ferre poterãt, confirmarentur. Sed quamuis Ægyptii, qui ex Alexandria cum Dioscoro Chalcedona venerant, in Concilio Chalcedonensi hac in re controuersiam habuissent, quod concilium Episcoporum esse diceretur, & alios expelli debere: non tamen ibi dicitur, non Episcopos expulsos fuisse. Et in quinto vniuersali Concilio, omnium qui interfuerant, ad lectores vsque, signis gesta à patrib. consignata legimus. Et in 6. & 8. presbyteri, Diaconi & Monachi, imo & Imperator ac Senatus subscripserunt & semper in sessionibus ac subscriptionib. etiam diaconi locum Metropolitanorum vel Episcoporum tenentes pro ipsis subscripsere, vt colligi potest ex c. Præcipimus dist. 93. & 94. c. 1. Certe in sexta C. P. synodo positæ sunt subscriptiones Agathonis Papæ: & non videmus illi Concilio alios quam Episcopos, aut eorum vicarios subscripsisse, ad eã potissimum constitutionem faciendam quæ definitiua nominatur. Scio Cardinalem Cusanũ & alios quosdam adnotasse, forte semper (vt loquuntur) definitionem ac statuendi potestatẽ de iure ad Episcopos pertinuisse ex 11. *distinct.* Gratiani in *c. omnia*, qui est ex libro D. Augustini *ad inquisitiones Ianuarii*. Sed an ex illius verbis colligi possit, vos iudicate, *Omnia*, inquit, *talia quæ neque sacrarum scripturarum authoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inueniũtur, nec consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata sunt, sine dubio resecanda existimo.* Quid istis verbis sanctus ille vir dicere voluerit, satis perspicuum est. Etenim per Concilia Episcoporũ non ea intellexit quæ fuerunt vniuersalia, & œcumenica, sed ab vnoquoq; Episcopo vel metropolitano intra suæ diœceseos & stationis fines congregata, qualia sunt ea quorum meminit Theologus in *epistola ad Procopium*, quæ est inter Epistolas Diui Basilii. 102. & quæ vulgo dicuntur *Prouincialia*. Sed in generalibus, vt aduertit Cusanus, etiam monachi admissi fuerunt, vt in septima synodo Niceæ congregata, quam œcumenicam vocat Balsamo, & ab iis prolatam hanc sententiã videmus, *sicut receperunt sex vniuersales synodi ab heresi reuertentes, ita & nos recipimus.* Tum sancta synodus dixit, *Placet omnibus nobis.* Et iussi sunt Basilius Episcopus Ancyræ, & Theodorus Niceæ, & Theodorus Episcopus sedere in gradibus & in sedibus suis. Et id agnouit Gratianus, qui illius Concilii VII. acta retulit in *cap. conuenientibus, caus. 1. quæst. 7.* Et in Concilio Tridentino (quod

in Gal-

in Gallia quidem receptũ nõ fuit, sed allegare possumus, quatenus ex eo aliquid in nostrã sententiam inferri potest) non Episcopi tantum, sed & Abbates consedisse notauimus, & Generales Franciscanorum, Carmelitarum, & aliorum ordinum monasticorum, quos eiũ religiosos, quidam laicos appellandos censent. Ex eo vestrum est iudicare, num probanda sit Cardinalis Cusani sententia lib. 2. de concord. Cathol. c. 16. in vniuersali Concilio cum de fide tractatur, *mirandum esse ait cum laici inueniantur admißi, cur non Episcopi admitti non deberent non tantũ ad consultandũ sed ad simul statuendũ & subscribendũ, si, vt ait, valentes & intelligentes forent.* Videte Gallofranci, quæ pius ille vir & doctissimus scripsit, in aliis vbi nõ secundum vnanimitatem sed vocum pluralitatem definitio expectatur, ibi discretio, & prudentia & authoritas merito ponderari debent, ne fatuorum iudicium (quorum infinitus est numerus) sapientum vota numero vincat. *Quare, inquit, nec laicos nec clericos indifferenter puto admitti debere, sed electos & doctos viros Ecclesiasticos non puto etiã in iudicio spernendos, cũ bonũ Reipublicæ tantũ quæratur, & mihi interest vndecunq; veniat dummodo inueniatur.* Laici vero, vti ii qui in 17. sanoae 8. vniuersalis concilii in Concilium admissi leguntur, vt Senatores & principum legati, sint eorum quæ gerentur discreti auditores, qui tanquam testes actis concilii subscribant. Antequam vero definitiua ab Ecclesiasticis pronuncietur sententia, si legati isti & alii laici, per eos qui Theologiam profitentur, quæ necessaria existimabunt ab illis discussa in consessum iudicum proponi curauerint, accurate perpendite, num id expediat, num honestum Reip. Catholicæ A. & Romanæ & vtile fore videatur. Et cum clerici ita & laici tam suæ salutis quam publicæ studiosi esse debeãt, si quis priuatam sententiam doctis viris Ecclesiasticis qui in Concilio iudices erunt, proponendam dixerit, quis illum hallucinari credet? Audiui doctos multos de hac re pie sentientes, qui à nemine id improbari posse dicũt, nisi ab eo qui nõ modo falli volet, sed & alios fallere. Quis vero Principib. in Concilio dandus sit locus, videte (Gallo-franci) num ex veteribus conciliis colligi & indicari possit quænam ratio duci debeat. Certe cum Imperatores Romanorũ fere per totum orbẽ summum Imperium tenebãt, vt enim Nicena Synodus Ephesina. C. P. & Calchedonensis congregatæ fuerunt, aut ipse Imperator Conciliis intererat, aut ipsius iussione ac mandato eius locum tenẽtes Senatores & iudices. Sic in sexta Synodo præsedit in medio Cõstantius III. cum 10. è maiorum Patriciorum numero, & ad læuã eius vicarii Ecclesiæ senioris Romæ & Hierosolymorum: ad dexteram vero Patriarchæ alii. Ita in octaua Synodo præsidebat Basilius. In Calchedonensi vero Concilio (quoniã eius iussu Martianus nõ interfuit) Senatui & iudicib. medius locus relictus est. Sed non ideo verum est q Germani quidã scripserunt, penes solum Imperatorẽ eam esse potestatem, vt Concilio vniuersali intersit. Rex n. Francorum in Regni sui finib. eodem loco est, quo fuit quondã Imperator & idẽ ius habet Imperii q ad Imperatorẽ pertinuit. Imo illustrior est & excelsior, atque maiorẽ obtinet dignitatem, quia nõ eligitur à subditis, sed quasi ad debitam successionẽ, ex veteri iure Francorũ, ad hæreditatẽ Regni vocatur: q ius in Galliis à M.CC. fere annis inualuit: Romanorum vero Imperatorum, quibus, post translationẽ Imperii à Græcis ad Germanos, corona Imperialis imposita est, à Germanis eliguntur & non tam Imperii Maiestatem quam vmbram & imaginẽ habent. Quod vero sextæ Synodi & octauæ temporib. factũ fuit, alios Occidentis Principes, qui C. P. profecti non sunt, & eorũ successores à Cõcilio publico & sedendi honore non exclusit, Quare Cardinalis Cusanus cum Imperatoris & Regis Francorum æqualitatem & pares honorũ gradus probe nosset, ac diu Francos Imperatores in Occidẽte fuerint, huic à læua, illi a dextra locum assignandum dixit, deĩn Regi Hispanorum & aliis secundum ordinẽ regnorum. At Hispani & Gusiani, vt synodi congregandæ consilium, q iampridem à multis piis viris datũ est, eneruent, aiunt. Regem nostrum & eos qui religionem quam profitetur, obseruant, hæreticos esse ac schismaticos, & plane deuitandos. Sed cum se doceri, corrigi, & (si fieri debeat) dedoceri paratos professi sint, videte an pro hæreticis & schismaticis habendi sunt. Hispani potius, & qui illis addicti sunt hæretici à vobis iudicandi sunt ex definitione D. Augustini ad Honoratũ de vtilitate credendi c. 1. *vbi hæreticũ esse ait eum, qui tẽporalis alicuius cõmodi, & maxime gloriæ principatusq; gratia, falsas opiniones vel gignit vel sequitur, qui ab qui credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus.* Quis igitur non censeat Hispanos & eorum fautores esse hæreticos, quib. equidem est speciosissimum nomen vnitatis, sed vt Arianorum hæresi diu infecti fuerunt, ita Auxentium & veteres Arianos imitantur, quorum impia dogmata D. Hilarius Pictauorum Episcopus cum aliis Galliæ Pastorib. detestatus est, *vt Antichristi seruorum, qui sub opinione falsa pietatis pace sua, id est, impietatis vnitate sese iactabant.* Quod si in Concilium homines isti admitti volũt, nonne Rex noster, & alii qui Protestantium fidẽ sequuntur cum institui & corrigi velint, cum Ecclesiam audire parati sint, ita recipi debent, vti Donatistæ olim admissi fuere, cu se iis quæ à Concilio statuerentur submittebant? Certe si qui ad Concilium vocabuntur, & in eo iudices erunt, viri Ecclesiastici, & pii sint ac eodẽ spiritu inflãmati, quo priscos Catholicos ductos fuisse dixit Augustinus *ad Donatistas* scribens, non fiet colloquium cum hæreticis: cu Donatistas & alios qui falsam opinionem pro vera doctrina amplectuntur, ita demum hæreticos iudicandos vir ille sanctus dixerit, si veritatem, cum ipsis probaretur, reiicerent. *Nisi (inquit) tales vos crederem, id est, emendabiles, ad vos non scriberem.* Idem nobis sentiendum, idem dicendum est. Nisi Protestantes sese Ecclesiæ & Concilii statutis subiicerent, concilium conuocandũ nõ ad-

Non protestantes, sed Hispanisati, vt perduelles vitandi.

sereremus, nec pacem cum illis optaremus, sed, cum Gregorio Nazianzeno, in rerum omniū desperatione, pace impia bellum iustius censeremus. Verum cum in Ecclesiam A. & R. reuerti velint, à nostris Doctorib. & Theologis docendi sunt, non repellendi, nec vitandi, nec scismatici vocandi: sed Hispani potius noui & detestandi schismatis atq; dissidii authores ab Ecclesiæ pace alieni non modo schismatici, verum hæretici habendi sunt: & Hispanorum serui Guisiani, qui ne concilium cōgregari posset, bellum mouerunt, vere schismatici, qui audaciā, auaritiā ac Simoniam (quæ prima hæresis est) & alia crimina in Christianos alunt. Nos a tabernaculis horum hominum recedere debemus, nos inquam, qui puram priscam & verā fidem & Catholicam A. ac Romanam religionem tenemus, vt in veritate maneamus. Nec tāgenda sunt quæ ad perduelles pertinent, ne peccatis illorum inuoluamur, verū sequi oportet præceptum diuinum *Num. 16. cap.* præscriptum tam ex veterum Theologorum, quam ex D. Thomæ sententia. Discedendum a fideicidis qui cōtra Christi & Apostolorum præcepta a Rege nostro Christianissimo & Catholico Henrico III defecerunt, & Regis Henrici IV. vitam petūt. Sequendum D. Pauli consilium in *epist Rom cap.* 16. vbi ab iis declinandum monet, qui dissensiones & offendicula, & præter & contra doctrinam, quam didicerunt, faciunt, vt a fratribus inordinate ambulantibus, quorum idem ipse meminit in 2. *ad Thessalonic. c.* 3. Etenim nō oportet veritatem & fidem Catholicam in iniustitia detineri, nec cum iis viuendum qui sunt extra Ecclesiam, cum aduersus ipsius leges peccant. Siquidem extra Ecclesiam nulla est salus. Isti vero perduelles Regis Hispanorum serui, ab Ecclesia separati sunt, quia sicut Korath Datam & Abirom olim contra Mosen & Aaronem sic impii isti contra Regem Christianissimum cōtra Ecclesiæ Catholicæ A. & R. præcepta & aduersus pios Francorum Episcopos fidei erga Regē plenos & qui veram pietatem ac religionem semper coluerunt, propria sese authoritate congregarunt. Nam quod Hispanorum consilio ab illis gestum fuit, non authoritate Francorum Regis, non legitima potestate sed ab iis hominibus, quib. quondam mandata iurisdictio, III. sublata fuerat, nullum & irritum censeri debet. Fuerunt isti homines ante quā perduellionis rei essent, in domo Dei, nunc vero in ea ita morantur, vt ad Deum non pertineant, qui cum Regi suo legitimo & potestati Regiæ restiterint & adhuc hodie resistant, contra Dei legē faciunt, & stramini similes sunt, quod a frumento separandum est, vel; vt ait D. Augustinus, corruptis humoribus, qui sunt in corpore, quos tamen corporis non esse certum est, cum melius se habeat. Etenim proprio motu seipsos diuiserunt, & temeraria ac mala præsumptione, non ex Dei verbo neq; instinctu diuini spiritus, non iusta de causa, sed animo seditioso, de principatu contendentes, eorum consilio, qui non secundum priscam doctrinam Christianum gregem pascūt, verum scientiam spreuerunt, & Dei legem obliti, non vt serui Christi, sed vt Domini Ecclesiarum, non recte docentes, at seducentes, piorum hominum animos offenderunt, & eos qui inter Protestantes ante bellicos tumultus ad cōmunionem Ecclesiæ Catholicæ A. & R. Regis Henrici III. prudentia, lenitate & humanitate reducebātur à via salutis auertarūt, arma armis irritantes, ac intempestiuis remediis delicta accedentes. Ab his vastati sunt pauperes, per hos viduæ gemuerunt, & orphani proculcati sunt. Fugiendi itaq; & ab Ecclesia & cōmunione expellendi perditi isti & flagitiosi homines, nisi impietatis suæ illos pœniteat. At illis adiunt aliquot Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi ad quorum exemplū omnia se facere dicunt. Sed, Deus bone, qui sunt hi pastores? Certe ad thronos suos per ordinē in Ecclesia Catholica seruatum Apostolice & spiritualiter promoti, sed in sedib. tantū non in pietate & doctrina priorum Episcoporum, quorum census proferunt, successores. Verū, ex priscorum Ecclesiæ pastorū doctrina, asserimus eum qui eandem fidei doctrinā profitetur, eiusdem quoq; throni participē esse. Videre igitur quid de iis iudicandum. Certe ex viri illius sancti sententia, qui Christianæ doctrinæ contrariam fidem amplectuntur, qui sublimib. potestatibus, id est Regiæ authoritati & magistratibus legitimis resistunt, aduersarii quoq; in throno censendi sunt. Nam successio personalis, nomen: doctrinæ vero rem ipsam & veritatem habet diuinæ hæreditatis. At in Hispania & in Guisianorum conuentib. longe alia nunc successionis ratio est. Nam vt morbus sanitati, & tenebræ luci, tēpestas tranquillitati, & dementia prudentię succedit, ita perfidi pręsules qui Philippi Austriaci & Guisianorum partes susceperunt, eoque munere, quod profitentur indigni, heri sacerdotes, hodie sacrilegi, qui dereliquerunt pactū Dei, Francorum populum in Principem legitimum armarunt, & Catholicos pios, qui illi obediendum dicebant gladio occiderunt. Si tamen resipiscant, si ad Deum conuertantur, videre num ad Concilium quod cōgregandum dicimus pro bono Ecclesiæ ac pro pace & cōcordia admittendi sint. Si illis aditus intercludatur, videre nequid detrimenti Resp. Christiana capiat. Eos tantum excludendos pii censent a quib. Henrici III. Regis Christianissimi & Catholici mandata cædes fuit. Nam si legibus Romanorum, serui qui a dominis ea mente discesserant ne ad eos redirent, eo peccato admisso pœnitentia sua nocentes esse non desinebant, sed & fugitiuorum epigramma legis æternæ vim habebat, & perpetua illis inurebatur ignominiæ nota, nonne parricidæ impii eadē infamia notādi sunt? At forte longiores sumus. Sed de Republica dicimus. Quid vero agendū est? Si Protestantes, vt vocant, ad Ecclesiā Catholicā A. & R. redire, & qui nuper à nobis defecerunt hodie reuerti velint, quo remedio malis nostris prospici debeat non ex animi mei sententia, sed ex D. Augustini & aliorum veterum patrum & Pontificum Romanorum authoritate

docebi-

docebimus. Videte quomodo D. Augustinus in Psalm. 32. fratres suos admonebat. *Ad hanc*, inquit, *maxime vos fratres, ad hanc charitatem exhortamur in eos etiam qui foris sunt, siue adhuc paganos nondum in Christum credentes, siue diuisos a nobis, nobiscum caput confitentes & a corpore separatos. Doleamus eos velint nolint tanquam fratres nostros. Tunc esse desinant fratres nostri, si desierint dicere Pater noster.* Eiusdem enim patres liberi fratres sunt: Videte igitur num recte iudicabitis, si dixeritis & nouos schismaticos si eos pœniteat anteactæ vitæ, & Protestantes in Concilium nõ admittẽdos, qui se nostram communionem amplecti velle dicent, si modo pie doceantur. Si in Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & R. sinum ex alto se conferant, erit pœnitentib. portus optimus mutatio cõsilii. Si vnus tantum erraret, pro salute eius congregandum esset Concilium, cum tanti sit eius anima vt nullum ipsius pretium constitui possit. Multo minus reiicienda multitudo est, neq; tot hominum millia sacris interdicenda, cum Ecclesiæ fores nulli claudendæ sint. Consilia perpetuæ separationis & inania sunt, & perniciosa, quoniam impia & superba, & potius perturbant infirmos, quam corrigant malos. Itaque cum idem morbus plures occupauerit Augustino credendum est qui in *lib. 2. contra epistolam Parmeniani*, dicit, *nihil aliud bonis superesse, quam dolorem & gemitum, vt per illud quod Ezechieli reuelatum est, illæsi inuadere ab eorum vastatione mereantur. Veteres Ecclesiæ patres hæreticos quos extra Ecclesiam fuisse pœnitebat in clericorum ordine & etiam in Episcopali dignitate permanere sinebant. Quod equidem factum non fuisset, nisi pacis ipsius compassione, viri pii & sancti molum sanandum vidissent. Cum præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore, quo recipi possit vt viuat, qui sine vita radicis peribat: at cum receptus recipienti coaluerit, & vigor consequitur & fructus.* Hæc Augustinus sanctissime qui & alibi de verbis Domin. dicens, *Tolerandi*, inquit, *sunt mali, nec corporaliter ab iis recedendum, sed spiritualiter.* Non n. prophetæ eos diuiserunt, quos increpabant, sed inter eos habitarunt. Quod non parum profuit, sed impios multos ad Deum reduxit. Vir enim sanctus innocẽtiæ exemplum est. Patiamur igitur, vt qui a nobis separati sunt, patiamur, vt leni matris Ecclesiæ Catholicæ vulnere in Concilium admittantur, vt ibi audiãtur, & a iudicibus integris & incorruptis iudicentur, qui non Hispanico, sed diuino, non hominum, sed sancti spiritus consilio sententiam dicant. Quod si quid rectum in medium ab eis proferatur, videte num idem sit faciendum quod legitur *in actis octaui vniuersalis Concilii*, vbi patres notarunt fuisse ab orthodoxis recepta Concilii Sardicensis statuta, licet D. Augustinus & alii Africani synodum Sardicensem non Catholicam sed potius Arianam cẽserent: quoniã non spectandæ sunt personæ statuentium, sed constitutiones: quæ si sint Catholicæ, pro lege recipi debent secundum Cardinalis Cusani consilium. Nemo vero metuat ne præiudiciũ Ecclesiæ Catholicæ fiat, si proximi nostri, qui a nobis desciuerunt, quasi postliminio reuertentes in Ecclesiæ congregationem admittantur, vt a Doctorib. Catholicis instituti ad sanam doctrinam redeãt. Ea enim semper a nobis tenenda est regula, quam Yuo Carnotensis a Leone Papa Rustico Narbonensi scriptam dicit, *Sicut quædam sunt quæ nulla ratione conuelli queunt, ita multa alia quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oportet temperari, illa semper ratione seruata, vt in iis quæ dubia fuerint aut obscura id nouerimus sequendũ, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inueniatur aduersum.* Sic & Innocentius Papa in Epistola ad Rufum Eusebium & cæteros Episcopos Macedoniæ rescripsit. *Nostra lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum communionem tribuere nec ex his aliquem in clericatus ordinem vel exiguum subrogare. Peruideat ergo*, inquit, *dilectio vestra, hactenus talia transiisse, & aduertite, quod vtique (vt dicitis) necessitas impetrauit in pace iam Ecclesias constitutas non præsumere: sed vt sæpe accidit, quoties a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire.* His addere possumus quæ in Carthaginiensi Concilio capite 35. a patribus sancitum est his verbis, *Præcipimus vt clerici rursus in Ecclesiam recipiantur quamuis primum in Synodo depositi fuerint. Synodus etiam Synodum soluit propter vnitatem, & pacem Ecclesiæ. Non quidem dicimus, id pro lege perpetua habendum, quod vel vtilitas suasit, vel imperauit necessitas.* Sed, vt Innocentius Papa *V. Capitulo* dixi, eos qui promoti erant a Bonoso hæretico iterum recipiendos, ne scandala in Ecclesia pullularent, ita hodie deliberandum proponimus, an cum necessarium sit ad componenda dicordias Concilium congregari, idem facere expediat quod pius ille Pontifex, etiam ob hæresim depositis Apostolicam sedem paci Ecclesiæ studentem fecisse dicit, nimirum adiutorii manum porrexisse. Hæc ante nos multi dixere, & tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum, omnes politici scripserunt. Nec vitium existimandum est, hoc consilium dare, vt noui quidam homines dicunt, qui schismatis, quod inter Catholicos hodie est, authores sunt, qui Politicos damnãt, & quod honoris nomen inter pios & bonos semper fuit, in crimẽ vocãt. Longe melius Theologus, cum *in Epistola ad Basilium* in Reip. Christianæ tenebris cæcisque nubibus ac procellis id esse constituendum & ita salutis publicæ rationem ducendam dixit, vt colonos optimos imitemur, qui tempori interdum inseruiunt, vt rem familiarem conseruent. Et hanc regulã multi Pontifices Rom. secuti sunt. Certe vt Yuo Carnotensis Episcopus in decreti sui prologo in hanc sententiam dixit, vobis dicendum putamus, *vt si quis quod legerit de sanctionibus siue dispensationibus Ecclesiasticis ad charitatem, quæ est plenitudo legis, referat, non errabit, non peccabit: & quando aliqua probabili ratione a summo rigore declinabit, charitas excusabit: si tamen nihil contra Euangelium, nihil contra Apostolos vsurpauerit.* Ita intelligi debet secundus Concilii Niceni I. canon qui multa vel

necessitate, vel vigentib. alioqui hominibus in Ecclesia præter Ecclesiasticum canonem facta dicens, prohibet vt deinceps nil tale fiat. Et in illo ipso Concilio Patres hanc prohibitionem ita interpretati sunt, si videlicet ita fieri posse videretur, quod & verbo & facto demonstrarunt, cum de Catharis qui se mundos nominabant, & ad Ecclesiam Catholicam aliquando veniebant, Synodo placuit vt accepta manus impositione sic manerent in clero. Lubet etiam hic referre, quæ ex Cyrilli Alexandrini Episcopi ad Maximum Antiochenum Epistola, prudens ille Yuo retulit, *Didici, inquit, à diligendo mihi Paulo monacho, quia recusat pietas tua vsque hodie communionem reuerendissimi Episcopi Ioannis amplecti pro eo quod quidam in Antiochena Ecclesia male adhuc cum Nestorio vel sentiant, vel iam senserint quidem, sed forsitan resipuerint. Probet igitur tua modestia verum aliquando colligi nude ac irreuerenter cum Nestorio sentiant, & inuicem colloquantur: licet aliquando cauteriatam habuerint conscientiam: colligantur autem, nec acta pœnitentia super iis in quibus ius surrepti sunt quamuis confiteri fortasse vereantur excessum.* Et postea, *vt autem, inquit, non existimemur amare contentionem, amplectamur, Episcopi reuerendissimi Ioannis communionem, indulgentes ei, & causa dispensationis eius negotium non subtilius vel districtius, sine vehementius erga se recognoscemus agatur.* Non possum prætermittere quod idem Cyrillus ad Gennadium presbyterum & Archimandritam scripsit. *Dispensationes rerum nonnunquam cogunt parum quid à debito quosdam foras exire, vt maius aliquid lucrifaciant. Sicut enim inquit pius ille pastor, ii qui in mari nauigant, tempestate vrgente, nauique laborante eius leuanda gratia iactum mercium faciant,* (quod lege Rhodia cautum Romani Iurisconsulti dicunt) *vt reliqua salua sint: ita & nos cum salua omnia facere non possumus, despicimus ex his quædam, ne cunctorum detrimentum patiamur,* postea, *quæ euecta sunt, cum tempus dederit, requisituri, perinde ac si quis onere pressus in viam rem abiecerit, mox cum aliis reuersurus vt eandem auferat.* Hæc aut similia scribebat vir ille optimus & pacis Ecclesiasticæ studiosissimus ad eum qui dolebat a Proculo Episcopo admissum Heliensium Eguminum, quem quidem Ecclesiæ leges Palæstinæ præpositum non nouerant. *Ne refugiat igitur* (inquit) *pietas tua sanctissimi & Deo amicissimi Proculi Episcopi communionem.* Adiicit Yuo beatum Gregorium à Nestoriana hæresi reuertentes in suos gradus recipi iussisse, & ad Episcopos in Hibernia Catholicæ Ecclesiæ ita scripsisse, *Igitur veritatem natiuitatis Christi quicunque à peruerso errore Nestorii reuertuntur coram sancta fraternitatis vestra congregatione fateantur, eundem Nestorium cum omnibus sequentib. suis, ac reliquas hæreses anathematizantes, Venerandas quoque Synodos, quas vniuersalis Ecclesia recipit se recipere & venerari promittant: & absque vlla dubitatione sanctitas vestra, eos, seruatis eis propriis ordinibus in suo cœtu recipiat: vt dum & per sollicitudinem occulta mentis eorum discutitis, atque eos per scientiam veram recta quæ tenere debeant docetis, & per mansuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de propriis suis ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis.* Profert etiam exempla quæ cum ipse collegerit, nolo virum illum qui diligentiam suam & industriam in Reip. Christianæ salutem contulit laboris sui fructibus defraudare, neque ab eo scripta suppresso eius nomine intercipere, cum Plagii crimen non minus turpe existimem, quam eius qui furabatur animam de filiis Israel.

Sed vt ad legem Theologorum formanda est oratio, cum de reb. sacris & Historicorum, aut Oratorum cum de republica agitur, vt quemadmodum res singulæ sub sensus nostros subiectæ sunt, ita has Censorio, illas Attico, alias alio stylo dici & describi oporteat, sicut ab oratore Romano è domo plena integritatis officii & religionis recitabatur iureiurando deuincta authoritas, eodem apud nos pondere sunt Episcopi illi veteres, qui, si non elegantia sermonis, at certe bonæ existimationis sanctitate, & vtilitatis vbertate Ethnicos superarunt. Verum ego longior sum quam aut vellem, aut me putaui fore. Sed optima quæque longissima. Veterum autem patrum authoritates ideo proferimus, vt eorum prudentiam imitandam doceamus, & sapientum exemplo tempori cedendum. Denique pro pace & vnitate Ecclesiæ & Reipublicæ multa facienda sunt, quæ alioqui non fierent: qua ratione cum Ioannes Chrysostomus a duabus synodis Orthodoxorum Episcoporum diiudicatus fuisset, postea à Romano Pōtifice Ecclesiæ suæ redditus fuit. An id iure facere potuerit, & an Romano Episcopo idem ius & eadem authoritas fuerit quæ olim Rom. Augustibus, Concilia, vel instituta admittendi vel habita rescindendi, non est hic disputandi locus. Sed a Romanis Pontificibus res gestas recitamus, vt idem hodie fieri posse demonstremus, pro bono Ecclesiæ, seu ex potestatis Pontificiæ, quam vocant, plenitudine, seu ex authoritate vniuersalis Concilii. Nam si Marcellus, Episcopus Ancyræ Galatiæ, depositus, postmodum restitutus, fuit, & Lucianus Episcopus Adrianopolites condemnatus à Papa Iulio dignitatem suam recepit, & Cyrillus Hierosolymitanus post depositionem mouib. suis reconciliatus fuit: & Polychronius eiusdē Ecclesiæ Episcopus primū a Sixto damnatus, dein restitutus, si Photinus ab Innocentio, & Misenus a Gelasio, quē Felix antea damnauerat: si Leontius presbyter quāuis depositus, Antiochenus Patriarcha factus: si Gregorius IV. Theodosium, quē prius Eugenius Papa Presbyterii dignitate priuauerat, Ecclesiæ Signinæ consecrauit Episcopum: si Ybas Episcopus diiudicatus, postea a sancta synodo canonice suā recepit Ecclesiā: si Rothardus sanctæ Suessionis Ecclesiæ, a Synodo, cui Carolus Rex interfuit condēnatus, & Sofrenus Placentinus Episcopus reprobatus deinde a Nicolao Papa reconciliati sunt, qui ligandi & soluendi potestatē in omnes Pontifices latissime extēdit: si Ioannes Papa VIII. Photium neophytum a Papa Nicolao depositum Augustorum Basilii & Leonis Alexandri interuentu in Constantinopolitanum Patriarchatū restituit, missis apocrisiariis

suis,

ſuis, qui voluntatem Imperatorum implerent: ſi Gelaſius Pontifex (cuius authoritate nituntur Jeſuitæ, vt Concilia de fide poſt damnatam aliquam hæreſim nõ iteranda eſſe concludãt) diſertis verbis dixit, vbi non fuerit neceſſitas inconuertibilia manere ſanctorum Patrum decreta, nonne ſi neceſſarium ideo eſt, vt ea Leonis Papæ præcepto ad vtilitatem Eccleſiæ qui poteſtatem habebit diſpenſet? Sane dicere poſſumus idem ius ſtatuendum, quod ait Paulus Iuriſconſultos. *Cum prætor vnum ex plurib. iudicare vetat, cæteris id committere videtur* Cum Papa vel Eccleſia prohibet aliquid fieri ſine neceſſitate, ſi neceſſarium eſt, concedit. Qualis ſit Papę poteſtas alias dicemus. At Papa ſolus, vti Ioannes ille VIII. Synodum à ſe ſolui poſſe adfirmans acta à Niculao & Adriano Pontificib. reſcidit. Facta vero recitamus, non ꝙ omnino probanda ſint quę ab iſtis Pontificib. Ro. geſta, ſed vt, ſi pro tempore quis gerẽda fuiſſe dicat, inde arguamus, multa etiã noua vigente hodie neceſſitate facienda, vt pax in Eccleſia fiat. Lubet alia adhuc proferre Romanorum Pontificum decreta, ex quib. colligetis quid hodie faciendum ſit. Quidam eorum decreuerunt ne filii presbyterorum ad presbyteratus ordinem promouerentur, non quod acceptio perſonarum apud Deum alicuius ſit momenti, vel natura quæ, vt ſæpius diait Iuſtinianus, omnium parens genitrix, ab aliquo poſſit reprehendi, vel filii delicta parentum luere debeant. Hoc enim contra Propheticam doctrinam eſſet, quæ ita dicit, *Filius non feret iniquitatem Patrũ*, & contra dictum Apoſtoli: *Si Deus iuſtificat, quis eſt qui condemnet?* denique contra ſententiam Auguſtini, vndecunq; naſcantur homines, ſi vitia parentum non ſequãtur, ſaluos fore dicentis: & contra legem Dei in 34 *Exodi* deſcriptam in qua dicitur *Deus viſitare peccata patrum ſuper filios, & ſuper filios filiorum*, rebellium ſcilicet, vt Paraphraſtes Chaldæus adnotat. Verum id decretum, vt reprimeretur quorundã presbyterorum incontinentia, vel tutius aliorum continentia muniretur. At quia boni Papæ quoſdam ex iis non tantum religioſos, ſed etiam Dei Eccleſiæ neceſſarios cognouerunt, decretum illud temperarunt, & ita genitos quorum conuerſatio in Monaſteriis vel religioſis Eccleſiis probata fuerit, non modo ad presbyteratum, ſed etiam ad ſummum ſacerdotium promoueri permiſerunt. *Et ex geſtis Romanorum Pontificum* Yuo recitat Felicem tertium, gente Romanum ex patre Felice presbytero genitum à temporib. Odoacri vſq; ad Regis Theodorici tempora ad Romanæ Eccleſiæ ſummũ Epiſcopatũ prouectum: item Agapitum Romanum ex patre Gordiano presbytero Põtificem factũ: Gelaſium deniq; ex Africa oriundum patre Valerio Epiſcopo, qui ſi decretum illud primum mutare non licuiſſet, ad ſedem Pontificiam non fuiſſet promotus. Sed vt quibuſdam Synodis vel correcta vel temperata ſunt quæ in prioribus ſancita erant, ita nonnullorum decreta Pontificum ab aliis ſecundum conditionem perſonarum, aut temporum mutata legimus. Ideo Syluerius Campanus ex Patre Ormiſda Romano Epiſcopo patri in Epiſcopali dignitate ſucceſſit. Et poſtea Deus dedit ex patre Stephano ſubdiacono Põtificatum adeptus, & Theodorus natione Græcus ex patre Theodoro Epiſcopo. Eadem ratione cum eſſet antiquis regulis præfinitum, vt nullus qui eſſet in clero extranearum cõſortium haberet mulierum, ſed earum tantum quæ ſuſpicionem excluderent, Gregorius Papa clericis Anglorum reſcribens, iſtũ rigorem temperauit, vt ſi qui eſſent extra ſacros ordines conſtituti, qui ſe continere nõ poſſent, vxores ſortirentur, & ſtipendia ſua foris acciperent: matrimonium potius permittendum quã vagum concubitum tolerandum cenſens. Et Æneas Syluius poſtea Papa Pius 2. dictus magna ratione ſublatas ſacerdotibus nuptias, maiore reſtituendas dixit, quas non prohiberi poſſe ex Apoſtolica doctrina multi docuerunt: & diu in Gallia mariti ſacerdotes fuere. Deniq, pro ratione temporum variæ fuerunt in Eccleſia leges. Quod ſi Ioannes VIII. in illa Photii reſtitutione, quam recitauimus, eum ſe recepiſſe proteſtatus eſt, vt Adrianus Papa Taraſium receperat, videlicet pro bono pacis, quare noſtro ſæculo idem fieri non poterit? Iſta dicimus vt vobis probemus, Papam quem pium & ſanctum expetimus de ea poteſtate quam ei catholica Apoſtolica & Romana contulit Eccleſia aliquid potius remittere debere, quam nimium adulatoribus credendo exiſtimare ſibi ius eſſe ad arbitrium ſuum libidinemq; Concilii expectationẽ eludere. Nolite vero Gallo franci, nolite credere eam eſſe Romani Pontificis poteſtatem, vt ſi Concilium congregari nolit, ideo conuocari non debeat. Nam præterquam quod authoritate diuina & Apoſtolorum concilio hoc remedium inter Chriſtianos introductum fuit, & in iis quæ in Euangelio ſtatuta aut ab Apoſtolis tradita Papã contrario iudicio ſtatuere nihil poſſe certiſſimum eſt, lubet aduerſus eos qui Concilii congregationẽ impediunt, quæ ex ipſorum verbis naſcuntur argumenta ꝓponere. Aiunt tranſlationem Epiſcoporũ Apoſtolicis & canonicis ſanctionib. prohibitã fuiſſe, & tamen aliquando ꝓpter neceſſitatẽ, vel vtilitatẽ ſecundũ rationem temporum ab Epiſcopo Romano factam. Proferũt exempla Perigenis, qui in Patris ordinatus fuerat Epiſcopus, quem, quoniam ciues illius vrbis ſuſcipere noluerant, Romanus Epiſcopus iuſſiſſe fertur in Corinthio Metropoli recipi, defuncto eius Epiſcopo, eique donec vixit præfuiſſe. Sed inde plena illa, quam dicunt, poteſtas, colligi non poteſt, quoniam & id ab aliis Patriarchis factum eſt, nimirum ab Alexandro Antiocheno Epiſcopo qui Doſitheum Seleuciæ paſtorem in Tharſum Ciliciæ tranſtulit, vt & Reuerentius ab Archia Phœniciæ in Tyrum, Ioannes è Gordulinia in Proconneſum, Palladius ab Hellenopoli in Aſpouam, Alexander ab alia Hellenepoli in Adrıapolin tranſlati ſunt, & Gregorius Nazianzenus e Cappadocia quæ Saſima dicitur à beato Baſilio aliorum Epiſcoporum conſenſu in Anziaco cõſtitutus.

Sed

Sed licet in istis exemplis aliqua appareat summæ potestatis nota, qualis ea quam obseruat D. Bernardus in *Epist. 131. ad Mediolanenses;* hæc, imo etiã maiora, per nos Episcopo Romano liceant, verum ad ædificationem non ad destructionem ex Apostoli *2. ad Corinth. 10. 13.* & ex ratione, non pro libidine, non vt q̃ libet liceat, sed quod licet libeat. Vtinam ius suæ potestatis exerceat is qui Pontifex erit, vt debet, nec sequatur eorum vestigia, qui, vt terrenum Imperiũ sibi quærerent, non pro vtilitate Ecclesiæ, sed sui commodi & augendæ potestatis gratia, tot Episcopos in Italia fecerunt, vt Æneas Syluius libro *de gestis Basiliensis Concilij* antequam Papa esset eam solam regionem scripserit Episcoporum numero cæteras nationes æquare: quæ ratio inuenta est, vt fraus fieret consuetudini vel legi in Ecclesia receptæ, in qua rerum, & quæstionum, quæ in Concilijs tractatæ sunt, grauissimum iudicium Episcoporum fuit, de iure legum Ecclesiæ: ita vt necessario fiat quod Italicæ nationi placuerit: quod iniquũ esse iure questus est Ludouicus Arelatensis in illo Basiliensi Concilio. Quod si quierit Põtifex Romanus veritatis & puræ fidei quam dominationis & nimiæ potestatis esse velit amantior, curabit vt iudices incorrupti in sancti Spiritus nomine conuocentur, & non modo Itali Episcopi, sed & alij viri, qui è diuersis regionibus in locum eum conuenient, qui Concilio constituetur. Et si id faciat, Reges, Principes & Respubl. Christianorum ad Ecclesiæ dignitatem voluntatẽ suam aggregabunt, vt Concilium congregetur ex pijs viris vndiq; exquisitis, collectis, & accersitis, quorũ è cuiusq; regionis Prouincijs eligetur industria, vt in Francia trium ordinum Regis permissu congregatorũ, ita alibi eorũ quib. Reipub. cura incumbit diligentia & consilio. Nec insolens nãc nouum Ro. Põtifici aut Italis, aut alijs videbitur q̃ proponimus, si iudicium sanctitatis, grauitatis, firmitatis ac sapientiæ ferre volẽt, non vt homines de rebus terrestrib. solliciti. Catholicis vero & Christianis cauendum est, ne mala consuetudine, quę per illam Episcoporũ in Italia creatorum multitudinem in Ecclesiã irrepsit ad aliquã deformitatẽ veniamus. Quod si a Synodis solutas synodos, & decreta Pontificum primorum ab alijs sublata, aut temperata, aut aliquid præter eorum regulas pro bono publico concessum probauimus, idem hodie fieri debere iusta ratione contendimus, vt Concilium congregetur. Quæ vero dicimus nec a Romanis, nec ab alijs Catholicis improbari poterunt, modo recte sentiãt. Etenim Ecclesiæ Romanæ, & sedis Apostolicæ authoritas a Concilijs suam obtinuit firmitatem: & post Hierosolymitanam Synodum in qua Iacobus frater Domini Hierosolymorum Episcopus præses fuit (quẽ Clemens Romanus Episcopus D. Petri successor in Epistola ad eum scripta *Episcopum Episcoporũ* vocauit) si aliæ Synodi congregatæ non fuissent, Romanus Episcopus Christiani sacerdotij Principatum hodie nõ haberet, qui ex more antiquo in Ecclesia Christianis cõcessus fuit. Erat quippe primus Ecclesiæ Christianæ status Aristocraticus vti Ecclesiæ Hebræorũ sub iudicibus, quemadmodum ex *9. capite Iudicũ* discimus, vbi sicut olea, vitis, & ficus, quib. inter arbores à natura inerat principatus, rubo qui longe distat ab earum excellentia comparantur, sic filij Jerubaalis qui licet Imperio digni, tamẽ regnare noluerũt, cõferuntur cũ Abimelecho minus apto, qui sese imperio obtulit. Vnde quidam dixerunt primos Christianorũ Pastores, licet olea vite, & ficu præstantiores & vberiores fructus ferrent, quib. vniuersa alebatur Ecclesia, noluisse tamen regiam potestatem in Episcopos & Ecclesias exercere, q̃ multo minus posteriorib. concedendum fuit, qui eis inferiores extitere: & illo arborum apologo demonstratũ esse scripserunt nullam fuisse causam legitimam cur Hebræi statum Reip. mutare vellent cum Deus illis dominaretur, ac 70. seniores dedisset, & iudices periculosis temporib. excitaret. atq; inde arguerunt, ad eundem modum nõ fuisse, cur Ecclesia Christiana gubernationis formam cõmutaret. Verum longe aliter sentiendũ veteres Christiani iudicarunt. Etenim Iudęi Regem nõ petebant, q̃ melior sit, vnius quã multorum administratio, sed quod cæteræ gentes Reges haberent. At hi, qui Pastorum Principem docente Petro Christum dominum agnouerant, eius vicario in terris opus esse existimarunt, & ideo in Concilijs statuerunt, vt primus sacerdotum esset Episcopus Romanæ sedis & Apostolicæ, non quod inter ethnicos Romano Imperio subiectos Romanus Pontifex primus esset, verum aliam ob causam vt notat D. Hieronymus in c. 1. Epistolæ D. Pauli ad Titum, *Postquã,* inquit, *instinctu diaboli factiones in religionẽ irrepserunt, & diceret quidã, Ego sum Apollo, ego Cepha, vt schismatum semina tollerentur, in toto orbe decretum est, vt vnus presbyter Ecclesiæ imponeretur, ad quem illius cura pertineret.* Videtis Gallo-franci quid ad Romani Episcopi primatum ac potestatem contulerint Ecclesiæ Christianæ Concilia. Antea enim teste illo pio & Romani Pontificis amantissimo Doctore communi Presbyterorum cõsilio gubernabatur Ecclesia, multis dicentibus nõ eam esse introducendã in Republica Christiana regnandi formam, quæ a Iudæis post Aristocratiam optata fuerat, quod illi verisimilius causari poterant regium statum ipsis necessarium, & eorum statum melius ab vno quã a multis gubernatum iri, quia terra Chanaan minus late patẽs, quam Ecclesia Christiana, facilius vnius imperio regi posset, quam latius diffusam ac dispersam per totum orbẽ fuisse certum est. Sed cum ad extinguenda schismata cõmunis sententia monarchicam administrationem vtiliorem censuerit, id a nobis p̃bandum est, ea tamen lege qua a maiorib. statutum fuit, videlicet, vt qui cæteris Episcopis præesset, non vt Rex vel Princeps iura summi Imperij haberet, & legib. Ecclesiæ solueretur, verum vt Dux Venetorum Reip. & olim Princeps Senatus Romæ, ita Pontifex R. vniuersalis Ecclesiæ Cõcilio ex optimis viris vndiq; congregatis cõposito præ-

esset, verum subesset Ecclesiæ iudicio. Et primatum ita constitutum primi Oecumenici Concilii Niceni videlicet, Constantinopolitani. I. & Chalcedonensis ac aliorum patres obseruandum dixerunt, quemadmodum & Imperatores Romani suis constitutionibus confirmarũt, quos alio loco recitabimus, cũ de principatu Romani Pontificis in Ecclesia Christiana dicemus. Sed hic ideo ista proposui vt si quæ a nobis dicuntur ad eius qui Romanus erit Pontifex aures perueniant, intelligat nos Concilium petẽtes id desiderare, quod ei primum in Ecclesia gradum & supremam dignitatem firmaoit, summa omnium Christianorum authoritate & cõsensione Gallorum. Ipse itaq; recte faciet, si quod expetimus promoueat, vt sit aliquando in orbe Christiano discordiarum ac dissensionũ finis, quas ferrum & vis iudicare nõ potest. Quod si non fecerit caueat summus omnium sacerdotum, ne in eum odia omnia quæ tãtis dissidiis cõtinentur, & in omnes Ecclesiæ Romanæ fortunas erũpant. Nõ illi metuẽdum est ne in magno conuentu quidquã contra legitimã sedis Apostolicæ & Romanæ potestatẽ fiat. Maxima n. vis est in miro omnium consensu, & incredibili conspiratione omnium pene gentium: quæ a principio constitutum, postea Reip. Christianæ causa cõseruatum Romanus Episcopus tenet. Nam cum vetus consuetudo maiorum lõgo interuallo repetita ac relata naturæ vim obtineat, à piis omnib. retinebitur, & cum huius instituti patres nostros non pœnituerit, quãdiu Romani Põtifices legitime sua authoritate vsi sunt, eos qui hodie viuunt haud etiã pœnitebit. Moris enim antiqui hoc ius est, vt quod sine lege æq; ac si legitimum vsitatum est, omnium voluntate a vetustate cõprobatum valeat. Et magni inter est ad eã necessitudinẽ quæ inter Episcopũ sedis Romanæ & Apostolicæ & Ecclesiã Catholicã intercedit, primatum ei tributum, & consuetudinẽ quæ ea Conciliorum decretis accessit, illi conseruari. Itaq; nihil vereri debet: sed si quod optamus fecerit, gloriam ei conciliabit magnitudo negotii & gratiam omnium Christianorum. Scio id quod olim apud Ethnicos, hodie inter Christianos dici posse, Concilium qui permouet, cum agi nihil potest vim quærit. Verum ex iis quæ diximus satis apparet agi aliquid posse si Rom. Pontifex, & Catholici Principes velint non de regnis, sed de religione tractare.

Quod si tempora non largiantur vt generalis fiat Synodus, & aduersarii quib. deuiũ quoddam est iter a piorum congregatione seclusum, moram & impedimentum inferant, curate saltem (Gallo-franci) vt quemadmodum sub primis Christianis Francorum Regibus Gallicana Concilia celebrata sunt similes hodie conuentus fiant, quales Aurelianenses Synodi, Aruernensis, & aliæ quæ tam sub primæ stirpis quam sub secundæ Regibus, non modo de Politia & externis rebus ad Ecclesiasticam administrationem & disciplinam pertinẽtibus, verum etiam de fide factæ sunt. Attendite necessitatem quæ ad Synodum promouendam vos excitat. Quãuis enim Africani Concilii *can.* 42. statutum legamus, vt non sit vltra fatigandis fratrib. vniuersalis necessitas, tamen Patres in eo Concilio dixerunt congregandam esse Synodum quoties opus fuerit in ea prouincia in qua suaserit opportunitas. At vbi hodie opportunius quam in Francia cogi potest? Patres Ecclesiæ appello, vt ea piorum omnium voto errantib. via mõstretur, quod quondam etiam Ethnicorum leges sub execrationis pœna præcipiebant. Quis non vidit declarationes Henrici IV. Regis nostri quibus, inter omnia, id præcipue sese in votis habere testatus est, vt Concilium fiat? Olim Zacharias Pontifex Romanus (cuius in Francia iudicium probari debet nõ quidem in iis quæ ad regni administrationem attinẽt, vt suo loco ostendam, at certe in iis quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent) in Epistola ad Gallo frãcos monuit conuentus quotannis cogendos, in quibus de pace & concordia Christiana agatur, si quid aduersum esset resecandum dicens, vt templum Dei firmũ ac immobile stare posset. Non solum iste Pontifex, sed & Ecclesiæ Gallicanæ patres Reges Francorum olim ad cõgregandas Synodos exhortabantur, vt videre est in Concilio Meldensi *canone* 71. Hodie Rex noster Pastores admonet, hortatur, obsecrat. Curandum itaque nobis omnibus vt doceatur, dandum est petenti, & Ecclesiæ fores pulsanti aperiendæ. Quotusquisq; inuenitur, qui sic generatus & educatus sit, qui sit ita animo ac vita constitutus vt ratio postulat? ducendi sunt ac docendi etiam humiles, multo magis Principes. Ea mansuetudinis vis est (quæ Christianis inter omnes virtutes præcipua inesse debet) vt vitiosam naturã edomare, & comprimere doctrina possit, ita vt nulla penitus supersint mali vestigia. Promouete igitur quod Rex noster sanctissimus cupit. Id velle debetis ex Augustini sententia, qui in Epist. 48. dicit eos non recte ingredi ad veritatem Euangelii qui simulate consentiunt. Non n. est piorum, & bene sentientium optare, vt Regem hypocritam & simulatorem habeamus. At qui sentẽtiæ nostræ aduersãtur, vt congregandæ synodi consilium respuatur, aiunt disputationem de fide Christiana & doctrina raro permitti debere. Sed qui melius sentiunt, id necessarium iudicant, scientes videlicet natura contumacem esse humanum animum, & in contrarium atq; arduum nitentem. Et (vt vir politus nuper post Senecam dixit) *ea est fatalis ingeniorum aui nostri scabies, vt disputare malint, quã viuere.* Nõ tamen eas disputationes optamus quas improbat Gregorius Theologus in Epistola ad Procopium in qua sic scribit, *ita quidẽ* (inquiens) *animatus sum* (*si quod verum est scribere oportet*) *vt quodcunque Episcoporum Concilium fugiam, propterea quod hactenus nullius omnino synodi finem aliqua vtilitate preditum, & vnde res male habentes non magis exacerbata quam curata sint, videre liceat. Ea enim ipsis est libido contendendi, & ambitio dominandi, suntque ita disputando insuperabiles, vt si iudicio quisquam velut cũ illis agere, citius alterius cuiusdã malitiæ reus agatur, quã qua est illorũ vincat aut diluat.*

Synodus nationalis.

Certe

Certe vituperandæ sunt huiuscemodi contentiones, cum irasci quidem liceat, sed nō peccare: quam ob caussam Constantinus libellos ab Episcopis oblatos queis alii alios accusabant, exuri iussit. Excandescendum enim, sed non cum intemperie, iuxta illud Apostoli, *Irascimini, & nolite peccare.* At licet contentiones quædam vitiosæ fuerint, laudandum nihilominus ac probandum est disputandi genus quietum, quale fuit in veteribus Conciliis: & a piis omnib. amplectenda est elegans illa sentētia, quæ inter capitula patrum Hebræorum descripta est, sic concepta, *Omnis contentio quæ est propter Deum in finem vsq; durabit: quæ vero non est propter Deum non durabit in finem. Quænam est contentio quæ sit propter Deum? Contentio Hillel & Schameai*: (Hi duo insignes Doctores non lōge ante natalē Christi claruerūt, vti vir doctus ex Thalmud obseruauit) Contentio vero quæ non fit propter Deum, est illa contentio Korah & vniuersi cœtus eius, quam vobis recitauimus, & hic rursus proferimus, quod eis similis sit Guisianorum contentio, a qua vt discedendum ita ex aliis quæ non regnandi caussa fient, sed Euangelii Christiani interpretandi & pacis in Ecclesia stabiliendæ gratia fructus capiendus est, vti ex controuersia quæ in Actorum cap. 15. inter primos Christi discipulos & Apostolos orta dicitur, & Petro occasionem dedit de ea libertate disserendi in quam à Christo asserti fuimus, & ex alia contentione quæ inter Paulum & Barnabam fuit. Nam si quod malum in illis controuersiis fuit, Deus id ita temperauit, vt inde boni aliquid subsecutum sit. Quod & hodie facere poterit, cum vt ait D. Augustinus, tanta sit Dei omnipotentis bonitas, vt non sineret mala fieri, nisi maiora ex eis eliceret bona.

Concil. Tridentinum.

Nec vero pii Gallo-franci existiment esse tantā esse Concilii Tridentini authoritatem vt pro lege habendum sit. Primum enim in eo contra veterum Patrum doctrinam, summam aut bonitatē & plenam potestatem ad Episcopum Romanum pertinere, & Concilium ipsi, non ipsum Cōcilio subesse scriptum est. Patres siquidem in eo congregati eorum confirmationem ab eo petierūt quæ ab ipsis sancita fuerant, & protestati sunt velle se in omnibus saluam ipsius authoritatem manere, quod sæpissime ab iis repetitum, nimirū in capitib. quæ iubent Episcopos in suis sedibus residere, & plura beneficia in Ecclesia possideri vetant, vbi contra Apostolicas regulas & Parisiensis Concilii c. 49. penes Pontificem ab his legibus dispensandi facultatem integram relinquentes, gratiosas dispensationes quæ pecunia impetrantur laudant & adprobant. Quod quam inique statutum quis Catholicus, quis Christianus non dicat? Statuerunt etiam Tridentini illi patres, vniones nec rite nec recte factas a Pontifice cōfirmari posse. Præterea ipsius bullam probarunt qui in sua caussa contra leges iudicans adfirmat sibi licere Concilia cum voluerit indicere & congregare, & quo voluerit transferre. Nunquam itaq; nisi ipsi videbitur. Omnia ista contra receptum in Ecclesia Gallicana primorum patrum dogma, qui tenuerunt Episcopum Romanum quamuis summi Pontificis locum obtineat, non tamen eū esse, cuius vnius sententia omnium iudicio præferatur, sed Papam Concilio, non Conciliū Papæ submittendum, vti a Conciliorum Basiliensis & Constantiensis patrib. iudicatum est. Nimirum hoc a D. Augustino didicerant, qui de iudicio Episcoporum a quib. Romæ caussa Cæciliani iudicata fuerat in Epistola 162. *Ecce, inquit, putemus illos Episcopos qui Romæ iudicarant nō bonos iudices fuisse. Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ vniuersæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus caussa posset agitari vt si male iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.* Quod nō sine ratione a pio illo viro dictum fuit, cum Pontifices in A. R. Ecclesiæ sede collocati sæpius vt homines errauerint, & potestate sua ad ædificationem data ad destructionem abusi sint. Quamobrem Cardinalis Cusanus lib. 2. de concord. cath. his verbis, *Quis*, inquit, *sanæ mentis dubitare potest absque veræ potestatis & priuilegiis sedis Romanæ diminutione vniuersale Concilium tam in abusum quam in abutentem potestatem habere pro sui ipsius conseruatione & totius Ecclesiæ salutari regimine? tamen dicere quod vniuersale Concilium etiam super primaria Ecclesia Romana cognoscere & definire non possit, credo male dictum esse: quoniam expresse Chalcedonense Concilium se de hoc intromisisse & iudicasse in gestis legitur. Quare vniuersaliter dici potest repræsentationem Catholicæ Ecclesiæ habere potestatem immediate à Christo & esse omni respectu tam supra Papam, quam sedem Apostolicam. Et hanc sententiā probant plurima gesta, canones, & rationes. Nam discrepatio quæ in Chalcedonensi Concilio facta fuit super primatu probat hoc: similiter & definitio Niceni Concilii in eodem Chalcedonensi pro parte Romanæ sedis producta. At etiam quod in plenariis Conciliis gesta & iudicata per Romanum Pontificem etiam synodice inueniuntur repetita, & examinata, vt in Chalcedonensis iudicium Leonis contra Dioscorum: & in sexta synodo iudicium synodicū Martini Papæ contra Pyrrhium & Sergium, & in octaua synodo vniuersali iudicium Nicolai & Adriani Romanorum Pontif. & similia multa.* Hæc vir ille quantumuis religiosus Romanæ sedis presbyter & Romano P. deuotus D. Augustini auctoritate confirmat in epi. quam citauimus & in 10 capite 2. quæst. 7. versic. *Item cum Petrus.* Et inter epistolas D. Ambrosii exstat 72. quæ est respōsio Papæ Damasi ad scripta iudicum in caussa Bonosi a Concilio deputatorum, vbi Papa sic loquitur: *Vestra normā expectamus sententiæ.* Vnde Cardinalis Cusanus colligit *commissarios Synodi, vicem eius gerentes Papæ in commisso præferri.* Quod etiam probatur sententia Papæ Zosimi *c. contra statuta 25. quæst. 1.* & alibi in *Epistola* quam scripsit *Aurelio & vniuersis Episcopis per Africam & Gallias constitutis.* Et id quoque agnouit sanctus Gregorius Papa *Epistola 214.* vbi postquam reprehendit Ioannem Patriarcham C. P. quod se *vniuersalem* diceret, *& nos quidem* (ait) *quibus per ausum temerarium culpa committitur, seruamus quod præcipit veritas dicens, si peccauerit* & cæt. *si Ecclesiam non* audie-

audierit, sit tibi sicut Ethnicus, &c. Ego itaque, inquit, *per responsales meas semel, & his verbis, humiliter hoc quod peccatur totam Ecclesiam corrigere studui, per me scribo: quicquid humiliter facere debui, non omisi: sed in ea correptione despicior. Restat vt Ecclesiam debeam adire.* Nolite igitur Gallo-franci florem iustum & robur Ecclesiæ perdere, nec ab ea sentētia recedere, cuius religione Rom. Pontifex ad Cōcilium obseruandum adstringitur. Nemo vestrum de Papa credat, quod de Ethnico Pontifice olim dictum refert Tacitus *summum hominum esse, non æmulationi, non odio, aut priuatis adfectionibus obnoxium.* Is vniuersalis potest ita demum appellari, & summus inter Christiani orbis Episcopos ex veteri consuetudine, vti vocantur Metropolitani & Episcopi intra fines suæ diœceseos & Prouinciæ. Certe primus Episcopus est. Sed vt hæresis superbiæ & nimiæ authoritatis filia ex animis Christianorum euellatur, opus est nouo Concilio: quia per Tridentinum, si in Gallia seruaretur, renascerentur monstra illa omnia, & dira ac fœda Romanorum inuenta, vt gratiæ expectatiuæ, reseruationes ac regressus, decimarum collectiones ac pēsiones, & coadiutorum munera, aliaq; huiusmodi Simoniæ impotentis ac plenæ potestatis, siue vt quidam recte dixerunt, tempestatis, ac libidinis genera, contra Basiliensis & Constantiensis Cōcilii regulas. Huiusmodi sunt à Tridentinis patrib. statuta de electione Episcoporum ei constitutioni contraria, quæ à Rege nostro Carolo IX. Aureliæ facta est, qui authoritate Regia Caroli Magni & aliorum Regum exemplo statuit, quid agi debeat cum Ecclesiæ Episcopis & Prælatis opus habuerint. Sed sanctæ illæ constitutiones nullo pacto violandę sunt, imo seruandę quemadmodum illa vetus, qua more prisco vnus e Prælatis cum Comite (hoc est Iudice) quotannis inquisitus mittebatur, & quæ videret ad Principem referebat, qui postea habito Concilio principibus & consiliariis suis fideliorib. adstantib. Episcopos, Abbates, & alios Prælatos instituebat, destituebat, suspēdebat, atq; dānabat, legesq; faciebat, quib. cōseruabatur Ecclesię decus, & reficiebatur naufragium. Quo tempore boni Pastores in Ecclesia erant, populus deuotissimus Regibus parebat, Deus sanctissime colebatur, & subditi Regum voluntati ac studiis tam in rebus prosperis quam in asperis obsequebantur, Regnum denique alta pace & tranquillo otio fruebatur. Sunt & alia multa illius Concilii Tridentini capita aduersus libertatem Ecclesiæ Gallicanæ scripta, quale illud, vt Episcopi Romæ indicētur, contra caput de causis in *pragmatica sanctione* quæ ex Concilio Basiliensi descripta iamdudum in Francia obseruata est. Vitiosum itaq; & iniquum illud est, quale & aliud quo Pontifici permittitur aliquas causas ad se euocare, cum teneatur in Regni partib. iudices delegare, qui causa cognita sententiam ferāt, non modo ne Gallo-franci grauib. sumptibus vexentur, & ne exhausta Franciæ pecunia Romani insolescant, sed ne extra Francorum territorium Regis subditi trahantur. Vestrum est igitur, Gallofranci, cauere ne hodie Romanus Pontifex id faciat ꝙ ei per Concilium Tridentinum licet, cum è Francia causæ cognitionem nunquam euocare potuerit. Quod si id fecit, vt semel contigisse dicitur in controuersia coram Ecclesiastici fori iudicib. in Galliæ finibus agitata ob illustris cuiusdam fœminæ nuptias cum Magnate cōtractas, qui prius aliā sibi in matrimonio adiunxerat, hoc in consequentiam trahi non debet: & rescriptum Roma in Franciā missum nullum, &, vt verbo vulgato vtar, abusiuum est. Quod si aliquo gratioso iudicio confirmatum fuit, vim habere non potest, tum quia nō interuenientib. Aduocatis Regis & Procuratore id factum sit, quib. præsentib. & agentib. in Senatu (quod Parlamentum vocamus) iudicium dari debuit, tum quod res iudicatas contra leges Regni & iura ac libertates Ecclesiæ Gallicanæ pro nō scriptis haberi oporteat, & causam in integrum restitui, maxime in quæstione status, in qua perpetuo superest veritati locus, nisi iudicium legitime datum sit. Quod si capita quæ recitauimus a Gallofrancis reiicienda sunt, quid de eo censendum quo Palatini & Capellani ab Episcoporum iurisdictione eximuntur? Nonne id contra legē vniuersæ Ecclesię & canones Aurelianensis Cōcilii secundi à Tridentinis patrib. statutum est? Quale vero illud quo statuerunt vt Episcopi Pontificali authoritate (quam Apostolicam appellant) multa faciant tanquā à Papa delegati, quæ illis ordinario iure competunt? Certe contrarium hoc est Cōcilio Aurelianensi 1. Clodouei 1. Christianissimi Francorum Regis iussu congregato, & Senatusconsultis quibus sæpissime cautum est, vt è Pontificum Romanorum rescriptis hæc verba tollerentur (*authoritate Apostolica*) iis consentientibus qui se illis vti nolle declararunt, neq; ea executioni mandari posse agnouerunt, præter quam authoritate ordinaria.

Sed vt quod meatum est partium doceam, præter ea quæ ad Ecclesiæ Gallicanę dignitatem pertinent, alias etiam ob causas necessaria est noui Concilii congregatio quoniam à Tridentina Synodo contra Christianas leges a Dei filio & Apostolis traditas imminuta est Regalis authoritas. Quamobrem circiter annum 1551. Præses Lignerius à Rege Henrico 2. ad patres Cōcilii missus protestatus est, ne suo Principi & Ecclesiæ Gallicanæ legibus ac libertatibus præiudicium fieret, videns à Romano Pontifice querelæ iniquissimæ volumen aduersus Gallofrācos propositum, in quo dicebat permulta à Regibus nostris occupata, quæ sibi Concilii authoritate ac iudicio recuperanda erant: Regali iure, Pragmatica sanctione, & libertatibus atq; immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ, imo etiam decretis Ecclesiæ Romanæ contra tyrannidem factis Franciam priuari postulans. Notæ sunt etiam protestationes quæ ab aliis legatis à Rege Carolo IX. Tridentum missis anno 1562. factæ sunt. Nec à Senatu Parisiensi, nec ab aliis hoc Concilium approbatum fuit, cum eo adduci non potuerint cōstantissimi ac integerrimi Præ-

fides & Senatores iis etiã temporib. quorum iniquitas cum legum æquitate certabat, vt Lutetiæ anno 1572. & in cõuentu Blæsis habito anno 1576. Nuper etiam Blesis Guisianis & aliis qui a Rege Hispaniæ corrupti erant in Concilio Blesensi Synodi huius Tridentinæ obseruationẽ petentibus restitit, & peruicit alter Cato grauitate & sanctitate Iacobus Faius, tum Aduocatus Regius, post in Senatu Præses, qui semper in optima ratione cõstans, vir fortis animi, & vemitæ in suum Regem fidei, sic patriæ conseruator, alacri incitatione ad Regni leges & Ecclesiæ Gallicæ libertates defendendas inflammatus, & in meditando vehemens ac incensus fuit, cuius authoritate ac Senatus vigiliis, (cum a nobis rogatus, liberaliter quid agendum esset respõderet:) Guisianorum in Cæsarodunum Turonum seditiones inducentium impetus iniusti læpissime repressi sunt. Ille, Regi Henrico III. cui fidissimus erat, interrogatus quid de Tridentino illo Concilio sentiret, & an in Francia promulgandum arbitraretur, sese intercessurum respondit, quod ea res, si imperaretur a Principe, iniquitatem, & si a quouis alio rogaretur, difficultatẽ haberet. Et certe si in eo Concilio decreta a Francis reciperentur, cogeretur Rex quoslibet Romani Pontificis legatos admittere regni & gentis nostræ inimicissimos, & eorum facultates, quæ in disquisitione positæ sunt, nulla adiecta lege adprobare, quod saluis Senatusconsultis fieri non potest. Neq; tolerandum quod multis Concilii illius capitibus sancitum fuit in Ecclesiasticorum iudicum gratiã, queis permissum est laicorum sententias & Senatusconsulta contemnere, quib. monitoria & censuras Ecclesiasticas ad reuelationis finem publicari iuberent. Aliud item non ferendum, quo prohibetur iudicib. laicis, ne excommunicationem fieri vel absolutionem dari imperent. Quod si hoc statutum locum haberet, tolleretur appellationis remediũ, quod *ab Abusu* vocatur, & quam veteris ac iustæ libertatis & Gallo francicæ Ecclesiæ arcem nominare possumus: quo remedio licet non vtantur Hispani, qui a recutitis Iudæis ortí se se Catholicos & sedis Apostolicæ Romanæ defensores fingunt, simile tamen ei est id quod in vsu apud ipsos esse testãtur iuris Canonici Doctores Episcopatus in Hispania tenentes, vti nos aliquando in Senatu diximus. Etenim literas omnes a sede Apostolica missas examinant, & earum executionẽ suspendunt, & vsum grauissimis comminationib. ac pœnis interdicunt. Et tamen impudentissimi homines nos libertatis nimiæ & hæreseos arguunt, qui idem quod nos faciunt, & Concilium Tridentinum, quod defendunt, violant. Sed si a Rege Hispaniæ receptum non fuit, præterquã in iis quæ ad stabiliendam in subditos suos tyrannidem cõducere existimauit, certe vim legis in Gallia habere non debet. Et si haberet, præter ea quæ dixi, tollerentur non solum prouocationes, sed etiã absolutiones ad cautelam quæ ab Ecclesia Gallicana & Senatu non modo Parisiensi, verũ aliis omnibus iudicibus, qui sacra vice in Francia iudicãt, iamdiu introductæ & adprobatæ sunt.

Duellum

Sed quid iniquius illo capite, quo dicitur Synodus illa Tridentina omnia decreta Pontificũ in fauorẽ Ecclesiasticarũ personarũ ab omnib. obseruari iussisse? Nã inter ea quis nõ videt esse cõstitutiones Bonifacii VIII. & Iulii II. quib. Reges quasi inferiores Pontificib. submiserunt? Et quid ineptius alio decreto, quo patres eiusdẽ Synodi Reges ac Principes, qui duellũ permittunt, bonis & dignitatib. priuant? An eis licuit edictum huiusmodi scribere, quod est cõtra ius vetus Francorũ & authoritatẽ regiã? Is n. olim erat purgationis modus. Nota est Austregisili Historia, qui in Regis Guntranni palatio diu versatus fuerat inter primos Regi mappam præbere solitus (quod munus inter illustriores semper apud Gallos delatum fuit) postea Archiepiscopus Bituricensis factus. Hic cum aduersarii illum Regis manum imitatum fuisse obiicerent, ipse falsam accusationem dicens cum accusatore armis congredi iussus est. Ita Regum erat leges de duello [illegible], & eas, si vtile videretur, tollere. Et quamuis Carolus Magnus testamento suo duellum prohibuerit, iudicio crucis Dei voluntatem & rei veritatẽ inquiri iubens, tamen in libro qui [illegible] *vita Ludouici Pii*, hanc prohibitionem nullius momenti fuisse apparet. Nã cum Imperator idemq; Rex Francorum ad Theodonis villã populum conuenire præcepisset, narrat [illegible] adduxisse Bernardum Comitẽ Cameræ, qui diu in finibus Hispaniæ exulauerat, qui infidelitatis insimulatus, Imperatorem adiens, modum se purgandi ab eo quærebat more Francis solito, scilicet crimen obiicienti semet obiicere volens, armisq; impacta diluere. Sed cũ [illegible] fator, licet quæsitus, deesset, cessantibus armis purgatio facta est iuramentis. Extat de isto [illegible] e constitutio Philippi Pulchri Regis nostri multis Senatusconsultis confirmata, quæ a [illegible] Gallo [illegible] in *quæstionib.* 85. & 89. Quapropter vt morem istum Bonifacius VIII. [illegible] Philippi Regis nostri aduersatius tollere non poterat, sic neq; Papæ eius successores, [illegible] Concilii Tridentini patres eorum nimii fautores. Et nisi nouis Regum nostrorum constitutionibus duellum esset prohibitum, certe a Pontificibus & Ecclesiasticis personis in Francia [illegible] non posset. Itaq; opus fuit lege & edicto Regis Henrici III. quod in conuentu Blesensi promulgatum fuit, ne regii sanguinis Principes vel alii proceres aut nobiles Guisianos prouocarent, vel ab iis vocati manum consererent. Sciebat n. Rex Borbonios præsertim cum Guisianis in certamen venire velle, neq; illis credere qui eis dicebant id ipsorum magnitudinem non decere. Hinc videre est leges de duello varias, sed a regib. tantum in Francia condi & mutari posse. Ergo quidem existimo leges veteres Francorum aliquam rationem habuisse, vt & habuit *lex Longobardorum*, licet a nonnullis iuris Doctorib. fex vocata sit. Sed cum in Francia ius suum cuicunq; per Iudices authoritate regia tribuatur, nouam Henrici III. legem sequendam potius

potius arbitror. Tunc enim vt apud Cassiodor. 3. *Var. epist.* 2. scriptum est, *tunc vtile est ad arma concurrere, cum locum apud aduersarios iustitia nō potest inuenire.* & apud eundem *epist.* 24. *Cur ad Monomachiam recurritis qui venalem iudicem non habetis? quid opus est hominum lingua, si causam agat manus armata? Aut vnde pax esse creditur, si sub ciuilitate pugnetur?* Et lib. 5. Epistola 7. *In causa possint iura, non brachia. Nam cur eligant violenta, qui præsentia probantur habere iudicia?* Sed licet iusta lex sit quæ duellum prohibet, a solo Rege Francorum in Francia ferri debet, non ab Episcopo Romano, nec a Concilio Tridentino.

Verum haud mirum est, si in Tridentino Concilio congregati Patres de duello legē scripserunt, cum multa alia authoritatis suæ & clericorū dignitatis ac iurisdictionis augēdę gratia ab iis scripta fuerint, vt cum suo decreto raptores infamarunt: & cum Reges, qui sub quocunque prætextu beneficiorum Ecclesiasticorum fructus occupant Ecclesiastica communione priuandos statuerunt: quod sane vnum aut præcipuum illis curæ fuit, vt iis qui sub Ludouico Pio excommunicationis fulmen in eos iaciebant, a quibus rerum Ecclesiasticarum fructus capiebantur: sic excommunicatione vtentes quę ad spiritualem iurisdictionem pertinet, vt ea ad conseruandos prædiorum reditus abuterentur.

Illud etiam damnandum caput, quo Episcopis ius mulctandi laicos in aliquibus causis dederunt, eorumque notioni incantatores, ariolos, maledicos & libellorum famosorum scriptores subiecerunt: ac patronos laicos ab iis cogendos ad dotandas & reficiendas Ecclesiarum ædes, augendumq; prouentum eorum iudicio decreuerunt, illisq; vltimarum voluntatum executionem mandarunt, & laicas fratrias visitandas & piorum locorum ac gymnasiorum curam commiserunt. Quod quam nouum sit & a Gallis improbandum, ex constitutionibus Regis colligi potest, quibus tam de ædificiis Ecclesiarum quam de testamentorum iure, & de collegiis ac fratriis ea omnia statuta sunt quæ necessaria visa sunt.

Sed multo minus tolerandum aliud Concilii istius Tridentini caput, quo Pontifici Rom. facultatem concedunt mutandorum omnium quæ testamentis, & vltimi, quod amplius redire non potest, fundatorum ac dotatorum arbitrii edictis & precib. continentur: idemq; ius tradunt aliis Episcopis tāquam a Pontifice delegatis, quod ab Impp. Iustino & Iustiniano nominatim prohibitum fuit in *l. repetita C. de Episcopis & clericis & in l. consulta Diualia C. de Testamentis*, quæ dicunt absurdum esse si promiscuis actib. turbentur officia, & alii creditum alius subtrahat, & præcipue clerici, quib. opprobrium est, si peritos se velint disceptationum esse forensiū, & quæ ad virum clarissimum census magistrum pertinebant, apud quem solum testamenta aperiri poterant, audacter vsurpare. Sed data est a Tridentinis patribus hæc nimia licentia Pontifici, & Episcopis, vt bonorum ac prædiorum Xenodochiis relictorum & fabricarum reditus, prout eis videbitur, in clericorum alimenta, vel in collegia & seminaria Theologiæ studiosorum, aut in alios vsus pro arbitrio suo conuertant, & rationes a matriculariis & fabricarum administratoribus exigant. Hæc cancellanda ac delenda, vt Regis nostri authoritati & regni legibus contraria. Siquidem Xenodochia fere omnia a Regibus fundata, aut si ab aliis, meliores defensores habere non possunt, quam Principes & eorū Aduocatos ac Procuratores, ad quorum curam ista pertinent. Et sane Reges nostri de iis leges scripserunt, sicut Romani Imperatores, Iustinianus, & alii, & pauperibus & senibus & infantibus expositis prospici curauerunt. Et ideo Gallicanæ Ecclesiæ patres in Synodo Meldensi *ca.* 40. de iis non vt illi Tridentini patres, sed ad arbitrium Regis omnia referentes, Caroli nimirum iunioris, qui in Francia regnabat circiter annum Christi 845. statuerunt, *admonendam esse Regiam magnitudinem de hospitalibus quæ tempore prædecessorum suorum & ordinata & exculta fuere, & postea ad nihilum fuerunt redacta: sed & hospitalia Scotorum, quæ sancti homines gentis illius in hoc regno construxerant, & rebus pro sanctitate sua acquisitis ampliauerant, ab eisdē hospitalitatis officio funditus sunt alienata* & cæt. Quod si decreta Tridentini Concilii a nobis seruarentur, pias testatorum voluntates non modo circumueniri, sed amicos eorum qui Ecclesiæ vel pauperibus benefacere studebunt, a charitatis studio & pietate auerti videremus.

Multa etiā isto Concilio clericis data nouo & inaudito more, vt quæ illis capitibus sancita sunt, quibus clerici coniugati qui Ecclesiæ seruiunt ad iurisdictionem Episcoporum pertinere dicuntur, & vt Episcopi de adulteriis cognoscant, populi mores corrigant, & plebē visitēt, vt de locationib. & conductionibus rerum Ecclesiasticarum iudicium ferāt: ac vt ius patronatus scripto tantum probetur, vel possessione quinquaginta annorum, etiam scripta: quod D. Ludouici legib. & Senatusconsultis contrariū est. Sed quale illud & quā absurdū, vt libri quos Pontifex improbatæ lectionis esse censuerit ab eo excōmunicētur, quasi solus iudex esse possit. At quā contrarium Regis nostri Maiestati, vt liceat Papæ Episcopis non residentibus alios substituere? Non sic patres Cōciliorum veterum, præsertim eorum quæ in Gallia habita sunt, inter quæ notandus est 28. canon Synodi Meldensis, vbi patres rogandam dicunt regiam magnificentiam, *vt liberiorem Episcopis libertatem ad peragendum in suis parochiis ministerium relinquat, maxime in sacratissimis temporibus Quadragesima & Aduentus Domini.* Videlicet supplicandi erant Principes si diutius Episcopos in comitatu suo retinerent, vt per eos liceret pastoribus ad gregem suum reuerti. At decreto Tridentino nominationum Regiarum iura, & prouidendi cura, & Regalia omnia, aliaque ad Principem pertinentia, quibus Rex Francorum viduis

Academia & Schola.

Ecclesiis conditionem quærere & sponsum dare solet, peoirus abolentur. Illud etiam au-dax nimiũ & ridiculum caput, quo iubentur Principes scholas instituere, & in iis sacrã lectio-nem, quod ab ipsis imperari, nõ eis iuberi consueuit. Quis enim non scit Romanos Imperato-res cum Gallis imperabant studiorum curam gessisse? Id constat ex Eumenii *oratione de scholis instaurandis* ad virum perfectissimum Præsidem Galliæ sub Maximiano Imperatore, vbi lo-quitur de Æde Herculis Musagetæ in Circo Flaminio facta ex pecunia censoria a Fuluio No-biliori, cuius ædis sanctitas eo nomine commendata est, quod vt Herculi Iouis filio ita Maximia-no Diocletiani dicata esset, qui vt Hercules magna gesserat, &, vt verbis Pomponii Læti vtar, *materiam concinendi camenis præbuerat*, & harum comes habitus ideo cognominis adoptionem meruerat. Tum Pontifex Romanus sacra & ceremonias curabat, sed docendi authoritatẽ etiã in vrbe Romana professorib. nõ dabat, ne quidem inter Ethnicos, sed Princeps: quãuis Pon-tificia dignitas cum imperiali Maiestate coniuncta esset, cum veluti Numa Pompilius qui hũc honorem adeptus fuerat, omnes deinceps qui Reges appellati sunt, ac post illos Octauianus ipse & qui illi in Imperio Romano successerunt, etiam Christiani *Pontifices* dicti sint vsque ad Gratianum, teste Zosimo Comite & Exaduocato fisci *Historia sua libro IV*. Quædam sane facta sunt sub Principib. Ethnicis partim Principali, partim Põtificali authoritate, vt quæ de monu-mẽtis à I.C. dicuntur in *l. hæreditas D. de petit. hæred.* Sed penes Põtifices siue Ethnicos siue Chri-stianos non fuit studiorum cura, aut si qua fuit, leges ab iis scriptæ non fuerunt, saltẽ imperii & principatus iure. Quod iudicari potest ex præclara illa & sancta cõstitutione a Theodosio Au-gusto & Valentiniano Cæs. Theophilo præfecto Vrbi scripta, quæ exstat in *lib. XI. Cod. Iustinia-nei tit. 19. de studiis liberalib. vrbis Romæ & C. P.* quæ eos professores infamia notat, eisq; interdicit vrbe, qui sibi vsurpant publice docendi potestatem, & professorum numerum constituit. Et i-dem apparet ex alia lege, quã iidem Imperatores eidem Theophilo scripserunt, quæ est in lib. *12. tit. 15. de professoribus qui in vrbe C. P. docentes ex lege meruerunt Comitiuã*. Deniq; ex Ausonio disci potest quid de studiis a principibus Romanis statutũ fuerit. Addemus Valentis, Gratiani (qui Ausonii discipulus fuit) & Valentiniani A. A. A. Christianorum rescriptum Antonio Præfecto Prætorio Galliarum quod exstat in *Codice Theodosiano lib. 13. l. 11.* his verbis conceptum, *Per omnẽ diœcesim commissam magnificentiæ tuæ frequentissimis in ciuitatibus, quæ pollent & eminẽt claritudine præ-ceptorum optimi quique erudiendæ præsideant iuuentuti, & iis annona liberaliter præbeantur.* quæ lex libe-rum esse non vult ciuitatibus, quos voluerint professores eligere. Postea, cum Francorum Re-ges in Galliis regnarunt, certe in monasteriis & aliis religiosis locis studia literarum floruere sub Clodoueo I. Christianissimo & Childeberto, quẽ laudauit Gregorius I. Romanus Episco-pus, quod religionis & sanctorum hominum ac studiosorum pietatis & doctrinæ vir Francorum parens esset. Sed non ideo scholæ & Academiæ erant Pontificiæ, quod in sacris ædibus celebres conuentus fierent, quemadmodum & sub secunda Regũ stirpe factos fuisse plurimos ex An-nalibus discimus. Et id colligi potest ex capitulis Caroli Magni, in quorum lib. 2. exstat eius constitutio, qua Episcopos admonens de rebus ad eos pertinentibus his verbis inquit, *Scholæ sanæ, ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis iniunximus, in congruis locis, vbi necdum perfectum est, ad multorum vtilitatem & pro-fectum à vobis ordinari non negligantur.* Præterea magnus ille Princeps adeo studiorum amans fuit, vt inter Francos & Scotos armorum & literarum fœdus inierit Ioannis Albini (quem quidam Alcuinum vocant) præceptoris sui opera & Clementis Scoti aliorumque industria. Post in Concilio Parisiensi congregati Patres sub Ludouico Pio patre & Lothario filio lib. 3. c. 12. de Scholis dixerunt ad Reges, *Obnixe ac suppliciter vestræ celsitudini suggerimus, vt morem pater-num sequentes saltem in tribus congruentissimis imperii vestri locis schola publica ex vestra authoritate fiat, vt labor patris vestri & vester per incuriam (quod absit) labefactando non depereat*, Tum quidẽ Episcopis & clericis curæ fuisse legimus, vt liberales artes quæ aliquot ante annis in contemptum ceci-derant diligenter & a peritis viris docerentur, vt sub Carolo Caluo, & sub Carolo Crasso, cui in regni Francici spem vocato Hincmarus Remensis Episcopus ex Academiarũ monasticarum scholis pædagogos datos testatur. Et sub huiusmodi præceptorib. educatus fuit Robertus Hu-gonis Capeti Regis Francorum filius doctissimus, quem pater Principi Persarum similẽ esse voluit, qui Rex esse non poterat, si nõ ante Magorũ disciplinã scientiamq; percepisset. Sed cũ & clerici & laici in regno Francorum degentes Regi subditi sint, imperio quoq; Regio subie-cti sunt. Nec vero Academiæ, quas vulgo *Vniuersitates* nostri vocãt, Ecclesiasticæ, sed laicæ iudi-cãdæ sunt, cum clerus in ipsis quidẽ sit, at nõ ipse in clero. Et ex priuilegiis Academiæ Parisien-si a Rege Philippo Augusto concessis anno MCC. apparet eum Academiæ patrẽ & defensorẽ fuisse, quo tempore grauis poeta de illa Academia dicebat eã Atticã Philosophis, Græcã libris & Indicã studiis. Et certe de ea dici poterat quod Saluianus Massiliensis Episcopus *lib. 3 de pro-uid. Dei.* de Carthaginẽsi vrbe dixit, in qua artium liberalium scholæ, Philosophorum officinæ, cuncta deniq; erãt vel linguarũ Gymnasia vel morũ. Idẽ ex Gregorii IX. Põtificis literis discer-

Mendicantium ordines.

mus quibus Regem Francorum hortatus est, vt aui sui Philippi exẽplo studiosis (quos *scholares* nominat) faueret. Et nonne Rex D. Ludouicus circiter annum 1232. in suis maximis curis de scholarium statu & studiosorum salute & dignitate augenda sollicitus fuit? nonne aduersus perditos & dissolutos constitutionem fecit, vt ad omne officii munus instructi meliores & sa-

pientio-

pientiores redderentur? Sane eo regnante Mẽdicantium Monachorum sectæ apud Italos ortæ in Franciam venerunt. Et ab isto Principe, vt ab eius parente receptæ sunt, atque ab eorum successoribus adprobatæ in Romanorum Pontificum fauorem, qui vt Romanæ sedi anthoritatem & potestatem ampliorem, quam quæ antea illi competebat, per istos ministros quærerent, mutuam Regibus nostris gratiam retulerunt, & cruce signatos in terram sanctam mittẽtes: nonæ sorti regionum præfectos destinarunt, quorum nihil aliud erat præfectura quã præda, & qui Regni opes non modo spoliabant, sed dignitatem Regiam principib. detrahebant, ita vt interposita religione prouincias deposuerint, quemadmodum ex rebus in Francia gestis facile perspici potest. At non idcirco Ecclesiastica dici debet Academia Parisiensis, neq; aliæ, in quas homines se Mẽdicantes tanquam è latibulis oculis eminẽtibus & tumidis ceruicibus se intulerunt, falsi prædicatores, & authores Euãgelii illius æterni ex Cyrilli Carmelitæ ac Dominicanorum & Franciscanorum somniis compositi, quod Poeta Gallo-francus & sanctus in *Rosa* sua impium ac detestandum & in perpetuum tacendũ dicit, quo aduersus Valdenses doctrinam & fidem defendebant, quasi aliquid firmamenti & virium falsitas habere, & ex mendacio verum effici queat. Quis igitur dicat, homines istos solo nomine religiosos membra Academiæ fuisse, cùm ex eorum collegio D. Thomas ordinis Dominicanorum maximus in *libro quem pro Mendicãtibus* scripsit, dubitauerit *an huiusmodi religiosi licite esse possint in collegio scholarium*. Hæc licet rudia, tamen quia sunt eius verba contra nimios Pontificiæ potestatis adulatores, ea ex Thoma profero, ne simulemus, nostra nõ illius esse dicãt. Et aliquot ab hinc annis ex Guilielmi, cui Sancti Amoris cognomen fuit & aliorum authorum libris recitauimus, authoritate Apostolica à Papa Romano Academiæ Parisiensis magistros cogi non potuisse ad religiosos in suam societatem admittendos, cum *ad Cathedram Apostolicam non pertineat studentium societas*, vti euidenter constat ex vniuersitatis illius tum nobilis literis ad Alexandrum IV. Pontificem Rom. scriptis anno MCCLV. & ex iuramento Rectoris, quo sa nominatim obstrinxit ad prosequendam reuocationem bullæ Mendicantium ab Alexandro V. Papa eis concessæ. Et vtinã in hac voluntate perseuerassent huius Academiæ magistri, vtinam Episcopi haud negligentes fuissent, qui si suam dignitatem & anthoritatem ordinariam contra nouos homines, vti debebãt, defendissent, non videremus hodie Episcopalis dignitatis splendorem pene deletum & extinctum. Siquidem aus pati non oportebat ab his monachis (si ita vocandi sunt) peccatorũ cõfessiones audiri, nec alia multa fieri quæ permotiones impias animis infirmorum dare possunt, cum ab huiusmodi hominibus non religiosis clandestino Consilio persuadentur imbecilli & ignari, vt Reges & fidos eorum ministros percutiant. Itaq; si peccata cõfitentes a sacerdotibus ordinaria potestata constitutis audiri, moneri & absolui possunt secundum raceptam in Ecclesia Catholica consuetudinem, certe id prohibendum esset mendicantibus præsertim Dominicanis ob detestandum illud Iacobi Clementis facinus, cuius quoties recordor, id mihi licere existimo, quod iis quibus de rep. dicãdum apud Romanos erat scilicet, relationem egredi. Reuertamur ad scholas, quas laicas esse contendimus. Obiiciunt quidam Academię Parisiensis professores & magistros Philippo Longo Regi fidei iusiurãdum præstare noluisse, quod non ex probato authore, sed ex quodam indocto monacho in *appendice ad Nangii Chronicon* prolatũ ostendimus in *oratione*, quam in Senatu habuimus anno MDLXXXVI & a nonnullis seditiosis qui pro filia Ludouici Hutini contra legem Salicam pugnabãt vt Reip. nostræ fundamenta euerterent, eodem consilio, quo nuper e Sorbonico Gymnasio magni quidam nebulones, qui non solum obedientiam abiecerunt, sed ad eã relinquendam, Parisienses & Frãcos omnes qui Regi nostro, & lege naturæ, & lege Regni subiecti sunt, induxerũt, impii homines, qui ignorare non possunt Reges & seminatores, & satores, & parentes, educatores, atq; altores studiorum & Academiarũ esse. Siquidẽ sciunt aut (quod imprimis flagitiosum est) ius in quo versantur supprimi volunt, at omnes scire debent Regiis constitutionib. Academias omnes & nutriri & contineri, vti ea quam fecit Philippus Valesius anno 1340. Et nonne post eum Ioannes I. viros literatos & doctrinis deditos singulari beneuolentia complexus Petrarchã ex Italia muneribus large missis in Franciam euocauit, & in Academiam Parisiensem bene affectus Andegauensis dignitaté priuilegiis honorauit. Quid dicam de Rege Carolo V. apud qué quotidiana fuit literatissimorum conuersatio & iugis discussio quæstionũ? Tunc illi adstabant *clerici* (sic n. maiores nostri literarum professores & studiosos vocabant, licet essent laici, quoniã illis vt clericis per oracula æquatis sortib. ducta non modo sanctitatis & Dei colendi scientia, sed aliæ omnes disciplinæ traduntur) & vt testis est vir pius in *somnio Viridarii*, quoties a curis & sollicitudinibus poterat secreta respicere lectioni se occupabat. Tanta erat illius anthoritas, tanta seculi fides, quemadmodum ex Gersonis Theologi Parisiensis libris colligi potest, vt etiam inter clericos Theologi pro vniuersitate dicentes eam Regis filiam matrem studiorum, & Solis instar moderatricem ac ducem omnium in qua magnus ille Theologus ea didicit, & docuit, quæ ad potestatem Regiã & Ecclesiasticam pertinebant, & qualis censenda sit Pontificis dignitas claue non errante: vti sanctus ille vir eam sæpe nimium errasse ostendit. Vnde apparet Papam Romanum huius Academiæ non fuisse conditorem, vti quidam dixere, neq; eam, neque alias anthoritate sedis Apostolicæ Romanæ fuisse fundatas. Et quando Pontifices siua in eam, siue in regnum Francorum potestate sua abusi sunt, non modo Ecclesia Gallicana, sed

Confessiones auriculares mala.

Academia Parisiensis aduersus eos conquesta est, & cum clericis & Ecclesiasticis personis, & seorsim ac separato libello querimonias agens Et quis rerum Gallicarum mediocriter peritus non vidit Senatusconsultum illud nobile, quod regnante Carolo 6. frequentissimo theatro, incredibili Fracorum omniu & pioru clamore, & plausu coprobatum est anno MCCCCVI. aduersus exactiones Petri de Luna, qui sese dixit Benedictum Papam XIII. vti in *oratione* nuper a nobis habita, & *tractatu de legatorum Romani Pontificis potestate*, docuimus. Et quoniam commemoratione digna sunt quæ in eo SC. o. recitantur ab insigni illa Academia proposita, ea breuiter & strictim videamus. Primum, qui pro ea dixere, quod sit officium Regis in subleuandis subditis aduersus tyrannica onera Regno Franciæ & Delphinatu Vieonensi imposita libere demonstrarunt. Dein monuerunt non licere tantum a Papa inordinate ambulante ex Apostoli Consilio se subtrahere, imo id expedire, & sequendum aliud Apostolicum præceptu, *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri*. Deniq; ostenderunt Papa illum Benedictum cotra sanctæ Synodi Chalcedonensis & aliarum authoritatem, qua definitum est nullum Episcopu aurum vel argentum a parentib. vel clericis vel monachis, qui sub eo sunt expetere debere, & cotra Gregorii, Bernardi, & alioru sanctoru doctrina, imo Euagelica authoritate pecunias in Ecclesiæ subuersionem emunxisse. Adiecerunt necessitatem defendendarum Ecclesiarum ad Reges pertinere, in exemplum proferentes, quæ Rex Ioas, qui primo Dei populo præfuit, & multi Reges Francorum ante Carolum 6. gesserant. Vnde concludebant necessariam ab obedientia Pontificis illius subtractionem, aut impediendam & inhibendam tam annatarum qua aliarum præstationum nomine, pecuniarum exactionem, quod & G. Regis procurator & Ducis Bituricensis fieri postulabant, & ita iudicatum a Senatus patribus. Erant quippe viri docti & qui sciebant quæ a doctissimo Iurisconsulto, & Ecclesię Gallicanę defensore optimo legumq; Francicarum peritissimo Carolo Molinæo *in comentariis ad S C Fran. a contra abusus Paparu* adnotata sunt ex D. Pauli Apostoli præcepto, qui eos relinqui iubet a quib. leges Christi violantur & fratres admonet, vt ab iis sese subducant, sicut a Pio I. quoe Hermes author *libri Pastorum* Apocryphi & a Gelasio Papa damnari, deniq; ab Ecclesia vniuersa improbari misere deceperat & a Victore I. Orientales Christiani se subtraxeru. Hæc prisci illi Senatores & vir iste sanctissimus in Parisiensi schola didicerat, quæ diu liberis ingeniis floruit, quæ Reges nostros parentes studiorum agnoscebat, non Pontifices Romanos, nec eos etia qui Auenione sederunt. Sciebant etiam quod Theodoricus Nihem Scriba Pontificius in labyrintho Nemoris vnionis tractatu 6. c. 17. ex conclusionib. huius vniuersitatis Parisiensis descripserat, quarum prima erat *Petrum de Luna esse non tantum schismaticum, pertinacemq; habendum, verum etiam hereticum, perturbatorem pacis, & sanctæ vnionis Ecclesiæ. Secunda Petrum de Luna non esse nominandum Benedictum, nec Papam, nec Cardinalem, nec nomine cuiuscunq; dignitatis, nec ei obediendum tanquam Pastori sub pœnis fautorum schismatis.* Tertia, facta, dicta, collationes, propositiones siue processus a tempore datæ literæ ad modum bullæ confectæ, insuper pœnas quæcunq; spirituales, vel temporales explicate vel implicate in dicta litera cotentæ nullæ sunt. Quarta, dicto Petro, aut suis literis, aut mandatis nullus potest obedire, imo tenetur non obedire sub pœna fautorum schismatis. Quinta, dicta litera est de se iniqua, seditiosa & dolosa fraudulenta, turbatiua pacis & offensiua Regiæ Maiestatis Sexta, contra fautores & receptores dicti Petri & suorum, suarumq; literarum procedendum est, sicut & contra dictum Petrum. Recitat idem Theodoricus libellos quos *Requestas* vocat, quarum prima, inquit, his verbis concepta erat. *Quod laceretur & frangatur dicta litera ad modum bullæ confecta tanquam iniuriosa, seditiosa, fraudulenta, & Regiæ Maiestatis offensiua, cum protestatione ad maiora procedendi fidem tangentia ad explicandum prædicta coram quib oportebit loco & tempore.* Secunda, *fiat reformatio circa istam literam: capiantur, & detineantur omnes suggestores, factores, receptores, pro puniendo corrigendo secundum Canones, de quorum numero plures sunt in isto Regno quos vniuersitas nominabit tempore & loco.* Tertia quod a *Rege præcipiatur vniuersitati filiæ suæ vt veritatem prædicet in isto facto per totu regnu* &c. Quarta, *Reuocetur Episcopus sancti Flori a legatione, & detineatur: insuper detineatur magister P. de Cancella Sancti Lupi & Decanus sancti Hermani Antisiodorensis, & puniantur iuxta demerita.* Hæc sigillata sigillo vniuersitatis. In his recitandis longior forte sum. At cu laudanda sit eorum memoria a quib. istæ actiones copositæ sunt, vitium foret breuem esse. Itaq; dicendum est, quod non modo a Francis, sed ab aliis obseruatum, a quib. didicimus, vt studiorum & scholarum instituedarum ius ad Reges pertinuisse doceamus, nec potuisse Concilii Tridentini patres ius illud eis tollere. Etenim in hoc Regno soli Reges studiorum scholas possunt erigere, vt omnia collegia & corpora, quæ alioqui censentur illicita, quemadmodum a viro docto adnotatum est ad *pragmatica sanctione* Bituri gibus factam anno 1438. regnante Carolo VII. Quod si Rex permitteret Cocilium Tridentinum in Gallia publicari, si iuberet obseruari, si scholas a Pontificib. institui & clericorum iurisdictioni submitti pateretur, statim Ecclesiæ Gallicanæ & regni iura ad Pontificem Ro. transferrentur. Sed si ius auoru & proauorum conseruet, veluti sub Carolo 8. in conuentu ordinum huius regni tum florentissimi Turoni habito Ecclesiæ nostræ libertates & regia authoritas a scholarum Francicarum alumnis conseruatæ sunt, ita a fidis Gallo-francis, qui ex iisdem scholis prodierunt, in sua dignitate retinebuntur. Nec audebunt Romani Pontifices antiquos patrum terminos egredi, si a Senatoribus, qui ex Hispanorum & Guisianorum manib. euaserunt, intra fines suos contineantur.

neantur. Quod ab his sperandum est, si a maioribus facta sub Rege Ludouico XI. in memoriā reducant. isti procuratoris generalis sancti Romani suasu Pio 2 restiterut, qui pragmaticæ sanctionis abrogationem petebat, & Regem in suam senteotiā traxerat miserum & se ac sua perditurum, ni vir ille sanctus illum authoritate sua monuisset ac deterruisset. Nos itaq; illius eaemplo quaotum in nobis situm est debemus quæ vera sunt monere, & prædicare, denuntiare, & testari semper coram Deo hominib. quid sentiamus: & efficere, si possumus, vt Ecclesia nostra, & scholæ omnes huius regni pristinæ dignitati restituantur, vti sub Ludouico XII. patre patriæ ab iis factum qui Papæ Iulio II. acriter restiterunt Regum Franciæ & Nauarræ hosti iniquissimo, eius decreta impugnantes magistrorum vniuersitatis Parisiensis & Sorbonistarum tunc piorum consilio. Quos ideo Rex ille coluit, vt & Frāciscus Magnus eius successor & Hēricus 2. & Carolus 9. & Henricus III. qui suis constitutionib. eorum priuilegia confirmarunt: Inter quas ea notanda est quæ sub Henrico III. in conuentu Blesensi anno 1576. facta est, qua separato capite sanctiones de Ecclesia scriptæ, & aliæ de vniuersitatibus. Vnde iudicari potest scholas & Academias non esse corpora & collegia ex clericis tantum composita, sed ex laicis, ideoq; mixta censeri debere, imo potius laica, quod aliis etiam argumentis pbari potest. Siquidem nonnullis Academiis ius patronatus competit in certis Ecclesiis, & hoc ius laicum est. Et si spectemus conditionem personarum, a quib. regitur vniuersitas, eius caput & Princeps Rector sine tonsura, quæ est ordinum Ecclesiasticorum ianua, ad Academiæ gubernationem admittitur. Et ea eius iuramento, q in librario vniuersitatis Parisiensis vidimus, appatet eum pmittere se omne officium erga vniuersitatē adhibiturum, maxime in facultatē Artium, quę ea omnium personarum genere & præsertim ea laicis conflata est. Ipse Theologis præsidet, inter quos multi sunt diuini iuris scientiā pfitentes, qui tamen haud sunt clerici. Est quoq; medicorum præses & iuris studiosorum, quos qui clericos diceret ob studia q profitentur certe grauissime falleretur. Iurat se conseruaturū libertates Ecclesię, maxime quoad pecunias, ne illicitæ exactiones fiant. Deniq; se curaturum spōdet, q nos voū optamus, vt si quid inter nos & Protestantes agi de pace possit, id inter Ecclesias Græcam & Latinā fiat, & vt generale Conciliū quādo opus fuerit, congregetur. Hæc sufficiāt vt cognoscatis q sit scholarum conditio, quæ Senatui conferri possunt, cuius vt ordo sacrosanctus non modo in laicos potestatem, sed in clericos authoritatem habet, sic ex laicis & clericis magistratib. Senatores deliguntur, & Regis vicarii sunt, in cuius imperio Deus vtramq; potestatem ita fere miscuit, vt effecerit pene vnā ex duab. Quam ob causam in quibusdā Ecclesiis canonicus est, vt in Ecclesia Pictauiensi, in Cœnomanensi, & aliis. Imo etiam Abbas, vt fuit Hugo Capetius in monasterio D. Martini Turonensis Episcopi, & ante & post illum alii Reges Francorū. Quomodo igitur dici potest ab aliis quam à Regib. leges de scholis fieri potuisse? Certe ex Luithprando didici, & ex aliis etiam historicis, curā scholarum ad Episcopos & presbyteros aliquādo pertinuisse, maxime vero eam in quib. clerici instituebantur. Sed subiacebant scholę omnes imperio Principis, vt ex *canone* 3. Cabilonensis Concilii colligi potest pcepisse Carolum vt scholæ constituerentur, in quib. & literaria solertia & disciplinæ & sacræ scripturę documenta discantur, & tales ibi erudiantur, quib. merito dicatur, *Vos estis sal terra.* Nec tamen ideo plane respuendæ sanctiones Pontificiæ de scholis factæ. Fateor enim eas pro ratione amplectendas, si a Rege ac Iudicib Francorum illi consentaneæ videantur, quemadmodum laudanda est illa constitutio Honorii III. in *cap super specula, in decretalib tit. ne clerici vel monachi*, quæ a legum humanarum auscultatione nedum professione viros sacros multarum diuitarum commiunicationibus abarcet. Concilii Turonensis cōstitutionem contra Monachos factam ad archidiaconos, decanos, plebanos, præpositos, cantores aliosque dignitates & personatus in Ecclesiis habentes & ad clericos ac presbyteros extendens, ne si mundanis negotiis implicentur, a cœlestibus studiis abstrahantur. Et huiusmodi Pontificiæ sanctiones vim admonitionis non constitutionis in hoc Regno habere possunt. Sed vt lege Gothorum prohibitum fuit leges Romanorū Principum allegare, ita & lege Francorum, imo etiam decreta Romanorum Pontificum: sed neque Concilia præter ea quę in Ecclesiæ Gallicanæ Conciliis vt Oecumenica & legitima recepta sunt, inter quæ Tridentinum recenseri non potest.

Hæc præter ea q a Carolo Molinæo in libro *contra Conciliū illud Tridentinū* obseruata sunt, p libero ac pristino Ecclesiæ Gallicanæ Regni & Academiarum a regibus institutarum & scholarum, quæ ab eorum subditis fundatæ sunt, dignitate ac statu dicenda existimauimus, vt qui ea intelligent, videant nouam Synodum esse congregandam: in qua non modo Catholicis, sed Protestantibus & aliis omnibus liber aditus & exitus concedatur, vt ea proponant quæ ad vtilitatem Ecclesiæ vniuersæ pertinere censebunt, manente penes Concilium indicio secundum veterea Ecclesiæ leges, vti in Synodis in quibus nō modo clericis, sed etiam laicis Principum legatis, & ab vniuersitate Parisiensi missis locus datus fuit, qualiter omnibus qui ad Synodum mittentur dari debet, qui erunt aliquo merito spectabiles, nulla infamia notati, nec ob crimen legitima sententia damnati, quibus sine vllo discrimine professionis, dummodo Christiani sint, fides publica danda est, sicut omnibus qui similes Zelotis non erunt, illis nimirum quos inter Iudæos vti impios & Principi a Deo constituto rebelles iustu Dei iudicio punitos Iosephus etiam Iudæus commemorat. Hi n. reiiciendi, sed omnes recti corde admit-

Concilii cogēdi necessitas.

admitteodi, & fides, quæ etiam hæreticis dabitur, ex decreto Louaniensium Theologorum seruāda, vt cunctis qui ad Conciliū admittētur, pro vnitatis & pacis Ecclesiasticæ bono. Quod ego aodacter adsero, & prius me adnersari de omni vitæ statu, quam de hac sententis, & vere dicendi libertate deiecerint. Dicam eoim & sæpius reperam boc vnum asse ac singulare maiorum nostrurum remedium. Vos autem Gallo-franci videte, num id vtilius sit quod orbi Christiano placebit, quam quod vrbi Romanæ, & vtrum sit æqoius & vtilius Romano Pontifici tantum honorem deferri, vt eius voius indicio tot bominnm salus, tot regnorum digoitas & status committatur, qui cum homo sit errate potest, vti sabi humanum est, aut Synodum liberam & vniuersalē cnntrahi, quomodo congregatæ sunt Nicena, Constaorinopolitana prima, Chalcedonensis & Ephesina I. Certe id censorinm non erit, si doctrinæ iudicium & seuerissimum morūm magisterium vnius Pontificis arbitrio relinquatur, qui se lege liberum putat: quod certe fiet si vel Trideotinnm Concilinm adprobetur, aut aliud eodem modo celebretur, quo illud coactum est prupter immensum Italorum Episcoporum nnmerum, apod qnos verendū est ne Pontifex gratiosus sit. Verum, vtinam pro pace Ecclesiæ, & ipse & alii Italiæ Episcnpi aliqnid de nouo iura cedant, qnod illis per Pontifienm Romanorum sanctiones quæsitum est: neque hoc nomine existiment se reos imminutæ Pontificiæ & Episcopalis dignitaris fore: sed Apostolorum consilium sequantur, qui pro fratrum salute mori optarunt, ac oon mori tantum vel ciuili, vel natnrali morte, sad etiam æterna, videlicet Anathema fieri: Id si illis io mentem venerit, omnia in Ecclesia Christiana prospere cedent. Quod si generalis Synodus brem fieri non potest, Gallicanam saltem esse congregandam summa ratiooe contendimns, Rege interim in Hispanos & Guisianos pro Regni sui defensione bellum gerente. Doleāt Hispani si velint, & eis rumpantur ilia: virtus & varitas intar Francos ius suum atque omnium ratum impunitam libertatem tanere debent.

Papa & homines erroneo non tanta permittenda potestas.

Et præter aa quæ audistis, vnum adbuc est qno moneri vos oportet nobiles & pii Gallo frāci, vt Concilium optetis. Snnt enim vt ad salutem sic etiam ad bonorem & splandorem quæ ia vestra dignitate sunt omoia reuocanda, ad quē optimns quisq; ferri debet. Hæc optima hæreditas vobis a patentib. tradita, & per manus vestras liberis prodenda est, omni patrimonio præstantior, gloria virturis rerumq; gestarum. Hanc solam mercedem patres oostri desiderarunt, quam si a superiorib. quæsitam vincera non possumus, saltem a nobia seruāda est, ne Hispani qni falsa gloria & vana prædicatione sa efferunt, nobis acutæ virtutis fructus aripiant. Id eis facile erit, si bonis, quæ a maiorib. parta sunt, non delectemnr, sed totam dignitatem nostrā abiiciamns, atq; deponamus. Sed quod illis decus immortale adferet, nobis sempiternā infliget turpitudinem, qnam euitare possumus si volumus. Nōoe audistis patres in Concilio Tridentino qui suum cuique honorem & gradum reddere debuerant, in loco separatim Legato Regis Hispaniæ dando gratiosos fuisse, vt aliorum maxime Francorum principatus daferetur, qui antea, vti seda excelsa & illustri sita faos eorum fuerat, sic in salute Ecclesiæ, sic in digoitate, principem locum & autboritatē semper ianuerant, in altissimo gradu cū Imperatoria legatis collocati. Certe noo modo Regis nostri Legatus merito conquestos est, qnod in S. missæ ceremoniis pax osculanda data est a dnob. sacerdotibus, qoorum vnus ipsi & aliis qui in inferiorib. subsellìis sacris intererant, alter Hispanico illam præbuit: ita vt omnes protestari coacti fuerint inique secum agi, & randem a Concilio abscessetint. Vnde Hispanus ad tantam processit audaciam, vt in Rep. Venetorum petere ausus sit, ne Franciç Legatus solennib. sacrificiis interesset, qui tamen, quamuis a nobilibus quibusdam rogarus, digoitatem suam retinuit, quæ & illi totius Reip. iudicio cōseruata est. Et cum Legatus Hispaniæ sacrificium facere statuisset, ab eo non impeditus fuit, quod eo facto Gallo-frācorum prærogatiuam agnusceret. Non fuit illustrium illius Reip. Dominorum ea mens, non is animus, qui Romanorum & aliorum qnorūdam Italorum, qui Hispanis ideo fauendum censent, quod res ipsorum meliore loco esse videātur: quemadmodum nuper Papa Xystus V. bisce gloriolæ insignib. illos ornare voluit, vt cum da Didaco Hispano numero Deorum caleudo decretum fecit, Legatum Franciç rogarit, non vt non præiret, sed ne cum sacrificium fieret, iret in templum. At cum mori vobis honestius sit, quā turpiter viuere, necesse est Gallo frāci, necesse est hodie vos prouidere, vt vestri nominis digoitas ius snom obtineat. Mihi Francia prope conuulsa sedibus suis obuiam procedere videtur, & summorum bominum a quibus orti estis, sequenda & tuenda admonet vestigia. Cauete igitur, na Hispani in domicilio superbiæ atq; in sede luxutiæ constituti vos a statu vestro & a racto consilio dimoueant. Promouendum est a vobis Concilium. Etsi sub primis Regibus, qui illo remedio vsi sunt, Francia monstris & errorib. purgata est, vti ex Aurelianensibus & aliis Synodis in Gallia congregatis probati potest, id nos bodie sperare oportet, atq; expectandum est a Rege nostro Henrico IV. quod olim Francia a Priocipib. obtinuit. Is sępius a suis admonitus perniciosa in Franciam Guisianorum & Hispanorum consilia aliter euerti oou posse, quam si ipse Catbolicam A. & R. Religionem profiteratur, materiam sceleri detrabendam & nullum amplius prætextum bostib. remaosurum, constantissime respondit, velle se eā fidem saqui, quæ in libero & legitimo Concilio melior & purior ostenderetur. Interim a religiooa sua discedere non posse, & cum oolit subditis suis seu Gallo-frācis seu aliis vim adbibere, nec illos cogere, vt aliter, quā a parentib. suis instituti sunt, credant, ipsum cogi non debere.

Etiam

briam viles personas, ob religionem, qua imbuti erant, nec vllis tortoribus, nec morte oblata vocis egregiæ constantiam mutasse: longe minus eũ posse, vel debere, qui Rex sit, & Rex Francorum ad summum Maiestatis fastigium per miracula diuinis manibus euectus, a Deo, cui quotidie preces ex animo fundit, benigne exauditus, cum multis & variis tribulationibus vexatus, ex iis patientiam, ex illa ꝓbationem, ex ꝓbatione in Deo spem habuerit. Alia esse fidei; alia regni fundamenta, alias religionis Christianæ regulas, alias regnorum conseruandorum leges. Rex est constantissimus, non pertinax, veri amantissimus, non opinionum sequax. Ipse anno MDLXVI I. cum Nauarrica Regina eius mater in Bearnensi ditione Edictum quo religio (quam *Reformatam* autumant) ab ea imperabatus, quid sentiret ab illo proposuisset, ipse cui corpus adhuc tenerum at ingenium sapientia validum erat, dixit, neminem cogendum esse, vt inuitus crederet. Quamobrem nec ipse cogi debet. Nec est censendus pertinax quod in sua sententia permaneat, donec aliter credend dũ didicerit. Qui o. doceri vel dedoceri studet, simplex, bonus, & humanus videri debet, cum non resistat, nec repugnet contra veritatem. Num igitur erga illum Christiani omnes, & Catholici maxime eius subditi, in eum beneuolo & obsequenti animo esse debent? Laudanda est à vobis huius Principis constantia, quam aduersarii inuidioso & infamiæ subiecto nomine *pertinaciam* vocant. Nam si dissimularet & a vobis & ab aduersariis merito accusandus foret: & qui illi persuadent, vt aliter faciat, aut non pie sapiunt, aut eum qui fraudis expertem & sinceram mentem habet maligna fraude persequuntur, vt ipsum calumniis exponant, & criminis loco putant quod recte viuat. Sed vnusquisque Concilium quod exoptat ardenti animo desiderare & promouere debet, cum natura impellamur, vt prodesse velimus in primis instituendo, rationibusque doctrinæ tradendis.

Et vtinam recte atq; ex ordine & e Republica Christiana Pontifex Rom. faceret, nec deflecteret abs religione officii, nec suo vel Hispanorum nutu nimium ferretur. Certe si id faceret, quod debet lenibus remediis morbos Ecclesiæ curaret, ac generale Concilium promoueret, vel ad prouinciale Francos exhortaretur, & vt Ecclesia pœnitentibus gremium nunquã claudit, cum Rege nostro mitius ageret. Quod, vt opinor, faceret, si probe nosset qui sint eius mores. At vos qui illum nostis integrum esse ac simulationis nescium, & religiosum in ea fide qua a primis annis imbutus fuit, si vos religio mouet, lætamini Gallo-franci quod instrui cupit. Id n. esset leuissimæ inconstantiæ tantoq; Principe haud dignæ, sine Concilio aut vniuersali aut prouinciali, quod per tot annos secutus est vno momento mutare consilium. Multi illi dixerunt verendum esse ne, dum cœlum vult retinere, terram amittat. At egregie respondit verendum illis, ne dum res terrenas nimium curant, cœlum amittãt. Scitote tamen Gallo franci nõ esse ipsum in illa hæresi, quæ probatos & purgatos mores non sequitur. Nõ potest hoc isti homini hærere peccatum. Quis nescit ab eo factam declarationem animi sui, quẽ habet de Rep. quemque habiturus est? Non putat quæ Henrico III. Regi nostro & suo vobisque promisit sibi fas infringere. Qui illum norunt, sciunt non esse illi vanã, neq; mobilem mentẽ. Rex est iustissimus, qui vt cuncta ad Senatum vocat, hanc declarationẽ misit legendam, ꝓmulgandam, & per Prouincias publicandam: & ista dum fecit, non metuit ne vim principatus resolueret. Imo sæpius protestatus est sese vim statuendi a Guisianis ereptam patribus restituturum. Quapropter ne desperatio vlla Frãcorum animos occupet, Rex iste magnus optimorum consiliorum conscientia se sustentat. Illi simplex animus & mens candida. Scit alios multos Reges ac Principes nullã æque ex virtutib. quam dissimulationem (si virtus est) deligere. Itaq; melioris viæ iter sibi sequendum proposuit, solam pietatem sine vlla fraude amplectendam, & colendam existimans, sine qua Reges, neq; bene viuere, neq; bene regnare possunt. Num vidistis ipsius literas, quib. post Cardinalis Caietani, qui se legatum Rom. Pontificis dicit in Galliã, aduentum testatus fuit, se repetito ex vetusto more antiqua patrum munera daturum, & amicũ appellaturum si ad se veniat, & causam aperiat cur missus sit? Quid humanius, quid moderatius vel dici, vel fieri potuit? Fuere plurimi qui existimarunt hanc moderationem nõ humanitatem, sed in acerba iniuria animi remissionẽ ac dissolutionem censeri debere, quam lenitatẽ dicimus, vitioso nomine longitudinem appellantes. Dixere alii, Regem istum clementem alloquentes, recordandum ipsi ac cogitandum quid voluerit, quid senserit, quid amiserit Papa Xystus V. cum Henrico Duci Guisiano aliquot ante conuentum Blæsensem diebus numen & interdictum contra Gallo francos vendidit, ea conditione se Henricum III. Regem excõmunicaturum, & regno Francorum indignum pronunciaturum pollicitus, (quasi id iure posset) si postquam eius consilio & auxilio Rex electus foret, filium suum, quem sorori suæ generum emere volebat, Regni successorem designari curaret: Crederet non mutatã Pontificis mentẽ, sed idem illius consilium, tam vt Hispanis quam vt Guisianis, & sibi ipse consuleret. Nõ itaq; nimium remissus foret, ne ei diceretur, quod olim Ludouico Pio à fidis & deuotis Gallo-francis dictum legimus, cum eum plusquam deberet clementem esse cõquerentes exorabant vt ꝓuerbii illius recordarẽtur, *Ne quid nimis*. Monuerunt etiam alii post Henrici III. mortem Xystum hunc Pontificem publice dixisse, optatissimum a se nuncium acceptum de re a Dominicano gesta, & cum magna monachorum caterua passim volitantẽ a Mineruæ quasi Deæ armipotentis ædibus, Romæ vbi Dominicanorum fanum extructum est, vsq; ad D. Iacobi tẽplum, in quo Hispanici Consilii sedes est, processisse, & ad alia omnia templa Guisianorum no-

mine

mine gratulationem fieri iussisse. At Rex, his auditis, ab iis qui se Catholicos profitentur tanta dedecora taciturnitate tegenda esse respondit: se omnem discordiarum memoriam obliuione sempiterna delendam censere, iisq; tantum irasci velle, qui nefario patriæ parricidio se obstringentes Henrici III. Regis Christianissimi teterrimam cædem Clementi Dominicano mandarunt: nec velle credere huius parricidii authorem esse Romanum Pontificem. Itaq; vt Rex est humanissimus, eorum vocem non laudauit, qui ad Gallofrancos milites exclamarunt, Ite & Caietano, non Pontificio legato, sed Regis Hispaniæ emissario, iter intercumpite: leuiore flagitio eum interficietis, quam a Rege Henrico IV. desciscetis. Censuit virtutis non esse in Caietanum Cardinalem stomachari, & vt est Princeps humanitate multa temperatus in summa animi magnitudine credit nullum esse vitæ tempus, in quo nō deceat lenitatem & comitatem seruari, & quod aliorum dignitati paret, non tam facit vt suam conseruet, quā vt Gallofrancorum famam sartam & tectam tueatur. Quamobrem humanitatis cōdimentis Caietanæ immanitatis & superbiæ Hispanæ acrimoniam mitigandam censuit. Itaque illum suis literis moneri voluit, vt quod debebat faceret, iure priusquam armis sibi experiendum putans. Et sane si (vti certum est) Cardinalis iste Caietanus Ducis Sermonetæ equitis Hispani frater a Philippo Austriaco conductus sensum omnem naturalem exuit, Regis nostri est, nulla Hispanæ crudelitatis labe infecti alio more viuere, qui cum humana placate & moderate ferre solitus sit, eo laudem meretur, quod semper quæcunque possunt accidere, tolerabilia duxerit. At irridendus Caietanus, quem mandati sui fines egressum putamus dum Francos læsit: non illi irascendum qui maximum Regi nostro dolorem inurere cupierit, quod voluit non potuit. Ideo Rex noster maxime putat Francorum Principis proprium non esse exardescere iracundia aduersus Romanum Pontificem aut ab eo missos, quod non solum Rex Nauarræ sit, sed Rex Francorum, eique generi hominum præsit, in cuius magna parte non modo ipsa est, sed etiam a quo ad alias gentes peruenit humanitas. Verum enim est illud contritum vetustate prouerbiu, HVMANVS ET CIVILIS FRANCORVM CVLTVS. Idcirco existimat præcipuam Principis virtutem lenitatem & clementiam esse, qua maxime ad Deum acceditur, & apud se instituit se humanitati sibi suisque ingenitæ constare velle, ac dum opus fuerit cum mansuetudine grauitatem, & cum lenitate seueritatem iunctutum. Sperate igitur ab eo quicquid a communi iure, a bonis artibus, a clementia & suauissimis motibus expectari potest. Non oportet, Gallofranci, non oportet vos officio vestro deesse erga Regem vestrū, erga patriam, erga vosmet ipsos. Pietas vos admoneat vt causam communem communi animo defendatis.

Vos Viri Principes, proceres, & nobiles Gallofranci, habetis Legatum a vobis ad Romanū Pontificem missum, qui de pace Ecclesiæ quotidie tractat. Eadem est vestra quæ fuit proauorum sapientia sub Bonifacii VIII. tempus. Legistis olim morem Romæ fuisse, vt antequā bellū hostibus indiceretur, mitterentur legati conquestum de iniuriis qui res ablatas repeterent. Vos eodem consilio existimastis prius tentandum, num aliquid per legationem obtineri possit. Quod si nihil aut parum in vrbe Romana proficiat illustrissimus Princeps Luxemburgius (quod non verendum, imo quiduis a tanto Principe expectandum est) tum rebus nostris prospiciemus maiorum nostrorum exemplo. Interim vos monitos peruelim, Principes & Cardinales Illustrissimi, Archiepiscopi, & Episcopi qui in hac causa ius dicendæ sententiæ habetis, vt in memoriam reuocetis illam iurisiurandi formulam, quod a quocunque legato Pontificis Rom. cum in Franciam ingreditur præstari solet, *I. F. sancta Romana Ecclesia presbyter Cardinalis M. nuncupatus ad H. Francorum Regem Christianissimum & vniuersum illius Regnum, dominia, ducatus, ciuitates & loca ei subiecta, sanctæ sedis Apostolicæ de latere legatus, iuro, & promitto in verba Cardinalis per sacros ordines meos manibus ad pectus positis, Christianissimo Regi, me legati munere non functurum, nec facultatibus mihi a sancta sede concessis vsurum, nisi quamdiu in regno ero, & sua maiestati Christianissima placuerit, adeo vt certior factus de illius voluntate illi conuenienter legati nomen & ius continuo sim depositurus, simulque omnium quæ gerentur a me, legatione finita codicillos relicturum in manibus eius quem voluerit sua Christianissima maiestas: item leges, & statuta, & consuetudines Regni seruaturum, nec vllo modo authoritati & iurisdictioni Regiæ, iuribus, libertatibus, & priuilegiis Ecclesiæ Gallicanæ & vniuersitatum derogaturum: in quorum testimonium has præsentes manu mea subscripsi ac præterea sigillo meo muniendas curaui. I. F. C. M.* Ne quis vestrum Gallofranci qui ista audit, ne quis existimet eam esse amplitudinem Caietani Cardinalis, qui se Romani Pontificis legatum dicit, sed nec ipsius Pontificis aut in eorum nutu vel sententia illam authoritatem residere, vt summæ rerum in Francia præesse possint. Nam vt Pontificis Romani notio de sacris tātum non de profanis esse debet, alia eius qui se ipsius legatum asserit, potestas esse non potest: & in Francia maxime, vbi illi non modo Regni iura, sed nec Ecclesiæ Gallicanæ libertates, vel infringere vel mutare liberum est. Nam etsi nuper ab iis quibus ab initio anni MDLXXXIX. Rex Henricus III. iuris dicendi potestatem interdixerat, Lutetiæ receptus fuerit, ibique non modo de rebus Ecclesiæ sed & de Regni iure contra fas statuerit, id nec Pōtifici Romano, nec ipsi, nec Guisianis vel Hispanis ius vllum potest quærere in Regis nostri Henrici 4. fraudem, & contra leges regni & Ecclesiæ Gallicanæ. Nulla enim sunt ipsius iudicia, vt nullum ac irritum quod eo iubente contra Senatus Præsidem Poterium factum est ab iis, qui tectum inter & laquearia haud minus turpi latebra, quam detestanda fraude sese abstulerunt, vt arbitri essent

eorum quæ ab ipso quærerentur, & quæ responderet: quales olim Romæ erant qui a coniuratis & seditiosis corrupti aduersus bonos & sanctos ciues accusationes instituebant, in illos sine more aduertentes & per fas ac nefas omnia mouentes. Viuant illi homines prout ipsis videbitur. At ego dicam hoc viuendi genus, & nouos istos mores tyrannorum esse, nō pastorum, impiorum hominum, non piorum Pontificum. Quod si horrenda sunt illa facinora, sane a Rom. Episcopi & eius qui se ab eo missum dixit officio plane sunt aliena. Eius enim cura est qui Romanam regit Ecclesiam ne sacrificiorum & doctrinæ in Ecclesia Christiana tuendæ memoria in ipsa Ecclesia occidat, non vt iure Maiestatis & Imperii in regem Francorum & eius subditorum bona & corpora vtatur: sed nec in animos vt ipsos ab obediētia quam Principi suo debent submoueat. Nam Regum & Principum gladius a Petri cuius Papa se successorem dicit & a Pauli gladio distinctus est. Quod si inter Apostolos aliquis primus fuit & cum primum forēt dignitate æquales, vt ex Euangelii authoritate dixit Dionysius, vni vel pluribus reuerentia exhibita est, sicut veteres Petro & Paulo, quos Apostolorum Coryphæos nominarunt, ab aliis honorem habitum testantur, vel id ordinis ratione, & vt certi essent in Ecclesia Christiana sacræ iurisdictionis gradus à priscis Christianis statutum est, sane illi Principib. etiam Ethnicis paruerunt non imperarunt. Vos igitur Cardinales & Episcopi Gallofranci, qui libertatem Gallicanam defendere debetis, nolite permittere Caietani Cardinalis, qui non fecit quod facere debuit, decreta in Francia contra Regē & iura regni & Ecclesiæ Gallicanæ vim habere, quamuis se a Xysto V. Papa missum in Franciam dixerit, vt sacra vice iudicaret. Hic volo vos admonere, vt quisque vestrum cognoscat eum in Ecclesiam Gallicanam & in regnum Francorum nullam omnino potestatem habuisse.

Iuuat enim dum Rex noster aciem instruit, actiones instituere, & vt eo perueniam, dicā quę sit Regia authoritas, post, quæ regni Francorū dignitas, tum quæ Ecclesiæ Gallicanæ libertas, & quæ ipsius priuilegia, quæ potius Ecclesiæ vniuersæ iota a piis omnibus censeri debent. Regia authoritas.

Verum prius de potestate Regia dicendum est. Quanta sit Regum dignitas tam in reb. sacris quam in prophanis ex eo cōstat quod Moses in c. 33. Deuteronomii in Ecclesia Iudaica (q̄ Christianæ typus est) dicatur fuisse Rex in Israel. Hic, ast, vt in Actis Apost. legimus ca. 7. quem Deus Principem ac redemptorem misit cum manu Angeli ad quē locutus est Dominus, quādu Aaronem & eius filios ab eo consecrari voluit *Leuit.* 8, qui postea per manus eius ministerium acceperunt. Rex vero sacerdote excellentior fuit, & vt Moses semper primus a Deo vocatus est, ita illi præcipua religionis cura & prouincia mandata est, & ipse postea legem tradidit Iehosuah, vt eam populo daret. Deniq; ex sententiis patrum discimus legem Regno maiorem fuisse & sacerdotio: sed regnum sacerdotio maius censendum, quia regnum 30. gradib. comparatur, quos Hebræi colligunt ex Samuelis verbis quæ dixit ad Israelem 1. *Samuel.* 8. Gradus vero sacerdotii 24 tantum ex 18. *cap. Num.* At legem 48. reb. Hebræi acquiri dicunt, quas nunc recitare non opus est. Certe sacerdotum Princeps, qui *Pontifex* a Latinis dicitur, summam habebat potestatem, quæ per tyarā, eius capiti impositam, ab Hebræis designabatur, vt notat Iohannes Chrysostomus in *homilia* 6. Romæ nuper edita. Sed tamen Regi suberat & multis legibus tenebatur, quibus Princeps solutus fuit, vt in *Codic. Talmudico* scriptum est. Ibi enim traditur Pontificem testimonium dixisse, & de illo quoque fuisse dictum: Regem vero neq; dixisse, neq; de illo dictum. Addūt Pontificem discalceationis legi obnoxium, regem autem illā non subiisse. Alia quoque permulta in gratiam regum facta & obseruata proferunt, vt nemini eius equo & solio insidere liceat, & regali quoq; sceptro vti nefas. In Regis vero institutione Deuteronomii cap. 17. iubetur *Rex cum sederit in regni solio sibi legis exemplar in libro describere à cōspectu sacerdotum Leuiticorum.* Etenim quidem, cuius præceptum erat, vt legem describeret iuxta illud, *& nunc describite vobis canticum*, id est legem, cui canticum adiectum est. Sed Rex duos codices habere iubebatur, quorum vnum in sacro suo latercul o reponeret, alterum secum semper haberet, vt in eo legeret cunctis diebus suis. Et inde sapientiam consecuti boni Iudæorum Reges, quæ ad religionem spectabant, ex legis præscripto statuerunt, & statum ac ordinem sacerdotum ac Leuitarum secundum Dei præcepta retinuerunt. Satis nota sunt exempla iis qui sacra volumina vel tantillum degustarunt. Nam cum sacerdores ea pecunia abuterentur, quæ ad sarcta tecta templi offerebatur, Rex Ioas remedium adhibuit. Et Rex Salomon in 1. Reg. c. 2. Abiathar sacerdotem sic dixisse fertur, *Vade in Anaroth ad agros tuos quia vir mortis es, & eiecit eum ne esset sacerdos Iehoue, & Zadocū ei subrogauit* (quia nimirum ille tentauerat, vt superstiti adhuc Dauidi Adonias eo inconsulto in Regno succederet.) Et quamuis in *capit.* 3 scriptum sit illum postea sacerdotem fuisse, id quidē demōstrat vel ei sacerdotii titulum penitus non ablatum, sed ab aula tantum discedere iussum fuisse, vel eum post aliquod tempus ad sacerdotalis officii partem admissum, vt Decuriones qui vitio suo regradati, aut ad tempus ordine moti sunt. Equidē non erat officii regii thura & odores incendere, vt in historia Oziæ legimus, quoniam erat regia potestas a sacerdotali administratione distincta: sed tamen erat Pontifex regi subiectus. Et quanquam nonnulli Assamonæorum seu Machabæorum historiam proferant, qui simul Reges hominum, & Dei sacerdotes fuere, & exemplum regis Anii qui & diuum & hominū sacerdos ab Ethnicis dictus est, pro lege haberi non debet q̄ sine sacro more ab iis factum est, & contra Dei iudicium; qui verbo sententiam dicens, regnum tribui Iudæ sæpius adiudica-

indicauerat vsque ad Messię aduentum:& Leuitis satis vetuerat ne regnum occuparent, cum iis prohibuisset agros possidere, vt olim teste Plinio Druidæ in Gallus non possidebant. Quod si quis dicat forte a Deo id Assamonæis permissum vt a tyrannide liberarentur, videat ne fallatur, cum eorum familia vti tragœdias excitauerat, ita in lamentis & squalore iacuerit. Nec sola in maximis luctibus fuit, sed in eos fere totā Iudaicam gentem vocauit. Itaq; cum sacerdotium à regno distinctum sit, duæ potestates, quæ separatæ sunt, contra Dei voluntatem cōfundi non debent. Nā etsi Principes aliquando ius summi sacerdotii regiæ potestati adiunxerint, vt apud Prophetas, poetas & historicos legimus, & inter cæteros Romani Imperatores, vsque ad Gratianum, vt ex Zosimo obseruauimus, certe sacerdotes, & pastores Regium nomē haud sibi adsumpserunt.

Regum status sub primis Christianis.

Nunc paucis dicendum quis fuerit regum status sub primis Christianis, vt inde cognoscatur Pontificiā dignitatē & potestatē ad res terrenas non extendi, cū ad quē rerū terrenarū administratio pertineat, & quale sit Imperatorum & Regum ius etiam in sacris, & quale Pontificum, & vt inde colligatur quid hodie fieri debeat. Nonne ipse Christus Augusto & aliis Imperatorib. quod ad eos pertinebat reddi iussit? Certe *vt iudicaretur venerat, non autē vt iudicaret*. Nonne & D. Petrus ita dixit? *Estote subditi domino vestris, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus, vt ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudē autem bonorū*. Et nonne D. Paulus Petri consors Ethnico magistratu vsus fuit? Is quamuis in *epistola 1. ad Corinthios* eos reprehendisset, qui contra fratres Christianam religionem profitentes in Ethnicorum tribunalib. litigabant, non idcirco eos culpauit quod coram Magistratu causas agerent, sed quod lites inter eos essent, quas aliter quam per iudicem videlicet amicorum arbitrio cōponi desiderabat. Vt n. Sole ac Luna, ita magistratu publico, qualiscunq; foret, vti poterant. Quamobrem ipsemet Paulus ad Rom. 13. dixit, *omnem animam potestatibus sublimioribus subiectam*, quod non de Pontificia vel Episcopali intellexit, vt quidam Romani interpretati sunt, verum de Principib. & magistratib. quibus obediendum dixit, vti docuit Chrysostomus, *siue ab Apostolis, siue a Prophetis, siue ab Euangelistis aut monachis*: quod tunc ab illo scriptum, cum sub Imperatoribus Christianis Constantinopoleos erat Episcopus. *Hoc vero*, inquit Tertullianus, *sancti illi Apostoli Petrus & Paulus non dixere, vt occasionem fr[illegible] martyrii quærerent, quasi timentes: nec vllo præterquā Dei metu adacti principib. parendum mo[illegible] præceperunt, sed vt ad bene viuendū prouocarent etiam sub potestatum respectu, quasi adiutricum iustitiæ quasi ministrarum diuini iudicii hic etiam de nocentib. prædicantis.* Non itaque *vis eos impulit, vt id faterentur. Nam & passi iā passi sunt, & antea sciebant se passuros*, vt ait ille vir eximius in *Scorpiaco aduersus Gnosticos*, nec dederat Deus eis spiritum timiditatis, sed virtutis ac dilectionis & sanæ mentis quæ illis tolerantiam præcipiebat, qualis primorum Pontificum virtus & Christianorum erat constātia, & qualis hodie esse debet etiā sub tyrannis, quamcunq; religionem profiteantur: multo magis sub Christianis & legitimis, vt sub Rege nostro Henrico IV. Christianissimo, & Catholicam Apostolicam & Romanā fidē amplecti parato, si modo pii viri illum in errore versari doceant. Viuite igitur, Gallofranci, viuite secundū istas primorum Christianorū leges. Ea fuit sub illis Principum ac magistratus authoritas, vt Ecclesia bracchium Imperatorū etiam Ethnicorum quandoq; implorauerit, neq; sibi ipsa ius etiam dicere voluerit in iis, in quibus iure gladii & imperii ciuilis aliquid agendū fuit: quod ex iis apparet quę in Ecclesia gesta sunt, cum Paulus Samosatenus hæreseos damnatus, & ab Episcopatu deiectus, quidquid Ecclesia iuberet cedere nolebat. Tunc enim, vt ex *historia Ecclesiastica* discimus, auxilium ab Imp. Aureliano etiā Pagano petitum, vt cogeretur abscedere. Sane, in iis quæ sunt spiritus, cum animalis homo ea non percipiat, Dei spiritus iudicat omnia: verum *sub horū nomine nō oportet complecti forenses causas, lites, ac controuersias, ac res quæ in earū iudiciū deducantur, quarū notio ad Magistratum pertinet, sed eas tantum quæ ad animarū salutē spectant*, vt vir doctissimus ad Apostoli sententiam de iudicio spiritus adnotauit. A nemine vero spiritualia iudicari possunt præterquam a Deo, quia plerumque homines eos immundos putant, qui puri sunt. Sed nihil hoc ad ciuilē potestatem, cui & Petrus & Paulus se submiserunt, & à qua iudicati fuere. Christus n. leges suas haud eodem modo scripsit, quo Romanorum Rex Seruius Tullius, queis videlicet etiā Reges obtēperarent. Et cum Tertullianus dixit fuisse multa Britannorum & aliorum populorū inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, de Regno spirituali non de terrestri locutus est. Quod ab eodem Tertulliano docetur in libro *de Idololatria*, vbi veteres Christianos leges Imperatorum adeo coluisse & obseruasse testatur, vt cum studiorum scholas erigere non possent, liberos suos ad Ethnicorū gymnasia mitterent. Tum ad excusationē necessitas deputabatur, quoniam aliter discere non poterant, & cum literatura ad omnem vitam instrumentum esset, verebantur ne illiterati & ignari liberi ad inopiā redigerētur. Forte melius cū illis actū fuisset, quoad animarum salutē, si a ciuitate in ciuitatē fugissent, vti magnus ille vir suasit. Verū ex illorum excusatione apparet ipsos principib. paruisse, cū collegia & congregationes ac scholas facere nō auderent. Siquidē mādatis principalib. præceptum erat Prouinciarum Præsidibus, ne collegia sodalitia esse paterentur, quæ si quando fierent, constitutionib. & Senatusconsultis dissoluebantur, exceptis iis quæ causa religionis fiebant inter Gentiles & Iudæos. Hæc n. tantum erāt legitima collegia ex constitutione Caii, quę recitatur a Iosepho li. 4. Antiquit. Cur vero Christiani Principibus parebant? Quoniam verebantur ne in Senatusconsulta illa, & mandata

Princi-

Principum coitionibus oppositi delinquerent. Ideo fugiebant ideo parebant, ideo potestatibus sese subditos agnoscebant. Et sane cum regnum Christi non sit huius mundi, sed cœleste, vt in *Matth. 17. cap. & Luca 12.* scriptum est, Principes terræ separatum ab eo imperium habuere: & hanc ob causam subditi illis obsequium præstiterunt, non quidem in iis quæ ad religionē pertinebant, in quibus si vis adhiberetur, fuga salutem quærebant, sed in aliis, vt quando Principes rebus suis, id est, secularibus, insistebant. Sic mihi loqui liceat, vt Carthaginensis ille presbyter locutus est. Sic Cōstātino paruerūt Christiani, antequā Baptismō suscepisset, nimirū vsq; ad extremum vitæ spiritum. Tunc enim demum cum mortem haberet in præcordiis baptizatus fuisse dicitur, vt in eius vita scripsit Eusebius. Sic Galli veteres Principibus suis paruerunt, antequam inter Christianos milites conscripti essent, eadem fide & pietate, qua eorum posteri, post religionem Christianam ab illis in Francia susceptam. Sciebant nimirum Deum iura humana per Imperatores ac Reges & rectores seculi humano generi distribui voluisse, vt docet Augustinus in Ioannem: *Noli, inquit, dicere quid mihi & Regi, cum Apostolus Reges honorandos dixerit.* Et sic ait D. Ambrosius aduersus Auxentium: *Cum tributum petit Imperator, non ei negamus: Imperatori non dono, sed non nego.* Longe alia sunt sancti huius viri verba, quam quæ Romani quidam Episcopi, cum priuilegia & immunitates aliquibus Ecclesiis concesserunt, scribere ausi sunt, eos sacris arcentes & dignitatibus priuandos dicentes, qui illa violarent aut imminuerēt, dira & terra illis minitantes fulmina. Sed noua ista Pontificum fulgura nos a recto tramite auertere non debent. Neque existimandum constitutionem terreni Regis solui ab Episcopis Romanis potuisse, vel hodie posse. Si enim Dei filius censum soluit, quis tu tantus fuisti Pontifex Romane, qui dixisti Regi Francorum non esse soluendum? Certe Rex iste a Deo solo pendet qui ideo *Dei gratia Francorum Rex* dicitur. At dicunt Iesuitæ, postquam Principes Christiani facti sunt, & sponte leges Euangelii susceperunt, continuo se tanquam oues pastori, & membra capiti Ecclesiasticæ hierarchiæ Præsidi subiecisse, & proinde ab illo iudicari, non in illum iudicium ferre posse. Verum Apostoli præceptum de obedientia Regibus præstanda non fuit ad tempus scriptum, sed in perpetuum, non sub conditione, sed pure & absque vlla exceptione, non quale illud, *hæreticum hominem deuita*, quod eatenus locum habere docuimus, si obstinato animo in errore permanserit, quod tamen si cōtingeret, tributum illi denegari nō deberet. Est enim perpetua Regis potestas, & maxime Regis Francorum, cuius imperio non modo laici subiecti sunt, sed clerici, vt olim erant sub Imperatorib. Romanorum. Nā vti Imp. Constantinus in causa Cæciliani Episcopi iudices dedit, teste Augustino *in Epistolis*: ita sæpius Reges nostri fecere. Sed priusquam dicamus quæ ab ipsis in Ecclesia gesta sunt, sciendum est quod ab Imperatoribus Romanorum, qui in Galliis regnarunt, tum quod a Regibus inter Christianos statutum est, non quidem in iis quæ ad impositionem manuum, consecrationem sacerdotum, & ordinationem spiritualem pertinent, sed ad politicam administrationem, quę in iis regendis versatur quæ temporalia vocamus, licet spiritualibus annexa: & quomodo sub eis vixerint Episcopi & clerici, quæ fuerit illorum authoritas, quam Romanus Pontifex in eos potestatem habuerit, denique quomodo legitimum ordinem & primatum in Ecclesia veteri consuetudine receptum approbantes, tyrannicis conatibus restiterint, vt inde quid agendum sit videatis. Primum cum de ordine inter Episcopos agebatur, Constantinus ille Magnus Ecclesiæ Romanæ præeminentiam sedis tribuit, quam Constantinopolitanus, Alexandrinus & alii sibi dari contendebant, vt Galliar. Regis procurator in *oratione contra Benedictum XIII.* qui se pro Pōtifice Romano gerebat, disertis verbis docuit. Latæ sunt etiam ab hoc Principe multæ de rebus Ecclesiæ Christianæ leges, vt & ab Honorio, Theodosio, Arcadio & aliis. Nolim negare inter eorum cōstitutiones leges aliquas de Religione per dissimulationem factas, quę non modo iniquæ verum etiam impiæ dici possunt, vt *l. Christianis C. de Pagan.* & alia cuius mētio fit in Concilio Africano, quæ liberam cuique facultatem concedebat, vt esset Christianus, aut non esset. At leges illæ ab Imperatoribus teneris & adolescentibus factæ sunt, queis erant tutores & impii & perfidi. Sed hoc Principibus legum ferendarum potestatem non abstulit. Deo enim permittente aliquando hypocrytæ regnarunt. Et hæreticorum errores, qui in Ecclesiam Romanam irrepserunt, non tam Principibus aut eorum consiliariis imputandi sunt, quam clericis, vt vere ac libere in Romanos dixit magnus ille Saluianus Massiliensis Episcopus lib. 5. de Gubern. Dei, *Etiam ipsa quondam hæreses Barbarorum de Romani magisterii prauitate fluxerunt.* Quod tum maxime contigit, cum Imperio cadente Pontifices capita sua extulerunt. Nam cum cæteræ nationes non haberent legem Dei, aut debilem & conuulneratam haberent, non habentes, quæ sic habebant a Deo excusatæ sunt, qui eis patientiam commodauit, quia vidit eos etsi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare, vti hodie multæ gentes quæ inofficiosæ sunt: sed illis hoc est summum religionis officium. Et ideo, loquit vir ille sanctus, *iusto iudicio illos patientia Dei sustinet, & non animaduersione castigat, quia ignosci aliquatenus ignorantia potest, contemptus veniam non meretur iuxta illud,* Luc. 12. *Seruus qui nescit voluntatem domini sui vapulat paucis: qui autem scit eam, & non facit, vapulat multis.* Sciuerunt Christi voluntatem multi Romani Episcopi: at scientes bona non bene egerunt, & discretionem recti ac praui cæli & mundi intelligentes, praua & immunda sectati sunt. Vtinam hi Theologiæ professores sacra tantum tractassent, vt Imperatores illi Arcadius & Honorius in *l. 1. C. Th. de relig.* statuerant,

rant, quoties de religione ageretur Episcopos iudicium ferre debere, cæteras vero causas quæ ad ordinarios cognitores, vel ad vsum iuris publici pertinent, legibus audiendas. At cũ Marcianus in *l. cum Clericis C. de Episc. & cler.* in iudicium vocatis parere dixisset Episcopalem audientiam, id est notionem in clericos & Monachus, postea in secularibus iuris dicendi potestatem sibi quærere conati sunt: apparitionem tamen & iurisdictionem maxime quod in ea extremũ est, non habuerant, sed magistratus eorum sententias exequebantur. Audientia vero illis permissa erat in causis religionis, vel in negotiis Ecclesiasticis aut inter consentientes, vti apparet ex *tit. C. Iustiniani de Episc. aud.* Et hæc inter volentes audiendi potestas in consequentiam postea tracta est, ita vt Episcopi iudicandi potestatem sibi vindicare voluerint, & ius creandorum Episcoporum absq; authoritate Principis. Sed Zeno Imp. Moggũ, absq; sua authoritate Episcopum Ecclesiæ Alexandrinæ factum, morte mulctari iussit. Et Rex Theodoricus Romæ Symmachum Papam multorum criminum accusatum ab Episcopali dignitate deposuit, & reditibus Pontificiis spoliauit, vt scribit Ennodius. Dein ipsemet illum restituit. Vnde iudicari potest, Principes Pontificibus, non Pontifices Principibus imperasse. Et ideo Anastasius Imp. Horsmidæ Papæ legatis Cõstantinopolin missis audacius loquentibus ita respondit, *Nos iubere volumus, & non nobis iuberi: Augusti est imperare, non Pontificis,* vt Henricus Erfordiensis, Sabellicus & Simoneta testantur. Sic Anastasius Pontifex a Iustino Imp. sua sede expulsus, ob nimis large distributas sacras pecunias, vt testis est Euagrius *lib. 5. ca. 5.* Postea Iustinianus in ciuilibus causis clericos ad Episcopalem audientiam remitti voluit, in criminalib. vero coram competenti iudice conueniri in vrbe C.P. & in prouinciis coram Præsidibus præterquã in Ecclesiasticis delictis, quæ secundum canones plecti voluit. In Galliis vero postquã Reges nostri Christiani facti sunt, Pelagius I. Romanus Episcopus legato Regis Childeberti Ruffino, qui ad eũ missus fuerat, confessionem fidei quam tenebat exposuit, & manus suæ ꝓfessione Regi significauit, nullam sibi reseruans in Francorum Ecclesias & earum Episcopos ac clericos iurisdictionem aut potestatem. Reges vero nostri, vti Domini, ita Ecclesiarum defensores & conseruatores fuere, easq; multis ornarunt priuilegiis. Quod summi imperii etiam in Ecclesiis euidentissimum argumentum est. Et quanquã Romani Pontifices etiã à principib. nostris rogati, vt de se dicit Gregorius, aliqua concesserint priuilegia, id eius imperii in Gallias, & in Ecclesias Gallicanas non tribuit. Equidem ex his concessionib. illi paulatim in Episcopos Galliarum quæsita fuit autoritas, vti postea docebimus, sed in his tãtum quæ ad ordinationem spectant, non ad rerum temporalium dominium. Quis n. probet quod Magnus ille Gregorius in Priuilegio, quod D. Medardo concessit, ita scripsisse dicitur? *Si quis Regum Antistitum, Iudicum vel quarumcunque secularium personarũ huius Apostolicæ authoritatis & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscunque sublimitatis vel dignitatis sit, honore suo priuetur.* Ecquis hanc illi concessit potestatem? Certè his comminationibus vti non debuit, quæ vim rei iudicatæ aduersus Principes nullo modo habere possunt, præsertim contra Regem Francorum. Et ipsemet Gregorius id satis agnouit, cum etiam in rebus ad Ecclesiasticam administrationem pertinentibus Imperatoris Mauricii leges obseruauit, quibus vetitum erat, ne milites, vel rationibus publicis obnoxii ad Ecclesiastica munera admitterentur, vt ipse refert in *Epist. 11. lib. 1.* Plenæ sunt aliæ eius Epistolæ aliis professionibus debitæ Regibus obedientiæ. Vnde Arnulfus Aurelianensis Episcopus Ecclesiæ Gallicanæ & Regii Francorum nominis vindex ac defensor acerrimus in Synodo Rhemensi, quæ regnante in Francia Rege Hugone Capetio congregata est, veterum iudiciorum in Episcopos Maiestatis reos datorum exempla proferens Aegidium Rhemorum Archiepiscopum ob infidelitatis in regem suum crimen apud Argentoratum depositum, & perpetuo exilio damnatum, & Arnulfum Lupi Ducis filium in eius locum substitutum docuit. *Nec, inquit, magnus Gregorius licet priuilegiorum Ecclesiæ Rom. defensor maximus, quidquam pro his vel contra hæc dixisse reperitur.* Et in Epist. 51. cum hic Pontifex pallium ad Episcopum quendam Gallum misit, *Absit, inquit, ne aut transitoriæ potestatis culmen aut exteriora cultus ornamentum in vicib. nostris aut pallio te quæsisse suspicer.* Tunc remãsit penes Reges nostros plena ac libera potestas in iis omnibus, quæ iam ad Ecclesiarum quam ad Regni administrationem pertinebant, excepta manus impositione & ordinatione spirituali, quæ singulis Episcopia in sua diœcesi & Metropolitanis in Episcopos competebat & Synodo Prouinciali in Metropolitanum & Episcopos. Et cum Imperator Phocas, Bonifacio III. Primatum, quem alii Imperatores concesserant, confirmauit, & ampliorẽ fecit, non tamen ille Pontifex in eos, qui erant imperio subditi, siue clericos siue alios vllam iurisdictionem exercuit. Et sane id facere non poterat, cum ei mandata ab Imperatore non fuisset. Et sub Vitaliano Papa licet annus tunc esset a Christo DCLXVI. qui *in Apocalypsi* notatus est, Reges ac Principes sua adhuc potestate vtebantur, vti Rex Theodoricus in Amaridum & Lambertum Episcopos in Galliis degentes. Sic eodem tempore Impp. Heraclius & Tiberius multa de rebus Ecclesiasticis & in laicos & in clericos statuerunt: & quæ illorum fuerit authoritas apparet ex *gestis in 6. Syn. Constantinop.* habita. Et licet nonnulli Principes authoritate sua abusi sint, vt Constantinus qui Monothelitarum errorem per Olympium Exarchum in Italia propagari iussit, & Rotharius Rex Longobardorum, qui duos Episcopos, vnũ Catholicum, alterum Arrianum in quaque ciuitate esse voluit: tamen potestate sua & summi imperii, quod illis competebat, iure non ideo priuati sunt. Vt n. venationes non ideo prohibendæ,

bendæ, nec literæ damnandæ, quod illæ Persicum, hæ Atheniensium statum male vtentium culpa perdiderunt: sic nec vitia Principum dignitatem Regiam suis ornamentis spoliant.

Regia Francorum potestas in Ecclesiasticos.

Itaque vt in Oriente Impp. sic in Francia reges potestatem suam perpetuo retinuerunt. Vnde Gregorius Turonensis scripsit Salonium & Sagittarium viros in Ecclesia dignitate illustres regis authoritate fuisse cõdemnatos, & veteri Frãciæ statuto, quod capitulum vocat Yuo Carnotensis in *epist. 194. & 195.* ii quos Princeps læsæ Maiestatis reos suæ mensæ participes faciebat, sacris interdici non poterant, quod & in Hispania seruatum patres Concilii Toletani XII. testantur. Erat enim is splendor in facie Principis, vt damnaret vel absolueret quos vellet. Et in crimine Maiestatis, vt iniuria ad reges pertinebat, ita in sua causa iudices erant. In hoc vero crimine id speciale semper fuit, vt character sacerdotii ipso iure deletus fuerit, vti plurimis SCis. iudicatum est: cum in cæteris criminibus pro ratione recepta sit Iustiniani Imp. Constitutio in *Auth. 123. de sanctiss. Episcop.* vbi Episcopus conuictum criminis clericum ab honore sine gradu quem habet separatum iudici debet tradere, qui ei vltionem inferat legibus congruentem. Sed quid pluribus opus est vt probemus leges a Principibus de politia Ecclesiastica latas? Nonne magnus ille Iustinianus in *Auth. 6.* statuit, ne vltra annum Episcopus extra Ecclesiam suam degat, nisi hoc per Imperialem fiat iussionem? & si maneat, inobediens expellatur à sacro Episcoporum choro? Hic etiã scripsit leges de Annatis & de Conciliis Episcoporum. Et eo imperante Papa Syluerius apud eum accusatus imperiali authoritate iudicatus est. Tum videlicet parebant Principib. Romani Põtifices, quemadmodum Agapetus ad illum Imp. Iustinianum à Theodato missus. Et circiter hoc tẽpus Reges & Reginas in Francia rerũ Ecclesiasticarũ curã habuisse apud Vincentium legimus: & authoritate regia leges in Ecclesia Gallicana factas veteres Synodi Gallicanæ testantur. Annales vero docent Simoniacã pestem a Batilda Regina extirpatam, & Francorum proceres Sigebrandi Episcopi superbiã moleste ferentes apud Regẽ de eo cõquestos esse. Et in *can. 44. Antissiodorensis Cõcilii* gloriosissimus dominus Rex mulcta instituisse dicitur contra seculares personas institutionem & commonitionem archipresbyteri sui audire differentes. Nonne etiam historia Francorum docet Amandum Episcopum a Dagoberto in exilium missum, & Lambertum Tungrensem iussu Chlodouei interfici iussum, quod liberius quam par esset loqueretur? An iure aut iniuria nostrum non est dicere. A summo n. Rege factum Dei iudicio reseruatum est. Nec ambigitur Principem & Senatum, qui summa authoritate sub eo fungitur, ita ius facere posse, vt etiamsi seuerius statutum foret, ius tamen dici debeat. Sic in Anglia Egisridus Rex Wilfridũ Episcopatu deiecit, teste Beda *lib. 4. histo. Eccles.* Sic alii multi Principes in Episcopos animaduerterunt. Quæ exempla profero, vt iurisdictiõnem in Episcopos & clericos Regibus competere demonstrem. Equidem cum ipsi inique indicarunt, Deus in illos iudicia sua exercuit, & hinc a tempore Heraclii eclipsis in Ecclesia fuit, vti eleganter dixit I. M. in *speculo Carmelitarum.* Sed hæc ad Deum referenda, nec hominib. licet de iis iudicium ferre, quod a cœlesti numinis vindicta expectandum est. In summa ea fuit potestas Principum in Ecclesias, vt non modo in personas ius dixerint, sed & ordinem inter Episcopos statuerint. Nam præterea quæ de Romano Episcopo notauimus, quemadmodum Iustinianus in *Nouella Constit. XI.* vt patriæ suæ honorem tribueret eius Antistitem nõ modo Metropolitanum, sed etiam Archiepiscopum fecerat, cuius authoritati Daciam mediterraneam aliasque prouincias subiecerat. Ita Carolus Magnus non modo Francorum Rex, verum & Hispanorum, in vrbe Compostella Ecclesiam Iacobi aliis omnib. superiorem fecit, eique totam Hispaniam & Galliciam submisit, & a singulis domib. quatuor nummos annuos pendi iussit. Post ex Hispaniis reuersus Parisiis in Synodo ordinauit, vt omnes Episcopi Franciæ & Parisiẽsis Ecclesiæ Episcopo subessent, & Lutetia, quasi Roma in orbe Francorum esset; quod ideo statuit, quoniam vrbs illa imperabat. qua etiam ratione idem a Iustiniano Imperatore sancitum legimus de Romanæ vrbis Episcopo, vt primus sacerdos esset *Auth. 123. & in l. nos reddentes Cod. de summa Trin. & fide Catholic.* & de Constantinopolitano in *l. 24. Constantinop. C. de Episc. & cleric.* in Concilio primo C.P. & in Chalcedonensi, in quo 630. patres testati sunt, ideo prærogatiuam eandem Constantinopolitanæ vrbis vt nouę Romæ Archiepiscopo fuisse cõcessam, quæ Romæ veteris Episcopo tribuebatur, vti pastori vrbis regnantis (sic enim Roma appellatur in *Historia Ecclesiastica.*) Notæ sunt aliæ Caroli illius Magni leges, ne liberi homines sine licentia Regis Monachi fieri possint. Et aliæ constitutiones quæ extant in capitulis nuper editis. Sed hic notare sufficiet quod ex Annalibus nostris colligi potest de iurisdictione Regis istius in Romanum Pontificem. Iuit enim Romam, vt Leonem Papam iudicaret, & ibi illi obiecta crimina discussit. Nec ciecrauit Pontifex, nec se nolle Iudicem Regem Francorum dixit. Ille erat Leo Pontifex, qui coronam imperialẽ capiti Caroli imposuit, & eum more antiquorum Principũ adorauit, vt Sancti Eparchii Engolismensis Historicus testatur: cuius adorationis imperator gratias habens, post paucos dies iussit eos, qui Papam dehonestauerant, exhiberi, qui habita decies quæstione, secundum legem Romanorum, vt Maiestatis rei capite damnati sunt. Post idem Imperator ordinatis vrbis Romæ & Papæ, quem *Apostolicum* vocabat, rebus, totius Italiæ non tantum publicas, sed etiam Ecclesiasticas & priuatas res disposuit. Et tam sanctæ fuerunt huius Principis leges, vt etiam a Romanis Pontificibus in decretalium libros transcriptæ sint, quemadmodum videmus in *c. 1. tit. de censib.* Post Carolum Magnum Ludouicus Pius eius

ferunt, neque per se, neque per missam, neq; per literas, neque per emissam seu intromissam personam, vel quacunque modo ac significatione contra Regis honorem & suam ac Ecclesiæ & Regni illi commissi quietem & tranquillitatem ac soliditatem machinaturos, vel machinanti consensuros. Tūc & laici & Clerici Regibus Francorum parebant, & Regii Iudices lites eorum dirimebant, atque in negotiis Ecclesiasticis Episcopi ipsorum auctoritate congregati. Sic in *libellis proclamationis* regis istius Caroli Calui contra Wenilonem scriptum est, ab eo fidelitatem sacramento Regi promissam, quam & alii spoponderunt. Nec iusiurandum Rom. Pontifici fuit ab eis præstitum. De negotiis vero Ecclesiasticis acturi patres Synodos authoritate regia contrahebant. Certe Nicolaus I. Papa Romanus in Episcopos aliquot Franciæ iuris dicendi potestatem vsurpare conatus est, vt discimus ex *caus. 9. quæst. 3. cap. conquestus*, cum Sigedodus Narbonensis Archiepiscopus querelam aduersus Rodulfum Bituricensem proposuisset, quod Rodulfus Clericos Narbonenses ad iudicium suum venire compulisset. Et ait Gratianus, illum Pontificem Niceni Concilii regulas seruandas dixisse, hac tamen exceptione addita, (si fides ei qui recitat adhibenda est) præterquam *si Apostolica sedes aliquam Ecclesiam vel ipsius rectorem quolibet speciali priuilegio decreuerit honorare.* Verum hæc exceptio falsi valde suspecta est, aut si eam pro vera habere volumus cum Niceno Concilio sit contraria, & penes sedis Apostolicæ Romanæ pontificem summam velit esse potestatem, nullius momenti esse debet: Et si Nicolaus regulas Nicenas ab aliis obseruandas dixit, quod quisque iuris in eos statuere voluit, eodem ipsum vti oportuit, non de finibus inter Episcopos huius Regni cognoscere: cum hæ controuersiæ vel in Synodis authoritate Regia contractis, vel a Iudicibus Regiis terminandæ forent secundum Bonifacii Papæ constitutionem ad Gallos, quam refert Gratianus in *cap. decernimus 3. q. 9.* his verbis, *Decernimus vestrum debere inter prouinciam esse iudicium*, vbi, *vestrum*, legendum est, non *vestram*, vti habent corrupti a Romanis Codices. Hoc enim Gallorum ius ex Synodo XII. Prouinciarum apud Tullensem prouinciam habita, manifeste apparet (quæ *vniuersalis* a patribus appellatur) vt Salomoni, qui tunc Britannorum tenebat regionem (quam Armoricam vocant) suggereretur, vt permitteret totius Britanniæ Episcopos debitam reuerentiam Metropolitano inferre, videlicet Turonensi. In hac autem Synodo de Romano Pontifice nullum verbum. Et a Concilii patribus monitus fuit ille Salomon Armoricus, vt consideraret quanto animæ suæ periculo Britannorum dominationem inuaserat, cum domino Regi Carolo fidem prius iurasset: & vt recordaretur gentem Britannorum Francis ab initio fuisse subiectam, & statutum pendisse tributum, ac per hoc non dedignaretur ad nuper obmissam reuerti cōsuetudinem. Quæ hic notanda censui, quia volebat hic Salomon & Britanniæ Prouinciæ vrbes, & Ecclesias, illas Regi Francorum, has Metropolitani iurisdictioni subtrahere. Quod minus pie ab eo factum, a Concilio iuste reprehensum est. Hæc erat illius Synodi autoritas, quæ de finium controuersiis inter Episcopos & Metropolitanos Franciæ cognoscebat. At obiiciunt Romani *Cap. Hac quippe causa 3. q. 6.* vbi Nicolaus Papa Salomoni illi Regi Britonum scripsisse dicitur, *vt ad Turonensem Archiepiscopum omnes Episcopos regni sui mittere non detrectaret, cum is Metropolitanus esset, omnesque Regni illius (si ita vocari debeat) Episcopi ipsius suffraganei: & ideo, inquit, cum coram designato Turonica Ecclesiæ præsule, & integro numero collegarum id est XII. Episcoporum celebrato conuentu fuerint electi Episcopi regulariter examinati, apparueritq; quod canonice fuerint electi, Episcopis ipsis in sua deiectione manentibus, qui in locis eorum consecrati sunt, poterunt vtique Episcopatus honore potiri.* Mox summam sibi potestatem vendicans hæc adducit, *Quod si ad Turonensem Archiepiscopum præfatos Episcopos mittere dedignaris, studeas duos Episcopos de expulsis, & duos de subrogatis, vna cum Ecclesiæ tuæ legato ad Apostolicam beati Petri sedem transmittere, vbi digna examinatione præmissa, qui legitimi Episcopi sunt appareant, & suas Ecclesias irregulariter non amittant.* Videte Gallo-franci quanta fuerit huius Pontificis astutia, qui vt iuris dicendi potestatem in Francos & Britannos vsurparet, causam ad se euocauit, quæ alibi quam in Franciæ partibus agitari non potuit, vti in illo XII. prouinciarum Concilio agitata & terminata fuerat. Tum Franciæ Episcopi & Clerici Regibus iuramentum præstabant. Romani quoque Pontifices Imperatoribus, vt Formosus Arnulpho, Deum testē faciens & per diuina mysteria obtestatus se illi fidum fore, neque auxilium aut fauorem Lamberto aut eius matri præstiturum, licet Romani id indigne ferrent, qui tyrannidem in Ecclesiā Christianam semper inuehere conati sunt. Et postea tanta fuit Imperatorum in Pontificem Rom. authoritas, vt Iohannes 13. aut 14. ab Othone Imp. depositus fuerit. Nec enim Pontificis illius ea potestas erat, quam postea quidam vindicare conati sunt, nimirum regna conferendi. Quod ex *Deus dedit Papæ vita* cōstat, qui, cum Poloni coronam ab eo dari Principi suo postulassent, eam concedere noluit. Nec credo quod quidam dixerunt, ipsum id quod petitum ab eo fuerat denegasse, quod nihil ei oblatum fuisset. Siquidem historici illum modestum & integrum ac vitæ & scelerum purum fuisse testantur, nec vllam iniuriam ab eo cuiquam, vel ipsi ab vllo fuisse illatam: quem vtinam secuti fuissent Benedictus VIII. & Ioannes XXI. qui quoniam aliter, ideo male fecerunt. Reuertamur ad Francos. Fuit hæc quondam maiorum nostrorū virtus, vt solum Principem, in iis quæ ad temporalia pertinent, agnoscerent. Et vt hodie in possessorio beneficiorum Ecclesiasticorum soli Iudices laici notionem & iurisdictionem habent, sic habebant sub Carolo Simplice, cum lis inter Hilduinum & Richarium de Episcopatu Tūgrensi mota esset. Rex enim (inquit Frodoardus in *Chronico* suo) illum Episcopatum Richa-

rio dederat, quod Hilduinus, cui prius concesserat, ab eo desciuisset. Et licet eligente clero ac populo, necnon fauente Gisleberto Lotharingiæ Duce (quem perfidi Lotharienses Principem relicto Rege Carolo contra ius Francorum delegerant) Hermannus Archiepiscopus Hilduinum ordinasset, Carolus reuersis ad se Lotharientibus & ipso Gisleberto Richario Abbati nō Hilduino Episcopo illum Episcopatum cōseruauit. Sane quod a Rege Carolo factum a Ro. Pontifice adprobatum Flodoardus scripsit. Nam Richarius, inquit, anno DCCCCXXII. Romam profectus propter Episcopatum Tungrensem reuersus ordinatus fuit. Sed hoc ille historicus addidit, vt Romano Episcopo faueret, vel, si verum dicit, nos adserere possumus approbationem istam non maiorem vim habere, quam confirmationem inutilem: quia quod Rex suo & communi iure in Gallia concesserat, Romani Episcopi authoritate & rescripto non indigebat. Sed erant tunc omnia in Francia (vti nunc) bellis & seditionib. plena: & Episcopi contra Reges armati Romam ibant ac Pontificium auxilium implorabant, vt Romani Pontificis fœdere cum illis inito, causam ipsorum aduersus eos, quibuscum illis bellum erat, fouerent: & tunc, cadente regia dignitate, Pontificia crescebat. Nec tamē ita aucta est, quin penes Reges remāserit, qui regia potestate recte vti sciebant. Sub illis siquidē Episcopi Franciæ in regno, & ab Episcopis regni, authoritate regia congregatis, iudicari suot. Ita sub Rege Hugone Capetio, qui Arnulphum post Adalberonis Remensis Episcopi obitum ab Adalberone Laudunensi consecrari iusserat, vt hoc beneficio illum deuinctum haberet, cum Arnulfus ille, qui iuramēto Hugoni & Roberto regibus præstito se puram fidem illis seruaturum promiserat, vt constat ex chirographo quod extat in c. 8. *Synodi Remis* cōgregatæ, ad regis Hugonis aduersarios transfugisset, in Synodo repræsentatus ac depositus fuit, vti Gerbertus (qui postea Pontifex fuit) Othoni Imp. scripsit ex rerum gestarum fide. Et notandum maxime, quod in illa Synodo Arnulfus Aurelianensis Ecclesiasticæ libertatis defensor integerrimus grauissime dixit, non expectandam Ro. Pontificis sententiam. Quod multis rationibus confirmauit. Et quoniā quidā dicebant ex sententia Gelasii Papæ Romanam Ecclesiam de tota Ecclesia iudicare, Papam vero ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam sententia iudicari posse: ipse respōdit, *Africanos Episcopos id impossibile iudicasse, nisi forte,* inquit, *quisquam est qui credat vni posse dominum nostrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in Cōcilium sacerdotib. denegare.* Tum addidit exemplum D. Petri qui licet loco prior, at scientia inferior erat: & ideo D. Pauli iudicium non abnuit in faciem sibi resistētis. Adiecit, Gregorium equidem in sua causa iudicantem dixisse, inuolutum criminibus Episcopum Romano Pontifici subiectum: quod an indefinite verum sit, multi dubitant: at certe eum, qui aggrauatus non est, parem dignumq; se ac Romano Pontifice in omni negotio laturum sententiam. Hæc dicebat ille sanctissimus Aurelianensis Episcopus, qui tamen non fuit hoc nomine hæreseos accusatus, sed ne quidem suspectus. *Et licet,* inquiebat, *Damasus Papa, cum Episcoporum summa negotia Metropolitana discutienda commisisset, definitionem eorum suæ potestati attribuerit, illi,* inquit, *non resistimus.* Tum authoritatem Hugonis profert in depositione Pauli Theatinæ ciuitatis Episcopi, quam se ignorante factam non modo ipse suo iudicio confirmauit, verum etiam grauius in depositum animaduertit. Nimirum si ab Episcoporum sententia appellaretur, intelligebat vir ille prius, iudices in partibus, nō extra regnum, a summo Pontifice dandos, secundum ordinem prisco more seruatum. Et si aliquando à Romano Pontifice iudicium Romæ datum est, id raro contigisse, & a Francis haud probatum. Quod si probarunt, non tamen ea lege id fecisse, vt semel vel bis factum ad consequētias trahi posset. Quod Ægidii Remensis Archiepiscopi & Ebonis, qui illi successit, exemplis confirmat, in quorum primum lāta est sententia in Synodo Metensi sub Rege Chilperico: alter, sub Ludouico Pio, ob crimen læsæ Maiestatis, apud Theodonis villam, a Galliæ Episcopis depositus est: longeq; post a Nicolao Papa, qui de omnibus causis cognoscendi ius sibi vindicabat, requisita & cognita hæc depositio, & a Sergio corroborata. Sed vt Pontificum mos est, quæ ab Episcopis authoritate ordinaria fiunt, quantum in eis situm est, conuellere, ita Ioannes a Gallo-francis in causa Arnulfi gesta quasi iniuriā sibi allatā ad animum reuocans, Synodum nouam indixit primum Aquisgranum, post Mosomium. Quo vnus e Gallo-francis Gerbertus profectus fuit, at cum magna pars Lotharingorū & Germaniæ inferioris prælatorum conuenisset, & Leo sancti Bonifacii Abbas cum magno Italorum Abbatū numero, Gerbertus præcedentem Synodum rite congregatam & omnia in ea recte gesta exposuit.

Papa nihil iuris habet in Francia

Scio postea aliquot Pōtifices ius & authoritatem in reges nostros sibi quærere voluisse. Inter quos Victor II. Rhemensi Archiepiscopo ius regis Francorum vngendi tribuere ausus dicitur, quasi id posset facere quod & antea quidam ab Hormisda concessum dixere. Sed id certum authorem non habet, & si res est gesta certe haud legitima isthæc concessio fuit, cum hoc a regibus solis & statui & cōcedi potuerit. Etenim præter ea quæ diximus de regis Caroli Calui consecratione a Wenilone Senonensi Archiepiscopo facta, ius istud consecrandi & illius prærogatiuā nulli Episcopo a Romano Pōtifice dari potuit, vt sub Ludouico Crasso recte cōtendit Yuo Carnotēsis. Sed nil non fecerunt Pontifices, vt non modo in spiritualem Episcoporum gubernationem, at etiam in terrenam regis Francorum dominationem ius possent acquirere. Quod tamen eis non profuit, quoniam reges & eorum Cōsiliarii eis restiterunt. Certe Nicolai II. Pontificis legati vnctioni Philippi I. Regis Francorum adhuc septennis a patre Henrico

rico ſenio confecto ſucceſſoris deſignati interfuiſſe dicuntur, cum Geruaſius Rhemenſis Archiepiſcopus illum ſacroſancto & cœleſti oleo conſecrauit. Sed hæc legatorum præſentia, qui conſecrationi iſti fortuito interfuerunt, nec erat neceſſaria, nec regis Francorum vngendi ius ad Pontificem Romanum tranſtulit: & ſane vnctio ab eius authoritate non dependet, ſed ab ordinaria, quæ penes quemq; Franciæ Epiſcopum ab initio fuit, nunc penes Rhemenſem, vti diximus, ex longiſſimi temporis præſcriptione. Nec obeſſe potuit regi Francorum, quod ab Alexandro II. Papa factum eſt exemplo Clementis 2. Victoris 2. & Nicolai 2. vt imperiũ in regni Franc. ſubditos ſibi & ſucceſſoribus acquireret. Is monitus ab Oderico Vindocinenſis monaſterii Abbate circiter annum Chriſti MXL. à Gaufrido Andegauorũ Comite & Agnete Pictauienſium Comitiſſa monaſterium in honorem Trinitatis apud caſtrum Vindocinum fundatũ fuiſſe, & a Nicolao 2. ſpeciale priuilegium conceſſum præter ea quæ a Clemente & Victore indulta fuerunt, hoc addidit, nimirũ vt inter ſedis Apoſtolicæ Pontificẽ & Abbatẽ illius venerabilis loci nulla prorſus perſona media habeatur: & quoniã beato Principi Apoſtolorum Petro eiuſq; ſucceſſorib. in alodium ꝓprium bona a Gaufrido & Agnete collata erant, Eccleſiam beatæ Priſcæ in vrbe Romana cum dignitatẽ Cardinali, ſancti (vt ait) ſpiritus indicio; Oderico Abbati decernens ſtatuit, vt nulla niſi ſolius Papæ perſona poteſtatem aut dominationẽ aliquã in illo cœnobio exercere auderet, vel pro eius loci reb. Abbatem, quẽ alodiariũ beati Petri vocat, ſiue fratres ſollicitare contenderet, ſed ſi quis contra eos cauſari vellet, Papæ præſentia requireretur. Hæc ſunt priuilegii verba ꝗ in Vindocin. monaſterii librario vidimus. Ex quibus perſpici poteſt, q̃ fuerint blãditiæ, quæ perſuaſiones, quæ artes, quib. huius Eccleſię fundatores inducti & a ſuis proditi fuere. At quemadmodũ Odericus Abbas a Franciæ territorio & iuriſdictione regia eximi non potuit, ſic Gaufridus Andegauenſis Comes & eius vxor Regis Francorum Henrici I. authoritati dediti, nec ſe, nec ſua Romano Pontifici mancipare potuerũt: nec etiam Oderici Abbatis ſucceſſores, qui ſub Paſchali II. Papa Rom. idẽ fecerunt. Certe dici poteſt & Odericum & Abbates qui ita vixerunt patriæ proditores fuiſſe, vt a quibuſdã ſcriptum fuit, & id veriſimile, quia ſe in Rom. Pontificis clientelam contulerunt contra veterum Gallicanæ Eccleſiæ Synodorum ſtatuta, quibus ſe Regi & patriæ totos dedere, & in illis ſua omnia ponere & quaſi conſecrare debuerant. Verum neq; regni legib. nocere potuerunt, neq; ſe ab ordinaria Epiſcopi Carnotenſis iuriſdictione liberare. Ex Theodorici Epiſcopi, quẽ huic priuilegio conſenſum præbuiſſe dicunt, literis iuuari non potuit illius monaſterii Abbas, cum Theodoricus iuri ordinario & ſucceſſorum hac in parte renunciare, & illud in Eccleſiæ præiudicium & detrimentum inſuper habere non potuerit. Itaque geſta ab illo Pontifi. e nobis nocere non poſſunt; vt nec ea quæ contra Henricum IV. Imperatorem a Gregorio VII. & contra Regum Franciæ & aliorum authoritatem facta legimus, quæ recitata ſunt in libro *de vnitate Eccleſiæ cõſeruanda*, qui eius tempore ſcriptus fuit: neque etiam quod ſcriptum eſt in *tit. de cretal. de iureiurando*. Nec etiam authoritatem regiam minuunt, nec ordinariam Epiſcoporum poteſtatem, nec Metropolitanorũ Eccleſię Gallicanę ab Vrbano II. in Francia geſta. Hic Turbanus à quibuſdam actus, ꝗ omnia turbaret; iuriſdictionem in Godofredum Carnotẽſem Epiſcopum ſcortorum & adulteriorum accuſatum vſurpans, eum depoſuit, & in eius locum Yuonem D. Quintini Abbatem ſubſtituit. Vnde Galliæ Epiſcopi grauiter indignati, quod Gofredi cauſa ab ordinariis in Francia iudicari debuiſſet, neque Pontifex Ro. de illa cognoſcere: ſaltem ſi ꝗ illi iudiciorum ordinẽ relinquendum, & ea lege, vt iudices in partibus ab eo delegati, cognoſcerent. Itaq; Richarius Senonẽſis Archiepiſcopus & Metropolitanus interceſſit, neque Yuonis ꝓmotionem & conſecrationem approbare, nec illum Epiſcopũ agnoſcere voluit. Et Epiſcopi Pariſienſis, Tricaſſinus, & Meldenſis cum Metropolitano conſpirantes Gothofredum ſedi ſuæ reſtituere tentarunt: a quibus Yuo ad Papam appellauit. Et quamuis obtinuit, tamen cauſa cecidiſſet, ni appellatio Romæ fuiſſet recepta conniuente Philippo Rege, qui verebatur ne coniugiũ, ꝗ cum Bertrada inierat, diſſolueretur. Fecit & alia iſte Pontifex Vrbanus II. vt ſibi poteſtatem in Eccleſias Gallicanas vſurparet, vti cum priuilegium Eccleſiæ D. Martini Turonẽſis cõceſſit. Sibi n. Epiſcopatum vindicauit, forte ſub prætextu canonis illius Cõcilii Niceni (quem D. Auguſtinus a ſe diu ignoratum dicit) quo prohibitum eſt, ne duo Epiſcopi in eadem ciuitate ſint. Tum a Pontificib. Romanis permoti multi Clerici ſeſe a poteſtate regia ſenſim eximere & ſubtrahere conabantur. Sic Ludouico 6. cognomento Craſſo regnante monachi D. Dionyſii Sugerium Abbatem elegerunt. At hoc Regi diſplicuit, quamuis Sugerius illi gratiſſimus, & ab eo Romam miſſus (quem & poſtea Rex Ludouicus iunior ab eo educatus Proregem in Francia conſtituit, qui vulgo *Regent* dicitur. Et cum alii eodem ſeculo, Bernardi, qui Pontificiam poteſtatem nimis acriter defendebat, cõſilio Regi iſti obſequiũ præſtare nollẽt, is eorum reditus in fiſcum cogi iuſſit, ꝗ in perduelles hodie fieri debet. Quod & in Anglia feciſſe dicitur Rex Henricus, cum Thomas Cantuarenſis Archiepiſcopus Regiæ poteſtati, pluſquam debuit, teſtitit. Et ſi illo ſeculo Yuo Carnotenſis in Gallia nõ vixiſſet, certe multa in Eccleſia orta fuiſſent mala. Nam cum permulti ſub Philippo Rege & Ludouico illo Craſſo eius ſucceſſore patrum terminos egreſſi iniuſtis conatib. Regiã authoritatem opprimere conarentur, Yuo ille ſanctus eorum vim repreſſit, & ad Papam Paſchalem ſcripſit, ipſi conſulens, & ab eo petens vt ſtatũ Eccleſiarũ, qui CCCC. annis ferme durauerat, inconcuſſũ

manere concederet, ne hac occasione schisma, quod erat in Regno Germanico, aduersus sedẽ Apostolicam in Galliarum Regno suscitaret. Vtinam eadẽ prudentia præditus fuisset Archiepiscopus ille Cantuariensis, nec vllos in Ecclesia motus excitasset. Vos itaque Gallo-franci habetis Yuonem Carnotensem, quem imitemini, qui noluit quidem ingrato animo Pontificem Rom. spernere, a quo extraordinaria (si ita loqui liceat) gratia Episcopatum suum consequutus fuerat: noluit etiam Regem Francorum Principem suum, nec iura Regni, neĉ libertatem Ecclesiæ Gallicanæ prodere: sed prudenti cõsilio scribẽs, & Regi suo & Pontifici Ro. & Ecclesię vniuersæ gratus fuit, vt & grati fuere alii pii Episcopi: qualis tunc erat Aruernensis, quẽ Rex ille iustissimus contra Aruernorum Comitem & Poligniaci Vicecomitem, vim ei inferentes, defendit. Illi etiam summam Regis potestatem in rebus terrenis fatebantur. Sic D. Bernardus licet primis annis, quibus Claræ Vallis Abbas erat, vehementior quam par fuerit, cum in Regno Francorum & natus & educatus sub bono Rege viueret, summum eius imperium agnoscens ad Eugenium Papam lib. 1. de consideratione sic scripsit: *Habent hæc infima & terrena iudices suos Reges ac Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? In criminibus non in possessionibus sedes vestra.* At dicunt Iesuitæ ex eiusdem Bernardi verbis colligi posse, quod (vt loquuntur) Pontifex Romanus directe non potest, illud indirecte posse. Hæc sunt eius verba. *Sed aliud est incidenter excurrere in ista, aliud vero incumbere istis tanquam dignis tali & talium intentione rebus.* Nos respondemus, verba ista non aliam sententiam habere, quam Propheticas admonitiones & comminationes, quæ Dei iudicium in Reges legis sacrosanctæ contemptores prænunciabant. Sed aliud est *prænunciare*, aliud *pronunciare*. Prænunciant Prophetæ, pronunciant iudices. At Papa Rom. vel alius Episcopus sese Regum, maxime Regis Francorum, iudicem dicere non potest, præterquam in spiritualibus, ex ordine in Francia seruato. Nec in Francia pro lege habetur Constitutio Lucii 3. in *capit. cum sit generale, ext. de foro compet.* vbi ait sacrilegos coram Ecclesiastico iudice conueniri posse, quia seculares iudices sæpe in iudicio sunt remissi. Siquidem si Clericus actor sit, forum rei laici sequi debet: si vero sit reus, tum ad secularem iudicem pertinet prima cognitio, prehensio, & interrogatio & prouisionis necessariæ adiudicatio etiam in Clericos, vt deinde ad forum Ecclesiasticum remittantur, exceptis casibus, quos *priuilegiatos* vocamus, vt ex vsu docuit vir * doctus in suis ad illud *capitulum notis*. Nec probatur etiam in hoc Regno constitutio Cælestini 3. in *capite quod Clericus, eodem titul.* vbi Pontifex mandat pecuniarias causas Clericorum Parisiis commorantium secundum ius canonicum terminari. Et Episcopus Parisiensis, cui Pontifex rescripsit, nullam habet in his causis iudicandi potestatem, præterquam in ea iurisdictione, in qua iudices Regiæ authoritati subiectos dare debet, quorum appellationes ad Regia tribunalia deuoluuntur. Itaque Regia iurisdictio & authoritas a nobis seruanda est, præsertim in iis quæ in temporalibus consistunt, cum etiam in Ecclesiasticis negociis Innocentius 3. Papa Lucii successor factum in Reginam Franciæ compromissum adprobauerit in *cap. dilect. de arbitr.* quoniam inquit: *fœmina præcellentes in partibus Gallicanis iurisdictionem ordinariam habere noscuntur.* Quod hic non profero, quasi Innocentii rescriptum quasi legem allegari debere existimem. Nihil enim addit, nihil minuit: & si compromissum, quod propriis viribus consistebat, Papæ sententia confirmatum est, ista confirmatio illi ius in Francia nullum dat, vt neque quod idem Innocentius rescripsit in *ca. nouit. de iudic.* vbi sese iudicem constituens inter Francorum & Anglorum Reges, Archiepiscopum Bituricensem delegauit, quod sine iure & sine more ab eo factum: aut si quid ei cõcedamus, certe licet dixit legem factam ab Imperatoribus Valentiniano ac Theodosio & Carolo, a quo dicit Regem Francorum, qui tunc viuebat, descendisse, & ab iis sancitum, vt quicunque litem habens iudicium elegerit sacrosanctæ sedis Antistitis, illico ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur: ab ista lege, quam præter Innocentiũ retulit Gratianus in *caus. 11. q. 1.* (quæ à Iustiniano abrogata ab Imp. Carolo Magno reuocata est) Principes semper excepti fuere. Et ea in desuetudinem abiit, nec in Francia nec alibi seruatur. Sane nonnulla existunt Innocentii huius III. Papæ rescripta, quæ pro ratione in Francia & citari & seruari debent, nõ pro lege: quale est *c. ex parte, de verb. sign.* vbi excommunicatus vel interdictus ob contumaciam vel offensam dubiam, absoluitur præstita cautione iudicio sisti: & aliud in c. cum olim eod. tit. vbi Blesensi Comitissæ scribit de canonicorum Carnotensium priuilegiis, quib. contendebant nemini licere excommunicatis, vel nominatim interdictis, propter iniuriã eis illatã, absq; congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere, & eam offensam manifestam dicebant, non quæ iudici, nec quæ alii, sed quæ ipsis videretur: ita demũ manifestam videri debere quæ vel per confessionẽ, vel per probationẽ legitime nota foret, aut euidẽtia rei, quæ nulla posset tergiuersatione celari. At obiiciunt, qui iurisdictionem Pontificis Romani in Galliis prorogant, Innocentii 3. sententiam in controuersia illa nobili, quæ inter Archiepiscopum Turonensem & Episcopũ Dolensem in Concilio 12. prouinciarũ apud Turonensem prouinciã CCC. vel eo amplius annis terminata fuerat, vt dicit Matth. Paris *in historia sua*, quæ *maior* vocatur, vbi ait hunc Papam, quem Magnum in sciẽtia vocat & iurisperitum audacẽ, postquã pro Archiepiscopo Turonensi iudicasset, hæc verba sententię suæ addidisse. *Doleat Dolẽsis & gaudeat Turonẽsis.* Verũ huius cõtrouersiæ notio ad eũ nõ pertinebat, vt neq; ad Nicolaum I. vti supra docuimus, sed ad Gallicanæ Ecclesiæ Episcopos in Synodo authoritate regia

* Molinæus.

congre-

congregata. Addunt Jesuitæ, vt authoritatem Pontificis ad temporalia extendi etiam in Fràcia probent, id ab Innocentio isto III. nominatim scriptum in *c. per venerabilẽ, Qui filii sint legitimi* vbi in sua causa iudicans ait, videri Apostolicam sedem plenam authoritatem habere confirmandi status illegitimorum liberorum, sed hoc dubitanter asserit, & ius tantum penes sedem Rom. esse affirmat, in beati Petri, vt vocat, patrimonio, vbi libere id efficere potest, cum ibi summi Pontificis exerceat authoritatem, & simul Principis exequatur potestatem. Et Panormitanus ait, *id quod indirecte in alieno territorio Pontifex ad se pertinere dicit sine scrupulo non esse.* Sane iste Pontifex, quantum potuit, Pontificiam dignitatem extulit, vt in *ca. solita de maioritate, & obed.* vbi hæc ab Imperatorem Orientis scripsisse dicitur, *Quanta est inter Solem & Lunam, tantam inter Pontifices & Reges differentiam cognosci: hac autem (inquit) si prudenter attenderet Imperatoria celsitudo,* non faceret aut permitteret C. P. Patriarcham, magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, iuxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere, cum alii Reges & Principes Archiepiscopis suis (sicut debent) reuerenter assurgãt, & eis iuxta se venerabilem sedem assignent. Dum hæc recito memoria repero, quæ in Nicetæ Choniatæ *Annalibus de reb. gestis sub Andronico Imperatore* scripta sunt. Andronicus, inquit, Annam Imperatoris Alexii sponsam Regis Francorum filiam matrimonio sibi iunxit, nihil veritus quamuis senex ac effœtus victo & caduco corpore sobrini vxorem adolescentulam roseam & tenellam, nondum annos XI. natam per nefas amplecti: cuius nefarii voti compos factus a Patriarcha suo & Concilio aliã gratiam petit, vt iureiurando quod Imp. Manueli & infelici eius filio dederat soluerentur, ac cæteri vna quos sacramenti cœperat obliuio. Illi vero, quasi absque vllo discrimine & vinciendi & soluendi potestatem diuinitus accepissent, statim literis palam affixis impunitatem scelerum perfidis concesserunt. Andronicus autem Pontificibus illis iurisiurandi sacrosancti solutoribus quam gratiam retulit? Ea fuit vt quædam leuicula eorum postulata fierent: maximus vero is honos, vt subselliis ad solium Imperatoris collatis ei adsiderent, qui cum paucos dies durasset, vmbra potius honoris, quam verus honos materiam eos ridendi præbuit, pristina consuetudine reuocata instar vi curuati ligni, a quo licet natura expulsa sit, tamen postea recurrit: imo ea res multum eorum dignitatem imminuit. Nam Andronicus vir omnium mortalium leuissimus & in actis suis parũ sibi cõstans, Põtifices illos in splendido solio sedens facile ad latus suũ non admittebat, sed cubito pellebat. Ita qui paulo ante Imperatoris consessu gloriabãtur, idq; sibi præmium vt fidelibus ministris datum verbis Dauidicis iactabãt: tum inuolutis capitibus recedentes sui ipsi miserebantur, quod iis solutis quæ soluenda nõ essent, à Deo defecerant, & derisorem Andronicum frustra coluerant. Vnde Innocentius III. Romanus Pontifex, cuius postea opem implorarũt, in illa *decretali* quam recitauimus ab Imp. C.P. Andronici successore petiit, vt is honoris locus antistitibus ab eo concederetur, quem ab aliis datũ dicebat. Sed quis dicat hunc Pontificem in sua causa iudicare potuisse? Non omnibus probatur constitutio de Patriarchis ab eo scripta in *c. duo simul. tit. de offic. iud. ord.* vbi de caussis eorum qui Archiepiscopis subditi sunt, vel Episcopis, Patriarchas cognoscere non debere statuit, præterquã per appellationem, *Nisi (inquit) sedes Apostolica aliquã Ecclesiã vel Rectorẽ ipsius quolibet speciali priuilegio decreuit honorare.* Statutum enim laudant, sed improbant exceptio: vt & piis placere non possunt priuilegia regulis Nicenis contraria: quemadmodum illud, quod istius Innocentii III. Papæ rescripto Papę Rom. tribuitur in *c. proposuit tit. de cõces. preb.* vbi ait se de plenitudine potestatis de iure supra ius dispensare posse. Et aliud, quo dixit Episcopos qui a Metropolitanis consecrãtur non posse nisi a Romano Pontifice condemnari in *ca. inter corporalia de translat. Episcop.* quod licet nonnulli legi inter *capitula C. Magni, L. Pii* & aliorum qui illis successerunt descriptæ simile esse dicant, tamen aut ea lex obsoleta, aut falsi suspecta est: & aliter Gallo-franci vixerunt. Lõge vero melius & sanctius ipsemet Innocentius quam in illo *ca. inter corporalia* in alio rescripto, nimirum in *cap. irrefragabili eod. tit.* in Concilio generali rescripsisse dicitur subditos Episcopis ab iis corrigendos, & si qui per capitulum emendari consueuerint, cessante capitulo ab ipsis Episcopis puniendos. Et nos ex veteri iure dicimus Episcopos a Metropolitanis primum, dein si prouocent a iudicibus in Synodo intra partes regni iudicandos, qui certe a Rom. Pontifice in regno delegandi sunt, quod ratione ordinis fieri oportet, dummodo Papa potestate sua nõ abutatur. Quod vero in *cap. dilectis* de lege diœcesana, & de lege iurisdictionis scripsit ad monasteriorum exemptionem pertinentia, quantum Ecclesiæ Christianæ nocuerint ex eo apparet, quod inde peccandi licentia clericis & monachis concessa fuerit. Nam postquam ipsi contra veterum Conciliorum generalium sanctiones, & leges Aurelianensium Synodorum, quibus huiusmodi exemptiones reprobatæ fuerãt, a lege diœcesana, ad quam spectat vocatio, ad Synodũ sese subtraxerunt, paulatim se a iurisdictionis lege exemere: vnde animarum curæ ab aliis quam ab Episcopis ordinariis commissæ & delictorum coercitio regularibus irregularibus ac vitiosis mandata. Et hinc malorum multorum labes in clerum introducta, & quidlibet impune agendi libertas. Post coacti Episcopi iusiurandum Romano Põtifici pręstare, quod primum fieri cœpit sub Gregorii VII. tempora, vti discimus ex *cap. sunt nostris de iureiurando.* Nã constitutiones quæ Gregorio VII. tribuuntur eius non sunt, & error manifestus est *in tit. decretaliam* circa earum inscriptionem. Nec vero pro lege in Francia habitum est quod Gregorius VII. statuit. Inferis siquidem regibus facta & a Senatu non permissa, nec legis nec consuetudinis in hoc

regno

regno vim obtinere possunt. At tamen hoc iuramento clam à Gregorio VII. extorto eius successores eam sibi auctoritatem vindicare voluerunt, vt Innocentius ille III. alia constitutione quæ extat *in c. nimis. illo tit. de iuretiur.* sanciuisse dicatur, vt clerici non habentes temporalia a laicis, non teneantur eis iuramentum fidelitatis præstare. At hæc constitutio, vt contra legem diuinam facta & Apostolicis Petri & Pauli præceptis repugnans nullius momenti in Frācia fuit. Siquidem Reges & principes corporum domini sunt, & subditæ illis omnes animæ siue laicorum siue clericorum, qui, si principibus placuerit, ad iusiurandum compelli possunt: & vt olim Abbo Floriacensis dixit, *iurare debent omnes, id est iureiurare*, cum naturali sacramento adacti sint: nec ciuile, si requiratur, detrectare debeant. Quod ipsi Romani Pontifices ante Gregorium VII. agnouere. Etenim Symmachus Papa, vt refert Gratianus in *cap. Concilia hinc etiam 17. dist.* quamuis verba proferat regis Theodorici dicentis *synodalis esse arbitrii in accusatione contra Episcopum Rom. proposita, & negotiis Ecclesiasticis sequenda praescribere*, tamen postea fatetur ab illo additum, ad se vt Regem reuerentiam pertinere: quæ a Romano Pontifice principibus fuit exhibita. Nam & constitutiones Imperiales a clericis obseruandas edixerunt, vt post Innocentium III. Honorius III. Papa qui Marciani & Iustiniani constitutiones allegauit easque seruandas dixit in *c. 1. de iuramento calum. in decretalibus.* Quod si aliquæ spiritualis obedientiæ professiones ab Episcopis Franciæ Romano Pontifici factæ sunt, idem iudicandum est, ac si quis aliena cēsendo sua facere vellet ex Iurisconsulti sententia, qui in simili specie sic dixit, *Quæ quisque aliena in censum deduxit nihilo magis eius fiunt.* Verumtamen inde pedetentim Romani Pontifices vt Regum subditos ab obedientia submouerent tentarunt, & vt eos allicerent, sub tunica & sinu religionis ac deuotionis simulatione spiritualia a temporalibus discernenda dicentes, iusiurādum quod principibus à subditis præstabatur interpretari ausi sunt: quasi legis naturalis & tacitæ, quæ subiectos Regibus adstringit, & eius quæ de iureiurando in quibus regionibus scripta est cognitio Pontifici data sit. Ita Honorius ille III. in *c. petitio.* illo titu. *de iureiur*, canonicis Antiochenis rescripsit, *eos iuramento, quo Principi suo sese obligauerant, non teneri, quin pro iuribus & honoribus Ecclesiæ suæ, ac etiam spiritualibus defendendis contra ipsum Principem stare libere valerent.* Videte quomodo qui in persecutione fugæ consilium dare debuit, vim repellandam contra Euangelica præcepta scripserit. Modestior tamen fuit iis qui in Pontificatu illi successere. Addit enim quod notandum est his verbis, *Coercendo vos à machinatione duntaxat per quam idem Princeps debere læsionem personæ, vel sui incurrere Principatus.* Vtinam nostro seculo Sorbonici clerici, & alii ab iis persuasi, qui, vt eorū conclusiones, determinationes & demonstrationes demonstrant, Christi & Apostolorum præceptis non parendum censuerunt, saltem huius Pontificis Honorii consilium secuti essent, & auctoritatem Episcopalem & Pontificiam nō tam temere vsurpassent. Sed quid dicimus Episcopalē, cū hæc conclusio, qua subditos a Rege Henrico III. sese posse subtrahere statuerunt, a priuatis hominibus iuris dicendi nullam potestatem habentib. scripta, diabolica iudicanda sit, vti etiam foret, quæ vel a Romano Pōtifice vel ab alio pronūciaretur huiusmodi sententia? Nam in Euangelio diabolus Christum alloquens de Regnis dixisse fertur, *Mihi tradita sunt, & cui volo do illa.* Quamobrem ego spero a bene consulto Pontifice in istos Sorbonicos Mataeologos fulmen aliquando missum iri, quod Regis subditos Sorbonici subditi impio isto consilio perdiderint. Certe vt id in Francia authoritate ordinaria a piis Episcopis faciendum est, & summi etiam ipsius Rom. Pontificis secundum ordinem in hoc Regno seruatum optandum iudicium, quo istorum hominum opinio damnetur, & postea secularibus iudicibus tradantur, vt eorum supplicio Religiones expiari possint. Quod si Pontifex Rom. illorum sententiam probaret, eius decretum vim legis in Francia non haberet. Nam integerrimi Iudices & Regis Consiliarii, tam Episcopos quam clericos vti alios Regum subditos semper in officio ita continuerunt, vt sine exceptione, lege, conditione, & indeuotiona vlla Principibus suis, quibus vt illi ipsis, sic ipsi illis nati sunt, integra fide obedierint. Et eadem est hodie piorum Catholicorum & constantium Præsidum & Senatorum fides, eorum præsertim quorum virtus etiam in vinculis locum habuit, vbi libero ac soluto animo Regem Henricum III. solum donec vixit vt legitimum Principem respexere: & post eius excessum Henrico IV. Francico & Nauarrico pie & libenter parendum statuerunt. Similes sunt nimirum priscis illis Senatoribus, quos integræ famæ iudices, & ius suum vnicuique tribuentes Imperator Fridericus arbitros sumere voluit controuersiarum, quæ inter ipsum & Pontificem Romanū motæ erant sub Papa Innocentio IV. anno MCCXLIV. Sciebat videlicet eos regnante D. Ludouico & Gregorio IX. Rom. Ecclesiam regente aliquot ante annis Rom. Pōtificis sententiam improbasse, qua Roberto Attesiensi Comiti sancti illius Regis fratri in odium Friderici Imperialem dignitatem adiudicauerat: quod ius ei non fuisset id statuere: & hoc exemplo perniciosissimum a patribus illis sapientissimis iudicatum fuisse Matthæus Paris Anglus historicus docuit, & in librario curiæ præscripta est Senatus authoritate. Tunc maiorū nostrorum virtus, tunc pietas erga Deum & Principes erat admirabilis & illustris. Et cum Rex pius D. ille Ludouicus libertatis Ecclesiasticæ & iuris Regii defensor maximus videret aliquot Romanos Pontifices in Lusitaniæ Reges & alios extra Romanū territorium a Papis vsurpatū ius dixisse, & ingentē auri & argenti copiam per exactores huc illuc missos collegisse, ne idem fieret in Francia edicto speciali prohibuit *sanctione pragmatica* ann. MCCLXVIII. qua

Romanæ

Romanæ curiæ hirudines & legatorum aliorumque a Pontifice missorũ, quib. omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat, tyrannicæ exactiones damnatæ sunt. At vt discordiæ parẽs noua semper dissidiorum excitat semina, ita aliquot post annis Papa Bonifacius VIII. huic Regno sacris interdixit, & Regi Philippo Pulchro eorundem Regnorum Principi & iisdem titulis insigni quibus hodie Rex noster ornatus est. Nam circiter annum MCCCI. in Regem illum quamuis sanctissimum & Christianissimum & sedis Romanæ ac religionis antiquæ amantissimum Pontifex iste Bonifacius seu Malefacius impuro stylo feneritatis aculeos emisit: quod nec illum potuisse, nec debuisse probabimus, cum de excommunicatione dicemus. Satis nunc fuerit, si hoc loco dixerimus, vobis libertatem seruandam vti tunc eam Gallo-franci tuebantur, cum nemo bonus eam nisi cum anima simul amittere debeat. Erat tum Francia in eam calamitatem redacta, vt laici clericos deuitarent, quod eos cum Bonifacio VIII. paria sentire crederent. Vnde conquesti sunt apud illum Pontificem, ab eoque supplices petierunt vt aliquo remedio malis imminentibus occurreret, vti Christiana charitas amicitia mutua conciliari, & Ecclesiæ Gallicanæ status in sua dignitate permanere, Ecclesia deniq; vniuersa tranquilla pace & optata quiete frui posset. Fuere & inter laicos Gallo-francos multi illustres viri, quorum nonnulli Christianam libertatem & Ecclesiam Gallicanam constantissime defenderunt: vt Gulielmus Plessæus Vicenobii Dominus qui III. Id Iunii anno MCCCIII. corã Rege, & Ludouico Regis Francorum filio Ebroionum, Guidone sancti Pauli, & Ioanne Drocarum Comitibus iuramento corporaliter præstito, id est, tactis sacrosanctis Euangeliis pro Regno, & Ecclesia Gallicana disseruit aduersus Bonifacium illum VIII. Papam, quẽ non modo schismaticum, sed hæreticum, atque diuini numinis contemptorem & multis nominib. damnandũ docebat vir fortis animi, pius, & cõstans, inter cætera abhorrendũ ac detestandũ illud notãs, quod cum in sacris Missarum solennibus qui intererant Christi corpus adorarent, ipse Bonifacius, quamuis Pontifex, tergum verterbat, quasi auersaretur & sperneret. Exstat oratio magni illius Plessæi in libro *de rebus in Francia & Italia à Gulielmo Nogaretto* illustrissimo Equite & vere Gallo-franco Regis Philippi Pulchri iussu strenue & feliciter *gestis*. Tunc vt nostro seculo altero Plesseo Mornæo videlicet, sic illo Gulielmo Plesseo Vicenobio opus fuit. Vterq; enim Gallicanam libertatem iuratus est. Et quamuis iste qui nunc viuit & viget multa scripserit, quæ secundum Protestantium opiniones tenẽda existimat, maxime de iis quæ ad primatum Romani Pontificis pertinent: tamen cum sese corrigi paratum sæpenumero protestatus sit, & Regis nostri exemplo institui desideret, si modo in libero ac legitimo Concilio aliter quam scripsit & credendum & scribendum indicetur: ab eo scripta eatenus saltem vobis & omnib. Catholicis probari debent, quatenus receptis Euangeliis, & Apostolicis, ac veterum patrum, & Concillorum generalium, & aliorum in Gallia factorum vel adprobatorum, denique Gallicanæ Ecclesiæ regulis consentanea videbuntur.

Regni iura in libertatibus Ecclesiæ.

At nunc iuuat (Gallo-franci) vobis ob oculos proponere quæ sint Regni iura, & quæ libertates Ecclesiæ Gallicanæ, quæ ex Plessæi illius primi Bonifacii VIII. aduersarii orationibus & scriptis strictim colligere potuimus. Primum regnum Francorum a sola Dei lege pendere. Tũ Francorum reges Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ protectores ac defensores esse. Regem nostrum filium Ecclesiæ primogenitum vt Christianissimum, & omnib. pietatis titulis inter cæteros eminentem & insignitum. Ecclesiam Gallicanam liberam semper fuisse, vti tunc erat, &, si Pontificem Romanum agnouisset, id in spiritualibus tantum, ordine à maioribus seruato & perpetuo seruando, vt post primorũ iudicum sententiam, & secundum Metropolitanorum in Synodo iudicium, tertii ordinis ac postremi iudices, tum a Pontifice delegati intra Franciæ terminos sententiam ferant: sic tamen ne tertio appelletur, & nil fiat præterquã causa cognita, & in maioribus causis iudices in Regno dentur. Tum leges de reb. Ecclesiasticis a Regib. fieri, & laicorum Principum statutis clericos obstringi. Præterea clericorum Synodos Regum authoritate & prælatorum Regni Francici Cõcilio congregari, quod suo loco exemplis confirmabimus, Adiicit Franciam exemptam & liberam a Pontificum decretis & Conciliis Episcoporum, præterquam a generalib. & Gallicanis, ab iis deniq; patrum vel Pontificum sanctionibus, quæ nouo iure contra vel præter veteres canones sancita sunt. Item vniuersitates & Academias Regia authoritate fundatas a regib. foueri. Addit reges Francorum eorumq; domesticos regni pceres, & officiales (quos vocant) regios à Romano Põtifice sacris arceri nõ posse, de quo postea latius dicemus. Postremo nõ licere Ro. Põtifici regna & Principatus trãsferre, vti Bonifacius VIII. cõtra ius fecerat, qui regnũ Francorum Alberto Austriaco nostri nominis aduersario adiudicasse ferebatur, & dixisse, Angelum, si è cœlo descenderet, & contenderet Albertum illum, quem Romanorũ regẽ vocabat, non esse Regum omnium Pontificia authoritate dominum, illum Anathema fore: cum tamen antea sępius ei maledixisset, & eum pditorem ac parricidam vocasset. Ea fuit Bonifacii illius VIII. insolentia, vt nihil non fecerit, quo sibi iter ad tyrannidem in Reges exercendã patefaceret. Et eius exemplo Benedictus XI. quãuis ab illo in regem Philippum decreta rescideret, ausus est tamen in Francorũ Academias ius statuendi vsurpare, & Parisiensis Ecclesiæ Cancellario mandauit, vt Doctores in Theologia & in Canonico iure (quod Romani *Decretum* vocant) authoritate Apostolica crearet. Post, Clemens V. eius successor eam sibi authoritatem vindicauit, vt reges a se institui ac

destitui

destitui posse diceret, imo sibi multo maiorem nimirũ in Angelos & dignitates cœlestes potestatem competere. Nihil tamen statuit in regem nostrum, quippe quem in temporalibus soli Deo subiectum cognoscebat, qui & ipsius Clementis dignitati fauerat. Ab hoc Pótifice inuectæ sunt in Gallias litium instituendarum formulæ, præsertim in foro Ecclesiastico, & Concilii Viennensis constitutiones quæ *Clementinæ* vocatæ sunt ab eo editæ. At in temporalia Francorum bona ius nullum habuit. Imo cum anno MCCCVIII. Aniciensis Ecclesiæ capitulum, quod Podiense vulgo nuncupatur, a rege Philippo Pulchro ad Papam appellasset, prouocationi renunciauit, & se regi tantũ in temporalib. subiectum declarauit. Certe post hunc Clementem Ioannes XXII. sanctiones suas in Academias misit, vbi a iuris Canonici ꝓfessoribus equidem lectæ, sed a iudicib. regiis pro legib. receptæ non fuere. Et quamuis ab eo tempore iuris Antecessores eos quos vulgo Baccalaureos & Licentiatos vocant authoritate Apostolica fecerint, id Regiæ authoritati & Franciæ legibus constitutionibus ac SCis. derogare nullo modo potuit. Certe Pontifices, Antistites & Ecclesiæ multis in caussis iurisdictionem vsurpauerunt, vt in testamentorum executionibus, & in aliis etiam controuersiis. Nã præter eas quæ communi Ecclesiæ vniuersæ concilio illorum iudicio commissæ sunt, nimirum cum de hæresi, vel de fœdere matrimonii agitur, & de vsuris cognouerunt: quemadmodum apparet ex ꝓtestatione Ducis Burgundiæ, Comitum Britanniæ, & sancti Pauli & aliorum procerum ac nobilium Gallo-francorũ circiter annum 1247. in qua aduersus clericos grauiter conquesti sunt, ꝙ illi ex ipsorum castrorũ reliquiis, quæ a regionis principib. & nobilib. habuerant fundaméntum, iurisdictionem secularium sic absorbebant, vt filii seruorum secundum suas leges liberos iudicarent. At illustres illi Principes protestati sunt se non passuros *vt quisquam clericus alium de castro traheret in caussam coram ordinario iudice, vel delegato, nisi super heresi, nuptiis, vel vsuris*, quarum iudicium tunc erat in foro Ecclesiastico: imo statuto suo id prohibuerunt, amissione omnium bonorum & vnius membri mutilatione transgressoribus imminente, *vt sic* (inquiebant) *iurisdictio Principum & procerum resuscitata respiraret, & clerici hactenus ex laicorum depauperatione ditati reducerentur ad statum Ecclesiæ primitiuæ, & in contẽplatione viuentes nobis, sicut decebat, actiuam ducentib. ostenderent miracula quæ dudum à seculo recesserunt*. Videte Gallo-franci, num sanctum fuerit Francorum illorum Principum iudicium. Sane huius Epistolæ tenor ingenia multorum exercuit, qui tum, vt ait Matth. Westmonasteriensis, credebant consensum esse inter Fridericum Imp. & Francos, cũ finis ipsius Epistolæ Friderici respondeat, cuius finalis hæc erat sententia. *Semper fuit intentio nostra voluntatis clericos cuiuscunque ordinis ad hoc inducere, & maxime maximos, vt tales perseuerent in fide, quales fuerunt in Ecclesia primitiua Apostolicam vitam ducentes, humilitatem dominicam imitantes. Tales autem* (inquit) *clerici solebant Angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare, & sanctitate, non armis sibi Reges & Principes subiugare.* Certe idem Francos qui Fridericum Imperatorem alebat spiritus, & mens eadem Regni huius molem quæ Imperium agitabat, vt Franci clericis in Regium & Imperatorium nomen inuadentibus resisterent. Ecquis Gallo francus nó vidit, aut quis alius non audiit nobilem illam & splendidam disputationem quæ sub Regis Philippi Valesii tempora inter Petrũ Cunerium patronum Regium & P. Bertrandum Heduorum Episcopum fuit? Tandem in Frácia obtinuit aduocatus ille sanctissimus, qui Regis caussam, vtpote qui meliorem fouebat. Is ferre non potuit vt clerici in hoc Regno præscriptionem C. annorum acquirerent, qua iurisdictionem non modo in nuptiarũ caussis exercebant, sed etiam in laicos noua vsurpatione in aliis omnib. sibi quærere studebãt. Nos huic viro multum debemus, vt & autori libri qui inscriptus est, *Summaria & breuis doctrina felicis expeditionis guerrarum & litium Regni*, vbi hæc notatu digna sunt, *Clerici*, inquit, *circa centũ annos vsurparunt totam iurisdictionem quam habent. Quod sciri potest per antiquos qui vixerunt etiam circa annum Domini MCCXL quod tunc erat modicum exercitium iurisdictionis eorum, ita quod nihil recipiebatur in Normania pro sigillis Archiepiscopi & Episcoporum, quæ modo valent annuatim XX. millia librarũ Parisiensium & vltra, deductis expensis. Nec super talib. remedia particularia possunt adhiberi, quia maiores Regni Consiliarii sunt prælati, qui concorditer grauarent, & repelli procurarent resistentes latenter tam per se quam per eorum amicos: ita quod caussa repulsionis percipi non posset, nec probari. Præterea dicunt prælati & eorũ officiales Aduocatis Regalib. quando talia impugnant, quomodo creditis quod Ecclesia suos inimicos beneficiis & prælationibus honoret: furiosus esset prælatus qui hoc faceret. Per talia* (inquit) *& alia infinita reprimuntur & tacẽtes ac dissimulantes fiunt Regales, cũ datur clericis eorũ filiis ac nepotib. & propinquis beneficia pinguia quæ desiderabãt. Quid plura? ni* (inquiebat pius ille vir) *ni cito Regno succurratur, & remediũ celeriter adhibeatur, complebitur tempus præscriptionis, ita quod in perpetuum non poterit obuiari.* Hæc minus polite & eleganter, sed satis luculenter scripta videbuntur iis qui bene sentient, vt ab eo ꝓlata qui nec angina laborabat, nec argentangina, & qui sententiæ suæ Christum authorem habuit, Christum Dei filium & cœli Regem, qui in hoc mundo iudex esse noluerat, & litigantib. dixerat, *Quis me constituit diuisorẽ inter vos?* Ex his apparet Theodosii, Arcadii, & Honorii Romanorũ Imperatorum leges in Regno Francorum seruatas non fuisse, quas ex titulo Codicis Iustinianei recitauimus. Nam iurisdictio Regia & a principibus & Senatus authoritate & constantia conseruata vt sub Philippo Valesio, ita sub eius successorib. in pristinum statum restituta plenum habuit vigorem: maxime sub Carolis V. VI. VII. VIII. Ludouicis XI. & XII. Francisco I. Henrico II. Francisco II. Carolo IX. & Hẽrico III. qui suis illam constitutionib. firmarunt. Et

SCis.

SCis solennibus I. Gallus iudicatum testatur contra Archiepiscopum Senonensem & Episcopum Parisiensem, eos vi iurisdictionis spiritualis coercendi ius & prehendendi, quod pragmatici *Prisiam* vocant, non habere. Vna tantum in laicos Pontificibus & Episcopis omnis relicta est, nimirum in iis controuersiis, in quibus de matrimonii fœdere agitur, quas in foro Ecclesiastico patres nostri ob sacramenti religionem tractandas esse censuerunt. Qui mos inter omnes fere gentes fuit, etiam sub Ethnicis Principibus, vt de his causis Pontifices, vt sacris præfecti cognoscerent: quemadmodum Tacitus 1. *Annal.* eos consultos fuisse dicit. Non tamen eam iurisdictionem in huiusmodi controuersiis habent in Francia Pontifices & Episcopi, vt de iis cognoscant quæ ad res (quas *temporales* vocamus) pertinent. Nec enim in Francia seruatur constitutio Papæ Clementis III. quæ exstat *in tit. decretal. de donat. inter vir. & vxor. in cap. de prudentia:* siue is fuerit Guibertus, qui contra Vrbanum II. sedit, & à Francis Pontifex habitus non fuit; siue alter Clemens Gregorii VIII. successor circiter annum MCLXXXVIII. Philippo Augusto in Francia regnante. Et quod ibi statuit, ad eum scribens cui matrimonii causam inter H. & M. commiserat his verbis, *Cum vos consanguinitatem inter eos inuenientes sententiam diuortii tulissetis, de dote quam à viro mulier repetebat, quicquam statuere distulistis. Quia igitur,* inquit, *vos qui de matrimonio principaliter cognouistis, & de dote (quæ est causa incidens) accessorie cognoscere valuistis, & sententialiter diffinire. Mandamus quatenus prædictum H. monitione præmissa cogatis, vt prædictæ M. totam dotem (sicut canonicum fuerit) restituere non moretur:* forte ad eum rescripsit hic Pontifex; qui ab ipso in territorii Romani finibus (quod tunc ab eo possidebatur) delegatus fuerat, aut si in alia regione, prudenter certe delegatus ille iudex; vt Ecclesiasticus cum de spiritualibus tantum deberet cognoscere, de restitutione dotis (si verbis Pontificiis loqui liceat) sententiam ferre distulerat. Nam iurisdictio; quæ, vt postea fusius ostendemus, cum de excommunicatione quid tenendum sit demonstrabimus, penes Ecclesiasticos iudices collata est, Ecclesiæ vniuersæ consensu in spiritualibus tantum locum habet, nec à clericis ad temporalia extendenda est: vt in sanctionis illius Clementinæ specie, si controuersia in Francia moueretur vel coram Episcopo, vel eorum officiali, nec ipse, nec superior, nec Primas de dote iudicium ferre possent; nec de iis bonis, quæ Græci *parapherna*, Galli, teste Iurisconsulto Vlpiano, *peculium* vocabant. Nam de iure dotium, vel pactis, aut fundis dotalibus, vel donationibus inter virum & vxorem solent laici tantum iudices authoritate Regia cognoscere. Hinc videtis quæ sit in Ecclesia obseruanda Iurisdictionis regula, quomodo stationes diuisæ sint: & reges quidem Pontificibus in iis, quæ ad causas spirituales spectant; in temporalibus vero Pontifices Regibus indigere: Ne igitur Reges Pontificum iura, nec eodem Pontifices Regiam iurisdictionem vsurpent: sed ex Nicolai Papæ scriptis, quæ recitantur à Gratiano in *cap. cum ad verum, distinct. 96.* agnoscamus omnes, DEI *mediatorem & hominum hominem* CHRISTVM IESVM *actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuisse.* Viuendum est, Gallofranci, Patrum nostrorum exemplo: sed & qui Episcopatus tenent, in huiusmodi nuptiarum causis; de quibus nunc disserimus, sibi ob oculos debent proponere, quæ à veteribus Gallicanæ Ecclesiæ pastoribus in primis Gallicanis Conciliis dicta & facta sunt: inter quæ iuuat hic proferre canonem 21. Concilii II. Turonici; in quo Childeberti, Chlotarii; & Aritberti Regum constitutionem recitatam legimus, *Ne nuptiæ ex rescripto petantur.* Sic à Regibus & Episcopis datum sibi inuicem videmus auxilium in *cap. si verum. 31. quæst. 1.* vbi Gratianus recitat Vrbani Pontificis sententiam, qui in *causa Iordani Principis à quo filiola flens, nolens dolentibus, nec adsentientibus matre & propinquis Raynaldo desponsata fuerat, quoniam* inquit *canonum legumque authoritas talia non approbat.* Ita sentiendum temperamus, vt si Princeps cum filiæ; matris & propinquorum assensu quod cœptum est, perficere voluerit; concedamus. Nota sunt; quæ edicto Blesensi ab Henrico III. Rege nostro de nuptiarum consensu per verba (vt vulgo loquimur) [illegible] præsenti, & de tacitis matrimonii pactis sanctissime statuta sunt. Hæc etiam in foro Ecclesiastico seruanda Senatus indicauit; iuxta vulgarum illud: *Statuta laicorum ligant clericos.* Quod Optatus elegantius expressit dicens, *Ecclesiam in imperio, non imperium in Ecclesia esse.* Et id magna ratione à Gallofrancis Catholicis & Christianis approbatum est, qui in omnibus temporalibus penes Regem suum ius meri Imperii ac supremæ iurisdictionis esse dixerunt. Sic cum agitur de decimis militibus in fedum concessis ante Lateranense Concilium; & ab eo tempore cuius memoria non exstat, soli iudices laici de iis notionem habent. Et eodem iure vtuntur Hispani in Aragonum Regno, vbi notat Belluga per donationem decimarum in feudum datarum à Rege in Ecclesiam beatæ Mariæ, in Valentina ciuitate collatam, non esse translatam ad iudices Ecclesiasticos de iis iudicandi potestatem, quoniam ea lege traditæ censentur, vt in Regio feudo, imperio, & iurisdictione remansisse videantur. Et hæc conditio tacite; atque vt Pomponii verbo vtamur, vi ipsa inest. Quod si iudices Ecclesiastici in his causis ius dicant, more maiorum ita comparatum est, vt tanquam ab abusu ab eorum iudicio prouocetur. Sic de iure patronatus tam Ecclesiastici quam laici apud eos agi debet, quibus à Rege iurisdictio data est, vel à Regulis & proceribus, qui sub eo merum imperium habent. Equidem in his controuersiis pro ratione recepta sunt nonnulla canonum in Conciliis scriptorum & Pontificum decreta: qualia sunt illa, ne patronus seipsum (vt dicunt) præsentet, in *cap. consuluit, de iure patronat.* ne Episcopus sibi ipsi conferat, *cap. fin. de institut.* ex rescripto Innocentii III. Episcopo Tre-

destitui posse diceret, imo sibi multo maiorem omnitũ in Angelos & dignitates cœlestes potestatem competere. Nihil tamen statuit in regem nostrum, quippe quem in temporalibus soli Deo subiectum cognoscebat, qui & ipsius Clementis dignitati fauerat. Ab hoc Pōtifice inuectæ sunt in Gallias litium instituendarum formulæ, præsertim in foro Ecclesiastico, & Concilii Viennensis constitutiones quæ *Clementinæ* vocatæ sunt ab eo editæ. At in temporalia Francorum bona ius nullum habuit. Imo cum anno MCCCVIII. Aniciensis Ecclesiæ capitulum, quod Podiense vulgo nuncupatur, a reg. Philippo Pulchro ad Papam appellasset, prouocationi renunciauit, & se regi tantũ in temporalib. subiectum declarauit. Certe post hunc Clementem Ioannes XXII. sanctiones suas in Academias misit, vbi a iuris Canonici ꝓfessoribus equidem lectæ, sed a iudicib. regiis pro legib. receptæ non fuere. Et quamuis ab eo tempore iuris Antecessores eos quos vulgo Baccalaureos & Licentiatos vocant authoritate Apostolica fecerint, id Regiæ authoritati & Franciæ legibus constitutionibus ac SCis. derogare nullo modo potuit. Certe Pontifices, Antistites & Ecclesiæ multis in causis iurisdictionem vsurpauerunt, vt in testamentorum executionibus, & in aliis etiam controuersiis. Nā præter eas quæ communi Ecclesiæ vniuersæ concilio illorum iudicio commissæ sunt, nimirum cum de hæresi, vel de fœdere matrimonii agitur, & de vsuris cognouerunt: quemadmodum apparet ex ꝓtestatione Ducis Burgundiæ, Comitum Britanniæ, & sancti Pauli & aliorum procerum ac nobilium Gallo-francorũ circiter annum 1247. in qua aduersus clericos grauiter conquesti sunt, ꝙ illi ex ipsorum castrorũ reliquiis, quæ a regionis principib. & nobilib. habuerant fundamētum, iurisdictionem secularium sic absorbebant, vt filii seruorum secundum suas leges liberos iudicarent. At illustres illi Principes protestati sunt se non passuros *vt quisquam clericus alium de castro traheret in causam coram ordinario iudice, vel delegato, nisi super hæresi, nuptiis, vel vsuris*, quarum iudicium tunc erat in foro Ecclesiastico: imo statuto suo id prohibuerunt, amissione omnium bonorum & vnius membri mutilatione transgressoribus imminente, *vt sic* (inquiebant) *iurisdictio Principum & procerum resuscitata respiraret, & clerici hactenus ex laicorum depauperatione ditati reducerentur ad statum Ecclesiæ primitiuæ, & in contēplatione viuentes nobis, sicut decebat, actiuam ducentib. ostenderent miracula quæ dudum a seculo recesserunt.* Videte Gallo-franci, num sanctum fuerit Francorum illorum Principum iudicium. Sane huius Epistolæ tenor ingenia multorum exercuit, qui tum, vt ait Matth. Westmonasteriensis, credebant consensum esse inter Fridericum Imp. & Francos, cũ finis ipsius Epistolæ Friderici responderet, cuius finalis hæc erat sententia. *Semper fuit intentio nostra voluntatis clericos cuiuscunque ordinis ad hoc inducere, & maxime maximos, vt tales perseuerent in fide, quales fuerunt in Ecclesia primitiua Apostolicam vitam ducentes, humilitatem dominicam imitantes. Tales autem* (inquit) *clerici solebant Angelos intueri, miraculis coruscare, agros curare, mortuos suscitare, & sanctitate, non armis sibi Reges & Principes subiugare.* Certe idem Francos qui Fridericum Imperatorem alebat spiritus, & mens eadem Regni huius molem quæ Imperium agitabat, vt Franci clericis in Regium & Imperatorium nomen inuadentibus resisterent. Ecquis Gallo-francus nō vidit, aut quis alius non audiit nobilem illam & splendidam disputationem quæ sub Regis Philippi Valesii tempora inter Petrũ Cunerium patronum Regium & P. Bertrandum Heduorum Episcopum fuit? Tandem in Frācia obtinuit aduocatus ille sanctissimus, qui Regis causam, vtpote qui meliorem fouebat. Is ferre non potuit vt clerici in hoc Regno præscriptionem C. annorum acquirerent, qua iurisdictionem non modo in nuptiarũ causis exercebant, sed etiam in laicos noua vsurpatione in aliis omnib. sibi quærere studebāt. Nos huic viro multum debemus, vt & autori libri qui inscriptus est, *Summaria & breuis doctrina felicis expeditionis guerrarum & litium Regni*, vbi hæc notatu digna sunt, *Clerici*, inquit, *circa centū annos vsurparunt totam iurisdictionem quam habent. Quod sciri potest per antiquos qui vixerant etiam circa annum Domini MCCXL. quod tunc erat modicum exercitium iurisdictionis eorum, ita quod nihil recipiebatur in Normania pro sigillis Archiepiscopi & Episcoporum, quæ modo valent annuatim XX. millia librarū Parisiensium & vltra, deductis expensis. Nec super talib. remedia particularia possunt adhiberi, quia maiores Regni Consiliarii sunt prælati, qui concorditer grauarent, & repelli procurarent resistentes latenter tam per se quam per eorum amicos: ita quod causa repulsionis percipi non posset, nec probari. Præterea dicunt prælati & eorū officiales Aduocatis Regalib. quando talia impugnant, quomodo creditis quod Ecclesia suos inimicos beneficiis & prælationibus honoret: furiosus esset prælatus qui hoc faceret. Per talia* (inquit) *& alia infinita reprimuntur & tacētes ac dissimulantes fiunt Regales, cū dantur clericis eorū filiis ac nepotib. & propinquis beneficia pinguia quæ desiderabāt. Quid plura? nisi* (inquiebat pius ille vir) *in toto Regno succurratur, & remediū celeriter adhibeatur, complebitur tempus præscriptionis, ita quod in perpetuum non poterit obuiari.* Hæc minus polite & eleganter, sed satis luculenter scripta videbuntur iis qui bene sentient, vt ab eo ꝓlata qui nec angina laborabat, nec argentangina, & qui sententiæ suæ Christum autorem habuit, Christum Dei filium & cœli Regem, qui in hoc mondo iudex esse noluerat, & litigantib. dixerat, *Quis me constituit diuisorē inter vos?* Ex his apparet Theodosii, Arcadii, & Honorii Romanorũ Imperatorum leges in Regno Francorum seruatas non fuisse, quas ex titulo Codicis Iustinianei recitauimus. Nam iurisdictio Regia & a principibus & Senatus authoritate & constantia conseruata vt sub Philippo Valesio, ita sub eius successorib. in pristinum statum restituta plenum habuit vigorem: maxime sub Carolis V. VI. VII. VIII. Ludouicis XI. & XII. Francisco I. Henrico II. Francisco II. Carolo IX. & Hērico III. qui suis illam constitutionib. firmarunt, & SCis.

ctis solennibus I. Gallus iudicatum testatur contra Archiepiscopum Senonensem & Episcopum Parisiensem, eos vi iurisdictionis spiritualis coercendi ius & prehendendi, quod pragmatici *Prisam* vocant, non habere. Vna tantum in laicos Pontificibus & Episcopis notio relicta est, nimirum in iis controuersiis, in quibus de matrimonii fœdere agitur, quas in foro Ecclesiastico patres nostri ob sacramenti religionem tractandas esse censuerunt. Qui mos inter omnes fere gentes fuit, etiam sub Ethnicis Principibus, vt de his causis Pontifices, vt sacris præfecti cognoscerent: quemadmodum Tacitus *1. Annal.* eos consultos fuisse dicit. Non tamen eam iurisdictionem in huiusmodi controuersiis habent in Francia Pontifices & Episcopi, vt de iis cognoscant quæ ad res (quas *temporales* vocamus) pertinent. Nec enim in Francia seruatur constitutio Papæ Clementis III. quæ exstat *in tit. decretal. de donat. inter vir. & vxor. in cap. de prudentia:* siue is fuerit Guibertus, qui contra Vrbanum II. sedit, & à Francis Pontifex habitus non fuit; siue alter Clemens Gregorii VIII. successor circiter annum MCLXXXVIII. Philippo Augusto in Francia regnante. Et quod ibi statuit, ad eum scribens cui matrimonii causam inter H. & M. commiserat his verbis, *Cum vos consanguinitatem inter eos inuenientes sententiam diuortii tulissetis, de dote quam à viro mulier repetebat, quicquam statuere distulistis. Quia igitur,* inquit, *vos qui de matrimonio principaliter cognouistis, & de dote (quæ est causa incidens) accessorie cognoscere valuistis, & sententialiter diffinire. Mandamus quatenus prædictum H. monitione præmissa cogatis, vt prædictæ M. totam dotem (sicut canonicum fuerit) restituere non moretur*: forte ad eum rescripsit hic Pontifex; qui ab ipso in territorii Romani finibus (quod tunc ab eo possidebatur) delegatus fuerat, aut si in alia regione, prudenter certe delegatus ille iudex; vt Ecclesiasticus cum de spiritualibus tantum deberet cognoscere, de restitutione dotis (si verbis Pontificiis loqui liceat) sententiam ferre distulerat. Nam iurisdictio; quæ, vt postea fusius ostendemus, cum de excommunicatione quid tenendum sit demonstrabimus, penes Ecclesiasticos iudices collata est, Ecclesiæ vniuersæ consensu in spiritualibus tantum locum habet, nec à clericis ad temporalia extendenda est: vt in sanctionis illius Clementinæ specie, si controuersia in Francia moueretur vel coram Episcopo, vel eorum officiali, nec ipse, nec superior, nec Primas de dote iudicium ferre possent; nec de iis bonis, quæ Græci *parapherna*, Galli, teste Iurisconsulto Vlpiano, *peculium* vocabant. Nam de iure dotium, vel pactis, aut fundis dotalibus, vel donationibus inter virum & vxorem solent laici tantum iudices authoritate Regia cognoscere. Hinc videtis quæ sit in Ecclesia obseruanda Iurisdictionis regula, quomodo stationes diuisæ sint: & reges quidem Pontificibus in iis, quæ ad causas spirituales spectant; in temporalibus vero Pontifices Regibus indigere: Ne igitur Reges Pontificum iura, nec etiam Pontifices Regiam iurisdictionem vsurpent: sed ex Nicolai Papæ scriptis, quæ recitantur à Gratiano in *cap. cum ad verum, distinct. 96.* agnoscamus omnes, *DEI mediatorem & hominum hominem* CHRISTVM IESVM *actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuisse.* Viuendum est, Gallofranci, Patrum nostrorum exemplo: sed & qui Episcopatus tenent, in huiusmodi nuptiarum causis; de quibus nunc disserimus, sibi ob oculos debent proponere, quæ à veteribus Gallicanæ Ecclesiæ pastoribus in primis Gallicanis Conciliis dicta & facta sunt: inter quæ iuuat hic proferre canonem 21. Concilii II. Turonici, in quo Childeberti, Chlotarii; & Ariberti Regum constitutionem recitatam legimus, *Ne nuptiæ ex rescripto petantur.* Sic à Regibus & Episcopis datum sibi inuicem videmus auxilium in *cap. si verum. 31. quæst. 1.* vbi Gratianus recitat Vrbani Pontificis sententiam, qui in *causa Iordani Principis à quo filiola flens, nolens dolentibus, nec adsentientibus matre & propinquis Raynaldo desponsata fuerat, quoniam* inquit *canonum legumque authoritas talia non approbat.* Ita sentiendum temperamus, vt si Princeps cum filiæ; matris & propinquorum assensu quod cœptum est; perficere voluerit; concedamus. Nota sunt; quæ edicto Blesensi ab Henrico III. Rege nostro de nuptiarum consensu per verba (vt vulgo loquimur) de præsenti, & de tacitis matrimonii pactis sanctissime statuta sunt. Hæc etiam in foro Ecclesiastico seruanda Senatus iudicauit; iuxta vulgatum illud: *Statuta laicorum ligant clericos.* Quod Optatus elegantius expressit dicens, *Ecclesiam in imperio, non imperium in Ecclesia esse.* Et id magna ratione à Gallofrancis Catholicis & Christianis approbatum est, qui in omnibus temporalibus penes Regem summius meri Imperii ac supremæ iurisdictionis esse dixerunt. Sic cum agitur de decimis militibus in fedum concessis ante Lateranense Concilium; & ab eo tempore cuius memoria non exstat, soli iudices laici de iis notionem habent. Et eodem iure vtuntur Hispani in Aragonum Regno, vbi notat Belluga per donationem decimarum in fendum datarum à Rege in Ecclesiam beatæ Mariæ; in Valentina ciuitate collatam, non esse translatam ad Iudices Ecclesiasticos de iis iudicandi potestatem, quoniam ea lege traditæ censentur, vt in Regio feudo, imperio, & iurisdictione remansisse videantur. Et hæc conditio tacite; atque vt Pomponii verbo vtamur, vi ipsa inest. Quod si iudices Ecclesiastici in his causis ius dicant, more maiorum ita comparatum est, vt tanquam ab abuso ab eorum iudicio prouocetur. Sic de iure patronatus tam Ecclesiastici quam laici apud eos agi debet, quibus à Rege iurisdictio data est, vel à Regulis & proceribus, qui sub eo merum imperium habent. Equidem in his controuersiis pro ratione recepta sunt nonnulla canonum in Conciliis scriptorum & Pontificum decreta: qualia sunt illa, ne patronus seipsum (vt dicunt) præsentet, in *cap. consuluit, de iure patronat.* ne Episcopus sibi ipsi conferat, *cap. fin. de institut.* ex rescripto Innocentii III. Episcopo Tre-

censi & Archidiacono Parisiensi, cum nemo vicem plurium personarum sustinere possit. Sic à Senatu approbata est Papæ Gelasii sanctio in *cap. piamentu*, & *cap. Frigentius*, *caus. 16. quæst. 7.* de processionis aditu, præterquam nihil à patrono vendicari potest. Et nihilominus vt Prædiorum dominis, & iis, quos altos iustitiarios vocamus, bonorum in Ecclesiam collatorum aliqua referatur gratia, cum interdicto vti possidetis aduersus vicinos aut alios ad sacra venientes experti sunt, in honoribus prælati fuere, & primus eis locus in processionibus delatus, ac ne vis eis fiat, quo minus ita possideant, plurimis Senatusconsultis interdictum fuit. Quod summa prudentia à Senatus patribus iudicatum est, vt quemadmodum sacræ ædes à principibus in Oriente factæ sunt, tam à Iustiniano & aliis, quorum meminit Procopius, quam à nostris Regibus eorum æmulatoribus in Occidente constructæ Christianos ad pietatem incitent, maxime ad reparanda viua illa templa, id est, pauperum corpora, quæ quotidie recreanda sunt: quorum Franciæ Reges ita studiosi fuere, vt in *libr. secundo capitulorum* Caroli Magni & Ludouici Pii, *cap. trigesimo tertio.* lex ab eis scripta sit, quæ *causas pauperum in primo conuentu ante medium diem audiri & definiri iubet, causas vero Regias & Ecclesiarum, vel potentum secunda tempestate tractari.* Quod si hodie fieret, melius nobiscum ageretur. Ea enim est summa ratio, quæ pro pauperibus facit. Regiis autem iudicibus, id maxime curæ esse debet, vt quemadmodum Monasteria ex magna parte ita Brephotrophia, Gerontocomia & Xenodochia à Regibus fundata sunt, & ipsi in iis veteri Francorum iure Mundiburdium habent, ita sarcta tecta ædium sacrarum locorumque religiosorum tueantur, vt & sacra confici, & qui cœli grauitatem sustinere non possunt, intra tectum recipi & contineri queunt. Quod si iura ista vel similia, quæ principibus, proceribus, nobilibus, vel iis, qui *fundatores* vulgo dicuntur, Ecclesiasticorum iudicum cognitioni submitterentur, id à Christiana pietate laicorum animos auerteret, qui si ex Regia iurisdictione in forum Ecclesiasticum vocarentur, non tantum animo, sed etiam corpore forensem laborem perhorrescerent. Vestrum igitur est, Viri Principes, curare, vt hæc iura antiqua pie & inuiolate seruentur: quæ adeo sancta à iudicibus Regiis legum & Reipublicæ sub Rege constitutæ authoribus & conseruatoribus habita sunt, vt Xenodochia & alia sacra ædificia etiam ab Anglis, cum Regnum Francorum iniuste occupabant, in Normania & aliis multis in locis fundata, eorum iudicio, qui veteres possessiones non esse mouendas censuerunt, florentissima & integra in hunc vsque diem remanserint: & adhuc remanebunt, si vultis, vt debetis Reipublicæ incendio succurrere.

Iura Regia in sacras possessiones.

Audistis (Gallo-franci) quale sit Regis nostri imperium, tam in clericos quam in Ecclesias. Nunc demonstrandum, quæ sint ipsius in sacras possessiones iura. Olim Leuitæ in terra sancta prædia non possidebant, saltem hæreditario iure, vt ex *Deuteronom. 10. & 18. Leuit. 25. capit.* discimus: sic neque, teste Plinio, Druidæ in Gallis. Clericis vero & monachis Christianis sub veteribus Principibus prohibitum fuit, ne quid ex donatione, siue ex testamentu caperent. Quod Diuus Hieronymus *ad Nepotianum* scribens, disertis verbis testatur: vbi non de constitutionibus principum conqueritur, verum se dolere dicit, quod Christiani clerici meruerint hanc legem. Ea lex est Valentiniani, Valentis & Gratiani ad Damasum Episcopum vrbis Romanæ. *Ecclesiastici*, & cæt. *C. Theod. de Episcop. & cleric. Eccles.* in qua tamen legi Mosaicæ contrarium est, quod iis capere liceat vt à propinquis, ad quorum successionem, vel bona iure ciuili vel edicti beneficio admitterentur. Sed durior lex in Gallis scripta est, aut iure non scripto & consuetudine lex Mosaica reperita, per quam clericis prædia possidere non licuit. Nam Sidonius Apollinaris Aruernorum Episcopus in Epistola ad Faustum, *Obtinuit*, inquit, *vt portio nostra sit Dominus, atque vt ascripti turmis contribulium Leuitarum non remaneamus terreni, quibus terra non remanet, imbuamusque vt à seculi lucris, sic quoque à culpis peregrinari.* Scio Saluianum Massiliensem *libr. III. ad Eccles. Catholicam* aduersus eos exclamare, qui liberis religionem ingredientibus opus non esse dicebant, æquam accipere cum fratribus patrimonii portionem. Sed ea lex erat illius seculi, vt dandos quidem vitæ vsus Christiani censerent, cui vita concederetur, verum vsufructu dato proprietas tolleretur. Nimirum parentes liberos abdicabant, quos religioni dicabant, & eos iubebant quasi Latinos esse libertos, vt viuerent scilicet quasi ingenui, & morerentur vt serui. Certe sub Leonis Papæ I. tempora ferunt Hilarium Arelatensem Episcopum, cum bona sua propinquis reliquisset, ea non solum quæ Arelatensis habebat Ecclesia, iure optimo possedisse, verum acceptis numerosis hæreditatibus ampliauisse. Ita dixit Prosper in *libro secundo de vita contemplat. cap. nono.* vbi idem refert de sancto Paulino. Sed forte illi à Principibus gratiam impetrauerunt, quam vulgo nostri *literas amortisationis* vocant. Sane Constantinus Ecclesias tam Orientales quam Occidentales amplissimis prædiis dotasse dicitur, vt victus clericis præberetur. Sed si donatis vel ab eo, vel ab aliis possessionibus Ecclesiastici recte vsi fuissent, quorum prima pars veteribus canonibus Episcopo adsignata erat, vt peregrinos inopes hospitio exciperet, secunda alendis clericis impendebatur, tertia pauperibus, quarta sartis tectis sacrarum ædium: forsitan vt vir prius dixit, non tot hostes hodie pateretur Ecclesia, nec essent huiusmodi legibus diuitiæ clericorum possessionesque circumscriptæ. At iuris canonici professores dicunt, Apostolos futuram Ecclesiam in gentibus præuidentes, idcirco prædia in Iudæa non adeptos, sed pretia tantum

ad

ad fouendos egentes: & ab iis profertur Canon *futuram*, qui à Gratiano Melchiadi Papæ tribuitur insertus causæ xij. quæst. 1. vbi hæc scripta sunt, *Constantinum Magnum fabricandi Ecclesias in suo degentibus imperio licentiam dedisse, & prædia constituisse tribuenda.* Tum hæc adiecta, *Denique idem Princeps donaria immensa contulit, & fabricam templi primæ sedis beati Petri instituit, adeo vt sedem Imperatoriam relinqueret, & beato Petro successoribusque suis profuturam concederet.* An hæc vera sint, vos iudicate: cum Melchiades Papa Episcopus Romanus fuerit ante Syluestrum I. cui Romani donationem vrbis Romæ & sedis Imperialis à Constantino factam dicunt. *Donatio Constantini.* Nemo inter eos donationem illam Constantinianam, quam docti falsam credũt, quantumuis in confingendis instrumentis & committendo falso industrius Melchiadem authorem protulit rerum, quæ post eius obitum ex communi eorum, qui donationis instrumento fidem habuerunt opinione gestæ fuisse dicuntur. An autem verisimile sit concessam facultatem dandorum Ecclesiis prædiorum à magno illo Constantino, vos videritis, Gallofranci, quod vt cognoscatis, historiam expendite. Inducit Gratianus Melchiadem Constantini Magni verba proferentem, quæ dici aut scribi ab ipso oportuerat ante annum CHRISTI CCCXV. Siquidem Melchiades Episcopus Romanæ vrbis factus anno CCCXI. IV. post annis è vita excessit. At si Eusebio credimus in *libr. vltimo de vita Constantini*, magnus ille Imperator paucis ante obitum suum diebus circiter annum CCCLV. lauari voluit, vnde euidenter constat illum ex eorum numero non fuisse, quibus regnantibus eo peruenerat Ecclesia, vt ipsi ad fidem CHRISTI & Baptismi Sacramenta concurrerent, vti sub persona Melchiadis Gratianus dixit: quoniam quadraginta fere post Melchiadis martyris mortem annis durauit Constantini Imperium, & sub eo fuere tres alii Romanæ vrbis Episcopi, nimirum Syluester I. Marcus & Iulius, qui nomina sua in terris non posuerunt, nec ius gladii aut meri Imperii in vrbe habebant, nec in regionibus, quæ à veteribus *suburbicæ* dicebantur. Nec enim Marcus, nec Iulius vrbis Romanæ & sedis Imperialis donationem à Constantino Magno Diuo Petro vel Episcopo Romano factam contenderunt, sed in spiritualibus tantum ex more antiquo Romanam Ecclesiam rexerunt, vt eorum successores vsque ad Gregorium II. qui, teste Illesca Hispano, primus aduersus Ducem Beneuentanum gladium è vagina eduxit, quod is Cumanam ciuitatem occupasset, quam bellator ille Episcopus Diui Petri patrimonium esse dicebat. Sed de his alias. At quidam proferunt Vrbani Papæ decretum, quo statutum fuisse dicunt, vt Ecclesiæ Romanæ liceret prædia possidere, quorum prouentibus ipsius ministri alerentur, & hinc decretum à Gratiano refertur in illa *causs. 12. quæst. 1. in cap. videntes.* Addunt horum bonorum alienationem sub excommunicationis pœna interdictam. Sed quis præsumat sanctum illum martyrem Vrbanum, qui sub Heliogabalo cum aliis Christianis in latibulis se occultabat, & cuius omnis cogitatio motusque animi in capiendis de propaganda religione consiliis & pertinentibus ad beate viuendum, ac bene moriendum, aut in studiis scientiæ cognitionisque diuinæ versabatur, in terras ferri voluisse? Tum Christiani omnes martyrii gloriam, non diuitias neque possessiones quærebant, & illarum ab ipsis frustra acquisitum fuisset dominium, cum iis frui non possent. Quamobrem cœlum petebant, & solo animi ardore concalescebant. Ista sufficiant, vt quisque sciat, veteres Christianos nulla prædia possedisse. Quæ vero sub Principibus Christianis, vel in Galliis, vel alibi eis data sunt, non nisi permittentibus principibus habuere: vt ex Gregorii I. Papæ Romani *libr. 5. epist. 5.* colligi potest, vbi prædiorum, quæ in Regno Galliarum ad eum pertinebant, rectorem Candidum Reginæ Brunichildæ commendat. Verum quæ causa est cur in Galliis, & in aliis multis regionibus clericis prædia habere non liceat sine licentia Principis? Huius rei ratio est, quod cum prædia fere omnia, vel feudorum dominiis, vel iis qui censuales appellantur, pensiones & tributa debeant, quæ ex mutatione possessorum iis illis vendi solent, extinguerentur, nec censui censendo fundi amplius vlli essent: id est, nec emerentur nec venderentur, si Ecclesiastici ea acquirerent. Etenim Ecclesiæ, collegia, & vniuersitates *manus mortuæ* vocantur, quia legionibus similes sunt, ex quibus licet multi decedant, tamen cum in eorum locum alii subiiciantur, eædem existimantur, vt idem populus, iidem magistratus, qui ab hinc centum annis fuere, cum ex illis nemo viuat: & hanc ob causam, cum etiam iure communi rerum Ecclesiasticarum alienatio prohibita sit, Regis constitutionibus anni MCCCCII. & multis Senatusconsultis tam Regi quam nobilibus & aliis feudorum & censualium prædiorum dominis consultum est, vt Ecclesiastici gratiam à Principe obtineant, & postea hominem, quem leges aliquæ municipales *viuentem, morientem & confiscantem* appellant, dominis offerant, & pro eo iure, quod quidam *morticinium*, alii *indemnitatem* vocant, partem tertiam rei æstimatæ, vel aliam ex arbitrio iudicis soluere teneantur. Ne quis vero putet ea tantum ratione clericos Principibus maxime Gallos regi Francorum esse subditos, quod bona in Regno possideant. Nam siue Galli sunt, siue Itali, aut alienigenæ (qui Regiis constitutionibus siue gratia Principis bona Ecclesiastica, quæ *beneficia* dicuntur, possidere non possunt) quicunque in Galliis degunt summo Regis Imperio subiecti sunt. Ex his quæ diximus, certum quoddam præscriptum de iurisdictione Regia in clericos videtur in perpetuum dari posse. Aut enim de causis Ecclesiasticis agitur, quæ sunt spirituales: aut de temporalibus in iis, quæ spiritualia sunt, vt in obseruatione canonis, matrimonii fœdere, & aliis, quæ ad fidem & religionem spectent, à iudicibus Ecclesiasticis iudicium ferendum

est. In temporalibus ad Regios magistratus notio pertinet, vt cum de beneficiorum possessione, deiure patronatus siue Ecclesiastico siue laico inter quaslibet personas controuersia mota est. Ideo distinctæ sunt Ecclesiastici fori, & Regii stationes, ac diuersa officia. Instrumenta vero à notariis Ecclesiasticis facta in iis quæ ad temporalia pertinent in foro Regio vim nullam habent nulliusque sunt fidei, vt nominatim statutum est à rege Philippo Pulchro anno MCCCII. & à Carolo VII. & eorum constitutiones multis Senatusconsultis confirmatæ fuere. Quorum hæc est ratio, quod iurisdictionis illius quæ Ecclesiasticis concessa est, primus ortus in Imperio & Regno procreatus sit.

Regia potestas in Clericis puniendis.

Quod si de delictis agatur, aut commune crimen est, vt nostri loquuntur, aut priuilegiatum. Ob commune delictum iudex Ecclesiasticus pœnam in clericos statuit, qualis sacris canonibus sancita & constituta est, non quidem sanguinis (nam iudicia capitis ab eo non exercentur) sed ieiunii & custodiæ, vel secundum alia vsitata iudicia quæ in Ecclesiis, capitulis, & monasteriis redduntur, vt Imp. Iustiniani tempore delinquentes clerici in ea loca retrudebantur, quæ ipse in *Auth. 79. Apud quos oporteat monachos & ascetas* & cæt. *decanica* nuncupari dicit, nostri *capitulum* vocant. Quod si priuilegiatum crimen fuerit à clericis admissum, vt si fidem publicam violauerint, & cœtu, concursu, turba, seditione conuocatis hominibus siue hostibus, siue aliis, præter vsum itineris, arma habuerint, vim denique fecerint, & telis bona aliena rapuerint, vel pecunias fisci & publicas rapuerint, tum interueniente Regio procuratore & Iudice laico cum Ecclesiastici fori promotore & Iudice de maleficio cognoscitur, vt Ecclesiasticus pœnam canonicam infligat, sed puniendi maleficii ergo Regii magistratus iudicium sit. Est vero inter crimina speciale vnum, & quasi cæterorum omnium solstitium, crimen Maiestatis, quod ad Iudicem laicum ita pertinet, vt si clericus seditionem fecerit, quemadmodum ii qui Franciam nuper cruore & flamma delere conati sunt, vel vestitu mutato, quem illis mos & ius Ecclesiasticæ togæ dedit, in manifesto scelere deprehensus fuerit, sine vlla mora & confestim puniatur. Multis enim SC. clerici horum criminum rei, vt mutata veste ad nocendum armati ad summum supplicium rapti sunt. Quod & in Italia factum est, cum Pius IV. Cardinalem Caraffam tanquam Maiestatis reum comprehendi & strangulari iussit, quod clam atque extra ordinem fecit, ne vlla seditio moueretur. Quod si id potuit, cur Regi nostro non liceat, qui in Regni sui territorio neminem agnoscit superiorem præter DEVM, & in his causis legibus solutus est? Sane in his criminibus ordine fieri videtur quicquid ad ea quæ proponuntur accommodatum, & quod in summa fortuna opportune fit, rectum & æquum censendum est, ne vis fiat Principi, qui alio sibi remedio cauere non posset.

Cõfessiones quando reuelandæ.

Qua ratione quidam existimarunt confessionem peccatoris quæ ex recepta in Ecclesia Catholica regula à sacerdote supprimenda est, tunc esse diuulgandam, *quando* (vt ait author summæ Angelicæ) *in periculum communitatis, vel alterius, maxime Principis, vergeret:* & ita à Papa iudicatum est. Nam cum Romæ quidam Cardinalis, qui conspirationem in Pontificem moliebatur, confessus fuisset alteri eiusdem ordinis Domino, vt à Dominico Soto Hispano refertur in comment. ad 4. Sent. *postea* vero, inquit, *per aliam viam re comperta, Cardinalis, qui confessionem audierat, hoc nomine accusatus, quod rem non protinus detexisset, ob id fuit pecunia multatus, quoniam ignorantiam obtendebat, alioqui grauiores pœnas daturus.* Scio Doctorem illum Hispanum, cum hoc exemplum recitauit, confessionem quidem sacramentaliter factam dixisse (ita enim loquitur) sed eum qui fassus fuerat, præter id quod per modum accusationis coram Deo contra se ipse proposuerat, non mente bona id fecisse, verum ea intentione vt Cardinalem cui peccatum confitebatur, in suam sententiam traheret. Sed quis hoc reuelauit? Adiiciunt Hispani distinguendum esse inter confessionem sacerdoti factam vt Dei vicario, & sacerdoti vt homini. Sed non video quid respondere possint canoni qui ex Africano Concilio à Gratiano depromptus est, & quem inseruit 3. caus. 6. q. 2. *Placuit*, inquit Synodus, *vt si Episcopus dicat aliquem sibi soli proprium crimen esse confessum & ille negat, ne existimet Episcopus id ad suam iniuriam pertinere, quod ei soli fides non habetur, etiamsi propria conscientiæ scrupulo dicat se nolle ei qui negat communicare.* Non ita interpretandus est hic canon, vt quidam illum interpretati sunt Lucæ Patriarchæ exemplum proferentes, qui excommunicationis pœnæ monasterii Gerotrophii præfectum subiecit, qui fuerat Heracleæ Archiepiscopus. quod tale testimonium aduersus filium suum spiritualem tulisset. Nam quamuis in delictis communibus generaliter præscriptum sit, vt post impressum sigillum confessionis arcana non detegantur, & non citatus testimonium dicere non debeat, tamen in grauioribus criminibus, maxime in crimine Maiestatis plurimi censuerunt confessionem esse reuelandam. Et ex illo Concilii Africani canone apparet, idem reprobatum Episcopi, qui confessionem detegebat, testimonium, quod vni testationi fides haberi non debeat. Verum vt Paulus IC. in *l. Lucius D. de his qui not. infam.* respondisse dicitur, *testes quorum testimonium reprobatum est, quasi ex falso, inter infames non haberi:* quemadmodum ipsi iniuriarum agere non possunt, sic neque Episcopus, si reus denegauerit quod ab Episcopo dicitur eum fuisse confessum. At non ideo prohibitum est Episcopis, vel presbyteris confessionem peccatorum detegere. Non enim perpetuo & in omnibus confessionibus obsignatæ debent esse tabulæ. At Iesuitæ dicunt ex illo Canone Africano colligi confessionem non coram homine, sed coram Deo fieri, quando sacerdoti fit. Quomodo igitur de-

fendent

fendent fraudem illam Hispanicam, per quam istam præscriptionem & regulam sequendam asserunt, quæ secreti sigillum detegere prohibet, quæ qootidie io inquisitione ab iis circumducitur, testibus vel accusatoribus appositis, qui postquam sacerdotis inquirentis & pœnitentis vocibus aures admouerunt, ab iis audita renuntiaot? Num hoc est fraudem legi facere? Quis vero inter homines tam erit audax, vt coram solu Deo dicta, qui (si eorum verbis vtendum est) confessionem sacerdoti factam solus intelligit, à se audita referat? Nus, si licet Hispanis per huiusmodi fraudes veritatem exquirere, certe possumus in iis quæ ad salutem Principis & Reipublicæ Francorum spectant bonis artibus veritatem indagari, & quod à Papa in sua causa desideratum est pro incolumitate Regis expetere, vt qualibet ratione etiam per confessionis sacerdotibus factæ reuelationem coniurationes patefiant. Hæc de clericorum criminibus sufficiant, quæ cum in Francia perpetrantur, de iis extra territorium, siue Romæ, siue alibi quam in Francia iudicium ferri non debet.

Seruandum enim est illud ex veteri legi, *vbi te inuenero, ibi te iudicabo*: cum eius loci forum sit competens, vbi reus crimen admisit. Itaque cum clerici, qui in hoc regno degunt, siue Cardinales, siue alterius dignitatis, vel in manifesto scelere deprehenduntur; vel post delictum, in regno iudicandi sunt, siue criminis locum, siue reorum domicilium spectemus. Nec licet eis ad Romanum Pontificem appellare. Nam etsi olim in Concilio Mileuitano tempore Innocentii 1. Pontificis statutum fuit, presbyteris tantum inferioribus beneficium appellationis ad Papam Romanum esse denegandum, & exinde in causis Episcoporum, quæ maiores sunt, appellationes Romæ receptæ fuere: hoc quidem fuit ab Ecclesia Gallicana approbatum atque obseruatum & à Pontifice Ro. in Galliarum finibus iurisdictio mandata. Sane ante pragmaticam sanctionem, quæ sub Rege Carolo 7. facta est, maiores causæ Romæ per aliquot annos agitatæ fuerant, vt ex G. Durandi *speculo* & ex aliis scriptoribus videre est, quales erant Cathedralium Ecclesiarum causæ & monasteriorum exemptorum, quæ apud iudices in partibus à sede Apostolica delegatos iure aut consuetudine & præscriptione vel priuilegio notionem habentes tractari debent, vt illa sanctione statutum est in *tit. de caus. perag. statuit & decreuit.* Hæc præscripta seruantes licebit grauiter, magnifice, animoseque & Franco more viuere, atque etiam fideliter & vitæ Catholicorum omnium & Christianorum amice.

Audistis Gallo-franci, quæ sit Regis nostri authoritas, quæ iurisdictio in Episcopos & clericos, & quibus modis maiores nostri regni iura tutati sint. Nunc quis fuerit ac esse debeat Ecclesiæ Gallicanæ status videtis, & quod ius in sacris & dignitatibus ac beneficiis Ecclesiasticis Regi competat intelligitis. Quod si longior sim vobis, in ea ratione in qua de Republica dicimus, longissima quæque optima videri debent: & vitium existimo, disserere breuius quam causa desideret. Itaque in Ecclesia nostra gesta ad sacrorum administrationem pertinentia, pauca, quamuis multa sint, vobis ostendam, quæ vt à patribus Ecclesiæ Gallicanæ sancte instituta, recepta & approbata sunt, ita spero vobis fore antiquissima. Fuit initio nascentis Ecclesiæ quotidiana pastorum instantia sollicitudo omnium Ecclesiarum, vt ait D. Paul. *ad Corinth. 11. c. 11.* Et quamuis D. Petrus (vt ex multis *Euangelii* locis & ex *actis Apostolicis* colligi potest) inter æquales excellens dici possit, vnde *os Apostolorum* ab antiquis vocatus est, tamen post Iudæ mortem qui inter Apostolos fuerat, alii cum eo successorem elegerunt, & cecidit sors super Matthiam. Nimirum illo seculo æquales erant Apostoli. Et postea Dionysius, quem Parisiensem Episcopum sub Apostolorum tempora fuisse dicunt, fertur *Ecclesiasticam Hierarchiam* in Diaconos, Presbyteros & Episcopos ex Apostolorum præcepto diuidendam dixisse: & illeomnes Episcopos eiusdem esse dignitatis dixit, qui vt Homotimi apud Persas, sic ab eo vocantur Isotimi. *Electio Episcoporum.* Quod quidam aiunt quoad essentiam Episcopatus verum esse, & singulos Episcopos in sua diœcesi vniuersales dictos fuisse: verum, ex ordine in Ecclesia recepto, Romanum inter Episcopos primum atque summum semper habitum, & vt in cœlestibus corporibus, sic in Ecclesiasticis dignitatibus certam ordinis rationem à Deo inter homines constitutam fuisse. Quid vero de his sentiendum sit, nos postea dicemus. Sed an id Galli crediderint primis Ecclesiæ temporibus, ex iis iudicate quæ Matth. Paris monachus Albanensis in historia sua recitat, vbi res gestas in Francia circiter annum MCCXL. referens sic ait; *Per idem tempus miserunt Franci solemnes nuntios ad curiam Romanam, significantes persuadendo præcise, & efficaciter vt Cardinales Papam rite eligentes vniuersa Ecclesia solatium pastorale maturius prouiderent, vel ipsi Franci, propter negligentiam eorum, de sibi eligendo & prouidendo summo Pontifice citra montes, cui obedire tenerentur, quantocius contrectarent. Et hoc audacter significabant, confisi de antiquo priuilegio per sanctum Clementem beato Dionysio concesso & obtento, qui concessit Apostolatum eidem super gentem Occidentalem, vnde Cardinales quibusdam stimulis, hinc domini Imperatoris, inde Francorum Regis agitati Romam conuenientes Cardinales adiecerunt, vt Papam eligerent in vnum ibidem congregati.* Verba ista demonstrant quid de electione Romani Episcopi, & Apostolatu maiores nostri iudicauerint, communem videlicet esse ministerium. Quanta vero fides Dionysii libro habenda sit, & quo tempore scriptus fuerit non est hic disserendi locus: & vagari nolumus. Sed eius authoritatem nobis citare liceat, aduersus Chronographum Martyrologum, qui illum à Clemente D. Petri successore in Gallias missum dixit, quod ex veteribus Martyrologiis astruit. Quæ vero esset primis illis annis Ecclesiæ Gallicanæ dignitas ex historia Ecclesiastica perspici potest, in qua Euseb. *lib. 5. cap. 3.* testatur, Ecclesias Gallicanas

cum omni reuerentia & rectæ fidei expositione de rebus dubiis decreuisse, martyrum Epistolas qui apud illos passi erant proferentes, quas dum in vinculis erant in Asiam & Phrygiam scripserunt. Et tunc Eleutherius Romanus Episcopus cuius Epistolæ à Monachis descriptæ sunt, & in Conciliorum libris editæ, cum honorem Galliarum Episcopis detulit, vt ipse, qui se *summum pastorem* dicebat (si vera sunt quæ illi tribuuntur) his verbis eos allocutus sit, *Vniuersalis vobis à Christo commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.* Cum autem celebris esset Gallorum Episcoporum fama tam pietatis, & sanctitatis, quam doctrinæ nomine, testis est Augustinus post Melchiadis Romani Episcopi in Africanorum causa iudicium, Imperatorem Constantinum ad Arelatensium causam diligentius examinari iussisse. Sed videamus quæ forma erat eligendorum Episcoporum in Ecclesia Christiana, & maxime in Gallicana. Sciebant Ecclesiæ patres Matthiæ electionem in locum Iudæ proditoris per sortem factam. Sed postea iudicarunt eam à clero fieri debere & à populo, vt ex Cypriano discimus, qui de ea sic dicit, *Quando Episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi vniuersi suffragio in fide deligitur.* Scio in Epistola 13. sancti illius viri lib. 3. notata à quibusdam ad Stephanum Papam Romanum hæc verba, *dirigantur in prouinciam & ad plebem Arelatæ consistentem à te litteræ, quibus abstente Marciano alius in eius locum substituatur.* Et post, *significabis plane nobis quis in locum Marciani Arelatæ fuerit constitutus, vt sciamus ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus.* Sed hæc verba electionem Arelatensis Antistitis ad Episcopum Romanum pertinuisse non dicunt. Etenim plebs cum clero in vniuersa Gallia Episcopos eligebat: Romanus vero Pontifex viduam cernens Ecclesiam equidem plebem & clerum monere poterat, vt sibi Pastorem crearet, quod charitatis Christianæ & officii ratione Rom. vrbis Episcopus, vt gregis Christiani studiosus & curare potuit & debuit: vel quia forte ius confirmandi Arelatensem Antistitem ei ex consuetudine competebat, vt id ius in Metropolitanos longissimi temporis præscriptione sibi quæsitum ex Conciliis Rom. Pontifices contendunt. At mos eligendorum à clero & populo Episcoporum ac prælatorum ad id vsque tempus durauit, quo Principes Christi legem susceperunt: imo & post Philippum Arabem, qui primus Christo nomen dedisse fertur, vsque ad Constantinum Magnum, sub quo statutum fuit ab Episcopis, qui essent in prouincia, vniuscuiusque prouinciæ Episcopum eligi, vt apparet ex *canone 4. Niceni Concilii.* Post sub Constantio eius filio circiter annum CCCLV. Liberius Romanæ Ecclesiæ Episcopus ab eo creatus est: & eius successores ab Imperatoribus & Exarchis, dein translato ad Francos & Germanos Imperio, à regibus Francorum & Imperatoribus electi, aut post electionem confirmati fere omnes fuerunt DCCLXXV. annorum spatio, vsque ad Innocentium II. qui anno MCXXX. ad sedis Romanæ cathedram promotus fuit. Postea ad Cardinales iure electionis translato per CCCLX. annos Pontifex Romanus ab iis creatus est. De Romana vero Ecclesia, quæ breuiter notanda censuimus, vobis proponemus, & de subiectis Papæ Romano diœcesibus. Et cum patriarchatus Romanus ex Consilii Niceni sanctionibus ab Alexandrino Antiocheno & Hierosolymitano separatus fuerit, de electionum forma in Ecclesiis Orientalibus obiter nunc dicemus quod *ex canone 2.* Concilii Constantinopolitani I. didicimus, ex quo apparet omnes olim prouinciarum Metropolitanos autocephalos fuisse & à propriis Synodis suarum prouinciarum electos, donec ea eligendi forma à Chalcedonensis Concilii patribus immutata fuerit *in 29. c.* quo definiti sunt Ponticæ, Asianæ, & Thraciæ Diœceseos Metropolitani, & aliqui etiam alii, quorum in eo Canone fit mentio, à Constantinop. Patriarcha ordinandi & ei subiecti. Postea electiones à solo clero factæ & à Principibus confirmatæ sunt. In Galliis autem eadem electionis forma, quæ in Ecclesia Romana, & in Oriente seruata est, donec Imperatoribus Romanis Galliæ paruerunt. Sed postea quam Franci in Galliis regnauerunt, & Clodoueus religionem Christianam professus Ecclesiæ Gallicanæ curam habere cœpit, per multos annos Episcopatus à regibus dati sunt, sola manuum impositione & presbyterorum ordinatione penes Episcopos manente, quos eligi à plebe & à clero, dein à clero tantum reges permiserunt, & eorum precibus aliqui electi. Hodie Rex Prælatos & Abbates Romano Pontifici nominat, quemadmodum inter Franciscum I. Regem nostrum & Leonem Papam X. in *Concordatis* conuentum est. Episcopi vero & subditi iusiurandum ac fidem, & quod vulgo dicimus homagium regibus præstiterunt, & donec id ab iis factum esset, Reges iure regaliæ fructus Episcopalium prædiorum & bonorum suos fecerunt, & sede vacante præbendas & alia quæ dicimus *beneficia* contulerunt, iis exceptis, quibus animarum cura mandata est: Præterea in quibusdã beneficiis ius conferendi habuerunt, quod & hodie ad Regem pertinet, vt & præsentandi pro iucundo aduentu, ratione iurispatronatus. Et quotiescunque vel Romani Pontifices vel eorum legati contra iura ista Regis & libertates regni & Ecclesiæ Gallicanæ aliquid moliri tentauerunt, vel per appellationem ad Concilium, vel congregatis in Francia Synodis, quæ regia authoritate, vt veteres Imperiali habitæ fuerunt, aduersariorum conatus ab iis repressi sunt. Hæc isto ordine tractabimus, vt ex iis iudicetis quid de Regis Francorum iure & Ecclesiæ nostræ dignitate Gallo-francis credendum, & quid pro Franciæ defensione agendum sit. Itaq; res in Ecclesia Christiana gestas, quæ ad hæc iura pertinent carptim vt quæque memoria dignæ mihi videntur, perstringam.

Inter Romanos Episcopos postquam Christianus Liberius Papa XXXVII. primus ab

Impera-

Imperatore Constantino vrbis Episcopatu donatus est: ab eo tempore cum à Christianis Imperatoribus & Regibus dotatæ, ditatæ & exaltatæ fuissent Ecclesiæ, ideo (inquit Walthramus Naumburgensis Episcopus in tractatu de inuestitura Episcoporum, quem circiter annum 1509. scripsit) *congruens fuit vt Rex, qui vnus erat in populo, inuestiret & inthronizaret Episcopum.* Et vt in Oriente idem Imperator Constantinopolitanæ Ecclesiæ Eusebium præfecit, & Valentinianus Mediolanensi Ambrosium imposuit, & Theodosius Nectarium C.P. Archiepiscopum creauit: denique post obitum Nectarii Ioannem Chrysostomum, Theodoreto, Socrate & Sozomeno testibus: ita Imperator Honorius eorum successor leges de Episcoporum electionibus condidit: & à Bonifacio I. Papa Romano rogatus vt decerneret quid agendum esset, cum duo Apostolici temeritate controuersantium eligerentur: *Nullum*, inquit, *ex his fieri sacerdotem permittimus, sed illum in sede Apostolica permansurum, quem ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium* (id est, Imperatorum, vt recte vir doctus interpretatus est) *& vniuersitatis consensus elegerit.* Et in *Codice Theodosiano* inter Nouellas constitut. Imperator. Theod. & Valent. vna exstat de ordinatione Episcoporum, qua Romano in alios prærogatiua tribuitur, & vetus consuetudo, cuius in Concilio Niceno I. Oecumenico mentio facta est, nominatim confirmatur. Exstat etiam alia de dignitate C.P. Episcopi in *leg. Omni innouatione, in titul. de Episc. & cler. cod. Ced.* Postea Basilius Patricius, qui Regis Odoacri tempore Prorex in Italia fuit, alia lege sanciuit, vt Papa mortuo, nouus eligi non posset, nisi prius monito & consentiente Principe, aut qui ab ipso præfectus foret: quæ lex ab Imperatoribus; qui postea Italiam recuperarunt, infirmata non fuit. Probarunt enim sub tyrannis aut Barbaris gesta modo legitima essent, quoniam etsi Imperatores non fuissent, Imperiali dignitate functi fuerant. Postea vt Zeno Imperator absque sua authoritate Episcopos eligi vetuerat: ita & qui in Italia regnauit Rex Theodericus Symmachum Papam deposuit, mox sedi Apostolico restituit. Sic à Iustino Hormisda creatus est: sic à Belisario Iustiniani Imperatoris authoritate Vigilius in locum Syluerii suffectus, quem Theodatus, cum Italiam occupasset, in sede constituerat. Sic Pelagius II. cum absque Imperatoris authoritate, quæ, vt aduersarii nostri fatentur, interuenire solebat, Pontifex creatus esset, (quia Longobardis Romam obsidentibus non licebat C.P. mittere) postea Gregorium misit; qui Principem placauit. Sic Gregorium I. à clero P.Q.R. electum, Mauricius Imperator confirmauit, intercedente pro eo apud Imperatorem Ioanne C.P. Episcopo, vt ipsemet Gregorius testatur *epist. libr. 1. epist. 4.* & in epistola 31. Philippo Comiti Excubitorum scribens hæc dicit; *Indignus ego ad suscipienda Episcopatus onera iussioni omnipotentis DEI vestraque me voluntati subdidi, cui me præesse largitate magis gratiæ, quam iudicii æstimatione voluistis.* Tunc in Francia Episcopi à Regibus creabantur, vt Quintinianus à Theodotico in Aruernensi Ecclesia. Et post eius mortem sanctus Gallus Impetrati presbyteri auunculi consilio ad Ecclesiam Auernorum peruenit, quam Rex ei largitus est, nec voluit eum Treuiris dare, qui illum post Aprunculi Episcopi sui obitum popolcerant, teste Gregorio Turonensi, *in vita sancti Galli.* Vnde apparet, eos mendacium dicere, qui ius illud regium, quod principibus nostris tanquam diademati annexum competebat, à Zacharia Pontifice, Pipino, tum Duci, post Regi, concessum narrant: Nam longe ante Zachariam ad Reges nostros pertinuit. Nec Franci Romam ibant, vt Episcopalis dignitas eis conferretur. Siquidem scripsit Aimonius, Regem Guntrannum Episcopatus ius dedisse, qui digni habebantur. Et cum multi Episcoparum Bituricensis Ecclesiæ ab eo petentes ingentem auri summam obtulissent, alij per gratiam impetrare niterentur, eis respondit, *se Ecclesias Christi nolle vendere, ne damnatione dignus esset, Simonis Magi instar.* Et quis historias nostras legit, qui non viderit Regis Chlodouei iussu Ommarum Turonensis Ecclesiæ Metropolitanum ordinatum fuisse, & post eum Theodorum & Proculum, iubente regina Chlotilde? Id scripsit Gregorius Turonensis *libr. 3. cap. 2. & 16.* Et eodem modo, omnes Archiepiscopos, ad se vsque creatos testatur, sub Clothario, Sigeberto, & Guntranno Regibus. Et Gregorius I. Romanus Pontifex in *epist. 114. libr. 9.* fassus est, Episcoporum creandorum ius regibus Francorum competere: cum eos admonet, vt Simoniacam pestem expelli curent; *cum excellentiæ,* inquit, *vestræ regimen vestrorum Episcoporum culpa (quorum magis intercessionibus iuuari debuerat) prægrauetur.* Non enim dixit creandos Episcopos alterius quam Regis imperio. Et Theodoualdus conuocatis sacerdotibus in Metensi vrbe Aruernæ Ecclesiæ Episcopum ordinari iussit. Ita mortuo Remigio Biturigum Episcopo Sulpitius à rege Gunthranno subrogatus est, & à Clothario Domnolus Cœnomanis Episcopus datus. Quod ius Regium Aurelianẽsis Concilij *can. 10.* confirmatũ fuit, in quo Regis voluntate, iuxta electionem cleri, populi & Episcopi fieri iubentur. Erat ea regũ cura, vt Episcopatib. dignos sacerdotes præficerent, & Episcoporũ stationes & regiones diuiderent, vt dixit Greg. Turonensis *lib 7. c. 17.* vbi Promotum, qui circa annum 9. regni Childeberti claruit in arce Dunensi Episcopũ à rege Sigeberto constitutũ dicit, & post illius mortem exauthoratum, quod illa ecclesia diœcesi Carnotensi subiecta esset, & ei mandatum, vt presbyteri tantũ munere fungeretur. Pappolo vero in Dunensem ecclesiam iurisdictionẽ adiudicatã. Post. rex Dagobertus non in Gallijs tantũ, sed & in Germania Episcopos creauit, & Episcopatum Weissemburgi instituit, vt legitur in lib. Gigantis, qui inscriptus est *Flores temporum.* Tunc Italiam vexabant Longobardi, & cum Roman. vrbis Episcopus Gregorius vita functus fuisset, Sabinianus eius successor modo Phocam Imperii vsurpatorem, modo Agilulphum Longobar-

dorum Regem, cum inter eos bellum esset, humaniter coluit. Ideo ab vtroque Pontificia illi dignitas confirmata. Post, Bonifacius III. quoniam Phocæ fauebat, adeo gratus illi fuit, vt primatum Ecclesiæ Romanæ longe ampliorem fecerit, quam antea fuerat. Cum enim Concilio Niceno distinctæ essent Patriarchiæ, summam Episcopo Romano in omnes alios concessit potestatem. Post Bonifacius III. Dorotheus, Bonifacius V. & Honorius sub Heraclii Imperio, ad Pontificialem dignitatem promoti sunt, cum omnia in armis erant. Ideo non videmus eorum electionem præsentibus Imperatorib. aut Exarchis factam. At Seuerinus à populo & clero electus ab Exarcho dicitur confirmatus, quemadmodũ & Papæ Theodori electio à clero & populo facta ab Exarcho approbata. Ecclesiarum vero Gallicarum Episcopi adeo erant à Romano Pontifice liberi, vt Constantio Heraclii filio Imperium tenente, & Dagoberto in Galliis regnãte, Theodorus iste Latinis Adeodatus dictus, *dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis in Gallia partibus* scripserit, *Ægiricum presbyterum Abbatem D. Martini Turonensis commendationem fratris sui Crotperti Turonum Ecclesiæ Præsidis obtulisse, vt priuilegium Apostolica authoritate subnixum ad munitionem venerabilis monasterii concederet: se autem parumper ambigentem idcirco dubitasse, quod mos atque traditio sanctæ Romanæ Ecclesiæ non permitteret à regimine Episcopalis prouidentia religiosa loca secernere: seque priuilegium haud concessurum fuisse, nisi Turonensis præsulis interuenente consensu, qui id etiam supplex rogauerat.* Videte, Gallo franci, sancti illius seculi modestiam. Quod vero Papa ille Theodorus de Crotperti Turonensis consilio refert, pro ea religione ac deuotione, quæ erga D. Martinum summa olim fuit, ad consequentias produci non debet: neque Ecclesiæ Gallicanæ libertatem vllo modo tollere. Nam illo priuilegio munita quidem fuit D. Martini Ecclesia, & ab Archiepiscopo Turonensi exempta: verum quoad electionem Abbatis nullum ius Pontifici Romano quæsitum fuit. Siquidem Reges Francorum Abbates D. Martini semper fuere, quorum & Papa ille Theodorus in sua bulla meminit his verbis, *ita huius priuilegii sancti forma & rata indiminutione persistat atque permaneat, quod & præcellentissimi totius Galliæ Reges ad reprimendas laicorum infestationes edictis præmunire idem monasterium Regali pietate dignati sunt.* Qua etiam ratione cum Rex Dagobertus in Diui Dionysii honorem sacram ædem iuxta Parisiorum vrbem construi iussisset, & ibi Abbas & Monachi ab eo fuissent constituti, illos ab Episcopo Parisiensi exemptos, Romano Pontifici subiecisse dicitur, vt refert Vincentius *libro vigesimotertio cap. trigesimo septimo.* Quid de his exemptionibus iudicandum sit, alio loco dicemus. At hic notandum, per eas ius Regium imminutum nõ fuisse quoad electiones, vel electionum confirmationes. Siquidem & Rex Dagobertus & eius successores, vti Episcopos crearunt, ita Abbates huic monasterio præfecerunt. Tum Martinus I. sub Constantis Heraclii nepotis Imperatoris authoritate Romanam Ecclesiam tenuit, vt ea *historia* manifestum est. Quid de Vitaliano dicam? Gratianus in cap. Agatho, distinctione 53. de eo sic dixit, *Vitalianus natione Signensis responsales suos cum Synodica Epistola in Regiam vrbem ad piissimos Principes direxit, ordinationem suam significans.* Referunt sacræ historiæ scriptores, à Romano Episcopo tributum pro Episcopatus confirmatione Imperatori pendi solitum, quale munus illud, quod à designatis consulibus IC. Marcellus editum dixit, quod in *Authent.* Iustiniani Imperatoris vocabatur *Enthronisticum.* Quod quidem tributum ab Imperatore Constantino IIII. Agathoni remissum, in eodem canone retulit ex Romanorum Pontificum gestis: verum ea lege, *vt si contingeret post eius transitum electionem fieri, non ordinaretur qui electus foret, nisi prius decretum generale in Regiam vrbem introduceretur secundum antiquam consuetudinem, vt cum eorum conscientia & iussione debeat ordinatio prosperari.* Hæc sunt Gratiani verba notatu digna. Ea certe lex fuit vniuersæ Ecclesiæ, sicuti in Hispania patres Toletani Concilii XII. tempore illius Agathonis Papæ in *sexto canone* electionem Episcoporum ad reges Hispaniæ pertinuisse dixerunt, quæ probanda quidem erat ab Episcopis & præcipue à Toletano, quod etiam constat ex Braulionis Cæsaraugustani ad Isidorum *Epistola*, eius *Etymologiarum libro* præfixa, & ex Isidori responso. Scio equidem sub Constantino IIII. Imperatore clero & plebi electionem restitutam fuisse, & Benedictum II. ab eo impetrasse, vt deinceps Romanus Pontifex absque consensu Imperatoris aut Exarchi populo præesset. Verum hoc diu seruatum non fuit. Nam Ioannes V. Conon, Sergius, Ioannes VI. Ioannes VII. Constantinus, & Gregorius II. donec Exarchatus durauit, authoritate Imperatorum Pontificatum gesserunt. Primus Gregorius III. quamuis Græcus, ab Imperatoris Græci Imperio sese subtraxit, & post eum Zacharias Pipino Francorum Duce Romam vocato Pontificiam dignitatem ampliorem reddidit. Post quem Stephanus II. Stephano I. qui triduo tantum Pontifex fuerat, in Pontificatu successit, & quasi id iure posset Exarchi dignitatem Pipino contulit. Tum Constantinus II. à Desiderio Longobardorum rege, cuius erat frater, ad sedem Apostolicam promotus: cui enim substitutus fuisset alter Stephanus, is à Carolo Magno petiit, vt Desiderium exauthoraret, & sub noui huius Imperatoris authoritate Pontificia dignitate functus est. Sed antequam plura de Carolo M. dicamus, reuertamur ad Regum nostrorum ius.

In secunda linea cum Pipinus, qui primum sub rege Childerico Dux dicebatur, Regnum occupasset, circiter annum DCCLV. in Synodo illius iussu ad Palatium Vernis congregata, statutum fuit, *vt monachi & puellæ secundum ordinem viuerent, & ab Episcopo emendarentur: qui si non posset, à Metropolitano: qui si nequiret à Synodo: & qui venire contemnerent, aut honorem perderent, aut expellerentur ab Ecclesia, & constituerentur in ipsa Synodo per verbum aut voluntatem Domini Regis, vel*

cen-

consensu seruorum DEI, qui secundum ordinem gregem regerent. Iste Pipinus, victo Frisonum Duce, Wellebrodum genti illi Episcopum, teste Sigiberto, misit. Idem & S. Crodegando baculum Pastoralem tradidit, sicut Osnuius Humbrorum Rex Ceaddam virum sanctum misisse in Angliam, dicitur, vt Eboracensis Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, quemadmodum Ecclesiæ Antiochenæ clerus & populus à Synodo C. P. petierat, vt apud Imperatorem intercederet; quo in Macarii locum alius Archiepiscopus substitueretur. Sic in Italia Luitprandus Calisto Ecclesiam Aquileiensem regendam commisit. Ita Carolus Magnus Imperator Occidentis & Rex Francorum, Episcopatus multos in Francia contulit, & cum aliquando adolescentes quosdam Episcopos aptiores rei militari quam Ecclesiæ gubernandæ vidit, senioribus Episcopale munus imposuit, quod & in Hispaniis fecit. Extat quidem eius constitutio libr. 1. capitulorum, c. 84: *vt Episcopi per electionem clericorum & populi, secundum statuta canonum de propria diœcesi remota personarum & munerum acceptione ob vita meritum & sapientia donum eligerentur, vt exemplo & verbo sibi subiectis valerent vsquequaque prodesse.* At semper Episcoporum electionem ratam habuit. Nec vero Magnus iste Princeps Gallicarum tantum Ecclesiarum Episcopos confirmauit, sed & ius eligendi Pontificis Romani penes eum fuit, vt Adrianum Papam agnouisse testis est Gratianus in *cap. Adrianus, distinctione 63.* & in Synodo ad exemplum beati illius Adriani eidem Domino Regi Francorum ac Longobardorum patriciatus dignitas & ordinatio Apostolicæ sedis, & inuestitura Episcoporum concessa est, & ius illud à Leone III. Papa confirmatum, vt ex ipsius sanctione constat in *cap. in Synodo, eadem distinctione.* Et quamuis in memoriam beati Petri hic Imperator dixerit tolerandum iugum à sede Apostolica impositum, in *cap. in memoriam, distinctione de simonia.* tamen redargui vult & puniri quemlibet, siue presbyterum, siue Diaconum; qui aliquam perturbationem machinando, & ministerio Imperiali insidiando falsam ab Apostolica sede detulerit Epistolam. Ius autem Episcopi Romani creandi sibi restituit: & Bremensem, Mundensem, Padeburnensem, Werdensem, & alios Episcopatus instituit ad religionis Christianæ propagationem. Et post ipsum Ludouicus Pius eius filius idem quoque ius habuit. Scio à Romanis obiici, illum huic iuri postea renunciasse, & facultatem eligendi pontificis Romanis concessisse. Sed in duobus huius renunciationis exemplaribus, quorum vnum à Gratiano, alterum diuersis verbis à Volaterrano prolatum est, adiecta donationi conditio fuit, modo sine discordia fieret electio, & post consecrationem legati ad Ludouicum Pium & eius successores Francorum Reges conciliandæ charitatis & amicitiæ causa mitterentur. At non impleta fide placiti reuocata est hæc renunciatio ob legem ei impositam non seruatam. Et Gregorius IIII. Episcopi Romani munus exercere noluit, antequam à Ludouico Pio confirmata esset eius electio. Et quamuis hic Imperator constitutionem fecisse dicatur; quam refert Gratianus in *cap. sacrorum, distinctione 63.* qua liberum est, clero & populo in propria diœcesi Episcopum eligere, tamen à se ius confirmandæ electionis non abdicauit. Nam cum Leone mortuo Stephanus IIII. Pontifex electus fuisset, supplex ab Imperatore petiit, vt electionem à clero P. Q. R. factam, confirmaret. Et cum Paschalis primus Papa sine Imperiali authoritate factus esset, Theodorum Nomenclatorem legatum misit, qui cum Imperatorem docuisset, sibi succubuisse non insiluisse dignitati, literis à Principe impetratis Romam reuersus est. Vt autem Ludouicus Pius hoc iure in Italia, sic in Germania vtebatur, & in Gallus. Nam vt Ansgarum Hamburgensi Ecclesiæ, & Traiectensi Fridericum, sic post obitum Gundulfi Metensis Episcopi, Dragonem fratrem suum sub Canonico habitu nobilissime viuentem, & à proceribus & populo expetitum Episcopatu donauit, vt *Annales sancti Eparchii* demonstrant. Sic & Hugoni cœnobialia monasteria contulit. Sic Carolum Rabano Moguntiacensi Archiepiscopo substituit. Et Theotonem Hattoni Fuldensis cœnobii Abbati anno DCCCLXI. Ita mortuo Ludouico Pio, Sergii IIII. Romani Pontificis electionem à Ludouico eius nepote Lotharii filio illius confirmatam legimus. Et Leo IIII. Pontifex hæc de Episcopi Romani munere prodidit, *Ideo,* inquiens, *permittente Domino, Pastores hominum sumus effecti, vt quod patres nostri siue in sanctis canonibus, siue in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus.* Itaque cum illi post electionem ab Imperatoribus confirmarentur, ab iis sancta à sancto isto viro comprobata sunt. Nec ille sibi creandorum Episcoporum ius vendicauit, sed Lothario & Ludouico Augustis rescripsit, vt Reatinæ Ecclesiæ Pastorem præficerent, vt scriptum est in *cap. Reatina, distinctione illa 63.* Ita etiam Reges nostri Pastores Ecclesiis imponebant. Sic Carolus Caluus Wenilonem clericum suum, qui in Capella ipsi inseruierat, ad Senonensem Archiepiscopatum promouit, & à prouinciæ Episcopis ordinari iussit, vt ex *libello proclamationis* ab eo contra proditorem istum Wenilonem factæ circiter annum DCCCLIX. didicimus. Sic cum Adrianus II. Pontifex Romanus esset anno DCCCLXX. Luitbertus Moguntinus Archiepiscopus iussu Ludouici regis & totius populi ac cleri electione in locum Guntharii Episcopum ordinauit. Dein cum in Synodo Romæ habita anno 876. Carolus Caluus Imp. factus fuit, tempore Ioannis Apostolici congregata in vrbe Romana clerus hæc illi dixit, *Nos vnanimiter vos protectorem, dominum, ac defensorem omnium nostrum elegimus, cui & gaudenter toto cordis affectu subdi gaudemus, & omnia quæ ad profectum totius sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium salutem decernetis, & sancietis, totis viribus, annuente Christo, concordi mente & prompta voluntate obseruare promittimus.* Vt autem Rex iste Carolus qui, cum tantum Rex Francorum erat, creandorum Episcoporum

ius

ius habebat, Nicolao Pontifici Romano illud vsurpare tentanti acerrime restitit: sic Ludouicus II. quandiu Imperium tenuit, per se vel legatos ius confirmandi Romao. pontificis retinuit. Et plane fallum est, quod Gratianus in *cap. cum Adrianus.* in illa distinctione 63. Gregorium IIII. scripsisse dicit, *cum Adrianus II. ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia sancta DEI genitricis Dominæ nostræ, quæ dicitur ad præsepe, traheretur ad Lateranense Patriarchium, certatum à populo & clero, & à proceribus deportatum esse, & id audientes missos Ludouici Imperatoris, moleste tulisse & indignatos fuisse, quod cum præsentes essent, inuitati non fuerant, & cum eis responsum esset, id non contemnendi Augusti causa factum, sed ne Principis legatos expectandi mos per huiusmodi fomitem inolesceret, omnem indignationem ab iis sedatam, & ad salutandum electum eos humiliter accessisse.* Nam huius canonis inscriptio, quæ Gregorio IIII. tribuitur, eius falsitatem denotat, cum Adrianus II. sextus ab illo Pontifex fuerit XXV. post Gregorii IIII. Pontificatum annis. Et tamen ex eo scripto, vti à Gratiano profertur, apparet, Ludouici Imperatoris legatos ob ea quæ clam facta fuerant, de contemptu egisse, & postea cum eis satisfactum fuisset, electionem ratam habuisse, quæ sine eorum confirmatione nullius momenti fuisset. Restant aliqua de Caroli Calui iure in sacrosancta Ecclesiæ ministeria vobis dicenda. Is anno DCCCLXXXI. in Gallias profectus Hugonem HLutharö & Waldradæ filium ad se venientem in suum dominium transtulisse fertur: & Annales dicunt eum illi Abbatias & Comitatus in beneficium dedisse, vt sibi fidem seruaret.

Post, cum attritæ fuerunt Regum vires, Pontifices, & Episcopi ab eorum potestate sese submouere tentarunt. Sic Adrianus IIII. tempus expectans, quod sibi commodum esset, cum Imperatorem Carolum Crassum in bello contra Normanos impeditum vidit, decreto statuit, ne amplius Pontifex Imperatoria authoritate eligeretur, sed liberis cleri & populi suffragiis. Et eius successor Stephanus V. vt Romanæ Ecclesiæ caput inter alias Ecclesias extolleret, eius decreta necessario ab omnibus obseruanda edixit. Sed post eum Formosus è Portuensi Ecclesia vocatus, electus, & in Pontificatum promotus ab Arnulfo Imperatore confirmatus est: & ita ius primum Imperatori conseruatum. Certe Stephanus VII. acta Formosi rescidit, & Romanus ac Theodorus secundus contrario iudicio illius decreta restituerunt. Postea in Concilio Rauennensi statutum contra Pontificis Adriani III. rescriptum, *ne Papa, postquam electi forent, consecrarentur nisi præsentibus Imperatoris legatis, aut missis.* Dein Sergius, Lando, Ioannes XI. & Ioannes XII. à Marozia, & Theodora, meretricibus Romam tunc regentibus, Pontifices facti veritatem DEI in iniustitia & fornicatione detinuerunt, vt per hæreditarias scortationes ad summi sacerdotii dignitatem peruenerint. Et Leo VII. Romanorum suffragiis creatus, expulso Ioanne XII. placatam Maroziam non habuit, sed ab ea sublatus est. Et in eius locum substitutus Stephanus VII. qui cum Maroziæ gratus non esset, successorem habuit Ioannem illum XII. cuius illa mater primatum in Ecclesia, vt in vrbe Romana habuit: quæ cum mortuo Guidone marito Hugonem eius fratrem Burgundum Italiæ Regem Romam vocasset sollicitatum, vt secum nuptias contraheret, is tandem ab Alberico, Ioannis XII. Pontificis fratre, & à Romanis expulsus est, qui Burgundionem pati non poterant: & iam tum solos Italos in summis Imperiis videre cupiebant, vt ex *Luitprandi historia* discimus. Et quamuis tunc Romæ non Imperialis potestas, sed atrocium fœminarum tyrannis vigeret, tamen erat aliqua Imperii vmbra, & ius creandorum Principum Imperatoribus conseruatum est per eorum, qui per vim fundos alienos occuparant, possessionem & detentionem: quoniam vero Domino possidere censetur, qui postliminii iure omnia recuperat. Interea in Francia Episcopatus à Regibus donabantur. Nam, vt teste Flodoardo, Rex Carolus Tungrensem Episcopatum primum Hilduino, dein Richario concesserat: postea cum Rex Robertus Regno Francorum successisset, Episcopatus quoque contulit. Et post eum cum Rodulphus Rex factus esset, apud vrbem Suessionem in monasterio Sancti Medardi, post obitum Dadanis Viridunensium Episcopi, Episcopatus Hugoni ab eo concessus est. Et post mortem Seulfi Remensis Episcopi, Episcopatus Heriberto Comiti commissus (vt scribit Flodoardus) sub obtentu filii eius Hugonis admodum paruuli, nec dum, ceu ferebatur, quinquennis. Scio dici posse, id recte factum non esse, cum ea ætas Episcopali muneri obeundo non esset idonea. Sed an Regio iussu Episcopatus committi, vel conferri potuerit, certe dubitari non debet. Redeamus ad statum Romani Imperii, & sedis Apostolicæ, vt quæ ad electionem pertinent, ex breui serie historiæ cognoscantur. Audiistis, Ioannem XII. ab iis, qui Romæ regnabant, vel vt vere dicamus, tyrannidem exercebant, quasi iure sanguinis non ad sedem, sed ad successionem, non ad Episcopatum, sed ad hæreditatem vocatum, & sedi Romanæ impositum. Post ipsum Leo VII. & Stephanus VIII. & Martinus III. sub Alberico Maroziæ filio in Episcopalem dignitatem suffecti fuere: & Agapetus II. sub Berengario, qui se Italiæ regem dicebat. Et post eius excessum Octauianus Alberici Romani principis filius Pontifex electus fuit, non tam quod magna esset de eo pietatis opinio, quam quod multum Romæ poterat. Itaque cum ipse ad Pontificale solium peruenisset, constitutionem fecit, qua statuit, vt Imperator Augustus à Pontifice Rom. coronaretur, & Othonem iureiurando adegit, qui vt Romanis gratus foret, promisit se nihil Romæ facturum de iis, quæ ad Romanos vel ad Papam pertinerent, sine Papę consilio, & se quantū in illo situm esset, tam per se quam per

suos

ſuos ad terram ſancti Petri defendendam adiutorem fore; vt habetur in *cap. tibi Domino. diſtinct. 63.* apud Gratianum. At cum hic Pontifex Ioannes ab adoleſcentia in ſermonibus impudicæ matris & ſororum ſtupris educatus, ſui ipſius oblitus eſſet, Cardinales duo eius diaconi Othonem Imperatorem monuerunt, & ſupplices ab eo petierunt, vt proſpiceret, ne Romana Eccleſia in ſcandalo & infamia diutius verſaretur, quod cum reſciuiſſet, vni ex his Cardinalibus nares, alteri manum, qua literas Imperatori ſcripſerat, truncari iuſſit. Et tandem ob impia facinora, quibus infamis ille Eccleſiam opprimebat, à Cæſare depoſitus eſt, & Leo VIII. ei ſubrogatus, vt Arnulfus Rhemenſis Epiſcopus in Synodo Rhemenſi *canone 28.* teſtatur. Poſt, à Leone VIII. Romano Epiſcopo, qui ſeditioſos quoſdam Epiſcopos precibus, precio, vi, & ſuffragiis vndique mendicatis electos viderat, vt huic malo occurreretur, ſtatutum fuit in Synodo, ne quis Papa fieret abſque Imperatoris conſenſu, & vt Imperator ac eius ſucceſſores ſuarum prouinciarum Epiſcopis inueſtituras concederent: imo, & de iis, quæ ad ſedem Romanam pertinebant, ſtatueret, & vt nemo deinceps Epiſcopum vllum, ſiue Romanum, ſiue alium ordinandi haberet facultatem abſque Imperatoris conſenſu, vt refert Gratianus in dicta *diſtinct. 36. cap. in Synodo.* Deinde Ioannes XIIII. Othonis II. authoritate cathedram Apoſtolicam aſcendit. Certe poſtea pro bono pacis precibus iſtius Apoſtolici Arnulfus è vinculis in ſedem Rhemenſem reſtitutus fuit, & Gerbertus Archiepiſcopus Rauennatis Eccleſiæ factus Othone Imperatore promouente, cuius præceptor fuerat, vir gratia Imperatoris & prima ſede dignus, dein Pontifex Romanus creatus, vt ante illum Benedictus VII. & Ioannes XVI. inuito Creſcentio Romanor. Patricio & vrbis defenſore, cum idem Imperator illis dignitatem tribuiſſet: & Gregorius V. quem cum Ioannes XVIII. Antipapa Creſcentii & Romanorum aliquot ſuffragiis electus, ſede deturbaſſet, tandem ab Imperatore reſtitutus eſt. Et poſt eum Gerbertus ille magnus, non magus, vt Itali Gallorum aduerſarii dixerunt, iuſſu Imperatoris ſedem Apoſtolicam tenuit, vir excellentiſſimus, & erga pauperes humaniſſimus. Hic nullam in Regem Francorum ſibi vindicauit authoritatem, nullam ordinandorum in Franciæ partibus poteſtatem, quod nimirum probe noſſet, quid, vt Romanus Pontifex, poſſet in Eccleſia ſtatuere, & quid etiam non poſſet, nec deberet. Sane eius ſucceſſor Ioannes XIX. inſtituum in Eccleſiam introducere conatus, vt Romanæ Eccleſiæ primatum ad Roman. clerum transferret, populo eligendi facultatem abſtulit, ſpretis Imperat. & regum conſtitutionibus. Et Romani poſt hanc conſtitutionem duos Pontifices elegerunt abſque Imperatoris conſenſu, Ioannem XX. & Sergium IIII. qui antea Os porci vocabatur. Tum eorum ſucceſſor Benedictus VIII. alia lege ſtatuit, nullum Imperatorem dici poſſe, niſi quem Papa morum probitate Reipublicæ idoneum delegiſſet, cuique imperiale inſigne commiſiſſet. Sed hæ ſanctiones ius Imperatorum tollere non potuerunt. Siquidem quæ clam facta ſunt, vel inſciis Principibus, nullum eis præiudicium parere potuere. Multa etiam aliquando fiunt, quibus ipſi reſiſtere nequeunt, vt cum Abner à Ioabo occiſus fuit, Dauid necem Abner vlciſci non potuit: *Ego autem*, inquit, *adhuc vnctus Rex & delicatus: porro iſti viri filii Saruia mihi duri ſunt*, Regum 2. cap. 3. Quamobrem Henricus II. Imperator diſſimulare cogebatur, vt cum illo Benedicto VIII. Papa gratiam inire poſſet: à quo vix impetrare potuit, vt Bambergenſem Eccleſiam in Cathedralem erigeret, niſi ea lege, vt annis ſingulis Romano Pontifici centum argenti marcas cum albo & phalerato equo ſoluere teneretur. At poſt Benedictum VIII. Ioannes XXI. eius frater vel conſobrinus à Romanis vexatus & deſpectus fuit, qui illum à ſede Apoſtolica expuliſſent, ni Conradus Imperator eum ſeſe in ipſius fidem ac clientelam conferentem ſuſcepiſſet. Dein rebus turbatis Bonifacius VII. illicitis artibus ad Pontificatum aſcendit, & cum priorem Papam ad cruorem & cædem extrahi iuſſiſſet deſcendere coactus C. P. fugit. Dein auri & argenti copia corruptis Romanis, ſedem Apoſtolicam Romanam rurſus recepit, & Ioannem XV. qui eo abſente electus fuerat, impie confecit: ob malas artes non Bonifacius, ſed Maleficius appellatus, vt in magna Synodo Rhemis congregata circiter annum DCCCCXCII. *in capite 28.* Arnulfus Aurelianenſis publice teſtatus eſt. Tunc Francorum Rex Hugo Arnulfo Epiſcopatum Rhemenſem dedit. At is rupta fide, quam in Rhemenſis illius Synodi *octauo canone* patres ab eo promiſſam recitant, ſe ſuoſque in regem productis copiis armauit. Quamobrem depoſitus fuit, & in eius locum ſubſtitutus Gerbertus, vt apparet ex *Epiſtolis* à Rege Hugone ſcriptis, quarum vnam ex Gerberti libro nuper in tractatu *de Romanorum Pontificum legatorum poteſtate* retulimus. Et cum monitus Arnulfus ad Concilium vocatus, nec ſe purgare vellet, nec à furore abſtineret, ac Regem Hugonem adiſſet, nouiſque conditionibus regiæ menſæ particeps factus fuiſſet, rurſus fidem violauit, vt Carolo agnato ſuo Lotharingiæ Duci faueret, ad quem impius transfugit. Itaque in vincula coniectus eſt, & Gerbertus Archiepiſcopatu Rhemenſi regia liberalitate donatus. Quid de Benedicto VII. Papa dicemus? Is niſi Imperatorem Henricum II. defenſorem habuiſſet, quia Romanis erat inniſus, diu non fuiſſet Pontifex, vt neque Ioannes XXI. ſine authoritate Conradi. Equidem poſtea Benedictus IX. antea Theophylactus dictus, filius Alberici, qui Ioannis XXI. & Benedicti VIII. frater fuit, ad Pontificatum promotus eſt ſpreta Imperatoris authoritate. At quid inde conſecutum eſt? Quoniam Imperator Pontificem non confirmauit, ſchiſma in Eccleſia ortum, & tandem Benedictus

Pon-

Pootificatum Ioanni Gratiano vendidit: qui cum admitti noo potuisset, creatus alter Sabinensis Episcopus, & Sylnester III. vocatus, dein electus, *quod nimium iuuenis* (vt ait Glaber) *ab omnibus rideretur*. Toocvni Ecclesiæ tria capita imposita, Benedictus IX. Syluester III.& Gregorius VI. Sed in Synodo ab Henrico III. Imperatore congregata, tres isti Pontifices, vel, vt vere dicamos, Schismatici, deiecti fuere. Post Suiodegerus Bambergensis Episcopus Pontifex Romanus ab Imperatore factus Clemens II. appellatus. Tunc à Romanis iuri eligendi renuociatum fuit iureiurando corporaliter præstito, Sed postea Clemente isto sublato Stephanus Bagniarius in eius locum ab Imperatore creatus est, cui Damasi II. nomen datum. Et vigintiquinque post diebus eatincto à Romanis Damaso Bruno Tullensis Episcopos Hugonis Comitis Aspurgensis & Eistensis filius Pontifex ab Henrico nominatus est. Is fuit Leo IX. qui ab omnibus vitæ ioteger habebatur, sed Hildebrandi consilio cum vestem Ponrificiam Indueret, protestatus est, se hoooris illius prærogatiuam non ab Imperatore, sed Romanorum suffragiis habere. Aris postea Concilium in Ecclesia Lateranensi celebrauit, vbi Romanos ad sacramentum fidei Imperatori exhibendum adegit. Post eius mortem Imperator Moguntiæ Episcopotum Synodum congreganit, vbi Romanis Papam per Hildebrandum legatum petentibus, Gerhardus Eistatensis Episcopus Papa electus fuit, & Victor II. dictus. At cum is à Comitissa Mathilde aduersus Imperatorem armatus fuisset, Stephanus IX. Docis Lotharingiæ frater, fœminæ illius artibus ad Pontificalem cathedram cuectus est: qui cum per Cardinalis Brazoti Insidias veneno sublatus fuisset, ac Hildebrandi dolo: Romani clerici iureiurando ab illo adacti fuere, oe qnem sinerent ad Pootificalem sedem ascendere, nisi qui à populo & clero electus foret. Sed Benedictus X. quamuis clericis contradicentibus à populo electus fuit. Quod cum ægre ferret Hildebrandus, Gerardum Allobrogem, qui Florentious erat Episcopus, Senis eligi curauit, qui Nicolaus II. dictus, io Laterancosi Concilio Romao. Pontificom electionem ad Cardinales transtulit, ea tamen lege, vt à clero & populo Romano approbaretur, *cap. in nomine Domini, distinct. 23.* At ius Imperaroris bac constitutione tolli noo potuit. Et post hunc Pootificem, qui & Brazuri dolo interiit, alius ab Imperatore io Basiliensi I. Synodo electus, & Honorius II. vocatus est. Sed cum Romanis hand placeret, Anselmus Lucensis Hildebrandi consilio ab iis electus, Alexander II. dictus, vode Schisma io Ecclesia Romana fuit. At hic Alexander postea declarauit, se in Cathedra D. Petri sine licentia Imperatoris sedere oolle, & hoc oomine ab Hildebrando in carcerem detrusus fuit. Post hic Hildebraodus contra Impetatorem bellum gessit. Verum non ei Ius, nec tanta vis eius fuit, vt Episcopatus, vel alias dignitates Ecclesiasticas aut beneficia in Fraocia, vel in Germania, aut io Anglia contulerit. Rex enim Francorum ius inuestitotæ habebat, vt Imperaror in Germaoia, & Rex Heoricus primus in Britannia, teste Matth. Westmonsteriensi in *floribus historiæ Britannicæ*. In Romana autem Ecclesia post Gregorium VII. Victor III. sub Mathilde Comitissa, quæ tum Romam gubernabat, Pontifex fuit. Dein Vrbanus II. ab eadem illa Mathilde ad sedem Apostolicam promotus statuisse dicitur, *ne quis clericus à seculari quocunque Principe inuestituram acciperet*. Sed hoc decretum vim ooo habuit. Siquidem Guibertus Rauenoatis Ecclesiæ Archiepiscopus ab Imperatore electus, & Clemens III. appellatus est. Vrbanus interim cum in Franciam fugisset, multos cruce signatos tam ex Germania, quam ex Galliis, in Palæstinam misit, cum nisi per eorum mortem res suas conficere non posset. Et certe cum illi ad bellum sacrum incitati longe profecti essent, ab infidelibus cæsi fuere. Nullum videlicet huic Pontifici videbatur iter apertius ad Pontificiam dignitatem amplificandam. Post, Paschalis II. eius decreta confirmasse dicitur, & beoeficiorum collationes laicis in Concilio Trecassino prohiboisse Anno MCVII. Aiunt præterea, illum Clementis III. ossa è sepulchro erui & moueri iussisse. At his factis ius Imperatoris haud potuit extinguere. Nam vt Henricus IIII. Imperator eo aduersus Gregorium VII. vsus fuerat, ita & Henricus V. bello prius contra patrem gesto, multisque commissis præliis consultior factus, & cum Romæ Imperialem coronam accepit, Papa ius inuestiendi Episcopos ad eum pertinere fassus est. Sane dicunt, illum contra Imperatorem fuisse protestatum. Sed irrita fuit ista protestatio, neque quidquam per metum à Pontifice extortum fuisse dici potest. Etenim vt olim cessabat edictum de eo, quod metus causa, cum ei, qui vim sibi illatam dicebat, nihil oberat: ita vis dici ooo potuit, si Pontifex iustæ rei expediendæ causa aliquid passus est, sed ratio. At Pontificii obiiciunt, Henricum illum V. huic coofirmandorum Episcoporum iuri postea reounciasse. An id potuerit, Germani viderint, qui suis legibus statutum sciunt, non posse ab Imperatore (vt ipsi loquuntur) ...nossari Imperium. Nec vero ista remissio, quæ ab Henrico V. facta est, eam vim habuit, quam Romani dicunt. Siquidem & post ipsam multæ inuestituræ ab eo factæ fuere. Quod per hanc renunciationem ius aliquod Papæ quæsitum fuit, certe Regibus Francorum oul...m ex eo præiudicium factum est. Siquidem Papa isto Paschali II. Pontificatum gerente ...st obitum Manassis Rhemensis Archiepiscopi, cum ipse Papa Archiepiscopatum Richar... Viridonensi Episcopo contulisset, eumque à clericis Rhemensibus eligi iussisset absque Re... authoritate, & is sine Ludouici Francorum Principis consensu receptus fuisset, rex Geruagum nomioauit, qui Ecclesiæ præfectus fuit. Tunc quidem Romaoos Pootifices creaodorum Episcoporum, & suis (quas vocant) signatusis conferendorum beneficiorum ius sibi vindicare

care

carere cœperunt, missorum ab iis religiosorum & aliorum Ro. sedis potestatem prædicabant ministerio, à quibus ob Simoniæ crimen, cuius Episcopos Gallofrancos arguebant, alta voce clamabant Romam eundum esse, vt à D. Petri successore dignitates Ecclesiasticæ conferrentur, sed iis restiterunt sancti Galliæ Episcopi, vt Hildebertus Cœnomanensis, & alii permulti. Verũ Pontifices Romani circa illa tempora, Ludouico VIII. qui Crassus dicebatur, in Francia regnante, magnam sibi potestatem quæsierunt, quoniam in Galliis diu fuere. Vidit enim ille Princeps quinque in Regno suo Papas Romanos, Vrbanum 2. Paschalem 2. Calixtum 2. & Innocentium 2. De Gelasio vero scriptum legimus eum à Romanis electum Imperatore inscio. Sed ab eo alius Pontifex factus Mauricius Burdinus Gregorius VIII. dictus: & Pontificatus ab illo gesti confirmatio ius Imperatoris conseruauit. Nam licet hic Gregorius à Calixto II. Gelasii successore à Romanis electo de sede Apostolica deturbatus sit, tamen per vim istam Imperator iure suo priuari non potuit. Sed de his satis. Defendant sua iura Germani. Nos de nostro dicemus. Testis est D. Bernardus electiones Episcoporum Honorii II. Papæ tempore à clero factas esse; in *Epistola 202.* ad clerum Senonensem. Nec dixit à Ro. Pontifice Archiepiscopatus institutionem factam: quamuis illi ius pallii multis ante annis à Papa datum esset. Equidem anno MCXLII. Papa Innocentius II. Archiepiscopatum Bituricensem Petro cuidam gratiose dedisse fertur. At Rex Canonicis prohibuit ne illum reciperent, iurans se ferre non posse, vt alius Archiepiscopus quam authoritate sua nominatus præesset, quod iuramentum illicitum non erat, quicquid Pontificii ex D. Bernardo contra sanctum illum Regem dicant. Quod si euitandi schismatis causa, vel iste Princeps, vel alii etiam aliquando iniurias sibi illatas tolerare voluerunt, eorum authoritas si in eo læsa, at certe penitus sublata non fuit. Sed non mirum est, si Innocentius ille II. qui populo & Imperatori Romanorum ius creandi Rom. Pontificis plane abstulit: imo & clero, exceptis Cardinalibus, ad quos solos transtulit eligendi facultatem, in Galliis etiam ius nouum sibi acquirere voluit. Certe illius authoritate ac consilio freti multi clerici & religiosi à regia potestate sese subtrahere conati sunt, vt ea Sugerii Abbatis electione à D. Dionysii monachis absente Rege facta ab Historicis notatum est. At interposita fuit à Regibus nostris contestatio contrariæ voluntatis, & à fidis eorum ministris, vt ex Yuone Carnotensi docemus, licet is per gratiam Pontificis Episcopatum adeptus fuisset. Et nihil tam profuit Rom. Pontifici quàm Francorum Germanis & Germanorum Francis inuidiosa potentia. Etenim ortæ inter Reges & Imperatores inimicitiæ Pontificiam authoritatem & dignitatem auxerunt. An vero Ecclesiæ vtilis fuerit Innocentii II. sanctio, qua populo ab electione excluso Pontificem à solis Cardinalibus eligi voluit, inde iudicari potest, quod cũ Cælestinus hac electionis forma creatus fuisset, Lucius 2. eius successor summæ potestatis penes se, vt Pontificem esse contendens, patriciatum Romanis auferre conatus, lapidibus obrutus, & vulneratus ab Imperatore auxilium petiit. Verũ cũ Imperator qui illum non confirmauerat, ei suppetias non tulisset, miserrime obiit. Sed post eum Eugenius III. Papa ab Imperatoris potestate liberum se existimans pro Principe se gessit, tam in spiritualibus quam in temporalibus Pontificia dignitate abusus est. Tanta erat seculi illius ambitio vt eam D. Bernardus, Pontificum alioqui defensor magnus, reprehendere coactus fuerit: & eodẽ spiritu sub Adriano IV. Ioannes Saresberiensis Carnotensis Episcopus aduersus Romanos clericos librum composuerit, quem *Obiurgatorium cleri* inscripsit. Tumque schisma; quod extinctum in Ecclesia Rom. aliquot annis fuerat, rursus exortum est. Nam cum Romani Alexandrum III. elegissent, Victor Antipapa creatus, & ab Imperatore confirmatus est. Dein cum vtrique dies dicta, & neutri scopus esset vt beata foret Christiana Ecclesia, Alexander contumax crem odicium contraxit, & Fridericum, quem contemnebat, sacris arcuit. Post ab eo statutum, vt Pontifex Romanus à duabus Cardinalium partibus eligeretur *c. licet. de elect. in decretalibus.* Et id hodie seruatur. Neque nos multorum annorum consuetudinem abrogandam dicimus, neque minuendam sedis A. R. dignitatem, quamuis Germani scripserint circa annum MCLXVII. à Romanis Friderico Imp. iusiurandum fidei præstitum, & inde cum Imperator cætera habuerit Imperii iura, cõsequens dicant, & ad ipsum electi Pontificis pertinuisse confirmationem. Sed etsi tunc Alexander III. adeo vigilans potestatis suæ custos fuerit, vt etiam in alienas prouincias summum Imperium sibi arrogare ausus sit, vt ex *c. sicut dignum. de homicidio*, & multis aliis eius sanctionibus videre est, tamen ius nouum in Franciam non potuit inducere. Et Philippus Francorum Rex, teste Petro de Vineis (qui Friderici Imp. scriba fuit) *c. 13. lib. 1 epist.* ad Cardinales Romanos scripsisse fertur, dici posse Romanam curiam, non curam, dum Salomonem legens despiciebat Salomonem. Fuit ille Rex sanctissimus, qui constitutionem fecit de electione in Ecclesiis Cathedralibus à canonicis & in monasteriis à religiosis facienda, quamuis non improbaret beneficiorum eiurationes. Meminerat nimirum Petrum Longobardum Parisiorum Episcopum fuisse per cessionem illius Ecclesiæ ab Archidiacono Philippi Ludouici regis fratre factam, qui à maiori parte electus fuerat. Sed quoniam verebatur, ne aliæ cessiones non eadem mente fierent: ideo electionem meliorem & vtiliorem censuit. Et quamuis Cælestinus 3. in *c. sane dilecto. de renunciatione*, & alii etiam Pontifices sub illa tempora constitutiones aliquas fecerint, quibus in Pictauienses & alios Franciæ clericos ius conferendorum ex renunciationibus beneficiorum sibi tribuerunt, tamen id Gallicanæ Ecclesiæ, & eius libertati fraudi esse non debet: nec etiam constituta ab Innocentio III. in *c. quidam cedendi*, & in aliis constitutionibus, quibus eiurationes

admittuntur: quæ vtinam nunquam fuissent receptæ, quoniam per eas in Ecclesia hæreditariæ successiones contra veterum canonum prohibitionem introductæ sunt. Et quamuis sub D. Ludouico renouata fuerit Philippi Deodati constitutio de eligendis à capitulis Episcopis, & Abbatibus à religiosis, tamen à Gregorio IX. hoc edictum multis modis circumductum fuit. At vt iste Pontifex hisce artibus magnam sibi & Romanæ sedi, ita Alexander 4. per mendicantes religiosos authoritatem acquisiuit, vt cum Episcopis Gallofrancis ab iis multa obiicerentur crimina, interim in Romana curia beneficia conferrentur. Veruntamen Reges nostri post D. Ludouicum, quantum fieri potuit, electiones fieri curarunt, & Ecclesiæ Gallicanæ libertatem defenderunt, vt Philippus Pulcher contra Bonifacium VIII. dein Carolus Pulcher, & Ludouicus VIIIIus. Franci enim non credebant Franciæ Episcopos ab iis creari posse quibus eorum vita & integritas cognita non erat, & qui in conclaui per cruorem & pugnas Romanæ sedi imponebantur, vt Ioannes XXII. Caturcensis quamuis fauente Rege Francorum electus fuisset. Ideo penes Gallofrancos remansit plena & integra Ecclesiæ Gallicanæ libertas, qui beneficiorum institutiones ab ordinariis fieri debere censuerunt, quoniam eas non esse canonicas putabant, quæ ab iis fierent qui aliquando seipsos in Rom. Pontifices eligebant, vti de Ioanne XXIII. scriptum est: & qui maiorem Cardinalium numerum quam XXIIII. faciebant contra Concilii Constantiensis decretum, vt proximis agnatis & amicis consulerent, & per omnes orbis Christiani partes dominationem quærerent: vt ex commentariis rerum sub Ioanne, & Carolo V. gestarum & literis anno 1406. Romam à Carolo VI. scriptis manifeste apparet, qualis fuerit Ecclesiæ Ro. status. Neque nobiscum bene actum, quando electionis iura à Romanis violata, & in præiudicium regularium beneficia in commendam à Pontificibus collata sunt. Depositarii enim non diuini verbi præcones, sed bonorum Ecclesiasticorum prædones fuere: & qui in solitudinem confugientibus Monachis & Abbatibus ad regendum Ecclesiarum patrimonium præficiebantur, contra mandati fidem lese dominos dixerunt. At cum in Ecclesiam Gallicanam ista scandala à Romanis ad nos prouenerint, eorum hoc crimen est, quod hæreses in Franciam fluxerunt. Quod à maioribus nostris olim prospectum fuit, vt anno 1438. sub Rege Carolo VII. ex eorum querelis perspici potest, & ex *pragmatica sanctione*, qua electiones secundum generalis Basiliensis Concilii decreta confirmatæ sunt. Notanda vero est patrum nostrorum modestia, qui Regem & Principes regni adeo respexerunt, vt eorum precibus bene meritos & Reip. studiosos ad Ecclesiæ regimen eligendos dixerint, nec id ab vllo reprehendi posse. Et tunc felicissimus fuit Ecclesiæ Gallicanæ status cum ista sanctione constituta, tam ad electiones quam ad collationes spectantia in Gallia seruata sunt. Etenim cum Theologiæ & liberalium artium studiosi, quos graduatos vocamus, Ecclesiis præficiebantur, non, vti hodie, propter ignorationem, vulgi opiniones in magna inconstantia versabantur. Postea in electionis locum successit nominatio, quæ à Rege Pontifici secundum concordata Francisci I. Regis & Leonis X. Pontificis facta est, & ea non solum in Episcopatibus & Abbatiis locum habet, verum in Cathedralibus Ecclesiis & beneficiis, in quibus electio fieri debet ex forma *c. Quapropter. de elect.* Et quamuis exceptæ sint Ecclesiæ speciali Romani Pontificis priuilegio subnixæ, nihilominus & in illis locum habuit nominatio tam ex indulto regibus Francisco I. & Henrico II. ab Apostolica sede concessis, quam ex præscriptione. Ex his omnibus colligite quæ in Ecclesia Gallicana statuenda sint, si Rom. Pontificem pacatum habere non possumus. Plura dicerem, sed dum bonum Pontificem expectamus, nihil mouendum existimo, & quantum poterimus veteres à nobis mores seruandi sunt. Vobis itaque ista sufficiant, vt quæ ad canonicam beneficiorum Gallicorum institutionem pertinent intelligatis.

Nunc quia scimus multos esse in Gallia, qui Regis nostri iura, quæ præter nominationem ipsi competunt, quotidie conuellunt, vel malo animo, vel quod ea ignorent, alios qui quamuis sciant, tamen in promptu habere cupiunt quæ ad illorum defensionem spectant, de iis breuiter dicemus. Et primum de Regalibus. Rex noster Christianissimus alter est Osiris, qui oculos & sceptrum in omnes Regni sui fundos, in omnes partes & stationes inicit. Et vt aperto feudo patronus in clientis sui, quem *vasallum* feudorum leges vocant, prædia & possessiones ingreditur, & prehensionis iure fructus suos facit, donec ei fides à vasallo præstetur, Episcopatibus vacantibus, ius idem Regi competit vniuersi dominii & Imperii summi ratione, quod pragmatici *superioritatis* nomine significant. Neque hoc ius successit Regiæ illi nominationi, qua olim Ro. Pontifices à Ludouico Pio creati sunt, post cuius renunciationem quidam sub Ludouico XI. scribentes dixerunt Regaliorum ius nominationi subrogatum. Nam præterquam quod renunciationem illam locum non habuisse docuimus, ius Regaliorum ab alio fonte promanauit. Mos enim est antiquus in Francia, vt Episcopi Regi Christianissimo fidei iusiurandum præstent, vt ex primoribus Regũ Historia colligi potest, & ex vita Ludouici Pii & iis quæ de Caroli Calui subditis retulimus: & id circa annũ MC. testatus est Yuo Carnotensis de Remensi Episcopo loquens his verbis, *Curia reclamante plenariam pacem impetrare nequiuimus, nisi Metropolitanus per manum & sacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædecessoribus suis Regibus Francorum antea fecerant omnes Rhemenses Archiepiscopi, & cæteri regni Francorum quilibet religiosi & sancti Episcopi.* Et in sacro Principis laterculo Lutetiæ vidimus chartas præstiti ab Episcopis hominii (sic cum Helmodio liceat homagium appellare) & fidem iuratam à Cœnomanensibus, Viuariensib. Burdegalensibus, & aliis prælatis.

Regalia Regum in Ecclesiasticis.

Et do-

Et donec ab Episcopis fides data sit, ipsique se in clientelam regis contulerint, sedes Episcopales vacant: & beneficia omnia (curatis exceptis) quæ ab Episcopo conferrentur, à rege conceduntur, vt ex testamento Philippi Augusti apparet, quo circiter annum MCXC. cum in expeditionem belli sacri in terram sanctam proficisci vellet, Reginam in sua manu regalia tenere iussit, quousque consecratus esset vel benedictus Episcopus, post iuramentum præstitum. Post vero Regalia sine contradictione reddi voluit. Reditus autem interea aut perceptos aut percipiendos, vel pensiones ciuiles aut alias Episcopatui debitas, quandoque à regibus B. Martini Turonensis baiulis ac ministris, ac sanctæ Capellæ Parisiensis Thesaurario capitulo, quandoq; aliis concessi fuere. Ius autem istud Regaliorum adeo eximium fuit, vt reges illud semper sibi reseruauerint, vt Rex D. Ludouicus diplomate anni 1247. & eius filius Philippus Audax, qui eo vsus est contra Nicolaum III. Pontificem, teste G. Durando in *speculo tit. de legato*. Cum enim Nicolaus præbendam contulisset, quam ante suam promotionem in ecclesia Landunensi habuerat, Rex dicens præbendæ collationem ad se pertinere, *alis* (inquit) *de facto eam contulit*. Et Philippus Pulcher anno 1292. fratri suo Carolo Valesio Ducatus Valesii, Alenconici, & Andegauensis, & Comitatus Cœnomanensis Ecclesias custodiendas commisit, cum exceptione his verbis concepta, *excepta garda Ecclesiarum Cathedralium Andegania & Cenomania, exceptoq; Regali nostro*. & idem factum à Regibus Ioanne 1360. & Carolo V. centum post annis. Et hæc diplomata multis SC. fuere confirmata. Certe ius istud in quibusdam prouinciis à nonnullis Regibus remissum fuit. Verum in maiori parte penes eos remansit, & etiam in Armoricæ Britanniæ ecclesias reges Francorum eo vsi fuere. Nam quemadmodum Ecclesiæ Armoricanæ Archiepiscopo Turonensi vt Metropolitano subiectæ erant, sic & Armorica regia Francorum, vt didicimus ex rebus gestis sub Carolo Caluo. Tum enim Neomenius Brito (vt scripsit Nithardus) cum Rex ille Carolus ad eum misisset, scire cupiens, an se ipsius ditioni vellet reddere, adquiescens consiliis plurimorum, Carolo misit munera, & (vt loquitur historicus) *sacramento deinceps fidem illi seruandam firmauit*. Et ex vita *S. Ioberti* apparet, Armoricæ Ecclesias in regum nostrorum tutela fuisse. Nec recepta à Senatu fuit Ludouici XI. constitutio, quam Armoricani quidem in *Rationalium* scriniis perscriptam ferunt, qua Rex huic Regaliorum iuri renunciasse dicitur. Etenim vim constitutionis habere non possunt diplomata regia, nisi auditis aduocatis & procuratore Principis, à Senatu adprobata & eius authoritate promulgata sint. Curandum igitur vobis est, Gallo-franci, vt iura ista integra & illibata regi nostro seruentur.

Sed & aliud Ius, quod vniuersi dominii ratione regiæ Maiestati competit, sancte & constanter tueri nos oportet: ius videlicet nominandi & præsentandi (vt nostri dicunt) ad primam præbendam vacaturam in omnibus ecclesiis Cathedralibus & collegiatis pro iucundo aduentu, quod ius non solum à Doctoribus nostris adsertum est, verum & ab Italis, vt docet Præpositus in *cap. imperium, dist. 10.* Nec vero ideo Regi nostro competit, quod Papa Innocentius VII. Ioanni regi Francorum ius nominandi ad præbendas concessisse dicatur, vti ab eo adnotatum est, qui ad pragmaticam sanctionem anni 1438. commentarium scripsit in *tit. de collat. §. placuit*. in verbo *facultates*, vbi allegat *Extrauagantem, eximiæ deuotionis*. Nam id multis ante seculis regi Francorum competebat coronæ suæ iure, quale ius illud quod habet Imperator, qui in omnibus Alemaniæ Ecclesiis canonicum præsentat. Hæc dicunt Spec. *in tit. de præb.* & Ioh. Andr. ad *c. is cui. de præb. in 6.* & Ioan. Lupus Hispanus in *rep. Rubr. de donat. inter vir. & vxor.* Reges Hispaniæ eodem iure vti dicit: & ius Regum nostrorum agnoscit vir alioqui nobis infensus, qui alia multa non ita vera pro Regni Nauarræ detentione in Hispanorum gratiam contra Regis nostri proauos scripsit. Sed pergamus, & ostendamus, qua ratione hoc ius nominandi & præsentandi post introitum noui Regis introductum sit. Id ex lege Olitana locum habet, ex qua cum Reges Francorum per successionem prodeant ab Ecclesiis illis subditis nouis successoribus munera edita sunt. Et ideo ius istud multis placitis tam magni consilii, quam aliis confirmatum fuit pro præbenda Rutenica anno 583. Kal. Sept. & pro Santonica anno 84. Quod summa ratione iudicatum est. Cum enim sacerdotalem & regiam dignitatem Deus è cœlo cõstituerit, Regiæ id tribuit, vt Rex ea habeat quæ ad Ecclesiæ gubernationem & administrationem spectant, spirituali tantum ordinatione & manus impositione excepta. Vnde in quibusdam huius Regni Ecclesiis ipse Abbas est, vt in Ecclesia B. Martini Turonensis, in qua iuramentum præstat, cum recipitur in Abbatem & canonicum (vti in librario D. Martini scriptum est.) Sic est ecclesiæ D. Hilarii Pictauiensis Canonicus, & aliarum multarum, vt etiam Itali scripserunt, Panormitanus nimirum in *c. extirpanda. §. quoniam vero, de præbend.* & alii. Hæc sunt regis Francorum iura, quæ sacrosancta & inuiolata à nobis habenda sunt. Vt autem conseruentur, exemplum Imperii veteris, imaginem antiquitatis, & columen regni intueri oportet.

Nominatio & præsentatio ad primam præbendam fiat, Primæ preces.

Audistis Gallo-franci, quæ à nobis de necessitate, vtilitate & forma congregandi Concilii proposita sunt. Superest vt aliorum euentis memoria repetendis, nil accidisse noui nobis cogitemus. Non hæc prima dies est, qua in Gallicanam ecclesiam & Francorum regnum Hispani & alii aduersarii nostri nominis, qui id vnum student, vt alienas possessiones inuadant, temere irruerunt. Maiores vero nostri per Cõcilia iura Franciæ integra tutati sunt. Et vt Arelatense primum & Elibertinum à Constantino conuocatum, & postea Nicenum vniuersale, Constantinopolitanum I. Ephesinum I. & Chalcedonense eiusdem Constantini & Theodosii atque Martiani Impera-

Concilia.

dorum Regem, cum inter eos bellum esset, humaniter coluit. Ideo ab vtroque Pontificia illi dignitas confirmata. Post, Bonifacius III. quoniam Phocæ fauebat, adeo gratus illi fuit, vt primatum Ecclesiæ Romanæ longe ampliorem fecerit, quam antea fuerat. Cum enim Concilio Niceno distinctæ essent Patriarchiæ, summam Episcopo Romano in omnes alios concessit potestatem. Post Bonifacius III. Dorotheus, Bonifacius V. & Honorius sub Heraclii Imperio, ad Pontificialem dignitatem promoti sunt, cum omnia in armis erant. Ideo non videmus eorum electionem præsentibus Imperatorib. aut Exarchis factam. At Seuerinus à populo & clero electus ab Exarcho dicitur confirmatus, quemadmodũ & Papæ Theodori electio à clero & populo facta ab Exarcho approbata. Ecclesiarum vero Gallicarum Episcopi adeo erant à Romano Pontifice liberi, vt Constantio Heraclii filio Imperium tenente, & Dagoberto in Galliis regnãte, Theodorus iste Latinis Adeodatus dictus, *dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis in Gallia partibus* scripserit, *Ægiricum presbyterum Abbatem D. Martini Turonensis commendationem fratris sui Crotperti Turonum Ecclesiæ Præsidis obtulisse, vt priuilegium Apostolica authoritate subnixum ad munitionem venerabilis monasterii concederet: se autem parumper ambigentem idcirco dubitasse, quod mos atque traditio sanctæ Romanæ Ecclesiæ non permitteret à regimine Episcopalis prouidentiæ religiosa loca secernere: seque priuilegium haud concessurum fuisse, nisi Turonensis præsulis interueniente consensu, qui id etiam supplex rogauerat.* Videte, Galli franci, sancti illius seculi modestiam. Quod vero Papa ille Theodorus de Crotperti Turonensis consilio refert, pro ea religione ac deuotione, quæ erga D. Martinum summa olim fuit, ad consequentias produci non debet: neque Ecclesiæ Gallicanæ libertatem vllo modo tollere. Nam illo priuilegio munita quidem fuit D. Martini Ecclesia, & ab Archiepiscopo Turonensi exempta: verum quoad electionem Abbatis nullum ius Pontifici Romano quæsitum fuit. Siquidem Reges Francorum Abbates D. Martini semper fuere, quorum & Papa ille Theodorus in sua bulla meminit his verbis, *ita huius priuilegii sancti forma & rata indemnitate persistat atque permaneat, quod & præcellentissimi totius Galliæ Reges ad reprimendas laicorum infestationes edicto præmunire idem monasterium Regali pietate dignati sunt.* Qua etiam ratione cum Rex Dagobertus in Diui Dionysii honorem sacram ædem iuxta Parisiorum vrbem construi iussisset, & ibi Abbas & Monachi ab eo fuissent constituti, illos ab Episcopo Parisiensi exemptos, Romano Pontifici subiecisse dicitur, vt refert Vincentius *libro vigesimotertio cap. trigesimo septimo.* Quid de his exemptionibus iudicandum sit, alio loco dicemus. At hic notandum, per eas ius Regium imminutum nõ fuisse quoad electiones, vel electionum confirmationes. Siquidem & Rex Dagobertus & eius successores, vti Episcopos crearunt, ita Abbates huic monasterio præfecerunt. Tum Martinus I. sub Constantis Heraclii nepotis Imperatoris authoritate Romanam Ecclesiam tenuit, vt *ex historia* manifestum est. Quid de Vitaliano dicam? Gratianus in cap. Agatho, distinctione 53. de eo sic dixit, *Vitalianus natione Signensis responsales suos cum Synodica Epistola in Regiam vrbem ad piissimos Principes direxit, ordinationem suam significans.* Referunt sacræ historiæ scriptores, à Romano Episcopo tributum pro Episcopatus confirmatione Imperatori pendi solitum, quale munus illud, quod à designatis consulibus IC. Marcellus editum dixit, quod in *Authent.* Iustiniani Imperatoris vocabatur *Enthronisticum.* Quod quidem tributum ab Imperatore Constantino IIII. Agathoni remissum, in eodem canone retulit ex Romanorum Pontificum gestis: verum ea lege, *vt si contingeret post eius transitum electionem fieri, non ordinaretur qui electus foret, nisi prius decretum generale in Regiam vrbem introduceretur secundum antiquam consuetudinem, vt cum eorum conscientia & iussione debeat ordinatio prosperari.* Hæc sunt Gratiani verba notatu digna. Ea certe lex fuit vniuersæ Ecclesiæ, sicuti in Hispania patres Toletani Concilii XII. tempore illius Agathonis Papæ in *sexto canone* electionem Episcoporum ad reges Hispaniæ pertinuisse dixerunt, quæ probanda quidem erat ab Episcopis & præcipue à Toletano, quod etiam constat ex Braulionis Cæsaraugustani ad Isidorum *Epistola*, eius *Etymologiarum libro* præfixa, & ex Isidori responso. Scio equidem sub Constantino IIII. Imperatore clero & plebi electionem restitutam fuisse, & Benedictum II. ab eo impetrasse, vt deinceps Romanus Pontifex absque consensu Imperatoris aut Exarchi populo præesset. Verum hoc diu seruatum non fuit. Nam Ioannes V. Conon, Sergius, Ioannes VI. Ioannes VII. Constantinus, & Gregorius II. donec Exarchatus durauit, authoritate Imperatorum Pontificatum gesserunt. Primus Gregorius III. quamuis Græcus, ab Imperatoris Græci Imperio sese subtraxit, & post eum Zacharias Pipino Francorum Duce Romam vocato Pontificiam dignitatem ampliorem reddidit. Post quem Stephanus II. Stephano I. qui tridno tantum Pontifex fuerat, in Pontificatu successit, & quasi id iure posset Exarchi dignitatem Pipino contulit. Tum Constantinus II. à Desiderio Longobardorum rege, cuius erat frater, ad sedem Apostolicam promotus: cui cum substitutus fuisset alter Stephanus, is à Carolo Magno petiit, vt Desiderium exauthoraret, & sub noui huius Imperatoris authoritate Pontificia dignitate functus est. Sed antequam plura de Carolo M. dicamus, reuertamur ad Regum nostrorum ius.

In secunda linea cum Pipinus, qui primum sub rege Childerico Dux dicebatur, Regnum occupasset, circiter annum DCCLV. in Synodo illius iussu ad Palatium Vernis congregata, statutum fuit, *vt monachi & puellæ secundum ordinem viuerent, & ab Episcopo emendarentur: qui si non posset, à Metropolitano: qui si nequiret à Synodo: & qui venire contemnerent, aut honorem perderent, aut expellerentur ab Ecclesia, & constituerentur in ipsa Synodo per verbum aut voluntatem Domini Regis, vel*

con-

consensu seruorum DEI, qui secundum ordinem gregem regerent. Iste Pipinus, victo Frisonum Duce, Wellebrodum genti illi Episcopum, teste Sigiberto, misit. Idem & S. Crodegando baculum Pastoralem tradidit, sicut Osuulus Humbrorum Rex Ceaddam virum sanctum misisse in Angliam, dicitur, vt Eboracensis Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, quemadmodum Ecclesiæ Antiochenæ clerus & populus à Synodo C. P. petierat, vt apud Imperatorem intercederet, quo in Macarii locum alius Archiepiscopus substitueretur. Sic in Italia Luitprandus Calisto Ecclesiam Aquileiensem regendam commisit. Ita Carolus Magnus Imperator Occidentis & Rex Francorum, Episcopatus multos in Francia contulit, & cum aliquando adolescentes quosdam Episcopos aptiores rei militari quam Ecclesiæ gubernandæ vidit, senioribus Episcopale munus impuluit, quod & in Hispaniis fecit. Extat quidem eius constitutio libr. 1. capitulorum, c. 84: *vt Episcopi per electionem clericorum & populi, secundum statuta canonum de propria diœcesi remota personarum & munerum acceptione ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligerentur, vt exemplo & verbo sibi subiectis valerent vsquequaque prodesse.* At semper Episcoporum electionem ratam habuit. Nec vero Magnus iste Princeps Gallicarum tantum Ecclesiarum Episcopos confirmauit, sed & ius eligendi Pontificis Romani penes eum fuit, vt Adrianum Papam agnouisse testis est Gratianus in *cap. Adrianus, distinctione 63.* & in Synodo ad exemplum beati illius Adriani eidem Domino Regi Francorum ac Longobardorum patriciatus dignitas & ordinatio Apostolicæ sedis, & inuestitura Episcoporum concessa est, & ius illud à Leone III. Papa confirmatum, vt ex ipsius sanctione constat in *cap. in Synodo, eadem distinctione.* Et quamuis in memoriam beati Petri hic Imperator dixerit tolerandum iugum à sede Apostolica impositum, in *cap. in memoriam, distinctione de. canona.* tamen redargui vult & puniri quemlibet, siue presbyterum, siue Diaconum, qui aliquam perturbationem machinando, & ministerio Imperiali insidiando falsam ab Apostolica sede detulerit Epistolam. Ius autem Episcopi Romani creandi sibi restituit: & Bremensem, Mundensem, Padeburnensem, Werdensem, & alios Episcopatus instituit ad religionis Christianæ propagationem. Et post ipsum Ludouicus Pius eius filius idem quoque ius habuit. Scio à Romanis obiici, illum huic iuri postea renunciasse, & facultatem eligendi pontificis Romanis concessisse. Sed in duobus huius renunciationis exemplaribus, quorum vnum à Gratiano, alterum diuersis verbis à Volaterrano prolatum est, adiecta donationi conditio fuit; modo sine discordia fieret electio, & post consecrationem legati ad Ludouicum Pium & eius successores Francorum Reges conciliandæ charitatis & amicitiæ causa mitterentur. At non impleta fide placiti reuocata est hæc renunciatio ob legem ei impositam non seruatam. Et Gregorius IIII. Episcopi Romani munus exercere noluit, antequam à Ludouico Pio confirmata esset eius electio. Et quamuis hic Imperator constitutionem fecisse dicatur; quam refert Gratianus in *cap. sacrorum, distinctione 63.* qua liberum est, clero & populo in propria diœcesi Episcopum eligere, tamen à se ius confirmandæ electionis non abdicauit. Nam cum Leone mortuo Stephanus IIII. Pontifex electus fuisset, supplex ab Imperatore petiit, vt electionem à clero P. Q. R. factam, confirmaret. Et cum Paschalis primus Papa sine Imperiali authoritate factus esset, Theodorum Nomenclatorem legatum misit, qui cum Imperatorem docuisset, illi succubuisse non insiluisse dignitati, literis à Principe impetratis Romam reuersus est. Vt autem Ludouicus Pius hoc iure in Italia, sic in Germania vtebatur, & in Galliis. Nam vt Ansgarum Hamburgensi Ecclesiæ, & Traiectensi Fridericum, sic post obitum Gundulfi Metensis Episcopi, Dragonem fratrem suum sub Canonico habitu nobilissime viuentem, & à proceribus & populo expetitum Episcopatu donauit, vt *Annales sancti Eparchii* demonstrant. Sic & Hugoni cœnobialia monasteria contulit. Sic Carolum Rabano Moguntiacensi Archiepiscopo substituit. Et Theotonem Hattoni Fuldensis cœnobii Abbati anno DCCCLXI. Ita mortuo Ludouico Pio, Sergii IIII. Romani Pontificis electionem à Ludouico eius nepote Lotharii filio illius confirmatam legimus. Et Leo IIII. Pontifex hæc de Episcopi Romani munere prodidit. *Ideo,* inquiens, *permittente Domino, Pastores hominum sumus effecti, vt quod patres nostri siue in sanctis canonibus, siue in mundanis afflixere legibus, excedere minime debeamus.* Itaque cum illi post electionem ab Imperatoribus confirmarentur, ab iis sancta à sancto isto viro comprobata sunt. Nec ille sibi creandorum Episcoporum ius vendicauit, sed Lothario & Ludouico Augustis rescripsit, vt Reatinæ Ecclesiæ Pastorem præficerent, vt scriptum est in *cap. Reatina, distinctione illa 63.* Ita etiam Reges nostri Pastores Ecclesiis imponebant. Sic Carolus Caluus Wenilonem clericum suum, qui in Capella ipsi inseruierat, ad Senonensem Archiepiscopatum promouit, & à prouinciæ Episcopis ordinari iussit, vt ex *libello proclamationis* ab eo contra proditorem istum Wenilonem factæ circiter annum DCCCLIX. didicimus. Sic cum Adrianus II. Pontifex Romanus esset anno DCCCLXX. Luitbertus Moguntinus Archiepiscopus iussu Ludouici regis & totius populi ac cleri electione in locum Guntharii Episcopum ordinauit. Dein cum in Synodo Romæ habita anno 876. Carolus Caluus Imp. factus fuit, tempore Ioannis Apostolici congregata in vrbe Romana cœtus hæc illi dixit, *Nos vnanimiter vos protectorem, dominum, ac defensorem omnium nostrum elegimus, cui & gaudenter toto cordis affectu subdi gaudemus, & omnia quæ ad profectum totius sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium salutem decernetis, & sancietis, totis viribus, annuente Christo, concordi mente & prompta voluntate obseruare promittimus.* Vt autem Rex iste Carolus qui, cum tantum Rex Francorum erat, creandorum Episcoporum

ius habebat, Nicolao Pontifici Romano illud vsurpare tentanti acerrime restitit: sic Ludouicus II. quandiu Imperium tenuit, per se vel legatos ius confirmandi Roman. pontificis retinuit. Et plane falsum est, quod Gratianus in *cap. cum Adrianus.* in illa distinctione 63. Gregorium IIII. scripsisse dicit, *cum Adrianus II. ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia sancta DEI genitricis Domina nostra, quæ dicitur ad præsepe, traheretur ad Lateranense Patriarchium, certatum à populo & clero, & à proceribus deportatum esse, & id audientes missos Ludouici Imperatoris, moleste tulisse & indignatos fuisse, quod cum præsentes essent, inuitati non fuerant, & cum eis responsum esset, id non contemnendi Augusti causa factum, sed ne Principis legatos expectandi mos per huiusmodi fomitem inolesceret, omnem indignationem ab iis sedatam, & ad salutandum electum eos humiliter accessisse.* Nam huius canonis inscriptio, quæ Gregorio IIII. tribuitur, eius falsitatem denotat, cum Adrianus II. sextus ab illo Pontifex fuerit XXV. post Gregorii IIII. Pontificatum annis. Et tamen ex eo scripto, vti à Gratiano profertur, apparet, Ludouici Imperatoris legatos ob ea quæ clam facta fuerant, de contemptu egisse, & postea cum ais satisfactum fuisset, electionem ratam habuisse, quæ sine eorum confirmatione nullius momenti fuisset. Restant aliqua de Caroli Calui iure in sacrosancta Ecclesiæ ministeria vobis dicenda. Is anno DCCCLXXXI. in Gallias profectus Hugonem HLutharii & Waldradæ filium ad se venientem in suum dominium transtulisse fertur: & Annales dicunt eum illi Abbatias & Comitatus in beneficium dedisse, vt sibi fidem seruaret.

Post, cum attritæ fuerunt Regum vires, Pontifices, & Episcopi ab eorum potestate sese submouere tentarunt. Sic Adrianus IIII. tempus expectans, quod sibi commodum esset, cum Imperatorem Carolum Crassum in bello contra Normanos impeditum vidit, decreto statuit, ne amplius Pontifex Imperatoria authoritate eligeretur, sed liberis cleri & populi suffragiis. Et eius successor Stephanus V. vt Romanæ Ecclesiæ caput inter alias Ecclesias extolleret, eius decreta necessario ab omnibus obseruanda edixit. Sed post eum Formosus è Portuensi Ecclesia vocatus, electus, & in Pontificatum promotus ab Arnulfo Imperatore, confirmatus est: & ita ius primum Imperatori conseruatum. Certe Stephanus VII. acta Formosi rescidit, & Romanus ac Theodorus secundus contrario iudicio illius decreta restituerunt. Postea in Concilio Rauennensi statutum contra Pontificis Adriani III. rescriptum, *ne Papæ, postquam electi forent, consecrarentur nisi præsentibus Imperatoris legatis, aut missis.* Dein Sergius, Lando, Ioannes XI. & Ioannes XII. à Marozia, & Theodora, meretricibus Romam tunc regentibus, Pontifices facti veritatem DEI in iniustitia & fornicatione detinuerunt, vt per hæreditarias scortationes ad summi sacerdotii dignitatem peruenerint. Et Leo VII. Romanorum suffragiis creatus, expulso Ioanne XII. placatam Maroziam non habuit, sed ab ea sublatus est. Et in eius locum substitutus Stephanus VII. qui cum Maroziæ gratus non esset, successorem habuit Ioannem illum XII. cuius illa mater primatum in Ecclesia, vt in vrbe Romana habuit: quæ cum mortuo Guidone marito Hugonem eius fratrem Burgundum Italiæ Regem Romam vocasset sollicitatum, vt secum nuptias contraheret, is tandem ab Alberico, Ioannis XII. Pontificis fratre, & à Romanis expulsus est, qui Burgundionem pati non poterant: & iam tum solos Italos in summis Imperiis videre cupiebant, vt ex *Luitprandi historia* discimus. Et quamuis tunc Romæ non Imperialis potestas, sed atrocium fœminarum tyrannis vigeret, tamen erat aliqua Imperii vmbra, & ius creandorum Principum Imperatoribus conseruatum est perinde eorum, qui per vim fundos alienos occupatant, possessionem & detensionem: quoniam vero Domino possidere censentur, qui postliminii iure omnia recuperat. Interea in Francia Episcopatus à Regibus donabantur. Nam, vt teste Flodoardo, Rex Carolus Tungrensem Episcopatum primum Hilduino, dein Richario concesserat: postea cum Rex Robertus Regno Francorum successisset, Episcopatus quoque contulit. Et post eum cum Rodulphus Rex factus esset, apud vrbem Suessionem in monasterio Sancti Medardi, post obitum Dadanis Viridunensium Episcopi, Episcopatus Hugoni ab eo concessus est. Et post mortem Seulfi Remensis Episcopi, Episcopatus Heriberto Comiti commissus (vt scribit Flodoardus) sub obtentu filii eius Hugonis admodum paruuli, nec dum, ceu ferebatur, quinquennis. Scio dici posse, id recte factum non esse, cum ea ætas Episcopali muneri obeundo non esset idonea. Sed an Regio iussu Episcopatus committi, vel conferri potuerit, certe dubitari non debet. Redeamus ad statum Romani Imperii, & sedis Apostolicæ, vt quæ ad electionem pertinent, ex breui serie historiæ cognoscantur. Audiistis, Ioannem XII. ab iis, qui Romæ regnabant, vel vt vere dicamus, tyrannidem exercebant, quasi iure sanguinis non ad sedem, sed ad successionem, non ad Episcopatum, sed ad hæreditatem vocatum, & sedi Romanæ impositum. Post ipsum Leo VII. & Stephanus VIII. & Martinus III. sub Alberico Maroziæ filio in Episcopalem dignitatem suffecti fuere: & Agapetus II. sub Berengario, qui se Italiæ regem dicebat. Et post eius excessum Octauianus Alberici Romani principis filius Pontifex electus fuit, non tam quod magna esset de eo pietatis opinio, quam quod multum Romæ poterat. Itaque cum ipse ad Pontificale solium peruenisset, constitutionem fecit, qua statuit, vt Imperator Augustus à Pontifice Rom. coronaretur, & Othonem iureiurando adegit, qui vt Romanis gratus foret, promisit se nihil Romæ facturum de iis, quæ ad Romanos vel ad Papam pertinerent, sine Papę consilio, & se quantũ in illo situm esset, tam per se quam per

suos

suos ad terram sancti Petri defendendam adiutorem fore, vt habetur in *cap. tibi Domino. distinct. 63.* apud Gratianum. At cum hic Pontifex Ioannes ab adolescentia in sermonibus impudicæ matris & sororum stupris educatus, sui ipsius oblitus esset, Cardinales duo eius diaconi Othonem Imperatorem monuerunt, & supplices ab eo petierunt, vt prospiceret, ne Romana Ecclesia in scandalo & infamia diutius versaretur, quod cum resciuisset, vni ex his Cardinalibus nares, alteri manum, qua literas Imperatori scripserat, truncari iussit. Et tandem ob impia facinora, quibus infamis ille Ecclesiam opprimebat, à Cæsare depositus est, & Leo VIII. ei subrogatus, vt Arnulfus Rhemensis Episcopus in Synodo Rhemensi *canone 28.* testatus est. Post, a Leone VIII. Romano Episcopo, qui seditiosos quosdam Episcopos precibus, precio, vi, & suffragiis vndique mendicans electos viderat, vt huic malo occurreretur; statutum fuit in Synodo, ne quis Papa fieret absque Imperatoris consensu, & vt Imperator ac eius successores suarum prouinciarum Episcopis inuestituras concederent: imo, & de iis, quæ ad sedem Romanam pertinebant, statuerent, & vt nemo deinceps Episcopum vllum, siue Romanum, siue alium ordinandi haberet facultatem absque Imperatoris consensu, vt refert Gratianus in dicta *distinct. 36. cap. in Synodo.* Deinde Ioannes XIIII. Othonis II. authoritate cathedram Apostolicam ascendit. Certe postea pro bono pacis precibus istius Apostolici Arnulfus è vinculis in sedem Rhemensem restitutus fuit, & Gerbertus Archiepiscopus Rauennatis Ecclesiæ factus Othone Imperatore promouente, cuius præceptor fuerat, vir gratia Imperatoris & prima sede dignus, dein Pontifex Romanus creatus, vt ante illum Benedictus VII. & Ioannes XVI. inuito Crescentio Romanor. Patricio & vrbis defensore, cum idem Imperator illis dignitatem tribuisset: & Gregorius V. quem cum Ioannes XVIII. Antipapa Crescentii & Romanorum aliquot suffragiis electus, sede deturbasset, tandem ab Imperatore restitutus est. Et post eum Gerbertus ille magnus, non magus, vt Itali Gallorum aduersarii dixerunt, iussu Imperatoris sedem Apostolicam tenuit, vir excellentissimus, & erga pauperes humanissimus. Hic nullam in Regem Francorum sibi vindicauit authoritatem, nullam ordinandorum in Franciæ partibus potestatem, quod nimirum probe nosset, quid, vt Romanus Pontifex, posset in Ecclesia statuere, & quid etiam non posset, nec deberet. Sane eius successor Ioannes XIX. ius nouum in Ecclesiam introducere conatus, vt Romanæ Ecclesiæ primatum ad Roman. clerum transferret, populo eligendi facultatem abstulit, spretis Imperat. & regum constitutionibus. Et Romani post hanc constitutionem duos Pontifices elegerunt absque Imperatoris consensu, Ioannem XX. & Sergium IIII. qui antea Os porci vocabatur. Tum eorum successor Benedictus VIII. alia lege statuit, nullum Imperatorem dici posse, nisi quem Papa morum probitate Reipublicæ idoneum delegisset, cuique imperiale insigne commisisset. Sed hæ sanctiones ius Imperatorum tollere non potuerunt. Siquidem quæ clam facta sunt, vel insciis Principibus, nullum eis præiudicium parere potuere. Multa etiam aliquando fiunt, quibus ipsi resistere nequeunt, vt cum Abner à Ioabo occisus fuit, Dauid necem Abner vlcisci non potuit: *Ego autem*, inquit, *adhuc vnctus Rex & delicatus: porro isti viri filii Saruia mihi duri sunt*, Regum 2. cap. 3. Quamobrem Henricus II. Imperator dissimulare cogebatur, vt cum illo Benedicto VIII. Papa gratiam inire posset: à quo vix impetrare potuit, vt Bambergensem Ecclesiam in Cathedralem erigeret, nisi ea lege, vt annis singulis Romano Pontifici centum argenti marcas cum albo & phalerato equo soluere teneretur. At post Benedictum VIII. Ioannes XXI. eius frater vel consobrinus à Romanis vexatus & despectus fuit, qui illum à sede Apostolica expulissent, ni Conradus Imperator eum sese in ipsius fidem ac clientelam conferentem suscepisset. Dein rebus turbatis Bonifacius VII. illicitis artibus ad Pontificatum ascendit, & cum priorem Papam ad cruorem & cædem extrahi iussisset descendere coactus C. P. fugit. Dein auri & argenti copia corruptis Romanis, sedem Apostolicam Romanam rursus recepit, & Ioannem XV. qui eo absente electus fuerat, impie confecit: ob malas artes non Bonifacius, sed Maleficius appellatus, vt in magna Synodo Rhemis congregata circiter annum DCCCCXCII. *in capite 28.* Arnulfus Aurelianensis publice testatus est. Tunc Francorum Rex Hugo Arnulfo Episcopatum Rhemensem dedit. At is rupta fide, quam in Rhemensis illius Synodi *octauo canone* patres ab eo promissam recitant, se suosque in regem productis copiis armauit. Quamobrem depositus fuit, & in eius locum substitutus Gerbertus, vt apparet *ex Epistolis* à Rege Hugone scriptis, quarum vnam ex Gerberti libro nuper in tractatu *de Romanorum Pontificum legatorum potestate* retulimus. Et cum monitus Arnulfus ad Concilium vocatus, nec se purgare vellet, nec à furore abstineret, ac Regem Hugonem adisset, nouisque conditionibus regiæ mensæ particeps factus fuisset, rursus fidem violauit, vt Carolo agnato suo Lotharingiæ Duci faueret, ad quem impius transfugit. Itaque in vincula coniectus est, & Gerbertus Archiepiscopatu Rhemensi regia liberalitate donatus. Quid de Benedicto VII. Papa dicemus? Is nisi Imperatorem Henricum II. defensorem habuisset, quia Romanis erat inuisus, diu non fuisset Pontifex, vt neque Ioannes XXI. sine authoritate Conradi. Equidem postea Benedictus IX. antea Theophylactus dictus, filius Alberici, qui Ioannis XXI. & Benedicti VIII. frater fuit, ad Pontificatum promotus est spreta Imperatoris authoritate. At quid inde consecutum est? Quoniam Imperator Pontificem non confirmauit, schisma in Ecclesia ortum, & tandem Benedictus

Pon-

Pontificatum Ioanni Gratiano vendidit: qui cum admitti non potuisset, creatus alter Sabinensis Episcopus, & Syluester III. vocatus, dein eiectus, *quod nimium iuuenis* (vt ait Glaber) *ab omnibus rideretur*. Tunc vni Ecclesiæ tria capita imposita, Benedictus IX. Syluester III. & Gregorius VI. Sed in Synodo ab Henrico III. Imperatore congregata, tres isti Pontifices, vel, vt vere dicamus, Schismatici, deiecti fuere. Post Suindegerus Bambergensis Episcopus Pontifex Romanus ab Imperatore factus Clemens II. appellatus. Tunc à Romanis iuri eligendi renunciatum fuit iureiurando corporaliter præstito. Sed postea Clemente isto sublato Stephanus Bagniarius in eius locum ab Imperatore creatus est, cui Damasi II. nomen datum. Et vigintiquinque post diebus extincto à Romanis Damaso Bruno Tullensis Episcopus Hugonis Comitis Aspurgensis & Etistensis filius Pontifex ab Henrico nominatus est. Is fuit Leo IX. qui ab omnibus vitæ integer habebatur, sed Hildebrandi consilio cum vestem Pontificiam indueret, protestatus est, se honoris illius prærogatiuam non ab Imperatore, sed Romanorum suffragiis habere. At is postea Concilium in Ecclesia Lateranensi celebrauit, vbi Romanos ad sacramentum fidei Imperatori exhibendum adegit. Post eius mortem Imperator Moguntiæ Episcoporum Synodum congregauit, vbi Romanis Papam per Hildebrandum legatum petentibus, Gerhardus Eistatensis Episcopus Papa electus fuit, & Victor II. dictus. At cum is à Comitissa Mathilde aduersus Imperatorem armatus fuisset, Stephanus IX. Ducis Lotharingiæ frater, fœmineæ illius artibus ad Pontificalem cathedram euectus est: qui cum per Cardinalis Brazuti insidias veneno sublatus fuisset, ac Hildebrandi dolo: Romani clerici iureiurando ab illo adacti fuere, ne quem sinerent ad Pontificalem sedem ascendere, nisi qui à populo & clero electus foret. Sed Benedictus X. quamuis clericis contradicentibus à populo electus fuit. Quod cum ægre ferret Hildebrandus, Gerardum Allobrogem, qui Florentinus erat Episcopus, Senis eligi curauit, qui Nicolaus II. dictus, in Lateranensi Concilio Romano Pontificum electionem ad Cardinales transtulit, ea tamen lege, vt à clero & populo Romano approbaretur, *cap. in nomine Domini, distinct. 23.* At ius Imperatoris hac constitutione tolli non potuit. Et post hunc Pontificem, qui & Brazuti dolo interiit, alius ab Imperatore in Basiliensi I. Synodo electus, & Honorius II. vocatus est. Sed cum Romanis haud placeret, Anselmus Lucensis Hildebrandi consilio ab iis electus, Alexander II. dictus, vnde Schisma in Ecclesia Romana fuit. At hic Alexander postea declarauit, se in Cathedra D. Petri sine licentia Imperatoris sedere nolle, & hoc nomine ab Hildebrando in carcerem detrusus fuit. Post hic Hildebrandus contra Imperatorem bellum gessit. Verum non ei ius, nec tanta vis eius fuit, vt Episcopatus, vel alias dignitates Ecclesiasticas aut beneficia in Francia, vel in Germania, aut in Anglia contulerit. Rex enim Francorum ius inuestituræ habebat, vt Imperator in Germania, & Rex Henricus primus in Britannia, teste Matth. Westmonsteriensi in *floribus historiæ Britannicæ*. In Romana autem Ecclesia post Gregorium VII. Victor III. sub Mathilde Comitissa, quæ tum Romam gubernabat, Pontifex fuit. Dein Vrbanus II. ab eadem illa Mathilde ad sedem Apostolicam promotus statuisse dicitur, *ne quis clericus à seculari quocunque Principe inuestituram acciperet.* Sed hoc decretum vim non habuit. Siquidem Guibertus Rauennatis Ecclesiæ Archiepiscopus ab Imperatore electus, & Clemens III. appellatus est. Vrbanus interim cum in Franciam fugisset, multos cruce signatos tam ex Germania, quam ex Galliis, in Palæstinam misit, cum nisi per eorum mortem res suas conficere non posset. Et certe cum illi ad bellum sacrum incitati longe profecti essent, ab infidelibus cæsi fuere. Nullum videlicet huic Pontifici videbatur iter apertius ad Pontificiam dignitatem amplificandam. Post, Paschalis II. eius decreta confirmasse dicitur, & beneficiorum collationes laicis in Concilio Trecassino prohibuisse Anno MCVII. Aiunt præterea, illum Clementis III. ossa è sepulchro erui & moueri iussisse. At his factis ius Imperatoris haud potuit extinguere. Nam vt Henricus IIII. Imperator eo aduersus Gregorium VII. vsus fuerat, ita & Henricus V. bello prius contra patrem gesto, multisque commissis præliis consultior factus, & cum Romæ Imperialem coronam accepit, Papa ius inuestiendi Episcopos ad eum pertinere fassus est. Sane dicunt, illum contra Imperatorem fuisse protestatum. Sed irrita fuit ista protestatio, neque quidquam per metum à Pontifice extortum fuisse dici potest. Etenim vt olim cessabat edictum de eo, quod metus causa, cum ei, qui vim sibi illatam dicebat, nihil oberat: ita vis dici non potuit, si Pontifex iustæ rei expediendæ causa aliquid passus est, sed ratio. At Pontificii obiiciunt, Henricum illum V. huic confirmandorum Episcoporum iuri postea renunciasse. An id potuerit, Germani viderint, qui suis legibus statutum sciunt, non posse ab Imperatore (vt ipsi loquuntur) noffari Imperium. Nec vero ista remissio, quæ ab Henrico V. facta est, eam vim habuit, quam Romani dicunt. Siquidem & post ipsam multæ inuestituræ ab eo factæ fuere. Quod per hanc renunciationem ius aliquod Papæ quæsitum fuit, certe Regibus Francorum nullum ex eo præiudicium factum est. Siquidem Papa isto Paschali II. Pontificatum gerente post obitum Manassis Rhemensis Archiepiscopi, cum ipse Papa Archiepiscopatum Richar. Viriduensi Episcopo contulisset, eumque à clericis Rhemensibus eligi iussisset absque Re. authoritate, & is sine Ludouici Francorum Principis consensu receptus fuisset, rex Geruagum nominauit, qui Ecclesiæ præfectus fuit. Tunc quidem Romanos Pontifices creandorum Episcoporum, & suis (quas vocant) signaturis conferendorum beneficiorum ius sibi vindi-

casse

carere cœperunt, missorum ab iis religiosorum & aliorum Ro. sedis potestatem prædicabant ministerio, à quibus ob Simoniæ crimen, cuius Episcopos Gallofrancos arguebant, alta voce clamabatur Romam eundum esse, vt à D. Petri successore dignitates Ecclesiasticæ conferrentur, sed iis restiterunt sancti Galliæ Episcopi, vt Hildebertus Cœnomanensis, & alii permulti. Verũ Pontifices Romani circa illa tempora, Ludouico VIII. qui Crassus dicebatur, in Francia regnante, magnam sibi potestatem quæsierunt, quoniam in Galliis diu fuere. Vidit enim ille Princeps quinque in Regno suo Papas Romanos, Vrbanum 2. Paschalem 2. Calistum 2. & Innocentium 2. De Gelasio vero scriptum legimus eum à Romanis electum Imperatore inscio. Sed ab eo alius Pontifex factus Mauricius Burdinus Gregorius VIII. dictus: & Pontificatus ab illo gesti confirmatio ius Imperatoris conseruauit. Nam licet hic Gregorius à Calixto II. Gelasii successore à Romanis electo de sede Apostolica deturbatus sit, tamen per vim istam Imperator iure suo priuari non potuit. Sed de his satis. Defendant sua iura Germani. Nos de nostro dicemus. Testis est D. Bernardus electiones Episcoporum Honorii II. Papæ tempore à clero factas esse; in *Epistola* 202. ad clerum Senonensem. Nec dixit à Ro. Pontifice Archiepiscopatus institutionem factam: quamuis illi ius pallii multis ante annis à Papa datum esset. Equidem anno MCXLII. Papa Innocentius II. Archiepiscopatum Bituricensem Petro cuidam gratiose dedisse fertur. At Rex Canonicis prohibuit ne illum reciperent, iurans se ferre non posse, vt alius Archiepiscopus quam authoritate sua nominatus præesset, quod iuramentum illicitum non erat, quicquid Pontificii ex D. Bernardo contra sanctum illum Regem dicant. Quod si euitandi schismatis causa, vel iste Princeps, vel alii etiam aliquando iniurias sibi illatas tolerare voluerunt, eorum authoritas si in eo læsa, at certe penitus sublata non fuit. Sed non mirum est, si Innocentius ille II. qui populo & Imperatori Romanorum ius creandi Rom. Pontificis plane abstulit: imo & cleru, exceptis Cardinalibus, ad quos solos transtulit eligendi facultatem, in Galliis etiam ius nouum sibi acquirere voluit. Certe illius authoritate ac consilio freti multi clerici & religiosi à regia potestate sese subtrahere conati sunt, vt ex Sugerii Abbatis electione à D. Dionysii monachis absente Rege facta ab Historicis notatum est. At interposita fuit à Regibus nostris contestatio contrariæ voluntatis, & à fidis eorum ministris, vt ex Yuone Carnotensi docuimus, licet is per gratiam Pontificis Episcopatum adeptus fuisset. Et nihil tam profuit Rom. Pontifici quam Francorum Germanis & Germanorum Francis inuidiosa potentia. Etenim ortæ inter Reges & Imperatores inimicitiæ Pontificiam authoritatem & dignitatem auxerunt. An vero Ecclesiæ vtilis fuerit Innocentii II. sanctio, qua populo ab electione excluso Pontificem à solis Cardinalibus eligi voluit, Inde iudicari potest, quod cũ Cælestinus hac electionis forma creatus fuisset, Lucius 2. eius successor summæ potestatis penes se, vt Pontificem esse contendens, patriciatum Romanis auferre conatus, lapidibus obrutus, & vulneratus ab Imperatore auxilium petiit. Verũ cũ Imperator qui illum non confirmauerat, ei suppetias non tulisset, miserrime obiit. Sed post eum Eugenius III. Papa ab Imperatoris potestate liberum se existimans pro Principe se gessit, tam in spiritualibus quam in temporalibus Pontificia dignitate abusus est. Tanta erat seculi illius ambitio vt eam D. Bernardus, Pontificum alioqui defensor magnus, reprehendere coactus fuerit: & eodẽ spiritu sub Adriano IV. Ioannes Saresberiensis Carnotensis Episcopus aduersus Romanos clericos librum composuerit, quem *Obiurgatorium cleri* inscripsit. Tumque schisma; quod extinctum in Ecclesia Rom. aliquot annis fuerat, rursus exortum est. Nam cum Romani Alexandrum III. elegissent, Victor Antipapa creatus, & ab Imperatore confirmatus est. Dein cum vtrique dies dicta, & neutri scopus esset vt beata foret Christiana Ecclesia, Alexander contumax cremodicium contraxit, & Fridericum, quem contemnebat, sacris arcuit. Post ab eo statutum, vt Pontifex Romanus à duabus Cardinalium partibus eligeretur *c. licet. de elect. in decretalibus.* Et id hodie seruatur. Neque nos multorum annorum consuetudinem abrogandam dicimus, neque minuendam sedis A.R. dignitatem, quamuis Germani scripserint circa annum MCLXVII. à Romanis Friderico Imp. iusiurandum fidei præstitum, & inde cum Imperator cætera habuerit Imperii iura, cõsequens dicant, & ad ipsum electi Pontificis pertinuisse confirmationem. Sed etsi tunc Alexander III. adeo vigilans potestatis suæ custos fuerit, vt etiam in alienas prouincias summum Imperium sibi arrogare ausus sit, vt ex *c. sicut dignum. de homicidio*, & multis aliis eius sanctionibus videre est, tamen ius nouum in Franciam non potuit inducere. Et Philippus Francorum Rex, teste Petro de Vineis (qui Friderici Imp. scriba fuit) *c. 13. lib. 1 epist.* ad Cardinales Romanos scripsisse fertur, dici posse Romanam curiam, non curam, dum Salmonem legens despiciebat Salomonem. Fuit ille Rex sanctissimus, qui constitutionem fecit de electione in Ecclesiis Cathedralibus à canonicis & in monasteriis à religiosis facienda, quamuis non improbaret beneficiorum eiurationes. Meminerat nimirum Petrum Longobardum Parisiorum Episcopum fuisse per cessionem illius Ecclesiæ ab Archidiacono Philippi Ludouici regis fratre factam, qui à maiori parte electus fuerat. Sed quoniam verebatur, ne aliæ cessiones non eadem mente fierent: ideo electionem meliorem & vtiliorem censuit. Et quamuis Cælestinus 3. in *c. sane dilecto. de renunciatione*, & alii etiam Pontifices sub illa tempora constitutiones aliquas fecerint, quibus in Pictauienses & alios Franciæ clericos ius conferendorum ex renunciationibus beneficiorum sibi tribuerunt, tamen id Gallicanæ Ecclesiæ, & eius libertati fraudi esse non debet: nec etiam constituta ab Innocentio III. in *c. quidam cedendi*, & in aliis constitutionibus, quibus eiurationes

Z admit-

Et donec ab Episcopis fides data sit, ipsique se in clientelam regis contulerint, sedes Episcopales vacant: & beneficia omnia (curatis exceptis) quæ ab Episcopo conferrētur, à rege conceduntur, vt ex testamento Philippi Augusti apparet, quo circiter annum MCXC. cum in expeditionem belli sacri in terram sanctam proficisci vellet, Reginam in sua manu regalia tenere iussit, quousque consecratus esset vel benedictus Episcopus, post iuramentum præstitum. Post vero Regalia sine contradictione reddi voluit. Reditus autem interea aut perceptos aut percipiendos, vel pensiones ciuiles aut alias Episcopatui debitas, quandoque à regibus B. Martini Turonensis baiulis ac ministris, ac sanctæ Capellæ Parisiensis Thesaurario capitulo, quandoq; aliis concessi fuere. Ius autem istud Regaliorum adeo eximium fuit, vt reges illud semper sibi reseruauerint, vt Rex D. Ludouicus diplomate anni 1247. & eius filius Philippus Audax, qui eo vsus est contra Nicolaum III. Pontificem, teste G. Durando in *speculo tit. de legato*. Cum enim Nicolaus præbendam contulisset, quam ante suam promotionem in ecclesia Laudunensi habuerat, Rex dicens præbendæ collationem ad se pertinere, *alii* (inquit) *de facto eam contulit*. Et Philippus Pulcher anno 1292. fratri suo Carolo Valesio Ducatus Valesii, Alenconici, & Andegauensis, & Comitatus Cœnomanensis Ecclesias custodiendas commisit, cum exceptione his verbis concepta, *excepta garda Ecclesiarum Cathedralium Andegaviæ & Cenomaniæ, exceptoq; Regali nostro*. & idem factum à Regibus Ioanne 1360. & Carolo V. centum post annis. Et hæc diplomata multis SC. fuere confirmata. Certe ius istud in quibusdam prouinciis à nonnullis Regibus remissum fuit. Verum in maiori parte penes eos remansit, & etiam in Armoricæ Britanniæ ecclesias reges Francorum eo vsi fuere. Nam quemadmodum Ecclesiæ Armoricanæ Archiepiscopo Turonensi vt Metropolitano subiectæ erant, sic & Armorica regia Francorum, vt didicimus ex rebus gestis sub Carolo Calno. Tum enim Neomenius Brito (vt scripsit Nithardus) cum Rex ille Carolus ad eum misisset, scire cupiens, an se ipsius ditioni vellet reddere, adquiescens consiliis plurimorum, Carolo misit munera, & (vt loquitur historicus) *sacramento deinceps fidem illi seruandam firmauit*. Et ex vita *S. Ioberti* apparet, Armoricæ Ecclesias in regum nostrorum tutela fuisse. Nec recepta à Senatu fuit Ludouici XI. constitutio, quam Armoricani quidem in *Rationalium* scriniis perscriptam ferunt, qua Rex huic Regaliorum iuri renunciasse dicitur. Etenim vim constitutionis habere non possunt diplomata regia, nisi auditis aduocatis & procuratore Principis, à Senatu adprobata & eius authoritate promulgata sint. Curandum igitur vobis est, Gallo-franci, vt iura ista integra & illibata regi nostro seruentur.

Nominatio & præsentatio ad primā præbendam sive, Primæ preces.

Sed & aliud ius, quod vniuersi dominii ratione regiæ Maiestati competit, sancte & constanter tueri nos oportet: ius videlicet nominandi & præsentandi (vt nostri dicunt) ad primam præbendam vacaturam in omnibus ecclesiis Cathedralibus & collegiatis pro iucundo aduentu, quod ius non solum à Doctoribus nostris adsertum est, verum & ab Italis, vt docet Præpositus in *cap. imperium, dist. 10.* Nec vero ideo Regi nostro competit, quod Papa Innocentius VII. Ioanni regi Francorum ius nominandi ad præbendas concessisse dicatur, vti ab eo adnotatum est, qui ad pragmaticam sanctionem anni 1438. commentarium scripsit in *tit. de collat. §. placuit.* in verbo *facultates*, vbi allegat *Extrauagantem, eximiæ deuotionis*. Nam id multis ante seculis regi Francorum competebat coronæ suæ iure, quale ius illud quod habet Imperator, qui in omnibus Alemaniæ Ecclesiis canonicum præsentat. Hæc dicunt Spec. *in tit. de præb.* & Ioh. Andr. ad *c. is cui. de præb. in 6.* & Ioan. Lupus Hispanus in *rep. Rubr. de donat. inter vir. & vxor.* Reges Hispaniæ eodem iure vti dicit: & ius Regum nostrorum agnoscit vir alioqui nobis infensus, qui alia multa non ita vera pro Regni Nauarræ detentione in Hispanorum gratiam contra Regis nostri proauos scripsit. Sed pergamus, & ostendamus, qua ratione hoc ius nominandi & præsentandi post introitum noui Regis introductum sit. Id ex lege Olitana locum habet, ex qua cum Reges Francorum per successionem prodeant ab Ecclesiis illis subditis nouis successoribus munera edita sunt. Et ideo ius istud multis placitis tam magni consilii, quam aliis confirmatum fuit pro præbenda Rutenica anno 583. Kal. Sept. & pro Santonica anno 84. Quod summa ratione iudicatum est. Cum enim sacerdotalem & regiam dignitatem Deus è cœlo cōstituerit, Regiæ id tribuit, vt Rex ea habeat quæ ad Ecclesiæ gubernationem & administrationem spectant, spirituali tantum ordinatione & manus impositione excepta. Vnde in quibusdam huius Regni Ecclesiis ipse Abbas est, vt in Ecclesia B. Martini Turonensis, in qua iuramentum præstat, cum recipitur in Abbatem & canonicum (vti in librario D. Martini scriptū est.) Sic est ecclesiæ D. Hilarii Pictauiensis Canonicus, & aliarum multarum, vt etiam Itali scripserunt, Panormitanus nimirum in *c. extirpandæ. §. quoniam vero, de præbend.* & alii. Hæc sunt regis Francorum iura, quæ sacrosancta & inuiolata à nobis habenda sunt. Vt autem conseruentur, exemplum Imperii veteris, imaginem antiquitatis, & columen regni intueri oportet.

Audistis Gallo-franci, quæ à nobis de necessitate, vtilitate & forma congregandi Concilii proposita sunt. Superest vt aliorum euentis memoria repetendis, nil accidisse noui nobis cogitemus. Non hæc prima dies est, qua in Gallicanam ecclesiam & Francorum regnum Hispani & alii aduersarii nostri nominis, qui id vnum student, vt alienas possessiones inuadant, temere irruerunt. Maiores vero nostri per Cōcilia iura Franciæ integra tutati sunt. Et vt Arelatense primum & Elibertinum à Constantino conuocatum, & postea Nicenum vniuersale, Constantinopolitanum I. Ephesinum I. & Chalcedonense eiusdem Constantini & Theodosii atque Martiani Im- *Concilia.*

peratoris iussu congregata fuerant, & sextum C. P. à Constantino Rhinotmero, Romanum à Theodorico, Aurelianēsia à Clodoueo, & aliis Francorum regibus, & alia moriente Papa Gregorio I. Denique vt accedente Rom. Pontificis authoritate, qui & ipse per literas Episcopos ad vniuersalem congregationem vocauit, & Gallo-Francorum Pontificum interueniente consensu ad prouincialia Cōcilia Episcopi coacti sunt: & vt Carlomannus anno DCCXLII. Synodum in Francia celebrauit, & Episcopis congregatis Bonifacium missum Apostolicum super eos constituit, & Leo Papa in priuilegio, quod Ecclesiæ B. Martini Turonensis contulit, testatus est anno sexto piissimi Imperatoris Caroli, sacrosanctum concilium pontificum ex imperio magni & Orthodoxi Imperatoris vnanimiter coactum fuisse. Et vt D. Epatchii Engolismensis monachus in *vita Caroli* huius *Magni* obseruauit, illum Ardenna ad Aquas reuersum Concilium habuisse de spiritu sancto procedente à patre & filio: & à Ludouico Pio contra Godescalcum presbyterum de prædestinatione male sentientem, concilium congregatum legimus ad annum circiter DCCCXLIII. & aliud Wermeriæ à Carolo Caluo, Trecassinum sub Carolo Crasso, Coloniense anno DCCCLXXXVII. & Moguntinum ab Arnulfo DCCCLXXXVIII. & sub Ludouico VII. rege, cum Leonuram vxorem repudiasset, Baugentiacum in Francia, Gallicanum & Viennense sub Philippo Pulchro, aliaque plurima authoritate regia conuocata sunt: Ita hodie vt ab Imperatore in Germania, sic ab vnoquoque Principe intra territorii sui fines conuocandi sunt Episcopi, & admonendus Pontifex Romanus, vt ex veteri more illos in vnum cogat, vt vniuersalis Synodus in vtilitatem totius Ecclesiæ contrahi possit secundum formam in conciliis Constantiensi & Basiliensi præscriptam: Aut si generalis Synodus congregati nequeat, prouincialis à singulis cogenda est.

Appellatio à Papa ad Concilium.

Interea, Gallo-franci, nolite credere quidquam à Romano Pontifice in Reges nostros statui potuisse, nec in eorum domesticos & subditos, præsertim eos, qui officiales Regii vulgo appellantur, quod vim legis habeat. Nam decreta illa, quę ab aduersariis nostris proferuntur, à Xysto V. facta contra Henricum III. qui Rex noster fuit, & contra Henricum Borbonium, qui nunc nobis imperat, nulla & irrita esse docuimus. Et quando opus erit, ab iis ad liberum Concilium prouocabitur. Interim vt Philippus Augustus Rex à Papa Innocentio III. ad futurum Concilium appellauit, quod in regis Britanniæ gratiam, qui se pontificiæ potestati submiserat, iuris dicendi potestatem vsurpasset, & Senatusconsulti, quo Normaniæ, Aquitaniæ, & Andegauiæ Ducatus cum Cœnomanensi Comitatu ad regnum adiuncti fuerant, executionem vetuisset, nos idem facturos protestari oportet, nisi acta non tam Xysti Pontificis, quam Hispanorum & Guisianorum à bono Pontifice rescindantur. Quod si Michael Cesenas vir religiosus, & alii multi Itali à Papa prouocauerunt, & Ioannes Teutonicus decreti glossator contra decimarum exactiones à Clemente IV. factas: si anno MDXVII. vniuersitas Parisiensis aduersus Leonem X. Pontificem prouocauit, quia pragmaticam sanctionem regis Caroli VII. iussu Biturigibus factam aboleuerat, & dixit, Papam non esse impeccabilem, laudans concilii Basiliensis prouidentiam: si huic vniuersitati licuit ambitionem & auaritiam omnium malorum causam damnare, & reseruationes pessimas cum cæteris grauaminibus & inuentis nouis: si conquesta est Academia à bonis viris literarum studia deseri, si detestata est beneficiorum execrabilem (vt cum canonistis loquamur) pluralitatem, si exoptauit beneficia gratis dari, si contra reseruationes generales exclamauit, si desiderauit idoneos viros per singulas Ecclesias constitui, quales instituendos Paulus Tito præcepit: Si Annatas, quanquam à Iustiniano Imp. approbatas, ex concilii Basiliensis decretis damnandas censuit, & illius concilii statuta secundum regis Caroli VII. mandatum seruanda dixit, si contra Leonis X. conciliabulum libere proclamauit, & illud nullū esse contendit, quemadmodum & Pii II. Papæ bullam, qui, cum esset Æneas Syluius, concilium illud laudauerat, deinde pontifex factus improbarat, quare id hodie nobis facere non liceat? Scio apud Italos fuisse multos, qui à Papa prouocari non posse ideo dixerunt, quod à Deo (cuius est vicarius) appellare non licet. Verum Augustinus Anconitanus, qui hanc opinionem recitat, dum quæ in vtramque partem dici possunt, proposuit, plura in contrariam sententiam dixit: videlicet, vt appellari posse videatur tanquam ab homine, qui vt humanum est errare & labi, minus rectum iudicium ferre potuit. Scimus etiam à Papa Pio in concilio Mantuano veritum fuisse, ne à Pontifice Romano ad Concilium appellaretur. Sed nos appellamus & prouocamus à Romanis Pontificibus ad eorum conscientiam, an à primo vsque ad vltimum ipsi non homines fuerint. Illa nos iudicet, illa nos damnet, si Romani potuerint negare, omnes Pontifices suos homines fuisse. Attendite vero qui fuerint iudices, à quibus in Mantuano concilio Pii statutum probatum est. Certe non erat hęc vniuersalis totius Ecclesiæ Synodus, sed Conciliabulum à Papa congregatum. At si propter eorum qui illi interfuerunt violentiam, nemo eis in ea vrbe, in qua conuenerant, restitit, ab eorum sententia appellari potest ad vniuersalem & œcumenicam Synodum, cum illa sanctio Mantuana sit canonibus contraria. Et vt Romano iure, is qui libellos ei à quo appellauerat dare non poterat, publice proponebat, cur non liceat nobis id facere? Nonne cum ille Papa Pius Sigismundum Austriæ Archiducem sacris arcuisset, quod is Cardinalem Cusanum in vincula coniecerat, ille à Pontifice ad Concilium appellauit? Nonne & Carolus V. Regis Hispaniæ pater aduersus Clementem pontificem prouocauit, cum illi aduersarius fuit? Id si illi potuerunt, nobis interdici non debet. Isthæc enim prouocandi facultas nullis pontificum decretis, nec Hispano-

rum

rum scriptis auferri potest: sed sub rege nostro Henrico IV, vt regni leges, ita Ecclesiæ Gallicanæ libertatem intactam tueri & conseruare oportet.

Concionatores rebelles & turbulenti.

Dum vero Concilium optamus, id à prælatis Ecclesiasticis maxime prouidendum est, vt in Ecclesias & parochias viri pii mittantur, qui pure & sancte de religionibus sacris & ceremoniis Christianis quotidie concionentur. Et in hoc Xysti V. papæ consilium sequi operæpretium est, qui Romæ nuper statuit, *ne concionatores aliud quidquam præter Euangelium prædicarent.* Siquidem ab iis, à quibus prædicandum est, pars maxima populi in Francia à vera fide submota est, ita vt isti homines proditores & extinctores animarum, & non verbi diuini interpretes, sed impostores dici debeant. Etenim nomen istud quod veteribus Christianis per calumniam impositũ fuit, illis vere conuenit: quorum vtinam pro bono Ecclesiæ eloquentia ad infantiam mutatione quadam conuerti posset, vt cum coerceri nequeant, hac conuersione deducerentur. Id & vniuersæ Reip. christianæ & eis vtilissimum foret. Expellite istos homines qui perite & callide literas Romanorum pontificum ab Hispanis & Guisianis extortas, & decreta conficta in Gallia venditant.

Interdicta Pontificia.

Non existimo (viri principes) & Gallo-franci vos optimæ fidei plenos & constantissimos pontificiorum interdictorum fulminibus vllo modo moueri posse, vt à Rege nostro deficiatis. Interest enim Francorum & maxime principum, imo & regum, rerumpublicarum, & populorum omnium, ne ab vnius hominis arbitrio, & iudicio pendeant, Romani videlicet pontificis, si non ea mente faciet, qua magistratus facere debent, sed vt iniuriam inferat, quod tamen de eo quem expectamus nolim augurari. Fieri enim potest vt sit pastor pius. Sed ex iis quæ vt plurimũ contigerunt licet consilium capere. Quis enim nescit quæ euenerunt postquam pontifices versi in luxum, & capti opulentia; relictis cœlestibus, terrenis imperiis inhiarunt, secularibus administrationibus se immiscentes, vt Abiathar qui tentauerat vt superstite adhuc Dauide Adonias eo inconsulto Rex fieret. Sic à Bonifacio III. fœdus cum vsurpatore Phoca sancitum est, & à Gregorio II. cum Luitprando Longobardorum Rege contra Beneuenti Ducem. Is inter Papas primus stricto gladio eos quos dicebat sacri E.R. patrimonii spoliatores insecutus est. Sic à Gregorio III. cum Carolo Martello in necem Leonis Imp. fœdus initum. Sic à Zacharia, Stephano III. & Paulo I. cum Pipino Francorum Duce qui Regnum Francorum inuasit, postquam adierat sacram sedem, vt de rebus Imperii consuleret. Sic à Stephano IV. cum Carolo Magno. Papa enim, vt Monachus Engolismensis in Caroli vita recitat, *posuit anathema supra Tassilonem Ducem Baioariorum, si ipso Dux sacramenta quæ promisisse dicebatur Pipino & Domino Carolo Regi, non adimpleret.* Sic Adrianus fautor fuit Caroli Magni aduersus Desiderium Longobardorum Regem. Sic Gregorius IV. acceptorum à Ludouico Pio, qui eius electionem confirmauerat, beneficiorum immemor, eius filiis contra ipsum bellum gerentibus adfuit. Sic Ioannes Papa cum Carolo Caluo fœdus fecit, cui cũ Imperialem coronam imposuisset, ab eo obtinuit, vt Ansegisus Senonensis Pontificis Romani vices in Gallia & Germania teneret, & totius Galliæ & Germaniæ primas esset: quod tamen locũ non habuit, quoniam Gallofranci omnes Episcopi (excepto Burdegalensi) id impedierunt, vt Gallicanis libertatibus, & iuri Metropolitanorum contrarium, sicut ab Aimoino scriptum est. Sic Formosus ex alia quam Romana Ecclesia ad Pontificatum promotus Arnulphum Imp. aduersus Sergium Romam vocauit. In Gallia vero per Fulconem Remensem secreta Regni scrutatus est, vt inter Eudonem & Carolum cognomento Simplicem se arbitrum faceret. Sic Sergius cum Marozia insigni meretrice Theodoræ filia, quæ Romam gubernabat, societatem iniit, & Anastasius IV. cum Rodulpho Burgundionum Rege. Ita Adrianus 4. contra Gulielmum Siciliæ Regem Manuelem Imp. C.P. armauit. Ita Gregorius 7. cum Mathilde pactiones fecit, & Rodulphum aduersus Henricum 4. Imp. incitauit, dein filium Imp. contra patrem. Et hoc bellum aluit Vrbanus. Sic Stephanus VIII. teste Flodoardo anno DCCCCXLII. pro Ludouico contra Hugonem, aduersus quem iudicium Pontificium se interpositurum minabatur. Sic Paschalis II. cũ Roberto Flandriæ Comite, cui armis persequendos Leodicenses clericos exposuit, quod Episcopo suo Henrici Imp. partes sequenti obedirent. Ita Innocentius II. per Iuonem legatum Theobaldi Campaniç Comitis fautor fuit. Post eius causam deseruit, vt ex *217. Bernardi Epistola* videre est. Dein Alexander III. vt Fridericum ad necem designaret, eius effigiem Soltano misit. Sic Innocentius III. Regis Angliæ causam contra nos suscepit. Sic in odium Friderici II. Papa Gregorius IX. & curia Romana elegerunt in Imp. Robertum fratrem D. Ludouici Regis Francorum, à quo Rex noster ortus est, qui id constanter abnuit, & inito consilio, circumspecta prudentia Francorum ita respondit, *Quo spiritu, vel ausu temerario Papa tantum Principem, quo non est maior inter Christianos, non conuictum nec confessum de obiectis sibi criminibus exhæredauit, & de apice Imperiali præcipitauit?* His dictis cum abscessissent Papæ nuncii, Franci ad Imperatorem miserunt, post hæc dixerunt notatu digna. *Nos ambitio non pulsat. Credimus enim Dominum nostrum Regem Galliæ, quem linea Regii sanguinis prouexit ad sceptra Francorum regenda, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio prouehit voluntaria. Sufficit Domino Comiti Roberto Fratrem esse tanti Regis.* Hæc testatur Matth. Paris in *historia Anglica sub Henrico III.* vbi & aliam Historiam recitat variorum bellorum quæ per totam Germaniam orta sunt Archiepiscopo Coloniensi & cum eo multis prælatis & laicis Papam aduersus Imperat. Fridericum confouentibus. Tum addit Historicus in Flandriæ partibus ortam contentionem, quod primogenitus Buchardi filius illegitimus, sed per Papam legitimatus hæreditatem sibi vindicaret: *& secundus legitimus iniuriam sibi factam contendens omnia prædis & incen-*

Papa seculares facti: & eorum coniurationes aduersus Principes.

diu vastabat. Sed noua (inquit Matth.) *in curia Rom. inoleuerat consuetudo, vt cum bellum inter aliquot nobiles moueretur, vnam partium ad eam confugientem excommunicando alteram, & illos absoluendo potenter foueret, vt qui per illam resurgeret, omni tempore illi teneretur obligatus: quod in Dauid Principe Northunallia fuerat manifeste comprobatum.* Sic Vrbanus 4. fecit contra Manfredum, quem Siciliæ Apulia, & Calabria spoliauit, vt eam Carolo Comiti Andegauiæ & Prouinciæ regis D. Ludouici fratri adiudicaret, eius exemplo qui omnia mundi regna Christo ostendebat, & gloriam ac potestatem eorum *Matth. 4.* Sic à Bonifacio VIII. Albertum Austriacum aduersus Regem Francorum Philippum Pulchrum armarum diximus. Post vero Clemens V. Philippi fautor fuit: & Ioannes 22. cum Carolo Pulchro pactionem fecit, qua decimarum ab Ecclesiasticis soluendarum exactio Papæ ea lege permissa est, vt Rex partem earum caperet. Sic Benedictus XII. Luchino, Gonzagæ Estensi, & Scalæ anno MCCCXI. Vicecomitatum Mediolanensem, Mantuam, Ferrariam ac Veronam, & Albertino Carrarienio Paduæ possessionem confirmauit. Sic Clemens VI. excommunicationem Ludouici 1 v. Bauari Imp. à Ioanne 22 factam in regis Francorum gratiam confirmauit, à qua cum Benedictus XII. eum absoluere voluisset, a Rege Philippo Valesio impeditus fuerat. Ita Papa Xystus 1 v. primum Florentinis amicus, dein inimicus factus eos excommunicauit. Post, cum hortante Ludouico XI. Francorum rege ipsos absoluisset à Ferdinando Imp. Regis Hispaniæ abauo rursum eis aduersarius factus. Eius vero successor Papa Iulius 2. primo regis Ludouici 12. amicus eum aduersus Venetos armare conatus est. Et cum Genua capta Rex in Franciam fuisset reuersus, quia Bentiuolos in Mediolanensem Ducatū receperat, Papa ille gentis nostræ inimicus in regem nostrum, Ferdinandum armauit, & in Regem Nauarræ, quod Francis bellum non gereret. Eius consilium secutus est Xystus V. Pontificatus sui initio, vti diximus, qui illud mutasset, ni eum Hispani sustulissent. De his viris dicendum puto, quod sanctus Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus Italis & Gallis fratribus in epist. 69. his verbis scripsit, *Periit grauitas Pontificum, Pastores cum scientia gregem Domini reliquerunt, Canonum exacta obseruatio pessum iuit, multa peccandi libertas patet. Nam qui fauore humano ad Imperium deuenerunt, eodem ipso fauoris gratiam implent. Iustum iudicium periit: quisque cordis sui desiderio ambulat, malitia immodica, populi immorigeri, præfecti non libere loquuntur. Nam qui per homines sibi potestatem acquisierunt, serui sunt eorum quorum fauore adiuti sunt. Iam etiam arma belli inuicem (vltio videlicet sana doctrina) excogitantur, & priuatas inimicitias occultantes proprietate odium gerere assimulant.* Et sicut ille vir sanctus in epist. sequenti metuendum dicebat, ne vt Euangelium regni ab oriente exortum in totum orbem egressum fuerat, hac ratione communis animarum nostrarum hostis defectionis quoque seminaria in vniuersum orbem transmitteret: ita nobis verendum est, ne vt in Ecclesia Romana prima doctrinæ & fidei Christianæ, quæ in Gallia viguit, semina originem suam cœperunt, ibidem orta renascantur dissidia, nisi Dei prouidentia Pius Pontifex eligatur, qui consilium D. Bonifacii sequatur, ne digitum quidem vltra dignitatis suæ limitem extendens. Id si Deus velit, ea contingent, quæ vir pius Cardinalis Cusanus exoptabat, cum sub Basiliensis Concilii vltimi tempora, multa ex sextæ & octauæ Synodi canonibus proferens admonebat patrum constitutionem seruandam, & reformandos Metropolitanos ac Pontificem ipsum Rom. ne secularibus curis ac dispositionibus vacaret. At Romani obiiciunt etiam per dissidiorum occasiones pietatem ac fidem Christianam propagari: &, vt Pontifices excusent, dicunt eis licere eius Principis partes suscipere, qui Catholicam A. & R. fidem defendit, quamuis ambitiosa & fucosa illorum religiō sit, qui regnum alienum vel gloriam ardentius appetunt. Et vt iusta probent etiam inique facta Pauli Apostoli authoritatem citant, qui in Epistola ad Philippenses c. 1. sic dixit, *dum omnimodo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Sed longe alia fuit meos sancti illius Apostoli, quam istiusmodi interpretum. Non enim de iis loquitur qui cœlum terræ miscentes, vt vera cum falsis, ita quæ à Theologis, spiritualia dicuntur cum temporalibus confundunt, nec de ambitiosis principibus qui in eo labore viuunt, vt in quærendis regnis aut alienis possessionibus omnes suas cogitationes ponant. At sciens quosdam propter contentionem Christum prædicasse, vt ipsum in inuidiam vocarent, & non vt prostratum excitareot, nec vt laborantem recrearent, verum vt vinculis constrictus crudeliter vexaretur, ideo suas rationes ad eos scopulos appellebant, ad quos D. Pauli afflictam nauem videbant. Er hoc est quod dicit, *Quidam ex contentione Christum annuntiant*, non syncere, existimantes se pressuram suscitare vinculis meis. Erat vitiosa isthæc æmulatio, sed, vt alibi scriptum est, facere oportet quæ dixerunt Pharisæi, alioqui impii. Ita satis sibi factum recte dixit Apostolus, dummodo pura veritas illis in ore esset, & auditores ex eorum verbis aliquem fructum coosequi possent. Et vtinam seculi nostri concionatores, qui Guisianis & Hispanis addicti sunt, illius tantum æmulationis vitio laborarent, cuius meminit D. Paulus. Illi enim quamuis inuidi veritatem prædicabant. At isti, vt vani sunt, ita vanorum hominum mentes superstitionibus retrent, iis similes aduersus quos exclamauit Augustinus, qui nimirum in corporalia progressi atque lapsi, nihil aliud rectum esse putant, quam quod vel quinque nouissimis nunciis corporis sentiunt, & quas ab his plagas atque imagines acceperunt, eas secum voluentes, etiam quum conantur à sensibus recedere, & ex earum mortifera & fallacissima regula ineffabilia penetralia veritatis se metiri putant: Vilia & abiecta Guisianorum, & Hispanorum mancipia, quæ quoniam aliqua vtilitate affecta sunt, magno Reipub. Christianæ da-

mino gratias eis referunt: homines singulis vitiis excellentes, qui suas & aliorum animas perdunt, & infirmis ingeniis Romanorum fulminum metum iniiciunt, qui eis sapientiam omnem ex animo expecterat.

Excommunicari Reges an à Papa possint.

Aiunt isti homines, nos excõmunicatos esse, quod ab Henrico III. Rege nostro, quem excommunicatum ipso iure dicunt, post monitionem Xysti V. nos subtrahere noluimus, & quod Henricum Borbonium eius successorem anathemate mulctatum Regem Francorum agnoscimus. Et vt illum vitandum esse, persuadeant ex D. Matthæo illud Christi proferunt, *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* Nos vero dicimus, eos pro publicanis habendos & euitandos, qui isthæc dicunt. Et si olim Cardinalis Cusanus cum in concilio Basiliensi quæ agenda censebat, patres ad Ecclesiæ concordiam admonuit, si Zabarella & alii multi docti viri, tam Itali, quam Galli Papam Ecclesiæ legibus & canonibus subiectum dixerunt, & Ecclesiam audire debere, iuxta *c. legimus 93. dist. c. anno adhuc 9. qu. 3. memor. 24. q. 1. c ad perpetuam. 25. q. 1 & c. sunt quidam. 30. q. 1.* & secundum constitutionem Leonis Papæ *35. q. 1.* Nos ex antiquis canonibus adserimus, non modo Calixtum Papam Episcopis Galliæ in *c. nullus alterius. 9. q. 2. & in c. nullus primas 9. q. 3.* sed & Cælestinum & alios multos Pontifices prohibuisse, ne quis alius terminos vsurparet, nec parœcianum iudicare, aut excommunicare præsumeret: & ideo statuerunt neminem nisi sui iudicis sententia teneri, & damnari posse. Quod si quis dixerit, Pontificum legibus Pontificem solutum esse, vos an id verum sit, videritis. Id iudicare facile est ex professione Rom. Pontificis, quam ex libro Rom. Pontificum Yuo Carnotensis recitat, quæ his verbis concepta est, profiteor diligentius & viuacius omnia decreta canonica omnium prædecessorum nostrorum Apostolicorum Pontificum, quæ vel Synodaliter statuerunt, & confirmata sunt, confirmare, & indiminuta seruare. Et cum legum istarum & canonum ratio ex antiquis vniuersalibus & generalibus conciliis Niceno & Constantinopolitano I. petita sit, vt nominatim Cælestinus dicit, cum Episcopi ad Ecclesias, quæ sunt extra suam diœcesin suosque limites, accedere non debeant, ne Ecclesias confundant: sicut ordinatio, ita etiam iudicium, & aliarum rerum dispositio illis prohibetur: & adserere possumus cum ad Rom. Pontificem veteri iure Ecclesiasticarum dignitatum & sacerdotiorum ac beneficiorum in Franciæ partibus collatio, & ordinatio illa (quam vulgo *prouisionem* vocant) non pertineret, sed omnes Episcopi à prouincialibus, imo etiam Metropolitani ipsi per se suarum prouinciarum capita à propriis Synodis eligerentur: etsi postea Metropolitani à Romanis Pontificibus missi per pallium, vel per bullas, quas *signaturas* dicunt, confirmationem acceperint, vti post Synodum Chalcedonensem Ponticæ, Asiæ & Thraciæ Metropolitani & alii etiam aliqui, quorum in Concilio mentio fit, Constantinopolitano Patriarchæ subiecti fuerunt, vt ab eo ordinarentur: non ideo penes Roman. Pontifices potestas fuit excommunicandorum Franciæ Regum: sed ipsi & eorum domestici, & ii quos officiales appellamus, ex iure antiquo priscam libertatẽ conseruarunt. At aduersarii nostri aliquot interdictorum & fulminum Pontificiorum in reges exempla proferunt, Agapeti Papæ contra Clotarium regem, ob cæsum illius iussu Galterium Yuetotii Dominum, Zachariæ contra Childericum, Nicolai cõtra Lotharium Ludouici Pii filium. Aiunt & Philippum I. excõmunicatum à legato Pontificis: & Ludouicum VIII & bis idẽ fulmen emissum aduersus Philippum Augustum. Post à Bonifacio VIII. cõtra Philippum Pulchrum. Tum à Iulio II. contra Ludouicum XII. Nos respõdemus, interdictum illud quod Agapeti esse dicitur, aduersus Clotharium, qui Rex Suessionũ erat (si vti à quibusdam profertur, pro vero habendum est) anno 536. nullam Rom. Pontifici tribuere in regem Frãcorum potestatem. Tunc n. Childebertus in Francia regnabat, & Rex Parisiorum vocabatur, vbi summa & prima regni sedes erat, in quam XIV. post annis Clotharius ascẽdit. Et quamuis in imperii Rom. stationib bonus ille Pontifex Agapetus in spiritualibus eam habuerit authoritatem, vt cùm Iustinianum Imperatorẽ Romanorum Eutychianæ hæreseos doctrina imbutum obstinatum videret, ita exclamauerit, *ego ad Iustinianum Imp. Christianissimum venire desideraui, sed Diocletianum inueni:* tamen nihil in Imperatorem statuit, vt ipsius subditos ab obedientia subtraheret: imo ad eum legat⁹ à Theodato Ostrogothorum rege Roma missus fuerat, vt Amalasunthę vxoris necẽ excusaret. Et si forte Clotharium monuit, vt cum in Gualterium seuerior fuisset, numen diuinum placaret, vti postea Gregorius I. Reges & Principes Frãcorum, & alios sui officii admonuit. Quod si alia mente fecerit, nimirum vt iactis dicendi in Clotharium authoritatẽ sibi quæreret, & eius subditos ab obedientia illi debita auerteret, eius decretum pro nullo habendum est. Cum n. Petrus Clementẽ in Rom. Ecclesia Episcopum designauit, hæc illi dixit, vt ex ipsius Clementis epistola ad Iacobum fratrẽ Domini colligimus: *Non te iudicẽ aut cognitorem secularium negotiorum hodie voluit ordinare Christus, ac præfocatus præsentium hominum curis, non posses verbo Dei vacare.* Quod & ab aliis pontificib. confirmatũ est, & ab Agathone idem dictum, qui paulo post Agapetum in ecclesia Rom. Pontificatũ gessit. Nam in VI Synodo in I. actione ab eius ore prolata sunt hæc verba, *Væ mihi si negligens fuero. Quis rogo sufficit ad tantam curam spiritualem*, &c. Quod igitur amor Yuetotii Principatum legib. exemptum fuisse, nõ tam vi Pontificii fulminis, q̃ propria Clotharii superstitione factum est. Nec tamen Regii huius tituli Yuetotii Principib. concessi ea vis fuit, vt deficiente mascula sobole Galterii Yuetotii, ad extraneos trãsierit. Siquidẽ Rotomagensis Senatus iudicio pridem regi Francorum tanquam superiori Domino ius custodiæ nobilis adiudicatum est, quale illud erat, quod Dionysium Syraculanum olim sibi in pupillorum bona vendicas-

dicasse refert Aristoteles *in 2. de re familiari.* donec illi in legitimam ætatem peruenissent. Iura itaque Regia, & maxime ius vniuersi dominii Agapeti interdicto tolli non potuisse certum est. Tunc autem in Galliis Francorum Reges & eorum subditi etiam in spiritualibus Pontificiorum interdictorum & excommunicationum fulmini subiecti non erant. Quis enim ignorat, Chanbertum Parisiorum Regem à D. Germano Parisiensi Episcopo excommunicatum, quoniam Ingobergam vxorem dimiserat. Nec vero bonus ille Episcopus Parisienses ad abiiciendã obedientiam Regi illi debitam cõmouit. Nec obest Regi nostro quod à Zacharia in Childericum factum dicitur. Falsus enim est *c. Alius alim. 15. qu. 6.* qui à Gratiano recitatur ex Gelasii Papæ ad Anastasium Imp. scriptis. Nam præterquam quod eius inscriptio falsa est, quia Gelasius I. Afer Imp. Anastasio anno 492. Ecclesiæ Rom. præfuit, & ita 44. ante illud Agapeti interdictum, & 200. ante Zachariam annis à Zacharia factum, excommunicatio dici non debet, imo vt recte glossator in illũ Gratiani canonem adnotauit in verbum *deposuit*, Zacharias deponentibus consensit, & nudum cõsilium præbuit, cum ab eo suppresso Childerici nomine petitum fuisset, quis Regio titulo dignior, an qui ignauus dicebatur, aut qui res omnes regni administrabat. At Regem Francorum excommunicari à Romano Pontifice non potuisse, Gallofranciæ Episcopi constantissime semper tenuerunt. Sic cum Ludouici Pii filii à Gregorio IIII. Papa id obtinuissent, vt patrem diu sub custodia seruatum à factiosis depositum excommunicaret, cum ipse id facturus in Galliam veniret, velletque Episcopos omnes & alios, qui Principi adsistebant, excommunicare, vt testis est Nithardus, Caroli Magni ex filia nepos, illi audacter responderunt. si excommunicaturus aduenirer, illum excommunicatum abiturum, cum aliter se haberet antiquorum canonum authoritas, vt notauit author libri, qui inscriptus est *Vita Ludouici Pii.* Quod vero de Lothario Ludouici Pii filio historici proferunt, eum à Nicolao Papa excommunicatum fuisse ob dimissam vxorem, & matrimonium cum Waldrada contractum, nobis etiam obesse non potest. Nam Lotharius Rex Francorum non fuit. Præterea isthæc Nicolai interdictio non omnibus probata est, præsertim Gallo-francis Episcopis. Etenim cum anno DCCCXXLII. Synodus Metensis, in qua aderant missi Nicolai Romani pontificis, fuisset congregata, & Rex factum, propter quod arguebatur, consilio & authoritate Episcoporum se fecisse testatus esset, illique non inficiantes quasdam assertiones rationum verisimilium, quibus gestæ rei qualitatem munire nitebantur, opposuissent, easque literis comprehensas Legati Apostolici suggessissent per Guntharium Agrippinæ Coloniæ & Theutgaudum Treuerensem Galliæ Belgicæ Archiepiscopos Apostolicæ sedis Pontifici perferendas transmisissent, is quidem conuocato Romanæ sedis Episcoporum Concilio & Metensem anathematizauit Synodum, & ad se missos Episcopos deposuit, & communione priuauit. Quod à se factum iuste & canonice dicebat: sed iniuste, vt illi scripserunt. Hæc enim fuere ab illis dicta. *Nicolao Pontifici Guntharus atque Theutgaudus. Patres Episcopi & fratres coepiscopi nostri ad te nos direxerunt: nos euocati ad tuam præsentiam deducti sumus, nihil aduersitatis suspicantes, idque obseratis ostiis facta more latrocinandi conspiratione ex clericis & laicis turba collecta & permixta nos violenter inter tantos opprimere studuisti, longa scilicet intercapedine à nostris & laicis & clericis separatos, atque sine Synodo, & sine canonico examine, nullo accusante, nullo testificante, nullaque disputationis discretione dirimente, vel authoritate & probatione conuincente absque nostri oris confessione absentibus aliis Metropolitanis & diœcesanis coepiscopis & confratribus nostris extra omnium consensum tuo solius arbitrio & tyrannico furore nosmet damnare voluisti, subito tibi quadam charitate & improuise porrecta lectoris officium assumens, assistente lateri tuo Anastasio olim presbytero ambitus damnato & deposito atque anathemizato, cuius scelerato magisterio tuus præcipitatur furor. Ergo tuam prauam sententiam à Zelo rectitudinis alienam iniustam & irrationabilem canonicis legibus contrariam nequaquam recipimus, imo cum omni cœtu fraterno quasi nefas, atque maledictum frustra prolatum contemnimus, atque abiicimus, tibique anathematis & religionis sacræ contemptorum fautori & communicatori reuera communicare nolumus, contenti totius Ecclesiæ communione & fraterna societate, quam tu arrogantor te superexaltans despicis, teque ab eo elationis tumore indignum faciens segregas.* Quod autem de Philippo I. ab Yuone Carnotensi discimus, eum à legato Pontificis excommunicatum fuisse, id in Concilio factum fuit, non à solo Pontifice, vel ab eius legato. Et negotium tandem Episcoporum consilio in Francia terminatum. Et quod de excommunicatione Ludouici VIII. obiicitur, aduersariis prodesse non potest, cum nullius momenti sint, vt apparet ex *epistola 127. D. Bernardi.* De Philippo vero Augusto duo proferũtur exempla, vnum excommunicationis in Concilio Claromontano, præsente Vrbano II. Papa, & omnibus Galliæ Episcopis celebrato, ob dimissam ab eo Isambergam vxorem, Regis Daniç filiam. Sed Rex non tam fulminis istius metu, quã propriæ conscientiæ testimonio, & crebris viri Pii admonitionibus, qui erat Isambergæ Reginç aduocatus, eam reduxit. Nec vero quamuis à concilii Patribus sacris interdictus fuisset, illi neq; alii subditi ab eius Imperio defecerunt: ita vt integra remanserit quæstio, an Reges excõmunicari possent. Alterum exemplum ex iis quæ diximus de Philippi huius Augusti appellatione ab Innocentio III. ad Concilium vobis manifestũ est. Nam cum Franciç Barones viderent, Papã illum Innocentium Regis Angliç partes defendẽdas suscepisse, ipsius minas haud metuendas Regi dixerunt: & si rex Angliæ sese Pontifici submiserat, id à Francorum rege fieri non debere. Itaq; ipse Normaniam, q̃ possidebat, Parium Franciæ & Senatus authoritate conseruauit. Multis vero Regibus, & Anglis etiam profuit Regis istius constantia (licet ab initio se Ducatu Normaniæ & aliis bonis spoliatos conquererentur.)

Nam

Nam cum anno MCCXVI. vt testis est Matthæus Westmonasteriensis, Rex illorum Ioannes sese vasallum Papæ professus fuisset, & Angliæ Baronibus id non placeret, *Pontifex Innocentius eos quos prius excommunicauerat in genere, iterato excommunicauit nominatim & in specie. Hæc sunt Historici verba. Barones autem, inquit, in arcto constituti postquam cognouerunt, quod dominum Papam pro subiectione Regni, & vassalagio Regis inclinati validum haberent persecutorem, quem prius habuerant defensorem Ludouicum primogenitum Philippi regis Francorum sibi electum dietim expectarunt, cui obsides cum chartis & aliis obligationum generibus de fidelitate & ligantia transmissis solennibus legationibus destinarunt, & eius aduentum maturauit. Et interim applicuit Gualo legatus missus à domino Papa Innocentio III. qui transiens per Regnum Francorum Philippum ex parte domini Papæ, omnibus modis dissuaserat, nè filium suum Ludouicum in societatem excommunicatorum transmitteret, ne Ecclesia Rom. Patrimonio suo priuaretur. Quod cum intellexisset rex Philippus, respondit. Regnum Angliæ patrimonium Petri vel ecclesiæ Rom. nunquam fuisse, nec esse, nec fore. Etenim Ioannem, qui id fassus fuerat, nunquam verum Regem fuisse. Et si fuerat aliquando forisfecisse Regnum per necem Arthuri. Nullum vero Regem, vel principem posse dare Regnum suum sine assensu Baronum suorum, qui Regnum tenentur defendere. Et si Papa hunc errorem tueri allectus noua dominationis libidine contumaciter decreuerat, exemplũ omnibus Regibus perniciosum daturum. Ad quod verbum omnes circumstantes Franciæ magnates quasi vno ore clamare cœperant, quod pro isto articulo starent vsque ad mortem, ne videlicet Rex vel Princeps per impetum propriæ voluntatis posset Regnum dare, vel tributarium facere, vnde nobiles Regni efficerentur serui.* Hæc acta apud Lugdunum ab Historico Anglo recitantur. Ex quibus videtis, quid Reges nostri, & quid Franciæ Barones vere mares animi, & hoc titulo quē lex Salica masculis dabat dignissimi, de excommunicationibus Roman. Pontificum senserint, quas tum maxime contempserunt, cum per eas Regum iura minui videbant. Non obfuit autem Regi Philippo Pulchro fulmen Bonifacii VIII. cui & Barones & iudices Regii restiterunt, & Rex ipse respondit, *se in temporalibus nemini subesse, aliquarum prabendarum & Ecclesiarum vacantium collationem ad se iure Regio pertinere, & percipere fructus earum, contra omnes possessores viriliter se tueri: secus autem credentes fatuos reputare ac dementes.* Sic aduersariorum nostrorum hæreses ridendæ sunt. & vt acriter & vehementer Bonifacii illius ab Austriacis Francorum hostibus corrupti audacia ac temeritas compressa est, ex iis quæ à nobis dicta sunt, idem de similibus fulminibus iudicandum, quod de illis excommunicationibus maiores nostri iudicarunt. Quæ vero nobis obiiciuntur de Iulii II. qui Ludouicum XII. Francorum Regem quamuis patriæ parentem & Ecclesiæ defensorem excommunicauit, videte Gallo franci, quæ fuerit huius interdicti causa: quod pius ille Rex & Christianissimus, qui Catholicam A. & R. religionem profitebatur, Concilium desiderasset ad reformandum clerum, & vt pax in vniuerso Christiano orbe firmo pietatis præsidio stabiliri posset, eo nomine ab Italis quibusdam Iulii II. Pontificis adsentatoribus (non enim omnes illius partes fouerunt) schismaticus habitus est: & Regi quoque Nauarræ, quod in sanctum illum Regem arma capere noluisset, sacris interdixit, quo titulo hodie Rex Hispaniæ Regnum Nauarricum à Ferdinando abauo suo occupatum, iniuste possidet ac detinet. Videant Regum ac Principum consiliarii, num huius Pontificis tyrannis, vel aliorum, si qui posthac idem facere volent, tolerari debeat. Certe Rex iste S. Ludouicus XII. id pati non potuit, & à Iulii Papæ censuris Pisani Concilii bullis absolutus fuit, quæ inter Senatus acta anno MDXII. perscripta sunt, cum citationibus contra Iulium authoritate Concilii factis & suspensione à Papatu. Et ni mors Regem præuenisset, vt in nummis Regiis hanc inscriptionem cudi iusserat, PERDAM BABYLONA, fastum & insolentiam Romanam virtute repressisset, & Apostolicæ sedis dignitatem in purum splendorem ac legitimam dignitatem restituisset. Quod hodie fieri oportet, vt cum Christianis bene agatur. Nec enim pium est, ab vno Pontifice totum orbem pendere. Et Hispani ipsi, qui se Apostolicę Romanæ sedis obseruantissimos dicunt, sciunt quid in eorum Regem Paulus IV. Papa statuere voluerit, quod Columnensem familiam in suam clientelam recepisset. Dederat namque in eum sententiam, qua Regno Neapolitano eum priuatum declarabat, quæ fuisset pronunciata, si, vt contra Manfredum Siciliæ Regem aliquis Francorum Princeps, aut qui tunc in Italia erant, fortem militum exercitum aliquot mensibus continere potuissent. Et cum aliquando Regum Francorum & Hispaniæ legati de pace inter principes egerunt, in colloquiis ad Samarobrinense castrum & ad Montem Pessulanum habitis, hoc argumentum ab vtrisque vt infirmum reiectum & posthabitum fuit, & circiter annum MDXXXVIII. in libellis Carolo V. Imperatori porrectis, Hispani hoc argumento non vsi sunt, cum de Mediolanensis Ducatus dominio ageretur, sed eo quo Romanos vsos fuisse testatur Lactantius, vt ius quod in alienis Regnis armis sibi quæsierant, conseruarent, *Omnibus* (inquit) *populis qui florerent imperio & Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potiuntur, si iusti velint esse*, hoc est, si aliena restituant, *ad casas esse redeundum, & in necessitate ac miseriis iacendum.* Hi sapientes Hispani, qui ista proferebant, excommunicationis titulo Regna defendenda censuerunt alio modo quæsita. Equidem hoc colore quod vel per arma, vel per fraudem comparauerant, tueri oportere iudicarunt, sed non coram principibus viris aut rerum experientia doctis, verum coram infirmis & leuibus eorum mentibus, qui vel superstitione, vel terrore dirorum & terrorum Pontificis Romani fulminum tangi & concuti possunt.

Scio ab aduersariis nostris hodie obiici, aliquot Imp. tam Orientis, quam Occidentis à Rom. Pontificibus excommunicatos fuisse. At Orientales Principes hæc interdicta contempserunt,

vt

vt Anastasius Hormisdæ fulmina. In Occidente vero ea quæ à Pontificibus in Imperatores vsurpata est authoritas (cadente Imperii Orientalis maiestate) ideo Episcopo Rom. quæsita est, quod is eos vocasset, & corona Imperiali ipsis imposita illos quasi aliquo beneficio sibi deuinctos habuit. Sed inter eos nihilominus plurimi fuere, qui à solo Deo in se collatũ Imperium dixerunt, vt magnus ille Imp. Henricus IV. qui licet à Romano Pontifice excommunicatus fuerit, habuit tamen Imperialis dignitatis defensores, qui & Romæ & Basileæ de eligendo ipsius authoritate Pontifice deliberarunt, & in primo Basiliensi concilio Honorium Pontificem creauerunt. Hæc de Imperatoribus satis, inter quos si nonnulli sese Rom. Pontificibus subiecerunt, vt alios ab Imperio deturbarent, & in summa fortuna Rom. Pontifices id pronũciarunt æquius, quod erat validius, quid agendũ sit, Germani viderint. At reges Francorum nec à Papa Ro. nec ab eius legatis, nec instituuntur, nec approbantur, nec consecrãtur, nec recipiuntur, nec fidem illis vel iuramentũ obedientiæ exhibent. Legatos quidem ad nouos Pontifices mittunt, qui eorum electioni gratulentur, velut rex Hugo ad Ioannẽ Papam legatos misit, vt de rebus quæ in ecclesia Gallicana gerebantur pro vnitatis & pacis Ecclesiasticæ bono colloquerẽtur. Idem etiam successores aliquando fecerunt, non vt iudicium à Pontifice in eos daretur, sed vt siue de alienandis pro vtilitate & defensione regni bonis Ecclesiasticis, siue alia de re quę summi Pontificis exigeret consilium in Gallia tractaretur, id illo sciente & cõsensum præbente bono publico peragi posset. Verum id Pontifici Rom. iurisdictionem in reges non tribuit. Non sunt igitur verẽda Rom. Pontificum fulmina, qualia fuere bruta illa Bonifacii VIII & Iulii II. Nec credaris (Gallo-franci) reges nostros eo quod per bullas Alexandri IV. Gregorii VIII. IX. X. & XI. Clementis IV. Vrbani V. & Benedicti XII. reges nostros ab excõmunicationibus Rom. Pontificis exempti fuerunt, ante illis subiectos fuisse. Siquidem bullæ istæ ius antiquum declararunt, sed nihil dederunt, vt reges nostri & eorum Aduocati ac procuratores protestati sunt, cum eas receperunt. Et excommunicationes regum à Pontificibus factæ, vel domesticorum aut officialium Regiorũ multis SCtis tam Parisiis quam Tolosæ latis à iudicibus Catholicis irritæ declaratæ sunt. Reges vero, eorum quæ faciunt, soli Deo rationẽ debent reddere. Quod si Papa Iulius aliquam habere poterat in reges potestatem, sententia illegitima regem Francorum Ludouicum XII. & Ioannem Nauarricum schismaticos declarauit. Nulli auditi testes, non citati rei, non interrogati, non compositi, nec commissi testes, non tria edicta proposita, non Concilium habitum, non vocati rei, vt sentẽtiam audirent, & quod in vilissimum hominem hæreseos accusatum fieret, in regũ istorum excellentissimorũ causa factũ non fuit. Missis tantum à Iulio Auditor Capra, qui Regi Nau[illegible]ico & Reginæ proposuit eis in obedientia erga Catholicã A. & R. Ecclesiam permanendũ esse, [illegible] illi responsum est, eos in vera fide perpetuo mãsisse, & adhuc perseuerare velle. Quid melius dici poterat?

Certe si Xystus V. (quamuis iudex Francorum Principum esse non posset) cum in Henricum Borbonium Nauarræ regẽ, qui nunc in Francia regnat, Anathematis fulmen iecit, eum per legatos monuisset, & non præcipiti stylo eum confodiendum iudicasset, vt aduersus inauditum fecit, rectius & pro dignitate Rom. Pontificis aduertisset. Sed is se iudicem constituit, cũ non esset, eumque condemnauit qui eremodicium non contraxerat. Quod si hæc causa coram æquis iudicibus aliquando tractetur, plura pro rege isto Christianissimo & sacrosancto proponentur, postquam ex veterum Conciliorum regulis iniuste spoliatus in integrum restitutus fuerit. Sufficier vero si nunc pro eo Niceni Concilii canonem proferamus, qui recitatur ab authore *Commonitorii sancti de vnitate conseruanda* inter Henricum IV. Imp. & Gregorium VII. papam, & qui lectus est à Wezelino Moguntinæ Ecclesiæ Episcopo rogatu Chuonradi Episcopi Traiectensis; *vt rebus suis aliquis expoliatus aut à sede propria vi aut terrore pulsus non possit accusari, vocari, iudicari, aut damnari, antequam omnia sibi ablata ex integro restituantur, & cum omni priuilegio suo ius proprium reformetur, & ipse pacifice diu suis fruatur honoribus, propria sedi regulariter restitutus.* Quod in decretis põtificum scriptum & à Niceno constitutum Concilio, *vt nemo pontificum præsumat aliquem suis expoliatum rebus excommunicare, aut iudicare.* Et si hæc in Episcopis locum habent, eadem ratione in regum & principũ causis obseruanda sunt: maxime in causa regis nostri, quæ non à Romano pontifice Romæ, vel extra regnum, sed in Galliæ partibus in Concilio libero agitanda tractanda & iudicanda est, cum nec incognita causa damnari quisquam, nec absolui debeat. Quis enim approbaret quod in *epist. 227.* D. Bernardi ab Innocentio II. Papa petitum legimus, vbi eum sic rogat, *Compulsus est*, inquit, *deuotissimus filius vester, & Ecclesiasticæ libertatis defensor sub iureiurando promittere, quatenus sententiam excommunicationis à legato vestro magistro Yuone datam in terram & personam adulteri tyranni faceret amoueri. Quod sane tamen fecit prece & consilio nonnullorum fidelium sapientiumq. virorũ, qui dicebant, id à vobis facile & absque læsione Ecclesia impetrari, dum in manu vestra esset denuo sententiam, quæ iuste data fuerat incontinenti, statuere, & irretractabiliter confirmare, quatenus & ars arte deludatur, & pax proinde obtineatur, & qui gloriatur in malitia, nihil inde lucretur.* Sane id contrarium est D. Petri consilio, quod Clemens sibi ab eo datum in Epist. ad Iacobum fratrem Domini sic retulit, *Clementi trado à Domine mihi traditam potestatem ligandi atque soluendi, vt de omnib. quibuscunque decreuerit in terris, hoc & decretum sit in cælis: ligabit enim quod oportet ligari, & soluet quod expedie solui.* & post, *quæ oportet*, inquit, *ligabis, & quæ expedit, solues.* Nihil enim sine causæ cognitione fieri oportet in Ecclesiasticis iudiciis. Nam cui probari posset quod in bulla, quæ à Xysto V. missa in Galliam dicitur, qua Henricum III. moneri voluit, vbi à se scriptam, motu proprio factã dixit,

cum

cum Equitis Dionii literas viderimus & Hispanorum precibus & efflagitationibus monitorium istud decretum fuisse? Nonne hoc erat legum figendarum & refigendarum consilium dare?

Nos pontificem exoptamus, qui in Ecclesia vniuersa remedia pacis adhibeat, qui dissidia cōponat, qui vel vniuersale, vel generale concilium à Rege nostro expetitū congregari curet, & regis nostri ac regni leges & libertates ecclesiæ Gallicanæ atq; vniuersitatum iura integra & illibata conseruet. Et vos Gallofranci, hoc à Deo petite, vt eligatur Papa sanctus, qui Christi gregē pacifice regat, qui sit Abel primatu, Noë gubernatione, Abrahā patriarchatu, Melchisedech ordine, Aaron dignitate, Moyses authoritate, Samuel iudicio, Petrus dignitate. Vos in ea fide educati fuistis, qua quondā imbuti fuerant à Dionysio & Irenæo parentes nostri, & à Saturnino, Gratiano, Martiali, Strimonio, Martino, Paulino, Pontio, Hilario, Phœbadio, Vincentio Lirinensi, Saluiano Massiliensi, Remigio Rhemensi, & Lupo Tricassino, qui non ambitioso illo titulo (quod in concilio Carthag. III. Episcopis Africanis prohibitū fuit) unitum *vniuersalis* nomine decoratus, sed *Pontifi[c]ū Princeps* dictus fuit. Apud nos honor sacerdotii regni firmamentum fuit: nos Papam colemus, & agnoscemus, qualem veteres Ecclesiæ patres agnouere. & ex Euangelicis libris ex eius nomine & authoritate Doctorū, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Optati, Augustini, & Ambrosii atq; ex veris Pontificū decretis, & eundem illi & eius legatis honorem habebimus, qui ab vniuersalium generalium, Patriarchalium, & Prouincialium Synodorum patribus habitus est, maxime in Nicena, Constantinopolitana I. Ephesina I. Calcedonensi & VI. Constantinopolitana (cui Basilius Gortynes Episcopus vices Ro. Episcopi gerens, teste Balsamone & Nilo interfuit) & in Basiliensi, & Constantiensi, & vt constitutionibus principū, qui in Gallia regnauerunt, confirmatus fuit. Nos illum venerabimur, vt maiores nostri fecerunt, dummodo leges Ecclesiæ Gallicanæ non peruertat, nec vt Apiarii appellatio Romæ contra ecclesiæ Africanæ libertatem admissa est, ita à Gallicanis iudicib. Romam euocet: & modo in maiorib. causis intra regni partes iudices ab eo dentur: nec per pallium plus sibi iuris quærat quam Gregorius I. qui eum illud ad implenda sacra ministerium solennia Virgilio Arelatensi Archiepiscopo misit, protestatus est se nullam aliam exteriorē illi potestatem tradere. Atq; adeò optemus denique eum, quē Deus dabit Pontificem, si vitā illius S. imitetur, qui Augustinum in Britanniam ire iubens nominatim ei prohibuit, ne cum per Galliarum regnum transiret, in alienam messem falcem mitteret, falcem videl. iudicii in eam segetem, quæ alteri cō missa est. Et si SS. decreta secundum canonicas sanctiones à primis pontificibus scripta non rescindat, debitam illi reuerentiam exhibebimus. Et si legatos in Franciam mittat cum veneratione illos suscipiemus secundum priscum maiorum nostrorū morem, dummodo regi adeant, nec in regnum veniant, vt ii per quos olim Nicolaus secreta Imperii expiscabatur, sed vt Ecclesiam reforment, & Bonifacii illi Apostolici, qui sub Carolomanno in Galliam venit, in iis quæ ad statum Ecclesiæ pertinent, regulas sequantur. Nos quemadmodum Hugo Rex Ioannem Pontificem & eius successores alios Pontifices respexerunt, ita Romanum Pontificem quamdiu legitime sua potestate vtetur, quantum in nobis situm erit, respiciemus, & honores omnes eius sanctitati deferemus.

Interim, Gallofranci, animos vestros colligite. Vobis diximus quæ per Hispanos & Guisianos regno nostro acciderint incō moda, quæ instant difficultates, & quib. remediis vtendum sit: & quæ ab aduersariis nostris spurce, superbe, crudeliter, & impie facta sunt, qui bonis inuidentes malos extulerunt qui noua exoptantes vetera odere: quinam sint ii, qui se remq; publicā obstinatis animis cum illis perditū eunt, qui nos bonis & dignitatibus nostris spoliarunt, quibus arroganter vtūtur, male partis diuitiis magis quā suæ causæ confidentes, eorū exemplo, qui, vt in maiores nostros irruerent, Lutetiam vt in sentinā confluebant. At vos (Viri principes) qui recte semper facitis, quoniam aliter nō potestis, a vobis et à maioribus, fortiter, sapienter, & mansuete gesta Scitis à frequenti Senatu contra Guisianos decreta, quib. iudicatum est illos contra Remp. fecisse. Illi ignaris illudentes genus suum ementiebantur, & se à Carolo Magno ortos dicebant exemplo Abimelech, qui sic locutus dicitur cap. 9. Iud. *Mementote quod os vestrum & caro vestra sum.* Id ab illis factū, vt sibi gratiam & beneuolentiam vestrā conciliarent, quasi obliti sitis Carolum Magnum à Carolo Martello procreatum, qui cum iniquo & infesto animo Gallicanas ecclesias spoliasset, posteros habuit ambitionis suæ successores, qui primū Ecclesiarum prouentus, post Regiæ familiæ ornamēta prædati sunt. Scitis eos Catilina peiores, multos et bonos viros specie assimulatæ virtutis tenuisse, & adhuc tenere. Vobis tentandū est, vt viri isti veritatis luce illustrati horum impostorū inimici fiant. Facite vt intelligant Hispanorum seruos, vt in augustum Senatum sic in illos etiam criminando sæpius plebē exagitasse. Sic tandem vobis licebit more maiorum lege vti. Adest vobis, Gallofrāci, gens Borbonica, natura bellicosa. Rex Henricus III. anxius diu fuit cum Guisianorum summa potentia in duro tēpore magis lenienda quā exagitanda videretur. Is prouidendum putauerat, ne plus valeret apud eum Guisiani Ducis & factiosorū scelus quam sua dignitas, neu magis iræ suæ quā famæ consuleret. At si seuerior, certe beatior fuisset. Poterat nanq; non vno vel duobus suo iussu interfectis, non Guisianos paulisper reprimere, sed in perpetuum comprimere. Vos nunc efficite vt authoritate Regia, Senatus ad pristinā & salutarē seueritatem reuocetur. Multis præsidib. & Senatoribus in vincula coniectis ab impiis & factiosis crimini datū est quod Regi fidi essent. Illi eius deuotionis se esse cōuictos iudicio Dei, testimonio Senatus, & confessione inimicorum maxime lætari debent. At cum eorū animis nulla vincula iniici potue-

Papa qualis constitui & recipi debeat.

Epilogus.

tuerint, & hodie liberati sint, ne patiantur amplius dubitãdo & dies prolatando magnas opportunitates corrumpi, sed ex prudentũ consilio, facto, non consulto opus esse credant. Regẽ habemus natura vehementẽ, manu promptũ, qui maximũ bonũ in celeritate esse putat, q considerat, quid suæ rationes postulẽt, qui opẽ ab amicis petiit, vt eorũ auxilio impii illi & perfidi, plusquam sicarii, plusquã homicidæ, plusquã parricidæ, qui Henricũ 3. regem nostrũ patriæ parentem occiderunt, post victoriam q̃ sperat, meritas pœnas luant. Curate interea Gallofranci, vt fœdi homines, qui istis parricidis fauẽt, procul à Rep. absint. Maiores vestri sæpe humilib. personis iniuriose tractatis bella gesserunt. Vos Rege vestro occiso quo tandẽ animo esse debetis? Vestrã ploro atq; imploro fidẽ. Vol ne eos inultos esse patiemini, quorum mandato cędes indigna facta est? Patres vestri imminutã libertatem nõ tulerunt, vos Regis vitã ereptam negligetis? Nolite obliuisci iniuriam veterẽ, nolite deponere memoriam mœroris vestri, ne diuturna magni doloris ferendi cõsuetudo vobis callũ obducat, nec ad aliquã deformitatẽ veniatis. Amisso Rege fides Reip. rumpi non debet. Scitis Gallofranci, Principes mortales, sed Remp. æternã esse. Ne igitur eam deseratis, sed afflictã erigite. Nulla erat iusta causa, cur Henricus 3. à subditis necaretur. Et sciebat Xystus V. nuper Pontifex Rom. cæsos fuisse duos fratres, qui non modo Franciæ Regnũ inuadere, sed cœlũ ipsum rescindere coniurauerant. Nemo tam perdita, tam facinorosa inuentus fuit vitas quam duo isti sceleratæ factionis principes, qui æstuabant inuidia, & credebant pollui Parium dignitatem, q eam homines, qui noui illis videbãtur, quãuis egregii adipiscerentur. Factiosi illi signa virtutis habuerunt: Rex noster Henricus 4. effigiem veri iuris germanæq; iustitiæ & fidei solidam habet. Ne imaginibus vtamini, sed eas hostibus relinquite: illi pietatis vmbram, vos ipsam pietatem colitis. Omnia in bonã spe habete, & cauete, ne contagio proditorũ, qui impiorum causam fouent, piis obsit. Vosne Hispanorũ serui esse vultis? Vincere vos oportet, qui ignominiam consumpsistis. Ne degeneretis hodie, neq; liberos vestros deprauatæ voluntatis vitio deformari sinite. Et si qui vestrũ Guisianis aliquando amici fuere, moneant Ducem Maynium, non cogi illum Galliarum incendium sua ruina exstinguere. Non enim agetur præceps, nisi velit. Sed id faciat q olim à Wala factũ legimus in *vita Ludouici Pii*, qui cum summi loci apud Imp. Carolum fuisset, ad Ludouicum eius successorem profectus humilima subiectione se eius nutui secundũ consuetudinem Francorũ cõmendans subdidit. Factiosos vero & eos quos à Guisianorũ amicitia in hanc perditam causam imposuit, admonete, regem magis q se dignum, q̃ quod in Parisienses, & alios, qui hodie Hispanis seruiunt, facere poterat, quæsisse, & cum iis quos vicit, & subiecit, sibi viuendũ putare. Si bene Reip. consulitis, aliud ẽt facite, q non parũ vtilitatis Regno Francico adferet, nimirũ vt Rex noster cõmentarios fieri iubeat, in quibus, vt in aliis quos olim Assuerus scribi iusserat, eorũ perscribantur nomina, qui de patria bene meriti fuerint, & illorũ maxime, q in Dieppæo prælio Duci Maynio restitere. Multum n. illis debet Gallia. Nam si Dux Maynius primo illo prælio superior aut æqua manu discessisset, magna clades atq; calamitas Francorum oppressisset Remp. Prospicite ẽt & authores estote, vt in his cõmentariis eorũ nomina contineantur, qui in singulis prouinciis, vel pietate, vel doctrina, vel aliis ingenii dotib. insignes sunt, vt dignitatib. Ecclesiasticis, & iuri dicũdo, aliis deniq; muneribus præficiantur, tam qui Guisianorũ furore Lutetia extrusi Turonũ pergere coacti sunt q̃ qui alibi degunt. Id facile à Rege impetrabitis, q Princeps est legitimus, & Conciliũ cõgregari curabit, in quo piorũ consiliis credet, & q̃ vtilia videbuntur, faciet. Nec quis animo despondeat, q Lutetia nondũ capta sit. Bonos sequi oportet, licet interdũ ruant, & in Deo sperandũ. Viuunt adhuc multi strenui duces, & expertæ virtutis, graues & insignes viri, quorũ nonnullis licuit inter abruptã contumaciã & deforme obsequiũ, dum Guisiani omnia fere occupabant, pergere iter ambitione vacuum. Hi sunt callidi tẽporũ, & sapientes. Bellum gerendũ est, non pertimescendũ. Nisi pugnetis, improbitas Hispanorum nunq̃ finet vos acquiescere. Cauete ne in eorũ Imperium res decidat. Nam in cæde, & ex cæde viuunt. Nullus illis locus videtur esse iucũdior, q̃ cruor, q̃ strages, & ante oculos trucidatio Gallofrancorum. Arma sunt vobis nõ solũ ad tegendũ, sed ad nocendũ. Habetis socios, qui sua vos beneuolentia & fidelitate seruabunt, quorũ maxima & fortissima expectamus auxilia, qui animose viuunt, & vitę sociorũ amice. Norunt n. probe, norunt ruere nostra non posse, vt sua non eodẽ labefactata motu cõcidant, & ideo melius illis est sociorum fortunas, q̃ sua recte defendere. Infensi sunt hostes vestri non solũ vobis, sed sociis omnib. vestris & amicis. Vos quorũ gloria famaq; illæsa ad hunc vsq; diem remansit, cauete ne fides vestra excidat. Regi & vobis consulite, nec Henricus 4. vos destituat, nec vos Henricum. Pii omnes Catholici, q Imperio diuino ex Christi authoritate obediũt, vident & sentiunt idẽ q & vos, Henricum 4. vnum virũ esse à Deo missum, vt Regni Gallofrancici statum restituat, vnũ in quo summa sunt omnia, in quo summa est dignitas, qui militari laude antecellit. Hic est per quẽ Deus Hispanorũ impetũ repressit ac retardauit. Si Franciæ dignitatem sustinere vultis, non modo à malo, sed ẽt à metu mali est defendenda, & à vobis omnia tentãda, vt non insignia tantũ victoriæ, sed victoriam reportemus. Iam animos vestros alacres, iam vos libertatis custodes & patrię propugnatores ad res bene gerendas armatos perspicio. Omnia vobis in promptu sunt. Quid igitur plura dicã? Vobis cum iis hostib. res est, qui verbis contra arma bella gerunt. Nobis & verbis & armis aduersus eos certandũ, qui nullũ aliũ q̃ fugæ tutiorẽ in castris suis portum habẽt. Quapropter Rege nostro Duce, Principum, Procerum, Nobilium, Militũ, & sociorũ, Reip. deniq; & ecclesiæ Gallicanæ salutẽ calamitate prohibite, & vosmet vna cum Regni dignitate defendite.

IACOBI

IACOBI LESCHASSERII, IC. ET ADVOCATI REGII IN SVPREMA CVRIA PARISIENSI,

TRACTATVS

DE LIBERTATE ANTIQVA ET CANOnica Ecclesiæ Gallicanæ, ad supremas Franciæ Curias.

QVæ allegatio (Patres amplissimi) quæ fit in iure, & ipsis coram iudicibus, antiquorum Canonum & Decretorum, tanquam Ecclesiæ Gallicanæ libertatum, in calumniam hodie à quibusdam vocetur; huius antiquæ & Canonicæ libertatis memoriam renouare & conseruare operæpretium est. Ecclesia Gallicana in citandis Ecclesiæ vniuersæ decretis, tribus Codicibus pro varietate temporum vsa est: Primus est Codex Ecclesiæ vniuersæ, cuius mentio fit *actione* XI. *Concilij Chalcedonensis*: Secundus est Codex Romanus Dionysij Exigui, quibusdam Epistolis Decretalibus Pontificum Romanorum à Syricio ad Gregorium II. post Dionysij tempora auctus: Tertius est Codex Gratiani. Sed & Ecclesiæ Gallicanæ duo libertatum genera competunt, antiqua nempe & noua libertas, quæ potius vnius & eiusdem libertatis, quam variè metimur, appellatione censentur. Antiqua in primo omnium, quos retuli, Codice posita est, qui in summa veneratione & charitate Ecclesiæ esse debet, cum sit publicum eius instrumentum à corpore sanctæ Scripturæ & antiquitate & dignitate secundum. Noua libertas constitutionibus Regum nostrorum, concordatis & supremarum curiarum iudiciis continetur, quæ quidem secunda libertas vsu nostro & necessitate exigente, quasi in subsidium inducta est. Nam posteaquam priore penitus extincta, Ecclesia Gallicana difficilimis regni temporibus in eam miserabilem seruitutem prolapsa est, cuius particulam quandam recenset Beatus Ludouicus, *artic. 5. Constitutionis*, quam de rebus ad Ecclesiam pertinentibus edidit, anno salutis 1268. & quæ vulgo à nostris *Pragmatica* appellatur: necesse habuit Rex hic sanctissimus, & eius successores aliqua ex parte Ecclesiam regni sui manumittere: quæ liberatio variis illorum constitutionibus comprehenditur. Sed tantum abest, vt hæc noua iura veræ libertatis Ecclesiæ appellationem mereantur, vt potius eadem piissimi Regis constitutio ad antiquissimam & Canonicam, tanquam naturalem & absolutam Ecclesiæ regni sui libertatem respiciat. Vt enim minus malum si cum maiore compares, boni alicuius speciem quandam præ se fert, sic seruitus lenior grauiori opposita, libertatis nomine appellatur. Sic cum iuribus Decretalium vrgemur, ad decreta Canonum Codicis Gratiani, qui omnium est postremus, prouocamus, in eoque libertatem nostram quærimus. Sic ante tempora Gratiani, cum Episcopi Galliarum ad Decretales Epistolas à Pontificibus Romanis, quas ipsi fecerant, vocarentur, Codicem Canonum Dionysij Exigui, quo Ecclesia Romana quondam vsa est, appellabant, qui Codex eas epistolas, quibus vrgebantur, non habebat, vt refert *Canon, si Romanorum, dist. 19.* cuius distinctionis quæstio his verbis à Gratiano concepta est: *De epistolis Decretalibus quæritur, an vim authoritatis habeant, cum in Corpore Canonum non inueniantur.* Verùm primam, natiuam, originariam, & veram libertatem Ecclesiæ Gallicanæ maiores nostri existimarunt Codice antiquo vniuersalis Ecclesiæ contineri: Exemplum sequuti Patrum Concilij Ephesini, quod eodem Codice continetur: illi enim huius Concilij *Canone* VIII. de causa Episcoporum Cypriorum cognoscentes definiunt, *nihil aliud esse libertatem Ecclesiæ, quam regulas & disciplinam à sanctis Apostolis Ecclesiæ traditam.* Itaque quemadmodum in iudicandis quotidianis popularium nostrorum controuersiis, iuribus nouis vtimur, quæ vsu nostro & fori tritura recepta sunt: sic in discutiendis quæstionibus illustribus, vel maximis in periculis, cum sola veritas pura, nuda, fallaciis hominum reiectis, quas ambitio, auaritia, & cupiditas inuexere, nobis est salutaris: necesse habemus, exemplo maiorum nostrorum, & ex iussu Constitutionum Regum nostrorum, ad veram, naturalem, & absolutam Ecclesiæ libertatem prouocare, quæ Codice Canonum Ecclesiæ vniuersæ omnium primo continetur.

Hæc itaque vox *libertatis*, non est recentis & nouitij vsus semel & iterum vsurpata ab eo

Concilio, quod inter prima quatuor œcumenica tertium locum obtinet, eamque in iure Apostolorum, Patrum veterum decretis, & antiqua consuetudine Ecclesiæ positam esse definiit. Ab hoc tempore Ecclesia Gallicana continua temporum successione in defendenda sua libertate his iuribus antiquis innixa est, tanta cum perseuerantia & constantia, vt sensim nomine ipsius *libertatis* Ecclesiæ, hæc antiqua iura appellata sint. Frequens fuit hoc nomen *libertatis* in ore Ecclesiæ Gallicanæ Carolo VI. Rege in Concilijs per eam habitis anno 1406. & 1408. quod nomen vsu longo & continuo postea receptum est. Eius vocis significatio hodie à quibusdam in dubium vocatur, breuitate sermonis nostri deceptis, cum simpliciter *libertatem Ecclesiæ Gallicanæ* dicimus, quæ tamen res omnibus esset conspicua, si *libertatis* vocabulo sua epitheta perpetua coniungerent, more maiorum nostrorum, qui *antiquam & canonicam libertatem Ecclesiæ Gallicanæ* dicebant, & *in iure communi & antiquo positam*, eamque seruituti opponebant, qua illis temporibus Episcopi & Clerus Galliarum se oppressos esse querebantur. Tum ad Regis protectionem recurrebant, & coronæ authoritatem, quam *iuris* huius *communis & antiqui*, siue *libertatis antiquæ & canonicæ vindicem* frequenter appellabant. Cum vero ab hac seruitute, Regia authoritate manumissi sint, non est verisimile, eos coronam ipsam Franciæ, iustitiæ statum, cæterosque huius Regni ordines eidem seruituti velle supponere. Certissimum vero est, constitutiones Caroli VI. ea de re factas, quæque ipsa verba referunt Cleri Gallicani, qui frequens ea ætate conueniebat, antiquam & Canonicam libertatem Ecclesiæ in iure communi & antiquo positam esse, definiuisse. Quare hæc verba, *libertatis antiquæ & Canonicæ*, frequenter vsurpata Caroli VI. ætate, & posterioribus ab eo temporibus, eadem sunt cum illis, quæ in ore erant maioribus nostris ante Caroli ætatem, scilicet *ius commune antiquum*, *antiqui canones*, *statuta antiquorum patrum*. Definitionem enim Concilij Ephesini his verbis sequebantur, quod *iure Apostolorum*, *antiqua Ecclesiæ consuetudine*, & *patrum veterum decretis libertatem Ecclesiæ comprehendi* asserit. Iuris huius Carolus VI. *protectorem se & vindicem*, verba Cleri Gallicani vsurpans, profitetur *Constitutione edita anno 1422.* Idem Carolus VII. Sexti filius, *sibi à Deo demandatam statutorum sanctorum antiquorumq; patrum defensionem*, & ita se facturum, iureiurando firmasse testatur, eum ad aram Dei in Regem vnctus est. His verbis vsus constitutione, quam fecit *de recipienda pragmatica sanctione*, post Concilium Cleri Gallicani, qui Auarici Biturigum conuenerant. Longe ante horum Regum tempora Beatus Ludouicus edicto consultissimo anni 1268. statuerat, *vt Ecclesia regni sui iure antiquo & canonicó gubernaretur, secundum dispositionem*, inquit, *iuris communis*, *sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Dei*, & *statutorum sanctorum antiquorum patrum*. Eadem scilicet verba vsurpans, quibus vti Reges assueuerant omnes, qui antea Regno huic præfuerant, necnon Franciæ Episcopi, quæ & quibus locis singula recensere nimis longa oratione opus esset, & quæ synopsis huius modum excederet.

Cum itaque Clerus Gallicanus Caroli VI. ætate post Ecclesiam vniuersalem in Concilio Ephesino conuenientem asseruerit, antiquam & Canonicam Ecclesiæ libertatem in iure communi antiquo positam esse, fas non est eidem Clero hanc eandem definitionem in dubium vocare: sed hoc vnum inspiciendum est, quodnam fuerit illud ius antiquum. Ecclesia Gallicana duobus Codicibus simul vsa est. Prior est Codex is, secundum quem Ecclesia vniuersa controuersias in Concilijs œcumenicis iudicabat, & *Codex Canonum* appellatur *actione* XI. *Concilij Chalcedonensis*, in quo recensentur integri Canones 95. & 96. in causæ cuiusdam disceptatione. Hoc Codice continebantur Canones quatuor Conciliorum œcumenicorum, aliorumque à D. œcessibus Imperij habitorum, quæ à quatuor generalibus probabantur. Is est ipse Codex, qui *Canone 8. Concilij Ephesini* contineri se, ait, *libertatem Ecclesiæ positam Apostolicum siue diuinum scriptis Apostolorum comprehensum*. Cuius iuris mentio fit *l. omni. l. priuilegio. C. de sacrosanctis Ecclesijs*. Hoc idem est ius quatuor Conciliorum, cæterorumque, quæ ab illis quatuor probabantur, cuius dogmata Iustinianus *in nouella de Ecclesiasticis Regulis* decessorum suorum vestigijs insistens, tanquam sacras Scripturas, & canones tanquam constitutiones Imperiales vult haberi: quibus Concilijs innixa est vetus Ecclesia, tanquam firmissimis columnis fidei & disciplinæ, quam amplexa est, secundum certam sacræ Scripturæ authoritatem, quam etiam vsus antiquissimus curiæ Parisiensis ad nostra vsque tempora seruatus existimat, præcipua esse & certissima fundamenta appellationum, quas vocamus ex abusu, cum illorum Conciliorum canones non seruantur à iudicibus Ecclesiasticis.

Conflatus erat, & compositus hic Codex ex Concilijs, Niceno, Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi, Antiocheno, Laodicensi, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi: quæ Concilia integra habentur, nec mutilata apud Balsamonem, & in Codice Græco, qui inscriptus est, *Canones Apostolorum & Synodorum*, quem Ioannes Tillius, qui postea Episcopus Meldensis factus est, edi curauit Parisijs, anno 1540.

Codex alter, quo Ecclesia Gallicana vetus vtebatur, Codex est Gallicanorum Canonum, cuius meminit Gregorius Turonensis in causa Prætextati Episcopi Rhotomagensis. Hoc vtebatur Ecclesia Gallicana in quæstionibus Codice vniuersalis Ecclesiæ non decisis, teste Agobardo Episcopo Lugdunensi, hoc ius canonicum Galliæ contra Romanos sui temporis acerrime propugnante in libello *de dispensatione rei Ecclesiasticæ*.

Romani Pontifices vetustissimi hos duos Codices agnouerunt, & in summa veneratione habuerunt. Quantum enim ad ius commune Ecclesiæ vniuersalis antiquæ, non existimarunt illi,

illius & potestatem sibi esse ei iuri derogandi. Id agnoscit Zosimus Papa scribens ad Episcopos Galliæ Narbonensis, *can. contra statuta. 25. quæst. 1.* his verbis: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, ne huius quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui statuta Patrum sanxere reuerentiam.* Eadem verba vsurpat, quibus & Reges & Episcopi Galliarum olim vtebantur, cum à nouis iuribus antiquos canones & statuta antiquorum patrum appellabant.

Codicem quoque Ecclesiæ Gallicanæ proprium Pontifices Romani laudabant, & citatur ab Hormisda Papa, qui *Gallicanos canones* eum vocat *can. si quis Diaconus. dist. 50.* Quare ius illud Ecclesiæ vniuersalis antiquæ, quod seipsum libertatem Ecclesiæ esse asserit, agnoscunt Imperatores, agnoscit Ecclesia vniuersalis, agnoscunt Papæ, & commendat Ecclesia Gallicana. Tanta vero in ea elucet sanctitas, vt hanc prisci moris disciplinam vix mores nostri temporis ferre possint. Ecclesia tamen Gallicana continua temporum serie ad illud ius respicere, suspirare, & pronocare visa est. Posteaquam temporalis & mundana Celsitudo contra diuina & Apostolica præcepta sese insinuauit, sensim authoritas horum duorum Codicum, quos Romani Pontifices probabant, Romæ imminuta est. Primum enim Codex vniuersalis Ecclesiæ antiquæ à Codice Canonico Romano, cuius mentio fit *in præfatione Decretorum* Gratiani Romæ recognitorum, præcipuis quibusdam articulis mutilatus fuit, & maxime Canonibus omnibus Concilij Ephesini, eoque decreto, quod asserit, in hoc Codice sanctorum Ecclesiæ Decretorum, ipsius libertatem sitam esse, & in locum Canonum deficientium subrogatæ Decretales epistolæ, quæ contraria illis Canonibus statuebant. Collectio huius Codicis Romani opposita est Codici vniuersalis Ecclesiæ, cum quo fere idem est, si has antinomias vtriusque Codicis demas, quæ ad præcipua gubernationis Ecclesiæ capita pertinent. Dionysius Exiguus, cuius meminit Cassiodorus *lib. 1. cap. 23. de diuinis institutis*, offensus translationis confusione Græcorum Conciliorum, ex quibus constabat Codex ille Romanus, nouam interpretationem faciendam suscepit, vt narrat *in Epistola ad Stephanum Episcopum Salonitanum*, huic Codici olim præfixa, in qua partes recenset, ex quibus Codex hic fuit compositus. Canones omnes Concilij Ephesini, quidam etiam Constantinopolitani & Chalcedonensis, ab hoc Codice Romano aberant. Dogmata quædam sub titulo Concilij Ephesini in eum Codicem inuecta sunt, vt lacuna & absentia Canonum eiusdem Concilij repleretur, & maxime Canonis eius, qui in causa Cypriorum Episcoporum libertatem Ecclesiæ vniuersalis pluribus verbis definit. Quis vero numerus esset in hoc Codice Romano Canonum trium Conciliorum œcumenicorum, Constantinopolitani scilicet, Ephesini & Chalcedonensis, narratur *can. 10 dist. 16.* quo numero videre eos licet, in eodem Codice Moguntiæ edito anno 1525. quem Codicem Romanum esse antiquum & verum narrant ij, qui Decretum Gratiani iussu Gregorij XIII. editum interpolarunt, in præfatione recognitionis suæ, eiusq; Codicis tria Exemplaria dicunt extare in Bibliotheca Vaticana. Post Dionysij Exigui tempora additæ sunt huic Codici quædam epistolæ Decretales à Syricio ad Gregorium II. eo numero, quo leguntur in Codice Moguntino. Quæ quidem Epistolæ Decretales à Syricio ad Gregorium II. simul cum Epistolis supposititijs à Clemente ad Syricium, per Franciam disseminatæ sunt circa tempora Caroli Magni à Ricolfo Episcopo Moguntino, teste Hincmaro Rhemensi Episcopo in libro contra Hincmarum Laudunensem, his verbis: *De sententiis ex Græcis & Latinis Canonibus atq; Synodis Decretisq; Pontificum & Ducum Romanorum collectis, Engelramno Metensium Episcopo datis, quando pro sui negotij causa agebatur. De illis sententiis plena est terra ista, sicut & de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in huiusmodi, sicut in capitulis Regiis, curiosus obtinuit, istas regiones de illo repleri fecit.* Qui textus conseruatur *in Glossario ad Capitula Caroli Magni* facto, sub litera R. in verbo, *Allata epistola.* Eadem ætate Codex ille Romanus datus est ab Adriano Papa Carolo Magno, dum ab exercitu Ticinum, & in ea vrbe Desiderium Regem Longobardorum inclusum obsidente, Romam auolasset. Tum Codex iste Romanus continebat ea, quæ enumerantur canone *de libellis, dist. 20.* exceptis ijs, quæ in eo Canone Syluestro tribuuntur, quæq; in Codice Moguntino non reperiuntur. Sunt enim addita post Adriani & Caroli Magni ætatem. Nam Canon ille *de libellis*, est Leonis IV. qui post Adriani tempora vixit. Hæc additio nomine Syluestri facta est huic Codici typhi cuiusdam & fastus in Ecclesiam inducendi causa. Quare incognita tum fuit hæc additio Ecclesiæ Catholicæ, & à Francis reiecta, vt refert Hincmarus epist. 7. his verbis: *Cæterum quoniam quidam quasi in authoritate proferunt sanctum Syluestrum Papam decreuisse talia, quæ Catholica Ecclesia inter synodalia Decreta non computat: quæ maiores nostri inde nobis tenenda suis posteris reliquerunt, hic necessarium ponere duximus.* Posteaquam vero hunc Codicem Romanum Adrianus tradidisset Carolo Magno, ex eo Canones quosdam elegit Carolus, quos in constitutionem quandam suam transtulit, & pro constitutione Regia seruari voluit, more nostrorum Regum, qui canones ecclesiasticos non nisi authoritate sua probatos, & tanquam constitutiones suas seruari volunt. Canones hi leguntur in collectione Ansegisi à *præfatione constitutionis Caroli, vsq; ad caput 60.* expressis nominibus Conciliorum & Pontificum, qui epistolas Decretales fecerunt, vnde Canones illi translati in capitula Caroli fuerunt. Supersunt etiam quidam loci in Gratiani Decreto, & in volumine Decretalium ex hoc Codice Romano sumpti, ex quibus est *Canon, hæc vero 27. q. 1. & cap. 2. de præbend. & dignitat.* quorum locorum inscriptiones his verbis concepta sunt, IN CORPORE CANONUM.

Ecclesia Gallicana sæpe conquesta est, quod illi nouus Codex vetere ablato, & iura noua veterum loco obtrudeientur, & à Decretalibus ad antiquos Canones prouocauit. Id palam fit ex historia conspirationis factæ à liberis Ludouici Pij Francorum Imperatoris contra venerandum Patrem, cuius conspirationis conscium fuisse Papam, refert historicus Nitardus ex præcipuis Proceribus Francorum, vt qui Caroli Magni ex eius filia nepos esset. Tum Agobardus Episcopus Lugdunensis Episcoporum nomine, qui cum filijs coniurauerant, citabat in epistola, quam ad Ludouicum Pium scripsit, Ius epistolæ Decretalis Papæ Anastasij, quæ est in Codice vetere Romano ad Anastasium Imperatorem scripta, qua mortales admonentur, vt Papæ constitutionibus obediant. Contrà Episcopi, qui fidem Imperatori seruabant, epistolis Decretalibus antiquos Canones opponebant, his verbis: *Si venit Papa excommunicaturus, excommunicatus discedet, quia aliter se habet antiquorum authoritas Canonum.* Sic narrat is, qui vitam huius Imperatoris scripsit, inter cuius familiares & necessarios se fuisse testatur. Sed & Caroli VI. ætate antiqui illi Canones, & maxime Canon ille celeberrimus Concilij Ephesini, in manibus & ob oculos versabantur Ecclesiæ Gallicanæ, quæ illos tituli & causæ vice habebat, quibus libertas sua niteretur. Orationem ea de re habuit ad Carolum VI. cuius summa quædam refertur constitutione, quam Rex fecit anno 1406. die 18. Febr. lecta & publicata in Curia Parisiensi anno 1408. die 16. Maij. Ea Oratione Ecclesia Gallicana suam libertatem in antiquis definitionibus Patrum, Concilium Ephesinum imitata, sitam esse defendit, eiusque hæc verba profert: *Patres nostri decreuerunt singulis quibusq; Ecclesijs sua iura esse seruanda.* Præterea in defendenda sua libertate aduersus Pontifices Romanos, iisdem verbis vtitur, quibus olim Nicolaus Papa Primus scribens ad Episcopos Galliarum pro authoritate, quam sibi vendicabat contra hanc libertatem, *can. si Romanorum. distinct. 19.* cuius hæc verba sunt: *Hinc decreta sanctorum Patrum ac iura relinquuntur inania, quæ ex quo aliter non seruantur, frustra videntur occupare membranas.* Fuit enim in more positum Ecclesiæ Gallicanæ profiteri, se Pontifices Romanos non agnoscere, nisi legitime & canonice: quæ restrictio Ecclesiæ vniuersalis est, cum conuenisset in Concilio Constantinopolitano, ipsa referente in Epistola, quam scripsit ad Damasum Papam. Hanc Theodoretus *lib. 5. historiæ, cap. 9* inseruit, simulque ad eam Damasi responsum, qui hac agnitione honorifica sibi satisfactum esse narrat. Quare licet intueri maiorum nostrorum scripta percurrenti, hæc verba, LEGALITER, REGVLARITER, formulam fuisse solemnem & frequentissimam in ore Ecclesiæ Gallicanæ de honore Pontificibus Romanis habendo differentis. Hoc verbo, *legaliter*, legem Romanam intelligebat, quam Ecclesia Gallicana sub tribus familijs Regum nostrorum in summo honore habuit. Sub prima ait lex Ripuaria, tit. 60. de tabularijs: *Ecclesia lege Romana viuit*; quod intelligendum est etiam in puniendis criminibus. Ait enim Gregorius Turonensis, Regem Galliæ alloquens in causa Prætextati Episcopi: *Habes legem & Canones.* Sub secunda familia Episcopi Galliarum legem Romanam esse omnium legum humanarum matrem, & secundum eam libidinum contra naturam reos igne cremari debere censet, *capitularium Caroli, additione quarta, cap. 107.* Sub tertia familia Gilbertus in Apologia, quam scripsit pro Synodo Rhemensi ad Vilderodum Argentinæ ciuitatis Episcopum, Iustiniani Catholici Imperatoris & legislatoris leges etiam de excommunicationum modo latas laudat, easque Ecclesiam Catholicam probasse & seruasse recenset. Atque hæc de formula hoc verbo, *Legaliter.* Altera vero voce hac, *Regulariter*, siue, *secundum sacros Canones*, Ecclesia Gallicana authoritatem Pontificum Romanorum ampliorem coercebat, vt pluribus locis refert Aimoinus, cum Caroli Calui ætate Pontifices, ius sibi esse Primates Galliæ dandi, contenderent. Quod authoritate Codicis primi Ecclesiæ vniuersæ faciebat, quem cum in summo honore vetustissimi Pontifices Romani habuissent, posteriores ad eius regulas se reuocari ægre passi sunt.

Quod idem contigit Codici Ecclesiæ Gallicanæ proprio, quem Agobardus Episcopus Lugdunensis narrat *in Epistola ad Ludouicum Pium Imperatorem*, & in tractatu *de dispensatione rerum Ecclesiæ*, à Romanis neotericis & sui temporis improbatum, quod illius Codicis Concilijs neque Imperatorem, neque Pontificis Romani Legatos interfuisse dicerent. Contra Agobardus huius Codicis Canones defendit authoritate Romanorum veterum priscæ sanctitatis hominum, qui eos Canones maxime laudauerant.

Dum Ecclesia Gallicana à nouis iuribus ad vetera continuo prouocaret, factus est Gratiani Codex, & Romæ probatus, quem initio appellatum esse, *Concordiam discordantium Canonum*, narrant etiam Romani, qui nuper hunc Codicem authoritate Pontificum recognouerunt. In eo solent in fine cuiuslibet distinctionis vel quæstionis, sententiæ quædam quasi Gratiani inscribi, quibus pugna veterum & nouorum canonum videtur placari, sed ea fere conciliatione, vt iura vetera causa cadant, noua euincant, veluti *25. quæst. 1.* quæstioni de potestate Papæ & Conciliorum, pro Papa respondetur: cumque Papa Zosimus ad Episcopos Galliæ scribens, ingenue agnouisset, nihil se posse contra Canones & iura antiqua Ecclesiæ: contra in hoc Codice affirmatur, Papæ potestatem in Canones eandem esse, quæ est Iesu Christi in legem, quamuis Canonibus Papa pareat, vt cæteris præbeat exemplum obsequij. Beatus tamen Ludouicus constitutione sua anni 1268. iuri communi antiquo standum esse iubet, in hoc verbo, *Antiquorum.*

Verum

Verum cum Codex Gratiani cum Epistolis decretalibus, quæ postea sequotæ sunt, prælectus fuerit in scholis ad eam rem publice institutis, glossarijs etiam & commentarijs illustratus, eum viri ex eius studio honorum gradibus ornati fuerint, & his gradibus capaces facti adipiscendorum beneficiorum, cum in foro iudiciali decreta patrum ex hoc Codice citandi mos inualuerit, cum is nouus Codex ex manibus hominum vetustiores Codices eiecerit, & post illos amandatos, huncque nuperum inductum Typographia per orbem Christianum instituta fuerit, hic Codex typis editus, cæteri obliuioni traditi, scholæ Theologicæ, & doctrina scholastica in pluribus rebus institutæ & formatæ ab huius noui Codicis studiosis: post tantam (inquam) veteris iuris ruinam, non putauerunt mortales, Ecclesiam vnquam vllo alio ab hoc nouo iure vsam fuisse.

Mutilatus est hic Codex canonibus præcipuis libertatis Ecclesiæ, vt & primus Codex Romanus, quæ res in errorem inducere solet eos, qui quotidie postulant exhiberi & profiten sibi titulos libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, quæ tanta cum celebritate prædicatur. Verum à Senatu Parisiensi semper confirmatum est, à patribus acceptam veterem traditionem, memoriæ hominum sapientia & vso probatorum inscriptam, seruandam & retinendam esse, quæ docet præcipuam libertatem Ecclesiæ Gallicanæ in iure quatuor primorum Conciliorum generalium, & eorum, quæ ab his probata sunt, positam esse, & si quid contra fiat à iudicibus Ecclesiasticis ad eam rem restituendam, certissimam causam esse appellandi hoc genere appellationis, quod dicere solemus veluti ex abusu.

Si libertas Ecclesiæ nihil aliud est, quam ius commune antiquum, eius casus omnes specialiter enumerari non possunt. Corpus est enim quoddam iuris: verum quæ illi libertati intra derogant, sunt illa, quæ specialiter enumerari publice vtilissimum esset.

Veruntamen si cui libertatem Ecclesiæ in summa quædam capita distribuere in animo esset, hæc fere forent, speciales multos casus comprehendentia.

I. Neque Papam, neque totum omnino Clerum ius habere de vllare temporali statuendi: multo minus de vllo Regno, seu Imperio supremo.

II. Omnem Ecclesiæ pastorem, imo ipsum Papam Concilijs Ecclesiæ esse suppositum.

III. Concilia noua, quæ iugum Ecclesiæ imponunt, antiquis cedere debere, quibus firmata est eius libertas, cum ea nihil aliud sit, quam ius commune, canonicum, antiquum. Agobardus enim, & ceteri Galliarum Episcopi in Oratione, quam habent, *de Iudæicis superstitionibus*, ad Imperatorem Ludouicum Pium, dum iura Ecclesiæ in quæstione Ecclesiastica citant, sic definiunt, *Ecclesiastica statuta per Apostolica acta firmanda esse, & noua per vetera.*

IV. Regem in Ecclesia eandem authoritatem habere, quam Iosias habuit, vt censet Carolus Magnus *in præfatione capitularium suorum:* candem etiam, quam Constantinus, qui se in Ecclesia Episcopum rerum exteriorum esse affirmabat, vt narrat Eusebius *lib. 4. de vita eiusdem Imperatoris*, non vt baptizet Rex, & euangelizet: sed vt curet, ne hi, ad quos ea res pertinet, munus suum deserant, vel negligenter obeant, & vt iura Ecclesiæ seruari iubeat.

V. Ex varijs iuribus, quibus Ecclesiæ disciplina continetur, vnum esse æternum & perpetuum, cætera momenti & prouisionis temporariæ causa facta, ob humanas quasdam causas, quæ tempore cessare solent; at Ecclesiam ex voto, & suo, & omnium pietatis Christianæ amantium, restitutionem iuris diuini seu Apostolici exoptare.

Vobis autem (Patres Amplissimi) incumbit custodia in hoc regno non tantum præsentis libertatis Ecclesiæ, verum etiam antiquæ, veræ, natiuæ, & canonicæ: quo munere sanctissimam Ecclesiæ veterem suam disciplinam restituendi nullum maius, sanctius, laudabilius, excogitari potest. Hæc etiam res magis commode quasi sensim & sine sensu ad effectum iudicijs vestris perduci potest, quam expressis Regum constitutionibus propter naturalem hominum aduersus res bonas obsistendi cupiditatem. Hanc veteris disciplinæ Ecclesiasticæ custodiam & restitutionem debetis honori & decori Ecclesiæ vniuersæ, debetis illi ordini, qui iustitiæ administrationem in hoc regno profitetur.

Vobis enim audientibus in ipsis iustitiæ tribunalibus hæc vetera iura passim enarrantur, & scriptis etiam mandantur à Iurisconsultis, quos tutos esse oportet aduersus calumniæ morsus, & prauorum hominum versutias, qui, cum hæc sanctissima iura ignorent, vel ignorare se simulent, illa calumniantur, & vt pessime à vulgo audiantur, mille technis & fraudibus satagunt.

Sed hæc iuris veteris protectio multu magis necessaria videtur his difficilimis Reipublicæ temporibus, & à vobis impensius debetur securitati Regum & Imperij supremi, quod his à Deo demandatum est. Nam vt nullum est ius magis amicum Regum saluti, quam illa natiua puritas iuris diuini, Apostolici, & Canonici primæui: sic etiam nihil est magis ei rei infestum & inimicum, quam deprauatio & corruptio sanctissimi illius iuris, qualem obseruare licet in iuribus, quæ deinceps in huius antiqui vicem subrogata sunt. Nimis longum esset enumerare antinomias horum Codicum, easque maxime, quæ ad libertatem vel seruitutem Ecclesiæ pertinent, & superaret ea res modum huius libelli, qui vobis (Patres Amplissimi) animo deuotissimo, & ad obsequium propenso dicatus est, tanquam veris & legitimis iuris antiqui defensoribus. Si enim vestrorum decessorum virtutem omnes mortales admirati sunt, Reges quoque exteri honorificentissime coluerunt: vos quoque principes esse debetis, & exempla Regum exterorum,

magiſtratibus & Iudicibus in conſeruanda & reſtitoenda Eccleſiæ antiqua libertate: quod fiet, ſi vobis in mentem redeat, quod olim de Republica Romana dictum eſt, id verius de Eccleſia dici & poſſe, & debere:

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſq;.

Quod ſi iuſtitia germanam ſuam pietatem delectam, & iacentem manu non erigat & reſtituat, nulla ſpes eſt coiuſdam humani auxilij, à quo & cura, & obdoctio vulneris illius ingentis; quod faciem orbis Chriſtiani turpiter dedecorat, expectari poſſit.



SERENISSIMI PRINCIPIS

Anno 1606.

LEONARDI DONATI DVCIS VENETIARVM

EDICTVM

CONTRA BVLLAM INIVSTAM Pauli V. Papæ Romani.

PAVLVS V. PONTIFEX MAXIMVS,

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis per vniuerſum dominium Reipub. Venetorum conſtitutis, & dilectis Filijs, eorum Vicarijs in Spiritualibus generalibus, necnon vniuerſis Abbatibus, Prioribus, Primicerijs, Præpoſitis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Plebanis, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, alijsq; perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis in eodem dominio exiſtentibus, tam ſecularibus, quam quorumuis Ordinum & Inſtitutorum regularibus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.



VPERIORIBVS *menſibus ad Noſtram & Apoſtolicæ ſedis audientiam peruenit, Ducem & Senatum Reipub. Venetorum annis elapſis in eorum conſilijs plura ac diuerſa decreta tum ſedis Apoſtolicæ auctoritati, & Eccleſiæ libertati ac immunitati contraria, tum generalibus Concilijs, & ſacris Canonibus, necnon Romanorum Pontificum conſtitutionibus repugnantia ſtatuiſſe: & inter cætera ſub die 23. menſis Maij, Anni M DC II. ſumpta occaſione ex quadam lite ſeu controuerſia, inter Doctorem Franciſcum Zabarellam ex vna, & Monachos monaſterij de Praglia nuncupatos, ordinis S. Benedicti, congregationis Caßinenſis, aliàs S. Iuſtinæ de Padua in Diœceſi Paduana ex altera, partibus, vertente, eorum conſilio ſtatuiſſe, non ſolum, vt dicti Monachi tunc aut deinceps vllo vnquam tempore actionem, per quam ſub quouis titulo aut colore in bonis Eccleſiaſticis emphyteuticis à laicis poſſeßis præferantur, prætendere, ac etiam iure prælationis ſeu conſolidationis directi cum vtili dominio, aut extinctionis lineæ in primis inueſtitura comprehenſa, aut alia quauis cauſa bonorum prædictorum proprietatem ſibi vindicare minime poſſent, ſed tantummodo ius directi dominij illis præſeruatum eſſet: verum etiam vt idipſum, quoad cæteras omnes perſonas Eccleſiaſticas, ſeculares & regulares, Monaſteria Monialium, Hoſpitalia, & alia loca pia in eorum temporali dominio exiſtentia, declaratum & firmiter deliberatum cenſeretur. Et ſub die 10. Ianuarij ad ſuperiora quædam conſilia ab eorum Maioribus, vt etiam aſſerebant, habita reſpicientes, quibus cauebatur, ne quiſquam ſiue ſecularis, ſiue Eccleſiaſticus in vrbe Venetiarum, Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, atq; alias religioſas domos & pia loca, ſine eorum ſpeciali licentia fundaret & erigeret, in conſilio Rogatorum congregatos iterum decreuiſſe, vt id eandem in omnibus iuriſdictionis eorum locis vim obtineret: & præterea exilij ac perpetui carceris, & publicationis fundi, venditionisq; ædificij contra ſecus facientes pœnam edixiſſe. Vlterius eoſdem Ducem & Senatū die 26. menſis Martij, anni M DC V. inhærentes alteri decreto, anno M D XXXVI. ab eodem Senatu facto, in quo (vt aſſerebant) erat expreſſe prohibitum, ne quis ſub certis in illo contentis pœnis in Vrbe Venetiarum, eiuſq; Ducatu bona immobilia ad pias cauſas teſtamento ſeu donatione inter viuos relinqueret, aut aliquouis titulo alienaret, ſiue ad earum fauorem vltra certum tunc expreſſum tempus obligaret (quod in illum vſq; diem, vt ibi etiam dicebatur, vſu receptum & obſeruatum non fuerat) non modo iterum id vetuiſſe, ſed expreſſe etiam prohibuiſſe, ne bonorum eiuſmodi immobilium alienationes in fauorem perſonarum Eccleſiaſticarum ſine Senatus prædicti licentia fierent, ac inſuper decretum ipſum, & pœnas in eo contentas per vniuerſum eorum dominium extendiſſe, & per Rectores & Poteſta-*

& Potestates ciuitatum & locorum sui dominii promulgari fecisse, atq; bona immobilia omnia, quæ contra præmissorum formam vendi, aut quouis modo alienari contingeret, vltra nullitatis pœnam publicari & vendi, eorumq; pretium inter Remp. ipsam, Magistratum exequentem, & eius ministros, ipsumq; denuntiatorem diuidi mandasse, & aliàs prout in decretis & mandatis Ducis & Senatus prædictorum latius dicitur contineri.

Ac præterea eosdem Ducem & Senatum Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum & Brandolinum Valdemarinum Forofuliensem Abbatem Monasterii seu Abbatiæ de Neruesa Taruisiæ Diœcesis, personam in dignitate Ecclesiastica constitutam, ob quædam prætensa crimina in vrbe Vicentina, & alibi per illos (vt dicitur) commissa carceri mancipasse, & mãcipatos detinuisse, sub prætextu, quod eis hæc facere liceret, inter alia ob quædam ipsis Duci & Reip. à quibusdã Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa (vt asserebant) priuilegia. Cumq; præmissa in aliquibus Ecclesiarum iuribus, & personarum Ecclesiasticarum priuilegiis præiudicium inferant, ipsamq; libertatem ac immunitatẽ Ecclesiasticam tollant: Ac ea omnia in ipsorũ Ducis & Senatus animarũ perniciem & scandalum plurimorum tendant: Et cum ii, qui supradicta ac similia edere & promulgare, illaq; vti ausi sunt, in censuras Ecclesiasticas à sacris canonibus generaliũ Cõciliorum decretas, & Romanorũ Pontificũ constitutionibus inflictas, necnon etiam priuationis feudorũ & bonorũ, si quæ ab Ecclesiis obtinent, pœnam eo ipso incurrerint, à quibus censuris & pœnis non nisi à Nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente absolui & liberari possint, ac propterea inhabiles & incapaces sint qui absolutionis & liberationis beneficium consequantur, donec editas leges nouis edictis atq; decretis sustulerint, omniaq; inde secuta reipsa in pristinum statum reintegrauerint: Cumq; etiam Dux & Senatus prædicti, post plures paternas nostras monitiones, à multis mensibus citra eis factas, adhuc decreta & edicta præfata non reuocauerint, ac eosdẽ Canonicum Saracenum, & Abbatem Brandolinũ carceratos detineant, & illos venerabili fratri Horatio Episcopo Hieracensi nostro, & Apostolicæ sedis apud eos Nuntio, vt debebant, non consignauerint: Nos, qui nullo pacto ferre debemus, vt Ecclesiastica libertas & immunitas, Nostraq; & sedis Apostolicæ auctoritas violetur & contemnatur, inhærentes plurimum generalium Conciliorum decretis, ac vestigiis Romanorũ Pontificum, Innocentii III. Honorii III. Gregorii IX. Alexandri IV. Clementis IV. & Martini etiam IV. Bonifacii VIII. Bonifacii IX. Martini V. Nicolai V. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, quorum aliqui similia statuta aliàs contra libertatem Ecclesiasticam edita, tanquam ipso iure nulla, inualida, & irrita reuocarunt, ac nulla, inualida & irrita esse decreuerũt & declararunt, & aliqui contra similium edictionũ statutarios, & alios ad excõmunicationis promulgationem, necnon ad alia infra scripta sententiarũ aliqua deuenerunt: habita cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus matura consultatione de ipsorũ consilio & assensu, licet supradicta decreta, edicta & mãdata ipso iure nulla, inualida & irrita sint, ea nihilominus ipso iure adhuc de nouo nulla, inualida & irrita, nulliusq; roboris & momenti fuisse & esse, & neminem ad illorum obseruantiam teneri, per præsentes decernimus & declaramus. Et insuper auctoritate omnipotẽtis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorũ eius ac Nostra, nisi Dux & Senatus prædicti intra 24. dies à die publicationis præsentium in hac alma vrbe faciendæ computandos, quorũ octo primos pro primo, octo pro secundo, & reliquos octo pro tertio & vltimo ac peremptorio termino, & pro monitione Canonica illis assignamus, prædicta decreta omnia, & in illis contenta, & inde secuta quæcunque, omni prorsus exceptione & excusatione cessante, publice reuocarint, & ex eorum Archiuis seu Capitularibus locis aut libris, in quibus decreta eiusmodi annotata reperiuntur, deleri & cassari, & in locis eiusmodi dominii, vbi promulgata fuerũt, reuocata, deleta & cassa esse, neminemq; ad illorũ obseruantiam teneri, publice nunciari, ac omnia inde sequuta, in pristinũ statum restitui fecerint: & vlterius, nisi à similibus decretis contra libertatem, immunitatem & iurisdictionem Ecclesiasticam ac nostram & sedis Apostolicæ auctoritatẽ, vt præfertur, facientibus edẽdis & respectiue faciendis in posterum cauere, & penitus abstinere promiserint, ac nos de reuocatione, deletione, cassatione, nuntiatione, restitutione, ac promissione prædictis certiores reddiderint: & nisi etiam prædictos, Scipionem Canonicum & Brandolinũ Abbatem, prædicto Horatio, Episcopo & Nuncio cũ effectu consignauerint seu consignari fecerint, ipsos tunc & pro tẽpore existentem Ducẽ & Senatum Resp. Venet. statutarios & eorũ fautores, consultores & adhærentes, & eorũ quemlibet, etiamsi nõ sint specialiter nominati, quorũ tamen singulorũ nomina & cognomina præsentibus pro expressis haberi volumus, ex nunc prout ex tunc & econtra excõmunicamus, & excommunicatos nunciamus & declaramus. A qua excõmunicationis sentẽtia, præterquã in mortis articulo cõstituti, ab alio quam à nobis & Rom. Põtifice pro tẽpore existente, etiam prætextu cuiuscunq; facultatis & cuilibet illorũ, tam in genere, quam in specie pro tẽpore desuper concessæ seu cõcedendæ, nequeant absolutionis beneficiũ obtinere. Et si quempiam eorum, tanquã in tali periculo constitutum, ab eiusmodi excõmunicationis sententia absolui contigerit, qui postmodum conualuerit, is in eandem sententiam incidat, eo ipso, nisi mandatis nostris, quantũ in se erit, paruerit. Et nihilominus si obierit post obtentã huiusmodi absolutionem, Ecclesiastica careat sepultura, donec mandatis nostris paritum fuerit. Et si dicti Dux & Senatus per tres dies post lapsum dictorum 24. dierum excõmunicationis sententiam animo (quod absit) sustinuerint indurato, sententiam ipsam approbantes: ex nunc pariter, prout ex tunc, ciuitatem Venetiarum & alias ciuitates, terras, oppida, castra, & loca quæcunq; ac vniuersum temporale dominium d. Reip. Ecclesiastico interdicto supponimus, illamq; & illud suppositã esse nunciamus & declaramus: quo durante, in dicta ciuitate Venetiarum, & aliis quibuscunq; dicti dominii ciuitatibus, terris, oppidis, castris & locis, illorumq; Ecclesiis ac locis piis & oratoriis & domesticis Capellis nec publice, nec priuatim Missæ, tam solemnes, quam non solemnes, aliaq; diuina officia celebrari possint, præterquã in casibus à iure permissis: & tunc in Ecclesiis tãtum, & nõ alibi, & in illis etiã ianuis clausis, nõ pulsatis campanis, ac excõmunicatis & interdictis prorsus exclusis; atq; aliter quæcunq; indulta & Apostolica priuilegia quoad hoc, quibuscunq; tam secularibus, quam regularibus Ecclesiis, etiam quantumcunq; exemptis, & Apostolicæ sedi immediatè subiectis, etiamsi de ipsorum Ducis & Senatus iure patronatus etiam ex

fundatione & donatione, aut etiam priuilegio Apostolico existant, ac etiamsi tales sint, sub generali dispositione non comprehendantur sed de illis specialis & indiuidua mentio habenda sit, Monasteriis, ordinibus etiam mendicantium, aut institutis Regularibus, eorumque Primiceriis, Prælatis, Superioribus, & aliis quibuscunque etiam particularibus personis, aut piis locis & oratoriis etiam domesticis ac capellis priuatis, vt præfertur, in genere, vel in specie, sub quibuscunque tenoribus & formis hactenus concessa, & in posterum concedenda, eis vllatenus suffragentur. Ac vlterius eosdem, Ducem & Senatum, & quemlibet eorum, non solum Reipublicæ, sed etiam priuato nomine, si aliqua bona Ecclesiastica in feudum seu aliàs quouis modo à Romana aut vestris seu aliis Ecclesiis concessa obtineant, illis bonis & feudis, necnon etiam omnibus & quibuscunq; priuilegiis & indultis in genere vel in specie in quibusdam videlicet casibus & delictis contra Clericos procedendi, illorumq; causas certa forma præscripta cognoscendi, à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris illis forsan quomodolibet concessis, ex nunc similiter prout ex tunc, & econtra, priuamus, ac priuatos fore & esse nunciamus & decernimus. Et nihilominus, si ipsi Dux & Senatus in eorum contumacia diutius persisterint indurati, censuras ac pœnas Ecclesiasticas contra illos eisq; adhærentes, & in præmissis quouis modo fauentes, aut auxilium, consilium, & fauorem præstantes, etiam iteratis vicibus aggrauandi & reaggrauandi, aliasq; etiam pœnas contra ipsos Ducem & Senatum declarandi, & ad alia opportuna remedia iuxta sacrorum Canonum dispositionem contra eos procedendi facultatem Nobis & Romanis Pontificibus successoribus nostris nominatim & in specie reseruamus, non obstantibus quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon priuilegiis, indultis & literis Apostolicis eidem Duci & Senatui, aut quibusuis aliis personis, in genere vel in specie, præsertim, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ac alias sub quibuscunq; tenoribus & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis ac irritantibus, & aliis decretis, ac in specie cum facultatibus absoluendi in casibus Nobis & Apostolicæ sedi reseruatis, illis quouis modo per quoscunq; Romanos Pontifices, ac Nos & sedem Apostolicam in contrarium præmissorum concessis, confirmatis & approbatis: Quibus omnibus & singulis, & aliis supra expressis eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes Nostræ literæ ad omnium maiorem notitiam deducantur, vobis, & cuilibet vestrûm per easdem præsentes committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, & sub diuinæ interminatione iudicii, necnon sub Interdicti ingressus Ecclesiæ, ac suspensionis à Pontificalium exercitio, ac fructuum mensarum Patriarchalium, Archiepiscopalium & Episcopalium perceptione, quoad vos Fratres, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, ac etiam priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, quæcunq; obtinueritis, ac etiam vocis actiuæ & passiuæ, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, quoad vos filii Vicarii, & alii supradicti eo ipso incurrendis, aliisq; arbitrio nostro infligendis pœnis districte præcipiendo mandamus, vt per vos, vel alium, seu alios præsentes literas, postquam eas receperitis, seu earum notitiam habueritis, in vestris quisq; Ecclesiis, dum maior in eis populi multitudo ad diuina conuenerint, ad maiorem cautelam solemniter publicetis, & ad Christi fidelium notitiam deducatis, necnon ad Ecclesiarum earundem vestrarum valuas affigi, & affixas dimitti faciatis. Et vlterius volumus, vt præsentium transsumptis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbiq; habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ, quodq; eædem præsentes, siue earum exempla etiam, vt præfertur, impressa ad Ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ nostræ Apostolicæ valuas, & in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ & publicatæ, eos; etiam vniuersos & singulos respectiue, perinde afficiant, ac si eorum ac vestrûm cuilibet personaliter directæ, intimatæ, & præsentatæ fuissent. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 17. Aprilis, Ann. 1606. Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

Anno à Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi 1606. Indictione 4. die vero 17. mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D.N.D. Pauli diuina prouidentia Papæ V. anno eius primo, supradictæ literæ earumque exempla impressa, affixa & publicata fuerunt ad valuas Ecclesiæ Lateraoensis ac Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, nec non acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Christophorum Fundatum, & Ioannem Dominicum de Pace, Apostolicos cursores.

Petrus Aloysius Peregrinus,
cursorum Magister.

Leonardus Donatus, Dei gratia Dux Venetiarum, &c.

Reuerendissimis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis vniuersi Dominij nostri Venetiarum, & Vicariis, Abbatibus, Prioribus, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis Prælatis Ecclesiasticis, Salutem.



D aures nostras peruenit, Sanctissimi Patris Pauli Papæ Quinti mandato quoddam assertum Breue contra Nos, & Senatum, ac Dominium nostrum fulminatum, Romæ die 17. Aprilis proxime elapsi publicatum & affixum fuisse, vobisque directum, cuius tenor in ipsis eius literis continetur. Quamobrem Nos, qui tranquillitatem ac quietem dominij nostro regimini à Deo commissi seruare tenemur, & auctoritatem Principis neminem superiorem in temporalibus sub Diuina Maiestate agnoscentis tueri debemus, his nostris publicis literis coram Deo & vniuerso orbe protestamur, nihil eorum, quæ per nos fieri poterant, prætermissum fuisse, quo validissimæ & indissolubiles rationes, & iura nostra Sanctitati suæ innotescerent, eique probarentur; primum quidem per Oratorem nostrum apud Sanctitatem suam Legatione fungentem, deinde vero per nostras literas; quibus respondimus prioribus Breuibus nobis ab ea directis, demum per extraordinarium Oratorem ad eandem propterea missum. Verum cum Sanctitatis suæ aures clausas inuenerimus, cognouerimusque, præfatum Breue contra omne ius & æquum emanasse, & contra ea, quæ diuina Scriptura, sanctorum Patrum doctrina, sacrique Canones præcipiunt, in præiudicium auctoritatis secularis à Deo Nobis traditæ, & libertatis Reipublicæ nostræ, cum perturbatione tranquillæ possessionis, bonorum, honoris & vitæ, qua fideles subditi nostri, diuina gratia, sub nostro regimine fruuntur, non sine omnium scandalo promulgatum fuisse: Prædictum Breue non modo vt iniustum, indebitumque, verum etiam vti nullum, nulliusque roboris aut momenti Nobis habendum esse non dubitamus; Atque ita inualidum, irritum & fulminatum illegitime, & de facto, nulloque iuris ordine seruato, vt ea remedia adhibenda non duxerimus, quibus Maiores nostri, & alij supremi Principes vsi sunt cum Pontificibus, qui potestatis, à Deo sibi in ædificationem traditæ, limites ac modos egressi fuerunt. Præsertim cum exploratum Nobis sit, vos, cæterosque fideles nostros subditos, vniuersumque orbem idem de eo existimaturos. Non dubitantes, quin sicut ad hoc vsque tempus curæ animarum fidelium nostrorum sedulo inuigilastis, diuinoque cultui operam dedistis, qui vestra diligentia in hac nostra ditione floret, vt cæteris non sit inuidendum; ita posthac in eodem Pastorali officio perseueraturi sitis: cum Nobis decretum constitutumque sit, in sancta fide Catholica & Apostolica, atq; in obseruantia erga S. Rom. Ecclesiam persistere, quam Maiores nostri à prima huius ciuitatis origine hucusque, diuina comitante gratia, & sine vlla intermissione coluerunt.

Mandantes, has nostras, vt omnibus innotescant, in magis conspicuis huius nostræ vrbis, ac aliarum fidelium ciuitatum nostro Principatui subiectarum, locis affigi: Certo existimantes, tam manifestam promulgationem ad omnium aures peruenturam, qui de eiusdem Breuis publicatione aliquid audierunt, imo ad Sanctitatis suæ aures accessuram. Deumque obsecramus, vt suo diuino Spiritu illius mentem excitet, quo Breuis sui, & omnium contra Nos actorum nullitatem cognoscat, & causæ Nostræ iustitia ac æquitate perspecta, animos Nobis addat ad obsequium, reuerentiamque retinendam erga sanctam Sedem Apostolicam, cuius Nos Prædecessoresque nostri, ac Respublica vniuersa semper fuimus studiosissimi, ac in posterum fore decreuimus. Datum in Nostro Ducali Palatio, die 6. Maij, Indictione 4. M D C VI.

Iacobus Girardus Secretarius.

P. PAVLI

P. PAVLI VENETI ORDINIS SERVORVM

CONSIDERATIONES

CENSVRARVM PAVLI V. PONTIFICIS contra Sereniſſimam Rempublicam Venetam.

Pſalm. 108.

Maledicent illi, & tu benedices.

HOc ſibi perſuaſum Reſpublica Veneta hucuſque ſemper habuit; & pro certo habet adhuc, principale fundamentum omnis Imperij & Dominij eſſe veram religionem & pietatem. Et ſe quoque in vero cultu diuino natam & educatam per Dei gratiam cognouit, propterea omne ſuum ſtudium in id conuertit, vt ſacris ædibus & Eccleſijs quotidie creſceret, illas ipſas magnifice adornaret, pios & conuenientes miniſtros ijſdem procuraret, & tales religioſorum Ordines inſtitueret, qui Eccleſiam Catholicam quam maxime prouehere poſſent. Quod vt ita ſit, ingens & prægrandis numerus Eccleſiarum & Monaſteriorum magnis diuitijs donatorum, inque hac ipſa noſtra patria, & alijs ad eandem pertinentibus vrbibus ſitorum ſatis ſuperque teſtatur. Quemadmodum autem nunquam defuit, vt cultus diuinus rite exerceretur, ita etiam ſemper fuit præcauere conata, ne suborta nouitate ſub prætextu Collegiorum, Confraternitatum & congregationum ciuitati, & toti etiam dominio periculum aut damnum aliquod inſurgeret, quale ex magnis illis & in locis importunis erectis ædificijs facile metuendum eſſet. Itaque omni tempore ſumma diligentia proſpexit, quales perſonas in vrbem ſuam ſuſciperet, & in quibus locis Eccleſias & Monaſteria inſtruerent, an poſſint etiam tolerari, & in poſterum ſuſtentari. Cum autem videret, hanc ſuam diligentiam & accuratam proſpicientiam non ſufficere, ab anno 1337. hanc ſtabiliuit legem, *ne vel Eccleſiæ, Monaſteria, Hoſpitalia, vel aliud quicquam Venetijs ipſis ſine Magiſtratus licentia & conſenſu fabricaretur.* Quam eandem legem poſtmodum, ann. 1515. & 1561. denuo confirmauit. Et cum inſuper animaduerteret, talem prouiſionem etiam cæteris ſuæ ditionis ciuitatibus ad mare & alibi ſitis, neceſſariam fore, earundem Rectoribus mandauit, *vt nec Religioſis, nec laicis erectionem Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut Hoſpitalium ſine Superiorum conſenſu permitterent, ſed illud omne ſub pœna excommunicationis & confiſcationis tum erectorum ædificiorum, tum etiam ipſius fundi prohiberent.*

Ad hæc quemadmodum hucuſque ſemper in vſu habuit, ita & nunc in id vnice incumbere cupit, vt iuſtitia ſubditis ſuis adminiſtretur, memor ſcilicet illius, quod Eccleſiaſtes dicit: *Cap.10.* *Regnum de gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, iniurias, contumelias, & diuerſos dolos.* Et in contrarium, Prouerb. 29. *Rex, qui iudicat in veritate pauperes, eius thronus in æternum firmabitur.* Itaque dum hactenus vnumquemque in poſſeſſione ſuorum bonorum debita protectione defendit, quieti & tranquillitati publicæ optime ſane conſuluit. Quam tranquillitatem pacemque publicam, cum diuerſi Eccleſiaſtici non ſemel, ſed aliquoties hucuſque fuerint interturbare conati (quorum tamen obligatio vitam ſanctam & bonos mores requirit) Reſpublica non potuit, quin in eoſdem animaduerteret, & vt ordinibus fauorem aliquem præſtaret, in delictis quidem communibus ad exemplum vicinorum Principum, prærogatiuam ſeu potius priuilegium aliquod, ne propter delicta quæuis etiam leuiuſcula, coram Magiſtratu comparere cogantur, conceſſit, eoque modo maleuolos in timore ſemper obtinuit, & offenſis debitum ſolatium etiam præſtitit. Et hac adminiſtratione à Deo Opt. Max. accepta ad præſentem vſque diem ſine vlla interruptione libere eſt vſa. Vt etiam Eccleſiaſticos cuiuſcunque eſſent ordinis aut gradus, grauiter ſcilicet delinquentes, puniret, & ita quiete publica ac libertate antiqua à vero ſui ipſius dominio dependente, eo liberius vti fruique poſſet.

Pari modo in hoc etiam fuit ſemper intenta, vt vnuſquiſque ſubditorum poſſeſſiones ſuas & bona immobilia quæque ſeruaret, cum ad ſecuritatem publicam priuatorum commodum plurimum poſſit. Quapropter cum trecentis hucuſque annis animaduertere cœperit, quod

Eccle-

Ecclesiastici quotidie quærerent, quomodo possessiones semper plures adipisci, suosque ita reditus indies augere possent, idque (licet præter eorundem Ecclesiasticorum intentionem) in damnum non modo familiarum secularium, quarum bona hoc modo quotidie quasi diminuerentur, sed in detrimentum etiam publicorum redituum viriumque cederet: Numerum quinetiam illorum ciuium, qui gubernationi ciuili inseruiunt, indies fieri minorem; quantitatem itidem eorum bonorum, super quæ reditus publici vnice fundati sunt, decrescere: econtra numerum Ecclesiasticorum de die in diem insurgere, quibus, omnium onerum publicorum immunitatem prætendentibus, & bona bonis absque vlla intermissione adiungentibus, vires publicæ mirum in modum prosternuntur: Et cum ordines illi Ecclesiasticorum perpetui sint, & indies magis ac magis acquirant, res tandem secularium omnino abalienentur, inque manus Ecclesiasticorum cuncta deuenirent; itaque omnis simul cum ciuitate extingueretur nobilitas, vt nil nisi duo ordines, Ecclesiasticorum scilicet, & rusticorum superessent.

Illud itaque, inter omnia mala fere maximum, præcauendi, Respublica Anno post natum Christum 1333. ordinauit, *vt in toto eiusdem dominio Ecclesiæ & Monasteria nulla vaquam bonis immobilibus donarentur, & si qua forte vltra certum & præscriptum terminum iisdem relicta essent, diuenderentur, pretiumq; Ecclesiasticis illius ordinis traderetur.* Quæ sane lex vsque ad annum 1536. vario modo obseruata, postmodum vero in hanc formam mutata fuit: *Ne scilicet Ecclesiastici bona immobilia vltra terminum duorum annorum retinerent, sed tum vel diuenderent, aut, nisi hoc fecerint, executionem Magistratus expectarent.* Et ex his sane legibus tot commoditates, tum publicæ, tum priuatæ sunt subsecutæ, vt multæ etiam ciuitates aliæ non hisce saltem temporibus, sed etiam multo antiquioribus, easdem imitatæ sint. Quod cum Senatus altius consideraret, & omnes suos status hoc vnico ad æqualitatem perduci; bonorumque laicorum diminutionem præcaueri quam maxime posse videret, Anno 1605. eas ipsas antea Venetiis saltem latas, per totum suum dominium diuulgari iussit, cum hac vlteriore appendice: *quod nemini vel Venetiis, vel in toto Reipub. statu absq; Senatus permissu licitum sit, sub hoc vel illo prætextu Ecclesiasticis bonorum immobilium quicquam vendere, donare, aut quocunq; alio modo ad eosdem transferre, idq; sub pœna confiscationis.*

Et vt superfluas ac abundantes diuitias Ecclesiasticorum (quas sub prætextu recti & æqui à laicis extorserant, & vltro sese indies magis ac magis insinuantes, nunc cum hoc, nunc contra hunc lites mouebant, bona illa emphyteusin ad census & locationes perpetuas nominantes, & prætendentes insuper, quod cæteris omnibus in venditione quauis præferantur, aut scilicet quod possessores ius redimendi amiserint, aut quod non omnes hæredes bonorum essent capaces) moderaret, Anno 1602. deliberauit, idque controuersijs Monachorum Pragliensium motus, quod Ecclesiastici bona laicorum per rationem Prælationis lineæ, aut consolidationem vtilis non possent acquirere, aut proprietarij eorum fieri. Quod freta consuetudine plus quam ducentis annis obseruata, & innumerabilibus iudicijs ante hæc in simili casu habitis ita statuit, vt scilicet omnem occasionem controuersiarum litiumque è medio tolleret, formamque scriptam in similibus iudicandi porrigeret. Et has ipsas leges, ordinationes, & iustitiæ administrationes, præteriti Pontifices non solum viderunt, & ex continua relatione Ecclesiasticorum huius nostri status, & ex suis ipsorum Nuncijs in hac nostra vrbe residentibus cognouerunt, verum etiam obseruarunt, & plenam earundem notitiam & informationem habuerunt; quidam sane, quia in hoc statu sunt nati & educati: alij vero, quod velut priuati nobiscum vixerunt, & per multos annos officium administrarunt eorum, qui confitentes audiunt & examinant, aut inquisitores aut Episcopi huius ciuitatis extiterunt: ita vt omnibus hucusque Pontificibus legum Venetarum iustitia, & iudiciorum eiusdem Magistratus æquitas aliquo modo cognita fuerit: Et cum nihil omnino contra easdem moliti sint, coniectari quiuis facile potest, eas perpetuo hoc silentio ab omnibus fuisse approbatas, iudicia vero super Ecclesiasticos hucusque semper fuerunt exercitata, & præteritis quidem temporibus frequentius, quam proxime elapsis. Et vt antiquiora secula prætereamus, ordinationes & leges supra scriptæ plus quam trecentis annis in vsu fuerunt, licet in hisce vltimis & postremis temporibus quædam illarum sint confirmatæ, aliquæ extensæ, aliæ de lege non scripta, cum quali obseruabant, in literas redactæ, & ita tandem publicatæ. Ex quibus vna anni 1602. & altera 1603. à Clemente Octauo Pontifice sane diligentissimo fuerunt visæ, & nullo modo improbatæ, nec tamen Paulo Quinto satisfacere possunt, cui potius placuit statim in principio sui Pontificatus omni occasione incognita leges & iudicia nostræ Reipublicæ examinare.

Circa finem enim proximi prætetlapsi mensis Octobris in Audientia ordinaria coram Legato nostræ Reipublicæ aperte est confessus, se legem illam, de non transferendis bonis immobilibus ad Ecclesiasticos, quam, sede Pontificia vacante, sancierit, haudquaquam approbare posse. Nam licet virtute alterius cuiusdam vetustioris lata sit, tamen tam hanc, quam illam nonam per canones aliquos inualidam reddi: sese itaque omnino velle, vt penitus abrogaretur, quam suam voluntatem vt Reipublicæ notam faceret, Legato illo ipso momento iniunxit.

Quod cum Legatus fecisset, & à Senatu responsum accepisset, vt rationes, causas, & iustitiam illarum legum Pontifici exponeret, eumque pariter potestatis, quam Respublica huius-

modi

modi ordinationes fabricandi haberet, informaret, Pontifex, se isthæc parum curare, respondit; sed velle potius & serio etiam iubere, vt petitis absque vlla mora satisfiat, hac conclusione addita, quod Breue aliquod hortatorium Venetias sit missurus, monstrans simul Legato excommunicationem, quam contra aliam aliquam ciuitatem imprimi fecerat. Et quod in huiusmodi casibus nec responsiones, nec allegationes rationum, sed promptam obedientiam velit: & tandem hanc etiam querelam annectebat, quod Respublica Veneta mense proxime præterlapso Canonicum quendam Vicentinum, & Abbatem insuper Neruesianum in vincula coniecerit, quos vt foro Ecclesiastico illico remittat, velit: Et si quæ priuilegia Ecclesiasticos iudicandi Respublica habeat, illa ad tales personas, & ad huiusmodi etiam delicta, propter quæ dictæ duæ personæ carceribus inclusæ sint, nequaquam extendi posse.

Vt autem cuilibet notum fiat, quid prædicti duo deliquerint, ab incepto parum digrediendum erit.

Historia duorum delinquentium.

Brandolinus Valdemarinus Neruesiæ Abbas accusabatur, ac si per multos iam annos tyrannidem erga bona & vicinorum coniuges exercuisset, multos, & inter eosdem quendam sacerdotem suum domesticum veneno sustulisset, patri insuper ipsi, & fratri genuino venenum exhibuisset, plurimos alios occidisset, cum aliqua ex proprijs suis sororibus aliquandiu rem habuisset, artibus magicis sua illa facinora ad actum perduxisset, & talia in summa perpetrasset, quæ absque summo horrore enarrari non possunt, vt querelæ à diuersis hinc inde contra ipsum satis superque restantur. Scipioni vero Saracino Canonico Vicentino imputabatur, quod publica sigilla Rectoris Vicentini, vacante sede Apostolica, Cancellariis Episcopatus in scriptotum custodiam & securitatem apposita, cum contemptu confregerit, viduam aliquam Vicentinam principalis familiæ & affinitate sibiipsi quam proxime iunctam, violare tentauerit, ostia illius, & ipsas etiam ædes, cum se repulsam multoties pati videret, fœdis imaginibus maculauerit, & ita, cum etiam in ipsis templis libidinem suam prodere non abhorreret, publicum scandalum plus satis dederit.

Sed vt ad nostrum redeamus Pontificem, in multis ille & diuersis congressibus cum Legato habitis, persuasit Reipublicæ, vt suas rationes relinqueret, eique in omnibus integram & omnimodam obedientiam præstaret, adiungens post aliquot dies nouas querelas de supra scripta lege, qua erectio seu fabricatura nouarum Ecclesiarum absque Senatus permissu prohibetur; sese itaque omnino velle, vt duæ illæ leges abrogentur, & duo prædicti captiui ad manus sui Nuncij Venetiis residentis remittantur. Decimo ergo die Decembris duo conscribi curauit Breuia; vnum scilicet de abrogandis sæpe nominatis legibus, alterum vero de iudicio supra Ecclesiasticos, eaque Nuncio suo misit, vt Reipublicæ offerret: Qui Nuncius (motus forte, quod Senatus in illis ipsis diebus extraordinarium Legatum elegerat, qui omni humilitate tentaret, an à tali conclusione ante cognitionem causæ concepta Pontificem posset auocare, & rem eidem pro necessitate exponere) præsentationem literarum distulit: quod cum Pontifex admodum ægre ferret, denuo & serio quidem mandauit, vt tandem commissa expediret. In illo itaque ipso festo Natiuitatis Christi, dum Dux Grimmanus iamiam in agone iaceret, & omnes Senatores essent congregati, quorum aliqui sacra Cœna erant vsi, reliqui iamiam ad eandem accessuti, audientiam petebat, & duo commissa Breuia sigillo occlusa offerebat, quæ tamen propter prædicti Principis obitum non aperiebantur, sed omnibus insimul placuit, vt ad diem sequentem, quousque nouus eligeretur Princeps, differrentur. Apertæ vero postmodum inueniebantur vnius argumenti vtræque, Papam scilicet cognouisse, quod Respublica in suis consilijs multa contra libertatem Ecclesiasticam, & auctoritatem sedis Apostolicæ constituerit, inprimis vero aliquas leges ad vnicam saltem ciuitatem, Venetias vtpote spectantes, per totum suum dominium extenderit: quarum vna esset de non erigendis nouis Ecclesiis, Monasteriis, & aliis huiusmodi ædificiis: altera vero de non transferendis bonis laicorum ad Ecclesiasticos absq; Senatus consensu: quas, cum libertati Ecclesiasticæ sint aduersæ, sese pro nullis & inualidis habere, vt & illum ipsum, qui easdem instituerit, in censuram Ecclesiasticam damnarum: Velle itaque & sub pœna excommunicationis *Latæ sententiæ* mandare, vt reuocentur, & abrogentur, & nisi obedientiam illico præstiterit, se vlterius processurum.

Ad hæc Senatus 25 Iannatij respondit, se literas Suæ Sanctitatis legisse, & cum dolore & admiratione simul ex iisdem intellexisse, quod leges à Republica per tot secula hucusque feliciter obseruatæ, à nullo suorum Antecessorum reprehensæ, & quarum reuocatio non nisi inuersio fundamenti totius gubernationis esset, iam tandem pro talibus haberentur, quæ auctoritati sedis Apostolicæ aduersæ essent, & quod etiam earundem constitutores, homines pietate clari, & de sede Apostolica optime meriti, violatorum libertatis Ecclesiasticæ notam incurrerent: sese enim secundum Suæ Sanctitatis admonitionem tum veteres, tum nouas leges diligenter examinasse, nec quicquam tamen in iisdem inuenisse, quod etiam per auctoritatem summi Principis statuere non licuisset, tandem itaque, cum quædam particularia suarum rationum tetigisset, concludens, se credere non posse, vt in alicuius censuram deuenerit, nec sperare etiam, Pontificem absque cognitione causæ in comminationibus suis vlterius perstiturum.

Hic sane requiritur, vt progrediamur antrorsum, & explicemus simul, quæ fuerint oppositiones, quas Pontifex duabus illis legibus obiecerit, & quam facile possint resolui, quam insuper

eædem

tandem leges rationi, æquitati & iustitiæ sint conformes, & quam legitimam Respublica potestatem habeat eas constituendi.

Obiicit Papa ambabus illis legibus, quod sint *sedis Apostolicæ auctoritati & Ecclesiasticæ libertati immunitatiq; contraria, tum generalibus Conciliis & sacris Canonibus, necnon Romanorum Pontificum constitutionibus repugnantes.* Ante omnia itaque opportunum erit, vt videamus, quid *libertas Christiana* sit, & vnde suam habeat originem. Nam certum est, quod nomen hoc sit plane nouum, nec per duodecim integra secula Ecclesiæ vnquam cognitum. Facit quidem Apostolus Paulus in Epistolis ad Romanos & ad Galatas etiam libertatis Christianæ plenariam mentionem, demonstrans ibidem, quod per peccatum primorum nostrorum parentum facti fuerimus serui peccati, à qua seruitute nos Christus proprio suo sanguine liberauerit, dum dicit: *Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ, nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum quidem sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Et ad Galatas aliam seruitutem proponit, Ceremoniarum scilicet Legis Mosaicæ, à qua itidem à Christo sumus liberati. *Et*, inquit, *nunc, fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit.* Et hæc quidem gratia libertatis nulli alteri est data & concessa, quam iis, qui in Christum credunt, & ad eiusdem Ecclesiam pertinent. Quapropter si forte insurgent aliqui de Sanctis antiquis, qui libertatem Ecclesiæ ad clericos saltem perstringere voluerint, eis nihil aliud, quam ministros dæmoniorum & patrem inferni opponimus: nec dubitet, qui etiam minimum suis ipsius legibus derogare conatur, quin ab Ecclesia Catholicà plane sit alienus. Nam de hac libertate hic non agitur, siquidem famosum illud & augustissimum nomen *Ecclesia*, quod ante hæc tum clericis, tum laicis erat commune, nunc quasi ad clericos tandem perstringitur, eosque fere solos comprehendit. Cum ergo aliquam peculiarem à supra dicta separatam libertatem habeant, forte ea erit, cuius Honorius III. An. 1220. primus videtur mentionem fecisse: Quæ tamen nec ab illo ipso, nec ab Imperatore Friderico II. qui eandem eo ipso tempore nominauit, declaratur, nec à Canonistis etiam recte, &, vt debebat, deciditur. Nam in omnibus legibus Canonicis nusquam definitur, nec res sub eadem comprehensæ declarantur, nec regula etiam iudicandi demonstratur. Ex quo sane sequitur, quod, quoties de re aliqua disputatur, nondum constet, an libertati Ecclesiasticæ aduersetur, nec ne. *Libertas* à Iureconsultis definitur, *quod sit facultas naturalis faciendi illud, quod quisq; vult*, quantum scilicet leges permittunt. Sunt itaque aliqui in ea opinione, hanc facultatem clericorum faciendi, quod illis libet secundum leges, esse libertatem Ecclesiæ, vt in hoc sensu illud ipsum, quod laicis simpliciter & absolute est libertas, sit in Ecclesiasticis libertas Ecclesiastica, & consistat in vsu illius facultatis, quam lex vnicuique concedit. Et hic videtur esse sensus *cap. Eos qui.* vbi inquit: *Si quis prohibet Ecclesiasticis pinsere panes, molere frumenta, aut in aliis rebus necessariis inseruire, is præsumitur, ac si libertati Ecclesiasticæ aliquid derogasset.* Quidam vero huius sententiæ non sunt, sed eas res sub hoc nomine comprehendunt, quæ Ecclesiasticis tantum ceu peculiaria priuilegia à Deo, aut Pontifice in rebus spiritualibus, & à Principibus in secularibus sunt concessæ, vt ita nihil aliud significent, quam priuilegia Prælationis Ecclesiæ in vniuersum, & tum in secularibus, tum spiritualibus concessa. Tertio inueniuntur etiam aliqui, qui ambas illas opiniones coniungunt, præter quos nonnulli omne id, quod in gratiam & fauorem clericorum fit & suscipitur, libertatem Ecclesiasticam nominari contendunt, & quod quicquid clericos timidos, laicos vero audaces & animosos reddit, contra illorum Statuta pugnet: quæ quidem definitio apud Bartolum existens ad exaltationem ordinum clericorum omnium maxime facere videtur.

Liberta. Ecclesia. stica. *Rom. 6.* *Gal. 4.* *De immun. Eccles. in 6.* *Authent. cassa, C. de sacros. eccles.*

Sumatur iam *libertas Ecclesiastica* in quacunque significatione libuerit, eam tamen ordinationes Reipublicæ Venetæ, & condemnationes personarum Ecclesiasticarum nullo modo tollunt.

Et quod ad obiecta attinet, non obiicit Papa aliam rationem specialem, nec lex de non erigendis Ecclesiis eum vllo alio modo offendit, quam quia est statuta: nam ita sonant eius literæ: *quasi Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ temporali vestræ iurisdictioni subiectæ aliquo modo essent, vel qui ea ratione in vestris ditionibus Ecclesias & alia pia ac religiosa loca extruerent, tanquam in aliquo scelere deprehensi, mulctandi viderentur.* Neque alteram etiam rationem ad probandam suam intentionem allegat, quod prohibitio translationis bonorum laicorum ad Ecclesiasticos, aut donatio etiam earundem in perpetuum, & abalienatio immobilium, libertati Ecclesiasticæ aduersetur, nisi in hoc, quod videatur esse certæ & vsurpatæ iurisdictionis, quod seculares in bona Ecclesiasticorum habeant potestatem. Ita enim scribendo pergit: *Perinde ac si temporalibus dominis liceret in Ecclesiastica bona, quæ Ecclesiis Ecclesiasticisq; personis, & aliis locis piis testatoribus, & cæteris Christi fidelibus pro remedio peccatorum, & exoneratione conscientiæ plerunq; relinquuntur, aut alio modo conferuntur, ius aliquod exercere.*

Quicunque autem rem diligentius voluerit examinare, per seipsum inueniet, quod condere legem, quæ omnibus, tam Ecclesiasticis, tum laicis prohibet fabricare Ecclesias sine licentia non sit (quemadmodum Pontifex obiicit) exercitare potestatem supra Ecclesiam, sed dominari super fundum, aream, aut superficiem, super qua ædificium illud erigitur, quod etiam nemo negare potest, purum & merum seculare esse. Neque vllus priuatus, qui Ecclesiastico fabricaturam alicuius Ecclesiæ super suo ipsius fundo recusat, dici potest, quod vel Ecclesiæ, vel Ecclesiastico aliquid præscribet, sed quod in proprio suo fundo, prout ipsi placet, disponat, & id tantum

probibeat, ad quod à legibus non obligatur. Non enim illud Ecclesia dici potest, quod fabricari potest, sed quoddam ædificatum & dedicatũ est. Et habet priuatus quilibet dominium super fundum suum proprium, Princeps vero super omnes fundos simul totius sui dominij habet potestatem maiorem. Quemadmodum itaque iniquum est ædificare Ecclesiam super fundum cuiusdam priuati absque illius permissu: ita etiam æquum esse non potest, in loco Principis, vbicunq; libuerit, contra ipsius voluntatem tale aliquid moliri.

Et in nulla prædictarum significationum libertas Ecclesiasticis adimitur: nam quantum ad primam significationem, nemo habet libertatem, rem aliquam, quæ alterius est, contra illius voluntatem vsurpare. In secunda Deus, cuius omnia bona propriissimè sunt, dans ministris Ecclesiæ ædificandi libertatem, hominibus priuatis dominium non ademit; quemadmodum nec Principi imperium super fundos: nec Papa ipse aliter disposuit, nec etiam tanquam rem secularem aliter disponere potuit, veluti neque vllus Princeps cum suis priuilegiis in statu huius nostræ Reipublicæ liberæ natæ quicquam disponere valuit, vt ita ne minimum quidem libertati Ecclesiasticæ sit derogatum.

Et si hoc valeret, Ecclesia est res spiritualis: ergo qui disponit circa libertatem ædificandi, disponit circa res spirituales: si, inquam, hæc consequentia valeret, sequeretur, quod omnia Princeps, probibens, ne quicquam de lignis quercinis, quæ ad fabricaturam nauium, pontium, & aliorum huiusmodi ædificiorum inseruiunt, in Ecclesias inueheretur, nec de plumbo, cuius in bello vsus est, in iisdem asseruaretur, Ecclesiis statueret leges, cum tamen in confesso sit, quod lignum quercinum plumbumve res mere laicæ sint. Et quid quæso est, quod cultui diuino non potest dedicari? Nil forte, vnico peccato, ceu Deo aduerso, excepto, inuenietur, quod eidem non possit consecrari: ergone qui disponit circa rem aliquam, eamque Deo consecrari prohibet, Deum ipsum offendit? Non equidem crediderim.

Præceptum honorandi Deum cum sit affirmatiuum, non comprebendit omnes materias, nec omnes locos & tempora, quemadmodum volunt illi, qui omnia ad statum Ecclesiasticum trahunt, sed potius admittit, vt, si ad impletionem sui nihil deficit, reliquum ad vsus humanos applicetur, sibiipsi vero, quantum decet & conuenit, tribuatur.

Si itidem cuique liceret contra voluntatem Principis in quocunque loco ædificare, liceret etiam quamuis adhibere materiam, & quemcunque quis vellet artificem; quod cum etiam ad ornamenta Ecclesiarum & vasa sacra sese extendat, omnes simul panni, ligna, metallaque, & quotquot aliarum rerum sunt, ad Ecclesiasticos pertinerent, quæ conclusio, quantum absurdum pariat, facile cuiuis constat; quoniam vt Ecclesiæ dedicatæ ad spiritualia pertinent, ita etiam nullus omnino locus sine Principis secularis permissu dedicari potest, quæ sane legis æquitas toti hucusque mundo cognita satis fuit. Cicero *in Oratione pro Domo* monstrat, quod nulla omnino area suis temporibus sine populi iussu potuerit consecrata esse. Sub Imperatoribus Ethnicis quatuor erant leges, quibus prohibebatur, ne quid sine Principis permissu consecraretur, quas, cum Iustinianus *Digestis* inseruerit, sine vllo dubio easdem nostræ religioni voluit commendare, vt etiam fabricaturas nostrarum Ecclesiarum comprehenderent. Et cui placet legere *historias Ecclesiasticas*, & *Iustiniani Nouellas*, facile videbit, quod tempore Imperatorum, tum Orientalium, tum Occidentalium præ cæteris omnibus in hac parte ad Principes pertinuerit, ita vt ab iis non solum licentia de nouo erigendi Ecclesias fuerit petenda, sed quod nemini etiam in mentem venerit, Ecclesiam aliquam in cathedrali aut Metropolitana absque permissione & expresso decreto Principis ædificandi. De qua re videri potest *Nouella 67.* Iustiniani, & illud, quod Balsamon *supra Canonem 17. Concilij Chalcedonensis* longa serie recenset.

L. sacra §. s. D. de rer. diuis. l. si plures sint. & l. 2. D. de relig. & sumpt. fun. l. vlt. D. ut in poss. lega.

Nec erit hic extra propositum adiungere mores & consuetudinem Gallorum, qui sine literis Regiis expresse illud concedentibus Ecclesias erigere nunquam fuerunt ausi. Quemadmodum & Respublica Genuensis in nostra vicinia has peculiares constitutiones habet, quod absq; licentia vtriusq; Collegij Monasteria ædificare nemo ausit, idque sub pœna confiscationis illius loci.

Respexit autem Respublica Veneta non tantum ædificia Ecclesiarum, quantum personas ipsas, quæ in illis erant habitaturæ: siquidem omnis generis religiosi non omni loco conueniunt. Habemus præclarissimum exemplum famosissimæ gubernationis vlterioris Hispaniæ, in qua absque licentia Regia noui religiosi nullo modo admittuntur; vnde vsq, in hunc diem Capuccini, ex ordine Franciscanorum, pedem ibidem figere ausi non sunt. Nec multi adhuc sunt elapsi anni, dum Patres Franciscani S. Pauli inchoarunt Mantuæ dictæ vlterioris Hispaniæ Ecclesiam aliquam sine permissione Regia ædificare, quos tamen Rex Philippus II. in medio opere iussit à cœpto desistere. Stat itaque illud idem ædificium vsque in hunc diem inchoatum quidem, & ad exemplum ita imperfectum manebit, quemadmodum noster Pontifex, dum apud Regem eundem antehac Nuncius fuit, illud dubio omni procul sæpissime vidit.

Fundamenta non minus sunt rationi & legibus consentanea, ac insuper legitima, quam etiam necessaria: nam quemadmodum certo cuidam cœtui moribus aduersis prædito, & ob diuersum etiam finem Rempublicam aliquam intranti, aditus in illius statum non permitteretur, & vt ex seipso Ducem eligeret, & de subditis illius Reipub. Principis in secreto tractaret, non concederetur: (siquidem huiusmodi conuenticula vt suspecta, ita etiam perniciosa vplurimum,

mum, & propterea omni studio impedienda sunt) ita etiam sub prætextu noui Monasterij multi diuersarum nationum, & sæpe etiam contrariis moribus & animis præditi sub vno Duce possent sese congregare, & per commoditatem, quam ex examinibus Confessorum, & aliis colloquiis spiritualibus habent, apud subditos eiusdem Principis insinuare, eosque à data semel fide magis ac magis seducere: in quod sane gratia conseruationis publicæ & quietis totius status summo studio & omni ratione animaduertendum est. Et huius vnius periculi euitandi causa Respub. nostra ante paucos annos Patres quosdam alicuius Monasterij peregrinæ & exteræ nationis Venetiis dimisit, quia multi ex nauali seu armamentario ad eos confugerant, ibique quæsierant otium. Etenim oratoria & Collegia, quæ ex vna natione in hac vel illa vrbe concurrunt, seseque ex omnis generis hominibus colligunt, sine magno periculo raro sunt, præsertim cum Princeps illorum omnium est ignarus, nec, quicquid inter se tractent, inquirere audet. Accedit, quod etiam ædificia in locis minus conuenientibus erecta, non modicum damnum ciuitatibus, & inprimis bene munitis inferunt. Quot enim vrbes propter Ecclesias extra quidem, attamen haud procul ab iisdem ædificatas, & ab hostibus occupatas perierint, non est, vt multis enarrem, cum vnicuique id satis superque constet: quemadmodum etiam ædificia intra vrbem & prope muros mœniaque posita, multis sæpe nocuerunt, nec sacris itaque, nec prophanis ædibus parcendum, sed omnes incommode erectas, si forte necessitas ita postulauerit, coadæquandas puto.

Non solum ergo bono publico maxime est conducibile, quemadmodum supra monuimus, vt sine licentia nullæ Ecclesiæ de nouo erigantur, sed etiam Ecclesiis ipsis non parum confert, vt non secundum cuiusuis placitum in hunc vel illum immundum locum, vt prope cloacas prostibulaque collocentur, aut in forma minus decenti erigantur, & ita omnibus risui & ludibrio potius, quam religioni decori sint. Taceo, quod multitudo Ecclesiarum pietati non modo raro sit vtilis, sed potius etiam aduersa: nam quanto illarum plures sunt, tanto minus debita seruitia præstari omnibus possunt: quemadmodum etiam eleemosynæ tam innumeris Ecclesiis non sufficiunt, vnde tandem nec veteres, nec de nouo erectæ Ecclesiæ debitum seruitium habere possunt. Nec per Dei gratiam Ecclesiæ aliaq; loca pietati dicata, Venetiis & in toto Reipub. Statu vsquam deficiunt, sed tot vndique illarum reperiuntur, vt aliis exemplo esse possint, vltra quas Senatus, quoties occasio sese obtulit, adhuc plures & nouas concessit, & etiam post latas illas leges nouos Religiosorum ordines admisit.

Quis autem mirabitur, cum audierit, legem illam de nou ædificandis Ecclesiis absque licentia reprehendi? Nam licet fabricare aut ædificare per se bonum & honestum sit, & ædificia sua bona natura facile concedantur: attamen, quæ sine debitis circumstantiis eriguntur, vitiosa, & castigatione digna ab omnibus censentur. Non enim de materia & obiecto tantum Aristoteles disserit, & post ipsum omnes etiam Theologi bonitatem actionis accipiunt, sed etiam de integritate omnium circumstantiarum. Itaque reprehendi non potest, si Ecclesiæ in loco, tempore & modo conueniente eriguntur, si vero hoc absque prædictis circumstantiis fiat, & sine consensu Superiorum, reprehensionem quam maxime incurrit.

Vltra etiam dominium, quod quisque priuatorum habet, Principi multo maior est potestas super omnem locum, siquidem & locus, & eius possessor eidem sunt subiecti, ita vt etiam cum suo facere non ausit, cui Princeps non consentit.

Et vt quiuis dictas leges eo melius intelligat, prolixior in iisdem declarandis fui, quam forte oportebat, cuius tamen prolixitatis haud pœnitet, cum etiam ad defensionem sequentis, anno scilicet 1605. latæ, plurimum faciat, vtpote quæ prohibet, ne quis laicorum immobilia sua bona ad Ecclesiasticos transferat, & nihil Ecclesiasticis præcipit, sed laicis solummodo & secularibus imponit. Et quam iniuriam facere Princeps eo potest, dum subditis, ne cum hoc vel illo certo hominum genere contractus ineant, prohibet? In omnibus enim Regnis vsitatissimum est, vt prohibeatur, ne omnis generis merces aut exportentur, aut etiam sine discrimine inferantur, hoc itaque fiet in offensionem exterorum? Non credo, quenquam in hanc consequentiam assensurum, idque tanto magis, quando priuati talem legem de suis ipsorum bonis statuunt, & in contractibus has conditiones inserunt, ne is, qui cum ipsis in societate est, commodum suum Ecclesiis vendere, aut alio quouis modo ad easdam abalienare possit. Quemadmodum etiam nonnulli, vt bona ab iis parta inter suos maneant, in testamentis præcauent, ne quid ad Ecclesias transferatur. Et ita sane omnes leges de fideicommissis libertati Ecclesiasticæ repugnarent, dum scilicet bona in Ecclesiis relinquere prohibent: & cæ etiam, quæ de Falcidia Trebellianica latæ sunt, & omnes Ecclesiis portionem illam, quam à legatis abstractam, & hæredibus relinquendam volunt, detrahunt.

Scio equidem, non defuturos, qui auctionem & accumulationem bonorum Ecclesiasticorum maxime probabunt, sed hoc tamen etiam non ignoro, nó multos eorundem opinionem habituros sequaces. Et maxima quidem insania est, eas actiones & ordinationes damnare velle, quas totus fere mundus, quantum scilicet Christiani possident, per mille quingentos & plures annos non solũ admisit, verũ etiam miris laudibus cõmendauit, & pro beneficio diuino habuit.

Sunt quidem nonnulli, qui in fauorem secularium dicunt, quod licitum sit sancire legem, qua neminem immobilia sua bona vendere sine licentia posse statuatur, quæ lex ita generaliter sumpta, comprehenderet etiam Ecclesiasticos, & posset Princeps petitam licẽtiam semper con-

cedere, quando alienatio transferenda esset ad laicos, & econtra negare, si ad Ecclesiasticos; quod tamen libertati Ecclesiasticæ nullo modo repugnaret.

His libere respondemus ex Logicis, vbi concesso toto genere, conceduntur etiam omnes eius species: Ergo, qui concedit, quod Princeps possit absolute prohibere abalienationem, confiteatur etiam oportet, quod possit etiam prohibere illam eandem abalienationem, aut bonorum translationem in peregrinos, nobiles, Ecclesiasticos, & in quascunque vult particulares personas. Nam licet ipsi dicant, quod possit quidem absolute erga omnes, non tamen propterea erga Ecclesiasticos solos; Logica tamen aliud contestatur, quod scilicet si vniuersaliter erga omnes, ergo etiam erga Ecclesiasticos solos.

Sed omni loco seposito, & magis serio loquendo, audiamus Apostolum Paulum, qui ad Galat. ait: *Nolite errare, Deus non irridetur.* Lepidum mehercle, si non est peccatum, efficere, quod bona laicorum ad Ecclesiasticos non possint transferri, cur illi id tantopere damnant & reprehendunt? Et nonne Princeps optime se gessit, dum non offendit Deum? Et si est peccatum, quando restante eodem effectu immutarunt verba, quid hoc ipso aliud fecerunt, quam quod Deum ipsum irritarunt, & eundem artificiose decipere sunt conati? Deus auertat, ne in mentem Christianam tales cogitationes vnquam incidant. Si ex voluntate Dei esset, vt Ecclesiastici ab eo ipso, vt res spirituales apprime intelligerent, instituti, hac sua institutione mutata, non vnius solum partis rerum secularium, sed in summa omnium sese dominos & patronos facerent, non verbis tantummodo honorem præstare, sed factis etiam ipsis procurare deberemus, vt voluntati illi diuinæ in effectu quamprimis satisfieri posset.

Galat. 6.

Sed procedendo vltro demonstrabimus, Principem in hac lege reuera de suis, & non de Ecclesiasticis rebus ordinare. Clarum etenim est, si aliqua possessio quandam habet seruitutem, quod dominus illius eandem non possit Ecclesiæ relinquere, nisi dicta seruitus simul ad eandem accedit. Quæcunque autem immobilia in alicuius statu sita sunt, eiusdem etiam status Principi sunt subiecta, quæ subiectio est multo maior & strictior, quam vlla alia, quam hic vel ille priuatus in illa eadem habere potest: siquidem Principis potestas supra bona omne priuatorum dominium longe antecellit. Potest enim Princeps propter commodum publicum priuatorum dominium abrogare, & omnino tollere, priuati autem de potestate Principis ne quicquam; & propterea etiam ne in donationibus quidem, testamentis, & aliis contractibus facere & disponere possunt, quod Princeps in iisdem non habeat suam potestatem. Consideret hoc vnusquisque, quomodo cum natura conueniat, quod hæc aut illa bona per dispositionem cuiusdam priuati ad Ecclesiam transmigrent, seruitus vero, qua bona illa Principi erant subiecta, non simul etiam ad eandem deriuet? Sed sumus contenti (inquiunt Ecclesiastici) quod ad tantum etiam iam sint Principi obligata quotannis pendere, quantum erant etiam in manu priuati, antequam ad nos transferrentur. At, quæso, cur nunc tandem in id consentiunt, cum ante hæc ab omnibus obligationibus voluerunt esse exempti & immunes? Et habet Princeps vltra tributa ordinaria etiam alias rationes supra bona immobilia, vtpote tributa etiam extraordinaria, quæ immobilibus, prout ipsi placet, imponere potest, & sine quorum obligatione illa eadem nequeunt transferri. Quod licet durum videatur, est tamen naturale: & quod magis est, si Princeps etiam hoc habet, vt possessores ei etiam in persona subseruire cogantur, cur hoc priuilegium debet perdere? Habet etiam ius, cuiusdam delinquentis immobilia bona confiscare; quod autem iam ad Ecclesiasticos translatum est, confiscari vltro non potest, quis itaque stultus Principi persuadebit, vt suo illo iure sese abdicaret? Et vt contradicentes eo melius conuincamus, notissimum illud exemplum plurimum nobis inseruiet: Beneficia Ecclesiastica per mortem benefactoris vacant, & Aula etiam Romana propter hoc idem pretium bullarum constituit. Et cum admodum multa beneficia in Monasteria, Capitula, & alias Vniuersitates conferrentur, in iisque vnirentur, animaduertebant Pontifices, quod illud emolumentum hoc modo amitterent, quod per mortem benefactoris aliàs ad eos deriuatur, & considerarunt insuper, quod huic vacationi seu intermissioni omni decimoquinto anno potuissent occurrere, statuerunt itaque, vt cunctis decem & quinque annis talium beneficiorum vnitorum quindena seu quinta pars persolueretur. Hoc concesso, potest etiam Princeps ita statuere, vt centesimo quoque anno hæc vel illa bona possint confiscari, & omni centenario annorum confiscatio illa persolui. Ad cuius præcautionem Regna quædam in vsu habent, vt quando bona aliqua immobilia Ecclesiæ relinquuntur, illa, benefactore mortuo, ad illius restitutionem sit obligata: siquidem ex auctoritate Regia, benefactore ex viuis egresso, etiam immobilia bona in Ecclesiasticos collata, iisdem demoriuntur, & quasi confiscabilia fiunt.

Non minus etiam immobilia bona sæpe diuenduntur, itaque Principi vectigalia cedunt, aut hæredibus extraneis relinquuntur, & certum aliquid de iisdem Principi exoluitur.

Aut posito, quod in spatio tot annorum tale aliquod accidens occurrat, Princeps sane absque suo consensu huiusmodi suis rationibus priuabitur. Hæc itaque iurisdictio anni 1605. honesta, & omni æquitati consentanea est. Et si præter hanc licentiam ob supra allegatas causas proprium aliquod vectigal quæreret, quando scilicet immobilia ad Ecclesiasticos transferuntur, non propterea esset iniustum: siquidem & in Gallia, & in multis aliis Regnis, quando etiam cum licentia bona aliqua ad Ecclesiasticos transferuntur, nihilo tamen minus tertia pars Prin-

cipi

cipi cedit, idque, vt aiunt, quia talia immobilia bona per mortem quasi ad Principem deriuantur, vt Ecclesiasticis non, vt prius, inseruire possint. Non itaque est contra iustitiam, nec æquitati aduersum, quod Princeps, dum tot tantaque perdens, vidensque, quod Ecclesiastici vicies quinquies plura, quam quo merito deberent esse contenti, possident, deliberat, eoque concludit, vt à corradendo desistant, neque vltro absque singulari eius permissu acquirant, & tamen interim tantum iisdem concedit, quantum conuenire putat. Quales respectus confiscationis, venditionis, & legatorum ad extraneos, cum etiam in superficie possint occurrere, vbi quidem proponunt erigere Ecclesiam, mirum sane non est, si Princeps id absque sua licentia recusat.

Et vt progrediamur vltro, illi, qui Principem secularem leges supra res Ecclesiasticas sancire posse, & Ecclesiasticos legibus secularibus subiectos esse negant, consentiunt nihilominus, quod publici boni gratia omnis generis leges, & quæ etiam Ecclesiasticos comprehendant, ferri & promulgari possint: publicum autem bonum requirit, vt hoc principalissimum Reipublicæ membrum, seculare scilicet, quod factiones publicas, tum personales, tum reales respicit, conseruetur, ne illud forte, quod Vlpianus dicit, eueniat: *quod viribus & viris destituta erat Respublica.* [*D de muner & honor. l. 3.*] Est ergo iusta lex & conueniens, quod hoc membrum à Principe protegatur, vt scilicet bona in optimo suo statu conseruentur, & vires ad Rempublicam necessariæ, integræ, & incorruptæ persistant. Et si ex hoc forte sequeretur, quod Ecclesiastici minus acquirerent, quam aliàs, hoc tamen non est primarium Principis, & proprium intentum, sed per accidens occurrit, nec vnquam ratio & leges illud per se quærunt, quod ex accidente sequitur: Quemadmodum etiam nec is præsumit alicui facere iniuriam, qui ad vtilitatem propriam rectà respicit, licet interdum sequatur, vt proximo aliquid de suis commodis inde detrahatur.

Quod Ecclesiastici magis possint ditescere, si lex hæc non esset lata, equidem fateor; interim tamen & ordinata charitas, & DEVS ipse vult, & requirit, vt suas quisque res necessarias, & ad propriam etiam vocationem prius respiciat, & qui, quod suum est, diligenter asseruat, proculdubio præcauebit, ne ad alterum transmigret, nec quisquam etiam semetipsum facit diuitem, nisi alios ad paupertatem conducat. Non est itaque contra charitatem, suam ipsius paupertatem præcauere, siquidem id alterius nimium incrementum simul impedire solet.

Principis officium est, procurare tranquillitatem, & vt vires sui Imperij saluæ & incorruptæ conseruentur: si ex hoc euenit, vt Ecclesiasticorum facultates minus crescant, ad hoc Princeps non tenetur respicere. Caietanos, & cum eo omnes sani iudicij scriptores, negant esse contra libertatem Ecclesiasticam, quando Statuta secularia modum expensarum in funeribus, sponsalitiis, Missisque nouis præscribunt: ex quo manifeste sequitur, quod Ecclesiastici iis commoditatibus priuentur, quibus essent participes, si cuique pro libitu sumptus facere liceret. [*In summ. verb ex com c 31.*]

Si Ecclesiasticis licebit hoc vel illud comparare; quo quæso ære id præstabunt? Commendat Canon *concesso*, quod reditus Ecclesiasticorum in quatuor partes diuidantur, earumq; prima [*12. q. 2.*] cedat Episcopo, secunda in victum clericorum, tertia in fabricaturas, & tandem quarta in eleemosynas & sustentationem pauperum, quod etiam ab Imperatore Carolo Magno in suo *Capitulari* fuit confirmatum. [*L. 1. c. 87.*] Cum parte prima & secunda sine dubio non cupient lucrari, nec æquum etiam est, vt alimentum sibiipsis detrahant: permittere autem, vt vetera ædificia corruant, & noua instituantur, rationi non videtur consonum, nec publicum commodum in id consentit: quemadmodum etiam vt quarta & vltima pars in alium finem absumatur, nec pietas, nec sacra Scriptura facile concesserit: siquidem iuxta Apostolum Paulum, *beatius sit dare, quam accipere.* Vt ergo procedamus ad stabilia donata, aut relicta, sciendum est, quod Ecclesiastici per hanc legem non impediantur, quo minus donata aut relicta habere possint, quæ si in propria specie non possident, habent tamen pretium, quo res ipsæ æstimatæ sunt.

Esset forte extra scopum adiungere, quod ipsismet Ecclesiasticis non conducibile futurum sit, si in superfluitate vixerint, nimiumque possederint; siquidem per hoc ipsum à seruitiis Deo debitis abducuntur, quod diligenter obseruare debent, quemadmodum & hunc inprimis titulum, prohibentem scilicet, *ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant.* vbi primum caput [*In decretal.*] ad prohibendam præsentem confusionem singulariter videtur exaratum esse: & D. Paulus paucissimis verbis præcipit, quod *nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* [*2. Tim. 2.*] Occurrit quin etiam prolixa sermocinatio S. Ioannis Chrysostomi, in qua aperte duo præcipue mala ex diuitiis Ecclesiarum insurgere posse dicitur, [*In Matth. Homil. 26.*] quod scilicet primo laici vltro sese in dandis eleemosynis desinent exercere, & quod Ecclesiastici officium proprium, ceu animarum curam sint derelicturi, & ad procuratorum, œconomorum, publicanorum, aut alia suo ministerio indigna officia accessuri.

Obiiciunt nonnunquam summopere conquerentes, quod illis hoc ipsum prohibeatur, quod omnibus aliis, etiam infimæ sortis hominibus, ac iis etiam, qui infames sunt, concedatur, quasi omnibus iis sint multo inferiores. Cui obiectioni respondemus, quod non omnia omnibus competant, nec sequitur etiam, si hoc vel illud aliis conceditur, quod etiam ipsis concedendum sit: militibus enim & nobilibus liberum est sese induere armis, iisq; incedere, liberum itaq; etiam erit Ecclesiasticis? Et si hoc ipsis denegatur, putabuntne, se hoc ipso offendi, & cum ab-

iectæ sortis hominibus conferri? Neque etiam in omnibus Rebuspublicis cuilibet fas est vltra suam partem plura acquirere; siquidem Constantinus Porphyrogenita, Romanus & Basilius Imperatores Constantinopolitani, certam constituerunt legem, ne Patritij & Senatores, Episcopi, Monasteria, &c. ab aliis seipsis inferioribus per emptionem, aut per donationem, seu testamenta quicquam acquirerent, vt necessarium illud Reipublicæ membrum conseruaretur, ita Senatus poterit etiam alias leges ferre de bonis subditorum, quæ publicæ gubernationi competunt, quando & quoties scilicet necessitas illud expostulat: & statuit quidem in præsenti de Ecclesiasticis, quoniam scilicet conuenit corpus Reipublicæ ita regulare, ne hoc vel illud membrum vltra suum terminum crescat, corpus ipsum monstrosum reddat, & omnia sibi ipsi adiiciens cæteris detrahat, nec tamen superfluitatem attractam digerere possit, propterea malis humoribus adimpleatur, inde in infirmitatem incidat, tandemque totum reliquum corpus corrumpat. Status autem Ecclesiasticorum in hoc nostro dominio est tale membrum, quod centesimæ totius populi seu omnium personarum parti merito conferri potest, traxitque ad se non talem portionem, quæ sibi ipsi æqualiter proportionatur & correspondens sit, sed Patauij plus quam vnam tertiam; Bergami vltra medietatem, nec vsquam locus est, in quo ad minus quartam omnium bonorum partem possideat; & si vltro corradere permitteretur, non est dubium, quin vniuersam tandem Regionem sibi subiecturi sint, vnde omnes alij, quotquot nostrum sunt, ad extremam paupertatem & seruitutem quin etiam deplorandam redigerentur.

Nouell. extrau.

Pariter etiam locus & tempus præsens legem requirunt, quæ talem excessum prohibeat: antiquitus enim, cum Ecclesia iuxta institutionem Apostolorum regeretur, partesque etiam eorundem obseruationem sequerentur, commodum sane erat, vt multa possiderent, eratque in corpore Reipublicæ veluti stomachus, qui omnes cibos in se reciperet, partem tamen minimam pro seipso, sed plurimam pro aliis digerebat: ita enim Ecclesiastici multa quidem possidentes de reditibus suis per seipsos parce admodum viuebant, ac fere totum pro eleemosynis distribuebant, itaque Reipublicæ non parum vtiles erant. Et propterea omnes in vniuersum laborabant, vt possessiones & omnis generis bona quotidie accumularent, cum quanto plus conquirebant, tanto etiam vtilitas publica quotidie crescendo insurgebat, cuius Ecclesiastici erant tutores & procuratores, vt pauperum curam gererent, eorumque necessitati mederentur, vnde etiam nullum omnino monstri genus metuendum erat: siquidem bona Ecclesiasticorum quasi pro communibus haberentur, quibus totum corpus æqualiter accrescebat, vt ne in vno quidem membro modum excedere posset. Quamprimum vero optima illa consuetudo immutabatur, facultates in Ecclesiasticos collatæ ita modum excedebant, vt nulla earundem cum corpore Reipublicæ proportio videretur: & cum incredibili sane incommodo fieret, si etiam in posterum crescendo pergerent, siquidem à nemine amplius possent regi: vnde necessario aut ad debitam mensuram erunt redigendæ, aut nisi hoc fiat, totius corporis ruina expectanda. Et licet eorundem Ecclesiasticorum bona illis omnibus communia sunt, tamen possessiones admodum inæqualiter inter ipsos videntur diuisæ: siquidem ex quatuor vix vnus ex reditibus viuit, & reliqui omnes ex eleemosynis ac beneficiis secularium sese sustentare coguntur: cum pauci ex tam innumerabili clericorum cœtu possessiones earumque reditus in sua potestate habeant. Et quod dicta hucusque longe superat, est, quod vniuersa fere illorum medietas extra proprium suum habitat, omnesque hinc inde reditus cum euidentissimo publici seruitij damno ad se trahit.

Ad frat. in erem. serm 35.

Et si prioribus & melioribus sane temporibus, cum homines magis intenti erant ad cœlestia, quam mundana, & dum ordo Augustinorum in maiori flore esset, qui hæreditates, exclusis filiis, relinquere Ecclesiasticis dissuadebant, facultates illorum tantum increuerunt, quid hoc tempore fieri posse putas? cum tales vbiuis obuiam sint, qui vario artificiorum genere maiorem cumulum quotidie quærunt, & omnes ad eundem promouendum persuadent, & nisi mature prouideatur, in duobus aut tribus centenariis omnium possessores patronique fient. Sunt enim quædam Monasteria ante trecentos fere annos erecta, nec tamen quartam adhuc partem redituum collegerunt, quos multo recentiora, & vix ante quadraginta annos condita possident. Reperiuntur hoc ipso tempore multi religiosi, quibus possessio bonorum immobilium non conceditur: quæ sane lex, si abrogaretur, cogitet vnusquisque, quanta in momento corradere possent.

Et quemadmodum multæ res in principio laudabiles & bonæ sunt, postmodum vero fiunt perniciosæ, ita etiam acquisitio Ecclesiasticorum in principio omnis reprehensionis expers per quatuor quasi gradus ad statum præsentem deducta est. Primo enim *a* possessiones diuendebantur, illoque ipso pretio Ecclesiastici & egeni sustentabantur. Deinde vero placebat *b* possessiones retinere, & ex reditibus necessitati pauperum succurrere. Postea videbatur consultum, omnia *c* acquisita in quatuor partes diuidere, eorumque primam Episcopo, secundam clerico, tertiam fabricaturæ, & quartam tandem pauperibus relinquere. Nunc vero & in his postremis temporibus beneficia sunt firmata, & insurrexit opinio, quæ ab omnibus Theologis & Canonistis reprobatur, *quod clerici sint domini fructuum*, ita vt sacri Canones sanctique Patres constanter prædicauerint, quod bona Ecclesiastica solummodo pauperiorum sint. Siquidem etiam Concilium Tridentinum *Episcopus omnino interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve*

a Act 4. b c. fratern. &c. c 1. consecr.

suas

suas augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, vt pauperibus distribuant. Et paulo infra: *Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum, in quibuscunq; beneficia Ecclesiastica, tam secularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed ad S.R.E. Cardinales pertinere decernit.*

Propterea Ecclesiastici legem propter necessitatem publicam stabilitam, non debebant ita sinistre interpretari: nam præter quod necessitas eam postulauit, omni etiam æquitati & iustitiæ conformis est. Et si obiiciunt, eos per hanc ipsam inter abiectæ sortis homines numerari: Respondemus, optandum potius, vt vitam Apostolis conformem agerent, aut niterentur forte affirmare, quod etiam Apostoli ipsi immobilia vendentes, & in eleemosynas distribuentes fuerint propterea aliis in contemptu viuentibus inferiores? aut insuper peioris conditionis & infames? aut ob hanc causam tot & tantæ congregationes Regularium, qui nihil possident, omnes erunt infames? Quod si forte respondebunt, hoc illos omnes fecisse vltro & sua sponte; replicare possumus, quod illud spontaneum, & eius contrarium coactum, differentiam quidem faciat circa virtutem & debitum, sed non circa honoratum & vile. In quo proposito hoc inprimis considerandum venit, quod Canon dicit: *Bonifacium Martyrem & Episcopum interrogatum, num liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondisse, quondam sacerdotes aureos ligneis calicibus vtebantur, nunc è contrario lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* Act. 4. De consecr. dist. 1. c. [illegible]

Quod itaque ii libentissime sint contenti, quibus multa abundant, facile concesserim. Et dignum sane imitatione Moysis exemplum est, qui cum *Exod. 36.* populum ad offerendum aurum argentum ve, & alias res pretiosas, quibus Tabernaculum confici & absolui posset, inuitasset, & videret, quod plura offerrentur, quam ad susceptum haberet opus, publica proclamatione prohibuit, ne quid vltra offerretur.

Hisce accedit & altera ratio, quod si per has leges libertas Ecclesiastica fuisset læsa, profecto per leges Pontificias, ne quis Ecclesiasticorum ad seculares bonorum aliquid transferret, libertati seculari idem accideret, & hoc modo ipsi possent sancire leges, quæ aliis libertatem adimerent, reliquis vero idem concessum non esset? Et tanto hæc ratio fortior & impugnabilis magis est, quanto bona immobilia laicorum minus possunt ad Ecclesiasticos transcendere, cum tamen pretium eorundem omnino possit & cum licentia etiam bona ipsa diuendi: Ecclesiasticis vero non licet, aut per donationem, aut per venditionem, aut vllam aliam mutationem quicquam abalienare, nisi certa & indubitata lucri spes subsit: seculares vero, qui multo maiores & validiores rationes horum omnium habent, attamen suas ipsius vices non condolebunt? Et hunc sermonem finiendo dicimus, ante annum quadringentesimum recuperatæ salutis *a* Valentinianum, Valentem & Gratianum sanxisse leges, quod clerici non possint acquirere quicquam à mulieribus: quæ sane lex etiam à S. Thoma Pontifice Romano per publicationem fuit confirmata, & postmodum per multos annos Romæ obseruata. Et S. Hieronymus eiusdem legis *in Epistola ad Nepotianum* mentionem faciens, inquit, clericos ob hanc ipsam legem nec debere, nec posse dolere, quoniam eandem essent meriti; sed auaritiam illorum potius accusandam esse, quæ eam ipsam sanciendi Principi occasionem dederit. Huiusmodi etiam lex lata est in Saxonia à gloriosissimæ memoriæ Carolo Magno, & multis annis obseruata. Ita etiam *b* Odoardus Tertius eius nominis Rex Angliæ, ab anno 1300. talem omnino constituit, quæ, licet Ecclesiastici omnibus modis oppugnarent, in executionem tamen producta est. Testatur *c* Ludouicus Molina, *in ordinationibus Portugalliæ* esse legem, quæ Ecclesiis & Monasteriis omnem acquisitionem immobilium, siue per emptionem, successionem aut donationem fiant, omnino recusat, ne vltra modum & cum damno laicorum crescant: addens porro, quod eadem lex etiam in cæteris totius Hispaniæ Regnis in vsu sit. Nec de hoc dubium est, quod *d* Iacobus Rex Arragoniæ in omnibus subiectis Regnis statuerit, quod bona *Realenco* (ita enim illos nominant, qui censum aut alia huiusmodi Regi persoluunt) sine Regis licentia & consensu non possint ad Ecclesiasticos transferri: quod etiam in Gallia à *e* S. Ludouico fuit constitutum, & postmodum a Philippo III. Philippo Pulchro, Carolo Pulchro, Carolo V. Francisco I. Henrico II. Carolo IX. & tandem Henrico III. confirmatum. Et cum Respublica Veneta ante 300. annos hanc legem pro sua ipsius ciuitate & vniuerso Ducatu tulerit, sane eius extensio ad totum & integrum eorum Statum non erit innouatio nominanda, siquidem *f* Saluius Iulianus respondet, *Omnes debere sequi leges & consuetudines vrbis Romæ*, quemadmodum Iustinianus Imperator refert. Et Fridericus Rex anno 1296. in Sicilia (sicut in *Capitulari* eius Regni scriptum est) constituit legem ab hac ipsa à Venetis anno 1536. facta, in nullo discrepantem, nisi quod vnum tandem durauerit annum.

a C. Theod. de Episc. & cler. l. 20.
b Polyd. lib. 13. histor. Anglicæ.
c de contr. t. 2. disp. 340. l. 2. [illegible]
d Petr. Belluga in spec. princip. R. 13.
e Cod. Hen. lib. 3. c. 17.
f C. de vet. iur. enucl. l. sed & [illegible]

Similiter Pius Quintus, cum in terra Bosci, vnde oriundus erat, ædificasset magnum aliquod & amplum Monasterium, eiusque destructionem præcauere vellet, in perpetuum Ecclesiasticis illius prohibuit, ne quicquam à laicis compararent. Et Clemens VIII. ingentem thesaurum Ecclesiæ S. Lauretæ animaduertens, eundemque conseruare volens, laicis prohibuit, ne vllo quicquam in eundem conferrent. Ita etiam inter Genuenses illa generalis est constitutio, quod omnia bona ita erga Remp. debeant esse affecta, vt nihil ad Ecclesiasticos possit transferri. Et si quis obiecerit, Clementem Papam ceu secularem Principem hanc legem fecisse, & à seipso velut Papa licentiam eam sanciendi impetrasse: Respondeo, esse considerationem admo-

dum quidem subtilem, attamen neque doctrinæ Theologicæ, neque morali conformem, vtpote, quæ vult, cui Deus Opt. Max. gubernationem alicuius Status cum potestate rerum temporalium concesserit, eidem etiam dedisse auctoritatem per se, & sine alterius permissu omnes illas leges, quæ necessariæ ipsi visæ fuerint, sanciendi.

Neque vspiam reperitur, quod illi, cui Deus præceptum aliquod dedit, liceat ab alio eiusdem licentiam petere. In rebus indifferentibus, aut aliis nunquam vetitis, potest equidem accidere, vt quis faciendo contra voluntatem superiorum errorem committat; sed in illis, quarum in præceptis diuinis expressa mentio fit, illud inprimis valet, quod Apostolus Petrus ait: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*, dum scilicet Deus Opt. Max Principi imponit, vt has vel illas leges ad tranquillitatem necessarias statuat, & si quid forte defuerit, illud seipsum pro offensione sui accepturum: huiusne erga Deum obedientiæ licentia erit petenda? aut illud ipsum, quod Deus serio mandauit, non licebit? Natura quotiescunque finem aliquem proponit, dat etiam vires & potentiam eundem obtinendi. Deus autem præceptum aliquod, ceu certum aliquem finem hominibus proponit, & tamen vires eiusdem seruandi deneget? absit, vt tale aliquid cogitemus.

Act. 5.

Sed vt ad materiam de legibus redeamus, quæ sicuti non est noua aliqua inuentio, ita etiam celeberrimi Iureconsulti de eadem tractarunt, & pro iusta & æqua defenderunt, vt inter alios nobilissimus ille Iuris Professor Baldus, * Archidiaconus, *a* Abbas, *b* Signorolus, *c* Alexander, *d* Barbacias, *e* Crotus, *f* Tiraquellus, *g* Gailius, *h* Renatus Chopinus, *i* & alij. ex quorum omnium lectione facile patebit, num in præsenti fuerit causa cum huiusmodi censuris procedendi, & maxime cum res substantiales in iudicio non fuerint seruatæ. Et hinc non parum etiam ad propositum fuerit, de ordine à S. S. obseruato etiam aliquid proferre, vt eo magis appareat, quantæ nugæ in confirmatione totius negotij aduersæ partis (quod, quia materia deficit, iudicium dici non potest) fuerint introductæ. Dicunt Theologi, quod iudicium in iusto & æquo possit quidem in exterioribus iudicium videri, in seipso vero nullo modo: & omne iudicium iniustum etiam per se esse nullum, nec iudicium iniustum magis esse iudicium, quam homo mortuus homo sit.

* Bald. c. quæ in Ecclesiarum. c. Ecclesia S. Mariæ. de constit.
a c. Romana. de Abb in 6.
b l. 1. cons. 63.
c cons. 91.
d cons. 93.
e l. 2. cons. 24.
f l. 1. cons. 5. g de retract. consang. §. 1. gl. 19.
h l. 2. cons. 32.
i de pac. pol. l. 5. c. 1.

Pari modo apparet etiam defectus in forma & substantialibus, qui illud in nihilum redigunt. Primo enim absque vlla præcedente citatione declarabatur, quod leges veteres & nouæ de non alienandis bonis, & ædificandis de nouo Ecclesiis absque licentia, sint contra auctoritatem sedis Apostolicæ, & Ecclesiasticæ libertatis, & propterea in censuram earundem latorum condemnandæ. Et sane quod citatio sit de iure naturali, & in declarationibus etiam censurarum requiratur, est apud omnes Iureconsultos notissimum: quod tum ad literarum Pontificis, tum & omnium illorum, quæ ex virtute earundem subsecutæ sint, nullitatem haud dubie suffecerit. Quod vero tot homines pij & in Christo defuncti iam demum in excommunicationem declarati sint, quid hoc, quæso, aliud est, quam Pontificis ipsius antecessores, vt cum quibus prædicti defuncti quasi continue communicarunt, condemnare? & illos ipsos, quod animarum curam pro debito non habuerint, accusare? inter quos tamen excellentis & summæ probitatis multi fuerunt. Afferens autem Papa causam, cur contra Rempubl. Venetam hoc modo processerit, ita fatur: *Cum prætermissio officij nostri, & causa Ecclesiæ deserta à nobis rationem extremo iudicij die exigi à Deo nullo modo velimus: neq; enim existimetis, Nos, qui alioquin pacis & quietis publicæ cupidissimi sumus, omnesq; nostras cogitatim eo intendimus, vt soli Deo interuenientes, rem Christianam, quantum possumus, pacate gubernemus, quiq; omnium animos præsertim maximorum Principum, nobiscum ea in re consentientes esse optamus, si aliquando sedis Apostolicæ auctoritas lædatur; si Ecclesiastica libertas & immunitas impetatur, si Canonum decreta negligantur, Ecclesiarum iura, & Ecclesiasticarum personarum priuilegia violentur, quæ muneris nostri summa est, id aliquo modo dissimulaturos, aut officio nostro defuturos; hoc vero in re id vobis persuasum esse volumus, nos nullis humanis rationibus moueri, aut quicquam præter Dei gloriam quærere, aliudq; habere propositum, nisi perfectam, quoad eius fieri potest, Apostolici regiminis functionem.* Et non sane absque causa iudicium diuinum veretur, quando scilicet officio suo pastorali minus satisfacit, siquidem Propheta Ieremias minando dicit: *Væ pastoribus, qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum: Dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos: Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus.* Ex populis ibidem hanc adiungit promissionem: *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Ex quo plus satis apparet, summam officij pastoris consistere in hoc, vt Euangelium prædicetur, populus ad omnes bonos mores & disciplinas Christianas admoneatur, Sacramenta rite administrentur, pauperum cura habeatur, delicta corrigantur, eorumque machinatores, nisi resipiscant, excludantur: id quod S. Petro à Christo ipso demandatum, & iam ab ipso, quam ab aliis suis successoribus & confessoribus factum est.

Ex Scripturis enim diuinis cuiuis patet, gloriam Dei esse & consistere in propagatione Euangelij, ac in Christianorum bona & inculpabili vita, & tandem, vt *k* D. Paulus testatur, *in mortificatione hominis exterioris, viuificatione interioris, & indefesso exercitio charitatis.* Si enim eadem illa gloria Dei consisteret in abundantia bonorum temporalium, nobismetipsis essemus admodum metuendi: siquidem *l* Christus ipse suis non nisi paupertatem, persecutionem, & omnis generis incommoda promisit, hac addita consolatione, ex his ipsis tribulationibus homines cognituros,

k 2. Cor. 4.
l Ioan. 15.

tos, quod amici & filij ipsius sint. *Et nemo*, inquit *a* Euangelium porro, *Christum sequitur, nisi crucem etiam suam tulerit.*

a Matth. 8.

Et multum mehercle differt à doctrina Apostoli *b* Pauli illud, quod multis in locis, & coram innumeris etiam personis à quodam est disseminatum, quod hæc nostra ciuitas nullo modo pro ea habenda & commendanda sit, quæ veram religionem promoueat. Nam etsi in dandis eleemosynis, in exercitiis erga pauperes, & in cultu tandem diuino aliquid, & sane non parum præstet, præcipuum tamen, quod est, iurisdictioni Ecclesiasticæ fauere, in eadem omitti, & contrarium potius fieri. Sententia enim *c* S. Pauli hæc est: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Legitur quin etiam in Euangelio, quod Saluator noster in die extremi iudicij petiturus sit ab improbis rationem operum & pietatis ac misericordiæ intermissæ *d*: *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.*

b 1. Cor. 13.
c 1. Cor. 13.
d Matth. 25.

Quod autem à sceleratis licentia offendendi proximum sit sublata, & secularibus pars aliqua de portione bonorum, quantum ipsis conuenit, relicta, non est timendum, quod Deus eius rationem sit petiturus, sed possumus etiam audacter omnia Ecclesiarum bona pauperibus erogare, nihil interim dubitantes, quin Deum non modo non offendamus, sed econtra etiam colamus, ipsique opus gratissimum præstemus.

Nec absque diligenti etiam consideratione hæc postrema Breuium Pontificalium verba prætereunda sunt, vbi dicit: *Quinimo nulla alia ratione melius publica illa Christianæ religionis incommoda, in quibus euitandis tantopere insistitis, longe à vobis propulsabitis, quam si Ecclesiarum & Ecclesiasticorum, qui pro vobis dies & noctes excubant, & assiduas ad Deum preces fundunt, immunitates & iura (prout religiosos & pios viros decet) conseruaueritis.*

Eget equidem Respublica, vt orationibus & precibus Ecclesiasticorum adiuuetur, & propterea etiam iisdem sese quotidie commendat, nec ignorat, quod sapientissimus *e* Rex Salomon dicit: *Deprecatio pauperis ex ore vsq; ad aures perueniet.* Et dolet etiam, si pauci aliquot isthæc bona opera parum curantes, laicis malis illis exemplis præeunt, itaque ad multa peccata occasionem præbent; vnde diuina iustitia potius irritatur per flagellum illud Turcicum nos castigandi, quam vt placari, & ad misericordiam commoueri possit. Nec credendum etiam est, quod precationes ditiorum maiestatem diuinam flectere vllo modo possint: de qua maiestate *f* Psalmista ait: *Neq; despexit deprecationem pauperis.* Et male mehercle fecissent, & facerent adhuc cum hac sua doctrina multi ex sanctis Monachis & Eremitis, qui in summa paupertate ac contemptu vixerunt, & adhuc degunt, hac spe firmissima freti, quod in hoc ipso statu deprecationes eorum eo facilius ad faciem Dei ascendere possint.

e Eccles. 21.
f Psal. 21.

Procedamus nunc ad tertium huius controuersiæ caput, quod versatur circa materiam iudicandi Ecclesiasticos, & propterea separatim pertractandum venit, siquidem etiam alio & diuerso tempore literæ Papales, illud ipsum continentes, sunt repræsentatæ. Et, vt diximus alias, diuina proculdubio prouidentia factum est, quod ministri Pontificis in præsentatione illius Epistolæ errarint, vt eius Sanctitas haberet spatium & tempus altius, quanti scilicet momenti res esset, quam susceperat, considerandi: ob hoc tamen nullo modo destitit commendandi, vt & altera Epistola de duobus captiuis Reipublicæ offerretur, quod etiam vigesimo quinto die mensis Februarij cum hac inscriptione, *Marino Grimanno & Reipublica Venetorum*, factum est, licet obitum huius illius Principis cognouisset, & officia congratulationis præsentis Principis defuncti successoris iam instituisset. Et hanc actionem Canonista aliquis per talem doctrinam forte defenderet, *quod Papa sit iudex viuorum & mortuorum*: cum tamen multo magis credendum sit, illum cogitasse, quod sit eadem dignitas, nec mutationem personæ quicquam efficere, cuius Canonistæ contrarium aperte docent, dum volunt, in tractatione censuratum, ceu materiæ odiosæ, verba stricte admodum, & quantum fieri possit, esse interpretanda. Vnde si prætendit, quod Princeps præsens per hoc etiam sit admonitus, Canonistæ id nullo modo concedunt, ita vt etiam in hoc capite contra ipsum processerit, idque sine obseruatione vllius actus, quod substantiale est ipsius iudicij, & citatio insuper per declaratoria & admonitiones censurarum. Et non dubitandum sane est, Pontificem, si rationes, super quas auctoritas Reipublicæ Venetæ Ecclesiasticos iudicandi fundata est, ad aures suas admisisset, ne quicquam quidem contradixisse: cum autem plane noluerit de ea re tractare, nec rationes Reipublicæ ea patientia, charitate & maturitate, quam de eo veluti vniuersali totius Christianitatis patre omnino sperabamus audire, non mirum etiam est, quod eiusdem Reipublicæ iudicia adeo vituperet, licet super vsu & notissima consuetudine ac literis insuper aliquot Paparum fundata sint.

Ad Epistolam Papalem Senatus breuiter respondet, mirari sese, quod indies nouæ materiæ dissensionum insurgant, quodque ea subuertere fundamenta omnino nitatur, super quibus sua ipsius libertas sita sit, & per 1200. nunc annos durauerit; vnde ex quotidiano incremento Reipub. illius maiores auctoritatem puniendi delinquentes à Deo Opt. Max. acceperint, eamque in honorem maiestatis diuinæ cum quiete publica, cum approbatione omnium antecedentium Pontificum, & laudi vniuersi populi hucusque semper exercuerint. Consuetudinis vero ne in minimo quidem meminit, pro certo nimirum habens, quod sua ipsius auctoritas multo altius magisque firmiter sit fundata, quam supra tali immemorabili vsu; siquidem doctrinam Theologorum,

Epistola Pontificia ad Senatu confutatio.

gorum,& probabiliorum Canonistarum pro indubitata agnoscit, quod scilicet exemptio Ecclesiasticorum à foro seculari in delictis non Ecclesiasticis, sed secularibus, aut, quemadmodum Iustinianus inquit, ciuilibus, non sit de iure diuino, sed ex priuilegio Principum.

Hæc doctrina, si Ecclesiastici non ex gratia & per priuilegia essent exempti, essent etiam Magistratibus secularibus subiecti, monstratur & confirmatur exemplis veteris Testamenti, ex quibus patet, quod sacerdotes omnibus Regibus ad mandata parere coacti, & ab iisdem iudicati & puniti fuerint, & quod hoc non à malis tantum, aut mediocribus, sed etiam à sanctissimis & pientissimis, vtpote Dauide, Salomone, Ioa, Ezechia & Iosia factum sit, verba
a Ioan. 19. *a* Christi in Euangelio luculenter testantur, vbi ad Pilatum ait: *Non haberes potestatem super me vllam, nisi tibi data esset desuper.* vbi *b* D. Augustinus, *c* S. Bernhardus, & *d* Cardinalis Caietanus ad explicationem Dictorum porro addunt: Pilati iudicium fuisse quidem iniquissimum, sed non vsurpatum: vltra quod confirmationem etiam babemus in exemplo *e* Apostoli Pauli, qui ex coniecturis præuidens, Festum sub prætextu, ac si ipsum Hierosolymis vellet ad iudicium sistere, nihil aliud quærere, quàm vt eum Iudæis in manus traderet, ad Cæsarem appellabat, quod tamen nunquam fecisset, si eundem pro legitimo suo iudice non cognouisset, siquidem pro peccato mortali habetur, ad talem appellare, qui potestatem legitimam non habet. Infert quidam ex recentioribus, Paulum appellasse ad Petrum, nisi pro stultitia fuisset habitum: quæ sane opinio intellectus perspicacissimi esse videtur; interim tamen constantia D. Pauli admodum est indigna, quasi veritatem confiteri ideo non fuerit ausus, ne pro stulto haberetur. Hunc enim respectum coram Festo non habuit; nec ea proferre destitit, propter quæ Præfectus eidem ad hunc modum respondit *f*: *Insanis Paule*; & Paulus illi vicissim: *Nos prædicamus Iesum Christum crucifixum, Hebræis quidem scandalum, gentibus autẽ stultitiam.* Ex quo apparet, quod ea effari & prædicare nõ abhorruerit, quæ sciebat pro stultitia haberi. Quapropter ei hãc iniuriam nequaquã faciamus, quã nullo vnquã modo meritus est.

b Super Ioan tract. 116.
c Epist. 42.
d In 2. q. 62. art. 1.
e Act. 25.
f Act. 26.

Quid autem ad præcepta Diui Petri & eiusdem Pauli respondebimus? quæ ad verbum ita sonant *g*: *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Et huius etiam *h* Paulus in alio loco admonet, *illos Principibus & Potestatibus subditos esse, & dicto obedire.* Et illud insuper, quod *cap. 13. ad Roman.* addit, omnem dubitationem merito adimere debet, dum ita inquit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt: itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali: vis autem non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ab illa. Dei enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium gerit, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit: ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideo enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

g 1. Pet. 2.
h Ad Tit. 3.

Vidit *i* D. Augustinus, quod inter hos, quos Principibus secularibus subiectos esse præcipit, numeret etiam seipsum. Viderunt *k* Chrysostomus, *l* Theodoretus, *m* Theophylactus, & Oecumenus, quod apertissimis verbis includat etiam Apostolos, Euangelistas, Præfectos, Sacerdotes & Monachos: legitque S. Thomas eundem locum, & aperte fatetur, omnem exemptionem Ecclesiasticorum esse ex singularibus priuilegiis Principum. D. Bernhardus autem ad Archiepiscopum quendam scribens, multo clarius ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est: si omnis, ergo & vestra: quis enim vos excipiet ab vniuersitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere.* Considerent nunc contradicentes, num vnquam ex Pontificibus, Episcopis, aut aliis Sacerdotibus aliqui dixerint, se à potestatibus Principum & Magistratuum esse exemptos, ne vnum quidem inuenerint; illorum vero non paucos, qui suam ipsius subiectionem aperte sint confessi, iustitiam solummodo in iis rebus negantes, in quibus condemnabantur.

i Expos. ad Rom. n. 77.
k Super Epist. ad Roman. Homil. ....
l In expos. Epist. ad Rom
m Epist. 41.

Huius famosissimum exemplum habemus in Polycarpo Smyrnensi Episcopo, Ioannis Euangelistæ discipulo, nostræque fidei fundatore, & post Apostolos Theologo præstantissimo, qui apud *n* Eusebium ita ait: *Magistratibus enim & potestatibus à Deo constitutis eum honorem, qui nostrorum animorum saluti, nostræq; religioni nihil affert detrimenti, pro dignitate tribuere docemur.* Obiiciunt aliqui, Apostolum subiectionem illam Christianis mandasse, cum Principes adhuc essent Ethnici & infideles, postea vero, cum facti essent Christiani, non amplius: idque propterea, quia Ecclesiastici ratione sacri sui ordinis & auctoritatis spiritualis multo sint maiores. His S. Ioannes Chrysostomus in hunc modum respondet: *Si enim Paulus, cum gentiles adhuc essent Principes, præcepit, multo magis oportet & fidelibus exhibere: quod si maiora tibi concredita esse dixeris, disce, non nunc honoris tui tempus esse, peregrinus enim hic es, & aduena, tempus erit, cum omnibus apparebis illustrior, nunc vero vita tua (legerem ego vitã tua) abscondita est in Christo, in Deo, quando Christus comparuerit, tunc & vos comparebitis in gloria.*

n Euseb. lib. 4. c. 4.

Sed quis potest dubitare, exemptiones Ecclesiasticorum esse concessiones seu permissiones Principum, si leges & priuilegia illorum coram inueniuntur? nec in vno eodemque tempore, sed gradatim quasi esse datas aperte compareat; quas sane permissiones seu priuilegia, vt omnibus personis de his sese certificare volentibus satisfiat, siquidem multum interest, ad sua etiam tempora extendunt.

Con-

Constantinus Magnus à factionibus publicis *a* personalibus & curialibus Ecclesiasticos anno 315. exemit: huic *b* Constantius & Constans eiusdem Constantini Magni filij postmodum addiderunt etiam exemptionem à factionibus sordidis & censibus, *c* solisque Episcopis exemptionem à iudiciis fori secularis donarunt, alios vero omnes sub talibus iudiciis secularibus, tum criminalibus, tum ciuilibus stricte retinentes. Et de hoc habent post alias leges *d* quandam etiam à Valente, *e* aliam à Gratiano circa annum 380. conditam, *f* quandam ab Arcadio, & tandem ab Honorio *g* aliam circa annum 400. acceperunt. Circa annum vero 420. Honorius & Theodosius Secundus, ac post ipsum Valentinianus III. concesserunt iudicium clericorum ipsis Episcopis, quando scilicet vtræque partes dato iudicio essent contentæ: si quis vero Episcopum non vellet acceptare, remitteretur ad Magistratum secularem: quod postea circa annum 460. à Martiano etiam, & eius successore Leone fuit confirmatum, quousque tandem circa annum 560. à Iustiniano omnis varietas cum hac lege firmaretur, *h* quod Ecclesiastici in rebus ciuilibus suis Episcopis, in criminalibus vero, iudicibus secularibus deberent esse subiecti, quod etiam vsque ad annum 630. durauit, vbi Heraclius illos præter res ciuiles etiam à criminalibus exemit, salua tamen semper auctoritate appellationis ad Principem, & hoc vsque ad diuisionem Imperij semper ita fuit obseruatum, & etiam post illam in Ecclesia Græca, quam diu Imperium durauit, in tali vsu permansit.

a C. Theod. de Episc. & cler. l. 2.
b Ibid. l. 10.
c Ibid. l. 12.
d Ib. lib. 23.
e Ib. lib 37.
f Ib. l. 41.
g Ib. l. 47.
h Nouel. 83.

In Occidente vero Imperatores Franci & Saxones vna cum Regibus Italicis vario modo illud obseruarunt, relinquendo nonnunquam iudicia Ecclesiasticis, interdum vero cum clericos, tum ipsos etiam Episcopos iudicando. Pontifices vero ipsi relinquebant partem iudiciorum Ecclesiasticis, partem autem ad Magistratus remittebant, prout temporis varietas requirebat, ita vt aliquando auctoritas Pontificum, aliquando vero Imperatorum præualeret. Tandem *i* Fridericus II. circa annum 1220. fecit Authenticum Codici Iustinianeo insertum, quod nemini, cum in ciuilibus, tum in criminalibus, personas Ecclesiasticas liceret ad iudicium seculare pertrahere: & quisquis titulos, *Episcopis & clericis*, *& de Episcopali audientia*, *vel de Episcopali iudicio*, in Codice Theodosiano & Iustinianeo legerit, omnes illas leges facile inueniet, & plenarie informabitur, quod exemptio Ecclesiasticorum fuerit gratia ab Imperatoribus facta, & certior etiam inde fiet, quod licet exemptionem potestatis sui Magistratus clericis concesserint, supremæ tamen suæ potestatis neminem immunem fecerint. Vt ita cum Principatu potestas illa puniendi quoscunque contra leges committentes inseparabiliter sit coniuncta, quod idem est, ac si dicas, Principem in suo statu hunc vel illum in causis secularibus non habere subiectum, & in quocunque etiam alio bonum publicum concernente, in quantum Princeps non est. Nam quemadmodum corpus naturale consistere nequit, quod partem aliquam ad sui integritatem non pertinentem in se habet: ita etiam & multo minus durare potest corpus ciuile, quod in medio sui talem aliquam personam habet, quæ in rebus humanis & secularibus alium præter suum Principem recognoscit. Pontifex in rebus spiritualibus quoscunque vult ab auctoritate Episcoporum & Archiepiscoporum etiam eximit, à seipso autem, quam diu Pontifex est, & talis permanet, eximere neminem potest. Respublica Veneta circa annum 420. libera omniuo nata, licet statim à principio magnum & spatiosum suum dominium non adeo dilatauerit, non minus tamen, quam alij ex maximis Principibus potestatem super omnes in toto suo dominio viuentes, à Deo accepit, ac Ecclesiasticis exemptiones à Magistratibus, quas sub Imperiis de tempore in tempus habuerunt, reliquit, ita vt non nisi iudicium eorum atrocissimorum scelerum, quæ pacem publicam perturbare possent, sibiipsi retinuerit, & restant etiam Ecclesiasticorum ab eadem eiusmodi varia delicta punitorum exempla, licet aliqua illorum delictorum incerta, & talia fuerint, quæ nunc temporis pro lenibus haberentur: attamen propter has aut illas particulares circumstantias dignæ videbantur, in quas Respublica animaduerteret. Et licet Pontifices ab anno 1160. de exemptione clericorum varia & diuersa *k* decreta fecerint, ea tamen à nullo Principe vllius loci sunt recepta, nec potuerunt etiam obtinere, vt delicta læsæ maiestatis vnquam à iudiciis secularibus immunia fuissent: quemadmodum etiam in tota Italia omnea clerici, licet non admoniti, quod in habitu suo non incedant, non obstantibus exemptionibus & decretis Pontificiis, castigantur. Quod etiam in Hispania in delicto contra præceptum *de non portandis armis*, & aliis multis fieri quotidie solet. In Gallia vero inter *delicta communia* & *priuilegiata* distinguunt, illorum solummodo iudicium Ecclesiasticis relinquentes, horum vero secularibus reseruantes.

i Auth. C. de Episc. & cler. l. statuimus.
k c. at si clerici. de iudic. c. clerici. eod. c. cum non ab homine. eod. c. qualiter & quando, eod.

Pari modo etiam nostra Respublica inter delicta grauia ac leuiora distinctionem ponit, & hæc ad forum Ecclesiasticum, illa vero ad Magistratum politicum remittit. Quod sane iustitiæ & libertatis à sua iurisdictione exercitium hucusque semper ita continuatum est. Nec dici potest, quod hæc sit tantummodo consuetudo, quæ huic vel illi legi contraria per longum temporis decursum vigorem super eandem legem acceperit. Neque credimus etiam, quod consuetudo legi diuinæ & naturali quicquam possit præiudicare, licet multos nunc annos durauerit. Et propterea ingenue fatemur, quod, si Deus Ecclesiasticis exemptionem aliquam dedisset, omnis actus à quocunque Principe in contrarium susceptus, sit vsurpatio, & quidem talis, quæ Deum offendat. Verum insuper etiam cum eorum licentia adiungeremus, quod vocent suam ipsius exemptionem de iure diuino: quod si ita esset, Papa non haberet potestatem quen-

quenquam eidem submittere, siquidem seculares non essent capaces per dispensationem Papæ illud exercendi, quod Deus prohibuisset. Deus autem secularibus prohibuit celebrare Missas, examinare confessores, &c. nec Papa eosdem per suas dispensationes illorum exercitiorum habiles reddere vllo modo potest. Et si forte dicent, hoc esse ius diuinum indispensabile, illud vero à Papa dispensabile, ne prolixa disputatione ac demonstratione contradictionis, quæ in verbis *a*. *ius diuinum & dispensabile per potestatem humanam*, occurrit, nos ipsos maceremus, satis, ni fallor, erit, si responderimus, omnes illas rationes, quæ possunt acquiri per dispensationem Papæ, posse etiam acquiri per consuetudinem, quæ legi contraria occurrit. Et si præsupponeremus, exemptionem clericorum esse primum per leges ordinatam, & insuper etiam in executionem deductam, ac postea per consuetudinem immemorabilem præscriptam fuisse in contrarium, legi illa sine dubio exerceretur. Verum in hoc nostro casu auctoritas & vsus Reipublicæ in tempore & vetustate omnes leges præcedit, in quibus Ecclesiastici à iudiciis causarum criminalium eximuntur, nec aliquod etiam decretum Ecclesiasticorum potuit quicquam contra eandem prætendere.

a Innoc. c. cum Apostoli. C. de sim. de priuil. c. quod quibusdam. de verb. sig. c. in his. c. super quibusdam.

Huic accedit etiam tacita approbatio omnium Pontificum, qui vsum illum videntes & animaduertentes, sine dubio, si minus conuenientem putassent, illico reprobassent. Taceo, quod Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. & Paulus III. eundem aperte confirmarint, quorum omnium literæ approbationem illam continentes adhuc in nostro Archiuo asseruantur. In sua enim Epistola ad Patriarcham Venetum vltimo Octobris anni 1487. exarata, Innocentius manifeste demonstrat & fatetur, Rempublicam Ecclesiasticos non in atrocissimis delictis tantum, verum etiam in omnibus aliis grauioribus non absque causa iudicare, dum ita inquit: *Nos attendentes priuilegia ad bene viuendum dari, non ad delinquendum, illaq; præsidio bonis contra improbos esse debere, non autem malis ad nocendum facultatem, &c.* Res sane, quæ non in hoc solummodo tempore sæpissime occurrit, sed nunc præsertim plus quam frequens & vsitata est, vt Sixtus IV. in suis ad Patriarcham etiam Venetum 2. Iunij, anno 1474. scriptis his verbis testatur: *Cogimur non sine cordis nostri dolore plurima, quæ nollemus, de personis Ecclesiasticis audire ex ista ciuitate, præsertim, in qua sæpe nonnulli aut monetas adulterasse, aut crimen læsæ maiestatis admisisse dicuntur.*

Et si quis ex Constantini exemplo in Concilio Niceno voluerit probare, exemptionem illam esse de iure diuino, hunc rogatum omnino volumus, vt dictum exemplum diligenter legat ac relegat, & postmodum cum candore fateatur, num pro aut contra ipsum potius faciat. *Nouellæ Imperatoris Iustiniani*, vtpote 3.5.6.21.83.123.131.133.137. abundanter, & luce clarius demonstrant, quales exemptiones clerici sub eodem Imperatore habuerint, & quibus etiam ante ipsum sint vsi. Si itaque in principio per priuilegia Imperatorum aliquas adepti sunt, & postmodum etiam per conniuentiam eorundem illas ipsas retinuerunt: cur tot & tanti rumores erant excitandi, cum Respublica Veneta dicit, quod si alteri in ipsius statu hoc concessum habent, vt etiam enormia delicta ab Ecclesiasticis iudicentur, credendo scilicet & iudicando, quod suæ gubernationi possit conuenire, interim tamen illa nunquam concessit, aut in rem talem, quam tranquillitati suæ publicæ contrariam existimauit, vllo modo consensit. Potest hic etiam adnecti, quod in nullo alio Regno & dominio huiusmodi exemptiones in eundem modum teneantur. Et qui legit, quid Criminalistæ, & *b* Clarus præsertim scribit, is, quam varie in diuersis locis eædem exemptiones sint quæsitæ, videbit, argumentum sane indissolubile, quod de iure diuino non sint, siquidem consuetudo potest regulare, & decreta etiam Pontificum de illis ipsis non in omni loco recepta sunt.

b L. 5. § fin. q. 36.

Et hic etiam considerandum venit, quod in literis decimi Decembris præsens Pontifex dicit, in vincula esse coniectos Canonicum & quendam etiam Abbatem; *personas in dignitate Ecclesiastica constitutas*: vbi mille essent Epistolæ Papales, monstrantes, *quod Canonicatus dignitas non sit*, sed quia impressum monitorium Canonicum excludit, & de Abbate solummodo verba facit, *esse personam in dignitate Ecclesiastica constitutam*, ex eo satis apparet, quod in literis Papalibus etiam possit errari, præsertim, quando in scribendo nimium properatur, quod etiam in causa est, quod res pro necessitate non consideratur. Non tamen extra omne dubium est, an Commendatariæ illæ Abbatiæ dignitates sint, nec ne; siquidem Concilium Tridentinum Commendas omnino prohibuit. Non tamen parum interest, vt multis & prolixe tractemus, quod dignitas aliqua sit, & quod Papa fundamentum aliquod super eandem collocet. Quod si esset ex sacerdotibus pauperioribus, & absque vllis beneficiis aliquis, non reputaretur pro causa alicuius momenti; verum vt qualitas dignitatis specialis fiat maior, ista exemptio magis authentica est: siquidem certo constat, quod in Ecclesiis sint certi ordines, tanquam Sacramenta iuris diuini, inter quos sacerdotium primas obtinet. Hæ vero dignitates Abbatum, Præpositorum, & Archidiaconorum ex iure humano sunt introductæ: itaque si exemptio esset ex iure diuino, pertineret principaliter ad sacerdotium, licet peculiarem titulum non haberet, & non, vt illi volunt, ad dignitatem specificam. Et qui hunc voluerit soluere nodum, non sane absque magno & frustraneo labore id conabitur. Hæc enim materia requirit, vt consideremus, duas in persona Papæ reperiri qualitates, vnam scilicet Pontificis Romani, Episcopi huius Ecclesiæ particularis & vniuersalis capitis; aliam vero Principis totius sui Status: quæ qualitates licet in præsenti sint coniunctæ, non tamen propterea est necessarium, vt vel Princeps secularis sit Romanus Pontifex, vel

Aliud est Papa, aliud Princeps: & quando Papa cœperit esse Princeps.

quod

quod Pontifex sit Princeps. Nec occurrit in præsenti explicare, quando dictæ duæ qualitates vnitæ fuerint, siquidem quatuor annorum secula forsitan nondum prætetierunt: sed concesso, 800. annos esse præterlapsos, ad nostrum tamen discursum nihil omnino refert, quomodo Pontifex Romæ vicarium suum habeat, & in aliis ciuitatibus suæ ditioni subiectis Archiepiscopos, Episcopos, & alios Rectores Ecclesiasticos alat, & quomodo itidem velut Princeps Gubernatores, Indices constituat, qui licet ex parte clerici sint, non tamen, quatenus tales sunt, huiusmodi officia administraut, siquidem multi etiam laici eiusmodi officiis præponantur. Si nunc aliquis Ecclesiasticus clericus aut Monachus delictum aliquod enorme committit, videmus sane, quod non ab Episcopis & aliis, qui gubernationibus Ecclesiasticis præsunt, sed à Gubernatoribus, & aliis huiusmodi puniatur. Vidimus enim turrim Nonensem, aulam Sauellanam, custodiam Bononiensem, & alios carceres laicorum quamplurimos, quibus rum temporis, dum eos videremus, clerici & Monachi magno numero erant inclusi, & quod magis est, sub Pontificatu Sixti & Clementis aliquot etiam ipso habitu Ecclesiastico adhuc induti, & gradu ordinis non seposito, suspendebâtur. Quod sane modo Status Ecclesiasticus in pace viuere vellet, præter necessitatem etiam iustitiam ipsam ita efflagitasse tam certum est, vt dubitationem omnem longe superet. Neque tamen cæteri Status propterea absque necessitate sunt. Et si suæ Sanctitati placeret, aliorum necessitates eadem mensura metiri, qua erga suos vsa est, Principes sane, qui clericos, non vt ordo rerum requirit viuentes, castigant, non reprehenderet.

Sed non credit, in aliis Statibus accidere posse, quod in suo non accidit: demusque nos ipsi exemplum eius, quod ab aliis fieri cupimus, vt videntes malum, quod ex hoc exsurgit, aliorum necessitati condolcamus.

Scio equidem, quale responsum sit secuturum, quod scilicet Papa habeat supradictas duas qualitates, vnam scilicet Principis, & aliam Pontificis: vt Princeps quidem videns bonæ & laudabili gubernationi temporalis sui status necessarium esse, vt delicta maiora clericorum per brachium laicum castigentur; veluti Papa vero ipsis licentiam supplicantibus facile conniuet: & vt illam dat per se, ita etiam aliis eandem non denegabit, si scilicet in gratiam redire quæsiuerint: medicina mehercle intolerabilior, quam morbus ipse, & quæ etiam corpori magis nocet: siquidem responsio hæc etiam indiuisibilia diuidit. Non esset facilius dicere, quod Pontifex, quatenus Princeps est, optime quidem videat bonæ & inculpabili gubernationi sui status necessarium esse, vt quilibet quietem publicam perturbãs, siue laicus, siue Ecclesiasticus sit, auctoritate secularì puniatur, sed aliorum Principum & Statuum necessitatem non videns, nullo modo consentit, vt auctoritatem à maiestate diuina habeant, sed suam propriam auctoritatem, ceu Papalem, & Patris vniuersalis solummodo agnoscit, & propterea illorum gubernationis omnino particeps esse cupit.

Hic alij sese nobis opponentes dicunt, omnem castigationem suscipi propter correctionem delinquentium: nam nisi ad hunc bonum finem directa sit, esse potius opus tyrannicum: correctio autem vniuscuiusque est penes suum ipsius superiorem: & propterea Principi nihil interest, siue Ecclesiastici delinquentes puniantur, siue non, videant illi, vt laicis debitæ pœnæ imponantur: si enim Ecclesiastici quid impune faciunt, pro hoc non ipsi, sed Prælati Deo rationem reddent. Et sane ratio isthæc aliquid concluderet, si eiusdem præsuppositum verum esset, quod scilicet correctio delinquentis esset solummodo finis iustitiæ criminalis: est quidem finis, attamen secundarius, minorque: vtpote vtilitatem tantum priuatam respiciens; cum principalis sit publicus, & in duabus potissimum rebus consistat: nempe vt boni mores inter ciues conseruentur, & pax ac tranquillitas publica inter eosdem non interturbetur; & deinde si quis alterum vel fallit, vel affligit, aut contra rationem damno aliquo afficit, vt eius æqualem pœnam luat, & proportionaliter ab eo puniatur. Ecclesiasticus quando timore Dei & omni etiam honore postposito, contra leges publicum offendiculum committit, itaq; laicis malo exemplo prægreditur, & illos insuper, quos offendit, ad vindictam inuitando pacem & tranquillitatem publicam subuertit, debet profecto per Principem castigari: alias enim propter supradictas causas exteros seu peregrinos, qui in suo territorio deliquerunt, haudquaquam punire debet: cum enim suiipsius subditi non sint, eorum etiam vtilitatem curare non tenetur. Princeps equidem exteros castigando non respicit ad illorum correctionem, sed vt proprios suos subditos, prout est obligatus, ab iniuriis defendat, & mala exempla malos mores quieti publicæ introducentia tempestiue auertat. Nec valet, etiamsi quis dicat: Ergo si necessarium est quieti publicæ, vt hic vel ille Ecclesiasticus puniatur, Princeps procurare debet, vt à suo Prælato puniatur, nec permittere, vt Magistratus laicus correctionem illam exequatur. Nam ad huius responsionem necessarium est considerare, quod Ecclesiastici secundum sacros canones etiam ob atrocissima & grauissima delicta neminem sanguine mulctare possunt, sed castigant solummodo per censuras suspensionis, priuationis, depositionis, aut per pœnas irregularitatis, aut pœnitentiam salutarem, per orationes, ieiunia, aut alia huiusmodi opera imponunt, aut, si ad summam seueritatem deueniunt, in perpetuum carcerem condemnant, aut in Monasterium vsque ad mortem obstringunt, vt ibi perpetuam pœnitentiam agat, quæ tamen postrema seueritas, quantum ego memini, in nullo etiam grauissime delinquente adhuc vsurpata & suscepta est, imo si quos forte per aliquot temporis diuturnioris spatium ita includunt, accepta tamen relatione humilitatis, pœnitentiæ & promptitu-

pritudinis ad obedientiam facile remittunt, & in gratiam eosdem recipiunt. Et licet Iustinianus serio velit, vt delinquentes brachio seculari committantur, communis tamen & fulcepra Canonistarum opinio est, quod illud in tribus tantum casibus fieri debeat, vt in hæresi, in falsificatione literarum Apostolicarum, & in conspiratione contra proprium Pontificem. De reliquis vero affirmanter dicunt, si quis clericus delictum enorme & grauissimum etiam commiserit, ita vt etiam Pontificem ipsum interfecerit, & tamen pœnitentiam promittit, eum de gradu sui ordinis non esse deturbandum, nec brachio seculari committendum, sed in perpetuum carcerem condemnandum. Hoc modo & conditione iustitiæ freti Ecclesiastici, legum transgressionem facile incurrunt, siquidem illorum peccata plus vtilitatis & voluptatis afferunt, quam damni & metus pœnarum: eligentes potius hoc malum, quod parui pendunt, quam vt à proprio appetitu & libidine se patiantur arceri. Priuationem enim (vt quæ sola à delictis deterret) non verentes, hanc etiam vltro spem habent, si pœnis aliquot Ecclesiasticis castigentur, se totum illud debitum breui, ac sine magno labore persoluturos esse: vnde licentia illis datur, omnis generis scelera sine vllius respectu committendi, siquidem etiam ea delicta, quæ pacem publicam insigniter turbāt, non adeo puniantur, quam quæ contra suorum propriorum respectum commissa sunt. Falsificatio literarum Apostolicarum, & conspiratio contra proprium Episcopum, propter quos casus, vt supra annotatum, degradatio ordinata est, ad laicos non multum pertinet: verum proditio, offensio maiestatis, corruptio monetarum, & homicidia, propter quæ deberent præstare pœnitentiam Ecclesiasticam, talia mehercle sunt, quæ ad vtilitatem pacis & tranquillitatis publicæ maxima & euidenti seueritate debent puniri. Et revera Prælatus ille, qui solos clericos gubernat, nihil præstare potest, quod illos solos, eorumq; vtilitatem non respiciat, nec potest, nec nouit etiam beneficium totius Reipublicæ in castigatione suorum clericorum respicere: nam vt paterfamilias suos filios & seruos castigans, ad nihil aliud, quam ad suæ ipsius domum commodum respicit, ita castigationes pœnæque Principum ad beneficium commune, & finem suum regalem revera tendunt. Dicere itaque, quod delicta clericorum enormia & pacem publicam perturbantia, per illorum Prælatum sint punita, idem est, ac si diceres, pœnas illas ad commodum ordinis Ecclesiasticorum esse accommodatas, vbi totum & vniuersum damnum ex delictis illis subsecutum, laici tantum percipiunt, de commodo vero, quod ea soluta pœna nascitur, ne minimum quidem sentiunt. Et vt verum fatear, Prælatis nunquam in mentem venit, clericos ob offensionem secularibus datam punire, nisi per instantiam Magistratus, & per timorem, ne forte, quod ipsi recusant, Magistratus exequatur, eo quasi compellantur: eorum enim cura est gubernare clericos, & non defendere seculares. Princeps vero, qui tributa, & omnis generis seruitia à subditis suis exigit & accipit, vt eorundem vitam, honorem, & omne, quod possident, defendere possit, non potest salua conscientia permittere, vt ab iis, qui sub prætextu exemptionis omnia mala machinantur, opprimantur; nec perpeti etiam, vt huiusmodi delinquentes impuniti euadant, aut pœnis solummodo spiritualibus castigentur; sed cogitur quasi pro conseruanda iustitia, & ad dandum aliis exemplum, seuerius in eos animaduertere: à Creatore enim omnia Princeps constituitur, &, vt Paulus ait, *minister Dei est, ac vindex in iram ei, qui malum agit*: in quo, si deficit, priuatione sui dominij ipsemet puniendus venit: *Regnum enim de gente in gentem transfertur propter iniustitias, iniurias contumelias, & diuersos dolos.* Taceo, quod ad offensionem Dei, in quam Princeps subditos suos sine debita protectione delerens incurrit, etiam alia mala sequuntur, quæ tandem omnia ad publicam ruinam rectà tendunt. Seculares ab Ecclesiasticis in corpore, honore, aut bonis fortunæ offensi, & iusta ea vindicta, quæ alias auctoritate publica fit, se priuari videntes, ad vindictam priuatam aliquo modo incitantur. Et quod peius est, verentes, ne de nouo offendantur, nec in iustitiam Prælatorum quicquam fidentes, quærunt, quomodo possint præuenire, & ita ex vno malo mille alia nascuntur, quæ omnis generis seditiones, & grauissimas in ciuitatibus perturbationes inducunt.

Illud vero ad defensionem iudiciorum Ecclesiasticorum allatum, quod exemptiones à foro laicorum clericis in sui ordinis honorem (qui honor cum cultui diuino dedicatus sit, rationabile est, vt respectetur) sint concessæ, hoc vnicum est, cuius contrarium quilibet sanæ mentis intelligit: nam si dicere volueris, in honorem illius, qui falsum commisit, primo talis nullum omnino honorem meretur: siquidem ex Paulo antea allatum est, *Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem*: deinde optime dicit Socrates, quemlibet peccantem esse infelicem, & illud tanto magis, cum meritam pœnam effugerit. In honorem bonorum multo minus, siquidem per cœtus & societates malorum possint maculari, manentque boni eo magis honorati, quando se malis minus adiungunt, secundum consilium Apostoli Pauli, dum ait: *Auferte malum ex vobismetipsis, nam modicum fermenti totam massam corrumpit.*

Quapropter si illi propter sacros Canones delinquentes non possunt vita mulctare, nec ita ex eorum numero excludere, dignitati profecto omnium Ecclesiasticorum quamplurimum confert, vt auctoritate Principum boni à malis separentur, & ita illa eadem sincera & bonorata persistat. Nec dici etiam potest, vt alia libertas iisdem sit sublata, quam sola libertas faciendi malum. Ex quibus considerationibus luce meridiana clarius apparet, Remp. Venetam tum in constitutione suarum legum, tum etiam in administratione iustitiæ nullum omnino excessum commisisse, siquidem hæc suprema potestas illi à sola & vnica Trinitate cōcessa est, quæ quidem non

pati-

patitur, vt per censuras Ecclesiasticas cum talibus procedatur: præsertim cum tanta celeritate ad fulminationes properetur, vt nemo, prudentia saltem mediocri præditus, res Romanas non possit non summe mirari. Si alias res nullius fere momenti Romæ occurrunt, tanta cunctatione pertractantur, vt ipsorum clientum morte potius, quam per iudicis sententiam finiantur: in causa vero hac, quæ præ cæteris omnibus grauissima est, non festinanter modo, sed cum summa præcipitatione proceditur, siquidem circa principium Nouembris primæ illius ratiocinationes habebantur, & ita in quinque mensium spatio potuit deueniri ad tam arduam deliberationem, vltra tricies centena millia animarum in maximo tractu & dominio habitantium excommunicare, maxime cum intolerabili impatientia breue illud tempus sit expectatum, querelæ continuæ sparsæ, quod nil nisi dilatio & consumptio temporis quæratur. Et quidem idem Pontifex per hanc occasionem ad tam præcipitantem resolutionem deuenit, quoniam Cardinales rei quidem certiores fecit, illorum autem iudicium, vt alias in rebus tanti momenti fieri solet, & debet, non requisiuit, quod toti fere Romanæ aulæ suspectum fuit, siquidem alias Cardinales non solum tantarum rerum participes fieri, verum etiam in consilium earundem adhiberi solebant, & postquam vltima eius Breuia sub 17. Aprilis iam stabilita, præloque impressa fuerunt, eo ipso die eorum in Consistorio non meminit, sed vt immediate affigerentur, ac publicæ fiant, curauit. Et est sane res stupenda, quod, cum Romæ alias in vsu sit, vt nullus alius facere processus possit, & in conseruatione boni ordinis tantum inuigiletur, siquidem in communi prouerbio dicitur, quod *omnis processus extra curiam formatus, vt plurimum sit nullus*: nihilo tamen minus in re tam graui sit processum absque citatione, dicunt quidem illi, esse *de iure natura*, semperque in ore habent, *Cain vbi es? & vbi est frater tuus?* quod tamen non videtur obseruatum esse. Et si quis obiecerit, duo Breuia sub decimo Decembris exarata, loco citationis esse: huic tria potissimum obstant: primo, quod prima illa duo Breuia decimi Decembris insanabili illi infirmitati non minus sunt subiecta; siquidem in vno illorum leges Senatus pro nullis declarantur, earumque latores sub censuram cadunt; ad hoc autem perueniri non poterat, nisi citatio præmitteretur, & certis etiam rationibus contrarium probaretur. Postea, aliud etiam est monitio, aliud citatio, vt Iureconsulti optime demonstrant: illa præcipit, vt tanquam in causa decisa obediatur, hæc vero ad discutiendum, num bonum & necessarium sit, vt obedientia præstetur, inuitat: quapropter cum duæ illæ Epistolæ non nisi reuocationem legum, & consignationem custodiarum sub pœnis & censuris expostulent, citatoriæ nullo modo dici possunt, seu saltem monitoriæ nuncupandæ erant; nec dici etiam potest, quod in citationem se resoluant, quoniam nullum omnino terminum habent, sed executionem immediate requirunt. Ita etiam de monitorio affirmari nequit, quod in citationem resoluatur: siquidem talis spatium 24. dierum pro termino requirit: in hoc autem Statuta Reipublicæ pro nullis declarantur, & illud non post 24. dies, sed in illo ipso momento decimi septimi Aprilis. Itaque facta illa annihilatio resolui in citationem nullo modo potest. Non minus etiam in reliquo, quantum ad clausulam iustificatiuam deficit, sine qua clausula in citationem nunquam resoluitur: sed monitorium, *ipso iure*, vna cum sua excommunicatione est nullum, quemadmodum Nauarra *super cap. cum contingat, 8. causa nullitatis*, plenarie demonstrat. Sed vt ipsis omnes illos defectus condonemus, vbi itaque apparet citatio aut monitio supra anno 1602. latam legem? quam dicunt esse de bonis emphyteuticis, & quæ reuera magis pertinet ad bona censualia, aut per longum tempus locata, nihilo tamen minus monitorium primo loco intrat: &, licet eius sensus non percipiatur, nec etiam intelligatur, quibus rationibus possit defendi, pro nulla tamen proclamatur. Æquum certe fuisset, vt primo eam audiuisset, aut discursum aliquem extraiudicialem de eo instituisset, sed quod ex improuiso, & antequam intelligatur, damnata fuerit, præter scandalum, quod inde ingens hauritur, est etiam admiratione quam maxima dignum.

Non fuerit forte necessarium extendere tractationem supra meritum huius causæ emphyteuseos, siquidem tam notabilis defectus in ordine iudiciario commissus est. Quoniam autem summariam notitiam rationum Reipublicæ de hoc aliquis forte desiderat, non erit extra propositum, aliquas earum breuiter tantum attingere, ex quibus declaratis Senatus legitima auctoritas constituendi leges, & insuper etiam necessitas, qua fuit coactus, & rei statutæ æquitas, plus satis apparebit, & præter hæc omnia simul etiam error aliquis sese prodet, aut studio, aut casu quodam in intellectu verborum & causarum istius legis occurrens.

Dicit Pontifex *in monitorio*, quod Dux ac Senatus 23. Maij anno 1602. occasione à lite inter Doctorem Franciscum Zabarellam & Monachos Praglienses capta, statuerint, non solum quod Monachi nunc & in posterum non possint prætendere actionem sub quocunque voluerint titulo, vllius Prælationis in bonis emphyteuticis à laicis concessis, nec etiam proprietatem dictorum bonorum ratione Prælationis, consolidationis, aut extinctionis lineæ, aut vllius alterius causæ saluo illorum directo obtinere, sed etiam quod intelligatur pro declarato, firmiterq; deliberato, quantum ad omnes alias personas Ecclesiasticas, & locos pios.

De hoc non apparet, num sua Sanctitas reprehendat ordinationem Senatus, quatenus illud, quod inter Monachos & prænominatum Doctorem est decisum, ad omnes locos & personas Ecclesiasticas extendit, approbando interim dictam decisionem in controuersia particulari, an vero & hoc & illud reprehendere intelligendus sit.

Et si concedatur, Senatum habere legitimam potestatem, finem huic liti imponendi, negamus posse declarare, vt per leges vniuersales, quod idem fuerit, & intellectum etiam sit declaratum in omni altero casu. Nec hoc à mediocri etiam intellectu prædito, vllo modo comprehendi potest; siquidem res manifestissima sit, quod eidem illi potestati conueniat facere leges in vna materia, & iudicare etiam controuersias particulares in eadem illa occurrentes.

In tertio Politicorum demonstrat Aristoteles, iudicium esse legem particularem, legem vero ipsam iudicium vniuersale, & quod suffecerit etiam, si iudex inueniretur sine affectibus, aut quod etiam solæ leges sufficientes essent, si omnes casus particulares comprehendere possent. Et in a Codice etiam Iustinianeo videmus, quod iurisdictio duo contineat capita, quorum alterum est iudicare, alterum vero ius dicere. Illud pertinet ad faciendum Statutum, super quo sententia fundetur: hoc vero ad sententiam illam pronuntiandam. Et officium Prætoris Romani erat, facere edicta generalia, & deputare iudices, qui his conformes in causis particularibus causas redderent. Si lex esset spiritualis, & iudex secularis, talis non posset legem intelligere, nec etiam secundum illam iudicare; siquidem scientia spiritualis & actio mundana non conueniunt. Regula enim, dicunt Philosophi, cum regulato debet esse homogenea: & propterea etiam b Iureconsulti non sine ratione addunt: *Forum sortiri, & statutis ligari, paria sunt.* Quapropter qui consentit, quod Senatus causam inter Doctorem & dictos Monachos legitime iudicauerit, eidem Senatui etiam concedere debet potestatem in vniuersali illo decretandi, quod fuerit regula in iudicio tum occurrente, & debet etiam esse in illis, quæ adhuc occurrunt.

Qui vero cognitionem & decisionem in causa Monachorum & Doctoris factam nititur reprehendere, ille cumprimis sciat, admodum necessarium fuisse, non ita procedere antrorsum, nec prius monitorium formare, idque in hoc prælertim capite, quam processus in dicta controuersia formatus fuerit inspectus.

Addo etiam, falsum esse, quod Doctor Franciscus actor, Monachi vero rei in hac causa fuerint, quemadmodum monitorium his verbis supponit: *inter Doctorem, &c. ex vna, & Monachos, &c. ex altera parte.*

Sed anno 1598. Corsatus de Corsatis comparauerat octo agros ab Andrêa Monaldo, qui persoluunt canonem Monasterio Pragliensi: Doctor vero, vt emptionem illam ratione confinij impediret, 12. Febr. anno 1602. pretium deponebat, ad quod Monachi 2. Martij coram Potestate Patauino comparentes prætendebant, sese vt Patronos Doctori præferri, itemque prælationem prætendentes contestabantur, ita vt in eadem causa, & coram eodem Magistratu ad multos sane actus procederetur, quousque secundum Status illius ordines cognitio per Doctoris & Communitatis Patauinæ supplicationem ad Senatum transferretur. Non traxit sæpe nominatus Doctor Monasterium ad iudicium laicum, sed Ecclesiastici ipsi agnouerunt iudicium illius causæ ad seculares pertinere, siquidem recursum ad illos quæsiuerunt, qui recursus solus & vnicus, licet alius nullus adfuisset, Potestati tamen, & consequenter etiam Senatui in hac causa iurisdictionem dedisset, quemadmodum in expressissimo termino declaratum est *in l. 1. C. de iurisdict. omn. iudic.* Huic insuper firmissimo fundamento accedit & illud vniuersale non minus validum, quod in duobus proxime elapsis seculis ducentorum annorum, quoties de bonis laicorum tractatum est (siue emphyteutica, siue censualia, feudataria per longum tempus locata, aut quomodolibet nominare velis) in hoc Statu iudex Ecclesiasticus nunquam exercuit iudicium, sed absque vlla contradictione cognitio & iurisdictio semper fuit penes seculares. Ex quo non tantummodo constat, quod controuersia inter Monachos & Doctorem merito & bono iure à Senatu sit determinata, sed quod proprie etiam ad eundem pertineat, facere Statuta, quæ circa bona supra nominata laicorum, in quibus Ecclesia directum habet, disponant: itaque ipsius etiam proprium officium est iudicare controuersias inter illos obortas, quemadmodum etiam supra demonstrauimus, illius eiusdem Potestatis esse facere Statuta, & insuper etiam iudicare.

Restant enim in omnibus Archiuis totius ciuitatis multa exempla iudiciorum per Iudicem secularem executorum, cum econtra ne vnicum quidem fori Ecclesiastici commonstrari possit. Nec vsurpatio dici potest, siquidem Ecclesiastici in iudicium rei non sint pertracti: sed velut actores sua sponte comparuerunt: & quod rationem adhuc magis perstringit, comparuerunt etiam in similibus controuersiis inter Ecclesiam & Ecclesiam in foro seculari, vt alia contra aliam iustitiam audiret. Et pro firmissimo etiam credendum est, quod principium huius introductionis sit admodum Canonicum, quoniam Ecclesiastici eo etiam tempore erant valde boni, & suarum Ecclesiarum cum maximo zelo curam gerebant, quemadmodum & Pontifices ipsi iurisdictiones Ecclesiasticas accuratissime obseruabant, vt ita vtrique naturam fundorum, propter quos coram secularibus comparendum erat, optime scirent; nec tamen vllus vnquam illam consuetudinem iudicandi vllo modo reprehendit, sed potius (quod cum veritate dici potest) illi ipsi eandem introduxerunt, vbi expressissima c constitutio inprimis contemplanda venit, qua tantum valere consuetudinem iurisdictionis exprimitur, quantum etiam leges ipsæ.

Quoniam autem Papa in monitorio ait, ordinationem Senatus statuere *in bonis Ecclesiasticis emphyteuticis*, aut eius ministri necessario aliam habuerunt scripturã seu exemplar, quã verum,

a l. 3. §. 5. ne quis in sua.

b Paul. Castrens. l. omnes popu. li. D. de iust. & iur. Dec. c. qua in Ecclesiarũ, & c. Ecclesia S. Mariæ, de constit. Alex. cons 201. lib. 2.

c C. de eman. lib. l. vlt.

aut affectibus præmaturis rapti putarunt, se in eodem videre illud, quod nusquam reperitur, & nec ex verbis, nec ex sensu colligi potest: nam illud, *emphyteuticis*, nec formaliter, nec etiam verbis æquiualentibus in eodem extat, nec sese etiam possunt excusare, ac si putassent, sensum talem fuisse, qualem illi expresserunt: siquidem non licet dicta alterius aliis verbis referre, & præsertim, quando restringitur ad vnam solam speciem, quod tamen in genere prolatum est. Lex enim dicit, Ecclesias non posse bona laicorum sibiipsis ceu proprias acquirere, saluis manentibus rationibus illarum directi. Nec verum est, quod distinctio directi & vtilis sit solummodo in emphyteusi, sed vtrumque hoc dominium reperitur in bonis patrimonialibus, de quibus in *a titulo quodam lib. 2. Codicis Iustin.* tractatur, directum, quod potest esse in Ecclesia, si scilicet Princeps illi donauerit. Et quantumcunque hic modus possidendi in Italia sub Imperatoribus Germanis, eorumque successoribus inusitatus factus sit, & in locum illius feudum introductum, nihil tamen impedit, quin in Ecclesiis, & præcipue in Cathedralibus aliquot bona huius generis remanserint, quæ ipsis fuerunt donata, antequam Imperatores Constantinopolitani ex Imperio Regionum vicinarum excluderentur. In locatione perpetua itidem sunt directum & vtile, vbi propterea (quemadmodum etiam in supradictis fundis) nec prælatio, nec consolidatio, nec etiam extinctio lineæ locum habet, vt Couarruuias & Valascus à multis Doctoribus allegati, efficacissime probant, licet quidam minus experti contrarium statuant.

a *Tit. de fund. patrim. l. si quis fundos. l. fundi patrimoniales. l. his quibus.*

Et maxima sane pars rationum directarum ipsarum Ecclesiarum in his regionibus inferioribus circa mare, quæ alias nihil, nisi paludes vallesque fuere, huius generis est: quoniam enim terrena omnia sub aquis erant, nec quicquam aliud, quam arundines ferebant, in perpetuum aut tempus bene longum pro exigua pensione fructui illorum respondente locabantur, attamen postmodum immensis sumptibus & labore secularium, dum eadem subleuarunt, paludes exiccarunt, & aquas alio deriuarunt, ad præsentem statum perducta sunt. Itaque in his Ecclesia nec per iustitiam scriptam, nec per æquitatem prælationis aut deuolutionis rationem vllam habet, vt talia sibi possit ceu propria vendicare. Et ad hæc lex illa à Senatu constituta maxime dirigitur, quemadmodum etiam de aliis statuit, vt suo loco dicemus. Ita occurrit, quod ratione census reseruationi super quædam immobilia, aut quoniam Ecclesia in antiquis venditionibus reseruationem stipulatam habeat, aut quia ab aliis patronis venditoribus seruatum, eique postmodum donatum sit, eidem Ecclesiæ pensio soluatur: in quo casu census reseruatus sine dubio Ecclesiæ in perpetuum permanet: circa immobilia vero dominium nullo modo manet, cuius virtute consolidationem, aut prælationem, retractationem, aut actionem huiusmodi aliam prætendere possit.

Eiusdem naturæ est etiam feudum, quod in eodem directum ab vtili distingui possit, vbi satis mirari non possum, quod volentes adnectere aliquid legi Senatus, aut eandem per vocabulum, *emphyteuticis*, aliter & extra genuinum suum sensum interpretari, vt eandem magis aggrauarent, non potius dixerint, *feudalibus*: sed forsitan legendo eo vsq; non peruenerunt, non sperantes scilicet absq; animaduersione abiturum, cum sit vox vulgaris, & omnibus satis superq; nota.

Vocabulum autem, *emphyteuticum*, paulo plus habet in recondito, & commodius visum fuit, vt occulte intromittatur: & propterea non est replicandum, quod vocabulum illud, *emphyteuticum*, in lege Senatus non sit vsitatum, & quod in genere de omnibus contractibus aut modis possidendi, vbi duo dominia, vtile scilicet & directum, sunt diuisa, loquatur: nec licitum est etiam alicui illud restringere, aut alio modo contra proprium suum sensum interpretari, vt secundum hunc modum in monitorio positum inde concludatur: *Cum præmissa in aliquibus Ecclesiarum iura, etiam ex contractibus initis ipsis Ecclesiis competentia, auferant.*

Nec est res noua, quod Ecclesiastici, vt possint bona à secularibus possessa inuadere, illis nomen emphyteuseos imponere sint conati, iis nimirum rationibus, per quales canones aut pensiones acciperent. Imo integris his postremo elapsis seculis ad hunc vsque diem multæ ciuitates Italicæ propter hanc eandem causam contra ipsos tumultuarũt; quemadmodum & illi ipsi aliquoties sunt conati à suis prætensionibus semetipsos retrahere, & recepto canone esse cõtenti.

Imo apud Patauinos ipsos ante annos 150. *b* inter Communitatem & Monachos S. Iustinæ & Praglienses maximæ controuersiæ de hoc fuerunt, & omnes per transactionem finitæ, vbi inter alia declarabatur, quod in omnibus illorum libellis nec prælatio, nec consolidatio per lineam finitam locũ haberet, quod eadem illa ciuitas constanter affirmat, etiam ante hæc ita moris & in vsu fuisse. Pariter etiam Vrbini ante hæc tempora inter clericos & populum maxime litigabatur, quæ eadem lis etiam per transactionem concludebatur, cum hac expressa *c* declaratione, quod consolidatio per lineam finitam in posterum nullum amplius debeat habere locum.

Item ante hæc tempora Ferrariæ etiam graues & periculosi de hoc exorti sunt tumultus, ad quos sedandos Papa Bonifacius IX. potius vt supremus Princeps, & non vt Pontifex, neque per gratiam, sed per iustitiam, in feudis, emphyteusi, & aliis similibus contractibus Ferrariensium caducitatem, prælationem & consolidationem per lineam finitam è medio tollere, & nouam formam iustitiæ & æquitati conuenientem, quæ reduceret potius ad naturam censuum, quam aliorum contractuum, dare fuit coactus: quemadmodum etiam *d* Doctores notabile illud damnum, quod laicis per deuolutionem aut consolidationem ad lineam finitam inferretur, animaduertentes, communi opinione vsum illum sustulerunt, dicentes, eum, qui sanguine pro-

b *Extant Authentica capitulorũ transactiones.*

c *Paul. Castren. consil. 244. lib. 2.*

d *Vide Cla. & Valas. Rom. consil. 12. vol. 1. Deci. consil. 131. Bero. cons. 98. l. 1. Abb. c. bonæ de postul. prælat. & cons. 113. Curt. sen. c. 47. Ruinald. c. 48.*

ximeiunctus esset, petere posse, vt per iustitiam inuestiatur, aut si id ei denegetur, etiam appellare: ad quam specificationem multi perueniunt, licet Ecclesia stabile per se velit; & alteri insuper adiungunt, quod non solum teneatur dare inuestiturã, sed quod etiam canon crescere nõ possit.

Et sane non est mirum, quod per legem aut per transactionem in locis supra nominatis caducitas per canonem non solutum, & item prælatio in casu venditionis, ac consolidatio per lineam finitam sit sublata, siquidem nulla harum conditionum necessaria & ad contractum essentialis est. Quicquid autem fieri potest per leges, fieri etiam potest per factum, & tandem etiam per consuetudinem induci. Quapropter etiam in hoc statu longa illa & præscripta consuetudo per centum & quinquaginta annos hucusque obseruata sufficiens fuit ad pauca aliquot bona emphyteutica (si quæ forte aderant) caducitatem, prælationem, & consolidationem subleuanda & introducendum, vt extra & præter solutionem pensionum patrimonialia & allodialia retinerentur. Videatur Consilium 72. Panormitani, in quo prolixe discutitur, quod consuetudo in emphyteusi Ecclesiasticis potuerit introducere Vrbini, vt conditio caducitatis è medio auferretur. Quæ tamen nihilominus Ecclesiæ magis fuit vtilis: siquidem Ecclesia per eandem acquireret meliorationes absque solutione, quas per prælationem, consolidationem, aut lineam finitam acquirere vt proprias non potest, nisi iustum pretium prius soluatur. Vnde per argumentum à simili, aut à maiori tanto magis consuetudo prælationem & consolidationem tollere è medio potest.

Additur, non esse singulare in hoc statu, quod bonum aliquod emphyteuticum sit factum allodiale: in Gallia vero omnia emphyteutica talia facta sunt, vt testatur Ioan. Rub. *Auth. ingressi. de sacrosanct. eccles.* quæ sane res omnes æquitatem & necessitatem talis legis satis demonstrant. Quam legem, licet Senatus Venetus eo tempore non constituerit, nec in forma scripta per vniuersum illius Statum in vniuersalibus terminis publicauerit, nihilo tamen minus in vsu & consuetudine habet, & in causis occurrentibus ab eo ipso tempore vsque ad hunc diem obseruauit.

In promptu sunt multa decreta Principum huius Reipublicæ cum suo Collegio, quæ diuersis temporibus in controuersiis inter Ecclesiasticos & seculares, aut inter Ecclesiasticos & Ecclesiasticos diuersarum Ecclesiatum determinarunt, quod caducitas, prælatio, aut consolidatio vtilis cum directo admittenda non esset, & interdum eo etiam venerunt, vt clausulas generales omnes casus comprebendentes suis rescriptis insererent, quemadmodum accidit tempore Dueis Vendramini anno 1476. in quodam rescripto ad Potestatem Monselicem de tali aliqua controuersia particulari, vbi hæc verba sunt adiecta: *Nunquam pati volumus (etiam in bonis Ecclesiasticis) quenquam, qui diu tenuerit agrum aliquem iure liuelli, quem sumptibus & laboribus suis meliorauerit, sic de facto expoliari, sed tantum quod soluat liuellos non solutos.* Eo tempore Dux in rescripto quodam ad Rectores Brescienses anno 1466. postquam Abbatem Lenonensem exclusérat, ne bona aliqua liuellaria aliis à seipso vendita retrahere posset, porro adiungit: *Et de hac nostra intentione date dicto Abbati notitiam, & declarate, ne contra eam dictos Christophorum & Cornelium inquietet, sed acquiescat huic voluntati nostræ, quia hoc idem in aliis terris & locis nostris seruari volumus, & facimus in similibus.*

Ex quo luculenter apparet, quod hæc non sit lex noua, sed antiquissimis temporibus in consuetudine stabilita, & non per iudicia tantum particularia Magistratuum, sed per Principem ipsum confirmata, de quibus *a* lex ita inquit: *Si causam Princeps inter partes cognouerit, & sententiam dixerit, est lex in omnibus similibus.* Et secundum Iureconsultos habent potestatem supra leges, licet etiam vnius tantum casus particularis decisiuæ fuerint, quemadmodum leges Canonicæ fere omnes decisiones casuum particularium sunt. Et illud quidem tanto magis, quando habent etiam significationem voluntatis Principis in casibus similibus cum expressione in terminis generalibus, quemadmodum supradicti.

a C. de leg. l. si imperialis. Afflict. d. 313. vide Menoch. consil. 677. nu. 2. 487. nu. 3. 873. nu. 10.

Et hæc omnia à Republica Veneta suscepta factaque sunt, videntibus, scientibus, & non reclamantibus, ac propterea tacite pro iusto & necessario approbantibus illud, quod sequebatur, non solum Ecclesiasticis, qui petitionis repulsam patiebantur, sed etiam nuntiis Apostolicis, & per consequens Pontifice ipso: ita vt hoc ipsum, quod à Senatu anno 1602. fuit deliberatum, sit quædam declaratio & expressio in scripto legis veteris, quæ erat in consuetudine & in rescriptis directis ad Magistratus particulares; quemadmodum in illa ipsa lege aperte his verbis exprimitur: *Requirit rerum nostrarum commoditas, vt hac materia in gratiam tranquillitatis & consolationis subditorum ita terminetur, vt non solum in occasione præsenti dicti Zabarellæ, sed etiam in posterum in omni alia huius naturæ non offeratur causa à bona consuetudine, & à iudiciis in conformitate causæ aliquoties executis recedendi.* Vbi etiam adiungendum, quod si in dicta hac lege etiam minimus inuentus scrupulus fuisset, Papa Clemens VIII. sub cuius Pontificatu fuit publicata, & qui ministros vigilantissimos in hac nostra vrbe semper habuit, non sane dissimulasset.

Et si ordinatio illa, vti sonat, est perfecta, conueniebat equidem, vt audito, quod consuetudo & iudicia nominentur, videretur & perciperetur prius, qualis consuetudo, & quæ iudicia essent. Et quis tam exilis est ingenij, qui non videat, quod plane incognita causa sit processum, & quod multa etiam particularia ab illis ipsis, qui suæ Sanctitati factum referre debebant, studio sunt prætermissa? Cum tamen non ignorabant, quod isthæc omnia prius diligenter erant ponderan-

deranda, antequam ad tantam executionem veniretur, & videtur sane, tantum adfuisse desiderium fulminandi, quod non auserint rem totam eidem videndam tradere, metuentes sine dubio, aliquid forte interuenturum, quod animum suæ Sanctitatis à suscepta deliberatione auertere posset. Et si breuitas præsentis discursus permitteret, euidenter sane monstrarem, quam inconuenienter monitorium hanc legem respiciens, in hæc verba erumpat: *Cumque præmissa in aliquibus Ecclesiarum iura etiam ex contractibus iuris, ipsis Ecclesiis competentia auferant.* Et facerem etiam notum, quod per hanc Ecclesiis nullum *ius quæsitum* auferatur, sed stante ipsa in suo vigore & obseruantia, Ecclesiis promptissimus & facilimus modus retinendi *omnia iura quæsita sibi competentia* permaneat. Non enim moris in hac Republica vnquam fuit, *ius quæsitum* tollere, & cuicunque personæ auferre, & ita etiam nec Ecclesiis ipsis. Qui autem leges alicui alteri vult explicare, & in interpretando non errare, eum oportet, vt ipse prius easdem recte intelligat, earumque plenariam informationem habeat, nec prius easdem damnet, quam earum fundamenta viderit, sed plura de hac materia protuli, quam præsens discursus forte requirebat, nec tamen minima pars est, respectu eius, quod adhuc restat. Et si forte occurrit, vt demonstremus eius legis fundamenta, vnusquisque facile videbit, quam firmiter super iustitia & æquitate fundata sit, & quam etiam Senatus auctoritas sit legitima eandem constituendi.

Sed redeundo ad illud, quod de hac materia dicendum restat, si Pontifex à sua deliberatione præoccupatus, tam manifestas rationes, quales supra enarratæ sunt, noluit admittere, nec etiam causas Reipublicæ pro iustificatis habere, debuisset tamen, vtpote videns, quod tota fere Europa huiusmodi leges illis, quæ ab ipso reprehensæ sunt, persimiles habeat, & quod tanta multitudo approbatissimorum Doctorum ipsi in hac opinione aduersentur, causam illam pro dubia agnoscere, & cum maiori consideratione procedere, recordando scilicet, quod excommunicatio pœna inter omnes grauissima, & materia odiosa admodum sit, ac propterea, vt Canonistæ inquiunt, *strictissime interpretanda.* Nec putatur etiam, quod aliquis incurrat, si verba Canonis sunt ambigua aut generalia, qualia non licet trahere ad alium casum per similitudinem, multo minus cum argumento à minori. Nam licet is, qui colaphum sacerdoti infringit, excommunicatus sit, tamen qui tormento manuario talem aliquem, quanquam etiam in templo, petit ad interficiendum, nec tamen eundem prehendit seu allidit, non excommunicatur; licet hoc secundum delictum sit centuplo maius, & grauius primo. Concedimus quidem, eum, qui contra libertatem Ecclesiasticam statuit, excommunicatum esse. Quod vero Statuta Veneta contra libertatem talem nullo modo sint, firmissimis rationibus hactenus fuit demonstratum, quæ, quantum valeant, stat potius in facto, quam in discursu, siquidem huiusmodi leges per totam Europam in vsu sint. Est etiam prælo impressum, quod tot & tam eximij scriptores easdem approbent, & pro iustis agnoscant; propterea ad minimum non est adhuc clarum & manifestum, quod, vt illi præsupponunt, auctoritatem Pontificiam oppugnent. Cui accedit & illud, quod, cum nondum sit decisum, quid libertas Ecclesiastica sit, vt supra etiam monuimus, nec Doctores etiam in eo adhuc concordent, etiam de his legibus dici pro certo nequit, quod tali libertati aduersentur. Et vt summatim dicam, in quacunque causa penes aliquos adhuc suspicio controuersiæ inest, & inter aliquos de ea dubitatur, excommunicatio præcipitanter nimis pronunciatur, & præsertim cum inconuenientia prius non fuerint mature satis ponderata. Et ex hoc dicit cap. *Alma mater.* aliud nihil sequi potest, quam quod populus omnem pietatis zelum amittet, omnis generis hæreses insurgent, infinita animarum pericula exorientur, nec quisquam Ecclesiis debita seruitia amplius præstabit. Pietas autem Christiana vere requirebat, merita causæ omni prius diligentia examinare, & non tam facile præsupponere: siquidem omnis Prælatus tenetur primo in seipso causæ meritum cognoscere, & postmodum etiam alios cum mansuetudine Christiana, &, vt Paulus ait, *in spiritu lenitatis*, in eodem informare, quod si etiam hic factum esset, ad tanta mala occasio non fuisset data, neque tot pericula essent pertimescenda.

Addit Pontifex in suo monitorio decimo septimo Aprilis scripto, quod Dux Senatusque Venetus annis ab hinc elapsis multa & diuersa fecerint statuta, propter quæ in censuram delapsi sint, inter quæ tamen tria præcipue nominata sunt, propter quæ in tantas fulminationes descendit, nisi intra spatium 24. dierum reuocentur. Desiderio sine dubio capientur multi cognoscere, num ita sit, quod Respublica tam varia & diuersa statuta in perniciem animarum tam immensæ multitudini populorum fecerit, & propterea etiam in censuram delapsa eadem reuocare cogatur? Non potest, nec debet etiam credi, quod reliqua in damnatione animarum sit relictura, ergo ne de omnibus in præsenti non tractat? Quando quia obuiam venit suo debitori, potest etiam partem aliquam eius, quod sibi debet, requirere, quemadmodum etiam vel partem, vel totum debitum remittere: procurator vero id non potest, nisi à principali suo eius potestatem prius acceperit. Si multa & diuersa statuta elapsis annis à Republica facta Deum offendunt, Respublica certe obligatur, eadem omnia reuocare, nec reuocans saltem hæc tria, suo debito satisfaciet, secundum illud, quod ab Apostolo *a* Iacobo dicitur: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Commendat Saluator noster vsum excommunicationis propter peccata, quæ fiunt in perniciem animarum, quando apud *b* Matth. inquit: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* vbi Apostolus Paulus *c* aperte exprimens, qualia ista sint, ita fatur:

[a cap. 2.]
[b cap. 17.]
[c 1. Cor. 5.]

Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumite. (a Matt. 23.) Itaque idem hoc præsenti tempore dici potest, quod *a* Christus ipse inquit: *Væ vobis, qui decimatis mentam & anetum, & cyminum, & relinquitis, quæ grauiora sunt, legis iudicium, & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Cui etiam illud plenarie respondet, quod in monitorio dicitur, leges & iudicia Reipublicæ esse *in perniciem animarum*: quando autem porro adiungitur, actiones Reipublicæ esse *in scandalum plurimorum*, obseruandum est, ne contrarium eius, quod petitur, concludatur. Diligenter enim animaduertendum est, vt omne scandalum, & præsertim qood multos offeodit, extirpetur. Nunquam vero auditum est, quod quis scandalum ex eo acceperit, cum viderit delicta tranquillitatem publicam turbantia puniri, & ita auaritiam & luxum refrænari. Multo vero potius illud scandalum patere diceudum, cum sceleratus vnus aut alter videtur per vrhem vagari, ipsius complicea esse punitos, eum ipsum vero, licet pœna omnium maxime diguum, in Ecclesia saloari. Nec sane in explicatione, quæ res scandalum pariant, est diu multumque immorandum, siquidem quilibet id per seipsum nonit, & ita ij etiam, qui res mali exempli defeodunt, illud non sine rubore faciuut, verum in propria conscientia plus satis persentiunt, quod illorum facta veritati repugnent.

Et reuera hoc idem monitorium ad exemplum decem Pontificum, qni in eo ipso nominati sunt, factum & institutum est, qnos cum voluerir præsens Paulus V. imitari, eo magis laude vehendus erit: sed interim oon mioori commendanone ij vicissim digni habendi sunt, qui centum eiusdem præcessores sunt secuti, quibus omoihus ne io mentem quidem vnquam venit, leges Principum io vtilitatem puhlicam factas coofutare, sed multo magis earnodem publicationem & executionem, qnantum io illis fuit, promouerunt; & quoties difficultatem aliquam iustitiæ io illis ipsis inueniebant, omni dexteritate ac charitate Priacipibus, quæ Dei voluntas esset, monstrari curahant. Ita enim S. Damasus puhlicahar & exequebatur legem Valentiniani: & S. Gregorius aliquam ex legihus Manritij, qua militihus, oe fiereot monachi, prohibehatnr. Quinimo sententiam excõmnnicationis cootra Senatú ferre, qui noo est priuata, vel singularis persona, est à doctrina veterum & aliorum probatorum Theologorum alienissimum. Siquidem D. Augustious (b lib. 3. contra epist. Parmen 23. q. 4. c. non potest.) *b* excommuuicarionem alicuius multitudinis pro *perniciosa, sacrilega, impia, & superba* (ita enim formalia eius verha sonant) agoofcens, licet peccatum manifestum & notorium sit, omoihus bonis pastoribus io simili casu consulit, vt precihus ac gemitibus ad Deum recurrant. S. Thomas (c q. 22. ar. 5. in add. & in 4. d. 18. q. 2. a. 3. q. 10. 15.) *c* quæstionem, num vniuersitas excommuoicari possit, proponens, ipse partem negatinam tuetur, & vltra allatas rationes concludit, Ecclesiam magna prouidentia coustituisse, quod communitatea non possint excommonicari: cui opinioni omoes reliqui Theologi subscribunt. Et Papa (d De sent. excom. in 6.) *d* Innoceotius IV. *in cap. Romana*, ipsemet inquit: *In Vniuersitatem vel Collegium proferri sententiam excommunicationis penitus prohibere.* vbi Glossa addit, etiamsi seotentia excommunicatioois contra aliquam communitatem eriam valida fuerit, allegatque quatuor celeberrimos Doctores, dicentes, quod tum etiam valere non possit. Et licet vnus contrarium statuat, in fine tameo prædictis consentit, quod noo debeat prouuntiari: quando autem iam prouuntiata excommunicatio sit, securius est dicere, quod valeat, quam quod ooo. In hoc proposito omnes consentiunt, quod talis excommunicatio nulla afflare fulmina possit. Est piæ & religiosæ mentis officium, vt eam celebrinm sententiam, quæ per constitutiones Pootificias magis est fuodata, & cui pietas præ cæteris fauet, & noo quæ io vniuersum à Doctorihus reiicitur, sequatur; siquidem etiam veram, quam pauci tuentur, non videtur consultum imitari. Nec potest opponi illud, quod in omnihus Canooistarum libris legitur, *Papa non potest errare*: siquidem hæc propositio ah eo ipso, qui illam primo protulit, sana mente fuit iotellecta, & ad materiam de fide solummodo, & ad dauda decreta & determioationes, ac non ad opinandum fuit limitata, dum loqui itaque & determinare Papa velit, semper id debitis medijs inuocationis diuinæ, & cum consilio facere debet. In præsenti vero suhlatis limitationibus adulatio absolute pro veritate venditur, ita vt effectus sæpissime cootrarij fuerint; cuius rei exemplum erit nohis Apostolus Petrus ipse, (e Matt. 16.) cui cum *e* Christus diceret: *Tibi dabo claues Regni cælorum*; immediate eundem nostrum Saluatorem reprehendere cooabatur, quod scilicet veller crucifigi, propterea præceptor eius illi vltro respondens, inquit: *Vade post me Satanas, scandalum es mihi, quia non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Ahnegatio itidem Petri eiusdem cuiliher adeo est oota, vt oon sit opus multis eam hic referre. (f Gal. 2.) Et ad Galatas suos *f* Apostolus ita scribit: *Cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Præter illud exemplum Petri fuit etiam reprehensus (g Gen. 9.) Ham *g*, quod vereoda patris Nohæ irridens denudauerit. Et possem hic circa viginti tres Pontifices recensere, qui non in morihus tantum priuatis, verum etiam io doctrina & guhernatione ipsa enormiter errauerint. Et si quis vitam Pontificum, qui post annum 890. per 130. annos vixerunt, perlegerit, verum mehercle inueniet illud, (h Hebr. 5.) quod *h* Paulus ait: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* Ita vt S. Bonifacius Martyr non sioe ratione dixerit: *Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum*

aeternum vapulaturos: huius culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.

Nec adeo quis debet mirari, quod Pontifex suis censuris & sententiis aliquem potuerit offendere, aut alicui iniuriam facere, nec male etiam interpretari, si dicatur, quod debeat commissa errata corrigere: siquidem non solum Pontifices sancti, sed ij etiam, qui per humana media veluti gubernati sunt, sæpe sæpius confessi sint, quod potuerint errare, & propterea & retractioni sese libenter subiecerunt. Innocentius IV. tractans de controuersiis inter semetipsum & Imperatorem Fridericum II. ortis ita fatur: *Quod si Ecclesia, cum in aliquo contra debitum læserat, quod non credebant, parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare: & si diceret ipse, quod in nullo contra iustitiam læserat Ecclesiam, vel quod nos eum contra iustitiam læsissemus, parati eramus vocare Reges, Prælatos & Principes tam Ecclesiasticos, quam seculares ad aliquem tutum locum, vbi per se, vel per solemnes nuncios conuenirent, eratq; parata Ecclesia de consilio Concilij sibi satisfacere: si enim læsisset in aliquo, ac reuocare sententiam, si quam contra ipsum iniuste tulisset, &c.*

Cum itaque contra Ducem & Senatum Venetum sententia excommunicationis sit effulminata, isque toto suo dominio interdictus, quoniam scilicet non vult pati, vt Reipublicæ libertas defraudetur; nec ferre, vt fundamenta, super quibus ædificatum est, euertantur, ille ipse potestate administrandi Rempublicam à Deo sibi concessa, & ad conseruandam quietem & tranquillitatem totius sui dominij necessaria priuatur; quoniam insuper vitam, honorem, omnia fortunæ bona subditorum curæ suæ commissa defendit, & in summa, omnia illa, quæ à maiestate diuina commendantur, hactenus diligenter præstitit, & studet facere adhuc. Et cum etiam excommunicatio illa absque omni ratione causæ, sine itidem citatione & obseruatione terminorum essentialium ad iudicium, & à Deo per legem naturalem ordinatorum cum diuerso affectu illius, qui maiestatem suam absque debita maturitate commendat, & contra doctrinam Patrum, sacrorum Theologorum, & ipsorummet Pontificum constitutionem pronunciata sit, considerandum sane restat, siquidem non solum iniustitia, sed etiam totius rei nullitas (vt ita dicam) in conspectu sit, quale sit Principis futurum debitum, & quomodo coram Deo ipso, & sancta sua Ecclesia sese gerere debeat.

Diceret quis primo statim intuitu, optimum esse sequi consilium S. Gregorij, *sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta, timenda*, dicentis, & commendare interim causam ipsam Deo, hac adnexa certitudine, quod patientia censurarum iniustarum tandem coram maiestate diuina in magnum meritum resultet. Esset sane pro innocente, qui bonitatem & iustitiam suæ causæ non posset demonstrare, consilium optimum; tali vero Principi, qui tam certas & indubitatas habet rationes tum per se, tum etiam ratione sui status, & seruitiorum erga Deum, nihil potest perniciosius esse: vtpote cui inprimis conuenit, vt ad omnia sit circumspectus, quemadmodum etiam magis, quam ex priuatis vllus ad timorem Dei, verum fidei zelum, & reuerentiam erga Prælatos, loco ipsius Christi sedentes, obligatur: nec minus itidem, vt ab omni hypocrisi & superstitione sit alienus, suæ ipsius dignitatis ac exercitij religionis in toto suo statu conseruationi deditus, vt insuper diligenter aduertat, ne idem, quod olim Hebræis populis suis accidat, qui propter longam Moysis absentiam, putantes, se vero nunc Deo esse priuatos, vitulum aureum erigebant: quæ sane res, si debita diligentia fuisset ponderata, in præsentes malos terminos mundus nunquam incidisset. Non enim ita in genere vera est illa opinio, quæ *sententiam pastoris, siue iustam, siue iniustam, timendam*, ait, quemadmodum *a* Doctores nonnulli eandem interpretantur, talem potestatem in Ecclesiam introducentes, & eandem conseruare studentes; quæ nomine quidem Ecclesiastica, facto vero ipso temporalis seu secularis esset. Huic etenim sententiæ opponitur alius quidam *b* Canon Papæ Gelasij, Gregorij antecessoris, & in doctrina & sanctitate non minus celebris, cuius verba hæc sunt: *Si iniusta est sententia, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum & eius Ecclesiam, neminem grauare debet iniqua sententia. Ita ergo & ea se non absolui desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.* Non sunt sibi inuicem contrarij duo illi sancti Patres, vt verba allegata demonstrant, sed doctrina Theologica apparentem illam contradictionem facile tollit. Sunt enim sententiæ quædam ideo iniustæ, quia malo animo, & peruersa intentione pronuntiantur, licet propter iustam & legitimam causam; de quibus hoc nemo in dubium vocabit, quod sint timendæ, & vt æque apud Deum, atque iustæ obligent; licet pastor ipse diuinam maiestatem malo suo animo offendat, de quo inprimis intelligendum venit illud, *sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta, timenda est.* Aliæ habent vere iniustam causam, quæ tamen iusta apparet: siquidem in rebus humanis veritas sæpe adeo occulta latet, quod impossibile sit, eandem detegere, vnde innocens absque iudicis culpa multoties damnatur. Huiusmodi vero sententia apud Deum non obligat, neque itaque coram maiestate diuina in conscientia ipsa pertimescenda est, licet cõdemnatus, ne proximũ, qui sententiam pro iusta agnoscit, offendat, obligatus sit, vt scil. commonstret, se eandẽ vereri, iuxtaq; eam corã Deo viuere, prout eius innocẽtia requirit. Corã mundo vero, qui ipsum pro reo habet (quando scil. veritatẽ non potest demonstrare) viuere in patientia, suamq; causam Deo cõmendare debet. Si vero sententia est iniusta, & præter quã, quod nec per seipsam, nec apparenter etiam vera dici potest, etiã absq; legitima causa pronunciatã, non solũ eandem nõ debet vereri, sed etiã pro virili oppugnare. Et hæc doctrina in vndecim *c* canonibus Decreti stabilita est, & omnibus Theologis & Canonistis tam communis, vt nul-

a 11. q. 3. c. sententia.
b 11. q. 3. c. cui illata.
c c. qui iniuste. c. cui illata. c. secundum Catholicã. c. cœpisti. c. temerario. c. quod obesse. c. quo. c. illud plane. c. non debet. 11. q. 3. c. manet. 24. q. 1. c. si quis. 24. q. 3.

vt nullus ab alio discordet: quemadmodum etiam in hoc conueniunt, quod nemo, nisi ob peccatum mortale, in quo etiam ab Ecclesia admonitus perstiterit, excommunicati possit. Qui omnes istos Canones dignabitur legere, omni luce clarius videbit, iniquas illas censuras neminem obligare, nec etiam offendere, & propterea non adeo verendas esse; eamque ipsam veritatem eo magis agnoscet, si auctores ipsos perlegerit, ex quibus Canones illi desumpti sunt, siquidem & antecedentia & subsequentia verba rem totam perpulchre demonstrant.

Sententia vere iniusta, apparenter vero iusta, & quæ vitandi scandali gratia timenda est, nasci non potest, nisi ex errore in facto; siquidem dato facto secundum veritatem, iudex in discretione iusti fallens etiam per ignorantiam, semper est in culpa: quapropter omnis sententia per manifestum errorem in iure iniusta existens, nullius valoris est, & nec apud Deum, nec coram hominibus obligat. In hoc, cum Pontifex Romanus præsenti excommunicatione fulminet, nullus occurrit error in facto, veritas insuper est manifesta & clara, leges Senatus sunt scriptæ, & delinquentes tandem accusati, ac in vincula coniecti; nec innocentia tam occultari potest, quin culpa careat. Quæstio vero stat in iure, & videndum inprimis est, an in legibus latis, & per coniectionem in vincula decretis peccatum aliquod commissum sit. Quod si nec Princeps, nec Senatus peccauit, sed potius mandatis diuinis in conseruatione vitæ, honoris, bonorumque fortunæ subditorum obediuit, quemadmodum in omnibus his capitibus prolixe demonstratum est, de iustitia causæ Senatus, & per consequens etiam de nullitate sententiæ Pontificiæ, nullo modo est dubitandum, & maxime, cum rationes, per quas res ipsa manifestatur, tales non sint, quæ magnam subtilitatem mentis requirant, sed facili consideratione omnibus innotescant: nam cum innocentia nostra & Deo, & ipsi etiam mundo satis cognita & perspecta sit, nemini mehercle ex ea præbebitur scandalum, nec opus etiam habet, vt excommunicationem illam vel in propria conscientia, vel exterius vllo modo pertimescat; nisi quemadmodum manifestam violentiam in sinistrum finem vsurpatam veremur: siquidem manifesta violentia sit, si quis potestate excommunicandi à Christo concessa, contra illius ipsius institutiones, & versus etiam eundem, qui potestatem habet, ac tandem etiam iniuste vtatur, cuius violentiæ vnica medela est, vt, quam celeri pede possumus, ad superiorem recurramus: si vero talis, ad quem refugiamus, in promptu non est, aliud remedium Principi, qui est offensus, datum non est, nisi vt oblatæ violentiæ resistat, & ita vim vi repellat, siquidem ciuilitas Rerumpublicarum à Deo ipso originem ducit, inque illius solius gloriam vnice tendit. Quapropter sine peccato & offensione Dei illius sublatio permitti non potest, quemadmodum etiam dubitandum non est, quod negligentia in illius defensione cum magna offensione Dei sit coniuncta, & insuper cum maxima, si negligentia illa vltro permittitur.

Vt itaque mandatis diuinis obediamus, resistendum vnicuique est, qui potestatem sanciendi leges, & easdem cum iustitia subditorum in vita, bona fama & fortunæ bonis offensorum defendendi à Deo concessam, conatur auferre. Et quemadmodum innocens per errorem *in facto* iniuste excommunicatus, propter vitandum scandalum obligatus est, vt pœnam illam animo patienti ferat; ita etiam, quando error est *in iure*, & iniustitia manifeste detegitur, Princeps, ne præbeat scandalum, ad resistendum iniuriæ obligatur. Nec dubito etiam, quin si huius rei notitia etiam ad alia Regna leges persimiles obseruantia, & in quibus etiam delinquentes eo ipso modo iudicantur, deuenerit, quod Respublica censuras indebitas & nullas metuens violentiæ cesserit, aut executionem omiserit, & propriam suam naturalem potestatem non exercuerit, maximum & grauissimum scandalum sint acceptura, nec minus etiam illorum subditi tantam vanitatem timoris animo perpendentes: & ita etiam in hoc capite iustum & necessarium fuit, quod Princeps debitam resistentiam præstitit.

Pariter etiam cum fulminatio Papæ fuerit iniusta & nulla, per consequentiam sequitur, quod impedimentum à Republica pro necessaria defensione publicationi & executioni illius fulminationis oppositum, non nisi iustum & legitimum extiterit. Quapropter eiusdem Reipublicæ fideles subditi, inprimis vero Ecclesiastici, animo pacato esse, & cultui diuino pro virili inseruientes, sub protectione Principis tuto quiescere debebant, firmiter sane credentes, Spiritum sanctum non solum esse promissum, sed etiam omnibus fide nitentibus datum, inter quos fideles Christus ipse præsens est, quando scilicet duo aut tres in ipsius nomine congregantur: & nullum etiam ex Ecclesia Catholica fore exclusum, nisi prius per sua ipsius demerita à gratia diuina excludatur. Et quod insuper obedientia, quam Deus ipse superioribus Ecclesiasticis præstare iubet, non sit stolida aut insensata subiectio, quemadmodum nec potestas Prælatorum iudicium aliquod arbitrarium, sed quod vtrumque legibus diuinis regatur: siquidem in a Deuteronomio sacerdotibus obedientia non absoluta, sed secundum legem Dei præscripta ordinatur. *Facies enim* (inquit textus) *quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.* Soli Deo est regula infallibilis, illique soli licet ab omnibus obedientiam sine exceptione requirere, quisquis vero talem ab altero requirit, nec tamen præceptum Dei excipit, enormiter peccat, quemadmodum etiam is non minorem blasphemiam committit, qui voluntatem humanam pro infallibili proponit, dando scilicet creaturæ proprietatem creatoris. Soli Deo debemus absolutam obedientiam: Prælatis vero intra terminos legis diuinæ limitatam, qualiter etiam in veteri Ecclesia in vsu fuit. Huius apud Euangelistam Lucam in Actis Apostolo-

a Cap. 17.

rum manifestum habemus exemplum, quod reliqui Apostoli offendentes Petrum errantem, ipsi quidem circa vocationem gentium restiterunt, non tamen tam dira excommunicatione contra ipsum fulminantes, nec vt vltro sileret imponentes, sed rationibus & auctoritate huius & illius reuelationis diuinæ ipsum persuadentes. *Charitas* enim *Christiana*, inquit *a* Paulus, *patiens est, benigna est, non inflatur, non est ambitiosa, non minatur, nihil inuertit, tractat vnumquemque vt fratrem.* [a 1.Cor. 13.] Prælati vero non debent dominari, nec eum Imperio commendare, sed per exempla & correctiones pietatis & charitatis. Audiamus Apostolum *b* Petrum: *Pascite*, inquit, *qui in vobis est, gregem Dei prouidentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque vt dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo.* [b 1.Pet. 5.] Et *c* S. Paulus: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri.* [c 2.Cor. 1.] Debetque charitas Prælati tam esse prompta ad docendum & instituendum, quam ad alijs imperandum. Propterea cum Petrus in Antiochia erraret, *d* Paulus eum in præsentia omnium grauiter reprehendere non abhorruit. [d Gal. 2.]

Nec dicat hic quispiam: Quis, quæso, est sicut Paulus, qui talia ausit? Cum nec ille excellentia propria hisce se opposuerit, quibus resistere licitum non fuit. Sed contrarium reuera dicere possumus, neminem scilicet eidem Paulo in humilitate & cognitione sui esse similem, quemadmodum etiam in debita reuerentia erga summum Pontificem. Et credendum mehercle est, Apostolum Paulum, quemadmodum in cæteris virtutibus omnibus excelluit, ita etiam illud obseruasse, ad quod etiam omnium minimus inter eos obligatus est: *Quacunque enim*, dicit *e* Scriptura, *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* [e Rom. 15.] Non itaque Spiritus sanctus hanc historiam in scripta redegisset, si non faceret nobis ad exemplum, quod imitari debemus. Et satis constat, quod omnes Doctores, quomodo Papæ erranti, & non recte gubernanti, resistere debeamus, tractantes, ad hoc exemplum recurrant, idemque nos facere iubent, quod Paulus erga Petrum præstitit.

Non itaque auctoritate Prælatorum adeo terreamur, siquidem audiamus, quod non vna, sed duæ sint datæ & concessæ *f* Petro claues, quibus si non vna vsus fuerit, non sequitur effectus ligationis & solutionis, vna scilicet potestatis, & altera scientiæ & discretionis. [f Matt. 16.] Nec Christus eam dedit potestatem, vt ea sine debita cognitione & circumspectione vsurpetur, sed vt sufficiens adhibeatur iudicium, quod si deficit, sola potestas non habet effectum. Dicunt quidem *g* Canonistæ, per potestatem ligandi & soluendi intelligi clauem non errantem, additque Leo Papa in Canone quodam de priuilegio à S. Petro dato, ac postmodum in eius successores deriuato, loquens hæc verba: [g 24. q. 1. c. manet.] *Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius fertur æquitate iudicium, nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatum, vel solutum, nisi quod beatus Petrus soluerit, aut ligauerit.*

ANTO-



Anno 1606.

ANTONII QVIRINI PATRITII AC SENATORIS VENETI

RELATIO

RATIONVM SERENISSIMÆ REIPVBLICæ Venetæ, difficultatibus Pauli V. Pontificis oppositarum.



XCELLENTISSIMI & Clarißimi viri, excelsi Consilij Decemvirorum primarij infra scripti, postquam à Dominis Reformatoribus Gymnasij Patauini per relationem Reuerendorum Theologorum, ad hoc negotium deputatorum, & Circ. Secr. Senatus Iacobi Vicci, iuramento interposito, cognouerunt, præsentem Relationem tationum Setenissimæ Reipublicæ Venetæ difficultatibus Pauli Quinti Pontificis oppositarum, *ab Antonio Quirino Senatore Veneto ad eandem patriam suam, & omnes eiusdem Republicæ Status conscriptam, debita diligentia ab iis esse inspectam, perlectam, optime ponderatam, nihilq; in ea, quod Fidei Catholicæ, vel etiam Princips, aut bonis moribus aduersetur, inuentum; facere non potuere, quin eandem imprimendam permitterent. Dat. 21. August. 1606.*

D. Marco Contarini,
D. Ioannes Moro, } *Excelsi Consilij Decemvirorum Primarii.*
D. Angelus Correr,

Illustriss. Consilij Decemvirorum

Secretatius

Ioannes Baptista

Patauinus.



I quis vnquam interdicto illo Pontificio à Paulo Quinto Romæ nuper contra Venetos publicato commouetur, illudq; miratur, ego mehercle quamplurimum eo commoueor, quantumque possum, demitor, vt qui omnia ea, quæ inter prædictum Pontificem & Rempub. Venetam transacta sunt, probe sciam, & rationes plusquam validas, quas nostrates pro tuendo dominio & libertate habent, non ignorem. Cum itaque non dubitauerim, plurimos esse, qui huius controuersiæ statum, eiusdemque cognitionem desiderent, facere non potui, quin omnibus eam communicarem, simulque partis vtriusque rationes in publicum emitterem, & illud in illorum inprimis gratiam, qui ad gubernacula Reipub. sedent, eiusdemque regendæ curam à Deo commissam habent, vt scil. sciant, quousque illorum sese dominium extendat, & insuper videant, ad quem finem intentiones illorum directæ sint, qui sub alieno prætextu Paulo Pontifici persuaserunt, vt ad vniuersale illud dominium aspiraret, & ita etiam super res mundanas, & quæ ad politias spectant, potestatem nullo vnquam modo aut pacto limitandam affectaret.

Et ne quis putet, me propriis affectibus indulgere, & odio, nescio, quo, aduersus alteram partem ad rem tanti momenti publicandam commoueri, Deum ter Opt. Max. obtestor, me ne latam, quod aiunt, vnguem, vel à Catholica Religione, vel à veritate ipsa discessurum; sed omnia à principio vsque ad finem, vtut contigerunt, bona fide commemoraturum.

Est igitur controuersia, eiusque status in rei veritate talis, quod Romanus Pontifex Magistratui Veneto, omnibusque eiusdem consiliis, cuiuscunque etiam status & dignitatis fuerint, omnem potestatem puniendi Religiosos in vno aut altero, maleficiis aut motibus delinquentes, prorsus adimit, idque eo motus, quod consilium Decemvirorum, tanquam omnium supremum, & cui tam secularium, quam Ecclesiasticorum delicta etiam grauissima punienda à toto dominio Veneto hucusque semper commissa fuerunt, duos, nescio quos, foris quidem habitu religioso obtectos, intus vero, vt in examine inuenti sunt, sceleratissimos, & omnium maxime facinorosos, in vincula coniecit, itaque eos ceu publica luce indignos, à bonis separauit.

Secun-

Secundo liberum etiam facit idem Pontifex Paulus V. omnibus tum laicis, tum Ecclesiasticis cuiuscunque conditionis, magno vel paruo comitatu, & ex hac vel illa mundi plaga venientibus, aut in hac ipsa nostra patria, Venetiis scil. aut in locis aliis ad Venetorum dominium pertinentibus, templa ædificandi, monasteria instituendi, aut eiusmodi ædificia alia erigendi, & ita vbicunque libuerit habitandi, licet magistratus Venetorum omnino ignoret, quos hospites in suo territorio alat, vnde & in quem finem accesserint, quemadmodum nec in ipsorum (Venetorum) potestate sit, dare his & aliis peregre aduentantibus licentiam huiusmodi ædificia erigendi. Quod si hoc non est pacem publicam interturbare, publicas insidias struere, nescio quid potius esse possit, cũ sub hoc prætextu & amictu facile omnis generis homines introduci possent.

Tertio prætendit Remp. non posse exequi multas leges, quæ diuersis temporib. sunt institutæ, pro danda sc. suis ipsius subditis bona regula & norma de dispositione bonorum, ne omnia in religiosos transferant, itaq; suos posteros & consanguineos ceu bonorum heredes iisdem spolient, & insuper Principem etiam viribus illis à dictis bonis dependentibus defraudent, vnde tãdem sub grauissimo illo onere, quod pro defensione subditorum, propriæque libertatis à Deo illis est impositum, necessario succumbent, idque eo præsertim tempore, in quo incredibilis maiestas & potentia illorum Principum, qui à vera Religione omnino sunt alieni, omnium maxime venit contemplanda, ne scilicet vltro viam inueniant etiam pauxillulum illud, quod miseris Christianis superest, subigendi.

Et hæ sunt prætensiones, quarum prædictus Pontifex in aliquot scriptis ad Rempub. Venetam mentionem fecit, vt sc. suas leges de bonis laicorum ad religiosos non transferendis latas, & ne quisquam in eorundem religiosorum commodum quicquam fabricet, retractatent; duosq; supra nominatos captiuos ei transmitterent. Nec hisce tamen est contentus, sed prætensiones prætensionibus cumular, easque edicto alicubi typis (vt aiunt) publicato, quales sint, annectit, omni tamen prædictorum scriptorum mentione omissa, quod scil. Resp. Veneta in altera quadam lege, in qua Ecclesiasticis prærogatiuam super bona in eodem Edicto emphyteutica nominata, denegare nititur, enormiter erret, licet in illa ipsa lege bona illa non ita appelliter, sed prærogatiuam in genere recuset, & iudicibus laicis de difficultatibus inter Ecclesiasticos & prophanos de eiusmodi bonis subortis, iudicandi regulã, vt multis ab hinc seculis consueuit, etiam num concedat: cum tamen iudicium à legibus dependere non possit, quas Princeps approbat, suisque iudicibus constituit. E contra Respub. Veneta suas leges, vt de rebus secularibus tractantes, seculari suo dominio plurimum proficuas, insuper iustas etiam ac omni æquitati consentaneas esse existimat, siquidem & necessarium, & à Deo Opt. Max. concessum sit reos condemnare, & ita pacem publicam sartam tectamque tueri, quod hactenus in grauissimis malis pro virili fecit. Et licet non dubitem, vnumquemq; micam saltem sanæ mentis habentem ex sola relatione facile visurum, quam æqua & honesta Venetorum causa sit: quia tamen obiici potest, hæc non sufficere, sed necessarium etiam esse, vt partis vtriusque rationes diligentius examinentur, siquidem non ita facile quis persuaderi possit, Pontificem, ceu totius Ecclesiæ Christianæ caput, rem tanti ponderis & momenti sine graui causa affectasse: placuit ergo hæc & alia huiusmodi aliquanto proximius intueri, & quam vana & omnino nulla sint, quæ Pontificem ad turbas hasce mouendas impulerunt, ad oculum vnicuique demonstrare.

Multi quidem quæsiuerunt, quid Pontificem ad hoc commouerit; quorum aliqui existimãt, auctoritatem illam prægrandem, quam etiam ante, quam in Pontificem eligeretur, in diuersis commissionibus habuit, eaque tum erga profanos tum religiosos ad Romanam Ecclesiam pertinentes vsus est, stimulum quasi dedisse, vt, cum iam multo maiori polleret, eam etiam & in exteros, & qui dominium Romanum non agnoscunt, converteret. Alii priuato odio, quod ex falsis quorundam maleuolorum delationib. erga Venetos concepit, illud ipsum adscribunt, quæ quidem delationes tantum valuerunt, quantum vania vt plurimum persuasionibus semper fuerunt coniunctæ: persuasus enim, sed absque fundamento veritatis, fuit, Senatum Venetum eiusdemque Remp. non esse inter se vnanimem, itaq; si hoc modo procederet, facile secuturum, vt interdicto illo perterriti adhuc magis diuellerentur, quousque tandem Magistratus à suo proposito recedere cogeretur. Sunt & alii, qui Pontificem hoc quasi coactum & contra suam voluntatem tentasse affirmant, ne scilicet videretur id, quod magnis conatibus cœpit, ad finem perducere non posse. Afferunt alii causas alias, quas omnes recensere, vt inutile & nimis prolixum, ita etiam molestum foret. *Quid Pontificẽ ad hoc interdictũ commouerit.*

Quantum ad me, non dubito, in promptu fuisse causas, easque tamen apparentes tantum, & à nullo sapientiorum approbatas; quæ cum non multis quasi articulis consistunt, non erit pergraue easdem, annexa simul responsione, describere, speranti sc. etiam scrupulosissimis hoc modo satisfieri posse. Antequam autem ad id accingar, tangenda prius veniunt fundamenta, quibus Resp. Veneta probat, se neq; in suis decretis, neq; in iudiciis, neque in legibus etiam quicquam errasse, ex quibus legibus etiam desumi potest resoluta conclusio, ab illa ipsa Repub. vniuerso fere mundo, maturo consilio, non Senatus solum, cuius prudentiam nemo hucusque, quantum ego meminerim, parui fecit vnquam, sed & excellentissimorum & eruditissimorum Professorum cuiuscunque artis, patefacta: & propterea nec Pontificiæ illæ censuræ, quarum falsitas & iniustitia ex eodem consilio satis superque apparet, à nemine metuendæ sunt.

I Lem, bona Laicorum in Ecclesiasticos non esse transferenda.

Et vt rem ipsam tandem aggrediar, Respub. Veneta in lege de bonis laicorum ad religiosos non transferendis se propterea non putat errasse, quia tum necessitas, tum honestas cum ratione naturali & diuina coniuncta, hanc legem quasi confirmat: taceo, quod exemplis aliorum bonorum Magistratuum & conseruatione religionis ad eam sanciendam vltro est inducta, quemadmodum & iurisdictio ipsi à Deo super suos concessa id serio iussit & omni modo persuasit. Et quis quæso est, qui diuitiarum ab Ecclesiasticis nostratibus hucusque corrasarum, earundemque quotidiani incrementi (cuius tamen Pontifex prius debuisset fieri certior) gnarus, non videat, in quantum ab eo tempore vires publicæ sint diminutæ? Id quod multi nostratium coram Principe multoties cõquesti sunt, omnia nimirum adeo sibi esse exhausta, vt nisi ex publico prouideatur, se in casu necessitatis nec semetipsos, nec patriam, vt alias & ære & corpore solebant, tueri posse. Videns itaque Respub. quod bonorum subditorum in clericos translatio ad suam ipsius diminutionem cederet, non potuit sane iisdem suis subditis non condolere & pro necessitate succurrere: siquidẽ res clara est, quod aut liberare eos à supradictis factionib. conueniebat, & ita sumptibus illorum parcere, aut expectare, quousq; subditi sub ære alieno perirent. Sed vt liberare eos, propter continuam factionum illarum necessitatem, vtpote sine quibus Status conseruari non possunt, erat impossibile: ita iisdem aures benignas non præbere, & in re tam honesta non succurrere, plane iniustum & omni æquitate indignum. Quid igitur faciendum, suos ne Princeps debet deserere subditos? aut suo se officio abdicare? aut Rempub. sine ærario, Status sine gubernaculo, aut arces sine præsidio relinquere? loca minus munita non fortificare? flumina non reparare? publicas vias non reficere? diminutionem aut potius omnimodam extinctionem factionum, quibus nec in maritimis, nec aliis expeditionibus carere potest, æquo animo tolerare? Maria in sua ditione existentia non defendere? Nauigationes in manibus infidelium, prædonum & piratarum sine ope relinquere, aut populo tam innumerabili & omni periculo exposito opem suam absque vlla commiseratione, dum alii numero respectu dictorum perpauci in diuitiis & omni rerum copia quasi submerguntur, denegare? non inter homines isthunc, qui ad omnia illa conniuere, manibusque in sinum coniectis quiescere posset, numerandum, sed fera etiam immanissima sæuiorem existimo. Quapropter cum lex ad totius Reip. status conseruationẽ sit directa non equidem reprehensionem meritura spero Nam si parua, & cum his non conferenda territoria & communitates, vt locus S. Laurettæ & Terra Bosci in Alexandria, cuiusdam boni Pontificis consensu eo perfecerunt, vt in breui tempore non euerterentur, nec absque incolis permanerent, quanto magis Reipub. inter omnes fere maximæ & veræ religioni addictæ permittendũ, vt suos ipsius Status contra infideles Iehouæ hostes tueatur & conseruet? Et quantum ad diuitias, quas Ecclesiastici sub dominio Venetorum degentes possident, incredibiles fere sunt, & vt ex fide dignorum relatione & libris publicis recognouimus, ad τρισχιλιακισμύρια, seu vt vulgo vocat, vltra triginta milliones auri sese extendũt, ex qua summa pro reditib. annuis plus quam centum & quinquaginta myriades proueniunt, & hoc totum, quodquod est, à deuotis laicis habent, qui in id solum fuerunt intenti, vt sacerdotes laute sustentarent, sumptuosa templa erigerent, pauperes sublenarent, & in cultibus diuinis ac omnibus operib. charitatis sese pro virili exercerent. Quantum enim in toto Reip. statu nõ minus sua ipsius attentione, qualis in gubernatione requiritur, quam bonorum & sincerorum Ecclesiasticorum cura vera & incorrupta religio continuo efflorescat, & in tot templis, monasteriis, & aliis huiuscemodi locis debito splẽdore, honore & reuerentia exerceatur, non est quod multis enarrem, cum cuiuis per se satis sit notum, idque non adeo magnis, sed multo minoribus expensis quantum sc. ab hoc vel illo in testamento legatur, aut etiam vltro à bonis condonatur. Si vero eos religiosos, qui mundi thesaurum quasi possident, numerare velis, vix centesimam partem respectu dictorum inuenies, qui omnes illas & non numerandas diuitias inter se quidem distribuunt, nec tamen in eum finem, in quem destinatæ sunt, expendunt, quod quanto cum dolore proferam, Deum omniscium obtestor. Omni enim diuitiarum genere abundant Episcopatus, perdiuites sunt Abbatiæ, ditissima monasteria, quorum pleraque reditus suos annuos pro quinquaginta millibus aureorum non diuenderent, licet facultatum ad cultus illos diuinos destinatarum respectu personarum sæpe admodum paucæ sint, quæ ex tam ingenti viuunt, maiorem partem clanculum inter se distribuunt, & ex reliquo, quod exiguum sane est, pauperculos aliquot substituunt, qui ad altaria inseruiunt, Sacramenta administrant, conciunculas aliquas eblaterant, iisque tamen pro toto isto labore vix victum & amictum præbent, aut potius ex solis eleemosynis laicorum sustentant. Quẽ sane abusum præ cæteris omnibus, quotquot esse possunt, quam maxime execrandum, Princeps noster non immerito conatur auferre, auxiliatrices Dei Opt. Max. manus debita patientia expectans Cui sane patientiæ & hoc ascribendum est, quod prædictus Princeps, vt & Resp. ipsa permittit, quod antea nominati sumptus in reparationem & conseruationem religionis Christianæ in ditione nostra consumendi, in alias ciuitates transferantur, & non in pios, sed vt plurimum in profanos vsus, & in sustentationem splendoris mundani, cum maximo mehercle fidelium & totius Christianæ Ecclesiæ scandalo cedant, quæ sane Ecclesia non exiguam ex hoc sumpsit occasionem sese à nobis, licet absque ratione, separandi. Et de hac transfusione bonorum, ac de tam dolendo eorum abusu nulla subest dubitatio, siquidem quotidiana experientia id satis superq; probat. Quo igitur titulo & qua honestate fretus Pontifex velit, vt qui totũ fere mundi thesaurũ

possideat

possident, eoque quam maxime abutuntur, extra omnem pietatis & iustitiæ terminum adhuc plura corradant, alios exiguo suo residuo omnino exuant, & ita ad summam paupertatem vltro protrudant, equidem non video, quemadmodum nec æquum iudico, permittere, vt breui temporis spacio pauci quidam vltra modum ditescant, bonorumque omnium possessores fiant, reliqui vero omnes, quotquot illorum fuerint, in perpetua & quidem tanta paupertate viuant, vt nec sibi nec Reipub. prodesse possint. Placuit itaque Reipub. Venetæ, & etiam æquitati magis consentaneum est, vt sacris dicati non modo tantum possideant, quantum sufficere videbitur, sed etiam vt aliquid, & id sane non modicum, in residuo habeant, illudque, quo liberius inseruire & officio suo incumbere possint, inter personas præsentes & multo etiam plures rite distribuant, modo ne vltra modum impinguescant, siquidem etiam secundum Patrum quorundam doctrinam, nimius bonorum cumulus pietatem & officium clericorum potius impedit, quam quod prouehere possit. Et quemadmodum nec lex naturæ, nec mores etiam gentium permittunt, vt quisquam proprio suo sustentaculo aut per vim aut per fraudem denudetur: ita nec lex humana, siue ratione aut intellectu sit suffulta, siue per consuetudinem stabilita aut in libro scripta hucusque in vlla conuersatione tum modernorum tum veterum illud vnquam concessit. Et quod ad religionem Christianam, illa non modo non approbat, sed etiam contrarium omnino efflagitat; cui tamen tum religioni, tum æquitati præter Ecclesiasticos etiam Pontifex ipse quantum in se est & sine vllo pudore refragatur, dum scilicet vnanimiter contendunt, custodiam illam bonorum laicorum etiam contra voluntatem Principis & Reipub. Venetorum, & ita per vim è medio esse tollendam; quo sane ceu sub prætextu libertatis Ecclesiasticæ nihil aliud quærunt, quam largam illam, qua magno nostro male hactenus abusi sunt, licentiam, populum ad medullam vsque exugendi, omnes eiusdem facultates ad se pertrahendi & Principem ipsum suo dominio exuendi, dum scilicet tam inauditæ tyrannidi, legibus, non solum ab omnibus hinc inde Regnis, Rebuspub. & Prouinciis omnium temporum approbatis, sed etiam cum vera religione à totius Ecclesiæ capite Christo eiusque discipulis & piis successoribus consentientibus mederi conatur. Et quid quæso hoc esset aliud, quam illud ipsum Principi è manib. quasi eripere, per quod ipsum Princeps est & constituitur, quod est cōdere normā & leges suis subditis, ac subditos ipsos bonis regulis, & iis præsertim spoliare secundum quas & semetipsos & sua etiam bona regere ac gubernare quasi vnice possunt? qua potestate Principis sublata, nil nisi nudum nomen manet, quemadmodum & documento viuendi adempto, summa cōfusio & omnium subditorum interitus sequeretur. In tantum enim violentia illa tum Principi, tum nobis omnibus, tanquam eius subditis repugnat, vt non contra partes duas, sed vnam solummodo pugnare necessario habenda sit, præsertim cum gubernatio non sit violenta & cum tyrannide coniuncta, sed legitima, &, vt per Dei gratiam cuiuis notum est, cum moderatione geratur. Ea enim potestas & iurisdictio, quæ à legitimo Principe regitur, non sane est alia, quam cui vniuersus populus vnanimiter consentit, cum tantum valeant leges & constitutiones Principum, ac si omnes eius subditi in vnum congregati propriis suis votis aliquid decreuissent. Vnde quiuis incorrupti cerebri facile concludere potest, quod quælibet Respub. seu congregatio libera, quæ nullius potestati est subiecta, de se & suis bonis libere possit disponere, ita, vt nec Papa, nec alius quisquā possit impedire, multo minus in laicorū & secularium leges ac constituta quicquam ingerere: ex his enim, quos illi seculares vocant, Respublica constituitur, & penes illos ipsos est omnis potestas & auctoritas, quemadmodum & simul omnes iusto & moderatissimo imperio sui Principis libentissime parent. Et quantum ad priuatos, sua pro libitu quisque disponit, eorumque heredes vt alter alterum successione continua sequi debet, constituit, & hunc vel illum, siue laicus seu clericus sit, prout ipsi placet, absque vlla reclamatione legum ac consuetudinis excludit, hoc vero ipsi Principi, in cuius tamen tutela non bona fortunæ tantum, sed & vita ipsa subditorum posita est, non licebit? Certum est, quod & ciuiles & humanæ leges concedunt, & omnes Iurisperiti consentiunt quod Resp. & omnes alii Principes possint tales formare constitutiones, in quibus subditis prohibetur, ne omnibus in genere & indiscriminatim propria sua bona erogent, & quidam excluduntur, quibus bona legari non possunt, cum hoc vlteriore appendice, quod de hac lege nemo iure possit conqueri, siquidem personas solummodo perstringat & non nisi ad res sub iurisdictione sui Principis pertineat; quoniam leges circa hanc materiam latæ tantum laicos & eorum bona respiciunt. Nam etsi Principes data occasione, si scil. salus publica ita postulat, etiam Ecclesiasticorum bona aggredi possunt, & tamen hoc ipso facto religioni Christianæ non aduersantur, tamen de hoc in præsenti non agitur, siquidem omni luce clarius est, quod in iis legibus, quas Pontifex in dubium vocare conatur, non nisi bonorum laicorum mentio fiat, quibus Respub. potestatem habuit & habet adhuc præscribendi leges, qua potestate spoliata auferretur & illud, quod formaliter & ipso facto Principem ceu verum legislatorem & subditorum Regentem constituit. Et quod magis est, habent multæ Respub. in Italia particularia sua statuta, quæ similes aut non multum differentes prouisiones de bonis laicorū in clericos magis vel minus transferendis in se continent, vtpote Genuensis, Senensis, ex qua Pontifex noster originem suam traxit, & non minoris auctoritatis aliæ, illa autem, quæ vrbib. quamplurimis dominatur, in tali casu æquale priuilegium nō habebit, nec illud ipsum pro necessitate decernere poterit? Sed cur exempla ciuitatū saltem Italicarum adducimus, cum etiam integræ prouinciæ & omnia

fere Christianorum Regna hoc idem obseruent: præscribunt enim Imperatores & præscripserunt iam multis ab hinc seculis non Germaniæ tantum, sed vniuerso fere mundo, & etiam post aduentum Christi Romæ ipsi, leges, prout cuique visum fuit, statusque præsens postulauit. Hoc idem insequitur Rex Galliæ omnium Christianissimus & de Ecclesia Romana optime meritus. Rex item Hispaniæ ob eximiam obseruantiam erga religionem Catholicus dictus; Regnũ Portugalliæ, & Anglia tempore potissimum Regum Catholicorum, tota itidem Sicilia, Burgundia, Flandria, & aliæ insuper prouinciæ habent & obseruant constitutiones easdem, quas qui destruere aut è medio tollere volet, sapientiam ipsam legislatorum & maximorum illorum regnorum destruat eorumq; potestatem & subditorum consuetudinem euertat, necessum est, quousq; vniuersa religio Christiana corruat, quæ tamen alias tantis motionibus & inquietudine non eget.

Præter hæc omnia, quæ hactenus enumerata sunt, hanc legem etiam probat ac confirmat sua ipsius bonitas, vt de exemplis maiorum, qui Rempub. optime gubernarunt, multaque in omnibus actionibus suæ probitatis dederunt specimina, & nihilo tamen minus multis seculis huiusmodi sanciuerunt leges, vt publici ipsorum annales adhuc testantur, nihil proferam: quibus tamen Pontifices (quod negligentiæ aut minori zelo nemo ascribere ausit) sui temporis nihil omnino refragarunt, nec quicquam contra earum latores mouerunt, idq; præter dictas rationes etiam propria conscientia impediti, ne scil. eas ipsas leges reprehenderent, quarum aliis ipsimet dederunt exempla. Et quis eorum constitutiones dispensationem bonorum laicorum in Ecclesiasticos omnino prohibentes ignorat? quemadmodum & hoc cuiq; notum est, quod si aliquando ab vno & altero Pontifice permissum est, non esse tamen concessum, vt possit sine euidenti (vt illi dicunt) & manifesta vtilitate Ecclesiasticorum (quod idem est, ac si dicas, cum certissimo & indubitato laicorum incommodo) fieri. Et si cæteri & præcedentes Pontifices his rationibus fuerunt contenti, legumque æquitati locum dederunt, multo magis hic, qui adhuc est in viuis, debebat acquiescere, cum scil. videat, has postremas talibus conditionib. fulciri, quæ euidentissima pietatis indicia præ se ferunt, & Ecclesiasticos quam maxime respiciunt: siquidem à beneficiis bonorum mobilium nullo modo excluduntur, quemadmodum nec vsufructu aliorum, quæ Iurisperiti immobilia vocant. Vnde aut alibi, aut in statu Reip. cum licentia tamen Principis in alia bona immitti possunt omni facilitate præsupposita, siquidem & post illas leges datas bene largam licentiam acceperunt, qui aliquam efflagitarunt. Num ergo lex aliqua Reip. super tot rationib. æquitate, & vniuersi mundi exemplis fundata, in dubiũ vocari potest? aut omnis ne sapientia, iustitia, pietas & religio omnium populorum, omnium Principum, Prouinciarum, Regnorũ omnium deniq; ætatum præteritorum & præsentis seculi in scriniis & præcordio tam paucorum qui Pontifici male consulunt, residet?

Posset mehercle prolixa hic serie disputari, quomodo, quando & in quem summa prouidentia Dei tam eximias virtutes transfuderit, quarum potentia comprehendi possit, num actiones huiusmodi, quæ non nisi ad perturbationem, discordiam & subuersionem pacis ac quietudinis tanti populi tendunt, ab iis deriuent; & an illi ipsi humilitati & patientiæ sint conformes, rerum mundanarum contemptores, econtra solummodo diuinarum contemplatores, & in summa tales, quales Christus requirit, & pro vero typo suorum successorum Ecclesiæ suæ relinquit.

II. Lex. Ne sine Principis consensu noua monasteria erigãtur.

Sed quia materia, de qua in præsenti agimus, alio me auocat, progredior ad legem secundã, in qua non minoribus minusque validis legibus, quam in priori de non transferendis laicorum bonis in Ecclesiasticos factum est; omnibus & singulis prohibetur, ne sine peculiari licentia & consensu nostræ Reipub. in eiusdem dominio Monasteria aut alia eiusdemodi ædificia erigant. Nam primum, quod hoc nostrum interdictum confirmat, est prudentia & auctoritas Iurisperitorum, qui præter allegationes & leges antiquas etiam decisionib. inprimis ab illis ipsis Responsa prudentum dictis (quæ quidem non minoris vigoris sunt, quam leges ipsæ) probant, Principem Venetum Dominum ac patronum esse totius spacii, &, vt illi dicunt, omnis areæ in suo ipsius dominio sitæ, propterea nemini licere absque eius iussu & permissu eandem aream intrare, multo minus super hunc vel illum locum in eadem dominari. Nam si quilibet priuatus (addunt porro) hanc libertatem & priuilegium habet, ne hunc vel illum inuitus & præter suum velle in ædes aut fundum proprium, vt ibi vel habitet vel templum aut aliud eiusmodi fabricet, intromittere cogatur, quanto magis id Princeps habebit, cuius dominium supra omnes terras in ditione sua positas vltro est absolutum, & in hoc priuatorum iura longe superat? Et quis quæso, eo impudentiæ veheretur, vt alicuius ædes aut possessionem ingressus sub prætextu libertatis Ecclesiasticæ, aut operum charitatis & religionis, aut consecraret, Sacramenta administraret, aut mortuos sepulturæ traderet, quæ omnia bona opera esse nemo negare potest, priusquam licentiam à possessionis domino impetrasset? nonne talem audaculum iure quis eiiceret, aut si illud per se non posset, Principis opem imploraret, vt à tali vi & iniuria liberaretur? Quod si vero Princeps in tali casu suis succurrere subditis potest, vt sane pro auctoritate sua potest quam maxime, cur non etiam potis sit pro salute publica aliquid boni decernere? Siquidem leges de danda licentia ædificandi in nullo alio sitæ sunt, quam vt prouideatur, an debito modo & cum consensu domini fundi ædificia facta sint, quod cum duplici auctoritate, aut scilicet publica, aut priuata fieri possit, diligenter animaduertendum, an vna aut altera in alienatione locorum concurrat, & an cum vel sine huius vel illius præiudicio noua illa ædificia fiant. Et omisso, quomodo priuatus posses-

possessor, aut etiam ipsius vicinus aut per fraudem, per vim, aut alia huiusmodi media & insidias (qualia postremis his temporibus apud multos in vsu fuit, vt in hoc vel illo loco, cum integrarum sæpe familiarum & Rerumpub. magno incommodo sese insinuent) lædi & offendi possint; non est ab omni ratione alienum, quod præter aut supra præiudicium publicum aliquid proferatur, ad quod Respubl. mature satis prospexit. Habet enim vrbs Venetorum circiter centum & quinquaginta monasteria, templa & alias huiusmodi ædes sacris dicatas, inter quæ, & præsertim monasteria, quædam tam ampla spacia, areas, hortosque continent, vt si metiri velimus, medietatem totius vrbis comprehendant, quo certe fit, vt tota ciuium cohors, etiam nobilissimorum, sicut in aliis vrbibus conferatur in angustum quasi angulum protrudatur, vixq; tantum locorum habeat vt sese vertere sibique inuicem cedere possit. Hisce tamen angustiis, vt vt sunt, hactenus summe fuit contenta, nec Ecclesiasticis dictam commoditatem quicquam inuidit; sed potius, quantum in illa fuit, promouit; siquidem eorum (ciuium scil.) sumptibus & expensis voluntariis ædificia illa vtplurimum facta sunt, quemadmodum documenta Chronicorum & Annalium cum publicorum tum priuatorum illud aperte testantur. Propterea nec ob hanc causam, nec in hunc finem prouisio facta & directa est, siquidem pietati & religioni maiorum consentit, quemadmodum nec adhuc cessant noua templa & noua monasteria etiam post datam & promulgatam legem cum licentia publica ædificare: quæ licentia si percepta conditione loci, personarum, & aliarum circumstantiarum (quæ ratione bonæ gubernationis scire oportet) non facile denegatur, dubitare nemo potest, idem etiam esse obseruandum, vt in toto & vniuerso Reipub. statu, ita etiam Venetiis, ceu in primaria eiusdem vrbe, in qua tamen defectus haud vllus conspicitur, sed omnia splendidissimis ædificiis, amplissimis monasteriis, & aliis huiusmodi fabricis operibus piis dicatis adeo sint plena, vt incolarum pietas ex omni fere angulo elucere videatur.

Finis autem legis istius latæ est publica pax & tranquillitas, quæ occasione nouorum monasteriorum facile turbaretur, siquidem noui hominum cœtus hoc modo sæpe sunt introducti, & cum iis etiam plerunque noui mores, per quos simpliciores, nobiles & ignobiles sub vario prætextu religionis non raro seducuntur, vt huic vel illi parti, cum ingenti publicæ libertatis præiudicio & summo dissensionum periculo, adhæreant, cuius rei effectus, proh dolor, etiam hodiernodie plus satis apparent: cum nemini fere lateat, quantam societates quorundam Ecclesiasticorum auctoritatem sint adeptæ, & ad quid præcipue oculos suos dirigant, & ni meipsum moderarer, absque vlla molestia enarrare facile possem, quæ ad detegendos illorum mores & incredibilem malitiam plurimum facerent.

Et quis quæso Princeps æquo animo ferret, & hoc præsertim tam perturbato & insidiarum pleno tempore, vt cœtus quilibet, sibi antea nec visus nec notus, pro suo libitu in quocunque loco suæ ditionis vellet, pedem figeret? nonne prius de eiusdem conditione, propter quid scilicet venerit, & quid rerum agat, inquireret, aut num sibi ipsi suisque subditis periculum vel detrimentum aliquod afferre posset, bono iure inuestigaret? sæpe enim sub pallio & tegumento religionis res aliæ occultantur; quæ in nihil aliud sunt directæ, quam vt animos illorum irretiant, quos prius ad se attraxerunt, quos postea nec potestas & auctoritas Principis, nec aliud quicquam liberare valet.

Nam locos aliquos nostræ Reipub. subiectos ipsemet scio, in quibus nonnulli Ecclesiasticorum non parum laborarunt, vt scholas & congregationes erigerent, quarum sane discipuli, quoscunque nanciscuntur, ad hoc inprimis præstandum iuramentum non semel, sed sæpe & aliquoties congregantur, vt illi, qui inter præceptores primatum habet, in omnibus obedire, & ordinem ac constitutiones suas pro virili defendere velint, & id etiam licet auctoritas publica non consentiat: quod sane aliud nihil est, quam principium diuisionum & occultarum seditionum, ex quo tale progressu temporis incendium sequi potest, quod facili labore nequit extingui, quemadmodum paulo ante nostra tempora multa talium congregationum scelera patefacta sunt, & propterea eorundem rei cum approbatione & consensu totius fere mundi è ciuitate & toto dominio electi. Taceo iam, quales doctrinæ & falsæ religiones cum maximo damno & detrimento auctoritatis principalis hinc inde spargantur, quibus tenellorum animi ita imbuuntur, vt postmodum falsis illis doctoribus plurimum inseruiant, & haustum venenum indies magis ac magis disseminent.

Sed vt reuertamur vnde digressi sumus, neminem sanæ mentis esse puto, qui non summe miretur, quod Pontifex & Ecclesiastici volunt, Remp. Venetam non debere videre & animaduertere, quod ad pacem & tranquillitatem suarum ciuitatum & tot arcium tutelam faciat, in quibus maxima habent præsidia, & in eorum conseruationē tam grandes sumptus impendunt, vt eo magis munitæ & minus expugnabiles fiant, cur itaque si tot muris, aggeribus, fossisq; circumdant, non etiam ab omnibus suspiciosis ædificiis contra commodum publicum in altum ductis, earumque defensioni obsistentibus, easdem non purgarent? aut cur Princeps & Respubl. prope muros in aut extra vrbem ampla & immensæ molis monasteria ædificantibus non obstaret, aut eosdem ab incepto cohiberet? Quod si dicunt, hanc non esse mentem Pontificis, sed de illis solum ædificiis ab ipso licentiam factam esse, quæ in locis non periculosis aut suspectis erigentur; respondere possumus, necessarium esse, vt illa distinctio loci, temporis, & aliarum circu-

stantiarum alicui sit nota, quæ tamen cognitio nulli alii debetur, quam domino fundi, vtpote de cuius periculo & securitate agitur, quæ nullius alterius præiudicio debet submitti. Ex quo cõsequitur, penes ipsum solummodo esse, permittere aut non permittere, & licẽtiam dare & denegare hæc vel illa ædificandi, quod vnicum est legis nostræ argumentum. Nec quisquam dubitare debet, quin Resp. quantum sine ipsius præiudicio fieri potest, idipsum sit concessura, quod hactenus tot seculis nemini denegauit, quæ tamen secula nunquam sine legibus fuerunt, nec ratione præsentis status nunc has nunc illas habuerũt, cuius rei testimonio sunt tot templa, monasteria, & loca eius generis alia, quæ Venetiis & alibi in Venetorum ditione numero bene magno visuntur, quæ sane omnia in diuersis temporib. non solum cum consensu publico, sed etiam ex cõmuni ærario, aut huius vel illius priuati sumptibus sunt ædificata, & postmodũ tantis diuitiis & tot reditib. dotata, vt supra declaratum est; qui sane reditus in tantum hucusque increuerunt, vt duplicato aut triplicato etiam numero sacerdotũ & religiosorũ respectu præsentis sufficere possent, quapropter Imperatores & Magnates non immerito illos ipsos reditus iusta & æquali proportione & ita in eos distribuere conantur, vt non solum vnusquisq; illorum habeat, vnde commode viuere & sacra commissa peragere possit, sed vt etiam in alia monasteria, quorum incolę ex eleemosynis ostiatim collectis saltem viuunt, aliquid deriuetur, & etiam vetustate collapsa ex superfluo restaurentur. Quod nisi fiat, laicorum bona, quæ etiam non infinita, sed certis terminis inclusa sunt, quotidiano accursu Ecclesiasticorum, qui ex Pontificis mandato de nouo admittẽdi essent, tandem omnino exhaurientur. Ergo, si etiam inuiti ædificia illa de nouo tentata admittere cogeremur, vetustiora, quæ multis iam annis durarunt, & propter singularem inhabitantiũ pietatem permissa sunt, destruenda erunt, quod tamen ab omni æquitate & iustitia esset alienum & etiam vniuersum populum non parum offendere posset. Nam quantum fructum vniuersus mundus à cognitis hactenus & approbatis religionibus perceperit, omnibus adeo notum est, vt ingratitudinis notam nullo modo possemus effugere, si de iisdem destruendis saltẽ cogitaremus quemadmodum etiam maximæ imprudentię, non dicam leuitatis, signum esset, antiqua & fundata religione relicta, incertam & periculosam quærere. Ita etiam sicco pede transire nequimus; non modo Venetiis ipsis, sed etiam in toto Reip. statu ingentem esse numerum monachorum; qui sempiterna castitate promissa continuis precibus Deo inseruiunt, quibus profecto impium esset, suffragia à laicis per charitatem concessa subtrahere, & alteris, nescio quibus, ordinibus de nouo inuentis erogare. Quæro itaq; à Pontifice, num tot virgines religiosæ totque Ecclesiastici alii de hac nostra Ciuitate & multis aliis optimé meriti ea sua ipsorum patria cum lachrymis vniuersi populi sint eiiciendi? Certe quantum ego existimo, ea hoc impio & scelerato facto non nisi vindicta iustissimi iudicis expectanda esset, quemadmodum nec tutum foret mandatum illud Pontificis exequi, siquidem Respub. & qui eam gubernat, tam immanes abusus & inuersos ordines nullo modo tolerabunt: quin potius credendum, si ipsimet Pontifici & Ecclesiasticis huiusmodi rationes æquitate munitæ ad vnguem notæ essent, opiniones suas facile relicturos, siquidem nec prudentissimos etiam vnquam puduit sententiam mutare, cum viderint se in quoquam errasse. Addam adhuc duo, quæ ad defensionem nostræ sententiæ plurimum faciunt. Nam per introductionẽ nouarum religionum & nouorum Monasteriorum nõ solũ vetustiorib. & antiquis multum detrahitur, sed etiam cum vni tantummodo illorum reditus committuntur, Ecclesiæ cũ vniuersali scandalo abrogantur, Monasteria relinquuntur, cultus diuinus prætermittitur, illudq; totum, quod ad illorũ conseruationem & reparationem, sacerdotũ sustentationem, pauperumq; subleuationem impendi debebat, sæpe in contrarium & in eum finẽ consumitur, cuius hic meminisse pudet. Ex quo satis apparet, ꝙ quanto nouæ religiones & Monasteria numero magis crescant, tanto magis etiam occasio insurgit, vniuersos vetustiorũ reditus, h.e. omnia laicorũ bona alio deriuare, & in finem ab eo longe diuersum, ad quem instituti sunt, absumere. Alterum vero est, quod nullæ adhuc omnib. temporib. de eodem propositæ à Rep. nostra latæ (vt, antiquiora secula omittendo, annis præsertim 1337. 1459 1515. & 1561.) nulli vnquã & ita neque cultui diuino, nec Ecclesiasticis fuerunt detrimentosæ: & si nullus vnquam Pontifex illas improbauit, sed potius omnes huius antecessores pro bonis cognouerunt (quemadmodum eorum nuncii, quotquot adhuc ad Rempub. ablegati sunt, silentio suo confirmarunt) nescio mehercle, cur & quomodo aliqui præsentem Pontificem suis persuasionibus in contrarium pertraxerint. Si itaq; non volunt, quod omnes Principatus, Regna & Gubernationes ad suum ipsius nutum viuant & degant, hoc pro certo sciant, illam ipsam petitionem non rationi solum, sed & doctrinæ Christianæ tam esse contrariam, vt à nemini admitti possit. Et hæc pro confirmanda Reip. nostræ causa, quantum ad ipsius leges pertinet, dicta sufficiant.

Restat, vt loquamur etiam de iudiciis, quæ Remp. Venetam cõtra omnem æquitatem pronuntiasse Pontifex prætendit, dum sc. impios illos ac sceleratos, qui flagitia sua habitu religioso palliare conati sunt, castigat. Et mirandum sane est, quomodo Pontifex hoc præsertim periculoso tempore in hanc persuasionem deuenerit, siquidem duo illi nebulones omnis culpæ rei inuẽti fuerint. Alter e. accusabatur, ꝙ pudicitiam honestæ cuiusdã suæ patriæ fœminæ nobilitate claræ, sibique ipsi affinitate iunctæ vi & insidiis tentauerit, quod factum per totam statim vrbem Vicentinorum, in qua scilicet degebat, innotuit, siquidem illum non pudebat etiam in publicis viis & in ipsis templis suam illam impudentiam & impudicum conatum prodere, dum scilicet

non

hoc cessabat omnis generis insidias experiri, vt voti sui compos fieret: Cum vero spe sua frustrari se videret, obscœnis imaginibus & picturis ædes ipsius fœminæ cōmaculabat: vltra quod fide digni de eodem etiam referebant, quod mādata & intimationes publice hinc inde per Senatum affixas & sigillo Venetorum confirmatas non modo dilacerauit, sed etiam omnis generis cōtumelias in eorum auctores euomuerit; quod cum crimen læsæ maiestatis sit, nemo dubitat. Alter vero tot & tantorum scelerum accusabatur, quæ sine summo & maximo horrore nec recenseri, nec audiri, nec etiam imaginari possunt. Violare enim multarum pudicitiam grande nefas est, in persona scil. Ecclesiastica, licet extra ordinem sacerdotii degente: sed mulieribus solutis non esse contentum, & in contemptum matrimonii etiam ligatas adire, & ita apertum adulterium committere, est multo maius: quemadmodum in eundem finem, & vt libido ad nauseam vsque exerceatur, earum mulierum maritos & consanguineos è medio tollere, omnem humanitatem transcendit, & tanquam summa crudelitas puniendum est; siquidem quoscunq; nefariis illis conatib. obstantes deprehendit, illos statim veneno interemit: quemadmodum etiam à religiosissimis & sanguine quam proxime iunctis, vtpote sororibus, nō abstinuit, modo vt diabolicā suam libidinē expleret. Propter hos, viros sc. egregios & Ecclesiasticorum nomine quā maxime dignos (quos licet vsq; ad sententiam definitiuā pro talibus non habendos velim, prædictorum tamen scelerum, q̄ maxime incusantur) Pontifex cum Rep. Veneta contendit iurisdictione, vt putatur, Ecclesiastica motus: licet et credi possit, quod potius ab iis sit instinctus, qui communicanda aut reuelanda eidem reticent, & conticenda reuelant. Quare si quicquam excusare Pontificē potest; quod in hoc propositum totam fere Christianitatē subuertens deuenerit, hoc vnicum forte poterit; quod à quibusdam mendacibus ita fuit persuasus.

Et condolendum sane est, quod hic ipsius zelus, quem ex falsis relationibus præmature hausit, cū dilatione aliqua Pontificatus non fuerit coniunctus, vt cum maiori discretione tempora, locos & personas potuisset discernere, prudentiorum, synceriorum, magisq; fidelium cōsilia ediscere, & sibi ab astutiis & falsis nugis aliorum cauere, quod si factum esset, secumq; ipse rē altius deliberata sine dubio à ꝓposito recessisset, & alterā viam rationib. ab vtroq; latere optime munitam ꝓ conseruanda totius Italiæ & veræ religionis pace esset ingressus. Et cur quæso harum contentionū auctores pro eo, ꝙ facinora prædictorū duorū nebulonū extenuant, eadem, vt sese in rei veritate habent, non enarrarunt? cur ꝓ nimia cōmendatione eorundē conditionis nō potius malum illorū habitum & detestandam consuetudinē detexerunt? cur & insuper non addiderunt, ꝙ status illorū esset laicus, nihilq; præter nomen & habitum Ecclesiasticū in illis ipsis inuen iretur loco tacendę patientię subditorū Venetorū & præsertim eorum, qui mirū in modum ab iisdem duob. fuerunt læsi, eorundem ingentem patientiam & tolerantiam tantarum iniuriam non decantarunt? Taceo, quod eidem Pontifici potuissent recensere, quantis rationib. Respub. Veneta ad castigationem duarum illarum personarum fuerit quasi pertracta, quemadmodū & talis vsus & consuetudo à multis Pontificibus hactenus fuit approbata, & conueniebat etiam, vt qui illarum approbationum scriptarum erant conscii, eas ipsas præsenti Pontifici declararent; quod scilicet exercitium illius iurisdictionis non solum Venetiis ipsis; sed etiam in toto eiusdem Reip. dominio obseruetur: aut si plenariam eiusdem informationem nōdum habuerunt, à prudentioribus eadem erat petenda & Pontifici declaranda. Quod cum non sit factum, nec extra tempus, nec etiam præter rem fore putabam, illud omne in bonum finē pro præsenti declarare:

Et quantum ad culpam duorū captiuorum, debita eius rei consideratio est habenda. Nam primo videndum est, num Magistratus, quem bona gubernatio subditorum decet, & vt debitam iustitiam exequatur; illorum querelas debeat ipsemet curare, an vero contra consuetudinem præteritorum temporum & alios consimiles casus alio remittere? Et quid hoc aliud esset, manus scilic. queribundis auxiliatrices non porrigere, & remedium à longinquis expectare; quam eosdem ex sua ipsorum patria eiicere, & ad omnimodam rerum suarum desperationem adigere? Ergone subditi in rebus tam grauibus offensi cum maximo suo incommodo & incommoditate ad tribunalia longe ab hinc dissita, & coram personis, quas nunquam cognouerunt, debent comparere; & ibiā Principibus extraneis aut eorundem ministris sententiam audire, & ab illis aut omnino nihil aut parum obtinere? Et quis nescit, quorsum sententiæ Ecclesiasticorum post pœnas plerunque deriuent, cum prius de anno in annum sunt productæ? aut quod obsecro, qui & vita, sua ipsius fama, & bonis fortunæ simul est offensus sentit leuamen, cum videt partem lædentem per pœnitentiam aliquam salutarem aut alio cōsimili, quod animam ipsius respicit, puniri, sibi ipsi vero interim nullam fieri redintegrationem? Quod si obiiciatur, in quibusdam casibus reum etiam remitti posse ad iudicem secularem: ex hoc assumo, ꝙ tales culpæ, castigationes & condemnationes iudicialiter ad eos pertineant, qui causis secularib. præsunt, & non quib. cura spiritualis supra alios Principes est cōmissa. Et quis hæc vel illa particularia & varia illorum accidentia, quæ factum ipsum eiusq; rationes concernunt, melius poterit diiudicare, quam qui per naturalem superioritatem, vsum patrię & alios quosuis respectus optime nouit? aut personis huius vel illius Ecclesiastici tyrannide petitis Romæ coram Pontifice aut illius ministris erit comparendum & ibidem iustitia & vindicta petenda? Hoc meo sane iudicio nihil aliud esset, quam omnes suos subditos perdere, vt qui in summis suis angustiis recursu ad suum ipsorum Principem priuarentur, & ab eodem nullum omnino leuamen sperare possent, vnde tandem & amorem

& timorem erga eum & in rebus aliis deponerent, & loco eiusdem odio potius erga eum inflammarentur. Et quod magis est, si in huiusmodi casibus non audirentur, tandem in desperationem adacti propriis manibus cum maiori scandalo & periculo, non in personis solummodo, à quibus læsi essent, sed etiam in toto illorum ordine seipsos vindicarent, itaque iustitiam ipsis ab altera parte denegatam exercerent, qualem vim & insaniam Princeps postmodum ipsemet cohibere non posset, aut si quid conaretur, in suspicionem incideret, ac si eorundem iustitiam parum curaret. In casibus vero supra enarratis quis non videt, quod estrema afflictio mœrorque animos eorum inuaderet, qui tantopere sunt offensi, & ad mortem vsq; veneficiis & aliis iniuriis vexati, dum recursum ad naturalem suum Principem occlusum inueniunt, qui eos à tam immani & tyrannica oppressione possit liberare? quemadmodum etiam reliqui illorũ exemplo edocti, quod nullum auxilium expectare à suis Principibus possent, collum iugo submittere cogerentur, & omni spe salutis abiecta miseriam suam deplorare. Taceo, quod ciues Vicentini tum nobilitate, tum strenuitate clari, & ad arma præ cæteris proni, perquam facile ad dissensionem incitarentur, dum suorum tam paruam haberi curam viderent, & maleuolos omnia impune perpetrare, quod sane, quale obedientiæ exemplum alia ex re sumpturi essent, vt scil. mandata publica venererentur, coniectari facile potest. Ita etiam Princeps suorummet ciuium dissensiones mediante iustitia non poterit sedare? sintque multi, qui eorundem præcepta & mandata non modo nõ obseruent, verum etiam contemnent, & ita toti quasi dominio sese audacter opponent, quos tamen Princeps nec poterit, nec ausus fuerit punire? Regnum, vt breuibus comprehendam, non patitur duos, nec alia vnquã doctrina ab vllo sapiente & experto Politico præteritorum temporum est cognita & admissa; quam si ponderare, & cum vera nostræ religionis doctrina ac cum præceptis & exemplis Christi eiusque discipulorum & omnium Patrum & Doctorum Ecclesiæ conferre voluerimus, facile inclarescet, quod ad secularia spectat. Omitto tamen hæc prolixius disputare, quoniam alibi occasio dabitur de iis conferendi. Mea enim opinione sufficit, si dixerimus, ciuitatem constare ciuibus, & ciues esse tales, qui beneficiis ciuitatis gaudeant, vt scil. inter se pace fruantur, ab extraneis defendãtur, facultates suas sartas tectas conseruent, & tandem illius felicitatis fiant compotes, ad quam omnes simul & vnanimiter tendũt; quorum tamen neutrum absque bonis legibus, ordinibus publicis & communione iudiciorum obtineri potest. Et hic est ordo naturalis & essentialis in omnibus ciuitatibus obseruandus, à quo si in particulari aliqua re aut suo ipsius merito, aut alio respectu quispiam est liber, oportet vt illud habeat à munificentia & liberalitate eorum, qui possunt talia cõcedere, ad quod etiam proprius ipsius consensus requiritur. Qui vero hanc libertatem non habet, & in omnibus ad vitam ciuilem pertinentibus priuilegiis ciuium frui cupit, eum à natura oportet, vt legibus eorum ac ordinibus, quæ bonis præmia, malis vero pœnas constituunt, sese submittat. Siquidem Christus ipse dominium, quod Principes & alii superiores super suos subditos habent, nullo modo sustulit, sed potius confirmauit, vbi simul fatetur, Regnum suum non esse mundanum, nec res seculares spectare. Ex quo luce meridiana clarius apparet, quod Respub. seu Princeps ipse, qui libertate fruitur, & quod ab eo dependet, natura à suo principatu super omnes suos subditos indifferentem auctoritatem habeat; quam si super quosdam ex propria voluntate, per effectum magis, quam decretum declaratam, non voluit exercere, nemo tamen putare debet, quod propterea eius non sit capax: siquidem in alia nonnunquam tempora commodiora differt, vt maximum illius respectus signum exhibeat, quem in casibus leuioribus erga personas habere secum ipse decreuerit. Et cum ab ipsis Imperatoribus & Regibus in suis Regnis & prouinciis Ecclesiastici non ab omnibus iudiciis sint liberati, quemadmodum in exercitiis circa eorundem iurisdictionem habitis apparet, non poterit negari, etiam nostram Rempubl. tantæ auctoritatis & dignitatis esse, vt Reges immediate possit imitari, & idem quod ipsi in effectum producere, quemadmodum etiam absque vllo impedimento reipsa fecit.

Quod vero aliqui ex Theologis & Iureconsultis affirmant, hanc libertatem Ecclesiasticis, vt nullis legibus sese subiicere cogantur, à Principibus esse concessam, quod ex eorum rescriptis appareat, respondemus, illud cuique in sua ditione licere, vt in hunc vel illum peculiaria priuilegia conferat: in nostra vero Republica, quæ semper libera fuit, tale priuilegium nullibi habere locum, nisi peculiariter concedatur. Reliquit ergo eadem Respublic. Ecclesiasticis iudicium in multis casibus, in grauioribus vero auctoritatem sibi ipsi reseruauit, quam à Deo habet, & qua per multa iam secula in toto suo dominio vsa est. Et hæc consuetudo tot rationibus suffulta, quæ æqualem cum legibus auctoritatem & tam egregios respectus pro comitibus habet, & per tot ætates est obseruata, ita demum reuocari debet in dubium? Et quid obsecro sub toto cœlo existens pro firmo & stabili habendum, si hoc, quod per mille annorum decursum est confirmatum, firmum non erit? Gubernatio Reipubl. nostræ talis est, vt non laudem solummodo apud mortales mereatur, sed cunctos etiam in extremis mundi angulis habitantes in admirationem conducat, & his tandem temporibus insurgent, qui hanc continuatam vnanimitatem possint corrigere? Commendarunt & laudibus celebrarunt eandem omnes Principes simul cum vniuersis populis, & præsertim in casu, de quo in præsentia tractatur, omnes huc vsque Pontifices, quod quorundam peculiaria scripta & literæ aperte testantur, hic vero vniuersale illud iudicium contemnit, eoque ipso omnium suorum antecessorum consensum infringit.

Et cum de facto & exercitio istius iurisdictionis non possit dubitare, siquidem cognouerit non Venetiis tantum, sed etiam in toto Venetorum statu enormia delicta etiam priuatione vitę per tales executiones fuisse punita, quod omnis generis hominibus notum est, conuenit etiam, vt sciat, Remp. multas multorum Pontificum literas adhuc in archiuo habere, vtpote Sixti IV. Innocentii VIII. Alexandri VI. Pauli III. & aliorum, in quibus duorum inprimis articulorum expressa fit mentio, quorum primus est, quod consuetudo supradictorum iudiciorum pro bona & laudabili sit habenda, & quod legalem & canonicam originem habuerit: secundus, quod sit commissum Patriarchis & eorundem vicariis, vt hanc consuetudinem non interrumpant, sed si ad examen huius vel illius rei prouocentur, illud non recusent. Et reddentes huius commissionis rationem addunt porro, præsentiam Patriarcharum propterea requiri, vt rei etiam Ecclesiastici sine censura irregularitatis culpæ suæ & delictorum conuincantur; ex quo, vt puto, satis apparet, eos autoritatem iudicum laicorum haudquaquam limitasse, sed potius pro bona & iusta agnouisse. Extat insuper in iisdem literis, quod supra allegata autoritas non ad casus solum Venetiarum, sed totius etiam dominii pertinet, idque tanta perspicuitate exprimitur, vt vousquisq; etiam mediocris intellectus, si modo legere queat, facile comprehendere possit; qui itaq; hoc in dubium vocat, nodum in iunco quærit, & difficultates fingit vbi nullæ sunt. Facile igitur sufficere posset, imo gratum & acceptum esse Pontifici deberet; quod iustitia fuisset administrata, quod multorum scelerum rei pro merito essent castigati, ingens hoc scandalum & opprobrium, quod mundo ab huiusmodi nebulonibus datur, è medio sublatum, & quod in illo ipso loco, in quo delicta commiserunt, suorum scelerum pœnas exoluissent.

De recta vero & syncera administratione iustitiæ nostræ Reipublicæ nemo est, qui quicquam possit dubitare, siquidem præter testimonium, quod ex spontaneis deditionibus multorum subditorum, qui vltro sese ipsius dominio subiecerunt, est adepta, eandem etiam natura ipsa simul cum qualitate & temperamento iudicum confirmat. Sicut etiam æquitas, moderatio & ouinetus omnium eorum, quibus eadem illa administratio hucusque fuit commissa, vt scilicet antiquissimas leges de reis & aliis conditionibus ac circumstantiis datas conseruarent; quæ sane administrationis forma non subditis modo est pergrata, sed & exteris etiam tam acceptabilis, vt etiam nobilissimæ ciuitates licet longo interuallo à nobis dissitæ eandem per literas & legatos efflagitent. Quod cum ita sit, non immorabimur diutius in hoc, quod omnis dubitationis est expers, siquidem Reipublicæ etiam in hac parte satisfactum, & rationes eiusdem pro debito confirmatas puto: progrediamur itaque ad id, cuius promissio superius facta est, quod scilicet paucas illas & inualidas omnino rationes Ecclesiasticorum, quibus partes suas obtinere conantur, resoluere velimus, vbi breuiter etiam istius legis, quam de bonis emphyteuticis vocant, mentio fiet, vt tandem ad totius huius nostri sermonis finem pertingamus.

Consistunt autem omnes illorum rationes super hoc solo & vnico fundamento, quod Reipublicæ leges & iudicia ab eadem de clericis etiam in casibus grauioribus & nefandis habita militent contra libertatem Ecclesiasticam: quod ex canonibus possit obsisti: quod exiguam pietatem redoleat velle prohibere, ne cumulum bonorum augeant, & vltro templa aut monasteria de nouo ædificent, cum tamen omnes Iurisconsulti ex legibus confirment, quod in hoc impediendi non sint.

De hac libertate Ecclesiastica multa possent proferri, siquidem non videtur determinatum, in quo proprie consistat, & variæ sunt de eiusdem definitione opiniones; quidam enim volunt respicere conseruationem priuilegiorum: alii pertinere ad tutelam illius, quod illa ratione communi attingit, & tandem nonnulli, ne aliquid contra illos permittatur, quod clericos timidos, laicos vero animosos reddere possit. Mea vero opinio est, veram libertatem Ecclesiasticam debere esse talem, qualem Christus eiusque discipuli requirunt, & in doctrina Euangelica declarant. Quoniam autem nimis prolixum foret, hæc omnia ad vnguem depingere, dixisse sufficiat, quod nonnulli Ecclesiasticorum in hoc suam libertatem esse sitam contendunt, vt omnia libere ausint. Alii vero econtra credunt & pro certo habent, talem licentiam nec comportandam nec supportandam esse, siquidem nullus canon nec vlla etiam doctrina catholica reperiatur, quę libertatem hunc vel illum iniuria afficiendi, aut offendendi, aut contra publicum siue priuatum delinquendi concedat. Nihil itaque aliud libertas Ecclesiastica vult & significat, quam libertatem Ecclesiarum & Ecclesiasticorum, qui Ecclesiastici, quatenus tales sunt, vt & eorum ministri, nullam aliam libertatem prætendere debent, quam illam ipsam, quæ Ecclesiæ est. Et hæc præcipua est illa, quæ in proprio suo ministerio consistit, vt scil. alii in doctrina & præceptis Christi, Apostolorum & sanctæ Ecclesiæ informentur. Et qui talis ministerii executionem impedire conatur, is veræ libertati Ecclesiasticæ sese opponit. Quis autem vnquam poterit affirmare, Rempublicam Venetam etiam minima opera ad talem finem directa impediuisse, aut talem retardasse? Tam enim longe abest, vt hoc tentauerit, vt etiam contrarium præstiterit, id quod ex his, quæ hactenus dicta sunt, satis & plus quam satis apparet: tam enim Religioni Christianæ hucusque semper adhæsit, vt in terris longinquis etiam cum suorum sanguine eandem amplificare non abhorruerit, quemadmodum & nec thesauris pepercit, vt facinora eiusdem in terra sancta contra infideles sæpe præstita abunde testantur, inprimis vero illud

Libertas Ecclesiastica, in quo consistat.

Con-

Conſtantinopolitanum contra eos, qui obedientiam Eccleſiæ Romanæ recuſabant: defenſio regionum Chriſtianarum contra Sarracenos incurſum multis annis reiterantes, vt de auxiliis Pontificibus Romanis contra innumerabiles exercitus & maximos totius mundi Principatus, multoties præſtitis, eorum Pontificum à noſtris facta reſtitutione, & tandem de mirandis & plane ſtupendis laboribus, quos præter antiquiora ſecula in his præſertim duobus poſtremis ſuſtinuit, nihil omnino proferam; vere enim dici poteſt, Remp. Venetam tanquam murum contra immenſos impetus ſæpe ſæpius ſtetiſſe, ſine quo exercitus Chriſtianorum lachrymabiles (crede mihi) habuiſſent progreſſus. Egregie itaque libertas Eccleſiaſtica à Republ. noſtra fuit adiuta, & nullo modo impedita, ſiquidem Religionis Chriſtianæ dilatationem, conſeruationem & defenſionem ſemper promouerit: tota inſuper in eo fuit, vt miniſterium Eccleſiæ libere exerceretur, & tandem omnino voluit, vt bona & ſyncera doctrina, conciones, Sacramenta & omnia alia ſacra ad ſalutem fidelium & cultum diuinum pertinentia, non à ſuis modo, ſed etiam ab exteris rite adminiſtrarentur, quemadmodum etiam illis ipſis miniſtris ceu bonis Eccleſiaſticis modum oſtendit, quo ſeſe commodius ſuſtentare poſſent. Templa & Monaſteria non pauca ædificauit, eademque non ad ſuſtentationem modo, ſed & ad commendas & procurandas reliquias multorum ſanctorum à terris remotiſſimis ad ea tranſportatas multis & magnis theſauris donauit: quo itaque iure incuſari poteſt, ac ſi libertatem Eccleſiaſticam velit impedire? mala equidem & ſcelerata facta omni ſtudio impedire conatur, quæ ſane facta tantum abeſt, vt ſine Eccleſiaſtica aut ſpiritualia, vt etiam ſi orinter omnia quam maxime carnalia, & cum Eccleſiaſticis nullo omnino modo conueniant, ſed ex diametro potius cum ipſis pugnent. Tot templa & monaſteria, tot inſuper ſacerdotes & religioſos in toto ſuo dominio habere & permittere cupit, quot ad ſalutem ſubditorum & gubernationem ſpiritualem abunde ſufficiant, & iiſdem etiam magnas diuitias & omnis generis commoda libentiſſime concedit, ſed quod omnia templis & monaſteriis ſint plena, & miniſtri vbicunque obuii, qui omnem ſubditorum ſubſtantiam expilent, eoſque ad paupertatem redigant; & ita etiam publicum robur ad nihilum redigant, nec iuſtum, nec conueniens ſtatuit, itaque nullo modo permittendum.

Et ſi forte hic vel ille canon contrarium ſtatuere videtur, non admodum erit difficile, eorundem canonum profeſſoribus reſpondere: talia enim ſtatuta & decreta Principũ in illis ipſis prohibentur, quæ commercia in vniuerſum omnia cum Eccleſiaſticis interdicunt, & ita etiam modum viuendi iiſdem è medio quaſi tollunt, dum ſcil. negant, quod laici etiam panem vel vinum Eccleſiaſticis vendere, frumenta molendo confringere, aut etiam in minimo, quod ad illorum vitam & ſuſtentationem faciat, ſuccurrere poſſint. Et multi in ea opinione ſunt, quod dicti canones non habeant locum, niſi contra eas leges & ſtatuta, quæ tranſlationem bonorum laicorum ad Eccleſiaſticos in genere & abſolute ac ſine omni iuſta cauſa prohibent, vbi rurſus aliqui affirmant, ſtatuta Principum per illos canones non prohiberi, niſi appareat aut præſupponi poſſit, quod in odium Eccleſiaſticorum ſint facta, aut prima & Principalis legiſlatoris intentio ſit, vt Eccleſiaſticis damnum inferre queat, quæ ſane conditiones omnes à legibus noſtræ Reipub. ſunt alieniſſimæ, ſiquidem nec prædictam tranſlationem bonorum, nec erectionem templorum & monaſteriorum vllo modo prohibent, ſed hoc ſolummodo volunt, vt ſine licentia & permiſſu Principis non fiat. Nec obiici etiam poteſt, quod ſine iuſta cauſa ſint latæ, ſiquidem ex habito ab hinc diſcurſu ſatis apparet non vnam, ſed multas, eaſque pergraues fuiſſe cauſas, quæ Rempubl. ad conſtitutionem earundem permouerint. Cui accedit & illud, quod de bonis Eccleſiaſticorum eorumque commoditatibus aliis penitus nihil agunt, ſed loquuntur ſaltem de bonis laicorum, quomodo ſcil. in vno & altero ſint diſponenda; vbi ſi ex ſubditorum laicorum commodo aliqua Eccleſiaſticis incommoditas inſurgit, idque tamen ſecundario & ſine intentione legiſlatoris ſit, quæ quæſo culpa eidem aſcribi poteſt? aut ſi priuatus quidam paterfamilias, qui non niſi ſuam ipſius domum regẽdam habet, bona iſta ita diſponat, vt quædam ad reſtaurationem ædificiorum, nonnulla in victum, alia in amictum, & itidem pars certa & determinata in Eleemoſynas conſumatur, poſtmodũ ſi res eius in deterius vergant hunc ordinem & diſpoſitionem bonorum mutet, debetne aut poteſt etiam talis Eccleſiaſticus, qui Eleemoſynas huc uſq; ab eo accepit, ſuum illum benefactorem reprehendere, aut quod male & contra libertatem Eccleſiaſticam faciat, accuſare? Princeps autem noſter eſt vere paterfamilias, tum ſua, tum ſubditorum bona, pro tempore & loco diſponit, ædes ſacras erigit, ius ciuitatis concedit, poſſeſſiones & annuos reditus in magna copia & animo pietate pleno elargitur: vnde forte factum eſt, cum manus nimium aperuerit, vt populus, tanquam eius familia, maximum detrimentum ſenſerit: conſueta itaq; pietate & religione motus ſumptus ex parte reſcindit: ſuiſq; filiis, pro quibus ſubditos omnes habet, iniungit, vt etiam ſuos quiſq; contrahat, & nihil ſine ſuo ipſius conſenſu & permiſſione diſponat, quod cum ad ſubditorum inprimis commodum ſpectet, quis tam erit ſtupidus & imprudens, qui illud improbare, aut quod Principi non liceat, obiicere fuerit auſus? aut poterit ne hic aut ille Canon non bene nec in vero ſuo ſenſu interpretatus & intellectus prohibere? In hoc ſane caſu operæ pretium eſt, ſcire quod licet vnus aut plures etiam canones à Pontificibus conſtituti aliquid contra priuilegia Eccleſiaſticorum ex Principis iudicio ſtatuant, (ſiquidem & ipſi à ſuis parentibus habeant, qui ſtricte affirment, & ſecundum poteſtatem, quam ſuper eos ipſos canones habent, ſcribant) firma & immotabilis eorundem ICtor. regula eſt,

quod

quod in tractatione potissimum de rebus secularibus eatenus debeant habere locum, quatenus à Principibus pro bonis agnoscũtur, & quatenus etiam in vsum deducuntur, quemadmodũ obseruatum etiam est, quod aliqui in præiudicium illorummet Principum instituti propter eorundem querelas & instantiam iterum abrogati sunt. De legibus autem nostræ Reipub. liquidissime constat, quod contra canones bene intellectos minime pugnent, sed post multas & magnas deliberationes à Professoribus iuris habitas sint introducti: in quibus deliberationibus & consultationibus, quæ omnium nostrorum consiliorũ promulgationes antecedunt, hoc primarium & principalissimũ est, vt principalis finis & intentio legislatoris concernatur, & nõ respiciatur ad illud, quod vltra illum finem & obiectum secundario, & accidẽtaliter sequi potest: quod si ergo Resp. in constitutione suarum legum ad hoc potissimum respexit, vt vires sui principatus suorumque subditorũ pacem & tranquillitatẽ conseruaret, quod negari non potest, mentem illius vnice eo fuisse directam, nemo sane erit, qui possit hoc illius studium vituperare, aut correctionem aliq̃ prætendere. Suntq. sæpe nominatæ non solũ propter finem illum principalem bonæ & à nullo reprehendendæ, sed ẽt ratione illius, quod accidẽtaliter & secundario ex iisdem cõsequi potest, quod Resp. velut à prudentissimo Principe administrata matuto satis consilio & acri iudicio perpẽdit.

Quod si Ecclesiastici obiiciant, hoc modo ipsos non posse ditescere, templa, monasteria & abbatias non augeri, nec numero dilatari, & punitos nec quicquam eorum, quod ordini suo & ex officio debent, facturos: Respondemus primo, Rempubl. in suis legibus nequaquam absolute diuitias prohibere, sed possunt pietate sua freti talem auctionem bonorũ sperare, quæ ipsis conuenit, & tanqoam necessaria requiritur; quod licet non sequeretur, Reipublicæ tamen intentio nunquam fuit talis, sed ad id solummodo respexit, vt bona laicorum suasque ipsius vires integras & corruptas reseruaret. Et quantum ad castigationem delictorum, dicimus, si operantur bona, & quæ vniuscuiusq; officium requirit, iudicium Reipubl. iis nullo modo esse pertimescendum, siquidem hæc optima & permonstrata via est, qua progredientes potestatem Principum à Deo ipsis concessam non reformidamus. Quod insuper addunt, se ex latis illis legibus nõ modicum sentire damnum, non equidem concedo: cum ii potissimum damnũ percipiant, quibus alii vel vestimenta, vel panem, vinum, thesaurum pecuniarum, aut alia eiusmodi bona iusto titulo parta auferre conantur; quod si vero aliquis alicui vel vestem, vel aliquid aliud de suo ideo recusat, quia ipse eo carere nequit, non dici sane potest, quod illi vel damnum inferat, vel iniuriam faciat. Et malum mehercle esset, si quis Ecclesiasticus gratia huius vel illius auferendi, aut hoc vel illo modo offendendi alicuius ædes intraret, ipse autem prohibere, aut etiam de incommodo & damno conqueri non auderet. Quod si vero impietatis inculare Rempubl. voluerint, præter hoc, quod hucusque ad eandem obiectionem responsum est, dicere etiam vltro possumus, eam mille & ducentis ab hinc annis fuisse catholicam, nec vnquam ab ea fide & religione rebellisse, multo minus aliqua hæresi semetipsam contaminasse, quod pauci ex omnibus aliis populis de se confirmare possunt; quemadmodum & Cathedræ Romanæ semper adhæsit, eique in omnibus rebus æquis & honestis obsequium præstitit, ex quibus omnibus, vt & ex vera & genuina successione Pontificum continuata vniformitate obsequii & reuerentia Reipubl. erga illos multi firmissima argumenta sumunt contra eos, qui ab hac fide sunt alieni.

Adiungerem etiam aliquid de iis scriptoribus, qui contrarium defendunt, & quorum autoritate ac rationibus Ecclesiastici vti fruique possunt. Quia vero non videtur conuenire, vt eorum rationes ac opiniones à me examinentur, dixisse sufficiat, quod quidam illorum terminum rationum gubernationis, qui architectonicus earundem legum & iudicium appellari potest, & de quibus agitur, suis discursibus non attingant, quod tamen defectui & ignorantiæ illorum ascribendum non est; sed quia talis cognitionis acquisitio longam & continuatam experientiam requirit, quam cum non habeant, non potest etiam plena & perfecta resolutio ab iis expectari. Et quia alii aut timore, aut spe, aut aliis huiusmodi affectibus sese moueri patiuntur; aut in omnibus illis particularibus, quæ in tam graui materia scitu necessaria sunt, non satis informantur, facile persuadentur, vt ad partem aduersam recedant, illique sese addicant: cum tamen à viris doctissimis, qui in publicis gubernationibus optime & multis annis sunt versati, & insuper sine vllis affectibus, rationibus diuinis & humanis ex sacra Scriptura, ceu vero & principali canone & lumine intellectua sumptis procedunt, (quorum sane doctorum non pauci sunt, & multi adhuc plures essent, si scribere & mentis suæ sensa exprimere auderent) conuenientissime respondeatur, quemadmodum responsionem ad illorum disputationes optime accommodatam ipsemet vidi. Quod pertinet ad articulum illum de bonis emphyteuticis, cuius statim in principio edicti contra Venetos publicati mentio facta est, neminem esse puto, qui ex iis, quæ iam dicturus sum, summam admirationem non sit capturus, si scil. cognouerit, quomodo in hoc negotio progressi sint; ex quo simul apparebit, quam pessime bonus noster Pontifex per falsas relationes alterius partis sit delusus, & ita simul ad præcipitatam quasi & inconsideratam resolutionem persuasus. Adducitur in illo interdicto seu monitorio, quod id primum Pontificem male habeat, quod Respublica Veneta legem aliquam statuerit, in qua Ecclesiastici à prælatione & acquisitione bonorum emphyteuticorum excluduntur. Et licet nec per prælationem, nec per consolidationem per directum, neque per extinctionem lineæ possint dicta bona acquirere, nihilo tamen minus etiam hoc verum est, quod in eadem

alle-

allegata lege bonorum emphyteuticorum nulla prorsus mentio fiat, ex quo videri potest, quod lex illa non solum non sit considerata, neq; validissimæ Reip. rationes eandem sc. condendi vllo modo ponderatę, sed quod etiam ne per transennam sit inspecta. Tractatur de quadam lege, eoo de maximo discursu gubernationem publicam spectante, quemadmodum lo constitotione omnium legum prudeores legislatores in vsu habent: tam enim ęquas & iustas leges Princeps noster omni tempore condidit, vt ab exteris siot desideratæ, in admiratione habitæ, & à suis ipsius subditis debita reuerentia respectæ. Quo tamen retro seposito Pontifex easdem non modo non consideratas, sed etiam ne inspectas quidem & intellectas corrigere prorsusq; abolere prætēdit? nonne si bonus & iustus Iudex dici & esse cupit, rem tanti momēti prius debuisset hinc inde perpendere, quam quod falsis relationibus tam immature fidem habuit, inq; tales excessus prorupit, quos vniuersus tandē mundus nec approbatos neq; satis intellectos cognoverit? Egit Resp. so sæpe nominata lege de prælatione Ecclesiasticorū soper bona à laicis possessa, quæ omnia alterius naturę possūnt præsupponi, quā emphyteutica: siquidem aliqua libere & sine vlla obligatione ad Ecclesiasticos translata fuot, quædam cū certa & determinata pensinne aut recognitione, quæ alias census dicitur: alia vero sub titulo longissimæ, &, vt dici potest, perpetuæ lucationis. Quæ in ootabili aliqua summa & magno numero elocata sunt, per aliquot cētenarios annorum ita stererunt, nec interim laici in tali qualitate fuerunt, vt sine cultura, & absq; quod nullū omnino commodum inde hauriūt, potuissent ab omnibus illis immobilibus bonis abalienari: Ex sua itaque ipsorum industria & mediante propria sua substantia & sudore ad eum terminum, in quo iam degunt, redacti fiot, dum sc. fundos soos agrosq; ab inundationibus repararunt, ab aquis omnis exiccarunt, & multis aliis laboribus & sumptibus etiam in fertilissimos campos redegerūt, nec tamē fructus sui sudoris & proprii quasi sanguinis vllo modo degustabunt ac percipient, sed potius ab omni illorū dulcedine excludētur? profecto nec ratio ipsa consentit, nec honestas permittit, nec etiam lex naturæ bonorumq; qualitas vllo modo persuadet, taceo quod & consuetudo & iudicia id nunquam secū ferant, & etiam non credendum est, quod qui eo modo ad maiores diuitias aspirant, id bona conscientia facere possint. Quod autē consuetudo & vsus talis hucusq; fuerit, ex facto ipso potest probari: siquidem tantū abest vt Ecclesiastici soliti sint talia bona in supradictis casibus de prælatione recuperare, ꝙ etiam contrarii vsus iam plane sit inueteratus, quoniam infinitæ abalienationes seu translationes dictorū boorum de vno laico ad alium per omnia contractuum genera ab Ecclesiasticis nunquam sint impeditæ, nec isti vllo tempore ad prælationes admissi. Et licet aliquoties prærogatiuam aliquam tentauerint, & sese aliis præferre sint conati, ex clarissimis tamen iudiciis & decretis Principis apparet, quod in id nunquam voluerit coosentire. Et causa sane eorundem Principis iudiciorum & decretorū semper tot & forte maioribus rationibus fuit suffulta, quam illæ vnquam esse possunt, quæ in fauorem prædictæ legis de bonis laicorū sunt adductæ. Imo etiam eadem illa lex frustra esset facta, si quæ de bonis emphyteuticis denominatur, sublevata esset: quoniam si dicta prælatio locum habere deberet, tanta subsequeretur confusio omnium possessorū in toto Reip. Statu, quod nulla omnino restaret ciuitas, nullum castellum & nulla insuper huiusmodi vel illius priuati domus, familia aut etiam persona, cui periculum de amissiooe bonorum aut alterius cuiusdam molestiæ euentu non esset pertimescendum: quemadmodum & testamenta, donationes, venditiones, contractus matrimonialas & alii huiuscemodi cōuentus bona fide instituti & longissima possessione iam confirmati non essent secori, sed tot & tantæ controuersiæ, lites & discordiæ circa eosdem insurgere possent, quod aut difficile aut omnino impossibile foret, illas omnes componere. Et licet hæ tentationes permagnæ & periculosæ satis sint, ad reprimeda tamen desideria quorundam Ecclesiasticorum non suffecerunt, qui quidem Ecclesiastici, vtpote cæteris potentiores inchoarunt laicis nimias & grauiores adhuc molestias inferre, quæ sane Remp. nostram ad clariorem & resolutam eius materiæ decisionem compulerunt, quam decisionem cum prædicta lege fecit, vt scil. omnibus iodicibus securam monstraret semitam publicam voluntatem aperte cognoscendi, secundū quam in omnibus casibus possent pronunciare. Nec eiusdem Reip. authoritas in formando dubia reddi vllo modo potest: siquidē primo de eo genere bonorum semper est iudicatum à iudice laico, in ꝙ etiam iudiciom Ecclesiastici hucusq; libenter consenserunt. Et quoniam clarum est, quod iudex laicus à potestate alia non debeat regi, q̄ à proprio suo legislatore, qui potestatis laicæ est, necessario sequitur, quod Resp. ex propria iurisdictione poterit leges formare, & ita suis iodicib. formam iudicandi porrigere. Ad quod accedit, quod natura bonorū, quæ est aut de omni, aut de maxima parte, per tantas restaurationes rationis laicæ nō permittit, vt bonorum possessor ad aliud iudiciū prouocetur. Cui & illud addi potest, ꝙ Pontifices ipsi per quietem populi ab ipsis seculari dominio gubernari, periculum maximorū tumultuum & perturbationum subirent: & inter seipsos ac cum Ecclesiasticis huiusmodi prouisiones in casu etiam longe restrictiore fecerunt, vt ex constitutione aliqua Bonifacii IX. de hac eadē mataria per ciuitatem Ferrariam facta, quam ego ipse vidi, luculenter apparet. Quare sane constitutionū & obseruantiarum aliorum et Statuum exempla producere possumus, si breuitati non potius studeremus, siquidē al- ias sermo noster prolixius, quam cogitabamus fore, sese extendit. Nam vltra quod breuitatem promisimus, non videtur etiam conueniens in re, de qua Pontifex cum Rep. debitum sermonem non habuit, nec eo modo, vti conueniebat, cū eadē egit, eiusdem Pontificis rationes pertractare.

Properans itaq; ad conclusionem, dico, Rempubl. tot & tam validas suæ partis rationes habere, quæ ipsam in hoc negotio etiam ne minimum quidem errorem commisisse facile conuincere possint; & peccasset sane, si quicquam factorum omisisset, siquidem in bona gubernatione subditorum defecisset, & suæ ipsius paci ac tranquillitati male consuluisset. Quapropter à Pontifice legitime culpari sese haud putat bonitati causæ confidens, qua sane freta omnes Principes & populos à suis partibus haud dubie habebit; nec dubitat sane quin & ipse Pontifex proprio suo consilio ab omni falsa falsariorum suasione alieno tandem cogniturus, reique bonę iustas causas & infallibiles rationes recepturus sit, cui Deus Opt. Max. benefaueat, vt ad beneficium commune nominis Christiani cedat, Amen.

CENSVRÆ PRÆSTANTIVM VIRORVM.

Ego Petrus Antonius Ribettus Archidiaconus, Vicarius generalis, scriptum præsens approbo, nihilque fidei catholicæ contrarium in eo contineri affirmo.

Ego Frat. Paulus, serenissimæ Reipubl. Venetæ Theologus præsens scriptum legi & examinaui, illudque fidei catholicæ conforme adinueni.

Ego Fr. Bernhardus Cordanus Ordinis B. Francisci idem affirmo.

Ego Fr. Michael Angelus Boncellus Venetus Theologiæ Professor ordinis Minorum idem attestor.

Ego Fr. Camillus Venetus ordinis D. Augustini iam dictis assentio.

Ego Marcus Antonius Peregrinus D. & Eques ac Gymnasii Patauini iurium Professor primarius præsens scriptum vidi, cum consideratione perlegi, & terminis rationis conuenientem offendi.

Ego Marcus Antoninus Ottelius Iuris ciuilis Professor in Gymnasio Patauino ordinarius, quantum ad terminos legales pertinet, idem affirmo.

Ego Ioachimus Scainus Professor iuris ciuilis Gymnasii Patauini dictis lubens subscribo.



THEOLOGORVM VENETORVM TRACTATIO

Anno 1606.

DE INTERDICTO PAVLI V. PONTIFICIS,

IN QVA DEMONSTRATVR, QVOD LEGITIME NON sit publicatum, & propterea ob multas causas Ecclesiasticos ad sui executionem non obliget, nec etiam absque peccato ab iisdem possit obseruari;

COMPOSITA A SVBSCRIPTIS THEOLOGIS.

Petro Antonio Archidiacono & Vicario generali, Veneto.

Auctor scripti est F. Paulus Venetus.

F. *Paulo Ordinis Seruorum Theologo Serenissimæ Reipubl. Venetæ.*
F. *Bernhardo Gordano Minore Obseruante Theologo.*
F. *Michaele Agnolo Minore Obseruante Theologo.*
F. *Marco Antonio Capello Minore Conuentuali Theologo.*
F. *Camillo Augustiniano Theologo.*
F. *Fulgentio ordinis Seruorum Theologo.*



REQVIRIT sane, quo quisque in cultu diuino & cura propriæ salutis regi debet, zelus in hoc præsertim tempore, quo controuersiæ quam maximę inter Pontificem & serenissimam Rempub. agitantur, vt has duas inprimis quæstiones diligenter examinando decidamus.

An scilicet Ecclesiastici debeant aut possint interdictum huius status sine peccato obseruare? Et an Princeps Venetus possit & debeat, vt ad defensionem, talem obseruationem prohibere?

Ad probandum, quod Ecclesiastici huius status ad illius obseruationem sint obligati, & quod Princeps etiam debeat in id consentire, putant aliqui se satis præstitisse, si demõstrauerint, quod vnusquisq; obligatus sit iustis præceptis Papæ obediendi. Ad quod probandum, multum & nostra quidem opinione extra rem ac superflue laborant: siquidem non hoc solummodo illis concedimus, sed etiam quod Episcoporum iustis præceptis obedientiam omnino debeamus, quemadmodum etiam Principibus & bono Magistratui eadem haudquaquam recusanda est, &

vt propositionem illorum eo magis amplificemus, eandem etiam patri, patruo & marito non iniqua petentibus non inuite reliquimus. Si vero propositionem suam ad conuenientex terminos voluerint reducere, dicendum potiux esset, quod omni præcepto humano, cuiuscunque superioris, si modo iustum & æquum fuerit, & ne committatur peccatum, sit omnino obediendum; siquidem iustum præceptum obedientiam adeo requirit, vt pro contradictione omnino habendum sit, si alterum absque altero inueniatur.

Persistit autem omnis rei difficultas in hoc, vt hoc præceptum iustum esse demonstretur. Nam quemadmodum vnusquisque, qui commendat aut imperat, præter qualitatem superioritatis, habet etiam alteram, propter quam, ceu homo, errare potest: ita etiam Pontifex huius postremæ non est expers. Nam vt Apostolus Paulus ad Hebr. testatur, *& ipse circundatus est infirmitate, & debet pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi*, quod etiam ad Galatas exemplo D. Petri cõfirmat, cui reprehensionem merenti merito in faciem resistebat, præter quod omnes etiam totius Ecclesiæ Doctores consentiunt, quod Papa, exceptis rebus fidei in Cathedra determinatis, possit errare. Et licet modernorum aliqui etiam mores in vniuersali excipiant, eumque in illis errare posse negent: eum rebux tamen iam pridem allegatis vere eædem sunt, siquidem nihil in vniuersum mores concernit, quod de fide non sit. Sufficit satis, omnes consentire, quod Pontifex in iudiciis particularibus possit errare. Nam quemadmodum etiam multa errorum à Pontificibus commissorum exempla in promptu sunt, ita etiam sacri canones non solum eos errare, sed etiam plane hæreticos fieri posse præsupponunt, *dist. 40. c. si Papa.*

Quapropter nostrum erit, vt qui contrarias partes defendẽdas suscepimus, probare, quod Ecclesiastici interdictum seruare nullo modo sint obligati, quoniam nõdum certi sunt, num ciuitas & dominium ipsi sit subiectum. Et licet hoc pro certo scirent, ne tum tamen seruare deberent, siquidẽ absq; scandalo & turbatione status Reip. id non possent: præter quod etiam scandalum iustus ille timor ab omni obedientia cuiuscunq; legis & præcepti Pontificii eos satis superq; excusat. Et licet timore nullo retraherentur, attamen propterea seruare non essent coacti, quia non satix adhuc constat, an sententia illa iusta, an vero iniusta sit, quod postremũ plerisq; putatur.

Et quod etiam Princeps Venetux omni ratione, & quantum in illo est, illius sese publicationi debeat opponere, & executionem impedire, corrigendo scilic. illud, quod executores conantur, simul etiam probationi nostræ adiungemus. Et hunc nostrum sermonem, vt eo melius percipi & memoriæ mandari possit, in propositiones quasdam diuidendo pertractabimus.

PROPOXITIO PRIMA.

Præceptum Superiorum, licet etiam sit ipsius Pontificis, non obligat quenquam, nisi prius publicetur, aut per intimationem innotescat.

Siquidem præceptum iudicis non magis obligat, ac etiam præceptum illius, qui constituit legex, vbi legis essentiale est vt publicetur, sine qua publicatione neminem ad sui obseruationem obstringit, quod S. Thomas *12. quæst. 40. art. 4.* aperte contestatur, itaq; multo minus id præstare poterit præceptum. Præter hoc etiam cuiuis notum est, quod Pontificis legex & præcepta in aliquot Regnis pro nullix habeantur, ideoque omnium minime obseruentur, quoniam sc. ibidem non sunt publicata: & vt saltẽ vnius recordemur, Concilium Tridẽtinum innumeræ prouinciæ & Regna Christiana nihil omnino curant, nec quicquam etiam obseruare cupiunt, quemadmodum etiam, quod omnium maximum est, nec decretũ inualiditatis matrimonii clandestini ad sacramentum nostrorum opinione pertinentis, non omnex obligat, in quorum sc. regionibus dictum concilium non fuit publicatum, ita vt omnes in ea sint opinione, quod in dictis locis matrimonia clandestina possint valere.

PROPOSITIO II.

Secundo interdictum illud Pontificium in vrbe, & toto dominio Venetorum nusquam fuit publicatum.

Id quod in facto satis constat: Siquidem nec in Ecclesia aut alio loco publico commissione Prælatorum & aliorum ordinariorum Prælatorum fuit prælectum, nec ita in vllo loco, vt à populo aut alio ad eiux obseruationem obligato potuerit legi, affixum. Et si quix forte obiecerit, propter impedimenta publicari non potuisse, neque quemquam ignorantiam prætendere, siquidem non nisi affectata ignorantia sit, quæ potiux aggrauet, quam excuset: huic econtra obiicimus, multa etiam præcepta Apostolica & Concilium Tridentinum ipsum propter hæc & illa impedimenta non fuisse publicata; de quibus tamen omnes confitentur, quod obligare non possint. Et si denuo obiecerint, interdictum illud & voluntatem Papæ per alia media fuisse publicatam, idem etiam & multo melius de decreto Concilii affirmare possumus, vt quod in multis & innumeris regnix publice etiam multoties venit, nec tamen quia solemniter non fuit publicatum, omnes potuit obligare. Non minus etiam ad tertiam obiectionem, contineri scilic. in monitorio Papali, quod publicatio Romæ saltẽ facta pro obligatione sufficiat, replicare possumus, quod, licet Pius IV. per Bullam Anno 1564. editam declarauerit, decreta S. Concilii etiam absque altera intimatione primo Maij eiusdem anni factam totum mundum obligare, prædicta tamen regna illud omnino non curent, nec obligationem illam modo vllo suscipiant.

Huc accedit illud, quod quemadmodum & in regno Neapolitano nullum mãdatum etiam

Apo-

Apostolicum, licet publicationem Romæ factam sufficere posse velint, nisi regio exequatur, quicqnam valet, ita & in hoc regno vsitatum est, quod ad particulare oostrum propositum protulimus. Vltra hæc omnia instando vlterius dicet forte scrupulosus quispiam sibi sufficere, quocunq; modo sciat, quod Pontifex mandauerit, siue per scripta, siue ex alterius relatione cognitum habeat, parendum tamen esse: huic itidem respoodemus, qood vnam & eandem rem ad vnum quidem effectum sufficienter, ad alterum vero oon sufficienter scire possimus, id quod Naoarrus in *man.c.16.n.40.& cap.27.n.288.* & copiosius *supra cap. si quis. dist.7.* & tandem *supra cap. Dominus, de secundis nupt.* satis superque testatur: vbi Papa Lucius III. inquit, eum, qui ad secundas nuptias accesserit, & de coniugis vita dubitauerit, oportere, vt debitum quidem reddat, attamen oon requirat. De quibus determioationibus vere constat, probabilitatem ad confirmandam fidem sufficere, & rem ad proprium præiudicium pertinentem operari, vt sc. debitum matrimoniale requiratur, quod tamen ad credendum & in alterius præiudicium operandum, qnod erit non reddere, haudquaquam sufficit. At vero mandatum, per quod obedientia interdicti imperatur, non est in præiudicium religiosorum, siquidem in tali casu hac forte cognitione, quam etiam nunc habent, debebant esse coorenti, sed in populi præiodicium esse constat, id quod præter Sotum *4. dist.22.q.3.art.1.* etiam ipsius rei natura satis superq; probat: taceo, quod religiosi etiam ex literis suorum familiarium cognouerint, executionem inducendam non esse, & quod etiam in tractatione de tanto damno publico credendũ non sit sufficientem notitiam subesse, quousq; per propriæ cathedralis Prælatum non fuerit poblicatum, *arg. in clem. ex frequentib. de sentent. exc.*

PROPOSITIO III.

Tertio etiam propter scandalum, & perturbationem status Ecclesiæ, quæ probabiliter ex hoc ipso interdicto exoriri posset, licet sub pœna excommunicationis latæ seotentiæ *demandatum sit, ab Ecclesiasticis tamen in executionem deduci non debet.*

Quod Sylnester iisdem quasi verbis contestatur, dum inquit: *verb. obedientia. Si ex obedientia præsumitur status Ecclesiæ perturbandus vehementer, vel aliquod malum aut scandalum futurum, etiamsi præcipitur sub pœna excom. latæ sententia, non est ei obediendum.* & in confirmatione allegat Abbatem *cap. si quando. & cap. cum adeo de rescr.* Et Anton. Corduben. *l.3.q.13. reg.3.* hisce verbis eandem sententiam confirmat: *Ecclesia non intendit aliquem obligare ad aliquid cum scandalo inde probabiliter imminente, aut vnde probabiliter imminet graue malum spiritnale, quia quod propter charitatem fit, non debet contra charitatem militare.* Et paulo infra: *Si Ecclesia iubeat aliquem denunciare, & inde probabiliter timeatur maius malum, quam vtilitas, seu immineat scandalum, non tenetur, quia qui iusta causa non paret mandato, excusatur à non paritione.*

Sed quid confert allegare Doctores, cum Papa Alexander III. inter omnes conseruandæ authoritatis studiosissimus *c. cum teneamur. de præb.* ipsemet dicat: *Si non potest ei sine scandalo prouideri, æquanimiter sustinemus, si mandatum nostrum non duxeris exequendum.* Et porro in gloss. *mandatum Papæ debet adimpleri si non subsit ratio non adimplendi*, quæ glossa supra cap. *ad aures. de temp. ord.* vltro adiungit, *pro vitando scandalo cessat rigor disciplinæ.*

Præter hæc ad probandam hanc propositionem maxime etiam facit, qood obseruantia legis diuinæ quoduis præceptum Papale longe antecellit; præcauere autem scandalum, est præceptum diuinum naturale, & in Euangelio expressum, itaque parum refert, si huius obseruandi gratia præceptum Pontificis transgtediatur.

Tantum enim præceptum euitandi scandala obligat, vt obseruantiam etiam legis diuinæ positiuæ eius gratia intermittere non abhorreamus: si itaque legis diuinæ, multo magis humanæ licebit. Est vero lex diuina positiua, vt confessio sit integra: nihilo tamen minus si confessor ex huius vel illius peccati confessione secuturum scandalum veretur, ex quo confessionem audiens in aliquem posset cadere errorem, Adrianus *de confess. q.4.* & Nauar. *in man. cap.7. nu.4.* facile concedit, vt peccatum illud reticeatur. Quanto itaque minus erit nefas, propter hoc vel illud notabile scandalum præceptum papale præterire?

PROPOSITIO IV.

Ex obseruatione interdicti papalis in nobilissima hac nostra patria & toto dominio Venetorum non vnum, sed innumerabilia & immensa scandala, pericula & alia omnis generis mala sequerentur.

Quæ sane propositio illis inprimis clara & perspecta erit, quibus cõsiderare placuerit, qoid actio scandalosa sit, quam S. Hieronym. & S. Thomas pro tali definiunt, ex qua ruina & interitus spiritualis cuiuscunq; simplicis & fide infirmi sequi possit. Et certum sane est, hoc inprimis subesse periculum, ne vulgus opinans, se sine culpa in censuram incidisse, & interdicto illo onerari, & propterea ægerrime illud idem ferens, sese vertat ad sacerdotes, eos ad faciendum officium violenter cogat, aut multi ex illis feruorem pietatis plane amittant, audientes scil. multorum obiicientium voces, quod Papa, qui ad missas debebat adhortari, easdem ipsemet è medio tollat, vnde idem malum, quod Vrbini olim accidit, metuendum occurrit, in qua sane Vrbe cum ministerium aliquandiu esset prohibitum, & postmodum officia diuina vna cum missis iterũ concessa, populus vix potuit persuaderi, vt eorum rursus assuefieret, eaq; cum debita & solita reuerentia audiret. Sed quid opus est illud magno conatu probare, siquidem *cap. Alma mater.* cooltan-

rer affirmet, hæreses inde magis magisque pullulare, feruoremque populi de die in diem decrescere. Et si hoc ruina spiritualis & scandalum non est, nescimus sane, quid potius esse possit.

Perturbatio vniuersalis status Ecclesiastici est manifestissima. Si enim hæc nostra patria, vt quæ Ecclesiæ Romanæ semper cum maximo zelo adhæsit, nec præter cultum diuinum à Pontificibus institutum alium vllum admisit, vbi nulla vnquam hæresis pedem figere potuit, nec quisquam insurrexit, qui contrariam religionem adinuenerit, ab Ecclesia debet separari, quantæ perturbationes subsecuturæ sint, cuilibet facilimum erit diuinare.

Pericula, quæ euidentissime subesse videntur, non est opus longa serie recensere, motiones contra Ecclesiasticos eorumque bona, quas non ita facile erit impedire, quilibet sanæ mentis præuidet, ex quo etiam sequitur, quod quisque pro vt ipsi libuerit de authoritate Ecclesiastica loquetur, vt alios pergrandes errores silentio inuoluam, qui absq; summa suæ Sanctitatis iniuria non prætenbunt. Vnde haud dubitandum puto, si bonum ille zelum, quo Princeps & Ecclesiastici huius status communi officium diuinum tentarunt continuare, cognouisset, quin hanc eorum deliberationem potius commendasset, vtpote videns, quod licet verbis, attamen menti suæ non restiterint, ad quam sane quilibet potius, quam ad verba in obedientia erga leges & præcepta attendere debet. S. Thomas *in 2 dist. 15. q. 3. & dist. 19. q. 2.*

Propositio V.

Quinto iustus etiam timor ab obseruatione legum, & præcepti humani per se quidem legitimi, iusti & obligatoris nos satis superque excusat.

Cuius sane propositionis ratio non est, quia ab alia radice insurgit obligatio legis diuinæ, quã humanæ: sed pro indubitato præsupponitur, hominem legibus & præceptis superiorũ suorum, spiritualium & secularium, omnino esse subiectum: siquidem Deus ipse vnicuiq; obedientiam iniunxit: propterea etiã leges humanæ vires suas vigoremq; non nisi ea lege diuina acceperunt. Vnde D. August. peccatũ non immerito definit, quod legis tantũ æternę sit transgressio, ex qua lex naturalis, diuina positiua & alia humana quælibet à legitima potestate deueniens deriuatur.

Differentia vero inter obligationem legis diuinæ naturalis, à qua nullus vnquam timor excusat, & aliarum, est, quod illa bonitatem naturalem & immutabilem in se continet, & res ad salutem absolute necessarias commendat: alteræ vero tales res commendando iniungunt, quæ sua natura bonitatem non habent, sed postquam mandatæ sunt, tales euadunt, & abrogata lege etiam magis bonæ permanent, indifferenter redeunt, taliaque demandant, quæ ante præceptum ad salutem necessaria non sunt, sed postmodum, quia mandata sunt, talia euadunt, & abrogata lege magis necessaria fiunt. Et Deus sane auertat, quod illis, quæ sua natura bona non sunt, æque simus obligati, atque illis, quæ absolute talia sunt, propter quod S. Thomas *2. 2. qu. 147. in 4. dist. 93.* non indecenter dicit, præcepta diuina absolute obligare, præcepta vero Ecclesiæ inter ea non esse numeranda, quæ ad salutem necessaria sunt; vnde facile occurrere aliquid potest, quod ab illorum obseruatione impediat.

Et si iustus timor aliquem ab obseruantia præcepti legis diuinæ positiuæ potest excusare, multo magis id poterit ab obseruantia præcepti humani.

Integritas confessionis secundum omnium Theologorum opinionem est ex lege diuina positiua: nihilotamen minus, si quis in exiguo aliquo territorio Ecclesiasticum aliquem, qui non nisi sacerdos fuerit, clanculum occidisset, & ex confessione illius homicidii periculum vitæ metueret, ei liceret omnia illa peccata confitendo illud reticere. Nauarrus *in man. cap. 17. nu. 3.* & S. Thomas *4. distinct. 17 q. 3.* quemadmodum & timor, ne grauida ex sectione ventris & extractione fœtus viui moriatur, à præcepto diuino positiuo baptismatis excusare potest.

Ita etiam vota & iuramenta non minus quam præcepta superiorum obligant, *cap. debitores, de iureiuran. cap. magnæ, de voto.* à quorum tamen obseruantia iustus timor excusat, affirmante glossa *cap. si vero, de iureiur.* multo itaque magis ab obseruantia præcepti humani poterit excusare, Syluestr. *verb. metus, num 7 Metus non excusat à mortali. Limita, verum in his, quæ sunt mortalia de se, vt dictum est, quia videlicet sunt naturali vel diuino iure sub præcepto prohibita, secus, si iure humano, quia tunc timor iustus excusat à mortali.* Et *verb. excomm 5. num. 14. Non tenentur subditi obedire Prælatis præcipientibus subire mortem, vel verbera, vel aliquid facere, ad quod ista sequuntur.*

Pariter etiam Panormitanus supra *cap. sacris, de his, quæ vi.* multos casus annotat, in quibus iustus timor ab obseruantia legum humanarum excusat.

Et dicta modo propositio à S. Thoma etiam obseruatur *quol. 11. art. 9 in addit. quæst. 23 art. 3.* Gabriel Biel *4 dist. 18 qu. 2. art. 3 dub. 4.* Maior *in 4. dist 14. quæst. 4.* Almain. *tract. 1. cap. 3. quæst. 4.* Angelus *excomm 5. nu. 8.* Summa confessorum *tit. 33. qu. 167.* Tabiena *excomm. 8. qu. 10.* Sotus *libr. 1. de iust. q 6. art. 4.* Nauarr. *prælud. 7. num. 12.* Azor. *lib 1. c. 11.*

Obiiciunt aliqui *cap. Sacris, de his, quæ vi.* in quo dicitur, quod participare vires cum excommunicato à peccato excuset, timor vero non excuset: & quod non participare cum excommunicato, quantum ad particulares participationis modos, sit præceptum humanum.

Ad hoc respondet Sotus, timorem quandoque non excusare, quando scilicet in aliquo oboriatur scandalum, illudque non virtute legis humanæ, sed diuinæ, scandalum prohibentis, *l. 1. de iust. quæst. 6. cap. 4.* & Syluester *verb. excommu. 5. nu. 14.* dicit, de hoc capitulum illud intelligendum

dum esse, quando timor non iustus, sed leuis & exiguus est, & quando cum excommunicato in illo peccato mortali, propter quod excommunicatus est, participatur, aut in præiudicium fidei aliquid suscipitur.

Propositio VI.

Sexto timor iustus est, quando quis vel mortem ipsam, vel torturam, vel amißionem omnimodam aut aliqualem bonorum, vel tandem captiuitatem aut aliquid aliud persimile veretur, illudque non solum in propria persona, verum etiam in familiaribus & sanguine vel affinitate iunctis.

Timor insuper iustus est illud ipsum, quod hominem etiam alias constantem mouere potest. vbi virtus constantiæ requirit, vt minus malum gratia euitandi maioris eligatur, testante S. Thoma *2.2.quæst.125.art.4. & in 4.d.29.* & quoniam mala in vniuersum secundum pondus examinari non possunt, vt quorum qualitates à circumstantiis alterantur, communi opinione affirmatur, quod, *quis sit metus iustus, determinetur arbitrio boni viri*, & ratificatur etiam *de leg. quis metus. D ex quib. caus. maio.* in quod tandem consentit Gloss. *cap. cum dilectus, de his, quæ vi.*

Nihilominus, quantum dici potest in genere, propositio quantum ad vitam & tormenta, probatur *cap. cum dilectus. de his, quæ vi.* Quantum vero ad bona, Nauarr. *in manual. cap. 22. nu. 51.* Panormitanus & Glossa *cap. Abbas. de his, quæ vi.* Quantum ad carceres & captiuitatem, *l. nec timorem. D quod metus causa.* & omnes Doctores in hoc conueniunt, de quo videantur S. Thomas *in 4. d. 29.* de Theologis, de summistis Syluester *verb. metus.* & de Iurisconsultis glossa *c. cum dilectus. de his, quæ vi.* vbi copiose de hoc tractatur.

Et S. Thomas ac Syluester iustum illum timorem non tantum ad personam propriam, sed etiam ad patrem, matrem, fratres, liberos, coniugem & alios propinquos extendunt.

Propositio VII.

Ecclesiastici huius dominii non immerito timent, ne per obseruationem interdicti vel vitam aut bona amittant, vel per semetipsos, aut etiam eum coniunctis in mala priuata aut publica incurrant.

Nam videntes, quanto zelo populus exercitiis operum Christianorum adhæreat, & quam ad audiendas missas hucusque semper attentus fuerit, coniectare vel potius concludere facile possunt, quam difficulter ea omnia sit relicturus, & quod zelus ille ad res diuinas, si per vias ordinarias non poterit deduci ad effectum, facilime possit verti in zelum indiscretum, quo sane raptus populus exercitium religionis etiam per vim & violentiam quandam vrgere non verebitur, sibi videlicet persuadens, Pontificem non habere causas, cur illud prohibeat; nec etiam suum Principem in culpa esse, siquidem cuique notissimum est, nullam aliam summum Pontificem cum Repub. Veneta habere controuersiam, quam quod eadem cum bonis legibus & mediante iustitia suorum vitam, honorem & bona fortunæ conatur conseruare, vnde facile contra Ecclesiasticos cum ingenti & grauissimo illorum periculo, vt in simili casu euenire solet, poterit commoueri: & si non mors ipsa subsequatur, ad minus tamen aliæ violentæ & grauissimæ offensiones raro emanebunt.

Nec tutum erit etiam ex dominio plane abire; siquidem multi ex eo discedentes, nisi per ministros publicos fuissent saluati, in extremum periculum incidissent, dum multi illorum discessum ægerrime ferrent: si vero conuenerint, vt alius post alium abiret, interimque alii adhuc remanentes, quousque ordo illos tangat, interdictum seruare recusauerint, etiam hoc modo præceptum illud non producetur in effectũ: aut si placet discedere vna, nihil tam prompte contra illos ipsos popularem impetum concitabit, quam si omnes ita congregati, & ad abitum parati visi fuerint: aut si veniam abeundi absque periculo impetrarent, amissionem tamen bonorum, vt ex quibus sese sustentant, & quorum amissio perditioni vitæ proxima est, ex quo in timorem iustissimum inciderent, effugere nullo modo possent.

Nec potest etiam dici hoc tantum valere in clericis secularibus, qui propria bona possident, nec ad regulares & ex communi viuentes quicquam pertinere; siquidem tanto maior cura bonorum est habenda, quanto communiora sunt. Nam vt S. Benedictus in regula requirit, & ante illum D. Augustinus postulat, *Charitas, de quo scriptum est, quod non quærat, quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit, & ideo quanto magis rem communem, quam propria vestra curaueritis, tanto amplius proficere noueritis.*

Et cum in propositione antecedente demonstratum sit, iustum timorem non solum in propriæ cuiusdam personæ, sed etiam in agnatorum periculis subsistere, cuilibet facile constabit, quantis etiam Ecclesiasticorum propinqui periculis hoc modo exponantur. Et quod omnium maximum est, omnibusque non solum per legem scriptam, sed etiam natura ipsa cordi insertum, est patriæ ipsius salus propria, quæ omnem amorem priuatum etiam erga coniunctissimos antecedere debet, & erit sane periculum manifestissimum, ne ex intermissione exercitii religionis omnis pietatis feruor amittatur, peruersæ opiniones introducantur, mutationesque veræ religionis in animis minus constantium insurgant.

Hunc timorem omnis vere religiosus habere debet: siquidem secundum *cap. Alma mater.* ante annos 300. (cum paucissimæ adhuc erant hæreses & insuper etiam lõgissime dissitę) conscri-

ptum, *ex interdictis indiscretis indeuotio populi excrescit, pullulant hæreses & infinita pericula animarum insurgunt.* Vnde etiam DD. in vniuersum omnes exiguum illud bonum, & prægrande malum, quod ex iis licet interdum etiam iustis consequatur, confiteri non verentur. Sotus enim in particulari *in 4. d. 22. quæst. 3. art. 1.* quod interdictum ad conseruationem authoritatis Ecclesiasticæ sit inuentum considerans, aperte confitetur, cum adeo sit extenuata, sæpe contrarium subsequi, vltra quod etiam populo maximum damnum & iniuriam intolerabilem inferat, & quod interdictum aliquoties etiam non vltra triduum durauerit, tandemque concludit, non esse nisi ob causas vehementer vrgentes mittendum, nec tamdiu etiam in vigore retinendum, quousque populi zelus ac pietas deferuescat.

Illud autem, quod hic plurimum refert, est, quod præsens hoc tempus, in quo nomen Catholicum in paucissimas prouincias quasi restrictum est, & cum toto dominio Veneto, etiam ciuitas ipsa variis populis variarum nationum quam maxime abundat, quam maxime requirit, vt Ecclesiastici statum grauissimorum periculorum, quæ exercitium diuinum, fidesque sancta secum ferre videtur, animo considerent, tandemq; iusto timore perculsi concludant, sese ad obseruationem illius interdicti, ceu præcepti humani, quantumcunque etiam iustum & æquum fuerit, haudquaquam obligari.

Propositio VIII.

Potestas summi Pontificis, qua Christianis mandare solet, non est omnis limitationis expers, nec sese etiam ad omnes materias & modos extendit, sed ad finem potissimum vtilitatis publicæ ad Ecclesiam pertinentis restringitur, & legem diuinam pro regula habet.

Qui autem liberam ei & absolutam potestatem omnium rerum ascribunt, hoc nituntur fundamento, quod sit Vicarius CHRISTI, *& per consequens etiam Deus, ac propterea etiam omnis potestatis factus ab eo particeps, qua potestas ad omnes sese res extendat.*

Quod CHRISTI sit Vicarius, hic sane non negatur, sed tantummodo, quod limitatam habeat potestatem demonstratur. Nam primo Christus suam illam potestatem ipsi quidem eeu homini, at non velut Deo communicauit: & Christi quidem potestas ad omnes res in vniuersum extenditur, hæc vero ad regnum cœleste restringitur, siquidem Christus ipse dicit; (Ioan. 18.) *Regnum meum non est de mundo*, nec cupit etiam esse iudex, (Luc. 1.) vt hereditatem inter fratres diuidat: & propterea etiam sese abscondebat, (Ioan. 6.) cum videret, quod vellent ipsum eligere in Regem, suamque illam integram potestatem plenius explicans, de seipso Patrem ita alloquitur: (Ioan. 17.) *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omnibus, quos dedisti ei, det vitam æternam.* Ex quo satis superque constat, qualem potestatem Christus ipse exercuerit, & quod eam & omnem Pontifici nostro haudquaquam communicauerit, vt quæ secūdum omnium Theologorum opinionem eo sese extendit, vt peccata etiam sine sacramentis remittere possit, iuxta illud; *Matth. 9. Vt autem sciatis, quod filius hominis habeat potestatem in terra dimittendi peccata, &c.* Et hanc secundum omnium opinionem nihilominus Pontifici non communicauit, & posset etiam sine Sacramento ordines sacerdotales instituere, & ne hoc etiam Papæ concessit, quemadmodum etiam potestatem instituendi Sacramenta habuit, eamque Pontifici denegauit, qua potestate inferiore fretus etiam, ne minimum quidem in mutatione formæ huius vel illius rei essentialis facere & instituere potest. Nec vspiam Theologum reperiri puto, qui omnem & integram autoritatem Christi Papæ ascribere ausit: cum econtra multi sint, qui eum multo inferiorem esse aperte dicant. Caiet. *2. 2. quæst. 88 artic. 12. Si Dei Vicarius plene potestate Dei fungeretur in terris, sine dubio posset omnia vota vice Dei relaxare, sed quoniam non plene fungitur Dei potestate, sed limitate, scilicet ad pascendas oues, & ad clauibus regni cœlorum vtendum ad ædificationem, ideo non potest ad libitum vota relaxare, sed quantum ædificationi consonat, commutare vel dispensare: relaxare siquidem ad libitum vota, pertinet ad claues excellentiæ Christi, qui claudit & nemo aperit.* De quo etiam videatur Iacobus Almainus, *de potestate Ecclesiastica.* & Nauar. *super cap. nouit. de iud. not. 3. num. 130.* Nec etiam hanc suæ potestatis partem Christus Pontifici concessit, quæ conducebat, vt in Ecclesia in capite visibili remaneret, nisi ad finem ædificationis. Propterea D. Paulus *1. Corinth. 2.* ait: *Non enim possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate.* & *ad Rom. 14. quæ pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus.* Et *1. Corinth. 10 & 13. de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, non in destructionem.* Ædificationem vocans omne illud, quod ad incrementum honoris diuini facit, & econtra destructionem, quod illum diminuit. *Ephes. 2. in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum S. in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.* Nam quemadmodum templum materiale fabricatur, vt Deus corporaliter in eo honorari possit, ita anima per doctrinam, bona exempla & correctiones instruitur, vt debitus in ea honos Deo præstetur. Et propterea D. Apostolus Paulus *1. Corin. 4.* dicit: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum* DEI. Quemadmodum etiam Doctores potestatem Ecclesiasticam ad legem Euangelicam perstringūt, vt ex definitione à Gersone & Parisiensis data apparet, vbi dicitur, quod *potestas à Christo Apostolis & discipulis ac successoribus eorum legitimis supernaturaliter sit tradita, ad ædificationem Ecclesiæ militantis secundum leges Euangelicas pro consecutione felicitatis æternæ.* Et secundum Nauarrum: *Est potestas à Christo instituta immediate & supernaturaliter ad gubernandos fideles secundum legem Euangelicam in supernaturalibus, & quatenus ad illa opus sit, etiam in naturalibus.*

Ex

Ex quibus omnibus concluditur, quod tum demum vsus potestatis Pontificiæ legitimus sit, cum in eum finem, & iuxta eam regulam vsurpatur, in quem Christus eandem instituit, econtra vero abusus non immerito vocari possit, quando in contrarium assumitur.

PROPOSITIO IX.

N*Vm potestas summi Pontificis sit subiecta sacris canonibus & decretis generalium decretorum, an verò absoluta & illis superior, hucusque nondum est decisum, sed in Ecclesia Dei adhuc in dubio hæret.*

Et pendet sane eiusdem decisio in determinatione, in quo suprema potestas Ecclesiastica persistat, num in summo scil. Pontifice, an vero in Ecclesia & concilio, quod eandem repræsentat? Stant in vtroq; latere huius quæstionis Doctores autoritate & pietatis zelo percelebres. Nā quemadmodum concilium Constantinum & Basiliense superioritatem concilii determinarunt: ita Papa Leo X. in concilio Lateranensi summo Pontifici superioritatem concessit. Et inter prouincias Christianas aliæ huius, aliæ vero illius opinionem sequuntur. Ad quod Cardinalis Bellarminus adiungit *ad literam l. 2. de auct. concil. c. 13. Et quamuis postea in concilio Florentino & Lateranensi vltimo videatur quæstio definita, tamen quia Florentinum concilium non ita expresse hoc diffiniuit, & de concilio Lateranensi, quod expressissime hoc diffiniuit, nonnulli dubitant, an fuerit vere generale, ideo vsque ad hanc diem quæstio superest etiam inter Catholicos.*

Et Nauarr. *super c. nouit, not. 3. n. 84.* reddens rationem, cur in definitione potestatis Ecclesiasticæ non dixerit *tradita*, sed *instituta*, inquit, *ne me oporteret diffinire, cui illa fuerit principaliter à Christo collata, an Ecclesiæ toti, an vero ipsi Petro, quod non est facere consilium in præsenti, propter illam maximam discordiam Romanorum & Parisiensium: illi enim tenent Petro & successoribus datam esse hanc potestatem, atque ideo Papam concilio esse superiorem: ii vero, quibus Gerson adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ licet exercendam per vnum, atq; ideo in aliquot saltem casibus concilium esse supra Papam.* Et postquam totum numerum Doctorum hanc & illam opinionem defendentium enarrasset, infert verba Ioannis Maioris: *Roma nemini permitti tenere Parisiensium & Panormitani sententiam, nec rursus Academiam illam Parisiensem pati, vt contraria opinio asseratur in ea.*

Eandem sententiam sequitur Ioannes Mariana Iesuita in suo libro de Rege *lib. 1. c. 8.* qui liber publico examine collegii Iesuitarum & altero etiam autoritate Regis Hispaniarum facto fuit approbatus.

PROPOSITIO X.

O*Bedientia, quam Christianus præcepto Pontificis debet, non est in omnibus rebus absoluta, sed omnes illæ res ab eadem excipiuntur, quæ contra legem Dei pugnant, in quibus obedientia pro peccato habetur.*

Hæc propositio adeo quidem est nota, vt nulla probatione egeat. Ne tamen absque confirmatione prætereatur, adducam illud, quod D. Petrus *in Actis Apostolorum c. 5* refert; quod *obedire oporteat Deo magis, quam hominibus.* Ad quod etiam reprehensio Christi erga Pharisæos non parum facit, dum inquit: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* interpretando insuper, quod de præceptis superiorum contra mandata Dei Esaias prophetauerit: *frustra colunt me docentes doctrinas dæmoniorum & mandata hominum.* Quam etiam materiam S. Thomas *1. 2. q. 96. art. 5.* & Canonistæ super capitulum, *si Dominus non semper. Iulianus. &, qui resistit. 11. quæstione 3.* abunde tractant.

PROPOSITIO XI.

O*Bedientia, quæ summo Pontifici debetur, non sese extendit ad omnes res, quæ non sunt contraria legi diuinæ, sed in multis etiam bonis homo libertatem habet, vt obedire non cogatur.*

In Deuteronomio enim obedientia, quam Pontifici debemus, restringitur solummodo ad res; quæ in lege diuina continentur. *Facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius*, id quod hoc loco in nullum alium finem profero, quam vt iis, qui obedientiam Pontifici debitam probare conantur, possim demonstrare, quod alia obedientia ei non concedatur, quam quæ ad legem referri potest.

S. Thom. *2. 2. q. 104. art. 5.* affirmat, *quod motibus internis animæ Christianus non sit obligatus, vt potestati alicui humanæ obedientiam præstet, quemadmodum nec etiam in iis rebus, quæ ad naturam corporis pertinent, Secundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo quia omnes homines natura sunt pares, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem & prolis generationem.*

Caietanus 22. q. 88. art. 12. *Papæ Christiani, quoad bona temporalia, & quoad operationes personales non subiiciuntur absolute, sicut religiosi prælatis suis.* Et paulo inferius: *nam patet innumeras esse obligationes quæ non subsunt Papæ ad nutum, vt patet in contractibus inter hominem & hominem, & multo minus inter hominem & Deum.* Et iterum paulo magis infra: *clare patet, quod Christiani non sunt Papæ subditi absolute quoad omnia, sed limitate secundum quid ad spiritualia in ædificationem corporis Christi, & ea, quæ ordinantur ad hoc.* Et Nauarr. *in manual. c. 23. num. 38.* affirmat, quod Papa non possit quenquam cogere, vt peccata semel integre confessa denuo confiteatur, licet confiteri opus bonum sit. Ita etiam Panor. *cap. 2. cum olim. de cler. coniug.* affirmat, Papam nemini posse continentiam iniungere,

licet continentia inter bona opera non immerito numeretur. Syluest. *verb. obedientia primo*, dicit, *obedientia limitatur secundum gradum superioritatis, superioribus, spiritualibus, puta, Papa obediendum est in spiritualibus pertinentibus ad salutem, quæ spopondimus in baptismo.* Quod idem etiam S.Thomas *in 2 distinct. 44.q.2.* & optima quidem ratione contestatur: siquidem Papa erga eos, qui nondum sunt ingressi Ecclesiam Dei, aut alias sunt infideles, nec adhuc baptizati, autoritatem omnino nullam habet. Et *quid*, inquit Apostol. Paul. *mihi de his, qui foris sunt, iudicare?* Necesse est itaque, vt homo baptismo sese subiiciat, nec tamen etiam tum in obligatione manet, nisi quatenus in baptismo promisit. Et si quis forte locus apud hunc vel illum patrem reperitur, affirmans, quod in rebus omnibus obedientiam debeamus, huic distinctionem accommodatam & secundum terminos potestatis limitatam, in hoc vniuersali adhibendam esse opponimus. Siquidem Apost. Paul. *3. ad Coloss.* inquit: *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est Domino.* Et ad seruos: *Obedite per omnia dominis carnalibus.* vbi non est dubium, quod obedientia secundum potestatem paternam & dominorum restricta intelligatur. Et Gl. *c. ad aures, de temp. ord.* dicit: *Prælato, si non pertinet ad officium suum, quod præcepit, non est obediendum: Si v. pertinet ad officium, obediendum est, si non decipitur in præcepto.* Vltra quod S. Bernhar. *in libro suo de præcepto & dispensat.* prolixo discursu omnem obedientiam ad regulam, secundum qualem est promissa, restringit, locus mehercule dignus, vt ab omnibus videatur & diligenter ponderetur.

PROPOSITIO XII.

CHristianus non debet præstare obedientiam huic vel illi præcepto, (licet etiam sit ipsius Pontificis) nisi prius illud idem, an scil. conueniens & legitimum sit, examinauerit, & tale itidem, quod obligare possit: nam qui inconsiderato paret, pro tali, qui in hoc peccauerit, habendus est.

Et hoc per propositionem supra monstratam efficacissime probatur. Quicunq; enim Papæ contra præceptum Dei obedientiam præstat, indubitanter peccat: itaque nemini licet obedire, nisi prius mandatum illud papale examinauerit, & in collatione cum præceptis diuinis illis non oppugnare inuenerit. Similiter etiam tum nemo obedire præceptis papalibus debet, quando videt aliquod scandalum ea sua illa obedientia nasci posse, aut non ædificationem, sed destructionem Ecclesiæ inde secuturam veretur. Conuenit itaque, vt ab vnoquoque consideretur, quid ex tali aliqua obedientia sequi possit, nec vllo modo præstetur, nisi probabiliter percognitum sit, nullum omnino malum aut perturbationem Ecclesiæ aut diminutionem cultus diuini ea illa insurgere posse. Imo quod magis est, non exigua fieret reuerentiæ; quam Pontifici debemus, iniuria, cum quis crederet, quotiescunque aliquid ab illo præcipitur, nullam apud eundem excusationem valere, sed laudandus potius ab illo ipso Christianus foret, cum videret, eum ad parendum non adeo promptum esse, sed nunquid forte mali ea eo consequi posset, considerare. Huius etiam confirmationem demonstrat decretale Alexan. III. qui *inc. si quando, de rescript.* ad Archiepiscopum Rauennatem scribit, quod quotiescunque aliquid præcepit, parendum omnino sit, aut afferenda rationabilis causa, cur obediri non possit. Itaque Pontifices eos semper excusatos habent, qui propter hanc vel illam causam obedire non possunt: debetque subditus, antequam ad obedientiam præstandam veniat, diligenter prius ponderare, an nulla subsit causa, quæ illum ab eadem impediat. Nec hic etiam modus paredi testimoniis S.Scripturæ caret: siquidem supra Euangelista Luc. *c.17. Act. Apost.* de Apost. Paulo recenset, quod illo in Beroe Euangeliũ prædicante, aliqui cum magna auiditate auscultauerint, & singulis diebus Scripturas diligenter perscrutati fuerint, vt sc. viderent, num ita esset, quemadmodum Paulus retulerit, eaque propter à sacris literis maxime commendantur; & addit porro, nobilissimos inter Thessalonicenses fuisse, de quibus idem Apost. Paulus dicit, *in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, perfecta est.* Si itaque laude dignum fuit, scripturas scrutando videre, num ita sese haberet, vti Paulus prædicauerat, non minorem profecto commendationem merebitur, scripturas & alias doctrinas catholicas perlustrando animaduertere, num ei, quod Papa præcipit, parendum sit. Et si non fuisset licitum, præcepta & exempla summi Pontificis secundum præcepta diuina regulare, Paulus sane D. Petrum *ad Gal. 2.* non reprehendisset, eidemque obiecisset, quod veritati Euangelii conformis non sit. Imo Petrus ipse; quando conuersi Iudæi contra ipsum murmurabant, quod Cornelium Centurionem recepisset, rationem facti illius reddeos respondit, reuelationibus diuinis eo sese commotum fuisse; *parati* (vltro de aliis & semetipso etiam inquirens) *reddere rationem vnicuique poscenti vos de ea, quæ in vobis est, fide.*

Cap. 11. Act. Ap.

Et hoc etiam certum est, quod Pontifex in iudiciis particularib. possit errare, licet omnem diligentiam adhibeat, bonamq; habeat intentionem, siquidem multi in hoc etiam *de facto* errauerunt, quod historiæ abunde testantur: vnde nemo mirari debet, si fidelis quispiam prospiciat, an in præcepto error aliquis deprehendatur.

Nemo tamen putare debet, nos definire velle, an prolixum vel breue aliquod examen requirat, sed quemadmodum in propositione dictum est, quantum materia ea postulat; nam interdũ præceptum adeo clarum est, vt quasi in momento cognosci possit, quod obedientiam expostulet, alias vero vnius diei studium requirit, quemadmodum nonnullis integer etiam mensis non sufficit. Nec etiam termini in alium finem conceduntur, quam vt Christianus obligationem præpon-

præponderet: nam si cuilibet mandato absque vlla meditatione obediendum esset, terminorum non opus esset.

Secunda pars propositionis ex prædicta manifeste sequitur: siquidem quilibet præcepto, absque quod illud prius examinauerit, obediens periculo sese exponit, ne quid contra leges diuinas committat, aut per eam ipsam obedientiam scandalum aliquod præbeat: exponere autem sese periculo peccandi peccatum est: *Qui n.* inquit Ecclesiastes *c.3. periculum amat, in illo peribit*: & Caiet. *in summa*, Nauarr. *in manual. c.14. n.27.* & Gerson *in legibus moralibus* ponunt illud pro regulâ generali, à qua nemo sese excusare possit, quod eam nescinerit: nam est præceptum *de iure natura*, quod quilibet obligatur scire, vt Nauarr *supra c. si quis. de pœn. dist. 7 n. 83.* testatur.

Hæc propositio est doctrina Cardinalis Toleti, qui *in suo libro instruct. Sacerdotum l.5. c.4.* de residentia Episcopali ita loquitur: *Cum enim Papa imponit aliquod negotium Episcopo, quod requirit ad tẽpus absentiam, abesse potest. Sed attende, quod non sufficit obedientia tantum, sed debita, quia cum absq; causa rationabili aliquid præcipitur, non debemus obedire.*

Nec potest responderi, quod si quis obediens Papæ inscius aliquid contra legem Dei faciat, omnino sit excusatus, siquidem vt S. Thomas & cum eo omnes Theologi & Canonistæ affirmant, ignorantia nisi sit inuincibilis, non excusat: talis autem ignorantia non est, nisi quis omnẽ illud præstiterit, quod veritati congruum esse cognouit, nihilque facilius est, quam cuius ipse sit capax, examinare; quod quilibet præstare tenetur, & nisi fecerit, periculo peccandi sesẽ exponit.

Nec dicat aliquis, quod omnino præsupponendum sit, nullum præceptum ipsius Papę contra legem Dei esse: nam quemadmodum hoc verum est, quod ad effectum presupponi debet, ità temerarie affirmare, quod ita sit, ita etiam non ad effectum præsupponendum est, vt mandata prius non considerata exequamur.

Meum quidem est, vt vnumquemque hominem pro bono habeam, nec quicquam mali de aliis temerarie proferam, sed non ad effectum res meas absque consideratione cuiuis committendi, nisi audire velim, quod Apostolus Paulus inquit, *qui ignorat, ignorabitur*, considerando maxime, quod summus Pontifex sit homo, qui æque ac alii facile labi & peccare potest: nam vt Apostolus Paulus ipse inquit: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his, qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* Quod idem reprehensio, qua Christus Apostolum Petrum reprehendit, satis etiam demõstrat, cum inquit, *vade retro post me, Satanas, quia scandalum es mihi, & non sapis, quæ Dei sunt.* Et si quis dicat, Petrum tunc temporis nondum accepisse Spiritum sanctum, scimus equidem, quod Pontifices pro tempore Spiritum sanctum habeant, tantummodo vt in rebus fidei & morum in vniuersali, quando scilicet de cathedra determinant, non errent: Attamen etiam postquam Petrus Spiritum sanctum accepisset, nihilominus Paulus eidem obiiciebat, *quod non recte ad veritatem Euangelii ambularet.* Et videmus etiam, quam frequentissime illius successores leges & præcepta suorum prædecessorum, & suas etiam proprias reuocent, quando nimirum meliorem informationem accipiunt: quemadmodum etiam in decretalibus sæpissime confitentur, sese ad reuocandam sententiam, cum forte contra iustitiam deliquerint, semper promptos ac paratos fore, quod tamen, si errare non possent, vanum omnino esset, de hoc videatur *c. ad Apostolica. de sen. & re iud. in 6.*

Nemo insuper credat, quod propositio illa sit contraria doctrinæ communiori, quod sc. subditus dubitans, an teneatur Prælato obedire, nec ne, semetipsum debeat tenere pro obligato. Siquidem hoc non intelligendum est de dubitante, qui rem nondum ponderauit, sed de eo, qui post diligens ac sufficiens institutum examen adhuc de certitudine rei dubitat. Et de hoc etiam illi loquuntur, qui etiam in casu dubio obedientiam requirunt, ac non de illo, qui propterea dubitat, quia rem nondum, vti debebat, ponderauit. Adiungendo itaq; concludimus, quod, quantumcunque Christianus teneatur in casibus similibus dubiis obedire, non tamẽ sequatur, quod propterea superiori licitum sit mandare; Siquidem is grauiter peccet, qui illud commendat, de quo ipse dubitat, an subditus ad eius obedientiã sit obligatus. Et de hoc tractat Adrianus *6. Quol. 1.* Et in vna ex suis conclusionibus porro dicit, *non pertinet ad potestatem Cathedræ præcipere, vt ei obediatur, stante dubio, quia est contra legem naturalem.* Imo si Christianus nouerit, sibi impositum esse mandatum, quod Prælatus ipse pro dubio habet, non tenetur obedire. Et dubium inuincibile obligationem tunc omnino tollit, quando ipse dubitat, interim tamen nescit, quod etiam Prælatus ipse dubitat.

PROPOSITIO XIII.

NOn sufficit Christiano, vt Papa asseuerando confirmet præceptum suum esse iustum, sed oportet illud examinare, & semetipsum, vt supra dictum est, regulare.

Et hæc propositio ex supra dictis satis superque confirmatur. Nam quemadmodum potest errare in præcepto, ita etiam falli potest in eo, quod illud idem pro iusto cognoscit. Et vt is peccat, qui non examinando, an præceptum aliquod iustum sit, periculo sese exponit, ita etiam & nonminus sese eidem periculo obiicit, qui prius non considerat, an vera sit illa opinio, quam Papa de iustitia illiusmet præcepti habet. Et qui rationibus hisce non est contentus, habet etiam expressam autoritatem Glossæ, quæ *cap. ad aures. de temp. ordin.* dicit: *si præcipitur quod omnino est*

malum,

malum, non faciat contra conscientiam, licet iustum videatur prælato. Et in particulari de Papa Syluestr. *verbo obedi. 5. Vtrum Papa in omnibus sit obediendum, ab Ecclesiasticis respondetur, quod non, primo si præceptum sapit peccatum, & intellige etiam de veniali; etiam si Papa credat mandatum iustum, & tamen subdito constat, illud in se continere peccatum.* Et hæc etiam est doctrina Adriani VI. *qu. 2. artic. 3.* Tandemque hæc propositio efficacissime confirmatur per *c. inquisitionis, de sentent. excommunicationis.* & *cap. literas. de restitution. spoliat.*

Propositio XIV.

Si quis præceptum hoc vel illud diligenter quidem examinauerit, nec dum tamen per se ipsum scire, seque resoluere potest, an legi diuinæ conforme vel potius aduersum sit, & an ex illius obseruatione & obedientia scandalum aliquod subsequi possit, is omnino obligatur, vt viros doctiores bona conscientia & Zelo erga reuerentiam Sedi apostolicæ debitam præditos adeat, & ab iisdem rei informationem petat.

In rebus ac casibus dubiis bona conscientia semper eligere debet partem magis securam, vbi nullum est periculum erroris, id quod tum ratio ipsa demonstrat, tum sancti etiam omnes præcipiunt. Quando vero ab vtraq; parte periculum aliquod metuendum videtur, omni modo & labore nitendum, vt veritas cognoscatur.

In hoc vero casu, quem propositio isthæc proponit, non est pars secura. Etenim si hoc, quod propositio requirit, non præstatur, incurritur periculum violatæ obedientiæ, si vero fit, Deum ipsum offendi nullum prostat dubium. Quapropter quilibet eo vsque periculo per ignorantiam errandi sese exponit, quousque in inuestiganda veritate & iustitia illius, quod præcipitur, omnē adhibuerit diligentiam: at vero consilium ex illis mediis non est, quæ aptitudinem alicui & gratiam legis diuinæ cognoscendæ elargiri & tribuere possunt. Itaque ad hoc erit attendendum, quod S. Gregorius dicit, *distinct. 84. c. peruenit: Quod quis per se nequit attendere, ab alio saltem possit addiscere.* Cui addi vltro etiam potest *distinct. 38. c. vltim, & Glossa supra d. c. peruenit,* ita inquiens; *Ex lege tunc non prodest ignorantia, cum potuit addiscere vel per se, vel per alium.* De quo itidem videri potest Nauarr. *in manual. c. 23. num. 46.* qui etiam *supra cap. si quis autem. de pœn. distinct. 8. num. 50. & sequent.* de hac materia prolixe tractans inter alia ita inquit: *Excusamus item illum, qui cum non sit ea eruditione, vt per se opinionum fundamenta librare valeat, tamen bona fide ac serio virum aliquem eruditionis ac pietatis fama clarū consulit.* Et in illius sui sermonis confirmationem multorum Doctorum autoritates allegat, quas, ne hic longiores simus, aliis committimus legendas: inprimis vero Gersonis *in tractatu materiæ excommunicationis* ita loquentis mentionem facit: *Excommunicatio vel irregularitas non incurritur, dum in præmissis casibus dicit aliquis Iuristarum vel Theologus iuxta conscientiam suam, quod huiusmodi sententiæ non sint timendæ vel tenendæ; Et hoc præsertim, si obseruetur informatio seu cautela debita, & sequatur scandalum pusillorum, qui extimant, Papam esse vnum Deum, qui potestatem habeat in cœlo & in terra: Veruntamen expellenda est talium stultitia per informationes, qui si nolint acquiescere, ipsi tam sunt iudicandi de scandalo non dato, sed accepto.* Et Nauarr. *cap. cum contingat. de resc. 2. rem. num. 30. Qui vnius Doctoris eruditione ac animi pietate celebris autoritate ductus fecerit aliquid, excusatur, etiamsi forte id non esset iustum, & alii contra vsum tenerent.* Et allegans adhuc plura Doctorum testimonia, vltro adiungit; *Quod etiam ad excusationem à violatione censurarum præcedere speciatim satis fateatur Ioan. Andreas Dominicus, &c.*

Ex quibus omnibus facile concluditur, Serenissimum Principem & Remp. Venetam duo illa præcepta decimo Decembris à Pontifice data, vtpote vnum de reuocandis legibus, in quibus erectio Ecclesiarum in suo statu & alienatio etiam bonorum laicorum ad Ecclesiasticos sine licētia prohibetur, & alterum de restitutione captiuorum reorum in manus Nuncii, non immerito examinasse, vt qui præcepta illa non solum terminum autoritatis pontificiæ transcendere, sed etiam legi diuinæ aperte aduersari inuenerint, nec propterea obedientiam vllam mereri, id quod Pontifici ea, qua debeant, reuerentia responderunt.

Requiritur quin etiam, vt Prælati huius status, si de seruando interdicto præceptum aliquod acceperunt, aut adhuc accepturi sunt, illud quando à Pontifice ordinatur, sub pœna peccati diligenter examinent, & an legi diuinæ sit conforme, an vero tale, quod scandalum aut destructionem Ecclesiæ parere possit, animaduertant, & si scandalosum adinuenerint, causam, cur exequi non possint, reddant. Et si quis sine huiusmodi examine (quod, quando de re grauiori tractatur, tanto diligentius requiritur) illud exequitur, is grauiter peccasse habendus est. Nec dicat etiam aliquis, se ex superius dictis satis quidem cognouisse, rationes Reipublicæ non esse inualidas, interim tamen sibi non licere, præcepto Pontificis contradicere, ne sc. contra *cap. si quando,* delinquat, multo minus illud debere examinari, sed omnino præsupponi, Papam habere rationes. Qui enim ita statuunt, & Pontifici etiam in rebus iniquis tam arcte adhærent, in illorum numero habendi sunt, de quibus Euangelium dicit, *cæci sunt & duces cæcorum.*

Propositio XV.

Quando Pontifex etiam in mandatis iniquis & autoritatem ipsi à Christo datam excedentibus, aut legi diuinæ quoquo modo repugnantibus, fulminando aut censuram, seu excommunicationem, & interdictum mi-

ctum minando & cuomendo obedientiam expostulat, illud pro intolerabili errore & summa iniustitia merito est habendum, & propterea nec recipiendum, nec in effectum præstita obedientia deducendum, salua tamen reuerentia, quam Sedi Apostolicæ alias deberi confitemur.

Nam qui non delinquit contra præceptum aliquod legitimum, is non peccat, & qui nec mortaliter, nec cum contumacia peccat; non potest etiam excommunicari, siquidem Christus ipse *Matth.18.* excommunicationem instituens, inquit, *si peccauerit in te frater tuus, &c.* Et S. Paulus de quibus peccatis Christus loquatur *1.Corint.5.* exponens, *si is*, adiungit, *qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere:* nec admittit excommunicationem, nisi *ad interitum carnis*: opera vero carnis *ad Gal.5.* enumerans tandem concludit, quod è Regno Dei excludantur. Itaq; contra mentem & intentionē Christi & ipsius Apostoli Pauli est, quod quisquam per causam, vbi peccatum non commisit, nec contra iustum aliquod præceptū deliquit, excommunicetur. Nec puto quempiam vel Doct. vel Theologum aut Canonistam etiam fore, qui hanc conclusionem omnino non sit recepturus.

Insuper iudicium iniustum non est iudicium, teste D. Thoma *secunda secundæ quæst.70.art.4.* nec sententia iniusta per defectum causæ pro sententia habenda, vt Caietanus *in illo ipso loco* affirmat, nec excommunicatio iniusta pro excommunicatione cognoscenda, referentibus Adriano *quolib.6.* Caietano *tractat.19. de excommunic.* & Soto *in 4. dist.22. quæst.1. art.3.* Et si tantummodo in foro conscientiæ iniusta est, in eo ipso foro sententia non est: si vero etiam in foro exteriori est iniusta, tunc nec sententia est, nex excommunicatio, multo minus in foro exteriore; & quemadmodum D. Thomas *secunda secundæ quæst.67. art.1.* demonstrat, sententia est lex quædam particularis; sed lex iniusta non est lex, sed potius tyrannis; itaque nec sententia iniusta sententia est. Ac propterea ad vulgarem illam obiectionem, *sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta, est timenda*, responderi potest ac debet, sententiam intolerabilem errorem continentem non esse sententiam, & propterea etiam nullo modo timendam; vnde Gerson *in materia excommunicat. & irregular. consi.7.* non inepte dixit: *Alioquin Prelati possent inducere qualemcunque vellent super alios seruitutem, si suis sententiis iniquis & erroneis semper esset obediendum. Et ita patet, quod hoc commune dictum sententia Prælati vel iudicis, etiam iniusta timenda est, indiget Glossa, alioquin non est generaliter verum, si dicitur timenda, quia est sustinenda, nec repellenda: imo in casu pati illam esset asinina patientia & timor leporinus ac fatuus.*

Afferuntur multi casus, in quibus sententia excommunicationis nulla est. Et glossa affert duodecim *cap. præsenti. de sent. excommun. in 6.* quos Nauarrus reducit ad quinque *in manual. c.27. nu.4.* Angelus vero *excommun.4. §.19.* affert quindecim.

In quibus omnibus autoribus & casus noster vt plurimum reperitur comprehensus: de huc videri potest Sotus *in prædicto loco*, vbi demonstrat, non posse fulminari excommunicationem aliquam contra illum, qui opus præclarum gessit, aut nihil illicitum commisit. Gerson vero in *supra alleg. loco*, secundum doctrinam Innocentii casus nullitatis excommunicationis nominatim de fulminata excommunicatione à Pontifice Rom. recenset; dum ita ait; *Alter est, si sententiet in præiudicium iustæ libertatis. vt si volens vsurpare ciuitatem vnius Principis, ferat sententiam excommunicationis in nolentem eam sibi tradere. & ita de multis similibus, vt si excommunicare vellet illos, qui suo Regi, & suis edictis rationalibus obediunt Notauit hoc Innocentius, vbi prius.*

Et vt relictis Doctoribus adeamus Canones ipsos, ingentem sane numerum affert Gratianus illorum, qui expresse dicunt, iniquam excommunicationem timendam non esse. *c. cui illata. c. secundum Catholicam c. cepisti habere, c. temerarium, cap. quid obest, c. quomodo, c. illud plane. 11. q.3. c. si quis. 24. dist.3. c. manet. 24. q.1.*

Et si quis non potest intueri & inspicere omnia, videat saltem primum & duo postrema, ad plenum mea quidem opinione informabitur.

Et vt particulariter explicetur, quomodo Christianus, contra quem talis censura fulminata est, sese gerere debeat, Petrus de Palude *in 4. d.18. q.1.* hoc affert consilium; *Qui nulliter excommunicatus denunciatur, ita ex aduerso ipse publicet causam, quare sententia non valet, puta appellationem, vel aliam iustam causam, quo facto, non est amplius scandalum pusillorum, sed Pharisæorum, vnde contemnendum:* quam eandem doctrinam Antonius & Nauarrus *c. cum contingat. rem.2.* & Gabriel *in 4. distinct.18. q.2.* sequuntur.

Ipsius interdicti non opus est facere specialem mentionem, siquidem super excommunicatione ipsa fundatum est. Itaq; si excommunicatio nulla est, etiam interdictum nullum omnino erit, sic inferente Syluestr. *ver. interd.2. n.2.* Et si interdictum esset solum, etiam propter illas ipsas causas pro nullo habendum esset, propter quas & excommunicatio nulla est, teste Nauarro *in manual. cap.27. nu.187.*

Propositio XVI.

Sententia falsa & pro nulla habita (etsi sit ipsius Pontificis) est potestatis abusus & per consequens etiam aliqua violentia, cui licitum & necessarium est, Principem superiorem, qui eum defendat, non habenti, vt sese omnibus viribus à Deo Opt. Max. concessis opponat, castigando sc. executores, idque tamen salua semper reuerentia sedis Apostolicæ.

Resistere enim alterius vi & fortitudini seseq; à violentia opprimentis defendere, est res tam natura-

natnralis, vt nulla plane egeat demonstratione, nihilque restat amplius, quam vt locum hunc sequentem explicemus: *Si quis percusserit te in maxillam dextram, præbe ei & alteram; & si quis voluerit tecum iudicio contendere & tollere tibi tunicam, dimitte ei & pallium; & qui angariauerit te mille passus, vade cum illo & alia duo*; id quod D. Augustinus *de mend. ad consf. c. 15.* & *Euch. c. 78* & *in expositione huius loci*, declarat, exeqnendum esse non in factis, sed in preparatione animi omnem violentiam cum patientia ferendi. Nec tamen in hunc modum, quasi homini permissum non sit omnib. mediis à Deo concessis vti; in cuius rei exemplum habemus Apostolum Paulum ipsumet, qui cum ex ordine summi Pontificis colaphum accepisset, non sane porrexit alteram maxillam, sed eam, quam potuit resistentiam fecit, dicendo, *percutiat te Deus, paries dealbate.*

Cap.10. Sed quod iniqua sententia sit violentia, Ecclesiastes in primis exprimit, *qui facit per vim iudicium iniquum*, dicendo;
Cap.10. Et Esaias, *væ qui condunt leges iniquas & scribentes iniustitias scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes & vim facerent causæ humilium populi mei.* Et si ne priuatus quidem potestatem defendendi, vtpote quæ naturalis est, potest renuntiare, multo minus id poterit & debet etiam Respublica, quod optime deducit Nauarrus *cap. nouit. de iudic. not. tertio, nu. 119.* Sed quia ratio hæc generalis est, dicet forte quispiam, talia remedia contra tam altam potestatem, qualis illius Papæ est, non valere: videamus ergo Doctores, in particulari dicentes, quod non solum possimus, sed debeamus etiam summo Pontifici resistere, quando nimium potestate sua eundem videmus abuti. Et Baldus *supra cap. olim, de rescriptis* non solummodo dicit, quod Papæ in tali casu nulla obedientia debeatur, sed quod ei etiam cum reuerentia possit resisti & etiam arma contra ipsum sumi.

Gerson in regulis moralibus tit. de præceptis Decalogi; *Iure naturali vim vi repellere licet. Sic quod impeditus aliquis à quacumque persona cuiuscunque dignitatis, etiam papalis, via facti, & non habens iuris remedium, fas habet iniurianti de facto resistere, secundum qualitatem iniuriæ, scilicet quantum requiritur & sufficit contra illum ad sui tutamentum ab hac via facti.* Et in libro de A. P. consilio 14. *Quod si sit aliquis, qui totam præsidentiam suam & papalē dignitatem conuertere velit in instrumentum nequitiæ & destructionis alicuius partis Ecclesiæ in temporalibus vel spiritualibus, nec pateat sufficiens remedium aliud, nisi subducendo se ab obedientia talis potestatis seuientis & se ipsa abutentis, & hoc ad tempus, vel quousque Ecclesia vel concilium prouideat, hoc fas erit.* Et in libro de vnitate Ecclesiæ consil. 10. *Occurrere possunt casus multi, in quibus pro adeptione pacis publicæ aut iustæ defensionis, sicut vim vi repellendo liceret à vere electo in Papam subtrahere obedientiam, &c.* Et infra; *Fieret, quæ est obedientia vera, potius contradictio vel resistentia, liceretque præmissas sententias suas qualescunque non timere, nec timendas asserere, sed lacerare eas & in caput suum retorquere.* Et in tractatu circa materiam excommunicationis & irregul. consil. 10. *Contemptus clauium etiam non semper inuenitur apud illos, qui nedum obediunt sententiis excommunicat. promulgatis per Papam, vel suos, sed etiam non iudicanda esse apud illos, qui per potestatem secularem aduersus tales prætensas sententias tueri se procurant: lex enim naturalis dictat, vt possit vis vi repelli: constat autem, quod tales excommunicationes non debent dici ius, sed vis & violentia, contra quam fas habet liber vel homo vel animus se tueri.* Et apud hunc eundem authorem hæc propositio sæpissime est tractata & conclusa, potestque legi apud eundem *de vita spirituali animæ lectio 3.* & Trilogus *in materia schismatis.* Præter quem etiam Syluest. *ver. Papa quarto* allegans Petrum de Palude demōstrat, quod in multis reb. conueniat Papæ non obedire, sed resistere, & ita malis mederi.

Caietan. *in primo suo opusculo de potestate Papæ & conciliorum capit. 27.* Sotus *4. distinction. 15. q. 2. artic. 2.* Victoria *in repetition de potestate Papæ & conciliorum, proposit. 22.* & inprimis Antonius Cordubensis *l. 4. quæstion. 10. distinct. 3.* dicit: *vbi Papa potestate abutitur, Episcopi resistere possunt; & si hoc non sufficit, possunt implorare Principes seculares, vt eorum authoritate & potentia resistant vi & armis, non per viam iurisdictionis in Papam, sed iure defensionis, & comprehendant & puniant executores mandatorum, siue ministros.* Et infra; *neque excommunicatio aut alia censura à Papa inflicta quicquam valet, neque tenenda neque timenda, quia sicut mandatum eius, ita & ipsa sententia iam notorie iniusta ex parte causæ & ipso facto nulla, neque tenenda neque timenda est.*

Eiusdem sententiæ est etiam Cardinalis Turrecremata *l. 2. capit. 106.* & Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de Roman. Pontif. capit. 29.* cuius verba formalia hæc sunt: *Itaque sicut licet resistere Pontifici inuadenti corpus, ita licet resistere inuadenti animas, vel turbanti Rempublicam & multo magis, si Ecclesiam destruere niteretur, licet inquam ei resistere non faciendo, quod iubet, & impediendo, ne exequatur voluntatem suam, &c.*

De hoc modo resistendi tractant Felin. & Dec. *cap. si quando. de rescript.* Soc. senior *c. nulli. de sententia excommun.* Curt. senior *consf. 10.* Nauartus *c. cum contingat, rem secundo.*

Multi ex his Doctoribus de hac resistentia loquuntur, qua Ecclesiastici iniustis mandatis & censuris Papæ resistere possunt, quemadmodum etiam multifario abusui, quem in dispentione bonorum Ecclesiasticorum committit: nec tamen interim minus probant, quod seculares & inprimis Principes in tractatione de rebus secularibus illud multo magis possint & etiam debeant. Nam cum in rebus spiritualibus & ecclesiasticis, quas Deus ipsi commisit, si forte potestate sua abutitur, eidem potest resisti, quanto magis in temporalibus, de quibus tractare Deus ipsi nullo modo præcepit? Et si Ecclesiastici, qui ipsi magis sunt subiecti, possunt resistere, quanto magis id poterunt Seculares & Principes? Præterea si multi ex his Doctoribus permittunt, vt Ecclesiastici ad resistendum Papæ auxilium Principum implorent, quanto magis id Principe aper se pote-

ſe poterunt, quando de propria ſua iuriſdictione à Deo ipſis conceſſa tractatur? & ſimul etiam de deſenſione proprii imperii, de religione & bonis omnibus ſubditorum agitur? Id quod in tribus canonibus, vtpote *23. quæſt. 5. ca. Principes. cap. Regum. cap. adminiſtratores, & 16. quæſt. 7. c. filiis.* expreſſe dicitur. Quod vero Principes ſint protectores veræ religionis, ſubditorum, in multis epiſtolis Leonis Papæ ad Martianum, S. Gregorii ad Mauritium, & in omnibus ſeptem primorum conciliorum generalium ad Imperatores tum temporis regnantes; ſatis apparet. Nec illa etiam doctrina huic ſententiæ quicquam repugnat, quod Papa ſcilicet à nemine debeat iudicari, nec vllius poteſtati eſſe ſubiectus: ſiquidem aliud eſt punire aliquem per iuriſdictionem, quam quis ſuper eum habet; & aliud impedire *de facto* iniurias, quas ille aliis *de facto* inferre conatur, id quod Caietanus, Turrecremata & Bellarminus in ſupradictis locis prolixe teſtantur.

PROPOSITIO XVII.

NOn ſolum iudex in eo peccat, quando iniuſtam ſententiam & pro nullo habitam pronunciat, ſed etiam miniſter illius peccati inſigniter fit particeps, quando talē, quam omnes iniuſtam eſſe norunt, exequitur.

Eſt autem omnibus res notiſſima; quod quocunq; modo aliquis alterius ſeſe peccati participem facit, peccatum & ipſe committat, ſiquidem Apoſtolus Paulus ad Rom. genera quædam errorum enumerans æternæ damnationis *non eos ſolum, qui faciunt, ſed & qui conſentiunt cum facientibus*, pronunciat. Cap. 1.

Exequi vero ſententiam eſt modus participandi ſeſe eiuſdem peccati maxime principalis: ſiquidem nonnulli ſeſe participes alicuius peccati faciunt, licet de eſſentia commiſſi peccati nihil habeant, vt ſi quis malum perpetratum collaudat, aut fructum ex eo percipit: alii vero ita illius participes ſunt, vt abſque illorum opera effectus ſequi non poſſit, & executio ſententiæ eſt pars maxime notabilis, & talis etiam, ſine qua ſententia vltimam ſuam perfectionem non acquirit. Non itaque non ſolum peccat miniſter, qui iniquam illam ſententiam exequitur, ſed principaliſſimam etiam peccati partem in ſe deriuat; iuxta illud, quod diuina ſapientia dicit, *ſecundum Iudicem populi ſic & miniſtri eius. Eccleſ. 10. & Prouerb. 19. Princeps, qui diligit mendacium, omnes miniſtros habebit impios.*

Circa interdictum non ſolum inſurgit executor, qui illius ſententiam ferat, eandemque publicet, ſed ſunt etiam quicunque Eccleſiaſtici, qui illud obſeruent. Et ſententia excommunicationis non ſolum in executionem producta eſt ab eo, qui eam publicauit, ſed etiam quocunque, qui ſe ab excommunicato retrahit, eique debitum officium denegat, ſiquidem ſententia contra ipſum pronunciata eſt.

Ex quo tandem ſequitur, quod, cum interdictum ſit omnino nullum, Clerici omnes peccant, qui illud obſeruant; & cum etiam excommunicatio ſit nulla, omnes ii peccant, qui ſeſe à tali communione, quæ præter debitum excommunicata eſt, abſtrahunt, illique debita officia denegant. Et hæc concluſio à Nauarro *cap. cum contingat, Rem. 2. num. 29.* probatur & determinatur, dum ita inquit; *Iniuriam facit, qui excommunicatum, prætendentem ſuam excommunicationem nullam, vitat in his, in quibus vitatio eſt illi præiudicialis, ſecundum Innocen. & omnes alios in illo cap. ſolet.* Videantur omnia reliqua *nu. 28. & 29.*

PROPOSITIO XVIII.

PRinceps, contra quem, mandatum nullum à Prælato ſpirituali recipere nolentem, eſt fulminata ſententia excommunicationis nulla, & cuius ſtatus nulli interdicto etiam eſt ſubiectus, propria ſua vi, quam Deus ipſi conceſſit, obſeruationem poteſt prohibere, ſuamque ipſius poſſeſſionem, in qua vera religio catholica exercetur, tueri: & ſi probabiliter credit, cultum diuinum poſſe diminui, aut aliquod ſcandalum exoriri, peccat ſane, ſi id non fecerit.

Siquidem lex naturalis id vnicuiq; permittit, vt ſuum honorem contra illum, qui de facto illum eiuſdem vult priuare, poſſit conſeruare: & ſi fuerit perſona publica, nec pudor ille principaliter in illum, ſed in totam communitatem redundet, defenſionem ſine peccato non poteſt intermittere: idque teſtimonio Caiet. *2. 2. quæſt. 73. art. 2.* Soto *in l. de rat. teg.* Nauarr. *in man. c. 18. n. 46.* & in genere omnium Theologorum, Canoniſtarum & Summiſtarum.

Sed maximam infamiæ notam incurreret Princeps, qui in neceſſitate conſeruationis libertatis à Deo ſibi conceſſæ mandato pro nullo habito non cedens permiſſionem executionis interdicti permittendo, monſtraret, ſe in non præſtita obedientia peccaſſe; ſiquidem per hoc apud alios Principes, & ſuos etiam ipſius ſubditos in hanc ſuſpicionem incideret, ac ſi non ſolum parum ſaperet, ſed etiam religionem haud multam curaret, & ita non ſibi ſolum ipſi, verum etiam ſubditis & vniuerſo ſtatui infamiæ notam inureret, & maximarum incommoditatum gubernationis occaſio ipſemet eſſet.

Nauarr. *in c. cum contingat, Rem. 2. nu. 22. & 23.* cuidam priuato, contra quem cenſuræ fulminatæ fuerant, quas ille publice pro nullis & inualidis habendas eſſe diſputando obtinuit, hoc dedit conſilium, quod tam ab illis rebus diuinis, quas ſponte promiſerit, quam ab illis, ad quas obligatus eſſet, nullo modo abſtineret: cum hac vlteriore appēdice, quod ipſe ob hoc neminem pro excommunicato haberet, nec parum etiam ad cenſuras legitimas referre, ſi falſæ denegen-

tur, falsus Deus pro vero non adoretur, & si quis contra propriam conscientiam, & cum scandalo non confiteatur, se peccasse, & quicunq; hunc locum legerit, non solum rationibus optime ab illo ad præsentem casum allegatis, quamptimum subscribet, sed aperte etiam confitebitur, eas multo magis in præsenti, in quo de Principe & Senatu prudentissimo & religiosissimo tractatur, valere, siquidem multo maiora pericula ac scandala hic pertimescenda essent.

Vltra has rationes reperiuntur etiam aliæ duæ, quæ præsentem propositionem abundanter probant. Quarum prima est, quod quæcunque ciuitas, Regnum aut populus recipiens Christianam religionem, recipiat etiam illud ius, quo in suo territorio cultum diuinum audet exercere, & Sacramenta per ministros administrare, vnde pactum contractusque inter Deum & populum illum nascitur, quod hic sit populus Dei, & hic populi illius verus & vnicus Deus.

Cap. 26. Cap. 29. In Deuteronomio enim dicit Moyses: *Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus: Dominus elegit te hodie, vt sis ei populus peculiaris.* Et alibi, *vt transeas in fœdere Domini Dei tui, & in iureiurando, quod hodie Dominus Deus percutit tecum, vt suscitet te sibi in populum, & ipse sit Deus tuus.* Et hoc, quod Deus tam solemni pacto alicui gubernationi concessit, sine culpa non debet auferri. Et si forte *de facto* eo ipso priuatur, per leges diuinas naturales habet quidem rationes religionem suam defendendi, & contra violentiam ad exemplum Machabæorum pro virili pugnandi: *Nos* enim, dicitur *Machab. 3. pugnabimus pro animabus nostris & legibus nostris:* & insuper, *pugnemus pro populo nostro & Sanctis nostris.*

Secunda citatio est, quod dum Christiana religio recipitur, stabilitur quasi contractus per authoritatem diuinam inter populum illum fidelem, & Ecclesiæ ministros: vt nimirum ministri populo verbum Dei concionentur, & Sacramenta, ac alia officia ad cultum diuinum pertinentia administrent, & populus vicissim iisdem victum & alia necessaria subministret. De hoc scribit Paulus *1. Cor. 9. Quis militat suis stipendiis vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? nunquid secundum hominem hæc dico? An, & lex hæc non dicit? scriptum est enim in lege Moysis, non alligabis os bouis triturantis.* Nam sicut miles debitum stipendium accipit, ita etiam ad seruitium militare est obligatus: & pastor itidem pro eo, quod gregem pascit, lacte fruitur, ac tandem boues fruměta triturantes aliquid etiam de eo arripiunt & manducant.

Pari etiam modo vt minister Ecclesiæ, postquam populo suo debito modo administrauit, rationem omnino habet postulandi suum stipendium, seseque potest armis spiritualibus contra denegantes defendere: ita etiam populus, cum de rebus temporalibus id, quod debuit, præstitit, spiritualibus per vim quandam possessiones illorum diripere conantibus propria sua vi obsistere non vereatur.

Propterea honestati non admodum erit consentaneum, quod Ecclesiastici non victum solummodo necessarium, sed centuplo etiam plus, quam forte egent, habentes, in præsenti contractus facti voluerint esse participes, illudque quod acceperunt, obtinere, nec tamen illud vicissim, quod debent, retribuere.

Si quis vero obiecerit, illos esse contentos, si licitum fuerit, omnia relinquere & abiicere: huic respondemus, contractum inter illos & populum non esse precarium, sed obligationem vtriusq; partis in perpetuum durantem.

Et quemadmodum, si Princeps illos vltro vellet dimittere, Pontifex procul dubio reclamaret, bona illa Ecclesiasticis irreuocabiliter esse data, siquidē personæ huiusmodi non possene dimitti: ita etiam si ipsi sua sponte voluerint discedere, Princeps non immerito id recusabit, siquidem illorum seruitium in rebus diuinis illi irreuocabiliter debetur.

Sed vt omnia hucusque dicta eo melius confirmemus, restat adhuc vna & vltima propositio, in qua, quod reliquum est, absoluemus.

Propositio XIX.

INterdictum est, censura noua in Ecclesia, quæ nisi cum debita discretione ad actum producatur, eam mirum in modum destruere potest.

Nam in tota sacra Scriptura neque verbis, neque significatione & sensu interdicti vlla fit mentio, quemadmodum etiam nec apud antiquos Patres, nec in collectione canonum Burckhardi, Yuonis aut Gratiani, qui circa annum 1150. scripsit, sed postmodum saltem in vsum venit: siquidem prima eius mentio fiat tandem in decretalibus Alexandri III. in quadam eius epistola ad prælatos Angliæ anno 1170. circiter exarata.

Et si quis existimauerit *cap. miror. 17. quæst. 4.* de interdicto posse intelligi, primo per seipsum sentiet, quod nullo modo de locali, de quo nos loquimur, intelligi possit, quemadmodum etiam secundo, quod aliud sit *obligatione non recipi*, & aliud *non interesse diuinis*.

Et qui in historiis versati sunt, absque difficultate vident, quod Bonifacius Comes habitauerit semper in Carthagine, & ita conclusio antiquitatis interdicti localis, quod innocentes comprehendit, hinc nullo modo trahi possit.

In principio cum loca interdicto subiici inchoarent, prohibebantur omnia officia diuina, solis baptismo & pœnitentia iamiam morientium exceptis ab Alexandro III. *cap. non est nobis, de spons.* Anno 1170.

Circa

Circa aonum 1200. concedebantor coociones & Sacramentum confirmatioois ab Innocentio III. *c. responso, de sentent. excomm.*

Circa 1230. Gregorius IX. concedebat semel tantum in septimana missam, absq; tamen dato signo campanæ, & clausis ianuis, ad consecrandum Sacramentum ad viaticum morientium, *c. permittimus de sent. excomm.*

Circa 1300. Bonifacius VIII. constituit, vt pœnitentia oon solum administraretur infirmis, sed etiam bene valentibus, & celebraretur etiam quotidie, dicerenturq; dioina officia submissa voce portisque clausis, & absque signo campanæ, & tantum in diebus festis Natiuitatis Christi, Paschatis, Pentecostes & Assumptionis Mariæ publice apertis ianuis, datisque signis, *cap. Alma mater. de sent. excom. in 6.*

Qui vero fuerint interdicti fructus, ex *illo ipso cap. Alma mater.* & extrauagaote etiam satis apparet, qoorum prius ita legitur: *Quia vero ex distinctione huiusmodi statutorum excrescit indeuotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtraherentur.*

Verba autem extrauagantis hæc sunt: *Tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia, præsertim per oblationem frequentem hostiæ salutaris, adolescentes & paruuli participantes rarius Sacramenta, minus inflammantur & solidantur in fide, fidelium tepescit deuotio, hæreses pullulant, & multiplicantur pericula animarum.* Et glossa *supra cap. Alma mater.* dicit, post sublevatum interdictum homines triginta & quadraginta annorum, qui missam nunquam viderant, Clericos eam celebrantes irrisisse, vltra quod audiamus Dominicum Sotum Doctorem celeberrimum *in 4. dist. 22. qu. 3. art. 1.* sic loquentem: *Imo interdictum quamuis ex vna parte ad terrorem excommunicatorum conducat, ex altera tamen in periculum discriminis vergit, potissimum fecit prolixum; nam tunc non solum populus desuetudine frequentandi diuina officia affectum eorum, & sensum perdit, verum etiam & Clerus ipse remissior fit & ignauior ad eadem diuina celebranda, qua vtique ratione & diuina religio detrimentum patitur, & populus solet in moribus sylvescere.*

Huic coofusioni vt obuietur, Principes per aliqoot hucusque tempora, qooties per causas non legitimas aliquod regnum aut status interdictus fuit, execotionem noo permiserunt; quos nostra etiam Respubl. iam noo immerito imitatur; & possent multa & inoumera produci exempla, sed quoniam fere omnes sese armis defendere sunt conati, recordemur saltem aliquorum, qui in pace negotium transegerunt.

Aono 1468. Paolus II. ciuitatem Nouiodunum interdicto subiiciebat, contra quod parlamentum seu dispotatio Parisiensium per arrestum 2. Decembris eiusdem anoi factum ordinabat, vt officia dioina continuarentur, & Ecclesiastici ad eadem præstanda obligari esseot.

Anno 1488. Innocentius VIII. interdixit Gaodanum & Biturigem, quod tamen parlamentum pro abusu declarabat, & econtra, vt officia Deo debita cootinuarentur, serio mandabat, quod Renatus Copinus *l. 2. to. 4.* expressis verbis testatur.

Præter hæc omnibus etiam est notom, quod Philippus Pulcher Rex Galliæ eodem fuerit vsus remedio, quale nostra etiam Respublica io præsenti præ omnibus habet, quando scilic. eius Regnum à Bonifacio VIII. & Ludouicus XII. etiam dum à Iulio II. interdicto subiiceretur.

Cui adnectcodum & hoc, quod Ludouicus Richeomus Moderuus Prouincialis Iesuitarum in sua Apologia ad Regem Franciæ, factum illud Ludouici XII. maxime commendat, & Regibus omnibus imitandum proponit, quemadmodom etiam affirmat, qood Galli subsequentium Regum subditi idipsum stricte obseruent, quando scilicet Papa aliquis illud in Regno Galliæ oppugnare conetur.

Hac itaque ratione quaotum à principio hucusqoe proposuimus, nos satis probasse speramus, ad cuius ampliorem fidem authoritas antiquorum Patrum non parum etiam fecisset; Quia autem Doctores Classici id clarius demonstrare visi sunt, modernorum potius authoritate sumus vsi, præter quam doctrina etiam propositionum ipsarum omoibus temporibus io Ecclesia fuit obseruata, cuius iudicio nos libenter subiicimus.



MARCI ANTONII PEREGRINI, PATAVINI, IC. EQVITIS, ET CONSVLTORIS IN IVRE SERENISS. REIPVBL. VENETÆ, & in Gymnasio Patauino Primario Iuris Canonici interpretis,

RESPONSVM

Pro Decretis eiusdem Serenissimæ Reipublicæ:

De non alienandis bonis immobilibus per subditos Laicos in personas Ecclesiasticas absque Principis licentia.
De non ædificandis Ecclesiis, aut Monasteriis eodem Principe inconsulto.
Et demum pro facultate iudicandi & puniendi Clericos pro delictis grauibus & atrocibus,

Cum subscriptione Sacri Collegii Clarissimorum Iurisconsultorum Magnifica Ciuitatu Padua.



SERENISSIMVS Princeps Venetus legitimus Dominus videns intra statum suum Ecclesias, & personas Ecclesiasticas admodum ditatas, & indies facultates Ecclesiarum augeri, confluentibus in Ecclesiis ipsis prędiis vrbanis & rusticis, tam pro iure pleni dominii directi & vtilis donatis, oblatis, relictis, vel etiam emptis, aut aliter acquisitis per Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, cum maximo detrimẽto status, & Principatus sui, respectu Iurisdictionalium; & publicas functiones pro publicis necessitatib. deteriores fieri. Quia Ecclesiastici pro rebus, & bonis Ecclesiasticis per suos Canones prætẽdunt immunitatem à potestate seculari, difficilesq; reddunt se à publicis contributionibus; & præterea cum maximo Laicorum subditorum suorum detrimento bona immobilia transire in Ecclesias. Quia semel in Ecclesias translata, libere ad ius laicorũ remeare non possunt; interdicta per Canones ipsos alienandi potestate, nisi cum euidenti Ecclesiarum vtilitate, seruatis pluribus solẽnitatibus, & consulto prius Rom. Pont. ad tex. *in c. sine exceptione. 12. qu. 2. & toto tit. de reb. eccles. non alien. in Decret. in 6. & in clem.* Ideo cõmotus Princeps ipse, cupiens consulere publicæ vtilitati, tum respectu Principatus, tum etiam respectu laicorũ subditorum suorum; honor nanq;, & Principum gloria est diuites habere subiectos; cũ suo Excellentissimo Senatu perpetuo decreto diffuso in statu suo Serenissimo cõstituit; ne quis laicus vẽdere, donare, aut quoquo modo sub alio prætextu, aut colore alienare possit, absq; licẽtia ipsius Principis, prędia aliqua, aut iura aliqua immobilia in Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, ac nec etiam ex testamento relinquere vltra biennium; & si perpetuo relicta sint, elapso biennio, vendantur laicis, & pretium eorum inuestiatur ad commodum Ecclesiarum, & vt in Senatusconsulto.

Dubitatur nunc de validitate huius decreti. Nam Sum. Pont. modernus Paulus V. intendit inualidum esse, & nulliter statutum, quia sit contra libertatem Ecclesiasticam; Principemque ipsum statuentem, & Rempubl. Venetam incidisse ipso iure & facto in Censuras Ecclesiasticas, auctoritate Honorii III. comminatas & indictas aduersus Principes, Respub. & Communitates statuentes contra, & aduersus Ecclesiasticam libertatem, qui intra duos menses muniti de Capitularibus suis aboleri non fecerint, vt in Decret. Honorii, *Nouerit, & grauem. de sent. excomm.* Qua de causa monitorium transmisit ad Sereniss. ipsum Principem directum, & ad Rempublicam,

Super quo puncto mihi pro munere meo discutere incumbit pro defensione & validitate iam dicti Decreti. Antequam a. ad discussionem accedam, præmitto illud, quod est satis notum:

Duas esse potestates, per quas vniuersus regitur mundus: Pontificalem & Regalem. *c. duo sunt. 96. dist. c. solitæ. de maior. & obed.* Quas sane potestates pro regimine totius orbis Deus in terris constituit. Quarum potestatum officia Christus mediator Dei & hominum actibus suis propriis distinxit & discreuit; vt scil. Pontificialis præesset in diuinis in iis, quæ ad salutem animarum pro bono æterno pertinent, & in disponendis in Ecclesia Dei: Regalis autem, & secularis potestas in terrenis præesset pro bono publico politico. Et discretio ordinata fuit, vt Regalis non præsideret, nec se immisceret in spiritualibus; Pontificialis econtra non sibi arriperet temporalia, nec in negociis secularibus se implicaret; sicuti SS. Patres Nicolaus Papa, Ioannes Papa definierunt *in c. cum ad verum. & in c. si Imperator. 96. dist.* & Nicolaus Papa I. *in cap. quoniam. 10. dist.* relati à Gratiano in dictis Decretis.

Et

Ex qua potestatum distinctione euincitur, potestatem clauium traditam à Christo D. Petro, & Petri successoribus in eius cathedra, de qua Matth. *cap. 16.* & Ioan. *cap. vlt.* referri ad spiritualia, non ad temporalia, quorum potestas tributa erat Regali potestati; sicuti ex D. Bernhardo colligitur ad Eugen. P P. *in lib de considerat.* in illis verbis: *In criminibus & in peccatis potestas vestra, non in possessionibus: propter illa siquidem accepistis claues Regni cælorum: Habent inferiora hæc terrena iudices suos, Reges & Principes terræ.* Hæc ille. Plenius autem Cardinalis Turrecrem. *de Ecclesia libr. 2. cap. 113. in 2 proposit.* & ex auctoribus nostris Bald. *in l. 2. num. 23. C. de seruit.* vbi post Innocent. not. quod Papa habet potestatis plenitudinem in spiritualibus, non in temporalibus. Aleiat. *in l. placet. col. 1. C. de sacrosanct. Eccles.* Quamobrem Alexand. III. & Innocent. III. Sum. Pontif. professi sunt, superioritatem non habere in temporalibus non subditis temporaliter Apostol. sedi, vti legitur *in c. nouit. de iud. in c. per venerabilem. & in c. causamq; quæ fil. sint legit. & in c. si duobus. §. 1. de appell.* In spiritualibus autem totus mundus est territorium Papæ: Abb. *in c. vrgentis. de Hæret.* Vnde ex his infertur, Principem Venetum legitime imperantem, teste, vltra alios, D. Thoma *libr. 4. de Regim. Princip.* neminem in temporalibus recognoscere in toto suo statu superiorem, nec etiam Papam, plenaque libertate in his gaudere, & hæc nota sunt.

Capiendo itaque punctum propositum, videretur Decretum non valere ex pluribus.

Primo, quia iure Canonum non licet Laicis constituere super Ecclesiis & Ecclesiasticis personis, etiam in eorum fauorem eis præcipiendo aut interdicendo, & hoc ex defectu potestatis: Quia ex statutis Canonicis exemptæ sunt à potestate seculari, & statuta super his facta iure Canonum ea ratione improbantur, *c. bene quidem 96. dist. c. Ecclesia S. Maria. de constit. c. 2. de iud. & c. cum laicis. de reb. Eccl. non alien.* Ergo multo minus in odium & præiudicium Ecclesiasticorum.

Augetur argumentum, nam statutum Laicorum generale, quod nō sit priuilegiatum contra ius commune, quamuis rationabile, non afficit Ecclesias & personas Ecclesiasticas in earum damnum. *d. cap. Ecclesia Sancta Mariæ.* Abb. *in 1. not. & nu. 25.* Felyn. *nu 95. & 96.* Dec. *num. 73.* ergo nec speciale præiudiciale Ecclesiis, quasi videatur magis constitutum in odium Clericorum.

Secundo, statuta Laicorum ordinata contra libertatem Ecclesiasticam iure Canonum declarata sunt nulla & nullius roboris, pœna indicta contra statutarios, *d. cap. nouerit. d. c. grauem.*

Contra autem libertatem Ecclesiasticam dicunt Ecclesiastici esse illa, quæ auferunt priuilegia iure communi concessa, Doct. ibi. Cyn. Bart. Bald. Sal. Fulgos. & alii *in Auth. Cassa. C. de sacrosanct. Eccles.* At Ecclesiis concessum fuit ab Imp. Constantino Magno, vt Laici ex testamento libere relinquere possint Ecclesiis *l. 1. C. de sacros. Eccles.*

Item contra libertatem Ecclesiasticam videntur statuta, quæ auferunt clericis beneficia iuris communis: resistere nanq; videntur libertati, quæ est naturalis facultas faciendi, quod aliis facere licet. *l. libertas. D. de stat. hom.* sic sane arguunt Bal. Sal. Fulg. & Paul *in d. Auth. Cassa.* Alex. *cons. 211. nu 7. in 1.* Anton. Butr. Imol. & alii relati à Felyn. *in d. c. Ecclesia S. Mariæ. sub nu. 73.* Socin. *cons. 242. colum. 3.* Ruin. *95. nu. 5. lib. 1.* Abb. *consil. 8. num. 3.*

At vnicuique libere licet emere *l. dudum. C. de contrah. empt.* & nemo inuitus vendere cogitur, *l. inuitum. C. eod.* & in Ecclesiis legitur, *in l. fin. C. de sacros. Eccles.*

Amplius Doct. dicunt, statutum esse contra libertatem Ecclesiasticam, etiam quod nō directe, sed indirecte, si supra personas Ecclesiasticas, & aduersus eorum libertatem, per tex. *in c. eos. de immun. Eccles. in 6.* Card. Zabarel. *in c. perpendimus cor. 5 col. 2. de sent. excomm.* Petr. Anchar. *cons. 12. & seq. & cons. 155.* Alex. *120 lib. 2.* Felyn. *in cap. quæ in Ecclesiarum nu. 7.* Dec. *num. 4. de constit.* Ias. *in leg. quo minus. D. de flumin num. 152.* Gram. *decis. 106.*

Tertio, opinionem hanc pro Ecclesia contra statutum firmarunt plerique auctores. Bart. *in l. filiusfam. § Diui. D. de leg 1. nu. 11.* Alex. *nu 12.* Ruin. *nu. 92.* Card. Zab. *in d. c. perpendimus cor. 5. col. 9.* Ripa *sub tit. de legib. respons. 2. nu. 5.* & nonnulli alii ex antiquioribus & modernioribus.

Contra autem pro statuto laico tenuerunt alii grauissimi auctores, Iac. Butr. *in d. Auth. Cassa.* Richar. Sal. *in l. 1 C. eod.* Signor. de Homod. *in cons. 21.* quos retulerunt & secuti sunt Andr. Barb. ex professo, *in cons. 30. lib. 4.* Ias. *in d. §. Diui. in 2. lect. nu. 29.* vbi hanc veriorem dicit, quam etiam probauit Bald. vbiq; nunquam varius *in c. cleric. de iud.* vbi reassumit & sequitur consilium Signor. *super statuto Mediolani, & in c. quæ in Ecclesiarum. de const. nu 8.* vbi præcise loquitur de statuto prohibente alienare res immobiles Ecclesiis, & idem Bald. apud Anchar. *cons. 11.* secuti sunt ex modern. Bart. Rom. *in d. §. Diui. nu. 195.* Cephal. *cons. 53. nu. 40.* quorum sententiam pro iure Principatus, & pro publica subditorum vtilitate secutus est, & receptam dixit in partibus Germaniæ And. Gail. *lib. 2. obseruat. 32. nu. 5* & præcise, vbi statutum prohibet laicos alienare bona immobilia in Ecclesias, addito, sine licentia Principis laici, quod de iure valeat, post longam disputationem firmauit Alb. de Rosat. *in 2. p. statut. qu. 2. in fine.* quia huiusmodi statutum sit correlatiuum ad Canonem prohibentem bona immobilia Ecclesiastica alienari in laicos, inconsulto Rom. Pontifice, *ad tex. in c. hoc consultissimo. de reb. Eccles. non alienan. in 6.* cuius determinatio decidit speciem subiectam.

Et quamuis aliqui ex præallegatis auctoribus concedant, valere quidē statutum, vbi generaliter prohibet immobilia alienari in non subditum, etiam ad exclusionem Ecclesiasticorū, secus autem si nominatim inhibeat alienari in personas Ecclesiasticas, quia super his deficiat potestas Laica: inanis tamen est distinctio hęc, quia si ex defectu potestatis non valeret statutū speciale, non etiam statutum generale ex eodem defectu afficeret Ecclesiasticos, Abb. *per illum tex in d.*

c. Ecclesia S. Mariæ. in 1. not. & sub nu. 23. Felyn. *nu. 95. & 96.* Dec. *sub num. 73.* in stampa antiqua, vbi sic præcise arguit. Ad hæc tex. *in c. 2. de iureiur. lib. 6.* vbi iuramentum generaliter præstitum de seruandis statutis non trahitur ad statuta contra libertatem Ecclesiasticam.

Fundamenta autem pro validitate Decreti, de quo agitur, sunt hæc:

Primo, Principes seculi, Deo auctore, potestatem habent leges condēdi pro bono status sui regimine, ergo afficere possunt personas, & res Regni, statusq; sui. Primum probatur per tex. *cum gl. in c. si Imperator. 96. dist.* ibi: Habet Imperator priuilegia suæ potestatis, quæ in administrandis legibus publicis diuinitus cōsecutus fuit, & *c. quæsitum. 23. q. 3.* ibi meminerint à Deo potestates has concessas esse: Consequens vero deducitur ex suprema potestate, quam Reges & supremi Principes terræ habent supra personas, & res subditorum suorum, de qua Regum *lib. 1. c. 8.* ibi: *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, &c. Agros quoq; vestros & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis, sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, & quæ ibi sequuntur.* Et de iure scripto, vt rebus subditorum status sui possit Princeps leges præscribere, decisum legitur *in leg. venditor. §. si constat. D. com. præd. & ibi notat. & in leg. & an in totum. C. de ædif. priu.* Bart. *in l. 1. C. de summ. Trin. num. 27.*

Secundo, & magis in specie, quod Princeps possit subditis suis ex causa interdicere, & prohibere immobilium alienationem, sunt iura aperta *in leg. si in emptionem, §. omnium. D. de contrahen. empt. in l. de pollicitationibus, in fin. D. de pollicitat.* notatur *in d. §. Diui, & in l. si ita quis. §. ea lege. D. de verbor. obligat.*

Tertio, & propius ex pacto conueniri possunt priuati pro suo priuato interesse, ne bona alienentur in Ecclesias. *l. fin. C. de pact. int. empt.* & in emphyteuticis Gloss. & DD. omnes *in l. final. C. de iure emphyt.* Gl. & Canonistæ *in c. potuit. de locato.* & in feudalibus *in c. 1. de prohib. feud. alien. per Feder.* vbi quod nec pro anima relinqui, aut adiudicari possunt Ecclesiis, & locis piis: quoniam in Ecclesias alienata nunquam ad ius priuatum remearent, quia Ecclesia nunquam moritur, *c. si gratiose. de rescript. in 6.* & Ecclesia, Canone prohibente, immobilia alienare nequit. Si itaque contrahentium pactio sic pro iure sui particularis dominii, & interesse efficere potest, ergo & Princeps vniuersalis Dominus, & paterfamilias pro iure sui vniuersalis dominii, & interesse status sui sic constituere poterit: nam non minus, imo plus potest iussio Principis, quam priuatorum actio & pactio. gloss. *in rubr. C. de Decurion. lib. 10.* Bart. *in l. alia. §. eleganter. D. solut. matrim.* Ias. *in l. non impossibile. D. de pactis.* vbi quod potentius est ius constitutionis, quam pactionis. Dec. *in leg. nec ex prætorio. D. de regul. iur. & in Rubr. de constit. in 2. lectura. nu. 11.*

Quarto, Statutum & Decretum, de quo agitur, non constituit super bonis iam quæsitis, & incorporatis in Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, circa quæ versantur argumenta contraria fundata in iuribus supra allegatis. *d. c. bene quidem. d. c. Ecclesia S. Mariæ.* sed ordinatū est super bonis immobilibus, quæ sunt in dominio & possessione laicorum, vt non acquirantur Ecclesiis: & in acquirendis licitum est laico Principi sic constituere. Sic præcise Bald. *d. c. quæ in Ecclesiarum. nu. 8. supra allegat. nimirum autem.* Nam inter quæsita & quærenda multum interest, & non licet arguere à quæsitis ad quærenda: nam in istis facilius præiudicatur. Vnde etsi in quæsitis filius patri, seruus domino, Prælatus Ecclesiæ, Monachus Monasterio, debitor creditori præiudicare non valent, in quærendis tamen possunt. *l. seruus C. de pact.* & ibi plene Ias. & Dec. *l. fin. de acq. poss. l. qui autem. in prin. D. de his, quæ in fraud. cred. l. si sponsus. §. si maritus. D. de dona. inter vir.* cum plurimis aliis similibus adductis per Ias. & Dec. & idem Dec. *cons. 624. col. pen.* And. Sicul. *cons. 58. nu. 29. libr. 2.* Menoch. *73. num. 8.* Quamobrem per statuta terrarum sæpe prouisum legitur, vt bona ingredientium non transeant in Monasterium, & vsu recepta sunt per Bart. & DD. *in l. fin. C. de pact.* & in regno Franciæ recepta esse assenerat sūt Boer. *decis. 954. nu. 8.* Bened. *in rep. c. Raynutius. in verb. & vxorem. nu. 223.* Rebuff. *consil. 173. nu. 11. & 12.* Tiraquel. li Mort Saisit *declar. 15. nu. 9.* & Paduæ apud nos seruari constat & Ferrariæ, quæ est ciuitas Ecclesiastica: Riminal. iun. *cons. 85. nu. 38. & 493. nu. 40.* Quocirca in quærendis non considerabilis est libertas Ecclesiastica obiecta.

Quinto, Regula naturalis est, vt quod quisq; iuris in alium statuerit, is eodē iure vtatur, *toto tit. D. quod quisque iur.* & alia dictat regula, parere legem, quam tu ipse tuleris, ex quibus decidendo arguit Innoc. III. *in c. cum omnes. de const.* & plura ad hæc congerit Tiraq. *de retract. lignag. §. 1. gl. 8. nu. 5.* Atqui Princeps Ecclesiasticus pro dignitate status Ecclesiastici, & pro vtilitate personarū Ecclesiasticarum constituit, ne bona immobilia Ecclesiarum alienari possint in laicos, nisi consulto prius Rom. Pontifice, & in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, seruatisq; aliis solemnibus, de quibus in *d. c. hoc consultissimo.* Ergo pati debet e contra, vt Princeps laicus pro dignitate sui status secularis, & pro publica suorum subditorum vtilitate constituere poterit, ne bona immobilia laica per laicos subditos eo inconsulto & irrequisito alienentur in Ecclesias, vt par vtriusq; status ratio sit. Simile est; nam eadem parilitatis ratione fatentur auctores valere statutum, quod idem ius redderetur laicis litigantibus in foro Ecclesiastico, nec Ecclesiasticos habere causam iustam conquerendi de statuto hoc Abb. *d. c. Ecclesia S. Mariæ. sub nu. 24.* Dec *sub nu. 35.* qua ratione decretum hoc contentiosum valere determinauit Alber. supra relatus.

Sexto, finis huius statuti & Decreti est publica vtilitas, tam Principatus quam subditorum: Principatus namq; interest plura habere bona subiecta suæ iurisdictioni triplici respectu. Primo, quia consequenter habet plures gentes sibi subiectas, personæ nanq; sequuntur bona: Persona-

rum

rum autem subditarũ multitudo principale est Principis interesse. ad l. 1. ff. sol. matr. ibi pulchre interest ciuitates hominib. ingenuis repleri. Secundo, respectu public. functionũ & grauedinũ, quæ quidem sunt. & in quib. consistunt nerui & fundamenta Reip. quas sane Princeps Laicus prompte & facile exiget & consequetur à Laicis subditis possessorib. bonorum pro publicis Principatus necessitatibus & indigentiis occurrentibus vtroq; belli, & pacis tempore: Ecclesiastici namq; contendunt, & profitentur se immunes à contributionibus istis pro bonis suis, per Canones in c. non minus. in c. si aduersus. de immun. Eccl. & in c. quanquam. de censibus in 6. Tertio Principis plurimum interest habere diuites subiectos. §. 1. in Auth. vt Iud. sine quo. suffrag. quo magis potenter, & honorabiliter & in pace, & in bello Principi seruire possint. Subditorum vero Laicorum permaxime interest, quia bonis immobilibus apud eos residentibus ditiores fiunt, & consequenter digniores & conspicui. Quoniam absque diuitiis sordescunt familiarum dignitates ad l. quisquis. C. ad l. Iul. Maiest. Præualere ergo debet publica status publici & subditorum vtilitas fauori Ecclesiasticarũ personarum. Quandoquidem in omnibus publica vtilitas præualeat l. vtilitas, C. de primipil. lib. 12. Auth. res quæ. C. comm. de legat. l. 1. § si C. de cad. toll. vbi, quod præualet subditorum publica vtilitas Fiscali rationi, ergo & Ecclesiarum, ad l. si. C. de sacrosanct. Eccl. ad hęc optimus tex. in l. de pupillo. §. si quis tuoi D. de oper. non. nunt. vnde colligitur, quod nulla legum sanctio publicæ vtilitati præponderat.

Septimo, humanarum rerum ea est conditio, vt varientur variato tempore, l. precia rerum. D. ad l. Falcid. nimirum ergo mutatis moribus, statuta quoque mutantur humana. Præsertim autem cum euidens necessitas, aut publica vtilitas id exposcit: inquit text. in c. non debet. de consang. & affin. habetur in c. mutationis 7. q. 1. quod enim medicamenta morbis, hoc exhibent iura negociis. Quamobrem priuilegium etiam Ecclesiis ab initio iuste & honeste concessum, si tempore succedente efficiatur præiudiciale & nimis damnosum, moderari, restringi & reuocari iuste potest: tex. in c. dilectis. & in c. suggestum. de decim. vbi gloss. notat, quod priuilegia pro diuersitate rerum & temporum sunt varianda per tex. in c. quia sancta. §. verum. 63. distinct. præsertim autem cum incipiunt esse damnosa publicæ vtilitati l. fin. C. si con. ius l. nec damnosa. C. de precib. Imper. offer. Quocirca cum Ecclesiæ temporibus nostris sint admodum ditatæ, præsertim autem sub Serenissimo Venetorũ dominio; & nisi remoueatur facultas & occasio acquirendi, & incorporandi bona immobilia in Ecclesias, confluent vel fere omnia, vel absq; dubio maior eorum pars in personas Ecclesiasticas, ad perpetuum damnum, & præiudicium tam Principatus pro iure publico status sui, quam etiam Laicorum subditorum; vnde euidẽs necessitas, & publica vtilitas exposcit, vt prouideretur, prout factum fuit. Ergo recte sic constitutum, prouisumq; fuisse concludendum est: prout etiam hac eadem ratione fertur Sum. Pontif. prouidisse in fauorem hominum Laicorum Terræ Laureti.

Vltimo, eiusdem statutum non aduersari Decretis in lege vetere & Euangelica satis patens est. Ergo non improbandum.

Ex his autem sic propositis contraria argumenta sublata esse satis constat, vt pro Decreti validitate sit concludendum. Non enim directum est in personas Ecclesiasticas, sed ad Laicos dominos, & possessores bonorum immobilium, ne illa alienent. Vnde principaliter ordinatur in Laicos contrahentes, & disponentes, quibus Princeps absque dubio Imperare potuit, & interdicere, ne alienent. d. l. de pollicit. d. l. si in emptionem, § omnium: nec consideratur, ꝙ consequutiue referatur ad personas Eccles. ne possint acquirere, quia illud venit in consequentiã actus fieri à Laico per legem prohibiti. Sic eleganter post Petr. Anch. Ruin. cons. 39. sub n. 16. lib. 1. Ceph. cons. 13. n. 40. Rimin. iuo. cons. 15. num. 78. ad hæc optima Regula in l. si quis nec causam. D. si cert. petat. & quod not. per Bart. in l. qui exceptionem, D. de condictio. indeb. & quod tradidit Bald. in l. quod fauore. in 7. opp. Cod. de leg. vbi quod nõ consideratur odium, quod venit in necessariam consequentiam fauoris concessi, per tex. in l. tum ex oratione, §. si. D. de excus. tut. vnde soluta sit prima obiectio.

Nec obstat, non valere statutum Laicorum contra libertatem Ecclesiasticam d. c. nouerit: quia libertas Ecclesiastica principaliter consideratur in spiritualibus seiunctis à potestate Regali laica, d. c. cum ad verum d. c. si Imperator. 96. dist. non autem quoad temporalia, de quib. nunc agitur. Et licet secundum Canones bona Ecclesiastica sint declarata immunia à potestate Laica d. c. bene quidem. d. c. Ecclesia Sancta Maria. d. c. quæ, in Ecclesiarum. de const. & c. tum Laicis de reb. eccl. non alien. d. c. non minus, & c. si aduersus, cum aliis; ea iura Canonica procedunt in bonis quæsitis & incorporatis in Ecclesiis, nisi boni publici necessitas aliud fieri suadeat. Nunc autem agitur de bonis mere Laicis vt non acquirantur. Diuersa autem, ac dissimilis est ratio à quæsitis ad quærenda, vt latius supra dictum fuit, & in terminis aduertit Bald. d. c. quæ in Ecclesiarum, n. 8.

Nec quidquam obstat tex. in c. eos. de immun Eccles. nam illius decretalis positio speciẽ omnino diuersam proponit, ex qua in odium Ecclesiasticorum malo ingenio statutum illud factum deprehenditur. Vnde ex diuersis non fit illatio l. Papinianus exuli, D. de minor. & alia ratio iuris & facti ius reformat. l. interpositas, Cod. de transact. & præterea multifariam ad illum tex. respondet Andr. Sicul. d. cons. 30. lib. 4.

Nec etiam resistit, Decretum illud tollere libertatem testandi in Ecclesias, & in personas Ecclesiasticas, ac ideo contra priuilegium in l. 1. §. fin. C. de sacrosanct. eccles. Nam non tollit, sed modificat, & restringit: quod fieri posse in iure multis exemplis declaratur. Primo in materia legis Falcidiæ ad tex. in l. 1. in princip. iuncto §. ad municipium, D. ad leg. Falcid. Secundo in Auth. si qua mulier, Codic. de sacrosanct. eccles. Tertio in emphyteuticis & feudalibus; quæ prohibentur etiam

ex testamento alienari in personas Ecclesiasticas, vti potentes & priuilegiatas omnis. gl. & Doct. ia *d. l. fi. C. de iure emp. & in d. c. 1. de prob. seu alien. per Feder.* Item legitima filiorum minuit legata & relicta ad pias causas. Bart. *in l. Papinianus. §. si Imperator, D. de inoff. testam.* per illum tex. cum concord. adductis à Rol. *cons. 85. col. pen. lib. 1.* Decretum namq; istud permittit testari ad pias causas de omnibus bonis mobilibus, auro, argento, pecunia, ac de omnib. mouentib. Immobilia restringit per biennium; elapso autem biennio, vendantur, pretium eorum inuestiendo alibi, aut intra statum cum Principis licentia: ita vt etiam post biennium non affatim, & omnino incapaces faciat personas Ecclesiasticas, sed etiam cũ temperamento licentiæ Principis, non ergo inualidum. Simile est in matrimoniis. Nam licet plena libertate gaudere debeant, *c. gemma. de sponsalib. l. Titia. D. de verb. obl.* constringi tamen possunt, vt contrahantur cum personis certi loci, & non aliis, *ad l. cum ita, D. de con. & demon.* Et hæc satis quoad primum punctum de non alienandis bonis immobilibus sine Principis licentia. Rursus idem Sereniss. Venetus Princeps, & Senatus constituit, ne quis in statu suo absque sui licentia construat, aut construere de nouo faciat Monasteria, Ecclesias, Hospitalia, & alios Reductus Religiosorum, vel Secularium. Summus Pontifex arguit Decretum & constitutum istud, quia sit contra libertatem Ecclesiasticam, ac ideo eius causa monuit Principem ipsum, & Rempublicam. Vnde & de hoc quæritur.

Dubiam rem hanc faciunt plura. Nam materia hæc ædificandarum Ecclesiarum videtur esse Ecclesiastica. Ergo pertinens ad Pontificialem auctoritatem. Nempe quæ disponenda sunt in Ecclesia Dei, ad ius Pontificium pertinent, in quibus Seculari potestati se immiscere fas non est *d. c. si Imperator. 96. dist. & d. c. bene quidem, & c. 2. de iud.* Item instituere, approbare, & reprobare religiones ad ius Pontificatus pertinet. *c. fi. de relig. domi. c. 10. eod. tit. in 6.*

Rursus Collegia & Congregationes Religiosorum & Monasteriorum à Constant. M. Imperat. fuerunt approbata. *l. 1. C. de sacrosanct. eccl.* ergo non licet Collegia hæc Principi Seculari improbare, quia est contra priuilegium religiosis concessum. *d. c. nouerit.*

Et præterea Constant. ipse Imper. concessit Christianis, vt possint emere prædia, & Ecclesias construere *c. futuram* 11. *q. 3.* Ergo, &c.

Interius tamen considerato negocio, & principali fine, qui monuit Principem, & Senatum ad sic constituendum, aliter dicendum est. Non enim est credendum, nec credi potest, Principem Venetum inter alios religiosos religiosissimum; apud quem in sua Metropoli, & in toto suo Serenissimo Statu diuinus floret cultus maxima cum veneratione, Ecclesiæ fere innumerabiles, sumptuosissimæ, cum splendidissimis apparatu & suppellectili visuntur, Monasteria tam virorũ, quam mulierum copiosissima, ac frequentissima; sic constituisse ad diminutionem Cultus diuini, & in his libertatis Ecclesiæ: absit inquam, sed pro bono regimine sui status. Nam & apud Romanos mundi Dominos, & apud omnes Principes terræ Collegia, Cõgregationes, & Cœtus hominum sponte sua collectorum legibus leguntur improbata. *l. collegia § in summa. D. de colleg. illi. it. Bart. ibi, & in l. fina. col. 1. D. eod.* Innoc. & Abb. *n. 5. in c. dilecta. de excess. prælat.*

Et hoc pro bono regimine statuum. Nam nulla capitalior pestis in Rep. esse potest, quam vt homines simul pro suo libito inter se conuenire possint; Siquidem mala multa in Regno, & in prouinciis committi & exoriri possent ad perturbationem status, & Reip. vt inquit Ascon. *in Corneliana*, & Traian. in *Epistola ad Plinium* consultantem, an Nicomediæ deberet instituere Collegium fabrorum. Nimirum pluribus legibus à Romanis principibus latis collegia pro fine boni publici fuerunt tum reiecta, tum dissoluta, vti legitur apud Dionys. Halicar. *lib. 4.* & de Iulio Cæsare meminit Suet. *c. 42.* & de Augusto in eius vita *c. 32.* Tiber. Dec. *in crim. lib. 2. c. 20. n. 3.*

Quare tametsi legib. Romanis Collegia religionis causa permitterentur, *d. l. 1. §. 1. D. de colleg. illicit.* castigate tamen, ne quid contra Senatusconsultum. Namque, vt prudenter aduertit Vlp. *in l. 2. D. de extraord. crim.* sub prætextu religionis, & voti soluendi causa Cœtus illicitos conuenire posse facile est. Simile legitur in sacris Literis, *lib. 1. Machabaor. c. 14. prope finem*, vbi ex constituto magni Ducis Simeonis non licebat, eo inscio, conuocare conuentum virorum: multo minus ergo de nouo instituere.

Quocirca prudens putari debet Constitutio hæc Principis nostri: siquidem ad Reges, Præsides, & prouinciarum Rectores spectet inquirere & decernere, an Collegia sint licita vel illicita, text. in *d. l. 1. in principio*, vbi Bart. notauit, quod Collegia sunt sub Principibus secularibus; adducit Innoc. *in d. c. cum dilecta*, vbi *sub num. 3.* inquit, quod Collegia religionis causa pro bono, non ad malum auctoritate Senatusconsulti permissa sunt.

Non ergo improbandus est Princeps, ad quem tutela status sui pertinet, si videre velit, qua cum auctoritate monasteria, Hospitalia, Reductus, seu Cœtus virorum aut mulierum de nouo instituere & construere quis velit & intendat; hæc enim inquirere non repugnat libertati Ecclesiasticæ. Nam Princeps ipse religiosissimus, cognita Pontificia concessione, & illius Religionis approbatione, ita vt de moribus non sit suspicandum, prouidere curabit, & permittet illis loca opportuna, prout passim in toto suo statu in Ciuitatibus & oppidis muratis & non muratis, villis, planiciebus & montibus hæc erecta & fundata in magno numero videntur: est enim Princeps vniuersalis paterfamilias, & gubernator populorum suorum. Vnde sicuti non deceret viros religiosos ingredi domum priuati absq; licentia & consensu patrisfam. in ea domo, & si ingrederentur, iuste eiici possent; Igitur & pari modo sub prætextu religionis non debet, inscio Principe

generali

generali patrefam. totius status, licere hominibus prouinciam aut Ciuitatem ingredi, & ibi constituere Sedes & Monasteria. Nonne tota die factitarũ videmus, quod Principes noscere volunt, & habere nota nomina & cognomina ingredientium Ciuitatem? Quare dicamus pro resolutione obiectorum, quod Serenissimus Princeps Venetus per suum constitutum non intendit ponere manus in approbationibus religionum, & hoc modo se immiscere in spiritualib. sed vbiq; videre, qua cum auctoritate velint isti fundare religionem in statu suo: vnde cessant obiecta.

Quod vero attinet ad partẽ illam Decreti de non ædificandis Ecclesiis de nouo, absq; ipsius Principis licentia, equidem non habuit Princeps sensum, nec cogitat templorum ædificationes inhibere, prout quandoq; factitatum legitur à quibusdam Principibus religioni Christianæ male affectis. Nam hæc de Principe isto religiosissimo minime suspicanda sunt, & comprobat multitudo templorũ & ædificiorum in toto statu suo. Sed sic constituit caute: Habet enim Princeps Venetus plures Ciuitates, Tertas, Fortalitias & Oppida munita: ideoque prospicere sibi incumbit, ne moles alicuius Ecclesiæ cũ Campanili turri ædificetur in loco aliquo incommodo fortalitiæ, vel etiam damnoso, aut in limitrophis sui imperii: nã hostib. receptaculũ præbere possent.

Addo, quod sicut paterfamilias non cogitur alienare fundum suum pro Ecclesia ædificanda, nec in locum alienum, inuito domino, licet Ecclesiam ædificare, & locum ipsum religiosum facere. *L. 1. §. si vsum fructum, & §. locum. & l. 2. D. de religiosis, & l. fin. C. de pact. inter empt. & vend. & de iur. Can. decisum est, non licere adificare Ecclesiam in aliena parochia, c. 1. & 2. de oper. nou. nunc.* Sic & Princeps vniuersalis dominus & paterfam. pati non cogitur nec cogi debet, vt, eo inuito, construantur Ecclesiæ, & monasteria in loco suspecto, & præiudiciali statui suo. Et negotium ipsum pie & bono animo, non amare considerando, constat, Decretum hoc non esse contra libertatem Ecclesiasticam & religionis cultum. Absit, inquam, quod hæc fuerit intentio Principis. Quare nec Decretum istud subiacere regulæ. *c. nouerit. de sent. excommun.*

Tertia succedit discussio. Nam idem Sereniss. Princeps Venetus per tempora immemorialia consueuit cognoscere, iudicare, & corporaliter condemnare Clericos & Religiosos etiam in Sacris constitutos, & etiam in dignitate pro criminibus grauioribus & atrocibus, de qua re haud dubitandum est. Nam est satis nota. Nunc autem idem Sum. Pontifex Paulus V. quæstionẽ contra mouit, quia id sit aduersus libertatem Ecclesiasticam, ac ideo hæc non licere Principi Veneto domino temporali. Proinde requirit, ne procedat aduersus duos Clericos in carceribus coniectos, impetitos de grauibus & atrocibus delictis, Canonicum vnum, Abbatem alterum, sed eos remittat foro Ecclesiastico, vt in suo Monitorio, sub pœnis & censuris Can. De qua re quæritur. III.

Fundamentum Summ. Pontif. & Curiæ Ecclesiasticæ in suo Monitorio principaliter stat, quod Clerici exempti sunt à potestate seculari, *c. Clerici. de iud. c. si quis contra Clericum, & c. si diligenti. de for. comp.* cum aliis antiquioribus Canonibus conciliaribus, & Summorum Pontificum relatis à Gratiano *11. q. 1.* Caii, Marcelli, Alexandri I. Gelasii, Pelagii, & aliorum, & Simachi Papæ *d. c. bene quidem*, & exemptionem hanc manare dicitur in Monitorio à iure diuino, sicuti in specie asserunt Bonifac. VIII. *in c. quanquam. de censib. in 6.* & inde notarunt glos. Petr. Ancharan. & cæteri Canon. & ad hoc videtur text. *in c. nimis. de iureiurand. desumpto ex Concil. Lateran. sub Innocen. III. c. 43.* in illis verbis: Nimis de iure diuino quidam Laici detrahere præsumunt, dum Clericos nihil temporale ab eis detinentes ad præstandum sibi fidelitatis iuramentum compellunt, & inde Ab. notauit, Clericorum exemptionem iuris diuini esse. Secuti sunt sententiam hanc Doctores Canonistæ. gl. *in d. c. si imperator.* Innoc. Hostien. Abb. & Felin. *in c. 2. de maior. & obed. glos. in cap. tributum. 23. q. 8.* Didac. *in pract. c. 31.* Decian. plures referens *in criminal. libr. 4. c. 9. num. 1.* & vltra Canonistas plures quoque Theologi. At ideo præsupposita exemptione iuris diuini, videtur, quod potestas Laica sit incapax iudicandi & condemnandi Clericos in Sacris, & data incapacitate, præscriptio immemorialis non prosit, sicuti ea ratione prodesse non potest Laico, qui per tempora immemorialia exercuisset spiritualia, quorum est incapax; veluti post Ioan. Monac. & Ioan. And. *in c. 2. de priui. in 6.* tradiderunt Card. Zabar. *cons. 57. & cons. 88.* Abb. *in c. quanto. in 5. not. & in c. fin. n. 15. de consuet. & in c. quod sicut, n. 6. & in c. Sacrosancta. de electione.*

Clerici an exēpti sint à potestate seculari.

In quo etiam Monitorio præuidens Curia, quod Sum. Pon. ex sua suprema potestate, quã habet in iis, quæ sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ, potest priuilegio concedere Principibus Laicis facultatem iudicandi & puniendi Clericos pro huiusmodi criminibus grauibus & atrocibus, sicuti post Archidiac. Bald. Zabarel. Aufrer. & alios tradidit Dec. *d. c. 9. nu. 66.* vbi præcise de DD. Venetis & Hieron. Gigas *de crim. les. Maiest. in tit. quis de crimine. n. 20.* replicatur in Monitorio, quod Princeps Venetus non sit vsus priuilegiis respectu loci, criminũ & personarũ, prout in priuilegiis, scilicet intra Ciuitatem Venetiarum dominantem, sed etiam extra, & in eorum vsu excesserit, ac ideo per abusum ceciderit à iure priuilegiorum, prout cadit priuilegiatus quilibet, qui priuilegio abutitur, *ad l. eos. & l. seq. C. de Aquad. lib. 11. q. 3. & c. suarũ. de priu.* Ruin. *cons. 28. n. 5. lib. 1.* Cra. *cons. 21. n. 3.*

Sed tamen his non obstantib. Princeps ipse triplici respectu defenditur. Primo enim si Curia Rom. admittit (vt admittere debet) Diplomata illa Syxti IV. Inn. VIII. & Pauli III. memorata in Monitorio ex vi assistentiæ iussæ auctoritate Pontificia de persona Reuer. D. Vicarii Patriarchalis in examinibus Clericorum pro dictis criminibus præsupponere & inferre, quod Princeps habeat facultatem cognoscendi de his criminibus, & pro his puniendi Clericos ex concessione Pontificia; Equidẽ allegando Principẽ cecidisse ratione abusus, super hoc necessaria est cognitio;

nam

nam non sufficit dicere, nisi probetur *ad gl. in Rub. D. si quadr. paup. fec. dic.* nec releuat allegare, quod Princeps vsus sit hac licentia etiam pro criminibus extra Ciuitatem Venet. commissis: nam Syxt. IV. per aliud breue suum extendit facultatem ab ipso concessam pro ciuitate Venetiarum ad totum dominium Reipub. & præterea concessio Principi & Regiæ ciuitati facta extenditur & seruatur in toto statu, quia nō licet membra à capite discedere. *c. cum non liceat. de præscript.* & in pon. & ó sic arguit Paul. Cast. *in suo famoso cons. 164 in præsenti vol. 1. lib. 2.* sequuntur posteriores Tyraq. *de iur. primogen q. 63. n. 7.*

Secundo, & alia via etiam secundum iuris regulas Princeps tueri se potest. Præsupposito namq;, quod ex vero priuilegio Summi Pontifices potuerint hanc potestatem iudicandi & puniendi Clericos in Sacris concedere & transferre in Principem ipsum Ven. prout Curia admittit, & de iure, vt dixi supra, verum est, dico, quod licet solo vsu immemoriali allegante Principe se præscripsisse, dubitari posset non esse inductam legitimam præscriptionem, præsupposita incapacitate talis iuris in personam Principis Laici; attamen si vltra vsum immemorialem Princeps alleget id per priuilegium sibi à Pontificib. concessum, ex vsu ipso & allegatione priuilegii simul iunctis probatur præsumptiue priuilegium & inducitur priuilegium præsumptum. Quod quidem tantam vim habet, quantam verum probatum per instrumentum: nimirum quia legum præsumptiones sunt liquidissimæ probationes & probationem liquidam faciunt. ad Ias. *in l. licet Imper. col. 2. D. de l. 1.* vbi concordantes adducit. Antecedens autem præcise in terminis nostris firmauit Dec. *d. loc. n. 67.* post Aufrer. & Alex. *cons. 6 ad fin. lib. 1.* inquit enim, quod ex vsu immemoriali iudicandi Clericos in grauibus allegante Principe id fecisse ex priuilegio Pontificio credatur sibi, & priuilegium præsumptiue probetur. Addo idem esse etiam in priuatis inferiorib. à Principe, qui per tempus immemoriale exercuerit spiritualia, quæ sint iurisdictionis, non ordinis, & allegantibus id fecisse ex priuilegio Pontificio, fundatam habeant intentionem ad illud præsumendum, ob vsum illius iuris immemorialem, But. Imol. & Abb. *in c. cum Apostolica. de his, quæ fi. à prælat.* Raph. Cum. *cons. 83.* Barb. *cons. 35. col. 2. in 2. vbi de comm.* Ias. *cons. 136. lib. 2.* Rip. *in c. 2. nu. 74. de iudic.* Lamber. *de iur patron lib. 1. part. 1 art. 3. 10 q. princ.* Et de Principe asserente sic facere ex priuilegio, vt ei credatur, Bal. *in l. exemplo. ad finem. C. de probat.* Flamin. Paris. *de resignat lib. 8 q. 11.*

Quibus sic propositis, obiectio, quod exemptio Clericorum sit iuris diuini, nullum in re hac facit negotium. Nam, si verum est præsuppositum illud communiter receptū & admissum, Summum Pontificem ex priuilegio vero transferre posse in Laicum potestatem iudicandi & puniendi Clericos in Sacris pro certis criminibus, præsupposita etiam illa traditione, quod exemptio Clericorum emanet à iure diuino; Ergo & ex priuilegio præsumptio item sequitur effectus: nam præsumptum priuilegium æquipollet vero: quoniam tantum potest fictio & iuris præsumptio in casu ficto & præsumpto, quantum veritas in casu vero. *l. qui ad certum. D. locat. l. 1. in princ. C. de rei vind. act. plene notat. in l. fin. qui. D. de vsucap.*

Cæterum, postquam incidit hic punctus de exemptione Clericorum, an sit iuris diuini, an vero iuris humani positiui, aliqua dicam. Sane in re hac contrariæ sunt opiniones relatæ à Didac. *d. c. 31.* à Franc. Victor. *de pot. Eccl. Relect. 1. q vlt.* & ab Illustriss. Card. Bellarm. *de potest. Pap. lib. 5. c. 28.*

Nam licet in causis spiritualibus, & in criminibus Ecclesiasticis, veluti Hæresis, Simoniæ, Apostasiæ & huiusmodi, absolutum sit, Clericos exemptos fore à potestate seculari & subiacere potestati Ecclesiasticæ; attamen in criminibus secularibus homicidii, furti, proditionis & aliis videtur, quod Regiæ potestati seculari subiaceant ex iure etiam diuino, & id deduci videtur ex tex. quem ad hoc pondero *in c. nos si incompetenter. §. item notandum. 2 q. 7.* vbi legitur, quod in causis seculi David Rex præerat Sacerdoti, in causis autem Dei Sacerdos præerat Regi. Nec in Scriptura vetere legi ego locum, quod Sacerdotes in criminibus seculi exempti essent à Regia potestate. De iure autem diuino secundum Legem nouam Euangelicā non legitur ex ore Christi exemptio hæc; imo secundum quædam loca specialia satis nota videtur, quod Christus & Apostoli recognouerint potestatem secularem in Cæsare: *Reddite Cæsari,* &c. Matth. *c. 22.* & iterum Matth. *c. 17.* vbi Dominus noster mandauit Petro, vt pro vtroque solueret didrachma. Rursus beatus Petrus Apostolus *in sua prima Epistola c. 3.* admonuit discipulos suos, dicens; *Estote subditi siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus ab eo missis,* &c. & ibi indistincte loquitur. Præterea beatus Paulus Apostolus in criminali causa appellauit ad Cæsarem *Actor. c. 25.* & vlterius docebat, vt *omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita,* ad Roman. *c. 13.* ad Titum *c. 3* & Sanctus Augustinus *ad Rom. in tex. omnis anima. de censibus,* vbi arguit subiectionem à præstatione tributi. Tributum autem Christus Deus Cæsari solui & reddi mandauit. Ergo &c. Vnde dubitabile admodum est, quod Clericorum exemptio sit iuris diuini. Quare moderniores supra relati concordare student, vt ea exemptio non ducatur ex verbo Dei, sed ab exemplis in Sacra Scriptura, & à ratione ducta ex iure naturali, quia Clerici sunt personæ consecratæ Deo & in sortem Domini, cui etiam exemptioni ordinatæ per constitutiones Sum. Pontificum debent Principes seculi consensisse. Verum, etsi sic concedamus non tamen euademus, quod illorum exemptio nō sit iuris humani. Siquidem ius humanum fit, quod procedit nedum ex constitutionibus Pontificus, sed etiam ex conciliaribus Decretis, rex. ad hoc in c. *non debet. de consang. & affinit.* & inde Abb. notauit *in 3. not.* quoniam & conciliaria Decreta sunt reuocabilia, nisi ius diuinum in latiore significatu accipiamus, vt per eundem Abb. *in d. c. nimis. in fine.* Sed de his iam satis.

Tertia

Tertia autem via Princeps seruetur: namque ex diuersis & inter se differentibus defensio permittitur iure scripto sic concedente *ad l. nemo prohibetur. D. de exceptio.* Proponit itaq; Princeps Venetus à fundatione suæ Reip. anno Christo nato 421. circiter se exercuisse potestatem hanc iudicandi Clericos in Sacris pro criminibus grauibus & atrocibus vsq; in hæc tempora, idque historice demonstrat. Translato namq; Imperio à Romanis in Græcos à Constantino Mag. Imperatore, anno à Christo nato 308. circiter per leges scriptas publicas plane costat, temporib. Theodosii & Valentiniani, qui quidem in Imperio consortes regnarunt anno 43. & Martiani imperantis anno 452. & Leonis I. Imperatoris, qui imperauit anno 458. Clericos & Episcopos tam in ciuilibus, quam in criminalibus causis subiectos fuisse potestati Imperatorum Magistratuum, vti plane legitur *in l. si qua per calumniam, & l. cum Clericu, & in l. omnes. C. de Episc. & Cler.*

Iustinianus autem Imperator In Imperio successor an. 525. per nouellas suas leges constituit, vt Clerici in causis pecuniariis profanis & in spiritualibus ciuilibus aut criminalibus haberent iudices suos Episcopos: in causis autem criminalibus pro criminibus secularib. Iudices haberent Magistratus & Præsides Prouinciarum Laicos, vti legitur in Auth. *vt Clerici apud proprios Episcopos*, transsumpta per Irner. *C. de Episc. & Cler. Auth. nullus & Auth. Clericus.* & continuarunt Clerici sub iugo potestatis secularis in criminalibus vsque ad tempora Federici II. 1200.

Hic enim lege publica lata nominatim soluit Clericos à suis iudicibus secularibus & in ciuilibus & in criminalibus omnibus, eosque remisit ad suos ordinarios. Cuius constitutio legitur post titulos feudor. incip. *Feder. in §. item statuimus.* transsumpta ab Irner. *C. de Episc. & Cler. Auth. item statuimus.* Vnde post hac Clerici per has leges Imperiales euaserunt potestatem iudicialem Imperatorum Occidentalium in criminalibus. Orientales autem iuxta constitutiones Iustinianeas retinuerunt in criminalibus vsque ad exitum illius Imperii in personam Constantini Paleologi vltimi Imp. 1485. & in Regno Angliæ, dum Christi religio sub sedis Apostolicæ autoritate in maximo cultu esset, Reges & Regii Magistratus seculares de delictis Clericorum cognoscebant & culpabiles Clericos damnabant, vti legitur apud Rot. Rom. *in antiq. sub Rubr. de consuet. dec. 10.*

Interea autem in incursionibus Athilæ tempore Theodosii & Valentiniani initia & successiuis temporibus incrementa sua habuit Respub. Veneta nullum superiorem in temporalibus recognoscens, propriis suis legibus & moribus viuens conformibus, vt par est credere moribus & vsibus Imperatorum, tunc imperantium cum superioritate in iudiciis supra Clericos.

Anno autem 776. secundum gl. nostram. *in c. venerabilem. de elect.* Historici autem Blondus, Sabellic. & Sigon. dicunt anno 800. tempore Leonis III. Papæ Imperium Occidentale principium habuit in Carolo Magno, inter quem & Nicephorum successoré in Imperio Græco diuisę fuerunt prouinciæ. Domini autem Veneti dimissi fuerunt in sua libertate, veluti apud eosdem legitur Blond. *lib. 1. Decad. 2. fol. 8.* Sabellic. *rerum Venetarum lib. 2. post prin.* Vnde arguitur, quod eo tempore, sicuti Imperatores cognoscebant de causis criminalibus supra Clericos, sic quoq; Dn. Veneti in ciuilibus tacito suo consensu eos remisisse ad Iudices suos Ecclesiasticos, & criminalium cognitionem pro criminibus secularibus grauibus & atrocibus retinuisse, & continuarunt vsque in hanc diem, non obstante Federici II. relaxatione, cuius edictalis constitutio non potuit Dn. Venetis præiudicare liberis à iugo potestatis Imperatoriæ.

Nec quidquam obest, quod Princeps Venetus non in omnibus criminalibus iurisdictioné suam supra Clericos exercuerit, sed in atrocibus & in grauioribus tantum, in cæteris deferendo potestati Ecclesiasticę. Nam respondetur, tres considerari species criminum, leuia, maiora, maxima & grauiora. Vnde licet per nó vsum primarum duarum specierum dici possit, Principé ipsum detulisse potestati Ecclesiasticæ, per vsum tamen tertiæ speciei in maximis & grauioribus retinuerit ius suum; nam de iure conceditur, vt per vsum longæuum certæ speciei iurisdictionalium acquiratur ius & possessio in illa specie, in aliis non. ad Innoc. & Canonistas *in d. c. dilectus. C. de Capel. Monach.* Bart. *in l. 1 §. si quis D. de itin. actuque priu.* Aret. *in c. 1. col. vlt. de constit.* Soc. *cons. 111. col. vlt. in 1.* Ias. *in l. 3. in fin. princ. D. de acquir. poss.* & Doctores alibi sæpe. Fortius ergo retinebitur possessio & ius, quia facilius conceditur retentio, quam de nouo acquisitio per retentionem, *C. de vsur.* Bal. *in l. 2. in 3. not. C. de fideicom.* Dec. *cons. 298. col. 2.*

Item ex vsu temporis immemorialis in istis grauioribus, imo etiam per vsum 40. & 50. annorum, non constito de contrario vsu, præsumitur per tempora anteriora & retro superiora idem continuatus vsus, si sic allegetur. Sic post Iacob. Butrig. & Antonium Butrig. Alex. *cons. 142. nu. 5. lib. 6.* sequitur Natt. *cons. 431. n. 26.* Gramm. *decis. 64. n. 39.* Et hæc satis.

Marcus Antonius Peregrinus Iurisconf. Eques & Consultor Ser. Respubl. Venetæ ex Primariis Gymnasii Patauini in Iure Professoribus. Anno 1606. 30. Ianuarii.

Locus Sigilli.

Anno 1606

MARCI ANTONII OTHELII, IC. VTINENSIS, ET IN PATAVINO GYMNASIO ORDINARII IN PRIMA SEDE matutina Iuris Ciuilis interpretis,

RESPONSVM

Pro Decretis Serenissimæ Reipublicæ Venetæ:

De non alienandis bonis immobilibus per subditos Laicos in personas Ecclesiasticas absque Principis licentia.

De non ædificandis Ecclesiis, aut Monasteriis eodem Principe inconsulto.

Et demum pro facultate iudicandi & puniendi Clericos pro delictis grauibus & atrocibus.

Cum subscriptione Sacri Collegii Clarissimorum Iurisconsultorum Magnificæ Ciuitatis Paduæ.

SERENISSIMÆ Reipublicæ Venetæ Decreto sancitum est, ne quispiam ex eius subditis possit res immobiles absque Excellentissimi Senatus licentia personis Ecclesiasticis vendere, aut quouis modo in eas alienare, neve donationis, aut vltimæ voluntatis titulo liceat alicui bona immobilia eisdem personis Ecclesiasticis in perpetuum relinquere: sed transacto biennio debeant bona ipsa publice distrahi, eorumq; pretium in vsum & commodum illorum, quibus relicta sunt, conuerti. Quocirca, cum materia hæc videatur quodammodo Ecclesiastica, in dubiũ reuocatur, num tale decretum iustum sit, tutaq; conscientia ab excelso Senatu fuerit editum.

2. Scio hac de re doctissimos viros copiose *ac luculenter* respondisse; Verum, quia eorum opinio, quam puto verissimam, aliis quoq; solidissimis nititur fundamentis, conabor ego nonnulla ex eis, quæ mihi magis vrgere videntur, fideliter ac dilucide explicare, & contrariis rationibus plene & ex iure satisfacere.

Huic Decreto quatuor potissimum obiiciuntur, quæ primo aspectu rem ipsam eminus cõsiderantibus non facile dilui posse videntur.

Obiicitur enim inprimis, Decretum hoc aduersus Ecclesiasticam libertatem editum fuisse, ideoque nullum prorsus & inualidum censeri, iuxta tex *in c. aduersus. de immun Eccles. in c. nouerit. de sen. excom. & in Auth. Cassa. C. de Sacrosan. Eccles.* Atque ad huiusce rei comprobationem illud potissimum deducitur, tria esse statutorum genera, quæ libertati Ecclesiasticæ aduersari dicuntur, secundum Innoc. & alios *in d. c. nouerit.*

Primo enim ea sunt, quæ veniunt contra priuilegia spiritualia à Deo vel Papa Ecclesiæ cõcessa, cuiusmodi illud est, quod Christus Ecclesiæ in persona Petri indulsit, inquiens, Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Item quod decimæ, primitiæ & oblationes sint Clericorum, & ad solos Clericos pertineant, quodq; sola Ecclesia res Ecclesiasticas administret, & cætera id genus, quæ passim super Spiritualibus inueniuntur à summis Pontificibus indulta, de quibus *in c. reuertimini 16. q. 1. in c. cum tua de Deci. & in c. si Imperator. 96. dist.*

Secundo ea sunt, quæ veniunt contra priuilegia eidem Ecclesiæ ab Imperatore tributa, cuiusmodi illud est, vt quilibet possit Catholicum Collegium instituere pro libitu voluntatis suæ. Item, vt Ecclesia vel alius pius locus in rebus sibi relictis iure hereditario, aut legati, vel donationis, venditionisve habeat priuilegium, vt actiones ei competentes non præscribantur, nisi spatio quadraginta annorum, reseruato maiori priuilegio Romanæ Ecclesiæ, vt non nisi centum annorum cursu eius iura extinguantur. Item, vt in diebus Paschalibus nemo possit in carceribus detineri, nisi pro crimine enormi, vel, nisi sit delinquere assuetus. Item, vt fugientes ad Ecclesias inde extrahi nequeant, aliaque complura, quę passim in volumine Codicis reperiuntur, *l. 1. & l. pen. cum auth seq. C. de sacrosan. Eccles. l. nemo, C. de Episc. aud. l. 1. & tot. C. de his, qui ad Eccles. confu. l. collegium C. de hered. instit. & §. Presbyteros in auth. de Sanctiss. Episc.*

Tertio & vltimo ea sunt, quæ auferunt Ecclesiis vel Ecclesiasticis personis ius aliquod eidẽ Ecclesiæ à iure communi concessum, cuiusmodi est facultas cum Laicis contrahendi & similia faciendi, quæ iure communi, non autem ex priuilegio competunt, vt not. Ant. de Butr. *in d. c. nouerit.* Abb. *ibi n. 2.* & Dec. *in c. Ecclesia S. Mariæ de constit. n. 3.* post Bartol. *in d. Auth. Cassa nu. pariter. 8. C. de sacrosanct. Eccles.* Magis enim tollitur libertas in iis, quæ competunt iure communi, quam in iis, quæ iure speciali, cum potentius sit ius commune, quam singulare *l. eius milit. §. militia missus. D. de milit.*

milit. test. & ideo statuta, quibus disponitur, vt Clerici non possint cum Laicis contrahere, vel ex Laicorum testamento capere, dicuntur esse contra libertatem Ecclesiæ, cum hæc iure communi omnibus competant, vt inquit Bart. *in d. auth. Cassa.* Fel *in d. c. non n. 3.* Alex. & alii relati à Dec. *in d. c. Ecclesia San. Mar. n. 3. de const.* necnon Ripa *in l. filiusfam. § Diui. n. 81. de leg. 1.* Huiusmodi autem videtur esse Decretum hoc, de quo agitur; Ergo libertati Ecclesiasticæ contrarium, & ex consequenti nullum & inualidum iudicatur.

Obiicitur secundo loco, Decretum hoc in ea parte, qua prohibet, ne liceat Laicis in perpetuum bona immobilia Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis relinquere, liberam adimere testandi facultatem, quam nec Principes subditis suis auferre possunt. Nam licet solemnitates testamentorum iure ciuili sint inductæ, ipsa tamen testandi libertas hominibus iure gentium & naturali competit *l. nec enim. § deportati. D. de milit. test.* tradit Bar. *in l. interdum. n. 7. de cond. indeb.* Paul. Cast. *in l. testandi. C. de test.* Rom. Fulg. & Ias. *in l. si testamentum. C. eo.* Dictat enim naturalis ratio, vt cuilibet licitum sit de propriis rebus libere disponere. Et si iure gentium libera testandi facultas data est, ea & iure naturali competere dicitur. *§ singulorum. Instit. de rerum diuis. & §. quod vero Inst. de iur. nat. gent. & ciu.* Imo libertatem testandi esse iuris gentium & naturalis asserunt Theoph. *in §. ius autem gen. Inst. de iur. na. gent. & ciu.* Bar. *in d. l. interdum.* Ias. *in Rubr. D. de acq. her.* Viglius *in §. sed prædicta. Inst. de testa. n. 4.* & cæteri communiter, vt testatur Ias. *in d. l. interdum. n. 4.* Coro. *in d. l. si testamentum.* & Couar. *var. resol. lib. 3. c. 6. n. 7.*

Obiicitur tertio, in hoc Decreto de Ecclesiis & personis Ecclesiasticis specialiter actum fuisse, quo casu dispositio subsistere non potest ex defectu potestatis, etiamsi Ecclesiæ fauorabilis sit; *c. bene quidem. 96. dist. c. vt animarum. de const. lib. 6. & l. vlt. D. de iurisd. omn. iud.*

Princeps enim secularis non habet potestatem in Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas. *c. si Imper. 96. dist. & c. Eccles. S. Mar. de const.* Qua ratione dicebat Inn. *in c. 1. de reb. Eccl. non alien. lib. 6.* solemnitatem introductam ab Imperatore in alienatione rei Ecclesiasticæ, de qua *in auth. hoc ius porrectum. C. de sacros. Eccl.* necessario seruandum non esse; propterea quod non potuit Imperator in rebus Ecclesiæ illam solemnitaté introducere. Etenim ex eiusmodi obseruantia argueretur quædam superioritas Imperii ad Ecclesiam, & Imperator diceretur falcem ponere in alienam messem, contra tex. *in c. venerabilem. de elect. & in d. c. bene quidem 96. dist.*

Quod si lex ciuilis de personis & rebus Ecclesiasticis specialiter disponens nullibi seruatur, etiamsi Ecclesiæ fauorabilis sit, quanto minus seruari poterit præiudicialis, cum hæc, etiam si generalis sit, non extendatur ad Ecclesias & personas Ecclesiasticas, nisi à Papa fuerit expressim approbata *c. si in adiutorium. 10. dist. & tradunt Canonistæ in c. vlt. de solut.* Itaque cum hic simus in materia ad Ecclesias pertinente, lex Principis secularis, neque directe, neq; indirecte super ea statuere potuit, nec effectum Iuris Canonici impedire, & ita dicit Abb. *in d. c. Eccl. S. Mar. n. 15.* & Dec. *n. 34.*

Obiicitur quarto & vltimo, ex hoc Decreto illud quoque inconueniens resultare, vt Religiosi, quibus bona immobilia ex vltima voluntate quæsita sunt post biennium, & inuiti vendere cogantur, contra text. *in l. nec emere. C. de iur. delib. in l. inuitum, & in l. dudum. C. de contrahen. emptio. cum aliis ibi per gloss. congestis.*

Cæterum his obiectionibus minime obstantibus, arbitror ego prædictum Decretum iustum esse, summaque cum ratione ab Excellentissimo Senatu promulgatum fuisse. Idque vt affirmem, infra scripta me mouent argumenta.

Primo. Nam si quæramus qualis debeat esse lex, vt obseruatione digna censeatur? Respondetur ex *c. erit autem lex. 4. dist.* legis essentiam in his consistere, vt sit honesta, iusta, possibilis, secundum naturam & consuetudinem Patriæ, loco, temporiq; conueniens, necessaria & vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta. In hoc autem Decreto hæc omnia continétur. Ergo iustum est, & inuiolabili obseruatione dignum. Honestum est, quia honestati conuenit, vt bona & diuitiæ conseruentur inter subditos Laicos, qui Principem & ipsam Remp. facilius, cum tempus exigit, tueri possunt, quique ciuitatis onera quotidie subeunt, *l. cura §. inopes. D. de mun. & honor.* Est item secundum naturam patriæ, maximeque conuenit loco & tempori, cum nostra hac tempestate, ac præsertim in hoc serenissimo dominio Veneto Ecclesiæ, & Monasteria tot opibus, totque egregiis commodis abundent, vt nihil amplius ab honestate Clericorum expeti posse videatur. Et demum pro communi ciuium vtilitate, non autem ob priuatum commodum editum & promulgatum est, cum non alio tendat, quam vt inter subditos diuitiæ conseruétur. Qua ratione etiam statuta illa, quibus passim cautum reperitur, ne bona immobilia in exteros alienentur, vbiq; gentium obseruantur, vt testatur Bald. *in cons. 349. statuto Placentiæ. lib. 1.* Alber. *in tract. statut. in 2. par. q. 2.* Angel. *in cons. 47. quidam Franciscus.* Feder. de Senis *in cons. 285. statuto.* Card. Zabarel. *cons. 144. n. 1.* Paul. Castr. *in cons. 88. posset quis. n. 1. in fi. lib. 1.* aliique pene innumerabiles congesti à Soc. iun. *in cons. 76. n. 26. lib. 3.*

Secundo mouet me huiusmodi consideratio: Non debet esse minor auctoritas Principis in condendis legibus, quam priuatorum in contractibus celebrandis, *l. non impossibile. D. de pact.* & est gl. singularis *in Rubr. de Decret. decur. lib. 10.* At contrahentes possunt in contrahendo legem apponere, vt res in Ecclesiam non transferatur, secundum gl. communiter receptam *in l. si ita quis. §. ea lege. D. de verb. obl.* & Paul. Castr. *ibi sub n. 7.* Ergo & Princeps poterit prohibere, ne bona subdi-

torum in Ecclesiam transeant. Et, si dicatur, terminos non esse pares, nec eandem subesse rationem, quia in dispositione rei propriæ plus possunt contrahentes ratione dominii, quod habent, quam statuentes.

Respondetur, quod licet statuentes non sint domini particulariter alienius rei, habent tamen quoddam ius in vniuersum territorium, ita vt super rebus in eo existentib. disponere possint pro bono publico. arg. *l. pupi. §. territorium. D. de verb. sign.* & hæc potestas disponendi videtur sufficere, alioquin statutum nullũ esset etiam respectu Laicorũ, quod tamen falsum est. Et ita respondet Soc. iun. *in d. l. filiusf. §. Diui n. 169.* addens & Ruinum ita sensisse, licet diuersis vtatur terminis.

Tertio, huic sententiæ suffragatur argumentum illud, quo in simili casu vtitur Signor. *in suo cons. 21. n. 12* & Soc. iun. *in d. §. Diui. n. 170.* Inquiunt enim, quod auctoritas testatoris disponentis de rebus suis non debet esse maior, quam ipsius Principis leges promulgantis super rebus in ditione sua existentibus *§. disponat. in auth. de nup. & l. 1. C. cum de leg. paula post pr.* Imo minor testatoris auctoritas censenda est. *l. nemo potest. D. de leg. 1. & l. testandi. C. de test.* Sed testator potest rebus suis legem imponere, ne eius prædia in Ecclesias, aut alias certas personas alienentur. *l. peto. §. fratre. & l. cum pater. §. libertas. de leg. 2.* Ergo multo magis ex Principis auctoritate id fieri poterit, ne res eius imperio subiectæ in Ecclesias alienentur ratione publicæ vtilitatis.

Quarto, ad hanc sententiã maxime pertinet consideratio Calderini *in cons. 21. n. 3. sub tit. de consti.* qui pro hac parte ita argumentatur: Paria sunt aliquid facere in meo loco, vel in meos subditos, arguendo de loco ad personas. *l. vinum. D. si cert. petat. & l. qui plures. D. de vulg. & pupill.* At certum est, quod in meo loco facere possum, quod mihi liber, licet hoc in consequentiam aliis noceat, *l. Proculus D. de damn. infecta.* dummodo principaliter id faciam, vt mihi prosit, non vt aliis damnum afferat. *l. 2. § idem D. de aqua plu. arcen.* Ergo eodem modo Princeps legem ferre potest, vt sibi & Reip. prosit, licet in consequentiam Ecclesia lædatur. Neq; enim Princeps obligatus est Ecclesiæ ad eius commodum conseruandũ, nisi ex quadam generali æquitate, quam excludit charitas ordinata. *l. Præses. C. de seru. & aqua.* Et ideo potest Princeps, vt subdit idem Calder. per obliquum Ecclesiæ derogare, nec propterea ad eius iniuriam, sed ad proprium commodum id facere dicetur, arg. *l. Titio centum. §. 1. D. de cond. & demonst.* Nam & Eccl. hoc permissum est in reb. suis, licet ex eo per obliquũ Laici lædantur. Et ita quoq; voluit Bal. *in c. Cler. de iudiciis* & Ias. *in d. §. Diui. n. 76.*

Quinto, accedit auctoritas Card. Zabar. *in cons. 44. n. 4.* qui ex sententia Fed. de Senis ait, quod sicut valet statutũ inhabilitans Laicum passiue, ne recipiat ab Ecclesia, ita valere debet statutum inhabilitans actiue, ne sc. in Ecclesiam transferat; imo addit fortius tenere statutum inhabilitans actiue, quã passiue, propterea quod statutum inhabilitans actiue concernit bona, quæ sunt de iurisdictione statuentium, quod nõ contingit, cum passiue inhabilitat, atq; ad hoc inducit, quod notat Bart. *in l. rescripta. §. sciendum. D. de mun. & hon.*

Sexto & vltimo plurimũ confert, quod in facto supponitur, hanc eandem prouisionem in inclita Venetiarum ciuitate, eiusq; Ducatu tanquam iustam & æquam diutissime obseruatã fuisse, atq; adhuc obseruari. Ergo eadem ratione & auctoritate potuit ad totum dominium atq; ad omnes subditos extendi; quoniam longi temporis consuetudo & obseruantia æquiparatur priuilegio. *l. 2. §. casus de aqua pluu. arcen. & l. 1. §. plane. D. quod vi aut clam.* imo ex longæui temporis cursu Pontificum scientia in huiusmodi casib. præsumitur interuenisse, arg. *l. qui in aliena § 1 D. de acquir. her.* & ex multis comprobat Signor. *in pract. cons. 21. n. 20.* Iam vero, quoniam non ignoramus totam vim præsentis consultationis consistere in diluendis contrariis argumentis, ad eorum solutionem, cæteris omissis, deueniendum est.

Non obstat igitur primo, quod huiusmodi Decretum videatur editum contra libertatem Ecclesiasticam, quippe quod videtur auferre Clericis facultatem cum Laicis contrahendi, & ex eorum testamentis immobilia acquirendi, quoniam ad hanc obiectionem duæ adaptantur solutiones. Vna solutio est, per huiusmodi legem non auferri Clericis libertatem cum Laicis contrahendi, sed Laicorum potestatem restringi & limitari, siquidem eius præceptum ad Clericos non dirigitur, sed ad Laicos tantum, quibus Princeps imperare potest. *cap. 2. de maior. & obed.* Illud autem præceptum, quod non imponit frænum Ecclesiasticis personis, sed Laicis non dicitur esse contra libertatem Ecclesiæ, sicuti egregie sensit Gem. *in c. vlt. in fine comm. de imm. Eccl. lib. 6.* Sign. *in d. cons. 21. n. 13.* & Soc. iun. *in d. §. Diui n. 172.* Ergo prædictum Decretũ non dicitur esse contra libertatẽ Ecclesiæ, sed tanquam iustum & honestum obseruandum est. Permissum est enim Principi legẽ ferre ad communem subditorũ suorum vtilitatem, tametsi ex eadẽ lege ius aliquorũ lædatur, vt in simili dixit Bar. *in l. toties de pollicit.* Ruin. *in cons. 46 n. 3. lib. 1.* & Dec. *in cons. 522. n. 10.* Par. *cons. 1. nu. 46 lib. 1.* & Cra. *in cons. 135 n. 30.* Quod enim principaliter agitur, non quod in consequentiam venit attendi debet. *l. si quis nec causam. D. si cert. pet. l. si sponsus. §. circa. D. de donat. inter vir. & vxor. & l. verum. D. de furtis. cum simil.*

Et, si quis dicat, quod licet verba prædicti Decreti non dirigantur ad personas Ecclesiasticas, mente tamen & intentione libertas Ecclesiastica infringitur, cum prohibito Laico, ne transferat bona immobilia in Clericos, videantur ex quadam consequentia & Clerici prohibiti, ne à Laicis res immobiles emant, aut ex donatione vel testamento capiant, quemadmodum sentit gl. *in d. c. vlt. in verba libertatis de immunit. Eccl. lib. 6.*

Respondetur hoc verum esse, vbicunq; constat, prohibitionem malitiose & principaliter in odium

in odium ac præiudicium Clericorum factam fuisse, sicuti apparebat *in d.c. vl.* vbi qui dominium temporale obtinebant, suis subditis interdixerant, ne Prælatis aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quicquam venderent, aut emerent aliquid ab eisdem, neve ipsius fruges molerent, panem coquerent, aut alia obsequia exhiberent. Sed, vbicunq; prohibitio fit non odio Clericorum, sed fauore publici & communis boni subditorũ, prout in præsenti casu factum fuisse cõstat; cũ fraudem committere non dicatur is, qui se plus, q̃ alterum diligit, *l. cum pater. §. Titio de leg. 2.* neq; mẽte, neq; verbis dicitur infringi Ecclesiast. libertas, vt volunt Cald. *in prac. cons. 21. n. 3.* Petr. de Anch. *in cons. 11. n. 5.* Gem. *in d. cons. vlt.* & Sign. *in præall. cons. 21. n. 15.* Hoc idem sensit Bal. *in c. Eccl. S. Mar. n. 8. de const.* dum quærit, an valeat statutum prohibens alienationẽ in Clericum, & concludit non valere, si principaliter editum sit in odium Clerici, sed si in fauorem Reip. factum sit, vt non fraudetur publicis functionibus bene valet statutum; & addit idem Bal. ita sensisse complures magni nominis Iurisconsultos, à quib. nec Dec. dissentire videtur *in d. c. Ecclesia S. Mar. n. 5. v. si volumus*, dũ respondet ad tex. *in d. c. vlt.* constitutionẽ illam sibi locum vendicare, si prohibitio in odium Clericorum principaliter facta sit; quam responsionem probauit quoq; Soc. iun. *in d. §. Dimi. n. 170.* & Couar. *in c. possess. par. 2. §. 4. n. 8. de reg. iur.* Altera solutio est, quia in hac specie nõ prohibentur simpliciter Laici in Clericos bona immobilia transferre, sed tantummodo eis imperatur, ne sine licentia amplissimi Senatus in Clericos alienent, quo casu non dicitur læsa Ecclesiast. libertas, cũ, obtenta licentia, & in Clericos possit fieri alienatio: nam vt inquit Fed. de Senis *in sua disput. 85. in fi.* aliud est per legem aliquid constitui, per quod omnis via & omnis modus transferẽdi dominia rerum in Ecclesiam prohibeantur, & sine causa, aliud est statutum condere, per q̃ Ecclesia ex iusta causa reddatur inhabilis ad contrahendũ cum Laicis absq; consensu Principis secularis. Primo enim casu nullũ est statutum, quia odiosum est, & causa probabili caret. Secundo vero, vt iustũ & æquum obseruatur, nec dicitur libertatẽ Ecclesiasticam subuertere. Et hanc Fed. distinctionem sequutus est Gem. *in d. c. vlt. & circa finem comm.* & Dec. *d. c. Eccl. S. Mar. n. 55. vers. secundus casus.*

Non obstat secundo loco, quod huiusmodi Decretum in parte, qua vetat, ne Laicis liceat in perpetuum bona immobilia Ecclesiis aut personis Ecclesiasticis relinquere, videatur adimere liberam testandi facultatem, quam nec Princeps subditis suis auferre potest, vt dictum est.

Quia responderur assertionem illam, quod Princeps non possit adimere aut restringere liberam testandi potestatem, tanquã hominibus iure gen. competentem, veram intelligi, si id absque publicæ vtilitatis causa fiat. In his enim terminis loquuntur illi, qui dicunt, Principem non posse priuatorum testamentis derogare, aut liberam testandi facultatem restringere, nempe Archid. *in c. Episc. 88. dist.* Mard. Laud. *in tract. de priu. §. 22.* Rom. Fulg. & Corn. *in l. si testa. C. de test.* Dec. *cons. 357. n. 5.* & Crau. *cons. 296. lib. 2.* At si id fiat ex causa Reip. & subditis vtili, vtiq; valet Principis dispositio, vt concludunt prænominati omnes interpretes, & præsertim Dec. post Bart. *in proœ. D. & in l. vlt. C. si contra ius, vel vtil. pub.* Abb. & alios *in c. quæ in Eccles. de const. firmat.* Couar. *var. resol. libr. 3. c. 6. n. 5. ver. sexto hanc sententiam.*

Non obstat tertio, quod in hoc decreto specialiter actum sit de Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, quo casu ex defectu potestatis non videtur subsistere dispositio, vt dictum est.

Quia cum verba Decreti præceptiua dirigantur ad Laicos, non autem ad Clericos, non dicitur Princeps de Clericis vere disposuisse, sed tantummodo Laicorum potestatem angustasse, vnde fit, vt neque ex defectu potestatis possit huiusmodi prouisio labefactari.

Et si dicatur, quod saltem indirecte Decretum hoc dicatur de Ecclesiis & personis Ecclesiasticis disposuisse, quod Principi seculari non videtur permissum.

Respondetur hoc verum esse, quando mens & animus legislatoris eo principaliter tendit, vt Ecclesiis præiudicium afferat, vt q; Ecclesias dispositioni suæ subiiciat. Tunc enim siue directe, siue indirecte quicquam constituatur, nulla est constitutio, vt in casu *d. c. vlt. de imm. Eccl. lib. 6.* vbi Laicis interdictum fuerat, ne cum Clericis commercium aliquod haberent, sed eis omnia etiam ad victum necessaria denegarent, id quod nihil aliud erat, quam ipsos obsidione quadam circũuenire, eosq; velle inedia consumere, atq; iterum ad radices & herbas SS. Patrum relegare. Sed si statuentis intentio laudabilis sit, qualis est in proposita specie, & prohibitio non in odium Clericorum, sed ob publicam vtilitatẽ facta sit, iure facta intelligitur, neque ex defectu potestatis subuerti potest. Quod enim principaliter agitur, nõ q̃ in consequentiam venit, attẽdi solet, & multa in consequentiã tolerantur, quæ si principaliter fierent, non permitterentur *l. 1. in fi. D. de fun. dot. cum simil.* Non obstat postremo loco, quod vigore huiusmodi decreti Religiosi, quibus immobilia ex vltima voluntate quæsita sunt, ea vendere post biennium compellantur, & precium recipere, contra *l. nec emere. C. de iur. deliber.*

Quia respond. hoc casu Clericos non cogi ad vendendũ, sed ea lege à Laicis res immobiles capere, vt eas elapso biennio, precio accepto restituant, quo casu nõ dicuntur inuiti vendere, sed oneri suo satisfacere. Neq; enim dubiũ est, quin Princeps ratione publici & communis boni possit subditis suis huiusmodi legẽ imponere, cũ ex causa publicæ vtilitatis etiã domus, & res priuatorũ subditis suis auferre queat, precio eisdem soluto *l. venditor. §. si const. at. D. com. præd.* tradunt Canonistæ *in c. quæ in Ecclesiarum. de const.* Bar. & Bal. *in l. omnes populi. D. de inst. & iur.* Dec. *in cons. 357. n. 5. ver. & licet ex causa.* Cra. *in cons. 95. n. 7.* Ruin. *in cons. 2. vol. 4.* & Rolã. Val. *in cons. 71. in prin. vol. 5.*

Itaq; concludo prædictum Decretum iustum esse, tutaq; conscientia à Sereniss. Repub. pro-

mulgatum fuisse, cum felicissimi status conseruationem, non Ecclesiarum detrimentum respiciat.

Verum, quia & aliud extat eiusdem serenissimæ Reipubl. Decretum, quo cauetur, ne Monasteria, Ecclesiæ, Hospitalia, aliaue loca similia absque maioris Consilii licentia ædificentur, de huius quoque validitate ex duobus potissimum dubitatur.

Primo, quia Princeps secularis de rebus vel negotiis Ecclesiasticis nihil constituere potest, *c. bene quidem. 96. dist. & c. vlt. de reb. Eccl. non alien.* & tam Hospitalia, quam Ecclesiæ & Monasteria dicuntur Ecclesiastica. *l. omnia. C. de Episc. & Cler. §. 1. & §. ad hoc. in Auth. de Eccl. tit.* tradit Abb. *in c. inter dilectos in fine. de donat.* & Card. Zabarel. *in c. quia contingit de relig. domibus.* Imo idem Ab. *in c. accedentibus. de priuil. in c. 4. de præscript. & in c. 1. de restit. in integr.* ait, quod omnia priuilegia concessa Ecclesiis hodie extenduntur ad Hospitalia.

Secundo, quia loca religiosa non Principis secularis, sed Episcopi auctoritate constituuntur, & postquam constituta sunt ad Episcopi curam pertinent. *c. quicunque. 16. q. 1. c. de Xenodochiis. cum seq. de rel. domib. c. Eccl. de immun. Eccles. c. nemo. de consecrat. dist. 1. c. cum olim. §. 1. de priu. & § si quis autẽ. in auth. de Eccl. tit.* Ergo non potest Princeps secularis de Ecclesiis, Monasteriis, aut aliis religiosis domibus constructis vel construendis aliquid statuere, & ex consequenti nullum est, & inualidum prædictum Decretum à serenissima Republica editum.

Sed his non obstantibus censeo ego contrarium verius esse, quod imo tale statutum valeat, nec Canonicis institutis aduersari dicatur.

Quod enim dicimus, Principem Laicum non posse de Monasteriis aut Ecclesiis quicquam disponere, verum est, si iam cõstructa sint, & Episcopi autoritate iam Ecclesiastica facta, nisi boni publici necessitas aliud fieri suadeat, vel si construenda essent, & princeps propria autoritate vellet ea construere. Hoc enim proculdubio facere non posset. Et in his terminis loquuntur præcitata iura, & procedunt autoritates allegatæ.

At si agatur de locis piis & religiosis nondum constructis, sed quæ in posterum construi possent, nihil impedimẽto est, quo minus Princeps secularis perlata lege constituere possit, ne eo inconsulto ædificentur. Hoc enim casu non dicitur se immiscere negotiis Ecclesiast. nec de reb. Ecclesiæ disponere, sed tantummodo cauere, sibiq; ipsi consulere, ne cũ detrimento status sui eiusmodi ædificia erigantur, neve, eo inuito aut ignorante, nouæ religiosorum sectæ introducantur, q̃ non solũ Laicis, sed & ipsis Clericis possent aliquando detrimento esse. Tot n. indies suboriuntur, interpolanturq; per vniuersum Christianũ orbẽ nouæ Religiosor. familiæ & cõgregationes, vt valde prospiciendũ sit, ne temere & sine delectu recipiantur, cum præsertim nonnullæ ex eis societatis potius, quam veræ religionis ritus amplectentes ab eorum moribus, qui de religione Christiana benemeriti, sanctissimis ordinibus, excellentiorique cuidam viuendi formulæ sese dederunt, non parum alienæ videantur.

Cum igitur Decretum hoc nihil aliud respiciat, quam bonũ publicum, communemq; salutem & vtilitatem, neq; à Laicis, neq; à personis Ecclesiasticis improbari potest. Nam leges illæ, quæ communiter omnibus prosunt, ab omnibus quoque obseruandæ sunt. Vnde & Didac. Couar. *in reg. possessor malæ fidei. par. 2. §. 4. n. 8. vers. Tertium est. de reg. iur. lib. 6.* scriptum reliquit, quod si statutum iuxta temporis & publici status conditionem regimini publico & ipsi communitati, cuius pars est ipse Clerus, maxime conueniat, sitque omnibus vtile, à Clericis quoque est obseruandum, ne Respubl. graue aliquod detrimentum patiatur, quod omnibus in vniuersum noceat, atque ad huiusce rei comprobationem innumerabiles affert Doctorum auctoritates.

Addo ego, prouisionem hanc vel ex ipsis Canonicis institutis etiam ad Principem seculare pertinere, vt egregie probat tex. *in c. vlt. 96. dist.* cuius hæc sunt verba: *Boni Principis est ac religiosi Ecclesias contritas atque confractas restaurare, nouasque ædificare.* Et in *c. administratores. 23. q. 5.* vbi dicitur, quod administratores secularium dignitatum ad Ecclesiarum tutelam non minus, quam ad pupillorum ac viduarum protectionem constituti sunt.

Itaque, cum negotium hoc etiam ad Principis Laici curam pertinere videatur, summa cum ratione ab Excelso Senatu prospectum est, ne noua Monasteria, Ecclesiæ, aut alia pia loca absque eius licentia erigantur.

Quemadmodum autem in prædictis duob. decretis promulgandis nihil aduersus libertatem & immunitatem Ecclesiarum atentatũ fuisse ex iam dictis apparet, ita nec aduersus Clericorum exemptionem supremi Reip. Venetæ Magistratus quidquam attentare dicuntur, dum in casibus grauioribus contra Clericos inquirunt, eosq; legitimis pœnis afficiunt. Etenim inter cætera priuilegia, quæ alias à Sacrosancta Sede Apostolica eidem Sereniss. Reip. concessa sunt, illud præcipue à diuersis summis Pontificib. indultum fuisse constat, vt amplissimi illius Magistratus, quibus causarum criminalium cognitio demandata est, possint in quibuscunq; casib grauibus, & atrocibus aduersos Clericos procedere, eosq; culpabiles inuentos condemnare. Ergo vigore talis priuilegii iure aduersos Clericos inquirunt, atq; in eos pro qualitate admissi criminis animaduertunt. Neq; n. dubium est, quin Rom. Pontif. possit in certis casibus priuilegio fori derogare, siue sit iuris diuini, siue humani. *c. lector 34 dist. c. verum. de for. compet. & c. Romana. § debet. de appell. lib. 6.* notat Archid. *in c. sunt quidam. 25. q. 1.* & tradunt omnes *in c. decernimus. de iud. & in auth. statuimus. C. de Episc. & Cler.* Vnde & Cardin. Zabar. *in c. perpendimus. de sent. excom.* ait, quod sicut potest

Papa

Papa vnum Clericum subiicere Laico, ita potest omnes Clericos in certis casibus subiicere vni Principi seculari. Huiusque resolutionis ratio est, quia, sicut Papa potest causas spirituales Laicis delegare, ita potest Laicis priuilegium indulgere, vt pro certis criminibus valeant contra Clericos procedere. Hoc enim casu Laici censentur Papæ delegati, vt not. gl. *in c. Laicu 16. q. 7.* Bal. *in l. rescripta C. de preci. Imperat. offer.* Felyn. *in c. 2. de mai. & obed. nu. 3.* & Card. Zabar. *in d. c. perpendimus. n. 6. in fin. de sen. excom.*

Possunt igitur Illustriss. atque Excellentiss. Reip. Venetæ Magistratus vigore prædicti priuilegii contra Clericos atrocium criminum reos inquirere, eosque prout delictorum qualitas exegerit, punire & condemnare.

Imo vero, etsi huiusmodi priuilegia non extarent, adhuc tamen idem facere eis liceret, cum sint in quasi possessione tanti temporis, de cuius contrario non extat memoria. Talis enim possessio cum allegatione priuilegii eis sufficeret, propterea quod ex tanti temporis cursu præsumitur priuilegium præcessisse. *l. hoc iure. §. ductus aquæ. D. de aqua quoti. & æsti. & c. super quibusdam. § præterea. de verb. sign. facit text. in c. 1. in fi. de praescr. lib. 6.* tradit Alex. *in cons. 6. n. 10. vol. 1.* & Dec. *in con. 85. n. 2.*

Simile priuilegium habere & Regem Gallorum asseuerat Steph. Aufrer. *in Clem. 1. reg. 1. fol. 13. in suo tract. de potest. secul. super Eccl. pers. prima reg. n. 20.* & sequitur Guil. Bened. *in repet. c. Raynut. de test. in ver. & vxorem nomine Adelasiam. decis. 2. n. 147. ver. pariter cognitio criminum.* & Mansuer. *in sua pract. in tit. de iud. §. item sciendum.* Neq; vero mirandum est, huiusmodi priuilegia tam facile à summis Pontificibus Principibus Laicis indulta fuisse, quoniam in quibusdam criminibus etiam de iure communi absq; vllo priuilegio competit iudicibus Laicis hæc facultas procedendi & animaduertendi in Clericos, cuiusmodi est crimen assassinii, sacrilegii & alia, de quibus late per eundem Aufrer. *in d. tract. de potest. secul. prima reg. per totam*, & insignem præceptorem ac conciuem meum Tyber. Dec. *in suo tract. crim. lib. 4. c. 9.*

Et ita iuris esse opinor ego Marcus Anthonius Othelius, Iurisconsf. Vtinensis, & in Patauino Gymnasio Ordi. in prima sede matutina Iuris Ciuilis Interpres, ideoque manu propria subscripsi & signaui, saluo semper rectiore iudicio L. D. Et responsum hoc redditum fuit die 18. Febr. 1606.

Locus Sigilli.

IOACHINI SCHAYNI, IC. SALODIENSIS, ET INTER PRIMARIOS PATAVINI GYMNASII PROFESSORES VESPERE IVRIS CIVILIS ORDINARII INTERPRETIS,

Anno 16..

RESPONSVM


Pro Decretis Serenissimæ Reipublicæ Venetæ:

De non alienandis per Laicos subditos bonis immobilibus in personas Ecclesiasticas absque licentia Principis.

De non ædificandis Ecclesiis, & Monasteriis, absque pariter eiusdem Principis assensu.

Nec non pro facultate iudicandi & puniendi Clericos pro delictis grauibus & atrocibus.

Cum subscriptione Sacri Collegii Clarissimorum Iurisconsultorum Magnificæ Ciuitatis Paduæ.



SERENISSIMVS Princeps Inclytæ Reip. Venetæ cum Senatu animaduertens, frequentissimas fieri bonorũ stabiliũ translationes in personas Eccles. variis & diuersis titulis donationis inter viuos, iure legati, obligationis, venditionis, aut alterius alienationis, idq; graui incõmodo tũ subditorũ, tum Ser. dominii cedere, de Ann. 1605. die 26. Martii inhærendo prouisioni antea factæ, tã de ann. 1258. die 4. Iunii, q̃ de ann. 1536. vltima die Decem. publica sanctione prouidit, ne cui liceat quouis colore siue prætextu vendere, donare, obligare, in testamento relinquere, aut quouis alienationis titulo transferre bona aliqua stabilia sita non modo in ciuitate Venetiarum, sed etiam in vniuerso statu & vniuersis locis eius ditioni suppositis in personas Ecclesiasticas, vltra biennium absque licentia excelsi Consilii Rogatorum, decernens irritam & inanem quamcunque dictorum stabilium alienationem aliter factam, sub pœnis in dictis prouisionibus expressis.

CAPVT I.

NVNC per sanctissimum Dominum Paulum V. Pontificem Max. harum prouisionum validitas in dubium reuocatur, imo vero de iniquitate redarguuntur, tanquam auctoritati Apostolicæ Sedis præiudicium inferentes, iuribus Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum priuilegiis derogantes, lædentesque libertatem & immunitatem Ecclesiasticam.

aliquid statuere, quod eis præiudiciale sit, & damnosum? concurrente hoc casu duplici ratione; tum detrimenti illati Ecclesiæ, tum vsurpatæ iurisdictionis statuendi aliquid in personas ab eorum potestate exemptas: assumptum autem probatur arg. notab. *in c. Ecclesia S. Mariæ.* vbi Abb. Butr. Felyn. & cæteri; quod certe non aliunde prouenit, quam ex defectu potestatis causæ efficientis, cum nullam potestatem habeant Laici super bonis & personis Ecclesiasticis, iuxta not. *in cap. cum omnes & in c. quæ in Ecclesiarum. extra de constit.* probat text. *in c. bene quidem. 96. distinct. c. 2. de iudic. c. nulli. de rebus Eccles. non alien.* ita vt violare videatur Ecclesiasticam libertatem Princeps laicus aliquid super Ecclesiis aut personis Ecclesiasticis, quamuis fauorabiliter, disponendo, cum Ecclesia dedignetur id agnoscere à potestate laica, quamuis sit sibi fauorabile, quod est proprium iurisdictionis Ecclesiasticæ, iuxta not. per Lap. *d. allegat. 92.*

Tertio. Plurimum augeri videtur difficultas ex eo, quod prouisiones prædictæ nō per subanditos intellectus, neque tacite, sed expresse in personas Ecclesiasticas diriguntur: prohibetur enim translatio bonorum stabilium à persona Laicorum in personas Ecclesiasticas. Quod si statutum generaliter prohibens alienationem stabilium in non subditos, quamuis aptum comprehendere etiam Clericos exemptos à potestate & iurisdictione Laicorum, eos tamen non afficiat, iuxta late trad. per scrib. *in d. cap. Ecclesia S. Maria.* vbi Abb. *1. notab. & latius nu. 25.* Felyn. *nu. 89.* & per quatuor sequentes Dec. *num. 37.* & de communi testantur Felyn. *d. num 89.* ne si hoc statuto etiam Clerici comprehendantur, statutum reddatur illicitum, quanto minus prouisiones prædictæ poterunt afficere Ecclesias aut Ecclesiasticas personas, in quas prohibitionis verba expresse diriguntur, vt quasi videantur in earum odium emanasse.

Denique, pro hac parte stat auctoritas multorum scribentium, qui eam legendo secuti sunt, *in l. filiusfam. §. Diui. de legat. 1.* vbi Bart. post Oldrad. *num. 12.* Io Crot. *num 88.* Iason ibid. *in 1. lectura. nu. 72. & in secunda. nu. 110.* Card. Zabar. *consil. 114. nu. 5.* & alibi sæpe scribentes.

Hæc etsi non leuem animo scrupulum inicere videantur, cum præsertim in dubio pro fauore Ecclesiæ sit iudicandum. *l. sunt personæ. D. de religios. & sumpt. fun.* re tamen accurate perpensa, maturoq; studio examinata, in eam ego sentētiam descendi, vt existimem prouisiones prædictas valide subsistere, & nihil per eas attentatum contra Ecclesiasticam libertatem. Quod vt facilius à me explicari possit, duo breuissime præmitto. Primo quidem duas esse potestates, quibus regitur mundus hic vniuersus, Pontificiam & Regalem, siue Ecclesiasticam & Laicalem, vt inquit Gelasius Papa *in c. duo sunt. 96. distinct.* atque ita inter se distinctas, vt vna alterius potestati non detrahat, neque sibi vsurpet, quod alterius potestatis est proprium, quod multis confirmat Sotus *in 4. sententiar. distinct. 25. qu. 2. art. 1. conclus. 1.* Victoria *in relection. de potestate Ecclesiæ. qu. 1. num. 3.* Durandus *de origine iurisdict. quæst. 2.* Ioannes Parisiensis *de potestate Regia & Papali. c. 2.* Alphons. à Castro *libro 1. de potestate legis pœnalis. c. 1.* Nauarr. *in c. nouit de iudic. corollario 16. num. 8.* Et quidem Ecclesiastica potestas ordinata est ad finem supernaturalem, inducendo media ad eum finem accommodata, Laica vero ad bonum regimen bonorum temporalium, ad conseruationem Imperii Principi seculari à Deo concessi, prout vnicuique rei inditus est à natura sui ipsius conseruandi, & noxia repellendi instinctus, & ad subditorum securitatem atque tranquillitatem. Et quidem vtraque potestas à DEO est Ecclesiastica & Euangelica, per CHRISTVM Petro eius Vicario & successoribus immediate collata, vt gregem sibi concessum dirigat in viam salutis æternæ. Ciuilis vero seu Politica per ius naturæ, cuius ipse est auctor cuique Reipubl. concessa, vt latius explicat Sotus in *quarto, de iustitia & iur. qu. 1. art. 4.* ita vt cuicunq; Reipublicæ sua ipsius gubernatio competat, prout rebus vniuersis sua ipsius conseruatio, quod etiam erudite explicat Ludouic. Molina Theologus à Societate Iesu, *de Iustitia, Tomo 1. disputat. 23. verb. victoria.* concludens, cum Deus auctor sit iuris naturalis, secularem Principum potestatē immediate esse à Deo naturam instituente; tametsi hominum collectio, qui ad integrandum vnum Reipublicæ corpus simul conueniunt, conditio sit, sine qua ea potestas non resultaret. Itaque Regia potestas à DEO deriuatur, in quem sensum intelligi debet, quod habetur Sapientiæ 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Cum potestate autem Regia ad Rempublicam moderandam coniuncta est potestas condendi leges, quibus gubernetur, vt obseruat idem Alphons. à Castro, *d. l. 1. de potestate legis pœnalis. c. 1.* sine quibus Respublica & Principatus vix ortus occideret, & breuissimo temporis spacio collaberetur; ita vt leges & præcepta non iniusta Laicorum de iure sint humano; quod vero illis pareamus, sit de iure naturali ac diuino, vt explicat idem Molina *d. libr. 1. Disputat. 27.* cui consonat illud Diui Pauli ad Romanos *cap. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, ita vt qui potestati resistit, Dei ordinationi resistere dicatur*; cum multis aliis auctoritatibus diuinæ Scripturæ ab eo citatis. Ex quibus infero, quod cum potestas Sereniss. Reipublicæ Venetæ immediate sit à Deo, non ea solum ratione, quam ante explicaui, quæ communis est cæteris potestatibus Principum secularium, sed alia quoque præstantiore, quod diuinitus inspirati primi Reipubl. Conditores ea loca maritima delegerint, in quibus conuenirent in vnum, primasque sedes ponerent ad totius Italiæ fortissimum præsidium & tutissimum propugnaculum aduersus Christiani nominis hostes, per consequens eorum potestas penitus sit distincta ab Ecclesiastica, & valide leges cōdere potest in personas sibi subiectas, quæ ipsius conseruationem, bonumque publicum & commune respiciant, & per huiusmodi leges nihil attentatum dici posse aduersus Ecclesiasticam libertatem, vt paulo infra latius examinabo.

Secundo præmitto, tantam esse vim publici & communis boni, vt leges à Principe in hunc finem latæ, interdum etiam Clericos & personas Ecclesiasticas, eorumque bona ligent, quamuis regulariter exemptas à potestate Laica. Sic Gregor. IX. *in c. peruenit. de immunitate Ecclesiarum.* statuit teneri Clericos ad excubias pro custodia & defensione ciuitatis, eo quod hoc communem respiciat vtilitatem, vt docuit Anchar. *in c. non minus. eod. tit. de immun. Eccles. nu. 8.* & ibidem Abb. *nu. 18.* Et ob eandem rationem Clericos etiam compelli posse ad præstationem tributi pro bono pacis. argum. tex. *in c. tributum. 24. qu. 8.* nec non teneri ipsos conferre pro impensis factis ad communem ciuitatis vtilitatẽ, ad hostes procul arcendos, eorumq; deprædationes euitandas, respõdit idem Anchar. *cons. 96.* quod etiam respondit Barbat. *cons. 1. nu. 6. lib 3.* & fuit decisum per Senatum Pedemontanum, vt per Osaschium *decis. 69. nu. 11.* Menoch. *cons. 800. nu. 3. 7. 10. lib. 8.* prout etiam tenentur pro expensa excauationis fluminum, constructionis aggerum, reparationis pontium ciuitatis. Sic enim respondit Collegium Ticinense *inter consilia feudalia diuersorum, consil. 3.* post Bald. *in l. ad instructiones. num. 4. C. de sacrosanct. Eccles.* late Lucas de Penna *in l. 2. de quibus muner. & præstat. liceat se excusare, libr. 10.* Osasch. *d. decis. 66.* Gulielm. de Benedict. *in c. Raynutius. in verb. & vxorem nomine Adelasiam. de testam.*

Confert etiam, quod à plerisque traditur, edictum Principis secularis, ne frumentum plus certo pretio ab eo constituto vendatur, ligare etiam Clericos. Ioann. de Platea post Bart. *l. 1. C. vt nemini liceat in empt. specierum. libr. 11.* Franch. *decis. 9. num. 3.* attestans ita fuisse decisum in consilio Neapolitano, Sotus *in 4. sentent. distinct. 25. quæst. 2. colum. 4.* Molina *in d. tract. de iustit. & iur. disputat. 31. colum. 8. versic. sexta conclusio.* Nauarr. *in Manuali confessorum cap. 23. num. 88.* cui non absimile est, quod tradit Vasquius *in tract. de success. creat. lib. 1. §. 10. num. 648.* nempe legem in Hispania promulgatam, ne quis triticum reuendere possit, etiam à Clericis seruandam esse, cum ad finem boni publici & communis promulgata fuerit, ne scilicet annonæ caritas ingrauescat, & ciuitas egestate prematur, quod etiam affirmauit Ignatius Lopez. *in addit. ad Pract. criminalem Bernardi Diaz. cap. 55.* prout etiam Decretum à Principe seculari promulgatum, ne quis tempore inopiæ deferat extra ciuitatem annonam, Clericos etiam ligat, vt tradit Didac. *in c. possessor. part. 2. §. 4. nu. 9.* post Bal. & Calder. quoniam lex ista pro communi ciuitatis vtilitate fuerit promulgata, cuius sententiæ eam rationem affert Molina *d. disput. 31. vers. sexta conclusio.* quod etiam Clerici sunt partes Reipublicæ, eundemque communem Regem, & Rectorem cum Laicis habent, quoad ea, quæ communem Reipublicæ vtilitatem concernunt, vt merito eorum legibus subiacere teneantur, cum Princeps ipse secularis potestatem habeat ferendi legem, quæ bonum publicum & communem Reipublicæ vtilitatem respiciat, rerum spiritualium cura dimissa summo Pontifici & Episcopis, quod etiam tradit Sotus *libr. 1. de iust. & iur. quæst. 6. art. 2.* ita vt prædictæ prouisiones Principis secularis publicum & commune bonum concernentes vi legis etiam Ecclesiam ligare possint, permulti ex Doctoribus supra citatis affirmant, & asserit Sotus *dict. libr. 1. de instit. & iur. quæst. 6. art. 6. vers. cæterum.* Syluester Pierius *in sua Summa. in verbo lex. num. 15. vers. 2.* Molina *loco proxime citato*, concludens Ecclesiasticas personas, nec diuino, nec humano iure exemptas ab his legibus ciuilibus, quæ ad bonum & communem Reipublicæ administrationem sunt institutæ, cum etiam Clerici sint pars Reipublicæ, eundemque communem Regem cum Laicis habeant, & ideo legibus toti Reipublicæ communibus & commune bonum omnium ciuium cernentibus subiacere, & quidquid circa hoc dici possit; satis tamen sufficit, quod lex Principis secularis pro bono publico, & communi vtilitate lata liget etiam Clericos vi rationis naturalis & iustitiæ, prout concludit Anchar. *in d. c. non minus. num. 8.* Lucas de Penna *in d. l. 2. C. de quibus munerib. lib. 10.* in hoc reiecta opinione Ripæ *in tract. de peste. in tit. de remed. ad conseruandam vbertatem. num. 122.* cum dixit, Edictum de non extrahenda annona è ciuitate non ligare Clericos, quoad annonam ex eorum prædiis Ecclesiasticis collectam, cum tempore inopiæ verior sit, magisque recepta contraria opinio iuxta trad. per Bald. Calder. Didac. & alios supra citatos, cum quibus consentit etiam, aut certe non discrepat Hier. Ghirell. *cons. 37. nu. 1. & seq. libr. 2.*

Ad hoc etiam facit, quod à multis traditum est, statutum prohibens alienari stabilia in non subditos iurisdictioni Principis temporalis, quia conditum est ob publicam ciuium & Principis vtilitatem, ligare etiam Clericos, iuxta trad. per Feder. de Senis *consil. 35.* Card. Zabar. *in consil. 14. 4.* Crot. *in §. Diui. nu. 88.* & ibidem Ferdinandum Loazes *num. 424.* Barbat. *cons. 14. num. 11. libr. 1. & in Rub. de reb. Eccles. non alien. nu. 32.* late & subtiliter Signor. de Homod. *consil. 21.*

Neque vero hæc à me commemorata sunt, quasi velim inferre prouisionibus supradictis ligari Clericos, & alias Ecclesiasticas personas, cum vere ligentur soli Laici subiecti iurisdictioni serenissimæ Reipubl. aut quasi velim affirmare, ex prohibitione prædicta resultare commodum etiam Clericorum, atque ita bonum tam Clericis, quam Laicis commune, in quem sensum decisiones à me supra commemoratæ iustissimæ sunt, sed eo tantum consilio, vt inde apparere possit, non dici aliquid factum contra Ecclesiasticam libertatem, quia ratione publici & communis boni etiam personæ Ecclesiasticæ comprehenduntur in dispositione, per quam eas in aliquo grauari contingat, quia aliquam diminutionem suorum redituum patiantur, minusve lucrentur eo, quod lucraturæ fuissent, si non intelligerentur in tali dispositione comprehensæ, quamuis etiam probabiliter attentari possit, per supradictas prouisiones non modo non lædi, aut infringi, sed magis foueri Ecclesiasticam libertatem, vt ex infra dicendis apparebit.

Iam

Iam igitur rem aggrediendo, dico, per huiusmodi prouisiones non posse dici Ecclesiasticam libertatem violatam, ex pluribus.

Primo, non debet esse minor auctoritas statuti conditi per Laicos, aut prouisio facta per Principem, quam priuatorum, iuxta not. per gloss. *in rub. C. de decretis decurion. super immun. præstand. lib. 10.* & probat text. *in leg. non impossibile. D. de pact. in leg. non solum. C. de non. op. nunc.* imo vero omnis ratio suadet, quod auctoritas vniuersitatis condentis statutum debeat esse maior, *l. nec ex prætorio. l. neque pignus. D. de re iudic. l. priuatorum. l. fin. D. de iurisd. omnium iud.* at vero quilibet priuatus potest imponere legem rei suæ, ne transeat in Ecclesiam, *l. si ita quis. §. ea lege. mact. & ibid. gloss. 1. & ibi, quæ traduntur per scribentes. D. de verbor. oblig.* prout etiam valet pactum adiectum per venditorem fundo, quem vendit, ne vllo vnquam tempore efficiatur sacer vel religiosus, & sic ne vllo vnquam tempore transeat in Ecclesiam, *l. fin. C. de pact. inter empr. & vendit.* Si hoc potest fieri per pactum priuatorum, quanto magis fieri poterit per statutum Laicorum, cuius longe maior est auctoritas; quam conuentionis priuatorum? *l. non est singulis D. de reg. iur.* Nec obstat huic fundamento, quod ex aduerso per nonnullos obiicitur, vbi quis disponit de re propria, plus operari pactum, quam statutum, ad trad per Abb. *in c. cum dilectus. de arbitris in 7. col.* Cum enim quis tradit rem venditam cum pacto, quod non possit fieri alienatio in Ecclesiam, disponit de re propria, & propterea pactum est validum; quæ ratio cessat in vniuersitate, vel Principe statuente, qui carent proprietate rerum subditorum; nam, vt inquit Dec. *in dict. cap. Ecclesia S. Mariæ. num. 36.* Princeps Dominus dicitur omnium, quæ intra eius Territorium continentur, si minus ratione proprietatis, certe ratione iurisdictionis, & protectionis. iuxta not. *in leg. deprecatio. D. ad leg. Rhod. de iact.* propterea argumentatio prædicta valide subsistit, alioqnin sequeretur, quod neque statutum valere posset, per quod prohibetur alienatio stabilium in forensem, quod tamen ex communi & receptissima omnium sententia est validissimum, de qua testatur Ias. *dict. §. Diui. in secunda lectura. num. 106.*

Secundo, validitatem harum prouisionum suadere videtur æquitatis ratio, quæ semper spectanda est. *l. quod si Ephesi. D. de eo, quod certo loco. l. prouidendum. de postul.* nec enim debet admitti quis ad petendum id, cuius contrarium non esset postulaturus. *l. si ea lege. C. de vsur. l. pen. C. de solut.* quod enim quis in sui persona æquum existimat, id etiam in alterius persona debet æquum existimare. *l. si duo. §. si quis, iuncto § sequ. D. de iureiur.* & confert totus tit. *D. quod quisque iuris in alium statuerit.* Atqui Ecclesia iustum esse putauit, & vere iustum est, vt res, quæ ad eam perueniunt ex liberalitate laicorum, non possit rursus in Laicum transferri, nisi sub certa forma, & obseruata solemnitate, nempe de licentia Pontificis, & ex causa necessitatis, aut euidentis vtilitatis. Auth. *de reb. Ecclesiæ non alien. per totum.* Ea igitur etiam non æquo animo patiatur, quod Princeps Laicus pro bono regimine status sui decernat, ne bona stabilia subditorum suorum in Ecclesiam transferantur sine ipsius Principis licentia prohibentis id ex causa maioris boni, & longe præstantioris, quam sit bonum, quod Clerici facere possent in acquisitione, & retentione stabilium; cum præsertim in loco stabilium valorem ipsorum sint consequuturi, quasi rem ipsam habituri, cum pretium loco rei succedere videatur. *l. si & rem. § pretium. D. de petit. hered.* cum præterea pecuniam ex stabilium alienatione redigendam in emptionem aliorum stabilium extra ditionem Sereniss. Principis existentium conferre possint, aut sub annuo censu tradere, qui census maioris etiam redditus sint futuri, quam qui ex fructibus stabilium singulis annis percip[illegible] essent.

Tertio alienatio rei dotalis prohibita lege ciuili afficit etiam Clericos, cum alienatio illius rei facta personis Ecclesiasticis sit etiam nulla, iuxta doctrinam Abb. *in d. c. Ecclesia S. Mariæ. ad fin. & in c. quod Clericu. 7. col. de foro comp.* non alia ratione, nisi quia prohibitio legis est in rem, & illam afficit, ita vt mulier inhabilitetur ad alienandum. Idem ergo videtur dicendum in casu proposito, nec enim prouisiones prædictorum dicuntur ligare Clericos, sed tantum subditos, & impedire ortum obligationis ex tali contractu. Qua ergo ratione valet statutum; aut lex etiam quoad Clericos; quando loquitur in rem, quia non ligat Clericos, sed tantum subditos; eadem ratione idem esse debet, quando inhabilitat personam subditi ad alienandum, prohibendo alienationem stabilium in Ecclesiam. Nec obstat, si dicatur, prohibitionem alienationis rei dotalis inductam lege ciuili afficere etiam Ecclesiam, quia non sit generalis respectu omnium stabilium, sed specialis respectu solum rerum dotalium, ita vt ex hac prohibitione Ecclesia modice lædatur, prout considerat Rum *in d. §. Diui nu. 95.* Nam respondetur, quod, sicut prohibitio alienationis rei dotalis afficit etiam Clericos speciali fauore dotis, ita prohibitio alienationis omnium stabilium in personas Ecclesiasticas inducta per suprascriptas prouisiones pro communi bono omnium subditorum, & pro conseruando Principis imperio intacto, & illibato, vim habere debet obligandi omnes subditos, quamuis inde personis Ecclesiasticis resultaret aliqua diminutio lucri, quod forte facere possent ex acquisitione & retentione stabilium. Nam, vt considerat Sigoor. de Homod *cons. in. nu. 13.* huiusmodi prouisiones non iniiciunt frenum personis Ecclesiasticis, nec eorum bona quidquam attingunt, solum limitant potestatem subditorum circa alienationem stabilium, quod facere licet Principi, & Reip. arg. *l. cunctos populos. Cod. de summa Trinitat. & fid. Cath. l. ius dandi. l. pupillo. D. qui tut. dare poss.* qui etiam subdit, quod, etsi ex limitatione prædicta in quandam consequentiam persona Ecclesiastica videatur prohibita contrahere, & acquirere, ex quo subditus prohibitus est rem immobile in ipsam alienare, & ita non reperit, qui secum contrahat; hoc

tamen

tamen non est habendum in consideratione, sed quod principaliter agitur, arg *l.1.D. de offic. præsid. l.si quis nec causam. D.si cert.pet. l.si sponsus. §.circa.D. de don.inter vir. & vxor.*

Quarto. Nam etsi Laici non possint facere statuta, per quæ præiudicium aliquod fiat Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis in iam quæsitis, præterquam, si quid forte statuāt pro bono publico, cuius vtilitas etiam Clericis sit futura communis: non tamen prohibeantur pro communi bono, & ad publicam vtilitatem; maxime vero pro conseruatione Imperii, quod habent, facere prouisiones respectu rerum eis acquirendarum, & huc confert vulgata regula, quod facilius præiudicatur in quærendis, quam in iam acquisitis. *l.qui autem.in princip.D.de his, quæ in fraud.cred. l.fin.C.de acquir.possess.* & hinc est, quod Prælatus potest Ecclesiæ suæ conditionem facere deteriorem in acquirendis, non in quæsitis, iuxta gloss. *in c.fin.16.quæst.6.* Innocent. *in cap.2.extra de donat.* Canonistæ *in cap.1.de dolo & contumacia.* Abb. *in c.tua ad fin. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.* & *in c.verum, extra, de for.comp.* Bart. & cæteri *in l.iubemus nullam.* argum. illius text. *C.de sacros. Eccles.* Surdus *cons.116.nu.28.* & ideo Bald. *cons.11.* quod est insertum inter *consilia Anchar.* concludit, quod etsi in iam quæsitis Laici nullo ingenio possint derogare iuribus Ecclesiarum, *dict. c.Ecclesia S.Mariæ.* tamen in acquirendis est secus, si Laici non faciunt hoc malo animo, neque intentione præiudicandi Ecclesiæ, sed principaliter pro bono publico, vt communi vtilitati Reip. consulant, & sibi prosint in his, quæ ad sui status cōseruationem pertinent; quod etiam sequitur Quintil. Mandos. *in addit.ad alleg.Lapi 92.in litera T.* concludens per statutum laicorum posse præiudicari Ecclesiæ seu Ecclesiasticę personæ in quærendis, si Laici hoc non faciunt praua intentione nocendi Ecclesiæ, & eius iura lædendi, simileque est eiusdem Bald. consilium *lib.4.cons.496.* & huc etiam pertinet, quod tradit idem Bald. *in rubr. extra, de constit.* dicens, valere statutum Laicorum, quod Ecclesiæ nullo tempore possint præscribere res immobiles Laicorum, ne alioqui ciuitas defraudetur collectis, ad quas Clerici non tenentur: Confert, quod tradit idem Bald. *in c.quæ in Ecclesiarum.de constitut.* nempe licitum esse Laicis prohibere alienationem rerum stabilium, quæ sunt obnoxiæ tributis aut collectis, in Clericos vel Ecclesias, ne si in eos transferantur, Respubl. careat subsidio collectarum: nec est absimile, quod tenet Bart. *in l.scripto. § fin. ff.de mun. & honor.* quod, etsi Laici non possunt condere statutum, per quod imponatur collecta pro possessionibus iam quæsitis Clericis, aut Ecclesiasticis: (nam id esset contra libertatem Ecclesiasticam) pro his tamen, quæ non sunt adhuc Clericis aut Ecclesiis acquisita, valide statutum fieri potest, quod prædia per eos acquirenda sint obnoxia oneribus collectarum, dicens ita fuisse prouisum per Perusinos, qui imponunt onera collectarum omnibus prædiis per Ecclesias acquirendis; quam opinionem sequitur etiam Bald *in l.placet.C.de sacros. Eccles.* & de hoc extat etiam pulcherrimum consilium *7.sub tit.de constit.* Ioan. Calderini summi Canonistæ, vbi etiam respondet obiectioni, quæ fieri posset per text. *in Auth.item nulla communitas. C.de Episc. & Cler.* nam textus ille loquitur de munere extraordinario, quod per Laicos imponitur Ecclesiæ tempore, quo res iam erat in dominio Ecclesiæ, & ante non erat hoc onere affecta, secus, si tale onus rei sit impositum ante, quam peruenisset in Ecclesiam, concludens tale statutum non dici contra libertatem Ecclesiæ, quoniam aliud sit imponere onera collectarum Ecclesiæ pro rebus Ecclesiæ hoc onere non affectis ante, quam ad eam peruenirent, tunc enim vere talium onerum impositio esset contra libertatem Ecclesiæ; aliud autem tale onus imponere rebus, quæ nondum ad Ecclesiam peruenerunt, sed peruenire possunt, tunc enim nihil attentatum dici posse cōtra Ecclesiasticam libertatem; concludens, cessante fraude, quæ præsumi non debet, *c.2. extra, de reg. iur.* talia onera posse imponi etiam ad præiudicium Ecclesiarum, ad quas bona peruentura sunt pro bono publico, & pro tuitione Ciuitatis, ad quod adducit etiam tex. *in Auth. de sanctiss. Episc. in §. si quis autem litigantium. & l. si quis litigantium. C.de Episc. & Cler.* per quas leges dicit Oldra. Episcopum non habere Territorium, nec ratione Territorii iurisdictionem: sed omnem iurisdictionem residere penes Principem temporalem respectu bonorum intra eius Territorium existentium. Ex his arguendo videtur inferri posse licere Principi pro bono publico, & ad tuitionem Ciuitatis Ecclesiæ præiudicare respectu bonorum stabilium acquirendorum, interdicta Laicis subditis alienatione eorum in personas Ecclesiasticas; quo genere argumenti vtitur, & illud late prosequitur Ias. *in d.§. Diui.in 1.lect. à nu.67. ad nu.81. & in secunda, n.113.*

Quinto, illa dispositio quæ tendit ad officium Charitatis, non est improbanda, tanquam illicita, sed imo laudabilis existimanda. *l.præses. C.de seruit. & aqua. l. si quis. §.de alimentis. D.de liber. agnosc.* verum huiusmodi prouisiones tendunt ad officium charitatis, nempe, vt homines Principis imperio, & protectioni subiecti magis habeant, quam qui sunt ab eius iurisdictione exempti, quales sunt regulariter personæ Ecclesiasticæ; quo argumenti genere vtitur in hac materia Bald. *d.cons.11. num.3. inter consil. Anchar.* concludens, quod cum Princeps ex ordinata charitate teneatur magis sibiipsi, & status sui conseruationi, ac subditorum vtilitati prospicere, non est existimanda lex iniqua lata per eum, quam fouet simul charitas, & ratio naturalis, quamuis ex accidenti Ecclesiarum & Laicorum conditio in aliquo deterior fieri videatur per prohibitionem alienationis stabilium factam subditis in personas Ecclesiasticas. Si enim per hanc legem Princeps nec sibi, nec subditis prodesset, personis autem Ecclesiasticis iniuriosus fieret, & noceret, lex iniqua dicenda esset, argum *l.2. §.idem Varus.ff.de aqua plun.* verum ex quo lex vtilis est Reipubl. & subditis salutaris, ratione paulo infra explicanda, non debet nec potest redargui Princeps, qui talem

talem legem tulerit æquissimam, considerata ejus principali intentione, & ordinata charitate; quamuis per accidens in quandam consequentiam aliquod ex ea præiudicium personis Ecclesiasticis inferatur.

Sexto, mouet me non parum illa quoque consideratio: constat enim posse quemlibet priuatum hæredem institutum ab eius hæreditate repellere sub conditione, si Monasterium fuerit ingressus, & Monasticam vitam elegerit, dummodo clare de hac ipsius voluntate constet, talique casu Monasterium excludi per substitutum, vt post longam disputationem concludit Iacob. de Beluis. *in §. sed & hoc præsente. in Auth. de sanctiss. Episc.* & quod fauor Monasterii & religionis nõ debeat impedire manifestam testatoris voluntatem, quia potest rebus suis quam velit legem imponere, quia etsi fauorabilibus personis, & causis debitores sumus, non tamen ita debemus, vt aliis iniustitia committatur. *c. ex timore. de foro comp.* sequitur Salic. *in Auth nisi rogati. nu 6.* & ibid. Paul. de Castr. *n. 3.* Corn. *nu. 7. C. ad Treb.* late Dec. *in c. in præsentia nu. 64. de probat. idem cons 259. num. 2. & cons 426. nu. 2.* Ripa *in l. ex facto. §. si quis rogatus. D. ad Trebell.* Alex *cons. 121. nu. 13. lib. 2.* Calcan. *cons. 7. nu. 24.* quam opinionem sequitur etiam Didac. Couar. *variar. resol. lib. 1. cap. 19 n. 8. 9. 11.* æquissimum dicens ob expressam testatoris voluntatem, quæ omnino seruanda sit, prout etiam inquit Iac. de Beluis. *late sup. cit.* latissime Illustriss. Cardin. Mantica *de coniect. vlt. volun lib. 11. tit 7. nu. 18.* & per plures sequentes. Id autem prorsus indubitatum est, vt omnes vno ore fatentur, quoties apparet testatorem motum ad excludendum Monasterium, quia enixe cuperet bona in familia conseruari, vt per Dec. *d. cons. 259* Didac. *vbi supra num. 11.* Cardin. Mantica *d. tit. 7. nu. 21.* Vt enim turpe, & impium esset à testatore conditionem aliquam adscribi principaliter ad hunc finem, vt quemq; auerteret à Monastico instituto, & à religionis professione, aut in odium Monasterii: ita iustissime adiici potest in familiæ fauorem; qua ratione potest etiam pater iustissime maiorem quantitatem filiæ nubenti relinquere, longe minorem eidem profitenti religionem, quod longe maior dos necessaria sit nubenti, quam religionem profitenti, cum maiora onera, maioresque sumptus nuptis, quam Monialibus incumbant, aut ea sane ratione, vt tanto maiorem partem posteris suis relinquere possit, prout tradit idem Couar. *d. c. 19. nu 9.* post Iacob. de Beluis. Bald. Salicet. Paul. de Castr. Corn. Imol. Dec. Crot. Anchar. ab eo citatos. Quod si quis potest Monasterium expresse à successione excludere, vt bona in eius familia conseruentur, nec propterea dicitur aliquid attentare contra Ecclesiasticam libertatem, cur non licebit etiam Principi, cuius dominio & protectioni omnes familiæ status sui subiectæ sunt, ob bonum publicum, & commune, proque earum conseruatione lege generali prospicere, ne quæ bona stabilia per Laicos Monasteriis relinqui possint, ex quorum alienatione magna familiarum paupertas & vilitas consequatur; cum Princeps, qui & Pastoris populorum nomine nuncupatur, instar sit maximi cuiusdam, & prouidentissimi patrisfamilias, eiusq; Imperii vires eo maiores & firmiores reddantur ex singularum familiarum conseruatione? Constat autem, familias per diuitias conseruari, & valde Reip. interesse, quod in eis diuitiæ conseruentur. *l. 1. quamuis. ff. de ventre insp. §. 1. in Auth. vt sine quoquo suffragio.* cum per subditorum diuitias Respubl. defendantur, vt per Decian. *respons. 44. nu. 28. lib. 2. arg text. in l. ad subeunda. C. de decur. lib. 10.* & per consequens non paruum detrimentum accipiant, si familiæ subditorum paupertate sordescant; facilime autem ad paupertatem & inopiam rediguntur ex stabilium alienatione, cum pecunia inde redacta consumptioni paratissima sit, iuxta vulgatum illud, pecuniam sine peculio rem fragilem esse, *l. si chorus. §. 1. D. de legat 2.*

Septimo. In hanc sententiam potissimum descendi ex eo, quod publicum & commune bonum priuatorum commodis est præferendum, ita vt liceat à minori bono recedere, vt maiori inseruiatur, arg. *tex. in l. 1. §. fin. C. de caduc. toll. l. vtilitas. C. de primipilo. lib. 12. l. actione. §. Labeo. ff. pro soc. Bald. in l. rescripta. C. de precib. Imp. offer. in l quicunque. ad fin. C. de seru. fug.* & est receptissimum apud omnes tam Theologos, quam Canonistas, & Legistas. Atqui hæ prouisiones ordinatæ sunt ad publicum & commune bonum resultans ex eo, quod vires Imperii Serenissimi Principis & Reipublicæ conseruentur intactæ, & illibatæ, in aliquo non debilitatæ, nec imminutæ ad communem subditorum vtilitatem, atque felicitatem. Ergo non sunt censendæ contra Ecclesiasticam libertatem, cum nunquam dispositio possit damnari aut reprehendi tanquam Ecclesiasticæ libertati repugnans, quamuis per eam grauetur in aliquo persona Ecclesiastica, publica, & communi Reipubl. vtilitate hoc suadente, arg. tex. *in l. ad instructionem. C. de sacrosanct. Eccles. in §. sancimus. in Auth. de Ecclesiast. tit. in cap. aduersus. in c. peruenit. de immun. Eccles.* Et huc referri possunt plurima ex late per me deductis in secundo euidentali, quæ hic pro repetitis habeantur, & tanto minus hæ prouisiones, quæ pro fine propositum habent publicum & commune bonum, censeri debent repugnantes Ecclesiasticæ libertati, cum per eas directo non grauentur personæ Ecclesiasticæ, sed magis subditorum potestas in aliquo limitetur, quamuis per indirectum, & non ex principali intentione Serenissimi Principis legislatoris Ecclesia prohibita videatur acquirere. Quod autem ad publicum, & commune bonum sint ordinatæ, manifeste conuincitur ex ea consideratione, quod conseruari stabilia subditis pertinet ad rationem publici & communis boni, nempe vt fructus, qui ex stabilibus percipiuntur, deseruiant oneribus matrimonii supportandis, alendis & liberaliter liberis educandis. *l. de oneribus. C. de iur. dot. l. si quis à liberis. ff. de liberis agnosc. l. penul. C. de alendis liberis* imo & nutriendis parentibus, quando sibiipsis superesse non possunt, *ead. l. si quis à liberis. de lib. agnosc.* Et quis non videat hæc omnia pertinere ad publicã vtilitatem? *l. 1. ff. solut. matrim.*

matrim. & est præclarus tex. *in l.fin.in §.ipsum autem filium. C.de bonis quæ liber.* vbi prohibentur filii vendere proprietatem bonorum aduentitiorum, quoniam fructus debēt deseruire parentibus iam ad inopiam redactis alēdis; tum etiam ipsorum filiorum causa, quibus expedit eorum iuueniles calores coerceri, ne alioqui voluptatibus indulgentes, facta stabilium alienatione tristem exitum sentiant, qui eos post dispensum matrimonium expectant; nimis enim lugubre esset eernere parentes ex alienatione stabilium ad paupertatem redactos squalere in sordibus paupertatis vna cum vxore, liberis, & parentibus, cum ex eorum conseruatione hæc incommoda euitentur; imo & eleemosynarum largitionibus ex redditibus bonorum faciendis possint pauperum inopiam subleuare. Sed & Principis interest bona stabilia subditis conseruari, quibus salui fiot idonei publicis muneribus subeundis, *l. ad subeunda. C. de decur. lib. 10.* inhabiles autem reddantur ad paupertatem redacti ob stabilium alienationem, iuxta tex. notab. *l. cura. §. mopes, & in l. rescripto in princ. D. de mun. & bonor.* Cum præterea Laicis stabilia possidentibus collectæ, & alia munera personalia tam ordinaria, quam extraordinaria imponi possint, quæ tamen Clerici prætendunt non posse imponi bonis à se possessis, Bartol. *in leg. 1. Cod. de mulier. & in quo loco, in l. rescript. § fin de muner. & bonor.* Curt. iun. *cons 6.* Paul. de Castr. *in l. 1. C. sine censu vel reliq.* Alex. *consil 101. col. 3. vol. 1.* Dec. *cons. 315. col. 2.* Boer. *decis. 260. nu. 11.* Caldet. *d. cons. 7. de constit. per text. in c. 1. de immun. Eccles. in 6 & in auth. item nulla communitas D. de Epist. & cler.* ita vt facta per subditos alienatione stabilium vires Reip. & Imperii non parum debilitari, ac paulatim labefactari contingat, arg. tex. *in l. 3. § præses. D. de mun. & bonor.* ibi, *ne his oppressis, simul eorum vires, & viribus Respub. destituantur;* quasi vero, debilitatis viribus subditorum, consequens etiam sit, vt vires Reipub. pariter debilitentur, quas tamen conseruari integras & intactas respicit publicum & commune bonum, oempe conseruationem imperii, cuius oportet Principem valde sollicitum esse, argum tex. *in cap. 1. §. donare, aut pro anima iudicare. Qualiter olim feudum alienari poterat. & de prohibita alienatione feudi per Lothari. c. 1. in fi. princip.* ibi, *per quod Imperii minuatur vtilitas.* Confert quod tradit Oldrad *cons 49.* concludens, Reges posse quidem facere donationes, dummodo per eas Regia Maiestas & dignitas non lædatur, & simile est, quod scriptum reliquerunt Specul. *in tit. de instrum. edit. in § nunc aliquem in fin.* & Bald. ibid. *in addit. ad eum in verbo, quod si Rex.* nempe, quod si per donationem Regis factam Ecclesiæ grauiter Imperium, vel Regnum lędatur, successor potest illam reuocare; quem refert & sequitur Rol. à Vall. *cons. 2. nu. 97. lib. 1.* Interest enim non modo Principis vires Imperii non minui, sed conseruari intactas, & illibatas, verum etiam pertinet hoc ad publicam securitatem omnium subditorum, cum, si vires Imperii sibi constent, facile Princeps eiusdem Imperii fines tueri possit, bonaque, & vitas subditorum ab incursionibus, & rapinis hostium intacta conseruare, eosdem procul arcendo & opprimendo; quod certe redundare potest in commune vtilitatem atq; securitatem personarum Ecclesiasticarum, & bonorum eorūdem intra territorium Principis existentium, vt certe non possit dici aliquid intentatum contra Ecclesiasticam libertatem per huiusmodi prouisiones. quæ finem propositum habent conseruationem Imperii, cum per eas magis foueatur Ecclesiastica libertas parta tam personis quam bonis Ecclesiasticis, tanto maiore securitate, quanto magis vires Imperii sibi constant. Qua ratione considerata Bald. *in c. licet extra de iud.* post Signor. de Homod. concludit statuta prohibentia alienationem stabilium in personas Ecclesiasticas esse iuridica, & non improbanda, nec censenda contra libertatem Ecclesiasticam, quasi vero condita pro securitate publici Territorii, & publicarum functionum, & ad eum finem, ne diminuantur Reip. vires, sentiens eas non parum debilitari posse ex frequenti alienatione stabilium in personas Ecclesiasticas, subductis bonis Laicorum à publicis functionibus, & ab oneribus extraordinariis quæ personis pro reb imponuntur; clerici tamen prætendūt, imponi non posse bonis à se possessis, subditis quibus imperari possit ad egestatem redactis, ita vt interdum ēt foro cedere post dissipatum matrimonium, aliasque sedes quærere cogantur, dum se vident ab aliis ciuibus neglectos, atq; despectos haberi, quamuis sint honestissimo loco nati.

Itaq; cum commune, & publicum bonū priuatorum commodis sit præferendum, maiorq; ratio illius habēda, quod magis commune sit; sequitur, prouisiones prædictas Sereniss. Principis iustissimas censeri debere, quæ magis cōmune & magis sublime bonum pro fine propositum habent, nempe bonū regimen status ipsius, conseruationē temporalis iurisdictionis pro incolumitate Imperii, quod à solo Omnipotente Deo, & à nullo mortalium agnoscunt, & subditorum omnium felicitatem. Cum quo bono, si conferatur illud, quod Ecclesiasticæ personæ prætendere possunt, ea eo quod non restringatur laicis alienatio stabilium in eorum personas, vix est, vt rationem boni habere videatur; &, quia maiori bono æquo animo cedere debent, quod etiam ad Clericorum commodum, & fauorem cedere possit, magna illis quoque parta securitate, ex eo, quod vires Imperii integre sibi constent, non debilitatæ, non diminutæ.

Ita vt per has prouisiones Princeps Sereniss. nihil, ne minimum quidem attigerit de bonis personarum Ecclesiasticarum, frenū tantum iniecerit bonis laicorum eius imperio subiectorū, neq; id absolute, sed bonis tantum stabilibus, limitata paulisper potestate subditorum circa horum alienationem ex causa maioris boni, adhibito præterea temperamento vt alienatio nihilominus in personas Ecclesiasticas fieri possit, accedente Principis consensu & auctoritate, ita vt alienandi facultas non penitus interdicta fuerit, sed indulta sub certa forma intelligatur, quod ipsum tanto magis æquas reddit prouisiones prædictas, vt considerat Sign. de Homod. *cons. 1. n. 15.*

ad hoc

adhoc plura adducens; & non est dubitandum, quin Serenissima Resp. quæ hanc facultatem non semel indulsit post vltimam ab ea latam legem de anno 1605. non etiam in posterum eandem sit facile concessura, quæ singularis ipsius est benignitas in omnes, quoties & Christiana pietas, & opportunitas ipsa temporum & personarum id visa fuerit postulare.

Octauo non omitto, similia statuta alibi quoque vigere, vt in Regno Galliarum tradit Guliel. de Benedict. *in c. Raynutius.* in verbo, *& vxorem nomine Adelasiam. num. 44.* & in statu Mediolani, de quo extat præclarum responsum Signor. de Homod. *cons. 21.* qui etiam attestatur id obseruari in pluribus partibus Lombardiæ, imo fere per totam Lombardiam, creditur autem Doctori insigni asserenti extare consuetudinem in aliquo loco, vt per Dec. *cons. 559. num 6.* post Bart. *in l. de quibus. D. de legib.* vt certe non videatur vni Principi Venetiarum religiosissimo præ ceteris denegandum, tanquam illicitum, & contra libertatem Ecclesiasticam attentatum, quod pluribus aliis in locis tanquam licitum admittitur, vtpote ordinatum ad finem maioris boni, & ad publicam vtilitatem: Andr. Gail. *lib. 2. practicarum obseruat. obser. 32.* attestans de diuersis Germaniæ partibus: Bal. *cons. 174. lib. 5.* loquens de Ducatu Saxoniæ lege lata per Carolum Magnum, quibus & alii plures addi possent, quos ego silentio prætermitto, contentus vnica attestatione Ludouici Molinæ Theologi grauissimi, insigni præ cæteris & zelo religionis, & soliditate doctrinæ. Is enim *in prima parte Tract. de iust. & iur. disput. 140. vers. quia de iure huius Lusitaniæ Regni*, attestatur *lege prouisum esse in eo Regno, vt neque Ecclesia, neque Monasteria emere possint bona aliqua immobilia absque licentia Regis.* Subdens, quod, *si vel donatione, vel successione aliqua illis adueniunt, tenentur illa alienare intra diem, & annum, nisi obtineant facultatem à Rege, vt illa sibi retineant: Id autem in dicto Regno, & ordinarie in aliis sancitum esse, ne paulatim plus iusto accrescant Ecclesiis tum immobilia bona, tum redditus Ecclesiarum & Monasteriorum, in detrimentum Laicorum; præsertim cum pleraque Monasteria iure hereditario quotidie loco suorum Religiosorum succedant in bonis defunctorum.*

Libuit mihi singula verba huius Auctoris apponere, vt intelligi possit legem hanc Lusitaniæ Regni, si conferatur cum lege Serenissimi Principis Venetiarum, longe rigorosiorem esse, cum & iussio cogens ad alienandum, bona stabilia, quæ ad Ecclesias, & monasteria peruenerint donatione, aut ad illa iure successionis ab intestato fuerint deuoluta, in ipsas Ecclesias & Monasteria dirigatur, ita vt ipsismet Ecclesiis incumbat necessitas alienandi, & à se ablegandi stabilia etiam iure successionis ab intestato acquisita, vnius tantum anni, vniusque diei interposita mora. Lex autem Veneta verba dirigit in Laicos, prohibendo, ne bona stabilia in personas Ecclesiasticas transferre possint multiplici moderatione adhibita, nempe vt hoc facere possint de licentia Principis, iusto pretio personis Ecclesiasticis persoluto, ac deniq; lapso biennio, vt certe, quod licuit Regi statuere in vniuerso Lusitaniæ Regno, id etiam licere debuerit Serenissimo Principi Reipub. Venetæ in omni loco eius ditioni supposito, maiore præsertim adhibito temperamento. Sed ego non tanti facio huius viri attestationem, quanti rationem, qua legem hanc siue latam in Regno Lusitaniæ, siue in aliis partibus tanquam æquissimam commendat: ne scil. paulatim ex hac immoderata alienatione stabilium in personas Ecclesiasticas, & Monasteria, plus iusto accrescant Ecclesiis, & Monasteriis tum bona stabilia, tum redditus Ecclesiarum in Laicorum detrimentum, ita vt Clerici plus æquo abundent, Laici vero vilescant in sordibus paupertatis.

Quod si etiam auctoritatibus sit pugnandum, non desunt, qui stent pro validitate statuti prædicti, & intrepide tueantur, nihil per huiusmodi statutum factum contra Ecclesiasticã libertatem. Iacob. Butrig. *in l. assiduis. C. qui potior. in pign. hab. & in Auth. Cassa. C. de sacrosan. Eccles.* Signorol. de Homod. post longam & accuratam disputationem *Bal. in d. c. Clerici de iud. in l. cunctos populos. C. de summa Trinit. & fide Cathol. in cons. 11. inter Consilia Anchar.* Ad quod etiam proxime videtur accedere Calder. *d. cons. 7 de const.* &, vt alios prætermittam, Ias. *in d. §. Diui.* qui quidem *in secunda lectura. num. 13 ad fin numeri*, attestatur, hanc opinionem veriorem esse in puncto iuris, cum nitatur solidis fundamentis, qui etiam *in prima lectura, sub num. 81.* ad tex. *in c. fin de immun. Eccles. in 6.* in quo potissimum ius fieri videtur in fauorem Ecclesiæ, respondet tex. illum loqui in casu, quo statutum prohibet quamcunque bonorum venditionem, & omnino commercium inter Laicos, & Ecclesiam, secus esse quando prohibet Laicis solum venditionem stabilium, eorumque translationem in Ecclesiam. Addo Opizonem *in d. §. Diui. nu. 105.* Alber. *in 2. parte statut. q. 2. nu. 33.* Tota vis est in tollendis his, quæ in contrarium afferebantur.

Ad primum igitur obiectum, supposito, quod vere fieri dicatur contra libertatem Ecclesiasticam, si auferatur Ecclesiæ, quod ei concessum est priuilegiis Imperatorum, aut quod ei competit iure communi, respondetur, nihil tamen per huiusmodi prouisiones contra libertatem Ecclesiasticam attentatum, quod infringat priuilegia per Imperatores eis concessa, aut quæ competunt ei de iure communi. Nam, quod attinet ad priuilegia, de quib. *in d. l. prima. in l. illud, & in l. 1. inter diuinum. C. de sacrosan. Eccl.* apparet clara responsio: lex enim proxima, quæ fuit Constantini Magni, *C. de sacrosan. Eccl.* nihil concessit in priuilegium Ecclesiis, cum statuit posse vnumquemque, quod voluerit ipsis libere relinquere. Id autem facile colligitur ex ratione, quam subiicit, dicens nihil esse, quod magis hominibus debeatur, quam, vt supremæ voluntatis libera sit dispositio, & ita innuat hoc non in priuilegium fuisse concessum Ecclesiæ, cum cuicunq; etiam priuato, dummodo capaci, possit quis testamento relinquere, illud solum præstitit Constantinus: remouit enim obstaculum q; ante erat impedimento, ne quid Collegio Christianorum valide re-

linqni posset, cum collegiis illicitis nihil relinqui possit; Collegium autem Christianorum ante fidem Christi susceptam reputabant Imperatores sectam quandam superstitiosorum hominũ, vt animaducitit Bal. *in d.l.1.nu.13.* Per legem autem illam validitatem tribuit Iustinianus donationi collatæ in Ecclesiam, etiamsi insinuatione careat: nam quod attinet ad donationem, quæ per Laicos fit Ecclesiis, nihil ea lege tribuitur in priuilegium, cum ante illam quoque legem posset quilibet arbitrio suo donare Ecclesiis, prout etiam cuilibet priuato, solum priuilegium in eo cõsistit, vt donatio valeat, quamuis insinuatione carens: contra quod priuilegium nihil per huiusmodi prouisiones dicitur attentatum, cum ne verbum quidem vllum in eis de insinuatione prędicta. Similiter dicendum de priuilegio *l. vt inter diuinum*: nempe, quod ex alienatione facta in Ecclesiam dominiũ absq; traditione transferatur; nam & hic duo consideranda sunt, causa propter quam transit dominium, nempe venditionis, donationis, legati & hoc modo considerando nihil dicitur in priuilegium concessum Ecclesiis, quod etiam cuilibet nõ competeret; alterũ vero est, quod dominium absq; traditione transferatur, & hoc vere dicitur concessum Ecclesiis in priuilegium, quam dominii translationem hoc modo priuilegiatam prouisiones prædictæ non impediunt. Quo vero ad ea, quæ competunt iure communi, nempe posse capere ex testamento, acquirere ex donatione & venditione, respondetur in genere loquendo, si quid horũ auferatur Ecclesiæ, lędi quidẽ ecclesiasticam libertatem, sed insuper etiam aliud requiri, vt hoc mala intentione fiat, nempe animo præiudicandi Ecclesiis; secus si sub ratione communis & publici boni pro conseruandis iurib. Imperii, quod etiam in vtilitatem Clericorũ redundare potest, & pro felicitate subditorum, quos locupletes conseruari & ipsorum, & Reip. plurimum interest.

Secundo respondetur non absolute prohiberi subditis alienationem in Ecclesias, sed cum triplici modificatione, primo quoad stabilia tantum, secundo vt non vltra biennium Ecclesia retinere possit; tertio, vt eadem etiam perpetuo possit retinere accedente Principis licentia, ita vt Ecclesia capere possit ex cuiuslibet alienatione, testamento, venditione, aut alia quacunque causa seruatis conditionibus prædictis, ita vt vltra biennium capere non possit, lege resistente, nisi id indulgeat Principis benignitas, refuso præterea pretio, & iusta æstimatione bonorum stabilium, ita vt parua censenda sit iactura, quam facerent personæ Ecclesiasticæ, ex eo, quod potestas Laicis fuerit limitata, maximum vero lucrum, quod faciat Respublica si bona stabilia inter laicos conseruentur ad finem publici & communis boni; nam quoties prohibitio alienationis & disponendi super propriis bonis non est perpetua, simplex & absoluta, sed limitata, qualificata, & sub certa forma, tanto magis iusta redditur, eius rigore temperato, vt per Signor. *d.cons.21.n.25* per plura iura, quæ ad propositum adducit. Tertio responderi potest, posse præiudicari Ecclesiis respectu bonorum quærendorum ex causa communis & publici boni, vt latius in sexto fundamento deductum fuit.

Secundum obiectũ non obstat. Nam tex. *in d.c. Eccl. S. Mar.* & quod ibi notãt Scribentes, procedit, quoniam ibi Laici volebant statuere de reb. iam acquisitis Ecclesiæ prohibendo ipsarum alienationẽ, quod etsi fauorabile sit Ecclesiis, non tamẽ validũ est, quoniam bona Ecclesiarum ab eorum iurisdictione penitus sunt exempta, & ita statutũ ibi quamuis Ecclesiæ fauorabile reprobatur, tanquã mittens falcem in messem alienam, prout respondet Sign. *d.con.21.sub n.26. ver. his præmissis.* vltra quod etiam statuta Laicorum honesta & rationabilia, etiam quoad Clericos valent pluribus casib. quorum quinq; enumerat Fel. *d.c. Eccl S. Maria, sub n. 81. v. primus casus, vsq; ad n. 85.* Respõdetur secundo, in casu proposito non posse dici nullas huiusmodi prouisiones ex defectu potestatis Laicorũ in Clericos & eorũ bona, cum dispositiones ipsæ dirigantur ad Laicos Principi temporali subiectos, & fiant super bonis mere Laicalibus, & quãuis per indirectũ aliquod inde præiudicium Clericis generetur, tamen non videtur habendum in consideratione, vt ante dixi, cum non veniat ex prima intentione statuentium, quæ non alia fuit, quam publici & cõmuni vtilitati consulere, non autẽ Ecclesiam in aliquo lædere: nec inde argui potest defectus potentiæ in statuentib. quidquid secundũ aliquos argueretur, si quid directe in personas Eccl. aut super eorũ bonis statueretur, quod tamen perpetuum non esset, nec indistincte, aut absolute procederet.

Ad vltimum respondetur, quod, etsi mentio personarum Ecclesiasticarum expresse facta fuerit, in quas Laici bona stabilia alienare prohibeantur, non ideo tamẽ minus prouisiones prædictæ validæ cẽseri debent, quasi factæ in odium Clericorum, & similium personarũ, atq; ita nocendi animo. Quia sicut per statuta singularia singularum Ciuitatum huius Serenissimi Domini, & aliorum multorum locorum prouisum est, ne bona stabilia in non subditos quouis titulo transferri possint intuitu maioris boni, & conseruandis cuiusque Reipublicæ viribus, quidquid dici possit, vtrum huiusmodi statutis personæ Ecclesiasticæ comprehendantur, prout comprehendi visum fuit & Crotto & Ferdinando Loazes *in d. §. Diui.* & Feder. de Senis, & Card. Zabarell. & Barbatiæ, & Signorolante per me citatis: Ita ob eandem rationem communis & publici boni multo magis licuit Serenissimo Principi prohibere, ne stabilia à Laicis in personas Ecclesiasticas transferantur, cum ex frequenti translatione stabilium in Ecclesias non minus eneruentur imperii vires, quam minuantur cuiusq; Reip. vires, si bona stabilia in extraneos & forenses transferantur. Et sicut lex prohibens stabilium alienationem in certum genus hominum, veluti in Iudices, officiales & similes, iustissima iudicatur ob maius periculũ, quod subditis imminere potest, ne bonis suis spolientur, & ad paupertatẽ redigantur, si in hos etiam, in quib. maior est

auctori-

auctoritas & pecuniarum copia, alienatio permittatur, *l. prim. D. si cert. petat. l. non licet, l. officii. D. de contrahen. empt. l. vnica. C. de contract. Iud.* ita in proposito dici posse videtur, quod, cum & Monasteria opulentissima reperiantur, quibus, *vt est maxima diuitiarum copia, ita possessionis eorum vix vllus est finis* (licet enim mihi vti verbis Baruch Prophetiæ *ca. 3.*) eo facilius sequi potest, nisi opportune prouideatur, vt Laici bonis stabilibus exinaniantur cum graui ipsorum iactura, & in diminutionem non paruam virium Reipubl. quemadmodum considerat Signorol. de Homod. *d. cons. 21. nu. 23.*

Denique dico, non esse præsumendum in tam religioso Principe malum animi affectum erga personas Ecclesiasticas, arg. *l. merito. D. pro socio.* vt in casu non absimili in hac ipsa materia tradit Calder. *d. cons. 17. de constit.* tum etiam multo magis, quia clare constat, qua intentione motus fuerit Princeps ad has prouisiones faciendas, nempe ad finem publici & communis boni pro conseruandis viribus imperii, & euitando damno, quod ex frequenti stabilium in personas Ecclesiasticas alienatione incurrere potest, vt clare demonstrat prouisio facta de anno 1258. ponderando illa verba, *nisi salua ratione communis*, & altera de anno 1536. ex prooemio elicita, quatenus ibi dicitur, *& essendo da prouedersi, come richiede vna cosi importante materia per l' interesse publico:* ex prooemio enim elicitur causa finalis dispositionis, Bart. *in l. 1. in principio. D. ad Macedon.* Bal. *in l. vt liberos, C. de collat.* & finalis intentio est, quæ regit omnes dispositiones, vt per Bal. *in l. generaliter. in secunda opp. C. de instit. & subst.* Cum ergo clare constet de intentione Serenissimi Principis ad eum finem ordinata, vt per has prouisiones consuleret publicæ vtilitati, & ad euitandum damnum, quod facile incurrere posset ob frequentem stabilium in personas Ecclesiasticas translationem, cessat omnis maleuoli animi suspicio. Cumque vltima prouisio de anno 1605. per quam prouisiones antea factæ extenduntur ad omnia loca Dominio Serenissimi Principis subiecta, ad illas expressam habeat relationem; sequitur, rationes in illis expressas, in ea quoque pro repetitis habendas esse; ex vulgata regula, quod relatum sit in referente cum omnibus qualitatibus suis, Auth. *si quis in aliquo. C. de edend.* cum vulgarib. Non omitto etiam notabilem distinctionem, quã in hac materia tradidit Signorol. *d. cons. 21. nu. 25.* Aut enim constat de malo animo statuentium in condendis huiusmodi statutis, vt obsequia Ecclesiæ denegentur, quo casu statuta sunt iniqua censenda, & contra libertatem Ecclesiasticam. Aut constat de intentione eorum, qui has prouisiones fecerunt, vt sibi ipsis propria territoria conseruentur, & ne vires Reipubl. labefactentur, & cessat omnino scrupulus maleuoli animi. Aut vero dubitatur, qua intentione moti fuerint ad ita statuendum, quo casu non sufficit, expressam factam fuisse mentionem personarum Ecclesiasticarum ad hoc, vt malo animo statuisse intelligantur, nisi & alterum concurrat, nempe quod eis omnia commercia cum Laicis voluerit prohibere, & necessaria humano victui subducere, prohibendo generaliter, ne quis ab eis quidquam emat, ne quis aliquid eis vendat, ne panem coquat, ne granum molat, in quem sensum intelligendum esse text. *in d. c. fin. de immunit. Eccles. in 6.* testatur Iason *dicto §. Deus, num. 81. in prima lectura*, Dec. *in d. c. Ecclesia Sanctæ Mariæ.* fere ad finem.

Itaque sublatis omnibus, quæ in oppositum afferebantur, existimo ego, prouisiones prædictas tanquam rationabiles & minime lædentes Ecclesiasticam libertatem optimo iure subsistere, cum non attingant vllo pacto bona Ecclesiarum, sed Laicis tantum subditis frenum imponant, seu verius limitent potestatem ipsorum circa alienationem stabilium ex causa publici & communis boni, neq; id absolute, sed magno adhibito temperamento, vt non vltra biennium, nec sine licentia Principis alienare possint, quod eo magis dicendum est, cum prouisio facta de anno 1605. per quam extenduntur prouisiones antiquæ ad omnia loca subiecta serenissimo Dominio, vere sequela sit præcedentium antiquarum prouisionum, quæ longissimo tempore obseruatæ fuerunt, nemine vnquam contradicente; & ratio est manifesta, quia statutum in capite in membris quoque virtualiter intelligitur esse statutum, cum non deceat membra à capite dissidere, aut alio iure censeri.

CAPVT II.

TRANSEO ad secundum propositæ consultationis caput; vtrum valida sit prouisio facta de anno 1537. 21. Martii, postea vero renouata de ann. 1561. 27. Octob. qua cautũ est, ne quis audeat Ecclesias vllas fundare, aut ædificare Ecclesiastica Monasteria, Hospitalia, & religiosas domos extruere, aut alia loca, in quib. personæ aliquæ, cuiuscunq; generis existant, conuenire possint; &c. si quid horum extructum fuerit, inconsulto Serenissimo Principe, & absq; licentia maioris Consilii, graues pœnæ imponuntur, tum demolitionis ædificiorũ, tũ banni perpetui illius, qui aliquid huiusmodi præsumpserit, & vt Laicus in Decretis, seu prouisionibus prædictis.

Videretur enim prima facie dicendum, per has prouisiones violatam esse auctoritatẽ Apostolicæ Sedis, eiusq; iurisdictionem contemptam, & factum contra Ecclesiasticam libertatẽ, cum neq; Ecclesiæ, neq; Ecclesiastica Monasteria subiaceant temporali iurisdictioni Iudicis Laici, & iniquum videretur eos pœna mulctatos esse, qui magis debuissent præmiis allici, & inuitari ad hæc opera pietatis, cum Princeps Secularis nihil de rebus, vel negotiis Ecclesiasticis statuere possit. *d. c. bene quidem 96. dist. c. vlt. de reb. eccles. non alienan.* Hospitalia vero, Ecclesiæ, Monasteria res Ecclesiasticæ dicantur, Card. Zabar. *in c. quia contingit. de relig. domib.* curaque Ecclesiarum Episcopis incumbat. *c. quicunque. 16. q. 3.*

Ab hoc dubio me breuibus explico, nec enim res ista altiorem requirit indaginem. Itaque respondendo dico, longe aliam fuisse mentem & finem propositum Serenissimo Principi, & toti Reipublicæ, nec enim id sibi tribuit, vt prætendat Ecclesias, & Ecclesiastica monasteria, loca vel religiosa ad suá iurisdictionem pertinere, etiam postquã Ecclesiæ, & cætera loca Ecclesiastica, de ipsius licentia fuerint iam constructa, nisi, vbi boni publici necessitas id requirat. Verum illud optimo iure tuetur, atque defendit, antequam huiusmodi ædificia extruantur, ratione bonorum, in quibus extruenda sunt, id verò ad eius iurisdictionem pertinere; Cum negari non possit, quin Princeps respectu Territorii sui, & locorum eius dominio subiectorum, habeat iurisdictionem temporalem, & ideo lege possit ad finem euitandi scandala & damna, quæ sibi ex huiusmodi ædificiorum constructione imminere possent, legem condere, obligando subditos, ne quid horum extruere audeant, vel præsumant, cum adhuc loca, in quibus Ecclesiæ, vel Monasteria essent ædificanda, profana sunt, & in communi hominum commercio posita, à quo postea eximuntur, cum iam sacra, aut religiosa fuerunt effecta, iuxta tex. *in l. inter stipulantem. §. sacram. D. de verb. oblig.* Est enim Princeps dominus Territorii, & in eo iurisdictionem habet, arg. *l. extra Territorium D. de iurisd. omn. iudic.* & eam exercendo nihil, quod ad personas Ecclesiasticas spectat, dicitur attentare, qua quidem iurisdictione temporali carent Episcopi; cum etiam careant Territorio, vt antea dictum fuit ex Oldrado. Vnde etiam frequentissime contingit, vt Diœcesis ad Episcopum pertineat, cùm Territorium alterius Principis iurisdictioni subiiciatur, quemadmodum animaduertit Alciat. *in l. Pupillus, D. de verb. signif.* territorio inde denominato; quod Princeps, siue, qui ex eius auctoritate iurisdicendo præest, *ius terrendi, seu submouendi* habeat.

Et sane, si decet vnumquemque patremfam. solicitum esse, ne quis noui aliquid in eius domo moliatur, quod damnum aliquod & incommodum aut ipsi patrifam. aut inhabitantibus afferre possit; sic ad officium prouidi Principis spectat inuigilare, quibus in locis extruantur Ecclesiæ, aut quæ Monasteria in Ciuitatem inducantur. Sunt enim Ciuitates instar magnæ cuiusdam domus, cuius paterfam. est supremus Princeps, cuiusq; prudentiæ incumbit explorare loca magis opportuna, in quibus ædificentur Ecclesiæ, in Oppidis præsertim, Ciuitatibusque munitis non propinquæ mœnib. non arcibus, aut fortalitiis, ita vt eas tempore belli demoliri non sit necessarium pro maiori oppidorum, & Ciuitatum securitate, in quas Ecclesias hostes clam, & dolis malis introducti perniciem Ciuitatibus afferant; nec enim nouum est Conuenticula illicita etiam intra Ecclesias haberi posse, vt supponit Imp. *in l. Conuenticula illicita. C. de Sacrosanct. Eccles.*

Secundo, respondeo eam prouisionem, qua Serenissimus Princeps prohibuit extinctionem Monasteriorum, Hospitalium, similiumque locorum, non habere pro fine simplicem illam molem, quæ surgit ex eorum ædificio iam constructo, sed alium finem spectare, nempe personas eorum, qui in dictis ædificiis collecti, in vnum vitam ducturi essent, ita vt Princeps debeat pro munere officii sui, & proprii status conseruatione, & maiore tranquillitate subditorum inuigilare, ne quæ nouæ Sodalitates, aut religiosorum sectæ inducantur in Ciuitates, quæ mores ipsorum corrumpere, & seditiones inter ciues excitare possent, aut aliquid contra Imperium Principum moliri, prout plerisque Ciuitatibus euenisse docuit experientia, quæ dicitur magistra rerum *c. occupantes. c. quoniam tit. de elect. in sexto.* Et hinc fit etiam, vt omnia Collegia regulariter illicita censeantur, nisi expresse permissa probentur, *l. 1. in pr. D. de Colleg. illic.* habuerunt enim antiqui Legislatores Collegia semper suspecta, quod etiam tradit Alciat. *in l. Neratius. D. de verbor. signif.* subdens plerumq; contingere posse, vt sub prætextu sacri Conuentus improbi homines, simulata sanctitate, multa moliantur aduersus leges, pudicitiam mulierum, bonaq; Ciuitatum instituta prout Titus Liuius *lib. 38.* eleganter, & late prosequitur Romæ contigisse: Ideoq; non est culpandus Senatus Venetus, si supra dicta lege prospexit, ne cuilicerer extruere loca siue ea Collegia, siue Sodalitia, siue Societates, siue Monasteria appellare velimus, in quibus huiusmodi conuentus hominum haberentur non explorata prius diligenter eorum qualitate, ne si contingeret malos in Ciuitate introduci, necesse foret postea eos inde eiicere, ne bonos ac simplices secum perderet, ita vt satius existimarit eos ab initio non admittere, quam admissos postea expellere; nam vt inquit Summus Pontifex *in c. quemadmodum.* circa medium, *de iureiur.* turpius eiicitur, quam non admittitur hospes. Cum etiam sæpe euenire soleat, vt huiusmodi Sodalitia sub prætextu religionis, & pietatis, alia tamen tractent, quæ pertineant ad publicam administrationem, & ad regimen Ciuitatis, vt animaduertit Bart. *in d. l. 1. sed religionis. D. de colleg. illicitis*, vt propterea etiam magna animaduersio sit habenda, cum eriguntur loca pro Monasteriis & Sodalitiis, quod genus hominum deligatur.

Sed nec omitto, quod cum ex multiplicatione Monasteriorum facile contingere possit, vt, nouis Monasteriis aut Sodalitiis inductis in Ciuitatem, aliis Monasteriis, quæ iam sanctitate vitæ, & exemplari integritate Ciuitatibus sunt probata, alimenta necessaria subtrahantur, aut ita diminuantur, vt neque nouis, neq; veteribus sustentandis sufficere possint fidelium largitiones. Qua in re Principem quoque oculatum, ac valde prouidum esse oportet.

Denique dico, non esse simpliciter prohibitam extructionem Monasteriorum, & similium locorum, sed eam, quæ fieret sine licentia Principis, vt certe impetrata licentia omnis pœna indicta in eos, qui aliter ædificare præsumerent, sublata penitus intelligatur. Nec enim verendum est, quin Princeps religiosissimus facilem & indulgentẽ se præbiturus sit, postulata licentia ædi-

ficandi

ficandi, & noua Monasteria construendi, si id tranquillo statui Reip. viderit expedire pro diuersitate temporum, & personarum, prout apertissime tot Monasteria, & Ecclesiæ, tot Hospitalia, tot religiosæ domus quæ non modo in Ciuitate Venetiarum: sed etiam in vniuerso dominio restantur mira arte extructa, splendidissima summoq; ornatu insignia, cum quibus vix vlla in vniuerso orbe sint conferenda; quæ sane res maximam Principis pietatem, & in diuinum cultum obseruantiam demonstrat. Præterea, cum pertineat etiam ad curam pii & religiosi Principis Secularis Ecclesias fortasse vetustate labentes, aut alia de causa contritas, atque rescissas restaurare, necnon & nouas ædificare: qua in re Principis pietas per Sacros Canones plurimum commendatur *c. vlt. 96. distinct. c. administratores. 23. q. 5.* Fuit etiam rationi & officio Principis consentaneum prouidere, ne Ecclesiæ absque ipsius licentia extruerentur. Denique & illud addo, quod si quilibet priuatus potest pro ratione dominii particularis prohibere, ne prædium aliquod ipsius religiosum aut Sacrum absque eius licentia efficiatur, *l. 2. §. 1. & §. si vsumfructum. D. de relig. & sump. fun. l. Sacra. §. 1. D. de rerum diuis.* multo maiore ratione Principi prospicere licet, ne ipso inconsulto in loco aliquo eius ditioni subiecto extruantur Ecclesiæ, cum negari non possit, quin ipse Princeps sit dominus Territorii, & bonorum intra Territorium existentium, arg. *d. l. deprecatio. D. ad l. Rhod. de iactu. & in c. quo iure. di. 8.* taleque dominium retinet etiam iam constructis Ecclesiis, in tantum; vt etiam homicidium intra Ecclesiam commissum à Principe Seculari puniri possit, tanquam à Domino loci, in quo extat Ecclesia, ad trad. per Bald. *in l. si quis in hoc genus. nu. 2.* & ibid. Castr. *nu. 3. C. de Episcop. & Cler.* Abb. *in c. cum sit generale. num. 23. de for. compet.* Clar. *in sua Praxi Criminali. q. 38. vers. vidi etiam.*

CAPVT III.

SVPERAST tertium & vltimum consultationis caput absoluendum, circa duos Clericos adhuc in carcere detentos, in quos Serenissi. Princeps prætendit sibi ius esse animaduertendi ob varia & enormia delicta per eos commissa. Nam contrarium videretur dicendum, stante conclusione communiter recepta, quod Iudex Secularis nullo modo potest prætextu alicuius delicti procedere contra Clericum, aut Religiosum, iuxta tex. *in c. cum non ab homine. extra de Iudic.* quod sane videtur eis concessum in priuilegium iure diuino, vt explicant Dominic. Sot. *de iust. & iur. in 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 2.* Card. Bellar. *de exemptione Clericorum. c. 3.* Ita vt hoc priuilegium, quod Clerici exempti sint à potestate Iudicis Laici, vt ab eo iudicari non possint, maxime vero in criminalib. videatur eis iure diuino, nedum humano concessum, vt de communi testatur Alciat. *in d. c. cum non ab homine. n. 2.* Didac. *pract. q. 31.* Clar. in sua *praxi Criminali q. 36. in princ.*

Quia conclusione stante, inferri posse videtur, non valere consuetudinem, quod in causis criminalibus Clerici conueniantur coram Iudice Laico, prout de communi pariter testatur Didac. *q. 31. num. 5.*

Hoc tamen non obstante, & supposito, quod delicta, pro quibus dicti Clerici carceri mancipati detinentur, grauia sint, & enormia (nec enim delictorum qualitas mihi exposita fuit) in eam sententiam alacri animo descendo, quod Serenissimus Princeps de his supplicium sumere, & in eos animaduertere possit pro modo culpæ commissæ; & hoc virtute priuilegiorum à Sede Apostolica sæpius indultorum.

Antea quidem ex priuilegio Sixti IV. licebat Principi vindictam sumere, & vlcisci crimina læsæ Maiestatis, monetæque adulteratæ, quod etiam circumscripto quolibet priuilegio videtur vsu receptum, vt testatur Clar. *d. q. 36. vers. quæro, nunquid Clericus committens crimen læsæ Maiestatis,* qui etiam extendit id ad Clericum imputatum de crimine assassinii, *vers. Item quæro, vtrum Clericus imputatus de assassinio;* necnon ad Clericum, quem vere constat incorrigibilem esse. *vers. successiue quæro,* vbi de communi testatur post Didac. *pract. q. 33. n. 7.*

Verum, quia non credo ego prædictos Clericos pro aliquo dictorum trium criminum detineri, quo casu res expeditissima esset, & omni prorsus difficultate careret, stante indulto Apostolico Sixti IV. cuius mentionẽ facit etiam Innoc. VIII. Idcirco dico adhuc inesse Ser. Principi punire eos, quamuis pro alio delicto, quod non sit ex genere dictorum, detineantur; dummodo delicta, pro quib. detinentur, grauia sint, stante priuilegio eiusdem Innoc. quod priuilegium cõcessum occasione illorum duorum criminum extendit ad alia quoque grauia delicta, adiecta ratione, quæ mouit eum, nempe vt iustitia locum habeat, & se quisque intra honestatis fines & terminos contineat, quasi significare velit, se pro grauib. delictis illa habere, per quæ honestatis ratio violetur, & alicuius existimatio, & honor grauiter offendatur, nam, qui circa honorẽ periclitatur, dicitur de vita periclitari. *l. iusta. iuncta gl. D. de manumiss. in §. suspectus. in verb. ob culp. Inst. de suspect. tut.* Vnde, si quis forte dictorũ carceratorum atrocem, iniuriam pudicæ mulieri, & honesto loco natæ intulisset, eiusque pudicitiam petulanter attentasset, comprehensua dici posset hoc Innocentii VIII. indulto, vt in eum per Iudicem Secularem animaduerti possit.

Præterea considero verba, quibus profitetur se velle extendere priuilegia Pontificum prædecessorum, qui ea ad duo tantum delicta restrinxerunt, ad alia quoque grauia delicta, neque hoc contentus subiecit, vt præsens esse possit in casibus furti, & latrocinii, subdens & in aliis grauibus & atrocibus facinoribus, vsus geminatione illorum verborum, & in aliis grauibus delictis, quæ

tamen non est habendum in consideratione, sed quod principaliter agitur, arg. *l. 1. D. de offic. praesid. l. si quis nec causam. D. si cert. pet. l. si sponsus. § circa. D. de don. inter vir. & uxor.*

Quarto. Nam etsi Laici non possint facere statuta, per quae praeiudicium aliquod fiat Ecclesiis, aut Ecclesiasticis personis in iam quaesitis, praeter quam, si quid forte statuat pro bono publico, cuius utilitas etiam Clericis sit futura communis: non tamen prohibeantur pro communi bono, & ad publicam utilitatem; maxime vero pro conservatione Imperii, quod habent, facere provisiones respectu rerum eis acquirendarum, & hoc confert vulgata regula, quod facilius praeiudicatur in quaerendis, quam in iam acquisitis. *l. qui autem. in princip. D. de his, quae in fraud. cred. l. fin. C. de acquir. possess.* & hinc est, quod Praelatus potest Ecclesiae suae conditionem facere deteriorem in acquirendis, non in quaesitis, iuxta gloss. *in c. fin. 16. quaest. 6.* Innocent. *in cap. 2. extra de donat.* Canonistae *in cap. 1. de dolo & contumacia.* Abb. *in c. tua ad fin. de his, quae fiunt à Praelatu sine consensu Capituli. & in c. verum, extra, de for. comp.* Bart. & caeteri *in l. iubemus nullam.* argum. illius text. *C. de sacros. Eccles.* Surdus *cons. 116. nu. 28.* & ideo Bald. *cons. 11.* quod est insertum inter *consilia Anchar.* concludit, quod etsi in iam quaesitis Laici nullo ingenio possint derogare iuribus Ecclesiarum, *dict. c. Ecclesia S. Mariae.* tamen in acquirendis est secus, si Laici non faciunt hoc malo animo, neque intentione praeiudicandi Ecclesiae, sed principaliter pro bono publico, ut communi utilitati Reip. consulant, & sibi prosint in his, quae ad sui status conservationem pertinent; quod etiam sequitur Quintil. Mandos. *in addit. ad alleg. Lapi 92. in litera T.* concludens per statutum laicorum posse praeiudicari Ecclesiae seu Ecclesiasticae personae in quaerendis, si Laici hoc non faciunt prava intentione nocendi Ecclesiae, & eius iura laedendi, simileque est eiusdem Bald. consilium *lib. 4. cons. 496.* & huc etiam pertinet, quod tradit idem Bald. *in rubr. extra, de constit.* dicens, valere statutum Laicorum, quod Ecclesiae nullo tempore possint praescribere res immobiles Laicorum, ne alioqui civitas defraudetur collectis, ad quas Clerici non teneantur: Confert, quod tradit idem Bald. *in c. quae in Ecclesiarum. de constitut.* nempe licitum esse Laicis prohibere alienationem rerum stabilium, quae sunt obnoxiae tributis aut collectis, in Clericos vel Ecclesias, ne si in eos transferantur, Respubl. careat subsidio collectarum: nec est absimile, quod tenet Bart. *in l. scripto. § fin. ff. de mun. & honor.* quod, etsi Laici non possunt condere statutum, per quod imponatur collecta pro possessionibus iam quaesitis Clericis, aut Ecclesiasticis: (nam id esset contra libertatem Ecclesiasticam) pro his tamen, quae non sunt adhuc Clericis aut Ecclesiis acquisita, valide statutum fieri potest, quod praedia per eos acquirenda sint obnoxia oneribus collectarum, dicens ita fuisse provisum per Perusinos, qui imponunt onera collectarum omnibus praediis per Ecclesias acquirendis; quam opinionem sequitur etiam Bald *in l. placet. C. de sacros. Eccles.* & de hoc extat etiam pulcherrimum consilium *7. sub tit. de constit.* Ioan. Calderini summi Canonistae, ubi etiam respondet obiectioni, quae fieri posset per text. *in Auth. item nulla communitas. C. de Episc. & Cler.* nam textus ille loquitur de munere extraordinario, quod per Laicos imponitur Ecclesiae tempore, quo res iam erat in dominio Ecclesiae, & ante non erat hoc onere affecta, secus, si tale onus rei sit impositum ante, quam pervenisset in Ecclesiam, concludens tale statutum non dici contra libertatem Ecclesiae, quoniam aliud sit imponere onera collectarum Ecclesiae pro rebus Ecclesiae hoc onere non affectis ante, quam ad eam pervenirent, tunc enim vere talium onerum impositio esset contra libertatem Ecclesiae; aliud autem tale onus imponere rebus, quae nondum ad Ecclesiam pervenerunt, sed pervenire possunt, tunc enim nihil attentatum dici posse contra Ecclesiasticam libertatem; concludens, cessante fraude, quae praesumi non debet, *c. 2. extra, de reg. iur.* talia onera posse imponi etiam ad praeiudicium Ecclesiarum, ad quas bona perventura sunt pro bono publico, & pro tuitione Civitatis, ad quod adducit etiam tex. *in Auth. de sanctiss. Episc. in §. si quis autem litigantium. & l. si quis litigantium. C. de Episc. & Cler.* per quas leges dixit Oldra. Episcopum non habere Territorium, nec ratione Territorii iurisdictionem: sed omnem iurisdictionem residere penes Principem temporalem respectu bonorum intra eius Territorium existentium. Ex his arguendo videtur inferri posse licere Principi pro bono publico, & ad tuitionem Civitatis Ecclesiae praeiudicare respectu bonorum stabilium acquirendorum, interdicta Laicis subditis alienatione eorum in personas Ecclesiasticas; quo genere argumenti utitur, & illud late prosequitur Ias. *in d. §. Divus. in 1. lect. à nu. 67. ad nu. 81. & in secunda, n. 113.*

Quinto, illa dispositio quae tendit ad officium Charitatis, non est improbanda, tanquam illicita, sed imo laudabilis existimanda. *l. praeses. C. de servit. & aqua. l. si quis. §. de alimentis. D. de liber. agnosc.* verum huiusmodi provisiones tendunt ad officium charitatis, nempe, ut homines Principis imperio, & protectioni subiecti magis habeant, quam qui sunt ab eius iurisdictione exempti, quales sunt regulariter personae Ecclesiasticae; quo argumenti genere utitur in hac materia Bald. *d. cons. 11. num. 3. inter consil. Anchar.* concludens, quod cum Princeps ex ordinata charitate teneatur magis sibiipsi, & status sui conservationi, ac subditorum utilitati prospicere, non est existimanda lex iniqua lata per eum, quam fovet simul charitas, & ratio naturalis, quamvis ex accidenti Ecclesiarum & Laicorum conditio in aliquo deterior fieri videatur per prohibitionem alienationis stabilium factam subditis in personas Ecclesiasticas. Si enim per hanc legem Princeps nec sibi, nec subditis prodesset, personis autem Ecclesiasticis iniuriosus fieret, & noceret, lex iniqua dicenda esset, argum *l. 2. §. idem Varus. ff. de aqua pluv.* verum ex quo lex utilis est Reipubl. & subditis salutaris, ratione paulo infra explicanda, non debet nec potest redargui Princeps, qui

talem

talem legem tulerit æquissimam, considerata eius principali intentione, & ordinata charitate, quamuis per accidens in quandam consequentiam aliquod ex ea præiudicium personis Ecclesiasticis inferatur.

Sexto, monet me non parum illa quoque consideratio: constat enim posse quemlibet priuatum hæredem institutum ab eius hæreditate repellere sub conditione, si Monasterium fuerit ingressus, & Monasticam vitam elegerit, dummodo clare de hac ipsius voluntate constet, talique casu Monasterium excludi per substitutum, vt post longam disputationem concludit Iacob. de Beluis. *in §. sed & hoc præsente. in Auth. de sanctiss. Episc.* & quod fauor Monasterii & religionis nô debeat impedire manifestam testatoris voluntatem, quia potest rebus suis quam velit legem imponere, quia etsi fauorabilibus personis, & causis debitores simus, non tamen ita debemus, vt aliis iniustitia committatur. *c. ex timore. de foro comp.* sequitur Salic. *in Auth. nisi rogati. nu. 6.* & ibid. Paul. de Castr. *n. 3.* Corn. *nu. 7. C. ad Treb.* late Dec. *in c. in præsentia nu. 64. de probat. idem cons. 259. num. 2. & cons. 426 nu. 2.* Ripa *in l. ex facto. §. si quis rogatus. D. ad Trebell.* Alex. *cons. 121. nu. 13 lib. 2.* Calcan. *cons. 7. nu. 24.* quam opinionem sequitur etiam Didac. Couar. *variar. resol. lib. 1. cap. 19 n. 8. 9. 11.* æquissimum dicens ob expressam testatoris voluntatem, quæ omnino seruanda sit, prout etiam inquit Iac. de Beluis *loco sup. cit.* latissime Illustriss. Cardin. Mantica *de coniect. vlt. volun. lib. 11. tit. 7. nu. 18.* & per plures sequentes. Id autem prorsus indubitatum est, vt omnes vno ore fatentur, quoties apparet testatorem motum ad excludendum Monasterium, quia enixe cuperet bona in familia conseruari, vt per Dec. *d. cons. 259* Didac. *vbi supra num. 11.* Cardin. Mantica *d. tit. 7. nu. 21.* Vt enim turpe, & impium esset à testatore conditionem aliquam adscribi principaliter ad hunc finem, vt quemq; auerteret à Monastico instituto, & à religionis professione, aut in odium Monasterii: ita iustissime adiici potest in familiæ fauorem; qua ratione potest etiam pater iustissime maiorem quantitatem filiæ nubenti relinquere, longe minorem eidem profitenti religionem, quod longe maior dos necessaria sit nubenti, quam religionem profitenti, cum maiora onera, maioresque sumptus nuptis, quam Monialibus incumbant, aut eâ sane ratione, vt tanto maiorem partem posteris suis relinquere possit, prout tradit idem Couar. *d. c. 19. nu. 9.* post Iacob. de Beluis. Bald. Salicet. Paul. de Castr. Corn. Imol. Dec. Crot. Ancbar. ab eo citatos. Quod si quis potest Monasterium expresse à successione excludere, vt bona in eius familia conseruentur, nec propterea dicitur aliquid attentare contra Ecclesiasticam libertatem, cur non licebit etiam Principi, cuius dominio & protectioni omnes familiæ status sui subiectæ sunt, ob bonum publicum, & commune, proque earum conseruatione lege generali prospicere, ne quæ bona stabilia per Laicos Monasteriis relinqui possint, ex quorum alienatione magna familiarum paupertas & vilitas consequatur; cum Princeps, qui & Pastoris populorum nomine nuncupatur, instar sit maximi cuiusdam, & prouidentissimi patrisfamilias, eiusq; Imperii vires eo maiores & firmiores reddantur ex singularum familiarum conseruatione? Constat autem, familias per diuitias conseruari, & valde Reip. interesse, quod in eis diuitiæ conseruentur. *l. 1. quamuis. ff. de ventre insp. §. 1. in Auth. vt sine quoquo suffragio.* cum per subditorum diuitias Respubl. defendantur, vt per Decian. *respons. 44. nu. 28. lib. 2. arg. text. in l. ad subeunda. C. de decur. lib. 10.* & per consequens non paruum detrimentum accipiant, si familiæ subditorum paupertate sordescant; facilime autem ad paupertatem & inopiam rediguntur ex stabilium alienatione, cum pecunia inde redacta consumptioni paratissima sit, iuxta vulgatum illud, pecuniam sine peculio rem fragilem esse, *l. si chorus. §. 1. D. de legat. 2.*

Septimo In hanc sententiam potissimum descendi ex eo, quod publicum & commune bonum priuatorum commodis est præferendum, ita vt liceat à minori bono recedere, vt maiori inseruiatur, arg. *tex. in l. 1. §. fin. C. de caduc. toll. l. vtilitas. C. de primipilo. lib. 12. l. actione. §. Labeo. ff. pro soc.* Bald. *in l. rescripta. C. de precib. Imp. offer. in l. quicunque. ad fin. C. de seru. fug.* & est receptissimum apud omnes tam Theologos, quam Canonistas, & Legistas. Arqui hæ prouisiones ordinatæ sunt ad publicum & commune bonum resultans ex eo, quod vires Imperii Serenissimi Principis & Reipublicæ conseruentur intactæ, & illibatæ, in aliquo non debilitatæ, nec imminutæ ad communem subditorum vtilitatem, atque felicitatem. Ergo non sunt censendæ contra Ecclesiasticam libertatem; cum nunquam dispositio possit damnari aut reprehendi tanquam Ecclesiasticæ libertati repugnans, quamuis per eam grauetur in aliquo persona Ecclesiastica, publica, & communi Reipubl. vtilitate hoc suadente, arg. tex. *in l. ad instructionem. C. de sacrosanct. Eccles. in §. sancimus. in Auth. de Ecclesiast. tit. in cap. aduersus. in c. peruenit. de immun. Eccles.* Et huc referri possunt plurima ex late per me deductis in secundo euidentali, quæ hic pro repetitis habeantur, & tanto minus hæ prouisiones, quæ pro fine propositum habent publicum & commune bonum, censeri debent repugnantes Ecclesiasticæ libertati, cum per eas directo non grauentur personæ Ecclesiasticæ, sed magis subditorum potestas in aliquo limitetur, quamuis per indirectum, & non ex principali intentione Serenissimi Principis legislatoris Ecclesia prohibita videatur acquirere. Quod autem ad publicum, & commune bonum sint ordinatæ, manifeste conuincitur ex ea consideratione, quod conseruari stabilia subditis pertinet ad rationem publici & communis boni, nempe vt fructus, qui ex stabilibus percipiuntur, deseruiant oneribus matrimonii supportandis, alendis & liberaliter liberis educandis. *l. de oneribus. C. de iur. dot. l. si quis à liberis. ff. de liberis agnos. l. penul. C. de alendis liberis* imo & nutriendis parentibus, quando sibiipsis superesse non possunt. *toto tit. de lib. agnosc.* Et quis non videat hæc omnia pertinere ad publicã vtilitatem: *l. 1. ff. solut. matrim.*

matrim. & est præclarus tex. *in l. fin. in §. ipsum autem filium. C. de bonis quæ liber.* vbi probibentur filii vendere proprietatem bonorum aduentitiorum, quoniam fructus debét deseruire parentibus iam ad inopiam redactis alēdis; tum etiam ipsorum filiorum causa, quibus expedit eorum iuueniles calores coerceri, ne alioqui voluptatibus indulgentes, facta stabilium alienatione tristem exitum sentiant, qui eos post dispensum matrimonium expectant; nimis enim lugubre esset cernere parentes ex alienatione stabilium ad paupertatem redactos squalere in sordibus paupertatis vna cum vxore, liberis, & parentibus, cum ex eorum conseruatione hæc incommoda euitentur; imo & eleemosynarum largitionibus ex redditibus bonorum faciendis possint pauperum inopiam subleuare. Sed & Principis interest bona stabilia subditis conseruari, quibus salui sint idonei publicis muneribus subeundis, *l. ad subeunda. C. de decur. lib. 10.* inhabiles autem reddantur ad paupertatem redacti ob stabilium alienationem, iuxta tex. notab. *l. cura. §. inopes, & in l. rescripto in prin. D. de mun. & honor.* Cum præterea Laicis stabilia possidentibus collectæ. & alia munera personalia tam ordinaria, quam extraordinaria imponi possint, quæ tamen Clerici prætendunt non posse imponi bonis à se possessis, Bartol. *in leg. 1. Cod. de mulier. & in quo loco, in l. rescript. § fin. de muner. & honor.* Curt. iun. *cons. 6.* Paul. de Castr. *in l. 1. C. sine censu vel reliq.* Alex. *consil 101. col. 3. vol. 1.* Dec. *cons. 315. col. 2.* Boer. *decis. 260. nu. 11.* Calder. *d. cons. 7. de constit. per text. in c. 1. de immun. Eccles. in 6 & in auth. item nulla communitas D. de Episc. & cler.* Ita vt facta per subditos alienatione stabilium vires Reip. & Imperii non parum debilitari, ac paulatim labefactari contingat, arg. tex. *in l. 3. §. præses. D. de mun. & honor.* ibi, *ne his oppressis, simul eorum vires, & viribus Respub. destituantur;* quasi vero, debilitatis viribus subditorum, consequens etiam sit, vt vires Reipub. pariter debilitentur, quas tamen conseruari integras & intactas respicit publicum & commune bonum, nempe conseruationem imperii, cuius oportet Principem valde sollicitum esse, argum texe. *in cap. 1. §. donare, aut pro anima iudicare. Qualiter olim feudum alienari poterat. & de prohibita alienatione feudi per Lothari. c. 1. in fi. principii,* ibi, *per quod Imperii minuatur vtilitas.* Confert quod tradit Oldrad *cons. 49.* concludens, Reges posse quidem facere donationes, dummodo per eas Regia Maiestas & dignitas non lædatur, & simile est, quod scriptum reliquerunt Specul. *in tit. de instrum. edit. in § nunc autem in fin.* & Bald. ibid. *in addit. ad eum in verbo, quod si Rex.* nempe, quod si per donationem Regis factam Ecclesiæ grauiter Imperium, vel Regnum lędatur, successor potest illam reuocare; quem refert & sequitur Rol. à Vall. *cons. 2. nu. 97. lib. 1.* Interest enim non modo Principis vires Imperii non minui, sed conseruari intactas, & illibatas, verum etiam pertinet hoc ad publicam securitatem omnium subditorum, cum, si vires Imperii sibi constent, facile Princeps eiusdem Imperii fines tueri possit, bonaque, & vitas subditorum ab incursionibus, & rapinis hostium intacta conseruare, eosdem procul arcendo & opprimendo; quod certe redundare potest in communē vtilitatem atq; securitatem personarum Ecclesiasticarum, & bonorum eorūdem intra territorium Principis existentium, vt certe non possit dici aliquid intentatum contra Ecclesiasticam libertatem per huiusmodi prouisiones. quæ finem propositum habent conseruationem Imperii, cum per eas magis foueatur Ecclesiastica libertas parta tam personis quam bonis Ecclesiasticis, tanto maiore securitate, quanto magis vires Imperii sibi constant. Qua ratione considerata Bald. *in c. licet extra de iud.* post Signor. de Homod. concludit statuta prohibentia alienationem stabilium in personas Ecclesiasticas esse iuridica, & non improbanda, nec censenda contra libertatem Ecclesiasticam, quasi vero condita pro securitate publici Territorii, & publicarum functionum, & ad eum finem, ne diminuantur Reip. vires, sentiens eas non parum debilitari posse ex frequenti alienatione stabilium in personas Ecclesiasticas, subductis bonis Laicorum à publicis functionibus, & ab oneribus extraordinariis quæ personis pro reb imponuntur; clerici tamen prætendūt, imponi non posse bonis à se possessis, subditis quibus imperari possit ad egestatem redactis, ita vt interdum ēr foro cedere post dissipatum matrimonium, aliasque sedes quærere cogantur, dum se vident ab aliis ciuibus neglectos, atq; despectos haberi, quamuis sint honestissimo loco nati.

Itaq; cum commune, & publicum bonū priuatorum commodis sit præferendum, maiorq; ratio illius habēda, quod magis commune sit; sequitur, prouisiones prædictas Sereniss. Principis iustissimas censeri debere, quæ magis cōmune & magis sublime bonum pro fine propositum habent, nempe bonū regimen status ipsius, conseruationē temporalis iurisdictionis pro incolumitate Imperii, quod à solo Omnipotente Deo, & à nullo mortalium agnoscunt, & subditorum omnium felicitatem. Cum quo bono, si conferatur illud, quod Ecclesiasticæ personæ prætendere possunt, ex eo quod non restringitur laicis alienatio stabilium in eorum personas, vix est, vt rationem boni habere videatur; &, quia maiori bono æquo animo cedere debent, quod etiam ad Clericorum commodum, & fauorem cedere possit, magna illis quoque parta securitate, ex eo, quod vires Imperii integre sibi constent, non debilitatæ, non diminutæ.

Ita vt per has prouisiones Princeps Sereniss. nihil, ne minimum quidem attigerit de bonis personarum Ecclesiasticarum, frenū tantum iniecerit bonis laicorum eius imperiu subiectorū, neq; id absolute, sed bonis tantum stabilibus, limitata paulisper potestate subditorum circa horum alienationem ex causa maioris boni, adhibito præterea temperamento vt alienatio nihilominus in personas Ecclesiasticas fieri possit, accedente Principis consensu & auctoritate, ita vt alienandi facultas non penitus interdicta fuerit, sed indulta sub certa forma intelligatur, quod ipsum tanto magis æquas reddit prouisiones prædictas, vt considerat Sign. de Homod. *cons. 1. n. 15.*

adhoc plura adducens;& non est dubitandum, quin Serenissima Resp. quæ hanc facultatem non semel indulsit post vltimam ab ea latam legem de anno 1605. non etiam in posterum eandem sit facile concessura, quæ singularis ipsius est benignitas in omnes, quoties & Christiana pietas,& opportunitas ipsa temporum & personarum id visa fuerit postulare.

Octauo non omitto, similia statuta alibi quoque vigere, vt in Regno Galliarum tradit Guliel. de Benedict. *in c. Raynutius.* in verbo, *& vxorem nomine Adelasiam. num. 44.* & in statu Mediolani, de quo extat præclarum responsum Signor. de Homod. *cons. 21.* qui etiam attestatur id obseruari in pluribus partibus Lombardiæ, imo fere per totam Lombardiam, creditur autem Doctori insigni asserenti extare consuetudinem in aliquo loco, vt per Dec. *cons 559. num. 6.* post Bart. *in l. de quibus. D. de legib.* vt certe non videatur vni Principi Venetiarum religiosissimo præ ceteris denegandum, tanquam illicitum,& contra libertatem Ecclesiasticam attentatum, quod pluribus aliis in locis tanquam licitum admittitur, vtpote ordinatum ad finem maioris boni, & ad publicam vtilitatem: Andr. Gail. *lib. 2. practicarum obseruat. obser. 32.* attestans de diuersis Germaniæ partibus: Bal. *cons. 174. lib. 5.* loquens de Ducatu Saxoniæ lege lata per Carolum Magnum, quibus & alii plures addi possent, quos ego silentio prætermitto, contentus vnica attestatione Ludouici Molinæ Theologi grauissimi, insigni præ cæteris & zelo religionis,& soliditate doctrinæ. Is enim *in prima parte Tract. de iust. & iur. disput. 140. vers. quia de iure huius Lusitaniæ Regni*, attestatur *lege prouisum esse in eo Regno, vt neque Ecclesia, neque Monasteria emere possint bona aliqua immobilia absque licentia Regis.* Subdens, quod. *si vel donatione, vel successione aliqua illis aduenmunt, tenentur illa alienare intra diem, & annum, nisi obtineant facultatem à Rege, vt illa sibi retineant: Id autem in dicto Regno, & ordinarie in aliis sanctum esse, ne paulatim plus iusto accrescant Ecclesiis tum immobilia bona, tum redditus Ecclesiarum & Monasteriorum, in detrimentum Laicorum; præsertim cum pleraque Monasteria iure hereditario quotidie loco suorum Religiosorum succedant in bona defunctorum.*

Libuit mihi singula verba huius Auctoris apponere, vt intelligi possit legem hanc Lusitaniæ Regni, si conferatur cum lege Serenissimi Principis Venetiarum, longe rigorosiorem esse, cum & iussio cogens ad alienandum, bona stabilia, quæ ad Ecclesias,& monasteria peruenerint donatione, aut ad illa iure successionis ab intestato fuerint deuoluta, in ipsas Ecclesias & Monasteria dirigatur, ita vt ipsismet Ecclesiis incumbat necessitas alienandi, & à se ablegandi stabilia etiam iure successionis ab intestato acquisita, vnius tantum anni, vniusque diei interposita mora. Lex autem Veneta verba dirigit in Laicos, prohibendo, ne bona stabilia in personas Ecclesiasticas transferre possint multiplici moderatione adhibita, nempe vt hoc facere possint de licentia Principis, iusto pretio personis Ecclesiasticis persoluto, ac deniq; lapso biennio, vt certe, quod licuit Regi statuere in vniuerso Lusitaniæ Regno, id etiam licere debuerit Serenissimo Principi Reipub. Venetæ in omni loco eius ditioni supposito, maiore præsertim adhibito temperamento. Sed ego non tanti facio huius viri attestationem, quanti rationem, qua legem hanc siue latam in Regno Lusitaniæ, siue in aliis partibus tanquam æquissimam commendat: ne scil. paulatim ex hac immoderata alienatione stabilium in personas Ecclesiasticas,& Monasteria, plus iusto accrescant Ecclesiis,& Monasteriis tum bona stabilia, tum redditus Ecclesiarum in Laicorum detrimentum, ita vt Clerici plus æquo abundent, Laici vero vilescant in sordibus paupertatis.

Quod si etiam auctoritatibus sit pugnandum, non desunt, qui stent pro validitate statuti prædicti,& intrepide tueantur, nihil per huiusmodi statutum factum contra Ecclesiasticã libertatem. Iacob. Butrig *in l. assiduis. C. qui potior. in pign. hab. & in Auth. Cassa. C. de sacrosan. Eccles.* Signorol. de Homod. post longam & accuratam disputationem *Bal. in d. c. Clerici de iud. in l. cunctos populos C. de summa Trinit. & fide Cathol. in cons. 11. inter Consilia Ancharan.* Ad quod etiam proxime videtur accedere Calder. *d. cons. 7 de const.* & , vt alios prætermittam, Ias. *in d. §. Diui.* qui quidem *in secunda lectura num. 13 ad fin numeri,* attestatur, hanc opinionem veriorem esse in puncto iuris, cum nitatur solidis fundamentis, qui etiam *in prima lectura, sub num. 81.* ad tex. *in c. fin de immun. Eccles. in 6.* in quo potissimum ius fieri videtur in fauorem Ecclesiæ, respondet tex. illum loqui in casu, quo statutum prohibet quamcunque bonorum venditionem, & omnino commercium inter Laicos,& Ecclesiam, secus esse quando prohibet Laicis solum venditionem stabilium, eorumque translationem in Ecclesiam. Addo Opizonem *in d. §. Diui. nu. 105.* Alber. *in 2. parte statut. q. 2. nu. 33.* Tota vis est in tollendis his, quæ in contrarium afferebantur.

Ad primum igitur obiectum, supposito, quod vere fieri dicatur contra libertatem Ecclesiasticam, si auferatur Ecclesię, quod ei concessum est priuilegiis Imperatorum, aut quod ei competit iure communi, respondetur, nihil tamen per huiusmodi prouisiones contra libertatem Ecclesiasticam attentatum, quod infringat priuilegia per Imperatores eis concessa, aut quæ competunt ei de iure communi. Nam, quod attinet ad priuilegia, de quib. *in d. l. prima. in l. illud, & in l. vt inter diuinum. C. de sacrosan. Eccl.* apparet clara responsio: lex enim proxima, quæ fuit Constantini Magni, *C. de sacrosan. Eccl.* nihil concessit in priuilegium Ecclesiis, cum statuit posse vnumquemque, quod voluerit ipsis libere relinquere. Id autem facile colligitur ex ratione, quam subiicit, dicens nihil esse, quod magis hominibus debeatur, quam, vt supremæ voluntatis libera sit dispositio,& ita innuat hoc non in priuilegium fuisse concessum Ecclesiæ, cum cuicunq; etiam priuato, dummodo capaci, possit quis testamento relinquere, illud solum præstitit Constantinus: remouit enim obstaculum quod ante erat impedimento, ne quid Collegio Christianorum valide re-

linqui posset, cum collegiis illicitis nihil relinqui possit; Collegium autem Christianorum ante fidem Christi susceptam reputabant Imperatores sectam quandam superstitiosorum hominum, vt animaduertit Bal. *in d. l. 1. nu. 13.* Per legem autem illam validitatem tribuit Iustinianus donationi collatæ in Ecclesiam, etiamsi insinuatione careat: nam quod attinet ad donationem, quæ per Laicos fit Ecclesiis, nihil ea lege tribuitur in priuilegium; cum ante illam quoque legem posset quilibet arbitrio suo donare Ecclesiis, prout etiam cuilibet priuato, solum priuilegium in eo consistit, vt donatio valeat, quamuis insinuatione carens: contra quod priuilegium nihil per huiusmodi prouisiones dicitur attentatum, cum ne verbum quidem vllum in eis de insinuatione prædicta. Similiter dicendum de priuilegio *l. vt inter diuinum*: nempe, quod ex alienatione facta in Ecclesiam dominiũ absq; traditione transferatur; nam & hic duo consideranda sunt, causa propter quam transit dominium, nempe venditionis, donationis, legati & hoc modo considerando nihil dicitur in priuilegium concessum Ecclesiis, quod etiam cuilibet nõ competeret; alterũ vero est, quod dominium absq; traditione transferatur, & hoc vere dicitur concessum Ecclesiis in priuilegium, quam dominii translationem hoc modo priuilegiatam prouisiones prædictæ non impediunt. Quo vero ad ea, quæ competunt iure communi, nempe posse capere ex testamento, acquirere ex donatione & venditione, respondetur in genere loquendo, si quid horũ auferatur Ecclesiæ, lędi quidẽ ecclesiasticam libertatem, sed insuper etiam aliud requiri, vt hoc mala intentione fiat, nempe animo præiudicandi Ecclesiis; secus si sub ratione communis & publici boni pro conseruandis iurib. Imperii, quod etiam in vtilitatem Clericorũ redundare potest, & pro felicitate subditorum, quos locupletes conseruari & ipsorum, & Reip. plurimum interest.

Secundo respondetur non absolute prohiberi subditis alienationem in Ecclesias, sed cum triplici modificatione, primo quoad stabilia tantum, secundo vt non vltra biennium Ecclesia retinere possit; tertio, vt eadem etiam perpetuo possit retinere accedente Principis licentia, ita vt Ecclesia capere possit ex cuiuslibet alienatione, testamento, venditione, aut alia quacunque causa seruatis conditionibus prædictis, ita vt vltra biennium capere non possit, lege resistente, nisi id indulgeat Principis benignitas, refuso præterea pretio, & iusta æstimatione bonorum stabilium, ita vt parua censenda sit iactura, quam facerent personæ Ecclesiasticæ, ex eo, quod potestas Laicis fuerit limitata, maximum vero lucrum, quod faciat Respublica si bona stabilia inter laicos conseruentur ad finem publici & communis boni; nam quoties prohibitio alienationis & disponendi super propriis bonis non est perpetua, simplex & absoluta, sed limitata, qualificata, & sub certa forma, tanto magis iusta redditur, eius rigore temperato, vt per Signor. *d. cons. 21. n. 25* per plura iura, quæ ad propositum adducit. Tertio responderi potest, posse præiudicari Ecclesiis respectu bonorum quærendorum ex causa communis & publici boni, vt latius in sexto fundamento deductum fuit.

Secundum obiectũ non obstat. Nam tex. *in d. c. Eccl. S. Mar.* & quod ibi notãt Scribentes, procedit, quoniam ibi Laici volebant statuere de reb. iam acquisitis Ecclesiæ prohibendo ipsarum alienationẽ, quod etsi fauorabile sit Ecclesiis, non tamẽ validũ est, quoniam bona Ecclesiarum ab eorum iurisdictione penitus sunt exempta, & ita statutũ ibi quamuis Ecclesiæ fauorabile reprobatur, tanquã mittens falcem in messem alienam, prout respondet Sign. *d. con. 21. sub n. 26. ver. his præmissis.* vltra quod etiam statuta Laicorum honesta & rationabilia, etiam quoad Clericos valent pluribus casib. quorum quinq; enumerat Fel. *d. c. Eccl. S. Mariæ, sub n. 81. v. primus casus, vsq; ad n. 85.* Respondetur secundo, in casu proposito non posse dici nullas huiusmodi prouisiones ex defectu potestatis Laicorũ in Clericos & eorũ bona, cum dispositiones ipsæ dirigantur ad Laicos Principi temporali subiectos, & fiant super bonis mere Laicalibus, & quãuis per indirectũ aliquod inde præiudicium Clericis generetur, tamen non videtur habendum in consideratione, vt ante dixi, cum non veniat ex prima intentione statuentium, quæ non alia fuit, quam publici & cõmuni vtilitati consulere, non autẽ Ecclesiam in aliquo lædere: nec inde argui potest defectus potentiæ in statuentib. quidquid secundũ aliquos argueretur, si quid directe in personas Eccl. aut super eorũ bonis statueretur, quod tamen perpetuum non esset, nec indistincte, aut absolute procederet.

Ad vltimum respondetur, quod, etsi mentio personarum Ecclesiasticarum expresse facta fuerit, in quas Laici bona stabilia alienare prohibeantur, non ideo tamẽ minus prouisiones prædictæ validæ cẽseri debent, quasi factæ in odium Clericorum, & similium personarũ, atq; ita nocendi animo. Quia sicut per statuta singularia singularum Ciuitatum huius Serenissimi Domini, & aliorum multorum locorum prouisum est, ne bona stabilia in non subditos quouis titulo transferri possint intuitu maioris boni, & conseruandis cuiusque Reipublicæ viribus, quidquid dici possit, vtrum huiusmodi statutis personæ Ecclesiasticæ comprehendantur, prout comprehendi visum fuit & Crotto & Ferdinando Loazes *in d. §. Diui.* & Feder. de Senis, & Card. Zabarell. & Barbatiæ, & Signorol. ante per me citatis: Ita ob eandem rationem communis & publici boni multo magis licuit Serenissimo Principi prohibere, ne stabilia à Laicis in personas Ecclesiasticas transferantur, cum ex frequenti translatione stabilium in Ecclesias non minus eneruentur imperii vires, quam minuantur cuiusq; Reip. vires, si bona stabilia in extraneos & forenses transferantur. Et sicut lex prohibens stabilium alienationem in certum genus hominum, vel vti in Iudices, officiales & similes, iustissima iudicatur ob maius periculũ, quod subditis imminere potest, ne bonis suis spolientur, & ad paupertatẽ redigantur, si in hos etiam, in quib. maior est auctori-

auctoritas & pecuniarum copia, alienatio permittatur, *l. princ. D. si cert. petat. l. non licet, l. officit. D. de contrahen. empt. l. vnica. C. de contract. Iud.* ita in proposito dici posse videtur, quod, cum & Monasteria opulentissima reperiantur, quibus, *vt est maxima diuitiarum copia, ita possessionis eorum vix vllus est finis* (licet enim mihi vti verbis Baruch Prophetiæ *ca. 3.*) eo facilius sequi potest, nisi opportune prouideatur, vt Laici bonis stabilibus exinaniantur cum graui ipsorum iactura, & in diminutionem non paruam virium Reipubl. quemadmodum considerat Signorol. de Homod. *d. cons. 21. nu. 23.*

Denique dico, non esse præsumendum in tam religioso Principe malum animi affectum erga personas Ecclesiasticas, arg. *l. merito. D. pro socio.* vt in casu non absimili in hac ipsa materia tradit Calder. *d. cons. 17. de constit.* tum etiam multo magis, quia clare constat, qua intentione motus fuerit Princeps ad has prouisiones faciendas, nempe ad finem publici & communis boni pro conseruandis viribus imperii, & euitando damno, quod ex frequenti stabilium in personas Ecclesiasticas alienatione incurrere potest, vt clare demonstrat prouisio facta de anno 1258. ponderando illa verba, *nisi salua ratione communis*, & altera de anno 1536. ex proœmio elicita, quatenus ibi dicitur, *& essendo da prouedersi, come richiede vna cosi emportante materia per l' interesse publico:* ex proœmio enim elicitur causa finalis dispositionis, Bart. *in l. 1. in principio. D. ad Macedon.* Bal. *in l. vt liberos, C. de collat.* & finalis intentio est, quæ regit omnes dispositiones, vt per Bal. *in l. generaliter. in secunda opp. C. de instit. & substit.* Cum ergo clare constet de intentione Serenissimi Principis ad eum finem ordinata, vt per has prouisiones consuleret publicæ vtilitati, & ad euitandum damnum, quod facile incurrere posset ob frequentem stabilium in personas Ecclesiasticas translationem, cessat omnis maleuoli animi suspicio. Cumque vltima prouisio de anno 1605. per quam prouisiones antea factæ extenduntur ad omnia loca Dominio Serenissimi Principis subiecta, ad illas expressam habeat relationem; sequitur, rationes in illis expressas, in ea quoque pro repetitis habendas esse, ex vulgata regula, quod relatum sit in referente cum omnibus qualitatibus suis; *Auth. si quis in aliquo. C. de edend.* cum vulgarib. Non omitto etiam notabilem distinctionem, quã in hac materia tradidit Signorol. *d. cons. 21. nu. 25.* Aut enim constat de malo animo statuentium in condendis huiusmodi statutis, vt obsequia Ecclesiæ denegentur, quo casu statuta sunt iniqua censenda, & contra libertatem Ecclesiasticam. Aut constat de intentione eorum, qui has prouisiones fecerunt, vt sibi ipsis propria territoria conseruentur, & ne vires Reipubl. labefactentur, & cesset omnino scrupulus maleuoli animi. Aut vero dubitatur, qua intentione moti fuerint ad ita statuendum, quo casu non sufficit, expressam factam fuisse mentionem personarum Ecclesiasticarum ad hoc, vt malo animo statuisse intelligantur, nisi & alterum concurrat, nempe quod eis omnia commercia cum Laicis voluerit prohibere, & necessaria humano victui subducere, prohibendo generaliter, ne quis ab eis quidquam emat, ne quis aliquid eis vendat, ne panem coquat, ne granum molat, in quem sensum intelligendum esse text. *in d. c. fin. de immunit. Eccles. in 6.* testatur Iason *dicto § Diui, num. 81. in prima lectura,* Dec. *in d. c. Ecclesia Sancta Maria.* fere ad finem.

Itaque sublatis omnibus, quæ in oppositum afferebantur, existimo ego, prouisiones prædictas tanquam rationabiles & minime lædentes Ecclesiasticam libertatem optimo iure subsistere, cum non attingant vllo pacto bona Ecclesiarum, sed Laicis tantum subditis frenum imponant, seu verius limitent potestatem ipsorum circa alienationem stabilium ex causa publici & communis boni, neq; id absolute, sed magno adhibito temperamento, vt non vltra biennium, nec sine licentia Principis alienare possint, quod eo magis dicendum est, cum prouisio facta de anno 1605. per quam extenduntur prouisiones antiquæ ad omnia loca subiecta serenissimo Dominio, vere sequela sit præcedentium antiquarum prouisionum, quæ longissimo tempore obseruatæ fuerunt, nemine vnquam contradicente; & ratio est manifesta, quia statutum in capite in membris quoque virtualiter intelligitur esse statutum, cum non deceat membra à capite dissidere, aut alio iure censeri.

CAPVT II.

TRANSEO ad secundum propositæ consultationis caput; vtrum valida sit prouisio facta de anno 1537. 21. Martii, postea vero renouata de ann. 1561. 27. Octob. qua cautũ est, ne quis audeat Ecclesias vllas fundare, aut ædificare Ecclesiastica Monasteria, Hospitalia, & religiosas domos extruere, aut alia loca, in quib. personæ aliquæ, cuiuscunq; generis existant, conuenire possint; & si quid horum extructum fuerit; inconsulto Serenissimo Principe, & absq; licentia maioris Consilii, graues pœnæ imponuntur, tum demolitionis ædificiorũ, tũ banni perpetui illius, qui aliquid huiusmodi præsumpserit, & vt Laicus in Decretis, seu prouisionibus prædictis.

Videretur enim prima facie dicendum, per has prouisiones violatam esse auctoritatẽ Apostolicæ Sedis, eiusq; iurisdictionem contemptam, & factum contra Ecclesiasticam libertatẽ, cum neq; Ecclesiæ, neq; Ecclesiastica Monasteria subiaceant temporali iurisdictioni Iudicis Laici, & iniquum videretur eos pœna mulctatos esse, qui magis debuissent præmiis allici, & inuitari ad hæc opera pietatis, cum Princeps Secularis nihil de rebus, vel negotiis Ecclesiasticis statuere possit. *d. c. bene quidem 96. dist. c. vlt. de reb. eccles. non alienan.* Hospitalia vero, Ecclesiæ, Monasteria res Ecclesiasticæ dicantur, Card. Zabar. *in c. quia contingit. de relig. domib.* curaque Ecclesiarum Episcopis incumbat. *c. quicunque. 16. q. 1.*

ficandi, & noua Monasteria construendi, si id tranquillo statui Reip. viderit expedire pro diuersitate temporum, & personarum, prout apertissime tot Monasteria, & Ecclesiæ, tot Hospitalia, tot religiosæ domus quæ non modo in Ciuitate Venetiarum: sed etiam in vniuerso dominio testantur mira arte extructa, splendidissima summuq; ornatu insignia, cum quibus vix vlla in vniuerso orbe sint conferenda; quæ sane res maximam Principis pietatem, & in diuinum cultum obseruantiam demonstrat. Præterea, cum pertineat etiam ad curam pii & religiosi Principis Secularis Ecclesias fortasse vetustate labentes, aut alia de causa contritas, atque rescissas restaurare, necnon & nouas ædificare: qua in re Principis pietas per Sacros Canones plurimum commendatur *c. vlt. 96. dist. & c. administratores. 23. q. 5.* Fuit etiam rationi & officio Principis consentaneum prouidere, ne Ecclesiæ absque ipsius licentia extruerentur. Denique & illud addo, quod si quilibet priuatus potest pro ratione dominii particularis prohibere, ne prædium aliquod ipsius religiosum aut Sacrum absque eius licentia efficiatur, *l. 2. §. 1. & §. si vsumfructum. D. de relig. & sump. fun. l. Sacra. §. 1. D. de rerum diuis.* multo maiore ratione Principi prospicere licet, ne ipso inconsulto in loco aliquo eius ditioni subiecto extruantur Ecclesiæ, cum negari non possit, quin ipse Princeps sit dominus Territorii, & bonorum intra Territorium existentium, arg. *d. l. deprecatio. D. ad l. Rhod. de iactu. & in c. quo iure. di. 8.* taleque dominium retinet etiam iam constructis Ecclesiis, in tantum; vt etiam homicidium intra Ecclesiam commissum à Principe Seculari puniri possit, tanquam à Domino loci, in quo extat Ecclesia, ad trad. per Bald. *in l. si quis in hoc genus. nu. 2.* & ibid. Castr. *nu. 3. C. de Episcop. & Cler.* Abb. *in c. cum sit generale. num. 23. de for. compet.* Clar. *in sua Praxi Criminali. q. 38. vers. vidi etiam.*

CAPVT III.

SVPERAST tertium & vltimum consultationis caput absoluendum, circa duos Clericos adhuc in carcere detentos, in quos Serenissi. Princeps prætendit sibi ius esse animaduertendi ob varia & enormia delicta per eos commissa. Nam contrarium videretur dicendum, stante conclusione communiter recepta, quod Iudex Secularis nullo modo potest prætextu alicuius delicti procedere contra Clericum, aut Religiosum, iuxta tex. *in c. cum non ab homine. extra de Iudic.* quod sane videtur eis concessum in priuilegium iure diuino, vt explicant Dominic. Sot. *de iust. & iur. in 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 2.* Card. Bellar. *de exemptione Clericorum. c. 3.* ita vt hoc priuilegium, quod Clerici exempti sint à potestate Iudicis Laici, vt ab eo iudicari non possint, maxime vero in criminalib. videatur eis iure diuino, nedum humano concessum, vt de communi testatur Alciar. *in d. c. cum non ab homine. n. 2.* Didac. *pract. q. 31.* Clar. in sua *praxi Criminali q. 36. in princ.*

Quia conclusione stante, inferri posse videtur, non valere consuetudinem, quod in causis criminalibus Clerici conueniantur coram Iudice Laico, prout de communi pariter testatur *Didac. q. 31. num. 5.*

Hoc tamen non obstante, & supposito, quod delicta, pro quibus dicti Clerici carceri mancipati detinentur, grauia sint, & enormia (nec enim delictorum qualitas mihi exposita fuit) in eam sententiam alacri animo descendo, quod Serenissimus Princeps de his supplicium sumere, & in eos animaduertere possit pro modo culpæ commissæ; & hoc virtute priuilegiorum à Sede Apostolica sæpius indultorum.

Antea quidem ex priuilegio Sixti IV. licebat Principi vindictam sumere, & vlcisci crimina læsæ Maiestatis, monetæque adulteratæ, quod etiam circumscripto quolibet priuilegio videtur vsu receptum, vt testatur Clar. *d. q. 36. vers. quæro, nunquid Clericus committens crimen læsæ Maiestatis,* qui etiam extendit id ad Clericum imputatum de crimine assassinii, *vers. Item quæro, vtrum Clericus imputatus de assassinio*; necnon ad Clericum, quem vere constat incorrigibilem esse. *vers. successiue quæro.* vbi de communi testatur post Didac. *pract. q. 33. n. 7.*

Verum, quia non credo ego prædictos Clericos pro aliquo dictorum trium criminum detineri, quo casu res expeditissima esset, & omni prorsus difficultate careret, stante indulto Apostolico Sixti IV. cuius mentionē facit etiam Innoc. VIII. Idcirco dico adhuc ius esse Ser. Principi puniendi eos, quamuis pro alio delicto, quod non sit ex genere dictorum, detineantur; dummodo delicta, pro quib. detinentur, grauia sint, stante priuilegio eiusdem Innoc. quod priuilegium cōcessum occasione illorum duorum criminum extendit ad alia quoque grauia delicta, adiecta ratione, quæ mouit eum, nempe vt iustitia locum habeat, & se quisque intra honestatis fines & terminos cōtineat, quasi significare velit, se pro grauib. delictis illa habere, per quæ honestatis ratio violetur, & alicuius existimatio, & honor grauiter offendatur, nam, qui circa honorē periclitatur, dicitur de vita periclitari *l. iusta. iuncta gl. D. de manumiss. in §. suspectus. in verb. ob culp. Inst. de suspect. tut.* Vnde, si quis forte dictorū carceratorum atrocem iniuriam pudicæ mulieri, & honesto loco natæ intulisset, eiusque pudicitiam petulanter attentasset, comprehensus dici posset hoc Innocentii VIII. indulto, vt in eum per Iudicem Secularem animaduerti possit.

Præterea considero verba, quibus profitetur se velle extendere priuilegia Pontificum prædecessorum, qui ea ad duo tantum delicta restrinxerunt, ad alia quoque grauia delicta, neque hoc contentus subiecit, vt præsens esse possit in casibus furti, & latrocinii, subdens & in aliis grauibus & atrocibus facinoribus, vsus geminatione illorum verborum, & in aliis grauibus delictis, quæ

geminatio magis enixam voluntatem ostendit, vulgata l. Balista. D. ad Trebell. Bart. in l. scimus. C. de agric. & censit. lib. 10. plurimumque operatur, præsertim in rescriptis, vt tradit Felin in c. si quando. num 31. de rescript. quasi aperte significare visus sit se eius omnino intentionis esse, vt quæcunque delicta Clericis obiciuntur, dummodo grauia dici possint, ea per Iudicem Laicum cognosci, & pœna dabita puniri possint, ita vt talia verba geminata media excipiant illa, quæ exempli gratia dicta fuerunt in casibus furti, & latrocinii, ex quo inferri potest, quod, si crimina his Clericis obiecta non minora sint crimine furti, illa quoque indulto comprehensa intelligantur, cum exempla non restringant regulam, sed declarent. l. 1 § Labeo, D. de aqua quotid. & astiu. l. damni infecti. in pr. D. de damn. inf. Paris. cons 55. num. 32. lib. 4. vbi, quod non excludatur, casus similis, idem Paris. consil. 158 num. 15. d. volum. ponderando maxime vim dictionis, aliis, quæ ex propria vi includit necessario diuersa à iam expressis, Socin. consil. 300. colum. 4. libr. 2. Paris. cons 92. num. 5. lib. 1. & expressis similia c. Sedes Apostolica de rescript. l. si fugitiui. C. de seru. fugit. Paris. consil. 29. num 77. lib. 2. ita vt vi istiua dictionis vltra expressa, similia expressis includantur, iuxta trad. per gloss. & Doctor. in Auth ex testamento C. de collat. & d. l. si fugitiui. Bald. in l. conuenticula. C. de Episcop. & Cleric. multoque magis ergo includuntur maiora expressis. Circa quod possem ego fortasse late digredi, si delictorum qualitas mihi expressa fuisset, conferendo crimina dictis Clericis obiecta cum crimine furti, cuius in priuilegio Innocentii VII. est facta mentio.

Secundo, plurimum huic conclusioni deseruit priuilegium Pauli III. quod adeo amplum est, vt vix vlli dubitationi locus relinquatur. Is enim, supposita atrocitate, seu grauitate criminum per Clericos commissorum, & supposita etiam quasi possessione procedendi, condemnandi, & puniendi Clericos de atrocib. delictis culpabiles repertos, in qua Serenissima Veneta Respub. ab immemorabili tempore citra existit, mandat Vicario Illustrissimi Patriarchæ, & aliis Iudicibus Ecclesiasticis, vt omnino debeant interesse examini, & processui, qui super dictis criminibus per Clericos commissis per Iudices Laicos formatur, quoties, & quando ab ipsis Iudicibus Secularibus fuerint requisiti, districte etiam sub excommunicationis pœna eisdem prohibendo, ne Iudices Seculares contra consuetudinem huiusmodi immemorabilem audeant impedire, rationemque istius priuilegii eam affert, ne, si tollatur Iudicibus Secularibus facultas animaduertendi in Clericos facinorosos, foueatur audacia delinquentium, ita vt nihil non audeant freti delictorum impunitate. Nam, vt etiam animaduertit Dominicus Sotus in 4. sentent. dist. 25. quæst. 2. artic. 2. ad finem, nihil magis causam præbuit violandi priuilegium exemptionis concessum personis Ecclesiasticis, quam negligentia Prælatorum, qui aut multa relinquunt crimina Clericorum, aut ea leuissime, nimiumque remisse puniunt. Commendatque Paulus III. consuetudinem Reip. Venetæ tanquam laudabilem, per quam Clericorum temeritas compescatur, cũ Clerici videant, se per Iudices seculares pro modo admissi criminis puniri. Addit & aliam rationem, qua se motum asserit ad tale priuilegium concedendum, nempe ad euitanda scandala, & perturbationem Reipublicæ, quæ ex impunitate prædicta consequuntur, cum scandalum ruinæ præbeat occasionem, vt per D. Thom. 2. 2. q. 43. & in 4. parte sententiarum. distinct. 38. q. 2. Hostiensis in Summa de pœniten. & remiss. §. penult. vers. est autem scandalum; multa autem permittuntur ob sedanda scandala, & vt eorum occasio tollatur, capit. quoniam. de iure patronat. Oldrad. cons. 96. column. penult. & per plura concludit Dec. cons. 151. nu. 6. prout etiam pro conseruanda Reip. tranquillitate, quæ per scelestos homines plurimum perturbatur, multa admittenda sunt, quæ alias non admitterentur, c. 2. de desponś. impuber. & ibidem post gl. Abb.

Tertio & vltimo, supposita hac immemorabili consuetudine Reipu. Venetæ, animaduertendi scilicet in Clericos facinorosos, & quasi possessione, in qua tandiu reperitur, infertur, eandem consuetudinem habere vim priuilegii, & iusti tituli, tradit Dec. cons. 585. arg. tex. in l. hoc iure. §. haustus aquæ. D. de aqua quotid & æstiu. cum aliis pluribus per eum allegatis. Socin. Iun. cons. 156. nu. 100. cons. 181. nu. 59. lib. 2. semperque censetur rationabilis, vt per Abb. cons. 7 col. pen. & cons. 26. col. 2. in 2. vol. habetque pro se præsumptionem iuris, & de iure, quod omnia interuenerint ad eam legitime inducendam necessaria. Butr. in c peruenit. de censibus, quem refert Felin. in c. cum nobis, col. 3. extra de testib. Rubeus Alexandrinus cons. 13. num. 6 Crauet. cons. 21. num. 12 vol. 1. Et hoc ipsum aperte significauit Paul. III. Pontifex Max. in supradicto priuilegio in illis verbis, vt quod circa hoc tanti temporis spacio fuit obseruatum, quod non nisi Canonicum principium habuisse præsumitur; quasi vero non possit non præsumi, quod consuetudo tanto tempore obseruata, tam diuturna per actus tam varios, namque frequentes continuata, non processerit de scientia Summi pro tempore Pontificis mediante saltem scientia reuerendissimorum pro tempore Nunciorum Apostolicæ Sedis. Id enim sufficere, vt inducta reducatur, sciente supremo Principe, licet non probetur in specie Principem id sciuisse, docet Bar. in l. 1. §. denique. ff. de aqua plu. arc. Ab. post alios in c. cum contingat. col 4. de foro competen. in c. quæ in Ecclesiarum. de constitut. Alexan. cons. 6. nu 3. libr. 1. cons. 24. col 3. vol. 5. Aretin. consil. 154. Iacobin. de Sanctu Georgio in sua summa feudali. in ver. cum mero & mixto imperio, & de communi testatur Bal in tract. præscript. in 2. parte 3. q principalis. q. 4. late Cra. de antiq. tempor. 4. parte incip. absolutu. q. 7. n. 123 cum seq. quod eo magis affirmandum est, cum ad ipsorũ Nunciorũ officium spectet inquirere diligenter & inuigilare, ne quid minimum attentetur in præiudiciũ auctoritatis Apostolicæ Sedis, & contra Ecclesiasticã libertatem. Quod argumentũ tanto alacriori animo à me deductũ fuit, cum viderim ita argumentatum in prædicto priuilegio Paulum III.

atque

atque ideo iustissimum existimasse, non debere talem consuetudinem infringi, magis vero foueri, & inuiolabilem conseruari.

Non obstant adducta in contrarium. Ad primum respondetur, assumptum illud, quod Clerici iure diuino sint exempti à potestate Iudicis secularis, nõ transire sinè difficultate, & controuersia, cum plures contrariam sententiam sequuti fuerint, existimantes, exemptionem hanc non de iure diuino, sed humano inductam esse, quam late præ cæteris defendit Couar. *pract. qu. c.31.* pluribus fundamentis contraria refellendo *sub nu. 2. vers. contraria opinio.* multosque eo in loco commemorat istius conclusionis assertores, à qua nec dissentire videtur Ludouicus Molina *part. 1. disput. 31. vers. 3. conclusio. & vers. secunda vero pars conclusionis.* & Illustriss. Cardinal. Bellarmin. *de Clericis lib. 1. c. 23. vers. quinta propositio.*

Verum quod attinet ad propositum nostrum, vtrum exempti sint à potestate Iudicis secularis, quoad punitionem delictorum, illa distinctio videtur adhibenda, quam adhibet post alios idem Conarr. *d. c. 31. vers. prima conclusio. & vers. secunda conclusio.* vt si quidem agatur de criminibus Ecclesiasticis, commissis scilicet circa spiritualia, exempti dicantur à potestate Iudicis secularis iure diuino, quod si agatur de criminibus non Ecclesiasticis, sed his scilicet, quæ spiritualia non attingunt, exempti quidem sint à potestate Iudicis secularis, non tamen iure diuino, sed humano. Ad tex. *in d. c. cum non ab homine. de iudic.* responderi potest, textum illum procedere, nisi extet immemorabilis & legitime præscripta consuetudo, vel, si nullum extet priuilegium indultum ab Apostolica Sede Principi seculari. Nec enim dubium est, quin summus Pontifex possit in certis casibus derogare priuilegio fori. *c. lector. 34. distinct. c. verum de foro competent. c. Romana. §. debet. de appellat. in 6.* tradunt omnes in *c. decernimus. de iudic.* pulchre Card. Zabarell *in c. perpendimus. de sentent. excomm.* concludens in fine; quod sicut Papa potest vnum Clericum subiicere iurisdictioni Iudicis Laici, ita potest omnes Clericos in certis casibus subiicere vni Principi seculari, vt in eos repertos culpabiles animaduertere possit. Et sicut interdum potest causas, quamuis spirituales, Laicis delegare, ita potest laicis priuilegium indulgere, vt in certis criminibus contra clericos procedere, & eosdem punire possint.

Ad secundum respondetur, non valere consuetudinem, per quam generaliter Clerici pro quibuscunque criminibus subiiciantur foro iudicis secularis, valere tamen consuetudinem particularem, quod in quibusdam casibus subiiciantur, vt declarat Clar. *d. q. 36. vers. sed ea retenta.*

Secundo respondetur, talem consuetudinem reprobari, si neque præsumptione constet, quod habuerit canonicum initium, secus si canonicum initium habuisse præsumatur, prout de consuetudine hac Venetæ Reipubl. testatur Paul. III. in suo priuilegio.

His ego rationibus existimaui, conclusiones à me supra firmatas in singulis capitibus propositæ mihi consultationis optimo iure subsistere, & verissimas esse, salua tamen, &c.

Ioachimus Scaynus inter primarios Patauini Gymnasii Professores vespere Iuris Ciuilis ordinarius Interpres propria manu subscripsi, solitoque sigillo subsignaui.

Locus Sigill.

Redditum fuit à me responsum die 15. Februarii 1606.

Mandato Magnifici & Excellentissimi Iur. Vtr. Doctoris, D. Roberti Placiola, Sacri Collegii Clarissimorum I. V. D. Magnifica Ciuit. Paduæ V. Prioris, & seniorum dignissimi, pro executione partis Capta in dicto Sacro Collegio sub die 27. Mensis Augusti proxime euolutum vltra scripta tria Consilia seu Responsa, per Clarissimos DD. vt supra consulentes edita, & eorum manu subscripta, & Sigillis munita, prius in eodem Sacro Collegio lecta, & maturo discussa, Ludouicus Merius Notarius Collegiatus Paduæ, eiusdemq; Sacri Collegii Cancellarius, nomine ipsius Sacri Collegii in fidem subscripsit, ac Sigillo maiori eiusdem Collegii roborauit ad laudem Summi Dei Trini, & Vnius, &c.

Dat. Paduæ die secundo Mensis Septembr. 1606.

Locus Sigilli maioris prædicti.

Anno 1606.



RESPONSIO
DOCTORIS CVIVSDAM THEOLOGI,

Ad literas quasdam à Reuerendo quodam eius amico ipsi scriptas;

Super censuris, seu excommunicatione Pauli Quinti, Pontificis Romani publicatis,

CONTRA

SERENISS. REMP. VENETAM;

Et super nullitate dictarum censurarum, seu excommunicationis,

Excerpta ex sacra Scriptura, sanctis Patribus, & aliis Doctoribus Catholicis.

*In qua octo illæ Propositiones continentur, quarum nomine * Ioannes Marsilius Presbyter Neapolitanus, S. Theologiæ Doctor, à generalibus Inquisitoribus Romam citatus est.*

* Qui etiã auctor est harũ Propositionum



LITERAS tuas, Reuerende Domine, legi, & magnopere miratus sum, quod quum alias, quę apud vos noua occurrunt, primus mihi communicare soleas, maxime vbi quid offertur, in quo iudicium meum exquiras, hoc presertim tempore, quo in ciuitate vestra tantæ oriuntur diffamationes in tam arduis negotiis, quæ tanti sunt momenti, vltimus extiteris eorum, qui me de istis rebus fecerint certiorem. Et tamen non dubitas, tanta animi sollicitudine quærere ex me, quid sentiam de literis Pontificis publicatis contra Rempublicam, & de Protestationibus à Republica factis, super nullitate & inualiditate earum, ad defendendum se & sustinendum rationes partis suæ.

Ego quanquam videbar mihi prospicere causam huius tarditatis tuæ, quam tribuebam difficultati materiæ, licet certo mihi persuadere non poteram, quis scrupulus turbaret animum tuum: tamen, vt tibi gratificer, excusabo te, propter extraordinarias occupationes tuas, quas allegas. Et, quum tibi omnia, quæ placent, vti soleo, præstare constituerim, spero etiam me illico, vt petis, satisfacturum desiderio tuo, præsertim quum me, per exactissimam considerationem, in quam hisce diebus exquisito studio propositam materiam deduxi, præparauerim.

Dico igitur, (si bene adsequutus sum mentem tuam) quod scire ex me cupias: An censuræ publicatæ per sanctiss. Dn. nostrum Papam Paulum V. contra Venetos Dominos vestros sint inualidæ ac nullæ, quales publico scripto ipsorum declarantur? Et si sunt nullæ; an possis in Ecclesia tua pergere celebrando & administrando sanctissima Sacramenta, & exercendo omnia illa sacra & diuina ministeria, quæ exercebas ante publicationem dictarum censurarum, citra vllum aliquem conscientiæ scrupulum?

Quamobrem, vt ordine ac perspicue ad hæc quæsita tua respondeam, complectar omne id, quod in proposita materia dici potest, octo propositionibus iuxta consuetudinem Theologorum, quorum doctrina, vti aliena debet esse ab omni spe lucri & adulatione; ita fundari debet in sacra & diuina Scriptura, in sententiis & expositionibus sanctorum Patrum, vt ita sapiat omnipotentem vim veritatis & rationis, nemoque sit, qui (nisi extreme proteruus esse velit) contradicere audeat.

PROPOSITIO PRIMA.

POTESTAS, *quam habent Principes seculares, imo ipse summus Pontifex, tanquam Princeps secularis, in Rebuspublicis & Prouinciis, quas possident, à DEO immediate illis concessa est, citra vllam exceptionem.*

Ad intelligendam & dilucidandam hanc propositionem, aduertendum est, quod dominium & seruitus, Imperium Principis & obedientia subditi, iure gentium introducta sint quatuor modis: per Electionem, per Hereditatem, per Donationem, vel denique iure belli; ita vt omnes Principes, qui vnum quatuor horum modorum adepti, & per illum in thronum Principatus sui euecti & collocati sunt, veri & legitimi sint DOMINI. Hi, inquã, sunt, qui à DEO habent

habent auctoritatem ac potestatem imperandi, condendi leges, exigendi tributum, iudicandi, puniendi subditos, sine vlla exceptione.

Hanc doctrinam non profero ego, sed profert eam Diuus Paulus Apostolus *in Epistola ad Romanos c. 13.* imo ipse Spiritus Sanctus, qui per os Pauli loquutus est, & penna ipsius scripsit. Verba illius sunt hæc: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo.* Hunc locum exponens Diuus Ioannes Chrysostomus, dicit: *Facit hoc Apostolus, vt ostendat Christum leges suas non ad hoc induxisse, vt politias euertat, sed vt ad melius instituat: ostendens, quod ista omnibus imperentur, & Monachis, & Sacerdotibus, non solum secularibus, id quod statim in initio declarat: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, etiamsi Euangelista, etiamsi Propheta, siue tandem quisquis fueris. Neque tamen pietatem subuertit ista subiectio.* Vnde & in veteri lege, licet habuerint Aaron summum Sacerdotem: nihilominus tamen in negotijs & causis secularibus, atque in iudicijs subiecti fuerunt Moysi Principi suo mundano, vti pulchre probat Couarruuias *pract. quæst. c. 31. nu. 3.* & in primitiua Ecclesia nulla fuit distinctio fori.

Quia Imperator Iustinianus primus extitit, qui ad petitionem Episcopi Constantinopol. indulsit Ecclesiasticis, vt in causis ciuilibus iudicarentur à suo Prælato, *ipso tamē non impedito.* Quo casu, & in delictis criminalibus permittit, vt Ecclesiastici sint subiecti Principi, & ministris Principis secularis, vt expresse legitur in Imperatoris Iustiniani *Nouell. Constitut. 83.*

Neque ex eo, quod Constantinus Magnus Imperator, quum ei insinuarentur processus aliqui aduersus personas Ecclesiasticas, dicebat: *Vos à nemine iudicari potestis, quia ad Dei iudicium reseruamini,* quemadmodum refert Gratian. *in c. futuram, 12. q. 1.* inferri aut concludi poterit, Ecclesiasticos non subiacere Principi seculari. Fuit enim excessus aliquis Imperatoris, benignum & pium erga Ecclesiam sese gerentis, non autem quod ita reuera senserit. Quippe quum, si id quod Constantinus dixit, simpliciter verum esset, nec ipsi Ecclesiastici possent iudicari à suis Prælatis, dum dicit, *ad Dei iudicium reseruamini,* qui error esset grauissimus. Sunt igitur omnes Ecclesiastici & seculares, iure diuino, Principi seculari subiecti: *Omnis anima,* inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et ratio est; quia, sicut nemo exemptus est ab obedientia, quæ debetur Deo, ita nemo exemptus est ab obedientia, quæ debetur Principi. Siquidem vt subiungit Apostolus: *Omnis potestas est à Deo.* Vnde & Propheta Dauid, Reges & Principes seculares Deos appellat: *Deus stetit in medio Synagogæ Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Ideoque, vt hoc ipsum explicat Rex Iosaphat *lib. 2. Paralip. cap. 19.* iudices seculares, *non hominum, sed Dei iudicia exercent.* Hunc ipsum locum, de Principibus secularibus loquentem, citat Christus *in Euang. Ioan. c. 10.* confirmatq; illis competere nomen Deorum: Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est? quemadmodum erudite notat Cardinalis Bellarminus *in lib. de Laicis c. 3.*

Pergit Apostolus, dicens: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Hic mihi perpende auctoritatem, quam habent Principes seculares, nimirum, vt condant super omni negotio leges, quæ obligent omnes homines. Quemadmodum etiam Deus ipse *in Prouerbiis Salomonis*: *Per me,* ait, *Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Hinc est, quod Christianissimi Imperatores, Iustinianus & Theodosius in Codice suo plurimas leges condiderunt, pertinentes ad personas, bona & disciplinam Ecclesiasticam, *sub tit. de Episc. & Cler. de sacrosf. Eccles. &c.* Hisce legibus mandat Apostolus, vt obtemperetur, non resistatur. Quia, *qui resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt,* id est, committunt peccatum mortale, in quo si morerentur, æterno igni essent addicti. Iubet præterea Apostolus, vt ab omnibus persoluatur Principi tributum, quod qui illud exoluit Principi, Deo soluat. *Cui vectigal, vectigal, cui tributum, tributum. Sunt enim ministri Dei ad tributa.* Quem locum explicans Angelicus Doctor S. Thom. Aquin. omnium Theologorum primus, vnicum Catholicæ Scholæ lumen, & Sol splendidiss. dicit: Quod si Clerici liberi & immunes sint à tributis, habeant hoc, non, vt aliqui putant, de iure diuino, sed ex priuilegio Principum, & loquitur de Principibus secularibus.

Tandem concludo cum D. Paulo, de auctoritate Principis: *Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est ad vindictam.* Audis auctoritatem Principis secularis: quæ consistit in puniendo pœna sanguinis. Quam potestatem quum à Deo non habeant Prælati Ecclesiastici, Clericos maleficium committentes gradu saltem exuunt, & ad eum diutius gerendum inhabiles pronunciant, nec vlterius progrediuntur: sed vt pœna mortis adficiantur, tradunt illos brachio seculari. Et ne quis existimet, verba Apostoli tantum consi ij, non præcepti loco esse, vt mandatum stabiliat, subnectit: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam,* adeo vt obstringamur in corde & conscientia nostra obedire Principi seculari, in omnibus rebus, quarum supra facta est mentio, edocti ab Apostolo D. Paulo.

SECVNDA PROPOSITIO.

CHRISTVS Saluator noster, quanquam vt Filius DEI æqualis Patri, est Rex Regum, & Dominus dominantium: tamen, quum induisset mortale corpus nostrum, tam ante, quam post sanctissimam resurrectionem suam, non exercuit potestatem Principis temporalis: Sed habuit regnum, quale prædicat Pilato interroganti, num sit Rex? tu dicis, inquit: sed aduerte, quod etiamsi Rex sum, tamen Regnum meum non est de hoc mundo, id est, temporale. Ideoque, quum populus ipse, quem per miraculum satiauerat quinque panibus & duobus piscibus, vellet ipsum creare Regem, aufugit, ne raperent & facerent eum Regem. Neque voluit iudicare vllum.

vllum. Quare quum rogarent aliqui, vt sententiam ferret super causa inter se controuersa, respondet: Quis me constituit iudicem super vos? Imo agnouit Pilatum ministrum Cæsaris suum iudicem: Non haberes, ait, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper, quod notat S. Thom. io epist. ad Rom. *Denique præcepit, vt tributum penderetur Principi seculari, hoc est, Cæsari, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Obiiciunt aliqui huic Propositioni nostræ, quod, etsi tributum CHRISTVS persoluerit Cæsari pro se & beato Petro: tamen dixerit se non obligari, vt soluat, *Numquid filii debent soluere tributum?* In quo commonstrauit auctoritatem Principis secularis, qui à tributo immunis est. Huic dubio respondent quidā Doctorum; quod illi, qui in populo Iudaico, ex Iudæis nati erant, nominabantur filii, nec obligati erant, vt tributum penderent; Cumque ipsum Christo & Petro patrocinari posset, non fuisse obstrictos. Alii dicunt, quod melius est, Christum voluisse subobscure indicare sanctissimam suam diuinitatem, & innuere, quod tanquam Filius Dei non tenebatur tributum pendere. Sed, quoniam, allegare hanc rationem, nimis excelsum erat, & profundum Sacramentum, cuius omnino incapaces erant illi tributorum exactores, dixit: *Sed ne scandalizentur*, vbi apparet, quam sollicite Saluator cauerit, ne ministros saltem Principis secularis scandalizaret, si opposuisset illis hanc exemptionem, verām illam quidem & realem, sed ab ipsis haud intellectam. Sunt porro, qui, vt contradicant Propositioni nostræ, mouent, quod Christus *eiecerit ementes & vendentes è templo.* At fecit hoc tanquam Propheta per zelū, vnde & Euangelista adducit versum Dauidis: *Zelus domus tuæ comedit me.* Alii mouent, quod, quando ablegauit discipulos suos, vt adducerent ipsi asinam, pullumque eius, præcepit illis, vt dicerent, *quia Dominus his opus habet*, id est, Dominus totius mundi. Verum non potest intelligi hic locus, vt inde auctoritas Principis colligatur, sed bene, vt significetur, Dominum cœli & terræ nunc eo paupertatis redactum, vt iumenta ista cogatur commodato petere, vt explicant Doctores. Ratio est in promptu; quia si voluisset auctoritatem Principis exercere, non vtique dixisset, his opus habet, sed quia Dominus ita præcipit, vel alio modo.

Postremo, qui hanc Propositionem nostram haud ita facile probari posse autumant, vniuersaliter dicunt, Christum, vbi per triumphum die Palmarum ingrediebatur Hierosolymam, vsurpasse sibi auctoritatem Principis temporalis, Ideoq; allegare Euangelistam vaticinium Prophetæ: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & super pullum filium asinæ:* Verum qui factum recte considerat, facile intellexerit, quod Saluator, etiamsi erat promissus ille Rex & Messias, tamen dum ingreditur Hierosolymam, tam vili & abiecto modo, non vsurpauerit auctoritatem Principis secularis, imo potius demonstrauerit, suum Regnum (vti Pilato respondebat) non esse de hoc mundo, sed spirituale & æternum. Siquidem Reges mundani intrant longe alia pompa in ciuitates Regni sui, quam Christus, qui intrauit Hierosolymam in summa paupertate, sedens super asinam, & pullum filium asinæ.

TERTIA PROPOSITIO.

QVandoquidem Dominus noster Iesus Christus non vsurpauit sibi auctoritatem Principis mundani, non debet dici, se hanc auctoritatem reliquisse S. Petro, suisque successoribus, qui sunt sui Vicarii, maxime, cum Vicarius non sit maior Principali. Quamobrem recte dicunt, Sotus libr. 4. senten. *vbi tractat hanc materiam,* & Cardin. Bellarm. de auctorit. Papæ, *se mirari, Canonistas, sine vlla ratione & auctoritate Noui Testamenti, ausos fuisse adfirmare, quod Papa est Dominus totius orbis directe in temporalibus. Doctrina mehercule scandalosa & parum fundata.*

Scio, quod aliqui; præter Canones, (qui, tanquam leges humanæ, quoties concurrunt cum diuinis, non possunt sortiri æqualem auctoritatem) referunt S. Thom. Aquin. *de Regimine Principum, cap. 10. & 19.* vbi dicit, quod *summus Pontifex est Dominus totius orbis in temporalibus & spiritualibus.* Sed iste liber non est S. Thomæ, vt recte demonstrat Cardinal. Bellarmin. *in lib. de potest. Papa.* Nam, præter alias certissimas coniecturas hæc est, quod *lib. 3 cap. 20.* facit mentionem successionis Adolphi Imp. post Rudolphum, & successionis Alberti post Adolphum, quæ contigerunt anno 1292. hæc est prima, & secunda, anno 1299. & S. Thomas mortuus est anno 1274.

Adducunt præterea locum S. Thomæ, *libr. 2. sentent. dist. 44.* vbi dicit: *Esse in summo Pontifice apicem vtriusq; potestatis, temporalis & spiritualis.* Verum qui textū recte legit, animaduertit, S. Thomam in contraria fuisse opinione. Nam, quum dixisset, in rebus temporalibus potius obediendom esse Principi temporali, quam spirituali, & in mere spiritualibus potius spirituali, quam tēporali; concludit, nisi esset summus Pontifex, qui quum habeat in Prouinciis sibi subiectis vtramque iurisdictionem, debet illi à subditis suis vno & altero modo æqualiter obtemperari.

Deinde ad labefactandam vim propositionis nostræ dicunt aliqui, Alexandrum VI. Papam distribuisse Indias Regibus Hispaniæ & Portugalliæ; quia ille, tanquam Vicarius Christi, earum erat naturalis Princeps secularis. Item Leonem III. dedisse Imperium Occidentis Carolo Magno ex hac ipsa ratione. At falluntur isti magnopere. Siquidem Alexander, non tanquā Dominus Indiarum, sed vt Iudex compromissarius, ab ipsis Regibus electus, ad tollendam & extinguendam discordiam, inter eos coortam, per sententiam determinauit, vt maria in se diuiderent, & vt vnius classis per hoc, alterius per illud mare nauigaret, & quod quisque ita sibi adquisiturus esset, iure belli spectaret ad eum, qui adquisiuerat, iuxta diuisionem à se factam, vti memoriæ prodiderunt Historici illorum temporum.

De Leone III. verum est, quod, quum à populo Romano sede pulsus, & fugatus, & à Carolo Magno restitutus esset, tantū effecerit & assequutus sit, vt populus eum vocaret Imperatorem, sicut Platina refert. Quod factum modo tribuunt Historici populo Rom. qui quum videret, Imperium à Græcis male administrari, elegit iure antiquo alium Imperatorem; modo dicūt, Carolum, qui propugnator ac dominus erat illius Reip. comparasse sibi titulum ab Irene & Nicephoro Imperatoribus; modo aiunt Irenem & Nicephorum consensisse ac quieuisse in illa divisione: in summa, quidquid sit, illud certum est, Papam, qui sede pulsus erat, & nihil quidquam possidebat, non dedisse Imperium Occidentis Carolo, qui iam illud habebat, & iure belli Dominus istius erat. At neq; illud certum est, Papam absolute ei contulisse titulum Imperatoris, maxime quum & in hoc & in aliis casibus, quicunq; adferri possunt aduersus hanc nostram propositionem, respondendum sit, Papam non habuisse auctoritatem in temporalibus à Christo, vti dictum est, & dicetur clarius in sequenti propositione, & si eam exercuit, aut fecit hoc ex consensu eorum, quorum intererat: aut, quia adhuc habet aliquam potestatem temporalem vno quatuor modorum supra relatorum: sed tamen hinc ideo non consequitur, quod directe habuerit auctoritatem in temporalibus à Christo Saluatore nostro, vt taceam, quod multa fiant ab aliquibus, de quibus si inquiras, quo iure fiant, haud facile reperires.

QVARTA PROPOSITIO.

AVctoritas promissa S. Petro à Christo Saluatore nostro, sub metaphora clauium, est mere spiritualis: Tibi, *inquit*, dabo claues regni cœlorum: *non dicit, regni terrarum; idque ipsum ratio docet, quæ in hymno Ecclesiæ expressa est:* Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.

Quia, quomodo regnum temporale & Monarchia gubernanda erat, iamdudum à principio mundi auctoritate magni Monarchæ totius vniuersi, Dei, constitutum fuerat, ita vt Christo Saluatori nostro non veniret instauranda Monarchia temporalis: instaurauit igitur spiritualem, quod manifeste patet ex *20. c. D. Ioan.* vbi, quum dixisset; *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra;* dat eam Apostolis & S. Petro, in omnē modum limitatam: *Insufflauit in eos, & dixit: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Vbi & ex actu, quem Christus patat, & ex verbis, quæ pronunciat, perspicitur, auctoritatem summi Pontificis esse spiritualem & super peccato, & super animis solum, secundum verba illius precationis Ecclesiæ ad S. Petrum: Qui beato Petro potestatem animas ligandi atque soluendi tradidisti; quæ, vti dixi, limitata est. Imo auctoritas excōmunicandi data ipsi Petro conditionalis est, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, & Ecclesiam non audiuerit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Quo in loco Saluator dat auctoritatem excommunicandi: sed præsupposito peccato & obstinato peccandi proposito.

QVINTA PROPOSITIO.

PErsonas & bona Ecclesiastica non subiacere potestati Principis secularis, et si quidam, nescio ex quo fundamento, teneant, id esse iuris diuini; contraria tamen opinio, videlicet quod sit saltem de iure humano, melior est & conuenientior sacra Scriptura, dictis sanctorum Patrum & historiis.

Quoniam præter id, quod diximus in prima Propositione, Sacerdotes in veteri lege subiectos fuisse Principi seculari, & Salomonem priuasse Abiatar summo Hebræorum sacerdotio, quemadmodum legitur *in 3. lib. Reg. c. 2.* toto tempore primitiuæ Ecclesiæ vsque ad Iustinianum Imper. non extat in iure priuilegium vllum exemptionis factæ Ecclesiasticis.

S. Paulus dixit, *ad tribunal Cæsaris sto, Cæsarem appello.* Et, vt prætercam alia infinita exempla, legitur in vita Ottonis I. Imp. Christianiss. quod deposuerit auctoritate propria Ioan. XII. Papam, qui erat homo pessimus. Et, si illa exēptio propterea est de iure diuino, quod Papa Hadrianus I. voluit, Carolum Magnum habere potestatem eligendi Rom. Pontificis, *in cap. Hadrianus*, quod & confirmauit Leo VIII. in fauorem Ottonis I. vti constat ex illa ipsa distinctione, quæ *est 63. can. in Synodo.* Hæc doctrina non tantū est D. Pauli, vt deduxi in prima propositione, sed & Ioan. Chrysostomi, S. Thomæ Aquinatis, Soti, præstantissimi Theologi, *lib. 4. sent. dist. 25.* Couarruuiæ, excellentissimi Canonistæ, *c. 31. pract. quæst.* qui pro se adducit Innoc. III. Papam, Alciatum, Pet. de Ferraria, Medinam, & alios. Et hi duo Doctores, Sotus & Couarruuias ideo magis hoc in casu æstimari debent, quod vterque scripserit post concilium Tridentinum. Et ipsorum demonstratio maximam vim habet: Quia, præter auctoritatem adfirmatiuam D. Pauli, S. Ioan. Chrysostomi, & S. Thomæ, ac præter vsum primitiuæ Ecclesiæ adducunt insuper duo argumenta maximi ponderis: nimirum, si Clerici, & bona Ecclesiastica gaudent beneficio exemptionis de iure diuino, vbinam scriptum erat eiusmodi ius? in quo Euangelio, in qua epistola Apostolica, in quo libro Noui Testamenti, vel, vt amplius dicam, etiam Veteris? Alterum argumentum est, quod nullus Princeps secularis Christianus, cupidus tranquilli & boni status suæ Reipubl. illud respicit aut obseruat, sed permittit Ecclesiasticis talem exemptionem, quæ sibi commoda videtur, quæ non videtur, non permittit. Et quanquam aliqui Canonem accipiant pro lege humana: tamen quantū percipitur ex doctrina primę propositionis nostrę, debet accipi priuilegium Principis, vel consuetudo ab ipso dissimulata, vel Canon receptus, qui neutiq̄ est supra ius diuinum: adeo, vt nesciam, quomodo Principi seculari, habenti Imperium in omnes suos subditos, potestas

stas hæc, vel minui, vel auferri possit à Canone, qui ius humanum est, per vulgatam regulam Legistarum, quod, *quotiescunque concurrunt duo iura, minus debet cedere maiori.*

SEXTA PROPOSITIO.

QVotiescunque Princeps Venetiarum, legitimus & naturalis Dominus suæ Respubl. qui, præter DEVM *nullum vnquam agnouit superiorem in temporalibus, leges cōdit super bonis Ecclesiasticis, quæ suo Dominio subiacent, & animaduertit in personas Ecclesiasticas grauiter atq; atrociter delinquentes, ac disponit super bonis nondū spectantibus ad Ecclesiasticos, pro auctoritate, quam immediate à Deo habet, qua nunquā spoliatus est aut se abdicauit, vel per priuilegium concessum, vel per Canonem receptū, sed est in possessione illius iuris, per immemorialem consuetudinem, non tantum plurimorum annorum, sed & seculorum, neutiquam peccat.*

Ratio est; quia, *qui non facit contra aliquam legem, non peccat,* minus debet dici peccare, *qui obseruat legem,* &, quod magis est, *qui retinet quod suum est, non peccat,* neq; debet cogi, vt sequatur opinionem eorum, qui putant, exemptionem esse de iure diuino. Liberum enim vnicuiq; Christiano est, quam velit opinionem consectari, modo sit Catholica. Imo sequi opinionem rationabilem alicuius Doctoris, contra vulgatam, non est peccatum, vt recte probat Nauarr. *in suis prælud.* Non igitur erit peccatum, sequi doctrinam Pauli, ac tot, tantorumq; insignium Doctorum, allegatorum in prima & quinta propositione. Nam profecto, vt verum fatear, non possum excusare illos, qui tenent exemptionem Ecclesiasticam esse de iure diuino, quum mihi modo videantur, vel parum fundati, vel parum perspicaces, modo vel nimis periclitantes, vel nimis adulantes.

SEPTIMA PROPOSITIO.

QVandoquidem igitur sereniss. Respubl. Veneta non est culpa rea, neq; peccatum vllum admittit faciendo, quod præcedenti propositione est expressum, si propterea excommunicatur à summo Pontifice Paulo V. si locis sacris ipsi interdicitur, &c. sententia eius est nulla, non tantum de iure positiuo, quia non obseruatus est legitimus ordo, præscriptus in Can. de sent. excom. in *c. vt in manifesto est deductū, sed etiam de iure diuino.*

Quia auctoritas excommunicandi est conditionalis: *Si peccauerit in te frater tuus,* adeo vt, vbi peccatum non est, non habeat locū excommunicatio, & sententia fulminata aduersus eum, qui peccatum non admisit, sit nulla ex defectu materiæ. Neq; existat aliquis adeo inops mentis, qui existimet, quod, etiamsi inclyta Resp. vti probatum est, crimine & culpa vacet, neq; peccet, retinendo quod suum est, peccet nihilominus non obtemperando Pontifici, & in opinione sua persistendo. Constantia enim & perseuerantia in bona opinione non est pertinacia, & qui peccato caret, non debet dici inobediens vel obstinatus. Etenim qui obseruat legem, facit opus sanctissimum & meritorium, quique non præstat obsequium in illis rebus, quæ sibi mandari non possunt, peccati notam euadit.

OCTAVA PROPOSITIO.

DIxit quidem S. Gregor. Papa: Sententiam Pastoris iustam, siue iniustam timēdam. *Sed nihil hoc facit ad præsentem casum: Siquidem longa est differentia inter sententiam Iudicis Ecclesiastici iniustam & nullam. quemadmodum eruditè docuerunt* Nauarr. de censuris Ecclesiæ, & Sotus lib. 4. sent. dist. 22. *& quod iniusta sit timenda, nulla vero non obseruanda. Quamobrem, quum censuræ publicatæ à summo Pontifice Paulo V. vt supra demonstratum est, nullæ sint: quia sunt instar scripturæ formatæ in aqua, vel aere, hoc est, sine fundamento & sine materia, existimo, quod non debeatis illas obseruare, nec innouare quidq; in Ecclesia vestra.*

Nam licet Nauarr. loco citato, vbi tractat de excommunicatione inualida, & nulla, dicat: *Sententiam* (intellige iudicis Ecclesiastici) *inualidam, seu nullam nihil aliud operari in foro interiori, siue exteriori, quam quod obligat excommunicatum ad seruandum eam, quoad Populus sibi persuadeat, vel persuadere debeat causas nullitatis, propter scandalū:* tamen hæc doctrina valde pro me facit: Quia constat satis populo Veneto de causa nullitatis, & si forte alicui non constaret, debuisset sane manifesta fieri per illud, quod in Edicto suo sereniss. Princeps omnibus notum fecit, adeo, vt non tantū scandalum vllū metuendum non sit, verum etiam, vt non videam, quomodo excusari possint aliqui Religiosi, qui siue ex errore ignorantiæ, siue ex alio sinistro affectu, maluerunt ciuitate exire, quā persistere in celebratione & administratione Sacramentorum, sicut ob Religionem, & Reipub. bonum Princeps mandauerat. Qui facto scandalum præbuerunt omnibus. Siquidem ipsi sibi fuerunt lex, nolueruntq; imitari exemplum Ecclesiæ Cathedralis, omniumq; aliarum antiquissimarum & sanctissimarum Religionum & Parochiarum: *Quibus,* dicam cum Christo, *expediret, vt suspenderentur mola asinaria in colla eorum, vt nō scandalizarent pusillos istos.* Præterquam, quod defendere libertatē Principis sui naturalis, qui tuetur & conseruat pacem in populo, libertatem & religionem, est de iure naturæ, hoc est, diuino, & sententiæ Ecclesiasticæ sunt de iure positiuo, quod illi cedere debet, maxime quando constat de nullitate. Vnde falluntur isti, qui existimant, hanc controuersiam esse de fide, quum saltē sit de moribus, & si quid expressum est in sacris literis, ex quibus metimur negotium fidei, est profecto opinio sereniss. Reip. tradita à D. Paulo.

Quapropter, Domine mi, pergito strenue celebrare, communicare & exercere omnia officia, quæ exercebas in Ecclesia tua ante publicationem: non ideo saltem, quod hæc, vti scribis, animo tuo stet sententia; verumetiam, vt euites scandalum, non modo, quia sententia nulla minime est obseruanda, cum constat de nullitate, sed etiam ne sine vlla probabili ratione separes te

are

a capite tuo, quod est Princeps in controuersiis iurisdictionis. Imo existima, per hanc ipsam rationem, illum, qui non audit Missam, ad minimum diem festo, peccatum admittere. Nam intermittit eam sine vlla legitima causa, quum vbiq; celebretur, & sententia nulla sit. *Noli agnoscere timorem, vbi timor non est: noli trepidare, vbi non est tremor*, noli committere, vt dicatur de te, qui Principi tuo & sereniss. Reipub. semper fidelis exististi, filii matris meæ pugnauerunt contra me, sed adnitere implere præceptum Apostolicum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Hoc dico, non quod de constantia tua dubitem. Scio enim, & audeo mihi polliceri, tam de te, quam de omnibus aliis ciuitatis vestræ, quod vitam & sanguinem pro vestro Principe profundere non recuseris, sed vt iustitia causæ, quæ tibi quidem cognita est, magis magisque inclarescat per hoc meum responsum. Sub finem etiam illud munere volui, Dominos vestros Venetos, quanquam sub pœna vitæ mandauerint, vt Religiosi omnia templa aperta teneant, sacrisque ministeriis vacent, id metu non fecisse, quasi illi, qui bene adfecti sunt, quique sciunt & sequuntur veram doctrinam, cuiusmodi fere omnes sunt, aliter facere deberent, quam fecerant in celebrandis & exercendis omnibus diuinis ministeriis, sed ne ex vano metu prætermitterentur ab aliquibus exercitia in illa ciuitate, quæ semper fuit Catholica, neque vnquam magis id professa est, quam hoc ipso tempore. Vnde nec cõmittere vult, vt in exercitiis pietatis vlla existat mutatio, vel vt intermissio ipsorum quibusdam det occasionem præcipitandi. Cui malo remedium quærere, propter interesse Ecclesiæ, Princeps tenetur, omnibus modis, quibus de iure diuino fieri potest.

Multas alias auctoritates & rationes potuissem adducere, quas propter festinationem & studium breuitatis omitto, reseruans mihi facultatem fusius de hac materia scribendi in peculiari libro, quem statim edam in lingua Latina *de suprema auctoritate Principis secularis.* Interim moneo, vt legas doctrinam fundatissimi Doctoris Nauarri, qui in omnibus, quæ dicta sunt, pro nobis facit, maxime *in c. Nouit. de iudic. notab. 3. & in Manuali c. 27. de censuris.* Et, vt omne periculum effugias, recipe te in securissimum portum huius notabilis doctrinæ, quod omnes Ecclesiastici, si gaudent vlla exemptione, gaudent ea, non de iure diuino, sed ex priuilegio Principum, qui possunt retractare, minuere, & dilatare dicta priuilegia pro suo lubitu, quotiescunq; id ex vsu atque vtilitate Reipublicæ futurum prospiciunt, haud aliter quã summus Pontifex facit super priuilegiis indulgentiarum, aliarumque rerum dependentium ex auctoritate sua spirituali, quæ modo annihilat, modo imminuit, modo auget pro placito. Et quoniam doctrina, quam retuli, non est mea, sed omnino magni momenti, deprompta ex libris Sanctorum & Catholicorum Doctorum, non adferam nunc plura pro confirmatione eius. Dominus noster te consoletur.

II



Anno 1606.

IOANNIS MARSILII NEAPOLITANI THEOLOGI

VOTVM

PRO SERENISSIMA REPVBLICA VENETA OPPOSITVM VOTO CARDINALIS Baronij.

ILLVSTRISSIMI CARDINALIS CÆSARIS BARONII CONTRA SERENISSIMAM Rempublicam Venetam

VOTVM.



Vplex est, Beatissime pater, ministerium Petri, pascere & occidere. Dixit enim pasce oues meas, audiuitque Petrus è cælo vocem, occide, & manduca. Pasce oues meas, est curam gerere obsequentium fidelium Christianorum, mansuetudine, humilitate, ac puritate oues, & agnos præ se ferentes, cum vero non cum ouibus, & agnis negotium sit, sed cum Leonibus, & alijs feris animalibus refractariis & aduersantibus agendum sit. Petrus iubetur eas occidere, obsistere scilicet, pugnare, & expugnare, ne tales sint penitus: Sed quod huiusmodi occisio non esse debeat nisi ex summa charitate, quod occiditur, præcipitur manducare, nempe per Christianam charitatem intra sua viscera recondere, in se ipsum conuertere, vt sint simul vnum & idem in Christo, quod dicebat Apostolus: Cupio vos in visceribus Iesu Christi. *Sic igitur non est occisio ista crudelitas, sed pietas, atque syncera Charitas, cum sic occidendo saluet, quod eo modo viuere sinendo perierat.* Est excommunicatio, *vt Nicolaus Papa docet,* non ad occidendum venenum, sed ad sanandum aptissimum medicamentum: *sicut videamus patrem amare vincula, quibus ligatur à Medico filius phrenesi laborans sperãtem iisdem posse curari. Perge igitur Sanctissime Pater, quod cœpisti, in quo non est, qui te redarguere possit nimiæ festinationis, cum dicat Paulus Apostolus ad Corinthiorum scribens Ecclesiam:* In promtu habentes vlcisci omnem inobedientiam, *in promtu hoc illis faciendum præcipit. Tua vero Sanctitas in his diutius est immorata, scribens sæpius dilationes iterans in hanc vsq; diẽ. At vero, vt verũ fatear, exsulto spiritu, dicã cum Apostolo superabundo gaudio, videns in hac mea senectute in Sede Petri sedere alterum Greg. VII. siue Alexãdrum III. hos sc. præcipuos vindices collapsæ penitus ecclesiasticæ libertatis, ambos ex Senẽsi Metropoli, vnde Sanctitas vestra originem ducit, vocatos ad Cathedram Petri: quorum alter expugnauit Henricum Imperatorem peruersissimum; alter mira constãtia resistens Fridericum Imperatorem etiam penitus superauit. Idem tibi certamen ineundum est. Trutina hac in manu tua. Dicam cum Isaia:* Erige collapsam, *protritam, sepultamq; Ecclesiasticam libertatem, certa paratur tibi Victoria: etenim nobiscum Deus, nam verbum Christi est. Et Porta inferi non præualebunt aduersus eam: Potius vt es in Ecclesia successor Petri, & in te promissiones ipsa facta perueniant, & firmentur, de te puta dictum illud Ezechielis;* Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum ecce dedi; posui faciem tuam, vt petram durissimam, *quod idem dictum est Hieremiæ:*

Posui

Posui te in columnam ferream, & murum æneum. *Sicque memor esto te in Ecclesia positum esse Petram, in quam omnes, qui te offendent, confringentur, tu vero semper permanebis illæsus coniunctus Christo, qui pro te pugnabit, & vincet.*

EXCELLENTISSIMI DOMINI IOANNIS MARSILII THEOLOGI NEAPOLITANI PRO SERENISSIMA REPVBLICA VENETA, DE Illustrissimi Cardinalis Cæsaris Baronii Voto.

ALIVD VOTVM.



Vod ad me misisti votum antea legeram, atque, vt ingenue fatear, cuiusnam fuisset suspicari vix potui, agnoscebam stylum, sed ex ipso non audebam pandere nomen auctoris. Verum cum illud ab Illustrissimo Cardinali Baronio nuncupatum, atque prolatum fuisse serio & constanter confirmatum sit, suspicionem in summam admirationem conuerti, quod vir dignitate clarissimus, opinione celeberrimus, eruditione præstans ipsum conceperit, ac parænetico illo declararit, quod vix alius ausus esset, qui nõ fuisset tãtæ auctoritatis. Atq; eo magis mea adaugetur admiratio, quod eius consiliis, ac votis videam illa incendia non timeri, cuius putassem adhortationibus atque auctoritate, si ab quouis alio succensa fuissent, ilico potuisse ac debuisse restingui. Quid dicam nescio. Horreo, atque obstupesco. Non tamen permittam licet mens parumper hæreat, vt calamus retardetur. Quod eo libentius efficiam, quia non solum arbitror hoc me vobis rem gratam, sed multo magis Christianæ Reipublicæ vniuersæ, vtilem esse facturum, atque vt inde exordiar, vnde Cardinalis ipse sui voti sumit initium.

Duplex, inquit, *est Beatissime Pater ministerium Petri, Pascere, & Occidere.*

In ipso vestibulo non parum offendo. Petri officium est pascere, non inficior, at quomodo sit occidere quis intelligat? cui dictum aliquando fuit, *conuerte gladium tuum in vaginam*, quia zelo, sed non secundum scientiam illum eduxerat, vt ait Sanctus Augustinus *de Agone Christiano, cap. 29.* & S. Io. Chrysostomus *in Matth.* Quis deinde in animum inducat tuum, quo pacto duo illa ministeria copulentur: fouent Pastores ouilia, Lupi iugulant: Pastores custodiunt, Lupi perdunt: Pastores pascunt, Lupi occidunt, ipse tamen, Homo Pacis, Pastoris esse duplex ministerium pronuntiat? Pascere, & Occidere. Auditur à Petro Ioann. vlt. trinum amoris testimonium, & trinæ negationi redditur trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quam timori. deinde à Christo Domino dicitur, *Pasce oues meas*, nec sine magno Sacramento atque mysterio ter de Amore, & Charitate ipsum Christus interrogat, cui amoris & charitatis, non discordiæ ministerium demandabat. Sed iam Sanctissimos Patres locum illum explicantes audiamus.

Glossa: † *Ter dictum est, Pasce, ad significandum, quod habentes curam animarum debent subditos pascere pastu verbi Dei, & boni exempli, & , prout possunt, etiam subsidio temporali. Sed illud, quod hic dicitur pasce, aliqui mali mutant in tonde, quia multum student circa subditos exactiones tẽporalium exercere, & de pastu dicto triplici non curare.*

S. Io. Chrys. Homil. 8 *perpende verba, pasce agnos meos, id est fideles meos, non tuos, non vt rem tuam, sed vt meam tracta. propterea petiui an me amares, quia rem meam tibi commendare volui, & à te tanquam meum tractari, quem amorem erga me profiteris, erga illos exerce, ipsisq; exhibe, pasce autem non te, sicut illi faciebãt Pastores, de quibus dicitur Ezech. 34 væ Pastoribus Israel, qui seipsos pascebant. Ille seipsum pascere dicitur, qui propriam vtilitatem, gloriam & commodum, non ipsorum fidelium, quos gubernat, non Dei gloriam ex regimine quærit.*

S. August. tract. 132. in Io. *Qui hoc animo pascunt oues, vt suas velint esse, non Christi, se conuincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, non subueniendi, non Deo placendi charitate. cõtra hos igitur vigilat toties inculcata vox Christi, quos Apostolus gemit, sua quærere, non quæ Iesu Christi.*

Et rursus. *Sicut oues meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam, lucra mea, non tua. Hoc idem docuit ipsemet Petrus 1. Epist. c. 5. Pascite, inquit, qui in vobis est, gregem, non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Alios prætereo, qui quoniam omnes eodem spiritu Dei afflari in eandem explicationem conueniunt, nihil attinet plura congerere, satis fuerit ante oculos posuisse, quæ sit Christiani forma Pastoris, non solum à Christo Domino adumbrata, sed etiam à Sanctissimis Doctoribus optimis coloribus, ac lineamẽ-

tis expressa, quam quomodo illi præseferant, qui quotidie pro rebus temporalibus bella succendunt, qui sua lucra, suum commodum, suam gloriam quærunt, haud intelligo. Tum ita pergit.

Cum vero non cum ouibus, & agnis negotium sit, sed cum leonibus & alijs animalibus refractarijs & aduersarijs agendum sit, Petrus iubetur eas occidere, obsistere scilicet, pugnare & expugnare, ut tales sint perituri.

Vt autem hanc occisionem esse excommunicationem putet, non solum adducitur scripturæ locus Actorum *10.* vbi dictum est Petro *macta, & manduca* verum etiam verbis Nicolai Quinti Pontificis Maximi, qui excommunicationem dicit non esse ad occidendum venenum, sed ad sanandum aptissimum medicamentum.

Præclare, & nimis ingeniose: verum videamus num ad suam rem, atque propositum. Voluit Deus per Angelum Petro ostendere non solum circumcisos esse baptizandos, vt male ipse sibi persuaserat, sed etiam qui erant ex præputio & Gentiles, ex quibus erat Cornelius Centurio. Vt ergo illum ab errore remoueret, eumque mirabiliter ad baptizandum Cornelium adduceret, ei per visum, siue extasim ostendit discum, plenum omnibus animalibus, in quo illa, quæ erant Hebræis ad sacrificandum, & vescendum permissa ac vetita, videbantur, atque ei dictum est *Macta*, quod vocabulum est proprium sacrificiorum quare alij vertunt *immola, & manduca*, quanquam non nego, ab Sancto Augustino, & alijs sic legi, *occide, & manduca*, id est Gentiles, per Baptismum, ad Ecclesiæ corpus adiunge. Quæ interpretatio non solum cum historia, cum verbis Petri consonat, sed est vnanimis consensus SS. Patrum.

S. Augustinus concione secunda, in pag. 30. *quos Domino lucramur, manducat Ecclesia, cuius personam gerebat Petrus quando de cælo ei submissum est Lintheum plenum omnibus animalibus, in quibus gentes figurabantur. præfigurabat Dominus Ecclesiam, quod omnes gentes erat, sed per baptismum, transuoratura, & in corpus suum conuersura, & ait Petro occide, & manduca. Occide quod sunt, & fac quod es.*

S. Ambrosius in Epist. ad Vercellens. Ecclesiam tom. 3. lib. 10. *Quid sibi vult scriptura, quæ docet ieiunasse Petrum, & ieiunanti atque oranti de baptizandis gentibus reuelatum esse mysterium, nisi vt ostendat ipsos Sanctos cum ieiunant, tunc fieri præstantiores.*

S. Hieron. in Threnos Hierem. cap. 3. *Petro ostentis in figura gentibus dictum est, macta, & manduca, id est vetustatem earum scilicet per baptismum occide, & in corpus Ecclesiæ ac sua membra conuerte.*

S. Gregorius 30 moral. cap. 7. vel 11. *Petro esurienti, sed iam valenti ostensa per Lintheum gentilitate, quasi monstrata præda, dicitur macta scil. per baptismum, & manduca.*

Venerabilis Beda. *Animalia illa gētes sunt in erroribus immūdæ, sed trina submissione i. mysterio Trinitatis in baptismo mūdata, q̄ relicta Hominum imagine, Bestiarū, & Serpētum figuras sumserūt.* Hæc patres, atq. adeo oēs sacræ scripturæ interpretes. Imo vero Cardinalis ipse meæ est sētētiæ optim⁹ defēsor, oppugnator suæ, q. explicās visionem Petri to. *1.* Annal. Anno *41.* n. 6. sic inqt: *Quid aūt sibi voluerit cælitus ostēta visio, plane exit⁹ declarauit, ita vt humana interpretatione nō videatur indigere, nimirū eo mysterio Ecclesiā ex Gentibus colligendam esse significatum, quo loco per agnos dixit intelligendas gentes, quæ post oues, id est Iudæos conuersa sunt, quorū etiam baptismus commissus fuit Petro, cum ei dictum fuit, pasce agnos, pasce oues, ipse autem erat Petra quæ debebat duos parietes coniungere Iudæorum, & Gētilium.* quo etiam loco citat Ambrosium, Augustinum, Cyrillum, Alexandrinum, Gregorium, atque omnes Patres concludit in hac fuisse sententia, vt locum *occide, & manduca*, de baptismo gentium interpretarentur, vbi ne verbum quidem de excōmunicatione. Postea vero sui oblitus hūc ipsum locum siue in suam rem adducendo, siue interpretando, quod pace tanti viri dictum sit, nihil mihi satis facit. Primo quia nouam & penitus singularem interpretationem fabricatur, quod in Sacrosanctis Concilijs serio prohibetur.

Proferam verba Tridentini, Sess. 4. c. 2. *Decernit Sancta Synodus, vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione scripturarū sanctarum; aut ēt cōtra vnanimē cōsensum Patrum ipsam scripturā sacrā interpretari audeat, etiamsi eiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore edendæ forent; qui contrauenerint per ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.* At Illustrissimus Cardinalis locum, qui est de baptismo, interpretatur de excommunicatione, quod quantum sit à verosimili ratione, ne dicam ab omnibus Sanctissimis Patribus alienum, facile percipi potest. Baptismus nullo modo Christianos, sed Paganos, Gentiles, Hebræos, atque illos qui Christiani non sunt, mundat, ac lauat: Excommunicatio nullo modo in Gentiles, aut Paganos, aut Hebræos ferri potest, sed tantum in Christianos grauissime peccantes, & in peccatis obstinatos, dum tamen speratur emendatio, quia est quædam fraterna correctio. Sed audio ipsum interrogantem, cum dictum sit Petro *macta & manduca*, quia nimirum Petrus ad baptizandum Cornelium Gentilem vocabatur, vel vt ait S. Gregor. 18 moral. cap. 20. vel 22. *quia Petrus est os Leanæ id est Ecclesiæ, quæ collectione gentium dedita, nequaquam se ad illum Iudææ populum occupauit.* Liceat hic mihi exclamādo admirari, tanta ne fuit eruditissimo Cardinali locorum sacræ scripturæ ad suam confirmandam sententiam, mendicitas, vt nullum, nisi hunc inuenerit, contra vnanimem consensum Patrum, & vt cum Concilio loquar, ad suum ipsius sensum plane contortum; vt, vel ex hoc pateat sententiæ ipsius imbecillitas atq; infirmitas. Adiungit præterea.

Leones, & animalia refractaria occidenda esse, id est, excommunicanda. Cur Leonum tātum meminerit vix intelligo. nam sunt animalia magis fera, & refractaria, rapaces nimirum volucres, Tygres, venenatæ serpentes; de Leonibus nihil tale reperio, nisi forte, quod eorum proprium sit, quod fuit etiam Romanorum.

Parce-

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Veniamus nunc ad probationem, quæ nihilominus, venia tanti viri dictum sit, ruit, atque ratio, quæ in ipsa fundatur.

Excommunicatio, inquit, *est occisio, quia Nicolaus V. dixit esse, non ad occidendum venenum.* non percipio illationem, nisi fallor, contrarium infertur. Nicolaus dicit excommunicationem non esse ad occidendum venenum. Ergo excommunicatio non est occisio, quod si ita est, quomodo dictum est Petro, *occide, & manduca*, id est Excommunicationem inflige? Ad hæc: *Perge igitur*, inquit, *Beatissime Pater, quod cœpisti, in quo non est qui te arguere possit nimiæ festinationis.*

Vt vero hanc, quam ipse conflat, rationem magis accendat atque inflammet; locum Pauli refert, qui scribens ad Corinthiorum Ecclesiam, *In promptu*, inquit, *habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Ad extremum concludit se spiritu exsultare, quod videat in sua senectute sedere in Sede Petri alterum Gregorium Septimum, atque Alexandrum Tertium, ambos ex Senensi Metropoli, vnde Summus Pontifex Paulus originem ducit.

Fateor illos Pontifices fuisse vnum Senensem, alterum ex Metropoli, sed hæc commemoratio causam potius infirmat, quam roborat. Neque video cur ei sit propterea exsultandum, cum sit potius deplorandum ipsum tamdiu vixisse, vt ei in mentem venerit tempora illorum Pontificum plane miserrima, & calamitosissima exoptare. Verum ad rem propius accedamus. Concilium Tridentinum Sess. 25. ca. 3. de excommunicatione loquens audiamus.

Quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque circumspectione, experientia docet, si temere, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. Iccirco sessione eadem c. 20. Principes, Reges, Respub. Imperatorem tantũ admonet, sine strepitu, sine minis, sine fulminibus, vt Ecclesiastici iuris protectores esse velint, ne qui illud impediant. Vide quam moderate, quanto cum honore cum Principibus agat, quos non excõ[illegible] canone fent, quib. excõmunicationem non minatur, sed tantum admonet, vt venerentur Ecclesiasticum ius, vt illud impedientes tanquam protectores coerceant? Cardinalis vero sine vlla causa Pontificem animat, vt Religiosissimam Rempublicam, Christianæ Religionis propugnaculum, Catholicæ ac Romanæ sedis Basin, atque firmamentum excommunicatione percutiat? Atque hortatur, vt spatio sex mensium ad arma Excommunicationis in Principem inferendã peruolet, à quibus tres Summi Pontifices, Paulus, Iulius, & Pius Concilium vniuersum post 18. annorum discussionem, verbis, atque exemplo abstinendum esse significauerunt. Si hæc non fuit festinatio, quæ tandem illa erit? Illud etiam me non parum commouet, quod ad eiusmodi festinationem excusandam Paulum citat, apud quem est. *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Quid est *in promptu habere*, nisi potestatem habere? Cardinalis vero actum, ac potestatem confundit, ac potestatem habere non est statim ad actum deuenire; etiam Principes sæculares potestatem gladii in promptu habent, non tamen ex eo fit, vt sine caussa illa vtantur. Sed non patiar quenquam ex hoc Pauli loco, qui allatus est, tam cito emergere. Attendamus itaq; Paulũ ad ipsos Corinth. scribentem; *Prædico his qui peccauerunt, quoniam si venero iterum non parcam, absens dico, ne præsens durius agam, secundum potestatem, quæ data est mihi à Domino in ædificationem, non in destructionem.* Hic est Paulus, quem Cardinalis citat. Et primo quidem ei erat negotium cum peccantibus maximo peccato, hoc est infidelitatis. Deinde ait, se nihil in absentia acturum. Postremo affirmat se vsurum potestate non ad destructionem, sed ad ædificationem. Si Paulum Apostolum Paulus Pontifex in his omnibus imitatus fuisset, certe à nemine argui festinationis posset. At quod nam tandem est peccatum eorum, in quorum occisionem, id est, excommunicationem Cardinalis Pontificem exacuit? omnino nullum: libertatem, qua hactenus vsi sunt in suo dominatu, Ecclesiastici Concilii Tridentini monitis parentes, tanquam protectores custodiunt, quam nunquam habuerunt, quamque eos habere neque æquum est, neque conducit ipsi Reipublicæ, non vsurpant. Atqui multi tenent immunitatem esse de iure diuino? nihil mea interest. Nam multi etiam tenent, & quidem firmioribus rationibus esse de iure humano, quorum Catholicam opinionem quia sequitur Christianissima Respublica excommunicatur? certe qui hoc facit, potestate nõ vtitur in illos qui peccauerunt, sed in illos qui peccatum nullum habent. Deinde Paulus Pontifex absens molitus est spicula, hoc est falsis quorundam suasionibus ac relationibus inductus, quod si præsens, & coram Religionem singularem, Pietate insignem Serenissimæ Reipublicæ vidisset, caussas ponderasset Iustitiæ trutina, quam in eius manu Cardinalis collocat, nunquam in tam impeditum Labyrinthum ipso eodem fortasse Duce, se immisisset. Denique ad quam ædificationem Ecclesiæ vsus sit potestate, non facile intueor. Vniuersus orbis terrarum, veritate iam perspecta, metuit ne ex his subitis motibus Summa quædam Destructio exsistat, cum tamen nemo sit, qui vel longissime perspiciat vllam ædificationem. Ad hæc Paulus minatus est Populo illi, quia agebatur de toto asse, hoc est de fide, nec tamen post tonitrua intorsit fulmina, ac nunc, pro leuissima suspicione, & omnino sine vlla causa prius, vt ita dicam, iacta sunt fulmina, quam visæ sint coruscationes, aut sint audita tonitrua. Certe ex ore alicuius spiritus procellarum. Sane vtendum fuit non subita seueritate, quæ nihil prodest, sed suauitate, qua nouimus etiam refractaria animalia, vt ipsius verbis vtar, sæpissime cicurari. Huius suauitatis meminit Concilium Tridentinum Sess. vltima in fine, vbi ait, *se confidere, si aliquæ difficultates de nouo in prouinciis circa obseruationem Concilii oboriantur, Summum Pontificem curaturum, vt vel hominibus ad il-*

las superandas ex prouinciis conuocatis, vel etiam generali concilio, vel alio meliore modo prouinciarum necessitatibus, pro Dei Gloria & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.

Veniamus tandem ad Gregorium Septimum & Alexandrum Tertium, exspectabam vt Cardinalis locum proxime citatum ex Concilio, Pontifici proposuisset, aut eorum Pontificum exempla imitanda, quorum fuit in tractandis negotiis summa dexteritas, qui pacifice, & feliciter Christianam Rempublicam tāquam Christi Vicarii gubernarunt. Quis credat? Gregorii, & Alexandri cupit renouari calamitates, vulnera refricari. Tædet me illorum Pontificum Historias recensere. legant quæ dicam in vitis ipsorum, ac præcipue in Platina. Omitto aliam fuisse causam Henrici & Friderici, qui Simoniaci, ne quid peius dicam, habiti sunt: aliam esse causam Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, quæ si vnquam Catholica fuit, vt reuera semper fuit à suo exortu, nunc præcipue est religiosa ac pia, tantum quæro quid consecutus est Gregorius post tot tumultus, qui ex eius in Henricum Anathemate excitati sunt? post tot schismata in Romanā Ecclesiā? post tot excidia, quibus Italia vniuersa interiit? Ipse tandem cum Guiscardo Calabriæ Duce, quem amicum habuit, ac protectorem, qui nihilo erat melior, quam Henricus, imo fortasse peior ab vrbe Roma, quam Guiscardi milites populati fuerant cuius templa profanauerant, Salernum concessit, vbi exsul, ac profugus macie, ac dolore confectus tandem interiit. At Henricus filius cum Pascali 2. in gratiam rediens, non solum ab Anathemate se absolui non est passus, sed omnia, quæ Imperator fecerat, rata habuit, tandem splendidissime coronatur. Dicat quæso Cardinalis, quis vicit? Gregorius: an Henricus? siccine vindicatur libertas Ecclesiastica? si hoc est vincere, quid erit perdere? si immunitas sic restituitur, quomodo labefactatur?

De Alexandro Tertio quid commemorem? tandem aliquando Roma pulsus Venetias appulit, vbi ne priuatam vitam ageret, Venetorum Religio non permisit. Illi cognito omnia Summi Pontificis ornamenta publicis inpen[illegible]dita atque restituta, deinde agi cœptum est de pace Italiæ restituenda, quam illi Alexander [illegible] excommunicationibus ademerat, denique perfecta res est Ducis Venetiarum celeberrima Victoria, qua Imperatorem Fridericum ad osculandos Pontifici pedes adegit, atque ad tollendas discordias. Quis vicit Alexander, an Dux Venetiarum Sebastianus Zianus? Nihil est tunc Alexandro de Ecclesiastica libertate restitutum: pedum oscola, quæ Fridericus ei ante dissidia non negauerat, tantum extorsit. Si hoc tantum consecuturus est Pontifex Paulus, Cardinali Baronio hortatore, atque duce, quod Gregorius & Alexander consecuti sunt, quid attinet tanta spargere semina perturbationum, tanta incendia præparare?

Hoc est meum votum, vt ab ipso Cardinali admoneatur, vt illorum Pontificum exemplis ab incepto se remoueat, & quod ipsius hortatu nimia festinatione commisit, quam citissime detestetur, corrigat, & emendet. Hoc si fecerit non dubium est, quin ei daturus sit Deus faciem duriorem faciebus, & frontem duriorem frontibus infidelium, de quibus Propheta loquitur, nimirum quia erit murus æneus, & Columna ferrea fundata etiam in armis atque præsidiis Christianissimi Principis Venetiarum.

Tandem, vt hoc meum votum, non meo, sed ipsiusmet Cardinalis Baronii signo communiam, quo maior illi ab omnibus adhibeatur fides, velim memoria repetas, quæ in tomo 10. *Annalium anno* 878. partim ab ipso narrata, partim ex propria sententia pronunciata leguntur. S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus Ioanne Octauo Summo Pontifice, post trinum monitorium, Mense Aprilis, censuris percussus, suspensus, & Patriarchatus, ac summi Sacerdotii dignitate priuatus fuit, nisi suos Episcopos, & Sacerdotes à regione Bulgarorum intra triginta dies reuocasset, quanquam diceret, ad suam iurisdictionē pertinere illam Prouinciam: tandem mortuus est in hac sua opinione, neq; vnquā Pontificis sententiam obseruauit; post mortē vero, tot miraculis claruit, vt sit in sanctorum numerum relatus, eiusque dies festus celebretur tam à Græca, quam Romana Ecclesia die 23. Octobris, qua mortuus est: huius Sanctissimi viri factum sic Cardinalis excusat.

De ipsius Sancti Ignatii obitu, ex eodem auctore Niceta acturi, 1. ille amouendus est scrupulus, quo offendi quisque facile poterit, qui audierit superius recitatam Ioannis Papæ Epistolam, qua nimirum ipsum Ignatium minus perstringit, & à communione catholica segregat, nisi intra triginta dierum spacium reuocet ab se ordinatos Episcopos Bulgariæ, quamuis autem ab Ignatio ista minime impleta inueniantur, constat tamen eundem semper vsque ad obitum in catholica Romana Ecclesiæ communione fuisse retentum, quod eiusdem Ioan. Epistolæ ad diuersos data post Ignatii obitum docent, vt iam de his nulla penitus dubitatio oriri possit.

Vt autem probet fieri potuisse, vt post elapsum tempus Monitorii cum in sua sententia tamen Ignatius perseueraret, censuras non incurrerit, confitetur eum non occidisse, neque quia tempus non fuit elapsum ait non incurrisse, sed hanc adhibet excusationem.

Neque est quod quis ob litem hanc Ignatium fuisse animo in Apostolicam Sedem infenso existimet, vel ingrato, cum quæ iuris essent suæ Ecclesiæ defendere iuramento teneretur obstrictus, etiam æterna vitæ dispendio. Non enim aliena retinere, sed sua possidere, ex possessione prædecessorū ipse iustū putauit, cui, haud dubium, sponte cessisset, si id facere sibi licuisse credidisset. Probatū vas igne erat, excoctumq; fornace omni rubigine carens. Hæc Cardinalis. Hadrianus Pōtifex, & Ioannes, Ignatium, quod temerario calcaneo suam iurisdictionem occupasset, atque adeo surripuisset, monent, & censuris feriunt: Cardinalis Baronius in censuras eum non incurrisse asserit, quod non aliena retineret, sed sua ex prædecessorum possessione possideret? An non hæc est causa Serenissimi Principis Venetiarum, imo multo iustior? nam tūc de Ecclesiastica iurisdictione inter summos Pontifices, & Ioannem Ignatium decertatū est, inter caput, & mem-

& membrum: erant enim tunc illæ duæ Ecclesiæ vnicæ, Latina, & Græca. Hic agitur de iurisdictione Principis secularis, quam ipse Princeps obstrictus iuramento tenetur omnibus modis defendere. Quod si Cardinalis ob hanc caussam negat Ignatium censuram iam illatam incurrisse, cur hortatur Summum Pontificem Paulum, vt eandem ob caussam Serenissimam Rempublicam Anathemate feriat? oportet Iudices semper sui similes esse? & pro veritate constantissime depugnare? sed te interrogantem audio, quanam censura Ioannes Papa Ignatium illigat in Epistola? excommunicatione, nisi fallor: nam eum priuat corpore, & sanguine Domini, id est communione fidelium illius Ecclesiæ; *excommunicare* autem est communione priuare. deinde ait Ioannes, Episcopos ab Ignatio missos iam esse excommunicatos, quod nimirum in alienam messem irruperant. Ignatium igitur etiam excõmunicauit, quod eos non reuocauit. Ioannes et IX. Pontifex ait, Ignatium ab Ioãne Octauo propter hanc caussam anathemate fuisse percussum, vt testatur idem Baronius *anno* 880. *num.* 11. *&* 12. Postremo Cardinalis ipse fatetur, à Ioanne fuisse Ignatium à catholica communione segregatum, quod quid est aliud, quam excommunicatum ab eo fuisse? Verum si quis contenderet eum suspensum, non excommunicatum fuisse, quod falsum est, tamen dicendum est id esse cõtra verba monitorii. nam ait, *corpore, & sanguine Domini priuatus esto*: si esset suspensio, dixisset, *ministerio corporis, & sanguinis Domini priuatus esto*, non *corpore & sanguine Domini*. & nostram rationem eundem habere vigorem. nam ipse censuram, atque adeo Summi Pontificis sententiam non seruauit, quia sine dubio nullam putauit, propter eam, quam Cardinalis affert rationem, quia sua possidere, ex possessione prædecessorum ipse iustum putauit. Neque est quod quis putet hanc sententiam fuisse excommunicationem minorem, nam excommunicatio minor est ex leuissima caussa, & non infligitur directe, & ab homine, sed consequenter, & à iure: at caussa Ignatii erat grauissima, vt patet ex verbis Epist. Ioannis Papæ, & infligitur ab homine cum aliis summis pœnis. Iam vero sic possunt, quæ Cardinalis dicit, quamuis pugnantia videantur, apte cõgruere, eum à communione catholica fuisse à Pontifice segregatum, & tamen in cõmunione Romanæ Ecclesiæ, post obitum cum miraculis claruit, à Põtifice fuisse retentum; segregatus quidem per sententiam fuit, sed nihilominus fuit retentus, quia nulla fuit ipsa sententia, quam propterea non seruauit, quia suam iurisdictionem putauit, non sine magno peccato occupanti posse derelinquere. Quare Illustrissimo Cardinali nouum non erit, si ex ipsius sententia Serenissima Respublica putet, se in Catholicæ Ecclesiæ communione retineri, cum tamen censuras, à Summo Pontifice Paulo, tanquam nullas, non obseruet. id enim efficit, vt sua, ex possessione prædecessorum possideat, cui est iuramento obstricta, nec potest aliter facere, aut permittere sine æternæ vitæ dispendio. Ex his facile, non solum ipsi Cardinali, sed omnibus constare poterit, quam fuerit eius votum, non solum à ratione, verum etiam ab ipsiusmet voto alias in *suis annalibus* declarato, alienum.

Hæc habui, quæ de hoc voto in promptu dicerem. Quod esse ipsius Domini Cardinalis nemo est, qui dubitet, tum ipsius confessione, cum aliis firmissimis argumentis, cui non dissimilis est nunc primum typis mandata Parænesis ad Rempublicam Venetam, quæ quoniam nihilominus est aculeata, atque adeo de acrioribus stimulis obarmata, nihil quoque Deo bene iuuante Clypeus fabricandus erit, quo illa non solum recidant, ac retundantur, sed quoad eius fieri poterit, in suum reuertantur auctorem. Dixi.



SERMO

Anno 1606.

APOLOGETICVS

PRO

SERENISSIMÆ REIPVBLICÆ VENETÆ VETVSTISSIMA ET INCORRVPTA, ET A MAIORIBVS SVMMA VIRTVTE SVMMISque laboribus parta ac constituta libertate.



ENETAM Rempublicam, in qua lex æterna, summi Dei mens, & sola recta ratio dominatur, libertatis domicilium nactam nulli mortalium parere, nec cuiusquam iussa capessere, aut didicisse, aut fas putasse satis constat. Ob idque hanc priscæ Italæ virtutis decus, ac lumen & vetustæ fortium Italorum libertatis columen omnes vniuersi orbis nationes iure fateri non dedignantur. Hæc priuatorum dominium, quæ naturali quodam iure ac vinculo retinentur, nunquam absque causa læsit, aut lædere æquum censuit: quippe non populorum pastoris, sed male sanæ mentis & Phalaris aut Dionysii cuiusdam id opus esse arbitrata est. Cæterũ vniuersalis dominii super subiectorum bonis iura semper retinuit, prout & cæteri Principes, quorũ imperia non ab alicuius superioris Principis munere pendent, sed soli Deo accepta feruntur. Hinc emolumẽta, tanquam summæ iurisdictionis fructus, & à suprema potestate profecta, sæpe percipere consueuit. Quod si hmõi bona Ecclesiæ agglutinarẽtur, proculdubio ictu citius oculi dominio illo vniuersali Respublica expoliaretur, & sine causa, quo quid indignius? Ecclesia etenim, quæ iustitiæ cultrix esse debet, summæ iniustitiæ fons & origo facile domestico præconio dignosceretur, & quod sancte Respublica cum sibi subiectis semper abhorruit (nemini enim ne tantillum quidem cespitis sine causa abstulit) Ecclesia Dei, quam immortalia tãtum curare, & deceret, & æquum esset, & cuius auctoritatẽ (quod attinet ad humanarum huiusmodi rerum imperium) à mortalium Principum largitate, ac donis profectam esse nemo inficiari queat aduersus Principem, & Principem veræ Christianæ pietatis alumnum, & qui sæpe in summo positam discrimine prudentia & viribus restituit Rempublicam, & cuius libertatis fasces vti sacrosanctos nemo maximorum Principum (cum omnia diuina & humana miscerentur, & sursum ac deorsum, atque etiam in latera voluerentur) fœdare aut violare vnquam, aut leuiter attingere ausus est, aliena appetens tam ferociter concupiscet? hocque iustitiæ candori consonum existimabit? suaque seruare volentem ipsiusmet Ecclesiæ & magnorum Regum & nobilissimarum Ciuitatum exemplo Rempublicam damnabit, & cœlesti regno extorrem constituet? Verum si quis assereret, impium esse lege sancire, ne quis sua Deo dicare possit, & liberũ supremæ voluntatis arbitrium esse debere, audiat, quam facile minæ istæ iniustæ & nugæ potius canoræ refellantur, liceat quodlibet, dum tamen ius alterius non lædatur, & præsertim Principis, qui, dum alii sopori ac genio indulgent, vigilat, & summis cum laboribus & angoribus publicæ saluti consulit; Magis enim impium est, aliena sine causa surripere, quam pium propria cum aliena iactura largiri atque effundere.

Excommunicatio spernenda. Quod si quis vrgere non desineret, Rempublicam summi Sacerdotis iussu sacrorum omnium expertem futuram, eundemque acerrimum suæ telum potentiæ in eam vibraturum, sciat insontem, & veræ & solidæ non adumbratæ Christianæ virtutis ac pietatis cultricem, impenetrabile suæ scutum tum innocentiæ obiecturam, causamque suam summo Deo facile probaturam, seq; extra pomerium cœlestis Hierusalem ob impia iussa eiici non posse existimaturam, & quamplurimos Christiani orbis mortales, Italos, Germanos, Gallos, Britãnos, & vlterioris etiam Septentrionalis tractus Reges & accolas suæ sententiæ assertores, & primipilos, quin & vexilliferos etiam & Duces habituram. Nec est, quod summus Sacerdos conqueratur, & Rẽpublicam impietatis insimulet: iniuriæ n. tam asperæ non modo acres ictus & aculeos infigunt, verũ magnorum virorũ iracundiam irritant, exacuunt & accendunt. Sapientissimum hominem scribitur immortalitatem nihil fecisse, vt patriam videret, quid Rempublicam, vt vetustissimam & incorruptam, & à maioribus summa virtute & summis laboribus partam ac constitutam libertatem conseruet ac tueat...

tere

agere æquum est? Quod si quis in contractibus locationum, aut emphyteusis legem potest dicere, ne in Ecclesiam iura seu fundi transferri queant, ob exactionis scilicet difficultatem & duriorem domini conditionem, idque vnumquemque iure suo vendicare posse, omnes tam veteres, quam æui nostri summi atq; acerrimi ingenii viri fateantur, cur eidem Principi non liceat, cui ob rerum suarum imminutionem maiora imminent atque impendent discrimina & decoris, & famæ, & virium? Quo enim quis altius sedet, eo si deturbatur, & præceps ruit, & grauiore ictu colliditur ac frangitur. Si vnusquisque testamento cauere potest, ne bona sua in Ecclesiam transire possint, neque fisco addici, idque Princeps ægre ferre non consueuit, cur Ecclesiam tantas excitare turbas audimus, si Princeps vetusto more & sanctis & neutiquam obsoletis legibus iura sua tueri, & in alienam transire ditionem non permittit? Breui temporis cuniculo Brixiensis agri annuos redditus triginta aureorum millium, & vltra Ecclesiæ adiectos nouimus. Quod si malum tam ingens latius serpere, ac progredi permittatur, nonne Imperium, vt Sânium in Samnio, in imperio quærere necesse esset? Si rerum confusionem & perturbationem, & si quid absonum, & rectæ rationi nõ congruens ob summi Sacerdotis iussum oriri posse, perspicue nouerimus, nũ bonus vir parere cogẽdus erit? imo num iubens bonus existimandus? Sibi hæc intus canant, quæ omnia ad sui commodum referunt, omniaque suis metiuntur emolumentis, ne cæteris imponere conentur: quid enim inter falsas Sirenum voculas, quæ acutorum hominum sensus haud facile prætervolant, & hebetioribus auribus non excipiuntur, & cœlestium musarum modos interfit, viri egregie cordati, & bene emunctæ naris facillime diiudicant, libertatis thesaurum omnibus humanarum rerũ bonis lõge maxime anteferendũ, acri grauissimorũ atq; amplissimorum maiorum solertia, & vigili ac perenni cura ac studio ab vrbis veluti crepundiis ad nostram vsq; ætatem seruatum incolumẽ, & nulla labe pollutum, alma hæc Respublica per manus traditum suscepit Prælatum tam insignem atq; illustrem, à maiorum virtute gloriæ facem opus omni pietate maius posteris per ignauiam, ac pon' nequitiam non præferre? Parentes ac liberos ob patriæ libertatem interimere, pulchrum ac decorum omnes semper mortales existimauere (neu tu, qui propriã perdidisti, aut aliter sentis, aut alienæ inuides) turpissimum vero quodlibet vitæ discrimẽ detrectare, quin & vnumquemque teneri profundere, grauissimi & sanctissimi viri tradidere, eosque, quibus pro tuenda ciuium libertate oppetere contigit, in cœlum quibusdam veluti gloriæ gradibus ascendisse, atq; inter cœlestes Heroas connumeratos accepimus.

Quid igitur oscitandum? num in re tam seria cessandum? at summo Sacerdoti & legibus parendum quis negat? sed quid? etiamsi ea iubeat, quæ sunt & Naturæ & diuino iuri aduersa, & quæ neque ad sacrorum ministeria, neque ad animorum cœlo apud rerum omnium præpotentem Deum collocandorum salutem, quidquam pertinent? etiamsi ea imperet, quæ nec ipse summus rerum opifex imperaret? iniusta enim nec vult nec potest iubere; Si hæc concederemus, claues erroribus subiectas fateri necesse est, & iniusta & iniqua in legem Domini in atrio Sanctæ ciuitatis inuecta conspiceremus, quo quid fœdius? tolleretur enim quod est proprium optimæ præstantissimæque diuinitatis. Hæc certe exempla Christi Opt. Max. non olent, non Pauli, non aliorum Sanctorum procerum, qui non in Adonis, aut Alcinoi, seu Giuari hortulis consenuere, non Acclæis, pretiosisue penstromatis triclinia exornata habuere, non auro, atque argento Abacis instructis mensæ Luculliana pompa dapibus longe & ferme à Gadibus vsque petitis sternebantur, quippe qui mediocri ac leui, & ex temporaneo apparatu contenti extitere. Quid vero iuri tã repugnans, quid tam rationi dissentiens, quid tam naturæ, quin & ipsi Deo tam aduersum, quam prohibere, ne quis rei suæ sine alterius iniuria legem dicere possit, ne patrimonio suo exire, & in alienam quasi familiam immigrare possit, cum præsertim ea valde indigeat? Heus Paule Quinte si non repugnas optime, audistin Classem complurium quinqueremium, & militibus, & bellicis tormẽtis optime instructam aduersus prædones, & barbaros piratas, & Christiani nominis hostes, omnem Adriatici Maris sinum & Ionii, atque Ægei Christianas vrbes, atque Insulas, & litora tueri, & omnia hæc almæ Reipublicæ sumptibus & ex eius ærarii visceribus proficisci? nonne hoc admirandum cæteris Principibus Christum pie colẽtibus exemplum propositum? num tibi relatum numquam fuit Venetiis naoale esse, in quo octingenti & amplius vnicuique magna indies soluta stipe fabri omnia, q̃ ad rẽ nauticã pertinent, assiduo opere curent, nobilibus, q præsunt, opus instãtibus, ne pecuniæ frustra exhibeantur, & pereant, quod præcipuum Italiæ munimentum est. Hoc enim pen etriti Barbari eam multis ab hinc retro annis adoriri non sunt ausi, cui inhiant tamquam vultures cadaueri. Quid? an excidit munitissimas Respublicas, Vrbes, ac Arces, & commeatu & militibus, bellicisque omnifariam instrumentis, ac tormentis instructas Barbarorum, qui imminent, minas contemnere, nec pati, vt imminutas omnino ac fractas Italorum vires existiment? Quid? nonne Respublica nouam vrbem in Italiæ limitibus nuper condidit, & Barbarorum ferociæ veluti frenum iniecit? At quam vrbem? Apertum erat, & nudum, captis Legeto, & Canisa vrbibus, Italiæ latus, & Barbarorum excursibus, & furori expositum; Nunc noua vrbe extructa Barbarorum animi, qui antea elati atq; erecti Italiam & Romam, Romam, inquam, conceperant, statim cõciderunt, quæ vrbs q̃ breui coaluerit incredibile dictu est. Videas. n. nõ tam mœnia nouo ac miro quodã militaris ingenii cõmento iam ad amussim elaborata ac perpolita, 9. murorũ veluti cornua se inuicem respiciũt, vt facile aliud aliis in discrimine suppetias ferre possit, quod visu quo-

que ad-

que admirandum, sed intus omnia iam pene perfecta viæ & tramites, veluti in quincuncem redacti. Videas Insulas, domos, fora, turres, templa, Magistratuum ædes, opificum tabernas, omnia denique priuata ac publica nō tam ad necessarios vsus, quam ad Ciuitatis decorem magnificis operibus parata & fabrefacta, quin & multitudine Ciuium iam repletam, vt facile existimes multis vetustis Italiæ vrbibus celebriorem. Huc complures mortales confluunt, vt opus pene diuinum intueantur.

Hæc vero sanctissime Pater parui facienda, contemnenda, & obliteranda, & alicuius parum sano iudicio substernenda? Nullus pene intercidit dies, quin Patres simul conueniant, & de communi & totius præsertim Italiæ salute disserant; Non enim de popinis, aut ganeis, aut conuiuiis, aut canibus, & si quid est turpius, sermones inter se conferunt, sed res Turcarum Principis semper in ore, & de viribus tanti imperii, & quomodo hostium perfidiæ ac dolis obsisti possit in tanta cæterorum Principum conniuentia seu tarditate, feruntur sermones. Hæ sunt Senatus feriæ cogitationes, hæ sunt Senatorum grauiores curæ, & tot laborum, tot vigiliarum præmium illud apparenter offeratur, vt rerum suarum dominio Respublica priuetur, & quæ humano ac diuino iure permittente retinere potest, per summam iniuriam diris propositis amittere cogatur? Exurgat nunc aliquis ex Iurisconsultorum vmbraculis, isque imi subsellii Leguleius, qui nec Philosophiæ lacte innutritus, nec eius purissimis, ac suauissimis fontibus labra vnquam proluerit, & Stoæ porticus, aut Lipsi numina nefando quidem audiuerit, & Stoicorum subtilitates, Academicorum in disserendo morem, Peripateticorum acumen tamquam nocturna ora, & dira numina refugiat, auerseiur, abhorreat, & verborum veluti laqueis, & spinosioribus sententiarum anfractibus omnia diuina & humana misceat ac conturbet. Huius tamen tenebricosis, & subobscuris commentis, quam clare veritas refulgens respondeat, quæso ipse perspiciat. Nonne vides, magnos duces sumptis paludamento, ac trabea, via lata, ac militari, non callibus, aut tramitibus salebris, aut dumis obsitis, ac pene inuiis copias solere educere? & aliud esse lychnorum lumen, aliud Solis, & horrisonum classici sonitum, tubarumque clangorem multo longius, quam tibiarum, fistularumque modulos exaudiri, & splendentibus micantibusque maioribus astris minora obumbrari, ac fere obscurari consuesse, sic amplior, angustiorque Iustitiæ dominantis, & quadrato Lapide sedentis fulgor, & Maiestas iustitiæ inseruientis, & ad obsequium stantis lumini ac dignitati præferenda est. Iubet illa, paret ista, & ad nutum præsto est. Seruium Sulpitium maximum illum virum, quem Iurisconsultorum eloquentissimum, Oratorum vero iurisconsultissimum appellant, non tam iuris, quam Iustitiæ consultum fuisse accepimus, hunc imitari, huius vestigiis inhærere principem, & salutarem virum decet, nec humi serpere, sed per rerum celsitudines ferre iter, ac progredi par est. Nimis enim angusti & ad orbem terrarum regendum parum idonei animi est circa humilia immorari, & de tenuibus copiose atque acriter disserere, maiora interim posthabere, ac prorsus negligere. Cohibendus & exercendus procerum Christi locus, vt obloquentium, qui quamplurimi ac pene innumerabiles sunt, ora obstruantur, pauperibus, qui fame pene enecti per Ciuitatem, ac vicos, præsertim Italiæ oberrant, bona sua tacito sermone, & frequentibus susurris reposcentibus subueniendum, auxilia contra hostes, qui Christi Opt. Max. sepulchrum obtinent, obsident, & (proh pudor) superbe irrident, summo studio paranda, summi Principes cohortandi, ne impurissimi, scelestissimique hostis vires indies maiores, formidabilioresque fieri sinant, vt dissidia sedentur, vt fœdera inter eos bona fide seruentur, vt pace, pacisque commodis feliciter fruantur.

Libertas Ecclesiastica.

At libertas Ecclesiastica cordi est, huic consulendum, huic subueniendum, ne quid depereat, cauendum. Quam tu mihi libertatem narras? ita ne vero? tu aliena appetere, tu alienis opibus inhiare, tu tibi aliena asciscere, & ad tuam arcam omnia aduoluere, libertatem putas, libertatem vocas? Error hic est, & si vera proloqui liceat, ecquid ni liceat? calliditas est. Sunt enim, qui acutiore & vehementiore quodam veluti æstu perciti ac commoti vastam & inexplebilem voraginem ac Charibdim, longissimis fluctuum verticibus omnia ad se trahentem appellare non desinunt, & turpissimum fœdissimumque auaræ mentis aucupium. Tu tibi tua habe, ne quid desit summa ope cura, nemo tibi in tuis molestus sit, nemo ne summis quidem digitis tua attingat. Cæterum alienis ne te immisceas, nec velis pulcherrimis atque ornatissimis verborum integumentis, ac inuolucris pietatis prætextu veritati tenebras offundere, & alienæ libertati illudere, & Dei Opt. Max. donum tot ab hinc retro seculis sartum tectum ad hanc vsque ætatem summa virtute seruatum, nouis, turbulentissimisque decretis labefactare, obterere, ac penitus consumere, ac delere. Hæ tuæ sint artes, hæc tua sit libertas, tua tueri, aliena non concupiscere. Forte ante te quamplurimi summi Antistites præclarissimis virtutibus præditi, vetera non mutarunt, scientes cauta & antiqua nouis & acrioribus Consiliis esse præferenda, & famæ consulendum. Prima enim quæ sint postrema futura facile demonstrant, atque portendunt. Tu vero summe Pontifex initio tui Pontificatus tantas vere turbas, libertatem Venetam lacessere, cautum seu præclarum tuæ virtutis monumentum fore arbitraris, confidis, speras? falleris, veteribus parta ac bene constituta Republicâ nisi maxima vrgeat necessitas, semper standum. Proinde te, quæ bene ac fideli & optimo animo reprehēsa sunt, maximorum Principum exemplo

emen-

emendare conuenit, iniqua & penitus damnanda ista, quam tu libertatem appellas, quæ seruitutem liberis hominibus iniungit, & ipsius naturæ, & Sanctissimorum Patrum, quin & supremi rerum omnium Opificis voce, & altissimo veluti præconio repudianda: nihil enim exitiosius, nil tam contrarium legibus, nihil minus ciuile, ac humanum dici aut excogitari potest; Quod si aliquid iniqui esset admixtum, quod tamen omnino & semper inficiamur, ferendum tamen, & æquo animo esset, & vtilitate publica rependendum, ne omnia te incassum, inspectantibus, irridentibus, & inuitissimum te præbente spectaculum habentibus hostibus, qui in portis parati atque armati impendent, atque imminent, velle dare videaris. Haud vereor hæc te non facile probaturum (ardua enim res apibus non mores tradere) & risu forte & cachinnis in tuo admirantium cœtu excepturum, & impudentiæ, qui tam audacter scripserit, damnaturum, sed cum solus eris, & Deo solo teste rationes subduces, rationi valde consona fateberis, & veritati demum non illibenter manus dabis. Qua enim humana vi veritati obsisti potest? Idem cæteri prius irridentes ac subsannantes cum soli erunt, vtique facient; cum enim te circumstant, & euocati & rogati sententias dicunt confestim, non quid expediat, sed quid velis, quid cupias, quid tibi sit persuasum cogitant, & sententias non ratione, sed ambitione obuolutas impudentissime, quippe cum à te omnia summa expectent, proferunt. Quorum tamen ingluuiem, etiamsi Thiaram concederes, exsatiare, & explere nequi es. Scito vero te veritatem (proprium magnorum Principum incommodum) nunquam auditurum, nisi ex iis, qui humanas Christi diuitias, & calicem tuum musto plenum nihili pendunt. Si sententiam mutaueris, teque rationi obsequentem ostenderis, omnes te Christiani orbis ordines summis laudibus extollent, teque maximis Principibus, quin & Deo simillimum arbitrabuntur; nam illos sententias sæpe mutasse, & bunoetiam iuramento firmata reuocasse accepimus; Sin vero in hac perniciosissima sententia obnixe perstiteris, certe scias omnes fere mortales Christiani orbis te, tuaque omnia damnaturos, & detestationibus, imprecationibus & execrationibus iugiter persecuturos, & te imprudentissime tibi, mis & toti Christiano orbi consuluisse existimaturos. Tu Itala ac libera olim Ciuitate oriundus, Romæ natus, quam incolis, quæ ex semine libertatis pene innumerabiles magnos & excelsos viros edidit, quæ incredibili fere virtute orbem terrarum eius imperio patere coegit, Italam libertatem, quæ quoad eius fieri potest, Romanam redolet, ac mirifice refert, conterere, pessundare, & ad nihilum redigere (quod plerique hostes tui exoptant, & summopere concupiscunt) summo niau conaris?

Restat vt de iis, qui Sacris sunt initiati, nonnulla breuiter perstringam. Si enim ea, quæ à compluribus doctissimis viris ea de re scripta sunt, colligere velim, opus pene in infinitum excresceret. Aiunt non licere Reipublicæ de iis, quos *Christos* suos appellat, etiam si quæuis nefaria flagitia perpetrarint, pœnas sumere. O incredibilem errorem, & ingenii imbecillitatem! nonne ab vrbis incunabulis Respublica nefarios facinorosos, etiam eos, qui sacra administrabant, & carcere, & ergastulis, & seuerissimis pœnis coercuit, & cum opus fuit, summo etiam supplicio affici iussit? nonne id suo iure vindicauit? num quis prohibuit, aut prohibere ausus fuit? nonne prisci Reges naturali iure hoc factitarunt? nonne memoriæ prodium omnes Summos Pontifices tacito olim assensu id comprobasse? nonne Paulum Tertium accepimus læto animo summis laudibus Rempublicam extulisse, quod de scelestissimis Sacerdotibus seuerissimas pœnas sumpsisset? At quem virum? de quo vere dici potest: *Quo minor est quisquis, maximus est hominum.* Omitto cæteros, qui idem senserunt, Antistites, cum mihi nunc vnus ille instar sit omnium; & tantorum virorum testimonio & auctoritati non acquiescemus? Quis antiquitus Romæ vestales in terra viuas defodi iussit? Moses vero cum Sacerdos non esset nonne Leuitas perditos homines, cum religionem summo scelere polluissent, interfici imperauit? nonne id gratissimum Deo fuit? Sed iuri diuino id contrarium existimas & affirmas. Iam non vtar exemplis Regum, Imperatorum & magnarum gentium, ac populorum, quorum infinitus prope est numerus, qui sacrorum administros, cum commeruerunt, summo supplicio affecerunt. Ratione pugnandum; si quis exhibita alicui improbo pecunia inimicum interimi curauerit, summo ne Sacerdoti puniendum ac mactandum tradet, vel sibi eripi permittet Rex, vel Respublica, vel quis alius magnus Princeps, nemo certe dicet, quin & Pontificum lege permissum. Num igitur diuina est sanctio? At Pontifex ob criminis grauitatem aliquantulum deflectendum à iure diuino censuit, idque ei permissum, ob summam clauium cœlestium auctoritatem & omnium fere consensu comprobatum. Sed quid? si lex illa, quæ ad quosdam Asiæ populos pertinet, prudentissimorum hominum interpretatione ad omnes, qui tam immane scelus admiserunt, nonne deducta est? quæ igitur lex est? hominum certe sapientissimorum, qui criminis immanitate ducti Principibus permiserunt, vt bosce infestissimos humani generis hostes tollere & quibuslibet pœnis afficere queant. Quod si conceditur, (vt inficiari nullus potest) consentaneum est, vt humana ratione rectoque prudentissimorum hominum consilio, non diuina aliqua voce, nec Anglorũ tuba ,platam censeamus, quo fit, vt nihil impediat, quin & ad similia continua quadam interpretatione connecti ac colligari posse. Quid enim si quis parentem, aut matrem, aut filios veneno, aut armis sustulerit, num æquum videri potest, vt tanti similitudo flagitii Ecclesiastico tradatur iudici punienda? absonum certe id esset, & rationi minime congruens: iam enim teterrimis bestiis insuuntur, qui tam immani

Potestas secularis in personas Ecclesiasticas.

crimi-

crimine se commacularunt. Quid? si quis alienam irruisset domum, vimque insigni alicui viduæ inferre conatus esset, eaque cognatos & affines aduocasset, remque exposuisset, rogassetque ne decus suum periclitari paterentur, ne ignominiæ nota sibi, totique cognationi iniuste inureretur, iique impuro illi comminati essent, si posthac illam ingredi domum auderet, se haud inultam iniuriam relicturos, isque paucis interiectis diebus fores nobilis, & honestissimæ illius mulieris nocte cœno & immunditiis fœdari curasset, nihilque propius fuisset, quam vt maximus in vrbe tumultus esset concitatus, & ad arma itum esset, num tam magni discriminis auctor ad Ecclesiasticum iudicem leuissimis, ac pene ridiculis afficiendus pœnis reiiciendus? At summi Reges, Constantinus, Theodosius, Iustinianus & plerique alii idem factitarunt. Sunt isti, qui hæc attulerunt, subtiliter & copiose contra se disseri, neutiquam enim istud est concedendum. Cum voluerunt ad alienum iudicium reiecerunt, non tamen supremæ potestatis auctoritatem vnquam abiecerunt, nec sibi eripi passi sunt, quippe quæ veluti ossibus ac visceribus eorum impressa atque infixa erat, & nulla ab eis ratione auelli, aut separari poterat, quin, & Iudices Sacris initiatorum quandoque ipsi fuerunt; aliis cum eis libuit, iudicandi munus concesserunt, vices tamen suas obtinentibus.

Quod si tu Rempublicam in ius vocaueris iustisque rationibus caussam tuam tueri te posse existimaueris, scito complures summos Pontifices è cœlo pie euotos Reipublicæ patrocinium suscepturos, & quod colligaueris, Dei Opt. Max. assensu facillime dissoluturos, & Alexandrum tertium in primis adfuturum. Hic manus ostendet, & lachrymis forte obortis (si lachrymas emittere huiusmodi proceribus cœlo receptis datum est) dicetque patellis, ollis, peluibus, lebetibus fricandis ac detergendis, cum ad coquinariam apud religiosos, quos vocant, charitatis præ metu Imperatoris exercendam Venetias confugere coactus esset, olim pollutas: ostendet rastros, & denuo sacras manus fodiēdo hortulo, & inutilium, ac noxiarū herbarū radicibus euellēdis iam conquinatas, ac pene attritas, prolapsam, afflictam, & profundo ferme obrutam & demersam Apostolicæ sedis auctoritatem ac maiestatem intuendam proponet, obiicietque dein, cuius virtute, ope, consilio, viribus, caput extulerit, & multo quam ante pulchrior emerserit, eueneritque, atque imperium religione tactum domuerit, & diuini solii auctoritatem, & clauium cœlestium vim denuo consecuta fuerit, & qua lætitia, quo omnium mortalium Venetæ Ciuitatis gaudio atque exultatione profitebitur & prædicabit; maximumque Reipublicæ Venetæ pietatis exemplar proponet, quæ omnia sua alacriter & summo studio contra efferos & potentissimos hostes in casum dedit, vt Apostolicæ sedi in summo rerum discrimine opem ferret; addetque, se non solum indicandi, sed omnes bene gerendæ Reipublicæ mores comprobasse; idque & Thomam Aquinatem sentisse, & aperte declarasse, Thomam, inq̄ illum, qui inter diuinarum rerum Scriptores toto vertice supra est, & caput inter nubila condit, sed & in se persancte recepisse Apostolicam sedem facti memorem semper futuram, & tanti beneficii memoriam nullam oblinionem nulla vnquam per secula deleturam, & tot benedictionibus, quot sunt arenæ maris minuscula, ac tenuissima grana, Rempublicam prosecutum fuisse, easdemque ob singulare Reipublicæ meritum omnibus statuto die Ecclesiam, in cuius abditis delituit, at misere commoratus ac conflictatus est, visitātibus impertitum fuisse adiiciet, vmbellam, cathedram, puluillos, annulum, annulum, inquam, illum, quo mare ipsum tanquam sponsa, tam celebrem pompam, quotannis cernens incredibili pene veluti gaudio affici videtur, & hæc mutuæ beneuolentiæ insignia & perpetuæ coniunctionis animorum monumenta, & quadam veluti æternitate nexa enunciabit. Huius incenso ac flagrantissimo studio huic è Cœlo fluenti veritati quid respondebis? quid oppones? qua demum te ratione explicabis, euolues? te velle id diuini iuris esse? at tua voluntas delet, non confirmat religionem. Sed quid dicam, Paule optime? ne innitaris prudentiæ tuæ, Paulos imitare, & præsertim Primum & Tertium: Primo nil diuinius, Tertio nil sapientius. Placabilitate ac clementia vtere, ne commoueas ea, quibus commotis toto Christiano orbi, & præsertim Italiæ & vrbi Romæ ingemiscendum postmodum sit, & concussa & labefactata corrigere, & ad pristinum decorem adducere amplius nequeas. Nec vero te tuamque lædi putes existimationem, si sententiam mutaueris, teque exorari sines; leuiculi enim animi est istis moueri. Satis tuta, satis grauis, satis salutaris tua erit existimatio, si sapienter monitis obtemperaueris, si nihil tibi antiquius Italiæ otio ac commodis, & vrbis Romæ, ostenderis, non Ecclesiasticorum insanias ac flagitia protegentem. Non alienis inhiantem, non iuris diuini parum cautum custodem appellabunt, sed sapientissimum & Deo simillimum existimabunt, si libertatem omnium ante te summorum Pontificum iudicio cognitam & cōprobatam sacrosanctis maiestatis tuæ vlnis exceperis, & in cæteris obsequentissimam non repudiaueris, & pacis inter filios, & belli aduersus hostes patrocinium susceperis. Huic sententiæ si adhærebis, & bene ac pie monentibus non repugnabis, omnes te diuinæ virtutis vices ac numeros implesse arbitrabantur. At iura, Canones, Theologi clamant, vociferantur in his; quæ paucis perstricta sunt, si non superbo atq; obliquo oculo inspicies, & Philosophorum, & diuini atq; humani iuris Interpretum, quin & Theologorum & sanctorum patrum præcepta ac dogmata contineri animaduertes. Quod si tibi tua tam alte sententia insedit, vt fas existimes, velisque auctoritatem Pontificiam Reipublicæ decretis immiscere, cum diuino & humano iuri non repugnent, scito te pestiferam ac pene mortiferam Christiano orbi cladem illaturum. Libertas Veneta eodem, quo Respublica ortu edita est, simul in cunis vagiit, simul adoleuit, simul omnem semper ætatem egit, nunquam ne mi-

primo

nimo quidem temporis puncto altera ab altera abfuit, eadem ſecunda & aduerſa vtrique ſemper fuerunt. Hanc in omne æuum colere huius conſilio, ope ac viribus ſua tueri, fixum ac penitus infixum Reipublicæ eſt, & publicorum, priuatorumque commodorum caput nunquam deſerere: quippe cum in hoc totus publicæ ſalutis cardo verſetur, omneſque potius aduerſorum caſuum euentus & ictus excipere, quam pati, vt vel minima offenſiuncula Reipublicæ libertas lædi vel imminui videatur. Tua te virtus & cœli fauor ad ſummum euexit, & in ſummo rerum faſtigio collocauit, caue ſis, ne nimis pertinax, & à ratione plurimum abhorrens ſententia parum felicem exitum ſit inuentura, ſimulque cogita, quæ ſint humanarum rerum viciſſitudines & commutationes. Plurium quam tu reris, oculi, aures, ora, conſilia te obſeruant, quo euaſura ſit res, nimis acute & acri quodam aſtu & ſtudio exquirunt tumultus & bella iam animo ac cupiditate lucripetæ bellatores nouarum rerum, quippe quorum res fractæ aut nullæ ſunt, cupidi præſumunt. Plerique Principes in ſpecula ſunt, arma in medium proiecta vident, quibus inter ſe Itali digladientur, & quibus inuicem ſe confodiant, & non illibenter forte hæc contuentur. Barbari cupitam occaſionem, qua Chriſtianam rem iamdiu inclinatam impellant, & vniuerſam præcipitem dent, auidiſſime præſtolantur. Hos impuros bellatores, ſeu potius propinarios Thraſones ſi audies, ſi eis morem geres, quæ mala, quæ Italiæ ac toti Chriſtiano orbi, & vrbi Romæ calamitates & clades immineant, atque impendeant, tua te virtus doceat, & tuæ te ſatum Patriæ admoneat. Reſpublica certe libertatem ſuam læſam vel pauxillum imminutam non deſeret, neque inultam relinquet.

EX PERGAMENO ANTIQVO MANV SCRIPTO ab hinc centum & plures annos.

Ex prognoſticis Beati Vincentij.

CVm videbis primam Bouem in Eccleſia Dei mugire, tunc incipiet claudicare, cum autem tria ſigna videbis, videlicet Aquilam coniunctam ſerpenti, & ſecundam Bouem mugire in Eccleſia, tunc erunt tempora tribulationum: nam vocabitur ab Occidente quidam Rex per ſecundam Bouem & Serpentem, qui regnum Aſinorum deſolabit, & præda in parte dimiſſa, vix ad ſua loca remeabit; quo defuncto, inſurget Aper adulter, qui ipſos Serpentem & Bouem ex laribus ſuis expellet. Væ tunc Liguriam & Æmiliam habitantibus: nam videbunt, quæ euitare nequibunt, & erit Schiſma in Eccleſia Dei, & duo Pontifices, vnus electus, & alter Schiſmaticus, qui verum Pontificem exulare coget apud Venetos: & Eccleſia Dei vi occupabitur. Tunc intrabunt Italiam tres potentiſſimi exercitus, vnus ab Occidente, alter ab Oriente, tertius ab Aquilone, qui ſimul confligent, & tanta erit ſanguinis effuſio, quanta vnquam ab origine mundi in Italia fuerit: & Aquila capiet Regem adulterum, & omnia vi & metu ſubiiciet, & fiet in orbe noua reformatio; Væ que tunc tonſuram gerentibus, & Machometici ceſſabunt.

Anno 1606.

OCTAVII MENINI IC. FOROIVLIENSIS CENETENSIS, QVE PRÆFECTI

DE IMMENSA CVRIÆ ROMANÆ POTENTIA MODERANDA

ORATIO

AD SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPES.



QVOVSQVE tandem vestra, summi Principes, humanitate incredibilique patientia sacris initiatus ordo, rerum diuinarum administratione non contentus ad nouam sibi potentiam comparandam, ad vestram euertendam abutetur? Quamdiu hæc adeo decantata Ecclesiastica libertas, quæ olim præclare secum actum putabat, si rerum leuissimarum cunctisque patentium vsu & commercio non prohiberetur, per vniuersum terrarum orbem tanquam Domina & Regina incedet, triumphabit & de grauissimo seruitii iugo vestris etiam ceruicibus imponendo cogitare audebit? Ecquādo Clerici finem facient priuatos opibus, ciuitates præsidiis, Respublicas capite, vos auctoritate spoliandi, vimque omnem, qua hæc mortalia gubernantur, in se trahendi? Numquamne illa adulationum fœcūdissima Romana Aula iactare desinet, summam rerum omnium potestatem vni Pontifici datam, vnum illum Mundi oculum, Principum Principem, Regem Regum, mortalem Deum, vnum immēsæ molis huius moderatorem, ab eius vnius supercilio nutuq; cuncta pendere, ad eum cuncta referri oportere, cæterisq; mortalibus obsequii tantum venerationisq; & obedientiæ gloriam relictam esse? & sexcenta huiusmodi, quæ ab ingeniis ad seruitutem natis, spes, timor, alii affectus solent exprimere. O corrupta sæcula! O morum longe disparem prisci illius æui moribus conditionem! Pontifices olim vidisses in summa rerum omnium inopia alienam inopiam vtut poterant subleuantes nunc vndiq; congestas opes in suam suorumq; domum congerētes licet aspicere: inermes olim erant, nūc classibus exercitibusq; instructi, olim ad accipiendam contumeliam parati, nunc ad inferendam: sui olim, nunc alieni cruoris prodigi? olim palmæ illis ac laureæ, quam fusus pro Christo sanguis mereretur, nunc sceptri regii & coronæ aureæ cupidi: Principes olim studiosissime colebant & venerabantur, nunc longe infra suam magnitudinem ducunt, contumeliosissime, si succensuerint, appellant, semina discordiarum inter eos iaciunt, quo interim Roma mutuis eorum crescat excidiis. Cæsarum olim genua amplexabātur, nunc eorum colla calcandi esse sibi ius dictitant; Pōtificii muneris sibi delati approbationem supplices ab eis petebant, nunc quia hoc veluti ære alieno soluti sunt, nihilq; eis se debere arbitrantur, magnus spiritus gerunt, & impune ab officio discedunt. Idcirco ne igitur maiores vestri, Constantini, Theodosii, Iustiniani, Pipini, Caroli, Ludouici, alii Sedem Apostolicam tam alte extulerūt, vt ipsa aliquando suo fastigio solia omnia inumbraret? eos, qui tunc erant, Pontifices tot tantarumq; virium accessione amplificarunt, vt eorum successores postmodum res opesq; vestras frangerent aut infirmarent? Quamquam quid ego Romanam Aulam, quid Pontificum assentatores accuso? vos, vos Celsissimi Principes (ignoscite voci liberæ, & pro vobis erumpere causam auribus æquis accipite) vos, inquam, accusandi estis, qui immodica vestri fauoris aula nauis huius vela nimis implestis, nimis longe prouexistis, & quantum de iure vestro detraheretis, quantum Ecclesiastico adderetis, cęca quadam pietate ducti parum animaduertistis. Sciebatis in diuinis præceptionibus cōtineri, vt qui in Christi militiam nomina dedissent, à negotiis, quæ sæcularia appellantur, quam longissime abessent, cur vt interessent vel potius pręessent annuistis? Tenebatis, Apostolos nunquam forum egisse, sed tantum de rebus sacris iudicasse, statuisse; Christum ipsum causam ad se delatam reiecisse: Cur Sacerdotes, qui & ipsi vestri sunt ciues, rebus profanis in ius vocatos, negantes iudicibus vestris esse iuris in se dicundi facultatem, elabi & ad Episcopos confugere passi estis? Legeratis priscos illos Iudæorum Reges (at quos viros? summa virtute & probitate præstantes) in Pontifices Maximos, si quid grauius peccassent, animaduertisse: Cur ipsi Clericos delictis nefariis obstrictos, fori præscriptionem obiicientes, & aduersus vim legum iudiciorum, sacra ab ara, quæ sceleratis prodesse non debet, præsidium mutuantes non modo impunitos aliquando, verum etiam vltro glriantes & insultantes dimisistis? Hærebant vobis in animo veterum illorum Patrum, homi-

num

num sanctissimorum sententiæ, qui Ecclesiasticam superbiam, luxum, ambitionem, dominandi cupiditatem acerrime insectantur: Cur vos hæc omnia, incõsulta & noxia bonitate vestra aluistis? Antistitum, qui in demortuorum locum creari solẽt, deligendorum facultatem penes comitia illius Ecclesiæ fuisse, cui præficiendi erant, haud vos latebat; cur vt eam Pontifices, qui nepotes, propinquos, famulos, dominationi subsidia deligunt, in se transferrent permisistis? Cur, cur, Dii boni, humeris, vt ita dicam, vestris eos in cœlum sustulistis, tantosq; fecistis, vt non possint vobis esse non horribiles & pertimescendi?

Omitto vetera, nolo quæ antehac iniuriose, contumeliose, superbe ab iis facta sunt commemorare, en nunc in manibus ipsisq; sub oculis rem nouitate insignem, magnitudine admirandam, motu turbulentam, exemplo perniciosam: Venetum Principem Senatumq; vniuersum, propterea quod Clericos quosdam facinorosos, sicarios, adulteros, parricidas, veneficos in vincula, vt priscus mos, duci iusserunt, quodq; leges à se vel à maioribus latas, quibus legibus ne cũctis belli subsidiis & pacis ornamentis spolientur, neue ignotis hominum cœtibus florentissimæ eorum vrbes, prædæ, direptioni, ludibrio sint, prospectum est, abrogare noluerunt, Paulus V. Pontifex Max. ex albo piorum expunxit, locis omnibus, quæ Venetæ ditionis sunt, sacrorum vsu interdixit, tricies centena hominum millia, quantum in ipso fuit, à fide, à religione auocauit. Obliterato enim cultu externo, quid sequitur, nisi vt & interior obsolescat? O factum, ne quid grauius dicam, inhumanũ, importunum, acerbum! O contumeliam non ferendam, quid hic primum miserer? quid cõquerar? quid accusem? quam multa sese offerunt, quæ summam rei auctoritatem possunt ostendere? sed singula persequi non est consilium: equidem sic existimo, in vltimas terras famam tantæ indignationis perlatam, & neminem hominem repertum, qui animo periniquo non tulerit hanc tantam vrbi primariæ, & cum omnibus regnis, Prouinciis, rerum omnium, quæ ad humanæ vitæ cultum spectant, communione & quadam veluti societate coniunctæ inustam notam. Itaq; multa, q̃ dici possent, prætermitto, & in tacita hominum cogitatione defixa relinquo, pauca tantũ attingã.

Fac Venetos in eo peccasse, quod libertatem ipsa cum vrbe natam Pontificis gratia cariorem habendam iudicarunt, quod nil immortali Deo gratius, quam si pro salute & dignitate patriæ nullum defugerent incommodum, nullũ recusatẽt discrimen, sese facturos censuerunt: q vt in eorum sanctissimæ ornatissimæq; parentis crimen sinumq; mortali cuiquam iniectio esset, sibi ferendum non putarunt, quod Christo, quod Apostolis, quod Patribus vetustissimis maiorem aliquando, quam Pontifici eiusq; assectis fidem habuerunt: fac, inquam, peccasse; num iccirco id consiliũ capiendum, huc transcendendum fuit? an ignorabat, summos Principes, si quid in Reipub. administratione peccent, si recta à ratione deflectant, non diris illos persequendos, sed hortationibus, suasionibus, precibus ad saniora consilia reuocandos? Cui remedio si nihil sit loci, Deum Opt. Max. orandum, vt suam eis lucem porrigat, nihil præterea moliendum? Quod si hoc ignorabat, anne illud quidem sciebat, gregem, si Pastores delinquãt, luere eorum culpę pœnas non debere? Sed age, fac etiam mortales omnes, qui huius Reipubl. gremio continẽtur, aliquid in sceleribus admisisse, iccirco q in officio & fide perseuerarunt, quamq; debent ipsi obedientiã Reipubl. quæ eos filiorũ loco ducit, præstiterunt: num fugiebat, si multitudo peccauit, si exercitus seditione orta Imperatorem deserat, de paucis seditionis auctoribus supplicium sumendũ, à pœna multitudinis temperandum? Adhæc non ei in mentem veniebat homines peritiores hanc rem in disceptationem vocaturos & palam ita dicturos: aut sacrorum interdictio pœnam continet, aut minus: si continet, cur innocentes plectuntur, si non continet, cur rudi plebeculæ illuditur? cur imperitis hominibus persuadetur eorum capita Orco damnata? Nihil, nihil horum noster beatissimus cogitauit? quid ita certorum hominum partim alienis bonis dolentiũ, partim ex assentatione nõ leuia aut ludicra præmia captantium eum transuersum egerunt, eoque adduxerunt, vt nihil aliud spectarit, nihil propositum habuerit, nisi quo pacto sibi suisq; successoribus ad summum in Principes omnes imperium obtinendum viam sterneret, & hinc primum sibi gradum faciendum putarit? Et quoniam apud Venetos plus valere senserit patriæ charitatem, ciuium salutem, perpetuæ libertatis dulcedinem, quam sua ipsius edicta, iccirco indignabundus & fremens hanc tantam, quantam videtis, tempestatem ciere non dubitarit? Cur igitur ad tam grauem periculosissimi huius tumultus fragorem, ad pulcherrimum Venetorum exemplum, qui ex hac nobilissima libertatis planta, quam ipse immortalis Deus in hac vrbe seuit & nutriit, ramum illum aureum defringere volẽtibus tam fortiter quam feliciter obstiterunt, non exardescitis, non consurgitis, non communi studio de moderanda intraq; præscriptum cohibenda curiæ Romanæ potentia cogitatis? Equidem cum Rempubl. intueor quocunq; oculos circumfero, video omnia plena constantiæ, prouidẽtiæ, fortitudinis, alacritatis: video ad clauum sedere Leonardum Donatum, Diuûm munere nobis donatum; illum, inquam, Donatum, cuius virtutem, integritatem, prudentiam, Gallia, Hispania, aliæ prouinciæ, Roma ipsa sæpius experta & admirata est: qui citius de vita quam de iure suo decedat: qui in apertissima quæq; pericula potius caput proiiciat, quam patriam capite minui patiatur: video in consilio assistere innumerabiles, eosque præstantissimos Senatores, qui ab vrbe custodienda oculos nunquam deiiciunt, quorum in vmbra educata studia nunc in solem & puluerem pro communi salute prodierunt, nosque id, quod antea minus erat perspectum, docuerunt, quot quasque machinas Ecclesiastica ambitio excogitarit & admonerit ad Principum omnium

minuendam auctoritatem. Quocirca cum tot tantisque Respubl. sit ornata luminibus, tot tantisque præsidiis circumsepta, nihil verendum ne non omnia ei lætissima & optatissima contingant.

Cæterum si quid veri video, hæc occasio, Præcellentissimi Principes, maximo vobis ad vniuersam Christianam Rempublicam defendendam, ad vestram ipsorum dignitatem tuendam, ad Clericorum sese nimium efferentium, illudque imperium, à quo Christus maxime abhorruit, affectantium licentiam compescendam, inuitamento esse debet, idque eo magis, quod verbo quidem hæc causa Venetorum est; re autem vestra. Etenim quis vestrum est, apud quem eædem leges, mores, instituta, quæ hanc tragœdiam excitarunt, non vigeant? Quid igitur impedimento erit Pontifici, quo minus cras aut perendie vnum aliquem vestrum deligat, cui negotium facessat, quem iisdem artibus aggrediatur, & pietatis specie ad veterum legum abrogationem, ad nouarum lationem compellat? aut, si nolit parere, eodem fulmine feriat in idem discrimen adducat? Tantæne igitur, tam iustæ causæ, tam opportuno tempore indormietis? & altitudinis fortunæ vestræ pene obliti, non eam, quæ magnanimitate vestra digna est, maiestatis regiæ, qua nulla res inter mortales pulchrior, nulla qua ad diuinam naturam propius accedatur, conseruandæ curam suscipietis? At enim Romani Pontifices nihil sibi iuris in nos vendicant directa quadam ratione & via, sed obliqua tantum, hoc est, ita demum si animarum salus, quæ ipsis potissimum curæ esse debet, postulare videatur. ita enim aiunt, qui eis fauent. Prô Deûm atque hominum fidem, quid aliud obsecro est verborum aucupio deludere, decipere, fucum facere, si hoc non est? Libertatem igitur & potestatem vestram recta oppugnare non licet, oblique hoc est clanculum & ex insidiis licebit? Per mediam & patentem vrbis portam, in hanc vestram cœlo proximam arcem ingredi nefas, per limen occultum, auersum, aut per cuniculos penetrare ius fasque? An minus fortasse perniciosa, minus dominationis capax hæc via? quid latius, qd spatiosius, quid capacius? Nullũ mediusfidius negotium est, neque si leges feras, neque si vrbem communias, neque si bellum geras, neque si pacem ineas, neque si tributa imperes, neque si portoria exigas, neque si fluminis cursum auertas, neque si campos irriges, neque (vt priuata quoque negotia attingam) si tecum agas, neq; si cum alio contrahas, neque si quid serio mandes, neque si quid vxori in aurem dicas, quod ad istam animarum salutis procurationem non possit reuocari, eiusque ambitu contineri. Itaque perbelle mihi videtur cum immenso aliquo circino posse comparari: cuius circini pars illa interior, quæ ab eo, in quo semel hæsit, puncto nunquam discedit, in media vrbe Roma posita sit; altera vero, quæ manu artifici in orbem circumagitur, ad omnes mundi plagas pertingat, omnes terras, omnia maria ambiat; suoque gyro concludat. Quod cum ita sit, diligenter nobis prouidendum est, ne hoc dulce pulcherrimumque æternæ salutis nomen vobis imponat, quod profecto non eueniet, si cum animis vestris hæc duo identidem reputabitis: primum scilicet fraudibus semper honesta nomina prætendi solere: deinde nullam capitaliorem esse pestem, quam quæ sub religionis & pietatis persona latet.

Neque hæc à me ita dicta accipiatis, perinde quasi is sim, qui præ corona & sceptro nullam diuini cultus rationem habendam putem: non hæc mihi mens, non hæc mihi sententia est. Scio nullum in terris maius aut firmius fulcrum imperiorum esse, quam religionem, nec priuatorum hominum tantum, quantum eorum, quos diuinus fauor Reipublicæ gubernaculis admouit, interesse vt ei plurimum tribuatur. Colantur igitur sacra, colantur qui sacris præsunt, omni studio, officio, pietate, illudque pro explorato habeatur, religione sublata, nulla imperia poss. esse diuturna. Pontifex ipse, Christi Vicarius, Petri successor, pacis inter homines & Deum sequester, habeatur & appelletur: qui ei in his, quæ ad fidem, ad sacra, ad pios & incorruptos ritus pertinent, dicto non audiens fuit, impius intestabilisq; esto. At suam & ipse Pontifex, intra fines certos coerceat potestatem, eamque meminerit mari, vestram autem huic, quam nos mortales incolimus, terræ similem esse, vtq; summus ille rerum omnium procreator & rector mari leges quasdam præscripsit, certosque fixit terminos, extra quos ei egredi nefas, ne terram obruat, ita suam Pontifex vim & auctoritatem, quanquam longe maximam & latissimam, virgula tamen quadam sciat esse circumscriptam, extra quam euagari, & terrena ista inuadere & occupare ei non licet. Sed hæc ipse viderit.

Vos, quorum maxime interest, in medium consulite, quo in vertice collocati sitis etiam atq; etiam considerate, summum illud & illibatum decus, quod est proprium regii nominis & sanguinis, retinere; si quid indulgentia peccatum, virtute & sapientia corrigite, imprimisque ne tanquam pupilli sub tutoribus & curatoribus perpetuo ætatem agatis, neue tanquam tragœdi in hac orbis scena vano ornatus splendore spectantium oculos perstringatis, summa ope nitimini & prouidete.

DIXI.

OCTAVII MENINI IC.
ODA
IN ADVLATORES PONTIFICIS ROMANI.
ADVLATORES AD PONTIFICEM.



Ater beat● digna ſat merentibus
Quanam rependes præmia?
Pro te pudoris cuncta frena rupimus
Et fronte perfricta nihil
Intactum, inauſum liquimus, mendacio
Vt turpi pulſa veritas
Sinceritaſque amabilis, niuea & fides
Cogatur hinc faceſſere:
Nos nos locamus te ſupremo vertice
Cælumque ſupra attollimus:
Nos te vocamus alterum Iouem, tuis
Claudi, patere nutibus
Sedes Olympi dicimus, & horrida
Nigrantis Orci limina.
Armamus ipſi vltricibus flammis
Tuam hanc fulgurantem dexteram,
Nec iam veremur aſtra cælo dicere
Lapſura, ni tu fulcias.
Iam regna cuncta, quæ cadens Sol aſpicit
Surgenſque, tibi aſcribimus;
Et quod coronis fulgeant nitentibus
Reges, Duceſque, & ipſius
Quod ſceptra geſtent Imperî, totum hoc tui
Iuramus eſſe muneris.
Iam noſtra cunctos limites modeſtiæ
Tranſcendit impudentia,
Dum mille lingua blandienti nomina
Tibi ſuperba affingimus.
Hinc turba honores credula immenſos tibi
Largitur, hinc vulgus ſtupet.
Quod ſi quis exſtet altiori ſpiritu
Cui libera indignatio
Bilem tumentem ſuſcitet, fallacias
Qui tentet has refellere,
Plectroque fido veriora perſonet
Quam gratiora Curiæ,
In hunc venenis viperinis illita
Torquemus omnes ſpicula.
Noſtri vocant hunc Menini maſtigia
Cantu ſtrepentes non ſuo,

Nam puri oloris pura gaudent carmina
Alios in vsus vertere,
Illamque debacchantur in Rempublicam
Cui lata parent aquora.
Quid iam, beate pater, quid vis amplius?
Tu numen & præsens Deus,
Tu certa spes mortalium vocabere
Salusque mundi publica:
Ergo thiaras, infulas, ostrum manu
Potenti nobis diuide.
Nam magna quanquam pro te adorti gessimus,
Maiora adhuc conabimur,
Ipsumque detrahemus è solio Iouem,
Vt ipse solus imperes.

ALEXAN-





ALEXANDRI LYSCÆ IC. ET PATRITII VERONENSIS

AD ILLVSTRISSIMVM CÆSAREM BARONIVM CARDINALEM

EPISTOLA,

DE ROMANAE CVRIAE RAPACITATE, perfidia & tyrannide.

DOLET æque vehementer Veneta Respublica, Amplissime Baroni, vicem tuam (nam tuam dilectionem sua quoque erga te dilectione, pari libramine, mensura etiam cumulatiore rependit) quod de te tam procaces, tam impudentes, sermones effundere, & veluti fœdam ac tetram bilem euomere ausus fueris. Existimat enim verba tua fuisse hominis dementiæ suæ & petulantis ingenii sui totum terrarum orbem domestico præconio testem conuocãtis, ob idq; nihil salutationes tuas moratur, nec miratur te nolle gentiles homines salutare, cum terræ filii, vetusta & præclara nobilium stemmata, & præsertim si maioris cuiuspiam dignitatis apicem conscenderint, odisse soleant. Ethnicis & publicanis Euangelicis similes atque iis infeliciores Venetos asserere, & mordacis ac pestilentis linguæ tuæ felle turpissime lædere & fœdare conatus es. Cæterum, si quis te senem fanaticum, & pecudem, & putridum canem, & truncum, & stipitem & ex hara non ex ara productum diceret, non solum nubem frontis obduceres, sed vociferateris facinus indignum esse, insignem esse nequitiam, non esse ferendam, magna opus esse vindicta. Hæc certe non dicit Respublica, (scit enim quid suam dignitatem & modestiam deceat) nec istis contentionibus prudentiam suam immiscere dignatur, ac amplitudinem suam deprimere; & linguam comprimit, auribus respuit hæc, & animo aspernatur: certo tamen scias, voces sæpe hic nõ solum in triuiis & cõpitis inter rudes & viles homines, sed in tricliniis & aulis apud multos & graues & magnos viros audiri, quæ dicant, in gremio istius Apostolatus tui, quem Pseudoapostolarum nominant, veluti in veræ religionis busto, præcepta Christi sepulta & cremata iacere, & te lychnum non esse cœlestis lucis, sed Satanæ candelabrum supra montem positum. Tute tibi certe hoc malum intristi; non est cur commouearis ac doleas, male dixisti, male quoq; audis. Quis enim est aut orthodoxorum, aut hæreticorum, qui tuorum scriptorum fœditate ac mẽdaciis non obstupescat, & magna non conturbetur indignatione?

Litteras sanctissimæ & orthodoxæ Reipublicæ *ostentum & monstrum* appellas, & *plenas Ecclesiæ & Dei optimi maximi cõtemptu, & esse portas inferni aduersus regnum cælorum & ipsum Dominum*, & *certam ruinam imminere, & esse lapidem in altum iactum & super caput casurum.* O procacem & proiectam audaciam! ô scelus & breuibus giaris, & vnco, & gemoniis compescendum & expiandum! Quis mortalium tam remisso & abiecto animo reperiri posset, qui tali ictus iniuria, & fluctu, & æstu & maximo non incenderetur & inflammaretur ardore? Respublica sedato semper animo res humanas summa cum prudentia æstimat & perpendit, sed cum res poscit, suam summam animi magnitudinem, ac singularem præstantiam profert, & aduersa fortunæ tela reiicit, ac res suas summa vi, & firmissimo robore tuetur, nec secundis obruitur aut attollitur, nec aduersis deprimitur aut terretur. Obsequium & reuerentiam, quin & adorationem Christi Vicarii profitetur, & semper profitebitur Christianissima Respublica, dummodo ne ea, quæ sua sunt, sibi auferat. Si enim hæc tam iniusta & tam ab omni ratione abhorrentia conabitur, Respublica omni vi se repugnaturam affirmat, & Deo optimo maximo gratum id fore arbitratur, & pro certo habet. At Satanæ tradet Pontifex Rempublicam, inquis. at Respublica signo crucis abiget, & in eo signo vincet, & Satanas tam iniustum non suscipiet mandatum. Cum enim mortales suppliciis coercet, semper Dei permissu iuste facit. Et Respublica Deo præpotenti, & omnia diuina humana tuenti, & Pontificis impulsores, & improbos iniquissimi consilii authores altissimis vniuersi populi suis vocibus præeuntibus & præcinentibus tradet: huius vim vt effugere quis possit, nulla certe ratio inueniri vnquam poterit; is (nisi hos pœniteat tam

iniqui & inepti, & detestandi consilii) omnes Satanæ tradet, qui statim (iustissimus enim erit iussus) parebit, & cum ex humanis eximentur, in imum barathrum demittet, vbi erit fletus & stridor dentium. Iure & optimo iure Rempublicam deceret, si exclamaret: Obstupescite cœli super hos, pandite portas, vt cœlestis ignis flamma super iniquos impostores descendat, qui dum iustitiæ, pacis, religionis, pietatis, humilitatis & veritatis cultores esse deberent, teterrima se monstra, & portenta iniustitiæ, tumultus, superstitionis, impietatis, arrogantiæ & mendacii mortalibus omnibus improbantibus atque irridentibus, se præbeot. Vident enim obscuritates, & antiquissimorum Patrum quasi ænigmata, & incertas coniecturas, quæ in varias & longe diuersas partes, & hoc & illuc agitari & impelli possunt, omnes ad auarissimæ mentis aucupium trahi. Vident innumerabiles varietates, & somniorum figmenta, omnia præpostere, incondite, monstruose, soperbe, & concitatissima rerum concursatione exscripta, & nihil de eo, de quo disceptatio & contentio est, pene tactum. Num de dominio Principis, quod à vetustissimo omnium gentium iure ab orbe condito ortum est, verbum vllum? Num an Princeps sit arbiter & moderator rerum dominio suo subiectarum, mentio facta est? Nam Pontifex possitne tollere ea, quæ ab illo summo & primo & admirabili iuris & naturæ nexu proficiscuntur, sermo aliquis? Num deteriorem ne is possit facere conditionem Dominorum? Num deterior ne fieret conditio Principum, si bona omnia Ecclesiæ fierent? Num periculum in omnes Principes intentatur? Num hæc ne sint necessario omnium Principum consensu propulsanda? Num totius Christianæ Reipublicæ istane sit perturbatio & confusio? Somnia, somnia, eademque obscurissima, & Maiestati altissimi, & Christi Optimi maximi præceptis ac legi, & Pontificis sanctissimo muneri, & bonis omnium Christianorum moribus minime consentanea.

Pontificem, qui se aduersus humanas omnes cupiditates inuictum præstare debet (cum bonus & præclaro animo semper fuerit) nunc nec fractum, nec tuo ac tui similium audaci & callido consilio atque impulsu debilitatum & abiectum, ac quodam veluti sensus stupore affectum existimamus. Te te (inquam) Ethnicum, & publicanum, & subdolum, & versipellem prædicant, & à vestigiis Christi humilitatis & pacis longissime distantem omnes detestantur & abominantur, & te pestem & detestabile monstrum appellant, & impiæ, superbissimæ & crudelissime seditionis & carnificinæ & auctorem, & fabrum, & facem fuisse. Irridere te hostes dicunt, socios vero & amicos Christiani nominis grauiter angi, & ægre & iniquo animo ferre; cum te ais tanti defensionem & patrocinium capitis suscipere, omnesque Orthodoxos contra Rempublicam exclamare: audiuntque te verba Thomæ Cantuariensis, sancti viri, ad inanem, tortuosam & obscuram scenæ tuæ pompam deferentem. Omnia quæ dixisti, scripsisti, & meditatus & commentatus es, omnium ætatum, omnis sexus, omnium ordinum voces ac studia clamant & vociferantur contra te facere. Vis Pontificem omnia posse? Quid si iuberet, vt turpissimo genere mortis vitam finires? quæ pœna populi iudicio; (is enim asperrimis tuis vocibus, acerrimis veluti telis, ictus, non solum eadem ex vulnere mentis extracta & euulsa in te remittere ac regerere, & par pari referre, sed noua spicula aculeata & veluti ignita emittere & contorquere, quæ cerebrum & cor tuum feriant & vrant, vehementissime concupiscit. si de hoc consilium iniret, non immerito à te, vti tantorum malorum & calamitatum auctore ac signifero, luenda esset: num parere velles? Nos certe non modo libenti animo periturum existimamus, sed quam maximo & celerrimo animi impetu vltra Sauromatas potius & glacialem Oceanum confestim, si daretur facultas, quam ocissime auolaturum arbitramur, & ea iniusta & barbara iussa atque imperia, summa voce increpatorum, & hæc non modo Christi Vicarii, sed nec hominis esse mandata. Quod si tu non solum ad Dei optimi maximi, sed ad Tartareas vltrices furias te conuerteres, quid alios, quibus bona boni specie iniquissime eripiuntur & ab inuitis pene è faucibus summa vi & per summam iniuriam eximuntur & extorquentur, vrges & maledictis insequeris? Frange,

Frange miser calamos, vigilata volumina dele.

Iusta enim imperia sunto, IVSTIS IMPERIIS PARENTO. Nec enim Deus iniusta vult aut potest; hoc enim omnipotentiæ suæ abstulit, nec Petri Vicario tribuit. Omne autem, quod rationi aduersatur, iniustum est. Et recta ratio, & ius, & lex nihil inter se differunt. Quid igitur Thomæ Cantuariensis scripta profers? Is, ne bona Ecclesiæ auferantur, egregie curat, non tamen vt aliena appetantur aut occupentur, nec vt Regum aut Rerumpublicarum dominia auferantur, aut aliqua prorsus ratione impediantur aut lædantur, vnquam docuit. Non enim à Christi Euangeliis, nec ab Actionibus aut Epistolis Apostolorum, aut sacrosanctis Conciliis, iniquitatis exempla sumi possunt. Quid vero iniquius, q̃ prohibere, ne populi Regibus, aut Rebuspublicis ius Regium habentibus, obtemperent? ne Reges vel Respublicæ rebus suis legem dicere possint? & nolle ea posse Reges vel Respublicas, quæ priuati possint? & velle numerum subiectorum minuere? & demum Regum & Rerumpublicarum vires attenuare, & sensim debilitare, simulq; imperii auctoritatem & maiestatem infringere, & deteriore omnino statu, quam nunc sunt, collocare? Hæc disquirenda, & diligenter rationibus & argumentis enucleanda & comprobanda, vt nemo dubitare possit, non tot ambiguorum exemplorum, & tanta antiquissimorum Vatum ac scriptorum varietate & copia obtegenda & obruenda. Non enim docentur, sed eluduntur ingenia, & præsertim rudium, qui non bene callent [illegible]

Quid distent æra lupinis.

Qui in tanta marium verborum obscuritate ac tenebris dispicere nequeunt, Pontificis leges ratas esse non posse sine interitu sanctissimarum legum Christi, nec in tanto veluti fragore ac vaticiniorum strepitu, cœlestem Vatum clamorem exaudire possunt. Nam omnia vere, non contra moderatissimam & Christianissimam Rempublicam Vates sacrosancti cecinêre, sed contra immanes quæstus, quos tantopere tu, Amplissime Baroni, & tui similes concupiscunt, contra chirographorum venalium officinam, & Clericorum nundinas & auctiones,

Mæstis late loca questibus implent.

Audis, audis & sentis, Præsul Amplissime, verborum istorum verbera? an aures tuæ obseratæ ac hebetes, & sonitu tam grandi obsurduerunt? Longe, longe distant, sua tueri, & aliena cupidissime persequi: illud iusti ac præclari viri est, istud iniqui ac prorsus impuri latronis esse fatendum est. Immunitatem Ecclesiæ non aufero, auctoritatem sancti viri non improbo, religionem non tollo; inanem & perniciosam & rapacissimam superstitionem, quæ nihil aliud cogitat, quam congere, aufer, rape, abiicio ac detestor, superstitionis istius stirpes omnes euellendas & eiiciendas esse dico, & enixe & persancte præmoneo. Classico excitas: classicum hoc quoque meum est longe latius, & altius sonans quam tuum.

Nec mihi tuam dilectionis affectionem nec conscientiam puram, & fidem non fictam, narres. nam plane intelligimus nobis verba dari, & res interim à nobis summo dolo ac calliditate auferri. *Venenum aspidum sub labiis eorum, linguis suis dolose agebant, iudica illos Deus.* Quid vero te occurrentem perditioni sanctæ istius Reipublicæ facis? Minoem Regem solitum dicere accepimus, Iouem sibi ad aures alloqui, consilia omnia in aurem solere dicere, & eo semper se vti consiliario. Nos vero (vt à fabulis ad veram rationem traducatur oratio) existimemus, Numen illud præstantissimæ mentis, quo à templa cœli summa sonitu concutit, præsens præsentem te alloqui, & ea docere, quæ si in auctionem venirent, nemo sanus aut licitaretur aut naucifaceret? Tu de Pontificis auctoritate multa copiose, & apte, & ornate dicis; quis hæc negat? At quod possit Regibus aut Reipublicæ auferre dominia rerum, vel ea tollere, vel lædere, vel labefactare, vel impedire, quo minus legem dicere possint, ne deterior eorum fiat conditio, hæc & sancte, & pie & sobrie, non semel, sed sexcenties negamus, & vehementer & omnino pernegamus. Testem habemus Deum ipsum, & Apostolos, & Sanctos, & rationem, & omnium gentium mentes: cum secus dicis, tuum est monstrum & prodigium, & vere dici potest: hoc certe

Siculi non inuenere Tyranni maius

portentum. Sunt doli isti, & machinæ, fallaciæ, captiones, quibus humanæ mentes irretitæ & deceptæ terreantur, inuoluantur & præcipitentur. Quis enim hoc aut fecit aut cogitauit vnquam in Scythia Tyrannus? Si priuatorum Dominia Rex vel Respublica sibi adsciscere vellet, si quid in his immutare vellet sine causa, non solum populi clamores exaudirentur, sed seditiones, defectiones, & maximi orirentur tumultus, & pene dixerim parietes & tecta vrbium commouerentur. putent hæc, & fœtent, & teterrimam exhalant mephitim. At non est tuum de Pontificũ iussis iudicium ferre. Si de iis, quæ ad fidem pertinent, sermo est, placide ac libens acquiescit, colit, veneratur, adorat Summum Pontificem, & vetustissimis vestigiis, & optimis & sanctissimis moribus summa cum animi voluptate insistit, inhæret, & immori (si opus) honestissimum Respublica iudicat. Sed si bona sua eripere, si eius auctoritatem imminuere, si deteriore quam antea semper fuit conditione eam Pontifex esse voluerit, si contra legem eam fecisse (quod non fecit) affirmare non destiterit, resiliet illico, gradum referet, & sua quacunque poterit ope tuebitur. Nunc in specula est omnes Principes admonebit, vndique concurrendum esse ad commune incendium restinguendum: malum istud nascens facile opprimi posse, inueteratum vero & robustius iam factum difficillime tolli posse: ipsam pro virili nunquam defuturam: summam consiliorum suorum hanc esse, vt existimet, nec mortem pro libertate retinenda esse fugiendam, & pro libertate etiam vitæ periculo esse decernendum.

Singula, quæ scripsisti, non attingam. nam in magnum volumẽ oratio excresceret, & à summis scriptoribus & Theologis elisa, & peracute & vere protrita & explosa fuere, qui sanos homines à scribendo deterruerunt. obscuritates enim omnes, & illam veluti à primis patribus offusam caliginem, ac pene noctem & tenebras non inlatis magnis lucernis ac lichnis, sed fulgentissimo ac splẽdidissimo veritatis Sole facillime & clarissime dispulerunt, ita vt nubes prorsus omnes euanuerint, & omnino disiectæ & dissipatæ fuerint. Sed vt aliquantulum spatier, & latius vager, quam rei grauitas poscit, qui tibi in mentem venit, vt diceres, senescentem Rempublicam tam diserte, tam acute, tam prolixe, in re tam præclara nugari? Si virorum solertiam, si ingeniorum præstantiam ac magnitudinem, si animorum firmitatem & constantiam, si omnium ordinum concordiam ac diligentiam, si virium acrem ac viuidam vim, si quam profundo sulco agrum virtutis colant ciues, agnosceres, non ita turpiter lapsus esses. Religionis, virtutis, libertatis, prudentiæ domicilium ac arcem, à Deo sempiternum æuum duraturam, conditam ac constitutam, appellare debueras. Viget & floret, & Deo iuuante

Canescit seclis innumerabilibus,

& æternam vrbis Venetiarum, & totius Italiæ gloriam & decus, cœlesti concordia, dono & bono tuebitur, & conseruabit. Hanc tu cum & dictis & lædis. scito te nõ superbe & acerbe, sed inhumanissime & crudelissime rẽ valde arduã aggredi, & opprimere velle totius Italiæ, quin & toti Christianæ

ſtianæ Reipublicæ commune & grande præſidium, & hortatu & conſilio tuo, ne dicam perfidia, bonum decipi Pontificem, & diſturbari Principum ſocietatem, & omnia humana & diuina miſceri, & in ſummum diſcrimen adduci.

Nam quod de Clericis dicis, nonne Deus ipſe veritas eſt? Nonne veritas & ratio eadem eſt? Nōne eadem, quæ in Deo eſt, in genere humano quoq; eſt recti præceptio, prauiq; depulſio? Nonne iſta recta ratio, æterna lex eſt? Hoc Dei Opt. Max. & naturæ ampliſſimum, ac diuinum rationis & conſilii donum, vis Pontificem regibus & populorū Paſtoribus poſſe adimere? Vis Chriſti legem hāc eſſe, & aduentu ſuo priuaſſe hac auctoritate, hac ſumma & recta ratione, hac lege æterna, Principes? Falleris; vera hæc nec ſunt, nec vnquam erunt. Minaris, exempla Principum profers. At nos Deum, Naturam, Rationem, optimorum Regum, maximorum Populorum mores, Pontificum complurium reſponſa, & alia quæ confertim à ſapientiſſimis viris, & præſertim à Paulo Veneto, diligētiſſimo & eruditiſſimo ſcriptore, & ab ampliſſimo Senatore Antonio Quirino, qui grauiter, & ornate, & pie, & ſumma cum dignitate monumenta quædam conſcripſit politius & perfectius, quam à me dici poſſit, in medium prolata fuerūt; profitemur, minaſque tuas vehemētes, ac ſæuas & diras, quæ nos leuiſſime angūt, plane flocci facimus. Nec dicas nos impios; impietas tua eſt. Nos religionem colimus, ſuperſtitionem odimus: tu vero religionem proiicis, ſuperſtitionem attollis, coronas, ac pene per triumphum ducis. Sed pedem refero ne in vaſtiſſimā altitudinem inuehar: ſatis ſint, quæ doctiſſime & præclare ab aliis ſcriptoribus edita & prolata fuerunt. Libuit breui hoc ſermone te alloqui, & amice admonere, vt teipſum ad te attentius & diligentius referas, ſubiiciaſque iudicii tui prælo; primum qui ſis, quæ tua fuerint incunabula: deinde quo de Principe tam effuſe, tam temere, atque incōſiderate obloquutus fueris: poſtremo quot exempla, quot vaticinia, quot edicta & iura inania, leuia, inutilia, futilia protuleris.

Nam quid eſt, quod Pontifex permittat hos, quos vocat aſſaſſinos, (noua enim nouis quoque verbis exprimi neceſſe eſt & ſignificari) à iudice laico poſſe puniri? num aliqua alia ratione id factum, quam propter criminis immanitatem? Quid vero immanius parricidio? quod ne puniri quidem ſapientiſſimus Legislator ſanxit, quia tantum ſcelus patrari ab homine poſſe non cogitauerat. Cur igitur bonus Pontifex, clementiſſimi & patientiſſimi Numinis Vicarius, tam facile, tam propere, tam acri, ac pene incredibili ira atque indignatione exarſit? Quæ hæc fuit intolerabilis iniuria, ſi Reſpublica parricidam Clericum, ſi maxime in vrbe nobili ſeditionis & tumultus auctorem, iuſtiſſimas voluiſſet luere pœnas? Num nouum iſtud exemplum? Quid veteres Pontifices? ob tam leues igitur cauſas illico alienatio ac disiunctio animorum? Ob hæc perturbatio & confuſio, non vrbis, ſed totius orbis, vt omnium Italiæ vrbium vaſtitas & eluuies ſequeretur? Et hæc Chriſti, aut Pauli, aut Ambroſii, aut Auguſtini, aut Hieronymi, aut Gregorii, aut Chryſoſtomi, & aliorum Sanctorum virorum dictis congruent? Tu nobis tenebras offundere te poſſe exiſtimas? tu nos cæcos, & talpis cæciores exiſtimas? & agreſtem Muſam tuam cœleſtibus Camœnis ſublimiorem? Quid mihi Nicolaos, Conſtantinos, Theodoſios narras? non hæc, quæ tu dicis, dicunt; & ſi dicerent, male dicerent. Chriſtum, Paulum, Apoſtolos, ſancta Concilia, & demum fidem catholicam, & Apoſtolicam, & Romanam, in iis quæ ad fidem & diuina pertinent, ſequimur & profitemur. Si vrbes, & regna, & rerum humanarum dominia tollere voluerit Pontifex, execrationes minando & proferendo, ſi nos paremus confeſtim alieni ſumus? Si nos de ſceleſtiſſimis Clericis ſupplicia vetuſto more ſumere non poſſe dicet, Pontificis auctoritatem non ſequemur, & noſtræ non præferemus.

Eccleſiarum ædificationem Reſpublica nunquam prohibuit, nec in futurum prohibebit, dummodo aliquod detrimentum, aut magnum incommodum publicis aut priuatis rebus, nō impendeat, quod ante ædificationem æquum eſt, vt ſciatur & cognoſcatur. Quod ſi Rempublicam, & eius iuſtiſſima & honeſtiſſima iura repellas, *Virtus* Reipublicæ *repulſa* iſtius *ſordida*, repentinæ, agreſtis & formidabilis neſcia, *incorruptis & incontaminatis honoribus fulgebit*, nec ob id immodico conficietur angore. Non enim *ſumit, aut ponit* dignitatem, & amplitudinem ſuam *arbitrio popularis* & fallacis *auræ*, & leuium & ignobilium hominum vocibus aut plauſu, ſed conſtanti & firma animi magnitudine collum ſubtrahet nec ceruices iugo ſubigendas tradet. Nō enim iugum iſtud eſt, vt Chriſti, ſuaue, ſed omni felle & abſynthio tetrius, putidius, amarius, nec onus leue, ſed onere & pondere Atlantis aut Herculis (vt eſt in fabulis) grauius & ponderoſius.

Quid enim de prælatione in rebus emphyteuticis tot & inania verba effundis? Deus Optimus Maximus & Nero peſſimus & omnium bipedum nequiſſimus, etiam in crimine læſæ maieſtatis noluerunt noxios ſuppliciis afficere, & iuſtiſſimas ſumere pœnas indicta cauſa, & eis nō citatis: & tu bene omiſſam citationem probas. Exemplum Pontificis profers: & nos Pontificum exempla proponimus, qui fidem non ſeruarunt. Sciſto, quos dicimus: num prudentibus probata? Flagitium, non iudicium nominant, vt leuiter vlcus attingam. Nollemus enim hæc in Pontificum ordine improbari poſſe: Tu tamen vide, qua ratione in re tā manifeſta, exemplo optimi & peſſimi propoſito, te expedire poſſis, & præſertim cum in lege de rebus emphyteuticis nulla fit mentio. Sed de his hactenus.

De Donatiſtis neſcio quid nugaris: & tanti forte Ducis (quod multi opinantur) exiſtimationi & amplitudini illudis? At tu ecquem Italorum Principum omnium, & prudentia, & vſu rerum, & eloquen-

eloquentia (est enim in omni dicendi genere omnium iudicio vnus eminentissimus) huic antefetre audebis? Agnoscimus aculeos, nouum maliciæ genus: sed cum in virum, eo splédore, ea fide, ea religione, & dignitate, auctum & ornatú, huiuscemodi tela emittere voluistis, scias in te ipsum, & in omnia probra & vitia tua fuisse disertum: & quod huic superbe & procaciter obiicere voluisti, aut obiecturus es, in te id omne æquo iure & merito recidisse, & in posterum esse recasurum, & peccatum fuisse, quod Thetis ipsa suis non ablueret omnibus vndis. Quod si huc accederes, non te populus, vt ante, veluti Apostolú exciperet, sed summis vocibus & clamoribus, & salibus, & forte contumelhis & iurgiis, tanquam sannionem aliquem, & vilem & improbum scurram insequeretur, quod de optimo Duce & singulari viro, & omnium virtutum veluti fulgentissimo sydere, & de tanta Republica, quam non solum Christianæ nationes summo in honore habent, sed pleræque barbaræ gentes venerantur, & sociam habere concupiscunt, tam procaciter & impudenter obloqui volueris, & vti vulpecula ex humili atque infimo specu agri ignobilis Sotani oppiduli profecta Venetiarum sacrarum Leonem aggredi, & quasi ad certamen & pugnam lacessere ausus fueris. Sed de his hactenus.

Cæsar, meminisse te decet, omnium Cæsaris virtutum nullam prælariorem clementia extitisse, eiusdemque nullum turpius consilio opprimendæ & perdendæ Reipublicæ fuisse: teque virtutem illam turpissime deseruisse, vitium vero istud iucundissime imitatione dignum existimasse. Scito vero, quæstuosissimi & flagitiosissimi lucri cupiditatem, & rapinarum licentiam, & Ecclesiæ nundinas, & luxus, & venalia rescripta, apud omnes Reges, & Principes, & populos iam dudú detecta & plane cognita esse. Si armis prouocabitur Respublica, Christi optimi maximi ope, & suis & amicorum copiis, & virtute, & animi præstantia ac magnitudine se suaque tuebitur. Si vero scriptis & literis fuerit lacessita, non deerunt præclara & decora ingenia. quæ non solum his, qui nunc sunt, mortalibus, sed posteris etiá scripta tua & indignatione, & risu, & ludibrio digna ostendent. Sola enim non norunt hæc monumenta mori. Tu vero vale, si commotæ mentes valere possunt; & sile, ne acriora & longe amariora audias & degustes. Scis Cæsarem ipsum Poetas & Oratores longe se præstantiores expertum esse, ob idque ad rei militaris disciplinam se contulisse, vt primas ferret: sic tu munus hoc scribendi contra Rempublicam sanctissimam abiice, vt in euoluendis bibliothecis primus apud nos & posteros nomineris & habearis,

IOAN.



Anno 1606.

IOANNIS BAPTISTÆ LEONIS VENETI, DVCIS VRBINATVM APVD SERENISSIMAM REMPVBL. VENETAM ORATORIS,

DISCVRSVS

SVPER POTESTATE ECCLESIASTICA, ET ROMANÆ CVRIÆ MOnarchia.

DISCVRSVS PRIMVS.

SEVERITAS illa rigoris, quam temporibus nostris Aula Romana seruat, quo immunitatem, & libertatem (vt aiunt) Ecclesiasticam tueatur (quæ tes non amplius ad authoritatem vere spiritualem, quæ cum Apostolatus, summique sacerdotii dignitate, ac ministerio proprie coniuncta est, stabiliẽdam, atque consolidandam spectat, sed ad fundandam, totoque orbe terrarum extendendam Ecclesiasticorum absolutam Monarchiam dirigitur) reipsa comprobare, & ob oculos ponere videtur, quod contra Sacerdotum negligentiam, atq; ambitionem D. Gregorius plerisque locis præsertim Homilia decima septima, dissertat exaggeratq;. Nam vbi ad finem ipsius Homiliæ, *Est & aliud*, inquit, *fratres charissimi, quod me de vita Pastorum vehementer affligit*, eo loci in crimina, quibus nostri spirituales pastores, tanquam meritoris operibus gaudent, fusius inuehitur, eaque aperte, & prophetice detestatur. Et re uera tale, tantumque hactenus ipsorum extitit artificium, vt, dominãdi ambitum ac terrenas meditationes religionis simulatione velantes, eo progressi fuerint, vt quod Sancti Patres, atq; in primis idem Gregorius, tanquam Sacerdotum, & Episcoporum peccatum, & transgressionem notat: modo inter pia, & irreprehensibilia, humanæque saluti necessaria facinora sub tegumento Ecclesiasticæ libertatis adscribatur, Etenim spirituali superioritati fidentes, & fidei communis adtumento obstrictis hominibus ad credendum, ipsos esse Dei ministros, & scripturarum interpretes; ministerio suo, & interpretandi munere ob nimiam credulorum simplicitatem longe, lateque abusi sunt, *Vertentes*, vt inquit ipse, *susceptæ benedictionis ministerium ad ambitionis argumentum.* Et circa eiusdem Homiliæ principium, *Multi cum regiminis iura suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent, & quibus prodesse debuerant, nocent: & quia charitatis viscera non habent, Domini videri appetunt: Patres se esse, minime recognoscunt: humilitatis locum in elationem dominationis immutant.* Proinde non modo id passim effici solere, sed etiam in ius quoddam transiisse, cernimus, quod in eadem Homilia legitur, *Sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt.* Et illud: *Hi custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non metuunt.* Deniq; summi Sacerdotes iure se agere primum sibi, dein cæteris persuadentes, satis impudenter *Locum sanctitatis accipiunt, & terrenis actibus implicantur.* Quamobrem tãquam rerum spiritualium, ac temporalium moderatores, aliena regna, ac dominatus quoscunq; arbitratu suo tractandos, ac libere disponendos esse, non magis ipsi credunt, quam vt cæteri credant, elaborant. Cuius nihilominus prærogatiuæ inanitate eiusmodi fundamenta iecerunt, vt, nisi Principes legitime, quemadmodum possunt, curauerint, ne latius hoc malum serpat, maxime vereodum sit, ne gliscat q̃ primom contra ipsos, ingrauescatq; in suis ipsorum visceribus eius conditionis machina, ob quam vere imperandi libertate spoliati, serius deprehendant, eo se cum populis suis premi dominatu, qui pio libertatis Ecclesiasticæ titulo mirandis artibus, & incredibili studio sensim inter Christianos irrepit. Ex qoibus artibus eas ego præcipue perpeodam, quæ in vsu habentur, & ex quibus illa subiectio emanatura est, quæ naturalem Principum, populorumque libertatem diminuere, ac labefactare potest: Permittens autem cæteris, vt huic morbo remedia excogitent, id tantum ipsi mihi in præsens attribuam, vt publicas ærumnas, & calamitates defleam, opemq diuinam, & Principũ in tanto communis corruptelæ periculo vigilantiam implorem.

Religio ad quælibet imperia conseruanda, propagandaque nunquam non fuit necessaria. Nam cum ea quidam sit actus innatæ, congenitæque erga Deom pietatis, quę hominem ad illum, tanquam omnium bonorum fontem, & originem, summe colendum, ac verendum obstringit: hoc quasi indissolubili vinculo omnes hominũ cœtus, ac societates collectæ, ac colligatæ sunt: vn-

de ci-

de ciuitates, prouinciæ, regna constituuntur. Hæc autem efficacissima religionis vis, atque potestas, quæ voluntates hominum attrahit, & moderatur, inter gentiles callidis non minus quã impiis consilus semper obsecundata fuit ab iis, qui vel alieno consensu, vel suo instinctu imperium in cæteros arripuerunt. Hoc pacto sub diuersis cultibus, ritibusque in vnam, primam, inuisibilem causam, etiam sub falsis Dei simulachris, consentientibus populis, semper, & vbique in singulis gentium societatibus aliqua religionis viguit, & increbuit consuetudo, atque exercitatio; cuius ope, authoritate deinde imperia, & Respublicæ, quemadmodum omnibus constat, conseruatæ, sæpe quoque immutatæ sunt. Et diuersis historicorum testimoniis exploratum est, quicunque (præsertim inter idololatras gentiles) aduersus populos hoc religionis tegumento, seu figmento versutius grassari calluerunt, eos omnes miris modis fortunam suam amplificauisse. Propterea quod hac naturali certitudine, in quam omnes consentimus, vnum esse Deum, omnium scilicet effectricem causam, ad quam cuncta referantur; quoties nouum quid, & inusitatum contigit, hoc ipsum adaugendo & interpretando, simplicesque hinc homines in admirationem trahendo, maximam sibi maiestatem quæsiuerunt: & consequenter huiusmodi mirandarum rerum obseruatores, atque interpretes, tanquam homines diuinitatis participes, supra naturam ipsam collocabantur. Quocirca inter deprauatæ, corruptæque antiquitatis monumenta leguntur plerique, per has artes populis dedisse leges, ciuitates congregasse, exercitus duxisse, regna instituisse; & quoad vixerũt non modo, sed postquam fato functi sunt, altissimos gloriæ titulos non sine constanti fabulosi numinis opinione comparauisse. Qua in re non nescimus, multum momenti illorum callidam sagacitatem attulisse, qui dæmonum suggestione edocti, partim hominum ignorantiam, partim diuinorum operum veritatem respicientes, inter hæc duo ita se insinuauerunt, vt in ipsa vulgi incapacitate reuerentiam, & curiositatem excitantes, peculiarem diuinorum mysteriorum intelligentiam sibi nimis audacter arrogauerint. Vnde rerum humanarum arbitrium consecuti, quasi inter Deum, & genus humanum mediatores, in summa veneratione habiti fuerunt, credentibus cunctis, ipsum in illis Deum se colere, atque adorare. Hinc etiam vsu celebratum est, vt electio Regum populis referuatetur, quo, Deum adorandi, atque in illo electu homine recognoscendi vnanimi hac, & voluntaria deliberatione, populi se legitime subiectos esse paterentur ei, quem diuinitatis compotem & idoneum miseriis humanis deprecatorem putabant.

Quod si in profanis sectis, & idololatriæ temporibus tãtum potuit hæc naturalis erga Deum pietas, vt homines, etsi in cæci ate, inque errorum tenebris constituti, eam solo naturæ lumine tacite confessi fuerint, sed tanto minore veritate, quam seducti à cacodæmone fuerunt, qui per mẽdaces sacerdotes, & ministros, perque fallacia responsa, ac miracula falsis imbutos persuasionibus animos delusit: Modo, cum, Redemptore Christo regnante, Princeps harum tenebrarum foras eiectus, & idololatria, omnisque profanus, & illicitus Dei cultus, institutis sacramentis, & veris, legitimisque Sacerdotibus, antiquatus est; adeo vt Deum, qui in cœlis est, præsentem, & ipsummet, non amplius in figuris, & Propherarum vaticiniis, sed in veritate, & re ipsa, adoremus: magna profecto miseria, magna calamitas est, vt ii, quibus animorum nostrorum salus, & cura commissa est, maiori ex parte mercenarii pastores effecti fuerint, neq; spirituali gregis custodiæ magis, q̃ terrenæ iurisdictioni, ac temporalis imperii finibus propagandis inuigilent. Quamobrem apposite dicere possumus, quod Sanctus Gregorius eadem homilia exclamat, *Nulla animarum lucra querimus, ad nostra quotidie studia vacamus. terrena concupiscimus, summam gloriam intenta mẽte captamus.* Atq; vtinam res aliter se haberet, neq; hęc veritas ab iis, qui nostram Ecclesiam deseruerunt, ipsos magis in sua defectione firmaret, vnde tot Christianis animis interitus viam sternimus, & munimus, nedũ eos ad ouile nostrum, & consociationẽ reuocamus. Sed, q̃ peius est; hæc non tantũ perpetrantur, sed etiam, vt sanctissima, sustentantur, & excommunicationis pœna defendũtur: dum scilicet pro seculari contẽtione, quæ nullum scopum habet, quam vt terrena possessio, & laica iurisdictio dilatetur, negliguntur, & pro nihilo habentur tot scandala, quæ inde sequuntur, non sine maximo simplicium, & innoxiorum hominum, qui diabolicis insidiis decepti, mille peccandi causas sibi prætexerunt, detrimento.

Hoc autem vnum sit eorum, quæ scriptu rus sum, fundamentum, & corroboratio; videlicet, Aulam Romanam, postquam temporalem iurisdictionem, quasi suauissimam escam, multis ab hinc annis degustauit, & postquam per quorundam Principum, qui nimis imbecillo animo se ei submiserunt, vecordem oscitantiam illecta fuit; exinde liberam, atque absolutam spiritualis dominatus administrationem primo sibi vindicauisse; mox acuta spe, nihil per hos dies molitur, & machinatur magis, quam vt vniuersi imperium etiam temporale sibi adscribat: & quo fortè audacior est cogitatio, quoque magis ardua, factuque difficilis existimari potest, eo maiorem putemus, dum id fieri posse, minime suspicamur, ab Ecclesiasticis industriam adhiberi, vt cogitata perficiant, vtque nemine contranitente, iis artibus, & instrumentis vtantur, quæ prętextu pietatis, & sanctimoniæ tanquam bona, & sancta, passim creduntur. Instrumenta vero duo sunt, scriptura, & Vox: quibus capiuntur longinqui, & propinqui viuentes, posteri, docti, & ignorantes; & in horum quodlibet artificia summa, ac potentissima abiiciuntur. Nam quo ad scripturam: ad promouendum occultum hunc finem, egregie curatur, vt libri, vniuersalem hanc dominationem asserentes, in lucem prodeant; cuncti ii, qui aduersantur, etiam si alioqui Catholici, prohibeantur: Et quod ad primum attinet, permittitur, vt omnis generis exquisitissimæ adulationum hyperbolæ in

fauorem Ecclesiasticæ Monarchiæ scribantur, & edantur; priuilegia, literas, contractus, quemuis actum quamuis scripturam, demum nihil non in maiorem Sedis Apostolicæ amplitudinē interpretando, additis interdum ridiculis, violentis, nimis affectatis propositionibus propemodum infinitis, quemadmodum apud neotericos autores, præsertim in Annalibus Baronii videre est. Quod ad alterum caput spectat; Quæcunque Ecclesiasticis minime placent (etsi legitima, & authentica) delentur; neque sanctis Patribus, neque Orationibus ab ipsamet Ecclesia pridem institutis, & vsitatis parcitur, quin tollātur ac mutilentur cuncta, quæ modernis machinationibus obsistere posse videntur. Præterquam quod si, verbi gratia, Religiosus quispiam contra Principem aliquem iniuriose scripserit, minimo negotio conceditur, vt ea scripta diuulgentur ac si forte in tutelam Principis contra religiosum hominem responsum factum fuerit, illud vt in vulgus edatur, non permittitur. Sic, quæ semel, iterumque superiorum permissu edita fuere, si quid verum, & notorium contra Ecclesiasticos contineant, vel omnino prohibentur, vel reformantur: in summa, sub inquisitionis velamine omnia scriptorum opera sic restinguntur, atque immutantur, vt liqueat, id vnum eos agere, vt in posterum nihil sit legendum, præterquam illa, quæ sedem Apostolicam super omnes Principes arbitram mundi reddere, & extra suos ipsiusmet mores irreprehensibilem, atq; exēplarē omni ex parte reddere possit. Quæ omnia titulis eximiæ sanctitatis peraguntur: hi autem fere sunt; ne boni scandalizentur: ne in malum exemplum aliquid transeat: ne hæreticis ansa detrahendi porrigatur: vt Christianismi reformatio adiuuetur: vt piæ lectiones introducantur; similesque aliæ honestatis species. Quarum tamen proprius, & abstrusior finis est, ne possint homines confugere ad exemplum, & authoritatem aliquam, quæ contra ipsos militet, eorumue multiplicem hypocrisin euertat, tantæq; ambitionis, & auiditatis insidiis, atq; cuniculis resistat. Quo ad vocem: hæc aut publice, aut priuatim intelligēda est. In publica cōciones, & quotidiani sermones continentur: in quibus, quoad eius fieri potest, Sedis Apostolicæ, & Pontificis prærogatiua, & superioritas generatim exaltatur, & magnificatur: sed in his non vbique ad ea particularia descenditur, quæ priuatis in sermonibus detectius aperiuntur. Hi vero aut inter conuersandum, & in quotidianis tractationibus habentur, vt puta in scholis, & collegiis: vel interpolato vsu, in confessionibus, aliisq; deuotis exercitiis, in oratoriis, & congregationibus vnumquēq; aut discipulum, aut conuictorem, aut fratrem oratorii, aut confitentem in feruore spiritus, sibi adeo deuinciendo, vt creditu⟨r⟩us sit, Papam in terris esse Deum. Ideoque cum, vt Deus perfecte in hac vita colatur, & adoretur, parentes, & omnia posthabenda sint, consequenter concludunt, omnia similiter derelinquenda esse, vt Pontifici, qui Vicarius Dei est, imo terrestris Deus, omni obedientiæ, ac seruitutis officia præstentur. Qua in re priuata, & quotidiana persuasio tantum processit, vt plerique, dummodo cum patre spirituali, & cum magistro consentiant, nihil putent curandum, si parentibus, amicis, consanguineis abalienatis, etiam perduelles efficiantur. Nam, dum ob assiduas horum dissertationes, exitiali arte infectas, hominum conscientiæ minutis quibusq; scrupulis illigantur; proximum odisse vt Papa diligatur; bona suis auferre, vt religiosis donentur; patrimonia sua diminuere, vt Ecclesiæ, & cœnobia charitate pompōsa extruantur; arcana sui Principis reuelare, eiusque proditorem esse, vt suæ, veneno contaminatæ, conscientiæ satisfiat; hæc demum credunt, opera esse, æternæ salutis præmio compensanda. In quod peccatum (quod quidem ex parte confessionis audientium maximum est) perlibenter, & vltro quidam moderni religiosi prolabuntur propter terribilem illum, neq; omnibus intellectum abusum, quo tribus religiosorum votis minime sufficientibus quartum additur. Etenim ad obedientiam, castitatem, paupertatem adiungitur peculiaris, & arctissima erga Papam subiectio, & obedientia sub titulo eorum superioris, *quicunque sit.* Quod votum quanquam antehac implicite intelligebatur, tanquam in voto obedientiæ dubio procul inclusum: tamen quia modo etiam explicite pronuntiatur, & cæco (vt loquuntur) obedientiæ vinculo ipsum iudicium, & conscientiam ad hanc subiectionem obligat, id omnino mysteriis non caret. Hoc nihil siquidem aliud est, quam se promptum, ac deuinctissimum profiteri ad exequenda specialiter ea omnia, quæ Aulæ Romanæ magis arrident, neque tantum ea, quæ ad sacramentorum vsum ac ministerium spectant, sed etiam ad obsequia præstanda Pontificiis quibuslibet ministris; quælibet negotia pertractando; rumores eos spargendo, eas opiniones imprimendo, quæ Papæ conducunt, arcanissima quæque rimando; singulos ad eas deliberationes, & consilia, quæ in votis habent Ecclesiastici, efficacissime exhortando; ad postremum quaecunque datur, explorando, per mulieres, per pueros, per famulos: in medullas Principatuum penetrando, relata denuntiando; etiam confessiones deferendo, & miseros confitentes decipiendo: qui dum in manu publicorum diuinæ maiestatis ministrorum se esse, putant, in potestate secretorum Aulæ Romanæ exploratorum se versari, intelligunt. Quæ ab hisce nouissimis Sacerdotibus sigillatim fieri, conspicimus, qui *potentes opere, & sermone*, & Pontificali authoritate protecti, dum in diuino cultu, in literatura, in sanctitate vitæ primatum sibi vindicant, his coloribus populi multitudinem ad se allicientes, Sedi Apostolicæ viam explanant, quæ ad temporalem mundi monarchiam conscendat. Quandoquidem populorum animos his artibus demulcentes, specie boni publici, & conscientiæ ad seditiones eos ita disponunt, vt quotiescunque Principes reluctari, & postulata aliqua, etsi iuste, abnuere, ac proinde Sedem

Aposto-

Apostolicam fremere,& illos excommunicationibus terrere, contigerit;tunc populis iam deuinctis,& ob præteritas suasiones,communique hominum genio ad res nouas propensis, sicq; Principibus domi in discrimine constitutis, facile est, vt ex iis repentina dominatus immutatio sequatur, irrumpentibus, & sine obice vllo sese intrudentibus Ecclesiasticis, vel quicunque iis probabitur.

Num autem hic scopus respiciatur, & an in vrbe passim vsurpetur illud, *Recedant vetera, & noua fiant omnia*, præsentes nostræ patriæ motus egregie comprobare possunt. Nam dum Pontifex ea fidentius petit, quæ iure negari omnia & possunt, & debent, dumqne ad inconsultam fulminis sui vibrationem confugit, dubio procul eam animo spem concepit, fore, vt totus hic status subuertatur, eiusque arbitratu frenos accipiat: quippe laruatos ministros exaudiens, sibi persuadebat, Senatum fore studiis suis discordem, tumultuaturos populos; clerum, omnesque regulatium ordines extemplo excessuros. Verum sanctissimo Dei, qui corda nostra introspicit, afflatu benigne spirante, res nostræ multo aliter successerunt, quam beatitudo eius meditata fuerat. Etenim Senatoribus mira fuit animorum consensio: populi ad suam, suique Principis libertatem tuendam res suas omnes vitamque Reipublicæ causa obtulerunt: clerus, & religiosi constanter sese continuerunt, & in administratione sacramentorum, nulla interdicti habita ratione perstiterunt: Neque pedem hinc mouerunt, nisi nouissimi quidam Religiosi, qui sese Pontifici particulatim subiectos esse, affectate profitentur, cum tamen illorum plerique spe sua deciderint in iis, quæ perfide inter vulgi conscientias disseminauerant. Hi vero in concionibus, & dissertationibus suis, Pontifici se, eiusque mandatis addictissimos, & paratissimos esse, & ipsius opera quæcunque, siue ea iusta, siue iniusta cæteris videantur, sese defensuros, declarantes; etiam atque etiam perpendendum est, an ciuitatum, & Rerumpublicarum intersit, vt colerentur, neque potius eiciantur: Quandoquidem cum Aulæ Romanæ apertissimi ministri sint, ibi vero iam perspicue elucescat, quanto animorum impetu ad vindicandam sibi temporalem Monarchiam procedatur; dum iustæ, ac reales eorum, qui cedere nolunt, neque se in rebus absolute temporalibus libertate sua temere spoliari permittunt, defensiones sub hæresis, & contumaciæ titulo reducuntur; huiusmodi homines in omnium abominatione versari debent, & tanquam Reipublicæ exitiales, ac pestiferi deuitandi sunt; præsertim quia hypocrisis veneno, atque contagio populos inficiunt, iactantes, totius orbis terrarum oculos in se ipsos conuersos esse; & inter humanum genus simul cum Christiana doctrina dogmata, & præcepta disseminantes, quæ Sedis Apostolicæ temporalitati conducunt; hominumque studia, & voluntates à cæteris Religiosorum cætibus abalienantes, vt superbi, & soli diuini cultus administratores remaneant: hicque mundum renouantes, quemadmodum impudenter disserunt, totum illum vna cum Principibus sub temporali, & spirituali Pontificis potestate congregent: hæc legibus, & constitutionibus Christi, qui suam Ecclesiam in vera, & humili paupertate, non in fastu, atque terrena superbia fundauit, aduersari, nihil penitus curantes.

DISCVRSVS SECVNDVS.

Assentior tibi, quemadmodum scribis, dissertationis meæ scopum esse, vt probet Aulam Romanam titulo Ecclesiasticæ libertatis id vnum obnoxie laborare, vt inter Christianos temporalem, & spiritualem Monarchiam absolute stabiliat: inter cæteras vero artes, & instrumenta ad hanc rem quosdam nouissimos Religiosos adhiberi, quorum machinas exiit, quæ cōtra Rempublicam Venetam prætenduntur, aperte iudicari posse. Verum quoniam, vt prudenter adnectis, neque inficias eo, hoc vltimum caput, si disertius explicaretur, posset etiam causæ, quam Respublica tuetur, neque omnibus perspecta est, æquitatem clarius patefacere: ego voto tuo obsecundans, meæ simul erga patriam charitati satisfaciam, & ad ea, quæ attuli, aduciam, quæ ad illustrādam veritatem atque corroborandam pertinent.

Dubitandum non est, quin multis abhinc annis satis determinate opinio illa diuulgata fuerit, Papam scilicet absolutum esse in re spirituali, ac temporali Dominum: & primus (nisi fallor) qui in hanc arenam descenderit, fuit nostris temporibus Albanus Cardinalis. Quæ doctrina licet non ab omnibus comprobata, nihilominus præmio tantæ dignitatis suffulta, ac firmata, pleris que ansam dedit, vt eandem vel adulandi causa confirmarent, vel vtilitatis gratia sustentarent. Sicneque defuerunt, neque desunt scriptores, qui vel tractatibus suis directe, inter quos Bozius, vel indirecte, vt Cardinalis Baronius, volumina adaugentes, huic construendæ Monarchiæ quasi cœmenta conuehere, & aggregare non desistunt. Et postquam videmus, Pontifices ab huiusmodi adulatione non modo non abhorrere, sed etiam eidem annuere, mirificeque ea re delectari, iamque ætate nostra nullum esse Principem, qui non expertus fuerit in suis temporalibus ditionibus, sedem Apostolicam titulo libertatis Ecclesiasticæ ius aliquod amplificare voluisse; recte contendum, asserendumque videtur, ipsosmet Pontifices nihil iam in optatis habere, quam vt ad huius iurisdictionis possessionem tanquam sibi debitam admittantur. Verum quoniam (si modo id verum est) nonnulli ex antiquis Pontificibus, vt forte Gregorius VII. & Bonifacius VIII.

cius VIII. hanc opinionem fouerunt; nemo tamen exemplorum, ac monumentorum veritate contendere potest, tot alios Pontifices, inter quos plerique sanctissimi, & sanctæ illius sedis amplitudinis, ac dignitatis zelantissimi vixerunt, vltra spiritualitatem, quæ propria, & indubitata illorum authoritas fuit, tam vastas opiniones habuisse, quam modernis quibusdam videtur, qui ad huiusmodi potentiæ incrementum legitime recuperandum, nedum nouissime acquirendum adspirant. Nam sub hoc iurisdictionis, libertatis, immunitatis Ecclesiasticæ nomine dum consentimus, nouæq; rerum temporalium interpretationes exsuscitantur, neque vsus, & consuetudines, neque diuturnæ, etiam Pontificum notorio assensu vallatæ, possessiones admittuntur; profecto id eniti videntur, non vt acquirant, sed vt iampridem quæsitum, atque ob iniuriam amissum imperium, ac superioritatem suam recuperent. Hinc forte, imo indubitato sequitur, quod dum accidentali huic contentioni, iuris naturalis vim attribuunt, credunt Romæ, se posse in rebus etiam vere laicis legitime quidlibet petere, contendere, minari, denique clauium authoritatem exercere. Qua in re ambigo non inasseuerandum sit, Pontifices, ipsorumque ministros ex priscis monumentis, & nuperrimorum Pontificum vsu deceptos esse; adeo vt iis vestigiis insistentes, se errare non posse, putent; an se ipsimet, aliosque vltro decipiant, dum in huiusmodi affectando imperio speciosissimis illis Monarchæ Monarcharum, mundi Domini, potestatis, & authoritatis spiritualis, & temporalis titulis obcæcati, suum errorem non agnoscunt; Credentes, in excelso Pontificiæ dignitatis monte transfigurati, vero, ac diuino spiritualitatis splendore hominum oculos, mentemque sic obtenebrare, ac cōfundere, vt hos notorie terrenos, & illicitos conatus nō intelligant. Vt vt se res habeat, saltem dubitandum non est, quin ad hunc exitum properanter tendatur: non solum quia ad tumidissimum hunc, & resonantem plenæ Monarchiæ titulum facilior, & explanatior via redditur scriptis diuersorum authorum, & persuasio hæc callidis, & sagacissimis quorūdā ministrorum suggestionibus quasi necessaria firmatur: Sed quia reipsa iam Aula Romana in res vere seculares imperium exercet, cæterosq; diuino veræ, atq; independentis libertatis priuilegio priuare contendit, ausum hunc manifesti scādali specie cohonestādo, & sedis Apostolicæ, ac Vicariatus Christi glorioso, ac semper veneratione dignissimo nomine timorē aduersantib⁹ incutiēdo. Vnde saltē deberent tot discordiarum, totque turbarum authores reminisci. Quod sanctus Gregorius parte prima sui Pastoralis inquit: *Nemo plus in Ecclesia nocet, quam qui peruerse agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet: delinquentem namque hunc redarguere nemo præsumit, & in exemplum vehementer culpa extenditur, cum pro reuerentia ordinis peccator honoratur.*

Ecclesiasticorum amplitudo, & authoritas reuera maximum præsertim in Italia hodie incrementum suscepit, neque tamen id ipsorum industria, atque arte perfectum est, sed potius eximia secularium Principum pietate, qui Ecclesiam Dei hæreticibus vexatam, ac dilaceratam, præterea ab infidelibus in summo discrimine constitutam cernentes, vt ipsam sartam tectamq; conseruarent, nomenque Christianum exaltarent, quāto magis forte viderunt, aliunde eam imperi, ac debilitari, tanto feruentiori veneratione Pontifici obsecuti sunt, protexerunt, atque honorauerunt Sacerdotes reformationis opus, & abusuum castigationem adiuuerūt, multorum fragilitatem charitate Christiana tolerantes, & compatientes, demum deuoto religionis zelo bona aliorum opera magnificantes. Quod quanquam ditionibus eorum facilius regendis, atque conseruandis conducibile, ac necessariū esse videbatur, nihilominus in cleri præcipuā existimationem, ac securitatem resultauit: adeo vt etiam in aduersitatibus, ac Tartareis fluctuationibus, inuito diabolo, seculari potestate potestas Ecclesiastica custoditi, atque consolidari potuerit: adeo vt hæc paterne illam regendo, illa vero hanc filiali reuerentia recognoscendo, eidemq; obsequenter auscultando, gloriosa propugnatio aduersus tot huius seculi perturbationes, ad maiorem Dei Christianæq; religionis gloriam, instituta, ac stabilita fuerit. Attamen suadente, atque instigante diabolo, id certo certius est, neque Ecclesiasticos suo opulentissimo statu esse contentos, neque seculares ab Ecclesiasticis laborum suorum, ac tutelæ, quam de iis susceperunt, remunerationem, gratique animi significationem vllam expertos esse. Proinde iidē seculares cogūtur querimonias multiplicare, imo sui defensionē cōtra Ecclesiā suscipere, quia, vice laudum, contra ipsos ab Aula Romana iniuriæ, & cēsuræ ingratissimis modis publicātur. Quæ Aula in summo libertatis fastigio collocata ad maiorē libertatem inaniter adspirādo, quieti, ac trāquillitati, libertatiq; suorum amplificatorū insidiatur.

Equidem omnem absolutam, & eminentem potestatē cum summa, atq; admodū conspicua libertate coniungi, necesse est. Sedes Apostolica magnam, ac generalem potestatis excellentiā retinet: igitur citra controuersiam vllam simili libertate insignitur. Hæc vera sunt. Sed lucidius distinguendum est, & dubitationes remouendæ, quæ, nisi sophismata sunt, at saltem veritatis lucem inuestigantibus tenebras offundunt. Papa dubio procul in supereminentia quadam superioritatis, quia Christi vices gerit in terris, constitutus est. Hic Christi Vicariatus (quemadmodum Euangelica historia, vnde institutus est, docet) spiritualem authoritatem, ac prærogatiuam præsefert, quæ animas ligandi, & soluendi, nec non Christianum gregem ministerio sacramentorum, & Ecclesiasticis vbiq; disseminatis dogmatibus pascendi facultatem continet. Et his spiritualis potestatis principatus vere liber dicitur, omnique immunitate merito gaudet, & p totū orbē terrarū extēditur, quē quicūq; abnuere, ac negare præsumpserit, is haud dubie in hæresim notoriā incidit, & anathematis mucrone feriēdus est. Verū qa huic principatui post ipsius institutionē spatio 300 circiter annorū, ꝑpter fideliū oblationē, & Principū priuilegia laicarum ditionū possessio cōcessa fuit, quo

Summi

Summi Pontifices pro dignitate cum splendore aliquo se sustentare possent, vnde Pontificatui noua temporalis Principis authoritas adiicitur: hæc tantummodo intelligenda est in iis ditionibus, quas possidet, & ad differentiam ditionis spiritualis, cuius per se, tanquam Pontifex, & Christi Vicarius, potitur, per accidens dicetur. Quod si forte propter primam temporalitatis concessionem, quam à Constantino Magno in sanctum Syluestrum factam fuisse, tradunt, aut propter indulgentem Principum pietatem ac deuotionem, vel propter sæcularium negotiationum tractationes, præsertim ob dissidia inter Imperatores Græcos, & Longobardos ac Normannos, qui Siciliam, eamque Italiæ partem, quæ Regnum Neapolis dicitur, occupauerant; Pontifices aliquid iuris quæsiuerunt, vnde potestatem temporalem amplificauerint; hæc quantumlibet dilatata, atque amplificata potestas semper consideranda est, tāquam spirituali authoritati accidentalis, & accessoria: cum sola spiritualis, congenita Pontifici, subsistat per se, neque Pontificatui aggregari, aut commisceri mereatur: Adeo (vt quemadmodum hodie disputatur) Papa tantundem in re spirituali, quantum in temporali iubere, & de quocunq; libero Principe statuere nequeat: Principe autem morem non gerēte, sed eam potestatem, quam de iure diuino in secularibus obtinet, in suis ditionibus exercente, non possint Pontifices dicere, Ecclesiasticam libertatem læsam, ac diminutam esse. Nam extra ditionem Pontificiam, vbi temporalitas iure obseruatur, libertatis Ecclesiasticæ nomen semper in materia spirituali intelligendum est, sicuti ante donationem, quam diximus, intelligebatur: quia huius vocabuli denominatio, quæ fit ab Ecclesia Dei, cum deceptione, ac fraude Christianorum interpretāda non est; non decet enim Ecclesiam, vt Ecclesiam, cum sit domus orationis, domum fieri negotiationis authoritate spirituali abutēdo, & in temporalem transmutando sub confuso, ac fraudulento generalis potestatis titulo. Sicq; simplicium animis incusso timore, dum Papa Deus in terris circumfertur, dumq; nouis interpretationibus, atq; opinionum dissidiis mentes hominum turbantur, ac peruertuntur, omnem conatum periclitantur, nihilque non sibi licere autumant, adstipulantes ijs, quæ Sanctus Gregorius dixit Homilia 39. *Quia dum nonnunquam peruersi homines locum religionis tenent, ibi malitia sua gladiis occidunt, vbi viuificare proximos orationis sua intercessione debuerunt.* Verum in hoc obstinato, ac fixo consilio non deserendæ temporalis huius libertatis, per quam ad generale dominium temporale actu perueniant sollicitam adeo, atque attentam operam nauant, veluti primo discursu recensui, vt nihil intentatum relinquāt. Qua in re duo inprimis animaduertenda sunt: alterum, quod occultis, & inexcogitabilibus artibus homines ad hanc opinionem adstruendam paulatim disponūt: alterum, quod lites, & cōtrouersiæ palam intētantur, in quibus si refragantium duritiem aliquam comperetint, pronuntius authoritatis imperio in sui fauorem decernunt. In primo esst, quæ antea dicta sunt, abunde sufficiunt, tamen adnotatio aliqua appendi poterit: In altero ea, quæ contra Rempublicam prætenduntur, discutiendo, clare cognoscentur, cuncta hæc attentari, vt suprema hæc Monarchia promoueatur, vtq; fructus illius seminis, quod inter populos latente, indignoque artificio sparserunt, & nutriuerunt, quamuis immaturus, iam colligatur.

Scripturis, & voce Pontificem, & Ecclesiasticos arbitros, & moderatores non animarum modo, sed corporum, patrimoniorum, Christianorum Principatuum prædicare, atque in horum possessionem eos insinuare, ars est vsitata, ac perspecta non minus, quam & rei ipsius causa, & modo agendi detestabilis: Rei causa; quia directe peccatur contra ius diuinum, quo Princeps, & populus quilibet in propria temporali potestate, ac libertate constitutus est. In qua religio nihil aliud iuris habet, quam vt singulos instruat, dirigatque, quo pacto Deus verendus, ac venerandus sit, vnde mores, & vitæ rectitudo, & politica gubernatio perficiantur: fruiturque vera religio illis tātum temporalibus bonis, quæ secularium liberalitate ad vsum, deeusque religiosorum concessa fuere. Agendi modo; quia improba profecto res est, impiaque, vt religiosum ministerium pro salute animarum, pro conscientiarum candore institutum in acquirendis, & colligendis bonis temporalibus occupetur, & exerceatur, non sine ingenti animarum detrimento, & conscientiarum veneno, atque corruptione. Propterea quod dum in concionibus, sermonibus, domesticis tractatibus, in ipso confessionis sacramento tractantur fœdera, mutationes statuum, regnorū successiones, & eiusmodi negotia, propter quæ nascuntur ciuiles discordiæ, bella, incendia, deprædationes, totq; horribiles casus absq; dubio ad temporalia damna propter plurimarum animarum iacturam, & cōscientiarum deprauationē spirituales ēt ruinæ accedunt, & multiplicantur. Id autem aut assumptum aliquod, & fabulosum argumentum, aut quædam differendi fluxio non est. Nam, quia probe scitur, inter cætera, quæ adduci possent, haud pridem per secretas confessiones in Gallia confœderationem illam catholicam ad regnum subuertendum (prætereo tot insignes, atq; horrendas circumstantias) tractatam, ac stabilitam fuisse; iure optimo in tam comperto flagitio seculi huius infelicitatem deplorare, ac commiserari possumus: Præsertim obseruantes, ex neotericis religiosis quosdam cum periculo, ac diminutione hæreditatis Christi (quæ quidem hæreditas animæ nostræ sunt, pro quarum salute mortem passus sacramēta instituere voluit) iisdem sacramentis, ac mysteriis diuinis abuti. Quodsi quondam Henricus III. per consecratam hostiam veneno sublatus est, & nuper Prior noster Misericordiæ Venetiis in calice; mōstruositas, quæ orbem terrarum ad maximum horrorem iure commouit ob facti atrocitatem, quamuis in vitam illorum tantum desæuierit: quis tremor, quis horror hominum mentes hodie concutere debebit, considerantes, totas ciuitates, regna maximasque prouincias in simili, maiorique discrimi-

ne constitutas esse? Cum hi religiosi non vno, sed pluribus Ecclesiæ sanctæ sacramentis audeant tot pauperes, & innoxias animas, quæ se doctrinæ, curæque eorum committunt, sacrilego veneno interficere. Primum enim sacramento pœnitentiæ licere sibi volunt, cõscii & moderatores omnium ac animi, & cogitationum, quidlibet in confitentium animos imprimere, totam ipsorum vitam informando, quin etiam haud raro ad rebellionis temeritatem disponendo, hominumq; sibi inuisorum actiones, vt libet, interpretando, & excommunicatos, atque hæreticos pronuntiando. In matrimonio autem virum, & vxorem vel ad perpetua subiectionis obsequia sibi præstanda obligant, domesticum imperium, filiorumq; educationem vsurpantes: vel inter coniuges nonnũq; scandala, & inextinguibiles discordias inducunt, quo plurimas auaritiæ, aliorumq; affectuum suorum machinationes exequantur. In sacris Ordinibus ope, ac familiaritate summorum Antistitum multas ambitiones, technas, & rerum politicarum negotia texunt, atq; pertractant. Sic recti specie, doctrinæq; Christianæ velo, & per simulationem cultus, ac sanctimoniæ, per quotidianam scholarum institutionẽ, incauti homines in re, in filiis, in vxoribus, Principes autem in imperio, & vita nefarie produntur: quodq; magis refert, tanta est erga religionem reuerentia, vt videantur hęc aut nemini cognita esse, aut si cognoscuntur, neminem esse tanti, vt iis remedium ferat. Verũ enimuero Deus sanctissimus, cui præcipue iniuria illata est, iam experrectus ipsam amplius tolerare non vult, permittitq; ideo, euenire, ac diuulgari scandala, quo simul huiusmodi hypocritę, ac seductores publicentur, sicq; publicæ libertati succurratur. Et hinc ad iura Reip. nostræ, cuius tranquillitas ob suggestiones eorundem perniciosissimorum hominum in præsentia vexatur, sermo noster commodissime conuertetur.

Primo aũt sciẽdũ est, bonos hos viros Venetiis cũ ministris Põtificiis arcto necessitudinis vinculo coniunctos fuisse, mox in vrbe cum præcipuis Aulæ proceribus arcanum commercium nunquã non habuisse, quibus omnibus & Pontifici, eiusq; consiliariis persuaserant, pro comperto haberẽt, cuncta, quæcunq; vellent, à Venetis facillime sese impetraturos: Hoc autem ideo potissimum facile esse, quia Senatus (aiebant) in 4. partes diuisus esset; altera ab ipsis religiosis ob illigatas conscientias penitus dependebat, altera eorum, qui Prælatorum affinitate, vel ipsismet ad Prælaturas adspirantibus, perpetuam aliquam vtilitatem, atq; honestatem sperabant: tertia eorum, quibus, dum mercaturis intenti, quieti, ac tepidi sunt, pacis perturbatio probari nõ potest: postrema politicorũ, & publicæ libertatis zelantium, qui soli beatitudinis eius consiliis aduersaturi essent, sed cæteros omnes numero maiores, & propter priuata commoda constantes absq; dubio & voce, & votis Põtificiæ voluntati obsecuturos, & fauturos esse. Adeo vt Romæ hac partitione, & argumẽto quorumlibet conatuum victoriam certissimam polliciti sint; sed quanto in errore versati fuerint, vel huius gubernationis formam haud bene intelligẽtes, vel quia (quod verius est) Deus sanctissimus pro sua clementia peculiarem Reip. curam, atq; tutelam habuerit, facile est hucusque dignoscere: nam contra iniusta vrbis desideria Senatus adamantino nodo colligatus & omni ex parte concors fuit, simulq; cum illo totum Reip. corpus, omnis populus, tota ditio, omnis clerus, nec non religiosi antiqui, veriq; cultus Dei professores, sine vlla temporalitatis corruptela. Hæc autem ideo euenerunt quia iura Reip. vera sunt, legitima, pia, Christianissima. Propterea quod si Resp. antiquam legem, quæ Venetiis obseruabatur, per totã suam ditionem extendit, qua subditis verat, ne inconsulto Senatu bona Ecclesiasticis alienent, iubens, vt posthac, si ad Ecclesiasticos laicorũ bona quæcunq; vel ex donatione, vel ex testamẽto, vel quacunq; occasione peruenerint, hi biennio illis bonis perfrui, exin ea sic acquisita distrahere, & æquiualẽs preciũ, quocunq; malint, ferre possentur: si iubetur, ne tẽpla, & monasteria sine assensu, ac permissione Senatus exstruantur: si nõ permittitur, vt Ecclesiastici possint in bonis emphyteuticis, quæ à laicis possidentur, subintrare, & dominium acquirere quouis titulo prælationis, vel is dominii consolidationis, linearum extinctionis, vel alio respectu, saluis tamen directi dominii iuribus: si deniq; obseruatur, vt casuum atrocitate suadente, clerici, & religiosi à laicis magistratibus iudicentur: hæc omnia fiunt à Rep. tanquam à summo, absoluto, libero, & semper independente Principe, ad quem iuridice pertinet absq; vlla relatione, & respectu, quam ad Deum, leges ferre, quas necessarias putat suæ, populorũq; suorum felicitati.

Quæ leges cum proximi charitatem intueantur, hæc autem speciatim extendatur ad naturalem boni publici conseruationem, ab Ecclesiastica libertate disturbari, aut distorqueri nequeũt: maxime quia eidem libertati Ecclesiasticæ, nihil eorum, quæ actu possidet, siue temporalia sint, siue spiritualia, aufertur. Quod autem verum sit, Reip. leges ad charitatem populorum spectare, consideretur præcipue, bona stabilia alimentum ac commoditatem populorum essentialem, atq; alternatiuam esse: quia etsi aut venditione, aut alio genere alienationis ab vno ad alterum dominum deuoluãtur, nõ ideo extinguũtur adeo, vt aut directe, aut indirecte bono cõmuni non inseruiãt. Idcirco, dum Princeps curat, vt hæc bona libera, & viua conseruentur, simul populorum suorum commoda, & vtilitatem non interruptam custodit, stabilitq;: at si permitteret, vt ad Ecclesiasticos transirent, in quibus absq; vlla spe, vt aliquando recuperari possint, vt plurimum extinguuntur, procul dubio beneficium, & naturale populorum alimẽtum, ac sustentatio subtraheretur; Quod quidem contra officium, & præceptum charitatis, & contra bonorum Principum prouidentiam fieret. Quocirca videmus, huiusmodi leges in omnibus Christiani orbis partibus, ac regnis obseruari, præsertim in ipsius Pontificis ditione: Et sub hoc capite etiam consideratio legis emphyteuticorum bonorum reducenda est. Nã si Ecclesiasticis liceret in omnibus iis bonis succedere, ex quibus, &

bus,& in quibus aliquid recognitionis,& vtilitatis habent, quorum pleraq; olim palustria loca,& sterilissima erant, multoq; laicorum labore, & annorum spatio ad culturam redacta sunt, absque dubio parum terræ ad populos alendos reliquum esset. Quare ne ad tam iniustam perniciem, vt populi necessario subsidio careant, deueniatur, non minus prudēter, quam sanctè Resp. leges illas promulgaunt, neq; retractandas esse, putat. Neq; obiiciatur si populi priuandi iis bonis non sunt, ergo neq; Ecclesiasticos priuandos esse: Ad hoc enim respondebitur; poena hac lege de non alienandis laicorum bonis in Ecclesiasticos nulla re, quam actu possideant, priuari, quemadmodum sane priuarentur seculares, si Ecclesiastici emere bona permitterentur; quia (diximus) cum bona ad illos deuoluta sunt, bono iam publico perierunt,& extincta esse intelliguntur: neq; Ecclesiasticis in bonis Ecclesiasticis aut directum, aut vtile, quod possident, per hanc legem aufertur. Neque enim æquum videtur, vt Ecclesia ob minutam recognitionem, quæ ab initio pietatis causa bonis amplissimis imposita fuerit, eorundem bonorum deuolutionis in se ipsam ius acquirat; vtque illa quondam inutilia, & deserta bona, nunc maximo dispendio, & industria, multorumque annorum cursu fructifera, laicæque possessionis effecta, momento Ecclesiastici iuris absolute fiant. Quo facto non solum secularibus ius quæsitum,& sumptuum, laborumque suorum fructus abriperetur, sed ipse Princeps annua contributione redituuio, & personalium operarum, quæ alioquin à subditis debentur, defraudaretur, ob eam scilicet immunitatem, qua religiosi in bonis, quæ possident, perpetuo lętantur. Pari quoq; ratione si Senatus Ecclesiarū, ac monasteriorum erigēdas structuras pręnoscere, ac præcauere necesse existimat, hoc (præter quam quod ad proprium,& naturale Principis ius pertinet, qui, vt asserunt Iuristæ, totius ferè ditionis suæ dominus est) non sine eximia erga populos charitate, summaque rectæ gubernationis vigilantia efficitur. Quandoquidem attentis moribus eorum religiosorum, quos trutinauimus, cum multa scandala, quæ ab huiusmodi hominibus perpetrata sunt, tolerata fuerint; equidem publicæ quietis, ac tranquillitatis interest, vt Principes non ignorent, quale genus hominum in suas ciuitates recipiantur. Præterquam quod similiter æquitati valde consentaneum est, ne aliena ædificia impediantur, damnoue vllo afficiantur, neue nouarum exstructionum situs arcibus noceant, vtque hæc quam diligentissime prospiciantur. Quod quidem non nisi summo, ac manifesto populorum beneficio, ac commoditati cedit, cum, ne iidem populi ab exteris hominibus,& sub titulo pietatis,& religionis maleaffectis corrumpantur, tum etiam vt vnusquisque suo nido absque detrimento, ac vexatione perfrui possit, & præsertim in illis oppidis, arcibusque secure, ac quiete viuere, quæ tanto Principum, ac populorum dispendio in Reipublicæ ditionibus constructæ, ac permunitæ sunt.

Eodem pacto si in atrocioribus casibus Ecclesiastici de more iudicantur, id pariter fit, non minus ne vetustæ huiusmodi iudicii possessioni, in qua Respublica naturali sua libertate vtitur, derogetur, quæ possessio multorum Pontificum consensu, & approbatione defenditur, quam eiusdem erga populos suos charitatis gratia. Nam nisi Ecclesiastici aliquo timore frenentur temporalisque punitionis seueritate compescantur, libidini, aliisque immoderatis affectibus, quos humanitas diuitiis, otioque deprauata secum affert, habenas laxabunt, cum offensione,& damno infelicium populorum, cum periculo seditionum grauissimarum, nec non facillimo enormium delictorum incitamento. Etenim culpæ (quod sæpius accidit in Ecclesiasticis) nihil, aut leuiter castigatæ eos, qui læsi sunt, ad vindictam per se ipsos sumendam irritant, concitantque. Quod nūquam fit sine ciuitatis minime contemnendis tumultibus: propter quos deinde Principibus necessitas imponitur, deseuiendi aduersus subditos, item aduersus eos, qui ob sui honoris tutelam ipsius Principis rei efficiuntur.

Verum omnes hæ, innumereque aliæ rationes, quæ ex authoritate Canonum sanctorum Patrum, Conciliorum coram Pontifice adductæ fuerunt, nunquam ab illa opinione beatitudinem eius abstrahere potuerunt, quin credat, omnes, quas diximus, leges, & consuetudines contra Ecclesiasticam libertatem esse: vnde ad Rempublicam diris deuouendam deuentum est. At nihilominus ex hac excommunicatione (præter manifestam, quam arguimus, nullitatem, non quia Papa ex sua authoritate excommunicare non possit, quod non inficiamur, sed quia illius excommunicationis Respublica non est capax, vtpote quæ in capitibus memoratis nullatenus errauit, vt scriptores cæteri fusius ostenderunt) credo, pulcherrimam assertionem fundari posse, vt scilicet Aula Romana,& ipse Pontifex, dum aduersus Rempublicam ita se rigidum ostendit, iam clarissime declarare videatur, quantopere temporalē Monarchiam concupiscat. Quæ consideratio alteri huic discursui finem imponet.

Quicunque absolutam Monarchiam, vel superioritatem arte constituere, sibiq; assumere curat, necesse est, eum cum illis aliquatenus conuenire, qui subiugandi sunt. Præterea vt per se, aut per ministros in eam dominationem introducatur; per se quidem authoritate benefaciendi, aut damna faciendi, per ministros autem, si cum Principe insidiante,& cum populis, quibus insidiæ structæ sunt, familiaritatem, fidemque habeant. Demum vt hæc insinuatio sit cum in iudicandis personis, tum in bonorum possessionibus, quibus naturales Domini priuandi sint. Age; an Papa in ditionibus Reipublicæ possit per has artes,& vias ad improuisam aliquam Monarchiā, nisi resistatur, peruenire; primum considеretur, Pontificem velut religionis caput, Christiq; Vica-

rium,cum ipſa Reſpublica totoq; eius imperio maxime omnium conuenire,cũ propter ſingulorum inneteratam,atque immutabilem religionem,tum quia Italus,magnæque potentiæ Princeps eſt,cui omnia obſequia,omneſq; ad eius conſeruationem, & incrementum opes,& auxilia nunquam denegata ſunt;adeo vt ipſe non aut Princeps incognitus ſit,aut nouus,aut remotus, ſed vicinus,antiquus,notiſſimus,familiaris: Per te ipſum;dubitandum non eſt, quin publice & priuatim maximas vtilitates afferre poſſit, vnde per beneficentiam animos ſingulorum ſibi deuincire, & ex aduerſo poteſt vnicuique terrorem incurere: priuatim, gratias,quas poteſt concedere,denegando,& de iis,quas conceſſit, eos priuando: publice vero,quia cum ſe Pontifex inimicum aut contrarium declarat,diminuitur imperii cuiuſque exiſtimatio,atque maieſtas,vnde ſubditorum, atque amicorum alienatio ſequitur, hoſtes vero audentiores fiunt,& inſolẽtiores.Miniſtri autem, quibus Papa vtitur, nunquam non arctiſſimis vinculis ei deuinciũtur ob plurima, ac prompta beneficia,quæ ab illo reportare poſſunt.Et hi cum Eccleſiaſtici debeant eſſe,ac religioſi,cum omnib. huiuſmodi hominum ordinibus familiaritatem facile contrahent propter communem religionis ardorem,atque curioſitatem; Vnde etiam poterunt facillime, quemadmodum inceperant nonnulli ad ſedem Apoſtolicam amplificandam pleraque ad libitum introducere. Quę ſedes Apoſtolica in hoc ſtatu conſtituta, & cum ob vniformitatem, & conſonantiam religionis, tum ob ſimilitudinem populorum,quibus multa largiri,multaq; auferre poteſt,tum præterea ob miniſtros ſagaciſſimos,necnon Pontifici addictiſſimos, & minimo labore ſeſe in alienos inſinuantes, potentiſſima;quotieſcunque id obtinebit,vt tot bona emphyteutica,etſi magna ex parte talia non ſint,in plenum ius Eccleſiaſticorum concedant, vtque Eccleſiaſtici noua bona ſecularia libere emere,& ex teſtamento,ex donatione, aliiſue titulis acquirere poſſint, præſertim cum bene nummati ſint, & in aucupandis legatis,& opulentis hæreditatibus ſagaciſſimi: ſimiliter vt Eccleſias, & cœnobia vbique fabricare,eaque ob auctas opes maximo presbyterorum, aut monachorum numero implere poſſint,præterquam quod plerique ad Eccleſiaſticas dignitates emergere ſolent; ſuper quibus omnibus liberũ & abſolutum iudicium exerceretur: profecto concludi poteſt,quod, cum populi his omnibus caſibus pauperes fiant, & naturaliter propendant ad eos,à quibus neceſſitatibus ſuis opem ſperare poſſunt,cumque Reſpublica magna ex parte ſua iudicandi authoritate ſpolietur,ſubditorum ſtudiis diuiſis, diminutis reditibus, proprio ſolo in alienam iuriſdictionem translatò,in ſuæ ditionis viſceribus tot hoſtilibus arcibus, quot fortaſſe monaſteria eſſent: periculum libertatis,reique publicæ ſalutis eſſe euidentiſſimum,atque omnino irreparabile;niſi Deus omnipotens Chriſtianiſſimum hunc,& religioſiſſimum principatum protegeret, & niſi iam diuina miſeratio contra artes,& machinationes,quas diximus,non modo prudentiſſimum Senatum, ſed etiam eum Principem obieciſſet, qui tam integritate,atq; intelligentia,quam pietate excellit,neque minus patriæ libertatis amans habetur,quam ſit Eccleſiæ Dei proſperitatis, & amplitudinis cupientiſſimus.

N. GAL-

N. GALLOFRANCI AD PHILENETVM

EPISTOLA

PRO LIBERTATE STATVS ET REIPVBLICÆ VENETORVM.

HABET iratus pater sua verba, quorum ea vis est, vt filiis, à quibus læsus videatur, quam maximum terrorem incutiant. Habent & filii sua, quibus querantur hoc colore quasi duriore Patris contristati sententia, & in his ingenii pars est dolor. Habent sua quoque adulatores, quorum blanditiis facile decipiantur Principes, si sacras aures illi patefaciant. Habent denique sua Pacifici inaffectata nudæ veritatis verba; quorum lenitate rerum atrocitatem subducere ac veluti panchresto medicamento laborantes amicos reficere valeant, imo ab ipsomet qui vulnera imposuit obtinere vt filiorũ religioni medeatur. Et his sermonibus salutaria insunt remedia, quæ quidem si adhibenda vnquam fuerunt, hodie certe in concilianda Summi Pontificis & S. sedis A.C.R. cum Serenissimo & sapientissimo Duce Augustissimoque Venetiarum Senatu beneuolentia imprimis necessaria sunt. Sed hoc regium vere opus. Etsi qui Principes ant alias viri boni malis temporibus extitere, siue qui cœlestia maxime, siue qui in terris ad homines pertinentia procurarunt nõ alia ratione quam vel pacificatoriis legationibus, vel per Epistolas amicorum discordias sedare conati sunt: vnicum quippe istud sermonum φαρμακὸν σωτήριον semper visum est, idemque præstantissimum & capiti ac membris totius Reipublicæ Christianæ saluberrimum. Id vero à Christianissimo Francorum rege potissimum sperandum est, à magno inquam, illo Henrico, de quo quidem merito dici possit, quod olim de Traiano Victor, in eo nimirum tantum esse rerum maximarum modum, vt temperamento quodam virtutes omnes miscuisse videatur. Is cum voluerit facillime omnium discordes animos ad concordiam adducet dissidentium illarum potestatum conciliator æquissimus. Sed interim dum eius authoritas interueniat, quoniã à me petis (vir Illustrissime) vt de tribus legibus à Duce Senatuque vestro nuper in Republica Venetorum latis, quas Pontifex Maximus monitione sua exsecratus est, aliquid ad te scribam, quæ sit his de rebus Gallofrancorũ Catholicorum & Orthodoxorum sententia, tibi aperiam paucis, idque liberius edam pro more Francico, seu vt cum Cypriano loquar, more magis Christianissimo, & qualecunq; erit, cum abs te ipso, tum etiam à bonis omnibus animo potius quam auribus percipi velim. Nec enim ea mihi mens est, quæ Tertulliano Africano olim fuit, qui licet magni ingenii vir, & iuris diuini atq; humani scientissimus, tamen & acrior in Romanum Pontificem fuit, & liberior etiam in Principes ausus cum de Pilato loqueretur acerbius in vniuersum pronũciare. Etenim cum sub eo rege viuamus, qui nullum vnquam sanguinarium verbum, ne aduersus inimicos quidem protulit, ita nos eius exemplo decet esse moderatos. Illud vero non ignoramus, quod alicubi Sanctus Gregorius Papa scripsit: *Quatuor modis humanum iudicium peruerti, timore, dũ metu potestatis alicuius veritatem loqui pertimescimus, cupiditate, dum præmio alterius animum corrumpimus, odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur. Amore, dum amico vel propinquo contendimus præstare auxilium.* Et ij sumus, quos nec vlla gratia flectere, nec potentia rumpere, nec pecunia corrumpere, nec adulatio adulterare poterit. Ad rem igitur.

Tres à Principe vestro ac senatu leges latas perlegi, quarum prima sancitum est *bona à laicis absque permissu Principis & authoritate publica ad personas Ecclesiasticas nulla alienatione transferri posse.* Altera est *de non ædificandis nouis Ecclesiis aut Monasteriis, & ne cuiquam siue sæculari siue Ecclesiastico in vrbe Venetiarum religiosas domos vel hospitalia & pia loca sine Ducis & Reipublicæ speciali licentia fundare vel erigere liceat,* quod & decretum est obtinere etiam in omnibus iurisdictionis Venetorum locis pœna exilii ac perpetui carceris & publicationis fundi, venditionisque ædificii contra secus facientes indicta. Tertia est *de grauiorum maxime & atrociorum criminum ab Ecclesiasticis personis commissorum iudiciis à supremo consilio decem Reipublicæ Consiliariorum ferendis.* Quæ quidem antequam ordine, vt expedit, mea dissertatione explicem, imprimis ea protestari lubet, quæ olim Augustissimi Senatus Parisiensis Patres in illa pro libertate Ecclesiæ Gallicanæ aduersus Romanam Aulam defensione Ludouico Vndecimo Francorum Regi oblata protestati sunt. Nimirum, Nolle me Sanctitati, dignitati, Honori, & authoritati summi Pontificis & sanctæ sedis Apostolicæ C.R. quicquam detrahere. Quin potius omnem honorem, reuerentiam & obedientiam, quam vnusquisq; pius & fidelis summo Ecclesiæ pastori debet, exhibere velle, & si quid emendatione dignũ exciderit Ecclesiæ determinationi, quæ errare non potest, subiicere paratum esse. Mihi enim in memoria fixus est ille siue Lucii siue Agathonis Papæ à Gratiano citatus Canon à recta, Causa 24. quæst. 1. *A recta nimirum*

mirum fide & Apostolico tramite nolumus recedere, quoniã hæc æterna est Apostolorũ viua traditio, hæc vera charitas, quæ prædicanda est & præcipue diligenda ac fouenda, atq; fiducialiter ab omnibus tenenda hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam ab Apostolicæ traditionis semita nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum Christi Principibus illibata fidetenus manet.

His præmissis ad primam vestram legem venio, & hæc quasi operis fundamenta iacio. Nimirũ huius vniuersi orbis regna in variis terræ partib. à solo Deo Opt. Max. determinata & discreta esse, Falso enim Diabolus mendaciorum perpetuo eloquentissimus asserebat suum esse summam fortunam & regna dono dare, nec enim ius ei vllum est in mundi imperium, vt nec in Dei templum, nec in primogenituram Ruben à Iacobo prognati, nec in primogenituram Leui filii Israel, nec in duplex os Sacerdotum, vt nec etiam ius habuit in veterem Iudaicam, nec in nouam Christi Ecclesiam. Itaq; certũ est neq; Reges, neq; Magistratus, qui Dei ministri ab Apostolo Paulo vocati sunt, ab alio pendere, quam à Deo, in cuius rei fidem pulchre Irenæus Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus *mundi Principes indumento iustitiæ amictos dicit leges habentes, de quibus cum iuste & legitime fecerunt non interrogabuntur, neq; pœnas dabunt, si qua vero ad euersionẽ iusti inique, & contra legem, & more tyrannico exercuerint, in his iudicia Dei reseruantur, Deo nempe soli peccantes de his, quæ Regibus à Deo commissa sunt, Deo rationem reddunt.* Sic Rex Deo dilectus in Psal. 51. dicit: *Tibi soli peccaui Deus.* Ita & rex Francorum in regno suo Imperator est, & quia à Deo immediate suum diadema, suum sceptrum, suum deniq; regnum obtinuit, idcirco Dei Gratia Rex dicitur, nec vllum in temporalibus superiorem agnoscit præter supremum illum Monarcham Deum. Patronus ẽt ac fundator præcipuus est omniũ Franciæ Ecclesiarum. Multæ præterea eius prærogatiuæ, multa illi priuilegia, plurima indulta à Summis Pontificibus cõcessa, vel potius agnita, deniq; ad eum pertinet bonorum, immunitatum, libertatum, pacifici status, honestatis, recti ordinis, disciplinæ atq; integritatis Ecclesiasticę protectio atq; custodia, verum inter plurima huiusce potestatis iura illud præclarum est, quod Ecclesiasticę personæ & Religiosi, quos *homines manus mortuæ* nostri vulgo appellant, prædia sine regis licentia possidere non possunt, quæ quidem eis sacro diplomate conceditur, & id est ꝙ vocamus *Amortissement.* Quod ius nõ modo apud nos, sed & in Hispania locum habet: cuius rei testis est Petrus Belluga Valentinus ciuis in suo *Speculo tit. de amortisationibus:* Tale autem hoc ius est, quod non modo Regibus Francorum Christianissimis, regibus item Hispanorum à Deo datum fuit, sed iure communi omnibus Principibus competit, atque ideo Duci Venetorum & Reip. vt aliis omnibus, penes quos ius est summi imperii, quod dum dicimus, summum Pontificẽ non lædimus, sed id tantum fœderatis & amicis, quibus æternæ gratię à nobis habendæ sunt, ꝙ rebus Gallofranciæ afflictis de salute nostra nunquam desperauerunt, id inq̃ iis conseruãdum esse contendimus, quod cum ad eos iure pertineat, iure eripi non potest. Ius autem illud summæ potestatis & meri imperii, quod à Deo solo cõcedi & pẽdere dicimus, quin vobis competat, nunquã in dubium reuocatum est. Aliquid tamen hac de re dicam lubens in maiorem vestræ gentis gloriam, eius originem repetens breui quidem sermone, sed prolixo affectu, quid enim proferam, quę Arrianus vel quæ Eustatius in notis ad Dionysium de situ orbis retulit de ortu Venetorũ à nobilibus Paphlagonũ proceribus? Satis erit si obseruemus eodẽ tempore, quo Franci in Gallias venere, & regnare cœperunt, eandẽ illis regni diem fatalem fuisse, qui Venetis Reip. suæ, & vt eadem vtriusq; gentis fuit synastria, ita eandẽ vtrique datam videri à Deo summi imperii potestatem. Notũ est eo sæculo, quo Procopius scribit fundatum circa Arelatensium Prouinciam Francorum regnum, Venetos in Italia dominationis suæ fundamenta iecisse: Nec illud prætermittam, quod Iustin. Imperator in Nouellis scripsit: VETVSTAM VENETORVM GENTEM AC NOBILEM, VNDE MAGNÆ COLONIÆ DEDVCTÆ. Vnde Veneti in Italia, in Aquileia omnium sub Occidente vrbium maxima, de cuius dignitate & eminẽtia in Gratiani Decreto plures extant loci, inter quos maxime notandus Canõ *pudenda, causa 23. quæst.* 22. ex quo quidem intelligere est hanc olim consuetudinem obtinuisse, *vt Mediolanensis, & Aquileiensis Episcopi* (inquit Papa Pelagius) *sese inuicem ordinarent, quia pro longinquitate, & difficultate itineris ab Apostolico*, i. à Papa, *eos ordinari onerosum fuisset*, idq;, quamuis alio rescripto, quod eidem Pelagio vel Gelasio aut Gregorio tribuitur, vt antiquis moribus cõtrarium damnatum sit Canone *istud est* 11. q. 3. tamen rationi consentaneum à Doctoribus Canonistis habitum est, diuq; obseruatũ, licet Rom. Pontifex aduersus dictos Mediolanẽsem & Aquileiensem Episcopos brachium Principũ sæcularium implorarit. Quod si summus Pontifex, *ad quem omnium Ecclesiarum instantia* (vt ait D. Paulus) *ad ædificationem Christianitatis pertinet*, quiq; ideo *vniuersæ Ecclesiæ Rector* à D. Ambrosio dictus est, in spiritualibus tamẽ, quæ potissimũ curare debet, noluit esse curiosior, viderint sapiẽtissimi Principis Venetorũ Consiliarii, num Pontifex hodiernus ab iis rogandus sit, vt hoc exemplo nõ satagat, non conqueratur, non execretur ob ea, quæ à Principe vestro facta sunt non tam ad Ecclesiã quam ad Reipub. statũ pertinentia. Addi poterit hisce precibus, si è re & vtilitate publica id esse iudicabitis, pulchra Synodi Aquileiensis historia, cui præfuit magnus ille D. Ambrosius. Huius memoriã, cuius aliquanto obscurior fama est eorũ incuria, q illam vti oportebat, non coluerunt, à nobis excitandam puto, vt Reip. vestræ ꝓsit. In ea cum de fide actum esset, de abdicãdo nempe Palladio Arriano, ꝙ Niceno Concilio nollet subscribere, repetitis Nicenorum patrum regulis statuta Aquileę facta inter Synodos catholicas recepta & ab vniuersa Ecclesia approbata sunt, & quãuis rescripto Imperatoris nimirũ Gratiani, quem suum vocat Ambrosius, qui in Occidente regnabat, dũ Theo-

dosius

dosius in Oriente, Synodus conuocata esset, tamen Damasus Papa non ideo conquestus est. Beatus quippe Ambrosius suggerebat nõ necessariũ videri multitudinem Sacerdotum, & satis superq; esse si vicinarum ex Italia ciuitatum adessent Episcopi, ita inquiens: *Abstinẽdum venerabilium virorũ fatigatione, censemus, ne quis, vel maturo æuo grauis, vel corporis debilitate cõfractus insinet atque repetat terras.* Hęc ad excusandum Damasum Rom. Ecclesiæ Pontificem Maximum pertinebant, qui, licet eius sæculo Romana non careret assentatorib. Põtificiam dignitatem minui clamitantibus, noluit tamen cõuocationem Aquileæ factam sub eo prætextu reuocare, q̃ illo absente Synodi Patres cõuenissent. Si quid igitur factum à Principe, & Senatu vestro, non in causa fidei, sed latis in vtilitatem, & cõmodum Reip. legibus, intelligat Summus Põtifex læsam hac in re non videri eius dignitatem, ideoq; nullum esse indignationi, aut querimoniæ locum. Nunc probandum est primum Ducis vestri, ac Senatus Decretum Sacris Legibus, tam Imperatorum, quam aliorum & maxime Gallofrancorum Principũ constitutionib. conuenire. Quod quidem Philippi Valesii Regis Christianissimi sæculo viri pii, & docti plurimi, atq; inter cæteros Iacob⁹ Capellus aduocatus Regius Catholicus vir, & eloquẽtissimus, & cõsummatissimus, Marillacus homo vere cordatus, Seguierius vir magni iudicii, Menilius facundissimus, Thuanus rerum peritissimus, Iacobus Faius vir animi magnitudine, oris libertate, & summa literarum cognitione præstãtissimus, quiq; his demũ successit libertatis Gallicanę mutus, & iurium regalium vindex acertimus Ludouicus Seruinus, tam publicis actionibus, q̃ scriptis suis asseruerunt, & ex iis potissimum Capellus in libello, quem Francisco I. regi Christianissimo obtulit, & Seruinus libro *Vindiciarum secundum libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, & regii status Gallofrancorum* Augustæ Turonũ edito, ex quo descripsi quæ sequuntur. *Olim* (inq̃t) *Leuitæ in terra S. prædia nõ possidebant saltẽ hereditario iure, vt ex Deut. 10. & 18. & Leu. 25. cap. discimus. Sic neq; teste Plinio Druidæ in Galliis. Clericis vero & Monachis Christianis sub veterib. Principibus, phibitum fuit, ne quid ex donatione siue ex testamento caperent. Quod D. Hieron. ad Nepotianum scribens disertis verbis testatur, vbi non de constitutionibus Principum cõqueritur, verum se dolere ait, quod Christiani Clerici meruerint hãc legẽ. Ea lex est Valentiniani Valẽtis, & Gratiani ad Damasum Episcopum vrbis Romæ, Ecclesiastici, &c. Cod. Theod. de Episcopis & Clericis & Eccles. In qua tamen legi Mosaicæ contrarium est, q̃ iis capere liceat, vt à propinquis ad quorũ successionem, vel bonorum iure ciuili, vel edicti beneficio admitterentur. Sed durior lex in Galliis scripta est. Aut iure non scripto, & cõsuetudine lex Mosaica repetita, per quã Clericis prædia possidere nõ licuit, de qua Synodus Apollinaris. Obtinuit, (inquit) vt portio nostra sit Dominus, atq; vt adscripti turmis cõtribulium Leuitarum nẽ rimaneamus terreni, quibus terra non remanet, inchoemusq; vt à sæculi lucris, sic quoq; à culpis peregrinari. Scio Saluianum Massiliensem in lib. 3. ad Ecclesiam catholicam sic dixisse. Qui antistat in Euangelio sacro, antistare debet in humano testamẽto, sed præponũtur tenebræ luci, terra cœlo, mũdus Deo. Quibus verbis aduersus eos exclamat, qui liberis religionẽ ingredientibus non esse opus ducebant æquã accipere cum fratribus Patrimonii portionem. Sed ea lex erat illius sæculi vt dandæ quidẽ vita vsus Christiani censerent eis, cuius vita concederetur, eorum vsufructu dato tolleretur, ꝓprietas. Nimirũ parentes liberos abdicabant, quos religioni dicabant, & eos iubebãt quasi Latinos esse libertos, vt viuerent, se quasi ingenui, & morerentur, vt serui. Certe sub Leonis Papæ I. tempora ferunt Hilarium Arelatensem Episcopũ cum bona propinquis reliquisset, ea non solum quæ Arelatensis habebat Ecclesia iure optimo possedisse, verum, acceptis numerosis hæreditatibus ampliauisse. Ita dixit Prosper in li. 2. de vita contemp. c. 9. vbi idem refert de Sancto Paulino. Sed credibile est, immo aliter haud credendũ, illos à Principibus gratiã impetrasse, qualem vulgo nostri literas amortisationis vocant. Sane Constantinus Ecclesias, tã Orientales, quã Occidentales amplissimis prædiis dotasse dicitur, vt victus Clericis præberetur. Sed si donatis, vel ab eo, vel ab aliis possessionib. Ecclesiastici recte vsi fuissent, quarum prima pars vet. rib. Canonib. Episcopo adsignata erat, vt peregrinos inopes hospitio exciperet, secunda alẽdis Clericis impendebatur, tertia pauperibus, quarta fartis tectis sacrarũ ædiũ, forsitan (vt vir pius dixit) non tot hostes hodie pateretur Ecclesia, nec essent hmõi legibus diuitiæ Clericorum possessionesq; circumscriptæ. At iuris etiam Canonici professores dicunt Apostolos futuram Ecclesiam in gentibus prauidentes, idcirco prædia in Iudæa nõ adeptos sed pretia tantum ad fouendos egẽtes, & ab iis proferitur Canon futuram, qui à Gratiano Melchiadi Papæ tribuitur insertus causa 22. q. 1. vbi hæc scripta sunt (Constantinum Magnum fabricandi Ecclesias iis suo degentib. Imperio licentiam dedisse, & prædia constituisse tribuenda) Tum hæc adiecta Deniq; idem Princeps donaria immẽsa contulit, & fabricam templi primæ sedis Beati Petri instituit, adeo vt sedẽ Imperatoriam relinqueret, & Beato Petro successoribusq; suis profuturam concederet. At quidam proferunt Vrbani Papæ Decretum, quo statutum fuisse dicunt, vt Ecclesiæ Romanæ liceret prædia possidere, quorum prouentibus ipsius ministri alerentur, & hoc Decretum à Gratiano refertur in illa causa 12. q. 1. in Canone videntes. Addunt horum bonorum alienationem sub excõmunicationis pœna interdictam. Sed quis præsumat Sanctum illum martyrem Vrbanum, qui sub Heliogabalo cũ aliis Christianis in latibulis se occultabat, & cuius omnis cogitatio motusq; animi in capiendis de propagãda religione consiliis, & pertinentib. ad beate viuendum, ac bene moriendũ, aut in studiis scientiæ; cognitionisq; diuinæ versabatur, in terras ferri voluisse? Tum Christiani oẽs, nec vitiis animum applicabant, nec diuitiis, sed martyrii gloriã quærebant, & possessionum frustra ab ipsis acquisitum fuisset dominium cum iis frui non liceret. Quamobrẽ cælum petebant, & solo animi ardore concalescebant. Ab aliis igitur, quam à Pontificibus martyrium passis hmõi licentiæ possessionum acquirendarũ probationes petendæ sunt, siue in Italia, siue in aliis locis. Quæ vero sub Principibus Christianis, vel in Galliis, vel alibi eis data sunt, ea non nisi permittentib. Principibus habuere, vt ex Greg. I. Papæ li. 5. Epist. 5. colligi potest, vbi prædiorum, quæ in regno Galliarum ad eum pertinebant, rectorem Candidum reginæ Brunichildæ commendat. Et quod in c. 1. de censibus, & in aliis iuris Canonici locis scriptũ est prædia concessa fuisse presbyteris, depromptum est ex capitularib. Caroli Magni, & Ludouici, vbi de Manso, quod Ecclesiæ vnicuiq; tribuitur mentio fit. Verum quæ causa est cur in Galliis, & in aliis multis regionibus Clericis prædia sine licentia*

Principib

Principis habere non liceat? Huius rei ratio est, quod cum prædia fere omnia, vel feudorum dominis, vel iis qui censuales appellantur pensiones, & tributa debeant, quæ ex mutatione possessorum illis pendi solent, extinguerentur, nec census censendo fundi amplius vlli essent, id est nec emerentur, nec venderentur, si Ecclesiastici eos acquirerent. Etenim Ecclesiæ, Collegia, & ciuitates quibus olim res templorum, id est ædificiorum Idolis sacratorum ab Ethnicis ablatas Imperatores tribuerunt, denique corpora omnia & vniuersitates manus mortuæ vocantur, quia legionibus similes sunt, ex quibus licet multi decedant, tamen cum in eorum locum alii subiiciantur, eadem existimantur vt idem populus, idem Magistratus, qui ab hinc centum annis fuerunt, quamuis ex illis nemo superstit. Et hanc ob causam cum etiam iure communi rerum Ecclesiasticarum alienatio prohibita sit, regiis quoque constitutionibus anni 1402. & multis Senatusconsultis, tam regi, quam nobilibus, & aliis feudorum, & censualium prædiorum Dominis consultum est, vt Ecclesiastici gratiam à Principe obtineant & postea hominem, quem leges aliquæ municipales viuentem, morientem, & confiscantem appellant, dominis offerant, & pro eo iure quod quidam Morticinium alii indemnitatem vocant, partem tertiam rei æstimatæ, vel aliam ex arbitrio iudicis soluere teneantur. Rex vero solus huiusmodi concessiones dare potest, quibus renunciat iuri cogendi Ecclesiasticos ad transferendas res alienatas in idoneam Laicorum manum. Et hæc ratio est quoniam interest Principum, ne Ecclesiastici tot prædia comparent, vt Laicos spolient, & ita breui habeant rerum omnium copiam, qua ratione frequentibus Sancti Senatus Parisiensis placitis cautum fuit, ne absq; permissu Principis vlla immobilia Clerici vel Religiosi teneant, & ita contra Cathalaunensem Episcopum iudicatum fuit anno Domini 1277. In summa hoc ius ad Principem pertinet, vt sine eius licentia Ecclesiasticæ personæ nihil possidere queant. vnde Iuo Carnotensis in Epist. ex authoritate D. Augustini contra Clericum dicẽtem, *quid mihi & Regi?* Ita scribit: *Quid tibi ergo & possessioni? Per iura regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Regi? noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa iura renunciasti humana, quibus possessiones tenentur. Quod si hæc & æterna lege sancita essent, non esset in manu Principum, vt ea in quibusdam districte iudicarent, in quibusdam misericorditer relaxarent.*

Et hæc ad primam legem sufficient. Nunc ad alteram deueniendum, quam & pro virili parte defendam & cum authoritatibus, tum etiam exemplis confirmabo. Imprimis id erit obseruãdum veteres Christianos multa ab horrida illa Ethnicorum antiquitate in vsum Ecclesiæ flexisse, quæ interueniente Principum authoritate in morem inducta sunt, cum alioqui vim suam retinere nõ possent. Vnde quod olim obtinuit, vt dedicatio templorum non nisi per Magistratus fieri posset etiam sub Principibus Christianis in ipsa pene Christianæ gentis origine reuocatum est, & ad nostra vsque tempora manauit à maioribus traditum, quorum fidem nos quoq; sequuti sumus. Notum est Imperatoris Cõstantini decretum, quod fecit ipse *de instaurandis templis*, quod & alii postea eius exemplo fecere imperii successores, qui cum ciuitatem aliquã imperatoria authoritate innouarent, non modo ciuilibus formis, sed etiam priuilegiis, & iuribus Ecclesiasticis eam decorarunt, quæ ideo & ipsis auferre licebat, & hac de re quæcunq; vellent pro arbitrio statuere, atq; decernere, vt notat Balsamon ad can. 17. Cõcilii Chalcedonensis, *Si enim* (inquit) *eis permittitur ea quæ voluerint de Regionum finibus ordinare pro innouatis à se vrbibus, multo magis, vt mihi videtur, Episcopatus Metropolium honore donabunt, eorum qui præerunt promotiones designabunt, & alia quædam pro ea quam habẽt potestate iubebunt* Huc etiam referri potest Nouel. Iustin. *67. de non ædificandis nouis Ecclesiis, aut Monasteriis*, vt intelligatur rerum quoq; sacrarum curam ad Principem pertinere, eiusq; authoritati competere, vt de iis leges ferat, iubeat, & vetet. Cui quidem maxime cõuenit, quod habetur in tit. ff. de colleg. & corp. Nimirum *extraordinarium crimẽ esse in eos qui illicitum collegium, vel quodcunq; tale corpus celebrãt, i. sine auctoritate Principis, & Senatus, quorum vel mandatis, vel Senatusconsultis huiusmodi collegia, & corpora dissoluuntur.* qua de re Tertullianus, *in S. C°. & Principũ mãdata coitionibus opposita delinquimus.* Quod si exemplis rem confirmari oporteat, non desunt quæ subiiciamus, & inter cætera primum occurrit insigne illud de Templo Pantheon celeberrimi nominis Romæ quondam in Deorum Gentilium cultum erecto, quod cum Bonifacius IV. in sacrum vsum vellet conuertere, prius illi à Phoca tunc Imperatore impetrandum fuit, cuius rei author est venerabilis Beda in homiliis Aestiualibus de Sanctis, To. 7. his verbis: *Legimus* (inquit) *in Ecclesiasticis historiis quod sanctus Bonifacius, qui quartus à Beato Gregorio Romanæ vrbis Episcopatũ tenebat, suis precibus à Phoca Cæsare impetrarat donari Ecclesiæ Christi Templum Romæ, quod ab antiquis Pantheon antea vocabatur, quia hoc quasi simulacrum omnium videretur esse Deorum, in quo eliminata omni spurcitia fecit Ecclesiam Sanctæ Dei genitricis, atq; omnium martyrum Christi, vt exclusa multitudine Dæmonum, multitudo ibi sanctorum à fidelibus in memoria haberetur, & plebs vniuersa in capite Calend. Nouemb sicut in Die Natalis Domini ad Ecclesiam in honore omnium Sanctorum consecratam conueniret.* Et in eiusdem rei fidem sic Mantuanus:

Pantheon hoc Templum Phoca donante recepit
Romulidum pastor Bonifacius, atq; fugatis
Inde simul cum Matre Dei, solenniter omnes
Transtulit ad superos, &c.

Non absimile illud, quod Aimonius refert de Basilica S. Vincentii (quæ nunc Sancti Germani à Pratis dicitur) per Childebertũ regem iuxta ciuitatis Parisinæ muros ædificata, & eius pragmatico munita, cuius hæc verba sunt. *Ego Childebertus rex vna cũ consensu, & voluntate Francorũ & Neustrasiorũ, & exhortatione S. Germani Parisiorum vrbis Pontificis, vel consensu Episcoporum cœpi construere templum in vrbe Parisiaca prope muros ciuitatis in terra, quæ aspicit ad fiscũ Isciacẽsem in loco qui appellatur Locotitia.* Antea enim in eodem loco Isidis colebatur simulachrum, & in eius Idolo Diuini Numinis nomen assumebatur, vt *Annalium* à Iacobo du Breul Sancti Germani Monacho, & aliis probatis authoribus

scripto-

scriptorum monumentis proditum est, ex quibus etiam multa proferre possumus, quibus luculentissime probetur solos,& primos per Gallias, Germaniam & alias Occidentis Prouincias Templorum authores fuisse Reges Francorum Christianissimos, & inter illos Clodoueum, qui primus Christiani nomen adeptus est, ædem sacram D. Genouefæ, quæ etiamnum Parisiis exstat, construxisse,& in honorem Beati Petri & Pauli Apostolorum consecrasse, cæteros eius successores pari pietate in ædificarionem,& fundationem Templorum multa erogasse: Denique per vniuersam Galliam nulla Monasteria, Religiosas domos, auralia venerabilia loca, nulla etiam corpora,& vniuersitates, nisi vel solius Principis liberalitate, vel saltem ipsius venia.& approbatione constructa reperiri, nec nunc quidem vlla construi posse, nisi Regio Diplomate prius impetrato, & accedente præterea supremæ Curiæ Sacra vice iudicantis SC. Sed quo magis domesticum vobis arrideat exemplũ, non erit alienum pauca referre de augustissimo D. Marci Templo, quod Sebastianus Zianus quondam Dux vester Venetiis erigi curauit, tanta arte, & tanto ornatu conspicuum, vt non immerito quidam authores AVREAM ÆDEM appellarint. His authoritatibus & exemplis ostendetis nihil à vobis actum, nisi more institutoque Maiorum, qui vt nimium in Templis exstruendis Christianorum studium reprimerent, non temere, & nisi speciali Principis concessu id fieri passi sunt, longe satius esse existimantes *Pauperibus (quæ viua Dei Templa, & simulachra sunt) subuenire, quam parietes Templorum exornare*, vt pie dixit Valafridus Abbas, qui ideo Gregorium Papam maxime commendat, quod non tam in Templorum exstructione,& exornatione, quam in doctrina,& eleemosynis laborauit. Et fortasse nunc magis expediat ob nimiam Templorum multitudinem à Summo Pontifice querelã institui (qualis est Petri de Aliaco Cardinalis Cameracensis in libro *de Reformatione Ecclesiæ* Concilii Constantiensis Patribus oblato) quam ideo commoueri, quod à Duce, & Senatu vestro prohibitum sit ne vlla in posterum absq; eorum licentia condcrentur, cum præsertim hac in re non sibi ius al. quod nouum dixerit, sed prisco iure,& communi aliorum more vsus sit.

Superest tertia lex, cuius facilis,& prompta est defensio, tam ex Apostolorum, quam ex Pontificum sanctionibus, & Doctorum Sacræ Theologiæ, & iuris Canonici, ac Ciuilis vsuque fori præsertim in Francia recepto. Prodeat inprimis D. Petri testimonium in Epistola 1. Ca. 4. vers. 15. vbi ita scribit, *Nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Cuius loci expositio est in Concilio Matisconensi primo circa tempora Pelagii II. Papæ Cap 7. his verbis concepta: *Vt nullus Clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui à seculari iudice iniuriam patiatur, aut custodia deputetur. Quod si quicunque iudex cuiuscunque Clericum absq; causa Criminali, id est homicidio, furto, aut maleficio hoc facere fortasse præsumpserit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* vbi notanda exceptio, ex qua liquet in causis Criminalib. maxime in eo Capitulo expressis Clericos iurisdictioni secularium iudicum subiici debere. Quod adeo verum est, vt alia probatione non indigeat, subiungam tamen D. Pauli authoritatẽ in Epistola ad Rom. cap. 17. sic scribentis, *Omnis anima potestatib. sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed, mali: vis autem non timere potestatem? Bonum fac & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum, si autem malum feceris time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est vindex in iram ei qui malum agit.* Ad quæ verba eleganter scripsit Chrysost. his verbis, *Omnib hæc præcipit sacerdotibus, & Monachis, non autẽ iis solis, qui huius vitæ negotiis occupanter statim in ipso Proœmio declarat Apost. cum sic dicit, Omnis anima, quasi dicat, etiã si Apostol. etiamsi Euangelista, etiamsi Propheta, vel alius quiuis fuerit, subiectio enim ista nõ euertit pietatem.* Et illo seculo certũ est tam Laicos, quam Clericos etiam in Capitalibus causis Imperiali iurisdictioni subiectos fuisse, quamuis à quibusdã asseratur Ecclesiam quoque de Criminib. cognouisse priusquam ad Laicũ iudicem deueniretur ex Canone *si quis sacerdotum*, quæ Papæ Pio I. tribuitur à Gratiano relatus in collectione Decretorũ *causa 11. q. 1.* & ex Canone *Clericos*, qui Stephano in eadẽ collectione *causa 3. q. 4.* vbi hæc habentur: *Clericos Episcoporum suorum accusatores, vel insidiatores de gradu decidere debere, & Curiæ tradi seruituros.* Etenim horũ Canonũ fides iis suspecta est, qui vel eorũ temporũ doctrinam, vel authorum stylum, vel statum Imperii non ignorant, vt etiam omnes illæ Epistolæ, quæ Romanis Pontif. vsq; ad Syricium Papam adscribuntur pro dubiis,& incertis, ne dicã suppositititiis habẽtur, quemadmodũ,& liber, qui inscribitur *Canones Apostolorũ*. à quibusdam *liber de Episcopis* nuncupatus, in quo nonnulla de Clericorum criminibus referuntur. Sed vera est historia Ecclesiastica de Paulo Samosateno, qui Aureliani Imper. authoritate ab Eccl. vnde alitera bigi non poterat, expulsus fuit. Vera quoq; lex est Philippi, qui primus Imper. Christo nomen dedit in *l. data oper. C. de his, qui accusare possunt, vel non*, aduersus incendiarios sine vllo personarum discrimine. Quis vero nesciat in illa accusatione aduersus Athanasiũ Alexandrinũ Episcopũ calumniose instituta, cũ Arseniũ occidisse fallo argueretur, à Constantino M. datos iudices, qui in synodo sederant, vt ea de re cognoscerẽt? Et Stephanũ Antiochenũ Episcopũ (vt Theodoretus testatur & alii historici Ecclesiastici) sub Constante,& Constantino à Legatis quos ad fratrẽ Constans miserat, de vi publica & lege Cornelia de sicariis reũ peractũ, & eorũ iudicio in Palatio Principis, non in Ecclesia damnatũ fuisse? Sed omniũ instar esse poterit, q habetur in Epistola mille episcoporũ ad Imper. scripta, q cũ ab eo per literas rogarentur, vt de Cõcilio Chalcedonensi,& simul de Timotheo Æluro qui reus erat homicidii,& Alexandrinũ Episco-

patum ambiisse dicebatur, quid ipsis videretur, scriberent, hæc responderunt, *Legibus ageret, quæ enim Crimina ei obiicerent ut mensura egredi Ecclesiastica vindicta.* qua de re alii ad eundem Imperatorem scripsere: *Timetheum vestram iustitiam debet experiri solummodo, quoniam ad magnitudinem commissorum eius potestas Ecclesiastica non sufficit.* Aliud præterea exstat illius seculi scriptũ his verbis, *de delictu autem & præsumptionib. quæ nefande commisit, Reip. legib. & earum Præsidibus secundũ rationẽ iudici competenti subdetur.* Et Euagrius author est à Zenone Imperatore aduersus Alexandrinũ, & Antiochenum Episcopos latam fuisse sententiam ob hoc solũ, quod alter coram ipso Principe mentitus fuisset, alter Basilisci partes foueret. Deniq; vt aliis exemplis complurib. facile demonstrari potest, etiam in iis, quæ ad Ecclesiam pertinent, securitatẽ Ecclesiasticã seueritate Principũ semper adiuuari profuit, quod ex D. Aug. refert Decretorum compilator Gratianus in *C. prodest, 23. q. 5.* & idem D. Aug. alicubi scribit, *Malos quosdam Clericos Curiæ traditos fuisse.* An vt Curiæ seruirent? An vero (vt postea factũ est) Imperiali brachio mancipati sunt à Magistratib. secularibus puniendi? Certe hæc verba (*Tradi Curiæ*) quam interpretationem recipere debeant, an illam quã Innoc. Papa III. dedit in Canone *Nouimus de verb. sign* in collectione Decretalium à Gregorio IX. Pontifice facta, optime norunt ii qui Theodosianas leges ex recto puriorum iuris interpretũ sensu didicerunt, inter quas notanda constitutio in *l. ne quis officialiũ, C. Theod. tit de Decurionib.* Sed vt ad alias pergamus authoritates, tres exstant Iustiniani Constitutiones, nimirum *Nouella 79. 83. & 123.* in quib. Ciuilium & Ecclesiasticorũ Criminum differentia notatur, & in illa maxime 123. cuius *c. 8.* constituit Princeps, ne propter quemlibet casum Episcopus ad secularẽ iudicẽ trahatur CITRA IMPERIALEM IVSSIONEM. quibus posterioribus verbis summi Imperii ius sibi reseruat, & hoc agnouit Ioannes Papa in Epist. *inter claras Codici Iustinianeo inserta sub tit. de Summ. Trin. & fide Cath.* vbi de Imperiali iurisdictione sic ait: *Non ei* (sc. Imperatori) *parua vicissitudo à potẽtia diuina tribuitur, per quẽ nullis rugis Ecclesia diuisa seruatur, nullis infertis maculis variatur. Scriptũ est enim quia cum Rex iustus sederit supra sedem, nõ aduersabitur ei quicquã malignũ.* Hinc discat hodiernus Pontif. nũ illius exemplo, qui leges, & constitutiones Imperatorias probauit, vestri quoq; Ducis, & Senatus Decreta expediat comprobare. Sic alienæ dignitati parcendo suam cõseruabit. ea enim affinitate principatui iunctus est Pontificatus, vt merito dixerit celeberrimus Doctor Bartolus, Pontificatũ quasi fratrem esse, Principatũ sororis locum tenere. Videat ẽt sua sanctitas & perpendat, quę Papa Pelagius in Epist. 3 inter Epistolas Decretales S. Pontificũ anno MDXCI. Romæ editas Narsæ in Italia Duci scripsit Venetos potissimum spectantia. *De Ligurib.* (inquit) *atq; Veneticis, & Histriis Episcopis, quid dicã, quos idonea est excellentia vestra, & ratione, & potestate reprimere, & dimittitis eos in contemptũ Apostolicarũ sedium de sua rusticitate gloriari.* Et statim subiicit: *Nolite ergo dubitare huiusmodi homines Principali, vel iudiciali authoritate comprimere, quia regula Patrũ hoc specialiter constituerunt, vt si quis Ecclesiastici officii persona cui subiecta est restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud Altare erexerit, seu Schisma fecerit, ista excommunicetur, atq; damnetur. Quod si forte & hoc contempserit & permãserit diuisiones & schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur.* Quæ verba citantur à Gratiano *C. de Ligurib. causa 23 q. 5.* & his addenda est altera eiusdẽ Pelagii Papæ Epist. 5. quam & citat idẽ Gratianus C. istud, causa 2. q. 1. *Istud* (inquit) *est quod à vobis poposcimus, & nunc iterum postulamus, vt Paulinũ Aquileiensem Pseudoepiscopũ & illum Mediolanensem Episcopũ ad Clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis, vt & iste qui Episcopus esse nullatenus potest, quia contra omnẽ Canonũ institutionem factus est, alios vltra non perdat, & ille qui contra morẽ antiquũ eum ordinare præsumpsit, Canonum vindictæ subiaceat.* Quæ quidẽ nullo modo repugnant Canoni *pudenda*, qui eidem Pelagio tribuitur in Decreto Gratiani *causa 23. q. 2.* & in aliam sententiam supra citatus est. Quicquid sit, ex istis Pelagii Epistolis manifesto apparet Summum Pontificẽ ad Principum secularium brachium confugisse. Et hæc in Italia. Apud nos vero Concilium Matisconense *Canone supra citato* veterẽ consuetudinem de puniendis authoritate iudicũ secularium Clericis homicidii, furti, vel maleficii reis disertis verbis confirmauit, & Francorũ Episcopi non nisi apud iudices regios atrociorum Criminũ rei fuerunt delati. Scio quidẽ & Prætextatũ Rothomagensem sub Rege Chilperico, & Ebbonẽ Remensem sub Ludouico Pio, aliosq; nonnullos Maiestatis Crimen in Synodis Episcoporũ iudicio damnatos fuisse, sed hoc Regũ Christianissimorũ humanitati tribuendũ est, qui ne viderẽtur in propria causa iudices seuerius agere, ideo Episcoporũ Concilio animaduersionẽ reliquerunt. Qua in re si quidem sese mitiores & remissiores præstitere non idcirco imminui suprema eorũ authoritas potuit, à qua sua sponte descendere voluerunt, vt lenitati & clementiæ locũ darent. Imo Leo IV. Papa Regiæ se submittens potestati Regi Ludouico rationem reddit, quod aduersus Saracenorum copias Romanos in armis habuisset, & illius etiamnum exstat Epistola, in qua Regi hæc scribit. *Nos si incompetenter aliquid egimus & in subditis legis tramitem non conseruauimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio, quoniam si nos qui aliena debemus corrigere peccata, peiora committimus, certe non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus, vt tales ad hæc quæ diximus per quirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodũ si vestra præsens fuisset Imperialis gloria) diligẽter exquirant. Et nõ tantũ hæc sola quæ superius diximus quærimus vt ex amussim exagitent, sed siue minora, siue ẽt maiora illis siue de nobis iudicata negotia, ita eorũ cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in posterũ nihil sit quod ex eis indiscussum vel indefinitũ remaneat.* Et hæc refert Gratianus in Decreto *causa 2. q. 7. C. nos si incompetenter.* Ad quem locũ adnotat Glosa, *aliorum iudicio*

iudicio Papam se subiicere posse, arg. l. est receptum. D. de iurisd. omn. iud. ad quam not. Alex. de Imol. Francorum Regem etiam in sua causa iudicē esse posse, hac ratione q̃ neminem in temporalib. superiorem agnoscat præter Deum, quod & alii Doctores Itali scripserunt, & Princeps noster Philippus Pulcher Franciæ & Nauarræ Rex acerrimus Gallicanæ libertatis & Regii status defensor Bonifacio Papæ VIII. idē scripsit ann. MCCCCI. Et q̃ de Rege Francorū hic diximus, eadē ratione ad cæteros omnes, penes quos ius summæ potestatis est, sine controuersia extendi debet. At, inquiet aliquis, vera quidē hæc sunt & locū habent cū de crimine Maiest. agitur. Imo & superiorib. exēplis ꝓbatū est etiā in homicidio & aliis atrociorib. delictis idē obtinere, quæ quamq̃ abunde sufficere potuissent, libet tamē & insuper hoc addere, q̃ in Concilio Suessionensi sub Carolo Caluo Imper. & Rege Francorū contigit certe memoria dignū. In eo enim cū duo Monachi in Crimē vocati essent q̃ de Pipino, qui in monasteriū ad perpetuū relegatus erat, liberando conspirassent, congregati cū Abbate cæteri Cœnobitæ spectata facinoris atrocitate, cuius animaduersionē ideo ad se nō ptinere rati sunt, Monachos illos expellendos decreuerunt, vt vindictæ publicæ, & pœnis à Laicis iudicib. inferendis subiicerentur, quia crimē Monachorū (inquiebant) superare videret aliorū CVLPAS VSITATAS, quib. verbis docti in foro Parisiēsi Iuriscōsulti obseruarūt distinctionē fieri inter delictum cōmune q̃ vocant & priuilegiatum, non q̃ iudex Laicus in quibusdā aliis casib. aduersus Clericos decernere nō possit, si enim verbi gratia in causa corā iudice Laico pendente Clericus falsum commiserit, vel si agatur de indulgentia à Principe concessa, aut de inobedientia Clerici contra ꝓhibitionē aliq̃ à Regiis iudicib. factā venientis, certū est huiusmodi criminū cognitionem & coercitionē ad iudicē secularē pertinere, q̃ expressum est in libro forensis praxeos q̃ *Parlamenti stilus* inscribitur, vbi pleraq; in hanc rē adnotat peritissimus Galliæ & Germaniæ IC Carolus Molinæus, cuius authoritatē sequuntur etiā illi, qui se Catholicissimos dicūt Hispani, qui vt habemus Gallicana Concilia, q̃ secularē iurisdictionē commendant & tuentur, cuiusmodi est Moguntinum & Cabilonense, in quib. de degradatione Clericorū quædā sanctiones sunt à Gratiano relatæ *in Canone dictum est nobis 8. dist.* Ita & ipsi habent in Hispania Concilii Toletani XII. constitutionē, quæ in magnis criminib. Clericos etiā à sacris altarib. ex legū Mosaicarū præscripto auellendos decernit, vt Regis aspectib. præsententur, & solus Princeps authoritatē suam interponat, & definiendi iudicādiq; potestatē habeat. In illis vero casib. qui priuilegiati dicuntur, dubiū non est quin Magistratus secularis iudex sit. id enim in Gallia semper obseruatū est, & Deo iuuante semper obseruabitur, neq; nos mouebit, q̃ Hortensius Caualcanus I.C. Fiuizanensis in suo tractatu de Regio Brachio contra scripserit, *cauendū esse tanquā ab igne, ne facultas brachii Regii à Laicis concedatur directe neq; per indirectū contra personas Eccles. à quib.* (inquit) *Laici omnino abstinere debent.* Ecclesiam enim criminib. purgare, non est eam lædere. Nec quisquā obiiciat quasi pro Clericis dictū illud è Sanctissimi Regis, & Prophetæ Dauidis Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos.* Nec enim hæc verba eū sensum recipere possunt, vt ex illis inferatur à iurisdictione seculari Clericos eximi debere. Imo notant pii, & religiosi interpretes hæc à Deo Abimelech Regi Gerar dicta fuisse prohibendo ne Rex ille, aut quispiā ex suis vnctos Domini tangeret, id est, ne iniuriā illis faceret, nō antē, ne iure & legib. in ipsos agere, & animaduertere posset, vt etiā colligere est ex his q̃ sequuntur, *Et in Prophetis meis nolite malignari.* Itaq; cū in Clericorū ꝓsonis crimina vindicātur dicendū non est eos tanq̃ Christos tangi, sed potius vt Antichristos, cuiusmodi sunt quicunq; Christo Domino, & eius præceptis aduersantur. Sunt & qui abutantur hac D. Bernardi sententia *in criminib. seges nostra est.* q̃ ita detorquent, vt ea probare velint causas Clericorū criminales in foro tantū Ecclesiastico esse tractandas, sed alia mens fuit probi, & sancti viri, nimirū vt doceret monitionib. quoq; Ecclesiasticis crimina execrāda, vt flagitiosi terreantur. Audiāt vero illi Richardū Cantuariensem Archiepiscopū in Epist. Richardo Vintoniensi, Gaufrido Heliensi, & Ioanni Noruicensi Episcopis scripta, quæ inter Epistolas Petri Blesensis exstat nu. 75. vbi ob iurisdictionē secularē ab Ecclesiasticis vsurpatā sic conqueritur, & inuehitur: *Clerici* (inquit) *vel Episcopi o. tisorts Romā mittūtur, eunteq; in deliciis cū plenitudine Apostolica gratia, & maiore delinquēdi audacia reuertuntur. Taliū vindictā excessuū Dominus Rex sibi vindicet, sed nos eam nobis damnabiliter reseruamus. atq; liberā præbentes impunitatis materiā in fauces nostras Laicorū gladios prouocamus. Ignominiosum est, q̃ pro capra, vel ouicula grauior, ꝓ Sacerdote occiso pœna remißior irrogatur. Sed his & duriorib. digni sumus, qui iurisdictionē alienā, & nobis omnino indebitā ambitione temeraria vsurpamus. Nā & in corpore Decretorū, & in Epist. ad Rom hæc verba legisse meminimus. Sunt quedā enormia flagitia, que potius per mundi iudices, quā per Rectores, & iudices Ecclesiarū vindicantur, sicut est cū quis interficit Pontif. Apostolicū, Presbyterū, siue Diaconū, huius criminis reos Reges, & Principes mundi damnant. Omnis equidē iustitia, ideo exercetur, vt debita quiete gaudeat innocentia, & malignantiū temeritas refrenetur, veruntamen in hac iurisdictione maledicta, quā ambitiose, & superbe præsumimus, Deum offendimus. & Dominū Regem, viamq; in Clericos malignandi tutißimā aperimus.* Hæc ille Richardus, qui sic demū Epistolā suam concludit: *Reddentes igitur Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris, iuxta petitionē Domini Regis, & tanterum vindictam excessuum relinquamus, tetis antē in mortis articulo constitutis, quia sententiā lati Canonis incurrerūt, si absolutionē postulauerint, & in hoc, & in aliis quantū possumus sine scandalo, & periculo Ecclesia humanitatis consilium misericorditer impendamus.* Innumeræ vero sunt Regū nostrorū sanctiones, quæ nullo discrimine, tam in Ecclesiasticos, q̃ in Laicos pœnas statuunt, sed aliis prætermissis, hic sufficiet de illa mentionem facere, quam tulit Rex Franciscus I. anno MDXXXIX. præ cæteris notatu

dignam, ad quam Ægidius Burdinus Procurator Regius Catholicus commentarium scripsit, in quo Mosaicam illã legem, quæ homicidas, & sanguinum viros ab Altari abstrahi iubet in vsum reuocandam esse docuit, nulla admissa distinctione laicorũ à Leuitis, vel contra Leuitarum à laicis, quòd huiusmodi sicarii, & homicidæ ipso facto priuilegio clericali spoliati videantur, vt edixit Innoc. IV. Sum. Pontif. in Concilio Lugdunensi aduersus eos, quos assassinos vocat, & eorũ receptatores. Multa quoq; L. Seruinus ad rem nostram spectantia disseruit in celebri actione Idibus Decemb. ann. Christi 1603. pro Rege habita in causa criminali inter viduam Antonii Massæi in Nouiodunensi Vrbe Assessoris Regii interfecti, & Ecclesiæ Nouiodunensis Canonicos cædis accusatos, vbi cum rationib. & authoritatib. tum etiam exemplia probauit, Episcoporum & aliorũ qui in Eccles. dignitates gerunt audientiam & Iurisdictionem, non tantum in criminalib. delictorum communium causis, sed & in ciuilib. à Regib. speciali concessione delatam, prudentiores tamen & sanctiores Ecclesiasticos ea aut nunquam aut certe admodum raro vsos fuisse, cuius rei quoad ciuiles controuersias testẽ produxit Nicephorum lib. 14. c. 39. vbi ait *Syluanum Episcopũ Troados, quoniã vir erat optimus, quũ ii qui sub eo erant Clerici, in causis vt nugis vndecunq; inter eos, qui iudicio contenderent, prouenientib. velut nundinationẽ instituerent, ne quis ex Clero posthac causam iudicaret constituisse, sed supplicantium libellos acceptos vni ex fidelibus laicis, quem præcipue aequi & iusti studiosum esse sciebat dedisse, eiq; iudicio causarũ commisso de iure contendentium nugamenta ad eum recessisse.* Addidit Seruinus, quòd capitalium causarum iudicia obiici non posse locos supra cit. ex Apostolorũ, Patrũ, Conciliorum, & sacrarũ legum, atq; Constitutionũ authoritatib. maxime ex 7. Concilii Matisconensis Canone, nec etiã locum Euangelii à Bonifac. VIII. citatũ in extrauagante vnã sanctã (*Ecce duo sunt gladii*) quòd respondent Apostoli cũ ante dixisset dominus, *Qui habet sacculũ tollat, similiter & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, qui locus à Patrib. tam Græcis quàm Latinis longe alio quam Bonifacii sensu exponitur. Hinc enim Bonifacius arguit vtrumq; gladium, tam spiritualem sc. quàm temporalẽ in manu Petri esse. Ergo & Ecclesiam vtriusq; potestatẽ habere. Sed euertit hanc interpretationẽ D. Athanasius in dictis & interpr. S. Script. q. 43. vbi interrogatione facta quomodo illud intelligendũ sit, *Qui habet pallium vendat, & emat gladium*, sic respondet, *Hoc ideo dixit Dominus vt Apostolis proditionẽ sibi intentatam notam faceret, & aduentũ Iudæorum. Ergo illud* (inquit) *nec omnino subeunt, ne à Iudæis turmatim venientib. terrerentur Apostol, nec etiam penitus illis indicauit omnia, ne tenerentur aliquo metu.* Æque aduersatur Bonifacio D. Basilii sententia in Regulis breuiorib. interrog. 151. ad eadẽ verba *qui non habet, vendat tunicã suam, & emat gladium.* Ait enim *illud nequaquã præceptum esse sed vaticinium Domini prædicentis Apostolos oblitos donorũ, & legis Domini gladio etiam rẽ gerere ausuros*, Nimirũ quasi dixisset, *vendet & emet gladium*, & ita imperatiuum loquendi modũ pro vaticinandi modo vsurpari, quòd in S. literis esse frequentius ex aliis locis, idem Basilius docet. Quod si & Latinos Patres consulere velimus, multa in eandẽ sententiam præclare B. Aug. in quæstionib. mixtis, q. 104. quæ prætermitti sine errore non possunt. *Si Dominum* (inquit) *in Euangelio Lucæ imminens bellũ Iudaicum aduersum se futurũ discipulis suis dixit, vt gladios pararent, quomodo postquã inceptum esset bellum Duce Scariote, & videns Petrus Apost. insurgentes hostes protulit gladium, & amputauit auriculam serui Sacerdotũ, Dominus idem vetuit? Vt quid gladios parari iussit, qui postmodũ prohibuit percutere reum etiã mortis designans eum, qui percusserit gladio, cũ non vtiq; iniuste videretur Apostolus percussisse?* Tum sic respondet: *Quia* (inquit) *noua, & mirabilis res futura erat, vt qui inaudita signa faciebat, sic subditus humiliaretur, vt & verberib. subiiceretur & morti. ideo ne velut inpræscius hæc pati videretur, & vt Dei virtutẽ à se nullo modo recessisse, imo ne diminutam quidem, sed ita vt fuerat etiamnum inesse ostenderet, illudq; firmaret, quod dixerat, Potestatẽ habeo ponendi animã meã, & potestatẽ habeo iterũ sumẽdi eam, hæc omnia sic prædixit, vt de iis non dubitaret, sed præscius contra hæc se pararet, & hac causa gladios parari. nõ tamen occidi iussit.* Itaq; eo permittente percussit Petrus, *vt dolorẽ faceret* (ait idem plane D. & Augustissimus Augustinus) *non occideret, quia nemini licet excepto iudice quemquã gladio occidere.* Vel dicamus ex B. Hilarii mente, qui noster Gallicus cothurnus, cum de percussio pontif. seruo mentionẽ facit in c. 32. ad Matth. *Seruo Principis Sacerdotũ* (inquit) *ab Apostolo auricula desecatur, populo videlicet Sacerdotio seruienti per Christi Discipulum inobediens auditus exciditur, & ad capacitatẽ veritatis hoc quod erat inaudiens amputatur.* Videant ista quicunq; nuper in exitium, & perniciem Reip. vestræ scripta quædam atrociore stylo effusa ementito (vt melius præsumendũ est) quorundam Cardinalium nomine in publicũ emiserunt, asserentes ex illis Domini verbis Petrum Apostolũ OCCIDE ET MANDVCA, duplex esse Ministerium Petri PASCERE, ET OCCIDERE, quasi verò quòd de animalib. ad victum occidendis dictũ est, ad hominum cædem, & exterminationẽ pertineat. Videant & illi, qui temporalẽ gladium in potestatẽ Petri, atq; ideo in Ecclesia esse contendunt, cum tamẽ Ep. Paul. in 2. ad Cor. Epist. c. 10. cõtra dixerit: *Arma militiæ nostræ nõ sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionẽ munitionũ.* Ad ea vero, quæ in supradicta causa Nouiodunensi obiiciebãtur à Reorum Patronis de exemptione Clericorũ à seculari iurisdictione probauit Seruinus, nihil ad rẽ ipsorum facere Concilii Chalcedonensis Canonẽ 17. ab eis citatũ, qui ex illo Euangelii loco sumptus est, *si frater tuus in te peccauerit, prius dic Ecclesiæ, &c.* Nec etiam Carthaginense Concilium III. nec Mileuitanũ, nec Veneticum 1. nec Parisiense, nec Matisconensis 1. *Canonem VIII.* nec Decretũ Marcello Papæ adscriptum in collectione Gratiani *causa 2. q. 1.* quod ab aliis Bonifacio Papæ tribuitur in *Epist. ad Episcopos Galliarum*, nec item Epistolã Papæ Martini I. nec Decretalia S. Gregorii, nec alias Nicolai Papæ 1. Episcopis Galliarũ scriptas, nec Ioannis Papæ 8. sanctionem

quæ

quæ habetur in *Can. si Imp. dist. 96.* nec illam Vrbani Papæ, quam recitat Richardus Cantuariensis in Epist. supracitata, siue is fuerit Vrbanus I. quod non bene constat, siue Vrbanus II. in Concilio Claromontano, vel alibi de iurisdictione à Clericis præsumpta aliquid statuerit, nec etiam quæ ait Innoc. III. in *c. si diligenter, de foro comp.* & Innoc. IV. in *c. 2. de maioritate, & obedientia*: nec deniq; quæ sancit Bonifacius VIII. cuius rescripta in Galliis nullam vim habuerunt, illa maxime quæ Regni, & status libertatē lædunt, & Regiæ aduersantur potestati. Etenim omnia illa decreta, rescripta & sanctiones, ita intelligi debent, vt vel inter Clericos tantū in leuiorib. controuersiis, vel, si de delictis agatur, in communib. tantum, non in atrocioribus ex secularium Principū concessione iudicandis locū habere possint, iuxta exceptionē *Can. 7.* Concilii Matisconensis superius relati. Et hoc antea idē Seruinus in *Vindiciis suis* tractauerat, ex quib. hæc tantū quæ ad rem nostrā conducere videntur desumpsi. *Si de delicto* (inquit) *agatur, aut cōmune crimē est, vt nostri loquuntur, aut priuilegiatū. Ob commune delictū iudex Ecclesiasticus pœnā in Clericos statuit, qualis sacris Canonib. sancita, & constituta est, non quidē sanguinis, (nam iudicia capitis ab eo nō exercentur) sed Ieiunii, & Custodia, vel secūdū alia vsitata Iudicia, quæ in Ecclesiis, Capitulis, & Monasteriis redduntur, vt Imp. Iustiniani tempore delinquentes Clerici in ea loca detrudebantur, quæ ipse in auth. 79. apud quos oporteat Monachos, &c. Decanica nūcupari dicit, nostri Capitulū vocant. Quod si priuilegiatū crimē fuerit à Clericis admissum, vt si fidē publicam violauerint, & cœtu, concursu, turba, seditione, cōuocatis hominib. siue hostib. siue aliis præter vsum itineris arma habuerint vim denique fecerint, & bona aliena rapuerint, vel pecunias fisci, & publicas sustulerint, tū intervenientē Regio Procuratore, & iudice Laico cū Ecclesiastici fori Promotore, & iudice de maleficio cognoscitur, nō vt Ecclesiasticus pœnā Canonicam instigat, sed puniendi maleficii ergo Regii Magistratus iudiciū fit.* Et his rationib. atq; authoritatibus in illa de homicidio Regii Assessoris Nouiodunensis causa ab ipso repetitis motus Senatus Ægidium Montigniacū Canonicum, qui immani audacia, & crudelitate cædem perpetrauerat ad forū Ecclesiasticū noluit remittere, nec Capitulo Nouiodunensi reddere, sed supremo iudicio suo morti addixit. Quamobrem hæc est regula perpetuo seruanda, si Reges, & Principes fidiq;, & deuoti eorū subditi statū politicū, & Regni culmen, & columē conseruari velint, nempe vt cum de criminib. agitur, maxime grauiorib. nōn possint allegare PRIVILEGIVM, quod eó casu verius PRAVILEGIVM diceretur, vt in Synodo quadā Antisiodorensi Regum permissu conuocata sancti Patres dixerunt. Et certe ipsorum etiam Clericorū interest, vt ita obseruetur, si enim in mundo tantū sunt, non etiam de mundo, sane immundi esse non debent. Leges autem in Regno positæ ab omnibus, tam Clericis, q̄ Laicis probari, & custodiri debent. Statuta enim Laicorū, quoad personas in Criminib. & quoad res in temporali Dominio ligant Ecclesiast. ita vt & ipsi Episcopi apud nos sacramentū, hoc est vulgi verbo Iuramentū fidelitatis Regi præstare teneantur. Sed tandē, vt aliquid extremū habeat oratio mea, sic concludam, non tantū Reip. vestræ causam agi, sed & publicā omnium Christianorum Principū, quibus eadem summi Imperii iura à Deo concessa sunt, ideoq; magnopere contendendū, vt omnium quasi in commune bonum concurrentib. votis, & suffragiis vestræ defensionis æquitas adiuuetur, & intelligat Sum. Pontif. vobis hac in parte illatam iniuriam ad omnes pertinere quippe mundi Principes à rerū Dominatore Deo in suprema authoritate constitutos, q̄ non homini conuellere fas, nec abrogare, & quicquid ipsis in subditos placuit legis vigorē obtinere, nec alieno arbitrio posse rescindi. Huiusmodi vestra Decreta sunt, quib. quæ à Principis, & Senatus Placito robur accessit, al[i]us quisquam detrahere non potest, & quisquis id tentauerit, certe in eo culpandus veniat, quod alieno negotio, & rei ad se minime pertinenti se curiosius immisceat. Suis potius quisq; partib. defungatur, & ita faxit Opt. Max. vt Sum. Pontif. qui in æterna vrbe Christi Ecclesiā regit, & Dei vicē gerit in terris tanto munere semper aliquid dignū faciat, & sentiat, eodemq; inspirante Numine cū æqua lance rationes omnes expēderit, tandē veritate & æquitate pspecta vobiscū redeat in gratiā, & vos inuicē iungat firma pax & perpetuū concordiæ vinculū ne alioqui (quod Deus auertat) exasperatis odiis in mutuū exitiū dissidia concitentur, & illa quæ sub Cœlestis Libræ signo Romæ dies natalis fuit, subuerso rerū ordine fatalis vrbi & orbi fiet. Id ne accidat (inquā) abstineat Rom. Pontif. suis querimoniis, suis imprecationib. & diris maledictis, in acta Senat⁹ & Reip. vestræ nihil sibi iuris adsumat, sed ex animi vestri sentētia valere patiatur, eiusq; Decretis in totū acquiescat. Priuilegia etiā quæcunq; vobis ab ipsius prædecessorib. cōcessa sunt, in quantū opus fuerit, adprobet, cōfirmet & rata habeat, sibi in memoriam reuocans quæ S. Greg. Papa I. dixit in C. sicut 25. *Si ea destruerē* (inquit) *quæ antecessores mei statuerunt, non constructor sed euersor essem, & esse iuste approbarer testāte veritatis voce, quæ dicit, Omne Regnūm se diuisum nō stabit.* Quod si neq; rationū pondera, neq; veritatis vires, nec deniq; hominū quæuis suffragia vobis profuerint, non ideo tamen aut vestra spes infringatur, aut languescat industria. Vobis aderit maximus ille Imperiorum Regnorum, & Rerump præses ac seruator Christus, *quem habemus Pontificem qui potest compati infirmitatibus nostris* (inquit D. Paul. ad Hebr. c. 4.) Hunc adite supplices, & ex Apostoli consilio *accedite cū fiducia ad thronū gratiæ, vt misericordiam cōsequamini, & gratiā inueniatis in auxilio opportuno.* Huc potissimū vobis collineādū est, imo nō in aliū scopū vestra cōsilia dirigēda, vt in eo solo quiescatis qui rerū omniū & principiū & finis est, in quo mihi finis huius scriptionis, donec alia, quæ *de bonis Emph.* & *de nullitate* item *Censura* à me desideras, denuo aggrediar; quod me facturū polliceor, & quicquid ingenio, labore, gratia valeo & possum; totū illud (in quātū & pietatis & æquitatis ratio patiet) in dignitatē, & amplitudinē Reip. vestræ cū cōseruandā tū etillustrandā cōuersurum, idque tam tibi persuasum velim (vir illustrissime) quam esse me & fore semper tibi deuotissimū.



NICOLAI CRASSI IVNIORIS, VENETI CIVIS, PHILOSOPHI, ET I. V. C.

ANTIPARÆNESIS

AD CÆSAREM BARONIVM, CARDINALEM, PRO SEREN. VENETA REPVBLICA.

NICOLAVS CRASSVS IVNIOR, VENETVS CIVIS, PHILOSOPHVS, ET I.V.C.

LECTORI OPTIMO S.



Nihil vnquam existimaui decere magis optimum ciuem, quam pro ipsius patriæ libertate, proq; aris, & focis, vt dicitur, fortissime propugnare, ac vitam quoq; ipsam, & sanguinem, si res ita ferat, profundere: neq; eum posse satis integra existimatione inter honestissimos homines versari, qui patriæ impositam iniuriam vindicare, eiusque dignitatem sartam tectam pro virili conseruare non studeat. Hac eadem voluntate, atq; propensione in Remp. cum extiterint perpetuo maiores mei, quorum omnium pietas, ac virtus spectata, probataque fuit; inprimis autem Aui mei, cuius ego nomen refero, Nicolai Crassi suorum temporum eloquentissimi Oratoris, atq; optimi Ciuis, næ ego grauissima culpæ, criminique me obstringerem, si ab eius, cæterorumq; maiorem virtute degenerarem, imo vero si ab eorum exemplis, atq; institutis, vel transuersum quidem, vt aiunt, vnguem discedendum putarem. Fateor igitur pro ea, quæ præstanda est optimo cuiq; ciui patriæ, pietate, non sine acerbissimo quodã animi sensu ea me accepisse, & legisse, quæ à nonnullis contumeliose, atq; petulanter aduersus Christianissimam, & Religiosissimã Remp. Venetam scripta sunt, vt Pauli V. Pontif. maximi sententiam tuerentur, censurasq; ab eodem latas: cũque animaduerterem, illatam eidẽ Reip. atq; patriæ iniuriam non sine aliqua Pontif. offensione propulsari posse pro ea, qua sedem Apostolicã prosequi decet, obseruantia, atq; reuerentia facere non poteram, quin grauissima sollicitudine, ac mœrore afficerer. Itaq; cum animus varie distraheretur in deliberando, afferretq; ancipitẽ curam cogitandi, veritatis studium, quo nihil esse debet antiquius, quamuis ingrate plurimum feratur, patriæq; charitas iniustissime oppugnatá, & conuiciis plurimis immerito iactata, atq; exagitata tandẽ peruicerunt, vt iis respondere animum inducerẽ, quæ Baronius Cardinalis ampliss. recens exarauerat, falsoq; Parænefeos *nomine peruulgarat, cum re vera nihil aliud sint, quã aperta maledicta, & conuicia, ab animi quodã impetu verius, quã à recta ratione profecta atq; ex diuinis literis, vel ex sanctis patrib. sententiæ, & auctoritates quædam petita, at præpostere, at peruerse, vt cuiuis intueri licet. Sed tamen diu, multumq; in hac ipsa re mihi tẽperaui, & quamuis amicorum, & eorum omnium, qui me norant, non modo precib. sed conuicio prope assiduo petitus, ab iis, quæ scripserim, edendis in vulgus consulto abstinui: cum sperarem, propediem has controuersias diremptum iri, neq; turbulenta ratione videri vellẽ constituisse velificari vel gratiæ, vel honori meo. Verumtamen cũ exemplar quoddam ab iis, qui vel amicitia, vel clientela, forensisq; negotii causa domũ meã libere frequentant, exscriptum fuisset: meq; non modo inscio, sed plane inuito, in externas regiones, vt ederetur transmissum, cumq; ii qui funestissimas huic incendio faces ministrarunt, ea quotidie subiicerent, quib. excitum incendium magis nutriretur, & Pontificii interdicti defendendi specie calumniæ, maledictaq; indies magis increbrescerent, facere non potui, quin efflagitantibus concederẽ id, q. iampridem mihi extortum è manibus fuisset, vltroq; permitterẽ, quod alibi factum iam esse certo rescuissem, vt ea typis mandarentur, quæ quatuor ante mensibus aduersus Card. Baronium scripsissem, vt qui eius exemplo fortasse adducti debacchari in Remp. petulanter non cessant, certo sciant, atq; intelligant non defuturos, qui eorũ audaciã frangant, & petulantiã cohibeant; cum videant summam viri dignitatem, atq; amplitudinem Venetos ciues deterrere non potuisse, quo minus vlciscerentur vicem Reip. atq; suam, & par pari rependerent, vt est in cõmuni prouerbio. Igitur causam huius Antiparænescos in lucem edendæ non tam Baronius ipse attulit, quam eorum temeritas, atq; insolens arrogantia, qui non minus sibi licere putantes, quam ipsi licuisset, non modo obductam fere cicatricem denuo refricarunt, sed maledicta maledictis insuper cumularunt. Quæ cum ita sint, erit humanitatis tuæ, optime Lector æqui, bonique ducere, quæcumque iampridem scripta supprimere consilium fuerat, sed coacti sumus ad extremum pati, vt ederentur ad retundendam maleuolorum improbitatem, & ad existimationem tuendam Sereniss. Venetæ Reip. quæ de Christiana religione non minus, quam de iis ipsis, qui hanc modo ipsi tam atroce iniuriam, inuidiamque conflarunt, continuatis tot seculorum ætatibus vsque ad hanc ipsam diem benemerens consueuit. Vale postridie Nonas Decembris Anno à Christo nato MDCXI.*

ANTIPARÆNESIS,

AD

CÆSAREM BARONIVM CARDINALEM,

PRO SERENISSIMA VENETA REPVBLICA.



ACVLEATAM tuam, Baroni, Parænesin legimus, in qua, cum te duplex officium, alterum adhortandi, alterum refellendi suscepisse, neutrumqne, vt parerat, ipsa re præstitisse animaduerterimus, eam calumniarum, conuiciorumque plenam, haud Paræneseos, aut confutationis, sed, vt modo dicitur, proprio Famosi libelli, vel Inuectiuæ nomine signandam existimanimus. Etenim, dum hortaturus eras, quo grauius Reip. vulnus tibi sanandũ cogitatione finxeras, eo etiam lenius, ne acerbitate nimia [illegible] esceret, & letale fieret, illud attingere, & non venenatis aculeis refricare debueras. Quod si medicum nesciebas, oratorem te saltem præbere fuisset opus, cuius officium est, oratione benigna suauiter animos capere, delinire, & ad beneuolentiam allicere. Dum vero confutare statueras, non alia omittere, alia peruerse interpretari, historiis partim non congruentibus, partim à re proposita alienis vti, diuina oracula, quæ sunt adiaphora in mediũ afferre, prima, media, vltima, pleraq; eadem repetere; sed omnia exquisitis rationibus confirmare, quod contra dictum esset, firmissimis argumentis refellere, tuæ partes erant. At hoc quid mirum? Historiarum consarcinator videris potius, quam Theologus, aut I.V.C. quorum personę in præsenti negotio erant sustinendæ. Illud mirabile, hoc tibi fuisse statutum, & constitutum in Remp. Venetam, quod passim facis, & perfricti, acerbe, & contumeliose inuehi, & maledicere; Attamen nos, cum, ne officiis abs te vinci videamur, tibi respondere decreuerimus, insigni dignitate viro, at indigna dignitate ista perpetranti, verumq; munus abs te omissum persoluere, & iis tecũ admonitionibus agere, quæ opportunæ videbuntur, & tua, nescimus, dicteriane, an dicta retundere constituimus. Interim, si quid audies in te dictum acerbius, quã suaue ciuis Veneti ingenium ferat, memento, te Leonem prouocasse, nosq; id facturos, vt vibrata iacula potius declinemus, quã vt immittamus susceptæ à nobis defensionis, non offensionis tuæ rationem habituri. Licet, quod ad te attinet, sub illa tua charitate ficta, & adumbrata, grataq; Reip. officiorum erga te memoria quam sis alieno animo, ab ea satis, superq; ostenderis. Quod si ex tuis *annalibus* tam clare nõ apparuisset, clarissimo tamen id esset argumento, te charitate non adduci, quod eius præcepta neglexeris, cuius primum id est, à seipsis incipere. Tu vero, cum summum Pontificem, & sacrum istum Senatũ adhortari pro suscepti muneris ratione debuisses ad Romanos abusus non paucos delendos; vel, si malueras, ad medicinam faciendã iis Christiani orbis partibus, quas graui morbo laborare compertum erat; his omissis, quę præsenti auxillo, & medicina indigebant, bene valentibus medicamenta parare, es aggressus, quæ neq; vtilia, neq; opportuna vllo modo essent, imo vero nimium violẽta, & perniciosa. Vt enim æger, remedio adhibito, sanus, ita contra sanus fit æger. Nihil sane opus erat vna cum Hieremia cœlos, vt obstupescerent, inclamare: obstupescunt illi, & pariter vniuersus terrarum orbis summi Pontif. Pauli V. sensum, & voluntatem, qui animarũ curam, à Christo Iesu præcipue sibi traditam, & commissam, neglexerit, neruosq; omnes, animumq; in res terrenas, atque caducas adeo intenderit, vt earum causa hominum salutem periclitari patiatur: &, cum facili, ac benigna gubernatione eos omnes; qui vel à Christiana religione penitus abhorrent, vel à recto tramite deflectentes nonnihil aberrant, allicere deberet, & quibuscunque artibus fieri potest ad rectam viam reuocare: contra manibus, & pedibus obnixe contendere videatur, vt quos fouere deberet, in sinu ecclesiæ Catholicæ, vel natos, vel iampridem receptos, ii per summam iniuriam exacerbati, alieniores tandẽ redditi, ab ipso abstrahantur. Quod quidem precamur Deum, vt auertat à Rep. Veneta, atq; ita fore confidimus. Ii enim sumus Veneti; sit pace cuiusuis dictum; qui inter omnes Christianos Ecclesiæ studiosissimi, quemadmodum & sumus, & fuimus, ita semper erimus. Sed quis tanti erroris culpã potissimum sustinet? Pessimi nempe consiliarii, qua peste nihil detestabilius accidere potest Principi, qui non modo verbis adhortari, sed, quod peius est, iniquissimæ in Remp. Venetã voluntatis perpetua monumenta in lucem dare non erubescunt: & cum a quis excitatũ incendium extinguere deberent, id magis excitare, aut ingenti ruina restinguere connituntur. Inter quos tu, Baroni, (exulta iam egregio nomine) longe es Princeps, qui dum animum propensum ostentas, alienam mentẽ fraude tegis. Quare nulla tuis dictis ab omni charitate alienissimis, iisdemq; omni conuiciorum genere cumulatissimis, in quæ, quasi in tuum campum, te effudisti, fides adhibenda. Heus tua ne conuicia de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta? Id verum ne, an falsum sit, ipsa tui scripti frons planum facit. Infeliciores ne publicanis atq; Ethnicis Veneti Baroni? Ecquando Ecclesię iusta præcipienti non paruit Resp. Veneta? Ecquando Ecclesiam spreuit, contempsit, ignominia affecit? Hæc sane, quæ Dei clemẽtia est; ab ea quam longissime abfuit, perpetuoq; aberunt. Imo vero quia in Deum pietate, ac religione, qua in Ecclesiam cum obseruantia, tum veneratione sit & fuerit semper, nullam nationem atque gentem latere arbitramur, non modo quæ Christianæ fidei nomen vnquam dederit, sed quo illius aliquando fama vel tenuis peruaserit. Quod si Pontificis maximi nuper præter ius, fasq; im-

Tom 9. anno Domini 811.

perantis dictu non est audiens id obstinari animi vitio iure verti nō debet, quo quidem obduratum fuisse testaris cor Friderici obstinati, & diuturni, vt vocas, Ecclesiæ hostis, cui Senatores Venetos tanta afficiens omnes contumelia similes, atq; pares facis, perinde ac si digni essent in quos tot Sacrarum literarum testimonia, tot Prophetarū vaticinia congereres; quæ, cum in medio posita sint, & in quamcunq; velis, partem trahi facile possint, commodiusq; eorum aliquot, & quidem præcipua de terreno vestro Principatu exponantur, vt late fecisse Abbatem Ioachimū constat, eorum vis ab iisdem repellitur, imo verius in vos ipsos illata conuertitur. Hoc vnum habeto, eos neque, vt Israelitæ olim, idololatriæ addictos existere, nec à vera erga Deum pietate lōge disiunctos, vt Babylonii, neq; vero schismaticos, aut hæreticos, vt perquam contumeliose, & inique passim eos appellas; cum publicis litteris, omni laude dignissimis, in quas cōnicis innumeris impudēter latras, Dux, atq; Senatus professi fuerint, sese in Catholica religione constantissime perseueraturos, quod tu maleuolentia imbutus, eademq; cæcus non perspexisti, aut potius, opinamur, dissimulasti. In Christiana pietate, ac fide; quæ Dei summa fuit benignitas; orta est Veneta Resp. in eadem non nisi cum toto terrarum orbe, Deo fauente, cadet. Sibi caueant vrbes, quæ vt aurum, argētumq; sub Deorum specie olim coluerunt, sic etiam adhuc plures faciunt, quam totius Christiani orbis salutem, & publicam tranquillitatem, quam in discrimen grauissimum temere conicere iniustæ cuiusdam auiditatis causa minime verentur. His enim vaticinia Prophetarum mirifice quadrant, & adiectæ minæ. qui vt prauæ cupiditati indulgeant, ab officii præscripto discedunt, & cælestibus studiis terrena præferre malunt, cum summo bonorū omnium mœrore, Christianæq; pietatis iactura. Vos igitur cauete, qui non minus iniuriæ, quam culpæ primi authores estis, ne Deus O. M. iustissimam suæ vltionis iram districte contra vos exerceat, & in caput vestrum recidant omnia, quæ temere in alios ominamini. *Vtinam*, inquis, *abscindantur, qui conturbant vos.* Ecquid vero aliud Venetos conturbat, quam duæ deterrimæ pestes animorum, quæ istic apud vos vigent, Auiditas opum, & Ambitio? Hæc neq; vos vnquam quiescere sinunt, neq; patiuntur, vt alios quiescere permittatis, sed perpetuo furiarum instar exagitant, vt otium, & pacem, qua fruitur Christiana Resp. in dissidia grauissima conuertatis. Vtinam igitur hæc à vobis abscindantur, *ne vos tandē demergant*; vt tuis verbis vtamur; *in profundū abyssi, ipsum imum baratrum peccatorum.* Insectati sunt plurimum hæc duo monstra, eademq; penitus exterminare conati sunt multi sancti viri; sed præcipue videtur elaborasse in hac re, strenuamque operam nauasse S. Isidorus Pelusiotes, qui propter insignem vitæ, morumque sanctitatē θεοφόρος, hoc est, Deum in se gerens peculiari nomine appellatus est. Eius verba commemorare non est abs re. Nam præterquā quod cuiuis in promptu non sunt, neq; passim extāt, explicant abunde causas, nec non occasiones, quibus hæc vtraq; pernicies in Ecclesiam irrepsit, & saluberrima continent documenta quibus à mentibus Ecclesiasticorum Præsulum valeant profligari. Ita vero latine sic habent. *Res quædam honorifica, & magni momenti, & præclara, vnde factū est vt Apostolici conuentus, tanquam lumina fulgerent vbiq; terrarum, ea per incuriam nunc omissa confusione, & perturbatione referfit Ecclesias. Quidnam est hoc rei? Libere dicam, neq; enim alio modo possem. Eo tempore promouebantur ad res sacras administrādas, qui virtuti studerent, modo qui pecuniæ: Tunc qui detrectabant prouinciam propter ipsius molem, nunc qui vltro se inferunt, atque intrudunt propter vbertatem deliciarum: Tunc qui gloriabantur eo nomine, quod nihil possiderent, ita volentes, nunc qui eo, quod habent, plus adhuc habere volunt, & pecuniis congerendis dant omnem operam: Tunc qui præ oculis habebant diuinum iudicium, nunc autem qui ne cogitationem quidem eius rei suscipiunt: Tunc qui verbera ferre, modo qui inferre sunt parati: & quid attinet plura dicere? De cætero videtur ipsa dignitas à rerum sacrarum administratione ad tyrannidem conuersa, à demissione ad superbiam, ab inediæ patientia ad affluentiam delitiarum, à dispensatione ad dominationem: Non enim vt dispensatores administrare sat habent, sed tanquam Domini volunt sibi vindicare. Hæc autem non contra omnes dicta sunt, sed contra illos, qui obnoxii sunt his criminibus, sunt enim, sunt, qui iuxta formam Apostolicam viuunt, sed vocem mittere non audent, quo fit, vt reprehendendi non parum sint, propterea quod veriti multitudinē eorum, qui intemperanter se gerunt, quatenus saltem illos attingit, negligunt eam curam, vt mala tanta corrigantur, atque emendentur.* Hæc D. Isidorus Pelusiotes. Nihil vero attinet tempus conterere inutiliter in singulis vaticiniis, contra nos adductis, explicandis, aut refellendis. Iis enim omnibus id vnum modo responsum statuimus, A sensu mystico, ex communi Doctorum omnium sententia, nullum validum argumentum deduci posse, & si possit, contra vos potius deductum iri.

Com in Esaiam & Hieremi.

Gal. 5.

Epist. 235.

Hactenus respōsum est illi præfationi, quam in primo tuæ Paræneseos vestibulo præfixisti. Superest modo, vt excutiamus, quid in medium afferas, & ad controuersiam ipsam ingrediamur.

Principio est, quod miremur prudentiam tuam: Prouocas enim Senatores, & Reip. Præsides ad prima fidei rudimenta, imo vt ais, *ad ipsam Naturæ cunabula.* Grato quidem, & libenti animo nos, qui Reip. patrocinium suscepimus eiusmodi prouocationem admittimus, ad hoc ipsum tribunal sponte nostra venturi, etiamsi tu minime vocasses. Quid enim? Verendum est fortasse, nē sententia contra nos feratur? Clamat ipsa Natura, & prædicat passim: vnicuiq; vim vi repellere licere; omnibusq; iis, qui gubernacula tenēt, præcipit, imo vero necessitatem imponit, vt quicquid bono publico nō expedire compererint, id quacumq; ratione auertere, impedireq; omnino debeant, vrget, & in memoriam identidem reuocat Principes publicæ quietis, & tranquillitatis defensores, & custodes esse: proindeq; grauissimæ culpæ futuros obnoxios, si neglexerint vtilitatē, & salutem eorum, qui suæ curæ sunt crediti. Hæc naturæ iura, Baroni, si quis violare, & infirmare

studet,

audet, dic sodes, admittenda ne est tam insignis iniuria, an firmo, constantiq; animo cuicumque obsistendum? cuicumq; dicimus, nec excipimus quemquam. Quid dicis? Excipiendum fortasse ducis Rom. Pontificem? At ne ipse quidem debet, aut potest excipi, si ea, quæ dicimus attentet. Nota sunt ea, quæ a Cardinalis Caietanus literis commendauit, fidus Apostolicæ Sedis alioqui defensor, vt etiam b Sotus eundem appellat: *Naturale*, inquit, *est euitare nocina, & cauere à periculis, potestq; persona Papæ tyrannice gubernare, & tanta facilius, quanto potentior est, & neminem in terris timet vltorem.* Nota sunt etiam ea, quę Cardinalis c Toletus hac de re scripsit, licet in nouissimis editionibus ea suppressa fuerint, nō alia fortasse de causa, quam quod vobis minime grata dicerentur. Nimirum Summo Pastori propria authoritate resistere Principibus licere, quando ipse se tyrannice gereret, & contra iustitiam vellet eos opprimere, & ipsi proponerent Papæ difficultates, & suæ Reip. detrimētum, & nollet vlla via prouidere: Consona sunt his, quæ Cardinalis d Bellarminus hac de re tradit; *Sicut*, inquit, *licet resistere Pontifici inuadenti corpus, ita licet resistere inuadenti animas, vel turbanti Remp. & multo magis, si ecclesiam destruere niteretur, licet, inquam, ei resistere, non faciendo, quod iubet, & impediendo, ne exequatur voluntatē suam.* Sed quid Caietanum, Toletum, & Bellarminum commemoramus? communis est ea vox omnium Doctorum non modo qui iuris vtriusque periti sunt, sed etiam Theologi. Omnes enim in hanc ipsam sententiam plane conueniunt, quamuis vestram offensionem, & censuram nonnulli veriti, eandem aperte pronuntiare, & palam non audeant: Romano Pontifici non parere aliquando fas esse, idque non modo culpam, sed laudem mereri, quinimo, Natura impellente, faciendum esse. An iure ipsi Veneti fecerint, omnes videot, quicunque vel partium studio, vel nimia maleuolentia non sint obcæcati.

a 2.2. q. 39. art. 3. b Sot. 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 1. c Summ. de instr. sacer. in explic. bulla cœnæ Domini ex comm. 9. d Lib. 2. de Rom. Pont. c. 29. in Respons. ad 7.

Ais, iure diuino, & humano sacra à prophanis esse debere distincta. Quis hoc negat, Baroni? Hoc abs te pluribus comprobatum est, quam opus fuerat. Bone Deus, quam pauca! quā multis! Indulgemus tamen. Quid enim? si in re controuersa necessariis ad probandū argumentis carebas, non ne in te clara, & euidenti ingenii vis, & orationis vbertas ostentanda erat? Astute. Et quanto apparatu! quanta pompa! quanta de parietibus congerie testimoniorum! Id tamen vel ipsis parietibus patebat. Vltro damus; verum id negamus, quod increpas, Ducē, & Senatum, murum sacrum dissipasse, suum extruxisse profanantes sacra, diuina conculcantes, temerantes sancta, & dissipantes sanctuarium. O calumniam! vnde hæc tibi aut in mēte, aut in ore? Proh Deum; atque hominū fidem! Ecquod mare illos purgabit? Sed eo mutisti, bene sperandum de morbo. Hæc omnia longe à veritate abesse, veritas ipsa demonstrabit. Iam ostendamus. Ais humana, diuinaq; imperia inter se distincta. Hoc ipsum volumus, certos iam harum ditionum fines, terminosq; constituamus; vt quisnam eos prætergrediatur, & alterius bona vsurpet, in cōspectu sit, atque hinc probe cognosci valeat, an vos, quæ Cęsaris, an Resp. quæ Dei sunt, occuparit. In constituendo fine vtriusque potestatis omnes auctores consentiunt, neque tu; opinamur; dissenties. Regiæ nimirum finem esse bene, beateque viuere secundum rationem Naturæ; Ecclesiasticæ vero consequi æternam beatitudinem in Euangelica lege nobis à Christo promissam. Porro ad assequendum quemlibet finē certa quædam adminicula, & adiumenta necessaria sunt, quæ à Philosophis *media* nuncupari solent, eaque non vnius generis sunt, propterea quod ad finē non æque referuntur, sed quædā *prima, per se, principaliter, & immediate* (his enim vocibus vti libet iampridem apud Authores receptis, atq; vsu tritis) quædam autem *secundario, per accidens, accessorie, atque immediate*; hinc duplex, vt etiam vocant, obiecti genus, alterum primum, seu directum, alterum secundarium, seu indirectum: In Ecclesiastica potestate primum obiectum sunt res sacræ; quatenus sacræ sunt, & quæcumque alia directe respiciunt suum finem, nempe cœlestem beatitudinem; alterum vero obiectum sunt ea, quæ natura constant, non qua talia sunt, sed qua ad æternam vitam dirigi valent. Regia quoq; potestas, siue Laica, vt modo appellatur, eundem complectitur, & eadem plane ratione, qua ecclesiastica, hoc est, directe, & indirecte, directe quidem terrena, & humana, siue (vt quidam dicere maluerunt) naturalia, indirecte vero attingit etiam res sacras, non quidem, vt sacræ sunt, sed quatenus natura sunt constitutæ. & ad naturæ finem ordinantur, sunt autem eiusmodi præcipue duo, bona Ecclesiastica, & personæ ipsæ. Quid hic hæres? Baroni? Quid tergiuersaris? Audebis ne dicere hæc ad naturæ finem referri nullo modo posse, neque coagmentata esse? nequaquam profecto; vt existimamus; Ergo quatenus eiusmodi sunt, non alterius, quam regiæ potestatis finibus contineri debent. Nam Ecclesiastica suis limitibus contenta intrudere se non debet in Naturæ ordinem, quemadmodum Regia sibi ius non vendicat in ea, quæ naturam excedunt. Sed forsitan te offendunt hæ voces (*directe, indirecte*) quas Ecclesiasticæ tantum potestati cōuenire arbitraberis, non itidem Regiæ. At profecto, quia directum dici non potest, nisi ratione indirecti, qui Authores Regiæ potestati *directe* subesse aliquid affirmant, iidem etiam subesse nonnihil eidem *indirecte* fatentur, alias nihil fuisset opus dicere *directe*, sed quid de vocibus laboramus, cum rem ipsam procul dubio manibus teneamus? memento nos ad Naturæ tribunal abs te vocatos fuisse, quin etiam iudicii formulam præscriptam, vt Cæsari reddenda essent, quæ Cæsaris essent. Institutum vadimonium est omnino obeundum quod ne differri quidem amplius potest, nedum à nobis deleri. *Ante tribunal Cæsaris sto ibi me oportet iudicari*, dixit olim D. Paulus Festo Proconsuli; Idem nos quoque in præsentia. Iudicium, vltro exoptasti; tibi declinare non licet. alioqui Natura tibi manus iniiciet, vt fugam inhibeat. Siste igitur, & æquo animo patere, æquissimo Naturæ arbitrio controuersiam nostram definiri.

Matth. 22. Marci 12. Lucæ 20. Act. Apost. c. 25.

Perspi-

Perspicuum est, omnia præcepta, quæ iuri naturę tribuuntur, si vnum alteri conferatur, non eandem, aut omnino æqualem obligandi vim obtinere. Nam inter illos tres gradus præceptorum iuris naturæ, quos Bellarminus non vniusmodi, sed distinctos, atque diuisos esse, D. Thomæ doctrinæ innixus tradit, hunc ordinem intueri vnusquisque potest: vt si contingat, præceptum infimi gradus seruari oportere eo ipso tempore, cum aliquod etiam medii, vel primi, summiq; gradus sit obseruandũ, omitti iure illud possit; quod tunc minorem parendi necessitatem imponit, vnde fieri quandoq; cernimus, vt quod in Decalogo expressum est ad literã (vt Theologi loquũtur) præstare aliquis minime teneatur, propterea quod maius, & potius naturæ præceptum simul grauiter vrgeat, cui nefas omnino sit non parere, nempe sui ipsius, vel boni publici conseruatio.

Libr. 1. de clericis c. 29.

Ecquis est inter vos tam audax, qui immunitatem Ecclesiasticam de iure diuino omnino esse, affirmare audeat? Nemo quidem. At qui plurimum ei tribuunt, ex his tradunt aliqui, huiusmodi immunitatem partim à iure diuino, partim à iure positiuo pendere; quidam aiunt, constitutione positiua indiguisse; nonnulli æquitati naturali congruere, & id genus alia, quæ omnia recidũt eodem, & re vera, germanoq; sensu magis positiuum, quam diuinum ius sapiunt: quemadmodum etiam conclusio, vt Dialectici docent, si quid ad ipsius probationẽ minus firmum, ac validum sumptum est, ab eo tota pendet, vt effectus à causa, nõ autem ab eo, quod validissimum, & firmissimum esset. Quare nullus omnino ex auctoribus est, qui sine aliqua adiectione immunitatem Ecclesiasticam à iure diuino promanare, dicerit. Et omnium rectissimę D. Thomas, omisso iure diuino, quod aut nullum, aut exiguum est, iuris humani duntàxat meminit, cum dixit *ex priuilegio Principum, & secundum naturalem æquitatem*. Sed vide, quantũ tibi modo largiamur.

Com in c. 13 ad Rom.

Faciamus de immunitate Ecclesiastica aliquod eiusmodi in sacra scriptura extare præceptũ, quale eo modo, quo diximus vel in ipso decalogo expresse cõtinetur (quod quidem, vt diximus, nullus tam audax est, vt asserendum existimet, præcipuiq; istius immunitatis vestræ propugnatores illam in infimo iuris naturę gradu constituerunt) profecto cederet adhuc illi, quod in primo, atq; summo gradu iuris naturæ collocatum est, neq; vt in cõtentionem quoquomodo veniret, adduci posset, quam ob rem si præcepta sacris litteris commẽdata, dissertisque verbis expressa se submittunt, ita Deo volente, præceptis iis, quæ pertinent *ad ius naturæ diuinitus* (vt D. Ambrosius ait) *singulorum pectoribus infusum*; non quidem scriptum, sed innatum, nec aliqua perceptũ lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis expressum, & humanis ingeniis haustum; vel (vt D. Hieron. inquit) *in corde scriptum*: quanto magis id præcepti genus, quod inter præcepta naturę postremum locum sortitur, neq; diuinis litteris euidenter est proditum, subiiciendum est legi insitæ, vel potius innatæ, quæ omnino præcipit, vt priuatus quisque conseruare studeat suam ipsius incolumitatem, princeps vero populi sibi commissi, atq; crediti salutem, & tranquillitatem? Verum ad singula veniamus. Immunitas Ecclesiastica duo spectat personas atque res. De personis primo aliquid dicamus, deinde, hoc facto veluti gradu, ad res quoq; ipsas descẽdamus.

Epist. 71. ad iran.

Homo, si sacris ordinibus initiatur, nonne adhuc est ciuis, & membrum Reipublicæ? nonne sub imperii tutela continetur? Iamvero si peccat, nõ prout insignitus est ordinis charactere peccat, sed pro humanæ naturę fragilitate, quę in vitiũ maxime propendet; Quod si non modo peccet, sed eiusmodi peccet, quæ grauissima omnium scelera existimantur, cuiusmodi sunt adulteria, furta, incestus, veneficia, atq; parricidia, an non publicũ bonum valde perturbat, & insigniter lædit? Publici vero boni natura custos, & defensor est, solum Princeps, non summus ipse Pontifex: cumq; supplicia sumãtur ea de causa potissimũ, vt exempla in publicum statuantur, quibus à peruersis facinoribus homines absterreantur, liquido apparet, eiusmodi rem à Pontificio munere quã alienissimam esse, quod in animarum salute procuranda versari debet, & in iis, quæ respiciunt finem æternæ vitæ, ciuilis non item. An autem Deus custodiam boni publici Principi immediate contulerit, nec ne, nihil ad rem facit. Nam, vtcunq; sit, manet semper idem vinculũ, eademq; obligatio, qua Princeps publicæ vtilitati prospicere, ciues ipsi subesse tenentur, atq; obtemperare. Neq; hinc potest quicquam detrahi, aut imminui ex eo, quod Principis auctoritas à Deo proxime non prodeat: neq; enim minus rata sunt munera à potentissimo rege alicui per internuncium, aut ministrum transmissa, quam quę fuerint per suasmet ipsius manus tradita. At, inquies, nonne sacerdotes delinquentes ab Ecclesiasticis iudicibus puniri, & ita bonum publicum cõseruari potest? Atqui, Cæsar, hoc est, proprios fines transilire, & in alienam possessionem inuadere velle, aliorum murum destruere, & suum erigere, quæ tantopere in aliis reprehendere consueuisti. Omittimus illud, quod vulgo iactari solet, non satis æqua ratione iudicia apud vos exerceri, & intempestiue plerumque, aut nimia seueritate, & acerbitate, aut immodica facilitate, & indulgentia grauiter delinqui, quod facile euenire potest, vbi à persona, & officio res alienæ tractantur. Id autem dicimus, Principem muneri suo defuturum, & bono publico, quam plurimum obfuturum, si partes suas ipse negligat, & alienis relinquat, iis præsertim, qui rebus diuinis atq; cœlestibus intenti, atq; addicti quæstionibus habendis vacare nec debeant nec possint. Audi D Bernardum ex auctoritate B Pauli Apostoli ita colligentem. *Itaq; secundum Apostolum indigne tibi vsurpas, tu Apostolicus officium vile, gradum contemptibilium. Vnde & dicebat Apostolus, Episcopũ instruens: Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. Ego autem parco tibi. Non enim fortia loquor, sed possibilia. Putasne hæc tempora sustinerent, si hominib. litigantibus pro terrena hereditate, & flagitantibus abs te iudicium, voce Domini tui respõderes: O homines, quis me constituit iudicem super vos? in quale mox iudicium*

Lib. 1. c. 5 de consid. ad Euang.

2. Tim. 2.

Luc. 12.

tu

tu venires? Quid dicis homo rusticanus, & imperitus, ignorans primatum suum, inhonorans summam, & praecelsam sedem, derogans Apostolicae dignitati? Et tamen non monstrabunt puto, qui hoc dicent; vbi aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum; aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos iudicandos; sedisse iudicantes non lego. Erit illud, non fuit. [Actor. 5.] *Ita ne imminutor est dignitatis seruus, si non vult esse maior Domino suo: aut discipulus, si non vult esse maior eo, qui se misit: aut filius, si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui? Quis me constituit iudicem, ait ille magister,* [Luc. 12.] *& Dominus; & erit iniuria seruo, discipuloq., nisi iudicet vniuersos? Mihi tamen non videtur bonus aestimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu apostolicis viris non iudicare de talibus, quibus datum est iudicium in maiora: Quidni contemnant iudicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in caelestibus & angelos iudicabunt? Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has,* [Matth. 16.] *accepistis claues regni caelorum, praeuaricatores vtiq. exclusuri, non possessores. Vt sciatis, ait, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c.* [Matth. 9.] *Quaenam tibi maior videtur dignitas, & potestas, dimittendi peccata, an praedia diuidendi? sed non est comparatio. Habent haec infima, & terrena iudices suos, reges, & principes terrae. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcem vestram in alienam messem intenditis? Non quia indigni vos: sed quia indignum vobis, talibus insistere: quippe potioribus occupatis.* [Lib. 2. c. 5. consid. ad Eugenium.] Idem cum laudaret, & proferret in medium illud Principis Apostolorum: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei prouidentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, nec turpis lucri gratia, sed voluntarie, nec vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* [Epi. 1. c. 5.] His ipsis attexit. *Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Euangelio. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* [Luc. 22.] Et infert. *Vos autem non sic. Planum est. Apostolis interdicitur Dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus Dominatum. Plane ab alterutro prohiberis; si vtrumque simul habere voles, perdes vtrumque.* Prophetica est haec vox D. Bernardi, & quam praecipue vos memoriae commendare decet, qui abutimini sacris oculis, perperam, ne quid grauius dicam, contra nos detortis. Non aliis, quam vobis comminatur D. Bernardus, ac futurum praedicit, vt qui temere vsurpatis ea, quae sunt aliena, diuina iustitia exigente, à vestris quoque iuribus excidatis. Non est igitur, quod horteamus vaticinium illud Hieremiae: *Quae habitas super aquas multas, locuples in thesauris, venit finis tuus pedalis praecisionis tuae.* [Cap. 51.] Vos, vos expauescere oportet, in quos ista cadunt; & insuper ea, quae ibidem comminatus est Dominus: *Ecce, inquit, ego ad te mons pestifer qui corrumpis vniuersam terram, & extendam manum meam super te, & euoluam de te petris, & dabo te in montem combustionis.* Quaenam vero est haec vrbs apud Hieremiam locuples in thesauris, & quae sedet super aquas multas, nisi ea, de qua in Apocalypsi D. Ioannes Apostolus, & Euangelista prorsus eadem praedicat? [Cap 17.] Nempe, quod sedeat super aquas multas, & circundata sit purpura, & coccino, & inaurata auro, lapide pretioso, & margaritis; addita insuper angelica explicatione, ne quis errori locus esset. *Aquae, quas vidisti, vbi Meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguae; & mulier, quam vidisti, est ciuitas magna, quae habet regnum super reges terrae.* Eidemque palam denuntiatur exitium, & suprema euersio. Sed haec missa faciamus, & precemur Deum, vt haec tam funesta à Christianis populis amoliatur.

De personis Ecclesiasticis hactenus est dictum, & euidenter probatum, vos in iis debitos limites, ac terminos praetergressos fuisse, dum publici boni custodiam, Principibus à Deo traditam, vobis ipsis, praeter quam fas est, arrogare vultis, & naturalem finem cum supernaturali confunditis. Superest, vt etiam de bonis, aut rebus Ecclesiasticis aliquid dicamus.

Meminisse debes, hanc regulã ex Euangelio petitam te proposuisse; vt redderentur ea, quae sunt Caesaris, Caesari; quae sunt Dei, Deo. Eam libenter accipere, & amplecti, vt par est, decreuimus. Vndenam bona, quae possidet Ecclesia profecta sunt? Nimirum à Caesare, hoc est, à pia largitione Imperatorum, Principum, & caeterorum Christi fidelium. Sunt igitur Caesari obnoxia, à quo sunt accepta; cum praesertim necessitas vrget, & aliquod graue periculum Reip. imminet. Atque hoc ipsum est quod D. Hilarius tradit de reddendis iis, quae sunt Caesaris, Caesari. *Si enim, inquit, nihil eius, Caesaris, penes nos resederit, conditione reddendi ei, quae sua sunt, non tenebimur. Porro autẽ si rebus illius incumbimus, si iure potestatis eius vtimur, & nos tanquam mercenarios alieni patrimonii procurationi subiicimus, extra querelam iniuria est, Caesari reddi, quod Caesaris est, Deo autem quae eius sunt propria reddere nos oportere corpus, animam, voluntatem, ab eo namque haec profecta. & aucta retinemus:* [Comm. in Matt. c. 23.] Vides eos, qui aliquid possident, traditũ à Caesare, ministros, & procuratores Caesaris à D. Hilario vocari, & obligatione restitutionis faciendae propterea teneri, vbi Caesar poscat? Eadem plane docet & Diuus Ambrosius, cuius haec sunt verba: *Si (Christus) non habuit imaginẽ Caesaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. & tu, si vis non esse obnoxius Caesari, noli habere, quae mundi sunt. Sed si habes diuitias, obnoxius es Caesari. Si vis nihil Regi debere terreno, relinque omnia, & sequere Christũ:* [Comm. in Luc. lib. 10. c. 20.] His non multum dissimilia prodit D. Io. Chrysostomus: Perstringit enim non leuiter cum Laicos, tum Ecclesiasticos, atq; eo rem deducit, vt si Christi fideles prompti, paratique fuerint ad suppeditãdum Sacerdotibus ea, quae ad victum necessaria sunt ex oblationibus, & decimis, & id genus aliis, his Ecclesiastici contenti esse debeant, exẽplo Leuiticae tribus in veteri testamento. & ita cuncta bona, quae possidet Ecclesia, secularibus resignanda sint; cum sit res indignissima Episcopos, & Sacerdotes Deo consecratos tam vilibus studiis occupari, vt propolas, institores, & villicos agant. Sed operae pretium est ipsa verba, quae D. Ioan. Chrysostomus habuit ad populum in medium afferre. *Veniat in mentem vobis, octo millia Leuitarum Iudaeos alere fuisse solitos, & cum* [Hom. 86. in Matth.]

hi

bus viduas, & parentibus orbos, præterea, muneribus subiectos, militia quoque operam dedisse. Nunc autem agros, domos, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia eiusmodi propter vos, vestramque crudelitatem Ecclesia possidet. Oportebat enim vos hunc Ecclesiæ thesaurum retinere, ac Ecclesiam non paruos ex vestra deuotione consequi fructus. Modo autem duo mala quædam committuntur. Nam & vos quasi nihil dare debeatis, nihil confertis, & DEI sacerdotes à sacerdotio aliena pertractant. At non poterant etiam tempore Apostolorum domus, & agri ab Ecclesia possideri? Cuius igitur rei gratia vendentes pecuniam offerebant? Quia id multo melius erat profecto. Nunc vero secularium cura rerum vobis furentibus, loquitur populo; *timor nostros inuasit patres, nedum nihil colligere, aut nihil seminare studeatis, viduarum, orphanorum, & virginum multitudo fame depereat: Quare compulsi hæc sibi comparare coacti sunt. Non libenter ad hanc se deformitatem immiserunt, qui desiderabant fructus ex vestra deuotione sic acquirere, vt orationibus solum attendere possent, nunc vero coegistis eos eorum, qui secularia gerunt negotia, curam, & gubernationem imitari. Vnde vniuersa commiscentur, atque turbantur. Cum enim & nos eadem sollicitudine teneamur, propterea os aperire non possumus, quia non melius Ecclesia, quam secularia, gubernatur. Non audistis, quia nec quidem has pecunias, quæ absque labore fuerunt collectæ, distribuendas putauerunt Apostoli. Modo autem in Procuratores, dispensatores, caupones redacti Episcopi sunt. Immo vero istos etiam cura, & sollicitudine secularium rerum superarunt, cumque oporteat ipsos animarum habere curam vestrarum, hoc prætermisso, illa sollicite curant, quæ publicanis quæstoribus, atque villicis curanda sunt. De his quotidie cogitant, & peruigilant. Hoc non frustra deploro, sed vt harum rerum mutatio quædam fiat, vt & nos, qui grauem hanc seruitutem patimur, misericordiam consequamur, & vos fructus, & thesauros Ecclesiæ præparetis.* Hæc sententia fuit Beati Ioannis Chrysostomi; in quam ire manibus, pedibusque comperimus, Diuum Augustinum, de quo in eius vita scribit Possidius: *Et dum forte, vt assolet, de possessionibus ipsis inuidia Clericis fieret; alloquebatur plebem DEI, malle se ex collationibus plebis DEI viuere, quam illarum possessionum curam, vel gubernationem pati, & paratum se illis cedere, vt eo modo omnes DEI serui, & ministri viuerent, quo in veteri testamento leguntur, altari deseruientes, de eodem comparticipare; sed nunquam id Laici suscipere voluerunt;* Vides, Baroni, quam inter se conueniant hi duo sanctissimi Patres, Ecclesiæ Catholicæ lumina, atque firmamenta, multo magis futurum in rem Ecclesiæ, si tot, tantaque prædia in ipsam congesta, quorum cura, & sollicitudo vitia multa inuexit, dimitterentur, & mos, qui tempore Apostolorum vigebat, renouaretur, vt ex fidelium collationibus sacerdotes viuerent. Veruntamen esto illud, quod vt è re vestra, sic etiam magis ex animi vestra sententia est, iustisque de causis tandem sancitum fuerit, vt agri, domus, cæteræq; possessiones in Ecclesia retinerentur, nō amplius, vt moris erat antiqui diuenderentur. Duo tamen sunt adhuc, quæ, nisi omnem penitus rationis, & humanitatis ex animo sensum amisistis, retinere memoria, & assidue cogitare debetis. Alterū, ea quæ sunt Cæsaris, à vobis possideri, proindeq; vbi publica res ferat, & necessitas exigat, æquissimum esse, vt Cæsari, quæ sua sunt, repetenti, satis omnino fiat. Qua tamen in re multipliciter peccatur à vobis, qui vix vnquam Cæsari persoluitis id, quod est persoluendum, tenuioribusque sacerdotibus duntaxat imperata pecunia, qui quoniam pauca tenent, pauca etiam conferre possunt: locupletissimis quibusque, hoc est, vobis ipsis, qui amplissima, & opulentissima quæq; inuaditis, parcendum omnino ducitis; Atque ita Cæsarem maxima suarum rerum parte fraudatis, qui, si iure suo velit vti, & pro Imperio, quod suum est, accipere, illico tui hæ, & minæ, & clamores illi, Quæ sacra sunt, attingere, nefas esse; quasi vero priuati homines non tantum sua, quã Reip. iura donare, & consecrare potuerint, aut ipse Deus, qui à rebus alienis abstinere præcipit, eiusmodi dona rata velit habere, & ea, quæ sunt Cæsaris, reddenda Cæsari iampridem non sanxerit. Accipite, quæ D. Ambrosius dixit in hanc sententiam: *Si censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putas esse soluendum? Et ille censum soluit, qui nihil possidebat, tu autem, qui seculi sequeris lucrum, cur seculi obsequium non recognoscas? Cur te supra seculum quadam animi arrogantia feras, cum seculo sis misera cupiditate subiectus?* Idem alibi hæc habet: *Si tributum (Imperator) petit, non negamus, agri Ecclesiæ soluunt tributum: si agros desiderat Imp. potestatem habet vendicandorum, nemo nostrũ interueniet: potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris inuidiam, tollant eos, si libitum est; Imp. non dono, sed non nego.* Ex quibus patet, nō modo Principes legitimũ ius habere tributa exigendi, sed etiam vendicandi sibi agros, & fundos Ecclesiæ, vbi res ita postulet. Vnde etiam consequitur, Clericos non esse ita immunes iure diuino, vt vectigalia, & tributa conferre nō debeant pro iis rebus, quas possident. Hoc igitur vnum est ex iis, quę vos recolere, & considerare opus esset. Alterum vero, nullam vobis iniuriam fieri, si, cum tam multa Ecclesia sibi comparauerit, & vero comparare etiam pergat, vt non modo ad sustinendã Clericorum vitam, sed etiam ad copiam, & luxum, sumptusque profusissimos cuncta abundantissime suppetant, verendumq; omnino sit, ne Resp. tandem insigne detrimẽtum accipiat, suis opibus magis, ac magis in dies exhausta, priuatis quoq; familiis ad inopiam redactis, huic malo opportuna remedia fuerint adhibenda, & quandoquidẽ vestræ cupiditati modum statuere vos ipsi non vultis, Principes ipsi coacti fuerint statuere, legibus promulgatis, quas quidem tu, Baroni, quo iure nescimus, non modo iniquas, & iniustas, sed etiam tyrannicas, & sacrilegas pro sensu tuo vocas. Anne iustitiæ, & rationi consentaneum est, vt Ecclesiasticis omnia tribuantur, nihil secularibus tandem relinquatur? Hi esuriant, & sitiant, illi autem, vt Apostoli verbis vtamur, *ebrii sint?* Si hæc ab æquitate, & Natura longissime aliena sunt, leges igitur illæ, quæ id vetant, & prohibent, ne fiat, æquitati conueniunt, & integrum ius naturæ seruant. At

Bar. annal. tom. 5 anno Dom. 409.

Comm. in Luc. lib. 5. cap. 5.

Orat. in Auxentium.

enim

enim, inquis, Ecclesiasticam libertatem lædunt. Velimus, edisseras, *Ecclesiastica libertatis* nomine quid intelligas? Vtrum parandi ea non modo, quæ ad victum necessaria sunt, sed etiam ad cultum, & ornatum decenter apta, & Clericorum, & Ecclesiarum, facultatem quandam rationi cõgruam, & eo, quo decet, æquitatis modo ita temperatam, vt prætetea non pauca supersint, quæ commode Christi pauperibus erogari possint? Hanc vero libertatem, quære vera libertas est, tantum abest, vt leges Venetæ infringere, vel infirmare quoquomodo velint, vt eandem potius statuere, & confirmare summopere nitantur. An vero effusam, & immoderatam licentiam, nullis locis, aut temporibus definitam opes coacervandi, nulla publici boni ratione habita, cum insigni Reipub. priuatorumque hominum detrimento? Hæc si à vobis Ecclesiasticæ libertatis titulo insignitur, cur non etiam tyrannis, & iniustitia æquitatis, & moderati imperii nomine digna sint, non videmus. Adhibete parumper, atque erigite vestras aures, vt bene percipiatis hæc, quæ vobis D. Ambrosius scripsit. *Si prohibemur aurum possidere, quid eripere, quid auferre conamur? si quod habes, donare præciperis, quemadmodum congeris, quod possidere prohiberis? qui prædicas non furandum furaris? qui dicis non mœchandum, mœchaberis? qui execraris idola, sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris per prævaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blasphematur. Non sic Apostolus Petrus, qui primum Dominicæ executor sententiæ fuit, vt ostenderet non in vacuum Domini effusa mandata, cum pasceretur à paupere, vt ei aliquid pecuniæ largiretur, ait, argentum, atque aurum non habeo. Ille gloriatur, quod non habeat argentum, atque aurum, vobis pudori est, minus adhuc habere, quam cupitis.* Hæc D. Ambrosius non minus diserte, quam vere. Quid igitur hic Canones, & Ecclesiasticas leges frustra obtrudistis? Quasquidem, si in hanc sententiam accipiendas arbitramini, à quo nos illas quamplurimum abhorrere persuasum habemus, haud veremur vos iis ipsis Esaiæ verbis affari, quæ in Remp. detorquere conatus es. *Væ qui condunt leges iniquas.* Rursusque compellare vos illis, quibus olim Christus Pharisæos, *Quare & vos transgredimini mandatum Dei,* quod idẽ est cum præcepto Naturæ, hominum mentibus ingenito, & hoc Christi Domini, quod proxime dictum est, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari &c.) propter traditiones vestras* (id est iniquas interpretationes & Naturæ ipsi, & Christi mandatis plurimum infensas, & penitus aduersas?) Sed vt pro ea gratia, quã collocaste in Remp. studuisti, aliquid etiam fœnoris loco tibi rependamus, accipito primum illud Ezechielis, quod ad vos pertinere nullo modo ambigitur. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à Pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Deinde, quod hanc ipsam rem præcipue attingit, illud Esaiæ: *Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iustitiam, & ecce clamor. Væ qui coniungitis domum ad domũ & agrum agro copulatis vsq; ad terminũ loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Quod diuinæ scripturæ testimonium eo libentius in mediũ attulimus, quod à D. Thoma est iampridem interpretatum. *Culpam, inquit, in generali arguit quantũ ad Prælatos, quorum est facere iudicium.* Postremo tanquam auctarii loco, largimur vobis hanc Diui Bernardi adhortationem, vtili reprehensioni coniunctam, *Qui altari seruit, de altario viuat, iuxta Apostolum, viuat, inquam, & non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat: non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes.* Et alibi. *Vnde Clericis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum aureorum, & argentearum, nisi de bonis Ecclesiæ? Inde est, quod illa pauper, & inops, & nuda relinquatur, facie miseranda, inculta, hispida; propter quod non est hodie Ecclesiam ornare, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere, non est instruere, sed prostituere, non est pascere gregem, sed mactare, & deuorare, dicente Domino de illis, Deuorant plebem meam, sicut escam panis.*

Cõ. in Luc. lib. 7. ca. 10.
Rom. 2.
Act. 3.
Ceflum. … Esa. 10.
Matth. …
C. 34.
Cõ. in Esai. ibi.
In declarat. c. verbis Euangel. Mat. 19. hoc nos reliquimus.
Super Cãt. serm. 78.

Iam igitur ex dictis integro, & æquo cuilibet rerum æstimatori apertissime, & planissime cõstat, potuisse Rempub. ad conseruationem boni publici, ita Naturæ ratione, quæ est lex Diuina, exigente, eas leges condere, quas eidem bono conducere arbitraretur, & res sacras etiam attingere, non tamen ex ea parte, qua sacræ sunt, sanctitatique adiunctæ, sed qua respiciunt naturã, & natura constant. Hinc illa tua maledicta, & mendacia facile corruunt, sanxisse Remp. *leges in non subditos homines, aduersus res sacras, & bona Deo dicata.* At, inquis, *illam peruertisse Hierarchiæ ordinem, nõ sine magno periculo lædenda Catholicæ fidei.* Nescimus, quid hoc sibi velit. Vtrum catholicam fidem diuitiis, & terreno Principatu tantopere inniti, vt iis debilitatis, quasi fundamentis, ingens periculum immineat, ne ipsa valde nutet, ac infirmetur, labefactatis autem, atq; conuulsis, eadem suis sedib. exturbanda, & funditus euertenda sit? Quam vero ab his diuersa, longeque dissimilia sunt ea, quæ D. Bernardus, & Io. Chrysostomus, superius à nobis commemorati, literis tradiderunt? Quam sancta quam integra, cunctisque gentibus admiranda ipsa nascentis Ecclesiæ incunabula? Tunc nullis opibus, nulloq; imperio suffulta ipsa fides per sese maxime vigebat; mortalia, & caduca nihili, diuina, & æterna plurimi fiebant; non odio, aut amore res gerebantur, nõ simulata, & ementita, sed vera, & sincera charitate omnes ducebantur. Nunc vero quo statu res sint nullus est, qui ignoret. An fortasse intelligis, non ipsam fidẽ ex huiusmodi legũ promulgatione, sed ipsos Venetos periculum fidei subituros? Plane falleris, quin potius allucinaris. Veteres illi Ciues Reip. gubernandæ scientia, & prudentia insignes, iidemque pietatis, & religionis glo-

ria illustres; has leges tulerunt, & posteris obseruandas tradiderunt, cum probe nossent, eas nullum Catholicæ fidei præiudicium inferre, ipsique Reip. maxime necessarias fore. Etenim persuasissimum illis fuit Id, quod etiam est nobis, Quotquot his legibus, institutisq; vixerint, recto tramite incedere, quo facile, ac tuto, citra vllum æternæ salutis amittēdæ periculum, peruenire possint ad eam felicitatem, quæ societati, coniunctionique hominum in hac vita, tanquam finis, proponitur. Sicut enim publicæ tranquillitatis permultum refert, vt scelesti, ac facinorosi homines, etiamsi Clerici fuerint à magistratibus debitis pœnis coerceantur, & priuatorum facultatib. quibus etiam opes publicæ sustinentur, ita prospiciatur, vt Ecclesiæ supra quam deceat locupletandæ causa, minime euertantur, sic ad salutem æternam comparandam nihil omnino facit, pluresne, an pauciores fundos Ecclesia possideat, & vtrum ab Ecclesiastico potius, quam seculari iudice Clerici sontes, & flagitiosi puniri debeant: Contra vero si leges antiquissimæ abrogarentur, exploratum, & compertum habemus, id maximo & Reipublicæ quieti, & publico bono, & ciuium facultatibus detrimento futurum. At qua in re Catholica fides, & Christiana religio promoueretur?

Hic obiicis Romanæ Synodi decretum, quod Basilii, Odoacris Regis Vicarii, *de non alienandis Ecclesiarum bonis* leges abrogauit. Et augendæ rei causa cum illis Reip. leges confers, illas proficuas, has perniciosas vocas, illas Ecclesię bona, vt nulla ratione alienentur, statuere, has, vt alienētur. Qua in re dum oratorio more satis late excurris, non animaduertis, te vehemēter offendere, atq; in maximas fraudes etiam impingere. Falsum est enim iubere Ducē, & Senatum, vt abstrahantur ab Ecclesiis ea bona, quæ tamdiu sibi compararunt, & modo possident: De iis ne verbum quidem in iis legibus, quod iam certe & manifesto constabit, vbi sigillatim eas expendemus, & examinabimus. Nostin de quib. agant, atq; decernant? Vel de iis, quæ ab Ecclesia iampridem sunt alienata, & à nostris possessa ea conditione, vt aliquid certum census, & pensionis nomine eidem in singulos annos persoluatur; Vel de iis, in quæ nullū adhuc ius adepta est, vtpote de iis, quæ legari, aut donari eidē possunt, de quibus ita decernere planum fiet, vt ipsa nullū vel minimū detrimentum inde patiatur. Quod autē asseris, Venetas damnosas, Basilii vero leges proficuas Ecclesiæ fuisse, apertissima calumnia est. Sed animi perturbatio vestræ mentis aciem ita perstringit, vt etiam supremæ dignitatis imminutionem, atq; insignem labē, modo cum aliqua vtilitatis, & commodi specie coniuncta sit, nihili ducatis, quin etiam proficuam appelletis. En tibi legū, quarum Basilius autor erat, vtilitates, & emolumenta, quę tot numero sunt, quot ipsarū capita. Principio leges illæ Episcopos, ipsumq; adeo Romanum Pontificem, & successores omnes potestate alienandi quacunq; vel iusta de causa priuabant, & quæcunque acta per eos essent infecta, irritaque statuebant. Postea ille laicus vir anathematis pœnam infligebat in vendentes, & ementes cuiuscunque generis, & ordinis, & nominatim etiam in ipsos Episcopos, ipsumque summum Pontificem. Mox & ciuili, & canonico iure sancitam, apud omnes iampridem receptam quantumlibet longi temporis præscriptionem è medio tollebant, clericisque omnibus contradicendi facultatem eripiebant. I tu ergo, Baroni, & huiusmodi leges Ecclesiæ proficuas voca, quæ, vt cætera omittamus, tantam inurunt Ecclesiasticæ dignitati, & autoritati ignominiæ notam. Quid simile cum Venetis reperies, quæ nihil de summi Pontificis maiestate detrahunt, & vt liberam, atque integram statuendi de rebus vestris facultatem vobis relinquunt, ita etiam nihil ex iis, quæ tenetis, adimunt? Insignem ergo procul dubio abs te contumeliam, & iniuriam Senatus accepit, quod eiusmodi leges suis comparandas duxeris.

Ad leges vero Caroli Magni, & Ludouici Pii Imperatorum multa sunt nobis in promptu, quæ respondeamus. Fateris ipse, quod verum est, Imperatores illos, diligentia sanctorum monachorum collegisse in vnum Ecclesiasticas leges, suis admixtas. Quid igitur mirum est, illis visum esse, vt non ederentur in lucem, nisi prius ab Episcopis recognoscerentur, & à summo Pontifice comprobarentur? Quandoquidem maxima pars earum decernebat de rebus sacris, ad fidem, & religionem pertinentibus, cuiusmodi sunt ea, quæ tu prodidisti, de Primatu Romani Pontificis, de cogendis Conciliis, & aliis huiusmodi, quæ manifeste ad Ecclesiasticam iurisdictionem attinent. Quod autem de Clericis criminosis consuli Romanum Pontificem, iidem voluerunt, ex pietate, non ex debito id honoris Pontifici detulerunt. Sic enim quibusdam Theodosii *constitutionibus*, quæ ad iudicium summi Pontificis nimis multa reiiciebant, collegam tuum Bellarminum respondisse comperimus. Quanquam non solum pietate, ac religione Carolus, & Ludouicus adducti sunt, sed etiam grati, & memoris animi testandi cupiditate, quæ cum in optimis, & generosis quibusque mentibus insideat, tum facile maximis Principibus, ac regibus eos stimulos admouet, vt videri velint non modo acceptum beneficium rependere, & exæquare, sed insuper magno remunerationis cumulo plane superare. Summi Pontifices erant de Carolo, & de maioribus eius tam benemeriti, tantumque non solum ornamentorum, sed etiam amplitudinis, atque autoritatis in ipsum contulerant, vt magna, & excelsa mens Caroli plane cogeretur, si tantæ magnificentiæ par esse vellet, non minus Pontifici concedere de iure suo, quam Pontifex illi benigne de suo remisisset. Hæc vero, si nescis, afferunt quamplurimum fidei, atque firmamenti iis, quæ superius à nobis tradita fuerunt: Ecclesiasticam immunitatem magis à Principum priuilegio, quam à iure diuino aliquo dependere. Suis autem Veneti non aliorū legibus semper viuere assueti (quod diuinæ clementiæ

Lib. 5. de R. Pont. c. 3. in Ref. ad 3.

acce-

acceptum referunt) nullis quidem Imperatorum decretis plane tenentur, sed iis multo minus, quæ non multo post abrogata sunt, viuentibus illis adhuc, quorum iussu, & autoritate, sancita fuerant. Nam conqueruntur Episcopi in Concilio Aquisgranensi, quod anno Christi 833. celebratum fuit. *Principalem potestatem diuersis occasionibus interuenientibus, secus quam autoritas diuina se habeat, in causas Ecclesiasticas prosilisse.* In Conciliis etiam Meldensi, Suessionensi, & Valentino crebræ sunt illæ voces; *Bona sacra diripi, & auferri Ecclesiis, distribuique militibus, atque Laicis.* Tantum igitur abest, vt priuilegia, à Carolo, & Ludouico donata, firmataque fuerint, vt potius violata fuerint, Ecclesiæ iura, quæ tot annorum curriculo iuste, ac legitime obtinuerat. Et non solum autoritas Pontificia multum imminuta, sed etiam bona direpta fuerint, & prædia loco stipendiorum militibus attributa. Quid diceres, Baroni, si hæc tam iniqua Ducis, atque Senatus autoritate facta essent, quæ à Caroli posteritate perpetrata sunt? Nunquid ab ipso tale quidpiam sancitum est, vt Ecclesię spoliarentur, & expilarentur, & causæ omnes etiam de religione à se cognoscerentur? Et tamẽ calumniaris eos Iuliani Apostatæ exempla secutos esse, qui templa Christianorũ occludi, gentilium vero Fana reserari præcepit, & qui Christianã religionẽ deserere nollent, eos omnes honorib. priuatos acerbe mulctauit. Hęc nimirum est illa suauis tractandi ratio, qua Regum & Principum animos beneuolos reddere Baronius suo vel more, vel morbo solet. Ignoscimus tamen. Propterea quod illi, qui liberali, & honesto loco nati sunt, optime callent omnes rationes, quibus agendum est cum honestissimis viris, iis præcipue qui in aliqua dignitate constituti sunt.

Aliter longe catuli olent, ac sues.

Eiusdem tuæ imprudentiæ ne, an impudẽtiæ, nescimus, est, Damasceni verba, quæ nihil ad rẽ faciunt, contra nos adducere. Consule iterum, & accuratius perpende locũ, vnde ea sumpsisti, videbis ꝓfecto, cuiusmodi argumentũ contineat. Ibide iis agitur, qui sacras sanctorum imagines abolere contendebant. Quarũ sane tunc Veneti acerrimi propugnatores fuerunt, & impiis Leonis Imper. conatibus palam obstiterunt. Non sibi sacerdotii iura Resp. pertinaciter vindicat Baroni; Non suis legib. Ecclesiam regere constituit. Vos potius estis, qui vestris legib. Res alorum publicas administrare præsumitis, &, quod ridiculum est, homines vsu rerum vix vllo præditi Principib. qui in regendis, & moderandis summis imperiis totã suam ætatem magna cum laude cõtriuerunt præire vultis omnino, & leges præscribere, à quib. ne digitum quidem discedere tuto valeant. Clamas frequenter Senatum omnia confundere, & permiscere, tu contra potius omnia peruertis, imo plane euertis. Profers ea, quæ à Basilio Macedone Imper. in VIII. Synodo dicta fuere, cum is tamen non de iis, quæ ad politicã gubernationem, sed ad fidem, & Ecclesiasticã iurisdictionem spectant, ad populum verba faceret. Quære à tuo Bellarmino, & ipse te docebit, *de ver. Dei, li.3.c.7.* (modo sententiam mutare, vt alias, nolit) huiusmodi testimonium Imper. Basilii spectare ad cõtrouersiam, & iudicia de fide, & religione. Sed tu nihil antiquius habes, quã omnia perturbare, & aliorum dictis, atq; testimoniis abuti. Aliud est Ecclesiasticum, aliud Politicum Forum; latissimum vero discrimen inter vtrumq;. In illo Principes, & Reges ouium numero censentur, Pastoris autem munus sacerdotes obeunt; In hoc Reges, & Principes summam obtinent autoritatem à Deo, cuius vices gerunt; proindeq; obtemperandum illis, & parendum, vt ipsi Deo. Quo sane fit, vt quemadmodum ipsi Reges, & Principes probri loco non ducunt demittere se hominibus naturæ conditione multo inferioribus, quando Christi personam gerunt, sic etiam Clericis dedecori nullo modo esse queat, si Principibus, ac Regib. suis, qui naturæ conditione, superiores sunt, reuerẽtiam tribuant, & debitum obsequiũ exhibeant. Sed progrediamur ad reliqua.

Ais eiusmodi Senatum peccatis excusationem obtendere, quod id à suis maioribus factitatum fuerit, & occasionem hinc studiose arripis reprehendendi. Certe in quamplurimis aliis alienum tuum à Repub. Veneta ingenium, mentemq; perspeximus; An in hoc quam maxime. Non enim satis tibi fuit, iis, qui eidem modo præsunt, maledicere, sed etiam illorũ gloriæ ac pietati detrahis, qui Catholicæ fidei propagandæ causa strenue, ac fortiter dimicarunt, & celebrem nominis sui memoriam ob res præclarissime gestas posteritati reliquerunt. Criminaris eos, quod non satis æqua appetierint, cumque Summum Pontificem exorari posse diffiderent, ad Patriarcham confugerint, & quicquid collibuisset ab illo extorserint. Est ne vlla Ecclesiastica lex Baroni, quæ Principibus interdicat, ne ad publicam tranquillitatem, atque pacem tuendam, & ad commoda suorum augenda, iussione caueant, vt ad Ecclesiasticas dignitates in ditionibus suis ciues sui proueherentur, aut saltem, qui ad aliquod temporis spatium ibi moram traxerint, ab his autem Exteri, & Peregrini prorsus arceantur? Nulla certe (opinamur) lex eiusmodi reperitur, quinimo sacros Canones præcipere nouimus, *Ni emeritis in suis Ecclesiis Peregrini, & extranei, & qui ante ignoti sunt, ad exclusionem eorum, qui bene ciuium suorum merentur testimonio, præponantur.* *dist. 71. cap. nec emeritis. ibi. ca. Nullus.* Hoc ipsum sancitur de Episcopis. Catholici quoque Imper. Arcadius, & Theodosius, vsi iure suo, quod commodo publico esse existimabant, id lege sciuerunt, vt Clerici non ex alia possessione, vel vico, sed ex eo, vbi Ecclesia esset, ordinarentur. *C. Theo. lib. 16. t. 2.* His vero temporibus nullus est, qui nesciat in Hispania, & multis aliis Catholicis regnis, & prouinciis eiusmodi leges plane vigere, quæ multis abhinc ætatibus latæ fuerunt. Poterant igitur Veneti eo tempore tale quid statuere, & præcipue in nouo imperio, cui multo magis timendum erat, atque consulendum, quam regnis illis, quę iampridem constituta fuerant, diuturnaque possessione stabilita. Quidni ergo poterant iurisiuran-

di religione obstringere illum, qui Patriarcha eorum suffragiis designandus erat, vt præstaret id, quod æquitati consentaneum esset, & vero conducere plurimum Reip. existimaretur. At enim in hac re Patriarcha culpã quandam agnouit cuius veniam, vna cum iuramenti liberatione à Summo Pontifice petiit, & impetrauit. *Trepidauit timore, vbi non erat timor*, vt diuinus vates aiebat. Porro si quis falsa opinione, & conscientia ductus existimet, sibi non licere id, quod iure licet & tamen, vt idem faciat, animum inducat, is minime culpa vacat, ex communi Doctorum sententia. Certe vel opinio quædam falso concepta, vel nimia quædam religio quæ postea obrepsit in causa fuit, vt Patriarcha crediderit, se lapsum fuisse, Pontifex autẽ iustis de causis non satis edoctus, quibus Patriarchæ iuramentum delatum fuerat pronunciauit, id irritum, & inane esse, eidemq; mandauit, vt nullam deinceps in dignitatibus Ecclesiasticis tribuendis, illius rationem haberet. Sed fortasse idem genus morbi, quo vos in præsentia tentamini, etiam Patriarcham inuaserat, sc. vt autoritatem suam quam maxime amplificatam, prolatamq; vellet, cui cum officere plurimum existimaret, iuramentum illud, quo tenebatur obstrictus, ne conferre dignitates in alios homines, quam in Venetos posset, artificio quodam Pontificem aggredi constituit, quo cupiditati suæ morem gereret, & sese religionis vinculo facillime solueret.

Hic tu, Baroni, occasionem quoquomodo nactus insectaris conuiciis, & maledictis Præsules, & Episcopos Venetos, quos eo nomine prorsus indignos asseris, & potius Lupos, quam Pastores nominandos esse. Quinam vero de causa? Quoniam, inquis, sibi fuga non consuluerunt. Papæ, vir longe sapientissimus, rerumque diuinarum consultissimus es? Vndenam istiusmodi doctrinam hausisti? Non quidem ex Euangelio. Christus enim oues à Pastore suo in discrimine deserendas minime præcipit, sed vt semper custodiantur, & pascantur, admonet, quam intentissima cura, atq; vigilantia, ne quid ex ipso grege per vim abstrahatur, aut errando depereat. Ioan. 10. *Quinimo*, inquit, *bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis, mercenarius autem, & qui non est Pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt Lupum venientẽ, & dimittit oues, & fugit, & Lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Vide modo; quantũ à Christi doctrina distet tua, Baroni. Ille pastorem vocat, qui manet; mercenarium, qui fugit; tu contra Pastores vis esse illos, qui fugiant, mercenarios, qui maneant, Lupos vero communi nomine cẽses appellandos, tam pastores ipsos, qui pro grege suo excubant, quam eos, qui dant operam, ne grex à Pastoribus deseratur. Atqui multo verius Lupi nominãdi sunt, qui Pastores à tuendo grege suo violenter abstrahunt, nihil pensi habentes, quod inedia Pecudes extabescant, dummodo ipsi cupiditatem suam expleant, & vere Luporum instar, dispergunt, & mactant oues, pro quarum salute Pastor optimus Dominus Iesus Christus, tot, tantaque supplicia perpessus, mori etiam non recusauit. Sed futurum est aliquando, vt sanguis earum de manibus illorum exquiratur. Pastores quidem nostri magis laborant de gregis incolumitate, multoque melius, quam vos eidem prospicere didicerunt. Propterea inquit Ezechiel Propheta, *Pastores audite verbum Domini. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo, quod non esset Pastor (neq; enim quæsierunt Pastores mei gregem meum, sed pascebant Pastores semetipsos, & greges meos non pascebant) propterea, Pastores, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ecce ego ipse supra pastores, Requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciã eos, vt vltra non pascant gregem, nec pascant amplius Pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam.* Pastores igitur nostri adeo graues minas, quas per Ezechielem Prophetã Dominus intentat, veriti, contra quam vos facitis, de incolumitate sui gregis plurimum laborant, neq; vlla ratione possunt adduci, vt, diuinis monitis neglectis, vestra documenta sectentur, atque autoritatem. Norunt illi diuinæ voluntati, quæ mandat, vt Pastores excubent pro grege, nullã iussionem humanam præuertendam esse, ne dum anteferendam, qualis est ea, quæ de seruando interdicto dudum manauit. Nota est ipsis præterea causæ huius æquitas, & quanta sit Reip. pietas, innocentia, integritas: Probe sciunt nihil Ducem, atq; Senatum deliquisse, & nihil tale commeritos esse, quale illis iniustissime irrogatum est. Sed fac, eosdẽ culpæ alicui, vt falso putatis, affines esse, proindeq; dignos, in quos Ecclesiastica censura animaduerteretur, nonne Doctores omnes prædicant, interdicti tempore certa quædam Sacramenta Populo ministranda esse; maxime vero, quæ ad æternam salutem sunt necessaria? Quis autem futurum non prospicit, vt Parochi suorum Episcoporum, qui summi sunt Pastores, & præsides exemplo incitati, non modo necessaria hæc munera obire negligant, sed etiam fugæ se committant, & gregem suum plane deserant, cõtra quam iura pariter diuina, & humana præcipiunt? Quid quod, etiamsi causa fidei nulla in præsens agatur, tamen vt sensibus vestris tantummodo inseruiant, iubetis illos in apertũ discrimen venire, & suum caput obiicere? Senatus enim, ne religionis studia in populo deferuescerent propter sacrorum mysteriorum intermissionem, & etiam publicæ tranquillitatis conseruandæ causa à natura instructus, quæ vim vi repellendam docet, opportune prospexit, vt si quos in officio non contineret, debita tam in Deum, quam in patriam pietas, & ea, quam Principi suo præstare debent, obseruantia, ii saltem meritis pœnis ad aliorum exemplum coercerentur, meminerintque publicarum legum se potius fautores, & adiutores esse, quam correctores, & abrogatores, vt falsissime iactas, siquidem in ea, quæ edicuntur à Principe Episcopis ingerere se non licet, & aliquid iuris sibi vsurpare, præter quam in causis de fide, aut in iis, quæ ad manifestam perniciem animarũ vergerent, & aliq. impedimentũ æternæ salutis afferrent. Cuiusmodi fuit illa lex à Mau-

ritio

modo lata, qua quidem non ad militiam Monachi cogebantur, vt ipse scripsisti, sed tantum modo cauebatur, ne cui in monasterio conuerti liceret, qui publicis administrationibus esset implicatus. Nisi forte monachos appellandos existimas, eos, qui vitæ Monasticæ se tradere cogitabant, ante quam monasterium ingrederentur, quæ tamen appellatio neque propria, neq; legitima est. Sed parum est, quod nominibus abutaris, qui passim historiis, atque exemplis abuti soles.

Ad stabiliendum illud tuum effatum: *Romanos Pontifices insurrexisse Legum Principum abrogatores, vel correctores.* hoc exemplum D. Gregorii modo attulisti, qui tamen pro imperio, & potestate non pronunciauit legem Imperatoris irritam esse, sed tantum Imperatorem admonuit, tantamque lenitatem adhibuit in ea admonitione, vt tibi opus fuerit non vanam excusationem comminisci, ne S. ille Vir nimis demisse, & abiecte egisse videretur. Vnde igitur colligis Mauritii Imp. legẽ vel abrogatam ab ipso, vel correctam fuisse? Nam quæ ex Epistolis loca protulisti, nihil tale habent. At, inquis, non hoc aio, D. Gregorium abrogasse legẽ, vel correxisse, sed, vt emendata promulgaretur, curasse. Belle Hercule. Tuum erat probare id, quod instituceras, Pontifices legũ abrogatores, vel saltem correctores fuisse: modo pedem refers, & satis habes ostendere, curasse illos, vt emendatæ promulgarentur. Id vero libenter damus, neque diffitemur, monitis, & precibus cum Imperatore D. Gregorium egisse, vt ea lex, quæ hominibus præcludere aditum videbatur ad æternam vitam, aliqua correctione temperaretur. Certe D. Gregorius in suis epistolis nihil aliud ait, quam se Imperatori aliqua suggessisse, atque id verbum frequenter in ore habet, quod non imperii, sed obsequii argumentum est. Vltima vero clausula eius Epistolæ, quam scripsit ad Imperatorẽ ita se habet. *Ego quidem iussioni subiectus eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam Serenissimo Domino nuntiaui; vtrobique ergo quæ debui exolui, quia Imper. obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minime tacui.* Audin, Baroni, quæ D. Gregorius scribit? Ait, se Imperatori suggessisse, eidemque obedientiam præbuisse: si præbuit obedientiam; ergo censorem non egit, siue correctorem. At præterea eiusdem Imper. iussu eandem legem per diuersas terrarum partes se transmisisse. Si transmisit eandem: Ergo nihil à se vel correctam, vel immutatam; cum præsertim dicat hanc legem à se transmissam eiusmodi fuisse, vt omnipotenti Deo minime concordaret. Non licet autem existimare D. Gregorium data opera mendacium dixisse: Ergo mendax Baronius.

Ant. To. 8. an Domini 593.

Lib. 2. epist. 62.

Quod autem in ea epistola, quæ scripta est ad Episcopos occidentales & orientales, lex eadem videtur nonnihil immutata esse, ideo factum est, quod Imperator à D. Gregorio monitus, eidem aperuit, quisnam fuisset animi sui sensus in ea lege condenda: Diuus autem Gregorius vbi sententiam Imperatoris elicuit, atq; expressit, eandem Episcopis per literas significauit, quæ sane literæ quinquennio post datæ sunt, quam lex illa primum ab Imperatore promulgata est. Constat id apertissime ex indictionum numero; siquidem hæ datæ sunt ad Episcopos anno Christi DXCVIII. in quo eo tempore cadebat indictio prima: literæ autem ad Mauritium Imp. & ad Theodorum medicum datæ fuerant indictione XI. nimirum anno Christi DXCIII. quamuis tu nulla vel leuissima coniectura ductus tempora, quæ tam longo interuallo distincta sunt, totamq; adeo seriem epistolarum confundere studeas; sed frustra. Nam; præter omnium cum impressorum, tum manuscriptorum codicum sensum, qui manifestissimus est; nihil à D. Gregorio factum fuisse, quod ex arbitrio, & voluntate Imp. non esset, extrema hæc verba declarant: *Qua de re etiam Serenissimus & Christianiss. Imper. mihi credite, omnimodo placatur, & libenter eorum conuersionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit.* Et de D. Gregorio satis.

De D. Ambrosio, quem merito laudas, vt acerrimum vindicem Ecclesiasticæ libertatis, *ne inuaderetur ea aliquatenus à laicis, quamuis Imperatoribus orbis Dominis.* plura dicenda sunt, vt explicentur, & euoluantur ea, quæ tu verborum inuolucris tecta confudisti. Nam de lege trium Augustorum duntaxat expresse meministi, sed quoniam in ora libri notantur Epist. D. Ambrosii 32. & 33 suspicari licet, te alia duo capita attingere voluisse, quæ in eis continentur: Alterum de Basilica, quam Imp. tradere noluit, non modo præcipienti, sed etiam extorquenti: Alterũ de disputatione instituta in consistorio coram Imper. & iudicibus laicis, quam D. idem Ambrosius constanti animo detrectauit. Reiiciamus illud de Basilica ad proprium locum, in quo ex professo tractabitur paulo inferius. Relinquitur ea disputatio, quam iusserat Imperator coram se agitari, D. autem Ambrosius omnino recusauit, & ne fieret, obstitit. Qua de causa? Audiamus ipsum. *At certe si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopum solere de Imp. Christianis, non Imperatores de episcopis iudicare?* Audio Cæsare Agebatur causa religionis; disputandum erat cum Arrianis de Christi diuinitate, iccirco D. Ambrosius Imperatori parendum non duxit. Nunquid Senatus causas eiusmodi, quæ spectant ad constituendam fidem sibi arrogat? Absit. Quis hoc vnquam vel per somnium dixit? Ergo ad reliqua. Vndenam accepisti, aut vbi legisti, Theodosium Imperatorem à D. Ambrosio coactum, vt antiquaret legem de Diaconissis nomine suo, cæterorumque Augustorum Mediolani latam? Sentire te in *Annalibus* tuis hoc idem loquendi genus vsurpasse, sed nullum huius sententiæ auctorem edidisti, imo ne coniecturam quidem, vnde posset elici. Abrogasse constat, ab alio, quam à semetipso persuasum, non traditur, & multo minus compulsum, & coactum fuisse. Certe Martianus Imp. cui maxime perspectum id esse poterat, eius antiquationis aliam causam non reddit, quam *ipsius Legislatoris animum iusta, ac rationabili quadam pœnitentia ductum.* Vnde sane duo

Cap. 32.

To. 4. an. Domini 390.

C. Theo. nouel. lib. 3. titul. 6.

nobis insinuatur: Alterum, qua fuerat autoritate lex illa constituta, eadem quoq; libente sublatam esse: Alterum non vi, metu, aut minis alicuius, sed vltro, sponte, suoq; iudicio Theodosiũ Imp. id præstitisse; cum id, quod erat, agnosceret, eiusmodi sanctionem non satis æquã, & in Ecclesiasticas personas contumeliosissimam esse. Occasionē attulerat legislationis eiusmodi stuprum illatum à Clerico nobili Diaconissæ. Vero quam simillimũ est, Theodosium ea re vehementer commotum, vt erat impotens animi, & ad iram plus æquo præceps, ob vnius clerici flagitium id statuisse, quod vniuerso ordini, imo etiã ipsis Ecclesiis, & pauperib. cum maximo detrimento, & dedecori futurũ esset, vbi vero resedit primus ille impetus, atq; æstus animi deferbuit, re melius animaduersa, atq; accuratius expensa, quod erat prudentissimi, & iustissimi Principis effecit, vt eiusmodi lex nullam vim obtineret. Hac eadē quoq; voluntate, & consilio Senatus effici, si quid non satis consulta ratione eidem excidisset, quod æquitati palam repugnaret, neq; duceret id turpe, quod laudi potius tribuendum esset: sed nihil per inconsiderantiam, aut imprudentiam vnquam est gestum: Æquitas, & ratio semper fuit in consilium adhibita, cum abiis, qui modo Remp. tenent, & administrant, tum ab illis innocentissimis, atq; sapientissimis viris, quorum integritate, singulariq; prudentia Resp. constituta est, optimisq; & sanctissimis legibus informata, quorum posteri nihil aliud, quam quod eorũ vestigiis insistendum arbitrantur, longa experientia, vsuq; rerũ tractandarum satis edocti, si hanc Remp. incolumem, beatamq; & fœlicem manere volunt; ab ea via minime discedendum esse, quam illi tritam, atq; facilem aliis reliquerunt. Nihil habent Clerici, quod de Rep. iure conquerantur, nihil Ecclesiæ ipsæ, nihil tandem pauperes. Libera potestas relicta est accipiendi, si quid donatũ, aut legatum à quoquam fuerit, neq; vllum personarum genus ipsæ leges excipiunt, vnde aliqua Clericis infamiæ labes aspergi possit. Non solum viris, sed mulieribus, atq; adeo viduis licet per eas de suis rebus statuere ex animi sententia, & quoscunq; voluerint hæredes instituere, non modo Ecclesias ipsas, & sacra Collegia, sed etiam singulas personas ex ordine Ecclesiastico. Illud tantummodo cauetur Reip. causa, vt loco domorum, & prædiorum in numerata pecunia pretium accipiatur. Equidem supersedere huic labori poteras, & multo satius erat, hæc omnia prætermittere, quæ nihil habent cum Senatus legibus commune, decreta etiam Concilii Chalcedonēsis, quibus eas aduersari probare oportebat, non autem Sophistarum more assumere, quod probandum erat. Sed tempus est percurrendi singula capita, quæ reprehendere, atque damnare constituisti. Principio Senatum in crimen vocas, quod lege lata ab eo cautum fuerit, *Ne personæ Ecclesiasticæ seculares, & regulares in bonis Ecclesiasticis à Laicis possessis sub quouis titulo, aut colore iure prælationis, seu consolidationis directi cum vtili Dominio, aut extinctionis lineæ, aut alia quauis causa bonorum proprietatem sibi vendicare vllo vnquam tempore possint.* Et falsa innixus coniectura, quod Senatus literæ nihil de hac re meminerint, cecinisti triumphum ante victoriam. Nam quæ circumferuntur Senatus nomine literæ, eæ sinceræ non sunt, & ab ipso conceptæ, sed adulteratæ à malignis, vt aliquam Veneto nomini inuidiam conflarent. Sed fac, eas literas, quales à vobis lectæ fuerunt, à Senatu scriptas. Quid tum inde? Nonne fieri potuit, vt vtraque capita fuerint in vnum collata, propterea quod ad idem argumentum spectarent, scilicet ne priuatorum opes extenuarentur, cum maximo detrimento rerum publicarum? Miramur certe, & vehementer miramur, quæ causa fuerit, vt id, quod nouissime Reipublicæ significatum fuit, & de quo non ita multum laborare Summi Pontificis Nuncius videbatur, id vrgere potissimum, & primo loco eidem obiicere, tanquam grauissimum crimen volueritis. Multa hic dicenda essent, quæ consulto omittimus, propterea quod alias copiosissime explicata sunt, cumque tu nihil hoc loco contra Rempublicam afferas, nihil est etiam, quod tibi responderi debeat. Hoc vnum habeto, eiusmodi contractus, quos tu *emphyteutis* nominas, reuera censuales esse, aut locationes perpetuas, in quibus Ecclesiæ nullum aliud ius est quæsitum, quam pensionis annuæ: si qui vero ab initio fuerunt emphyteutici, hos vel legitima multorum seculorum, nedum annorum præscriptione tandem desiisse, vel æqua transactione temperatos esse, consentientibus iis ipsis, quorum intererat.

Accusatur secundo loco, quod à Senatu vetitum sit, *Ne quis Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, atque alias religiosas domos Venetiis, & vbique locorum Dominio Veneto subiectorum sine speciali licentia fundet, & erigat.* Aggrederis autem Senatum his verbis grauissimis *Quam autem contra ius, fasque id præsumpseritis, quæ dicturi sumus, vos commonebunt.* Arbitrabamur nos aliquid à te inusitatum, & nouũ accepturos esse. Sed profecto, Baroni, quo magis collimare, studes eo magis aberras. Quorsum attinebat Diuorum Ambrosii, & Ioannis Chrysostomi exemplis abuti, & tã multa verba præter rem impendere? Agitur ne hoc tempore de aliqua Basilica tradenda vel Arrianis, vel aliis hæreticis, id quod ne fieret, ii sanctissimi patres pro sua virili non minus iuste, quam fortiter obstiterunt? Agitur ne de templis, & aliis locis, quæ iam pridem extructa fuerint, & Deo consecrata? Minime profecto. Sed qua de re tandem agitur? De area, de solo, de situ ipso, antequam fiat vlla extructio, ne forte locus aliquis eligatur, in quo loca sacra construi non deceat, aut non expediat: Qua de re si Principem statuere nihil omnino posse, pro sensu tuo iudicas, quid est causæ, cur à nobis iuste dici non possit, nescire te; qui à prophanis sacra secernantur? Neque tamen Senatus hoc sibi sumit, & arrogat, quod tu in crimen vocas, vt requiratur in ædificandis Ecclesiis sua duntaxat autoritas, præterea ne minis. Nihil enim, inconsultis Episcopis, fieri mandauit,

mandauit, sed etiam se consuli; non vt aliquid detrahatur eorum authoritati, sed vt sciat, quid in suæ ditionis terminis agatur, & si quid hinc euenire incommodi possit, adhibita matura consultatione, id præcaueatur. Ergo, vt cætera omnia, sic etiam hæc ipsa, quæ attulisti de Carolo, & Ludouico sunt extra causam; sed quia id tibi solemne est, nihil admiramur.

At quid dicitis, inquies, de lege, quam tulit Nicephorus Phocas Constantinopolitanus Imper. Nonne eadem ipsa est, quam Senatus edidit? Pudeat autem vos imitatos esse hominem monstrosum, fœdum, meritissimisq; conuiciis tam Græcorum quam Latinorum historicorum exagitatum. Imo vero te pudere æquum est, Baroni, impudentiæ ne dicamus, an iniquissimæ voluntatis tuæ? Nam alterutro peccas, aut etiam vtroq; vitio. Tu ne componere vis cum Senatu Veneto Nicephorum Phocam, qui eo dementiæ progressus est, vt in martyrum cœtum, & numerum milites, qui pugnando ceciderant referẽdos duxerit? Et, multis impiis decretis, ac sanctionibus editis Christianæ religionis cultum velle funditus tollere visus est. Nam facultatibus omnibus iis, quas Ecclesiæ possidebant, ablatis, translatisq; in alios, cum etiam decretum illud adderetur, ne deinceps aliquid liceret iisdem legare, & ne in posterum vel templa, vel xenodochia construerentur, breui futurum erat, vt pietas, & religio paulatim collapsa, tandem rueret in præceps, atque euerteretur. Hæc certe ab ipso Senatu quam disiunctissima, & alienissima sunt, qui religioni tantum defert, atq; tribuit, quantũ eos decet, atq; oportet, in quibus Christiana pietas potissimum enitet. Nunquam per eundẽ stetit, quin templa ædificarentur, cuius rei argumento est, frequentia maxima, & multitudo sacrarum ædium, quæ passim in oppidis, terrisq; Venetorum imperio subiectis, sed præcipue in hac ipsa vrbe conspiciuntur, nõ sine eorum, qui aduenjunt, magna admiratione. Quæ cum ita sint, tamen Senatus non prohibet, quin potius libenti animo facturus est potestatem erigendi xenodochia, templa, & quæcunq; pia loca, modo sibi constet, hæc rite; decenterque & sine Reipobl. detrimento perfici posse, & accedat prætetea voluntas Antistitis.

Sequuntur illæ tot tragœdiæ, quas excitas in Valentiniani III. lege referenda, quam valde alieno loco, cum de fabricãdis Ecclesiis nihil agat, interseruisti non alia de causa, quam vt haberes, vnde egregium illud Apophthegma citius expromeres: *Et vos, qui ex Aquileia cineribus orti estis, caute, ne ex eadem causa in cineres reuertamini.* Atqui nihil, Baroni, est, cur id vereamur: Vrbs Venetia in medio mari sita est; nihil ab incendio periculi. Vos ipsi videritis, ne vestra vrbs in cineres redigatur, cum exitium ab igne impendere Sibylla prædixit, cuius carmina sunt hæc:

Tunc sane generatio decima post hæc apparebit — *Vat. Sibyl. lib. 2.*
Hominum, cum terra concussor, Austrorum conditor — *Lact. lib. 7. diu. inst.*
Idolorum Zelum franget, populumque concutiet
Roma septicollis, magnæ autem diuitiæ peribunt
Irrigata multo igne à flamma Vulcani. Et alibi:
Veniet tibi aliquando cælitus, O superba Roma,
Cælestis plaga, & incuruabis ceruicem prima
Et allideris terræ, & ignis te totam absumet
Inclinatam noua terra sedibus, & diuitiæ peribunt,
Et fundamenta tua vulpes, & lupi tenebunt,
Et tu eris tota deserta penitus, ac si nunquam fuisses.

Hæc eadem (vt Hieremiam omittamus superius adductum) in Apocalypsi contineri scimus, — *Cap. 51.*
vbi de Babylonis excidio sic Angelus prædicat: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio* — *Cap. 18.*
Dæmoniorũ, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis. Et postea: — *Franc. Rib.*
Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis est Deus, qui iudica- — *Comm. in*
bit illam. — *Apoc. 14.* Nunc ad Valentinianum reuertamur, quẽ causatis, hostes iam bello prostratos erexisse, non alia de causa, quam quod præscripserit quasdam leges contra Ecclesiastica iura. Equidem id in præsentia nobis propositũ non est, vt Valentiniani leges commendare, comprobareque velimus, quanquã ipse in præfatione sua profiteatur, se nouũ non sancire, sed antiquũ ius reuocare, — *C. Theod.*
vt Episcopi præter religionis causas nihil cognoscerent. Satis erit paucis ostendere quid, & quantum inter illas, & Veneti Senatus leges intersit. Ille sanxit, ne Episcopus vllius iudicii haberet potestatem, nisi clerici in ipsum compromitterent, & si altera pars dissentiret, publicis legibus ageretur, & iure cõmuni: Venetæ leges Episcopis non modo ex compromisso, sed iure ordinario permittunt, & relinquunt clericorum iudicia, cum in rebus ciuilibus, tum in criminalibus, iis exceptis, quæ propter grauitatem, & atrocitatem digna sunt, quæ præcipue à Repub. vindicentur. Ille nullum originarium, inquilinũ, collegio alicui obstrictum ad clericale munus accedere patiebatur; neq; monachis, aut monasteriis aggregari. De his omnibus in Venetis legibus ne verbũ quidem. Itaq; non est, cur formidemus, & perhorrescamus ea, quæ Valentiniani culpa accidisse cõmemoras. In quibus tamen alicui videri possit, te Symmachum imitari voluisse, qui astute vertebat in rem suam id, quod ex naturæ causis euenire compertũ erat: siquidem arrepta occasione ex ingenti penuria, quæ Italiam, & præcipue Romanam vrbem afflixerat, innumerosque mortales absumpserat, apud Imperatorem differebat, eas calamitates non alia de causa contingere, nisi quod alimenta Vestalibus virginibus adempta essent, & reditus ablati: Sic etiam tu ex misere affecta, & afflicta Romani Imperii fortuna, quod manifeste inclinare non modo cœperat, sed etiam ruere iam ab eo tẽpore, quo ab Alarico Roma capta, & diruta fuerat, rebus in dies singulos

Nouell. lib. 2 tit. 12. de Episc. iud.

Ann. Dom. 410.

magis, ac magis in deterius progredientibus, occasione inde sumpta, clades, quæ contigerunt non in ipsa tempora, & conditionem rerum humanarum, quæ sunt fluxæ, & fragiles, sed in Valentiniani leges, & decreta callide reiecisti, quasi hæc, & non alia multa, quæ nota sunt, in causa fuerint, vt Attila, quamuis profligatus esset in Gallia, rursus tamen belli fortunam tẽtare constituerit, & Italiam inuadere. Scimus, Iosiam regem Deo carissimum fuisse, de quo insigne illud extat in diuina scriptura testimonium: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, iuxta omnem legem Moysi: neq; post eum surrexit similis illi.* Et tamen is, qui aras, & lucos omnes nefandæ religionis euerterat, & falsorũ Deorum cultum prorsus aboleuerat, misere periit in eo calamitosissimo prælio, quod intempestiua commisit cum Nechaone Ægyptio rege, qui arma nõ inferebat ipsi, sed Assyriis. Ex nostris etiam Ludouicus Gallorũ Rex, cuius egregia pietas omnium vocibus celebratur, Christianæ Religionis propagandæ studio bis aduersa fortuna, cum Saracenis congressus fuit. Nam primo prælio fusus, fugatusq; est, & insuper captus; altero pestilentiæ vi magnam exercitus partem, & vitam amisit. Et, vt exemplum aliquod de iis afferamus, quos omnium munificentissimos fuisse constat, non modo in ipsum Romanum Pontificem, sed etiam in vniuersum ordinem Clericorum, Ludouicus ille Pius, Caroli Magni filius acerba, indignaque tam multa perpessus est ab iis, quos genuerat, & imperio abrogato in custodiam datus. Ac plerumq; iis, quos Deus acceptissimos habet, & præcipuo quodam beneuolentiæ genere complectitur, res ex voto minime succedunt, immo aduersa, infestaque videntur omnia, vt ex iis, quæ hominibus in hac vita euenire solent, qualiacunq; sint, constare nullo modo possit, actiones susceptæ ab ipsis iustæ ne, an iniquæ sint; proindeq; verum vituperatione dignæ, an commendatione. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

al. obiter.

Transeamus eo, quo nos vocas ad alium legem à Senatu latam, *de non relinquendis Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis bonis immobilibus absq; sua licẽtia.* Dictum est superius à nobis, & Sanctorum Patrum authoritate satis comprobatum, Priuatis hominibus minime licuisse domos, & prædia, quę possidebant, ita in Ecclesiam transferre, vt principes iure, quod habarent in illa defraudarentur, ex quo etiam sequebatur, eosdem de iis ipsis rebus statuere posse, si publica necessitas exigeret, non quatenus Deo sacræ sunt, sed prout humanæ, & ad naturalem finem accommodatæ: Quanto magis igitur consentaneum est, vt iidem statuere possint de iis rebus, quæ adhuc ipsi Deo oblatæ non sunt, & in quas nondum Ecclesia iuris aliquid habet? Licuit vobis eiusmodi legem condere, quæ nihil ad æternam beatitudinẽ consequendam facit, vt bona, quæ ad Ecclesias peruenerint, nunquam alienentur, nisi Pontifice maximo consentiente, idque in euidentem, vt dicitis, Ecclesię vtilitatem, hoc est, cum aliquo fœnore; Et principi non licebit, quod ad conseruandam, tuendamque Remp. plurimum spectat, lege lata, curare, ne à se distrahantur ea, quæ non ita multa supersunt ex immensis erogationibus, & largitionibus, quæ vobis sunt factæ? Centuplo vos maiores facultates, & opes, quam pro numero possidetis, & tamen iis non contenti, quæ adepti estis, pluribus comparandis adhuc inhiatis. Quod si hoc vitium sub ipsa tempora nascentis Ecclesiæ, cum nondum ea tam copiosa, & locuples esset, à patribus notatum est, & acerbissima reprehensione vindicatum, quid eos dicturos fuisse arbitramur his temporibus nostris, quibus fidelium benignitate multo plura collata, & præclaræ, insignesq; opes coaceruatæ fuerunt? Extant ante duodecim secula hac de re querimoniæ apud B. Seuerum Sulpitium: *Leuitis*, inquit, *in Sacerdotium assumptis nulla portio data, quo libentius seruirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitum præterierim, legendumq; ministris Ecclesiarum libenter ingesserim. Etenim præcepti huius non solum immemores, sed etiam ignari mihi videntur. tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido, veluti tabes incessit: inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntq;, quæstui per omnia student. At si qui meliori proposito videntur neq; possidentes, neque negotiantes, quod est multo turpius, sedentes munera expectant atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatẽ. Sed longe, quam volui, digressus sum, dum me temporum nostrorum piget, tædetque.* Hæc B. Sulpitius de temporibus suis, quid autem dicturus esset, si modo viueret? Profecto exclamaret cum Hieremia: *A maiore vsque ad minorem omnes auaritiæ student, & à Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Sed hæc à nobis recitata sunt, nõ quo vitia, quæ inter Clericos vigent, carpere velimus, sed quo legum Venetarum æquitatem aperiamus. Multas, easq; admodum graues iacturas Respub. facit, vbi suis possessionibus, & bonis in Ecclesiam translatis, priuatur obsequiis, & muneribus omnibus, quæ à priuatis personis ei præstari debent, & Principes ipsi, qui ex proscriptionibus, venditionibus, & legationibus ad extraneos multa cõmoda, emolumentaq; percipere solent, iis omnibus vt perpetuo careant, necesse est. Quo fit, vt in multis locis, & præsertim in Regno Galliæ, more, atq; legibus iampridẽ receptum sit, vt æstimatis iis omnibus, quæ Ecclesiæ donantur, tertia pars fisco Regio cedat, iure Morticinii, vt vocant. Quod igitur summi Principes plerique faciunt, & iure faciunt, vt minime gratuitam esse velint acquirendi fundos Ecclesiis potestatem factam, id etiam à Veneta Rep. optimo iure potuisse fieri, quis neget? Non tamen facit, & gratis, vbi opus fuerit, parata est eiusmodi facultatem, licentiamque concedere. Et tu iniquitatis illam arguis, atque leges suas?

Sacr. histor. lib. 1.

At Nicephorus Phocas huiusmodi legem sanxit. Quis hoc ait? Baronius. Vndenam? Ex suo sensu. Itane vero? Planissimum est, & ex iis, quæ superius dicta sunt, euidentissime constat, cum ageretur de lege trium Augustorum, quæ fuit abrogata. Sed faciamus, Nicephorum sanxisse huiusmodi legem, qualem Resp. sanxit, quid postea? Num pendet à legislatore legis iniquitas,

Reg. 4. c. 23.

aut

aut æquitas? Quam multæ leges profectę sunt à bimprobis, imo sceleratis viris, quæ bono publico expediunt, & quam æquissimæ sunt? Si tibi Nicephorus auctor non placet, alii permulti sunt & sanctitate, & prudentia celeberrimi Principes, quibus auctorib. hæc à Rep. decreta sunt. Sanctus Ludouicus Rex id in Gallia statuit, Carolus Magnus in Saxonia, Eduardus III. in Anglia, & Catholici Reges in Lusitania. Viget eadem lex in Arragonia, cæteraq; Hispania, viget in Germania, & in multis Italiæ vrbibus, & oppidis, quin etiam à Sum. Pontificibus non semel promulgata est. Quid quod etiam in hoc ipso genere legem illam de Viduis, Clericis omnibus probrosam, & perniciosam tu vis à tribus Imperatoribus Valentiniano, Valente, & Gratiano, non nisi conniuente Damaso Pontifice, constitutam fuisse? verius dicere poteras; obsequente. Sed esto conniuerit, imo, quod in *Annalibus* tuis probare contendis, author ipse fuerit præcipuus, quod tamen non constat, sed illud tantummodo Imperatores ad ipsum Damasum exemplum legis misisse, & eorum iussu in Ecclesiis promulgatam esse: sed esto, vt diximus, author fuerit, & quidem præcipuus, nunquid Pontifex ipse edixit, & pro imperio iussit? Non audebis hoc dicere. At eam Martianus Imp. amplissime reuocauit. Miramur, cur non dixeris, Pontificem potestate sua irritam fecisse, aut Imp. Martianum coegisse, vt id faceret. Ista quidem inter se duo vehementer pugnant, Damasum huius legis, quam etiam D. Hieronym. *bonum cauterium* appellauit, condendæ primum auctorem fuisse; & propter eiusdem legis iniquitatem tantam cladem ab irato Numine illatam esse, vt Vrbs à Vandalis capta fuerit. Ais, nullam hactenus promulgatam fuisse legem, quæ contra iura Ecclesiæ esset; quin fuerit contrariis legibus abrogata. Ecquis abrogauit? Non alius certe, quam qui iussit. Quanam autem de causa? Audiamus Martianum Imp. superius à te laudatũ, qui sic præfatur: *Sæpe materiam scribendi, ferendiq; legibus negotia inopinato exorta suppeditant, & aut nouas constitutas sanctiones, aut durius, & asperius latas faciunt abrogare. Æqualis enim in vtroq; æquitas est, vel promulgare quæ iusta sunt, vel antiquare, quæ grauia sunt.* Eadem fere dixerat in præcedenti constitutione cum Valentiniano. *Multa in sanciendis legibus non solum sibi vindicat, verum etiam temporis ratio persuadet: non quod præceptorum diuersitas placeat, sed quod euentuum qualitas pensius facit esse iudicium, & firmius constituto robur est, quotiens prioris sententia magis, magisq; probata succedit.* Cur igitur nos ita percontaris stomachabunde, *Stabunt ne leges vestræ?* stabunt sane, Deo propitio, ac iuuante, stabunt; quandiu Reipubl. conducere visum fuerit, & quandiu temporis ratio, & rerum euentus varii iis, qui Reipub. præfecti sunt, persualerint, ipsas nonnihil immutandas, aut etiam antiquandas esse. Cæterum maledictis illis, quæ de more iacis, minime respondendum arbitramur; propterea quod contra iura Ecclesiæ nihil est actum, vt ipse calumniaris.

An. tom. 4. Anno Domini 370.

Ep. 60.

C. Theod. Novell. lib. 3. tit. 6.

Sed ad eas literas veniamus, quas ad Patriarchas, cæterósq; Pręsules Ecclesiasticos, qui Venetæ ditionis essent, Senatus dedit, & ostẽdamus, quanta cum iniuria reprehenderis, atq; exagitaris. Illa quidẽ conciliandæ beneuolentiæ est egregia ratio, qua tibi viam probe munis; exprobratio beneficiorum, & eorum præcipue, quæ recens à Sede Apostolica in Remp. profecta dicis. Quid quod & Ducem, & Senatum arguis, atq; condemnas animi parum memoris, atq; ingrati crimine? Quid a. diceres, nisi consignata publicis monumentis extarent, & celebris admodum esset apud omnes eorum memoria, quæ pro Catholicæ fidei propagatione, & pro huius sedis amplitudine à Venetis sunt gesta? Vetera omittamus, neq; enim contendere in præsentia volumus, & illud pugnare, vtri superiores beneficiis sint; siquidem pauciora non rependit Resp. quam à vobis acceperit; idq; dissimulare hoc loco tuæ ingenuitatis non erat. Sed videamus cuiusmodi sit id, quod nobis obiicis de auxiliis à Pio V. Pontifice, cum bello Turcarũ premeretur, proxime allatis. Causa quidem communis agebatur Christianorum omnium, quibus prospicere Summi Pontificis partes erant: Sed pręcipua causa Pontificis non minus, quam Reip. si quidẽ Veneta classe deuicta, atq; profligata, si Turcæ in intima hæc maria penetrassent (quod pro immensa sua benignitate Deus auertit) quid Pontificiæ ditionis oppidis factum esset? imo vero quid Romæ ipsi, ceteræq; Italiæ? Has ergo clades anteuertere, & imminentem hostem arcere ab Italia nonne Pontificis intererat, atq; eo magis, quo maior illi iactura subeunda erat? Non enim amittendi principatus periculum tantum impendebat, sed, quod multo pluris faciendũ erat, authoritatis illius, & iurisdictionis, quam habet vt summus Ecclesiæ Pastor in Christianum gregem, quo vel amisso, vel in teterrimam seruitutẽ abducto, quid reliquum fuisset ipsi Romano Pontifici? Define igitur obiectare Venetis ea, quæ communibus viribus, & pro communi defensione in publico Christianæ Reipubl. discrimine sunt peracta: quandoquidem neque vobis beneficii loco Veneti ducunt id exprobandum, quod non exiguo duorum, vel trium annorum curriculo circumscriptum est, sed longissima tot annorum serie continuatum, suis vigiliis, impensis, & laboribus fieri, vt vos ab incursionibus hostilibus, & periculis tuti, vel in vtramuis aurem dormistis. Quod autem addis *ob immensam Pontificis beneficentiam, & munificam erga Venetos largitatem Ecclesiam vel adhuc oberatam effetam, vt æris alieni dissoluendi reliqua sit nulla spes:* rationes, quæ in Codicibus extant accepti, & expensi apertissime docent, vtrum ad id bellum pecunię tantum contuleritis, quantum ex formula fœderis debebatis. Quod si tunc propter inopiam ærarii Pontificii aliquid æris alieni fuit à vobis conflatum, miramur, id hactenus dissolutum minime fuisse, cum præsertim ex iis, qui Pio V. successerunt, Pontifices aliqui, vt fama celebris est, ingentem auri vim ærario publico ingesserint. Certe vitio, aut culpa Reipublicæ factum nunquam est, vt vos nomina vestra nondum expedieritis. Impendia, quæ sustinere ipsa coacta fuit, vt expleret ea, quæ istinc dẽfuerunt, æquo

animo

animo tulit. Et quamuis à Pontifice non fuerit ad id fastigium euecta, quo Carolus Magnus, ita tamen ipsa etiam animata fuit, vt quæque grauissima imposita sibi pati non recularet: Et ille quidem quam firmissimis opibus innixus, & sua amplitudine satis, superque tutus aduersus omnem vim, quæ posset alicunde inferri, ab Apostolica sede impositum iugum ferendum prædicabat, etiam via ferēdum; Non tamen ipse via ferenda vnquam tulit, quinimo cultus à Pontifice summis obsequiis, gerere cuncta poterat arbitratu suo: Resp. autem, quicum agitur longe alia ratione, multa grauia, multaque aspera perpessa fuit, & via ferenda quidem tolerare potuit, quæ vero nullo modo ferenda sunt, perpeti nullo modo debet.

Dicis, *ad salutem, non ad interitum promulgatum in eius Præsides fuisse de illata excommunicatione decretum*: imo non solum nobis ipsis, sed etiam bonis omnibus persuasum est, si omnes Inferorū Furiæ in vnum coissent, vt à diuino cultu hanc vrbem, imperiumq; Venetum abducerent, non potuisse deterius ab illis consuli, quam fuerit à vobis consultum. Et audes dicere, ad animarum salutem decretum excommunicationis à vobis promulgatum esse? Si de animarum salute solliciti essetis, temere non coniiceretis illas in tam apertū discrimen, & caueretis illud, quod D. Augustinus inprimis cauendum præcipit, *Lib. 2. de serm. Dom.* *nedum consulere aliis videri vultis, vestrum emolumentum ibi potius, quam illorum vtilitatem attendatis.* Equidem nihil hoc tempore agitur de iis, quæ spectant ad æternam salutem, sed tantum de quibusdam emolumentis, & commodis vestris, quæ, nescimus, quo spiritu, & quo zelo ducti, non modo publicis omnium commodis ducitis anteponenda, sed etiam, quod lachrymis dignum est, ipsi æternæ saluti; & dummodo id, quod intenditis, obtineatis, tot animarum millia in perniciem trahere minime veremini. Vtinam cogitatio hæc hæreret in mentibus vestris, profecto tam faciles non essetis ad excommunicationis, aut interdicti sententiam proferendam.

Quod autem præcipuis contumeliis exagitas Ducem nostrum summa integritate, atq; innocentia singulari præditum, cuius eximia virtus, & pietas erga Deum, & patriam multis clarissimis documentis spectatissima est, quem Deus hoc tempore ad gubernacula Reip. destinauit, vt esset, qui pro tuenda eius dignitate, & salute iugiter excubaret, & qui omnes motus, conatusque aduersariorum acerrime prohiberet, more tuo id facis, qui maledicere potius, quam benedicere assueueris. Contumax minime est, qui se, suaq; defendit, sed superbus, & iniurius est, qui iura alterius inuadit, cui concedere ignauiæ, resistere autem constantiæ, & fortitudinis est. Quare illud ex diuinis Oraculis, quod contra Ducem ipsum attulisti, *Sedes Ducum superborum destruxit Deus.* vide, ne contra vos ipsos potius sit. Nam vbinam sedes Ducum superborum, nisi in ea vrbe, quam Sibylla in suis carminibus ὑψαύχενον appellauit; *Cap. 25.* & de qua in Esaia scriptum est: *Et terram gigantum detrahes in ruinam.* *Cap. 18.* Et etiam in sacra Apocalypsi: *Quantum glorificauit se & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. quia in corde suo dicit: sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.* quem *Comm. in Hierem. c. 22* locum ita explicauit Abbas Ioachimus: *Sedet vtiq; regina per imperii gloriam, & vidua non est per Pontificii gratiam, & luctum non videt per vtriusq; protectionis instantiam.* Idem quoq; recenset causas diui- *Ibid. c. 24.* ni iudicii his verbis: *Non ambigo, quin sit futurum, quod ira Dei veniat super Ecclesiarum Rectores, & Præsides pro eo, quod Dei seruitium non solum impediunt, sed etiam adulterant verbum Dei.*

Sed, his omissis, exempla ponderanda sunt, ad quæ nos prouocare instituisti. Primum est illud Bonifacii Comitis, qui à D. Augustino petitus est anathemate; Propterea quod hominem confugientem ad Ecclesiam, è liminibus raptum, detruserat in carcerem. Eiusmodi ne criminis à te Dux atq; Senatus arguitur? Non certe, inquies. Cur ergo rem vsurpasti à nostra causa alienissimam? *Vt ostendam*, inquis, *quantopere minorum quoq; Episcoporum sint reueriti summi Duces vtcumque latas excommunicationis sententias.* Si hæc ita gesta sunt, prout narrantur, expedita responsio, Bonifacium Comitem pendere omnino solitum à nutu D. Augustini, cui non modo deuinctus erat quam familiarissimo obsequio, sed etiam eius monitis, ac præceptis informandum ita se tradiderat, vt nefas existimaret, quicquid imperatum esset, ab eiusdem auctoritate, cōsilioq; discedere, quod cum D. Augustinus non ignoraret, vt viri pietatem, & tolerantiam magis exerceret, iure imperii, quod habebat in ipsum, vti libere voluit. Quanquam huius historiæ fides nutat aliqua- *Bar. annal. Tom. 5 anno Domini 422.* tenus. Nam illa epistola, quæ ascribitur D. Augustino, vna ex illis est, quæ, nō satis liquet, an à D. Augustino fuerit conscripta: id, quod etiam, ipse testaris. Et profecto ad id persuadendum suppetit cōiectura sane quam efficias. Nam cum Theodosius vna cum filiis Arcadio, & Honorio Au- *C. Theod. lib. 9. tit. 45 de his qui ad Ecclesiā cōfugiunt.* gustis sanaisset, vt debitores, qui ad Ecclesias confugerant, ilico à latebris extraherentur, aut si, quem Clerici defendendum susciperent, debitum pro eo soluerent: Manifestum est id, quod etiam tu refers, D. Augustinum vigore huius constitutionis compulsum defendere id, quod debebat quidam Fastius, propterea quod ipsum confugientem ad Ecclesiam texerat. Quod si debito- *Bar. annal. tom. 4. anno 392.* res ab Ecclesiis abstrahere ius erat, quanto magis homines sceleratos, & morte dignissimos, cuiusmodi erat ille, quem Bonifacius abstraxerat?

Bar. tom 5. anno 396. Hic obiicies; sat scimus; exemplum D. Ambrosii, secundo loco à te propositum, qui vltionem impetrauit à Deo contra milites illos, qui Cresconium vi raptum ab altari diuulserant. At enim id facinus perpetratum constat in contumeliam, & contemptum Catholicæ religionis: Nam Duces militum Arriana perfidia erant imbuti, ideoq; Ecclesiam Catholicam contaminare, & violare aggressi, D. Ambrosium, & omnes clericos, qui obiectis corporibus, supplicem tegebant, insolentius habuerant.

Tertium

Tertium exemplum de Andronico preside Pentapolia in Ægypto miramur, quonam consilio à te fuerit prolatum. Ille non modo sontes, sed innocentes etiam exquisitissimis torquebat suppliciis, & inusitato quodam tormentorum genere vtebatur, vt doloris sensum multo acerbiorem faceret, &, quod nefandissimum est, cum re ipsa, tum verbis in Christum conuicia iactauerat. Horum criminum compertus merito à collecta Synodo damnatus est, & anathemate percussus. Prætermittere igitur poteras huiusmodi exemplum, sicut etiam illa Imperatorum Philippi, Theodosii, & Friderici, quæ toto, quod aiunt, cœlo à te proposita distant. Et quoniam Dux ipse in suis literis conquestus est, & quidem optimo iure de austeritate Pontificis, quod legatum Reip. à se nõ auditum dimiserit, plus, inquis, illi tributum, quam oportuisset: Nam etiam in conspectum suum non admittere legatum potuisse Pontificem, exemplo Nicolai, qui prohibuit Lotharium Regem, ne Romam veniret: & Alexandri III. qui repulit legatos Regis Angliæ, missos ad excusandum Regem de nece illata S. Thomæ Cantuatiensi Archiepiscopo. Nolumus in præsentia disquirere, An Pontifices hi, quos commemoras bene, an male se gesserint. Forte atrocitas criminum, quorum hi Reges arguebantur, eiusmodi seueritatem exigebat propter aliorũ exemplum, & etiam Nicolao Pontifici iusta metus causa, Alexandro vero suspicio fraudis non deerat. Quomodocunq; res se habuerit, hæc insuper tibi dicta sunto. Primum cum de iis, quæ spectant ad summum finem Regiæ potestatis, quod est bonum publicum, leges à Senatu sancitæ, & editæ fuerint, eas non eguisse Pontificis maximi authoritate, qua comprobarētur; nec aliud opus fuisse, nisi vt de earundem æquitate ipse doceretur, id quod orator Reip. facturus aduenerat. Deinde etiamsi de his rebus Pontifex aliquid cognoscere, vt iudex debuisset, illud conuenire inter omnes, iudices illos minime laudandos esse, quinimo reprehendendos, qui, re nõ satis perspecta, sententiam ferunt; celebrisq; est vox illa, *Qui aliquid statuit inaudita altera parte, licet æquum statuat, haud æquus est.* Constituerunt id Ethnici, à natura tantum informati, & nos, qui Christianæ religionis præceptis instituti sumus, & aspiramus ad ea, quæ naturam multum excedunt, deteriores illis apparere volumus, & magis cum à prudentia, tum à iustitia remoti? Maximus autẽ Pontifex, si quis alius, facilè cunctis aditum, atq; aures præbere debet. Primo quia Christi Domini patientiam, & benignitatem quam maxime refert; Deinde quia supremum iudicem agit; Nam si minores iudices per imprudentiam, aut inconsiderantiam aliquid egerint, potest id facile per maiores corrigi, & emendari. At sanari vix potest, si quid perperam statuat is, penes quem summa est authoritas iudicandi. Quapropter non minus vere, quam grauiter à Leone magno Pontifice dictũ est: *Nos, qui Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus, incognitis rebus, cuiusque partis* [*Epist. 8. ad Flauianum*] *in præiudiciũ definire, quæ gesta sunt veraciter audiamus.* At, inquis, *Legatus vester à Pontifice auditus fuit.* [*Nic. Pap. ep. 9.*] Quonam modo auditus? Vt iustis rationibus, quibus ita decretum fuerat, diligẽter expensis, atq; examinatis, prout res exigebat, ab incepto desisteret? Atqui Põtifex ipse apud se rem iamdudum constitutam, & deliberatam habebat, idque palam prædicare, & denunciare veritus non fuerat, antequam audiret, neq; vero audire sustinuit præter oppido pauca, potiora neglexit. Quis hæc æquo animo ferat, aut non vehementer expostulet? Liberis hominibus id concedi solet, vt si minus cætera, vox saltẽ libera sit, qua possint animi sui sensum declarare: Vnus est Baronius, qui ne hiscere quidem iubet. Sed tacere, quæ vera sunt, nec possumus, nec debemus. Pontificiæ amplitudini tantum deferimus, quantum à Christianis hominibus deferri debet: Sed agitur honor; dignitas, & existimatio Reip. quæ si priuatus quispiam negligere citra culpam non potest, quanto minus ii, qui publicam personam gerunt, & in quos omnes oculos, atq; ora conuertunt? Agitur etiam salus cunctorum ciuium, quorum commodis inseruire, & inuigilare Principis munus est, quod recusare non licet. Dux igitur iniuriosus non est in Pontificem, si præiudicia, quibus grauiter læsus fuit, ab ipso facta de Republica modeste conqueritur, &, si nimia celeritate dicit, eum præcipitasse sententiam, videndum est, idne vere dixerit, an falso, non illico reprehendendum ea tantum de causa, quod dixit. Sunt hæc læuissima præ iis, quæ D. Cyprianus in Stephanum Pontificem non modo dixit, sed gessit; Et tamen Diuus Augustinus prædicat non ideo [*Libr. 2. contra Don.*] à charitate ipsum excidisse, tametsi agebatur eo tempore de rebus iis, in quas Pontifex ipse habet præcipuum ius, & authoritatem, nempe de sacramento Baptismi. Porro licere vis, idque probare contendis, nullo plane seruato iuris ordine Pontifici summo quamlibet sententiam ferre, idque definis Nicolai Pontificis authoritate. In compertis fortasse criminibus; at in iis, quæ dubitationem non obscuram habent, & ambigua sunt, id minime licet: multo minus in iis, quæ, iustæ reprehensioni minime obnoxia, patent cuilibet, & ad sensum exposita sunt, cuiusmodi sunt ea, de quibus Dux, & Senatus reprehenditur. Nicolaus sane Pontifex, quo tu authore vsus es, cum Diui Gregorii sententiam quandam recitasset, hæc eidem subiicit: *Sed quid hoc exemplo, nisi nos admonemur, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa iudicemus, ne qualibet male audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus,* & cætera, quæ late ibidem, atque alibi prosequitur; ex quibus concludere est, non semper summo Pontifici licere (id quod tu vis) si quomodocunque rem perspectam habuerit, nullo seruato ordine iudiciario, ad excommunicationis sententiam procedere; Quod si omnia Pontifici licent sine vllo discrimine, quidni etiam liceat Naturæ iura peruertere, & quod iniquum est, id quam æquissimum reddere? Sanctus ille Iob caput suum deuouebat his verbis: *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea cum disceptarent aduersus me.* Baronius [*Cap. 31.*] autem

autem Pontifici auctor esse voluit, vt ne mancipiorum quidem loco Ducem, & Senatum haberet. Sed iam ad eum locum venimus, in quo tu malos Tragœdos imitatus, vt est apud Horatium:

Art. poe.

Proiicit ampullas, & Sesquipedalia verba.

Nimirum *ab exordio nascentis Ecclesiæ ab iis, qui se Catholicos profitentur contumaciores literas datas non fuisse.* Probare intendis, non licuisse Duci iudicare summum Pontificem, sed eo non peruenis, nisi longissimo verborum circuitu, & anfractu; ideoq; exaggerationem satis amplam instituis, atque ita gradatim pergis. Nō licet tibi iudicare Clericum, quomodo Diaconum, vel Sacerdotem? Quomodo Episcopum? Quomodo vero Archiepiscopum, & Patriarchas? Hanc vero exaggerationem tam bellè factam vtrinque munis & à fronte, & à tergo authoritatibus diuinæ scripturæ, & sanctorum Patrum, quæ contemptores acerbè damnant, & execrantur; contempsisse autem Ducem minime demonstras, neq; vnquam demonstrare poteris, quicquid moliaris. Nam si quicumque non paret, etiam contemnit, nulla erit iussio tam peruersa, & iniqua, cui non sit obsequendum: Sed in eodem luto tu semper hæsitas, & de more id, quod esset probandum, quasi certum assumis. Hoc igitur tanquam vallo sublato, quod circumduxisti, exaggeratio tua quam facillime corruet. Quid ais, non posse à summis Reip. magistratibus iudicari vel minimum Clericum? satis multa superius dicta sunt à nobis in hanc sententiam, & firmissimis argumentis comprobatum, non ad alios, quam ad eos ipsos pertinere vniuersa iudicia; quamuis grauissima crimina tantum sibi reseruauerint, cætera vero Episcoporum iudicio permiserint, idq; nulla necessitate, sed pietate adducti, vt Ecclesiasticas personas magis honestarent; neque vero Principes ouium numero tantum sunt habendi; sunt etiam ipsi Pastores: Quid enim tam frequens occurrit in carminibus omnium poetarum, quam illud: ποιμένας λαῶν. Et hi quidem vos omnes tam multis seculorum ætatibus præcesserunt, quot ab orbe condito numerantur vsq; ad Christum natum, cuius consilii non fuit recte constituta euertere, & detrahere Principibus aliquid ex eo, quod haberent. Quapropter manet adhuc illis suum ius plane integrum, neq; pastores esse desinunt ex eo, quod facti sunt oues, quemadmodum & vos, quod Pastores creati estis, non ex eo simul oues esse desiistis: Nam potestates discretæ sunt, & aliud est vestrum Forum, aliud vero Principum, vt superius ostēdimus: mirum autem est, tam latum discrimen à vobis non videri, qui polletis aliquoqui tanta ingenii acie, vt nonnunquam secernatis ea, quæ distingui vix possunt. Possumus equidem exclamare, O tempora, ô mores! D. Gregorius Imperatores *Dominos suos* appellabat, eidemque omnia tributa fuisse, affirmabat, & concessum à Deo, vt non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus dominarentur: imo Christum quoq; ipsum ita cum Imperatore loquentem inducit: *Sacerdotes meos tuæ manui commisi.* Vos autem, Christi auctoritate posthabita, animis supra quam dici potest elati, & inflati recusatis omnino, & abiicitis Principum imperia, neque sustinere vultis, vt aliqua vobis ratione præsint, quasi turpe, atque omnino indecorum sit, iis debita obsequia præstare, quibus diuino iussu præstanda sunt, & sacerdotes Christus voluerit instituere non ad specimen, & documentum humilitatis, sed contumaciæ, & superbiæ.

i. pastores populorum.

Epistol. 64. lib. 2.

Ep. 61. li. 2.

Cæterum iam peruenimus ad summū exaggerationis fastigium. Audet ne, inquis, Dux vester Christi Vicarium iudicare? Antequam aliquid respondeamus, quærimus à te, An Apostolorum Principem Paulus iudicarit, quando non modo ipsum commonefecit, sed etiam eidem in faciem obstitit? Iudicauitne Ioannem Pontificem S. Ignatius Constantinopolitanus Antistes, propterea quod ei non paruit, & à suscepta prouincia non destitit, licet anathemate intento ab ipso Pontifice, cuius hæc sunt verba: *Porro si intra triginta interuallo dierum omnes, quos vel tu, vel Episcopi tui consecrasse in aliquo gradu putantur ecclesiæ à totius regionis Bulgariæ terminis non eduxeris, & temetipsum ab omni ecclesia illius iure diœcesis non subduxeris; tamdiu sancto corpore, & pretioso sanguine Domini nostri Iesu Christi post duos menses à die numerandos, qua huius epistolæ tomum acceperis, esto priuatus, quandiu his obstinatus decretis nostris minime obedientiæ colla submiseris. Iam vero si pertinaciter, &c.* Tu quidem fateris, D. Ignatium non peccasse, quamuis Pontifici non obtemperauerit; & causam affers, quod iura suæ ecclesiæ conseruare omnino debuerat, & pollicitatione solemni obstrictus, & iureiurando: neque vero id prætermittere poterat, nisi æternæ vitæ dispendio. Hæc eadem Dux in præsentia dicit, atque palam fatetur, commoda, existimationem, & salutem suorum ciuium, quæ suæ prouidentiæ à Deo commendata sunt, à se non potuisse absque nota negligi, qua præclara conscientia sustentatur, neque horret execrationes sibi iniquissime impositas. Quid ais eum velle iudicare summum Pontificem? Aliud est, aliquid agere pro tribunali tanquam cognitor, & iudex; aliud, si quid minus recte ab aliquo constitutum est, id conqueri, & enunciare. Nunquid summus Pontifex errare, & labi non potest in ferenda sententia? Id vero omnes Theologi pro certo affirmant, & res ipsa loquitur: refertissimæ sunt enim historiæ eiusmodi exemplis. Hæc omnia si iudicia sunt, vt tibi videntur, negari non potest, quin etiam Duci licuerit ita iudicare Pontificem, idq; eo magis, quo maiora sunt incommoda, & detrimenta, quibus affecta est Respublica ex eo, quod præcipitanter egit. Hactenus dictum est in genere de litteris Reip. quas tu *contumaciæ plenas, & contemptu refertas*, vocasti.

Bar. annal. tom. 10. an. Dom. 878. Ioan. Papæ. cap. 78.

Superest, vt singula capita examinentur, quæ à te sunt reprehensa. Non enim omnia recenses, sed, data opera, prætermittis ea, quæ maxime faciunt ad rem nostram, illa vero commemoras, quæ à cæteris diuulsa, offendere pias aures aliquatenus videri possint. Sed Citharœdorū more, antequam canere incipias, ad aures præparandas præcentionem adhibes: At non scite, nec

apte.

ăpte. Nam eadem chorda semper oberras, vt ille apud Horatium. Ais *per Ducem, atque ministros*

Ars poet.

Reip. perperam multa perpetrata esse; quæ diu, multumq; dissimulata fuerunt ab Apostolica sede. Nullum certum crimen profers, personis, locis, atq; temporibus distinctum: sed summa quædam attingis, *Perlatas fuisse Romam iugiter querelas de dira persecutione Episcoporum, de foro Ecclesiastico intercepto, de expilatis bonis Ecclesiarum, de inuasis Ecclesiis, & violato sacro Asylo, de contemptu literarum Apostolicarum, præsertim autem bullæ in cœna Domini promulgari solita, de verbis contumeliosis, & scommatibus iactis in Sancta Rom. Eccl. clerum, imo in ipsum summum Pontificem.* Adeoque hanc hyperbolem auges, vt dicas, *si ex sacrorum præscripto canonum res agendæ fuissent, guttas pluuiæ superatura fuisse fulmina anathematis.* Quid potest vel acerbius, vel atrocius dici? Declamare videris in Neronem aliquem, aut Iulianum Apostatam, non Parænesin scribere ad aliquam Christianam Rempubl. Vt congeras licentius maledicta, comminisceris ipsa crimina; neque vero te pudet, id ætatis, & dignitatis hominem tam aperte mentiri. Argumenta vero non longe petenda sunt. Coargueris tuo ipsius testimonio. Meministi ne quod initio tuæ adhortationis dixisti, dum Senatum compellares his ipsis Apostoli verbis: *Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire?* Si antequam hæc controuersia incideret ii, qui Remp. administrant, currebant bene, idq; tuo iudicio, quomodo rei tot tantorumque criminum esse poterant? Falsa igitur ea sunt, & pleraque à te conficta. Nam si quis est à Rep. vel exilio, vel alia pœna mulctatus ex ordine Ecclesiastico, id non religionis odio factum est, aut aliquo contemptu, sed quod res ita exigeret ex præscripto iustitiæ, quam exercere in quoscunq; homines facinorosos, præcipue vero in factiosos, & seditionum authores ad ipsam Remp. pertinet; cætera vero quæ longa serie numerando percenses, sunt commenta, & mendacia; non enim Resp. Ecclesias compilauit, & contaminauit: si quid compertum habebas, edere te oportuerat, non calumniari.

Gal. 5.

De contemptu literarum Apostolicarum, & bullæ in cœna Domini promulgari solitæ, iure nihil potest obiici, vel reprehendi. Neque enim à Senatu Veneto quicquam fieri solet, quod à cæteris Christianis, Catholicisque principibus effici non soleat: hos autem nihil agere pro certo habendum est, quod æquitati non congruat, & rationi non sit consentaneum. De scommatibus, & dicteriis, vnde id tibi constat? ex rumoribus vulgi? At his adhibere fidem leuissimæ mentis est. Ad nos etiam multa perlata sunt, quæ istic in nos iactari solent, & tamen his non mouemur, quia despicienda, & pro nihilo putanda sunt, vt lex prudentiæ nos docet.

Verum hic prætereunda non est singularis inconstantia tua. Paulo ante dixeras, & subinde vsque ad nauseam repetis, & inculcas, non licere alicui de summo Pontifice sententiam ferre, & tamen pro summa tua grauitate, atq; sapientia audes improbare, & damnare actiones nō vnius, sed multorum sanctæ memoriæ Pontificum, quos non obscure torporis insimulas, atque negligentiæ, non minus in Pontifices iniquus, & iniuriosus, quam in Remp. fuisti. Libet igitur verba, quæ aduersus eam protulisti in teipsum conuertere. Vnde tanta tibi auctoritas, vt iudices non modo vnum iudicem vniuersorum, sed multos pariter iudices? Hoc vero testimonium præclarum est innocentiæ suæ, neque enim passi fuissent sanctissimi viri, quales non modo nomine, sed re quoque ipsa fuisse multos nouimus ex iis, qui præcesserunt, vt impunita, atque inulta essent tot, tantaque crimina; siquidem iis Respub. obnoxia fuisset.

Veruntamen his maledictis non contentus, quæ in eam effudisti, pergis adhuc insectari Principem nostrum, quem non satis habuisti superbiæ, contumaciæq; accusare, sed etiam, quod omnes piæ aures plurimum horrent, blasphemię, atq; impietatis nomine condemnas. Sic autem id colligis. *Dux ait, sententiam excommunicationis à summo Pontifice latam esse contra omnem rationis formam, diuinamq; scripturam, ac doctrinam Patrum, & sanctos canones, insuper esse iniustam, indebitam, nulliusq; momenti. Ergo blasphemus & impius est.* Vt eiusmodi consecutio fidem mereretur, necesse erat alterutrum comprobare, aut in genere nihil tale vnquam à summo Pontifice proficisci posse, aut speciatim hanc sententiam Pontificis talem non esse, qualem Dux ipse prædicat. Neutrum tamen facis, sed præter inanem verborū strepitum nihil affers, nisi forte Rabsacis literæ aliquid efficiunt, quas ille in hanc sententiam scripsit ad Ezechiam: *Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam; neque dicas, non tradetur Hierusalem in manibus Regis Assyriorum,* ita, vt hoc modo texenda sit ratiocinatio. Rabsaces scripsit, Ezechiam non euasurum manus Regis Assyriorum, etiamsi Deus ipse vellet, & conaretur ipsum liberare: Ergo Dux Venetorum est impius, & blasphemus, vel, Ergo Pontifex non tulit indebitam, & iniustam sententiam. O egregiam Dialecticam.

4. Reg. 19.

Non dissimilis est altera, quę huic proxime succedit ratiocinatio. Excommunicationis sententia non caruit authoritate pronuntiantis, nec alia necessaria ei defuerūt ad actum legitimum conducentia. Ergo dici non potest nulla, vel iniusta. Singulæ partes, & conditiones erant euoluendæ, explicandæ, illustrandæ, tu tamen omnes inuoluis, obscuras, & compingis in illud, *Et alia, siue & cætera,* more Tabellionum, atq; in ea re, quæ caput controuersiæ continet, plane mutus es, in ea verbosissimus, quæ comprobatione non eget. Inutilem sumis laborem, vt ostendas authoritatem, quā habent Rom. Pontifices à Christo Domino fuisse collatam, innumera testimonia S. Patrum, quibus nos persuadeas, in medium affers, quasi vero id à nobis in dubium reuocetur, & vltro Dux, & Senatus ipse non profiteatur, *Velle se in sancta fide catholica, & Apostolica, atque in obseruantia erga Sanctam R. E. persistere, & perseuerare, quam sui maiores à prima huius ciuitatis origine hucusque, diuina comite gratia, & sine vlla intermissione coluerunt.* Hæc si à te non fuerunt animad-

In liter. Ducis ad Præsules datis.

uersæ inconsiderantiæ; si non intellecta ignorantię, si non expensa, vt par erat, imprudentiæ, si vero de industria prætermissa sunt, improbitatis, & malitiæ cuiusdam fuit. Nihil est in literis, quod, vt tu calumniaris, impietatem, & contemptũ oleat. Sed vniuersa, quæ inibi scripta sunt erga sanctam Apostolicam sedem testantur obseruantiam summam, atq; reuerentiam, præcipueque erga sanctissimum, qui in illa sedet hoc tempore, Paulum V. quem debita veneratione prosecuta est Veneta Resp. & plurimi semper fecit ob eximias, & egregias animi virtutes, vnde etiam apud barbaras, & remotissimas gentes, nedum apud Christianos expectationem initio sui Pontificatus summam excitauit. Vtinam vero tam facilem se non præbuisset ad fidem adhibendam inuidis, atque obtrectatoribus, qui nihil aliud student, quam discordias serere, atq; huic peruersæ cupiditati religionem obtendunt. Sed certo speramus, atq; confidimus, aliquando fore, vt mentem, atque sensum horum hominum, quisnam sit, intelligat, & quo spectent eorum studia, atque omnes conatus, & te ipsa comperiat, optimos, sanctissimosq; Pontifices, quotquot ante se fuerunt, non torporis, atque negligentiæ, vt eos insimulas, accusandos esse, quin imo prudentiæ, & æquitatis laude mirifice commendandos.

Vidimus hactenus tuum acumen in dialecticis, nunc quantum rei grammaticæ sis peritus cognosci poterit. Vt ostenderes, quanti sit criminis despicere sententiam excommunicationis (quamuis ea res nihil Ducem, & Senatum attingat, qui non despiciunt) ea Epistolis D. Gregorii decerpsisti quoddam testimonium, sed eius mentem, atq; sententiam non es assecutus, deceptus homonymia vocum: *Anathema & anathematizare*; quæ minime eo loco sonãt id, quod vulgo solent, nimirum communione fidelium interdicere, sed aliquid tanquam falsum detestari, & abominari, idq; nonnunquam etiam iureiurando interposito. Non alia certe apud D. Gregorium illorum verborum est vis, atq; notio. Comprobatur id manifestissime ea his, quę scripsit ibidem paulo superius. *Vestra*, inquit, *excellentia potest, protegente Domino, prauorum hominum scandala cum magna tranquillitate declinare: Priores enim eorum vobis secreto vocandi sunt, atque ipsis ratio reddenda, & peruersa quædam capitula, quæ teneri existimant, coram ipsis sunt anathematizanda, quod si etiam, sicut dicitur, dari à vobis anathema ficte suspicantur, etiam iureiurando firmandum est, vos nunquam eadem Capitula tenere, nunquam tenuisse.* Sed libet hanc ipsam rem aliquantulum enucleare, vt manifestior fiat. De Theotista quidam falsi rumores disseminati fuerant, quasi non bene de fide catholica sentiret, qua ea re multi fideles offensionem non modicam contrahebant: Angebatur Theotista vehementer, & ea cruciabatur: Diuus Gregorius illi author est, vt ad scandalum euitandum accersat præcipuos ex eis, qui fuerant offensi, & coram ipsis anathematizaret, hoc est, detestaretur ea, quæ sibi imponebantur. Erant autem capita quatuor, quę his ipsis verbis à D. Gregorio commemorantur. *Dicebatur*, inquit, *contra eos, quia sub obtentu religionis coniugia soluerent, & quia dicerent, quod baptisma peccata penitus non auferret; Et si de iniquitatibus suis quis in triennium pœnitentiam ageret, postmodum ei peruerse viuere liceret; & quia si compulsi aliquid, de quibus reprehendebantur, anathematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri.* Quis hic non videt, anathematizare nihil aliud significare, quam auersari, vel palam detestari; & anathematis vinculum nullum aliud esse, quã obligationis vinculum, quo se quis obstrinxerat, anathematizando, hoc est, palam detestando? Immoratur paulisper D. Gregorius in singulis his capitibus explicandis, atq; refellendis, ita præfatus. *Et si sunt, qui certissime talia sentiunt, vel tenent, quia Christiani non sunt, dubium non est, eosq; & ego, & omnes catholici Episcopi, atq; vniuersa Ecclesia anathematizemus:* tribus igitur primis explicatis, & confutatis, ita quartum aggreditur. *Si vero sunt, qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate si anathematizatus fuerit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt*; & alia, quæ tu deinceps prosecutus es. Confer, Baroni, hæc ipsa verba cum superioribus, & videbis de iisdem plane rebus accipienda esse, hoc est de detestatione aperta, & execratione, quæ res postremo capite continebantur. Quomodo igitur hæc de censura excõmunicationis interpretatus es, & expressisti sententiam à D. Gregorio prorsus alienam? *Obtentum necessitatis non sufficere, vt quis inualidam, vel nullam fuisse excommunicationẽ dicere possit, quo eam contemnat.* Sed errorem errore cumulas. In ora libri adnotasti epistolam IX. Nicolai Pontificis, vt adhiberes eum testem istiusmodi interpretationis, & tamen Nicolaus Pontif. ne attingit quidem ea verba: *Si quis necessitate impulsus*. Verum iis omnino prætermissis, quippe quę sciret de excõmunicatione intelligi nullo modo posse, axioma tantũ illud cõmune sumpsit, quod à D. Gregorio fuerat vsurpatum, vt refelleret postremum ex quatuor erroribus dictis. Axioma autẽ eiusmodi est: *Omnia ligamenta S. Ecclesiæ valere, & certã habere vim obligandi, donec quis ab illis per eandem soluatur*: ex quo Põtifex collegit, etiam excommunicationem, quæ sit certum quoddam, & præcipuum genus ligamenti, siue obligationis valere, nec vllis conatibus solui posse præter quam absolutione. Vt tamen eiusmodi ligamenta valeant, necessario requiritur iusta, & legitima causa, idq; Nicolaus ipse paulo post affirmauit ita loquens de Photio. qui fuerat vinculo anathematis obligatus. *Iam vero si sententia nostra se aut fautores suos iudicat obligatos, & itidẽ se cum eis posse absolui (hoc enim significare videmus, cum epistola nobis directa nos mutare voluntatẽ, consilium, ac sententiam sæpius exhortamur) vtiq; non prætendit iniustitiam, & esse alicuius momenti profecto non dubitat, quæ tum potuit obligare, & à qua se cum fautoribus suis possit absolui, quæ non posset obligare, nisi iusta, cum autem iusta sit, non nisi damnato errore iuste resoluitur.* Hæc Nicolaus Pont. ea quibus animaduertere potes, te duplici errore lapsum; altero, quod sententiã Pont. Nicolai non satis bona fide recitasti, vt ea contra nos abutereris, (q; de more assoles) altero, quod ne

Greg. epist. 39 lib. 2

verba

verba quidem D. Gregorii quid sonent, intellexisti. Hæc fortasse verbosius, quam par erat: sed omnino geminati lapsus admonendus eras, & impertiendum aliquid solatii collegæ illi tuo, quem supra modum excruciari, & plane desperare audimus, eo quod ambiguæ vocis significatione, vt tumodo, falsus, Veneticum Concilium ex vltima Gallia prodigiosissime tradixit Venetias vsque. Audiuimus Nicolaum Pontificem prædicantē excommunicationis sententiam nihil obligare, nisi fuerit iusta. Hoc sui Vicarii iudicium Christus etiā ipse approbauit, quippe qui D. Geltrudi de quodam iniusto anathemate conquerenti in hanc sententiam respondit: *Anathema, quod fuisset impositū absq; iusta causa nihil amplius nocere, quam si quis conaretur cultro ligneo arborem excindere, aut etiam quicquam durius, quod frangi agre posset, in quo nihil aliud remaneat, quam leuissimum quoddam impressionis vestigium.* *Io. Lansp. lib 3. ca. 16. in D. Geltrud.* Habemus igitur in promptu, quid respondeamus ad vulgatam illā sententiam, quam subiicis: *Excommunicationem siue iustam, siue iniustam timendam esse, ac minime contemnendam*, vtpote sententiam excommunicationis esse timendam, hoc est, eam, quæ habet vim, & pondus sententiæ, non quę est irrita, & plane nulla. Deinde esse timendam, hoc est, minime contemnendam, vt tu quoq; explicas, sed non illi parendum: Postremo in priuatos homines connexie, non in summos principes, idq; multis de causis, quæ fusius alibi narrantur. Neq; Theodosij iunioris exemplum nos quicquam mouet, quia totum id, vel profectū est ex quadam nimis bona, simpliciq; mente, vel ex superstitiosa religione, quam tu nominas *scrupulositatem*, aut etiam vt addis, impensum est pietati. Quæ pietas excusari potest, quamuis ab inscitia profecta, propterea quod ad nullum Reip. incommodum redundauit, sed non ad imitandum proponi debet, vbi Resp. grauissima detrimenta perceptura est: si vero aliqua ratione laudari potest, multo magis laudanda erit pietas Senatus cum admirabili prudentia, sapientiaq; coniuncta, vnde etiam licet vtiliter exemplum capere. Vos autem id vnum summe concupiscitis, & obnixe agitis, vt homines pietatis specie imo verius inscitia, cœcaque vecordia ducti censuris vtcunq; latis obtemperent, nulla propriæ salutis, nulla publici boni ratione habita.

Hic aliquantulum intermittis, vt acrius paulo post redeas quasi collectis viribus, ad insectandas Ducis, quas vocas, literas, & eas aggrederis, quas ad subiectos populos Senatum dedisse putas, sed falsum putas, vt superius ostendimus. Verū ne fugę quæsitus locus videatur ad ea respondēdum est, quæ fuerunt illis obiecta Et ne frustra tempus conteramus in iis, quæ à Nicolao summo Pontifice dicta sunt de Epistolis Michaelis Imperat. quarum simillimas plane illas fuisse, nugaris, accedemus ad ea, quæ sigillatim vt confutarentur à te sunt exprompta. Arguis inprimis, quod eæ mordeant clerum, & sugillent pios; Atqui nō sugillat pios, qui carpit improbos, aut impios, nisi forte tu quoq; eodem crimine condemnari velis, qui occasione legis in clericos latæ, *Bar. annal. tom. 4 ann. Dom. 370.* ne quid perciperent ex hæreditatibus viduarum, tam multa disseruisti de astutiis, atq; fraudibus clericorum, quibus captabāt eiusmodi hæreditates, & omnem suam operam, & studium eo conferebant, vt circumuenirent simplices mulierculas. Quod igitur fieri vulgo consueuerat etiam his temporibus, quæ à nascentis Ecclesiæ innocentia, & integritate aberant quam proxime, quid mirum, si dictum est, factitari his temporibus, quibus cupiditas, & auiditas Clericorum eo magis excreuit, quo facultatibus, & potentiis sunt magis aucti? Si sagacitas etiam tum vigebat admixta fraudi, quantas vires existimari debet ab eo tempore sibi comparasse? Si homines, quos fallere procliue erat, tunc minime deerant, quanto plures in præsentia istiusmodi fore, credibile est? quos certe sanctæ simplicitatis nomine donare, & multis laudibus efferre propterea vos iuuat, quod expedit. Hic, quid obiiceres, inuenisti, Anglicanum nescimus, quem conuētum apud nos, vt asseris, haberi solitum. Quid conuentus nomine tibi velis, nō plane intelligimus; explicatius te dicere oportebat. Oratoris fortasse, qui Venetiis commoratur, familiam intelligis. At etiam Venetus orator in Anglia degit, atq; ibi ritu suæ religionis viuere permittitur. Hæc mutua sunt inter principes, necessariaq; officia, sine quibus Resp. administrari, & geri vix possunt. Non abhorruit ab his Catholicus Rex Hispaniarū Philippus, qui proxime decessit. Non abhorruit Carolus eius pater, neq; abhorrent in pręsentia alii multi Christiani Principes, quos commemorare non est necesse. Sed finem maledicendi tu nunquam facis. Impingis etiam Senatui hæresin Manichæorum, qui ab eleemosynis homines absterrebant; Et tamen nullus est tam hospes, tam imperic⁹, qui ignorare possit, q̄ benigna, & liberalis erga omnes pauperes semper fuerit hæc ciuitas, in qua ex fidelium collationib. tam multæ myriades pauperū nutriuntur, tot collegia monachorum, sanctarumq; virginū sustinentur, tot Nosocomiis, tot Xenodochiis alimenta vbertim suppeditantur. Absit inuidia verbo, sed tamen dicendū est. Vtinam vos, qui in conquirēdas opes tam strenue incumbitis, vt pro his quamlibet dimicationem subeundam putetis, tātum pauperibus de eo, quod suum est, erogaretis, quantum de iis, quæ nostra sunt, nos vltro largimur. Quæ à nobis dicuntur non vt te, cæterosque tui similes, Baroni, perstringamus: Nouimus non modo è sacrosancto isto Collegio, sed etiam ex aliis Prælatis, & Ecclesiasticis viris non paucos esse, qui summa sunt erga pauperes charitate, suasq; facultates non impendunt, nisi in ea, quæ decent. Ducis, atque Senatus consilii nunquam fuit bonos vituperare, & vno fasce iustos comprehendere cum iniustis, id, quod obiicis; sed, ne suspicionis locus amplius relinquatur, palam fatemur, quicquid vel in iis literis, vel etiam in hac Antiparænesi dictum est, ad eos, qui culpæ sunt affines, tantummodo pertinere, neque committendum esse, vt innocentes, probique viri ex aliorum culpa, culpæ, aut labis aliquid contrahant. Quapropter ea, quæ Senatum dixisse arbitraris de

Chronic. And. Dandul. lib. 7. anno 697.

otio, atque segnitie Clericorum, & de facinoribus, quæ nonnunquam ab iis perpetrantur, non lædunt, neque attingunt eos, qui ab his omnibus vitiis sunt remotissimi. Nam quod ais, crimina Clericorum spargenda non fuisse in vulgus, sed omni reuerentia contegenda exemplo filiorum Noe, qui verenda patris obtexerunt, id quanam ratione fieri posset, indicare debebas. Nam quis omnium est tam acutus, atq; adeo perspicax, vt excogitare possit aliquam rationem, qua quæ in oculis omnium posita sunt, minime videantur? Si Clerici ipsi flagitia sua non occultant, imo quidem etiam gestire videntur, vt in lucem prodeant, nullo modo possunt ea vel contegi, vel dissimulari. Si qua nomina deferuntur, vt deferri plurima, est necesse, nonne iudicibus agendum est ex legum præscripto? Id etiam apud vos ipsos fieri solet. Vt igitur omnes homines sileant, atque obmutescant, tabulæ publicæ loquuntur, & quæstiones habitæ. Sed, inquis, Clerici puniendi sunt per suos iudices. Primo id latere non potest, atque ita verenda patrum, vt tu vis, minime obteguntur. Deinde non alii Clericorum sunt iudices, quam ipsi principes; quod manifestissimis argumentis superius euicimus, ea vero repetere, & inculcare more tuo, nolumus. Id modo dicimus, ex quo vrbs Veneta fuit condita vsq; ad hoc tempus, de atrocioribus criminibus clericorum non ab Episcopis, sed à iudicibus constitutis ab ipsa Republica semper iudicatum esse; imo in *Venetis Annalibus* memoriæ est proditum, antequam Dux crearetur, definitam fuisse quibusdam certis legibus eius potestatem, inter quas ea fuit, vt priuatæ causæ à Tribunis iudicarentur, publicæ vero ad iudicium Principis pertinerent, sicut etiam grauiora crimina Ecclesiasticorum, exceptis causis, vt inquiunt, mere spiritualibus. Hactenus à te fuit inquisitum in eas literas, quas à Senatu profectas esse falso credidisti, quemadmodum prius inquisieras in alteras, Ducis nomine scriptas, Hic has, & illas in vnum fasciculum colligis, & quasi pro tribunali sedens igni adiudicas. Atrox sententia, sed inique admodum, & à non suo iudice lata, ac proinde nihili facienda.

Cap. 12.

Rescissa est ea iampridem D. Cypriani authoritate, quam tu per imprudentiam, vt alia non semel, contra nos adducis, & tamen apertissime pro nobis facit. Decernit enim eas literas tantum respuendas esse, quæ scribuntur ab iis, *qui furori suo, vel libidini seruiunt & diuina lege, & sanctitatis immemores iactitare interim gestiunt, quæ probare non possunt.* Siquidem an probare possimus ea, quæ scripta sunt à Duce & Senatu, res ipsa arguit; Vtri autem vel furori, vel libidini seruierint, aliorū erit iudicium, & eorum maxime, qui venturis ætatibus futuri sunt. Præstaret equidem vobis (idque aliquando sentietis) non modo literas vestras incendio absumi, sed etiam omnē memoriam eorum, quæ contra Remp. Venetam acta sunt, (si fieri quoquo modo posset) ex mentibus hominum perpetua obliuione deleri. Sic enim famæ, & existimationi vestræ multo melius consultum esset, neque haberentū, qui vobis successuri sunt, vnde iusto aliquo pudore suffunderetur. Hæc, & alia quæcunque à vobis prouocati diximus, si forte vestris auribus acciderint iniucunda, & ingrata, illa cogitate. Primum adulatione nullam pestem maiorem esse, quæ veritatem delet, & animos in fraudem inducit, nostri autem instituti non fuisse vnquam fallere, aut veritatem studio assentationis tegere, quamuis ea parere odium sæpe consueuerit. Deinde paria debere esse hæc officia monere, & moneri: si vobis agere cum Republica non modo libere, sed etiam aspere, & prope atrociter collibitum fuit, æquo animo accipere, & sustinere debetis. si quid acerbius est dictum, quod ratio ipsa, & necessitas, non voluntas, aut studium à nobis expressit. Dictum est illud celebre: *Si dixeris quæ vis, audies, quæ non vis.* Nihil à te, Baroni, prætermissum fuit vel probri, vel maledicti. Frequenter exclamas, Senatum atque Principem nostrum iniquos, & contumaces esse, enormiter peccasse in Christi Vicarium, imo in Christum ipsum, atque eius tunicam inconsutilem, quæ est Ecclesia, schismate conscidisse.

Videbatur atrocius nihil à te dici posse: Veruntamen omnia maledicta execrationibus cumulas: *Vt qui sciditis*, inquis, *Ecclesiam Dei, patiamini ipsi in Remp. vestram scissuram.* Vox hæc vtraq; improba, altera etiam impia. Dux, & Senatus, Baroni, Ecclesiam Dei minime consciderunt, vos potius illud agere videmini, & nullum non lapidem mouere, vt ea conscidatur. Siquidem ea præcipitis, quæ diuino, & humano iuri contraria sunt, quod quidem nihil aliud est, vt Cardinalis Turrecremata perspicue docet, *quam separare se à corpore Ecclesiæ Christo subiectæ per obedientiam, & in sibi sma incidere.* Præter hæc autem discordiarum, & dissidiorum causas vel comminisci, vel vtcunque oblatas ab improbis facillime, & auidissime arripere cōsueuistis. Sed frustra in præsens. Nam Veneta Resp. quod semel, iterum, ac sæpius professa est, & quotiescunque se res tulerit, profiteri minime grauabitur, constantissime decreuit persistere in Catholica fide, quam B. M. Euangelista à Principe Apostolorum acceptam primus attulit in has oras, & disseminauit, perpetuoq; maiores illius coluerunt, & in qua Veneti nominis ciues omnes educati, imo nati sunt; ad hæc vero erga sedem Apostolicam, & summum Pontificem eandem obseruantiam, atq; reuerentiam tueri, à Rep. Veneta semper fuit exhibita; Quo nomine magnam laudē sibi comparauit, neque modo his præconiis summorum Pontificum celebrata est, quæ tu commemorare voluisti, vt mitigares, opinamur, tot vulnerum acerbitatem, quæ nimis atrociter inflixisti. Atqui sapientis non est plagam facere, vt inde medicina fiat. Veruntamen pro hac officii, atq; animi tui significatione, qualiscunq; ea sit, gratiæ tibi debentur, si quæ sunt habendæ. At non modo his, quæ tu refers, præconiis Resp. celebrata fuit, sed quod permagni interest ad decus, atq; laudem illius, à SS. Oecumenica Synodo Tridentina, vnde nonnulla depromere propterea libet, quod illustre continent de

illa

illa testimonium: *Prater alias, inquit, innumeras virtutes, quas in Reip. administratione vestri prudentissimi cives melius expresserunt, quã vlli sapientes homines ratione, & praceptis tradiderunt, nihil vnquã diligentius, quam veram pietatẽ, & religionem coluistis, atq; ad pacem, & cõcordiam conseruandam, & cum dignitate retinendam, omnes curas, & cogitationes contulistis. Neq; vero alia vobis studia sanctiora, & antiquiora vlla esse debent, vt qui à praclaris iu maioribus orti, & procreati estis, qui cum in misera illa totius Italia vastitate, miranda vrbis vestra fundamenta iacerent, non tam illi quidem sibiipsis videntur otii, & securitatis perfugium quasiisse, quam pacis, & trãquillitatis publica sedẽ stabilem, & domicilium certum collocasse. Nam quod ad religionem attinet, hac vestra beatissima Resp. hac, inquam, vera, summa, & propria laus est, quod fidẽ Christi non accepit, sed in ea nata, & pie educata, eam deinceps per tot seculorum atates purã, atq; integram sancte, & religiose conseruarit. ita vt quam late Venetorũ imperium, & ditio pateat, vt nusquam vllum peregrina doctrina vestigium nusquã interruptum orthodoxa fidei cultus appareat, vbiq; sanctitas, vbiq; religio, & Catholica Ecclesia disciplina, atq; instituta plurimũ vigeant, quin potius quod in extremis orientis partibus adhuc lumen aliquod veteris, & sincera religionis eluceat, id totũ Christi Ecclesia inprimis Dei clementia, deinde Venetorum pietati, ac virtuti acceptum refere.* Audistin, Baroni, quot, quãtaq; de Veneta Rep. & prædicarit, & senserit S. Synodus? Cur igitur tibi, aut aliis in mentem venit eius amplitudini, atq; laudi tam manifeste detrahere? Eius leges iniquas, & impias vocitare; quæ non hodie, aut heri sancitæ sunt, sed ante multas ætates, quæque iudicio S. Synodi comprobantur, quinetiam plurimis encomiis augentur, atq; honestantur? Huicne Reip. maledicere te decebat, qui sacrorum conciliorum authoritatem non spernendam doces? Huicne dissidia, & seditiones ominari, quibus diuina benignitas fecit, vt nunquã laborarit, efficietq; vt speramus, in posterum etiam ne laboret?

In admiss. ion. orat. Resp. Venet. die 25. April. 1572.

Sed, inquies, hæc pericula & mala potius cauenda præcepi, quam denunciaui. De hac sollicitudine, quam pro Rep. geris, plurimum te amamus. Sed vereri minime debemus, vt eueniant hoc tempore, quæ nunquã euenerunt. Iisdẽ artibus, atq; institutis nunc administratur Resp. quibus primum coaluit, & ad hanc amplitudinem peruenit. Quid est causæ, vt immutari quicq̃ patiatur, vt tantũ alienis voluntatib. obsecundetur? Deus O. M. qui præcipuo quodam patrocinio semper hanc Remp. rexit, & sartam tectã ab omni periculo conseruauit, Deipara virgine intercedente, cui primordia huius ciuitatis cõsecrata sunt, beatoq; Marco Euangelista, in cuius clientela est; eandem rectis sensib. euntem semper adiuuabit, & si qui illam offendere cupiunt, eorũ conatus reprimet, atque irritos reddet. Quapropter ea pericula, quæ mones, vt caueantur, nihil veremur, exempla, quæ cõmemoras, alienissima sunt: Nam neq; à recta fide, neq; ab Ecclesia Veneti seiuncti sunt, vt eæ prouinciæ, quas refers, imo, velis, nolis, & quantũuis te cõtorqueas, atq; adeo disrumpas, nulla ratione possunt esse vel à fidelium cõmunione, vel à participatione sacrorũ mysteriorum remoti, neq; vero minus ab externis hostibus, q̃ à domesticis, qui plane nulli sunt, tuta est ipsa Resp. Nullę inter ciues factiones, nullaq; dissidia, de quibus tamen suspicari aliquid videris: Sed quis Apollo hoc in somniis tibi nunciauit? Nunquã fuit maior conspiratio, & concordia inter omnes ordines: vniuersi plane sunt ea mente, vt pro cõmuni dignitate, atq; adeo libertate defendenda non modo facultates, & opes, sed vitã quoq; ac sanguinem profundere parati sint. Quod vero adiiciendũ putasti, de quorundam æmulorũ, atq; hostium cachinnis, quibus ludibrio Venetos omnes futuros prædicis, hæc vero nos susq; deque. Nam quæ à stultis, vel ab imperitis dicuntur, non sunt attendenda. Cur autem nomen Donatistarum tam frequens in ore habeas, & Reip. quodammodo obiectes, minime videmus: Tu vide, ne istic potius vigeant Donatistæ, quorũ hæresin sapit, fideles, qui per sinceram fidem, atq; charitatem Christo, & Ecclesiæ cohærent, ab Ecclesia, & à Christo disiunctos existimare. Quod autem vt audiremus monuisti nonnulla ex iis, quæ Basilius Imper. dixit in octauæ Oecumenicæ Synodi consessu, miramur primo quid tibi venerit in mentem res diuersissimas, atq; disiunctissimas copulare, & connectere orationis similitudine quadam ficta. Deinde ne quis incautior in fraudem inducatur, monemus capitis nomine nõ intelligi ab ipso Imperatore Rom. Pontificem, quod tu addidisti de tuo, sed beatum Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham; imo vero ostendi non tantum Rom. Pontificis iudicio fore acquiescendum, verum etiam reliquos Patriarchas in consilium adhibendos esse. Sic n. ait: *Iudicium quatuor Patriarchalium sedium quis dissoluere poterit? Ad quẽ enim confugietis solutionẽ obligamenti petentes? Ad Rom. Presulem? Sed & ipse enim vos condemnauit. Ad Antiochenum? Sed consentaneus Romano & consonum factus est. Ad Hierosolymitanum, & Antiochenum? Sed & illi vestra damnationi consentiunt, &c.* Et infra: *Quomodo aperire oculos, & aspicere quempiam poteritis impugnari ab omnibus Patriarchalibus sedibus?* Hæc autem admonere fuit necessarium, vt omnibus constet quid de Rom. Pontificis monarchia senserit optimus, & orthodoxus Imp. vt ẽt tu appellas, Basilius. Cuius quidem orationem, & bene longam quandoquidem nos audire, vel extra rẽ voluisti: æquum est, vt etiam vos audiatis non ita multa verba, quæ Xystus Opt. Pontif. dicit, non tam in suum, q̃ in nostrum solatium, & omnium eorũ, qui calumniis, iniquissime exagitantur. *Fratres, inquit, propter insidiantium vituperationes, aut accusationes, vel propter laudantiũ opiniones, nec ad dexterã, nec ad sinistrã declinare debemus; sed inter verba laudantiũ, siue vituperantium ad mentẽ semper recurrendũ est. Et si in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnã tristitiã generare debet, & rursum si in ea nõ inuenitur malũ, quod de nobis homines loquũtur, in magnã debemus lætitiam prosilire. Quid n. si omnes laudant, & conscientia nos accuset? aut si omnes accusent, & cõscientia nos liberos demõstret? Habemus Paulũ dicentẽ: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra. Iob quoq; dicit: Ecce in cælo testis meus. Si ergo est nobis testis in cælo, testis in corde: dimittamus,*

Alphons. de Castr. cont. hær. lib. 6. verb. Baptismus. hær. 5. Lib. 6 verb. Ecclesia. hær. 1.

2. Cor. 1. Matth. 7.

stultos ferb loqui, quod volunt. Quid enim aliud detrahentes faciunt, nisi in puluerem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, vt vnde plus detractionis proflant, inde magis nihil veritatis videant.

Habemus igitur, ne solliciteris, Baroni, quid respondeamus ad nostros obtrectatores, si qui erunt. Tu quoque, ni fallimur, satis à nobis, superque habes. Nihil enim complectitur tua Paræneſis (licet ea nihil admodum complectatur præter execrationes, & maledicta, sacrarumq; scripturarum loca, perperam detorta, quibus detractis, nihil solidum prope superest) Sed nullum argumentum est, quantumuis infirmum, & leue, quod non fuerit à nobis accurate perpensum, firmaque ac graui (ni fallimur) responsione satis confutatum.

Quod autem Venetam Remp. valere minime iusseris (vti moris scribentium est) quemadmodum etiam principio nullam salutem dixisti, nihil id sua refert; salus, & incolumitas ipsius nō à Baronio, sed à Deo pendet, vnde non modo salus, sed omnia bona promanant. Tu modo valeas, si tamen id officii genus non horres à nobis accipere. Sin autem, hoc certe non recusabis, quod à D. Ambrosio & Gregorio proficiscitur, & Deum precamur, vt penitus insideat in mentibus, sensibusque vestris. Nam ille Theodosium Pium Imperatorem his verbis alloquitur: *Noui te pium, clementem, mitem, atque tranquillum, fidem, ac timorem Domini in corde habentē, sed plerumq; aliqua nos fallunt: habent aliqui Zelum Dei, sed nō secundum scientiam.* Hic autē ita scribit ad Theotistam: *Sunt multi fidelium, qui imperito Zelo succenduntur, & sæpe, cum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt. Eorum infirmitati consulendum est, &, sicut prædixi, ratione, & mansuetudine placandi sunt; illi quippe sunt similes, de quibus scriptum est: Testimonium illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Et quoniam vt Rex ille sapientissimus ait, *funiculus triplex difficile rumpitur*, tertio loco accedat, & concludat hanc nostram Antiparæneſin D. Thomas, qui quo spiritu præditus erat, nempe Angelico, vnde & angelici Doctoris cognomen inuenit, præsagisse videtur hæc vulnera Christianæ Reipublicæ. Eius autem hæc ipsa verba sunt in Hieremiam Prophetam: *Nota, quod Prælati destruunt populum propter operis peruersitatem; supra X quia stulte egerunt Pastores, & Dominū non quæsierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est: Propter doctrinæ falsitatem, infra, L. grex perditus factus est populus meus: Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntq; vagari in montibus; de monte in colles transierunt, obliti sunt cubilis sui. Propter timoris pusillanimitatem Zach. XI, O pastor, & Idolum derelinquens gregem gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius: Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Propter Domini austeritatem, Ezech. XXXIV. Cum austeritate, imperabatis eis, & cum potentia; & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset Pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propter curæ remissionem, Zach. XI. Suscitabo Pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id, quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet.*

[Margin notes: D. Ambros. epist. 29. — Rom. 10. — D. Greg. lib. 9 epist. 39. — Rom. 10. — Cap. 12.]

MDCVI. VIII. Kalend. Octobr.

Ego Petrus Antonius Ribettus Archidiacon. Vicarius Generalis affirmo in hoc opere nihil esse contra fidem Catholicam.

Ego Fr. Paulus Serenisſ. Reipub. Theologus examinaui, & approbaui.

Ego Fr. Bernardus Iordanus Theologus confirmo vt supra, cumque scribere nequeam, aliena manu subscribere feci.

Ego Fr. Michael Angelus Venetus Ord. Min. Regularis Obseru. Theologus confirmo, nihil in his scriptis contra Catholicam fidem reperiri.

Ego Fr. Marcus Antonius Capellus Min. Con. Theologus, nihil contra fidem Catholicam in his scriptis reperi.

Ego Fr. Camillus Venetus Augustinianus affirmo, nihil his scriptis contineri contra sanctam fidem Catholicam.

Ego Fr. Fulgentius Seruita legi retroscripta, & in iis nihil fidei Catholicæ repugnans reperi.

PARISIIS

PARISII CVIVSDAM CONSVLTATIO

Anno 1606

DE CONTROVERSIA INTER SANCTITATEM PAVLI QVINTI, ET SERENISSIMAM REMPVBLICAM VENETAM.

AD VIRVM CLARISSIMVM VENETVM.

Author esse perhibetur Iacobus Leschasserius aduocatus Regius.

ACCEPI tuas literas, vir clarissime, quibus me rogas, vt de controuersia, quæ est inter sanctitatem Pauli quinti & Serenissimam Rempublicam vestram, tibi respondeam, cuius controuersiæ tria narras esse præcipua capita. Primum de coercitione eriminum, quæ à clericis admittuntur. Secundum de decreto senatus, quo prohibuit ne loca venerabilia deinceps sine eius voluntate extruerentur Tertium de prohibitione laicis facta, ne res suas in Ecclesias sine eiusdem senatus assensu transferrent. Cum autem vt tibi obsequerer, me paro, allatus est ad nos liber patris Pauli theologi & religiosi viri ordinis Seruorum de ea re doctissime scriptus, quem ab omnibus populis & principibus viris legi, reipublicæ Christianæ maxime interesse puto. Quare opera illius elegantissima præuentus ad te tantum ea scribam, quæ ex authorum nostrorum libris deprompta, eius scriptioni addi posse censero, sequutus ordinis nostri hominum libertatem hactenus non abrogatam, & vtilissimum publice morem, quo rogatis illis licet licuitque semper de controuersiis; quæ inter principes de summis etiam rebus oriuntur, ex boni & æqui scientia respondere.

Sed antequam dicere incipio de tribus capitibus controuersiæ, videndum est quo iure Italia regatur, quæ res communi bono cum Pontificis tum principum Italiæ cessura est, & illius legitimam & canonicam authoritatem, horum vero libertatem confirmatura. Inprimis Italiæ cum omnibus Christianis gentibus hoc commune est, vt in rebus Ecclesiæ regatur iure diuino, quod sacris scripturis continetur, cui iuri neque reges, neque pontifices, neque tota hierarchia Ecclesiæ derogare possunt. Quod ad reges attinet, ita est sancitum can. non licet. distin. 10. *Non licet Imperatori neque cuiquam pietatem custodienti aliquid contra diuina mandata præsumere, nec quidquam quod Euangelicis, Propheticis aut Apostolicis regulis obuiet, agere.* Pontificum vero nomine par est non alium respondere quam Papam. Is erit Vrbanus *can. sunt quidam 25. quæst. 1. Sciendum est*, inquit, *summopere, quia inde nouas leges condere potest* (*Romanus Pontifex*) *vnde Euangelistæ aliquid aut Prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi vero aperte Dominus, vel eius Apostoli & eos sequentes sancti patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est vsque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli destruere* (*quod absit*) *niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur.* Hierarchiæ vero Ecclesiasticæ nomine respondebit concilium vniuersale Nicenum secundũ can. 2. *Substantia nostra hierarchia*, inquit, *sunt sermones à Deo traditi, diuinarum scilicet scripturarum scientia vera.* Hanc regulam concilium Nicenum secundum sumpsit ab Ephesino, quod Epistola ad Pamphiliæ synodum scripta, his verbis illi præcipit: *Omnia facias cum consilio sacræ scripturæ quæ diuinitus est inspirata.* Dein Italia regitur iure Romano Iustinianeo, cuius pars est *Codex canonum* Ecclesiæ veteris Catholicæ ab ipso iure imperatorio confirmatus. Quam libertatem Italia summa cura & vigilantia sibi defendit, non tantum Pontificibus Romanis testibus, sed & propugnatoribus acerrimis cum in rebus temporalibus tum in Ecclesiasticis: quod per seriem temporum mihi demonstrandum est. Ante tempora Iustiniani Imperatoris ad Theodoricum Gothum regem Italiæ Papa Gelasius scribit can *certum* distin. 19. in hæc verba, *Certum est magnificentiam vestram leges Romanorum principum quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, multo magis circa reuerentiam beati Petri Apostoli pro suæ fælicitatis augmento velle seruare.* Gothis vero Italia pulsis à Iustiniano, impetrauit ab eo Papa Vigilius pragmaticam sanctionem, qua forma Italiæ receptæ datã est. Eius pragmaticæ initium sic est, *Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romæ Episcopi quædam disponenda esse censuimus ad vtilitatem omnium pertinentia, qui per occidentalis partes habitare noscuntur.* Deinceps articulo decimo sic ait, *Iura insuper vel leges codicibus nostris insertas quas iam sub edictali progrãmate in Italiam dudum misimus, obtinere sancimus, sed & eas quas postea promulgauimus constitutiones iubemus sub edictali programmate vulgari, & ex eo tempore quo sub edictali programmate vulgata fuerint, etiam per partes Italiæ obtinere, vt vna volente Deo facta republica, legum etiam nostrarum vbique prolatetur authoritas.* Postquam vero Imperatores occidentis Italiam in potestate & ditione

 habue-

habuerunt Papa Leo 4. eandem rem postulauit à Lothario Augusto, quæ petitio illius habetur in can. *vestram*. distin. 10. *vestram*, inquit, *flagitamus clementiam, vt sicut hactenus Romana lex viguit absque vniuersis procellis & pro nullius hominis persona reminiscitur esse corrupta: ita nunc suum robur propriumque vigorem obtineat*. Quod quidem ius Iustinianeum publice prælectum est Romæ Imperatorum authoritate, qui post Iustinianum regnarunt, vt & Beryto & Constantinopoli, quibus tantum in locis ab ipso iure permissum vt publice doceretur. Authoritate Imperatorum in Italis imminuta, & repertis in Amalphitana vrbe Digestis, quæ diu latuerant, Irnerius iussu comitissæ Mathildis Iustinianeum ius publice docuit Bononiæ, quo munere successores eius in eadem vrbe Pontificum Romanorum ornati stipendiis & priuilegiis functi sunt. Pontificum exemplum totius Italiæ principes, maximeque serenissima Respublica summo studio sequuta est. Hinc factum est vt Honorius secundus Papa de iure respondens cap. 1. ex. de Iuram. calum. his verbis vtatur, *Decernimus*, inquit, *& cum authoritate Imperiali irretractabiliter definimus*. Definiebat autem & respondebat de iureiurando clericorum ex codice canonum primitiuæ Ecclesiæ ab Imperatorio iure confirmato. Quod eo magis ab hominibus harum rerum peritis est obseruandum, quia inter Pontifices Gregorii septimi successores sedit Honorius secundus, qui omnes hæreditatem odii creuerunt, quo Gregorius septimus Imperatores & eorum iura regia, dignitatemque omnium regum sunt prosequuti. Quare tota Italia in hoc iure, quod coluit, libertatem suam esse positam semper existimauit. Nec vero solum secularium rerum causa tanto studio laborarunt Pontifices Romani in hoc iure retinendo, sed etiam vt Ecclesiasticæ controuersiæ secundum illud dirimerentur, supra quas Ecclesiæ causas eminet reuerentia beati Petri Apostoli, quam ex hoc iure seruari postulabant à Theodorico rege Gothorum. Nec enim definitiones factæ ab hoc iure de rebus Ecclesiasticis in Italia sola religiose obseruabantur, verum etiam in toto orbe Christiano: Cuius rei testis est locupletissimus, can. *de illicita. 24. q. 1.* Synodus Parisiensis sub Ludouico Pio habita, quæ ait ab vniuersa Ecclesia seruari constitutionem à Iustiniano factam de excommunicationibus, quæ ab Episcopis præter causas canonicas fiunt. Quæ constitutio à Iuliano antecessore latine literis mandata est cum cæteris Nouellis Iustiniani, quarum ex eius interpretatione cognitionem iampridem habuit Italia, Iuliani hæc sunt verba, *Nemo Episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem antequam causa probetur, propter quam Ecclesiastici canones hoc fieri iubent. Si quis autem aduersus ea excommunicauerit aliquem, ille qui excommunicatus est maioris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat: is autem qui non legitime excommunicauit, in tantum tempus abstineat sancta communione, quantum maiori sacerdoti visum fuerit, vt quod iniuste fecit, ipse iuste patiatur*. A Iustiniano autem, post omnes, qui eum antecesserunt Christiani Imperatores, probatus est & confirmatus codex canonum Ecclesiæ Catholicæ qui omnium manibus terebatur, & secundum quem synodi vniuersales ipsæ de controuersiis Ecclesiasticis sententias ferebant. Sub hoc iure nata est serenissima Respublica vestra Christiana, catholica, sui iuris, libera: ab hoc alita, instituta, aucta, & summam dignitatem merito consequuta: ad eius præscriptum vixit & Italiæ maximam partem viuentem vidit.

Cum hæc ita sint, innouanda mihi est & instauranda codicis canonum Ecclesiæ primitiuæ memoria & è tenebris obliuionis quibus iam diu sepulta fuit, excitanda. Quod necesse est disceptanti mihi controuersiæ capita quæ proposuisti: simul etiam vt ex hac restitutione fiant manifesta tam quæ erant in eo codice, quam quæ non erant, quæque tamen vulgo solent illi falso tribui confirmandæ & tuendæ cupiditati & ambitioni quorundam, quasi ex authoritate sanctorum canonum veteris Ecclesiæ. Neque enim existimare debemus sanctissimos & sapientissimos patres illos veteres Ecclesiam iure incerto, sine regularum & definitionum collectione certa rexisse, vel canones quibus illa regeretur habuisse sparsos, vagantes, nullius collectionis corpore conclusos, vt pro libidine cuiuscunque licuisset per falsi crimen suppositios canones Ecclesiæ obtrudere, qui mos semper fuit ambitionis & cupiditatis humanæ, quod libuisset authoritati Ecclesiæ vniuersæ tribuere. Postulant à nobis patres illi, vt de sua pietate & prudentia potius ita sentiamus, voluisse illos Ecclesiam habere corpus certum regularum sui iuris, quas ex certis conciliis collegerint, & concilia certo ordine disposuerint, certoque & immutabili numero canones illorum complexi sint, cui neque addi neque detrahi à quoquam posset, vt hoc quasi vallo & muro septum iuris corpus aduersus falsi crimen vndique tutum esset. Neque tantum vt falsum præuenirent solebant veteres iura sua in certa corpora colligere, sed etiam vt vim omnem iuribus extra collectiones publica authoritate factas vagantibus & dispersis adimerent. Ob easdem causas Theodosius Imperator *Nouella de confirmatione corporis suarum Nouellarum*, ait se in corpus vnius codicis constitutiones præcessorum suorum redegisse: ne aliter nisi ex ipso codice in iudicio proferentur. Eandem rationem & consilium sequutus Iustinianus codicem suum fecit, constitutiones in multa volumina dispersas in vnum corpus colligendo, quod ipse testator *l. vn. C. de emendatione codicis Iustiniani*, vnde iura *extrauagantia* posteritas appellauit, quæ non in corpore codicis, sed extra corpus diuagarentur, vt Iustiniani verba vsurpem, quibus eodem loco vsus est. Ea fuit primum, antequam componeretur codex Theodosianus, prouidentia & vigilantia patrum Ecclesiæ Catholicæ, quæ collectionem suam *corpus codicis canonum* nuncupauit, quemadmodum & Imperatores *corpus codicis constitutionum* suarum dixerunt. Quare etiam in more habebat Ecclesia alia iura, quæ illi obtrudebantur codice suo non comprehensa,

velut

velut notha & adulterina nulliusque authoritatis reiicere, quod Gallicani Episcopi factitarunt, teste acerrimo authoritatis Romanæ defensore Nicolao primo Papa, qui in Epistola quam ad illos scripsit relata in codicem Gratiani can. *si Romanorum.* distinct. 19. hæc illorum verba recenset, *Quanquam*, inquit, *quidam vestrum scripserint haud illa decretalia priscorum Pontificum in toto corpore codicis canonum inueniri descripta.* Sed quis melius nos docuerit hanc mentem & prouidentiam Ecclesiæ Catholicæ, quam eadem ipsa, quæ cum conuenisset in concilio Chalcedonensi quod quatuor primorum œcumenicorum postremum est, *actione octaua* cognoscens de controuersia mota de Episcopatu, nonagesimum quintum & nonagesimum sextum canones citat corporis sui canonici, & ex eorum iure de controuersia pronuntiat, cuius actionis octauæ verba sunt hæc: *Gloriosissimi iudices dixerunt: Legantur hi canones. Leontius reuerendus Episcopus Magnesiæ ex codice legit regulam nonagesimam quintam: Si quis Episcopus vacans super Ecclesiam vacantem semetipsum iniciens subripuerit sedem præter perfectum concilium, hunc expellendum esse; licet omnis populus quem arripuit, eum elegerit. Perfecta vero synodus illa est, cui interest & metropolitanus Episcopus. Idem reuerendus Leontius ex eodem codice legit regulam nonagesimam sextam: Si quis Episcopus ordinationem acceperit Episcopatus & populo præesse decretus non acquieuerit ordinationi, neque ei persuasum fuerit proficisci ad Ecclesiam sibi commissam, hunc excommunicatum esse, donec coactus acquiescat aut quicquam de eo Episcoporum prouinciæ synodus perfecta definiat.* Hi duo canones reperiuntur hodie in concilio Antiocheno, quod libro continetur, qui vulgariter appellatione *canonum apostolorum & conciliorum* inscribitur, suntque illi duo canones, alter sextus decimus, alter septimus decimus concilii Antiocheni. Horum numerorum ope adiuti & eo ordine quo canones illi collocati fuerunt in codice canonum antiquo, & illo quo reperiuntur hodie in concilio Antiocheno, nos viam & rationem, si qua est, reperire debemus, qua codicem antiquum, quo Ecclesia Catholica in concilio Chalcedonensi vsa est, restituamus. Ita enim compositum codicem antiquum esse oportuit, vt canones illi duo, nempe sextus decimus, idem septimus decimus concilii Antiocheni, reperiantur alter nonagesimus quintus, alter vero nonagesimus sextus in serie canonum totius illius codicis antiqui. Quod vt fiat primum obseruandus nobis est ordo, quo collocata fuerunt concilia in codice antiquo initium à Niceno facientes. Qui quidem ordo inuenitur hodie in locis quinque veteris memoriæ, qui ad nostram vsque ætatem conseruati sunt. Primus locus reperitur in concilio Constantinopolitano in Trullo can. ἐνθρονιζομένων, vbi hoc ordine recensentur, Concilium Nicenum, Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Antiochenum, Laodicense, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, quod actione octaua citat canones nonagesimum quintum & nonagesimum sextum huius codicis. Eodem ordine disponuntur in codice canonico Græco Ecclesiæ orientalis Lutetiæ Parisiorum edito, diligentia Iohannis Tilii Engolismensis, qui post editionem quam cardinali Turnonio dicauerat; Episcopus Meldensis factus est. Codex autem ille græcus per omnia conuenit cum codice Photii latine tantum apud nos edito, & sola lingua alter ab altero differt. Hac eadem serie collocantur in codice Moguntino, qui editus est anno 1525. quem Moguntinum codicem dicunt esse veterem Romanum ii, qui recognouerunt codicem Gratiani iussu Gregorii 13. in præfatione recognitionis suæ præfixa. Seruauit eum ordinem Pontifex Romanus Leo quartus in enumeratione quam facit horum conciliorum scribens ad Episcopos Britanniæ *can. De libellis. distin. 10.* Horum quinque testimoniorum tria prima feruntur ab Ecclesia Orientali, duo posteriora Roma nobis conseruauit locus occidentis omnium celeberrimus. Quare certissima sunt hæc testimonia ab Ecclesia vniuersa lata de ordine conciliorum in codice canonico, quem in manibus habebat illa in concilio Chalcedonensi. Imo tanta fuit ecclesiæ religio in compage corporis canonum conseruanda, vt cum ordinem temporis non seruasset in collocatione conciliorum Ancyrani & Neocæsariensis, quæ Nicenum concilium posterius tempore sequuntur collectionis ordine, lectores monuerit ita factum propter reuerentiam quæ debetur Niceno, quod primum omnium œcumenicum ipsa celebrauit. Quod suum consilium præfixum est initiis conciliorum Ancyrani & Neocæsariensis inscriptione, quæ etiamnum in codicibus græcis seruata est, cuius inscriptionis ratio vulgo ignoratur, & videtur hodie sine vllo vsu his conciliis præfixa, soluto corpore codicis antiqui, & vagis & dispersis singulis extra suum corpus conciliis per volumina, quæ vbique eduntur, conciliorum. Post ordinem, quem habuerunt in codice antiquo singula concilia, obseruatum, enumerandi sunt canones illius codicis, initium à primo canone Niceni concilii sumentes, neque cum ad finem cuiusque concilii peruenerimus, à dinumeratione tamen cessandum est, sed continua nec interrupta numerorum serie vtendum, qua numerandi forma vsum est concilium Chalcedonense. Ea cum peruenerimus ad canonem sextum & decimum concilii Antiocheni à concilio Chalcedonensi citatum, qui canon incipit in codice orientali εἴ τις ἐπίσκοπος σχολάζων, & in codice Romano Moguntiæ edito, *si quis Episcopus vacans*, reperiemus illum canonem esse nonagesimum sextum codicis orientalis, quem dedit Tilius; at vero esse nonagesimum quartum codicis Romani Moguntiæ editi. Nam in codice orientali viginti canones concilii Niceni, quinque & viginti Ancyrani, quindecim Neocæsariensis, viginti Gangrensis, sexdecim Antiocheni; hi, inquam omnes numeri coniuncti sex & nonaginta efficiunt. At in codice Romano viginti

ginti canones consilii Niceni, quatuor & viginti Ancyrani, quatuordecim Neocæsariensis, viginti Gangrensis & sexdecim Antiocheni; hi, inqoam, coniuncti numeri quatuor & nonaginta efficiunt. Rursum ab his duabus rationibus differt ratio concilii Chalcedonensis. Nam ratio codicis Romani canonem sextum & decimum concilii Antiocheni efficit quartum & nonagesimum codicis canonici antiqui: ratio concilii Chalcedonensis eum facit quintum & nonagesimum. Quod vero attinet ad contextum & verba codicum orientis & Romani, plane consentiunt, neque plus verborum est in hoc, quam in illo. Io hoc solo differunt quod in conciliis Ancyrano & Neocæsariensi non quidam in vno ex illis codicibus, in alio diuisus est in duo membra, & ex vno duo facti sunt canones. At componendæ huic paruæ codicum controuersiæ obseruanda est antiqua ratio, quæ proculdubio fuit in vsu concilio Chalcedonensi, sicque certissima fides codici canonico antiquo restitueretur. Initium faciam controuersiæ codicum componendæ à concilio Ancyrano. Hoc quinque & viginti canonibus constat in codice orientis, at quatnot & viginti tantum in codice Romano: hoc ideo quia quartus & quintus canones huius concilii in codice orientis, vnicum canonem efficiunt qui quartus est in codice Rommno.

Præstat autem ratio codicis orientis, eaque veteres vsi sunt. Nam Photius patriarcha Constantinopolitanus vbicunque in *Nomocanone* citat concilium Ancyranum, hanc rationem sequitur. Theodotus quoque Balsamo *libro secundo commentariorum* diuidit concilium Ancyranum in quinque & viginti canones. Harmenopolus iudex Thessalonicensis eandem secutus est rationem in tota *epitome sanctorum canonum*, & *sectione quinta tituli quarti*, distincte & diuisim citat canones quartum & quintum concilii Ancyrani, qui in codice Romano pro vno habentur. Sed & diserte citat canonem quintum & vigesimum huius concilii *sectione quinta tituli tertii*. Ex latinis Ferrandus diaconus Ecclesiæ Carthaginensis sequitur & hanc rationem in *Breuiarii capitibus centesimo quadragesimo octauo*, & deinceps vsque *ad centesimum quinquagesimum quintum*, *& aliis item capitibus*. Hæc dicta sint de rationum differentia canonum Concilii Ancyrani, quæ est inter codices. Concilium vero Neocæsariense tot canones habet in codice orientali, quot & in codice Tiliano, nempe quindecim. At in codice Moguntino, qui vetus Romanus est, quatuordecim canones habet. Hæc vero differentia ex eo nata est, quod tertius & decimus canon codicis orientis Tiliani, qui incipit ἐπιχώριοι, item quartus & decimus incipiens οἱ δὲ χωρεπίσκοποι, pro vnico canone duabus partibus, siue periodis constante citantur in Photii *Nomocanone*. Ambo citantur ab eo pro vnico decimo tertio, scilicet prior pars eius canonis *titulo tertio capite quarto*, & posterior *titulo primo capite vigesimo nono*. Balsamo vero Photii commentator *libro secundo* diuisit hunc decimum tertium canonem concilii Neocæsariensis ex duabus periodis compositum in duos canones, quibus diuisum & separatum commentarium subiunxit. Quæ res effecit vt vnicus canon in duos canones diuisus habeatur in codice orientis, quem Tilius publicauit. Inde quoque factum est vt canon proxime sequens huius concilii, qui est decimus quartus in Nomocanone Photii *titulo primo capite trigesimo*, apud Balsamonem pro quinto decimo numeretur. Codex Romanus vetus Moguntiæ editus & Crisconius cum Photio conueniunt. Quare secundum antiquam rationem, quam secutum est concilium Chalcedonense, Ancyranum constat quinque & viginti canonibus, & Neocæsariense quatuordecim: qui numeri coniuncti cum viginti canonibus concilii Niceni, viginti Gangrensis, sexdecim Antiocheni, efficiunt quinque & nonaginta, qui numerus tribuitur à concilio Chalcedonensi sexto decimo canoni Antiocheni concilii: vt illum fuisse oporteat quintum & nonagesimum canonem codicis ecclesiæ primitiuæ vniuersalis. Atque hic est codex canonicus veteris Ecclesiæ Catholicæ, siue conciliorum quatuor œcumenicorum veterum, in quo restituendo & in lucem è tenebris reuocando vetustatis amans hanc operam collocani. Constabat omnino nouem conciliis. Primum omnium erat Nicænum, quod duo diœceseon concilia, quamuis tempore priora, consequebantur propter eius dignitatem, vt codex ipse antiquus docet: postea collata erant tria diœceson concilia, Gangrense, Antiochenum *Chalcedonensi actione octaua* citatum, & Laodicense: compagem claudebant tria posteriora concilia œcumenica Constantinopolitanum scilic. Ephesinum & Chalcedonense. Hic vero codex summa veneratione ab Ecclesia colendus videtur, tanquam suum instrumentum à corpore sacræ scripturæ & authoritate & antiquitate secundum. Quamuis antè huius codicis iure vniuersa Ecclesia regeretur, tamen Italia sibi eum velut proprium vindicauit, quod illum sui Imperatores confirmauerant, & Pontifices Romani, vt eius authoritas in Italia illæsa seruaretur, frequentibus postulationibus impetrauerant à principibus, qui sunt in Italia rerum potiti. Fuit enim in more positum Ecclesiæ veteri Catholicæ, quæ honore & obsequio suos Imperatores colebat, vt cum conuenisset eorum mandato to concilia œcumenica, quibus & illi per se vel legatos gloriosissimos magistratus & iudices præerant, definitiones suas cum literis ad principes mitteret, quibus canones suos eorum potestati subiiciebat, illorumque confirmationem petebat. Huius generis Epistola concilio Constantinopolitano primo præposita est cum eiusdem sententiæ breui argumento. Eadem quoque inscriptio præfixa est concilio Constantinopolitano in Trullo, vt credere fas sit hanc fuisse solemnem omnibus veteribus conciliis formulam. Sed & post omnes Imperatores Iustinianus *Nouella 131.* de quatuor œcumenicis conciliis

&sis, quorum authoritas ab illis erat confirmata, sic statuit; *Sancimus vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor conciliis expositæ sunt aut firmatæ. Prædictarum enim quatuor synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus, & regulas sicut leges obseruamus.* Quod ait, *firmatæ*, regulas intelligit priorum conciliorum, secundum quas de controuersiis ipsæ synodi generales iudicabant, & codice antiquo Ecclesiæ continebantur. Sed & *Nouella 6.* statuit, vt Episcopi ordinandi in mediis ordinationis solemnibus publice iureiurando promitterent se canones conciliorum seruaturos. Secundum eam Pontifices Romani ordinandi iusiurandum præstabant ad formulam constitutionis Iustiniani de Ecclesiasticis regulis, cuius formulæ verba Gregorius pronuntiat can. *sicut.* distin. 16. *Sicut sancti Euangelii*, inquit, *quatuor libros, quatuor concilia suscipere me & venerari fateor.* Imo etiam hæc se seruaturum vsque ad vnum apicem iurat Papa, *can. sancta distin.16.* Quam veteris formulæ iurisiurandi Pontificii partem esse Cardinalis Deusdedit affirmat in sua *canonum collectione*, quam haberi in bibliotheca Vaticana narrant ad canonem *sancta*, Romani recognitores codicis Gratiani. Non potest igitur Pontifex Romanus iure contendere se canonibus illis conciliorum superiorem esse, nisi sibi supra quatuor Euangelia potestatem arroget. Cuius veritatis testes sunt antiquissimi Pontifices Romani, antequam in eam temporalē potestatem, quam deinceps sibi compararunt, deuenissent. Iusiurando enim, quod præstare debent, conuenientissima est ingenua Zosymi Papæ confessio, qua can. *contra statuta 25. q. 1.* ad Episcopos Galliæ scribens canonibus conciliorum inferiorem & subditam esse Romanæ sedis potestatem agnoscit. *Contra statuta*, inquit, *patrum condere aliquid vel mutare nec huius quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui statuta patrum sanxere reuerentiam.* Quare codex canonum Ecclesiæ Catholicæ, qui ex conciliis œcumenicis prioribus & cæteris, quæ sunt ab illis confirmata, compositus est, pars est iuris Iustinianei, & cum illo perfecte conueniens, qualis est partis cum tota summa consensio: & in eo iure, cui à Romano Pontifice derogari non potest, posita est Ecclesiæ & omnium principum & populorum Italiæ libertas. Neque hæc ideo assero, vt omnem authoritatem posterioribus conciliis œcumenicis abrogandam esse existimem. Cum primum enim à principibus suscepta sunt, seruanda quoque sunt, sub hac tamen exceptione generali Ecclesiæ Catholicæ, quæ continetur *can. 28 distin. 50. can. hoc ipsum 33. q. 2.* quorum canonum verba sunt hæc, *Quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius concilii magis teneatur sententia, cuius aut antiquior aut potior extat authoritas.* Institutio quoque iuris canonici Pontificum Romanorum mandato scripta lib. 1. tit. 3. sic habet, *Alia vero concilia quæ ductu spiritus sancti cōgregata & celebrata fuerint, proximum ab istis (quatuor primis) sibi locum vindicant. Quod si quando interea discors sententia inueniatur, illius sententia magis est tenenda cuius antiquior & maior est authoritas.* Ex hac regula potior est authoritas concilii œcumenici, quam concilii diœcesos; huius quoque quam concilii prouinciæ; & huius quā concilii ciuitatis. Sed cum duo concilia œcumenica inter se discordantia comparantur, vincit authoritas antiquioris, in his scilicet rebus, quæ ad fidem pertinent, & in præcipuis regulis quæ quasi fundamenta sunt & columnæ libertatis & disciplinæ cum ipsa Ecclesia natæ, non in cæteris leuioribus quæ pro varietate locorū & temporum possunt immutari. Quam disciplinam & libertatem Ecclesia Catholica in concilio Ephesino *can. 6.* scriptis Apostolicis, statutis patrum & antiqua consuetudine comprehendi prædicat, quam attentari vllius Ecclesiæ pastoris ausu vel conatu nefas est, *ne forte*, ait concilium *sub specie administrationis rerum sacrarum typhi potentia in Ecclesiam sese insinuet, sensimque imprudentes libertatem eam amittamus, quam dominus noster Iesus Christus omnium liberator suo sanguine pretioso nobis largitus est.* Hæc est itaque generalis Ecclesiæ definitio canonibus antiquis comprehensa, priores canones derogare posterioribus in rebus fidei & præcipuis regulis disciplinæ cum Ecclesia natæ; secus ac in rebus ciuilibus fieri solet, in quibus iura posteriora prioribus derogant. Secundum hæc admissiones conciliorum posteriorum à quibusdam principibus factę interpretationem recipere debent, vt intelligantur admissa concilia salua Ecclesiæ Catholicæ perpetua definitione quæ inesse semper, etiamsi non sit expressa, intelligatur. Sic Episcopi Galliarum, qui fidem Imperatori Ludouico Pio datam seruabant, neque in partes coniuratorum filiorum cum Papa aduersus Imperatorem transiuerant, contra noua quædam iura exceptione vtebantur his verbis concepta, *ni aliter se habeat antiquorum authoritas canonum.* Quæ exceptio expressa etiam est beati Ludouici Regis Francorum *pragmatica sanctione*, quæ in omnibus editionibus pragmaticæ Caroli septimi, illi subiecta est. Ea sanctione statuit Ludouicus, vt Ecclesia canonibus conciliorum Ecclesiæ Dei regeretur, illis nimirum, quos veteres sancti patres fecissent. Cum ergo naturalis libertas Italiæ posita sit in sacra scriptura, in codice canonum antiquo Ecclesiæ Catholicæ, in iure Iustinianeo, & in posterioribus conciliis quæ veteribus non aduersantur, neque in fide neque in regulis libertatis cum Ecclesia natæ, superest vt disceptatio fiat controuersiæ inter sanctitatem Pauli quinti & serenissimam Rempublicam ortæ ex iuribus illis Italiæ, quæ de hac tanquam legitimi & æqui iudices pronuntiare debent.

De foro criminali clericorum.

Vt vero dicam de primo controuersiæ capite, quod est de foro criminali clericorum, repetenda est paulo altius distinctio facta in Imperio Romano duorum vitæ generum, ciuilis & Ecclesiastici. Subditi Imperio Romano in milites & paganos distincti fuere, vnde nata diuisio negotiorum, delictorum, pœnarum, iudicum ciuilium & militarium. At religione Christiana suscepta alia duo genera hominum facta sunt, clericorum & laicorum. Clerici sunt militibus com-

comparari, ſcilicet milites Chriſti militibus ſeculi. Paulus 2. Timoth.2.*labora*, inquit, *ſicut bonus miles Ieſu Chriſti: nemo militans implicat ſe negotiis ſecularibus vt ei placeat cui ſe probauit*. Cum iure Romano Paulus conſentit. Militares viros, ait lex, ciuiles curas ſuſcipere prohibemus, *l. militares. Cod. de re milit.* Sequutus Paulum eſt Imperator cum ait *l. repetita.41. Cod.de Epiſc.& cler.* abſurdum imo etiam opprobrioſum eſſe clericis, ſi ſe peritos velint oſtendere diſceptationum eſſe forenſium. Sequutus eſt etiam Apoſtolum Pontifex Romanus qui clericos operam iuri ciuili dare prohibet *cap.vlt.nec clerici ſecularia negotia tractent*. Sine cuius iuris cognitione nullus index ſatis peritus eſſe poteſt cognitionis rerum ſecularium, ſiue ciuiles ſint, ſiue criminales. Diſtant enim inter ſe maxime hæc duo corpura, Reſpublica & Eccleſia; ciuile etiam vitæ genus & Eccleſiaſticum. Quæ differentia diſtinctionem quoque fecit inter negotia, delicta, pœnas, iudices ciuiles & Eccleſiaſticos. Et vt Apoſtolus vetat ne clerici curis ſecularibus ſe immiſceant, ſic etiam rerum Eccleſiaſticarum eos par eſt curam habere. Cum ſit enim fides in Ieſum Chriſtum, & ex fide nata credentium Eccleſia & ſocietas ſua diſciplina conſtans, etiam Regibus inuitis, ex præcepto Apoſtoli in his rebus Deo potius quam hominibus obediendum eſt. Ipſe quoque Paulus hanc eandem ſeruat differentiam rerum humanarum ſiue ciuilium, aut ſecularium & Eccleſiaſticarum ſiue ſpiritualium. Quantum ad cauſas ciuiles attinet, omnes Chriſtianos hortatur vt controuerſiæ de iis rebus inter eos ortæ arbitrio eorum, quos partes elegerint, qui non ex presbyteris ſumantur, ſed ex peritis iuris humani, dirimantur: earum enim rerum cognitione clericos abſtinere iubet. Quod attinet ad criminales cauſas, de quibus arbitri non accipiuntur, duo ſunt inſignia apoſtolica præcepta, alterum Petri, alterum Pauli, coniuncta à Gratiano ſub *can. magnum 11. quæſt.1.* quia illis locis duobus vnum & idem præceptum continetur. Hoc præcepto iubentur omnes mortales vt ſe ſubiiciant poteſtati gladii, quam dedit DEVS *Principibus & poteſtatibus ſupremis*, ait Paulus; *regi vt ſupremo*, ait Petrus, ad coercitionem facinoroſorum. Adiicit Petrus libertatem omnem huic iuſſo contrariam fore velamen malitiæ, aſylum ſcilicet & protectionem quandam ſcelerum, Paulus laſciuiam fore carnis.

Vera enim libertas Chriſtianorum, inquit Petrus, eſt ſeruire Deo & huic mandato quo Regum gladio ſubiici illis præcipitur. Cum Iuriſconſultis Romanis hi Apoſtoli, maxime vero Paulus natus ciuis Romanus, plane conſentiunt. Primum aiunt *ἀρχὴν ὑπερέχουσαν, magiſtratum ſupremum*, quem Ariſtoteles *ἀρχὴν κυριωτάτην πάντων, Dominum omnium* vocat. Ait Palus, hic magiſtratus *διαταγὴ θεοῦ ἐστι, conſtitutio Dei*, Petrus *κτίσις ἀνθρωπίνη, conſtitutio humana*. Verba Iuriſconſultorum ſequitur Paulus, *ſeruitus eſt conſtitutio iuris gentium*. Sic Apoſtoli, *regia poteſtas eſt conſtitutio rerum humanarum à Deo facta*. Dein dicunt Apoſtoli magiſtratum ſupremum habere *ἐξουσίαν τῆς μαχαίρας εἰς ἐκδίκησιν τῶν κακοποιῶν*, Iuriſconſulti vero *poteſtatem gladii ad animaduertendum in facinoroſos homines*. Ait Paulus *magiſtratum ſupremum geſtare gladium coercitionis cauſa*, hoc forte, ideo quia princeps, ſolus & quædam maximæ poteſtates, vt præfectus prætorio & qui vicariam præfecturam adminiſtrabant, ſedebant in cognitionibus habitum militarem induti & cingulo militari cincti. Tum etiam quia poteſtas gladii & omnis coercitio criminis, legis fuit apud Romanos non Iuriſdictionis neque magiſtratus. Aiunt Apoſtoli *laudi bonorum non tantum coercitioni improborum*: Sic Iuriſconſulti, *bonos*, inquiunt, *non tantum metu pœnarum ſed præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes*. Aiunt Apoſtoli *omnem animam ſubiici*. Gratianus ſub Can. *magnum 11.q.1.* ait *omnibus clericis præceptum eſſe à Petro*. Atqui Petrus ipſe initio Epiſtolæ ait ſe ſcribere *ad omnes ſanctificatos in Chriſto*. Aut ergo ex illis non ſunt clerici, aut hoc præcepto continentur. Paulus dicit ſe *omnibus ſanctis qui Romæ* erant ſcribere, id eſt Eccleſiæ Romanæ, quare aut ſanctorum appellatione non cenſentur clerici, vel illis quoque præceptum eſt ab Apoſtolo. Sed ingenue agnoſcit Pelagius Papa ad Childebertum Regem Francorum Clodouei filium ſcribens, *Regibus*, inquit, *nos eſſe ſubditos ſacra ſcripturæ præcipiunt*. can. *ſatagendum.25*.q.1. De ſua & Pontificum Romanorum perſona loquebatur. Cum ait, *ſacra ſcriptura*, hæc Apoſtolorum præcepta intelligit notiſſima & quæ in omnium Chriſtianorum ore verſabantur. Longe ſecus ac Romani ſcriptores huius ætatis, qui publice profitentur clericos non eſſe Regibus ſubditos. Secus etiam ac *libellus aphoriſmorum* Romæ probatus, qui aſſerit clericos committere non poſſe crimen maieſtatis in principes temporales, quod illis non ſint ſubditi. Quæ doctrina eſt peſtis & euerſio Rerumpublicarum, quas, cum ex iuſtitiæ regulis ſunt conſtitutæ, gratiſſimas eſſe Deo agnoſcunt etiam pagani ſolo lumine naturali edocti, quod illuceſcit omni homini venienti in hunc mundum. Quare ex Apoſtolorum duobus locis coniunctis regia vel ſuprema poteſtas nihil aliud eſt, quam conſtitutio Dei, qua omnes mortales Iuriſdictioni Regum ſubiiciuntur in eam rem, vt boni laudentur, improbi coerceantur. Hæc ſunt, quæ ex ore diuino ſumpta pertinent, ad primum caput controuerſiæ.

Codex canonicus veteris Eccleſiæ veſtigia Apoſtorum ſequutus eſt. Quod enim Paulus Chriſtianos hortatur vt controuerſiæ eorum, ſententia arbitrorum iudicentur, id vetus Eccleſia tranſtulit in clericos. Nec tantum id comprehenditur codice Eccleſiæ Catholicæ, ſed & codice vetere Romano. Hi duo codices præcipiunt, vt à litibus inter ſe abſtineant clerici: Si quæ oriantur, ad Epiſcopum eant, cuius ſuaſu arbitros eligant, quorum ſententia, quod æquum & bonum ſit de controuerſia eorum ſtatui, diſcant, antequam iure in foro congrediantur. Hoc præcipitur canone 9. concilii Chalcedonenſis, qui habetur vtroque codice &

Eccle-

Ecclesiæ, & veteri Romano, *Si quis clericus aduersus clericum habet negotium non deserat Episcopum proprium & ad secularia conuolet iudicia: sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certe consilio eiusdem Episcopi apud eos quos vtraque pars elegerit, quæ ad litem pertinent discutiantur. Si quis autem præter hæc fecerit canonicis correctionibus subiacebit. Quod si clericus habet causam aduersus Episcopum proprium vel aduersus alterum, apud synodum prouinciæ iudicetur. Quod si aduersus eiusdem prouinciæ metropolitanum Episcopus vel clericus habet querelam petat primatem diœceseos, aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ & apud eum iudicetur.* Hoc canone iubentur clerici de controuersiis inter eos natis ad Episcopum ire.

Nec tamen hoc canone vlla fit imminutio Iurisdictionis magistratus, vt docetur hac voce, *prius*, quam si ex hoc canone auferas, falsam ei affinges sententiam & menti Ecclesiæ contrariam, vt faciunt qui nihil ex hoc canone citant præter hanc partem, *Si quis clericus aduersus clericum habet negotium, non deserat proprium Episcopum & ad secularia percurrat iudicia.* Liberum itaque relinquit hic canon de controuersiis tantum inter clericos ortis factus, illis post sententiam arbitri, si ei stare noluerint, iudicio coram magistratibus contendere sine pœna & sine appellationis necessitate: quanto magis libertatem non adimit laicis, de quibus nihil statuit, clericos coram magistratibus conueniendi. Hic canon qui comprehensus est & codice canonum Ecclesiæ vniuersæ, & codice veteri Romanæ Ecclesiæ, vsum Ecclesiæ Catholicæ nos docet vsque ad Codicem Gratiani. Burchardi enim & Iuonis *collectiones* omitto, quia priuatæ fuerunt, nec ex illis sunt vnquam citati canones. Hæc de actionibus ciuilibus, quæ in clericos exercentur dicta sint. In criminalibus, codex Ecclesiæ primitiuæ separauit etiam accusationes & crimina Ecclesiastica clericorum à ciuilibus *can. 6.* concilii Constantinopolitani, quod inter priora quatuor œcumenica secundum est. Hic canon summa cum prudentia constituit, qui admitti ad accusationem clericorum debeant, & qui reiici: simul etiam cognitionem de criminibus Ecclesiasticis clericorum tribuit Episcopis, neque aliam præterea: Eius sunt hæc verba: *Quoniam multi qui Ecclesiasticum ordinem confundere & euertere volunt, causas aliquas odiose & calumniose aduersus gubernatores Ecclesiæ orthodoxos Episcopos confingunt, nihil aliud molientes quam vt existimationem de sacerdotibus impuram faciant, & tumultus in populis pacificis excitent: hac de causa placuit sancto concilio Episcoporum qui Constantinopoli conuenerunt; accusatores non recipi absque aliqua inquisitione, neque omnibus permittere vt Ecclesiæ gubernatores accusent, neque etiam omnibus prohibere. Si igitur aliquis priuatam querelam aduersus Episcopum mouerit, quod ab eo fraudatus aut aliquid præter ius passus sit, in huiusmodi accusationibus non inquiratur, neque de persona neque de religione accusatoris. Oportet enim conscientiam Episcopi liberam esse, & eum qui se iniuria affectum dicit suum ius consequi, cuiuscunque religionis fuerit. Si autem crimen* (ἔγκλημα) *cuius accusatur Episcopus, fuerit Ecclesiasticum, tum accusatorum personas æstimare ac censere oportet.* Dein enumeratis personis quæ ab accusatione clericorum repelluntur, sic ait: *Si vero aliqui neque aliquorum criminum accusati neque damnati neque hæretici neque excommunicati fuerint, dicant autem se habere accusationem* (κατηγορίαν) *Ecclesiasticam aduersus Episcopum, hos sancta synodus iubet instituere primum accusationem coram omnibus prouinciæ Episcopis & coram illis arguere crimina Episcopi delati. Si vero Episcopi prouinciæ crimina quæ intenduntur diiudicare non potuerint, tum accedant accusatores ad maiorem synodum Episcoporum illius diœceseos, qui hac de causa conuocati fuerint. Accusationem autem non instituant antequam scripto pari periculo se subiiciant si inuenientur in accusatione calumniose egisse. Si vero spretis his quæ eo quo indicauimus modo statuta sunt, ausus fuerit regias aures obtundere & iudicia principum secularium vel synodum œcumenicam turbare, contumeliose contemnens omnes eius diœceseos Episcopos, hic omnino ad accusandum non suscipiatur, vtpote qui iniuriam infert canonibus, & ordinem Ecclesiasticum perturbat.* Canon hic clare accusationes criminum Ecclesiasticorum, quæ à Clericis admittuntur, à cæteris distinguit, eorumque cognitionem synodo Episcoporum tribuit, neque quicquam statuit de criminibus, quæ causam continent publicorum iudiciorum, ex quorum causa accusandi vnicuique ex populo potestas permissa est, & quibus publicis Iudiciis salus Reipublicæ maxime continetur. Ait Canon Ecclesiasticum (ἔγκλημα) *crimen*, more Iurisconsultorum, qui dicunt *delictum militare* l. 2. ff. de re militari, cuius hæc sunt verba: *Militum delicta siue admissa aut propria sunt aut cum cæteris communia: vnde & persecutio aut propria aut communis est. Proprium militare est delictum quod quis vti miles admittit*, & in l. 6 ff. eo. *omne delictum est militis quod aliter quam disciplina communis exigit, committitur: veluti segnitiæ crimen, vel contumaciæ, vel desidiæ.* Eandem loquendi formam sequitur concilium, & crimen Ecclesiasticum vocat quod contra disciplinam Ecclesiæ committitur. Eadem est pœnarum differentia, aliæ enim Ecclesiasticæ sunt seu spirituales, aliæ vero temporales; illæ in canonum, hæ in legum sunt potestate. Criminibus ciuilibus Canones non irrogant pœnas præter eas quas vocant pœnitentiales ad forum Dei solummodo pertinentes, quamuis lege Principum, qui nutricii, prætores, protectores, pastores & Episcopi exteriores Ecclesiæ à Deo constituti sunt, criminibus Ecclesiasticis pœnas statuant solere, quo de rebus cæteris Ecclesiæ, leges facere possunt adiuuandi, exequendi, defendendi iuris diuini & Canonici causa, cuius custodia illis est à Deo mandata. Episcopi Iudices sunt criminum Ecclesiasticorum, quæ pœnis Canonicis coercent. Quod si grauitas criminis pœnam Canonicam superet, degradatum reum Episcopus magistratui reddit, pœnis legitimis, quæ pares sint crimini, præterea puniendum, velut constituit Heraclius. Vt autem crimina & accu-

otio, atque ſegnitie Clericorum, & de facinoribus, quæ nonnunquam ab iis perpetrantur, non lædunt, neque attingunt eos, qui ab his omnibus vitiis ſunt remotiſſimi. Nam quod ais, crimina Clericorum ſpargenda non fuiſſe in vulgus, ſed omni tenetentia contegenda exemplo filiorum Noe, qui verenda patris obtexerunt, id quanam ratione fieri poſſet, indicare debebas. Nam quis omnium eſt tam acutus, atq; adeo perſpicax, vt excogitare poſſit aliquam rationem, qua quæ in oculis omnium poſita ſunt, minime videantur? Si Clerici ipſi flagitia ſua non occultant, imo quidem etiam geſtire videntur, vt in lucem prodeant, nullo modo poſſunt ea vel contegi, vel diſſimulari. Si qua nomina deferuntur, vt deferri plurima, eſt neceſſe, nonne iudicibus agendum eſt ex legum præſcripto? Id etiam apud vos ipſos fieri ſolet. Vt igitur omnes homines ſileant, atque obmuteſcant, tabulæ publicæ loquuntur, & quæſtiones habitæ. Sed, inquis, Clerici puniendi ſunt per ſuos iudices. Primo id latere non poteſt, atque ita verenda patrum, vt tu vis, minime obteguntur. Deinde non alii Clericorum ſunt iudices, quam ipſi principes; quod manifeſtiſſimis argumentis ſuperius euicimus, ea vero repetere, & inculcare. more tuo, noſumus. Id modo dicimus, ex quo vrbs Veneta fuit condita vſq; ad hoc tempus, de atrocioribus criminibus clericorum non ab Epiſcopis, ſed à iudicibus conſtitutis ab ipſa Republica ſemper iudicatum eſſe; imo in *Venetis Annalibus* memoriæ eſt proditum, antequam Dux crearetur, definitam fuiſſe quibuſdam certis legibus eius poteſtatem, inter quas ea fuit, vt priuatæ cauſæ à Tribunis iudicarentur, publicæ vero ad iudicium Principis pertinerent, ſicut etiam grauiora crimina Eccleſiaſticorum, exceptis cauſis, vt inquiunt, mere ſpiritualibus. Hactenus à te fuit inquiſitum in eas literas, quas à Senatu profectas eſſe falſo credidiſti, quemadmodum prius inquiſieras in alteras, Ducis nomine ſcriptas, Hic has, & illas in vnum faſciculum colligis, & quaſi pro tribunali ſedens igni adiudicas. Atrox ſententia, ſed inique admodum, & à non ſuo iudice lata, ac proinde nihili facienda.

Chronic. And. Dandul. lib. 7. anno 697.

Cap. 11.

Reſciſſa eſt ea iampridem D. Cypriani authoritate, quam tu per imprudentiam, vt alia non ſemel, contra nos adducis, & tamen aperriſſime pro nobis facit. Decernit enim eas literas tantum reſpuendas eſſe, quæ ſcribuntur ab iis, *qui furori ſuo, vel libidini ſeruiunt & diuinæ legis, & ſanctitatis immemores iactitare interim geſtiunt, quæ probare non poſſunt.* Siquidem an probare poſſimus ea, quæ ſcripta ſunt à Duce & Senatu, res ipſa arguit; Vtri autem vel furori, vel libidini ſeruierint, aliorũ erit iudicium, & eorum maxime, qui venturis ætatibus futuri ſunt. Præſtaret equidem vobis (idque aliquando ſentietis) non modo literas veſtras incendio abſumi, ſed etiam omnẽ memoriam eorum, quæ contra Remp. Venetam acta ſunt, (ſi fieri quo quo modo poſſet) ex mentibus hominum perpetua obliuione deleri. Sic enim famæ, & exiſtimationi veſtræ multo melius conſultum eſſet, neque haberent ii, qui vobis ſucceſſuri ſunt, vnde iuſto aliquo pudore ſuffunderẽtur. Hæc, & alia quæcunque à vobis prouocati diximus, ſi forte veſtris auribus acciderint iniucunda, & ingrata, illa cogitate. Primum adulatione nullam peſtem maiorem eſſe, quæ veritatem delet, & animos in fraudem inducit, noſtri autem inſtituti non fuiſſe vnquam fallere, aut veritatem ſtudio aſſentationis tegere, quamuis ea parere odium ſæpe conſueuerit. Deinde paria debere eſſe hæc officia monere, & moneri: ſi vobis agere cum Republica non modo libere, ſed etiam aſpere, & prope atrociter collibitum fuit, æquo animo accipere, & ſuſtinere debetis, ſi quid acerbius eſt dictum, quod ratio ipſa, & neceſſitas, non voluntas, aut ſtudium à nobis expreſſit. Dictum eſt illud celebre: *Si dixeris quæ vis, audies, quæ non vis.* Nihil à te, Baroni, prætermiſſum fuit vel probri, vel maledicti. Frequenter exclamas, Senatum atque Principem noſtrum iniquos, & contumaces eſſe, enormiter peccaſſe in Chriſti Vicarium, imo in Chriſtum ipſum, atque eius tunicam inconſutilem, quæ eſt Eccleſia, ſchiſmate conſcidiſſe.

Videbatur atrocius nihil à te dici poſſe: Veruntamen omnia maledicta execrationibus cumulas: *Vt qui ſcidistis*, inquis, *Eccleſiam Dei, patiamini ipſi in Remp. veſtram ſciſſuram.* Vox hæc vtraq; improba, altera etiam impia. Dux, & Senatus, Baroni, Eccleſiam Dei minime conſciderunt, vos potius illud agere videmini, & nullum non lapidem mouere, vt ea conſcindatur. Siquidem ea præcipitis, quæ diuino, & humano iuri contraria ſunt, quod quidem nihil aliud eſt, vt Cardinalis Turrecremata perſpicue docet, *quam ſeparare ſe à corpore Eccleſiæ Chriſto ſubiectæ per obedientiam, & in ſchiſma incidere.* Præter hæc autem diſcordiarum, & diſſidiorum cauſas vel comminiſci, vel vtcunque oblatas ab improbis facillime, & auidiſſime arripere cõſueuiſtis. Sed fruſtra in præſens. Nam Veneta Reſp. quod ſemel, iterum, ac ſæpius profeſſa eſt, & quotieſcunque ſe res tulerit, profiteri minime grauabitur, conſtantiſſime decreuit perſiſtere in Catholica fide, quam B. M. Euangeliſta à Principe Apoſtolorum acceptam primus attulit in has oras, & diſſeminauit, perpetuoq; maiores illius coluerunt, & in qua Veneti nominis ciues omnes educati, imo nati ſunt; ad hæc vero erga ſedem Apoſtolicam, & ſummum Pontificem eandem obſeruantiam, atq; reuerentiam tueri, à Rep. Veneta ſemper fuit exhibita; Quo nomine magnam laudẽ ſibi comparauit, neque modo his præconiis ſummorum Pontificum celebrata eſt, quæ tu commemorare voluiſti, vt mitigares, opinamur, tot vulnerum acerbitatem, quæ nimis atrociter inflixiſti. Atqui ſapientis non eſt plagam facere, vt inde medicina fiat. Veruntamen pro hac officii, atq; animi tui ſignificatione, qualiſcunq; ea ſit, gratiæ tibi debentur, ſi quæ ſunt habendæ. At non modo his, quæ tu refers, præconiis Reſp. celebrata fuit, ſed quod permagni intereſt ad decus, atq; laudem illius, à SS. Oecumenica Synodo Tridentina, vnde nonnulla depromere propterea libet, quod illuſtre continent de

illa

illa testimonium: *Præter alias*, in quit, *innumeras virtutes, quas in Reip. administratione vestri prudentissimi ciues melius expresserunt, quā ulli sapientes homines ratione, & præceptis tradiderunt, nihil vnquā diligentius, quam veram pietatē, & religionem coluistis, atq; ad pacem, & cōcordiam conseruandam, & cum dignitate retinendam, omnes curas, & cogitationes contulistis. Neq; vero alia vobis studia sanctiora, & antiquiora illa esse debent, vt qui à præclaris tu maioribus orti, & procreati estis, qui cum in misera illa totius Italiæ vastitate, miranda vrbis vestræ fundamenta iacerent, non tam illi quidem sibiipsis videntur otii, & securitatis perfugium quæsiisse, quam pacis, & trāquillitatis publicæ sedē stabilem, & domicilium certum collocasse. Nam quod ad religionem attinet, hæc vestra beatissima Reip. hæc, inquam, vera, summa, & propria laus est, quod fidē Christi non accepit, sed in ea nata, & pie educata, eam deinceps per tot seculorum ætates purā, atq; integram sancte, & religiose conseruarit. ita vt quam late Venetorū imperium, & ditio pateat. vt nusquam vllum peregrinæ doctrinæ vestigium nusquā interruptus orthodoxæ fidei cultus appareat, vbiq; sanctitas, vbiq; religio, & Catholicæ Ecclesiæ disciplina, atq; instituta plurimū vigeant, quin potius quod in extremis orientis partibus adhuc lumen aliquod veteris, & sinceræ religionis eluceat, id totū Christi Ecclesia inprimis Dei clementiæ, deinde Venetorum pietati, ac virtuti acceptum refert.* Audistin, Baroni, quot, quātaq; de Veneta Rep. & prædicarit, & senserit S. Synodus? Cur igitur tibi, aut aliis in mentem venit eius amplitudini, atq; laudi tam manifeste detrahere? Eius leges iniquas, & impias vocitare; quæ non hodie, aut heri sancitæ sunt, sed ante multas ætates, quæque iudicio S. Synodi comprobantur, quinetiam plurimis encomiis augentur, atq; honestantur? Huicne Reip. maledicere te decebat, qui sacrorum conciliorum authoritatem non spernendam doces? Huicne dissidia, & seditiones ominati, quibus diuina benignitas fecit, vt nunquā laborarit, efficietq; vt speramus, in posterum etiam ne laboret?

In admission. orat. Rep. Ven. die 25. April. 1572.

Sed, inquies, hæc pericula & mala potius cauenda præcepi, quam denunciaui. De hac sollicitudine, quam pro Rep. geris, plurimum te amamus. Sed vereri minime debemus, vt eueniant hoc tempore, quæ nunquā euenerunt. Iisdē artibus, atq; institutis nunc administratur Resp. quibus primum coaluit, & ad hanc amplitudinem peruenit. Quid est causæ, vt immutari quicq̄ patiatur, vt tantū alienis voluntatib. obsecundetur? Deus O. M. qui præcipuo quodam patrocinio semper hanc Remp. rexit, & sartam tectā ab omni periculo conseruauit, Deipara virgine intercedente, cui primordia huius ciuitatis cōsecrata sunt, beatoq; Marco Euangelista, in cuius clientela est; eandem rectis sensib. eunte em semper adiuuabit, & si qui illam offendere cupiunt, eorū conatus reprimet, atque irritos reddet. Quapropter ea pericula, quæ moues, vt caueantur, nihil veremur, exempla, quæ cōmemoras, alienissima sunt: Nam neq; à recta fide, neq; ab Ecclesia Veneti seiuncti sunt, vt eæ prouinciæ, quas refers, imo, velis, nolis, & quantūuis te cōtorqueas, atq; adeo disrumpas, nulla ratione possunt esse vel à fidelium cōmunione, vel à participatione sacrorū mysteriorum remoti, neq; vero minus ab externis hostibus, q̄ à domesticis, qui plane nulli sunt, tuta est ipsa Resp. Nullę inter ciues factiones, nullaq; dissidia, de quibus tamen suspicari aliquid videris: Sed quis Apollo hoc in somniis tibi nunciauit? Nunquā fuit maior conspiratio, & concordia inter omnes ordines: vniuersi plane sunt ea mente, et pro cōmuni dignitate, atq; adeo libertate defendenda non modo facultates, & opes, sed vitā quoq; ac sanguinem profundere parati sint. Quod vero adiiciendū putasti, de quorundam æmulorū, atq; hostium cachinnis, quibus ludibrio Venetos omnes futuros prædicis, hæc vero nos susq; deque. Nam quæ à stultis, vel ab imperitis dicuntur, non sunt attendenda. Cur a. nomen Donatistarum tam frequens in ore habeas, & Reip. quodammodo obiectes, minime videmus: Tu vide, ne istic potius vigeant Donatistæ, quorū hæresin sapit, fideles, qui per sinceram fidem, atq; charitatem Christo, & Ecclesiæ cohærent, ab Ecclesia, & à Christo disiunctos existimare. Quod autem vt audiremus monuisti nonnulla ex iis, quæ Basilius Imperi dixit in octauæ Oecumenicæ Synodi consessu, miramur primo quid tibi venerit in mentem res diuersissimas, atq; disiunctissimas copulare, & connectere orationis similitudine quadam ficta. Deinde ne quis incautior in fraudem inducatur, monemus capitis nomine nō intelligi ab ipso Imperatore Rom. Pontificem, quod tu addidisti de tuo, sed beatum Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham; imo vero ostendi non tantum Rom. Pontificis iudicio fore acquiescendum, verum etiam reliquos Patriarchas in consilium adhibendos esse. Sic n. ait: *Iudicium quatuor Patriarchalium sedium quis dissoluere poterit? Ad quē enim confugietis solutionē obligamenti petentes? Ad Rom. Præsulem? Sed sinetenim vos condemnauit. Ad Antiochenum? Sed consentaneus Romano & consonus factus est. Ad Hierosolymitanum, & Antiochenum? Sed & illi vestra damnationi consentiunt, &c.* Et infra: *Quomodo aperire oculos, & aspicere quempiam poteritis impugnari ab omnibus Patriarchalibus sedibus?* Hæc a. admonere fuit necessarium, vt omnibus constet quid de Rom. Pontificis monarchia senserit optimus, & orthodoxus Imp. vt ēt tu appellas, Basilius. Cuius quidem orationem, & bene longam quandoquidem nos audire, vel extra rē voluisti: æquum est, vt etiam vos audiatis non ita multa verba, quæ Xystus Opt. Pontif. dixit, non tam in suum, q̄ in nostrum solatium, & omnium eorū, qui calumniis, iniquissime exagitantur. *Fratres*, in quit, *propter insidiantium vituperationes, aut accusationes, vel propter laudantiū opiniones, nec ad dexterā. nec ad sinistrā declinare debemus; sed inter verba laudantiū, siue vituperantium ad mentē semper recurrendū est. Et si in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnā tristitiā generare debet, & rursum si in ea nō inuenitur malū, quod de nobis homines loquūtur, in magnā debemus lætitiam prosilire. Quid n. si omnes laudant, & conscientia nos accuset? aut si omnes accusent, & cōscientia nos liberos demōstret? Habemus Paulū dicentē: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Iob quoq; dicit: Ecce in cælis testis meus. Si ergo est nobis testis in cælo, testis in corde: dimittamus,*

Alphons. de Castr. cont. hær. lib. 6. verb. Baptismus. hær. 5.

Lib. 6 verb. Ecclesia. hær. 1.

2. Cor. 1.

Matth. 7.

stultos foris loqui, quod volunt. Quid enim aliud detrahentes faciunt, nisi in puluerem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, vt vnde plus detractionis proflant, inde magis nihil veritatis videant.

Habemus igitur, ne solliciteris, Baroni, quid respondeamus ad nostros obtrectatores, si qui erunt. Tu quoque, ni fallimur, satis à nobis, superque habes. Nihil enim complectitur tua Parænesis (licet ea nihil admodum complectatur præter execrationes, & maledicta, sacrarumq; scripturarum loca, perperam detorta, quibus detractis, nihil solidum prope superest) Sed nullum argumentum est, quantumuis infirmum, & leue, quod non fuerit à nobis accurate perpensum, firmaque ac graui (ni fallimur) responsione satis confutatum.

Quod autem Venetam Remp. valere minime iusseris (vti moris scribentium est) quemadmodum etiam principio nullam salutem dixisti, nihil id sua refert; salus, & incolumitas ipsius nō à Baronio, sed à Deo pendet, vnde non modo salus, sed omnia bona promanant. Tu modo valeas, si tamen id officii genus non horres à nobis accipere. Sin autem, hoc certe non recusabis, quod à D. Ambrosio & Gregorio proficiscitur, & Deum precamur, vt penitus insideat in mentibus, sensibusque vestris. Nam ille Theodosium Pium Imperatorem his verbis alloquitur: *Noui te pium, clementem, mitem, atque tranquillum, fidem, ac timorem Domini cordi habentē, sed plerumq; aliqua nos fallunt: habent aliqui Zelum Dei, sed nō secundum scientiam.* Hic autē ita scribit ad Theotistam: *Sunt multi fidelium, qui imperito Zelo succenduntur, & sæpe, cum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt. Eorum infirmitati consulendum est, & sicut prædixi, ratione, & mansuetudine placandi sunt; illi quippe sunt similes, de quibus scriptum est: Testimonium illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Et quoniam vt Rex ille sapientissimus ait, *funiculus triplex difficile rumpitur*, tertio loco accedat, & concludat hanc nostram Antiparænesin D. Thomas, qui quo spiritu præditus erat, nempe Angelico, vnde & angelici Doctoris cognomen inuenit, præsagisse videtur hæc vulnera Christianæ Reipublicæ. Eius autem hæc ipsa verba sunt in Hieremiam Prophetam: *Nota, quod Prælati destruunt populum propter operis peruersitatem; supra X. quia stulte egerunt Pastores, & Dominū non quæsierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est: Propter doctrinæ falsitatem, infra, L. grex perditus factus est populus meus: Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntq; vagari in montibus; de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. Propter timoris pusillanimitatem Zach. XI. O pastor, & Idolum derelinquens gregem gladium super brachium eius, & super oculum dextrum eius: Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Propter Domini austeritatem, Ezech. XXXIV. Cum austeritate, imperabatis eis, & cum potentia; & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset Pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propter curæ remissionem, Zach. XI. Suscitabo Pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id, quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet.*

D. Ambros. epist. 29.
Rom. 10.
D. Greg. lib. 9 epist. 39.
Rom. 10.
Cap. 12.

MDCVI. VIII. Kalend. Octobr.

Ego Petrus Antonius Ribettus Archidiacon. Vicarius Generalis affirmo in hoc opere nihil esse contra fidem Catholicam.

Ego Fr. Paulus Sereniss. Reipub. Theologus examinaui, & approbaui.

Ego Fr. Bernardus Iordanus Theologus confirmo vt supra, cumque scribere nequeam, aliena manu subscribere feci.

Ego Fr. Michael Angelus Venetus Ord. Min. Regularis Obseru. Theologus confirmo, nihil in his scriptis contra Catholicam fidem reperiri.

Ego Fr. Marcus Antonius Capellus Min. Con. Theologus, nihil contra fidem Catholicam in his scriptis reperi.

Ego Fr. Camillus Venetus Augustinianus affirmo, nihil his scriptis contineri contra sanctam fidem Catholicam.

Ego Fr. Fulgentius Seruita legi retroscripta, & in iis nihil fidei Catholicæ repugnans reperi.

PARISII CVIVSDAM CONSVLTATIO

Anno 1606

DE CONTROVERSIA INTER SANCTITATEM PAVLI QVINTI, ET SERENISSIMAM REMPVBLICAM VENETAM.

AD VIRVM CLARISSIMVM VENETVM.

ACCEPI tuas literas, vir clarissime, quibus me rogas, vt de controuersia, quæ est inter sanctitatem Pauli quinti & Serenissimam Rempublicam vestram, tibi respondeam, cuius controuersiæ tria narras esse præcipua capita. Primum de coercitione criminum, quæ à clericis admittuntur. Secundum de decreto senatus, quo prohibuit ne loca venerabilia deinceps sine eius voluntate extruerentur. Tertium de prohibitione laicis facta, ne res soli in Ecclesias sine eiusdem senatus assensu transferrent. Cum autem vt tibi obsequerer, me paro, allatus est ad nos liber patris Pauli theologi & religiosi viri ordinis Seruorum de ea re doctissime scriptus, quem ab omnibus populis & principibus viris legi, reipublicæ Christianæ maxime interesse puto. Quare opera illius elegantissima præuentus ad te tantum ea scribam, quæ ex authorum nostrorum libris deprompta, eius scriptioni addi posse censeo, sequutus ordinis nostri hominum libertatem hactenus non abrogatam, & vtilissimum publice morem, quo rogatis illis licet licuitque semper de controuersiis; quæ inter principes de summis etiam rebus oriuntur, ex boni & æqui scientia respondere.

Auctor esse perhibetur Iacobus Leschasserius aduocatus Regius.

Sed antequam dicere incipio de tribus capitibus controuersiæ, videndum est quo iure Italia regatur, quæ res communi bono cum Pontificis tum principum Italiæ cessura est, & illius legitimam & canonicam authoritatem, horum vero libertatem confirmatura. Inprimis Italiæ cum omnibus Christianis gentibus hoc commune est, vt in rebus Ecclesiæ regatur iure diuino, quod sacris scripturis continetur, cui iuri neque reges, neque pontifices, neque tota hierarchia Ecclesiæ derogare possunt. Quod ad reges attinet, sic est sancitum can. non licet. distin. 10. *Non licet imperatori neque cuiquam pietatem custodienti aliquid contra diuina mandata præsumere, nec quidquam quod Euangelicis, Propheticis aut Apostolicis regulis obuiet, agere.* Pontificum vero nomine par est non alium respondere quam Papam. Is erit Vrbanus *can. sunt quidam 25. quæst. 1. Sciendum est,* inquit, *summopere, quia inde nouas leges condere potest (Romanus Pontifex) vnde Euangelista aliquid aut Propheta nequaquam dixerunt. Vbi vero aperte Dominus, vel eius Apostoli & eos sequentes sancti patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est vsque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur.* Hierarchiæ vero Ecclesiasticæ nomine respondebit concilium vniuersale Nicenum secundũ can. 2. *Substantia nostra hierarchia,* inquit. *sunt sermones à Deo traditi, diuinarum scilicet scripturarum scientia vera.* Hanc regulam concilium Nicenum secundum sumpsit ab Ephesino, quod Epistola ad Pamphiliæ synodum scripta, his verbis illi præcipit: *Omnia facias cum consilio sacra scriptura qua diuinitus est inspirata.* Dein Italia regitur iure Romano Iustinianeo, cuius pars est *Codex canonum* Ecclesiæ veteris Catholicæ ab ipso iure imperatorio confirmatus. Quam libertatem Italia summa cura & vigilantia sibi defendit, non tantum Pontificibus Romanis testibus, sed & propugnatoribus acerrimis cum in rebus temporalibus tum in Ecclesiasticis: quod per seriem temporum mihi demonstrandum est. Ante tempora Iustiniani Imperatoris ad Theodoricum Gothum regem Italiæ Papa Gelasius scribit can. *certum* distin. 19. in hæc verba, *Certum est magnificentiam vestram leges Romanorum principum quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, multo magis circa reuerentiam beati Petri Apostoli pro sua fœlicitatis augmento velle seruari.* Gothis vero Italia pulsis à Iustiniano, impetrauit ab eo Papa Vigilius pragmaticam sanctionem, qua forma Italiæ receptæ data est. Eius pragmaticæ initium sic est, *Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romæ Episcopi quædam disponenda esse censuimus ad vtilitatem omnium pertinentia, qui per occidentales partes habitare noscuntur.* Deinceps articulo decimo sic ait, *Iura insuper vel leges codicibus nostris insertas quas iam sub edictali programmate in Italiam dudum misimus, obtinere sancimus, sed & eas quas postea promulgauimus constitutiones iubemus sub edictali programmate vulgari, & ex eo tempore quo sub edictali programmate vulgata fuerint, etiam per partes Italiæ obtinere, vt vna volente Deo facta republica, legum etiam nostrarum vbique prolatetur authoritas.* Postquam vero Imperatores occidentis Italiam in potestate & ditione

habuerunt Papa Leo 4. eandem rem postulauit à Lothario Augusto, quæ petitio illius habetur in can. *vestram*. distin. 10. *vestram*, inquit, *flagitamus clementiam, vt sicut hactenus Romana lex viguit absque vniuersis procellis & pro nullius persona reminiscitur esse corrupta: ita nunc suum robur propriumque vigorem obtineat*, Quod quidem ius Iustinianeum publice prælectum est Romæ Imperatorum authoritate, qui post Iustinianum regnarunt, vt & Beryto & Constantinopoli, quibus tantum in locis ab ipso iure permissum vt publice doceretur. Authoritate Imperatorum in Italia imminuta, & repertis in Amalphitana vrbe Digestis, quæ diu latuerant, Irnerius iussu comitissæ Mathildis Iustinianeum Ius publice docuit Bononiæ, quo munere successores eius in eadem vrbe Pontificum Romanorum ornati stipendiis & priuilegiis functi sunt. Pontificum exemplum totius Italiæ principes, maximeque serenissima Respublica summo ardore sequuta est. Hinc factum est vt Honorius secundus Papa de iure respondens cap. 1. ex. de Iuram. calum. his verbis vtatur, *Decernimus*, inquit, *& cum authoritate Imperiali irretractabiliter definimus*. Definiebat autem & respondebat de iureiurando clericorum ex codice canonum primitiuæ Ecclesiæ ab Imperatorio iure confirmato. Quod eo magis ab hominibus harum rerum peritis est obseruandum, quia inter Pontifices Gregorii septimi successores sedit Honorius secundus, qui omnes hæreditatem odii creuerunt, quo Gregorius septimus Imperatores & eorum iura regia, dignitatemque omnium regum sunt prosequuti. Quare tota Italia in hoc iure, quod coluit, libertatem suam esse positam semper existimauit. Nec vero solum secularium rerum causa tanto studio laborarunt Pontifices Romani in hoc iure retinendo, sed etiam vt Ecclesiasticæ controuersiæ secundum illud dirimerentur, supra quas Ecclesiæ causas eminet reuerentia beati Petri Apostoli, quam ex hoc iure seruari postulabant à Theodorico rege Gothorum. Nec enim definitiones factæ ab hoc iure de rebus Ecclesiasticis in Italia sola religiose obseruabantur, verum etiam in toto orbe Christiano: Cuius rei testis est locupletissimus, can. *de illicita. 24. q. 3*. Synodus Parisiensis sub Ludouico Pio habita, quæ ait ab vniuersa Ecclesia seruari constitutionem à Iustiniano factam de excommunicationibus, quæ ab Episcopis præter causas canonicas fiunt. Quæ constitutio à Iuliano antecessore latine literis mandata est cum cæteris Nouellis Iustiniani, quarum ex eius interpretatione cognitionem iampridem habuit Italia, Iuliani hæc sunt verba, *Nemo Episcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem antequam causa probetur, propter quam Ecclesiastici canones hoc fieri iubent. Si quis autem aduersus ea excommunicauerit aliquem, ille qui excommunicatus est maioris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat: is autem qui non legitime excommunicauit, in tantum tempus abstineat sancta communione, quantum maiori sacerdoti visum fuerit, vt quod iniuste fecit, ipse iuste patiatur*. A Iustiniano autem, post omnes, qui eum antecesserunt Christiani Imperatores, probatus est & confirmatus codex canonum Ecclesiæ Catholicæ qui omnium manibus terebatur, & secundum quem synodi vniuersales ipsæ de controuersiis Ecclesiasticis sententias ferebant. Sub hoc iure nata est serenissima Respublica vestra Christiana, catholica, sui iuris, libera: ab hoc alita, instituta, aucta, & summam dignitatem merito consequuta: ad eius præscriptum vixit & Italiæ maximam partem viuentem vidit.

Cum hæc ita sint, innouanda mihi est & instauranda codicis canonum Ecclesiæ primitiuæ memoria & è tenebris obliuionis quibus iam diu sepulta fuit, excitanda. Quod necesse est disceptanti mihi controuersiæ capita quæ proposuisti: simul etiam vt ex hac restitutione fiant manifesta tam quæ erant in eo codice, quam quæ non erant, quæque tamen vulgo solent illi falso tribui confirmandæ & tuendæ cupiditati & ambitioni quorundam, quasi ex authoritate sanctorum canonum veteris Ecclesiæ. Neque enim existimare debemus sanctissimos & sapientissimos patres illos veteres Ecclesiam iure incerto, sine regularum & definitionum collectione certa rexisse, vel canones quibus illa regeretur habuisse sparsos, vagantes, nullius collectionis corpore conclusos, vt pro libidine cuiuscunque licuisset per falsi crimen suppositirios canones Ecclesiæ obtrudere, qui mos semper fuit ambitionis & cupiditatis humanæ, quod libuisset authoritati Ecclesiæ vniuersæ tribuere. Postulant à nobis patres illi, vt de sua pietate & prudentia potius ita sentiamus, voluisse illos Ecclesiam habere corpus certum regularum sui iuris, quas ex certis conciliis collegerint, & concilia certo ordine disposuerint, certoque & immutabili numero canones illorum complexi sint, cui neque addi neque detrahi à quoquam posset, vt hoc quasi vallo & muro septum iuris corpus aduersus falsi crimen vndique tutum esset. Neque tantum vt falsum præuenirent solebant veteres iura sua in certa corpora colligere, sed etiam vt vim omnem iuribus extra collectiones publica authoritate factas vagantibus & dispersis adimerent. Ob easdem causas Theodosius Imperator *Nouella de confirmatione corporis suarum Nouellarum*, ait se in corpus vnius codicis constitutiones præcessorum suorum redegisse: ne aliter nisi ex ipso codice in iudicio proferentur. Eandem rationem & consilium sequutus Iustinianus codicem suum fecit, constitutiones in multa volumina dispersas in vnum corpus colligendo, quod ipse testatur *l. vn. C. de emendatione codicis Iustinian*, vnde iura *extrauagantia* posteritas appellauit, quæ non in corpore codicis, sed extra corpus diuagarentur, vt Iustiniani verba vsurpem, quibus eodem loco vsus est. Ea fuit primum, antequam componeretur codex Theodosianus, prouidentia & vigilantia patrum Ecclesiæ Catholicæ, quæ collectionem suam *corpus codicis canonum* nuncupauit, quemadmodum & Imperatores *corpus codicis constitutionum* suarum dixerunt. Quare etiam in more habebat Ecclesia alia iura, quæ illi obtrudebantur codice suo non comprehensa,

velut

velut notha & adulterina nulliusque authoritatis reiicere, quod Gallicani Episcopi factitarunt, teste acerrimo authoritatis Romanæ defensore Nicolao primo Papa, qui in Epistola quam ad illos scripsit relata in codicem Gratiani can. *si Romanorum.* distinct. 19. hæc illorum verba recenset, *Quanquam*, inquit, *quidam vestrum scripserint haud illa decretalia priscorum Pontificum in toto corpore codicis canonum inueniri descripta.* Sed quis melius nos docuerit hanc mentem & prouidentiam Ecclesiæ Catholicæ, quam eadem ipsa, quæ cum conuenisset in concilio Chalcedonensi quod quatuor primorum œcumenicorum postremum est, *actione octaua* cognoscens de controuersia mota de Episcopatu, nonagesimum quintum & nonagesimum sextum canones citat corporis sui canonici, & ex eorum iure de controuersia pronuntiat, cuius actionis octauæ verba sunt hæc: *Gloriosissimi iudices dixerunt: Legantur hi canones. Leontius reuerendus Episcopus Magnesiæ ex codice legit regulam nonagesimam quintam: Si quis Episcopus vacans super Ecclesiam vacantem semetipsum iniiciens subripuerit sedem præter perfectum concilium, hunc expellendum esse, licet omnis populus quem arripuit, eum elegerit. Perfecta vero synodus illa est, cui interest & metropolitanus Episcopus. Idem reuerendus Leontius ex eodem codice legit regulam nonagesimam sextam: Si quis Episcopus ordinationem acceperit Episcopatus & populo præesse decretus non acquieuerit ordinationi, neque ei persuasum fuerit proficisci ad Ecclesiam sibi commissam, hunc excommunicatum esse, donec coactus acquiescat aut quicquam de eo Episcoporum prouinciæ synodus perfecta definiat.* Hi duo canones reperiuntur hodie in concilio Antiocheno, quod libro continetur, qui vulgariter appellatione *canonum apostolorum & conciliorum* inscribitur, suntque illi duo canones, alter sextus decimus, alter septimus decimus concilii Antiocheni. Horum numerorum ope adiuti & eo ordine quo canones illi collocati fuerunt in codice canonum antiquo, & illo quo reperiuntur hodie in concilio Antiocheno, nos viam & rationem, si qua est, reperire debemus, qua codicem antiquum, quo Ecclesia Catholica in concilio Chalcedonensi vsa est, restituamus. Ita enim compositum codicem antiquum esse oportuit, vt canones illi duo, nempe sextus decimus, idem septimus decimus concilii Antiocheni, reperiantur alter nonagesimus quintus, alter vero nonagesimus sextus in serie canonum totius illius codicis antiqui. Quod vt fiat primum obseruandus nobis est ordo, quo collocata fuerunt concilia in codice antiquo initium à Niceno facientes. Qui quidem ordo inuenitur hodie in locis quinque veteris memoriæ, qui ad nostram vsque ætatem conseruati sunt. Primus locus reperitur in concilio Constantinopolitano in Trullo can. ὑπερφρονίζομεν, vbi hoc ordine recensentur, Concilium Nicenum, Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Antiochenum, Laodicense, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, quod actione octaua citat canones nonagesimum quintum & nonagesimum sextum huius codicis. Eodem ordine disponuntur in codice canonico Græco Ecclesiæ orientalis Lutetiæ Parisiorum edito, diligentia Iohannis Tilii Engolismensis, qui post editionem quam cardinali Turnonio dicauerat; Episcopus Meldensis factus est. Codex autem ille græcus per omnia conuenit cum codice Photii latine tantum apud nos edito, & sola lingua alter ab altero differt. Hac eadem serie collocantur in codice Moguntino, qui editus est anno 1525. quem Moguntinum codicem dicunt esse veterem Romanum ii, qui recognouerunt codicem Gratiani iussu Gregorii 13. in præfatione recognitioni suæ præfixa. Seruauit eum ordinem Pontifex Romanus Leo quartus in enumeratione quam facit horum conciliorum scribens ad Episcopos Britanniæ *can. De libellis. distin. 20.* Horum quinque testimoniorum tria prima feruntur ab Ecclesia Orientali, duo posteriora Roma nobis conseruauit locus occidentis omnium celeberrimus. Quare certissima sunt hæc testimonia ab Ecclesia vniuersa lata de ordine conciliorum in codice canonico, quem in manibus habebat illa in concilio Chalcedonensi. Imo tanta fuit ecclesiæ religio in compage corporis canonum conseruanda, vt cum ordinem temporis non seruasset in collocatione conciliorum Ancyrani & Neocæsariensis, quæ Nicenum concilium posterius tempore sequuntur collectionis ordine, lectores monuerit ita factum propter reuerentiam quæ debetur Niceno, quod primum omnium œcumenicum ipsa celebrauit. Quod suum consilium præfixum est initiis conciliorum Ancyrani & Neocæsariensis inscriptione, quæ etiamnum in codicibus græcis seruata est, cuius inscriptionis ratio vulgo ignoratur, & videtur hodie sine vllo vsu his conciliis præfixa, soluto corpore codicis antiqui, & vagis & dispersis singulis extra suum corpus conciliis per volumina, quæ vbique eduntur, conciliorum. Post ordinem, quem habuerunt in codice antiquo singula concilia, obseruatum, enumerandi sunt canones illius codicis, initium à primo canone Niceni concilii sumentes, neque enim ad finem cuiusque concilii peruenerimus, à dinumeratione tamen cessandum est, sed continua nec interrupta numerorum serie vtendum, qua numerandi forma vsum est concilium Chalcedonense. Ea cum peruenerimus ad canonem sextum & decimum concilii Antiocheni à concilio Chalcedonensi citatum, qui canon incipit in codice orientali εἴ τις ἐπίσκοπος σχολάζων, & in codice Romano Moguntiæ edito, *si quis Episcopus vacans*, reperiemus illum canonem esse nonagesimum sextum codicis orientalis, quem dedit Tilius; at vero esse nonagesimum quartum codicis Romani Moguntiæ editi. Nam in codice orientali viginti canones concilii Niceni, quinque & viginti Ancyrani, quidecim Neocæsariensis, viginti Gangrensis, sexdecim Antiocheni; hi, inquam omnes numeri coniuncti sex & nonaginta efficiunt. At in codice Romano viginti

ginti canones consilii Niceni, quatuor & viginti Ancyrani, quatuordecim Neocæsariensis, viginti Gangrensis & sexdecim Antiocheni; hi, inquam, coniuncti numeri quatuor & nonaginta efficiunt. Rursum ab his duabus rationibus differt ratio concilii Chalcedonensis. Nam ratio codicis Romani canonem sextum & decimum concilii Antiocheni efficit quartum & nonagesimum codicis canonici antiqui: ratio concilii Chalcedonensis eum facit quintum & nonagesimum. Quod vero attinet ad contextum & verba codicum orientis & Romani, plane consentiunt, neque plus verborum est in hoc, quam in illo. In hoc solo differunt quod in conciliis Ancyrano & Neocæsariensi non quidam in vno ex illis codicibus, in alio diuisus est in duo membra, & ex vno duo facti sunt canones. At componendæ huic paruæ codicum controuersiæ obseruanda est antiqua ratio, quæ proculdubio fuit in vsu concilio Chalcedonensi, sicque certissima fides codici canonico antiquo restitueretur. Initium faciam controuersiæ codicum componendæ à concilio Ancyrano. Hoc quinque & viginti canonibus constat in codice orientis, at quatuor & viginti tantum in codice Romano: hoc ideo quia quartus & quintus canones huius concilii in codice orientis, vnicum canonem efficiunt qui quartus est in codice Romano.

Præstat autem ratio codicis orientis, eaque veteres vsi sunt. Nam Photius patriarcha Constantinopolitanus vbicunque in *Nomocanone* citat concilium Ancyranum, hanc rationem sequitur. Theodorus quoque Balsamo *libro secundo commentariorum* diuidit concilium Ancyranum in quinque & viginti canones. Harmenopolus index Thessalonicensis eandem sequutus est rationem in tota *epitome sanctorum canonum*, & *sectione quinta tituli quarti*, distincte & diuisim citat canones quartum & quintum concilii Ancyrani, qui in codice Romano pro vno habentur. Sed & diserte citat canonem quintum & vigesimum huius concilii *sectione quinta tituli tertii*. Ex latinis Ferrandus diaconus Ecclesiæ Carthaginensis sequitur & hanc rationem in *Breuiarii capitibus centesimo quadragesimo octauo*, & deinceps vsque *ad centesimum quinquagesimum quintum, & aliis item capitibus*. Hæc dicta sint de rationum differentia canonum Concilii Ancyrani, quæ est inter codices. Concilium vero Neocæsariense tot canones habet in codice orientali, quot & in codice Tiliano, nempe quindecim. At in codice Moguntino, qui vetus Romanus est, quatuordecim canones habet. Hæc vero differentia ex eo nata est, quod tertius & decimus canon codicis orientis Tiliani, qui incipit ἐπιχώριοι, item quartus & decimus incipiens οἱ δὲ χωρεπίσκοποι, pro vnico canone duabus partibus, siue periodis constante citantur in Photii *Nomocanone*. Ambo citantur ab eo pro vnico decimo tertio, scilicet prior pars eius canonis *titulo tertio capite quarto*, & posterior *titulo primo capite vigesimo nono*. Balsamo vero Photii commentator *libro secundo* diuisit hunc decimum tertium canonem concilii Neocæsariensis ex duabus periodis compositum in duos canones, quibus diuisum & separatum commentarium subiunxit. Quæ res effecit vt vnicus canon in duos canones diuisus habeatur in codice orientis, quem Tilius publicauit. Inde quoque factum est vt canon proxime sequens huius concilii, qui est decimus quartus in Nomocanone Photii *titulo primo capite trigesimo*, apud Balsamonem pro quinto decimo numeretur. Codex Romanus vetus Moguntiæ editus & Cresconius cum Photio conueniunt. Quare secundum antiquam rationem, quam secutum est concilium Chalcedonense, Ancyranum constat quinque & viginti canonibus, & Neocæsariense quatuordecim: qui numeri coniuncti cum viginti canonibus concilii Niceni, viginti Gangrensis, sexdecim Antiocheni, efficiunt quinque & nonaginta, qui numerus tribuitur à concilio Chalcedonensi sexto decimo canoni Antiocheni concilii: vt illum fuisse oporteat quintum & nonagesimum canonem codicis ecclesiæ primitiuæ vniuersalis. Atque hic est codex canonicus veteris Ecclesiæ Catholicæ, siue conciliorum quatuor œcumenicorum veterum, in quo restituendo & in lucem è tenebris reuocando veritatis amans hanc operam collocaui. Constabat omnino nouem conciliis. Primum omnium erat Nicænum, quod duo diœceseon concilia, quamuis tempore priora, consequebantur propter eius dignitatem, vt codex ipse antiquus docet: postea collata erant tria diœceson concilia, Gangrense, Antiochenum *Chalcedonensi actione octaua* citatum, & Laodicense: compagem claudebant tria posteriora concilia œcumenica Constantinopolitanum scilic. Ephesinum & Chalcedonense. Hic vero codex summa veneratione ab Ecclesia colendus videtur, tanquam suum instrumentum à corpore sacræ scripturæ & authoritate & antiquitate secundum. Quamuis autē huius codicis iure vniuersa Ecclesia regeretur, tamen Italia sibi eum velut proprium vindicauit, quod illum sui Imperatores confirmauerant, & Pontifices Romani, vt eius authoritas in Italia illæsa seruaretur, frequentibus postulationibus impetrauerant à principibus, qui sunt in Italia rerum potiti. Fuit enim in more positum Ecclesiæ veteri Catholicæ, quæ honore & obsequio suos Imperatores colebat, vt cum conuenisset eorum mandato in concilia œcumenica, quibus & illi per se vel legatos gloriosissimos magistratus & iudices præeerant, definitiones suas cum literis ad principes mitteret, quibus canones suos eorum potestati subiiciebat, illorumque confirmationem petebat. Huius generis Epistola concilio Constantinopolitano primo præposita est cum eiusdem sententiæ breui argumento. Eadem quoque inscriptio præfixa est concilio Constantinopolitano in Trullo, vt credere fas sit hanc fuisse solemnem omnibus veteribus conciliis formulam. Sed & post omnes Imperatores Iustinianus *Nouella 131.* de quatuor œcumenicis conciliis

& iis,

& his, quorum authoritas ab illis erat confirmata, sic statuit; *Sancimus vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor conciliis expositæ sunt aut firmatæ. Prædictarum enim quatuor synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus, & regulas sicut leges obseruamus.* Quod ait, *firmata,* regulas intelligit priorum conciliorum, secundum quas de controuersiis ipsæ synodi generalia iudicabant, & codice antiquo Ecclesiæ continebantur. Sed & *Nouella 6.* statuit, vt Episcopi ordinandi in mediis ordinationis solemnibus publice interiurando promitterent se canones conciliorum seruaturos. Secundum eam Pontifices Romani ordinandi iusiurandum præstabant ad formulam constitutionis Iustiniani de Ecclesiasticis regulis, cuius formulæ verba Gregorius pronuntiat can. *sicut.* distin. 16. *Sicut sancti Euangelii,* inquit, *quatuor libros, quatuor concilia suscipere me & venerari fateor.* Imo etiam hæc se seruaturum vsque ad vnum apicem iurat Papa, *can. sancta distin. 16.* Quam veteris formulæ iurisiurandi Pontificii partem esse Cardinalis Deusdedit affirmat in sua *canonum collectione,* quam haberi in bibliotheca Vaticana narrant ad canonem *sancta,* Romani recognitores codicis Gratiani. Non potest igitur Pontifex Romanus iure contendere se canonibus illis conciliorum superiorem esse, nisi sibi supra quatuor Euangelia potestatem arroget. Cuius veritatis testes sunt antiquissimi Pontifices Romani, antequam in eam temporalem potestatem, quam deinceps sibi compararunt, deuenissent. Iuriiurando enim, quod præstare debent, conuenientissima est ingenua Zosymi Papæ confessio, qua can. *contra statuta 25, q. 1.* ad Episcopos Galliæ scribens canonibus conciliorum inferiorem & subditam esse Romanæ sedis potestatem agnoscit. *Contra statuta,* inquit, *patrum condere aliquid vel mutare nec huius quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui statuta patrum sanxere reuerentiam.* Quare codex canonum Ecclesiæ Catholicæ, qui ex conciliis œcumenicis prioribus & cæteris, quæ sunt ab illis confirmata, compositus est, pars est iuris Iustinianei, & cum illo perfecte conueniens, qualis est partis cum tota summa consensio: & in eo iure, cui à Romano Pontifice derogari non potest, posita est Ecclesiæ & omnium principum & populorum Italiæ libertas. Neque hæc ideo assero, vt omnem authoritatem posterioribus conciliis œcumenicis abrogandam esse existimem. Cum primum enim à principibus suscepta sunt, seruanda quoque sunt, sub hac tamen exceptione generali Ecclesiæ Catholicæ, quæ continetur *can. 28 distin. 50. can. hoc ipsum 35, q. 2.* quorum canonum verba sunt hæc, *Quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius concilii magis teneatur sententia, cuius aut antiquior aut potior extat authoritas.* Institutio quoque iuris canonici Pontificum Romanorum mandato scripta lib. 1. tit. 3. sic habet, *Alia vero concilia quæ ductu spiritus sancti congregata & celebrata fuerint, proximum ab istis (quatuor primis) sibi locum vindicant. Quod si quando interea discors sententia inueniatur, illius sententia magis est tenenda cuius antiquior & maior est authoritas.* Ex hac regula potior est authoritas concilii œcumenici, quam concilii diœceseos; huius quoque quam concilii prouinciæ; & huius quam concilii ciuitatis. Sed cum duo concilia œcumenica inter se discordantia comparantur, vincit authoritas antiquioris, in his scilicet rebus, quæ ad fidem pertinent, & in præcipuis regulis quæ quasi fundamenta sunt & columnæ libertatis & disciplinæ cum ipsa Ecclesia natæ, non in cæteris leuioribus quæ pro varietate locorũ & temporum possunt immutari. Quam disciplinam & libertatem Ecclesia Catholica in concilio Ephesino *can. 6.* scriptis Apostolicis, statutis patrum & antiqua consuetudine comprehendi prædicat, quam attentari vllius Ecclesiæ pastoris ausu vel conatu nefas est, *ne forte,* ait concilium *sub specie administrationis rerum sacrarum typhus potentiæ in Ecclesiam sese insinuet, sensimque imprudentes libertatem eam amittamus, quam dominus noster Iesus Christus omnium liberator suo sanguine pretioso nobis largitus est.* Hæc est itaque generalis Ecclesiæ definitio canonibus antiquis comprehensa, priores canones derogare posterioribus in rebus fidei & præcipuis regulis disciplinæ cum Ecclesia natæ; secus ac in rebus ciuilibus fieri solet, in quibus iura posteriora prioribus derogant. Secundum hæc admissiones conciliorum posteriorum à quibusdam principibus factę interpretationem recipere debent, vt intelligantur admissa concilia salua Ecclesiæ Catholicæ perpetua definitione quæ inesse semper, etiamsi non sit expressa, intelligatur. Sic Episcopi Galliarum, qui fidem Imperatori Ludouico Pio datam seruabant, neque in partes coniuratorum filiorum cum Papa aduersus Imperatorem transiuerant, contra noua quædam iura exceptione vtebantur his verbis concepta, *ni aliter se habeat antiquorum authoritas canonum.* Quæ exceptio expressa etiam est beati Ludouici Regis Francorum *pragmatica sanctione,* quæ in omnibus editionibus pragmaticæ Caroli septimi illi subiecta est. Ea sanctione statuit Ludouicus, vt Ecclesia canonibus conciliorum Ecclesiæ Dei regeretur, illis nimirum, quos veteres sancti patres fecissent. Cum ergo naturalis libertas Italiæ posita sit in sacra scriptura, in codice canonum antiquo Ecclesiæ Catholicæ, in iure Iustinianeo, & in posterioribus conciliis quæ veteribus non aduersantur, neque in fide neque in regulis libertatis cum Ecclesia natæ, superest vt disceptatio fiat controuersiæ inter sanctitatem Pauli quinti & serenissimam Rempublicam ortæ ex iuribus illis Italiæ, quæ de hac tanquam legitimi & æqui iudices pronuntiare debent.

Vt vero dicam de primo controuersiæ capite, quod est de foro criminali clericorum, repetenda est paulo altius distinctio facta in Imperio Romano duorum vitæ generum, ciuilis & Ecclesiastici. *De foro criminali clericorum.* Subditi Imperio Romano in milites & paganos distincti fuere, vnde nata diuisio negotiorum, delictorum, pœnarum, iudicum ciuilium & militarium. At religione Christiana suscepta alia duo genera hominum facta sunt, clericorum & laicorum. Clerici sunt militibus com-

comparati, scilicet milites Christi militibus seculi. Paulus 2. Timoth. 2. *labora*, inquit, *sicut bonus miles Iesu Christi: nemo militans implicat se negotiis secularibus vt ei placeat cui se probauit*. Cum iure Romano Paulus consentit. Militares viros, ait lex, ciuiles curas suscipere prohibemus, *l. militares. Cod. de re milit.* Sequutus Paulum est Imperator cum ait *l. repetita. 41. Cod. de Episc. & cler.* absurdum imo etiam opprobriosum esse clericis, si se peritos velint ostendere disceptationum esse forensium. Sequutus est etiam Apostolum Pontifex Romanus qui clericos operam iuri ciuili dare prohibet *cap. vlt. nec clerici secularia negotia tractent*. Sine cuius iuris cognitione nullus index satis peritus esse potest cognitionis rerum secularium, siue ciuiles sint, siue criminales. Distant enim inter se maxime hæc duo corpora, Respublica & Ecclesia; ciuile etiam vitæ genus & Ecclesiasticum. Quæ differentia distinctionem quoque fecit inter negotia, delicta, pœnas, iudices ciuiles & Ecclesiasticos. Et vt Apostolus vetat ne clerici curis secularibus se immisceant, sic etiam rerum Ecclesiasticarum eos par est curam habere. Cum sit enim fides in Iesum Christum, & ex fide nata credentium Ecclesia & societas sua disciplina constans, etiam Regibus inuitis, ex præcepto Apostoli in his rebus Deo potius quam hominibus obediendum est. Ipse quoque Paulus hanc eandem seruat differentiam rerum humanarum siue ciuilium, aut secularium & Ecclesiasticarum siue spiritualium. Quantum ad causas ciuiles attinet, omnes Christianos hortatur vt controuersiæ de iis rebus inter eos ortæ arbitrio eorum, quos partes elegerint, qui non ex presbyteris sumantur, sed ex peritis iuris humani, dirimantur: earum enim rerum cognitione clericos abstinere iubet. Quod attinet ad criminales causas, de quibus arbitri non accipiuntur, duo sunt insignia apostolica præcepta, alterum Petri, alterum Pauli, coniuncta à Gratiano sub *can. magnum 11 quæst. 1.* quia illis locis duobus vnum & idem præceptum continetur. Huc præcepto iubentur omnes mortales vt se subiiciant potestati gladii, quam dedit DEVS *Principibus & potestatibus supremis*, ait Paulus; *regi vt supremo*, ait Petrus, ad coercitionem facinorosorum. Adiicit Petrus libertatem omnem huic iusso contrariam fore velamen malitiæ, asylum scilicet & protectionem quandam scelerum, Paulus lasciuiam fore carnis.

Vera enim libertas Christianorum, inquit Petrus, est seruire Deo & huic mandato quo Regum gladio subiici illis præcipitur. Cum Iurisconsultis Romanis hi Apostoli, maxime vero Paulus natus ciuis Romanus, plane consentiunt. Primum aiunt ἀρχὴν ὑπερέχουσαν, *magistratum supremum*, quem Aristoteles ἀρχὴν κυριωτάτην πάντων, *Dominum omnium* vocat. Ait Palus, hic magistratus διαταγὴ θεοῦ ἐστι, *constitutio Dei*, Petrus ἀνθρωπίνη κτίσις, *constitutio humana*. Verba Iurisconsultorum sequitur Paulus, *seruitus est constitutio iuris gentium*. Sic Apostoli, *regia potestas est constitutio rerum humanarum à Deo facta*. Dein dicunt Apostoli magistratum supremum habere ἐξουσίαν τῆς μαχαίρας εἰς ἐκδίκησιν τῶν κακοποιῶν, Iurisconsulti vero *potestatem gladii ad animaduertendum in facinorosos homines*. Ait Paulus *magistratum supremum gestare gladium coercitionis causa*, hoc forte, ideo quia princeps, solus & quædam maximæ potestates, vt præfectus prætorio & qui vicariam præfecturam administrabant, sedebant in cognitionibus habitum militarem induti & cingulo militari cincti. Tum etiam quia potestas gladii & omnis coercitio criminis, legis fuit apud Romanos non Iurisdictionis neque magistratus. Aiunt Apostoli *laudi bonorum non tantum coercitioni improborum*: Sic Iurisconsulti, *bonos*, inquiunt, *non tantum metu pœnarum sed præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes*. Aiunt Apostoli *omnem animam subiici*. Gratianus sub Can. *magnum 11. q. 1.* ait *omnibus clericis præceptum esse à Petro*. Atqui Petrus ipse initio Epistolæ ait se scribere *ad omnes sanctificatos in Christo*. Aut ergo ex illis non sunt clerici, aut hoc præcepto continentur. Paulus dicit se *omnibus sanctis qui Romæ* erant scribere, id est Ecclesiæ Romanæ, quare aut sanctorum appellatione non censentur clerici, vel illis quoque præceptum est ab Apostolo. Sed ingenue agnoscit Pelagius Papa ad Childebertum Regem Francorum Clodouei filium scribens, *Regibus*, inquit, *nos esse subditos sacræ scripturæ præcipiant*. can. *satagendum. 25.* q. 1. De sua & Pontificum Romanorum persona loquebatur. Cum ait, *sacræ scripturæ*, hæc Apostolorum præcepta intelligit notissima & quæ in omnium Christianorum ore versabantur. Longe secus ac Romani scriptores huius ætatis, qui publice profitentur clericos non esse Regibus subditos. Secus etiam ac *libellus aphorismorum* Romæ probatus, qui asserit clericos committere non posse crimen maiestatis in principes temporales, quod illis non sint subditi. Quæ doctrina est pestis & euersio Rerumpublicarum, quas, cum ex iustitiæ regulis sunt constitutæ, gratissimas esse Deo agnoscunt etiam pagani solo lumine naturali edocti, quod illucescit omni homini venienti in hunc mundum. Quare ex Apostolorum duobus locis coniunctis regia vel suprema potestas nihil aliud est, quam constitutio Dei, qua omnes mortales Iurisdictioni Regum subiiciuntur in eam rem, vt boni laudentur, improbi coerceantur. Hæc sunt, quæ ex iure diuino sumpta pertinent, ad primum caput controuersiæ.

Codex canonicus veteris Ecclesiæ vestigia Apostolorum sequutus est. Quod enim Paulus Christianos hortatur vt controuersiæ eorum, sententia arbitrorum iudicentur, id vetus Ecclesia transtulit in clericos. Nec tantum id comprehenditur codice Ecclesiæ Catholicæ, sed & codice vetere Romano. Hi duo codices præcipiunt, vt à litibus inter se abstineant clerici: Si quæ oriantur, ad Episcopum eant, cuius suasu arbitros eligant, quorum sententia, quod æquum & bonum sit de controuersia eorum statui, discant, antequam iure in foro congrediantur. Huc præcipitur canone 9. concilii Chalcedonensis, qui habetur vtroque codice &

Eccle-

Ecclesiæ, & veteri Romano; *Si quis clericus aduersus clericum habet negotium non deserat Episcopum proprium & ad secularia conuolet iudicia: sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certe consilio eiusdem Episcopi apud eos quos vtraque pars elegerit, quæ ad litem pertinent discutiantur. Si quis autem præter hæc fecerit canonicis correctionibus subiacebit. Quod si clericus habet causam aduersus Episcopum proprium vel aduersus alterum, apud synodum prouinciæ iudicetur. Quod si aduersus eiusdem prouinciæ metropolitanum Episcopus vel clericus habet querelam petat primatem diœceseos, aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ & apud eum iudicetur.* Hoc canone iubentur clerici de controuersiis inter eos natis ad Episcopum ire.

Nec tamen hoc canone vlla fit imminutio Iurisdictionis magistratus, vt docetur hac voce, *prius*, quam si ex hoc canone auferas, falsam ei affinges sententiam & menti Ecclesiæ contrariam, vt faciunt qui nihil ex hoc canone citant præter hanc partem, *Si quis clericus aduersus clericum habet negotium, non deserat proprium Episcopum & ad secularia percurrat iudicia.* Liberum itaque relinquit hic canon de controuersiis tantum inter clericos ortis factus, illis post sententiam arbitri, si ei stare noluerint, iudicio coram magistratibus contendere sine pœna & sine appellationis necessitate: quanto magis libertatem non adimit laicis, de quibus nihil statuit, clericos coram magistratibus conueniendi. Hic canon qui comprehensus est & codice canonum Ecclesiæ vniuersæ, & codice veteri Romanæ Ecclesiæ, vsum Ecclesiæ Catholicæ nos docet vsque ad Codicem Gratiani. Burchardi enim & Iuonis *collectiones* omitto, quia priuatæ fuerunt, nec ex illis sunt vnquam citati canones. Hæc de actionibus ciuilibus, quæ in clericos exercentur dicta sint. In criminalibus, codex Ecclesiæ primitiuæ separauit etiam accusationes & crimina Ecclesiastica clericorum à ciuilibus *can. 6.* concilii Constantinopolitani, quod inter priora quatuor œcumenica secundum est. Hic canon summa cum prudentia constituit, qui admitti ad accusationem clericorum debeant, & qui reijci: simul etiam cognitionem de criminibus Ecclesiasticis clericorum tribuit Episcopis, neque aliam præterea: Eius sunt hæc verba: *Quoniam multi qui Ecclesiasticum ordinem confundere & euertere volunt, causas aliquas odiose & calumniosa aduersus gubernatores Ecclesiæ orthodoxos Episcopos confingunt, nihil aliud molientes quam vt existimationem de sacerdotibus impuram faciant, & tumultus in populis pacificis excitent: hac de causa placuit sancto concilio Episcoporum qui Constantinopoli conuenerunt; accusatores non recipi absque aliqua inquisitione, neque omnibus permittere vt Ecclesiæ gubernatores accusent, neque etiam omnibus prohibere. Si igitur aliquis priuatam querelam aduersus Episcopum mouerit, quod ab eo fraudatus aut aliquid præter ius passus sit, in huiusmodi accusationibus non inquiratur, neque de persona neque de religione accusatoris. Oportet enim conscientiam Episcopi liberam esse, & eum qui se iniuria affectum dicit suum ius consequi, cuiuscunque religionis fuerit. Si autem crimen* (ἔγκλημα) *cuius accusatur Episcopus, fuerit Ecclesiasticum, tum accusatorum personas æstimare ac censere oportet.* Dein enumeratis personis quæ ab accusatione clericorum repelluntur, sic ait: *Si vero aliqui neque aliquorum criminum accusati neque damnati neque hæretici neque excommunicati fuerint, dicant autem se habere accusationem* (κατηγορίαν) *Ecclesiasticam aduersus Episcopum, hos sancta synodus iubet instituere primum accusationem coram omnibus prouinciæ Episcopis & coram illis arguere crimina Episcopi delati. Si vero Episcopi prouinciæ crimina quæ intenduntur diiudicare non potuerint, tum accedant accusatores ad maiorem synodum Episcoporum illius diœceseos, qui hac de causa conuocati fuerint. Accusationem autem non instituant antequam scripto pari periculo se subiiciant si inuenientur in accusatione calumniose egisse. Si vero spretis his quæ eo quo indicauimus modo statuta sunt, ausus fuerit regias aures obtundere & iudicia principum secularium vel synodum œcumenicam turbare, contumeliose contemnens omnes eius diœceseos Episcopos, hic omnino ad accusandum non suscipiatur, vtpote qui iniuriam infert canonibus, & ordinem Ecclesiasticum perturbat.* Canon hic clare accusationes criminum Ecclesiasticorum, quæ à Clericis admittuntur, à cæteris distinguit, eorumque cognitionem synodo Episcoporum tribuit, neque quicquam statuit de criminibus, quæ causam continent publicorum iudiciorum, ex quorum causa accusandi vnicuique ex populo potestas permissa est, & quibus publicis Iudiciis salus Reipublicæ maxime continetur. Ait Canon Ecclesiasticum (ἔγκλημα) *crimen*, more Iurisconsultorum, qui dicunt *delictum militare l. 2. ff. de militari*; cuius hæc sunt verba: *Militum delicta siue admissa aut propria sunt aut cum cæteris communia: vnde & persecutio aut propria aut communis est. Proprium militare est delictum quod quis vti miles admittit*, & in l. 6 ff. eo. *omne delictum est militis quod aliter quam disciplina communis exigit, committitur: veluti segnitiæ crimen, vel contumaciæ, vel desidiæ.* Eandem loquendi formam sequitur concilium, & crimen Ecclesiasticum vocat quod contra disciplinam Ecclesiæ committitur. Eadem est pœnarum differentia, aliæ enim Ecclesiasticæ sunt seu spirituales, aliæ vero temporales; illæ in canonum, hæ in legum sunt potestate. Criminibus ciuilibus Canones non irrogant pœnas præter eas quas vocant pœnitentiales ad forum Dei solummodo pertinentes, quamuis lege Principum, qui nutricii, prætores, protectores, pastores & Episcopi exteriores Ecclesiæ à Deo constituti sunt, criminibus Ecclesiasticis pœnas statuant eo iure, quo de rebus cæteris Ecclesiæ, leges facere possunt adiuuandi, exequendi, defendendi iuris diuini & Canonici causa, cuius custodia illis est à Deo mandata, Episcopi Iudices sunt criminum Ecclesiasticorum, quæ pœnis Canonicis coercent. Quod si grauitas criminis pœnam Canonicam superet, degradatum reum Episcopus magistratui tradit, pœnis legitimis, quæ pares sint crimini, præterea puniendum, velut constituit Heraclius. Vt autem crimina & accu-

ſtiones Eccleſiaſticas diſtinguit Chalcedonenſe Concilium à cæteris: Ita & Iuſtinianus *Nouella 83. §. ſi tamen*, quæ conſtitutio in codicem Gratiani relata eſt *cau. ſi quis 11. quæſt. 1.* Ea conſtitutione Iuſtinianus criminum ciuilium & Eccleſiaſticorum differentiam ſequutus in eadem genera diuidit Iudices & pœnas, Ciuiles ſcilicet & Eccleſiaſticas. Crimina ciuilia Ciuitatem vel Rempublicam lædunt vt furtum, homicidium, quorum criminum executio Magiſtratibus Reipublicæ data eſt. Eccleſiaſtica diſciplinam Eccleſiæ lædunt & eorum cognitio in Clericos ad Miniſtros Eccleſiæ pertinet, vt vnuſquiſque de re ſua cognoſcat, ab aliena abſtineat. Italia Nouellas Iuſtiniani cognouit ex interpretatione Iuliani anteceſſoris, qui eas latinas fecit. Sic autem hanc, de qua loquor, conſtitutionem reddidit: *Si quis cum Clerico de criminali cauſa litigium habuerit, crimen autem ſit ciuile, tunc competentes iudices in hac ciuitate vel in prouinciis interpellati conſentaneum legibus terminum cauſis imponant. Sin autem crimen Eccleſiaſticum eſt: tunc ſecundum canones ab Epiſcopo ſolo cauſa examinatio & pœna procedat.* Coercet hæc Nouella Epiſcopi Iuriſdictionem intra certos fines, vt cognoſcat de crimine Eccleſiaſtico, quod admiſiſſe dicitur Clericus pœna canonica puniendus. Quare vt cognitio criminalis Epiſcopi Canonibus conueniat, neceſſe eſt eiuſdem generis ſint iudex, reus, crimen, pœna, ſcilicet hæc omnia Eccleſiaſtica eſſe debent. Accuſationum vero criminum priuatorum, quæ ab iis inſtituuntur qui ſuum dolorem ſuamve iniuriam perſequuntur, Concilium Conſtantinopolitanum *parte prima canonis ſexti* meminit, ſed earum cognitionem præciſe ſynodo non tribuit. Mens enim & ſententia Concilii cum iure Romano concordat, quo huiuſmodi accuſatores accuſationes coram Epiſcopis inſtituere poſſunt, ſed inuiti non coguntur. Quod refert conſtitutio Græca Iuſtiniani *l. Θεσπίζομεν μηδένα. Cod. de Epiſcop. aud.* quæ de foro Clericorum, qui accuſantur, facta, fere per omnia imitatur *canonem 6.* Concilii Conſtantinopolitani tam in gradibus Epiſcoporum & Synodorum conſtituendis, quam in diſtinctione criminum Eccleſiaſticorum à ciuilibus. Huius legis τῆς διαιρέσεως hæc ſunt verba: *Has autem actiones ſi quidem ad Eccleſiaſtica negotia pertinent, neceſſe fore iubemus vt à ſolis religioſiſſimis Epiſcopis aut à ſacris ſynodis aut à ſanctiſſimis Patriarchis cognoſcantur. Si vero ſit ciuilium rerum controuerſia, volentes quæſtionem apud antiſtites inſtituere patiemur, inuitos tamen non cogemus, cum iudicia ciuilia ſint, ſi ea adire malint, apud quæ licet etiam de criminibus cognoſcere.* Oſtendi ex iure diuino, ex Canonibus primitiuæ Eccleſiæ, & conſtitutionibus Iuſtiniani cognitionem rerum ſecularium Clericis non competere, item criminum Eccleſiaſticorum, quorum Clerici accuſantur, cognitionem Epiſcopis eſſe canonibus & legibus tributam, cognitionis vero de criminibus priuatis Clericorum, Epiſcopos non eſſe competentes Iudices niſi ex conſenſu accuſatorum.

Criminum publicorum cognitionē nullam habent Epiſcopi. Criminum autem publicorum, de quibus mihi reſtat dicendum, cognitionem nulla lex, nulluſque canon vetus tribuit Epiſcopis. Hoc enim contra rationem iuris Romani fuiſſet, quia nulli iudices, nullæ pœnæ, nullique accuſatores horum criminum in foro Eccleſiaſtico reperiuntur, quod mihi ſigillatim probandum eſt. Primum quod attinet ad iudices, ſi quis eſt qui exiſtimet criminum publicorum, quibus in Rempublicam peccatur, coercitionem Epiſcopis datam fuiſſe, quam ne quidem magiſtratibus ſuis vt magiſtratibus committebant, ei certe non ſatis eſt perſpecta Romanorum veterum ſapientia. Solebant enim ex ſapientum præceptis, in criminum coercitione maximam poteſtatem legi, minimam vero magiſtratibus tribuere. Duo ſunt coercitionum genera: aliud *mulcta* dicitur, quæ eſt in iudicantium arbitrio, aliud *pœna* quæ legitima eſt. Primum nec mulctæ ipſius dictio olim aliis quam conſulibus data eſt, lege Atinia magiſtratibus vrbanis communicata fuit. Republica in principatum verſa, mandatis principum data fuit magiſtratibus prouincialibus & municipalibus. Sed & hodie ex iure Iuſtinianeo plures magiſtratus limitatam, non plenam habent multæ dictionem, teſte titulo codicis *de modo mulctarum quæ à iudicibus infliguntur*: pœnæ vero omnes capitis, famæ, pecuniæ, legitimæ fuerunt. Quare mulcta dicitur & infligitur à iudice: pœna dicitur à lege, irrogatur ab eo cui criminis ſiue delicti executio competit *l. 131. l. 244. ff. de verb. ſignif.* Sed & magiſtratus, qui cognoſcit de crimine, de facto tantum cognoſcit, an Titius Mæuium occiderit, de pœna non pronuntiat: quod ſi pronuntiet, inanis eſt illa pronuntiatio, pœna enim irrogabitur legis non ſententiæ authoritate. Nam, vt Papinianus ait, *facti quidem quæſtio eſt in arbitrio iudicantis, pœnæ autem perſecutio non eius voluntati mandatur*, ſed legis authoritati reſeruatur. *l. 1. §. quorum ff. ad S. C. Turpil.* Quare etiam à pœna non appellatur. à lege enim, quæ de pœna pronuntiat, prouocatio non eſt. Quod ſi magiſtratus cognoſcens de pœna ſtatuere non poteſt, quo iure Epiſcopus de ea pronuntiabit? Hodie quoque ex iure Iuſtinianeo pœnæ capitales, quibus vita, libertas, ciuitas amittitur à lege conſtitutæ, immutari arbitrio iudicantium non poſſunt *l. ordo ff. de publicis iudiciis.* Confiſcandi etiam poteſtas non niſi maximis iudicibus data eſt tit. eod. *ne iniuſſu principis liceat certis iudicibus confiſcare.* Pœnæ quoque non capitales arbitrariæ quidem ſunt, non tamen plenum illarum & liberum arbitrium habent iudices, ſed legitimæ pœnæ quodammodo aſtrictum. Cum enim plures gradus ſint pœnarum, eæque pœnæ omnino temporales, capitis, famæ, damni pecuniarii: omnes ſunt extra poteſtatem liberam magiſtratus, qui ſi à legitima recedat, proximas legitimæ eligere debet ſiue ad ſeueritatem ſiue ad lenitatem declinans. *Hodie*, inquit Iuriſconſultus, *licet ei qui extra ordinem cognoſcit de crimine quam vult ſententiam ferre, vel grauiorem vel leniorem, ita tamen vt vtroque modo*

rationem

rationem non excedat, l. hodie. ff. de pœnis. Sed & alibi Iurisconsultus sic ait, *in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento subsequi*, l. perspiciendum, ff. de pœnis. Hoc vero arbitrium discedendi à legitima pœna & aliam ex proximis pœnis eligendi, ad eum tantum pertinet, cui legitime irrogatio competit, cum sit illud arbitrium electio vnius ea pluribus pœnis temporalibus, quarum nulla est in arbitrio Episcopi. Nec tantum in pœnis lex ita dominatur, verum etiam cognitio ipsa facti, quæ à lege datur, non datur magistratui vt magistratui, sed vt cuilibet, cum etiam priuato dari possit. Definitio enim iuris Romani est, criminum publicorum coercitionem non esse iurisdictionis neque magistratus, sed legis, quæ dat eam non vt partem iurisdictionis magistratus, sed vt merum Imperium, quod *commissionem* forensi verbo nuncupamus, *l. 3. ff. de iurisdict. omni. iud.* Cuiacius *Obserua. lib. 21. cap. 30.* Quod si sola facti cognitio de crimine publico, quod clericus admisit, non est pars iurisdictionis magistratus, qua ratione pars censebitur ministerii Episcopalis? Quod si criminum publicorum coercitio non est in potestate legis sollus, quæ vnquam constitutio vel gratia & ambitione impetrata contra canones Ecclesiasticos, vt Imperatorum verbis vtar, clericos soluit legibus & potestate principis? Quare nullus est index in foro Ecclesiæ, cui potestas data sit coercendi crimina publica, sed nec vllæ sunt pœnæ in eo foro, quæ illis criminibus coercendis conueniant. Episcopi enim secundum canones iudicare debent & pœnas canonicas infligere. Neque vero codice primitiuæ Ecclesiæ, neque codice vetere Romano vlla pœna est constituta criminibus publicis, quibus Respublica violatur, sed quæ sunt iis codicibus pœnæ comprehensæ, delictis Ecclesiasticis solum imponuntur. Pœnas sane concilium Ancyranum *can. 15. & 16.* imposuit quibusdam criminibus publicis, sed pœnitentiales, quæ authoritati magistratuum derogare non possunt, vt nec iurisdictio, quæ dicitur pœnitentialis, confessoris dati morte damnato, sententiæ executionem impedire potest. Sed nec vllus accusator criminum publicorum in foro Ecclesiastico inuenitur. Accusationes enim & crimina aut publica aut priuata sunt. Publicas accusationes instituere olim cuique ex populo potestas data est. vnde publicorum iudiciorum nomen descendit. Nunc vero hoc munus datum est in foro seculari procuratori regio vel fiscali, quale nullum est munus in foro Ecclesiastico constitutum. Nam qui promotor dicitur, vtilitatis cleri vel disciplinæ Ecclesiæ defensor est, non iuris Reipublicæ, cuius defendendæ munus ei non dedit Episcopus, nec vero dare potuit. De republica enim statuere regum est non Episcoporum. Ideo promotor ab Episcopo constitutus ius Reipublicæ in iudicium deducere non potest, cuius vtilitatis potissimum ratio habetur in accusationibus, quæ ex causa publicorum iudiciorum descendunt, cum etiam Respublica omnium princeps & domina in foro suo & coram suis magistratibus de suo iure litigare debeat. Quare in foro Ecclesiastico nec iudex nec pœna nec accusator publicorum criminum reperitur, quæ omnia sunt ad eorum coercitionem necessaria.

Hæc de accusationibus publicis. Priuatarum meminit prima pars canonis sexti concilii Constantinopolitani, quem supra retulimus. Eas volentes accusatores in clericos instituere possunt in foro Episcopi, vt & actores actiones ciuiles, nec possunt clerici accusati vel vocati fori præscriptionem obiicere *can. 15. concilii Carthaginensis.* Hic canon codice veteri Romanæ Ecclesiæ continetur, ex quo codice maiores nostri quandoque canones citauerunt: & sic habet, *item placuit vt quisquis Episcoporum vel presbyterorum & diaconorum seu clericorum cum in Ecclesia ei fuerit crimen institutum vel ciuilis actio fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali actione: in ciuili vero perdat, quod euicit si locum suum obtinere maluerit.* Huius canonis sanctissima mens est, quæ mihi aperienda est, ne quis hoc canone ad imminuendam authoritatem magistratuum ciuilium abutatur. Ait Seneca *latiorem esse officii, quam iuris regulam*, huic sententiæ addi potest, latiorem esse officii Ecclesiastici quam cuiusuis alterius regulam. maiorem enim sanctitatem & innocentiam clerici in contractibus suis & tota vita præstare debent quam laici, ex iure diuino & canonibus. Quod crimen non est pagano, pro crimine habebitur in milite seculi. Iurisconsultus ait: *quædam delicta pagano aut nullam aut leuiorem pœnam irrogant: militi vero grauiorem.* Nam si miles artem ludicram fecerit, vel in seruitutem se venire passus est capite puniendum Menander scribit, *l. quædam 14. ff. de pœnis.* Quare in foro seculari ex legibus ciuilibus absoluendus clericus, in foro Ecclesiæ, quæ ex lege diuina iudicat, damnari debebit. Idcirco in causa criminali vel ciuili vocatum clericum ad forum Ecclesiæ respondere iubet synodus, quamuis actor vel accusator an eo agere vel accusare non cogatur, *l.* [illegible] *Cod. de Episc. aud.* Sed nec clericus in causa ciuili, post arbitri inter clericos accepti sententiam, prohibetur ius publicum inuocare & ad magistratum ire ex *canone nono concilii Chalcedonensis*, qui supra relatus est. *Priuatæ accusationes Clericorum.*

Quare concordantia sunt inter se ius canonicum veteris Ecclesiæ Catholicæ & Iustinianeum, quorum de foro clericorum accusatorum hæ sunt definitiones certissimæ: Accusationum Ecclesiasticarum Episcopos esse competentes & necessarios iudices: ciuilium priuatarum incompetentes esse, nisi ea consensu accusatorum: publicarum prorsus & omnino esse incompetentes.

A temporibus Iustiniani latæ sunt de ea re duæ constitutiones, altera Heraclii Imperatoris,

PP 2 quæ

quæ in *collectione iuris orientalis* habetur; altera Federici Imperatoris in occidente, quæ in *codicem Iustiniani* relata est.

Constitutio Heraclii.

Heraclii constitutio ad Sergium patriarcham Constantinopolitanum scripta duo capita præcipua continet. Priore actionum ciuilium earum, quæ sunt pecuniariæ (χρηματικαί) aduersus clericos motarum cognitionem Episcopis tribuit, quo in loco *pecuniæ* verbum propria & stricta significatione accipitur. Cuius capitis ratio est, quod earum controuersiarum, quæ mere personales sunt, putauit Heraclius iudicium facilius esse, neque iuris ciuilis cognitione admodum indigere, cuius perfecta cognitio Episcopo non est satis conueniens. Quod etiam seruatum fuisse tempore Gratiani arguit, quod ipse ex prædiorum possessionibus clericos Imperatorum potestati subiicit *2. parte 1. quæst. 2.* ex sententia Augustini *can. 1. distinct. 8.* quam à maioribus acceptam regulam Carolus quintus Rex Francorum, qui sapiens cognominatus est, retulit in librum iussu eius factum *& somnii viridarii* nomine inscriptum, qui olim decreto curiæ Parisiensis Iulii secundi Pontificis temporibus typus excusus est: hisque verbis concipitur regula, *Ecclesiam Gallicanam in temporalibus regi subesse.* Huic iuri Heraclii conuenit & constitutio Francisci primi regis Franciæ, qui edicto lato 1535. clericos ad forum Episcopi remitti iubet in actionibus mere personalibus, hoc est pecuniariis nihil realitatis habentibus, vt forensi verbo vtar. Altero capite constitutionis Heraclii quod est de foro clericorum accusatorum limes ille positus canonibus & legibus inter vtrumque forum, qui separat crimina Ecclesiastica à ciuilibus, non est sublatus neque motus verbis vel sententia constitutionis: sed tantum patriarchæ Constantinopolitani ius auget & aliorum Episcoporum minuit. Statuit enim, vt de clericis, qui Constantinopoli reperientur & rei sient criminum, cuiuscunque fuerint illi diœcescos, recognoscat Patriarcha Constantinopolitanus, & eos pœnis canonicis coerceat, quæ si pares criminibus non fuerint, clericos depositos magistratui tradat pœnis legitimis puniendos. Non omnium criminum dicit accusatos clericos ad forum patriarchæ Constantinopolitani pertinere, sed simpliciter criminum accusatos, quod intelligendum secundum regulam vtriusque iuris, eorum scilicet de quibus cognoscit Episcopus. Quare neque expresse, neque tacite limes vtriusque fori motus fuit. Expressis autem verbis in tanta re & tam magna iuris mutatione, opus fuisset. Dein iubet secundum canones reum indicari, quibus nullæ criminibus ciuilibus sunt impositæ pœnæ vt dictum est. Si Ecclesiastici criminis grauitas pœnas canonicas superet, vt interdum accidere potest, iudici seculari tradi iubet reum depositum vt secundum leges, quæ pœnas irrogant criminibus ciuilibus & Ecclesiasticis, coerceatur.

Constitutio Friderici.

Federici vero Imperatoris constitutio ius nouum non facit, imo vetus confirmat. Vetat enim ne clerici, tam in causa ciuili quam in criminali ad forum seculare trahantur contra canonicas sanctiones & Imperiales constitutiones. Itaque nullo modo veteri iuri canonico & Iustinianeo, quod factum est de foro accusatorum clericorum, derogatum est vel Heraclii orientis, vel Federici occidentis Imperatorum constitutionibus.

Episcopi quo colore ordinem iudiciorū turbarint.

Nunc dicendum mihi, quo colore Episcopi ab antiquis temporibus ordinem iudiciorum secularium in his cognitionibus turbarunt. Quæsitus fuit color ab exauctoratione clericorum damnatorum, quam facere solebant Episcopi. Qui mos neque ex codice primitiuæ Ecclesiæ Catholicæ neque ex veteri codice Romanæ Ecclesiæ descendit. Sed ex constitutionibus Imperatorum exauctoratio militaris in Ecclesiam est propagata. Quibusdam pœnis coerceri milites non poterant, nisi exauctorati *l. pœnæ l. proditores ff. de re militari,* Eundem honorem consequuti clerici sunt, quem Iustinianus illis conseruat *Nouella 83.* sed ita vt clerici iam damnati darentur Episcopo exauctorandi. Ea re factum vt causa non cognita exauctorationem renuerent Episcopi, ni probationum criminis inspiciendarum potestas eis fieret, quibus editis acta minus solemniter facta interdum causabantur, & criminum coercitio eludebatur. Cui malo vt mederetur Iustinianus constituit *Nouella 131.* vt magistratus ante condemnationem clerici, acta causæ Episcopo ederet, qui si ea minus solemnia esse diceret, vterque & iudex & Episcopus ad eum de causa literis referrent, vt quod illi æquum esset visum statueret. Hæc est postrema Iustiniani constitutio de ea relata, sub cuius obseruatione nata Serenissima Respublica libera & sui iuris hoc primum vidit, & deinceps perpetuo seruauit. Nam sublatis magistratibus Imperii Romani, delectis nobilibus viris mandauit vt vocato cum opus esset Episcopo cognosceretur de criminibus clericorum & eo præsente cognitionis ipsius acta fierent, vt ad ius Iustiniani quam proxime accederet. Quamuis & illud gratia & ambitione datum Episcopis contra canones videri potuisset, vt Imperatorum verbis vtar in l. priuilegia, C. de sacrosanct. Eccles. *Pragmaticas*, inquit, *sanctiones quæ contra canones Ecclesiasticos interuentu gratiæ vel ambitionis elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas cessare præcipimus.* Quare ius illud Iustiniani potius abrogatum oportuit, vt sancti canones primæ Ecclesiæ plane vigerent, quibus prohibitum est, vt & iure diuino, ne Episcopi rebus secularibus, siue ciuiles siue criminales sint, se immisceant. Neque enim Iustinianus *hac Nouella* distinctionem criminum Ecclesiasticorum & ciuilium sustulit, imo potius conseruauit. Nam eadem Nouella permittit Episcopos ipsos ex authoritate tamen principis ad magistratus siue ciuiles siue militares produci & coram illis exhiberi. Quod non nisi, quantum ad crimina attinet, in ciuilibus criminibus fieri debet: Huius capitis verba apud Iulianum antecessorem sunt hæc: *Nullus Episcopus neque pro ciuili, neque pro criminali causa apud quemuis iudicem siue ciuilem siue militarem*

produca-

producatur vel exhibeatur nisi Imperialis iussio præcesserit. Quam constitutionem Italia cognouit ex Iuliani interpretatione, dein ex codice Iustinianeo, in quem Irnerius eam transtulit. Neque Italiæ necesse fuit eam cognoscere ex falso, quod perpetrauit in ea Gratianus, vel is quem Gratianus sequutus est, *can. 8. 11. quæst. 1.* vbi hæc verba (*nisi Imperialis iussio præcesserit*) constitutioni adimuntur. At Gregorius 13. Pontifex Nouellam restituit constitutione sua recognitioni Romanæ præposita, quæ sic ait, *iubemus vt quæ emendata & reposita sunt omnia, quam diligentissime retineantur, ita vt nihil addatur, mutetur aut imminuatur*, Reddita vero est Nouellæ integritas sua, cum Gregorius iuris peritissimus in ora libri lectorem remittit ad codicem Iustiniani, vbi integra legitur. Eodem modo restitutionis vsus est ad *can. 5. 11. quæst. 1.* in sananda deprauatione rescripti Imperatorii ad præfectum augustalem, quod cum de foro clericorum factum sit, integrum hic adiciam, *Continua lege sancimus nomen Episcoporum vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ne ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum, iudicum pertrahatur: habent illi suos iudices, nec quisquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas attinet, quas decet Episcopali authoritate decidi. Quibuscunque igitur mota fuerit quæstio quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo iudice litigare qui præsul est in suis partibus omnium sacerdotum, Optate clarissime & iucundissime. Quare laudabilis authoritas tua arbitrio temperato quidquid negotiorum aliunde inciderit terminabit, habituro Pontificium sacræ disceptationis Timotheo Episcopo, quem sibi omnes etiam suo iudicio prætulere.* Quare restitutiones harum constitutionum à Gregorio 13. Papa factæ testes sunt æquitatis, quam serenissima Respublica coluit in retinendo iure antiquo, quod & ipsi Papæ integritati suæ dum reddunt, simul etiam probant & quodammodo eius vsum restituunt. Nec vero ius illud antiquum Italiæ proprium, sed illi cum Gallia commune fuit. Vtebatur illa codice Alarici Regis Gothorum authoritate collecti, subiecta singulis legibus interpretatione Aniani, vt ipse Alaricus testatur in *commonitorio*, quod codici præposuit cum hac inscriptione, *incipit lex Romana*: quo commonitorio monet suum codicem ab Episcopis ipsis & cæteris prouincialibus probatum & receptum. Subiecerat singulis legibus Anianus interpretationem, & vbi nihil habuit quod diceret, hæc verba legi subiunxit: *Hæc lex interpretatione non indiget.*

His notis discerni possunt leges illius codicis à cæteris codicis Theodosiani in nouis editionibus, quæ illas simul cum cæteris codicis Theodosiani legibus complectuntur. Separatim editus fuit hic codex Alarici Basileæ anno 1528. sub nomine *Codicis Theodosiani.* Quod pars Galliæ vtaretur hoc Codice, iamdudum dicta est patria iuris scripti. Sed tota Ecclesia Galliarum hoc iure vtebatur teste Ripuariorum Francorum veteri lege, quæ ait, *Ecclesiam Romanam lege viuere*, teste etiam Hincmaro Episcopo Rhemensi, qui citans Romanam quandam legem hæc verba subiungit, *hæc lex interpretatione non indiget*: quod argumentum est eum legem ex codice Alarici citare. Comprehenditur hoc codice Valentiniani Nouella de foro clericorum, cui Anianus subiecit hæc verba: *Si quis laicus clericum siue in ciuili, siue in criminali negotio per authoritatem iudicis ad publicum prouocauerit pulsatus sine delatione respondeat. Episcopus etiam & presbyter siue pro peruasione rei alicuius, siue pro quibuscunque grauibus iniuriis ad iudicium fuerint prouocati, licet in criminalibus causis per alium nulli liceat respondere, Episcopis tamen & presbyteris hac lege testatur vt in talibus causis misso procuratore respondeant, sine dubio vt ad eos redeat sententia iudicati. In reliquis vero criminalibus causis vbi de scelere persona conuincenda est, suam in iudicio præsentiam exhibere procurent. Quod si tertio conuenti per executorem ad iudicium venire noluerint, sententiam excipient contumacis.* Commonitorio Alarici codici præfixo subiungitur, hunc Codicem denuo publicatum fuisse, vt ex illo ius diceretur *anno vigesimo Caroli Regis Francorum & Longobardorum, Patricii Romanorum.* Quare vt Italia & Gallia eodem Imperio continebantur; eodem quoque iure vtebantur; quantum pertinet ad forum clericorum accusatorum. Hoc autem ius idem erat cum iure canonum primitiuæ Ecclesiæ vniuersalis & Iustinianeo, cui in hac re non est derogatum codice veteri Romanæ Ecclesiæ, quo iure Ecclesiæ suburbicariæ Romano Episcopo subiectæ vsæ sunt vsque ad codicem Gratiani, qui agit de foro clericorum *vndecima causa quæstione prima.* A qua quæstione si detrahas ea iura, quæ gentibus exteris tribuuntur, & ad Italiam non pertinent, falsa iura reiicias, deprauata emendes secundum iussum Gregorii 13. nihil supererit iuri antiquo contrarium. Maxime vero si *canonem sextum concilii Constantinopolitani*; qui codice primitiuæ Ecclesiæ continetur, addas huic quæstioni, qui omissus est ab Ecclesia Romana duabus de causis. Prior est, quia cognitionem criminum Ecclesiasticorum tribuit synodis prouinciarum, quam cognitionem Pontifex Romanus sibi vindicat. Posterior, quia summam iudiciorum potestatem, tribuit synodis diœceseon secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem, quam refert Iustinianus, *l. Διαταξεων μαθων Cod. de Episcop. aud.* à maioribus, scilicet, traditum esse à patriarchis diœceseon non appellari, à quibus appellari se debere Papa contendit. quo iure hodie vtimur. Quæ secutæ sunt Gratianum decretales Epistolæ non recipiuntur, quantum attinet ad forum clericorum à principibus, qui eas reiecerunt, vel contrario vsu vel contrariis constitutionibus. Quare recte Venetia retinuit ius vetus quo publicorum iudiciorum, etiam in accusationibus contra clericos institutis, Episcopi non sunt iudices competentes.

Venio ad secundum caput controuersiæ, quæ est inter sanctitatem Pauli quinti & serenissimam Rempublicam. Illud est de senatusconsulto, quo prohibitum est, ne nouæ Ecclesiæ ædificentur *Ne nouæ Ecclesiæ ædificentur.*

& iis, quorum authoritas ab illis erat confirmata, sic statuit; *Sancimus vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor conciliis expositæ sunt aut firmatæ. Prædictarum enim quatuor synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus, & regulas sicut leges obseruamus.* Quod ait, *firmata*, regulas intelligit priorum conciliorum, secundum quas de controuersiis ipsæ synodi generales iudicabant, & codice antiquo Ecclesiæ continebantur. Sed & *Nouella 6.* statuit, vt Episcopi ordinandi in mediis ordinationis solemnibus publice iureiurando promitterent se canones conciliorum seruaturos. Secundum eam Pontifices Romani ordinandi iusiurandum præstabant ad formulam constitutionis Iustiniani de Ecclesiasticis regulis, cuius formulæ verba Gregorius pronuntiat can. *sicut.* distin. 16. *Sicut sancti Euangelii*, inquit, *quatuor libros, quatuor concilia suscipere me & venerari fateor.* Imo etiam hæc se seruaturum vsque ad vnum apicem iurat Papa, *can. sancta distin. 16.* Quam veteris formulæ iurisiurandi Pontificii partem esse Cardinalis Deusdedit affirmat in sua *canonum collectione*, quam haberi in bibliotheca Vaticana narrant ad canonem *sancta*, Romani recognitores codicis Gratiani. Non potest igitur Pontifex Romanus iure contendere se canonibus illis conciliorum superiorem esse, nisi sibi supra quatuor Euangelia potestatem arroget. Cuius veritatis testes sunt antiquissimi Pontifices Romani, antequam in eam temporalẽ potestatem, quam deinceps sibi compararunt, deuenissent. Iureiurando enim, quod præstare debent, conuenientissima est ingenua Zosymi Papæ confessio, qua can. *contra statuta 25. q. 1.* ad Episcopos Galliæ scribens canonibus conciliorum inferiorem & subditam esse Romanæ sedis potestatem agnoscit. *Contra statuta*, inquit, *patrum condere aliquid vel mutare nec huius quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui statuta patrum sanxere reuerentiam.* Quare codex canonum Ecclesiæ Catholicæ, qui ex conciliis œcumenicis prioribus & cæteris, quæ sunt ab illis confirmata, compositus est, pars est iuris Iustinianei, & cum illo perfecte conueniens, qualis est partis cum tota summa consensio: & in eo iure, cui à Romano Pontifice derogari non potest, posita est Ecclesiæ & omnium principum & populorum Italiæ libertas. Neque hæc ideo assero, vt omnem authoritatem posterioribus conciliis œcumenicis abrogandam esse existimem. Cum primum enim à principibus suscepta sunt, seruanda quoque sunt, sub hac tamen exceptione generali Ecclesiæ Catholicæ, quæ continetur *can. 28 distin. 50. can. hoc ipsum 33. q. 2.* quorum canonum verba sunt hæc; *Quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius concilii magis teneatur sententia, cuius aut antiquior aut potior extat authoritas.* Institutio quoque iuris canonici Pontificum Romanorum mandato scripta lib. 1. tit. 3. sic habet, *Alia vero concilia quæ ductu spiritus sancti cõgregata & celebrata fuerint, proximum ab istis (quatuor primis) sibi locum vindicant. Quod si quando interea discors sententia inueniatur, illius sententia magis est tenenda cuius antiquior & maior est authoritas.* Ex hac regula potior est authoritas concilii œcumenici, quam concilii diœceseos; huius quoque quam concilii prouinciæ; & huius quã concilii ciuitatis. Sed cum duo concilia œcumenica inter se discordantia comparantur, vincit authoritas antiquioris, in his scilicet rebus, quæ ad fidem pertinent, & in præcipuis regulis quæ quasi fundamenta sunt & columnæ libertatis & disciplinæ cum ipsa Ecclesia natæ, non in cæteris leuioribus quæ pro varietate locorũ & temporum possunt immutari. Quam disciplinam & libertatem Ecclesia Catholica in concilio Ephesino *can. 6.* scriptis Apostolicis, statutis patrum & antiquã consuetudine comprehendi prædicat, quam attentari vllius Ecclesiæ pastoris ausu vel conatu nefas est, *ne forte*, ait concilium *sub specie administrationis rerum sacrarum typhus potentiæ in Ecclesiam sese insinuet, sensimque imprudentes libertatem eam amittamus, quam dominus noster Iesus Christus omnium liberator suo sanguine pretioso nobis largitus est.* Hæc est itaque generalis Ecclesiæ definitio canonibus antiquis comprehensa, priores canones derogare posterioribus in rebus fidei & præcipuis regulis disciplinæ cum Ecclesia natæ; secus ac in rebus ciuilibus fieri solet, in quibus iura posteriora prioribus derogant. Secundum hæc admissiones conciliorum posteriorum à quibusdam principibus factę interpretationem recipere debent, vt intelligantur admissa concilia salua Ecclesiæ Catholicæ perpetua definitione quæ inesse semper, etiamsi non sit expressa, intelligatur. Sic Episcopi Galliarum, qui fidem Imperatori Ludouico Pio datam seruabant, neque in partes coniuratorum filiorum cum Papa aduersus Imperatorem transiuerant, contra noua quædam iura exceptione vtebantur his verbis concepta, *ni aliter se habeat antiquorum authoritas canonum.* Quæ exceptio expressa etiam est beati Ludouici Regis Francorum *pragmatica sanctione*, quæ in omnibus editionibus pragmaticæ Caroli septimi illi subiecta est. Ea sanctione statuit Ludouicus, vt Ecclesia canonibus conciliorum Ecclesiæ Dei regeretur, illis nimirum, quos veteres sancti patres fecissent. Cum ergo naturalis libertas Italiæ posita sit in sacra scriptura, in codice canonum antiquo Ecclesiæ Catholicæ, in iure Iustinianeo, & in posterioribus conciliis quæ veteribus non aduersantur, neque in fide neque in regulis libertatis cum Ecclesia natæ, superest vt disceptatio fiat controuersiæ inter sanctitatem Pauli quinti & serenissimam Rempublicam ortæ ex iuribus illis Italiæ, quæ de hac tanquam legitimi & æqui iudices pronuntiare debent.

Vt vero dicam de primo controuersiæ capite, quod est de foro criminali clericorum, repetenda est paulo altius distinctio facta in Imperio Romano duorum vitæ generum, ciuilis & Ecclesiastici. Subditi Imperio Romano in milites & paganos distincti fuere, vnde nata diuisio negotiorum, delictorum, pœnarum, iudicum ciuilium & militarium. A religione Christiana suscepta alia duo genera hominum facta sunt, clericorum & laicorum. Clerici sunt militibus *De foro criminali clericorum.*

com-

comparati, scilicet milites Christi militibus seculi. Paulus 2. Timoth. 2. *labora*, inquit, *sicut bonus miles Iesu Christi: nemo militans implicat se negotiis secularibus vt ei placeat cui se probauit.* Cum iure Romano Paulus consentit. Militares viros, ait lex, ciuiles curas suscipere prohibemus, *l. militares. Cod. de re milit.* Sequutus Paulum est Imperator enim ait *l. repetita. 41. Cod. de Episc. & cler.* absurdum imo etiam opprobriosum esse clericis, si se peritos velint ostendere disceptationum esse forensium. Sequutus est etiam Apostolum Pontifex Romanus qui clericos operam iuri ciuili dare prohibet *cap. vlt. nec clerici secularia negotia tractent.* Sine cuius iuris cognitione nullus iudex satis peritus esse potest cognitionis rerum secularium, siue ciuiles sint, siue criminales. Distant enim inter se maxime hæc duo corpura, Respublica & Ecclesia; ciuile etiam vitæ genus & Ecclesiasticum. Quæ differentia distinctionem quoque fecit inter negotia, delicta, pœnas, iudices ciuiles & Ecclesiasticos. Et vt Apostolus vetat ne clerici curis secularibus se immisceant, sic etiam rerum Ecclesiasticarum eos par est curam habere. Cum sit enim fides in Iesum Christum, & ex fide nata credentium Ecclesia & societas sua disciplina constans, etiam Regibus inuitis, ex præcepto Apostoli in his rebus Deo potius quam hominibus obediendum est. Ipse quoque Paulus hanc eandem seruat differentiam rerum humanarum siue ciuilium, aut secularium & Ecclesiasticarum siue spiritualium. Quantum ad causas ciuiles attinet, omnes Christianos hortatur vt controuersiæ de iis rebus inter eos ortæ arbitrio eorum, quos partes elegerint, qui non ex presbyteris sumantur, sed ex peritis iuris humani, dirimantur: earum enim rerum cognitione clericos abstinere iubet. Quod attinet ad criminales causas, de quibus arbitri non accipiuntur, duo sunt insignia apostolica præcepta, alterum Petri, alterum Pauli, coniuncta à Gratiano sub *can. magnum 11. quæst. 1.* quia illis locis duobus vnum & idem præceptum continetur. Hoc præcepto iubentur omnes mortales vt se subiiciant potestati gladii, quam dedit DEVS *Principibus & potestatibus supremis*, ait Paulus; *regi vt supremo*, ait Petrus, ad coercitionem facinorosorum. Adiicit Petrus libertatem omnem huic iusso contrariam fore velamen malitiæ, asylum scilicet & protectionem quandam sceletum, Paulus lasciuiam fore carnis.

Vera enim libertas Christianorum, inquit Petrus, est seruire Deo & huic mandato quo Regum gladio subiici illis præcipitur. Cum Iurisconsultis Romanis hi Apostoli, maxime vero Paulus natus ciuis Romanus, plane consentiunt. Primum aiunt *ἀρχὴν ὑπερέχουσαν*, *magistratum supremum*, quem Aristoteles *ἀρχὴν κυριωτάτην πάντων*, *Dominum omnium* vocat. Ait Palus, hic magistratus *διαταγὴ θεοῦ ἐστι*, *constitutio Dei*, Petrus *κτίσις ἀνθρωπίνη*, *constitutio humana.* Verba Iurisconsultorum sequitur Paulus, *seruitus est constitutio iuris gentium.* Sic Apostoli, *regia potestas est constitutio rerum humanarum à Deo facta.* Dein dicunt Apostoli magistratum supremum habere *ἐξουσίαν τῆς μαχαίρας εἰς ἐκδίκησιν τῶν κακοποιῶν*, Iurisconsulti vero *potestatem gladii ad animaduertendum in facinorosos homines.* Ait Paulus *magistratum supremum gestare gladium coercitionis causa*, hoc forte, ideo quia princeps, solus & quædam maximæ potestates, vt præfectus prætorio & qui vicariam præfecturam administrabant, sedebant in cognitionibus habitum militarem induti & cingulo militari cincti. Tum etiam quia potestas gladii & omnis coercitio criminis, legis fuit apud Romanos non Iurisdictionis neque magistratus. Aiunt Apostoli *laudi bonorum non tantum coercitioni improborum*: Sic Iurisconsulti, *bonos*, inquiunt, *non tantum metu pœnarum sed præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes.* Aiunt Apostoli *omnem animam subiici.* Gratianus sub Can. *magnum 11. q. 1.* ait *omnibus clericis præceptum esse à Petro.* Atqui Petrus ipse initio Epistolæ ait se scribere *ad omnes sanctificatos in Christo.* Aut ergo ex illis non sunt clerici, aut hoc præcepto continentur. Paulus dicit se *omnibus sanctis qui Romæ* erant scribere, id est Ecclesiæ Romanæ, quare aut sanctorum appellatione non censentur clerici, vel illis quoque præceptum est ab Apostolo. Sed ingenue agnoscit Pelagius Papa ad Childebertum Regem Francorum Clodouei filium scribens, *Regibus*, inquit, *nos esse subditos sacra scriptura præcipiunt.* can. *satagendum. 25. q. 1.* De sua & Pontificum Romanorum persona loquebatur. Cum ait, *sacræ scripturæ*, hæc Apostolorum præcepta intelligit notissima & quæ in omnium Christianorum ore versabantur. Longe secus ac Romani scriptores huius ætatis, qui publice profitentur clericos non esse Regibus subditos. Secus etiam ac *libellus aphorismorum* Romæ probatus, qui asserit clericos committere non posse crimen maiestatis in principes temporales, quod illis non sint subditi. Quæ doctrina est pestis & euersio Rerumpublicarum, quas, cum ex iustitiæ regulis sunt constitutæ, gratissimas esse Deo agnoscunt etiam pagani solo lumine naturali edocti, quod illucescit omni homini venienti in hunc mundum. Quare ex Apostolorum duobus locis coniunctis regia vel suprema potestas nihil aliud est, quam constitutio Dei, qua omnes mortales Iurisdictioni Regum subiiciuntur in eam rem, vt boni laudentur, improbi coerceantur. Hæc sunt, quæ ex iure diuino sumpta pertinent, ad primum caput controuersiæ.

Codex canonicus veteris Ecclesiæ vestigia Apostorum sequutus est. Quod enim Paulus Christianos hortatur vt controuersiæ eorum, sententia arbitrorum iudicentur, id vetus Ecclesia transtulit in clericos. Nec tantum id comprehenditur codice Ecclesiæ Catholicæ, sed & codice vetere Romano. Hi duo codices præcipiunt, vt à litibus inter se abstineant clerici: Si quæ oriantur, ad Episcopum eant, cuius suasu arbitros eligant, quorum sententia, quod æquum & bonum sit de controuersia eorum statui, discant, antequam iure in foro congrediantur. Hoc præcipitur canone 9. concilii Chalcedonensis, qui habetur vtroque codice &

Eccle-

Ecclesiæ, & veteri Romano, *Si quis clericus aduersus clericum habet negotium non deserat Episcopum proprium & ad secularia conuolet iudicia: sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certe consilio eiusdem Episcopi apud eos quos vtraque pars elegerit, quæ ad licem pertinent discutiantur. Si quis autem præter hæc fecerit canonicis correctionibus subiacebit. Quod si clericus habet causam aduersus Episcopum proprium vel aduersus alterum, apud synodum prouinciæ iudicetur. Quod si aduersus eiusdem prouinciæ metropolitanum Episcopus vel clericus habet querelam petat primatem diœceseos, aut sedem Regiæ vrbis Constantinopolitanæ & apud eum iudicetur.* Hoc canone iubentur clerici de controuersiis inter eos natis ad Episcopum ire.

Nec tamen hoc canone vlla fit imminutio Iurisdictionis magistratus, vt docetur hac voce, *prius*, quam si ex hoc canone auferas, falsam ei affinges sententiam & menti Ecclesiæ contrariam, vt faciunt qui nihil ex hoc canone citant præter hanc partem, *Si quis clericus aduersus clericum habet negotium, non deserat proprium Episcopum & ad secularia percurrat iudicia.* Liberum itaque relinquit hic canon de controuersiis tantum inter clericos ortis factus, illis post sententiam arbitri, si ei stare noluerint, iudicio coram magistratibus contendere sine pœna & sine appellationis necessitate: quanto magis libertatem non adimit laicis, de quibus nihil statuit, clericos coram magistratibus conueniendi. Hic canon qui comprehensus est & codice canonum Ecclesiæ vniuersæ, & codice veteri Romanæ Ecclesiæ, vsum Ecclesiæ Catholicæ nos docet vsque ad Codicem Gratiani. Burchardi enim & Iuonis *collectiones* omitto, quia priuatæ fuerunt, nec ex illis sunt vnquam citati canones. Hæc de actionibus ciuilibus, quæ in clericos exercentur dicta sint. In criminalibus, codex Ecclesiæ primitiuæ separauit etiam accusationes & crimina Ecclesiastica clericorum à ciuilibus *can. 6.* concilii Constantinopolitani, quod inter priora quatuor œcumenica secundum est. Hic canon summa cum prudentia constituit, qui admitti ad accusationem clericorum debeant, & qui reiici: simul etiam cognitionem de criminibus Ecclesiasticis clericorum tribuit Episcopis, neque aliam præterea: Eius sunt hæc verba: *Quoniam multi qui Ecclesiasticum ordinem confundere & euertere volunt, causas aliquas odiose & calumniose aduersus gubernatores Ecclesiæ orthodoxos Episcopos confingunt, nihil aliud molientes quam vt existimationem de sacerdotibus impuram faciant, & tumultus in populis pacificis excitent: hac de causa placuit sancto concilio Episcoporum qui Constantinopoli conuenerunt, accusatores non recipi absque aliqua inquisitione, neque omnibus permittere vt Ecclesiæ gubernatores accusent, neque etiam omnibus prohibere. Si igitur aliquis priuatam querelam aduersus Episcopum mouerit, quod ab eo fraudatus aut aliquid præter ius passus sit, in huiusmodi accusationibus non inquiratur, neque de persona neque de religione accusatoris. Oportet enim conscientiam Episcopi liberam esse, & eum qui se iniuria affectum dicit suum ius consequi, cuiuscunque religionis fuerit. Si autem crimen* (ἔγκλημα) *cuius accusatur Episcopus, fuerit Ecclesiasticum, tum accusatorum personas æstimare ac censere oportet.* Dein enumeratis personis quæ ab accusatione clericorum repelluntur, sic ait: *Si vero aliqui neque aliquorum criminum accusati neque damnati neque hæretici neque excommunicati fuerint, dicant autem se habere accusationem* (κατηγορίαν) *Ecclesiasticam aduersus Episcopum, hos sancta synodus iubet instituere primum accusationem coram omnibus prouinciæ Episcopis & coram illis arguere crimina Episcopi delati. Si vero Episcopi prouinciæ crimina quæ intenduntur diiudicare non potuerint, tum accedant accusatores ad maiorem synodum Episcoporum illius diœceseos, qui hac de causa conuocati fuerint. Accusationem autem non instituant antequam scripto pari periculo se subiecerint si inuenientur in accusatione calumniose egisse. Si vero spretis his quæ eo quo indicauimus modo statuta sunt, ausus fuerit regias aures obtundere & iudicia principum secularium vel synodum œcumenicam turbare, contumeliose contemnens omnes eius diœceseos Episcopos, hic omnino ad accusandum non suscipiatur, vtpote qui iniuriam infert canonibus, & ordinem Ecclesiasticum perturbat.* Canon hic clare accusationes criminum Ecclesiasticorum, quæ à Clericis admittuntur, à cæteris distinguit, eorumque cognitionem synodo Episcoporum tribuit, neque quicquam statuit de criminibus, quæ causam continent publicorum iudiciorum, ex quorum causa accusandi vnicuique ex populo potestas permissa est, & quibus publicis Iudiciis salus Reipublicæ maxime continetur. Ait Canon Ecclesiasticum (ἔγκλημα) *crimen*, more Iurisconsultorum, qui dicunt *delictum militare* l. 2. ff. de re militari, cuius hæc sunt verba: *Militum delicta siue admissa aut propria sunt aut cum cæteris communia: vnde & persecutio aut propria aut communis est. Proprium militare est delictum quod quis vt miles admittit,* & in l. 6 ff. eo. *omne delictum est militis quod aliter quam disciplina communis exigit, committitur: veluti segnitia crimen, vel contumacia, vel desidiæ.* Eandem loquendi formam sequitur concilium, & crimen Ecclesiasticum vocat quod contra disciplinam Ecclesiæ committitur. Eadem est pœnarum differentia, aliæ enim Ecclesiasticæ sunt seu spirituales, aliæ vero temporales; illæ in canonum, hæ in legum sunt potestate. Criminibus ciuilibus Canones non irrogant pœnas præter eas quas vocant pœnitentiales ad forum Dei solummodo pertinentes, quamuis lege Principum, qui nutricii, prætores, protectores, pastores & Episcopi exteriores Ecclesiæ à Deo constituti sunt, criminibus Ecclesiasticis pœnas statuant eo iure, quo de rebus cæteris Ecclesiæ, leges facere possunt adiuuandi, exequendi, defendendi iuris diuini & Canonici causa, cuius custodia illis est à Deo mandata, Episcopi Iudices sunt criminum Ecclesiasticorum, quæ pœnis Canonicis coërcent. Quod si grauitas criminis pœnam Canonicam superet, degradatum reum Episcopus magistratui tradit, pœnis legitimis, quæ pares sint crimini, præterea puniendum, velut constituit Heraclius. Vt autem crimina & accu-

sationes Ecclesiasticas distinguit Chalcedonense Concilium à cæteris: Ita & Iustinianus *Nouella 83. §. si tamen*, quæ constitutio in codicem Gratiani relata est *can. si quis 11. quæst. 1.* Ea constitutione Iustinianus criminum ciuilium & Ecclesiasticorum differentiam sequutus in eadem genera diuidit Iudices & pœnas, Ciuiles scilicet & Ecclesiasticas. Crimina ciuilia Ciuitatem vel Rempublicam lædunt vt furtum, homicidium, quorum criminum executio Magistratibus Reipublicæ data est. Ecclesiastica disciplinam Ecclesiæ lædunt & eorum cognitio in Clericos ad Ministros Ecclesiæ pertinet, vt vnusquisque de re sua cognoscat, ab aliena abstineat. Italia Nouellas Iustiniani cognouit ex interpretatione Iuliani antecessoris, qui eas latinas fecit. Sic autem hanc, de qua loquor, constitutionem reddidit: *Si quis cum Clerico de criminali causa litigium habuerit, crimen autem sit ciuile, tunc competentes iudices in hac ciuitate vel in prouinciis interpellati consentaneum legibus terminum causis imponant. Sin autem crimen Ecclesiasticum est: tunc secundum canones ab Episcopo solo causæ examinatio & pœna procedat.* Coercet hæc Nouella Episcopi Iurisdictionem intra certos fines, vt cognoscat de crimine Ecclesiastico, quod admisisse dicitur Clericus pœna canonica puniendus. Quare vt cognitio criminalis Episcopi Canonibus conueniat, necesse est eiusdem generis sint iudex, reus, crimen, pœna, scilicet hæc omnia Ecclesiastica esse debent. Accusationum vero criminum priuatorum, quæ ab iis instituuntur qui suum dolorem suamve iniuriam persequuntur, Concilium Constantinopolitanum *parte prima canonis sexti* meminit, sed earum cognitionem præcise synodo non tribuit. Mens enim & sententia Concilii cum iure Romano concordat, quo huiusmodi accusatores accusationes coram Episcopis instituere possunt, sed inuiti non coguntur. Quod refert constitutio Græca Iustiniani *l. διατάξεως μεθ' ἣν. Cod. de Episcop. aud.* quæ de foro Clericorum, qui accusantur, facta, fere per omnia imitatur *canonem 6.* Concilii Constantinopolitani tam in gradibus Episcoporum & Synodorum constituendis, quam in distinctione criminum Ecclesiasticorum à ciuilibus. Huius legis τοῖς διαιτηταῖς hæc sunt verba: *Has autem actiones si quidem ad Ecclesiastica negotia pertineant, necesse fore iubemus vt à solis religiosissimis Episcopis aut à sacris synodis aut à sanctissimis Patriarchis cognoscantur. Si vero sit ciuilium rerum controuersia, volentes quæstionem apud amplissimos instituere patiemur, inuitos tamen non cogemus, cum iudicia ciuilia sint, si ea adire malint, apud qua licet etiam de criminibus cognoscere.* Ostendi ex iure diuino, ex Canonibus primitiuæ Ecclesiæ, & constitutionibus Iustiniani cognitionem rerum secularium Clericis non competere, item criminum Ecclesiasticorum, quorum Clerici accusantur, cognitionem Episcopis esse canonibus & legibus tributam, cognitionem vero de criminibus priuatis Clericorum, Episcopos non esse competentes Iudices nisi ex consensu accusatorum.

Criminum publicorum cognitionem nullam habent Episcopi.

Criminum autem publicorum, de quibus mihi restat dicendum, cognitionem nulla lex, nullusque canon vetus tribuit Episcopis. Hoc enim contra rationem iuris Romani fuisset, quia nulli iudices, nullæ pœnæ, nullique accusatores horum criminum in foro Ecclesiastico reperiuntur, quod mihi sigillatim probandum est. Primum quod attinet ad iudices, si quis est qui existimet criminum publicorum, quibus in Rempublicam peccatur, coercitionem Episcopis datam fuisse, quam ne quidem magistratibus suis vt magistratibus committebant, ei certe non satis est perspecta Romanorum veterum sapientia. Solebant enim ex sapientum præceptis, in criminum coercitione maximam potestatem legi, minimam vero magistratibus tribuere. Duo sunt coercitionum genera: aliud *mulcta* dicitur, quæ est in iudicantium arbitrio, aliud *pœna* quæ legitima est. Primum nec mulctæ ipsius dictio olim aliis quam consulibus data est, lege Aternia magistratibus vrbanis communicata fuit. Republica in principatum versa, mandatis principum data fuit magistratibus prouincialibus & municipalibus. Sed & hodie ex iure Iustinianeo plures magistratus limitatam, non plenam habent mulctæ dictionem, teste titulo codicis *de modo mulctarum quæ à iudicibus infliguntur*: pœnæ vero omnes capitis, famæ, pecuniæ legitimæ fuerunt. Quæ mulcta dicitur & infligitur à iudice: pœna dicitur à lege, irrogatur ab eo cui criminis siue delicti executio competit *l. 131. l. 244. ff. de verb. signif.* Sed & magistratus, qui cognoscit de crimine, de facto tantum cognoscit, an Titius Mæuium occiderit, de pœna non pronuntiat: quod si pronuntiet, inanis est illa pronuntiatio, pœna enim irrogabitur legis non sententiæ authoritate. Nam, vt Papinianus ait, *facti quidem quæstio est in arbitrio iudicantis. pœnæ autem persecutio non eius voluntati mandatur*, sed legis authoritati reseruatur. *l. 1. §. quorum ff. ad S C. Turpil.* Quare etiam à pœna non appellatur. à lege enim, quæ de pœna pronuntiat, prouocatio non est. Quod si magistratus cognoscens de pœna statuere non potest, quo iure Episcopus de ea pronuntiabit? Hodie quoque ex iure Iustinianeo pœnæ capitales, quibus vita, libertas, ciuitas amittitur à lege constitutæ, immutari arbitrio iudicantium non possunt *l. ordo ff. de publicis iudiciis.* Confiscandi etiam potestas non nisi maximis iudicibus data est tit. cod. *ne sine iussu principis liceat certis iudicibus confiscare.* Pœnæ quoque non capitales arbitrariæ quidem sunt, non tamen plenum illarum & liberum arbitrium habent iudices, sed legitimæ pœnæ quodammodo astrictum. Cum enim plures gradus sint pœnarum; eæque pœnæ omnino temporales, capitis, famæ, damni pecuniarii: omnes sunt extra potestatem liberam magistratus, qui si à legitima recedat, proximas legitimæ eligere debet siue ad seueritatem siue ad lenitatem declinans. *Hodie*, inquit Iurisconsultus, *licet ei qui extra ordinem cognoscit de crimine quam vult sententiam ferre, vel grauiorem vel leuiorem, ita tamen vt vtroque modo*

rationem

rationem non excedat. l. hodie. ff. de pœnis. Sed & alibi Iurisconsultus sic ait, *in leuioribus caussis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento subsequi.* l. perspiciendum, ff. de pœnis. Hoc vero arbitrium discedendi à legitima pœna & aliam ex proximis pœnis eligendi, ad eum tantum pertinet, cui legitime irrogatio competit, cum sit illud arbitrium electio vnius ex pluribus pœnis temporalibus, quarum nulla est in arbitrio Episcopi. Nec tantum in pœnis lex ita dominatur, verum etiam cognitio ipsa facti, quæ à lege datur, non datur magistratui vt magistratui, sed vt cuilibet, cum etiam priuato dari possit. Definitio enim iuris Romani est, criminum publicorum coercitionem non esse iurisdictionis neque magistratus, sed legis, quæ dat eam non vt partem iurisdictionis magistratus, sed vt merum Imperium, quod *commissionem* forensi verbo nuncupamus. *l. 3. ff de iurisdict. omn. iud.* Cuiacius *Obseru. lib. 21. cap. 30.* Quod si sola facti cognitio de crimine publico, quod clericus admisit, non est pars iurisdictionis magistratus, qua ratione pars censebitur ministerii Episcopalis? Quod si criminum publicorum coercitio non est in potestate legis sollus, quæ vnquam constitutio vel gratia & ambitione impetrata contra canones Ecclesiasticos, vt Imperatorum verbis vtar, clericos soluit legibus & potestate principis? Quare nullus est iudex in foro Ecclesiæ, cui potestas data sit coercendi crimina publica, sed nec vllæ sunt pœnæ in eo foro, quæ illis criminibus coercendis conueniant. Episcopi enim secundum canones iudicare debent & pœnas canonicas infligere. Neque vero codice primitiuæ Ecclesiæ, neque codice vetere Romano vlla pœna est constituta criminibus publicis, quibus Respublica violatur, sed quæ sunt iis codicibus pœnæ comprehensæ, delictis Ecclesiasticis solum imponuntur. Pœnas sane concilium Ancyranum *can. 15. & 16* imposuit quibusdam criminibus publicis, sed pœnitentiales, quæ authoritati magistratuum derogare non possunt, vt nec iurisdictio, quæ dicitur pœnitentialis, confessoris dato morte damnato, sententiæ executionem impedire potest. Sed nec vllus accusator criminum publicorum in foro Ecclesiastico inuenitur. Accusationes enim & crimina aut publica aut priuata sunt. Publicas accusationes instituere olim cuique ex populo potestas data est. vnde publicorum iudiciorum nomen descendit. Nunc vero hoc munus datum est in foro seculari procuratori regio vel fiscali, quale nullum est munus in foro Ecclesiastico constitutum. Nam qui promotor dicitur, vtilitatis cleri vel disciplinæ Ecclesiæ defensor est, non iuris Reipublicæ, cuius defendendæ munus ei non dedit Episcopus, nec vero dare potuit. De republica enim statuere regum est non Episcoporum. Ideo promotor ab Episcopo constitutus ius Reipublicæ in iudicium deducere non potest, cuius vtilitatis potissimum ratio habetur in accusationibus, quæ ex causa publicorum iudiciorum descendunt, cum etiam Respublica omnium princeps & domina in foro suo & coram suis magistratibus de suo iure litigare debeat. Quare in foro Ecclesiastico nec iudex nec pœna nec accusator publicorum criminum reperitur, quæ omnia sunt ad eorum coercitionem necessaria.

Hæc de accusationibus publicis. Priuatarum meminit prima pars canonis sexti concilii Constantinopolitani, quem supra retulimus. Eas volentes accusatores in clericos instituere possunt in foro Episcopi, vt & actores actiones ciuiles, nec possunt clerici accusati vel vocati fori præscriptionem obiicere *can. 15. concilii Carthaginensis.* Hic canon codice veteri Romanæ Ecclesiæ continetur, ex quo codice maiores nostri quandoque canones citauerunt: & sic habet, *item placuit vt quisquis Episcoporum vel presbyterorum & diaconorum seu clericorum cum in Ecclesia ei fuerit crimen institutum vel ciuilis actio fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio publicis iudi iis purgari voluerit etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali actione: in ciuili vero perdat, quod euicit si locum suum obtinere maluerit.* Huius canonis sanctissima mens est, quæ nobis aperienda est, ne quis hoc canone ad imminuendam authoritatem magistratuum ciuilium abutatur. Ait Seneca *latiorem esse officii, quam iuris regulam*, huic sententiæ addi potest, latiorem esse officii Ecclesiastici quam ciuilis alterius regulam. maiorem enim sanctitatem & innocentiam clerici in contractibus suis & tota vita præstare debent quam laici, ex iure diuino & canonibus. Quod crimen non est pagano, pro crimine habebitur in milite seculi. Iurisconsultus ait: *quædam delicta pagano aut nullam aut leuiorem pœnam irrogant: militi vero grauiorem.* Nam si miles artem ludicram fecerit, vel in seruitutem se venire passus est capite puniendum Menander scribit, *l. quædam 14. ff. de pœnis.* Quare in foro seculari ex legibus ciuilibus absoluendus clericus, in foro Ecclesiæ, quæ ex lege diuina iudicat, damnari debebit. Idcirco in causa criminali vel ciuili vocatum clericum ad forum Ecclesiæ respondere iubet synodus, quamuis actor vel accusator in eo agere vel accusare non cogatur, *l. [illegible] Cod. de Episcop. aud.* Sed nec clericus in causa ciuili, post arbitri inter clericos accepti sententiam, prohibetur ius publicum inuocare & ad magistratum ire ex *canone nono concilii Chalcedonensis*, qui supra relatus est.

Priuata accusatio Clericorum.

Quare concordantia sunt inter se ius canonicum veteris Ecclesiæ Catholicæ & Iustinianeum, quorum de foro clericorum accusatorum hæ sunt definitiones certissimæ: Accusationum Ecclesiasticarum Episcopos esse competentes & necessarios iudices: ciuilium priuatarum incompetentes esse, nisi ex consensu accusatorum: publicarum prorsus & omnino esse incompetentes.

A temporibus Iustiniani latæ sunt de ea re duæ constitutiones, altera Heraclii Imperatoris,

producatur vel exhibeatur nisi Imperialis iussio præcesserit. Quam constitutionem Italia cognouit ex Iuliani interpretatione, dein ex codice Iustinianeo, in quem Irnerius eam transtulit. Neque Italiæ necesse fuit eam cognoscere ex falso, quod perpetrauit in ea Gratianus, vel is quem Gratianus sequutus est, *can. 8. 11. quæst. 1.* vbi hæc verba (*nisi Imperialis iussio præcesserit*) constitutioni adimuntur. At Gregorius 13. Pontifex Nouellam restituit constitutione sua recognitioni Romanæ præposita, quæ sic ait, *iubemus vt quæ emendata & reposita sunt omnia, quam diligentissime retineantur, ita vt nihil addatur, mutetur aut imminuatur*, Reddita vero est Nouellæ integritas sua, cum Gregorius iuris peritissimus in ora libri lectorem remittit ad codicem Iustiniani, vbi integra legitur. Eodem modo restitutionis vsus est ad *can. 5. 11. quæst. 1.* in sananda deprauatione rescripti Imperatorii ad præfectum augustalem, quod cum de foro clericorum factum sit, integrum hic adiiciam, *Continua lege sancimus nomen Episcoporum vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ne ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum, iudicum pertrahatur: habent illi suos iudices, nec quisquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas attinet, quas decet Episcopali authoritate decidi. Quibuscunque igitur mota fuerit quæstio quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo iudice litigare qui præsul est in suis partibus omnium sacerdotum, Optato clarissime & iucundissime. Quare laudabilis authoritas tua arbitrio temperato quidquid negotiorum aliunde inciderit terminabit, habituro Pontificium sacra disceptationis Timotheo Episcopo, quem sibi omnes etiam suo iudicio prætulere.* Quare restitutiones harum constitutionum à Gregorio 13. Papa factæ testes sunt æquitatis, quam serenissima Respublica coluit in retinendo iure antiquo, quod & ipsi Papæ integritati suæ dum reddunt, simul etiam probant & quodammodo eius vsum restituunt. Nec vero ius illud antiquum Italiæ proprium, sed illi cum Gallia commune fuit. Vtebatur illa codice Alarici Regis Guthorum authoritate collecti, subiecta singulis legibus interpretatione Aniani, vt ipse Alaricus testatur in *commonitorio*, quod codici præposuit cum hac inscriptione, *incipit lex Romana*: quo commonitorio monet suum codicem ab Episcopis ipsis & cæteris prouincialibus probatum & receptum. Subiecerat singulis legibus Anianus interpretationem, & vbi nihil habuit quod diceret, hæc verba legi subiunxit: *Hæc lex interpretatione non indiget.*

His notis discerni possunt leges illius codicis à cæteris codicis Theodosiani in nouis editionibus, quæ illas simul cum cæteris codicis Theodosiani legibus complectuntur. Separatim editus fuit hic codex Alarici Basileæ anno 1518. sub nomine *Codicis Theodosiani.* Quod pars Galliæ vteretur hoc Codice, iamdudum dicta est patria iuris scripti. Sed tota Ecclesia Galliarum hoc iure vtebatur teste Ripuariorum Francorum veteri lege, quæ ait, *Ecclesiam Romanam lege viuere*, teste etiam Hincmaro Episcopo Rhemensi, qui citans Romanam quandam legem hæc verba subiungit, *hæc lex interpretatione non indiget*: quod argumentum est eum legem ex codice Alarici citare. Comprehenditur hoc codice Valentiniani Nouella de foro clericorum, cui Anianus subiecit hæc verba: *Si quis laicus clericum siue in ciuili, siue in criminali negotio per authoritatem iudicis ad publicum prouocauerit pulsatus sine delatione respondeat. Episcopus etiam & presbyter siue pro peruasione rei alicuius, siue pro quibuscunque grauibus iniuriis ad iudicium fuerint prouocati, licet in criminalibus causis per alium nulli liceat respondere, Episcopis tamen & presbyteris hac lege testatur vt in talibus causis misso procuratore respondeant, sine dubio vt ad eos redeat sententia iudicati. In reliquis vero criminalibus causis vbi de scelere persona conuincenda est, suam in iudicio præsentiam exhibere procurent. Quod si tertio conuenti per executorem ad iudicium venire noluerint, sententiam excipient contumacis.* Commonitorio Alarici codici præfixo subiungitur, hunc Codicem denuo publicatum fuisse, vt ex illo ius diceretur *anno vigesimo Caroli Regis Francorum & Longobardorum, Patricii Romanorum.* Quare vt Italia & Gallia eodem Imperio continebantur; eodem quoque iure vtebantur; quantum pertinet ad forum clericorum accusatorum. Hoc autem ius idem erat cum iure canonum primitiuæ Ecclesiæ vniuersalis & Iustinianeo, cui in hac re non est derogatum codice veteri Romanæ Ecclesiæ, quo iure Ecclesiæ suburbicariæ Romano Episcopo subiectæ vsæ sunt vsque ad codicem Gratiani, qui agit de foro clericorum *vndecima causa quæstione prima.* A qua quæstione si detrahas ea iura, quæ gentibus exteris tribuuntur, & ad Italiam non pertinent, falsa iura reiicias, deprauata emendes secundum iussum Gregorii 13. nihil supererit iuri antiquo contrarium. Maxime vero si *canonem sextum concilii Constantinopolitani*; qui codice primitiuæ Ecclesiæ continetur, addas huic quæstioni, qui omissus est ab Ecclesia Romana duabus de causis. Prior est; quia cognitionem criminum Ecclesiasticorum tribuit synodis prouinciarum, quam cognitionem Pontifex Romanus sibi vindicat. Posterior, quia summam iudiciorum potestatem tribuit synodis diœceseon secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem, quam refert Iustinianus, *l. διατάξεως μόνον Cod. de Episcop. aud.* à maioribus, scilicet, traditum esse à patriarchis diœceseon non appellari, à quibus appellari se debere Papa contendit. quo iure hodie vtimur. Quæ secutæ sunt Gratianum decretales Epistolæ non recipiuntur, quantum attinet ad forum clericorum à principibus, qui eas reiecerunt, vel contrario vsu vel contrariis constitutionibus. Quare recte Venetia retinuit ius vetus quo publicorum iudiciorum, etiam in accusationibus contra clericos institutis, Episcopi non sunt iudices competentes.

Venio ad secundum caput controuersiæ, quæ est inter sanctitatem Pauli quinti & serenissimam Rempublicam. Illud est de senatusconsulto, quo prohibitum est, ne nouæ Ecclesiæ ædificentur *Ne nouæ Ecclesiæ ædificentur.*

dicuntur teste titulo *ad municipales, & de incolis.* Ex his Constantinus sanctissimus Imperator quos repelli vellet ab ordinationibus, constituit duabus legibus, quæ in *codice Theodosiano* habentur, vna *ad Bassum*, altera *ad Ablauium præfectos prætorio.* Primum curiales, id est, senatores ciuitatis repellit, dein eos, qui origine ciues erant, siue diuites, siue pauperes, tum etiam incolas diuites, solos incolas pauperes ad ordinationes admittit, quia aliorum personæ & fortunæ muneribus personalibus & patrimonialibus ciuitatum necessariæ erant. Hæc sunt iura supremorum principum in electionibus & ordinationibus clericorum.

Sub Imperatoribus Occidentis hoc ius conseruatum est. Ansegisus enim archiepiscopus Senonensis, qui secundus Papa Galliæ & Germaniæ dictus est ob legationem Romanæ sedis, qua in his regionibus fungebatur, *constitutiones Caroli Magni* collegit, quarum vna est, qua prohibetur, ne quis clericus vel monachus fiat sine eius consensu, non absimilis Serenissimi Ducis Veneti & Senatus decreto. Eius constitutionis verba sunt hæc: *De liberis hominibus, qui ad seruitium Dei se tradere volunt, vt prius hoc non faciant, quam à nobis licentiam postulent, hoc ideo, quia audiuimus aliquos ex illis non tam ex causa deuotionis hoc fecisse, quam pro exercitu, seu pro alia regali functione fugienda. Quosdam vero cupiditatis causa ab his, qui res illorum concupiscunt, circumuentos audiuimus, & hoc ideo fieri prohibemus.* Cum ait *seruitium Dei*, idem cum antiquis Imperatoribus dicit, qui sub his verbis, λειτουργία θεοῦ, intelligunt clericatum & monachismum l. θεσπίζομεν. 53. §. *τοὺς δὲ μὴ*. *C. de episc. & cler.* Atqui constitutiones Caroli Magni in Italia seruabantur, teste Leone IV. Papa ad Lotharium Augustum scribente *can. de capitulis. dist.* 10. Omittere vero non possum constitutiones Imperatorum, quibus iubent, vt clerici ordinandi sumantur ex eadem ciuitate, imo ex eodem vico in cuius Ecclesia sunt collocandi *l. in Ecclesiis* 11. *C. de episc. & cler.* nec etiam tot Nouellas Iustiniani prætereire possum, quibus statuit, vt determinatus sit numerus clericorum, quarum legum plurimæ factæ sunt aduersus typhum episcoporum, qui hoc immenso clericorum numero dignitatem & potentiam se augere putabant, vt ait Zosimus Papa in epistola ad episcopum Salonitanum, quæ est in codice vetere Romano, cum ait: *Episcopos ex huiusmodi ordinationum numero pompam multitudinis quærere, & putare ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri.*

Si vero hæc omnia iura sunt principum supremorum, maxime vero Italicorum, vt nec ordinationes hominum singulorum siue eorum assensu fieri possint: quanto magis ne nouum plurium personarum collegium, vniuersitas, Ecclesia sine eorum voluntate constituatur. Si clerici ex eadem ciuitate eodemque vico sumendi sunt, in quo seruire debent, atque hoc ius ab illis constitutum seruandum est, quanto magis prohibendi ius habent, ne collegium foris institutum, in eorum prouincias immittatur ex clericis forte compositum, qui habeant in suis *aphorismos confessorum*, inter quos relatum est clericos, crimen maiestatis admittere non posse, quia non sint subditi principi temporali. Aduersus quod genus belli neque principum fortitudo, neque custodum corporis, neque arces, neque exercitus eos satis commode tueri possunt. Si vero clericis imperata est stabilitas, ne possint ab vna ciuitate in aliam transferri, vt relatum est à Gratiano *distin.* 71. & in *canonibus codicis primitiuæ Ecclesiæ*, quanto magis principibus liberum esse debet à finibus suis arcere hominum extraneorum collegia vaga & instabilia, & ad libitum alterius quocumque terrarum peregrinantia.

Sane agnoscendum est, Romanum Pontificem Ecclesiæ caput esse & principem episcopalis coronæ. At sanctis canonibus sancitum est, vt vnaquæque Ecclesia sibi suos clericos eligat, vt neque ciuitas in ciuitatem, neq; diœcesis in diœcesim imperium & potestatem sibi tribuat. Sunt enim quatuor genera Episcoporum, quot & conciliorum canonibus sacris, episcopi scilicet ciuitatum, metropolitani prouinciarum, patriarchæ seu primates diœceseon, & patriarchæ œcumenici. Sic enim præcipit *can. secundus concilii Constantinopolitani*, qui & codice Ecclesiæ antiquæ catholicæ & codice vetere Romano continetur, de diœceseon finibus regundis factus (est autem *diœcesis* multitudo prouinciarum.) *Qui sunt*, inquit, *super diœcesim episcopi, nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos accedant, ne eas hac præsumptione confundant. Non vocati autem Episcopi vltra suam diœcesim, accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas.* Itaque hæc iura, quæ sunt ordinariæ potestatis ciuitatum, prouinciarum, diœceseon; confundi non debent, neq; superior in inferiorem quidquam sibi arrogare præter definitiones canonum Ecclesiasticorum. Potestati ordinariæ Pontificis Romani sunt, quæ ei *canone sexto concilii Niceni* tribuuntur, intra suburbicarias Ecclesias, ait Ruffinus Venetus & presbyter Aquileiensis concilii Niceni mentem referens. At Ruffino bellum indicunt scriptores Romani huius temporis, nescientes quæ sunt illæ Ecclesiæ, quas primæ & ordinariæ potestati Papæ subiectas intelligit concilium Nicenū. Ruffinus vero Ecclesias intellexit suburbicariarum prouinciarū vel regionū, quæ sunt quatuor: prima Romana intra præfecturæ vrbanæ terminos, siue, quod idem est, intra centesimū ab vrbe miliarium lapidē, & tres aliæ quib. ipsa cingitur, Campania tota, Picenum suburbicarium & Tuscia suburbicaria, quarū sæpius meminit *Notitia imperii Romani.* Sed huic rei explicandæ opus esset longiore oratione & descriptione quadā geographiæ politicæ & ecclesiasticæ imperii Romani. Magnitudo n. tanta est huius argumenti, vt si dignitati eius oratio seruiret, maiorem in modū excresceret hæc epistola. Ab illo antiquissimo tēpore Italia diuisa est, quod ad ciuilē administrationē attinet, in duas diœceses, alteram vrbis Romæ, ad quam regiones extra Apeninum positæ pertinent, alteram citra Apeninum, eius iugis & Alpibus clausam, in

Papa non est vniuersalis.

qua sita est Venetia regio. Iuribus etiam diœceseon successere regna, quæ dissoluto imperio Romano nata sunt. Quare nulla iuris canonum ratio patitur, vt in Venetia regione extra suburbicarias prouincias sita, summus Pontifex collegia noua Clericorum instituat, vel foris instituta, in Venetiam & Reipublicæ serenissimæ subiectas prouincias immittat sine ipsius authoritate & consensu.

Laici ne res soli in Ecclesias träsferant.

Superest vt de tertio capite controuersiæ propositæ disseram, in quo agitur de Senatusconsulto, quo laicis vetitum est, ne res soli in Ecclesias transferant sine Senatus voluntate. De quo mihi respondendum est eo, quo proposui ordine ex iure diuino, ex iure canonico Ecclesiæ veteris Catholicæ, & Romano Iustinianeo. Hæc vero quæstio ab aliis duabus quæstionibus, quæ illi sunt præiudiciales, pendet: prior est, quis de rebus Ecclesiæ statuendi ius habeat; posterior in quos vsus res Ecclesiæ sint impendendæ. Quod attinet ad priorem, sic dicitur in actis Apostolorum: *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, & possessiones vendebant, & dispertiebant ea omnibus, prout cuique opus erat.* Omnes, ait, credentes dispertiebant: ergo tota Ecclesia. Codex canonicus veteris Ecclesiæ Catholicæ earum rerum potestatem, quæ prius totius Ecclesiæ fuerat, committit senatui clericorum, cui præest Episcopus, *Canone vltimo concilii Antiocheni*, qui canon non solum codice Ecclesiæ Catholicæ, sed & codice vetere Romano & nouo, quem Gratianus collegit, continetur. Eius canonis verba sunt hæc: *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent cum summa reuerentia & timore Dei. Participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam suis quam fratrum, qui ab eo suscipiuntur necessariis vsibus, profuturis: ita vt in nullo qualibet occasione fraudentur, iuxta sanctum Apostolum sic dicentem, habentes victum & tegumentum his contenti simus. Quod si contentus istis minime fuerit, conuertat autem res ecclesiæ in suos vsus domesticos, & eius commodo vel agrorum fructus non cum conscientia presbyterorum & diaconorum pertractet, sed horum potestatem domesticis suis aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, vt per huiusmodi personas occulte cæteri lædantur ecclesiæ, synodo prouinciæ pœnas iste persoluat. Si autem & aliter accusetur episcopus aut presbyteri, qui cum ipso sunt, quod ea quæ pertinent ad ecclesiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet ecclesiastica facultate sibimet vsurpent, ita vt ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi vero & blasphemiis, tam sermo prædicationis, quam hi, qui dispensant taliter, exponatur, & hos oportet corrigi, sancta Synodo id quod decet approbante.* Cum ait canon latine redditus in codice vetere Romano, Episcopum de rebus Ecclesiæ decernere debere *cum conscientia Presbyterorum & Diaconorum*, intelligenda est appellatione *conscientia* non scientia, sed sententia cleri. Græcus enim canon habet γνώμῃ. Itaque omnis clerus ciuitatis de ea re decernere debet, non solum Episcopus. Nihil hic dicitur de ordinibus laicorum: principi enim, qui eorum vice fungitur, vetus Ecclesia, vt iam dictum est, canones suos commendabat, vt eos probaret, & eorum custodiam haberet. Quare etiam Iustinianus *Nouellis* alienationem prohibet bonorum immobilium Ecclesiæ, ne pretia eorum, vt ait, absumerent clerici in proprios vsus, & pro Ecclesiæ totius vtilitate contra Episcopos & clericos, non pro clero contra Ecclesiam hæ constitutiones factæ sunt. Vt vero in ciuitate bene morata & constituta alii de rebus ciuitatis decernunt secundum ipsius leges, alii ex decreto illorum pecunias publicas colligunt & expendunt, accepti & expensi rationem reddituri: sic in Ecclesia olim bene constituta factum est. Decernebat autem vel tota Ecclesia ex iure diuino, vel totus clerus ex iure canonum de rebus Ecclesiæ, eius vero œconomus decreta executioni mandabat, rationem administrationis redditurus. Illius œconomi fit mentio *canone octauo concilii Gangrensis*. Cum vero sensim Episcopi per se res Ecclesiæ administrare cuperent, vt liberum arbitrium in quos vellent vsus, eas absumendi vsurparent, hoc illis *canon. 28. concilii Chalcedonensis* prohibitum est. Hi duo canones reperiuntur quoque in codice vetere Romano. Iustinianus etiam *Nouella 123.* œconomorum vsum in Ecclesia conseruat, & ab iis Episcopi, quæ sibi necessaria sunt, vt recipiant constituit, dum prohibet œconomos impensas Episcopis soluere, qui in comitatu præter eius constitutionem morantur. Dictum est ex iure diuino, canonico, & Iustinianeo, vel totam Ecclesiam, vel clerum totum de rebus eius decernere debere, & ex decreto, œconomos res eas administrare, rationem administrationis reddituri.

In quos vsus res Ecclesiæ sint impendēda.

Secunda quæstio est in quos vsus expendi debeant. Consentiunt omnia iura diuinum, canonicum, & Iustinianeum, bona Ecclesiæ in alimenta pauperum absumi debere, siue clerici sint, siue monachi, siue laici. Sed & in ministrorum & pastorum Ecclesiæ vsus necessarios eatenus, vt se frugaliter & sine luxu tueri possint. Victum enim & vestitum solum eis decernit Paulus; qua appellatione veniunt res omnes ad vitam cum modestia & frugalitate necessariæ. Codex canonum primitiuæ Ecclesiæ decretum Pauli repetit canone, quem iam retulimus, neque præterea quicquam eis decernit. Si quid amplius sibi vendicent Episcopi & clerus, id in fraudem pauperum fieri ait Concilium, & occasionem de Ecclesia tota & clero male sentiendi præbere. Iustinianus cum iure diuino & canonico consentit, cum impensas vetat solui Episcopo in comitatu sine causa moranti. Nec tantum fructus rerum, sed & earum pretia in vsus pauperum absumi iubent Apostoli & Patres. Qui enim eorum ætate liberales in Ecclesiam esse volebant, potuissent res suas Ecclesiæ dicare, & fructuum pretia singulis annis Apostolorum pedibus offerre in vsum pauperum: At id in more non fuit Ecclesiæ, sed res ipsas vendebant, & pretia offerebant. Sed & à Constantino ad Theodoricum Regem Italiæ & Iustinianum hi-

bera

bera fuit ecclesiæ potestas res suas immobiles vendendi, *can. 15. concilii Ancyrani*, qui canon codice primitiuæ ecclesiæ catholicæ, & iterum codice vetere Romano continetur: quo eodem vetere iure res omnes suas in pauperes erogabat, victu & vestitu ministrorum suorum exceptis.

Cui iuri proximum est Iustinianeum, qui pro ecclesia contra clerum, non pro clero contra ecclesiam constitutionem fecit, qua vetat, ne res soli ad ecclesias pertinentes vendere liceat, ne clerus pretia rerum venditarum in fraudem ecclesiæ sibi vsurpet. Quare hæ duæ regulæ ex aduerso opponuntur. Prior & antiquior, qua ecclesiæ res soli vendere debent neq; retinere. Altera qua ecclesia res soli sibi habere nec vēdere potest. Vtra fuerit ecclesiæ vtilior, vsus & euentus docuit. Cum enim in vsus pios res omnes ecclesiæ absumebantur, excitabatur in animis Christianorum erga ecclesiam liberalitas, & quo plura ecclesia erogabat, plura tanquam ex perenni scaturigine in ecclesiam pietas effundebat, vt erogationem liberalitas, liberalitatem erogatio subsequeretur, & perpetua successione diuitum bona in pauperes transirent. Atque ea ratione pauperibus ex paupertate emergendi potestas dabatur, vt bonis artibus diuitias sibi compararent, quæ deinceps in pauperes totæ consumerentur. Quod ius si seruaretur, vsus edoceret, quanta felicitas hominibus oboriretur ex disciplina legum religionis Christianæ. Contraria constitutio, quæ ecclesias res soli sibi retinere permittit & vendere vetat, mala prioris legis bonis aduersaria peperit. Nam rebus ecclesiæ non absumptis in pios vsus, donandi quoque pia voluntas refrigescit, res soli à laicis in ecclesias variis artibus transeunt, familiarum numerus quo respublica sustentatur, & laicorum omnis ordo minuitur, quæque restant laicorum familiæ diuitiis amissis non tantum in rusticos, sed in periœcos Cretensium vel Ilotas Lacedæmoniorum degenerant, qui seruitiorum genera fuerunt dominorum agros colentia. Denique sensim Christiani laici in Iudæorum conditionem & seruitutem transirent, quibus res soli possidere non licet. Vt his malis obuiam iretur, quæ oriuntur ex constitutione Iustiniani, quam bona mente fecit, eadem authoritate omnes Principes orbis Christiani modum statuerunt comparationibus rerum soli; quas ecclesiæ facerent, & partem aliquam iuris diuini & Apostolici restituerunt, vt qui vellent in ecclesiam liberales esse, res suas venderent, pretia ad pedes Apostolorum afferrent in pauperes eorum arbitrio secundum canones eroganda. Quem morem principum imitatus senatus Venetus eandem legem necessitate cogente fecit. Aut enim noua distributio bonorum ecclesiæ secundum ius diuinum & canonicum veteris ecclesiæ Catholicæ facienda fuit, qua infinito numero pauperum omnis generis clericorum, monachorum, laicorum succurreretur, aut modus paupertati & diminutioni familiarum quæ ex laicorum matrimoniis propagantur, adhibendus fuit. Prior ratio sanctior & vtilior Reipublicæ & ecclesiæ fuisset, at posterior ita necessaria, vt sine summa pernicie ab hac abstinere, sapientia senatus non potuerit.

Quare si ob hæc tria capita controuersiæ, quam proposuisti; senatus sequutus ius diuinum, canonicum & Romanum, in quibus posita est libertas principum & populorum Italiæ, excommunicatus fuit, scito in senatus persona & cum eo Apostolos & patres sanctorum canonum authores excommunicatos fuisse, quod neque mirum neq; nouum videri debet. Apostolus enim Iohannis superstes à Diotrephe φιλοπρωτεύοντα fuisse dicit, excommunicatum se scribit *epist. 3.* cum Diotrephes neque eum neque literas ab eo ad ecclesiam scriptas in illam admitteret, illos etiam qui cum eo communicarent fratrum hospitio ex ecclesia eiiceret. Sed hæc senatus excommunicatio non tam à Pauli V. sanctitate, quam ab adulatorum, quibus summæ potestates nunquam caruerunt, praua suggestione orta existimanda est, à qua ad eum prouocandum est more maiorum nostrorum & exemplo. Hæc ad te tuo rogatu scripsi multis verbis, quamuis rei grauitas plura desiderabat, sed non ea mente vt publicentur. Quod si tibi visum fuerit eorum legendorum copiam amicis facere, & te & illos monitos cupio, mea me Ecclesiæ Dei subiicere, & hæc à me scripta esse optare cum bona venia mei regis, qui quamuis miles sit fortissimus & summus Imperator, pacem tamen colit, & omnibus principibus eius author est, & ob hanc controuersiam ne partes ad arma veniant, summo studio contendit.

Excommunicatio Papalis.

Vale. Dat. Kalend. Decemb. 1606.

HIERO-

Anno 1606.

HIERONYMI VENDRAMENI, SACERDOTIS, THEOLOGI, AC PAROCHIALIS ECCLESIÆ S. MAVritii Venetiarum Rectoris

DISQVISITIONES

CONTROVERSIARVM INTER PAVLVM V. SVMmum Pont. ac Venetam Remp. vergentium,

Ad summum Cardinalium Sanct. Rom. Ecclesiæ Collegium.

Sacrosancto ac venerabili

CARDINALIVM S. R. E. COLLEGIO

HIERONYMVS VENDRAMENVS, SACERDOS, AC THEOLOGVS,

S. P. D.



VM plurimorum, ex sacrosancto illo ac venerabili purpuratorum patrum Collegio, prodeant singulis fere diebus noua ad Rempub. Venetam Paraneses: responsiones, ad cuiusdam incogniti auctoris propositiones, ac tandem sententia quadam, contra Veneta Respubl. Episcopos; In quibus, ob ignorationem instituti, ac rationum eiusdem Respubl. cum multa non tam procacia, quam falsa inferantur, indigna certe tantorum virorum auctoritate, & doctrina; ac præsertim tua Illustrissime Baroni, qui vnus contra ius, fasque omne, sanctissima Republica religionem ac integritatem visus es & afficere, & insectari. Operæ precium existimaui, ad vos Ecclesiæ lumina, discipulorum Christi successores, ac summi Pontificis veros ac legitimos electores disquisitiones hasce meas dirigere, non censurarum, sed controuersiarum, quæ inter Summum Pontificem ac Venetam Rempublicam intercedere, & quibus censuræ illæ omnes videntur innixæ; vobisque sanctissimis, ac religiosissimis viris, eas dicare, & committere, eo certe consilio vt & Veneta Republicæ integritas, ac sanctimonia vobis magis ac magis innotescat, & iis, qui deinceps vestrum hac de re sunt aliquid vel scripturi, vel acturi, maius lumen & ad scribendum, & ad agendum appareat; iis vero qui iam scripserunt, (nostris disquisitionibus perspectis) ad sua scripta in melius & corrigenda, & reformanda stimulus accedat. Excipite quæso per Deum immortalem, ac Christi Domini sacratissimum sanguinem vos precor atque obtestor, hasce meas disquisitiones (donec & disputationes compleam) legite, considerate, perpendite; medelam, non Maiestati temporali vestræ, sed Ecclesiæ ac animarum saluti quærite & adhibete. Vos D. O. M. speculatores in sacratissima illa specula constituit; speculamini quæ vtilia sunt gregi; non nociua, aut dispergentia, hac fatu: valete.

Data Venetiis, Calendis Septembris 1606.

QVÆSTIO.

QVÆSTIO GENERALIS,

An satis iustæ causæ moueant Paulum V. Sum. Pontif. ad sæuiendum nunc tam dire contra Venetos, Anathematis ac Interdicti mucronibus:

Ad quatuor controuersias redactæ, atque à Reuer. D. Hieronymo Vendrameno, S. Mauritii Venetiarum Plebano, ad meliorem omnium intelligentiam explicatæ atque discussæ.

PRÆFATIO.

NON possum persuaderi Venetæ Reipublicæ sanctissimas leges, quas ab ipso omnium legum fonte, DEO, credibile est emanatas (*non enim est potestas nisi à Deo*) vnquam esse posse satis rationabiles causas, propter quas tantopere, contra Venetos patres, Rom. Pontificis nunc deseuiant ac debacchentur iræ; Existimabam certe, dum summum in terris Christi Vicarium audirem, Venetis minitari, arma spiritualia intentare, iam ipsos Venetos à Christi fide defecisse, D. Petri patrimonium occupasse, Vrbes, castella, agros, Romanæ ditioni subiectas, obsedisse, diripuisse, vastasse; quæ communis omnium erat certe opinio, qui causas tantæ excandescentiæ penitus ignorarent.

Verum enim Venetam Remp. animaduerterem religiosissimã, illamq; ab ipso vrbis exordio, quam semel hausit, ac accepit Christi seruatoris hominum semper seruasse, ac retinuisse fidem; à qua tanto temporis spatio, plurima regna, prouinciæ multæ; orbis fere vniuersus, partim defici, partim vacillari, visa sunt. Hæc autem sola ad virginis Deiparæ exemplum, quam mirifice colit ac veneratur, nunquam defecit, vacillauit nũquam. Et certe toto terrarum orbe, vbicunq; est veræ religionis aliquis cultus & cognitio; vbi maiori veneratione, frequentia, pompa, pietate, ipsa religio splendet ac dilatatur, quã Venetiis? Vbi frequentiora templa, vbi sacella, vbi cœnobia, xenodochia, mirũ non dicerem, plures esse Deo dicatas ædes Venetiis, q̃ sunt priuatorum ciuium sedes. hoc semper Venetæ Reip. patribus, peculiare fuit, Vrbem suam religione potius, quã ipsis mœnibus cingere. quæ religiosorum familiæ, Venetiis, non reperiuntur? quibus opibus pietatis est destituta Venetorum ciuitas? religiosi viri, nullibi in maiori veneratione. Clerum vnice diligunt, qui in nouem congregationes diuisũs, nouem Angelorũ imitatur choros. Sacerdotibus quibus animarum est demandata cura, quanta tribuunt Veneti, vel ex eo maxime apparet, quod ipsorum patentibus literis, summam vbiq; adhibent fidem; sine quibus, nec viuere, nec mori se bene arbitrantur: quibus, si cum eis esse, aut incedere aliquando contingat patritii fere omnes, tum Senatores ipsi, non nisi honorificentiores sedes. partesq; concedunt, quod moris est Venetiis, omnibus Sacerdotib. concedere. quanta autẽ cum animi affectu aras Veneti colant, templa frequentent, sacrificiis missarum intersint, non solum festis, sed singulis fere, diebus, qui propriis oculis non vidit, vix credere potest. nullus solemnis hic intra annũ agitur dies, qui paschatis dies non censeatur, tanta est vbiq; Venetiis, ex summo infimoque genere hominum multitudo, quæ Sacramento pœnitentiæ purgata; cœlesti pane reficitur ac recreatur. Omitto reliqua pene innumera virtutis opera; ex quibus Venetorum pietas, ac Religio maxime apparet. Illud non omittam, Venetos patres sanctã Dei Ecclesiam, toto terrarum orbe diffusam, maxima ex parte tueri, ac sustentare. Prætereo vetera; satis nota est Alexandri III. historia; naualis victoria apud Echinadas insulas contra Turcas habita, Venetis tribuenda; norunt Venetorum æraria.

Noua sunt, illaque præsentia, quæ singulis fere diebus Veneti pro Republica Christiana præstant ac moliuntur, quod oppidum est, quæ ciuitas in extremis licet nostræ Hesperiæ partibus constituta, à barbarorum incursibus, ac furore satis tuta? Romanæ certe ciuitati, Pontifici ipsi esset timendum, nisi Veneta classis assidue Italiæ ora circumcursaret, prædones Turcas, cæterosque Christiani nominis hostes, pyratas arceret, ac propulsaret. Maritima vastæ Illyridis litora, Macedoniæ, insulæ in Epyri, Peloponesique conspectu, Ionio, Egæoque mari, à natura ipsa dispositæ ac collocatæ, Venetorum præsidiis, arcibus quam munitissimis instructa, quanta cum impensa, dici non potest; quid aliud sunt, nisi Italiæ, orbisque Christiani vniuersi, castra ipsa, ac propugnacula? excubias certe agunt Veneti assiduas, pugnant pro castris, reprimunt hostes, dormiunt occidentales Principes, ac populi tuti, hostesque à longe audiunt, non vident.

Propugnaculum memorabile in Fori Iulii partibus nuper extructũ, Palmam vocant, quantam Christiani nominis habeant sollicitudinem Veneti ostendit. minabatur toti Italiæ, impius Hassan Bassa, magni Turcarum Regis, summus exercituum Imperator, iamque Italiam animo conceperat, Italiæ opibus mirum in modum inhiabat; Romam vouerat Mahometi impio dicare, si vnquam voti compos effectus, Italia potiretur, neque multis millibus passuum ab Italia aberat, quando prouida Venetorum patrum cura, de communi bono solicita, propugnaculum

illud

illud summis impensis ausa, Italos principes qui iam animo conciderant, in spem erigit, à metu Italiam liberat vniuersam, quid plura? nota est Venetorum pietas ac religio, argumentis nullis opus. Summum Pontificem, quanti faciant Veneti dictu incredibile; opes, vitam ipsam, effundere, pro summo Ecclesiæ sanctæ capite non minus paratos Venetos inuenies, quam principes reliquos omnes. Quas vnquam Romani Pontificis, salutares literas Veneti, vel obsignarunt, vel non acceptarunt? indulgentias omnes, ab ipso Pontifice profectas, vtinam Romani, tanta cum pietate exciperent, quanta Venetos excipere, ac colere videmus.

Hæc igitur & alia pene infinita, cum de Venetorum pietate ac religione animaduerterem; credere non possum, Venetæ Reip. patres sapientissimos, quibus pro libris sunt Principum Orbis vniuersi, leges atq; gesta; Senatus Academia, qui optime norint quid quaq; iure rationi consentaneum, quidue repugnans sit; præterquam quod in his, quæ ad religionem attinent, non suam, sed doctorum virorum Theologorum, Iurisque vtriusq; consultorum, sententias ac vota exquirunt, modo tam misere, aut deliquisse, aut aberrasse. Quæ igitur causæ tanti furoris ac excandescentiæ contra Venetos religiosissimos? Remp. sanctissimam? Deus bone, patieris ne, hæc vlterius progredi, tuam inconsutilem tunicam scindi? haud equidem, nisi forsan, Orbi vniuerso, vltimum statuisti interitum.

Venetæ Reipub. Leges sanctissimas, aiunt, ausam tanti furoris, Romano Pontifici præbere, quippe quæ libertati Ecclesiæ, ac summorum Pontificum decretis, repugnent, ac contradicant: quæ verba? quæ blasphemiæ? Venetæ leges, rationi consentaneæ, ex naturæ legibus depromptæ, sacris scripturis innixæ, sanctorum patrum auctoritate roboratæ, Ecclesiæ libertati, aut sommorum Pontificum decretis contradicere aut repugnare? Altiorem intelligentiam hæc exposcunt quam quæ hactenus dicta sunt. Vereor ne huiusmodi leges, aut probe intelligantur, aut certe, etsi intelligantur, aliud quippiam summum Pontificem colore male latarum legum à Venetis exposcere ac velle; nec enim satis iustæ causæ videntur mihi esse leges Venetæ, præsertim quæ modo in controuersia sunt, cur tanopere Romanus Pontifex desæuiat; quæ certe & antiquissimæ sunt, & ab ipsarum institutione omnibus fere summis Pontificibus cognitæ, nec non taciturnitate diuturna permissæ ac comprobatæ.

Adde quod non solum Venetiis, verum vbicunque est religionis aliquis cultus, & obseruantia, apud exteras nationes, prouincias, & vrbes huiusmodi leges reperiuntur ac vigent, quæ enim ciuitas, quod oppidum, etiam antequam Veneto subiacerent Imperio, vel apud ipsos Dalmatas reperitur, quæ huiusmodi leges non habeat?

Clemens VIII. qui paulo ante Paulum hunc præcessit, nonne lege cautum reliquit, ne Deiparæ Lauretanæ Domus, qua nihil toto terrarũ orbe sanctius, valeat deinceps, aut emere, aut acquirere, priuatorum hominum agros, vel bona, propter easdẽ sane causas, quæ & Venetos multo ante ad idem statuendum impulerunt? conciliari hæc non possunt. idem omnino statuunt Veneti & Pontifices, Pontificum decreta sancta iudicantur, Venetorũ blasphemiæ & anathemata?

Sed ad rem ipsam accedamus; quamuis nunc potius eligerem, in extremo aliquo Orbis terrarum angulo mœrens, lugensque delitescere, quam difficultates ac controuersias huiusmodi examinare; verum quoniam & veritati, & S. Dei Ecclesię plurimum debeo, pro communi bono, ac maiori difficultatis elucidatione, inuocato iam septies Spiritus S. numine inter Missarum sacrificia, pro septiformi eiusdem Spiritus S. gratia, quid mihi hac in re verissimum videatur, aperiam, legesque ipsas & causas, quæ summum Pontificem moueant ad sic desæuiendum contra Venetos examinabo: quas leges si æquissimas esse ostendam, diuinæ legi consentaneas, sacris eloquiis, Sanctorum scriptis, rationi ipsi; proculdubio quoque ostendam; illas neque libertati Ecclesiæ, neque Pontificum decretis vllo modo aduersari, vel derogare; nisi forsan hæc inuicem pugnent, & aduersentur: quod quidem si contigent, minora cedant maioribus, Pontificum decreta sacris scripturis, Ecclesiasticorum libertas Deo.

O quam bene vniuersalis Ecclesiæ parens efficeret, si pugnantia inter se loca conciliaret, diuinoque eloquio summorum Pontificum decreta submitteret & accommodaret; quod quidem & æquius & laudabilius esset, quam in dubiis tantos tumultus atque scandala excitare. Venetiis certe vel lippis & tonsoribus ista patent, neque enim rationis particeps quispiam est, qui Reipublicæ Venetæ partes, ac rationes non approbet. Sed age causas malorum aggrediamur.

Inter alia pœne infinita, multis iam ante annis apud Venetos patres, pro felici suæ Reipublicæ statu non minus sancte, quam prudenter sancita, atque semper ad hanc vsque diem summa cum religione ab eisdem seruata, quatuor modo in controuersia posita, (totius controuersiæ summo Pontifice auctore) nobis examinanda se offerunt:

faxit DEVS, vt quemadmodum recta cum intentione
hæc disputantur, ita à quibus legentur aut
audientur, pari cum intentione
intelligantur.

CONTROVERSIA PRIMA.

DE ECCLESIARVM, SEV ALIORVM PIORVM *locorum erectione.*



AC primum quidem obiicit se nobis lex anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo, duodecimo Calendas Iunias lata in maiori Venetorum concilio, qua lege postea, subsequentibus temporibus pluries tum in eodem maiori concilio, tum in Senatu ipso, & confirmata & explicata; expresse cauetur, ne quis, inconsultis patribus, cuiuscunque ordinis ac status hominum existat Venetiis noua monasteria erigat, xenodochia condat, templa ædificet, vel quæuis alia sacella; aut domos instituat, quo hominibus pateat concursus.

Quæ lex, quoniam muliis Venetias egredi non videbatur, immerito certe, lex enim imperantis Vrbis quæ conditur ciuibus, condi etiam videtur subditarum Vrbium, ac prouinciarum populis, tamen pro maiori etiam subditarum ciuitatum, ac populorum intelligentia, visum est eiusdem Reipubl. patribus anno Domini supra millesimum sexcentesimo tertio, quarto Idus Ianuarii, illam etiam extendere ad omnes Prouincias & Ciuitates Venetæ ditioni subiectas.

Hac lege, quæ tanti furoris, & anathematis causa est; nescio quid sanctius aut laudabilius excogitari potuit: vel hinc enim Venetæ Reipublicæ, summa religionis solicitudo apparet: optimi enim Principis est, ciues suos non solum in his, quæ ad corpus vitamq; pertinent tueri; verum etiam in his, quæ ad religionis perfectionem atque mores attinent. Non enim prohibent Veneti, ne huiusmodi opera fiant, quæ singulis fere diebus Venetiis, magis ac magis per quam honorifica crescunt, partim publica, partim priuatorum ciuium impensa, non tamen sine publico aliquo adiumento; nullus enim vnquam Principem Venetum adiit in sacrarum ædium, seu aliorum piorum operum structuram ad suffragia postulandum, qui inde non donatus redierit. Maiora certe, & plura post latam legem, illaq; magnificentiora Templa consurgunt Venetiis, quam vnquam ante vllam huiusmodi legem; testes huius rei, non alios, nisi templa ipsa, ac Monasteria adhibeo, atque inprimis templum Christo Redemptori, graui pestilentia ciuitate liberata, ex Senatus voto dicatum, atq; à fundamentis ad tectum fastigiumq; vsque perductum; tum deinde Templa ac Monasteria familiæ D. Francisci à Paula, S. Nicolai de Tolentino, quo nihil magnificentius, D. Bonauenturæ familiæ S. Francisci de Obseruantia, Xenodochium ipsum Mendicantium, quod & opera & frequentia maxime crescit, tum vel inprimis pietate ac ope domini Bartholomæi à Calice; opera certe fabrorum è manibus nondum erepta. Qua igitur ratione prohibent Veneti, ne huiusmodi opera fiant? credendum hoc de Venetorum pietate nephas? prohibent autem & merito, ne aliquis inconsultis ipsis huiusmodi opera moliatur.

Male enim cum summa Venetorum religione ageretur, peius cum incredibili eorum in administrandis rebus publicis prudentia, si cuiuscunque generis ac religionis hominibus liceret Venetiis, vel alibi, vbi Veneta vigent Imperia huiusmodi opera moliri, aut efficere; quod sane si liceret, etiam ipsi Mahometani mercatores, quorum Venetiis semper magnus numerus, & ædes & Moschæas suo Mahometi dicatas haberent; quod idem & aliis impiis hominibus contingeret, qui à vera Christi religione alieni vndique mercaturæ causa Venetias confluunt. quæ enim gens, quæ natio Venetiis non reperitur? antipodas ipsos hic frequenter aspicimus; nihil dico de his, qui personatas facies habent, ac vestibus ouium amicti, lupinos mores, ac naturam occultant. Verentur quidem Veneti, ne, si cuicumque pro arbitrio suo liceret huiusmodi templa, domos, vel alia similia construere, Venetias non amplius Venetias religiosissimas, sed Babylonem impiissimam futuram.

Accedit adhæc & illud non contemnendum; crescunt singulis fere diebus nouæ religiosorum familiæ, Veneto nomini infestos fautores habent, Venetias confluunt, Venetæ ditionis Prouincias. Vrbes, Castella percursant: Venetis itaq; non timendum? præsertim si prope arces, vel mœnia huiusmodi templa, vel domos ædificent? sciunt quid faciunt Veneti, nec enim sine causa suas leges condunt.

Quid si concedatur, huiusmodi familias sanctissimas esse, soli Deo vacare, nullius partes sequi; adhuc tamen non bene concederetur illis facultas, hæc & alia pro ipsorum arbitrio vbicunque illis placuerit moliri; occuparent enim frequentiores Vrbium partes, nobiliores plateas, sedes meliores, Vrbes ipsas, quæ huiusmodi familiis; non ciuibus constarent, quod à ratione & instituto ciuitatum est valde alienum; constant enim, Vrbes ciuibus, non religiosorum tantum familiis; priuatorum ciuium sedibus, non solis Templis, aut aliis huiusmodi machinis & operibus, ciuibus Principes imperant ac Reges; his vero ciues obtemperant, atque munia omnia, quæ ad conseruandas Vrbes, & Regna attinent, diligenter curant, à quibus oneribus & subiectione religiosi viri exemptos se esse gloriantur.

Templa item, Monasteria, Xenodochia sine ciuibus esse non possunt, ciues vero sine hi-

mia eorum multitudine, possunt. Naturæ ordinem peruerteret, qui ciues ex vrbibus pelleret; domos ciuium euerteret, atque intra Vrbes, templa, monasteria, xenodochia & alia huiusmodi erigeret; quæ in solum ciuium commodum, & bonum non in exitium, institui, atque erigi debent; quod quam absurdum, quamque immane sit, nemo non videt.

Tolleret item de medio Principes atque Reges, quibus Deus Opt. Max. huius orbis Imperia atq; Regna concessit. *Per me reges regnant*, clamat Dei sapientia Prou. 8. & infra, *Per me Principes imperant.* Diuinus item Vates Daniel ad Nabuchodonosor Regem inquit, *Deus cæli dedit tibi Regnum, & Imperium.* omnium autem clarissime D. Paulus ad Romanos, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* Quo loco Ioannes Chrysostomus, *non enim*, inquit, *Christus Dominus venit ad euertendam, Regum atq; Principum politicam administrationem, sed ad confirmandam.* quod ex Matthæi Euangelio perspicue patet, vbi Christus, seruator hominum aperte iubet, esse reddenda, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo.*

Omnis autem hic ordo & diuina plane dispositio rueret, si Principes auferantur; auferentur autem, si Vrbes tollantur; hæ vero tolluntur, si ex ipsis ciues pellantur, quibus sublatis, Reges quoque atque Principes tolli necesse est, qui sine ciuibus ac vrbibus esse non possunt, quæ omnia tunc fieri continget, cum vrbes inuitis Principibus, templis, monasteriis, xenodochiis, ac cæteris huiusmodi operibus, replebuntur.

Sileant igitur, nec enim audiendi sunt, quicunq; inuitis Principibus, hæc posse effici, contenderint; *Dei enim ordinationi resistit*, inquit D. Paulus, *qui potestati resistit.*

Dicant quæso qui contra hanc legem sentiunt, inuitis Principibus nondum sacro baptismate initiatis, licet ne huiusmodi opera in ipsorum regnis, aut ciuitatibus moliri? non equidem: qua igitur ratione Venetiis, aut alibi sub Venetæ ditionis Imperio, inuitis eiusdem Reipub. patribus, hæc fieri licebit? nisi forsan deterioris conditionis est Christianorum Principum esse è numero, quam non esse.

Nullibi certe Apostolos Domini, quos ipse ad prædicanda vitæ æternæ documenta in Orbem vniuersum legauit, hæc, inuitis Principibus, fecisse legimus; quod certe, neq; ipse Seruator hominum Christus vnquam effecisset, voluntas enim libera est, neq; vllo modo cogenda.

Aliena certe rapere videtur, qui inuitis Principibus, hæc moliri conatur; Principes itē iure suo priuat, qui Ecclesiastico priuilegio gaudens, etiam si locos sua pecunia emat, cum ibi templa, domos, vel alia similia ædificat; priuatorum enim ciuium bona, cum destituuntur, Principum bona sunt, tunc enim in ius Naturæ redeunt; quæ autem Naturæ sunt, Principum sunt, quibus Deus regna & imperia concessit.

Sed si quis & contra leges, vel Principes male agat, vnde vitam, & bona perdere mereatur; nonne Principis est eum vita, vel bonis priuare? illaque vel cui ei libuerit concedere, vel certe in fiscum, seu in publicum ærarium redigere? Ius ergo aliquod Principes habent in priuatorum ciuium bona neue illud, inconsultis ipsis, ad alios Principes transferri possit, iure optimo leges eis condere licet, non possunt iure hoc Principes priuari, nisi contra diuinæ iustitiæ præceptum, hoc aliquis tueri conatur.

Huc spectant & illa haud contemnenda, licet Principibus obsidionis ac belli temporibus, euertere funditus monasteria, templa, & cætera huiusmodi opera, prope muros, vel arces extructa, vnde hostibus vires, & occasio acrius hæc oppugnādi possent accedere; non alia sane de causa, nisi quia Principes, Natura tunc eis facultatem præbente, bonorum etiam quibus Ecclesiæ gaudent, Principes sunt; areæ enim in quibus huiusmodi opera extant, vel fiunt, Principum sunt. Sed de hac lege hactenus, satis enim quæ dicta sunt, patent; ad vlteriora progrediamur.

GONTROVERSIA SECVNDA.

DE BONIS SECVLARIVM CONSERVANDIS, NE ad Ecclesiasticos deuoluantur.

ALTARVM in controuersia positum est, lex anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo tertio lātā in maiori Venetæ Reipublicæ Concilio, qua lege sapientissimis eiusdem Reipublicæ patribus iam ex tunc cauere visum est, (cum grauiter sua æraria, atque suorum ciuium, & subditorum bona imminui animaduerterent) ne Ecclesiasticis quibuscunque, tam Venetiis, quam in Ducatu vt aiunt existentibus, possit in futurum aliquod stabile seculare aut donari aut relinqui in perpetuum, quam in decennium, quo elapso, iubetur illud esse vendendum, ac pecunias Ecclesiasticis apud se retinendas.

Ad quam legem postea anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto, pridie Calendas Ianuarii, cum aliis modis intelligerent sua, suorumq; subditorum iura ac bona deperdi, atque paulatim omnia ad Ecclesiasticos deuenire cum maximo Reipubl. suæ ac subditorum suorum damno, visum est eiusdem Reipublicæ patribus, item in suo maiori Concilio addere & illa; Neue in posterū audeat aliquis testamento legare, seu in perpetuum donare bona item permanentia generis cuiuscunq; Venetiis, seu in ipso Ducatu posita, seu quocunque alio modo, ea obligare in perpetuum, ad pios vsus & causas, seu ad longius tempus, quam ad annos duos, qui-

bus

bus elapsis, iubentur decem sapientes ad decimas exigendas deputari, lege eadem; si qui huiusmodi bona côtegerit, legari, donari, seu obligari plusquam ad annos duos, ea voce præconis vendere, ac pecunias quas inde retraxerint ad Procuratores D. Marci deferre; qui adhibitis quorum interest, tenentur de his iuxta volûtatem eius, qui ea tradidit, aut reliquit disponere & ordinare.

Tandem anno Domini millesimo sexcentesimo quinto, septimo Calendas Aprilis, ad supra expositas leges, duo alia, videntur à Senatu Venetæ Reipub. adiecta, quæ non tam diuersa ab expositis legibus, quam earundem explicantia, seu interpretantia sunt; quorum vnum est, leges easdem, non solum Venetiis, & in Ducatu, verum etiam vbicunq; locorum Venetæ ditionis, ab omnibus debere & adimpleri, & seruari. Alterum est, ne quis inconsulto Senatu, vbiuis, sub Veneto imperio existat, audeat quouis modo, aut colore disponere de supra expositis bonis, nisi modo & ratione, qua in ipsa lege, seu legis potius interpretatione præscribitur.

Hæc summa præclarissimarum legum, hic tenor diuinarum plane ordinationum, hæ leges controuersiarū, hæ alteræ Anathematum causæ. Circa quæ, etsi aperte constat, ex his, quæ paulo supra diximus, quæ mea sentêtia sit, tamen hoc loco & planius, & fusius quid sentiam explicabo.

A natura enim cuiq; tributum videmus, (quæ autem à natura sunt, à Deo ordinata censentur,) vt se suaq; tueri, vnumquodque, & possit & debeat. Quod enim genus animalium, vel infimum reperitur, quod pro se suisq; tuendis, non laboret? pugnât enim pro nidulis suis aues, apes pro alueolis, animalia quæq; rationis expertia pro victu; homines igitur, rationis participes, hoc naturæ bonum, tam sanctum, tamq; iustum contemnent? quod certe, etsi homini cuiq; proprium est, nullus enim hominum est, qui se suaq; non tueatur; suas enim leges & œconomus habet, eique interdum in tuendis suis, & Persica & Laconica, & Attica ratione vtendum, Principibus vero, atque his qui Politicam administrationem exercent, hoc non tantum proprium, quam connaturale videtur.

Est enim Principatus atque Administratio Politica adeo naturalis, & necessaria hominum generi, vt tolli non possit, quin Natura ipsa tollatur; homines enim inter animalia omnia societatem appetunt, à natura enim est homo animal sociale, nam cum vnus homo sibi nô sufficit ad omnia, necesse est vt simul viuant, & vnus alium adiuuet, homo enim eget homine tam in his, quæ ad vniuscuiusque sustentationem & vitam conferunt, quam in his, quæ ad hostium ac ferarum impetus infringendos spectant.

Ad hæc autem omnia bene, ac tuto exercenda, Rectore opus habet hominum genus, qui & multitudinem continere, & bonum commune eiusdem curare, atq; conseruare valeat; quem Rectorem, seu *Potestatem*, vt verbis Apostoli vtar, non nisi à Deo acceptam immediate credendum; consequitur enim necessario naturam hominis; quæ autem à natura sunt, ab eo sunt qui naturam instituit: Potestas igitur hæc de iure naturæ est; non enim pendet ex consensu hominum; nam velint, nolint homines, debent regi ab aliquo, nisi velit ruere hominum genus, quod nullo modo dicendum: at ius naturæ, est ius diuinum; iure igitur diuino introducta est Gubernatio Politica, atque hominum generi perquam necessaria.

Debent igitur Principes atq; Politicæ disciplinæ Magistratus, iure Naturæ ac proinde diuino, non solum se, suaq; tueri, verum etiam sibi subditos ciues, ac populos, eorumq; res ac commoda, quibus eum & leges condere liceat, cœlitus ad hoc illis data facultate, iuxta illud Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*, legibus quoq; ad hæc eadem custodienda, & tuenda, prospiciendum; neve misere dissipentur, atque ad alienos transferantur, summopere elaborandum; quod certe cum omnibus Principibus atq; Rebuspublicis peculiare esse debeat, tum vel inprimis Venetæ Reipublicæ, ad quam, non tantum sui Imperii pondus, & solicitudo, sed etiam Ecclesiæ Protectio spectat: Qua enim ratione Veneti, si sua suorumque ciuium ac populorum bona male dissipentur, Ecclesiæ Dei libertatem, Italiæ tranquillitatem, ac tandem sui decus, contra communes hostes, satis commode conseruare ac tueri poterunt? cauent itaq; iure optimo, ne suorum ciuium ac populorum bona in Ecclesiasticos transferantur. O nunquam satis laudandam Venetorum patrum in condendis suis legibus prudentiam. O admirandam eorundem in custodiendis rebus tum publicis, tum priuatis vigilantiam!

Norunt optime Veneti, Principes tum fortunatos ac felices esse, cum fortunatorum ciuium ac populorum Principes eos esse contigerit; fortunatos autem ciues ac populos esse, quando amplissimis fortunis ac bonis omnibus, sub bono Principe abundant; sicut & econtra eos Principes miserandos esse, imo non Principes, sed priuatis ciuibus deteriores, qui inter squallentes turbas ac populos positi, eorum sanguinem ac bona sugunt.

Equidem si Princeps aliquis, pro communi totius Ecclesiæ Sanctæ bono, diues ac potens esset optandus, is certe Venetus, ac Veneta Respublica deberet esse. Hanc certe Romani Pontifices omnes, hanc cæteri orbis Christiani Principes & protegere & iuuare deberent.

Nullus enim Christianorum Principum est, qui in tam angustis sui Regni finibus, maiores impensas, ac apparatus bellicos pro communi Ecclesiæ S. bono, aut sustineat aut efficiat, quâ Veneti sustinere ac efficere videntur. Dalmatiæ etenim vrbes, Macedoniæ, Epyri Insulæ, Ionii, Ægæiq; maris detrimento potius sont quam vtilitati Venetæ Reip. quæ quidem semper exhauriunt, nunquam replent Venetorum æraria; quemadmodum & maritima classis, ad quam sustentandã singulis anni temporibus, non pro pyratica exercenda, aut pro mercibus hinc inde asportan-

tandis, sed pro communi omnium Christianorum ac Ecclesiæ S. bono, quingenta millia aureorum non sufficiunt. Nihil dico de expensis, quas Veneti partes singulis fere diebus sustinēt non paucas, tum domi, tum foris in alendis de sua Republica omnis generis benemeritis hominibus, eorumq; gnatis ac nepotibus, in extirpandis extorribus, in egenorum subleuatione, ac in aliis fere sexcentis huiusmodi pietatis operibus.

Vnius quidem Arsenalis vt vocant impensæ, (quo nihil terrarum Orbe, nec magnificentius, nec opportunius, nec Christiani nominis hosti formidabilius aut esse, aut excogitari potuit) satis magnæ causæ deberent esse Venetis, non quidem ad conseruanda tuendaq; sua, suorumq; subditorum ac ciuium, verū etiam vt Principes Christiani omnes, tum vel inprimis Rom. Pont. eis & suffragetur, & opituletur. O quā melius ad sexcenta millia aureorū, quæ singulis fere annis Veneti impendunt in hoc armamentario, pro cōstruendis triremibus, ac cæteris bellicæ disciplinæ apparatibus, esset addere alia sexcenta millia, de Ecclesiæ redditibus, quod forsan & laudabilius, & Deo gratius esse posset, quam velle nunc easdem impensas, aut imminuere, aut infringere.

Quid cum Christiano orbe ageretur, si impius Turcarum Imperator cum trecētis, vel quadringentis triremibus, armis ac militibus bene instructis, Italas vrbes, seu Principes aggrederetur, Venetis vel permittentibus, vel quiescētibus? quis vnquam Christianorum Principum, non certe si omnes fœdere arctissimo simul colligarentur, triremesq; omnes, & Romanas, & Ethruscas, & Liguras, & Hispanas, & Siculas, & Melitenses, & Neapolitanas vna congregarent, satis essent, nisi Venetæ triremes ac machinæ accedant ad reprimendos & profligandos huiusmodi hostium apparatus ac vires? probationibus non est opus, sensibus ipsis patet, Armamentarium Venetum solum satis esse posse ad reprimendos cuiuscunq; Turcarum classis impetus; apparatusq; bellicos qui inibi conseruantur; etiam si omnes alii deficiant, solos sufficere ad quamcunq; pedestrem classem instruendam, etiam si quingentorum millium hominum numeretur. Hoc in afflictissima Ecclesiæ S. tempora conseruare, hoc fouere, hoc sustentare Romani Pontifices deberent, non diruere, vt modo facere videntur, qui enim Venetis temporale dominium auferre intendit, hic Christianam Rempublicam, necessario auxilio ac ope priuat; illamque funditus euertere, non conseruare conatur.

Sed hæc ad ostendendum id quod intendimus, probabilia, validiora adducamus. Duo mihi videntur necessaria, ad hoc vt leges politicæ & rectæ & rationi consentaneæ esse dicantur. Alterum est vt res super quibus feruntur, sint mere politicæ & temporales. Alterum vero vt finis propter quem feruntur, sit bonum commune, ac Reipublicæ necessarius nullius malum per se intendens. Ex quibus duobus, atque ex rebus quidem, tanquam ex obiecto, ex fine vero, tanquam ex modo considerandi res omnes & distingui & appellari necesse est.

Hæc duo in supra enumeratis legibus reperiri, clarius est quam vt argumentis ostendatur. Quis enim non videt prædia, agros, domos, & cætera huiusmodi, secularium personarum, esse mere temporalia, politica? super quibus non nisi politicum Principem, qualis Venetus est, oportet & leges ferre, & dominari; quemadmodum & in his, quæ mere spiritualia sunt, quales sunt gratia, potestas clauium, prophetia, sacramenta, sacrificia, & omnes alii effectus, qui proueniunt ex his; non nisi Ecclesiasticum ac spiritualem?

Differunt enim inter se res temporales, & spirituales; potestas Ecclesiastica, & potestas Politica. Hæc in temporalibus versatur, illa in spiritualibus; neutra suos fines egredi debet, nec ea, quæ sunt alterius occupare.

Optime certe hac in re Hugo de Sancto Victore libro 2. de Sacramentis parte 2. cap. 4. *Terrena*, inquit, *Potestas, caput habet Regem: Spiritualis habet summum Pontificem.* Multo clarius Ioannes Driedo libro 2. de libertate Christiana, cap. 2. *Christus*, inquit, *cum præfecit Petrum vniuersalis Ecclesiæ pastorem, non simul dedit illi Imperium temporale super vniuersam Ecclesiam; neq; enim abstulit Imperatoribus & Regibus sua regna; neq; item voluit vt omnis potestas Regalis, perinde ac Ecclesiastica debeat deriuari & descendere ex potestate Petri.* Habetur idem & in epistola Athanasii, ad eos, qui solitariam vitam agunt. In qua Hosius Episcopus ait Imperatori: *Tibi Deus Imperium, nobis autem ea quæ sunt Ecclesiæ Christus commisit.* Confessione ipsa Pontificum, in hac re nihil clarius. Gelasius Papa in epistola ad Anastasium Imperatorem, quæ habetur etiam in Decreto distin. 96. can. duo sunt: *Duo sunt*, inquit, *Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas*, & Gregorius libro 2 epist. 61. ad Mauritium: *Potestas*, inquit, *super omnes homines Dominorum meorum pietati cælitus data est.* & clarissime Nicolaus in epistola ad Michaelem: *Nolite præiudicium Dei Ecclesiæ irrogare, illa quippe nullum Imperio vestro præiudicium infert.* & infra: *Idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur.* Ex his aperte constat, has duas potestates inter se differre. Quod autem neque vna alteri possit derogare, id cum de Temporali potestate constet, de Spirituali probatur. Ex Nicolao supra, quidquid Imperatores habent, à Christo dicit eos habere, quo posito quæritur, aut potest summus Pontifex auferre à Regibus, & Imperatoribus, hanc auctoritatem & potestatem, tanquam Summus ipse Rex & Imperator, aut non potest; si potest, ergo est maior Christo; si non potest, ergo vere non habet potestatem Regiam, quod si non habet, non potest, nec temporali auctoritati Principum atq; Regum derogare.

Quod

Quod Alexander III. qui optime, quid & quanta sit Respublicæ Venetæ auctoritas, est expertus *cap. si duobus. §.Denique. extrà, de appellationibus.* fateri non est veritus, qui cum interrogaretur, an appellatio à iudice seculari ad Papam teneat, respondet: *Tenet quidem in his, qui sunt nostra temporali iurisdictioni subiecti, in aliis vero secundum iuris rigorem credimus non teneri.* Et in cap. causam, secundo. extra, qui filii sint legitimi. *Nos attendentes,* inquit, *quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare, & similia.* Innocentius III. non est prætereundus, qui cap. Nouit. de iudic. apud Bellarm. tomo I. cont. de Roman. Pont. libro 5. cap. 3. *cum iurisdictionem,* inquit, *propriam non sufficimus explere, cur alienam vsurpare velimus?* quibus verbis Pontifex aperte negat Temporalem iurisdictionem in regno Francorum sibi esse assumendam, vt à sua iurisdictione alienam. & non multo infra: *Non intendimus,* inquit, *iudicare de Feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura.*

Pulcherrima sunt illa, quæ idem Innocentius cap. solitæ. extra, de maioritate & obedientia. dicit, in hanc sententiam: *Ad firmamentum,* inquit, *cœli, hoc est, vniuersalis Ecclesia, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & regalis potestas, sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, maior est, quæ vero carnalibus, minor, vt quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* Opportunus certe locus ad ostendendum, satis accommodato exemplo id quod intendimus. Non enim est idem Sol & Luna, differunt enim inter se, & motu & lumine, neque Lunam instituit Sol, sed Deus, ita quoq; dicendum est, non esse idem Pontificalem & Imperialem auctoritatem, nec vnam ab alia absolute pendere. Quod si Luna in lumine à Sole dependeat, id non est simpliciter, & in esse à Sole dependere, sed secundum quid; in esse autem vtraque dependent à primo mouente, id est Deo; simili modo dicendum est, Reges atque Principes, quatenus Christiani sunt à Pontifice in spiritualibus, quæ lumini comparantur dependere, simpliciter autem & in esse, & quatenus Principes sunt à Deo, à quo & Regna & Imperia immediate acceperunt.

Idem Innocent. cap. per venerabilem. extra, qui filii sint legitimi. dicit *Pontificem solum in patrimonio Ecclesiæ plenam habere in temporalibus potestatem, in aliis vero regionibus non item.* & ibidem: *cum Rex,* inquit, *superiorem in temporalibus neminem recognoscat, sine iuris alterius læsione, in eo se iurisdictioni nostræ subiicere potuit, in quo videtur aliquibus, quod per seipsum, (nõ tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis) potuit dispensare. Tu autem noueris aliis subiacere, vnde sine ipsorum forsan iniuria nisi præstarent nobis assensum, in hoc subdere te non posses,* Plura in hanc sententiam possent adduci, sed breuitatis causa prætereantur.

Ad hæc omnia ratio accedit: Principes sacro fonte nondum abluti, sunt veri & supremi Principes suorum Regnorum; his enim Deus in vtroque testamento, approbat Regna & Imperia. *Tu es Rex Regum,* inquit *Daniel ad Nabuchodonosor Regem,* Dan. 2. *& Deus cœli dedit tibi Regnum & Imperium.* & Matthæi 22. ipsemet Dominus, cum Cæsari præcipit esse reddenda, quæ Cæsaris sunt, quid aliud facit, nisi Cæsaris, & aliorum Principum ac Regum, Regna & Imperia approbare? *reddite,* inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo.* Vellem hic obiter obseruari, verbum reddite, vim enim habet, *reddite,* inquit, non donate, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* id est, quæ iure illa debentur, non enim redduntur, nisi ea, quæ alterius sunt. Pertinent huc & illa, quæ Diuus Paulus ad Romanos scribit: *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* vbi etiam propter conscientiam, iubet obedire Principibus Ethnicis; qui si non essent veri Principes, in conscientia non teneremur illis obedire. Sunt igitur veri & supremi Principes suorum regnorum. In quorum Regnis Summus Pontifex non habet, nec dominium, nec auctoritatem temporalem, quod vel ex eo maxime patet, quia si haberet, Regna infidelium libentius daret Principibus fidelibus, neque enim dicendum est, dedisse Deum Pontifici, ius in Regna totius Mundi, & non dedisse illi vnquam facultatem vtendi eiusmodi iure. Deus enim nihil effecit frustra, & potentiam illam quæ nunquam reducitur ad actum, sapientes omnes frustratoriam appellant. Quod si Summus Pontifex nullum ius temporale habet in Regnis infidelium; quæ maior ratio erit, cur illud habeat in Regnis fidelium? absurdum certe maximum deberet reputari Principes infideles, dum in sua perfidia existunt, eos habere supremam auctoritatem in suis Regnis & Imperio, cum autem sacris initiantur, ex sacrorum susceptione eos perdere illud ius, quod in suis Regnis summum habebant. Christus enim Dominus non venit vt destrueret ea, quæ bene se habebant, sed vt perficeret: quando igitur Rex aliquis sacro fonte abluitur, non perdit Regnum terrenum, quod iure obtinebat, sed acquirit nouum ius ad Regnum æternum, alioqnin Christi beneficium, Regibus obesset, & gratia Naturam destrueret: Regnum enim non fundatur in gratia & fide, sed in libero arbitrio & ratione. Pluribus non esset opus, verum vt hæc magis ac magis patefiant, apponam & clariora.

Summus Pontifex est Christi Vicarius, & Christum nobis repræsentat, qualis fuit dum hic inter homines viueret, neque dicendum est, Pontificem maiorem auctoritatem habere, quam habuit Christus, vt homo mortalis; nam Christus vt DEVS, fuit semper DEI filius, Rex, & Dominus omnium creaturarum, eo modo quo & Pater eius; quod Regnum æternum est, & diuinum, nec potuit Summo Pontifici conuenire; quemadmodum nec Regnum eius gloriosum, post resurrectionem. Solum igitur dicendum est, Pontificem habere eam auctoritatem, & officium, quod habuit Christus, dum more humano vixit in terris, quod solum po-

tute Pontifici competere; nam cum Ecclesia hominibus constaret, indigebat certe capite aliquo visibili, & more humano viuente: Ideo Christus Dominus quando desiit more humano viuere, scilicet post sui gloriosam resurrectionem, reliquit Petrum loco suo, qui nobis exhiberet illam Christi gubernationem visibilem & humanam, quam Ecclesia habuerat, ante Christi passionem, vt patet ex illis verbis Ioannis 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

Quamuis Summus Pontifex non habuit nec eandem omnino potestatem, quam habuit Christus, vt homo mortalis, ille enim quia Deus & homo erat, habuit quandam potestatem, quam Theologi vocant excellentiæ, qua præerat tam fidelibus, quam infidelibus, Pontifici autem solum oues suas, id est fideles commisit. Præterea Christus poterat Sacramenta instituere, & miracula facere propria auctoritate, quæ non potest Pontifex. Poterat quoq; absoluere à peccatis sine Sacramentis, quod Pontifex non potest. Solum ergo Pontifici illam potestatem communicauit, quæ puro homini communicari poterat, & quæ necessaria erat ad gubernandos ita fideles, vt sine impedimento vitam æternam consequi possent. At Christus vt homo mortalis, nullum habuit temporale dominium; quod potius cum impedimento esse cognosceret ad æternam salutem, sui sectatoribus ita eo se abdicauit, vt præterquam Apostolos ad sui contemptum pluribus in locis sacrorum Euangeliorum induxit, Ioannis tamen 6. *cum cognouisset quia venturi essent, vt raperent eum & facerent Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* & Ioannis 18. aperte confessus est, *Regnum* eius non esse *de hoc Mundo*, quibus verbis, vt exponunt ibidem Theophylactus, Chrysostomus, Cyrillus, & Augustinus, Dominus liberare voluit Pilatum à suspicione, qua credere poterat, se Regnum temporale affectare, quasi dicere vellet: Ego quidem Rex non sum eo modo, quo Cæsar aut Herodes, nam Regnum meum non est de hoc Mundo, id est, non constat honoribus, opibus, ac potentia mundana, Christus enim non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Habuit autem Christus vt homo mortalis, solum spirituale dominium, quo poterat obligare omnes, tam fideles, quam infideles ad fidem & sua Sacramenta suscipienda, neque enim vlla alia causa fuit, cur Christus Dominus inter homines conuersatus fuerit, quam hominum salus, vt apertissime habetur in symbolo, *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.* Hoc Petro Christus communicauit, ac Summis Pontificibus, quando oues suas eis pascendas commisit, non occidendas, pastoris enim proprium est pascere, non occidere, aut disperdere; neque enim semel Christus hoc Petro commisit, sed pluries, atque pluries, repetendo ei, pasce oues meas, pasce oues meas.

Hæc cum ita sint, ignoro, vnde est, cur tantopere nunc illud tueatur, quod Christus spreuit, quo se abdicauit, quod se non affectare expresse confessus est. Equidem qui temporale dominium, qua Christi Vicarius est, Pontifici attribuunt; hi Christum, Reges atque Principes fefellisse fatentur, atque Christum aliud prædicasse verbo, aliud opere, prædicauit enim, Regnum eius non esse de hoc Mundo, nunc autem illud tueri esse de hoc Mundo in Summis Pontificibus, expresse est, tueri Christum decepisse & Mundum & Principes. Maneat igitur ex dictis, maximum esse discrimen, inter Politicam Regum, atque Principum administrationem; atque inter spiritualem Summorum Pontificum; nullam alteri debere derogare, neutram alterius iurisdictionem posse occupare.

Veneti igitur cum leges condunt, ne sua suorumque subditorum bona dissipentur, atque ad Ecclesiasticos transferantur, in his certe versantur, quæ temporalia sunt, quæque à temporali sua auctoritate, diuinitus illis concessa, penitus dependent. Nullius enim in his legibus condendis auctoritati derogatur, nullius bona, aut fortunæ occupantur.

Nisi forte quis diceret. Ecclesiasticos habere ius aliquod in secularium personarum bona, ac commoda, quæ adhuc nullo modo sua sunt, sicuti habent Reges atque Principes; illosque in damnum ac desolationem Principum, ea posse occupare, & possidere. Nonne vident isti, qui hæc occupare conantur, seculari auctoritati Principum derogare, aliena occupare, suos fines egredi, ac in alienam segetem, pedem ac falcem inferre, quæ certe nulla lege vnquam permissa leguntur.

Dicant quæso huiusmodi homines, licetne à filiis patrumfamilias, insciis, vel inuitis parentibus, tuta conscientia aliquid vel emere, vel acceptare? non certe, eo quod bonorum, quæ parentes possident, filii nondum sunt veri possessores, sed patres. Quomodo igitur insciis aut inuitis Principibus, subditorum suorum bona in graue ipsorum damnum, aut emere aut acquirere licebit? quod enim sunt in familiis parentes, hoc sunt in ciuitatibus atq; Rebuspubl. Principes. Quid si, ne ius aliquod in huiusmodi bona Ecclesiastici habeant; illaque vel iam possideant, vel certe habiles ad ea possidenda reputantur. Adhuc tamen huiusmodi bona temporalia sunt, & temporali Principum auctoritati subiecta; nam quemadmodum Principum temporali beneficio possidentur, ita à temporali eorundem auctoritate ea semper dependere, necesse est.

Silentio certe ista præterire decreueram, tamen quoniam Diui Ambrosii Ecclesiæ S. Doctoris grauissimi, doctrina est, nihil me nouum aut inusitatum putabo dicere. Expresse enim hoc ipse docet in oratione de tradendis Basilicis: *Si tributū*, inquit, *petit Imperator, non negatur, agri enim Ecclesiæ soluunt tributum.* Et infra: *Tributum Cæsaris est, non negetur, Ecclesia Dei est, Cæsari non debet addici.* Accepit hæc D. Ambrosius ex D. Pauli doctrina, qui cap. 13. ad Romanos, iuxta expositionem D. Ioannis Chrysostomi omnes homines cuiuscunq; ordinis, ac status sint, tam seculares, quā Ecclesiasticos, potestatibus sublimioribus subiectos esse dicit, non solum quoad correctio-

nem,

tem, de qua supra, verum etiam; quoad tributa. *Ideoque*, inquit, *necessitati, subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes; reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Ad quod tributum Diuus Paulus omnes astringit, neminem excipit, nullum absoluit. A quo certe nec Christus Dominus absolui voluit, habemus enim Matth. decimoseptimo, expresse Christum soluisse tributum.

Ecclesiastici igitur, qua ratione ab hoc tributo liberos se esse debent gloriari, satis probabile argumentum adhuc non apparet. Illud eos ignorare nolo, quod si alicubi liberi à tributo esse videntur, sciant, id illis non contingere diuino aliquo vel naturali præcepto, sed vt D. Thom. exponit in hunc Diui Pauli locum supra, Principū priuilegio, quibus si libuerit nō eximere, possent non eximere. Quod & ratio suadet, nam sicuti Principum beneficio bona temporalia Ecclesiasticis possidere est concessum, ita eorum Principum beneficio, vel priuilegio, ab oneribus & tributis, quibus eiusmodi bona sunt obnoxia, possunt eximi, & non eximi.

Ecclesiastici certe si tributa, & cætera quæ de iure Principibus soluere tenentur, præstarent ratione bonorum temporalium quæ possident, nec ea quæ mera principum benignitate, ac priuilegio semel acceperunt, nunc iure hereditario ex Christi successione se accepisse, ac possidere tuerentur, decretis Summorum Pontificum, libera ab omni huiusmodi solutione & tributo.

Et quod forsan peius est, nisi furtim, paulatimq; summam Principum secularium auctoritatem, ac dominium affectare, atq; ad Orbis Vniuersi Monarchiam temporalem, aspirare viderentur, contra Christi Domini institutum, non esset, cur tantopere Principes fere omnes, timendum sibi indicarent. Experientia enim compertum habent S. Pontifices ac reliquos Romanæ Ecclesiæ asseclas à paupere Christi, Petri ac priorum Summ. Pontificum vita, eo dignitatis, honoris, opum, ac potentiæ deuenisse, vt Imperio Romani sede Roma Orbis vniuersi Domina nescio qua ratione potiti, hanc forte ob causam extra Italiam, & Imperatoribus residere coactis, ibidem nunc cum melioribus ac ditioribus eiusdem Imperii prædiis, ac redditibus, nec non cæterorum Principum Christiani Orbis, Imperatoriam Maiestatem, non Christi humilitatem exhibeant, propterea fere omnes timent, verentur, expauescunt, sed hæc silenda.

Quod ad nos spectat vnum est, Veneti patres magnam sui Imperii partē, cùm paulatim iam ad Ecclesiasticos deuenisse animaduerterint, perterriti, ne breui tempore, item & reliquum sui Imperii, ad eosdem deueniat, Venetamq; Remp. non amplius Venetam, sed nullam prope futuram: Deo duce, qui cuique vt se suaque tueatur, instillauit; qua ratione tanto suæ Reip. damno esset occurendum, legibus non immerito illis prospiciendum fuit. Videant nunc quæso homines, videant principes Christiani omnes, videat Orbis, ipse S. Pontifex, an aliud consilium erat Venetis incundum, non alia ratione suæ Reip. prospiciendum, ne à Deo sibi, non ab humano aliquo principe concessum imperium penitus amittant, quam legibus cauere, ne subditorum suorum bona permanentia, ad Ecclesiasticos transferantur. In hoc certe Ecclesiæ Dei nulla videtur iniuria irrogari, nulla libertas opprimi. Nisi forsan iniuria dicenda est, se, suaq; tueri, neve temporalia sua commoda in Ecclesiasticorum vertantur, quæ certe à quocunq; possideantur semper temporalia nata sunt esse, neque vllo modo, id quod temporale est spirituale fieri potest, nisi forte eo quod à spiritualibus viris possideatur; qua ratione dicendum esset, omnia quæ à spiritualibus viris possidentur, spiritualia esse, nulla tēporalia, quod admittendum non est; currus enim lecticæ canes venatici, equi, abaci, peristromata, horti, prædia, & cætera huiusmodi, etiam si ab Ecclesiasticis, spiritualibus hominibus possideantur, nullo modo dicenda sunt spiritualia.

Spiritualia enim semper illa memini esse, quæ corporalibus opponuntur, vel quorum tota essentia, ac ratio est spiritualis, quæque ad huiusmodi spiritualia nobis aditum ac viam sternunt, cætera vero omnia quæ huiusmodi non sunt, temporalia putari debent, & temporali regum, atque Principum auctoritati subiecta.

Hæc spiritualium interpretatio, si alicui nimis stricta, vel angusta videatur esse, afferat ipse latiorem, sed quæso animaduertat, ne colore spiritualium, temporalia sibi vsurpet, & dum totus spiritualis videri laborat, videat ne totus temporalis euadat; Quam interpretationem si afferat, & dicat, spiritualia etiam esse illa, quæ mere spiritualia non sunt, sed spiritualibus annexa, & hæc aut esse antecedentia ipsa spiritualia, cuiusmodi est ius patronatus præsentandi clericos ad beneficia, vasa omnia, & vestes sacræ ad sacrificia peragenda, aut denique consequentia, seu dependentia ex spiritualibus, quia videlicet non possunt haberi, nisi ab eo, qui habet spirituale, vt sunt beneficia Ecclesiastica, Ius ad ordines, ad decimas, ad oblationes, quæ ipsis tantum clericis debentur: præter quæ certe nulla alia spiritualia afferet, nisi spiritualia & temporalia, confundere velit. Adhuc tamen, non erit verum dicere, Venetos, cum leges ferunt, ne prædia agri, domus, & cætera huiusmodi permanētia secularium personarum, transferantur modo quocunque ad Ecclesiasticos, versari in spiritualibus, cum hæc non sint, nec mere spiritualia, nec spiritualibus annexa. Quæ præterea modo quocunque fingantur, semper verum est, illas leges in temporalibus ac politicis versari.

Non ignoro, præclarissimarum huiusmodi legum obtrectatores, somniari aliam quandam imaginariam, spiritualium interpretationem, qua nihil, nec impudentius, nec spirituali homine indignius excogitari potuit.

Inquiunt enim, bona temporalia secularium personarum, quæ prohibent Veneti, ne in Ecclesiasticos deueniant, licet temporalia sint ac Politica, posse tamen fieri, & euadere spiritualia si spiritualibus viris contigerit ea possideri. Impudentissima interpretatio, nec vllo vnquam tempore admittenda, quæ certe si & admittatur, ex ea constare quis vel ineptissimus non videt ea penitus temporalia, nullo modo spiritualia esse. Nec leges enumeratæ, cum feruntur, in spiritualibus certe versantur, temporalia enim illa bona sunt temporaliumque personarum.

Quod si à secularibus hominibus, Ecclesiasticis, contigerit ea abalienari, vel spiritualibus à secularibus emere, vel acceptare, cum conditione & oneribus, ad quæ per leges illas tenentur, nulli iniuria infertur, legum enim conditionibus sunt alligata, dum secularia sunt ab iisdem; cum acceptantur ab Ecclesiasticis libera esse non debent. Quod cum verum est in priuatorum hominum bonis, quæ pensionibus soluendis secularibus alligata, ad Ecclesiasticos cum perueniunt, eisdem obnoxia intelliguntur. Multo magis id verum putari debet in his quæ Venetæ Reip. iustissimis legum conditionibus alligantur. Secularium enim personarum bona, dum secularia sunt tenetur per supra dictas leges ad census ad decimas, & alia onera pro Reip. commodo imposita & imponenda; ad eadem cum ad Ecclesiasticos transferuntur quare teneri non debent? Contrarium asserere est doctrinam Christi euertere; atq; contra id quod ipse docuit, est expresse docere tributa non esse reddenda Cæsari: Ex Philosophorum Scholis, axioma illud verissimum putatur, idem manens idem semper natum est, facere idem. Conditionib. per leges impositis bona illa ab Ecclesiasticis acceptantur conditiones easdem seruare tenentur. Temporalia dum erant ad tributa tenebantur, eadem nunc ad Ecclesiasticos deuoluta soluant. Vendi debebant vendantur, temporalia sunt, temporalium naturam sequantur.

Non video certe, si priuatis ciuibus licet testamento cauere, ne priuata sua bona in posterorum detrimentum vllo vnquam tempore ad Ecclesiasticos deuoluantur; cur idem Principibus temporalibus, pro communi Reip. bono legibus suis cauere non liceat? Si ius in priuatorum ciuium bona Principes aliquod habent, non possunt illo priuari, aut cogi, ne de illo disponant, prout eis libuerit. Dei quidem voluntate Principes iure hoc gaudent, supra Dei voluntatem illo priuari non possunt. Nulla certe Ecclesiæ Dei in hoc infertur iniuria, Deo quidem infertur, si contra id quod ipse disposuit, aliter statuatur.

Posset tamen Summus Pontifex quæ Dei voluntas sit interpretari, verum quoniam & temporalem & spiritualem auctoritatem vult exercere, Principibus secularibus in his quæ temporalem auctoritatem concernunt, suspectus videtur. Quare si temporalem auctoritatem, ac dominium omne abiiceret, nec aliam potestatem, quam spiritualem præ se ferret, Principes quidem omnes ac populi, præsertim fideles, eiusdem interpretationē non secus ac responsa ac diuina quædam oracula, & acceptarent & venerarentur. Vnde cum ignorent, à quo spiritu illa interpretatio fieri possit, plerunque enim in Sum. Pontificibus, huiusmodi interpretationes etiam à concupiscentiæ spiritu factæ cernuntur, propterea interdum ipsis nec sine causa assentire timent.

Sed vt eo, vnde discessimus reuertamur; Ex dictis enim constat, leges illas, non nisi in temporalibus, politicisq; versari. De fine nunc earundem quid verissimum sit, ostendamus. Id enim supra polliciti sumus. Finis certe adductarum legum, quemadmodum & cæterarum omnium, Venetæ Reip. nullus alius censeri debet, nisi bonū commune, ac Reip. necessarius. Veneta enim Resp. quemadmodum à Deo Opt. Max. in commune Christianorum bonum est instituta atque aucta; ita semper non nisi commune bonum eorundem per se intendere videtur; ex fine enim omnia appellare licet; hinc enim actiones hominum bonæ, hinc malæ dignoscuntur, leges quoq; tam bonas quam malas, hinc appellare necesse est. Cōseruatione sui, suorumq; quod omnia naturaliter appetunt, quid melius, quid optabilius esse potest hoc omnium bonorum, quæ homini in hac vita contingere possunt, maximum reputari debet, homines enim vt sint ac viuant cætera omnia, quamuis preciosissima, pro nihilo reputant. Deo enim sic, assimilari volunt, à quo & similitudinem aliquam habent.

Hoc Venetis in adductis legibus propositum, hic finis fuit; quod bonum certe, si priuatum esset, nulla ratio afferri posset cur contemnatur, nisi solius Dei vel mandatorum eius iniuria; præter quæ nulla alia præcepta, nullæ leges ad idem contemnendum sufficiunt; Quanto autem magis, cum illud non priuatum, sed publicum, sed commune sit bonum? non enim agitur de conseruatione vnius familiæ, non vnius vici, non vnius Ciuitatis, vel Prouinciæ, sed totius Venetæ Reip. qua toto terrarum Orbe, si Romanam tamen antiquiorib. temporibus excipias, quā certe in multis & superauit, vix alia vnquam fuit, aut dignior aut maior. Et vt rem paucis absoluam, dico cum agitur de conseruatione Venetæ Reip. agitur de conseruatione ipsius Romanæ Ecclesiæ, quod satis ex his quæ supra diximus patet, commune enim illud bonum pro quo Veneti laborant, est quidem commune totius Ecclesiæ; bonum enim natura sua est diffusiuum.

Videtur autem mihi, Veneta Respu cum Christiano Orbe comparata; esse veluti centrum seu punctum illud commune, quod in circulo positum æqualitatem ipsius per circinum in Orbem deductum efformat, quamq; lineis omnibus à circūferentia per illud ductis, absq; vlla cēteri diminutione impertit. Est quidē circulus sine centro imminutus lineæ, nisi per centrū à circūferentia ducantur inæquales; Ita quoq; Veneta Rep. sublata Christianū Orbē imminui, ac pene inæqualitate defici necesse est. Quot Regna vexata, quot Prouinciæ, quot Vrbes hactenus à

Christi

Christi hostibus essent, nisi Veneta Respu. in medio interposita, æqualitatem omnibus seruandam innigilaret. Plura hac in re essent dicenda, quæ omnia silentio prætereo, ne alicui, vel nimis longus, vel certe affectatus videar.

An vero ipsa Romana Ecclesia; sublata Veneta Republica possit tam clare lucere non video, nisi speciali Dei beneficio id ei concedatur; nam cum Ecclesia non solum constet Christianis hominibus, verum etiam religione, pietate, cultu summi æterniq; Dei, quomodo florere poterit patribus religiosissimis sublatis, atque ipsa sede, pietatis, ac religionis Venetiis? Væ Christiano Orbi, Væ Italiæ, Væ Mundo, si eis Venetam Rempub. contigerit amittere, amittent autem si subditos eiusdem Reipubl. bonis ac fortunis spoliari patiantur; subditos enim Venetæ Reipublicæ si bonis ac fortunis spolies, eosdem vna cum nepotibus omnibus interimis, atq; in partu ipso enecas; quos si de medio tollas, Rempub ipsam tolli nonne vides? quam si forte animus est tollere, bella indicentur; aliæ rationes alia consilia ineantur. Nullæ enim insidiæ vnquam vestibus religionis coopertæ satis fortunatos euentus habuerunt. Sed quæso animaduertas quisquis es, qui tantum facinus meditaris, ne postquam Venetam Rempublicam straueris, si tamen sternes, ne ipsam Romanam Ecclesiam funditus euertas, quæ quoniam Deo sunt charissima, quod ex ipsa diuturnitate temporum, quibus vtraque hæc fouit, ac protexit, est videre. Videas, ne Veneta Repub atque ipsa Ecclesia Dei, saluis existentibus, ipsi tibi interitum ac damnationem pares, non enim Deus hæc patietur inultus.

Debent præterea optimatum legum conditores, diligenter inspicere, non solum bonum commune, quod in condendis legibus semper propositum habere debent, verum etiam, vt finis eorundē, qui cum communi illo bono conuerti debet sit Reip. necessarius, neq; enim leges sine necessitate cōdere licet. Ruebat paulatim, Venetū Imperium, Fundamenta Ipsius disiiciebantur, ciues deficiebant, census non soluebantur, opera languebant. qui Euangelicam vitam pauperē humilemq; elegerant, indies ditiores fiebant, opes omnes tam publicas, quam priuatas deglutiebant. Nouæ religiosorum familiæ, veteres sanctissimas opprimebant. Hæc ne & peiora, cursu temporum vlterius progrederentur Venetis, (quod nullus vnquam reprehendere debet) necessario, cum supra adductis legibus, occurrendum fuit. quæ quidem, nisi necessitate, compellerentur, fortan vnquam nec animaduertissent.

Experientia enim, compertum habent, ab Vrbis exordio ad nostræ ætatis tempora, quod & in præfatione huius nostræ tractationis, supra à nobis est obseruatum; plures ac magnificentiores Venetiis, reperiri, Ecclesiastico priuilegio gaudentes ædes, quam priuatorum ciuium sedes. id autem quod de Venetiis dicimus, idem de reliquis Venetæ ditionis ciuitatibus dicendum. Ædes autem huiusmodi, necesse est vt & antecedant, & consequantur opes, neq; enim, hisce temporibus, sine opibus quicquā egregium fieri potest: Quod si plures, & magnificentiores sunt huiusmodi ædes, illas quoq; plures, & meliores facultates possidere necesse est. Triginta decies centena millia, & amplius Ecclesi bona ac facultates, æstimantur valere sub Venetæ ditionis Imperio. Et quidem, quocunq; Venetiis, vel alibi toto Veneto Dominio, te feras, ædificia quæcunq; prædia, agros, domos, & cætera huiusmodi meliora, pulchriora, ac magnificentiora conspexeris illa Ecclesiasticorum esse, certo scias. Atq; ex Ecclesiasticis viris plerosq; quæ quondam ex fundatione piorum hominum pro sustentatione ducentorum, vel trecentorum religiosorum erant instituta, atque erecta: ea nunc paucos, ac interdum quidem, vel vnum solum possidere & occupare.

Quid si ex Vrbe Veneta solum atque agro, extrahas templa, ædificia, bona, facultates, Patriarcharum, Episcoporum, Abbatum, Archipresbyterorum, Plebanorum, Presbyterorum, Monasteriorum, Hospitalium, Ecclesiarum & cæterorum huiusmodi, quæ temporibus, quibus Veneta Resp. cœpta est, vel prorsus nulla extabant, vel certe admodum pauca; illaq; omnia simul in vnum locum conferas, ac seorsim quidem templa, domos, ædificia, & cætera huiusmodi opera ponas, seorsim vero prædia, agros, rura, hortos, & similia; Quid inquam Venetorum Ciuitas, ac Dominium erunt, cum his collata? Illa certe Vrbs, maxima, & Orbis, hæc vero vicus, & prouincia perquam angusta apparebunt, & tamen Ecclesiastica illa, omnia, vel plura certe Venetæ Reipub. subditorum erant, ac proinde Veneta. Principes enim in subditorum suorum bona, vt etiam supra diximus ius aliquod habent. Necessario igitur Venetæ Reip. patribus, his malis medendum, necessario legibus cauendum fuit, ne contra vitæ suæ rationem, ac Christi seruatoris Domini institutorum, Ecclesiastici viri, tandem omnia secularia occupent, ac possideant.

Sunt autem supra adductæ leges, necessariæ quidem, non solum Venetæ Reip. verum etiam ipsismet Ecclesiasticis, quamuis per se ad eos non extendantur. Tamen si eis assentire sponte sua vellent, profecto & Christo melius se conformarent, qui pauperem, egentemq; elegit vitam, vt ipsemet de se testatur, quando dicit, *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Et Euangelicæ perfectionis apicem, facilius attingerent, quem Ecclesiastici omnes, non solū ex Christi instituto, sed aliqui eorū etiam ex particulari voto, seruare tenētur. Iuuat hoc loco Christi seruatoris hominū verba afferre, quib. id quod asserimus clarius innotescat. Principio enim suæ prædicationis ipse Christus Dominus, cū multos gradus beatæ vitæ Apostolis explicaret, primo quidē loco, exposuit paupertatē, tanq̄ basim, ac sustentaculū totius spiritualis ædificii, cum dixit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorū est regnū cœlorum.* Et rursus, quoniā prævidebat futuros Ecclesiasticos, qui regna temporalia & thesauros possiderent in terris, monet ne his in-

his incombant, cum dicit *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur; thesaurizate autem vobis thesauros in Cœlo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Vnde etiam ob eandem causam alibi quoque dicebat, *nemo potest duobus Dominis seruire aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet, non potestis Deo seruire, & Mamonæ. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini? non ne anima plus est quam esca? & corpus plusquam vestimentum? respicite volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa. nonne vos magis pluris estis his? quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? & de vestimentis quid soliciti estis? considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua, coopertus est, sicut vnum ex istis. Si enim fœnum agri quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? nolite ergo soliciti esse, dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt, scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi.* Idem quoque duodecim Apostolis præcepit, quando eis expresse prohibuit, ne aurum, aut argentum, aut pecuniam possideant: *Nolite*, inquit Matth. decimo, *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam.* Verbis quibus adolescentem quempiam est allocutus, nihil clarius. Adolescens enim quispiam cum Christum interrogasset, quid faciendo, vitam æternam obtineret, eique à Christo responsum esset, mandatorum custodiam esse necessariam, quæ cum se seruasse adolescens dixisset; illa addidit, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me*, quasi terrenorum possessio, impedimento esset ad æternam salutem; quę cum audisset adolescens, Inquit Euangelista, *abiit tristis, erat enim habens multas possessiones*, quibus intellectis Dominus ait ad Discipulos, *amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum*, & rursus, *facilius est*, inquit, *Camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Cœlorum.* Nec dicendus est Christus Dominus, hoc loco loqui, cũ secularibus personis, loquitur enim cum Apostolis, atque cum his qui eius institutum, ac mores sequi volebant, quod & ex verbis Principis Apostolorum optime perspicitur, is enim cum audisset Christum supra cum Apostolis, & adolescente illo tam alia, atque ardua loquentem, dixit ad Iesum de præmio solicitus *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* cui Dominus dixit, *amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, & omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorẽ, aut filium, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hoc Christi Domini institutum, hæc Euangelicæ veritatis perfectio. Ex his aperte constat, quorum sententia ad Euangelicam perfectionem propius accedat, eorum ne, qui Ecclesiasticos negãt, bonis temporalibus inhiare, an eorum qui eos bonis omnibus temporalibus, cum graui secularium Principum, ac personarum detrimento ac scandalo, posse affluere sustentant. Veneti igitur cum in condendis suis legibus in rebus mere politicis versentur, commune Reipublicæ bonum inspiciant, Euangelicis dictis non repugnent, imo maxime conueniant, non est, cur eis nec Romanus Pontifex, nec aliquis alius contradicat.

Nec valet adductas leges esse contra libertatem Ecclesiæ, eo quod prohibent ne secularium personarum bona omnia ad Ecclesiasticos deueniant. Contra quam libertatem, quæso? An forsan libertas Ecclesiastica dicenda est, qua Ecclesiasticis viris omnia expediant, omnia liceant? Quod dicendum non est; Leges enim illæ si contra libertatem Ecclesiæ; essent quoq; & istæ si ferantur, ne secularibus hominibus liceat equos, arma &c. huiusmodi bellorum instrumenta Ecclesiasticis viris aut vendere, aut concedere; quas quidem cum nullus contra Ecclesiæ libertatem afferat, nec illas dicendum est esse; quam libertatem fingant, quoquo modo cuiq; libuerit; Ecclesiæ libertas proprie ac verissime nulla alia putari deberet, quam quæ spectat ad animarum salutem, ita vt liberum sit omnibus, in his quæ animarum salutem concernant vacare. Libertatem autem quæ Ecclesiasticis ab Imperatoribus, Regibus, atq; ab ipsamet Veneta Repu. concessa dicitur, quomodo apud Venetos non obseruetur, ignoro. Expositæ itaque leges, cum animarum saluti non aduersentur illas contra libertatem Ecclesiæ esse non est dicendum, imo potius conferre ad libertatem Ecclesiæ, quam eidem aduersari.

Neque dicendum est, vt quidam falso interpretantur, vel existimant, legibus illis prohibitum esse, ne quis pro suis peccatis expiandis, atque pro animæ suæ salute, possit testamento legare, aut relinquere, Ecclesiasticis viris, aut aliis pietatis operibus, quæcunq; sua bona, tam permanentia, quam non; hoc enim legibus illis non prohibetur, imo pro cuiuscunq; arbitrio, liberum hoc ei relinquitur. Non itaque falsum imponant sapientissimis patribus; quibus in condendis suis legibus, nihil potius fuit, quam vt bona permanentia secularium personarum, quæ antequã Ecclesiasticis relinquerentur, politicis conditionibus alligata erant, easdem postea legata, vel quocunque alio modo ad Ecclesiasticos deuoluta seruent, & adimpleant.

Nec Summus Pontifex quod nulli suorum præcessorum visum est conuenire, tentet modo leges expositas, vel confirmare, vel infringere; hoc enim ad illum non spectat, neq; enim est ipse

Princeps

Princeps totius Ecclesiæ politicus, atque eò maxime quod leges illæ nullum animarum periculum concernunt. Huius rei optimam regulam habemus ex Glossa ad caput possessor de regulis iuris in sexto, cuius summa hæc est. Quando de eadem re contrariæ inueniuntur leges Pontificię & Imperatoriæ, si materia legis est res animarum periculum concernens abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam, quo modo lex Pontificia quæ habetur c. finali, de præscrip. abrogauit legē Imperatoriam, quæ habetur in Codice de præscript. triginta, vel quadraginta annorum etiam cū mala fide, quia non poterat seruari sine peccato mortali. At quando materia legis est res temporalis non concernens animarum periculum, non potest lex Pontificia abrogare legem Imperatoriam, sed vtraque seruanda est, illa in foro Ecclesiastico, ista in foro ciuili.

Hæc cum ita sint, constat aperte Summum Pontificem, immerito ob expositas leges contra Venetos patres, nunc tam dire desæuire, ac debacchari. Plura hac in re essent dicenda, quæ si adducantur, æquo longior nostra excresceret oratio, propterea ad tertiam difficultatem accedamus.

CONTROVERSIA TERTIA:

DE BONIS EMPHYTEVTICIS, VT AIVNT ECCLEsiarum, & cęterorum Ecclesiasticorum locorum.

TERTIA difficultas est de bonis Emphyteuticis Ecclesiarum vt aiunt, seu aliorum Ecclesiasticorum locorum, quæ in Emphyteusim concessa videri possent ab Ecclesiasticis hominibus, Laicis Emphyteutis. Hæc certè difficultas nouissime exorta est; neque enim inter alias difficultates à Summo Pontifice, dum per literas Venetos patres moneret, vnquam est nec adumbrata; in sententia tamen excommunicationis, quam Summus Pontifex dicitur tulisse tribus causis, quarta adijcitur, de qua Venetos vehementer conqueri nil mirum, immo si non conquererentur, se ipsos contra ius omne diffamarent; hinc est quod literas illas nullo iuris ordine seruato publicatas ferunt. Hinc declarationem suæ legis quæ de bonis a Laicis possessis disponit, ac pro quibus census Ecclesiasticis soluuntur, quam Summus Pontifex, nullam atque irritam esse decreuit, iniustam atque inanem appellant. Ego certè vel ob hanc solam causam hoc tertium caput silentio prætetire decreueram: neque enim putabam satis iustam causam cur plura de hac re dicam; tamen quoniam inter alias excommunicationis causas vna recensetur, quantum roboris ac iustitiæ habeat, videamus.

Principio autem vt controuersia hæc omnis intelligatur non prætermittam ea quæ verissime sunt, quæque Summo Pontifici excandescentiæ, ac anathematis causam videntur præbuisse. Cum religiosi patres à Pralea, qui S. Benedicti institutum non procul à Patauina ciuitate tenent, atque obseruant, Emphyteusis ambiguitate non bene perspecta; prædia quædam à Domino Francisco Zabarella antiquitus in pensionem laicis hominibus concessa sibi tanquam Dominis restitui enixe coram Venetis Magistratibus instarent, idemque sibi fieri tum à plerisque & ipsi & alii meditarentur, qui præter pensionem quam annuis temporibus eisdem soluunt, ad nil præterea aliud se teneri arbitrarentur. Veneti patres controuersia huiusmodi, ac difficultate satis superque perspecta, Anno Domini 1602. 10. Calen. Iunias, illa statuenda duxerunt, Patres iam dictos à Pralea, nec nunc temporis, nec in futurum aliud ius posse habere, vel intendere in bona à Laicis possessa titulo, aut ratione quacunque non præferri, non coniungere directum cū vtili, etiam si deficiant hæredes quibus primo illa concessa sunt, aut quocunq; alio modo ea occupare, ac sibi attribuere. (Saluis tamen illis semper rationibus sui directi, & iuribus ad exigendas & recipiendas debitas ac solitas pensiones, quas illis à Laicis, solui ac tribui voluerunt.) Quod idem statuendum etiam duxêrunt in quibuscunque controuersiis, ac difficultatibus huiusmodi, quæ inter quascunque religiosas familias, etiam monialium Ecclesiasticos, eorum loca, ac inter seculares homines possent contingere, vel exoriri, vbique tum Venetiis, tum extra sub Venetæ ditionis Imperio. Hæc excandescentiæ, ac anathematis tertia quoque causa, quam ego quoniam leuem prorsus ac nullam existimo, Emphyteusis proprie ac bona emphyteutici, quæ sint ostendam.

Institutionum in Ius Ciuile *libro 3. tit. de Locatione & Venditione*, cum familiaritatem quandam habere viderentur inter se venditio & locatio, ita *vt in quibusdam casibus dubium esset venditione sit, id quod agitur, an potius locatio, quod maxime contingere videtur in prædiis, quæ quibusdam perpetuo fruenda traduntur, pro quibus quamdiu merces, siue pensio vel redditus, siue vectigal, domino præstatur, nemo ea conductore auferre potest, aut heredi eius, cuiue conductor, aut hæres eius id prædium vendiderit, vel donauerit, in dotemve dederit, vel quouis alio modo alienauerit. Quapropter cum inter veteres dubitaretur, quisnam contractus ille esset, & à quibusdam locatio, ab aliis venditio esse existimaretur venditio quidem quod & ad heredes transiret & varijs modis alienaretur; locatio verò, quod per singulos annos aliquid domino daretur*, Diuum Zenonem animaduerti, constitutionem edidisse, qua contractus huiusmodi *Emphyteusis* vocaretur, qui neque ad locationem omnino neque ad venditionem spectaret, sed qui suis finibus consisteret ac proprio nomine gauderet, quo nomine appellari videntur, ibi, & *Collatione 9. de alienatione & Emphyteusi Ecclesia bonorum*, nō solum contractus, quibus ad tempus res permanentes Em-

phyteu-

phyteutis fruendæ conceduntur cum Canone aliquo vel pensione; sed quæ etiam in perpetuum cum facultate eas alienandi, quibuscunque voluerint, cum eodem Canone ac pensione eisdem libera relinquuntur.

Quæ verissima cum sint; verissima quoque & hæc credantur, non solum contractus omnes in quæstione hactenus positos inter supra recitatas partes, sed fere & omnes huiusmodi alios qui pont in futurum possent inter quoscunq; Ecclesiasticos, ac seculares homines non posse pertinere (si tamen pertinere dicendi sunt) nisi ad posterius Emphyteusis genus, in quib. cum nihil contra Emphyteusis Naturam, aut Ecclesiæ libertatem statuum à Venetis sit reperire; imo Emphyteusis, hæ posteriores conditiones maxime seruatæ cum sint, S. Pontificem, tam dire contra Venetos desæuire hanc quoq; ob causam mirandum est valde. Prioris vero generis conditiones, cum vix aliquæ reperiantur eis Venetos derogare, supra exposito decreto, non est dicendum.

Quid si Emphyteusis conditiones Veneti non seruarint, vt falso asseritur, in supra enumeratis contractibus ac iudicatis; leuia certe adhuc ac nulla eis imponuntur. Vellem reperiantur, quæ ego luce clariora esse existimo Venetæ Reip. patres sapientissimos, quemadmodum immediate à Deo, nõ ab humano aliquo Principe traditũ sibi Imperium acceperunt, ita eosdem in administrandis rebus omnib. quæ suo Imperio subsunt nullius Principis legibus, nec Imperatoris quidem vti; sed suis propriis diuinitus ad eas condendas eis concessa facultate. Vnde si qua in re legibus, aut statutis Imperatorum, aut aliorum Principum repugnant, excusantur; dummodo æternæ legi qui Deus est assentiant: Diuersarum enim gentium mores, ac instituta, diuersas quoq; leges ac statuta requirunt; non enim iisdem legib. reguntur Persæ, & Arabes, Macedones, & Cretenses, neq; enim eadem omnib. expediunt, sed interdum, & tempora & casus diuersas leges exposcunt, leges enim quas vno tempore, necessarias vidimus easdem aliis temporibus plerunque non expedire videmus. Hinc est quod pleræque leges ac statuta inter se pugnantia dicantur.

Veneti igitur si in Emphyteuticis bonis Imp. leges statuta ac cõditiones earundem non seruarent, mirandum non esset, à quorum enim auctoritate in nullo dependent, eorundem leges ac statuta seruare non tenentur. An vero Sum. Pontifices si eis Canones, vel Leges, circa huiusmodi bona præscribant, ad eas seruandas teneantur: Non videtur. Pontifices enim cum à Christo Domino, temporalium bonorum auctoritatem non habeant; ita nec leges in temporalibus, eisdem condere licet, quas certe si & condiderint inuitis Principib. quibus ad eas condendas à Deo facultas concessa est, cui vsui futuræ sint non video; quod certe cum non liceat, multo minus ad alienas Principum temporalium leges Venetos compellere licebit: Alienas enim Veneti leges non admittunt, suis vtuntur, & quæ suo cuique tempori ac rei conueniant, diligenter curant.

Ad hæc autem omnia rectius & clarius intelligenda, iuuat animaduertere, principio Deum Opt. Max. cum nulla adhuc Ecclesiarum bona temporalia extarent, ea solũ Regibus, atq; secularib. Dominis tradidisse, atq; distribuisse; Spiritualib. autem viris, non nisi spiritualem auctoritatẽ, atq; ea omnia, quæ ad animarum salutem putantur necessaria concessisse; hisq; à secularib. viris ea omnia quæ ad corpus, vitamq; sustentandam pertinent, necessario suppeditari voluisse. Hinc primitiæ, decimæ, oblationes, & cætera huiusmodi, primũ antiquitus in veteri lege cœpta, tũ posterioribus ad multa vsq; tempora, absq; vlla temporalium bonorum possessione, sola ad spiritualium virorum sustentationem satis visa sunt esse, quando certe & religio & sanctimonia magis elucescerent, quàm in præsentia inter tot tantaq; commoda vigent ac elucescunt. Nulla certe tunc temporis Ecclesiasticorum virorũ extabant temporalia imperia, nulla Regna, nullæ Prouinciæ, nullæ Vrbes, oppida nulla, non prædia, non agri, non domus: Sanguinem nullius Ecclesiastici fundebãt, Tribunalia apud ipsos extabant nulla, in quibus de vita, morteq; ageretur hominum, S. Pontifices, qua ratione Reges, ac Principes imperarent suis leges politicas nec præscribebant, nec infringebant, spiritualibus tantum contenti à politicis abstinebant, dominia nullius permutabant, subditos à Regum, & Principum obedientia nõ absoluebant, sed potius vt eis obsequium ac honorem exhiberent, cum Apostolo hortabantur. Et tamen Ecclesia Dei crescebat, numerus fidelium augebatur, vbiq; Orbis vniuersus Christi iugo ceruicibus suppositis, vnam fidem, vnum baptisma tenebat, fidelium voluntas vna, vnum cor erat. S. Pontificibus summa reuerentia ac obsequium pene incredibile exhibebatur Episcopos omnes ac cæteros Ecclesiarũ rectores, non solum Christiani populi, verum etiam Reges, ac populorum Principes, perinde ac cœlestia quædam numina venerabantur, Sanctitate enim profulgebant, animarum saluti non opibus vacabant, cœlestia quærebant, temporalia aspernabantur, Christi pauperes non nepotes, fratres, aut alios propinquos fouebant. Sed ista omittamus. Ex dictis enim satis est, si constet iura Principum secularium in temporalibus bonis esse & antiquiora, & præstantiora, quam sunt Ecclesiastica; atq; illa quidem à Deo Principibus temporalibus prius esse concessa, spiritualibus nõ item nisi Regum atq; Principum auctoritate posterius. Vnde si casu aliquo Principes, aut Temporales Reges contingit exercere iudicia, seu leges præscribere pro communi omnium bono in sedandis controuersiis, quæ inter Ecclesiasticos ac seculares circa temporalia bona possent exoriri, mirandum non est; in his enim versantur, quæ proprie sua sunt, ac primo illis à Deo concessa.

Velim temporalia omnia, quæ modo Ecclesiastici habent, sciant ea non immediate à Deo, sed à temporalibus Principibus se accepisse & possidere. In quib. certe quemadmodum viri Principes, ac Temporales Reges, eo quod illa immediate à Deo acceperint, à Deo semper largitore depen-

dependent, rationem de illis redditurí, atq; à Deo, si ei visum fuerit, strictiores conditiones recepturi; à simili cur Ecclesiastici in his quæ à temporalibus Principib. immediate acceperint, eosdē in nullo recognoscere velint? Ingrati animi maximum crimen, benignitate Principū accepisse, quicquid habetur eosdem in nullo recognoscere velle, & quod forsan est peius, ac execrabilius, videri auctoritatem illam summam Principibus à Deo immediate concessam, sibi tanquam propriam vsurpare, eorumque regnis, ac fortunis insidiari.

Ex diuina plane dispositione omnis hic ordo, tam spiritualis, quam temporalis habetur, à Deo vtraque disposita, cur negantur? Spiritualia spiritualibus tantum Deus concessit, eisdem in spiritualibus temporales Reges, ac Principes subesse voluit: Temporalia Regibus ac Principibus secularibus tantum tradidit, ab eisdem in temporalibus, spirituales viros dependere, cur negatur? Inuicem hæc dependent, mutuis officiis sese iuuant, Principes in his quæ ad animæ salutem pertinent spiritualibus hominibus egent, spirituales vero homines in his, quæ ad corpus, vitamque exigendam faciunt à temporalibus Principibus & viris, à quibus & temporalia omnia acceperunt, necessario dependent.

His ita explicatis, ignoratur, quod scelus Principes seculares committere possunt contra spirituales, cum in temporalibus bonis ab iisdem requisiti versantur, quæ ipsis à Deo immediate concessa sunt; Ecclesiasticis vero non nisi ab ipsis secularibus magistratibus posterius, atq; in his quidem, non auferendis, sed stabiliendis, cum leges & conditiones præscribunt pro communi subditorū bono ac pace. Ius enim reges, atq; Principes, in huiusmodi bona habent, quave ratione illa conseruari ac augeri debeant, pro communi omnium bono, leges & conditiones eis præscribere cur non licet? quod autem de temporali principum ac regum auctoritate disputamus, idem quoq; de Venerabili Venetæ Reip. Maiestate intelligi volumus, dum emphyteuticis Ecclesiarum bonis, si tamen emphyteutica sunt, leges ac conditiones præscribere videtur.

Hæc ratio si alieni infirma, vel aliena à re videatur, quæ apud alios certe firmissima, ac validissima est, rationes enim ex naturæ fontibus depromptas, semper validiores, ac firmiores esse existimaui, quam quæ ex principum ac regum placitis eruuntur, adducam tamē & firmiores. Reprehenduntur Veneti, ac propterea anathemate etiam feriuntur (si tamen anathema innocuos homines ferire potest) quod Emphyteusim Ecclesiasticorum euertant. Leuis reprehensio, nec maximi facienda. Qua ratione quæso hæc euertunt? Quod lege inquiunt canent, ne Emphyteusis conditiones seruentur: Quæ conditiones? Quas legibus aiunt, Imp. ac Pontifices præscribunt. Obmutescant quæso, ne talia effutiant. Venetæ profecto Reip. institutum non percipiunt, quæ extra omnium rerum ordinem, extra Orbem ipsum diuinitus parta suspicitur: Leges Imperatorias, aut Pontificias, quæ politicam administrationē concernunt, Venetos nō admittere supra ostendimus. Ex naturæ fontibus rationes, cur id faciant, si tamen faciunt, validissimas adduximus. Quæ si satis non sunt, pudore quæso afficiantur, confundantur, obmutescant, iniustissima expostulatio. Vellem animaduertant quis primus controuersias, vel lites circa huiusmodi bona est contestatus? quis Venetorū tribunalia, aut magistratus primus adiit? quis prior quē miserabilē instituere tentauit? Ecclesiastici ne seculares homines, an seculares homines, Ecclesiasticos viros? Auctores tantæ controuersiæ nemo non vidit Ecclesiasticos fuisse: Proh dolor, vnde religionis, iustitiæ, ac parsimoniæ exempla debebant seculares homines capescere; inde controuersiarū, litium, ac cupiditatis exempla eosdā nunc capescere, inauditum, à pietate alienum, quis nō horrescat? Nō sunt quidē veriti Ecclesiastici viri, Emphyteutico pallio amicti, plures illustres familias miserabiles viduas, pupillos, ac alios fere sexcentos, eorumq; opes, ac bona deglutire, ac comprimere, quæ quisq; bona fide, ac iusto titulo, iam multorum annorum spatio arbitratur, à maiorib. suis, & aliis se & accepisse & acquisiuisse; quæ certe si priuata auctoritate eis efficere licuissent, iā effecissent, partisque Patauinæ Diœcesis maioris, ne dicam totius iam Comites & Dynastæ fuissent. Verum quoniam hæc ad sua vota propria auctoritate conducere non poterant; primi sunt Venetos Magistratus adorti, primi ius sibi fieri ab eisdem sunt obnixe imprecati. Neq; enim aliū iudicem eis exposcere fas erat, omnes in hoc sapientes viri conueniunt, iura vtraq; hæc fieri permittunt, consensus communis approbat: actor inquiunt omnis debet sequi forum rei.

Secularibus etenim hominib. si cum Ecclesiasticis per iurgia, aut lites erit agendum, ab eisdē aliquid, vel repetendo, vel exigendo, exceptis causis secularibus, & possessorio, eos certe non ante alium iudicem conuenire licebit, quā ante Ecclesiasticum; cuius dicto ac sententiæ vsq; ad supremam S. Pontificis erit, & standum & parendum. Neq; enim ab Ecclesiastico foro, ac eiusdem fori vltima sententia modo aliquo potest ad secularem iudicē, aut appellari, aut reclamari. Simili modo si Ecclesiasticis hominibus contigerit à secularib. aliquid vel exigere, vel recuperare, causis Ecclesiasticis semper exceptis, eisdem certe non licebit, seculares homines conuenire nisi coram iudicibus secularibus, vsq; ad supremam earundem iudicum sententiam, atq; tribunal; A quo sententiam quamcunque acceperint, debent eidem & stare & acquiescere. Nec Iudex Ecclesiasticus etiam si Summus Pontifex sit, potest eandem sententiam, aut infringere, aut confirmare. Hæc adeo nota sunt, vt probationibus non egeant.

Religiosis itaque à Pralea, seu Ecclesiasticis aliis quibuscunque, si à Venetis Magistratibus, ac tandem à Senatu ipso Venetæ Reip. supremo ipsis Ecclesiasticis, sic poscentibus contra seculares suos Emphyteutas, si tamen Emphyteutæ sunt (Dei æterni nomine inuocato) quod moris

est Venetis in omnibus iudiciis inuocare; Ius æquum & redditum & administratum fuit. Quid nunc est, quod Ecclesiastici iidem Venetorum iudicatis, seu decretis sibi nec standum, nec assentiendum putant? An forsan ad Sanctam Sedem, huiusmodi controuersiæ pertrahendæ? an huiusmodi iudicata infringenda? Inauditum commentum contra iura, citra sapientum sententias, contra consuetudines: nihil hoc certe aliud esset, quam à seculari iudice causas omnes, quæ [illegible] ad eum spectant, ad Summum Pontificem, velle auocare; quod Alexandri Tertii Pontificis responso supra expresse repugnat, negat enim ipse appellationem quamcunque à iudice seculari ad Summum Pontificem teneri, qui Iudex à Pontificis temporali iurisdictione minime dependeat. Sed hæc forsan miranda non sunt, quisq; enim in propriis causis cum decipi possit, omnia sibi licere existimat. Mirandum est ipsum S. Pontificem eis assentire, eorumque opiniones fouere ac sustentare. Vtinam adulatores silerent; quique viri Sanctissimi, atq; Doctissimi sunt, hac de re tantum loquerentur, nullam dignitatem à S. Pontifice aucupantes, nullum lucrum, nullâ [illegible] bendam, Oh quam clare constaret Summum Pontificem nullam prorsus temporalem authoritatem in Principum temporalium Regnis, atq; Imperio habere, ac propterea immerito controuersias, atque lites à temporali eorum auctoritate ad suam Sedem, atque Tribunal [illegible] & perducere.

Antiquitus certe ista fieri non audiebantur. Pontifices hæc tractare respuebant, non [illegible] tabant. Venenum profecto magnum in Ecclesia Dei effusum dicitur, quo die Constantinus Imperator Romano Pontifici temporale dominium concessisse perhibetur. Tractent quæso fabrilia fabri, Summi vero Pontifices summam spiritualem, non temporalem auctoritatem [illegible] Orthodoxa fides paulatim visa est defici, ex quo Romani Pontifices summam temporalem [illegible] ctoritatem, præ se ferre cœperunt. Testes huius rei pene innumera Regna, ac Prouincias [illegible] mur, in quibus certe sanctitas maxima, atq; religio vigebant, quia paupertas, atq; rerû omnium in Ecclesiasticis ac religiosis viris contemptus cernebatur. Nunc vero in iisdem impietas, sacrilegia, idolorum seruitus esse cernuntur, eo quod Ecclesiastici spirituales esse desierunt, ac temporales fieri voluerunt, opes enim, non Christum quærere videntur. Vereor esse mendax, & faxit Deus vt sim, ne si huic incommodo quam citissime non consulatur (Christiano Orbe [illegible] to,) extrema mala luamus.

Nec valet quod pleriq; ex Ecclesiasticis affirmant, temporale dominium Ecclesiæ Dei necessarium esse, neq; enim alia ratione aiunt illam posse sustentare sui Maiestatem, sanctimoniam, [illegible] mandatorum Dei, ac Ecclesiæ obseruantiam contra eiusdem Ecclesiæ contemptores, quam si opibus, ac potentia temporali abundet; Paralogizant certe isti, nec vident Ecclesiam diuina quidem ope, non humana subsistere, atq; ex Deo quidem non ex hominum instituto, & consilio, illam & exordia & incrementa accepisse. Christus enim si Ecclesiæ sponsus ac Princeps [illegible] eisdem si expedire visum fuisset eam, & rebus temporalibus, & opibus, & potentia abundare, [illegible] rarum Orbem vniuersum, non vnam tantum perquam angustam eiusdem Orbis particulam [illegible] dem subdidisset: Verum quoniam non temporalibus, sed spiritualibus, spiritualem [illegible] sam Ecclesiam opus habere animaduerterat, propterea eandem spiritualibus donis ac opibus [illegible] donauit & illustrauit, Terrena enim Christus spreuit; terrenis Ecclesiam inhiare Christi sponsam non est dicendum; Sub capite enim spinoso (Sanctorum sententia est) non decet corpus esse delicatum. Anima certe pluris debet esse, quam esca; & corpus plusquam vestimentum, animarum saluti Ecclesiastici debent vacare, non delitiis, non escis, non opibus. Sed digredimur, in proposito quæso nostri ratione persistamus. Emphyteutis quidem Senatus Veneti decreto ius redditum est, acquiescant, neque enim Senatus eiusdem decretum aliud quidpiam est, quam eiusdem Senatus summum votum, summa sententia, cui quidem sicuti Laici Emphyteutæ, si illis aduersetur acquiescerent; ita debent, & Ecclesiastici acquiescere. Ridiculum maximum est, arbitria iudicum exposcere eorum iudicatis stare nolle. Pueriliа ista reputantur, sententias iudicum si votis respondeant æquas existimare, iniquas si secus contingat euenire, Iudices suæ conscientiæ non disceptantium se debent accommodare; Ad sentiendum aliter quam recta ratio illis suaserit, compelli non possunt, nec anathemate quidem.

Validiora argumenta debebant Ecclesiastici adducere, si iudicata à Venetis Magistratibus propitia sibi expetenda erant. Neq; enim illa bona Emphyteutica esse satis firmæ rationes putantur, possunt etenim esse, & non esse, vt credibilius est non esse: Nulla enim vel paucissima adeodum huiusmodi instrumenta siue contractus reperiuntur. Quod si nulli contractus nulla bona Emphyteutica; Si nulla bona, nullæ controuersiæ, nullæ lites deberent esse. Neque enim dicendum est, quicquid Ecclesiasticis titulo quocunque respondetur, id ratione Emphyteusis illis respondeti; hac enim ratione omnia Emphyteutica, omnia Ecclesiastica essent; nullū secularium [illegible] enim seculare aliquod bonum est, vnde Ecclesiasticis aliquid non soluatur. Quæ dicenda non sunt, alioquin Ecclesiastici homines, ratione & decimarum & primitiarum & quartæ & cæterorū quæ alicubi illis soluuntur, possent prætendere iura & actiones, in omnia secularium personarū bona. & illa vel emphyteutica, vel aliquo alio huiusmodi nomine nuncupari. Quæ certe quemadmodum inepti hominis esset, ratione prædictarum solutionum velle prætendere, ita quoque ineptum est, ratione emphyteuticæ solutionis, cuius nulli certi contractus appareant, ea sibi vel procurare, vel exigere.

Qui

Quis enim certus esse potest eas pensiones, quæ Ecclesiasticis, nomine emphyteusis soluuntur, eas non ratione emphyteusis, sed alia quadam puta eleemosynæ, consuetudinis, vel testamentariæ alicuius immemorabilis obligationis eis persolui, ac responderi? Hac in re Ecclesiastici, ne verbũ quidẽ proferre deberent; multo minus anathemate, ac interdicto obstrepere ac minitari. Pudet me certe de huiusmodi rebus, vel recordari, nedũ proloqui, aut scribere. Confundantur quęso quicunq; & hanc postremam causam, aliis tribus adiici auctores fuerunt; Deum quęso vereantur, si homines, aut Principes non verentur; cuius manus effugere est difficile.

Nullo itaque emphyteusis existente Instrumento, quid aliud poterant Veneti statuere; quam quæ sapientissime statuerunt supra exposito decreto? Quod si forte aliqua emphyteusis instrumenta & videantur, adhuc tamẽ Venetis non erit timendum; Quin maiori ratione suum illud decretum tueantur, quam Ecclesiastici iura illa in secularium personarum bona prætendant, atque exigant.

Vellem Ecclesiastici verum fateantur, atque aperte dicant Bona illa, quæ ab ipsis in emphyteusim concessa secularibus hominibus per Emphyteuticos illos conuentus apparent. Antequã sic concederentur cuiusnam illa bona erant? Ecclesiastica ne? An Principum secularium temporalia? Ego quidem sic existimo, si vtilia, eorum quibus vtilia erant, quod si inutilia, ac otiosa, nullius; Quod enim inutile, ac otiosum est, nullius putatur esse habetur enim pro derelicto; Derelicta autem omnia cuiuscunq; illa fuerint, non sunt certe, nisi primi eorũ Auctoris, ac creatoris Dei, ac pedissequæ eius naturæ, & Principũ temporalium, quibus immediate Deus ea concessit, & in quos omnia statim ac derelicta sunt, redeunt, tanquã in suos veros, ac principales dominos.

Ecclesiastici igitur si huiusmodi bona laicis concedunt; ea certe videntur concedere, quæ sua non sunt, sed aliena, sed Principum secularium. Ob hanc certe solam causam deberent Ecclesiastici conticescere, atq; indicatis Venetorum cõtenti concessis pensionibus deberent & vti & lætari Melius certe cum eis actum esse putatur, quam cum secularibus emphyteutis, Ecclesiasticis enim ea conceduntur, quæ forsan sua non erant; secularib. vero ea imponuntur, à quibus & absolui poterant. Monstri simile esse videtur, Ecclesiasticos primo Venetorũ bonis occupatis, mox his in Emphyteusim secularibus hominibus concessis infœcundia, derelictis, nullius vtilitatis, atq; à secularibus quidem bona fide ad meliorem conditionẽ redactis, labore, industria, impensa maiori certe, quam si emerentur, velle tandem non pensiones (quæ nescio quo modo illis soluuntur.) sed ipsamet bona, iam effecta fœcunda, & vtilia, non secus, atq; ipsimet in ipsis elaborassent, atq; omne studium, omnemque solicitudinem adhibuissent, cum maximo secularium personarum, & damno, & scandalo. Vtinam natura huiusmodi bonorũ agnoscatur, profecto Ecclesiastici minus obstreperent; nec Venetos qui forsan dormiunt excitarent. Sed si aliquatenus & vtilia, non tamen derelicta, & otiosa omnino bona eadem esse perhibeantur, id est pensiones aliquas exiguas, ex ipsis tamen infœcundis percipiantur, cuiusmodi certe paucissima fuisse creduntur. Adhuc tamen impium, atq; ab æquitate alienum esse videtur, præter pensiones, quæ ex illis singulis annis soluuntur, velle præterea aliquid aliud vltra pensiones, quod longe pluris valet, quam nec pensiones, nec bona in Emphyteusin concessa, libertatem sc. secularium, atque ipsamet iura Venetæ Reip. Pulcherrimæ certe venationes essent istæ, aut potius piscationes in syrtib. atq; vadia nulla quidem, aut fœda esca, magnos piscari pisces; cum Christus Dominus, non pisces, sed homines, sed animas, non bona temporalia, monuerit Ecclesiasticos piscari.

Multis certe huiusmodi contractus vsurarii possent videri. In his enim aliquid vltra sortem, pecunia æstimabile intenditur. Ego certe eos non vsuraticos, sed deceptorios, sed proditorios existimo. Produntur enim primo seculares homines, qui impẽsa pene incredibili, cum super huiusmodi bonis, antiquioribus suis cum modica illa pensione concessis, bona fide construxerint domos, palatia, hortos, vineta, aut alia similia prohibentur, ne de illis disponant, prout eis libet (salua semper Ecclesiasticorum pensione, atq; directo) non vendere, non donare, non testamẽto legare, non quocunque alio modo, amicis, parentibus, pauperibus, aut aliis quibuscunq; personis concedere, vel elargiri, nisi prius ipsimet Ecclesiastici pensionarii consulantur, & præferantur. Quæ certe sicut & superiora si locum apud Venetos haberent. Ecclesiastici quidem apud eos Principem, ac Senatum agerent; Veneti vero patres & Principes Ecclesiasticos viros exhiberent. Absurda in Ecclesia Dei maxima. Produntur quoq; & Veneti, & quidem non à proximis Infidelibus, sed ab ipsismet Ecclesiasticis, amicis, atq; domesticis; namq; dum paulatim bona huiusmodi ad Ecclesiasticos deueniunt, quæ verisimile est, fore vt omnia deueniant; priuantur ipsi Veneti suis decimis, pensionibus, solutionibus, & aliis huiusmodi, quæ ipsis ad sui Imperii onera, facilius ferenda ab ipsismet secularibus, ratione supra dictorum bonorum soluuntur, singulis annis & temporibus, quæ bella aut aliæ graues occasiones, possent afferre.

Postremo huiusmodi contractus omnes, si qui tamen sunt eo ipso suspecti atque irriti esse debent: quod in graue damnum Venetæ Reip. celebrati atque confecti videntur.

His quid possit opponi non video: adeo enim ex dictis Venetorum rationes patent. Nisi forte quis ea opponat; quæ certe nullam vim habent, non potuisse scilicet Venetos infringere, aut immutare contractus Emphyteuticos anteriores suo dominio, sed eos debuisse in sua natura, ac robore conseruare & custodire, sicuti & antequam Veneti Emphyteutis secularibus dominarentur, vigebant.

Sed hæc infirma & ex supra dictis satis resoluta, hæc enim Veneti non infirmant, imo confirmant; nostris itaque acquiescant Ecclesiastici rationibus, nec sibi falso Emphyteutarum nomen vsurpent, aut aliorum Principum leges, vel priuilegia Venetis adducant, nos interea ad quartam, seu postremam difficultatem accedamus.

CONTROVERSIA QVARTA.

DE ECCLESIASTICIS SCELESTIS HOMINIBVS, A Veneto seculari Magistratu mulctandis.

POSTREMA Controuersia, quæ forsan origine est omnium prima, versatur in Ecclesiasticis scelestis hominibus mulctandis, à secularibus, Venetæ Reip. Magistratibus, in his tamen quæ turpissima, ac grauissima sunt, quæq; mulctanda, non nisi ad secularem principem, ac magistratũ pertinent. Hæc controuertia (vellem silere, verum si ipse silerem, res ipsa pro se loqueretur) duos nescio quos, ex Ecclesiastico ordine, fertur habuisse, auctores, & principes, homines omni scelere peiores. Abbatem vnum, veneficum, sicarium, sanguinis humani cupidũ, violentas enim ferunt non abstinuisse manus ab hostib. ab amicis, à domesticis, proh scelus, à progenitore ipso, qui eum genuit, qui educauit, qui ditauit; non violentæ iam manus; sed impiæ, sed sacrilegæ, sed parricidæ, stupra in ipso. adulteria, fornicationes, & cætera huiusmodi vitia, quę turpis libido suadere solet, leuia putantur. Sorori, infelix, non pepercit, sorore turpissime abusus dicitur, vt amplius non Ecclesiasticum, non hominem, sed brutum animal se & exhiberet & profiteretur.

Alterum controuersiæ tantæ auctorem Canonicum quendam Vicentinum ferunt, libidini prioris non absimilem, qui stimulis efferatæ libidinis actus, turpitudinis suæ illecebras in honestissimam Vicentiæ matronam sui affinẽ cum exercere non posset, quam miram in modũ prius & solicitauit verbis, minis, astu non solum domi, verum etiam foris in publico, in templo oblitus officii clericalis, matronæ honestatis, affinis, familiæ conspicuæ splendoris; tandem quæ spurcissimo scorto non conuenirent, in rabiem versus, matronæ tantæ sanctitatem, atq; honestatem afficere non est veritus, notis turpissimis, valuis pudicissimæ fœminæ domus noctu illitis, atq; infectis, indicem apponens non honestatis, sed turpitudinis, sed infamiæ, sed scorti, sed prostibuli, scelus vix expiandum omni tormentorum genere, quod etiam si expietur, matronæ tamen honestas ac sanctimonia, pristinam nunquam recuperabit integritatem; hæc spurcissima, temeraria illa consequuntur, non fuit enim illi audere satis, quicquid turpis libido eum est adhortata, in publicæ Maiestatis contemptum publica D. Marci sigilla, quibus scribarum tabernæ Vicentini Episcopatus (ipso summo scriba sic efflagitante,) obsignatæ (defuncto Episcopo) tutæ conseruarentur læsæ Maiestatis crimen temerarius contempsit, violauit, fregit.

In hos scelestissimos homines cum animaduertere Veneti de more vellent; (nec enim procacissimorum hominum audacia, aliter coerceri posset:) Exempla quippe vitiorum in Ecclesiasticis impunita; ad similia perpetranda plurimum seculares mouent. Mirum, inauditum, à S. Pōtifice fouentur, tutantur, ne munus suum Veneti exsequãtur pallio Ecclesiasticæ libertatis impediuntur, atq; anathemate inaudito prohibentur. O tempora, ò mores, quid aspicimus? homines culeo insuendos, atq; in profundum maris demergendos, ita quidem vt ne nomen eorũ amplius numeretur, velle nunc & tueri & protegere, atq; ita protegere, vt potius Ecclesiam Dei ruere, Orbem vniuersum in arma concurrere sit certum, quam iisdem ad quos spectat eos iure quidem diuino & S. Pontificũ assensu, & mulctandos, & corrigendos permittere. Hæc ne temere, aut casu aliquo dicta videantur, pluribus ostendam, iure quidem id Venetis, & concedi & licere.

Scelera certe impunita esse non debent, id adeo clarum est, ex omni lege, vt probationibus non egeat. Ac quidem cum scelerum pœna sit duplex, Spiritualis vna quæ ad animæ maculas detergendas spectat, quales sunt censuræ fere omnes, atque præter censuras irregularitas, depositio, degradatio, ac temporales non vllæ aliæ leniores, in ordine tamen ad spiritualem animarum profectum, corporalis altera grauior, qua mulctantur corpora, vinculis, exilio, sanguine, vita.

Verius certe ac probabilius putari debet Ecclesiasticis viris spirituales tantum pœnas à Deo concessas, corporales vero graniores, non nisi secularib. Magistratibus, neq; enim verisimile est, à Christo Domino, aliam potestatem Ecclesiasticis permissam, quã spiritualem; Sanguinis enim effusio à Christi Domini pietate, ac vitæ mortalis violẽta priuatio, valde aliena putari debet; Quod idem & de Ecclesiasticis dicendum; si Christi Domini sectatores esse velint; Principibus vero ac politicis Magistratibus, nõ nisi in corpora, corporali pœna, sanguine, ferro, vita, animaduertere, ac desæuire. Hanc enim ob causam, & gladius illis concessus est; *non enim sine causa*, inquit Apostolus, *gladiũ portat*, (loquitur de seculari Principe, & Magistratu) *minister enim Dei est*. Quæ certe negari non possunt. Adeo enim vera sunt, atq; ab ipsismet Ecclesiasticis concessa; nisi forte quispiã afferat & dicat; Ea vero esse in secularium scelerib. ac excessib. puniendis non Ecclesiasticorũ, qui secularibus Principibus subiecti non sunt. Ergo, Ecclesiasticorum scelera impunita; Ecclesiasticis enim superioribus capitulare non licet, à secularibus non possunt; Ecclesiastici igitur impuniti debacchentur, furentur, vxores secularium, ac filias comprimant, rapiant, omnia eis liceant, omnia expediant.

Tergiuer-

Tergiuersentur Ecclesiastici quantum velint, sacras scripturas glossent, interpretentur prout eis libuerit: nemo quisquis ille sit, siue secularis siue Ecclesiasticus, iure diuino exemptum se esse iactet à Principum secularium censura, eorum quæ turpissima, ac grauissima committunt in ipsorum Regnis ac Dominio, contra Deum, bonos mores, ac quietam viuendi rationem, Deus enim nullus sceleri fauet.

Nec certe D. Paulus ad Romanos 13. cum omnes subiicit Principibus Laicis, aliquem ab eorum obedientia ac censura eximit, aut absoluit, *omnis* enim inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, Itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali, vis autem non timere potestatem? bonum fac & habebis laudem ex illa; Dei enim minister est tibi in bonum, si autem malum feceris time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit; Ideoque necessitati subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* aurea sane verba, his enim Diuus Paulus, hoc loco subiectionis vocabulo est vsus, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, & infra: *Ideoque necessitati subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* De exemptione certe ne verbum facit: Iure enim diuino à Principum secularium censura neminem censebat exemptum esse.

Locum hunc inter alios interpretati sunt, D. Ioannes Chrysost. Orientalis Ecclesiæ egregius Doctor; Necnon Sanctissimus ac Doctissimus vir D. Thom. Aquinas, velle m consulantur supra. O quam clare cuiq; patebit omnes homines cuiuscunque ordinis, ac status sint, ex horum sententia ac Diui Pauli loco supra à Principibus secularibus subiectos non exemptos iure diuino ab eorum censura esse debere, tum vel in his quæ mulcta ac animaduersione corporali egent. Vterq; enim verba illa, non ad alios quam ad seculares Principes ac potestates accommodat.

Diui Thomæ certe in hunc locum supra (erat quidem & ipse ex Ecclesiastico ordine Religiosus) hæc verba sunt. *Considerandum est, quod quidam fideles in primitiua Ecclesia dicebant terrenis potestatibus se subiici non debere, propter libertatem quam consecuti erant à Christo, secundum illud Ioannis 8. si filius vos liberauerit, vere liberi eritis. Sed libertas per Christum concessa & libertas Spiritus qua liberamur à peccato & morte, sicut supra 8. dictum est, lex Spiritus in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis, caro autem adhuc remanet seruituti obnoxia sicut supra 7. dictum est, & ideo tunc nulli subiectioni homo per Christum liberatus erat obnoxius, nec spiritnali, scilicet nec carnali, vnde dicitur 1. Corinth. 15. cum tradiderit Christus Regnum Deo patri, & euacuauerit omnem Principatum & Potestatem. Interim autem dum corruptibilem carnem gerimus, oportet nos dominis carnalibus subiacere. Vnde dicitur Ephes. 6. serui obedite dominis carnalibus. Et hoc est etiam quod hic Apostolus dicit, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Hæc Diuus Thomas, sicut & multa alia præclara in hunc locum. Ex quibus aperte constat exemptionem à Principum secularium censura, & subiectione, quam quis de iure diuino Ecclesiasticis concessam tueri velle, esse prorsus imbecillem ac nullam.

Apostoli profecto, Euangelistæ, Martyres, terrenis dominis subiici voluerunt; His quæso maiores esse nolimus. *Qui enim potestati resistit*, inquit Apostolus, *Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi damnationē acquirunt.* Et quoniam Apostoli, & Martyres, Principibus, & potestatib. aliquando visi sunt restitisse, & propterea non damnationem, à Deo, sed præmium sunt secuti. Ad hoc dicendum est, inquit D. Th. ibi, *quod Apostolus loquitur hic de eo qui resistit potestati inferiori secundum quod est à Deo ordinata, habet enim inquit hoc diuina ordinatio vt potestati inferiori non obediatur contra superiorem, vt Proconsuli non obeditur contra Imp. nec Bayliuo contra Regem, cum autem omnis potestas humana sub potestate Dei ordinatur, sit vt nulli potestati humanæ sit contra Deum obediendum, secundum illud Actorum quarto, oportet obedire magis Deo quā hominib.* Vnde aperte constat, ex D. Th. doctrina, ne Apostolos quidem aut Martyres, à Principum secularium subiectione, & censura exemptos fuisse. Eadem & clariora multo ex Diuo Ioanne Chrysostomo ibidem perspici possunt, nos illa pio lectori relinquamus. Fauet huic nostræ sententiæ, Cardinalis Bellarminus acerrimus Ecclesiasticæ libertatis propugnator; Qui non solum iure diuino negat clericos exemptos à subiectione secularium Principum, verum etiam concedit iure diuino potestatibus sublimioribus eosdem subiectos esse. In responsione enim quadam ad cuiusdam Petri Martyris argumentum, quod tomo 2. controuersiarum Tit. de Clericis, c. 28. ipse sibi proponit, eius hæc verba sunt. *Quamuis enim iure diuino sit omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta, ac per hoc etiam Regib. dum sublimiores potestates sunt: tamen fieri potest, vt qua nunc est sublimior potestas Paulo, post non sit, vt si ipse subiiceat alteri partem sui Regni, vel iure belli, aut alio iusto titulo Regnum, vel Regni partem amittat, quoniam ergo clericos partim ipsi Principes subiecerunt in omnibus causis etiam temporalibus, & ciuilibus Episcopis suis; & postremo Summus Pontifex clericos omnes exemit à subiectione Principum secularium, sequitur vt respectu clericorum non sint Principes superiores potestates, ac proinde non teneantur clerici Principibus parere, neque iure diuino; nisi quantum ad leges quasdam directiuas.* Tria colliguntur ex dictis. Vnum est, iure quidem diuino omnes etiam Ecclesiasticos Principibus secularibus subiectos esse: Alterum vero est, Ecclesiasticos non quidem iure diuino, sed humano positiuo à Principum secularium subiectione, ac censura exemptos esse. Vtrumque dictum nostræ sententiæ fauet: Ac primum quidem si verum est, vt Diuus Paulus asserit, & Bellarmin. interpretatur ac concedit; Veneti iam Victores lætari ac exultare deberent; Scelestos enim Ecclesiasticos sibi subiectos, dum corrigunt, nihil non iure diuino sibi concessum efficiunt. Alterum vero si valet, clarum est, Ecclesiasticos quidem iure diui-

re diuino à Principum secularium subiectione exemptos non esse. Quod si iure diuino exempti non sunt, Pontificum, aut aliorum principum secularium exemptiones, quantum valere possint Ecclesiasticis, qui in temporalibus sibi subiecti non sunt, haud perspicio. Hoc vnum scio; Principes sibi non subditos non posse eximere. Filium enim à subiectione patris nemo eximere potest, nisi solus pater, seruum à subiectione Domini ipse Dominus: Subditos tandem à subiectione Principis solus Princeps cui subiiciuntur; cæterorum nemo.

Tertium vero quod in fine addit Bellarminus, clericos nempe non teneri Principibus parere, neque iure diuino, neque iure humano; nisi quantum ad leges quasdam directiuas. Miror hoc Bellarminum concedere; sed non poterat non concedere: alienum enim à veritate videretur Ecclesiasticos posse impune rectum ac pacificum viuendi modum secularium Principũ, prout eis libuerit, vel confundere, vel euertere. Quamuis nec absolute id ita esse affirmet. Dictũ enim hoc tertium cum moderatione quadam ea præcedentibus pronunciat. Vbi Ecclesiasticos ad obseruationem legum ciuilium, dixerat teneri, non posse autem eos à iudice seculari iudicari, si leges ciuiles non seruent. Pugnant enim hæc inter se teneri, & non posse iudicari, aut puniri, si enim tenentur seruare, ergo & puniri si non seruent. Diui etenim Pauli verba clarissima sunt, ait enim, *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autẽ resistunt ipsi sibi damnationẽ acquirunt.* Quod quidem D. Th. eo in loco, ait posse intelligi, *vno modo de damnatione æterna, quam merentur qui potestatibus subiici nolunt, in eo quod debẽt. Alio modo de damnatione pœna, quæ per ipsos Principes infertur. Prou. 20 sicut rugitus Leonis, ita & terror Regis: qui prouocant eum, peccant in animam suam.* Si igitur ex Bellarmino tenentur Ecclesiastici ad leges ciuiles seruandas; possunt ex Diuo Thoma à secularibus Principibus & puniri si non seruent, sed ista omittamus.

Sufficit enim nobis ex dictis Ecclesiasticos saltem iure diuino non esse exemptos, à Principum secularium obedientia ac censura, eorum tamen quæ temporalia sunt, quæque temporalem eorum ac politicam administrationem concernunt. Quod si iure diuino exempti non sunt; extant certe rationes validissimæ, cur illis subiiciantur. Clerici certe præter quam clerici sunt, sunt etiam ciues & partes quædam Reip. politicæ: qua ratione vt tales sunt debent viuere ciuilib. legibus, & illis obtemperare, maxime his quæ dirigunt actiones humanas, in commerciis temporalibus, vt cum Princeps vel Magistratus constituit pretia rebus venalibus; Vel iubet noctu neminẽ incedere cum armis; vel sine lumine; vel non asportare frumentum extra Prouinciam; & his similia. Quas quidem clerici ea ratione qua ciues sunt, debent non solum seruare, sed etiam custodire, vt seruentur; quia secus magna perturbatio & confusio in Republica oriretur; si clerici has leges, vel non seruarent, vel contemnerent.

Nec enim eo quod clerici sunt, ciues esse desinunt, status enim diuersus, aut officium ea quæ sunt naturalia nõ mutant. Natura sumus ciues, homo enim est animal sociale, clericatus naturam non destruit. Quemadmodum & adolescens aliquis patris cuiusdam filius, eo quod Ecclesiastico ordini ascribitur, per ordinis alicuius susceptionem non desinit esse filius, à patris obedientia, aut censura exemptus. Est enim patri subiectus, & tenetur licet Clericus sit, parentis sui præceptis, ac legibus obtemperare, quæ tamen rationi, ac diuinę legi non repugnant, quod idem & de Ecclesiasticis dicendum.

Deus enim vt habetur etiam in *epistola* Nicolai *ad Michaelem* prope finem, diuisit Pontificiam auctoritatem ab Imperiali, vt Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium rerum Imperialibus legibus vterentur. Valentinianus Imperator in *epistola* quam scribit *ad Episcopos Asiæ*, apud Theodoretum *lib. 4. Hist. c. 7.* nonne dicit probos Episcopos, non solum Dei, sed etiam Regum legibus debere obtemperare. Et D. Ioannes Chrysostomus in *c. 13. ad Rom.* nonne dicit Christi Euangelio non tolli leges politicas, sed debere etiam sacerdotes & monachos eis parere. Iustinianus Imp. *in Nouellis*, Ecclesiasticos quidem exemit à seculari iudicio in causis tamen criminalibus non exemit, sed voluit à Prætore cognosci causam; non tamen condemnari clericum, nisi prius ab Episcopo fuerit degradatus. Ex quo etiã aperte constat, clericos iure diuino non esse exemptos, nisi Principum priuilegio; re vera autem eos teneri ad obseruationem legum ciuilium, præsertim earum, quæ concernunt rectum, ac pacificum viuendi modũ. An vero S. Pontifex potuerit eos eximere à recta hac & pacifica viuendi ratione, nihil statuo; præter ea, quæ supra dicta sunt, & quæ quisque rationis ipsius ductu per se ipsum colligere potest. Hoc tantum addam, Ecclesiasticos multis in locis ita abuti Pontificum, ac Principum priuilegio, vt plerique eorum, maiorem sibi libertatem in omnibus vsurpent, quam si sine Deo, ac legibus essent. Quorum facinora impunita si recensere vellem, aures horrescerent.

Nec Ordinarios locorum mihi aliquis adducat doctissimos, sanctissimos, vigilantissimos in eiusmodi facinoribus mulctandis, coercendis, purgandis; Quid si non essent? aut nõ possent? aut timerent? quid si familiares parentes, aut complices delinquentium essent? quid si auditores venales haberent? Multa feruntur, multa leguntur, multa & videntur, omnia enumerare nõ expedit. Nemo certe patref. melius scit suæ domui præesse, studeant quæso Ordinarii locorum, animarũ saluti præesse; facinorosos vero Ecclesiasticos propter scelera patrocinio Ecclesiastico indignos, relinquant quibus iure incumbit & mulctandos & corrigendos, patres fam. in ciuitatib. atque in rebuspublicis sunt Principes, ac Magistratus, quibus nemo melius suos ciues ac patres Reip. inter quas proculdubio sunt etiam Ecclesiastici, norit aut continere, aut corrigere. Venetis

patri-

patribus in huiusmodi excessibus mulctandis quis aptior? quis maturior? quis prudentior? ad Decemuiros cura hæc omnis spectat, magistratum certe apud Venetam Rempublicam sanctissimum, quem hactenus nihil non sanctum, non pium, fecisse vidimus.

Vltimo tandem loco addam, quæ sola summum Pontificem deberent à peractis contra Venetam Remp. & commouere & remouere. Etenim qui Rom. Pontificum permissu ac scientia in scelestos Ecclesiasticos iure diuino non exemptos, sed sibi, qua ciues sunt, maxime subditos animaduertunt, qua ratione reprehendi debeant, non video. Qui certe si & reprehendi debet; reprehendantur quæso prius Apostolus ipse, qui eis hoc conuenire est interpretatus, sanctissimi atq; doctissimi viri, Diuus Ioannes Chrysostomus, atq; Diuus Thomas Aquinas, Summi Pontifices, qui facultatem hanc Venetis, & rationi, & diuinæ legi consonam permiserunt.

Extant quidem apud Venetos hac in re, plurimæ summorum Pontificum, patentes literæ Sixti IV. anno Domini 1474. quarto Nonas Iunias, non spernendæ eiusdem aliæ eodem anno, atque mense, pridie tamen Calendas Iulii replicatæ. Innocentius Papa VIII. facultatem hanc Venetis à Deo certe ipso, iam à principio concessam, non solum commendauit, verum ad casus omnes graues ac turpes extendit, vt videre est in patentibus literis eiusdem Pontificis, datis Romæ anno Domini 1487. pridie Calendas Decembris: habentur præterea hac de re apud eos patentes literæ Alexandri VI. Pauli III. ac tandem communis assensus, & scientia omnium summorum Pontificum, quotquot à Paulo III. ad hæc nostræ ætatis tempora extiterunt.

His iuribus Veneti adducti, his rationibus permoti, hoc tandem applausu, ac Summorum Pontificum cõsensu decorati, scelestissimos illos Ecclesiasticos, in vinculis ac carceribus apud se constitutos, dum corrigere ac mulctare procurant; anathemate impediuntur, prohibentur; quid dicendum? mihi quidem hac in re multa animum perturbant; falsa an vera ignoro? Nolim vera sint, quę passim de scelestis illis hominibus, feruntur: Munera nescio quæ iactat vulgus, pollicitationes multas, internuntiis patronis, si eos à Venetorum censura ac iudicio eximant; Nuntiis summi Pontificis iudicandos committant. Vident enim infelices, iustissimam integerrimi Decemvirum Magistratus sibi sententiam imminere, conscios se criminum sibi impositorum agnoscunt, timent, verentur, expauescunt.

Summum Pontificem tam enixe pro his elaborare miror, atq; ita elaborare, vt pluris apud ipsum sint turpissima, atque castis auribus omnibus inaudita hactenus eorum facinora, quam Venetæ Reipub. & Religio, & integritas, quam ipsa Christiana Respub. quæ ruere atque periclitari videtur, ita quidem, vt nunquam magis, videntur enim aliqua nonnulla, & audiuntur. Hæc pro impiis & scelestis hominibus geruntur, quid pro sanctissimis, integerrimis, atque innocuis Ecclesiasticis agetur, si à secularibus Magistratibus eos contigerit, vel male affici, vel tractari? Vereor certe ne foueantur.

Intelligi non potest, vnde fit, vt quæ natura ipsa duce, ac tot Summorum Pontificum permissu, auctoritate ac scientia, Venetis hactenus visa sunt expedire: ea nunc vni Summo Pontifici expedire non videntur. Summi quidem Pontifices omnes, quotquot ante hunc fuerunt sanctissimi, doctissimi, Ecclesiasticæ libertatis ardentissimi, quiq; facultatẽ hanc Venetis diuinitus certe primo acceptam concesserunt, atq; concessam permiserunt, vel inscitiæ atq; ignauiæ perpetuę damnandi omnes, vel certe hic solus sanctissimus, doctissimus, Ecclesiasticæ libertatis ardentissimus habendus. Ne quæso plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; moderata enim durare vidimus, inflata vero ac tumefacta crepare, & labefieri sapiẽtissimos Pontifices, qui in Ecclesia Dei diu bene regẽda feliciter se gesserunt, deberent posteriores maxime in principio sui regiminis, & venerari, & imitari, non eorum approbationes sanctissimas, ac honestissimas reprehendere, vel infirmare. Quod enim maiores sapientissimi non viderunt, vix posteriores videre possunt, sapientiam enim omnem à maioribus acceptam habemus, denuo via aliquid scitur, parum prudentis Principis est, putare neminem, nisi se imperare, scire imperandi enim scientia, non dignitatem, aut officium, sed experientiam, atque annos consequitur.

Nec quæso mihi aliquis Ecclesiasticam libertatem obiiciat. Huic enim ego præter quæ supra dicta sunt, pro Venetorum parte tuenda, nihil aliud oppono. Illud quod verissimum puto repetere non omittam. Iure quidem diuino Ecclesiasticos scelestos, à Principum secularium censura, ac iudicio exemptos non esse. Ex D. Paulo, iuxta Diuorum Ioannis Chrysostomi, ac Thomæ Aquinatis expositionem, eisdem Principibus maxime subiectos. Exemptionem huiusmodi omnem, quam Ecclesiastici alicubi dicuntur habere, esse de iure humano positiuo, Pontificum scilicet, ac Principum secularium priuilegio. Pontificem, ac reliquos seculares Principes non potuisse eximere sibi non subditos. Ecclesiasticos qua ciues sunt, subiici, his Principibus, quorum Vrbium sunt ciues. Venetos à principio semper in Ecclesiasticos scelestos animaduertisse, scientia, atq; Summorum Pontificum, & tacita, & expressa approbatione, exemptionem Ecclesiasticorum à censura, & iudicio Venetæ Reipubl. in criminibus, ac grauioribus delictis à Summis Pontificibus, atque aliis Regibus & Principibus Ecclesiasticis concessam, apud Venetos non valere. Valere autem, eam tantum exemptionem Ecclesiasticorum apud Venetos, quæ ab ipsis Venetis habent eisdem Ecclesiasticis concessa; plura in hanc sententiam afferre est otiosum, adeo ex supradictis Venetæ Reipublicæ integritas, atque innocentia apparet. In his quæ falso illi circa hanc controuersiam obiciuntur. Finis itaq; hoc etiam quarti capiti imponatur.

RESPONSIO

Ad Quæstionem initio propositam.

His ita explicatis constat aperte: An satis iustæ causæ moueant Paulum V. Summum Pontificem, ad sæuiendum tam dire contra Venetos, Anathematis, ac Interdicti mocronibus; quas quidem quoniam nemo sacrarum literarum, aut politicæ disciplinæ, vel mediocriter tinctus, (neque enim hæc inter se pugnant) haud satis æquas videt; anathemata quoq; quæ ex his proueniunt, an satis æqua sint, videre potest. Vim enim Deus menti cuiusq; hanc indidit, Latini rationem appellant, vt res inuolutas, à sensu remotas inuestiget, inuestigatas diuidat & componat, compositas perpendat, ac diiudicet, ad extremum vltima conserens mediis, & media primis indissolubili vniuersa ratiocinationis nexu concludat. Nullus hanc vim, ne mens nostra exercere possit, prohibere potest, nemo impedire, ne vera pro veris, falsa pro falsis existimet. Idem de æquo atq; iniquo in rebus omnibus dicendũ. Causas quoq; quibus Sum. Pontifex ad sæuiendum nunc anathemate contra Venetam Rempub. videtur adductus, si mens nostra, seu potius vis nostræ mentis ratio nõ satis æquas existimat, atq; ratiocinatione etiam ita esse cõcludat, quis eam, ne ita statuat, prohibere potest? quis item, interdicere ne excommunicationẽ propter easdẽ causas latam iniustã, ac inanem appellet?

Error certe intolerabilis apud omnes excommunicationem facit inanem, quid intolerabilius, quam inuito domino velle in suo fundo vel agro, sub excommunicationis pœna, vt quicunque etiam hostes possint templa, vel alia similia extruere? Dominum suis iuribus, redditibus, ac dominio priuare? ad alienas leges, ad quas non tenetur astringere? Et tandem iure diuino, atque Summorum Pontificum permissu, quæ illi exercẽda competunt; impedire ne exequantur? Hæc certe adeo intolerabilia sunt, vt mulierculæ etiam ipsæ Venetæ, fas sibi de his statuere putent: Intolerabilis certe error, intolerabilem pœnam, inanem atq; irritam reddere debet.

Deum Opt. Max. huius veritatis iustissimum iudicem appello, cuius oculis omnia nuda, omnia aperta sunt: nullus certe melius ipso, auctores tanti incendii, ac calamitatis, quæ vniuerso Christiano orbi videtur imminere, agnoscit; Summi Pontificis animum, ac consiliarios Venetæ Reipubl. iustissimam causam. Multo sane labore, Christus Christianum orbem sibi peperit, sanguine, vita ipsa, quam & effundere potius voluit, quam ne, vel centesimum quidem de nonaginta nouem ouibus amitrat. Ne quæso, ob tam leues causas, modo ne nullas omnino dicam, eandem tam misere, & labi & interire permittatur. Difficile certe est, suam libertatem nulli vnquam prostratam, in rebus mere temporalibus alteri subiicere. Non enim pro toto libertas bene venditur auro, liberi sunt Veneti à principio in his, quæ temporalem suam auctoritatem concernunt; libertatem eandem eos tueri, mirum esse non debet.

Acquiescat Summus Pontifex, Venetos suis iuribus sanctissimis viuere sinat; pacẽ Ecclesiæ vniuersæ non bella quærat: Causis anathematis, non æquis perspectis, ipsum anathema nullũ esse declaret; Sapientis est mutare consilium; congreget, ne disperdat. Ignoscat si quis error est, qui certe nullus esse putatur, non irascatur. Quem Veneti si agnoscerent, nihil tale admitterent. Sanctissimi enim sunt, religiosissimi, Ecclesiæ S. obsequentissimi; Neque certe alium his melius mederi decet, quam Sanctissimum. In opinione sunt causæ de quibus agitur, quamuis apud plurimos conclusiones putantur. Opiniones anathemate foueri non debent. Cedat Sanctissimus, maior est, maior si cedat, maior gloria reputatur; Maior quanto es inquiunt sacræ paginæ humilia te in omnibus. Et qui se humiliauerit, exaltabitur.

Ionæ profecto in D. Petri naui modo plus solito fluctuante opus esset; nautarum salutem suæ propriæ Sanctissimus Vates præposuit, aliorum vitam cariorem quam propriam habuit. *Si tempestas*, inquit, *hæc propter me exorta est, tollite me & proiicite in mare*. Christi figuram Iona exhibuit; Christus similia pro vniuersali hominum salute peregit; Necesse enim fuit, vt vnus homo moriatur pro populo, & non vt tota gens pereat. Propriam salutem ad Christi Domini exemplum Summi Pontifices, qui Christum nobis exhibent, deberent pro vniuersali Ecclesia effundere, quanto magis eas, quæ ad salutem non pertinent opiniones?

Fluctuat grauissime D. Petri nauis, laborat, mare vndique commotum sentit, franguntur remi, prora auertit, vndis dat latus, vela crepant, antennæ gemont, clauo vix regitur; & tamen nullus est, qui ad hæc animum aduertat: nullus qui propriam salutem pro Vniuersali exponat.

Nauis huius rector, Summus Pontifex, (neq; enim alia tutior via, ne pereat, agnoscitur) debetet certe ex ea superflua quæque, atq; ea, quæ eam deprimunt, & nõ efferant eiicere. Superflua sunt Ecclesiasticis plura temporalia; propter hæc, ne fluctuet, Ecclesiasticos scelestos homines, propter quos omnis hæc tempestas exorta est, in mare proiiciat, tranquillitatem certe ac securitatem suæ naui obtinebit maximam. Hoc Italia, hoc Christianus orbis vniuersus exoptat; Cedat, cedat Sanctissimus, neq; enim alium cedere fas vnquam erit; pater est, filiis indulgeat, pater aliquãdo filios & barbam ei vellentes exosculatur: Falsa sunt de filiis ad patrem relata; pater ne credat; quæcunq; enim filiis imponuntur, patris honorem ac familiæ totius Maiestatẽ concernunt. Hoc patri sit notũ; filios igitur exosculetur, amplectatur; obtrectatores vero seuerissime puniat ac damnet. De filiis pater triumphum ne quærat, filii magis amore reguntur, quam timore, vel mi-

minis; Victoria turpis est, vbi maior iactura, quam victoria speratur. Vincere Venetos si Pontifex exoptat, opinioni cedat. Maiorem certe iacturam sui gregis faciet si vincat, quam si perdat. Si enim cedat, salua est omnis Ecclesia, salua religio; si opinio vincere velit, quæ certe vix vnquam vincet, reliqua Ecclesia atq; religio penitus intereunt. Vtinam maiorem iacturam Ecclesia Dei his quinq; mensibus non fecerit, quam sunt incrementa ac lucra, quę multo iam tempore fecit.

Rident hæretici nostri temporis, & irrident Pontificem, Venetos, lætantur, sperant mul[t]a; optant vt Summus Pontifex in incœpto persistat, arma præparant, equos, studeant quo tandem modo suas Synagogas atque conciliabula augeant, ac propagent.

Turcæ totius Christiaoi nominis hostes gaudent, in spe sunt, reliquum Christianum Orbem hac occasione suo Imperio atq; signis adiicere, neq; enim alia ratione melius id eis contingere poterit, quam si Summus Pontifex Venetorum æraria exhauriat, quod totis viribus nunc intendere videtur; Venetorum enim ærariis exhaustis, quis Turcarum impetus, quis vires reprimere poterit? non certe Christiani Principes omnes, nec possunt Veneti sua æraria non exhaurire; Anathemate feriuntur, contra ius, fasque omne vetentur, ne hæc peiora sequantur; Coniurationem occultam timent; literæ Hispaniarum regis circumferuntur datæ ad Summum Pontificem; subditi interdicto atq; Sacramentorum priuatione solicitantur; suadentur ad furendum contra patres, contra Principem, ratio postulat, ne inopinatos hostis aggrediatur, centurias describunt, manus colligunt, pręsidia vbiq; disponunt, arces muniunt, turres maritimas, machinas, triremes extruunt, instruunt, præparant, non secus ac si cum impiissimo hoste esset illis agendum: hostis enim Venetis est, quicunque eis libertatem ac dominium auferre conatur.

Hæc in causa sunt cur Veneti sua æraria exhauriunt; quæ haud facile exhaurient; omnium autem causa Summus Pontifex, Christi Vicarius, Pater Sanctissimus, Pastor Beatissimus; Finis propter quem ignoratur, occultissimus enim est. Vereor eum pœniteat, quando minus poterit. Sed spero interea, vt huic incommodo medeatur, Venetorum rationibus melius cognitis, atq; perspectis, neque enim Pontificem bella, aut seditiones decent; pacem enim terris Christus attulit, eandem de terris ad Patrem ascendens Apostolis, Petro, ac proinde Petri successoribus, atque Romanæ Ecclesiæ Summis Pontificibus. Hanc precor Christus Rex pacificus nobis impertiat, atque conciliet.



IOANNIS MARSILII, PRESBYTERI NEAPOLITANI

Anno 1606.

EXCEPTIO,

CONTRA CITATIONEM PER EDICTVM *Cardinalium Romanorum in causa Veneta.*

IOAN. MARSILIVS, PRESBYTER NEAPOLITANVS, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR, CATHOLICÆ VERITATIS audiendæ Studiosis S.

VERBVM *Dei non est alligatum*, inquit Paulus 2. ad Timoth. 2. Idcirco vobis (Catholicæ veritatis Studiosi) per me nota fieri his literis nonnulla oportet, quæ si nunc dissimularem, postea sine fructu dicerem cum Propheta Psalm. 31. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea.* Ab illis, qui vt Paulo V. Romano Pontifici rem gratam facerent, Venetam Christianissimam, atque à suo exortu semper Catholicam Rempublicam suis scriptis hactenus persecuti sunt, multi libelli partim tacitis, partim ementitis, partim propriis præpositis nominibus in lucem editi fuerunt, in quibus plerique viri docti atque Catholici præter multas Propositiones suspectas de hæresi, erroneas, temerarias, scandalosas, seditiosas, calumniosas, de iure & de facto manifesto falsas, nonnullas etiam hæreticas: quarum oppositæ expresse leguntur in Sacra Scriptura ab ipsis auctoribus minus fortasse consideratæ, prolatas fuisse animaduerterunt, inter quas præcipue sequentes numerantur.

Prima

Prima est, Principes seculares nollam babere potestatem soper Clericos habitantes in suis Dominiis, neque de iure diuino, neqoe de iure humano. Hæc propositio habetur in *Responsione* Bellarmini *ad Octo Propositiones*, *propositione prima* §. 1. & clarius in *Responsione ad oppositiones R. P. M. Pauli* §. 3. cuins opposita est illa prima Petri capite secundo, qui cum illos, ad quos scribebat, appellasset gentem sanctam, & regale sacerdotium, sic concludit: *Subiecti igitur estote omni humana creatura propter DEVM, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam à DEO missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas DEI.* vbi expresse loquitur de subiectione in Iudiciis, quam subiectionem dicit esse ex voluntate DEI, ac proinde de iure diuino. Est etiam manifeste contra Paulum ad Romanos capite 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* vbi cum omnem dicit, neminem excipit, & loquitur literaliter de Principibus secularibus, contra hæresim modernam Anabaptistatum, quæ iam tum insurgebat, quæque negat esse vllam potestatem laicam de iute diuino, quæ, proh dolor, nunc videtur nimium inualescete.

Secunda est, potestatem Principis soper laicos non esse de iure diuino. Hæc habetur in *Responsione* Bellarmini *ad propositionem 5. §. vltimo.* cuius opposita est Sap. 6. vbi conuertens sapientia DEI ad Reges sermones suos: *Data*, inquit, *est à Domino Potestas vobis.* Prouerb. 8. *Per me Reges regnant.* Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Ad Rom. 13. *Omnis potestas est à DEO.* 1. Petri cap. 2. *Subiecti estote omni humana creatura propter DEVM, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam à DEO missis in vindictam malorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas DEI.*

Tertia est: Potestatem, quam Christus Dominus dedit Petro & successoribus eius, tanquam suis Vicariis, esse illimitatam, & absolutam. Habetur hæc Propositio in *Responsione* Bellarmini *ad propositionem 4.* §. 1. cuius oppositæ sunt omnes illæ, in quibus est ipsius potestatis limitatio: videlicet: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ioan. 13. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Luc. 22. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Ioan. 20. *Non est discipulus super magistrum.* Ioan. 13. præterquã quod est erroneum dicere, etiam omnem Christi spiritualem potestatem fuisse ab eo Petro & successoribus eius communicatam, vt Theologi omnes fatentur.

Quarta est, S. Paulum fuisse Prædicatorem gentium, & non Christi Vicarium. Hæc habetur in libello illo famoso edito sub ementito nomine Ioannis cuiusdam Philothei Bononiæ in Typographia Archiepiscopali, in *Responsione ad obiectionem XVI.* cuius opposita est apud ipsum met Paulum ad Galatas cap. 2. vbi rationem reddens, cur restiterit in faciem Petro, eo quod non recte ambularet in veritatem Euangelii: *Qui*, inquit, *operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes.* & in Canone Catholicæ & vniuersalis Ecclesiæ: *Vt gregem tuum Pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tua continua protectione custodias, quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores.* Fuerunt enim omnes Apostoli Christi Vicarii, æqualis auctoritatis, omnes Episcopos creauerunt, omnibus dictum est: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.*

Quinta est, qui Hostiam à Sacerdote interdicto consecratam adorant, esse Idololatras: habetur in multis manuscriptis instructionibus à quibusdam profugis religiosis suis pœnitentibus relictis. Huius opposita expresse est Matth. 26. *Hæc quotiescunque feceritis facite in meam commemorationem.* Non enim ablata potestate Iurisdictionis auferri potest potestas ordinis per indelebilem characterem impressa, imo neque omnino auferri potest potestas etiam iurisdictionis V. C. in casu necessitatis, licet contrarium habeatur in illa instructione ad populos impressa sine nomine auctoris, & loci impressionis, de qua infra.

Has propositiones, dum ego non tanquam Iudex, neque enim me æstimo supra id, quod sum, sed tanquam Catholicus, ac priuatus Doctor, pro Ecclesiæ vtilitate discutio, & pro defensione iustissimæ causæ DD. meorum Venetorum examino, non sapiens plus quam oportet sapere, sed ad sobrietatem nimirum, vt saltem ab auctoribus ad remouendum scandalum expliceutur, qua in re cum ipsi Pontifici, tum Ecclesiæ vniuersæ sine dubio præstatur obsequium; Schedula tenoris sequentis contra me Romæ affixa & publicata fuit ad instantiam cuiusdam Ludouici Boidi fiscalis, vt ipse se nominat.

DE MANDATO ILLVSTRISSIMORVM ET REVErendissimorum DD. Cardinalium, contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum.

Hic denunciatur excommunicatus presbyter Ioannes Marsilius de Neapoli, Venetiis degens ex aduerso principalis, & declaratur incidisse & incurrisse in pœnam excommunicationis maioris latæ sententiæ, confiscationis omnium & singulorum bonorum suorum mobilium, & immobiliom, iurium & actionum præsentium & futurorum, priuationis omnium, & singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum, pensionum, officiorum, & dignitatum quarumcunque, inhabilitatisque ad illa, & ad alia in futurum obtinenda, & in alias pœnas & censuras

tiras Ecclesiasticas contentas in literis monitorialibus, & citatoriis contra ipsum decretis, exequutis, & in actis iudicialiter reproductis, ob illarum non paritionem. Instante R. D. Ludouico Boidio Procuratore Fiscali S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis.

Locus Sigilli.

Quintilianus Adrianus Not.

ROMÆ ex Typographia Vaticana. M. DC. VI.

QVAM ego appellatam denunciationem, vt legi, statim nullam atque inualidam esse, salua reuerentia, quam sedi Apostolicæ semper detuli, tenui, atq; defendi, quod etiam hoc meo scripto nunc teneo, defendo, vobisque omnibus notum ac manifestum esse vehementer cupio. Primo, quia de numero iudicum expresse, ac sigillatim non excipitur Cardinalis Bellarminus, qui contra me scripsit, & quem contra ego scripsi, scriboque, qui meus est publicus & notorius aduersarius. Secundo, quia cum literis citatoriis & monitorialibus, de quibus in ea mentio fit, ob iustissimas causas parere nec debuerim, nec potuerim, cumque meæ literæ Protestationis, Excusationis, Petitionis. Oblationis, Professionis fidei, Dictionis de nullitate, & in casu quo, &c. Appellationis coram Notario & Testibus præsentatæ, acceptatæ, & Romam à Ministris Sancti Officii Inquisitionis Venetiarum transmissæ, imo typis impressæ, & pro iustitia meæ causæ per multa loca diffusæ fuerint, nihilominus prædicti iudices de illis nulla facta mentione ad sententiam processerunt, quam etiam callide sine nota diei prolationis ipsius, siue affixionis impresserunt. Quod vt clarius omnibus constet, meas literas, quibus ipsorum literis citatoriis respondi, facta prius occasionis mentione, quare citatus fuerim, hic subiiciam.

Postquam quidam Religiosi, qui ob Interdictum à Paulo Quinto Romano Pontifice, contra Rempublicam Venetam publicatum, quamuis nullum, & Matricis Ecclesiæ exemplum non sequentes, sicut ipsis à Sacris Canonibus præscribitur. Venetiis discesserunt, atque alii ex ipsis tanquam seditiosi, & Reipublicæ perniciosi dimissi cum custodiis fuerunt. Quædam Instructio directa ad populos Status Veneti, qui Interdictum tanquam nullum non obseruabant, typisque mandata per templa, & publicas vias disseminata fuit, sine nomine auctoris, & loci impressionis, ab iis sine dubio transmissa, qui Ecclesiæ causam tueri se falsu gloriantur, qui libellus manifestam hæresim continet, vt ipsi etiam aduersarii confitentur: cum ergo primum visus fuit, vt obuiam tanto iretur malo, quædam Propositiones, quæ octo dicuntur, Catholicam continentes doctrinam ex aduerso impressæ visæ sunt sine nomine auctoris, & loci impressionis ad exemplum iam dictæ instructionis. Has mihi Romæ tribui à quibusdam Cardinalibus per viros fide dignos literis admonitus fui, & nisi illas retractarem, vel me excusarem, fore vt breui grauissimis pœnis illi, qui apud Pontificem ipsius vindices iure, siue iniuria videri volunt, me persequerentur; quas vt euitarem, cum iam conceptam opinionem ex animis hominum aliter non possem euellere, dictas propositiones iusto volumine aduersus Cardinalem Bellarminum Catholicis auctoritatibus, rationibusque defendi, quam etiam defensionem Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, quæ errare non potest, iudicio subieci, interim Romam super generalia citatus fui ad respondendum de fide, cui ego citationi, cum in nullo mea me conscientia remorderet, sequentibus literis Protestatoriis, &c. respondi.

PRO D. IOANNE MARSILIO PRESBYTERO NEAPOLITANO, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE.

CORAM vobis Reuerendo P. Inquisitore Generali Venetiarum comparuit Dominus Ioannes Marsilius Presbyter Neapolitanus, Sacræ Theologiæ Doctor, & exposuit, qualiter ad eius notitiam peruenit, quod Romæ affixæ fuerint & publicatæ quædam literæ citatoriæ. siue monitoriæ, in quibus ad instantiam Reuerendi D. Ludouici Bordi I. V. D. Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Procuratoris Fiscalis, tanquam per edictum publicum ab Illustrissimis & Reuerendissimis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ipse comparens citatus fuit, attento quod iudicialiter constaret ad præfatum comparentem non patere tutum accessum, & notorium esse in eius propria persona, literas eiusmodi citatorias ac monitoriales exequi non posse, ad personaliter comparendum in Romana Curia, in Officio Sanctæ Inquisitionis, & respondendum coram ipsis vel eorum commissario generali de fide, ac se expurgandum ab obiectis, de quibus in processu sub pœnis, vt in præfatis literis continetur, ad quas, &c. Cui citationi, cum ipse comparens parere nullo modo possit, cum ipse ab hac ciuitate Venetiarum sub pœna capitis discedere non valeat, neque illi ad Romanam Curiam pateat tutus accessus, neque per interiacentia loca securus transitus, ac præterea notorium sit, quod coram suspectis iudicibus citatur, attento quod notorium apud omnes est, quod ipse comparens sumpserit defendendam quandam Epistolam

stolam continentem octo propositiones in materia Censurarum à Sanctitate sua contra Venetam Rempublicam fulminatarum, quæ à præfatis Illustrissimis Dominis prohibitæ fuerunt, & contra quas Illustrissimus Dominus Cardinalis Bellarminus integrum edidit tractatum, quam ob rem valde eidem comparenti iudices præfati, salua semper in omnibus illorum reuerentia, suspecti redduntur, cumque in ciuitate Venetiarum adsit Sancti Officii Inquisitionis Tribunal, in quo ter in Hebdomada illius officiales conueniunt, resident, & ius dicunt, quod etiam consueuit à tempore suæ institutionis, vsque in præsens causas fidei cuiuscunque generis tractare, in illis procedere, & etiam per definitiuam sententiam terminare, neque vnquam ad hanc ciuitatem vllæ citatoriæ, aut monitoriales literæ contra quasuis personas ab Officio Sanctæ Inquisitionis Romanæ consueuerunt decerni, sed omnes eiusmodi causæ in eo Tribunali iudicantur, vnde nulla apparente causa, propter quam præfatus comparens extra hanc ciuitatem debeat citari, merito illius suspicio augetur. Quibus stantibus prout stant, & ipse comparens quatenus opus sit legitime probare se offert, protestatur coram vobis, quod paratus est quodlibet iudicium fidei in hac ciuitate subire, & ab omnibus sibi obiectis se expurgare, & si quando poterit secure ex hac Ciuitate & Dominio exire, paratus est ad quæcunque loca sibi non suspecta, & coram non suspectis iudicibus comparere, & fidei suæ rationem reddere, protestans pariter, quod semper tenuit, ac in præsentiarum tenet Sanctam fidem Catholicam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ continetur in professione Fidei sanctæ memoriæ Pii IV. quam sæpe emisit, & paratus est vsque ad effusionem sanguinis confiteri. Quapropter ad nullos actus contra ipsum in Romana Curia, aut in ipso Sanctæ Inquisitionis Romanæ Officio de iure deueniri posse. Protestans de nullitate omnium, & singulorum, quæ in eius absentia, stantibus præfatis legitimis impedimentis, agentur, aut tractabuntur, saluis omnibus aliis rationibus & iuribus sibi in præmissis, & in aliis quomodolibet competentibus, & nihilominus si quidquam contra huiusmodi suam protestationem attentatum fuerit, ex nunc prout ex tunc de iniustitia, & de grauamine, & de illorum nullitate protestatur, ac ab eis, & ab illorum quocunque ex nunc prout ex tunc, prouocat, de nullitate dicit, & appellat ad illum, siue ad illos, ad quem, vel ad quos, ac ex nunc prout ex tunc Apóstolos petit, non se astringens, &c.

Præsentata & acceptata in Tribunali Sanctæ Inquisitionis Venetiarum, vt statim Romam transmitteretur intra tempus in monitorio præfixum coram Notario & Testibus, vt in Actis, die 9. Septembris 1606.

QVibus non obstantibus, imo neque ipsarum vlla mentione facta, suprà deposita denunciatio contra me publicata fuit, qua declaratus sum in excommunicationem maiorem latæ sententiæ, atque alias pœnas, vt ibi, &c. incurrisse, tantum ob non paritionem, plane (quod salua reuerentia dictum sit) contra omnia iura Diuina atque humana. Nam quis cum euidenti certoque periculo mortis parere tenetur literis citatoriis ad respondendum de fide? Quis trahi potest extra tribunal loci, in quo habitat, in prima instantia, Romam, cum alibi fieri id commode possit, & præcipue Venetiis, cum secundum concordata causæ Sanctæ Inquisitionis eorum, qui Venetiis degunt, debeant Venetiis agi, & terminari? Quis potest dici non paruisse, qui de facto fidei professionem fecit, pro qua facienda Romam citatus fuit? Quæ cum ita sint, primo Deum Optimum Maximum, cuius causam defendi, deprecor, vt Ecclesiæ suæ promptis remediis succurrat. Deinde eos, quorum interest, obtestor, vt omnes simul congregentur in vnum, hasque controuersias de *meo*, & *tuo*, quæ inter Ecclesiasticos & Laicos persæpe magno cum Ecclesiæ detrimento & scandalo oriuntur, aliqua ratione dirimant: vt tandem spiritualia à spiritualibus, temporalia à temporalibus magistratibus administrentur, amota Babylonica confusione. Denique omnes Christi fideles obsecro, vt causa mea cognita considerent, an iugum nostrum factum sit importabile magis illo, de quo dixit Petrus; *quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus.* Et nihilominus me in Catholicorum scriptorum numero, atque adeo in Ecclesiæ communione retineant, qui pro veritate tuenda hæc patior, cum certus sim cum Apostolo, quod nemo sit, qui possit me separare à charitate Christi & Ecclesiæ, nisi prius ipse me separauero, quod certe non effeci, sic me Deus adiuuet, & Sancta Dei Euangelia. Contra vero proteruos has duas conclusiones in loco tuto defendendas suscipio.

I. Si quis dixerit, aliquem posse à Christo aut à Catholicæ Ecclesiæ communione separari, nisi prius ipse se separauerit, est hæreticus.

II. Si quis dixerit, aliquem sine sua culpa excommunicatum hoc tantum, quia non auditur Pontifex, vel eius ministri non audiuntur, cum audiri nec possunt, nec debent, vere & valida excommunicatum esse, est hæreticus, ac proinde ipse est excommunicatus.

Ego Ioannes Marsilius.

PAULI VENETI ORDINIS SERVORUM EXCEPTIO

Contra citationem per edictum Cardinalium Romanorum in causa Veneta.

AMPLISSIMIS AC REVERENDISSIMIS, DD. S. R. E. CARDINALIBUS, PINELLO, ASCULANO, SANCTÆ CECILIÆ,

de Ciury, Blanchetto, Arigonio, Bellarmino, Zappatæ, de Bubalis, Monopolitano, nuncupatis Generalibus Inquisitoribus.

AMPLISSIMI, ET REVERENDISSIMI DD.

CORAM vobis Ego Frater Paulus Venetus Ordinis Servorum compareo per has litteras, ac humillime, & subiectissime deprecor, vt ad examẽ reuocatis iis, quę contra me in congregationibus vestris acta sunt, has meas exceptiones contra illa recipere, & admittere non dedignemini. Etenim sub die XX. Septembr. in congregatione vestra decretum fuit, ne diuulgaretur, aut legeretur, vel retineretur à quoquã libellus Italico sermone à me compositus, cui titulus est; *Considerationi sopra la Censure della Santità di Papa Paolo V. contra la Serenissima Republica di Venetia*, nec nõ alius cui titulus; *Apologia per le oppositioni dell' Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor Cardinal Bellarmino all trattati, & resolutioni di Gio. Gerson, sopra la validità delle scõmuniche*, ac alius à me cum aliis sex inscriptus; *Trattato dell' Interdetto della Santità di Papa Paulo V.* cum nonnullis aliis eiusdem argumenti ab aliis compositis, & etiã cum omnibus componendis, tanquam in illis plurima temeraria, calumniosa, scandalosa, seditiosa, schismatica.

Deinde vero die 30. mensis Octobris decreta fuerunt contra me citatio per edictum in Romana curia affigendum sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, nec non & perpetuę infamiæ, ac priuationis omnium & singulorum officiorum, & dignitatum, ac aliis pœnis per canonicas constitutiones inflictis; & arbitrio vestro imponendis, vt intra terminum 24. dierum per me ipsum, & non per Procuratorem compaream ad respondendum de fide, & me ab omnibus expurgandum. Cum fide dignorum, iuridica attestatione, ac aliis documentis constare assereretur, tutum accessum ad me non patere, prout in præfatis decretis, seu edictis impressis plenius ac latius contineri dicitur, ad quæ, &c.

Equidem Amplissimi DD. ego iuxta Sancti Petri præceptum semper paratus fui, cuique poscẽti *rationem reddere de ea, qua viuo, fide & spe*; ac fidei iudicium publicum in Ecclesia maxime salutare, ac necessarium esse constanter affirmo, ne omni vento doctrinæ circumferamur, & ne ab iis, quibus quæstus est pietas, incauti decipiamur. Verum sicut huius Sacræ, & Sanctæ rei vsus est apprime salutaris, ita inter omnia abusus est maxime pestilens, ac perniciosus, dum innocentibus eo prætextu contra omnia diuina & humana iura quandoq; inuidia concitatur, & indefensi odiis onerantur, & opprimuntur. & sane doctrina profligatur, qua mundus, & Respublicæ, iuxta Euangelica & Apostolica instituta, reguntur, & cõstant. Ego sane nihil magis opto, & cupio, quam vobis omnem obedientiam & subiectionem præstare, & fidei meæ rationem reddere, neque enim lucem fugio, & qui doctrinæ Catholicę innixus (prout Dominus præcepit) *Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt*, reddidi. Verum est ea temporum conditio, vt hucusq; multa euenerint, quibus exploratum omnibus reddatur, me à citatione & mandato vestro excusari.

Cum enim nullo seruato iuris ordine, libelli præfati auctoribus inauditis, interdicti & prohibiti fuerint, nec ex illis excerptæ sint & signatæ, ac censuris propriis per singulas notatæ sententiæ, & propositiones vt cuiusmodi essent, & viderẽtur, manifestum per singulas fieret, quemadmodũ olim, & in Constantiensi Cõcilio præsertim, fieri mos obtinuerat; sed & nouo, & inaudito more, artificiosaque oratione, in illis cõtineri plurima temeraria, calumniosa, scandalosa, seditiosa, schismatica, hæretica respectiue pronunciatum fuerit, ita vt ob orationis obscuritatem, & aduerbij interminatam limitationem non appareat, an illis nominibus omnes libelli prædicti damnati fuerint, vel quo nomine quilibet dignus censeatur, atque eius rei gratia id factum fuerit, vt quandocunque, & quicquid libitum fuerit, & futurorum negociorum rationes suaserint, de illis dicere liberum, & integrum reseruaretur, neque interim sua auctoribus defensio occurrere posset. Cumque etiam de toto argumento eodem conscribendi libri omnes iura & rationes Reipublicæ Venetæ complexuri iam damnati fuerint, finis cuicunque prætensæ liti contra quemlibet eorum iurium & rationum enarratorem & assertorem impositus fuit. Quapropter Amplissimi Domini cum iam sententia (licet ambigua, & innumerabilibus modis explicanda) de libellis per me compositis pronunciata sit, post tantum præiudicium mihi inaudito illatum, nunc contra me iudicium aliud tanquam re integra constitui, & me in illud vocari, & post pronunciatam sententiam citari, nullo iure decet.

Neq; præterea est, quod ego possim iudicium sincerum arbitrari, cum inter alios sedeat index Amplissimus Dominus Cardinalis Bellarminus, qui in libello, cui titulmi fecit Italicum ? *Risposta del Cardinal Bellarmino al trattata dei sette Theologi di Venetia sopra l' Interdetta della Santità di Nostro Si- gnor Papa Paolo Quinto, & alle Oppositioni di fra Paolo Seruita contra la prima Scrittura dell' istesso Cardina-* lese maximam iniuriam à me accepisse ex præfata Apologia aperte profitetur, & cum sibi obie- cta minime diluat, maledictorum aceruum in me cumulat & vndiq; vindictam spirat, atq; eam ob rem ab instituendo contra me indicio, vel ab interueniendo (tanquam iudex) in instituto ab- stinere debuisset, vel Dei timore, & propria conscientia deterrente, vel saltem ne cuiquam scan- dalo propterea esset. Accedit, quod cum iam promulgatæ fuerint sententiæ & censuræ contra Serenissimum Principem, Senatum, & Rempublicam Venetam, & cōtra illorum fautores, adhę- rentes, & cōsultores, quibus ego ex obediētia, & cum benedictione R. Patris Prioris Generalis mei ordinis Seruorum, pro Theologo, & Ecclesiastici Iuris Consulto inseruio, infensum in me animum, sicut alij dissimulare non possunt, ita ego nō perhorrescere nequeo. Quæ cum omnib. pateant longiori enarratione non fuerant explicanda. Cum vero fide dignorum, (vt asseritur) testimonio, ac aliis documentis vobis constet, ad me, pro exequēda citatione personali, non dari tutum accessum, iisdem etiam, mihi ad vos accessum esse minus tutum, & intutissimum, multo clarius constare oportet, quamobrem & me onere id vobis probandi, quod omnino facturus e- ram, subleuastis. Si enim vobis potentissimis viris, vel vnius citationis exequendæ facultas non suppetit, mihi omnium minimo, vt vestra, ac vestrorum communione absente tutus erit per ve- stros transitus, tutus erit ad vos accessus? Nec in postremis ponēdum est, quod serenissimi Prin- cipis interdicto discessus ex hoc Dominio Ecclesiasticis prohibitus est, cui in primis mihi obe- dire oportet, tum ob cōmunes cum omnib. rationes, tum quia spirituali seruitio Reipubl. regu- lari, ac legitima obedientia adiuncto non modo à Dominio, sed neq; Ciuitate (nisi impetrata fa- cultate) discedere licet. Quod ad me attinet, Amplissimi Domini, paratus sum cuicumq; fidei meæ rationem reddere, & quibuscumq; iudicib. non suspectis respōdere, atq; ad quæcunq; tuta loca propterea proficisci. Quæ cum ita habeant, vos per aduentum maximi & tremendi iudicis (apud quem personarum acceptio nulla erit) obtestor, ne in vermem, aut canem mortuum per- secutionem intenteris, sed (prout ius exigere constat) exceptiones meas contra iudicium, iudices & locum admittatis, & de iure factas pronūtietis. Quod si aliter à vobis factum fuerit, corā Deo, & S. Ecclesia de nullitate vestri Decreti, & vlterioris cuiuscumq; processus dico, & Diuinæ pro- tectioni me cōmitto, & curā mei in illius maiestatem cōiicio; quod si à vestra cōmunione (prout cōminamini vos facturos) separatus fuero contra omnem diuini ac humani iuris dispositionem Deo adiuuāte, æquo animo ferre paratus sum, certus cum Gelasio, quod *apud Deū & eius Ecclesiam neminem grauare potest iniqua sententia.* Comminatæ infamiæ perpetuæ pœna minus concutior, di- cam cum Sanctissimo viro: *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset,* Monuit olim S. Petrus: *nemo vestrū patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, si autem vt Christianus, non erubescat:* Maxime cum S. Apostolis *gaudebo, si pro Christi, & S. Apostoli Pauli do- ctrina contumeliam patiar;* Sed quod pro exponendis, ac defendendis iuribus Catholicæ, ac Poten- tissimæ, & toti orbi venerandæ Reip. infamia notandus sim, non erubesco: verum quod etiam pro defendenda memoria, & fama Ioannis Gersonis Christianissimi Doctoris, & Excellentis do- ctrinæ, ac pietatis viri, & de Romana Ecclesia optime meriti, infamiam sim passurus, libens su- stinebo, Euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ puritate, ac tantæ Reipub. claritate, & piissimi Do- ctoris celebritate iniustæ, ac immeritæ infamiæ notam delendam fore confidens. Pœnas vero priuationis officiorū, & dignitatum, quas vltra excōmunicationem cōminamini, nihil moror. Nulla officia, nullas dignitates, aut volo, aut etiam oblata sum recepturus. In qua vocatione me Deus constituit, diuino seruitio incumbere decretum est, huiusmodi illi, qui eas pœnas putant, commoueantur. Ego maximum puto officium, maximam dignitatem in hoc humili & infimo gradu perpetuo viuere. Interim vero cum ob præfatas & alias oportuno tempore ac loco allegā- das causas ad vos venire ad reddendam vobis rationē fidei minime possim, per opera ante acta, & per agenda in posterum integram rationē reddidi, ac reddā; eamq; obseruantiā, obedientiam, ac fidem, quam ante (præsertim tot annis, quibus Romæ versatus sum) vobis detuli, integram ser- uabo, sperans, Deum mihi oportunitatem, spatium, & causam oblaturum, vt innocētiam meam vobis & vniuerso orbi cōprobem, ac tempore illi accepto me exauditurum, & interim facturum cum tentatione prouentum, vt sustinere possim. Ac vos obnixe deprecor, & per Christi Domini aduentum, & vestrum officium, & in Dei Ecclesia locum obtestor, si quas sententias & propo- sitiones in scriptis meis reprehendendas duxistis (cum ex ambiguis prioris edicti verbis id con- iici nequeat) illas excerpi, & suis nominibus notari iubeatis, vt ego vel iudicio vestro, cui semper maxime deferam, adhærens illas, si minus claræ fuerint, exponam, vel amplioribus rationibus & argumentis communiam. Interim enim dum cum aliis aliorum scriptis, & sine speciali expres- sione, & cum ambiguo aduerbio damnantur, nihil reprehensione dignum in illis inueniri ob- testor.

Venetijs ex Conuentu Seruorum. Die 25. Nouembris, 1606.

FRATRIS FVLGENTII MANFREDI VENETI ORDINIS OBSERVANTIVM

Exceptio

Contra citationem per edictum Cardinalium Romanorum in causa Veneta.

FRATER FVLGENTIVS

NATIONE ITALVS, PATRIA VENETVS, GENTE MANFREDVS, FIDE CHRISTIANVS CATHOLICVS, RELIGIONE OBSERVANS FRANCISCANVS, ORDINE Sacerdos, professione Sacer Theologus, officio Prædicator veridicus, & veræ Euangelicę doctrinæ propugnator acerrimus, atq; Apostolicæ vitæ sectator humillimus. Reuerēdissimis io Christo Patribus, DD. Archiepiscopis, & episcopis vniuersis vna cum omnibus cuiusuis gradus presbyteris senioribus, clericis, ac personis Ecclesiasticis; cuiuslibetq; ordinis religiosis regularibus, nec oon & cuiuscumq; status laicis sæcularibus Christianis Catholicis.

Gratiam Sancti Spiritus, Spiritum CHRISTI, Zelumque Apostolorum.

AD manus iam vel ad minus, notitiam vestram antequā meam arbitror peruenisse citationem, & monitionē quandam S.R.E. Cardinalium X. Generalium in Christiana Repub. Inquisitorū Romæ impressā, & affixā, ad vosq; vestrorūq; plurimos missam: asserentium illammet in propria persona mea iudicialiter exequi minimè potuisse, ac posse: cū ad me Fratrē Fulgētium, qui supra, citatū in ea ac monitū in hac Alma, præclaraq; Venetiarum Vrbe Catholica degeotem, & commorantem tutus nō pateat accessus: propereaque existimantium requisitionem ab ipsis per eorum Procuratorem fiscalem factam, iustam, & rationi coosonam, ipsamq; citationem legitimam, monitionemq; canonicam, forma, & modo, prout in ea prolixius, abundantiusq; cootinetur. Verum etsi easdem ipsas citatorias, & monitoriales litteras ratiooi dissonas, iuri omoi cōtrarias, à veritate alienas, nullam continere iustitiam, nullam seruare legem, nullam prorsus redolere Christianam Charitatem perspicuum sit intelligentibus, atque illorum versutias, & calumnias, calumniatorumque, & accusantium malignorum depositiones noo conuenientes, falsasque agnoscentibus; quia tamen non omoibus ita hæc perspicua sunt, à quibuslibet vt clarè perspiciantur, sequentia illis, vobisque ipsis notanda, & animaduertenda erunt.

I.

Sanctæ in primis Inquisitionis officium, & congregatio instituta videntur [a] aduersus (vt ipsimet etiam Inquisitores ferunt) hæreticam prauitatem: quam sanè quidem omnes sanæ mentis & intelligentiæ cognoscunt esse, quicquid sit contra D. N. Iesu Christi Euangelium, ac fidem ab Apostolis eius traditam, à Sanctis Patribus, ac Doctoribus expositam, perque eosdem à Spiritu S. in Generalibus Oecumenicis cōciliis declaratam & decretam. Hanc vero integram, illæsam, incontaminatamque quum ipse idem Frater Fulgentius eiusdem professor, ac defensor semper, & vbique professus sim, & defenderim, dicendo, scribendoque, & nunc, vel hic maximè, haud cerè scio ad respondendum de qua aut de quibus me expurgandum illuc coram ipsis, vel ipsorum Generali commissario vocent, citētque, ni forsan velint, vel dicant hæretica, prauaq; esse ꝙ (quod absit) Prophetarum, Apostolorumque dicta, & immunditias Sacrorum Doctorum Sanctorumque Patrum sententias, atque decreta, quibus Dei nostri voluntas aperitur Christi, Saluatoris doctrina explicatur, eius Fides roboratur, Fidelium illum sequentium vita dirigitur, hæreses deteguntur, hæreticiq; conuincuntur, errores refelluntur, vitia reprahenduntur, peccataque arguuntur, ac peccatores ipsi reducuntur, & conuertuntur, abusus excessusque praui (quibus religio nostra Christiana obscuratur, & cōfunditur) detestantur, è medio tolluotur, ac denique virtutes suadentur, boniq; mores instituuntur. His autem fermè omnis concio, omnis sermocinatio, omnis denique mea innititur, absoluiturque eloquutio.

[a] Const. Apostol. lib. 6. cap. 17.

II.

Ad hæc vero quis Fiscalis? vel ad quid pro eis fiscus? quum non de prædiis ampliandis, aut possessionibus acquirendis, domibus construendis, aut supellectilibus possidendis (de quibus proh dolor, & pudor potissimum concertatur, per quæ vt cultus diuinus minuitur, Spiritualium cura negligitur, & animarum salus periclitatur) sed de rebus fidei tantum spiritualibus, deque spiritibus ipsis, animabus (inquam) agitur, & pertractatur inquisitio sine fiscali, correctioque sine fisco fieri debeat. Quid autē à me expetitur, aut extorquetur, quid à Petro Apostolo, cæterisq; Matth. 19.
omnia reliquerim sequens Christum Dominum (prout suo me post Apostolos perfectius cūctis exēplo docuit pater meus seraphicus ipsius Domini imitator mirificus, vir vndequaq; Apostolicus Franciscus) nil profecto habeam, quod in aliorū fiscū, seu turpe sub hac specie lucrum, vel potios luxum contra Apostolorum vsum, ritum, institutumque, inferatur & conuertatur.

III.

At si per me male actum, vel non recte probatum quid eis relatum sit, quod monitione, correctione, aut etiam punitione indigeat, aut dignum, quod per inquisitionem corrigatur, puniaturque, nonne adest hic inquisitionis officium, & Tribunal, & Generalis huius status Catholici Inquisitor adsistentibus, cæterisque officialibus, qui bis, terque per hebdomadam congregantur, resident, & munus exercent? A quibus à suæ initio institutionis ad præsens vsque causæ fidei, eæque grauissimæ pertractari, in illisue procedi, atque definitiua etiam sententia terminari consueuit. Quod quidem neque hoc ipso controuersiarum (quæ haud fidei sunt) tempore non est intermissum, aut remissum, nedũ corruptum, aut sublatum. Et si forte fortuna Inquisitor ipse, seu eius Commissarius, aut Officialis alius, quod hic per se ęquè tractare, aut efficere minimè valuerit iustè, Romæ pertractandum, efficiendumq; minus iustè, subreptitie, & falso transmiserit: Romanique ipsi Inquisitores ob id, vel aliud figmentum vellent me in suis habere (vt dicunt) manibus 24. tantum dierum spatium (quo citationem ipsam pro vno, altero, & tertio, vltimoq; peremptorio termino completam statuunt ad procedendum in me, vt personaliter compaream, simque coram ipsis) assignare: nunquid non est hoc exterminare, extra terminos ponere, ac perimere? Eam verò appellare Canonicam, iustam, & legalem, dicereque (& audere) si ipse citatus dicto dierum spatio, quo literæ citatoriæ huiusmodi affixæ ipsum arctent, non comparuerit, velle contra eum procedere, & procedi mandare iustitia mediante, nonne ridiculum est audire, & tyrannicum? Alias expertus cum sanctissimo Vate dicere possum; [c] *Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.* Cumque Ecclesiaste: [d] *In loco iudicij impietatem,* nullo iuris iustitiæue seruato ordine, quinimò contra omnem ordinem, Iusque omne diuinum, nedum humanũ, ac gentium etiam infidelium, qui absq; fide, & lege, præter naturalem: qua (natura dictante) [e] Deum credunt esse mundi rectorem, ac iustum inquirentium se remuneratorem: iustè & ipsi iudicant, ea, quæ legis sunt naturaliter facientes. [f] Contra verò facere, contraue rationem pręcipere non solum iniusti, sed & tyranni est. Deus enim Omnipotens [g] impossibilia non præcipit, ac in his, quę pręcepit hominem ad ea, quę sibi naturaliter, ac ciuiliter impossibilia sunt, minimè impellit, aut arctat: præcepisseque eum aliquando talia asserere, aut asseueranter dicere, hæresis est. [h] Hæreticum itaque pronunciare, ac tyrannicum præcipere, impossibile esse quis non sciat? Sciunt ipsimet, & iniunctanter affirmant litteras eorum citatorias ad me citatũ nequaquã tuto peruenire posse: sciuntque, & scire multo certius debẽt memet, & multo minus ad eos personaliter accedere haud licere: sed neque hinc pedem extra mouere. Verum & si liceret, & possem cum præfatæ citationis eorum notitia ad me die solum huius vigesimasecunda peruenerit, qui fieri (quæso) potest, vt ad assignatam ab ipsis diem, quæ erit vigesima octaua eiusdem mensis, medio hyeme hinc pauper, pedestris, pedesque nudus, non lectica, aut vehiculo, non curru, vel rheda, aut equo, & sine pecunia & pera, (quæ norma eundi à Christo Domino [i] præscripta est discipulis sancti eius Euangelij prædicatoribus) prædicans ipse Euangeliceque ambulans, illuc me conferam, transferam vel potius transuolem?

c Psalm. 54.
d Eccles. 3.
e Rom. 2.
f D. Hier. in Matth. D. Thom. & omnes Patres, ac doct. Theolog.
g Heb. 11.
h Concil. Trid. sess. 6, cap. 11.
i Luca 10.

IIII.

Et quæ (amabo) necessitas impulit, vel vtilitas allicit? vel ratio ostendit, aut æquitas (ne dicam charitas vrget) persuadet me subtrahere panem (quod non fecit magister meus veritatis prædicator) hisce cõfusis paruulis petentibus, & [k] qui eis frangat non habentibus, seu potius ob vanum istius interdicti timorem, aut forsan aliquam exinde (licet in reliquis illud non seruent) expectationem nõ audentibus, veluti [l] mutis canibus latrare non valentibus effectis, & sic relinquere verbum Dei, quod Spiritus Sancti ope per os meum tanta cum præclaræ huius, Catholicæque Vrbis Venetę necessitate egreditur, tanta auiditate esuritur, tanta attẽtione auditur, mansuetudine suscipitur, ac vtilitate retinetur? Volunt fortassis, vel cupiunt, [m] pastores hunc aliis populum Catholicum, piumque Sacris priuatum, pabulo etiam verbi priuari? Priuationis vero pœnam, infamiæ notam, atque excommunicationis sententiam, quas minitantur mihi, nõ formido, aut timeo: cum omnibus nedum rebus, sed affectibus ob Christi Domini sequelam spõte priuatus priuari, nisi Dei gratia, (quæ ab hominibus sicuti non datur, ita non aufertur) non timeam: neq; per infamiam, & bonam famam assuetus, vt seductor, & verax, infamari, nisi peccato, possim, quod solum facit infamem, & sine quo excommunicatio infligi non potest: & si infligatur, indebitam, & iniustam, ac proinde non timendam Doctorum sententiæ, atque Patrum decreta conclamant.

k Act. 10.
l Thren. 4.
m Isa. 56.

V.

Quod etsi ipsorum successores aliter iudicantes, indignam, & malignam, vtpotè indebitam, ac iniustam per testium inuidorum malignantium depositiones falsas, veluti iustam, & rationi consonam attenderunt Fiscalis, eorum querulantis requisitionem, cur non potius meam, quæ admittatur, nedũ audiatur, dignã excusationem & satis probatã rationem, nec nõ & impossibilem accessionẽ, immo ad Romã accedendum, vel Venetiis abscedendũ, aliterue respondendum, alio modo expurgandũ, seu aliud faciendum, dicendũ impossibilitatẽ non attendant? sin vero non attẽderint, sed aliquid indebiti, & iniusti contra me ipsum sic absentẽ, & obedientem, Catholicumque credentem, ac Catholice docentem, attentauerint, ex nunc prout ex tunc, coram vobis, & tota Ecclesia protestor de iniustitia, grauamine, ac nullitate, atq; à quocumque ex tunc

prout

prout ex nunc, de nullitate dico, deque grauamine, & iniustitia appello ad quem, vel ad quos ex nunc prout ex tunc, iudicium rectum non suspectum spectat, spectabitque, in nullo, ad nullumque me adstringens: paratus tamen semper [n] ad satisfactionem *omni poscenti me rationem de ea, quæ in me est, spe, atque fide*, sed cum [o] modestia, & timore conscientiam habens bonam, vt in eo, quod detrahunt mihi confundantur, qui calumniantur meam bonam in Christo conuersationem: Melius est enim, vt bene faciens (si voluntas Dei velit) pati quam malè faciens. Vtinam sibi ipsis, & vniuerso gregi, attenderent, & nō spiritibus erroris; nec intenderent mandatis hominū auersantium se à veritate, sed neque fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæstionem præstant magis, quam ædificationem Dei, quæ est in fide.

n 1. Petri 3. Act. 10. o 1. Tim 4. Tit. 1. 1. Tim. 1.

VI.

Intendere autem, atque attendere diligenter vos velim, Sancti Reuerendissimique Patres, compresbyteri, confratres, ac commilitones mei in Christo, quæ opposita sunt ante faciem vestram. Quod etsi vos ipsi non intenderitis, & attenderitis, intendet, attendetque certè Deus, atque videns, nequirensque in adiutorium meum intendet, quemadmodum, sua bonitate, clementia, & iustitia, altero ab hoc anno intēdens, attēdens, vidensq;, ac nequirēs, è medio sublatis, qui iniustè iniquitatem fecerunt in me, (quibusdam tamen relictis ad eorum correctionem, meam vero exercitationem) mirabiliter adiuuit. Cui omnis honor, gloria, & Imperium, nunc & semper.

Prouerb. 23. 2. Par 24. Psalm. 69. & 76. Psalm. 65. Malac. 3. Psalm. 118.

Datum Venetiis ex Sacro Sanctissimi Domini Redemptoris Nostri Conuentu, Serenissimæ huius Reipublicæ patronatu, Anno ab ipsius Domini Nostri Iesu Christi Incarnatione 1606. Indict. quarta, die vero Nouembris 25. Principatus Serenissimi, & Sapientissimi, perinde ac Christianissimi, Domini Leonardi, Diuina miseratione Ducis Venetiarum, &c. II. Anno I.



Anno 1606.

VENTVRÆ VICENTINI

DIVINÆ NATVRALISQVE SCIENTIÆ DOCTORIS, PONTIFICII CÆSAREIQVE IVRIS PROFESSORIS

CONSILIVM

SVPER CONTROVERSIA VERTENTE INTER BEATISSIMUM Paulum Papam V. ac Serenissimam Rempublicam Venetam, occasione nonnullorum statutorum, ac cuiusdam censuræ.

AD SERENISSIMVM VENETÆ REIPVBLICÆ PRINcipem Leonardum Donatum, Amplissimumq; Senatum.

Augustin. Sermo. 16. super Matth.
Iniusta vincula disrumpit iustitia.

COPIA.

Gli Eccellentissimi Signori Capi dell' Eccelso Conseglio di X. Infrascritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori dello Studio di Padoua, per relatione delli sette Theologi à ciò deputati, & del Circ. Segretario del Senato, Giacomo Vicco con giuramento, che nell' opera intitolata, Consilium super controuersia vertente inter Santissimum D. Paulum Papa V. & Serenissimam Rempublicam Venetam, &c. Auctore Ventura Vicentino non si troua cosa alcuna contraria alla Santa fede Cattolica, Principi, ò buoni costumi, & è degna di stampa, concedono licenza, che possi esser stampata in questa Città.

Dat. Die 9. Octobris. 1606.

D. Nicolo Querini.
D. Marco Antonio Loredan.
D. Marco Antonio Erizzo.
} Capi dell' Illustrissimo Conseglio di X.

Illustrissimi Consilij Decem Secretarius.
Ioannes Baptista Padauinus.

1606. A 11. di Octobrio.
Registrato nel' officio contra la Biastema à carte 160.
Antonio Loredan.

SERE-



SERENISSIMO VENETÆ

REIPVBLICÆ PRINCIPI LEONARDO DONATO, AMPLISSIMOQVE Senatui

Ventura Vincentinus S.P.D.



A Vos, Patres, Maioresque vestri ad publicam Dignitatem, Auctoritatem, & Libertatem conseruandam diuersis temporibus decreuistis, quæ se ipsa mirandum, ac prope etiam incredibilem in modum tueantur. Verumtamen, cum ego in amplissimo hoc Imperio colendo, & obseruando aut nemini, aut vobis vnis concedam, cumque egregia, & præclara Decreta illa vestra non modo reprehendi, sed acerrime etiam impugnari animaduerterim: non potui, quin per pauca quædam è sacris Diuinæ, Ciuilisque Iurisprudentiæ fontibus hausta in lucem proferrem, quæ mihi, & æqua Venetæ Reipublicæ iura fouere, & quæ contra opponuntur, labefactare viderentur. Nam, etsi superuacanea fortasse putabuntur: cum vix possit Venetus Senatus (quippe qui est diuino consilio institutus, diuino lumine illustratus, diuino lumine afflatus) errare. Quoniam tamen, quæ scripsimus, summorum virorum auctoritate nituntur, hanc veni in spem, futurum, vt, si non omnibus grata, at certe non omnibus iniucunda ederentur. Quod quidem tum me planè consecutum existimabo, cum tu, Leonarde inuictissime, vosque Serenissima, Serenissimæ huius Reipublicæ lumina, non quæ vestra amplitudine munita, atque ornata in hominum prodeunt conspectum, sed quo animo, quove consilio prodeunt, perbenignè, vt magnopere confido, attendetis. Valete, Valete, diuque, & huic, & Christianæ Reipublicæ vniuersæ, Valete.

Venetiis. XVI. Kal. Nouembris. M. DCVI.

PROOEMIVM.


ON sine ingenti molestia accepi, quæ à Serenissimo Veneto Principe vna, & ab Excellentissimo Senatu superioribus mensibus pro Reipublicæ dignitate, ac auctoritate sapientissimè fuerant condita, ea & ingrata Summo Pontifici Paulo Papæ V. extitisse; videbam enim fore (quod vehementer doleo) vt scilicet ex hoc magnarum perturbationum initio turbæ fierent vix ferendæ. Postea vero quam multa conscribi, & in vulgus vltro, citroque edi animaduerti, cœpi egomet quoque mecum attentius rem perpendere, & causæ veritate perspecta, vt fidelem subditum decet, ad ea, quæ ab aliis Doctissimis Viris rectè enucleata, concinne ascita, & optimè elaborata sunt, quibus ea, quæ fuerant more maiorum per populum à Deo Optimo Maximo Reipublicæ commissum, summa prudenta, & iure optimo acta probarentur, hæc percommodè addi posse visum est mihi; vt congestæ simul opes Serenissimo Duci, Amplissimoq; Senatui, hoc quasi corollario non paruo meo labore augerentur. Tueri igitur causam Reipublicæ paulo vberius sum aggressus; & ne forte homines malesferiati ex ingenio alia fingi, alia temere de fœce hauriri existimarēt, argumentorum locos, quibus Decreta huiusmodi facillime firmantur, nominaque ipsa eruditissimorum virorum, ex quorum fontibus hæc emanant, adiicienda curaui. Quid fuerim consecutus, aliorum sit iudicium, id certe diligenter operam dedi, vt ista non foro, non plateis, sed Scholæ, & Academiæ parata viderentur. Me nihilominus peruerse amem, si falli interdum me nō posse putem. Quare si quid incautius prolatum fuerit, libenter me id refutari passurum profiteor, est mihi testis Deus, me, vt hanc Prouinciam caperem, nulla re adductum magis, quam vt per me veritas quid haberet, quoad eius fieri posset, innotesceret; volebam equidem hæc eadem, vt melius regustarem, domi diutius præ manibus habere. Sed cum quotidie efflagitarer à multis, quibus sine iniuria negare nihil possum, emisi incondita, fortasse pleraque, &, penè dixerim, indiscussa: quia neque verborum apparatu vtar, sed solum ea, quæ in Scholis exercentur, absq; alio ornatu explicabo; non enim sunt verba adeo germana, vt dicendorum sensus, nisi maxima difficultate, ac obscuritate explicari possit, protegat me Doctorum lumen Augustinus Sanctus, inquiens; *quid mihi prodest clauis Aurea, si nō aperit, & quid obest lignea, si aperit*; ad Rectores mitto clauem Auream, ac ad Scholasticos cum lignea me conferam, non tantum ad explicandos textus, ac alia, quę opus sunt pro hac veritate patefacienda, sed etiam ad quærendum ratione, quid consentiat veritati, fiatque ipsa veritas auctoritas; sine qua nec est, nec valet ipsa auctoritas, sed quia vt mihi videtur, non maximo opus est labore in huiusmodi disceptatione, per breuibus vtar verbis, superflua resecando, inutilia prætermittendo, ac necessaria aggrediendo. Cum igitur in claris non sit opus coniecturis, & ibi vnusquisque in suo sensu abundet, vbi vel certè rationi, vel manifestæ auctoritati non obuiat quod sentitur, ad nouem capita tractationem hanc totam perstringam; in primo ostendam, Summum Pontificem, totius Orbis non esse in temporalibus Dominum directum.

In secundo ostendam, Imper. & alios Principes superiorem non recognoscentes, non pendere ab ipso Summo Pontif.

In tertio ostendam, quid intelligatur per immunitatem Ecclesiasticam.

In quarto, proponam nullitatem censuræ Summi Pontificis contra Remp. Venetam.

In quinto, an statutum illud de bonis Emphyteoticis Ecclesiasticis à principe sæculari factum teneat.

In sexto, an statutum Principis sæcularis, ne ædificentur Ecclesiæ in eius Dominio absque sui licentia, vires habeat.

In septimo, an statutum Principis sæcularis, ne Laicorum immobilia in Ecclesiam alienentur ipso Principe inconsulto valeat.

In octauo, an Respublica Veneta possit Ecclesiasticos in quibusdam casibus incarcerare, & punire,

In nono proponam conclusionem nullitatis censuræ.

SVMMA-

SVMMARIVM.

2 *Papa non potest pro sua voluntate ad finem temporalem statuere leges per orbem.*
3 *Papa non est Rex temporalis Franciæ, Hispaniæ, aliorum Regnorum ac Rerumpublicarum nec aliarum Ciuitatum extra eas, quas possidet.*
4 *Papa non est dominus earum Prouinciarum, quas habent Infideles.*
5 *Papa non est dominus totius orbis Christiani.*
6 *Papa non habet dominium directum in temporalibus extra Ciuitates, quas possidet.*
7 *Regnum acquiritur quadrupliciter.*
8 *Christus non fuit Rex ex hæreditate.*
9 *Christus non fuit Rex ex electione.*
10 *Christus non fuit Rex iure belli,*
11 *Christus non fuit Rex dono speciali.*
13 *Papa non habet omnem potestatem, quam habuit Christus, vt homo mortalis.*
14 *Nauarrus credit, Summum Pontificem, vt Christi Vicarium, nullum habere dominium in temporalibus.*

CAPVT PRIMVM.

DE Summi Pontificis Dominio in temporalibus per Orbem sunt adeo manifesta Diuina, ac humana iura, nullũ habere in ipsis directum Dominium, vt superflua videatur huiusmodi tractatio, sed, vt intellectus noster magis in facti veritate acquiescat, quã in ociosa simulantium verba vagetur, quædam solummodo dicam, Lectores remittendo ad citatos Doctores, qui diffuse, & elegantissime hanc veritatẽ ostendunt, dico igitur breuiter, ꝙ si Sũmus Põtifex esset Dominus directus in temporalib. per totum Orbem, sequeretur, quod esset vniuersalis Rex, & Imperator totius orbis, cõsequens est falsum, ergo & antecedens: nam habere prędictum Dominium proprium est Regis, Imperatoris, & aliorum Principum, qui superiorem in suo Dominio non cognoscunt, & inauditum est in Ecclesia Dei, quod Summus Pontifex sit Dominus totius Orbis, sicut Imperator, Rex, & alij Principes, Banues *de iust. & iur. in præambulo de Dominio Christi, dubitatione 2.* † Quia posset pro sua 2 voluntate, in ordine ad finẽ temporalem statuere leges in vniuerso Orbe, posset etiam pro suo libito abrogare omnium aliorum Principum leges, quod quidem est falsum, & contra communem sententiam, quamuis enim ipsi multis iniuriarũ generibus citra periculum fidei Regni gubernacula administrent, nihil ad Papam, nisi per viam correctionis fraternæ. Sotus *4. sententiarũ, distinct. 25. q. 2. art. 2.* est enim purum commentum, sic Papam constituere Dominum ordinarium Regnorum temporalium, & Regum, vti est supremus Iudex rerum, Prælatorumq; Ecclesiæ, aut sicut secularis Rex est suorum Ducum, Comitum, & aliorum Magnatorum iudex, Sotus *ibi.* † Quis audebit dicere, Papam esse Regem temporalem Hispaniæ, Franciæ, & aliorũ Regnorum, 3 & Reges ipsos, qui sunt veri Domini, esse ipsorum vsurpatores? Pontifex enim ipse dicit in *cap. cum ad verum 96. distinct.* quod non vult sibi vsurpare nomen Imperatoris, & in *c. nouit. de iud.* protestatur se nolle turbare iurisdictionem Regis Franciæ. vnde habebat Papa temporale Dominium, antequam possideret illas ciuitates, quas modo possidet? nec secundum Alber. *in leg. bene à Zenone, num. 25. C. de quadrien præscript.* Imp. Constantinus poterat in præiudicium Imperij, & successorum suorum facere, quia, sicut Papa, qui est Dominus rerum Ecclesiasticarum, non potest eas alienare, *cap. non liceat Papa, in princip. 12. q. 2* ita à simili Imp. non potest alienare res Imperij, ideo dicitur *Augustus*, quia Imperium augere debet, licet modo Ecclesia talem possessionem præscripserit, adeo vt amplius infringi non potest, & quia Imperator dedit ipsi temporale Dominium directum illarum Ciuitatum, volent homines tradere ipsi reliquum totius orbis, nõ enim Sedes Apostolica nostro indiget mendacio, quæ vera, & propria potestate abundat ad omnia, quæ ad spiritualem finem necessaria sunt. Neque est necesse, vt ipsi fimbrias extendant in illud, quod ei non est proprium. Nam, qui volunt assentatione quadã Summo Pontifici Dominium tale directe, & formaliter tribuere, ipsam Sanctam Sedem odiosam Regibus terræ fidelibus, & infidelibus efficiunt. † Vnde videmus, quod Papa non est Dominus earum Prouinciarum, quas ha- 4 bent Infideles, namque *Ioann. vlt.* Dominus solum oues suas Petro commisit. Infideles autem non sunt oues, neque potest ipsos iudicare, quia habet Apostolus *1. Corinth.* 5. de his, qui sunt foris, nihil ad nos: Infideles enim sunt veri Principes, & supremi suorum Regnorum Principes, quia Dominium non fundatur in gratia, aut fide, sed libero arbitrio, & ratione, vnde Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, id est, reddite, non donate, quæ sunt Cæsaris, hoc est, quæ iure illi debentur, & Roman. 13. *Reddite omnib. cui tributum, tributũ, cui vectigal, vectigal*, & iubet propter conscientiam obedire Principibus Ethnicis; at certè non teneremur obedire illi in conscientia, qui non est verus Princeps, si igitur Papa non habet earum prouinciarum Dominium, quas obtinent Infideles, sequitur nõ esse Dominum totius mundi, nisi illæ Prouinciæ ad mundum non pertinere dicantur, nec valet dicere, quod debeamus obedire Principibus Infidelibus, quia sunt Vicarij Papæ, quia Papa non habet tales Vicarios, & si haberet, daret Regna Infidelium Principibus fidelibus, ridiculum est autem, dedisse Deum Papæ ius in Regna totius mundi, & non dedisse illi vnquam facultatem vtendi huiusmodi iure. † Neque 5

est

est Dominus totius orbis Christiani, quia hoc esset iure Diuino, & per consequens haberet constare, scriptura autem testatur datas Pontifici claues Regni Cœlorum, de clauibus Regni terrarum nullam mentionem fecit, non enim Christus abstulit, neque aufert Regna iis, quorum erant, quia non venit destruere ea, quæ se bene habebant, sed perficere, quando igitur Rex fit Christianus non perdit terrenum Regnum, quod iure obtinebat, sed acquirit nouum ius ad cœleste Regnum, alioquin obesset Regibus Christi beneficium, & gratia naturam destrueret, immo hoc habemus ex Hymno, quem Ecclesia tota publicè canit.

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia
Qui Regna dat cœlestia.

Immo, si Papa esset supremus Dominus temporalis totius Orbis Christiani, sequeretur dicendum, quod singuli Episcopi sint Domini, & Principes temporales in Ciuitatibus & Oppidis suo Episcopatui subiectis, quia Episcopus est Pastor suæ Diœcesis, sicut Papa totius Orbis, sed hoc
6 nemo concedit, ergo nec Papa habet tale Dominiũ; † neque vllum habet tale Dominium extra Ciuitates, & loca ab Imperatore donatas, quia Christus, vt homo, dum in terris vixit, non accepit, nec voluit tale temporale Dominium, Papa autem est Christi Vicarius, & Christum nobis repræsentat, qualis erat, dum inter homines viueret, igitur Papa, vt Christi Vicarius, & Summus Pontifex nullum habet tale Dominium, &, si dicatur Christum exercuisse talem potestatem, quando eiecit de templo ementes oues, & boues, *Ioan. 2.* Respondetur eiicere aliquos de templo non esse Regis, sed sacerdotis officium, & si sacerdotes ipsum Regem Oziam vi de templo eiecerunt *2. lib. Paralip. cap. 26.* quanto facilius mercatores quosdam eiicere potuissent. Sed Christus potius eos eiecit more prophetarum quodam Diuino Zelo, quo Phinees occidit scortatores, neque hæc auctoritas Christo fuit necessaria, neque vtilis, sed plane superuacanea, & inutilis, quia finis eius in mundum erat redemptio humani generis, ad hunc autem finem non erat necessaria temporalis potestas, sed solum spiritualis, quia Christus persuasit hominibus contemptum gloriæ, delitiarum, opum, & omnium rerum terrenarum, qui-
7 bus maximè affluunt Reges mundi: † Si igitur erat Rex, acquisiuit vel hæreditate, vel electione
8 populi, vel iure belli, vel dono superioris: † non habuit Christus ex hæreditate, quia etsi descendit ex familia Regia, non tamen constat, an ipse esset magis proximus Dauidi, quam alij multi, qui de eadem familia erant; immo tunc erat ablatum Regnum à familia Dauid, idque volente Deo secundum illud Hierem. 22 *Hæc dicit Dominus, scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis nõ prosperabitur, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatẽ habeat ultra in Iuda.* Neque repugnat hoc cum Vaticinio Gabrielis Archangeli, Luc. 1. qui ait, *dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius.* quia Hieremias loquitur de regno temporali, Angelus autem de regno spirituali, cui expositioni concordat Aug. de Ciuit. Dei *libro 17. cap. 7.* ergo non habuit hæreditate.
9 † Non electione, quod patet Luc. 12. *O homo, quis me iudicem constituit, aut diuisorem inter vos?* hoc est, neque Imperator, neque Respublica me iudicem elegit: & ex illo, Ioan. 6. *cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperẽt eum, & facerent eum regem, fugit iterum in mõtem ipse solus,* non ergo voluit acceptare electionẽ regiam in se ipsum. † Nec iure belli fuit rex temporalis, nam bellum eius nõ fuit cum
10 regib. mortalib. sed cum Principe tenebrarũ, vt habetur Io 12. *mox Princeps eijcietur foras,* & Apostolus ad Col. 7. *explicans Principatus, & potestates, traducit cõfidenter palam, triumphans illos in se ipso.* & 1. Io. 3. *in hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli,* acquisiuit ergo iure belli Christus sibi Regnũ Spirituale, vt regnet ipse in cordib. nostris per fidẽ, & gratiã, vbi antea regnabat Diabolus per vitia & peccata. † Nec fuit Rex tẽporalis dono speciali, quia habetur Io. *10. Regnũ meum nõ est de hoc mũdo,*
11 & vt exponunt Chrysostom⁹, Augustinus, & alij hunc locũ, & Ambrosius *lib. 3. in Lucã* prope finẽ, Domin⁹ his verbis liberare voluit Pilatũ à suspicione, qua credere poterat, se Regnũ tẽporale Iudæorũ affectasse, sensus itaq; est, Ego quidẽ sum Rex, sed nõ eo modo, quo Cæsar, & Herodes, hã Regnũ meum non est de hoc mundo, id est, nõ constat honorib. opib. & potẽtia mundana, quia nunquam hanc potestatẽ Regiam exercuit, venit n. ministrare, nõ ministrarj, & iudicari, non iudicare, frustra igitur acceptasset Regiam potestatẽ, quia frustra est illa potẽtia, quę non reducitur
12 ad actũ. † Idcirco Papa habet illud officium, ꝙ habuit Christus, cum in terris inter homines hu-
13 mano more viueret. Io. 20. *sicut misit me viuens Pater, & Ego mitto vos.* † imo, nec habet omnẽ potestatem, quã habuit Christus, vt homo mortalis, ille enim, quia Deus, & homo erat, habuit potestatem excellentiæ, per quã tam fidelib. quam infidelib. præerat, Papæ autem solum fideles cõmisit, poterat Christus sacramẽta instituere, & miracula facere propria virtute, & authoritate, quã nõ habet Papa, poterat à peccatis absq; sacramẽtis absoluere, quod nõ potest Papa, cõmunicauit igitur Papæ potestatẽ illam, quę puro homini cõmunicari poterat, & quę necessaria erat ad gubernãdos fideles, vt sine impedimẽto vitã æternã cõsequi possẽt. Si igitur Christ⁹, quaten⁹ homo mortalis, nõ habuit tẽporale Regnũ (quia quaten⁹ Deus, est Rex Regũ, & Dominus Dominãtiũ) ita nec etiã Papa, qui est eius Vicarius in terris, habebit tale Regnũ, hinc dixit D. Bernardus ad Eugeniũ, lib. de cõsid. *nã, qd tibi aliud dimisit Apostolus? ꝙ aũt, inq̃t, habeo, hoc tibi do, quid illud, vnũ scio, nõ est aurũ, neq; argentũ. esto, vt alia quacũq; ratione hoc tibi vẽdices, sed nõ Apostolico iure nec enim ille tibi dare, ꝙ nõ habuit, potuit, ꝙ habuit, dedit. solicitudinẽ (vt dixit) sup Ecclesiã, nunqd dominationẽ mũdi? ipsũ audi: nec Domi-*

nantes

nantes inquit in Clero, sed forma facti gregis; & ne forte putes sola humilitate dictum non etiam in veritate, vox Domini in Euangelio est, Principes gentium dominantur, &c. plane Apostolis interdicitur dominatus. Quomodo ergo, & tibi vsurpare audes aut dominãs Apostolatum, plane ab altero prohiberis. Si vtrunq; simul habere voles, perdes vtrunq;, alioquin non te exceptum illorum numero putes; ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui; forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, inducitur ministratio. & infra, exi in agrum, ager mundus est, exi, non tanquam Dominus, sed tanquam villicus, hæc ille, adeo vt nõ habeat Papa, nisi iurisdictionem indirectam in temporalibus in ordine ad finem spiritualem, Sotus *de iust. & iur. lib. 4. quæst. 4. art. 1. & 4. Sententiarum, qu. 25. q. 2. art. 1.* Bannes *de iust. & iur. in præambulo de dominio Christi, ad quæstionem* 62. Card. à Turrecrem. *lib. 2. Summa de Ecclesia c. 113.* cum tribus sequentibus, Caiet. 2. 2. *in quæst. 66. super art. 8.* colligitur etiam ex D. Thoma, *ibidem in solutione ad secundum*, Franciscus Victoria, *in relectione prima de potestate Ecclesiæ*, maxime *num* 8. *qu. 5.* vide ibidem à *num. 1. vsq; ad* 14. inclusiue, & *relectione prima de Indis, num.* 27. Illustrissimus Bellarmin. *primo tom. tertia partis controuer. generalis, lib. 5.* qui omnes Doctores, quã plures alios allegãt, † licet Nauarrus in *rep. cap. nouit. de iud.* 14
3. not. Romæ impresso anno Domini, 1575. crediderit, quod summus Pontif. quatenus solum est Rom. Põtif. & Vicarius Christi summus, sed nudus ab omnibus priuilegiis, & donariis humanis, nullam habere potestatem Laicam, neq; summam, neq; mediam, neq; infimam, neq; actu, neq; habitu; habere vero potestatem Ecclesiasticam nouiter à Christo seruatore nostro institutam, qualis nunquam ante illius institutionem, in orbe fuit adeo vt potestatem Spiritualem, in Summo Pontifice residere, nemo dubitet, & tanquam Princeps talis est omnibus Principibus superior, quia Apostolus *Heb. 7.* probat, sacerdotem Melchisedech superiorem fuisse Abraam, immo ciuilis quæcunque potestas Spirituali inseruit in ordine ad spiritualem, quæ omnium finis est, sine fine.

SVMMARIVM.

1 *Imperium, Regna, & alij Principes superiorem non cognoscentes à Papa in temporalibus non pendent.*
2 *Papa est maior alijs Principibus in Spiritualibus, non autem in temporalibus.*
3 *Imperium, & Imperatores fuerunt ante Papam.*
4 *Quorum est immediatum principium, vnum non pendet ab altero.*
5 *Papæ, & Imperatoris potestas immediate à Deo procedit.*
6 *Maxima sunt dona hominibus concessa Sacerdotium, & Imperium.*
7 *Christus soluit Imperatori tributum.*
8 *In eadem ciuitate duæ sunt partes Populi.*
9 *Christus Petrum reprehendit, vti volentem materiali gladio.*
10 *Papæ, & Imperatoris potestas est distincta de iure Diuino.*
11 *Ratione temporalium Clerici sunt Regibus subiecti.*
12 *Papa est Dei Vicarius in Spiritualibus.*
13 *Imperator, & Princeps sunt Dei Vicarij in temporalibus.*
14 *Sicut Papa appellatur Sanctissimus, ita Imperator.*
15 *Quod dicitur de Imperatore, intelligitur de aliis Principibus.*
16 *Reges Franciæ, ac Hispaniæ, & Respubl. Veneta, sunt exempti à iurisdictione Imper.*
17 *Rex æquiparatur Imperat. & tantam, vel maiorem habet potestatem, quantam Imperator in Imperio.*
18 *Imperatoria, Regiaq; potestas non est hominum inuentum, sed Dei ordinatio.*
19 *Secularis potestas est alia à Spirituali,*
20 *Imp. ante coronam adeptam potest omnia rectè agere.*
21 *Imp. eligendo confirmatur, sicut Papa.*
22 *In ciuilibus potestatibus magis obediendum Rectori Ciuitatis, quàm Episcopis.*
23 *Papa est maior in spiritualibus Imperatore, non autem in temporalibus.*
24 *Papæ in causa propria non credendum.*
25 *Imperatoris Ludouici lex.*
26 *Ecclesiæ olim Imperatoribus erant subiectæ.*
27 *A Principe non recognoscente superiorem, non appellatur ad Papam.*
28 *Alberici relatio.*
29 *Quia Papa habet dominium indirectum, non propter hoc est Imperatore, & aliis Principibus maior.*
30 *Potest Princeps omnia statuere pro sui Status optimo regimine, dummodo non contineant peccatum.*
31 *Lex Pontificia non abrogat legem Principum.*
32 *Papa non est Ecclesiæ Princeps Politicus.*
33 *Legislator non debet dare legem optimam simpliciter.*
34 *Lex Euangelica optima.*
35 *Eadem leges non semper sunt bona pro vna Politia.*

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

COnclusionem istá facile est deducere per superius dicta, si enim Papa nó est Dominus orbis
1 temporalis, † ergo Imperium, Regna, & alij Principes superiorem non cognoscentes non
sunt neque pendent ab ipso, quia nemo dat, quod non habet, si à Christo Papa non habet tale
Dominium, & Imperium, ac alij Principes ab ipso penderent, esset dicendum, quod Papa esset
maior Christo, & tamen non erit seruus supra dominum, Bellarm. *tomo primo controuersiæ genera-*
lis, lib. 5. cap. 4. debent erubescere, qui sine lege contrarium dicunt, *in auth. de trient. & semis. §. consi-*
deremus. &, si dicant, Papam coronare, & vngere Imperatorem, ideo ipso esse maiorem, & ab ipso
2 dependere. † Dico esse quidem maiorem in spiritualibus, non autem in temporalibus, neque
ideo ab ipso pendere; quia etiam Papa consecratur à Cardinali Hostiensi, ergo Cardinalis Ho-
3 stiensis est maior Papa, ab ipsoque pendet; hoc profecto non valet, † videmus enim Imperium,
& Imperatores fuisse ante Papam, & Christi aduentum, Driedonus *de libertate Christiana, libro 1.*
cap. Clericus, dist. 21. & dicebantur tunc *Pontifices*, vt ibi apparet, & multi etiam tempore Papæ fue-
runt non confirmati, neque coronati, immo eligebant Papam, sacra etiam ministrabant, *dicto cap.*
Clericus, quomodo igitur dicemus ipsos à Papa dependere, prius enim non pendet à posteriori;
4 sed melius potest cõfirmari, † quorum idẽ est immediatum, & per se principium, neutrum potest
dici pendere ab altero, maximè, cum diuersis præsint, nam separatorum separata debet esse ratio,
5 nec infertur de vno ad alterum, *l. si maritus, C. de donat. inter vir. & vxor.* † Sed Papæ potestas, & Im-
peratoris immediate à Deo procedit, Dec. in c. nouit, n. 56. de iud. vna enim determinatio respi-
ciens duo determinabilia, æqualiter videtur determinare, *l. quãuis, C. de impu. & aliis substit. l. iam hoc*
iure, §. fin. ff. de vulg. & pup. & bonus tex. *in l. fin.* vbi Bar. *C. de sen.* ergo Imperator à Papa nõ procedit,
quia potestates sunt distinctæ, & separatæ, vnde dicit *c. ad verum, 96. dist.* nec Imperator iura Põtifi-
cis arripuit, nec Põtifex nomẽ Imperatoris vsurpauit, *quãdo idẽ mediator Dei, & hominũ homo Christus*
Iesus actibus propriis officia vtriusq; potestatis discreuit, vt Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus e-
geant, & Põtifices pro cursu temporalium rerum tantummodo Imperialibus legib. vterentur, quatenus spiritua-
lis actio à carnalibus distaret incursib. & ideo militans Deo, negotiis secularib. nõ se implicare deberet;
ac vicissim non ille rebus Diuinis præsidere videretur; qui esset negotiis secularibus implicatus,
6 *dist. 10. c. quando, dist. 96. c. cum ad verum;* † similiter dicit lex, quod *maxima dona sunt hominib. à superna*
collata clementia, Sacerdotium scilicet & Imperium, Sacerdotium diuinis ministrans, Imperium humanis præsi-
dens, vno eodemq; principio vtrumq; procedens humanam exornat vitã, in authen. quomodo oportet Epi-
scopos, col. 1. ad idem c. solitæ, de maior. & obed. ibi (*fecit Deus duo magna luminaria*) &c. hinc est, †
7 quod ipse Dei Filius recognoscens Imperatorem, iura Imperatoris, cœlesti sibi ordinatione cõ-
cessa, soluit tributum, iubens, quæ Cæsaris sunt, dari Cæsari, & quæ Dei sunt, Deo. *Matth. 22. 11. q.*
8 *prima, c. magnum*, per has duas iurisdictiones distinguens, Diuinam scilicet, & humanã, *de cõsecrat.*
dist. 3. c. celebritatem, in fin. † nam in eadem Ciuitate duo sunt populi, scilicet Laicorum, & Clerico-
rum, *12. q. 1. c. duo*, & duæ vitæ, carnalis, & spiritualis, *de renũ. c. nisi. §. pen.* duo principatus, duo genera
militũ, scilicet Ecclesiæ, & seculi, *50. dist. c. clericũ, qui pagan.* Pontificalis, & Regalis potestas, *26. dist.*
c. duo, duo gladij, scilicet Spirituales, & Materiales, *16. q. 6. c. aut.* & non dixit Saluator, alium esse su-
perfluum, sed *satis est*, Lu. 22. per has iurisdictiones denotans esse necessarias & nemini præsidens
9 alterum vsurpet; † Petrum vti volentem materiali gladio reprehendit, dicens, conuerte gladium
in locum suum, & vsurpanti iurisdictionem alterius comminatus est pœnam, cum addidit; *omnis*
10 *qui gladium acceperit* (scilicet ad alterius iurisdictioné spectantem,) *gladio peribit;* † adeo vt potestas
Papæ, & Imperatoris sint omnino distinctę, etiam de iure Diuino, Diedronus *de libertate Christia-*
na, lib. 1. & Papæ in spiritualib. ac Imperatori, Regibus, & Principib. naturalibus sit subiecta omnis
11 anima, *c. omnis anima, de censib.* & secundum hoc † ratione temporalium Clerici Regibus sunt sub-
iecti, *11. q. 1. c. si quis causa, §. his ita, & 13. q. 3. §. sed nos*, & si dixerit Clericus, *quid mihi, & Regi?* nihil audiat
12 Ang. ergo, tibi & possessioni, *8. dist. capit. quo iure*, † sicut Papa est Dei Vicarius in Spiritualibus,
13 *c. quando vetusto, 24. qu. 1.* Spec. *lib. 1. §. 6. n. 51. de legato;* † ita Imperator, & Princeps est Dei Vicarius in
temporalib. *l. bene à Zenone, C. de quadrien. præscript.* Petrus de Monte *in tract. de Maiestatis Impera-*
toria origine, & potestate, in 4. q. num. 3. Mar. Socin. *cons. 68. n. 8.* sicut iste Vicarius in Spiritualibus di-
citur Papa, ita Vicarius in temporalibus dicitur Imperator, *§. nullus*, cum Glos. in verb. *Pontifices,*
Instit. de rerum diuis. ita eleganter dixit Bald. *in cap. 1. §. Marchio, in tit. qui feud. dar. poss.* idem sentit Bar.
in l. præscriptione, C. si contra ius, vel publ. vtil. Curt. Sen. *cons. 35. num. 13.* † sicut Papa in Spiritualib. appel-
14 latur Sanctissimus, ita Imperator Sacratissimus, Sanctissimus, & Religiosissimus. Castrens. *in rub.*
num. 5. C. de nouo Cod. componen. sicut Papa est Deus in terris, *cap. quando vetusto, 24. quæst. 1.* sic Impera-
15 tor, & Princeps est Deus in terris, Cagnolus *in l. si quis maior, n. 64.* .... † quod autem dicitur de
Imperatore, idem intelligitur de aliis Principibus non recognoscentibus superiorem, Dec. in *c.*
16 *nouit, num. 68. de iud.* † quia Reges Franciæ, Hispaniæ, & Respublica Veneta sunt exempti à iuris-
dictione Imperatoris, neque ipsi sunt subiecti, Alber. *in l. cunctos populos, num. 19. C. de sum. Trin.* &c.
17 † immo ipsi æquiparantur Imperatori, & tantam habent, vel maiorem potestatem, quantam
18 Imperator in Imperio. Boer. *decis. 178. num. 9.* † non enim debemus dicere Regiam, Imperatori-
amque Maiestatem, & potestatem, cæterorumque Principum auctoritatem esse hominum in-
19 uentum, sed Dei Sanctissimam ordinationem, † aliam tamen à spirituali potestate, neque ab ipsa
pendere, vt ab illa instituatur, suamque accipiat facultatem, ab illaue possit vel amoueri Rex, vel

corrigi

corrigi,nam,etsi ambæ à Deo procedunt, non tamen altera per alteram,sed variis modis. Sotus
de iust.& iur.lib.4.q.4 art.primo, aliter esset dicẽdum Principes nõ esse Dei Vicarios in tempora-
libus,sed Papæ,neque dicerent *Dei gratia Imperator, Rex*, vel *Dux*, sed Summi Pontificis gratia, &
tamen loco Dei lites in terris dirimunt:Menoch.*cons.92.num.83* ab ipsoq; Imperator coronatur,
Bald.*in l.bene à Zenone,num.5.C.de quadrien. præscript.* † immo ante coronam adeptam,omnia gerere 20
rectè ac rite potest, quæ post ipsam posset,Emanuel Suarez, verb.*Imperator,n.17.* sicut etiã Sum-
mus Põtifex ante coronationẽ omnia recte potest facere,quę post ipsam facere potest,imo sunt
excõmunicati impugnantes litteras Papæ nõ coronati.habetur in *Extrauag.quia nõnulli,de sententia
excommun.* quod extrauagans à nonnullis tribuitur Clementi V. ab aliis autem Benedicto XI.
quia per electionem Canonice factam sibi ius in Papatum acquisitum est, & Canonica electio-
ne confirmatur, & exercere potest suum officium ante coronationem,*vt distinct.23.cap.in nomine
Domini,vers.electus tamen*, † ita etiam Imperator secundum Gulielm. Naso.*in c.venerabilem, de elect.* 21
eligendo confirmatur,sicut Dominus Papa,quia Sacerdotium, & Imperium parum discrepant,
in *auth. de eccles.rerum aliena.§ sancimus*, quia Imperator dũ coronatur,creatur Canonic⁹ Ecclesiæ
S.Petri, Bosius in *tit.de foro competen.nu.127.* ex his,inquit Driedonus *de libertate Christiana lib.1.cap.3.*
apparet sæcularem potestatem prorsus,& omnino non esse subditam Potestati Spirituali; † quia 22
in ciuilibus actibus magis est obediẽdum Rectori Ciuitatis,& in actibus militaribus Duci exer-
citus,quam Episcopis,qui sese his non possunt immiscere.in Spiritualibus quælibet potestas est
Summo Pontifici subiecta,quia habet Christus, quodcunq; ligaueris super terrã, &c. immo et-
iam Episcopo,*cap.duo sunt,95.dist.cap. omnes, de maior, & obedient.* immo etiam Sacerdoti, *cap. omnes
vtriusque sexus,de pœnit.& remiss.* peccat,in temporalibus autem nequaquam,† quia Papa in Spiritu- 23
alibus est Imperatore, & aliis Principibus superior,in temporalibus autem nõ est ipsis superior,
Sotus *de iust.& iur.lib.4.q.4.art.2.* & omnia iura, quæ videtur asserere Summum Pontificem, Im-
peratore,& aliis Principibus esse superiorem, ab ipsoq; pendere,intelliguntur in spiritualib. non
autem in temporalibus,Dec.in *cap.nouit,nu.59.60.& 61.de iud.* & licet Bonifacius Papa VIII. edi-
derit quoddam Extrauagans,incipiens; *Vnam sanctam, in tit.de maior & obedient.* in quo terminauit
Imperium à Papa procedere,ipsiq; esse subiectum;dicunt tamen Doctores,† Papæ in causa pro- 24
pria non esse credendum,cum in re propria nullus debeat esse iudex,neq; testis,neque arbiter,vt
toto tit.C.ne quis in causa propria,&c.l.nullus,de test.l.pen ff.de arb. Anch.*in repet.super c.Canonũ statuta,n.7.*
& si Pontifex in eius fauorem statuit,Imperator etiam similiter statuit pro se, vnde extat lex Lu-
douici de Bauaria Imperatoris electi, quæ sequitur in hunc modum. † *Licet iuris vtriusq; testimonia* 25
*manifestè declarent, Imperialem dignitatem,& potestatẽ immediate in Filio Dei ab antiquo processisse,& Deum
per Imperatorẽ,& Reges mundi iura humano generi apertè tribuisse,& quod Imperator ex sola electione eorũ, ad
quos pertinet,verus efficitur Imperator,nec alicuius alterius eget cõfirmatione,seu approbatione, quoniam in tem-
poralibus superiorem non habet in terris.Sed eidem subsunt nationes,& ipse Dominus noster Iesus Christus man-
dauit,quæ sunt Dei,Deo.& quæ sunt Cæsaris,Cæsari fore reddenda. Quia tamen quidam auaritia,& ambitionis
cæcitate deuicti,& nullius scripturæ intelligentiam se habere dicentes,sed diuertentes à tramite recti sensus,in qua-
dam iniqua,& praua commenta,& in assertiones detestabiles prorumpunt contra potestatem, & auctoritatem
Imperialem,& iura Imperatorum electorum,& aliorum Principum,& Imperij fidelium committentes,fallaci-
ter asserentes, quòd Imperialis dignitas,& potestas est à Papa,& quod electus in Imperatorem, non est verus Im-
perator,nec Rex,nisi prius per Papam,siue sedem Apostolicam confirmetur,approbetur,& coronetur, & per hu-
iusmodi prauas assertiones, & pestifera dogmata hostis antiquus mouet lites,& iurgia suscitat, contentiones pa-
rit,& seditiones procurat.Ideo ad tantum malum euitandum,de consilio,& consensu Electorum, & aliorũ Prin-
cipum Imperij,Declaramus,quod Imperialis dignitas,& potestas est immediate à solo Deo,& quod de iure,& Im-
perij consuetudine antiquitus approbata est, postquam aliquis eligitur in Imperatorẽ,siue regem ab Electoribus
Imperij concorditer,vel maiori parte eorundem,statim ex sola electione est verus Rex, & Imperator Romanorum
censendus,& nominandus,& eidem debet ab omnibus Imperio subiectis obediri, & administrandi iura Imperij,
& cætera faciendi,quæ ad Imperatorem verum pertinent, habet plenariam potestatem, nec Papæ, siue sedis Apo-
stolicæ,aut alicuius alterius approbatione,confirmatione,auctoritateue indiget,vel consensu, & hac in perpetuum
valitura lege decernimus, vt electus in Imperatorem concorditer, vel à maiori parte electorum, ex sola electione
censeatur,& habeatur ab omnibus pro vero,& legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subiectis Imperio, de-
beat obediri, & administrari, & iurisdictionem Imperialem, & Imperialis potestatis plenitudinem habeat, &
habere,ac obtinere ab omnibus censeatur,& firmiter asseratur.Quicunq; autẽ contra hæc declarata decreta, vel
diffinita,aut aliquod eorũ asserere,seu dicere,aut asserẽtib. seu dicentib.cõsentire,vel eorũ mandatis,vel literis,vel
præceptis obedire præsumpserint,eos omnib.feudis,quæ ab Imperio detinent,& omnib. gratijs,iurisdictionib.priui-
legijs,& immunitatib.à nobis,vel prædecessorib.nostris eis concessis,ex nunc priuamus,& ipso iure, & facto decer-
nimus esse priuatos. Insuper eos crimen læsæ maiestatis decernimus incurrisse, & pœnis omnibus impositis crimen
læsæ maiestatis committentibus subiacere.Datũ in Colonien.Ciuitate Alemaniæ, trie,&c.* † videmus enim o- 26
lim Ecclesias Imperatori fuisse subiectas,Boer.*dec.69.n.1.* ac etiam Clericos,Card.*de praben.in 6.c.*
ac Reges Franciæ habuerunt priuilegium instituendi Romanos Pontifices, qui sine eorum vo-
luntate eligi non poterant; Boer.*dec.31.n.1.* si Imperator confirmabat Summos Pontifices, quo-
modo erit nunc dicendum Imperium à Papa procedere; † à Principe superiorẽ non cognoscen- 27
te,non appellatur ad Papam,Dec.in *c.nouit, n.68.de iud.* neq; ab Imperatore ad Papam,vt clarè pa-
tet in *d.c.nouit*, vbi Papa protestatur,quod nolit turbare iurisdictionẽ Regis Franciæ; vnde Alex.

Papa III. in *c. si duobus, §. denique, de appellat.* rogatus an appellatio à iudice Seculari ad Papam teneat,
respõdet: *Tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali iurisdictioni subiecti, in aliis vero secundum iuris rigo-*
rem credimus non tenere. item c. causam. c. extra. qui fil. sint leg. *Nos attendentes,* inquit, *quod ad Regẽ per-*
tinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare, &c. Leo etiam IV. Lothario Imperatori, in cap.
de capitulis, dist. 10. habet; *De capitulis, vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumque, Pontificum, & præde-*
cessorum irrefragabiliter custodiendis, & conseruandis, quantum volumus, & valemus Christo propitio, & nunc,
& in æuum nos conseruaturos modis omnibus profitemur. & si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus
fuerit, sciatis eum pro certo mẽdacẽ. hæc ille. videmus, quod olim Imperatores *Pontifices* nominabãtur,
quia cum nascitur Imperator, dicitur nasci auspicium lucis, Alb. *in l. bene à Zenone, n. 3. C. de quadriẽ.*
præscript. & Summi Pontifices ad obseruãtiam Imperialium legum tenebantur; De hoc maxima
fuit concertatio tempore Ioannis Papæ 22. & successoris eius Benedicti 12. inter eos, & Ludoui-
28 cum Imperatorem supradictum, cuius occasione fecit illam citatam legem, † & refert dictus Al-
ber. *in d. l. bene à Zenone, n. 16.* quod tempore illius concertationis ipso existente in Romana Curia,
audiuit Prælatos magnos, & etiam Laicos in vtroque iure peritos in hanc opinionem declinare,
tanquam veriorem, & n. 18. habet, quod præsidentes Romanæ Ecclesiæ eorum astuta, & sagaci
prudentia, secundum temporum varietatem sua variauerunt statuta, modo Imperium subli-
mando, modo paulatim deprimendo de tempore in tempus, sed considerato initio cuius-
libet, putat, potestates fuisse distinctas, &, si quilibet fuisset cõtẽtus suis limitibus, & vna alteram
cõadiuuasset, sicut facere tenentur, pax esset in vniuerso mundo. hoc etiam bene discutit Ma-
gister Ioannes Parisiensis in libro, quẽ composuit *de potestate Papali, & Imperiali, c. 4.* & post ipsum
alij multi recentiores, &, si dicatur, quod Papa habet etiam ipse iurisdictionem temporalem in
29 habitu, & indirectè, † & per hoc Imp. & aliis Principibus est maior in temporalib. dico, quod nõ
est verum, quod hoc sit ipsis maior, quia maior est illa iurisdictio, quæ est in exercitio, & in actu,
quam illa, quæ est in habitu, & potentia, Dec. *in c. nouit, n. 63. de iud.* quia ex Arist. 3. *de anima text. 19.*
actus est prior, & præstantior potentia, cum ipsa per actum definiatur 9. *Metaph. tex. 13.* neq; potest
potentia ex se moueri ad actum, habet enim ipsam potestatem, solummodo quatenus necessaria
est ad Spiritualis iurisdictionis, & potestatis vtiliorem, & faciliorem vsum, Couar. *de rest. 2. par. §. 9.*
n. 7. Nauar. *in c. nouit, de iud. 3. notabili.* quia directè, & regulariter tale exercitium est ipsi prohibitũ,
c. cũ ad verũ, 96 dist. hinc D. Bern. ad Eug lib. 1. de cõsid. *habẽt hæc infirma & terrena, iudices suos Reges, &*
Principes terræ? Quid fines alienos inuaditis? Quid falcẽ vestrã in alienã messem extenditis? itẽ *in criminib. nõ in*
30 *possessionib. potestas vestra.* † Poterit igitur Princeps quilibet nõ recognoscẽs superiorẽ statuere circa
sibi subiecta omnia pro sui status optimo regimine, (dũmodo tamẽ peccatũ nõ cõtineant,) quia
nõ sunt facienda mala, vti eueniãt bona, absq; eo, quod ad alium Principẽ recurrat, quia in mere
temporalib. lex præualet canoni, Bald. *in Auth. priuileg. n. 3. C. de sac. eccl.* & in ipsis habet plenitudinẽ
potestatis, Mar. Soc. *cons. 61. n. 8.* imo leges à iure Canonico deuiantes (dum tamẽ, vt dixi, nõ con-
tineant peccatum) sunt in suo foro seruandæ, *c. non sine, de arb.* Dec. *in c. sancta Maria, num. 110. de const.*
31 quia legis materia, dum est res temporalis, nõ concernens animarum periculum, † nõ potest lex
Pontificia abrogare legem Principum, sed vtraq; est seruanda, illa in Foro Ecclesiastico, ista in
32 Foro ciuili, Illustrissimus Bellarminus *tom. 1. 3. partis controuersiæ generalis, lib. 4. c. 5.* † cum Papa non
sit Ecclesiæ Princeps Politicus, vt *ibi*, neq; in temporalib. habeat potestatis plenitudinem, Bal. *in*
l. si aquam, n. 23. C. de seruit. & aq. in materia ad Ecclesiam pertinente, non dedignantur leges sacros
Canones imitari, in materia autem indifferenti, nequaquam, sed omnia in suo Foro attendi de-
bent, Dec. *in c. Clerici, n. 2. de iud.* † debet autem legislator considerare in dandis legib. quod non
33 det optimam legem simpliciter, sed optimam illi Politiæ, nam forte ille populus, cui datur lex, erit
imperfectissimus, & non poterit tolerare legem perfectissimam, si enim exquirantur legislatio-
nes humanæ, quotquot ab exordiis Ciuitatum datæ sunt, non reperientur aliquæ bonæ simpli-
citer, id est, quæ contineant omnia, quæ cõtinent simpliciter bona, & in nullo deuiet ad aliquid,
quod in se malum sit, & contineat aliquem defectum, nec est hoc ex ignorantia legislatoris, quia
sic ex industria factũ est, nec etiam vocabũtur malæ leges propter hoc, sed cõuenientissimę, quia
conueniunt fini, & statui Politico; imo, si quis vellet tollere omnes defectus legum, faciẽdo eas
optimas simpliciter, faceret eas pessimas, & nullo modo cõuenientes Politiæ, cui datæ erant; sola
lex Euangelica est simpliciter bona, quæ omnia mala prohibet, & ad actum omnis virtutis inui-
tat; si ergo aliquis vellet optimã ponere legem alicui Politiæ, imponeret ei legem Euangelicam,
& vetaret omnia mala, scilicet meretricium, & similia, & tunc destruet ipsam Politiam, † licet e-
34 nim lex Euangelica in se optima sit, & sola simpliciter bona, si tamen imponatur alicui Politiæ,
pessima erit, stultus esset legislator ille, qui legem Euangelicam totaliter sub punitione in Poli-
tia sua custodiri mandaret; cum ergo optima Politia sit, quæ maxime à malo vetat, & maximè ad
virtutem incitat, & promouet, & nulla lex, siue constitutio sit, quæ magis hoc faciat, quam con-
stitutiones Monachorum, & Fratrum, in quibus quisq; profitetur obedientiam, continentiam,
& paupertatem, qui voluerit dare alicui Politiæ optimas leges, det eis leges Monachorum, quo
quid stultius excogitari potest, quam facere aliquam talem Politiam? Non ergo debet lex pro-
hibere omnia mala simpliciter, sed ea solum, quæ Politiæ cõtraria sunt vetare; † neq; eædẽ leges
35 semper sunt bonæ pro vna Politia, imo Plato *in lib. 16. ciuili, vel de Regno,* legislatorẽ similem facit,
(quoad ad Reipublicę regimẽ) Medico, & nauis gubernatori, nam, vt hi nõ semper eadem præ-
scri-

[?]ribunt agenda esse ad corporis salutem, & ad nauigationis tutelam, sed varia præcepta excogitant iuxta morborum statum, ventorum, locorum, & syderum pericula, ita legislator, qui Rempublicam administrat, non eisdem semper vti debet legib. imò varia necesse est præscribat præcepta, & instituta, secundum temporũ, rerum, & locorum vicissitudines, status, & qualitates, alioquin non rectè rem pro vtilitate publica gerere valebit: hanc item legum mutationem iustam esse probat tex. in *cap. vltimo, 14. distin. cap. erit autem lex, 4. dist.* Bal. *in l. vnica, in principio. C. de caduc. tollen* docet S. Thom. in *1. 2. quæst. 97. artic. 1. & q. 104. art. 3.* Neque omnibus Communitatibus, aut Rebuspublicis, *aut* ciuitatibus eædem leges conueniunt, vel vtiles sunt, tamen & si omnib. conueniat, & proprium sit ratione, & iure ad iustitiæ normam, & regulam institutas esse; qua de re pulchra sunt Arist. verba lib. 5. Eth. cap. 7. *similiter, inquit, modo non naturalia, sed humana iura non eadẽ vbiq; sunt. Nam neq; Respublica apud omnes est eadem, sed vna tantum vbiq; est secundum naturam, quæ optima sit.* hæc ille, qui vnam censet esse Rempublicam secundum naturam, quæ optima est, id est, quæ naturali ratione ad communem vtilitatem regitur: qua tamen ratione perpensa, & obseruata, non eadẽ conueniunt omnib. Rebuspublicis. Ad hunc enim sensum Michael Ephesius locum Arist. *ibidem* eruditissimè interpretatur. vnde qui veteres Historicos legerit, quique variarum Prouinciarum leges expenderit, ab initio orbis conditi vbiq; constitutas, dubio procul deprehendet, quantum hominibus licuerit variè in condendis legibus de ipsa communi vtilitate decernere, ac plane suo iudicio censebit, leges aliquot risu dignas esse, quas, si illius Reipublicæ statum nouisset, omnino necessarias fuisse illi statui æstimaret, adeo vt Principes in suo Dominio veri sunt Domini, à nulloque in temporalibus pendent.

SVMMARIVM.

1 *Fundamentum censuræ Summi Pontificis.*
2 *Decreta pro immunitate Ecclesiastica.*
3 *Immunitatis Ecclesiasticæ Etymologia.*
4 *Immunitatis Ecclesiasticæ definitio.*
5 *Priuilegia competunt vel personis, vel rebus, vel locis.*
6 *Priuilegia Ecclesiastica duplicia.*
7 *Priuilegia sunt Ecclesiæ concessa quædam à Deo, quædam ab hominibus.*
8 *Priuilegia data ab hominibus sunt vel à Papa, vel ab Imperatore.*
9 *Regulæ ad cognoscendum statuta, quæ sunt contra libertatem Ecclesiasticam.*
10 *Duo requiruntur ad libertatem Ecclesiasticam.*
11 *Violatio Ecclesiasticæ libertatis est mortale peccatum.*
12 *Aliquando potest esse veniale.*
13 *Materia excommunicationis contra violantem Ecclesiasticam libertatem, est sacrilegium.*
14 *Vel formaliter, vel materialiter violatur Ecclesiastica libertas.*
16 *Quomodo intelligitur sacrilegium, quod est materia huius excommunicationis.*
17 *Quibus in casibus incurritur hæc excommunicatio, & non incurritur.*
18 *Statuere in funeralibus, & primis Missis, aliquando non est contra libertatem Ecclesiasticam.*
19 *In quo formaliter sit posita Ecclesiastica immunitas nondum constat.*
20 *Excommunicatio nisi pro magna causa est inferenda.*
21 *Excommunicatio est maior pœna, quæ sit in Dei Ecclesia.*
22 *In excommunicatione no sit lata interpretatio.*
23 *Excommunicationis pœna est odiosa, ac strictè interpretanda.*
24 *Bona Ecclesiæ competentia in duplici sunt differentia.*
25 *Immobilia per se Ecclesiæ non competunt.*
26 *Quomodo intelligatur censura contra violantes Ecclesiasticam libertatem.*

CAPVT TERTIVM.

NARRAT Summus Pontifex pro fundamento suæ sententiæ *Ducem, & Senatum Reipublicæ Venetæ, annis elapsis in eorũ consultu plura, ac diuersa decreta, † tum Sedis Apostolicæ auctoritati, & Ec-* 1
clesiasticæ libertati, ac immunitati contraria, tum generalibus Concilijs, & sacris Canonibus, necnon Romanorum Pontificum Constitutionibus repugnantia statuisse, &c. *quæ omnia Sedis Apostolicæ auctoritati, & Ecclesiarum iuribus, & personarum priuilegijs præiudicium inferunt, ipsamq; libertatem, & immunitatem Ecclesia-* 2
sticam tollunt, &c. *† Nos inhærentes plurium Generalium Conciliorum Decretis, ac vestigijs re. me. Innocent. 3. Gregor. 9. Alexand. 4. Clementis 4. & Martini etiam 4. Bonifacij 8. Bonifacij 9, Martini 5. & Nicolai 5. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum,* &c. Innocent. 3 in *cap. ad nostram, de rebus Eccles. nõ alienan.* scribẽs Episcopo Maurien. & Præposito Vlcon. dicit, quod restituatur Ecclesia cõtra alienationem, per quam enormiter fuit læsa, & idem in Cõcilio Lateranensi, *cap. cum Laicis, eodem tit.* dicit, alienationem rei Ecclesiasticæ factæ sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu non tenere, licet approbetur per Constitutionem Laicorum. Honorius 3. in *cap. nouerit, de sentent. excommun.* scribens Episcopo Bonon. excommunicat, qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem, nisi ea de Capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem sententiæ fecerint amoueri: item excõmunicat statutarios, & scriptores statutorum ipsorum, nec non Potestates, Consules, Rectores, & Consi-

liarios locorum, vbi de cætero huiusmodi statuta, & consuetudines editæ fuerint, vel seruatæ, necnon & illos, qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata. idem ferè habetur in *cap. grauem, eod. tit.* Episcopo Senensi, vbi reuocat nonnulla statuta Ciuitatis Pisanæ contra Ecclesiasticam libertatem, & alias imponit pœnas contra huiusmodi statuentes, Gregor. 9. *in c. quæ in Ecclesiarum, de Const.* scribit Episcopo Tarusino, quod Constitutio Laicorum Ecclesiam, seu eius bona non adstringit, & idem in *cap. Sancta Maria, eodem tit.* Abbati, & Conuentui Sancti Syluestri, quod statutum generale Laicorum ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas, vel earum bona in earum præiudicium non extendatur, nisi fuerit à Sede Apostolica confirmatum; Alexan. 4. *in cap. primo, de immunitat. Eccles. in sexto*, ne liceret Dominis temporalibus Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manum ponendum acquisita iam, vel quæ deinceps acquirent aliquatenus coarctare, aliorum autem Summorū Pontificum decreta sparsim habētur in iure sub diuersis titulis. est etiam Concilio Tridentino, *sessione 25. cap. 20. de reformat* quo loci habetur: *Decernit, & præcepit Sacros Canones, Concilia generalia omnia, necnon alias Apostolicas sanctiones in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præsenti etiam Decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari debere.* est tandem Bulla in Die Cœnæ Domini, quotannis legi solita, quæ in *cap. 19.* excommunicat, qui statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, seu quæuis alia Decreta in genere, vel in specie ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo restringitur, seu dictæ Sedis, & quarumcumq; Ecclesiarum iuribus, quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur. Sed quia omnia suprascripta Decreta, & sanctiones, ad hoc reducuntur, vt non defraudetur Immunitas Ecclesiastica, se dillæsa permaneat, opus est ostendere, & declarare, quid per istam immunitatem, siue libertatem intelligatur, ne error in iudicando valorem huiusmodi Statutorum contingat, quia multi Doctores de hoc multa loquuntur, & ne æquiuocemus in eius nomine, & natura, dicimus.

3 † *Immunitatis* Ecclesiasticæ etymologia dicitur *ab in, quod est sine, & munus, siue munium, quod est onus, id est, sine onere*, D. Antoninus, *3. parte, tit. 12. c. 3.* & secundū Syluestr. in verb. *immunitas*, dicitur *quasi nō munitas, importans negationē munium, id est officiorum, vel onerum, à quibus Ecclesiæ sunt immunes; vel importat negationem munerum sordidorum, quæ s. Ecclesia non subit*; & secundum alios, dicitur, *Emunitas, quasi extra munia, vel munera libertas*; melius tamen explicatur per *i*, id est immunitas secundum Ioan. Andr. dicitur igitur immunitas, quasi libertas, scilicet ab oneribus, sic accipitur per *toto tit. ff. de iur. immunit.* adeo vt possimus confundere immunitatem cum libertate. vel dicere, quod libertas sit prædicatum immediatum, & essentiale immunitatis.

4 † Immunitas ergo definitur, quod sit *libertas, seu exemptio concessa Ecclesiæ in personis, rebus, & iurib. Ecclesiasticis quibuscunq;*, D. Anton. *vbi supra*, & Gos in *summa*, eodem titulo, *est libertas concessa Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis, & rebus ad eam spectantibus*; vel secundum Syluest. vbi supra, *est priuilegium* 5 *Ecclesiastica libertatis, vel personarum, aut rerum ad eam pertinentium*. quod idem est cum alijs; † huiusmodi autem priuilegia, vel competunt personis, vel rebus, vel locis; personis, vt, qui in eos inijcit manus violentas, *capit. si quis suadente Diabolo*, 17 *quæst. 4.* quod non possit conueniri coram Foro, & Iudice Laico, *capitul. 2. de Foro competen* ne teneantur ire ad bellum, vbi impugnandi sunt alij, secundum Panorm. *in capitul. peruenit, eodem titul* nec tenentur ad custodiam murorum ciuitatis, secundum eundem Panorm. *ibidem*, nisi subesset maxima necessitas, vt not. gloss. in 16. *quæst. 1. §. placet*, non tenentur ad collectas, pedagia, & alia grauamina, vt *toto titul. de Immun. Eccles.* & multa alia personalia priuilegia sunt, quæ non faciunt ad rem, ipsa recensere. In Rebus, vt statuta Laicorum non habeant locum super ipsis, *capit. Sancta Maria, de constit.* rustici non possunt Ecclesiæ iura deserere, & alio se transferre, *extra eodem capitul.* 3 quicquid emptum fuerit de pecunia Ecclesiæ, reuerti debet ad Ecclesiam, 12. *quæstio. 2. Apostolos*, & alia multa. In locis, vt nemo malefactor ab Ecclesia possit extrahi, ne possit comburi, & alia multa, de omnibus his immunitatibus vide per D. Anton. & Syluest. vbi supra.

6 † Duplicia adhuc sunt huiusmodi priuilegia, vel sunt vniuersalia, vel particularia; vniuersalia sunt, quæ toti Ecclesiæ sunt concessa, vt *cap. si quis suadente, 17. quæstio. 4.* particularia sunt, seu specialia, quæ alicui sunt ordini concessa, vel alicui particulari Ecclesiæ, vt *de rescript. cap. cum ordinem, & de præscript. cap. auditis.* 7 † huiusmodi autem priuilegia Ecclesiæ sunt ipsi concessa à Deo, & ab hominibus; à Deo, vt *quodcunque ligaueris super terram*, Matth. 16. & habetur *24. quæstio. prima, quodcunque, & de translat. cap. primo*; circa decimas, & oblationes clericis dandas, *capit. reuerentiam, 16. quæstio prima, cap. nobis, de decim.* vt administret sola res suas, *capitul. si Imper. distinctio. 96. & cap. fina. de rebus Eccles. non alienan.* & de iuribus spiritualibus habeat ius statuendi, *cap. denique, capit. verum, 96. distinct.* & alia multa, quæ patent in veteri & nouo testamento, vt dicit Innoc. in *cap. nouit, eod. titul.*

8 † priuilegia autem quæ sunt data ab homine; quędā sunt à Papa, & quædā ab Imperatore, à Papa, vt *c. si quis suadēte Diabolo, 17. qu. quarta*: quod in relictis ad pias causas sufficiant duo testes, *capit. relatum, de testamen.* quod rēs Ecclesiæ non alienentur, nisi cum certa solemnitate, *capit. si quis, de rebus Eccles. non alienan.* & alia multa in corpore iuris clausa. Ab Imperatore, vt quod Ecclesiæ possit relinqui, & donari, vt *l. iubemus, & l. sancimus, C. de Sacrosanct. Eccles.* quod non valeant statuta, contra

tra Ecclesiasticam libertatem, *Authent. cassa, eodem titul.* & alia multa in eodem titulo, & de Episcopis, & Clericis.

9 † Ad distinguendum autem, quæ statuta sint propriè contra libertatem Ecclesiasticam, multi Doctores, multas tradunt regulas, Bartolus in dicta *Authent. cassa*, Panorm. in dicto *capitulo nouit*; & Baldus in *Margarita sua*, in verbo *Ecclesia*; ponunit hanc regulam; quod vbicunque per statutum Clerici efficiuntur timidiores, & Laici audaciores ad nocendum, tunc dicuntur contra Ecclesiasticam libertatem facta, verbi gratia, est statutum laicorum, quod quicunque interfecerit laicum grauiter puniatur, interficiens vero clericum, puta in decem aureis, vel in alia minori pœna: Felinus in dicto capitulo nouit, ait, contra libertatem Ecclesiæ esse omnia illa statuta, quibus Ecclesiasticis personis aliquid prohibetur, quod nec diuino, nec humano iure illis prohibitum est, & secundum Sayrum *libro tertio, capitulo* 19. *numero* 9. addi potest etiam, aut quibus aliquid iniungitur Clerico, quod neutro prædictorum iurium præceptum est: Caiet. verb. *excommunicatio, capitulo* 31. *versi. quinto nota*, ait libertatem Ecclesiæ importare totum id, in quo Ecclesia non subiicitur, aut arctatur, siue illud spectet ad esse naturale, vel spirituale, siue ad operari, aut recipere, siue ad quodcunque aliud, siue Ecclesia de iure communi ad illud non sit arctata, siue ex priuilegio à Deo, vel Papa, vel Imper. concesso, ab ea libera sit; secundum Innocent. in *capit. nouerit, de sententia excommun.* illa statuta sunt contra immunitatem Ecclesiæ, quæ veniunt contra priuilegia à Deo, vel à Papa, vel ab Imp. secundum Anton. de Butrio in *d. capit. nouerit*, quando auferunt ea, quæ concessa sunt Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis, de iure communi, Canon. vel ciuili, & inquit, quod libertas magis tollitur in his, quæ competunt de iure communi, *capit. fin. de rebus Eccles. non alien.* secundum not. Domin. *in cap.* 2. §. *caterum, in* 4. *not. de verbor. signif. in* 6. quando statuta subtrahunt libertatem, seu obedientiam Papę; secundum Dec. in *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, numero* 12. *de const.* quando statutum est contra libertatem vnius Ecclesiæ particularis, quia qui fecit iniuriam vni Ecclesiæ, totam Dei Ecclesiam offendit, vt not. Bald. in *leg.* 1. *in rep. C. de summ. Trinitat.* secundum Sayrum *de Censuris libro* 3. *cap.* 19. *numero* 9. contra Ecclesiasticam libertatem esse omne illud, quo libertas eius aut tollitur, aut minuitur, aut in aliquo læditur, deprimitur, aut quouis modo restringitur; 10 † secundum Suarez *de censuris, disputatione* 21. *sect.* 2. *numero* 89. duo dicit requiri ad libertatem Ecclesiasticam. primum, vt sit immunitas, seu priuilegium, exemptio, aut quouis alio nomine vocetur propria Ecclesiæ, quatenus ex personis Ecclesiasticis constat, & loca, aut res specialiter ad eos pertinentes continet. secundum, vt hoc pertineat ad communem immunitatem Ecclesiæ vt sic, non ad specialia priuilegia ecclesiarum particularium, vel personarum ecclesiasticarum; est enim inquit aduertendum, quod, licet hæc libertas denominetur ecclesiastica ex subiecto, cui inest, scilicet ecclesiæ, non tamen inest (vt ita dicam) adæquatè toti ecclesiæ secundum se totam, sed secundum aliquam principaliorem partem eius, quæ est spiritualis Hierarchia, seu clerus, & Cardin. in *cap. perpendimus, de sententia excommun. in* 4. & 5. *quæst.* latè declarat, in quibus libertas, & immunitas ecclesiastica dicantur consistere.

11 † Violatio ecclesiasticæ libertatis est mortale peccatum, quia iniuriam infert ecclesiæ in priuilegio suæ libertatis, vel quo ad locum, vel quo ad personas, vel quo ad bona mobilia, vel immobilia; 12 † aliquando autem potest esse veniale peccatum ex imperfectione actus, sicut in cæteris actibus, & rebus; neque est vna species peccati, sed est tanquam generale peccatum ad omnes sacrilegij species, quia in multis modis violatur, & sonat quendam generalem actum vitij, quod sacrilegium vocatur; 13 † quia materia huius excommunicationis contra violantes libertatem ecclesiasticam, est sacrilegium, quo Ecclesia per statuta & consuetudines offenditur, Sayrus *de Censuris libro* 3. *cap.* 24. *numero* 5. & tam est sacrilegium, si ad naturã criminis spectetur, & mortaliter peccat, qui libertatem vnius Ecclesiæ concessam violat, quam qui libertatem violat toti ecclesiæ concessam, sed hæc est differentia, sacrilegium contra violantes libertatẽ toti ecclesiæ concessam, est peccatum mortale, & habet secum pœnam iuris, nempe excommunicationem, sacrilegium autem violans solum libertatem vni ecclesiæ, non habet pœnam iuris, sed solum mortale reatum, Caiet. in verbo *immunitas ecclesiastica.* 14 † Violatur adhuc dupliciter, vel formaliter, vel materialiter, formaliter ex intentione agendi contra libertatem ecclesiasticam, & hoc modo semper est peccatum mortale; materialiter, hoc est non animo faciendi contra libertatem ecclesiasticam, sed solùmodo ex aliqua passione, vel ratione, tunc est cõsideranda natura actus, quantitas, etiam qualitas, & tunc potest etiam reddi veniale, secundum imperfectionem actus. est deinde valdè notandum, quomodo intelligatur illud sacrilegium, per quod offenditur libertas ecclesiastica, quod est materia excommunicationis, namq; offendere Ecclesiam in exterioribus, aut clericorum bonis, & ordinatis ad eorum sustentationem siue mobilibus, siue immobilibus, est violatio ecclesiasticæ libertatis, sed non est sacrilegium, neq; ad censuram spectant, ita Iacobus Souertius Doctor Parisiensis in *summa omnium excommunicationum, parte* 3. *numero* 4. & Syluester verbo. *sacrilegium*, hac ratione, quia non sunt essentialia, sed accidentalia ipsius ecclesiæ.

15 Ex his concluditur; † quod non incurrit hanc excommunicationem Princeps, vel Resp. si haberet statuta cõtra libertatem ecclesiasticam, eis vero non vteretur, nollet tamen ea abradere

à suis libris, seu Capitularibus, sed ea vellet conseruare ad memoriam, quia illud non est face-
re, aut ordinare talia statuta, neque eis vti, & hæc tantum sunt quæ prohibentur, Suarez de
Censuris disp. 21. sect. 2. numero 80. adeo vt vtrunque requiratur ad incurrendam excommun.
neque etiam incurreret, si illa è Capitularibus eradisset, faceret tamen ea seruari, quia neces-
sario vtrunque requiritur copulatiuè, Suarez *vbi supra numero 82.* & Nauarrus *cap. 27. numero 119.*
neque incurrunt Consules, & Rectores ciuitatis quamuis non obseruent, neque obseruari
præcipiant huiusmodi statuta si sciant, & non impediunt eorum obseruantiam, Caietan. verb.
excō. c. 31. quia non concurrunt positiuè ad hanc obseruantiam, quia propter omissiones alicuius
nō incurritur cēsura alicuius canonis, Suarez *vbi sup. n. 83.* incurrūt etiam statuarij (qui scilicet fa-
ciunt statuta hæc) & similiter scriptores illorū, vt Cancellarii, & similes, quia concurrunt posi-
tiuè ad dicta statuta, Caietan. vbi supra, & Nauar. *vbi supra*; non incurrunt præterea, qui statu-
unt contra hanc & illam ecclesiam in particulari, nisi illa pertineant etiam ad ecclesiam vniuer-
salem, Nauar. *vbi supra*, non incurrunt etiam hanc excommun. qui statuunt aliquid contra
societatem humanam, quod non dicitur esse conta ecclesiasticam libertatem, *capitul. fin. de im-
munit. eccles. in sexto.* quo loci non dicitur, quod statuere ne Laici coquant, molant, aut vendant
clericis panem, &c. est contra libertatem ecclesiasticam, sed quod præsumitur esse, quia per
se non tangit ecclesiam quatenus est ecclesia, sed quatenus est hominum congregatio, Caietan.
& Nauar. *vbi supra*; non incurrunt etiam statuarij, & alij, si pura mente, & recto animo nolen-
tes aliquid contra ecclesiæ libertatem statuere, aut sustinere consulunt Doctores reputatos, &c.
seu examen committunt eorum Doctoribus huiusmodi; & certificati ab illis, quod nihil est
contra Ecclesiæ libertatem, statuunt, scribunt, &c. aliquod, quod ex veritate esset contra liber-
tatem Ecclesiæ, quia agunt ex ignorantia plusquā probabili; & nec apud Deum, nec apud Ec-
clesiam agunt contra libertatē ecclesiæ, quia fecerunt quantū in se est, q̄ viros probos decet, ex-
cusantur nō solum à tanto sed etiam à toto, Caiet. *vbi sup.* Innoc. in *c. nouerit, de sentēt. excom.* præ-
terea incurrunt, qui statuunt cōtra priuilegia concessa personis Ecclesiasticis, & de his in statuto
fiat mentio, specialis, alias si nulla de ipsis fieret mentio, non diceretur violata Ecclesiastica li-
bertas, Decis. Aureæ *libro quarto. capitulo 28. numero centesimo trigesimo secundo.* præterea vt incur-
ratur hæc censura, oportet vt violatio libertatis fit per viam statuti; pragmaticæ, vel consuetu-
dinis contrariæ, Nauar. Caietan. & Dec. Aureæ *vbi supra*, requiritur etiam vt si consūmatio actus,
Caietan. & Decis. Aureæ *vbi supra*, non incurritur autem excommun. si statuatur, vt non sub-
diti non possint acquirere immobilia in suo Dominio, ita in facti contingentia consuluit Fran-
ciscus de Albergotis, & comprehendere etiam ecclesiam, nec cōtra eius immunitatem esse, ita
etiam Decis. Aureæ, *vbi supra*; incurrunt etiam excommun. qui statuunt aliquid contra ecclesi-
am, quatenus ecclesia, vt quod non soluantur decimæ, ne dentur eleemosynæ, & alia, quæ per se
ipsi competunt, Nauarr. Caiet. & Decis. Aur. *vbi supra*, † non autem si statuatur ne in funera-
18 libus, primis missis, vel nuptiis extra modum offeratur, neque fiant immoderata conuiuia, aut
sumptus ceræ, ratio est, quia cōcernunt propriè pompas mundanas, non autem cultum Diui-
num, & ad ipsorum moderationem pertinet vti potestate politica, & si tanguntur Clerici, non
tanguntur nisi in materia temporalis honoris, nec subtractiuè eorum, quæ Ecclesiæ per se
competunt, sed solum per accidens, quod non est de consideratione, Caietan. Nauarr. Decis.
Aur. *vbi supra*, & licet *cap. fin. de rebus eccles. non alien* decernat esse contra libertatem ecclesiasticam
statuere de mortuariis, intelligitur in illis de per se ordinatis ad ecclesiam, & salutem defuncti,
seu cultus Diuini, non autem de per se ordinatis ad finem temporalem, † subtilius autem na-
19 turam huius Ecclesiasticæ immunitatis, ac huius censuræ contra ipsam violantes perscrutantes,
cum non iam constet formaliter in quo sit posita, multi multa loquentes dicimus pro pleniori
doctrina, quod excommunicatio est tam grauis pœna, † quod merito sine magna causa ferre
20 eam non debet Prælatus, vnde non nisi pro mortali peccato, quod aliter corrigi nequeat ferri
debet, D. Thom. *in addit. 3. partis, quæst. 21. artic. 3.* Alexan. de Ales in *quarta parte summæ quæst. 22.
membro 1. artic. 3.* & sic communiter DD. & Concil. Trident. *sess. 25. cap. 3 de Reformat* quod iam
fuit in Concil. Vormatiensi optimè sancitum per hæc verba: *Vt nullus sacerdotum quenquam re-
ctæ fidei hominem, pro paruis, & leuibus causis à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui
Patres arceri iusserunt aliquid committentes.*

† Hinc est, quod sit omnium pœnarum, quæ sunt in Ecclesia grauissima, D. Augustin. *de
21 corrept. & gratia, c. 15.* & refertur in *c. corripiantur*, cum gl. *24. q. 3.* † ideo in ipsa nō debet fieri ità lata
22 interpretatio, vt verba sonāt, sed debēt restringi, quādo maxime subest ratio efficax restringēdi,
Io. And. in *reg. odia de reg. iur. in 6.* & si pœna pecuniaria est odiosa, Dec. in *c. at si clerici. n. 204. de iud.*
quanto magis illa, quæ est spiritualis, quæ longe est maior qualibet temporali, cum per ipsam
affligatur anima, quæ qualibet huius mundi re est præstantior. Quid odiosius, quā vnum mem-
brum à Christi corpore separare? appellatur enim pœna exorbitans, & extraordinaria, Corra-
dus *prima parte casuum conscientiæ, quæst. 174.*

† Cum igitur pœna excommunicationis sit odiosa, erit stricte interpretanda, *reg. à pœnis, de reg.
23 iur. in 6.* quia etiam sententia est stricti iuris, Francus *decis. prima, numero primo*, quia iura magis fa-
uent reo, quam actori, *reg. cum sint partium iura. de regul. iur. in 6. l. fauorabiliores, de regul. iuris.* quia
magis

magis est fauorabile absoluere, quam ligare, Anchar. in *rep. super capitulo Canonum statuta, n.* 148.

† Cum loquamur igitur de Ecclesiastica immunitate; quo ad eius bona, quia de immunitate 24
quo ad personas, & loca, suo loco agetur distinguimus de ipsis bonis Ecclesiasticis, quia vel
competunt per se Ecclesiæ, quatenus Ecclesia, vel per accidens, & non quatenus Ecclesia, sed
quo ad humanam societatem; ea quæ competunt per se Ecclesiæ, quatenus Ecclesia, sunt de-
cimæ, primitiæ, oblationes, & eleemosynæ *cap. reuertimini, 16. quæst. prima, cap. tua, il secundo, de*
decimis, Nauarr. *in Manuali, cap. 27. numero* 120. quia decimæ in Veteri lege fuere Leuitis con-
cessæ, & propriæ sunt in Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, prout etiam sunt primitiæ obla-
tiones, quæ fiunt Altaribus, & eleemosynæ, quę omnia sunt de iure Diuino; per accidens autem
competunt Ecclesiæ possessiones, & huiusmodi immobilia, Caietan. *in summa*, verb. *excommu-*
nicatio, cap. 31. 4. notab. quia videmus in lege Veteri non solum non fuisse Ecclesiæ concessa, ve-
rum etiam specialiter interdicta erant, vt suo loco inferius videbimus, neque etiam in lege Eu-
angelica in primitiua Ecclesia huiusmodi habuerunt, quia viuebant Ministri de oblationibus,
& eleemosynis, & immobilia omnia vendebant, & Imper. Constantinus, vt habetur *in capit. fu-*
turam Ecclesiam, 12. quæst. 1. fuit primus, qui Ecclesiæ concessit immobilia retinere, † adeò vt 25
videamus non competere pro se huiusmodi immobilia Ecclesiæ, sed esse accidens ipsi superad-
ditum, quod potest esse, & non esse, & remoueri ab Ecclesia absque eius corruptione, & per
consequens non est de consideratione; † intelligitur igitur huiusmodi censura de violante li- 26
bertatem, quam ipsamet Ecclesia intra se ipsam habet in principaliori parte sua, quæ spiritualis
est, comparatione alterius, quæ temporalis est; consistit autem hæc præcipuè in excellentia po-
testatis, tum ad ordinem, tum etiam ad iurisdictionem pertinentis, & consequenter in omnibus
exemptionibus, & priuilegiis, quibus Ecclesia secundum hanc præcipuam partem suam libe-
ra est à subiectione, vel coactione temporalis potestatis, siue habeat hanc libertatem ex Diui-
no, siue ex humano iure quocunque, atque hoc sensu loquuntur iura, quoties de Ecclesiasti-
ca libertate sermonem habent, & maximè Concil. Tridentin. *sessio. vigesima quinta, capit. vigesi-*
mo, de Reformat. ac alia iura sub *titulo de immunitate Ecclesiæ.* Suarez *de censuris disputat. 21. sect. 2. n. 90.*

Namque & si censuræ loquuntur de quomodocunque violantibus Ecclesiasticam liberta-tem, est intelligendum habere locum in violantibus in principaliori parte sui, & in his quæ per se ipsi competunt, in quibus verum est sacrilegium, sicque sunt restringendæ, & in dubio mitior fieri debet interpretatio in materia pœnali, *regul. in pœnis, de regul. iur. in sexto, l. si præses, & l. interpretatione, de pœn.* quia ratio subest efficax, in violantibus enim in his, quæ sunt per accidens, non est verè sacrilegium; vt supra ostendimus, & vbi non est verè sacrilegiũ, non est imponenda tam atrox pœna, habemus enim in iure, quod pœna imposita à iure propter aliquod delictum, non habet locum, nisi delictum fuerit consummatum, Decius in *capit. cum in cunctis, §. Clerici, numero decimo, de electio.* hic autem non est delictum consummatum, quia non est verum sacrilegium, ideo ad huiusmodi etiam non debemus extendere pœnas, sed debemus stare proprietati, & rigori verborum, quæ in rigorem sunt intelligenda; de violantibus libertatem primo modo, tanquam infringentes res Diuino Cultui per se ordinatas, & profectò cõtra ipsa statuere, quis negabit esse verè, & propriè sacrilegium, materia aptissima, & immediata huius censuræ? cum simus igitur in odiosis ex parte censuræ, ex hoc capite strictè est interpretanda, cum simus autem in fauorabilibus ex parte rei, qui dicitur Ecclesiasticam libertatem violasse, iura magis ipsi succurrunt, quã actori, qui opponit ipsi de tali violatione, & in eius fauorem erit interpretandum, intelligi solummodo de primo modo violantibus, non autem de omnib modis, quib. accipi potest, quia nec etiam iura hoc distinguunt, &, si dicatur, quod sumus in fauorabilibus ex parte Ecclesiæ, & quod fauores sunt ampliandi, & per consequens debet intelligi de quacunque immunitate. Respondebitur esse verum fauores esse ampliandos, sed non in præiudiciũ tertij, vt in casu nostro, & si aliquid erit, quod hoc impugnet, suis locis sigillatim respondebitur.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo sit iudicandum.*
2 *Sententia facta parte non citata est nulla.*
3 *Ordo est substantialis, vt citatio præcedat iudicium.*
4 *Omissio citationis reddit sententiam nullam ipso iure.*
5 *In Breui Summi Pontificis nullum est de citatione verbum.*
6 *Monitio non est citatio.*
7 *Sententiam sine citatione Summus Pontifex Clemens V. nullam declarat.*
8 *Nec Papa, nec Princeps possunt parte non citata causam definire.*
9 *Citatio est de iure Ciuili, & Canonico.*
10 *Citatio est de iure naturali.*
11 *Citatio est de iure Diuino.*
12 *Nec Papa, nec Princeps possunt tollere defensiones, quæ sunt de iure naturali, & Diuino.*
13 *Non valet statutum, nec consuetudo, vt quis non citetur ad sententiam.*
14 *Papa est supra ius positiuum, non autem naturale, aut Diuinum.*
15 *An de plenitudine potestatis possit Papa non citata parte procedere.*

16 *Potestatis plenitudo non præsumitur, nisi exprimatur.*
17 *In naturaliter non subditum, non potest vti Princeps plenitudine potestatis.*
18 *Princeps contra subditum non potest supplere defectum citationis.*
19 *Veneti non sunt Summo Pontifici subditi, nisi per accidens.*
20 *Contra non subditum, non potest Papa vti plenitudine potestatis.*
21 *Papa non potest sine causa dispensare contra ius naturale, Diuinum & gentium.*
22 *Non est iusta causa, quando Princeps procedit parte non citata.*
23 *Ad citationis derogationem non præsumitur iusta causa.*
24 *Papa circa ea, quæ sunt verè de iure Diuino, nullo modo potest dispensare.*
25 *Non potest Princeps suo vasallo sine causa cognitione tollere feudum.*
26 *Priuilegia de sua natura sunt perpetua.*
27 *Possessor sua possessione sine citatione non est priuandus.*
28 *Dominium est iuris gentium.*
29 *Papa in citatione non plus potest, quam alius inferior.*
30 *In notorijs an sit necessaria citatio.*
31 *In notorijs quando sit necessaria citatio.*
32 *Nullus absens, quantumcunq; notorius criminosus, est excommunicandus, nisi primo citetur.*
33 *Non vocare aliquem ad defensionem suam allegandam, est contra omnia iura.*
34 *Non valet consuetudo, aut stylus, vt procedatur sine citatione.*

CAPVT QVARTVM.

1 ANTEQVAM *perscruteris, non reprehendas; † intellige prius, & tunc increpa.* Verba sunt Salo-
monis, Damaso Papa referente in *capitulo eorum, 11. quæstio. tertia*, in Labyrinthum enim
erroris incidit, qui prius iudicat, quam intelligat, vt legitur in *capitulo sciendum, 29. distinctio.* & tale
iudicium temerarium est, quod non nocet illi, de quo temerè iudicatur, sed ei, qui iudicat, *capit.*
2 *temerarium, 11. quæstio. tertia*, † nam cogitare, & meditari quis debet, quid loquatur, *capit. pon-
deret, in principio, 50. distinct.* Virtus lenta est, & omnia percuntatur: iniquitas autem omnia
præcipitat, *capitulo inter hæc bircum, de pæn. distinctio. tertia.* idcò dicebat Melchiades Papa, *primo
semper ante omnia diligenter inquirite, vt cum iustitia, & charitate diffiniatis, & neminem condemnetis ante
verum, & iustum iudicium. Nullum iudicetis suspicionis arbitrio: sed primum probate, & postea charitatiuam
sententiam ferte, & quod non vultis fieri vobis, alteri facere nolite.*

Summi Pontificis igitur sententia contra Serenissimam Rempublicam Venetam facta, ipsa
non citata, ex hoc capite redditur nulla, Franciscus Viuius *lib. communium opinion.* verb. *senten-
tia, numero primo.* namque ipsa citatio est principium iudicij, Vantius *de nullitatibus, titul. ex defectu
citationis.* &c. *numero primo*, & eius fundamentum, vt inquit Speculator in *titulo de citatione, in*
3 *princip.* † & ordo est substantialis, vt ipsa præcedat iudicium, *vt capitulo primo de causa possess. & pro-
priet. & capitulo inter quatuor, de maiorit. & obedient.* corroboratque ius naturale, Petrus Nunez
4 *libro Quadraginta Responsionum, respons. prima, numero decimo.* † adeo quod si omittatur nõ tenet
sententia ipso iure, Specul. *in princ. libro secundo. n. 2.* cum omittatur & causæ cognitio, Petrus
Nunez *ibi. numero* 10. quia omnis actus iudicialis, in quo pars posset lædi, si fiat parte inaudita,
& nõ citata, est ipso iure nullus, maxime, si sit actus iustitiæ, & non gratiæ, casus est in *Clem. Pasto-*
5 *ralis, §. cæterum, de re iudic.* ista sententia est huiusmodi, ergo est nulla; minor apparet. † in Breue
namq; Summi Põtificis, nullum apparet verbũ de citatione, sed solũ dicit multas fecisse Duci &
Senatui paternas monitiones, vt statuta facta reuocarẽt, & Ecclesiasticas personas carceri manci-
6 patas Venetiarũ Nuntio tradere, & cõsignare effectualiter deberẽt, † quæ monitio per Sũmum
Pontificem facta, vsq; ad certam diem non habetur pro citatione, quia monitioni non tenetur
parere, si habet iustam excusationem, *cap. fina. de præsumptio. cap. quisquis, 14. quæst. 2.* Abbas in *Re-
pert. versic. monitio*, & datur solum ad pœnitentiam, Gloss. in *capitul. cum Romana, de appellat.*
& vt se corrigat, supponendo peccatum, nec ipsa arguit superioritatem monentis. Afflictus *de-
cisio. 24. numero octauo.* non autem fit, vt vocetur ad defensionem, prout facit citatio Ioan. An-
dreas in *capitulo fin. numero 4. versic. item cum defectus, de electio. in sexto*, cum arguat superiorita-
tem, sed vt constituatur in contumacia. Hieronym. de Tortis *consilio vnico, numero 32.* & licet fa-
ciat contumaciam, non tamen facit, vt possit multari, &c. Bartolus *in l. 2. in fin. ff. si quis in ius
voc. non ierit*, & sequuntur communiter Legistæ *in l. prima, ff. si quis ius dicen. non obtemp.* quia ali-
quando contumax potest prætendere iustam & legitimam excusationem. Rip. in *cap. 1. de iud.
numero 8.* citatio autem facit, vt citatus teneatur venire, & excusationem suam proponere, *l. si
quis ex aliena ff. de Iud.* & citatum vocat peremptoriè ad iudicium, d. gl. in *c. cum Romana*, non autem
ad deliberandum, Vantius *de nullitatibus, titul. ex defectu citationis*, &c. *nu. 18.* cum habeatur pro re-
gula

gula, qood, vbicunque reperitur causæ cognitio, ibi requiritur citatio, *l. in causa*, *l. causa cognita*, *ff. de min.* si igitur monitio non est citatio, prout etiam docet Specul. *§. primo, num. 7. de notorijs criminib.* & nullum fuit factum verbum de citatione, seqitur dicendum ea hoc capite sententiam esse nullam. possumus enim vti argumento ad hominem, † Clemens Papa Quintus, in 7
Clement. Pastoralis, de re iudic. reprehendit Imperatorem Henricum, qui tulerat seotentiam contra Robertum Regem Siciliæ absentem non legitimè citatum, & parte inaudita, ac per consequens non fuit maturo iudicio, sed præcipitatione promulgata, vt ibi habetur, propter quā omissionem talis solemnitatis declarauit sententiam illam esse nullam, sed ista Summi
Pōtificis fuit hoc modo promulgata, ergo pari ratione est dicendū esse nullam, † eum nec Prin- 8
ceps, nec etiam Papa possit parte non citata, vel absente causam definire. Abb. in *c. 1. nu. 4. de causa possess. & propriet.* quia nō modo defensiones tollere, quin imò pro absente defensiooes supplere
debebit, vt docet tex. in *l. si non defendatur, ff. de pœn. l. ampliorē, C. de appellat. Auth. qui semel, C. quomodo, &* 9
quando, &c. † quia citatio, siue defensio est de iure Ciuili, & Canonico, Paulus Grysal. *libro*
Dec. Fidei Cathol. verb. † *citatio.* est etiam de Iure naturali, vt concludunt omnes Doctores, & 10
Bartol. primo in *Extrauagant. ad reprimen. in Gloss.* in verb. *& figuram iudicij*, quod quidem non potest per Principem tolli, nec auferri, *l. 3. §. ad idem, ff. de re milit. l. de vnoquoque, ff. de re iud.* & *d. Clement. Pastoralis*, nec ab ipso potest resilire, *capit. primo, de natura feudi, & capitul. primo, de probat.* † Immò est etiam de Iure Diuino, & eam ipsemet Deus instituit, *capitul. Deus Omnipotens*, 11
7. quæstio. prima, pōtest Princeps tollere defensiones, quæ sunt de iure positiuo; *l. quoniam, C. de adulter.* & ordinem iuris expressum in *l. prolatam, C. de sententiis.* Ias. in *l. prima, ff. de con-* 12
stitutio. Princip. numero 9. † non potest tamen tollere defensionem, quæ est de iure naturali, & Diuino, prout est citatio, Ioan. de Imola in dicta *Clement. Pastor.* vbi notat, quod Papa non possit facere statutum, per quod tollatur nullitas ea defectu citationis, vt consuluit Angel *consil.* 186.
nec etiam, quod possit ferri sententia parte non citata, Bald in *l. prima, colum. secunda. C. quomodo, & quando*, &c. Socin. *consil. 164. volum. 2.* quia in causis, quæ coram Principe deciduntur, & ordo iuris, & æquitatis, est subtiliter obseruandus, Abbas *in additio. ad cap. in causis, de re iudic.* hac de causa, quia citatio dicitur defensio naturalis. Vnde quo ad actum præiudicij vt quis non citetur, non potest Prioceps tollere, vt habetur in *clemen. fina. de verb. signif.* Vode per haoc element. posuit
Ioann. Andreas, † quod non valet statutum, vel consuetudo, vt quis non citetur ad seotentiam, 13
vel actum præiudicialem, cum sit maaimè necessaria, iuxta Theoricam Gloss. *in reg. benef. de regul. iuris, in sexto*, nec valet dicere, quod Papa sit supra ius, *capit proposuit, de concess. præb. & l. Princeps, ff. de leg.* & sic potuit procedere non seruata hac solemnitate, † namque est solummodo su- 14
pra ius positiuum. *d. capit. proposuit*, non autem naturale, aut diuinum, *cap. 1. de natura feudi*, prout est citatio, & defensio, Curt Senior *consil. 20. numero 9.* Vnde si Princeps dat alicui potestatem vt possit procedere sine Iuris solemnitate, nihilominus tenetur citate, Abb. *in capitulo primo, numero 4. de causa possess. & proprietat.* quia Pricipi Deus leges subiecit, non autem Ius gentium vel oaturale, Hieron. de Tortis *consil. vnico numero 25.* ad quod seruandum tenetur, videlicet, vt citetur pars ad andiendam sententiam Ias. in *leg. 1. C. de constit. Princ. nu. 9.* allegat glo. in *l. fin. in principio*, quam ibi etiam notat Bald. *C. de leg.* & tam Papa, quam Imperator ex necessitate ad illud tenentur seruandum, late per Doct. omnes in *l. fin. C. de leg.* Vantius *dict. tit. num. 9.* etiam in causis summariis, vt per gloss. & Doctores, in *Clem. sæpe de verb. signif.* Viuius *d. lib. numero 12.* posset autem
dici hoc esse verum, quando Princeps procederet ordinaria potestate, † sed plenitudine po- 15
testatis procedendo, potest parte non citata procedere, quæ causa in dubio, præsumitur Ioannes Andreas in *additionibus Specul. titul. de sententiis. §. iuxta, versicul. est etiam nulla.* namque paria sunt Principem exprimere se velle vti potestate absoluta, vel gerere actum supra potestatem ordinariam, & apponere clausulam, non obstante, Baldus & Scribæ in *leg. si Testamentum, C. de testamentis*, sed in casu nostro Papa procedendo sine citatione facit actum potestatis absolutæ, & in fine posuit dictas clausulas, ergo valet sententia absque citatione. Resp. quod verba illa in fine apposita sonant solummodo qoo ad priuilegia, quæ habet Dua, & Senatus, ne eacommunicari, aut interdici possint, &, quod possint à quibusuis sententiis, & censuris ab-
solui, vt clarè ex ipsis verbis patet, Curtius *dict. consil. numero septimo.* † neque præsumitur pleoi- 16
tudo potestatis nisi exprimatur, Abbas in *capitul. fina. numero quinto de matrimonio contract. contra interdict. eccles.* & adeò debet esse manifesta, vt clarè appareat de mente Principis, volentis derogare, Baldus in *l. si testamentum. C. de Testament.* cum rato nisi ex causa, ipsa debeat vti Curtius *d. consil. numero 7.* immò, si vellet dictas clausulas verificari, quo ad omnia, nunquam tamen intelligitur velle supplere defectum citationis, casus est in d. *clemen pastoralis*, Couarru. *lib. practicarum quæstionum libro 11. capit. 13. numero sexto.* immò si etiam vellet clausulam illam verificari quo ad defectum citationis non valeret, Alexand. *in l. filius à patre, §. si quis eo, de lib. & posthumis*, quia in *dict. clemen. pastoralis.* Imper dixit se velle vti plenitudine potestatis in singulis actibus illius processus: & tamen Summus Pontif. ipsam ea hoc defectu nullam declarauit, & tamen in Imper. semper præsumitur iusta causa, & legitima, secundum notata per
Legistas in *l. præscriptionem, & l. fin. C. si contra Ius, vel pub. vtil.* † præterea in naturaliter non 17
subditum non potest Princeps vti potestatis plenitudine, tollendo defensionem, quæ est de Iure naturali, & Diuino, Curtius *dicto consilio numero octauo.* immò Princeps contra subditum

ditum non potest supplere defectum citationis, Bald. in *l. nec causas, C. de appellat.* Abb. *in cap. cum olim. numero 14. de re iud. c.* quando magis non poterit contra non subditum per argumentum de minori ad maius negatiuè, vult tamen Bald. *in l. 3. §. si is, pro quo. ff. si quis in ius, qui in ius vocat.* &c. quod Princeps possit de plenitudine potestatis alicui auferre defensionem solum in causa ciuili, & pecuniaria, non autem criminali, vel causa status. immo Abbas in *cap. 1. num. 5. de caus. poss. &*
18 *& proprietat.* † habet, quod etiam cōtra subditum nō potest Princeps supplere defectum citationis, quia est de Iure naturali, nec per principem potest tolli per dictam *clementinam pastoralis*, & tex. iux. gl. *in l. fin. C. de leg.* quæ aperte tenuit non valere sententiam Principis sine citatione latam, etiam in causa ciuili, *nam citatio fit, vt veniat se ad defendendum: habet ergo Princeps citare partes hac de causa, vt ibi innuitur, quibus interuenientibus præsumendum est pro sententia Principis, & non aliter. vnde his defe-*
19 *ctionibus potest allegari, & opponi de nullitate contra sententiam Principis.* hæc ille. † Veneti enim non sunt Summo Pontifici subditi, nisi per accidens ratione alicuius causæ spiritualis, vt dicta *Clementina pastoralis*, & tantam habent potestatem in suo Dominio, quantam Imperator per totum orbem Imperio subiectum, *cap. per venerabilem, qui fil. sint legit.* Abbas *in capit. item in ecclesiarum, numero 6. de*
20 *constitut.* & omnes illi Doctores qui volunt, † quod contra non subditum Papa vti nō possit plenitudine potestatis per dictam *Clementinam Pastoralis.* volunt etiam, quod hoc procedat, quando esset naturaliter non subditus, licet ratione alicuius causæ esset subditus, prout loquitur ille text. Curt. *d. consilio, num.* 14. & licet Papa procederet contra tanquam subditos ratione horum statutorum, quæ videntur ad ipsum spectare per Imol. in dicta *Clemētina Pastoralis, ver. cæterum*, &, quod valet processus Principis sine citatione, dummodo subsit iusta causa, per gloss. *in l. antepen. ff. qui-*
21 *bus ex causis maior.* † Dico, quod non potest sine causa dispensare contra ea, quæ sunt Iuris diuini, naturalis, & gentium, ita cōmuniter Doctores *in l. fin. C. si contra Ius, vel publ. vtil.* sed ad hoc, quod sit iusta causa, duo requiruntur: primo, quod vtatur plenitudine potestatis: secundo, quod talis iusta causa subsistat, Hieronym. de Tortis, *consil. vnico, numero 25.* Dico igitur, quod præsumitur iusta causa in Principe procedendo de plenitudine potestatis contra naturaliter subditum, non
22 non autem contra naturaliter non subditum, vel per accidens subditum, Curt. *d. cons. n. 9.* † Præterea non præsumitur iusta causa, quando Princeps procedit parte non citata, & non auditis defensionibus, Bald. *in l. fin. C. de leg.* aliter semper posset tollere defensionem, cum præsumatur in ipso iusta causa, quæ tamen in dubio non præsumitur contra non subditum, per Abb. *in d. cap. quæ in Ecclesiarum, numero 15.* immo habet ibi Abb. *numero 16.* quod vbi ex mandato Principis timetur scandalum venturum, seu turbatio Christianitatis, vel magnum peccatum, non præsumitur iusta causa. est dictum Innocent. *in cap. inquisitionis, de sententia excommunicationis.* & mo-
23 do sumus in hac naui. † namque citatio, cum sit de Iure naturali, ad eius derogationem in Principe, non præsumitur iusta causa, sed est exprimenda, Cephal. *consil. 301. numero* 80. quia quando à iure recedit, debet exprimere causam, Decius *in cap. consuluit, numero 13. de appellatio.* cum nunquam præsumatur contra ius Diuinum, Decius *in capit. quæ in Ecclesiarum, numero 79. de constit.* non enim sumus in positiuis, in quibus ratio non redditur, cum illud stet in voluntate Principis, Gloss. *in l. prima, §. pueritiam*, in verbis, *præter naturam, ff. de postlum.* cum similibus, & Bartolus *in l. relegatis, ff. de pœn.* neq;, quando Princeps facit, vel concedit aliquid, quod sit præiudiciale partē non citata, tunc in ipso non præsumitur iusta causa, vt ibi numero 81. debet ideo facere, sicut bonus Pastor, cum sit ei data potestas pascendi oues suas, *Ioann. 20.* & non turbandi, seu molestandi, & debet procedere ex rectitudine iustitiæ, & æquitatis, & non ex affectione speciali, Abb. *d. capit. item in Ecclesiarum, numero 17. & in capit. de multa, numero 9. de preben* immò, cum ad hoc requiratur potestatis plenitudo, *vt supra*, & non possit Papa ipsa vti in natu. aliter non subditum, prout est communis Doctorum sententia per Curt. dicto *consilio* 14. sequitur dicendum, quod nulla ratione poterit omittere solemnitatem illam substantialem citationis,
24 maximè in facto tantæ læsionis. † quia Papa circa ea, quæ sunt verè de iure Diuino, nullo modo potest nec cum causa, nec sine causa, dispensare Tost. *in Matth. cap. 23. tom. 6. quæst.* 174. quia talia, super quibus fiunt talia præcepta, sunt turpia de sui natura, vt dicit text. in *capit. & si Christus, de iureiurando*, scilicet, quod illa ratione non dispensat Papa in adulterio, homicidio, & similibus, immò, cum contra illud nihil possit, tenetur illud pro viribus defendere, vsque ad sangui-
25 nem, *cap. sunt quidam, 25. quæstio. prima*, priuantur enim feudis, quæ ab Ecclesia habent † & tamen Princeps non potest suo vasallo sine causæ cognitione tollere feudum, cum sit de eius natura, vt sine causa cognita non auferatur Abb. *in capitulo Item in Ecclesiarum, num. 15. de constitut.* præterea reuocat priuilegia eis concessa Ecclesiasticas personas in quibusdam casibus iudi-
26 candi, † quæ de sui natura sunt perpetua, vt in *regul. debet, de regulis iuris, in sexto.* Decius in *capitulo cum accessissent, numme 6.4. de constitut.* quod quidem multum lædit eorum dignitatem, & dominium, cum persæpè Ecclesiasticæ personæ sint, quæ publicam pacem, & quietem turbant, vt ex Summorum Pontificum dictis narratur in ipsis Breuibus Apostolicis, si enim fuissent citati, iura, & rationes suas allegassent, sed, quia non fuere citati, nullo modo tenebantur venire ad ipsa alleganda, Gloss. magna, in *fin. in cap. placuit, 15. quæstio. 4.* Mandosius in *Regula Cancellaria Apostolicæ, regul. 29. quæstio nona, numero quinto*, &, cum essent in possessione huiusmodi, Ecclesiasticos iudicandi, † non erant ipsa priuandi, absque citatione, quia etiam prædo, si
27 esset sua possessione priuandus, esset primo citandus, Hippol. de Marsi. in *singul. numero* 195.

immò

immo iniuſtus poſſeſſor etiam audiri debet,& citari,antequam amoueatur. Bart. *in l. fina. de edicto*
Diu. Innoc. *in cap.cum olim,extra de priuil.* Alexan. *conſil. 5. volum. 2.* Ludouic.*conſil.158.* plenè Felyn.
in cap. fina. extra de præſumptio. & tamen quando Princeps concedit priuilegium, per quod pars
valde læditur, debet ipſa citari, Iaſ.*in l.Gallus, §.& quidem, ſi tantum, num. 143. ff. de liber. & poſthum.*
imò etiam in Interpretatione ipſius, quam facit Princeps, requiritur citatio, Cephalus *conſil. 301.*
num. 83. quanto magis in derogatione ipſius, cum agatur de maxima læſione, non debebit priui-
legiatus citari, cum ſit actus iudicialis? præſertim, cum non ſit cum ſubdito, in quo non habet
plenitudinem poteſtatis; Curt. *dicto conſ. num 14.* non enim poteſt Princeps aliquem ſuo iure pri-
uare ſine cauſa, etiam ſi vteretur plenitudine poteſtatis, Crauet. *conſil.5. numero 4. conſil. 7. numero*
10. & conſil. 103. numero 3. quia, & ſi modus acquirendi Dominium ſit de iure ciuili, † Domi- 28
nium autem eſt iuris gentium, quod ſane tollere, aut infirmare non poteſt Princeps: Menoch.
conſil.103. numero 69. & eſt communis ſententia contra Angelum *in l.item ſi verberatum, ff. de rei*
vind. quod vere Princeps non poſſit ius alterius tollere teſtatur Cranett. *conſil. 241. numero 20.* quo
loci ampliſſimè oſtendit clauſulam de plenitudine poteſtatis, nihil operari in his, de quibus
Princeps iure diſponere non poteſt, neque quando Princeps non fuit bene informatus de ne-
gotio, ob quod ea clauſula vtitur. Socin. Senior *conſil. 120. colum. 6. verſic. reſpondetur etiam, li-*
bro 3. Decius *conſil. 98. columna penultima.* Brunus *conſilio 87. numero 23.* & quod non poteſt fieri
per clauſulam de plenitudine poteſtatis, minus poteſt per clauſulam motus proprij, ſi eam appo-
ſuiſſet, Socinus iunior *conſilio 77. numero 104. libro 1.* Alciatus *reſponſ. 162. numero 6.* Socinus
ſenior, *conſilio 115. columna prima, volum. 3.* qui reſpondit clauſulam motus proprij non tollere
vitium ſubreptionis ad alterius detrimentum, quod placuit & Rolando *conſilio 7. numero 110.*
libro 3. & præter eum Ruinus *conſilio 18. numero 10. 22. conſilio 226. numero 11. & conſilio 228. nume-*
ro 3. libro primo. Aretin. *conſilio 15. numero ſexto,* Curtius iunior *conſilio 142. numero 8. verſicul. non*
obſtat. neque aliquid operatur, ſi fuiſſet adhibita ſine cauſæ cognitione, Pariſ. *conſilio 4. num.*
33. libro 2. Zaſius *conſilio 10. numero 30. libro 2.* Grammat. *deciſio. 66. numero 38.* & Roland. *conſi-*
lio 7. numero 106. libro tertio, qui alios quam plures recenſent: ex quo igitur ſententia fuit facta
parte non citata, debet dici, quod non valet, Gloſſa not. & Bald. *C. de leg.* & dicta *Clement. Pa-*
ſtoralis, nec valet dicere prædicta procedere in iudice inferiore à Summo Pontifice, ſed in
Summo Pontifice multa præſumi, quæ non præſumūtur, nec permittuntur in inferiore iudice.
Reſpondetur, quod, licet hoc verum ſit, multa permitti Summo Pontifici, quæ inferiori non
permittuntur: tamen reſpectu citationis, & ad hoc, vt poſſit peruenire ad ſententiam, quæ tanti
eſt momenti, & præiudcij, vt in caſu noſtro, † nō plus in Summo Pontifice præſumitur, nec plus 29
poteſt, quam inferior, quantum ad hoc, vt poſſit venire ad ſententiam ſine citatione, text. eſt in
cap. 1. de cauſa poſſeſſ. & proprietat. leg. meminerint. C. vnde vi. ex quo eſſet tollere defenſionem, quæ eſt,
vt ſupra de iure naturali, quod non poteſt tolli, §. *ſed naturalia quidem iura, Inſtit. de iur. naturali, gent.*
& ciuil. & ſic Papa auferre etiam non poteſt, *clem. paſtoralis, de re iud.* Bald, *in l. vt vim, ff. de iuſt. &*
iur. plenè Felyn. *in capit. cum olim, de re iud.* vbi colligit quædam alia, quæ dixerat *in capit. quæ in Ec-*
cleſiarum, de conſtit & reprehendit Hoſt. Hiero. de Tortis, *conſil. vnico num. 31.* quia melius iudicat,
qui vtrinque rationes oppoſitas audit Ariſt. *3. metaph. cap. 1.* imo hoc eſt boni iudicis alteram au- 30
dire partem, † nec valet dicere, quod ſumus in notorijs, in quibus non eſt neceſſaria citatio per
text. iuxta gloſ. *in cap cum olim de regul. iur.* & huiuſmodi ſtatuta ſunt notoria, cum per præcones in
eorum Dominio ſint publicata, vt habetur in *Breue Summi Pont.* atque detinent incarceratas Ec-
cleſiaſticas perſonas, quod eſt notorium facti permanentis; ſed tamen Summus Pontifex non
venit ex hoc capite, cum nullum verbum de notorio dixerit, ſicut quando fel. rec. Sixtus Pa-
pa IV. Laurentium Medices, & alios nonnullos excommunicauit Florentinam Ciuitatem,
& duas viciniores Eccleſiaſtico ſubiecit Interdicto, dixit crimen ab ipſis perpetratum eſſe
adeo notorium, quod nulla competebat defenſio; Iulius Papa II. quando Alphonſum pri-
mum Eſtenſem Ferrariæ Ducem priuauit, vt patet eius *Bulla* data Romæ anno Domini
1510. 5. Id Auguſt. hæc habuit verba; *Alphonſi delicta adeo notoria, etiam facti permanentis, & manife-*
ſta, indubitata, ac nullo modo excuſabilia eſſe, prout ſunt, vt nulla poſſint prorſus tergiuerſatione celari, & ex-
cuſatione, vel allegatione defendi, & infra; *decernentes, declarantes, & determinantes ea ſic fuiſſe, & eſſe etiam*
facti permanētis notoria, nullaq; iuris ſolēnitate indigere, ac inexcuſabilia. & idē Pontifex in Bulla declara-
tionis incurſus cenſurarum, & pœnarū contentarū in Bulla ſuperiori priuationis dicti Alphōſi
data Bononiæ anno Domini 1510. pridie Idus Octobris, hæc habet; *cum præmiſſa adeo notoria,*
& manifeſta ſint, & facti etiam permanentis ita, vt nulla probatione, vel monitione, aut citatione, indi-
geant, prout ſic fore decernimus, & declaramus, &c. idem habetur ex aliis quamplurimis ſententiis
ex hoc capite factis, † quia dictum *capit. olim.* habet locum, quando in notorio delicto nulla 31
competit defenſio, ſecus autem. quando eſſet dubium, an poſſit competere, vel non: quia tunc
in notoriis etiam requiritur citatio, Innoc. *in c. tua, de coha. cler. & mul.* & probatur *in c. 1. de offic. deleg.*
& in caſib. in quib. abſq; citatione poteſt aliquis excōmunicari, vel excōmunicatus declarari pro
notorio delicto, debet intelligi, quod etiam ſit notorium delinquenti nullam cōpetere defenſio-
nem, alioquin citandus eſſet, etiam, quod delictum eſſet notorium, ita procedit gloſſ. *in clemen.*
præſenti, in verbo *conſtiterit, de cenſ.* & in *clemen. 2. de pœn.* Ripa in *cap. 1. de iud. n. 81.* etiam ſi ſit ex teſtib.
cōuictus, Paulus Gryſal. *lib. de fid. cath.* verb. citatio, & in hoc caſu eſt notoriū maximā competere
defen-

32 defensionem † immo nullus absens, quantumcumque notorius criminosus est excõmunican-
dus, nisi primo sit citatus, cum multi dicantur notorij, qui tamen non sunt notorij, Curt. dicto
cons. num. 12. Host. *in cap. cum Romana de appellat.* scimus enim, quod Papa in sentẽtiis, quas profert,
ordinem iuris seruat, Anchar. *in cap. in causis, num. 1. de sententia, & re iud.* nec potest omittere citatio-
nem, quæ est species defensionis, per eundem *in cap. suscepti num. 50. de causa possess. & propriet.* nec
etiam de plenitudine potestatis, idem *eod. cap. in causis num. 4.* quia nulli est de Iure legitima defen-
sio deneganda. *cap. cum inter, §. primo, de except.* Specul. *in § primo, num. 13. de notoriis criminibus*, ideo
hac de causa possumus dicere sententiam talem esse nullam, Anchar. *in cap. significaremus n. 6. de ex-
cept.* non quidem, quod cum Princeps nullum recognoscens superiorem sit in propria causa iu-
dex, Castr. *in l. proximè n. 4. ff. de his, quæ in testam.* &c. vt plurimum rectus non sit, Arist. 3 *polit. cap. 6.*
quia verum discernere nequit, cum sit in affectu constitutus, ex eod. Aristot. 3. *Polit. cap. 12.* quod
non est præsumendum in Summo Pontifice, cum sit *lux mundi*, vt de omnibus Apostolis Saluator
dixit, sed solum ex eo, quod, cum maxima defensio Venetis competeret, vt ex infrascriptis pate-
33 bit, ad ipsas dicendas non fuere vocati, † quod est contra diuinas, & humanas leges, *cap. absens, cap.
absentia, cap. cauent. cap. omnia 3. quæst. 1.* immo, si fuissent vocati, & recusarent parere Iudici in eius
præsentia, non dicerentur contumaces, sed iterũ essent citandi, quia, licet liqueat iudici de con-
tumacia, non tamen liquet de causa contumaciæ, Bart. est decisio in *leg. eius, qui delatorem, ff. de Iure
fisci*, ideo nec per statutum, nec per supremum Principem huic defectui potest suppleri. Meno-
chius *cons. 7. num. 323.* de statuto est Bald. *in l. 1. colum. 1. vers. sed hic quæritur. C. quomodo, & quando.* de
34 Principe autem est dicta *Clement. Pastoralis*, † nec valet consuetudo, aut stilus in contrarium, vt per
plura Iura probat Soc. *prima parte, cons. 164. num. 16.* si enim fuissent citati, allegassent rationes, &
defensiones suas, dicendo, quod possunt facere illa statuta in *Breui* posita, atque Ecclesiasticas
personas in quibusdam delictis possunt incarcerare, & punire, nec huiusmodi sunt contra li-
bertatem, vel immunitatem Ecclesiæ, prout in *Breui* ipso narratur.

SVMMARIVM.

1 *Statutum Reipublicæ Venetæ.*
2 *De hoc statuto nulla fuit facta monitio.*
3 *Iustitia huius statuti ostenditur.*
4 *Ad statuendum requiritur iurisdictio.*
5 *Possessorium rei spiritualis, vel quasi spiritualis, est temporale.*
6 *Forum sortiri, & statutis ligari à pari procedunt.*
7 *Clerici, & res Ecclesiæ in causa possessoria dicuntur de Foro Iudicis secularis.*
8 *Tenet statutum ne capiatur possessio beneficij absque literis Principis.*
9 *Decima est ius merè spirituale.*
10 *Principes possunt aliquando mittere manus in bona Ecclesiastica, male ab Ecclesiasticis dispensata.*
11 *Bona Ecclesiastica, quomodo sint sacra.*
12 *Personæ sacræ aliquando pro nonnullis delictis possunt à Principibus secularibus puniri.*
13 *Mens humana, quatenus mens, non est Physicæ considerationis.*
14 *Duæ dantur iurisdictiones de iure Diuino distinctæ.*
15 *Spiritualia sunt de directa consideratione Principis Spiritualis, & temporalia de directa Principis Temporalis.*
16 *Reges pro non solutione tributorum possunt bona Ecclesiæ sibi vindicare.*
17 *Bona Ecclesiastica ex priuilegio sunt exempta à seculari Principe.*
18 *Ecclesiæ libertas est propriè circa Spiritualia.*
19 *Authent. Cassa, C. de sacrosanctis Ecclesiis, quomodo intelligatur.*
20 *Cap. quæ in Ecclesiarum, de Constitut. quomodo intelligatur.*
21 *Cap. Ecclesia Sancta Mariæ, de Constitut. quomodo intelligatur.*
22 *Valet statutum in quærendis Ecclesiæ.*
23 *Ecclesia est fauorabilis.*
24 *Reipublicæ bonum, æquiparatur bono Ecclesiarum,*
25 *Reipublicæ bonum, præualet bono Ecclesiarum.*
26 *In fauore publico, non attenditur aliquorum dissensus.*
27 *Pro publico fauore potest Princeps auferre Dominium rerum priuatorum.*
28 *Statuta pro fauore publico sunt rata tam contra Laicos, quam contra Ecclesiam.*
29 *Iuramentum contra publicam vtilitatem non est obligatorium.*
30 *Non residere in beneficio ratione publicæ vtilitatis quis potest.*
31 *Restitutio pro bono publico, intelligitur etiam de bonis Ecclesiæ acquisitis.*
32 *Necessitas, & vtilitas æquiparantur.*
33 *Consuetudo, & statutum æquiparantur.*
34 *Reipublicæ vtilitas interpretatione iuuanda.*
35 *Res de facili reuertitur ad suam naturam.*
36 *Ecclesia tangitur in materia seculari.*

CAPVT QVINTVM.

PRIMVM statutum à summo Pontifice in Breui positum, quod asserit esse contra
immunitatem Ecclesiasticã, ac sacros Canones, est per hæc verba: † *Ducem & Sena-* 1
*tum sub die 23. Mensis Maii anno 1602. sumpta occasione ex quadam lite, seu controuersia inter
Doctorẽ Franciscum Zabarellam ex vna, & Monachos Monasterii de Praglia nuncupatos Or-
dinis Sancti Benedicti Cong. Casinen. alias Sanctæ Iustinæ de Padua in Diœcesi Paduana ex al-
tera parte vertente, in eorum Cons. statuisse, non solum, vt prædicti Monachi tunc, aut deinceps vllo vnquam tem-
pore actionem, per quam sub quouis titulo, aut colore in bonis Ecclesiasticis emphyteuticis à Laicis possessis præfer-
rentur, prætendere, ac etiam iure prælationis, seu consolidationis directi cum vtili dominio, aut extinctionis lineæ
in primis inuestitura comprehensa, aut alia quauis causa bonorum prædictorum proprietatem sibi vendicare mi-
nime possent, sed tantummodo ius directi dominii illis præseruatum esset: verum etiam, vt idipsum, quoad cæteras
omnes personas Ecclesiasticas, Seculares, & Regulares, Monasteria Monialium, Hospitalia, & alia loca pia in eo-
rum temporali dominio existentia declaratum, & firmiter deliberatum censeretur.* Quæritur de validitate
huius statuti, an sit contra Ecclesiasticam immunitatem, ac libertatem & Sacros Canones; † Di- 2
co igitur de hoc statuto nullam, (ne dicam citationem) verum nec etiam monitionem fuisse fa-
ctam, vt clare apparet ex monitoriis per ipsum Summum Pontificem Duci & Senatui prædicti
missis, adeo vt etiam si statutum hoc esset contra Ecclesiasticam libertatem, ac sacros Canones,
quod non est verum, vt ostendam ex hoc capite, & quoad hanc partem redditur censura ex se
nulla; † Iustitia igitur huius statuti fundatur super hoc, quod nullus fere ager, nulla fere domus, & 3
nullum denique immobile est, quod aliquid Ecclesiæ non soluat, siue ratione emphyteusis, siue
alio titulo, quia illud ostendere esset profecto difficile in omnibus, &, si posset consolidari vtile
cum directo, maxima esset subuersio inter subditos, omniaque fere immobilia caderent in Eccle-
siam, quod maximum esset Principis, subditorumque incommodum, cum pauperes quamplures
deuenirent, & Princeps ab ipsis obsequia tam realia, quam personalia habere non posset, quæ o-
pus sunt pro sui status conseruatione, cum autem intersit Reipublicæ diuites habere subditos, val-
de expedit, suæ conseruationi prospiciendo, vt in seculares, qui omnia onera portant, conseruen-
tur, illæso permanente dominio proprietario ipsi Ecclesiæ; adeo vt per tale statutum consulitur
Dominio temporali, vt Ecclesia in suo iure seruetur, & seculares in suo; † sed quia in statuto non 4
tantum iustitia, quam iurisdictio requiritur. Dec. in *cap. quæ in Ecclesiarum, numero decimo octauo de
constit.* cum à statuentium potestate vires accipiat, *leg. fin. ff. de iurisdict. omnium iudic.* quia valet con-
sequentia, Ciuitas habet iurisdictionem, ergo potest statuere, *leg. prima, eodem titulo*, statutumque
est lex, DD. & Bald. *consil.* 182. *num. tertio, volum. quinto*, & quod placet Principi animo condendi
legem, habetur pro lege, & censetur lex, *leg. prima, ff de constitut. Princip.* vnde de eius potentia dispu-
tare non licet, *leg disputare, Cod. de crim. sacril.* quia in ipso est plenitudo potestatis, & postquam ali-
quid vult ex certa scientia, nemo potest ei dicere, cur ita facis? Iason in *leg. prima, numero 2. de constit.
Princip.* quæ statuta ligant inferiores, sicut subditi tenentur obedire legi superioris, *leg. prima, & ter-
tia, ff. de leg.* circa igitur talia bona controuersa, non deficit Principi potestas statuendi: † nam- 5
que causa possessoria rei spiritualis vel quasi spiritualis, est temporalis. Goff. in *cap literas, de iuram.
calumn.* not. Vincen. in *cap. vltimo, de iud.* late per Boer. *de. tis. 69. numero 23.* asserens ita esse in vsu Fo-
rensi Galliæ, qui diu iam obtinuit, & Martini Papæ Quinti literis extat comprobatus, quam refert
Guido Papa, & Guliel. Bened. in sua *repetitio. cap. Raynutius, num.* 330. cum sequentibus, *de testa-
mentis*, inserit dictam literam Martini, & quoddam Breue Leonis Papæ Decimi, directum Curiæ
Parlamenti Tholosæ, per quod eundem stylum Curiæ approbat; & præsertim hoc valet, quando
non agitur de proprietate, sed de solo possessorio, vt hic Couarr. *lib. Practicarum quæstion. cap. 35. nu-
mero primo*, quia non attingitur Ecclesiæ proprietas, sed possessorium, quod est penes seculares, cõ-
firmat Thom. Grammaticus in *Decisionibus Neapol. decisio. 78. numero* 2. quod potest Clericus per iu-
dicem Secularem citari, quando agitur super possessorio, vel quasi in rebus spiritualibus, vel bene-
ficialibus causis. & quod potest de tali possessorio Secularis iudex cognoscere, tenet originaliter
Vincentius Antiquissimus Doctor, quem refert, & sequitur Ioan. And. in *cap. fin. extra de iud.* Ar-
chid. & Inn. vt *ibidem* refert, & sequitur Ant. de Butr. quod viua ratione comprobatur, quia posses-
sorium non est quid spirituale, sed temporale, vt dicit Archid. in *cap. primo, de restit. spoliat. in sexto*,
Franc. Zabarell. in *Clem. dispendiosam, de iud.* Guli. de monte Laud. in *clemen prima, de causa poss. ff. &
propriet.* & videtur velle glo. in *cap. literas, de immunit. Eccl.* nec debet inconueniens censeri, si respe-
ctu eiusdem rei petitorium sit spirituale, & possessorium temporale, cum nihil commune inter se
habeant, iuxta *leg. naturaliter in §. nihil commune, ff. de acquiren. possess.* o, late per dictum Thomam
Grammaticum *tota dicta decisione*, † forum autem sortiri, & statutis ligari à pari procedunt, est re- 6
gula, quam ponit Innoc. in *rubr. prima, de constitut.* Dec. in *cap quæ in Ecclesiarum, numero 15. de constit.*
si enim de ipsis iudicant, sequitur, quod habeant circa ipsa iurisdictionem, & per consequens,
quod possint statuere, cum ad ipsam iurisdictionem spectet; ergo valebit tale statutum, tanquam
non excedens vires suæ potestatis, *leg. fin. ff. de iurisdict. omnium iudic.* Dec. *dict. cap. numero eodem.* Hinc
dicit Guido Papæ, *quæst. prima*, quod non solum Princeps, sed etiam iudex Laicus possunt se intro-

mittere,& cognoscere de causa possessoria beneficiali,& spirituali, & edicta facere pro bono pu-
blico ad euitandum scandala,& rixas, quæ plerunque oriri possent occasione adeptionis posses-
7 sionis talium beneficiorum, Ang. *consil.23.* quia † Clerici & res Ecclesiæ in causa possessoria dicun-
tur de foro iudicis secularis, & super tali possessorio possunt facere statuta, Antonius Tessaurus in
Decisio. Pedemon. decisio.151. numero 10. immo dicit, quod Princeps, & Dominus secularis possunt fa-
cere reductionem beneficii vacantis ad manus suas donec de beneficio fuerit per Summum Pon-
tificem prouisum,& ibi ponere Oeconumum, vt tota *decisio.151.*& hoc de consuetudine etiam ob-
8 seruari in sua Patria Pedemontana, *ibi numero 11.* † atque valet statutum, ne possessio actualis bene-
ficii capiatur, nisi literis Serenissimi Principis,& ita in dicta Pedemōtana regione, tam vltra quam
citra montes obseruari, ac etiam in Venetorum Dominio, *ibi num. 12.* & hoc pro recognitione su-
9 premi Dominii, quod habet Princeps Secularis im Temporalibus suis, † videmus etiam circa De-
cimas, quæ sunt ius mere spiritnale. Abbas in *cap. ad hæc, de dec.* Sotus *de iustitia, & iure, libr.9 quæstio 7.*
art. primo, suntque de iure Diuino, quo ad ius, licet quo ad fructus, & quotam sint temporales,&
de iure positiuo, tamen Principes seculares de ipsis statuunt, & iudicant, non quidem super illud
ius, q̃ est decima, sed de fructibus ipsorum,& tamen ista,& alia sunt ius spirituale, pleno iure in Ec-
clesiam, ergo poterunt etiam statuere super bonis Emphyteuticis, quæ pleno iure non sunt in Ec-
clesiam, nec valet dicere, quod non habeant potestatem circa ipsa; quia hoc parum facit, sufficit
enim, vt habeant potestatem statuendi, Dec in *cap. Ecclesia Sancta Maria, numero 249. de constit.* nec
10 est verum, quod in isto casu deficiat potestas talis; † personis etiam Ecclesiasticis male dispensanti-
bus bona temporalia ex testamento Principis Ecclesiæ relicta, potest Princeps mittere manus
in bona illorum, ad cogendum illos, vt bene dispensent illa secundum conditiones, & causas ex-
pressas in testamento; potuerunt etiam Principes dotando Ecclesiam partem Dominii retinere in
huiusmodi bonis,& eatenus debent Ecclesiastici Principibus rationem reddere, quatenus in illis
donatis potestatem sibi retinuerunt, quemadmodum liquidum est in bonis, quæ vt feudum
tenet Ecclesia à Principe seculari, pro quibus si non facit Ecclesia Principi, quod tenetur, potest
11 Princeps in illa bona manus mittere, Driedonus *de libertate Christiana, cap. 4.* † ex his cessat argu-
mentum illorum, qui dicunt huiusmodi bona Ecclesiastica esse sacra, neque licere Principi Secu-
lari sacra tangere, vel in ipsis se immiscere; cum sint Dei patrimonium, eiusque cultui dicata; dici-
mus enim omnia, quæ sunt, esse Diuino cultui dicata, cum omnia propter semetipsum operatus
sit Dominus, vt in ipsum, tanquam eius finem tendant, ipsique inseruiant, ac omnia sunt eius pa-
trimonium, quia *Domini est terra, & plenitudo eius;*& si large possint dici *Sacra,* non per hoc ipsa tan-
gentes sunt vere sacrilegi, vt supra de immunitate ostendimus, & si vere essent sacra, effectus eo-
rum essent sacri, cum effectus assimiletur suæ causæ, effectus sacramentorum, qui vere sunt rei sa-
cræ signa, sunt sacri, cum sint gratia, hominem Deo gratum faciens, neque ipsa profanis miscetur,
sed ipsa expellit; fructus autem, qui sunt effectus horum bonorum, quam persæpe ipsis profanis
12 miscentur, & quanta per ipsos fiunt profana? † &, si personæ sacræ aliquando possunt puniri in
nonnullis à Principibus secularibus, non tanquam personæ sacræ, neque ratione sacrorum quæ
tractant, sed solum quatenus sunt Reipublicæ Ciues, & pro temporalibus delictis, vt suo loco o-
stendemus, & persona est dignior re, cur non poterunt etiam de huiusmodi rebus statuere, qua-
tenus sunt temporalia, & de his, quæ per accidens ipsi Ecclesiæ nectuntur, neque pleno iure in
13 Ecclesiam sunt; † in Physicis hoc etiam habemus, nam Aristoteles dicit mentem humanam, qua-
tenus mentem, non esse Physicæ considerationis, attamen de ipsa in Physicis agit, non quate-
nus mens est: sed quatenus corpori iuncta; primus motor non est Physicæ considerationis, de i-
pso tamen in gratiam motus in Physicis agit; ita ista bona sunt secundum illos sacra, licet largissi-
me, ergo non potest Princeps Secularis, quatenus sunt temporalia, vel in gratiam finis tempora-
lis,& Politici agere de ipsis,& quo ad aliqua disponere, & statuere, non valet profecto; maxime
14 cum magis sint temporalia quam spiritualia, † namque dantur duæ iurisdictiones, vna spiritua-
lis, altera temporalis, quæ de iure Diuino sunt distinctæ, Driedonus *de libertate Christiana, cap. quar-*
to, potestati spirituali, omnia spiritualia directe subsunt, temporali omnia temporalia directe, spiri-
tualia directe Summo Pontifici, tanquam Pontifici competunt, temporalia directe Principi tem-
porali,& adeo sunt distinctæ huiusmodi iurisdictiones, vt vnus non possit alterius iurisdictionem
turbare, Archid. in *cap. nouit, numero secundo, de Iud.* ideo Ozias à Domino fuit lepra percussus, quia
Sacerdotum officia vsurpare voluit, sic Sacerdotibus,& Prophetis Regum vsurpare officia non li-
cuit, *cap nos si incompetenter, 2. quæst. septima,* cum igitur quilibet Princeps habeat suum finem, opor-
tet etiam, vt habeat omnia media apta ad conducendum ad illum finem, hinc videmus Summum
Pontificem habere Dominium indirectum in temporalibus, non quatenus temporalia, sed qua-
tenus suo fini spirituali inseruiunt, & sic circa ipsa indirecte statuere; ita etiam Princeps tempo-
ralis habet Dominium indirectum in Spiritualibus nonnullis, non quatenus spiritualia,
15 sed quatenus temporalia, vt supra probauimus, & circa ipsa indirecte statuit; † si igitur spiritualia
sunt de directa consideratione Principis Spiritualis,& temporalia de directa Principis temporalis,
dico, quod quando vnum inseruit pro medio alterius ad suum consequendum finem, non a-
mittit eius naturam,& esse, vt si temporalia seruiunt pro fine spirituali, per hoc sunt adhuc tem-
poralia, non spiritualia, quia spiritus, carnem, & ossa non habet,& per consequens de directo

Domi-

Dominio Principis temporalis, tanquam sui naturalis Principis; si igitur Summus Pontifex
habet indirectum Dominium de ipsis, directum erit apud suum Principem, cum non amittant
suam naturam, †immo in signum subiectionis soluunt ipsi Principi tributa, *cap. tributum 23. quaest. 8.* 16
& pro non solutione possunt ipsa sibi vendicare, vt ibi Gloss. de ipsis igitur statuendo, non excedet
Princeps fines, & limites suae iurisdictionis directae, & per consequens valebit statutum tale, tan-
quam està naturali suo Principe factum; † sed dicet aliquis, concedo ex sui natura huiusmodi bo- 17
na esse de directa consideratione sui naturalis Principis, sed ex lege, & priuilegio fiunt exempta, &
gaudent immunitate Ecclesiastica, quae est, vt Princeps Laicus circa ipsa non possit statuere, tan-
quam diuersum forum sortientia, est enim Gregorii Decretum, in *cap. quae in Ecclesiarum, de constit.*
probibens, Laicos per eorum constitutiones posse adstringere Ecclesiam, vel eius bona, & idem
in *cap. Ecclesia sanctae Mariae, eodem titulo*, prohibens statutum generale Laicorum ad Ecclesias, &
Ecclesiasticas personas, vel earum bona in earum praeiudicium extendi, nisi ab ipso Summo Pon-
tifice sint confirmata; sed respondetur, quod iam superius declarauimus, quid proprie intelligatur
per immunitatem Ecclesiasticam, & huiusmodi statutum non est contra ipsam, quia est circa ac-
cidentalia, & extrinseca ipsi Ecclesiae, circa quae proprie non est sacrilegium, † & ipsa libertas Ec- 18
clesiastica est proprie circa spiritualia, non autẽ temporalia; & si Fridericus Imperator cassauit o-
mnia statuta facta contra ipsam Ecclesiasticam libertatem, † vt in *Authent. cassa, de sacr. Eccles.* dici- 19
mus intelligi circa libertatem, quae proprie & per se Ecclesiae competit, vt sunt decimae, eleemosy-
nae, & alia, quae intrinseca sunt, & per se ipsi conueniunt, non autem de his, quae per accidens ipsi
conueniunt, quia sunt praeter intentionem, vt de huiusmodi immobilibus. † Ad Decretum autem 20
Gregor. *in cap. quae in Ecclesiarum*, dicimus, quod loquitur de bonis feudalibus, non autem emphy-
teuticis, inter quae maxima est differentia, vt habet Couar. *libr. 2. cap. 18. variarum resol.* & Ias *super vsi-
bus feudorum num 58.* vbi etiam dicit, non esse validum argumentum ab vno ad aliud propter ma-
ximas differentias, quae inter ipsa inueniuntur, imo cum statuta sint stricti iuris, *leg. qui constitutum,
ff. de testam. milit. leg. constitutionibus, ff. ad municip.* & in restringibilibus cessat argumentum à pari, &
maiori, Curt. sen. *consil. 9. nu 4.* dicimus tale Gregor. Decretum siue statutum non posse extendi ad
bona emphyteutica, sed solum de feudalibus esse intelligendum, prout clare loquitur textus ille.
† ad *cap.* autem *Ecclesiã Sanctae Mariae*, dicimus, quod intelligitur de illis bonis, quorum Dominium 21
est pleno iure in Ecclesia, non autem de illis, quorum directum solum est apud ipsam, vtile au-
tem apud Laicos, quia immunitates ex eo, quod vadunt in diminutionem publicae vtilitatis, sunt
restringendae, Franchus *decis. 259. num. 24.* in directo enim iam Ecclesiae acquisito, non disponit sta-
tutum, immo vult intactum remanere, sed disponit super quaerendis ipsi Ecclesiae, nempe vtili,
quod est apud Laicos, † & valet statutum super quaerendis ipsi Ecclesiae, Dec. in *capit. Ecclesia Sanctae* 22
Mariae, num. 240. de constitut. ac etiam intelligitur, nisi boni publici necessitas aliter facere suadeat;
† &, si instetur, quod sumus in fauorabilibus ex parte Ecclesiae, & quod fauores sunt ampliandi, 23
ideo illud Decretum intelligi debere non solum de pleno iure, verum etiam directo solum, vt
non possint Laici super talibus bonis statuere; dicimus, vt supra, statuta esse ex se stricti iuris, *dicta
leg. constitutum*, ideo non posse extendi quantum in se est, sed debere coarctari ad plenum, &
verum Dominium, &, si sumus in fauorabilibus ex parte Ecclesiae, † sumus etiam in fauorabilibus 24
ex parte Reipublicae, cuius bonum aequiparatur Ecclesiae bono, Bald. *cons. 396. volum 3.* & pari fauo-
re iura Ecclesiam, & Rempublicam prosequuntur, Dec. in *cap. Epistola, num. 68. de constitut.* † immo 25
praeualet bonum Reipublicae bono Ecclesiarum, si enim praeualet Fisco, ergo & Ecclesiae, *leg. fin.
Cod. de sacr. Eccl.* quia per ipsam Rempublicam etiam Ecclesia defenditur, † tantum enim valet fa- 26
uor publicus, vt in his, quae spectant ad eorum vtilitatem, non attendatur aliquorum dissensus, vt
inquit Ioannes Faber in *§. sed si ex testamento, Instit. de satisd. tuto.* Bald. *cons. 85. & 462.* Doctores com-
muniter in *cap. humilis, de maior. & obedien.* & plane in *cap. omnes, de const.* hinc pulchre voluit Panorm.
quem sequitur Praepositus in *cap. constitutus, el primo. de appellat.* quod stante statuto, quod in aliquo
actu faciendo omnium consensus requiratur, si tamen ex eo publica vtilitas resultet, sufficit, quod
maior pars in facto praedicto concurrerit, & sequitur Modern. Crau. *cons. 95.* † pro ipso etiam pu- 27
blico fauore potest Princeps auferre Dominium rerum priuatorum, per tex. in *l. huius, ff. de euict.
item si verberatum, § si forte, ff. de rei vẽdicat.* not. Io. And. in *cap. nostra, de iureiur.* & ideo dicebat Bald. &
Ang. *l. bene à Zenone, Cod. de quadrien. praescriptio.* quod ciuitas pro pace habenda potest auferre bona
priuatorum, † immo statuta pro fauore publico lata sunt tam cõtra Laicos, quam contra Clericos, 28
Host. in *in titul. de consuetu. § fin.* Anton. de Butrio, post Domin. quos refert, & sequitur Felin. in *cap.
Ecclesia Sanctae Mariae, de constit.* Inno. in *cap. ad nostram, de probatio.* & ideo subdit Fely. in loco praealle-
gato, posse eo casu saluari opinionem Bartol. in *leg. cunctos populos, Cod. de Summ. Trinit. & fide Catho-
lic.* dum refert, statuta Laicorum simpliciter aliquid honeste continentia, valere, praesupponendo
semper hoc fuisse ordinatum ad bonum commune, quo casu etiam in foro poli obligantur Eccle-
siae ad eius obseruãtiam, vt allegant voluisse Diu. Thom. *1. 2. quaest. 36.* Summa Pisanella, *in verb. lex,
§. verum leges humanae.* † iuramentum etiam contra publicam vtilitatem non est obligatorium, dicit 29
Bart. in *l. si quis pro eo, in secundo membro suae distinctionis, ff. de fideiuss.* Tho. Grammaticus in *Decisione Ne-
apolit. decisio. 12. numero 17.* residentia etiam, est de iure naturali, Diuino, ac positiuo, Sotus *de iusti-
tia, & iure, libro quarto, articulo primo,* † & tamen absentia ab ipsa est iusta, vbi vertitur publica vti- 30

mittere,& cognoſcere de cauſa poſſeſſoria beneficiali,& ſpirituali, & edicta facere pro bono pu-
blico ad euitandum ſcandala,& rixas, quæ plerunque oriri poſſent occaſione adeptionis poſſeſ-
7 ſionis talium beneficiorum, Ang.*conſil.23.* quia † Clerici & res Eccleſiæ in cauſa poſſeſſoria dicun-
tur de foro iudicis ſecularis, & ſuper tali poſſeſſorio poſſunt facere ſtatuta, Antonius Teſſaurus in
Deciſio.Pedemon.deciſio.151.numero 10. immo dicit, quod Princeps, & Dominus ſecularis poſſunt fa-
cere reductionem beneficii vacantis ad manus ſuas donec de beneficio fuerit per Summum Pon-
tificem prouiſum,& ibi ponere Oeconomum, vt tota *deciſio.151.*& hoc de conſuetudine etiam ob-
8 ſeruari in ſua Patria Pedemontana, *ibi numero 11.*† atque valet ſtatutum, ne poſſeſſio actualis bene-
ficii capiatur, niſi literis Sereniſſimi Principis,& ita in dicta Pedemõtana regione, tam vltra quam
citra montes obſeruari, ac etiam in Venetorum Dominio, *ibi num. 12.* & hoc pro recognitione ſu-
9 premi Dominii, quod habet Princeps Secularis im Temporalibus ſuis, † videmus etiam circa De-
cimas, quæ ſunt ius mere ſpiritoale. Abbas in *cap.ad hac, de dec.* Sotus *de iuſtitia, & iure, libr.9 quæſtio 7.*
art.primo, ſuotque de iure Diuino, quo ad ius, licet quo ad fructus, & quotam ſint temporales,&
de iure poſitiuo, tamen Principes ſeculares de ipſis ſtatuunt, & iudicant, non quidem ſuper illud
ius, ꝙ eſt decima, ſed de fructibus ipſorum,& tamen iſta,& alia ſunt ius ſpirituale, pleno iure in Ec-
cleſiam, ergo poterunt etiam ſtatuere ſuper bonis Emphyteuticis, quæ pleno iure non ſunt in Ec-
cleſiam, nec valet dicere, quod non habeant poteſtatem circa ipſa; quia hoc parum facit, ſufficit
enim, vt habeant poteſtatem ſtatuendi, Dec in *cap. Eccleſia Sancta Maria, numero 249.de conſtit.* nec
10 eſt verum, quod in iſto caſu deficiat poteſtas talis;† perſonis etiam Eccleſiaſticis male diſpenſanti-
bus bona temporalia ex teſtamento Principis Eccleſiæ relicta, poteſt Princeps mittere manus
in bona illorum, ad cogendum illos, vt bene diſpenſent illa ſecundum conditiones, & cauſas ex-
preſſas in teſtamento; potuerunt enim Principes dotando Eccleſiam partem Dominii retinere in
huiuſmodi bonis,& eatenus debent Eccleſiaſtici Principibus rationem reddere, quatenus in illis
donatis poteſtatem ſibi retinuerunt , quemadmodum liquidum eſt in bonis, quæ vt feudum
tenet Eccleſia à Principe ſeculari, pro quibus ſi non facit Eccleſia Principi, quod tenetur, poteſt
11 Princeps in illa bona manus mittere, Driedonus *de libertate Chriſtiana, cap.4.* † ex his ceſſat argu-
mentum illorum, qui dicunt huiuſmodi bona Eccleſiaſtica eſſe ſacra, neque licere Principi Secu-
lari ſacra tangere, vel in ipſis ſe immiſcere; cum ſint Dei patrimonium, eiuſque cultui dicata; dici-
mus enim omnia, quæ ſunt, eſſe Diuino cultui dicata, cum omnia propter ſemetipſum operatus
ſit Dominus, vt in ipſum, tanquam eius finem tendant, ipſique inſeruiant, ac omnia ſunt eius pa-
trimonium, quia *Domini eſt terra, & plenitudo eius;*& ſi large poſſunt dici *Sacra*, non per hoc ipſa tan-
gentes ſunt vere ſacrilegi, vt ſupra de immunitate oſtendimus, & ſi vere eſſent ſacra, effectus eo-
rum eſſent ſacri, cum effectus aſſimiletur ſuæ cauſæ, effectus ſacramentorum, qui vere ſunt rei ſa-
cræ ſigna, ſunt ſacri, cum ſint gratia, hominem Deo gratum faciens, neque ipſa profanis miſcetur,
ſed ipſa expellit; fructus autem, qui ſunt effectus horum bonorum, quam perſæpe ipſis profanis
12 miſcentur, & quanta per ipſos fiunt profana ? † &, ſi perſonæ ſacræ aliquando poſſunt puniri in
nonnullis à Principibus ſecularibus, non tanquam perſonæ ſacræ, neque ratione factorum quæ
tractant, ſed ſolum quatenus ſunt Reipublicæ Ciues, & pro temporalibus delictis, vt ſuo loco o-
ſtendemus, & perſona eſt dignior re, cur non poterunt etiam de huiuſmodi rebus ſtatuere, qua-
tenus ſunt temporalia, & de his, quæ per accidens ipſi Eccleſiæ nectuntur, neque pleno iure in
13 Eccleſiam ſunt;† in Phyſicis hoc etiam habemus, nam Ariſtoteles dicit mentem humanam, qua-
tenus mentem, non eſſe Phyſicæ conſiderationis, attamen de ipſa in Phyſicis agit, non quate-
nus mens eſt: ſed quatenus corpori iuncta; primus motor non eſt Phyſicæ conſiderationis, de i-
pſo tamen in gratiam motus in Phyſicis agit; ita iſta bona ſunt ſecundum illos ſacra, licet largiſſi-
me, ergo non poteſt Princeps Secularis, quatenus ſunt temporalia, vel in gratiam finis tempora-
lis,& Politici agere de ipſis,& quo ad aliqua diſponere, & ſtatuere, non valet profecto; maxime
14 cum magis ſint temporalia quam ſpiritualia, † namque dantur duæ iuriſdictiones, vna ſpiritua-
lis, altera temporalis, quæ de iure Diuino ſunt diſtinctæ, Driedonus *de libertate Chriſtiana, cap. quar-*
to, poteſtati ſpirituali, omnia ſpiritualia directe ſubſunt, temporali omnia temporalia directe, ſpiri-
tualia directe Sommo Pontifici, tanquam Pontifici competunt, temporalia directe Principi tem-
porali,& adeo ſunt diſtinctæ huiuſmodi iuriſdictiones, vt vnus non poſſit alterius iuriſdictionem
turbare, Anchar. in *cap.nouit, numero ſecundo, de Iud.* ideo Ozias à Domino fuit lepra percuſſus, quia
Sacerdotum officia vſurpare voluit, ſic Sacerdotibus,& Prophetis Regum vſurpare officia non li-
cuit, *cap nos ſi incompetenter, 2.quæſt.ſeptima,* cum igitur quilibet Princeps habeat ſuum finem, opor-
ret etiam, vt habeat omnia media apta ad conducendum ad illum finem, hinc videmus Summum
Pontificem habere Dominium indirectum io temporalibus, non quatenus temporalia, ſed qua-
tenus ſuo fini ſpirituali inſeruiunt, & ſic circa ipſa indirecte ſtatuere; ita etiam Prioceps tempo-
ralis habet Dominium indirectum in Spiritualibus nonnullis, oon quatenus ſpiritualia,
15 ſed quatenus temporalia, vt ſupra probauimus, & circa ipſa indirecte ſtatuit; † ſi igitur ſpiritualia
ſunt de directa conſideratione Principis Spiritualis,& temporalia de directa Principis temporalis,
dico, quod quando vnum inſeruit pro medio alterius ad ſuum conſequendum finem, non a-
mittit eius naturam,& eſſe, vt ſi temporalia ſeruiunt pro fine ſpirituali, per hoc ſunt adhuc tem-
poralia, non ſpiritualia, quia ſpiritus, carnem, & oſſa non habet,& per conſequens de directo
Domi-

Dominio Principis temporalis, tanquam sui naturalis Principis; si igitur Summus Pontifex
habet inditectum Dominium de ipsis, directum erit apud suum Principem, cum non amittant
suam naturam, †immo in signum subiectionis soluunt ipsi Principi tributa, *cap. tributum 23. quaest. 8.* 16
& pro non solutione possunt ipsa sibi vendicare, vt ibi Gloss. de ipsis igitur statuendo, non excedet
Princeps fines, & limites suae iurisdictionis directae, & per consequens valebit statutum tale, tan-
quam est à naturali suo Principe factum; † sed dicet aliquis, concedo ex sui natura huiusmodi bo- 17
na esse de directa consideratione sui naturalis Principis, sed ex lege, & priuilegio fiunt exempta, &
gaudent immunitate Ecclesiastica, quae est, vt Princeps Laicus circa ipsa non possit statuere, tan-
quam diuersum forum sortientia, est enim Gregorii Decretum, in *cap. quae in Ecclesiarum, de constit.*
prohibens, Laicos per eorum constitutiones posse adstringere Ecclesiam, vel eius bona, & idem
in *cap. Ecclesia sancta Maria, eodem titulo*, prohibens statutum generale Laicorum ad Ecclesias, &
Ecclesiasticas personas, vel earum bona in earum praeiudicium extendi, nisi ab ipso Summo Pon-
tifice sint confirmata; sed respondetur, quod iam superius declarauimus, quid proprie intelligatur
per immunitatem Ecclesiasticam, & huiusmodi statutum non est contra ipsam, quia est circa ac-
cidentalia, & extrinseca ipsi Ecclesiae, circa quae proprie non est sacrilegium, † & ipsa libertas Ec- 18
clesiastica est proprie circa spiritualia, non autē temporalia; & si Fridericus Imperator cassauit o-
mnia statuta facta contra ipsam Ecclesiasticam libertatem, † vt in *Authent. cassa, de sacr. Eccles.* dici- 19
mus intelligi circa libertatem, quae proprie & per se Ecclesiae competit, vt sunt decimae, eleemosy-
nae, & alia, quae intrinseca sunt, & per se ipsi conueniunt, non autem de his, quae per accidens ipsi
conueniunt, quia sunt praeter intentionem, vt de huiusmodi immobilibus. † Ad Decretum autem 20
Gregor. *in cap. quae in Ecclesiarum*, dicimus, quod loquitur de bonis feudalibus, non autem emphy-
teuticis, inter quae maxima est differentia, vt habet Couar. *libr. 2. cap. 18. variarum resol.* & Ias. *super vsi-
bus feudorum num 58.* vbi etiam dicit, non esse validum argumentum ab vno ad aliud propter ma-
ximas differentias, quae inter ipsa inueniuntur, imo cum statuta sint stricti iuris, *leg. qui constitutum,
ff. de testam. milit. leg. constitutionibus, ff. ad municip.* & in restringibilibus cessat argumentum à pari, &
maiori, Curt. sen. *consil. 9. au 4.* dicimus tale Gregor. Decretum siue statutum non posse extendi ad
bona emphyteutica, sed solum de feudalibus esse intelligendum, prout clare loquitur textus ille.
† ad *cap.* autem *Ecclesia Sancta Maria*, dicimus, quod intelligitur de illis bonis, quorum Dominium 21
est pleno iure in Ecclesia, non autem de illis, quorum directum solum est apud ipsam, vtile au-
tem apud Laicos, quia immunitates ex eo, quod vadunt in diminutionem publicae vtilitatis, sunt
restringendae, Franchus *decis. 259. num. 24.* in directo enim iam Ecclesiae acquisito, non disponit sta-
tutum, immo vult intactum remanere, sed disponit super quaerendis ipsi Ecclesiae, nempe vtili,
quod est apud Laicos, † & valet statutum super quaerendis ipsi Ecclesiae, Dec. in *capit. Ecclesia Sancta* 22
Maria, num. 240 de constitut. ac etiam intelligitur, nisi boni publici necessitas aliter facere suadeat;
† &, si instetur, quod sumus in fauorabilibus ex parte Ecclesiae, & quod fauores sunt ampliandi, 23
ideo illud Decretum intelligi debere non solum de pleno iure, verum etiam directo solum, vt
non possint Laici super talibus bonis statuere; dicimus, vt supra, statuta esse ex se stricti iuris, *dicta
leg. constitutum*, ideo non posse extendi quantum in se est, sed debere coarctari ad plenum, &
verum Dominium, &, si sumus in fauorabilibus ex parte Ecclesiae, † sumus etiam in fauorabilibus 24
ex parte Reipublicae, cuius bonum aequiparatur Ecclesiae bono, Bald *cons. 396. volum 3.* & pari fauo-
re iura Ecclesiam, & Rempublicam prosequuntur, Dec. in *cap. Epistola, num. 68. de constitut.* † immo 25
praeualet bonum Reipublicae bono Ecclesiarum, si enim praeualet Fisco, ergo & Ecclesiae, *leg. fin.
Cod. de sacr. Eccl.* quia per ipsam Rempublicam etiam Ecclesia defenditur, † tantum enim valet fa- 26
uor publicus, vt in his, quae spectant ad eorum vtilitatem, non attendatur aliquorum dissensus, vt
inquit Ioannes Faber in *§. sed si ex testamento, Instit. de satisd. tuto.* Bald. *cons. 85. & 462.* Doctores com-
muniter in *cap. humilis, de maior. & obedien.* & plane in *cap. omnes, de const.* hinc pulchre voluit Panorm.
quem sequitur Praepositus in *cap. constitutus, il primo. de appellat.* quod statue statuto, quod in aliquo
actu faciendo omnium consensus requiratur, si tamen ex eo publica vtilitas resultet, sufficit, quod
maior pars in facto praedicto concurrerit, & sequitur Modern. Crau. *cons. 95.* † pro ipso etiam pu- 27
blico fauore potest Princeps auferre Dominium rerum priuatorum, per tex. in *l. huius, ff. de euict. l.
item si verberatum, § si forte, ff. de rei vēdicat.* not. Io. And. in *cap. nostra, de iureiur.* & ideo dicebat Bald. &
Ang. *l. bene à Zenone. Cod. de quadrien. praescriptio.* quod ciuitas pro pace habenda potest auferre bona
priuatorum, † immo statuta pro fauore publico lata sunt tam cōtra Laicos, quam contra Clericos, 28
Host. in *in titul. de consuetu § fin.* Anton. de Butrio, post Domin. quos refert, & sequitur Felin. in *cap.
Ecclesia Sancta Maria, de consti.* Inno in *cap. ad nostram, de probatio.* & ideo subdit Fely. in loco praealle-
gato, posse eo casu saluari opinionem Bartol. in *leg. cunctos populos, Cod. de Summ. Trinit. & fide Catho-
lic.* dum refert, statuta Laicorum simpliciter aliquid honeste continentia, valere, praesupponendo
semper hoc fuisse ordinatum ad bonum commune, quo casu etiam in foro poli obligantur Eccle-
siae ad eius obseruantiam, vt allegant voluisse Diu. Thom. *1. 2, quaest. 36.* Summa Pisanella, *in verb. lex,
§ verum leges humanae.* † iuramentum etiam contra publicam vtilitatem non est obligatorium, dicit 29
Bart. in *l. si quis pro eo; in secundo membro suae distinctionis, ff. de fideiuss.* Tho. Grammaticus in *Decisione Ne-
apolit. decisio. 12. numero 17.* residentia etiam, est de iure naturali, Diuino, ac positiuo, Sotus *de iusti-
tia, & iure, libro quarto, articulo primo,* † & tamen absentia ab ipsa est iusta; vbi vertitur publica vti- 30

litas alicuius Regis, vel Priocipis habentis magnum statum, Matthæus de Afflictis in *Decisionibus Neapolit. decisio. 299. numero* 28. quià in qoacunque dispositione intelligitur semper excepta vtilitas publica, & Regia, vt probatur *Cod. de curs. publico, leg. fin. lib. 12. leg. iubemus, C. de nauibus non excusan. lib. vndecimo, leg. prima, Cod. vt nemini liceat in emp. spe. se excusa. libro vndecimo*, facit *l. in Prouinciali, §. finali, cum leg. sequente, ff. de nouis op. nunc. & l. si quis in grau. §. vtrum*, & ibi Baldus *ff. ad Syl-*
31 *lan.* † immo Princeps faciendo, pro bono publico, restitutionem alicui de bonis quibusuis perso-
nis alienatis ex quauis causa, non solum videtur eum restituere ad bona alienata Laicis, sed etiam
Clericis, per id, quod dixit Castren. *consil. 251. columna penultima*, vbi dicit, quod vbi tractatur de au-
ferendo bona Clericis quæsita, ex eorum contractu, quod ipsi habentur pro Laicis, Matthæus de
Afflictis, *Dec. 351. numero octauo*, si igitur Princeps habet necesse de huiusmodi bonis pro bono pu-
blico, quod tanti æstimatur, cur non poterit ipsa retinere; necessitas enim consideratur etiam re-
spectu bonorum temporalium. Afflictus *decis. 299. numero trigesimo*, & in necessitate omnia subau-
diunt ei *Ecclesiast. cap. 43* immo, si non esset necessitas in hoc, sed vtilitas, sufficeret ad validitatem
32 huius statuti, † quia necessitas, & vtilitas æquiparantur à iure, vt in *clemen. prima, de rebus Eccle-
siastica non alien.* Afflictus dicta *decisione num. 33.* & præterea in hoc est vetustissima consuetu-
do, per diuersa iudicia approbata, ac in vsu posita, vt habetur in huiusmodi statuto, ne bona hu-
33 iusmodi à Laicis possessa titulo aliquo Prælationis ab Ecclesiasticis vendicentur, † quæ consuetu-
do cum statuto æquiparatur, *leg. magistratus, ff. ad municip. leg. semper, ff. de iur. immunit.* Bartol. in *leg. o-
mnes populi, ff. de iustitia, & iure, Clemen. prima*, & ibi Card. *de vsur.* fit igitur ratione publicæ vtili-
tatis, quod alias non fieret. Spec. in *tit. de disputat. & alleg. & in §. satisdare, vers. quaeritur breuiter*. Tho.
34 Grammaticus in *Decis. Neapol. decisio. 12 num. 18.* † ideo vtilitas Reipublicæ iuuanda est interpreta-
tione, *leg. hoc modo, in fin ff. de conditio. & demonstratio.* etiam si ipsa includeret in se priuatam vtilita-
tem. Spec. in *tit. de feud. §. quoniam, vers. 10.* huiusmodique dicta de poblico fauore, valent etiam,
quo ad alia statuta. Debet igitur Ecclesia in suo iure remanere, & Respublica in suo, habet Eccle-
sia directum Domioium illorum bonorum, illud retineat; habet Respublica vtile
ipsorum bonorum, illud retinet; namque bona illa iam erant Laicalia, &, si ami-
35 serunt ex priuilegio in aliquid suam naturam, non est mirum, si de nouo ad suum esse re-
uertuntur, † quia est regula, quod res de facili reuertuntur ad suam naturam, Glo. singularis in
36 *cap. statutum, verb. numerandum, de praben in sexto*; nec obstat, quod ista sit moderatio Clericis nociua,
& subtractiua redditum, quæ posset Ecclesia habere, quia hæc omnia sunt per se de Dominio
temporali, & eius potestate pro politico fine, per accidens autem ipsi Ecclesiæ, † & tangitur so-
lum in materia Seculari, non Clericorum, sed Laicorum propria, nec consideratur odium, quod
venit in necessariam consequentiam fauoris concessi, per text. in *leg. cum ex oratione, §. fin. ff. de
excusa. tut.* quia non struitur Ecclesia auro, sed potius, vt dicebat Sanctus Sulpicius Seuerus Epi-
scopus Bituricensis, *Dialogo primo*, destruitur, nec ipsorum Ministrorum est thesaurizare, quemad-
modum Secularium Principum, quorum non est solum temporalia bona Laicorum,
sed etiam Ecclesiam contra eius inuasores tueri ac defendere, Driedonus de libertate Chri-
stiana, libro primo; & sic vllo modo est hoc statutum contra Ecclesiasticam libertatem, ac sacros
Canones.

SVMMARIVM.

1 *Secundum Reipublica statutum.*
2 *Ecclesia est de iure Diuino.*
3 *Christus Ecclesiam plantauit.*
4 *Ecclesia tripliciter sumitur.*
5 *Ecclesia a Christo plantata fuit fidelium collectio.*
6 *Quod ædificetur Ecclesia hic, vel illic non est de iure Diuino.*
7 *Constantinus Imperator primus fuit, qui dedit licentias fabricandi Ecclesias per orbem.*
8 *In maximo numero sunt Ecclesiæ nunc ædificatæ.*
9 *Ecclesia triumphans est mater Ecclesiæ militantis.*
10 *Multa scandala in Ecclesiarum ædificatione oriebantur.*
11 *Mendicantes non poterant Ecclesias ædificare absque Romani Pontificis licentia.*
12 *Clementis Papæ Octaui constitutio de Ecclesiarum ædificatione.*
13 *Non possunt ædificari Ecclesiæ, nisi vocatis interesse habentibus.*
14 *Prohibitio ædificandi Ecclesias absque Romani Pontificis licentia, non est cultus Diuini prohibitio.*
15 *Hoc statutum non impedit Diuinum cultum.*
16 *Principes habent interesse in ædificatione Ecclesiarum.*
17 *In alieno loco non licet inuito Domino Ecclesiam ædificare.*
18 *Plus potest Princeps, quam subditus.*
19 *Ecclesiæ erectæ in loco indecenti, potius profanantur, quam Deo sacrentur.*
20 *Non displicet Deo, quod in rebus Ecclesiasticis id fiat, quod pertinet ad multorum salutem.*
21 *Reges pietatis causa Ecclesias ædificabant.*
22 *Simile statutum habent alii Christiani Principes.*

23 *Multa*

23 *Multa fiunt pro Republica bono regimine, quo secluso non permitterentur,*
24 *Licet remouere impedimenta, qua bonam Republica gubernationem turbant.*
25 *Non est Reipublica intentio velle Decretis Summi Pontificis aduersari.*
26 *Non prohibet statutum absolute adificare Ecclesias.*
27 *Princeps libenter dat licentiam adificandi Ecclesias.*
28 *Princeps est Ecclesia defensor.*
29 *In Gallia Legati Apostolici non exercent suam iurisdictionem absque regis licentia.*
30 *Statutum hoc non tollit summorum Pontificum ordinationes.*
31 *Maximus Ecclesiarum numerus in Venetorum Dominio.*
32 *Imperatores petierunt licentias adificandi Ecclesias.*
33 *In Ecclesiarum adificatione semper est consulenda spiritualis potestas.*
34 *Hoc statutum est de erigendis, non erectis Ecclesiis.*
35 *Donatio facta Ecclesia nondum erecta, non valet.*
36 *Hoc statutum disponit circa tempus, locum, & materiam erigendi Ecclesias, qua omnia sunt temporalia.*
37 *Non sumus in lege natura, vt omnia sint communia.*

CAPVT SEXTVM.



ARRAT Summus Pontifex secundo loco in Breui, † *Ducem & Senatum sub die* 1
10, Ianuarii 1603. ad superiora quadam consilia ab eorum maioribus, vt etiam asserebant, ha-
bita respicientes, quibus cauebatur, ne quisquam siue sacularis, siue Ecclesiasticus in vrbe Ve-
netiarum Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, atque alias Religiosas domos, & pia loca, sine eo-
rum speciali licentia fundarent, & erigerent, in Cõsilio Rogatorum congregatos iterum decre-
uisse, vt id eandem in omnibus iurisdictionis eorum locis vim obtineret; ac praterea exilii, ac perpetui carceris, &
publicationis fundi, venditionisque adificii contra secus facientes pœnam edixisse. Quæritur de validitate hu-
ius statuti, & respondetur valere, nec esse contra immunitatem, vel libertatem Ecclesiasticam, ac
sacros Canones, pro cuius explicatione dico, † Ecclesiam esse de iure diuino, Christumque Do- 2
minum nostrum eius esse caput inuisibile, & per consequens Summum Romanum Pontificem
eius in terris Vicarium reliquisse, & esse caput visibile, non cum potestate excellentiæ, sed ministe-
riali, iuxta illud Apostoli, sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministerio-
rum Dei, quam potestatem similem, & æqualem habent alii omnes Sacerdotes recte sacerdotali
charactere insigniti, in Christi corpus verum, licet in Christi corpus mysticum Papa omnibus su-
pereminet, ab ipsoque omnes pendeant. † Hãc autem Ecclesiam Christus suo precioso sanguine 3
plantauit, quia, sicut Eua viuentium mater è dormientis Adæ latere est desumpta; ita plane sopo-
rato iam Adamo illo cœlesti, in ara crucis capite inclinato, sponsa illius Ecclesia, Mater fidelium,
sumpta est ex eius latere, licet in veteri lege adhuc fuisset, quia ab Abel incepit, sed tamen solum
erat vmbra, & figura Ecclesiæ nostræ, cum omnia in figura contingerent illis, ideo tunc erat vidua,
& acephala, modo autem est desponsata, & perfecta, † *Ecclesia* que talis tripliciter sumitur, primo 4
modo, prout est congregatio eorum, qui fidem in Deum profitentur, & sic eadem est Ecclesia
fidelium ab initio mundi, vsque ad finem, & hoc nomine vsus est Diuus Thomas *3. part. quæst. 8. ar-*
tic. 3. Secundo modo sumitur, prout est viatorum fidelium collectio, quam congregat non so-
lum fides, sed etiam Baptismus, qui dicitur fidei sacramentum, & hoc pacto distinguitur ab Eccle-
sia, quæ fuit in lege naturæ, & lege Moysis, Bannes in *2. 2. quæst. prima, artic. 10.* Tertio modo sumitur
pro ædificatione lapidum materiali, Diuus Antonius *3. part. tit. 12. nu. 1.* † Ecclesia igitur quam Chri- 5
stus plantauit fuit fidelium collectio, extra quam non datur salus, non autem plantauit Ecclesiam
materialem, neque hic, neque illic per orbem diffusam, vt modo reperitur, sed solum per tubam
Apostolorum, eam promulgauit, sicut canit Ecclesia, *In omnem terram exiuit sonus eorum*; † quod 6
enim ædificaretur Ecclesia materialis hic, vel illic, non est de iure diuino, quia nullibi legimus
Christum hoc ordinasse, (nisi forte miraculose aliquando) quod patet, nec posse in agro meo ædi-
ficari vnam Ecclesiam, & non ædificari, † imo Imperator Constantinus primus fuit, qui dedit fa- 7
cultatem Ecclesias per orbem ædificare, vt habetur in *cap. futuram Ecclesiam, 12. quæst. prima*, quod
profecto non fecisset, nisi hoc ab humano, non Diuino penderet iure; immo tot ipse Imperator
ædificauit, ad ostendendum veri Imperatoris zelum erga Christianam religionem, vt etiam pro-
prium Romæ Palatium ad hoc summo Pontifici dederit, ac ad quamplures Episcopos scripsit,
vt varia ædificarent templa, eaque laxiora fierent, ac necessaria pro ipsorum constructione à Præ-
fectis, & Magistratibus Prouinciarum peterent; † & vsque modo in tanto numero sunt ædificatæ, 8
vt vndique circumuoluendo cernantur templa variis, ac pretiosis precantium votis onusta, in te-
stimonium veri cultus, ac religionis erga Deum, ac Sanctos suos; † vt recte conspiciatur Ciuitas 9
Sancta illa Hierusalem noua è cœlo descendens mater huius militantis Ecclesiæ, cuius muri, fun-
damenta, & portæ sunt ex Saphiro, Smaragdo, ac auro precioso, vt habetur *Apocalyp. c. 21.* singuli
enim lapides materiales huius militantis Ecclesiæ significant singulos Fideles, qui sunt quadri
stabilitate fidei, & firmi virtute patiendi; Cæmentum est Charitas, quæ singulos coaptat, atque vi-
uificat, atque, ne per aliquam discordiam inuicem discrepent, vniformiter æquat. Fundamen-

tum sunt Apostuli,& Prophetæ. Parietes sunt contemplatiui fundamento vicioi terrena deferen-
tes,& cœlestibus adhærentes. Tectum hoc respectu, quia deorsum peodet, sunt actiui terrenis a-
ctibus proximi propter imperfectionē suam minus cœlestibus intēdentes,ac necessitati proximo-
rum terrena administrantes;in alto sunt, quia in officiis supra alios. Longitudo Ecclesiæ conside-
tatur secundum diuturnitatem temporum,scilicet tempore legis naturæ,Mosaicæ & Gratiæ. La-
titudo dum multorum populorum numerositas per diuersas mundi partes dilatatur. Altitudo
secundum differeotiam meritorum & officiorum. Sacrarium significat Virginum ordinem;
Chorus ordinem continentium. Atrium Ecclesiæ sunt falti Christiani, qui, & si sanctificati sunt
baptismo,vt Cœmiterium benedictione, tamen pleni cadaueribus,id est corruptione vitiorum.
Turris,id est Campanile,est nomen Domini iuxta Salomonem. Campanæ sunt Prædicatores
verbi Dei. Fenestræ vitreæ sunt viri spirituales,per quos cognitio Dei nobis lucescit. Interior deal-
10 batura significat munditiam cordium,exterior corporum. Altare tandem Christus. † Ex homi-
num autem malitia postea multa oriebantur scandala in ædificatione huiusmodi Templorum,
adeo vt fuere coacti multi Summi Pontifices statuere, ne infra certas canas apud Mendicantium
Monasteria, liceret templa ædificare, & adeo ad summum peruenit, vt fuerit coactus Bonifacius
11 Papa Octauus,in *cap. vnico de excessibus Prælat.* statuere, † ne Mendicātes etiam ipsi in aliqua Ciui-
tate,Castro,Villa,seu loco quocunque ad habitandum domus, vel loca quæcunque recipere,seu
hactenus recepta mutare, sine speciali sedis Apostolicæ licentia; & quia homines parum erāt ti-
morosi ordinationis Sanctæ sedis,adhuc ædificabant Monasteria huiusmodi, absque dictæ Sedis
licentia,propter quod multi clamores peruenerunt ad ipsam, adeo vt Clemens Papa Quintus
in Concilio Viennensi, idem Bonifacii Papæ Decretum confirmauit, adiiciens excommunicationis
pœnam ipso facto,in illud violantes,adeo vt nihil acquirere poterant Religiosi,aut ædificare abs-
que dictæ Sedis licentia, quod Postea à Iulio Papa Secundo, ac Leone Decimo fuit reuocatum,
immo ipse Iulius in suo *Breui* dato Romæ anno Domini 1504. XV. Kalend. Iunii ordinauit, quod
non obstantibus dicti Bonifacii, ac Clemētis ordinationibus, possent Fratres, si à Principe, Duce,
Marchione,Comite,vt aliquam domum dicti ordinis ædificent, requisiti fuerint Domum huius-
modi pro vsu & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis Generalis Obseruantiæ construi,&
12 ædificari, ac locum pro huiusmodi constructione oblatum recipi posse;† Fæl. tandem rec. Cle-
mēs Papa VIII. Anno Domini,1593. die 23. Iulii sua *Constitutione* decreuit,ne religiosi in quibusuis
Ciuitatibus, & locis nouæ Domus, & Monasteria, præsertim Mendicantium, erigantur,
nisi in eisdem ciuitatibus, & locis, aliarum Domorum, & Monasteriorum in eis degen-
tium habita ratione, commode sustentari posse dignoscantur; & locorum ordinarios non posse
licentiam ad nouos Conuentus, cuiuscunque etiam Mendicantium Ordinis in Ciuitatibus,
& locis eorum iurisdictioni subiectis erigendos impartiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eis-
13 dem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, † &
aliis interesse habentibus, & causa seruatis seruandis cognita, constiterit, in eisdem Ciuitatibus,
& locis nouos Conuentus huiusmodi erigendos sine aliorum detrimento commode sustentari
posse. Si igitur tot summi Pontifices prohibuerunt Ecclesiarum erectionem, absque sua,vel
14 ordinariorum licentia; † quæro an prohibuerint cultum Diuinum, vel eius augmentum;
non est dicendum, quod prohibeant, aut tardent, aut ipsum minuant, immo semper illud
augent; & si aliquando noluerint præbere talem licentiam aliqua de causa, ergo sunt Di-
uini cultus destructores? non valet profecto,quia si omne ens appetit sui conseruationem,persæ-
pe vnius templi ædificatio in loco non opportuno, destruit aliud sibi vicinum,vel saltem
15 impedit deuotionem alterius, adeo vt non sint multiplicanda entia sine necessitate. † Per hoc
igitur statutum non impeditur vllo modo ipse Diuinus cultus, sicut nonnulli asserunt,quia
idem fecissent etiam Decreta illa Pontificia; sed vnde inuenient isti, quod leges concedant a-
licui facultatem Ecclesias ædificandi in agro meo me inscio? Iulius Papa Secundus decreuit,si
Principes requirant Religiosos, & dent locum ædificandi, quod illum possint recipere;sed non
dicit,vt ipso Principe inscio possint ædificare; Clemens Papa Octauus decreuit,ne possint ædifi-
16 care,nisi vocatis interesse habentibus, † & si Princeps modo dicit habere interesse in erectione
Ecclesiarum, ratione supremi Dominii, quod habet in suo statu,& erigere Ecclesiam in vno lo-
co plus,quam in alio sibi esse detrimenti, nolent, ipsum vocari? si ædificare vellent in agro parti-
culari,nolent habere licentiam à Domino agri? maxime certe;cur non à Principe, qui omnium,
quæ sunt in suo Dominio est Dominus?habemus enim, *Petite,& accipietis,pulsate,& aperietur.* Ne-
17 mo potest cogi alienare fundum suum pro ædificanda Ecclesia, † nec in locum alienum inuito
Domino, licet Ecclesiam ædificare,& locum ipsum Religiosum facere,*lege prima,§ si. fumfructum;*
18 *& lege secunda,ff. de relig.* ergo neque ad hoc potest cogi Princeps, † qui est maioris auctoritatis,nec
plus subdito, quam ipsi licet, *leg. non est singulis, de regul. iur.* in hoc stat Principis interesse,pro suo
politico statu,quia non expedit,neque licet in locis,in quibus stat ciuitatum defensio, talia ad Di-
19 uinum cultum erigere,† quia persæpe potius talia loca profanantur,quam Deo consecrentur; im-
mo Ecclesiæ erectæ in locis suspectis alicuius fortalitii, pro ipsius securitate destruuntur, & modo
permittere,vt nullo habito respectu ad huiusmodi securitatem de nouo erigantur, esset profecto

stultum;

statutum; hinc dicit Cast. in *leg. nullus hæreticus, numero sexto*, *Cod. de Sum. Trinit.* &c. quod Ecclesia si
habet aliquod fortalitium, possunt Laici in tali fortalitio armare, & imponere gentes armorum
pro tuitione ipsius contra voluntatem Clericorum, ad quos pertinet; † quia non displicet 20
Deo si fiat in rebus Ecclesiasticis id, quod pertinet ad salutem multorum, & sine quo salus hu-
iusmodi non possit verisimiliter haberi, † quia *si Reges pietatis causa Ecclesias ædificabant*, vt inquit Di- 21
uus Cyrillus Archiepiscopus Hierosolymitanus, *non debet modo hoc contra pietatem militare.* sed est
dicendum hoc statutum potius iis, & Ecclesiæ commodum adiuuare, quam infringere, † cum hoc 22
etiam sit apud multos Christianos Principes, & præsertim Franciæ Regem, & Rempublicam
Genuensem; & absit, quod faciunt minimum quid, quod Summi Pontificis auctoritati, ac digni-
tati deroget, qui enim legeret *Pragmatica Regia*, tam Gallica, quam Hispana, † multa videret ali- 23
quando fieri pro bono Reipublicę regimine, quo secluso, non permitterentur, immo dicunt tan-
quam bonos Principes, ac boni communis gubernatores, Reipublicæque tutores, ac defensores,
omnia posse, quæ ad bonum statum, & gubernationem illius Reipublicæ, & regni recto regimi-
ni sunt conducibilia; † & licet etiam, ac expedit repellere vim vi, etiam armata manu remouere 24
omnia impedimenta quibus pax, tranquillitas, & bona regni gubernatio potest perturbari,
etiam si contra proprium patrem fuerit, etiam si in aliquo contrariatur voluntati Pontificiæ; † sed 25
non est Reipublicæ Venetæ intentio Summi Pontificis Decretis aduersari, sed potius Ecclesiæ fa-
uere, inspecto etiam fine Politico, & publica vtilitate; † quia non est prohibitio absoluta ædifi- 26
candi Ecclesias, sed solummodo sine suo beneplacito; cum non æquum sit, vt fundationes an-
tiquæ per nouas superuenientes impediantur, sed aptius & commodius custodiantur ad Dei cul-
tum, & honorem, † cum pii Principis sit paratus animus libenter suum assensum in huiusmodi æ- 27
dificatione quoque impartiri, vbi fuerit visum, hoc absque suo, & Reipublicæ præiudicio pro Di-
uini cultus augmento expedire; sicut post dicti statuti publicationem dedit licentiam multis, qui
hanc petierunt; videmus enim quod si Prælatus accipit aliquam administrationem, antequam e-
ius officio fungatur ratione temporalitatis tali officio annexæ in recognitionem Dominii à Deo
Principi seculari traditi, se debet eius aspectui præsentare, quasi ab ipso petat licentiam fungendi
officio suo in eius Dominio, *cap. cum lege, cap. electu 63. dist. c. Abbas, 18 quæst. 3.* adeo vt possimus dicere,
quod sicut Summus Pontifex habet indirectum Dominium in temporalibus, non quatenus
temporalia, sed solum quatenus suo fini spirituali inseruiunt, ita Princeps temporalis habet Do-
minium indirectum in spiritualibus, non quatenus spiritualia, † sed quatenus est Ecclesiæ defen- 28
sor, atque protector. Apud Hispanos etiã potestas Legatorum, seu Nuntiorum Apostolicæ Sedis
examinatur, vt possit cognosceri, quibus vti debeant dispensationibus, & commissionibus, ne
quid fiat in Reipublicæ dispendium; † idem fit apud Gallos, in quo nec Legatus quidem Papæ si- 29
ue lateralis, siue Missus, nequam auctoritate Papali exequi potest in regno, nisi prius permissio-
ne expressa habita à Rege, ac in aliis multis locis hoc obseruatur; si etiam Veneti volunt adhibere
suam licentiam in Ecclesiarũ ædificatione, non sunt reprehendendi, † quia non tollunt ordinem 30
Summorum Pontificum & Clementis Octaui, quin debeant etiam eam habere seruatis seruan-
dis à suo Ordinario loci, neque in aliquo minimo diminuitur Diuinus cultus, † quia tot sunt Ec- 31
clesiæ in Venetorum Dominio, habentes optimum patrimonium, quod si illi, qui fructus ex ipsis
recipiunt, facerent, quod decet, & nolent Ecclesiæ seruire per substitutum, vagando ipsi per or-
bem, piamque testantium mentem defraudando, magis eorum conscientiæ consulerent, &
Diuinus cultus augeretur quam per altarium erectionem. † Dicunt autem nonnulli, quod etiam 32
Imperatores ipsi aliquando petierunt à Sancta Sede facultatem erigendi templa, & eam minime
concedere voluerunt, modo autem volunt aliis ipsi talem impartiri facultatem, quasi supra Ec-
clesiam sint; huic obiectioni respondetur Rempublicam Venetam non esse supra Ecclesiam, sed
filiam Ecclesiæ, & in huiusmodi rebus, † non nego, quin semper spiritualis potestas sit consulen- 33
da, quæ per Reipubl. statutum nullo modo maculatur; sed per hoc non tollitur, quin Princeps Se-
cularis per superintendentiam generalem, quam habet in suo Dominio, non possit de hoc esse
conscius, non ratione spiritualitatis, quatenus illa res est ad diuinum cultum dicata; sed solummo-
do est quid materiale simpliciter quo ad situm, & tempus in aliquo statum Politicum valens im-
pedire, & de hoc modo considerata Ecclesia, non petiissent talem facultatem à Sede Apostolica
Impp. vel dicent nonnulli, quod hoc fecerunt Impp. illi ex quadam reuerentia, non autem ex de-
bito; quia habetur in *c. vlt. 96. d.* Boni Principis esse, ac religiosi Ecclesias contritas, atque conscissas
restaurare, nouasq; ædificare: † neq; statutum hoc disponit super Ecclesiis iam ædificatis, & erectis, 34
sed solummodo super erigendis, quæ sunt in potentia obiectiua, nullumque habent esse, quia nõ
entis nullæ sunt qualitates, † si enim fieret donatio Ecclesiæ nondum ædificatæ, talis donatio non 35
valeret, *cap. Abbate, extra de re iud.* per Ioan. Fa. In *leg prima, Cod. de Sacrosanct. Eccl.* Cardinalis Ægidius
Bellameræ *consil. 17. numero* 10 cum tamen sit adeo priuilegiata Ecclesia in huiusmodi donationi-
bus, hæc est ratio, quia sicut illud, cui facta est donatio, non habet esse, ita & ipsa donatio nullas
habebit vires, cum non sit ens aliquod ipsam recipiens, si igitur loquitur istud statutum solum-
modo de futuris † & disponit circa tempus, situm, & materiam, quæ omnia sunt temporalia, quo- 36
modo erit contra libertatem Ecclesiæ? Principes seculares sunt & ipsi à Deo ordinati ad tuendas
Ecclesias, cur igitur non debent esse conscii, an in tempus, vel extra, an in locum tutum, vel non

 tutum,

tutum, decentem, vel indecentem; an ex congrua materia, vel incongrua erigantur, & ædificentur? immo dicit Ludouicus Molina *de iust. & iur. tract. 2. disputat.* 31. quod Ecclesiastici neque iure Diuino, neque humano exempti sunt ab iis legibus ciuilibus, quæ non sunt contra libertatem Ecclesiæ, sed ad bonam Reipublicæ administrationem sunt institutæ, vt quibus prohibetur talis, & talis ratio ædificandi, & cum ipso multi consentiunt Doctores, adeo vt manifeste hoc statutum
37 validum est: quia modo non sumus in lege naturæ, † vt omnia sint communia, & possit vnusquisque vbi vult ædificare, quia rerum Dominia sunt distincta. Et profecto quietissimam vitam agerent homines, si tollerentur hæc duo pronomina, meum scilicet, & tuum: Cum igitur non sit factum hoc statutum, vt Diuinus cultus minuatur, sed vt vtrique Reipublicæ Ecclesiasticæ scilicet, & seculari consulatur, est dicendum valere, neque vllo modo dignitati, auctoritatique Apostolicæ, ac sacris Canonibus obstare.

SVMMARIVM.

1 *Republica Veneta tertium statutum.*
2 *Charitatis ordo est magis sibi, & suis prospicere quam alieno.*
3 *In suo loco, & de suo potest facere vnusquisque quod vult, nisi lege prohibeatur.*
4 *Hoc statutum non est factum ad Eccle' a iniuriam, sed ad secularium commodum.*
5 *Facultates cum subdito deficiunt, de facili Respublica destruitur.*
6 *Statutum in Republica fauorem factum, tenet etiam contra Clericos.*
7 *Papa, vt Papa non potest ordinarie iudicare de temporalibus.*
8 *Interest Republica diuites habere subditos.*
9 *Bona Ecclesia non possunt alienari inconsulto Romano Pontifice.*
10 *Æquitatis ratio est seruanda.*
11 *Æquum est, ne Laicorum bona in Ecclesiam alienentur inconsulto Principe seculari.*
12 *Lex debet esse aqualis, & omnibus communis.*
13 *Ad Principem spectat subditorum commoda procurare.*
14 *Papa non potest alterius iurisdictionem minuere, vel turbare.*
15 *Contrahentes in suis contractibus possunt apponere multas leges.*
16 *Potest priuatus ponere legem rei sua, ne transeat in Ecclesiam.*
17 *Maxima Regum potestas.*
18 *Non plus licet subdito, quam Principi.*
19 *Princeps est bonus paterfamilias.*
20 *Potest facere Princeps statuendo, quod pater testando.*
21 *Pater potest facere pactum, ne sua immobilia alienentur in Ecclesiam.*
22 *Maior est auctoritas statuti, quam pacti.*
23 *Principis patrimonium, tanquam Princeps est fiscus.*
24 *Respublica Veneta est perfectissima, à nulloq; superiori pendet.*
25 *Ducale Dominium Venetorum est sanctissimum iustitia & aquitatis simulachrum.*
26 *Respublica non recurrit ad superiorem pro confirmandis suis legibus.*
27 *Simile statutum habet Respublica Ecclesiastica pro suo temporali Dominio in nonnullis locis.*
28 *Ecclesia libertas qua proprie dicatur.*
29 *Hoc statutum non est contra priuilegia à Deo Ecclesia concessa.*
30 *Redditus possessionum Ecclesia, non debent in thesauros congregari.*
31 *Licet Ecclesiasticis habere possessiones.*
32 *Non sunt adstricti Ecclesia ministri ad paupertatem.*
33 *Hoc statutum non est contrarius Natura.*
34 *Hoc statutum non est contra priuilegia summorum Pontificum.*
35 *In regno Francia compelluntur Ecclesia ponere extra manum bona, qua de nouo acquirunt.*
36 *Hoc statutum est mere laicale.*
37 *Hoc statutum non est contra priuilegia Imperatorum.*
38 *Hoc statutum non priuat hominem sua libertate testandi.*
39 *Hoc statutum non est contra Authent. cassa, C. de sacrosanctis Ecclesiis.*
40 *Simile statutum fecit Moyses in lege veteri.*
41 *Princeps debet habere curam de sustentatione suorum subditorum.*
42 *Moysis statutum erat legale.*
43 *Moysis statutum à lege Euangelica non est reprobatum.*
44 *Christus non habuit summam paupertatem.*
45 *Diuitia valde impediunt consecutionem vltimi finis.*
46 *Valentiniani Imperatoris simile statutum.*
47 *Nicolai Boerii relatio.*
48 *Statutum hoc non prohibet absolute inire cum Ecclesiasticis.*
49 *Papa non potest infirmare leges Principum.*
50 *Priuilegia non sunt adeo late interpretanda, vt aliis inferant enorme praiudicium.*

51 Secun-

51 *Secundum varietatem temporum, priuilegia sunt varianda.*
52 *Ecclesia non debet locupletari cum aliena iactura.*
53 *Leges Imperatorum non obligant in Venetorum Dominio.*
54 *Alij Principes habent tale statutum.*
55 *Mediolani fuit disputatum olim. hoc statutum valere, nec esse contra libertatem Ecclesiæ.*
56 *A communi opinione recedi potest aliquando.*
57 *Solutio cuiusdam obiectionis.*

CAPVT SEPTIMVM.

NARRAT tertio loco Summus Pontifex, † *Ducem & Senatum Venetum sub die 26.* 1
mensis Martij anno 1605. inhærentes alteri Decreto anno 1536. ab eodem Senatu facto, in quo
(vt asserebant) erat expresse prohibitum, ne quis sub certis in illo contentis pœnis, in vrbe Vene-
tiarum, eiusque Ducatu bona immobilia ad pias causas, testamento, seu donatione inter viuos
relinqueret, aut alio quouis titulo alienaret, siue ad eorum fauorem vltra certum tunc expres-
sum tempus obligaret (quod in illam vsque diem, vt ibi etiam dicebatur, vsu receptum, & obseruatum non erat)
non modo iterum id vetuisse, sed expresse etiam prohibuisse ne bonorum eiusmodi immobilium alienationes in fa-
uorem personarum Ecclesiasticarum sine Senatus prædicti licentia fierent; ac insuper Decretum ipsum, & pœnas
in eo contentas per vniuersum eorum Dominium extendisse, & per Rectores, & Potestates Ciuitatum, & locorum
sui Dominij promulgari fecisse, atque bona immobilia omnia, quæ contra præmissorum formam vendi, aut quo-
uis modo alienari contingeret, vltra nullitatem pœnam, publicari & vendi, eorumque pretium inter Rempublicam
ipsam, Magistratum exequentem, & eius Ministros, ipsumque denuntiatorem diuidi mandasse, & alias, prout in
Decretis, & mandatis Ducis, & Senatus prædictorum latius dicitur contineri. Quæritur modo de vali-
ditate huius statuti an teneat, & an sit contra Ecclesiasticam libertatem; Respondeo absolute vale-
re, nec vllo modo contra ipsam Ecclesiasticam libertatem esse; neque iniquum esse, prout non-
nulli dicunt; † namque charitatis ordo est, magis sibi, & suis prospicere, quam alieno, iuxta illud, 2
prima charitas incipit à seipso, *cap. 1. de supplen. neglig. prælat. in 6.* & per hoc statutum prouidetur sub-
ditis secularibus, absque eo, quod Ecclesiæ redditus minuantur, non ergo iniquum appellari de-
bet, si ipsi charitas, & naturalis ratio fauet, *leg. præses,* & ibi glo. *C. de seru. & aq.* neque mittit falcem in
messem alienam, sed solum in subditos, & eorum bona temporalia, in quibus Papa non habet
plenitudinem potestatis, Bal. in *l. si aquam, num. 23. Cod. de seru. & aq.* si enim mandat alicui Laico si-
bi temporaliter non subiecto, vt alicui det rem suam, non tenetur ei obedire, Abbas in *cap. quæ in*
Ecclesiarum, numero 16. de constitut. † & certum est, quod in meo loco, & de meo possum facere quod 3
volo, cum in re sua vnusquisque sit legitimus moderator, & arbiter, *leg. in re mandata, Cod. mand.*
cap. de his, de sepult. quia paria sunt aliquid facere in meo loco, vel in meos subditos, arguendo de lo-
co ad personam, quod est licitum, nam ista sunt similia, locus, tempus, & persona, & persæpe de v-
no ad aliud arguimus, vt *leg. vinum, ff. si cert. petat.* Ioan. Calderin. *de constit. consi. 21. numero tertio.* Prin-
cipaliter vt mihi prosit, licet aliis per consequens noceam, *leg. Proculus, ff. de dam. infect.* vnde inquit
Castr. in *leg. fluminum, §. item videamus, num. 2. eodem tit.* quod potest quilibet in suo facere, quod sibi
placet, dum tamen non tangat de alieno, etiam si per hoc, quod facit, auferret vicino lucrum,
quod ex re ipsius facientis ad vicinum pertinebat; si autem mihi non prodesset, & aliis obesset, il-
lud facere nequeo, *leg. 2. §. in de Neratius, ff. de aqua plu. arcen.* † non enim est factum hoc statutum 4
ad Ecclesiæ iniuriam, sed ad secularium, & Principis commodum, *leg. Titius, §. 1. ff. de conditio & de-*
monstratio. & bonum cōmune est æquale bono Ecclesiarum, Glo. in *l. fin. C. de Sacrosanct. Eccles.* Bald.
consil. 396. volum. 3. Roland. *consil. 27. numero 16.* Euerardus *consil. 71.* cum æquiparentur inter se, Bald.
in *cap. Clerus, numero 2. de iud.* immo ciuitas tenetur ordinaria charitate magis sibi, & suis vtilitatibus
prouidere, quam Episcopo, Ioan. Calder. *de constit. consil. 21. numero 2.* & vt supra dixi, præualet vtili-
tas publica vtilitati Ecclesiæ, quia Ciuitas nō debet esse valde pauper. Anst. 2. *Polit.* ideo ratio com-
munis boni, non erit improbanda, sed præferenda, vt *l. 1. §. fin. C. de caduc. tollen.* huiusmodi autem
statutum causatum est sub ratione publici, & communis boni, videlicet vt subditi retineant res
suas immobiles, quæ pertinent ad rationem ipsius publici, & communis boni, vt per hoc sint ha-
biles ad onera publica subeunda, vt *l. ad subeunda, C. de decur.* † quibus facultatibus cum subdito de- 5
ficiunt de facili Respublica destruitur, vt *leg. 2. §. Præses. ff. de* ………… Signor. *consil. 21.* melius e-
nim defenditur per eos, qui habent immobilia, & tamen Ecclesia non substinet onera personalia,
cum maiorem fere partem eorum bonorum habeat, & quia hæc cessarent, si immobilia adhuc in
Ecclesiam alienarentur, ergo valet, † cum sit in Reipublicæ fauorem factum, etiam si esset contra 6
Clericos, Bald. in *cap. Sancta Maria, de Constitut.* Hipp. de Mars. in *Practica, §. aggredior, num. 72.*
text. est bonus in *§. fin. in Authent. de heredib. & fal.* ibi enim, *in omni persona, siue priuata, siue mi-*
litari, siue sacerdotali, vbi patet, quod dispositio Laicorum super eo, quod est honestum,
& Reipublicæ vtile, valet etiam quo ad Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, nec valet
dicere, quod sit dispositio iuris ciuilis, quæ nisi sit approbata à Summo Pontifice, Ecclesiis non
præiudicat in *cap. Sancta Maria, de constitut.* namque in terris, quæ non sunt Ecclesiæ, lex in mere
tempo-

7 temporalibus præualet Canoni, Bald. in *Authent. priuilegia, num. 3. de Sacrosanct. Eccles.* † & Papa vt
Papa non potest ordinarie iudicare de temporalibus, Bernard. ad Eugen. lib. primo, de Consider.
dicit, *habēt hæc infima, & terrena iudices suos Reges, & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? Quid falcē
vestram in alienam messem extenditis?* Item, *in criminibus non in possessionibus potestas vestra*. hæc Illustrissi-
mus Cardinalis Bellarm. *tomo primo tertiæ partis controuersiæ generalis, libro quinto, cap. quarto.* & Ludo-
uicus Molina *de iust. & iur. tractat. 2. disputat. 29.* habet, nefas esse Ecclesiasticis, præsertim Prælatis,
plus se immiscere ciuis, & negotiis temporalibus, quam postulat recta ratio, & quam patiatur
eorum cura, & munus in spiritualibus, cui ante omnia incumbere tenentur. cum igitur concernat
publicam vtilitatem, dicitur fauorabile, & pium, Lud. Rom. *consil. 23.* & dicitur constitutio specia-
8 lis, quæ fauet Reipublicæ. Hipp. de Mars. *dict. §. num. 65.* † quia interest Reipublicæ, Diuites ha-
bere subditos, gloss. in *§. fin. Instit. de his qui sunt sui, vel alien. iur.* immo in hoc valde gaudet fiscus ipsos
9 esse locupletes, vt in *Authent. vt iud. sine quoque suf. § primo:* † si enim Ecclesia suæ seruationi consulen-
do statuit, ne eius immobilia in Laicos possent alienari sine licentia superioris, vt *toto tit. de bon.
Eccles. non alien.* prout etiam Veneti habent statutum, vt nulla ipsorum immobilium Ecclesiæ va-
leat alienatio inconsulto Senatu, vt ipsi sua bona conseruent, cur etiam ipsi non poterunt hoc i-
dem facere eorum indemnitati prospiciendo, ne eorum immobilia Laicalia inconsulto ipso Se-
natu in Ecclesias alienentur? cum non possit quis petere in aliquo plus quam è conuerso est petitu-
rum ius in se ipso: *leg. ratas, Cod. de rescind. vend.* lex naturæ est, si quid quisque facit idem patiatur &
ipse, & rectum erit iudicium, Tiraquell. *de vtroq. retract. gloss. 13. numero sexto.* Vnde habet glossa in
cap. dilecti, de maior. & obedien. quod tibi vis fieri, mihi fac, quod non, mihi noli, sic potes in
terris viuere iure poli, Bald in *lege prima, decima parte, Co. de his, quæ pœn.* not. vt quis in alio non aliter
10 iudicet, q̃ in se iudicari vellet, † Vnde talis potest formari ratio, æquitatis ratio est seruanda, *l. proui-
dendum. Cod. de postul. & per totum ff. quod quisque iuris*; ex quo sic arguitur, quod quisque putat in sua
persona fore æquum, debet in alienigenam, & in personam proximi hoc idem reputare; vt *leg. si
duo, §. si quis, cum §. sequenti, ff. de iureiurando*, sed Ecclesia in sua persona putauit esse æquum, vt non
11 possit rem eius alienare in Laicum, nisi cum licentia sui superioris, & sub certa forma, † ergo & in
personam laici hoc idem debet reputare, ne eorum bona alienentur in Ecclesiam, nisi cum licen-
tia Senatus, nam quæcunque vult Princeps sibi iuste fieri, faciat aliis, Gemin. *consil. 96. numero 11.*
12 † lex enim debet esse æqualis, & communis omnibus, vt sit æqua, *cap. erit lex, 4. distinct. leg. fin. C. de
fruct. & lit. expen.* Franchus *decisio. 285. numero tertio*, & ideo inquit Felyn. in *cap. Ecclesia Sancta Maria,
colum. 34. vers. & ideo cum Clerici, de const.* quod cum Clerici non patiantur contra se statuta laicorum,
similiter nec Clerici possunt illa contra laicos allegare, quia quod alicuius fauore est inductū, non
debet in eius odium retorqueri, *leg. quod fauore, ff. de leg.* Est in Ecclesiæ fauorem inductum, vt non
possint eius immobilia, nisi certis conditionibus, alienari, neque potest in eius odium retorque-
ri, neque laici conqueruntur; ita hoc statutum est in fauorem laicorum inductum: vt æqualiter
non alienentur eorum bona, nisi certis conditionibus, non ideo debet modo in eius odium retor-
queri ipsum Clerici infringendo, vel conquerendo, cur in hoc debent esse laici deterioris condi-
tionis, quam clerici? aliena enim acquirere volunt, sua autem aliis dare recusant; nec ideo ad eo-
13 rum iniuriam debent adscribere, † cum ad officium Principis spectet priuatorum commoda pro-
curare. Mar. Soc *consil 60. numero 30* & bonus Princeps commodum subditorum solet proprium
existimare, *leg. vnica, §. fin. C. de caduc. tollen.* cum habeat curam de vtilitate ipsorum, Socin. *dicto
consilio, numero 34.* & ille est bonus Princeps, qui subditorum curam habet, & bene operatur, quem-
admodum Pastor ouium, quia regnum non est propter Regem, sed Rex propter regnum,
ad hoc enim Deus prouidit de eis, vt regnum regant, & gubernēt, & vnumquemque in suo statu
conseruent, Spec. Romanorum Pontificum, *capit. 54. numero 52.* Et tunc secundum Platonem.
Fœlix, & beata est dicenda Respublica, quando Sapientes efficiuntur Reges, vel Reges efficiuntur Sapientes. Sicut
igitur Laici non possunt tollere libertatem Clericorum, ita nec Clerici libertatem Laicorum,
14 Baldus *consilio 96. numero tertio, volumine quarto*, † quia non potest Papa iurisdictionem alterius mi-
nuere, vel turbare, Ancha. in *capit. nouit, numero secundo, de iudic.* sicut è contra; nam Ozias fuit lepra
percussus à Deo, quia Sacerdotum officia vsurpare voluit, sic Sacerdotibus, & Prophetis Regum
vsurpare officia non licuit, *capit. nos si incompetenter, 2. quæstione septima*, cum sint iurisdictiones di-
stinctæ, licet vna altera præstantior, debet tamen vna potestas alteram adiuuare, *ca. si in adiutorium,
10. dist.* & non destruere.

15 † Præterea contrahentes in suis contractibus, & rebus suis possunt legem apponere, ne
super dictis rebus ineatur commercium certo hominum genere, vt *leg. sed si pupillus, §. item si
plures, ff. de institut.* imo Princeps potest statuere, ne testatores faciant hæredes externos, & foren-
ses, vt manifeste respondit Dec. in *consil. 661. colum. 1.* & sine controuersia admittit Ruinus in *consil.
47. num. 4. li. 3.* immo decretum, & lex Principis prohibens generaliter alienationes quouis titulo
in externos, & forenses comprehendit etiam alienationes vltimis dispositionibus factas, quemad-
modum tradunt Imola in *leg. si ita quis, §. ea lege, de verb. oblig.* & ibidem copiose Ias. *numero 46.* Curt.
Senior *consil. 74. colum. 30. versic. septimo principaliter*, Opizonus in *leg. filiusfamilias, §. Diui, numero 172.*
16 *de leg. 1.* Dec. *cons. 660. numero* 8. Bald. *consil. 349 statuto Placentiæ, in fine, lib. primo*, † potest etiam priua-
tus imponere legem rei suæ, ne transeat in Ecclesiam, *l. si ita quis, § ea lege*; cum gloss. *ff. de verb. oblig.*

& si

& ſi poteſt priuatus, multo magis ſtatutum, Bart. in *leg. ſi diuina, numero tertio, Cod. de exact. tribut. libro*
decimo, quia habet Sotus *de iuſtit. & iur. lib. quarto, quaſt. 5. articulo primo*, quod non ſolum lex Diuina,
verum etiam humana poteſt impedire translationem Dominiorum, tam cohibendo Domini vo-
luntatem ne det, quam adimendo alteri facultatem, ne recipiat, vt de multa ſunt perſonarum ge-
nera, quæ prohibentur alienare, & ſi ſi fiant de facto ſunt irritæ, & nullæ, quia quod de iure dari
non poteſt, habetur pro non dato *cap quod autem de iur. patronat.* cum concordantiis allegatis per
Abbatem in *cap. 2. de reb. Eccleſ. non alien.* cum concordantiis allegatis per And. de Iſern. in *cap. 1. §.*
præterea, quæ ſit prima cauſa benef. amit. Matthæus de Afflictis in *Deciſionibus Neapolitanis, deciſio. 351.*
numero vigeſimo quarto. † maxima profecto eſt data Regibus poteſtas, habetur 1. Reg. cap. 8. *Hoc erit* 17
ius regis, qui imperaturus eſt vobis; Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, &c. *Agros quoque veſtros, & vi-*
neas, & olíueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis, ſed & ſegetes veſtras, & vinearum redditus addecimabit, &c.
† adeo vt non plus ſubdito, immo minus quam Principi liceat, *leg. non eſt ſingulis, de regul. iur.* quia 18
quicquid facit, facit vt Deus in *Authent de hared & Falcid.* Boſius, *tit. de Principe, numero ſeptuageſimo*,
dicitur enim regnum eſſe familiam Iconomiam, & Xenephon in *octauo de Padia Cyri* dixit, Princi-
pem bonum à bono patre nihil differe; ſi conſideremus bonum patremfamilias,
recte in Iconomia inſtructum, videbimus, debere eſſe ſuæ familiæ exaltationem, præſentia conſu-
lendo, præterita rememorando, futura quoque proſpiciendo, & ex his recte inſpectis, familiæ ac
poſteris ſuis ea dare præcepta, & leges poterit, per quæ ne dicam minuatur, ſed magis exaltetur,
ſemper ad meliora proficiendo, & quia familiæ cōſeruatio poſita eſt in immobilium quãtitate, or-
dinat, diſponit, ac ſtatuit per pacta, inſtrumenta, codicillos, ac vltimas voluntates, ne eius poſteri
poſſint relicta immobilia grauare, diſtrahere, vel alienare, faciendo fideicōmiſſa, & alia, put expe-
dit tali conſeruationi, ad hoc, vt ſi aliquod infortunium ipſi acciderit, poſſit ſibi ipſi de ſuo proui-
dere, abſque eo, quod eant per mendicata ſuffragia: † ita etiam Princeps, qui eſt bonus paterfami- 19
lias, cui incumbit ſui regni exaltatio, ad futura proſpiciens, optima prouidentia per leges, & ſtatu-
ta debet curare conſeruationem ſuorum immobilium, in quo ſtant vires ſui regni, ne ipſa ſubditi
diſtrahant, aut alienent; ne forte occaſione belli, ſi ipſis eſſet priuatus, poſſet ſibi ipſi, ac regno con-
ſulere, quia eſſet neceſſe ſuccumbere, & ſic eſſet ſui regni deſtructio potius, quam exaltatio; hinc
Tullius de amicitia; *non minoris cura eſt mihi qualis poſt mortem meam Reſpublica futura ſit, quam qualis ſit*
hodie. † Poteſt igitur Princeps tanquam bonus Paterfamilias facere ſtatuendo, quo ad ſuos ſub- 20
ditos, quicquid poteſt facere pater teſtando, Bald. in *leg. fin. Cod. de pactis*, Anch. in *repet. ſuper capit.*
Canonum ſtatuta, num 160. cum ſtatuta æquiparentur vltimæ voluntati, Curt. *conſil. 27. numero vndeci-*
mo, immo maior eſt ſtatuentium poteſtas, quam teſtatoris, *leg. nemo poteſt, ff de leg.* Mar. Soc. *conſil. 25.*
num. 12. † Et ſi ipſe pater poteſt facere pacta, ne ſua immobilia transferantur in Eccleſiam, vt not. 21
per glo. in *l. ſi ita quis, § lege, de verb oblig.* & probatur in *leg. fin. C. de pact. inter empt.* igitur idem poterit
facere Princeps per ſtatutum, † quia maior eſt auctoritas ſtatuti, quam pacti, vt per Gloſ. in *rubr.* C. 22
de Decur libro decimo, not. in *leg. ſi non impoſſibile. ff. de pact.* Dec. in *cap. Eccleſia Sancta Maria, numero 249.*
de Conſt. Sic igitur pōt formari ratio, priuat⁹ poteſt ordinare ne eius patrimoniũ, & bona cadant in
Eccleſiam, vt ſupra eſt probatum. ergo multo magis & Princeps, qui eſt maioris auctoritatis, pote-
rit ſtatuere, ne eius patrimonium, & bona cadant in Eccleſiam, † quia Principis patrimonium, 23
tanquam Princeps, eſt fiſcus, ad quem ſpectat habere curam de bonis ſubditorum, cum ſint de
eius iuriſdictione, *leg. procurator, Cod de eden. lege ſecunda, § hoc interdum, ff. ne quid in loco publ.* Alexan.
conſil. quinto, numero 5. volumine quarto, quare cauſa fiſci eſt magis priuilegiata, quam ſint alia debita
publica. § *publicorum, Authent. de mand. Princip.* Bald. *conſil. 400. libro primo*, Ioan. Baptiſta Coſta
conſil. 21. numero decimo, iuditi enim dicuntur eſſe aliqualiter Principis, Toſtatus in *Geneſ. cap. vigeſimo*,
immo omnia ſunt Principis, Sotus *de iuſt. & iur. libr. quarto, quaſt 4. artic. primo*, eum de eorum bonis
debeat ſuſtentari. Toſtat. in *Exodum cap. 20. quaſt. 19.* & ſi hoc poteſt fieri per particulares, & Ciues,
quanto magis per Principem, qui eſt caput, Idem in *Ioſue cap. 96. quaſt. 2.* & ſi poſſunt hoc ſubditi,
qui ſunt filii pro ſuo intereſſe particulari, vt bona conſeruentur in familia, quanto magis Princeps,
qui eſt pater pro conſeruatione ſui Status, Idem in *Geneſ. cap. 23.* Euerardus, *conſil. 71.* cum bonum
publicum priuato præferatur, *leg. actionem, §. Labeo. ff pro ſocio, leg. vtilitas, Cod. de princ. libr. 12.* & ſi hoc
poſſunt facere particulares perſonæ, quanto magis Princeps, qui eſt Deus in terris, Cagnolus in *l.*
ſi quis maior, nume. 64. Vnde ſi Reſpublica Venetorum non eſſet ſibi ad omnia ſufficiens, & integra
in omnibus, quæ ad debitam gubernationem pertinent, ita vt ex ſe non poſſit omnia ſtatuere pro
ſui Status optimo regimine, ſed ad alium ſuperiorem deberet recurrere, non eſſet Reſpublica
perfecta, † quæ tamen eſt perfectiſſima, cum à nullo ſuperiori pendeat, Bannes in *22. quaſtio. 40.* 24
articulo primo, dubio ſecundo. Vnde habet Mantua *lib. Gymnaſii Scholaſtici*, verbo, *Venetia*, Veneti
in terris ſuis funguntur ſuo iure, neminem in ſuperiorem cognoſcunt, niſi ſolum Deum, prout
etiam in eorum monetis ſcribitur ibi, *Soli Deo*, vel *Tibi ſoli*, ex quo miraculoſiſſima eorum Ciuitas,
fundata eſt in Mari, & iure gentium, & ciuilia, & omnia alia ſua, *in l. in tantum, ff. de re. diu.* Bald. pul-
chre in *rubr. eodem titulo, columna quarta*, & quia rurſum ooo eſt fundata in ſolo iuris alicuius, libera
eſt, & libertatis Domina, ac Regina, inquit Aluar. *in c. primo, in principio, colum. penult. quis dic. Dux. co.*
vel mar. in vſibus, & ibi Iaſon *colum. tertia, & in leg. hoc iure, 4. ff. de iuſtit. & iure*, & Barb. *conſil. 60. col. 4.*
vol. 1. † quod Ducale Dominium eorum reputatur Sanctiſſimum Iuſtitiæ, & æquitatis ſimulacrum, 25

poteſt-

poteſtque de vrbe ipſa dici, quod de Roma aiunt, quod ſit totius orbis compendium,& Fulgo-
ſius *conſil 61.* Venetorum Rempublicam nouam appellat Romam; ideo quælibet Reſpublica ha-
bet naturalem inclinationem ad remouendum nocumenta, Diuus Thomas *2.2. quæſtion.108.artic.*
& videmus quod propter poſſeſſionum irregularitatem plures Ciuitates deſtruuntur, Ariſtot.
2. *Polit.cap.7.* non enim poteſtas ciuilis ſic pendet à ſpirituali, vt ab illa inſtituatur, ſuamque acci-
piat facultatem, niſi in Diuinis legibus, Sotus *de iuſtit. & iure, lib.4.quæſt quarta, artic.primo.* quia fi-
delitas, quam per Baptiſmum aſſumpſit, naturam non deſtruxit, ſed perfecit, Sotus *ibi*, ideo habet
Ludouicus Molina *de iuſt. & iur. tractat. 2. diſputat. 29.* quod non ita inſtituit Chriſtus Summum
Pontificatum, vt à ſummo Pontifice acciperent homines ſua iura, & Dominia, imo neq; vt ab eo in
26 illis penderent, id enim minime expediebat. †Pro tuenda igitur & adminiſtranda ſua Republica,
poterit facere Princeps huiuſmodi ſtatutum, abſque eo, quod ad Superiorem recurrat; quilibet e-
27 nim Rex eſt Monarcha in regno ſuo, Spec. Romanorum Pontif. &c. *cap.54.num.30.* †quia ſimi-
le habet Reſpublica Eccleſiaſtica, vt ſupra diximus, pro ſui conſeruatione non ſolum pro ſtatu ſpi-
28 rituali, ſed etiam pro politico, vt almæ Lauretanæ Domus, & alibi. †Præterea Eccleſiaſtica liber-
tas proprie dicitur, quomodo habet priuilegium, per quod non tractatur communiter cum aliis,
ſed vtitur iure ſpeciali, Dec. in *Authent. caſſa, nu.18. C.de Sacroſ.Eccleſ.* quæ quidem illi fuere cōceſſa à
Deo, Summis Pōtificibus, & Imperatorib. Abbas in *conſ.63.n.1.* Dec.in *c.Sancta Maria, de conſt.* primo
fuit à Deo Eccleſiæ conceſſum, vt ſola ipſa adminiſtraret res Eccleſiaſticas, *cap.ſi imperator. 96.di-
ſtinct. cap. fin. de rebus Eccleſiaſticis non alien.* Deinde eſt conceſſum, vt de rebus, & iuribus ſpirituali-
bus Eccleſia habeat ius ſtatuendi, *capit.denique, cap.cum verum, 96.d.* ſtatutum huiuſmodi non eſt de
Eccleſiaſticis, ſed ſecularibus rebus, non ſpiritualibus, ſed temporalibus rebus, non Eccleſiæ quæſi-
tis, ſed quærendis, immo in lege ſcripta fuere conceſſæ omnium Decimæ Leuiticis pro eorum mi-
niſterio; & nil vltra fuit à Deo præceptum, vt haberēt, vt habetur *Num.cap.18.* adeo vt poſſeſſiones
agri, & alia immobilia non fuerint ipſis conceſſa, neque reperitur in lege Euangelica, hoc fuiſſe
conceſſum, quia Chriſti fideles in primordiis Eccleſiæ omnia in commune conferebant, vt inde
tam Clerici, quam pauperes alerentur, de quo ritu habetur Actuum quarto, non fuiſſe quēquam
inter illos egentem, nam quotquot poſſeſſiones agrorum, aut domorum habebant, vendentes of-
ferebant precia ante pedes Apoſtolorum, diuidebantur autem ſingulis, prout cuique opus erat: &
quamuis illud inſtitutum Hieruſolymis ortum habuerit, inualuit tamen inde mos in Chriſtianiſ-
mo, vt partem ſaltem bonorum in cœtum Clericorum eodem fine Chriſtiani conferrent, neque
poſſeſſiones venderentur, ſed permanerent in Eccleſia, ait enim Melchiades Papa in *cap. futu-
ram, 12. quæſtione prima*, quod cum Apoſtoli futuram Eccleſiam in gentibus præuidiſſent, idcirco
prædia in Iudæa minime ſunt adepti, ſed precia rantummodo ad fouendas gentes; at vero cum
Eccleſia ſuccreſceret, omnes, vt maxime de Conſtantino Cæſare conſtat, non ſolum precia, ſed
poſſeſſiones Eccleſiæ conferebant, & Vrbanus cap.ſtatim proximo, *videntes*, inquit, *Summi Ponti-
fices plus vtilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates, & agros, quos vendebant, Eccleſiis quibus præſidebant Epiſcopi
traderent, eo quod ex ſumptibus eorum tam præſentibus, quam futuris temporibus plura, & elegantiora miniſtra-
re poſſent fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex precio ipſorum cœperunt prædia, & agros, quos ven-
dere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus earum viuere*, hæc ille, adeo vt, cum non inuenia-
mus in lege ſcripta, neque Euangelica à Deo præceptum Eccleſias habere poſſeſſiones, &
29 prædia; †Ideo eſt dicendum, hoc ſtatutum non eſſe contra priuilegia ipſi à Deo conceſſa, immo,
eſt valde conforme huiuſmodi diſpoſitioni Summorum Pontificum, per quam receperunt a-
gros, & poſſeſſiones, vt indigentibus auxiliarentur, & ratio ſic poteſt formari, illa diſpoſitio non
eſt improbanda, per quam quis iuuatur ad bonum, ſeu ad melius, quod ſine ea non eſſet, vt *leg.
prima poſt princip ff de iuſtitia. & iure.* ſic è conuerſo illa diſpoſitio eſt improbanda, ex qua quis adiu-
uatur ad malum, vt *leg conuenire ff. de pact.* modo ex propoſito, ex quo ſubditus prohibetur alienare
in perſonam Eccleſiaſticam, dicta perſona Eccleſiaſtica inuitatur ad melius occaſione dicti
ſtatuti, quod ſi non eſſet prohibitio per dictum ſtatutum facta, dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ ve-
riſimiliter deſiderabunt accumulare venenum ſupra venenum, hoc eſt diuitias, ſupra diuitias, &
de facili propter emptiones prædiorum inhærebunt operibus ruſticanis, & de facili deuia-
bunt à Diuino cultu, vt *leg. miles, ff. de re milit.* Ideo Deus noluit Leuitas in lege veteri habere im-
mobilia & poſſeſſiones, ne occuparentur circa agriculturam, ſed vacarent Diuinis Miniſteriis,
Toſtat.in *1.Paralip.cap.26. quæſtione 47.* ſed exiſtente dicto ſtatuto, videntes perſonæ Eccleſiaſticæ,
quod earum pecuniæ faciliter non conuertuntur ad emptiones prædiorum, inuabuntur ad meli-
lius, videlicet ad diſtributionem in pauperes, atque egentes, ad quam tenentur, vt *leg. 2. C.de Epiſc.
& Cler.* ergo eſt ipſi valde conforme, qui enim aliud poſſidere vult quam Deum, cum Deo par-
tē non habet, ſecundum Hieron.in *Epiſt.ad Nepot. de vita Cler.* & ibi ignominia Sacerdotū propriis
ſtudere diuitiis, & nemo poteſt gaudere cum ſæculo, & regnare cum Chriſto, D. Aug.in *Expoſitio-
ne Epiſt.B.Ioan tract.10.* aſſerit hoc Concilium Cabilonenſe tempore Caroli Magni celebratum. O-
portet etiam, vt ſi quando Sacerdotes fruges, vel quoſdam redditus terræ congregant, & prote-
lant, non ideo hoc faciant, vt carius vendant, & theſauros congregent, ſed & pauperibus tempore
neceſſitatis ſubueniant. Ideo inquit Apoſtolus 1.ad Tim.2. *Habentes alimēta, & quibus tegamur, his cō-
tenti ſumus; nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria multa inuti-
lia, & nociua, quæ mergūt hominem in interitum, & perditionem, radix omnium malorum, cupiditas quā quidā*
appe-

appetentes erraverunt à Fide, & inseruerunt se doloribus multis; Tu autem ò homo Dei hæc fuge, sectare vero
Iustitiam, &c. hæc ille. & Cicero de Officiis, *Quod cuiq; obtigit, id quisq; teneat, & si quisq; plus appe-*
tet, violabit Ius humanæ societatis, & Seneca, *Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est, contra au-*
tem, omnia nimium habet, qui nihil concupiscit. Valerius Maximus, *Velut brevi esse diuites: tantum cu-*
piditati iam studeant demere, quantum addere cumulo hactenus studuerunt. viuant præcor ad legem, na-
turæ, quæ paucis, minimisq; contenta est, non ad opinionem, quæ semper cogitere esse ipsos
pauperes; necessitas quidem breuibus clauditur terminis, opinio nullis, necessaria ipsis pas-
sim exposita, parataq; sunt, ad superflua modo laborant; debent enim pecunias, quas in pos-
sessionibus vellent innestire, pauperibus erogare, prout ex præcepto tenentur, & si hoc adim-
plere minime volunt, dicamus, *pecunia tua sit in perditionem tuam*: non † enim nego Ecclesiasti- 31
cis habere possessiones licere, quia esset error Vvicleff, vt refert Thom. Vvalden. *tom. 1. lib. 4.*
quæstio. 93. male enim de Fide Catholica illum audire necesse est, qui huiusmodi Ecclesiasti-
cas possessiones, aut contra Ius Diuinum donatas esse, aut non omni rationi, & religioni con-
sentaneas esse: Sotus *de iustitia, & iure, lib. 10. quæst. 4. artic. 5.* prout dicebat Lutherus, licet dicat
Alberic. in *l. bene à Zenone, num. 24. C. de quadrien. præscriptio.* quod quando Constantinus Impe-
rator Beato Syluestro donationem fecit illarum Ciuitatum, quæ habet Ecclesia, fuit vox au-
dita de Cœlo, dicens: *Hodie seminatum est venenum aspidum in Ecclesia Dei*, & hoc dicit reperiri in
antiquis authenticis scripturis. Potest enim haberi perfecta charitas inter magnas diuitias, si-
cut fuit in Abraam, Petrus Soto *lib. de Instruct. Sacerdot. tit. de bonis Eccles. & eorum vsu, lect. 3.* † Nec 32
sunt adstricti Sacerdotes, aut alii Ecclesiæ Ministri ad paupertatem, *cap. Episcopi, in quæstio. 1.* ad
quam eos non obligat quæcunque status perfectio, ad quam tenentur, D. Thom. *2. 2. quæstio.*
186. art. 6. & 7. nam in paupertate, & carentia bonorum temporalium perfectio Christiana
non est posita, Petrus Soto *ibi*, sed bene cupiditas habendi repugnat secundum Apostolum, si
enim essent Ecclesiæ Prælati, & Religiosi omnes, sicut Petrus, August. &c. vt sua sanctitate
pollerent à Christiano populo beneuolentiam, & reuerentiam, captare, forsan non esset Eccle-
siæ huiusmodi subsidiis temporalibus opus fulciri, Dominicus Sotus, *de iustit. & iure, lib. 10.*
quæstio. 4. artic. 5. nec ex hoc est deterioratus eius status, quia facultas faciendi miracula non
prouide in Ecclesia modo est, atque in Apostolis extitit, si eadem prorsus esset necessitas, & si
ratio id modo exigeret, non deberet Deus manum habere occlusam. Sotus *eodem lib. quæst. 1.*
† Præterea non potest dici, quod hoc statutum sit contra Ius naturæ, quia illo iure omnia sunt 33
communia, capitul. quo iure, octaua distinctione, capitul. dilectissimis, duod. quæstione pri-
ma. † Neque est contra priuilegia Summorum Pontificum, namque Alexand. Papa IV. fe- 34
cit rescriptum nonnullis Regni Franciæ Episcopis, vt habetur *ca. primo, de immunitat. Eccles. in*
sexto, quo loco habetur, quod nonnulli Domini temporales multa onera, collectas, talias, &
alia ipsis imponebant, & præsertim bona acquisita cogebant ponere extra manum, Summus
autem Pontifex qui tutelam, & curam omnium Ecclesiarum habet, consulens ipsorum inde-
mnitati declarauit, non licere ipsis Principibus aliquatenus coarctare ipsas Ecclesias ad distra-
hendum, vel alienandum, aut extra manum ponendum acquisita iam, vel quæ deinceps ac-
quirent. Sed dicunt nonnulli, prout ibi refert gl. quod hoc *cap.* non seruatur † in Regno 35
Franciæ, quia compelluntur Ecclesiæ ponere extra manum bona, quæ de nouo acquirunt;
& secundum Ioann. Andream, in dicta gloss. de illis possessionibus intelligitur, per quæ nihil
Domino temporali soluitur, potest quilibet eas transferre in Ecclesiam, nec ipse Dominus
temporalis potest compellere Ecclesiam ad ponendum extra manum, sed ad ea, ad quæ ha-
bet aliquod ius poterit impedire huiusmodi acquisitionem, vel compellere Ecclesiam, vt po-
nat illas extra manum, quia possunt laici super Ecclesiæ quærendis statuere, Iason. in §. *Diui,*
de legatu primo, numero 80. & ex Aristot. *7. Polit. cap. 7.* oportet Rempublicam, quæ duratura sit,
velle vt omnes Ciuitatis partes constent, atq; in suo statu permaneant, & *2. Polit. cap. 5.* apud
nonnullos lege cauetur, vt non quantum quisq; velit, sed quantum lex permittit agros possi-
deant; eadem quoq; ratione proprias facultates alienare leges vetant, sed etiam in lege vete-
ri, vt inferius videbimus, immobilia Sanctuario relicta, erant ex præcepto extra manum po-
nenda; Deinde est in *c. Sancta Maria, de constit.* quo cauetur, ne statutum generale Laicorum
ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas, vel earum immobilia in earum præiudicium exten-
datur, nisi illud sit à Romano Pontifice confirmatum; † hoc autem statutum nostrum est 36
mere laicale, quia disponit de personis, & rebus mere laicalibus, quæ cum sortiantur forum
seculare, etiam ligantur foro seculari, cum à pari procedant, vt not. Inn. in *rub. in fin. de consuetud.*
Dec. in *cap. Sancta Maria, numero 18. de constit.* & bona sequuntur personam, *l. prima, C. sine censu vel reliq.* (*impossit lu-*
crat. descripti.) Hipp. de Marl. in *l. fina. nume. 187. de iurisdict. omnium iudic.* statutum enim laico-
rum valet in quærendis in præiudicium Ecclesiæ, & Clericorum, Dec. *eodem cap. numero 240.*
Abb. *consi. 26. prima parte, numero primo*, & cum maxima sit differentia inter quæsita, & quæren-
da, non licet ab vno ad aliud arguere, Bald. in *capit. quæ in Ecclesiarum, numero 8. de constitut.* ac in-
telligitur illud. *cap. Sancta Maria*, de bonis pleno iure in Ecclesiam, non autem de his, quæ nul-
lo iure sunt ipsius Ecclesiæ, & ita intelliguntur alii multi Sacri Canones, præsertim sub *tit. de*
sed. & reb. Eccles. non aliena. quia in rebus temporalibus Domini temporales habent plenitudi-
nem potestatis. Mar. Soc. *consil. 68. num. 8.* in quibus non habet Papa talem plenitudinem,

Bal. in *l. si aquam, n. 23. C. de seruit. & aqu.* sicut baber in spiritualibus, Alexan. *cons. 2. nu. 18. volum.*
primo, vnde valet statutum quo cauetur, quod ingrediens Monasterium non succedat, quia
nō disponit circa Clericū, sed circa Laicū, nam Laicus est qui ingreditur, sicut viuens moritur,
37 Ancha. *super repetitione, c. Canonū statuta, n. 160. de Constit.* † Neq; est cōtra priuilegia Imperatorū,
namq; concesserunt liberā facultatem donandi, & relinquendi Ecclesiæ, *l. 1 l. illud, & l. fin. C. de*
38 *Sacros. Eccl.* † hoc autem statutum non priuat hominē sua libertate restandi, quia vult vt Eccle-
siis possit relinqui, & hæres institui, *d. l. 1.* vt scilicet etiam si in infinitum ipsi relinqueretur, vt in
Authen. de non alien. bonis, §. finimus, Hostiens. in *Rubrica, de Sacrosanctis Ecclesiis, n. 7.* si autem obuia-
ret ipsi relinqui, & hæredem institui absolute, absq; vlla publica necessitate, hinc esset cōtra li-
bertatem Ecclesiæ. Anchar. *cons. 61. n. 2.* sed vult vt relinquatur; immobilia autē ipsi relicta in-
fra terminatum tempus debeant vendi, preciumq; succedit loco rei, Tiraq. *de vtroq. retract pag.*
mihi 25. n. 10. neq; præiudiciū est considerabile, cum non perditur lucrum, quod differt à damni
illatione, *L. proculus, ff. de damn. infect.* Io. Baptista Costa, *Cons. 3. n. 29.* † Neq; est contra *Auth. cassa, de*
39 *Sacrosanct. Eccl.* per quam irritat Imp. omnia statuta contra Ecclesiæ libertatem *ca. nouit, cap. gra-*
uem, de sententia excomm. quæ constitutiones supponunt libertatem ad testandum, Bald. in *cons.*
374. vol. 1. & intelliguntur de statuto facto ab inferiore à Principe, Curt. *cons. 27. num. 11.* & de
libertate, quę proprie Ecclesiæ competit, vt sunt res spirituales, non autē temporalia quæ sunt
de consideratione Principis temporalis. Lex enim vel statutum potest prohibere aliquem te-
stari saltem de certis rebus fauore alicuius, Abb. *cons. 63. n. 7. prima parte*, quia ius spirituale facit
cessare ius commune, Rota in *nouis de appell. dec. 64. n. 3.* namque illa lex non est contra liberta-
tem Ecclesiæ. per quam limitatur potestas subiectorum, vt not. expresse Iac. de Butrio in dicta
Authent. Cassa, & quod dictum est verum, quantumcunq; limitatio illa tenderet in priuatio-
nem lucri personarum Ecclesiasticarum, vt *l. prima, Cod. ad municip. ff. ad l. Fal. & leg. si quis ad decli-*
nandum, C. de Episcopis & Cler. sed ex prædicto statuto limitatur potestas subiectorum per respe-
ctum ad res subiectas, ergo non debet censeri contra libertatem Ecclesiæ, immo videmus per
leges esse statutum, vt fauore piæ causæ nec etiam possint damnati ad mortem testari, Ioan-
nes Andreas in *c. 2. de vsu. in 6.* ideo tale statutum, sic inhabiles subditos reddens ad testandum
de immobilibus vltra tres annos in fauorem Ecclesiarum, non erit contra libertatem Eccle-
siæ, Abb. *cons. 63. n. 7. prima parte*, quia immobilia secundum leges spectant ad filios, fratres, ne-
potes, & alios, & tandem quando finitur familia ad fiscum, & vbicunq; lex simpliciter defert
aliqua bona, vel certam quotam bonorum alicui ex bonis alterius, ille sic præaggrauatus, ne-
quit etiam ad pias causas de talibus bonis testari, nec Ecclesia debet talium bona recipere, vt
aperte probatur in *c. fin. 17. quæst. 4.* vbi inquit Aug. *quicumque vult exhæredato filio, hæredem facere*
Ecclesiam, quærat alium qui suscipiat, nō Augustinū. immo Deo propitio neminem inueniet, &c. Nico. Euer-
hardus *consil. 71.* potest enim Ecclesia beneficiari in mobilibus cum sit iam sufficienter de im-
mobilibus beneficiata, immo, & de ipsis etiā, sed ad tempus solummodo, postea vt cadant in
filios, & proximos, ne paupertate laborent, cum Deus mandet pauperibus subueniendum,
& Ecclesia teneatur de bonis suis ipsis prouidere; *c. fin. 16. quæst. 1.* fortius non debet eius bona
per legem delata auferre Abb. *d. cons. 63.* aliter progressu temporis sequeretur, quod sicut Lai-
ci de bonis suis in primitiua Ecclesia Clericos alebant, & Ecclesias dotabant cum nihil habe-
rent in bonis, ita Clerici Laicos alerent, & eorum filias dotarent, quia omnia caderent in Ec-
clesiam, & Laici nihil haberent, cum ipsi omnia possint acquirere, & immobilia non possunt
alienare amplius, nec bona mobilia etiam donare, ex *constitutione* fe. re. Clementis VIII. quia
Ecclesia est immortalis, nec religiosi sunt domini bonorum Ecclesiæ, quapropter Arist. *in E-*
pist. quam dicitur scripsisse Alexandro, dixit, *oportet Regem futura cogitare, & futuris casibus pruden-*
ter prouidere. & 2. Polit. c. 5. *regulatio possessionum multum confert ad conseruationem ciuitatis, vel gentis.*
vnde sicut ipse dicit, apud quasdam gentilium Ciuitates statutum fuit, vt nullus possessionem
vendere posset, nisi pro manifesto detrimento; si enim passim possessiones vendantur, posset
contingere; quod omnes possessiones ad paucos deuenirent, & ita necesse esset, Ciuitatem,
vel Regionem habitantibus euacuari, & in c. 7. *propter possessionum irregularitatem, plures Ciuitates*
destruuntur. Vnde Traianus Imp. hæc dicere solebat, *Principem erga subditos talem esse debere, qua-*
lem erga se vellet esse ipsos subditos, vellet enim ipsos esse diuites, quia facilius ipsius necessitatibus
succurritur, tam cum oneribus realibus, quam personalibus, ita ipse debet curare conserua-
40 tionem suorum bonorum, vt promptius hæc subeant; † ideo similem casum in terminis ha-
bemus expressum *Exodi 36.* in opere sanctuarii plus offerebat populus, quam opus esset, obla-
taq; superabundabant, nec amplius necesse erat, Moyses, qui erat Princeps in temporalibus,
fecit edictum, nec vir, nec mulier quicquam offerat vltra in opere sanctuarii, & formalia ver-
ba tex. sunt, quod *plus offerebat populus, quā esset necessarium, iussit ergo Moyses præconis voce cantari, nec*
vir, nec mulier quicquam offerat vltra in opere sanctuarii, sicq; cessatum est à muneribus offerendis, eo quod ob-
lata sufficerent, & superabundarent; Papa enim est maior Venetis in spiritualib. quia ipsi sunt sub-
iecti, Veneti autem in temporalibus in suo Dominio sunt maiores Summo Pontifice, quia in
ipsis nullum habent superiorem, Ecclesia autem non habet amplius necesse eo quod immo-
bilia, quæ habet, ipsi sufficiunt, immo superabundant, vt clare videtur, cur igitur exēplo Moy-
sis ducti, non poterunt statutis voce cantare, nec vir, nec mulier quicquam immobile vltra

duos,

duos, vel tres annos Ecclesiis offerat, cum iam acquisita, & oblata sufficiant, & superabun-
dent ne forte nihil populo remaneret, Tostatus in *Exod. c. 36. quæst. 1.* sed fortius sicut multa of-
ferebantur ad faciendum Templum, siue Sanctuarium, significans Christi Ecclesiam, ita et-
iam offerebantur, & vouebantur, postquam illud factum erat, ad vsus quotidianatum neces-
sitatum, & reponebantur in Thesauris domus Dei, præcepitq; Moyses *Leuit. 27.* quod res illæ
mobiles, quæ vouebantur, & erant tales, quæ poterant per se ipsas cedere in aliquos vsus San-
ctuarii, illa non redimerentur, sed transirent in ius Sanctuarii, & reponerentur in Thesauris
Domus Dei, sicut erat aurum, argentum, æs, ferrum, hyacinthum, & alia prout *Exodi 25. 35. &*
36. alia autem mobilia, quæ non poterant immediate seruire Sanctuario, vt vestes, libri, arma,
&c. redimerentur, vel venderentur, de animalibus autem, quæ vouebâtur pro Sanctuario, est
dicendum, quod aut erant, quæ immolari possent, aut erant immunda, & maculata, si non
poterant immolari, redimebantur, aut vendebantur, si autem poterant immolari, semper ap-
plicabantur Deo, sed hoc tripliciter poterat contingere, secundum quod votum fieret tripli-
citer, primo modo dicendo, *Voueo Deo istud animal ad immolandum.* Secundo modo, *voueo istud*
animal ad vsus Sanctuarii, tertio modo, *voueo istud animal Deo*; primo modo semper immolaba-
tur animal, secundo modo, cedebat in ius Sanctuarii, & tunc poterat vendi, vt pecunia redi-
geretur in vsus Sanctuarii, vel immolaretur, & vtroq; modo proderat æqualiter ad vsus San-
ctuarii, tertio modo nõ immolabatur, sed cedebat in ius Sacerdotum, vt comederent illud,
vel venderent, & hoc intelligebatur de quibuscunq; votis Deo factis hoc modo, tam de mo-
bilibus, quam immobilibus, nam omnia cedebant in ius Sacerdotum, licet deberent redimi,
vel vendi; si autem vouebantur pro Sanctuario res immobiles, vt agri, & Domus, non poterãt
transferri ad vsus Sanctuarii, ideo redimebantur, vel vendebantur, nulla quippe res immobi-
lis applicari poterat immediate ad vsus Sanctuarii; & hoc non solum valet de sacerdotib. qui
tenebantur vendere, sed etiam de Sanctuario, quia licet non sit prohibitio expressa de ipso, vt
possideat, erat tamen intentio Dei, quod possessiones remanerẽt in tribubus & familiis, sicut
ab ipso factæ erant, *Num. 36.* si igitur in lege scripta immobilia omnia Ecclesiæ relicta debebãt
redimi, vel vendi, cum non esset ipsi permissum talia possidere, & tamen sacerdotibus Vete-
ris legis, qui erant duodecima pars populi, decima tantũ bonorum dabatur, nostri vero nunc
vix sunt centesima pars, & ad plus deberent habere octuagesimam partem bonorum, & tamẽ
quartam vel quintam possident, quod quidem est ab Ecclesia modo permissum; Cur etiam
Veneti, qui in suo Dominio in temporalib. sunt Dei Vicarii in Terris, Mat. Soc. *consil. 68.* Ce-
phal. *cons. 301. n. 10.* & sunt Dei legati, & proconsules, vt *ibi n. 19.* non poterunt facere statutum
hac lege ducti, vt immobilia à dicto statuto citra oblata, vel Ecclesiæ acquisita à secularibus
infra duos, vel tres annos redimerentur, vel venderentur, laicis, ad hoc vt possessiones in ipsis
remaneant pro conseruatione sui status? Euerhardus *cons. 71.* & eorũ precia seruarentur pro
vsu Ecclesiæ, vel cederent in ius Sacerdotum, cum Princeps debeat curare de bonis commu-
nitatis conseruando statum politicum? Tost. in *Exo. c. 20 q. 19.* quia nomen Principis nõ est esse
Principẽ, sed subditis prodesse, & bene facere, aliter esset Princeps sui ipsius Princeps. D. Chri-
sost. in *Act. Apost. c. 26. homil. 52.* si enim possessiones non essent in laicis, quomodo possent sub-
stentari. † & tamen Princeps debet curam habere de substẽtatione suorum subditorum. Vn- 41
de habemus *n. c. 11.* quod Moyses sollicitudinem gerebat de pabulo populi; immo in hoc sunt
valde commendandi de cura, & diligentia Politica circa suum statutum, & in hoc adiuuandi,
quia si subditorum bona dissiparent, in hoc casu essent reprehendẽdi, sicut habet Sotus 4. *Sen-*
tentiarum, dist. 25. art. quod non est neganda illi tyrannidi potestas Principib. quam iure natu-
rali, & gentiũ habent etiam de reb. Ecclesiasticis, etenim si (quod absit) Summus Pontifex;
vel Episcopi Ecclesiastica bona manifesta tyrannide dissiparent, & sacerdotia in perniciem
Ecclesiæ prouiderent, possent Principes possessiones prohibere, & Ecclesiæ ipsi contra huius-
modi pestem adiutrices manus porrigere: & tamen ipsi, qui nolunt dissipare, immo conser-
uare bona sua, lapidantur de tali bono opere, quæ nam grauior contingit tentatio, quam,
cum annonam, victumque abesse narratur? nam cum victum deficere audit ratio, statim de
victu desperat, & statuit moriendum esse, prima n. hominum cura, est de victu, quæ carni no-
stræ agnata est, & facile erũpit, cum reclamat, quia homo natus est cõsumere fruges. † Fateor 42
autem in lege scripta de vendendis immobilibus non esse morale, sed legale præceptum, quia
tunc tria dabantur præceptorũ genera, videl. Moralia, Legalia, & Cæremonialia, vt habetur
Deuter. 5. his verbis: *loquar tibi omnia mandata mea, cæremonias, atq; iudicia*, hoc idẽ habetur *c. 18. &*
3. Reg. c. 2. 2. Paralip. c. 33. & 2. Esdræ c. 1. Moralia n. sunt perpetua, & immutabilia, tanquã naturã
sequentia, ideo de ipsis dicitur iuxta illud Esaiæ c. 40. *Verbũ Domini manet in æternũ*, hac de cau-
sa, quia fuere immediate à Deo tradita in tabulis lapideis, & tanquã perpetua in arca Testa-
menti, & Sancto sanctorũ reposita, & conseruata: alia autẽ ad iudicia pertinẽt, quæ in æquita-
tis arbitrio posita, prout rerũ vsus exigit variãtur, quæ multa in lege Euangelica à Christo fue-
re reprobata, vt oculũ pro oculo, dentẽ pro dente. *Deut. 19. & Exodi 21.* damnat Christus, *Matth.*
5. & quod de libello repudii traditur *Deuter.* 24. id reprobat Christus *Matth. 5. & 19. Mar. 10. &*
Luc. 18. Cæremonialia autẽ sunt parui momẽti; huiusmodi autẽ legalia nõ erant Diuina, quia
ipsa fuissent perpetua, & immutabilia, sed possunt dici Diuina ea ratione, qua leges Canoni-

cas esse dicimus Diuinas,tamen etsi humanæ sint, Tiraq. *de vtroq. retract. in Præfatio, n.11.* Sicut etiam leges Seculares, Diuinas, Diuinitusq; latas, & promulgatas pronunciat, *l. vlt.* & ibi Glos. in verb. *Diuino, de rescript. longi temporis*, scribit etiam Ioann. Andreas in *c. vlt. ne Cler. vel Monac.* legem ciuilem esse partem legis Diuinæ, & Theolog. sed vere dicebat Moyses, in earum promulgatione; *Hæc dicit Dominus*, & omnes legislatores suarum legum inuentionem in Deos referebant, vt illis maiorem maiestatem, authoritatem, & obseruantiam conciliarent, vt late per Tiraq. *eadem Præfatio. n. 12.* Hoc autē præceptum, ne Ecclesia immobilia retineret, erat legale, quia bona ipsa non solum de vna Tribu in aliam, verum nec de vna familia in aliam, erant vetita transire, & hoc erat pro recta Reipubl. institutione, Sotus *de Iustitia, & iure, li. 1. q. 6. artic. 2.*
43 † Quod quidem nō fuit à Christo in Euangelica lege reprobatum, immo forte ipsi legi, & institutioni valde consonum, cū in pluribus locis damnet diuitias, iuxta illud, Nisi quis reliquerit omnia, quæ possidet, nō potest esse meus Discipulus, & de se ipso; *Vulpes foueas habent, & Aues nidos, Filius autem hominis non habet vbi reponat caput suum*, & tamē non solū ea quæ possident non
44 renunciant, verum etiā ea, quæ nondū adepta sunt, cupide affectant. † Pro huc autem nō intelligo Christum habuisse summam paupertatem, nec simul cū Apostolis nihil in particulari, aut communi habuisse, quia est hæresis damnata à Ioan. Papa XXII. *Extrauag.* incipienti, *Cum inter nonnullos*, Dat. Auinioni 2. idus Nouemb Pontif. sui Anno 7. neq; illud de Fidelib. Christum sequi cupientib. esse præceptum, sed consilium, quia habetur Act. 20. *Beatius esse dare, quā accipere*, sed quia tunc pro illo statu sic expediens erat Ecclesiam immobilib. carere, modo autem à Summis Pontificibus, & Imper. variatum, & mutatum hoc præceptum fuit, permittendo Ecclesiam immobilia acquirere, neq. in hoc errauere Syluester & Cōstantinus, ipsam dotando, vt ait Vvicleff, quia dixit Dominus, qui nunc habet sacculum, tollat similiter & peram, D. Thom. *Quodlib. 12. q. 12. art. 19.* quia Ecclesia nostra longe præstantior est Sanctuario, illud n. erat figura nostræ Ecclesiæ, & in figura ibi habitabat solū Deus, cū habeat Apostolus Corin. 1. *Omnia in figura contingebant illis*, modo autem in Ecclesia non amplius in figura, sed vere, & realiter ibi inhabitat, habet n. Matth. 21. *Domus mea, dom⁹ orationis vocatur*, &c. Ecce vobiscū sum ego omnib. diebus, vsq; ad consummationē seculi, quod intelligitur de ineffabili Eucharistiæ Sacramēto, in quo realiter ipse Christus Dominus inhabitat; fuit igitur hac de causa Ecclesia ab earum fundatoribus valde dotata, quia cum temporalia omnia propter spiritualia in eorū seruitium condita sint, & homines (quod nostrum ingenium est) rerum istarū splendore maxime moueantur, cū cognitio nostra, vt Arist. docet 1. *Metaph.* à sensu ortum habeat, operæ pretiū existimarunt, Ecclesiam nō solum sanctis legib. verū etiā rerum facultatib. fulcire, vt Christiano populo illam repræsentans Maiestatem, maiori habeatur in precio, & veneratione, Sotus *de iustitia, & iure, li. 10. q. 4. art. 5.* & si tantum acquisiuit, quod habeat de superfluo & nihil necesse habeat; sitq; cōcedens, vt non sine pecunia immo cum cōmoditate viuat, Petrus Rebuffus *in congr. portion. n. 78.* & in offerendis, recipiendisq; & distribuendis bonis Ecclesiasticis pro temporum varietate, varia fuerit in Dei Ecclesia consuetudo, Bannes in *2. 2. q. 23. art. 6. dubitatione vltima*, & experimento compertum sit, huiusmodi superfluitatem ipsi Ecclesiæ multa attulisse incommoda videl. non solum bella, & eorum defensionem, sed etiam hæreticorum turbas, & rebellium insultus, vt de Germania, & aliis regionib. patet, & etiam multas religiones videmus labefactatas, quia immodicis diuitiis abundant, quam multa pericula spiritualibus reb. constant, vt habetur Ezech. 34 *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis gregem autem meum non pascebatis* & infra, *ecce ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam, vt vltra non pascant gregem meum, nec pascant amplius Pastores semet ipsos* hæc ille, Vnde mirum, quia quod delectat, eligūt, & amplectuntur, quod molestum est, fugiunt, & declinant, Ber. in *declamat.* super illa verba;
45 *ecce nos reliquimus omnia.* † diuitiæ igitur multum impediunt à consequutione vltimi finis cum non possit homo duob. dominis seruire, & si Abram, Isaac Iacob, & alii Patriarchæ intrauerūt in gloriam Dei, dicemus, quod fecerunt sicut dicit Ecclesiastes *ca 31.* quod *fecerunt mirabilia in vita sua*; sunt odio habendæ ipsæ diuitiæ sicut ægrotus odio habet medicinam amaram, cū periculū afferant ad vitæ bonæ consecutionē, & non possimus vitā transigere sine bonis temporalibus, oportet omnino, vt eas amemus, tanquam medicinas ad vitam temporalē conseruādam, & vt gustui, amaras animæ spirituali, anima autem nostra optime intelligit eas esse periculosas ad vitam beatam obtinendam, & ideo si possibile esset, desiderandum quidem esset, absq; bonis temporalib. viuere, sicuti ægrotus, si posset sanitatē consequi sine medicina, eam certe non eligeret, neq; eā accipit in magna quantitate, sed tantū, quantū expedit ad sanitatē recuperandā, & semper inclinat in minus, sic de diuitiis omnino iudicandū est, Bar. Medina. *in primā secunda, q. 2. art. 2.* Ideo habet Salamon; *paupertatem, & diuitias ne dederis mihi, sed tantū victus meo tribue necessaria*, qui n. non cupiunt diuites fieri, aut nihil possident, aut pauca, nō habēt impedimentū ad vitam æternā, & ad talem statū Christus suadet dicens, quod vendat omnia iuuenis, & ipsum sequatur; si autē pauca possidet quis, & nō cupit diues fieri, nō incidit in difficultates, quas habent diuites, quia diuitiæ quædā sitim sui faciunt, qui n. pauca possidet, pauca cupit, & interdum nulla; qui vero multa, incitatur ardentius ad maiora cupienda; ab hac siti volens Christus detrahere Ecclesiasticos, habet Saluianus Massiliensis Episcopus *ad Ecclesiam Cathol. li. 2.* quod *licet decretū votis largā cunctis amplificandarū opū dederit facultatem, omnes tamen*

Leuitas, & Sacerdotes intra certum terminum coarctauit, quos scil. neq; segetem, neq; vllum omnino fundum habere permisit, ex quo intelligi potest, an ea nunc Deus noster velit in Euangelio viuentes Clericos suos, mundanu posse se heredib. derelinquere, quae adhuc in legepositos, ne ipsos quidē voluit possidere. Vnde est, quod eis Saluator in Euangelio non vt caeteris voluntarium, sed imperatiuū officiū perfectionis indicit: quid n. cū Laico illi adolescenti dixisse legimus? si vis esse perfectus, vende quae habes, & da pauperib. quid autē ministris suis? nolite (inquit) possidere aurū, neq; argentum, neq; pecuniā in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam; Videte quanta sit in vtrsq; hoc Dei sermone diuersitas. Laico dixit, si vis, vende quae possides. Ministro autē, nihil possideas. haec ille. ideo dici solet, quod satius est inferiora ad nos attollere indicando, quā nos ad illa amando deiicere, & satius est ad superiora nos per amorē erigere, quam illa admittere ad nos per indicium, mediocris enim rerum possessio, & temperatius fortunae status vt securior est, & iucundior, & stabilior, sic & ad Mineruam, & Musas accommodatior.

Et ideo si reperiuntur Ecclesiastici, qui nō habeant ea, quae sibi necessaria sunt ꝓ eorū statu, prout de facto multi reperiūtur, illi qui habent de superfluo ipsis necessaria tribuant, prout ex praecepto tenentur, *c. quoniā quicquid*, 16. *q.* 1. & si datur Ecclesia pauper, illa q̄ est diues, & habet de superfluo, suppleat, Abbas, in *c. S. Maria, n.* 28. *de constit.* cū nō debeant Clerici mendicare in opprobriū Religionis, *c. Diaconi*, 93. *dist.* succedunt loco Apostolorū, *c. Eccl. Principes*, 35. *dist.* debent facere, sicut ipsi Apostoli faciebāt, qui singulis diuidebant oblata, adeo ꝙ non esset inter ipsos aliquis indigens, *Act.* 4. namq; ad ipsos spectat ex conditione officii populo fidei veritatē praedicare, & rectitudinē morum. Malach. 2 *labia Sacerdotis custodiunt scientiā, & legē ex ore eius requirent.* & Aggaei 2. *Interroga Sacerdotes legem.* debent n. praedicare opera bona, & praecipue opera misericordiae, de quib. Christus à nobis rationē exiget in iudicio, & fugere diuitias, & oporteret, ꝙ ipsi specialiter vacarēt operib. misericordiae, & ipsas fugerent, alias cōfunderētur, & nemo audiret verbū illorū, *ad Rom.* 2. qui praedicas nō iurandū, & iuraris, qui dicis non moechandū, & moecharis, ita 42. *dist.* §. 1. ꝙ Sacerdotes primo à seipsis, & à domestica sua Ecclesia debent exigere, ꝙ postea populo imperant necesse esse vt egentib. subueniant, & superflua fugiāt, vt facilius suo exēplo alios trahant; alias valde cōtemneretur praedicatio, si praedicarent alia in verbo, & alia in opere exēpla mōstrarēt, *vt ait* Hieronymus *super Mich. c. Ecclesia Principes*, 35. *dist.* an nō confusio, & ignominia est Iesum Crucifixū pauperē, & esurientē farctis, i. e. repletis corporib. praedicare, & ieiuniorū doctrinā rubētes buccas rumētiaq; ora perferre? Tost. in *Matt. c.* 6. *q.* 73. *tom.* 3. sint igitur sua sorte cōtenti, & dicāt, haec requies mea. Redeūdo igitur vnde discessimus, dicamus, cur Principi, & Senatui Veneto, cū Prūdentia ferendarum Legum, q̄ est ars Illustrissima, Ordine, & Dispositione perluceat, nō condecēs erit, pro Reip. conseruatione statuere, & variare de nouo, prout aequū est, vt immobilia, quę de nouo Ecclesia quocūq; titulo acquirit, secundū dispositionē alias factam debeat ea vendere, vel extra manū ponere, prout in Regno Franciae obseruatur, secundū Gl. in *c.* 1. *de immunit. Eccl. in* 6. vt ea remaneāt Laicis, quo onerib. publicis sufficere possunt, neq; id erit in Ecclesiasticorū detrimentū, immo his temporib. Ecclesiae maiestas, & veneratio magis augetur, quia Eccl. c. 41. *plus valet nomē bonum, quā diuitiae multa.* &, *qui nimis emungit, elicit sanguinē*, c. deniq;, 4. dist, deberēt facere, prout Apostolus docet *ad Philip.* 3. omnia arbitrari, vt stercora, vt Christū lucrifaciant, & tamē ea quotidie insequuntur, quasi possit addi quintum insatiabile illis quatuor à Salomone, 30. *Prou.* positis, quis crederet Tantalū in medio aquarū arescentē? † Ideo ad hanc sitim extinguendam; 46
Anno Domini. 370. Pontificatus Damasi Papae, Valentinianus Imperator hac lege auaritiam Clericorū, & Monachorū cohibuit, per haec verba. *Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus A A A. Ecclesiastici, aut ex Eccles. vel qui continentiū se volunt nomine nuncupari, viduarum, & pupillorū domos nō adeant; sed publicis exterminētur iudiciis, si posthac eos affines earū, vel propinqui putauerint deferēdos. Censemus etiā, vt memorati nihil de eius mulieris, cui se priuatim sub praetextu Religionis adiunxerint, liberalitate quacunq;, vel extremo iudicio possint adipisci. Et omne in tantū inefficax sit, ꝙ alicui eorū ab his fuerit derelictū, vt nec per subiectā personā valeant aliquid, vel donatione, vel testamento percipere. Quin etiā, si forte post admonitionē legis nostrae aliquid iisdem ea foemina, vel donatione, vel extremo iudicio putauerint relinquendū, id Fiscus vsurpet. Caeterū, si earū, qui volūtate percipiunt, ad quarū successionē, vel bona iure Ciuili, vel edicti beneficiis adiuuantur, capiant, vt propinqui. Lecta Eccl. Romae. 3. Kal. Augusti. Valentiniano & Valente III. AA. Coss.* vsq; ad tēpora etiam Apostolorū erant, q ex Euangelio conficiebant mercaturā, quaestū (vt habet Apostolus 1. *Tim.* 6.) existimantes esse pietatē, & ad *Tit.* 1. conqueritur, scribendo, qui turpis lucri causa circuirent, & domos subuerterent, admonens *Tim.* 2. *ca.* 3. vt hos vitet, specimē habentes pietatis, penetrarent domos, captiuasq; ducerent mulieres oneratas peccatis, & adeo tēpore Apostolorū abundanter eiusmodi mali Fratres excreuere, vt cum nō valuerint eorumdē Apostolorum falce succidi, eo angustiae inter alios ipsum Paulum redegerint, vt manibus potius victum quaereret, quā à fidelib. aliquid accipiendo ex eorū numero esse videri posset: cum alioquin victum sibi necessarium iure ex Euangelio accipere potuisset. nam sic ipse primo Corint. 9. *nō vsi sumus hac potestate; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi*; & si Apostolorum tēporib. ager ille Dominicus, sub Apostolorum cultu, inter tot Gentilium, ac Iudaeorum persecutiones, hisce tantum prauis germinib. refertus erat: quid factum putandum tempore pacis Ecclesiae, sub Christianis Imperatoribus, & in ea potis-

simum Vrbe, in quam è toto orbe diuitiæ, tanquam in mare flumina, confluxissent; vt nõ mireris, si Ammianus dicat, adeo ditatã Romanã Ecclesiã oblationib. matronarũ. de huiusmodi Clericorũ turpi lucro, & auaritia habet D. Hieronymus, Epist. 22. ad Eustach. *Cler.* inquit, *ipsi, quos & magisterio esse oportuerat, & timor, osculãtur capita matronarum & extenta manu, vt benedicere eos putes velle, si nescias pretia accipiunt salutandi. Illæ interim, quæ sacerdotes suo viderint indigere præsidio, eriguntur in superbiam; &, quia maritorũ experta dominatũ, viduitatis præferunt libertatem* & post multa, *Quidã in hoc omne studiũ, vitãq, posuerũt, vt matronarũ nomina, domos, moresq, cognoscãt: ex quib. vnum, qui huius artis est Princeps, breuiter, strictimq, describã: quo facilius magistro cognito, discipulos recognoscas. Cũ Sole festinus exurgit, salutãdi ei ordo disponitur, viarũ compendia requirũtur, & pene vsq, ad cubicula dormienta senex importunus ingreditur, si puluillũ viderit, si mantile elegãs, si aliquid domestica suppellectilis; laudat, miratur, attrectat; & se his indigere conquerens, nõ tam impetrat, quã extorquet: q̃ singula metuunt veredarium Vrbis offendere*, &c. & ad Heliodorũ Epist. 2. *Alii nummũ addant nummo, & in marsupiũ suffocantes, matronarũ opes venentur obsequiis; sint ditiores Monaci, quam fuerant Seculares: possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete Diabolo non habuerant: & suspiret eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos*, &c. ad Nepotianum Episto. 2. *Audio*, inquit, *præterea in senes, & anus absq, liberis quorũdã turpe seruitiũ. Ipsi apponunt matulã, obsident lectũ: purulentiã stomachi & flegmata pulmonis manu propria suscipiũt; pauẽt ad introitũ Medici; trementibusq, labiis, an commodius habeãt, sciscitantur. & si paulũ senex vegetior fuerit, periclitãtur: simulataq, lætitia, mens intrinsecus auara torquetur: timent n. ne perdãt Ministeriũ, & viuax senem Mathusalẽ annis cõparant. O quanta apud Deũ merces, si in præsenti pretium non sperarẽt; quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur, minori pretio margarita Christi emi poterat.* hucusque Hieronymus, huic etiã incõmodo fuit prouisum per Concilium Cabilonense, celebratũ tempore Caroli Magni, per hæc verba: *Impatant quibusdã Fratrib. eo q̃ auaritiæ causa hominib. persuadeant, vt abrenũciantes seculo, res suas Eccl. cõferant: q̃ penitus ab omniũ mentib. iudicandũ est. Animarũ etenim salutẽ inquirere Sacerdos, nõ lucra terrena, debet; quãdo fideles ad res suas dandas nõ sunt cogẽdi, neq, circumueniẽdi. Oblatio nãq, spontanea esse debet, iuxta illud, q̃ ait scriptura: Volũtarie sacrificabo tibi. Et illud: Omnis populus mẽte deuictã obtulerũt donarios Domino. Eccl. vero Sancta nõ solũ fideles spoliare nõ debet, quin potius inopib. opẽ ferre, vt debiles, pauperes, vidua, orphani, & cæteri necessitatẽ patientes, à Sancta Ecclesia, vt puta à pia matre subsidiũ accipiãt.* hæc ille. Et si temporib. nostris fuisset Sanctus ipse Hieronymus, & patres, qui huic Cõcilio interfuerint, videndo tot diuitias modo esse in Ecclesia Dei, & præsertim in Venetorũ Dominio; videndo, quomodo anxiè expediunt fimbrias in possessionib. & tẽporalib. bonis dilatare. videndo tot in vestimẽtis ouiũ, tot nebulones priuatim aucupãtes

Iesuita.

hæreditates, tanquã arpias quasdã inhiantes matronarũ diuitiis, & impuris morib. cuncta fœdãtes, vt possimus dicere, q̃ sint illud hominũ genus Prophetarũ ab Apost. 2. *ad Tim. c. 3.* Fugite igitur Fratres, prout Apostolus faciebat, hanc hominũ societatẽ, neq; cũ ipsis cõmisceamini, ac secundũ opera eorũ nolite facere, quia profecto longe à Iesuitis, vos qui Iesũm ita sequimini. Quid n. diceret, & quantũ cõmendaret hoc cauteriõ, si hisce tẽporib. vitã ageret Sãctus iste vir? qui tã acriter cõtra istos inuehebatur, caneret certe: *Te Deũ laudamus.* Heu vestri nimium ignaræ mentes, seu pectora cæca. Surgite iã precor, ex hoc profundiore somno. resipiscite quãdoq; obsecro, si n. resipiscetis, fœliciter respirabitis, quid huiusmodi tandiu spectatis, diu cœlũ suspicite, cœlestis patriæ ciues incolæ terræ. Homo quidẽ terrena Stella est circumfusa nube, Stella vero cœlestis homo. Magnũ quoddã es, ò anima, te parua nõ implẽt, optimũ quoq; si displicẽt tibi mala, pulcherrimũ, si horres turpia, sempiternũ, si temporalia paruipẽdis. Hæc perpetuo obtruẽda silentio dixi, referẽdo D. Hieronymi, & aliorũ Patrũ sententias, ne videat

47 io gratiã hominũ, vitia reticẽdo, laudare virtutes, & ab incepto tramite discedere. † refert etiã Boer. *Decis. 69. n. 3.* q̃ Barth. à Salignano dicit se à viro Sancto audiuisse, quod *sicut Eccl. Orientalis ob nimiã paupertatẽ lapsa, seu passa fuit multa incõmoda; ita Occidentalis Ecclesia ob nimias pompas, & diuitias desolabitur.* & Alber. de Rosate in *l. bene à Zenone, C. de quadrien. præscript.* allegat mag. Io. Doctorẽ Parisien. in suo tractatu *de potestate Papæ, & Imperat. c. 21.* se audiuisse à fide dignis, q̃ *tẽpore Bonifacii VIII. quidã Card. de Ord. Cisterciensi homo maximæ reputationis, & scientia quadã dum sermocinaretur festiuitate in cõclusione dicebat, q̃ per eosdem passus, & gradus, per quos Ecclesia in tẽporalib. ascenderet, pariter descenderet, vsq, ad extremã Syluestri paupertatẽ, & ad hoc probandũ validas afferebat rationes, & auctoritates Diuinæ Scripturæ.* hæc ille: Ideo inquit Abb. in *cons. 63. secundũ c. fin. 17. q. 4.* q̃ Ecclesia debet dimittere bona sibi delata, q̃ æquitate naturali suadente retinere nõ potest, licet de stricto iure retinere posset, & in hoc nõ requiritur nimia diligẽtia in iudice, imo reprehẽditur. Bos. *tit. de alim. præstan. n. 8.* quia licet videatur esse durũ, est tamẽ seruandũ, cum sit iustũ, Ias. in *l. non dubiũ, n. 34. C. de leg.* & memẽto patiẽter ferre. Præterea est cõcessum ab Imperatore Ecclesię vt citra traditionẽ ex solo titulo acquireretur Dominiũ *l. fin. C. de Sacros. Eccl.* q̃ autem posset vendi Ecclesiæ est de iure cõmuni, nõ autẽ priuilegium Ias. in *§. Diui, n. 73. de legatis 1.* ideo statutũ hoc nõ est contra eius priuilegiũ, cum de hoc nihil loquatur; Castr. in *Authen. vt inter diuinũ, de Sacros. Eccl.* si autẽ diceret, q̃ nihil possit ipsi vendi, tunc esset cõtra Ius cõmune; q̃ est fortius, q̃ priuilegiũ, *§. quia vero, in Authent. de non alien.* Dec. in *Authent. cassa, n. 20. de Sacros. Eccl.* atq; contra im-

48 munitates Ecclesiæ, per *c. fin. de immunit. Eccl. in 6.* † Quia statutũ hoc non prohibet absolute inire cũ Ecclesiis, sed solummodo cũ quadã limitatione; *l. illud, C. de Sacros. Eccl.* & de mobilibus nihil disponit, adeo vt omnia posset emere. Vnde habet Couar. *de præscript. §. 4. n. 8.* q̃ cum ob Reipubl. Statum, & maxime, vel ad eius tutelã, vel regimẽ spectet, q̃ res quædã in Ecclesiã, aut Clericos minime transferantur, tunc illud statutũ erit validũ, & aduersus Ecclesiã vires obti-

nebit, Card. *cons.* 144. Statutũ n. nõ prohibens absolute alienari in Ecclesiã, sed sub certo modo, & forma, valet etiam respectu Ecclesiatũ, & Clericorum, Dec. *ibi n.* 254. namq; statutum, quod non valeat vẽditio, nisi publicetur in Palatio, si quis contradicere vellet; & ꝙ non valeat alienatio, nisi adsint proximiores, vel, nisi quis sit maior triginta annis, valet etiam contra Ecclesiã, & Clericos, & debet obseruari, cũ ista conclusione cõcordat Saly. in *Authen. cassa*, vbi inquit, quod si ã statuto in cõtractu minoris 25. an. requiratur cõsensus agnatorũ, hoc etiã erit seruandũ in cõtractu, q̃ fiet cũ Clericis, vel Eccle. & Alber. in 2. *q. statutorũ, q.* 2. *in fi.* vbi loquitur in statuto Mediolani, Abb. in *repetit. c. Eccl. S. M. de Constit. in fin. & in c. quid Cler. de foro cõpetenti, col.* 7. *ver. ego vero* vbi inquit, quid, quãdo statutũ concernit solemnitatẽ adhibendã tẽpore contractus, si omissa tali solẽnitate contractus fiat, erit nullus, ꝓut statutũ disponit, & hoc etiã habet locũ si cõtrahatur cũ Clericis, nõ q̃a statutũ liget Clericos, sed quia, si Clericus velit Laicũ obligare, debet obseruare omnia, sine quib. ille obligari nõ potest. idẽ Abbas dicit, in testamẽto, ꝙ Laicus debet seruare solemnitatẽ statuti, licet Clericus instituatur, & Ruinus *cõs.* 160. Alber. etiã in *d. q.* 2. expresse cõcludit valere statutũ ꝓhibẽs alienationẽ in nõ subditũ, sine cõsensu Superioris; quia ꝙ pẽdet à cõsensu Superioris, nõ reputatur impossibile quãdo illud consuetũ est fieri, & videmus ꝙ in alienatione bonorũ Ecclesię, in qua cõsensus Superioris, & alię solẽnitates requirũtur, & tamẽ hoc non dicitur impossibile, & sicut in bonis Ecclesiasticis statutũ fuit, ita nõ debet cõqueri Ecclesia, si hoc statuatur in bonis Laicorũ, vt in *tit. quod quisq; iuris*, Dec. *d. c. n.* 265. quia ars arte deluditur, immo hoc seruatur in Ciuitate, & Dominio Mediolani, vt quãdo Clericus vult acquirere, impetret à Senatu licentiam, Bossius *tit. de pœnis num.* 48.

Fateor Ecclesiis esse fauendũ, sed Laicorũ Jurisdictio nõ debet turbari, *c. nouit de Iud.* Dec. in *c. S. M. n.* 255. *de const.* quia Papa in tẽporalibus, & Princeps Laicus in spiritualib. nõ possũt se impedire, Dec. in *c. quæ in Eccl. n.* 81. *de cõstit.* † cũ Papa, vt Papa nõ possit ordinarie legẽ ciuilẽ cõdere 49
vel cõfirmare aut infirmare leges Principũ, quia ipse nõ est Princeps Ecclesiæ Politicus, maxime, cum nõ sint necessarię ad finẽ animarũ, & earũ salutẽ, illustrissimus Card. Bellarm. *1. tom.* 3. *partis cõtrouer. generalis lib.* 5. *c.* 4. & habet Ludouic. Molina *de iust. & iur. tract.* 2. *disput.* 29. ꝙ potestas Regis ad finẽ naturalẽ in se spectatur, independens est à Summo Pontifice, & idcirco se intromittere non potest in regimen Principum secularium; quatenus præcise respicit finẽ Reip. politicum, ac naturalem. Sicut n. Ecclesiastica potestas circa animas pascendas immediate à Deo pendet, ita etiam temporalis potestas circa hæc inferiora gubernanda immediate à Deo pendet, vt ex plurib. veteris, & noui Testamenti auctoritatibus patet, & sicut Papa est Dei Vicarius in spiritualibus, ita etiam Princeps Laicus est Dei Vicarius in temporalib. & sicut Papa facit cum Deo vnum Consistorium, ita Princeps Laicus, non quidem quo ad identitatem essentiæ, quia nec etiã Papa, aliter n. esse idem cum Deo realiter, sed solum secundũ analogiam. Et licet multa alia sint ab Imperatore concessa priuilegia ipsi Ecclesiæ, vt possit acquirere immobilia *c. futuram Ecclesiam* 12. *q.* 1. ac hæres institui, vt supra est ostensum, † priuilegia tamen 50
ista non sunt adeo late interpretanda, vt aliis infligant enorme præiudicium, & ex quo tangũt Ius tertii debent stricte interpretari, vt not. Innoc. in *c. dilecti, de do.* Abb. in c. *dilecti filii, n.* 2. *de decimis primit.* &c. & sunt à Principe interpretanda, Alex. in *leg. ex facto n.* 4. *de vulg. & pupill.* quia, cuius est condere, illius est interpretari, &, cũ Princeps Venetus in suo Dominio habeat tantam Iurisdictionem, quantam Imper. per totum orbem super eo subiectum est interpretatus per huiusmodi statutum intelligi de mobilib. absq; vlla limitatione, de immobilibus autem per duos, vel tres annos, imo, si priuilegiũ ex post facto efficitur iniquũ, vel reducitur ad iniquitatem est per Principẽ reuocandũ, tex. & glos. in *c. decet de reg. iur. in* 6. *& in c. suggest. de decimis*, Alex. *d. l. ex post fact. n.* 9. etiã si incipiat enormiter lædere, Abb. in *d. c. suggestũ. n.* 4. q̃ læsio est adeo manifesta, vt videamus paucis ab hinc annis, maiorẽ immobiliũ partẽ, & totã tẽporis successu in Ecclesiam cadere, ꝙ manifeste patet in quibusdã Religionib. iam 60. annis institutis, quæ magis modo diuitiis abundant, quam multæ quæ in principio nascentis Ecclesiæ ortum habuere, & si religiones diuites fiunt, oportet vt per cõsequens Seculares inopes, & mendici euadant, quia generatio vnius, est corruptio alterius, imo tenent nõnulli Doctores, ꝙ Princeps etiã potest tollere statutũ ꝑ eũ Clericis concessum, vt dicit Bart. *in leg. si quis curialis, C. de Episcopis. & cler. in Auth. cassa, C. de sacr. eccles.* & ibi Salycet. & Paulus de Castro in *l. priuilegia, C. de sacr. eccl.* Alex. in *l. nõ amplius, si in princip. ff. de leg.* 1. *&* 2. *vol. cons.* 109. *col.* 4. Matthæus de Afflictis in *Decis. Neapolit. dec.* 151. *n.* 9. ideo nõ est mirũ, si secundũ diuersitatẽ tẽporũ, & rerũ varietatẽ, etiã priuilegia sint variãda, arg. *c. quia sancta. §. verum dist.* 63. *gloss. in d. c. suggestum*, verbo *priuilegia.* Vnde habet D. Aug. *li.* 1. *de li. arb. c.* 6. legẽ etiã iustã posse per tẽpora iuste mutari, si quidẽ mutata Republica, & eius statu, mutari debet & lex, cũ mutata tempora varias exigãt leges, vt iuste regatur populus ꝙ cõprobatur euidẽter nã iustæ legis officiũ est, Reip. vtilitatẽ constituere, & stabilire, hæc vero non aliter potest practice considerari, nec percipi, quam prius inspectis, ac perpensis temporib. ipsis, locis, & gentium moribus, quæ quidem omnia non vbiq; pari tramite contingere solet. igitur nõ eadẽ lex vbiq;, & semper iusta est, nec omnib. moribus, locis, & temporibus aptari, aut conuenire potest, qua ratione legis mutatio omnino necessaria est. Couar. *de sentent. excommunic. cap. Alma mater, num.* 2. imo plurimas conclusiones, & veritates inuenit Modernorum ætas, quas nondum inuenerat, nec excogitauerat Antiquitas, & recte quidem fit, qui secundum Aristotel. 1. Ethic. *Tempus est bonum cooperator bonum, & per tempus artium additamenta facta fiunt.* Ideo Cagnolus de vita boni Principis ait, *Quæcunq; in perniciem publicam, aut mala*

consuetudine, licentia aut bellorum, aut etiam pacis indulgentia introducta reperies, corrige, & reforma, quia legis essentia in hoc consistit, vt sit honesta, vtilis, possibilis, secundum naturam, & consuetudinem Patria, loco, temporiq; cõueniens, necessaria, & vtilis, manifesta quoq;, ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat, nullo priuato cõmodo, sed pro cõmuni Ciuium vtilitate conscripta. quæ omnia optime, vt iam est ostensum, cum statuto nostro congruunt; † cum igitur Ecclesia non debeat locupletari cum
52 aliena iactura, Anchar. *cons. 443. nu. 7.* & Ciuitas per sua statuta, & consuetudines, ex generali cõcessione legis, omnes populi, possit derogare in his, quæ suor specialiter, & per modum statuti concessa, vt *l. 3. §. plura. ff. quæ vi aut clam. & l. non tamen, §. fin. ff. de diuort.* ideo statutum hoc vltimum destruens primum, si datur (quod non concedo) omnino est obseruandum, quamuis illud primum superioris authoritate esset cõfirmatum, secundum vero minime, Cæphal. *cons.* 601. *n. 2.* & cum non deuiet à iure Canonico & nõ contineat peccatũ, vt iam est ostensum, est seruandum in suo foro, *c. nõ fine, de arbit.* Dec. *d. c. n.* 110. quia quando legis materia est res temporalis, non concernens animarũ periculum, nõ potest lex Pontificia abrogare legem Imperatorum, sed vtraq; seruanda est in suo foro, illa nempe in Ecclesiastico, ista vero in Ciuili foro, Illustrissimus Cardinalis Belarminus, vbi supra. arg. in *c. si duob. de appellat. & c. nouit. de iud.* Bertrandus *cons. 46. n. 3. tom. 5.* sed vlterius dicimus, quod si Ecclesia habeat multa ab Imperatore priuilegia, † non tamẽ tales Imperatorum leges seruantur, neq; in hoc Dominio obligant, quia nõ
53 fuit Decretum huiusmodi populo ipsas habere vim legum, sed reguntur statutis, & legib. particularib. quæ in hoc Dominio obligant, vel possumus dicere, sicut de Romanis qui leges à Græcis acceperunt, nam decem viros Romani Athenas miserunt, qui leges à Solone legislatore datas de Græco sermone in Latinum transferentes, decem tabulis exposuerunt, & quia ista legislatio Romanis postea perfecta visa non est, duas tabulas Legum addiderunt, duodecim tabulas facientes, & ita iura ista vulgariter Leges duodecim tabularum appellantur, de quibus latissime, *l. necessarium, ff. de orig. iur.* non tamen Romani acceperunt illas leges Solonis, tanquam putarent se eis obligatos, sed quia Viri prudentes leges erant, placuit Romanis illis assentire; ita Veneti concesserant in aliquibus Ciuitatibus & locis suo Imperio subiectis huiusmodi legib. vti, vel earum legum rationib. non vt se illis obligarent, sed quia optimorum Iurisconsultorum erant, visum est illis aliquo modo secundum rei, & tẽporis exigentiã assentire, & si vident in aliquib. modo deficere, nec perfectas esse perfectione politica pro hoc statu politiæ, cur non poterunt addere alias tabolas, & leges, vt perfectæ reddantur, ac vt huic politiæ adaptentur, maxime cum sint circa humanã communicationẽ, nec proprium genus excedant; ideo dicit Abb. in *c. cum ex illo, n. 3. de rescript.* valere statutum contra leges Imperiales à laicis factum; nõ erit igitur dicendum esse contra immunitatẽ concessam Ecclesiæ ab
54 Imperatorib. † imo Imperator Carolus Quintus, in regionib. inferiorib. Flandriæ, prout legitur ex *Historia Guicciardini, in descriptione illarum regionis*, fecit simile statutum, ne Ecclesia amplius posset immobilia acquirere, nec Summus Pontifex de hoc aliquid dixit. Dux etiam Mediolani statutum fecit, vt non subditi non possent immobilia acquirere. Ecclesiastici u. non dicuntur simpliciter forenses, & non subditi. Dec, in *c. S. Maria. n. 22. de const.* attamen Io. Archiepiscopus cũ Duce valde cõsequestus est, asserendo, tale statutum non posse subsistere, cum sit contra Ecclesiæ immunitatem, neq; Clericos debere cõprehendere, & conuocato Concilio
55 cũ omnib. Iurisperitis Status Mediolani, † in puncto iuris dispotauit Richar. de Saliceto, Ecclesiasticę libertati nõ obstare, cõprehendereq; Ecclesiasticas personas, quia valet statutum in nõ substinentem onera personalia, *l. 1. C. non licere habitatorib. &c. lib.* 11. ita etiã consuluit D. Signorol. *cons.* 21. quo loci late ad vtramq; disputat, per quindecim rationes partem affirmatiuã constanter asserendo, & Iacobus Graffius 1. *parte. Dec. Aurearum, in explicatione Bulla Cœna Domini, c.* 18. quo loci inquit, tale statutum esse. iuridicũ, & non improbandũ, nec censendum contra libertatẽ Ecclesiæ, quia est conditum fauore publici, & communis boni, & subditorum, vt eis salua immobilia, & territoria conseruentur, vnde non est censendum esse contra libertatẽ Ecclesiæ, sed pro libertate publici territorii, & publicarum functionum, tum etiã quia Respublica comparatur Ecclesiæ, *l. fin. C. de Sacrosanct. Eccl.* & sicut Ecclesia defendi debet in iuribus suis, ita & Ciuitas, ita Tiraquell. in *l. de vtroq; retract. gl.* 13. *n.* 15. Bal. in *c. Clerici de Iudic.* Enethardus *cons.* 71. & alii quos ipsi allegant. huius sententiæ est Driedonus *de libertate Christiana, c.* 4. vbi inquit, *Imp. Principesq; sæculares habent iurisdictionem temporalem, & dispositionem super huiusmodi temporalib. prædiis, & super alienationib. emptionibus, venditionib. eorundem, pro vt visum fuerit congruere conditioni patriæ, temporu, & Reip. & pro pacifico cõuictu Societatis humanæ, & licet prima facie videatur iniquũ, ex causis tamen & rationib. appositis huiusmodi statuto, videtur ipsi præsumendũ produsse ex pia quadam intentione Christiani Principis, suiq; conciliis prohibentis talẽ quendam donandi modũ, quo transeant prædia pro perpetuo in manum mortuã, sic statuentes non in odium Ecclesiasticæ libertatis, neq; in diminutionẽ cultus Diuini, neq; ad impediendũ eleemosinã pauperum, aut hospitaliũ, aut Ecclesiarũ indigentium subsidiis temporalium rerum, sed ad tollendum abusum, ad moderandũ donationes superfluas, ne Resp. in aliqua patria valde Ecclesiasticis prædiis dotata, nimium oneretur, & ne Religiosi superfluis prædiis, atq; diuitiis incrassati illarũ curis teneantur, neue fundationes antiquæ per nouas superuenientes impediantur, sed aptius, & commodius custodiantur, & Dei honor, ac cultus, ita tamẽ vt pius Principis anim⁹ sit paratus libẽter suũ assensũ in huiusmodi donatione prædiorũ impartiri, vbi visũ fuerit hoc absq; suo, & Reip. præiudicio pro augmẽto Diuini cultus expedire.*

Princeps

Princeps sic statuens in aliqua sui Dominii Patria, nequaquam prohibet Laico ne suum prædium propter Deum det homini indigenti, aut pauperi, sed ne det vlli Collegio, vel Hospitali sic, vt Dominiũ perpetuo maneat apud tale Collegiũ, vel Hospitale; atq; ita huiusmodi statutũ nõ est directe cõtra consiliũ Christi dicentis, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperib. & sequere me; neq; n. vetat prædia, vel agros vendi, & precia illorũ pauperib. dari, vel Hospitalib. vel Religiosis domib. vel etiã Ecclesiis indigentib. in augmentũ Diuini cultus, neq; etiã absolute vetat, ne talia prædia Ecclesiis vẽdãtur, aut donẽtur, sed prohibet, ne huiusmodi prædia sine suo cõsensu transeant in perpetuũ ad manũ mortuã extra suã iurisdictionẽ. Ipsius Principis est prouidere sua Resp. ne cũ damno totius populi tanta rerum abundantia deputetur Ecclesiis, aut detrahatur hæredib. aliisq; pauperib. in Dominio suo temporali indigentib. quorum necessitatibus, aut indigentiis impræsentiarũ occurrentib. minister quisq; Ecclesiasticus tenetur subuenire ex fructib. etiã suo vsui, suisq; fidei commissis vltra decentẽ victum, & vestitum sibi superflua. Neq; n. ministrorum ecclesiæ, sicuti supra diximus, est sic thesaurizare, quẽadmodũ secularium Principum, quorum est non solum temporalia bona Laicorũ, sed Ecclesiæ contra inuasores tueri, atq; defendere &c. & infra: *magnus profecto abusus Prælatorũ, qui ex preciis fructuũ Ecclesiasticorum (quos oportebat dispensari pro occurrentib. pauperũ, aut aliorum piorũ locorũ necessitatib.) annuis ecclesiarum prouentib. augendis vacant, copulantes agrũ agro, adeo vt iuxta Esaia Vaticinium, desideriorũ ipsorum non sit finis, arescentib. passim præ penuria tot pauperib. tot puellis absq; dote remanentib. tot pupillis, tot viduis, tot orphanis, tot ægrotis, & calamitosis, constrictis angustia famis atq; vestitus, tot captiuis deductis ab hostibus Christianæ fidei in exiliũ*, hæc ille. ac de aliis similib. statutis videre est per additiones ad Bart. in l. *cunctos populos, de Summa Trinitate, & fide Catholica.* Cũ igitur nullo iuri sit contrarium, est dicendũ vires obtinere, & valere; licet nonnulli dicant, quod contraria opinio sit cõmunior, † quia & 56
ab ipsa recedi potest, quando contraria meliori, & subtiliori ratione fundatur, siue cõmunis manifesta ratione conuinci potest, ad tex. in c. *ubi subtiliori ratione fundatur. de Feriis*, Ioan. Andr. & Abb. aliiq; in c. 1. *de constitutio.* & ista est cõmunis opinio, probatur per Curt. Iuniorẽ *cons. 29. habita diligenti, nu. 11. col.* 3. quod communis opinio, si est falsa, sperni potest, & Signatura, & Rota quandoq; tenent contra cõmunem opinionẽ, quando est æquior, Cassadorus *decis. vatta, de emptione, & venditio. ante n. 7.* vbi dicit non esse nouum, ꝙ Palatiũ, & Rota, & Signatura quandoq; teneant contra cõmunẽ, quando contraria opinio est æquior, Mandotius in *Regulis Cancellariæ Apostolicæ Regula 29.* & si Summus Pontifex in Consistorio dixit, se audiuisse homines Doctos, voluitq; etiã votũ aliquorũ Cardinaliũ in eo Congregatorum; dico etiã ꝙ Venetus Princeps quamplures Theologos, & iuris, tum Pontificii, tum Cæsarei peritos audiuit, & votum, non aliquorũ, sed trecentorũ Senatorũ sine spe, vel metu; vnde manifeste patet, quod verior, & cõmunior sensus horum Statutorum longe maiori numero peritorum suffultus, probandus est. Sed sunt nonnulli † Moderni validitatẽ huius statuti hac ratione infringentes, quia sicut po- 57
testas secularis, non potest priuare Ecclesiã bonis, q̃ possidet, ita etiã non potest priuare ipsam habilitate, & potestate acquirendi, & recipiendi, quia huiusmodi habilitas, & potestas est res Sacra, & Ecclesiastica, cum eiusdem sit actus, & potentia; & est verũ, ꝙ personæ, & res Laicorũ sunt sub potestate seculari, sed sicut Princeps nõ potest tollere aditũ personis, quin nõ se ipsas Deo tradant, fiantq; sacræ, ita nec etiã reb. possunt obuiare, ne Diuino cultui mancipentur; optima profecto obiectio, sed facilis solutio; concedimus n. nõ posse Principẽ priuare Ecclesiã bonis, quæ possidet, quia in Ecclesiæ quæsitis non potest statuere, nisi ob publicã vtilitatẽ, sed iam ostendimus per multa iura, in quærendis ipsi Ecclesiæ posse statuere, ipsiq; præiudicare, neq; valere argumentũ à quæsitis ad quærẽda, propter maximam inter ipsa differentiam; neq; potestas illa est res sacra, & Ecclesiastica, aliter, omnia cũ sint in potentia obiectiua Ecclesiæ, dicerentur sacra, si enim potentia actiua est res sacra, ita potentia passiua, & sic cum omnia essent sacra, non darentur amplius temporalia, ac Regum, & aliorum Principum temporalium Dominium tolleretur: nec valet dicere, quod eiusdem sit actus, & potentia, quia hoc sano modo est intelligendum, non enim possumus dicere, quod eiusdem naturæ est actus, & potentia, vt auctor asserit, quia quod est actu, est iam factum, habetque esse; quod est potentia, non est factum, nec habet esse, quia quod fit, non est; actus est substantia, potentia est accidens; immo sunt contraria, & quodlibet ens diuidunt, actusque semper est potentia præstantior, adeo vt, si per ipsum, bona, quæ habet Ecclesia, sunt sacra, non valet consequentia, quod etiã potentia ad alia bona sit sacra; vnde intelligitur illa propositio, ꝙ eiusdẽ sit actus, & potẽtia, ꝙ scil. illud ꝙ est in actu, est in potentia ad operationes sui actui cõpetentes, vt anima est actus primus corporis organici, & est in potentia ad opera talis actus exercenda, ad opera nẽpe vitæ, nõ autem ad vlteriorem actum, maxime cum simus in ente cõpleto; & maxima est differentia inter esse, & operari; si n. vera esset propositio, prout eam auctor intelliget, possemus dicere, ꝙ cũ homo actu viuens, sit potẽtia mortuus, ꝙ homo mortuus, sit viuens, & faceremus vniuocationẽ inter ipsos. Præterea cõmittit fallaciam in argumento, dicit namq; Principem nõ posse priuare Ecclesiã bonis; quæ possidet, hæc est ratio, quia sunt sacra secundũ ipsum, & arguit, ergo potẽtia ad alia habẽda est sacra, trãsit n. de subiecto in subiectum; oporteret dicere ꝙ illa potẽtia, q̃ est cũ illo actu iuncta, h. e. cũ illa re sacra iuncta, est etiã ipsa sacra, quia ex actu, & potẽtia fit vnũ per se, nõ autẽ ea, q̃ in alio subiecto est, cũ nõ habeant fieri circa idẽ, diuersæq; sint naturæ; ad illud autem, ꝙ dicit, quod Princeps, nec pater potest tollere aditum personis quin se Deo consecrent, & per consequens nec etiam rebus; dico hoc esse verũ, immo adest excõmunicatio latæ sententiæ contra deuiatores personas à tali proposito, sed nõ est adeo vni-

uersaliter intelligenda, quin in nonnullis casibus non habeat locum, quia pater potest omnia vota personalia filii irritare facta ante decimum quartum annum. Præterea si pater necesse habet, vt eius filius sibi auxilietur, cum male se habeat, adeo vt si ipsum non haberet, non posset se substentare, vel propter ætatem, vel indispositionem, infirmitatemue, aut alia de causa, tunc posset vetare aditum filio ad Religionem absq; peccati, ac censuræ metu, immo peccaret ipse filius, cũ ex quocunq; iure teneatur ad subueniendum patri, est Religio, & solum consilium, non autem præceptum; & si ante talem paternam necessitatem esset ingressus, superueniẽte ipsa necessitate, tenetur egredi, quia quando cõcurrunt simul duo præcepta, illud quod est maioris roboris, minori præualet; immo etiam pro conseruatione alicuius familiæ principalis Regni, vel alicuius Magnati, Summus Pontif. concessit, vt Religiosi transirent ad seculũ ac vxores ducerent, ad hoc vt filios procrearent pro conseruanda familia; refert n. Sabellicus *li. 7 prima Decadb*, ac in *vita Beati Laurentii Iustiniani* legitur, cum Familia Iustinianorum Nobilis Veneta extincta morbo, & ferro fuisset, vt solum remanerent aliquot senes, qui ad sobolẽ procreandam inepti essent, & quidã adolescens nomine Nicolaus in Monasterio Sancti Nicolai, Ordinis Sancti Benedicti, Vitalis Dux Venetorum ab Alexandro Papa tertio, impetrauit, vt liceret adolescenti Monacho matrimonium cõtrahere ad gentis sobolem reparandam, eiq; vnicam filiam Annam nomine despondet, ex qua sex filios masculos, & tres filias genuit; qui tandem post infinitas gratias Deo peractas veteris voti, & vitæ memor, ædificato prius per Annam Monasterio Virginum sub nomine Sancti Adriani, in quo Anna vxor eius vitam Monasticam cœpit, ad Monasterium est reuersus, & multis miraculis ambo claruerunt. Ramirius etiã secundus, Sancii primi Aragoniæ Regis filius à prima iuuentute Monachus Cœnobii Sancti Pontii de Tomeriis in Territorio Narbonensi ad Iauri fluminis ripas, Froniardo Abbate, Petro, & Alphonso fratrib. suis Argoniæ Regib. sine prole mortuis, Cœlestini Papæ tertii auctoritate (vt habetur D. *Thom. 2. 2. q. 88, art. 81.*) ad vitandos intestinos motus, è Monasterio eductus est, & Regio diademate Oscæ coronatus vxorem ducere, Agnetem, scil. Gulielmi Comitis Pictauiensis sororem, ad sobolem procreandam compulsus est. Casimirus etiã huius nominis primus post patris sui obitum cum matre Rixa à Polonis Regno exactus, Cœnobiũ Cluniacense, prope Matisconem ingressum, Deo sub arctissima regula se deuouit, & mutato nomine Carolus vocatus, in eodem postmodum Monasterio Diaconus effectus est, ex quo à Polonis iam facti pœnitentibus dispensatione Romani Pontificis euocatus, & ad Regnum suorum Maiorũ euectus vxorem accepit, & liberos procreauit. Constantia item filia Rogerii Regis Siciliæ, & Neapolis Sanctimonialis fœmina, & quinquagenaria in Monasterio Panormitano, (cum pater eius Rogerius in expeditione Hierosolymitana, & eius expugnatione diẽ obiisset An. 1191. & Tancredus eius Regna tyrannice occupasset) Cœlestini Papæ tertii cõsensu, Henrico sexto Imperatori nupsit, & genuit Federicum secudũ, in publico cunctis cernentib. ne de partu supposito suspicaretur; si hoc igitur aliquando concedit Summus Pontifex de his, qui sunt in sui potestate, vt exeant à Religione pro conseruatione familiæ, & Regni; cur & Princeps in aliqua necessitate non poterit alicui in sua potestate cõstituto obuiare, pro sui Dominii necessitate, ne Religiosus fiat? & si aliquando potest facere de personis, quæ rebus sunt præstantiores, cur & de rebus suis, non poterit facere absq; aliena licentia? cum de ipsis necesse habeat his temporib. vt supra ostendimus, pro sui status conseruatione, ac ne nimium Dominii vires eneruentur, ac vt se possit substentare in his, quæ opus habet, secundum temporis exigentiam? remanet igitur statutum nostrum validum, ac in suo robore.

SVMMARIVM.

1 *Summi Pontificis verba.*
2 *Clericorum exemptio quo ad forum est de iure positiuo.*
3 *Immunitates plures ab Imper. Clericis concessæ.*
4 *Ius positiuum non dissoluit obligationem naturalem.*
5 *Clerici tenentur Reipubl. legibus.*
6 *Reprobantur auctoritates, quæ videntur ostendere immunitatem quo ad forum esse de iure Diuino.*
7 *Constantini dictum explicatur.*
8 *Imperatores non poterant concedere has immunitates per totum orbem.*
9 *In Spiritualibus Clerici sunt exempti à potestate seculari.*
10 *Non quælibet immunitas Ecclesiastica est de iure Diuino.*
11 *Rebus, & personis secularibus immunitas est concessa à Papa, & Imper.*
12 *Quod non capiantur quædam facinorosorum hominum genera in Ecclesia, est de iure positiuo.*
13 *Theodosii Imper. lex.*
14 *In pluribus casibus de iure Ciuili possunt delinquentes in Ecclesia capi.*
15 *In omnibus criminibus atrocibus possunt criminosi ab Ecclesia extrahi.*
16 *De iure Canonico multi non gaudent immunitate Ecclesiæ.*
17 *Motus proprius Greg. XIV. de immunitate Ecclesiarum.*
18 *Iurisdictio competit tripliciter.*
19 *Principes seculares possunt iudicare Ecclesiasticos in his, in quibus sunt ipsi subiecti, de iure.*
20 *Dominium est de iure Diuino, non autem persona ipsius Principis.*

Lex

21 *Lex Christi Politias non euertit.*
22 *Considerans finem, considerat media etiam ad finem.*
23 *Principis officium.*
24 *Ad quid infligitur pœna.*
25 *Clerici de consuetudine possunt iudicari à Iudice Laico.*
26 *Consuetudo, & Principis priuilegium æquiparantur.*
27 *Consuetudo dat iurisdictionem.*
28 *Consuetudo derogat Iuri positiuo.*
29 *Duplicem habet vim consuetudo.*
30 *Quod Clerici in nonnullis iudicentur à Principibus secularibus: non est contra fidem.*
31 *In multis locis iudicantur Clerici ex consuetudine.*
32 *Clerici possunt iudicari à Iudice seculari ex priuilegio.*
33 *Consuetudo, & priuilegia iudicandi Ecclesiasticos non sunt reuocata per Bullam Cœnæ Domini.*
34 *Principes in temporalibus non sunt Papæ subiecti.*
35 *Priuilegium non subdito concessum, non potest per concedentem reuocari.*
36 *De iure communi in multis possunt Ecclesiastici iudicari à seculari Iudice.*
37 *In multis casibus licet particularis persona Clericorum percussio.*
38 *Clerici dicuntur in temporalibus Imper. subiecti.*
39 *Principes possunt exemptionibus Clericorum contrauenire, vim vi repellendo.*
40 *Reatus omnem excludit honorem.*
41 *Priuilegia non dantur ad delinquendum.*
42 *Quare Clerici perdant priuilegium exemptionis.*
43 *Princeps tenetur defendere subditos.*
44 *Ecclesiasticis bonis est fauendum.*
45 *Dubitatio quædam proponitur, ac solutio.*
46 *Respub. Veneta potest Ecclesiasticos de iure iudicare.*
47 *Respub. Veneta potest Ecclesiasticos de consuetudine iudicare.*
48 *Summi Pontif. laudauerunt hanc consuetudinem.*
49 *Dubitatio quædam proponitur.*
50 *Solutio dubitationis.*
51 *Alia dubitatio proponitur.*
52 *Soluitur dubitatio.*

CAPVT OCTAVVM.

D*Vcem, & Senatum, Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum, & Brandolinum Valdemarinum* 1
Foroiuliensem Abbatem Monasterii, seu Abbatiæ de Neruesa Taruisinæ Diœcesis, personam in dignitate
ecclesiastica constitutam, ob quædam prætensa crimina in Ciuitate Vicentina, & alibi per illos (vt dicebatur)
commissa carceri mancipasse, & mancipatos detinuisse, sub prætextu quod eis hæc facere liceret, inter alia ob
quædam ipsis Duci, & Reip. à quibusdam Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessa (vt asserebant)
priuilegia. Quæritur an Resp. Veneta possit Ecclesiasticos in quibusdam delictis incarcera-
re, & punire. † Dico Clericorum exemptionem quo ad forum esse de iure positiuo, & ab 2
Imp. ipsis donatam, non autem de iure Diuino, cum nullum fundamentum ad hoc efficax
ostendatur in sacris literis, immo habemus in lege veteri ex *c. nos si incompetenter, 2. quæst. 7.* quod
Dauid ex Regali vnctione Sacerdotibus præerat in causis Seculi, tamen suberat eis in causis
Dei, ac etiam Leuitas, & Sacerdotes, quos voluit Deus sacra tractare, voluit Moysis iudicio
esse subiectos, & in lege noua Christus, qui omnium erat caput, voluit Pilato subiici, in ipsum-
que Christum potestatem habuit, dicente ipso; non haberes in me potestatem vllam, nisi da-
tum tibi esset desuper. D. Paulus, vt habetur *Act. 25.* se appellauit à Festo ad Cæsarem, dicens,
ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari; † & de Clericis habentur plura circa immunitatem 3
ipsis ab Imp. concessa, vt à Constantino Magno anno Domini 312. Pontif. Melchiadis Papæ,
qui fecit rescriptum Aemilio Proconsuli in Africa, cui Ecclesiæ præerat Cecilianus, per hæc
verba; *Clericos ab omnibus omnino communibus, & ciuilibus rebus, & publicarum rerum ministeriis im-*
munes, & solutos volo; & anno 313. Pontif. eiusdem Melchiadis die vltima Octobris, confirma-
uit indulta, & priuilegia clericis concessa, & anno 314. Pontif. Siluestri Papæ, fecit rescriptum
ad Ablauium Præfectum Prætorio, Datum Constantinop. 3. Nonas Maii, sanxitq; *sententias*
Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua ætatis discretione inuiolatas semper, incorruptasque seruari.
& Eusebius in *vita Constantini lib. 4. capit. 27.* ait, quod Constantinus, iam quæ ab Episcopis
in publicis conuentibus editæ erant regulæ, sua consignabat, & confirmabat auctorita-
te, ne reliquarum gentium Principibus liceret, quæ ab eis decreta essent, abrogare. & Sozo-
menus *lib. 1. cap. 9.* ait, *illud est plane maximum Reuerentiæ Imp. erga religionem argumentum, quod cle-*
ricos vbique per legem, eam ob rem conditam immunitate donari voluit: quodque illis, qui erant in iudicium
vocati, dedit potestatem, si modo autumum inducerent magistratus ciuiles reiicere, ad episcoporum iudicium
prouocandi. & idem Constantinus anno 316. Pontif. eiusdem Syluestri, in epistola ad Celsum
Vicarium Africæ, inter cætera habet: *scias itaque pro certo, quæ habere debeant ad plenissimam*
fidem

fidem (salute etiam teste inuocata) quod tam super plebe, quam super Clericis his, qui primi sunt, sum diligentissime quæsiturm, idq; iudicaturus, quid verissimum, & religiosissimum esse manifestum sit; demonstraturus etiam iisdem, qui, & qualis diuinitati cultus adhibendus sit. & anno 320. sub eodem Pontif. fecit rescriptum ad Octauianum, Datum 12. Kal. Nouembris, confirmans omnes clericorum immunitates. & Constantius anno 350. Pontif. Iulii Primi fecit rescriptum ad Seuerianum Achaiæ Proconsulem de ipsorum immunitate, Datum, 5. Idus Aprilis. & anno 355. sub eod. Pontif. fecit aliud rescriptum per hæc verba; *Vt ecclesiarum cœtus concursu populorum ingentium frequentetur: Clericis, ac iuuenibus præbeatur immunitas; repellaturq; ab his exactio munerum sordidorum, negotiatorumq; dispendiis minime obligentur: cum certum sit, quæstum, quos ex tabernaculis, atq; ergasteriis colligunt, pauperibus profuturos,* &c. *Dat. 7. Kal. Iunii Constantinop. Constantio VI. & Constante AA. Coss.* & anno 357. idem confirmauit, Dat. 8. Idus Decembris Mediolani. *lecta 5. Kal. Ianuarii apud acta, Constantio nono, & Iuliano Cæsare secundo Coss.* præcesserat etiam paulo ante, nempe mense Nouemb. aliud eiusdem Constantii rescriptum de confirmatione priuilegiorum clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Leontium per hæc verba; *Ecclesia Vrbis Romæ, & clericis concessa priuilegia firmiter præcipimus custodiri; Dat. 4. Idus Nouembris Mediolani Constantio Augusto 10. & Iuliano Cæs. 11. Coss.* Valentinianus autem, & Valens anno 365. Pont. Liberii dederunt rescriptum ad Mudestum declarando, immunitatem talem à quo tempore debeant Clerici possidere, per hæc verba; *quicunq; ex curialium natus genere ad clericatum venerit, & per iudicium sanguinis cœperit postulari, certi temporis definitione defendatur. Vt si in consortio clericatus decennium quietis impleuerit; cum patrimonio suo in perpetuum habeatur immunis, si vero infra finitos annos fuerit à curia reuocatus, cum substantia sua functionibus subiaceat Ciuitatis. Obseruando hoc, vt hi, quos decennium vindicat, petitione superflua minime fatigentur. Dat. 16. Kal. Nouembris Hierapoli, Valentiniano, & Valente AA. Coss.* Et Imperatores, &c. anno Domini 375. Pontif. Damasi Pap. fecerunt rescriptum declarando causas, in quibus clerici essent Episcopis subiecti, & in quibus, iudicibus sæcularibus per hæc verba; *Impp. Valens, Gracianus, & Valentinianus AAA. Artemio, Euridico, Appio, Gerasimo, & cæteris Episcopis. Qui mos est causarum ciuilium, idem in negociis ecclesiasticis obtinendus est, vt si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, leuibusq; delictis ad religionis obseruantiam pertinentia, locis suis, & à sua diœceseos synodis audiantur, exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis, extraordinariisq; iudicibus, aut illustribus potestatibus audienda constituit, Dat. 16. Kal. Iunii, Treuer. Valente V. & Valentiniano AA. Coss.* adeo quod grauiora crimina, per quæ etiam pœna sanguinis irrogāda foret, per Seculares iudices exerceri voluerunt Impp. & sciuerunt Episcopi. & anno 377 pro clericorum immunitate rescripsit, *Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, atq; Exorcistas, & Lectores, Ostiarios etiam, & omnes proinde, qui primi sunt personalium munerum expertes esse præcipimus, Dat. 3. Nonas Martii, Graciano 4. & Merobaude Coss.* & Valentin anno 385. Pontif. Siricii Pap. tale fecit rescriptum; *idcirco continua lege sancimus, nomen Episcoporum, vel eorum qui ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ne ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum iudicum pertrahantur.* Permulta alia etiam possent recenseri, quæ à Iustiniano habentur in *tit. de sacr. eccl.* sed hęc sufficiant pro ostensione, quod Impp. donauerint clericis immunitatem, plures alias de hac re Cæsarum constitutiones refert * Lugdunens. *ad edictum Henrici 2. Gallorum Regis in præfatione num. 20.* sed probatur adhuc ratione; † namq; ius positiuum non dissoluit obligationem Naturalem, aut Diuinam, quæ præerat, sicut nec lex Euangelica debita prius contracta tollit, siue sit debitum carnis, siue pecuniarum, siue seruitutis, siue alterius obedientiæ. hoc patet de seruo, qui ad fidem conuertitur. Baptismus non reddit illum à seruitute priore liberum; similiter debitum coniugale per Baptismum non tollitur. *Baptismum* enim, vt ait Ambr. *peccatum tollit, non coniugium*; debitum etiam pecuniarum, nec per Baptismum, sicut nec per Sacerdotium, aut alium ordinem postea susceptum, ac proinde nec debitum subiectionis, & obedientiæ. quam quis alteri certa speciali lege debet, tollitur, eo ipso, quod quis ordinem clericalem accipit, nisi maiorum auctoritate interueniente; præterea si per ordinem liberaretur eo ipso à seruitute in qua prius erat, maxime esset, quia per Ordinem homo dedicatur specialiter cultui Diuino, & per consequens eo ipso eximeretur à seruitute alteri debita, sed hoc non, quia irregularitas, quæ est impedimentum à iure Canonico inuentum, per Sacri Ordinis susceptionem non tollitur, quia si ordinetur, aliquis irregularis recipit characterem, & adscribitur ac dedicatur cultui Diuino, tamen remanet suspensus, vnde remanet irregularitas, qua stante ad altiorem Ordinem non potest ascendere: si igitur per Sacri Ordinis susceptionem non tollitur ipsa irregularitas, quæ solummodo est de iure positiuo, multo minus tolletur subiectio Principis naturalis, quæ est de iure Naturali, & Diuino; si enim vxoratus ordinem susciperet, non eximeretur à seruitute, qua tenetur vxori debitum reddere postulanti, cum hoc minus Diuinum cultum impediat, quam seruitus, seu subiectio, qua homo homini subiectus est; ideo ad ostendendum Apostolus libertatem Christianam non esse sublatam, neq; legem Naturæ, neq; Iuris gentium, dixit, *filii obedite præpositis vestris*, ad Coloss. 3. *serui obedite Dominis vestris carnalibus*, ad Titum 3, *admoneo illos Principibus, & potestatibus esse subditos, obedite præpositis vestris* ad Heb. 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita, necessitateq; subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* ad Rom. 13. *obedite præpositis vestris* etiam Ethnicis, ac dyscolis, dicere enim Christianos iam reparatos per Christum in Euangelicam gratiam non esse obligatos ad leges, & locorum consuetudines, est perturbare totius Christianæ Reip. ordinem, &c

* *Is est Carolus Molinæus.*

ne, & euertere principia naturalis legis, Driedonus *de libert. Christiana c. 1.* sunt enim clerici, 5
† licet in sacris, veri ciues & tenentur Reip. legibus, cum sint eius membra, quatenus tantum
ecclesiasticis officiis non obstent, ipsisq; tenentur obtemperare, & eadem ratione onera eius-
dem Reip. vbi bonum publicum id exigerit, sustinere; vnde si Princeps pretia frumenti, aut
olei, aut quarumcunq; rerum lege moderet, clerici carius vendentes mortaliter delinquunt,
& ad restitutionem sicut Laici tenentur, & idem de multis aliis legibus, licet modo vellent
sentire solummodo Reip. commoda, non autem incommoda, mutatio enim status non libe-
rat aliquem ab obligatione, Anch. in *capit. eam te, num. 5. de rescriptis*; † neq; valet illud de Io- 6
seph, qui omniem terram tributariam Pharaoni fecerit, excepta terra Sacerdotum; quia illud,
quod fecit Ioseph, ac statuit, non fuit Diuinum, sed Humanus ius, non enim videtur, quod
Deus iure statuerit, vt Sacerdotes Gentilium, qui idolis sacrificabant, hanc immunitatem, &
exemptionem haberent, qui minime merebantur; non enim vera ministrabant gratiæ sacra-
menta, neq; verum Deum colebant, ideo immunitatem adepti sunt Ioseph ordinante, & Re-
ge approbante, & sic solo gentium iure erant exempti; neq; illud *Esdræ 7.* valet, vbi habetur,
Sacerdotes, Leuitas, Ianitores, cæterasq; personas ecclesiasticas à tributis esse exemptas, quia
ex ipso textu apparet Regem Artaxersem gratiam illam Sacerdotibus, ac Leuitis illius populi
fecisse, vt nec vectigal, nec tributum aliquod illis imponeretur in gratiam ipsius Esdræ; neq;
illud Psalm. 104. *Nolite tangere Christos meos*, de Sacerdotibus solum loquitur, sed de toto po-
pulo ipsius Dei, quando duxit eos in terram promissionis per multa bella contra impios Re-
ges habita, quos & Deus ipse puniuit, & destruxit, vt suum populum liberaret, quem suos ap-
pellat, quia ab eo erant electi, & vnctione suæ gratiæ vncti, in quibus etiam erat implicita fi-
des Christi venturi, ideo dicebat eos Christos suos, Ioan. Medina, *Cod. de restitutione, quæst. 15.*
namq; verbum illud in sensu literali non adaptatur solis Clericis Euangelicis. nam & Reges
sunt vncti, quod Christianorum nomen sonat; & peculiariter videtur illic Psalmista de Pro-
phetis loqui, & de omnibus Patriarchis; neq; aliud volebat illic Deus explicare, quam quod
nulla suis ministris irrogaretur iniuria, esset enim atrocior, quam quæ priuatis personis impin-
gitur, Sotus 4. *Sententiar, dist. 25. quæst. 2. artic. 2.* & D. Aug. in *Expositione huius Psalmi* explicat ly
Christos, pro Regibus, qui sunt vncti, & Lucretius Tiraboscus in *Explicatione eiusdem*, intelli-
git, per ly *Christos*, vnctos vnctione Fidei, cum qua omnes baptizati sunt vncti, adeo quod im-
pertinenter citatur ad probandam Clericorum immunitatem de iure Diuino. & ad illud
Matthæi 17. vbi cum didrachma à Christo fuisset exactum, ait Petro, *Reges gentium à quibus ac-
cipiunt tributum, vel censum, à filiis suis, vel ab alienis?* & respondit ille, *ab alienis* vnde intulit Chri-
stus; *ergo liberi sunt filii, vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem
qui primus*, &c. hinc colligunt libertatem à tributis esse Clericis à Christo pronunciatam;
sed hanc auctoritatem explicat D. Thom. 2. *Sententiarum distinct. 44. quæstion. 2. art. 2.* & illic
D. Bonauentura, interpretantur illum locum, tantummodo de persona Christi, & de sua fa-
milia, eo quod non solum erat Filius Dei, verum & inquantum Messias, & verus Rex Re-
gni Cœlorum, erat liber ab omni censu. deinde cum dixit, *Filii ergo liberi sunt*, scilicet à tribu-
to, esset dubium, an loqueretur de filiis Regum Temporalium, an de Filio Regis æterni, &
vtcumque sit, nec Petrus, nec alii Clerici sunt filii Regis temporalis, aut æterni, vnde illis hæc
immunitas debita sit; namque postquam Romani sibi subiecerunt Iudæos in tributarios
propter rebelliones, & discordias suas, cum prius haberent eos amicos, & confœderatos, tunc
omnes Iudæi nulla habita distinctione tam nobiles, quam ignobiles, Laici, & Sacerdotes
constituti sunt censuales, & censum soluerunt in recognitionem illius subiectionis, à qua neq;
Christus, qui erat de stirpe Dauid, poterat se excusare; licet tanquam Rex spiritualis non te-
neretur, Tostat. in *Matth. cap. 17. quæst. 191.* non enim soluit tributum, aut censum illud neces-
sitate coactionis, quia est error condemnatus contra Marsilium de Padua, sed vt euitaret
scandalum. † Neque illud dictum Constantini fidem facit, quando dixit Clericis, *vos Dii* 7
estis, & à nemine iudicari potestis, &c. quia hoc citatur solummodo alludendo ad ius Diuinum,
& non adeo aperte probat sententiam illam, quin tanquam impertinens refelli non possit,
Io. Medina, *C. de restitutione, quæst. 15.* si enim Clerici illi cognouissent Constantinum non esse
iudicem suum competentem, stultitia eorum fuisset, ad ipsum accedere tanquam iudicem,
cum secundum hanc sententiam non esset realiter iudex, sed hoc dixit confirmando leges
Impp. Valentiniani, Theodosii, & Arcadii, qui statuerunt, vt nec Episcopus, nec Clericus
protrahatur ad iudicem secularem ordinarium, vel delegatum, gloss. in *capit. continua, 11.
quæstion. prima*; neque verba Cæsaris habent Diuinam auctoritatem, & secundum Ludoui-
cum Molinam illud dictum intelligitur de rebus, & causis mere spiritualibus, non autem
temporalibus, atque hoc dixit in signum humilitatis, & reuerentiæ, quod patet, quia dixit,
petitis à me in seculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem; & si dicunt nonnulli Impp.
extendisse fimbrias in rebus Ecclesiasticis, multa statuendo circa ipsa, quæ non poterant, vt
habetur *de Sacrosanctis Ecclesiis, & de Episcopis & Clericis*; respond. quod nemo infringit esse ve-
rum Impp. concessisse quamplures Ecclesiis immunitates, quod profecto non fecissent, si
ipsis non licuisset, quia vt inquit Boer. in suis *Decisionibus, decis. 31. num. 5.* omnes Ecclesiæ, &
Clerici antiquitus suberant Imperatoribus & non mirum si potuerint prouidere de ipsis

Ecclesiis,& à fortiori de Prælatis, & quis eos eximit à iurisdictione Imperiali ? Respon. Al-
bet. factum fuisse voluntate Impp. quod forte in præiudicium Imperii,& successorum facere
non potuerunt; tamen subiicit,Papam potuisse per constitutionem,tanquam res spirituales,
quibus ipse præest,eximere,& Sotus 4. *Sententiarum dist.* 25. *quæst.*2.*artic.*2.habet, quod quam-
uis Clerici, neque in suis personis, neque bonis essent iure Diuino liberi, nihilominus Papa
potuit, etiam consultis Principibus, & debuit eos ab eorum exactionibus, & foro excipere,
cui quidem exemptioni Principes contrauenire non possunt,nisi vim vi repellendo.Sed me-
8 lius dixissent, † Impp.non potuisse concedere has immunitates per totum Orbem cum
ipsius nunquam fuerit Dominus, vt habet Sotus *de iustitia, & iure, l.* 4. *quæst.* 4. *art.* 2.& 4. *Sen-
tentiarum dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 2. Couar. *de restitutione,2.parte,* §. 9.*num.* 5. Victoria in *Relectione de
Indis Insulanis, parte prima,num.* 24. Michael Salon *de iustitia,& iure, quæst.* 4. *de Dominio, artic.*3.
Ludouicus Molina *de iustitia,& iure,tractatu* 2. *disput.* 30. estque communis opinio inter Theo-
logos, ex Iuristis, habet illam Faber in *l. cunctos populos,* & communiter Iurisperiti Vltramon-
tani; ita Cardin. à Turrecremata in *cap. Apibus, colum.* 1. & 2. Albericus in *l. bene à Zenone, num.*
13. *C. de quadrien.præscript.* Fulgosius *dicta l. num.* 1. Oldr. *consil.* 69. neque in alterius iurisdictio-
ne quis potest statuere,cum ibi nullam habeat iurisdictionem, nunquam enim Imp. Ciuita-
tis Venetiarum fuit Dominus, adeo quod ad obseruantiam dictæ immunitatis non tenen-
tur, cum suis legibus viuant, & non Imperialibus, cum ipsum in superiorem non cogno-
scant. Dux enim Venetiarum, & Respubl. habent auctoritatem Regiam ratione Regni Cy-
pri, & Cretæ, & Rex in suo regno æquiparatur Imper. & tantam habet, vel maiorem pote-
statem,quam Imper. in Imperio,qui ipsum non transmittit ad hæredes, sicut Rex. Boer. *de-
cis.* 178. *num* 9. & Christus appellatus est Rex,non Imperator, vt habetur Ioan. 28. vbi Chri-
stus Pilato dicenti ei, *Ergo Rex es tu?* respond. *tu dicis, quia Rex sum.* neque etiam Reges Hispa-
niarum recognoscunt Imper. superiorem in temporalibus in suo Regno, & per hoc non te-
nentur ad seruanda iura ciuilia, quæ ab Impp. condita sunt, nisi ipsi de nouo illa sibi institu-
ant, & de hoc extat Bulla Vrbani II. confirmans promissionem Imp. Henrici II. de libertate
Regnorum Hispaniæ ab obedientia Imperii neque etiam Regnum Galliæ ipsum Imper. in
superiorem cognoscit. Ex dictis autem non colligo Clericos omnino esse subiectos potesta-
ti ciuili,namque certum est in spiritualibus esse exemptos, Ludouicus Molina *de iustitia,& iu-
re, tractatu* 2. *disput.* 31. immo est error condemnatus contra Ioan. Vvicleff in Concil. Con-
stantiensi, tum etiam contra Marsilium de Padua, & Ioan. de Landino per *Extrauag. Ioann.*
XXII. enim habemus Bonif. VIII. in *capit. quamquam, de censibus* in 6. personas Ecclesiasticas
cum suis bonis de iure Diuino esse exemptas, & Concil. Trident. *sessio.* 25. *capit.* 20. *de Refor-
matio.* immunitatem Ecclesiæ esse Dei ordinatione concessam, & profecto est verum,immu-
10 nitatem Ecclesiæ esse de iure Diuino, † sed non quamlibet immunitatem esse de hoc iure,ita
communiter Sotus, Victoria, Driedo, Caietanus in *summa,* verbo *excommunicatio, cap.* 31. & 37.
Nauarrus in *Manuali cap.*27.*num.*119. Ludouicus Molina *vbi supra,* estque Diui Thomæ in illud
ad Romanos 13. ideo enim tributa præstatis,quia habet Conc. Trid. *ead. sess. & capit.* dari immu-
nitates, quæ à Summis Pontif. & Imp. sunt concessæ,illæ igitur sunt immunitates de iure Di-
uino, quæ sunt circa ordinationem, & ministrationem Sacramentorum Sacramentalium,
collationem beneficiorum, ordinationem Episcoporum,& aliarum causarum Ecclesiastica-
rum, & spiritualium rerum, Couar. *lib. Practicarum quæstionum, capit.* 31. *num.* 2. & Ludouicus
Molina *vbi supra,* & in istis nullo modo se potest intromittere iudex secularis, † à Pontif. au-
11 tem, & Impp. est concessum personis Ecclesiasticis, & eorum bonis,vt sint à potestate ciuili
exempti,vt supra est probatum,immo Iustinianus ad supplicationem Episcopi Constantino-
politani dedit Clericis priuilegium fori in ciuilibus tantum,& Episcopo non impedito,alias,
& omnino in criminalibus eos reliquit sub iudicio seculari: hinc dicit Tostatus in 2. *Iosue ca-
pit.* 20. *quæst.* 7. quod Legistæ, qui dicunt immunitatem Clericorum, quod non conuenian-
tur coram Iudice seculari,& quod non possint pœnis legum ciuilium puniri,esse priuilegium
de iure Diuino, hoc leuiter assentiunt, quasi fidei, & non tanquam rationi; huius sententiæ
sunt Dominicus Sotus 4. *Sententiarum, dist.* 25. *quæst.* 2. *art.* 2. Ioan. Mediña *de restitutione, quæst.*
13. Inn. in *capit.* 2. *de maior. & obed.* Petrus Ferrar. in *practica, tit. de confessoria,* §. *plenam, col.* 1. Al-
ciat. in *capit. cum non ab homine, de iud.* Lugdunen. in *additio. ad consil. Alexan. VIII. lib.* 1. Couar.
lib. practicarum quæstionum, capit. 31. & Ludouicus Molina *vbi supra,* Victoria, Nauarrus, & com-
12 muniter,vt supra Theologi. † Præterea quod aliqua personarum genera in Ecclesia à iudice
seculari non capiantur, est de iure positiuo, quia in lege Veteri Sanctuario non competebat
immunitas, vel si competebat, non tanta, quanta nostræ Ecclesiæ, Tostat. *eod. loco.* habemus
enim Exodi 21. *Si quis per industriam, vel insidias occiderit proximum suum, ab Altari meo euelles eum,
vt moriatur.* & Salomon fecit occidere Ioab intra Sanctuarium apud Altare, 3. *Reg. capit.* 2. in
lege autem noua non est credendum Ecclesias velle malefactores tueri, licet multi sint Ca-
nones, qui hoc vetant, & circa hoc dicit Petrus de Ferr. in sua *practica titu. forma inquisitio-
nis, fol.* 244. *columm. prima ver. ex iis non potest improbabiliter quæri.* Dicens infra Canonica fuisse
ad placitum, & sine ratione facta, immo nonnulla contra ius Diuinum,quo cautum est, do-
mus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum, *cap. decet,
de immu-*

de immunitate Eccles. in 6. si enim Deus noluit tolerare ementes, & vendentes in Templo, sed
eos eiecit, quanto magis non vult receptari in Ecclesia latrones, homicidas, &c. & secundum
Felin. in *cap. primo, de homicidio,* de mente Canonis esse, Ecclesiam homicidas non fouere; † & 13
Theodosius Imperat. anno Domini 391. Pontif. Siricii Papæ, circa eos, qui ad Ecclesias con-
fugiunt hæc sanciuit: *Publicos debitores, si confugiendum ad Ecclesiam crediderint, aut illico extrahi de
latebris oportebit, aut pro his ipsos, qui eos occultare probantur, Episcopos exigi. Sciat igitur præcellens auctori-
tas tua, neminem debitorem post hac à Clericis defendendum; aut per eos, eius quem defendendum esse credide-
rint, debitum esse soluendum. Dat. 15. Kal. Nouembris, Constantin. Arcadio Aug. 11. & Ruffino Coss.* & per-
sæpe D. Aug. pro his se obligauit, vt inuiolatum Templum remaneret, † de iure etiam ciuili 14
sunt plures casus, in quibus delinquentes ad Ecclesiam confugientes non gaudent illius im-
munitate, vt not. glos. in *l. 2. de his qui ad Eccl. confug.* veluti homicidæ, adulteri, virginum rapto-
res, & tributorum exactores, qui enumerantur in *Auth. de mand. Princip. §. neq; autem,* & ibi gl.
collat. 3. & quasi hodie secundum gl. ibi, pro omni delicto confugientes non gaudent immu-
nitate Ecclesiæ, per dictam *Auth.* & illam gloss. sequuntur ibi Iacob. de Bellouisu, & Bart. &
idem Sal. in *d. l. 2. & Authent. si quis ei, C. de adult.* & Ang. Aret. in suo *tract. malef.* in gloss. *fama pub.
in 4. q.* dicens, † in omnibus criminibus atrocioribus, vt prædictis, & similibus, potest crimi- 15
nosus extrahi ab Ecclesia; secus in aliis non atrocibus; quod dicit esse in practica notandum,
& sentit Bart. in *consil. 169.* inchoante, *statutum Ciuitatis Tuderti,* quod extractio ab Ecclesia li-
cet debeat fieri secundum Sal. in *d. Auth. si quis,* per Episcopum aut eius officiales, per tex. in *d.
Auth. de mand. Princip. §. neque, & in cap. inter alia,* & ibi Doctores omnes, tamen hoc non serua-
tur de facto, quia per iudicem secularem extrahitur, sine authoritate Episcopi, vt dicit Ioan.
Fab. in *§. fin. instit. de his qui sunt sui, vel alieni iur.* † De iure autem Canonico non gaudent im- 16
munitate insidiatores itinerum, depopulatores agrorum *d. cap. inter alia* homicidia volunta-
rius *ca. 1. de homicid.* delinquens in Ecclesia, *cap. 5. de immun. Eccles.* & secundum Ioan. Barber. in
suo *iuris viatorio, tit. de violat. immunit.* addit alios tres casus, scilicet in Clerico, qui disciplinæ fu-
giendæ causa confugit, potest extrahi, item in interficiente Clericum, & etiam seruo fugien-
te inuito Domino *l. si seruus, de his qui ad Eccles. confug.* addimus etiam consuetum blasphemato-
rem Dei, & Virginis Mariæ, per *cap. fin. de immunit. Eccles.* per rationem ibi adductam, quia fru-
stra legis auxilium implorat, qui in legem committit, *cap. quia frustra, de vsur. & l. auxilium, in
fin. ff. de minor.* nam qui delictum in Ecclesia, vel contra eam Dei sponsam commiserit, gau-
dere non debet, *capit. fin. & cap. conquesti, de sententia excommun.* & tenet Ioan. Faber. in *dict. l.
prima, de his qui ad Eccles. confug.* à fortiori gaudere non debet, si contra Deum sponsum Eccle-
siæ, & caput, ac in diuinam commiserit Maiestatem, quam longe grauius est offendere, quam
temporalem, *cap. primo, §. item statuimus, de statu. & consuet. contra liber. Eccles.* neque etiam sacri-
legus debet gaudere immunitate, *cap. frater, 17. quæstio. 4.* & hanc immunitatem esse de iure
positiuo per plura iura testatur Couar. *lib. var. resol. l. 2. cap. 20.* & de hoc quamplures sunt le-
ges Regum Hispaniarum, & rescripta ad iudices Ecclesiasticos, vt tales ab Ecclesiis possint
abducere. immo refert Rebuffus in *prooemio Constitu. Regiarum, gloss. 5. numero* 40. in Regno
Franciæ delinquentes statim ab Ecclesiis abduci, vinctosque à laicis iudicibus obseruari; ac
demum tractatur sit ne is, qui abductus fuit, dignus iuxta Canonicas sanctiones Ecclesiarum
immunitate, quod si dignus ea iudicetur, remittitur, & restituitur Ecclesiæ, alioquin punitur
à iudice seculari. † Tandem hac de re à fœl. rec. Gregor. XIV. est motus proprius dat. 17
Romæ anno Domini 1591. nono Kalen. Iunii, Pontific. sui anno primo, per quam reuoca-
uit constitutiones Pii V. & Sixti V. hac de re editas, & permisit solum in quibusdam casibus
ab Ecclesiis extrahi, licet in nonnullis prouinciis non sit receptus, immo fuit supplicatum
pro ipso in regno Portugalliæ, prout refert Rodriquez in *Summa, cap. 155. num.° 8.* est etiam de
iure positiuo Ecclesiæ concessum, vt possit recipere possessiones, & possint ædificari Ecclesiæ
per orbem, & hoc concessit Imperator Constantinus, vt habetur *cap. futuram Ecclesiam, 12.
quæstio. 1.* multæ etiam aliæ sunt immunitates Ecclesiasticæ, tam circa personas, quam circa
loca à Summis Pontificibus, ac Imperatoribus concessæ, omnesque de iure positiuo quæ non
faciunt ad rem. † Quibus sic stantibus, est sciendum, quod aliqua possunt pertinere ad ali- 18
quam Potestatem, seu Iurisdictionem, tripliciter, primo ex se, & suo iure, secundo ex vsu, &
consuetudine, tertio ex priuilegio, ac per consequens possunt iudicari Ecclesiastici de iure,
de consuetudine, ac de priuilegio. † Primo competit ex se Principi seculari secundum suam 19
Iurisdictionem à Deo sibi concessam iudicare in quibusdam temporalibus, non autem spiri-
tualibus, vt supra probatum est, quamcunque personam suæ ditioni subiectam, siue sit laica,
siue Ecclesiastica, quæ solummodo est de iure positiuo exempta, cuius ratio est, quod scri-
ptum est ad Romanos 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus est subdita, non enim est potestas,
nisi à Deo.* hinc est potestatem Principis secularis esse de iure Diuino, † licet persona ipsa 20
Principis sit de iure positiuo. vnde Potestas, & Dominium regendi populum est à Deo quan-
tum ad debitum, non autem semper quantum ad acquisitionem, vel vsum. non enim est de
iure Diuino Philippus Rex Hispaniarum, licet eius Dominium sit de iure Diuino, neque
Status Mediolani acquisitio est de dicto iure, in Sacris enim Scripturis hæc non habemus, &
quando Apostolus *d. cap. dixit, Omnis anima,* &c. secundum D. Ambros. super dicta Epistola,

21 *Homil.* 23. ideo fecit, † vt ostendat, Christum leges suas non ad hoc induxisse, vt Politias e-
uertat, sed vt ad melius instituat, & vt pariter doceat superflua, & inutilia bella nõ esse suscipi-
enda, ideo Clerici non subsunt Principi seculari, vt Clerici, sed vt Ciues, quia & ipsi sunt Rei-
publ. Ciues, & eius membra, Sotus 4. *Sententiarum, dist.* 25. *quæst.* 2. *art.* 2. Ludouicus Molina,
de iustitia, & iure, tractatu 2. *disputat.* 31. de actionibus igitur ipsorum vti Ciues poterit Princeps
iudicare, siue sint reales, siue personales, quod probatur per illud *capit. nos si incompetenter,* 2.
quæst. 7. supra citatum, ac etiam quia tenentur Clerici legibus Reipublicæ iustis, Michael Sa-
lon in 2. 2. *D. Thom. quæst.* 67. *art.* 1. *controuersia prima*, ac ad eas, quæ sunt ad bonam Reipubli-
22 cæ administrationem. Ludouicus Molina *de iustitia, & iure, tract.* 2. *disputat.* 31. Deinde † cu-
ius est considerare finem, eiusdem est iudicare de his, quæ debent ordinari ad finem; quia ra-
tio eorum, quæ ordinantur ad finem, sumitur ex fine; debet enim intendens aliquod bo-
num, finem eligere, & ea, quæ sunt congrua fini, & tollere ea, quæ finem impediunt, sed Prin-
ceps temporalis, intendit finem Politicum, qui est subditorum pax, & tranquillitas, vt habet
D. August. de Ciuit. Dei, lib. 5. capit. 21. *Hæc est illius vita, hoc studium, vt tu quoquomodo pace frua-
ris,* & infra, *in maximis bene facit Magistratus, dum pacem & administrationem Politicam procurat.* sed
multæ actiones personales, vel reales sæculares Clericorum persæpe impediunt huoc finem,
quia vt habetur in *Breui* Innocentii Papæ VIII. nullum fere latrocinium, aut grauius deli-
ctum committitur in Ciuitate Venetiarum, cuius non sit auctor aliquis Clericus; & Sanctus
Sulpicius Seuerus Bituricensis Episcopus, Dialogo primo, habet, *Si quis Clericus fuerit effectus, di-
latat continuo fimbrias suas, gaudet salutationibus, inflatur occursationibus, ipse enim vbique discurrit; &
qui ante pedibus, aut asello ire consueuerat, spumante equo superbus inuehitur; parua prius, ac vili cellula con-
tentus habitare, erigit celsa laquearia, construit multa conclauia, sculpit ostia, pingit armaria, vestem respuit
grossiorem, indumentum molle desiderat. Atque hæc tharis viduis, ac familiaribus mandat tributa virgini-
bus; illa, vt byrrum rigentem, hæc, vt fluentem texat lacernam.* hæc ille; adeo vt persæpe diuitiæ, &
alia sunt in causa, multa grauiora, & impudenda committere, & contra Diuinam, humanam-
que legem, ac contra venerandam illam Sacerdotalem Dignitatem: sed, heu miseri, quid est
dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto, ex quibus omnibus multoties tranquillitas, &
pax publica turbatur? ergo Princeps, qui est Reipubl. custos, pro suo Politico fine poterit re-
mouere hæc impedimenta, etiam Clericos pacem turbantes corrigendo, & puniendo, prout
23 delictorum ratio, & qualitas exigit. † Debet enim Princeps præsentium habere intelligen-
tiam, vt videlicet semper intendat pacem conseruare subiectis benefacientibus, punire re-
probos, & superbos pro posse consternere; sicut de Roma dictum est, ad gloriam. Hæ tibi e-
runt artes, *pacisq; imponere mores;*
Parcere subiectis, & debellare superbos.
Vnde D. August. *si cum timore, vt Principi sis tas opus sit, non putes ex eo cognationem tuam dehonestari.
Deus enim ita exigit, vt creatus ab eo Princeps vires suas habeat. est enim Dei minister, vltor ei, qui male facit;
& legem Dei adimplet, siue puniat, siue honore afficiat,* & infra, *noli talem subiectionem turpem tibi putare,
Deus enim istud constituit, qui & vehemens ista contemnentium vltor est; vis non timere potestatem, quod bo-
num est facito, & feres laudem ab ea, si malum feceris, time, timorem enim non facit Princeps, sed vestra mali-
24 tia, non enim frustra gladium gerit, Dei enim minister est, vindex seuerus superborum.* Hæc ille. † quare
pœna infligitur male agentibus propter duo, scil. vt ipsi pereant, & vt alii similia non faciant,
& magis fit ad aliorum correptionem, quam ad huiusmodi destructionem, patet quia iudex,
& lex in distributione pœnarum, intendunt vtilitatem publicam, sed maior vtilitas commu-
nitatis est, quod alii pœna istius à similibus arceantur, quam vt isti occidantur, Boetius tamen
de consolat. l. 4. *Prosa* 4. ponit alium modũ punitionis reorum, siue finem, scilicet vt feliciores,
vel saltem non ita mali sint, cum malum culpæ fuerit ordinatum per bonũ pœnæ, cum dicit,
feliciores esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla iustitiæ pœna coerceat: nec nunc
mollior, quod cuiuis veniat in mentem corrigi vltione prauos mores, & ad rectum supplicii
terrorẽ deduci, cæteris quoq; exemplũ esse culpanda fugiẽdi, sed alio quodámodo infælicio-
res esse arbitror improbos impunitos, tametsi nulla ratio correptionis, & nullus respectus ha-
beatur exẽpli, Tostat. in *Deut. c.* 17. *q.* 6. poterit igitur Princeps secularis Clericos, tanquã Ciues
in temporalib. aliquando punire pro suo Politico fine, ne eorũ praui mores pusillos scanda-
lizent. nõ n. pietas subiectionem subuertit; neq; hoc facit Princeps, vt inde habeat aliquid e-
molumentũ, sed solummodo propter vitiorũ correptionem, & publicã pacem, cum ex se sint
in nonnullis ipsi Principi subiecti, vt iam supra probatũ est, ac ne Deo rationẽ reddere debeãt
de mala administratione sui Dominii, secundum Isidori testimonium à Gratiano in *c. Principes,*
23. *q.* 5. citatum, vt sciant Principes Seculi intra Ecclesiam eã potestatẽ habere, vt superborum
ceruices cõprimant, & quod fieri nõ potest per Iudices Ecclesiasticos, ab ipsis iuxta disciplinã
Reip. vtilem executioni mandetur. & D. Hierony. in Commentariis Hierem. c. 22. *Regum offi-
cium proprium facere iudicium, atq; iustitiam, & liberare de manu calumniantiũ vi oppressos*, & hoc quo
25 ad primum caput. † Quo ad secundũ caput. Clerici ex consuetudine à Principe seculari pos-
sunt iudicari in nõnullis. namq; consuetudinis tanta est vis, & fortitudo, vt dici soleat, esse al-
teram naturam, vt dicit Gl. in verbo consuetudo, in *l. si quis posthum. ff. de lib. & posthum.* S. Thom.
1 *parte, quæst.* 36. *art.* 4. *ad* 2. & Glo. in *l.* 1. *ff. ad Macedon.* immo si solum excederet tempus decem
anno-

annorum, diceretur antiquissima, gloss. in *l. de quibus ff. de leg.* Roland. *consil. 5. num.* 73. & facit
ius, Abb. in *Rub. de consuetud. num.* 2. neque à lege differt, nisi tanquam tacitum ab expresso,
Franciscus Turzanus *lib. communium opin. cap. 123. num. 2.* † & consuetudo hominum memo- 26
riam superans & Principis priuilegium, paria sunt, nam sicuti Principum priuilegia stant pro
legibus, & moribus, ita quoque consuetudines illę diutissimæ, de quibus nulla extat memo-
ria in contrarium, vim obtinent concessionis Principum, constitutionum, & legum, imo &
priuilegium inducunt, adeo vt iuri quodammodo derogent, vt habetur *l. hoc iure vtimur, §.
ductus aqua, ff. de aqua quotid.* &c. *l. 1. §. denique ait, ff. de aqua pluui. arcen. cap. super quibusdam, §. præ-
terea,* iuncta gloss. in verb. *non extat memoria, de verb. signif. cap. hæc quippe, 3. quæst. 6.* & æquipara-
tur priuilegio à Principe expresse, & ex certa scientia concesso, Ias. in *l. de quibus, num. 43. ff. de
leg.* † & iurisdictionem tribuit, *cap. cum contingat, de foro competenti, capit. conquestus, 9. quæst. 3.* 27
Egidius Bellameræ *consil. 40. num. 21.* Anchar. in *cap. duo simul, num. 5. de offic. ordin.* & cum non
sit leuis auctoritatis, idem in *cap. cum consuetudinis, num. 1. de consuetud.* & sit optima legum in-
terpres, *l. si de interpretatione, & l. minime, ff. de leg.* facit vt illud quod alias est illicitum, sit modo
licitum, Glo. est communiter approbata in *capit. suam nobis, extra de simon.* Mar. Soc. *consil. 68.
num. 12.* & cum sint exempti Clerici à foro in persona, & rebus secularibus de iure positiuo, vt
supra est ostensum, † ista consuetudo potuit tali iuri derogare, Abb. Innoc. Butrio, & com- 28
muniter DD. in *cap. fin. de consuetud.* & Nauarrus in *Manuali cap. 13. num. 5.* multa exempla po-
nit, in quibus consuetudo seruatur contra antiquos Canones, immo ait Concil. Sanctorum
Apostolorum abrogatum fuisse contraria consuetudine, vt videre est *de pœnitent. dist. 5. in prin-
cip. tertiæ partis, nume. 2.* idem facit Flores Theologie. quæstion. *in addit. ad primam partem, 4.
tract. de ieiunio, quæst. 9.* † vnde talis consuetudo duplicem habet vim, nam potest nouam ob- 29
ligationem inducere, & priorem legis obligationem amouere, legem scilicet inualidando, &
homines ab obseruantia legis excusando, Alphon. Viualdus, *in tract. de bello leg. & consuet. nu.
53.* in Ecclesia etiam multa obseruantur ex sola consuetudine, quæ neq; ex scripturis, neque à
Patribus tradita sunt, sed sola consuetudine sunt roborata, quibus omnibus par ritus, & affe-
ctus debetur, alioquin nisi consuetudines in ecclesia seruarentur, Christiana religio multum
detrimenti pateretur, *c. ecclesiasticarum,* & ibi glo. *distin. 11.* & dictus Viualdus *d. tract. & num.* ha-
bet, quod consuetudo, vt prioris legis vim, & obligationem tollat, non oportet vt sit rationa-
bilis, & præscripta, sed satis est, vt sit per tantum tempus inducta, & obseruata, vt ad maiorum
notitiam peruenerit, qui cum eam sciant, minime contradicunt, cum commode si vellent, &
contradicere, & præuaricatores punire possent, quod cum non faciant, iuste eius legis rigo-
rem velle amouere præsumitur; dicimus autem quod hæc consuetudo est rationabilis, quia
cohibet clericorum persæpe audaciam; hinc præsumitur Summos Pontif. voluisse derogare
dispositioni tex. in c. clerici, de iud. quo loci habetur non valere consuetudinem, quod Cle-
rici apud Secularem iudicem conueniantur, quia intelligitur in rebus spiritualibus, non au-
tem temporalibus, cum neq; in Conc. Trid. *sess. 25. c. 20. de refor.* derogetur huiusmodi consue-
tudini, sed potius tacendo, videatur ipsam confirmare, quia constitutio noua Principis non
tollit consuetudines, nisi exprimat, *capit. 1. de const. in 6.* nonne consuetudo obtinuit contra
capit. cum inhibitio, de cland. despons. vt omitterentur denuntiationes matrimoniales? quod
postea in Conc. Trid. est innouatum; nonne fuit derogatum præcepto ieiunandi tribus Ro-
gationum diebus? vt habetur in *cap. Rogationes, de consecratio. distin. 3.* per solam consuetudinem,
in Archiepiscopatu autem Toletano adhuc talis durat obseruantia, vt feria 2. Rogationum
nullus carnes manducat, feria autem 4. omnes ieiunant; † immo moralia, & ea quæ sunt de 30
lege naturæ, potest consuetudo illa distinguere, limitare, augere, si ratio naturalis suadeat, nec
erit peccatum transgredi, quia præsumitur hoc voluisse ipsum legis authorem Deum, Viual-
dus *d. tractatu, num. 33. & cap. consuetudinem dist. 11.* habemus, consuetudinem laudamus, quæ ta-
men contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur; † quod autem Clerici in nonnul- 31
lis iudicentur à Principibus secularibus, non est contra fidem, vel in eius detrimentum, sed
potius ipsius exaltatio, quia reddentur obseruātiores Diuinarum, humanarumq; legum, † ac 32
etiam in Regno Franciæ iudex secularis de consuetudine cognoscit de reali actione, qua cle-
ricus ratione possessionis est ei subditus, Boer. *dec. 69. n. 10.* ac etiam de personali in multis cri-
minibus, Iul. Clarus *lib. 5. quæst. 36. vers. vlterius quæro,* & Boer. *decis. 207. num. 1.* immo dictus Cla-
rus ibi habet, valere consuetudinem, quod in aliquibus casibus clerici iudicentur à Laicis, &
hoc in multis locis indistincte in practica obseruari, quæ practica præstat veram interpreta-
tionem, & ab ea non est recedendum, Dec. in *c. canonum n. 84. de const.*

† Quo ad tertium caput, clerici possunt à Laico Principe ex priuilegio iudicari, immo vi- 33
demus Siciliæ Regem ab Vrbano secundo habere Priuilegium, vt sit in suo Regno Sedis A-
postolicæ Legatus, & ex hoc priuilegio exercet Monarchiam iudicando, & incarcerando
quoscunq; clericos, etiam Episcopos illius Regni; quæ siquidem priuilegia maximum faciūt
ius dicit enim Abbas in *c. nouit. num. 22. de iud.* quod plus valet priuilegium quam consuetudo,
quia quod potest fieri per consuetudinem, longe magis potest induci per Principem, qui o-
mni consuetudine est maior, Cæphal. *consil. 302. nume. 24.* cum sit lex viua, & animata, idem
consilio 34. num. 30. † neque consuetudo aut priuilegia clericos iudicandi, per Bullam quo- 34

tannis legi solitam in die Cœnæ Domini sunt reuocata, Suarez *de censuris in Explicatione dictæ Bullæ censura* 19. quia lex noua sic debet interpretari, ne alicui præiudicet in Iure quæsito, ne-
que etiam in possess. Ludouic. Gomes. in *Reg. de non tollen. iure quæsito quæstion.* 5. cum arguatur
à quæsita possessione ad Ius quæsitum Abb. post Innoc. in *capit. dudum in* 1. *not. de priuileg. vers.*
sed pro declaratione tex. &c. quinimmo pro regula traditur, quod lex noua, etiam quod simpli-
citer loquatur non aufert alicui priuilegium sibi particulariter concessum, Marian. Soc. *consil.* 8.
n. 21. prout traditur etiam in *Reg. Cancellar. Apostolica de non tollen. iure quæsito*, nisi de ipso fiat men-
tio specialis, Bald. in *leg. non plures num.* 4. *de sacros. eccl.* & licet possit absq; causa ea suo subdito
reuocare, glos. fin. in *capit. decet, de regu. iur. in* 6. hoc solum procedit vtendo potestatis pleni-
tudine, Cur. *consil.* 27. *nume.* 21. qua raro vtitur Bald. in *leg. multum num.* 3. *de communi re alien.*
sed ordinaria potestate vtendo ipsa non potest reuocare, Decius in *capit. quæ in ecclesiarum nu-*
mer. 103. *de constitut.* nec præsumitur talis plenitudo, nisi exprimatur, Vantius *de nullitatibus ti-*
tu. an qualibet sententia nume. 13. nec etiam in dubio præsumitur ipsa vti, Ias. in *leg. quanquam nu.*
2. *Cod. de test. militari*, immo præsumitur semper secundum iura procedere, & velle, quod iu-
stum est & æquum, Ias. in *leg.* 1. *nume.* 3. *de constitut. Princ.* quia licet sit legibus solutus, non ta-
men est solutus à dictamine rectæ rationis, cum sit animal rationale, politicum, & mortale,
Bald. in *l.* 2. *Cod. de ser. & aq.* Cur. *consil.* 27. *num.* 23. sed hæc omnia procedunt in subdito, quia
35 in non subditum non potest vti plenitudine potestatis. Cur. *consil.* 20. *nume.* 14. † & Prin-
cipes Summo Pontifici non sunt in temporalibus subiecti, *capit. per Venerabilem, extra qui fil. sint*
leg. nisi per accidens, *Clem. Pastoralis, de re iud.* cum nullum in illis præter Deum recognoscant
36 Superiorem. † Priuilegiumq; non subdito concessum, non potest per concedentem reuoca-
ri, *ca.* 1. *de concess. praben. in sexto.* Abbas in *d. c nouit. n.* 23. Dec. in *c. quæ in Ecclesiarum, nu* 96. *de constit.*
Castr. in *l. si quis, num.* 5. *C. de Episcopis, & Cler.* Innoc. & alii in *cap nouit, de iud.* not. Card. in *cap per-*
pendimus, de sententia excommun. Barto. in *l. priuilegia, C. de Sacrosanct. Eccles.* Matthæus de Afflicta,
in *Decisionibus Neapol. decisio.* 351. *num.* 9. quia transeunt in contractum Abbas, *consil.* 63. *nume.*
primo, & Afflictus *ibi, num.* 10. Ludou. *consil.* 252. Vnde si Imperator, vel Rex fundant; & do-
tant de bonis Imperii, vel Regni Ecclesiam ipsis non subditam eique priuilegia largiantur,
eorum successor non potest ipsa reuocare, Spec. *lib.* 2. §. *ci. de instrumen. edit.* Curt. *consil.* 27. *num.*
12. quia habent ius quæsitum, quod nec etiam Papa, qui habet plenitudinem potestatis,
potest laico auferre, secundum Innoc. in *capit. nouit.* in glos. in verbo *Theodosius, extra de Iud.*
Curt. *d. cons. n.* 22. vnde vult Glo. in *c. Apostolica, gl. penult. de re iud. in sexto*, quod Papa qui conces-
sit primatibus Germaniæ potestatem eligendi Imperat. non potest eos priuare potestate eli-
gendi, & in se transferre, quamuis ipse concesserit, Ias. in *l si pecuniam, n.* 15. *ff. de cond. causa da.* non
enim debet facere sicut inquit Bal. in *c.* 1. *de natura feud.* cum Ioan. And. de Papa Cœlestino, qui
de mane concedebat gratiam, & de sero reuocabat. nam erat vna pecus, & ideo fuit remotus
à Papatu, Ias. *ibi.* aliter possent Imperat. & Principes priuilegia Ecclesiis concessa reuocare,
qui enim fidem frangit, fides ei frangi debet, immo Princeps frangendo fidem dicitur magis
peccare, quam priuata persona, Menoch. *cons.* 27. *nu.* 24. nec valet dicere quod Principes sunt
in spiritualibus directe Summo Pontifici subiecti, *cap.* 2. *de prabendis*, & Dec. in 2. *lectura, c. cogno-*
scentes, nu. 42. *de constit.* & quod agitur de persona spirituali, nempe de Clericis, *capit.* 1. *de vit. &*
honest. Cler. Dec. in *cap. vt nullus, num.* 6. *de prabend.* quia hæc priuilegia non sunt concessa, vt sub-
37 iectis in spiritualibus, sed vt principibus temporalibus nulli subiectis. † De iure enim com-
muni in multis possunt iudicari, vt in *cap. perpendimus, cap. si vero, il. primo, de sententia excommuni.*
cap. cum non ab homine, de iud. capit. filiis, vel nepotibus, 17. *quæstion.* 7 *cap. Principes, & capit. Regum.* 23.
quæst. 5. & late per Couar. *lib. practicarum quæstionum cap.* 55. *numer.* 3. Clerici etiam assassini pos-
sunt per iudicem secularem puniri, Hippol. de Mars. in *l. vnius*, §. *cognitorum, num.* 66. *ff. de quæ-*
stionibus, etiam absque alia degradatione, *cap. primo, de homic. in sexto.* Spec. Rom. Pont. Imperat.
& Reg. *capit. de immunit. Eccles. nume.* 6. propter crimen læsæ Maiestatis possunt vltimo suppli-
cio puniri, *cap. perpendimus, de sententia excommunic.* tonsores monetarum, seditiosi, & publicam
quietem turbantes, Clarus, *lib.* 5. *quæst.* 36. possunt etiam ciuiliter puniri, quando in seculari
iudicio falsum deponunt tex. in *l nullum*, & ibi glos. *C. de testibus.* Cyn. Bal. & Salic. *ibi*, qui vo-
lunt vsurpare iurisdictionem regiam ad quod videtur facere, *c. ex parte, de verb signific.* vbi per-
mittitur iudici defendere iurisdictionem, & territorium suum. facit tex. in *c. cum dilecto, de sen-*
tent. excommunicat. in sexto, & Innoc. in *c. olim, il primo, de restitut. spoliat. & cap. dilectus, de pœn.* dicit
ordinario competere iurisdictionem in extraneos impedientes eius iurisdictionem per *cap.*
primum, de off. deleg. Spec. Rom. Pont. &c. *eodem cap. num.* 4. item si assumant administrationem,
vel officia laicorum, in ipsisq; delinquunt text. in *cap. sacerdotibus, ne cleric. vel monach.* & habent
in ipsos iurisdictionem, quando habent iurisdictionem respectu certæ causæ, quæ viget in
Clericis etiam in præiudicium ordinariæ iurisdictionis Episcopi, vt expresse colligitur ex text.
in *cap. cæterum, de iud.* & Spec. Rom. Pont. &c. *cap. de iurisdictione certo modo, &c. numer.* 3. quo loci
citat Clementinam primam excitana diœcesanos contra Clericos, qui seculares actus exer-
cent, & de aliis multis criminibus vide Boer. *decisio.* 297. *numero primo*, & Clarius *lib.* 5. *quæst.* 36.
dicit valere consuetudinem, quod in aliquibus casibus Clerici iudicentur à Laicis, & hoc in
37 multis locis indistincte in practica seruari. † Videmus etiam, quod in multis casibus permit-
titur

titur particulari personæ Clericorum percussio, absq; metu excommunicationis, præsertim in dicto *cap. si vero*, & late per DD. omnes, & vbi potest Clericus percuti sine metu excommunicationis, fortius potest detineri, & capi, Abb. in *cap. cum non ab homine, num. 11. de iud.* Boss. in *tit. de tortura, numero 36.* cur non licebit in aliquibus casibus hoc etiam Principi, ad coercendam eorum temeritatem, & audaciam, cum non plus liceat particulari personæ, quam Principi, *l. non est singulis, de reg. iur.* hoc solummodo faciendo pro quiete sui status: Bannes *de iust. & iure, quæst. 67. art. 1.* maxime enim decet Reges in suo Regno esse iustos, & iustitiam obseruare, quia sine iustitia Ciuitates, & Regna durare non possunt, Spec. Roman. Pontif. & Reg. *capit. 54. num. 47.* & iustus pro iustitia nulli parcere debet, quia bene operans, nulli parcit, *ibi nu. 30.* ideo inquit D. Aug. *de Ciuit. Dei, lib. 5. cap. 24.* felicem esse Principem illum, qui vindictam pro necessitate tegendæ, tuendæq; Reipubl. non pro saturandis inimiciriarum odiis exercet, quia secundum Iurisconsultos, melius est, intacta iura seruare, quam post vulnus remedium adhibere. Spectat enim ad ipsum suspiciones, rixas, & pericula amoueri pacemque inter subditos indoci, & conseruari. *l. 1. §. quoties. ff. de offic. Præfecti vrb.* Mar. Soc. *cons. 68. nu. 160*, sicque Populus in pace requiescens in dilectione Principis assurget, D. Antoninus *lib. 4. tit. 2. cap. 6. de prudentia*, & nulla maior pietas, quam defendere Patriam, & debiles, ac pauperes ab hostibus, *cap. fortitudo, capit. non inferenda, 23. quæst. 3.* & quoties in Rep. per Iudices, & leges corripiuntur inquieti, sontesque puniuntur, tunc consolationem capiunt pusillanimes, tunc omnis timor recedit ab insolente, propterea dicit Apostolus, *Rogamus vos autem Fratres; corripite inquietos, & consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, & patientes estote ad omnes*, & dicit Tullius *3. Officiorum*, quod huiusmodi genus hominum, tanquam pestiferum, & impium ex hominum Communitate exterminandum est, cum non intendat Ecclesia priuilegiis suis fouere proteruos, nec lex dat priuilegia indignis. Sunt enim Clerici Ciues, & veniunt appellatione Populi, Dec. in *c. vt nullus, n. 21. 22. 23. & 24. de præbend.* & sunt de districtu Domini temporalis, Alex. *cons. 41. n. 5. volum. 7.* immo Imp. est Dei Vicarius, & dicitur omnium temporalium Dominus in locis Imperio subiectis, *l. bene à Zenone, C. de quadrien. præscript.*

† Ita vt etiam Clerici in temporalibus dicuntur Imp. subiecti, vt inquit Ioannes de Monte in *tract. de Imp. Maiestatis origine, & potestate, in 4. quæst. num. 2.* Mar. Soc. *consil. 68. num. 9.* not. per Innoc. in *cap. si Clericus, de foro competenti, & in cap. nouerit, de sententia excommunicat.* habetur enim in *c. nos si incompetenter. 2. quæst. 7.* quod duæ sunt personæ, quibus Mundus iste regitur, Regalis scilicet, & Sacerdotalis, sicut Reges præsunt in causis sæculi, ita Sacerdotes in causis Dei. Regum est corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum vero spiritualem inferre vindictam, ideo sunt subiecti in bonis feudalibus, Abb. in *in cap. cæterum, de iud.* & Dec. in *cap. Episcopus, nu. 20. de præben.* in bonis patrimonialibus, Dec. *eo. capit. num. 19.* quia in ipsis censentur Laici, Curt. *consil. 27. nu. 22.* in reparatione viarum, pontium, & aliarum collectarum pro necessitate Principis, vt late est videre per Abb. in *cap. non minus, de immunit. Eccles.* & quia valet argumentum de re, ad personam, *l. qui plures liberos, in princip. ff. de vulg. & pupil.* not. Bart. in *l. miles, §. & quia diximus. ff. de testam. militari.* Dec. in *cap. non liceat, num. 28. de præben.* ita erit dicendum, quod in nonnullis quo ad personam erunt subiecti Principi seculari, cum etiam Dauid ex Regali vnctione Sacerdotibus, & Prophetis præesset, in causis seculi licet ipsis subesset in causis Dei, *2. Reg. capit. 6. capit. nos incompetenter, 2. quæst. 7.* Interest enim Reipub. vt delicta puniantur, Cæphal. *consil. 34. nume. 16.* neque Ius Pontificium derogat iuri naturali, secundum quod Respub. potest se tranquillam seruare, nec alio modo potest facere, quam potestatem in Clericos perturbantes pacem exercere, Bannes *de iustitia, & iure, quæst. 57. artic. 1.* quia eorum exemptio secundum Theologos non est de Iure Diuino, sed positiuo, Sotus *4. Sententiarum dist. 25.* Ioann. Medina *c. 2. de rebus restituendis, quæst. 15.* & præsertim Tostatus in *2. Iosue, cap. 25. quæst. 7.* immo etiam si esse dicatur de Iure Diuino initiatiue, & deriuatiue, vt Canonistæ loquuntur, posset Princeps illud ex causa limitare, Dec. in *cap. quæ in Ecclesiarum, num. 43. de constitut.* & illud distinguere, interpretari, & adiuuare, Abb. in *capit. quæ in Ecclesiarum, nu. 9 de constit.* † & possunt 39
Principes exemptionibus Clericorum contrauenire vim vi repellendo, Sotus *4. Sententiarum, dist. 25. q. 2. art. 4.* cum bonum publicum, & publica quies præferatur etiam damno, vel iuri priuati, *l. 1. ff. de vsucap. c. ratio nulla, de præbend.* Mandol. in *Regul. Cancellariæ Apostolicæ, reg. 34.* & cum Priuilegium sit priuans legem, *c. priuilegia, dist. 3.* Alexand. *consil. 185. num. 15. volum. 5.* Anchar. in *cap. olim, num. 13. de verb. signific.* non est mirum, si mali Ecclesiastici sua lege priuantur, quia qui priuilegio abutitur illud perdere, meretur Castr. in *l. si seruum, n. 2. de acquir. hæred.* nec delictum tribuit immunitatem, *l. legatorum, §. fin. ff. de interd. & releg.* Anchar. *de reg. iur. in 6. nume. 29.* non enim est possibile, vt pacem habeant, qui pacem destruit, etiam fœl. rec. Gregor. XIV. *sua constitutione* circa Ecclesiæ immunitatem, data Romæ Anno Domini 1591. Nono Kalend. Iunii, sanciuit, *vt Laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & Religiosa confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quiue homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumue cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei immunitas Ecclesiastica non suffragetur*, hæc ille.

 aliter

aliter viderentur esse participes eorum criminum, Caiet. in *22. quæst. 186. art. 10.* ideo prætextu
40 priuilegii non debet Clericis crescere auctoritas delinquendi, † reatus enim omnem hono-
rem excludit, *l. 1. C. de Senatu, vel Clar.* Spec. Rom. Pontif. &c. *ca. de immunit. Eccles. num. 5.* ideo si
ipsi in delictis continuant, possunt à quocunque Laico capi, sine excommunicationis metu,
vt *ibi. num. 15.* quia maledictus homo, qui peccat sub spe. Inquit enim D. Chrysost. in cap. 24.
Matth. Homil. 51. *quomodo Sacerdos super omnem populum glorificatur si bene fecerit, non solum propter
suam iustitiam, sed propter omnium, quia causa est ipse iustitia vniuersorum, ita & peccans super omnes puni-
tur, non solum propter suum peccatum, sed etiam propter omnium,* hæc ille, & sicut loco Laicos, ita Re-
ligione præcellere debent. Vnde pro magno opprobrio haberetur, quod non sint meliores
Sacerdotes, quam Laici, sicut dicitur Oseæ 4. *Et erit Sacerdos, sicut & Populus*; nam tantum de-
bent differre, quod populus vocatur Asina, & Sacerdos vocatur Propheta, & si fuerint æqua-
les Laici, & Clerici in virtute, vel laici excesserint, dicitur Asinam corrigere Prophetam, *cap.
cum ex iniuncto, extra de haret. cap. nos si incompetenter, 2. q. 7.* & si eligunt sibi vitam laicalem, talis
vitæ debent subiici disciplinæ, iuxta illud, Dignum est, vt qui cum aliis similem vitam susci-
piunt, similem in legibus sentiant disciplinam, *cap. recolentes, de stat. Monach.* Spec. Rom. Pont.
&c. *cap. de immunit. Eccles. num. 6.* nulla enim re magis Deus offenditur, quam si quis indignus
Sacerdotii dignitate fungatur, D. Chrysost. *in Matth. cap. 12. Homil. 41.* quia sacratum non est
canibus dandum, & persæpe Episcopi homines non noscunt ideo Socrates ad obuium quen-
dam, & tacentem inquit, *loquere hospes, vt te videam*, vt pote, qui solum animum esse hominem
iudicat, si enim haberent Zophiri artem, eorum indolem iudicarent, at vetat, vitæ Magister
hominem secundum faciem iudicari, tenentur igitur laicis præstare exemplum bene viuen-
di, cum sint eorum Prælati, lux mundi, & lucerna ardens, & maxime tenentur excedere in illis
operibus, quæ possunt venire in publicum, cum habeatur Christi ore, luceat lux vestra coram
hominibus, vt videant opera vestra bona, & tamen sunt luces facientes tenebras; qui culpas
debuit emendare, cõmittit, Gregorius *l. 2. Epistola 113.* & de ipsis potest dici, quod nõ detur me-
dium, sicut Arist. *in Politicis* loquitur de hominibus solitariis, quod sint aut Dii, aut Bestiæ. *Mi-
nistri sunt Christi, sed seruiunt Antichristo*, Bernardus in Cantica, sermone 33. hinc dicit Marsilius
Ficinus lib. 1 Epistolarum, quod *quemadmodum bono Angelo nihil potest esse melius, malo nihil peius, ita
nihil in terris honesto Sacerdote pulchrius esse, turpi vero nihil turpius, ille Religionis, hominumq; salus, iste pe-
stis.* ideo Socrates dicebat, sicut vas, ita hominem sono cognosci, & modo sunt tot, quo ad
mores pluribus fæditatibus, ac sceleribus implicati, vt magis sit lacrymis deplorandum, quã
auctoritatib. confirmandũ, succedunt enim loco Apostolorum, *capit. Ecclesiæ Principes 35. dist.*
debentq; ædificare, & non destruere, quia adeo eorũ delicta transeunt in exemplum subdi-
torum, & scandalum generatur, in mentibus Laicorum, dicentium, vbi est Deus Clerico-
rum, vt habetur in *capit. magna. de voto*; venientes igitur in vestimentis ouium, non debet ipsis
Ecclesiæ immunitas suffragari, ne fauor aberrandi de nouo præstetur, cum priuilegium detur
alicui, ne grauetur, aut molestetur, sed illud non habet locum, quando ex tali priuilegio iu-
stitia alterius opprimitur, facit text. in *capit. ex tenore, de foro competen.* Dec. in *capit. suggestum, nu-
41 me. 8. de appellat.* † neque ipsa ad delinquendum, sed ad bene viuendum dantur, illaq; præ-
sidio bonis contra improbos esse debent, non autem malis ad nocendum, vt habet Innocen-
tius Papa 8. in *quodam suo Breue*; vnde frustra Ecclesiæ auxilium implorat, qui se illi non ob-
temperare palam profitetur, in eiusque legem peccat, gloss. in *addit. ad tertiam partem D. Tho.
quæst. 24. art. 1.* & indignum est eis ab Ecclesia subueniri, per quos constat scandalum in Ec-
clesia generari, *capit. Sacerdotibus, ne Cler. vel Monach.* si igitur deficit potestas Ecclesiastica, po-
test Princeps Secularis eos corrigere, *cap. Principes seculi 23. quæst.* & ibi gloss. quia Principes
temporales acceperunt potestatem à Deo principaliter, vt eius Ecclesiæ adiuuarent, dicto
cap. Principes, cap. aliquis, §. præterea, ead. quæst. immo si præuenisset potestas Ecclesiastica Forum
sæculare, in criminosis incarcerandis, ac secundum qualitatem delicti esset plagatum mo-
dus, Principes nil aliud dicerent, cum ad ipsum solum spectet, ne delicta remaneant impuni-
42 ta. ideo dicit Sotus *4. sententiarum, dist. 25. quæst. 2. artic. 1.* † quod nihil magis præbuit cau-
sam violandi priuilegium exemptionis Ecclesiasticis concessum, quam negligentia Prælato-
rum, qui aut inulta relinquunt crimina clericorum, aut ea leuissime, nimiumque remisse
puniunt, quod est in causa, vt ipsi in dies ad maiora committenda audaciores fiant, multaque
oriantur scandala, ac Reipublicæ pax turbetur ex impunitate, quam consequuntur; si igitur
sciunt Prælati multa committi delicta à Religiosis nonnullis, eaque impunita relinquunt, po-
test dici, quod patientia diuturna, & scientia, idem operatur, ac consensus expressus, Cæ-
pha. *consil. 601. num. 7.* nec est mirum, si Principes Seculares suis subditis consulunt, nihil im-
43 munitate, ac priuilegio clericorum impediente, vt dicit Sotus, & Victoria, † quia Principes
tenentur defendere non solum suos Vasallos, & eis auxiliari, sicut tenetur Vasallus Princi-
pibus, vt in *capit. 1. de for. fide. capit. 1. quali. do. propri. feud. pri. cap. Domino committente, si de feud.
fue. contro.* & gloss. in *capit. 1. de probi. feud. alie. per Fede.* sed etiam res suas, quia res dicuntur se-
cundus sanguis hominum, vt est gloss. iuncto text. & ibi Bald. in *leg. aduocanti, Cod. de aduo-
ca. diuers. iud.* & idem Bald. in *leg. si tuis nummis, Cod. de ope. liber.* & in hoc fungitur charitatis of-
ficio, vim neque repellunt etiam contra clericos, iden bene dicebat Lucas de Penna in *capit.*

Regie

Regis Roberti, Constitutionum Regni Neapolitani, quod incipit *ad Regale fastidium*; quod multi Præla-
ti Canonistæ nitebantur illud c. infringere, ex eo, quia Princeps sæcularis nihil potest aduer-
sus clericos, & eorum causas directe, vel indirecte statuere, sed dicit ipse Lucas; quod Prælati
in hoc inique loquuntur, primo quia fundatum est ex scriptura Diuina *Exodi 2. cap.* vbi Moy-
ses Ægyptium occidit, quia percussit Hebræum, vt etiam refert Rex Robertus in *d. c.* item pro
fundamento *d. c.* allegat tex. in *11. quæst. 1. cap. petimus, 16. quæst. 1. c. quidam Monachi*, vbi patet, quod
ad querelam nedum Laici, sed etiam Clerici propter violentiam à Prælato suo, Rector Pro-
uinciæ, aut defensor Ciuitatis suum officium interponit. vt constito de violentia reducant
oppressos in suo iure. Hoc expresse firmat idem Lucas in *leg. si coloni, vlt. quæst. C. de agric. & cens.*
lib. 11. immo vult tex. *7. quæst. 1. cap. omnis*; quod si quis negauerit oppressis debitum fauorem,
quodammodo Christum negare videatur: sed vt habet Matthæus de Afflictis in *Dec. Neap.*
dec. 24. num. 6. hoc faciunt Principes contra Clericos non ordinario, sed extraordinario iure;
quia

Diuisum Imperium cum Ioue Cæsar habet,

vt dicit Virgilius, & habet dictus Lucas in *dict. l. si coloni*, quod si quæ sunt Canonistarum iura
huic dispositioni contraria, hoc Canonistarum indulgentiæ est tribuendum, quia sua priuile-
gia libenter extendunt; adeo vt sicut dicit Ludouicus Molina, *de iust. & iur. tractatu 2. disput. 31.*
Respublica ciuilis est sibi ipsi sufficiens: quocirca, quemadmodum propria auctoritate potest
se ipsam auctoritate propria defendere, & seruare indemnem à quacunque alia Republica
seculari, sic etiam ab Ecclesiasticis. † Ipsis autem Ecclesiasticis bonis, quorum opera homini- 44
bus lucent, verboque, & opere Dominicum gregem pascunt, est fauendum, neque ipsis est
posita lex, quia secundum Apostolum de bene agente non sumit pœnas Magistratus, D. Chri-
sostomus in *Epistola ad Romanos ca. 13. Homilia 23.* sunt enim viri Sancti, facti amici Dei, & quan-
to alios in Dignitate præcellunt, ita etiam in honore, ac reuerentia, ne forte ipsis accidat, sicut
Pompeio Magno, qui cum teneret hostiliter Vrbem Hierusalem, introiuit in templum, & in
Sancta Sanctorum, nihilq; de Thesauris accepit, sed solum considerauit loca templi, vt ait Io-
sephus *14. antiquitatum, 2. Paralipomenon 16. capit. 3.* quia tamen visis illis, quæ erant in templo,
omnia ea contempsit, factus est postea infœlix, cum prius omnium esset fœlicissimus, vsque
mortuus est, vt dicit Lucas Toden. *2. Paralipomenon*, adeo vt non solum ex speciali priuilegio,
verum etiam de iure communi in multis possint iudicari, † sed dicet aliquis, quod ista non 45
possunt stare; quod ista iurisdictio competat Principi alicui de iure, de consuetudine, & de
priuilegio, quia ista non stant simul, si enim competit ex vno, non videtur competere ex alio;
sed ad hoc dupliciter respon. primo, quod consuetudo, vel priuilegium potest esse duplex,
quoddam noui iuris edictiuum, & istud non congruit cum aliis; aliud veteris iuris confirma-
tiuum, seu declaratiuum, & istud bene potest concurrere, & ista distinctio etiam locum pos-
set habere in consuetudine; & secundum hoc posset responderi, quod licet Principi compe-
tat hæc iurisdictio de iure, competit etiam de consuetudine, & priuilegio non noui iuris edi-
ctiuis; sed antiqui declaratiuis, & confirmatiuis; 2. respon. quod habilitas, & capacitas huius
iurisdictionis competit de iure Principi, sed actus, & executio de consuetudine, & priuilegio;
vnde est priuilegiatus, quod non impediatur vti iurisdictione in iis, quæ competunt ei de iu-
re, vel consuetudine, vnde ius de nouo Principi non tribuunt; sed solum antiquum confir-
mant, ac ordinant, ne à quoquam in tali iurisdictione molestari possit.

† His sic positis, dico, quod Reipublicæ Venetæ competit Clericos de iure iudicare in 46
temporalibus secundum potestatem sibi à Deo concessam, non autem in spiritualibus, quia
in his sunt de iure Diuino exempti, cum Respublica ipsa sit in se perfectissima, ad omniaque
sibi sufficiens, vt supra iam est ostensum, sunt enim Clerici partes Reipublicæ, eundemq; Re-
gem, aut Rectorem communem cum laicis habent, Ludouicus Molina *de iust. & iur. tractatu*
secundo, disputat. 31. ac Nicolaus Papa Primus habet. satis euidenter ostenditur à seculari pote-
state, nec solui prorsus, nec ligari Pontificiam, si enim de iure Diuino non sunt exempti à po-
testate seculari, sequitur ex necessitate, quod ipsa secularis potestas possit ipsos iudicare. Hoc
idem ius habent Rectores suarum Ciuitatum, quia valet Argumentum à Principe ad Sena-
torem, cum Senator pars corporis Principis dicatur, *l. quisquis, in principio. C. ad l. Iul. Maiest.* Bar-
to. in *rub. de Senat. n. 1.* Osasch. in *proæmio decis. n. 1. & 20.* Menoch. *cons. 666. n. 14. vol. 7.* & sicut de
Principe nihil sinistri suspicari debet, *l. omnium, C. de testam.* Crauet. *consi. 168. nu. 9. & cons. 172.*
num. 1. ita nec de Senatore, & sicut est ratio totius, ita etiam partis, *l. quæ de tota, ff. de rei vendicat.*
Ioan. Baptista Costa, *cons. 75. num. 14. & 15.* † habetq; Respublica hoc de consuetudine, non 47
quidem, quod ipsa dederit ius de nouo ipsi Reipublicæ, quod prius non haberet; sed est con-
suetudo ipsi Reipublicæ connaturalis, nullum de nouo dans ius, sed exequens illud à Deo
sibi traditum, ac concessum, immo à multis Summis Pontificibus fuit commendata; quia
vtraque Respublica melius seruatur, si seculare brachium multis obuiet incommodis; quan-
tique roboris, ac momenti sit huiusmodi consuetudo, superius explicauimus. Si autem ali-
quis vult scire an habeat Respublica à Summis Pontificibus priuilegia aliqua de hac materia,
dico nullum habere de hoc formale priuilegium, si enim habent de iure huiusmodi iudi-
cium, sunt superflua priuilegia; sed cum adeo sit de Sancta Apostolica Sede benemerita
ipsa

48 ipsa Respublica. † Fœl. record. Sixtus Papa 4. Alexander 6. Innoc. 8. Gregor. 12. Paulus 2.
Clemens 7. ac Paulus 3. suis literis laudauerunt, & probauerunt hanc consuetudinem, quæ
cum sit immemorabilis, vt habet Paulus Papa 3. est præsumendum habere Canonicum prin-
cipium, neq; huiusmodi litteræ, seu diplomata, prout ea appellare volumus, dant ius de no-
uo; sed solummodo remouent impedimenta in executione talis iuris, vt habetur ex verbis
Pauli 3. ibi, *mandantes in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna Vicario, vel aliis Ec-
clesiasticis iudicibus, ne iudices sæculares prædictos contra immemorabilem consuetudinem prædictam, & dicto-
rum prædecessorum nostrarum litterarum prædictarum, & præsentium nostrarum tenorem, quomodolibet in-*
49 *debite molestent, vel impediant, nec aliud in contrarium facere præsumant*, &c. † Sed dicet aliquis, con-
cedo, quod cum non sint de iure Diuino exempti Ecclesiastici à foro seculari, quod possunt
ab ipso in his, in quibus sunt subiecti iudicari, de iure, ac de consuetudine, sed ex priuilegio
Summorum Pontificum, vt toto titul. *de foro competenti*, ac in aliis multis titulis habetur, sunt
exemptati à tali laica potestate, prout etiam fecerunt Imperat. per supra decreta citata, adeo
quod Principes seculares in ipsis non possunt mittere manus, immo etiam consuetudo in
contrarium non valet, quia habetur in *cap. Clerici, de iud.* quod consuetudo iudicandi Clericos
50 non valet, adeo vt omnia suprascripta corruunt; † Sed Respondetur; quod huiusmodi exem-
ptio facta Clericis à Papa, est de iure positiuo, & ad hoc vt obliget tale ius, oportet vt sit acce-
ptatum, ac in vsu positum; vt se habet de multis Sacris Canonibus in corpore iuris registratis;
qui fuere nec acceptati, nec etiam in vsu positi, vt supra ostendimus, imo Conc. ipsum Trid.
non est in omnibus locis acceptatum, nec est in vsu in illis locis: ideo etiam dico, quod hu-
iusmodi Summorum Pontificum constitutiones non fuere acceptatæ in omnibus, nisi quo
ad leuia delicta, ac minima, ac etiam quo ad ciuilia non autem criminalia, ac atrocia delicta,
& quod sit verum patet de immemorabili contraria consuetudine nunquam omissa, sed
semper obseruata valente cuicunque positiuo iuri obuiare, nec obstat *cap. Clerici, de iud.* quia
intelligitur de illa consuetudine, quæ non habet Canonicum principium, ista autem præsu-
mitur habere Canonicum principium vt dicit Paulus Papa III. in suo *Breui*; ac etiam intelli-
gitur, de illa consuetudine, quæ non est præscripta, namq; cōtra Ecclesiam currit præscriptio,
vt contra Romanam centum annorum, contra alias quadraginta, vt clare in iure patet, & ad
ipsam præscriptionē tria requiruntur; titulus, bona fides, & continuitas temporum; titulus est
suũ ius, quod habet de iure Diuino, iuxta illud Apostoli, *Omnis anima potestatibus sublimioribus est
subiecta*; bona fides, sunt tot & tanti tituli, ex iure, ex consuetudine, ac etiam commendatione,
& approbatione Summorum Pontificum; continuitas temporũ est à nascenti Republica vsq;
ad hanc diem, quę non est centum solum annorum sed etiam mille, ac plus; immo prout dicit
Egidius Bellameræ *consil. 4. num.* 14. Glossatores, & Summistæ tenent, in præscriptione con-
suetudinis non requiri bonam fidem, & consuetudo illa, quæ Ecclesiam lædit, sufficit præ-
scriptionem quadragenariam, vt scribit Nouella post alios in *capit. tanto, super vltima Glos. in pri-
ma suppletione, de consuetud.* Card. in *cap. non est*, in verbo *præscripta, de consuet. lib. 6.* Egidius Bella-
meræ *consil. 41. num.* 16. & etiam intelligitur de quibuscunque criminibus, quod non valeat
consuetudo, non autem de nonnullis, vt de atrocioribus, adeo vt exemptiones illæ Pontifi-
ciæ in grauibus delictis nil obstant; nec minus exemptiones Imperatorum obstant, quia vt
supra probauimus ipse non est Dominus totius Mundi, ac per consequens extra Ciuitates
51 suo Imperio subiectas non poterat facere tales exemptiones, cum non habeat mittere falcem
in messem alienam; † sed instabit iterum aliquis dicendo, si tunc non fuere acceptatæ con-
stitutiones Pontificiæ, ac leges Imperatorum de exemptione Clericorum à seculari Foro, per
Venetam Rempublicam, ea omnia acceptauit per Concil. Trident. ab ipsa Repub. accepta-
tum, namq; in *sess. 25. c. 20. de Reformat.* innouantur omnia Decreta Summorum Pontificum, ac
52 Imperatorum circa immunitatem Ecclesiasticam tam circa personas, quam circa res, & sic nō
valet modo aliquid in contrarium; † ad hoc etiam facile respondeo, esse verum fuisse Conci-
lium Trident. à Republica Veneta acceptatum, cum omnibus ad libertatem Ecclesiasticam
spectantibus, sed ibi Concil. Trid. de hoc, licet innouet Decreta Pontificia, ac Imperatoria,
non reuocat consuetudines in contrarium, vt clare patet, ex verbis ipsius Canonis, namq; cō-
stitutio noua Principis, non tollit consuetudines, nisi exprimuntur, *c. 1. de constitut. in 6.* & si
Bulla legi quotannis solita in die Cœnæ Domini, quæ in strictiori termino loquitur, nō reuo-
cat consuetudines tales, ac priuilegia, vt habet Suarez *de censuris in explicatione dictæ Bullæ, censura*
19. multo minus Concil. ipsum quod nullam de his facit mentionem; continuando igitur
Respub. suam possessionem, non dicitur attentare, Caputaq. *decis. 51. parte* 1. præclare Gabr. *suis
communibus, tit. de acquir. possess. conclusione.* 6. quia in possessorio retinendo sufficit constare de
simplici vsu, Ioannes Baptista Costa *consil. 35. nu. 13. &* 14. & sic ex his clare patet nullo iuri ob-
uiare hoc iudicium Reipublicæ in atrocibus delictis, à Clericis commissis, prout etiam dixi à
c. 37. vsque ad 44. inclusiue, quæ omnia ad hunc locum debent reponi, licet ex incuria fuerint
ibi posita, neq; potest ipsa puniri, quia qui peccat legis auctoritate, non peccat, *c. qui peccat*, 23.
q. 4. & quod iuste, & lege permittente fit, damnari non potest, *l. Gracchus, Cod. ad leg. Iul. de adul-
ter.* Mat. Soc. *consil. 68. num.* 131. hinc dicit Hostiensis,

Qui caruit culpa, careat, me iudice, pœna.

SVMMARIVM.

1 *Non est necesse semper esse verum, quod Papa asserit.*
2 *Papa tanquam homo potest errare.*
3 *Iudicare de aliquo peccato, fiat dupliciter.*
4 *Miraculum à Cæsareo relatum.*
5 *Statutum contra libertatem Ecclesiæ, quomodo intelligatur.*
6 *In foro contentioso quomodo iudicatur.*
7 *Aliud est iudicare aliquem errare, & aliud dicere ipsum errare.*
8 *Non est standum assertioni Papæ, quando procedit parte non citata.*
9 *Aliud est excommunicare, & aliud excommunicatum declarare.*
10 *Appellatio à declaratoria sententia suspendit.*
11 *In declaratoria excommunicationis, est necessaria citatio, & si aliter fiat, est nulla.*
12 *Deus Adam citauit.*
13 *Sententia absque citatione facta, est contra omne ius.*
14 *Excommunicatio nulla, nulla opus habet absolutione.*
15 *D. Ignatii casus.*
16 *Religiosi non inciderunt in Clem. 1. de sententia excommunicat.*
17 *Sententia nulla, pro nulla est declaranda.*
18 *Papa suam sententiam iniuste latam debet corrigere.*
19 *Excommunicatio est sententia medicinalis.*
20 *Pacis effectus.*
21 *Clericorum Leodiensium Epistola.*
22 *Omne opus trina consideratione est praeueniendum.*
23 *Quanta cum maturitate sit ferenda sententia excommunicationis.*
24 *Excommunicatio leui de causa non est ferenda.*
25 *Excommunicatio ob grauissima peccata, & raro est danda.*
26 *Excommunicatio non est ferenda præcipitosa.*
27 *Veneta Respublica Christianissima.*
28 *Quando fuit ædificata Venetia.*
29 *Doctores consulentes declaratoriam excommunicationis factam absque citatione esse nullam.*
30 *Casus, in quibus in tali declaratoria fuit præmissa citatio.*
31 *Papa non potest disponere, id quod Deus non concedit dispensare.*
32 *Conuincitur aliquis de delicto tripliciter.*
33 *In Regno Hispaniæ Litteræ Apostolicæ ante earum executionem mittuntur ad Regia Tribunalia.*
34 *Soli Sacræ Scripturæ est Fides indubitata adhibenda.*
35 *Non est semper obediendum litteris Papæ.*
36 *Philippi Decii Consilium.*
37 *Pœna non facit martyrem.*

CAPVT NONVM.

POsitâ statutorum iustitia, ac validitate, deuenio ad conclusionem nullitatis ipsius censuræ, & dico, quod cum Summus Pontif. fundet suam intentionem super eo, quod huiusmodi Clericorum iudicium, & statuta alia sint contra Ecclesiasticam immunitatem, ac Sacros Canones, quod iam ostendimus non esse verum, nec leuis causa sufficit ad incurrendam Excommunicationem, sed grauis, tam ex parte materię, quam subiecti etiam cui applicatur, quia sano consilio est fulminanda, cum sit maius peccatum excommunicare diuitem, quam pauperem, quando diues maxime est persona tantæ reuerentiæ, & dignitatis, quod ex iniusta excommunicatione tot mala, & scandala prouenirent, Richar. *4. Sententiarum dist. 18. articulo 8. quæst. 5.* adeo vt certe ista non sit materia talis censuræ, & cum sit falsum esse contra immunitatem Ecclesiæ, Papæ intentio se fundando super falsitate, nihil obest, quia habet Apostolus *ad Corinth. 2 capit. 13.* contra veritatem autem nihil possumus; † non enim necesse est semper 1
esse verum, quod Papa asserit, quia videmus quod circa eandem rem contrarias opiniones diuersi Pontifices habuerunt, & tamen non possunt contraria, vel contradictoria simul esse vera, ergo aliquis eorum tunc errabat, vt in allegat. *capit. literas, de restit. spol. & capit. quanto, de diuort.* vbi ponuntur contrariæ opiniones Rom. Pont. circa eandem rem, quia licet Papa habeat maiorem potestatem a Deo, quam aliquis de viuentibus, tamen non habet ampliorem cognitionem veritatis, quia multi sunt doctiores ipso, siue per studium literarum, siue per Diuinam reuelationem, Tostat. *1. Regum cap. 8. quæst. 158.* ideo habet Ioan. Ant. Delphinus *de auct. Eccles.* quod Papa subest concilio sapientia, prudentia, & doctrina, licet auctoritate ipsi præsit; est ipsi credendum in rebus fidei, in quibus non potest errare, † licet tanquam homo, vt 2
habet Tostatus in *prima parte Defensorii, cap 30.* possit, & aliquando de facto errauerit circa ipsa, aliquando ex ignorantia, aliquando per aliam affectionem, vt patet de Papa Marcellino, qui fuit hæreticus, immo hæretico deterior cum obtulerit Thura Idolis, *cap. nunc autem, 10. dist. de*

Tyberio

Tiberio, quem alii vocant Papam Leonem, qui factus est Arrianus, & de Ioanne XXII. qui tenuit hæresim circa visionem beatificam, & postea fuit coactus illam recantare, vt patet ex *gestis Summorum Pontif.* ex quo patet, quod dato, quod Papa damnet aliquam conclusionem, tanquam hæreticam, vel aliquem auctorem hæretice sensisse, non sequitur necessario illam conclusionem esse hæreticam, vel auctorem illum hæretice sensisse, quia potest esse, quod Papa errauerit, immo quod ipse Papa forte sit hæreticus, & per ignorantiam, vel per affectionem aliquam passionalem damnet conclusionem, vel auctorem. Immo cum modo simus in moralibus, in quibus pro, & contra multa possunt dici, licet vnicuiq; sequi propriam sententiam; sed dicet aliquis, quod in hoc non iudicat Papa de rebus temporalibus suæ iurisdictioni non subiectis, sed iudicat de peccato, cuius ratione potest statuta, & consuetudines Laico-

3 rum tollere, Decius in *cap. Ecclesia Sancta Maria, num. 96. de const.* † Sed respondetur, quod de huiusmodi peccato, aut in foro conscientiæ iudicat, aut in foro contentioso. In foro conscientiæ attenditur ad veritatem facti, vt credamus pœnitenti de omnibus, *cap. significasti, de homicidio,* & in hoc casu videmus, quod si ipse pœnitens habet aliquem casum, & Confessor teneat partem damnantem, & partem liberantem teneat pœnitens, si pro ipso pœnitente sunt Doctores, qui suam sententiam tueantur, non tenetur Confessoris opinioni adhærere, nec ei parere, nec potest Confessor ei absolutionem negare, & potest Confessor contra eius opinionem consulere, immo pœnitenti iubere, vt aliquid faciat, videlicet vt se conformet opinioni, quam habet Io. Medina *de confessione, tract. 2. q. 2. in fin.* hac de causa, quia idem opus est contra conscientiam vnius, & sic est peccatum, quod non est contra alterius conscientiam, & sic non

4 est peccatum, † quod maxime comprobatur ex quodam miraculo à Cæsareo Heisterbacīcensi, Ordinis Cisterciensis, relato in suo *libro Illustrium miraculorum, libro nono de Eucharistia cap. 38.* refert enim, quod erat quidam *Erkembaldus de Burban vir nobilis, & potens, & tantus iustitiæ amator, vt nullam in iudicio respiceret personam; hic cum grauiter infirmaretur, lectoq; decumberet, in proxima camera tumultum, clamoresq; fœmineos audiuit: qui cum de causa sciscitaretur, nullus ei circumstantium veritatem dicere præsumpsit, tunc mittens vnum ex pueris ait; Præcipio tibi sub indignatione oculorum meorum, vt dicas mihi meram veritatem; cui ille pauens respondit: Domine, domicellus meus, Filius sororis vestræ fœminam vi opprimere voluit, & hæc fuit causa tanti clamoris. Ad quod verbum valde commotus, dixit militibus; ite, & suspendite illum. Milites obedientiam simulantes, ac iuueni omnia intimantes, vt præsentiæ auunculi se subtraheret commonentes, post horas aliquas ad Dominum suum ingressi, se eius implesse mandatum affirmarunt. Quinto vero die, iuuenis æstimans auunculum de culpa esse placatum, vel immemorem, aperto ostio introspexit: quem vt infirmus conspexit, verbis blandis iuxta se sedere præcepit, vno vero brachio collum eius stringens, & manu altera cultellum suum clam extrahens gutturi eius infixit, & occidit; qui eum planctu, & dolore multorum elatus, totā Prouinciam incussit horrorem. Sed & Erkembaldo additus est dolor dolori, adeo vt ingrauescente infirmitate, pro Episcopo mitteret, petens sibi Sacrum corpus deferri: qui cum venisset, ille, cum multis lachrymis, & contritione cordis omnia peccata sua confessus est, tacita tamen iuuenis interfectione. Super quo Episcopus iratus, respondit; Quare subticuisti parricidium, quod commisistis in cognatum vestrum? Dicente illo; Fuit ne hoc peccatum? Subiecit Episcopus; Etiam crudele. Et illo: Ego neq; peccatum iudico, neq; à Deo mihi remitti deposco. Respondente Episcopo; Ego vobis Corpus Christi non tradam, nisi parricidium idem confiteamini. Subiunxit vir nobilis; sciatis Domine, me illum non occidisse ex aliquo rancore, siue motu ira, sed solummodo ex Dei timore, zeloq; iustitia. Si mihi corpus Domini mei negaueritis, ego illi corpus, & animam meam committo; Vix enim Pontifex limen domus egressus fuerat, & ecce ægrotus eum reuocauit dicens; Reuertimini Domine Episcope, reuertimini, videte si in pixide habeatis corpus Christi. Quod cum fecisset, nec aliquid in ea reperiisset, subiunxit ille; Ecce quem mihi negastis, ipse se mihi non negauit, apparuitq; hostia in ore eius, & impletum est in eo, quod per Sapientem dictum est: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Episcopus autem pauens tantum miraculum vbiq; diuulgauit.* Si igitur isto parricidio se Christus non negauit, quanto minus Venetis, qui nullum occiderunt, nulloq; modo peccauerunt,

5 cum ex iustitia, vt supra probauimus, solummodo sint recti; non se negabit? † Constitutio enim illa Honorii Papæ III. aduersus statuentes contra libertatem Ecclesiasticam secundum Caiet. in *summa* in verbo, *excom. cap. 31. 4. not.* sic est intelligenda, quod tam statuarii, quam alii excusantur ab excommunicationis censura, si pura mente, & recto animo nolentes aliquid contra libertatem Ecclesiæ statuere, aut sustinere, consulunt Doctores reputatos &c. seu committunt examen eorum DD. huiusmodi, & certificati ab illis, quod nihil est contra libertatem Ecclesiasticam, statuunt, scribunt, &c. aliquid, quod ex veritate esset contra libertatem Ecclesiæ, quia agunt ex ignorantia plusquam probabili, nec apud Deum, nec apud Ecclesiam agunt contra Ecclesiæ libertatem, quia fecerunt, quantum in se est, quod viros probos decet, excusantur non solum à tanto, sed à toto, hæc illi, consuluere Veneti DD. peritos, & dixere in facti veritate non esse contra libertatem Ecclesiæ huiusmodi statuta, prout de facto non sunt, & fecerunt quantum in se erant, quomodo igitur erunt excommunicati? si autem iudicat de hoc peccato in foro contentioso, † dico quod persæpe in tali foro iu-

6 dicatur ex præsumptione, sed quando veritas est contra præsumptionem, statur veritati, Innoc. & Doctores in *cap. quia plerique, de immunitat. Eccles.* Decisiones Antea, *lib. 2. cap. 10. num. 32.* ad cognoscendam autem huiusmodi veritatem, requiritur ordo iudiciarius incipiens à citatione, vt iam ostendimus, & sic gradatim est progrediendum vsq; ad sententiam definitiuam,

quæ

quæ talem declaret veritatem, ita esse, hic autem non est ordo iudicialis, sed peruersio potius ipsius, quia non fuit facta citatio ante sententiam, quæ nullo modo est omittenda, vt supra, & si dicunt fuisse factas monitiones, dico, quod quando requiritur citatio, non sufficit monitio, Matthæus de Afflictis in *decisionib. Neapolitanis, decis. 298. n. 7.* neq; illis monitionib. tenebātur parere, per rationes supra allatas, & si voluisset scire, cur non tenebantur monitionib. parere, debebat ipsos citare, nec valet dicere, quod habebant Nuntium in Curia residentē, & aliū extraordinariū miserunt, adeo vt spōtē cōparuerunt, ideo nulla opus erat citatione; Dico, q̄ si cōparuerunt, hoc fuit extraiudicialiter, & non per modum iudicii, quia ad hoc non habebant mandatū. Nuntiusq; extraordinarius fuit missus ꝓpter reuerentiā Sedis Apostolicę, cum vellent ꝓcedere ea humilitate, qua decebat erga Sanctā Sedem; Neq; dico, quia non fuere exauditi, ideo nec auditi; Sed dico, non fuere citati, ergo Neq; legitime sentētiati. Dicēt adhuc, non licere subdito, ac inferiori iudicare acta Principis, & Superioris, præsertimq; Summi Pōtificis, cum prima sedes a nemine iudicetur. Respondeo cum Alberto Magno,† q̄ aliud est iudicare Principē errasse, aliud dicere, ipsum errasse, iudicare Principē errasse, spectat ad Superiorem habentem iurisdictionē, sed dicere ipsum errasse vnicuiq; licet, quādo manifestas habet rationes, ostendentes ipsum errorem, nō iudico modo Papā errasse, sed dico (salua eius reuerentia) errasse, per rationes supra allatas, nec mirum, quia ipsi est meminisse esse hominem, inter hominesq; esse, potestq; dicere, humanus sum & nihil humani a me alienum esse puto, est enim, & ipse circundatus corporalibus, spiritualibusq, infirmitatibus, afflictionibus, ac tētationibus, licet minus omnib. aliis propter maiorē Spiritus sancti assistentiā, & plurium cœlestium spirituum custodiam, nulli n. vnquam Deus omnia dedit, in cœlestibus quidem defectus aliquis apparere potest, sed non malum, in his autem sublunaribus, & defectus reperitur, & malum, immo hæc est differentia Diuini, ac Humani iudicii, quia Diuinum nunquam fallitur, Humanum autē persæpe. quare si aliquando est Papa male informatus, male etiā iudicat, & vt dicit Alphonsus Vigaldus in *explicatione Bullæ Cœnæ Domini, ca. 2.* possumus ad eum melius informatum appellare. Dicunt iterum non negare Papā posse errare, attamen difficulter, & raro, cum habeat peritissimos viros Consultores, præsertimq; excellentissimos illos Rotæ Auditores, quorum doctrina, ac stylus per Orbē totum fulget, pro ipsisq; est potius præsumendū, cum sint in Curia versati, potiusq; alios docent, quam doceantur. Respondeo adhuc, verum esse, Papā difficulter & raro errare, attamen de facto aliquando errat, est profecto pro ipso, ac Rota præsumendum, dummodo tamen veritas clare non appareat in contrarium, vt hic, habet enim Martianus Socinus Senior, in *ca. 1. nu. 88. de litis contestat.* Ægidium Bellameræ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem attestare, Rotam Romanam aliquando consueuisse inaduertēter iudicare, & Menochius *cons. 393. n. 5.* dicit se meminisse legisse apud glossā in *proœmio Regularum Cancellariæ.* Quod Rota Romana aliquando rotat, frustra enim sapit, qui sibi ipsi non sapit. In hoc igitur est maxime aduertendum, q̄ cum excōmunicatio sit grauissima pœna, omnia ad ipsam promulgandam necessaria debent antecedere, quia habet Richardus 4. *Sententiarum, distinct. 18. art. 8. q. 4.* quod excōmunicans aliquem ex ordinis corruptione, cum s. nō fertur seruato iuris ordine, aut ex defectu causę, quādo videlicet non subest legitima causa, peccat mortaliter, quia ꝓximum iniuste, & grauiter lædit, quia lædit ipsum in fama, & contra Ecclesiæ ꝓhibitionē fecit. Redeūdo igitur vnde discessimus dico, q̄ cū sine huiusmodi causis assertis Papa non potuisset procedere parte inaudita, & nō citata, & sic defensionem, quæ est de Iure naturæ, tollere, † non est standū eius assertioni, quod esset causa legitima, ex quo sumus in materia probibita Summo Pontifici procedere parte non citata, per ea quæ ponit Io. And. in *addit. Spec. in rub. de reb. eccles. non alien.* quia Principi non creditur ad eius commodum, & alterius incommodum, Cæphal. *cons. 302. n. 8a.* & generaliter q̄ aliquis deliquerit ipsi nō creditur, ibi *n. 24.* maxime vt supra ad eius commodum, & alterius præiudicium, ibi. præterea quādo Papa ꝓcedit contra non subditum naturaliter, non statur eius assertioni, cum in ipso non possit vti potestatis plenitudine, ita consuluit Castr. *cons. 156.* etiamsi ratione causæ, vel delicti sit subditus, Curt. *cons. 20. n. 14.* neq; etiam quando agitur de magno præiudicio, vt in casu nostro Curt. *d. cons. n. 12.* neq; in facto tertii vllo modo ipsi creditur, Io. And. in *c. non licet, de re iud.* neq; etiam quando probatur contrarium, glo. in *Clem. 1. de probat.* vt hic iam probauimus, & Aod. de Isern. in *c. 1. ad fin. quo temp. mil.* quod nec Regi, nec Principi attestanti per suas literas, seu priuilegium aliquem fuisse rebellem, seu proditorem suum, stari debet, quia Princeps testificatur in causa propria, in qua nemo idoneus esse testis potest, per *leg. nullus, ff. de testam. leg. in omnibus, C. eod. titu.* Thom. Grammaticus in *Decisionibus Neapolitanis, dec. 105. nu. 11.* non igitur statim debebat credere, sed deberet prius veritatem inquirere, sicut etiam Apostolus Thomas, cui licet ab aliis Apostolis pluries fuisset dictum, Christum Dominum resurrexisse, noluit tamen statim credere, nisi prius videret, & tangeret, non enim a correctione est incipiendum, *cap. si quid vero, 86. dist.* Speculum Romanorum Pontificum *c. 23. n. 14.* sed a iuris verificatione, & si diceret aliquis, quod ordo, & huiusmodi solemnitates sunt necessariæ in sententia excommunicationis, pro vt habetur in *ca. medicinalis, de sententia excomm. in 6. & c. sacro, de sententia excom.* quæ si omittantur, non dicitur sententia nulla, sed iniusta, & tunc est timenda secundum D. Gregorium, ac absolutione eget, vt dic. *c. medicinalis.* Dico, quod illud procedit in sententia excommunica-

 tionis,

7 8

tionis, & censuræ ferendæ ab homine, quæ est pro contumacia, glos. in *additionib. ad tertiam partem D. Thomæ q. 21. art. 3.* non autẽ in declaratoria a iure, vt in casu nostro, Hieronymus de Tortis *cons. vnico n. 31.* Curtius *d. cons. n. 55.* quæ est pœna delicti, glo. in *D. Tho. ibi.* ideo monitio requiritur, quando pœna committitur propter moram, vt est in illa ab homine, non autem quando committitur propter factum, quod hic prætenditur ratione delicti, Bart. in *leg. 1. ff. de his, quibus vt indignis*, ac ita in particulari conclusit Iac. de S. Geor. in suo *tractatu feudorum, in ver. Royau, in fine tractatus*, Lud. Romanus in *leg. 1. §. in cognitione ff. ad Senat. Consul. Sylla.* quia si actus Principis debet præiudicare, debet præcedere citatio, Cæphal. *consil. 301. num. 75.* etiam si vteretur ple-
9 nitudine potestatis, vt *ibi num. 76.* † namque aliud est excommunicare, & aliud excommunicatum declarare, Curt. *d. cons. num. 29.* immo sunt diuersa, distincta, & variorum effectuum, vt colligi potest ex his, quæ notant Doctores, maxime Panorm. Phil. de Fran. & alii in *cap. per tuas, il primo, & in cap. pastoralis, §. verum, de appell.* Fely. in *cap. Rodulphus, versic. sed declaratoria, de rescript.* Bertrandus *cons. 306. num. 3. volum. 4.* vnde ibi inquit, *excommunicatus non est, qui contra rei veritatẽ talis fuit declaratus.* à pœna enim legis, vel statuti, non datur appellatio. *l. si qua pœna, ff. de verb. sign.* à declaratoria autem sententia iudicis, declarantis aliquem in delictum, & pœnam incidisse, appellari potest, glo. ordinaria in verbo *priuatum, in cap. cupientes, §. si per viginti, de elect. in 6.* vnde in sententia excommunicationis ab homine, etsi detur appellatio, non tamen suspendit, quia
10 trahit secum suum effectum, † à declaratoria autem ipsius sententiæ aliquem incidisse in ipsã, datur appellatio, & fit suspensio, adeo vt nihil potest interim iudex innouare, Felyn. in *c. cum non ab homine, colum. 6. de iud.* ratio est, quia possibile est, quod iudex male declarauerit ipsum incidisse in talem pœnam, ideo a tali declaratoria permittitur appellatio suspensiua, Maranta in *Speculo Aureo, parte 6. actu 2. num. 180.* præterea in sententia excommunicationis fit monitio,
11 vt se corrigat, quę debet esse charitatiua, † in declaratoria autem fit citatio ad audiendum sententiam, quæ non potest fieri absque causa cognita, an aduersario competat defensio, cum simus super verificatione facti, ita quod non debet declarari in pœnã incidisse, aliter si fiat, nulla est, Curt. *d. cons. num. 17. & 18.* per text. in *ca. 1. de causa possess. propriet. Clem. pastoralis ad finem, de re iud. l. de vnoquoque. ff. de re iud.* idem tenet Felyn. in *dict. Rodulphus, vers. citatur etiam pars*, Card. & Imola in *capit. exstirpandæ. 7. colum. de præbend.* Hieronymus Gigans *de pensionibus, quæst. 78. n. 5.* atq; ita est intelligendus tex. in *ca. reprehensibilis*, cuius etiam meminit Hipp. in *l. vnica, C. de raptu virgin. num. 66.* est pulcher tex. de hac denunciatione, & declaratione excommunicationis in *cap. pastoralis. §. verum, de appell. & in capitul. secundum leges, de heret.* & satis expeditum esse has declarationes debere fieri audita, & citata parte, Couar. *de sententia excomm. parte prima, §. 9. numer. 4.* ac etiam Ægidius Bellameræ Card. in *consil. 40. num. 85.* habet, quod occupans ius Ecclesiæ Romanæ, est puniendus, & declarandus, prius tamen facta citatione, iuxta notata per Doctores *in cap. ad nostram, tertio, de iureiur.* satis per Hen. in *cap. nouiter, & cap. graue, de sententia excom.* iunctis quæ leguntur, & notantur in *cap. non ex nimis, &c. aduersus, de immunit. Eccl.* quia quando agitur de quæstione iuris, semper est citanda pars, quia forte absenti competet aliqua defensio, tendens ad obfuscationem illius iuris, vt consuetudo, vel quid aliud, not. text. & glo. in *capit. sæpe contingit, de appellat.* & ibi Abb. *numer. 7.* hinc habet Thomas Grammaticus in *decisionibus Neapolitanis, dec. 105. numer. 3. & 4.* quod Princeps nulla præuia citatione aliquem rebellem declarans, ipsa declaratoria est nulla, etiam si sententia foret, per *l. primam, §. ex hoc edicto, Cod. si per vim, vel al. mo.* & consuluit in terminis Calder. *consil. 8. sub titu. de re iud. tot.* Abb. in *cap. primo, vlt. not. de causa possess. & propriet.* vnde ab omni iuris tramite demaretur, si simpliciter stari posset verbis Papæ, vel Imperatoris, aut Regum in præiudicium alterius non præcedente citatione, & causæ cognitione, quia in effectu quis priuaretur dominio, & iure suo, & videretur, quod Princeps processisset ob sinistram informationem, seu relationem alterius, cõtra inauditum, & indefensum, cum intentionis suæ sit, ne inde iniuriarum nascatur occasio, vnde iura nascũtur, *l. meminerint, C. vnde vi*, consuluit Alex. *cons. 11. colum. 6.* & cum stante citationis omissione non præsumatur pro Principe, Abb. in *ca. 1. de causa possess. & propriet.* & sic cum nõ appareat causæ cognitionem interuenisse, talis declaratio dicitur nulla, vt dicit Bart. in *leg. prolatam, C. de sententiis in fine*, quem refert, & sequitur Calder. *consil. vltimo, sub tit. de re iud.* Petrus de Anchar. *cons. 83. & cons. 188.* huius sententiæ est Iacobus Graffius in suis *Decisionibus Aureis, lib. 4. cap. 3. num. 12.* inquiens quod *declaratio excommunicationis redditur nulla, si fiat absque citatione, nam licet excommunicatio lata sine monitione regulariter valeat, iuxta cap. sacro, de sententia excomm. in 6. & si dicat Ægidius Bellamera in cap. Romana, de foro competenti, numer. 3. monitionem semper censuram præcedere debere, capit. indigne, 12. quæst. 2. cap. de illicita 24. quæstio. 3. & maxime quando agitur de pœna excommunicationis, attamen declaratio, quod quis sit excommunicatus, non valet sine citatione, iuxta glo. in Clem. 1. de censibus, in verbo si constiterit.* hæc ille, & eam tanquam communem ponit Franciscus Viuius *lib. communium opinionum*, in verbo *sententia non potest ferri, num. 16.* immo specialiter in sententiam censuræ, & interdicti, Iul. Clarus *lib. 5. practica criminalis, §. fin. vers. item adde*, Dec. in *cap. reprehensibilis, nu. 9. de appell.* tenet glo. in *Clem. fin.* in verbo *constiterit, de censibus*, cum similibus, Socin. *cons. 20 nu. 6. in fin.* Ripa in *l. cum bonus, num. 27. de verb. obligat.* alias esset tollere defensiones, adeo vt sit huiusmodi sententia siue declaratoria, siue interlocutoria, semper est necessaria ipsa citatio, Frãc. Viuius *dict. loco, numer. 9.* & si aliter sit facta, non præiudicat, idem *eodem loco numer. 1.* etiam si sit

lata in

lata in fauorem absentis, *ibi num.* 4. etiam si esset Principis, Oct. Vest. in sua *praxi lib. 5. cap. 1. num.*
2. cum seq *l. prima*, *C. si plur. vn. sent. leg. sæpe, ff. de re iud.* Crauet. *consil. 43. vol. primo*, multo minus
cum sit in præiudicium, dicta *Clem. pastoralis*, cum debeat citari, qui læditur, Camillus Borelli,
cons. 95. nu. 5. Carolus Ruinus *cons. 104. & 107. vol. 5.* nec sufficit monitio, vbi requiritur citatio,
Matthæus de Afflictis in *Decisionibus Neapolitanis, dec. 298. num. 7.* sciebat enim Summus Ponti-
fex, quod in tali declaratoria requirebatur citatio, quia in monitionibus Reipublicæ transmis-
sis dixit, quod si monitionibus suis non obedierint in termino præfixo, quod procedet ad de-
claratoriam absque alia citatione; sed quis audiuit aliquem de aliquo delicto fuisse damnatū
sine præuia citatione? est ne Papa maior Deo? vel est supra ius Diuinum, vel naturale? † non 12
ne creato Adamo, ac in terrestri Paradiso posito, statuit ei pœnam, quod si comederet de li-
gno scientiæ boni, & mali, morte moreretur? attamen quando voluit ipsum declarare in ta-
lem pœnam incidisse, quia præceptum fuit transgressum, non ne ipsum citauit? dicendo, *A-
dam vbi es*, & audita eius defensione, quæ non erat sufficiens ad ipsum expurgandum, ipsum de-
clarauit, in pœnam incidisse, vt habetur *primo Gen. cap.* Ius Diuinum, ac Naturale, est immuta-
bile, non igitur illud debebat modo mutare Summus Pontifex, quia sicut par in parē non ha-
bet Imperium, multo minus inferior in superiorem, suum infringendo ius, & nil mirum si ex 13
hac solemnitatis omissione dicitur, sententiam talem esse nullam, † tanquam contra Diuinū,
Naturale, ac Humanum Ius latam, & licet dicant nonnulli, quod ipsi, Dux, & Senatus in pœ-
nam Canonis aliquo modo inciderint, quia statuta illa sunt contra Ecclesiæ libertatem, dico,
quod non est verum, immo cōtrarium est probatum, neque talis sententia debet habere exe-
cutionem, donec præcedat legitima & valida sententia declaratoria, ipsos incidisse in tales cē-
suras, & pœnas, *ca. cum secundum*, in verbo *significatis, de hæretic. in sexto.* Hippo. de Marsiliis, in *rub.
ad legem Corneliam de falsis, num. 28.* sicut etiam hæreticorum bona sunt ipso facto fisco acquisita,
non tamen fit occupatio ante sententiam declaratoriam, Ancha. dicto *ca. cum secundum.* Cum
igitur ex prædictis satis pateat, propter omissionem citationis ipsam declaratoriam sententiam
reddi nullam, † nulla opus est absolutione ad cautelam, quatenus dicta sententia declaret i- 14
psos incidisse in censuras, cap. solet, de sententia excommun. in sexto, capit. cum contingat, de
offic. deleg. immo si citatio non esset legitima, ꝓcessus, sententia, & omnia inde secuta nulla
sunt, Hipp. de Marsiliis, *consi. 20. num. 4. volum primo*, quanto magis ergo, quando nulla præces-
sit citatio, quia paria sunt aliquid non facere, vel minus legitime facere, *l. quoties ff. qui satisd. cog.*
Parisius *de resignat. beneficiorum lib. 11. quæst. 7. num 8.* erroneum est enim asserere, quod antequam
aliquis condemnetur, nulla requiratur citatio, Paulus Grylaldus *libro Decisionum Fidei Catholi-
ca*, verbo *citatio*, quia vbi non seruatur ordo iudicii, ibi fraus est, & non maturitas Consilii, vt
scribit D. Hieronimus *super Hieremiam*, quem refert Felyn. in *ca. Ecclesia Sancta Maria, de const.* Ri-
pa *super Rub. de iud. num.* 49. Si igitur nulla est, quia sciunt non esse factam secundum iuris ordi-
nem, neque in huiusmodi statutis peccare, debent sibi formare conscientiam, quod non sint
excommunicati, nec debent timere, nec eam obseruare, Viguer. *lib. instit. Christianæ numer.* 199.
cum excommunicatio iniusta secundum veritatem non sit excommunicatio, [illegible] secū-
dum interpretationem. Alexand. de Ales, *4. parte, Summa q. 23. membro 2. artic. primo.* habet enim
D. Hieronymus, *iniuste excommunicantes non ligant, sed excommunicatio ligat*, ergo iniusta excōmu-
nicatio non est excommunicatio, ex quo non ligat; cum igitur aliqua ratione redditur nulla,
nullo modo obstringit, nulliusque est ponderis, vel momenti. Emmanuel Suarez, verb *excō-
municatio, n. 191.* & de ista non intellexit D. Greg. Coradus *prima parte, casuum conscient. quæst. 176.*
quia excommunicatio, quæ fit absque peccato mortali, est iniuriosa, neque est sententia iuris,
vt dicitur in *l. meminerint, C. vnde*, sed potius ipsius peruersio, nec debet, vnde iura nascūtur, in-
de iniuriæ occasio nasci, † quia D. etiam Ignatius Patriarcha Cōstantinopolitanus fuit a Ioan- 15
ne VIII. Anno Domini 878. excommunicatus in excommunicatione. idem mortuus est & ta-
men infinita fecit post mortem miracula; tenor autem excommunicationis est talis. *Reuerēdis-
simo confratri nostro Ignatio Patriarcha Constantinopolitano; Secundo iam Sedis Apostolicæ literis proba-
tis admonitus, & præmissis eius contestatoriis conuenientis hortationibus, vt in Constantinopolitana Diœcesi
quos per eiusdem primæ Sedis auctoritatem & fauorem, annuente Domino, receperas tīce conuenīs, vltra præ-
fixos tibi ex Canonib. limites præsumptionis pedem non tenderes, nec antiquos terminos, quos posuerunt patres
tui, aliqua vsurpatione transferres. Nullus autem ignorat Regionem Bulgarorum à Sancta Maria in Damaso
Papa, & deinceps, vsq; ad paganorum emptionem à Sedis Apostolica præsulibus, quantum ad Ecclesiæ prouisio-
nis priuilegium spectat, moderatam, præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue Romanorum Pontificū
diuersorum res gesta, quæ in Archiuis antiquitus nostra seruantur Ecclesiæ, clarius attestentur; De his au-
tem, quæ bellica clades, & grauissimis hostilitatis incursus intulisse noscuntur, nihil præstantius sentiēdum est,
quam quod clarissima Ecclesiæ tuba Sanctus videlicet Leo, nostra Sedis antistes edocuit, & decreuit, cum ait;
adhibēda quidem curatio est vt vulnera, quæ aduersione hostilitatis illata sunt, Religionis maxime ratione sa-
nentur, quo statu rerū auxiliante Domino in meliora conuerso &c. Iterum dicit remotis malis, quæ hostilitas
intulit, vnicuiq; quod legitime habuit, reformetur, omniq; studio procurandum est; & rursus quod bellica ne-
cessitate turbatum est, pacis remedio reformetur, sed hæc Reuerendissime frater omnia clausis oculis relegisti,
Sanctorumq; patrum decreta calcaneo temerario conculcasti, & multiplicium tibi beneficiorum Sedis Apo-
stolicæ præteritorum oblitus, contra eādem Sanctam Sedem benefactricem videlicet tuam erectus es, vt priscā*

Diœcesis illius in Regione Bulgariæ constitutam illicita persuasione surriperes, & in alienam messem contra Diuinas leges immittere falcem non timuisti. Vnde merito post primam, & secundam commonitionem a nostro te debueramus contubernio sequestrare in promptu habentes secundum Apostolum, omnem vlcisci inobedientiam, qui etiam dicit, si quis non credit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo, sed quia Sedis Apostolicæ moderatione vtens spiritu lenitatis potius, quam seueritatis erga correptionem tuæ flagramus affectum, ecce tertio Canonica per missos, & syllabas commonemus, & hortamur, & protestamur, vt nullam omnino moram perpessam, strenuos viros in Regionem Bulgarum dirigas, qui per totam Prouinciã peragrantes quoscumq; illic reppererint, qui a te, vel a subiectis sibi consecrationis munus, accepisse dicuntur, sine quauis dilatione reducant, ita vt triginta dierũ spatiũ, nullus Episcopus, nullus omnino clericus, qui tua ordinationis immo inordinationis sunt, intra omnes Bulgarorum fines inueniãtur. Non n. patimur eos, quos ibidem tu illicite constituisti, quos & ab Apostolica Sede iã huius rei gratia constat excommunicatos errore suæ præuaricationis corda nouorum Domini famulorum inficere, quos videlicet in fide instructionis manu plantauimus, & aqua salutaris fontis doctrinarum rigauimus, atq; horum auctors Deo ad incrementum spiritus dandum, vt ipse sit in omnibus primatum tenẽs, obtulimus. Porro, si intra triginta internalla dierum omnes, quos vel tu, vel Episcopi tui consecrasse in aliquo gradu promouentur Ecclesiæ, a totius Regionis Bulgariæ terminis non eduxeris, & temetipsum ab omni Ecclesiastico illius iure Diœceseos non subduxeris, tandiu Sancto corpore, & pretioso Sanguine Domini Nostri Iesu Christi post duos menses a die numerandos, quos huius Epistolæ tomum acceperis, esto priuatus, quamdiu his obstinatis Decretis nostris minime obedientiæ colla submiseris; iã vero si pertinaciter in hac indisciplinabilitate, atq; persuasione permanseris, & Episcopos, & quotquot illic, vel illi, vel tu consecrasse videris, foras illinc minus expulleris Omnipotentis Dei iudicio, atq; Beatorum Apostolorum Principum Auctoritate, nostraq; mediocritatis sententia, omni Patriarchatus esto dignitate, quam fauore nostro acceperis, alienus, & exors, nullo penitus summi Sacerdotii priuilegio præditus, vel potitus. Data mense Aprilis, Indictione XI. missa per Paulum, & Eugenium Episcopos Habet autem Illustriss. Card. Baronius *tom.* 10. *Annalium*, ista minime ab Ignatio impleta esse, constat tamen eundem semper vsq; ad obitum in Catholica Romanæ Ecclesiæ communione fuisse retentum, quod ex eiusdem Pont. Ioannis plures Epistolæ ad diuersos datæ post eiusdem Ignatii obitũ docẽt, neq; est ꝙ quis ob litem hanc Ignatium animo fuisse in Apostolicam Sedem infenso existimet, vel ingrato, cumq; Iuris esset suam Ecclesiam defendere iuramento, obstrictus, etiam æternæ vitæ dispendio, non n. aliena retinere, sed sua possidere ex possessione prædecessorum ipse iustũ putauit, aut aliud dubium sponte cessisset, si id facere sibi licuisse credidisset, ita in hoc casu, nõ agitur de rebus fidei, sed de iurisdictionibus, quas Veneti tenentur ꝓ sui Status conseruatione defendere, etiam cum vitæ dispendio, quia excõmunicationem potius quis debet ferre, quam mortaliter peccare, Glos. *in addit. ad tertiam partẽ D. Tho. q.* 21. *art.* 4. & Bal. in *Margarita* in verb. *Iudex*, ꝙ Iudex superior potest suam iurisdictionem defendere etiam cum ense, & in bello, nõ n. volunt Ecclesiæ bona auferre, quia esset error Ioan. Wicleff, sed propria, & Laicorum conseruare ꝓfitentur, legesq; super ipsis condere, cum hoc iuste faciant suorum prædecessorũ vestigiis inhærendo, si cognouissent hæc facere ipsis non licuisse, numquam profecto hæc peregissent vel si cognouissent hæc iniuste fecisse, absq; dubio spõte cessissent, si n. aliquando propter obedientiam debemus aliquod bonum dimittere, nullo tamen modo propter obedientiam debemus aliquod malum facere, D. Tho *Quod lib.* 1. *q.* 8. *art.* 16. ideo cum excommunicatio nulla non præcidat a Christi corpore, dicitur nullum habere effectum in quocunq; Foro, Conar. *de sententia excõman. parte* 1. §. 7. *n.* 5. quia æterni Tribunal iudicis illum reum non habet, quem iniuste iudex condemnat, & per hoc sic excommunicatos esse vera Christi membra viua, & si in charitate decedunt saluos esse, & posse facere miracula virtute Diuina, sicut de ipso 16 Sancto Ignatio. † Neque Religiosi Interdictum non seruantes incidunt in pœnam *Clementina prima de sententia excommunic.* quia sententia non fuit Intimata, & tamen debet intimari, vt requiritur ex forma præscripta Cæsar. constitutionum in *tit. de appell.* non n. dat aliquod præiudicium, neq; illius ratio est habenda, etiam si aliunde notitiam præfatæ sententiæ habeãt, quod non sufficit, cũ formæ non possit addi, nec minui, quippe ad vnguem est seruanda, vt pertulit Curt. Senior *cons.* 32. *n.* 3. Rolãdus a Valle *cons.* 100. *n.* 148. *vol.* 4. Barret. *cons.* 88. *n.* 13. Ioan. Baptista Costa *cons.* 3. *n.* 17. immo cum censura non teneat, nec a Cathedrali obseruetur, non ligãtur, Sayrus *de censuris lib.* 3 *c.* 33. *n.* 48. nec sunt irregulares, Conar. *de sententia excom. c.* 2. *n.* 3. quæ quidẽ 17 non suspendit Iurisdictionem in foro conscientiæ, Suarez *de censuris, disput.* 40. *sect.* 2, *in fine.* † & debet Papa cum sit nulla, ipsam nullam declarare, & cassare, Curt. *d. cons. n.* 59. quia iudex non debet sequi in iudicando voluntatem suam, sed statuta Patrum, leges, & rectum rationem, vt habetur *extra de const. c. ne innitaris prudentia*, nec debent dicere, quid vltra loqueris? fixum est, ꝙ locutus sum, idest, inutile est tibi loqui, quid volueris probando iustitiam causæ tuæ, quia etiam si multa probes nõ mutabo sententiam meam, sed hoc est contra Iudices, quibus dicitur, non pudeat vos errores vestros corrigere, qui positi estis, vt aliorum corrigatis errores, ca. qualiter, & quando, de accusat. qui n. volunt pertinaciter defendere suum errorem, incidũt in infinita inconuenientia, nec talis potest dici sapiens sed potius pertinax, D. Aug. correxit errores suos; Nicolaus etiam Papa primus habet, *sententiam Romanæ Sedis non negamus in melius commutari, cum aut surreptũ aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatũ, vel temporum, seu grauium necessitatũ dispensatione, quãdã ordinare decreuerit, quoniã & egregiũ Paulũ Apostolũ a dispensatorie legimus quædam*

dam

dam scripsisse, quæ postea reprobasse legitur, hęc ille; difficile est enim, vt bono peragatur exitu, quæ malè sunt inchoata principio, vt dicit Speculator *de except.* §. 4. n. 40. † Papa suam sententiam iniuste latam corrigit, 18 & Imperator dicit, non pudet nos nostras leges corrigere, in *Authent. collat. 4. de aupt. circa principium*, vnde dicit Seneca, *Non est turpe, in melius mutari consilium*, immo etiam quælibet discreta persona debet errorem suum caute corrigere, nam & si in aliquo errauerit, non debet sponte fateri errorem suum, ne vilescat auctoritas, nec debet errorem suum defendere, seu in eo perseuerare, sed debet cautius, & prudentius quam potest, se corrigere, quia magnæ sapientiæ est, hominem corrigere, quæ malè loquutus est, ea n. quæ contra leges fiunt, pro infectis habentur, nec valent, *l. iubemus, §. sane, C. de Sacrosanctis Ecclesiis, l. non dubium*, C. *de leg.* vbi per Bart. Ias. & Doctores, & quicquid contra leges accipitur, per leges dissolui meretur, *c. vides, 10 dist.* quinimmo si sententia esset iusta, & Papa videat ipsam non proficere, sed nocere, illam discrete debet tollere, vt concludit D. Thom. *4. Sententiarum, distinct. 18. art. fin.* quia ex duobus malis minus est eligendum, ne forte quid deterius contingat, & error paruus in principio, in fine fiat maximus, aliter potius ligatur, quam liget, *c. plerumq., 11. quæst. 3.* & cum summam potestatem teneat, summam honestatem, & æquitatem seruare debet, Curt. dicto *consil. num. 60.* cũ non sit creatus Princeps, secundum Pythagoram, vt lædat, sed vt iuuet subditus.

† Est enim excommunicatio sententia medicinalis, & si medicina non prodest, immo obest, non debet bonus medicus in ipsa persistere, aliter ægrotum interficiet, quando fecit quod potuit legem adimpleuit, relinquat ægrotum in Manu Dei, qui secundum eius infirmitatem 19 eum curabit, si deliquit, horum est vltor, cum nullum apud ipsum remaneat delictum impunitum: sed profectò Respublica non eget medico, neque medicina, quia Deo propitio bene se habet, in fide, ac Ecclesia, vtinam per totum orbem ita floreret Christiana religio, sicut in Venetorum Dominio, debemus n. potius ipsos augere, quam destruere; Videmus propter Principem excommunicationem, quid Ecclesiæ Catholicæ accideret: nõ ne integra amisit Regna, nonne expediebat, vt vnus moreretur, ne tota gens periret, aliquando quod nõ possumus imperare, tollere debemus, quia retia Domini rumpenda non sunt, nec deserendus grex eius; Papam, cum sit Christi Vicarius & Petri successor decet, eorum honorem non minuere, sed augere, & quanto magis augetur, quam plures habendo subditos fideles, qui in eius necessitatib. ipsum, ac fidem totam possint tueri, nullum n. lucrum maius, & possessio pretiosior in terris, quam virorum; si Christus Dominus noster a Regalibus sedibus ad infima hæc descendit, propter nostram salutem, & si iterum opus esset, pro vna sola anima de nouo descenderet, ad quid tam facile tot animas perdere, Christi pretioso sanguine redemptas, boni Pastoris est, dispersa congregare, & non congregata dissipare, sicut etiã censuræ ad hoc sunt inductæ, vt constituant, non vt destruant, & si pro causis corporalibus, & mundanis cogitamus, quanto magis pro animarum salute est diligentia nostræ sollicitudinis adhibenda, maius enim damnum, & periculum est, si vna anima pereat, quam si innumerabilium martyrum corpora trucidentur; Agitur de conseruatione vel augmento libertatis, ac immunitatis Ecclesiasticæ, non nescimus, quod hæc tẽpore belli imminuuntur, captiuantur, ac suspenduntur, † pax omnia conseruat, & auget, 20 cum sit vinculum charitatis. & D. Aug. de verbis Domini habet, quod *pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, sinceritas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis, hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles eleuat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit inflari, nescit extolli, hãc qui accipit, teneat, qui perdit, repetat, qui amisit, exquirat, quoniam qui in ea non erit inuentus, a Patre eradicabitur, a Filio exhæredabitur, a Spiritu Sancto alienus efficietur.* & subdit, *nec ad hereditatem Dei poterit peruenire, qui testamẽtum pacis noluerit obseruare.* Hæc ille; per bellum autem homines animam, corpora diuinasque perdunt. Faciat igitur Summus Põtifex, sicut dicit Boetius de Consolatione, *à iure ad iniuriam me nunquam quisquam detraxit*, qui naque vlcisci tentat, secundam, & tertiam patitur iniuriam, ac studio perde odi alterius, ipse se perdit; Apes minima iniuria lacessitę pungunt, vitamque pungendo relinquunt; alii multi sunt etiam Principes similia, & maiora habentes statuta, pro suorum Dominiorum conseruatione, & tamen Summus Pontifex nihil dicit, quod dat intelligere, prout dicit Bald. in *leg. liberis, libertaq., de operis libertorum*, quod aliquando Papa sit magis partialis, quam Apostolicus, & debet valde cauere, ne his leuibus prætensionibus claues vim perdant, & rubiginem induant, quia profectò cum te reducitur ad affectum, omne perit rectum iudicium. Sed Paulus Paulum audiat ad Colossenses 4 *patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros.* lacte enim fidei hos aluisti, & sic repente præcipitas eos, cur faciem tuam abscondis? & arbitraris me inimicum tuum? nec est vt dicant nonnulli, non licere gregi Pastorem monere: fateor quidem, Summum Pastorem nullis egere admonitionibus: At liceat saltem opportune precari, immo vero etiam importune, vbi cõpellit necessitas, obsecrare: ne forte Petrus Paulo irascatur: si enim aliquid dixi, quod eius auribus non bene oleat, parcat mihi: scio enim quod seruus plura debet scire, quam loqui, attamen Zelus Domus Dei me comedit, est mihi amicus Plato, amicusque Socrates, sed magis amica veritas, & licet os dolosi, & peccatoris nonnullorum dicat, Sacerdotes omnes status Venetorum esse excommunicatos, liceat mihi ponere † epistolam Clericorum Leodien. 21 infrascriptam, Registratam *in Thomo Secundo Conciliorum*, quæ multum valebit etiam pro causa ipsorum DD. Venetorum.

EPISTOLA LEODIENSIVM ADVERSVS PASCHALEM II. PAPAM, CIRCA ANNVM domini 1107.

OMnibus bonæ volantatis hominibus, Leodiensis Ecclesia veritatem fidei, & Catholicam vnanimitatem inconcusse tenent. Stupendo & gemendo exclamo cum Esaia, qui onus deserti maris exaggerans, exclamat. Esa. 21.a *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili visio dura nunciata est mihi. Qui incredulus est, infideliter agit: & qui depopulator est, vastat. Qui hactenus non intelligebat loquendo, quid sit* for. * quod *desertum mare, nunc intelligo videndo, † quid per desertum mare significetur non solum Babylonia, sed etiā mundus & Ecclesia. Quamuis enim vt mare vndis, sic mundus & Ecclesia affluant populis: tamen iure vocantur desertum mare, quia mundus videtur esse desertus à sapiētum principum gubernaculo, Ecclesia gemit se desertam à sano Præsulum consilio. Quam maior olim confusio fuit in Babylonia, quam hodie est in Ecclesia! In* Gen. 11. b *Babylone confusæ sunt linguæ gentium, in Ecclesia diuiduntur linguæ & mentes credentium. Ait Petrus in Epistola sua:* 1. Pet. 5. d *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta. Hactenus interpretabar ideo voluisse Petrum per Babylonem signare Romam, quia tunc temporis Roma confusa erat idololatria & omni spurcitia. At nunc dolor meus mihi interpretatur, quod Petrus prophetico spiritu dicens Ecclesiam in Babylone collectam præuidit confusionem dissensionis qua hodie scinditur Ecclesia. Nam quamuis Ecclesia sit in Babylone mundi, tamen debet esse collecta per fraternam vnanimitatem. Qui sint turbines ab Africo, discimus patiendo magis quam legendo. De terra horribili, à Romana scilicet Ecclesia, visio dura nūciata est mihi: inde turbo vt tempestas venit ab Africo. Romanus enim præsul pater omnium Ecclesiarum, literas contra nos mittit Roberto Flandrensium comiti, quale exemplar tale est.*

Paschalis episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Roberto Flandrensium comiti, Salutem & Apostolicā benedictionē. Benedictus dominus Deus Israel, qui in te virtutis suæ efficaciam operatur, quo reuersus ab Hierusalem Syriæ, in cælorum Hierusalem iusta militia operibus ire contendis. Hoc est legitimi militis, vt sui regis hostes instantius persequatur. Gratias ergo prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum nostrum in Cameracen. parochia executus es. Idipsum de Leodiensibus excommunicatis pseudoclericis præcipimus. Iustum enim est, vt qui semetipsos à catholica ecclesia segregarunt, per catholicos ab ecclesiæ beneficiis segregentur. Nec in hac tantum parte, sed vbicumque poteris, Henricum hæreticorum caput & eius fautores pro viribus persequaris. Nullum profecto gratius Deo sacrificium offerre poteris, quam si eum impugnes, qui se cōtra Deum erexit, qui ecclesiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco sancto Simonis idolum statuit, qui à principibus Dei sanctis apostolis eorūque vicariis, de ecclesiæ domo sancti spiritus iudicio expulsus est. Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remissionem, & Apostolicæ sedis familiaritatem præcipimus, vt his laboribus & triumphis ad cælestem Hierusalem, domino præstante, peruenias. Datum Albani 12. Kalendas Februarii.

Super his literis cuius lumbi non repleantur dolore? Super his me obstupefecerunt tenebræ: nec tantum pro 3. Reg. 3. d *horrore periculi quantum pro horrenda nouitate rei, quod tam lachrymabiles literæ potuerunt scribi a matre contra filias suas quamuis peccantes. In iudicio Salomonis expressa est magnitudo maternæ pietatis, quando iudicante Salomone, vt infans pro quo contēdebatur, gladio diuideretur, maluit mater filium suum sub aliena muliere viuere, quam gladio iudicis diuidi.* Esa. 21. b *Dicit Esaias: Babylon dilecta mea, versa est mihi in miraculum. At ego dico: Roma dilecta mea mater, versa est mihi in miraculum. Quid enim tam mirabile, imo quid* 2. Reg. 24. c *tam miserabile? Vidit olim Dauid Angelum Domini stantem extento gladio super Hierusalem: nos filiæ Romanæ Ecclesiæ, ecce videmus Romanum præsulem, qui est Angelus Domini, extento gladio super Ecclesiam. Dauid orabat, ne populus occideretur: Angelus noster, porrigens Roberto gladium, orat vt occidamur. Vnde iste gladius Angelo nostro? Iubente Iesu discipulis vt vendita tunica, emant sibi gladium, dicunt discipuli: Do*Luc. 22. d*mine, ecce duo gladii hic. Et Iesus: satis est. Vt ex patrum istis colligimus, est vnus gladius spiritus, quod est* Matt. 10. d *verbum Dei. De quo Iesus ait: Non veni pacem mittere, sed gladium. Et propheta: Maledictus qui prohibet* Hier. 48 b *gladium suum à sanguine. Hunc gladium distringit Iesus magis contra carnales affectus, quam contra mundi assultus. Est & alter gladius spiritualis, quo mortificatis vitiis carnis, emitur corona martyris. Cum ergo duos tantum gladios a Domino Apostoli habeant, vnde iste tertius Apostolico gladius, quem in nos porrigit Roberto armigero suo? Forte recurrit Apostolicus ad Ezechielem prophetam, vt de manu eius tertium arripiens gladium, vadat ad dexteram siue ad sinistram, cædendo bonos & malos. Dicit enim Deus Ezechie*Ezec. 21 b*li prophetæ: Vt duplicetur gladius, & triplicetur gladius interfectorum. Puto, non debet propheta tertium gladium Apostolico. Propheta namque duos euangelii gladios ostendens, per duos vnius gladii vsus, gladium* Ezec. 21. b *Apostolico dandum duplicat, dicens: Gladius gladius exacutus est & limatus. Exacutus, vt cadat victimas:* Lib. 3 comment. in Ezec. cap. 9. *Limatus, vt splendeat. Exacutus est, quia (vt ait Hieronymus) qui malos percutit, in eo quod mali sunt, & habet * gladium interfectionis, vt occidat pessimos, minister Domini est. Limatus est, vt syncere prædicetur verbum Domini. Triplicato gladio, armat propheta interfectores, quia (vt ait Paulus) non sine causa* * vasa Rom. 13. b *iudex gladium portat. Hic est gladius interfectionis magnæ, qui me cum Ezechiele obstupescere facit. Quem enim non faciat corde tabescere, quod Apostolicus ad viuificandum vncitus, accingitur in nos tertio gladio in*2. Re. 24. c*terfectorum? O vtinam placatus dicat Deus etiam nunc Angelo percutienti: Sufficit nunc, contine manum tuam. Nihil dico in Christum Domini, sed vicem nostram doleo. Sed nisi Christus Domini, veniens ad caulas* 1. Re. 24. c *ouium, intrasset in speluncam purgare ventrem, non præcidisset Dauid oram chlamydis eius. Si quis est Dauid, inueniens hunc Christum Domini dormientem, omnesque milites eius dormientes, non mittat manum in* 1. Re. 26. b *Christum Domini, sed tantum tollat hastam eius & scyphum aquæ, qui est ad caput eius dormientis. Hanc hastam quam contra nos erexit, ostendo cunctis: hunc scyphum aquæ, qui est ad caput eius dormientis, porrigo*

cunctis

condidit ad gustandum, vt sapiant omnes, quam insipida sit authoritas legis eius, qua distrinxit gladios laicorũ
in cruces clericorum. Si liceret dicere, (salua Apostolicæ dignitatis reuerentia) ipse nobis videtur dormiuisse.
Dormierunt enim eo omnes consiliarii eius, quando conduxit sibi vastatorem Ecclesiarum Dei. Præcepit Pau-
lus ut verbum Episcopi sit sanum & irreprehensibile. Nos ergo non infirmamus, aut reprehendimus verbum 1. Tim. 3.a
huiusmodi Episcopi, sed quia Apostolicus non debet deuiare ab Apostolo, quærimus humiliter per singula, Tit. 2.b
vt verba Apostolici verba sint per omnia grauitate Apostolicæ authoritatis sana & irreprehensibilia. Ecce vt
pater dilecto filio salutem mittit, & Apostolicam benedictionem promittit: sed et multis videtur, non ea illi
opera indicit, quibus salutem & benedictionem à Deo promereri possit. Benedicit Deum, qui in eo efficaciam
suæ virtutis operatur, quod Ecclesiam Dei debellat & depopulatur, ac per hoc cœlestis Hierusalem aditum ei Esai. 45.b
pollicetur. Num recta via dilectum filium dirigat, ipse pater nobiscum videat. Vt vtamur verbis Augustini
summatim collectis, Deus, qui dixit: Ego Deus faciens pacem & creans malum, sicut cætera suauiter dispo-
suit, ita hæc etiam disposuit, vt bonum pacis per bonos faciat, malum vero belli per malos creet. Vtens enim
Deus mentibus hominum pro voluntatibus & meritis eorum, digna dignis opera imponit, vt digna dignis præ-
mia rependat, bonis bona pro bonis, malis mala pro malis. Quis vnquam populum Dei, quis vnquam Eccle-
siam Dei impune persecutus est? Quoties peccabant filii Israel, suscitabat Deus hostes, qui contererent peccan-
tes. Castigabat Deus, quos amabat: & damnabat illos, qui vitio suo tales erant, vt per eos mala malis inferret.
Dicit Deus per prophetam: Vocabo ab Aquilone seruum meum Nabuchodonosor, qui faciat omnem volũtatẽ Daniel. 4.c
meam. Quam voluntatem, nisi vt peccantes disperdat? Hunc seruum suum Deus pro merito seruitutis in bo-
num conuertit. Peccanti Dauid ait Deus: Ecce ego suscitabo malum super te de domo tua. Hoc malum executus 2. Re. 12.c
Absalon, fugato patre suo, inuasit Hierusalem. Nunquid per hoc meruit cœlestem Hierusalem? Per Esaiam 2. Re. 15.
dicit Deus: Væ Assur. Virga & baculus furoris mei ipse. In manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem
mittam illum, & ad populum furoris mei. Mandabo illi, vt auferat prædam, & diripiat spolia. Et re- Esai. 10.b
liqua. Cur Deus intentat, væ Assur, qui mala, quæ fecit, eo mandante fecit? Væ mundo ab scandalis, dicit De- Matt. 18.a
us. Necesse est vt veniant scandala, væ tamen illi per quem scandalum venit. Hoc Hieronymus sic exponit: Cũ Lib. com-
necesse sit quidem, vt veniant scandala, væ tamen homini, qui, quod necesse est, vt in mundo fiat, facit suo vi- ment. 3.
tio, vt per se fiat. Quid multis opus? Ecce opera iusta militia, quibus pater filium, Papa Cœlestis regis mili-
tem imbuit, per quæ possit contendere ad Cœlestem Hierusalem, impugnando scilicet Ecclesiam Dei. Gratias
(inquit) prudentiæ tuæ, agimus quod præceptum nostrum in Cameracensi Parochia executus es. Qualis &
quanta sit vastitas, & contritio Cameracensis Ecclesiæ, quis recolit sine dolore? Ego quidem filia Romanæ Ec-
clesiæ, condolebam Cameracensibus pro affectu germanitatis: nunc vero audiens hæc mala inferri præcepto A-
postolicæ Authoritatis, tam amplius doleo, quia timeo matri meæ, ne in eam redundet illud, quod Deus dicit per Esai. 10.a
Esaiam: Væ, qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio paupe-
res, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Et reliqua.
Tantam Ecclesiæ desolationem, tantam pauperum, & viduarum oppressionem, tantam prædarum, & rapina-
rum immanitatem, & quod his grauius est, promiscuam bonorum, & malorum occisionem, hæc & peiora his
præcepto Apostolici facta esse quis crederet, nisi ipse suo se ore prodidisset? Taceo Cameracensem Episcopatum in
duos esse diuisum iudicio Romanæ Ecclesiæ: taceo Vualcherum, qui Apostolici consensu, & authoritate pro-
batus, & prior ordinatus fuit, subito exordinatum, excõmunicatũ, & alium ei subordinatũ. Hæc iusta sint, nec-
ne, in Dei pendet sententia. Non inuehimur in Christum Domini, ad quem pertinet sollicitudo omnium Eccle-
siarum. Sed quia Apostolicus hæc mala sibi adscribit, & Ecclesiæ vastatori per gratiarum actionem applaudit,
super his mirandum, an magis sit dolendum nescio. Cui hoc magis sit periculosum iubenti, an obedienti: cui hoc
magis sit damnosum, facienti, an patienti, quis homo discernet? Nos attoniti hac nouitate rerum, quærimus
vnde sit hoc nouum exemplum, vt prædicator pacis, suo ore & alterius manu inferat Ecclesiæ bellum. Contra
barbarorum, & inimicorum Dei assultus, concedunt canones etiam clericis, arma ad defensionem vrbis &
Ecclesiæ. Bella vero indici Ecclesiæ per authoritatem Canonicam nusquam scripturarum legimus. Quæro, 2. Tim. 4.a
quod nescio: dico, quod scio. Pacem Iesus, pacem Apostoli, pacem Apostolici viri prædicant, peccantes arguunt,
obsecrant, increpant in omni patientia, & doctrina. Inobedientes iubet Paulus dure increpari. Quomodo du- Tit. 1.c
re increpentur inobedientes, dicit Iesus: Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum, primo solum solus, se- Matt. 18.b
cundo cum duobus, aut tribus testibus, tertio cum Ecclesia. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus
& publicanus. Hinc ait Augustinus: Illud quod ait Iesus, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus &
publicanus: grauius est, quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subiiceretur. Nam ibi
quoque Iesus subiunxit: Amen dico vobis, quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in cœlo: vt intelligeretur, Matt. 18.c
quod grauius sit punitus, qui velut relictus est impunitus. Sic sententia veritatis exposita ab Augustino, quis
diuinæ vindictæ humanam vindictam superponat? Qui illum persequitur, quem Deus percussit, & super
dolorem vulnerum Dei addit, videat, quid imprecetur illi Deus, qui iniquitates, & dolores nostros in persona
Dominici hominis portauit. Appone iniquitatem super iniquitatem illorum. Et reliqua. Si quis pro Apo- Psalm. 68.d
stolico dicat, merito depopulandam esse Ecclesiam, cui incumbat excommunicatus Episcopus: audiat exem-
plum, in quo causa causæ, & persona personæ respondet. Tempore primi Gregorii Papæ, defuncto Salonitanæ Lib. 7. re-
vrbis Episcopo, cum decreuisset Gregorius, vt pro eo Episcopus ordinaretur Honoratus, Maximus quidem au- gist. ca. 110.
xilio militaris manus inuadens Episcopatum Salonitanum, & ab Episcopis consecratus, à Gregorio ex-
communicatus est, & tamen Missas celebrare præsumebat. Hunc Gregorius non aliis, quam sacerdotalibus ar-
mis debellans, non superordinauit ei Honoratum, non immisit Ecclesiæ vastatorem, sed tamdiu peccantem
arguit, donec septimo excommunicationis eius anno, tandem ad veniam petendam attraheret, eumq; resipi-
scentem nõ exordinauit, nõ reordinauit, sed ei in gratiam suam recepto, quod deerat, dato Archiepiscopali pal-
lio sup-

lio supplicuit. Cum ergo Salonitana causa sit similis causæ Cameracensis, cur censura Romanæ Ecclesiæ in simi-
li causa vtitur dissimili sententia? Martinus Turonensis posset Apostolico sufficere ad exemplum, vt desistat ab
oppressione innocentum. Priscillianum Episcopum à Damaso Papo pro hæresi damnatum, Maximus impera-
tor, accusante Ithacio Episcopo, occidit: & vt omnes sequaces eius vbique occiderentur, edixit. Martinus ergo
aliiq; Episcopi Ithacium communione Ecclesiæ priuauerunt, criminantes eum, quod eius accusatione qualiscun-
que homo occisus sit. Maximus agebat cum Martino, vt Ithacio communicaret: & Martinus agebat cum Ma-
ximo, vt sequaces Priscilliani non occiderentur, ne etiam Catholici inde perirent. Quod petebat Martinus,
nullo modo impetrasset, nisi ad tempus Ithacio communicasset. Sic quodammodo anathema factus pro fratri-
bus suis, retraxit ab eorum ceruicibus gladium Imperatoris. Qui damnauit accusatorem Ithacium pro morte
hæretici si adhuc viueret, non laudaret & istum, cuius præcepto tot occiduntur pro causa Cameracensium. Qui
etiam cum periculo animæ suæ liberauit hæreticos à morte, quam grauiter ferret innocentes pro aliena culpa
Exo. 5. d opprimi? Nos res rebus conferimus, causis causas opponimus. At Cameracenses afflicti malis, clamant ad Pa-
„ schalem, sicut filii Israel afflicti malis clamabant ad Mosen: Videat Deus, & iudicet, quomodo fœtere fecisti o-
„ dorem nostrum coram Pharaone, & præbuisti ei gladium, vt occideret nos. Idipsum de Leodiensibus excommu-
„ nicatis pseudoclericis præcipimus. Iustum est enim, vt qui semetipsos à Catholica Ecclesia segregauerunt, per Ca-
tholicos ab Ecclesia beneficiis segregentur. Hic vero me in hac angustia quasi parturientis Vnde exclamare com-
pellor, quia omnes parturientis dolores hic meus dolor vincit. Filios enim genui, hosque lacte alui fidei, hos pane
veritatis confirmaui, & in virile robur prouexi. Ipsa me beatificabam, quia eis in regis Curia, & in Dei Eccle-
sia florentibus nihil deesse credebam, quod vel ad corporis pertinet decorem, vel ad animo spectaret valorem.

Sed quid est ab omni parte beatum?

Horatius. Ecce mater mea Sancta Romana Ecclesia vult infligere eis notam excommunicationis, & insuper erexit
super eos gladium occisionis. Super his ego quidem materno dolore torqueor, ipsi ætatem habent, loquantur pro
se. Idipsum (inquit) de Leodiensibus excommunicatis pseudoclericis præcipimus. Statera dolosa non est bono,
Prou. 20. d ait sapientia. Qui confert causam nostram causæ Cameracensium, vt & nos patiamur, quod patiuntur Ca-
meracenses? Nos quidem Cameracensib. compatimur, nobis nihil tale verebamur. Cameracenses, quia causæ
causam, personæ personam supposuerunt, gladium hi capitum sibi supposuerunt. Nos vero Leodienses quare ex-
communicati dicimur? quare gladius nobis superponitur? Quid dignum morte, aut excommunicatione fecimus
contra Canonicam regulam Ecclesiæ? in vno spiritu nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, nos vnius mo-
Psal 67. a ris Deus in domo sua habitare facit. Obsecrat nos Paulus per nomen Domini, vt non sint in nobis schismata.
Quando significatum est Romanæ Ecclesiæ, quod contentiones fuerint inter nos? Idipsum in Christo sapimus,
1 Cor. 1 b idipsum dicimus. Non dicimus, ego sum Pauli, ego Cephæ, ego autem Christi. Numquid pro hac vnanimitate ex-
Eph. 6 a communicati dicimur? Vt præcipit Paulus, obedimus & subiacemus præpositis nostris, qui vigilant pro animabus
Col. 3 d nostris. Nobis legem Dei tenentibus obiiciunt quod transgrediamur eorum nouas traditiones. ac illis dicit Deus:
Tit. 3 c Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? Iubet Deus, vt quæ sunt Cæsaris, redda-
Hebr. 13 c mus Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. In hanc sententiam Petrus & Paulus pedib. eunt. Petrus inquit: Deum time-
te, regem honorificate. Serui, subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam
dyscolis. Hæc est n. gratia. Paulus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui potestati resistit, Dei
Matt. 15. a ordinationi resistit. Qui hoc omni animæ præcipit, quem à subiectione terrenæ potestatis excepit? Quia ergo re-
Luc. 20. d gem honoramus, quia Dominis nostris non ad oculum, sed in simplicitate cordis seruimus, ideo excommunica-
ti dicimur? Sed simoniaci sumus. Simoniacos, quantum ad nos, vitamus: & quos vitare nequimus, pro loco &
1. Petr. 2 c tempore toleramus, certi quod ipse Iesus, facto flagello de resticulis, peccatorum cathedras vendentium colum-
bas euertit, & nummulariorum effudit æs. Vitamus, inquam, Simoniacos, nec minus vitamus illos, qui notam Si-
Rom. 13. a moniæ honesto nomine prætexentes, quod gratis se iactant dare, vendunt sub charitatis nomine. & sicut Monta-
nistæ sub nomine oblationum, artificiosius accipiunt munera. Ob dolendo miramur cur excommunicati dicamur,
Coloss. 3 d quando, à quo, & quare excommunicati simus. Non ab episcopo nostro, non ab archiepiscopo, cui episcopus noster
suffragatur, nos excommunicatos esse scimus. Sed nec à Papa Romano nos esse excommunicatos credimus quia sci-
Ioan. 7 c mus eum non ignorare, quod ait Nicodemus: Lex nostra non iudicat quenquam, nisi audierit ab ipso prius. Nec
Sodomitas damnasset Deus, nisi descendisset ad ipsos videre, vtrum clamorem, qui venerat ad eum, opere com-
Ioan 7 g plessent. Qui nihil à nobis audiuit, quem non episcopus, non archiepiscopus, aliquando contra nos interpellauit,
quis crederet, quod nos excommunicauerit? Per scalam ad cælos vsque pertingentem vidit Iacob ascendentes, &
Gene 18. c descendentes angelos. Et Iesus ait discipulis: Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum & angelos Dei ascen-
dentes, & descendentes super filium hominis, non filios hominum, id est, Adæ, in sua exprimit persona. In aperto
Gene. 28 c ecclesiæ cælo & boni & mali intrant. Vos præsules ecclesiæ, qui estis angeli Dei, gradatim ad nos ascendere debe-
Ioan. 1 g tis gradatim & nos ad vos ascendere debemus. Quot gradib. ad vos ascendimus, tot ad nos descendere debetis. Est
primus gradus nobis ad episcopum, secundus ad archiepiscopum, per quos ascendere debemus ad gradum tertium,
id est, ad Papam Romanum. Super filium hominis descenditis, cum humilibus compatiendo condescenditis. Su-
per filium hominis ascenditis, cum verbo & exemplo humiles ad cælum sustollitis. Credo, dicetis nos ideo habe-
ri excommunicatos, quia fauemus episcopo nostro, fauenti partibus domini sui Imperatoris. In hac re sunt inte-
Apoc. 20. c tia dolorum, pro hac re erubescunt causa malorum. quia Satanas solutus terram perambulans, iam transit regnum
Matt. 6. b & sacerdotium. Quia ergo diabolus venit ad nos, habens iram magnam, patrem nostrum, qui est in cælis, o-
Matt. 13 d ramus pro hoc specialiter, ne nos inducat in tentationem hanc, sed liberet nos à malo huius tentationis.
Marc. 4. c Nobis dormientibus, inimicus superseminauit zizania in agro ecclesiæ. Expectamus, donec angeli missores
Dei alligent zizaniorum fasciculos ad comburendum. Num ideo dicimur excommunicati? O quo e manipulos tri-
tici eradicauit, qui ante tempus zizania à tritico discernere festinat. Quis iure reprehendat, quod episcopus noster

domini

domini sui fauet, cui promissam cum iuramento fidelitatem debet? Periurium nemo dubitat esse grande peccatum. Deus solus iurat, & non pœnitet eum, quia sapientia custodit præcepta iuramenti Dei. Sed nos, quo iurasse sæpe pœnitet, iurare prohibemur. Si iurat homo, iubet Deus, vt reddat domino iuramētum suum. Hoc nec ignorant illi, qui regnum & sacerdotium scindentes nouello schismate, & nouellis (vt quibusdam placet) traditionibus, illos, qui regi periurant, sua culpa periurii absoluere promittunt, nō attendentes, quod Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedechia, quo periurante domino suo regi Nabuchodonosor. Qui soluit, inquit, pactum nunquid effugiet? Hoc Hieronymus sic exponit: Ex hoc etiam discimus, inter hostes seruādam fidem, & non considerandum cui, sed per quem iuraueris. Multo enim melior inuentus est ille, quo propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus est, quam tu qui per occasionem diuinæ maiestatis, hosti tuo, imo iam amico, molitus es insidias. Quid laboramus in colligendis exemplis ostendi periuriis? Tertium decalogi mandatū, de corde & ore Dei prolatum, eiusq; digito scriptum hoc est, Non assumes nomen domini Dei tui in vanū. Nec enim habebis insontem dominum eum, qui assumpserit nomen domini sui frustra. Cum tria prima decalogi mandata ad cultum Dei pertineant. Diligenter inspicientib. videtur, quod in hoc tertio decalogi mandato cætera mandata pendeant: quia cum sit, quod Deus fieri præcepit, vel non fit, quod Deus fieri prohibet, ideo vtiq; fit vel nō fit, vt nomē præcipientis vel prohibentis Dei, non assumatur in vanum. Quis magis assumit nomen Dei in vanū, quam ille qui violat hoc, quod per nomen Dei iurat? Deus iubet, ne per cœlum, ne per terram, ne per caput meum iurem, ne forte periurem. Si culpa est periurare per creaturam Dei, quam grauius peccat, qui per creatorem Deum peierat: Hinc omnes perpendunt, quod sit reus capitis, qui non reddit Cæsari, quæ sunt Cæsaris, secundum decretū Dei, vel qui regem inhonorat contra decretum Apostoli, vel peierando assumit nomen Dei in vanum, per quod iurauit regi fidelitatem. Ecce quare excommunicati dicimur. Sed quare pseudoclerici vocamur, qui canonice viuentes, operibus meremur vt clerici vocemur? Non est, non est, inquam, de sorte Dei, qui vult nos excludere a sorte Dei. Non tales, ô mater ecclesia, nutrinisti, vt merito vocemur pseudoclerici. Quia enim nos voluntati nostra non dimisisti, non confundemus te matrem nostram. Mirum est de domino Paschasio, quomodo sic conuicio venalia inuenit, bona mercatione videtur ea accepisse, quæ tāta in nos profundis facilitate. Modo n. nos excommunicatos nominat, modo pseudoclericos ex motu animi vocat. Eructauit cor Dauid regis verbum bonū, inomnis cor domini Paschasii vila conuicium, prout vetulæ & textrices faciunt. Petrus Apostolus docet: Nō dominātes in clero, sed forma facti gregis, Paulus Apostolus ad Galatas delinquētes ait: Filioli, quos iterum parturio in domino. Hos igitur attendat dominus Paschasius pios admonitores, non impios conuiciatores. Maledictum excommunicationis dominus Paschasius nobis improperat, sed illud ante omnia timemus, quod spiritus sanctus per os Psalmistæ dixit: Maledicti omnes qui declinant a mandatis tuis. Maledictum excommunicationis, quod ex nouella traditione Hildebrandus, Odardus, & iste tertius indiscrete protulerūt, omnino abiicimus, & priores sanctos patres vsque nunc veneramur & tenemus, qui dictante spiritu sancto, nō animi motu, in maioribus & minoribus potestatibus grauiter delinquentibus, quædam dissimulauerunt, quædam correxerunt, quædam tolerauerunt. Dominus noster episcopus communicat regi & imperatori suo, cui ex regalibus eius acceptis fidelitatem iurauit. Nimium effluxit tempus, quo hæc consuetudo incepit, & sub hac consuetudine migrauerunt à seculo sancti & reuerendi episcopi, reddentes Cæsari quæ erant Cæsaris, & Deo quæ erāt Dei. Sed quid dixit Ambrosius super Lucā: Si Christus (inquit) non habuit imaginē Cæsaris, cur dedit censum? Nō de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu, si non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mūdi sunt. Sed si habes diuitias, obnoxius es Cæsari. Si vis igitur nihil debere regi terreno, dimitte omnia, & sequere Christū. Item Augustinus super Ioannē: Apostolus voluit seruiri regibus, voluit honorari Reges, & dixit: Regem reueremini. Nolite dicere: Quid mihi, & regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per iura regū, possidentur possessiones: per Imperatores & reges seculi, Deus iura humana distribuit generi humano. Igitur ex verbis istorū, & aliorum sanctorū patrū, consulās sibi Episcopi Regib. & Imperatorib. obnoxii ex eorum regalib. acceptis, ne pro prio gladio, id est, eorū beneficiis eos interficiant. Si quis denique, respectu sancti spiritus vetus & nouū testamentum gestaq; reuoluerit, patenter inueniet, quod aut minime, aut difficile possunt Reges, & Imperatores excōmunicari secundum etymologiam nominum illorū, & iuxta determinationē excōmunicationis, & adhuc sub iudice lis est. Admoneri quidē possunt, increpari, argui à timoratis & discretis viris quia quos Christus in terris rex regū vice sua constituit, dānandos & saluādos suo iudicio reliquit. Ecce quare excommunicati vocamur eo quod sanctos & moderatos & antiquos patres tenemus, & pro posse imitamur. Episcopum, archiepiscopum nostrum prouincialem, & cōprouincialem, synodum ex antiqua traditione tenemus: & quicquid ibi de scripturis Sanctis diffinitū fuerit, Romam non refertur vsq; ad grauiora negocia, de quib. non inuenitur in scripturis Sanctis authoritas. Illos vero legatos a latere Romani Episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia discurrentes, omnino refutamus, sicut temporib. Zosimi, Calestini, Bonifacii Cōcilia Africana probauerūt. Etenim et à fructibus eorum cognoscamus eos, non morū correctio, nō vita emendatio, sed inde hominū cadet, & Ecclesiarum Dei prouentuum depradationes. Quia igitur antiqua regula inhæremus, & nō omni vento doctrinæ circumferimur, ecce vnde excōmunicati dicimur. Verum Dominus Paschasius cur pseudo Clericos nos vocat? Pseudo Apostoli adulterabant verbū Dei, quos damnat Paulus in Epistolis suis: nos noua adulteramus, sed fidē Catholicam per Dei gratiā tenemus, fides Catholica opera in Deo exequimur. Regulā canonicam ex patrū traditione habemus & reuertimur, secundū illā viuimus, diiudicamur, satisfacimus, absoluimur. Conciliis regum aut Imperatorū, aut in isto, aut in illo nō interfuimus, quia nostra superiores potestates tale negociū habent inter manus, qui ex vestigiis antecessorum prudenter tractabunt. Cur ergo Dominus Paschasius vult, vt exoluamus quod nō rapuimus, vt pseudoclerici vocemur, vbi rectā lineā tenemus? Potius deposito spiritu præsumptionis, sū suis cōsiliariis soliciter recolligat, quomodo a beato Siluestro vsq; ad Hildebrādū Sedē Romanā Papæ obtinuerint, & quot & quanta inaudita ex ambitione illius Sedis perpetrata sint, & quomodo per Reges & Imperatores diffinita sint, & pseudo

Matt. 5.f
Ezech. 7.e
Lib. 5. Commenta. in Ezechielē.
Exo. 20 b
Matt. 5. f
Luc. 20. d
Ephe. 6. a
Col. 3 d
Tit. 2. c.
1. Petr. 2 c
Exod. 20. b
Psalm. 44.
1. Pet. 5. a
Galat. 4. a
Psalm. 118.
Luc. 20, d
Lib. 9 exposi in Lucam.
Aug. tract. 6. super Ioannem circa finem tractatus de eo quod dictum est. Columbā super dominum descendisse.
De legatis a latere.
Matth. 7. b
Ephe. 4. e
2. Cor. 4 a

[...] 18 d & pseudo Papæ damnati & abdicati sint, & ibi plus valuit virtus Imperialis, quam excommunicatio Hil-
[...] at. 2. c debrandi, Odardi, Paschasii. Dominus in euangelio dicit: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo.
Et Paulus Apostolus in faciem Petro principi Apostolorum restitit. Ergo remoto Romanæ ambitionis typo, cur
de grauibus & manifestis non reprehendantur & corrigantur Romani episcopi? Qui reprehendi & corrigi
non vult, pseudo est siue Episcopus siue clericus. Nos vero per misericordiam Dei iuxta regulam obedientes, &
Aug. libr. 1. contra epi. Parmen. 3 c. 7. & vlt. corrigibiles sumus, & schisma, & simoniam, & excommunicationem per omnia dictante ratione & spiritu
sancto, vitare volumus. Ex verbis B. Augustini, reges & Imperatores ex legibus promulgatis, nihil ab hæreticis
in hoc mundo possideri voluerunt. Igitur cum non simus hæretici, & hoc sit ius regum & imperatorum, quare
dominus Paschalis solo contentus spirituali gladio, immittit Robertum armigerum suum ad deuastandos fun-
des & villas ecclesiarum? Quæ, etsi deuastanda essent, edicto regum & imperatorum deuastari deberent, qui
Apoc. 12. c non sine causa gladium portant. Ecce solutus est Satanas, habens iram magnam, quam exterreat valida manus
Dei. Quod excommunicati dicimur, non grauius iusto feras: quia (vt credimus) nos ab excommunicatione ex-
cipiet saltem ipsa Romanorum authoritas Hildebrandus Papa, qui author est huius nouelli schismatis, & pri-
mus leuauit sacerdotalem lanceam contra diadema regni, primo indiscrete Henrico fauentes excommunicauit,
sed reprehendens se intemperantia, excepit ab excommunicatione illos, qui Imperatori adhærebant necessaria
& debita subiectione, nõ voluntate faciendi vel conciliandi malum, & hoc pro decreto scripsit. Nec in parte
tantum, sed vbicunque poteris, Henricum hæreticorum caput & eius fautores persequaris. Nullũ profecto Deo
gratius sacrificium offerre poteris, quam si eum impugnes, qui se contra Deum erexit, qui Ecclesiæ Dei regnum
auferre conatur, qui in loco sancto Simonis idolum statuit, qui a principibus, Dei sanctis apostolis eorumque
vicariis, de Ecclesiæ domo sancti spiritus iudicio expulsus est. Cum Alaricus rex Gotthorum iret ad capien-
dam Romam, monitus a quodam seruo Dei, vt ab his malis cessaret: Non volens, inquit, vado Romam. Vir
enim quidam me quotidie torquens vrget, vt eam ad destruendam Romam. Hoc exemplo vrget Apostolicus
armigerum suum, vt totum depopuletur regnum, quod non potest fieri sine cæde & sanguine, & Ecclesiarum
Dei depopulatione. Alaricus quidem in hoc mitior fuit, qui capta Roma Ecclesiis Dei pepercit, & à cæde
Esai. 52. b hominum abstinuit. Nunc nihil excepto, immittitur Robertus ab Apostolico, vt non solum in Cameracenses
& nos Leodienses, sed totus feratur ad dispergendos omnes. Quis clamabit modo cum Esaia, Quam pulchri su-
Matt. 26. e per montes pedes prædicantis & annunciantis pacem, annunciantis bonũ, prædicantis salutem? Eum qui de-
Marc. 14. f bet esse prædicator pacis, zelus Dei adeo comedit, vt etiam in amicos pacis distringat gladium belli. Qualem
Luc. 22. e enim zelum habuit Petrus in amputanda auricula Malchi, qui rex interpretatur, talem zelum habet modo
Ioan. 18. b Vicarius Petri in amputanda auricula regis hæretici, in quem omnimodis inuehitur. Dum enim hæreti-
corum caput, Dei rebellem, regni inuasorem, simoniaci idoli adoratorem, ab Apostolis & Apostolicis ex-
communicatum vocat, quasi tot ictus ictibus addit, & tot vulnera animæ eius infligit, vt si infirmus in fide
esset, desperare posset. Sed qui in feriendo Petrum imitatur, etiam in recondendo gladio Petrum imitetur. Qui
enim sanauit auriculam Malchi, potest etiam sanare auriculam regis hæretici. Si talis est, (quod absit) &
pro nobis dolemus, & ipsi domino nostro condolemus. Nihil modo pro Imperatore nostro dicimus, sed hoc
dicimus, quod etiam si talis esset tamen eum principari nobis pateremur: quia vt talis nobis principetur pecca-
Exo. 8. 9. & 10. cap. do meremur. Esto concedimus vobis inuiti, eum talem esse qualem dicitis. Nec talis a nobis repellendus esset
armis contra eum sumptis, sed precibus ad Deum fusis. Contra Pharaonem, cuius cor contra Deum indura-
uit, Moses ranam, muscam, locustam, grandinemque induxerat: has tamen plagas, non nisi orando, extensis
1. Tim. 2. a in cælum manibus, auertere potuit. Et Paulus: Obsecro, inquit, primo omnium fieri orationes pro regibus, &
pro omnibus qui in sublimitate sunt constituti. Reges illius temporis, pro quibus Paulus orari obsecrabat, non
Baruch. c. b Catholici, non Christiani erant. Baruch quoque ex ore Hieremiæ scribit Iudæis a rege Babylonis captiuatis: O-
rate pro vita Nabuchodonosor regis, & Balthasar filii eius vt sint dies ipsorum sicut dies cæli super terram, &
det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Baby-
1. Tim. 2. a lonis, & Balthasar filii eius, vt seruiamus eis, multis diebus, & inueniamus gratiã in conspectu eorũ. Cur pro
malis regib. orari debeat, Paulus dicit, scilicet, vt tranquillam vitam agamus. Esset Apostolicum, imitari A-
postolum: esset propheticum, imitari prophetam. Sed peccatis nostris merentibus, Apostolicus, qui etiam modo
orare deberet pro rege quamuis peccatore, vt trãquillam, & quietam vitam agamus, agit bellando, ne trã-
1. Par. 22. b & 28. a quillam, & quietam vitam agamus. Cum ita sibi consonent Apostolica & prophetica verba, quæro humiliter
Matt. 27. e ego filia a matre mea sancta Romana Ecclesia, vnde hæc authoritas apostolico, vt præter spiritualem gladium,
Ioan. 13. a exerat in subiectos alterum occisionis gladium. Non ago pro rege, sed pro Ecclesiarum matre, cuius parti time-
mus nos eius filia. Si n. Dauid non meruit ædificare tẽplum Dei, quia vir sanguinum erat: summus Pontifex, si
vel stilla sanguinis vestem eius tetigerit, quomodo in Sancta Sanctorum introibit cum sanguine Christi, quem
Marc. 15. e offeret, pro sua & pro populi ignorantia. O vtinam non cum Pilato tantum lauet manus suas, dicens: Mũdus
Act. 20. e ego sum a sanguine innocentium, sed etiam cum Petro dicat: Domine, laua non tantum pedes meos, sed & ma-
nus & caput. Iudæi non excusauerunt manus suas a sanguine Christi, quem ipsi hora tertia linguis suis, hora
Lib. 7. registri, ca. 1. sexta manibus Romanorum crucifixerunt. Apostolicus vero se excusans, dicit cum Paulo: Mundus ego sum a
sanguine omnium vestrum. Quis pontificum Romanorum suis vnquam decretis authorizauit, vt debeat Pon-
* breuiter. tifex gladio belli in peccantes vti? Gregorius primus huius nominis Papa, quod omnes ante se Papæ super hoc
senserint, & quid omnes post se sentire debeãt, ostendit, scribens Sabiniano diacono: Vnũ est, quod * humiliter
* esset diui- sa. suggeras Serenissimis Dominis Nostris: quia si ego seruus eorum in mortem vel Longobardorũ me miscere vo-
luissem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atq; in summa cõfusione * esset.
Sed quia Deum timeo, in mortẽ cuiuslibet hominis me miscere formido. Hoc exẽplo omnes a primo Gregorio
consenti, vtebantur solo gladio spirituali, vsq; ad vltimum Gregoriũ, id est, ad Hildebrandũ, qui primus se &

suo

sue exemplo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli. Quis possit regem arguere? Melius vobis intellexit Heliu, qui in libro Iob de Deo ait: Qui vocat duces impios, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Quod Gregorius exponens: Nullus, inquit, qui talem rectorem patitur, eum quem patitur, accuset: quia nimirum sui fuit meriti, peruersi rectoris subiacere ditioni. Culpam ergo propriis magis accuset operis, quam iniustitiam gubernantis. Scriptum nanque est: Dabo tibi reges in furore meo. Quid ergo illos nobis praesse despicimus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscepimus? Sic ergo secundum merita subditorum, tribuuntur persona regentium, vt sape, qui videntur boni, accepto mox regimine permutentur, sicut Saul, qui cor cum dignitate mutauit. Sic ergo pro qualitatibus subditorum, disponuntur acta regentium, vt sape pro malo gregis, etiam vera boni rectoris vita delinquat. Certum vero est, quod ita sibi inuicem & rectorum & plebium merita conuectantur, vt sape ex culpa rectorum, deterior fiat vita plebium, & sape ex merito plebium, mutetur vita rectorum. Sed quia rectores habent iudicem Deum, magna cautela subditorum est, non temere iudicare vitam regentium. Has Gregorii verba agunt pro nobis, quod vos Deo iudicium suum tollatis, nec attendatis quod dicit Amos Propheta: Va desiderantibus diem Domini. Diem Domini desiderat, qui iniuste, vel importune vel intempestiue de subiectis iudicat, vel voto cordis iudiciũ Dei praeripit. Non dicimus Imperatorem nostrum esse hypocritam, sed vos, qui eum habetis pro hypocrita, miramur, quod non attendatis, qua causa Deus regnare faciat hypocritam. Si enim cessarit causa peccati, cessabit & pœna peccati. Quid de eo dicimus, qui Henricum ab Apostolis & Apostolicis viris excommunicatum sancti spiritus iudicio dicit? Nimis illum detestatur, quem nec Regis, nec Imperatoris nomine dignatur. Quis poterit discernere causam regni a causa sacerdotii? Nisi pax Dei, qua exuperat omnem sensum, copulet regnum & sacerdotium vno angulari lapide concordia, vacillabit structura ecclesiæ super fidei fundamentum. Vt potestatem regni probat vel improbat causa modusque regendi, sic potestatem sacerdotii probat, vel improbat causa, modusque ligandi & soluendi. Nam Clemens scribit dixisse Petrum: ligabis quod oportet ligari, & solues, quod expedit solui. Qui praeest caeteris, oportet agere vicem medici, non bestiali furore commoueri. Qui ergo debet agere vicem medici, audiat etiam consilium sapientia. Omnis, inquit, * potestatis breuis est vita. Languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem pracidit medicus. Sic & rex hodie est, & cras morietur. Cum ab omnibus iudicatur pralato virtus discretionis, quare Apostolici succedentes sibi inuicem, qua sibi hereditario belli excommunicandi indiscreto in Regem insurgunt, cui pro regali dignitate etiam ipsi subiici iubentur? Qui excommunicatur sancti spiritus iudicio, vtique repellendus est à Dei domo. Quotiescunque autem aliquis excommunicatur, aut ex causa aut ex persona praiudicio, quis dicat hunc excommunicatum esse sancti spiritus iudicio? Dicitis cum Gregorio: Quoquo modo liget pastor, timeat grex vinculum pastoris. Dicimus & nos cum Gregorio: Ligandi & soluendi potestate se priuat, qui subiectos pro suo velle, & non pro eorum merito, ligat & soluit. Dicitis, quoque excommunicatus, si morte praeuenitur, damnatur.

Hic nobis succurrit Romana ecclesia authoritas. Gregorius enim scripto & facto authorizauit, quod potest Romanus praesul absoluere excommunicatum iniuste ab aliquo. Si hoc potest Romanus praesul, quis neget, etiam Deũ posse absoluere si quem praesul Romanus iniuste excommunicauerit? Nemo n. laedi potest ab alio, nisi prius laedatur a semetipso. Nullum profecto, inquit, gratius Deo sacrificiũ offerre poteris. Qualiter hoc sacrificio vibilis sit gratius Deo, quaero a te, ô mater mea Romana ecclesia. Deo n. non placet sacrificium, nisi sit mundum & immaculatum. Ideo n. lex in pascha offerebat Deo agnum immaculatum, vt etiam offerentes essent immaculati. Quomodo ergo tam gratum est Deo hoc bellandi sacrificium, quod non potest fieri, sine macula culparum? Dicit enim Malachias: Si offeras Deo pecus claudum, cæcum, languidum, nonne malum est? Apostolicus, qui hoc sacrificium belli indixit Roberto filio suo, vellet, puto, redire ad zelũ Phinees, vellet facere quod fecit Moses, vt manus Leuitarum consecret in sanguine fratrum suorum. Perierunt filii Aaron offerentes ignem alienum. Vt inam non pereat hic, qui etiam modo offert Deo ignem alienum. & non illum ignem, quem venit Iesus mittere in terram, & vult vt ardeat. Quomodo, inquam, gratum est Deo sacrificiũ, quod non videtur esse mundum & immaculatũ? Sacrificium de rapinis pauperũ erit gratum illi, qui odit rapinã in holocaustum? Nec sacrificio de lachrymis viduarum & pupillorũ delectabitur Deus, vt ait Iesus filius Sirach. Nõ despiciet Deus gemitum pupilli & vidua. Nonne lachryma vidua ad maxillã descendunt, & à maxilla descendunt vsque ad cœlum? Et dominus exauditor non delectabitur in illis? Sacrificium de oppressionib. Ecclesiarum, quomodo grato accipiet ille, qui dixit: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Hac calamitate Apostolici belli quot sunt oppressi, de quibus Deus dicit: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Sacrificium humano sanguine inquinatum, miror, si placebit illi, qui dixit: De manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, sanguinem hominis requiram. Quod per modos sacrificandi Iesus in euangelio trib. pene verbis conclusit: Omnis sacrificans igne salietur, & omnis victima sale salietur. Quam plane hoc est conclusum, quis grate Deo sacrificet, vel quod sit gratũ Deo sacrificiũ. Si sacrificãs igne spiritus sancti salietur, victima quoque sacrificantis sale sapientia salietur. Et penetrans Iesus altius ad intentiones cordis, addit: Bonũ est sal. Quod si sal insulsum fuerit, in quo condietis illud? Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos. Tenorem huius euangelici capituli quis melius exponet quam rei & praesentis temporis consequentia? Non possumus habere pacẽ inter nos, nisi habeamus salẽ in nobis. Sed salẽ non habemus in nobis, ideo non habemus pacẽ inter nos. Hoc (inquit) tibi ac militibus tuis in peccatorum remissionem & Apostolica sedis familiaritatẽ praecipimus, vt his laboribus & triumphis ad cœlestem Hierusalem peruenias. Hactenus euangelicis, Apostolicis & propheticis testimoniis innitebamur, & quod minus habebat materia, augebat exemplorũ copia: his vero quid dicã, nescio: quo me vertam, non video. Si enim vtriusque legis totã bibliothecam, si omnes totius bibliotheca veteres expositorum reuoluã, exemplum huius Apostolici praecepti nõ inueniã. Solus Hildebrandus Papa vltimam manum

Margin notes: Iob. 34. b d — Moral lib. 25. ca 20. — Osee 13. c — 1. Re. 15. e — Amos 5. e — Iob. 34. d — Philip. 4. b — Epistola prima Clementis ad Iacobum fratrem domini. — Eccl. 10. b — * potentatus. — Homil. 20. — Homil. 26. — Exodi 12. a — Malac. 1. e — Num. 25. b — Exod. 32. f — Leuit 10. a — Luc. 12. f — Eccle. 35. e — Esai 66. a — Zach. 2. e — Gene. 9. a — Mar. 9 g — Ibidem.

Hic fuit Gregorius septimus postea vocatus. Ioan. 11. Ibidem. e Ibidem f.

manum sacris canonibus imposuit, quem legimus precepisse Mathildi Marchionissę in remissionem peccatorum suorum, vt debellaret Henricum Imperatorem. Quod iuste, nec ne ipse vel alii fecerint, nulla authoritate discimus. Hoc solum discimus, quia nõ potest aliquis aliquem indiscrete soluere vel ligare. Ad hoc occurrit nobis ex Euangelio exemplum. Iesus Christus totum hominem sine peccato agens, resuscitaturus Lazarum, videns alios pro illo plorantes, fremuit spiritu, turbauit semetipsum, lachrymatus est. Rursum fremuit in semetipso, iussit tolli lapidem mortuo superpositum, eleuatis oculis orauit, voce magna clamauit: Lazare, veni foras. Quo prodeunte, ligatis manibus ac pedibus institis & sudario facie ligata, dixit Iesus discipulis, vt soluerent eum. Ecce in Lazaro peccatorem, in Iesu video prædicatorem. Quot affectus ostendit Iesus in Lazaro suscitando, tot affectus ostendit prædicator in peccatore suscitãdo. Si peccator vel pro peccatore prædicator turbauerit seipsum pœnitendo, si lachrymatus fuerit, si clamauerit, veni foras, confitendo peccata, si tulerit lapidem de duro corde peccantis, tandem ad iussum Dei soluat instita excõmunicationis, tollat etiam a facie eius laboriosum pœnitentiæ sudarium, & sic liberum sinat abire. Hinc Gregorius ait: (Homil. 26.) *Mortificat non morientem, qui iustum dãnat. nititur viuificare non victurum, qui reum supplicio soluere conatur. Vera est absolutio præsidentis, cum sequitur arbitrium æterni iudicis. Sic discipuli Lazarum iam viuentem soluunt, quem Iesus suscitauerat mortuũ. Si n. mortuum soluerent, fœtorem magis ostenderent quam virtutẽ. Hæc Gregorius. Hunc morem discrete ligãdi & soluendi hactenus tenebas, & nobis tenendum mandabas, ò sancta mater Romana Ecclesia. Vnde ergo hæc noua authoritas per quam reus sine confessione & pœnitentia, offertur præteritorum peccatorum impunitas, & futurorum libertas? Quantam fenestram malitiæ per hoc patefecisti hominibus? Te ò mater liberet Deus ab omni malo.* (Mich. 2. b) *Sit Iesus tibi ostium, sit ostiarius. Nullus in te introeat, nisi cui ostiarius aperuerit. Te, inquã, tuumque præsulem liberet Deus, & ab his, qui (vt ait Micheas Propheta) seducunt populum Dei, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quippiã, sanctificant super eum bellum.*

NOtent ergo verba, & signent mysteria illi quorum os plenum est maledictione & amaritudine, & venenum est sub labiis eorum, singulaq; suis locis disponant comparando personas personis, & res rebus, & clare videbunt neque Venetos, neq; Religiosos esse aliquo modo excommunicatos; hinc Bernardus de consid. lib. 3 *spiritualis homo ille, qui omnia diiudicat, &* 22 *ipse a nemine iudicatur*, † *omne opus suum trina quadam cõsideratione præueniet, primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. nam etsi constet in Christiana vtique Philosophia non decere nisi quod licet, non expedire, nisi quod decet, & licet decere, aut expedire, consequens erit ago aptemus si possumus tria ipsa operi huic, at quomodo non indecens tibi voluntate pro lege vti, & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem, tu ne maior Domino tuo, qui ait, non veni facere voluntatem meam?* & infra: *Vides quã verus sit sermo ille, omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, quod si forte non licet ignosce mihi non facile adducor licitum consentire, quod tot illicita parturit, Tu ne denique tibi licitum censeas, suis Ecclesiis mutilare membris, confundere ordinem perturbare terminos, quos posuerũt patres tui? Si iustitiæ est, ius cuiq; seruare suum, auferre iniquè sua, iusto quo modo poterit conuenire?* hęc ille. & eximius Parisiensis Doctor Guidonus Briansonus in 4. *Sententiarũ, q. 10. corollario 2.* habet aurea infrascripta verba. † 23 *Magnũ malũ est prælatis dare sententiã excommunicationis eo hoc propter quatuor rationes. Prima si cõsideretur mẽbri abscisio, est n. magnum malũ excommunicatio, omnes enim sumus membrũ Christi corporis mistici, sed propter sententiam excommunicationis Prælatus abscindit vnum membrũ de corpore Christi, quia ante sententiam excommunicationis erat membrũ Christi, sed per sentẽtiam absciditur, & efficitur inutile membrum sine gratia vitæ, ò quantum esset graue Diuinis Episcopis fulminare sententiam excommunicationis, si in qualibet fulminatione perderent vnum membrum vt digitũ. vel oculum, credo firmissime quod nunquam fulminarent vnam sententiam excommunicationis. sed nulli debet verti in dubium, quod plus valet vna anima quã omnes digiti omnium Episcoporum mundi, & tamẽ Episcopus separat animam a Christo. O quam graue sibi esset abscindere digitum, sed plus graue deberet esse, sibi abscindere animã a corpore Christi mistico. O Domini Prælati vobis deberet esse graue, tam nobile membrũ separare a Christo, sicut est anima cuiuslibet Christiani, quæ est creata ad Dei imaginem. Multum certe deberetis somniare ad proferendum excõmunicationis sententiã. Secunda ratio est, si attendatur nobilis Christi corporis propagatio, vtiq; non daretur sic excõmunicatio, omnes enim sumus vnum corpus cum Christo, cuius caput est Christus. ò quam nobilis corporis Christi propagatio, vbi est Christus, Maria Virgo, omnes iusti, Reges Imperatores, Prælati, &c. O quam nobile corpus est istud, si abscinderetur manus, vel pes vel auris a corpore rustici, malum esset a corpore alicuius nobilis, maius malũ a corpore Regis, vel Imperatoris esset detestabile abscindere membrũ in tam nobili persona. sed corpus Christi misticũ est nobilius sine cõparatione corpore Regis vel Imperatoris, & omnibus qui sunt in mũdo, & tamen abscinditur membrũ cum aliquis excommunicatur, O Prælati auisate vos, & mature procedite ad abscindendum cũ sententiam excommunicationis alicui infertis. Tertia ratio, quia per excommunicationẽ fit excõmunicati Sathanæ traditio, excommunicatus n. traditur Diabolo; certe si Domini Episcopi haberẽt plures oues, & Pastor eorum daret oues suas Lupo, ò quam grauiter eos punirent Pastores. Sic Dominus noster Iesus Christus habet plures oues, quas Pastorib. Ecclesiæ commisit, scilicet Episcopis, qui sunt Ecclesiæ Pastores, quam grauiter ergo corriperentur, si de suis per sententiã excõmunicationis darent oues Christi Lupo, idest Diabolo, ò quam grauiter punientur isti Pastores, qui sic magis pro pecunia, quam pro iustitia exponunt oues Christi in manib. Luporũ Dæmonũ. ò insensati, ò indiscreti, ò sine prudẽtia Prælati, quare nõ plãgitis oues Christi vobis missas cũ tã plangeretis oues vestras, si vester Pastor daret eas Lupis, certe magis deberetis plangere oues Christi rationales, & spirituales. Cõsiderate, & aduisate, quia credo plus diligitis lucrũ pecuniarũ, quã salutem a-* 24 *nimarũ, sed vos in stricto iudicio oportebit reddere rationẽ. Quarta ratio est occidẽs potio,* † *Prælatis n. sentẽtiã* excom-

excommunicationis de leui ferre non debent, quia est potio interficiens, & si sciretur aliquis qui daret potionē
alicui, & ex illa moreretur, nonne mittendus esset ad mortem? sic certe de Prælatis, qui de leui, vel pro lucro
dant sententiam excommunicationis, quæ est potio interficiēs animam, nisi daret pro magna necessitate, quia
multoties pro nihilo, & pro vna truffa dantur istæ fulminationes, & aliquando iniusta, & multæ oppressiones
fiunt tam ex parte ciuium, quam ex parte Prælatorum, & est periculum quod propter istos abusus Ecclesia
perdat temporale. Hæc ille. vnde inquit Socrates Scholasticus *lib. 5. Ecclesiasticæ historiæ, in proœmio,*
quod si quis diligenter obseruet Reipublicæ mala, & Ecclesiarum molestias vna, & æqualiter
accidere reperiet, ac vice versa, ideo in Sacr. Sanct. Conc. Trident. optime sancitum est *sess. 25.*
c. 3. de reform. non ex vulgari re, sed ea magna causa diligenti, ac matura consideratione præha-
bita, debere dari excommunicationes, quia etiam tempore B. Hiero. Aug. Amb. & Greg. † non 25
excommunicabatur aliquis, nisi ob grauissima peccata, & raro, atque ita excommunicationes,
& ipsa Sancta Ecclesia timebatur, nunc autem, prout dicit Philippus Diez in *summa prædican-*
tium tom. 1. verb. Prælatus, quicumque singrapham, seu diploma excommunicationis exposcit, statim, vel
minima vocatione ei datur (Porq; le trollaron las vinas porq; le furtaron quatro libras d' vuas le dan vna car-
ta d' anathema) ex quo accidit, vt excommunicationes non timeantur, & Sacrosancta Ecclesia propter inobe-
dientiam subditorum contemnatur (esta espada della Iglesia con el mucho exercitio se ha embodado, y per-
dido los filos, y por tanto no auian de auer vsar della los prælatos, sin en casos graues, jamas non puder) hæc il-
le, & D. Ambr. *primo officiorum c. 27.* docet omnia tentāda esse priusquam ad hoc disciplinæ ge-
nus veniatur, quia cum sit grauissima pœna † non debet imponi, nisi propter rebellionem ad- 26
uersus Ecclesiā in grauissimis peccatis. D. etiā Gregor. anno 604. Maximum Episcopum repre-
hendit, quia nimia festinus in excommunicatione ferenda fuit, per hæc verba, *Frequenter me ad-*
monuisse vos recolo, vt in proferenda excōmunicatione esse præcipites nullatenus deberetis. Et ecce nunc cogno-
sco, quia Reuerendissimū virum Abbatē Eusebium commota furore, eum fraternitas vestra excommunicauit,
quod ego valde miratus sum, &c. & paulo post vt eidē satisfaciat, ita monet: *Eundem tamen præfatum*
virum quanto furore exasperasti tanta nunc dulcedine consolare, quia valde iniustum est, vt qui te plus ama-
uerunt, ipsi te sine causa atrociorem contra se sentiant. Ideo Concil. Trident. *sessio. 25. c. 20. de Reforma-*
tio. Principes, Reges, Imp. & Respubl. tantum admonet sine strepitu, ac minis, & fulminatio-
nibus, velutti Ecclesiastici defensores esse velint, ne qui illud impediant, valdeque modestē,
& cum honore cū ipsis se habet, non enim ipsos aliqua censura ferit, vel minatur, sed admonet,
vt Ecclesiasticum Ius præ oculis habeant, & illud impedientes, tanquā defensores, & protecto-
res coerceant; Et quis ignorat, quod etsi liceret horum statutorum occasione Venetos excom-
municare, quod tamen nullo modo conceditur non decere, neque expedit filios suos Satha-
næ tradere, quia Honorius Papa primus Anno Domini 631 scripsit literas *vniuersis Episcopis per*
Venetiam, & Istriam constitutis, in quibus † *Christianissimam* appellat Rempublicam Venetam, vt 27
quæ relictis schismaticis S. R. E. adhæsisset, quo amplissimo titulo gloriosa, potensque, longe,
lateque terra, mariq; Dominium fœliciter propagauit; & sub hoc firmiter posito fundamento,
tam nobilis structura creuit, Baronius *Tom. 10. Annaliū*, semperq; fuit fidei, & dictæ Matris Ro-
manæ Ecclesiæ vera defensio, & propugnaculum, vt late videre est apud Historiographos. &
præsertim de Alexandro Tertio, qui Roma ab Imperatore fuit expulsus Venetiisque clam se
recepit, ibiq; repertus, quam honorificentissime a Republica fuit acceptus, adeo vt possimus
dicere, sicut erat Romæ præ foribus Ecclesiæ a Belisario ædificatæ inscriptum:

Ianua hæc est Templi, Domino defensa potenti.

Venetia est Ianua, per quā dictus Alexander Papa in Sanctā Sedem iterum ingressus est;
& est defensa Domino potenti quia cū sit Christianissima, Portæ Inferi non præualebunt ad-
uersus eam. hinc merito Ecclesia ipsos Venetos insignibus priuilegiis glorificauit. † Fuit enim 28
eiusdem Ciuitatis ædificatio incœpta anno Domini 421. die 25. Martii, qua die per totum Or-
bem solemnitas Beatissimæ Virginis Dei Matris, quando fuit a Gabriele Angelo nunciata co-
litur, & celebratur, sub cuius vexillo, & protectione confidimus, quod huic Ciuitati, & toto Ter-
rarum Orbi pacem, & tranquillitatem annunciabit, quia Deus dissipat gentes, quæ bella vo-
lunt, neque patietur nos tentari supra id quod possumus, cum enim ceciderimus, nō collidemur,
quia Dominus supponet manum suam; videmus, quod Deus dissimulat peccata hominū pro-
pter pœnitentiā, & ipsos non vi sed amore trahit, quia oues suas nemo de eius manu rapiet, vi-
demus etiam postquam Adam peccauit, erat Deus deambulans ad Meridiem nō currens, sed
passu lento progrediens, Pharaonē septies Deus monuit, antequā in mari rubro submergeret,
& quando dixit, Delebo hominem a facie Terræ, quia omnis caro corruperat viam suam, ste-
tit centum viginti annis, antequam diluuium mitteret, & Apostolus *ad Timotheū* docendiens
pastorē, qui Petri vicem gerere debet, inquit, *Prædica verbum, insta opportune, & increpa, argue, ob-*
secra in omni patientia, & doctrina, & tamen Sūmus Pontif. qui veri Dei curā gerit in Terris, hæc
non obseruat, sed procedit secundum toties citatam *Clement. Pastoralis*; ita etiam fuit factum a
fel. record. Sixto Quarto, Florentinis, qui laqueo suspenderūt Bartholomæū Saluiati Archie-
piscopum Pisanum, Raphaelem Riarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. incarcerauerunt,
& alios Clericos multos interfecerunt, & quia contra huiusmodi delicta perpetrantes, est
excommunicatio latæ sententiæ in Iure, cum aliis multis pœnis, quando huiusmodi delictum
fuit ipsi Summo Pontifici nunciatum, declarauit ipsos statim incidisse in Canones, *si quis sua-*

deuta Diabolo,&c.c.si quis deinceps,16.q.4.c.Iulianus,32.q.4.c.Felicis, de pœnis, in 6.& Clem.c.de pœnis;
& per consequens D.Laurentiũ Medices cũ aliis multis sequacib. esse excõmunicatos, Florẽ-
tinam Ciuitatem, & alias duas viciniores Ecclesiastico subiecit Interdicto, & ipsam Florentiã
Episcopatu priuauit, & quia non requirebatur in hoc monitio, quia delictum iã commissum
29 erat irreuocabile ante huiusmodi declaratoriã, nec etiam ipsos citauit, † Franciscus Aretinus
cons.20.n.27.& Bartholomæus Socinus in *consil. Curtiu Sen.consil.* 20. & Hieronymus de Tortis
consil.vnico,& alii nonnulli consuluere in puncto iuris ex defectu talis solemnitatis substantia-
lis,ipsam declaratoriam fuisse nullam,prout late videre est pro huiusmodi cons.quæ typis vi-
30 dentur.† Cum Luthero quam benigne processit Sedes Apostolica, vt patet *Bulla Leonis X.cõtra*
ipsum Lutheram,Datum Romæ anno Domini 1520.17. Kalẽdas Iulii, cuius verba sunt: *Quod ve-*
ro ad ipsum Martinum attinet,bone Deus quid prætermisimus? Quid non fecimus? Quid paternæ charitatis
omisimus, vt eum ab huiusmodi erroribus reuocaremus? Postquã n.ipsum citauimus,mitius cum eo procedere
volẽtes,illũ inuitauimus,atq; tã per diuersos tractatus cũ legato nostro habitos, quã per literas nostras cohor-
tati fuimus,&c. Iulius Papa Secundus antequam Cardinalatus dignitate priuatum Bernardum
Caruaialem Guibrizonetem,& Franciscum de Borgia ipsos citauit, vt videre est ex Bulla pri-
* Fridericũ. uationis datum Romæ anno Domini 1515.nono Kalendas Nouembris.* Ferdinandum Saxo-
niæ Ducem quantũ tempus substinuit,& quantum benigne cũ ipso Sedes Apostolica se habu-
it,antequam ipsum excommunicaret, vt patet ex *Breui Hadriani Papa Sexti*,Datum Romæ an-
no Domini 1522.Concilium etiam Constantiense Sede Vacante in *sessione vigesima*, Vndecimo
Kalendas Decembris,1415 monuit Federicum Austriæ Ducem,ac alios,vt ab occupatione nõ-
nullorum Ecclesiæ bonorum deberent desistere, sub excõmunicationis pœna Interdicti,ac a-
liis grauissimis censuris,ipso facto,& si monitionib. nolent parere, ipsos citabat,ad videndum
declarari in huiusmodi pœnas fuisse incursos,de aliis multis etiam est videre per varias Sũmo-
rum Pontificũ constitutiones, q semper hoc modo ꝓcesserunt etiã contra occupantes bona
ad Camerã Apostolicam deuoluta, & tamen cũ essent Ecclesiæ bonorũ occupatores nõ tene-
31 batur ipsos citare.Ias.in *l.nec quicquam, n.29.de off. procons.*† Sciebant enim ipsi Summi Pontifi-
ces non posse disponere id q Deus non disponit, Abbas in *ca.primo,num.2.vt benef.Eccles.*Quia
32 Deus ipse vti voluit hac solemnitate.† namque conuincitur aliquis de delicto tripliciter, vel
per propriam rei confessionem, vel per testes, vel per publicam famam. Adam fuit conuictus
per propriam confessionem,quando enim Deus ipsum citauit, dicẽdo, *Adam vbi es?* respondit,
mulier quam mihi dedisti, me decepit, & tunc ipsum condẽnauit sententiando ipsum, vt in sudore
vultus eius vesceretur pane suo. Cain fuit conuictus per testes, quia quando Deus ipsum cita-
uit, dicendo, *vbi est Abbel frater tuus*,non confessus est crimen,sed se excusauit,dicendo: *Nescio,*
nunquid custos fratris mei sum? terra autem apud Deum de hoc fuit testis,vnde dixit ei;*Vox sangui-*
nis fratris tui clamat ad me de terra, & tunc eum condemnauit, sententiando ipsum esse maledi-
ctũ super terram. Ciuitates Sodomorum fuere conuictæ per publicam famã, quãdo Deus di-
xit:*Clamor Sodomorum,& Gomorrhaeorum multiplicatus est,& peccatũ eorum aggrauatũ est nimis*, ipsos
citauit, dicendo;*descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est i-*
ta, vt sciam.ipsosque sententiauit,quando fecit super eas pluere sulphur, & ignem de Cœlo, &
subuertit Ciuitates illas. Dico igitur, Respublica Veneta non est conuicta per propriam con-
fessionem,quia dicit constanter nullum commisisse delictum,vt est probatum,non per testes,
quia Doctores citati voce clamant,per iura, & leges ipsam non errasse, immo contra alios tu-
entur,& defendunt hanc veritatem, non per publicam famam; quia etsi dicat ad eius aures
(prout in *Breui*) peruenisse de huiusmodi statutis, hæc tamen fama prouenit ab infamibus re-
spectiue hominibus,quærentibus Reipublicæ calcaneo insidiari, neque per hoc poterat con-
demnari,sed debebat prius Summus Pontifex per citationem descendere, & videre, an ita es-
let,nec ita facile credere.hinc dicit Marsilius Ficinus in Epistola ad Raphaelem Riarium San-
ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardin.de institutione Principis, *caue ne multi te quotidie facile fallant,neq;*
multis ipse,neq; facile credas. Non persuasio blanda, vel leuis qualibet coniectura, sed ratio duntaxat certa te
moueat.Neq; aggrediare principium,nisi finem ipsum, tã optimum,quã certũ ante prospexeris.Malos,& in-
fames deuita ministros,ne malus Dominus ipse habearis. & infra, *Amorẽ Poeta cæcum ideo pingunt, quoniã*
amator vbi vel de se ipso, vel de amata re iudicat, sæpissime fallitur. Cũ vero neminẽ vehementius, quã se ipsos
homines amẽt,certe a nullo magis,quã a se ipsis decipiuntur. Noli igitur tibi quicquã credere,noli rursus vni-
co te totũ cõmittere consultori,sed plures habeto, atq; illos quidẽ admodũ seniores, quos experientia rerũ diu-
turna docuerit, quorũ mores tibi tanquã optimos cõstantissima fama cõmendet,ac res ipsa manifestissime pro-
bet. Quoties vna cũ senioribus tuis de re grauiore deliberas, caue tuã intelligant voluntatẽ,ne forte cupiditatẽ
tuã potius, quam vtilitatem, & dignitatem consulendo sequãtur, & infra; *Aperi precor monentib. aures ne*
cor ipsum fortuna telis aperiat. Si igitur Deus cui omne cor patet,& omnis voluntas loquitur,cum
omnium Secretorum sit cognitor, vti voluit hac solemnitate, tanquam de iure Diuino, ac na-
turali,non debebat ipsam Sũmus Pontif.omittere, qui non omnia videt,nec intuetur,omnia
enim nosse est impossibile,pauca,non laudabile, sed ad hoc ipsa vti voluit ipse Deus, vt exem-
plum daret iudicibus seculi,nunquam ipsam in sententiis proferendis debere omittere, vt in-
quit text.in *c. Deus Omnipotens, 2.q.1.* Vantius de *nullitat.tit. ex defectu citationis, &c.numer.*7. Vnde
habet Ecclesiasticus,*antequam scruteris, ne reprehendas, cap eorum*, 11.q.3.& D.Chrys.Hom.2.ep.2.
ad Tim.

ad Tim. *Imitare Deum, audi ipsum dicentem, Descendā videbo si secundum clamorem suum consumantur,*
&c. Ex quo dici solet, quod si Diabolus esset in iudicio non deberent ipsi negare defensiones,
Abbas in *ca. cum contingat, nu. 17. de foro compet.* ideo est excusanda Respublica ipsa, si noluit Bre-
uem Censuræ in suo Dominio statim publicari, sed Religiosis omnibus præcepit, vt ante eius
executionem mitteretur ad suprema tribunalia, vt examinaretur, ne aliquid fieret contra eius
libertatem, aut aliquid contra vtriusque spiritualis, & temporalis Reipublicæ vtilitatem, quia
hoc etiam in Hispaniæ Regno seruatur in multis causis, & negotiis, † vt literæ ipsæ Apostoli- 33
cæ ante earum executionem ad auditoria, & tribunalia Regia mittantur, idque fit ex Regio
Decreto, vt illic examinentur, ne quid fiat, & obtineatur falsis precibus, & importunis sugge-
stionibus a Summo Pontifice aduersus Regni, Regumque priuilegia, & Apostolicas conces-
siones, denique ne literæ Summi Ecclesiæ Præsulis contra publicam spiritualis, Ecclesiasticę,
& temporalis illius Prouinciæ vtilitatem fiant, hoc eodem iure alii Christiani Orbis Principes
vtuntur, & hactenus vsi fuere, vt habetur ex testimonio Ioan. Driedoni, *libr. 1. de libertate Chri-*
stiana, pag. 183. distinguens aliud esse potestatem sæcularem absolute mandare, aut constituere,
ne quisquam pareat literis Apostolicis iustitiam, aut gratiam concernentibus, aliud vero esse
potestatem secularē mandare, aut cōstituere, vt sine suo beneplacito, & examine nemo pareat
huiusmodi literis, nec executioni mandet easdem, primum quidem improbat, secundum ve-
ro admittit his verbis, *secundū autē videtur posse fieri absq; contempta potestatis Ecclesiastica, & absq; in-*
iuria, & odio, aut grauamine, sive praiudicio Ecclesiastica libertatis, & Sancta Sedis Apostolica, vel literarū
eiusdē, potest n contingere, quod Principi cuispiam, aut ex priuilegio, seu cōmissione Papa hoc faciat, sicuti Ca-
rolus Imperator habuit, ex priuilegio synodi, ne sine suo consensu cōsecraretur, vel instituerētur Episcopus, aut
ex causa rationabili secundū congruā loci, & temporū ad sic statuendū, atq; mandandam moueatur propter
abusus tollendos, non quod ipsa potestas secularis velit sibi, aut iudiciū Ecclesiasticarū rerū vsurpare, aut viros
idoneos auctoritate Apostolica institutos impedire, aut super illorum idoneitate iudiciū sumere, sed quod ve-
lit ad adificationem Reipublica Statum Ecclesiasticam promouere, hæc ille. Immo expedit quandoque
executionem differri, vel suspendi huiusmodi literarum Principis Decreto, vt maximus Chri-
sti Vicarius in interim certior fiat, quot & quantis afficiatur incommodis, & grauaminibus
Respublica ipsa propter multa, quę ab ipso talis suggestionibus fiunt, quę minime esset factu-
rus Summus Pontifex, si per syncetam, iustamque informationem certo sciret, quid spirituali,
& temporali huius vel illius Reipublicæ, vel Regni recto regimini sit conducibilius, & Prin-
ceps qui est publica potestas, & Diuinæ potestatis in terris imago, vt habet Rolan. *cons. 71. n. 19.*
an huiusmodi statuta fecerit mala intentione ipsam Sanctam Sedem Ecclesiam, ac eius liber-
tatem offendendi, nouit ille, qui nihil ignorat, ideo dicit Origenes *Homilia 25. in ca. 23. Matthai*
subnixus, quod excommunicatio pensanda est non ex animo pronuntiantis, qui præsumitur
pater, & id facere ad emendationem, sed pensanda est ex peccatis ipsius peccantis, pro suis sce-
leribus dignus præbuit ad susceptionem maledictionis, neque per hoc infringatur eius aucto-
ritas, quia non quæritur, an possit excommunicare, vel non; sed quæritur an iure, vel iniuria,
hanc censuram fulminauerit, & si dicat iure fuisse fulminatam, nō est infallibiliter ipsi credē-
dum; † cum soli Scripturæ Sacræ sit adhibenda fides immutabilis. D. Aug. in *Epistola ad Hiero-* 34
nymum, quod bene cognouit Alexand. Pap. III. in c. *si quando, de rescript.* inquiens, *patienter susti-*
nebimus, si non feceris, quod praua suggestione fuerat insinuatum. Vnde etiam circa fidem sententia Pa-
pæ tanta consilii moderatione debet concipi, tantaque maturitate patientiæ decoqui, & tan-
ta deliberationis grauitate proferri, vt omnino recta sit credenda, verum quia Papa quatenus
homo rectum modum deliberandi circa ea, quæ fidei sunt, potest omittere, & inniti proprio
sensui, propriæque prudentiæ, idcirco etiam plerumque liceret examinare literas mandatorū
Papæ definientis aliquid credendum esse, aut fide tenendum, Driedonus *vbi supra ca. 4.* neque
ideo sunt arguendi Episcopi, Vicarii, & alii ad quos fuit transmissum tale Breue, si illud nō pu-
blicauerunt, † quia non est semper obediendum literis, vel mandato Papæ, patet glos. notab. 35
quam Bal. & Innocent. adducunt in *Authentic. de mandatis Principum, §. deinde competens,* in verbo,
nunciaui, & Dec. in *capitulo si quando, num. 4. de rescriptis.* Præsertim quando præcipit aliquod in-
iustum, quod si obseruaretur plura mala, & scandala sequi possent, vt voluit singulariter Inno-
centius in *ca. Inquisitionis, de sententia excommunicat.* vbi ponit alios casus in quibus Papæ præci-
pienti iniustum non est obediendum, Curt. *cons. 20. n. 54.* & Hostien. in *d. ca. Proposuit*, inquit, q;
semper obediendum est Papæ in dubio, vbi conscientia non repugnat, *23. q. 1. quid culpatur*, sed
si certum sit, quod illud quod præcipit sit peccatum mortale, tunc recognoscere Imperatorē
cœlestem, *11. q. 3. Iulianus 3.* qui resistit, & vide Innoc. *in ca. sua, de decimis*, quia aliquando ipsum
fallit obliuio in his quæ consistunt in Iure, Castr. in *l. omnium testamentorum, num. 4. C. de testam.*
cap. praterea, dist. 23. quæ etiam præsumitur ne tertio præiudicium inferat; Dec. in *cap. ex parte,*
num. 10. de offic. deleg. & licet sit verisimile, quod non erret, tamen potest errare, *l. supellectilis, §.*
sed & de his, n. 3. ff. de supell. leg. etiam secundum potestatem ordinariam Judicum saltem ex igno-
rantia facti, vel ex malitia absoluendo, vel condēnando reum, Bannes *2. 2. q. 1. art. 19.* aliter non
egeret Confessore, quia non omnia cognoscit, licet dicatur habere omnia iura in scrinio pe-
ctoris clausa, & sicut contingit aliquando eum peccare mortaliter, perdendo charitatem,
ita contingit eum perdere rectum iudicium quantum ad aliquid, Tostat. in *Exod. ca. 18. quest. 11.*

habetur hoc in *cap. à nobis, il secondo, de sententia excomm.* cum dicitur quod Ecclesia militans nónnuoqoam opinionem sequitor quæ fallit, & fallitur, scilicet Prælati Ecclesiæ militantis, quia ibi agitur de seotentia excommunic. quæ aliquando fulminatur in eom, qui nihil mali meretur, & tamen Iudex putat eum esse reum, cum tamen apud Deum mioime sit ligatus, vt eodẽ cap. ignorantia enim, & simplicitas ooo obstant sanctitati, Tostat. *à parte Defensoris c. 18.* si igitur Princeps mandet præceptum, quod prima froote deuiet ab honestate, ooo teoetur subditus immediate parere, sed potest allegare, quare parere oon debeat, oec ex ista dilatiooe debet Princeps turbari, *c. si quando, de rescript.* immo si sit sub certa pœna etiam excommonicationis in quam ipso facto incurratur, si oon paruerit, si ex ipsius executiooe timetur aliqood scãdalom, vel statum Ecclesiæ turbari, vel alia mala ventura, oõ debet subditus parere, quia debet oboiare malo, & non adiuuare, Abb. in *c. si quando n. 2.* Dec. *n. 10. de rescript.* & Prospetus Farinatius *lib. 1. Practica criminalis, tit. de pœnis temperandis, q. 97. nu. 40.* dicit qood Iudex ooo debet exequi præceptum iniustum Papæ, sed rescribere, &c. etiam quod Papa mandet sub pœna excommonicationis, Maran. *in sua 1. disput. n. 19.* post Abb. quem allegat *in 6. c.* Card. Zabarella *d. c. si quando, nu. 20. in fine, vers. quaro circa hac,* vbi generaliter loquitur, etiam qood præcipiat sub grauissimis pœnis, Felin *ibi nu. 2. ver. per istum text.* vbi ampliat etiam, qood Papa mandet sub pœna excommunicationis latæ seotentiæ, ex Aochar. quem allegat in *consil. 285.* quia qua ratione superior, qui scribit, deceptus videtor in facto principali, circa informatiooem, ita pariter in claosulis accessoriis, arg. *l. doli, §. diuersum, ff. de nou.* hinc dicit Dec. io *c. cum ordinem, num. 15. de rescri.* quod Card. non tenentur obedire Papæ etiam si illos excommunicaret, quando Concilium impediretur, Abb. in *ca. cum teneatur, de praben.* vbi concludit non esse obediendum isto caso, qoamuis in mandato, siue præcepto dictum sit, oon obstaote scandalo, † hinc Philippos Decius cõ-
36 s. 151. *tomo 1.* consuluit, p illis Cardinalibus, qui a summo Pontifice Iulio Secũdo recesserũt, Conciliumque Pisanum pro Ecclesiæ reformatione, tam in capite, quam in membris iodixerunt, contra quos dictus Iulius Papa excommunicationis sententiam fulminauit, ipsamque indictionem annullauit, se de nononllis obiectis in dicta Bulla excommonicatioois purgando lõgo verborum apparatu, quibus tamen verbis, vt ibi ioqoit ipse Decios, non erat credeodum, cum loqueretur de his, de quibus liberam oon habet potestatem, & in præiodicium tertii, vt etiam in casu nostro, quia vt ioquit D. Augustinos in cap. sedulo, 38. distio. *melius est veriores, quam disertiores audire sermones,* sicut etiam quis debet prudeotiores, quam formosiores habere amicos, ideo omnibus a Summo Pontifice in Bulla positis cõtra ipsos Cardinales, & indictionem dicti Concilii respoodet, & satisfacit, consuluitqoe, non obstante qoocuoque præcepto ab ipso Summo Pontifice, etiam sob anathematis pœna iniuncto, ipsos debere Concilii indicti celebrationem proseqoi, tanquam rite, & Canonice iodictam, nõ obstante alia indictione facta per ipsum Summum Pontificem Concilii Lateraoeosis, quia cum ageretur cootra ipsũ Pontificem, indictio spectabat ad Cardinales, oon ad Papam, Bald. concludit in *cap. olim, in fine, de rescript.* & Doctores, in *cap. ad Apostolica, in primo not. de re iud. in 6.* neque ipsi Cardinales tenebantur ad illud Concilium per Papam indictom ire, quia totus uoo erat locos, quo enim spiritu de regressu ad eum cogitare debuerunt cuius minis territi admodom eraot apud eum residentes, plurimumque lætarentur e manibus eius euasisse, & Papiam saluos applicuisse, maximas Deo gratias egeruot, non enim audebant Romæ a Summo Pontifice eius villicationis rationes exigere, qui solitus erat in eos sæuire, qui eius voluntati repugnabant. iuxta notata per eum in *l. de pupillo, §. si quis ipsi pratori, de oper. nou. nuntiat.* & iustissima est excusatio oon comparentis ad locum non tutum, *cap. ex parte, de appellat. Clment. Pastoralis, §. Pisana, de re iudic. cap. accedens, il secondo, vt lit. non contest.* neqoe ex tali odio debebunt credere eius literis salui conductus, dicto *cap. accedens,* & ibi Fel. io *cap. litteras, in fin. de restitut. spol.* Matthæus de Afflictis, in *Decisionibus Neapolitanis, decisio. 289. numer. 21.* quia saluus conductus est fragilis cautio, *l. quia ita, §. primo, ff. ad Trebellia.* & ideo excusantur non compareodo, *L. de atate, ff. de conditio. & demonstratio.* quia nemo se debet ponere io periculo, vt oot. in *capit primo, de Cler. non resident. in 6.* idem voluit Angel. in ioa *disputatione* incipiente, *Bonon. à sua Ciuitate bannitus, in 4. quastio.* idem Bartol. in *l. idemque, ff. pro socio,* immo citatio io loco oon tuto, est ipso iure nulla, Barto. in dict. *l. de atate,* & *in Clemen. Pastoralis,* vbi est tex. immo ipsi Cardin. vsi iunt armorum præsidio, licet ipsorum vsus sit Ecclesiasticus interdictus, quia vt habet D. Ambrosius, arma Clericorum, sunt lacrymæ, *capit. conuenior, 23. quastio. 8. cap. fin. 36. distinct.* ad ipsorum enim defensionem ipsis vti permittitur, eum omnes leges, omniaqoe iora vim vi repellere, cunctisque se defendere permittant, *c. dilecto in pr. de sententia excõmunic. in 6. l. sciendum, §. qui cũ aliter, ff. ad legem Aquil.* adeo qood etiam Cardinalem pro defensiooe interficere permissum est, vt not. Angel. *in l. vt vim, ff. de iustitia & iure,* & Monachus contra Abbatem in eum sæuientem, armata manu potest resistere, vt dicit Card. in *Clemen. prima,* io verbo *prafata, de statu Monach.* & de Paulo legitur, qoi petiit milites a prætore, cuius præsidio illæsus seruaretur, *cap. sex differentia, in fin. 23. quast. 3.* nec mirum si ipsi Card. Summo Pontifici oon obedierunt, quia ipse Pontifex dum esset in minoribus, sæpius ob minores, & longe leoiores causas a pluribus Sũmis Pontificibus absq; licentia recessit, & reuocatus sub grauissimis censuris, redire noluit, vnde in hoc incongruũ erat vt ipsi ab eo arguerẽtor, *c. induxit, 2. q. 7.* & legitur, qood

quod nihil obiicere debet Catilina, Cathego, vt not. per Glo. in *l. quoniam C de her.* & facit tex. in *l. arenam, C. de inoffic. testam.* cum similibus, quibus & aliis rationibus ipse Decius ipsos Cardinales tutus est, vt habetur in *dict. conf. 151.* Lugduni impresso anno Domini 1550. hanc autem Decii doctrinam solum dici referendo, quid circa diuersa tempora acciderit in huiusmodi difficultatibus, quia postea ipse Summus Pontifex gesta in ipso Pisano Concilio nulla, ac nullius valoris esse declarauerit; ideo dicit etiam Hostiensis *de conceß. praben. proposuit. § fin.* super verbo *supra ius, versic. in subditis autem, & vers. sequente*, quod Princeps in subditis tantam habet potestatis plenitudinem, quod quando aliquid præcipit, obediendum est ei, etiam si sit dubium, vtrum mortale sit, dummodo conscientiam vincere possit, & sic intelligitur dicto *cap. quis culpatur, 23. q. 1.* sed si certum sit, quod sit mortale, recognoscẽdus est Papa cœlestis, quia Ecclesia triumphans nunquam fallit, nec fallitur, ideo si conscientia tua te docet, vt non obedias, non recedas ab ea, sed excommunicationem sustineas patienter, etiamsi erronea sit, nisi possis errorem deponere, ac de multis aliis casibus, in quibus non sit Papæ præceptis obediendum, vide Ægidium Bellameræ Cardinalem in *conf. 16. à prin. vsq. ad finem.* est enim semper magis Deo, quam hominibus obediendum. quare, qui male iubet, male obauditur. Videmus etiam, quod si Gubernator Ciuitatis a Principe suo iussus, vt, visis litteris ab eo missis, statim aliquem suspẽdere faciat sine causæ cognitione, mandatum hoc exequi non potest, Sotus *de iustitia, & iure, lib. 5. quest. 1. art. 3.* quia nemo potest occidere malefactorem, non seruato iuris ordine, cum scriptum sit Deuteronom. 16. *Exequeris iuste quod iustum est.* Neque est, vt dicant nonnulli, Episcopos potius debuisse mori gloriose, quam Summo Pontifici in hoc casu non obtemperare, quia isti sunt de illis, quos dixit Dominus in Euangelio, *dicunt, sed non faciunt*; optime ratiocinantur profecto, sed non qui solum docuerit, sed qui prius fecerit, & postea docuerit, hic magnus vocabitur Christi exemplo ductus, vt quemadmodum ipse faceret, & nos faceremus, cœpit enim prius facere, postea docere, sed isti e contra faciunt, quia viderunt D. Aug. relatum in Glos. in *c. tributum, 11. quest. 1.* inquientem, *pro temporalibus me morti opponere non debeo, sed pro Altaribus libenter immolabor.* non enim pœna facit martyrem, sed causa, oporteret agere de Fide & tunc omnes irent gaudentes a conspectu Concilii, sed agitur de rebus accidentalibus, & extrinsecis ipsius Ecclesiæ, pro quibus non est moriendum, non enim est Summi Pontificis intentio velle cum scandalo alicui prouidere, Dec. in *c. teneamur, num. 5. de præbend.* Summus igitur Pontifex imitetur Deum, qui fecit pacem hæreditatem sibi, iuxta verbum Euangelium, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, quam non lædi, aut non lacerari nullius, quam ipsius Pontificis Maximi magis interest, quia Papa, vt potestatem iurisdictionis habens est propter bonum fidei, & pacis Ecclesiæ, Caiet. *de auctor. Papæ, & Concil. cap. 9.* neque debent esse veloces pedes eius ad effundendum sanguinem, sed Pax, & Justitia, tanquam sorores osculatæ sunt, & non dubito quod ipse auditis iustissimis defensionibus, & causis Venetorum, censuram reuocabit, cum sit fons Iustitiæ, fugans tenebras sicut ventus, dic age quandoque Pater Beatissime, dic iam bona voluntate tua ouibus tuis: *Pax vobis*, vt oues tuæ vicissim tecum vna proclament: *Gloria in Excelsis Deo, & in Terra, Pax hominib. bonæ voluntatis.* Et ita, vt supra per me conclusum est, arbitror iuris esse. Ventura Vincentinus qui supra.

Salua semper Sanctæ Matris Ecclesiæ Auctoritate, ac sanioti, meliorique Iudicio.

ANNIBALIS CRANCII

Anno Dom. 1607.

Dalmatæ Philosophi,

Ac pro Sereniss. Dominio Venetorum Equitum Ducis,

SENTENTIA,

SVPER QVÆSTIONE

An iniurias a Paulo V. Summo Pont. Venetæ Reipub. illatas, liceat bello & armis propulsare.

Ad Venetæ Repub. Senatum.



IVINVM sane, ac sæculis omnibus admirandum eloquium, est proculdubio illud, Diui Iustiniani constitutionibus præfixum initio: *Imperatoriam maiestatem, non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam debere esse.* Etenim humanum genus, quod in societatem coniunctum, ac principum curæ diuinitus commissum creditur, sub eorundem regimine, ac patrocinio, cum duobus potissimum egeat; altero quo se tutum a domesticis, ac internis hostibus cõseruaret, altero, quo se ab externis, & remotis tueretur, qui interdum non opes tantum, sed vitam etiam ipsam eripere conantur, quorum alterum ei le-

leges ac Principum statuta præstant, alterum vero arma atque bellicæ laudis apparatus præbent; pacis enim tempore, leges plurimum iuuant, quibus & fraudes, & calumniæ ciuium reprimuntur, bello vero & iniuriæ illatæ propulsantur, & pax optata Reipub. quæritur. His sibi commissos ciues, ac populos, omnes Principes, omnes Reges ac Duces iuuare, ac protegere tenentur; tenemini & vos Senatores religiosissimi; animo ne cadatis, populos diuinitus vobis commissos habetis, quæ ad vos spectant, in eorum subleuatione, ne prætereatis; legibus sanctissimis, cœlitus vobis, ad eas condendas, data facultate, sapientissime hactenus eos continuistis, in pace, quiete, ac religione eosdem in futurum continere, pro sanctissimis vestris legibus, ac earum obseruatione contra publicæ pacis, ac quietis perturbatores, bello: atque armis, ne vereamini; causæ belli iustæ sunt; iustas causas, iusti consequentur effectus: Pontificis nomen, ne vos terreat, cum Pontifice enim bella non sunt gerenda, Pontificem quidem colitis, veneramini, Christi Vicarium agnoscitis, eidem obsequimini. Pontifex Princeps temporalis, non Pontifex vester vult esse, libertati vestræ insidiatur, vestras leges euertit, nouas præscribere ambit, perturbatores vestrorum ciuium quietis fouet, dira imprecatur, vos tandem stygiæ Paludi ascribit. Tantæ infamiæ vltores sedetis? vim vi repellere licet. primi quidem nõ eritis. cum Pontifice enim Principe sæpe & Imperatores, & Reges bella gesserunt, vos ipsi, & ob causas quidem multo minores: insidiatorem nullibi, ne in ipsis quidem aris tutum existimauit Agesilaos. Sed nostra quæso altius iaciamus fundamenta. de magnis rebus est nobis sermo, magna sum vos hortaturus, rationi tamen consentanea, Reipub. vestræ necessaria, magna magno animo excipienda, ac conseruanda.

Duo mihi, antequam rem ipsam attingam, vobisque animum circa propositam quæstionem aperiam, sunt quam diligenter examinanda. Vnum est, an bella iusta in Repub. Christiana sint licita. Alterum vero quot & quæ iusti belli conditiones debeant esse. quibus explicatis, id quod sentio, circa dictam quæstionem, non oscitanter quidem, sed libere ac aperte expediam. Deus Opt. Max. huic nostro labori atque cœptis aspiret, nobisq; & mentem, & calamum, & linguam dirigat, nihil enim a ratione, & sua voluntate alienum, his scriptis dicere, aut persuadere intendimus.

An bella iusta sint licita.

Ac quidem, vt a primo lapide incipiamus, Axioma hoc verissimum esse, existimo, bella natura sua (si tamen iusti belli conditiones seruentur) detestanda non esse, illaque ab initio, & in veteri lege apud Hebræos, & in nostra Euangelicæ veritatis, tanquam licita, atque a Deo permissa, & imperata fuisse. extant quidem huius rei plurima apud sacras paginas testimonia. Iud. 3. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem & omnes qui non nouerant bella Cananeorum, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Ex quibus verbis aperte constat, bella non solum a Deo permissa, verum etiam ab eodem probata & imperata fuisse. quod multo clarius habetur etiam 1. Reg 15. *Hæc dicit Dominus Exercituum, recensui quæcunque fecit Amalech Israeli, nunc ergo vade, & percute Amalech & demolire vniuersa eius, non parcas ei &c.* vbi bellum Amalech inferendum, expresse imperator. alia loca prætereo, quibus sacræ illæ paginæ, passim refertæ scatent. Ex Euangelicis dictis, celebre est illud Ioannis Baptistæ Luc. 3. *Interrogabant eum & milites, dicentes, quid faciemus & nos? & ait illis, neminem concutiatis, neque damnũ faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Ipse seruator hominum Christus Iesus *Matt.* 22. cum docet tributum Cæsari esse soluendum, militiam & bella approbat. tributum enim Regibus tum vel in primis debetur, ad substentationem militum in Reipub. defensionẽ, vt Apostolus 13. ad Rom. aperte exponit. *Ideo,* inquit, *& tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes,* gladio nimirum vt puniant perturbatores publicæ quietis ac pacis, quod & paulo supra dixerat, *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est vindex in iram.*

Fauent huic sententiæ plurimi sanctitate ac bello conspicui Duces. Ex Hebræorum quidem annalibus, Abraham, Moses, Iosue, Gedeon, Samson, Dauid, Iosias, Machabei, qui plurima bella, & magna cum laude & feliciter gesserunt. Ex Euangelica vero veritate, Centuriones duo, quorum alter *Matt.* 8. meruit a Christo cõmendari, ita vt de eo sequentibus se diceret, *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* Alter vero *Act.* 10. nomine Cornelius, vir iustus, & timens Deum, ad Angelorum præterea visionem, atque colloquium, assumptus habetur. Post Christi Domini ad superos, ex hoc nostræ mortalitatis ergastulo, felicem regressum, quot Christianos homines, Deo charos, ac miraculorum gloria conspicuos, etiam sub Ethnicis principibus militasse, apud historicos legimus, atque habemus. Tertullianus *in Apologet. ca.* 5. miraculum insigne refert à Christianis militib. editum, cum sub Marco Aurelio, in Germaniis, bella gererent; qui certe, si bella natura sua mala aut detestanda essent, vel illa non gessissent, vel certe si gessissent, Deo chari non fuissent, ita vt eos etiam miraculis illustraret. legendus hac de re Eusebius *Hist. lib* 1. *c.* 4. & 10. & *lib.* 9. *c.* 10. Basilius in *oratione de laudibus XL. militum martyrum,* Gregorius Nazianzenus *oratione* 1. *in Iul.* circa medium. Constat præterea Constantinum, Theodosium, Valentinianum, Carolum magnum, Sanctum Ludouicum Regem Galliæ, Sanctum Mauritium cum sua legione Thebeorum, aliosque plurimos sanctitate celebres viros bella gessisse, quos tot sanctissimi Antistites, nunquam sunt aspernati, reprehensione dignos, nunquam iudicarunt, quinimo Theodosius, de euentu belli, Ioannem Abbatem consulere solebat, sicut refert August. *lib.* 5. *de Ciuit. Dei c.* 26.

Accedit

Accedit ad hæc, quod Deus sæpenumero iusta bella iuuit atque protexit, quod quidem si mala essent, non faceret; mala etenim permitti possunt, auxilium vero ad ea peragenda, dari non debet. Abrahæ enim *Gen.* 14. postquam debellasset quatuor Reges, non amplius quam cum CCCXVIII. militibus, a Melschisedech dictum refertur: *Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* & Exod. 17. ad preces Mosis, Deus dedit victoriam Hebræis contra Amalech. *Iosue.* 10. pugnante Iosue Sol stetit, & Deus de cœlo lapides pluebat, ita vt plures hostium grandine, & lapidibus occisi sint, quam quos filii Israel bastis & lapidibus cædebant. *2. Macb.* 10. Angeli in specie equitum pro Machabeis pugnare visi sunt, & *cap.* 15. legimus Deum non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dare dignis victoriam. Constantinum Dei auxilio superasse hostes in bello, testatur Eusebius in *vita Constantini, & lib. 9. Hist. c. 9.* cũ Theodosio Sanctum Ioannem, & Sanctum Philippum Christi Apostolos, palam contra hostes eius pugnasse testatur Theodoretus *lib. 5. Hist. cap. 24.* Pro Theodosio iuniore Angelos pugnasse, scribit Socrates *lib. septimo ca.* 18. Multa alia ex historiis, atque Sactorũ Patrum monumentis, possent in hanc sententiam afferri, quæ nunc ego breuitatis causa silentio prætereo.

Illud hoc loco non omittam, vnde omnis veritas, atque lumẽ huius difficultatis elucet. Omnibus liquet, Principes ac Magistratus, quo suos ciues, ac populos diuinitus eis commissos, protegant, atque conseruent ab internis & domesticis perturbatoribus, posse & debere eosdem perturbatores, variis tormentorum generibus, & afficere & insectari, bello item atq; armis, quando alius modus ac ratio non sufficit, suos ciues, ac populos ab externis quoque hostibus tutari, ac protegere, eisdem cur non licebit? ad conseruationem enim Reipub. expedit plurimum, non tantum hostes internos opprimere, quàm externos profligare & euellere, hoc cuique a natura est inditum, brutis quoque animantibus, ac feris, quod si à natura à Deo, a quo & ius naturæ & cuiusque conseruatio dimanat. Iure itaque naturæ, ac proinde diuino, bella iusta cum liceant, maneat quoque ex dictis, ea & Christianis contra Christianos inuasores esse licita, quod cum pluribus confirmare, non sit necesse, quæ & quot iusti belli conditiones sint, videamus.

Alterum, quod ante initio propositam quæstionem superest vt explicemus, iuxt iusti belli conditiones, quæ ab his, qui hæc fusius tractant, quatuor enumerantur. Auctoritas videlicet legitima in Principe qui bellum indicit. Causa iusta propter quam infertur. Bona intentio qua infertur. Ac tandem modus conueniens, quo geritur. Has singulas & explicare, & perpendere plurimum iuuat, si ad propositæ difficultatis veritatem, ac licentiam expetimus pertingere. *Iusti belli cõditiones.*

Auctoritas legitima proculdubio est penes Principes. Ita D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 75. *Ordo ille naturalis*, inquit, *mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principem sit, exequendi autem iussa bellica, ministerium milites debeant paci, salutique communi.* Nec abs re certe, priuati enim homines, & qui superiorem agnoscunt, cui subiacent, si ab aliquo iniuriis afficiuntur, vel aliis modis male tractantur, ad superiorem cõfugiunt, qui eis suffragari, ac ius reddere debet. Principes vero si ab aliis Principibus eos lædi atque male affici, contigerit, cum superiorem Principem, ad quem confugere possint, non habeant, tenentur, & possunt, ipsimet iniurias publicas bello reprimere, ac propulsare. Auctoritas autem hæc indicendi belli, iuxta communem sententiam, residet in omnibus Principibus, ac populis, qui in temporalibus Superiorem non habeant, cuiusmodi sunt Reges fere omnes Respub. ac Principes nulli subditi, Duces item ac Comites, qui in tẽporalibus nulli subiacẽt, non autem Duces, & Comites, qui subsunt Regibus immediate. qui enim subsunt aliis, per se non sunt capita Reipub. sed potius membra. Auctoritas itaque indicendi belli proculdubio penes Principes est, qui nulli subsunt, sed ipsi sunt capita, ac supremi in Repub. Hæc autem auctoritas indicendi belli, cum bifariam penes Principes esse intelligi possit, vno modo ad bellum defensiuum, altero ad offensiuum inferendum, animaduertendum est, nos hic loqui de illa auctoritate belli indicendi, quæ ad offensiuum tantum, non ad defensiuum bellum requiritur, defendere enim se vnicuique licet, non Principi solum, sed etiam priuato cuique: At indicere bellum, & inuadere hostem, solius Principis est ac supremi capitis Reip. *Auctoritas Principis in bello indicẽdo.*

Auctoritatem legitimam cõsequitur causa iusta. nec enim sine causa bellum indici debet, sed nec quamcunque ob causam, sed tantum propter iniuriam propulsandam. Hæc quoque conditio habetur expresse, ex Diuo Augustino, quæst. 10. in Iosue, vbi sic habet. *Iusta bella*, inquit, *definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens, vel Ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.* Ductus in hãc sententiam videtur D. August. quia Princeps non est iudex, nisi hominum sibi subditorum. ergo non potest quæcunque peccata aliorum hominum punire, sed solum ea, quæ cadunt in detrimentum populi sibi subiecti. nam tametsi non est iudex ordinarius aliorum, est tamen defensor suorum, & ratione huius necessitatis efficitur etiam quodammodo iudex eorum, qui suis iniuriam fecerunt, ita vt eos gladio punire & possit & debeat. Iniuria autẽ illata, & quæ causa iusti belli putanda est esse, non debet esse leuis, seu anceps, sed magna, atque perspecta, ne forte plus incommodi bellum afferat, quam sit vtilitas quæ inde speratur. *Causa iusta belli.*

Sed quid dicendum, si causa belli nondum sit bene perspecta, sed dubia atque anceps, bellum illud iustum ne sit, an iniustum. Distinguendum tunc est de Principe & Militibus. nã Princeps ille sine dubio peccat, bellum enim est actus iustitiæ punitiuæ, punire autem aliquẽ, causa nondum probata, est actus iniustitiæ. Milites vero non peccant, nisi constaret certo, bellum esse iniustum. debent enim subditi parere suo Superiori, nec tenentur examinare imperia sua, sed potius debent credere, Principem suum iustam habere causam. sicut etiam cum dubia est culpa alicuius particularis, peccat iudex, qui eum damnat, non minister qui damnatum occidit. minister enim non tenetur discutere sententiam iudicis, quia vt loquit Bonif. Papa in 6. de regulis iuris. *quod quis mandato Iudicis facit, dolo facere non videtur cum habeat parere necesse.* & D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 75. *Hoc etiam,* inquit, *fit vt vir iustus, si forte sub rege sacrilego militet, recte possit, illo iubente, bellare, ciuica pacis ordinem seruans cui, quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel vtrum sit, certum non est, ita vt fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruandi.* Intelligenda sunt hæc de militibus, qui tenentur illi Principi, qui bellum gerit, quales sunt subditi eius, atque etiam ii qui stipendium ab eo habent, etiam tempore pacis.

Intentio bona belli. Tertia conditio, est intentio bona. cum enim finis belli sit pax & publica tranquillitas, non licet bellum suscipere, propter alium finem, quam causa pacis. Hinc constat, reges illos, atque etiam milites grauiter peccare, qui vel vt noceant alicui, vel fines sui imperii proferant, vel vt fortitudinem bellicam exerceant, vel alia de causa, bella suscipiunt, quam propter commune bonum, & pacem, etiam si auctoritatem legitimam, & causam iustam habeant. *Pacem enim,* inquit D. August. ad Bonif. Comitem in Epist. 207. *habere debet voluntas, bellum necessitas, vt liberet Deus a necessitate & conseruet in pace, non enim pax quæritur, vt bellum geratur, sed bellum geritur vt pax acquiratur. esto ergo bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas.* Et libr. 22. contra Faustum ca. 74. *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia hæc sunt, quæ in bello iure culpantur.*

Pax ante bellum est tentanda. Verum quoniam bellum est medium quoddam ad pacem, valde tamen graue & periculosum, propterea diligenter obseruandum est. Primo ne illico ac sine magna cunctatione inferatur, etiam si causa idonea ac magna existat. sed prius modis omnibus, necessariis ac opportunis est pax quærenda, petendo nimirum ab hostibus debitam ac conuenientem satisfactionem, iuxta illud Deut. 20. *si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem &c.* quoniam vt D. Aug. ad Bonifacium dicit epist. 207. *pacem habere debet voluntas, bellũ necessitas.*

Exoritur hoc loco difficultas non leuis, Quid si hostis, noluit initio satisfacere, & paulo post, bello iam incoato petat pacem, & satisfactionem offerat, an tenebitur alter a bello desistere? Ad hanc difficultatem Caietanus verbo *Bellum*, respondet, quod non tenetur desistere, quando bellum est iam incoatum, quamuis teneretur, antea quam incoaretur, acceptare satisfactionem. Sed dicendum videtur, quod ex iustitia nunquam tenetur, qui habet iustam causam, satisfactionem acceptare, nec ante bellũ incoatum, nec postea, tamen ex charitate vtroq; tempore põt: nisi per accidens aliud expediat. Prioris partis huius responsionis, ratio illa est, quia Princeps habens iustam causam belli, gerit personam iudicis respectu alterius Principis, qui iniuriam fecit, iudex autem non tenetur ex iustitia condonare mortem Reo, etiam si offerat satisfactionem. quamquam possit condonare ex misericordia, si sit supremus index. Posterioris partis ratio hæc videtur, quia bellum est grauissimum supplicium, quo non solum puniuntur, qui causam belli dederunt, sed etiam per accidens multi innocentes plectuntur. Ideo Christiana charitas semper illud videtur exigere, vt a bello cessetur, quando qui nocuit debitam satisfactionem offert, nisi forte per accidens aliud expediat, id est, nisi talis sit hostis, contra quem pugnatur, vt bono communi expediat eum vel subiectum esse alteri, vel funditus extinctum, quales videntur fuisse Amorrhæi, quos Deus penitus deleri præceperat.

Obseruandum secundo est, hanc tertiam conditionem differre a duabus primis, quod illæ si desint, bellum iniustum efficiunt. hæc vero si desit, bellum malum, non iniustum ꝓprie reddit. qui enim sine auctoritate, vel sine causa iusta bellum mouet, non solum contra charitatem, sed etiam cõtra iustitiam peccat, nec tam miles est, quam latro. qui vero auctoritatem, & causam iustam habet, & tamen desiderio vindictæ vel augendi Imperii, vel propter alium malum finem, mouet bellum, non agit contra iustitiam, sed contra charitatem tantum, nec est latro, sed malus miles. Hinc constat, quod cum solum deest tertia cõditio, nec milites, nec Reges, teneri ad aliquam restitutionem, sed solum ad pœnitentiam: cum vero deest prima vel secunda, teneri omnes ad restitutionem damni illati, nisi excusentur ignorantia inuincibili, qua dum laborant non tenentur restituere, ac cum cognouerint bellum fuisse iniustum, tenentur restituere non damnum tempore belli illatum, sed alienum quod habent ex illo bello, & si nihil habens in specie, tenentur restituere saltem id quo ditiores facti sunt ex alienis rebus venditis res enim aliena teneri non potest, etiam si ob ignorantiam. absque peccato sit acquisita, sed reddi debet vel domino si scitur, vel pauperibus.

Innocenti cui non est nocendum. Tandem ad bellum iustum, vndequaque reddendum, requiritur modus debitus, ac cõueniens, qui in eo præcipue consistit, vt nulli innocenti noceatur. quod explicauit Ioannes Baptista Luc. 3. his verbis; *Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipẽdiis vestris.*

Quibus

quibus verbis prohibet iniurias, quas milites inferre solent etiam innocentibus, vi, vel fraude, & hoc quidem tam in persona quam in bonis.

Notandum est hoc loco, tria esse genera personarum, quibus milites damnum inferre non debent. Primum sunt ii, qui ad Remp. hostium non pertinent, cuiusmodi sunt, ciues & rustici, amici apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, neque excusantur, si dicant stipendia sibi non solui. priuatorum enim ciuium bona, propterea illis obligata non sunt, neq; pœnam luere debet ciuis, aut rusticus, si Rex, aut Dux stipendia militib. non soluat. *Quibus in bello parcendum.*

Ad secundum genus videntur reduci ii qui etsi aliquo modo ad Remp. hostium pertinent, tamen excipiuntur, *c. Innouamus. de treuga & pace.* cuiusmodi sunt presbyteri, Monachi, cõuersi, peregrini, mercatores, rustici euntes, vel redeuntes, vel in agricultura existentes, & animalia quibus arant, & semina portant ad agrum, nomine autẽ mercatorum, intelligendi sunt, non ii qui in ciuitatibus resident, & pars quædam ciuitatum sunt, sed ii solum qui transeunt, vel ad nundinas veniunt, & qui non sunt pars ciuitatis,

Ad tertium tandem genus pertinẽt ii omnes, qui inepti ad bellum sunt. cuiusmodi sunt pueri, senes, mulieres, qui etsi capi & spoliari possunt, quia sunt pars ciuitatis, tamen occidi iniuste non possunt, nisi forte casu & per accidens occidantur. vt si v. g. miles in cuneum hostium, hastam vel iacula coniiciat, & forte puerum, vel mulierem, aut etiam sacerdotem, confodiat, non peccat, peccaret autem, si eum intentione occideret, & posset si velit non occidere, quod & rationi valde consonum est & Deo, qui *Deut.* 20. Hebræis aperte iubet, vt in bello paruulis & mulieribus parcant.

His ita positis atq; explicatis ex Bellarmino. *in cõtrouer.* superest modo vt ad initio propositam quæstionem accedamus. Ex dictis enim aperte constat bella iusta & Christianis Principibus esse licita, & quæ belli iusti conditiones necessario debeant seruari. Quæstio autem ꝓposita illa erat, An iniurias a Paulo V. Summo Pont. Venetæ Reip. illatas, liceat bello & armis propulsare.

In hac quæstione definienda illud arduum atque difficile videtur, quomodo bellum cũ Pontifice gerendum, qua ratione cum Ecclesiæ sanctæ capite arma tractanda, qui fieri potest, vt ouis contra pastorem, filius contra patrem, discipulus contra doctorem suum insurgat? Est enim Summus Pont. Christi fidelibus datus a Deo in pastorem quem sequantur, in patrem cui fidant, in doctorem quem audiant. Contra eundem, Christi fideles modo bello atque armis insurgere, Rationi, Deo ipsi pugnare videtur. Absurda in Ecclesia Dei maxima essent ista, fatemur, si Summus Pontifex pastorem tantum modo se gerat, vti vere est, non mercenarium: patrem qui filios suos foueat, non disperdat: doctorem qui populos fideles erudiat, ac in bonis operibus omnibus instituat, non Cæsarem, non Regem; aut Mundi totius temporalem quendam Monarcham se iactet & exhibeat. *Papa Princeps est etiam secularis.*

Verum quoniam simul & spiritualis Princeps est, Christi Vicarius, & Diui Petri successor, qua ratione & animas ligandi atque soluendi, collatis sibi clauibus regni cœlestis Pontificium a Deo accepisse creditur, iuxta illud, *Deus qui Beato Petro Apostolo tuo, collatis clauibus regni Cælestis, animas ligandi, atque soluendi Pontificium tradidisti* &c. Et Principum præterea temporaliũ beneficio inter temporales mundi rectores, temporalis Princeps est constitutus. dicitur enim Summis Pontificibus, & Constantinus Magnus, temporale dominium concessisse. Et Aripertus, & Luitprandus, refert Addo Viennensis in *Chronico, anni DCXCIX. & anni DCCXIV.* Blõdus item *lib.* 10. *Decadis primæ.* Idem fertur fecisse Pipinus, Carolus Magnus, Ludouicus eius filius, & cæteri plurimi, quorum beneficio Rom. Pont. in locis, qui temporali eorum auctoritati modo subsunt, sunt etiam temporales Principes, in quibus ea omnia curant, atque exercent, quæ si ipsi naturales Principes illis dominarentur, efficerent.

Hinc est, Summum Pontificem qua temporalis Princeps est, posse, & iniurias sibi illatas, bello, atque armis propulsare, & eundem Principibus temporalibus illatas, posse item bello, atque armis luere, atque eo certe magis, quo spiritualis dominii colore temporalem interdũ auctoritatem, ac dominium proferre, ac dilatare intendit.

Quid si nullum temporale dominium habeat, nullas vires, nulla castra, quibus nec se tueri, nec inuadere hostes possit, esset tamen durus, proteruus, malæ qualitatis, pessimus, oppressor? Ex Bellar. *lib.* 2. *de Rom. Pont. c.* 29. sicut Summo Pontifici, licet resistere inuadenti corpus, ita licet resistere inuadenti animas, vel turbãti Rempub. & multo magis si Ecclesiam destruere niteretur, *licet*, inquam (sunt ipsius auctoris verba) *ei resistere non faciendo quod iubet, & impediendo ne exequatur voluntatem suam, quod alia ratione, cum fieri non possit, licebit etiam armis, atq; vi, eum a male peractu impedire, ac remouere.* Quod etiam Antonius Cordubensis expresse docet, l. 4. q. 10. dist. 3. cuius verba hæc sunt. *Vbi Papa potestate abutitur, Episcopi resistere possunt, & si hoc non sufficit, possunt implorare Principes sæculares, vt eorum auctoritate, & potentia resistant vi, & armis, non per viam iurisdictionis in Papam, sed iure defensionis.* hæc ille. Quod quidem si Episcopis, atque his qui Pontifici immediate subsunt, licet, multo magis temporalibus Principib. qui illi in temporalibus non subsunt, & maxime cum de temporali sua auctoritate agatur, facere licebit.

Has tragedias in Ecclesia Dei plerunque excitatas vidimus, Summos Pontifices plerũque vel fuga, vix sibi consuluisse, atque hoc quidem, non ab hostibus Christianæ fidei, sed ab

ipsismet

ipsismet domesticis Regibus, ac Imperatoribus, Catholicis atq; Christianis exempla singula afferre non est necesse. apud rerum gestarum scriptores plurima, eaque non obscura, extant.

Nec propterea dum cum Pontifice principe, atque hômine, ob iniurias illatas, bella geruntur, Pontificia auctoritas, aut dignitas impugnatur. Alia enim est ratio Pontificis quà Pontifex est, & Christi Vicarius. Alia Põtificis qua temporalis Princeps est, & vere mortalis homo & peccatis obnoxius. Pontifex princeps, atque homo, ob iniurias illatas temporali Principi, cogi vt ab iis remoueatur potest. Auctoritas & dignitas Pontificia nec cogi, nec opprimi potest, immo coli, ac obseruari in omnibus debet.

Male tandem, cum Christianæ Reipub. Principibus ageretur, si liceret Pontifici in his quæ hominis sunt, non Dei, ad sua desideria omnia perturbare, omnia miscere, omnia velle: Principibus vero, ei non liceret, nec repugnare, nec contraire. Orbis equidem vniuersus, iam inter Summorum Pontificum filios, fratres, ac nepotes diuisus esset. quique natura sua modo Principes ac Reges sunt, his obsequium ac famulatum præstarent, ipsi vero ex humili, ac plerumque abiecta familia nati, ipsis Principibus ac Regibus dominarentur: dura imperia, atque à recta ratione valde aliena, nec vllo vnquam modo toleranda. Vim vi repellere licet. Principibus vero ac Regibus multo magis, etiam Summorum Pontificum, maxime si illi dura, ac intolerabilia imperent, ac velint.

Qua ratione igitur cum Summo Pontifice arma tractanda, & quomodo licite possint, ex dictis cuique patere potest. Iniuriæ a Summo Pontifice Venetæ Reipub. modo illatæ, an satis magnæ & iustæ causæ sint, cur eidem bella ac arma inferantur, videamus.

Iniuria parum propulsanda.

Iniuriæ, quas belli indicendi causas supra diximus, esse non debent esse leues, aut quæ lescunque, sed magnæ atque perspectæ. Duplici quidem iniuria, vtraque magna, vtraque perspecta Paulus V. Summus Pontifex vestram modo Remp. Senatores Religiosissimi afficit, atque infestat. Vna temporalis est, qua temporali suæ Maiestati, suorumque ciuium ac subditorum bonis detrahit, ac insidiatur. Altera spiritualis quidem multo grauior ac maior, qua religionem vestram, sæculis omnibus, ad hæc vsque tempora, a vobis integre conseruatam, atque animas ipsas, vobis turbare, ac illaqueare conatur.

Nullus hostis est tolerandus, ac corporis quidem hostem licet & reprimere & opprimere, ad animæ hostes reprimendos, vix vlla arma, vix aliquæ vires sufficiunt. Hostis animæ ac corporis simul, quibus auxiliis, quibus armis, qua ope, non reprimendus?

Venetæ Reipub. corpus, vos estis, Senatores Amplissimi, vestri ciues, vestri populi, vos autem omnium capita, sicut & Magistratus ac gubernatores vestri, qui in subiectas vobis partes ac membra influitis & dominamini; Anima huius corporis sunt vestræ pulcherrimæ ac sanctissimæ leges, quibus tanti corporis partes, vestri ciues, vestri populi, vos ipsi & viuitis, & gubernamini. quælibet præterea huius mystici corporis pars, suo naturali corpore ac anima cõstat, corpus corporalibus bonis pascitur, ac recreatur, anima vero spiritualibus, atque a Christo Domino eidem datis, atque relictis. Paulus Quintus Summus Ecclesiæ Pontifex, mysticum hoc Reip. vestræ corpus quassat modo, atque impetit, anathemate enim dum dissensiones inter vos ac scandala miscet, vestros ciues ac populos, contra vos Interdicto solicitat, acrius certe, quam si tormenta ignita adhiberet, illud concutit atque enervat, vestras leges quibus hactenus vos, ac vestri ciues vitam sanctissime duxistis, dum tanquam anathemata, damnat, atq; infirmat animam certe ipsam, pulcherrimo, ac castissimo vestro e corpore vobis extrahit atq; expellit. Dissolutionem hanc fieri, nexum hoc arctissimum, vinculum indissolubile, nulla vnquam iniuria temporum, nulla vi, ne barbarorum quidem disiectum, modo a Summo Pont. disiici, atque dissolui patiemini? Iouadentem atque opprimere conantem, diuinitus vobis cõcessam Remp. reprimere ac propulsare, vi atque armis, otio torpebitis?

Quatit præterea Summus Pontifex, vos vestrorumq; ciuium ac populorum corpora, & animas, non cutem, non Remp. tantum, vos, vestra corpora, vestras animas, carnem ipsam secat, atque vrit: vulnera, ictus, incendia non sentitis? Putrida sane omnino sunt vestra corpora, ac carnes, si istis adhuc non punguntur, si ad hæc non excitantur, ac reuiuiscunt, bona etenim vestra, ac vestrorum, inconsultis Venetæ Reip. patribus, quibus iure diuino propter tributa sunt obligata, tanquam sibi astricta, nulla prorsus, vestræ Maiestatis, habita ratione, dum in suos vsus, atque ærarium transferri ac deuenire studet, atq; laborat, vobis quidem ac vestris populis, corporum necessaria auxilia subtrahere, conatur, quibus paulatim subtractis, vobis tandem ac vestris, quid reliquum esse poterit, nisi sepulchrum? Imperio misertime cadetis, populi ac ciues vos destituent, in quos vestra ac eorum bona transferentur, ad eos & ipsi deficient. Vos Senatores modo quiestis, Regum ac Principum Socii, eorum vilissima mancipia, nebulones, mimi lixæ ac tandem scurræ eritis, si n. viuere volueritis, hęc & peiora vos exercere oportebit.

Non videtis qua ratione Summus Pontifex faoet suis? Ecclesiastico pallio amictos viros, vestrorum ciuium interfectores, honestarum mulierum oppressores, impios, sacrilegos, parricidas, maiestatis publicæ contemptores, quo tãdem modo protegit, ac tutatur patet. Deteriora hia, quæ sperare potestis? Animas quæ Deo sacratissimo Christi sanguine conciliatæ in baptismatis fonte sunt, qua ratione stygiis vm bris addicit nonne videtis? quid amplius, vobis ac vestris populis eripere posset, quæ modo eripere non conatur? Animas ipsa homines nihil

charius

charius habent, reliqua enim omnia adueniunt, atque recedunt, hęc autem sola postquam semel a Deo creata est semper permanens, semper perpetua est. Hanc vobis opprimere, hāc perpetuis pœnis apud inferos cruciandam, si fieri posset, detrudi, studet ac minitatur. Proh dolor, vbi pietas? vbi Christi charitas? vbi sanguis, vbi merita? non bone Deus, ne patieris ista. Ne patiemini & vos Senatores religiosissimi, Dei ministri estis, vindices in iram ei qui male agit.

Religionem vestram ab ipso Vrbis exordio, a vobis integram, inuiolatamque hactenus seruatam, sanctiorem certe quam vix est alibi reperire, modo absque vlla vestra causa, nota perpetuæ infamiæ affici a Summo Pontifice sustinebitis? statæ enim vestræ Vrbis cæremoniæ, sacrificia, festa, cultus Diuorum, populi pietas ac religio tanquam blasphemiæ vobis interdicta, publicantur. Sacerdotes vero si qui charitate, ac iuuandæ religionis studio permoti, apud vos vel residere statuerunt, vel suis scriptis protectionem veritatis, ac religionis vestræ, susceperunt, horrendum pollicitationibus, ac anathemate, solicitantur, feriuntur, peiora his, quæ expectatis?

Rationes, veritas, apud Sum. Pont. amplius non possunt; immutabilis, Deo vult similis esse, quamuis iuxta sapientis consilium posteriores cogitationes, apud mortales sunt plerunq; meliores. Quam rationem, quod consilium inire non tentastis? quo vestris rationibus ac veritate Sum. Pont. cognita, ab incepto desisteret, noluit eas nę audire quidē, vestri sapientissimi oratores vobis de his testimonium reddant. vestris vero ciuibus ac populis, Orbi vniuerso illa sunt satis, quod libros omnes, ac scripturas, vestræ causæ rationes continentes, tanquam hæreticas, ac schismaticas anathemate damnet, atque prohibeat; argumentum vestræ integritatis, ac innocentiæ maximum. Si enim vestræ rationes futiles ac penitus inanes sint, sapientes viri, ac Orbis vniuersus, eas iudicet, si vero firmissimæ, ac validissimæ sunt, cur eas prohibere, cur damnare? tyrannidem hæc sapiunt, non rationibus amplius, armis opus est, valeant rationes, valeant verbosi congressus, Bellum, Bellum cōclamat Pontifex, iam diu bella meditatur, manus vndique colligit, centurias describit, nummos, nouis pedagiis populo impositis auget, gaudeant Sum. Pont. fratres, ac propinqui, quæ enim inter se diuidant, augentur. Inopinatos nę vos agrediatur, cauete: bellum bello reprimere licet.

Si vero ob illatam iniuriam, qua nulla maior nec ex cogitari quidem potuit, adhuc pertinax satisfactionem negauerit, quam petere omnino debetis; bella eius non expectate amplius, eidem bella inferre necesse est. Iudices hac in re vos Deus constituit, peccata enim Principum, ac hominum punite quæ cedunt in detrimentum populi ac religionis vestræ tenemini. Iudices enim proprii quamuis non estis, illorum, estis tamen defensores vestrorum, atque ratione huius necessitatis; constituimini etiam iudices eorum qui vobis, atque vestris populis iniuriam fecerunt, iustam causam habetis, iustum Deus nunquam destituet, *iusta bella*, inquit Diuus Aug. supra, *iniurias vlciscuntur, si qua gens, vel ciuitas qua bello petenda est vel vindicare neglexit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.*

Iniuriæ vobis à Sūmo Pontifice illatæ maximæ sunt, causæ iusti belli non desunt, videtis, bello easdem modo vlcisci, auctoritas penes vos est. *suscipiendi belli auctoritas atque consilium,* inquit D. Aug *penes Principes est.* Superiorem enim in temporalibus, cum præter Deum nullum habeatis, ad quem vt vos ab iniuriis illatis tueatur possitis confugere, ipsimet iniurias publicas, bello reprimere, ac propulsare, potestis, atque eo magis, quod non de re spirituali, sed de temporali vestra auctoritate, ac dominio agatur;

Auctoritatem quam in Indicendis bellis, vestræ Reipub. hostibus, scientia atque Summorum Pont, approbatione, summam semper exhibuistis, ostendite. Videte ne Summus Pōtifex experimentum vestri faciat, (nacta leuissima occasione vestrarum legum ac consuetudinum) An penes vos sit hæc summa auctoritas indicendi belli, an eum superiorem in temporalibus agnoscatis: bellum enim reprimere cuique licet, etiam priuato homini, etiam non supremæ potestatis: at bellum indicere, & inferre ob iniurias illatas, non est nisi supremæ auctoritatis ac Principis, cessatis bellum ob iniurias illatas Pontifici indicere? eum in temporalibus, Principem vestrum esse fatemini, Bella omnino sunt vobis cum Pontifice gerenda, non videtis? nō expectate bella reprimere, indicite, causam iustam habetis. fatentur omnes, qui nec Pōtifici, nec vobis blandiuntur.

His omnibus, si finem bonum, ac intentionem rectam, addideritis, nemo vos temeritatis, aut sceleris arguet. a fine enim omnia appellari necesse est. Bonum finem si vobis propositū habueritis, media quoque, quibus, ad eum consequendum, vsi fueritis, bona esse, necesse est, bonitate enim finali media bona vocantur. pace quid melius? pace quid optabilius? tranquilla libertas hæc a Cicerone vocatur, hæc ab omnibus expeti, pro hac adipiscenda, omnes eniti, omnes elaborare debent, ea qui potiuntur, beati in hac vita merito vocantur, hanc quoque & vos in vestris bellis indicendis vobis propositam habere debetis, neque enim iusti belli alius finis creditur esse, quam pax & publica tranquillitas. *Pacem*, inquit D. Aug. ad Bonif. Comitē, *habere debet voluntas, bellum necessitas, vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace, non enim pax quæritur, vt bellum geratur, sed bellū geritur, vt pax acquiratur.* Finis itaque belli si pax ac trāquillitas est, bellum quoque medium necessarium ad pacem est, si pax tamen aliis modis haberi non possit. Vt pace potiamini, bellum ne contemnatis.

Tran-

Tranquillitate certe, ac pace maxima gaudebatis, vos, vestri ciues, ac populi, omnia tuta, omnia tranquilla apud vos erant; religio atque Christiana pietas apud vos crescebat, vbiq; amor mutuus, inter vos, ac vestros populos incredibilis, suum reddebatur cuique, vobis debita tributa, ac vectigalia, populis vero fauor, atque iustitia. bonos fouebatis, scelestos, ac pacis publicæ perturbatores, pœnis quas merebant, afficiebatis, quisque vestra administratione, ac legibus contentus, tranquillitate, ac pace lætabatur maxima Octauiani Augusti tempora, talia ferunttur, quando Puerpera Virgo, Mundo edidit Seruatorem.

Hanc pacem, hæc tempora, Summus modo Pontifex, vobis inuidet, atque turbat, quo spiritu ductus, nescio, neque enim Deus, qui pacis, ac quietis auctor est, hoc bonum, tam sanctum, tamque iustum inuidere potest; quare omnia miscet, omnia quærit, quo tandem modo, illam vobis turbet, atque eripiat; te nemini illam conseruare, ac modis omnibus quærere etiã bello, atque armis, nihil enim a Dei voluntate alienum efficietis, in quiete enim ac pace diuinitus vobis traditos populos conseruare debetis, efficite vt conseruetis.

Inter alia enim bona, quæ Christus Dominus hominibus suo aduentu e cœlis ad terras descendens, communicauit, pax præcipua esse numeratur. Hæc prima, per nuncios suos Angelos hominibus annunciata. hanc Christus, vt inter Patrem, ac homines firmaret, mori etiam turpissime non recusauit, hanc tandem & ipse suo ore e morte ad vitam reuocatus, stupentib. adhuc Apostolis annunciauit, & eisdem Orbi vniuerso vt prædicarent, tanquam testamento reliquit. *In quamcunq; enim domum*, inquit, *intraueritis, dicite primum, Pax huic domui.* O vere diuinæ charitatis affectio. *Pax*, inquit D. Aug. in Ser. de verbis Domini. *Est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis.* Cœleste equidem donum, cœlestia temporalibus anteponenda, pacem a Christo Domino vobis relictam habetis, tum vel in primis vestro Protectori Marco, illis verbis apud vos, vbiq; expressam, *Pax tibi Marce Euangelista meus.* Vt cœlestia conseruetis, temporalia contemnatis.

Ne quæso apud vos aurum atque argentum pluris quam cœlestia sint. Diu sic consistere non poteritis, omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur. elapso anno Sum. Pont. plura & peiora vobis præparat. omnibus ne credite, opes ac potentia inuidiam gignit, ambitio auget. Imperii proferendi cupiditas fouet. Aureæ atque argenteæ tubæ, apud vos perstrepant, ne vereamini Aquilo certe, atque Oriens, Orbis Vniuersus, vobis suas dabit voces. tinniant ærea horrea, recludantur æraria, exornant paludamentatas, ac loricatas vestrorum Ducum figuras. Saltabunt Galli, Britanni, Germani, Græi, Macedones, Thraces, Dalmatæ, Liburni, & alii quoscunque feros magna nutrit Illyria. Æquitatem enim bellicam non religionis in militibus diuersitas, sed iusti belli cõditiones si seruentur efficiunt. Si enim sub Ethnicis ac Idolatris Principibus Christianos quondam milites, atque sanctitate conspicuos duces, quorum supra meminimus, militare fas erat, quare sub Christianis Principibus, in iusto bello, turcbas, aut alios a Christiana Religione alienos milites, militare non licebit? Pax vobis sit proposita, ad pacem consequendam, quoscunque socios ac milites adhibeatis, paruum refert, pacem igitur bello atque armis quærite, aurum autem atque argentum, contemnite. pace enim obtenta, his omnibus affluetis.

Victoriam vobis polliceor. vobis enim a Deo bella sunt concessa, quæ & plerunq; quã laudabiliter, pro Rep. Christiana gessistis. Summo Pontifici prohibita, vt a ratione & Sum. Pontifice aliena, *conuerte gladiũ tuũ in vaginam*, dixerat Christus fremẽti ac debachanti Petro, vel in hostes suos Hebræos, quanto magis, cõtra Christianos sanctissimos ac religiosissimos Principes, Sum Pontificibus id prohibitum esse debeat.

Cardinalium Collegium his temporibus, super re militari, a Paulo V. Summo Pontifice, Romæ erectum, aperte ostendit, non de spiritualibus, sed de temporalib. tantummodo rebus, inter Summum Pont. ac vestrã Remp. controuersiam esse. Spiritualia n. bello atq; armis, non egent. temporalem fastum hæc sapiunt. temporalia temporalibus armis vobis reprimere ac propulsare fas erit, atque eo magis quo spiritualium colore, Maiestati temporali vestræ insidiæ tenduntur. O si consultationes huius Collegii ne dicam coniurationes, vobis notæ esse possent, secretissimæ enim ideo forsan fuit, ne Orbis vniuersus videat eorum cogitationes rebus temporalibus inuolutas, a perfectione Euangel. alienas, Christo forsan atque Ecclesiæ cõtrarias. videretis equidem perspicue, quibus studeant, quæ meditentur, quos socios suæ coniurationis, contra vos inuitent. toleranda vobis hæc amplius non sunt. neque enim Christus Dominus, Petro ac Summis Pontificibus, auctoritatem hanc super rebus militaribus reliquit, malum in dies augetur. Arma contra vos furentibus eripere licet, eripite. Deo obsequium præstabitis. Quod si & superflua Romanæ Curiæ dettahetis, nihil a Dei voluntate alienum, vos effecturos puto: occasionem enim malorum sic & Romanæ Curiæ Affeclis auferetis, & dãni vobis illati, a præsenti Summo Pontifice, compensationem iustam exigetis. damnum enim illatum, non secus atque ablatum, restitui debet. finem imponam, quæstioni enim propositæ me satisfecisse, arbitror, cætera vos pro vestra prudentia quæ ad vos spectant, efficite Deum præ oculis habere, pacem quærite, religionem Christi fouete, Dei mandata seruate, ne vereamini, Deus nunquam vos destituet.

IN



Anno 1607.

QVÆSTIO BIPARTITA

IN GEORGIVM BLACVELLVM ANGLIÆ ARCHIPRESBYTERVM A CLEMENTE PAPA VIII. designatum.

CVIVS ACTIO PRIOR ARCHIPRESBYTERI IVSIVrandum de FIDELITATE *præstitum: Altera eiusdem iuramenti Assertionem, contra Cardinalis* BELLARMINI *Literas, continet.*

INTERPRES LECTORI.

SVBIISSE *Archipresbyterum, habita in eum* Quæstione, FIDELITATIS IVRAMENTVM, *eoque nomine à Pontificijs plerisque, præcipue verò à Cardinale* BELLARMINO *male audysse, ipsius loquuntur in typos iamdiu editæ, Cardinalis Literæ. Ad has literas (si nescis) Responsum ornauit Archipresbyter, in quo sanè iurisiurandi vsum præstat integrum, sed eius sensum non vsque adeo, vt videbatur, syncerum. In iuramenti sensu nutantem erexit noua & operosa* Quæstio, *ac ad diligentiorem, tam de sacramento Fidelitatis; quam de terreno Pontificis dominio commentationem pertraxit. Harum Quæstionum historiam omnem nostro idiomate primò exceptam operæpretium videbatur literis propagari Latinis: tum vt ne reliquum Orbem, ipsumque adeo Latium, cuius ea res maxime ageretur, latere posset, quid in iuramenti causa apud nos esset actum: tum quod vulgò prodesset intelligi, quid de hyperbolica ista Pontificis Romani potestate moderatiores (ijq; magnæ inter eos authoritatis & doctrinæ) Pontificij censeant, vbi pronocati imperio Magistratus, veritatisque conscientia victi, necesse habent fidem liberare. Forsan etiam iuuabat opinionum inter ipsos varietatem scire, & quem agnoscit Cardinalis veterem amicum & familiarem suum; eum (nec eum solum) quantumuis in Fide consentiat, de Fidelitate tamen, & temporali Pontificis dominio (& vero, quo magis mirere, cum Bellarmino sentientem) à Bellarmino dissentire. Huic editionis Latinæ consilio stimulos addebat, quod vehemens istius operis desiderium (cuius apud magnos Authores vestigia passim incurrebant) exteros subiisse constaret, qui certamen de iuramento tam expectatum, tam nobile cupidi atque attenti iam spectantes, ab hac scena se excludi ferebant iniquissime. Hoc consilio Latine prodeunt, quæ in typis vulgaribus iampridem extant Blacuellianæ Quæstionis Acta: tametsi qui Operis ipsius seriem, qua prudentia contextam, qui interrogationum capita alia ex alijs, quo consilio nexa, qui omnes causæ controuersæ latebras qua solertia perquisitas, quo iudicio discussas propius attendet: is hercle non plebeio, non vulgari, sed prudenti tantum, & docto lectori natum, dignumq; vel propter se (etiamsi aliæ absint causæ) quod in vno non pereat idiomate, sed in omnium nationum eruditos homines ad posteritatem propagetur. Hanc ego cum peregrinis plurimo meo labore, operam dederim: id gratiæ videor ab illis vicissim promeritus, vt industriæ meæ faueant, vt styli culpas, vt lutulentam orationem studio meo condonent. Quanquam & faciunt imperite, qui ab Interprete, vt ab Authore stylum exigunt: & ipsius, quod præ manu est, spinosa argumenti ratio spectare vetat orationis cultum, dum præstetur fides. Id est hic factum sedulo, &, si verbi non semper faciem, sed vim spectes, non vereor, quin satisfactum. Vale.*

A tuo
IO. WILSONO.



EXTANT IN HOC CODICE.

QVÆ-



QVÆSTIO PRIOR DE M. GEORGIO BLACVELLO AD PALATIVM LAMBETHENSE DIVERSIS TEMPORIBVS HABITA

A REVERENDISSIMO DOMINO D. ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI, EIVSQVE ALIQVOT ASSESSORIBVS, rerum Ecclesiasticarum cognitioni, ex præcipuo Maiestatis Regiæ mandato, præfectu.

Quæstionis prioris sectio prima.

25. *Iuny.* 1607.



NTERROGATVS primum, an *Blacuellus* esset: respondit ex S. Chrysostomo, locum illum interpretante: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*: se, priusquam in potestatem venisset, omnem intelligere, capitis sui, id est, fidei gratia conseruandæ, permissam sibi cautionem: ad Magistratus autẽ tribunal perducto candoris partes & simplicitatis, absq; suco aut astu incumbere. Fassus proinde est, se *Georgij Blacuelli* verò vocari nomine, esse *Archipresbyterum*, eiusq; procurationem decennium plus minus iam obire.

Comprehensus est Londini iuxta Clarkēuuel 24. Iuny. Ioannis Baptistæ die solenni, sub vesperum.

[1] *Georgius Blacuellus Archipresbyter.*

Quæstionis prioris sectio secunda.

26. *Iuny.* 1607.

PVblicas de sua salute literas negat se habere impetratas: de ijs quippe obtinendis aliquandò cogitantem, peruulgata nominis sui assiduitate deterritis omnibus, qui de iisdem apud Magistratum ageret, non inuenisse.

Rogatus, qua fiducia eam, qua tum vteretur, præfecturam suscepisset, vt in pristinæ Reginæ, Regisque Serenissimi subditos, Maiestatum suarum iniussu, dirigendi & imperandi vices vsurparet: respondet, Non appetisse se prouinciam illam, sed impositam sustinuisse, id inprimis secutum, vt Sacerdotes in officio contineret, & illegitimos omnes (quantum in ipso esset) conatus reprimeret.

Quæstionis prioris sectio tertia.

Vltimo die Iunij, 1607.

COntigerat per hosce dies in vulgus serpere libellum quendam, sic inscriptum: *Quæstiones duæ de sacris alienis non adeundis, ad vsum praximq; Angliæ breuiter explicatæ.* De eo interrogatus Blacuellus, si quid resciret, qua natus ex causa, quo authore esset editus: respondet, sibi quidem videri, authorem habere Parsonium: eiusque se coniecturæ ex inscriptis fronti literis (R.P.) non alio indicio argumentum sumere.

Sed & ei causam arbitratur dedisse Thomæ Wrigthi sacerdotis (sic enim coniectat) *commentariolum* quoddam trium puta foliorum, quod aliquot rationum contextu, librũ Angliæ Catholicis ad Protestantium sacra aditum patefecerat. Delatum Romam hunc argumentorum manipulum (ipso tamen, quod maximè intelligi vult, nec authore, nec quidem conscio) Tractatu illo, vt videre est, confutatum rediisse.

Rogatus, num sacerdotes Angli hoc Parsonij Tractatu, vt vera rei controuersæ decisione, vulgo acquiescerent: respondit, nihilo videri minus in suo quenq; sensu abundare, &c.

Quæstionis prioris sectio quarta.

Calendis Iulij, 1607.

FAtetur Blacuellus, se ab Henrico Cardinale Caietano Archipresbyterum renunciatum, id quod ex ipsius literis constat, sic exorsis: * *Scitum est*, &c. Datis autem Romæ 7. Martij, 1598.

Sed & missa à Cardinale eadem opera mandata quædam, quibus in administrandis rebus vteretur. Ea hinc incipere: *Cum præcipua intentio suæ Sanctitatis sit*, &c. eodem die cum literis prædictis data. Hasce literas cum mandatis nono die Maij consequentis sibi redditas.

De earum argumento duos statim compresbyteros docuisse: munerisq; sui procurationem, ad constituendam pacem & ferociam nonnullis minuendam, deinceps adiisse.

Traditas Nouembri insequenti à Cardinale Caietano literas secundas, quibus initium esset: *Admodum Reuerende.*

[*] Istius & reliquorum Breuium & literarum summa reiecta est in huius quæstionis calcem.

Has ſubſecutum anno poſtero à Clemente PP. octauo *Breue* quoddam, quod ratam hanc ſibi haberet prouinciam: ita cœptum: *Ad futurã rei memoriam*, &c. Datũ ſexto die Aprilis, Anni 1599. Id ſe ſuis quibuſdam diuulgaſſe.

Huic anno additas ab eodem Cardinale *Facultates* quaſdam Spirituales numero octonario, ad ſuos aliquot adiutores, cum literis poſt à ſe dimiſſas. Illis titulum eſſe: *Facultates concedendæ ſacerdotibus.* Literas verò, quas ad collegas ſuos emiſerat, ſic habere initium: *Dilectiſſimi coadiutores: iam tandem à ſuperioribus deducta eſt ad me poteſtas communicandi facultates*, &c.

Horum omnium (quod ſciri debet) tum Breuium, tum literarum exemplaria à D. Archiepiſcopo Cantuarienſi, penes quem extabant, prolata ſunt in medium, & à Blacuello pro veris agnita.

Quæſtionis prioris ſectio quinta.

2. Iuly, 1607.

AGnoſcit à Clemente octauo alterum ad ſe *Breue* perlatum, inceptum in hæc verba: *Cum nobiliſſimum Angliæ Regnum*: Datum Romæ à Diui Marci, 17. Auguſti, 1601.

Eo prohibita eſt librorum factioſorũ lectio.

Huic * *Breui* publicando operam à ſe datam, quod Archipresbyteri munus, ſuamque in omnes Angliæ Catholicos præfecturam itidem agnoſceret. Id ſe poſt comperiſſe, haud ſatis plena authoritate ſummiſſum in Angliam.

Prodeuntibus per id tempus *Superiorum permiſſu* libris quibuſdam, edixiſſe ſe Catholicis, nemini futuram fraudi eorum lectionem; neque enim in præfati *Breuis* interdictum incurriſſe.

Tertium denique *Breue* Roma accepiſſe, hoc exordio: *Venerunt nuper ad nos nonnulli ſacerdotes Angliæ*: Datum ad quintum Octobris 1602.

Huic ſe publicando nequaquam defuiſſe: tametſi quorum opera impetratum eſſet, offenſi Sacerdotes hoc ipſius officium, eodem typis excuſo, anteuerterant.

Solennes ipſius mandato Catholicis, in tacita animi ſui vota, preces aliquando indictas: quæ quidem vota id ſequerentur, non vt Hibernis defunctæ Reginæ perduellibus res euenirent proſperæ: ſed quod *Infantam* concepiſſe, crebris vulgi rumoribus iactaretur, vt ea partu vteretur ſecundo. De illis verò Hiberniæ rebus quippe ſibi ab initio exoſis, omnimodo purgatum ſe ait velle.

Poſtquam Regina fato perſuncta, Maieſtatem ſuam cognouiſſet publicè Regem ſalutari, vehementer ſe ea re lætatum eſſe & Reipublicæ gratulatum: ignemq; (vt fit) compitalitium in vicinia celebrantibus vina largitum. Deinceps verò ingruentis aliquid mali ſubueritum, quod è ſuis quoſdam animaduerteret (quorum in turbulenta conſilia nimium ſemper ſtudium experiendo ſenſerat) multis præter morem affectantibus, luxuq; & faſtu inſolito aſſiduos prodire: literas ſe in omnes cuiuſq; modi Catholicos monitorias, & verò (quantum in ipſo eſſet) mandatorias edidiſſe, vti omni ſe ratione continere, neu quid noui moliri vellent: quin, vt ſubditos æquum eſſet, ad obedientiæ, paciſq; ſtudia, mores, vitamq; ſuam traducerent.

Promulgato, ex decreto Ordinum proximè conuenientium, *Fidelitatis* ſacramento: ſe continuo apud ſuos edicere, rem eſſe licitam, æquam, Catholicis liberam: deniq; hortari ſuſcipiendum. Sed & Sacerdotes vna ſentire frequentes: quanquam eſſent, qui contra etiam dicerent.

Diffiſum tamen, ne ſua iſthæc in re iuramenti ratio, delata Romam, haud ſatis ſecundis auribus exciperetur, ſe paulo poſt Singletono presbytero, in exilium exeunti, ſententiæ ſuæ & conſilii cauſas diligenter exponere, ad Pontificem vel ipſum, pro re nata, deferendas.

Cæterum rem ita cupide Romæ geſtam, vt eo contendenti Singletono ad vrbem Siennam interuenerit * *Breue* quoddam ab hodierno Pontifice Paulo quinto, quod in Belgiam cogitabat, ad nos iſthinc perferendum.

**Contra iuramenti vſum.*

Poſtquam hinc ſoluiſſet Singletonus, ſe adeò non ſatis eorum authoritate fretum, quæ verbotenus in eius fidem mandauerat, ſedulo ornare Nuncium, qui rationes ſuas Romam ſcriptas perferat: ſed & iuuandæ feſtinationi, dum is inſtruitur, argumenta ſua, expeditiore itinere cum literis curare præmittenda, vt omnia Pontificis ſiue mandata, ſiue *Breuia* huic iuramento aduerſa occupet.

Rem tamen eo deductam, vt hiſce literis Romam perlatis, non eſſet, qui ad Pontificem de rationibus ſuis auderet referre. Singletonum Roma renunciare, primi nominis Cardinales, hominesq; eius ciuitatis doctiſſimos, ea de re à ſe conſultos, omnes contra ipſius opinionem vehementer ſentire, ſeque porro ait accepiſſe, eandem Salamanticẽſis ſcholæ decreto erroris iampridem damnari.

Haud diu poſt, Siennenſe illud *Breue* ad ipſum perueniſſe, non tamen præcipuo aliquo ad ſe magis, quam ad reliquum Catholicorum vulgus mandato.

Eius ſe cum cæteris perinde accepti conſcios quidem adhibuiſſe nonnullos, haudquaquam vero peruulgaſſe: quin ſe eo nomine domi foriſq; poſtulatum, & vero grauius reprehenſum; impenſius vero ſiqui vrgerent, reſpondiſſe, Non placere, laqueo collum ſuum vltro inſerere.

* Lite-

* Literarum itaque, quæ tum obiectæ erant (quarti calendas Octobris, 1606.) vehementer negat aut operam vllam aut conscientiam fuisse suam, sed eas confirmat; nomini suo per fraudem suppositas.

Hæ literæ Breuis prædicti, contra Fidelitatis iuramentū, publicationi subseruiebant

Quæstionis prioris sectio sexta.

3. Iuly, 1607.

INterrogatus, num eum pridiè commemorati *Breuis* interuentu, pristinæ, de iuramenti æquitate, sententiæ pœniteret: is postquam aliquandiu substitisset, opinionis suæ constantiam respondit, neque *Breuis* illius religione, neque hactenus oppositæ rationis cuiusquam momento esse aliqua ex parte inclinatam.

Rogatus ergo, quid de eo sacramēto iam statuat, num huius Regni Catholicis integrū etiamnum cēseat, num id exemplo suo præire iussus velit: respōdet; Si eum equidem includat sensum, quem præ se ferunt Maiestatis suę verba quędā apud Patres & Plebem in Comitiis * habita, quibus Ecclesiæ Romanæ ea in re doctrina perstringitur: in hac se esse sententia: non integram modo omnibus Catholicorum ordinibus, sed & debitam esse eius iuramenti professionē eamq; se, vbi exigetur, non detrectaturum. Optatq; adeò datam sibi *Drurai*, postquam capitis damnatus esset, conueniendi potestatem: de cuius vita intelligit impetratum iri, modo sacramenti huius oblata conditione vti vellet.

10 Martij 1603.

Maiestatis suæ verba sic habent:

Litera C. pag. 1.

Doctrinæ caput Pontificijs intelligimus esse importunum illum & ambitiosum, quem Capiti suo Pontifici *ascribunt authoritatis Primatum: cuius adeo prærogatiua nō modo spiritualem in Christianorum orbem, sed & in Regum ac Cæsarum solia & Diademata, Imperialem & ciuilem sibi arrogat Principatum, vt ea pede deijcere, eadem dispēsare & disponere ad libitum & appetitum possit. Alterum caput, quod in eorum moribus & praxi assiduum videre licet, intelligi volumus Regum percussiones & parricidia, vt quibus meriti rei sit, tantum absunt vt in facti ducant impijs, si in Principem suum, cui naturæ conditione omnia debeant pietatis officia, nullas perduellium, nullas hostiū partes omiserint, postquam percussus Anathemate, subditos habeat Fidelitatis voto solutos, Regnumq; à triuertice eorum Monarcha, seu Monstro verius, publicatum.*

Interrogatus deinceps, possitne animum inducere, vt quā de licito eius iuramenti vsu sententiam verbis sit professus: eam (cum sibi neget immutatam) sacerdotib. scripto cōmendet: respondet; Se eam opinionem certis argumentis, Romam (vt dictum sit) iamdiu missis, initio habuisse fundatam: quam (cum adhuc retineat integram) non admodum pugnare, quin vt sermone pridem apud sacerdotes aliquot, ita nunc literis exequatur, nisi ea res plurimum habeat inuidiæ & æmulationis. De cætero verò addit, se Maiestatis suæ verbis (vt supra) confisum, cum præsertim in iuramēti fabrica Ordinum diligentiam attendat, quam Pontificis in excōmunicando authoritatem consulto prętereuntes, huc curam omnem conuerterint, ne quid ex iisce consequentiis Respublica detrimenti caperet, quas Anathematis potestati videbatur Catholicorum doctrina affingere (cuius exempli nōnullas vulgo hinc deductas, ipsa iurisiurandi cōpages continet:) nō recusare, quo minus iudicium suum literis consignatum in catholicos per omnem Angliam sacerdotes edat, licitum illis esse, ex sensu præfato, iuramenti vsum, cuius rei fidem suscepti iurisiurandi autoramento confirmat, in hæc verba.

Ego Georgius Blacuellus *vere & syncere agnosco, profiteor, & conscientia testo, coram Deo & hominibus declaro, Serenissimum Dominum nostrum Regem* Iacobum *legitimum esse, optimoq; iure huius Regni & reliquarum Maiestatis suæ ditionum & Prouinciarum Regem: neq; posse Romanum Pontificem vel à se, vel vllius authoritatis vi ab Ecclesia aut Sede Romana acquisita, vel alia quauis ratione etiam cum alijs coniuncta, Regem deponere, aut de ipsius Regnis vel dominijs disponere vel extraneo cuiuis Principi ipsum, aut ipsius territoria inuadendi aut infestandi potestatem facere; vel ex suis subditis quemlibet à fide atq; obedientia Maiestati suæ debita exauthorare; vel illorum cuipiam facultatem permittere arma in eum gerendi, tumultus ciendi, aut Maiestatis suæ personæ, statui, regimini, vel subditis suis, intra ditionis suæ ambitum, vim aut noxam inferendi.*

Item ex animo iuro quod non obstante qualibet declaratione, siue sententia Excommunicationis aut Priuationis facta vel concessa, aut facienda vel concedenda per Papam aut eius successores, vel cuiusuis authoritatis vi ab ipso aut ab eius Sede deriuata, vel deriuari prætensa, contra prædictum Regem, illiusve hæredes, aut successores, vel quauis dictorum subditorum à sua obedientia exauthoratione, ego tamē fidem & syncerum obsequium Maiestati suæ ac eius hæredibus & successoribus præstabo; illum atq; illos pro viribus defendam contra omnes conspirationes & conatus, quicunq; in eius vel eorum personas, coronam, & dignitatem, ratione vel prætextu eiusmodi sententiæ aut declarationis, vel alias fient: operamq; dabo sedulam, vt omnes coniurationes & conatus proditorios Regiæ Maiestati eiusq; hæredibus & successoribus detegam & patefaciam, quos contra ipsum, aut eorum quemlibet rescivero, vel accepero comparari.

Porro etiam iuro me ex animo abhorrere, detestari, & vt impiam & hæreticam, abiurare execrabilem hanc doctrinam & assertionem: Principes à Papa excommunicatos, vel iure Regali exutos, licite posse à subditis suis vel quocunq; alio, Regno vel etiam vita priuari.

Quinetiam credo & certa conscientia teneo, neq; Papam, neq; quemuis alium posse me ab hoc iuramento, vel vlla eius particula absoluere; quod quidem agnosco recta & plena authoritate ac legitimè mihi esse propositum, omnibusq; Indulgentijs & Dispensationibus in contrarium renuncio.

Hæc autem omnia ingenuè & syncerè agnosco ac iuro, iuxta expressa verba per me hic prolata, & iuxta planum & vulgarem eorundem sensum & intellectum, absq; vlla æquiuocatione, vel mentali subterfugio, aut tacita quacunq; reseruatione. Hancq; recognitionem & agnitionem ex animo, libenter, & syncerè facio, in vera fide hominis Christiani: ita me Deus adiuuet.

Georgius Blacuellus Archipresbyter.

Quæstionis prioris sectio 7.

4. *Iulij*, 1607.

**19. Martij 1603.*

BLacuellus, quod in sermone Regio (quem pro Comitiis * habitum, typi post exceperint) aliquid iuramento suo videatur occultare præsidij, mentem suam iubetur explicare diligentius, quam loci supra citati sententiam sequatur. Eum enim posse illi sensum comminisci, vt pridiana iurisiurandi dictio planè fiat inutilis, nec quod profiteatur officium vlla ex parte impleat: cum Maiestatis suæ minimè sit obscura sententia, ab appetitu & temeritate proficisci, si quis Pontificum Romanorum eo venerit fastus & insolentiæ, vt edicto in Reges Anathemate, subditis eodem impetu innatam obsequij legem soluat, classicum ad arma canat, in Principum suorum capita, in omnia seditionum & tumultuum consilia eosdem instruat authoritate sua; denique in salutem siue Eorum, siue publicam ista molientibus auxilio esse iubeat. Blacuellus vt superiori sententiæ lucem præferat, sic se ait statuere: Legitimi Anathematis potestatem nullos fundere istiusmodi fructus, nullos ferre. Sed & omnino sibi polliceri, Romano Pontifici haud vnquam venturū in mentem, vt in Maiestatem suam Excōmunicationis sententiam ferat: quod si quo tamen casu faxit, populumq; omnem eadem opera Fidelitatis suę religione exuat, ad perduellium, ad sicariorum officia prouocet: certum sibi tamen & deliberatum esse, in fide & obsequio nihilo segnius permanere, omnesq; debere Catholicos, etsi simili Anathematis periculo inuolutos, pari animo esse. Persuasum enim habere, in eaq; sententia animum obfirmasse, non posse iure in Maiestatem suam edi aut promulgari legitimi moris Excommunicationem, cui istiusmodi consequentiarum vis ac potestas rite asc.ibi debeat: sed nec eius interdicto subditis conditionem mutari, quin eodem prorsus, ad omnem iuris effectum, obsequij fideiq; nexu, tanquam nō declarata, nō lata, nō instituta deniq; illa Sententia, erga Maiestatē suam obstricti teneantur.

Georgius Blacuellus Archipresbyter.

M. GEORGII BLACVELLI AD COADIVTORES SVOS, RELIQVOSQVE SACERDOTES EPISTOLA, VT AD PRÆscriptum Fidelitatis sacramentum non ipsi modo (si ita res ferat) prompte velint descendere, sed & cæteris suæ disciplinæ Catholicis eiusdem subeundi authores esse.

REuerendi admodum Adiutores, fratresq; mei cum primis dilecti: quam multos apud vos annos in summis angustijs exegerim, quam semper imminentibus, prementibus sæpe periculis diuino præsidio sim ereptus, vobis testibus vti possum. Factum tamen est Dei opt. Max. consilio, diebus hisce proximis, vt iamdiu mihi inhiantis cuiusdam faucibus sim obiectus: cuius ego animæ saluti si parem curam remetiri possim, quā is misellis corporis mei comprehensioni dederit, non nisi pij videor & Christiani hominis officio perfunctus. Est quod Deo gratiam imprimis habeam, quod in perpetuo per duodecim hosce dies arctioris custodiæ, & ad Palatiū Lambethense octauo de me repetitæ* Quæstionis *tædio versatus, nullam interea cuiuis præbuerim sinistrè de me loquendi causam, nullius facti conscius mihi sim, quod sperem à vobis grauius vel acerbius auditurum. Accidit vero (quod equidem piget referre) vt per hoc* Quæstionis *meæ negotium, insignem in nostris deprehenderim læsæ integritatis culpam. Ecce enim coram prolata à Domino Archiepiscopo (rem mihi visu minime iucundam) tum Sanctitatis suæ* Breuia, *tum quæ illis diuis gaudijs subseruierant, literarum mearum exempla, multaq; ad hæc nostrarum actionum tam luculenta indicia, vt sine infamia & turpitudinis fœdissima nota haud facile mihi esset veritatis impetū in rebus obiectis declinare.* Quæstionis *autem caput erat, num eadem mihi perstaret, de sacramenti pro Fidelitate sanciti vsu legitimo, an noua subijsset opinio. Ego vero, qui perspicerem, quam Serenissimo Regi Reiq; publicæ odiosa, quam suspecta res esset nostra illius iuramenti detrectatio eaq; fundamenta animo diligenter repeterem, quibus fretus, negotio adhuc recente in publicam eius laudem concessissem: accederentq; quibus multum confidebam, ex sermone Regio (qui auditus publice 19. Martij 1603. typorum operam deinceps adierit) rationum quarundam momenta: sed & didicissem, Regni Ordines à Pontificio excommunicandi iure composita diligentia manum abstinentes, id vnum spectasse, vt ab iis consequentiis Regiæ saluti cautum esset, quas Anathematis potentia, ex Catholicorum (vt credebatur) disciplina vulgo inscriptas, iuramenti formula repræsentat: his ego (inquam) aliisq; rebus inductus, in prius susceptam opinionem & sacramentum Fidelitatis consensum meum palam profitebar, ipsumq; adeo, in eadem verba, quæ dictant Legis tabulæ, iusiurandum dicebam.*

Post cum in sermonem venisset potestas Anathematis, ego sane sic censui. Primo haud videri vnquam fore, vt Maiestatis suæ excommunicandæ consilium Pōtifici subeat. Sed nec legitimæ Excommunicationis vim esse tātam, vt eorum effectuum atrocitati sufficiat, quos ex ea pridem deductos ipsius notat iuramenti stylus. Dein, si quam forte in Maiestatem suam intorqueat summus Pontifex Anathematis sententiam, quæ popularibus & iure debitam & iuramento datam fidem remittere, quæ perduellionis & parricidij in Principem, quæ nullius non in patriam

**Octauo die rationes suas pro fidelitatis iuramento, exhibuit.*

erodi-

proditionis & perfidiæ videri queat quasi religionem inferre: mihi tamen è lege diuina persuasum esse (in quo adeo conspirare omnium debet, quibus modo sit mens integra, Catholicorũ sensus) nõ esse propterea boni ciuis officium, nõ pij subditi fidem deserendam. Mea enim sic est sententia, & sic animum induxi meum, non posse in Maiestatem suam iure à Pontifice declarari legitimum Excommunicationis decretum, quod horum effectuum immanitatem iubere, vel etiã operari (vt dictũ est) aut possit aut debeat. Sed & vniuersis Eius subditis (si quid huius fieri cõtingat) nihilo minus integrum manere ad omnem iuris effectum, tanquam nulla Anathematis sententia, obsequij, officijque sit vinculum. Quamobrem incertum cum sit, detur ne ad vos reliqua scribendi facultas; animi hac in re mei conscientiam liberius volebam effundere: facilè mihi pollicitus, vos (adiutores mei, fratresq; charissimi) huic iuramento (vbi vsus venerit) meo exemplo non defuturos: plebemq; Catholicã vestris preceptis ita reddituros institutam, vt ad hoc sacramentum euocati, ne declinent. Hinc erit, vt iniuria nobis aspersam proditionis & perfidiæ maculam diluamus. Hinc erit, vt è plebe Catholici fortunarum suarum naufragium & calamitatem effugiant. Hinc erit, vt (officio Sanctitati suæ gratissimo) Deo & Principi nostro suum cuiq; obsequium reddamus. Magnum hinc emolumentum, vberemq; multarum consolationum fructum haud dubiè percipiemus. Extrema vox erit illa Apostoli; Caritas mea cum omnibus vobis in Christo Iesu, Amen.

Westmonasterij è Carcere, 7. Iulij, 1607.

Georgius Blacuellus Archipresbyter
& Protonotarius Apostolicus.

Inscriptum,
Reuerendis adiutoribus & dilectis
fratribus meis.

8. *Iulij*, 1607.

Has literas coram recitatas agnoscit G. Blacuellus sua manu scriptas, suæque consentaneas esse menti & iudicio, quod adeo sponte à se traditum fatetur, non vi aut iniqua aliqua ratione elicitum.

Nequis effugio aut calumniæ locus esset, placuit hanc Epistolam apud nonnullos sanctioris Consilij à Blacuello recognosci, quod ab eo perinde est factum.

R. Cant. T. Ellesmere Canc. *T. Dorset.*
H. Northampton. *Salisburie*
E. Wotton. *Iul. Cæsar.*

SVMMA BREVIVM EORVM, DE QVIBVS IN PRIORE QVÆSTIONE PASSIM fit mentio.

Capita primi Breuis *in huius Quæstionis quarta sectione memorati, cui initium:* Scitum est, *&c.*

HVius *Breuis* summa est, Pontificem speciali mandato Cardinali Caietano, Anglicanæ nationis Protectori, iniunxisse, vt ad exemplum Collegij Romani, de aliqua inter eos, qui in Anglia sacerdotess degerent, pacis constituendæ ratione cogitaret. Re ex Cardinalis & aliorum consilio deliberata, visum esse Pontifici, vt pro iis sacerdotib. Anglicanæ nationis dirigendis ac gubernandis, qui in Angliæ Scotiæve regnis versarentur, aliqua subordinatio constitueretur, Blacuellusq; cæteris, authoritate Archipresbyteri, præesset. Delegatã illi potestatem eosdẽ dirigendi, admonedi, reprehendendi & castigandi; facultates eorũ reuocãdi, ipsosq; de vna residentia in aliam mouẽdi ac cõmutandi. Licere porro quemcunq; ad se sacerdotẽ vocare ac cõuenire, plures vnũ in locum conuocare, congregatis præesse, eosq; (si quando opus esset) pœnis coercere Ecclesiasticis. Vt vero facilius hanc prouinciã sustineret, duodecim ei coadiutores adsciscendos, quibus, vt & ipsi, iniunctum esset, vt sexto quoq; mense de statu rerum suarum, vt de eisdem Papa cognosceret, literas Romam darent. Præcipuum huius subordinationis finem esse, vt præ cæteris pax & vnio conseruaretur inter presbyteros sæculares & Iesuitas; qui pro Anglicana causa sustinenda strenuè laborarent, fundandis Seminariis, &c. Fraudem & astutiam Sataneę esse, vt quisquam Catholicus æmulationem in eos excitaret: quam concordiam siquis labefactare studeret, eum vel admonitione corrigendum, vel pœna coercendum.

Summa Mandatorum, quæ Cardinalis præfatus ad Archipresbyterum dederat, quorum in eadem sectione fit mentio.

CVm præcipua Pontificis intentio per subordinationem prædictam esset, vt Archipresbyter eiusque Consultores dissensionum, æmulationum, ac schismatum occasionibus tollendis inuigilarent: mandatum est, vt de iis, qui dissidij causam præberent, Protectorem per literas certiorem facerent. Vt Archipresbyter nihil efficeret maioris momenti sine Assistentium consilio, si id commode haberi posset. Vt præter Archipresbyterum, nemini

mini imposterum potestas esset, presbyteris Sæcularibus Facultates concedendi, neque Iesuitis, præter Superiorem Societatis. Vt neq; Archipresbyter, neq; eius Consultores iurisdictione sibi commissa vterentur, nisi vbi necessitas postularet. Siquid inter Iesuitas emendandum occurreret, vt Archipresbyter, eiusq; Assistentes cum illorum Superiore de ea re agerent; qui si remedium non adhibuisset, tum vel ad Protectorem, vel Præpositum generalem scriberent. Vt Archipresbyter in rebus maioribus Superioris prædicti consilium exquireret, quod eius magna esset in rebus Angliæ experientia, vt literas suas ad Collegii Duacensis Præsidem darent, Romam perferendas. Vt Archipresbyter operam daret Sacerdotum Visbicensium, & aliorum dissidiis componendis. Vt in Archipresbyteri arbitrio esset, sacerdotes ab vna domo vel residentia in aliam mutare.

Summa literarum, quæ à Cardinali ad Archipresbyterum datæ sint: de quibus in eadem sectione habetur mentio. Sic autem cœperant: Admodum Reuerende, *&c.*

ARchipresbyter (vti colligere est) aliique, qui prædictæ subordinationi fauebant, & patres Iesuitæ gratias Cardinali egerant per literas, quibus significabant, communi eam approbatione per Angliam receptam. Hisce Cardinalis rescribit, quantum ex ea re Pontifex gaudium perceperit. Posterioribus tamen nunciis ad se perlatum, quosdam refragari cœpisse, ac contentiones ciere, quibus Papam scribit turbari non mediocriter. Proinde postulat ab Archipresbytero, idque iubente Papa, vt verè eum de singulis doceat, notatis reluctantium nominibus, causisque quas renitentię suæ prætendant. Hortatur denique Archipresbyterum, vti ne defatigetur, si difficultates ac contradictiones nonnullas in suo regimine experiatur.

Summa Breuis *à Clemente Papa 8. transmissi, de quo in eadem sectione sermo est. Sic autem incipitur:* Ad futuram rei memoriam.

SVbortis contra Archipresbyteri subordinationem, Cardinalisq; in eo munere instituendo authoritatem, multis contentionibus: Papa hoc *Breui* agnoscit, omnia Cardinalis in ea re facta à suo mandato prouenisse. Porrò item de plenitudine Apostolicæ authoritatis suę, ad omnes deinceps lites præueniendas, ex certa scientia & mero motu confirmat & approbat, quicquid in hoc negotio à Cardinali factum esset: irritumque & inane decernit, siquid in contrarium aut attentatum esset, aut deinceps posset attentari.

Capita Facultatum, *quarum in eadem sectione fit mentio.*

VT ab omnibus Censuris, in Bulla Cœnæ Domini reseruatis, per Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ regna possent absoluere. Vt possent illis, quos reconciliassent, dare Apostolicam benedictionem, cum plenaria indulgentia. Vt possent cōmutare vota simplicia, exceptis votis castitatis & religionis, in aliud opus pium. Vt possent dispensare cum illis, qui contraxissent in tertio & quarto gradu. Vt vestes aliaq; omnia, quæ ad Missam pertinerent, præter ea, quæ requirerent Chrisma, possent consecrare. Vt possent dare facultatem Catholicis legendi libros controuersiarum à Catholicis scriptos in vulgari lingua. Vt cum Breuiarium ferre, vel recitare officium sine probabili periculo non possent, Psalmis aliquot vel aliis orationibus, quas scirent memoriter, recitatis illud supplerent.

Summa Breuis *à Clemente Papa 8. dati, de quo mentio fit in huius* Quæstionis *quinta sectione. Initium habet:* Cum nobilissimum Angliæ Regnum, *&c.*

HOc in *Breui* Papa duorum, quæ antea miserat, *Breuium* summam, quæque eorum causæ essent, recenset. Commemorat studia partium, quę inter presbyteros sęculares, & Blacuellum eiusque fautores, interuenissent; nec minus tractatum de *Schismate* à quodam ex Archipresbyteri partibus contra reliquos Sæculares editum: quem vtiq; tractatum, cum Blacuellus rogatus nollet reuocare, acriorē hinc contentionē excitatam esse. Sæculares, Papæ literis diuulgatis, simultatem omnem deposuisse.

Eos tamen ab Archipresbyteri fautoribus schismaticos appellari: quam rem apud Archipresbyterū conquestos, nihil profecisse, nisi satisfactionē fecissent, priusquā absolutionis beneficium acciperent. Pristinas hinc dissensiones recrudescere: eosq; Romā prouocasse, iniurias suas illic questos. Quamobrem Papa Archipresbyterū aliquo modo reprehendit, monetq; se totam hanc illi authoritatem, ad animarum ædificationem, non destructionem concessisse, vt gregem pasceret, eumque non coactè, sed spontaneè regeret, non dominans Clerum, sed factus forma gregis. Adhibitisq; aliis admonitionibus & præceptis, quæ æquum esset obseruare, qui in Ecclesiastica dignitate præesset, monet, vt seueritati mansuetudinem admisceat: vt nec verbo aut

scripto

ſcripto quenquam damnet, niſi re maturè deliberata: vt libellos factioſos in vulgus edi minimè patiatur: vt ſubortam contentionum ſegetem, antequam altius creſceret, celeri manu præcidat. Sacerdotes vero Archipresbytero adhærentes hortatur, vt ea quæ ad pacem conſeruandam pertineant, ſedulo procurent: ne plus æquo ſibi arrogent: ne alios damnent, aut contemnant: neue ſcripto aut verbo offendant. Eodem modo cum Presbyteris iis agit, qui Archipresbytero ſunt reluctati, vt in gratiam cum cæteris redeant, & omnia libenter Chriſto condonent: eorumq́ue ſe Appellationi minime deferendum duxiſſe, quod ea diſſenſionem priſtinam augeri poſſe exiſtimaret: Tractatum illum de *ſchiſmate* ſupprimit: & ne vlla huiuſmodi ſcripta deinceps diuulgentur, aut retineantur, ſub pœna Excommunicationis, præcipit. Nomen ſchiſmatis extinguit, eiusq́; mentionem ſub eadem pœna prohibet: multisq́; ad charitatem, & in officiis ſuis diligentiam adiectis perſuaſionibus, *Breue* illud concludit.

Summa Breuis *à Clemente Papa 8. dati, cuius mentio fit in eadem ſectione. Initium vero habet:* Venerunt nuper ad nos, *&c.*

NON obſtitit *Breue* prædictum, quo minus offenſi Sacerdotes Appellationem ſuam perſequerentur: eique rei procuratores Romam mitterent: vbi cauſa aliquo modo audita, Papa Archipresbyterum hic monet, vt authoritate ſua caute & prudenter vtatur, neque facultates ſuas excedat, ſicut quibuſdam in rebus videbatur exceſſiſſe. Vt eam deinceps in Presbyteros, qui Seminariorum alumni non fuerant, aut laicos ne exerceret; neq; facultatem vult illi competere infligendi cenſuras, aut ſtatuta condendi; neq; contra presbyteros Appellantes, qui ad Romanam Curiam venerant, procedendi, niſi Protectore conſulto, eiusq́; ſententia expectata: neque eoſdem de vna in aliam reſidentiam, niſi ex cauſa, transferendi. Mandat ei porro in virtute Obedientiæ ſuæ, vt ſine vlla cuiuſquam offenſione, ac maiori cum animi quiete, & omnium pace & concordia, officio ſuo fungatur. Vt nulla negotia ad munus ipſius ſpectantia communicet aut tractet cum Prouinciali Ieſuitarũ, vel aliis Religioſis eiuſdem Societatis in Anglia exiſtentibus, ne noua diſcordiæ occaſio præbeatur: neue de rebus ad eius Regimen pertinentibus, per literas, aut interpoſitam perſonam, quouis modo cum Ieſuitis in Romana Curia, vel alibi commorantibus agat; ſed omnia ad ſe vel ad Protectorem referat. Licitum vero decernit, Rectoribus Collegiorum, eiuſdem ſocietatis alumnis diſcedentibus literas teſtimoniales & commendatitias ad Archipresbyterum dare: & de iis in acceſſu alendis & tractandis cauet. Quod ſi contigiſſet aliquos ex Aſſiſtentibus deficere, in eorum locum ſubſtitui iubet tres ex presbyteris Appellantibus. Monet porro, vt Eleemoſynæ, quas ex largitione Catholicorum copioſe acceperat colligi, fideliter diſtribuantur. Vt Appellationibus, quibus de iure deferendum eſſet, deferat, quæ ad Protectorem deuoluantur. Libros porro omnes, in quibus aliquid contineatur contra inſtitutum Societatis Ieſu, damnat ac prohibet; mandatq́; ſub pœna Excommunicationis, ne libri vlli pro alterutra parte in poſterum edantur. Deniq; Archipresbyterum, omnesq́ue tam Religioſos, quam ſæculares presbyteros hortatus, vti paci & concordiæ ſtudentes, nolint altum ſapere, hoc *Breue* concludit.

Summa Breuis *à Paulo Papa 5. dati 10. Calend. Octob. 1606. cuius mentio facta eſt in eadem ſectione.*

HOc *Breui*, contra Wrighti ſacerdotis rationes * ſuperius memoratas, pro Proteſtantium templis adeundis, decernitur. Monentur etiam Catholici, ne ſe obſtringant Fidelitatis ſacramento: nulla tamen (ſiqui ſecus faxint) cenſura adhibita.

* *In priori quaſt. ſect. 4.*

P*Lacuit, Actionem hanc omnem edi in publicum, vt ſi quis forſan ſuboriatur ſcrupulus, Blacuellum liceat, eius eximendi cauſa, in carcere, ſiqui volent, adire.*

IN

IN M. GEORGIVM BLACVELLVM ANGLIÆ ARCHIPRESBYTERVM A CLEMENTE PP. 8. DESIGNATVM,

QVAESTIO PRODVCTIOR, AD PALATIVM LAMBETHENSE plurium dierum negotio habita: & ad Maiestatis suæ præscriptum per singula interrogationum capita diligenter exacta.

NATA EX ARCHIPRESBYTERI, AD C. BELLARMINI LITERAS, eius in iurando officium criminantes, Responso clandestino, quo Blacuellus videbatur in suscepti iuramenti sensu præuaricari.

PRÆFIXÆ vtræque sunt, tum Cardinalis, tum Archipresbyteri literæ.

ADDITA EST M. BLACVELLI AD PONTIFICIOS ANGLOS, DE licito iuramenti Fidelitatis vsu, Altera Epistola.

CARDINALIS BELLARMINI LITERÆ AD M. GEORGIVM BLACVELLVM.

Admodum Reuerendo Domino Georgio Blacuello Archipresbytero Anglorum, Robertus S. R. E. Cardinalis Bellarminus, S. D.

VENERABILIS *in Christo Domine frater. Anni sunt ferè quadraginta, quod inuicem non viderimus: sed ego tamen veteris nostræ consuetudinis nunquam oblitus sum, teq; in vinea Domini strenuè laborantem, quando aliter non potui, orationibus Deo commendare non destiti, me quoq; in tua memoria toto hoc tempore vixisse, & in tuis orationibus ad Altare Domini locum aliquē habuisse non dubito. Ita igitur ad hoc vsq; tempus non verbis, aut literis, sed opere & veritate (vt Sanctus Ioannes loquitur)* alter in alterius dilectione *permansimus. Sed hoc silentium rumpere coegit nuncius, qui diebus istis de tuis vinculis & carcere ad nos venit. Qui quidem nuncius, etsi tristis videri poterat ob iacturam pastoralis tuæ sollicitudinis, quam Ecclesia ista fecit: tamen lætus quoq; videbatur, quoniam ad Martyrij gloriam, quo dono Dei nullum est fælicius, propinquabas, vt qui tot annis gregem tuum verbo & doctrina pauisses, nunc exemplo patientiæ gloriosius pasceres. Verum hanc lætitiam non mediocriter interturbauit, ac ferè corrupit tristis alius nuncius, qui de constantia tua in recusando illicito iuramento ab aduersarijs tentata, fortè etiam labefactata & prostrata successit. Neq; enim, frater charissime, iuramentum illud ideo licitum esse potuit, quod aliquo modo temperatum & modificatum offerebatur. Scis enim eiusmodi modificationes nihil esse aliud, quam Satanæ dolos & versutias, vt fides Catholica de primatu Sedis Apostolicæ vel apertè, vel occultè petatur, pro qua fide tot inclyti Martyres in ista ipsa Anglia ad sanguinem vsque pugnarunt. Certe enim quibuscunque verbis iuramentum ab aduersariis fidei concipiatur in Regno isto, eo tendit, vt auctoritas capitis Ecclesiæ à Successore S. Petri ad successorem Henrici octaui in Angliа transferatur. Quod enim obtenditur de periculo vitæ regis, si summus Pontifex eam in Anglia potestatem habeat, quam in aliis omnibus Christianis Regnis habet, inane prorsus esse, omnes qui sunt aliqua prudentia præditi facile vident. Neq; enim auditum est vnquam ab initio nascentis Ecclesiæ, vsq; ad hæc nostra tempora, quod vllus Pōtifex Maximus Principē vllum, quamuis hæreticū, quāuis ethnicū, quamuis persecutorē, cædi mādauerit, aut cædē forte ab aliquo patratā probauerit. Et cur (quæso) vnus Rex Angliæ timet, quod ex tot Christianis Principib. nullus timet, nullus timuit? Sed (vt dixi) vani isti prætextus decipulæ sunt, & stratagemata Satanæ. Qualia nō pauca in Historia veterū temporū inueniūtur, quæ facile referre possem, si nō Epistolam, sed librū integrū scribendum suscepissem: vnū tantū, exempli gratia, ad memoriam tibi reuocabo. Scribit S. Gregorius Nazianzenus in* prima oratione in Iulianū Imperatorem, *illum, vt simplicibus Christianis imponeret, in imaginibus Imperatoriis, quas Romani ciuili quodam genere honoris pro more adorabant, imagines deorum falsorum admiscuisse, vt nemo posset Imperatoris imaginem adorare, quin simul deorum simulachris cultum adhiberet. Hinc nimirū fiebat, vt plurimi deciperentur, & si qui forte fraudem subodorati, Imperatoris imaginem*

ginē venerari recusarent, ij grauissimè punirētur, vt qui Cæsarē in sua imagine contēpsissent. Tale aliquid in Iuramēto vobis oblato mihi videre videor; quod ea fraude cōpositū est, vt nemo possit proditionē in Regē detestari, ciuilemq́; subiectionē profiteri, quin primatū Sedis Apostolicæ perfidè abnegare cogatur. Sed Christi serui, ac præsertim primarij Domini Sacerdotes, vbi periculū fidei subesse possit, tantū abesse debēt à susceptione illiciti iuramēti, vt ab omni ētiam suspicione simulationis præstiti iuramēti cauere debeant, ne fidelibus populis vllū præuaricationis exēplū reliquisse videātur. Quod egregiè præstitit insignis ille Eleazarus, qui neq; porcinas carnes comedere, neq; simulare comedisse voluit, quāuis grauissima tormēta sibi cerneret imminere, nē (vt ipse ait in 2. lib. Maccab.) multi iuuenū per eam simulationē ad legis præuaricationē animarētur. Neq; minus fortiter magnus Basilius, & exēplo ad res nostras magis accōmodato, cū Valente Imperatore se gessit. Nā, vt in historia scribit Theodoret⁹, cū Præfectus Imperatoris hæretici hortaretur Sanctū Basiliū, vt nō vellet, propter paruā dogmatū subtilitatē, Imperatori resistere, respōdit vir ille sanctissimus & prudētissimus, nō esse ferendū, vt de diuinis dogmatibus, vel vna syllaba corrumpatur, sed potius pro eorū defensione omne genus supplicij amplectendū. Equidē arbitror nō deesse apud vos, qui dogmatū subtilitatē esse dicant, quæ in Iuramento Catholicis hominibus proposito cōtinētur, & nō esse propter rem tā paruā Regis Imperio reluctandū. Sed non deerunt etiam viri sancti, ac magno Basilio similes, qui palā affirmabūt, Nō esse de Diuinis dogmatib. vel minimā aliquā syllabā corrumpendā, etiamsi tormēta & mors ipsa tolerāda proponatur. Inter hos vnū vel potius horū Principē atq; antesignanū te esse par est. Et quāuis vel inopinata cōprehensio, vel acerbitas persequutionis, vel senectutis imbecillitas, vel quid aliud in causa fuerit, vt cōstantia titubaueris, confidimus tamen de Domini pietate, & de diuturna tua virtute fore, vt qui S. Petri & S. Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris eorundē fortitudinē, in reparandis virib. & veritate asserenda, fœliciter imiteris. Nā si rem totā diligenter apud te cogitare volueris, videbis profectò nō esse rē paruā, quæ ob iuramētū istud in discrimē adducitur, sed vnū ex præcipuis fidei nostræ capitib. ac religionis Catholicæ fundamētis. Audi enim, quid Apostolus noster magnus Gregorius, in Epistola 42. libri 11. scribat, Apostolicæ Sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur: tunc enim membrorum status integer perseuerat, si caput fidei nulla pulsetur iniuria. Itaq; S. Gregorio teste, cum de primatu sedis Apostolicæ vel turbādo, vel minuēdo, vel tollēdo satagitur, de ipso capite fidei amputādo, ac de totius corporis, omniumq́; mēbrorū statu dissipando satagitur. Quod ipsū S. Leo cōfirmat in sermone tertio, de assumptione sua ad Pōtificatū, cum ait: Specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquā aliorū status certior sit futurus, si mēs Principis victa nō fuerit. Ex quo idē ipse, in Epistola ad Episcopos Viennensis prouinciæ, affirmare nō dubitat, Necesse esse, exortem illū mysterij esse diuini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere. Qui rursū ait: Quisquis huic Sedi principatū exstimat denegādū, illius quidē nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflat⁹ spiritu superbiæ suæ, semetipsum in infernū demergit. Atq; hæc quidem & alia eiusdem generis multa tibi notissima esse certò scio, qui præter cæteros libros Visibilem Monarchiam Sanderi tui scriptoris diligētissimi, & de Ecclesia Anglicana optimè meriti, sæpè legisti: quiq́; ignorare nō potes, sanctissimos viros, eosdēmq́; doctissimos Ioannē Roffensem, & Thomā Morum pro hoc vno grauissimo dogmate duces ad Martyrium plurimis alijs, cū ingēti Anglicanæ nationis gloria, nostra memoria fuisse. Sed ad memoriā tibi reuocare volui, vt colligas te, & magnitudinē rei cōsiderans, nō tuo iudicio nimiū fidas, neq; plus sapias quā oportet sapere: & si forte lapsus tuus nō ex inconsideratione, sed ex infirmitate humana, ex metu carceris, & suppliciorū profectus est: nō anteponas libertatē tēporalē libertati gloriæ filiorū Dei, neq; ob momētaneā, & leuē tribulationē fugiendā, amittere velis æternū gloriæ pōdus, quod ipsa tribulatio operatur in te. Bonū certamē diu certasti, cursū ferme consūmasti, fidē tot annis seruasti, noli igitur tātorū laborū præmia tā facile perdere, noli corona iustitiæ, quæ tibi iamdudū paratur, teipsū priuare, noli tot fratrū & filiorū tuorū vultus cōfundere. In te sunt hoc tempore coniecti oculi totius Ecclesiæ, quin etiā spectaculū factus es mūdo, Angelis & hominib. noli in extremo actu ita te gerere, vt & tuis luctū, & gaudiū hostib. relinquas. Sed cōtra potius (quod omnino speramus, & pro quo ad Deum nostrū assiduè preces fundimus) vexillū fidei gloriosè erigas, & quam cōtristaueras, lætā facias Ecclesiam, nec iam solū veniā merearis à Domino, sed coronam. Vale, viriliter age, & confortetur cor tuum. Romæ die 28. Septembris, 1607.

Reuerendæ admodum D. V. frater & seruus in Christo,
Robertus Cardinalis Bellarminus.

M.GEOR-

M. GEORGII BLACVELLI AD CARDINALIS LITERAS RESPONSVM.

Reuerendissime in CHRISTO Pater, & Illustrissime Cardinalis Bellarmine:



DOLEO plurimum, quod Illustrissima Amplitudo vestra de me propter Catholicam fidem incarcerato, tam duram conceperit, & mihi terribilem opinionem. Hactenus per Dei gratiam, ne in minimo quidem articulo fluctuasse me memini, qui certo & definite ad sublimem Maiestatem, in summam authoritatem Sedis Apostolicæ pertineret. Quod ad iuramentum spectat, fateor me illud suscepisse, sed in eo sensu, qui in Catholicorum scriptis probatus apparet, & nulla labe temeritatis aspersus. Sensus enim meus ter repetitus, & acceptus à Magistratu, & iam etiam publice typis propagatus, hic est, Summum Pontificem non habere imperialem, & ciuilem potestatem ad libitum & ex suo appetitu, deponendi nostrum Regem. Talem potestatem Catholici Theologi nunquam tribuerunt Sanctissimo Diui Petri successori, vt Illustrissimus bonæ memoriæ Cardinalis [a] Alanus, & alij non contemnendi scriptores in monumentis suis ad posteritatis memoriam notauerunt. Neque est, cur quisquam vel minimam suspicionem habeat, illum sensum admissum esse à Magistratu, deformandæ causa, aut imminuendæ, aut spoliandæ dignitatis Apostolicæ. Certe tales ex suspicione nati conceptus sunt plerunque fallacissimi magistri, & faciunt timorem, vbi nullus est timor.

Sed vt pergam, quam institui, tenere viam: Illud etiam ad defensionem meam accedit, quod positum est ab Illustrissimo Cardinale [b] Caietano, in responsione sua ad Parisienses, quod vtrumque verè determinari possit de Papa, & quod habet supremam potestatem in temporalibus, & quod nō habet supremam potestatem in temporalibus: quoniam vtrumque verum est ad sanum intellectum. Affirmatio namq; est vera, in ordine ad spiritualia: negatio vero est vera directè, seu secūdum seipsa temporalia. Vnde nihil ex vtraque decisione erroris accidit. Hæc ille. Illam etiam sententiam in libros suos præstantissimi [c] Catholici scriptores coniecerunt: videlicet, ad summum Pontificem, cum finitæ & limitatæ sit capacitatis, & multoties ipsum lateat [d] ordo & proportio rerum temporalium in finem spiritualem, ideo ad ipsum nequaquam spectare, omnibus modis rerum dominari, sed solum iuxta taxatum, & præfinitum Canonem, quo secundum humanum intelligentiæ modum ipse Papa dispicere valet, qua via temporalia spiritualibus deseruiant. Atque eandem sententiam lego ab alio scriptore valde [e] Catholico hisce verbis expressam: In temporalibus Pontificis potestatem esse limitatam, & de illis posse disponere vsque ad certam quandam mensuram, videlicet, quatenus finis spiritualis exigat.

Cum ergo ad hunc modum arcta & astricta sit Pontificis authoritas in temporalibus, cur nos in tam grauem reprehensionem incurremus, qui dicimus summum Pontificem non habere potestatem deponendi Regem nostrum, quia inde perturbatio Ecclesiæ, & euersio Catholicorum nostrorum in bonis & possessionibus, & detrimenta plurimarum animarum prouenirent? Audiat Amplitudo vestra non me, sed [f] defensorem assertionis vestræ contra Venetos, qui sic ait: Potestas summi Pontificis limitata est, ne de rebus temporalibus disponere possit vlta exigentiam finis supernaturalis. His adiungi potest etiam Excellentissimæ [g] Amplitudinis vestræ sententia: Quantum ad personas, non potest Papa, vt Papa, ordinariè temporales Principes deponere, etiam iusta de causa, eo modo quo deponit Episcopos, id est, tanquam ordinarius Iudex, tamen potest mutare regna, & vni auferre, & alteri conferre, tanquam summus Princeps spiritualis, si id necessarium sit ad animarum salutem. Quæ verba plane firmant nostram admissionem iuramenti. Nam verba iuramenti sunt: Papam non habere authoritatem deponendi Regem, aut disponendi de regnis & dominiis Maiestatis suæ. Et cōmunis intellectus apud Magistratum ad nullū alium conceptum propendet, quam ad hunc, videlicet, Papam, vt Papa est. Nam non potest pertingere ad illum conceptum, videlicet, tanquam summum Principem spiritualem. Et cum proponitur iuramentum suscipiendum, illius sensus, cognitus à Magistratu, restringitur ad ordinariam potestatem. Nam qui proponunt iuramentum, illi remotissimi sunt à cogitatione extraordinariæ, aut indirectæ potestatis in Papa residentis.

Neque etiam, si Amplitudinis vestræ mitissima dispositio vel minima ex parte conciperet ruinas familiarum Catholicarum, quas inferret recusatio iuramenti, certe non dissentiret à nobis, qui ex luctuosissimis spectaculis videmus, inde profecturam esse non modo iacturam animarum, sed etiam totius status Catholici apud nos lamentabilem extirpationem.

Cum ergo persentiscimus authoritatem summi Pontificis, quoad depositionem nostri Regis, non esse in ordine ad spiritualia promouenda, sed euertenda, cur exagitaremur, tanquam desertores fidei, & negatores Apostolici Primatus, qui nihil aliud tenemus, quàm quod vbique Theologi in suas conclusiones compegerunt? [h] Suarez ait, In vniuersum omnia hæc temporalia cadunt, tantum indirectè, sub potestatem spiritualem, id est, in ordine ad finem spiritualem. [i] Salmeron dicit, Petri potestas est solum ad ædificationem, quod aliis verbis solet dici: Claue non errante, Et loquens de Papæ potestate, [k] ait: Si sit in destructionem, non est potestas aut potentia, sed impotentia & defe-

a Card. Alanus in Respons. ad iustitiam Anglicanam. Sixtus Senens. in Bibliotheca Sancta. S. R cont. Tho Bell R P contra Morton. pag. 60.
b Caietan. tom. 1. tract. 1. Apologia part. 2. c. 13.
c Alphons. Mendoza in relectione de regno & dominio Christi. n. 3
d Petrus de Arragon. quæst. 67. art. 1.
e Io. Pedrezanus in resp. ad Venet.
f Ioan. Pedrezzanus.
g Lib. 5 de Rom. Pont. cap. 6.
h Suarez. disput 16 de Excom maior. Sect 1.
i Salmeron tom 4 pag 416.
k Idem ibidem pa. 420.

defectus. Hoc possumus, quod iure possumus. *d Martinus Aspilcueta loquens de Ecclesiastica potestate, inquit;* Ergo tantum se ad temporalia extendit, quantum ratio supernaturalium exigit, & non vltra. *His societur e Couarruuias:* Constat huius quæstionis resolutio, vt (salua semper Ecclesiæ Catholicæ definitione) constituamus Romanum Pontificem, nec actu, nec habitu vniuersi orbis, nec in ipsos quidem Christianos temporalem iurisdictionem habere, nisi quatenus ea necessaria sit ad spiritualis iurisdictionis, & potestatis vtiliorem & faciliorem vsum.

d Nauar. relect. cap. Nouit. de iudic. notab. 3 pag. 106.
e Couarru. tom. 2 pag. 506. nu. 7.

Possum longius innauigare in hoc doctorum torrente, liberrime profluenti ad defensionem nostram de Iuramento. Qui enim aquo oculo pericula nostra intueretur, facile aduerteret, potestatem summi Pontificis in depositione nostri Regis, iam contineri non posse intra fines ordinis ad spiritualia subleuanda; sed excurrere ad supprimenda omnia, quæ hactenus in spiritualibus bene posita fuerunt. Hinc patet, in quam lamentabilem conditionem detrudunt me illæ paulo grauiores, & acerbiores animaduersiones: Quod ex Sathanæ dolis consentirem, vt fides Catholica de Primatu Sedis Apostolicæ vel aperte, vel obscure petatur: Quod Iuramentum in Regno isto eo tendit, vt authoritas capitis Ecclesiæ à successore Sancti Petri ad successorem Henrici 8. in Anglia transferatur: Quod hic periculum fidei subesse possit: Quod videor Sancti Petri & S. Marcellini casum aliqua ex parte imitatus: Quod non sit res parua, quæ ob iuramentum istud in discrimen adducitur, sed vnum ex præcipuis fidei nostræ capitibus, & religionis Catholicæ fundamentis: & quod debeam audire, quid Sanctus Gregorius Magnus affirmat, & quid Sanctus Leo confirmat, & attendere, quid Sanderus pronontiauit: & quod pro hoc vno grauissimo dogmate Ioan. Roffensis & Tho. Morus doces ad Martyrium aliis extiterunt: & quod non plus sapiam, quam oportet sapere: & quod forte lapsus fuerim non ex inconsideratione, sed ex infirmitate humana, &c.

Hæc legi attente, & meam vicem dolui, quod tantus aceruus notationum censoriarum apud vos construitur aduersum me, qui nec capio, nec sapio, quo modo vel exigua aliqua pars detrimenti possit impertari Primatus summi Pontificis ex sensu, quem ego (approbante Magistratu) præposueram Iuramento. Sed si verba exterius non tam gratum sonum fundere videantur; non debet tamen sensus vel intellectus verbis seruire, sed verba intellectui; vt patet ex libro 5. Decretalium Gregorii, de verborum significatione.

Neq; suspicari possum, qua ratione aliquod periculum fidei, ex Iuramenti susceptione, creari possit; cum nihil omnino implicatum habeat, quod aliquam speciem vel formam rei, quæ sit fidei formaliter, adumbraret. Nam, vt a Couarruuias, b Martinus ab Aspilcueta, & c Binsfeldius affirmant, nihil certi, de Pontificis authoritate circa temporalia, hactenus ab Ecclesia definitum est. Et Illustrissimæ memoriæ Cardinalis a Alanus, in hac causa ait. Quæstio est plane Theologica, & cum Religione Christiana arctissime cohærens, de qua etsi forsan non definite pro parte nostra pronuntiatum sit, posse tamen & solere Theologicis argumentis in vtramq; partem disputari, ipsi quidem aduersarii, si quicquam sciunt, ignorare non possunt. *Sic ille. Cæterum forte ad nos premendos Innocentius tertius, & Bonifacius octauus concurrent.* Illi autem (*vt ait b Bannes*) loquuntur de potestate & dominio, in ordine ad spiritualia, cum opus fuerit illam exercere; vt patet manifeste intuenti ipsa Iura. *Atq; hæc est indirecta potestas, quæ Regem nostrum non attingit; quia res Anglicanæ iam in eo statu posita & defixæ sunt, vt omnis ordo ad spiritualia promouenda, per depositionem nostri Regis, interciderit, ac proinde prouidendum, ne duriorem nobis conditionem statuat. Et sane, non obstante Bonifacii definitione (vt liquido constat per consequentem Clementis declarationem) nihil dignitatis aut antiqui sui Iuris amisit Rex Francorum. Quod facere non potuit c Clemens, si definitio Bonifacii, ex Cathedra, tanquam res fidei formaliter emanasset.*

a Couar. part. 2. pag. 504.
b Nauar. vt ibidem notatur à Couar. & vt patet in cap. pag. 153. Nouit. de iud. notab.
c Binsfeld. in tract. de iniuria & damno dato. cap. 7.
a Alanus resp. ad instit. Ang. fol. 326.
b Bannes in praamb. de dominio Christi pag. 92. de iure & iustitia.
c Clemens de priuilegi cap. Meruit.
d Caietan. tom. 1. tract. 1. Apol. part. 2. cap. 13.

Atq; hæc in re valde notatum fuit à me, quod d Caietanus contra Parisienses deposuerat, viz. quia aliud est determinare de fide formaliter, & aliud de eo quod est fidei materialiter. Nam primum importat determinare, quid credendum est; secundum autem, determinare de quæstionibus, quæ in rebus creditis accidunt: & constat cum determinatur quæstio aliqua secundo modo, non determinari dicitur de fide, sed de tali, vel tali materia. Ideo cum dicitur, quod Papa non potest errare in iudicio fidei, non accipio dictum esse, nisi de iudicio fidei formaliter, quando scilicet determinatur, quid credendum, vel non credendum. *Hæc ille. Ex quibus ego (subiiciens me exquisitissimo iudicio vestro) colligo: Si definiretur, tanquam res fidei formaliter; scil. Papa habet potestatem deponendi Reges indirecte, hoc est, in ordine ad spiritualia; quod certe ex ea definitione in thesi, omnes tenerentur firmiter illud credere. Sed si quæstio proponeretur in hypothesi. An Papa habeat potestatem deponendi nostrum Regem, rebus in eo statu, quo nunc sunt permanentibus, apud nos: sane videtur mihi (saluo acutiore iudicio) quod huius quæstionis determinatio esset de eo, quod est fidei materialiter; quia esset determinatio de quæstione, quæ in rebus creditis accidit, & proinde non diceretur determinatio de fide, sed de tali materia. Determinatio autem de re fidei formaliter, nos ad credendum obstrictos tenet. Iam ego protectus ad synceritatem æquissimi iudicii vestri, peto summopere ab Amplitudine vestra, vt decernat verum aliqua in re, quæ sit fidei formaliter, ego vacillauerim, aut à cursu, in quo signata sunt doctissimorum Theologorum iudicia, deflexerim.*

Quo modo ergo pertractus sum aliqua ex parte in consortionem lapsus D. Petri, ac D. Marcellini? aut qua de causa mentio fieret Sanderi, cuius sententiam sequutus sum in libro de Claue Dauid, *vbi ait:* Gladius Ecclesiæ in ædificationem datus est, non in destructionem: ad vitam conferendam, non ad inferendam mortem: ad defensionem gregis; non ad læsionem pecoris: ad arcendum lupum; non ad deuorandum agnum? *Et si liceat mihi progredi, in defensione mea: ego plane non video,*

Sander. de Claue Dauid. c. 9.

CCC ex qua

ex qua ratione illa verba recitata, aut ex Gregorio Nazianzeno, aut ex Basilio Magno, aut ex Leone, & Gregorio Magnis, aut quomodo etiam laudabile factum Eleazari, aut nobilitata multorum scriptis martyria Tho. Mori, & Ioannis Roffensis in me intorqueri possint; cum in iuramento meo, nullum vel minimum signum extet, quod adiunctam aliquam deformitatē praeferat contra fidem, aut quod aliquam syllabam imminuat in aliqua re fidei: aut quod aliquid detrimenti adferat prohibitioni Diuinae: vel quod de rebus definitis circa primatum summi Pontificis aliquantulum derogaret. Sane procul abest à nobis, vt depasci veterem possessionem Apostolicae Sedis ab aliquo acuto homine aliquando fineremus. Peto igitur humillime ab Amplitudine vestra, vt haec tam grauia contra me, praetexta ex filu param aequioris coloris, discindantur, & conuersa in fumum, euanescant. Senex sum, & in carcerem coniectus, propter fidem Catholicam: & non noui me bacteuus in vlla alia curricula deuenisse, quam in illa, in quibus impressa sunt doctissimorum Catholicorum manifestissima vestigia. Conticescant igitur, obsecro, omnes illae circumsonantes vociferationes aduersum me innocentem, & Apostolicae Cathedrae studiosissimum propugnatorem. Cuius rei iam sit testis incarceratio mea: testes sint creberrimae conciones meae: testes sint in ante gressu decursu triginta duorum annorum, periclitationes meae, pro dignitate Sedis Apostolicae: testis sit administratio Archipresbyteratus, quotidianis septa periculis vitae meae.

Sed quo progredior? Certe paulo effusior videri possim in repetitione harum rerum coram Amplitudine vestra, quae (vt spero) iam rigidiorem vestram opinionem de me, & de meo facto, ad maiorem aequitatis, & commiserationis temperationem reuocabit. Sed finem faciam, & extremum habebit illa Sancti Leonis sententia: Manet Petri priuilegium, vbicunque ex ipsius fertur aequitate iudicium: nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut soluerit, aut ligauerit.

S. Leo. serm. 3. in anniuersario Assumptionis suae. Legitur in lect. 9 in festo Cathedrae S. Petri Antiochiae

Dominus Iesus Amplitudinem vestram conseruet ad maiorem dilatationem Catholicae fidei, & nostram consolationem.

Londini è Carcere 13. Nouemb. 1607.

Vestrae Amplitudinis

humillimus seruus

Georgius Blacuellus.

IN M. GEORGIVM BLACVELLVM QVAESTIO PRODVCTIOR, orta ex Responso praecedente.



PRofitetur Blacuellus, quod in nuperrimis suis ad C. Bellarminum Literis, multa intelligat minus satisfacere, aequo se velle animo, de subditorum officiis erga suos cuiusque Principes, sub quorum imperio nati sunt, omniumq; adeo Angliae Catholicorum, erga Serenissimam Regis Iacobi Maiestatem, quid sentiat, fusius & diligentius explicare.

2. Praeuias ergo quasdam in eam sententiam interrogationes secutus, primo affirmat, quae de obdientia erga Imperatores, Reges, & politicos cuiusque modi Magistratus, Noui Testamenti tabulae praecepta tradunt, ea vim habere perpetuam, neque mutationem aut modificationem, à quauis vel Ecclestica vel ciuili authoritate pati. Quae siquis è populo, aut Clero subditorum, quibuscunque rebus inductus, aliquando violat, siue id Bullae alicuius praesidio, siue causae Catholicae iuuandae & religionis promouendae consilio fretus, vel cuiuscunq; demum causae patrocinio fecerit: eum mortalis peccati haud dubie teneri; cum rectum non sit malum fieri, vt inde emergat bonum.

3. Sententiam itaque se prorsus detestari eorum, qui ausu nefario vel Christum affirmant, vel eius Apostolos temporis causa haec obedientiae praecepta instituisse; ac si ciuium fidem & officium erga Principes suos (modo impietatis, Apostasiae, aut haeresis manifestos) non vltra iuberent religioni illis esse, quam dum iis per vim opprimendis sufficerent: à cuius quidem opinionis scelere pios existimat illius saeculi Episcopos, Christianosq; omnes penitus abhorruisse.

4. Apostolorum porro temporibus, atque adeo perpetuis deinceps trecentis annis, quibus omnes (si vnum exceperis) Imperatores, non ipsi modo pro cultu Ethnico obstinati, Euangelii fide recusabant vti, sed vt eam nascentem opprimerent, haud vllum praetermiserunt saeuitiae, aut sanguinariae persecutionis genus: pios tamen eius aetatis Episcopos, Patresque & Christianos, qui è Christi atq; Apostolorum schola obedientiae disciplinam atque instituta hauserant, nullum in eos perfidiae aut seditionis consilium cepisse nullum praecepisse, tametsi (si Tertulliano credimus) vires illis & copiae in eam rem non deessent. Quorum vehementer probari sibi ait tam pium obsequium: ita tamen vt eosdem existimet, si secus fecissent, mortalis peccati labe non carituros.

Tertull. Apolog. ca. 37.

5. Quid? quod in ipsa Iuliani causa (qui Euangelio, cui nomen dederat, bellum post indixit)

dixit) ex omni Episcoporum, qui in illa tempora inciderant, Patrumue aut Christianorum numero (singulari virtute & pietate hominum) quanquam essent, qui calamum acerbius in eum strixerint, minime tamen repertos esse, qui aut illius subditis rebellandi authores essent, aut ipsi in eum arma sumerent. In vtramuis partem si peccassent, summam promerituros numinis offensionem, & præter Christi ac Apostolorum præcepta facturos. Se deniq; ea in re Augustini authoritatem sequi, qui de Christianorum obedientia Iuliano præstita rametsi Apostatæ, sermonem instituens, hæc habet verba: *Iulianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit Apostata, iniquus, idololatra? Milites Christiani seruiebant Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in cælo erat. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent præponebant illi Deum: quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.*

August. in Psal. 124.

6 Cognito in rebus antegressis Blacuelli iudicio, quæsitum est, num posterius vidisset Pontificis *Breue*, datum Romæ ad 10. Calendas Septembris, 1607. sic exorsum: *Renuntiatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos*, &c. & quam illi opinionem, de Fidelitatis sacramento, quod apud Magistratum dixerat, eius demum interuentus attulisset. Blacuellus factam sibi agnoscit *Breuis* illius copiam, sed transcripti. Eius se oculo, quantum potuit, diligente periodos articulosq; omnes perlustrasse, cuncta sigillatim membra perpendisse, in vetere tamen sententia, de iuramento Fidelitatis superioribus Comitiis edito, nihilo segnius constare, tuto nimirum & licite ab omnibus huius Regni Catholicis præstari posse. Pro certo enim habere, veras esse eius sacramenti, à se adeo suscepti, partes & membra omnia; id se deniq; citra omnem æquiuocationis fucum, vel mente absconditi subterfugii, aut sensus reseruati latebram, ad omnem iuris effectum, tanquam iterato in eadem verba ipso iureiurando, libere profiteri.

7 Hæc Blacuelliana defensio (post interiectam secundi *Breuis* authoritatem) tum sacramenti illius, tum in eo dicendo officii sui, quod omnia referatur ad pristinam ipsius opinionem: quam apud Bellarminum tamen (expectationis publicæ, quæ de eius candore omnia sibi sit pollicita, insigni ludibrio) videatur nouo modo temperare: exiguntur ideo rationes ipsæ, & firmamenta, quibus permotus, se iam recenti Pontificiis omnibus eius subeundi author & vero interposita authoritatis suæ fide, vt rei licitæ, suasor extitisset. Blacuellus rationum illarum (quas in superiore *Quæstione*, tum facta iuris publici, docuerat, Romam esse iamdiu missas) summam omnem, ad nonnullos adeo sanctioris Consilii proceres à se pridem delatam, hisce potissimum argumentis respondet fundatam esse.

8 Constat (inquit) inter doctos omnes, neque contra qui dicat facile reperietur, non alia conditione Pontifici authoritatem esse, in Reges & Principes grauius statuendi, quam qua id possit Ecclesiæ rebus commodum esse & salutare. Quoniam ergo (ex *a* Mendozæ sententia) *ordo poterit & proportio rerum temporalium (rectene & ipsa re ad finem spiritualem & Ecclesiæ commodum pertineant) non raro latere Pontificem*, qui ad particulares rerum circumstantias dispiciendas non alium habeat aditum, quam *per humanum intelligendi modum*: possitque proinde (vt author est *b* Couarruuias) *in iis iudiciis errare, quæ ad facta spectant particularia*: idq; eo queat facilius, Blacuelli iudicio, vsuuenire, quod *Pontifici licet cuncta possidenti, metuat tamen, ne vnum desit* (q adeo à venerando quodã *c* Episcopo multis ante sæculis sit animaduersum) *fidelis nempe Consiliarius, qui dicat ei verum*: verendum enim esse, ne similis sit nostri atq; illius sæculi conditio, vt *à minimo vsq; ad magnum omnes adulationi studeant, & artificiose ei loquantur vt decipiant*: hisce ergo de causis Blacuellus existimat, posse incidere tempora, cum Pontificis facta queant improbari, imperia per iustæ exceptionis causam recusari.

a Alphons. Mendoza in relectione de Regno & Dominio Christi. n. 15. pag. 688.
b Couar. Tom. 1. pag. 184.
c Rodericus Episcopus Zamora in speculo humanæ Vitæ. li. 2. c. 3.

9 Hanc porro opinionem adiuuat *d* Syluestri sententia, cui se dicit Blacuellus omnino accedere, vbi summa vt fide, sic fiducia affirmat: *Romano Pontifici si quid imperet, quod peccatum sapiat vel veniale, etiamsi is credat mandatum esse iustum, minime tamen obediendum esse, si subdito constiterit, id in se peccatum continere. Quod si ex tali obedientia vehementer præsumi posset, statum Ecclesiæ perturbatum iri, vel aliud malum aut scandalum futurum: Pontifici in hac causa non esse parendum, tametsi illius mandatum Excommunicationis latæ sententiæ pœna sanciatur.* Rursum. *Si Papa sub pœna Excommunicationis quicquam præcipiat, ex cuius executione præsumitur scandalum animarum vel corporum futurum in ciuitate, non esse ei obediendum.*

d Summa Syluestrina in verbo Obedientia. nu. 1.

10 Ex hisce rebus iudicio ponderatis Blacuellus hanc sententiam eruit. Si in isto rerum Anglicanarum statu, Papa alicunde impulsus, Maiestati suæ sacris interdicat, Regnum abroget, eius subditis obedientiæ nodum soluat, nec id modo, sed in eum arma imperet, iniecto (ni faciant) terrore Anathematis: hoc casu (inquit) etsi Pontifex animo persuasum habeat, hæc eius facta & mandata esse iustissima; quoniam tamen huius Regni Catholicos (modo qui aliquem habeant rerum vsum) suus ipsorum sensus facile admonet, omnem istiusmodi Excommunicationis Sententiam *peccatum sapere, aut vehementer præsumi posse, magnam ex ea effectum iri Ecclesiæ perturbationem, aut aliud malum vel scandalum deinceps oriturum; atq; ex eius executione insigne consecuturum in Catholicorum animas, vel corpora detrimentum aut dispendium*: efficitur, vt saluo officio possint illam anathematis Sententiã, eiusq; reliqua mandata non recipere, saltem non exequi; cum certa sit & perpetua regula, *Petri potestatem ad ædificationem duntaxat concessam*,

Salmer. Tom 4. pag. 416. & 420.

quod aliis verbis dici solet, claue non errante, vt recte est à Salmerone obseruatum. *Si enim* (vt idem addit) *in destructionem adhibeatur, non est potestas aut potentia, sed impotentia & defectus. Hos possumus*, quemadmodum in suis ad Cardinalem literis ipse docuit.

11 Hucadeo, ad Pontificis scil. *humanum intelligentiæ modum*, theses Syluestrinas; reliquasque (de quibus auditum est) circumstantias & cautiones, referenda esse, quæ ad C. Bellarminum hisce verbis rescripserit: *Papam non habere potestatem deponendi Regem nostrum, quia inde perturbatio Ecclesiæ & euersio Catholicorum nostrorum in bonis & possessionibus, & detrimenta plurimarum animarum prouenirent.* Et rursus: *Si Amplitudinis vestra mitissima dispositio vel minima ex parte conspiceret ruinas familiarum Catholicarum, quas inferret recusatio iuramenti, certè non dissentiret à nobis, qui ex luctuosissimis spectaculis videmus, inde profecturam esse non modo iacturam animarum, sed etiam totius status Catholici apud nos lamentabilem extirpationem.* Et paulo post: *Depositio Regis nostri non esset in ordine ad spiritualia promouenda, sed euertenda.* Præterea: *Qui æquo oculo pericula nostra intueretur, facile aduerteret, potestatem summi Pontificis in depositione Regis nostri iam contineri non posse intra fines ordinis ad spiritualia subleuanda, sed excurrere ad supprimenda omnia, quæ hactenus in spiritualibus bene posita fuerunt.*

12 Hisce argumentis persuasum, aliisque nonnullis (quæ nihil tum attinuerat Romam mittere) Blacuellus se dicit habere procul dubio, Catholicis per Angliam vniuersis, & initio licuisse, necadhuc minus licere, prædicto Fidelitatis iuramento vti, in quo nullus omnium reperiatur articulus, cuius è doctrina & exceptionibus præmissis peti non possit certa & iusta defensio. Quod autem in hisce potissimum fundamentis insisteret, hinc factum quod eas maxime duceret esse in promptu, & vel in imperitissimi cuiusque Catholici sensus facile incurrere: sed & Romam viderentur expertura beneuolam, quod doctrinæ in ea causa isthic peruiæ & receptæ per omnia responderent.

Maii 19. 1603.

13 Hæc responsio quam non satisfaceret, dictum est mox iri plenius declaratum. Interim rogatus causam, cur Fidelitatis iuramentum ipse adiens, per Maiestatis suæ verba, apud Regni Ordines habita, visus sit sibi cauere; qui tamen cum cæteros Pontificios prius doceret, licite eos posse & salua conscientia illo sacramento adigi (cui item rei confirmandæ rationes suas Romam miserat) de Regiis interim sermonibus altum egisset silentium: respondit, 1. Se prius illa Regis dicta pernosse, quam suorum cuilibet iuramenti vsum probasset, tametsi eadem fateatur, ante delatum sibi iuramentum, nunquam esse à se allegata. 2. Sacramentum vero se iussum dicere, per illa voluisse aliqua ex parte sibi cautum, idque adeo professum esse, quod ea vtilis sibi videretur ratio, ad opinionum temeritatem occupandam, & retartandas de illius facti consilio præcipites nonnullorum coniecturas. Neque enim eius fallebat animum, quas sibi æmulationis procellas concitatura esset iuramenti admissio (id quod in prioris *Quæstionis*, quæ publice nunc est in manibus, sexta partitione prædixerat:) diuulgato præsertim primo Pontificis *Breui*, aliisque quibusdam Literis, vti ne cum eo iuramento Catholicis res esset, magnopere suadentibus. Postremo, in hac qua esset, carceris conditione, nihil è re sua potius visum, quam siqua posset ratione & delinire Magistratuum animos, nec Catholicorum voluntates alienare: neque ergo consilii eius perficiendi primam quamque occasionem amitrendam è manibus censuisse. Quo tamen facto nullum agnoscit læsæ veritatis crimen, etsi sane non diffiteatur aliquam sibi celatam veri partem, quam adeo impræsentia videt elicitum iri. Cuius professio, licet multorum animos videatur offensura, cedet tamen (vti confidit) in Dei gloriam, certe ipsius animam liberabit, quin & omnibus Catholicis, quibus sedatius paulo sit ingenium, mens æquior, vtilem sperat fore & salutarem.

14 Hic cum in transitu animaduertisset, id sibi vitio verti, quod præsentis fortunæ oblitus, libero vsus esset, sine permissu, ad Bellarminum, ordinis Cardinalitii hominem, Literarum commercio: vehementer contendit, vt suspenso interim interrogandi cursu, consilii sui ea in re expediendi potestas sibi fieret. Qua impetrata, sic agit.

Intentatum sibi a Cardinale crimen, quod admisso Fidelitatis sacramento, Primatum Pontificis quodam modo eiurasset. In eam sententiam locos aliquot ex Leone, & S. Gregorio in se conquisitos. Hinc cum Cardinalem intelligeret, inter iuramentum (quod appellant) Regii Primatus anno Reginæ Elizabethæ primo, & illud Fidelitatis, tertio Regis Iacobi sancitum, minus distinxisse, (quorum alterum Pontificiam in rebus spiritualibus authoritatem de Regno omnem tolleret: alterum, dispare prorsus argumento, quibusdam consequentiis obuiam cogitaret, in iuramenti formula comprehensis, quæ ex Anathematis potestate viderentur erui posse, ad summum autem Regiæ salutis discrimen subditorumque fraudem & exitium pertinerent:) piaculum sibi visum, ad Cardinalem non rescribere, tum vt iniusti criminis inuidiam à se submoueret, qui Pontificii Primatus causa in rebus Ecclesiæ, mortem vel millies non dubitaret oppetere: tum vt satis tanto viro faceret, cuius aduersam de se opinionem perquam molesto esset animo laturus. Id si publice displiceat, supplex facti veniam obtestatur.

15 Iam de superiore responso, quod significatum modo est, non satisfecisse: contineret autem rationes pro iuramenti æquitate, à Blacuello Romam missas: quarum summa consisteret partim in Pontificis intelligentia, quæ humani ingenii modo definita, erroris exceptionē

admitte.

admitteret; partim in Syluestri assertionibus, è quibus eliceretur, non posse contra Maiestatem suam, vt nunc in Anglia res est, initi à Pontifice vllas eiusmodi rationes, quales supponit formula iuramenti: quod in perniciem ea res, non salutem esset exitura. Quæ omnia tam cōmode à Blacuellio explicata, multum tamen dicta sunt abesse, vt iurisiurandi scopum assequerentur. Ambiguæ n. aleæ rem esse, quid facturi sint nostrates Pontificii, si quod in fœlicissimæ memoriæ Reginam Elizabetham ausus sit Pontificum priorum furor, idem *de facto* statuat in Maiestatem suam Papa hodiernus: quam tam ancipitem rerum conditionem Regni Statum nequaquam ferre. Tametsi enim Pontificiorum vt quisque cautior esset & prudentior, ita cunctari fortasse aliquandiu posset, & lentius hoc casu agere: quam tamen in partem se datura esset improuida, & in fraudem impulsa multitudo, si vires iis suæ succederent, id vero omni diligentia præcauendum esse. Sed & obsequii modum qui è temporum ingenio metiuntur, quid consilii capturi essent, si blanda afflaret rei gerendæ occasio, iustam habere metus causam. Quin huius commenti quanta fuerit authoritas, ad Catisbeium, Garnettum, cæterosque illius post homines natos atrocissimæ proditionis architectos, ab immanissimis, in quibus erant, perditissimisq; consiliis reuocandos, ipsum rei exitum indicasse. Solam sine fuco veritatem conscientiæ ducem & magistram esse: secus *sine temperamento luci* (quod dicitur) quo ex genere non nisi certam perniciem esse expectandam. Sed faueamus sane huic tam exquisito subterfugio: si tamen nefarii cuiusquam facinoris conatum in Maiestatem suam, Pontifici in assessorum suorum concilio frequente placeret, in ordine esse ad spiritualia: plusquam verisimile fieri, plerosq; fere Pontificios Papæ iudicium atq; authoritatem potiorem habituros, quam priuata fide interpositas exceptionum & cautionum argutias. Quibus malis remedium (inter alios Regiæ & communis salutis respectus) comparatum esse iusiurandum illud, è causa omnium, quas Regum vel Ethnicorum vel Christianorum quilibet post hominum memoriam sit expertus, longe prodigiosissima.

16 Postulatum ergo à Blacuellio est, vt quo & Magistratuum studiis satisfaceret, in quorum potestate nunc esset, ipsiq; adeo veritati, qua Deum intelligeret maxime honorari: candide & aperte edissereret, quid sibi in mentem venisset ad Cardinalem scribere, hunc sibi suscepti iuramenti sensum fuisse; *Summum Pontificem non habere Imperialem & Ciuilem potestatem, ad libitum & ex suo appetitu deponendi Regem nostrum*: neque aliud sequi ipsius iuramenti scopum: eumque sensum, cum iusiurandum præ manu esset, tertio à se repetitum, & à Magistratu approbatum esse. Diserta enim esse sacramenti verba, in quæ absq; omni (quantum constaret) æquiuocationis ludibrio, aut cæco mentis subterfugio iurauerat; *Papam scil. nec à se, nec cuiuslibet authoritatis vi ab Ecclesia, vel Sede Romana acquisita, vllam habere Regis deponendi authoritatem.* Iuramentum itaq; omnem Regis deponendi authoritatem siue Imperialem & ciuilem, seu vero Ecclesiasticam Pontifici adimere; cum is tamen apud Cardinalem excuset, Imperialem duntaxat & ciuilem Maiestatis suæ abdicandæ potestatem iureiurando suo Pontifici abnegatam.

17 Hisce exceptionibus angustius habitum Blacuellum rursum incessit animus orandi, vt intermisso paulisper respondendi officio, pauca liceret in procinctu, de se suæq; conditionis miseria verba facere quod adeo hisce dictis est executus.

Comprehensionis, carcerisque sui grauem sibi casum accidisse: spem tamen hinc factam, molestiarum & æmulationum ortam à suis tempestatem breui sedatum iri: cum nihilo secius, vt nunc actum esset, quaq; benignitate exciperentur ipsius facta iniqua omnia tum hinc tum illhinc experiatur. At suos saltem debuisse benigniorem in partem iusiurandum suum interpretari, quos præsertim latere non poterat, Regis, Procerumq; in se animos esse hoc obsequio nonnihil mitigatos, vt senex & valetudinarius carcere vti possit minus angusto, & acerbiores porro si qui restarent, casus auertere. Sed & æquius facturum Cardinalem, si suas in ipsum literas, notasq; seueriores abstinuisset, ac si in Fidelitatis verba iurando, ad instar Petri Dominum suum eiurantis, aut impie immolantis Marcellini, declinasset de statu suo, *vnumq; ex præcipuis fidei capitibus & religionis Catholicæ fundamentis in discrimen adduxisset.* Posse eum facile præuidisse, longe difficillimam sibi futuram literarum eius (etsi ad se integræ euasissent) in tā diligente custodia, occultationem: quam porro difficultatem augebant crebri de iisdē sermones in vulgus sparsi, etiam ab iis, à quib. minime conueniebat. Quas easdem si palam proferri contingeret, verisimile esse, non modo plus detrimenti, quā fructus allaturas (nisi forte æquitatis suæ esse duceret, suscepti in se odii stimulos acuere, quod cōmunem causam iuuare minime poterat, mitissimumq; & moderatissimum Regis animum ad asperiora, quam pro ipsius ingenio, consilio inflammare:) sed & officii sui vicissim futurum, omni ad easdem obseruantia respondere, quod in hac ipsius fortuna non magis esset probabile (id quod res ipsa indicat) occulte fieri & cum silentio posse, quam ad se potuisse Cardinalis literas clam omni iudice peruenire. Quas sane Bellarmini literas sicut admodum suspicatur, priusquam ad se appulissent, vim passas clandestinam: ita suum etiam Responsum timet, antequam ad Cardinalem peruaserit, pari fortuna vsurum: eumq; adeo timorem crescere, quod non prius fere Romam versus è manibus suis dimiserit, quam composita fraude transcriptum, in medium sentiat euolasse: quam rem dicit, animum suum non mediocriter perculisse, vt de euentu anxium, sed in aduersa omnia (vt fit) magis propensum. Se tamen, cum omnes iam sibi spes abierint

(quas sane modicas semper habuit:) cum amissum sit libertatis & pristinæ solatium, & spes futuræ: cum mors proxime immineat, quam se ait omnibus votis expetere: cum deniq; nulla gaudii, nulla solatii, præterquam, à benignissimo Seruatore, lux vsquam affulgeat; obfirmasse mentem suam, vt quicunq; casus acciderit, eum quieto & æquo animo ferat. Hæc se & alia eius generis permulta, tam iniq; in se statuta, mente & cogitatione subinde versantem, maximo dolore & molestia affici, quod qui ab animo otiosi libero fruuntur cœlo, non maiore humanitatis sensu in eos ducantur, qui carceris sordes & angustias perferunt, illius etiam causæ studio, cui iidem videri volunt vnice fauere.

Postremo vbi pectoris sui dolorem hisce dictis aliquantum permulsisset, dedissetq; & se & causam in diuini numinis tutelam: ad obiectionem proximam se conuertit: ad quam pollicetur ingenue & ea intimo animi sensu (prout sacerdotem vere Catholicum decet) per omnia se responsurum, nullius sibi conscium æquiuocationis, aut latentis subterfugii nullo permotum hominũ intuitu, nullo reliqui incommodi, nullo periculi aut calumniarum metu, quarum plaustra tota facile cernit in se congestum iri, vt authoritas & sua minuatur & eorum, quæ profiteri habet necesse, nisi veritatem malit prudens abnegare, & legitimæ authoritatis imperium defugere: quod nec illius fert præsens conditio, nec insita permittit animi conscientia.

18. Quod ergo ipsius habent ad C. Bellarminum literæ, hanc sibi iuramenti summam fuisse: *Supremum Pontificem non habere Imperialem & ciuilem potestatem, ad libitum & ex suo appetitu deponendi Regem nostrum*; id se velle ait non summatim, sed quibusdam gradibus expedire.

In vanis ergo, quæ Romano Pontifici in temporalibus iura & prærogatiuæ asseruntur, hãc dicit esse, quam omnium calculis comprobatum iri existimat: optimo illum iure temporaliũ scribi Dominum eorum, quæ ad Pontificiæ Sedis patrimoniũ noscantur pertinere. In his Angliæ & Hiberniæ Regna qui censeant, authores non deesse, è quibus præter cæteros, vnum (cuius memoriam colit inprimis, quanquam hac in re diligentiam sane requirat) non duxit prætereundum. Is ita *a* scribit: *Citra Apostolica Sedis assensum nemo legitimum esse potest Angliæ Rex aut Regina: idq; pacti sui causa, quod anno 1171. inter Alexandrum tertium & Henricum secundum tum Regem, olim conuenerat, quo tempore de cæde S. Thomæ Cantuariensis, absolutionis gratiam exorasset: Neminem scil. legitime posse in Regni illius fastigium prius recipi, vel pro Rege haberi, quam à supremo animarum nostrarum Pastore, qui per id tempus esset futurus, ius suum haberet ratihabitum. Quam eandem postea conuentionem renouauit Ioannes Rex anno 1210. eamq; apud Pandulphum, legatum Pontificis, iureiurando sanciuit, idq; Proceribus & populo magnopere flagitantibus, tanquam rem apprime necessariam, tum ad Regnum à tyrannorum iniusto dominatu conseruandum, tum ad alia istinc arcenda incommoda, quæ pridem experti, ex Principum malorum improbitate in posterum metuebant.* Hanc (inquit) traditionem, & si qua sunt huius generis somnia, videtur Polonus quidam, edito nuper libello, secutus, vbi argumenti illius de Henrico secundo & Ioan. illata mentione, hæc habet verba (loquitur autem de publicis Regni Comitiis, & de Fidelitatis iuramento:) *b Illud impie Legislatores per iusiurandum extorquent à Catholicis, vt negent posse à Pontifice Regem deponi, & de ipsius Regno & ditionibus disponi. Si enim honorarium & pie tributarium Regnum Pontificis: quare disponere, quare refractarium & inobedientem Principem deponere nequit?*

a Card. Alani Admonitio ad Nobilitatem Angliæ, edita Anglice, Anno 1588. pag. 8.

b Stanisl. 1. Cristanouicus Exam. Cathol. fol. 34.

19 Ad traditos vero quod attinet de Regis vtriusq; facto sermones, eos affirmat Blacuellus plane esse commentitios. Neq; enim ex fide dignis vspiam constare Annalium monumẽtis, Henricum secundum cum Alexandro tertio ita stipulatum, nisi id fortasse intelligant, quod Alexandro Papæ iuratus promitteret, *c se pro parte sua ab eo aut successoribus eius non recessurũ, quamdiu ipsum sicut Regem Catholicum haberent*. Sed nec Ioannis factum verius, licet verisimilius, existere. Quæ tamen de vtroq; Rege in hunc modum prodita, cum Cristanouico illi argumenti loco sint, iure posse Pontificem Romanum Maiestatem suam, Regem quippe fiduciarium, Regno suo cauere; Blacuellus se dicit, dum iureiurando Pontifici negaret *Imperialẽ vllam aut ciuilem Maiestatis suæ deponendæ potestatem*, conscientiam ea in re suam liberasse, vt veritatẽ à fabulosis hisce rumoribus vindicaret: cum pari fide æstimandam duceret, de Ioanne Rege, ac de Henrico secundo vulgo celebratam historiam. Quo maior eum subit huius assertionis fiducia, quod (vt alia taceat Sceptri iura) quidam præcipui nominis huic sententiæ adstipuletur, eo grauior author, quod Pontificii primatus ergo, ceruices securi subiecerit. Eiecerat in hominum manus, Henrico octauo Rege, libellus quidam inscriptus, *Supplicatio Mendicorum*: Eum dum refellit *d* Thomas Morus, inter cætera hæc habet. *Is* (authorem dicit eius libelli) *si affirmat (quod sane nonnulli produnt scriptores) Angliam & Hiberniam à Ioanne Rege Pontifici Romano & Sedi Apostolicæ, pacto mille Marcarum stipendio, factas esse vectigales: nos certe contra audemus dicere, id omnino esse falsum: neq; n. Romam aut iam posse, aut aliquando potuisse talis cuiusquam concessionis tabulas proferre. Quin si demus posse, omnis tamen eiusmodi stipulatio, plane esset inutilis. Neq; enim penes quemlibet Angliæ Regem vnquam fuit, aut Regnum suum (tametsi maxime vellet) Romano Pontifici donare, aut terrã vectigalem reddere.* Quam Th. Mori sententiam indicio suo plane conuenire lubens fatetur Blacuellus: neq; eo tamen vel tantillum sperat aut labefactatum iri opinionis suæ firmam de Pontificis Primatu constantiam, aut cuiusuis animum offensum, qui in Coronam, & statum Anglicanum recte sit animatus.

c Roger. Houeden Annal. fol. 303.

d Thomæ Mori supplicatio Animarum: scripta Anglice pag. 296.

20 Cardinali autem quod innuisset, se Fidelitatis sacramento rogatum, Serenissimi Regis

sermones, in sensu à Magistratu approbato, sibi prætulisse, sed & eisdem congruentem iuramenti ipsius hanc esse sententiam: *Summum Pontificem non habere Imperialem & ciuilem potestatē, ad libitum & ex suo appetitu deponē di Regem nostrum*: nec huius facti rationē diffidit se aliquo modo probaturum. In quam sententiam sic agit. Intelligendum (inquit) est exiisse antiquitus e s Canonistarum officina, de ciuili Pontificis dominio, opinionē quandā, quæ per hosce annos impensius cœpta est, & ardentiore, quam olim, impetu promoueri. Cuius (inquit) patroni fidē-tissime affirmant, Papam non minus directe in temporalibus terræ vniuersæ Dominum, quā Catholicæ Ecclesiæ caput in spiritualibus esse constitutum: cuius quidem sæcularis dominii iure tam habeat in Imperatores, Reges, & Principes supremam directo ordine iurisdictionem, ac de iis (vbi res inciderit) eorumq; imperiis statuendi potestatem, quam in Episcopos obtineat, & cæteram Cleri plebem, quos arbitratu suo possit vel nouis ornare honoribus, vel pristino gradu pro meritis exutos dimittere.

Eius sententiæ principes à C. Bellarmino *a* notantur, Augustinus Triumphus, Aluarus Pelagius, Hostiensis, Panormitanus, & Syluester; quibus porro annumerat Henricum Gandauensem, Rodericum Sancium, Alexandrum Alensem, Celsum Mancinum, Thomam Boziū, Francisc. Bozium, Isidorum Mosconium, C. Baroniū, Lælium, Zecchum, & Alesandrum Carerium. Qui idem *b* Carerius alios plures hisce partib. accenset, vt opinionis illius præcipuos assertores: cuius studio ipsum videre licet adeo præcipitem ferri ardore & vehementia, vt qui cōtra nitantur omnes (nec Bellarmino quidē excepto) re ipsa damnet Anathematis. Quo magis notat Blacuellus hominis impotentiam, q cum omni illo tractatu Cardinalem Bellarminū præcipuo conatu petat, eundem se tamē in *impios politicos, & nostri temporis hæreticos* scripsisse, ipso libri frontispicio profiteatur. Carerio per omnia nō dubitanter accedunt, qui sunt ab hac sententia, adeo vt reuocare in mediū non dubitēt, esplosa iam olim, & in scholis vexata veterū Canonistarum placida, eademq; nostro, quam superiore æuo, acrius & vehementius, pro Orthodoxis Catholicæ disciplinæ capitib. populo venditare. Cuius generis sunt, quę sequuntur.

a Bell. de Rom. Pontif. lib. 5. c. 1.
b Carer. de potest. Roman. Pont. li. 2. c. 9. edit. Colon. An. 1601.

21 *a Dauidem præcinuisse, Christi Sacerdotium fore secundum ordinem Melchisedech: b Christum cum Rex, & Sacerdos omne iudicium à patre acceperit, plenissimam nimirum iudiciariam potestatem eandem simul cum sacerdotio iungentem, instituisse Regale in Ecclesia sacerdotium, quippe qui in suos* (id est Diuū Petrum, & successores eius) *omnem, quā à Patre accepit potestatem transfuderit: c Nisi foret vnus in Ecclesia supremus Monarcha in omnib. non posse seruari Ecclesiæ vnitatem. Sic enim, cū illa ex diuina institutione constet Regno, & sacerdotio, iam in illa absolute vnus esset Monarcha Regni, alter sacerdotii: Quod si, ad euitandas dissensiones circa res sacras, vnum supremum caput constituitur: cur non eodem modo Regni, vt vnum, & idem caput sit Regni, & sacerdotii, ne pars modo inter has sit dissensio? Quare potius dicendum, Petrū vices Christi suscepisse, non solum in sacerdotio, sed etiam in Regno, vt esset ille Rex, & simul sacerdos iuxta ordinem Melchisedech, qui Rex fuit simul & Sacerdos.*

a Baronii Annal. tom. 1. Anno 57. pag. 432. Romæ Anno 1588.
b Baron. ibidem p. 433.
c Franc. Bozius de temporali Ecclesiæ Monarchia, in præfat. ad Clemen. 8. impres. Colon. anno. 1602.

22 *a Si Christus Rex sit Regum & Dominus Dominantium, simili modo Reginam, ac Dominam esse Ecclesiam; ac si ille sit Dominus Temporalium, hanc similiter esse Dominam: b Temporalem omnem Regiamq; potestatem primum in anima Christi residere: deinde vero in Ecclesia, ipsius sponsa, mundi Regina: atq; ab hac denique in alios siue fideles siue infideles, tanquam à fonte deriuari: c Ecclesiam Christi sponsam, ac mundi Reginam, cuius potestas, vt in fonte, est in Pontifice summo; posse, quoties ordo vniuersi exigit, propria iura alterius in alterum transferre, sicut Princeps sæcularis priuatorum domos potest deiicere, ad vrbis ornatum, vel ob causam publicam tributa imponere: iuste hoc Pontifici licere, licet nihil erraris ii à quo iura in alium transferuntur: eoq; iure Pontificem Hispanis Indias assignasse: d Pontificalem, & Regiam cæterasq; omnes potestates cumulatissime esse in Papa, & in Pontificia dignitate residere: e Dominia quæcunq; ab Ecclesia, & à Pontifice tanquam ab ipsius Ecclesiæ capite pendere: f In Papa considerari authoritatem, in Imperatore autem, & in Rege potestatem: atq; hinc esse, quod potestas ab authoritate pendeat.*

a Tho. Bozius de iure status. præfat. ad Aldobrand.
b Idem ibid.
c Idem li. 1. c. 9. fol. 36.
d Isidor. Moscon. de Maiestate milit. Ecclesia. pag. 91.
e Idem pag. 636.
f Idem pag. 670.

23 *a Verum, iustum, à Deo ordinatum, nec non merum dominium, tum in spiritualibus, tum in temporalibus per Christum introductum esse, & Petro suisq; successoribus commissum fuisse. b Christum dici omnium inferiorum Dominū, non solum in quantum Deum, sed etiam in quantum hominem, habentem Dominium etiā pro tunc in terris, non solum diuinum sed etiam humanum: c & propterea sicut dominium mundi fuit in Christo diuinum, & humanum, ita & in Papa eius vicario idem existere fatendum esse. d Sicut Deus secundario dici potest temporalis rector, & Monarcha mundi, licet in se non sit principaliter mundanus, & temporalis: ita & Papam posse dici temporalem Dominum & Monarcham, licet ipsius potestas quiddam sit spirituale. e Completo redemptionis mysterio, Christum sui Regni administrationem Petro contulisse. & hanc potestatem in Ananiam, & Saphiram Petrum exercuisse. f Christum etiam quatenus hominem, esse directe Dominum totius orbis etiam in temporalibus: g ergo & Papam cum sit eius vicarius: supremam omnes iudicandi potestatem & vtriusq; dignitatis fastigium, & vtriusq; potestatis culmen in Christi vicario reperiri.*

a Carer. de potest. Rom. Pont. in proœmio. lib. 1. pag. 9.
b. Idē p. 111.
c Idem ibid.
d Idē p. 112.
e Idē p. 120.
f Idē. p. 124.
g Idē. p. 126.

24 *h Vnum esse principatum, & vnum Principem supremum totius orbis, qui est Christi vicarius. iuxta illud Dan. c. 8.* Dedit ei potestatem, & honorem & Regnum, & omnes populi, & linguæ seruient ei: *& in illo esse fontem & originem omnis principatus, & ab eo cæteras potestates defluere: i* Romanum *Pontificem vice Christi principari in vniuerso orbe in spiritualib. & temporalib. & naturaliter, moraliter. & diuino iure cū recta fide tenendum esse. Principatum* Romani *Pontificis esse verum, & vnicum immediatū principatum totius orbis, nedum quoad spiritualia, sed quoad temporalia; & principatum Imperialem esse ab ipso dependentem, & mediatum, ministerialem, & instrumentalem, eidem subministrantem, & deseruientē, soriq; ab eo ordinatum, & institutum, & ad iussum Principatus Papalis mobilem, reuocabilem, corrigibilem, & punibilem.*

h Rodericus Sancius apud Carer. pag 132.
i Idem ibid. pag. 131. 132.

25 a Sicut in Christo fuit Dominium mundi diuinum, & humanum: ita in Papa mundi dominium loco Christi spirituale esse, & temporale, diuinum, & humanum: b Veritatem manere inconcussam, quod solus Petrus supra mare ad Christum venit, designans, totum dominium, quod per mare significatur, eidem Petro, suisq; successorib. committendum: c Sicut Papa non potest dicere, se non tenere vicem Christi in terris, ita non posse negare se rerum dominium habere: quia sicut Domini est terra, & plenitudo eius: ita Christo Domino omnia subiici cœlestia, terrestria, & infernalia: vnde & Papa, qui eius vicem gerit in terris, cœlestis, & terreni Imperii iura commisisse. d Papam iure diuino habere potestatem & dominium temporale in toto orbe: idque probari ex Luca 22. Ecce duo gladii hic: quæ verba intelliguntur de potestate tẽporali & spirituali: e Christumq;, cuius Papa est vicarius, vtramq; potestatem habuisse, iuxta illud Mat. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & terra. Ex prædictis deduci, q̃ Papa absolute est Dominus totius orbis Christiani, & Reges ac Principes Christianos ab illo Imperia, & Regna recognoscere debere, & ei omnes fideles subesse; Quotiesq; iidem Principes graue detrimentũ Ecclesiæ afferunt, posse illos Papam Regnis priuare, & eorũ iura ad alios transferre.

a Carerius de potest. Rom. Pont. pag. 150.
b Idem pag. 151.
c Idem pag. 155.
d Lal. Zecch. in tract. Theolog. pag. 81.
e Idem pag. 83.

26 Hic prætermittendum non erat, quam magno Romæ numero, & in Italiæ partibus habeantur authores, eorumq; scripta, quorum sententias Blacuello videmus improbari. Nam de nuper defuncto vt taceamus Cardinale Baronio; Francisci Bozii libro suffragata est ad prælũ publica Romæ authoritas, vt qui nihil in se contineret, quod Catholicæ fidei esset aduersum. Eodem in loco, simili ornata elogio, Thomæ Bozii & Celsi Mantini opera in typos exierunt. Mosconii tractatum Venetiæ dederunt in publicum, nondum ortis scil. inter Venetum & Pontificem proximis hisce discordiarum flammis. Lælius Zecchus Brixiæ est excusus. Carerii opus, Doctoris Patauini, Academiæ illius suffragio commendatum est in vulgus, impressum post Coloniæ. Quamobrem qui huic Quæstioni præfuit, pari æquitate licere sibi ratus, obiicere quæ visa sunt, ac Blacuello licuit in responsis comminiscendis suo modo atque arbitrio vti, alios porro locos, non minus, quam proximos hosce, ad hanc sententiam accommodatos, ex iisdem, aliisq; haud inferioris notæ authoribus, proponendos censuit. Erant autem huiusmodi.

27 a Supremam iurisdictionem temporalem penes esse Petri successores in toto orbe, ita vt idem sit Hierarcha, & Monarcha in omnibus. Christum optimo regimine Ecclesiam gubernandam reliquisse: sed optimum regimen esse absolutam in omnibus etiam temporalibus Monarchiam; ergo tali modo gubernandam reliquisse. b Petro datas esse claues Regni Cœlorum: ergo & terrarum. c Iuste per sententiam & ordinationem Ecclesiæ ius dominii, vel prælationis posse infidelibus tolli, quia infideles, merito suæ infidelitatis, merentur potestatem amittere super fideles. d Ecclesiam eam accepisse potestatem super gentes, quam Christus secundũ humanam naturam accepit à Patre: Christum autem accepisse absolute à Patre omnem potestatem in rebus temporalibus: ergo & Ecclesiam per plenitudinis participatione. e Vim supremam coactiuam in omnibus rebus temporalibus diuino iure reuelato, & expresso in diuinis literis, esse penes Ecclesiasticos. f Ob supremam Monarchiam in rebus omnibus posse ab Ecclesia leges temporales condi, & iustis de causis auferri regna.

a Franc. Bozius, de temporali Ecclesiæ Monarchia lib. 1. c. 3 pag 52. Idẽ lib. 1. c. 7. pag 69.
b Idem li. 2. c 14. 351
c Id. li. 3. c. 1. pag 394 ex Aquinate.
d Idem lib. 3. c 14. p. 530.
e Idem ibid. c 16 p. 537.
f Idem li. 5. pag 823.
g Tho. Bozius, de iure status. li. 1. c. 9. fol. 37. Impress. Romæ. An. 1600.
h Idem ibid. c 11. fol. 52.
i Idem li 3. c 5. fol. 277. ex Augustino Triũpho.
k Idem li. 4. c. 1. fol. 319.
l Isidor. Mosc. de maiest. milit. Ecclesiæ. Impress. Venetiis, Anno 1602. p. 26.
m Idẽ p. 77.
n Idẽ p 95.
o Idẽ p. 96.
p Idẽ p. 97.
q Idẽ p 99.
r Idẽ p. 676
s Idẽ p. 677.
t Henric. Gandauen: apud Carer. pag 128.
u Antonius apud Carer. pag 130.
x Aug. Triumph. apud Carer pag. 130.
y Idem ibid. pag. 132.

28 g Reges, & Principes sæculares non esse immediate à Deo, sed interuentu Ecclesiæ sanctæ, & supremorũ eius Pontificum. h Potestatem bellicam, & militarem compulsiuam in Reges, & Principes Ecclesiæ datã esse. i Quod si inueniatur quandoq; aliquos Imperatores dedisse aliqua temporalia summis Pontificib. sicut Constantinus dedit Syluestro, hoc non esse intelligendum eos dare, quod suum est, sed restituere, quod iniuste, & tyrannice ablatum est. k Christum Beato Petro æternæ vitæ clauigero, terreni simul, & cœlestis Imperii iura commisisse: vt inquit Nicolaus Papa secundus; à quo habemus: esse sine dubio hæreticum, qui iura terreni simul, & cœlestis imperii Ecclesiæ Romanæ à Christo commissa aufert, atq; asserit id licere, atq; ob hoc esse hæreticum in huiusmodi assertione.

29 l Papam dici Iudicem vniuersalem, Regem Regum, & Dominum Dominantium. m Papam consecrari, vt Sacerdotem magnum, coronari, vt Regem, quia vtramq; habet potestatem. n Papam vti potestate sua duplici modo, absolute aut ordinarie: absolute, dum derogat legibus, tollendo eas; ordinarie, quando vtitur legib. vnde datur regula, Papam vti consilio Cardinalium, quando suis vult viuere legib. quia suæ leges hoc ordinant: at si plenitudine suæ potestatis vti voluerit, tunc absq; vllo Cardinalium consilio disponere: cum eius potestas sit à Deo, non à Cardinalium Collegio. o Non solum omnem fidelem populum, verũ etiam infidelem, ac omnem rationalem creaturam Papæ imperio subiacere, & ab omnibus esse verendum: itaq; hac de causa ab omnibus fidelibus recipere adorationes, prostrationes, & oscula pedum. p Papæ tanquam Ecclesiæ pastori, & illius sanctæ sedis Præsuli, & ratione Dominii, & excellentiæ, Duliæ tribui adorationem. q Papam in signum Imperii & Regni vti in capite regali diademate, in signum Sacerdotii, & Pontificalis Maiestatis, vti mitra: r Reges sancto oleo inungi, & quasi vasallos Ecclesiæ dici. s Imperatores, & Reges à Papa cogi posse ad obseruandum iuramẽtum præstitum in eorum coronatione, & confirmatione, ex quo, virtute talis iuramẽti, sunt effecti subditi Papæ.

30 t De iure diuino, & naturali, sacerdotium supereminere Imperio: & penes ipsum residere, de iure diuino, & naturali, vtramq; iurisdictionem & super spiritualia, & super temporalia, & similiter eius immediatam executionem: u Qui dicunt Papam in orbe terrarum totum dominiũ habere super spiritualia, non autem super temporalia, similes esse consiliariis Regis Syriæ, qui dixerunt Dii montium sunt Dii eorum, & ideo superauerunt nos, sed pugnemus contra eos in campestribus, & conuallib. in quibus Dii eorum nullum dominium habent, & obtinebimus contra eos. 3. Reg. 20. x Dei filium declarasse Ecclesiæ potestatis altitudinem, tanquam super petram fundatam, supra omnem esse principatum, & potestatem, vt ei genua cuncta curuentur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum. y Sæculares potestates necessarias non esse, nisi, vt quod non praualet Sacerdos efficere per doctrinæ potestatem, Princeps hoc impetret per disciplinæ terrorem. Si ergo Ecclesia posset malos coercere, non esset necessarius Principatus Imperialis, & sæcularis, cum includatur virtualiter in Principatu Apostolico.

31 z Va-

31. a *Varias esse hominum potestates à Deo datas, diuersasq; authoritates, quæ omnes à summa potestate* (Pontificis nimirum) *pendent, ab illaq; lumen recipiunt, vt sydera à sole.* b *Imperialem potestatem à Pontificali potestate, sicut lumen luna à lumine solis, quo ad Temporalium administrationem proficisci.* c *Sicut Deus dicitur supremus Monarcha mundi, ac Temporalium gubernator productiue, & gubernatiue, licet per se non sit temporalis, & mundanus: ita etiam vicarium Papam, licet primo & per se dominium habeat super omnia temporalia, non tamen per immediatam executionem, sed per vniuersalem iurisdictionem (cum Imperatori committat immediatam executionem) eam habere, fatendum esse.* d *Pontificem in orbe esse summum patrem, & orbis virum, & vniuersalem orbis vicarium, atq; dominum, & cæteros ab ipso vt ab Architecto pendere: aliàs si poneres separatim Cæsarem ratione Temporalium, poneres inferim duo principia, quod esset hæreticum.* e *Romanum Imperium ante conuersionem suam, fuisse vsurpatũ, & tyrannicum, propterea quod in linea duntaxat Christi verum dominium fuit.* f *Imperatorem esse Papæ ministrum: Deum enim tanquam summi Sacerdotis ministrum illum deputasse.* g *Potestatem Imperialem pendere à Deo, mediante eius vicario, quoad esse completum, & formatum, Imperatoremq; non alia conditione eam debere recipere.* h *Nullum Regem, vel Imperatorem iurisdictionem, nisi à Christo, & per consequens à Papa eius vicario habere posse.*

a Carer. de pot. Rom. Pont. pag. 142.
b Idem pag. 145.
c Idem pag. 150.
d Idem pag. 152.
e Idem pag. 161.
f Idem ibid.
g Idem pag. 162. & 163.
h Idem pag. 172.

32. i *In summo Pontifice esse vtramque potestatem, seu iurisdictionem spiritualem, atq; temporalem, & vti omnium est eminentissimus in potestate spirituali, ita etiam in temporali: adeo vt liceat de Christi vicario illud similitudine quadam asserere, quod Plato in Timæo dixit de Deo, quatenus in Timæo interrogans, quidnam esset Deus, respondit: Non esi homo, non cœlum, non bonum, sed quid præstantius: Roget quis, an Summus Pontifex sit Dux, Rex, Imperator, anne Princeps, cauté respondebit, si negando assereret, esse quid præstantius, quiddam eminentius.* k *Pontificem Romanum dici Papam, à* Papæ *admirantis particula: quo illius dignitas, & potestas omnibus sit admirabilis, velati stupor mundi, secundum glossam in proœmio Clementin: vbi legitur his verbis:* Papa stupor mundi, non Deus non homo, sed vtrumq;. l *Sanctum historicum in lege veteri fecisse Sacerdotium Regno adiectiuum; Diuum vero Petrum Regnum fecisse sacerdotio adiectiuum: Quod si phrasin scripturarum sequamur, & Græcum codicem attendamus, necesse esse fateri, dum Iesus Saluator noster verbis illis,* Pasce, pasce, oues meas, *vicarium instituit, huic spiritualem & temporalem potestatem commisisse.* m *Temporalem omnem potestatem ad Papã non Imperium, sed nutum esse exercendam.* n *Principis iubere, mandare: Deum, qui omnium est Dominus, nutu imperare; secundum illud Virgilianum:*

Dixerat, & nutu totum tremefecit Olympum. *Deniq; Christum plenam habuisse totius Orbis, omniumq; creaturæ iurisdictionem: igitur & vicarium illius Pontificem.*

i Cels. Mancinus li. 3 c. 2. & Carer. pag. 133.
k Isidor. Moscon pag. 22.
l Cels. Mancinus de iuribus principatuum Impress. Romæ, Anno 1596. pag. 63.
m Idem pag. 66.
n Idem pag. 80.

33 Hisce rebus ita propositis, Blacuellus offensior expostulare cœpit; plane iam sibi perspectum esse, non tam Fidelitatis suæ specimen, quam suam inuidiam quæri. Neq; enim hæc loca aliorum interpretari, quam in Sanctitatis suæ ludibrium esse conquisita, pro cuius Primatu in causis Ecclesiæ vel emori non recusaret. Actum ergo secum iniquius querebatur. Responsum est, mirari eius videri hac in re offensionem, quod quæ à tam multis, tam publice fauente Roma, data in vulgus essent, idq; eo tantum consiliu, nequaquam orbis partem latere possent, ea vel commemorari, adeo grauiter & indigne ferret.

34 Blacuellus non tam sibi ait, quod proponantur, quam quorsum id fiat, molestum esse. Etenim si de proximis hisce locis ipsius iudicium tantopere expetatur, cum à superioribus eorundem authorum placitis nullo discrimine differant: satis esse (siquis satisfaciendi modus) quod ea dudum notarit esse *explosa iamdiu, & in scholis vexata Canonistarum dogmata*: neq; esse, quod recte possit eorum recitatione amplius à se requiri, cuius non magis, sit, de Pontificum indicare, quam, de Regũ assentatoribus, qui vt dominorum suorum auribus seruiant, sæpius haud dubie solent extra veri modum adulatione prodire. Quin se addit periculum hoc vlcus tetigisse, neq; tam locupletem in eo argumento futurum, nisi Maiestatem suam sensisset ad hanc opinionem, de directa Pontificis in temporalibus authoritate, quæ supra Regum & Imperatorum diademata adeo caput sustulerit, potissimum respexisse, cum pro Ordinum cõuentu iampridẽ hæc verba faceret: *Papam scil. ex Primatus sui doctrina non modo spirituale Christiani nominis caput se venditare, sed & in Regum ac Cæsarum solia & diademata Imperialem & ciuilem sibi arrogare principatum, vt ea pede deiicere, eadẽ dispensare & disponere ad libitum & appetitum possit. Alterum vero esse, quod in eorum* (Catholicos dicit) *praxi & moribus sit assiduum, Regum videlicet percussiones, & parricidia, vt quibus meriti res sit, tantum absunt, vt in factis numerent impiis, si in Principem suum, cui natura cõditione omnia debeant pietatis officia, nullas perduellium, nullas hostium partes omiserint, postquam deuotus Anathemate, subditos habeat Fidelitatis voto solutos, Regnumque à triuertice eorum Monarcha publicatum.* Quæ Serenissimi Regis dicta Fidelitatis iuramento causam non minimam publice arbitratur dedisse, vt iis contrauenire malis posset, quæ prædicti dogmatis fructus esse nimium periculosos, Regni Ordines, Maiestatis suæ verba sequuti, decreuerant. Id se demum & sacramento illo rogatum insinuasse, Literisque suis deinceps apud Cardinalem esse professum. Cui tamen facto quid offensionis merito possit subesse, non videt, qui Bellarmino diceret, se iureiurando affirmasse, *Papam non habere Imperialem aut ciuilem potestatẽ Regis nostri ex appetitu suo deponendi.* Quod enim tum iurauit, id constanter pergit asseuerare, falsam sibi videri, de directo Pontificis in temporalibus dominio & Primatu, opinionem supra commemoratam, quacunq; tandem fiducia, quocunque ardore animi eius assertores prædicent (sed per errorem) *magis receptam esse Theologorum sententiam, & ex lege diuina cum recta fide tenendum.*

35 Cæterum obiectum hic est, tametsi recte statuat, Sacramenti huius formulam, vt opinioni

nioni prædictæ obuiam iret, maxime esse institutam: dum tamen vniuersam eius vim ad hanc vnam directæ potestatis opinionem conatur restringere, minus eum consequi; quod ex iuramento quasi satis intelligeret. Ipsius enim ad Bellarminum literas aliud quoddam loqui authoritatis genus, quod varii isthic citati authores Pontifici Romano tribuerent, cuius summa sub exquisitæ cuiusdam distinctionis artificio, huc rediret: in ordine nimirum ad spiritualia & *indirecte*, Reges ac Principes omnes, cũ suis regnis & dominiis, Pontifici subordinatos, eiusque potestati vsq; adeo esse obnoxios, vt rite eos possit, si quos forsan in reb. Ecclesiæ ad ipsorũ salutem spectantibus, dicto minus audientes compererit, non modo Anathematis pœna plecti, sed deinceps progressus, Regnis suis submouere, subditis fidem soluere, & vero si causa postular, vt arma in eos sumant, iure optimo imperare. Quæ quidem opinio non minus dicta est, quam illa altera, capitalis ac funesta Principibus esse, & in eundem, si verum quærimus, licet diuerso itinere exitum pertinere. Quod si ad priorem duntaxat opinionem respiciens (re integra quoad hanc alteram) Fidelitatis sacramentum admiserit, perinde esse, ac si iuramentum omnino nullus adiisset. Hunc ergo nodum Blacuellos serio iussus expedire, ita respondit.

36 Primo diffiteri non posse, obiectionem istam huius loci propriam, apteq; ex suis literis esse collectam. Dein fatendum esse, secundam hanc opinionem priori minime cedere, siue authorum spectes studium & vehementiam, siue etiam eruditionem, omniq; in genere præstantiam, quorum tanta sit nominis celebritas, vt contrariarum partium existimationi longe præponderet. Multum in hac causa esse Cardinalem ipsum Bellarminum, & habere qui astipulentur, Henricum, Ioannem Driedo, Ioannem de Turre Cremata, Albertũ Pigbium, Thomam Waldensem, Petrum de Palude, Cardinalem Caietanum, Franciscum de Victoria, Dominicum Soto, Nicolaum Sanderum: quib. ait, Martinum Alpilenetam, Couarruuiam, & alios posse ascribi. Et vero, quod Carerius & Sancius superiori, id C. Bellarminus huic opinioni tribuit, vt sit *communis Catholicorum Theologorum sententia*. In his non dissimulat Blacuellus, ad Bellarminum scribentem, se potissimum censeri voluisse, vt qui in Cardinalis, quam in cæterorum sententiam esset inclinatior, ad neutram tamen ea se sentiat religione adstrictum, vt periculum alioqui sit à fide Catholica deflectendi. Quin ista iudicii sui libertate, quoad Regem nostrum, si vti velit, vel ipsum videtur authorem habere C. Bellarminum.

37 Cum enim Fidelitatis iuramentum hanc inter cæteras formulam contineat: *Præterea iuro me penitus & ex animo detestari, ac vt impiam & hæreticam abiurare hanc execrabilem doctrinam & assertionem: Principes à Papa excommunicatos, vel iure Regali exutos, licite posse à subditis suis, vel quocunq; alio Regno, vel etiam vita priuari:* Bellarminus contra disputat, *inauditum esse ab initio nascentis Ecclesiæ vsq; ad hæc nostra tempora, quod vllus Pontifex Maximus Principem vllum, quamuis hæreticum, quamuis Ethnicum, quamuis persecutorem cædi mandauerit*; & proinde metum illum, qui de Regis vita prętenditur (si quidem in Anglis atq; in aliis Christianorum Regnis parem locũ obtineat potestas Pontificia) *inanem prorsus esse, omnesq; prætextus eo spectantes nihil aliud habendos, quã Satanæ decipulas & stratagemata.* Quod si vere asseritur præfatum iuramenti à se suscepti articulum, ipsius iudicio, diserte astruit, illum adeo, qui præ reliquis molestissime habeat permultos huius Regni Catholicos. Etenim omnino concedendum est, nullo posse respectu (si absit Regum ac Principũ à Pontifice edicta excommunicatio, & proscriptio, ciuiumq; ab obsequii nexu exauthoratio) fas videri subditis, in Reges, dominosq; suos legitimos, è quorũ ditione sint natiui, manum attollere. Quid autem interest, iubeat ne Papa Regẽ occidi, an illud vel faciat vel iubeat, quo alios ad eorũ cædem, etiam imposita religione, impellat? Quod si ita est, è Bellarmini verbis efficitur, nunquam posse, ex Pontificis authoritate, directa vel indirecta, licere subditis (quoquo demum prætextu vtentibus, cuiuscunque potestatis, Regum a sacris, sceptrisq; suis amouendorum, populique ab eorum obedientia eximendi præsidio confisis) Principis sui sanguine manus cruentare. Quod Blacuellus redire ait in eam sacramenti partem, in quam ipse iureiurando sit adactus.

38 Verum, quando hoc vltimum Blacuelli responsum (cum ad vnam iuramenti partẽ nec vltra pertingeret, constaretque e Bellarmini sententia, ex eius verbis per consequentiam eruta) multum diceretur abesse, vt obiectioni proximæ satisfaceret: is ad pristinã petitionem recurrit, vt testandi officii sui causa, erga Deum Opt. Max; Regemq; Serenissimum liceret sibi, quibus maxime visum esset, gradib. & vestigiis in eius loci explicatione progredi. Id præfatus, sic ait: Primo intime habere persuasum, Pontificẽ Romanum S. Petri successorem esse, caputque Ecclesiæ vniuersæ. Claues vero etsi terrenæ & materiales ad aperiendum & claudendum gratis fortasse & obsequio flecti possint, cœlestes tamen nullum personarum discrimen, nullũ locupletis & egeni, nobilis & plebeii, obscuri & illustris, Regis denique & subditi delectũ habere: adeo vt extra ictum Anathematis Pontificii, vbi (rebus omnibus rite circumspectis) grauis & iusta erit eius inferendi causa, neminem esse censeat. Quinetiam Christiani cuiusq; Principis officium putat, in causis ad religionem spectantibus, Romano Pontifici, vt supremo Episcopo, & animarum suarum pastori, fasces submittere ista demum professus: locum quendã è superiore *Quæstione* (quæ tunc extabat publice) in partem responsi sui ad obiectam * interrogationem petiit huc transcribi.

Sect. 19. Blacuelli Quæstio prior supra pag. 12.

39 Quo loco, cum mẽtem suã iuberetur dilucidius explicare, *quẽ se sensum, in admittẽdo* Fi-

delitatis iuramento, ex Maiestatis suæ verbis, sequi diceret: cum enim illas posse sensum comminisci, vt frustra esset pridiana sacramenti dictio, nec quod polliceretur officium vlla ex parte præstaret: cum Maiestatis suæ manifesta esset sententia, cum ab appetitu & temeritate profectum interpretari, siquis Pontificum Romanorum id sibi fastus sumat, vt edicto in Reges Anathematis, subditis eadem opera obedientiæ legem soluat, classicum ad arma canat, in Principum suorum capita, in omnia seditionum, & tumultuum consilia eosdem instruat authoritate sua, deniq; in salutem suorum, siue publicam, ista molientibus auxilio esse iubeat: is ad illustriorem sententiæ suæ explicationem, hoc tum vtebatur responso. (id quod in præsentia iteratum vult) *sic se nimirum statuere, legitima Excommunicationis (sit vel Maior quam dicunt, siue Ecclesiastici Anathematis censura) vim & potestatem nullos edere istiusmodi effectus, nullos inferre.* Quam porro sententiam ait cum multis sibi communem esse, è Catholicorum gente authoribus, iisq; (quantum intelligit) Orthodoxis, in quibus præcipue sint, qui sequuntur: simul autem commentariolos quosdam suos (quod pro re nata subinde factitarat) de sinu proferens, eorum dicta, in specimen officii sui, scripto fecit excipi, in hunc modum. *a Excommunicatio non nisi excommunicatum facere potest, eaq; fulminatur in Principes, non vt tyranni fiant, neq; vt suis ditionibus remoueantur, neq; vt subiectis laxentur habenæ, vel iurata fide liberentur.* In eandem sententiam Soto, vt citatur à Medina *b Excommunicatio non est priuatio alicuius boni proprii, quod transgressor legis prius possederat: sed est priuatio bonorum communium, quæ ab Ecclesia erat percepturus, vt communionis spiritualis, & receptionis Sacramentorum.* Et D. Thomas: *c Aliud est Excommunicatio, aliud eradicatio.* Quod etiam in iure Canonico iisdem fere verbis, in quadã Vrbani Papæ Epistola traditur: *d Liquido apparet, aliud esse Excommunicationem, aliud eradicationem. Qui enim excommunicatur (vt Apostolus ait) ad hoc excõmunicatur, vt spiritus eius saluus fiat in die Domini. Disciplina n. est Excommunicatio, & non eradicatio.* In summa Blacuellus, postquam Regnum Angliæ fassus sit nec in Pontificis Romani feudis, nec magis peculiari iure, quam cætera Christianorum Regna, ditionis esse Pontificiæ: postquam Pontifici abnegarit Imperialem omnem & ciuilem Regis nostri abdicandi potestatem; postquam deniq; ex Anathemate Pontificio (vltima gladii spiritualis vindicta) docuerit nihil illorum posse fructuum emergere, quibus cauet Fidelitatis sacramentum (Regum scil. abdicationem, subditorum immunitatem à fide & obsequio, iustam deniq; bellum Regibus suis, aut vim inferendi potestatem:) quid amplius responsi desideret * primaria illa obiectio, de sensu ex Maiestatis suæ verbis elicito, quem se iurantem maxime secutum esse Cardinali significarat, negat se intelligere.

a Ludouic. Richeom. in Apolog. pag. 171.
b Medina in primam secunda pag. 513. q. 96 art. 4.
c Tho. Aquin. secunda secunda. q. 11. art. 3.
d Decret. 2. part. caus. 24. q. 3. c. 37.
* Sect. 13.

40 Hæc omnia hactenus dicta, quam non sufficerent obiectioni antegressæ, priusquã diligentius sumeretur excutiendum: visum est a Blacuello quæri, qui effectus supra recitatos, proxime negarat in Anathematis potestatem cadere, quo pacto hanc assertionem posset cum disciplinæ Pontificiæ placitis sequentibus, a Classico quodam sectæ Romano-catholicæ authore traditis, inuicem conciliare. Is plurimo argumentorum apparatu id agit, vt Henricum tertium Gallorum Regem doceat, ante eius parricidium annis aliquot, sub Excommunicationis censura fuisse, vt qui compluribus per anteactam vitam delictis in varias Anathematis sanctiones, nominatim vero in Bullam Cœnæ Dominicæ incidisset. Id genus crimina in reliquis hæc recenset, quæ singula in totidem Anathematis sententias Regem ipso facto præcipitarent. Primo, *a quod hæreticis faueret. 2. quod esset Simoniacus. 3. quod cum hæreticis (Regina Angliæ & Nauarreo) fœdus iniisset. 4. quod bona Ecclesiæ (Pontifice inconsulto) occupasset.* Quo in genere cum multa disputasset, conquisitis vndique Scripturarum, Patrum, Historiarum, nullisque non testimoniis, in summa huc rediit: Regem illum, etiam nondum in eum renuntiata Anathematis sententia, iure esse interfectum, *b neque enim formulam percipere dolorem publicum.* Nam etsi in occulto crimine nefas esset, indicta causa hominem condemnari: in publicis tamen & notoriis, quæ nulla possint tergiuersatione occultari, *c euidentem facti notoriam sententiæ locum tenere.* Hæc omnia dicta sunt superiorem Blacuelli sententiam destruere, quæ in Anathematis potestate abnuerat esse, Regib. sceptra abrogare, nedum eos e medio tollendi iustam populo authoritatem permittere.

Sect. 35.
a De iusta abdicatione Henrici. 3. li. 2. c. 35.
b Idem li. 4. cap. 1.
c Idem Ibid.

41 Ad hæc Blacuellus quæ singulari impulsi spiritu, homines priuati fuderint, iniq; ea vel in doctrinæ Catholicæ, vel in aliorum, qui secus sentiunt, fraudem & præiudicium verti. Obiecta vero illius authoris placita diffiteri nequit, adeo esse absona, adeo modum & modestiam omnem egressa; vt nihil existimet aut vanius & dementius, aut Regum, nec Protestãtium modo sed & Catholicorum, saluti perniciosius excogitari posse. Id enim si fas erit, vt quotquot non sub vnam modo, sed sane sub multas iuris Excommunicationes, præcipue vero Bullam Cœnæ Dominicæ venerint, iidem subditis suis continuo proiiciantur ad cædem: quorusquisque Regum (inquit) hodie inuenietur, qui vel de imperio vel de vita securus esse queat?

42 Cæterum hic denuo interpellatum est, vt cum palam sit Reges, ac Principes omnes, si qui Pontificii Primatus iugum excusserint, etsi Euangelii fidem cætera amplectantur, vulgo tamen Pontificiis hæreticorum numero esse: Blacuellus, pro sua in Regem obseruantia, aperte significet (id enim officii rationem exigere) quo loco istas reputet assertiones, Anathematum Pontificiorum, vel ante latam sententiam, propagines & effectus, quæ superius traditæ ipsius opinioni itidem repugnarent.

Card. Alanus contra Iustitiam Britannicã Anglica pag. 87. Versionis autem latinæ, pag. 136. edit. Augustæ, 1588.

43. *a Iura Canonica* (inquit quidã notæ non vulgaris) *quorũ per legitima queq; orbis Christiani tribunalia viget authoritas, hæreticos oẽs, nec eos modo nominatim & diserte denũtiatos, sed ex vi iuris, & eo ipso,*

quo sunt haeretici, aut eius nomine iuris excommunicationem merentur, suis principatibus ipso facto exuunt. Nec dissimile est quod ab alio haud fere minoris notæ scribitur, hisce verbis: *b Hinc infert vniuersa Theologorum ac Iurisconsultorum Ecclesiasticorum schola, & est certum & de fide, quemcunque Principem Christianum, si à religione Catholica manifeste deflexerit, & alios auocare voluerit, excidere statim omni potestate, ac dignitate ex ipsa vi iuris tum humani tum diuini, hocq; ante omnem sententiam supremi Pastoris ac Iudicis contra ipsos prolatam: & subditos quoscunq; liberos esse ab omni iuramenti obligatione, quod ei de obedientia, tanquam Principi legitimo, praestitissent: posseq; & debere (si vires habeant) istiusmodi hominem, tanquam Apostatam, haereticum, ac Christi Domini desertorem, & reipub. inimicum, hostemq;, ex hominum Christianorum dominatu eiicere, ne alios inficiat, vel suo exemplo aut imperio à fide auertat. Atq; haec certa, definita, & indubitata virorum doctissimorum sententia, doctrina Apostolica conformis plane, ac consona est.* Huius porro fermenti & alii complures possunt adduci.

b Philopater pag 194.

44 Ad hæc Blacuellus, tametsi lentior, hominum causa, quorum sanctam haberet in primis authoritatem, responsum tandem dedit, superiori haud absimile: peculiarea & suas cuiq; illis authoribus vt & sibi opiniones esse: quamquam hæc fateatur proxima eorum dogmata à iudicio suo longe diffidere; eademque plane perneget vel *vniuersa Theologorum & Canonistarum schola cõclusiones, aut certas esse & de fide, definitasq; & indubitatas hominum doctissimorum sententias, ac Apostolica doctrina consentaneas.* Accedit eo, quod quæ hactenus ab ipso dicta sunt, siue eius rationes Romam transmissas, siue Sylueſtri loca, aut de præsenti rerum Anglicanarum statu, exceptiones illas, siue priorem spectemus ipsius sententiam; non posse scilic. subditorum in Principes suos istiusmodi facta (sint licet hæretici, sint Apostatæ, sint quoquo modo affecti) Anathematis potestate præstari, omnia hisce assertionibus ex diametro opponantur. Has itaque se dicit, vt insignia Excommunicationibus dedecora & opprobria, siquidem eius effectus numerentur, prorsus detestari.

45 Hic locus cum interrogationis præteritæ (quæ totius causæ caput esset) arctius premendæ opportune facultatem aperiret, visum est eadem vti. Etenim superior Blacuelli sermo diserte fatebatur, in Pontificiorum schola agitari, non Principum modo Excommunicationem, sed (quod ex authenticis ipsorum authoribus is pridem docuerit) eorundem extirpationem. Hæc adeo (vt colligere est) ipsius Excommunicationis viribus non perficitur, sed authoritatis Pontificiæ, qua supremus est, secundum Christum, terrarum orbis dominus in rebus temporalibus, vel ordine directo, vel indirecte in ordine ad spiritualia. Quæ vtraq; ratio cum eodem spectet, & æquali pernicie Regum Maiestati & saluti immineat, Blacuello dictum est parui referre, quod interdicto Pontificio potestatem ademerit, Regum abdicandorum, populique à fidelitate eximendi; si tamen aliam Papæ authoritatem relinquat, vt postquam Principes Anathematis sui fulmine ad inferos (vt sibi inepte fingit) præcipites egerit, eosdem porro habeat radicitus extirpare, Regnis suis exigere, ad clandestina omnia in Principes suos coniurationum & proditionum genera, ad nullum non perduellionis & perfidiæ consilium ciere subditos, suaque authoritate animis confirmare. Cuius rei causa acrius est & vehementius iterum à Blacuello postulatum, vt per eam, qua Regiam Maiestatem pietate & officio coleret, si quid vnquam à se synceri impostérum cuperet expectari, iudicium suum vellet, vt dudum de directo (quod fingeretur) Pontificio in rebus temporalibus dominio, ita nunc de indirecto, quod esset in ordine ad spiritualia, aperte tandem pronuntiare.

46 Conturbari Blacuellus, & rem queri, nimis ad viuum premi. Orare, vt satis huic causæ sit, quod Pontifici agnouisset ius esse, vel potentissimum Christiani orbis Principem, vbi causa inciderit, sacrorum aditu prohibendi. De reliqua vero illius potestate, quam habeat in ordine ad spiritualia, Maiestatis suæ nihil esse vllam in partem quod intersit.

47 Hic quod Blacuellus subinde efflagitarat, vt sensim liceret & certis vestigiis progredi, neq; necesse sibi esset summatim respondere, placuit, eam maxime viam insistere. Principio itaque reuocata illi in mentem est iudicii sui in *Quaestionis* huius primo limine solenniter facta professio: * quam scil. principibus obedientiam Christi & Apostolorum præcepta sanxerint: quam illa præcepta sensum haberent perpetuum: * quam eorum sententiam auersaretur, qui Christum & Apostolos somniarent pro temporum conditione hæc præcepta tradidisse: acsi Christianis edictum vellent, qui Imperatorum ditioni subessent, hostium Euangelii, ne diutius quam dum copiis superiores essent, in eorum obedientia permanerent: & deinceps reliqua, quæ suis locis visuntur exposita copiosius. Quo facto interrogatus, num in eadem sententia, omni remota æquiuocationis, aut subterfugii fraude, adhuc perseueraret: cum is vehementer annuisset, adderetq; se animi sui conscientiam diligenter, tanquam Deo teste, ea in re secutum: requisita est, in firmiorem rei fidem, de locis in sequentibus simplex & syncera illius opinio, quippe quæ præfato eius iudicio, de trecentis Christo proximis annis, diserte contrauenirent.

* Sect. 2.
Sect. 3.

48 *a Nos illa non mouent, quod Martyres dicuntur mortem tolerasse, & vt tyrannos Ecclesiae infestos deponerent, minime satagisse, Quia vt laudabile est, cum resistere nequeas, ita vbi possis resistere, religionis ac patriae hostis, nolle, nefarium & perniciosum est.*

b Optimo quidem iure poterant sancti olim Episcopi Imperatores Arrianos excommunicasse; & Catholicis eorum subditis authores fuisse, vt ab illorum tyrannide armis se vindicarent: quod adeo, propter maiores persecutorum copias non fecerunt. Præte-

a De abdicatione Henr. 3. li. 2. c. 3.
b Card. Alanus cont. Iustitiam Britanicã. edit. Anglic. pag. 107. Versionis autem Latina, fol. 143.

Præterea: a *Extra controuersiam est, recte potuisse Constantium, Valentem, Iulianum, aliosq; huiusmodi imperatores ab Episcopis excommunicari, & deponi; populumque omnem eorum obedientia eximi, siquidem Ecclesia aut Catholicis congrua ad resistendum vires suppetiissent.*

In quam eandem sententiam Bellarminus. b *Quod si Christiani olim non deposuerunt Neronem & Diocletianum, & Iulianum Apostatam, atque Valentem Arrianum & similes; id fuit, quia deerant vires temporales Christianis; nam alioqui iure poterant id facere.*

a [illegible]

b Bellarm. de Rõ. Pont. lib. 5. cap. 7.

49. De hisce assertionibus tam vehementer interrogatus, postquam aliquandin Blacuellus detrectasset, (veneritus scilicet & scriptorum authoritatem, & veru infamiam, ac discrimen suum, si eorum placita auderet ad censuram suam sistere,) victus tamen repetita officii sui mentione, tum in Deum, regemq; serenissimum, tum in ipsum adeo VARITATIS numen (quoad eum animo consequeretur) sic tandem censuit: assertiones illas, vtcunque laudem possint habere Politicam, parum tamen videri Theologicas. Itaque mirari se, quo pacto acciderit, vt recentioribus seculis tam sint istiusmodi dogmatum fœcunda authorum scripta, de quibus sanctorum Martyrum volumina, qui trecentis à Christo primis annis, veterumque principis notæ Patrum, qui aliquot deinceps seculis floruerunt, monumenta omnia nullam (quam meminit) vocem, nullam syllabam omnino fuderint.

50. Cui generi (inquit) si fides aliquando accedat, Apostolorum imminui anthoritatem, necesse est: vt qui egregii extitisse temporibus obsequendi artifices arguerentur. Quod *Blacuodæus* bonus inprimis Catbolicus, ex Buchanani loco quodam, similis fere argumenti concludit. Quidam Fideles ostendit Tertulliani seculo, tametsi viribus pares, religioni tamen habuisse, in Imperatores suos arma capere, hæc habet: c *Paulus vtendum foro præcepit? Laruatam hypocrisin sub persona religionis latere voluit? Potestatibus obedientiam edixit, quia resisti non posset? Christianos viribus audax ad arma cessantes, ad arma concitat, Imperiumque frangit?* Idem paulo post ex Clemente docet Petri discipulo, vbi de tumultu loquitur, per Caipham Hierosolymæ conflato, *Christianos etsi numero plures, virtute potiores, propter Numinis obedientiam, occidi maluisse, quam occidere:* pergitque deinceps subditorum officia, & arma Christianorum (*preces ac lachrymas*) describere.

c Blacuodæi Apolog. pro Regib. pag. 259.

51. Quid quod Ecclesiæ Romanæ Præsules, qui Tertulliani æuo, & citerius vixerint, pietatis & zeli laude posteris suis minime putet cessisse: sed nec ditionis suæ fines, quam late paterent, ignorasse? Quorum ætas si pro orthodoxis hæc dogmata habuisset, ii proculdubio, Fidelium numero & viribus cognitis, aliquod saltem monumentum posteris prodidissent, & animi, zelique sui, in hac potestate contra Imperatores exerenda, promptiq; ac alacris ad resistendum, in tantis præsertim copiis, Christianorum studii: cum nullum tamen eius facti vestigium vsquam reperiatur. Has similesque ob causas, quæ in hunc sensum plurimæ afferri possint, Blacuellus se dicit assertiones istas (quas explorandi tantum causa sibi iam propositas interpretatur) penitus repudiantem, in ea hærere, quam proxime exposuerat, sententia. Quod se confirmat sine subterfugii, sine ambiguitatis dolo, ingenue facere, nec quidquam prius facturum, quam vt animum hac in re suum, si qua posset, apertius & significantius explicaret.

52. Hic denuo à Blacuello postulari, vt quoniam perplexis quibusdam suis, ambiguisque responsis, in multas angustias, non sine summa Regis & Procerum offensione, se induisset; animus aliquando esset, pro doctrinæ & authoritatis suæ fide, huic, quæ præ manibus esset, quæstioni directo tandem responso satisfacere. Itaque Blacuellus Gregorium septimum agnoscit, Pontificum Romanorum primum (quem meminerit) ad Anathematis sententiam corollarium vllum adiecisse authoritatis suæ, ad Imperatores, Regesq; dominatu suo amouendos, subditos Fidelitatis nexu eripiendos, eosq; vt armis hostilibus in Principes suos grassarentur (etiam proposita, ni facerent, Anathematis mulcta) cogendos. Diuumq; d Thomam ait hanc causam disputantem, ad facti Gregoriani angustias esse redactum. In quo tamen Gregorii aduersus Cæsarem ausu differri non potest, magnum recente facto extitisse animorum motum; id quod e Frisingensis & f Sigebertus produnt. Quanquam hos authores minime adbibuisset, quippe Schismatis labe notatos à Baronio, vt in Pontificum & Imperatorum dissidiis, Cæsarianis partibus æquiores: nisi huic rei amplius confirmandæ Vincentius succedat testis, cuius *Historiale*, dum Clauium alicubi abusiuo perstringit, hæc habet verba: (designat autem Gregorium & ab eo secundum Vrbanum Papam) g *Vt pace omnium bonorum dixerim, hæc sola nouitas (ne dicam hæresis) nec dum è mundo emerserat, vt sacerdotes eius, qui dicit Regi, Apostata, & qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi, doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant subiectionem: & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contra Regem senserint, imo qui Regi paruerit, pro Excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit, à noxa iniustitia periurii absoluatur.* Cuius testimonii fidem, tam venerandi Præsulis authoritate ante annos 350 confirmatam (*vtcunque verum sit, à Sigeberto sumi*) Blacuellus nefas habet vel impugnare, vel præiudicio suo lædere. Periculoso enim exemplo vetustis rerum Catholicarum scriptoribus eo nomine pondus, derogari, quod sint amici Cæsarum, eum ea ratio & alios complures, historicos alioqui illustres, simili exceptioni subiiciat, vt qui pariter insimulari possint, in Pontificum gratiam plus æquo propendisse. Imo (inquit) per id tempus, qui & optime & intime colebant religionem Catholicã, alii in hoc Gregorii facto hæsitabant, alii plane pugnabant, carere Apostolicam sedem hac potestate, vt Imperatori (quod tum factum est) fasces adimere, & subditorum posset rescindere

d Thom. Aquinas 2.2. qu. 12. art. 2.

e Otho Frising. libr. 6. cap. 35. Idẽ de gestis Frederic. lib. 1. cap. 1.

f Sigeb. in anno 1088.

g Vincent. in Speculo Historiali lib. 25 c. 84.

DDD san-

sancitam iureiurando fidem. Quin Episcopum Metensem ait vsq; eo processisse, vt à Gregorio Pontifice a (apud quem gratia & authoritate valeret) per literas non dubitaret contendere, vti se consilii eius contra Cæsarem initi rationibus suis *iuuare*, *ac munire* dignaretur, quas eiusdem vituperatoribus haberet opponere.

a Gregor. 7. Epist 11 lib. 8. apud Seuerinū Binium de conciliis. Coll. 49.

53. Porro autem, quod occasione facti præcedentis, Blacuelli ad locum illum responsio, quo rem dixerat ad viuum resecari, vehementius (in plenam synceritatis suæ fidem) iterum expeteretur: quid de hac nimirum sentiret tam prolixa Pontificis in temporalibus authoritate, vt de Imperatorum Regumq; fortunis, cuiuscunque tandem distinctionis præsidio, licite possit, exemplo prædicto statuere: orabat, vt libri eius, qui est *De Romano Pontifice*, à Bellarmino scriptus, potestas sibi fieret. Facta potestate, iudicium suum ipsis *Bellarmini* verbis repræsentatum voluit: serio professus in hac se esse sententia.

b Bellar. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 2.

b *Papam non esse dominum earum Prouinciarum, quas obtinent Infideles. Infideles Principes veros esse supremos Principes suorum. Dominium non fundari in gratia aut fide. Diuū Paulum iubere, vt Principibus Ethnicis, etiam propter conscientiam, obediamus. Non autem tenemur (inquit) in conscientia obedire illi, qui non est verus Princeps. Principes non esse Papæ vicarios. Papam libenter daturum, si posset, regna Infidelium principibus fidelibus. Ridiculum esse, dedisse Deum Papæ omnia Regna totius mundi, & non dedisse illi facultatem vtendi eodem. Alexandrum sextum non diuisisse orbem nuper inuentum Regibus Hispaniæ, & Lusitaniæ ad eum finem, vt Reges illi proficiscerentur ad debellandos Reges infideles noui orbis, & eorum Regna occupanda; sed solum, vt eo adducerent fidei Christianæ prædicatores, & protegerent ac defenderent tum ipsos prædicatores, tum Christianos ab eis conuersos: & simul, vt impedirent contentiones, & bella Principum Christianorum, qui in illis nouis regionibus negotiari volebant.*

c Bellarm. ibid. cap. 3.

54. c *Papam non esse Dominum totius orbis Christiani: Quod si ita esset iure diuino, debere id constare ex scripturis, aut certe ex Apostolorum traditione: ex scripturis nihil haberi, nisi datas Pontifici claues Regni cælorum; de clauibus vero regni terrarum nullam mentionem fieri: Traditionem Apostolicam, qua nitatur, nullam vtique proferri. Christum neque abstulisse, neque auferre regna iis, quorum erant. Christum non venisse destruere ea, quæ bene se habebant, sed perficere. Quando Rex fit Christianus, non perdere eum Regnum terrenum, quod iure obtinebat, sed acquirere nouum ius ad regnum æternum: alioqui obesset Regibus Christi beneficium, & gratia naturam destrueret. Falsam esse assertionem eorum, qui dicunt, Papam habere vtramque potestatem, sed alterius executionem aliis demandare. Quicquid authoritatis Imperatores habent, à Christo habere. Si Papa, tanquam summus ipse Rex & Imperator, Regiæ authoritatis executionem Regibus posset eripere; maio ea vtique esse Christo. Licet d Innocentius Papam Soli comparet, Imperatorem vero Lunæ; obseruandum tamen esse, non idem sydus Solem esse, & Lunam: & sicut Lunam non instituit Sol, sed Deus: ita Pontificatum, & Imperium non esse idem, nec vnum ab alio absolute pendere. Licet Pontifex solus in patrimonio Ecclesiæ plenam habeat in Temporalibus potestatem, in aliis tamen regionibus non item.*

d Innocent. 3. cap Solitæ extrauag. de Maioritate, & obedientia.

e Idem ibidem cap 4.

55. e *Papam iure diuino nullius loci directe dominum esse temporalem: Christum, vt hominem, dum in terris vixit, non accepisse, nec voluisse vllum temporale dominium: summum Pontificem Christi vicarium esse, & Christum nobis repræsentare, qualis erat dum hic inter homines viueret. Papam, vt Christi vicarius est, & summus Pontifex, nullum habere temporale dominium. E falso principio deduci, Papam, qui est Christi Vicarius, esse simul Regem, & Pontificem. Christum, vt DEI Filium, fuisse semper Regem, & Dominum omnium creaturarum, eo modo, quo est Pater eius: sed hoc Regnum æternum esse, & diuinum, & nec tollere dominia hominum, nec posse Pontifici communicare. Christum, vt hominem, fuisse Regem omnium hominum spiritualem, & habuisse potestatem amplissimam spiritualem in omnes tam fideles, quam infideles. Futurum esse post diem iudicii hoc spirituale Christi Regnum etiam sensibile, & manifestum: & ita inchoatam esse gloriam huius Regni in ipso capite nostro CHRISTO, quando à mortuis resurrexit. Regnum hoc non esse temporale, qualia sunt nostrorum Regum, nec posse Pontifici communicari, quia præsupponit resurrectionem. Potuisse Christum, vt hominem, si voluisset, & sibi visum fuisset expedire, accipere Regiam authoritatem, sed noluisse: & proinde nec accepisse, nec habuisse non solum executionem dominii, & Regni, sed nec authoritatem, vel potestatem vllius Regni temporalis. Regna omnia acquiri, vel ex hæreditaria successione, vel ex electione, vel iure belli, vel dono; Christum vero istorum modorum nullo temporale Regnum habuisse. Christum nunquam exercuisse in hoc mundo Regiam potestatem; venisse enim ministrare, non ministrari, & iudicari, non iudicare. Frustra accepturum Christum Regiam authoritatem, quam nunquam exercuit; cum inanis sit potentia, quæ nunquam redigitur in actum. Christum ementes oues & boues de templo non eiecisse, quasi Pontificia vel Regia potestate, sed more Prophetarum, zelo quodam diuino. Authoritatem Regiam non fuisse Christo necessariam, neque vtilem, sed plane superuacaneam, & inutilem. Nam finis aduentus eius in mundum erat redemptio humani generis: ad quem finem non erat necessaria temporalis potestas, sed solum spiritualis. Inutilem fuisse CHRISTO talem potestatem mere temporalem, ex eo intelligi posse, quod Christus debuit hominibus persuadere contemptum gloriæ, deliciarum, opum, & omnium rerum terrenarum, quibus tamen maxime affluunt Reges huius mundi. Omnia fere loca Scripturæ, vbi de Regno Christi agitur, necessario intelligi debere, de Regno eius spirituali, & æterno: at Regna temporalia non sunt æterna. Christum non fuisse temporalem Regem Iudæorum, sed spiritualem Ecclesiæ. Licet Papa dicatur habere illud officium, quod habuit Christus, cum in terris inter homines humano more viueret: illa tamen Papæ officia tribui non posse, quæ habuit Christus, vt DEVS, vel vt homo immortalis, & gloriosus, sed solum ea, quæ habuit vt homo mortalis.*

Christum

Christum, quia Deus & homo erat, habuisse quandam potestatem, quam dicunt excellentiæ, per quam præstat tam fidelibus, quam infidelibus: Papa autem solum oues suas, id est, fideles commisisse. Christum, vt hominem potuisse Sacramenta instituere, & miracula facere propria authoritate, quod non potest Pontifex. Christum potuisse absoluere à peccatis sine Sacramentis, quod Papa non potest. Christum Pontifici illam solum potestatem communicauisse, quæ puro homini communicare poterat, quæ necessaria erat ad gubernandos ita fideles, vt sine impedimento vitam æternam consequi possent.

56. a *Illa loca, atque authoritates* (*b* Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. *c* Christus B. Petro vitæ æternæ clauigero, terreni simul & cœlestis Imperii iura commisit. *d* Ecce duo gladii hic) *doctrinæ præfatæ minime repugnare: Papa potestatem ciuiles lites iudicandi* (Canon: Quicunque litem:) *concessam ei fuisse per Theodosium ex pietate, non ex debito. e Christum ad conseruandam humilitatem voluisse Pontificem indigere Imperatoris defensione in temporalibus, & simul Imperatorem indigere Pontificis directione in spiritualibus: & propterea reliquisse Imperium Tiberio, & Petro solum contulisse Pontificatum.*

57. f *Quod ad Principatus temporales* (*quos iure possident*) *eos Episcopo Romano, aliisque Episcopis à piis hominibus quales erant*, Constantinus, Carolus Magnus, & Ludouicus *eius filius, donatos fuisse. Etsi absolute certe præstaret, Pontifices tractare solum spiritualia, & Reges temporalia, tamen propter malitiam temporum, experientiam clamare, non solum vtiliter, sed etiam necessario donatos fuisse Pontifices temporales aliquos Principatus. Sicut in Testamento veteri diu fuerunt Pontifices sine Imperio temporali, & tamen vltimo temporibus non poterat religio consistere & defendi, nisi Pontifices etiam Reges essent, nimirum tempore Maccabæorum: ita quoque Ecclesiæ accidisse, vt, quæ primis temporibus ad Maiestatem suam tuendam temporali principatu non egebat, nunc eodem necessario indigere videatur.*

a Idem ibidem cap 5. b Matt 28. c Nicol Papa Epist ad Michaelē. d Luca 22. e Idem ibidem cap 10 f Idem ibidem cap 9.

58. Ista ex Bellarmino totidem fere verbis citata, non adeo satisfecerunt, quin porro obiiceretur, Cardinalem (quicquid ex eius scriptis ad commendam sententiam suam Blacuellus carperet) in libri tamen sui decursu diserte largiri Pontifici, sed indirecte, in ordine ad spiritualia, eam authoritatis eminentiam, vt Reges & Imperatores iure queat (recto an obliquo nihil interest) pro arbitrio suo (tanquam si ab eius nutu penderet orbis imperium) stirpitus eradicare, dominatu suo arcere, subditos officii nexu emancipare, incendiarios suos in illorum regna emittere, sicarios in eorum capita (vt aptime quæque locorum aut temporum opportunitas blanditur) instruere. Quocirca, si ista contentus declaratione iudicii sui, plenius hunc locum & diligentius non exequeretur, videret, ne rem omnem in exitu magis relinqueret, quam in aditu incertam, seque manifesto proderet in Fidelitatis iuramento, tanta præsertim Regis Regnique causa, præter boni ciuis officium, insigniter fucum fecisse.

59. Blacuellus minime se vereri, quin iudicii sui professio tam testato, tam diligenter pridem facta, omnem synceritatis suæ scrupulum & dubitationem excusserit. Cui rei commemorare, quid de primæua Ecclesia, quæ trecentesimum Christi annum exceperit, praxiatque institutis, superius idque * iterato senserit; quam toto cœlo dissenserit à propositis quibusdam dogmatibus, quorum * patrum tuerentur (contra quam Fideles, quo animo tum essent, describit Tertullianus) recte illis temporibus licuisse, si vires suppetiissent, contra Cæsares arma sumi; partim * vero Regnorum ex vi Anathematis amissionem, & alia huius generis patrum Orthodoxi coniicerent. * Docere porro, quo primum tempore (quantum ex Annalibus compererit) Regum abdicationes, & subditorum emancipationes existimet ad Excommunicationis sententiam corollaria accessisse. Non pigere tamen, vt huic tandem postulationi satisfiat, paulo vlterius progredi. seque proinde affirmat, cum his sentire authoribus, quorum ipsa verba ex commentariolis suis promebat, in modum sequentem.

Sess. 4. & 47. Sess. 49. Sess. 59. Sess. 52.

60. g *Apostoli nihil vi gerebant: tantum vtebantur gladio spiritus: neminem agebant in exilium: nullius inuadebant facultates. Hæc omnia Erasmus non minus diserte, quam vere.*

h *Si aliqui Reges cum populo se tradiderunt Romano Pontifici, vt traditur de Anglia* (falso tamen, vt superius est demonstratum,) *nihil ad nos. Non tamen opinor quod Angli vllo modo permitterent Pontificem destruere suum Regem, & alium constituere. Nunquam enim aliquem Romanorum Pontificum hoc facere permiserunt.*

i *De ratione potestatis laicæ est pœnam ciuilem posse infligere, vt sunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. sed nullam talem pœnam institutione diuina infligere potest Ecclesiastica potestas; imo neque incarcerare, vt plerisque Doctoribus placet, sed ad solam pœnam spiritualem extenditur, vtpote excommunicationem. Reliquæ autem pœnæ, quibus vtitur, ex iure pure positiuo sunt.*

g Costerus in fidei demonstrat. pag 96. h Ioan Maior in 4. sentent. dist. 24 q 3. i Iacob Almain de Dominio naturali & ciuili: in vltima editione Gersonis pag. 696.

61. Hic interpellatum est, Blacuellum nec immerito, quæ ante responderat, dudum commemorasse, longiusque aliquanto prouectum agnoscere. quicquid vltra Excommunicandi potestatem haberet authoritas Pontificia id omne *ex iure positiuo* accreuisse. Cæterum, cum ad posteriorem hanc sententiam, de Papæ in temporalibus dominio indirecto, in ordine ad spiritualia, tam lento pede accedat; qui displicere illam alteram, de directa in téporalibus authoritate Pontificis, non difficulter agnoscat: obiectum ei est, non videri credibile, si Bellarmini sententiam, allegatam ex locis præcedentibus (vti præ se ferret) ingenue sequeretur, tantam illi vecordiam esse (viro alioqui graui & erudito) vt probationum earum deplorandam imbecillitatem, quibus indirectam Pontificis authoritatem astruit Bellarminus, iis sentiat euertendis sufficere, quæ in secundo, tertio, quarto & quinto libri sui capitibus fundamenta præstruxerit. Quorum adeo capitum

(quas sane modicas semper habuit:) cum amissum sit libertatis & pristinæ solatium, & spes futuræ: cum mors proxime immineat, quam se ait omnibus votis expetere: cum deniq; nulla gaudii, nulla solatii, præterquam, à benignissimo Seruatore, lux vsquam affulgeat; obfirmasse mentem suam, vt quicunq; casus acciderit, eum quieto & æquo animo ferat. Hæc se & alia eius generis permulta, tam iniq; in se statuta, mente & cogitatione subinde versantem, maximo dolore & molestia affici, quod qui ab animo otiosi libero fruuntur cœlo, non maiore humanitatis sensu in eos ducantur, qui carceris sordes & angustias perferunt, illius etiam causæ studio, cui iidem videri volunt vnice fauere.

Postremo vbi pectoris sui dolorem hisce dictis aliquantum permulsisset, dedissetq; & se & causam in diuini numinis tutelam: ad obiectionem proximam se conuertit: ad quam pollicetur ingenue & ex intimo animi sensu (prout sacerdotem vere Catholicum decet) per omnia se responsurum, nullius sibi conscium æquiuocationis, aut latentis subterfugii nullo permotum hominũ intuitu, nullo reliqui incommodi, nullo periculi aut calumniarum metu, quarum plaustra tota facile cernit in se congestum iri, vt authoritas & sua minuatur & eorum, quæ profiteri habet necesse, nisi veritatem malit prudens abnegare, & legitimæ authoritatis imperium defugere: quod nec illius fert præsens conditio, nec insita permittit animi conscientia.

18. Quod ergo ipsius habent ad C. Bellarminum literæ, hanc sibi iuramenti summam fuisse: *Supremum Pontificem non habere Imperialem & ciuilem potestatem, ad libitum & ex suo appetitu deponendi Regem nostrum*; id se velle ait non summatim, sed quibusdam gradibus expedire.

In variis ergo, quæ Romano Pontifici in temporalibus iura & prærogatiuæ asseruntur, hãc dicit esse, quam omnium calculis comprobatum iri existimat: optimo illum iure temporaliũ scribi Dominum eorum, quæ ad Pontificiæ Sedis patrimoniũ noscuntur pertinere. In his Angliæ & Hiberniæ Regna qui censeant, authores non deesse, è quibus præter cæteros, vnum (cuius memoriam colit inprimis, quanquam hac in re diligentiam sane requirat) non duxit prætereundum, Is ita *a* scribit: *Citra Apostolicæ Sedis assensum nemo legitimus esse potest Angliæ Rex aut Regina: idq; pacti eius causa, quod anno 1171. inter Alexandrum tertium & Henricum secundum tum Regem, alim conuenerat, quo tempore de cæde S. Thomæ Cantuariensis, absolutionis gratiam exorasset: Neminem scil. legitime posse in Regni illius fastigium prius recipi, vel pro Rege haberi, quam à supremo animarum nostrarum Pastore, qui per id tempus esset futurus, ius suum haberet ratihabitum. Quam eandem postea conuentionem renouauit Ioannes Rex anno 1210. eamq; apud Pandulphum, legatum Pontificis, iureiurando sanciuit, idq; Proceribus & populo magnopere flagitantibus, tanquam rem apprime necessariam, tum ad Regnum à tyrannorum iniusta dominatu conseruandum, tum ad alia istinc arcenda incommoda, quæ pridem experti, ex Principum malorum improbitate in posterum metuebant.* Hanc (inquit) traditionem, & si qua sunt huius generis somnia, videtur Polonus quidam, edito nuper libello, secutus, vbi argumenti illius de Henrico secundo & Ioan. illata mentione, hæc habet verba (loquitur autem de publicis Regni Comitiis, & de Fidelitatis iuramento:) *b Illud impie Legulatores per iusiurandum extorquent à Catholicis, vt negent posse à Pontifice Regem deponi, & de ipsius Regno & ditionibus disponi. Si enim honorarium & pie tributarium Regnum Pontifici: quare disponere, quare refractarium & inobedientem Principem deponere nequit?*

a Card. Alani Admonitio ad Nobilitatem Angliæ, edita Anglice, Anno 1588. pag. 8.

b Stanis. l. 1. Cristanouicus Exam. Cathol. fol. 34.

19 Ad traditos vero quod attinet de Regis vtriusq; facto sermones, eos affirmat Blacuellus plane esse commentitios. Neq; enim ex fide dignis vspiam constare Annalium monumẽtis, Henricum secundum cum Alexandro tertio ita stipulatum, nisi id fortasse intelligant, quod Alexandro Papæ iuratus promitteret, *c se pro parte sua ab eo aut successoribus eius non recessurũ, quamdiu ipsum sicut Regem Catholicum haberent.* Sed nec Ioannis factum verius, licet verisimilius, existere. Quæ tamen de vtroq; Rege in hunc modum prodita, cum Cristanonico illi argumenti loco sint, iure posse Pontificem Romanum Maiestatem suam, Regem quippe fiduciarium, Regno suo exuere; Blacuellus se dicit, dum iureiurando Pontifici negaret *Imperialẽ vllam aut ciuilem Maiestatis suæ deponendæ potestatem*, conscientiam ea in re suam liberasse, vt veritatẽ à fabulosis hisce rumoribus vindicaret: cum pari fide æstimandam duceret, de Ioanne Rege, ac de Henrico secundo vulgo celebratam historiam. Quo maior eum subit huius assertionis fiducia, quod (vt alia taceat Sceptri iura) quidam præcipui nominis huic sententiæ adstipuletur, eo grauior author, quod Pontificii primatus ergo, ceruices securi subiecerit. Exierat in hominum manus, Henrico octauo Rege, libellus quidam inscriptus, *Supplicatio Mendicorum*: Eum dum refellit *d* Thomas Morus, inter cætera hæc habet. *Is* (authorem dicit eius libelli) *si affirmat (quod sane nonnulli produnt scriptores) Angliam & Hiberniam à Ioanne Rege Pontifici Romano & Sedi Apostolicæ, pacto mille Marcarum stipendio, factas esse vectigales: nos certe contra audemus dicere, id omnino esse falsum: neq; n. Romam aut iam posse, aut aliquando potuisse talis cuiusquam concessionis tabulas proferre. Quin si demus posse, omnis tamen eiusmodi stipulatio, plane esset inutilis. Neq; enim penes quemlibet Angliæ Regem vnquam fuit, aut Regnum suum (tametsi maxime vellet) Romano Pontifici donare, aut terrã vectigalem reddere.* Quam Th. Mori sententiam iudicio suo plane conuenire lubens fatetur Blacuellus: neq; eo tamen vel tantillum sperat aut labefactatum iri opinionis suæ firmam de Pontificis Primatu constantiam, aut cuiusuis animum offensum, qui in Coronam, & statum Anglicanum recte sit animatus.

c Roger. Houeden Annal. fol. 303.

d Thomæ Mori supplicatio Animarum: scripta Anglice pag. 296.

20 Cardinali autem quod innuisset, se Fidelitatis sacramento rogatum, Serenissimi Regis

sermones, in sensu à Magistratu approbato, sibi prætulisse, sed & eisdem congruentem iuramenti ipsius hanc esse sententiam: *Summum Pontificem non habere Imperialem & ciuilem potestatē, ad libitum & ex suo appetitu deponēdi Regem nostrum*: nec huius facti rationē diffidit se aliquo modo probaturum. In quam sententiam sic agit. Intelligendum (inquit) est exusse antiquitus ex Canonistarum officina, de ciuili Pontificis dominio, opinionē quandā, quæ per hosce annos impensius cœpta est, & ardentiore, quam olim, impetu promoueri. Cuius (inquit) patroni fidētissime affirmant, Papam non minus directe in temporalibus terræ vniuersæ Dominum, quā Catholicæ Ecclesiæ caput in spiritualibus esse constitutum: cuius quidem secularis dominii iure tam habeat in Imperatores, Reges, & Principes supremam directo ordine iurisdictionem, ac de iis (vbi res inciderit) eorumq; imperiis statuendi potestatem, quam in Episcopos obtineat, & cæteram Cleri plebem, quos arbitratu suo possit vel nouis ornare honoribus, vel pristino gradu pro meritis exutos dimittere.

Eius sententiæ principes à C. Bellarmino *a* notantur, Augustinus Triumphus, Aluarus Pelagius, Hostiensis, Panormitanus, & Syluester; quibus porro annumerat Henricum Gandauensem, Rodericum Sancium, Alexandrum Alensem, Celsum Mancinum, Thomam Boziū, Francisc. Bozium, Isidorum Mosconium, C. Baroniū, Lælium, Zecchum, & Alexandrum Carerium. Qui idem *b* Carerius alios plures hisce partib. accenset, vt opinionis illius præcipuos assertores: cuius studio ipsum videre licet adeo præcipitem ferri ardore & vehementia, vt qui cōtra nitantur omnes (nec Bellarmino quidē excepto) re ipsa damnet Anathematis. Quo magis notat Blacuellus hominis impotentiam, quod cum omni illo tractatu Cardinalem Bellarminū præcipuo conatu petat, eundem se tamē in *impios politicos, & nostri temporis hæreticos* scripsisse, ipso libri frontispicio profiteatur. Caterio per omnia nō dubitanter accedunt, qui sunt ab hac sententia, adeo vt reuocare in mediū non dubitēt, explosa iam olim, & in scholis vexata veterū Canonistarum placita, eademq; nostro, quam superiore æuo, acrius & vehementius, pro Orthodoxis Catholicæ disciplinæ capitib. populo venditare. Cuius generis sunt, quæ sequuntur.

21 *a Dauidem præcinuisse, Christi Sacerdotium fore secundum ordinem Melchisedech: b Christum cum Rex, & Sacerdos omne iudicium à patre acceperit, plenissimam nimirum iudiciariam potestatem eandem simul cum sacerdotio iungentem, instituisse Regale in Ecclesia sacerdotium, quippe qui in suos* (id est Diuū Petrum, & successores eius) *omnem, quā à Patre accepit potestatem transfuderit: c Nisi foret vnus in Ecclesia supremus Monarcha in omnib. non posse seruari Ecclesiæ vnitatem. Secus enim, cū illa ex diuina institutione constet Regno, & sacerdotio, iam in illa absolute vnus esset Monarcha Regni, alter sacerdotii: Quod si, ad euitandas dissensiones circa res sacras, vnum supremum caput constituitur: cur non eodem modo Regni, vt vnum, & idem caput sit Regni, & sacerdotii, ne pari modo inter hæc sit dissensio? Quare potius dicendum, Petrū vices Christi succepisse, non solum in sacerdotio, sed etiam in Regno, vt esset ille Rex, & simul sacerdos iuxta ordinem Melchisedech, qui Rex fuit simul & Sacerdos.*

22 *a Si Christus Rex sit Regum & Dominus Dominantium, simili modo Reginam, ac Dominam esse Ecclesiam; ac si ille sit Dominus Temporalium, hanc similiter esse Dominam: b Temporalem omnem Regiamq; potestatem primum in anima Christi residere: deinde vero in Ecclesia, ipsius sponsa, mundi Regina: atq; ab hac deniq; in alios siue fideles siue infideles, tanquam à fonte deriuari: c Ecclesiam Christi sponsam, ac mundi Reginam, cuius potestas, vt in fonte, sit in Pontifice summo; posse, quoties ordo vniuersi exigit, propria iura alterius in alterum transferre, sicut Princeps secularis priuatorum domos potest deiicere, ad vrbis ornatum, vel ob causam publicam tributa imponere: iusto hoc Pontifici licere, itoe nihil errarit n. à quo iura in alium transferuntur: eoq; iure Pontificem Hispanis Indias assignasse: d Pontificalem, & Regiam cæterasq; omnes potestates cumulatissime esse in Papa, & in Pontificia dignitate residere: e Dominia quæcunq; ab Ecclesia, & à Pontifice tanquam ab ipsius Ecclesiæ capite pendere: f In Papa considerari authoritatem, in Imperatore autem, & in Rege potestatem: atq; hinc esse, quod potestas ab authoritate pendeat.*

23 *a Verum, iustum, à Deo ordinatum, nec non merum dominium, tum in spiritualibus, tum in temporalibus per Christum introductum esse, & Petro suisq; successoribus commissum fuisse. b Christum dici omnium inferiorum Dominū, non solum in quantum Deum, sed etiam in quantum hominem, habentem Dominium etiā pro tunc in terris, non solum diuinum sed etiam humanum: c & propterea sicut dominium mundi fuit in Christo diuinum, & humanum, ita & in Papa eius vicario idem existere fatendum esse. d Sicut Deus secundario dici potest temporalis rector, & Monarcha mundi, licet in se non sit principaliter mundanus, & temporalis: ita & Papam posse dici temporalem Dominum & Monarcham, licet ipsius potestas quiddam sit spirituale. e Completo redemptionis mysterio, Christum sui Regni administrationem Petro contulisse. & hanc potestatem in Ananiam, & Saphiram Petrum exercuisse. f Christum etiam quatenus hominem, esse directe Dominum totius orbis etiam in temporalibus: g ergo & Papam cum sit eius vicarius: supremam omnes iudicandi potestatem & vtriusq; dignitatis fastigium, & vtriusq; potestatis culmen in Christi vicario reperiri.*

24 *h Vnum esse principatum, & vnum Principem supremum totius orbis, qui est Christi vicarius, iuxta illud Dan. c. 8.* Dedit ei potestatem, & honorem & Regnum, & omnes populi, & linguæ seruient ei: *& in illo esse fontem & originem omnis principatus, & ab eo cæteras potestates defluere: i* Romanum *Pontificem vice Christi principari in vniuerso orbe in spiritualib. & temporalib. & naturaliter, moraliter, & diuino iure cū recta fide tenendum esse. Principatum* Romani *Pontificis esse verum, & vnicum immediatū principatum totius orbis, nedum quoad spiritualia, sed quoad temporalia; & principatum Imperialem esse ab ipso dependentem, & mediatum, ministerialem, & instrumentalem, sibi dem subministrantem, & deseruientē, foreq; ab eo ordinatum, & institutum, & ad iussum Principatus Papalis mobilem, reuocabilem, corrigibilem, & punibilem.*

a Bell. de Rom. Pontif. lib. 5. c. 1.
b Carer. de potest. Roman. Pont. li. 2. c. 9 edit. Colon. An. 1601.
a Baronii Annal. tom. 1. Anno 57. pag. 432. Romæ Anno 1588.
b Baron. ibidem p. 433.
c Franc. Bozius de temporali Ecclesiæ Monarchia, in præfat. ad Clemen. 8 impress. Colon. anno 1602.
a Tho. Bozius de iure status, præfat. ad Aldobrand.
b Idem ibid.
c Idem li. 1. c. 9 fol. 30.
d Isidor. Moscon. de Maiestate milit. Ecclesiæ. pag. 91.
e Idem pag. 616.
f Idem pag. 670.
a Carer. de potest. Rom. Pont. in proœmio. lib. 1. pag. 9.
b. Idē p. 111.
c Idem ibid.
d Idē p. 112.
e Idē p. 120.
f Idē. p. 124.
g Idē. p. 126.
h Rodericus Sancius apud Carer. pag. 232.
i Idem ibid. pag. 131. 132.

a Carerius de potest. Rom. Pont. pag. 150. b Idem pag. 151. c Idem pag. 155. d Lal. Zech. in tract. Theolog. pag. 81. e Idem pag. 83.

25 *a Sicut in Christo fuit Dominium mundi diuinum, & humanum: ita in Papa mundi dominium loco Christi spirituale esse, & temporale, diuinum, & humanum: b Veritatem manere inconcussam, quod solus Petrus supra mare ad Christum venit, designans, totum dominium, quod per mare significatur, eidem Petro, suisq; successorib. committendum: c Sicut Papa non potest dicere, se non tenere vicem Christi in terris, ita non posse negare se rerum dominium habere: quia sicut Domini est terra, & plenitudo eius: ita Christo Domino omnia subiici cœlestia, terrestria, & infernalia: vnde & Papa, qui eius vicem gerit in terris, cœlestis, & terreni Imperii iura commisisse. d Papam iure diuino habere potestatem & dominium temporale in toto orbe: idque probari ex Luca 22.* Ecce duo gladii hic: *qua verba intelliguntur de potestate tẽporali & spirituali: e Christumq; cuius Papa est vicarium, vtramq; potestatem habuisse, iuxta illud Mat. vlt.* Data est mihi omnis potestas in cœlo & terra. *Ex predictis deduci, quod Papa absolute est Dominus totius orbis Christiani, & Reges ac Principes Christianos ab illo Imperia, & Regna recognoscere debere, & ei omnes fideles subesse; Quotiesq; iidem Principes graue detrimentũ Ecclesiæ afferunt, posse illos Papam Regno priuare, & eorũ iura ad alios transferre.*

a Franc. Bozius, de temporali Ecclesiæ Monarchia lib. 1. c. 3. pag. 52. Idẽ lib. 1. c. 7. pag. 09. b Idem li. 2. c. 14. 151. c Id. li. 3. c. 1. pag. 394. ex Aquinate. d Idem lib. 3. c. 14. p. 530. e Idem ibid. c. 16. p. 537. f Idem li. 5. pag. 823. g Tho. Bozius, de iure status. li. 1. c. 9. fol. 37. Impress. Romæ. An. 1600. h Idem ibid. c. 11. fol. 52. i Idem li. 3. c. 5. fol. 277. ex Augustino Triũpho. k Idem li. 4. c. 2. fol. 319. l Isidor. Mosc. de maiest. milit. Ecclesiæ impress. Venetiis, Anno 1602. p. 26. m Idẽ p. 77. n Idẽ p. 95. o Idẽ p. 96. p Idẽ p. 97. q Idẽ p. 09. r Idẽ p. 676. s Idẽ p. 677. t Henric. Gandauen: apud Carer. pag. 128. Antonin. apud Carer. pag. 130. x Aug. Triumph. apud Carer. pag. 130. y Idem ibid. pag. 132.

26 Hic prætermittendum non erat, quam magno Romæ numero, & in Italiæ partibus habeantur authores, eorumq; scripta, quorum sententias Blacuello videmus improbari. Nam de nuper defuncto vt taceamus Cardinale *Baronio*; *Francisci Bozii* libro suffragata est ad prælũ publica Romæ authoritas, vt qui *nihil in se contineret, quod Catholicæ fidei esset aduersum.* Eodem in loco, simili ornata elogio, *Thomæ Bozii & Celsi Mancini* opera in typos exierunt. *Mosconii* tractatum Venetiæ dederunt in publicum, nondum extinctis scil. inter Venetum & Pontificem proximis hisce discordiarum flammis. *Lælius Zecchus* Brixiæ est excusus. *Carerii* opus, Doctoris Patauini, Academiæ illius suffragio commendatum est in vulgus, impressum post Coloniæ. Quamobrem qui huic Quæstioni præfuit, pari æquitate licere sibi ratus, obiicere quæ visa sunt, ac Blacuello licuit in responsis comminiscendis suo modo atque arbitrio vti, alios porro locos, non minus, quam proximos hosce, ad hanc sententiam accommodatos, ex iisdem, aliisq; haud inferioris notæ authoribus, proponendos censuit. Erant autem huiusmodi.

27 *a Supremam iurisdictionem temporalem penes esse Petri successores in toto orbe, ita vt idem sit Hierarcha, & Monarcha in omnibus. Christum optimo regimine Ecclesiam gubernandam reliquisse: sed optimum regimen esse absolutam in omnibus etiam temporalibus Monarchiam; ergo tali modo gubernandam reliquisse. b Petro datas esse claues Regni Cælorum: ergo & terrarum. c Iuste per sententiam & ordinationem Ecclesiæ ius dominii, vel prelationis posse infidelibus tolli, quia infideles, merito suæ infidelitatis, merentur potestatem amittere super fideles. d Ecclesiam enim accepisse potestatem super gentes, quam Christus secundũ humanam naturam accepit à Patre: Christum autem accepisse absolute à Patre omnem potestatem in rebus temporalibus: ergo & Ecclesiam per plenitudinis participatione. e Vim supremam coactiuam in omnibus rebus temporalibus diuino iure reuelato, & expresso in diuinis literis, esse penes Ecclesiasticos. f Ob supremam Monarchiam in rebus omnibus posse ab Ecclesia leges temporales condi, & iustis de causis auferri regna.*

28 *g Reges, & Principes sæculares non esse immediate à Deo, sed interuentu Ecclesiæ sanctæ, & supremorũ eius Pontificum. h Potestatem bellicam, & militarem compulsiuam in Reges, & Principes Ecclesiæ datã esse. i Quod si inueniatur quandoq; aliquos Imperatores dedisse aliqua temporalia summis Pontificib. sicut Constantinus dedit Syluestro, hoc non esse intelligendum eos dare, quod suum est, sed restituere, quod iniuste, & tyrannice ablatum est. k Christum Beato Petro æternæ vitæ clauigero, terreni simul, & cælestis Imperii iura commisisse: vt inquit Nicolaus Papa secundus; à quo habemus: esse sine dubio hæreticum, qui iura terreni simul, & cœlestis imperii Ecclesiæ Romanæ à Christo commissa aufert, atq; asserit id licere, atq; ob hoc esse hæreticum in huiusmodi assertione.*

29 *l Papam dici Iudicem vniuersalem, Regem Regum, & Dominum Dominantium. m Papam consecrari, vt Sacerdotem magnum, coronari, vt Regem, quia vtramq; habet potestatem. n Papam vti potestate sua duplici modo, absolute aut ordinarie: absolute, dum derogat legibus, tollendo eas; ordinarie, quando vtitur legib. vnde datur regula, Papam vti consilio Cardinalium, quando sui vult viuere legib. quia suæ leges hoc ordinant: at si plenitudine sua potestatis vti voluerit, tunc absq; vllo Cardinalium consilio disponere: cum eius potestas sit à Deo, non à Cardinalium Collegio. o Non solum omnem fidelem populum, verũ etiam infidelem, ac omnem rationalem creaturam Papæ imperio subiacere, & ab omnibus esse verendum: itaq; hac de causa ab omnibus fidelibus recipere adorationes, prostrationes, & oscula pedum. p Papæ tanquam Ecclesiæ pastori, & illius sanctæ sedis Præsuli, & ratione Dominii, & excellentiæ, Duliæ tribui adorationem. q Papam in signum Imperii & Regni vti in capite regali diademate, in signum Sacerdotii, & Pontificalis Maiestatis, vti mitra. r Reges sancto oleo inungi, & quasi vasallos Ecclesiæ dici. s Imperatores, & Reges à Papa cogi posse ad obseruandum iuramẽtum præstitum in eorum coronatione, & confirmatione, ex quo, virtute talis iuramẽti, sunt effecti subditi Papæ.*

30 *t De iure diuino, & naturali, sacerdotium supereminere Imperio: & penes ipsum residere, de iure diuino, & naturali, vtramq; iurisdictionem & super spiritualia, & super temporalia, & similiter eius immediatam executionem: u Qui dicunt Papam in orbe terrarum totum dominiũ habere super spiritualia, non autem super temporalia, similes esse consiliariis Regis Syriæ, qui dixerunt* Dii montium sunt Dii eorum, & ideo superauerunt nos, sed pugnemus contra eos in campestribus, & conuallib. in quibus Dii eorum nullum dominium habent, & obtinebimus contra eos. 3. Reg. 20. *x Dei filium declarasse Ecclesiæ potestatis altitudinem, tanquam super petram fundatam, supra omnem esse principatum, & potestatem, vt ei genua cuncta iuruentur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum. y Sæculares potestates necessarias non esse, nisi, vt quod non praualet Sacerdos efficere per doctrinæ potestatem, Princeps hoc impetret per disciplinæ terrorem. Si ergo Ecclesia posset malos coercere, non esset necessarius Principatus Imperialis, & sæcularis, cum includatur virtualiter in Principatu Apostolico.*

31 z Va-

31. *a Varias esse hominum potestates à Deo datas, diuersasq; authoritates, quæ omnes à summa potestate* (Pontificis nimirum) *pendent, ab illaq; lumen recipiunt, vt sydera à sole. b Imperialem potestatem à Pontificali potestate, sicut lumen luna à lumine solis, quo ad Temporalium administrationem proficisci. c Sicut Deus dicitur supremus Monarcha mundi, ac Temporalium gubernator productiue, & gubernatiue, licet per se non sit temporalis, & mundanus: ita eius vicarium Papam, licet primo & per se dominium habeat super omnia temporalia, non tamen per immediatam executionem, sed per vniuersalem iurisdictionem (cum Imperatori committat immediatam executionem) eam habere, fatendum esse. d Pontificem in orbe esse summum patrem, & orbis virum, & vniuersalem orbis vicarium, atq; dominum, & cæteros ab ipso vt ab Architecto pendere: alias si poneres separatim Cæsarem ratione Temporalium, poneres inferius duo principia, quod esset hæreticum. e Romanum Imperium ante conuersionem suam, fuisse vsurpatũ, & tyrannicum, propterea quod in linea duntaxat Christi verum dominium fuit. f Imperatorem esse Papæ ministrum: Deum enim tanquam summi Sacerdotis ministrum illum deputasse. g Potestatem Imperialem pendere à Deo, mediante eius vicario, quoad esse completum, & formatum, Imperatoremq; non alia conditione eam debere recipere. h Nullum Regem, vel Imperatorem iurisdictionem, nisi à Christo, & per consequens à Papa eius vicario habere posse.*

32. *i In summo Pontifice esse vtramque potestatem, seu iurisdictionem spiritualem, atq; temporalem, & vti omnium est eminentissimus in potestate spirituali, ita etiam in temporali: adeo vt liceat de Christi vicario illud similitudine quadam asserere, quod Plato in Timæo dixit de Deo, quatenus in Timæo interrogans, quidnam esset Deus, respondit: Non est homo, non cælum, non bonum, sed quid præstantius: Roget quis, an Summus Pontifex sit Dux, Rex, Imperator, anne Princeps, caute respondebit, si negando assereret, esse quid præstantius, quidue eminentius. k Pontificem Romanum dici Papam, à* Papæ *admirantis particula: quo illius dignitas, & potestas omnibus sit admirabilis, veluti stupor mundi, secundum glossam in proœmio Clementinæ: vbi legitur his verbis:* Papa stupor mundi, non Deus non homo, sed vtrumq;. *l Sanctum historicum in lege veteri fecisse Sacerdotium Regno adiectiuum; Diuum vero Petrum Regnum fecisse sacerdotio adiectiuum: Quod si phrasin scripturarum sequamur, & Græcum codicem attendamus, necesse esse fateri, dum Iesus Saluator noster verbis illis,* Pasce, pasce, oues meas, *vicarium instituit, huic spiritualem & temporalem potestatem commisisse. m Temporalem omnem potestatem ad Papã non Imperium, sed nutum esse exercendam. n Principes iubere, mandare: Deum, qui omnium est Dominus, nutu imperare; secundum illud Virgilianum:*

Dixerat, & nutu totum tremefecit Olympum. *Deniq; Christum plenam habuisse totius Orbis, omniumq; creaturæ iurisdictionem: igitur & vicarium illius Pontificem.*

a Carer. de pot. Rom. Pont. pag. 142.
b Idem pag. 145.
c Idem pag. 150.
d Idem pag. 152.
e Idem pag. 161.
f Idem ibid.
g Idem pag. 162. & 163.
h Idem pag. 172.
i Cels. Mancinus li. 3. c. 2. & Carer. pag. 133.
k Isidor. Mosconi pag. 22.
l Cels. Mancinus de iuribus principatuum Impress. Romæ, Anno 1596. pag. 63.
m Idem pag. 66.
n Idem pag. 80.

33. Hisce rebus ita prnpositis, Blacnellus offensior expnstulare cœpit; plane iam sibi perspectnm esse, non tam Fidelitatis suæ specimen, quam suam inuidiam quæri. Neq; enim hæc loca aliorum interpretari, quam in Sanctitatis suæ ludibrium esse conquisita, pro cuius Primatu in causis Ecclesiæ vel emori nnn recusaret. Actum ergo secum iniquius querebatur. Responsum est, miram eius videri hac in re offensinnem, quod quæ à tam multis, tam publice fauente Rnma, data in vulgus essent, idq; eo tantum consilio, nequaquam nrbis partem latere pnssent, ea vel commemorati, adeo grauiter & indigne ferret.

34. Blacuellus nnn tam sibi ait, quod proponantur, quam qnorsum id fiat, mnlestum esse. Etenim si de prnximis hisce lncis ipsius iudicium tantopere expetatur, cum à superinribus eorundem authorum placitis nulln discrimine differant: satis esse (signis satisfaciendi modns) qund ea dudum notarit esse *explosa iamdiu, & in scholis vexata Canonistarum dogmata*: neq; esse, qnod recte pnssit eorum recitatione amplius à se requiri, cuius nnn magis, sit, de Pontificum indicare, quam, de Regũ assentatoribus, qui vt dominorum suorum auribus seruiant, sæpius haud dubie solent extra veri modum adulatione prodire. Quin se addit perinuitum hoc vlcus tetigisse, neq; tam locupletem in eo argumentn futurum, nisi Maiestatem suam sensisset ad hanc opinionem, de directa Pontificis in temporalibus authoritate, quæ supra Regnm & Imperatnrum diademata adeo caput sustulerit, potissimum respexisse, cum pro Ordinum cõuentu iampridẽ hæc verba faceret: *Papam scil. ex Primatus sui doctrina non modo spirituale Christiani nominis caput se venditare, sed & in Regum ac Cæsarum solia & diademata Imperialem & ciuilem sibi arrogare principatum, vt ea pede deiicere, eadẽ dispensare & disponere ad libitum & appetitum possit. Alterum vero esse, quod in eorum* (Cathnlicos dicit) *praxi & morib. sit assiduum, Regum videlicet percussiones, & parricidia, vt quibus meriti res sit, tantum absunt, vt in factis numerent impiis, si in Principem suum, cui natura cõditione omnia debeant pietatis officia, nullas perduellium, nullas hostium partes omiserint, postquam deuotum Anathemate, subditos habeat Fidelitatis voto solutos, Regnumque à trinertice eorum Monarcha publicatum.* Quæ Serenissimi Regis dicta Fidelitatis iuramento causam nnn minimam publice arbitratur dedisse, vt iis contrauenire malis posset, quæ prædicti dogmatis fructus esse nimium periculosos, Regni Ordines, Maiestatis suæ verba sequuti, decreuerant. Id se demnm & sacramento illo rogatum insinuasse, Literisque suis deinceps apud Cardinalem esse professnm. Cui tamen facto quid offensionis merito possit subesse, non videt, qni Bellarmino diceret, se iureiurando affirmasse, *Papam non habere Imperialem aut ciuilem potestatẽ Regis nostri ex appetitu suo deponendi.* Qnod enim tum iurauit, id constanter pergit asseuerare, falsam sibi videri, de directo Pontificis in temporalibus dominio & Primatn, opinionem snpra commemoratam, quacunq; tandem fiducia, qnocunque ardore animi eius assertnres prædicent (sed per errntem) *magis receptam esse Theologorum sententiam, & ex lege diuina cum recta fide tenendum.*

35. Cæterum obiectum hic est, tametsi recte statuat, Sacramenti huius formulam, vt opi-

ninni

nioni prædictæ obuiam iret, maxime esse institutam: dum tamen vniuersam eius vim ad hanc vnam directæ potestatis opinionem conatur restringere, minus eum consequi, quod ex iuramento quæri satis intelligeret. Ipsius enim ad Bellarminum literas aliud quoddam loqui authoritatis genus, quod varii isthic citati authores Pontifici Romano tribuerent, cuius summa sub exquisitæ cuiusdam distinctionis artificio, huc rediret: in ordine nimirum ad spiritualia & *indirecte*, Reges ac Principes omnes, cũ suis regnis & dominiis, Pontifici subordinatos, eiusque potestati vsq; adeo esse obnoxios, vt rite eos possit, si quos forsan in reb. Ecclesiæ ad ipsorũ salutem spectantibus, dicto minus audientes compererit, non modo Anathematis pœna vlcisci, sed deinceps progressus, Regnis suis submouere, subditis fidem soluere, & vero si causa postulat, vt arma in eos sumant, iure optimo imperare. Quæ quidem opinio non minus dicta est, quam illa altera, capitalis ac funesta Principibus esse, & in eundem, si verum quærimus, licet diuerso itinere exitum pertinere. Quod si ad priorem duntaxat opinionem respiciens (re integra quoad hanc alteram) Fidelitatis sacramentum admiserit, perinde esse, ac si iuramentum omnino nullus adiisset. Hunc ergo nodum Blacuellus serio iussus expedire, ita respondit.

36 Primo diffiteri non posse, obiectionem istam huius loci propriam, apteq; ex suis literis esse collectam. Dein fatendum esse, secundam hanc opinionem priori minime cedere, siue authorum spectes studium & vehementiam, siue etiam eruditionem, omniq; in genere præstantiam, quorum tanta sit nominis celebritas, vt contrariarum partium existimationi longe præponderet. Multum in hac causa esse Cardinalem ipsum Bellarminum, & habere qui astipulentur, Henricum, Ioannem Driedo, Ioannem de Turre Cremata, Albertũ Pighium, Thomam Waldensem, Petrum de Palude, Cardinalem Caietanum, Franciscum de Victoria, Dominicum Soto, Nicolaum Sanderum: quib. ait, Martinum Aspilcuetam, Couarruuiam, & alios posse ascribi. Et vero, quod Carerius & Saneius superiori, id C. Bellarminus huic opinioni tribuit, vt sit *communis Catholicorum Theologorum sententia*. In his non dissimulat Blacuellus, ad Bellarminum scribentem, se potissimum conferri voluisse, vt qui in Cardinalis, quam in cæterorum sententiam esset inclinatior, ad neutram tamen ea se sentiat religione adstrictum, vt periculum alioqui sit à fide Catholica deflectendi. Quin ista iudicii sui libertate, quoad Regem nostrum, si vti velit, vel ipsum videtur authorem habere C. Bellarminum.

37 Cum enim Fidelitatis iuramentum hanc inter cæteras formulam contineat: *Præterea iuro me penitus & ex animo detestari, ac vt impiam & hæreticam abiurare hanc execrabilem doctrinam & assertionem: Principes à Papa excommunicatos, vel iure Regali exutos, licite posse à subditis suis, vel quocunq; alio Regno, vel etiam vita priuari*: Bellarminus contra disputat, *inauditum esse ab initio nascentis Ecclesiæ vsq; ad hæc nostra tempora, quod vllus Pontifex Maximus Principem vllum, quamuis hæreticum, quamuis Ethnicum, quamuis persecutorem cædi mandauerit*; & proinde metum illum, qui de Regis vita prætenditur (siquidem in Anglia atq; in aliis Christianorum Regnis parem locũ obtineat potestas Pontificia) *inanem prorsus esse, omnesq; prætextus eo spectantes nihil aliud habendos, quã Satanæ decipulas & stratagemata*. Quod si vere asseritur, præfatum iuramenti à se suscepti articulum, ipsius iudicio, diserte astruit, illum adeo, qui præ reliquis molestissime habeat permultos huius Regni Catholicos. Etenim omnino concedendum est, nullo posse respectu (si absit Regum ac Principũ à Pontifice edicta excõmunicatio, & proscriptio, ciuiumq; ab obsequii nexu exauthoratio) fas videri subditis, in Reges, dominosq; suos legitimos, è quorũ ditione sint natiui, manum attollere. Quid autem interest, iubeat ne Papa Regẽ occidi, an illud vel faciat vel iubeat, q alios ad eorũ cædem, etiam imposita religione, impellat? Quod si ita est, è Bellarmini verbis efficitur, nunquam posse, ex Pontificis authoritate, directa vel indirecta, licere subditis (quoquo demum prætextu vtentibus, cuiuscunque potestatis, Regum à sacris, sceptrisq; suis amouendorum, populique ab eorum obedientia eximendi præsidio confisis) Principis sui sanguine manus cruentare. Quod Blacuellus redire ait in eam sacramenti partem, in quam ipse iurejurando sit adactus.

38 Verum, quando hoc vltimum Blacuelli responsum (cum ad vnam iuramenti partẽ nec vltra pertingeret, constaretque e Bellarmini sententia, ex eius verbis per consequentiam eruta) multum diceretur abesse, vt obiectioni proximæ satisfaceret: is ad pristinã petitionem recurrit, vt testandi officii sui causa, erga Deum Opt. Max; Regemq; Serenissimum liceret sibi, quibus maxime visum esset, gradib. & vestigiis in eius loci explicatione progredi. Id præfatus, sic ait: Primo intime habere persuasum, Pontificẽ Romanum S. Petri successorem esse, caputque Ecclesiæ vniuersæ. Claues vero etsi terrenæ & materiales ad aperiendum & claudendum gratia fortasse & obsequio flecti possint, cœlestes tamen nullum personarum discrimen, nullũ locupletis & egeni, nobilis & plebeii, obscuri & illustris, Regis denique & subditi delectũ habere: adeo vt extra ictum Anathematis Pontificii, vbi (rebus omnibus rite circumspectis) grauis & iusta erit eius inferendi causa, neminem esse censeat. Quinetiam Christiani cuiusq; Principis officium putat, in causis ad religionem spectantibus, Romano Pontifici, vt supremo Episcopo, & animarum suarum pastori, fasces submittere ista demum professus: locum quendã è superiore *Quæstione* (quæ tunc extabat publice) in partem responsi sui ad obiectam * interrogationem petiit huc transcribi.

Sect. 19. Blacuelli Quæstio prior supra pag. 12.

39 Quo loco, cum mẽtem suã iuberetur dilucidius explicare, *quẽ se sensum, in admittẽdo Fi-*

delitatis iuramento, ex Maiestatis suæ verbis, sequi diceret: cum enim illis posse sensum commiuisci, vt frustra esset pridiana sacramenti dictio, nec quod polliceretur officium vlla ex parte præstaret: cum Maiestatis suæ manifesta esset sententia, eum ab appetitu & temeritate profectum interpretari, siquis Pontificum Romanorum id sibi fastus sumat, vt edicto in Reges Anathematis, subditis eadem opera obedientia legem soluat, classicum ad arma canat, in Principum suorum capita, in omnia seditionum, & tumultuum consilia eosdem instruat authoritate sua, deniq; in salutem, siue eorum, siue publicam, ista molientibus auxilio esse iubeat: is ad illustriorem sententiæ suæ explicationem, hoc tum vtebatur responso. (id quod in præsentia iteratum vult) *sic se nimirum statuere, legitimæ Excommunicationis (sit tu Maior quam dicunt, siue Ecclesiastici Anathematis censura) vim & potestatem nullos edere istiusmodi effectus, nullos inferre.* Quam porro sententiam ait cum multis sibi communem esse, è Catholicorum genere authoribus, iisq; (quantum intelligit) Orthodoxis, in quibus præcipue sint, qui sequuntur: simul autem commentariolos quosdam suos (quod pro re nata subinde factitarat) de sinu proferens, eorum dicta, in specimen officii sui, scripto fecit excipi, in hunc modum. *a Excommunicatio non nisi excommunicatum facere potest, eaq; fulminatur in Principes, non vt tyranni fiant, neq; vt suis ditionibus remoueantur, neq; vt subditis laxentur habenæ, vel iurata fide liberentur.* In eandem sententiam Soto, vt citatur à Medina *b Excommunicatio non est priuatio alicuius boni proprii, quod transgressor legis prius possederat: sed est priuatio bonorum communium, quæ ab Ecclesia erat percepturus, vt communionis spiritualis, & receptionis Sacramentorum.* Et D. Thomas: *c Aliud est Excommunicatio, aliud eradicatio.* Quod etiam in iure Cannonico iisdem fere verbis, in quadã Vrbani Papæ Epistola traditur: *d Liquido apparet, aliud esse Excommunicationem, aliud eradicationem. Qui enim excommunicatur (vt Apostolus ait) ad hoc excõmunicatur, vt spiritus eius saluus fiat in die Domini. Disciplina n. est Excommunicatio, & non eradicatio.* In summa Blacuellus, postquam Regnum Angliæ fassus sit nec in Pontificis Romani feudis, nec magis peculiari iure, quam cætera Christianorum Regna, ditionis esse Pontificiæ: postquam Pontifici abnegarit Imperialem omnem & ciuilem Regis nostri abdicandi potestatem; postquam deniq; ex Anathemate Pontificio (vltima gladii spiritualis vindicta) docuerit nihil illorum posse fructuum emergere, quibus cauet Fidelitatis sacramentum (Regum scil. abdicationem, subditorum immunitatem à fide & obsequio, iustam deniq; bellum Regibus suis, aut vim inferendi potestatem:) quid amplius responsi desideret * primaria illa obiectio, de sensu ex Maiestatis suæ verbis elicito, quem se iurantem maxime secutum esse Cardinali significarat, negat se intelligere.

a Ludouic. Richeomẽ in Apolog. pag. 175.
b Medina in primam secunda pag. 513. q. 96. art. 4.
c Tho. Aquin. secunda secunda. q. 11. art. 3.
d Decret. 2. part. caus. 24. q. 3. c. 37.
* Sect. 13.

40 Hæc omnia hactenus dicta, quam non sufficerent obiectioni antegressæ, priusquã diligentius sumeretur excutiendum: visum est a Blacuello quæri, qui effectus supra recitatos ꝓxime negarat in Anathematis potestatem cadere, quo pacto hanc assertionem posset cum disciplinæ Pontificiæ placitis sequentibus, a Classico quodam sectæ Romano-catholicę authore traditis, inuicem conciliare. Is plurimo argumentorum apparatu id agit, vt Henricum tertium Gallorum Regem doceat, ante eius parricidium annis aliquot, sub Excommunicationis censura fuisse, vt qui compluribus per anteactam vitam delictis in varias Anathematis sanctiones, nominatim vero in Bullam Cœnæ Dominicæ incidisset. Id genus crimina in reliquis hæc percenset, quæ singula in totidem Anathematis sententias Regem ipso facto præcipitarent. Primo, *a quod hæreticis faueret. 2. quod esset Simoniacus. 3. quod cum hæreticis (Regina Angliæ & Nauarreo) fœdus iniisset. 4. quod bona Ecclesiæ (Pontifice inconsulto) occupasset.* Quo in genere cum multa disputasset, conquisitis vndique Scripturarum, Patrum, Historiarum, nullisque non testimoniis, in summa huc redit: Regem illum, etiam nondum in eum renuntiata Anathematis sententia, iure esse interfectum, *b neque enim formulam percipere dolorem publicum.* Nam etsi in occulto crimine nefas esset, indicta causa hominem condemnari: in publicis tamen & notoriis, quæ nulla possint tergiuersatione occultari, *c euidentem facti notitiam sententiæ locum tenere.* Hæc omnia dicta sunt superiorem Blacuelli sententiam destruere, quæ in Anathematis potestate abnuerat esse, Regib. sceptra abrogare, nedum eos e medio tollendi iustam populo authoritatem permittere.

Sect. 35.
a De iusta abdicatione Henrici. 3. li. 2. c. 33.
b Idem li. 4. cap. 2.
c Idem Ibid.

41 Ad hæc Blacuellus: quæ singulari impulsi spiritu, homines priuati fuderint, iniq; ea vel in doctrinæ Catholicæ, vel in aliorum, qui secus sentiunt, fraudem & præiudicium verti. Obiecta vero illius authoris placita diffiteri nequit, adeo esse absona, adeo modum & modestiam omnem egressa; vt nihil existimet aut varius & dementius, aut Regum, nec Protestãtium modo sed & Catholicorum, saluti perniciosius excogitari posse. Id enim si fas erit, vt quotquot non sub vnam modo, sed sane sub multas iuris Excommunicationes, præcipue vero Bullam Cœnæ Dominicæ venerint, iidem subditis suis continuo proiiciantur ad cædem: quotusquisque Regum (inquit) hodie inuenietur, qui vel de imperio vel de vita securus esse queat?

42 Cæterum hic denuo interpellatum est, vt cum palam sit Reges, ac Principes omnes, si qui Pontificii Primatus iugum excusserint, etsi Euangelii fidem cætera amplectantur, vulgo tamen Pontificiis hæreticorum numero esse. Blacuellus, pro sua in Regem obseruantia, aperte significet (id enim officii rationem exigere) quo loco istas reputet assertiones, Anathematum Pontificiorum, vel ante latam sententiam, propagines & effectus, quæ superius traditæ ipsius opinioni itidem repugnarent.

Card. Alanus contra Iustitiam Britannicã Anglica pag. 87. Versionis autem latina, pag. 136. edit. Augusta, 1588.

43. *a Iura Canonica* (inquit quidã notæ non vulgaris) *quorũ per legitima quæq; orbis Christiani tribunalia viget authoritas, hæreticos oẽs, nec eos modo nominatim & diserte denũciatos, sed ex vi iuris, & eo ipso,*

quo sunt haeretici, aut eum nomine iuris excommunicationem merentur, suis principatibus ipso facto exuunt. Nec dissimile est quod ab alio haud fere minoris notæ scribitur, hisce verbis: b *Hinc infert vniuersa Theologorum ac Iurisconsultorum Ecclesiasticarum schola, & est certum & de fide, quemcunque Principem Christianum, si à religione Catholica manifeste deflexerit, & alios auocare voluerit, excidere statim omni potestate, ac dignitate ex ipsa vi iuris tum humani tum diuini, hocq; ante omnem sententiam supremi Pastoris ac Iudicis contra ipsos prolatam: & subditos quoscunq; liberos esse ab omni iuramenti obligatione, quod ei de obedientia, tanquam Principi legitimo, praestitissent: posseq; & debere (si vires habeant) istiusmodi hominem, tanquam Apostatam, haereticum, ac Christi Domini desertorem, & reipub. inimicum, hostemq;, ex hominum Christianorum dominatu eiicere, ne alios inficiat, vel suo exemplo aut imperio à fide auertat. Atq; haec certa, definita, & indubitata virorum doctissimorum sententia, doctrina Apostolica conformis plane, ac consona est.* Huius porro fermenti & alii complures possunt adduci.

b Philopater pag. 194.

44 Ad hæc Blacuellus, tametsi lentior, hominum causa, quorum sanctam haberet in primis authoritatem, responsum tandem dedit superiori haud absimile: peculiares & suas cuiq; illis authoribus vt & sibi opiniones esse: quamquam hæc fateatur proxima eorum dogmata à iudicio suo longe dissidere; eademque plane perneget vel *vniuersæ Theologorum & Canonistarum scholæ cõclusiones, aut certas esse & de fide, definitasq; & indubitatas hominum doctissimorum sententias, ac Apostolicæ doctrinæ consentaneas.* Accedit eo, quod quæ hactenus ab ipso dicta sunt, siue eius rationes Romam transmissas, siue Syluestri loca, aut de præsenti rerum Anglicanarum statu, exceptiones illas, siue priorem spectemus ipsius sententiam; non posse scilic. subditorum in Principes suos istiusmodi facta (sint licet hæretici, sint Apostatæ, sint quoquo modo affecti) Anathematis potestate præstari, omnia hisce assertionibus ex diametro opponantur. Has itaque se dicit, vt insignia Excommunicationibus dedecora & opprobria, siquidem eius effectus numerentur, prorsus detestari.

45 Hic locus cum interrogationis præteritæ (quæ totius causæ caput esset) arctius premendæ opportune facultatem aperiret, visum est eadem vti. Etenim superior Blacuelli sermo diserte fatebatur, in Pontificiorum schola agitari, non Principum modo Excommunicationem, sed (quod ex authenticis ipsorum authoribus is pridem docuerit) eorundem extirpationem. Hæc adeo (vt colligere est) ipsius Excommunicationis viribus non perficitur, sed authoritatis Pontificiæ, qua supremus est, secundum Christum, terrarum orbis dominus in rebus temporalibus, vel ordine directo, vel indirecte in ordine ad spiritualia. Quæ vtraq; ratio cum eodem spectet, & æquali pernicie Regum Maiestati & saluti immineat, Blacuello dictum est parui referre, quod interdicto Pontificio potestatem ademerit, Regum abdicandorum, populique à fidelitate eximendi; si tamen aliam Papæ authoritatem relinquat, vt postquam Principes Anathematis sui fulmine ad inferos (vt sibi inepte fingit) præcipites egerit, eosdem porro habeat radicitus extirpare, Regnis suis exigere, ad clandestina omnia in Principes suos coniurationum & proditionum genera; ad nullum non perduellionis & perfidiæ consilium ciere subditos, suaque authoritate animis confirmare. Cuius rei causa acrius est & vehementius iterum à Blacuello postulatum, vt per eam, qua Regiam Maiestatem pietate & officio coleret, si quid vnquam à se synceri imposterum cuperet expectari, iudicium suum vellet, vt dudum de directo (quod fingeretur) Pontificis in rebus temporalibus dominio, ita nunc de indirecto, quod esset in ordine ad spiritualia, aperte tandem pronuntiare.

46 Conturbari Blacuellus, & rem queri, nimis ad viuum premi. Orare, vt satis huic causæ sit, quod Pontifici agnouisset ius esse, vel potentissimum Christiani orbis Principem, vbi causa inciderit, sacrorum aditu prohibendi. De reliqua vero illius potestate, quam habeat in ordine ad spiritualia, Maiestatis suæ nihil esse vllam in partem quod intersit.

47 Hic, quod Blacuellus subinde efflagitarat, vt sensim liceret & certis vestigiis progredi, neq; necesse sibi esset summatim respondere, placuit, eam maxime viam insistere. Principio itaque reuocata illi in mentem est iudicii sui in *Quæstionis* huius primo limine solenniter facta professio: * quam scil. principibus obedientiam Christi & Apostolorum præcepta sanxerint: quam illa præcepta sensum haberent perpetuum: * quam eorum sententiam auersaretur, qui Christum & Apostolos somniarent pro temporum conditione hæc præcepta tradidisse: ac si Christianis edictum vellent, qui Imperatorum ditioni subessent, hostium Euangelii, ne diutius quam dum copiis superiores essent, in eorum obedientia permanerent: & deinceps reliqua, quæ suis locis visuntur exposita copiosius. Quo facto interrogatus, num in eadem sententia, omni remota æquiuocationis, aut subterfugii fraude, adhuc perseueraret: cum is vehementer annuisset, adderetq;, se animi sui conscientiam diligenter, tanquam Deo teste, ea in re secutum: requisita est, in firmiorem rei fidem, de locis insequentibus simplex & syncera illius opinio, quippe quæ præfato eius iudicio, de trecentis Christo proximis annis, diserte contrauenirent.

* Sect. 2. Sect. 3.

48 a *Nos illa non mouent, quod Martyres dicuntur mortem tolerasse, & vt tyrannos Ecclesiæ infestos deponerent, minime satagisse, Quia vt laudabile est, cum resistere nequeas, ita vbi possis resistere, religionis ac patriæ hosti, nolle, nefarium & perniciosum est.*

b *Optimo quidem iure poterant sancti olim Episcopi Imperatores Arrianos excommunicasse; & Catholicis eorum subditis authores fuisse, vt ab illorum tyrannide armis se vindicarent: quod adeo, propter maiores persecutorum copias non fecerunt.* Præte-

a De abdicatione Henr. 3. li. 1. c. 3.
b Card. Alanus cont. Iustitiam Britanicã. edit. Anglic. pag. 107. Versionis autem Latinæ, fol. 143.

Præterea: a *Extra controuersiam est, recte potuisse Constantium, Valentem, Iulianum, aliosq; huiusmodi imperatores ab Episcopis excommunicari, & deponi; populumque eorum iuratæ obedientiæ eximi, siquidem Ecclesiæ ait Catholicis congrua ad resistendum vires suppetiissent.*

a Idem ibid.

In quam eandem sententiam Bellarminus. b *Quod si Christiani olim non deposuerunt Neronem & Diocletianum & Iulianum Apostatam, atque Valentem Arrianum & similes; id fuit, quia deerant vires temporales Christianis; nam alioqui iure poterant id facere.*

b Bellarm. de Rō. Pont. lib 5. cap. 7.

49. De hisce assertionibus tam vehementer interrogatus, postquam aliquandiu Blacuellus detrectasset, (reueritus scilicet & scriptorum authoritatem, & vero infamiam, ac discrimen suum, si eorum placita auderet ad censuram suam sistere,) victus tamen repetita officii sui mentione, tum in Deum, regemq; serenissimum, tum in ipsum adeo VARITATIS numen (quoad eam animo consequeretur) sic tandem censuit: assertiones illas, vtcunque laudem possint habere Politicam, parum tamen videri Theologicas. Itaque mirari se, quo pacto acciderit, vt recentioribus seculis tam sint istiusmodi dogmatum fœcunda authorum scripta, de quibus sanctorum Martyrum volumina, qui trecentis à Christo primis annis, veterumque principis notæ Patrum, qui aliquot deinceps seculis floruerunt, monumenta omnia nullam (quam meminit) vocem, nullam syllabam omninó fuderint.

50. Cui generi (inquit) si fides aliquandô accedat, Apostolorum imminui authoritatem, necesse est: vt qui egregii extinisse temporibus obsequendi artifices arguerentur. Quod *Blacuodeus* bonus inprimis Catholicus, ex Buchanani loco quodam, similis fere argumenti concludit. Quidam Fideles ostendit Tertulliani seculo, tametsi viribus pares, religioni tamen habuisse, in Imperatores suos arma capere, hæc habet: c *Paulus vtendum foro præcepit? Laruatam hypocrisin sub persona religionis latere voluit? Potestatibus obedientiam edixit, quia resisti non posset? Christianos viribus auctos ad arma cessantes, ad arma concitat, Imperiumque frangit?* idem paulo post ex Clemente docet Petri discipulo, vbi de tumultu loquitur, per Caipham Hierosolymæ conflato, *Christianos etsi numero plures, virtute potiores, propter Numinis obedientiam, occidi maluisse, quam occidere:* pergitque deinceps subditorum officia, & arma Christianorum (*preces ac lachrymas*) describere.

c Blacuodæus Apolog. pro Regib. pag. 259.

51. Quid quod Ecclesiæ Romanæ Præsules, qui Tertulliani æuo, & citerius vixerunt, pietatis & zeli laude posteris suis minime putet cessisse: sed nec ditionis suæ fines, quam late paterét, ignotasse? Quorum ætas si pro orthodoxis hæc dogmata habuisset, ii proculdubio, Fidelium numero & viribus cognitis, aliquod saltem monumentum posteris prodidissent, & animi, zelique sui, in hac potestate contra Imperatores exercenda, promptiq; ac alacris ad resistendum, in tantis præsertim copiis, Christianorum studii: cum nullum tamen eius facti vestigium vsquam reperiatur. Has similesque ob causas, quæ in hunc sensum plurimæ afferri possint, Blacuellus se dicit assertiones istas (quas explorandi tantum causa sibi iam propositas interpretatur) penitus repudiantem, in ea hærere, quam proxime exposuerat, sententia. Quod se confirmat sine subterfugii, siue ambiguitatis dolo, ingenue facere, nec quidquam prius facturum, quam vt animum hac in re suum, si qua posset, apertius & significantius explicaret.

52. Hic denuo à Blacuello postulari, vt quoniam perplexis quibusdam suis, ambiguisque responsis, in multas angustias, non sine summa Regis & Procerum offensione, se induisset; animus aliquando esset, pro doctrinæ & authoritatis suæ fide, huic, quæ præ manibus esset, quæstioni directo tandem responso satisfacere. Itaque Blacuellus Gregorium septimum agnoscit, Pontificum Romanorum primum (quem meminerit) ad Anathematis sententiam corollarium vllum adiecisse authoritatis suæ, ad Imperatores, Regesq; dominatu suo amouendos, subditos Fidelitatis nexu eripiendos, eosq; vt armis hostilibus in Principes suos grassarentur (etiam proposita, ni facerent, Anathematis mulcta): ogédos. Diuumq; d Thomam ait hanc causam disputantem, ad facti Gregoriani angustias esse redactum. In quo tamen Gregorii aduersus Cæsarem aulu differri non potest, magnum recente facto extitisse animorum motum; id quod e Frisingensis & f Sigebertus produnt. Quanquam hos authores minime adhibuisset, quippe Schismatis labe notatos à Baronio, vt in Pontificum & Imperatorum dissidiis, Cæsarianis partibus æquiores: nisi huic rei amplius confirmandæ Vincentius succedat testis, cuius *Historiale*, dum Clauium alicubi abusum perstringit, hæc habet verba: (designat autem Gregorium & ab eo secundum Vrbanum Papam) g *Vt pace omnium bonorum dixerim, hæc sola nouitas (ne dicam hæresis) nec dum è mundo emerserat, vt sacerdotes eius, qui dicit Regi, Apostata, & qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi, doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant subiectionem: & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contra Regem senserint, imo qui Regi paruerit, pro Excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit, à noxa iniustitiæ periurii absoluatur.* Cuius testimonii fidem, tam venerandi Præsulis authoritate ante annos 350 confirmatam (vtcunque verum sit, à Sigeberto sumi) Blacuellus nefas habet vel impugnare, vel præiudicio suo lædere. Periculoso enim exemplo vetustis rerum Catholicarum scriptoribus eo nomine pondus, derogari, quod sint amici Cæsarum, cum ea ratio & alios complures, historicos alioqui illustres, simili exceptioni subiiciat, vt qui pariter insimulari possint, in Pontificum gratiam plus æquo propendisse. Imo (inquit) per id tempus, qui & optime & intime colebant religionem Catholicā, alii in hoc Gregorii facto hæsitabant, alii plane pugnabant, carere Apostolicam sedem hac potestate, vt Imperatori (quod tum factum est) fasces adimere, & subditorum posset rescindere

d Thom. Aquinat 2. 2. qu. 1. art 2.
e Otho Frising libr 6. cap 53 Idē de gestis Frederic. lib. 1. cap 1.
f Sigeb in anno 1088.
g Vincent. in speculo Historiali lib. 15 c. 84.

sancitam iureiurando fidem. Quin Episcopum Metensem ait vsq; eo processisse, vt à Gregorio Pontifice a (apud quem gratia & authoritate valeret) per literas non dubitaret contendere, vti se consilii eius contra Cæsarem miti rationibus suis *iuuare, ac munire* dignaretur, quas eiusdem vituperatoribus haberet opponere.

a Gregor. 7. Epist. 21. lib. 8. apud Seuerinū Binium de Concilijs. Coll. 45.

53. Porro autem, quod occasione facti præcedentis, Blacuelli ad locum illum responsio, quo rem dixerat ad viuum resecari, vehementius (in plenam synceritatis suæ fidem) iterum expeteretur: quid de hac nimirum sentiret tam prolixa Pontificis in temporalibus authoritate, vt de Imperatorum Regumq; fortunis, cuiuscunque tandem distinctionis præsidio, licite possit, exemplo prædicto statuere: orabat, vt libri eius, qui est *De Romano Pontifice*, à Bellarmino scriptus, potestas sibi fieret. Facta potestate, iudicium suum ipsis *Bellarmini* verbis repræsentatum voluit: serio professus in hac se esse sententia.

b *Papam non esse dominum earum Prouinciarum, quas obtinent Infideles. Infideles Principes veros esse supremos Principes suorum. Dominium non fundari in gratia aut fide. Diuū Paulum iubere, vt Principibus Ethnicis, etiam propter conscientiam, obediamus. Non autem tenemur* (loquit) *in conscientia obedire illi, qui non est verus Princeps. Principes non esse Papæ vicarios. Papam libenter daturum, si posset, regna Infidelium principibus fidelibus. Ridiculum esse, dedisse Deum Papam in Regna totius mundi, & non dedisse illi facultatem vtendi eodem. Alexandrum sextum non diuisisse orbem nuper inuentum inter Reges Hispaniæ, & Lusitaniæ ad eum finem, vt Reges illi proficiscerentur ad debellandos Reges infideles noui orbis, & eorum Regna occupanda; sed solum, vt eo adducerent fidei Christianæ prædicatores, & protegerent ac defenderent tum ipsos prædicatores, tum Christianos ab eis conuersos: & simul, vt impedirent contentiones, & bella Principum Christianorum, qui in illis nouis regionibus negotiari volebant.*

b Bellar. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 2.

54. c *Papam non esse Dominum totius orbis Christiani: Quod si ita esset iure diuino, debere id constare ex scripturis, aut certe ex Apostolorum traditione: ex scripturis nihil haberi, nisi datas Pontifici claues Regni cælorum; de clauibus vero regni terrarum nullam mentionem fieri: Traditionem Apostolicam, quā nitatur, nullam vtique proferri. Christum neque abstulisse, neque auferre regna eius, quorum erant. Christum non venisse destruere ea, quæ bene se habebant, sed perficere. Quando Rex fit Christianus, non perdere eum Regnum terrenum, quod iure obtinebat, sed acquirere nouum ius ad regnum æternum: alioqui obesset Regibus Christi beneficium, & gratia naturam destrueret. Falsam esse assertionem eorum, qui dicunt, Papam habere vtramque potestatem, sed alterius executionem aliis demandare. Quicquid authoritatis Imperatores habent, à Christo habere. Si Papa, tanquam summus ipse Rex & imperator, Regiæ authoritatis executionem Regibus posset eripere; maiorem vtique esse Christo. Licet* d *Innocentius Papam Soli comparet, Imperatorem vero Lunæ; obseruandum tamen esse, non idem sydus Solem esse, & Lunam: & sicut Lunam non instituit Sol, sed Deus: ita Pontificatum, & Imperium non esse idem, nec vnum ab alio absolute pendere. Licet Pontifex solus in patrimonio Ecclesiæ plenam habeat in Temporalibus potestatem, in aliis tamen regionibus non item.*

c Bellarm. ibid. cap. 3.

d Innocent. 3. cap. Solitæ extra. tag. de Maioritate, & obedientia.

55. e *Papam iure diuino nullum habere directe dominium esse temporalem: Christum, vt hominem, dum in terris vixit, non accepisse, nec voluisse vllum temporale dominium: summum Pontificem Christi vicarium esse, & Christum nobis repræsentare, qualis erat dum hic inter homines viueret. Papam, vt Christi vicarius est, & summus Pontifex, nullum habere temporale dominium. E falso principio deduci, Papam, qui est Christi Vicarius, esse simul Regem, & Pontificem. Christum, vt DEI Filium, fuisse semper Regem, & Dominum omnium creaturarum, eo modo, quo est Pater eius: sed hoc Regnum æternum esse, & diuinum, & nec tollere dominia hominum, nec posse Pontifici conuenire. Christum, vt hominem, fuisse Regem omnium hominum spiritualem, & habuisse potestatem amplissimam spiritualem in omnes tam fideles, quam infideles. Futurum esse post diem iudicii hoc spirituale Christi Regnum etiam sensibile, & manifestum: & ita inchoatam esse gloriam huius Regni in ipso capite nostro CHRISTO, quando à mortuis resurrexit. Regnum hoc non esse temporale, qualia sunt nostrorum Regum, nec posse Pontifici communicari, quia præsupponit resurrectionem. Potuisse Christum, vt hominem, si voluisset, & si ei visum fuisset expedire, accipere Regiam authoritatem, sed noluisse: & proinde nec accepisse, nec habuisse non solum executionem dominii, & Regni, sed nec authoritatem, vel potestatem vllius Regni temporalis. Regna omnia acquiri, vel ex hæreditaria successione, vel ex electione, vel iure belli, vel dono; Christum vero istorum modorum nullo temporale Regnum habuisse. Christum nunquam exercuisse in hoc mundo Regiam potestatem; venisse enim ministrare, non ministrari, & iudicari, non iudicare. Frustra accepturum Christum Regiam authoritatem, quam nunquam exerceret; cum inanis sit potentia, quæ nunquam reducitur in actum. Christum ementes oues & boues de templo non eiecisse, quasi Pontificia vel Regia potestate, sed more Prophetarum, zelo quodam diuino. Authoritatem Regiam non fuisse Christo necessariam, neque vtilem, sed plane superuacaneam, & inutilem. Nam finis aduentus eius in mundum erat redemptio humani generis: ad quem finem non erat necessaria temporalis potestas, sed solum spiritualis. Inutilem fuisse CHRISTO talem potestatem mere temporalem, ex eo intelligi posse, quod Christus debuit hominibus persuadere contemptum gloriæ, deliciarum, opum, & omnium rerum terrenarum, quibus tamen maxime affluunt Reges huius mundi. Omnia fere loca Scripturæ, vbi de Regno Christi agitur, necessario intelligi debere, de Regno eius spirituali, & æterno: at Regna temporalia non sunt æterna. Christum non fuisse temporalem Regem Iudææ, sed spiritualem Ecclesiæ. Licet Papa dicatur habere illud officium, quod habuit Christus, cum in terris inter homines humano more viueret: illa tamen Papæ officia tribui non posse, quæ habuit Christus, vt DEVS, vel vt homo immortalis, & gloriosus, sed solum ea, quæ habuit vt homo mortalis.*

e Idem ibidem cap. 4.

Ooo 3 Christum

Christum, quia Deus & homo erat, habuisse quandam potestatem, quam dicunt excellentiæ, per quam præerat tam fidelibus, quàm infidelibus: Papa autem solum oues suas, id esse, fideles commissæ. Christum, vt hominem potuisse Sacramenta instituere, & miracula facere propria authoritate, quæ non potest Pontifex. Christum potuisse absoluere à peccatis sine Sacramentis, quod Papa non potest. Christum Pontifici illam solum potestatem communicauisse, quæ puro homini communicari poterat, quæ necessaria erat ad gubernandos ita fideles, vt sine impedimento vitam æternam consequi possent.

56. a Illa loca, atque authoritates (b Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. c Christus B. Petro vitæ æternæ clauigero, terreni simul & cœlestis Imperii iura commisit. d Ecce duo gladii hic) *doctrinæ præfatæ minimè repugnare: Papæ potestatem ciuiles lites iudicandi* (Canon: Quicunque litem:) *concessam ei fuisse per Theodosium ex pietate, non ex debito. e Christum ad conseruandam humilitatem voluisse Pontificem indigere Imperatoris defensione in temporalibus, & simul Imperatorem indigere Pontificis directione in spiritualibus: & propterea reliquisse Imperium Tiberio, & Petro solum contulisse Pontificatum.*

a Idem ibidem cap 5. b Matt 28. c Nicol Papa Epist ad Michaelẽ. d Luca 22. e Idem ibidem cap 10 f Idem ibidem cap 9.

57. f *Quod ad Principatus temporales (quos iure possident) eos Episcopo Romano, aliisq; Episcopis à piis hominibus, quales erant,* Constantinus, Carolus Magnus, & Ludouicus *eius filius, donatos fuisse. Etsi absolute forte præstaret, Pontifices tractare solum spiritualia, & Reges temporalia, tamen propter malitiam temporum, experientiam clamare, non solum vtiliter, sed etiam necessario donatos fuisse Pontifices temporales aliquos Principatus. Sicut in Testamento veteri diu fuerunt Pontifices sine Imperio temporali, & tamen vltimo temporibus non poterat religio consistere & defendi, nisi Pontifices etiam Reges essent, nimirum tempore Maccabæorum: ita quoq; Ecclesiæ accidisse, vt, quæ primis temporibus ad Maiestatem suam tuendam temporali principatu non egebat, nunc eodem necessario indigere videatur.*

58. Ista ex Bellarmino totidem ferè verbis cita[illegible] adeo satisfecerunt, quin porro obiiceretur, Cardinalem (quicquid ex eius scriptis ad [illegible]mendam sententiam suam Blacuellus carpserit) In libri tamen sui decursu diserte largiri Pontifici, sed indirectè, in ordine ad spiritualia, eam authoritatis eminentiam, vt Reges & Imperatores iure queat (recto an obliquo nihil interest) pro arbitrio suo (tanquam si ab eius nutu penderet orbis imperium) stū pitus eradicare, dominatu suo arcere, subditos officii nexu emancipare, incendiarios suos in illorum regna emittere, sicarios in eorum capita (vt optima quæque locorum aut temporum opportunitas blanditur) instruere. Quocirca, si ista contentus declaratione iudicii sui, plenius hunc locum & diligentius non exequeretur, videret, ne rem omnem in exitu magis relinqueret, quam in aditu incertam, seque manifesto proderet in Fidelitatis iuramento, tanta præsertim Regis Regnique causa, præter boni ciuis officium, insigniter fucum fecisse.

59. Blacuellus minime se vereri, quin iudicii sui professio tam testato, tam diligenter pridem facta, omnem synceritatis suæ scrupulum & dubitationem excusserit. Cui rei commemorare, quid de primæua Ecclesiæ, quæ trecentesimum Christi annum exceperit, praxiatque institutis, superius idque * iterato senserit; quam toto cœlo dissenserit à propositis quibusdam dogmatibus, quorum * partim tuerentur (contra quam Fideles, quo animo tum essent, describit Tertullianus) rectè illis temporibus licuisse, si vires suppetiissent, contra Cæsares arma sumi; partim * vero Regnorum ex vi Anathematis amissionem, & alia huius generis parum Orthodoxa continerent. * Docere porro, quo primum tempore (quantum ex Annalibus compererit) Regum abdicationes, & subditorum emancipationes existimet ad Excommunicationis sententiam corollaria accessisse. Non pigere tamen, vt huic tandem postulationi satisfiat, paulo vlterius progredi, seque proinde affirmat, cum his sentire authoribus, quorum ipsa verba ex commentariolis suis promebat, in modum sequentem.

Sect. 4. & 47. Sect. 49. Sect. 39. Sect. 52.

60. g *Apostoli nihil vi gerebant: tantum vtebantur gladio spiritus: neminem agebant in exilium: nullius inuadebant facultates. Hæc omnia Erasmus non minus diserte, quam vere.*

h *Si aliqui Reges cum populo se tradiderunt Romano Pontifici, vt traditur de Anglia* (falso tamen, vt superius est demonstratum,) *nihil ad nos. Non tamen sequitur quod Angli vllo modo permitterent Pontificem destruere suum Regem, & alium constituere. Nunquam enim aliquem Romanorum Pontificum hoc facere permiserunt.*

i *De ratione potestatis laicæ est pœnam ciuilem posse infligere, vt sunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. sed nullam talem pœnam institutione diuina infligere potest Ecclesiastica potestas; imo nec incarcerare, vt plerisque Doctoribus placet, sed ad solam pœnam spiritualem extenditur, vtpote excommunicationem. Reliquæ autem pœnæ, quibus vtitur, ex iure pure positiuo sunt.*

g Costerus in fide demonstrat. pag 96. h Ioan Maior in 4. sentent dist. 24 q 3. i Iacob Almain de Dominio naturali & ciuili: in vltima editione Gersonis pag. 696.

61. Hic interpellatum est, Blacuellum occ[illegible]ntiliter, quæ ante responderat, dudum commemorasse, longiusque aliquanto prouectum agnoscere. quicquid vltra Excommunicandi potestatem haberet authoritas Pontificia id omne *ex iure positiuo* accreuisse. Cæterum, cum ad posteriorem hanc sententiam, de Papæ in temporalibus dominio indirecto, in ordine ad spiritualia, tam lento pede accedat; qui displicere illam alteram, de directa in tēporalibus authoritate Pontificis, non difficulter agnouerat: obiectum ei est, non videri credibile, si Bellarmini sententiam, allegatam ex locis præcedentibus (vti præ se ferret) ingenue sequeretur, tantam illi vecordiam esse (viro alioqui graui & erudito) vt probationum earum deplorandā imbecillitatem, quibus indirectam Pontificis authoritatē astruit Bellarminus, iis sentiat euertendis sufficere, quæ in secundo, tertio, quarto & quinto libri sui capitibus fundamenta præstruxerit. Quorum adeo capitum

vni(inuidiæ scilicet declinandæ causa) Directi titulus prætexitur, cum tamen eius argumenta sim-pliciter omnino se habeant & absolute. Verum cuius(inquit)non vltro cœcutienti perspicuum est, C. Bellarminum strenuis illis solidisque rationum telis, quibus directum Papæ dominium plurimis sit aggressus, tam graue Pontifici vulnus, plagamque ita letiferam intulisse, vt nulla eam artes, quantumuis sinistræ, nulla hominum vel acutissimorum solertia, nulla temporis medicina sit vnquam sanando. Cuius rei causa postulata à Blacuello seuerius est sententiæ suæ hac in re diligentior explanatio.

62. Fateri Blacuellus, intimi fuisse voti sui, Bellarminum vel huic controuersiæ, de indire-cto Pontificis iure in rebus temporalibus, calamum non admouisse, vel eam efficacius potuisse (si quid saltem habeat veri)& solidioribus argumentis persequi. Quorum equidem leuitati (si cum locis conferatur ex eo proxime arcessitis)magnopere censet tribuendum. quod ea permul-ti annis hisce proximis tanto conatu refellenda susceperint. Satis enim animo videbant, Pon-tificiam in rebus temporalibus, Regibusque abdicandis authoritatem, si nō nisi indirecte com-peteret, in lubrico admodum & ancipite loco futuram, tanto præsertim per hosce dies gliscente contra Sedem Romanam simulatum incendio. Quoniam igitur rei controuersæ caput (num scilicet vlla prorsus Pontifici insit Imperatorum Regumque quaqua de causa eradicandorum & deponendorum potestas) quod vtrique sequuntur, tam qui hanc illi potestatem directam esse contendunt, quam qui directam negant, indirectam volunt, ab Ecclesiæ definitione integrum adhuc maneat; obtestatur Blacuellus, ne iudicium suum porro iubeatur in re maxima & diffi-cillima, -latius aperire.

63. Id tantum vt huic loco affin[illegible]it, plurimum dolere se, quod Pontificium in rebus Ecclesiasticis Primatum temporalis d[illegible]nii prætextibus hisce adeo videat implicari, ac si eius remoto subsidio, Christus Ecclesiæ ne[illegible]ati haud satis consuluisset, nec Pontifici summo po-tentiam indulsisset, muneri suo exequendo parem: cum tamen, nondum susceptis in Ecclesiam noui tatum commentis; quæ tam strenue his diebus vrgentur (tametsi sane ita fluctuantibus v-trinque sententiis, vt in eo summe periclitari oporteat Pontificis spiritualem totius Ecclesiæ præ-fecturam)Petrum satis constet, & qui ab eius ætate recentes Ecclesiam procurabant, nec maxi-me necessariis eius temporibus etiam tum defuisse, cum Imperatores, quique rebus præessent ciuilibus, sæuissimum fidei bellum indicerent, rabusque id agerent omnibus, vt Christiani no-minis memoriam funditus abolerent.

64. Cæterum Blacuellus, qui id doceat rogatus, nondum esse Pontificis supra-dictam po-testatem Ecclesiæ decreto constitutam: respondet, deesse ad manum libros suos: rem vero ipsam adeo visam sibi liquere; vt nec ad Cardinalem veritus sit eam in sensum scribere, hanc proposi-tionem: a *Papam habere potestatem deponendi Reges indirecte*, nondum esse, tanquam rem fidei, fi-maliter definitam. Eidem sententiæ egregios aliquot authores meminit à Couarruuiis b addi. Il-lo autem(inquit)Card. Alani testimonio quid luculentius, quo hanc thesin affirmat, vel si qua parem vim habeat: posse scilicet summum Pontificem hæresis vel Apostasiæ ergo Principes de-ponere, eorumq; subditos iurata fide, & obedientia eximere: c *disciplinæ rem esse mere Theologica quam*(inquit)*si minus secundum nos Ecclesia definierit, at schola certe in vtramque partem disceptat*. Vel vt habet * Latina versio. *Est quidem plane Theologica & cum religione Christiana arctissime cohærens, &c quæ si forsan non definite pro parte nostra pronunciatum sit, posse tamen & solere in vtramq. partem disputari, ipsi quidem aduersarii, qui quicquam sciunt, ignorare non possunt.*

a Blacuelli responsio ad Bellar. vide supra p. 47.
b Couarru. tom. 2. pag. 304. vlt. e-dit. impres. Lugduni.
c Card. Alanus contra Anglicanam. cap. 4. p. 72. Iustitiam Britā. edit.
* fol. 34.
* cap. 34.

65. Hic videbatur Blacuelli premendi locus esse, quod, de Pontificis temporali dominio (directene id habeat, an indirecte, vel num ipsum prorsus dominium habeat, cuius ordo & mo-dus, sitne directus, an indirectus, tanto partium studio controuertitur)cum constet rem esse in-tegram, nec Ecclesiæ Romanæ sentētia præiudicatam; cum * is paulo ante professus sit, liberam sibi esse hac in causa, vt tamen ab Ecclesiæ iudicio non recederet, in vtramuis partem iudicandi potestatem: cum ea se libertate vsurum modo receperit, etsi ad Cardinalis sententiam ipsius li-tere se inclinarint: adeo tamen(quod omnes mirari habeant)ægre adducatur, vt mentem suam aperiat, ab omni personarum respectu liberam. quid de isto demū indirecto sentiat (quod Pon-tifici in ordine ad spiritualia Bellarminus affert) temporalium dominio, in quo præsertim tam insigne Regni, reiq; publicæ discrimen agatur. Quamobrem subinde eum instaretur, vt pro suo in Deum officio, in Regem obsequio, syncere & fideliter hac de re animi sensa promeret: Bla-cuellus, qui se toties insinuato Maiestatis suæ, ipsiusque adeo VERITATIS nomine, ad syn-ceritatem vocari senserat, nec aliam videret reliquam esse, Magistratui fide bona (prout tenori se intellexerat) satisfaciendi rationem, ad extremum sic respondit.

66. Primo verum esse, ex tribus iis sententiis nullam adhuc sub Ecclesiæ decretum alter-utram in partem venisse. Neque vero iusta exceptione carere, quod re ipsa nondum constitu-ta, (num Regum & Principum eradicandorum & deponendorum potestatem omnino acce-perit Pontifex) tam vehemens vtrinque pugna sit de modo, directe an indirecte eandem accepe-rit. Iam vero Cardinalis hac in causa iudicio quod videretur vti, hine profectum, quod in eo fre-quentior esset Theologorum consensus, neq; se ergo debuisse à tanto viro palam dissentire: et iam non nisi turbulenti sit ingenii, quæ in rem Ecclesiæ cōmode sint sopita, anxia disquisitione agi-tare, peccatumque in vulgatum illud: *Malum bene positum non esse mouendum*: præcipue vbi huiusmodi motura

motura

motum constet Ecclesiæ quieti posse, & tranquillitati officere. Hinc sibi iudicii sui his de rebus tacendi eam obstinationem fuisse: nec nisi tam assiduo, tam necessario adactum Magistratus imperio (quod vtique *Quæstionis* huius variæ testantur paginæ) ab ea se demum recessurum.

67. Porro, ex præterito sermone manifestũ (inquit) est (quod adeo vt proprium huius instituti in procinctu meminit) non modo, quæ in iuramento Fidelitatis doctrinæ capita proponuntur, ea sic esse ab Ecclesia in medio relicta, vt in vtramque partem (Alano teste) liberam habeant disputationem: sed & C. Bellarminum, cum ipsum iureiurando suo *in discrimen adduxisse* argueret *vnum ex præcipuis fidei capitibus, & Catholicæ religionis fundamentis*, falsa auditione deceptũ, existimasse, Pontificium in causis Ecclesiasticis Primatum eo iuramento peti, cui tamen (vt supra sit auditum) nihil habetet affine. Secus enim, vnde fidei, vnde religionis capiti aut fundamento cuipiam è suscepto iureiurando discrimen, cum nullum istiusmodi caput, aut religionis fundamentum ab Ecclesia definitum, aut constitutum reperiatur?

68. Quam ergo libertatem suam agnouerit, salua vt possit religione Catholica, sicut de directa in temporalibus authoritate, (quam Pontifici abnuere: a) ita de *indirecto* eius dominio toties vtique inculcato, sententiam suam non dissimulanter aperire: restat vt eius beneficio nunc demum vtatur: nec enim esse, quod hanc minus opinionem liceat, quam illam alteram repudiare. Proin, facta primum fidei & candoris professione, tandem pronuntiat, se neutram pro vere habere sententiam. Ex Bellarmino autem, quæ fusius paulo ante retulerat: ea penitus credit, Catholicæ veritatis solido fundamento niti, neque aut Canonistarum, istorumque qui nuper ad partes accesserint, pertinacium directi dominii vindicum, aut cõtrariæ disciplinę, quæ in Imperatoriam, Regiamque Maiestatem, eadem (tametsi indirecta) authoritate Pontificem armarit, coniunctis posse viribus subrui. Hanc sibi denique inijcieri sui, de duabus illec oppositis sententiis declarandi, hinc maxime natã fiduciam, quod (vt dictum sit) Ecclesię authoritas nõdum definierit, prorsusue à Christo Pontifici delegata sit hæc Cæsarum, Regumq; extirpandorum potestas, de qua adeo prępostera contentione agitur, dum priusquam de ipso iure certum sit, certamen vtriuque suscipitur de modo: his, directum suadentibus esse, illis, indirectum.

69. Sed nec videri se stat minorum, singulari iudicio & eruditione virum, illa duo capita disceptantem, (num ista Regum abdicandorum potestas directe, an indirecte, Pontifici obuenerit) adeo definite vel hinc vel istinc pronunciasse, quin de illo tertio (dederitne hanc Petro Christus vllo in genere authoritatem) integram sibi reliquerit sententiæ suæ (si res nata tulerit) mutandæ facultatem. Cum enim alicubi affirmat, a *Papam, vt Papam, ordinarie temporales Principes deponere, etiam iusta de causa non posse: posse tamen Regna mutare & vni auferre, & alteri conferre, tanquam Summum Principem spiritualem, si id necessarium sit ad animarum salutem*: quid aliud, sensu licet occultiore, significat, quam nullam Pontifici recte deferri Regum abdicandorum potestatem? Etenim S. Petrum constat nec deriuasse, nec vllam potuisse, præter ordinariam, in posteros authoritatem suam deriuare. Atque hinc est, quod vulgò sit receptum, cæterum Apostolorum ordinem ea prærogatiua caruisse, Petri vestigiis vt possent, plenitudinem virtutis & potentiæ suæ, quam extraordinariam sortiebantur, non, vt Petrus, ordinariam, in successores suos propagare. Extraordinaria enim potestas non transit in successorem. Quod adeo literas suas fatetur, cũ modestius, insinuasse, cum locum illum ex Cardinali citatum, (b *Non posse Papam, vt Papam, ordinarie Principes deponere*:) in hunc modum premeret. *Verba iuramenti sunt, Papam non habere authoritatem deponendi Regem, & disponendi de Regnis & dominiis Maiestatis suæ. Et communis intellectus apud Magistratum ad nullum alium conceptum propendet, quam ad hunc, videlicet Papam, vt Papa est. Nam non potest pertingere ad illum conceptum, videlicet tanquam summum Principem spiritualem. Et cum proponitur iuramentum suscipiendum, illius sensus cogitur à Magistratu, restringitur ad ordinariam potestatem: Nam qui proponunt iuramentum, illi remotissimi sunt à cogitatione extraordinariæ, aut indirectæ potestatis in Papa residentis.* Et cui (inquit) obscurum est, Papam non alia ratione Summi Principis spiritualis apicem mereri, quam qua sit Papa, & quod proinde, vt Papa, non possit, nec posse, vt Summum Principem spiritualem? Sed & Carerius haud dubie hinc nactus est, quod in suam rem vertat, dum pluribus argumentis contendit, Christi vicarium proprie dici Papam, eoque rem entre vrget, vt Papam concludat, c *vel non esse Christi vicarium, vel inferiores potestates, vt Papam, iudicare.*

a Bellarm. lib. de Rom. Pont. cap. 6.

b Blacuell. Respons. ad Bellar. supra pag. 41.

c Carer. de potest. Rom. Pont. lib. 2. cap. 2

70. Porro *Quæstionis* huius tricesimum nonum, * aliosque articulos, multasque per eius decursum passim aspersa, qui attentius considerabit, facile (inquit) comperiet, illam Responsi sui * clausulam ad Cardinalis literas, cuius præter cæteras suspecta fides, iuramenti fidelitatis vim vltimam consectari. Si qua enim Pontificis erit Regum abdicandorum authoritas, eam certe è potestate excommunicandi haud acquirit, sed è dominio temporali vel directo & ordinario, vel indirecto quæsitam habeat, necesse est. Iure autem ordinario posse Papam, vt Papam, Reges deponere fidenter negat Bellarminus. Carerius contra, earumque partium æmuli, non minore certant fiducia, Pontificis aut ordinariam esse, aut nullam plane istiusmodi authoritatem. Quod ergo paulo ante senserat Blacuellus, Pontifici nullam recte tribui Regum abdicandorum potestatem, qua rerum temporalium dominus sit, siue directe, siue indirecte, illud concludit in iuramenti à se suscepti hanc formulam incidere: *Non posse Papam vel à se, vel vllius authoritatis vi, ab Ecclesia vel sede Romana acquisita, nec alia quauis ratione, etiam cũ aliis cõiuncta Regem deponere.* Præterea,

* 66. 68. 69.

* Papa non habere Imperialem & ciuilem authoritatem deponendi Regem.

si ista Regum exterminandorum potestas Rom. Pontifici obtigisset, cum eam oportuerit dominii iure, vel directo, vel indirecto partam esse: quoniam hæc dominii vtraque ratio Imperialem supponit & ciuilem potestatem: satis ait apparere, (si qui ista diligentius expenderint) cum Cardinali scriberet, *Pontificem non habere Imperialem aut ciuilem potestatem deponendi Regis nostri*, id se re ipsa significasse, nullam prorsus Pontifici concedi Maiestatis suæ deponendæ authoritatem.

71. Sermones autem Regios quod in præstando Fidelitatis sacramento sequeretur, idq; adeo Cardinali voluerit ita factum videri: eum vti porro locum expediat hoc addit: nisi ad propositam interrogationem, qui vere respondeat, in eo arguetur fraudem fecisse, quod omnem, quæ subesse queat, rei veritatem non simul enunciet (quæ tamen ratio satis videatur insolens) cum nec è scholæ, nec è fori disciplina, vltra quæstionis modum responsi fides exigatur:) videre se negat, quid è suo ad Bellarmini literas Responso, in criminis argumentum trahi possit, quarum præsertim summa omnis literarum huius esset erroris manifesta, se in Fidelitatem iurando, Pontificium in Spiritualibus primatum vna opera eierasse.

72. Cuius erroris minuendi causa, quod iurisiurandi sui scriberet hanc esse sententiam *Pontificem non habere Imperialem aut ciuilem Regis deponendi potestatem*: id equidem vere se putat scripsisse, siue eiusmodi potestatis directum placeat esse ordinem, siue indirectum. a *Pro libitu vero & appetitu suo* id posse, quod negaret: & illud statuit verum esse, tametsi directum illud, quod quæritur, in temporalibus dominium Pontifici vel maxime largiamur. Ad hæc, b postquam varios huius sententiæ authores protulisset, indirectam Papæ esse in temporalibus potestatem in ordine ad spiritualia: quod hinc inferret, omnem deponendi Regis nostri potestatem Pontifici intercidisse, quod cum hac ratione constaret authoritate sua *ad spiritualia non promouenda, sed euertenda* abusurum; seque subiiceret non aliud hac in re sentire, *quam quod Theologi in suis conclusiones compegerunt*: nec in eo quidem existimat, falsi se posse argui, cum ex communi Theologorum sententia, Pontificis nulla sit ad destruendum authoritas. In summa, vt singula Epistolæ Bellarminianæ loca pleniore potuerit responso exequi, quæ tamen scripta sint, cum in rem satis esse decreuerit, hunc ait respondendi modum, vt suis rationibus consultissimum, maxime placuisse.

a Blacuell. Respons. ad Bellar. su pra pag. 39.
b Ibid. pag. 42.

73. Hæc à Blacuello iudicii sui studiose facta professio, etsi dicta sit omnium posse animos explere, qui n[...]eras non capiunt c *Æquiuocationis* præstigias, illa tamen Bellarmini distinctio (*Papam licet directe nequeat, vt Papa, posse tamen, vt summum Principem spiritualem, mutare Regna, & vni auferre, atque alteri conferre, temporalis scilicet Dominus vt, in ordine ad spiritualia*) nouum iniecit scrupulum, ne, quæ eius responsio Imperialem omnem & ciuilem (siue directam siue indirectam) Pontifici adimeret Regum eradicandorum, populiq; exauthorandi, & iusta ad seditionem authoritate armandi potestatem, ea hanc aut similem tegeret effugii latebram: non esse Pontifici Imperialem aut ciuilem, scilic. proprie dictam, rerum ciuilium potestatem. Ciuilem enim & temporalem hanc authoritatem (directa ea sit, an indirecta) ad Reges solio deturbandos conuersam, à negotii cui adhibetur fine, nomen sortiri. Cuius adeo finis, vt qui in Ecclesiæ salutem pertineat, cum spiritualis sit natura, ipsam etiam potestatem, *temporalis* exuto nomine, in *spiritualis* appellationem transire. Ex quo fieret, vt quæ per totam huius operis seriem Blacuellus sit professus, omnis eorum tali sophismate elusa fides interiret, vt cum Pontifici negasset *Imperialem esse, aut ciuilem Regis deponendi potestatem*, id nimirum intelligeret, non posse Papam ciuilis vi dominii, qua ciuile esset, sed qua spirituale, Maiestatem suam Regia potestate exuere: vel cum pari sententia asseuerasset, Pontifici temporalem nullam esse (directam vel indirectam) Regum abdicādorum potestatem, id eo sensu verum esse distingueret, quod quæ in temporalibus Pontifici defertur, Regum deponendorum authoritas, ea spiritualis recte vsurpetur, non temporalis, quo proprie designatur vocabulo cum à Regibus ad scopum mere ciuilem adhibetur. Hunc ergo iubetur Blacuellus dilucida mentis suæ explicatione, scrupulum tollere.

c Bellar. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 6.

74. Iniquo hic animo ferre Blacuellus, quod nullo videretur pignore, de obsequii sui fide satisdaturus; se tamen innocentiæ & synceritati suæ quantumuis minus æquos æstimatores nactæ, nulla in re defuturum. Hoc itaq; ad rem obiectam paucis responsum expedit. Esse sane qui affirment, Pontificem, quoties vt saluam & sospitem conseruet spiritualis imperii Maiestatem, pœnas infligit ciuiles, d *nulla dicendum esse iurisdictione vti temporali, sed mere spirituali; cum totum hoc ad animarum salutem cœlesteq; regnum referatur.* Cæterum illius sententiæ assertores, cum interposita aliqua correctiobra clausula (verbi gratia, *quasi dicas potest, magis, quodam modo*) eam plerumq; soleant mitigare: manifesto arguere, temporalis istiusmodi potestatis, etiam finem spiritualem sequutæ, haud illis vere, & re ipsa videri, naturam esse vsquequaque spiritualem.

d Boetis Episcopus Heroic. & Ecclesiast. quæstiones pag. 125.

75. Neque vero intelligit, quemadmodum recte possint, Regum deponēdorum, aut populi ad arma ciendi consilia, in spirituales actiones referri. Vt ad pauca redeat, sic sentit: debere spiritualem Pontificis summi potestatem intra claues Regni cœlestis, Ecclesiæq; censuras, proprie appellatas, consistere. Ad Reges autem sedibus amoliendos, temporale Pontifici nullū esse dominium, directum nec indirectum, quaqua demum appellatione siue ciuilis siue spiritualis, in ordine ad spiritualia promouenda, (vt Pontifici videtur) adhibitū, censeri possit, etiamsi ista Pontificum in Reges facta finem vel maxime spiritualem, aut supernaturalem (Ecclesię scilic. vtilitatem, & rei Christianæ propagationem) videantur destinare. Quam sane rationem nec Apostolicò putat institutu, nec illustrium eorū, qui & primis, & diu secutis Ecclesiæ temporibus Romam

infesti-

insederunt, Episcoporum moribus & praxi conuenire: & (verum quærimus) ad Catholicæ potius Ecclesiæ dispendium & iacturam, quam emolumentum pertinere.

76. Ista diligentius animo versantem, quam difficili loco versetur defensio iuris Pontificii, ad Reges non sacrorum aditu, sed sceptrorum potestate arcendos: subire se fatetur mixtum admiratione dolorem, quod vel Gregorius septimus, vel Pontificum succedentium quilibet id sibi potestatis sumpserit, vt editis in Imperatores, Regesque, & Principes aliquot Anathematum sententiis, hoc depositionis, populique exauthorandi, & ab eorum obedientia, sub pari Anathematis pœna, reuocandi decretum admiscerent. Infinitas hinc clades deinceps manasse tum in Regum ipsorum, tum præcipue in ciuium capita, qui causæ, quam sequerentur, æquitate confisi, in ea obstinati animam profuderint: cum in hac interim se fraude esse homines incauti non intelligerent, vt. quemadmodum ipsorum omnia contra Principes suos consilia flagitii crimen & proditionis haberent; ita si forte vel ea minus prouenirent, vel inter Papam accideret & infensos Principes restitui gratiam, eo res illis fere rediret, vt simulatione alicuius errati in re gerenda admissi, perduellium & proditorum in causa, (& quidem merito) censerentur. Hanc proinde sperat aliorum calamitatem documento Catholicis futuram, ne vllo se sinant prætextu à Principum suorum obedientia vel tantillum distrahi.

77. Sed & se prorsus animum inducere, sceleratissimæ illius longeq; atrocissimæ proditionis authores, quæ per sulphurei pulueris insidias cogitata, *Puluerariæ* nomen inuenit, non sine studio iuuandæ rei Catholicæ (quod Maiestatem suam vidissent à defuncta Regina institutā in Catholicos rationem persequi, vel si quo præterea consilio incitatos) id scelus concepisse. Qui tamen sicut hanc domestico indicio facinoris mercedem tulerunt, vt damnati proditionis, proditorū supplicio plecterentur: ita apud moderatiores omnes exterarū partium Catholicos cæterosq; qui res attentius indicant, nō aliud incœpti præmium sunt consequuti, q̃ teterrimam ignominiæ notam, nominisq; sui ad omnem posteritatis memoriam, labem sempiternā. Quam eandem Blacuellus omnium capitibus fortunam imprecatur, si quos vnquā, in Regiam, sobolisue Regiæ, aut Regni salutē, vel minimi vllo in genere malefici, quantumuis conscientiæ, quantumuis pietatis, aut in Pontifices Romanos officii excusatione, aut quauis præterea larua prætexti, cogitatio subierit. Ad cætera addit, sicut rectum sibi videri, vt *Catubeum*, reliquosq; coniurati sceleris socios nullius non historiæ stylus infami inurat stigmate *Proditorum*: ita illud indignissimum, quod Christianomicus iste (de quo supra) vt aliqua ex parte coniuratorum culpam eleuet, sceleris inuidiam conetur iniusta equidem & impudente calumnia, ab ipsis authoribus in nomen omne Anglicanum deriuare. Qui postquam multis disputasset, familiares ab omni memoria hominibus nostris fuisse istiusmodi conspirationes, nec eas ex religionis, sed insito rerū nouarum studio, & perfido incolarum ingenio profectas: tandem a concludit: (loquitur autem de proditoribus puluerariis:) a *Causam tenes, Lector, coniurationum Anglicarum, quarum furorem, falso religioni Catholicæ legislatores tribuunt.* Et paulo post: b *Non ergo Catholicum, sed Anglicanum ingenium Angliæ Reges non sinit securos esse.* Quod enim (inquit Blacuellus) de Anglicana natione, hoc iudice, pronunciatur, non minus poterit vere de quauis gente asseuerari, si tam male fundata tam præcipiti censuræ argumenta sufficerint. Verum memor instituti, ad votum redit, vt Catholicis omnibus, cæterisq; in genere Anglis nunquam ex animo effluat, quod meriti præmium, quid præconii, quam infamem nominis sui famam nec iniuria expectare habeant, quotquot in Principum suorum salutē (vt dictum sit) vel honestissimo nomine prætenso, quicquam deinceps molientur.

a Stanisla. Christianomic Examē Cathol. fol. 18
b Ibidem.

78. Blacuellus in hunc modum exposito passim, pro nata occasione, indicio suo, postquam multa questus esset, quanto cum dolore vel minimam infidelitatis suspicionem vel à Maiestate sua, vel à Magistratibus sustineret, vt rem absolueret, superiorem omnem sermonem isto reliquæ professionis suæ authoramento obsignari voluit: in hæc verba.

Vere, ingenue atque ex animo agnoscere, profiteri, & conscientia teste, coram Deo & hominibus declarare, Serenissimum Dominum suum Regem Iacobum, *ex iure & diuino, & huius regni municipali, legitimum esse verumq;, tam de facto, quam de iure, huius Regni, & cæterarum Maiestatis suæ ditionum, & Prouinciarū Regem: neq; eius subditis vel fas superiore tempore fuisse armata manu Maiestatem suam huius Regni aditu prohibere, vel in posterum licere eisdem posse, in Regni solio iam constitutū armis inuadere, aut perniciosi quippiam, contra eius vel salutem vel statum, vllo in genere consilii capere: tametsi Pontificium in rebus Ecclesiasticis primatum reiecerit, nosq; omnes (quantum quidem detur) studeat coercere, qui in re religionis ab ipso dissenserimus: vtcunque iidem subditi (siue ii à Catholicorum disciplina erunt, siue Protestantium) numero, viribus & copiis instructi, rem eam videri poterunt commode effecturi, vt nullam interim Catholica causa labem nullum sibi aut capitis aut fortunarum periculum inferant.*

79. *Neque porro iure diuino posse Romanum Pontificem, vel à se, vel vllius authoritatis vi, ab Ecclesia aut sede Romana acquisita, vel alia quauis ratione cum aliis coniuncta, vel directe, vel indirecte in ordine ad spiritualia (siue ea authoritas spiritualis, siue temporalis, seu mixta, vel alias censeri possit) Regem deponere, aut de ipsius Regnis, vel dominiis disponere, vel extraneo cuiuis Principi ipsum aut ipsius territoria inuadendi, aut infestandi potestatem facere, vel ex ipsius subditis quemlibet à fide & obedientia Maiestati suæ debita exauthorare, vel illorum cuipiam facultatem permittere arma in eum gerendi, tumultuandi, aut Maiestatis suæ personæ, status, regiminis, vel subditis suis, intra ditionum suæ ambitum, vim aut noxam inferendi.*

80. *Praeterea se ex animo profiteri, quod non obstante qualibet declaratione, siue Sententia Excommunicationis aut priuationis facta vel concessa, aut facienda vel concedenda, per Papam aut eius successores, vel cuiusuis authoritatis vi, ab ipso aut ab eius sede deriuata, vel deriuari praetensa, contra praedictū Regem illiusue haeredes aut successores, vel quauis subditorum à sua obedientia exauthoratione; ipso tamen fidem & synce-rum obsequium Maiestati suae, ac eius haeredibus & successoribus praestabit, illum atque illos pro viribus defen-det contra omnes conspirationes & conatus, quicunque in eius vel illorum personas, coronam & dignitatem fient, ratione vel praetextu eiusdem sententiae aut declarationis, vel etiā cuiuslibet authoritatis aut potestatis, vel directa, vel indirecta in ordine ad spiritualia Romano Pontifici in rebus temporalibus tributa (siue ea do-mum spiritualis, siue temporalis, seu mixta vel alias conferri posset:) operamque dabit sedulam, vt omnes coniu-rationes & conatus proditorios Regiae Maiestati, eiusque haeredibus & successoribus detegat & patefaciat, quos contra ipsum, aut eorum quemlibet resciuerit, vel acceperit comparari.*

81. *Ad haec, se ex intimo corde usseuerare, quod auersatur, detestatur, & vt impiam & haereticam, abiu-rat execrabilem hanc doctrinam & assertionem: Principes à Papa Excommunicatos vel iure Regali exutos, hu-ius praetensa in Temporalibus authoritatis vi, aut directa aut indirecta, in ordine ad spiritualia (siue ea spiri-tualis, siue temporalis, seu mixta, aut alias conferi possit) licite posse à subditis suis vel quocunq; alio. Regno vel etiam vita priuari, quicquid contra praecipi, mandari, aut consuli directo vel indirecte à quouis mortalium pos-sit: quicquid de interpretatiua Pontificis voluntate dici aut declarari possit: Quod videlicet: si quis, propter il-lam Excommunicationem aut depriuationem, aut vtramque, Zelo incitatus, contra Regem audebit arma ca-pere, vel eidem manus inferre: tenetur Papa ex officii sui debito, factum eius comprobare, quod id sententia suae perficiendae, eique quem ipse maxime sequitur, fini promouendo inseruiat.*

82. *Se porro credere, & firmà conscientia tenere, nec Papam, neque quemuis alium posse se à iuramento iam pridem suscepto, vel vlla eius particula absoluere: vt eo videri sibi possit ab aliqua fidelitatis suae parte vere liberatus: seque adeo omnibus in eam rem indulgentiis & dispensationibus renuntiare.*

83. *In summa se ingenue & syncere, tanquam in Dei conspectu, & pro ea, qua sit in Regem fide, agnosce-re, haec omnia istius Quaestionis sua responsa hactenus scripto excepta; verum ipsius iudicium (pro doctrina sua modulo) complecti; omni remota aequiuocatione, mentali subterfugio, aut occulta reseruatione: neque esse aliter intelligenda, quam iuxta verba, quibus hic sunt expressa, nudumque & vulgatem eorundem sensum & intellectum.*

84. Caeterum porro monitus est Blacuellus, etsi iudicium suum in rebus supra quaesitis (si Pontificium in spiritualib. Primatum, & minuta quaedam excepetimus, à Fidelitatis sacramento aliena) laudabili obsequio aperuisset, etsi indirectam Pontificis in temporalibus Regum deponē-dorum potestatem Ecclesiae sententia negasset hactenus esse definitam: tem tamen hunc casum adhuc reciperetnum aliquando definiat, num pro re fidei à suis Catholicis credi *velit iubeat* Pon-tifex, ius sibi datum Reges abdicandi, & de eorum subditis, vt supra, statuendi. Qua tam incertā conditione Maiestati suae, caeterisq; nominis Christiani Principibus (pront cuiusq; ferent tem-pora) & ipsorum fidem; & salutem suam dubiam adhuc & suspectam relinqui. Huius ergo du-bitationis expediendae causa, Blacuelli responsum efflagitabatur.

85. Cantari primo Blacuellus insolens & insperatum quaestionis genus: cum doctorū scho-lam omnem diceret in eo consentire: de futuris contingentibus non esse iudicium. Pro mora res vt hic sibi locus vacuus dimitteretur.

86. Responsum est, etsi de rebus futuris contingant necne, verū sit, non constare iudicium: proposita tamen re certa & definita, quid de ea, si contingat, sit statuendum, certum posse & ex-plicatum iudicium praesumi. Exempli causa, in rebus esse contingentibus, sitne aliquando futurū vt quam apud nos seculis retroactis obtinuit Pontifex superioritatis praerogatiuam, eam Rex Anglorum aliquis, ex communi Ordinum consilio lege lata iubeat integram restitui. Ecquis ta-men ambigat, quin opinionem suam rogatus, num illiusmodi legem, eiusq; vsum in rebus licitis iustisq; habeat: vtrumque ita esse iudicio suo sit pracepturus? Idem in casu proposito licere, cum obiiceretur, re delib:rata, Blacuellus sic respondit:

87. Etsi (inquit) vel maxime pro re fidei formaliter definiri placeat, eoque loco in thesi re-cipienda, Pontifici hanc esse in Reges statuendi authoritatem: si tamen (quod ipsius excipiunt ad Cardinalem literae) in hypothesi quaestio proponatur, a *an Papa habeat potestatem deponendi Re-gem nostrum, rebus in eo, quo nunc sunt, statu permanentibus apud nos:* in pristino se dicit haerere re-sponso; *determinationem huius quaestionis, quoad Maiestatem suam* [illegible] *futuram, de eo, quod est fidei mate-rialiter: quaeesset determinatio de quaestione, quae in rebus creditis accedit, & proinde non diceretur determi-natio de fide, sed de tali materia:* in qua cum (Syluestro & Couartuia authoribus) falli queat Ponti-fex: definiat (inquit) Roma in hac causa si quid velit, id tamen in Regem nostrum si iubeatur perfici, à subditorum nemine, vt quod in Ecclesiae perniciem spectet, non salutem, recipiendum erit, vel audiendum.

a *Blacuelli litera supra.*

88. Hoc responsum quod in praeteritas exceptiones inciderit, visum est easdem porro vr-gere: Quas diuersis auctae circumstantiis, commemoratis rem, quae ante fassus esset, pluribus: vi-cerunt tandem, vt sententiam suam latius in hunc modum explicaret.

Primo haud temere videri futurum, vt pro fidei dogmate à Catholicis credendo, Pontifex vnquam definiat, ea se praeditum potestatis eminentia, vt Caesares Regesq; possit imperandi iure subditos parendi officio exuere, vt hi sine scelere queant Principib. suis vel obsequiū renunciare,

vel

vel bellum indicere. Idq; eo potius se dicit autumare, quod hactenus eam rationem, etiam cum tutius & minore scandalo tentari posset, & vero in difficillimis Romanorum Pontificum, vrbisq; Romanæ temporibus, nusquam reperiat initam: nec proinde moderni Pontificis, Cardinaliumque eius assessorum consilio sperat fore definitam, quos certo sibi pollicetur, si quos vnquam superiorum, tam moderatos, tum prouidos esse, longeque in posterum prospicientes, quanto cum Ecclesiæ incommodo hunc lapidem sint moturi.

89. Præterea, sicut omnino persuasum habet, ad diuinæ iustitiæ gloriam nihil dici magnificentius, quam si Deum negemus quicquam posse, quod sit iniustum: neq; Maiestatis Regiæ splendorem vlla re præclarius exprimi, quam si dicantur, Reges cum sint, non posse seruorum conditionem induere: pari (inquit) ratione, dignitatis Pontificiæ tantum abest vt imminuat, vt multum etiam amplificet gloriam, si complura asseueramus, quæ, quod nec errare possit, non possit Pontifex. Verbi causa (vt rem propositam ne egrediatur) penes Pontificem non est, quocunque nomine, vt coniugis alienæ stuprum, ita nec subditorum in Maiestatem suam perduellionem in rebus legitimis definire. Similiter, vti nulla potest sanctione, nullo prætextu Pontifex efficere, vt patre viuo, pro filio non sit, qui sit natura filius: ita nec vlla poterit definitione obtinere, vt quos Regis cuiuslibet imperio nascendi sors subiecerit, ii Rege seo superstite, desinant esse subditi.

90. Porro (inquit) certum est, indecisæ istius Regum abdicandorum potestatis (si definitur, inesse Pontifici) in harum rationum alterutra definitionem consistere, vel directi, scilicet vel indirecti in temporalibus dominii vi inesse. Quod si in vtramuis partem Ecclesia definiat, eadem opera sententiam damnet, necesse est, vel C. Bellarmini, & strenuarum, quæ ab eo sunt, partium (quod Ecclesiæ turbas poterit nonnullas ciere) vel C. Baronii & suorum, qui cum sint plurimi, indies tamen & numero fiunt & causæ suæ fiducia auctiores (quod procul dubio ex vsu nõ videbitur, cum eorum placita Romanæ Ecclesiæ splendori multo magis seruiant, quam quæ aduersariorum metur non minor confidentia:) Blacuellus indubie habet, vel nullo vnquam seculo, de huiusmodi Definitione cogitatum iri, vel nõ hoc nostro, dum tam strenue dimicatur de modo, directene, an indirecte, immediate, an per cõsequentiam; Christus Petro dederit (si saltem dederit) hanc Regum deponendorum authoritatẽ: nisi satis suæ ducant esse prudentiæ, inter ista partium studia, sine solidis rationum fundamẽtis, sine constantibus Scripturarum & Patrum testimoniis, iisque frequenti Ecclesiæ assensu & authoritate comprobatis, rem omnem definiendo transigere, quod à Pontifice & Cardinalibus tentatum iri aliquando, sapientibus viris, omnique in genere præstantibus, negat Blacuellus venire sibi in mentem posse.

91. Adhæc, etsi maxime in vulgus disseminari possit (id quod falsa multorum fama iampridem sit factitatum) Pontificis istam Regum abdicandorum potestatem pro re fidei esse Romæ definitam (vt vetus illa iam inde à septimi Gregorii temporibus, de hoc Pontificis iure, propagetur opinio, idque Principum Christianorum beneficio, quo facilius eo terrore contineantur, si rei Christianæ officiis aliquando defuerint:) Blacuellus tamen Catholicos serio monendos censet, ne istiusmodi nuncio temere fidem adhibeant, quoad rem ipsam certe oculorum indicio testatam, consignatamque habeant, prout in tanti momenti rebus ex Canonum instituto requiritur. Quod sane haud vnquam arbitratur visu venturum; vel si quid eo in genere mouebit Roma, non eo videtur processura, vt Regum deponendorum potestatem Pontifici sanciat, sed damnet forsan iuramenti Fidelitatis vsum. Quam sane Definitionem Blacuellus facile prospicit, hoc falso vsuram fundamento; Fidelitatis illo iureiurando, contra Pontificis in spiritualibus Primatum, simul iurari: id quod & Cardinalis literæ, & Christianouici illius verba præsignificant, qui recitato totidem verbis hoc ipso sacramento, ita statim subiungit: *Quod iuramentum? De primatu Regis in spiritualibus.* Tali ergo Definitione, si quam acciderit, etiam authentice confirmatam, penetrare in Angliam, cum ea intelligenda sit per fraudem, & iniquorum calumniam (quæ de Pontificis æquitate Catholicorum debet esse opinio) perperam impetrata, ad perniciem spectares, Catholicos minime censet obligari, quin ea prætermissa, tuto liciteque possint sacramentum illud, legitime rogati, subire.

92. Et vero, quicquid poterit siue de Fidelitatis iuramento, siue indistincte, de Pontificio in temporalibus dominio (nulla addita directi vel indirecti mentione) Romæ definiri, illud tamen maiore ornatu, quam sit Bonifacii octaui similis sanctio, non videtur fore editum. Lubeat eius verba audire: a *In hac eiusdem potestate duos esse gladios, spiritualẽ videlicet & temporalem, Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis*: Ecce duo gladii hic (*in Ecclesia scil. cum Apostoli loquerentur*) *non respondit Dominus, nimis est, sed satis. Certe, qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis*: Conuerte gladium tuum in vaginam. *Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ spiritualis scil. & materialis.* Et paulo inferius. *Veritate testante, spiritualis potestas terrenam instituere habet & iudicare, iuxta verba Ieremiæ Prophetæ: Ego constitui te hodie super gentes, & Regna, & cætera quæ sequuntur.* Hanc definitionem hoc apparatu in Regem Galliæ sancitã (cum enim præcipue destinabat) noua tamen quinti Clementis Constitutio haud diu post magna ex parte sustulit, hisce verbis *Nos Regi & Regno, per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ octaui, prædecessoris nostri, quæ incipit*: Vnam sanctam, *nullum volumus vel intendimus præiudicium generari, nec quod per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prolibari amplius Ecclesiæ sint subiecti Romanæ, quam antea existebant, sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.*

a *Bonifac. de maior. & obedient.* Vnam sanctam.

93. Sed

93. Sed nec eo loco habitam illam Bonifacii Constitutionem, quin præter Clementem Pontificem plures reperti sint, iique Pontificum infra fastigium, qui argumentorum nonnulla, ex quibus ea structa sit, non sint veriti in manus sumere refellenda: vt *de duobus gladiis* locum illum C. Bellarminus, aliique porro, quorum ipsa verba negat sibi in præsentia succedere. Id vtique fidenter ander Blacuellus asseuerare, Ieremiam magis idoneum, Hugone Cardinale, quam Papa Bonifacio interprete, sensum inuenisse. In summa, si ab hudierno Pontifice, contra Fidelitatis sacramentum, aliquam acciderit Definitionem edi, is ad præteritas exceptiones addit, posse fieri, vt proxime futuri Pontificis decreto ea rescindatur: quod dum fiat, non minus in hac, quam in illa Bonifacii Constitutione, hominum prudentium & doctorum exceptionibus locum esse. Sed de moderno (inquit) Pontifice benignior spes, cuius tanta vis prudentiæ a *Petri Aliaci* potius (Cardinalis olim Cameracensis) grauissimo iudicio cedet. Is in suo de reformatione Ecclesiæ Romanæ libello, quem patribus obtulit in Concilio Constantiensi conuenientib. ad annum 1414. ita scribit: *in hac* (agit autem de reformando totius Ecclesiæ corpore, præcipue autem Romanæ) *non debet Papa aut eius Curia deliberationem Concilii respuere: quia* (*sicut dicit Glossa, 19 dist. super c. Anastasius*) *Papa debet requirere consilium Episcoporum, vbi agitur de fide. Quod non solum intelligo de articulis fidei, sed de arduis tangentibus vniuersaliter statum fidelis Ecclesiæ. Quod notat* Archidiaconus, 15 dist in c. Sicut: *vbi dictam glossam approbans addit: quod nimis periculosum esset, fidem nostram committere arbitrio vnius hominis. Idcirco Papam in rebus nouis & arduis ad deliberationem Concilii recurrere consueuit.* Rem vero esse arduam, & quæ ad communem Ecclesiæ salutem permagni intersit, num Pontifici aliquando placeat, vel generatim rerum temporalium dominium suo sibi decreto assumere, vel præcipuo magis edicto, Catholicos à Fidelitatis arcere sacramento, id quidem se ait habere perspectum: & proinde huic Cardinali assentiri, neutrius causæ Definitionem, nisi deliberato consilio, esse tenendam.

a *Petrus de Alliaco de Reformatione Eccl. Roman.*

94. Interrogatus hic Blacuellus, de libello quodam, qui recens in hominum manibus exierat, sic inscripto, a *Tractatus de mitigandis, erga Catholicos Angliæ subditos, Regni consiliis*; num facta esset eius sibi potestas: num Comitis Salisburiensis verba quædam, in eiusdem Procemio commemorata animaduertisset: num ad ea Authoris responsum considerasset, is ad omnia annuebat. Recitabantur ergo Comitis verba, ab illo Authore in hanc formam citata. * *Dolere se iam diu, quod Pontificiæ authoritatis nondum facta sit, per publicam aliquam, & Orthodoxam Definitionis sententiam, dilucida explicatio, vt non ii modo qui Pontificiam iurisdictionem Principes agnoscunt, a coniurationibus, assentiisque in eorum vitam imperitantibus, metus omnis & suspicio eximatur, sed qui ab ea auersi, benignam tamen cupiant, de sui temporibus sentire opinionem, ferre queant, quod de eorum fidelitate & ciuili obedientia habeant sibi polliceri, si quid de religione videbuntur ab iis separatim sentire.*

a *Tractat. spectans ad Mitigationem contra Thomam Morton editus Anglice, 1606 P. R. authore.*
* *Præfat. pag. 20.*

95. Blacuellus postquam proposita Comitis verba, quoq; ea responso diluisset *Mitigator*, attentius consultasset, tandem, etsi grauate, iudicium suum in hunc modum exposuit: placere sane primam & tertiam eius responsi partem, quæ Romani Pontificis authoritatem astrueret eam, quæ Christi gregem vniuersum, (sine vllo humilis aut excelsi, plebis aut Principis discrimine) procurandum susciperet: neque vt eorum modo in rebus spiritualibus mentes instituat, mores dirigat, sed vt Ecclesiæ propriis (Interdicti, Anathematisq;) pœnis, errantes in viam reuocet. Ad quas tamen ne temere accedat, cautio est: sed vetustis, necessariisque causis impulsus, vt debito vsus admonendi, obtestandi, intercedendi, artiumq; ex Canonum instituto, præuiarum reliquo ordine, non nisi vltima necessitudine coactus, ad hanc rationem descendat.

96. Secunda vero responsi pars, non videt quemadmodum vel Nobilissimo Comiti, vel cuiquam sane, in quo modo sit iudicium, possit satisfacere. Libri enim author, tametsi (inquit) maxime inter Canonistarum & Theologorum scholam ea res controuertatur, habeatne directe, an indirecte Pontifex hanc, quam isti disputant, quam ipse breuiter attigerat, in temporalibus authoritatem; esse tamen Ecclesiæ eiusmodi potestatem prouisam, tanquam grauioribus morbis medicinam (neq; enim eius necessitati satis alioqui fuisse à Christo prospectum) in eo sibi, tum illi consentiunt. In quod Authoris responsum Blacuellus facile agnouit exceptionum æquitatem earum, quæ & iampridem sunt allatæ, & dehinc fortasse afferri possint.

97. Desiderat enim Comes Honoratissimus, Romano Pontifici iuris & potestatis suæ limites, solenni Ecclesiæ decreto, liquido definiri. Author ille contra minus solido responso, partes affirmat (quarum altera directum Pontifici ius in temporalibus asserit, altera indirectum) in ipso quidem iure consentire, verum, de modo ambigere, per quem sit à Christo delegatum. Ad hæc (inquit Blacuellus) non satis repræstant quod fronte pollicentur, Comitis desiderium: cum quod inter vtramque præ se ferunt conuenisse Pontificis dominium, de eo palam sit, nihil dum certi esse constitutum. Directe inesse Pontifici, C. Bellarminus quiq; ab eo stant, confidenter abnuunt, & prorsus vel indirecte accedere in ordine ad spiritualia, vel prorsus dicunt esse. Pugnat æmula sententia, & quidem fiducia pari, vel directum habere, vel omni carere Pontificem in temporalibus potestate. De hoc ergo iure, quia fide asseueratur vtrinque conuenisse, cum partium assertores pugnacissime tueantur, vel penitus abesse, vel, vt his placet, directum esse, vel aliis, indirectum; huius vero loci responsum plenius e præcedentibus * articulis dicit esse repetendum.

* *Sess. 61. 68 69 76. 88 90. 91.*

98. Quemadmodum * superius obseruatum est, Hæreticorum loco Romano-Catholicis esse, quotquot (Euangelium cætera licet amplexi) Primatum Pontificium Reges deuitarentur simili

* *Sess. 42.*

simili modo constat, Tyrannorum in numero censeri Principes omnes, etsi sint alioqui innocentissimi, etsi legum suarum modum habeant vitæ legem, etsi non aliis in sontes pœnis sæuiant, quam quas communis sanxerit Regni consensus: si qui modo, ad superstitionis Pontificiæ luxuriem coercendam, legum in eam latarum seueritati, pro temporum ratione, eandem permittant. Qui in genere nulla est insignior vehementia, quam eorum, qui hinc nati, atq; educati, è nobis exierunt, quorum inprimis existunt Stapletonus & G. Reginaldus, si iis saltem authoribus debentur illi libri, *De iusta abdicatione Henrici tertii*, & *De iusta Reip. Christianæ in Reges impios & hæreticos authoritate*. Eorum communis est hæc assertio: *Omnem hodie potestatem, quæ religioni* (Romanæ sc.) *aduersatur, esse tyrannidem: eosq; maxime tyrannos esse, qui Regia potentia, ad fidem hæreticam* (quam illi appellant) *subditis suis imponendam vtuntur*: eiusq; exempli Tyrannos eorum * alter appellat, Henricum 8. Edwardum 6. & Elizabetham. Ex quo fonte hi manant riui li (idq; non ea horum modo sententia, sed ex aliorum porro, è secta Pontificia, frequentium) posse huius notæ Reges omnes licite sceptro priuari, prostare eos (si res ferat) ad cædem, etiam subditis suis, & vero ea subditis suis priuato cuilibet, si potestas erit, postquã decreto Pontificis, vel (vt alii docent) populi edicto Tyranni sint renuntiati. Quibus rebus efficitur, vt Romanam tyrannidem, cæteramq; latius Pontificiæ corruptelã exosi Principes, à Pontifice, eiusq; sacrificulis indignissime habeantur, nec vlla re magis, quam concitatis ad perduellionem eorum subditis, idq; sub specie religionis, qua nullum firmius esse debet fidei & obedientiæ vinculum. Ad Regis autem salutẽ quid interest, vtro siue tyrannidis, siue hæresis nomine, Regni sui iure (quæ est scholę Pontificiæ disciplina) dicatur excedere: cum tam in hoc, quã in illo casu subditos habeat in perfidiam solutos, vt licite queant arma in Maiestatem suam ferre, & sacratã eius personam per vim appetere. Quamobrem Blacuello dictum est incumbere, (qui subditi fidem & constantiam tam sancte polliceretur) vt ab istorum dogmatum cõtagione, quibus nihil esset Regum Maiestati funestius, iudicium suum vindicaret. Cui loco respondet Blacuellus in hunc modum.

De iusta abdicatione, pag. 1.
Rossæus de iusta Rep. Christi & pag. 106.
* *Rossæus. pag. 158.*

99 Si verum est (quod quidem longe habet verissimum) nulla posse Pontificis sententia, vel Regibus imperii potestatem, vel subditis obedientiæ iugum, hæresis causa, excuti (quod ab ipso superius est copiose demõstratum) multo (inquit) magis sequetur esse verum, nec vllo posse decreto Pontificem ita Reges in Tyrannos redigere, vt vel iis Regni ius imminuat, vel bellum in eos mouendi, aut vim inferendi, illorum subditis immunitatem præstet.

100. Scire se, de *Tyrannis* quæ sint multorum sententiæ, quarum (inquit) mentio non erit præsentis instituti. Se tamen, quicquid alii senserint, in hac esse opinione: Regem neminem, qui ex legum constitutarum arbitrio rem administrat publicam, qui populum non oppressionis, non rapinæ, non sæuitiæ vllo genere, non noui exempli oneribus imperatis, non aliqua iniusta ratione affligit, sed legibus suis exequendis (quod exigit Iustitiæ ratio) nonnunquam dat locum & antiquis tantum vtitur sceptri sui iuribus, vere posse in Tyrannorum numerum referri, tametsi earum legum nonnullæ in Catholicos grauius statuant, & quam ipse colit, religioni promouendæ seruiant: cum in Imperatoribus reperti sint, qui Christiani nominis hostes fuerint capitales, iidem in Reipub gerendæ, imperiique sui propagandi, cum summo populi in rebus ciuilibus beneficio, authores egregii.

101. Præterea fieri non posse, nec tyrannidis vel maxime causa prætexta, vt fas sit, Regum cuilibet, qui sanguinis iure in regni hæreditatem succedit, vel sceptrum adimi, vel vim à suis fieri, siue id aperta fiat acie, siue insidiis clandestinis, perfidisq; eorum, seu frequentium, seu paucorũ, vel vnius tantum consiliis. Se denique (quod ad hunc locum spectat, de Regibus in Tyrannorum classe censendis, tractandisque, vt supra) *Blacuodæo* prorsus assentiri, qui in huius argumenti diuersa Buchanani placita, totidem seditionis stimulos, inuectus, insequentes hasce assertiones solidis rationum firmamentis probat.

102. a Regiæ potestatis particulam vllam, citra Maiestatis crimen, neminem sibi posse, nisi è Rege mandatam, arrogare: eaq; adeo delegata, ita quemque vti oportere, quemadmodũ & quatenus à Rege vltro sit permissum. Reges nostros nihil acceptum populo ferre, sed Deo, à quo potestas omnis & imperio, eique soli deberi rationem reddere sui muneris & officii, vt qui Regna iure hæreditario obtineant ita vt statim priore defuncto, hæres succedat proximus: cum nulla inaugurationis, aut alterius ceremoniæ accessione, ad eius ius quicquam addatur. Iuramentum illud, quo se inaugurati obstringunt, *non populo sed Deo præstitum*, nullo modo eorum ius ex sanguine quæsitum vitiare.

a Blacuodæi Apol. pro Regibus. pag. 56. pag. 106. pag. 178. pag. 121. pag. 124. pag. 212. &c.

103. Cum Ordinum conuentus (ex Clero vtiq; Proceribusque, & plebe conflatus) Regis iussu citra læsæ Maiestatis notam (ex vetustis Regni legibus) agi non liceat: eorumque consilia ita demum rata sint, si Principis opinione laudantur: neque à Rege dimissos, fas sit deinceps conuenire: perspicuum esse, nullam iis potestatem esse, aut Regem habendi pro tyranno, aut loco mouendi: multo etiam minus licere priuatis hominibus, natiuis suis subditis, sub quolibet prætextu, aut causæ simulatione in eum arma sumere. In trium Ordinum Comitia, qui Reginam Scotorum imperio priuarunt, via alios, *quam tres latrones, tres patriæ proditores, tres impios parricidas cum suis affeclis, interfuisse, monstri triformis quam simillimos, leonino capite ignem vomente, caprino ventre, & cauda draconem referente*.

pag. 227.
pag. 215.

104. His ex eodem Blacuodæo adiungit, quod in huius Quæstionis vestibulo aliis verbis à se

tradi-

Pag. 242. traditum. Theologica esse quoat istius loci conclusio: *Quotquot (inquit) instituto Christi vixerunt,*
nunquam ne tyrannorum quidem refugerunt imperia, nedum in armata vi restiterunt: in eo principem suum
sequuti, qui quanquam multis Angelorum legionibus, populi, Pontificum, & Pilati præsidis obsistere potuisset
iniuriis, se ipse neci obtulit, vt morte firmaret, quod in vita docuerat clementer & placide ferendam, non repel-
Pag. 242. *lendam esse iniuriam.* Rursus. *Paulus, simulatque Christianæ militiæ nomen dedit, seditioso & sanguinario*
spiritu in pacis & quietis studium mutato, Agrippam, Felicem, & Lysiam Proconsules Romanos, quanquam
impios & Christo rebelles, officii ratione veneratus est, vt doctrinam suam exemplo vitæ sanciret. Plura affer-
re possit similis argumenti, vt (quod omni ratione contendit) ab eorum commentis, quos ista
a Ambros. Catharin. in 13. ad Roman. notat obiectio, iudicii sui integritatem doceat: verum solam a Catharini mentionem, in 13. ad Ro-
manos, superioribus adiunctam, huic rei satis sperat futuram.

Sect. 63. 105. Animaduersum est, Blacuellum, cum de indirecto Pontificis in rebus ciuilibus domi-
nio paulo ante sermo esset, *indirecti* voce vtentem, alia admiscere eiusdem potestatis vocabula, *per*
accidens scilicet, & *per quandam consequentiam*: *casualiter* autem ne adderet, recusare: simul obiecti in-
sinuasse, nullam Pontifici intrinsecam esse *directe, vel indirecte in ordine ad spiritualia, per accidens, aut*
per modum consequentiæ, in temporalibus potestatem; si quam vero habeat, eam *casualiter* tantum ob-
tinere. Cui voci quod is possit subesse sensus, vt quæ, in officii sui & fidelis in Regem obsequii præ-
dicationem hactenus sit professus, omnia in nihilum exeant, placuit, ab eo requiri vehementius,
vt quid istic lateret arcani, syncere & cum fide expromeret. Latronum nulla est domos compi-
landi, nulla grassandi in viatores potestas ordinaria: sæpius tamen fert *casus*, vt vtrumque possint,
cum vel ædes non adeo munitas, vel si quos parum comitatos in via oppresserint. Simili argutia
obiectum est, posse Blacuellum in hac Pontificis causa elabi, vt tum eum statuat, Reges sedibus
suis amouendi, iisque accipiendi modis, de quibus cauet Fidelitatis iuramentum, legitimam po-
testatem habere, quoties opportunitas *casu* orietur, vt suffultus alienis viribus, vel occultis ministro-
rum suorum technis, vbi Reges maxime possit oscitantes & imparatos ad resistendum opprime-
re, eorum perniciem queant machinari. Quod quid aliud est, quam si Papam dixerint in Machia-
uelli ludo doctum ad malitiam esse, qui nunc leonina, interdum vulpina pelle indutus, in Regum
inimicorum exitium perennibus incumbat insidiis, eosdem prædæ loco deuoraturus, sicubi a-
ptam perficiendis eius consiliis facultatem *casus* attulerit.

106. Blacuellus: absit (inquit) absit, vt mens mea vel cogitationis in Maiestatem suam tam
impiæ sit vnquam conscia, vel ex eius verbi latebra istiusmodi subterfugium sibi captet. Sed nec
ea erunt Pontificis (spero) consilia (quod hoc loco præterire non debui) vt Leonis vel vulpis
reprehensionem, a Maiestatis suæ subditis mereantur. Cæterum ad *Casualis* illius vim exprimen-
dam reuocatus, postquam varias eo appetentes circumstantias, quas sequentia indicant respon-
sa, multo sermone disceptasset, tandem sic instituit.

107. Authoribus variam esse eius dicti notionem, eamque inter cæteras, quæ nec iniuria istã
obiectionem pariat. Directum in temporalibus qui Pontifici dominium tribuunt, id eius perso-
næ (cum sit Christi vicarius) non minus quam ipsum in spiritualibus Primatum, re atque actu vo-
lunt inhærere: quanquam eius vsum excipiunt, extra Petri patrimonium, non esse nisi *casualem*.
Qui contra, directam Pontifici in temporalibus authoritatem, abnuentes, indirectum in ordine
ad spiritualia tantum assentiuntur: ii, vt præter *indirecte, per accidens & per modum consequentiæ*, aliis
etiam vocabulis eandem rem exprimunt, vt Pontificem dicant *incidenter, secundum quid, secunda-*
rio, per consequutionem, & accessorie eius dominii esse compotem: ita cum extra Ecclesiæ patrimo-
nium eiusdem vsum contigerit proferri, id *casu* fieri similiter distinguunt. Hæc res tota ex Celso
Mancino, illius sententiæ assertore, qui inhærentem Papæ astruit in temporalibus authoritatem
patebit manifestius, cuius hanc Blacuellus agnoscit esse sententiam.

b Celsus Mancinus de iuribus Principum. lib. 3. c. 6. pag. 94. 108. b *Iurisdictio Papæ* (inquit) *accipi potest, vel potestate vel actu: & actu adhuc dupliciter vel or-*
dinarie vel casualiter. Si Papæ authoritas & iurisdictio accipiatur potestate, totum complectitur orbem; si
accipiatur actu, non ordinarie sed casualiter, cum duntaxat in orbe Christiano habet vsum, tanta erit dicen-
da, quantus est orbis Christianus, ordinarie vero tanta est, quantum est Beati Petri patrimonium. Rursus, vbi
c Idem ibid. pag. 89. de ampla hac & Regia potestate agit, quam Papæ insitam esse volunt, eam dicit c *in primis nascentis*
Ecclesiæ Pontificibus latuisse, quoad vinea Domini altius egisset radices, sponsaque Domini, cuius mammæ nõ erant,
adoleuisset. eamque interim potestatem, per trecentos & quinquaginta annos, in martyrio & sanguine tacuisse,
quoad Ecclesiæ fundamenta iacta essent erectique parietes, tum demum in Beato Sylvestro, eiusque successori-
bus enituisse. Simul vero addit; *actualis illius & casualis authoritatis ac iurisdictionis vsum in Pontifice an-*
d Idem ibidem. *gustum esse* d *Si enim* (inquit) *rerum cœlestium curam consideremus, Pontifex cœlestibus occupatus, terrenis*
e Idem pag. 98. *vix potest esse intentus: in Regibus & Imperatoribus vsus huius potestatis magis est latus: quoniam illorum fi-*
nes non sunt cœlestes, sed terrena. e *Illorum tamen gladii ad Pontificis nutum sunt euaginandi, quia est*
dominus totius orbis Christiani, cuius iurisdictioni cætera subiiciuntur, & ad illam, tanquam ad primarium re-
f ibidem. *feruntur.* Atque alio quodam in loco: f *Cum particularis & vniuersalis iustitiæ conseruatio ad Papam spe-*
g Idem pag. 100. & 101. *ctet pertineat, quandoquidem rebus terrenis non potest attendere, ne minoribus intentus cœlestia relinquat g rade-*
sequutus est consilium de Imperatoribus, Regibus, & Principibus sibi in subsidium asciscendis, quod Iethro Mo-
sen docuit: quo Moses vsus, Iudices constituit ad temporalia tractanda, vt ipse liberius spiritualibus vaca-
ret: ita tamen vt eorum errores corrigendi & excessus diiudicandi, si quando causa postularet, potestatem
h Idem pag. 98. *sibi retineret.* h *Licet enim liberi sint in propriis ditionibus Principes, & libere possint exercere propriam*
authori-

authoritatem, habent tamen (inquit) *certos terminos & limites, quos non licet transilire. Qui si metrum excesserint, & lineam transilierint, tum vicarii Christi partes sunt, in quo est apex vtriusque authoritatis, causas cognoscere, & remedium adhibere.* a *In negotiis itaque difficilioribus & summi ponderis appellatur à Regibus ad Papam, vbi vi ius nostrum pessundari videmus; tunc enim ad supremum iudicem confugiendum est, cuius officium est eiusmodi causas iudicare.* a Idem pag. 110.

109. Exposita in hunc modum eorum summa, quæ à Mancino copiose, adhibitaque scriptorum, de intrinseco Pontificis dominio, consentientium authoritate, varie disputantur: facile (inquit) eius elucebit & cæterorum opinio, quem fortuitum & *casualem* statuant directe istius in temporalibus per terrarum orbem, potestatis vsum. Quam eorum sententiam fatetur esse huiusmodi. Imperatores, Regesque in genere omnes, eo Pontifici loco esse (vt cuius beneficio imperii fasces debeant) quo Mosi Iudices, cæterique Magistratus essent, eius beneficiarii. Si quo ergo *casu* acciderit, consultum videri Pontifici, vt Regem quemlibet imperio, subditos fide abdicet, vt armis eum opprimendi (quippe qui iam abdicatus, Regni ius amiserit) licentiam illis permittat, imo vim Anathematis adhibeat: vel si quem præterea Regum videbitur ex subditorum prouocationibus, ad se, tanquam supremum Iudicem, iniustitiæ delatum, aliquo castigationis genere admonere officii sui, isque nihilo secius persistat in iniuria: tum vero non minus in eiusmodi Reges & Principes ius esse Pontifici, quæ visa sunt, statuere, quam Mosi in suos Iudices, quos Reipublicæ administrandæ causa, adiutores sibi summiserat. Quod si Reges Pontificis sententia in hunc modum abdicati, proiectis fascibus & deposito imperio, Regni procuratione minime abeant: si illorum subditi (quicquid Papa præceperit) armis tamen abstineant, sanctam eorum habeant obedientiam, retineantque pristinam obseruantiæ & officii religionem: vel si alterum illud genus, à quibus ad Pontificem prouocatum erit, spreto Papæ imperio, adeo non abscedant ab iniuria, vt illorum contumacia victus Pontifex, ad hæc vltima in eos consilia necesse habeat descendere: in hisce & huiusmodi casibus (ex Mancini, & aliorum sententia) b *Papa cum sit summus Pontifex & Christi vicarius, regiaque fulgeat dignitate, certe poterit pro arbitratu suo, mouere arma, bellum indicere, populumq; ad prælia euocare.* Quin & generatim illis receptum est, Cæsaris, omniumque, qui Christum profitentur, Regum ac Principum in officio esse, nutu & arbitrio Pontificis, gladios suos distringere; viribusque & copiis omnibus eniti, vt ad effrænatos hosce Reges opprimendos, & transferenda eorum Regna, cuncta Pontificis imperata fiant. b Mancin. lib. 2. pag. 92.

110. Interrogatum hic est: quid demum inter horum sententiam interesset, qui Principes sectandi authoritatem Pontifici arrogant ex directo in temporalibus dominio, sed *casuali* (in casibus nimirum prædictis) acquisitam: & eorum, qui vt ordinariam illi negent, concedunt tamen (quod sæpius dictum est) indirectam Reges deponendi, & Regna transferendi potestatē, quam *in ordine ad spiritualia, per accidens per quandam consequentiam, incidenter, secundum quid, secundario, per consecutionem, accessorie, & casualiter* (id est in casib. supra memoratis) vario nomine, distinguunt. Respondit Blacuellus, quoad vtriusq; partis opinionē, de *casuali* Pontificis iure ad Principum contumaciam (prout dictum sit) vindicandam, nihil eos plane differre, nisi quod his placeat, illud Pontifici, vt Christi vicario, inhærere, quod reliqui negant: ita tamen, vt quamuis non insitam, at indirectam, & per modum consequentiæ, hanc eandem Papæ authoritatē assentiantur. Eiusq; indirectæ potestatis rationē reddunt, quod Reges & Principes omnes, qui per Baptismū Christo nomen dederint, implicita dicant sponsione recipere; se Ecclesiæ causam suscepturos, obtemperaturos Pontificis authoritati, eiusq; nutu omnem Catholicæ religionis hostibus opprimendis operam daturos. Adeo vt Bellarminus ipse, quo capite Pontificis disputat authoritatē, quam in temporalibus *casu* & incidenter exercet, etsi Papam fateatur, *non posse, vt Papam, ordinaria potestate, Reges etiam iusta de causa deponere*, subiungat tamen, *posse eum regna mutare, & ab aliis in alios transferre, non qua Princeps sit Ecclesiæ politicus, sed qua summus Princeps spiritualis*, si quem forte Principum comperiet religionis obstare progressibus, & perniciosa animarum saluti consilia ineuntem, non alia ratione ad sanitatem iri reuocatum.

111. Hæc Blacuelli declaratio, ex luculentioribus, quam vt dissimulari possent, authorum locis collecta, ansam præbuit percontandi, quā ea vim haberent, quidue de eisdē iudicii esset sui. Respondit Blacuellus, se, quod in eam partem satis iudicaret, non semel testatum esse: Nullā ex iure diuino Pontifici datam, siue inhærentem, siue incidentem, directā, aut indirectam, spiritualem, temporalē, mixtam, vel cuiusvis tituli potestatē, vt hæresis, apostasiæ, vel cuiuscunq; rei causa, Principibus imperium suum, aut subditis obsequium licite possit intercipere, eosdem ad seditionē animo paratos authoritate sua armare, inuitos Anathematis pœna cogere, si qui hæc perfida, seditiosa, & proditoria exosi consilia, in fide & obsequio nihilo persistant tardius, quicquid contra Pontifex contenderit, pristinos hosce eorum Reges, ipsius iam sententia imperio abire iussus, non esse amplius Regum loco, aut quibuscunq; illecebrarum vel argumentorum machinis eorundem possit fidem & constantiam experiri. Quinetiam merū sibi videri, & præter Scripturæ Canonem, commentum esse eorum, qui cuiuslibet iurisdictionis siue potentialis, siue actualis, ordinariæ, vel fortuitæ prætextu, hasce rationes affirmat in Principes, aut eorum subditos Pontifici licere: qui Regum, & Monarcharum sceptra Pontifici referunt accepta: qui non alio eos numero statuunt esse Pontifici, quā quo Mosi, fiduciarios illos Magistratus, qui eius auspiciis

EEE ius

ius Israelitis dicebant: qui denique vlla causæ aut temporis conditione, Pontifici, *vt Christi vicario*, & Petri successori, ius in Principes pollicentur, nisi quod ex eorũ salute sit, & Catholicæ fidei propagatione: idq; non nisi præmissa admonitionis, suasionis, & salutaris consilii medicina: quo genere si minus profecerit, tum vt ad extremum confugiat spiritualis gladii Clauiumque, nec vltra remedium: neque id quidem temere, nisi cum eam rationem perspectam habuerit, vere & re ipsa saluti, non exitio futuram: neque verti Catholicis posse in capitum vel fortunarum iacturam aut discrimen. Hunc modum quæ excesserint Pontificis, vt supremi Pastoris, in Reges & Principes facta, ea se dicit omnia & improbare iudicio suo, & intimo animi voto deprecari.

112. Agnouerat paulo ante Blacuellus, esse vbi Pontifici *casualiter* obueniat, temporalis, vel Petri extra patrimonium (etsi non intrinseca) iurisdictio. Eius dicti admonitus, & quid hinc vellet, interrogatus, respondet, hanc sibi eius loci sententiam esse: Nimium inter Reges, principesque Maiestatis personas, si quas acciderit lites & querelas nasci, quarũ desperata inter ipsos gratia, vtrinque placeat, vt summus Pontifex, cui in rebus Ecclesiæ parent, de eisdem arbitretur: posse hoc in casu Pontificem, pacis & amicitiæ conciliandæ causa, istiusmodi controuersias, etsi alioqui fori mere ciuilis, vt arbitrum honorarium iudicare. Cui etiã potestati locum esse, sic ut Regi, Principi, & sublimiori personæ animus erit, vt in difficili aliquo negotio firmiorem consiliis suis viam muniat, Pontificis in eo ambire suffragium. Vt exemplo res pateat: *a* Rex quidam Francorũ, cum soluto priore coniugio, ex secundo thalamo liberos suscepisset, metueretq; ne filio suo ea res à Regni hæreditate obesset: egit cũ Pontifice diligenter, vti liberos suos iuberet esse legitimos. Assensus Papa, rem confecit: cum tamen Regni ius proprie in forum Pontificis non cadat, sed iure fortuito, vt in hac Regis causa, qui quod solus poterat (nec requisita Pontificis ope) transegisse, maluit tamen ad Pontificem referre: quoniam accedente Romanæ Sedis authoritate, quod communi sententia constituerant, plus videretur ponderis in vulgus habiturum.

a Decretal. lib. 4. tit. 17. Qui filii sint legitimi.

113. Clarius hunc locum illustrant, in Nobilis cuiusdam Montepessulani consimili negotio, verba Innocentii. Is cum pari modo abdicata cõiuge, liberos ex noua copula procreasset, *b* Francorum Regis exemplo, ne filiis suis (quo minus sibi succederent) *natalium exceptio noceret*, à Pontifice contendit, vt eosdem legitimo thoro natos pronuntiaret. Innocentius rem omnino repulit, eiusque facti, inter cæteras has affert rationes. Regem in caussis ciuilibus, nullius in se dominium agnoscere: hunc ditioni subditum alienæ: Posse Regem, sine cuiusquam iniuria, Pontificis arbitrio se subiicere: hunc nobilem non perinde. In Regis causa, ratum fieret, quod decreuisset Pontifex, nullius assensum requiri: huic frustra futurum, si illius sobolem legitimam Papa scripsisset, nisi & Regis aut domini, in cuius esset clientela, consensus accederet. Penes Regem esse, in Pontificis iurisdictionem hac in causa se tradere: penes hunc, non item. Denique esse sententias, quæ Regem arbitrarentur, iure proprio, etiam non adito Pontifice, sobolem suam posse iustam & legitimam appellasse. In Regis ergo & Montepessulani negotio, quid simile? Sed operæpretium (inquit) erit audire ipsum Innocentium. *c Insup. r cum Rex superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine iuris alterius læsione, in eo se iurisdictioni nostræ subiicere potuit, in quo videretur aliquibus, quod per seipsum (non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis) potuit dispensare: tu autem nosceris aliis subiacere, vnde sine ipsorum forsan iniuria, nisi præstarent nobis assensum, in hoc subdere te non posses.* Atque hanc demum statuit Blacuellus esse *fortuitam* illam potestatem, qua Pontifici ius sit, in alienis ditionibus, etiam extra Petri patrimonium, de rebus cognoscere mere ciuilibus, quæque ad ipsum, non vt Christi vicarium, sed vt arbitrum communi partium assensu constitutum pertineant.

b Ibidem & in Glossa.

c Ibid. Per venerabilem. Et citatur à Bellarmino de Rom. Pont. lib. 5. cap. 5.

114. Cæterum hic postulatum est, vt vlterius paulo sententiam suam patefaceret: num proinde Regum Christianorum subditis fas esse duceret, causas ciuiles, in quibus vel Regni publica, vel priuata Principis res ageretur, nõ exquisita Regis sententia, ad Pontificis arbitrium ausu priuato referre. Id enim nonnullis ita placere (vti partim ex Mancino fit ostensum,) vbi ciues legitimum iuris ordinem intercludi sibi sentiunt, vel eam rationem ex vsu Reipubl. maxime putant futuram. Varia huc afferri exempla: nec vllum insignius, quam quod olim in Regem suum Francos legimus statuisse. *Hildericum* Francorum Rex, cum Regni clauum iamdiu putaretur tractare omissum, *Pipinusque* Republica sub eo optime gesta, omnium in se studia conuertisset: factum est, vt Regni proceres, qui deposito Hilderico, Pipinum omnibus modis volebant suffectum, cum id intelligerent ad rationes suas (vt secunda tum populi, tum Cleri voluntate, quod cupiebant, efficerent) maxime pertinere, si Romanum Pontificem (cuius per id tempus occidentem impleuerat authoritas) facti haberent adiutorem, *d* ad Zachariam Papam legatos mitterent, consultum, vter Regni fastigio videretur dignior, *qui torperet otio, an qui dudi actum sustineret.* Respondit Papa, hunc sibi videri Regno potiorem. Quo facto, Nobilitas omnis, submoto Hilderico, communibus votis Pipinum Regem salutarunt.

d Ioh. Molor dist. 24. quæst. 4. apud Gratianum.

115. Cum itaque ex hoc Francorum exemplo, fortuita Pontificum in rebus ciuilibus iurisdictio, pristinisque abdicatis, Regum nouorum substitutio vulgo astruatur: ex adeo si Blacuelli mens sit, Pontificem istiusmodi fretum ab altera partium factis, altera non iubente, causarũ compromissionibus; (neq; enim credibile esse Hildericum ius suum Pontificis arbitrio permisisse, sibi-ne an subditorum vni mallet Regni sui fasces tradi) *casualiter* posse, negotiis ciuilibus, vt arbitrum, se immiscere, dictum est hanc eius sententiam, de *casuali* Pontificis in temporalib. imperio,

quæ supra professus sit omnia non labefactatum modo, sed & prorsus euersum ire. Restare ergo, vt huic ambiguitati expediendæ det operam.

116. Blacuellus hunc scrupulum ait (si aperte à se tradita Innocentii ad Nobilem illum Mōtepessulanum responsio attendatur) plane esse superuacaneum. Insolentem enim & noui generis esse istam alterius partis, altera nō vocata, eorum controuersiarum compromissionē. Quamobrem magis statuit Pontifici ius esse, in ciuiles Principum causas (si quæ hoc exemplo ad ipsum deferantur) eorum iniussu, arbitrum se & disceptatorem interponere, quam Nobilis illius prolem legitimam renuntiasse; quod sui iuris esse, Innocentium paulo ante audiuimus inficiari. De illo autem Hilderici abdicati exemplo, Iohannis de Parisiis, Iohannis Maioris, Iacobi Almain, & Adami Blacuodæi, aliorumque complurium iudicium & authoritatem sequitur, qui factum illud arguunt a *iniustum esse; Pontificem iniuria consensisse, minime ignarum, rem esse exemplo perniciosam populi frena laxare, vt alienæ gentis hominem, cum legitimi Principis iniuria, sibi præficeret: factum illud vnicum esse, nec debere propterea vim legis obtinere: vitam ex præceptis instituendam, non exemplis; neque eam quid fiat, quam quid iure fiat, spectandum.*

a Blacuodæi Apolog pag 201. & 202.

117. b Galliæ Proceres ad Pontificem rem retulisse, quod Academiæ Parisiensis nondū florebat authoritas, cuius alioqui indicio contentos (id enim videtur dicere) non abituros longius. Deinde, quod Zacharias Hildericum proditur regno abdicasse, id hanc vim habere, *fuisse eum causam fortasse motiuam, cur eum Galliæ nobilitas abdicaret. Porro ex factis singularibus, quæ ex deuotione ad Ecclesiam, & non ex debito iuris fiunt, non esse trahendum aliquid in consequentiam*, quemadmodum nec ea compluribus aliis, vt vbi Imperatores crearūt Pontifices Maximos, aut eosdem similiter abdicarunt: vel quod multi Episcopi (vt ex Ecclesiæ Commentariis constat) apud Constantinum Magnum suas querelas deposuerint, à quibus tamen nullum sumi possit argumentum.

b Io Maior. in lib 4. sen ten dist 24. quæ 3 apud Gersonem.

118. c Canonem *Alius*, dist. 15. q. 6. vbi dicitur Zacharias Papa deposuisse Regem Francorum, & instituisse Pipinum patrem Caroli, sic esse intelligendum: *Zacharias deposuit Regem, id est, deponentibus consensit.* Deinde, per id tempus nondum extitisse Academiam Parisiensem, quæ Caroli Magni temporibus post esset fundata: vnde effectum sit, vt propter hominum doctorū in Franciа paucitatem, ad Papam recurreretur. Hac itaque ratione *deposuisse, id est, consensisse, vt ii possent deponere*, authoritatiue vero nequaquam.

c Iacob. Almain de potestate Eccl. & Laica. q. 2. ca 8 Magna glossa, Can Alius, dist. 15. q. 6.

119. Zachariam Papam nusquam legi deposuisse Regem Franciæ, nisi sic exponatur: *deposuit, id est, deponentibus consensit: nec vero oportere ex singularibus istiusmodi factis, quæ interdum ex deuotione ad Ecclesiam, vel personam, vel ex gratia, aut alia causa, & non ex debito iuris fiunt, argumenta sumi*: cum legatur in iisdem historiis, Bonifacium à Phoca Imperatore obtinuisse, vt Ecclesia Romana caput esset omnium Ecclesiarum, quod Constantinopolitana se primam scriberet: hinc itaque consimili ratione concludi posse, Imperatoriæ potestatis esse, Primatum Ecclesiæ transferre. Similiter cum Constantinus Imperator (vt apud Isidorum est) decreuerit, vt in quatuor præcipuæ dignitatis sedes, Antiochensem, Alexandrinam, Constantinopolitanam, & Hierosolymitanam Roma principatum obtineret: *num propterea* (inquit) *dicemus, Ecclesiam Romanam ab Imperatoribus habere Primatum Ecclesiarum, earumque dispositionem? Absit.* Hisce rebus expositis, Blacuellus concludit, istam Hilderici Regis abdicationem sententiæ suæ nequaquam obstare, quin Papa liceat, etiam in causis temporalibus, fortuita iurisdictione vti, si quæ ad ipsius arbitrium legitimo more (vt * supra) fuerint compromissæ.

d Iohan. de Paris de potestate Regia & Papali c. 15.

* Sect. 113.

120. Reuocata hic est Blacuelli vox quædam, ea Sect. 113. vbi dum Pontifici negat, *vt Christi vicario*, aliam in temporalibus, quam quæ modo audita sit, casualiter esse potestatem, id visus sit tectius dicere, esse tamen, vbi istæ Pontificum in Principes, eorumque subditos aliquoties commemoratæ actiones, iustæ possint, & legitimæ reddi. Eamq; hinc augeri coniecturā, quod Mancini * locum quendam, qui Romano Pontifici, ad arma mouenda, & indicendum bellum, ius & authoritatem assereret, sine responso tacitum præteriisset.

* Sect. 109.

121. Cui vt satis dubitationi fiat, respondet Blacuellus, non minus sibi iustam videri Pontificum, quam Regum vel Rerumpubl. intra ditionum suarum fines, quas, vt politici Principes, obtinent, belli suscipiendi potestatem vt necessario impulsi, subditos suos, vel rebelles & immorigeros cogant in ordinem, vel exterorum Principum iniuriis oppressos, tegant ac conseruent. Quā quidem sententiam, eamq; in genere omnium, quam continent antegressa ipsius responsa, quibus nullam prorsus agnoscit conditionem potestatis Pontificiæ (siue ordinariæ, qua sit Papa, siue ad spiritualia ordinatæ, qua summus Princeps spiritualis) cuius præsidio Regibus queat sua sceptra abiudicare, subditis fidelitatis votum remittere, præclare confirmat e Iacobi Gretzeri (si recte eam interpretatur) illa sententia: *Cogit Pontifex Romanus pœnis externis spiritualib. vt excommunicatione: item pœnis exterius temporalibus & corporalibus, qua & ipse est Princeps politicus, & qua Principum politicorū opem implorare potest, vt hæreticorum petulantiam & licentiā pœnis temporalib. compescant.*

e Gretzerus defens. controuer Bellar colum. 1404.

122. Sed & Cardinalis Alani responsum existimat ad facti Pontificii reprehensores, quod annum circiter 1580. militum ex guam manum in Hiberniam ad Comitem Desmondium subsidio misisset, eius consilii rationem politice consideratam, probasse, his fere verbis: f *Ecclesia Christi Pontifices, supremi in terra Pastores nostri, diuina quadam prouidentia, primorumque Regum & Imperatorum Christianorum donatione, ac populi deinceps fidelis Principumque zelo, ac pietate, temporales suas ditiones & patrimonia iustissime possident: earumque vi legitimi fiunt Principes politici & supremi Princi-*

f Cardinalis Alanus contra iustitiā Britani Latin versio. fo. 36

patus iure, iustisque tum suis, tum aliorum in causis (prout requirent tempora) bellum mouere possunt.

123. Ex pluribus hic proxime traditis factum est, vt à Blacuello requireretur, primò, num Pontificem iudicaret legitime posse Regibus, qui Catholici vsurpantur, aduersus finitimos Principes, quos in hæreticis habeat, pro ipsius iure & arbitrio, arma indicere, *vt pœnis corporalibus coerceat*. Absonũ enim videri posse, si quis Petro somniet, id negotii à Christo datum, vt in religionis gratiam Reges inuicẽ bello committeret: Nonnullam forsan præferre æquitatis speciem, si Principes Pontifices Primatũ aliasq; Papismi corruptelas auersati, in Regum aliorũ fines copias suas ideo transmittant, vt exacto Pontificis dominatu, reformatæ religionis cultũ eodem inuehant: hoc in casu Pontifici vt liceat, Reges accolas infestis eorum conatib. armatos opponere. Qui vero, non nisi de publico Ordinum tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum consilio, quæ ex re cõmuni visa erunt, intra ditiones suas constituunt, eoq; contenti non quærunt amplius: in illos vt fas sit Pontifici, aut cuiuis personæ Ecclesiasticæ bellum ciere, eosq; domi suæ inuadeodi causa, Reges propinquos immittere: eam equidem opinionem haud vlla vel Euangelii authoritate cõfidere, vel temporum eorum exemplo, quæ per complures Ecclesiæ ætates optima & purissima manarunt: sed & pristinam Blacuelli sententiam plane eludere. Si enim Regnis & Imperiis nec *in fide* nec *in gratia* consistat fundamentum: dici qui poterit, eãrum oppugnatione statum Regnorum concuti? Equidem: quotquot in negotiis spiritualibus Pontificis iurisdictioni Principes se mancipaurunt: ii videri fortasse poterunt, illius in hoc genere mandatis & imperiis quibuscunq; obnoxii. Æquum vero vt sit & iustum Pontificis imperium, Reges pro libidine in aciem prouocare, vt Martis aleæ Regnã sua subiiciant, ac Christiani populi, siue sui, siue alieni sanguinem prodigant, non minus barbarum esse, quam impium opinionis commentum.

124. Respondit Blacuellus, se ad singula sic statuere: Christiani cuiusq; Principis officium esse, Catholicæ fidei propagandæ, & ab oppressorũ iniuriis (nec expectato Pontificis iussu) vindicandæ, omnib. rebus inseruire. Huius tamen officii modum propriis cuiusq; finibus terminari, vt in iis tantum religionẽ (vbi vsus erit) tueantur: nec idem eos impetus armatos abripiat in aliorum Regna, qui suis se finibus continentes, non vltra student propinquas Ecclesias, à suis sacris armis deterritas, ad ipsorũ confessionem subigere. Quin Regum Catholicorũ esse, alienos à Pontifice Principes, suasu, consilio, omnibusq; piis artibus tentare, vt ad Pontificii imperii beneuolentiã traducant. Rem vero ad arma deducere, peruertere ad belli intestini, aut defectionis perfidiam subditorum animos, in Principum illorum fortunas incendium excitare, eorumq; aut capiti aut Coronæ conflare periculum, id vero Blacuellus nefarium esse iudicat. Sed nec se ait perspicere, qui insitam in temporalibus authoritatem, extra Petri patrimonium, Romano Pontifici minime assentiatur: qui fasces Regios Pontificiæ Sedi neget deberi: quo iure (nisi precario dixerint) id sibi prærogatiuæ (qua Princeps vel spiritualis vel politicus) Papa assumat, vt (extra casus modo exceptos) Regum enses in potestate habeat, pro suo nutu educendos, vel qua tandem Baptismatis sui lege teneantur Principes, Pontificis eo in genere imperatis obsequi.

125. Cæterum si vel maxime concedatur, quod scribit Alanus, (id est enim proxime Blacuello obiectum) non iustum Papæ factum illud, vt politici Principis, fuisse, de copiis in Hiberniam transmittendis, legitimam que esse Pontifici, arbitratu suo, belli Regibus inferendi potestatem: conuenire tamen, vt pro sua in Regiam Maiestatem obseruantia, diserte respondeat, num proinde, cum Principis Laici persona induta, Pontifici lubet prodire in aciem, eidem, eiusue emissariis censeat, è Scripturarum authoritate, licere; Regum aduersariorum subditos ita sollicitare: vt quod in Protestantibus (quam vim hodie obtinuit eius verbi consuetudo) nomen profiteantur suum, & excusso Papatu, in religionem transierint reformatam, adeoq; à crassis vindicatam superstitionis erroribus sint, eo nomine, vel destinato Bullæ vnius impetu perciti, vel implicitis aliarum Sanctionibus inuolui: vel porro quod traditam à Maioribus fidẽ studeant antiquare, proin subditi causas has sibi iustas intelligãt esse, & vero, si salui esse velint, necessarias, cur abiecta eorum obedientia, in partes migrent Pontificias. Id adeo si æquum ducat, num ergo Imperatori, aliisue Principibus (quorum Maiores Pontificatum prolixo & opimo beatũ patrimonio, ad ciuilis Principatus splendorem euexerint) postquam aduersus Pontificem belli consiliũ inierint, minus existimet, eodem exemplo, fas esse, illius subditos ad rebellionem, & suarum partium societatem, vt rem iustam & licitam, hoc suasionis genere inuitare, quod præter personæ, quam sustineat, dignitatem, præter superiorum Pontificum exempla, rem gerit Ecclesiasticam: sed nec Cæsarum, aut Regum antiquorum mentes vnquã subiisse, neq; vero eorum proauos, nobilissimos olim Romæ, atque Italiæ Heroas, orbis pene terrarum dominos voluisse, suo beneficio auctis Pontificibus vsq; eo animos attolli, vt qua consueuerant arrogantia, vel posterorum suorum ceruicibus insultarent, vel in ciuitatem illam superioribus seculis longe gloriosissimam, eiusque ciues, nunc suæ factos ditionis, tanto fastu dominarentur. In summa, si copias adiungant, spem facere, pristinæ amplitudinis, & libertatis recipiendæ.

126. Respondet Blacuellus, belli gerendi auspicia, & rationem omnem à Politicorum fontibus petendam esse: id vero certũ habere, non nisi iustissimas debere belli causas esse Pontificæ fatetur esse, qui, vt proscribendorum Regum, vel etiam Regni clauo, in fidei & rei Christianæ perniciem, abutentium, authoritatẽ omnem Pontifici derogant: tametsi concedant, posse eum hisce

a Iacob Almain de potest. Ecclesiastica & Laica, q. 1. c. 9.

mori-

moribus Principes solio indignos renuntiare, eiusque adeo arcere ab eorum obsequio, secus anathemate deuouendos, si qui in fide maneant: (quibus quid aliud restat, quam vt deserti à suorum officiis, Regni potestatem amittant?) Ita Imperatori licere sentiunt, edicere Romano Pontifici, a siquidem Petri claues mala fide, in Reipub. detrimentum administrat, vt sede abeat Pontificia, addictis in publicum (ni faxit) quos in eorum finibus agros habeat fiduciarios: quo Imperatoris edicto coactos ad extremum fore, quorum interest, supremi Pontificatus honore Papam exuere. Sed ista excusat non esse iudicii sui. Ad quæstionem vero propositam hanc reddit responsionem, ex penetissima conscientia (pro lectione & literatura sua) depromptam.

a Idem ibidem Quæst. 3. c. 8.

127. Sub neutra potestate, vel Pontificis in Cæsarem, vel Cæsaris in Pontificem, ius abdicationis esse. Quod si vel hinc Ecclesiæ, vel istinc Reip. status in morbo erit, licere innicem de medicina agere; ita tamen, ne ad vltima illa remedia decurratur. Porro quemadmodum haud vlla conditione fas est Pontifici (vt sit sæpius dictum) Regibus aut Monarchis, vel eisdem maxime Protestantib. aut fasces aut ciues abrogare, iisq; vt io Principes suos arma sumant, authoritatem polliceri, nedum vim adhibere mandatis similiter, nec cum adscita Principis terreni persona, sub suo aut alieno ductu aciem instruit, vt istiusmodi Reges (vel etiam religionis tuendæ consilio) in propriis finibus bello lacessant, eidem ius esse, illorum suadere subditis, vt suis Principibus rebelles facti, in ipsorum castra transeant. Quā si vel is, vel eius ministri rationem inierint, detrectantibus (vt fit) Diras interminati Pontificias: ciuium tamen esse, nihil ea denuntiatione deterritos, pristinam fidei & officii religionem (tanquam integra Pontificis gratia) retinere.

128. Detestari itaque (quod necesse habeat fateri) theses hasce insequentes, vt minime Orthodoxas, vt refragantes Scripturarum, & Patrum Catholicorū doctrinę, quàm nouitiis omnium placitis anteponendam censet, vel etiam eorum, quos excellens alioqui doctrinæ gloria ad principem in Ecclesia locum subuexerit.

129. b *Pium est & gloriosum eo modo, eoque tempore bellum gerere, quo ex conscientia & lege, iuxta sacerdotum, summique Pastoris sententiam iubemur.*

130. c *Si quando religionis causa bellum inciderit, Catholicorum omnium conscientiis incumbere, vt in eo se, suasque copias ex optimis cuiusque earumque rerum prudentissimi consilio applicet, Christique potissimum in terris vi atu, cuius suprema potestia & autho itate Christiani milites commodissime & instrui poterunt & animis confirmari, quousque, quoque tempore, & loco, seu domi, seu foris, in bellis, siue internis, siue extrinsecis, contra Ecclesiæ hostes, & perduelles, à suis Principe, & Domino suo possint, & vero debeant desciscere.*

b Card. Alanus contra insitiam Britannicam, ve. Lat fo 343.
c Eiusdē litera ad Stanleium Anglice pagin. 37.

131. Sed nec dissimulare posse, quam penitus auersetur argumenta omnia, quibus contendit libellus d quidam, editus sub annum 1588 vt defunctæ Reginæ subditos, quam anathemate ictam Pontificio, rerum summa argueret excidisse, ad partium Hispanorum studium auerteret. Pariqoe se loco habere, tum suasionum, tum decisionum genera omnia, quæ in eundem finem proximis hisce annis, dum Tironius in armis esset, siue Salamantica, siue aliunde edita sint in Hiberniam, cuius exempli sunt ista.

d Card. Alani Admonitio ad Nobilitatē Angliæ, edita Anglice, anno 1588.

132. e *Reginam Regno priuatam esse, subditosque omnes absolutos à iuramento Fidelitatis sua, per summum Pontificem, cui Regnans in Excelsis, Rex Regum, omnimodam potestatem tradidit, vt euellat, destruat, plantet, atque ædificet; ita vt ipsos Reges temporales, si ad spiritualis ædificium expedierit, vsque ad depositionem à Regno puniat. Quocirca Hibernos ex præceptis diuinis & obedientia, quam summo Pontifici debebant, obstrictos esse, vt Ioannis Aquilini, qui Papa rogatu ab Hispaniarum Rege illuc missus esset, partibus adhærerent.*

e D. Iohannis Aquilani Edictum.

133. f *Postquam Pontifex Romanus ad eos iam transmitti copias, in fidei, quam profiterentur, defensionem curasset, vt omnes eius eo ipsum edicto, cum suis armis & amicis in eius castra quam primum aduolarent: sciuisse, vt hæreticos & Ecclesiæ hostes, ad internecionem persecuturum, quotquot spreto ipsius consilio, in Anglorum obedientia deinceps permanerent.*

f Ibidem.

134. g *Posse Romanum Pontificem, eos, qui Catholicam religionem oppugnant, armis coercere. Bellum à Tironio, authoritate summi Pontificis, contra Reginam susceptum, fuisse iustum; tenerique omnes Catholicos eidem in prædicto bello fauere, idque magno cum merito & æternæ retributionis spe non minore, quam si contra Turcas bellum gessissent. Catholicos omnes peccasse mortaliter, qui Anglorum castra contra Tironium sequerentur: nec posse salutem æternam consequi, nec ab vllo sacerdote à peccatis suis absolui, nisi prius resipiscerent, & castra Anglorum desererent. Idē de iis censendum esse, qui in eo bello Anglorum aut munitione iuuarent, aut iis tributa conferta soluerent. Qui vero in Tironii castris essent, eos nullo modo perduellium loco esse, neque obedientiam debitam negare, aut terras Reginæ iniuste occupare: quin potius incubuisse, vt se, terramq; suam iniqua & impia tyrannide oppressam, in libertatem vindicarent, fidemque Orthodoxam (prout Christianos & Catholicos deceret) pro viribus propugnarent.*

g Determinat. scholæ Salamanticensis. Anno 1602.

135. Queri Blacuellus, horum ipsa recordatione penitus sibi transfigi præcordia, quod ingenii neruos sentiat ita strenuos, tam venustos religionis prætextus Christiano sanguini adeo insigniter illudere, idque fere in fraudem priuatam, & peculiares hominum rationes, quas plane sibi persuadet eius generis esse, vt nec Deo probentur, nec cum recepta congruant Catholicorum disciplina. Quo acrior eius sensus tangitur, tum quod recentioribus annis complures videat nationis Anglicanæ illustres alioqui scriptores, per hoc præcipitium capi transuersos, & in eius pectocinium totis doctrinæ suæ artubus ferri; tum quod illius exitum, nisi huic violentiæ Ponti-

 fex,

fex, Numinis instinctu, mature modum statuat, intime pertimescat. Appetit sanguis sanguinem. Vtcunq; enim nascentem agnoscimus Ecclesiam irrigatam sanguine Martyrum, vberius prouenisse: ea tamen, ne detrimentum sibi pariat, tempestiue viderit, si commutata ratione, ipsa cœperit inhiare sanguini. Editæ autem Hispania rationes illæ vel splendidissimam præ se ferant licet religionis personam, nouum tamen iudicat Blac. & in omni memoria (quantum ex authoribus constat) inauditum, vt religioni habeant subditi, nisi Pontificis prius stipulati assensum, Principum suorum partes in bello iuuare. Sed neque videtur Regis Hispani iudicium eam posse Romano Pontifici, quam Aquilinus asserit, authoritatem suffragari, vt Reges *si ad spirituale adificium expedire senserit*, imperio suo deiiciat. Hibernos autem perduelles, nisi in illud rebellionis scelus altius, quam vt pedem referre possent, se pridem immersissent, parum hercle mouisset, Hispaniæ huius legati Edictum. Ei vna omnis sollicitudo erat, vna de incolarum fide anxietas, qui Hiberniæ regnum posset sub Domini sui imperium redigere, absque eo esset, Hibernorum fides per illum facile iacuisset. Principes suis quisque seruiunt rebus, nec ex Pontificum, sed ex propriis commodis consilia sua metiuntur. Neque certe Salamanticensis decreti potior videtur authoritas. Scil. Principis sui rationibus operam dabant Magistri illi, politice magis, quam Theologice prudentes. Euoluant enim Scripturarum codicem, Patrum, Conciliorum monumenta omnia, ab illis doceant, perfidiæ & rebellionis palmam, cœlum vsquam subditis aperiri.

136. Commonefactus hic est Blacuellus, quas Sacerdotibus Pontificiis (nunc suæ, vt videtur, curæ) ipsa Missionis conditio partes imperet, quam Catholicismo promouendo industriam, quem laborem debeant: si pluribus, iisq; primæ notæ eorum authoribus fides, qui hanc illis prouinciam sic describunt.

a Card. Alani Admonitio ad Nobilit. Angliæ, edit. Anglice pagina 32 & 33

137. a *Sacerdotum zelum & officium egregie nobis commendat Athalia causa, quam Princeps sacerdotum Iehoiada conuocatis tum sacerdotum, tum populi capitibus, occidi iussit. En vobis zelum, & authoritatem sacerdotum pro iustitia & religionis defensione.*

b Ibid. pag. 34.
c Eccles. 48
d Ibidem pagin. 34. & 35.

138. b *Sacerdotes constat & prophetas Regum deiiciendorum authores, & Principes Dei ministros extitisse. Quo in genere adeo clarus Elias propheta, vt scriptura eum honoris causa hoc ornet encomio:* c D. iecit Reges ad perniciem: *& non dissimili Elizæum in eodem loco:* In diebus suis non pertimuit Principem, & potentia nemo vicit illum. *Et veteris quidem Testamenti hæc erat conditio.*

139. d *In nouo Testamento & Sacerdotes magis amplam habent ac solutā potestatem; & Principes mandato arctiore iubentur Ecclesiæ parere, eamq; amare, & omnibus rebus fouere, periturum alioqui regnū omne, quod non morem ei non gerat. Ecclesiæ præfecti nunc ius & potestatem habent, hæreticorum, Idololatrarum & blasphemantium aditu homines prohibendi, vt eos ne salutent quidem, nedum obsequio prosequantur.*

e Rossæus de iusta Reip. Christianæ authoritate, pag. 638.

140. e *Cum Principis impietate, religionis & Ecclesiæ status in periculum vocatur, tum demum piorum hominum & Monachorum est, peragrare ciuitates, circuire prouincias, monere, hortari sollicitare. hominesq; Christianos ad hanc virilem, quæ in factis, non verbis tantum posita est, constantiam & fortitudinem incendere, & prædicare: Pacta conuenta cum Regibus, contra fidem Catholicam facta, nullius esse roboris, nec ab homine Christiano debere obseruari.*

f De iusta abdicat. Henrici 3. pag. 57. & 58.

141. f *Sacerdotes primi à religionis oppressore discedant, & cæteris in eo ore exemplo præeant. Sic Iehoiada sacerdos Leuitas contra Athaliam armans, in templo, vt præsidio collocans, centurionibus lanceas, clypeos & peltas Regis Dauid tribuens, & extra templum populum tenentium pugiones constituens, denique morti eam tradi præcipiens: Elias propheta quadringentos quinquaginta pseudoprophetas, inuito Rege ac Regina interficiens, Azarias sacerdos Oziæ Regi, ministerii sacri vsurpatori, cum octoginta sacerdotibus viris fortissimis resistens, eumque leprosum factum de templo pellens, postea etiam de regno exturbans: denique Maccabæi, & ipsi de genere sacerdotum, strenue pro lege Dei contra tyrannos depugnantes, sacerdotibus ac prædicatoribus Christianis, quorum illi partes tum agebant, contra tyrannos religioni Catholicæ infestos, siue exteros, siue domesticos, classicum canendi, & ad arma excitandi exemplum illustre dudum ac nobile præbuerunt.*

g Rossæus de iusta Reipu. Christ. authoritate, pag. 579.

124. g Alio item in loco Rossæus. *Num Episcopi (inquit) tenentur suæ fidei commissos instruere, vt à commercio Regis hæretici abstineant, vt ei nec in bello, nec in pace opitulentur, vt omnes ignari, & idiotæ catecismata discant: Talis vir hæreticus est, ergo in nos, qui Catholici sumus, potestatem non potest habere: & non tenentur Proceres suos famulos instruere, vt tali hæretico, non tam Regi, qui Regis ius non habet, sed tyranno vel latroni dominatum iniuste arripienti resistant? Num docet spiritus sanctus hæreticis odium pro magno sacrificio offerendum esse Deo, ab eoque tanquam à Cancro cauendum: & tamen nefas erit eidem Cancro, nos corrumpere molienti resistere, & eius impetum ferro à nobis propulsare, qui iubemur etiam carnem nostram excindere, si tali Cancro fuerit infecta?*

143. Hisce auditis Blacuellus: me miserum (inquit) quid tantum de vobis commerui, vt afflictionem addatis afflicto? At vero satis supra testatum est, quam penitus ab istiusmodi assertionibus abhorream, si minus *Cancro*, at multiplici tamen errore infectis. Exempla illa vim pati ita insignem, quis non videt, nec assequi, quod sequuntur? Num enim Samuelis, an Numinis iussu factum est, vt Sauli Dauides succederet? Quanquam & à Deo & à Samuele nihil abesset longius, quam vt Sauli voluerint sceptrum de manibus eripi. Neque is adeo de Regno prius, quam de vita discessit. Ioiada vero sacerdotum Princeps quid aliud fecit, quam quod boni ciuis officium esset (quo sacerdotes, quo subditos generatim omnes similis causa vocat) vt Regis filium regni hæredem legitimum, copiis suis iuuaret? Quid autem Elias propheta? Quos cum constat Reges ad

perniciem

perniciem deiecisti? Scilicet vt vates, diuinitus rerum futurarum prudentia afflatus, Regi Achab prædixit fore, vt *quo loco canes linxerant sanguinem Naboth, in eodem ipsius sanguinem lamberent.* Et Ochoziæ similiter: *Quia misisti nuncios, vt consulerent BeelZebub Deum Acharon, idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* a Lyræ enim sic est loci sensus: nec b Hugoni Cardinali dissimilis: *Deiecisti Reges: id est, deiicientes prædixisti: ad perniciem, id est, propter perniciem suam: & fregisti facile potentiam eorum, id est, confringendam prædixisti.* Eadem est Elizæi apud vtrumque ratio: illum, Propheta cum esset, neque vultum Iosaphat Regis Iudæ erubuisse, quo minus Dei nuncium fidenter enarraret: nec Principes à Rege ad se comprehendendum missos pertimuisse. Qui vero sub gladio Prophetæ ceciderant, illos cœlitus mendacii conuictos, populus de Eliæ sententia, legi diuinæ consona, sed & Rege (vt credibile est) annuente, cui alioqui in praelium erat factu restitisse, ferro inuasit. Ab Elia ergo, quod dicuntur internecioni dati, Lyra *per populum illi assistentem* factum interpretatur: *vel forte* (inquit) *aliquos occidit manu propria.* Sed ea coniecturæ res est, quæ in contrariam partem perinde valet. c Quod ad Azariam (qui idem Ozias) is anno Regni sui vicesimo septimo leprosus factus, legis iussu, à reliquis victum separabat. Quanquam palam sit, perpetuos viginti quinque annos, Regni prærogatiuam deinceps retinuisse: Scriptura ipsa tricesimum octauum & nonum, quinquagesimum & secundum annum memorante, quibus singulis Rex Iudæ regnare dicatur: etsi per causam morbi, Iotham eius filius & regiam administrandam, & rempublicam suscepisset, Iothami tamen Regnum non nisi ab Azariæ interitu in Annales cœptum est referri: quo defuncto, *vt Regni heres* (quod notat Theodoretus) in imperii culmen successit, annosque post regnauit sedecim. Maccabæos vero constat, dum rerum potiebantur, Principes fuisse opibus potentes, fortissimamq; Deo & patriæ operam in bello nauasse, vt finitimorum Regum (Ægyptii præsertim & Assyriæ) qui terram Canaan crebris incursibus infestabant, vim & iniurias defenderent. Quorum (inquit) imitari virtutem par est, Anglos omnes, qui de Republica recte sentiunt, siquem inciderit Regum aut Principum exterorum, sub qualibet officii specie, id agere, vt armis hostilibus Maiestatem suam eiusque prouincias in potestatem redactas, sub seruitutis iugum mittat.

a *Lyra super 48. Ecclesiastici.*
b *Hugo Cardin. super 48. Eccles. &c.*
c *Genebrar. Chronolog. de Azaria.*

144. Iam noui Testamenti sacerdotio etsi honorem non sentiat (vt est morbus têporum) nimis amplum posse deferri, sanguinaria tamen hæc officia, quę loquuntur authores alii (illustres alioqui viri) negat habere annexa. Equidem Christum (inquit) eiusque vestigiis, Apostolos non diffitemur, ciuitates & prouincias obire consuetos, vt prædicandi industria, veram & Catholicam fidem, ciuilis obedientiæ magistram, proseminarent. Iidem tamen eius seculi Christianis, quantumuis capita extitissent pro singulis millena, nunquam aduersus Magistratus ciuiles, etsi fidei hostes, etsi fidelium carnifices, seditionis aut perfidiæ consilium iniecissent. Similis eras subsequentium ætatum conditio, quæ regiones, Rossæi more, peragrantium, sic *EuangeliZantium pedes beatos* certe non dixissent. Quas (inquit) merces lubens optem Buchanani officinæ, & si qui eius sectatores harum fuerint rationum æmuli, integras nostri reliquissent. Ab ista itaque opinionum peste tam ortu nouitia, tam exitu sanguinolenta, quibus nihil sit, quod minus cadat in sacerdotem vere Catholicum, vt sit de reliquo silentium, supplex obtestatur. Quin & pœnitere se ait censuræ suæ de iis tam crebro interpositæ, quanquam, ni fraudem sciens facere conscientiæ suæ vellet, necesse habuerit ad eam descendere. Sic enim plerosque fere animatos esse, vt non alium hinc possit fructum sibi polliceri, quam existimationis suæ iacturam: non quam dictis factisque suis omnibus sortem precatur, piam aliorum vtilitatem & salutem.

145. Subit hic requiri; num ergo ista, tam in Articulo proximo, quam in superiore omni *Quæstione*, prouocata nomine Regio, opinionis & officii sui professio aliquam ei videretur, apud sacerdotium plebemve Catholicam, offensionem aut inuidiam allatura: annon potius si has responsionum suarum tabulas placeret edi in medium, magnam se beneuolentiæ, & authoritatis gratiam existimaret apud suos lucrifacturum. Respondet Blacuellus: existimationis suæ istbinc amplificandæ spem sibi exiguam, quin potius sensum iam esse imminutæ. Postquam enim constantiæ suæ, in asserendo fidelitatis iuramento, suspicio tantum sit in vulgus nata, doceri se, nec vllo magis argumento, quam rei familiaris misero sensu, ipsum facti præiudicium, re nondum explorata (dum per hanc *Quæstionem*, quid actum, quid responsum sit, haud fere quisquam intelligit) alienas habere & offensas multorum voluntates. Neque sane aliam hinc posse, præter maleuolentiæ & inuidiæ mercedem sibi ominari, dum hæc Pontificis *Breuia*, per fraudem, (sic enim retro persuasum habet) & iniquos delatorum sermones elicita, Catholicorum mentibus adeo potiuntur; nisi interim animorum ardor nonnullis refrixerit. nisi omnium mentibus affulseris in hisce causis cognitio atq; intelligentia veri, nisi denique hominum corda in maiorem, quam is adhuc sit expertus, humilitatis & patientiæ modum (Dei benignitate) subsederint.

146. Postremo sic actum est; Maiestati suæ Regnique Proceribus exploratissimum esse, quo animo nunc fere affectum sit genus apud nos Pontificium: quam eorum palato generatim non sapiat Fidelitatis iuramentū: quam eius disciplinæ vel ex ipsa plebe rari admodum (si numerum spectes) per hosce dies adduci velint, vt huic sacramento dent nomina: quam illi, post *Breuium* illorū appulsum, Sacerdotes pleriq; omnes, hostes ex professo facti, eius odio reliquam Catholicorum familiam vulgo imbuant. Iidem quam iugi diligentia omnia circumcursent, omnia concionibus obeant, quibus prima sint Euangelii capita: Posse pro suo imperio Pontificem

Maiestati suę Regnum, posse in eius verba iuratis ciuibus fidem abrogare: posse eisdem perduellionis & sceleratissimi cuiusque in caput, aut statum Regium facinoris consilium iusta authoritate armare. Quin serenissimum Regem, etsi nominatim non sit *Bullæ* alicuius fulminę appetitus: ex eorum tamen instituto, complurium *Bullarum* implicita teneri sententia, quod Primatum videlicet damnet Pontificium, & quæ sunt huius generis; nec ergo sceleri illis fore, modo rei bene gerendæ facultatem *casus* obtulerit, vel vltima in Maiestatem suam flagitii exempla edere.

Porro Regem, Regnique administros scire, personatam esse Pontificiorum, si quam profiteri inciderit, obedientiam, neque religioni diutius esse, quam dum lacertis suis confisi, contra Maiestatem Regiam, sine sua pernicie, videantur armis posse experiri. Catholicorum pubem, vt in sacerdotium adolescant, in transmarina subduci frequentem; adscitos in hunc ordinē, omnibus annis summitti in Angliam, vt Pontificiorum numero, & viribus augendis seruiant. Sed & Apostolis hisce, ab ipsa muneris sui ratione incumbere, vt quam queant plurimos de fide & officio ciues deducant, atque idoneam vt quamque nacti erunt opportunitatem, ita illis ad motum, & perduellionem stimulos subdant. Ista & istius generis complura, cum omnium non oculis modo, sed & manibus teneantur, Blacuellus qui senex iam factus perquam maturi esset iudicii, consiliique plurimi (quam sibi opinionem apud Pontificios, ipsumque adeo Pontificem iamdiu peperisse, argumento sit Archipresbyteri & Protonotariatus delata ab illis authoritas.) vehementer iubetur dicere, idque iudicii sui & conscientiæ fide, quid Maiestati suæ Regnique Ordinibus, sic de religione persuasis, consilii censeat capiendum; vt ea à suis ceruicibus mala depellant, quæ temporis decursu vident necessario isthinc erumpura, nisi mature ab his tam vesanis, tam turbulentis, tam proditoriis rationibus omnes Pontificiorum ordines, vel arceantur seueritate animaduersionum, vel ipso Pontificis imperio reuocentur: facta suis Catholicis huius iurisiurandi potestate (modo interim de prætenso in spiritualibus Primatu, salua illi res sit) vt eius anthoramento obsequii, fideique suæ, erga Principem patriamque suam, in rebus omnibus & causis ciuilibus, Regi Reique publicæ securitatem & fiduciam sanciant.

147. Blacuellus sic ad omnia: rem illam iudicii sui, suarum virium non esse. Scire, Regem serenissimum plurimarum virtutum singulari exemplo ornatum, in quibus insigniter eminean̄t eius lenitas & clementia. Scire Maiestatem suam, quique rebus præficiuntur publicis, in periculis arcendis diligentissimos esse. Manipulum esse, si cum Ministrorum fusa per Angliam multitudine conferatur Sacerdotum numerus: neque verisimile fieri, plus hanc paucitatem, ad homines Papæ conciliandos, quam copiam illam ad continendos posse. Sed nec desperare, quin Pontifex, siquidem rerum Anglicanarum statum vere aliquando datur cognoscere, Catholicos omnes ad debitum velit, erga Principem suum, officii modum compellere. Quin & posse fieri, vt dogmatum peruersorum æstus breui deferuescat. Etsi enim, quos ætatis impetus hauserit in studium rerum nouarum, ii seruire aliquandiu possint affectibus suis: seuerioris tamen fermenti homines spem esse, ad veterum Catholicorum, quibus esset pietas integerrima, mores & instituta redituros. Catholicis vulgo omnibus, etsi mentes religione obsessæ in fraudem flecti possint: firmam tamen & incorruptam fidem in Maiestatem suam, syncerum in patriam animum permanere. Istæ vero opinionum nouitates, hæc Regum deponendorum, & ciuium ad arma incitandorum idiomata, minime se dubitare, quin & re, & verbo in desuetudinem, & obliuionem abeant. Se quantum consilio, quantum authoritate apud Catholicos valebit, ita illis authorem fore perpetuum (dum saltem Archipresbyteratus sui facultas erit) vti in obsequio & fide, erga Maiestatem suam, immoti persistant, neque contrariæ disciplinæ aures sinant patere. In summa, quod in se sit fidelitati suæ præstitisse, amplius requiri, iniquum esse. Quæ per omnem hanc tot dierum Actionem passim interrogatus responderit, ea se ex intimo iudicii sui sensu, sine fuco, sine subterfugio protulisse: vt sibi de cætero polliceatur, se pii, fidelis, & officiosi ciuis (qualem se & nunc esse, & ad supremum vitæ diem spondet futurum) certam & stabilem apud Maiestatem suam & Regni proceres opinionem esse promeritum. Ipsam denique præteriti sermonis recordationem tam alte animo suo insedisse, vt tum officii sui conscientia, tum nonnullorum miseratione in errore versantium inductus, secundas in omnes Angliæ Catholicos, siue sacerdotes, siue plebeios, Literas sit commentatus, vt magis seria, de rebus hisce controuersis, deliberatione inita, facta velint sua, & cogitata omnia, ad eam officii & obsequii normam dirigere, quam verbi diuini præscripto, quam veterum Christianorum exemplo sancitam, optimus quisque Catholicus tenetur obseruare. Defunctus hoc sermone, omni orabat opere, vt finis esset interrogandi: quod adeo exorauit.

Georgius Blacuellus, Archipresbyter Anglorum, & Protonotarius Apostolicus.

M. G. BLACVELLI AD ANGLOS PONTIFICIOS, PRO FIDELITATIS IVRAMENTO;

altera Epistola.

REVERENDI admodum, & cumprimis dilecti, tum ex Sacerdotio, tum ex plebe, fratres Catholici: vester in vinculis seruus Georgius Blacvellus, nuper in Domini vinea cooperarius, fidelisque pastor, & Archipresbyter vester, memoriam vestri facio in orationibus meis sine intermißione, vt DEVS *Optimus Maximus per* CHRISTVM *Dominum largiri vobis velit pacem, patientiam, humilitatem, veramque obedientiam, non erga eos tantum, qui animabus vestris precipua cura inuigilant, sed in ciuiles etiam Magistratus (pro sacrosancto eius instituto) serenißimum Regem* IACOBVM, *Principem nostrum legitimum, & qui illius auspicio Rempublicam administrant, in quorum fidem, corporum, fortunarum, vestraque adeo salutis concredita est tutela; vt quietam & tranquillam vitam in omni pietate & castitate agatis.*

Quam controuersa res sit, & plena dissensionis Fidelitatis iuramentum, possitne salua religione adiri; quam multorum sententia, potißimum vero Cardinalis Bellarmini (magni hominis & excelsi) damnata sunt, quas ego in hac causa secutus sim, rationes: quid denique in ea statuerint duo Sanctitatis suæ Breuia, *nemini vestrum potest esse obscurum. Quo grauius forsan inicietur & admirationis argumentum, & vero suspicionis, de mea, in religione Catholica, syncertitate, vbi me præsertim comperietis nullius rei aut rationis præiudicio motum, quæ hactenus interuenerit, veterem sententiam necdum exuisse, idque adeo (quod officii mei & apud Deum & homines ratio exigit) libere vobis profiteri.*

Scio quid Ecclesia ex vsu sit: scio quam in vsu iamdiu posuerint Ecclesiæ Romanæ Præsules, contra Imperatores, Reges, & Principes, idque vtili euentu, & propitiis temporibus, authoritatis prærogatiuam; quam quidem exoptem ea mansuetudine & moderatione tractatam, vt ab omni controuersia & contradictionis alea adhuc intacta permansisset. Cæterum postquam illius tam diligens, nec ab aduersariis modo, sed & à nostris fieri cœpta sit disquisitio, iudiciique mei syncere & cum fide, tanquam DEO *teste, declarandi, eiusque iuramenti suscipiendi tanta mihi necessitas sit illata, eademque de integro, & quidem enixius nuper iterata: quid sane restabat aliud, quam vt sententiam hac in re meam (quantum doctrinæ meæ mediocritas assequeretur) ingenue aperirem, nisi conscientiam mea præuaricari vellem, &* DEI *iram, qui ad Ecclesiæ suæ statum & dignitatem tuendam mendacio non eget, vltro prouocare?*

Aliud est, vt de facto quid obtineat, & iure positiuo; aliud vt ex iuris diuini instituto debeatur. Atque is cardo est istius controuersiæ, quæ diuersis nostrorum studiis adeo agitatur, vt plus isthinc verear detrimenti, quam quod consilio & ratione hactenus sit prouisum, Catholicæ religioni inuectum iri. Quicquid enim commimisci homines poterunt, nunquam tamen euincent, Ecclesiæ doctrina, recte exposita, vere deducta, vel tantillum imminui aut labefactari Imperatorum aut Principum maiestatem & splendorem, sed firmari potius & stabiliri. Cui contraria opinio Christianis iis, qui Heroicis Ecclesiæ temporibus vixerant, Apostolorum ætatem proxime consecutis, falso est ascripta: nec sane nostrum minus, quam illorum seculum odio sui implere debet.

Quod in hunc sensum est à Cardinale Bellarmino traditum, solidum duco & orthodoxum nec vlla argutia eludendum. Christus non abstulit, neque aufert regna iis, quorum erant. Neque enim, quæ bene se habebant, destructurus venit, sed perfecturus. Idcirco quando Rex fit Christianus, non perdit regnum terrenum, quod iure obtinebat, sed acquirit nouum ius ad Regnum æternum; alioqui obesset Regibus CHRISTI beneficium, & gratia naturam destrueret. *Rursum.* Infideles Principes veri sunt & supremi regnorum suorum Domini. Dominium enim in gratia aut fide non est fundatum; igitur Papa non est Dominus earum Prouinciarum, &c. *Bellarm. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 3. Idem ibid. cap. 2.*

Regibus ergo, dum infideles foris manent, certum constat, ex ipsa naturæ lege, imperii sui ius, obedientia, à suis debita, stabilis fiducia: & nunc cui videri potest, in Christi ouile receptis, mutatam illis rem esse, statusque terreni stabilitatem imminutam? Hoccine æquum est fieri, vt Christi beneficium *prædicetur* Regibus minime obesse; *postquam vero, spe facta Regni, & cœlestis acquirendi, & terrestris sibi confirmandi, subditorumque obsequiis, ex Christi & Apostolorum præceptis, legisq; moralis instituto stabiliendi, in Euangelii fidem se Reges dederint, vt quauis prætensa causa, gratia naturam destruat, aut subruatur dominium,* quod non sit in fide fundatum? *Eone videntur consilio vel Constantinus Magnus, vel Regum & Principum alius quilibet Euangelium recepisse, aut ad fulciendam Episcoporum in fungendis muneribus potentiam, spiritali imperio Regiam authoritatem subsidio addidisse, vt ciuilem ipsorum Maiestatem deuoraret, deprimeret, aut superaret potestas Ecclesiastica?*

Equidem (dilecti fratres) istiusmodi commenta Christianæ religionis mera sunt opprobria, nec aliam sui memoriam mentibus vestris debent imprimere, quam vt cognita studiose declinentur. Errant enim, qui cum Baptismo, vel ad Regnum, vel aliorum statum commutandos, potestatem affingunt. Baptismus Satanæ regnum destruit, terrena Regum iura, aut fortunas non imminuit, non alienæ potestati subiicit, nisi si qui pii aut munifici animi instinctu permoti Principes, à quibus gratias acceperint spirituales, iis terrena velint beneficia vicissim

sim impertiri. Neq; enim intelligenda est Ecclesiæ cum Regnis ciuilibus coniunctio vt vnum constituant corpus Christianum, aliam efficere mutationem vel regiminum & officiorum permixtionem. Ea adhuc manent suis distincta muneribus, vt nec Imperatori, Regive, aut politico Magistratui fas sit cœlestis regni Claues suscipere administrandas, reliquisve Sacerdotii muneris manum admouere: neque Sacerdotum aut Pontificum cuilibet, sed nec ipsi Papæ liceat, iure Ecclesiæ, vel qua sint Pontifices, ad gladium temporalem, vel sua, vel (ex eorum nutu) alterius manu, pro arbitrio tractandum, & ius & potestatem sibi sumere. Hanc enim Deus Regum tantum, & Principum authoritatem voluit esse propriam, ad sontium vindictam; cui adeo non propter iram modo, sed & propter conscientiam, subditi debemus esse.

Sed nec illa ad Ieremiam Dei verba, Constitui te super gentes, & super Regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes, recte interpretata, Sanctitati suæ id præstare authoritatis possunt, vt Regna ab vno in alium transferre, Regibus quauis de causa imperium abrogare, eorū subditos fidelitatis mancipio solutos, armare in Principes suos, Regna Regesq; (alios ædificādi, aut plantandi prætextu) euellere queat aut destruere. Hoc à Spiritus S. consilio longissime abfuit, quod à Hugone Cardinale Barchinonense, viro eximio, videatur (meo quidem iudicio) meliore fide, ante annos 368. expositū, siue id mystice, siue ad literā intelligatur, in hunc modum: Constitui te super gentes & super Regna, vt euellas, i.e. Iudæos esse euellendos de terra sua enuncies: & destruas, i.e. ciuitatē Ierusalem destruendam, & terram eorum prophetes; & disperdas, i.e. eos disperdendos à Principibus Chaldæorum prædices; & dissipes, i.e. dissipandum esse prædices Regnum Iudæorum per captiuitatem. Et ne Iudæis desperandi hinc occasio existeret, ipsorum non modo captiuitatem, sed & liberationem præsagiens, addit, & ædifices, i.e. ciuitatem reædificandam nuncies: & plantes, i.e. Iudæos adhuc plantandos esse in Iudæa prædices. Hic Cardinalis sensus est ad literam diuini ad Ieremiam mandati: mysticus vero sic habet: Vt euellas herbas inutiles, i.e. cogitationes malas, per contritionem, & destruas nociuas delectationes, munda confessione, & disperdas peccata male adunata, competenti satisfactione, & dissipes colligationē malæ consuetudinis, per bonam assuefactionem, & ædifices super firmam petram meritorum cumulatione, & plantes lignū vitæ in te, & aliis, virtutū radicatione.

Hugo Card. in Ieremiam ca. 1.

Neque sane alio sensu, quam qui sit ab hoc illustri Cardinale ad literam descriptus, Prophetam constat, qui Dei voluntatē ad se loquentis præsumitur optime perspexisse, Reges aut Regna euertisse, dissipasse, aut destruxisse, vel etiam Principes, populumve aut gentem vllam plantasse, aut ædificasse. Latius si Ieremiæ verba, siue proprio siue figurato sensu proferantur, (quod ad sustinenda in Reges & Principes istiusmodi facta, quibus occurrit fidelitatis sacramentum, per hos annos videmus contigisse) vim illis fieri manifestā intelligatur.

Præterierunt aliquot menses, cum ad me Cardinalis Bellarminus literas dedit, expostulantes, quod Fidelitatis iuramentū admisissem, quod ad illud officium alios me duce, inuitassem. Ad eas postquam ego responsum elucubraram, factum est eorum solertia, qui mihi diligentissimos præficiunt rationum mearum speculatores, vt & ipsa Cardinalis litera, & mei vna Responsi exemplar deprehensa sint, & ad Magistratū delata. Qua adeo occasione arrepta, effectum est, vt ego ad Quæstionem & diutinam & diligentissimam sim reuocatus. In cuius omni negotio, cum aliud ex alio interrogantem sequi haberem necesse, officiiq; mei in Deum Regemq; Serenissimum religione subinde admota conscientia mea fides (quoad sciuerim) in singulis efflagitaretur: feci, quod facere æquū erat Sacerdotem vere Catholicum, pium Regis subditū, fidelem Dei seruum, & Sanctitatis suæ matrisq; Ecclesiæ filium obsequentem. Quamobrem vos supplex oro, & obtestor, (cuiusq; ordinis fratres mei) imo vobis per misericordiam Dei, & in visceribus Iesu Christi, arcte præcipio, qui adhuc (nisi secus quid constet) Archipresbyteri authoritate fretus, iure mihi videor vos posse hoc more compellare, vt si responsa mea (quod reor fore) per Quæstionis præfatæ seriem fusa, contigerit in vos exire, nec ea improbare velitis, nec impugnare; sed ex eorum potius disciplina, mentem, vitamque vestram, per debitum Maiestati suæ obsequium, informare.

Improuida magis qui sunt ætate Catholici, quod genus animi plerumq; impotentia & variorū affectuum impetu rapi, plusq; ad res gerendas ardoris & studii, quam consilii aut experientiæ afferre consueuit, Quæstionis meæ Acta, vbi emerserint, tacita (scio) obmurmuratione, forsan etiam aperta animi offensi significatione excipient. De vobis autem, qui maturiorem iudicii, grauitatis, & prudentiæ modum attigistis, spes mihi omnino lætior, nullas posse vel iniquorū calumnias, vel in hac Epistola, aut in Quæstione proxima sermones meos, per cauillum intellectos, vobis offensionem parere. Firmum enim (scio) mētibus vestris insedit veritas, de vestra, qua in Regiam Maiestatem tenemini, obseruantia, quam vt his aut similibus humanæ sapientiæ illecebris aliquid loci imposterum detis, qua in fide & officio erga Maiestatem suam (prout ex Apostolorum præceptis pii iubentur subditi) diutius vetant manere, quam dum numero vestro, aut summi Pontificis mandato confisi, eoeo videamini, citra fortunarum, aut vitæ iacturam, arma posse in Eum sumere, eius in Regia persona noxam, aut contumeliam, vel in Regni eius & prærogatiua Regalis præiudicium, quodcunque facinus machinari. Opiniones (mihi credite) in semetipsis execrandas, repugnantes Scripturæ sacræ, & à veris omnibus ac recte sentientibus Catholicis in perpetuum detestandas.

Neque velitis (obsecro) literarum quarumcunq; vel etiam Breuium obiecto terrore, animos demittere, quæ religionem iniicere aliquo modo videantur, iuramentū Fidelitatis admissum vel fidei caput aliquod (quod saltem Ecclesiæ consensus adhuc definierit) vel Pontificis Romani primatum impugnare, suis modo limitibus, id est Clauium cœlestium viribus & potestate circumscriptum. Quarum adeo vis Clauium ex iure diuino ad Regna nequit terrena pertingere, vt eorum aditum aut claudant, aut recludant, eorum statum agitent, vel perturbent. Nulla iis ita facta sunt organa, vt Imperia euertant; nulla iis potestas eiusmodi, vt ad hoc rebellionis & inobedientiæ tramites licitum vobis introitum aperiant.

Supremum Pontificem Ecclesiæ Catholicæ caput esse, constantissime teneo: quin & spiritualibus eius

censu-

censuris propriè appellatis (Interdicto scilicet & Anathemati) Imperatores & Monarchas, qui in Christi fidem venerint, ad vnum omnes, quibusdam in casibus subiacere. Reges verò extirpare, aut Regnis suis euertere ve possit Papa, quocunque authoritatis sua (directæ, vel indirectæ in ordine ad spiritualia) præsidio fretus, quam saltem ex iure diuino in temporalibus sibi queat adsciscere, in eo quidem prorsus dissentio, non minus tamen (spero) Catholicus, quam qui contrariam vel maxime opinionem sequitur: vtcunque affirmare videantur Cardinalis literæ, neminem posse ad sententiam meam, atque adeo ad Fidelitatis sacramentum accedere (quod tamen temporalem duntaxat Papæ authoritatem, tam indirectam, quam directam excludit) quin Primatum Sedis Apostolicæ perfide abnegare cogatur.

Quæ Cardinalis dicta mirari equidem possim, nisi ex calumnia, & delatorum fraude nata existimem; cum Romani Pontificis Primatum (cuius minime debet anceps esse doctrina) in loco incertissimo magnam partem constituant. Scit enim Cardinalis (nemo rectius) nondum esse vel communi Ecclesiæ, vel solenni Papæ sententia tanquam ex Cathedra definitum, num Papæ in tēporalibus ius sit & potestas omnino data, præterquam in iis, quæ ad Ecclesiæ patrimonium, aliasque possessiones spectant, in sedem Apostolicam Principum donatione transcriptas. Sed & hæc authoritas si Papæ aliquando constabit, eam oportet vel indirecte esse à Christo concessam, quod C. Bellarminus pluresq; eius adstipulatores fidentissime pugnant; vel directe, quod æquali fiducia pars tuetur aduersa, altera alterius sententiā constanter pernegante. Quoniam ergo dum contra alterutram opinionem pronunciatur (quod temere non arbitror, multis de causis tentatum iri) definiri nequeat, habeatne Papa vllam prorsus istiusmodi, quam vel hi, vel illi affirmant, in temporalibus authoritatem: æquum erat meo quidem iudicio, Cardinalem Bellarminum, nec Papæ primatum, cuius certa esse debet & explicata ratio, his ambiguitatum spinis perplexam & impeditam reddidisse, nec crimini mihi vertisse, quod illas vel ipse declinarim, vel earum fraudem cauendi aliis author fuerim.

Cæterum in me, & de me scripsit Cardinalis Illustrissimus, quæ visa sunt: quæ ego pro officio meo, æquo animo sustinuissem, nisi in omnes mortales, quaqua se spargent eius literæ, (quarum vtique exemplar longe, lateque iam audio percrebuisse) palam edidisset, eius iuramenti admissione in discrimen adductum, vnum ex præcipuis fidei nostræ capitibus, & religionis Catholicæ fundamentis, *cum nullum tamen eiusmodi caput, aut fundamentum hactenus sit Ecclesiæ consensu constitutum. Vt (quantum mente, aut iudicio complector) nihil mihi adhuc obstare videam, quin Fidelitatis iuramentum, vt rem æquam, probare, quin vos porro hortari pergam, vt huic sacramento, iussi publice, manus detis, ne eas vltro ærumnas accersatis, quæ alioqui vobis impendent, non vt felicitatis illius, beatitudinisque symbola, quæ veritatis causa, calamitate afflictis sit promissa, sed eorum potius iudiciorum, quæ in malos mores, hominumque inobedientiam Principes & supremi Magistratus sanxerint.*

Ne erretis fratres mei: hæ enim passiones non ducunt ad martyrium: hæc victima non est Deo accepta. Neque vero animum vestrum inducere, posse vnquam subditorum perfidiam, aut perduellionem, posse illorum in Principes suos vel rebellionem, vel clandestina consilia, eorumque, in capitis Regis discrimen aut perniciem, executionem (quibuscunque tandem vel authoribus, vel actoribus) glorioso Martyrii nomine honestari. Cauete (iterum atque iterum vos obtestor) ab hoc fermenti genere. Sit licet massa vestra quantumuis alioqui pura, azyma, & syncera, *hac tamen admistione corrupta, protinus coacescet. Stabiles este in fide Catholica eiusque veram professionem, constantia pristina retinete.*

Doctrinis variis & peregrinis ne seducimini, *quæ Regum abdicationem, subditorum è Fidelitatis nexu manumissionem astruunt, eisdemque contra Principes suos in aciem prodeundi, & in eorum personas vel occultis insidiis, vel vi & manu grassandi iustam authoritatē pollicentur. Ab hoc genere Deum Opt. Max. testari possum q̄ intimo odio anima mea abhorreat. Quæ Petro, vt* occideret & manducaret, *vox facta est, de Regib. certe non est facta, vt hac in eos ratione statueret, vt sedib. suis submoueret, eorūq; Regna in alios conferret, vt occidi deniq; iuberet, quo fideliū fideiq; Catholicæ felicior & lætior esset status. Pastu certe recreari nobis possunt corporis vires, nihilominus conuenit, quā istiusmodi in Reges consiliis, nostra vt pascantur animæ. Ioannē ac Iacobū vid. mus, quod cum igne cœlesti absumi Samaritanos vellet, qui Dominum eorum Christum hospitio nō acciperent, ab illo increpitos, audiuisse,* nescire eos, cuius essent spiritus. *S. Petrus gladio districto, Malcho aurem precidit, idq; in causa (quatenus humana poterat ratio penetrare) lōge iustissima. Id tamen Christo saltē constat displicuisse, qui Petrū monuit, & in eo (mea quidem sententia) Catholicos tam ex sacerdotio, quam ex plebe generatim omnes;* perituros gladio, quotquot gladium acciperent. *Hæc & alia similis argumenti scimus in nostram (dilecti fratres) correptionem, & fide Catholicæ institutionem scripta esse.*

Facite ergo, ab iis caueatis, quibus in ore & opere sanguis nihil est: *exitii & ruinæ vestigia nolite insistere: in scopulos ne incurrite: difficilibus hisce Labyrinthis ne vos committite. Et vero, si filii vestri (qui patres estis) si patres (qui filii) harum vobis rationum suasores extiterint, eorum consilium, quippe quod ex Deo non sit, ne audiatis. In his seditionis & flagitii semitis* Buchananus, *eiusq; comites, vel si qui porro illius facta sunt similes, sibi errarunt. Vos vero (quod Propheta iubet, quod eadem ipsa, quam profitemini, disciplina monet Catholica)* in vias antiquas inquirite: interrogate quæ sit via bona, & in ea ambulate. *En ergo (mihi credite) vias antiquas; quæso à vobis, vt eas sequi velitis, ne in vos conueniat, quod de aliis, dispare tamen in causa, dictum sit:* Laudatis semper antiquitatem, & noue de die viuitis: *sanctam habetis vetustatem, & vestra quidem facitis, sed plerosq; fere nouis dogmatibus animum video deditos, quod sane vitium magnopere reprehendo. Numquid percussam habet* REGIS IACOBI *imaginem æs vestrum? Et annuitis; quin igitur* REGI IACOBO *redditis, quæ sunt* REGIS IACOBI, *quæ sunt Dei, Deo?* Omnis anima potestatib. sublimioribus subdita sit; nō est n potestas, nisi à Deo. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideoque necessitate subditi estote,

Tertull. Apol. cap. 6.

Rom. 13. 1.

non

non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.

1 Tim 2. 1. Obsecro primum omnium (*inquit Apostolus*) fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum corā Saluatore nostro Deo. *1 Petr. 2. 13.* Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, siue Regi, quia præcellenti, siue Ducibus, tanquā ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudē vero bonorum: quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominū ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatē, sed sicut serui Dei. Omnes honorate: fraternitatē diligite: Deum timete: Regē honorificate.

Ecce vobis (fratres dilecti) Orthodoxas illas, & Apostolicas vias, quibus insistebant, quibus vnice studebant sanctissimi quique, & Apostolorū seculo proximi, Maiores nostri *Tertull. Apolog. c. 30* *professi scil.* eosdem se Imperatoribus esse, quos & vicinis suis. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquā, ex æquo se vetari: quodcunq; in Imperatorem nō liceret, id nec in quenquam: quod in neminem, *Tertull. ad Scapulam cap. 2.* eo forsitan magis, nec in ipsum, qui per Deum tantus est. Christianum nullius esse hostem, nedū Imperatoris, quem cum sciat à Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit. Colere se ergo Imperatorem, sic, quomodo & iis liceret, & ipsi expediret, *Tertul. Apolog. c. 30.* vt hominem à Deo secundum, & solo Deo minorem. Se pro salute Imperatorum Deum vocare æternum, scientes quis dederit illis Imperium: in cuius solius potestate sunt, à quo sint secundi, post quem primi. *Ibid. cap. 32.* Suspicere se in Imperatoribus iudicium Dei, qui gentibus illos præfecit; id se in illis scire, quod Deus voluit; *& propterea id se saluum velle, quod esset secundum Dei ordinationem.* Orare se pro Imperatoribus, *pro eorum ministris & potestatibus, pro omni statu imperii, & pro omnium rerum tranquillitate.*

Qui ergo veteribus Christianis Imperatores erant, tum & nobis (fratres Catholici) sit Rex IACOBVS, *sub cuius iam auspiciis multo æquior existat nostra, quam sub Imperatorum nonnullis eorum conditio, reliquum est, vt qui in Imperatores suos illi, eodem & nos in Maiestatem suam affectu simus. Vna semper est & constans Dei voluntas. Quod illa ætate non licebat, nec nostra licet. Quod per id tempus Christianorum erat officium, id etiamnum vim retinet pristinam, neq; nos minus arcta, quàm illos, religione astringit. Quocirca, quæ suis Imperatoribus illi per Imperii sui fines præstabant obsequia, eadem & Serenissimo nostro Domino, Regi* IACOBO *intra ditiones suas à nobis debentur, vt eorum exemplo, Maiestati suæ à Deo Opt. Max. votis assiduis expetamus* *Tertul. Apol. cap. 30.* vitam prolixam (*nec ergo opera nostra minuendam*) imperium securum (*nec ergo nobis non licet vllo in genere turbas mouere*) domum tutam (*nec vllis ergo nostrorum machinis debilitandam*) exercitus fortes, (*quorum ergo vt fidelitatem auertamus*), senatum fidelem, (*quorum vt subuertamus fidem, nobis connitendum non est*): populum probum (*quem ergo non licet, nobis authoribus, ad seditionē mouendi*) orbem quietum (*ius ergo conari non debemus, aut pacem perturbare, aut potestatem è manibus extorquere*) & quæcunque hominis, aut Cæsaris vota sunt, *quæ ergo nostra fraude minime sunt aut intercipienda, aut minuenda. Has si Patrum nostrorum semitas fatemur esse, eas alacres ineamus: has si via sit bona, nos indefessa patientia in ea* *Hebr. 12. 3.* *ambulemus.* Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, *Ibid. ver. 11* vt non fatigemini, animis vestris deficientes. Omnis disciplina in præsenti quidem videtur nō esse gaudii, sed mœroris, postea autem *vobis (dilecti Catholici)* per eam exercitatis pacatissimum iustitiæ fructum reddet: *Et Deus consolationum animas vestras suo tempore veris solatiis, vel in præsenti seculo, vel certe in futuro cumulabit.*

Cui tam salutari consilio, tam salubri doctrinæ congruit Augustini locus ille, vbi illiusmodi interrogationi occurrit, qualem vestra nonnullorum impotentia mihi forsan mouere poterit, quod, ex vllis in Serenissimum Regem, Regnumque machinationibus, onerum vestrorum leuamen, salua conscientia, nequeam vobis polliceri, sed in timore, vero q; obsequio, & fidelitate in Maiestatem suam; & patriam vestram (quicquid erit) permanendum moneam, patientia & precibus de cætero armatis. Nunquid (*ait*) sic erit semper? *Respondet bonus ille* *Augustin. Enarrat. in Psal. 124.* *pater:* Non sic erit semper. Veniet tempus, quando vnus agnoscatur Deus. *Id vero (inquit) quando veniet? Respondet ibidē:* Quando vnus Christus in claritate sua apparens, congregabit ante se omnes gētes, & diuidet eas, sicut diuidit pastor hædos ab ouib. oues ponet ad dexterā, hædos ad sinistrā.

Interim corda vestra hac certa spe habeatis confirmata, fore, vt in fide Domini nostri Iesu Christi perseuerantibus Rex tum vobis dicat, qui à dextris eius erit: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. *Qua spe freti,* animas nostras in patientia possideamus, id agentes, vt per gratiam seruiamus placentes Deo, cum metu & reuerentia. Exeamus vna ad Saluatorem nostrū extra castra improperium eius portantes. Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.

Georgius Blacuellus Archipresbyter Angliæ, & Protonotarius Apostolicus.

Londini è carce. Ianuarii 20. 1607.

Inscriptum:

Reuerendis Coadiutoribus, reliquisq; fratribus meis, tam sacerdotibus, quam plebeis.

TABVLÆ

TABVLÆ PVBLICÆ, QVIBVS M. GEORGIVS BLACVELLVS PROXIMÆ QVÆSTIONIS ACTA RECOGNOVIT; & pro veris ratisq; habuit.

IN FREQVENTE IVDICVM CONSESSV EORVM, quos Serenissima Maiestas Regia, rerum Ecclesiasticarum cognitioni præcipuo mandato præfecit.

Ad Palatium Lambethense Calendis Februarii, Anno (ex stylo Anglicano) 1607.



QVo die *Thomas Crompton* Aduocatus Regius, vir Equestris ordinis, quatuor scripta; præsente M Georgio Blacuello, pro Curia separatim proposuit. Primo loco Literæ erant archetypæ, quas à Cardinali Bellarmino Blacuellus fatetur acceptas: Romæ datas vicesimo octauo die Septembris 1607. Eæ sic erant inscriptæ. *Admodum Reuerende Domino D. Georgio Blacuello Archipresbytero Angliæ:* Subscriptæ vero sic: *Reuerendæ admodum D.V. frater & seruus in Christo, Robertus Cardinalis Bellarminus.* Cœptæq; ab his verbis; *Venerabilis in Christo Domine frater: Anni sunt fere quadraginta, quod inuicem non vidimus &c.* In hæc desierant; *Vale, viriliter age, & confortetur cor tuum.* Secuta continebat charta Blacuelli ad Cardinalis Literas Responsum, ipsius scriptum chirographo, verum adeo illarum, quas ad Cardinalem dederat literarum exemplum, exceptis, quæ ad marginem accesserant, locorum indiciis, quæ deinceps à se fatetur addita. Datæ sunt hæ literæ ad 13. Nouembris 1607. & sic exorsæ: *Doleo plurimum, quod Illustrissima Amplitudo vestra de me propter Catholicam fidem incarcerato, &c.* hunc habent exitum: *Nisi quod beatus Petrus aut soluerit aut ligauerit.*

Binæ hæ literæ causam attulerunt reliquis duobus scriptis, quorum altero excepta est in M. Blacuellum *Quæstio* productior, à D. Archiepiscopo Cantuariensi diuersis temporibus habita, in qua præfati ad Cardinalē Responsi loca particularia, & ex iis alia necessario deducta excutiuntur. Impleuit autem paginas centū & quatuordecim, singulas Blacuelli manu (vti fassus est) consignatas. Quæ ab hoc initio profecta: *Profitetur Blacuellus, quod in nuperrimis suis ad C. Bellarminum literis, multa intelligat minus satisfacere:* in hæc verba desierat: *Omni orabat opere, vt finis esset interrogandi: quod adeo exorauit.* Reliquam chartam Blacuellus recognoscit verum esse Epistolæ cuiusdam suæ exemplar, ad Sacerdotum populumque Angliæ Catholicum datæ 10. die Ianuar. 1607. Ea vtebatur hac inscriptione: *Reuerendis Coadiutoribus, reliquisq. fratribus meis, tam sacerdotibus, quam plebis:* Subscriptione vero ista: *Georgius Blacuellus Archipresbyter Angliæ, & Protonotarius Apostolicus.* A tali autem inducta est exordio: *Reuerendi admodum & cumprimis dilecti, tum ex sacerdotio, tum ex plebe, fratres Catholici: vester in vinculis seruus, &c.* sic vero desita: *Exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono.*

Quæstionis vero & Epistolæ huius in Curiam (vt dictum est) exhibitæ, & M. Blacuello cum sua ad omnes paginas chirographo ostensæ, contenta omnia asseuerauit esse vera: & quæ porro vel in literis, vel in suis per *Quæstionem* hanc omnem, ad res interrogatas, propositasque responsis passim tradiderit, ea conscientiæ suæ plane congruere, quantum pro lectionis & doctrinæ suæ modulo, vltimoq; iudicii sui captu assequitur. Idque, Deum testatus, profitebatur, ingenue se, & cum fide fecisse, nulla adhibita reseruationis, aut subterfugii fraude, nulla vel verbo vel mente abdita æquiuocatione: quin in animum interrogantis (quoad eius scire potuit) per omnia, tanquam iuratum, respondisse: iuxta *Bernardi* illud in simili causa præceptum: *Quacunque arte verborum quis iuret, Deus qui conscientiæ testis est, accipit, sicut ille, cui hoc iuratur, intelligit:* & Hieronymi illud: *Tantus in te sit veri amor, vt quicquid dixeris, iuratum putes.*

Hæc omnia Blacuellus palam pro Curia fassus, eorum veritatem manu subscripta consignauit: die & Anno superius dicto.

Georgius Blacuellus Archipresbyter & Protonotarius Apostolicus.

ADFVIMVS

R. Cantuariens.	*I. Bennet.*
Tho. Londinens.	*R. Swale.*
L. Cicestren.	*Rich. Neile.*
Iacobus Mountagu.	*Io. King.*
Ed. Stanhop.	*Guliel. Farrand.*

FIDELITATIS PROFESSIO QVÆDAM, CVM HODIERNO FIDELITATIS IVRAMENTO CONSENTIENS, cui paulo ante obitum Reginæ ELIZABETHÆ, Sacerdotes Pontificii è secularibus frequentes scribendo affuerunt:

Sub annum 1602.



CVM Serenissima Domina nostra dignata sit (quod nupero Edicto ostendit) nostram, Sacerdotum secularium, qui natiui sumus Maiestatis suæ subditi, fidelitatem & obsequium aliqua ex parte recognoscere: cumque Ea pro sua clementia vere Regia, locupletem gratiæ erga nos, & misericordiæ alicuius arrham nobis dederit, qui, post susceptum à primo Regni Eius anno sacerdotii gradum, in patriam reuersi, mortis supplicio è Regni legibus, sumus omnes obnoxii: cumque Eadem contenta syncera tantum obsequii nostri professione, quæ Maiestatem suam, de nostra in Regiam eius personam, Coronam, statum, & dignitatem, fide securam reddat, nihil requirat amplius: Nos quorum subscripta hic extant nomina, ad Maiestatis suæ pedes humilime abiecti, ob hæc tanta beneficia Celsitudini suæ nos impensissime deuinctos agnoscimus: eamque Maiestati suæ hac in re fiduciam & satisfactionem parati sumus lubentissime dare, quam Principibus suis Catholici sacerdotes quilibet possunt, vel debent polliceri.

Primo itaque agnoscimus, & confitemur, Serenissimæ Reginæ Maiestatem non minus plena authoritate, potestate, & superioritate, in nos reliquosque omnes huius Regni subditos, quam vnquam è Maioribus suis quemlibet, dominari. Porro item profitemur, nos lubenter paratos esse in omnibus casibus, & conditionibus, eius imperio obsequi, quatenus Christiani vnquam sacerdotes, vel in hoc Regno, vel in vlla alia Christiani orbis regione, ex lege diuina, & Christiana religione, ciuilibus suis Principibus parere tenebantur: tributum, cæteraque omnia debita Coronæ vectigalia soluere: eius Legibus Magistratibusque in causis ciuilibus omnibus obedire: DEVM precari, vt Ea auspicatum, & tranquillum imperium in hac vita, (pro sacrosancta Numinis voluntate) & post hanc vitam, æternam beatitudinem consequatur. Atque hanc nostram recognitionem ita solide diuino verbo fundatam existimamus, vt nulla authoritas, nulla causa, aut causæ prætextus iustam & idoneam nobis, non magis quam Protestantium cuilibet, facultatem possit aut debeat præstare, vt Maiestati suæ in rebus ciuilibus, aut temporalibus obsequium detrectemus.

Secundo, cum per præteritos hosce annos plurimæ in Maiestatis suæ personam & statum coniurationes fuerint, multique pro inuadendis & subiugandis Maiestatis suæ dominiis, sub nouis quibusdam prætextibus, & consiliis religionis Catholicæ armis restituendæ, hostiles conatus sint suscepti (res cæteris orbis partibus insolens, & præcipue atque vnice, præ reliquis, qui à religione, & obedientia sedis Apostolicæ, non minus, quam eadem ipsa, Principes discesserint, in Maiestatem suam, & eius Regna tentata:) quibus in se tam atrocibus inceptis, (singulari alioqui erga subditos suos clementia) Ea magnopere permota sit, vt in Catholicos (qui Apostolicæ Sedi in re fidei, ac religionis coniuncti, facile suspecti sint, hisce conspirationibus, & incursionibus fauere) leges acerbiores & ferret & curaret exequendas, quam (nisi hæc facta hostilia, & bella interuenissent) vnquam forsan latæ aut cogitatæ fuissent: Nos, vt Maiestati suæ fidelitatem nostram, etiam in hac particulari causa, probemus, syncere profitemur, & hoc publico facto, vniuerso orbi Christiano testatum facimus; nos in his casibus conspirationum, machinationum in Maiestatis suæ vitam, inuasionum, & conatuum quorumcunque hostilium, qui à forinseco quouis Præsule, Principe, vel Potentatu quocunque siue coniunctim, siue separatim, ad perturbationem, vel exitium Maiestatis suæ personæ, status, Regnorum, aut dominiorum, sub fuco, specie, prætextu, vel consilio religionis Catholicæ Romanæ in Anglia aut Hibernia restituendæ, fieri poterunt, Maiestatis suæ personam, statum, Regna, & dominia ab omnibus illiusmodi hostilibus & violentis incursibus & iniuriis defensuros. Sed & omnes conspirationes, aut consilia, quæ à Prælato, Principe, aut Potentatu quocunque contra Maiestatis suæ personam, aut dominia quauis

quauis de causa (vt supra est dictum) inire intelligemus, non solum ipsos tum detecturos, palamque facturos, tum pro viribus eisdem restituros: sed & Catholicis omnibus, vt idem faciant (quantum in nobis erit) vehementer authores futuros.

Tertio, si post aliquam Excommunicationis Sententiam, in Maiestatem suam declaratam, vel declarandam, vel ante eiusmodi coniurationes, inuasiones, aut hostiles conatus (de quibus supra) faciendos, Papa omnes intra Maiestatis suæ dominia natos excommunicaret, qui à Maiestatis suæ Eiusque dominiorum defensione (vt supra) non recederent, & huiusmodi conspiratorum, aut inuasorum partibus in his & similibus quibuscunque causis, se non adiungerent: nos in his, omnibusque istiusmodi casibus, nosmetipsos, Laicosque omnes Catholicos; qui Maiestatis suæ ditionum sunt natiui, conscientiæ lege minime tenemus esse astrictos, vt huic, aut huius generis censuræ cuilibet pareamus: sed (quod officii nostri existimamus esse, non obstante quauis authoritate, vel Excommunicationis quacunque Sententia aut denunciata, aut denuncianda (vt supra) Principem & patriam defendemus, omnemque in causis ciuilibus Maiestati suæ obedientiam præstabimus.

Quoniam vero exploratissimum habemus, dum Christiana hac nostra, & syncera protestatione, pium in Maiestatem suam affectum, & fidelitatem Ei probare nitimur, non defuturos, qui legitimum hoc factum nostrum damnare, & in peiorem interpretari partem velint, & vero iniquis sermonibus & calumniis, apud orbem Christianum, præcipue vero apud Sanctitatem suam, facta nostra traducere. In multo maximum existimationum & personarum nostratum præiudicium & noxam, nisi eorum hac in re conatibus maiore occurramus: Maiestatem suam supplices obtestamur, vt in hac nostra recognitione, dum quæ sunt Cæsaris, Celsitudini suæ reddimus, cum Eius benigna venia nobis simul liceat (maledicorum calumnias vitandi causa) simili etiam actu publico palam testari, nos Maiestati suæ debitum obsequium agnoscendo, á nulla Christiani illius officii lege recedere, quod supremo pastori nostro spirituali debemus.

Quamobrem agnoscimos, & confitemur, Episcopum Romanum Sancti Petri in ea Sede successorem esse, neque minus (non tamen magis) prolixam in nos reliquosque Christianos authoritatem & iurisdictionem obtinere, quam ex concessu, & mandato CHRISTI Saluatoris nostri, Apostolus ille habuerit: nosque Sanctitati eius, quatenus ex lege diuina tenemur, morem gesturos: quod cum obsequio nostro (quale supra professi sumus) in Principem nostram ciuilem, non dubitamus, quin recte possit consistere. Vt enim, Maiestatis suæ, patriæque nostræ tuendæ causa, paratissimi sumus sanguinem nostrum profundere: ita etiam constitutum habemus, vita potius cedere, quam Catholicæ CHRISTI Ecclesiæ legitimam authoritatem violare.

Gulielmus Bishop.	*Robert Drury.*
Ioan. Colleton.	*Anton. Champney.*
Ioan. Musk.	*Io. Iackson.*
Robert. Charnocke.	*Francisc. Barnebey.*
Ioan. Bosseuile.	*Osvvold. Needham.*
Anton. Hebborne.	*Richardus Button.*
Rogerus Cadvvalader.	

ASCANII COLVMNÆ CARDINALIS ROMANI,

IVDICIVM

EORVM, QVÆ CÆSAR CARDINALIS BARONIVS DE MONARCHIA *Siciliæ scripsit.*



Bvlisti mihi, ex Hiſpania redeunti, Vndecimum ac poſtremum typis impreſſum Hiſtoriarum tuarum Tomum. Plurimis rogaſti precibus, vt quæ de Siciliæ Monarchia ſcripſeras, excuterem attentius, & quæ mea de illis ſententia, libere declararem. Statim, vt id aggrederetur, cupidus hinc me meus tibi gratificandi animus impellebat: hinc vero, vt ab eo incepto deſiſterem, ſuadebat imbecilla totius corporis, præcipue oculorum valetudo, defatigatio immenſo mihi itinere parta, domeſticarum & externarum occupationum innumera multitudo. Hoc tu vero, quo tempore, diurnis curis vacuus aliquid præſtare poſſem, crurium & brachiorum dolor nocturna fluxione ortus, ſic me torquet, vt omnium plane mihi & legendi & ſcribendi vſum adimat. Acceſſit Marci Antonii Columnenſis familiæ Principis pronepotis mei, diuturnus ac pene mortalis morbus, quo illi grauior, & periculoſior, eo mihi moleſtior, & ad ferendum durior. Verum ad hæc ſtudia dictante natura, prima ab infantia conformatus, & cum non committam, & huiuſmodi officia deſiderare à me quiſquam poſſit, ſic velim exiſtimes, mea in hoc genere opera, nec tibi defuiſſe, nec vnquam eſſe in te quali bet defuturum. Quod enim in ipſa iuuentute Carolo Sigonio, Marco Antonio Mureto, Iacobo Cuiacio; adulta ætate, Franciſco Bencio, Iuſto Lipſio, Ariæ Montano, & Aloyſio Legionenſi, ac demum Auguſtino Valerio, & Gabrieli Palæotto, ampliſſimis Cardinalibus petentibus impertiui, cur tibi roganti negarem, & eruditione dicendique laude illis quam ſimillimo, & virtute præclaro, & mihi eorundem ſtudiorum vſu, atque eiuſdem dignitatis ſplendore coniunctiſſimo? Itaque dicam quid ſentiam ingenue pro mea conſuetudine, libentet, pro ſingulari in te mea obſeruantia: certiſſime ſperans fore, vt quicquid dixerim, cum maximo ab amore in te meo proficiſcatur, pro tua Chriſtiana prudentia, & gratum tibi & ratum putes. Materiam quidem cœpiſti rei Chriſtianæ perutilem, nobilem & præclaram, ſed vt ea precioſior & iucundior ſit ingenii eruditione, eloquentiæ tuæ præſtantia conſequeris. In cæteris Hiſtoriarum partibus immenſis ac plane infinitis, tui nunquam non ſimilis, eruditus, grauis, & eloquens, in hac vero tantus es, vt in illis certare cum aliis antiquitatis ſcriptoribus, in hac te ipſum vincere voluiſſe videaris. Quodcunque multorum annorum ſpatio tot ab hinc ſeculis geſtum eſt, geſtum dico? Quodcunque à quouis priuato homine ſcriptum, cogitatum, dictum, tui beneficio in noſtram memoriam reuocatur, idque abs te miro ſuo ordine comprehenſum, & tanquam in conſpectu noſtro poſitum agnoſcimus. Vtinam quod te eruditio, duro, ac nimis acri ſtylo, vt hæc ſcriberes, impulerat, ſiue id fuerit tua in Eccleſiæ bonum charitas, ſiue ſuprema, id tibi imperandi poteſtas, ſiue ſpectatiſſimus tuæ dignitatis gradus, vrbanius omnia dicere ſuaſiſſet? Et ſatis veritati feciſſes, & Eccleſiæ fortaſſe magis conſuluiſſes, & quæ multi nunc improbant, volentes, nolenteſque ſibi probata ſuſciperent. Magni ſane refert, quo quidque modo dicatur, & fiat, & ad omnes res non paruum habere momentum, ſolet ratio quædam & methodus. Vt enim in pictura, certo modo lineamenta oris expreſſa delectant, iiſdemque alia ratione depictis, non item eorum, qui ſpectant, tenentur oculi; & vt in muſica, cum ſua quæque modo vox flexa ſuauiter exprimitur, iucunda audientium aures harmonia complentur, eædem grauiter offenduntur, ſi modus ille, aut contentione vocis, aut alteratione mutetur, & motus corporis incompoſitus irridetur, qui moderatione ſibi debita temperatus omnium in ſe ora oculoſque conuertit. Demum, vt ingenium, non quia ipſius motus, ad cogitandum acuti, vberes ad explicandum, ad memoriam firmi, magnum propterea arguitur, ſed ſuaui & modeſta eorum, quæ inuenerit, explicatione, & ipſius magni-

magnitudo ostenditur, & scientia declaratur: sic ea quæ dicimus, mirum est, quantum dicendi modo commendentur, vt interdum plus in modo, quam in ipsa re dicta, positum esse videatur. Eoque magis cauendum est, cum duæ occurrunt opiniones, sibi inuicem aduersantes; quarum vnaquæque suis rationibus tueatur, grauissimorum hominum consensu probata temporis diuturnitate recepta, ac demum tot summorum Pontificum permissu, regia potestate vallata, tum enim qui vnam probarit, alteri omni verborum asperitate deposita veris argumentis & rationibus obsistat. Ita nec irritantur aduersarii, quinimo accidit interdum, vt comitate disserentis, à suæ mentis opinione dimoti quod illis proponitur, tanquam verisimilius amplectantur. Nam quemadmodum equi aduersus frenum contumaces, interdum sessore habenas remittente consistunt, sic quos orationis asperitas frangere non potest, sæpe clementia inflectit, & qui terrore & seueritate domari non possunt, indulgentia, & facilitate nitescunt. Hinc sanctissimi patres, cum hæreticis congressi, id vnum propositum habebant, vt quæ illi, summa petulantia, ac procacitate verborum diffidebant omni ipsi modestia, atque iræ remissione improbantes, Christianæ fidei veritatem tuerentur. Hosque, vt idem agamus, etiam atque etiam hortantur. Gregorius quidem Nazianzenus Christianos asserit, *nec nimis feruidos, nec nimis segnes esse debere. Hac enim*, inquit, *ratione fiet, vt nec ob defectum steriles & infrugiferi simus. nec ob excessum perniciemur.* Æque namque inutiles sunt iners, ac supina segnities, & imperitus feruor: Illa ad bonum minime accedens, hic autem vlterius cadens. At Basilius, *seruum Domini*, inquit, *non oportet litigare, sed mansuetum esse erga omnes, aptumque ad docendum, cum modestia corrigentem eos, qui resistunt.* Quod Hilarius egregie docet, quænam ex illo modo oriantur incommoda. *Non est ambiguum* (inquit) *omnem humani eloquii sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse, quia dissentientibus voluntatum motibus dissentiens sit quoque sensus animorum.* Quod si qua in re seruandum est, in iis præcipue sermonibus, qui maximos in Reges instituuntur.

Innumerabilis enim copia suppetit eorum, qui ad illos tuendos exquisitissimis rationibus excitentur. Sed quid sanctos commemoro? ipsi prophani anthores, quibus nondum illus Christianæ veritatis splendor illuxerat, hanc modestiam in omni sermone, obseruandam esse præcipiunt. Audi Tullium. *Sed quoniam*, inquit, *in omni vita rectissime præcipitur, vt perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios rationi non obtemperantes, sic eiusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira existat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignauia, aut quid tale appareat: maximeque curandum est, vt eos, quibus cum sermone conferemus, & vereri & diligere videamur.* Pressius & clarius alibi: *Omnis igitur* (inquit) *hac in re habenda ratio & diligentia est; primum vt monitio acerbitate, deinde vt obiurgatio contumelia careat.* De oratione vero in iaciendo ridiculo, ait, *parcendum esse dignitatibus.* Quod si in ridiculo, quid in re graui? Tacitus vero Agricolam cum multis, tum hoc vno maximum virum prædicat, quia esset *cultu modicus, sermone facilis*, idque alibi à quouis summo viro expetit; *sit*, inquit, *comis sermo.* Mitto Salustium, qui malam opinionem mortalium mentibus insidentem radicitus euelli, *docendo magis*, inquit, *quam iubendo, monendo, quam minando.*

Nam quid de Seneca dicam? Quo magis seuera oratio, eò minus oratori fatetur fidem haberi, & in dicendo, & quauis in re; *amittit*, inquit, *assiduitate seueritas authoritatem.* Demum aliis omissis, vnam eiusdem Salustii sententiam proferam: *In maxima*, inquit, *dignitate, minima licentia, neque studere, neque odisse, sed minime irasci decet.* qui apud alios zelus seu iracundia dicitur, in imperio superbia appellatur. Quod si cuiquam obseruandum, nobis certe, in hac maxima & Ecclesiastica dignitate summæ proxima constitutis. Non me fugit interdum sanctos patres, cum de re fidei ageretur, in hæreticos acerrime, nullius habita ratione disseruisse, quos & recte fecisse, & ita facere debuisse fatemur omnes. At hic nec de fide agitur, nec de bono ab Ecclesia vsurpato, sed ex grauissimorum hominum opinione permisso. In Regem vero disseritur, à maioribus Sanctissimis & maxime Catholicis ortum, religiosissime educatum, summa in DEVM pietate, singulari morum probitate, egregia animi moderatione præditum, Obedientia vero, & in hanc sanctam Romanam sedem obseruantia tanta, quanta in priuato homine, in religioso viro, nedum in Principe potentissimo posset optari. Si dices, quænam sunt ista, quæ me acriter nimis dixisse putas? Primo quidem pagina 680. *Sub vocabulo*, inquis, *Monarchiæ, præter Monarcham vnum, quod vnum caput visibile in Ecclesia est cognitum, aliud in Monarchia Siciliæ obortum, pro monstro & ostento caput Ecclesiæ.* Dura nimis & acerba videntur, vt cuius in vna potentia, & maxima in DEVM pietate Ecclesia vniuersa indixa tuto conquiescit, is tandem Ecclesiæ monstrum dicatur & ostentum. Nec eorum dissimilia, quæ non multo post sequuntur: *Quod nec à Tyrannis ipsis, Ecclesiæ Romanæ perduellibus, neque ipsis acerbissimis Romanæ Ecclesiæ persecutoribus Monarchiæ nomen vsurpatum.* Quo fit, vt Rex Hispaniæ tyrannus, & Ecclesiæ hostibus deterior sit, qui vnus eo Regnorum suorum neruos, eo sensus omnes suos cogitationesque conuertit, vt barbaros omnes Christiani nominis hostes opprimeret, cæteros vero Christianos Reges suo in officio contineret. Pagina vero 662. *Absit longe vt Monarchiæ illius dicatur Vrbanus erector, in contumeliam DEI, & opprobrium Apostolicæ sedis.* Nec qui Monarchiam hanc Apostolicæ sedi subordinatam tuentur, nec qui de illa scripsere, DEVM aut Apostolicam sedem aliqua vel leuissima contu-

melia afficere voluisse putem. Nam Rex, qui ea nunc potitur & fruitur, tantum abest, vt id aliquando cogitaret, vt omnia sua Regna ruere mallet, quam aliqua, aut DEO, aut huic sacrosanctæ sedi, ipso annuente, inferretur iniuriæ nota. Mitto illo pagin. 683. *Ista sunt quæ manus audax ad sacrilegium promta abstulit à recitato Papæ diplomate.* Taceo exclamationem pagin. 684. *O fraudem solennem Cornelia lege plectendam!* Quid tibi Ecclesiastico viro Principem corrigenti cum Cornelia lege commune? Hæc ne præcepta historiæ? Hæc tibi debitæ signa beneuolentiæ? Hæc sacrosanctæ sedis modestiam, & Ecclesiastici Imperii vrbanitatem deceni? Equidem id omne, & ab Historico & à viro tui simili, qui ad hunc honoris gradum euectus, præ cæteris se Christianum Antistitem, pium, religiosum debeat profiteri, quam maxime alienum puto. Tandem illa pag. 695. *admiratione dignum videtur, vnde emerserit, vt falce Apostolica succisi infelices palmites iidem:* & quæ sequuntur; & pag. 696. *Imitantur plane atque sectantur, qui iisdem, quibus illi, legibus Siculam reuocant atque renouant Monarchiam.* Vide quam longe absint ab illorum imitatione. Monarchiam illi, sede Apostolica obnitente, si multorum annorum, ac seculorum spatio, Pontifice permittente, tuentur; illi dum se Monarchas crearent, Romanum Pontificem, nullius potestatis esse asserebant; at Rex Hispaniæ, cæterique qui illum Monarcham Siciliæ esse prædicant, & Monarchiam à summo Pontifice diplomate acceptam, & ipsum Romanum Pontificem CHRISTI Vicarium, omnium, Dominum esse fatentur, & quauis in re, & obsequuntur & parent. Præterea hæc, nec quidquam Historiæ prosunt, & vix credi potest, quantum & cæteri, quibus contraria probatur opinio, & regius ipse animus irritetur. Quæ quidem omnia quicunque perlegerit, asseret potius in Monarchiam te esse. & illius asseclas acerrime inuectum, quam huius rei historiam scribendam suscepisse. Forsan respondes, te non contra Regem, sed contra Monarchiam, & illius asseclas hæc dicere instituisse, quod in ipso historiæ huius profiteris ingressu. Verum quis maior assecla, quam ipse Rex? Qui non ignarus Monarchiæ personam, à maioribus suis, hæreditario iure acceptam, tot Pontificum authoritate permissam, grauissimo doctissimorum hominum iudicio probatam, sustinet, tuetur, & regit. Hæc ipse assero, meo ingenio parta, aliorum plurimorum auctoritatibus dedita opera omissis, ne tecum agerem contendendo, sed potius tibi obsequendo, id à me scriptum agnosceres. Neque enim minora possent, aut pauciora contra te, pari stylo atque orationis libertate referri. Præsertim cum me magis deceret plurima & grauissima quæque, in vnum congesta proferre, quibus contra hanc tam vberiorem dicendi licentiam Regem Catholicum pro viribus tueret, quam te tam multa contra Augustissimam illius Maiestatem inuenisse, quæ diceres, ea abs te rogatus, tibi offero, speroque fore, vt quæ ego amore, ac Christiana pietate & legi, & scripsi, eadem tu, & oblata excipias, & legas excepta.

PHILIPPI

PHILIPPI HISPANIARVM REGIS EDICTVM

Anno 1610

CONTRA TRACTATVM DE MONARCHIA SICILIÆ, A CAESARE BARONIO VNDECIMO ANNALIVM ECCLE-*siasticorum tomo insertum.*

PHILIPPVS &c.

Locum tenens in Regno Siciliæ, Illustribus, Spectabilibus, Magnificis & Nobilibus Regni eiusdem Magistro Iudiciario, Præsidibus Regiorum Tribonalium, Iudicibus Maiestatis Regiæ Catholicæ, Magistris Rationalibus, Thesaurario & Conseruatori Regii patrimonii: Aduocatis quoque, & Procuratoribus fiscalibus, cæterisque demum, dicti regni Officialibus maioribus, & minoribus, præsentibus & futuris, cui vel quibus ipsorum præsentes præsentatæ fuerint, Consiliariis & fidelibus Regiis dilectis, Salutem.

Sacra Catholica Regia Maiestas Regis Domini Nostri, diplomatibus suis quod sequitur, decernit.

DOMINVS Philippus Dei gratia Rex Castiliæ, Legionis, Aragoniæ, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Lusitaniæ, Nauarræ, Granatæ, Toledi, Valentiæ, Gallecíæ, Maioricæ, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ; Corsicæ, Murciæ, Iaen, Algarbiorum, Algeziræ, Gadium, Insularum Canariarum, Orientalis & Occidentalis Indiæ, Insularum, & continentis Oceani. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantii, Mediolani, Athenarum, Neopatriæ. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis, Barcinonis, Russinonia, Cerdaniæ. Marchio Oristani, & Gorceani. Cantabriæ, & Molinæ Dominus.

Quoniam nobis innotuit, & continuationibus nostrorum consiliorum, & prudentum virorum relationibus, qui obsequii, existimationis nostræ, & quietis clientum nostrorum, speciatim fidelissimi Regni nostri Siciliæ Indigenarum æmuli sunt, ad nos perlatum est, Cæsarem Baronium olim S.R.E. Cardinalem, in *vnde- cimo Annalium suorum Ecclesiasticorum tomo* (quos scriptos & editos reliquit) in vita Vrbani Pontificis II. *anno 1097.* longa & prolixa dissertatione, verbis & rationibus minus æquis & modestis, ac ipsius postularet professio, cum accusantis & inuehentis potius, quam historiam referentis personam induat, aggressum, nō modo in suspicionem adducere, sed etiam falsos & iniustos, ac violentos titulos & origines euincere, quarum ope decessores nostri Serenissimi Reges Siciliæ, simul cum dominio regales & prærogatiuas acquisiuerunt quas hucvsque pacifice tutati sunt, & conseruarunt, & quæ ad nostra vsque tempora sine interruptione legitima deriuatæ sunt. Quia vero non debemus nec possumus sinere, vt lectione relationis adeo temerariæ, cuiusmodi est hæc Cardinalis, commoueantur, turbentur, & in nos subditorum insurgant animi, & regum illorum ac nostra existimatio & conscientia vlla vnquam labe adspergi queat, cum certum sit, vt ex ipsius exclamationibus & exaggerationibus colligere est, priuato abreptum fuisse affectu; exigua cognitione præditum & ex veritatis historicæ ignorantia, minime condonanda scripsisse, cum id palam notum sit illos decessores nostros, iura illa, Maiestatis, scepti, & huius Regiæ Coronæ ceu attributa propria, & prærogatiuas antehac acquisiuisse & obtinuisse, vt deinde retinuerunt & conseruarunt, cum benedictionis, concessionis, permissus taciti & expressi summorum Pontificum, quantum foret opus, accessione, qui hæc, ratione iustæ gratitudinis deuincti, in aliquam magnorum & eximiorum beneficiorum remunerationem contulere, quibus Catholici Reges de Dei Ecclesia & Sancta sede benemeriti sunt, quod Regnum hoc, in ipsius sinum, & eius obedientiam reuocarint & coegerint: posteaquam multos iam annos, arcano Dei permissu, in dedecus & ignominiam, non sine discrimine & terrore aliorum Regnorum, ac orbis Christiani prouinciarum, præcipue vero Italiæ: quinimo ipsius Vrbis, in qua est Thronus S. sedis Apostolicæ, Matris & capitis Ecclesiæ Catholicæ; potestati Saracenorum subiectum, & Mahumetanorum iugo mancipatum fuisset: quoque in adeo præclara victoria sanguinem suum profuderint, atque etiam ingentes opes & Regium Patrimonium consumserint, instaurandis & dotandis Ecclesiis, & Monasteriis, quæ cum olim Templa fuissent, in quibus cultu diuino verum Domini Nostri nomen celebrabatur, vbi confessio & professio Catholicæ religionis fiebat, illa infideles in perfidi Mahometis Meschitas, & equilia versa & mutata, sacrilegio detestabili contaminauerant. Quæ gesta cum adeo grata Sanctis Romanis Pontificibus

fuerint, nec non aliis, quæ non minoris æstimanda sunt, cumulata sint, quibus successores primorum illorum regum & nostri progenitores, ac nosmet ipsi, sedis Apostolicæ authoritatem, maiestatemque tutantes, personas & facultates nostras, quibuscunque hostibus, quibus eam minuere, aut euertere fuit animus obiiciendo, bene mereri de illa sede pertreximus, ita vt Dei beneficio floruerit, & etiamnum purius & Catholice magis in Siciliæ Regno quam in cæteris orbis Christiani partibus vigeat. Inde colligere licebit, non iniusta aut viciosa, sed contra iustissima & illustrissima principia fuisse, quæ titulum possessioni vindicarunt, qua per tot secula supra dicti Reges, ex harum regalium & prærogatiuarum iure, potiti sunt, & qua cum nostræ conscientiæ, famæ Christianæ, & ad S. sedem Apostolicam obseruantiæ fiducia, frui potuimus & potiri perpetuo possumus. Quocirca opportuno præcauere volentes remedio, quo periculum id arceatur, quod tandem nobis tolerantibus aut dissimulantibus libri illius concessa lectio & relatio pareret: ac officio satisfacere cupientes, quo iura legitima & iusta, in quæ simul cum Regnis, & ditionibus quas Domino nostro nobis visum est committere, successimus, tueri tenemur: ansam, qua per has ipso etiam maleuolorum & nostræ felicitatis æmulorum iudicio, calumnias Maiestati & coronæ nostræ nostra inuratur, manifesto cum scandalo quod & in nostro Siciliæ regno, vel aliis accidere posset, præbere nolentes: causa communicata, & in consistoriis nostris in deliberationem vocata, decernere, mandare, & iubere hoc Edicto & Pragmatica Sanctione constituimus, Ne cui cuiuscunq; si ille dignitatis, sortis, & conditionis, quouis insignitæ priuilegio, dictum *vndecimum tomum*, adscripto autoris, vel alterius cuiuspiam nomine, excusum vel manu scriptum, quocunque extet idiomate, cum dissertatione illa aduersus dictam Monarchiam, quæ à versu incipit, *Hic autor aggreditur*, & desinit (*Iam vero cauentes receptus, quæ post Vrbani Papæ datum Diploma Salerni, sunt secuta, narremus*) sine examinis & castigationis à delegatis factæ testimonio, exponere, habere, vendere, & in Regnis nostris & ditionibus emptitare liceat. Mulcta primo delinquenti quingentorum aureorum in regno & ditione in qua id accidet vsitatorum, irrogata: qui Regio nostro fisco, Iudici & delatori ad trientem addicantur. Iterum delinquenti eadem mulcta pecuniaria irrogabitur, & quinquennale à Regno exilium, quo non seruato duplum nobilis pendet, ignobilis, ad remigia damnatus addicetur: quod ad eos etiam pertinet, qui nunc eum librum habent: nisi delegatis ad hanc castigationem intra decimum quintum ab huius Edicti promulgatione diem reuelarint & tradiderint. Quod vt sigillatim debita cum obseruantia executioni demandetur, Diplomata & mandata nostra ad omnes Senatus & Consistoria prope nos residentia perferri iubemus, vt cæteris in regnis ac ditionibus obseruentur, & effectum sortiantur. Præterea iubemus Proregibus, Præfectis, Legatis, Strategis, Consistoriis, Senatibus, Cancellariis, Audientiis, Tribunalibus, Iudicibus, Iudiciis, eorumq; officialibus maioribus & minoribus, præsentibus & futuris, & ipsorum singulis, vt in prouincia & iurisdictione sua, inuiolate quod Regio nostro Edicto præscribitur, executioni demandari curent. Datum S. Laurent. 3. Octobr. CIↃ IↃCX.

EGO REX.

R. vidit Lanz. R. vidit Quintana Duegna. R. vidit Caymus. R. vidit Marcus Antonius de Ponte. R. Dominus Rex mandauit mihi Laurentio de Aguirre, Panhormi die 16. Decembris 9. indictione 1610. præsentata Illustrissimo Domino Locum tenenti Generali. Et mandat quod Spectabilis Regius Consiliarius Conseruator Regii Patrimonii recognoscat & referat. Vincentius Lanfruccus M. N. eodem facta recognitione & relatione prædicta, sua illustrissima Dominatio mandauit quod fiant executoria. Io. de Vegha Conseruator. Quare S. M. præscriptum executioni mandantes, & impositis mandatis obsequentes: Iniungimus, vt præinserta diplomata, & Edictum iuxta eius seriem & normam executioni, per eos quorum exequendi & obseruandi sunt partes, demandari curetis, si regiæ gratiæ vlla est æstimatio, contra ire cauentes. Datum Panormi die 17. Septembris, 9. Indictione CIↃ IↃCX.

CARDINALIS IANNETINVS DORIA.

Dominus Locumtenens Generalis mandauit mihi VINCENTIO LANFRVCCO *M. N. visa per Io. de Vegha Conseruatorem.*

Io. de Vegha C.

Imprimatur de R. A. G. P.

GVILIELMI

GVILIELMI BARCLAII, IC.

TRACTATVS DE POTESTATE PAPÆ;

AN ET QVATENVS IN REGES ET PRINCIPES *seculares ius & imperium habeat.*

Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei Deo.

BENEVOLO LECTORI S.

HVnc librum à Guilielmo Barclaio, & genere & moribus illustri viro, diu elaboratum, nec dum tamen exactum ad vltimam limam, primum curis, mox senecta, fato denique interueniente, Accepi, mi Lector, vt & opus tuo seculo vtile, & cum Mundo duraturum, Tot vigilias extingui cum authore noluimus; sed potius authorem in iis perennare. Maiestas argumenti & quotidianus vsus: tum aperta & subtilis disputandi ratio, non conuiciis atrox, non transuersa affectibus, & præterea authoris integritas & in religione constantia, hunc librum ita commendabunt, vt tantum in Virtutis & veritatis exilio repudiari possit. Argumentum antea vel infame vel suspectum, hæreticis eo abutentibus ad Pontificis & Religionum despectum, & mixtura *spiritualium* rerum hanc *Temporalem* contrampentibus causam. Ecclesiam Palmæ facilime componas; Vt hæc in onera nititur, sic illa in hæresium pondere animosior exurgit. Quicquid sectarii hoc seculo susceperunt oppugnandum, sanctius & religiosius colimus. Plura templa peregrinantibus aperta plures *Indulgentia* concessæ merentibus, tituli que sanctæ virgini non supra pietatem, sed supra morem additi. Præcipue Pontificem Romanum, cui potestatem omnem abrogabant à Nouatorum furore asseruimus, sublata ex scholis quæstio supra concilium nec ne esset. Nihil Conciones, nihil subsellia, quam eius prærogatiuas detonare: quæ profecto, in Spiritualibus summæ sunt. Denique videbatur ad externam gloriam fuisse Apostolicæ sedi exoprandus hic hæreseos turbo. Sed veteri mortalitatis malo aut in superstitionem religiones degenerant, aut, à cœlis ad humana commoda abducuntur. Igitur multi dum spiritualia Pontificis iura propugnant, illam quoque potestatem astruxere, quam à quingentis demum annis sedes Romana in temporalem authoritatem Principum vsurpauit, si monimentis credimus: non sæpius aut atrocius Principibus quam Pontificibus funestam. Illam, inquam non pauci astruebant, vel cæca pietate & hæreticorum odio, vel hierarchæ suo (qui enim præter Ecclesiasticos) studẽtes, & quasi ex domini maiestate addituri seruituti dignitatem. Mox vulgus (in quo sciolos omnes pono, id est magnam Latine scientium partem) illuc im adduci ad religiosam ineptiam, vt quicquid magni isti & canti magistri præcepissent, tuerentur, & præterea in Pontifice ipsum Numen aut Regibus præfici aut repudiari crederent. At alii quibus mens altior, nec empta Ecclesiasticis opibus, hunc errorem credulorum, aut prudentum versutiam deuouere, vel ridere. Raro tamen vox publica aut libera tam iuste querentium exsonuit. Quidam hanc vanitatem contempsere. (Nam reuera quid absurdius quam Principum fasces omni iure, omni lege liberos, Romanæ Purpuræ mancipare, nec armorum vi, nec rationis, sed miseris argumentis, consequentiis detortis & similitudinibus? quæ saltem non iis validiora sunt, quibus Hæretici volunt Spiritualem potestatem à Pontifice extorquere? Alii non publicam omnium Regum, sed priuatas, vt incidebant certorum Principum causas egerunt. Multi denique timuerunt ne turbidis rebus, & stulta vulgi pietate viderentur, non tam amore veritatis quam Pontificis odio istam quæstionem excussisse. Nam & præclarum Politici nomen quam nuper turpiter violatum, quam male audiuerit, non possumus nisi cum sempiterno sensu nostrarum miseriarum obliuisci. Nunquam tamen defuerunt, qui his nostris temporibus, ex illo malorum freto, easdem procellas expectarent quæ in nostros Maiores sæuierunt. Nam quæ in immensa libertate Pontificum vel causa vel regio hos turbines à Principibus prohibeat? cum priuatæ inimicitiæ Nauarram Ioanni Regi abstulerint? & nuper Philippus ille Catholicus, hæresis in suo populo in sua prole vltor, Sixti V. animosa Consilia vix euaserit. Res certa, sed quia in cunabulis extincta obscurior, Sixtum eoocepta iam in Hispanum sæua illa Excommunicationis formula subita febre esse sublatum, quod ni interuenisset illa mors, quæ fax, quæ tempestas Ecclesiæ imminebat, Italia & Hispania

Ioannes Barclaius Authoris filius. vt scribunt.

Hispania bellis, & per hoc hæresibus, aperta? Adeo cœleste Pontificatus munus plus mortalium affectuum ad illud obeuntibus accipit, quam in eos diuinitatis infundit. Nec, vt modo dicebam, defuerunt qui particulares causas susciperent, vt qui antea pro Rege Christianissimo, & nuper pro Venetis scripserunt. Sed omnes in partibus erant; nec adhuc extitit qui procul à factionibus hanc quæstionem aggrederetur. Ecce tandem in hoc libro vox hominis Catholici non præoccupata, non corrupta: & in ea sensus Catholicorum omnium qui nec ineptiunt, nec sua iudicia ad priuatas vtilitates cogunt. Quid autem hunc authorem impulerit, illustris memoriæ virum vt de hac Pontificis potestate scriberet, vt ab eius intimis accepi sic referam. Nam de eius religione tot testes sunt, quot illum aut in Lotharingia, aut Andibus nouerunt. Acerrimus Catholicæ ac Romanæ fidei assertor, ne quidem minima impietatis aut hæreseos suspicione inundatus. Ipsa quoque Iesuitarum sententia vir eximiæ supra doctos religionis, & supra Laicos pietatis. Istum librum ante annos plus minus viginti exorsus est, furentibus bellis, & pene in supremo Galliæ fato. Henricus 3. parricidio Monachi ceciderat, & Lotharingia, vbi tunc degebat, ad miseri fœderis societatem accesserat. Barclaius in sententia constans, cum res parum verbis iuuaretur, scriptis incubuit. Reges tum à Pontificis, tum à populi potestate asserens. Et quidem *De regno* libros, quibus popularem ambitum exagitabat nulla dissimulatione conscripsit. Sed hoc opus secreto aggressus est, cum tunc aliquid Pontifici negare hæresis censeretur. Sedatis tandem rebus ipse per ocium recensere primas curas, & opus iam maturum Clementi VIII. Pont. Max. vouere. Verum domesticis negotiis auocatus à communi cura, retraxit à typographia iam fugientem fœtum. Nec infelix mora fuit, quanquam longa & annorum pene decem. Multa in eo addita, emendata plura, sed & detractis leuioribus ingens volumen commode ad pauca reuocatum. Accendebant hominem & pietate & iam senecta liberiorem illæ turbæ quas multi ominabantur, cum Pontifex in Anglum Venetosque districtus, illum quidem iam à sacris nostris alienum acerbare, hos autem alienare videbatur. Sed tam pium conatum intercepit felix & in Christo obitus. Amici autem hunc postbumum fœtum à paterno sepulchro exemerunt. Accipe igitur, Lector, hoc scriptum, quod vt imperfectum fine caret, ita & morte. Non videbis ineptias Bosii, aut Doctorem Martham homines omni risu dignos, (nam grauiora supplicia non omnino desipientibus relinquo) sed robusta argumenta, graui iustoque pondere ferientia. Quod si aliquis hoc opus refellere instituet, velim ne oratoria fraude tantum leuia quædam carpat, in quibus nec ipse author multum subsidii posuerit: Sed ipsam vim rationum excutiat, diluendi aut asserendi vitia accuset. Si quis aliter faxit, sciat Guilielmi Barclai cineres loqui posse. Vale, & fruere.

SANCTIS

SANCTISSIMO PATRI AC DOMINO CLEMENTI VIII. PONTIFICI MAXIMO, Anno 1610

GVIL. BARCLAIVS. S.P.

SI à Petro in hunc diem tuæ Sanctitati similes Episcopos Romæ vidisset, (Summe Christianorum pater & Præsul) non fuisset hoc tempore isti quæstioni locus. Moderatio, & nomine tuo digni æquabilitas, aut non aperuisset aditum huic rei, aut grauiori præiudicio firmasset. Quæstionem de temporali tua sedis in Reges & Principes potestate hic excussi, quæ tantis motibus tantoque sanguine agitata, non sæpius Principes quam Ecclesiam afflixit; Tuoque nomine dicaui, ne aut defugisse authoritatem tuam viderer, aut Regum potius quam Ecclesiæ rem gessisse. Quod si id non ad gustum omnium, cogitent velim, nulla medicamina sine amaritudine salubritatem infundere. Argumentum fortasse inuidiosum, scrupulosis hominibus, aut inimicis meam mentem sensumque torquentibus: quod tamen Sanctissime Pater tum veritatis studio suscepi, tum quod hanc potestatem semper censui omnium fluctuum fontem esse, quibus hodie hæresis tuum nauigium lacessit. Iulius II. Pontifex, repentinis inimicitiis mutatus, non modo in Ludouicum XII. Galliæ Regem detonuit, sed & Iohanni Nauarræ Regi, quod in auxiliis Gallis fuisset, imperium abrogauit. Et quidem Ludouici fortuna hoc Pontificium fulmen à Gallia submouit. Sed Nauarrenus, cum à latere Hispanum haberet, Pirenæis autem excluderetur à Gallia, Romanæ & Ibericæ ambitioni impar fuit. Spoliatus maiori parte regni recessit in Galliam, vbi amplas clientelas, & gentiles habebat. Superuenit incendium quod Lutherus conflauit, & Iohannis Nauarrei hæredes proprio odio incitati facile ad partes abscesserunt quæ in sedem Romanam coibant. Horum igitur Optimatum studiis hæresis primum per Galliam dispersa est, quæ per ipsas flammas, mox per bella in hunc diem durauit. Henricum autem VIII. Angliæ Regem quis dubitat eiusdem potestatis odio non tam à religione quam à Pontifice secessisse? Clemens VII. se Henricum Regni iure priuare edixerat? & ille non iniusta fortasse, sed cæca & intemperanti iracundia exarsit. Angliam occasione Schismatis hæreticis patefecit, qui mox sub Edvvardo VI. validi auita sacra sustulerunt. Scotia autem vicinia & communione Angliæ tentata, cum sub Iacobo V. restitisset, tandem sub Maria initiis imbuta, & mox insinuante se veneno corrupta est. Ita quicquid hæreticorum in Gallia Britaniaque hodie est, id est illorum vnicum robur, hoc temporalis potestatis miserabili calore, tanquam pestilenti ouo conceptum est & educatum. Vide, Pater Sanctissime, quam non expediat Ecclesiæ istud imperium vindicare, quod veluti Seiani equus proprios dominos peruertit. Hoc igitur opus, non Principum, sed religionis & veritatis studio aggressus sum, tibique summo pastori, syncero & supplici animo obtuli, cuius est de lepra & lepra iudicare. Si quid erit in his scriptis quod probum aut vtile putabis, ego sane tanti testis suauissima memoria meam senectutem oblectabo. Sin probato fortasse studio meo, tamen improbabis sententiam, erit apud posteros moderationis tuæ signum quod innoxia libertas disputandi sub te nemini fraudi fuerit. Sit hoc moderationis tuæ, at nunquam pertinaciæ meæ signum: quicquid enim huius negotii est, tuo examini relinquo, vt hoc libello non tam quid sentiam exprompsisse, quam à tua Sanctitate quid sentire debeam, videar quæsiisse. Vale.

GVIL.



GVIL. BARCLAII, IC.

DE POTESTATE PAPÆ;

AN, ET QVATENVS, IN REGES ET PRINCIPES SECVLARES IVS ET IMPERIVM HABEAT.

LIBER POSTHVMVS.

MVLTI de hac quæstione, nostro præsertim seculo, multa varie & varias ob caussas scripserunt: sed nemo doctius & luculentius, quam illustrissimus Cardinalis, & eruditissimus Theologus, *Rob. Bellarminus*, in libris quos de Summo siue Romano Pontifice inscripsit: qui si vt spiritualem & Ecclesiasticam Pontificis Romani potestatem egregie comprobauit, ita temporalem illam potestatem, quam ex quorundam Theologorum sententia dicit eum habere indirecte, solidioribus authoritatum & rationum momentis stabilire potuisset, non esset quod in illo tractatu aut iure carperet aliquis, aut desideraret. Si itaq; complures tum Theologi, tum Iurisconsulti, alii post alios, in eandem hanc quæstionem excutiendam incubuerunt, nec priorum de ea iudicium sequentium scriptorum sententiis præiudicauit, cur non & ego aliquē indagandæ veritatis locum, (quandoquidem in eo studio ætatem consumpsi) meo mihi quodammodo iure vendicem.

Sed antequam ordior quid de hac re sentiam explicare, diligens à me cautio & præmunitio adhibenda est, *ne vel aliquod inde sequatur scandalum pusillorum, qui æstimant Papam esse vnum Deum qui habet potestatem omnem in cælo & in terra* (vt Gersonis a verbis vtar) vel adiumentum aliquod accedere videatur nouatorum calumniis, quibus sedem Apostolicam consectantur, vt supremo animarum Pastori potestatē omnem abrogent. Monendus igitur inprimis lector est, omni me reuerentia & beneuolentia Sedem illam prosequi, nec id aut hic aut alibi agere, vt debitæ potestatis & dignitatis aliquid decedat Vicario Christi, & successori SS. Apostolorum Petri & Pauli, quorum patrocinio adiutum me quotidie, pie planeq; mihi persuadeo: sed eo tantum animo esse, vt quæ illa potestas sit & quanta, quam in Pontifice Romano, id est, summo Pontifice & Papa, (vt vocant) Christiani omnes agnoscere debeant, sine fuco & fallaciis, sine studio & odio perquiram: & vt earum affectionum vacuus, quæ in alterutram partem mentes hominum inclinant, Deum solum præter oculos habeam, ne forte redeunte Domino, vel inutiliter expensi, vel absconditi talenti reus postuler.

a In resolut. circa materiam excō. consider. 11.

Eos itaq; obsecro qui ante me, bono vt opinor animo, scripserunt, ne indignentur aut succenseant, si ab illorum opinione recessero. *Neq; enim*, vt cum S. Augustino dicam, b *quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua reuerentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atq; respuere, si forte inuenerimus quod aliter senserint quā veritas habet diuino adiutorio ab aliis intellecta, vel a nobis. Qualis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum*, vt aut gratis scilicet admittant, aut cum ratione reprehendant. Sed ad rem.

b Epist. 111. ad Fortunatianū Episc. de videndo Deo, refertur dist. 9. can 10.

Duplex Catholicorum quidem hominum (nam alii quid sentiant nihil moror) sed nimis Pontifici addictorum de hac quæstione opinio est. Vna Canonistarum, qui *Papæ iura omnia cælestis & terrestris imperii à Deo concessa*, & quicquid in hoc terrarum Orbe potestatis est, siue temporalis & ciuilis siue Spiritualis & Ecclesiasticæ, id omne in *Petrum* & eius successores à Christo collatum esse affirmant; cui principio nulla non facile annectunt, quoties de absoluta potestate, siue de plenitudine potestatis (vt loquuntur) summi Pontificis, aliqua suboritur disputatio. Altera opinio est quorundam Theologorum, quibus fundamentum hoc Canonistarum merito displicet, quod neq; Scripturæ authoritate, neq; Apostolorum traditione, neq; veteris Ecclesiæ praxi, neque antiquorum Patrum doctrina & testimoniis liquido comprobetur. Hi ergo istam illorū opinionem solidissimis rationibus conuellunt: sed ita tamen vt ex eius abdicatione, nihil iuris & potestatis temporalis Pontifici depereat, quin id ei alio modo in tuto collocent, integrumque conseruent. Sic igitur statuunt *Pontificem vt Pontificem non habere directe vllam temporalem potestatē, sed solum spiritualem: tamen ratione spiritualis habere saltem indirecte potestatem quandam, eamq; summā, disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum.* Atq; ita quicquid illi recto ordine, id isti oblique & per consequentias Papæ tribuunt, vt ratio tantum diuersa, res eadem sit.

Mihi vero hanc animo quæstionem versanti neutra istarum opinionum, quantum ad tem-

poralem

poralem potestatem, satis firma visa est; Canonistarum tamen quam Theologorum, si inter se conferantur, facilius posse defendi: cui saltem non repugnet ordini naturæ, quo quis imperium sibi in alios concessum iure suo exercet: ac proinde nihil contineat *ἀδύνατον*. At vero Theologorũ sententia, vt est à suis assertoribus proposita, naturalem rerum ordinem euertit, qui vult, ne quis potestate & imperio in alios vtatur, quod neq; sibi nominatim concessum est, neq; ad explicãdas res suæ fidei mãdatas prorsus est necessarium. Theologi itaq; isti Canonistarum opinionem probissime refellunt, sed pace ipsorum dicam, nec ipsi melius sentiunt; vt inde dignosci possit, quanto cuique facilius sit in aliorum scriptis falsum deprehendere, quam in suis verum astruere.

Est & inter ipsos Theologos de hac re contentio: nam multi Canonistis se socios addiderunt, seu quod veri specie decepti sint: seu quod sedem *Petri* nulla non laude dignam, nimio & cæco affecto prosequentes, hoc etiam potestatis & dignitatis apice ornare voluerunt: seu denique quod singularibus Pontificum beneficiis deuincti, isto eos referendæ gratiæ studio sibi arctius conciliare, ne dicam immodica assentatione demereri, cupierunt. Atq; horum, vt opinor, in numero est, qui nuper de congregatione Oratorii exortus, *a* acriorem se cæteris astipulatorem Canonistarum obtulit; quem propterea vir doctissimus, & nobilis Concionator, si quis in Iesuitis est, cum ab eo, quid de hac *Bozii* opinione sentiret, percontaret, *Papàlem parasitum* vocabat. Nam libris editis enixe cõtendit, *Omnem vim regiam, omniumq; rerum quæ in terris sunt, potestatem & dominum datum esse Rom. Pontifici iure diuino:* & quicquid potestatis vspiam terrarum habent Reges & Principes seculares, tam fideles q̃ infideles, id totum à Papa pendere; & quantum ad executionem temporalẽ tantummodo ab eo in illos deriuatum: ita vt ipse, velut totius Mundi dominus, regna & principatus, cui & quando voluerit, dare vel auferre possit, quamuis nemo sciat causam cur ita faciat. *Ac proinde*, inquit, *potuit Indias Occidẽtales Castellæ, Orientales vero Lusitaniæ Regib. adiudicare & addicere, quãuis cuncti homines ignorarent connexionẽ rationis qua addicebantur, vt supra dicebamus.*

a Thom. Bozius.

Huius itaq; opinionis tuendæ fiducia erectus, multos excellentes Theologos (in quib. est vir ille maximus & nunquam satis laudat. Bellarminus) grauiter incusat, *b* & nouos Theologos vocat: *c* atq; eos *apertissime falsa, & aduersus omnẽ veritatem pugnantia docere*, eo quod dicant Christum vt hominem, non fuisse Regem temporalem, nec vllum dominium temporale in terris habuisse, nec exercuisse vllam regiam potestatem (istis enim assertionibus euertuntur præcipua deliriorum Bozii fundamenta) cum tamen magni illi Theologi verissima, ac proprio Saluatoris testimonio confirmata asserant. *Vulpes*, inquit, *d foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Vbi ergo eius regnũ? vbi dominium temporale? quis animo concipiat, Regem aliquem aut dominum esse posse, cuius neq; regnum vllum, neq; rei alicuius dominium in rerum natura sit? Scimus Christum, qua Dei filius est, Regem gloriæ, Regem Regum, cæli & terræ rerumq; omnium dominũ esse, vna cum Patre & Spiritu S. æternum regnantẽ: at hoc quid ad regnum temporale? quid ad sceptrũ fasceíq; secularea maiestatis? Legi equidem diligẽter quę in hanc rem Bozius edidit; sed nihil solidæ rationis ad sententiæ suæ confirmationem, non alienis fallaciæ & captionis admistione corruptum, nihil vetustæ & probatæ authoritatis, non adulterinæ interpretationis fuco deprauatũ inueni. Fuit olim in eodem errore Henricus Segusianus Cardin. Hostiensis, cuius noua tunc & inaudita opinio Bonifacium VIII. hominẽ per se quidem gloriæ auidũ, velut nouis ambitionum facibus non multo post supra modum videtur accendisse. Sed bene nunc res vertunt, quod Hostiensis illa opinio (quam Canonistæ postmodum sequuti sunt, quamq; Bozius iam amplectitur) à Theologis quibusdam firmissima ratione damnata sit; Et quod Ecclesia Dei eum nunc habeat Pontificem Max. nempe Clementem VIII. qui non solum pietate & doctrina, sed humilitate, iustitia, charitate, cæterisque virtutibus tanto Pastore dignis, insignem se & conspicuum orbi præbet; vt non sit, quod metuamus tãtum Pontificem, tam putida opinione, quæ solis ineptiis, & captiunculis verborum suffulta est, commotum & infectum iri, vt aliquid sibi indebitum arroget. Neq; Bozius tam temerarias assertiones tanto Pontifici dedicasset, nisi omnia auderet audacia. Superuacui otii esset, errores & ineptias eius omnes, minutatim perstringere. Tantum, ne hominem gratis reprehendisse videar, vnum deliriorum & argutiarum eius testimonium subiiciam, vt Lector ex vnguibus de animali iudicet.

b Libr. 2. cap. 21.
c Libr. 5. cap. vlt.
d Matth. 8. Luc. 9.

CAPVT II.

PRincipio sciendum est, duas illas potestates; quibus Mundus in officio continetur, Ecclesiasticam scil. & Politicam ita iure diuino distinctas & separatas esse, vt (quamuis ambæ à Deo sint *e*) vtraq; suis terminis conclusa, in alterius fines inuadere suo iure nequeat, neutriq; in alteram imperium sit *f*, vt pulchre & suauiter S. Bernardus docet lib. 2. *de Consider. ad Eugenium g*, & inter recentiores Theologos Ioann. Driedo. *h* Eamque ipsarum harum potestatum discretionem Magnus ille Hosius Episcopus Cordubensis, ad Constantium Imp. Arianum scribens, apertissime ostendit: cuius sententia in S. Athanasii epistola ad solitariam vitam agentes, in hunc modum relata est: *Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ sunt ecclesiæ ad te trahens, magno criminis obnoxius fias Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neq; tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.* Hinc est, ex hac in quam potestatum distinctione, quod Innocentius & Panormitanus concludunt, *k* laicos

e Rom. 13.
f Can. duo sunt. can. cum ad verũ 96. dist. cap. nouit. de iud. cap. per venerabilem. qui filii sunt legit.
g cap. 8.
h Libr. 2. de liber. Chri. cap. 2.
i Matt. 22. Marc. 12.
k In cap. inquisitioni de sent. ex.

non teneri obedire Papæ in iis, quæ non sunt spiritualia, siue quæ non concernunt animam, id loquuntur: nisi forte in illis terris degant, quæ subsunt temporali iurisdictioni Papæ. Atque ita restringi debet insinuandum illud professionis fidei in Bulla Pii IV. vbi dicitur: *Romano Pontifici, &c. veram obedientiam spondeo, ac iuro*, quando laicus est qui iurat.

Negat tamen Bozius hanc istarum potestatum distinctionem & temporalem sub Ecclesiastica contineri, eiq; directo subiectam esse; oppido quam imprudenter, affirmat. Sed animaduertebat se perspicua sanctissimi Pontificis Nicolai I. confessione premi, qui in Epistola ad Michaelem Imperatorem docet, a quod licet olim *Pagani Imperatores idem & maximi Pontifices dicerentur*, tamen *cum ad verum ventum est eundem Regem atq; Pontificem, vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit: quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusq; discreuit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in infernum demergi, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices, pro cursu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus vterentur, &c.*

a Dist. can. cum ad verum. 96. & sinodi.

Cum igitur hoc summi Pontificis testimonio veramq; potestatem suis propriis actibus, dignitatibus, & officiis, ita seiunctam & separatam ab altera cerneret, vt neq; potestas temporalis iura spiritualis potestatis, neq; hæc illius, vsurpare sine iniuria possit: vt inde homo ingeniosus se extricaret ad inauditæ interpretationis diuerticulum confugit: in quo se ridiculum, nec tam in inueniendo artificiosum, quam in efferendo temerarium ostendit. *Aduertendum vero*, b inquit, *in his Nicolai dictis. Primo non asserere ipsum laicalem potestatem distingui à spirituali, vt eam non habeat ecclesiasticus, sed vt secularis non habeat ecclesiasticam: propterea inquit discretas esse has potestates, non omnino, quasi alteri altera non subordinetur ac sit subiecta, sed discretas esse ait officiis, actibus, dignitate: simulq; cum dixisset, nec Imperator iura Pontificatus arripuit, non vicissim dixit, Pontifex non arripuit iura Imperatoris. Non ait iura, vt Nauarra in cap. nouit. perperam, neque, vt credo, aduertens retulit, sed ait Nomen.*

b Lib. 1. c. 12.

Quid facias tam futili aucupe verborum? quem putares studuisse vt Pontifex Nicolaus non Pastor sed impostor, nec docere sed deridere Imperatorem videatur. Quid enim? Nunquid de verbis ac non de rebus, de nomine ac non de iure & potestate, inter Papam & Imperatorem sermo? aut nunquid Pontifex, vt obscura verbi ambiguitate, vel mutatione, Imperatorem caperet, ac non potius vt simplice veritatis oratione instrueret, illam epistolam conscripsit? Scitum est leges rebus non verbis imponi c: & hæc epistola veluti Ecclesiastica quædam lex est. Quod ergo ait Nicolaus, *nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit*; perinde est ac si dixisset, *nec sibi iura Imperatoris non vsurpauit*: quod aduertens doctissimus Canonista pariter & Theologus Nauarrus; aliiq; omnibus seculis in scholis illis exercitati, *nomen & iura*, pro eodem in illa epistola acceperunt; quæ tamen ab isto verborum captatore, vel inscienter, vel malitiose; alio & alio perperam detorta sunt. *Scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem.* d

c L. 1. C. comm. de legat.

d L. Scire leges D. de legib.

Sed & hanc Bozii interpretationem refellit, quod Papa istis verbis; *Vt Pagani Imperatores idem & Maximi Pontifices dicerentur* (id est, *nominarentur*) non de inani & solo nomine intellexerit, quasi Imperatores vocarentur tantum Pontifices, sed de iure & officio; quod iura atq; officia omnia scil. & dignitates vtriq; potestati conuenientes vna cum nominibus occuparent: quod cum sit verissimum, nec id Bozius negare audeat; consequens profecto est, aut nullam illic antidiastolen, nec perfectam inter horum & illorum temporum Pontifices & Imperatores, differentiam constitui à Nicolao, aut per *nomen Imperatorium*, intelligere eum iura omnia Imperialia: vt quemadmodum post Christum agnitum & receptum Imperatores non amplius iura pontificatus, ita nec Pontifices, iura Imperatoria sibi arripuerint. Denique si Papa se nomen tantummodo Imperatorium repudiare, ius vero & potestatem retinere illo in loco significasset; annon merito Imperator reponeret, se non tam de nomine, quam de iure esse solicitum? quo sibi nomen, si alius ius ac potestatem habeat? Dixisset certe, nec tam grauem tulisset iniuriam, si tale quid ex verbis Nicolai Pontificis posse colligi credidisset.

At non dixit has potestates esse *omnino* separatas, inquit Bozius. Fateor, & id prouide, ne Pontificiis adulatoribus, aut aliis male feriatis hominibus facilem calumniandi ansam præberet: id enim verbum Bozius interpretaretur, *omnino, quantum ad executionem scilicet*: plus igitur & explicatius dixit, nempe has potestates propriis actibus, officiis, & dignitatibus esse discretas, vt manifeste ostenderet nullo modo esse coniunctas, nec alteram alteri esse subiectam, quamuis ambæ in eadem persona possint concurrere. Idem enim & Princeps temporalis & Pontifex esse potest: sed nec vt Papa temporalium, nec vt Princeps spiritualium rerum actus, officia, dignitates, cæteraque iura sibi poterit vendicare. Si ergo neque dignitatibus, neque officiis, neque actibus coniunctæ sunt hæ potestates, dicat nobis Bozius, ecqua in re sint coniunctæ? Si dixerit, in eo quod *altera alteri subordinetur & subiecta sit*: idipsum est quod negamus, quodque si verum esset, sequeretur necessario potestates illas, neque dignitatibus, neque officiis, sed tantum actibus esse discretas; atque ita hanc Nicolai Pontificis sententiam falsam esse. Nam dignitas, itemque officium, quod est in subordinato, non potest non esse in subordinante, cum ab eo in subordinatum deriuetur; inde est vt Princeps se violatum putet, dum eius ministri in exequendis officiis impediuntur; & Papa se ac sedem Apostolicam contemni, et spreta Legati a se missi authoritate arbitratur. At vero res omnes & personæ præsumuntur esse liberæ & non subiectæ, nisi

contra-

contrarium probetur. Quæ cum ita sint, ridiculum plane est, & Boziani cerebri commentum, quod ait, ex superioribus Nicolai Papæ dictis apparere eum *non asserere laicalem potestatem distingui à spirituali, vt eam non habeat ecclesiasticus, sed vt secularis non habeat ecclesiasticam*. Vnde enim poterit apparere? cum ne verbum quidem in illa epistola extet, ex quo id probabili aliqua ratione colligi possit. Atque hactenus de isto Bozii errore satis. Equidem non arbitror quemquam vsq; adeo insanire, vt non potius Hosio quam Bozio fidem in huius rei definitione, in harum inquam potestatum distinctione adhibeat.

Caput III.

Adnectere hic alia Boziani erroris exempla, ni scirem opinionem illam quam sopitam & pene extinctam conatur animare, vsque adeo iam absurdam eruditis videri & tot perspicuis rationibus esse conuulsam, vt iam non sit metuendum, multos ea captum iri. Nam inprimis certum est, neq; Bozium, neque eius astipulatores omnes, quantumlibet sacras literas & scripta Patrum terant & torqueant, vnquam inde certum aliquod testimonium prolaturos, quo illa quam somniant, temporalis Papæ iurisdictio & potestas, in Principes & populos totius Orbis, liquido confirmetur.

Sed nec vllum vestigium talis potestatis temporalis per manus traditæ ab Apostolis, & eorum successoribus, in septingentesimum, ne dicam millesimum annū à Christo passo reperitur. Qua de causa doctissimus Bellarminus in istius opinionis refutatione, hoc validissimo argumento [illegible] & succincte vtitur. *a Si res ita se haberet* (quod Papa scilicet sit Dominus temporalis totius Orbis) [illegible] *beret id constare ex Scripturis, aut certe ex Apostolorum traditione. Ex Scripturis nihil habemus nisi datas Pontifici claues regni cælorum: de clauibus regni terrarum nulla mentio, traditionem Apostolorū nullam aduersarij proferunt.* Quæ res, simulq; ingens Theologos inter & Canonistas, & vtrorumq; inter se, de hac re dissensio, dum hi directam, illi indirectam potestatem astruunt, facit vt quæstio hæc de temporali potestate Papæ, dubia & incerta, ac tota in hominum opinione posita videatur, ac proinde solutionis eius veritatem lumine rationis, & disserendi subtilitate esse peruestigandam: nec esse de fide, vt loquuntur, de ea hoc aut illo modo sentire, quæ enim fidei sunt, ea ab omnibus & vno modo tenenda sunt.

Ad me autem quod attinet, quanquam ore animoq; profiteor, summum Pontificem Vrbis Romæ Antistitem (vtpote vicarium Christi, & legitimum D. Petri successorem, atq; adeo vniuersalem & supremū Ecclesiæ Pastorem) spirituali potestate super omnes Reges & Monarchas Christianos præditum esse, in que eos imperium habere & exercere posse, quod in omnes animas Petro Apostolo datum fuisse Scriptura testatur, ligandi sc. & soluēdi; Non tamen propterea adducor, vt æque credam eum Reges & Principes seculares in sua potestate temporali cōtinere, aut illis in Deum vel homines delinquentibus, vel suo alioqui munere abutentibus, imperium abrogare, sceptraq; auferre & aliis conferre, vllo modo posse: aut deniq; ius aliquod temporale in homines laicos, cuiuscunq; sint ordinis vel conditionis, obtinere; nisi id ciuilibus & legitimis modis acquisierit. Quod opinionem id asserentem à multis quidem tentatam, sed à nullo satis firma ratione probatam hactenus animaduerterim: & pro sententia negante graviores multo & certiores rationes afferri posse videantur. Equidem pro meo in sedem Apostolicam studio, id ei iuris competere, certis & indubitatis argumentis ostendi posse vehementer cuperem, eo paratus inclinare, quo ratio potior & authoritas propendent. Sed propius ad disputationem veniamus.

Papam temporali potestate in Reges & Principes dominari, perspicue falsum esse, vel ex eo constat, quod absurdum & iniquum sit dicere Principes Ethnicos duriore & deteriore conditione ab Ecclesia esse receptos, quam singulos quosq; de multitudine: vel Papam habere maiorē nunc potestatem in Principes politicos Christianos, quam olim D. Petrus & cæteri Apostoli in quemlibet priuatum hominem Ecclesiæ filium. At hi nullum ius & potestatem temporalem habuerunt tunc temporis in Christianos laicos: ergo nec Papa in Principes seculares potestatē vllam temporalem nūc habet. Assumptio inde probatur, quod certo certius sit ecclesiasticam potestatem fuisse omnino separatam à politica, tempore Apostolorum (Bozii ineptias nunc nō moror) & hanc totam penes Ethnicos Principes extra Ecclesiam fuisse: adeo vt ipsi Apostoli in potestate temporali Ethnicorum fuerint, idq; & Albertus Piggbius *b*, & Robertus Bellarminus *c*, aliiq; Theologi insignes ingenue fatentur. Christus n. venit, *non soluere legem, sed adimplere*; nec naturæ & gentium iura tollere, aut quenquam temporali rerum suarum dominio excludere: itaq; sicut ante eum Reges politica potestate subditis præerant, ita etiam posteaquam aduenit, & à nobis deinde in cœlos recessit, eam ipsam potestatem Apostolorum doctrina cōfirmatam, nullaq; parte de[illegible]batam retinuerunt. Si itaque Petrus cæteriq; Apostoli, antequam Christum sequerentur, temporali Principum Ethnicorum ditioni & iurisdictioni subiiciebantur (quod negari non potest) nec Dominus vllibi diserte & nominatim ipsos ab illa naturalis & gētium iuris obligatione li[illegible]auit: consequitur necessario mansisse eos sub eodem iugo etiam post Apostolatū, cum id nihil prædicationē & propagationem Euangelii potuerit impedire. Nam etsi fuissent verbo Saluatoris liberati, quid contulisset quæso eorum exemptio ad Euangelium seminandum? aut quid amplius pauci illi & pauperes homines, vinculo tēporalis potestatis in conscientia soluti, efficere potuissent, [illegible] relictis in pristina cōditione parendi? Siquidem ius illud libertatis, si quod fuissent

a Lib. 5. de Rom. Pont. cap. [illegible]

b Lib. 5. cap. 7. [illegible] rar. Eccles.

c Lib. 5. de Rom. Pont. cap. [illegible]

nacti, illiberali & iniusto Principum & populorum infidelium facto impeditum, ac inutile fuisset. Sed & eos aliorum ciuium instar Principibus subditos extitisse, ex ipsorum doctrina & factis apparet. quippe id illis exprobrari nō potest, quod Christus Scribis & Pharisæis improperat, aliud eos fecisse, aliud docuisse. Docuerunt autem Christianis subiectionem & obedientiam, de qua loquimur, Regibus & Principibus exhibendam *a*. Qua de causa Paulus ipse ad Cæsarem appellauit, & iussit Christianos omnes subiectos esse temporali potestati Ethnicorum, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Nam quod quidam dicunt D. Paulum non de temporali potestate secularium Principū illic loqui, sed de potestate in genere, vt quisq; suo superiori obediat, laicus laico, ecclesiasticus ecclesiastico, mera cauillatio est, & responsum viris doctis ac Theologis indignum. Nulla siquidem tunc temporis alia quam politica & temporalis potestas vulgo ab hominibus agnoscebatur; & Apostolus diuino spiritu afflatus ita suas epistolas conscripsit, vt non solum conuersos ad fidem erudiret, suiq; officii commoueret, ne existimarent se ita Christi sanguine redemptos, vt nulli amplius potestati seculari obedire tenerentur; (quod quorundam animis, Christiani nominis dignitate & libertate freta, perperam insederat) sed etiam vt Ethnicis & infidelibus ostenderet, legem Christianam nulli ius suum auferre, nec esse vllo modo temporali Regum & Imperatorum authoritati & potestati contrariam. De sola igitur temporali potestate, intelligi debere eo loco Apostolum apparet, quod tunc temporis alia nulla vt dictum est, agnosceretur. Et eo quidem sensu antiqui Patres Apostolum ibi semper interpretati sunt, vnde D. Augustin. in eius loci expositione, fatetur seipsum, & per consequēs in sua persona Prælatos omnes Ecclesiæ, temporali potestati subditos esse; cuius verba, quoniam magnam huic disputationi lucem adferunt, integra ascribam. Sic ergo ille *b*. *Quod autem ait, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo: rectissime admonet, ne quis ex eo, quod a Domino suo in libertatem vocatus est, factus Christianus, extollatur in superbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere seruandum esse ordinem suum, vt potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum tēporalium gubernatio tradita est, existimet non se esse subdendum. Cum n. constemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalib. ad subsidium degēda huius vitæ vtamur, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrātibus. Ex illa vero parte qua credimus Deo, & in regnum eius vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis euertere cupiēti, quod Deus ad vitam æternā donare dignatus est. Si quis ergo putat quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum aut tributū, aut non esse exhibendum honorem debitum eis, qui hæc curant potestatibus, in magno errore versatur. Item si quis putat se esse subdendū, vt etiam in sua fide habere potestatem arbitretur eum qui tēporalibus administrandis aliqua sublimitate præcellit, in maiorē errorem labitur. Sed modus iste seruandus est, quē Dominus ipse præscribit, vt reddamus Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt.*

a Ad Roman. 13. 1. Petr. 2.

b In lib. expositionis quarūdam propos. ex epistol. ad Rom.

Multa hic paucis complectitur Augustinus, quæ varias assertiones nostras passim hoc libro positas fulciunt. Nam & primum docet, quod iam diximus, Christianæ religionis professionem non eximere quenquam à temporalis potestatis subiectione: ex quo duo necessario sequuntur, quorum alterū est, Apostolos cæterosq; Christianos omnes temporali Ethnicorum Principum & Magistratuum potestati fuisse subiectos, ac proinde neq; D. Petrum neq; alium vllū Apostolum aliqua temporali potestate in Christianos præditum fuisse, quod ea tota penes Ethnicos esset, vt hoc capite ostendimus. Alterum vero, nō licuisse primis illis Christianis ab Ethnicorum Principum imperio deficere, & alios sibi Principes & Reges cōstituere, etiamsi vires illis ad id perficiendum suppetiissent, vt falso putat Bellarminus *c*. quia non erant liberati à iugo potestatis temporalis, cui ante susceptam Christi fidem subiiciebantur, quod etiam *infra cap. 31.* prolixa dissertatione ostendemus. Deinde intelligit locum illum Apostoli de temporali potestate tantum, sicut & nos hoc capite. Tertio cum generaliter de illa subiectione loquatur, eoq; sermone vtatur, in quo seipsum includit, neminē vero excipit, satis aperte indicat; Clericos iuxta ac laicos temporali potestati in hac vita subditos esse. Postremo illustrē nobis doctrinam tradit, de duplici officio subditorum erga Deum sc. & Regem, siue potestatē temporalem, quo modo debeant vtriq; seruire, & quod suum est, reddere; quam nos doctrinam secuti sumus hoc libro, & in libris *de Regno*. Sit ergo hoc positum, locum illū D. Pauli, de quo supra, non nisi de potestate temporali ab eo scriptum esse. Fatemur tamen sententiam illā de obedientia præstanda, ad spiritualem quoq; potestatem, propter omnimodā similitudinē, & *identitatem rationis*, vt aiunt, rectissime accommodari posse. *d*

c Libr. 5. de Rom. Pont. cap. 7.

d E. ibid. D. ad loc. Aquil.

Si ergo nullam temporalem potestatem habuerunt tunc Apostoli in priuatos homines regeneratos, & filios Ecclesiæ factos, qui fieri potest vt successores Apostolorū eam potestatē in Principes ad Ecclesiam venientes nacti sint? quandoquidem ex parte successorum repugnat, eos plus iuris habere in filios spirituales virtute potestatis Ecclesiasticæ, quā habuerunt ipsi Apostoli quibus succedunt. Ex parte vero Principum quid indignius & iniquius dici potest, quam eos fidem Christi profitentes, duriore iugo pressum iri quam singulos de multitudine? At priuati homines quando in spiritualem Ecclesiæ ditionem concedebant, nihil patrimonii aut iuris temporalis amittebant, exceptis rebus illis, quas sponte obtulerant, & in communem vsum cōtulerant, vt ex actis Apostolorum patet *e*, vbi Ananias morte mendacium luit, increpitus à D. Petro his verbis: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Similiter ergo & Principes vbi Christo nomen dabant, ius omne suum temporale (imperium dico & potestatem politicam) integrum & intactum retinebant. Nec iuuat aduersariorum responsum, dicere Apostolos ideo non habuisse

e Cap. 5.

tempo-

temporalem potestatem in sui seculi Principes, quia nōdum facti erant Christiani: secundum illud *a Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare?* Papam vero nunc illam potestatem habere, quia facti sunt Christiani & filii Ecclesiæ, cuius ipse supremus Princeps & caput in terris est atq; omniū Christianorum pater: & rectum naturæ ac rationis ordinem postulare, vt filius patri, non pater filio subiiciatur. Hæc inquam adeo nihili ratio est, vt mirum sit locū ei aliquem à viris Doctis datum esse. Nam illa subiectio spiritualis per quam Principes facti sunt filii Papæ, penitus distincta & separata est à subiectione temporali, ita vt altera alteram non sequatur. Sed quemadmodū Prætor vel Consul, interea dum Magistratū gerit, potest se in adoptionem alii dare, *b* atq; ita in familiam patris adoptiui & patriam potestatem transire: cum tamen per illum actum legitimum nec fasces consulares, nec aliud quicquam iure magistratus sibi competens in adoptātem transferat: ita Reges & Principes, atq; omnes omnino homines, cum in Ecclesiæ gremium se conferunt, & summo Pontifici tanquam patri in adoptionem dant, insignia imperii, & quicquid vspiam tēporalis iurisdictionis aut patrimonii habent, eodem plane iure quo ante, libera, integra, atq; intacta sibi retinent, atque ita Pontifex nihil amplius temporalis potestatis per illam adoptionem spiritualem acquirit, quam ante adoptionem habuerat, quod pluribus infra demonstrabimus *c*. — a 1. Cor. 5. — b L. 3. D. de adopt. — c Cap. 14.

Huc accedit, quod florente plurimum republica Christiana, tum multitudine credētium, tum sanctimonia Pontificum, tum eruditione & exemplis Doctorum, atq; à malis interim Principibus, etiam filiis Ecclesiæ per regenerationem factis, vexata atq; iactata, nulla de hoc principatu & iurisdictioni temporali Papæ in Principes seculares, non dicam expressa & manifesta declaratio, sed ne leuissima quidem mentio inter Ecclesiasticos facta sit: quæ tamen si in Petri persona a Domino fuisset collata, aut eius successoribus aliquo modo cōpetiisset, licet eam re vera, siue de facto vt loquuntur, non exercuissent, haudquaquam à tot tantisq; viris sanctis & sapientibus, ac præ Dei & Ecclesiæ causa nihil non contemnentibus, fuisset tam alto silentio & tam diu præter missa. Quid inquam minus credibile, quam omnes illorum temporum Pontifices, zelo & studio Ecclesiæ gubernandæ flagrantes, hanc sui officii pastoralis partem (si modo partē esse censuissent, (in qua eorum successores quidam, maximum fidei protegendæ præsidium collocarunt) ita negligere voluisse, vt ea aduersus Imperatores hæreticos, tot tantisque occasionibus nequaquam vterētur. Nemo tamen inter eos extitit, qui se Imperatoribus iure Diuino superiorem in temporalibus, vel scripto, vel verbo vnquam significauerit: quin potius, vt quisq; doctrina & sanctitate magis excelluit, ita Imperatorem submissius obseruans, eius subditum & seruum se esse professus est. B. Gregorius Magnus multorum instar sit, qui in quadam ad Mauricium Imp. epistola *d Ego autem indignus pietatis vestræ famulus*, inquit. & paulo post, *ad hoc enim potestas super omnes homines dominorum meorum pietati cœlitus data est* (*dominorum* dixit, vt Imperatorem simul & Augustam comprehenderet, cum qua Mauricius Imperium in dotem accepit.) En vt sanctiss. hic Pontifex testatur Imperatori potestatem cœlitus datam super ipsum Papam *super omnes*, inquit, *homines*: super Papam ergo si homo est. Vtrum autem vt Episcopus & Papa, an vt homo priuatus id scripserit, ad mentem sensumq; authoris non interest, cum idem vtroq; casu & sensisse eum & scripsisse credendum sit, ad institutum nostrum satis est, scire qualiter seculi illius Pontifices erga Imperatorem se gesserint. Non n. vereor, ne vir doctus aliquis dicat, Gregorium in illa epistola, per humilitatem, ita Imperatorē exaltasse. & subiectione nō debita se ei submisisse, quod si sciolus forte aliquis obiiciat, ei responsum volo, grauem tam sancto Pontifici ab eo iniuriam inferri, quod dicat illum humilitatis causa mentiri, & mentiri magno enim Ecclesiæ & dignitatis Pontificalis præiudicio, vt nō iam officiosum sed perniciosum mendacium fuerit, audiat S. Augustin. *e Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, antequā mentireris, mentiendo efficeris quod euitaueras.* Gregorium a. non ficte & officiose, sed ex animo locutum esse, testantur quæ sub finē illius epistolæ expressius de sua subiectione & obedientia erga Imperat. necessaria scribit. Tulerat Mauricius legem, quā Gregorius, licet iniquam, & Ecclesiasticæ libertati nonnihil aduersam é, accepto Imperiali de ea publicāda mandato, ad varias regiones promulgandam transmisit. Ita igitur epistolam illā concludit *Ego quidē iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime cōcordat, ecce per suggestionis meæ paginā serenissimis dominis nunciaui. Vtrobiq; ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiā præbui, & pro Deo quod sensi minime tacui.* — d Libr. 2. epist 61. indict. 11. — e Serm 29. de verb. Apostoli, to. 2.

O diuinum Antistitem, & sententiam nullis non sequentium seculorum Pontificibus inculcandam. Sed proh Numē! quo benigna illa & humilis cōfessio à nostris seculis exulauit? cui paulatim successit hæc minax & fastuosa aduersus Reges & Imperatores oratio. *Nos in supremo iustitiæ throno collocati, supremam in omnes Reges & Principes vniuersæ terræ, cunctosq; populos, gentes, & nationes, non humana sed diuina institutione, nobis traditam potestatem obtinentes, declaramus, iubemus, præcipimus f. &c.* quæ verba falsa & inania, vel ex eo esse patet, quod Papa in Principes & populos infideles, qui multitudine Christianos superant, neq; temporalem neque spiritualem potestatem habeat, vt Bellarminus in libris *de Romano Pontifice* firmissima ratione ostendit *g*. — f Ex Bulla Pii V aduersus Reginam Angl. & Sixti V. contra Reg. Franciæ. — g Libr 5. cap 2.

Hæc igitur & his similia, quem non in tantæ mutationis status & imperii Pontificalis admirationem trahant? aut cui non iustam inquirendi causam offerant, cur priores Pontifices florentissimo Ecclesiæ seculo, se Principum famulos, seruos, & subditos agnouerint, eorumq; imperio in temporalibus obsequuti sint, cum illis nihilominus in spiritualibus præessent: posteriores a. se Regum, Principum, gentium, & nationum omnium Dominos profiteantur. Multis certe ea res,

ruditis & Catholicis hominibus, non mediocrem de huius mutationis iure dubitandi causam præbet, imo vero credendi tam ingens & absolutum imperium temporale, in personis Pontificum, non ab omnipotente Deo, sed ab impotente hominum quorundam cupiditate originem habuisse: nec à Christo Domino in Petrum initio diuinitus collatũ, sed ab aliquot Petri successoribus, post multas ætates, humano more fuisse vsurpatũ, nempe Pontifices quosdam auctis in immensum opibus, cœcę ambitioni atq; odio indulgentes, sensim eam sibi potestatem vindicasse, qua sibi licere quicquid est vspiam regnorum & principatuum adimere dareq; contẽderent. Homines sane erant, &, vt cæteri mortales, interdum appetentiores vanitatis: qualis ille, qui solo odio Philippi Pulchri regis Franciæ decretalem cõstitutionem edidit *a*, quæ tot scandala, tot pericula peperit, vt statim à Bonifacio successore meruerit abrogari *b*. Auxit vero in illis, & aluit id vitii mira & misera palponum quorundã adulatio, qui ineptis assertionibus, cuiusmodi nunc sunt Boziana Deliria, Papæ omnia licere, omniaq; iure diuino subiecta esse affirmabãt, quo minus mirari oportet, nonnullos ipsorum, Pontificalia & Apostolicæ modestiæ vsq; adeo esse oblitos, vt potentiæ amplificandæ studio in fines alienos incurrerint. De quibus Gaguinus vir doctus & religiosus, *Hanc tam late patentem & vsurpatam authoritatem* (vt ille vocat) obiter taxans: *Itaq; ea est*, inquit, *hodie illorum sublimitas & amplitudo, vt paruis habitis Regibus, licere illis omnia glorientur. Neq; quisquam ad Pontificatum mea ætate venit, qui dignitate adepta, non statim suos nepotes magnis opibus & principatu donauerit*. Erant ante Gaguinum diu S. Bernardus *d*. *An non limina Apostolorũ iam plus ambitio quam deuotio terit?* Hinc Platina *e*. *Moritur autem hoc modo Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis, terrorẽ potius quam religionem inijcere conabatur, quiq; dare regna & auferre, pellere homines ac reducere, pro arbitrio animi conabatur*. Atque idem Gaguinus alibi *f*: *Talem vitæ exitum habuit contemptor omnium hominum Bonifacius, qui Christi præceptorum minime recordatus, adimere & conferre regna pro suo arbitrio conabatur, cum non ignoraret eius se loco versari in terris, cuius regnum non de hoc mundo & terrenis rebus, sed de cælestibus esset: quiq; dolo & malis artibus Episcopatum Romanum sibi quæsiuerat, & Cœlestinum* (sanctissimum virum) *à quo dignitatem receperat, in carcere dum vixit, habuerat*.

a Cap. clericis de immunitat. eccles. in 6.
b Clement. de immunit. eccles. vbi gloss. ad notat.
c Libr. 10. hist. Franc. in vita Caroli VII.
d Libr. 3. de consider. ad Eugen.
e In vita Bonifacii VIII.
f Lib. 7. hist. in vita Philippi Pulchri.

CAPVT IV.

DVas autem res potissimum inuenio, quæ ansam Pontificibus tantam potestatem arrogandi videntur præbuisse. Harum vna est, ingens ille honos, qui, vt par erat, à Principibus & populis Christianis summo animarum pastori deferebatur, & deferri adhuc debet: atque etiam præiudicata sanctitatis opinio de sede illa beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quæ inter omnes in omni dignitate & authoritate spirituali vna eminet: eoque maximis copiis & facultatibus præ cæteris aucta est & ornata. His de causis facile omnes adducebantur; vt crederent nec Papam pro sua sanctitate alieni iuris quicquam sibi velle assumere: nec fas esse Christiano iussa Pontificia vllo modo detrectare. Inde factum, vt huius tantæ reuerentiæ & beneuolentiæ fiducia, erecti Pontifices nonnulli, quibus animus ad gloriam procliuior, istam ad se potestatem in Reges traherent primis successoribus Petri fuisse decessoribus prorsus ignotam. Eo accessit præoccupatum vulgi, & illiteratorum iudicium, qui hac sanctitatis opinione imbuti, Papam nec dicto nec facto errare posse credebant: atque etiam Clericorum & Canonistarum quorundam scriptio, qui seu veritatis ignoratione lapsi, seu in Principis sui Papæ, à quo vno pendebant adulationem effusi, quicquid toto orbe terrarum potestatis est, in eius solius personam contulerunt: illis blandimentis atque illecebris Pontifices a sponte sua ad gloriam currentes, velut notis ambitionum facibus, accensi sunt. Omnes enim quotquot sedem illam legitime tenuerunt, pari cum Petro authoritate regimini Ecclesiæ præfuere, sed non omnes Petri zelo accensi, paribus eam studiis gubernarunt. Proh dolor, & nonnullos constat per vim & scelus in locum illum irrepsisse, alios irrupisse, & sanctissimam cathedram moribus inquinatissimis fœdauisse: alios vero, quanquam legitime ad eius fastigium dignitatis euectos, ambitiosa dominandi libidine exarsisse & magna Regum ac Principum secularium æmulatione, fines imperii sui, quod initio mere fuit spirituale, temporalis potestatis accessione proferre, nullo non artificio esse annixos, quod studium licet principio videbatur nonnullis ad ornamentum tantæ dignitatis pertinere, qua Christi in terris Vicarius, & beati Petri successor fungitur, tamen vbi eorum aliqui eo arrogantiæ deuenerunt, vt non solum Reges de solio deiicere, sed regna etiam amplissima in præmium, imo in prædam dare, & occupanti concedere, sibi licere, in animum inducerent: tum certe nemo sanus insanam illam animi elationem non magnopere improbauit, & vel lachrymas vel indignationem tenuit. Quis tum non ingemuit vel infremuit, cum superbissimus ille Pontifex, cuius modo meminimus, potentissimo Monarchæ Philippo Pulchro regnum abrogare, & Alberto Austriæ Duci vna cum Imperiu conferre oppido quam arroganter præsumpsit. Nec id alia de causa, quam quod Rex Legatum ipsius minitantem sibi audacius in carcerem misisset: quasi eò facto Rex Franciæ (quem paulo ante Innocentius Tertius ingenue fassus erat *g*, non habere superiorem in temporalibus) regnum tanquam Papæ cliens & beneficiarius commisisset. Ita enim per Archidiaconum Narbonensem Regi mandat, *Regnum Franciæ ob eius contumaciam, & violatum ius gentium, ad Romanam Ecclesiam esse deuolutum*, quod quid aliud sonat, quam regnum illud, omnium opinione liberrimum & florentissimum,

g Cap. per venerabilem qui filii sint legit.

simul-

tamque exemplo cætera omnia regna Christiana, Ecclesiæ Romanæ atque adeo Papæ beneficia seu feuda esse? cum non aliter ad illam Ecclesiam propter contumaciam & *feloniam*, vt vocant, deuolui possint, quam si ipsa dominium directum temporale illorum regnorum obtineat.

Alteram tantæ iurisdictionis temporalis occupatæ ansam, præbuit gladius excommunicationis maximũ spiritualis imperii propugnaculum, qui tanto terrori erat, vt populus minas Pontificias, excommunicationis fulmine, quo iure quaque iniuria comminatas, neque contemnere, neque negligere auderet: aut in concionibus frequenter ea vox personaret, *omnem excommunicationem, etiam iniustam, esse timendam*. & solius Pontificis esse, æstimare iusta sit an iniusta. Etiam illud. *cum excommunicatis nec cibum esse sumendum, nec vlla in re communicandum esse* a. quibus monitionibus & minis conterriti plerumque principum excommunicatorum subditi, ab obsequio deficiebant: & quod extremum in eiusmodi malis erat, Papa in excommunicatum à se Principē, Principes alios partim simili anathematis interminatione, post imblandimentis & largitionibus concitabat. Itaque Principes illi, quos ista Pontificum inuidia premebat, tot vndique periculis [illegible] luti, tot casibus expositi sceptri potius submissione iratum Pontificem placare, vexationemque redimere maluerunt, quam omnia intestinis seditionibus, publicoque incendio, sua causa [illegible]e. Hæc via Pontificibus compendiaria fuit ad metum Regibus & Principibus iniiciendum & victoriam pene sine certamine parandam, nonnulli tamē infractis animis aduersus eiusmodi [illegible] norus Pontificios restiterunt, tanto robore vt inde orta calamitas Papam quam Principem magis afflixerit. Sed hic Lector monendus est sententiam illam omnium vocibus celebratam, *excommunicationē omnem esse timendam* cum hac exceptione intelligi debere, *extra quam si manifeste constet esse iniustam* tunc enim nec curanda, nec timenda est, modo absit ab excommunicato contemptus & præsumptio: nec eum enim in quem fertur, sed à quo fertur afficit atq; lædit. Cuius generis excommunicatio illa videtur, quæ in subditos profertur, eo q̃ Regi vel Principi suo excommunicato pareant in iis quæ temporalis sunt iurisdictionis, & Dei mandatis non repugnant: vt infra commodiore loco demonstrabitur b. Præterea nec illud vniuerse verbum est, *cum excommunicatis non esse communicandum, aut cibum sumendum* Neq; enim id verum est, vbi periculum impendet, ne ex eiusmodi separatione magnum in Ecclesia malũ oriatur, vt solet Principe excommunicato, si subditi eius communione abstineant: nam vix vllus Principum tam perditus est, qui non inueniat amicos & clientes, quorũ opera & armata manu causam suam quamlibet iniustam, magno cum Ecclesiæ ac Reip. detrimento, tueatur: cuius rei & patrum memoria & nostra ætate, exempla luctuosa in Christianis gentibus extiterunt, vbi itaquam tale quid timetur, corporum separatio non est necessaria, *sed sufficit à talibus corde seiungi, vita moribusque distingui, propter compensationem custodiendæ pacis & vnitatis, propter salutem infirmorum*; vt præclare docet S. [illegible] ex quo sequi videtur Papam inconsiderate facere, qui subditis communione Principum interdicit, quoties inde secessio & turba non mediocris Ecclesiæ vel Reipublicæ impendet, imo nec teneri subditos in eiusmodi casu, Papæ separationem corporum imperanti obedire. Sed ea dere vberius suo loco.

a Can. si cui con. excommunicatus. 11. q. 3.

b Cap. 12.

c Lib. 3. contra Epistol. Parmen.

Ex his & similibus apparet, quod diai, Pontifices postremis Ecclesiæ seculis temporalē istam in Principes potestatem sensim sibi vsurpasse, quam nemo omnium decessorũ, neq; primis neq; mediis temporibus vnquam agnouit. Et vero Gregorius VII. partim publica offensa Henrici IV. Imperatoris, partim priuata iniuria permotus, id iuris dandi & auferendi regna, aperte sibi prius omnium asseruit, affirmans Christum Petro & eius successoribus omnia Mundi sceptra de[illegible] hoc versiculo, *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.*

Verum nihil aliud Gregorius eo facto, quam cruentas & furiosas tragœdias excitauit, nec [illegible] citer destinata, vi & armis prohibitus perfecit. Quod autem Ecclesia potestatem eiusmodi primis temporibus non habuerit, ac ne quidem habere se crediderit, ex illa quam attulimus Hosii Epistola, ad Constantium Ariana hæresi infectum, & Romanum Pontificem Liberium, aliosq; Orthodoxos Episcopos exiliis, variisq; molestiis vexantē, liquido comprobatur. Nā loquitur ibi vir magnus non in priuati hominis Christiani, neq; in simplicis Episcopi persona, sed totius ordinis Ecclesiastici, atq; adeo summi Pontificis nomine: & aut verum dicit aut falsum. Si verum constat Ecclesiam tunc temporis sensisse, nullam se in Reges & Principes Christianos temporalem iurisdictionem, ne quidem ob hæresim, quod crimen grauissimum & perniciosissimum est, habere. Sin falsum, quamobrem? an vt Imperatori assentaretur? scil. qui tunc vere dicere potuit, *loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar* d: An quia rei veritatem, & Ecclesiasticam doctrinam ignorabat? equidem nō arbitror quenquam id ei viro ascripturum, qui plerosq; coætaneos suos doctrina & eloquentia non æquauit modo sed & experientia propter ætatem anteiuit: qui cum sæpius Conciliis & cœtui sanctorum Patrum interfuisset; eorumque de iure ac potestate Ecclesiæ sententias audisset, non potuit ignorare quid ibi esset de malis Principibus, & Ecclesiæ in eos iurisdictione definitum. Addo, quod caput est, hanc nobilissimi Confessoris ad Constantium sententiam à S. Athanasio laudatam, à nullo autem sanctorum Patrum eius ætatis aut sequentium seculorum improbatam, vt merito præiudicatam de hac sententia opinionem habeamus.

d Psal. 118 Vau.

CAPVT V.

DE Bozii & Canonistarum ineptiis qui Papæ Dominium & Imperium totius orbis iure diuino tributum esse dicunt, satis iam, superque disseruit. Neque enim in ea refutanda operam consumere mihi necesse est, cum sit communi Theologorum calculo iampridem explosa. Nunc ad alteram opinionem transeamus, quam Theologi, quibus illa Canonistarum displicet, reiectæ loco substituunt: & an sit cum veritate coniuncta videamus. Hanc autem ita capite primo proposuit; *Papam habere potestatem temporalem indirecte, & aliquo modo, id est ratione suæ spiritualis Monarchiæ: habere inquam summam potestatem etiam temporalem disponendi de temporalib. rebus omnium Christianorum*, quæ sententia si vera est, quicquid Pontifici per abnegationem directæ potestatis subtractum est, id ei per obliquam & indirectam hanc imperandi viam cumulate restituitur. Sed vereor ne vera non sit, & expugnetur iisdem machinis quibus illa Canonistarum conuellitur. Nam Theologi, & docte præ cæteris Bellarminus, Canonistarum opinionem, quæ Papæ totius orbis Dominium tribuit, & Regibus ac Principibus secularibus exercitionem tantum à Papa demandatam, hac ratione redarguunt, quod ipsimet Pontifices ingenue fateantur (vt variis ipsorum epistulis expressum est) Imperia & regna temporalia à Deo Principibus esse tributa: & quicquid habent Reges & Imperatores, siue potestatis siue exercitionis, id illos à Christo habere. Vnde idem

a Lib. 5. de Rom. Pont. cap 5.

Bellarminus argumentum illud aduersus Canonistas hoc dilemmate scite concludit. *a peto igitur*, inquit, *vel potest S. Pontifex auferre à Regibus & Imperatorib. hanc exercitionem, tanquam summus ipse Rex & Imperator, aut non potest? Si potest, ergo est maior Christo: si non potest, ergo non habet vere potestatem regiam.*

Quidni & nobis, eiusdem generis argumento aduersus alteram hanc Theologorum opinionem, vti liceat? Regna & imperia dantur à Deo, vt multi sanctissimi Pontifices testatur. Qua ratione B. Gregorius in quadam ad Mauritium Imperatorem epistola, *b* his verbis ordiatur. *Piissimus atque à Deo constitutus dominus noster*. Et in alia ad Constantinam Augustam. *c Vestra tranquillitas pietas, inquit, quam omnipotens Deus cum sereniss. Domino, vniuerso Mundo præesse constituit, illi per fauorem institutæ famulatum suum reddat, à quo tu tantam potestatem accepisti.* Quid multa? ipsa Scriptura testatur Reges & Imperatores à Deo potestatem accipere. *audite Reges & intelligite*, vt ait Lyranus ad illud Sapientiæ 6. *data est à Domino potestas vobis & virtus ab altissimo qui interrogabit opera vestra*. quid igitur vetat quominus aliquis ex Bellarmino contra Bellarminum hoc dilemmate vtatur. Aut potest summus Pontifex aliquo modo, hoc est, directe vel indirecte, auferre Regibus & Imperatoribus regna atque imperia alijsque conferre: aut non potest. Si potest, ergo est aliquo modo maior Deo, quia quod Deus dedit ipse aufert: minor enim vel par non potest auferre, quod à maiore vel æquali concessum est. Ac ne vicarius quidem eius qui concessit, sine expresso domini mandato: ne quis nobis reponat Papam tanquam Christi vicarium id facere: cum ipse nullum de ea re mandatum, neque expressum neque tacitum accepisse inueniatur. Vt ex sequentibus fiet apparentibus. Si non potest, ergo falsum est quod dicunt, eum habere summam potestatem indirecte disponendi de omnibus rebus temporalibus Christianorum, & deponendi de solio Reges & Imperatores, aliosque in eorum locum sufficiendi. Perpendant velim, vt [illegible] in ipsos argumentum premat, nec hoc solum, sed aliud etiam longe efficacissimum, quod ex eodem Bellarmini *libro & capite* supra retulimus. *d* quod quia hoc loco ad institutum nostrum optimo iure in huiusmodum ad aptabimus.

b Lib. 4 indict. 13. epist. 32.

c Eodem. li. epist. 34.

d Cap. 3

Si verum est Papam habere potestatem temporalem indirecte disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum, aut eam habet iure diuino, aut iure humano. Si iure Diuino, *deberet id constare ex Scripturis aut certe ex Apostolorum traditione. Ex scripturis nihil habemus nisi datas Pontifici claues regni cælorum: de clauibus regni terrarum nulla mentio fit: traditionemque Apostolorum nullam aduersarii proferunt*, neque scilicet Canonistæ neque Theologi. Si iure humano, proferant ius illud, vt vna cum iis sentiamus. Quod si dixerint, neque expresso Dei verbo, neque traditione Apostolorum ad huius potestatis confirmationem opus esse, cum indirecte tantum & ex quadam sequela Pontifici competat, tanquam inseparabilis quædam accessio & appendix potestatis illius spiritualis, qua supremus animarum Pastor in omnes Christiani gregis oues præditus est. Nos rursus ab iis petemus, vt quod eius accessionis & coniunctionis testimonium ex Scripturis vel traditione Apostolorum sit petimus inquam vt ex scripturis vel Apostolorum traditione doceant hanc esse accessionem, & inseparabilem illius potestatis spiritualis quam habet summus Pontifex: atque ad manus Pontificiæ pertinere aliquo modo, (hoc est indirecte, vt loquuntur) disponere de omnibus rebus temporalib. Christianorum: cum neutiquam sit verisimile, si id eius officio conueniens atque potestatis amplitudinem, & quanihil in rebus humanis præcellius, tum à Christo Saluatore, tum ab Apostolis & eorum successoribus, tam alto silentio in Ecclesia tot seculis fuisse prætermissum. Nam si vtraque potestas ab altera, spiritualis scilicet à temporali, & contra, separari possit, non erit sententiæ, quæ quod directe fieri non permittitur, id nec indirecte fieri posse statuunt. Ita enim prudentes definierunt, quoties aliquid directe fieri prohibetur, id ne indirecte quidem siue per consequentiam fieri posse: nisi id quod prohibitum est, sequatur necessario ad aliud iure permissum, ita vt permissum sine prohibito non possit procedere, & nisi (vt cum Iurisconsulto dicam) *vtriusque causa ita commixta sit, vt separari non possit*. e Vnde eum, qui solus rem alienare non potest, concedere quidem, quin possit litem super ea motæ concludi, dicitur. f quod nimirum oblique & indirecte hoc modo rem alienaret. Si igitur Papa, quatenus Papa, nullam temporalem iurisdictionem directo habet in Christianos, quod illi concedunt, superiore

e L. 5. § generaliter. D. de don. inter vir. & vxor.

f Panorm. in ca. dudum. 54. de elect. & c cum pridi de pact.

[illegible] sententia effici videtur, cum nullam ne indirecte quidem habere posse. Quapropter vt suam hominibus sententiam persuadeant, debent ex Scripturis aut Apostolorum traditionibus testimonium proferre. vel saltem docere temporalem potestatem de qua loquuntur, ita coniunctam esse cum spirituali, vt ab ea diuelli & separari, vt inquam spiritualis sine ea consistere, nullo modo possint, quod quoniam præstare nequierunt, nihil nisi opiniones incertas sunt sequuti, & rati[illegible]es quæ non satis videntur concludere quod assumunt, quas suo ordine & loco examinabimus.

CAPVT VI.

SVperiorem sententiam de potestate temporali, quam dicunt Papam habere indirecte, fortiter impugnat, quod neq; vsus, neq; exemplum, neque mentio vlla talis Pontificiæ potestatis [illegible] ter mille in Ecclesia fuerit, cum multi interea Principes Christiani impie, crudeliter, [illegible] se & magno Ecclesiæ detrimento, regnis atq; imperiis abuterentur: ex quo duorum alterum [illegible] sequi necesse est, aut illorum scil. temporum Pontifices officio suo defuisse, aut sequentium [illegible] um Pontifices maiore cum potestate & imperio Ecclesiæ præsedisse & etiamnum præsid[illegible]e, quod hi temporalem istam potestaté aperte sibi vindicarint, eamq; in Reges ac Principes [illegible] pro arbitrio conati sint: illi vero ius tale ad se pertinere neq; dictis neque factis vnquam [illegible] ouerint. Non ignoro, quæ ad excusandos primos illos Pastores responsa à nonnullis edi[illegible] d scio esse eiusmodi quæ si examussim perpendantur, nullius æqui rerum æstimatoris [illegible] improbentur. Ea igitur audiamus.

[illegible] libellus Romæ excusus anno Domini M D LXXXVIII. sub fictitio nomine Francisci [illegible] cum hac inscriptione euulgatus *Responsio ad præcipua capita Apologiæ, quæ falso Catholica [illegible] pro successione Henrici Nauarreni in Francorum regnum.* Cuius libri author, quem Bellarminum [illegible] nouit & ainat, conatur hanc grauissimam obiectionem diluere ex mutatione status Eccle[illegible], & diuersa temporum ac personarum ratione & conditione, quæ iuris varietatem sæpe inducunt. Ita enim dicit: *Iam vero, quod quarto loco aduersarius obiicit de maiorum nostrorum consuetudine [illegible] Principes multos Hæreticos passi sunt, vt Constantium & Valentem Arianos, Anastasium Eutychianum, Heraclium Monothelitam, & si qui sunt alii, ad rem nihil facit. Neq; enim Ecclesia temere & inconsiderate po[illegible] sua debet abuti. Porro non raro accidit, vt tanta sit quorundam Regum cum improbitate ac saui[illegible] potentia vt Ecclesiastica censura neq; ad eos coercendos quicquam prosit, & Catholico populo in quos Principes crudelitatem suam conuertunt, plurimum obsit. Quid enim quæso profuisset quondam Ecclesiæ si tentasset vel Ostro[illegible] Reges in Italia vel in Hispania VVisegothos, aut Vandalos in Africa excommunicare, ac de solio de[illegible] quamuis id facere iure optimo potuisset? quod idem de Constantio, Valente, & aliis supra nominatis in[illegible] bet, siquidem ea tunc erant tempora, vt potius ad martyrium subeundum Episcopi, quam ad Principes coercendos parati esse deberent. At vbi vidit Ecclesia suæ potestati locum aliquem aperiri, vel cum ipsorum Principum spirituali vtilitate vel certe sine detrimento & pernicie populorum, non sibi defuit. vt exempla paulo ante allata demonstrant. Sic enim Ecclesia Leonem Isaurum imperii parte, & Henricum quartum toto imperio, & Childericum regno Franciæ spoliandos esse iudicauit, vt re ipsa deinceps & Leo parte imperii, & Henricus [illegible] toto & Childericus regno caruerit. Itaque veteres illos Imperatores, Constantium, Valentem, & cæteros [illegible] ideo tolerauit Ecclesia (vt aduersarius somniat) quod legitime in Imperium successissent, alioquin [illegible] etiam Henricum, & Childericum, qui non minus legitime successerunt, pertulisset: sed quod illos sine [illegible] detrimento coercere non poterat, istos poterat.*

[illegible] ille, in quibus duplicem diuersitatis causam reddit, cur Ecclesia Constantium, Iulianum, [illegible] tem, Valentinianum iuniorem, Anastasium, Heraclium & alios Principes hæreticos [illegible] tulerit: Leonem vero Isaurum, Henricum IV. Childericum, & sequentium seculorum [illegible] damnosos nequaquam pertulerit. Vnam quidem *quod ea tunc erant tempora, vt potius ad martyrium subeundum Episcopi quam ad Principes coercendos parati esse deberent.* Alteram vero, quod, Go[illegible], Iulianum, Valentem, & cæteros illius ordinis supra nominatos, Ecclesia siue [illegible] us Pontifex, *sine populi detrimento coercere non poterat:* Leonem autem, Henricum, Childericum, & sequentes poterat, ideo illos pertulit, istos non pertulit. Sed videamus ne vtraque diuersitatis ratio falsa sit, & in meris merisque mendaciis fundata: & nemo tamen hactenus meliorem assignauit, aut, vt arbitror, assignare poterit, nisi illam solam quæ aduersariorum causam penitus destruit, nempe Ecclesiam priores illos Imperatores & Principes tolerasse, quia [illegible] um in eam irrepserat cæca illa ambitio, qua Pontifices sequentes temporalem de qua loquimur iurisdictionem auiditate gloriæ vsurparunt. Itaque illius temporis Pontifices spirituali imperio contentos, quod in omnes æquali iure exercebant, temporali potestate, quam ad se non pertinere sciebant, prorsus abstinuisse: ita Ecclesiæ causam diuino iudicio commendantes malorum Principum emendationem aut euersionem, vti Deo placitum, humiliter patienterque expectasse. Sed redeo ad rationes ab isto authore redditas, vt quam sint vanæ, videamus.

Et vero, ne quid dissimulem, prior eius ratio, seu causa diuersitatis, indigna mihi videtur quæ ab vllo Catholico, nedum Theologo in medium afferatur, quam ego propterea legere sine lachrymis vix sustineo. Quid enim? an nos incidimus in ea tempora, quib. Episcopi milites potius quam Marty-

Martyres esse debeant? aut legem Dei, atq; Ecclesiam, prœliis quam prædicationibus, potius defenderet? At hoc non dicit, inquiet aliquis. Quid ergo? aut prorsus nihil, aut omnino tale quid dicit: vult quippe horum & illorum temporum differentiam, quatum ad Principum coercitionē, in eo consistere, quod tunc potius ad martyrium subeundum parati esse debuerint Episcopi, quā ad redigendos in ordinem Principes: Quod cum ita sit, quis nō innato iudicio, & naturali dialectica facile deprehendat, aut rationē illam ea dissimilib. non consistere, aut id in altera parte collocandum quod nos posuimus? Et tamē audacter affirmem, nullum vnq̄ à Constantino Magno tempus offerendi se Martyrio Episcopis opportunius & magis necessarium extitisse. Leo vndiq; prædam inhiat, Lupus astat ad caulas; Reges & Principes potētissimi, plurimæ nationes & populi in Christi gregem se accingunt, & iste non putat tempus exigere, vt Episcopi exponant se martyrio, & animam pro ouibus ponant? Ergo nūc florente Ecclesia, ac per totum orbem diffusa, Episcopi nihil nisi martyrium sperare & expectare debebant: nunc vero cum eo deuentū sit, vt ipsa grauiter agitata, ac velut in angulum Europæ coniecta sit, Episcopi tanquam extra metum, ad coercendos Principes, ac non potius ad martyrium animos intendant? An quia nunc ingētes comitatus, & pedestres atq; equestres copias alunt, quibus se, vitam, corpusq; tueantur, & Ecclesiam ab iniuria tot Principum & populorū eam vastantium, vi & armis vindicēt? An potius quia pauci nunc ea mente legeq; Episcopatus accipiunt, vt illis aut animi aut corporis molestiis angantur, quas *in persecutionibus in confessione fidei* Pastores bonos perpeti oporteat: sed vt vitā mollius & cū voluptate transigant, & ex bonis pauperum & patrimonio Christi, cognatorū familias illustreēt? An denique quia ex eo quod mercenarii tantum Pastores sunt, lupo veniente & gregem laniante, sibi fugam capessere & martyrium declinare ius fasq; esse credunt? Hæc equidem non ad iniuriā vel inuidiam ordinis Ecclesiastici profero, quē semper à puero obseruaui. Nec dubito multos etiā esse qui commissum sibi gregem vigilantissime custodiant, paratī in omnem euentum mandatas suæ fidei oues obiectu corporum tueri, & Christi confessionem sanguine consignare. Sed totum ad superioris responsi reprehensionem dico, simulq; ad ignominiam eorū qui dignitates Ecclesiæ nunc passim affectant nullo Ecclesiasticæ vitæ desiderio, sed vt ipsi magnifice & laute agitent, & quas Ecclesiasticæ vitæ puritas opes promeruit, impure & magno cum Ecclesiæ scandalo, in vsus vetitos, certe nō necessarios, expendant. O tempora, ô mores! Iam maxima pars Reip. Christianæ ab annis plus minus centum periit. Hoc ipso quod Episcoporum & Sacerdotum plerique ad militiam quam martyrium promptiores, superioris responsi scopum inconsiderate sequuti sunt: rati nimirum, quod res non erat, hæresim armis facile oppressum iri, ipsis interea suæ vitæ modum tenentibus, id est, pristinam voluptatem, & desidiam alentibus: itaq; *videbant lupū venientem & fugiebant*: neq; pauci ad ipsos lupos transfugerunt. *Haud ignota loquor*, Scotia mihi & Anglia testes sunt, aliæq; in hæresim prolapsæ regiones, in quibus licet nonnulli viriliter restiterint, pars maxima ecclesiasticorum ne primā quidem incursionē sustinuerunt, statim fœda proditione defectionē moliti, partim vt liberius viuendi potestate à nouatoribus permissa promissaq; fruerentur, partim ne præsentibus commodis spoliati, ad mendicitatem peruenirent: quod si, vt olim primi illi Patres, se ad martyrium accinxissent, monstrū illud immanissimū in ipsa infantia sustulissent. Fieri potest vt illius libelli author bono animo, & sine vllo dolo malo, talia scripserit, sed fieri profecto non potest, vt in hoc rerum Ecclesiæ statu, ea vllius ponderis aut momēti censeantur. Nam cum totus pene orbis Ecclesiæ Catholicæ velut nexu mancipioq; tenebatur, dicit ea tunc fuisse tempora quibus Episcopi ad martyrium subeundum q̄ ad Principes in ordinē cogendos paratiores esse debebant: nunc vero, cum partim infideles, partim hæretici totam Asiam, Africam, Europā, vno aut altero regno excepto, peruaserint, atq; Ecclesia ad tātas fere quantas vnq̄ redacta sit angustias, non eandem officii necessitatem Episcopis putat incumbere. Nimia certe hæc est vel in perscrutando indiligentia, vel in iudicando & monendo indulgētia: nec debuit vir doctus & Theologus, qualis videtur ille author, Prælatis Ecclesiæ in magnā viuendi licentiā velut tempestate quadam delatis tam facilē deserendi officii viam ostendere, vt existiment se iam nō tam ad martyrium paratos, q̄ ad bellū in malos principes ciendum, quos certum est, sine bello in ordinem redigi, & regnis priuari, nunquam posse. Quanto illi rectius qui (siue primi Iesuitarum, siue alterius ordinis fuerint: nihil enim præterandi nunc habeo) obuiam se Cardinalibus Romæ ferebant & suam illis cum pompa pro more prætereuntibus mollitiem, luxum, indiligentiam, asperrimis verbis increpabant, quod orta paulo ante turbulentissima Lutheranæ hæresis tempestate, tempus illud aliam Prælatis Ecclesiæ vitam adferebat, aliosque mores postulabat. Ex his igitur perspicuum est, allucinari plane authorem *Responsionis*, constituendo rationem differentiæ in priscorum & horum temporum dissimilitudine, quantum ad Episcoporum & Prælatorum Ecclesiæ officium, statum & conditionem attinet.

CAPVT VII.

ALtera ratio quam adfert nihilo melior est, Ecclesiam nempe non ideo pertulisse Constantiū, Valentem, & cæteros, quia legitime in imperium successerant, non magis q̄ Leonē, Henricum, & Childericum, qui non minus legitime successerant, *sed quia illos sine populi detrimento coercere non poterant, istos poterat*. Nam hoc falsissimum est, & miror Bellarminum hanc aliam rationem secu-

[illegible] esse. a Falsissimum dico est, nõ potuisse Ecclesiã coercere illos æque facile atq; illos, ne dicã facilius, & sine detrimento populi, siue id armis tentare, siue arte aliqua, & hominis deuoti opera vti voluisset. Iam enim totus orbis sub Constantio Christianus fuit (vt ex epistola Constantini Magni ad Ecclesiã, ab Eusebio b & Nicephoro c relata constat) & eius pars maxima Orthodoxa, ita vt vires illis ad opprimendũ Imper. nequaquã defuerint, si fas aut piũ credidissent armis aduersus legitimũ Principẽ decertare. Et sane credibile est Deum ipsum milites suos, nõ odio vel ambitione, sed solo Ecclesiam sartã rectam seruandi studio in id bellũ incumbentes, facili & non dispendiosa victoria ornaturum. Quid, quod multitudo magna Monachorũ in Ægypto Lybiaque, atq; alii per Asiam & Europam viri pii innumerabiles versabantur? in quibus haud dubie multi erant non minoris zeli, quam ille scelus qui Hent. III. Regem Franciæ iugulauit, sed maiore [illegible] entia gratiaq; illustrati, quib. zelo incõsiderato, præcipiti, & temerario modũ constituebãt. [illegible] (si [illegible] cuisset) Imperatorem sine vllo tumultu bellico & armorum strepitu confecissent, [illegible] in eum Ecclesia ius habuisset, sine populi detrimento exequi potuissent.

a Lib. 5. de Rom. Pont. c. 7.
b Lib. 3. de vit. Const.
c Lib. 8. cap. 48.

[illegible] Iuliano Constantii successore quid dicam? Non eum credo Ecclesia sine vllo populi detrimento coercere potuit? cũ Apostata fœdissimus, & qualis nemo alter inuentus est inter Christianos [illegible] perator exercitum fere totũ ex Christianis haberet, nã & statim ab eius interitu cũ Iouinianus omnium suffragiis Imperator electus, proclamasset se Christianum esse, ac propterea nollet [illegible] Ethnicorum præesse; d responderunt milites, & *exclamauerunt communiter vniuersi, ne dubites Imperator, neve repellas imperium nostrum, vt improbum Imperatoris enim Christianorum futurus, qui in pietatis disciplina educati sunt: nos enim Christiani sumus: & grandiores quidem inter nos doctrinam Constantii perceperũt, minores vero illos Constantinus instruxit. Neq; istius proxime mortui diuturnũ imperii tempus [illegible], vt circumuentis quibusdam ad infigendum malũ suffecerit.* Cogitet velim, & recogitet, tam [illegible] belli q̃ lector huius, an non potuerit facile Ecclesia tantis copiis adiuta impiũ illũ Imperatorem sine populi detrimẽto tollere: præsertim cũ Imperatores tunc à solis militib. crearentur [illegible] is inter prima religionis tempora, spemq; martyrii, nihil erat antiquius quã Antistitibus legẽ Numinis & voluntatẽ edicentib. credere & parere. Quod si in sanctissimorũ patrũ illis scholis didicissent, fas esse Ecclesiæ impio Principi abrogare imperium, subditisq; licere eiusmodi dominum seu aperta vi, seu per insidias tollere, nihil eis facilius quã Iuliano imperium abrogare vel vitam eripere, & alium pro arbitrio sufficere sine tumultu vllo siue periculo, publicaue iactura, [illegible] penes exercitum ius nominandi Imperatoris, ex longa tunc consuetudine, spectare putabatur, vt & re ipsa, Iouinianus primũ, mox Valentinianus, ambo Christi Confessores, post excessum Iuliani, ab eodẽ exercitu ad imperiũ sunt subuecti. Quid, quod etsi non totus exercitus in Christi hostem conspirasset; attamẽ soli illi milites, de quibus ex Nazianzeno in libris nostris de Regno, e meminimus vna cũ Iouiniano tunc confessore, Iulianũ nullo negotio sustulissent? [illegible] te quos, si audaciã & fortitudinẽ spectemus, vsus rei militaris: si opportunitatẽ, facilis militũ tunc temporis ad Imperatores accessus: si voluntatẽ, ardor animorũ martyrii desiderio flagrantiũ & quidnis pro fidei defensione molientiũ, ad Ecclesiam à sceleratissimi hominis perfidia & tyrannide, claro aliquo facinore liberandam, longe promptiores reddidisset, q̃ vel vlla furiosum [illegible] hominem vesana temeritas. Quid, quod Christiani eo tempore inclytos Euangelii tubicines, [illegible] nasium, Basilium, vtrumq; Greguriũ, Cyrillũ, Epiphanium, Hilarium, Hosium, aliosq; cõplures doctrina & virtute insignes Pontifices audiebant, qui neq; quid iuris Ecclesia in Principes haberet propter doctrinã ignorare, neq; cognitum & perspectũ tam necessario Reip. Christianæ tempore celere aut dissimulare, propter summã vitæ sanctitatẽ atq; in aduersis constantiã potuerunt. [illegible] quod populum diuini illi Antistites docebant, nullũ nisi in patientia & lacbrymis remedium aduersus Apostatam superesse? ita enim Nazianzenus. f *Hæc, inquit, Iulianus deliberabat* (loquitur de iis quæ crudelis Apostata aduersus Ecclesiam meditabatur) *quemadmodum secretorum illius sodales & testes propalarunt: coercitus est tamen Dei clementia ac lachrymis Christianorum, quæ multæ iam & a multis erant effusæ, quum solum hoc contra persecutorem haberent remedium.* Quæso aduerte animum [illegible] Lector, & perpende Nazianzenum hoc loco. Negat Christianos, hoc est Ecclesiam, habuisse vllum remedium præter lachrymas aduersus persecutionem Iuliani, cum tamen certum sit eos pro se totũ Iuliani exercitum habuisse. Non igitur sensit hic Pontifex qui [illegible] Theologus [illegible] appellatus, Ecclesiam ius vllum habere in Imperatorem impiissimum ad commouendum aduersus eum exercitum Christianum: alioqui falsum esset Christianos siue Ecclesiam non habuisse aliud remedium contra persecutorem præter lachrymas, habebant enim exercitum, qui iussus ab Ecclesia, propter Dei causam facile à Iuliano defecisset.

d Ruffin. lib. 1. hist. eccles. cap. 1. Socrat. Schol. lib. 3. c. 22. Theodoret. lib. 4. cap. 1.
e Lib. 4. cap.
f Orat. 1 in Iulian.

Iam vero quod de Constantio & Iuliano diximus, scilicet nullo negotio in ordinem ab Ecclesia cogi & sceptris vitaque priuari sine vllo populi incommodo potuisse, id in Valente & Valentiniano iuniore multo est euidentius. Quandoquidem Valens præcipuos exercitus sui duces & præfectos habuit viros summe Catholicos, per quos ipse deses & socors bella conficiebat: nempe Terentium, Traianũ, Arintheum, Victorem & alios, qui fidẽ Catholicã constanter profitebantur, suamq; Imperatori hæresim & [illegible] in os intrepide exprobrabant, sed in tam religiosa libertate, manus abstinuerunt, nec vltra admonitionem processit indignatio: quod scirent se vitia Principis indicare tantum debere, non etiam vindicare. Itaq; in omnibus quæ secularis erant imperii, morem gerebant Heretico, quẽ facile de medio tollere potuissent, & Monarchiam totam

maximo

maximo atq; Ecclesiæ commodo, ad Valentinianum Principem Catholicum, vnde processe- rat, reducere. An non poterant hi belli Duces fœdus inter se aduersus Principem suum Hæreticū icere, si id iure licuisset? An non expediebat Ecclesiæ Imperatorem hæreticum Catholicis nō im- perare? An deniq; Ecclesia doctis & vigilacibus tunc Pastorib. caruit, eoque ius suum temporale aut ignorauit aut neglexit? Nam quod solum superest, nulla ætas Christianos Prælatis suis magis morigeros, quam illa habuit: vt si non ius imperandi Principibus temporalia, sed iuris tantū exe- curio Ecclesiam defecisset, nec tarde eam populus & exercitus, Constantii, Iuliani, & Valentis ty- rannide liberaturus fuisse videatur. Cuius rei fidem facit testimonium illustre D. Aug. g inter Ca- nones relatum. h *Iulianus extitit infidelis Imper.* inquit: *Nonne extitit Apostata, iniquus, idololatra? Mili- tes Christiani seruierunt Imperatori infideli. Vbi veniebant ad causam Christi, nō agnoscebant nisi illum qui in cælo erat. Quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autē dicebat, producite aciem, ite contra illam gentē statim obtemperabant. Distinguebant dominum æternum à domino tem- porali: & tamen subditi erant propter dominum æternum etiam domino temporali.* Quis hic non videt cilimū fuisse Ecclesiæ coercere omni modo Iulianum, si temporalem aliquā in eum potestatem habuisset? quippe ventum tunc fuisset ad causam Christi, quo casu Imperatori Christū, id est Do- minū æternum domino temporali milites præponerent. Nam & Ecclesiæ causa Christi causa est. Aut ergo Pontifices Romani, siue summi Pontifices, atq; adeo tota Ecclesia, tunc pro certo cre- diderunt, nullam se iurisdictionem & potestatē temporalem vllo modo habere in Principes se- culares, aut certe defuerunt officio suo, nec tam solicite gregem sui fidei mandatum curauerunt, quam post multa secula recentiores nostri Pontifices, qui ad pastoralis sui muneris partem perti- nere contendunt, Principes & Monarchas omnes, non solū ob hæresim aut schisma, sed ex aliis etiam causis temporali pœna coercere, & regnis atq; imperiis, si id illis visum est, spoliare, cū cæ- teroquin neq; ipsi vitæ sanctitatē, & doctrina, cum primis illis Pontificibus conferendi sint, neq; iam populus Christianus tam dicto audiens, atq; primis illis temporibus extitit. Quapropter, si verum amamus, fatendum est, neminem vtrorumq; temporum Pontifices in hac re vel accusare vel excusare posse. Extra præuaricationem aut calumniam, alterutrorum laus alteris ad vitupe- rium cedet. Sed pergamus.

CAPVT VIII.

IVnior Valentinianus omnium qui in hunc diem, non solum Imperio, sed Regno aut Princi- patui cuiquam præfuerunt, facilime ab Ecclesia coerceri potuit. Nam non solum summi Epi- scopi, id est, Pontificis Romani iussu ab imperio reiici, sed & solius Episcopi Mediolanensis, Am- brosii sc. nutu & arbitrio à propriis militibus & stipatorib. deseri, & ad priuati hominis statū redi- gi potuit. *Ante lucem*, inquit Ambrosius, c *vbi pedem limine extuli, circumfuso milite occupatur basilica: idq; à militibus Imperatori mandatum dicitur, vt si prodire vellet, haberet copiam, se tamen præsto futuros si viderent eum cum Catholicis conuenire: alioquin se ad eum cœtum quē Ambrosius cogeret transituros. Prodire de Arianis nullus audebat, quia nec quisquam de ciuibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiā Gothi, quibus vt olim plaustrum sedes erat ita nunc plaustrum Ecclesia est.* & post in eadem epistola de se ipso loquēs, *Ego tyrannus appellor, & plus etiam quam tyrannus*, inquit. *Nam cum Imperatorem Comites obsecrarēt vt prodiret ad Ecclesiam idq; petitu militū facere se diceret, respondi: Si vobis infertur Ambrosius, vinclis me tra- detis.* Quid ad hæc aduersarii? an non vnus iste locus sat est qui omnib. linguam occludat? Omitto quod Maximus eum valida manu ex Britanniæ & Galliæ partibus collecta in Italiam contende- bat, curaturus (vt ille dicebat) ne quid vltra religio Catholica detrimenti caperet: & Ecclesiæ iā à Valentiniano deprauatæ in pristinum statum reponerentur, quod & ipse Valentiniano per lite- ras significauerat, qui tamen non vnicus illi scopus, sed (q à nonnullis nostro seculo factitatum) hoc colore pietatis flagrantem regnandi cupiditatem tegebat. Nam constitutum illi erat, occiso iam apud Lugdunū Gratiano, in Valentiniani Imperiū inuadere. Itaq; eius aduentu perterritus Valentinianus, ex Italia in Illyrium ad Theodosium Orientis Imperatorem profugit. Res nota- tu digna, Hæreticus à Catholico fugatus, ad Catholicum auxilii causa fugit: à quo & reprehensus est propter hæresim, & propter reuerentiam Maiest. humaniter exceptus, atq; in regnū restitutus. Et quia Ecclesia rebellionem religionis ergo aduersus legitimum Principē non laudauit, Maxi- mus neq; reformator Imperii dictus est, neque restaurator Ecclesiæ, sed rebellis & tyrannus. d

Hæc cum ita sint, desinant nunc velim aduersarii commento suo nobis imponere: aut saltem dicant vnde id hauserint? An apud probatum scriptorē vspiam legerint, Christianos ita virib. & copiis suis tunc diffidisse, vt ne tētare quidē ausi fuerint, quod fortiter aggressi facile perfecissent? aut tentasse saltem, sed belli fortunam humanaq; omnia expertos, impiis Principib. succubuisse? Adeone illis animus & voluntas defendendæ Ecclesiæ deerat? Adeone illos religionis ardor & *Zelus domus Dei* deficiebat? Adeone Concionatoribus eruditis & buccinis Euangelii destitueban- tur, vt quid iuris in Principē peruersum & hæreticū Pontifici aut populo sit, minime intelligerēt? Replicent aduersarii omnium annalium memoriā, & versent quousq; volent scripta ecclesiasti- ca & profana, nusquā profecto inuenient Ecclesiam illis seculis (cū fuerit multo quā nunc purē- tior) aliquid in Principū quantumuis malorum perniciem esse molitā, aut eius imperium abro- gare conatam, vt est à nobis in libris nostris de Regno, perspicue fuseq; demonstratum. e At ex eis contra quæ in sanctorum Patrum scriptis de Principum secularium potestate legimus, con- stat omnes ea ætate sensisse, nullam vel, Episcopo Rom. siue summo Pontifici, vel Ecclesiæ vni-

nec se

a In Psalm. 124.
b Cxi. q. 3. can. 98.
c Ad sororē suam Mar cellinā epist. 33. lib. 5.
d Sozomen. lib. 7. ca. 13. Niceph. lib. 12. c. 20.
e Lib. 3. c. 5. lib. 4. c. 5.

uersæ temporalem potestatem, vllo modo, vllave ex causa in eos competere: sed solius Dei iudicio, quantum ad pœnas temporales relinquendos. Atque hæc, vt videtur, causa fuit, cur illi Patres non nisi perraro atque obiter de libertate & impunitate Principum meminerint: quod nimirum de ea tunc controuersia non fuerit, sed vna omnium sententia, quam inde ab Apostolis ex prædicatione maiorum, velut per manus acceperant: Principem in temporalibus solum Deum iudicem habere, licet in spiritualibus Ecclesiæ iudicio subiiciatur.

Huius rei testem inprimis Tertullianum produco, qui de Imperatoribus loquens, a *sentiunt*, inquit, *Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes Deos & super omnes homines*. & b alibi, *Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum, solo Deo minorem. Hoc & ipse volet: sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.* Hæc ille, non ex sua sed communi Christianorum omnium persona, velut certam & indubitatam totius Ecclesiæ doctrinam, profitetur. Nec aliquis hoc argumentum eludat, quod Imperatores tunc fuerint extra Ecclesiam, ac proinde non subiecti Ecclesiæ. Nam lex Christi iure suo neminem priuat (quod ipsimet aduersarii fatentur) ac proinde, vt supra c ostendimus, Reges & Imperatores accedendo ad Ecclesiam, nihil iuris sui temporalis amittunt.

a *In Apologet. aduers. gentes.*
b *Ad Scapulam Præsid. Carth.*
c *Cap. 3.*

Secundo loco prodibit S. Ambrosius, qui de Dauide adulterio homicidium cumulante scribens. d *Rex vtique erat*, inquit, *nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate.*

d *In lib. qui inscribitur Apologia Dauid.*

Tertio B. Gregorius Archiepiscopus Turonensis, e qui Francorum Regem Chilpericum, Sacerdotes Dei calumniose vexantem, & iniuriose tractantem, his verbis alloquitur. *Si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest: si vero tu excesseris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te damnabit, nisi is qui se pronunciauit esse iustitiam?*

e *Lib. 5 hist. ca. 7. Aimoin lib. 3. cap. 26.*

Quarto, D. Gregorius Magnus, Gregorii Turonensis fere coætaneus, qui cum Pontifex Maximus esset, Imperatoris se famulum & subditum esse fassus est, ipsique Imperatori potestatem cœlitus datam in omnes homines, humaniter humiliterque agnouit, vt paulo ante retulimus f.

f *Cap. 5.*

Quinto præclarus Antistes, Otto Episcopus Frisingensis, g *Soli Reges*, inquit, *vtpote constituti supra leges, diuino examini reseruati, seculi legibus non cohibentur. Vnde est illud tam Regis quam Prophetæ*, TIBI SOLI PECCAVI. & Mox. *Cum enim iuxta Apostolum, omni mortali horrendum sit incidere in manus Dei viuentis, Regibus tamen, qui nullum præter ipsum supra se habent quem metuant, eo erit horribilius, quo ipsi cæteris possunt peccare liberius.*

g *In epistola ad Freder. Ænobarbū.*

Possum & alios non paucos ad huius rei fidem accire: sed quid pluribus opus est? *in ore duorū vel trium testium stet omne verbum* h. Si contrariæ opinionis assertores tot antiquorum Patrum testimonia, imo si vel vnū aliquod proferre possint, quo diserte scriptum sit Ecclesiam, vel eius caput summum Pontificem, habere temporalem vllam potestatē in Reges & Principes seculares, & posse eos temporalibus pœnis quoquo modo, directe scil. vel indirecte, coercere, aut regno, regniue parte multare: non equidem recusabo quo minus lis tota secundum ipsos sine prouocatione iudicetur. Nihil enim est quod malim quam certam rationem inueniri posse, per quam aduersariæ opinionis sententia liquido confirmetur: sed dum id frustra expecto, interea Veritas me victum vinctumque, secum in aliam partem abducit.

h *Matt. 18.*

Hoc igitur ab aduersariis nunc quæro: Nunquid verisimile sit hos sanctos & antiquos Patres, qui de summa Regum & Imperatorum potestate impunitateque scripserunt, adeo negligentes fuisse, vt per incuriam non admonuerint sui seculi Principes huius Pontificiæ potestatis temporalis, aut eam admonitionem tabulis consignatam non reliquerint: quo Principes non solum occulta Dei iudicia extimescant, sed etiam Ecclesiasticam & Pontificalem iurisdictionem temporalē, per quam deiici loco possint, quoties id Ecclesia, vel eius caput Papa, è religione atque è Rep. esse putauerit? Certe id siluisse, si verum erat, fallere fuit Reges & Principes, quibus literis & prædicationibus persuaserant, eos posse à solo Deo in temporalibus iudicari. An fingemus ignaros adeo & inscios fuisse authoritatis Ecclesiæ, vt talē eam potestate præditam esse non intellexerint? An denique adeo meticulosos & pusillanimes, vt quod scirent, id Principibus nunciare non sint ausi? Si nihil horum priscis illis Patribus imputari potest; cur aliam quæso, nunc nouam potestatem, nulla certa neque authoritate neque ratione fundatam, sed postremis seculis ab hominibus quibusdam summo Pontifici misere addictis excogitatam populoque obtrusam amplectamur, & nouum iugum Principibus imponamus?

CAPVT IX.

PRiorem partem secundæ rationis aduersariorum falsissimam esse iam plane ostendi, *Ecclesiam scilicet ideo tolerasse Constantium, Iulianum, Valentem, & cæteros Principes Hæreticos, quia non potuit eos sine populi detrimento coercere*. Posteriorem partem nunc æque falsam esse demonstrabo, nempe Henricum IV. Imperatorem, & alios Principes in quos posteriores Pontifices ius sibi temporale arrogarunt, potuisse ab Ecclesia sine populi detrimento coerceri. Quod priusquam aggrediar, obsecro atque obtestor non modo lectorem beneuolum, sed ipsosmet aduersarios, vt quæstione pertractata perpendant animo, & temperate, ac syncere æstiment, an non facilius Ecclesiæ fuerit in primos illos Principes, supradictis modis & mediis animaduertere, quam dictum Henricum quartum per

Rudolphum Sueuum, vel Philippum Pulchrum per Albertum Austriacum in ordinem cogeret? quorum alter Papæ arrogantiam nisit & repressit: *a* alter vero æmulum & aduersarium sibi à Pontifice datum, post varias vario marte dimicationes, postremo tandem prælio confecit, *b* & Papam, à quo fuit excommunicatus, Roma eiectum perpetuo exilio multauit.

a Gregorius alii.
b Marian Scotus in Chronico an. 1080.
c Lib. 3. ca. 4. de transl. Imp. & li. 4. de Rō. Pont c. 13.
d Li. 6 Chr. cap. 35.
e Ca. 36. suo vii.

Quanto cum populi detrimento Papa temporalem illam in Henricum IV. potestatem exercere conatus sit, testatur Otto Frisingensis (quem Bellarminus & genere & eruditione, & vitæ probitate nobilissimum merito vocat *c*) qui de excommunicatione & depositione dicti Henrici facta à Gregorio VII. sic scribit. *d Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatū, vel regno priuatum: nisi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breue tempus à Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à beato Ambrosio propter cruentam cædem, à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit.* vbi animaduertendum est, Ottonem plane profiteri se nullum de priuatione regni exemplum præcedentibus seculis inuenire, licet de excommunicatione duo ista, si non vera, at saltem verorū speciem habentia proponat. Deinde vero paucis interiectis *e* sic scribit: *Quanta autem mala, quot bella, bellorumq; discrimina inde subsecuta sint: quoties misera Roma obsessa, capta, vastata, quod Papa super Papam, sicut Rex super Regem positus fuerit, tædet memorare. Denique tot mala, tot schismata, tot tam animarum quam corporum pericula, huius tēpestatis turbo inuoluit, vt solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miseriæ infœlicitatem sufficeret comprobandam. Vnde à quodam Ecclesiastico scriptore densissimis Ægypti tenebris cōparatur. Prædictus enim Pontifex Gregorius à Rege vrbe pellitur, Gibertusq; Rauennatensis Episcopus in locum eius subintroducitur. Porro Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suæ tempore, dixisse fertur: Dilexi iustitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quia ergo in Principe suo regnum ab Ecclesia præcisum grauiter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto Pastore, qui inter omnes sacerdotes & Romanos Pontifices præcipui Zeli ac authoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit.*

Hoccine est Principem sine populi detrimento coërcere? Qui scribunt Romanum Pontificem (quem Ecclesiæ nomine intelligunt) non tolerasse hunc Imperatorem; quia poterat eum sine populi detrimento coercere; aut hunc authorem non legerint; aut nominis & existimationis suæ curam nullam gerant, necesse est, qui tam manifesto mendacio se implicent. Si hoc prius ignorabant, discant nunc saltem ex hoc scriptore grauissimo, falsum id esse quod pro vero inscienter proponunt: & cogitent velim, candideque iudicent, an non satius fuisset Gregorium Papam vitia & mores desperatos Henrici instar Constantii, Iuliani, Valentis, & aliorum Imperatorum Ecclesiam vexantium perferre, ac Dei bonitatem lachrymis & precibus pro eius salute vel interitu exorare; quam tot schismata & cædes, tot populorum & vrbium direptiones, tot in sedem Apostolicam contumelias, in Pontifices bella, aliasque furibundas tragœdias cum totius populi pernicie, vno facto insolente & inaudito, minimeque necessario excitare, excitatasque annos plures magno Ecclesiæ malo alere & fouere? Fieri potest vt bono id animo fecerit Gregorius (Deus de intentione iudicet.) At fieri non potest, vt recte, prudenter, & ex officio fecerit, & quin largiter errauerit, more & consilio humano, cum id sibi tribueret quod suum sane non erat, deponendi se. & abdicandi Imperatoris munus, inque eius locum alterius substituendi potestatem, ac si ad eum regni illius humani dominium pertinuisset, quod satis versiculus ille indicat ab Ottone relatus, & à nobis supra transcriptus.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Constat autem non semper recte, & ex Dei voluntate fieri, quod pietatis feruore & bono zelo, etiam a viris cæteroquin optimis, agitur. Moyses, dum Hebræi defendendi zelo occidit Ægyptium, peccauit. Oza zelo fulciendi arcam Domini nutantem, eam tetigit & interiit. Petrus zelo tuendi Dominum & Magistrum, Malcho auriculam abscidit, & reprehensus est. Hinc D. Ambrosius ad Theodosium. *f Noui te pium, clementem, mitem atq; tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem: sed plerumque aliqua nos fallunt. Habent aliqui Zelum Dei, sed non secundum scientiam g.* zelus inconsideratus non raro ad scelus impellit.

f Lib. 5. epi. 29.
g Rom. 10.

Culpa igitur Gregorii Papæ mihi permagna in hoc negotio videtur, quod non animaduerterit ad supremi Pastoris officium pertinere, vnius facinus impunitum potius relinquere, quā eius vindicandi desiderio innocentem atq; innoxiam multitudinem periculo inuoluere. Ac proinde ne excommunicare quidem Imperatorem illum debuit, in cuius sceleris societatem tantus hominū numerus coierat, vt separari sine schismate, & vnitatis Ecclesiæ dissolutione nequiret. Id multis ante seculis, magnum Ecclesię lumen Augustinus sancte & sapienter admonuit, *h* atq; ex Apostoli Pauli scriptis luculenter comprobauit: cuius sententiam Ecclesia adeo gratam & ratam habet, vt eam in Canones retulerit *i*: digna ergo quam huc transcribam, & quæ non atramento sed auro, nec in charta pictura, sed silice vel adamante, aut si quid illis durius & diuturnius est, exararetur. *Nō potest*, inquit, *esse salubris à multis correptio, nisi cum ille corripitur qui non habet sociam multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat quam dolor & gemitus, vt per illud signum, quod Ezechieli sancto reuelatur k, illæsi euadere ab illorum vastatione mereantur. Nec cum voluerint colligere zizania, eradicent simul & triticum: nec per diligentiam segetem Domini purgent, sed per temeritatē ipsi potius inter purgamenta numerentur. Ideoq; idem Apostolus cum iam multos comperisset, & immundos luxuria, & fornicationibus inquinatos, ad eosdem Corinthios in secunda epistola scribens, non itidem præcepit vt cum talibus nec cibum sumerent. Multi enim erant, nec dici de his poterat, l Si quis frater nominatus fornicator, aut idoli*

h Lib. 3. ca. 2. contra ep. Parmeniani
i Can. non potest 23. q. 4.
k Ezech. 9.
l 1. Cor. 5.

seruiens, aut auarus, aut aliquid tale, cum eiusmodi nec cibum quidem simul sumere: sed ait, a *Ne iterum cum venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & luxuria & fornicatione quam gesserunt: Per luctum suum potius eos diuino flagello coercendos intimans, quam per illam correptionem vt cæteri ab eorum coniunctione se abstineant.* & paulo post, *re vera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est,* b *nam consilia separationis* (hoc est excommunicationis) *& inania sunt, & perniciosa atque sacrilega: quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos.*

a 2. Cor 12.
b id est, totum diuino iudicio & orationi relinquendũ est.

Hæc cum ita sint, nemo vt arbitror, ex collatione doctrinæ S. Aug quæ & Ecclesiæ est, cum gestis à Gregorio in Henricum, non perspicue cernet, Papam magnopere errasse, qui Imperatorem, cuius partes ingens Clericorum & laicorũ multitudo sequebatur, cum manifesto maximi schismatis periculo excommunicauerit: multoq; amplius, cum eum Imperii iure (in quod ipsemet Pontifex ius nullum habebat) odiosa sententia nixus est spoliare: vt mirum non sit si (quod Sigebertus scribit) eundem Gregorium paulo ante mortem pœnituerit omnium quæ aduersus Imperatorem gesserat.

Libet Sigeberti locum referre, quod non suam ipsius opinionem aduersariis suspectam, eo quod Henrici partes sequutus sit, sed historicam narrationem alterius authoris contineat. *Hildebrandus Papa,* inquit, *qui & Gregorius septimus, apud Salernum exulans moritur. De hoc ita scriptum repe*c*ri: Volumus vos scire qui Ecclesiasticæ curæ solliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrãdus qui & Gregorius, nunc in extremis positus ad se vocauit vnũ de duodecim Cardinalibus, quẽ multum diligebat præ cæteris, & confessus est Deo, & sancto Petro, & toti Ecclesiæ se valde peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regẽdũ commissa erat, & suadente diabolo contra humanum genus iram & odium concitasse. —— Tunc demum misit prædictũ confessorem ad Imp. & ad totam Ecclesiam, vt optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, & tam cito induebat se Angelica veste, & dimisit ac dissoluit vincula omnium bonorum suorum Imperatori & omni populo Christiano, viuis & defunctis, Clericis & Laicis, & iussit suos abire de Domo Dederici, & amicos Imp. ascẽdere.*

c in Chronograph. ann. 1085.

CAPVT X.

REdeo nunc ad Episcopum Frisingensem genere, pietate, & eruditione, vt diximus, nobilissimum, atq; harum rerum testem pene oculatum. Is cum in loco à nobis producto, tum in aliis non obscure indicat non probari à se decretum illud Papæ de abdicando Imperatore, sed nouum, insolens, atq; iniustum videri. Nam primum quod ad facti illius nouitatem & insolentiam, sic scribit, *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorũ ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum.* Et rursus libro primo de gestis Friderici d, *Gregorius septimus,* inquit, *qui tunc vrbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem tanquam à suis destitutum, anathematis gladio feriendum decreuit. Cuius rei nouitate eo vehementius indignatione motum suscepit Imperium, quod nunquam ante hæc tempora huiusmodi sententiam in Principem Romanorũ promulgatam cognouerat.* Iniustitiam vero & iniquitatem facti variis modis declarat. Primum quod inter mala & damna quæ ex illo Papæ decreto nata sunt, ponat mutationem & deiectionem Papæ & Regis, *quod Papa super Papam, sicut Rex super Regem positus fuerit.* quibus verbis ostẽdit vtrumq; pari iure, seu potius pari iniuria factum esse, vt sicut iniuste Papa super Papam ab Imperatore, ita etiam iniuste Rex super Regem à Papa *positus sit.* Deinde quod ait, *quia ergo in Principe suo regnum, &c.* id quid aliud sonat, quam propter violatum in Principe Imperium, violatam fuisse in Pontifice Ecclesiam, siue propter percussum regnum in persona Principis, percussam fuisse Ecclesiam in persona Pontificis, inter quæ cum nullum iuris aut iniuriæ discrimen faciat, nec possit vtrumq; iuste fieri, consequens est, vt vtrumque iniuste factum esse existimet.

d Cap. 1.

Præterea tam defectionem Rudolphi, quem Papa Imperatorem creauerat, quã insurrectionem filii ipsius Henrici excommunicati, aperte & simpliciter rebellionem vocat: quod vtiq; nunquam dixisset, si Henricum iure priuatum imperio credidisset. Nam rebellio esse non potest, nisi aduersus superiorem, ac proinde nec in Henricum esse potuit, qui si iuste abdicatus & *depositus est,* amplius superior non erat. De Rudolpho itaque sic scribit. e *Nec multo post tempore duo præfati duces Guelfo & Rudolphus, qua occasione dubium, Principi rebellantes, Saxonibus iunguntur.* Et mox, *At Romanus Pontifex Gregorius, qui iam vt dictum est, Principes aduersus Imperatorem concitabat, omnibus vt alium crearent, latenter & manifeste scribebat.* Scire autem hic obiter oportet, quod ait, *qua occasione dubium,* de priuata occasione intelligendũ, cuiusmodi multæ solent inter Magnates & Regem oboriri: vt nostra ætate inter Borbonium & Franciscum Regem, Guysium & Henricum, Auriacum & Philippũ: nam vterq; & Guelfo & Rudolphus publicam occasionem prætendebant, nempe efferatos Henrici mores, & quod à Papa excommunicatus esset ac regno depositus, vt scribit Albert. Schafnaburgensis, f atq; ita priuatum odium, vt rebellantibus mos est, prætextu publico velauerunt. De filio autem Noster Episcopus Frisingensis sic loquitur; g *Anno dehinc iterum sequente, natale Domini Moguntiæ Imperatore celebrante, Henricus filius eius rebellionem contra patrẽ in Norici partibus, consilio Theobaldi Marchionis, & Berengarii comitis, sub specie religionis, eo quod pater eius à Romano Pontificibus excommunicatus esset, molitur: ascitisq; sibi quibusdam ex Orientali Francia, Alemania, Baioaria, Principibus, Saxoniam terram & gentem cõtra Regem facile animandam ingreditur.* Lector hic duo obseruet. Alterũ quod hic author scientia & pietate conspicuus, hanc insurrectionem Henrici filii in Henricum patrem rebellionem vocet. Alterum, quod Henricum patrem, & hic & alibi semper, Regem & Imperato-

e Lib. 1. de gest. Friderici. cap. 6.
f De Reb German.
g Lib. 7. Chron cap 8.

rem nominet, quamuis excommunicatus & regno priuatus per sententiam Pontificis, ante annos plus minus viginti quinque fuisset, & primum Rudolphus, deinde Hermannus à Papa & rebellibus in eius locum suffecti, ex quo satis indicat existimare se summum Pontificem ius abdicandi Reges nullum habere, aut aliquid statuendi de ipsorum imperio temporali: ac proinde decretum illud Gregorii nec iustum nec legitimum fuisse: alioqui neque Rex appellari Henricus, neque eius aduersarii rebelles siue Romani Pontificis iniuria potuerunt.

a Lib. 1. de gest. Frideri ci. c. 8.

Est & alius eiusdem authoris locus, a in quo idipsum manifestius declarat, Papam sc. per illam excommunicationem & abdicationem nihil iuris regni Henrico ademisse. Nam postquam narrauit Bertolfum Rudolphi generũ (quem vt dictum est Papa Regem creauerat) perempto socero, ducatum Sueuiæ tanquam sibi à socero concessum vsurpasse, & ex altera parte Henricum (Papæ iudicio depositum) concessisse eundem ducatum nobili cuidam Sueuiæ, cui Friderico nomen, qui Bertolfum ad pacis conditiones, & ad *exfestucationem ducatus* adegit, addit. *Bertolfus iste, quamuis in hoc negotio imperio simul & iustitia cesserit, tamen strenuissimum ac fortissimum fuisse traditur.* En vt nihil circuitione vsus, affirmat Imperium & iustitiam ab Henrico stare, in quem Pontifex sententiam depositionis multo ante tulerat, non autem à Rudolpho, quamuis Pontificia authoritate ad Regnũ vocato, cum epigraphe iam bis superius relata; *Petra dedit, &c.*

Denîq; cum serio dicat & doceat, *Reges nullum præter Deum supra se habere quem timeant.* Nonne hoc ipso satis admonet, nihil iuris temporalis Pontifici Romano esse, vt de ipsorum regnis & imperiis vllo modo disponat? Et vero licet aliud non esset, quo facinus illud Gregorii Pontificis improbetur, sane tot lugubres & calamitosi euentus, tot funesti ac miserabiles casus, qui ex illa Papæ in Imperatorem tunc primum occupata & vsurpata iurisdictione orti, vniuersum Imperium totos viginti quinque annos afflixerunt, & Ecclesiam continuo schismate lacerarunt, nobis argumento esse possunt, decretum illud non afflatu diuino, sed humano impetu factum esse: nec ab ordinaria sanctæ sedis Apostolicæ iurisdictione, sed vel ab extraordinaria sedem tenentis ambitione, vel iuris sui ignoratione & zelo inconsiderato processisse. Neq; enim verisimile est Deum, qui Iustitiæ author & Ecclesiæ protector est, quiq; primas spiritualis potestatis Ecclesiæ executiones, præsentibus miraculis & horrendo effectu formidabiles reddidit, non eodem modo primam illam tantæ tamq; sublimis authoritatis & iuris Ecclesiæ suæ executionem, singulari aliquo miraculo vel extraordinario auxilio secundare voluisse: cum præsertim tot precibus à Pontifice in auxilium esset vocatus, ipsiq; Apostoli solemni obsecratione rogati, his verbis: *Agite igitur Apostolorum sanctissimi Principes, & quod dixi vestra authoritate interposita cõfirmate, vt omnes nunc demum intelligant, si potestis in cœlo ligare & soluere, in terra quoq; Imperia, Regna, Principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare vos posse. Ediscant nunc Reges huius exemplo, & omnes seculi Principes, quid in cœlo positi, quantiq; apud Deum sitis, ac deinceps timeant sanctæ Ecclesiæ mandata contemnere. Hoc autem iudicium cito in Henricũ exercete, vt intelligant omnes, iniquitatis filium non fortuito, sed vestra opera è regno cadere. Hoc tamẽ à vobis optauerim, vt pœnitentia ductus, in die iudicii vestro rogatu gratiam à Domino consequatur. Actum Romæ Nonis Martii indictione tertia* b. His & similibus precationibus ad Deum & Principes Apostolorum fusis, inq; Henricum execrationibus & imprecationibus solemni more coniectis; quis Deum, qui Ecclesiam per beatos suos Apostolos continua protectione custodit non facile passurũ se exorari & primam hanc Pontificis supplicationem in tantæ authoritatis Ecclesiæ manifestandæ exordio nõ statim fuisse auditurum arbitretur, si talis ad Ecclesiam authoritas pertinuisset? Cum tamen plane contra, nihil non infaustum Pontifici, Pontificiæq; partis authoribus & fautoribus acciderit, triumphante interim & Imperium tenente Henrico. Nam quod à filio tandem post annos viginti quinque passus est, *sub specie religionis*, vt ait Frisingensis, id parum aut nihil ad hanc rem pertinet: prætextus hic tantum filio pessimo fuit; qui ante diem patrios in annos inquirebat. Vera autem causa, ambitio, & ardens dominandi libido, *quæ multos mortales falsos fieri subegit.* c & patres in filios, & hos in illos, sæuis & furialibus odiis sæpe armauit, vt vberius alibi ostendimus: d Bellissime quidam, e *patris longior vita malo filio seruitus videtur.*

b Platin. in vita huius Pontif.

c Salust.

d Lib. 6. de regno. c. 4.

e Gaguin. in vita Ludo. XII.

CAPVT XI.

EX his, vt opinor, satis patet, Ecclesiam non tollerasse olim Constantium, Iulianum, Valentem, & alios malos Principes, quod suis tunc copiis & viribus diffideret, nec quod eos sine magno populi incommodo in ordinem cogere nequiret. Nam re vera facilius & minore populi detrimẽto, veteres illos coercere potuit, quã non solum Henricum IV. cuius causa tam diuturnum schisma ortum est, sed vel Othonem IV. vel Fridericum II. vel Philippum Pulchrum, vel Ludouicum XII. vel Ioannem Nauarrum, & alios, in quos Pontifices successu rerum tumidi, sententias excommunicationis & priuationis regnorum protulerunt, non ob hæresim, neq; ob male obitũ imperium, neq; ad supplicationem subditorum, sed proprio motu, priuato inquam odio incensi infensique: Non denique quod status Ecclesiæ illa ætate Episcopos magis quam hoc seculo ad martyrium paratos esse voluerit. Tunc enim Ecclesia tutissimo loco erat, atque in portu vt dicitur, nauigabat: vtpote fundata iampridem Apostolicis institutis, & satis superque labore ac sanguine Martyrum stabilita. Quinimo is tunc Ecclesiæ status erat, vt multo minus quam hoc tempore Episcopis ad martyrium paratis opus esset: quod ibi a tunc multitudo, velut recente Martyrum sanguine aspersa,

nil nisi

nisi martyrium redoleret: adeo vt non minus exemplo gregis Pastor, quam singuli de grege exemplo Pastoris, officii sui commonerentur.

At nunc secus, proh dolor! se res habet: Ecclesia grauissimis tempestatibus agitata est, ac tantū non obruta Hæreticorum impetu, multis eorum ipsorum qui Catholici dici cupiunt ita affectis, vt nec magnas exantlare molestias, nedum exequi mortē, pro vera religione velint: quapropter vt incalescat ille tepor, & homines ad expeditissimam viam & quasi compendiariam salutis excitentur, quis nō videt opus esse Episcopis qui verbo & exemplo viam monstrent: & ad martyrium potius, quam ad arma & insurrectiones, in quæ natura procliues sumus, & semetipsos componant & adhortentur? Quis non paternam Clementis VIII. pietatem cum summa prudentia coniunctam, qua Reges & Principes Christianos ad concordiam reducere, & in concordia retinere annititur, infinitis partibus Ecclesiæ vtiliorem iudicet, quam Iulii II. loricati furores Martios, quibus Italiam, Galliam, Germaniam, Hispaniam, cæterasque gentes Christianas, hostilibus animis inter se committere, impie & inhumaniter connitebatur.

Hæc cum ita sint, sane vel priscos Ecclesiæ patres grauiter deliquisse fateamur, q. sontes illos, & execrandos fidei desertores, non solum pertulerint, &, cum facile possent, non peremerint, sed obseruarint comiter, & regalibus titulis atq; honoribus dignati sint: vel eos eiusmodi Principib. pepercisse propter reuerentiam Maiestatis, & solo Deo inferiorem in temporalibus potestatem, arbitremur necesse est: vel certe præter causas ab aduersariis redditas, aliam adhuc subesse meliorem credamus, quam nemo ipsorum hactenus prodidit, nec vt suspicor, vnquam prodet.

Nam quod quidam seditiosus in opere illo infami quod aduersus Reges scripsit, *a* vt vim superioris obiectionis de antiquorum Patrum tolerantia eludat, *quasi vero*, inquit, *eadem instituendæ Ecclesiæ ratio, atq; instituta esse credenda sit, ac non prius plantari & irrigari vineam, quam incidi oporteat: sed tum demum id potestatis datum est Ecclesiæ, cum id Propheta impletum est: Erunt Reges nutritii tui, & vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* b id certe est eiusmodi quod vix responsione dignum putem, cum nec authorē ipsum sat quid dicat scite arbitrer. Quid enim? An non putrida Ecclesię membra ab eius infantia & primordiis abscindi solebant? An nescit incisionem illam spiritualem, quæ propria Ecclesiæ est, vna cum ipsa Ecclesia cœpisse? Quid Ananias, quid Corinthius, an non ab Ecclesia amputati? Hoc si ignorat, malus Theologus, & peior vinitor credendus est: siquidem in plantatione resecat hic etiam quicquid in vite superfluum est & inutile, nec prominere terra putridas aut vitiatas gemmas sinit: mox eam, vbi paululum excreuerit, pampinat, ne infructuosis coliibus oneretur. Quod si de incisione corporali intelligat, scire debet Ecclesiam non nosse sanguinem, non solere inquam extremo supplicio quemquam afficere, nisi forte per miraculum, vt in persona Ananiæ & Saphiræ *c*, contingat. Sed quid? an Ecclesiam temporibus Ambrosii, Hieronymi, Augustini nondum perfecte institutam fuisse reris? aut non satis plantatam & irrigatam, vt tam tunc commode incidi potuerit? Certe B. Augustin. alicubi asserit, *d* paucos suo seculo vspiam inueniri qui de Christo male sentirent. Cur ergo Valentem, Valentinianum, Heraclium & alios similes tolerauit Ecclesia? Nam à Constantino Magno impletum erat id prophetiæ quod allegat. At nondum tempus incidendi vineam Domini. Egregia ratio scil. atque inter alias eius viri ineptias, quas alibi seorsim indicauimus, *e* collocanda. Nunc ad indirectæ potestatis propugnatores transeamus.

CAPVT XII.

HOrum opinionem capite primo & capite quinto supra proposui: ea est, *Papam ratione suæ spiritualis Monarchiæ habere potestatem temporalem indirecte, eamq; summam disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum, & posse mutare regna, & vni auferre atq; alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem.* Cui sententiæ tam multa repugnant, vt eam omnino improbabilem, ne dicā incredibilem, existimem. Nam inprimis quid eis magis contrarium, quā quod tota antiquitas Christiana semper censuit, Reges solo Deo minores esse, solum Deum iudicem habere, nullis legibus humanis subiici, nullisq; pœnis temporalibus plecti vel coerceri posse, *f* ac proinde quod iuris auctores dixerunt, *Princeps legibus solutus est* g, id Græci de legibus pœnalibus præcipue intelligunt, ἐὰν ἁμαρτάνῃ οὐ κολάζεται. id est, videlicet si quid delinquat non punitur. Nihil horum cum aduersariorum opinione potest consistere: Nam si verum est, Papam de Regnis rebusq; Principum secularium posse disponere, & ab iis sceptra omnemq; dignitatem auferre, consequitur necessario Papā Regibus superiorem atq; etiam iudicem in temporalibus esse, ac præterea Reges omnes temporalibus pœnis subiici posse: quod superiori veterum sententiæ ex diametro, vt aiunt opponitur, consecutionis necessitas inde patet, quod qui alium legitime iudicat, is superior sit eo quē iudicat necesse est. (Nam par in parem non habet imperium, *h* multo minus inferior in superiorem) & quod regni priuatio, sicut bonorū publicatio, inter pœnas temporales easq; grauissimas numeranda sit.

Quid quod ipsi Pontifices fatentur Reges non habere superiorem in temporalibus *i* Habent & non habent, simul vera esse nequeunt, falsum ergo est Reges non habere superiorem in temporalibus, si alius iis possit iure temporalia auferre alteriq; conferre, si enim hic non sit actus superioritatis, vt ita loquar, non video equidem quid sit esse superiorem: aut si Regem causa cognita condemnare, & regali dignitate multare, non sit Regis iudicem esse, nullam neq; iudicii neq; iudicis notionem à maioribus traditam & relictam esse fatendum est. Nam quod in verbis, *directe & indirecte*

a Lib. 3 cap. 15 de iust. Henr. 4 abdicatione.

b Esaie 49

c Act. 5.

d Tract. 27. in Ioan.

e Lib. 5. de Reg.

Aduersariorum sententia tota antiquitati Ecclesiastica es traditae.

f Vide. c 8.

g Lib. Princeps. D. de leg.

h L. Nam magistratus. D. de recept. qui arbit.

i. Ca. per venerabilem qui fil. sunt legitimi.

Repugnat confessioni Pontificum.

recte

recte, discrimen statuunt, id non ad facultatem iudicandi & effectum iudicii, sed solum ad modum & rationem acquirendi tantam potestatem pertinet. Canonistæ enim dicunt Papam directe dominium temporale totius orbis à Christo accepisse. Hi vero negant eum accepisse tale dominium directe, quasi dicas per se, simpliciter, & sine alterius rei consideratione, sed tantum indirecte, hoc est per consequentiam ratione illius potestatis spiritualis quam directe à Domino accepit, hæc igitur ex verbis istis differentia, ad initium & modum acquirendi temporalem potestatem, non autem ad eius vim & effectum referri debet. Vtrumuis enim dicas, nihil ad Pontificalis iudicii in Reges firmitatem & efficaciam omnino interest: nisi forte quis dicat Papam si vir malus fuerit, liberius indirecte, quam directe in Regum corpora & fortunas posse grassari.

Quod si aduersariorum sententiæ locus sit, Reges & Principes Christiani non erunt solum vasalli & clientes Papæ in temporalibus, sed quod vilius est, quasi precario regna & Principatus ab eo possidebunt. Id facile ex ipsis aduersariorum principiis sic ostendo. Summus Pontifex potest alicui regnum auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem: Atqui iudicare & decernere an sit necessarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio, æquumne sit an iniquum, nemo potest iudicare: a ergo vbi libitum ei erit poterit quemlibet regno priuare, & illud alteri conferre. Propositio in hac ratiocinatione, est ipsamet sententia aduersariorum. Assumptio vero inter omnes Catholicos extra controuersiam est: nemo enim nisi Hæreticus negabit curam animarum ad Petri successorem & Christi vicarium pertinere. Conclusio deniq; ex præmissis necessario sequitur, quia si volet Pontifex Regnum aliquod ab vno in alium transferre, poterit dicere se iudicare ad animarum salutē id esse necessarium: & de eius quidem iudicio, vt dictum est, iudicare nemo debet. Atq; ita semper in eius voluntate situm erit, vtrum velit sceptra Regib. adimere, quod quid est aliud, quam Reges omnes velut iure precarii regna ad nutum Pontificis auferenda detinere b? Ecce quam lubrico in loco Reges & Principes Christiani consisterent, si verum esset, Papam habere potestatem indirecte disponendi de omnibus rebus temporalibus Christianorum, qui eam potestatem suo semper arbitrio iudicioq; metietur, vt nihil irato illi facilius futurum sit, quam indirectæ potestatis exercendæ causam prætexere, quoties eum aut priuatas iniurias vlciscēdi libido, aut ambitiose dominandi cupiditas incesserit, aut etiam vbi se læsum spretumue, quamuis sine publica offensione, esse credet. Cuius rei illustria documenta præbuerunt Bonifacius VIII. & Iulius II vt alios taceam, cum magno multorum scandalo, conceptum in Reges potentissimos odium obliqua hac indirectæ potestatis via effundere conarentur. Quod igitur de beneficiis Clericorum tradunt Pontificii iuris interpretes, *omnia sc. manualia esse respectu Papæ*: idem de Regnis dici posset, si ista ei in Reges potestas temporalis indirecte concedatur, quasi in manu & potestate eius sit, aliis subinde atq; aliis tanquam precario possessoribus ea auferre & conferre. Sed mitto hanc ab incommodo siue absurdo rationem, quæ licet aduersus Bozium & Canonistas nullius sit momenti, quod ipsi id quicquid est incommodi admittant, fateanturq; Reges nihil nisi mandatam à Papa executionem in regnis obtinere, tamen est efficax contra Theologos, & omnes indirectæ potestatis assertores.

Sed & omnis potestas, omneq; dominium & iurisdictio, aut iure diuino acquiritur, aut iure humano: & qui aliquid possidet seu tenet, si neutro horum possideat, iniuste possidet, vt præclare in Donatistas ratiocinatur Augustinus c. Fieri igitur non potest, vt Papa Imperium aliquod temporale in Reges & Principes seculares iuste exerceat, nisi constet id ei iure diuino vel humano esse tributum. At nullus neq; in diuinis neq; in humanis legibus locus reperitur, qui talem illi potestatem conferat, cum tamen contra; Regum Dominatio & authoritas multis sacrarum literarum testimoniis aperte commendata sit & probata, vt cum dicitur, *Per me Reges regnant. Data est à Domino potestas vobis. Reges gentium dominantur eorum. Cor Regis in manu Dei. Dabo illis Regem in furore meo. Time Dominum, fili mi. & Regem. Deum timete, Regem honorificate*, & passim id genus similia.

Postremo, quando quidem potestas & iurisdictio ista temporalis Papæ, de qua nobis sermo, neq; expresso Dei verbo in Scripturis comprehensa, neq; ex traditione Apostolorū quasi per manus recepta, neque vsu & consuetudine in Ecclesia per totos mille annos & amplius obseruata, aut ab vllo Pontifice occupata, neque ab antiquis Ecclesię Patribus laudata & probata, imo ne memorata quidem inuenitur, quæ nos, obsecro, credendi necessitas, cogat eam admittere? aut qua nobis eam authoritate persuadeant? Rationibus, inquiunt, & exemplis nostra probatur sententia, quam vellem id verum esse. Sed scire inprimis oportet eas tantum rationes huic ipsorum sententiæ probandæ idoneas esse, ex quibus apodixes & demonstrationes euidentes conficiuntur, quales nemo illorum adhuc attulit, aut vt arbitror afferre potuit. Nam quod ad probabiles & verisimiles tantū rationes attinet, ex quibus syllogismi Dialectici constant, illarum non ea vis est, vt per eas summū Regibus & Principibus imperium abiudicetur, cum ne quidem in quotidianis minimarum rerū controuersiis aliquid euinci possit, nisi manifestis & euidentibus testimoniis vel testibus res petitoris esse comprobetur, & ideo *Actore non probante, qui conuenitur, etsi nihil ipse præstat, obtinebit* d. In exemplis autem infirmum atque inualidum omnino præsidium est, quia quid factum sit tantummodo, non quid fieri debuit, ostendunt: exceptis iis quæ sacrarum literarum testimonio laudi vel vituperio dantur. Quæ cum ita sint, videamus nunc quibus rationibus sententiam suam aduersarii confirment.

a Clem. pastor. cum alio temp. 93.

b L. 1. Dedo precar.

c Tract. 6 ad ca. 1. Ioan. circa medium.

d L. qui accusare. C. de edend. l. ass. C. de prob. 1. deprobat.

CAPVT

CAPVT XIII.

NEmo omnium, vt ante dixi, Pontificiæ partis rationes aut diligentius collegit, aut argutius proposuit, aut breuius & subtilius conclusit, quam insignis Theologus Bellarminus, quem honoris causa nomino, qui licet quantum honeste potuit, & plus etiam quam debuit, Papæ authoritati in temporalibus tribuit: satisfacere tamen non potuit ambitioni imperiosissimi hominis Sixti V *qui se supremam in omnes Reges & Principes vniuersæ terræ, cunctosq; populos gētes, & nationes, non humana, sed diuina institutione sibi traditam potestatem obtinere* affirmabat a. Itaq; parum abfuit, quin omnia Doctoris illius opera, quæ hæresim summo hodie successu oppugnant, Pontificia censura magno cum Ecclesiæ detrimento aboleret, vt illius ordinis patres, cuius tunc erat Bellarminus, secreto mihi narrarunt. Quæ res me reficit, si forte, quod olim, Pontifex aliquis pari ambitione præditus, librorum meorum lectione ob similem causam Catholicis interdicet. Quicquid volet sane faciat, at nunquam efficiet, vt ego Catholicam, Apostolicam & Romanam fidem, in qua à puero ad grauem hanc senectutem versatus sum, vnquam deseram; aut in alia fidei professione moriar, quam quæ à Pio IV. præscripta est. Rationes igitur ex Bellarmino hac referemus; sunt enim numero quinque, relictis aliis, maxime vero nugis Bozianis, quæ indignæ sunt, in quarum refutatione vir doctus se exerceat.

a In Bulla contra Henr. III. regem Franciæ.

Prima ratio est, quam his verbis proponit Bellarminus: *Potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, quando vtraq; pars est eiusdem Reipubl. Christianæ: ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale. Omnis enim superior imperare potest inferiori suo.* Et ne quis forte rationem hanc eludat per inficiationem propositionis, eam dicto tribus argumentis, siue mediis, vt aiunt, demonstrare conatur, hoc modo.

Quod autem potestas politica non solum vt Christiana, sed etiam vt politica, sit subiecta Ecclesiasticæ, vt talis est: primo demonstratur ex finibus vtriusque. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali, vt patet, quia felicitas temporalis non est absolute vltimus finis, & ideo referri debet in felicitatem æternam: constat autem ex Aristotele lib. 1. Eth. cap. 1. ita subordinari facultates, vt subordinantur fines.

Secundo, Reges & Pontifices, clerici & laici, non faciunt duas Resp. sed vnam, i. e. vnam Ecclesiam. Sumus n. omnes vnũ corpus, Rom. 12. & 1. Cor. 12. at in omni corpore membra sunt connexa, & dependentia vnum ab alio; non a. recte asseritur spiritualia pendere à tēporalibus, ergo temporalia à spiritualib. pendent, illisq; subiiciuntur.

Tertio, si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni, ergo signum est subiectam esse temporalem potestatem spirituali. Hæc ille.

Quibus vt ordine satisfiat, respondeo, falsum inprimis esse, quod pro vero, certo, & solido fundamento in hac prima ratione nobis obtruditur: falsum inquam, ciuilē potestatem subiectam esse spirituali, quando vtraq; pars est eiusdem reipublicæ Christianæ: nisi id ita intelligant, subiectam esse in spiritualibus, & è diuerso hanc illi in temporalibus obedire oportere. Siquidem hæ duæ potestates ita sunt partes reipublicæ Christianę, vt neutri in alterum imperium sit, vtpote quę cum liberæ & sui iuris essent, mutuo amore coierunt. Vtraq; ergo alteram in suo ordine & munere tetragonos et veneratur, & suam vtraq; functionem arbitratu suo exercet: tantum inter eas conspirans quidam consensus & societas est, ad Christianam Rempub. conseruandam: vtraque enim potestate, siue (vt Genebrardi b verbis vtar) *vtroq; magistratu Ecclesiastico & Politico Ecclesia continetur, munitur, & viget.* ad quam protegendam & sartam tectam conseruandam;

b In Psal. ...

——————— *alterius sic*
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Vt quamdiu societatē retinent, Respub. Christiana innumeris concordiæ & pacis commodis efflorescat: At vbi coitam dissoluunt, spiritualis quidem potestas, licet diuina virtute pręstans, imbecillior tamen in oculis hominum, & corporalibus auxiliis destituta plerumq; contemnitur: temporalis vero quantumuis potens atq; fortis, in suam ipsius perniciem per omne scelus & insaniam properat, nimirū cœlesti gratia destituta, qua per spiritualis potestatis coitionē fruebatur. Nihilo tamen magis potestas Ecclesiastica suas vlcisci iniurias per se, nisi armis spiritualibus, vel potestas temporalis in Ecclesiasticam sæuire, nisi visibilibus & corporalib. telis potest. Cuius rei vtinā non tot luctuosis exemplis & superiorum seculorū monimentis, & nostra nōs ætas memoriaq; admonerent. Atq; hoc nimirum illud est, quod, vt ante dixi, Hosius ad Constantium Arianū: *Neq; fas est nobis, inquit, in terris imperium tenere, neq; tu thymiamatū & sacrorum potestatē habes, Imperator.* & quod D. Bernardus ad Eugenium Papam c: *Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestrā in alienā messem extenditis?* Non sunt igitur hæ potestates, Ecclesiastica & Politica, ita partes Reip. Christianę, vt altera in alterā plane dominetur: sed ita sunt partes, vt quæ cum essent separatæ & inter se diffidentes, singulari tandem concordia se coniunxerint, vt vtraq; alteri opem & operā suam præstaret, mutuisq; officiis & muniis sese inuicem demererentur. Nec quod potestas Ecclesiastica sanctior & excellentior sit Politica, idcirco hanc illi subiectam esse concedendum est: sed tantum (vt fit non raro in societate ciuili) illam digniorem & ditiorem huic ignobiliori & minus locupleti, ad vtriusq; vtilitatem se adiunxisse; ita vt ambæ in alia societate liberæ maneant, neutraq; ab altera vllo modo pendeat. Itaq; perbelle in hanc sententiam Driedo d *Christus, inquit, vtriusq; potestatis officiā discreuit, vt vna diuinis & spiritualib. reb. atq; personis, altera profanis ac mundanis præsideret,* & mox: *En plane vides Christū discreuisse vtriusq; potestatis officia.*

c Lib. 2. de consider. cap. 6.

d Lib. 2. de libert. Eccles. cap. 2.

NNn 3 Distin-

maximo afflictæ Ecclesiæ commodo, ad Valentinianum Principem Catholicum, vnde processerat, reducere. An non poterant hi belli Duces fœdus inter se aduersus Principem suum Hæreticũ icere, si id iure licuisset? An non expediebat Ecclesiæ Imperatorem hæreticum Catholicis nõ imperare? An deniq; Ecclesia doctis & vigilantibus tunc Pastorib. caruit, eoque ius suum temporale aut ignorauit aut neglexit? Nam quod solum superest, nulla ætas Christianos Prælatis suis magis morigeros, quam illa habuit: vt si non ius imperandi Principibus temporalia, sed iuris tantũ executio Ecclesiam defecisset, nec tarde eam populus & exercitus, Constantii, Iuliani, & Valentis tyrannide liberaturus fuisse videatur. Cuius rei fidem facit testimonium illustre D. Aug. a inter Canones relatum. b *Iulianus extitit infidelis Imper.* inquit: *Nonne extitit Apostata, iniquus, idololatra? Milites Christiani seruierunt Imperatori infideli. Vbi veniebant ad causam Christi, nõ agnoscebant nisi illum qui in cælo erat. Quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autẽ dicebat, producite aciem, ite contra illam gentẽ statim obtemperabant. Distinguebant dominum æternum a domino temporali: & tamen subditi erant propter dominum æternum etiam domino temporali.* Quis hic non videt ex illimũ fuisse Ecclesiæ coercere omni modo Iulianum, si temporalem aliquã in eum potestatem habuisset? quippe ventum tunc fuisset ad causam Christi, quo casu Imperatori Christũ, id est Dominũ æternum domino temporali milites præponerent. Nam & Ecclesiæ causa Christi causa est. Aut ergo Pontifices Romani, siue summi Pontifices, atq; adeo tota Ecclesia, tunc pro certo crediderunt, nullam se iurisdictionem & potestatẽ temporalem vllo modo habere in Principes seculares, aut certe defuerunt officio suo, nec tam solicite gregem suæ fidei mandatum curauerunt, quam post multa secula recentiores nostri Pontifices, qui ad pastoralis sui muneris partem pertinere contendunt, Principes & Monarchas omnes, non solũ ob hæresim aut schisma, sed ex aliis etiam causis temporali pœna coercere, & regnis atq; imperiis, si id illis visum est, spoliare, cũ cæteroquin neq; ipsi vitæ sanctitate, & doctrina, cum primis illis Pontificibus conferendi sint, neq; iam populus Christianus tam dicto audiens, atq; primis illis temporibus extitit. Quapropter, si verum amamus, fatendum est, neminem vtrorumq; temporum Pontifices in hac re vel accusare vel excusare posse. Extra præuaricationem aut calumniam, alterutrorum laus alteris ad vituperium cedet. Sed pergamus.

a In Psalm. 124.
b Cat. q. 3. can. 98.

CAPVT VIII.

IVnior Valentinianus omnium qui in hunc diem, non solum Imperio, sed Regno aut Principatui cuiquam præfuerunt, facillime ab Ecclesia coerceri potuit. Nam non solum summi Episcopi, id est, Pontificis Romani iussu ab imperio reiici, sed & solius Episcopi Mediolanensis, Ambrosii sc. nutu & arbitrio à propriis militibus & stipatorib. deseri, & ad priuati hominis statũ redigi potuit. *Ante lucem*, inquit Ambrosius, c *vbi pedem limine extuli, circumfuso milite occupatur basilica: idq; à militibus Imperatori mandatum dicitur, vt si prodire vellet, haberet copiam, se tamen præsto futuros si viderent eum cum Catholicis conuenire: alioquin se ad eum cœtum quẽ Ambrosius cogeret transituros. Prodire de Arianis nullus audebat, quia nec quisquam de ciuibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiã Gothi, quibus vt olim plaustrum sedes erat ita nunc plaustrum Ecclesia est.* & post in eadem epistola de se ipso loquẽs, *Ego tyrannus appellor, & plus etiam quam tyrannus*, inquit. *Nam cum Imperatorem Comites obsecrarẽt vt prodiret ad Ecclesiam idq; petitu militũ facere se diceret, respondi: Si vobis infertur Ambrosius, vinclis me tradetis.* Quid ad hæc aduersarii? an non vnus iste locus sat est qui omnib. linguam occludat? Omitto quod Maximus cum valida manu ea Britanniæ & Galliæ partibus collecta in Italiam contendebat, curaturus (vt ille dicebat) ne quid vltra religio Catholica detrimenti caperet: & Ecclesiæ iã à Valentiniano deprauatæ in pristinum statum reponerentur, quod & ipsi Valentiniano per literas significauerat, qui tamen non vnicus illi scopus, sed (q à nonnullis nostro seculo factitatum) hoc colore pietatis flagrantem regnandi cupiditatem tegebat. Nam constitutum illi erat, occiso iam apud Lugdunũ Gratiano, in Valentiniani Imperiũ inuadere. Itaq; eius aduentu perterritus Valentinianus, ex Italia in Illyrium ad Theodosium Orientis Imperatorem profugit. Res notatu digna, Hæreticus à Catholico fugatus, ad Catholicum auxilii causa fugit: à quo & reprehensus est propter hæresim, & propter reuerentiam Maiest. humaniter exceptus, atq; in regnũ restitutus. Et quia Ecclesia rebellionem religionis ergo aduersus legitimum Principẽ non laudauit, Maximus neq; reformator Imperii dictus est, neque restaurator Ecclesiæ, sed rebellis & tyrannus. d

c Ad sororem suam Marcellinam epist. 33. lib. 5.

Hæc cum ita sint, desinant nunc velim aduersarii commento suo nobis imponere: aut saltem dicant vnde id hauserint? An apud probatum scriptorẽ vspiam legerint, Christianos ita virib. & copiis suis tunc diffidisse, vt ne tẽtare quidẽ ausi fuerint, quod fortiter aggressi facile perfecissent? aut tentasse saltem, sed belli fortunam humanaq; omnia expertos, impiis Principib. succubuisse? Adeone illis animus & voluntas defendendæ Ecclesiæ deerat? Adeone illos religionis ardor & *Zelus domus Dei* deficiebat? Adeone Concionatoribus eruditis & buccinis Euangelii destituebantur, vt quid iuris in Principẽ peruersum & hæreticũ Pontifici aut populo sit, minime intelligerẽt? Replicent aduersarii omnium annalium memoriã, & versent quousq; volent scripta ecclesiastica & profana, nusquã profecto inuenient Ecclesiam illis seculis (cũ fuerit multo quã nunc purior) aliquid in Principũ quantumuis malorum perniciem esse molitã, aut eius imperium abrogare conatam, vt est à nobis in libris nostris de Regno, perspicue fuseq; demonstratum. e At ex eis contra quæ in sanctorum Patrum scriptis de Principum secularium potestate legimus, constat omnes ea ætate sensisse, nullam vel, Episcopo Rom. siue summo Pontifici, vel Ecclesiæ vniuerse

d Sozomen. lib. 7. cap. 13. Niceph. lib. 12. c. 20.
e Lib. 3. c. 3. lib. 4. c. 3.

uerfe temporalem poteſtatem, ullo modo, ulla ve ex cauſa in eos competere: ſed ſolius Dei iudicio, tantum ad pœnas temporales relinquendos. Atque hæc, vt videtur, cauſa fuit, cur illi Patres non niſi perraro atque obiter de libertate & impunitate Principum meminerint: quod nimirum de ea tunc controuerſia non fuerit, ſed vna omnium ſententia, quam inde ab Apoſtolis ex prædicatione maiorum, velut per manus acceperant: Principem in temporalibus ſolum Deum iudicem habere, licet in ſpiritualibus Eccleſiæ iudicio ſubiiciatur.

Huius rei teſtem inprimis Tertullianum produco, qui de Imperatoribus loquens, a *ſentiunt*, inquit, *Deum eſſe ſolum, in cuius ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes Deos & ſuper omnes: homines.* & b alibi, *Colimus Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet: ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Hæc ille, non ex ſua ſed communi Chriſtianorum omnium perſona, velut certam & indubitatam totius Eccleſiæ doctrinam, profitetur. Nec aliquis hoc argumentum ſic eludat, quod Imperatores tunc fuerint extra Eccleſiam, ac proinde non ſubiecti Eccleſiæ. Nam lex Chriſti iure ſuo neminem priuat (quod ipſimet aduerſarii fatentur) ac proinde, vt ſupra oſtendimus, Reges & Imperatores accedendo ad Eccleſiam, nihil iuris ſui temporalis amittunt c.

Secundo loco prodibit S. Ambroſius, qui de Dauide adulterio homicidium cumulante ſcribens. d *Rex vtique erat*, inquit, *nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii poteſtate.*

Tertio B. Gregorius Archiepiſcopus Turonenſis, e qui Francorum Regem Chilpericum, Sacerdotes Dei calumnioſe vexantem, & iniurioſe tractantem, his verbis alloquitur. *Si quis de nobis, ò Rex, iuſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt: ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te damnabit, niſi is qui ſe pronunciauit eſſe iuſtitiam?*

Quarto, D. Gregorius Magnus, Gregorii Turonenſis fere coætaneus, qui cum Pontifex Maximus eſſet, Imperatoris ſe famulum & ſubditum eſſe faſſus eſt, ipſiq; Imperatori poteſtatem cœlitus datam in omnes homines, humaniter humiliterque agnouit, vti paulo ante retulimus f.

Quinto præclarus Antiſtes, Otto Epiſcopus Friſingenſis, g *Soli Reges*, inquit, *vtpote conſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſeculi legibus non cohibentur. Vnde eſt illud tam Regis quam Prophetæ,* TIBI SOLI PECCAVI. & Mox. *Cum enim iuxta Apoſtolum, omni mortali horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis, Regibus tamen, qui nullum præter ipſum ſupra ſe habent quem metuant, eo erit horribilius quo ipſi cæteris poſſunt peccare liberius.*

Poſſum & alios non paucos ad huius rei fidem accire: ſed quid pluribus opus eſt? *in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum* h. Si contrariæ opinionis aſſertores tot antiquorum Patrum teſtimonia, imo ſi vel vnum aliquod proferre poſſint, quo diſerte ſcriptum ſit Eccleſiam, vel eius caput ſummum Pontificem, habere temporalem vllam poteſtatē in Reges & Principes ſeculares, & poſſe eos temporalibus pœnis quoquo modo, directe ſcil. vel indirecte, coercere, aut regno, regniue parte multare: non equidem recuſabo quo minus lis tota ſecundum ipſos ſine prouocatione iudicetur. Nihil enim eſt quod malim quam certam rationem inueniri poſſe, per quam aduerſariæ opinionis ſententia liquido confirmetur: ſed dum id fruſtra expecto, interea Veritas me victum vinctumque, ſecum in aliam partem abducit.

Hoc igitur ab aduerſariis nunc quæro: Nunquid veriſimile ſit hos ſanctos & antiquos Patres, qui de ſumma Regum & Imperatorum poteſtate impunitateq; ſcripſerunt, adeo negligentes fuiſſe, vt per incuriam non admonuerint ſui ſeculi Principes huius Pontificiæ poteſtatis temporalis, aut eam admonitionem tabulis conſignatam non reliquerint: quo Principes non ſolum occulta Dei iudicia extimeſcant, ſed etiam Eccleſiaſticam & Pontificalem iuriſdictionem temporalē, per quam deiici loco poſſint, quoties id Eccleſia, vel eius caput Papa, è religione atque è Rep. eſſe putauerit? Certe id ſiluiſſe, ſi verum erat, fallere fuit Reges & Principes, quibus literis & prædicationibus perſuaſerant, eos poſſe à ſolo Deo in temporalibus iudicari. An fingemus ignaros adeo & inſcios fuiſſe authoritatis Eccleſiæ, vt tali eam poteſtate præditam eſſe non intellexerint? An denique adeo meticuloſos & puſillanimes, vt quod ſcirent, id Principibus nunciare non ſint auſi? Si nihil horum priſcis illis Patribus imputari poteſt, cur aliam quæſo, nunc nouam poteſtatem, nulla certa neque authoritate neque ratione fundatam, ſed poſtremis ſeculis ab hominibus quibuſdam ſummo Pontifici miſere addictis excogitatam populoque obtruſam amplectamur, & nouum iugum Principibus imponamus?

Capvt IX.

PRiorem partem ſecundæ rationis aduerſariorum falſiſſimam eſſe iam plane oſtendi, *Eccleſiam ſc. ideo tolerasse Conſtantium, Iulianum, Valentem, & cæteros Principes Hæreticos, quia non potuit eos ſine populi detrimento coercere.* Poſteriorem partem nunc æque falſam eſſe demonſtrabo, nempe Henricum IV. Imperatorem, & alios Principes in quos poſteriores Pontifices ius ſibi temporale arrogarunt, potuiſſe ab Eccleſia ſine populi detrimento coerceri. Quod priuſquam aggrediar, obſecro atque obteſtor non modo lectorem beneuolum, ſed ipſoſmet aduerſarios, vt quæſtione pertractata perpendant animo, & temperate, ac ſyncere æſtiment, an non facilius Eccleſiæ fuerit in primos illos Principes, ſupradictis modis & mediis animaduertere, quam dictum Henricum quartum per

HHH Rudol-

a In Apologet. aduerſ. gentes.
b Ad Scapulam Præſid. Carth.
c Cap 3.
d In lib. qui inſcribitur Apologia Dauid.
e Lib. 5 hiſt. ca. 7. Aimoin lib. 3. cap. 26.
f Cap 1.
g In epiſtola ad Freder. Ænobarbū.
h Matt. 18.

Rudolphum Sueuum, vel Philippum Pulchrum per Albertum Austriacum in ordinem cogeret? quorum alter Papæ arrogantiam risit & repressit: *a* alter vero æmulum & aduersarium sibi à Pontifice datum, post varias vario marte dimicationes, postremo tandem prælio confecit, *b* & Papam, à quo fuit excommunicatus, Roma eiectum perpetuo exilio multauit.

Quanto cum populi detrimento Papa temporalem illam in Henricum IV. potestatem exercere conatus sit, testatur Otto Frisingensis (quem Bellarminus & genere & eruditione, & vitæ probitate nobilissimum merito vocat *c*) qui de excommunicatione & depositione dicti Henrici facta à Gregorio VII. sic scribit: *d* *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatũ, vel regno priuatum: nisi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breue tempus à Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à beato Ambrosio propter cruentam cædem, à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit.* Vbi animaduertendum est, Ottonem plane profiteri se nullum de priuatione regni exemplum præcedentibus seculis inuenire, licet de excommunicatione duo ista, si non vera, at saltem verorũ speciem habentia proponat. Deinde vero paucis interiectis *e* sic scribit: *Quanta autem mala, quot bella, bellorumq; discrimina inde subsecuta sunt: quoties misera Roma obsessa, capta, vastata, quod Papa super Papam, sicut Rex super Regem positus fuerit, tadet memorare. Denique tot mala, tot schismata, tot tam animarum quam corporum pericula, huius tẽpestatis turbo inuoluit, vt solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanam miseriæ infœlicitatem sufficeret comprobandam. Vnde à quodam Ecclesiastico scriptore densissimis Ægypti tenebris cõparatur. Prædictus enim Pontifex Gregorius à Rege vrbe pellitur, Gibertusq; Rauennatensis Episcopus in locum eius subintruditur. Porro Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suæ tempore, dixisse fertur: Dilexi iustitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quia ergo in Principe suo regnum ab Ecclesia præcisum grauiter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto Pastore, qui inter omnes sacerdotes & Romanos Pontifices præcipui Zeli ac authoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit.*

> a Lib. ... Gaguin. & alii.
> b Marian. Scotus in Chronico an. 1080.
> c Lib. 3. cap. 4. de transl. Imp. & li. 4. de Rõ. Pont. c. 13.
> d Li. 6. Chr. cap. 35.
> e Ca. 36. sub vlt.

Hoccine est Principem sine populi detrimento coercere? Qui scribunt Romanum Pontificem (quem Ecclesiæ nomine intelligunt) non tolerasse hunc Imperatorem, quia poterat eum sine populi detrimento coercere; aut hunc authorem non legerint; aut nominis & existimationis suæ curam nullam gerant, necesse est; qui tam manifesto mendacio se implicent. Si hoc prius ignorabant, discant nunc saltem ex hoc scriptore grauissimo, falsum id esse quod pro vero inscienter proposuerunt: & cogitent velim, candideque iudicent, an non satius fuisset Gregorium Papam vitia & mores desperatos Henrici instar Constantii, Iuliani, Valentis, & aliorum Imperatorum Ecclesiam vexantium perferre, ac Dei bonitatem lachrymis & precibus pro eius salute vel interitu exorare; quam tot schismata & cædes, tot populorum & vrbium direptiones, tot in sedem Apostolicam contumelias, in Pontifices bella, aliasque furibundas tragœdias cum totius populi pernicie, vno facto insolente & inaudito, minimeque necessario excitare, excitatasque annos plures magno Ecclesiæ malo alere & fouere? Fieri potest vt bono id animo fecerit Gregorius (Deus de intentione iudicet.) At fieri non potest, vt recte, prudenter, & ex officio fecerit, & quin largiter errauerit, more & consilio humano, cum id sibi tribueret quod suum sane non erat, deponendi sc. & abdicandi Imperatoris munus, inque eius locum alterius substituendi potestatem, ac si ad eum regni illius humani dominium pertinuisset, quod satis versiculus ille indicat ab Ottone relatus, & à nobis supra transcriptus.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Constat autem non semper recte, & ex Dei voluntate fieri, quod pietatis feruore & bono zelo, etiam à viris cæteroquin optimis, agitur. Moyses, dum Hebræi defendendi zelo occidit Ægyptium, peccauit. Oza zelo fulciendi arcam Domini nutantem, eam tetigit & interiit. Petrus zelo tuendi Dominum & Magistrum, Malcho auriculam abscidit, & reprehensus est. Hinc D. Ambrosius ad Theodosium, *f* *Noui te pium, clementem, mitem atq; tranquillum, fidem ac timorem Domini corde habentem: sed plerunque aliqua nos fallunt. Habent aliqui Zelum Dei, sed non secundum scientiam* *g*. zelus inconsideratus non raro ad scelera impellit.

> f Lib. 5. epi. 29.
> g Rom. 10.

Culpa igitur Gregorii Papæ mihi permagna in hoc negotio videtur, quod non animaduerterit ad supremi Pastoris officium pertinere, vnius facinus impunitum potius relinquere, quã eius vindicandi desiderio innocentem atq; innoxiam multitudinem periculo inuoluere. Ac proinde ne excommunicare quidem Imperatorem illum debuit, in cuius sceleris societatem tantus hominũ numerus coierat, vt separari sine schismate, & vnitatis Ecclesiæ dissolutione nequiret. Id multis ante seculis, magnum Ecclesiæ lumen Augustinus sancte & sapienter admonuit, *h* atq; ex Apostoli Pauli scriptis luculenter comprobauit: cuius sententiam Ecclesia adeo gratam & ratam habet, vt eam in Canones retulerit *i*: digna ergo quam huc transcribam, & quæ non atramento sed auro, nec in charta peritura, sed silice vel adamante, aut si quid illis durius & diuturnius est, cælaretur. *Nõ potest* inquit, *esse salubris à multis correptio, nisi cum ille corripitur qui non habet sociam multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat quam dolor & gemitus, vt per illud signum, quod Ezechieli sancto reuelatur k, illæsi euadere ab illorum vastatione mereantur. Nec cum voluerint colligere zizania, eradicent simul & triticum: nec per diligentiam segetem Domini purgent, sed per temeritatẽ ipsi potius inter purgamenta numerentur. Ideoq; idem Apostolus cum iam multos comperisset, & immundos luxuria, & fornicationibus inquinatos, ad eosdem Corinthios in secunda epistola scribens, non itidem præcepit vt cum talibus nec cibum sumerent. Multi enim erant, nec de eis dici hoc poterat, l Si quis frater nominatur fornicator, aut idolis*

> h Lib. 3. ca. 2. contra ep. Parmeniani
> i Can. non potest 23. q. 4.
> k Ezech. 9.
> l 1. Cor. 5.

seruiens,

seruiens, aut auarus, aut aliquid tale, cum eiusmodi nec cibum quidem simul sumere: sed ait, a *Ne iterum cum venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & luxuria & fornicatione quam gesserunt: Per luctum suum potius eos diuino flagello coercendos minans, quam per illam correptionem vt cæteri ab eorum coniunctione se abstineant.* Et paulo post, *reuera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est,* b *nam consilia separationis* (hoc est excommunicationis) *& inania sunt, & perniciosa atque sacrilega: quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos.*

a 2. Cor. 12.

b Id est, totum diuino iudicio & vltioni relinquendū est.

Hæc cum ita sint, nemo vt arbitror, ex collatione doctrinæ S. Aug quæ & Ecclesiæ est, cum gestis à Gregorio in Henricum, non perspicue cernet, Papam magnopere errasse, qui Imperatorem, cuius partes ingens Clericorum & laicorū multitudo sequebatur, cum manifesto maximi schismatis periculo excommunicauerit: multoq; amplius, cum eum Imperii iure (in quod ipsemet Pontifex ius nullum habebat) odiosa sententia nixus est spoliare: vt mirum non sit si (quod Sigebertus scribit) eundem Gregorium paulo ante mortem pœnituerit omnium quæ aduersus Imperatorem gesserat.

Libet Sigeberti locum referre, quod non suam ipsius opinionem aduersariis suspectam, eo quod Henrici partes sequutus sit, sed historicam narrationem alterius authoris contineat. *Hildebrandus Papa,* inquit, *qui & Gregorius septimus, apud Salernum exulans moritur. De hoc ita scriptum reperi* c *Volumus vos scire qui Ecclesiasticæ curæ solliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrādus qui & Gregorius, nunc in extremis positus ad se vocauit vnū de duodecim Cardinalibus, quē multum diligebat præ cæteris, & confessus est Deo, & sancto Petro, & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regēdū commissa erat, & suadente diabolo contra humanum genus iram & odium concitasse. ——— Tunc demum misit prædictū confessorem ad Imp & ad totam Ecclesiam, vt optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, & tam cito induebat se Angelica veste, & dimisit ac dissoluit vincula omnium bannorum suorum Imperatori & omni populo Christiano, viuis & defunctis, Clericis & Laicis, & iussit suos abire de Domo Dederici, & amicos Imp. ascēdere.*

c In Chronograph. ann. 1085.

CAPVT X.

REdeo nunc ad Episcopum Frisingensem genere, pietate, & eruditione, vt diximus, nobilissimum, atq; harum rerum testem pene oculatum. Is cum in loco à nobis producto, tum in aliis non obscure indicat non probari à se decretum illud Papæ de abdicando Imperatore, sed nouum, insolens, atq; iniustum videri. Nam primum quod ad facti illius nouitatem & insolentiam, sic scribit, *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorū ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum* Et rursus libro primo de gestis Friderici d, *Gregorius septimus,* inquit, *qui tunc vrbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem tanquam à suis destitutum, anathematis gladio feriendum decreuit. Cuius rei nouitate eo vehementius indignatione motum suscepit Imperium, quod nunquam ante hæc tempora huiusmodi sententiam in Principem Romanorū promulgatam cognouerat.* Iniustitiam vero & iniquitatem facti variis modis declarat. Primum quod inter mala & damna quæ ex illo Papæ decreto nata sunt, ponat mutationem & deiectionem Papæ & Regis, *quod Papa super Papam, sicut Rex super Regem positus fuerit.* quibus verbis ostēdit vtrumq; pari iure, seu potius pari iniuria factum esse, vt sicut iniuste Papa super Papam ab Imperatore, ita etiam iniuste Rex super Regem à Papa *positus sit.* Deinde quod ait, *quia ergo in Principe suo regnum, &c.* id quid aliud sonat, quam propter violatum in Principe Imperium, violatam fuisse in Pontifice Ecclesiam, siue propter percussum regnum in persona Principis, percussam fuisse Ecclesiam in persona Pontificis, inter quæ cum nullum iuris aut iniuriæ discrimen faciat, nec possit vtrumq; iuste fieri, consequens est, vt vtrumque iniuste factum esse existimet.

d Cap. 1.

Præterea tam defectionem Rudolphi, quem Papa Imperatorem creauerat, quā insurrectionem filii ipsius Henrici excommunicati, aperte & simpliciter rebellionem vocat: quod vtiq; nunquam dixisset, si Henricum iure priuatum imperio credidisset. Nam rebellio esse non potest, nisi aduersus superiorem, ac proinde nec in Henricum esse potuit, qui si iuste abdicatus & *depositus est,* amplius superior non erat. De Rudolpho itaque sic scribit. e *Nec multo post tempore duo præfati duces Guelfo & Rudolphus, qua occasione dubium, Principi rebellantes, Saxonibus iunguntur.* Et mox, *At Romanus Pontifex Gregorius, qui iam vt dictum est, Principes aduersus Imperatorem concitabat, omnibus vt alium crearent, latenter & manifeste scribebat.* Scire autem hic obiter oportet, quod ait, *qua occasione dubium,* de priuata occasione intelligendū, cuiusmodi multæ solent inter Magnates & Regem oboriri: vt nostra ætate inter Borbonium & Franciscum Regem, Guysium & Henricum, Auriacum & Philippū: nam vterq; & Guelfo & Rudolphus publicam occasionem prætendebant, nempe efferatos Henrici mores, & quod à Papa excommunicatus esset ac regno depositus, vt scribit Albert. Schafnaburgensis, f atq; ita priuatum odium, vt rebellantibus mos est, prætextu publico velauerunt. De filio autem Noster Episcopus Frisingensis sic loquitur; g *Anno dehinc iterum sequente, natale Domini Moguntiæ Imperatore celebrante, Henricus filius eius rebellionem contra patrē in Noricis partibus, consilio Theobaldi Marchionis, & Berengarii comitis, sub specie religionis, eo quod pater eius à Romanis Pontificibus excommunicatus esset, molitur: asciscit, sibi quibusdam ex Orientali Francia, Alemannia, Baioaria, Principibus, Saxoniam terram & gentem cōtra Regem facile animandam ingreditur.* Lector hic duo obseruet. Alterū quod hic author scientia & pietate conspicuus, insurrectionem Henrici filii in Henricum patrem rebellionem vocet. Alterum, quod Henricum patrem, & hic & alibi semper, Regem & Imperato-

e Lib. 1. de gest. Friderici. cap. 6.

f De Reb German.

g Lib. 7. Chron. cap. 8.

rem no-

rem nominet, quamuis excommunicatus & regno priuatus per sententiam Pontificis, ante annos plus minus viginti quinque fuisset, & primum Rudolphus, deinde Hermannus à Papa & rebellibus in eius locum suffectus, ex quo satis indicat existimare se summum Pontificem ius abdicandi Reges nullum habere, aut aliquid statuendi de ipsorum imperio temporali: atproinde decretum illud Gregorii nec iustum nec legitimum fuisse: alioqui neque Rex appellari Henricus, neque eius aduersarii rebelles sine Romani Pontificis iniuria potuerunt.

a Lib. 1. de gest. Frideri ci c. 8.

Est & alius eiusdem authoris locus, a in quo id ipsum manifestius declarat, Papam sc. per illam excommunicationem & abdicationem nihil iuris regni Henrico ademisse. Nam postquã narrauit Bertolfum Rudolphi generũ (quem vt dictum est Papa Regem creauerat) perempto socero, ducatum Sueuiæ tanquam sibi à socero concessum vsurpasse, & ex altera parte Henricum (Papæ iudicio depositum) concessisse eundem ducatum nobili cuidam Sueuiæ, cui Friderico nomen, qui Bertolfum ad pacis conditiones, & ad *exfestucationem ducatus* adegit, addit. *Bertolfus iste, quamuis in hoc negotio imperio simul & iustitia cesserit, tamen strenuissimus ac fortissimus fuisse traditur.* En vt nihil circuitione vsus, affirmat Imperium & iustitiam ab Henrico stare, in quem Pontifex sententiam depositionis multo ante tulerat, non autem à Rudolpho, quamuis Pontificia authoritate ad Regnũ vocato, cum epigraphe iam bis superius relata; *Petra dedit, &c.*

Deniq; cum serio dicat & doceat, *Reges nullum præter Deum supra se habere quem metuant.* Nonne hoc ipso satis admonet, nihil iuris temporalis Pontifici Romano esse, vt de ipsorum regnis & imperiis vllo modo disponat? Et vero licet aliud non esset, quo facinus illud Gregorii Pontificis improbetur, sane tot lugubres & calamitosi euentus, tot funesti ac miserabiles casus, qui ex illa Papæ in Imperatorem tunc primum occupata & vsurpata iurisdictione orti, vniuersum Imperium totos viginti quinque annos afflixerunt, & Ecclesiam continuo schismate lacerarunt, nobis argumento esse possunt, decretum illud non afflatu diuino, sed humano impetu factum esse: nec ab ordinaria sanctæ sedis Apostolicę iurisdictione, sed vel ab extraordinaria sedem tenentis ambitione, vel iuris sui ignoratione & zelo inconsiderato processisse. Neq; enim verisimile est Deum, qui iustitiæ author & Ecclesiæ protector est, quiq; primas spiritualis potestatis Ecclesiæ executiones, præsentibus miraculis & horrendo effectu formidabiles reddidit, non eodem modo primam illam tantæ tamq; sublimis authoritatis & iuris Ecclesię suæ executionem, singulari aliquo miraculo vel extraordinario auxilio secundare voluisse: cum præsertim tot precibus à Pontifice in auxilium esset vocatus, ipsiq; Apostoli solemni obsecratione rogati, his verbis: *Agite igitur Apostolorum sanctissimi Principes, & quod dixi vestra authoritate interposita cõfirmate, vt omnes nunc demum intelligant, si potestis in cœlo ligare & soluere, in terra quoq; Imperia, Regna, Principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare vos posse. Discant nunc Reges huius exemplo, & omnes seculi Principes, quid in cœlo positi, quantiq; apud Deum sitis, ac deinceps timeant sanctæ Ecclesiæ mandata contemnere. Hoc autem iudicium cito in Henricum exercete, vt intelligant omnes, iniquitatis filium non fortuito, sed vestra opera è regno cadere. Hoc tamẽ à vobis optauerim, vt pœnitentia ductus, in die iudicii vestra rogatu gratiam à Domino consequatur. Actum Romæ Nonis Martii indictione tertia* b. His & similibus precationibus ad Deum & Principes Apostolorum fusis, inq; Henricum execrationibus & imprecationibus solenni more coniectis, quis Deum, qui Ecclesiam per beatos suos Apostolos continua protectione custodit non facile passurũ se exorari & primam hanc Pontificis supplicationem in tantæ authoritatis Ecclesiæ manifestandæ exordio nõ statim fuisse auditurum arbitretur, si talis ad Ecclesiam authoritas pertinuisset? Cum tamen plane cõtra, nihil non infaustum Pontifici, Pontificiæq; partis authoribus & fautoribus acciderit, triumphante interim & Imperium tenente Henrico. Nam quod à filio tandem post annos viginti quinque passus est, *sub specie religionis*, vt ait Frisingensis, id parum aut nihil ad hanc rem pertinet: præterquam quod hic tantum filio pessimo fuit; qui ante diem patrios in annos inquirebat. Vera autem causa, ambitio, & ardens dominandi libido, *quæ multos mortales falsos fieri subegit.* c & patres in filios, & hos in illos, sæuis & furialibus odiis sæpe armauit, vt vberius alibi ostendimus: d Bellissime quidam, e *patris longior vita malo filio seruitus videtur.*

b Platin. in vita huius Pontif.

c Salust.

d Lib. 6. de regno. c. 4.

e Gaguin. in vita Ludo. bil.

CAPVT XI.

EX his, vt opinor, satis patet, Ecclesiam non tollerasse olim Constantium, Iulianum, Valentem, & alios malos Principes, quod suis tunc copiis & viribus diffideret; nec quod eos sine magno populi incommodo in ordinem cogere nequiret. Nam re vera facilius & minore populi detrimẽto, veteres illos coercere potuit, quã non solum Henricum IV. cuius causa tam diuturnum schisma ortum est, sed vel Othonem IV. vel Fridericum II. vel Philippum Pulchrum, vel Ludouicum XII. vel Ioannem Nauarrum, & alios, in quos Pontifices successu rerum tumidi, sententias excommunicationis & priuationis regnorum protulerunt, non ob hæresim, neq; ob male obitũ imperium; neq; ad supplicationem subditorum, sed proprio motu, priuato inquam odio incensi infensique. Non denique quod status Ecclesiæ illa ætate Episcopos magis quam hoc seculo ad martyrium paratos esse voluerit. Tunc enim Ecclesia tutissimo loco erat, atque in portu vt dicitur, nauigabat: vtpote fundata iampridem Apostolicis institutis, & satis superque labore ac sanguine Martyrum stabilita: Quinimo is tunc Ecclesiæ status erat, vt multo minus quam hoc tempore Episcopis ad martyrium paratis opus esset: quod tota tunc multitudo, velut recenti Martyrum sanguine aspersa,

nil nisi

nil nisi martyrium redoleret: adeò vt non minus exemplo gregis Pastor, quàm singuli de grege exemplo Pastoris, officii sui commoneretur.

At nunc secus, proh dolor! se res habet: Ecclesia grauissimis tempestatibus agitata est, ac tantũ non obruta Hæreticorum impetu, multis eorum ipsorum qui Catholici dici cupiunt ita affectis, vt nec magnas exantlare molestias, nedum exequi mortẽ, pro vera religione velint: quapropter vt incalescat ille tepor, & homines ad expeditissimam viam & quasi compendiariam salutis excitentur, quis nõ videt opus esse Episcopis qui verbo & exemplo viam monstrent: & ad martyrium potius, quam ad arma & insurrectiones, in quæ natura procliues sumus, & semetipsos componant & adhortentur? Quis non paternam Clementis VIII. pietatem cum summa prudentia coniunctam, qua Reges & Principes Christianos ad concordiam reducere, & in concordia retinere annititur, infinitis partibus Ecclesiæ vtiliorem indicet, quam Iulii II. loricati furores Martios, quibus Italiam Galliam, Germaniam, Hispaniam, cæterasque gentes Christianas, hostilibus animis inter se committere, impie & inhumaniter connitebatur.

Hæc cum ita sint, sane vel priscos Ecclesiæ patres grauiter deliquisse fateamur, qui sontes illos, & execrandos fidei desertores, non solum pertulerint, &, cum facile possent, non peremerint, sed obseruarint comiter, & regalibus titulis atq; honoribus dignati sint: vel eos eiusmodi Principib. pepercisse propter reuerentiam Maiestatis, & solo Deo inferiorem in temporalibus potestatem, arbitremur necesse est: vel certe præter causas ab aduersariis redditas, aliam adhuc subesse meliorem credamus, quam nemo ipsorum hactenus prodidit, nec vt suspicor, vnquam prodet.

Nam quod quidam seditiosus in opere illo infami quod aduersus Reges scripsit, a vt vim superioris obiectionis de antiquorum Patrum tolerantia eludat, *quasi vero*, inquit, *eadem instituendæ Ecclesiæ ratio, atq; instituta esse credenda sit, ac non prius plantari & irrigari vineam, quam incidi oporteat: sed tum demum id* potestatis *datum est Ecclesiæ, cum id Propheta impletum est: Erunt Reges nutritii tui, & vultu in terra dimisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* b id certe est eiusmodi quod vix responsione dignum putem, cum nec authorẽ ipsum sat quid dicat scire arbitrer. Quid enim? An non putida Ecclesię membra ab eius infantia & primordiis abscindi solebant? An nescit incisionem illam spiritualem, quæ propria Ecclesiæ est, vna cum ipsa Ecclesia cœpisse? Quid Ananias, quid Corinthius, an non ab Ecclesia amputati? Hoc si ignorat, malus Theologus, & peior vinitor credendus est: siquidem in plantatione resecat hic etiam quicquid in vite superfluum est & inutile, nec prominere terra putridas aut vitiatas gemmas sinit: mox eam, vbi paululum excreuerit, pampinat, ne infructuosis colibus oneretur. Quod si de incisione corporali intelligat, scire debet Ecclesiam non nosse sanguinem, non solere inquam extremo supplicio quemquam afficere, nisi forte per miraculum, vt in persona Ananiæ & Saphiræ c, contingat. Sed quid? an Ecclesiam temporibus Ambrosii, Hieronymi, Augustini nondum perfecte institutam fuisse retur? aut non satis plantatam & irrigatam, vt iam tunc commode incidi potuerit? Certe B. Augustin. alicubi asserit, d paucos suo seculo vspiam inueniri qui de Christo male sentirent. Cur ergo Valentem, Valentinianum, Heraclium & alios similes tolerauit Ecclesia? Nam à Constantino Magno impletum erat id prophetiæ quod allegat. At nondum tempus incidendi vineam Domini. Egregia ratio scil. atque inter alias eius viri ineptias, quas alibi seorsim indicauimus, e collocanda. Nunc ad indirectæ potestatis propugnatores transeamus.

a Lib. 3. cap. 18 de iust. Henr. 4 abdicatione. [illegible]
b Esaie 49
c Act. 5.
d Tract. 27. in Ioan.
e Lib. 5. & 6 de Reg.

CAPVT XII.

HOrum opinionem capite primo & capite quinto supra proposui: ea est, *Papam ratione sua spiritualis Monarchia habere potestatem temporalem indirecte, eamq; summam disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum, & posse mutare regna, & vni auferre atq; alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem.* Cui sententiæ tam multa repugnant, vt eam omnino improbabilem, ne dicã incredibilem, existimem. Nam inprimis quid eis magis contrarium, quã quod tota antiquitas Christiana semper censuit, Reges solo Deo minores esse, solum Deum iudicem habere, nullis legibus humanis subiici, nullisq; pœnis temporalibus plecti vel coerceri posse, f ac proinde quod iuris authores dixerunt, *Princeps legibus solutus est* g, id Græci de legibus pœnalibus præcipue intelligunt, ἤγουν ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται. id est, videlicet si quid delinquat non punitur. Nihil horum cum aduersariorum opinione potest consistere: Nam si verum est, Papam de Regnis rebusq; Principum secularium posse disponere, & ab iis sceptra omnemq; dignitatem auferre, consequitur necessario Papã Regibus superiorem atq; etiam iudicem in temporalibus esse, ac præterea Reges omnes temporalibus pœnis subiici posse: quod superiori veterum sententiæ ex diametro, vt aiunt opponitur, consecutionis necessitas inde patet, quod qui alium legitime iudicat, is superior sit eo quẽ iudicat necesse est. (Nam par in parem non habet imperium, h multo minus inferior in superiorem) & quod regni priuatio, sicut bonorũ publicatio, inter pœnas temporales easq; grauissimas numeranda sit.

Aduersariorum sententia tota antiquitati Ecclesiastica cõtradicit.
f Vide c. 8.
g Lib. Princeps. D. de leg.
h L. Nam magistratus. D. de recept. qui arbit.

Quid quod ipsi Pontifices fatentur Reges non habere superiorem in temporalibus i Habent & non habent, simul vera esse nequeunt, falsum ergo est Reges non habere superiorem in temporalibus, si alius iis possit iure temporalia auferre alteriq; conferre, si enim hic non sit actus superioritatis, vt ita loquar, non video equidem quid sit esse superiorem: aut si Regem causa cognita condemnare, & regali dignitate multare, non sit Regis iudicem esse, nullam neq; iudicii neq; iudicis notionem à maioribus traditam & relictam esse fatendum est. Nam quod in verbis, *directe & indi-*

i Cap. per venerabilem qui fil. sint legitimi.
Repugnat confessioni Pontificũ.

CAPVT XIII.

NEmo omnium, vt ante dixi, Pontificiæ partis rationes aut diligentius collegit, aut argutius proposuit, aut breuius & subtilius conclusit, quam insignis Theologus Bellarminus, quem honoris causa nomino, qui licet quantum honeste potuit, & plus etiam quam debuit, Papæ authoritati in temporalibus tribuit: satisfacere tamen non potuit ambitioni imperiosissimi hominis Sixti V. *qui se supremam in omnes Reges & Principes vniuersæ terræ, cunctosq; populos gētes, & nationes, non humana, sed diuina institutione sibi traditam potestatem obtinere* affirmabat *a*. Itaq; parum abfuit, quin omnia Doctoris illius opera, quæ hæresim summo hodie successu oppugnant, Pontificia censura magno cum Ecclesiæ detrimento aboleret, vt illius ordines patres, cuius tunc erat Bellarminus, serio mihi narrarunt. Quæ res me reficit, si forte, quod olim, Pontifex aliquis pari ambitione præditus, librorum meorum lectione ob similem causam Catholicis interdicet. Quicquid volet suo faciat, at nunquam efficiet, vt ego Catholicam, Apostolicam & Romanam fidem, in qua à puero ad grauem hanc senectutem versatus sum, vnquam deseram; aut in alia fidei professione moriar, quam quæ à Pio IV. præscripta est. Rationes igitur ex Bellarmino huc referemus; sunt enim numero quinque, relictis aliis, maxime vero nugis Bozianis, quæ indignæ sunt, in quarum refutatione vir doctus se exerceat.

a In Bulla contra Hēr. III. regem Franciæ.

Prima ratio est, quam his verbis proponit Bellarminus: *Potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, quando vtraq; pars est eiusdem Respubl. Christianæ: ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale. Omnis enim superior imperare potest inferiori suo.* Et ne quis forte rationem hanc eludat per inficiationem propositionis, eam tribus argumentis, siue mediis, vt aiunt, demonstrare conatur, hoc modo.

Quod autem potestas politica non solum vt Christiana, sed etiam vt politica, sit subiecta Ecclesiasticæ, vt talis est: primo demonstratur ex finibus vtriusque. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali. vt patet, quia felicitas temporalis non est absolute vltimus finis. & ideo referri debet in felicitatem æternam: constat autem ex Aristotele lib. 1. Eth. cap. 1. ita subordinari facultates, vt subordinantur fines.

Secundo, Reges & Pontifices, clerici & laici, non faciunt duas Resp. sed vnam. i. e. vnam Ecclesiam. Sumus enim omnes vnū corpus, Rom. 12. & 1. Cor. 12. at in omni corpore membra sunt connexa, & dependentia vnum ab alio; non a. recte asseritur spiritualia pendere à tēporalibus, ergo temporalia à spiritualib. pendent, illisq; subiciuntur.

Tertio, si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni, ergo signum est subiectam esse temporalem potestatem spirituali. Hæc ille.

Quibus vt ordine satisfiat, respondeo, falsum inprimis esse, quod pro vero, certo, & solido fundamento in hac prima ratione nobis obtruditur: falsum inquam, ciuilē potestatem subiectam esse spirituali, quando vtraq; pars est eiusdem reipublicæ Christianæ: nisi id ita intelligant, subiectam esse in spiritualibus, & è diuerso hanc illi in temporalibus obedire oportere. Siquidem hæ duæ potestates ita sunt partes reipublicæ Christianę, vt neutri in alterum imperium sit, vtpote quę cum liberæ & sui iuris essent, mutuo amore coierunt. Vtraq; ergo alteram in suo ordine & munere recognoscit & veneratur, & suam vtraq; functionem arbitratu suo exercet: tantum inter eas conspirans quidam consensus & societas est, ad Christianam Rempub. conseruandam: vtraque enim potestate, siue (vt Genebrardi *b* verbis vtar) *vtroq; magistratu Ecclesiastico & Politico Ecclesia continetur, munitur, & viget.* ad quam protegendam & sartam tectam conseruandam,

b In Psal.

——— alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Vt quamdiu societatē retinent, Respub. Christiana innumeris concordiæ & pacis commodis efflorescat: At vbi coitam dissoluunt, spiritualis quidem potestas, licet diuina virtute pręstans, imbecillior tamen in oculis hominum, & corporalibus auxiliis destituta plerumq; contemnitur: temporalis vero quantumuis potens atq; fortis, in suam ipsius perniciem per omne scelus & insaniam properat, nimirū cœlesti gratia destituta, qua per spiritualis potestatis coitionē fruebatur. Nihilo tamen magis potestas Ecclesiastica suas vlcisci iniurias per se, nisi armis spiritualibus, vel potestas temporalis in Ecclesiasticam sæuire, nisi visibilibus & corporalib. telis potest. Cuius rei vtinā non tot luctuosa exemplis & superiorum seculorū monimenta, & nostra nōs ætas memoriaq; admonerent. Atq; hoc nimirum illud est, quod, vt ante dixi, Hosius ad Constantium Arianū: *Neq; fas est nobis, inquit, in terris imperium tenere, neq; tu thymiamatū & sacrorum potestatē habes, Imperator.* & quod D. Bernardus ad Eugenium Papam *c*: *Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestrā in alienā messem extenditis?* Non sunt igitur hæ potestates, Ecclesiastica & Politica, ita partes Reip. Christianę, vt altera in alterā plane dominetur: sed ita sunt partes, vt quæ cum essent separatæ & inter se dissidentes, singulari tandem concordia se coniunxerunt, vt vtraq; alteri opem & operā suam præstaret, mutuisq; officiis & muniis sese inuicem demererentur. Nec quod potestas Ecclesiastica sanctior & excellentior sit Politica, idcirco hanc illi subiectam esse concedendum est: sed tantum (vt fit non raro in societate ciuili) illam digniorem & ditiorem huic ignobiliori & minus locupleti, ad vtriusq; vtilitatem se adiunxisse; ita vt ambæ in alia societate liberæ maneant, neutraq; ab altera vllo modo pendeat. Itaq; perbelle in hanc sententiam Driedo *d*. *Christus, inquit, vtriusq; potestatis officia discreuit, vt vna diuinis & spiritualib. reb. atq; personis, altera profanis ac mundanis præsideret.* & mox: *En plane vides Christū discreuisse vtriusq; potestatis officia.*

c Lib. 2. de consider. ad Eug. cap. 6.

d Lib. 2. de libert. Eccles. cap. 2.

Distinctio igitur Ecclesiastica potestatis Papalis à potestate seculari ac imperiali est de iure diuino facta. & post eodem cap. *Vnde Papa & Imperator sunt in Ecclesia non tanquam duo rectores summi inter se diuisi, quorum neuter alterum cognoscit, aut veneratur tanquam superiorem* (Nam hic illum in spiritualibus, hunc ille in temporalibus recognoscere ac venerari tanquam superiorem debet, & secundum antiquam glossam in can. Hadrian° 63. dist. quemadmodum ille huic in spiritualibus, ita hic illi in temporalibus pater est) *quia regnum sic contra se diuisum desolabitur. Neq; item sunt tanquam duo iudices subordinati, sic vt alter suam iurisdictionem accipiat ab altero. Sed sunt tanquam rectores duo, qui sunt vnius Dei ministri, diuersis officiis deputati, ita vt Imperator præsit secularibus causis & personis ad pacificum conuictum huius seculi: Papa vero præsit spiritualis ad lucrum Christianæ fidei & charitatis.*

Sed & ipsemet Bellarminus a. Nota, inquit, *quemadmodum non est idem sydus Sol & Luna, & sicut Lunam non instituit Sol, sed Deus: ita quoq; non esse idem Pontificatum & Imperium, nec vnum ab alio absolute pendere.* Sunt quidem Sol & Luna duo luminaria magna b, quæ Pontif. Innocentius per allegoriam interpretatur c, *duas dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & regalis potestas:* & illam Soli, hanc Lunæ comparat. Vnde hoc modo disputo. Quemadmodũ Luna non minus Luna est, nec minus per se consistit, tunc cum à Sole recedit, & mutuatum ab eo lumen errans amittit, quam cum eius radiis pleno orbe atq; aspectu illustratur; & neutro casu aut hæc ab illo, aut ille ab hac dependet: sed ambo institutionis suæ ordinem & modũ tenentes, Deo mundoq; deseruiunt. Sic etiam potestas Regalis siue politica, propriis subnixa viribus per se semper consistit: & licet magnum quidem lumen ad bene beateq; viuendum à Pontificali & spirituali potestate accipiat, tamen eius neque accessu neq; recessu vlla ex parte in sua οὐσίᾳ, siue essentia mutatur, minuitur vel augetur: multoque minus adueníenti subiicitur. Superest vt vitia argumentorum, quibus primam istam rationem fulciri Bellarminus putat, sigillatim indicemus.

a Libr. 5. de Rom. Pont. cap 3.
b Genes. 1.
c Cap. solitæ de maiorit. & obedien.

CAPVT XIV.

QVod igitur ad primam attinet, nego cõstanter talem ordinationem vel subordinationem finium harum potestatum esse, quatenus ipsæ potestates tales sunt. Nam finis Politicæ seu ciuilis potestatis, quatenus politica est, nihil aliud absolute complectitur quam felicitatem temporalem, commune scil. bonum, & vitæ degendæ ordinatam tranquillitatem, vt ipsemet alibi Bellarmin. fatetur. *Politica potestas,* inquit, *habet suos Principes, leges, iudicia, &c. & similiter Ecclesiastica suos Episcopos, Canones iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem; ista salutem æternam.* Nec vlterius progreditur hæc potestas ciuilis, nullumq; alium in finẽ refertur, vt talis est. Nam quod ad æternam felicitatem aspirat, id non à seipsa habet: non, inquam, quatenus politica est, eo tanquam in vltimum scopum conatus suos dirigit: sed qua spiritualis, siue Ecclesiasticæ potestatis societate & consiliis adiuuatur, vt patet ex innumeris populis & ciuitatibus, apud quos ciuilis potestas seuere viguit, licet exiguam vel plane nullam æternæ felicitatis, de qua loquimur, notionem habuerint. Hoc etiam indicat Apostolus d, cũ iubeat orare pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, *vt tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate:* tranquillitatem vitæ nimirũ politicæ gubernationi, pietatem & castitatem Christianæ disciplinæ adscribens. Itaque, vt vno verbo dicam, sciendũ est, fines actionum humanarum in intentione esse, & non in intellectu, i.e. non quod intellectus discursu rationis excogitare potest, id finis actionis est; sed q voluntas agendo consequi cupit, dũ animus actionem meditatur, id actionis finis est. Vnde Nauar. e recte ait, finem potestatis laicæ esse *vitam bonam, beatam, & quietam temporalem mortalium, quæ & finis est legum ab ipsa emanantium. Potestatis vero Ecclesiasticæ finem esse vitam æternã supernaturalem: eandemq; esse finem legũ ab ipsa emanantium.* Prosequerer hæc pluribus, ni rem acutis hominibus, vel ex ipsa Philosophia satis perspectam indicarẽ.

d 1. ad Timoth. 2.
e In relect. cap. nouit. num. 90. de iudic.

Secundum vero argumentum vsq; adeo friuolum est & fallax, vt nihil inscitius dici, aut vitiosius colligi possit, quã quod eo concluditur. Ecqua enim anus tam excors est, vt nesciat non valere hanc consequutionẽ, *Sunt membra vnius corporis; ergo vnum ab alio pendet.* Nam neq; pes à pede, neq; brachium à brachio, neq; humerus ab humero pendet, sed alicui tertio & medio cõnexa sunt per se, vel per alia membra quibus adhærent. An non eadẽ ratiocinandi forma, & eodem plane argumento colligitur: brachia vniuscuiusq; hominis sunt membra vnius corporis: *at in omni corpore membra sunt connexa & dependentia vnum ab alio: non autẽ recte asseritur,* dextrum pendere à sinistro: ergo sinistrum cuiuslibet hominis brachium pendet à dextro eiq; subiicitur? Quis eiuscemodi argumenta futilitatis plena non rideat? Ego miseras istas demonstrationes odi, quæ rem qua de agitur argutiis, præstigiis, & captionibus inuoluunt potius, quam explanant. Vt n. brachia ad humeros, & humeri ad collũ & caput annectuntur: nec dextrum brachium, dexterve humerus, sinistro, vel contra subiicitur: ita potestas spiritualis & temporalis, siue Ecclesiastica & Politica, licet membra sint vnius corporis politici, & partes vnius Reipub. atq; Ecclesiæ Christianæ, neutra tamen alteri subiicitur; neutraq; alterius fines & iurisdictionẽ sine scelere potest inuadere: sed ambæ, velut vnius corporis humeri, ad caput qui Christus est, annectuntur, quarum hæc, Politica scil. vitæ degendæ præcepta, quibus societatis humanæ tranquillitas cõtinetur, ciuibus & subditis præscribit: illa vero ad immortalitatis & felicitatis æternæ contemplationem supernaturalem (quæ & eã politica tranquillitate, & siue ea interdum subsistit) animos hominum erigit informatque. Ex quibus sequitur, separatas esse has potestates in eadẽ Repub. Christiana, ita vt neutra alteri, quatenus talis est, subiiciatur. Et vero nisi hoc ipse Bellarmin. fateatur, sua eum doctrina alibi tradita redarguet.

Nam

Nam *lib. 5. de Rom. Pont. cap. 19.* vbi nugas Synodi Smalcaldicæ Lutheranorum refutat, atq; ad illud eorum argumentum respondet, quo dicunt, *Papam se Deum facere cum volt ab Ecclesia, aut ab vllo iudicari*, ostendit vitiosam esse consequentiam, argumento ducto à Regibus, qui & ipsi quoq; nullum in terris iudicem habent quarum ad temporalia. *Reges terræ*, inquit, *certe iudicem in terris, quod ad res politicas attinet, nullū agnoscunt: Num igitur tot erunt Dii, quot sunt Reges?* Quid aliud est quæso Reges non habere iudicem in terris, *quoad res politicas*, quam q nos contendimus, separatam esse potestatem Politicam ab Ecclesiastica, & de illa S. Pontificem nullo modo disponere vel iudicare posse? Nam si posset, certe aut Reges haberent iudicem in terris etiam *quoad res politicas*, aut Papa semper in cœlestibus habitaret. Fieri ergo non potest, quin Bellarm. aut à seipso dissideat, aut immemoria lapsus sit, aut, quod non credo, veritatem variare studeat, cum alibi assumat pro certo & concesso, Reges nullum habere iudicē in terris quoad res politicas, alibi vero Regib. & Principibus omnibus iudicem ferat Pontificem, qui eos iudicare & deponere, ac de regnis rebusq; ipsorum omnib. arbitratu suo disponere possit. Nam quod in verbis istis, *directe & indirecte*, discrimen statuit, id ad formam & modum procedēdi tantum spectat, non a. ad vim & effectum iudicii: semper enim verum est, cum habere iudicem in terris quoad temporalia, quē Papa quoquo modo, seu directe seu indirecte, in temporalibus iudicat. Et vero quid interest ad miseriam & calamitatem Regis à Papa iudicati & regno priuati, vtrum Papa directe id fecerit, veluti si in Siculum aut Neapolitanum regem, tanquam directus dominus feudi in vasallum, sententiam ferat: an vero indirecte, vt in Reges [illegible] qui ei nullo clientelari iure subiecti sunt; si modo vtramq; sententiam par pœna sequatur [illegible] c quidem de secundo argumento satis. Nunc tertium quam vim habeat, dispiciamus.

Tertium igitur argumentum q̄ sublestum sit, vel ex eo paret, quod nihil inde colligi ab authore pot[illegible]it, quam quod *signum sit subiectam esse temporalem potestatem spirituali.* Suscepit rem demōstrandam, & signum tantū profert, & illud quidem non τεκμήριον, sed εἰκός, quod sæpe nos falso indicio decipit. Ad argumentū igitur respondetur, negando consequentiam. Quamuis n. verum sit, Principem temporalē teneri mutare regiminis modū, si eo impediatur bonum spirituale: non tamen inde efficitur necessaria consequutione subiectam esse temporalē potestatem spirituali: sed hoc tantum, spirituale bonum temporali bono esse præstantius; quod verum est, & nos fatemur. Non n. si vnum alio dignius est, protinus consequitur, minus dignum à magis digno pendere, eiq; subserui. Possunt namq; generibus siue ordinibus adeo diuersis contineri, vt neutrum ab altero pen[illegible]t, aut subiectionis vinculo teneatur. Concedimus itaq; Principem in casu proposito mutare debere formā politicæ administrationis; & vt id faciat, ab Ecclesia, vel eius capite, & summo Pa[illegible] in terris Papa, cogi posse: sed pœnis tantū spiritualibus, quarū metus viro bono quibuscunq; supp[illegible]s grauior est (nam vel Ethnico teste a, *metus diuini supplicii multos à scelere reuocauit*) non autē pœnis temporalibus, qualis est bonorum amissio, regniq; priuatio, cum Princeps in temporalibus nullum superiorem agnoscat. Itaq; quantum ad has pœnas attinet, diuino iudicio & vltioni relinquen[illegible]us est. Hinc Isidorus, cuius sententia inter Canones refertur b, *Siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur, ille ab iis rationē exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam tradidit.*

a *Cic. lib. 2. de legib.*

b 23 *qu. 5. can. Princi-pes in fin.*

CAPVT XV.

ETsi postremum istud argumentum per ea quæ diximus, iam satis eneruatum est, operæ pretium tamen erit adhuc longius excurrere, & totum animi nostri sensum de ea re vberius explicare. Sciendum igitur, sic nos statuere, Reges, & Principes omnes Christianos, qua Ecclesiæ filii sunt, Ecclesiasticæ potestati esse subiectos, eique, quoties spiritualia imperat, parere debere: quod ni faxint, Ecclesia, pro suo in illos imperio & iurisdictione, animaduertere in eos Ecclesiasticis censuris, & ancipiti spiritus gladio potest (licet non semper debeat vt superius ostendi c) sed eo solo gladio, non etiam visibili & temporali: quoniam hic politicæ tantum & seculari potestati commissus est, vnde quoties gladii temporalis auxilio spiritualis potestas indiget, fidem atq; amicitiam solet sociæ ciuilis potestatis implorare. E contrario autem Principes, & Prælatos Ecclesiasticos [illegible]ncipibus politicis in temporalibus esse subiectos, & non secus obedire debere in omnibus, quę ad politicam dispensationem pertinent, quam hi illis spiritualia imperantibus parere tenentur: dummodo talia fiot, quæ neque fidei Catholicæ, neq; bonis moribus aduersentur. Quin imo nec ipsummet summum Pontificem alia ratione ab hac temporali subiectione excludi, quam quod Regum beneficio Rex ipse factus sit, Principes inquam politici, neminem in temporalibus superiorem agnoscere, idq; fatetur acerrimus ille iurisdictionis Ecclesiasticæ assertor, quem plerique Bellarminum esse affirmant, in sua responsione *ad præcipua capita Apologiæ, &c.* d *Generalis, inquit, & verissima est illa sententia, debere omnes omnino superiori potestati obtemperare. Sed quia potestas est duplex, spiritualis & temporalis, Ecclesiastica & Politica, quarum altera Episcoporum, altera Regum est: Episcopi Regibus in temporalibus rebus, & Reges Episcopis in spiritualibus subiecti esse debebunt, vt copiose disputant Gelasius primus in epist. ad Anastasium, & Nicolaus primus in epist. ad Michaelem. Quoniam vero Rom. Episcopus non modo summus est Princeps Ecclesiasticus, cui omnes Christiani diuino iure subiiciuntur, sed est quoq; in suis prouinciis Princeps temporalis; neq; vllum in temporalibus superiorem agnoscit, vt neq; reliqui absoluti ac supremi Principes in suis regnis & ditionibus, inde fit, vt ipse nullam supra se potestatem in terris habeat.* Non ergo quia summus Pontifex est, & pater spiritualis omnium Christianorum, ideo à subiectione temporali liberatur, sed quia temporalem principatum nemini subiectum obtinet. In iis itaque quæ ad reipublicæ [illegible] & ciuilem societatem spectant, nec ordinationi diuinæ refragantur,

c *Cap. 9.*

d *Pag. 228*

Cle-

Clerici non minus summo Principi temporali parere, quam cæteri ciues tenentur: vt ipsemet Bellarminus egregie ostendit *a*, addita etiam ratione, *quia Clerici, præterquã quod Clerici sunt, sunt etiam ciues & partes quadam reipublicæ politicæ. Nõ sunt exempti clerici vllo modo*, inquit, *ab obligatione legum ciuilium, quæ non repugnant sacris Canonibus vel officio clericali*. & quamuis dicat, se nõ de obligatione coactiua loqui, tamen verius est eos ad obsequium legum, vbi causa postulat, à temporali iudice cogi posse, vt nec in ea re exemptionis suæ beneficio gaudeant, quod ab Imperatorum & Principũ legibus eos accepisse satis constat. Frustra enim legum auxilium inuocat, qui contra eas committit.

Hinc est, ex hac inquam clericorum & laicorum in republica societate, quod in conuentibus publicis, clerici de temporalibus negotiis consulturi, primo post Principem loco considuot. Potestas itaq; spiritualis (potestatis verbo potestate præditos significari tritum est) politicæ potestati, & hæc illi vicissim, pro suo vtraq; imperio, imperat atq; paret. Atq; hoc nimirum est, de quo B. Gregorius Pontifex Mauricium Imperatorem admonet *b*. *Sacerdotibus*, inquit, *non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti cõsideratione, propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitã reuerentiam impendat*. Dominetur nimirum, quatenus ciues sont, & partes reipub. tenentiam impẽdat, qua Dei sacerdotes & patres spirituales, quibus ipse Imperator vt Ecclesiæ filius subiicitur. Et has quidem inter vtramq; potestatem parendi imperãdiq; vices, Salomon singulari exemplo demonstrauit *c*, qui summum sacerdotẽ Abiatharem capitis reum pronunciare non timuit, quod coniuranti Adoniæ consensisset. Ait enim historia, *Abiathar quoq; sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrũ tuum, & quidem vir mortis es: sed hodie te nõ interficiam, quia portasti Arcam Domini coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus quæ laborauit pater meus. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini*. En vt Salomon ostendit eius sibi in sacerdotes ex causa politica & temporali esse: cum tamen satis constet in veteri lege Sacerdotes præfuisse regibus, eisque imperare ac resistere solitos, in omnibus, quæ ad cultum diuinum & ministerium Sacerdotale pertinebant.

Quod à Bellarminus contendit *d*: Salomonem non vt Regem hoc fecisse, sed vt Prophetam & executorẽ Diuinæ iustitiæ, eius ego interpretationis probationem aliquã requiro, cum id neutiquam ex Scripturis appareat: eoq; mera diuinatione nitatur. Nam nulla ibi neq; mandati specialis à Domino dati, neq; extraordinariæ potestatis delegatæ mentio fit: quin plane contra, Salomon ipse aperte satis indicat, se vt Regem, pro ordinaria imperii potestate, quod iure regni erat adeptus, iudicium illud exercuisse, hac præfatione vsus *Viuit Dominus qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei*, &c. Et vero nõ de re spirituali vel Ecclesiastica, sed de temporali & politico negotio agebatur, cuius iudicem legitimum & ordinarium esse Regem vt Regem, Salomon non ignorabat: & ideo non alio iure in Adoniam, alio in Abiatharẽ sententiam pronunciasse legitur. Deinde q Bellarm. pro interpretationis suæ firmamento arripit, verba sc. illa, *vt impleatur sermo Domini*, &c. leuissimum quidẽ est, ne dicam absurdum, quid hoc n. ad modum implendi pertinet? quis nescit eiusmodi Scripturæ dictũ, tam de eo verificari, quod iure communi & ordinaria potestate p efficitur, vt hoc loco; q̃ de eo, quod vel extra ordinem mirabili quodam euentu, vel per hominum impietatẽ & tyrannidem completũ est? Impii cum crucifixissent Saluatorem, *diuiserunt vestimenta eius. vt impleretur quod dictũ est per Prophetam* *e*, sive, *vt Scriptura impleretur* *f*. Verba igitur eiusmodi in Scripturis apponi tantũ solent, ad pdictionis & prophetię veritatem ostendendam, vt inde argumentũ sumere ad aliud colligendũ, plane ridiculum & puerile videatur. Erat quidem eo casu Salomon executor diuinę iustitiæ, nihil moror: erat & Propheta, esto, quid tu postea? At regia tamen authoritate & iure cõmuni, ne leuissima quidẽ specialis mandati mentio ne facta, id eum fecisse legitur. Nec vllus in Scripturis locus est, ex quo hanc ei iurisdictionẽ nominatim mandatam fuisse legamus: verisimile porro non est. authorẽ historiæ diuino spiritu afflatum, tam differentes tantæ rei, tantiq; momenti causas, sine vllo iudicio vel admonito prætetire voluisse, si Rex alio iure & authoritate in Adoniam laicum, alio in Abiatharem sacerdotem sententiam protulisset.

Æque fallitur vir idem doctiss. *g* cum ait, *non mirũ esse si in V. Testamento summa potestas fuisset temporalis, in Nouo spiritualis: quia in V. Testamento promissiones tantum temporales fuerunt, & in Nouo spirituales & æternæ*. Nam neq; in V. testamento summa potestas omnino temporalis fuit, neq; in Nouo spiritualis est: sed in suo vtraq; regno, hoc est, in suæ potestatis iurisdictione, vt par est, tunc dominabatur, & adhuc imperat: iam tunc, inquam, suis ambæ finibus contentæ, alienis abstinebant, vt nec temporalis potestas spiritualem iurisdictionẽ, & Sacerdotale munus; nec spiritualis temporalem pro suo iure inuaderet *h* Ius à. quod in clericos Salomon illa tempestate Principibus cõpetere ostendit, à Regibus in noua lege, & republ. Christiana agnitũ & retentum est. Inde priuilegia, quæ Principum nonnulli insignes pietate Ecclesiasticis personis concesserunt *i*: nam quorsum illis Priuilegia, si iure communi Regibus subiecti non fuissent? quandoquidem communi auxilio, & mero iure muniti, exemptique, nullo priuilegio, vel extraordinario auxilio opus est *k*.

Et his quidem consentiunt, quæ ipsemet Bellarm. rectissime contra Canonistas asserit *l*. *Exemptionẽ nempe clericorum in rebus politicis, tam quoad personas, quam quoad bona, iure humano introductam esse, nõ diuino*, idq; confirmat tũ authoritate Apostoli (cuius illud, *omnis anima potestatib. sublimioribus subdita sit* *m*, tam clericos quam laicos, teste Chrysost. includit) tum testimoniis antiquorum Patrũ: tum deniq; q vt ipse ait, *nullum proferri potest Dei verbum quo ista exemptio confirmetur*. Addo ego, grauissimum eius rei argumentũ esse, quod in florentissimo Ecclesiæ statu, & sub illis Principibus qui summum Pontificem pastorem Ecclesiæ vniuersalis, & Christi vicar[illegible]gnoscebant, Imperiali-

a In libr. de cler. cap. 28.
b Lib. 4. Epist. 75.
c 3 Reg. 2.
d Libr. 2. de Rom. Pont. cap. 29.
e Matt. 27.
f Ioan. 19.
g Eod. libr. & cap.
h 2. Paralipom. 26.
i Extant in Cod. & Decret. atq; in Hist. Eccles.
k l. in causa 16. D. ff. de minor. l. 2. de constit. princip.
l Tom. 1. controu. 5. lib. 1. c. 28.
m Rom. 13.

nalibus legibus constitutum & obseruatum fuerit, vt clerici de criminibus ciuilibus responderent apud iudices seculares, & ab eisdẽ condemnarentur, si rei criminis essent inuenti *a*. Et vero, ne quã erremus, sciendum est, non omnia ista libertatis personarum & rerũ priuilegia, quibus nunc clerici fruuntur, ab iisdẽ Principibus, neq; eodem tempore fuisse concessa. Nam primum Constantinus Magnus tantum illis singulari priuilegio indulsit, ne nominationibus & susceptionibus essent obnoxii, i. e. ne nominati siue electi cogerentur magistratum gerere, aut tutelam aliquam administrare, vel annonis aut tributis colligendis & recipiendis præesse; cum antea aliorũ ciuium more ad ea omnia sine excusatione vocarentur. Anno postea octano vacationem & excusationem munerũ omnium ciuilium, eiusdẽ Principis beneficio acceperunt, vt patet ex illius Imp. constitutionibus *b*, in quib. hanc priuilegii sui rationem reddit: Ne sc. clerici *sacrilego liuore quorundam à diuinis obsequiis auocentur*. Et quidem notatu digna res, aduersus ingratã quorũdam clericorum temeritatem, qui immunitatis suæ originem Principibus secularibus accepto ferre fastidiunt, quod idem piissimus Princeps exemptiones illa priuilegia appellet, ita n. ille: *Hæreticorum factione comperimus Ecclesiæ Catholicæ clericos ita vexari, vt nominationibus seu susceptionib. aliquibus, quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi priuilegia prægrauentur.* Constantius deinde & Constans, anno circiter 36. à primi priuilegii concessione, Arbitione & Lolliano Coss. aliud Episcopis priuilegium indulserunt, ne de criminibus apud seculares iudices accusarentur *c*. Cæteri vero Ecclesiastici ordinis homines, Episcopis inferiores, clerici sc. & monachi, sub magistratuum ciuilium iurisdictione vsq; ad Iustiniani tempora permanserunt, ob eamq; causam Leo & Anthemius Impp. (ante imperium Iustiniani annis plus minus 60) beneficii loco sanxerunt, *ne Orthodoxæ fidei sacerdotes & clerici, cuiuscunq; gradus, aut monachi, in causis ciuilib. extra prouinciam, aut locum, aut regionẽ quã habitant, ex vllius penitus maioris minorisve sententia iudicis pertrahantur; sed apud suos iudices ordinarios, i. e. Prouinciarũ rectores, omnium cõtra se agentium excipiant actiones.* En vt isti, admodum pii & catholici Principes ordinarios clericorum & monachorũ iudices, esse præsides prouinciarum affirmant, quos nemo tamen eius seculi Patrum Pontificiive errare, aut nõ vere, pie, & orthodoxe loqui professus est. Inde patet eos nimis peruerse de Iustiniano iudicare, qui asserunt eum aliquã in Ecclesiasticos iurisdictionem vsurpasse; cum gratias ei maximas habere debeant, quod Imp. primus fuerit, qui clericos ante eum diem politicis magistratibus omnino subiectos, seculari iudicio in ciuilibus causis exemit *d*. Quæ cum ita sint, satis patet, Reges & Principes seculares summa potestate tẽporali præditos, iisq; clericos in rebus politicis esse subiectos. Alioqui profecto nec Reges potuissent hæc priuilegia cõcedere: nec viri sancti, & sapientes, ita male sibi & toti Ecclesiæ cõsuluissent, vt liberos se suo iure solutosq; à vinculo temporalis potestatis, talib. beneficiis ac priuilegiis obligari paterentur, quippe esse se in ditione eorũ fatebantur, à quibus poterant eiusmodi libertate donari, solui n. vel eximi nõ potest, quod non fuit colligatum vel conclusum. Præterea tantæ pietatis Principes toto orbe tunc erant, vt si iure diuino clericos ab omni iurisdictione seculari exemptos esse, vel per se resciuissent, vel ab Episcopis & Principibus sacerdotum audiuissent, id statim in edicta & leges relaturi fuerint, nec sibi ius vllum in ipsorum corpora bonave vindicaturi. Si enim quæ sua propria credebant, solo pietatis zelo tam profuse largiebantur, quanto magis ab alienis & nullo iure debitis abstinuissent?

a Nouell. de Cleric. 83. §. Si vero contra. 6.
b L. 1. & 2. C. Theod. de Episc. & cler. libr. 16.
c L. Omnes. tudinem. 12. eod. tit.
d Dict. Nouell. 83.

Exemptiones ergo & priuilegia, quæ Principes Christiani Ecclesiasticis personis, honestatis & reuerentiæ causa, concesserunt, satis ostendunt, imo conuincunt, eosdẽ Principes temporali potestate cunctis sacerdotibus esse maiores: nec summum Pontificem & Principem Sacerdotũ, atq; adeo Christi Vicarium, alia ratione eximi, & diuerso iure censeri, quam quod ipse Princeps quoq; temporalis sit, & duplicem personam sustineat, successoris nimirum Petri in regimine Ecclesiæ, & Principis secularis in temporali imperio, quod aliorum Principum largitate accepit.

CAPVT XVI.

EAdem opera refelli manifeste potest differentia, quam constituit inter Principes Ethnicos, & Principes Christianos, quantum ad dominationem temporalem in Ecclesiasticos attinet: qui locus præteriri hic sine vitio nequit. Ait n. *e* Pontificem fuisse subiectum *ciuiliter & de facto* Ethnicis Principibus, *quia lex Christiana neminem priuat suo iure & dominio. sicut ergo ante Christianam legem homines subiecti erant Impp. & Regibus, ita etiam postea. At vero cum Principes Christiani facti sunt, & sponte leges Euangelii susceperunt, cõtinuo se tanquam oues Pastori, & membra capiti, subiecerũt præsidi Ecclesiasticæ Hierarchiæ; & proinde ab illo iudicari, non illũ iudicare deinceps debent.* Maximũ in differendo vitium est, ea quæ de vno aliquo certa de causa dicũtur, vel ab vno aliquo certa de causa remouentur, alii plane diuerso ac dissimili, & cui non eadẽ causa cohæret, attribuere, vel eripere: aut quæ distinctione aliqua secerni, ac separari debent, ea indistincte confuseq; concludere. Quod vitium quis non in superiore hac Bellarmini ratiocinatione perspicue deprehendat? in qua id generaliter & indefinite de vtraq; potestatis & iudicii specie concluditur, quod de altera tantum vere recteq; dici debuit. Nam quod Principes ad Christũ conuersi sese, *tanquã oues pastori & membra capitis, subiecerunt præsidi Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, id nõ nisi de subiectione spirituali intelligi citra calumniam potest. Quandoquidem non alia ratione efficiebantur filii eius & oues, quã quod ab eo spiritu regenerati in Christo Iesu erant, atq; in fide Ecclesiæ gubernati. Proinde in omnib. quæ spiritualis iurisdictionis sunt, verũ est eos ab illo, non illum ab iis debere iudicari. At hæc quid ad ciuile iudicium & temporalẽ iurisdictionem submissio? Nunquid tam diuersas & separatas species permiscere & confundere oportuit? & quod de altera tantum verum fuit asserere, de vtraq; generaliter & indefinite pronunciare?

e Libr. 2. de Rom. Pont. cap. 29.

Si dixisset, *ac proinde ab illo iudicari in spiritualibus, nō illum iudicare deinceps debent*, recte sane argumentum conclusisset. At illud simpliciter & absolute, *ab illo eos iudicari posse*, vitiosa collectio est, quippe duplex est iudicii species, quarum altera tantum possunt Principes à Pontifice iudicari, altera vero ab iis iudicaretur ipse, nisi temporale imperium nulli alii subiectum fuisset adeptus. Nunquid veniente ad Ecclesiam Constantino Magno, Imperium Romanū, quod ante baptismum eius erat, in ditionem ac potestatē Siluestri Pontificis ilico transiit? & Imperator tam auidus gloriæ temporalē Papæ illius supra se potestatem agnouit? Nunquid aut Francicum Clodouæus, aut Scoticum Donaldus I. aut alii sua regna, simul atq; fidem amplexi sunt, in manū & potestatē temporalem Pontificis transtulerunt? Scitum est illud Pauli IC. *a ante omnia aduertendū est, ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re aliave persona noceat*. Replicet igitur Bellarminus quantum volet annales omnium nationū, Scripturas & historias perlegat, nullum in iis locum inueniet, ex quo colligi possit, primos illos Principes Christianos cum Ecclesiæ nomē darent, sceptra submisisse Pontifici, & summo se magistratu temporali specialiter & nominatim abdicasse. At vero constare oportet, Principes sciētes prudētes concessisse in ditionem ac potestatē temporalem Pontificis, vel fatendum, ipsos eo iure & conditione, quantum ad regalē dignitatem attinet, post baptismum permansisse, quo fuerant ante quam sacris Christianis initiarentur. *Nam*, vel ipsomet teste *b*, *lex Christiana neminem priuat suo iure & dominio*. At vero antequā Christo nomen darent, ciuiliter de iure & de facto, vt ille ait, dominabantur Pontifici, & eum iudicare in temporalibus iure poterant: ergo similiter & post baptismū iure potuerunt. Quod si ita est, fieri nullo modo potest, vt ipsi ab illo in temporalibus iudicentur: cum sit impossibile aliquem esse superiorem & inferiorem in eodem potestatis genere, respectu vnius & eiusdem. Verum quidem est, Principes illos Christianos, ob reuerentiam qua non summum solum Pontificem, sed cæteros etiam Episcopos, atq; adeo sacerdotes omnes prosequebantur, id iudicii perraro sibi assumpsisse. Sed hoc voluntatis tantummodo, non etiam potestatis defectum arguit. Quapropter vt Consul, vel Præses, cum se in adoptionem dat, nihil eorum quæ iure magistratus ei competunt, in patris adoptiui familiam & potestatem transfert, vel transferre potest; sed integre omnia, sibi reseruat: ita Principes cum se initiis in adoptionem spiritualem Hierarchæ Ecclesiastico tradiderūt, nihil eorum quæ ad ius regni, & statum publicum ciuilem pertinebant, amittere illo facto potuerunt: quod harum potestatum separata natura sit, vt quamuis iugatę in eadem republica Christiana concinne apteq; cohęreant; tamen neutra, qua talis est, alteri subiiciatur aut imperet, neutraque alteram necessario comitetur: sed alterutra cum acquiri sine altera, tum amitti vel retineri possit.

Iam vero quoniam eruditiss. Bellarminus similitudinibus plurimum delectatur: & præterea vulgatam istam *de indirecta potestate temporali summi Pontificis* opinionē, nullo vel sacrarum literarū, vel antiquorum Patrum testimonio probat: sed tantum argumentis quibusdam à similibus petitis, (subiecto admodū & debili ad demonstrandum fundamento) operæpretium me facturum arbitror, si nostram quoq; de ea re sententiam, similitudine multo accommodatissima cōfirmauero.

Filiusfamilias, licet militet, vel magistratū gerat, & publica potestate fungatur, patri, in cuius sacris constitutus est, iure diuino atq; humano subiicitur, eiq; quatenus filius est, parere debet: *c* & rursum pater, cui hæc in filium potestas est, ipsi filio, vt magistratui, subiicitur: alio tamen atq; alio potestatis genere. Alter enim; qua parens imperium sibi in filium vendicat, quo delinquentem & committentē in leges familiares, aut in se aliquid molientem, aut alioqui filio probo indigna facientem. multet, puniat, & coerceat; non iure quidē magistratus, sed authoritate patriæ potestatis: nec pœnis quibuslibet, sed certis tantū à iure concessis. Itaq; male meritum exhęredare, domo eiicere, familiæ & agnationis iure priuare, aliisq; domesticis remediis coercere potest *d*. At neq; magistratum ei abrogare, neq; castrensia bona auferre, neq; publico iudicio condēnare, aut multam vel pœnā aliam lege ob scelus debitam irrogare, directe vel indirecte potest: quod hæc patriæ potestatis modū & iurisdictionem excedant. Alter vero, quamuis filius, & nexu patris detentus, tamē quatenus est magistratus publico cum imperio, in patrē dominatur, eiq; in publicis negotiis potest, atq; et in priuatis non domesticis, perinde ac cæteris ciuibus imperare. *Si quis filiusfam. est, inquit* Vlpian. *e & magistratū gerat, patrem suum, in cuius est potestate, cogere poterit, suspectam dicentē hereditatē, adire & restituere. hinc si Consul vel Præses filiusf. sit, poterit apud semetipsum vel emancipari, vel in adoptionē dari. f* Qua de causa pater filio magistratū habenti, haud secus ac si esset extraneus, non solū obedire, sed etiā assurgere tenetur, & cum omni honore atq; cultu, qui magistratui debetur, venerari *g*.

Eodem plane modo summus Pontifex, qui spiritualis omnium Christianorum pater est, Regibus & Principibus, perinde ac cæteris fidelibus, paterna potestate Ecclesiastica, vt Christi in ea re vicarius præsidet: ob eamq; causam Reges, si quid in Deum vel Ecclesiam commiserint, spiritualibus pœnis acerbius castigare, & domo atq; familia Dei eiicere, regniq; cœlestis exhæredes facere potest (at quam timenda & tremenda Christianis animis supplicia!) quod hæc omnia patriæ potestatis spiritualis propria sint. At neq; principatum & dominationem temporalem auferre, neque pœnis ciuilibus eos afficere potest, quod nullam in eos politicam & temporalem iurisdictionem nactus sit, per quam talis animaduersio expediri debeat: & patria illa potestas spiritualis, qua Pontifex præditus est, à politica & temporali finibus, officiis, etiam personis plurimum separetur. Vt enim spiritualem Deus Pontifici, & cæteris Sacerdotibus, sic politicam Regi, & qui sub eo sunt magistratibus, æterna dispensatione commisit. *Non est potestas nisi à Deo h*.

a L. si vnus § pactus ante omnia D. de pact.

b Libr. 1. de Rom. Pont. cap. [illegible]

c Ephes. 6. Coloss. 3.

L. Si maritus. 7. C. de patr. potest. §. filiusfamilias. Instit. quibus mod. ius pat. potest. solu.

d L. 3. C. de patr. potest.

e L. [illegible] quis [illegible] Dig. ad SC. Treb.

f L. 3. D. de adopt.

g Liu. lib. 4. Val. Max. lib. 2. cap. 2. Plutarc. in apoth. Rõ. Gell. lib. 2. cap. 2.

h Rom. 13.

Huc

Huc pertinet antiqua illa glossa, quam Cardinal. de Cusa *a* scribit fuisse appositam ad Can. *Ha-* *a Libr. 3. de concord. catho l. cap. 3.*
... *Papa, dist. 63.* in quo Canone traditur, Papam cum vniuersa Synodo concessisse Patriciatus ... atem Carolo Magno, dicebat n. glossa, *Patricium fuisse patrem Papæ in temporalibus, sicut Papa spiritualibus.* Atq; idem Cardinalis eodem libro *b*, de Germanorum Imperatorum Electori- *b Cap. 4.*
... ueus, *Inde Electores,* inquit, *qui communi consensu omnium Alemanorum, & aliorum qui Imperio ... erant, tempore II Henrici constituti sunt, radicalem vim habent ab ipso communi omnium consensu, qui ... iure Imperatorem constituere poterant: non ab ipso Romano Pontifice, in cuius potestate non est, ... j. prouincia per Mundum Regem vel Imperatorem, ipsa non consentiente.* Addit & alia ibidem ... de ... magnus quidem & Theologus & Philosophus, quibus distinctionem nostram ... at, & Imperatores ac Reges tum præesse Pontifici, tum subesse declarat. Atq; hæc de pri... ne Bellarmini, & argumentis ad eam demonstrandam adductis.

CAPVT XVII.

... r secunda, quæ duplici argumento concluditur. *Secunda ratio,* inquit, *Respubl. Ecclesiastica ... perfecta & sibi sufficiens in ordine ad suum finem. Tales enim sunt omnes respub. bene institutæ, er- ... ere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum, sed necessaria est ad finem spiri- ... stas vtendi & disponendi de temporalibus rebus: quia alioqui possent mali Principes impune fouere & euertere religionem, igitur & hanc potestatem habet. Item potest qualibet resp. quia perfecta & si- ... e debet, imperare alteri respubl. non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, ... deponere suum Principem, & alium instituere, quando nō potest aliter se defendere ab eius iniuriis: ergo magis poterit spiritualis respub. imperare temporali reipub. sibi subiectæ, & cogere ad mutandam admini- ... m. & deponere Principes, atq; alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.* ... tam varie hic peccatum esse, vt verisimile sit authorem vel hoc totum, quicquid est ex ... orte & oscitante transcripsisse, vel, si totum eius est, non satis eorum quę prius dixe... e. Nam paulo ante, cum niteretur alio argumēto probare, politicam potestatem esse ... Ecclesiasticæ, asseruit, has duas potestates esse partes tantum vnius reipub. & tantum v... p... b. constituere. *Prima ratio* inquit, *est eiusmodi; potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, ... pars ... eiusdem respubl. Christianæ.* Et iterum: *Secundo Reges & Pontifices, clerici & laici, non ... spubl. sed vnam.* At hoc loco transmutat has duas Potestates, in duas Respubl. quas pro... ra, ac disiungi oportet, vt Reges & laici constituant politicam & temporalem Rem... ... ces & clerici spiritualem, siue Ecclesiasticam, quo nihil absurdius, aut minus appositè ... ad præsens institutum, dici potest. Nam aut loquitur hic de potestate Ecclesiastica sepa... ... potestate ciuili, vt olim fuit tempore Apostolorum, & nunc est iis in locis, vbi Chri... ... at ... E... nicus aut Infideles degunt: quo casu satis constat potestatem illam, siue rempubl... ... am, vt ille vocat, aut eius Principem & Hierarcham, nihil quicquam iuris, ne quidem ... habere in Principem politicum: quod neutiquam filius sit Ecclesiæ *c*. Aut loquitur de ... *c 1. ad Cor. 5.* ... e ... iastica coniuncta cum ciuili, vt in Repub. Christiana: & tunc perperam facit duas ... am Ecclesiasticam, & alteram Politicam, cum sint duæ tantum potestates vnius reipub. ... , niusq; Ecclesiæ & mystici corporis Christi partes & mēbra, vt ipsemet antea tradidit. ... um est quod assumit, potestatem scil. vtendi & disponendi de temporalibus rebus ... ad finem spiritualem, &c. Nam ipse Princeps Apostolorum aperte docet, nullum ... modi fuisse in res temporales Christianorum, præter illas quas ipsi sponte contulerant ... lesiæ, cum ait *d*, *Anania, cur tentauit satanas cor tuum, mentireris Spiritui S. & fraudare* *d Act. 5.* ... *onne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Si Apostolis facultas fuis... endi de rebus temporalibus Christianorum, non vtiq; dixisset Petrus, Nonne? &c. cum ... ponere posset Ananias: imo vero tibi potestas est de reb. meis disponendi, & propterea ... ne ea ... forte ex causa auferres, pretii partem occului, sed quia Ecclesia hanc potestatē ... at ... le sine causa erat *Spiritui S.* mentitus. Quid, quod ex isto Bellarmini fundamento ... ut ... ecc... *primæuam siue primitiuam*: non habuisse omnem potestatem necessariam ad ... em ... nsequendum? Nam hac potestate disponendi de rebus temporalibus Christiano- ... s dominis, trecentis, & amplius, post Christi passionem annis, sub Ethnicis Principibus ... nino caruit: quo tempore tamen infinitā hominum multitudinem, ac pene maximam ... m, Christo tamē dedisse, & multo quam vnquam seueriorem in Ecclesia disciplinam ... onstat: vt nefas sit dicere Ecclesiam tunc omnibus mediis necessariis iuris & facti ad ... ipiscendum instructam non fuisse. *Opera enim Dei perfecta sunt.* Et vero non medio... ... iuri ... m faciat, qui destitutā mediis necessariis Ecclesiam ab eo relictam, atq; Apo... am ... tur. Quidquid Ecclesiæ necessarium fuit ad suum finem consequendum, ... bunde collatum est Apostolis, cum dixit, *ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt ... resistere omnes aduersarii vestri e.* Quicunque igitur Dominum commendasse Eccle... *e Luc. 21.* ... n ... tem intelligit, & ei termandasse vt agnos & oues suas pasceret *f*. nec ei ab illos pascen... *f Ioan. 21.* ... em mandati explendum necessaria omnia & iuris & facti tribuisse existimat, is mihi A... ... videtur ... de diuina prouidentia, potentia, ac bonitate dubitare. Fingamus eum non ... nem potestatem ad executionem tanti mandati necessariam; nunquid alia non dandi ... itari potest, quam quod aut ignorabat Dominus, quid facto opus esset, aut eius dan... ... tatem non habebat, aut, quod extremæ malitiæ est, seruos & amicos suos decipere vole-

bat, id illis munus imperando, quod eos per impotentiam exequi non posse certo sciret? Ex his perspicuum est, temporale imperium, & potestatem deponēdi Principes, nullo modo necessariam esse Ecclesiæ ad finem suum consequendum: licet humana consideratione videri aliquando vtile pussit: Deus enim, qui *quæ stulta sunt mundi, elegit, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit, vt confundat fortia* a, sciens Ecclesiam nonnisi spiritualibus armis indigere, eam illis ita ab initio instruxit, vt omnem humanam potentiam superaret, diciq; vere potuerit, *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris* b. Præclare vt cætera, D. Bernardus ad Eugenium Papam c. *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus vel sericis, nō tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absq; his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum Si amas me, pasce Oues meas: in his successisti non Petro, sed Constantino* Quamuis itaq; potestas temporalis, de qua nobis sermo, hominibus videri potuerit Ecclesię necessaria, Deo tamen neq; necessaria neq; vtilis visa est, ob eam forte rationem, quam rerum euentus atq; experientia posteritatem docuit: ne humano scil. imperio freti Apostoli, & eorum successores, spiritualia segnius curarent, & quam in virtute verbi diuini, Deique auxilio singulari, spem ponere debebant, eam in ar... & authoritate ac potestate temporali potissimum collocarent. Et vero si quis statū Ecclesiæ a Christo passo in hunc diem, oculis atq; animo in historiis collustret, cernet omnino illam ...ito c... ac diu floruisse, sub Pontificibus sua ditione, id est, spirituali iurisdictione contentis, qui Christi humilitatis discipuli, vnicum Ecclesiæ tuendæ præsidium in virtute prædicationis Euangelii, & ...dula disciplinæ Ecclesiasticæ obseruatione, sine vlla potestatis temporalis mentione, esse pos... iudicabant. Et rursus ex quo Pontifices quidam ad summū quod habebant, spirituale imp... summum quoq; temporale adiungere atq; annectere conati sunt, Ecclesiam & numero ...ntium & moribus præsidentium indies defecisse; & remissa, seu verius amissa illa antiquæ ...næ seueritate, multos Ecclesiæ ministros sua munera segnius & negligentius obiisse.

Omitto, quod si ratio istorum bona esset, sequeretur econtrario, Remp. tempor... ...quuntur, habere potestatē disponendi de reb. spiritualibus, & deponēndi supremū Reip. ...ia... sticæ Principem: quia *debet esse perfecta & sibi sufficiens in ordine ad finem suum, & habere omne... testatem necessariam ad suum finē consequendum*. Sed necessaria est ad finē temporalem potestas di... ne... de reb. spiritualibus, & deponēdi Principē Ecclesiasticum, quia alioqui possunt mali Pr...cipe Ecclesiastici turbare statū & quietem reip. temporalis, & impedire finē ciuilis gubernationis, vt de ...nonnulli summi Pontifices aliquando perturbarunt: igitur hanc potestatem habet Respub. ...poralis. Consequens plane falsum est & absurdum (Nam Princeps temporalis, quatenus talis est, nullam habet potestatem spiritualem) proinde & illud quoq; falsum est, cui hoc est cons...qu...

Sed, vt dici solet, *dare absurdum, non est soluere argumentum*. Respondeo igitur aliter ad ... partem huius secundæ rationis. Non esse scil. hic duas Respub. vt ille retur, sed vnam tantu... sunt duæ potestates, siue duo Magistratus, Ecclesiasticus & Politicus, quorum vterq; habet ... bus necessario indiget ad suum finem obtinēdum, alter nempe spiritualem, alter tem por... risdictionem: & neq; hanc iurisdictionem illi potestati, neq; illam huic prorsus esse nece... Alioqui fatendum est, vtramq; potestatem mediis necessariis fuisse destitutam, tūc cum ... vt olim fuerunt: quod plane falsum esse iam ostendi, tam ex fine temporalis siue politicę ...tionis, quatenus talis est d, q̄ ex statu Ecclesiæ sub Ethnicis & infidelibus Principibus ... Ad hunc modū in vna eademq; *ciuili politia*, in vna inquam ciuitate aut Regno, plures ... distinctis officiis, potestate, atq; imperio, præditi inueniuntur, qui Remp. in partibus ... tam gubernant; quorum quilibet potestatem necessariam ad muneris sui finem conse... à Rege vel Repub. accipit; ita vt nemo eorum possit vel audeat alterius iurisdiction... rium inuadere, sibiq; arrogare. Non si Consulibus aliquid Tribunitiæ potestatis deest, ... tra Tribunis abest imperium consulare, idcirco dici potest, vtrique alterius potestatem ne... esse ad suum finem consequendum: Nam vterque magistratus, secundum suæ institution... tionem, perfectus, atque omni potestate necessaria ad muneris sui executionem munitus ...

Vel vt notiora exempla proferamus Quemadmodum in eodem regno, & sub vno Rege amplissimi magistratus sunt, quorum alterum Cancellarius, alterum Conestablus Rege mād... gerit (Illi *νομοφυλακία* & iuris ac iudiciorum cura præcipua incumbit: huic armorum admin... ...ctorius disciplinæ militaris præfectura committitur) & vterq; pro ratione & qualitate sui ... perfectus est, atq; omnem potestatem necessariam ad muneris sui executionem, finisq; eiu... sequutionē à Rege obtinet. Nec, si alter forte alterius exercitium vel inertia vel iniuria im... potest impeditus propria auctoritate alteri magistratum abrogare, aut eius iurisdictionem ...pare, aut eum denique ad peccati sui emendationem, nisi modis legitimis à Rege sibi cum o... cōcessis adigere: sed vtrumq; de alterius commisso ad Regē, à quo ipsi distinctam offi...ius pot... ē acceperūt, referre oportet, vt ipse læsum vlciscatur, & quid de causa statuendū sit, imper... o iudicio que suo arbitretur. Quandiu a. hi magistratus in regno concordes sunt, alter alterius ius tuetur & quod ei deest, de suo supplere consueuit. Vt si paganus, vt iudicium eludat, in castra ad exer... proficiscatur, auxilio Præfecti militiæ implorato, ad eum vnde fugerat locū remitti soleat, & ...ntra, si militiæ desertor ab exercitu in vrbē se proripit, magistratus vrbanus à militari rogat... m mox in castra ...puniendum relegat. Ast vbi dissentiunt, e statim Reip. vulnera imponun... qu... b potest solus Princeps occurrere ac mederi, quod ipsis inter se ius fasque non sit alieno imperi... v...

a 1. Cor. 1.
b Psal. 117.
c Lib. 4. c. 3.
d Cap. 14.

& huic solum arma tractare, illi iudicia tantum exercere liceat. Simili plane modo summi illi magistratus Reipub. Christianæ, Rex & Pontifex, potestatem aliam atq; aliam, vtramq; in suo genere perfectam, à communi omnium Rege & Domino, Deo Opt. Max. accipiunt, & distinctis imperiis atq; officiis populo præficiuntur. Atq; hi quidem, donec consentiunt, ad vtriusque potestatis tutelam, sibi inuicem de suo commodant: vt & potestas Ecclesiastica seditiosos & rebelles in Principem seculare subditos, cœlesti & spirituali mucrone feriat: & vicissim potestas temporalis & Politica Hæreticos, Schismaticos, & alios à fide deficientes, aut alioqui piæ matri Ecclesiæ non parentes, armata manu persequatur *a*, & temporalibus supplicijs, pœnisq; ciuilibus acriter coerceat. At vbi scinduntur in contraria studia, sibiq; inuicem aduersantur, tota Respub. Christiana vel protinus concidit, vel saltem grauissime sauciatus: quod nemo sit, nisi solus Deus, qui causæ illius cognitor, iniuriæq; vltor legitimus esse possit.

a Can. Principes 23. q. 5.

Capvt XVIII.

CVpienti mihi ad alia transire, morulam iniecit, dubitatio quædam de sensu posterioris argumenti secundæ rationis, his verbis ab authore concepti *b*. *Item potest qualibet respubl. quia perfecta & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri reipubl. non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, imo etiam deponere eius Principē, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniuriis.* Nam, vt ingenue fatear, cum hæc primum apud eum legissem, substiti aliquandiu, vt quis verborum istorum sensus, quantiq; ponderis & momenti esset argumentum, penitus intelligerem, videbatur enim non plane & explicate illud proponere, quod modos nullos cogendæ vicinæ Reip. & eius Principis deponendi, nobis patefaceret. Et cum diu omnia mente versassem, aut hoc ænigma esse statui, aut huoc verba eius (eorum interpretationemq; admittere; Quælibet Respubl. contra aliam rempubl. armis animisq; sibi infestam, cum aliter se ab eius iniuria tueri nequeat, bellum iustum inicere atq; inferre potest, eamq; prælijs & armis victricibus ad pacis conditiones cogere: vel si non satis sibi adhuc prospectum ea cautione retur (quia forte cum populo natura fœdifrago & rebelli negotium est) totam gentem in suam ditionem ac potestatem redigere, eiq; leges & iura dare, Principem abdicare, imperium auferre, totam deniq; reipub. administrationem suo arbitrio in aliam formam cōmutare. Quod si hic verus sit, vt & esse arbitror, horum verborum intellectus, argumentum illud nequicquam sane à Bellarmino adductum est; Nec enim inde colligitur, quod ipse concludit, nempe, *multo magis posse spiritualem rempubl. imperare temporali reipubl. sibi subiectæ, & cogere ad mutandam administrationem, & deponere Principes atq; alios instituere, &c.* tum quia non sunt hoc casu duæ respub. vt ille falso assumit, sed vna tantū Christiana, duabus potestatibus data, quarum neutra alteri subijcitur, vt est iam abunde in superioribus demōstratum: tum etiam; quia si ei concedamus, esse duas respubl. inter se distinctas, Ecclesiasticam siue spiritualem & temporalem, necesse quidem est fateatur, in illa tantum contineri Pontifices & Clericos, in hac vero Principes seculares & Laicos omnes; siue istam ex solis Ecclesiasticis, hanc ex solis laicis componi, licet enim laici & clerici simul vnam Ecclesiam, & vnam Rempub. Christianam constituant, nō tamen efficiunt simul vnam Remp. Ecclesiasticam & spiritualem, prout distinguitur à temporali; neque vnam rempublicam temporalem & secularem: sed secundum diuisionem & separationem supradictam, Laici temporalem, & Ecclesiastici spiritualem, in casu quo temporalis à spirituali hoc modo distinguitur. Iam vero cum respubl. Ecclesiastica solos clericos contineat, quorum arma non alia esse debent, nisi preces & lachrymæ, qui fieri potest, vt illa inermis & imbecilla, armatam Rempublicam temporalem mutare administrationem, nisi forte per miraculum, cogat?

b Cap. proximo Sum.

Nihil ergo hac comparatione & consecutione Bellarmini ineptius, quandoquidem à rebusp. similiter armorum vsu & apparatu instructis, ad Respubl. quarum altera prorsus inermis est, ratiocinando procedit. Quoties enim vna Respubl. alterius iniurias aut inferendas propulsat, aut acceptas vlciscitur, iis armis contendit, quæ sibi concessa sunt, & quibus iure belli vti potest: corporeis nimirum & visibilibus, quorum impetu corpora hostium sternit, præsidia inuadit, ciuitates expugnat, se totum Reipub. aduersariis statum euertit. At Respubl. spiritualis, quam vocat, toto hoc armorum genere deficitur, & quoniam ex clericis tantum composita est, solis armis spiritualibus precibus scilicet & lachrymis, pugnare illi fas est. *Talia enim sunt munimenta sacerdotum: aliter nec debent nec possunt resistere c.* Nam & materialem gladium omnes in persona Petri iubentur recondere. Quo igitur modo spiritualis Respublica, remp. temporalem, fulminum spiritualium cōtemptricem, vt *administrationis* suæ modum & formam *commutet*, cogere, aut *eius Principē deponere, & alium instituere possit?* Quod si quis forte proponat, Rempub. Ecclesiasticam in rei tantæ executionis profanis secularium hominum armis adiutum iri (Principes enim, & reliqui omnes Christiani, nutritii & defensores Ecclesiæ esse debent) ei statim respondebitur, Rempublicam Ecclesiasticam eo casu non cogere rempublicam temporalem, sed esse tantum causam, cur alia Respublica temporalis, cuius auxilio spiritualis illa defensa est & protecta, iniuriam Ecclesiæ factam vindicet. Non secus ac si iniuriæ vel cladis acceptæ in vnius ciuis persona, tota Respubl. se vindicem præbeat: quo modo in omnes Beniamitas, ob stupratam vnius Leuitæ vxorem, à cæteris tribubus Israel acerbissime sæuitum esse constat *d*, sic Græci olim Menelai iniuriam Troiano excidio vlti sunt: & Romani necem à Teuca Illyriorum Regina L. Coruncanio allatam, durissimo bello vindicarunt, & Reginam Illyrico excedere, ac tributum quotannis pendere coegerunt *e*. Nunquis hic Beniamitas: Troianos, Illyrios, à Leuita, Menelao, aut Coruncanio iam mortuo domitos & compressos

c Can. non pila. can. conuenior. 23. q. 8.

d Iud. cap. pen. & vlt.

e Polyb. lib.

esse dixerit, ac non potius ab iis, qui istorum ergo bella susceperunt, hostesq; domuerunt? Nunquis similiter Ecclesiasticam Remp. esse dixerit, quæ temporalem iniuriam & lasciuientem, in ordinem cogat; ac non potius aliam Remp. temporalem, quæ Ecclesiasticæ Reipubl. causa bellum suscipit; & sine cuius auxilio Ecclesia ipsa, atq; omnes eius ordines protriti & conculcati iacerent? Quid si nulla temporalis Respub. sit, quæ velit vel audeat armis cum repub. Ecclesiasticæ inimica contendere? quibus tunc se modis vindicet? Quid multis? licet suam illis comparationem conclusionemq; concedamus, nihil inde effici potest, nisi Papam habere talem potestatem disponendi de rebus temporalibus Christianorum, & eorum Principes deponendi, qualem vel Rex Franciæ in Anglos, Hispanos, aliosve populos vicinos sibi iniurios, vel horum singuli in res Regesq; Francorum ipsis infestos habere dignoscuntur: quæ qualis quantaq; sit, ferro tantum cerni potest.

CAPVT XIX.

HÆc quanquam secundæ rationi refutandæ sufficiunt, tamen ne quid in hisce doctissimi viri scriptis prætercam, quod intactum, aut negligentius tractatum, lectori errorem creare, scrupulumve inficere possit, operæ pretium est, id etiam quale sit excutere, quod ad rationis suæ firmamentum ex S. Bernardo in libris *de consideratione ad Eugenium a* affert. Monet quidem Bernardus, gladium materialem esse militis manu, *ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris*, exercendum: quod nos certe fatemur, bella namque & iustius suscipiuntur, & felicius conficiuntur, quando Ecclesiastica sanctitas cum regali authoritate conspirat. Sed animaduertendum est, Doctorem illum tribuere tantummodo nutum sacerdoti, hoc est, belli gerendi consensum & voluntatem: iussum vero & imperium Imperatori, ex quo perspicuum est, non eum alia ratione dicere gladium materialem ad Ecclesiam pertinere, quam quod in Republica Christiana, licet imperium belli sit penes Imperatores, & Reges, ac Principes, tamen iustius bella geruntur, vbi Ecclesiasticæ potestatis consensus accessit, quæ potest Dei spiritu gubernata, inter æquum vel iniquum, pium vel impium, solertius iudicare. Sed quid si Imperator nolit ad nutum sacerdotis gladium stringere? imo quid si plane contra nutum sacerdotis strinxerit? Nunquid aliquam S. Bernardus hoc casu potestatem temporalem sacerdoti tribuit in Imperatorem? hoc enim est quod hic quærimus, & in quo tota nostra versatur disputatio, nullam sane; quin potius nullam ei competere posse docet, cum dicat materialem gladium (quo verbo summa potestas temporalis significatur *b*) ab Ecclesia exerceri non posse: sed tantum manu militis & iussu Imperatoris. Quod idem apertius tradit Gratianus *c*, Bernardi fere coætaneus. *Cum Petrus*, inquit, *qui primus Apostolorum à Domino fuerat electus, materialem gladium exerceret, vt Magistrum à Iudæorum iniuria defensaret, audiuit, Conuerte gladium tuum in vaginam, omnis enim qui gladium acceperit gladio peribit: ac si aperte ei diceretur: Hactenus tibi, tuisq; prædecessoribus, inimicos Dei gladio temporali licuit persequi: deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum, id est, tibi hactenus concessum, in vaginam conuerte: & tamen spiritualem gladium, quod est verbum DEI, in mactatione veteris vitæ exerce. Omnis enim præter illum, vel authoritatem eius, qui legitima potestate vtitur, qui, vt ait Apostolus d, non sine causa gladium portat, cui etiam omnis anima subdita esse debet: omnis inquam, qui præter authoritatem huiusmodi gladium acceperit, gladio peribit.*

Si hæc Bernardi & Gratiani vera sunt, fieri nullo modo potest, vt Papa in Imperatorē aut alios Principes seculares, temporalē potestatem vnq̄ iure exerceat: exerceri quippe nisi gladio nequit; & gladius non nisi horum iussu à milite stringi debet: atq; ita potestas hæc temporalis, inanis prorsus & inutilis in persona Papæ esset, cum eius illi executio denegetur, nisi forte Imperator aliquis tam fatali fatuitate laboret vt milites contra se arma gestare iubeat, aut tanta sanctitate & iustitia præditus sit, vt ne sibi ipsi quidem parcendum, si deliquerit, edicto caueat. Huc pertinet quod D. Ambros. scribit *e*, materialem scil. gladium Sacerdotibus vsq; ad Euangelium tantummodo fuisse concessum. *Lex*, inquit, *ferire non vetat & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, Sat est, dicit Christus, quasi licuerit vsq; ad Euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.*

Præterea sciendum est, locum illū Euangelii de duob. gladiis *f*, quem nobis obiectant, non necessario intelligendū esse de gladio spirituali & temporali: imo vero longe cōgruentius esse sermoni Saluatoris illic habito, vt intelligatur de gladio spirituali, & de gladio passionis, sicut Ambrosius docte pieq; ibidē exponit. Nam Christus extremo illo ante passionem cum Discipulis colloquio, eos admonuit longe alia conditione mittendos esse ad prædicationem Euangelii, post ipsius mortem, cū mandatum hoc acceperint, *Euntes in mundū vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ g*, q̄ antea ab eo missi fuerant, dū adhuc in terris inter viuos ageret: quasi dixisset, hactenus vos ita misi, vt neq; sacculo, neq; pera, neq; calceamētis indigeretis: at posthac mittā vos ad prædicationem Euangelii, & erit vobis sacculo opus & pera, solicitudinis nimirū & patientiæ: atq; ēt duobus gladiis, spirituali sc. & passionis, de quo dictū est *h*, *tuam ipsius animā pertransibit gladius. Est n gladius spiritualis*, inquit ibi D. Ambros. *vt vendas patrimonium, emas verbū, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiā gladius passionis vt exuas corpus, & immolatæ carnis exuuiis ematur tibi sacra corona martyrii, quod ex benedictionibus dominicis colligere potes, qui summam omnium coronarum, si quis persecutionem patiatur, pro iustitia prædicauit. Denique vt scias, quia de passione locutus est, ne turbaret discipulorum animas, de se exemplum protulit, dicens. Quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: quod cum iniustis deputatus est i.* Hæc ille, quibus postremo adiungam, quod ipsemet Bellarminus in libris *de summo Pontifice k*, contendat, non eum sensum esse illius loci Euangelii, vt intelligatur de spirituali & temporali gladio. *Respondeo*, inquit, *ad literam, nullam fieri mentionem in eo loco Euangelii de gladio spirituali vel*

tempo-

a Lib. 4. c. 3.
b [illegible] Imperio. D. Ambros.
c Paul. c. 13. ad Rom. c. 23. q. 8. c. in potest.
d Rom. 13.
e Lib. 10. in Comm. in Euan. Luc.
f Luc. 22.
g Marc. 16.
h Luc. 2.
i Esai. 53.
k Lib. 5. c. 4.

temporali Pontificis sed solum Dominum illis verbis admonere voluisse discipulos tẽpore passionis suæ in angustiis & metu ipso futuros fuisse, in quib. esse solent, qui tunicam vẽdunt, vt emant gladium. Vnde asserit S. Bernardum & Bonifacium VIII. Papam, mystice tantum hunc locũ de duobus gladiis interpretatos esse.

Quod cum ita sit, consterq; tum ex interpretatione Patrum, tum ex confessione ipsius Bellarmini, verba Saluatoris non de gladiis istis, de quibus nos digladiamur, vere, proprie, ac stricte esse accipienda, perperam sane allegatur scriptum illud Bernardi, ad probandum Papam habere potestatem temporalẽ vllo casu in Principes Christianos, vel gladium temporalem esse sub gladio spirituali; quod nec dicit ibi S. Bernardus, nec dicere sine calumnia potuit. Quamuis igitur maxime concedamus, locum illũ Scripturæ, de spirituali & temporali gladio esse mystice accipiendum, tamen ad hoc tantum valebit illa Bernardi expositio, vt intelligamus, Reges & Principes Christianos consilio Ecclesiæ, siue summi Pontificis, bellum gerere debere pro Ecclesia; quod nemo sanus vnquam negauerit. Atq; ita Christus (si eius verba mystice eo modo interpretemur) ostensis duobus gladiis, dixit, *Satis est.* non vt gladium alterum alteri subiiciendum, vel vtrumque in manu Pontificis & Sacerdotum futurum esse significaret (ea quippe expositio vitiosa est, & tum rectæ rationi tum antiquorum Patrum doctrinæ repugnat, qua traditur, Reges & Impp. solum Deum in temporalibus superiorem habere) sed vt admoneret vtriusq; gladii, spiritualis & temporalis, concursum aliquando fore in Republ. Christiana, Principibus ad fidem conuersis; & illis duobus Ecclesiam vndique ab iniuria tutam ac defensam iri.

Sed quoniam in hunc insignẽ D. Bernardi locum incidimus, velim perpendat mecum obiter lector, quod nescio an vllus ante hac animaduerterit. Quid est quod de gladio temporali ad Eugenium Papam scribens, primum dicat; *tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus.* Deinde, paucis interiectis, subiiciat, eundem gladium nutu sacerdotis esse exercendum, nec addat *forsitan?* Nunquid illud *forsitan*, aut abundat in priore sententia, aut in posteriore desideratur? Nempe id con[sul]to vir sanctus ac prudens: vt personam Pontificis ab authoritate & officio Pontificali, siue sacerdotali subtiliter distingueret, doceretq; permagni referre, vtrũ Papa an Eugenius, licet idem & Papa & Eugenius sit, aliquid aut vetet, aut iubeat: vtrum inquam Pontifex, vt homo animi perturbationibus obnoxius, gladium non pro Ecclesia ex officio debito, sed deprauatæ affectionis incitamento stringi cupiat: an vero vt Sacerdos, i.e. vir bonus & pius, non suis sed publicis cõmodis seruiens, gladio exercendo & bello gerendo annuat abnuatve. Quasi diceret; Eugeni Pont. Max. gladius temporalis non simpliciter & absolute tuo nutu euaginãdus est, sed forsitan: tunc sc. cum ob euidentẽ Ecclesiæ vtilitatem, id illis sobrio sanoque consilio suadebis, qui gladium in sua potestate habent: non a. tunc, cum aut veteres inimicitias cum aliquo exercere, aut recens odium effundere, aut ambitiosam dominãdi cupiditatem, explere cupiens, Principes & populus Christianos inter se cõmittere, aut ipsorum vni bellum indicere atq; inferre cogitabis. Illa enim sacerdotis, ista hominis: illa Pontificis, ista Eugenii, aut alterius Pontificatum tenentis, cogitatio, actioq; dicenda est. Atq; hæc quidem verbis illis sensisse Bernardum, res gestæ à Pontificibus quibusdam impense iracundis & superbis, haud obscure declararunt. Sed ad institutum reuertamur.

CAPVT XX.

TErtia apud Bellarminum ratio est: *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresim, vel infidelitatẽ: at iudicare an Rex pertrahat ad hæresim, necne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura religionis: ergo Pontificis est iudicare, Regem esse deponendũ, vel non deponendum*, & huius quidem rationis propositionem tribus argumentis probare conatur.

Ad eam igitur respondeo: Quod ait, *non licere Christianis tolerare Regem hæreticũ vel infidelem, &c.* id adeo falsum esse, quam quod falsissimum: alioqui damnanda tota antiquitas, quæ Reges hæreticos & infideles, Ecclesiam Dei destruere conantes, submisse pertulit, *non solum propter iram, sed propter conscientiam*; hoc est, non quod deficerentur viribus ad impios Principes exigendos, sed quod id sibi per Dei legem non licere iudicarent. Verum quoniam hunc errorem perniciosissimum in libris *contra Monarchomachos* a, atq; etiam superius hoc libro b. iam satis refutauimus: nõ est quod eius falsitati arguendæ hic amplius immoremur. Id tantum superest, vt vitia argumentorum, quibus falsam suam propositionem probare nititur, breuiter indicemus.

Primum argumentum ducit ex Deuteronomio c, vbi prohibetur populus eligere Regem, qui non sit de fratribus suis, id est, qui non sit Iudæus: ne videlicet pertrahat eos ad idololatriam: ergo etiam Christiani prohibentur eligere non Christianum. Hoc totum verum sit. Deinde ex his partibus concessis progredimur hoc modo: *Rursum, eiusdem periculi & damni est, eligere non Christianum, & non deponere non Christianum, vt notum est: ergo tenentur Christiani non pati supra se Regem non Christianum, si ille conetur auertere populum à fide.*

Respon. consequentiam hanc minime bonam esse, & eiusmodi vitiosis ac fallacibus argumentis multos à veritate auocari. Captio autẽ in eo est, quod statuat ac pro certo assumat, idem ius esse vbicunque est idem damnum vel periculum; quod plane falsum esse mox demonstrabitur, nec ei simile est, quod tradunt Iurisconsulti, *vbi eadem ratio est, ius idem esse debet* d. Animaduertendum igitur, eum non dicere *eiusdem peccati esse eligere non Christianum, & non deponere nõ Christianum*, quod si id dixisset, negassem vtiq; antecedẽs: sed dicit, *eiusdem periculi & damni esse*, ex quo perperam deinde colligit, Christianos teneri non pati supra se Regem non Christianum. Non enim sequitur,

a Lib. 3 c. 6. 7. 8. 9. & seqq. & lib. 4. c. 8 & 9.
b Cap VII.
c Cap 17.
d L. [illegible] 32 D. ad leg. Aquil.

Clerici non minus summo Principi temporali parere, quam cæteri ciues tenentur: vt ipsemet Bel- Clerici non minus summo Principi temporali parere, quam cæteri ciues tenentur: vt ipsemet Bellarminus egregie ostendit a, addita etiam ratione, *quia Clerici, præterquã quod Clerici sunt, sunt etiam ciues & partes quædam reipublicæ politicæ. Nõ sunt exempti clerici vllo modo,* inquit, *ab obligatione legum ciuilium, quæ non repugnant sacris Canonibus vel officio clericali.* & quamuis dicat, se nõ de obligatione coactiua loqui, tamen verius est eos ad obsequium legum, vbi causa postulat, à temporali iudice cogi posse, vt nec in ea re exemptionis suæ beneficio gaudeant, quod ab Imperatorum & Principũ legibus eos accepisse satis constat. Frustra enim legum auxilium inuocat, qui contra eas committit.

a In libr. de cler. cap. 28.

Hinc est, ex hac inquam clericorum & laicorum in republica societate, quod in conuentibus publicis, clerici de temporalibus negotiis consulturi, primo post Principem loco considunt. Potestas itaq; spiritualis (potestatis verbo potestate præditos significari tritum est) politicæ potestati, & hæc illi vicissim, pro suo vtraq; imperio, imperat atq; paret. Atq; hoc nimirum est, de quo B. Gregorius Pontifex Mauricium Imperatorem admonet b. *Sacerdotibus,* inquit, *non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti cõsiderationis, propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitã reuerentiam impendat.* Dominetur nimirum, quatenus ciues sunt, & partes reipub. reuerentiam impẽdat, qua Dei sacerdotes & patres spirituales, quibus ipse Imperator vt Ecclesiæ filius subiicitur. Et has quidem inter vtramq; potestatem parendi imperãdiq; vices, Salomon singulari exemplo demonstrauit c, qui summum sacerdotẽ Abiatharem capitis reum pronunciare non timuit, quod coniuranti Adoniæ consensisset. Ait enim historia, *Abiathar quoq; sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrũ tuum, & quidem vir mortis es: sed hodie te nõ interficiam, quia portasti Arcam Domini coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus quæ laborauit pater meus. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini.* En vt Salomon ostendit ius sibi in sacerdotes ex causa politica & temporali esse, cum tamen satis constet in veteri lege Sacerdotes præfuisse regibus, eisque imperare ac resistere solitos, in omnibus, quæ ad cultum diuinum & ministerium Sacerdotale pertinebant.

b Lib. 4. Epist. 75.

c 3 Reg. 2.

Quod o. Bellarminus contendit d: Salomonem non vt Regem hoc fecisse, sed vt Prophetam & executorẽ Diuinæ Iustitiæ, eius ego interpretationis probationem aliquã requiro, cum id neutiquam ex Scripturis appareat: eoq; mera diuinatione nitatur. Nam nulla ibi neq; mandati specialis à Domino dati, neq; extraordinariæ potestatis delegatæ mentio fit: quin plane contra, Salomon ipse aperte satis indicat, se vt Regem, pro ordinaria imperii potestate, quod iure regni erat adeptus, iudicium illud exercuisse, hac præfatione vsus *Viuit Dominus qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei, &c.* Et vero nõ de re spirituali vel Ecclesiastica, sed de temporali & politico negotio agebatur, cuius iudicem legitimum & ordinarium esse Regem vt Regem, Salomon non ignorabat: & ideo non alio iure in Adoniam, alio in Abiatharẽ sententiam pronunciasse legitur. Deinde q; Bellarm. pro interpretationis suæ firmamento arripit, verba sc. illa, *vt impleatur sermo Domini, &c.* leuissimum quidẽ est, ne dicam absurdum, quid hoc n. ad modum implendi pertinet? quis nescit eiusmodi Scripturæ dictũ, tam de eo verificari, quod iure communi & ordinaria potestate perficitur, vt hoc loco; q̃ de eo, quod vel extra ordinem mirabili quodam euentu, vel per hominum impietatẽ & tyrannidem completũ est? Impii cum crucifixissent Saluatorem, *diuiserunt vestimenta eius, vt impleretur quod dictũ est per Prophetam* e, siue, *vt Scriptura impleretur* f. Verba igitur eiusmodi in Scripturis apponi tantũ solent, ad p̃dictionis & prophetiæ veritatem ostendendam, vt inde argumentũ sumere ad aliud colligendũ, plane ridiculum & puerile videatur. Erat quidem eo casu Salomon executor diuinæ iustitiæ, nihil moror: erat & Propheta, esto, quid tũ postea? At regia tamen authoritate & iure cõmuni, ne leuissima quidẽ specialis mandati mentione facta, id eum fecisse legitur. Nec vllus in Scripturis locus est, ex quo hanc ei iurisdictionẽ nominatim mandatam fuisse legamus: verisimile porro non est, authorẽ historiæ diuino spiritu afflatum, tam differentes tantæ rei, tantiq; momenti causas, sine vllo indicio vel admonito præterire voluisse, si Rex alio iure & authoritate in Adoniam laicum, alio in Abiatharem sacerdotem sententiam protulisset.

d Libr. 2. de Rom. Pont. cap. 29.

e Matt. 17.

f Ioan. 19.

Æque fallitur vir idem doctiss. g cum ait, *non mirũ esse si in V. Testamento summa potestas fuisset temporalis, in Nouo spiritualis: quia in V. Testamento promissiones tantum temporales fuerunt, & in Nouo spirituales & æternæ.* Nam neq; in V. testamento summa potestas omnino temporalis fuit, neq; in Nouo spiritualis est: sed in suo vtraq; regno, hoc est, in suæ potestatis iurisdictione, vt par est, tunc dominabatur, & adhuc imperat: iam tunc, inquam, suis ambæ finibus contentæ, alienis abstinebant, vt nec temporalis potestas spiritualem iurisdictionẽ, & Sacerdotale munus; nec spiritualis temporalem pro suo iure inuaderet h. Ius autem quod in clericos Salomon illa tempestate Principibus cõpetere ostendit, à Regibus in noua lege, & reipubl. Christiana agnitũ & retentum est. Inde priuilegia, quæ Principum nonnulli insignes pietate Ecclesiasticis personis concesserunt i: nam quorsum illis Priuilegia, si iure communi Regibus subiecti non fuissent? quandoquidem communi auxilio, & mero iure muniti, exemptisque, nullo priuilegio, vel extraordinario auxilio opus est k.

g Eod. libr. & cap.

h 2 Paralipom. 26.

i Extant in Cod. & Decret. atq; in Hist. Eccles.

k l. in causa 16. D. ff. de minor. l. 1. de constit. princip.

Et his quidem consentiunt, quæ ipsemet Bellarm. rectissime contra Canonistas asserit l. *Exemptionẽ nempe clericorum in rebus politicis, tam quoad personas, quam quoad bona, iure humano introductã esse, nõ diuino,* idq; confirmat tũ authoritate Apostoli (cuius illud, *omnis anima potestatib. sublimioribus subdita sit* m, tam clericos quam laicos, teste Chrysost. includit) tum testimoniis antiquorum Patrũ: tum deniq; q; vt ipse ait, *nullum proferri potest Dei verbum quo ista exemptio confirmetur.* Addo ego, grauissimum eius rei argumentũ esse, quod in florentissimo Ecclesiæ statu, & sub illis Principibus qui summum Pontificem pastorem Ecclesiæ vniuersalis, & Christi vicar[...]gnoscebant, Imperiali-

l Tom. 1. controu. 5. lib. 1. c. 28.

m Rom. 13.

ſialibus legibus conſtitutum & obſeruatum fuerit, vt clerici de criminibus ciuilibus reſponderent apud iudices ſeculares, & ab eiſdē condemnarentur, ſi rei criminis eſſent inuenti *a*. Et vero, ne quã erremus, ſciendum eſt, non omnia iſta libertatis perſonarum & rerũ priuilegia, quibus nunc clerici fruuntur, ab iiſdē Principibus, neq; eodem tempore fuiſſe conceſſa. Nam primum Conſtantinus Magnus tantum illis ſingulari priuilegio indulſit, ne nominationibus & ſuſceptionibus eſſent obnoxii, i.e. ne nominati ſiue electi cogerentur magiſtratum gerere, aut tutelam aliquam adminiſtrare, vel annonis aut tributis colligendis & recipiendis præeſſe; cum antea aliorũ ciuium more ad ea omnia ſine excuſatione vocarentur. Anno poſtea octauo vacationem & excuſationem munerũ omnium ciuilium, eiuſdē Principis beneficio acceperunt, vt patet ex illius Imp. conſtitutionibus *b*, in quib. hanc priuilegii ſui rationem reddit: Ne ſc. clerici *ſacrilega liuore quorundam à diuinis obſequiis auocentur*. Et quidem notatu digna res, aduerſus ingratã quorũdam clericorum temeritatem, qui immunitatis ſuæ originem Principibus ſecularibus acceptam ferre faſtidiunt, quod idem piiſſimus Princeps exemptiones illa priuilegia appellet, ita n. ille: *Hæreticorum factione comperimus Eccleſiæ Catholicæ clericos ita vexari, vt nominationibus ſeu ſuſceptionib. aliquibus, quas publicus mos expoſcit, contra indulta ſibi priuilegia prægrauentur.* Conſtantius deinde & Conſtans, anno circiter 36. à primi priuilegii conceſſione, Arbitione & Lolliano Coſſ. aliud Epiſcopis priuilegium indulſerunt, ne de criminibus apud ſeculares iudices accuſarentur *c*. Cæteri vero Eccleſiaſtici ordinis homines, Epiſcopis inferiores, clerici ſc. & monachi, ſub magiſtratuum ciuilium iuriſdictione vſq; ad Iuſtiniani tempora permanſerunt, ubi tamq; cauſam Leo & Anthemius Impp. (ante imperium Iuſtiniani annis plus minus 60) beneficii loco ſanxerunt, *ne Orthodoxæ fidei ſacerdotes & clerici, cuiuſcunq; gradus, aut monachi in cauſis ciuilib. extra prouinciam, aut locum, aut regionẽ quã habitant, ex vllius penitus maioris minoriſve ſententia iudicum pertrahantur; ſed apud ſuos iudices ordinarios, i.e. Prouinciarũ rectores, omnium cõtra ſe agentium excipiant actiones.* En vt iſti, admodum pii & catholici Principes ordinarios clericorum & monachorum iudices, eſſe præſides prouinciarum affirmant, quos nemo tamen eius ſeculi Patrum Pontificiive errare, aut nõ vere, pie, & orthodoxe loqui profeſſus eſt. Inde patet eos nimis peruerſe de Iuſtiniano iudicare, qui aſſerunt eum aliquã in Eccleſiaſticos iuriſdictionem vſurpaſſe; cum gratias ei maximas habere debeant, quod Impp. primus fuerit, qui clericos ante eum diem politicis magiſtratibus omnino ſubiectos, ſeculari iudicio in ciuilibus cauſis exemit *d*. Quæ cum ita ſint, ſatis patet, Reges & Principes ſeculares ſumma poteſtate tẽporali præditos, iiſq; clericos in rebus politicis eſſe ſubiectos. Alioqui profecto nec Reges potuiſſent hæc priuilegia cõcedere: nec viri ſancti, & ſapientes, ita male ſibi & toti Eccleſiæ cõſuluiſſent, vt liberos ſe ſuo iure ſolutoſq; à vinculo temporalis poteſtatis, talib. beneficiis ac priuilegiis obligari paterentur, quippe eſſe ſe in ditione eorũ fatebantur, à quibus poterant eiuſmodi libertate donari, ſolui n. vel eximi nõ poteſt, quod non fuit colligatum vel concluſum. Præterea tantæ pietatis Principes toto orbe tunc erant, vt ſi iure diuino clericos ab omni iuriſdictione ſeculari exemptos eſſe, vel per ſe reſciuiſſent, vel ab Epiſcopis & Principibus ſacerdotum audiuiſſent, id ſtatim in edicta & leges relaturi fuerint, nec ſibi ius vllum in ipſorum corpora bonave vindicaturi. Si enim quæ ſua propria credebant, ſolo pietatis zelo tam profuſe largiebantur, quanto magis ab alienis & nullo iure debitis abſtinuiſſent?

Exemptiones ergo & priuilegia, quæ Principes Chriſtiani Eccleſiaſticis perſonis, honeſtatis & reuerentiæ cauſa, conceſſerunt, ſat oſtendunt, imo conuincunt, eoſdē Principes temporali poteſtate cunctis ſacerdotibus eſſe maiores: nec ſummum Pontificem & Principem Sacerdotũ, atq; adeo Chriſti Vicarium, alia ratione eximi, & diuerſo iure cenſeri, quam quod ipſe Princeps quoq; temporalis ſit, & duplicem perſonam ſuſtineat, ſucceſſoris nimirum Petri in regimine Eccleſiæ, & Principis ſecularis in temporali imperio, quod aliorum Principum largitate accepit.

a Nouell. de Cleric. Ep. §. Si autem, collat. 6.

b L. 1. & ſeq. C. Theod. de Epiſc. & cler. libr. 16.

c L. miſſuſ. cudem. Theod. ut.

d Deſt. Nouell. 83.

CAPVT XVI.

EAdem opera refelli manifeſte poteſt differentia, quam conſtituit inter Principes Ethnicos, & Principes Chriſtianos, quantum ad dominationem temporalem in Eccleſiaſticos attinet: qui locus prætereuri hic ſine vitio nequit. Ait n. *a* Pontificem fuiſſe ſubiectum *ciuiliter & de facto* Ethnicis Principibus, *quia lex Chriſtiana neminem priuat ſuo iure & dominio. ſicut ergo ante Chriſtianam legem homines ſubiecti erant Impp. & Regibus, ita etiam poſtea. At vero cum Principes Chriſtiani facti ſunt, & ſponte leges Euangelii ſuſceperunt, cõtinuo ſe tanquam oues Paſtori, & membra capiti, ſubiecerũt præſidi Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & proinde ab illo iudicari, non illũ iudicare deinceps debent.* Maximũ in diſſerendo vitium eſt, ea quę de vno aliquo certa de cauſa dicũtur, vel ab vno aliquo certa de cauſa remouentur, alii plane diuerſo ac diſſimili, & cui non eadẽ cauſa cohæret, attribuere, vel eripere: aut quæ diſtinctione aliqua ſecerni, ac ſeparari debent, ea indiſtincte confuſeq; concludere. Quod vitium quis non in ſuperiore hac Bellarmi. ratiocinatione perſpicue deprebendat? in qua id generaliter & indefinite de vtraq; poteſtatis & iudicii ſpecie concluditur, q; de altera tantum vere recteq; dici debuit. Nam quod Principes ad Chriſtũ conuerſi ſeſe, *ta*[illegible]*nquã oues paſtori & membra capiti, ſubiecerunt præſidi Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*, id nõ niſi de ſubiectione ſpirituali intelligi citra calumniam poteſt. Quandoquidem non alia ratione efficiebantur filii eius & oues, quã quod ab eo ſpiritu regenerati in Chriſto Ieſu erant, atq; in fide Eccleſię gubernati. Proinde in omnib. quæ ſpiritualis iuriſdictionis ſunt, verũ eſt eos ab illo, non illum ab iis debere iudicari. At hæc quid ad ciuile iudicium & temporalẽ iuriſdictionem ſubmiſſio? Nunquid tam diuerſas & ſeparatas ſpecies permiſcere & confundere oportuit? & quod de altera tantum verum fuit aſſerere, de vtraq; generaliter & indefinite pronunciare?

a Libr. 2. de Rom. Pont. cap. 29.

Si dixisset, *ac proinde ab illo iudicari in spiritualibus, nō illum iudicare deinceps debent*, recte sane argumentum conclusisset. At illud simpliciter & absolute, *ab illo eos iudicari posse*, vitiosa collectio est, quippe duplex est iudicii species, quarum altera tantum possunt Principes à Pontifice iudicari, altera vero ab iis iudicaretur ipse, nisi temporale imperium nolli alii subiectum fuisset adeptus. Nunquid veniente ad Ecclesiam Constantino Magno, Imperium Romanū, quod ante baptismum eius erat, in ditionem ac potestatē Siluestri Pontificis ilico transiit? & Imperator tam auidus gloriæ temporalē Papæ illius supra se potestatem agnouit? Nunquid aut Francicum Clodouæus, aut Scoticum Donaldus I. aut alii sua regna, simul atq; fidem amplexi sunt, in manū & potestatē temporalem Pontificis transtulerunt? Scitum est illud Pauli IC. *a ante omnia aduertendū est, ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re aliave persona noceat.* Replicet igitur Bellarminus quantum volet annales omnium nationū; Scripturas & historias perlegat, nullum in iis locum inueniet, ex quo colligi possit, primos illos Principes Christianos tum Ecclesiæ nomē darent, sceptra submisisse Pontifici, & summo se magistratu temporali specialiter & nominatim abdicasse. At vero constare oportet, Principes scientes prudētes concessisse in ditionem ac potestatē temporalem Pontificis, vel fatendum, ipsos eo iure & conditione, quantum ad regalē dignitatem attinet, post baptismum permansisse, quo fuerant ante quam sacris Christianis initiarentur. *Nam*, vel ipsomet teste *b*, *lex Christiana neminem priuat suo iure & dominio.* At vero antequā Christo nomen darent, ciuiliter de iure & de facto, vt ille ait, dominabantur Pontifici, & eum iudicare in temporalibus iure poterant: ergo similiter & post baptismū iure potuerunt. Quod si ita est, fieri nullo modo potest, vt ipsi ab illo in temporalibus iudicentur: cum sit impossibile aliquem esse superiorem & inferiorem in eodem potestatis genere, respectu vnius & eiusdem. Verum quidem est, Principes illos Christianos, ob reuerentiam qua non summum solum Pontificem, sed cæteros etiam Episcopos, atq; adeo sacerdotes omnes prosequebantur, id iudicii perraro sibi assumpsisse. Sed hoc voluntatis tantummodo, non etiam potestatis defectum arguit. Quapropter vt Consul, vel Præses, cum se in adoptionem dat, nihil eorum quæ iure magistratus ei competunt, in patris adoptiui familiam & potestatem transfert, vel transferre potest; sed integre omnia, sibi reseruat: ita Principes cum se initio in adoptionem spiritualem Hierarchæ Ecclesiastico tradiderūt, nihil eorum quæ ad ius regni & statum publicum ciuilem pertinebant, amittere illo facto potuerunt: quod harum potestatum separata natura sit, vt quamuis iugatæ in eadem republica Christiana concinne apteq; cohæreant, tamen neutra, qua talis est, alteri subiiciatur aut imperet, neutraque alteram necessario comitetur: sed alteutra tum acquiri sine altera, tum amitti vel retineri possit.

Iam vero quoniam eruditiss. Bellarminus similitudinibus plurimum delectatur: & præterea vulgarem istam *de indirecta potestate temporali summi Pontificis* opinionē, nullo vel sacrarum literarū, vel antiquorum Patrum testimonio probat: sed tantum argumentis quibusdam à simili petitis, (subiecto admodū & debili ad demonstrandum fundamento) operæ pretium me facturum arbitror, si nostram quoq; de ea re sententiam, similitudine multo accommodatissima cōfirmauero.

Filiusfamilias, licet militet, vel magistratū gerat, & publica potestate fungatur, patri, in cuius sacris constitutus est, iure diuino atq; humano subiicitur, eiq; quatenus filius est, parere debet: *c* & rursum pater, cui hæc in filium potestas est, ipsi filio, vt magistratui, subiicitur: alio tamen atq; alio potestatis genere. Alter enim; qua parens imperium sibi in filium vendicat, quo delinquentem & committentē in leges familiares, aut in se aliquid molientem, aut alioqui filio probo indigna facientem, moneat, puniat, & coerceat, non iure quidē magistratus, sed authoritate patriæ potestatis; nec pœnis quibuslibet, sed certis tantū à iure concessis. Itaq; male meritum exhæredare, domo eiicere, familiæ & agnationis iure priuare, aliisq; domesticis remediis coercere potest *d*. At neq; magistratum ei abrogare, neq; castrentia bona auferre, neq; publico iudicio condēnare, aut multam vel pœnā aliam lege ob scelus debitam irrogare, directe vel indirecte potest: quod hæc patriæ potestatis modū & iurisdictionem excedant. Alter vero, quamuis filius, & nexu patris detentus, tamē quatenus est magistratus publico cum imperio, in patrē dominatur, eiq; in publicis negotiis potest, atq; et in priuatis non domesticis, perinde ac cæteris ciuibus imperare. *Si quis filiusfam. est*, inquit Vlpian. *e & magistratū gerat, patrem suum, in cuius est potestate, cogere poterit, suspectam dicentē hæreditatē adire & restituere.* hinc *si Consul vel Præses filiusf. sit, poterit apud semetipsum vel emancipari, vel in adoptionē dari. f* Qua de causa pater filio magistratū habenti, haud secus ac si esset extraneus, non solū obedire, sed etiā assurgere tenetur, & eum omni honore atq; cultu, qui magistratui debetur, venerari *g*.

Eodem plane modo summus Pontifex, qui spiritualis omnium Christianorum pater est, Regibus & Principibus, perinde ac cæteris fidelibus, paterna potestate Ecclesiastica, vt Christi in ea re vicarius præsidet: ob eamq; causam Reges, si quid in Deum vel Ecclesiam commiserint, spiritualibus pœnis acerbius castigare, & domo atq; familia Dei eiicere, regniq; cœlestis exhæredes facere potest (at quam timenda & tremenda Christianis animis supplicia!) quod hæc omnia patriæ potestatis spiritualis propria sint. At neq; principatum & dominationem temporalem auferre, neque pœnis ciuilibus eos afficere potest, quod nullam in eos politicam & temporalem iurisdictionem nactus sit, per quam talis animaduersio expediri debeat: & patria illa potestas spiritualis, qua Pontifex præditus est, à politica & temporali finibus, officiis, eoam personis plurimum separetur. Vt enim spiritualem Deus Pontifici, & cæteris Sacerdotibus, sic politicam Regi, & qui sub eo sunt magistratibus, æterna dispensatione commisit. *Non est potestas nisi à Deo h.*

a L. Si cum ... ante ... omnia D. de pact.

b Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29.

c Ephes. 6. Coloss. 3.

d L. Si mari tus. 7 C. de patr. potest. §. filiusfamilias inst. quibus mod. ius pat. potest. solu. L. 3. C. de patr. potest.

e L. uld. à quib. ... fin. D. ad SC. Treb.

f L. 3. D. de adopt.

g Liu. lib. 4. Val. Max. lib. 2. cap. 2. Plutarc. in apoth. Rō. Gell. lib. 2. cap. 2.

h Rom. 13.

Huic

[illegible] pertinet antiqua illa glossa, quam Cardinal. de Cusa *a* scribit fuisse appositam ad Can. *Ha-* [illegible] *Papa, dist. 63.* in quo Canone traditur, Papam cum vniuersa Synodo concessisse Patriciatus [illegible] tatem Carolo Magno, dicebat n. glossa, *Patricium fuisse patrem Papæ in temporalibus, sicut Papa* [illegible] *spiritualibus.* Atq; idem Cardinalis eodem libro *b.* de Germanorum Imperatorum Electori- [illegible] loquens, *Inde Electores,* inquit, *qui communi consensu omnium Alemanorum, & aliorum qui Imperio* [illegible] *ut, tempore II. Henrici constituti sunt, radicalem vim habent ab ipso communi omnium consensu, qui* [illegible] *iure Imperatorem constituere poterant. non ab ipso Romano Pontifice, in cuius potestate non est,* [illegible] *prouincia per Mundum Regem vel Imperatorem, ipsa non consentiente.* Addit & alia ibidem [illegible] is [illegible] e, magnus quidem & Theologus & Philosophus, quibus distinctionem nostram [illegible] at, & Imperatores ac Reges tum præesse Pontifici, tum subesse declarat. Atq; hæc de pri- [illegible] ne Bellarmini, & argumentis ad eam demonstrandam adductis.

a Lib. 3. de concord. cathol. cap. 3.
b Cap. 4.

CAPVT XVII.

S[illegible] r secunda, quæ duplici argumento concluditur. *Secunda ratio,* inquit, *Respubl. Ecclesiastica* [illegible] *perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad suum finem. Tales enim sunt omnes respub. bene instituta, er-* [illegible] *ere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum, sed necessaria est ad finem spiri-* [illegible] *las vtendi & disponendi de temporalibus rebus: quia alioqui possent mali Principes impune fouere* [illegible] *euertere religionem, igitur & hanc potestatem habet. Item potest quælibet resp. quia perfecta & si-* [illegible] *e debet, imperare alteri respubl. non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem,* [illegible] *deponere eius Principem, & alium instituere, quando nō potest aliter se defendere ab eius iniuria: ergo* [illegible] *potest spiritualis respub. imperare temporali reipub. sibi subiectæ, & cogere ad mutandam admini-* [illegible] *m. & deponere Principes, atq; alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.*

[illegible] am varie hic peccatum esse, vt verisimile sit authorem vel hoc totum, quicquid est ex [illegible] e & oscitanter transcripsisse, vel, si totum eius est, non satis eorum quę prius dixe- [illegible] Nam paulo ante, cum niteretur alio argumēto probare, politicam potestatem esse [illegible] lesiasticæ, asseruit, has duas potestates esse partes tantum vnius reipub. & tantum [illegible] constituere. *Prima ratio* inquit, *est eiusmodi, potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali,* [illegible] *ars est eiusdem respubl. Christiana.* Et iterum: *Secundo Reges & Pontifices, clerici & laici, non* [illegible] *publ. sed vnam.* At hoc loco transmutat has duas Potestates, in duas Respubl. quas pro- [illegible] ac distiungi oportet, vt Reges & laici constituant politicam & temporalem Rem- [illegible] nt [illegible] ces & clerici spiritualem, siue Ecclesiasticam, quo nihil absurdius, aut minus apposite [illegible] ad præsens institutum, dici potest. Nam aut loquitur hic de potestate Ecclesiastica sepa- [illegible] ta à potestate ciuili, vt olim fuit tempore Apostolorum, & nunc est iis in locis, vbi Chri- [illegible] inter Ethnicos aut Infideles degunt: quo casu satis constat potestatem illam, siue rempubl. [illegible] m, vt ille vocat, aut eius Principem & Hierarcham, nihil quicquam iuris, ne quidem [illegible] habere in Principem politicum; quod neutiquam filius sit Ecclesiæ *c.* Aut loquitur de [illegible] e [illegible] iastica coniuncta cum ciuili, vt in Repub. Christiana: & tunc perperam facit duas [illegible] m Ecclesiasticam, & alteram Politicam, cum sint duæ tantum potestates vnius reipub. [illegible] iusq; Ecclesiæ & mystici corporis Christi partes & mēbra, vt ipsemet antea tradidit. [illegible] de falsum est quod assumit, potestatem scil. vtendi & disponendi de temporalibus rebus [illegible] am esse ad finem spiritualem, &c. Nam ipse Princeps Apostolorum aperte docet, nullum [illegible] odi fuisse in res temporales Christianorum, præter illas quas ipsi sponte contulerant [illegible] lesiæ, cum ait *d, Anania, cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui S. & fraudare* [illegible] *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Si Apostolis facultas fuis- [illegible] endi de rebus temporalibus Christianorum, non vtiq; dixisset Petrus, Nonne? &c. cum [illegible] ponere posset Ananias: imo vero tibi potestas est de reb. meis disponendi, & propterea [illegible] ne eas mihi forte ex causa auferres, pretii partem occului, sed quia Ecclesia hanc potestatē [illegible] ebat; ipse sine causa erat *Spiritus S.* mentitus. Quid, quod ex isto Bellarmini fundamento [illegible] . Ecc[illegible] iam *primæuam siue primitiuam* non habuisse omnem potestatem necessariam ad [illegible] m [illegible] quendum? Nam hac potestate disponendi de rebus temporalibus Christiano- [illegible] dominis, trecentis, & amplius, post Christi passionem annis, sub Ethnicis Principibus [illegible] nino caruit: quo tempore tamen infinitā hominum multitudinem, ac pene maximam [illegible] tem, Christo nomē dedisse, & multo quam vnquam seueriorem in Ecclesia disciplinam [illegible] constat: vt nefas sit dicere Ecclesiam tunc omnibus mediis necessariis iuris & facti ad [illegible] n adipiscendum instructam non fuisse. *Opera enim Dei perfecta sunt.* Et vero non medio- [illegible] iuriam faciat, qui destitutā mediis necessariis Ecclesiam ab eo relictam, atq; Apo- [illegible] itetur. Quidquid Ecclesiæ necessarium fuit ad suum finem consequendum, [illegible] unde collatum est Apostolis, cum dixit, *ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt* [illegible] *contradicere omnes aduersarii vestri e.* Quicunque igitur Dominum commendasse Eccle- [illegible] Petro intelligit, & ei remandasse vt agnos & oues suas pascat *f*, nec ei ab illos pascen- [illegible] em mandati explendum necessaria omnia & iuris & facti tribuisse existimat, is mihi A- [illegible] videtur, & de diuina prouidentia, potentia, ac bonitate dubitare. Fingamus eum non [illegible] omnem potestatem ad executionem tanti mandati necessariam; nunquid alia non dandi [illegible] ari potest, quam quod aut ignorabat Dominus, quid facto opus esset, aut eius dan- [illegible] ultatem non habebat, aut, quod extremæ malitiæ est, seruos & amicos suos decipere vole-

c 1. ad Corinth. 5.
d Act. 5.
e Luc. 21.
f Ioan. 21.

 bat,

bat, id illis munus imperando, quod eos per impotentiam exequi non posse certo sciret? Ex his perspicuum est, temporale imperium, & potestatem deponendi Principes, nullo modo necessariam esse Ecclesiæ ad finem suum consequendum: licet humana consideratione videri aliquando vtile possit: Deus enim, qui *quæ stulta sunt mundi, elegit, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit, vt confundat fortia* a, sciens Ecclesiam non nisi spiritualibus armis indigere, eam illis ita ab initio instruxit, vt omnem humanam potentiam superaret, diciq; vere potuerit, *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris* b. Præclare vt cætera, D. Bernardus ad Eugenium Papam c *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus vel sericis, nō tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absq; his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum Si amas me, pasce Oues meas: in his successisti non Petro, sed Constantino.* Quamuis itaq; potestas temporalis, de qua nobis sermo, hominibus videri potuerit Ecclesię necessaria, Deo tamen neq; necessaria neq; vtilis visa est, ob eam forte rationem, quam rerum euentus atq; experientia posteritatem docuit: ne humano scil. imperio freti Apostoli, & eorum successores, spiritualia segnius curarent, & quam in virtute verbi diuini, Deique auxilio singulari, spem ponere debebant, eam in ar[...] & authoritate ac potestate temporali potissimum collocarent. Et vero si quis statum Ecclesiæ a Christo passo in hunc diem, oculis atq; animo in historiis collustret, cernet omnino illam citò creuisse ac diu floruisse, sub Pontificibus sua ditione, id est, spirituali iurisdictione contentis, qui Christi humilitatis discipuli, vnicum Ecclesiæ tuendæ præsidium in virtute prædicationis Euangelii, & [...]dula disciplinæ Ecclesiasticæ obseruatione, sine vlla potestatis temporalis mentione, esse po[...] iudicabant. Et rursus ex quo Pontifices quidam ad summū quod habebant, spirituale imper[...] summum quoq; temporale adiungere atq; annectere conati sunt, Ecclesiam & numero [...]tium & moribus præsidentium indies defecisse; & remissa, seu verius amissa illa antiquæ [...]næ seueritate, multos Ecclesiæ ministros sua munera segnius & negligentius obiisse.

Omitto, quod si ratio istorum bona esset, sequeretur ecòntrario, Remp. temporalem v[...]quuntur, habere potestatē disponendi de reb. spiritualibus, & deponendi supremū Reip. Ec[...]sticæ Principem: quia *debet esse perfecta & sibi sufficiens in ordine ad finem suum, & habere omnē potestatem necessariam ad suum finē consequendum.* Sed necessaria est ad finē temporalem potestas disponendi de reb. spiritualibus, & deponēdi Principē Ecclesiasticum, quia alioqui possunt mali Pri[...]ipes ecclesiastici turbare statū & quietem reip. temporalis, & impedire finē ciuilis gubernationis, vt de la[...] nonnulli summi Pontifices aliquando perturbarunt: igitur hanc potestatem habet Resp. [...]poralis. Consequens plane falsum est & absurdum (Nam Princeps temporalis, quatenus talis [...], nullam habet potestatem spiritualem) proinde & illud quoq; falsum est, cui hoc est consequens.

Sed, vt dici solet, *dare absurdum non est soluere argumentum.* Respondeo igitur aliter ad p[...]rem partem huius secundæ rationis. Non esse scil. hic duas Respub. vt ille rerur, sed vnam tantū in q[...] sunt duæ potestates, siue duo Magistratus, Ecclesiasticus & Politicus, quorum vterq; hab[...] ea[...]bus necessario indiget ad suum finem obtinēdum, alter nempe spiritualem, alter tempo[...] [...]risdictionem: & neq; hanc iurisdictionem illi potestati, neq; illam huic prorsus esse n[...] Alioqui fatendum est, vtramq; potestatem mediis necessariis fuisse destitutam, tūc cum se[...] vt olim fuerunt: quod plane falsum esse iam ostendi, tam ea fine temporalis siue politic[...] tionis, quatenus talis est d, q̄ ea statu Ecclesiæ sub Ethnicis & infidelibus Principibus [...] Ad hunc modū in vna eademq; *ciuili politia*, in vna inquam ciuitate aut Regno, plures [...]us distinctis officiis, potestate, atq; imperio præditi inueniuntur, qui Remp. in partibus [...]tam gubernant; quorum quilibet potestatem necessariam ad muneris sui finem conse[...] à Rege vel Repub. accipit; ita vt nemo eorum possit vel audeat alterius iurisdiction[...] [...]rium inuadere, sibiq; arrogare. Non si Consulibus aliquid Tribunitiæ potestatis deest, [...] a Tribunis abest imperium consulare, idcirco dici potest, vtrique alterius potestatem n[...] esse ad suum finem consequendum: Nam vterque magistratus, secundum suæ institutionem, perfectus, atque omni potestate necessaria ad muneris sui executionem munitus est.

Vel vt notiora exempla proferamus Quemadmodum in eodem regno, & sub vno Rege, amplissimi magistratus sunt, quorum alterum Cancellarius, alterum Conestablus Rege mād[...]gerit (Illi νομοφυλακία & iuris ac iudiciorum cura præcipua incumbit: huic armorum admini[...] ac totius disciplinæ militaris præfectura committitur) & vterq; pro ratione & qualitat[...] perfectus est, atq; omnem potestatem necessariam ad muneris sui executionem, finisq; eius [...]sequutionē à Rege obtinet. Nec, si alter forte alterius exercitium vel incuria vel iniuria im[...]d[...] potest impeditus propria auctoritate alteri magistratum abrogare, aut eius iurisdictionem [...]pare, aut eum denique ad peccati sui emendationem, nisi modis legitimis à Rege sibi cum o[...] cōcessis adigere: sed vtrumq; de alterius commisso ad Regē, à quo ipsi distinctam officiis pot[...] acceperūt, referre oportet, vt ipse læsum vlciscatur & quid de causa statuendū sit, imper[...]o iudi[...]que suo arbitretur. Quandiu a. hi magistratus in regno concordes sunt, alter alterius ius [...]uer[...] & quod ei deest, de suo supplere consueuit. Vt si paganus, vt iudicium eludat, in castra ad exer[...] proficiscatur, auxilio Præfecti militiæ implorato, ad eum vnde fugerat locū remitti soleat, & [...]tra, si militiæ desertor ab exercitu in vrbē se proripit, magistratus vrbanus à militari rogat[...] [...]noa in [...]astra puniendum releget. Ast vbi dissentiunt, ea statim Reip. vulnera imponun[...] qu[...]b[...] potest solus Princeps occurrere ac mederi: quod ipsis inter se ius fasque non sit alieno imperio v[...]

a Apostolos Christi fer[...] [...] & am[...] [...] esse.
a 1. Cor. 1.
b Psal. 117.
c Lib. 4. c. 3.
d Sup. c. 14.
e Rom. hoc [...]

& huic solum arma tractare, illi iudicia tantum exercere liceat. Simili plane modo summi illi magistratus Reipub. Christianæ, Rex & Pontifex, potestatem aliam atq; aliam, vtramq; in suo genere perf[illegible]m, à communi omnium Rege & Domino, Deo Opt. Max. accipiunt, & distinctis imperiis a[illegible]q; officiis populo præficiuntur. Atq; hi quidem, donec consentiunt, ad vtriusque potestatis [illegible]m, sibi inuicem de suo commodant: vt & potestas Ecclesiastica seditiosos & rebelles in Prin[illegible] seculare subditos, cœlesti & spirituali mucrone feriat: & vicissim potestas temporalis & Po[illegible]tica Hæreticos, Schismaticos, & alios à fide deficientes, aut alioqui piæ matri Ecclesiæ non parentes, armata manu persequatur *a*, & temporalibus supplicus, pœnisq; ciuilibus acriter coerceat. At vbi se [illegible]ducuntur in contraria studia, sibiq; inuicem aduersantur, tota Respub. Christiana vel protinus [illegible]concidit, vel saltem grauissime sauciatur: quod nemo sit, nisi solus Deus, qui causæ illius cognitor, iniuriæq; vltor legitimus esse possit.

a Can. Principes 23. q. 5.

CAPVT XVIII.

Cupienti mihi ad alia transire, morulam iniecit, dubitatio quædam de sensu posterioris argu[illegible]ti secundæ rationis, his verbis ab authore cōcepti *b*. *Item potest qualibet respubl. quia perfecta & [illegible]ficiens esse debet, imperare alteri respubl. non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administratio[illegible], imo etiam deponere eius Principē, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniuriis.* [illegible] vt ingenue fatear, cum hæc primum apud eum legissem, substiti aliquandiu, vt quis verbo[illegible] istorum sensus, quantiq; ponderis & momenti esset argumentum, penitus intelligerem, vide[illegible]un non plane & explicate illud proponere, quod modos nullos cogendæ vicinæ Reip. & [illegible]cipis deponendi, nobis patefaceret. Et cum diu omnia mente versassem, aut hoc ænigma [illegible], aut hunc verba eius sensum interpretationemq; admittere; Quælibet Respubl. contra alia[illegible]ubl. armis animisq; sibi infestam, cum aliter se ab eius iniuria tueri nequeat, bellum in[illegible]re atq; inferre potest, eamq; prælis & armis victricibus ad pacis conditiones cogere: [illegible]is sibi adhuc prospectum ea cautione retur (quia forte cum populo natura fœdifrago [illegible]tium est) totam gentem in suam ditionem ac potestatem redigere, eiq; leges & iura dare [illegible]em abdicare, imperium auferre, totam deniq; reipub. administrationem suo arbitrio [illegible]ormam cōmutare. Quod si hic verus sit, vt & esse arbitror, horum verborum intellectu [illegible]mentum illud nequicquam sane à Bellarmino adductum est; Nec enim inde colligi[illegible] ipse concludit, nempe, *multo magis posse spiritualem rempubl. imperare temporali reipubl. sibi [illegible] cogere ad mutandam administrationem, & deponere Principes atq; alios instituere, &c.* tum quia [illegible] hoc casu duæ respub. vt ille falso assumit, sed vna tantū Christiana, duabus potestatibus [illegible]rum neutra alteri subiicitur, vt est iam abunde in superioribus demōstratum: tum etiam quia [illegible] concedamus, esse duas respubl. inter se distinctas, Ecclesiasticam siue spiritualem & tem[illegible] necesse quidem est fateamur, in illa tantum contineri Pontifices & Clericos, in hac vero [illegible] seculares & Laicos omnes; siue istam ex solis Ecclesiasticis, hanc ex solis laicis componi; [illegible]ci & clerici simul vnam Ecclesiam, & vnam Rempub. Christianam constituant, nō ta[illegible]nt simul vnam Remp Ecclesiasticam & spiritualem, prout distinguitur à temporali; ne[illegible]m rempublicam temporalem & secularem: sed secundum diuisionem & separationem [illegible]am, Laici temporalem, & Ecclesiastici spiritualem, in casu quo temporalis à spirituali [illegible]odo distinguitur. Iam vero cum respubl. Ecclesiastica solos clericos contineat, quorum ar[illegible] alia esse debent, nisi preces & lachrymæ, qui fieri potest, vt illa inermis & imbecilla, arma[illegible] rempublicam temporalem mutare administrationem, nisi forte per miraculum, cogat?

[illegible] ergo hac comparatione & consecutione Bellarmini inepuius, quandoquidem à rebusp. [illegible]orum vsu & apparatu instructis, ad Respubl. quarum altera prorsus inermis est, ratioci[illegible]cedit. Quoties enim vna Respubl. alterius iniurias aut inferendas propulsat, aut acceptas [illegible]itur, iis armis contendit, quæ sibi concessa sunt, & quibus iure belli vti potest: corporeis [illegible] & visibilibus, quorum impetu corpora hostium sternit, præsidia inuadit, ciuitates expugnat, [illegible] totam Reipub. aduersantis statum euertit. At Respubl. spiritualis, quam vocat, toto hoc [illegible]orum genere deficitur, & quoniam ex clericis tantum composita est, solis armis spiritualibus [illegible]icet & lachrymis, pugnare illi fas est. *Talia enim sunt munimenta sacerdotum: aliter nec debent nec possunt resistere c.* Nam & materialem gladium omnes in persona Petri iubentur recondere, [illegible]tur modo spiritualis Respublica, temp. temporalem, fulminum spiritualium cōtemptricem, vt *administrationis* suæ modum & formam *commutet*, cogere, aut *eius Principē deponere, & alium [illegible]ere po[illegible]t?* Quod si quis forte proponat, Rempub. Ecclesiasticam in rei tantæ executionis pro[illegible]um humanum armis adiutum iri (Principes enim, & reliqui omnes Christiani, nutri[illegible]tores Ecclesiæ esse debent) ei statim respondebitur, Rempublicam Ecclesiasticam eo [illegible]gere rempublicam temporalem, sed esse tantum causam, cur alia Respublica tempo[illegible]us auxilio spiritualis illa defensa est & protecta, iniuriam Ecclesiæ factam vindicet. Non [illegible]ac[illegible] iniuriæ vel cladis acceptæ in vnius ciuis persona, tota Respubl. se vindicem præbeat: quo [illegible] omnes Beniamitas, ob stupratam vnius Leuitæ vxorem, à cæteris tribubus Israel acer[illegible]mum esse constat *d*, sic Græci olim Menelai iniuriam Troiano excidio vlti sunt: & Romani ne[illegible] a Teuca Illyriorum Regina L. Coruncano allatam, durissimo bello vindicarunt, & Regi[illegible] I[illegible] eo excedere, ac tributum quotannis pendere coegerunt *e*. Nunquis hic Beniamitas, Troianos, Illyrios, à Leuita, Menelao, aut Coruncano iam mortuo domitos & compressos

b Cap. proximo Sum.

c Can. nos pila. can. conuenior. 23. q. 8.

d Iud. cap. [illegible]

e Polyb. lib. [illegible]

 esse

temporali Pontificis sed solum Dominum illis verbis admonere voluisse discipulos tẽpore passionis suæ in angustiis & metu ipso futuros fuisse, in quib. esse solent, qui tunicam vẽdunt, vt emant gladium Vnde asserit S. Bernardum & Bonifacium VIII. Papam, mystice tantum hunc locũ de duobus gladiis interpretatos esse.

Quod cum ita sit, constetq; tum ex interpretatione Patrum, tum ex confessione ipsius Bellarmini, verba Saluatoris non de gladiis istis, de quibus nos digladiamur, vere, proprie, ac stricte esse accipienda, perperam sane allegatur scriptum illud Bernardi, ad probandum Papam habere potestatem temporalẽ vllo casu in Principes Christianos, vel gladium temporalem esse sub gladio spirituali; quod nec dicit ibi S. Bernardus, nec dicere sine calumnia potuit. Quamuis igitur maxime concedamus, locum illũ Scripturæ, de spirituali & temporali gladio esse mystice accipiendum, tamen ad hoc tantum valebit illa Bernardi expositio, vt intelligamus, Reges & Principes Christianos consilio Ecclesiæ, siue summi Pontificis, bellum gerere debere pro Ecclesia; quod nemo sanus vnquam negauerit. Atq; ita Christus (si eius verba mystice eo modo interpretemur) ostensis duobus gladiis, dixit, *Satis est.* non vt gladium alterum alteri subiiciendum, vel vtrumque in manu Pontificis & Sacerdotum futurum esse significaret (ea quippe expositio vitiosa est, & tum rectæ rationi, tum antiquorum Patrum doctrinæ repugnat, qua traditur, Reges & Impp. solum Deum in temporalibus superiorem habere) sed vt admoneret vtriusq; gladii, spiritualis & temporalis, concursum aliquando fore in Republ. Christiana, Principibus ad fidem conuersis; & illis duobus Ecclesiam vndique ab iniuria tutam ac defensam iri.

Sed quoniam in hunc insignẽ D. Bernardi locum incidimus, velim perpendat mecum obiter in eo lector, quod nescio an vllus ante hac animaduerterit. Quid est quod de gladio temporali ad Eugenium Papam scribens, primum dicat; *tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus.* Deinde, paucis interiectis, subiiciat, eundem gladium nutu sacerdotis esse exercendum, nec addat *forsitan?* Nunquid illud *forsitan*, aut abundat in priore sententia, aut in posteriore desideratur? Nempe id consulto vir sanctus ac prudens: vt personam Pontificis ab authoritate & officio Pontificali, siue sacerdotali subtiliter distingueret, doceretq; permagni referre, vtrũ Papa an Eugenius, licet idem & Papa & Eugenius sit, aliquid aut vetet, aut iubeat: vtrum inquam Pontifex, vt homo animi perturbationibus obnoxius, gladium non pro Ecclesia ex officio debito, sed deprauatæ affectionis incitamento stringi cupiat: an vero vt Sacerdos, i.e. vir bonus & pius, non suis sed publicis cõmodis seruiens, gladio exercendo & bello gerendo annuat abnuatve. Quasi diceret; Eugeni Pont. Max. gladius temporalis non simpliciter & absolute tuo nutu euaginãdus est, sed forsitan: tunc sc. cum ob euidentẽ Ecclesiæ vtilitatem, id illis sobrio sanoque consilio suadebis, qui gladium in sua potestate habent: non a. tunc, cum aut veteres inimicitias cum aliquo exercere, aut recens odium effundere, aut ambitiosam dominãdi cupiditatem, explere cupiens, Principes & populos Christianos inter se cõmittere, aut ipsorum vni bellum indicere atq; inferre cogitabis. Illa enim sacerdotis, ista hominis: illa Pontificis, ista Eugenii, aut alterius Pontificatum tenentis, cogitatio, actioq; dicenda est. Atq; hæc quidem verbis illis sensisse Bernardum, res gestæ à Pontificibus quibusdam impense iracundis & superbis, haud obscure declararunt. Sed ad institutum reuertamur.

CAPVT XX.

TErtia apud Bellarminum ratio est: *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresim, vel infidelitatẽ: at iudicare an Rex pertrahat ad hæresim, necne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura religionis: ergo Pontificis est iudicare, Regem esse deponendũ, vel non deponendum*, & huius quidem rationis propositionem tribus argumentis probare conatur.

Ad eam igitur respondeo: Quod ait, *non licere Christianis tolerare Regem hæreticũ vel infidelem, &c.* id adeo falsum esse, quam quod falsissimum: alioqui damnanda tota antiquitas, quæ Reges hæreticos & infideles, Ecclesiam Dei destruere conantes, submisse pertulit, *non solum propter iram, sed propter conscientiam*; hoc est, non quod deficerentur viribus ad impios Principes exigendos, sed quod id sibi per Dei legem non licere iudicarent. Verum quoniam hunc errorem perniciosissimum in libris *contra Monarchomachos* a, atq; etiam superius hoc libro b. iam satis refutauimus: nõ est quod eius falsitati arguendæ hic amplius immoremur. Id tantum superest, vt vitia argumentorum, quibus falsam suam propositionem probare nititur, breuiter indicemus.

Primum argumentum ducit ex Deuteronomio c, vbi prohibetur populus eligere Regem, qui non sit de fratribus suis, id est, qui non sit Iudæus: ne videlicet pertrahat eos ad idololatriam: ergo etiam Christiani prohibentur eligere non Christianum. Hoc totum verum sit. Deinde ex his partibus concessis progreditur hoc modo: *Rursum, eiusdem periculi & damni est, eligere non Christianum, & non deponere non Christianum, vt notum est: ergo tenentur Christiani non pati supra se Regem non Christianum, si ille conetur auertere populum à fide.*

Respon. consequentiam hanc minime bonam esse, & eiusmodi vitiosis ac fallacibus argumentis multos à veritate auocari. Captio autẽ in eo est, quod statuat ac pro certo assumat, idem ius esse vbicunque est idem damnum vel periculum; quod plane falsum esse mox demonstrabitur, nec ei simile est, quod tradunt Iurisconsulti, *vbi eadem ratio est, ibi idem esse debet* d. Animaduertendum igitur, eum non dicere *eiusdem peccati esse eligere non Christianum, & non deponere nõ Christianum*, quod si id dixisset, negassem vtiq; antecedẽs: sed dicit, *eiusdem periculi & damni esse*, ex quo perperam deinde colligit, Christianos teneri non pati supra se Regem non Christianum. Non enim sequitur,

a *Lib. 3. c. 6. 7. 8. 9. & seqq. & lib. 4. c. 5. & 6.*
b *Cap. VII.*
c *Cap. 17.*
d *L. Illud 32. D. ad leg. Aquil.*

vbicunq; idem damnum & periculum vertitur, eandem faciendi potestatem concedi debere ei qui in damno vel periculo versatur: nec vbicunq; par damnum est & periculum, ibi par quoq; peccatum meritumve subesse: idq; exemplis facile probari potest. Qui plagas accipit, aut fortunis spoliatur idem periculum & damnum subit, siue per vim à latrone, aut milite desertore, siue à magistratu per iniquam sententiam opprimatur: sed non idem aduersus vtrumq; remedium comparatum est,

a L. vt vim D. de iust. & iur. & l. 1. de homicid. L. 1. C. quando liceat vnicuique sine iudic.

indireptorem irruere, & eum, se suaq; tuendo occidere lus fasq; est a: seruato, vt aiunt, moderamine inculpatæ tutelæ. At magistratui iniquam sententiam, pro potestate imperii, exequenti, propter rerum iudicatarum authoritatem resistere non licet b. Ecce quamuis vtrobique idem damnum & iactura spoliati sit, tamen non idem ius vtrobiq; obtinet. Rursus eiusdem periculi & damni est, in nauigium cogitato conscendere, cuius carinam scis esse quassatam, & illud intrare quod putas esse probum, cum tamen rimosum ac dissolutum sit, eiusdem dico periculi est, sed non eiusdẽ peccati: priore casu tentas Deum, tibiq; tua sponte necem paras: posteriore vero, si humanam diligentiam adhibuisti, nihil peccas qui ignarus tali te naui commiseris. Sic eiusdem periculi & damni est, mulierem, quam insigniter morosam & iurgiosam esse nosti, propter fortunas vel formam ducere: & in eam alias incidere quam nescias esse talem, & tamen qui sciens prudens in tam manifestũ discrimen se coniecerit, haud leuiter peccare videtur, qui in vitæ degendæ modo, & ratione ineunda, Deum tentet. At qui sortis suæ, & mulieris malitiæ ignarus, talem duxerit, non modo in Numen non committit, sed quotidianis molestiis miseriisq;, si eas forti & patienti animo perferat, velut speciẽ quandã martyrii demeretur. Possem multa id genus exempla proferre, quibus argumentum istud Bellarmini captiosum esse conuincam. Quemadmodum ergo non sequitur, si is qui nouit mulierem esse impense improbam, & ita peruersam, vt spes nulla sit cum ea tranquille viuendi, nõ debet eam sibi vxorem asciscere (quod eo facto in apertum se discrimen coniiciat) vt is etiam qui talem mulierem fortuito & imprudenter nactus est, debeat eam, non obstante matrimonii vinculo, deserere vel repudiare, quamuis eiusdẽ periculi & damni res sit, si eam retineat. Ita etiã nõ sequitur, Si Christiani tenentur non eligere Regem non Christianum vel Hæreticum, vt teneantur quoq; nõ pati iam electum, quia multa impediunt faciendum, quæ factum non dissoluunt, vt vberius alibi ostendimus. Atque hæc quidem ad argumenti istius vim eneruandam satis.

b L. seruo 3. § vlt. ff. Mater. D. ad SC. Trebel.

Capvt XXI.

SEd cogor tamen hic diutius insistere, vt alium adhuc errorem indicem & conuellam, quem superiori argumento tanquam supplementum adiungit. Nã vt confirmet illud quod dixit, *Christianos teneri non pati super se Regem non Christianũ, &c.* & ne quis de ea sententia dubitet, propterea quod Christiani olim multos Principes partim Ethnicos, partim Hæreticos, sine vllo conscientiæ scrupulo tolerarunt, simul & coluerunt, eo ipso quod Principes erant: vt inquam obiectionem hanc efficacissimam, & superioris sententiæ suæ peremptoriam aliqua solutione præoccuparet, statim subiicit. *Quod si Christiani olim non deposuerunt Neronem, & Diocletianum, & Iulianum Apostatam, ac Valentem, Arrianum, & similes, id fuit quia deerant vires temporales Christianis. Nam quod alioqui iure potuissent id facere, patet ex Apostolo 1. Cor. 6. vbi iubet constitui nouos Iudices Christianis temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram Iudice Christi persecutore. Sicut enim noui Iudices constitui potuerunt, ita & noui Principes, & Reges, propter eandem causam si vires adfuissent.*

Multa hic sunt reprehẽsione digna, & quæ miror equidẽ ab homine tam erudito, & in authorib. sacris, profanisq; exercitato, literis vnquam esse mandata. Nam primum quod ait, defectionẽ virium in causa fuisse, cur Christiani olim non deposuerint Neronem, Diocletianũ, Iulianũ, Valentem, & similes, id falsissimum esse, testimoniis perspicuis & indubitatis, in libris nostris *De regno*, c atq; etiam supra hoc libro, d iam satis superq; ostendimus: & mox etiam demonstrabimus ex principiis ab eo ipso positis atq; concessis. Deinde nihil ineptius, aut magis à ratione alienũ, imo vero, pace tanti viri dictũ sit, nihil magis delusorium & captiosũ, quam ad illius falsæ sententiæ fidẽ faciendam, Apostoli Pauli authoritatem *allegare*; in cuius scriptis ne verbum quidẽ est, quod vel ad literam, vt aiunt, vel figurate & per interpretationem, talis sententiæ confirmandæ, sine calumnia & cauillatione, accommodari possit. Et vero, vt libere loquar, licenter nimis doctrina Pauli abutuntur, qui ex illa eius Epistola ad Cor. 1. e colligunt licuisse Christianis, Principes Ethnicos vel Hæreticos, deponere, & alios in eorum locum instituere. Reprehendit quidẽ Apostolus acriter eo loco Christianos, tum quia se inuicem litibus vexabãt, & iudicia omnino habebant: tum etiam quia ad tribunalia Iudicum Ethnicorum & infidelium, quibus nomen omne Christianum erat exosum, alii alios pertrahebant. Sed hoc ille tamen, non vt ea reprehensione doceret aut significaret, nullã Magistratibus Ethnicis temporalem iurisdictionem in Christianos fuisse, aut potuisse Christianos vlla ratione efficere, ne Ethnici in ipsos politice dominarentur. Verum vt ostenderet, indignum esse religione & professione Christiana, eos qui recens in Christo regenerati erant, & in eius societatem vocati, f malle litigare apud Iudices infideles, quam fratrum, id est, Christianorum arbitrio iudicioque, negotia, & controuersias obortas sopire atque componere.

c Lib. 4. c. 5. & lib. 5. ca. 10. cum seq.
d Cap. 6. 7. 8.
e Cap. 6.
f 1. Cor. 1.

Non itaq; abrogat Apostolus imperium Ethnicis hoc sermone, nec indicat Christianos ab illis posse deficere: sed tantum improbat, & vitio vertit quorundam Christianorum procacitatem & pertinaciam, quod cum haberent fratres: hoc est, eiusdem religionis homines, qui de cõmuni consensu Iudices constituti, causas ipsorum iuste ac sapienter intra priuatos parietes, amica affectione

disce-

disceptarent, iis non contenti; ad Iudices infideles & iniquos, & Christianis omnibus infensos, magno cum religiosis scandalo, contentiosius prouocabant. Vnde in eum locũ D. Thom. *Sed videtur,* inquit, *esse contrà id quod dicitur 1. Pet. 2. Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. Pertinet enim ad authoritatem Principis iudicare de subditis. Est ergo contra ius diuinum prohibere quod eius iudicio non stetur, si sit infidelis. Sed dicendum, quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti, eorum iudicio compareant, si vocentur: hoc enim esset contra subiectionem quæ debetur Principibus: sed prohibet quod fideles non eligant voluntariè infidelium iudicium.* Idem ferè in eundem locum scribit Theodoretus, & Lyranus: *Apostolus,* inquit, *non prohibet hic fideles sub Principibus infidelibus constitutos comparere corã eis quando vocantur, hoc enim esset contra subiectionẽ quæ Principibus debetur: sed prohibet ne voluntario recurrant ad Iudices infideles in illis negotiis quæ determinari possunt per fideles.* Nihil ergo iubet Apostolus eo loco, quod Iudicũ infidelium iurisdictionẽ & imperium in Christianos aut tollat, aut minuat, aut ei aliquo modo præiudicet, imo vero nihil contra eiusmodi subiectionẽ iuste iubere potuit, cum sit iuris naturalis Dei authoritate confirmati, vt, teste D. Ambrosio, ipsemet Apostolus alibi docet *a*. Hæc igitur Iudicũ constitutio de qua loquimur, nullo modo eximebat Christianos à subiectione & iurisdictione magistratuum Ethnicorum, sed tantum auferebat illis necessitatem interpellandi iudices infideles, cũ haberẽt iudices inter se communi consensu constitutos, quorũ sententiis obortæ controuersiæ componi poterant. Erant autem hi Iudices reuera Arbitri sine imperio, siue prehensione, voluntariam tantũ iurisdictionem exercentes, & ideo si vel refractarius Christianus, vel Ethnicus aliquis Christianum ad Iudicem infidelem vocasset, nihil vocato profuisset Iudicum illorum Christianorũ authoritas, quo minus ethnico tribunali se sistere teneretur, teneretur in quam in conscientia, propter subiectionem quam superioribus iure naturali debemus.

a Rom. 13.

Præterea si quis locum illum Apostoli non limis oculis percurrerit, animaduertet eum id ibi negotii sibi dare, vt ad Euangelicam perfectionem, quæ consilii magis quam præcepti est, Christianos animos erudiat, cũ eos hortetur, vt potius iniuriam ferant, & fraudem patiantur, quam vt iudicia inter se exerceant, secundũ illud Saluatoris *b*, *si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram, & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicã tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et ita Ecclesiæ Patres, Ambrosius, Primasius, Theodoretus, reliquiq; omnes locũ illum intellexerunt. Nã quod ait, *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, quare non magis fraudem patimini? &c.* id nisi de vitæ perfectione, siue de perfectissimo vitæ statu intelligatur, vix est vt admitti possit: cum inter omnes constet, eos non delinquere, qui iniuriis & cõtumeliis oppressi, subleuari se atq; iuuari à Iudice postulant. Facit igitur D. Paulus eo loco, sicut bonus multorum liberorũ parens, qui filios inter se dissidentes merito increpat, tum quod fraternum amorem dissensionibus ac discordiis violent, tum etiam quod exortas inter se controuersias, non de fratrum potius consilio transigere, quàm forensi strepitu inuoluere, & iudiciali calculo decidere ac terminare malint.

b Matth. 5.

Hæc cum ita se habeant, Deum Immortalem! quæ istæc miserabilis cæcitas & inscitia, vel certe malitia est, velle ex illis Pauli verbis colligere, ius fuisse Christianis deponere Imperatores & Magistratus omnes Ethnicos, si vires illis ad eam rem suppetiissent? cum præsertim ipsemet Apostolus alibi *c* præcise iubeat Christianos omnes *necessitate* subditos esse iisdem illis potestatibus Ethnicis, *non solùm propter iram*, ne si defectionem sc. molirentur, iratis & infensis potestatibus pœnas darent: *sed etiam propter conscientiam*, quod nimirum sana & salua cõscientia, subtrahere se eorũ iurisdictioni & subiectioni, quæ Dei ordinatio est, aut eis resistere, nullo modo possent. hoc enim est, necessitate subditos esse propter conscientiam, siue *propter Deum*, vt præcipit D. Petrus *d*. Adhæc quoq; primi ab Apostolis Christiani omnes, Imperatorem, quamuis Ethnicũ & persecutorẽ fidei, à Deo constitutum, & solo Deo minorem esse ingenue fatebantur *e*. Si itaq; Christiani propter conscientiam necesse habebant parere Ethnicis magistratibus, nonne certũ est eos, non quia facti, sed quia Iuris potestatem non habebant, omni rebellionis & defectionis molimine abstinuisse? Aut si Deo solo minor erat Imperator, & maiorem minor deponere nõ possit, qui poterant eum subditi Christiani deponere? Nunquid aut Apostolus secum ipse pugnat, aut aliud Petrus, aliud Paulus docuerunt? aut nunquid prisci illi Patres qui Apostolis successerunt, ius suum omne erga Reges & Magistratus infideles vel hæreticos ignorabant? nam vires illis facto exequendo pares & plusquam sufficientes fuisse, pluribus alibi demonstrauimus *f*.

c Rom. 13.

d 1 Pet. 2.

e Tertull. ad Scapul. & in Apologet.

f Lib. 3. de Regno c. 10, 11. 12. 13. & lib. 4. cap. 5. & 6.

Ex his igitur perspicuum est, Apostoli Pauli authoritatem nihil quicquam ad superiorem Bellarmini sententiam de Regibus deponendis pertinere, ac proinde largiter ab eo erratum esse, quod in re tam seria tantiq; momenti, Apostolicæ authoritatis fuco lectori imposuerit. Si constitutio siue creatio Iudicum, Apostoli iussu facta à Christianis, Iudicum infidelium authoritatem, imperium, & iurisdictionem sustulisset, aut aliqua ex parte abrogasset, vel ab eorũ subiectione Christianos exemisset, nihil fuisset Bellarmini argumento validius, nihilque eius sententia verius. Sed quoniam illa iudicum constitutio non magis Potestatibus Ethnicis præiudicabat, quam vel regum fabariorum creatio in vigilia Epiphaniæ, vel Principum & iudicum à lasciuiente iuuentute in Bacchanalibus, vero Regi, Magistratibusque præiudicat, nullum inde pro eius sententia argumentum elici posse certum est.

Quoniam autẽ singula persequimur, admonere oportet, D. Thom. alicubi in ea opinione esse, vt *g* existimet ius dominii, & prælationis Ethnicorum Principum iuste illis auferri posse, *per senten-*

g 22. qu. 10. art. 10.

tiam vel ordinationem Ecclesia, authoritatem Dei habentis, vt ille ait. D. Thom. magna apud me authoritas est, sed non tanta, vt omnes eius disputationes pro Canonicis Scripturis habeam, vel vt ratione vincat aut legem, eius ego Manes veneror, & doctrinam suspicio. Sed non est tamen cur illa eius opinione aliquis moueatur: tum quia nullam suæ sententiæ vel rationem idoneam & efficacé, vel authoritatem profert: tum etiam quia in explicatione epistolæ Pauli ad Cor. 1. a contrarium plane sentit: tum deniq; quia neminem secum antiquorũ patrum consentientẽ habet, & rationes multæ authoritatesq; in contrarium suppetunt. Ratio autẽ quam adfert, est, *quia infideles merito sua infidelitatis, merentur potestatẽ amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei*. Mala ratio, & tanto viro indigna: quasi vero si quis meretur priuari officio, beneficio, dignitate, authoritate, alioue iure aliquo quod possidet, idcirco statim spoliari possit ab alio quam ab eo à quo id accepit retinetq;, vel ab aliquo expressum mandatum & potestatem ab ipso habente. Quis nescit Cancellarium, Conestabilẽ, aliosq; Magistratus à Rege datos, mereri quidem amittere dignitatẽ suam, si qua in re suo officio abutantur? at eam tamen nemo illis auferre potest, quamdiu eos Princeps, à quo solo pendent, dignitate sua fungi patitur. Similimodo Principes infideles, licet *merito sua infidelitatis mereantur potestatẽ amittere*: tamen quia sunt à Deo constituti, & solo Deo minores, non possunt nisi à Deo destitui imperio ac deponi. Et vero idem Thomas, in expositione epistolæ Pauli superius hoc capite relata, satis aperte indicat, Ecclesiam non habere eam authoritatem qua possit Ethnicos deponere: ait enim esse contra ius diuinum, prohibere ne Principum infidelium iudicio stetur à subditis. Cõstat autem Ecclesiam nihil contra ius diuinum, vel iubere, vel prohibere posse. Porro tollere Principibus infidelibus *ius Dominii & Prælationis*, est reuera prohibere ne ipsorum iudicio stetur. Ecclesia ergo eam potestatem non habet. Et vero peruoluat quisquis velit historias, nusquam inueniet Ecclesiam id sibi iuris assumpsisse, vt de Principibus Infidelibus siue Ethnicis iudicaret. Nec solũ propter scandalum abstinuit, vt putat Thomas eo loco, sed propter defectum potestatis, quia non erat iudex Infidelium, secundum illud Apostoli b, *quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* Et quia Principes à Deo constituti, solum Deum supra se iudicem habent, à quo solo deponi possunt. Nec ad rẽ pertinet, quod Paulus, dum iubet seruos Christianos dominis suis infidelibus omnem honorem exhibere, illud solum addit, *ne nomen Domini & doctrina blasphemetur*. non enim id dixit, quasi ea sola de causa serui dominis obedire debeant, sed quod præcipue ea de causa, expressit itaq; maximũ malũ quod inde oriri potuit, vt seruos à contemptu dominorum deterreret, nempe scandalum publicum totius Ecclesiæ Dei & doctrinæ Christianæ. Non vult ergo Apostolus iis verbis, seruos posse felicite subtrahere iugo seruitutis, inuitis dominis, si id sine scandalo possent Ecclesiæ, furtum enim sui facerent c, iure gentium, sed vult ostendere eos non solum peccare, quod alibi aperte docet d, sed etiam publicum toti Ecclesiæ scandalum generare: quod singulorum peccatis longe grauius & perniciosius est, & super omnia euitandum.

Reliquum igitur nunc est, vt, quod sumus polliciti, superiorem Bellarmini sententiam de iure abdicandorum, siue deponendorum Regum & Principum Ethnicorum, falsam esse, ex principiis ab eo positis & concessis, demonstremus. Res est expedita, nec factu difficilis. Nam libro secundo de Romano Pontifice e, fatetur, Apostolos, & reliquos Christianos omnes, æque subiectos fuisse Principibus Ethnicis, in ciuilibus omnibus causis, atq; cæteros homines, verba eius hæc sunt *Respondeo primũ dici posse Paulum appellasse ad Cæsarem, quia de facto erat iudex ipsius, etsi non de iure: ita enim respondet Ioannes de Turrecremata libr. 2. c. 96. summa de Ecclesia. Secundo dici potest, & melius, cum Alberto Pighio lib. 5 Hierarchiæ Ecclesiastica c. 7. discrimen esse inter Principes Ethnicos & Christianos. Nã quo tempore Principes erant Ethnici, non erat Pontifex iudex illorum, sed è contrario ille subiectus erat in ciuilibus omnibus causis, non minus quam cæteri homines. Quod enim non esset Pontifex iudex illorum, patet: quia non est iudex infidelium, iuxta illud, 1. Corin 6 Quid ad me de his, qui foris sunt, iudicare? Quod vero è contrario esset ipse illis subiectus ciuiliter, de iure & de facto patet etiam Nam lex Christiana neminẽ priuat suo iure & dominio. Sicut ergo ante Christianam legem homines subiecti erant Imperatoribus, & Regibus: ita etiam postea. Quare Petrus & Paulus passim hortantur fideles, vt subditi sint Principibus, vt patet ad Rom. 13 ad Titũ 3. & 1. Pet 2 Meritoq; Paulus Cæsarem appellauit, eumq; iudicem agnouit, cum accusaretur seditionis & tumultus in populis excitati*. Hæc ille, ex quibus patet non solum defectum virium in causa fuisse, cur primi Christiani non deposuerint Principes Ethnicos, sed etiam quia ius omne diuinũ & humanum, tali facto repugnabat: idq; eodem libro, eodemq; capite apertius docet, cũ dicat *iudicare, punire, deponere*, ad superiorem tantum pertinere, quod verissimũ est, & communi hominũ iudicio extra cõtrouersiam confirmatur.

Iam vero ex his certissimis principiis, ab eo positis & concessis, quilibet ratiocinandi peritus facile colliget, Christianos, quantumuis numero & viribus potentes extitissent, non potuisse iure deponere Neronem, Diocletianum, & cæteros Ethnicos & impios Principes, idque hac firmissimis & indissolubili demonstratione concluditur.

Subiecti non possunt iure iudicare, punire, vel deponere superiorem:
Atqui omnes Christiani erant subiecti Neroni, Diocletiano,
Et cæteris Imperatoribus ac Regibus Ethnicis.
Ergo non poterant eiusmodi Imperatores vel Reges deponere.

Propositio ab eo concessa est, itemq; subsumptio, & certissima veritate nitantur: Conclusio autem ex antecedentibus necessaria consecutione pendet, atq; ex diametro opponitur ei quod dixit, *Christianos olim iure potuisse deponere Neronem, Diocletianum &c.* sed quia viribus temporalibus deficiebant.

a Cap. 6.
b 1 Cor 5.
c L. ancillam. D. de furt. l. 1. C. de ser. fugit.
d Rom. 13. ad Philip. 6. Coloss. 3.
e Cap. 9.

[illegible] bantur eo consilio abstinuisse. Falsum igitur illud est, & reprehensione dignum, siquidem aienti[illegible] & negantia simul vera esse nequeunt. Hinc etiam patet falsitas opinionis D. Thomæ, quam supra hoc capite refutauimus.

CAPVT XXII.

DIxi Bellarminum triplici argumento vsum esse, ad tertiæ rationis suæ cōfirmationem, quæ est, *non licere Christianis tolerare Regem infidelem vel hæreticum &c.* ex quibus primi iam vitia notaui: [illegible] autem duo cuiusmodi sint, & quam vim habeant, hoc capite & sequenti peruestigandum est. Se[illegible]ndum igitur argumentum hoc est. *Tolerare Regem hæreticum vel infidelem, conantem pertrahere homines ad suam sectam, est exponere religionem euidentissimo periculo. At non tenentur Christiani, imo nec debent, cum euidenti periculo religionis tolerare Regem infidelem. Nam quando ius diuinum & humanū pugnant, debet seruari ius diuinum, omisso humano. de iure autem diuino est seruare veram fidem & religionem, quæ vna tantum est, non multæ, de iure autem humano est, quod hunc, aut illum habeamus Regem.*

Ad hæc respondeo, Bellarminū & alios, vnde ipse ista acceperit, non recte, neq; ex arte hic [illegible]ari sed duo argumenta simul confuse & permixtim sine forma proponere. Nā pro eo quod ass[illegible], *at non tenentur Christiani, imo nec debent, cū euidenti periculo religionis tolerare Regē infidelem.* [illegible]poni [illegible]ebet in bona dialectica, *at non tenentur Christiani, imo nec debent, exponere religionē euidentissimo* [illegible]*ulo.* vt inde concludatur, *non licere Christianis tolerare Regem infidelē vel hæreticum.* Nam assumptio quam ipse ponit, nihil fere aliud est, quam ipsa propositio controuersa. Sed vt aliquid ei largiamur, dem[illegible] eum optima forma ratiocinationem confecisse, & ad vim argumenti respondeamus. Dico [illegible] propositionē eius falsam esse, dico inquam, non verum esse, quod *tolerare Regem hæreticū, vel infidelem conantē pertrahere homines ad suam sectam, est exponere religionē euidentissimo periculo.* sed cū tant[illegible] [illegible]g[illegible]onem versari in periculo, in quod incidit vitio Regis hæretici aut infidelis, & cui iam sine [illegible] populi exposita est: cum nullum eius liberandæ iustum & legitimum remedium, præter cō[illegible] & tolerantiam, populo supersit. Hoc autem Christianis vitio verti non potest, nisi eadem [illegible] os illos Patres, & Christianos omnes acriter incusemus, qui Constantio, Iuliano, Valē[illegible] [illegible]al[illegible]is Catholicæ religionis desertoribus, quod Imperium legitime essent adepti, sine vlla tergi[illegible]one, aut minimo rebellionis indicio, submisse paruerunt & quos tollere de medio vel depo[illegible] [illegible]lime potuerunt, eos, quia Imp. & Reges erant, sunt omni honore, obsequio, & reuerentia [illegible]uuti. Hi ergo sancti Patres, & optimi eo seculo Christiani, tolerarunt quidem Reges hæreti[illegible] & infideles, quanquam eis deponendi maxima facultas & opportunitas (si vires tantum tem[illegible] [illegible] spectemus) ipsis suppeteret: at eos tamen nemo sani cer[illegible] vnquam dixerit ea posuisse re[illegible]nem euidentissimo periculo, per eiusmodi patientiam & tolerantiam Christianam. De eo autē [illegible] tolerando loquor, qui vel Ethnicus ab Ethnicis est constitutus, vbi Christiani non dominan[illegible] vel qui eum inauguraretur, in Christianis est habitus. Nam eligere nullo iure cogente, super se [illegible], quem sciunt esse hæreticum vel infidelem, est vere exponere religionem euidentissimo pe[illegible] [illegible]eoq; grande Christianis piaculum: & qui id faciunt, digni sunt omnes qui male pereant. [illegible] vero ad illud quod deducit ex pugna iuris diuini & humani, respondeo breuiter, illū val[illegible] [illegible] in eo, quod putet esse ibi concursum & conflictum diuini & humani iuris, non fuit[illegible] [illegible]tia, seruare veram fidem & religionem, & tolerare Regem hæreticū vel infidelem, nec al[illegible] [illegible]e diuino est, alterum de iure humano, vt ille putat. Sed sunt duo præcepta iuris diuini, [illegible] Deum vera religione, & seruire atq; obedire Regi: quæ simul seruari & expleri possunt ac [illegible] [illegible]ssime Iesuitæ asserunt *a*: & nos pluribus *contra Monarchomachos lib. 5.* ostendimus *b*. Ita [illegible] casu non solum possint subditi, sed etiam debent, Regē eiusmodi tolerare, & in verā inte[illegible] [illegible]ne cōstanter permanere, atq; ita reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo. [illegible]uod alibi Bellarminus tradit, *c* non licet Concilio iudicare, punire, vel deponere Papam n[illegible] turbare & destruere Ecclesiam Dei, sed tantum *ei resistere non faciendo quod iubet, & impediendo* [illegible] *exequatur voluntatem suam*: cur non similiter, & potiore etiam ratione idē de Regib. censea[illegible]mu[illegible]m & ipsi sint populis teste eodem *d* authore, superiores, & iudicē in terris nullum habeant: co[illegible] p[illegible]ætereа nonnullis magni nominis Theologis visum sit, Concilium Oecumenicum maio[illegible] [illegible]a Papam authoritate præditum esse, quam habeat populus in Principem? quod Ecclesia mi[illegible] [illegible]m semper Dei spiritu regatur, nec temere quicquam faciat. Populus vero turbinibus seditio[illegible] no[illegible] q[illegible]enter agitatus multa sine consilio, sine iudicio, impie, crudeliter, & iniuste moliatur.

At difficile est Regē Impium tolerare, & veram seruare religionē, reponet aliquis. Fateor equi[illegible] d[illegible] impossibile non est. Impossibilitas (detur venia verbo) ab obseruatione mandatorū excu[illegible] [illegible]ltas non itē. Cæterum quod ait, *de iure diuino est seruare verā fidem & religionem: de iure autē humanum est, quod hunc aut illum habeamus Regē*, id quidem totum verum, sed caue tamen lector ne capiaris. O[illegible]t Bellarminus quod est præcipuum: addere enim debuit, *at vbi hunc vel illum Regem semel habemus de iure diuino est, vt ei in ciuilibus causis cum omni honore & reuerentia pareamus.* Hac adiectione, quā nemo Catholicus negare potest, illud eius argumentum prorsus eliditur. Nam in specie ab eo proposita non concurrunt ius diuinum & humanum, vt ille putat (quod si contingeret, æquum esset humanum diuino cedere) sed concurrunt duo capita iuris diuini, veram scilicet fidem & religionem honorare, eique in politicis obedire: quorum vtrunque impleri potest & debet, *reddendo vt dictum est, Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo*, vt in persona Papę conantis Ecclesiam destruere, ex Bellarmini doctrina iam didicimus.

a Cōtra Monarch. pag. 69.
b Cap. 8.
c Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29.
d Lib. 1. de Rom. Pont. cap. 8. & lib. 5. cap. 19.

CAPVT

CAPVT XXIII.

SVperest postremum argumentum, quod subtili sed captiosa interrogatione hoc modo proponit. *Denique cur non potest liberari populus fidelis à iuge Regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem, si coniunx fidelis liber est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge Christiana, sine iniuria fidei, vt aperte deducit ex Paulo 1. ad Cor. 7. Innocentius III. c. Gaudemus, extra de diuortiis? non enim minor est Potestas coniugis in coniugem, quam Regis in subditos, sed aliquando etiam maior.*

Nihil hoc argumento frequentiox est in oreomnium Monarchomachōn, quod eo facile quamplurimos fallant, est enim eiusmodi, quo nō aliud aut primo aspectu magis moueat, aut penitus inspectum & intellectum minus vrgeat. Ad id igitur respondeo, longe diuersa & dissimilia hæc esse, *liberari à iuge alicuius, & liberari ab obligatione manendi cum aliquo*, & propterea haud recte componi & comparari inter se: quandoquidem ne ipse quidem coniunx, cui obligatio manendi cum aliquo remittitur, protinus à iugo eius vnde decedit hoc ipso liberatur; cuius rei quotidie exempla nobis Ecclesia suppeditat, quæ cōiuges ex variis causis, quoad thorum & mensam, vt aiunt, hoc est, quoad conuersationem & obligationem manendi cum altero coniuge, liberat & absoluit manente nihilominus matrimonii iugo, quod Christi & Ecclesiæ sacramentum est. Quapropter talis argumenti à coniugibus ducti vis nulla est, nisi à iugo maritali siue matrimoniali, ad iugum regale procedat, veluti si dixerit, *cur non potest liberari populus fidelis à iuge Regis infidelis & pertrahentis ad infidelitatem, si coniunx fidelis liber est à iugo coniugis infidelis.* Quod si placeat Reuerendissimo Domino Bellarmino, suum illud argumentum in hoc conuertere, vt ponderis & momenti plus habeat, tunc aliter ei respondebo. Nempe aut loquitur de illis coniugibus, qui cum essent ambo fideles matrimonium contraxerunt, & alter ad hæresim vel in infidelitatem postea delapsus est: aut de coniugibus ethnicis & infidelibus, quorum alter ad fidem Christianam conuersus est, altero pertinacius in suam superst[illegible]onem paganicam incumbente. Si de prioribus argumentum intelligit, male laudat authorem Innocentium, qui de tali coniugio ne verbum quidem in dicto cap. Gaudemus: & præterea falsum esset quod pro argumēto nobis obtrudit, videlicet coniugem fidelem liberum esse à iugo coniugis infidelis, quando ille non vult manere cum coniuge Christiana sine iniuria fidei, vt idem Innocentius expresse docet in cap. Quanto. §. si vero. extra. de Diuort. *Si vero, inquit, alter fidelium coniugum vel labatur in Hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu is qui relinquitur, viuente altero, possit ad secundas nuptias conuolare, licet in hoc casu maior appareat contumelia Creatoris.* Et rursus idem Innocentius in cap. ex parte. extra. De conuersione coniugat. eandem sententiam rescribit. Mat[illegible]nium scilicet inter legitimas personas contractum, & carnali copula consummatum, *in nullo casu posse dissolui, etiam si vnus fidelium, inter quos est ratum coniugium fieret Hæreticus, & nollet permanere cum altero sine contumelia creatoris.* En vt argumentum à coniugibus deductum non modo non pugnat pro istorum sententia, sed eam acriter oppugnat: veluti si [illegible] argumentum aliquis per interrogationem, hoc modo proponat. *Cur liberari debet populus fidelis à iuge Regis infidelis vel Hæretici conantis pertrahere subditos ad suam sectam, si coniunx fidelis non est liber à iuge coniugis infidelis, licet ille noluerit manere cum coniuge fideli sine iniuria fidei & contumelia Creatoris.* Vt aperte docet Innocent. III. in *cap. Quanto. § si vere. De Diuort.* & in *cap. ex parte. De conuers. coniugat.* adeo vt Panorm. in illum §. *Si vere.* dicat, ea ratione ibi posita sequi, Ecclesiam non posse tal[illegible] matrimonium dissoluere, & liberare coniugem fidelem à iugo coniugis infidelis: cum tamen multo facilius possit coniunx fidelis à coniuge infideli, quam totus populus à Rege peruerti. Sed & vinculum subiectionis quo populus Regi astringitur, cum sit iuris naturalis & diuini, videtur difficilius dissolui posse, quam illud coniugum inter se: vt inde quis facile contendat, non plus in vno quam in altero Ecclesiam posse.

Quod si de posterioribus coniugib. argumentū intelligat, in promptu responsio est, ex eadem Innoc. *epistola Decretali*: nimirū inter tales coniuges non esse ratum Matrimonium, quantū ad indissolubile coniunctionis vinculum attinet, & ideo eiusmodi coniuges plenā dissoluendi Matrimonii libertatem habent, vt vel mutuo consensu, & bona gratia, vel *cum ira sui animi & offensa* discedant, & alter inuito altero, vbi ei libitum sit, nexum illum cōiugii per repudium & diuortium dissoluat, æque enim mulier viro, ac vir mulieri repudium mittere solet. a Vnde idem Innocent. rationē differentiæ inter coniuges fideles & infideles, in eodem capite, hanc tradit. *Nam etsi*, inquit, *Matrimonium verum inter infideles existat* (quia sc. secundum præcepta legum coeunt b.) *non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit, quia sacramētum fidei quod semel est admissum nunquā amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret.* Non mirum ergo si cōiunx ad fidem perductus, à coniugis in infidelitate manentis consortio & potestate liber sit: cum etiam si ambo in infidelitate mansissent, æque liberum alterutri eorū fuisset ab altero recedere, & Matrimonium repudio dissoluere: quia nullū initio inter eos ratum & firmum obligationis vinculum intercessit. Et ideo ne coniunx fidelis, ab infideli volente cum eo habitare, recedat, nō præcipit Apostolus c, sed consulit: vt docte & eleganter docet S. Aug. lib. 1. *de adulterinis coniugiis*, & sacri Canones inde desumpti nos admonent d.

Quæ cum ita sint, sequitur profecto, aduersarios nequicquam argumentū à coniugibus petere vt populū à regali iugo posse liberari doceant, siue fidelium, siue infideliū coniugia spectent: [illegible] illa quidem arctissimo & indissolubili societatis nexu copulentur; cuius vinculum neque propter infidelitatem, neq; propter Hæresim alterutrius infringi, ne quidem ab Ecclesia, potest: vt inde potius

a L. Lucius 38. D. solut. matr.

b Instit. de nupt.

c 1. Corint. 7.

d 28. quæst. 1. Can. 8. & 9.

[illegible] firmitatem & perpetuitatem, quam ad eius dissolutionem & diremptionem [illegible] nobis suppetat? Hi vero nulla prorsus obligationis necessitate astricti sint in fa[illegible], quia conuersus ad fidem maritus, si pars eius sine scandalo sequi nolit, aliam suo sibi [illegible] sciscat: & contra, mulier ad fidem perducta, marito renuente, cui volet in Christo nubat. [illegible] nullum inter istos ratum coniugium existat, & subiectio politica, ac regalis dominatio, [illegible] gentes, & in omni lege, tam iure diuino quam humano, rata & probata sit: quid ab[illegible] dici potest, quam illa inter se componere, & argumentum aliquod ab infide[illegible] iugum societate & iugo, quod excuti pro arbitrio potest, ad regalis imperii iugum repel[illegible] educere, & idem de vtroque, quasi de plane similibus, iudicare.

Caput XXIV.

A[illegible] nui Capite XIII. quinq; apud Bellarminum rationes esse, quibus S. Pontificem in omnes [illegible] es & Principes seculares Christianos temporalem potestatē habere contendit, ex iis tres [illegible] imus, & quam parum firmæ sint, quibusq; vitiis laborent, indicauimus. Restat in duas [illegible] quirere, quæ neutiquā meliore iure cōsistunt, earum prior his verbis ab eo proponitur, [illegible] *quando Reges & Principes ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso vel* [illegible] *eptra sua subiiciant Christo, & polliceantur se Christi fidem seruaturos & defensuros, etiam sub pœ*[illegible] *perdendi: ergo quando fiunt hæretici, aut religioni obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponi à* [illegible] *vlla eis iniuria fiet, si deponantur.*

[illegible] rationi respondetur, negando consequentiam. Nam licet verum sit, Principes ad Eccle[illegible] tes se sceptraque sua Christo submittere, & [illegible] vltro ea promissa seu tacite seu expres[illegible] Bellarminus commemorat: non tamen verum est, vt inde sequitur, eos iudicari & [illegible] ab Ecclesia, vel summo Pontifice, si fidem fallant, & pactum ac iusiurandum negli[illegible] summa illa Christi iurisdictio & potestas temporalis in Reges omnes & Mundū vniuer[illegible] habet vt Dei filius, non competit Ecclesiæ vel Pontifici, sed tantum illa potestas quam [illegible] ssumpsit, cum inter homines humano more versaretur, secundum quā Papa Chri[illegible] est: vnde ipsemet Bellarminus a perbelle, *dicimus*, inquit, *Papam habere illud officium quod* [illegible] *istus, cum in terris inter homines humano more viueret. Neq, enim Pontifici possumus tribuere officia* [illegible] *Christus. vt Deus, vel vt homo immortalis & gloriosus, sed solum ea, quæ habuit vt homo mortalis.* At [illegible] nullum temporale dominium & potestatem vsurpauit, dum in terris vt homo inter ho[illegible] ret ac proinde neq; Ecclesia, neq; Papa vt caput Ecclesiæ, & vicarius Christi, vllam tem[illegible] potestatem habere potest, vt pluribus explicat & probat idem vir doctissimus illo capite. [illegible] ter licet Reges & Principes, quando ad Ecclesiam veniunt, Christo Deo regnum subii[illegible] Christum iudicem habeant, à quo habent & Regnum: tamen quia de re temporali iudiciū [illegible] regno commisso agitur, illum solum iudicem habent, non etiam Ecclesiam vel Pa[illegible] apparet, quam sint captiosæ illæ rationes & conclusiones, quas Sanderus, à quo [illegible] us accepit, ex eiusmodi promissis, seu tacite seu expresse factis deducit. Nā quod [illegible] ndi & respondendi formulas, quas inter Papam & Principes ad Ecclesiam acce[illegible] e & vitiose confingit: respondendum est, illas inepte ab eo conceptas esse, & neq; [illegible] in Principum Ethnicorū ad Ecclesiam venientium receptione interuenire, ne Ec[illegible] ctos eos habere, aut male de iis ominari videatur. Itaq; ardens in Christum amor, & [illegible] ssio, vna cum iis promissis, quibus generaliter spondent se Christo nomen da[illegible] lesiæ filios futuros, diabolo & eius operibus renunciaturos, Dei & Ecclesiæ man[illegible], & id genus alia, vt recipiantur, abunde sufficiunt. Quæ omnia promittunt quidē [illegible] ente promissionem Ecclesia, tanquam eius sponsa, in cuius sinu regenerantur, aut i[illegible] vt homine, sed vt Christi Dei ministro vicariam operam præbente, ac proinde [illegible] per Ecclesiam vel Papam, obligatio principaliter acquiritur, vnde licet alia quoq; o[illegible] nderint, quæ Sanderus fictitia sua formula comprehendit, & pactum conuentum po[illegible] int, aut prorsus cōtempserint, ab eo solo puniri possunt in cuius verba iurarunt, quiq; [illegible] um temporalium dominus est, & quem supra se iudicē in temporalibus solū habent, [illegible] retū tantummodo spiritualium & recipiendæ promissionis cura commissa est. [illegible] imillima sunt, quæ in gubernatione ciuili quotidie obseruari cernimus. Qui ad [illegible] nem aspirant, siue iure hæreditario, siue alio titulo vocentur, non aliter in sui [illegible] us in clientelā eius qui feudi dominus est, fuerint recepti, id est, nisi prius sacramen[illegible] uod vulgo *Homagium* siue *Hominium* vocant, conceptis verbis [illegible] no præstiterint. [illegible] gium sit, in q succedunt, raro Rex ipse fidelitatis iusiurandū acceptat, sed vt plu[illegible] ce[illegible] ali[illegible] ad hoc specialiter delegati, id opere exequitur. Cancellarius [illegible] in verba Regis iurantes, ad feuda & dignitates ad[illegible] eas in ciuili administra[illegible] ne te[illegible] tali sub Rege partes obit quas Pontifex sub Christo in spirituali gu[illegible] Ecclesiæ, cū Principes ad eam venientes, interposito [illegible] & pietatis erga Deum [illegible] ipit. Et vt [illegible] clienti semel recept[illegible] licet postea [illegible] comm[illegible] niam vo[illegible] feud[illegible] auferre potest, q solius Regis [illegible] minimeq; [illegible] ce[illegible] ita neq, [illegible] ceptos in Ecclesiam Principes, quantumuis grauiter postea [illegible] deser[illegible] us & ditio[illegible] priuare, ut alio modo *temporaliter* punire [illegible] Deo reseruatum. [illegible]

a Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 6.

Ecclesia, & quatenus filii Ecclesię, sunt Ecclesia, & Pontifice inferiores, tamen quatenus [illegible] mũ magistratum temporalẽ in terris gerunt, inferiores non sunt, quin potius superiores, & [illegible] cet forte regnũ ex pacto tacito vel expresso commiserint, id illis tamen auferre neq; populus, [illegible] Papa, neq; Ecclesia potest: sed solus Deus Opt. Max. à quo omnis potestas est, & cui solo in cu[illegible] administratione minores sunt. Nec vnquam poterit vel Bellarminus, vel alius quispiam, efficax ali[quod] testimonium ex vllius seculi monimentis eruere, quo nobis planũ faciat, Reges & Principes seculares, dum ab Ecclesia ad fidẽ reciperentur, ita iuri suo renuntiasse, vt & imperium temporale quod à Deo acceperant, prorsus deponerent, & seipsos in negotiis politicis iudicandos, pœnaq; temporali plectendos, Ecclesiæ subiicerent. Hoc autẽ si nemo eorũ demonstrare possit, necesse est fateantur Reges & Principes eodẽ iure, eadẽq; libertate & authoritate, regna atq; imperia sua post fidem susceptam retinuisse, quibus antequam ad Ecclesiam venissent possidebant: quia, vt adue[rsarii] fa[te]ntur, *Lex Christi neminem priuat iure suo.* Si ergo ante baptismum, neminem super [illegible] in temporalibus, præter solum Deum, habebant; neminẽ quoq; post baptismum habere potu[eru]nt. Sed hac de re plura, in primæ rationis refutatione, diximus. Boziana deliria nihil hic moror.

Quod autem huic quartæ rationi subiicit. *Nam non est idoneus sacramento baptismi, qui non est paratus Christo seruire, & propter ipsum amittere quicquid habet: ait enim Dominus Luc. 14. Si quis venit [ad] me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus e[sse] [dis]cipulus*, id quorsum spectet non video, nemo certe hoc negat. Sed quid inde? talis ratio non [ma]gis ad institutum pertinet, quam quod est remotissimum, vt nec illud quod ibi sequitur. *Præterea, [quia] Ecclesia grauiter erraret, si admitteret aliquem Regem qui vellet impune fouere quamlibet sectam, & de[fendere] hæreticos, ac euertere religionem.* Est hoc sane verissimum. Sed, vt dixi, nihil ad institutũ pertinet. [Non] enim de ea re hic quæstio est, sed de potestate temporali Ecclesiæ, siue summi Pontificis, qui e[ius] Vicarium sub Christo caput est: num eam sc. potestatem habeat, qua Reges & P[r]incipe[s] [rece]ptus, si postea fidem fefellerint, ac susceptum in lauacro regenerationis officium deseru[erint] [tem]poralibus pœnis co[er]cere possit, necne, huius autem quæstionis neutra pars, hisce [illegible] [ap]pendicibus, vel probatur, vel improbatur: ob eamque causam missas facio.

Capvt XXV.

Qvinta & postrema ratio est, ex cura & officio Pastorali. *Cum Petro dictum est*, inqu[it] [illegible] *Ioan. vlt. data est illi facultas omnis, quæ est Pastori necessaria ad gregem tuendum, at pastor ne[cessari]a [e]st potestas triplex, nimirum vna circa lupos, vt eos arceat omni ratione quâ poterit: altera circa ariete[s], [vt si qu]an[do] cornibus lædant gregem, possit eos recludere: tertia circa oues reliquas, vt singulis tribuat conuenient[ia] [pa]bula. ergo hanc triplicem potestatem habet summus Pontifex.*

Ex hoc principio & fundamento tria, vt illi videtur, argumenta vrgentia deducunt[ur] [illegible] longius abeat, respondeo inprimis ad istud ipsum fundamentum, totũ quidem verum [illegible] [do]ne stare, atq; inde contrarium eius quod ipse asserit bellissime colligi posse, colligi [illegible] [sum]mum Pontificem nullam omnino temporalem potestatem habere, aut exercere po[sse] [illegible] Christianos, quatenus Christi vicarius, & D. Petri successor est: quinimo non e[sse] [illegible] modi potestatem Pontifici, ad munus suum pastoritium obeundum explendumque.

Id autem hoc argumento euidenter concluditur. Christus commẽdando suas o[ues] [illegible] dit ei omnem potestatem necessariam ad tuendum gregem. Atqui non dedit ei pote[statem] [tem]poralem: ergo potestas temporalis non est necessaria ad tuendum gregem. Deinde p[illegible] hoc modo, Absurdum est summum Pontificem, quatenus successor est B. Petri, ha[bere] [illegible] statis, quam habuit ipse Petrus: at Petrus non habuit vllam potestatem temporalem [illegible] tios: ergo nec summus nunc Pontifex, quatenus successor eius est.

Prioris ratiocinationis propositio extra omnem controuersiam est. Assumptio a[illegible] [pro]ba- a Cap. 6. tur testimonio & confessione ipsius Bellarmini. Nam libro quinto *de Rom. Pont.* a vb[i] [illegible] rebus sententiam, similitudine carnis & spiritus, stabilire conatur, sic scribit. *Vt enim se ha[bent in ho]mine spiritus & caro, ita se habent in Ecclesia duæ illæ potestates. Nam caro & spiritus sunt quasi duæ Re[s]* [illegible] *quæ & separatæ & coniunctæ inueniri possunt, inuenitur caro sine spiritu in brutis: inuenitur spiritu[s]* [illegible] *in Angelis*, & paulo post. *Ita prorsus politica potestas habet suos Principes, leges, iudicia, & c[illegible] [eccle]siastica suos Episcopos, Canones, iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista, salutem æternam. Inu[eniuntur] quandoque separatæ, vt olim tempore Apostolorum, quandoque coniunctæ, vt nunc.*

Si separatæ erant hæ potestates tempore Apostolorũ, vt erant reuera, & de iure [illegible] consequitur necessario, D. Petrum nullã habuisse temporalẽ potestatẽ. [A]lioq[ui] ita si[illegible] se separatas. Nam si similitudini ab eo propositæ locus est, cõsequens erit, [illegible] carneum in Angelis reperiri, nihi[l]q; in brutis spirituale: ita tempore Apostolorũ, n[illegible] ralis potestatis in Ecclesia esse, aut spiritualis in humana politia. Ergo tan[t]um est, [illegible] temporalem non esse necessariam summo Pastori [Eccle]siæ, vel ipsum nun[quam] [pr]incipem Ap[ostolo]rum, & summum Pastorem D. Petrum, non omnibus rebus ad pastoralis offici[i] [c]uram [illegible] munitum instructumq; fuisse. Hoc autem ex diametro opponitur ei quod in sua ra[t]ione [illegible] tali, vt ita loquar, iam dixerat, *datam sc. esse Petro facultatem omnem necessariam ad gre[g]em tuendum.*

b Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29. Idem etiam probatur ex eo, quod tota potestas politica & temporalis pendebat tum [illegible] [a] Principibus, quibus ipsemet Petrus teste Bellarmino b, quamuis Ecclesiæ caput, & Ch[illegible]

stas, de iure & de facto in temporalibus subiiciebatur: ex quo sequitur D. Petrum vel nulla potestate temporali prædituū fuisse, vel eam ab Ethnicis Principibus accepisse: alioqui, vt modo diximus, falsum esset has potestates fuisse tunc separatas. At certū est eū nullā ab istis accepisse, proinde nec vllam habuisse. Et vero hæ rationes apertiores sunt, quā quibus aliquis sine fraude reniti & repugnare possit, vt mirum sit, homines eruditos, cæteraq; pios, ita zelo quodam inconsiderato occæcari, vt dubia pro certis, pro perspicuis obscura, pro rectis contorta, pro expeditis deniq; inuolutā & implicata multis controuersiis & contradictionibus, amplecti & sequi non dubitent. At sedem Apostolicā huiusce potestatis & authoritatis accessione amplificare & ornare student. Ecquis vere Catholicus, propensos in sedē illam animos, vnde fidei nostræ fundamentum & firmamentū est, non laudet? Quod sedem illam ornant, & efferunt, quā nemo satis pro dignitate laudare possit, eos equidem laudo: sed quod plus ei tribuunt quam oporteat; idq; magno cum multorū scandalo, id ego sane non laudo. Nam & nos quoq; non minus eam ipsam sedem veneramur, non minus amamus, suspicimus, admiramur: vtpote quæ vere sedes Petri est, & in Petra qui Christus est collocata; omnes hæreses superauit, atq; in Ecclesia summum iure principatum obtinet. Sed ne eam isto potestatis incremento augeamus, vetat veritas: testimonium nobis perhibente conscientia, coram Deo & Domino Iesu, ante quem in die reuelationis iusti iudicii, & hæc nostra, & illa ipsorum scripta, suis signata meritis apparebunt.

Non est ergo quod superiorem pro se rationem adferant. Nam Christus quando Petro dixit, *Pasce oues meas*, constituit eum quidem Pastorem gregis sui; sed pastorem spiritualem, non temporalem. dediq; ei omnem facultatē ad id muneris necessariam: ex quo patet temporalem potestatem non esse Pontifici necessariam: quia Christus eam Petro nō contulit. Nec vnquā accepimus, aut D. Petrum, aut alium quemlibet Apostolorū, temporali potestate functū esse, cuius imperio in Christianæ fidei desertores, seu directe seu indirecte (ne quis in verbis vim faciat) ciuilibus pœnis Magistratuum more animaduerteret. Verum quidem est, effectum esse aliquando, vt spiritualem sententiam pœna temporalis, veluti mors aut cruciatus, per miraculum sequeretur, indigente nimirū tunc signis ac prodigiis ad firmandam fidem Ecclesia, cuiusmodi supplicia longe maiorem Christianis animis metum incutiebant, quam si humano more, pœnas potestati ciuili pendissent. Atq; hoc nimirum illud est, quod ad Corinthios scribit Apostolus *a*. *quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?* Virgam vocat hanc potestatem spiritualem, quæ, Deo mirabiliter operante, temporales etiam effectus tunc temporis producebat: vt etiamnum aliquando apud populos recens Christo lucrifactos, pari de causa producit. a 1. Cor. 4.

CAPVT XXVI.

HÆc cum ita sint, facilior nobis via sternitur ad eorum argumentorum refutationē, quæ Bellarminus ex superiore suo fundamento, à nobis iam explicato, & in ipsum retorto, deducit. Concidunt enim, partim suopte vitio, partim quod fundamento cui superstruuntur non satis cohærent. Nam primum ex eo quod *Pastori necessaria est potestas circa lupos, vt eos arceat omni ratione quā poterit*, ratiocinatur hoc modo. *Lupi qui Ecclesiam Dei vastant, sunt hæretici: ergo si Princeps aliquis ex oue aut ariete fiat lupus, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo, ne eum sequatur, ac proinde priuare eum dominio in subditos.*

Sed fallitur aut fallit, coniiciendo vera simul & falsa in eandem conclusionem. Nam quod ait, pastorem Ecclesiæ posse arcere Principem hæreticum per excommunicationem: id quidem verū est & ex principio illo necessaria consecutione deriuatum. Sed posse quidem, non etiam debere, nisi cum id sine scandalo, & Ecclesiæ detrimento, commode facere possit: vt superius ostendi. *b* Nā vbi periculum est, ne pax Ecclesiæ dissoluatur: neve *membra Christi per sacrilega schismata lanientur, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est* (id est, totum diuino iudicio & vltioni relinquendum est) *Nam consilia separationis* (id est excommunicationis) *& inania sunt & perniciosa atq; sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigunt animosos malos.* Hæc S. Augustini doctrina est *c*, communi Ecclesiæ calculo approbata *d*: ex qua patet, quam temere & imprudenter Pontifices quidam, Imperatores & Reges potentissimos, cum magno totius orbis scandalo & pacis Ecclesiæ dissolutione, per excommunicationem ab Ecclesia separarint; quos longe latius fuisset tolerasse, & eorum delicta indicasse tantum, atq; cum gemitu in Ecclesia luxisse, *propter compensationem custodiendæ pacis & vnitatis, & propter salutem infirmorum, & tanquam lactentium frumentorum, ne membra corporis Christi per sacrilega schismata lanientur* e. Potuerunt igitur hoc facere Pontifices, sed non debuerunt. *Non omne quod licet, honestum est.* Scite Apostolus f, *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Prima igitur conclusionis pars vera est, posse scilicet pastorem Ecclesiæ arcere Principes hæreticos per excommunicationem. b Cap. 9. c Lib. 3. c. in contr. epist. Parmeniani. d 23. quæ. 4. can. non potest. e Augu. vbi sup. f 1. Corin. 6. & 10.

Quod autem sequitur, *& simul iubere populo ne eum sequatur*: Duas habet ansas, vt cum Epicteto loquar, vnam integram, alteram fractam. Duplicem inquam intellectum, verum vnum, & vitiosum alterum. Nam si id eo dicat, quod Pontificis sit præcipere subditis, ne Principem hæreticum in sua hæresi sequantur, ne vna cū eo insaniant & damnatos errores combibant, neve corruptis eius moribus sese infici & inquinari patiantur: æque verum est, & ex eodē principio & fonte rectissime deriuatum: estq; hic verborum illorum sensus optimus. Nihil enim Pontificali dignitati, & Ecclesiastico ordini vniuerso, tam conueniens est & decorum; nihilq; populis Christianis tam vtile &

necessarium, quam vt ad instar antiquorum Patrum Ecclesiæ; ipsemet inprimis Pont. Max. cæteriq; eius fratres omnes, prædicent verbum, & instent opportune, importune, arguant, obsecrent, increpent, in omni patientia & doctrina *a*: vt tanquam testes fideles, & serui boni, quos Dominus constituit super familiam suam, id agant verbo & exemplo, ne populus Regis sui errores sectetur, neu fidem Catholicam vllis aut minis, aut muneribus regiis dissimulet, deseratve. Quod quoniam pleriq; ipsorum aut omnino nunc non faciunt, aut segnius certe multo quam oportet, & quā ipsimet prouinciam obire debent, mendicis quibusdam fraterculis mandant: quid mirum si multi nostro seculo, à caulis dominicis in casses diabolicos, errorum velut turbine ac tempestate, abripiātur? Hic sensus, vt dixi, optimus est. At non eo tamen sensu loqui Bellarminū, tum causa ipsa quam agit, tum clausula hæc sequens, *ac proinde priuare eum dominio in subditos*, palam demonstrant. Fractā igitur ansam nobis porrigit, sensum certe vitiosum, & plane pessimū. Pastorem sc. Ecclesiæ, subditis iubere posse, ne vlla Principis eiusmodi mandata capessant, & ne vllū ei obsequium, reuerentiam, obedientiam, honorem, in iis quæ ad temporalem & politicam gubernationē pertinēt, vllo modo exhibeant, *ac proinde priuare eum dominio in subditos*. hoc autem falsum est, & legi diuinæ ac præceptis Apostolicis contrarium, *time Dominum, fili mi, & Regē* b. *Admone illos Principib. & potestatibus subditos esse dicto obedire* c. *Subiecti estote omni creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti. Deum timete, Regē honorificate*: d & id genus alia. Quæ cum de Regibus impiis, & Ecclesiæ persecutorib. dicta sint (quippe non alii tunc rerum potiebantur) non possunt ad Reges pessimos nō pertinere, hoc ergo est quod dixi, fallere eum, aut falli coniiciendo vera simul & falsa in eandem conclusionē. Verum enim est, Pastorem Ecclesiæ posse arcere Principem hæreticū, per excommunicationem, falsum autem posse priuare eum dominio in subditos. Nā obedientia Regibus, & superiorib. omnibus debita, est iuris naturalis & diuini: qui possit igitur S. Pontifex, aduersus eam cum populis vllo modo dispensare.

Nam qui Scripturas sacras diligentius & subtilius perscrutantur, duplex præceptorū Pauli genus animaduertunt: vnū eorū quibus ius diuinū, ad quod prædicandum missus erat, promulgat, & Dei voluntatem, in vetere aut noua lege comprehensam, proponit exponitq; cuiusmodi præceptis innumeris epistolæ eius refertæ sunt, in quibus hæ sunt quæ de obsequio & reuerentia Regib. ac Principibus exhibenda præcipit. Alterū vero genus eorū, quæ non à lege naturæ aut expresso Dei verbo pendent, sed quæ per humanā prudentiam Dei gratia adiutam, ad ordinationem diuini cultus ipsemet Apostolus propria authoritate constituit, veluti ne bigamo aut percussori mandetur Episcopatus *e* ne vidua non sexagenaria ad diaconissæ officium *f* eligatur, & similia. Atq; inter præcepta id interest, quod in iis quæ sunt posterioris generis, S. Pontifex ex causa dispensare possit: habet enim non minorē in dispositione & ordinatione Ecclesiæ potestatē, quam ipsemet Apostolus, quod ei, vt vicario Christi, & Petri successori, Ecclesia tota commissa sit: quodq; decessorum suorū legibus non obligetur. In illis vero quæ priore genere continentur, nullam penitus habet dispensandi facultatem *g*: quia *non est discipulus super magistrum, neq; seruus super dominum* h. Nec potest inferior superioris sui legem infringere, aut eius alicui gratiam facere. Qua de causa Speculator negat, Papam posse aliquē à licito iuramēto absoluere, *i* quod obligatio seruandi iurisiurandi, Deoq; reddendi, sit iuris naturalis & diuini: Negant & alii, Papam posse dispensare cum aliquo teste, vt ei iniurato credatur in iudicio *k*. Et Innocentius III. Pontifex rescripto suo testatur, Papam non posse Monacho licentiam indulgere, vt aut rerum quarundam proprietatem habeat, aut vxorem *l*.

Non me latet quam aliena & nugace explicatione, interpretes quidam Canonistæ, qui Papę potestati omnia subiiciunt, locum illū Innocentii, reluctantibus melioris notæ Theologis, à propria & genuina verborum significatione deflectant. Facessebat illis negotium credo, quod audierant Constantiam Rogerii Normanni filiam monialem, à Clemente III. eductam de monasterio Panormitano, vt Henrico VI. Friderici Ænobarbi filio nuptū traderetur (de qua Archiepiscopus Florentinus scribit *m*, eam, cum annū ageret quinquagesimū, & diu monasticam religionē esset professa, peperisse Fridericū II. atq; vt omnem de partu supposito suspicionē tolleret, *in medio cuiusdam plateæ Panormi sub papilione*, publice fuisse enixam: edicto ante proposito, vt fœminis omnibus adesse liceret, quæcunq; ad spectaculum venire vellent. *Natus est ergo Fridericus iste*, inquit, *ex moniali iam quinquagenaria*) & quod etiam audierant alium Papā indulsisse Regi cuidā Aragoniæ, vt ex monacho maritus fieret. Quapropter homines isti, Canonistæ inquā, supra modum Pontificibus addicti, cum nollent talia facta reprehendere, ne ambitiosis Papis gratiam adimerent, & nō ignorarēt verba rescripti ab Innoc. III. emissi, contrarium prorsus asserere, ad illas interpretationis ineptias confugerunt, quas piget huc referre, ne lectorē nugis distineam. At multo illis facilius fuisset, rescripti veritatē & æquitatē tueri, quam ex singularibus & iniquis Pontificum factis, velut ex quadā viuendi regula, ius certum velle inducere. Sinamus Pontifices factorum suorum rationem Deo reddere, nec eos in omnibus imitemur. Quod si quis forte talia nobis facta ad exemplum proponat, respondebimus, cum Io. de Turre crem. Syluestro, Soto, & aliis viris doctissimis: esse hæc tantum facta Pontificum, non decreta, & *facta Pontificum non facere fidei articulū, & aliud esse facere de facto, aliud determinare quod ita possit fieri de iure. Ego*, inquit Syluester, *etiam vidi Pontificem facientem maiora cū scandalo totius Christianitatis*. & Io. de Turre crem. de illicitis dispensationibus loquens, *quod si ita aliquando fuerit factū*, inquit, *per aliquem S. Pontificem, aut ignarum in literis diuinis, aut excæcatum cupiditate pecuniarum, quæ pro talibus exorbitantibus dispensationibus solent offerri, aut vt complaceret hominib. non sequitur quod potuerit iuste facere. Ecclesia enim iure & legibus regitur, siue debet regi, non talibus actibus, siue exemplis.*

a 2. Tim. 4.
b Prou. 24.
c Tit. 3.
d 1. Pet. 2.
e 1. Timot. 3. Tit. 1.
f 1. Tim. 5.
g Io. de Turre cremata in can. lector dist. 34.
h Mat. 10.
i Tit. de legato. § nūc ostendendū. nu. 24.
k Hippoly. de Marsil. sing. 284.
l Cap. cū ad monasteriū. de stat. monachor.
m Part. 3. tit. 19. c. 6.

CAPVT

CAPVT XXVII.

MVltorum igitur doctissimorum hominum sententia est, Papam non posse voti gratiam religioso facere, vt rerum quarundam proprietatem habeat, vel vxorem, secundum verum & simplicem verborum Innocentii intellectum. Et tamen, si quantum res à rebus distant diligentius perquirere, & eas inter se propriis differentiis & conuenientiis, recto iudicio componere velimus: erit certe cur fateamur, longe minorē, absoluendi populum à iurisiurandi religione, qua fidē suā Principi libens volens licite obstrinxit, quam religiosorum vota relaxandi, facultatē Pontifici esse tributam: vt quamuis in hoc fortassis, opinione quorundam, aliquid de plenitudine potestatis efficere posse videatur: in illo tamen plane nihil eum posse putandum sit. Tum quia totus ordo monachalis, aliq; in Ecclesia (vt quidam volunt) ab humanis constitutionibus, & iure positiuo profecti sunt, in quos idcirco plena & omnimoda Pontifici potestas est, vti superius paulo diximus. At submissio & obedientia Regibus ac Principibus, atq; omnibus omnino præpositis & superiorib. debita, est iuris naturalis & diuini, vtroq; testamento confirmata. Nam licet de iure humano sit, vt hac aut illa Reip. forma vtamur, vel hunc aut illum Principem habeamus: tamen vt eum quem semel accepimus reuereamur, eiq; in omnibus, quæ Dei mandatis non repugnant, submisse pareamur, non humanæ solum, sed naturalis & diuinæ ordinationis est: idque neminem arbitror negaturum, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. inde fit, vt quod initio arbitrii & voluntatis erat, id, post datam de subiectione fidem, statim in obsequii necessitatem conuertatur.

Tum etiam, quia ex voto religionis soli Deo & Ecclesiæ, cuius vicarium caput Papa est, obligatio acquiritur: ac proinde si Papa cui libera negotiorum omnium Ecclesiæ procuratio dispensatioque permissa est, obligationem Ecclesiæ quæsitam, velut genere quodam nouationis in aliam obligationem transfuderit, simulq; Domino Deo, qui principalis in eo negotio creditor est, satisfactum esse, maioris boni promissione vel facto, interpretetur: haud absurde fortassis dici poterit à prioris voti & promissi nexu liberationem contingere: nisi id obstare quis puter, quod voti illicita transgressio, simpliciter & ex sua natura malum sit: malū autem nullius boni, quantumuis magni, obtinendi causa facere permissum sit, a sed eius obiectionis dissolutio perfacilis est.

ᵃappellat vicarium caput, respectu Christi.

a Rom. 3.

At longe secus res se habet de iureiurando, quod homines alterius obligationis confirmandæ causa, sponsionibus & pactis suis, adhibere solent: tale siquidem iusiurandum accessio quædam est illius obligationis, cui securitatis ergo adiicitur, sicut fideiussio, aut nexus pignoris: ac propterea licet iuramentum Deo reddi dicatur, tamen non Deo principaliter, sed homini cui iuratum est, acquiritur hoc casu obligatio: *quia per iuramentum iurans non intendebat placere Deo, sed satisfacere proximo* b quo fit, vt is cui iuratum est, multo plus iuris ex illo iureiurādo nanciscatur, multoq; plus potestatis in eo vel retinendo, vel remittendo habeat, quam Ecclesiæ in voto concessum est. Ecclesia namque, siue Papa (vt ii etiam fatentur, qui eius arbitrio omnia subiiciunt) non sine magna & iusta causa dispensare in voto solemni religionis potest. At vero is cui alius fidem suam, ex causa dandi vel faciendi, iureiurando obstrinxit, potest & solus, & sine causa præter meram voluntatem, liberare in totum iurisiurandi religione promissorē, eiq; id quicquid est accepto ferre, ita vt eius solius venia impetrata, neq; amplius Pontificia absolutione ei opus sit, neq; si non præstiterit quod promisit, periurii reus coram Deo habeatur. Homo igitur est hoc casu, qui vel vinctura detinere, vel liberum dimittere, arbitratu suo potest. Quæ quoniam consensu omnium ita se habent: qui fieri potest, vt obligationem alicui iure optimo quæsitam, iure inquam naturali, diuino, & humano per iusiurandum omni ex parte licitum, licito contractui apposituū, summus Pontifex inuito creditori auferat? cum non sit in hac specie, sicut in superiore, interpretationi locus, per quam præsumatur satisfactum esse ei, cui principaliter fuit iuratum, contradicente nimirum & contrarium ostendente creditore: quandoquidem præsumptio veritati cedit c.

b Panor. in c.1 nu. 4. de iureiur.

Sed esto, auferre ex causa possit, & promissorem iurisiurandi vinculo liberare (ne de ea re amplius cum Canonistis hic contendam) auferat igitur: quid ei deinde facto consequens in nostro hoc negotio videtur? liberum fore populum dices, ab imperio & subiectione Principis, statim atq; iurisiurandi nexu solutus est. itane vero? An non perspicis iusiurandum hoc, non esse nisi accessionem tantū confirmatricē illius obligationis, qua fides & obedientia Principi promissa est? an ignoras accessiones tolli & liberari posse, sine interitu principalis obligationis? non n. vt principali non consistente tolluntur accessiones, ita & sublatis accessionibus interit principale. Manet ergo adhuc obligatio cui iusiurandum accesserat: quæ quoniam iuris naturalis & diuini est, non minus tenet hominum mentes & conscientias apud Deum, quam si esset iuramento sustentata *quia Dominus inter iuramentum & loquelam nostram, nullam vult esse distantiam*: d quamuis ad fidem promissi seruandā licet magis peccet iurisiurandi violator, propter contemptū numinis: & licet in foro & exteriore periurium, propter promissi solemnitatē, grauius vindicetur, q̄ neglecta fides simplicis spōsionis.

c L. vlt. D. quod met. cau. l. contrahenda. 137 §. cum ita. D. de verb. oblig.

d Can. iuramenti. 22 q. 5.

Quod si & hanc quoq; obligationē Pontifex, *de Apostolica potestatis plenitudine*, rescindere, subditosq; à Regia iugo liberare voluerit, atq; iis præcipere, ne qua in re Principi suo, *eiusue monitis, mādatis, & legibus sub pœna anathematis audeant obedire* Nonne huic præcepto Papæ obsistere videbitur expressum Dei mandatū de Regibus omni obsequio honorandis? An nō liceat facere, in eiusmodi negotio & causa omnium maxima, quod Pontificii interpretes in leuioris momenti controuersiis solent? Nempe de hac plenitudine potestatis solerter inquirere, eone vsq; se extendat, vt quod Deus diserte iubet, id per illā diserte prohibeatur? aut quod Deus expresse fieri vetat, id per illā licite iu-

beatur? Deus per Salomonem iubet me timere Regem: & per Apostolos, Regem honorificare, eique subiectũ esse, & obedire. Hoc certe & naturalis & diuini iuris præceptum est: vt inferior sc. superiori pareat, quamdiu id non vetet ille, qui est vtroq; superior in eodem potestatis genere: is a. in causa Principis & populi, siue inter populum & principem, quando de imperio & subiectione temporali agitur, est solus Deus, quo solo Rex in temporalib. minor est: vt in spiritualibus Pontifex.

Cum itaq; nemo non ingenue fateatur, plenitudinem Apostolicæ potestatis non tantam esse, vt in iis, quæ expresso Dei verbo prohibita sunt aut præcepta, Pontifex dispensare vllo modo possit (quo axiomate Bellarminus præcipue nititur, dum vult ostendere, *Papam nõ posse subiicere seipsum*
a Lib. 2. cap. 18. de Concil. *sententia coactiua Conciliorum*: a *Papa potestas super omnes, est de iure diuino*, inquit, *at non potest Papa dispensare in iure diuino*) nihil mirari oportet, si mandata diuina de Rege timendo & honorando, multorum subditorũ animis ita insideant, vt nullum contrariis præceptis locũ præbeant, sed omnino id id incumbant, ne aduersantibus Pontificum edictis, absolutoriis simul & prohibitoriis, in ea re mos geratur. Sæpe mihi à Magnatibus, & viris minime malis dictum est, præceptum illud diuinũ de Regibus honorandis, tanti apud se esse, & tam altas in animum radices egisse, vt nullis bullis & indulgentiis contrariis, leuari se posse conscientiæ fasce & scrupulo, atq; in interiore homine securos esse, sibi persuadeant: quo minus tam clarum & manifestũ iuris naturalis, & diuini mandatum exequantur, & promissum ac debitũ suo Principi obsequium præstent. Atq; hæc quidem causa est, cur pauci de Nobilitate ab Henrico IV. Imp. nulli à Philippo Pulchro, nulli item à Ludouico XII. Gall. Regibus, propter Bullas & censuras Pontificias, depositionis sententiã continentes, defecerunt. Nam, ne quã erremus; tenendũ est, Apostolicæ potestatis plenitudinẽ, eam tantum potestatẽ complecti, quam Dominus Iesus Dei filius, cum in hoc mundo versaretur, vt homo inter homines habere voluit, & eatenus Papam referre nobis Christum, & eius esse Vicarium (vti supra ex eruditissimi Bellarmini doctrina ostendimus) non autem potestatẽ illam, quam vt Dei filius, Deus ipse Patri æqualis ab æterno habuit, & diuinitatis suæ omnipotentiæ reseruauit: de qua ait, data est mi-
b Matt. vlt. hi omnia potestas in cœlo & in terra *b*.

Quanquam video quosdam vsq; adeo ineptire, aut potius insanire, vt hanc omnipotentiam, Pontifici etiam tributam asserant, eiq; probando insigne vanitatis suæ argumentũ hoc modo contexant. *Christus cõmisit summo Pontifici vices suas, vt habetur Matt. 16. & 24. q. 1. can. quodcunq. Sed Christo data erat omnis potestas in cœlo & in terra. Matth. 28. Ergo summus Pontifex, qui est eius vicarius habet hanc potestatem, extra de translat. c. quanto.* Ita Petrus Bertrandus in suis *additionibus ad gloss. extrauag. Vnã sanctam. de maior. & obed.* qui & hoc præterea ausus est addere, quod parum à blasphemia abest. *Nam nõ videretur Dominus discretus fuisse (vt cum reuerentia eius loquar) nisi vnicum post se talem reliquisset, qui hæc omnia posset.* Eratne huic homini cerebrum? Non mirum si Io. Gerson dixerit *pusillos*, hoc est, Christianos simplices & ignaros, ab eiusmodi glossatoribus & postillatoribus imperitis deceptos; *æstimare Papam vnum Deum, qui habet potestatem omnem in cœlo & in terra.* certe tales adulatores iudicium & mores multorum Pontificum corruperunt. Non mirũ etiam, si Pius V. Pontifex, Martinum Aspi-
c Nauar. in comme. can. nõ liceat Papæ. 12. q. 2. d In can. ab hunctiones. 35. q. 2. lcuetæ dixerit, *Iurisconsultos* (Canonistas opinor intellexit) *solitos esse plus satis potestatis tribuere c Papæ*. De quibus Ioan. de Turre cremata, *d mirum est*, inquit, *quod S. Pontifices loquantur moderate de potestate eis data: & quidã doctorculi, sine aliquo vero fundamento, volunt adulando eos quasi æquiparare Deo* quo pertinet, quod scribit Cardinalis de Cusa, vir in omni Philosophia diuina & humana, atq; etiã in historiis apprime versatus, quosdam nempe scriptores *volẽtes Romanam sedem omni laude dignam, plus quam Ecclesia sancta expedit, & credet, exaltare fundare se in scriptu apocryphu.* atq; ita Papas populosq; decipere.

CAPVT XXVIII.

ERror autem istorum hominum, quo potestatem omnem, & diuinã & humanã. Papæ tribuunt partim ex scriptis apocryphis, vt dictum est, partim ex rescriptis quibusdam Pontificiis, obscurius paulo quã oportuit conceptis, & male ad literam, vt aiunt, intellectis creatus est. Nam vt vere dicam, nihil nudis & meris Canonistis imperitius: quod nõ de humaniorum literarũ cognitione, & sermonis proprietate intelligi tantũ volo: ferenda quippe in illis eiusmodi ignorantia est, tanquã commune seculi illius quo scripserunt malũ: sed de artis etiam quam profitentur scientia, quã infinitis distinctionum & opinionũ varietatibus obscurarunt. Maxima enim ipsorũ pars in Canonib. & Constitutionib. Pontificiis hærebant, nullũ aut perexiguum extrinsecus adiumẽtum ex Theologia, & aliis scientiis, vt oportuit, quærentes rescripta illa de quibus loquor, & quæ hominib. istis
e Ca. 3 & errorẽ crearunt, extant sub titulo, *de translatione Episcope* e in quibus Innoc. III. comparat Matrimonium spirituale, quod contrahitur inter Episcopum & Ecclesiam, cum Matrimonio carnali, quod est inter virum & mulierẽ, primum in eo, quod quemadmodum carnale matrimoniũ sumit initiũ à sponsalibus, & fit ratũ per nuptias, & consummatum per corporũ commistionem: *sic & spirituale fœdus coniugii, quod est inter Episcopũ & Ecclesiam, in electione initiatum, ratũ in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatũ.* Deinde in eo, quod sententia Domini & Saluatoris in Euangelio: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, de vtroq; Matrimonio, tam carnali quam spirituali intelligenda sit. *Cũ ergo fortius sit spirituale vinculũ quam carnale*, inquit, *dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale coniugiũ quod est inter Episcopũ & Ecclesiam, suo tantũ iudicio reseruauerit dissoluendũ, qui dissolutionẽ etiam carnalis coniugii, quod est inter virũ & fœminã, suo tantum iudicio reseruauit, præcipiens, vt quos Deus coniunxit, homo nõ separet:* & rursus, *Sicut legitimi Matrimonii vinculũ, quod est inter virum & vxorẽ homo dissoluere nequit, Domino dicẽ-*
f Matt. 19. *te in Euangelio, f Quos Deus coniunxit, homo non separet: sic & spirituale fœdus coniugii, quod est inter Episcopũ & Ecclesiam, sine illius authoritate solui non potest, qui successor est Petri, & vicarius Iesu Christi.*

Ac ne

Ac ne quis obiiceret: Si Deus vtriusque coniugii, tam carnalis quam spiritualis dissolutionem suo tantum iudicio reseruauit, & vinculum spirituale fortius sit quam carnale, qui fieri potest, vt summus Pontifex, quem constat hominem esse, vinculum illud spirituale possit dissoluere? respondet ibi Innocentius, id ea ratione fieri, quod non humana, sed diuina potestate separentur, qui authoritate Romani Pontificis, *per translationem, depositionem, aut cessionem, ab Ecclesia remouentur. Non enim homo*, inquit, *sed Deus separat, quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate vel vtilitate pensata, non humana sed diuina potius authoritate dissoluit.*

Hæc illa sunt, quibus homines isti in præcipitem errorem deferuntur, vt quicquid à Papa fiat, à Deo factum esse putent: quod verba nimirũ Innocentii hunc sensum præ se ferant. Nullus est, fateor, in iure Pontificio locus, verbis quidem planior & apertior, intellectu autẽ difficilior: adeo vt in eo explicando, interpretum omnium ingenia concidant. Nã quid magis intelligenter, plane, & perspicue dici potest, quam *Non hominem, sed Deum separare, quos Romanus Pontifex separat seu dissoluit?* aut quid cui magis consequens, quam hoc illi, *Romanum ergo Pontificem posse dissoluere matrimonium inter coniuges carnali copula consummatum?* qua conclusione tamen nihil falsius, ac proinde illud ex quo sequitur, falsum esse fatendum est: quandoquidem sequi falsum ex vero nunquã potest. Quod cum animaduertisset Hostiensis, cum inquam rationem illam tam alienã perpendisset: a *Sed illa ratio*, inquit, *non est sufficiens, salua authoritate & reuerentia reddentis, nisi aliter intelligatur: quia secundum illam sequeretur quod etiam matrimonium carnale diuidere posset authoritate sua.* At Hostiensis tamẽ non aperit nobis quomodo aliter intelligi debeat: nec potest se inde extricare, vt salua veritate sententiam sustineat. Nam quod arbitratur eam intelligi posse de matrimonio carnali, *quod, vt ille ait, ante carnis copulam communi dissensu, authoritate Papæ interueniente, dissolui possit: arg. c. 2. & c. ex publico. de conuers. coniugat.* illa certe interpretatio omni prorsus authoritate & ratione deficitur. Nam quod attinet ad rescripta ab eo allegata, & si qua sunt similia, de illa matrimonii dissolutione loquuntur, quæ fit per electionem religionis, & Monasterii ingressum alterius coniugis, antequã corpora nuptialis thori amplexibus commista sint, quo casu nihil authoritatis Papæ interuentu, aut dispensatione Pontificia opus est, quin mero iure, & communi legis auxilio muniti sunt, qui eo modo quærunt sibi separationem, & matrimonium dirimunt. b At matrimonium ratum & nondum consummatũ dirimi posse ex alia causa, communi partium dissensu, per Papæ authoritatẽ, cõstanter cum doctissimis Theologis negandum est. Corporum enim coniunctio & commixtio, nihil quicquã substantiæ & [illegible] siue essentiæ matrimonii, aut addit, aut adimit: quippe forma matrimonii consistit in indiuiduæ animorum coniunctionis & consensus declaratione, qua se inuicem, alter alteri, mutuo tradunt. Liberorum vero procreatio, & eius causa concubitus, non ad cõstitutionẽ matrimonii refertur, sed ad finẽ c. Hinc ab ethnicis dictum est, *nuptias non concubitus, sed consensus facit* d. idq; sacris canonibus & constitutionibus confirmatur. e alioqui certe primũ illud matrimonium, quod Deus in Paradiso instituit, matrimonium non fuit, donec coniuges inde deiecti, liberis operã dare cœperunt, quo quid absurdius? Ad hæc nulla Ecclesiæ constitutio aut traditio, nulla Patrum authoritas, nulla Pontificis Epistola Decretalis, nulla deniq; ratio certa & solida reperitur, quæ matrimonium ratum, licet non consummatum, ab illa Saluatoris sententia excipiat, *quos Deus coniunxit, homo non separet*. ac ne excipere quidem possit, nisi prius constet eos qui Sacramento matrimonii, in facie Ecclesiæ contracti, copulantur, non esse à Deo coniunctos.

Sed est, in hac re, sicut in cæteris, tanta interpretum quorundã iuris Pontificii, seu inscitia, seu blanditia, vt non solum matrimonium ratũ & nondũ consummatum, contra communem Theologorum sententiam, sed etiam matrimonium ratum & carnali copula cõsummatũ, à Pontifice, per [illegible] à Deo, dissolui posse, non vereantur asserere: f quod si verum esset, quam infirmũ matrimonii vinculum futurum sit inter eos, qui gratia & authoritate apud Pontificem pollent, aut alioqui eorum cupiditate pecuniarũ largitionibus possunt corrumpere, aliis iudicandũ relinquo. Non est autẽ quod superioribus Innocentii rescriptis sententiam suam firmauisse existiment: cum Pontifex ille alibi expresse dicat g matrimonium inter legitimas personas, verbis de præsenti, *contractum, in nullo casu posse dissolui, nisi antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum*, alter coniugum ad religionem transeat. neque enim credibile est, tam doctum piumq; Pontificem, aut suorum [illegible] obitum oblitum fuisse, aut scientem prudentem, tam pugnantes & dissentientes sententias euulgasse, alius ergo rescriptorum Innocentii sensus quærendus est.

a In summa de diuort. [illegible]

b Cap. ex parte 14. §. nos tamen & d. ca. 2. de conuers. coniugat.

c D. Thom. q. 29. art. 2. in conclus.

d L. nuptias D. de reg. iur.

e Can. suffi[c]iat. cau. 27. q. 2. cap. cum locum. de spons. & matr.

f Vide Co[n]s. [illegible] matrimonium de matrim. part. 2. [illegible] notat & reprehendit.

g Ca. ex parte 14. §. nos autem. & §. nos tamen de conuers. coniugat.

CAPVT XXIX.

Qvod si quis meam de illis sententiam & interpretationem quæriter: haud verebor, vt in re obscurissima, dicere, subsisto: existimate me tamen pugnam in iis esse [illegible], mentem scopumque Pontificis, & sensum verborũ, inter se discrepare, quod in aliorum legislatorum scriptis sæpe contingit, cum aut verbis exprimendæ cogitationi minus aptis vtuntur, aut ad perspicuitatem & integritatẽ constitutionis particulam aliquã necessariam, aut exceptionem omittunt. Nã alioqui non est verisimile, eum qui negat Papam posse licentiam monacho indulgere, vt proprietatẽ certum habeat vel vxorem, velle affirmare Papam posse coniugii sacramentum, matrimonium inquam ratum & consummatum dissoluere. Quid ergo rei est? Dicã quod sentio. Animaduerti equidem Innocentium ita doctrinam suam in illis rescriptis subtiliter temperasse, vt quamuis vtrumq; coniugium inter se componat & comparet in hoc, quod Dei solius iudicio dissoluantur, tamen

vbi de potestate summi Pontificis, & Vicarii *Iesu Christi*, loquitur, nô amplius ea coniungit, nec matrimonii carnalis mentionem facit; sed tantum spiritualis, quod non censetur ab homine separari, sed à Deo ipso, tunc cum illud Rom. Pontif. *Ecclesiarum necessitate vel vtilitate pensata, non humana, sed diuina potius authoritate, per translationẽ, depositionem, aut cessionem, dissoluit*, quo silentio, & prætermissione carnalis matrimonii, satis innuit illud à matrimonio spirituali, in ratione separationis differre, & tacite excipi: vt Pontificalis authoritas ad eius dissolutionem nô extendatur, quasi expressius hoc modo dixisset, Deus suo iudicio tam carnalis quam spiritualis matrimonii dissolutionem reseruauit. Spirituale tamen Romanus Pontifex, qui Christi vicarius & Petri successor est, *Ecclesiarũ necessitate vel vtilitate, &c.* soluere potest: quod cum facit, *non homo sed Deus separat*, cuius vicem Papa in terris gerit. Cur autem Pontifex spirituale coniugium soluere, & non item carnale possit, eadẽs atq; in promptu ratio est quod spirituale nimirum per se, & omni ex parte, ad Ecclesiæ ordinationem, regimen, & œconomiam pertineat, quam Christus totam Petro & eius successoribus commendauit, itaq; non potest non videri concessisse illis hanc spiritualis coniugii dissoluendi potestatem, cum sine ea, munus sibi commissum æqui & expedire non possent, *a* ac proinde quicquid ipsi Pontifices, tanquam Hierarchæ de singulis Ecclesiæ rebus ac personis disponunt, decernuntq; id Deum; qui hanc illis dispensationem & procurationem nominatim commisit, disponere ac decernere credendum est.

At matrimonium carnale, non ad ordinationem Ecclesiæ, sed tantũ ad procreationem sobolis Institutum est *b*: ob eamq; causam dicitur esse iuris naturalis *c*, & gentium nationumq; omnium commune: nec alia ratione ad Ecclesiæ notionẽ pertinet, quã quod in nouâ lege sacramentũ sit, Dei & animæ, Christiq; & Ecclesiæ coniunctionis mysterium continens, & ideo nihil necesse fuit, eius soluendi facultatem, libertatemq; Petro & eius successoribus permittere. Sat habent prospicere & iudicare an sit matrimonium, vt sciant an sit sacramẽtũ. Quamuis igitur Pontifex in matrimonio contrahendo plurimum possit, omnium sc. impedimentorum, quæ ex iure positiuo & ecclesiasticis constitutionibus oriuntur, gratiam facere: atq; efficere vt rite & recte contrahatur, quod alias non esset legitimũ & ratum: tamen vbi vel iure communi permittente, vel Papa in prohibitis dispensante, semel contractũ est, nullam vlla ex causâ habet eius relaxandi separandiq; potestatẽ. Nec ad rem pertinet, quod sæpe in foro & iudiciis Ecclesiasticis, separationem fieri videamus earũ personarũ, quæ diu sub iugalis vinculi spe & specie conuixerunt. Non enim Papa eo casu, neq; iudex authoritate Papæ, matrimonium aliquod dissoluit: sed matrimonium quod de facto contractum erat & matrimonium esse falso credebatur, non fuisse matrimonium sententia sua declarat & personas non legitime coniunctas, quod cubilia sociare sine scelere nequeant, à se abscedere, & solita consuetudine abstinere præcipit. Hoc autem non est soluere matrimonium, aut personas legitime coniunctas, quoad vinculum, separare. Ex quo patet tam Innocentium interpretẽ, qui postea IV. eius nominis Pontifex fuit, quam Io. Andr. qui fons & tuba iuris Canonici vocatur, ineptissime partẽ istã rescripti Innoc. III. esse interpretatos, *Quod Deus coniunxit, homo non separet, sua authoritate*, inquiunt: *non autem separat homo carnale matrimonium, cum Episcopus, vel etiam archidiaconus, per constitutiones Papæ dissoluit, sed ipse Deus cuius authoritate facta sunt*. quasi vero per constitutiones Papæ dissolui possit matrimonium? possunt certe constitutiones Papæ impedire, ne matrimonium inter certas personas iure contrahatur, & efficere vt sit nullum, quod contra illarum dispositionem contractũ est. At iure contractum distrahere, & eius vinculum dirimere ac dissoluere, nulla neq; Ecclesiæ neq; Papæ constitutio potest. alioqui male Apostolus, *mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius, liberata est* d. male inquam, mortis tantum mentionem fecit, si alio modo, per constitutiones sc. Pontificias, soluto matrimonio liberari possit. Quæ cum ita sint, tempus nunc est ab hoc diuerticulo, in quod nimis Doctorum quorundam assentatio & ignorantia nos compulit, ad eam viam vnde sumus digressi, repedare.

Capvt XXX.

Positum iam hoc est, & omnium de rebus diuinis recte iudicantium consensione firmatum, Papam non posse alicui gratiam facere iuris naturalis & diuini, siue, vt vulgo nunc loquuntur, côtra ius naturale & diuinum dispensare: & concedere vt impune fiat, quod Deus & Natura vetaruntaut prohibere ne fiat quod Deus fieri expresse imperauit: idq; non solum Theologi, sed etiam melioris notæ Canonistæ asseueranter concludunt. Hoc igitur illud est axioma certissimum, circa quod totius huius disputationis cardo vertitur. & ex quo pendet vera solutio eius argumẽti, quod ex Bellarmino transcripsimus in *principio capitis vigesimi*, supra. Admittimus quidem eius propositionem, *Pastori scil. necessariam esse potestatem circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua potest.* Admittimus & assumptionem. *Lupos nimirum qui Ecclesiam Dei vastant, esse hæreticos.* ex quibus concludit hoc modo. *Ergo si Pontifex aliquis ex oue aut ariete fiat lupus, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo, ne eum sequatur, ac proinde priuare eum dominio in subditos.* Vitiosa collectio, cuius loco in bona dialectica reponendum est. *Ergo si Princeps aliquis ex oue aut ariete fiat lupus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere omni ratione qua potest.* Hoc enim ex propositis recte efficitur. & ideo iis concessis, negari non potest. Hoc totum igitur verum est, & totum concedimus: sed istis tamen minime cohæret aut consequens est, id quod ait nectit *Pastorem scilicet posse iubere populo, &c.* Nam posse, vel non posse, vbi de iure & æquitate disputatur,

non

a L. 4. D. de constit. L. si usu. D. de servit. L. 3. §. qui habet D. de servit. præd. rustic. an 3. de offic. iud. dele.
b Aug. l. 14. de ciuit. Dei c. 18. Thom. 2.2. qu. 154 art. 2.
c L. 1. §. ius naturale D. de iust. & iur.
d 1. Cor. 7.

non de mero facto, siue de potestate, quæ facti est, sed de potestate, quæ iure permissa est, quæque iuri & rationi congruit, intelligi debet: vt dicatur Pontifex hoc casu, id posse, quod iure atque honeste potest a. Atq; ita res eo redit, vt cogamur inquirere, an Pontifex de Apostolicæ potestatis plenitudine, vt loquuntur, possit imperare & præcipere subditis, ne Principis sui *monitis, mandatis, legibus, sub pœna anathematis audeant obedire*, & si de facto id iusserit, an subditi teneantur præcepto eiusmodi Pontificio parere. Nullum certe, vt principio admonui, pro affirmatiua parte argumentum efficax, vel ipsemet excogitare, vel ab alio excogitatum & propositum comperire, hactenus potui, pars vero contraria validissime sustentatur fundamento illo, quod iamiam retulimus. Papam videlicet non posse vllo modo contra ius naturale & diuinum dispensare, ex quo argumentum vt videtur firmissimum, hoc ratiocinandi forma concluditur.

Summus Pontifex nihil præcipere vel dispensare potest contra ius naturale & diuinum.

Atqui subiectio & obedientia Principibus & superioribus debita, est de iure naturali & diuino.

Ergo summus Pontifex contra eam nihil præcipere vel dispensare potest, & per consequens non potest præcipere subditis, ne Principi suo temporali obediant, in eo, quo Princeps est superior, & si de facto præceperit, licebit subditis ei, tanquam extra territorium ius dicenti, impune non parere.

Vtrumq; propositum est certo certius, ex quibus cōclusio necessaria consecutione inducitur. Qui huius argumenti vim eneruauerit, is magnam mecum gratiam inibit, ego mehercle, vt ingenii mei tenuitatem ingenue fatear, non satis perspicio, qua possit solida ratione elidi. Nam etsi dicat aliquis, obedientiam superiori debitā prohiberi & impediri posse, ab eo, qui est illo superiore superior; & Papam quidem, qui Christianorum omnium pater est, omnibus Regibus & Principibus Christianis, hoc ipso quod pater est, esse superiorem: ac proinde eum posse iure suo prohibere, & impedire, ne subditi promissam Principi reuerentiam & obedientiam exhibeant: nihil quicquā hoc fucato argumento efficiet, quod superiori conclusioni contrariæ officiat. Quandoquidem hoc quod dicitur, obedientiam superiori debitam minui, impediri, vel tolli posse, mandato eius, qui est illo superiore superior: id tunc solum verum est, cum is qui prohibet, est superior in eadem potestatis & vt ita loquar, superioritatis specie, siue in iisdem rebus, in quibus debetur obedientia. Veluti exempli gratia, Rex potest militiæ suæ Præfecto imperium abrogare, & præcipere, ne exercitus ei amplius obtemperet: potest & Præfectus ex causa præcipere, ne tribuno, & tribunus ne centurioni, & centurio ne decurioni miles pareat: quia omnes in eadem re, in regimine, inquam, & disciplina militari, sed alii aliis, secundum ordinem dignitatis superiores sunt. Idem de ordinibus cœlestis militiæ, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ est. At vero obedientia subditorum erga Principem, de qua loquimur; consistit in rebus temporalibus; in quibus ipsimet Pontifices fatentur, neminem esse Principe superiorem. Quod si nemo ei in temporalibus superior est, sequitur profecto; neminem esse, qui prohibere vel impedire possit subiectionem & obedientiam; quæ à suis subditis in temporalibus illi debetur.

Ostendi supra, has potestates, spiritualem & temporalē, ita esse distinctas, vt neutra alteri, quatenus talis est, aut dominetur, aut pareat. Nec audiendos esse, qui ad istas distinctionum & subtilitatū latebras, seu potius captionum laqueos, *directe & indirecte*, confugiunt. Nam certum est, eum habere superiorem in temporalibus, cui alius quouis modo imperare tēporalia potest, siue qui ab alio in temporalibus iudicari directe vel indirecte potest: quippe iudicium redditur etiam in inuitū b, & nemo nisi à superiore iudicatur, *quia par in parem non habet imperium* c. Et vero quantum ad effectum & exitū rei attinet, nihil prorsus interest, verum quis *directe an indirecte* imperium & potestatē in alium obtineat, illis n. verbis, *directe & indirecte*, seu mauis *directe & oblique*, differentia tantum in modo & via, seu ordine adipiscendæ potestatis, non autē in eius exercendæ & exequendæ libertate, vi, & effectu, nobis proponitur. Sed per Deum immortalem, quid dici potest absurdius, aut secum magis pugnans, quam Regem non habere aliquē superiorem in temporalibus d, *sed liberum esse à vinculis delictorum, nec illis ad pœnam vocari legibus* e, quod tota semper antiquitas, totaq; Ecclesia tenuit: & Papam ex causa, siue aliquo modo, h. e. indirecte, esse in temporalibus Regē superiorem, & eum pœnis temporalibus regno scil. atq; imperio, imo & morte posse multare? Nam postquam à Papa de solio deiectus est, atq; inter priuatos constitutus, quid superest, nisi vt exitum inuidiæ ferat, & aut celeri fuga salutē quærat, miseramq; procul patria vitam degat: aut si eo sibi modo non prospexerit, mox publici iudicii reum carcer, vel carnifex excipiat. Infesta. in hac potestate, quā isti homines tribuunt Pontifici Indirecte, summa, soluta, & impunita bonos & immerentes Reges opprimendi, atq; tyrannidē exercendi libertas. Nam inprimis statuunt, *Pontificū esse iudicare, Regem esse deponendum, vel non deponendum.* Deinde ab ipsius iudicio nullam esse prouocationē, *quod solus ipse omnes iudicet, & à nemine iudicetur*. Atq; ita in maleuoli Papæ voluntate situ esset, quoties Regem aliquē, quamlibet bonum, priuato odio cōsectatur, aliquam indirectæ potestatis causam prætexere, vt eum regno exuat, & priuatum ex Principe reddat. Quod equidē hic non dicerem, (neq; n. tam male ominari de S. sedis Rectoribus vellem) nisi id à Pontificibus quibusdam, reuera factitatum esse, superioribus seculis, omnes intelligerent: Et needum tēpus vitam longæui hominis superarit, ex quo Iulius II. Ioanni Nauarræ regi, nullius sceleris conscio aut conuicto, sed solum quod Ludouico Francorū Regi fauisset regnum per Ferdinandum Aragonium hoc Pontificiæ authoritatis prætextu, impie atq; iniuste eripuit. Quod si talia facere nō est esse superiorem in temporalibus, discere libenter ab istis Magistris cupio, quid sit esse superiorem? Vnum scio (si

a L. filius ff. D. de condit. institut.

b L. ipsos stipulationum 83. §. 1. D. de verb. oblig.

c L. 4. D. de recept. qui arbitr. L. ille à quo §. tempestiuum. D. ad SC. Treb.

d D. cap. per venerabilem.

e S. Ambr. in Apolog. David.

vera est hæc illorum sententia) Papam plus posse aduersus Reges indirecte, quam si directe imperium in eos obtineret, qua de re supra *a* nonnihil diximus.

a Cap. 12.

Responsio populi ad Pontificem iubentem deficere à Rege.

Si igitur summus Pontifex, *de Apostolicæ potestatis plenitudine*, populum à Regis obsequio prohibere, decreto suo, siue Bulla præcipere conetur: An nō statim populus vniuersus, aut singuli de populo possint, Pontifici respondere; Pater sancte, nequaquam es Rege nostro in temporalibus superior, eoq; non potes obsequium temporale, quod nos illi præstamus, impedire. Cur nos facere prohibes, quod Deus nos facere imperat? An quia tuum est, voluntatem Dei in lege diuina & Scriptura comprehensam interpretari? At non est tamen illa interpretatio adhibenda, quæ legē penitus euacuet, & mādatum omnino destruat ac dissoluat. Si quid dubii aut obscuri est in lege diuina, ad sedem Petri, i.e. ad sedē, quam tu nunc tenes, interpretationis veritatem accepturi cōfugimus: quod autem per se clarum est & perspicuum, id nulla interpretationis luce indiget. Cum itaq; dominus & Saluator noster iubeat nos *reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo:* & deinde per Apostolum, *Principibus & potestatibus subditos esse, & dicto obedire:* Tuum est nobis declarare quæ sunt Cæsaris, i.e. quæ à nobis Regi nostro debentur, & quæ sunt Dei: vt sua vtrique reddamus: & in ea rerum distinctione vocem tuam libenter audiemus. At cum dicis, nolite quicquam Cæsari, siue Principi vestro reddere, contradicis Christo, ac proinde vocem tuam non audimus. Fatemur quidem & profitemur, Sanctitatis tuæ expositioni atq; interpretationi in legis diuinæ obseruatione locum esse: sedē non admitti asserimus, quæ facit, vt ius naturale & diuinum sit ludibrio, & penitus contemnatur. Veluti, ne à re qua de agitur, aberremus: Iubemur principibus & potestatibus obedire: tuas in huius mandati obseruatione explicationes & restrictiones, quæ modo mandatum ipsum non extinguunt, tanquā filii obedientes libēter amplectimur. Veluti cum nullam inde obligationem parendi Regibus oriri dicas, nisi in iis, quæ ad temporalē ipsorum iurisdictionem pertinent spiritualia omnia vicario Christi, atq; Ecclesiæ reseruanda esse. Item cum admones, non esse Regi obediendum in eo, quod contra ius diuinum vel naturale imperat, aut quod alioqui bonis moribus aduersatur. At, quando simpliciter & absolute præcipis, *ne Principi nostro legitimo, eiusve monitis, mandatis, & legibus, vllo modo obediamus:* præcepto tuo parere non possumus; quia hoc non est mandatum Dei interpretari, quod Sanctitati tuæ conceditur: sed penitus antiquare & abrogare, quod nullo modo potes. Christus cum claues regni cœlestis Petro tradidit, non dedit ei potestatē *faciendi de peccato non peccatum b*. Nos igitur communem Canonistarum doctrinam in hac parte sequemur, qui tradunt, *mandato Papæ non esse parendum si vel iniustum sit, vel ex eo multa mala, seu scandalum verisimiliter est futurum aut turbatio status Ecclesiæ, & reipub. Christianæ oritura c*, & ideo *si Papa mandaret religiosis aliquid quod esset contra substantiam ordinis: i.e. quod repugnaret regulæ ab eis professæ* (vt interpretatur Felinus in cap. accepimus de fid. instrum. & cap. si quando. de rescript.) *non tenentur ei obedire*, vt idem Innocentius d alibi docet: quem refert & sequitur Martinus de Caratis in tractatu *de Principibus, qu. 098.* & Felin. *in d. cap. si quando & d. cap. accepimus.* Quanto igitur minus debent Regum subditi, Pontificem eos ab obedientia, Iure diuino & naturali, Regi suo debita, & arctissimo iuris iurandi fœdere sancita, retrahere conantē audire? Si ob eam causam nos iubes Regiā nostri iugum abiicere, quod per obedientiam illi exhibitam spirituale bonum impediatur: respondemus: id quicquid est mali, ex quodam accidente euenire, siue per accidens fieri, malum enim ex bono, aut bonum ex malo, per se oriri non potest. Accidens a. illud dolenter ferimus, sed impedire non possumus. Nos officium Regi debitum Dei iussu persoluimus, & *secundum patientiam boni operis gloriam, honorem, & incorruptionem quærimus e*. Ille si debito sibi obsequio, & tanto Dei beneficio abutatur, Deum supra se iudicem & vindicem acerrimum sentiet. Nobis non licet officium deserere, & Dei mandatum præterire, vt bonum inde quantumuis magnum cōsequatur, ne eam, quam Apostolus nunciat *f*, damnationem nobis ipsis acquiramus. Qui iubet nos Regibus obedire & reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, nullam bonos inter & malos Principes distinctionem iacit, ac proinde nec nos distinguere debemus *g*. Sicut docet B. Augustinus, *a qui continentiam Deo voverit, nullo modo debet ista compensatione peccare, vt ideo credat vxorem sibi esse ducendam, quia promisit quæ nuptias eius appetit, futuram se esse Christianam, atque ita acquirat Christo animam in morte infidelitatis positam, si ille nuptiæ fieri Christiana.* Qui nos apud Deum excusatione vtemur, si vt speratum aliquod bonum eueniat, iurisiurandi religionem & fidem violemus Deo Regiq; nostro datam? Nihil enim anima pretiosius, pro qua Dominus & Saluator mori dignatus est. Si ergo vt eam Christo lucremur, peccare non liceat, ecquis erit causa peccandum?

b Felin in c. si quando nu. 4. de rescript.

c Innoc. in c. 44. de sententia excommunicat.

Panorm. in cap. cum te neamur 6. de prabend.

d In cap. ne Dei 43 de Simonia.

e Rom. 2.

f Rom. 13.

g L. de pro... D. de publi. in rem act.

Quod autem præterea dicis, te nos ab huius officii vinculo absoluere, atq; absolutos declarare: id non omnem conscientiis nostris scrupulum adimit, sed animi pendere, ac dubitare magis de tua potestate facit quod sciamus præceptum, cuius tu nobis gratiam te facturum promittis, Dei & naturæ lege esse sancitum: Sanctitatem vero tuam non posse, ne quidem de plenitudine potestatis, legis naturalis & diuinæ gratiam cuiquam facere. Tibi igitur in spiritualib. Regi in temporalibus obsequemur. Vtrumq; Deus iubet, vtrūq; præstabimus. Minas denique, quas mādato inseris; miramur quidem, & ex parte metuimus: sed non ita sumus meticulosi tamen, vt plus eas quam oportet, timeamus, aut ita iis terreamur, vt metu iniustæ excommunicationis, iustum ac iure debitum obsequium Regi nostro denegemus. Licet enim vulgo iactetur, *quamvis excommunicationem esse timendam h*. Scire tamen oportet, iniustam excommunicationem non lædere eum in quē fertur, sed eum potius à quo fertur *i*. Si ideo nos anathematis mucrone ferias, quia nolumus mandatum

h Can. sententia canonis iniusta. 11. q. 3.

i Can. quomodo sane. illud 11. q. 3. can. certum. 24. q. 3.

Dei, te iubente, prætergredi, & *malum facere*: maledictio tua vertetur in benedictionem, vt quamuis ligati exterius videamur, interius soluti atque innocentes maneamus.

Hæc illa sunt, & his similia, quæ tam Cleri, quam Nobilitatis, atq; adeo totius populi Gallicani fidem erga suos Reges ita firmarunt, vt Pontificibus quibusdam, enixe conantibus eos à Regum suorum obsequio & obedientia auocare, viriliter restiterint; & Bullas Pontificias, depositionis, & priuationis regni sententiam continentes, pro nihilo duxerint, sed nec se vllis propterea censuris Ecclesiasticis teneri, nullisq; anathematis vel excõmunicationis vinculis iuste inuolui posse haud vane crediderunt. Equidem re vera non video, quid in superiore populi responsione & defensione reprehendi possit: nisi id illis vitio vertatur, satisq; ad contumaciam sit, quod non quamlibet Papæ iussionem, tanquam Dei Omnipotentis voce emissam, omni cunctatione & æquitatis peruestigatione remota, protinus exequantur, quod nemo vnquam sanus, opinor, iudicabit. Cætera enim firmissimis demõstrationibus, & solidissimis diuini & humani iuris rationibus, & argumentis nituntur. Dei scilicet mandatum esse, vt honos & obedientia Regibus & Principibus exhibeatur: nullo bonorum & malorum discrimine, in ea re, proposito. Omnem Papæ potestatem in spiritualibus consistere. Temporalia Regibus & Principibus secularibus esse relicta. Papam non esse Regibus superiorem in temporalibus, ac proinde non posse illos temporalibus pœnis afficere, multoq; minus regnis atq; imperiis priuare. Postremo, non posse Papam cõtra ius naturale & diuinum, quo ista subditis erga suos Principes obedientia præcipitur, vllo modo dispensare, atq; ob eam causam neq; absoluere subditos ab illa obligatione, neq; in non parentes sibi legitimum obsequium prohibenti, iusta excommunicatione animaduertere. Quæ omnia sigillatim authoritatibus, testimoniis, & *ineluctabilibus*, vt videtur, argumentis superius conclusa sunt. Sed ea tamen Ecclesiæ æstimanda relinquam. Is enim ego sum, qui me, meaque omnia, sanctissimæ matris meæ arbitrio iudicioq; submitto.

CAPVT XXXI.

QVæ hactenus à nobis dicta sunt, de suprema Regum & Principũ in rebus temporalibus dominatione, deq; obsequio illis non denegando in omnibus, quæ Dei mandatis & bonis moribus non repugnant, ea quidem, solemni & diuturna antiquorum Patrum, & totius Ecclesiæ obseruatione confirmantur. Nam quanquã maximam opportunitatem & facultatem habebant deturbandi, & deiiciendi de solio malos Principes Christianos, à quibus erant multis priuatis publicisq; iniuriis lacessiti, iis tamen de Principatu controuersiam nullo modo mouerunt: nullã humani obsequii particulam denegarunt, erroribus tantum ipsorũ libere, sapienter, & animose restiterunt, atq; ita multitudinem in officio erga Deum & Regem continentes, vtrumq; præceptum de Deo & Rege timendo honorandoq; adimplerunt. Et vero hoc præcipuum remedium est conseruandi à lapsu, & reuocandi ab erratione animos: atq; etiã via & ratio expeditissima Reges & Principes insana hęresi efferatos, ab immanitate ad humanitatem, ab errore ad veritatem, ab hęresi ad fidem reducendi; eamq; rationem Patres antiqui in eiusmodi casibus semper inibant; quam si posterioribus seculis Pontifices alii fuissent secuti, ac non superbam illam & odiosam, in Reges & imperatores, temporalem dominationẽ sibi arrogassent, melius quam nunc cum republ. Christiana ageretur, & fortitan hæreses istæ, quibus nunc premimur, fuissent in ipsis cunabulis suffocatæ.

Nam & euentus rerum, in hunc diem, satis docent, parum aut nihil proficere Pontifices, dum hac sublimi, lubrica, & præcipite via incedunt sed & sæpius turbas, schismata, atq; bella eo modo in Christianis gentibus excitare, q̃ fidem Christi propagare, vel Ecclesiæ vtilitatem & libertatẽ augere. Quam fuerit inutilis & perniciosus Christianæ reip. Gregorii VII. (qui primus pontificum hoc iter tentauit) in Henricum IV. conatus, satis iam superius demonstraui. Quis autem ignorat quam parũ profuit, imo q̃ multum obfuerit Ecclesiæ Bonifacii VIII. impetus & censura in Philippum Pulchrum: similiter & Iulii II. in Ludouicum XII. Franciæ Reges: Clementis VII. & Pauli III. in Henricum VIII. & Pii V. in Elizabetham Angliæ Reges? Nõne hi omnes principes Papale illud imperium, vltra spiritualis iurisdictionis fines protensum, tanquam meram arrogantiam, & vsurpatam dominationem, nõ solum non agnouerunt sed spreuerunt atque riserunt? De postremis duobus Pontificibus ausim liquido affirmare (est enim orbi notissimum) in causa eos fuisse perdendæ religionis in Anglia, quod istam tam inuidiosam & latè patentem potestatem in regni illius Principem & populum, sibi assumere & exercere conati sunt, quanto igitur rectius & sapientius Clemens VIII. qui spirituali & paterna charitate, & virtute nomini suo idonea, nutantẽ regni Francici in religione statum erigere ac stabilire maluit, quam fastuosa & minaci temporalis imperii authoritate contendere? quod sciret eam raro, ac vix vnquam felices exitus habuisse.

Regibus quidem & Principibus omnibus, qui soli Deo & gladio se regna & principatus debere, haud vane gloriantur, innata quadam animi elatione peculiare est, velle potius gloriose occumbere, q̃ alieno imperio sceptra submittere; & iudicem ac superiorem aliquem in temporalibus agnoscere. Ob eamq; causam ne expedire quidem Ecclesiæ, & Reip. Christianæ videtur, Papam ea in Principes seculares potestate præditum esse, propter varias, quę inde oriuntur cædes, calamitates, & religionis, rerumq; omnium miserrimas mutationes, quo magis mirari licet quorundam hominũ, qui sibi sapere videntur imbecille iudicium, qui, vt tam odiosæ potestatis inuidiam à Pontifice remoueant, leniantq; indignationem Regum, quib. illa tantopere displicet, non verentur prædicare, & sparsis in vulgus libellis affirmare a, tẽporalem istam Pontificis in Reges potestatem,

a In libello, qui Gallicè inscribitur: La verité defenduë contre le plaidoyé d'Antoine Arnauld.

statem, ipsismet etiam Regibus apprime vtilem esse: quod, vt illi dicunt, homines interdum magis retineantur in officio, metu amissionis temporalium, quam spiritualium rerum. Egregia ratio scilicet, & iisdigna qui Principes & priuatos nullo discrimine habent omnesq; vno pede metiuntur, faciunt næ homines illi intelligendo, vt nihil intelligant, quasi vero metus ille qui in priuatos cadit, Principũ quoq; animos occupare soleat, qui se aduersus omnẽ humanã potentiam, & vim, atque impetus externos, satis tutos & munitos esse, sola imperii potestate arbitrantur. Ad eos tantũ ratio illa referri debet, quos tẽporalis potestatis terror, & ordinariæ iurisdictionis seueritas, metu pœnarũ à delinquendo reuocant: hi enim (quia certum est eos, si quid deliquerint pecuniaria vel corporali pœna coercitum iri) maleficiis plerunq; abstinent, nõ propter conscientiã, sed propter iram & metũ amissionis temporaliũ. At Reges nõ in eadẽ causa sunt, sed supra omnes leges humanas; omnesq; ius p[...] sitũ soli Deo administrationẽ redditeri, & quanto tardius, tanto seuerius puniendi. Aduersus priuatos executio parata est, q̃ nequeant nisi ex indulgẽtia principis euitare. Aduersus Principes quæ potest fieri executio, cũ nullis humanarũ legum sanctionib. teneantur *nullisque ad pœnam vocentur legibus, tuti imperii potestate?* Nam q̃ in iure expressum est: *principem legibus solutum*, id Latini pariter & Græci interpretes, cum de omnib. legibus, tũ maxime de pœnariis intelligunt, vt iis Princeps etiamsi delinquat, non coerceatur, siue vt Græci dicunt, *ἔχειν ἀφορμὴν ἐν κολάσει*. Quæ res facit vt Reges amplitudine potestatis & armorum fiducia erecti, temporalium amissionem nihil timeant, quandoquidẽ vix vllus eorũ tam peruersus existit, quin patriis suæ complurimos sectatores inueniat, quorum ope consilioq; siue arte siue armis agendũ sit solium & sceptrũ tueri se posse arbitretur, ob eamq; causam, tantũ abest eos imperiosis Pontificum de regnis auferendis, minationibus terreri, vt iis potius in pietatem & religionem accendantur. Et vero satis cõstat, temporalem hanc potestatem, quam Papa super omnes mortales ab aliquot retro seculis sibi vendicat, Principibus vsq; adeo esse exosam, vt ne ii quidem qui Petri sedem vel maxime venerãtur, & summam successorum eius potestatem in spiritualibus agnoscunt, illius temporalis dominationis commemorationem haurire auribus, sine indignatione possint, quod talis nimirum imperii Pontificalis nullũ in sacris literis, vel traditionibus Apostolorum, vllisue antiquorum patrũ scriptis, testimonium ac ne vestigium quidem appareat, & rem tanti momenti, tantam dico regnandi libertatem, eripi sibi sine manifesto Dei verbo, & euidente probatione, neque ipsi ferre possint, neque vlla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patiatur.

Quapropter cordatis hominibus plerunq; visum est, Pontifices tranquillitati Ecclesiæ, facilius consulturos, si more maiorum in spiritualis iurisdictionis finib. conquiescant, & pro sua Apostolica charitate precib. & lachrymis orando, obsecrando, obtestando, humiliter à malis Regib. contendant, rectã vt in viã redeant. q̃ si odiosa hac temporalis potestatis intermissione (per q̃ nihil aut parũ proficiunt) morũ & fidei emendationẽ ab iisdem, velut per vim & metum conentur extorquere. Quod si tam sint obstinati in malo Principes, vt nullis moueri lachrymis, nullis precib. flecti possint, Dei auxilium implorandũ, Deiq; iudicio relinquẽdi. Sed ad cætera nunc pergamus.

CAPVT XXXII.

SEcundum argumentum quod Bellarminus ex quinta sua ratione, superius à nobis relata, deducit, his verbis ab eo proponitur. *Potest pastor arietes furiosos destruentes ouile, separare & recludere: Princeps autem est aries furiosus destruens ouile, quando est Catholicus fide, sed adeo malus vt multum obsit religioni & Ecclesiæ, vt si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat, &c. Ergo poterit Pastor Ecclesiæ eum recludere* (dicendum potius *excludere*, recludere enim, aperire est) *vel redigere in ordinem ouium.*

Argumentum hoc quidem admittimus, & præterea quicquid inde necessaria consequutione infertur: inferri autẽ nihil aliud potest, nisi Pastori Ecclesiæ, quo nomine Papam hîc intelligimus, ius fasq; esse expellere malũ Principẽ de ouili Domini & eum excludere, ne cũ reliquo grege Christiano in aula Dominica conquiescat: id est, cum extra communionẽ Ecclesiæ & Sanctorum, per excommunicationem eiicere, atq; omnibus regenerationis in Christo commodis spoliare, ac tradere satanæ, vsq; ad legitimã eius & contumaciæ satisfactionẽ. At hæc tota pœna spiritualis est & ecclesiastica, & maxima quidem omnium quas habet Ecclesia [a]: vltra quam q̃ agat, vel contra priuatum, nihil est: nisi vt Principem politicũ delinquente superiorẽ adeat, & ei pro vindicanda piæ matris iniuria, supplicet, qui quoniam nutritius Ecclesiæ est, in eius desertores & rebelles animaduertere corporalibus & ciuilibus pœnis debet. At hoc auxilio temporali destituitur Ecclesia, quando ipsemet summus Princeps est, qui committit propter quod merito excommunicari possit. quia ipse nullum habet superiorem, nullisq; ad pœnam legibus vocatur tutus imperii maiestate, licet igitur Pastor Ecclesiæ siue Papa, excludere eum ab ouili per excommunicationem possit, atq; ita bonis omnibus spiritualibus priuare, nihil tamen eorum quæ ciuili & humana potestate possidentur, tollere & adimere ei potest: quia non Ecclesiasticis, sed politicis legibus, quæ in manu Regum sunt, res tales subiiciuntur, & sicut nemo Christianus potest siue Princeps, siue priuatus Papæ iudicium in spiritualibus effugere: ita nec subditus aliquis quocunq; ordine & loco sit, Regis seu Principis sui iudicium in temporalibus declinare. Nam quod clericorum causæ aliis quam politicis iudicibus committantur, id singulari Principum beneficio & priuilegio indultum est, quandoquidem iure communi non minus Clerici quam Laici imperio temporali secularium Principũ subsunt, idq; ea ratione constat, quam ipsemet Bellarminus tradit [b]. nempe, *Clerici præterquam quod clericos iam*

a Can. Corripiantur. 24 q. 3.

b Lib. 2. de Clericis c. 28.

rici sint, sint etiam ciues, & partes quædam reipub. politicæ, inde est, quod olim, sub optimis & piissimis Principibus Christianis, causæ omnes Clericorum solitæ fuerint, tam ciuiles quã criminales, modo non Ecclesiasticæ, apud politicos & temporales magistratus agitari *a*. Suam igitur, qua nunc fruuntur, in hac re libertatem, Clerici omnes Principibus secularibus accepto ferre debent, vt capite 15. supra ostendimus. Vnde miror eundem Bellarminũ asserere, Papam potuisse eximere simpliciter Clericos, propria authoritate, per legem canonicam, à subiectione temporalium Principum. Id enim, pace tanti viri dicam, est falso falsius, quia lex Christi neminem priuat iure dominioque suo: priuaret autem, si per eam ius & dominium temporale quod Principes, antequam fierent Christiani, in clericos habebant, ipsis inuitis auferret. Deinde cum ipsemet Papa exemptionem suam non alio iure, quam principum largitate & beneficio nactus sit (nam vt aduersarij fatentur, subiectus erat de iure & de facto Ethnicis principibus, sicut alij ciues) absurdũ est dicere eum potuisse liberare alios ab illa subiectione, alioqui id in eum conueniret, quod impij Iudæi blasphemantes Christo Saluatori exprobrarunt *b*: *alios saluos fecit, seipsum non potuit saluum facere.*

a *Vide supr. cap. 15.*

b *Matt. 27.*

Nec maior in hac re Patrum in Conciliis, quam Papæ, authoritas esse potuit, quapropter locus hic postulat, alium etiam errorem vt coarguamus, qui ex quorundã Conciliorum decretis, non satis perpense consideratis latissime emanauit, & nunc nescio ad quos tandem non pertingit: Concilia nempe liberasse clericos à potestate & iurisdictione magistratuum ciuilium, quo nihil quicquam magis à veritate alienum. Nusquam n. in aliquo Concilio reperitur, Patres id sibi authoritatis assumpsisse, vt iudices seculares imperio & iurisdictione in Clericos priuarent, aut vllo modo prohiberent, ne de clericorum causis apud se in iudicium deductis cognoscerent: nisi postquã singulari Principum beneficio, q̃ à Iustiniano incepit, id fori priuilegium clericis cõcessum est. Nam cum ipsimet illi Antistites, qui Conciliis intererant & præerant, temporalibus potestatibus subditi essent (vt docet S. Augustin. in expositione cap. 13. epist. ad Rom.) fieri non potuit, vt aut seipsos aut alios, propria authoritate, ab illa subiectione liberarent. Sciendum itaq; est, priscos illos Ecclesiæ Patres, apud quos disciplina ecclesiastica, cuius nunc neglectus nimius est, syncere & seuere viguit, omnem nauasse operam, vt clerici non solum doctrina, sed morum etiam probitate, & vitæ innocentia, populum prælucerent, ob eamq; causam clericos omnes monuisse, & Conciliorũ decretis siue canonibus sanxisse, ne ipsorum aliquis, aduersus alium querelas vllas ciuiles aut criminales ad secularem iudicem deferret: sed vt controuersias suas omnes, vel inter se amicorum arbitrio componerent, vel, si id nollent aut nequirẽt, eas Episcopali saltem iudicio terminarent. Atq; hæc quidem eodem, aut certe non absimili consilio statuerunt, quo D. Paulus in epist. 1. ad Cor. prohibuit, ne Christiani alij alios ad Ethnicorum & infidelium iudicum tribunalia cogerent, ibique contenderent: de quo modo agebamus *c*, eo inquam consilio fecerunt id Patres isti, vt si quid humanitus Clericis contingeret, quod laicis scandalo esse potuit (veluti vitia quæ humana fragilitate committuntur) id tectius & occultius apud proprios Episcopos emendaretur, nec ad aures imperitæ multitudinis perueniret, quæ sæpe doctrinam moribus metitur, & aut contemptui aut ludibrio eiusmodi Clericorum lapsus habere solet, & præterea ne Clerici, qui pacis & concordiæ studiosi esse debent, & charitatis ac patientiæ exemplum opere & sermone præbere, litium & discordiarum viam sternere, secularia iudicia frequentando viderentur.

c *Cap. 2.*

His ergo decretis conciliorum nihil iuri laicorum detractum est, quo minus de causis clericorum cognoscerent. Non enim vetuerunt Patres, imo nec vetare potuerunt, ne iudices seculares causas clericorum ad se perductas disceptarent, definirentq; (id enim fuisset Principibus & Magistratibus ius dominiumq; suum eripere, quod lex Christi non permittit) sed vetuerunt ne Clerici alij alios ad eiusmodi iudices pertraherent, canonicis siue ecclesiasticis pœnis in non parẽtes constitutis. Hoc a. constituere, recte & legitime sine cuiusquam iniuria potuerunt, quemadmodũ bonus multorum liberorum pater, præcipere potest filiis, & suis pœnis domesticis prohibere, ne inter se de vllis controuersiis apud iudicem contendant, sed vt de patris aut fratrum sententia litem omnem discordiamq; consopiant: nec id liberis imperando, legitimorum iudicũ potestati quicquam præiudicat. Ita plane Conciliorum Patres filiis suis, i. e. clericis, actionum inter se apud seculares iudices exercitio interdixerunt, non auferendo quidem laicis cognoscẽdi & iudicandi facultatem, sed adimendo clericis pristinam ipsos impune adeundi libertatem. Hoc autem non est eximere clericos de potestate & iurisdictione magistratuum temporalium, sed tantum viam & modum inire, per quem clerici aduersus clericos negotium habentes, ius suum facile consequantur, sine vllo forensi strepitu laicorum. Atq; hæc ita prorsus se habere, ne quis omnino dubitet, operæ pretium esse existimaui, ipsa Conciliorum decreta subiicere, ex quibus male intellectis error iste ortus est: vt inde lector narrationis nostræ veritatem intelligat.

Primum ergo quod de hac re aliquid decreuit, fuit concilium Carthaginense tertium, anno Domini 397. celebratum: cui interfuit S. Augustinus, & subscripsit: eius Concilii can. 9. sic scribitur. *Item placuit, vt quisquis Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum seu clericorum, cum in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locũ suum amittat, & hoc in criminali iudicio. In ciuili vero perdat quod euicit, si locum suum obtinere voluerit.* * *Cui enim ad eligendos iudices vndiq; patet authoritas, ipse se indignum fraterno consortio indicat, qui de vniuersa Ecclesia male sentiendo, de iudicio seculari poscit auxilium: cum priuatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atq; ibi determinari præcipiat.*

* *Cui enim ad eligendos &c. Hoc ideo dicitur, quia tunc tẽporis magistratus solebant darè iudices priuatis causis disceptandis postulatis litigatorum, & deinde eorum consensu, & ideo clericorum consortio indignũ indicabant qui indicẽ potius laicum quam clericũ postulabat.*

Et quod

Ecquod hic verbum est, ex quo probabili aliqua ratione colligi possit, Concilium voluisse clericos magistratuum secularium iurisdictione eximere? aut clericis laicos non esse legitimos iudices iudicare? quin plane contra ostendit, se non negare seculares iudices de causis clericorum recte cognoscere & iudicare posse, nec se ipsorum sententias, quasi à non competente iudice latas improbare; sed tantum id agere, vt eorum clericorum leuitatem & procacitatem coerceat, qui post causam in Ecclesia tractari cœptam; spretis & relictis iudicibus ecclesiasticis, laicorum se arbitrio iudicioq; committunt; quo casu, non improbat quidem Concilium sententiam à seculari iudice latam, nec eum non legitimum iudicem fuisse, sed tantum pœnæ nomine priuat clericum fructu & emolumento talis sententiæ, propter eius improbitatem. Quod autem illius concilii Patres tunc agnoscebãt Magistratus ciuiles esse legitimos iudices clericorum, ex eo satis intelligi potest, quod decretum hoc suum ad eum casum restrinxerunt, quo crimen clerico *in Ecclesia fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota*, extra hos casus ergo, clericia licebat impune, per hunc canonem, in foro ciuili causas suas persequi, & coram indice seculari litigare.

Sequutum deinde est celeberrimum concilium Chalcedonense anno Dom. 451. quod Can. itidem 9. sic statuit, *Si quis Clericus aduersus Clericum habet negotium, non derelinquat proprium episcopum, & ad secularia percurrat iudicia. Sed prius actio ventiletur apud proprium Episcopum, vel certe consilio eiusdem Episcopi, apud quos vtraq; partes voluerint, iudicium obtinebunt. Si quis præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subiacebit.* Ecce vt Concilium hoc sermonem dirigit ad clericos, ne propriis Episcopis relictis, iudices adeant seculares: non autem ad Magistratus & iudices temporales, ne venientes ad se clericos audiant, & causa cognita pronũcient, ac iudicatum facere, iuris ordine compellant, nihil ergo potestati laicorum hoc Canone detrahitur, quinimo verba illa canonia fine decreti, *sed prius actio ventiletur apud proprium Episcopum*, satis ostendunt, Concilii Patres id solũ exigere, vt causæ omnes clericorum in prima instantia apud episcopum ventilẽtur, deinde si opus fuerit, ad secularis iudicis examen deferantur: neque enim verisimile aut credibile est, verbum illud *Primum* à tot summis & sapientibus viris otiose & superflue positum fuisse: atque ita canon ille omnino conuenit cum Nouella Iustiniani constitutione 83. in clericorum gratiam facta. *Vt Clerici apud proprios Episcopos primum conueniantur, & post hoc apud ciuiles iudices* Non ergo infirmatur hoc canone; sed potius confirmatur iurisdictio secularium iudicum in clericos.

Eodem modo in concilio Agathensi, sub Alarico rege, anno Dom. 506. Patres qui eo conuenerant, can. 32. statuerunt, *ne clericus quenquam præsumat apud secularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsare*, quem canonem Gratianus in suum Decretum, mutata lectione, & sensu detorto, non sine flagitio transtulit. Nam quod dixerat Concilium, *Clericus ne quenquam præsumat*, &c. id ille ad
a xi. qu. 1. Can. clericum. suam sententiam hoc modo corruptam traxit a: *Clericum nullus præsumat apud secularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsare.* Vt prohibitio etiam Laicos includat, ne Clericum corã iudice seculari conueniant: cum tamẽ solis clericis facta sit, nulla de laicis habita mentione, quinimo pars secunda illius canonis manifeste ostendit, concilium ita demum clericos ad secularia iudicia trahentibus succensere, & pœnas ecclesiasticas proponere: si per calumniam vexandi animo id egerint. Sequitur enim in eo canone: *Si quis vero secularium per calumniam, Ecclesiam aut Clericos fatigare tentauerit*, apud seculares iudices scilicet litigando, *& conuictus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & à Catholicorum communione, nisi digne pœnituerit, coerceatur.* Corrupit autem Gratianus non solum huius Concilii sententiam, sed etiam epistolæ Marcellini Papæ, in eadem caus. & qu. can. 3. & pro *Clericus nullum*, posuit *Clericum nullus*, vt mirum nõ sit, Canonistas, qui Gratiani tantum collectanea perlegebant, falsa lectione deceptos, in hunc quem carpimus, errorem incidisse, sed mirum est, Bellarminum corruptam illam Gratiani lectionem vtrobique sequutum esse, ac non potius veram & genuinam ipsorum authorum in suis controuersiis, lib. 1. de Clericis cap. 28.

In Matisconensi autem Concilio I. sub Guntramno Rege habitum an Dom. 576. Can. 8. in hunc modum conscriptum est. *Vt nullus clericus ad iudicem secularem, quemcunq; alium fratrem de clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere, quocunq; loco præsumat: sed omne negotium clericorum aut in Episcopi sui, aut in Presbyteri, aut Archidiaconi præsentia finiatur.*

Et in tertio Concilio Toletano, quod Æra 627. hoc est an. Dom. 589. regnante Recaredo Rege celebratum est, Can. 13. de Clericis similiter statuitur. *Diuturna indisciplinatio, & licentiæ inolita præsumptio, vsque adeo illicitis ausibus aditum patefecit, vt Clerici conclericos suos, relicto Pontifice suo, ad iudicia publica pertrahant. Proinde statuimus, hoc de cætero non præsumi. Si quis hoc præsumpserit facere, & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus,*

Hæc illa sunt solennia & fere sola sacrorum canonum decreta, in quibus errorem suum mandauit, qui falso putant concilia potuisse eximere, & de facto exemisse, Clericos de potestate laicorum: quos tamen ipsimet canones adeo perspicue redarguunt, vt nihil necesse sit alia, ad eam opinionem conuellendam, aliunde accersere. Atq; hæc ego quidem, non eo animo & consilio, vt priuilegia clericorum exagitem, aut quod ea illis inuideam, vel detrahi cupiam. Sciunt qui me norũt, quo semper loco Ecclesiasticos homines habuerim habeamque Sacerdotes Dei, vt parentes, veneror, omniq; honore dignos censeo. Sed eos, tanquam humilis filius moneo ne ingrati sint; nec benefactores dedignentur à quibus tot illis priuilegia accesserunt. Principes temporales vt patronos: & libertatis suæ vindices, ac protectores; colere & suspicere tenentur: & non, vt quidam eorum nunc faciunt, negare eã se Principibus debere, sed libertatem & exemptionem omnem Ponti-

tiũ-

tificiis & Canonicis constitutionibus accepto ferre: quo nihil ab ingratis animis proficisci potest ingratius. Non enim à Pontificibus, sed à Principibus secularibus, nec à Canonibus, sed à legibus, quicquid habent temporalis libertatis, acceperunt.

Capvt XXXIII.

AMplius dicam, & veritatem dicam, licet odium fortassis mihi parituram ab iis, quibus omnia sunt inuidiosa, quæ suo studio & desiderio vel minimum aduersantur. Dicam ergo, & grande verbum proloquar, cuius forte aut nondum meminit quisquam, aut, si meminit, saltem eos, quorum intererat id scire non vt debuit, commonefecit. Clericos sc. per totum orbem, quocunq; ordine vel gradu sint, non esse adhuc vllo modo exemptos & liberatos à potestate temporali Principum secularium, in quorum regnis & regionibus vitam degunt, sed perinde ac cæteri ciues iis subiectos esse in omnibus, quæ ad politicam & temporalem administrationem & iurisdictionẽ pertinent, inq; eos ius vitæ ac necis, sicut in cæteros subditos ad eiusmodi Principes pertinere: ac proinde quidem posse Principẽ (de eo loquor, qui superiorem in temporalibus non agnoscit) Clerico delictum quodlibet non ecclesiasticũ committenti, culpam vel clementia & indulgentia condonare, vel debitis lege suppliciis vindicare. Hoc etsi durum, & paradoxo simile iis forte videatur, qui contrariæ opinionis errore imbuti se in solius summi Pontificis ditione ac potestate constitutos arbitrantur, nec vllis præterea humanarum legum constitutionibus obligari: faxo tamen breuiter vt plane intelligant, nihil hoc verbo esse verius, dummodo faciles aures velint rectæ rationi aperire. Pendet a. eius veritas ex iis, quę supra de melioris notæ Theologorum sentẽtia, posita sunt & probata: & inde necessaria atq; euidenti conclusione mox demonstrabitur. Primum igitur positum est & concessum, atq; etiam firmissimis rationib. & testimoniis confirmatum, Christianos omnes tam clericos quam laicos in Regum & Imperatorum manu ac potestate fuisse quamdiu Ecclesia sub Ethnicis principibus militabat: Atq; hoc quidẽ demonstrationis nostræ fundamentum est: cui illud accedit, quod similiter positum est & concessum, nempe *legem Christi neminem iure dominioq; suo priuare*, quia *non venit soluere legẽ, sed adimplere*, ac proinde principibus postea ad fidẽ perductis certum est clericos omnes eodem ordine & loco mansisse, quantum ad subiectionem temporalem, quo prius, principibus in infidelitate constitutis, quia lex Christi neminem priuat dominio suo, vt dictum est, atq; ea ratione priuilegia & exemptiones à piis principib. clericis sunt concessa; quibus neutiquam opus illis fuisset, si clerici non pleno iure, vt ante, sub principum potestate & iurisdictione mansissent. Hęc adeo clara sunt & aperta, & iam supra tot testimoniis, tot monimentis, probata & testata, vt ea repetere hoc loco, aut illis aliquid addere, opera superuacanea videatur, quod sequitur ergo videamus: videamus inquã, quomodo ex istis principiis superior sententia nostra; manifestã demonstratione, & concludendi necessitate procedat, nempe hoc modo: Nusquam memoriæ proditum est ab vllo scriptore, Principes qui istis clericos priuilegiis & exceptionibus donarunt, ita eos à se liberos dimisisse, vt sibi amplius non subessent, nec Maiestatem agnoscerent, imperio ve parerẽt (legantur quæ de priuilegiis illis scripta sunt, ne minimum quidem in iis tantæ libertatis testimonium reperietur.) Id tantum clericis largiti sunt, ne apud magistratus seculares, sed apud proprios Episcopos & iudices ecclesiasticos conuenirentur: hoc a. non est eximere clericos de potestate ipsorum Principum, aut eorum iurisdictioni iudicioq; præiudicium facere, si quando illis libitum fuerit de caussis Clericorum cognoscere, quę modo mere spiritualia non sunt, imo non potuerunt Principes, nec adhuc possunt, clericos in suis regnis cõstitutos ea libertate donare, ne ipsi potestati temporali subsint, neve delinquentes ab iis iudicari & puniri possint, nisi eadem opera sese principatu atq; imperio abdicent, est n. proprium Principum inseparabile; animaduertere posse in delinquentes, & omnia reipubl. membra, ciues inquam omnes, pœnis & præmiis legitime gubernare. Et sicut in corpore naturali membra omnia capiti subiiciuntur, atq; ab eo reguntur, vt monstrosum plane corpus appareat, in quo superflua & à capitis imperio aliena membra conspiciuntur: ita etiam in corpore politico; necesse est membra omnia Principi, seu capiti, esse subdita, & ab eo regi, hoc est, præmiis vel pœnis affici secũdum merita singulorum. Atqui clerici (vt fatẽtur aduersarii) a *præterquam quod clerici sunt, sunt etiam ciues, & partes quædam reipub. politicæ*, quod verum est; & ea ratione inter regni ordines numerantur, primumq; locum obtinent. Ergo vt ciues & reipub. politicæ partes, Principi subsunt: nec possunt ei in temporalibus, quamuis id ipse vellet, non esse subiecti: alioqui vero aut ipse Princeps non esset, aut non illi ciues. Stultum igitur est existimare Clericum in quacunq; caussa conuentum (modo non mere spiritualis sit) posse summi Principis consistorium declinare, aut eius, cui ex certa scientia, Princeps caussæ cognitionem specialiter mandauit. Nam quod Principes perraro de caussis clericorum cognoscũt, aut suis eas magistratibus mandant, id non potestatis sed voluntatis defectum arguit. Hinc est, ex hoc insigni Principum secularium in clericos imperio temporali, quod nostro seculo Carolus V. Imperator vocari in ius ad se fecit, Hermannum Archiepiscopum Coloniensem, vt de criminib. à clero & Vniuersitate ei obiectis se purgaret b: quodq; multis in locis Principes sibi quædam clericorum edicta specialiter vindicanda reseruarunt: eaq; suis magistratibus cognoscenda & iudicanda committunt, vt sunt illa crimina, quæ *priuilegiata* vocantur in Gallia, veluti maiestatis, gestationis armorum, adulterinæ monetæ, infractæ securitatis, & similia: neque per hoc vllam clericis iniuriam fieri, aut ecclesiasticam libertatem aliqua ex parte impediri, minuive putandum est. Multi

a *Bellarm. lib. 1. de cler. cap. 28.*

b *Surius in comment. ann. 1545.*

ecclesiasticam libertatem in ore habent, qui prorsus, cuiusmodi illa sit, ignorant, nos eam alio loco *a*. quid sit, & in quibus consistat, vberius explicabimus.

a *Infra cap. vlt.*

Quæ cum ita sint, nemini, credo, obscurum esse potest, omnem Clericorum libertatem temporalem, tam quoad personas, quam quoad res, à secularibus Principibus esse profectam: non autem, vt quidam putant, vel iure diuino debitam, vel à summo Pontifice, aut canonibus, iis tributam. Nam quod Bellarminus pro supplemento & ratione adfert *b*, vt probet Papam & Concilia exemisse simpliciter clericos de potestate temporali, *legem* scil. *Imperialem cedere debere legi canonicæ*, id non vniuerse verum est, sed tunc solum, quando lex canonica de rebus mere spiritualibus & Ecclesiasticis lata est: subiectio autem vel libertas clericorum in ciuilibus negotiis, non est res mere spiritualis & ecclesiastica, sed potius politica & temporalis, quo casu sacri canones non dedignantur imitari leges ciuiles *c*. Nec maior vis in eo est quod subiicit, *Papam posse Imperatoribus iubere in iis, quæ ad Ecclesiæ authoritatem spectant*, quasi diceret, Papam potuisse cogere Imperatorē eximere clericos de sua potestate, quia libertas clericorum spectat ad Ecclesiæ authoritatem. Nam hoc quoq; falsum esse ex eo dignoscitur, quod nunquam maior fuerit Ecclesiæ authoritas, quam tunc cum clerici omnes Principibus Christianis, & principum Magistratibus, temporali subiectione paruerunt. Nec ista quidem clericis exemptio & libertas ad augendam Ecclesiæ authoritatem concessa est, illa quippe non minor antea fuit; sed ad eos liberandos à vexatione & molestiis, quas sæpe secularium iudiciorum rigor & seueritas adferebant.

b *Dist. lib. 5. cap. 28. de cler.*

c *Cap. 1 de noui oper. nunciat.*

Hinc illa existit quæstio: Liceatne Principibus, in suo cuique territorio sine vlla ecclesiæ iniuria, priuilegium istud exemptionis clericorum, à secularium iudicum cognitione, aliquo casu reuocare, atque ad ius commune & statum pristinum rem totam reducere? De qua non ita pridem consultus & interrogatus, nihil dum respondi, nisi nouam eam mihi videri, & deliberatione difficilem: licet enim à nonnullis proposita sit, à nemine tamen pro dignitate tractata est. Monebat consultores communis & vsitata adimendorum priuilegiorum ratio, quam solet ipsemet Pontifex, omnesq; Principes obseruare: ea est, si aut reipublicæ noxia esse incipiant, aut causa propter quam concessa erant, defecerit, aut ipsis priuilegiarii ad malum & illicitum finem abutantur. Et causam quidem huius exemptionis concedendæ adhuc durare, semperque duraturam dicebant, reuerentiam nempe, quam omnes ei hominum generi exhibere debent: eius tamen abusum, non sine magno totius ordinis ecclesiastici scandalo multis in locis adeo frequentem esse, vt id illis beneficium merito adimi posse videatur. Hæc illi. Sed nos ea de re in libris, *de corruptione seculi*, si Deus vitam & vires dederit, vberius & explicatius disputabimus.

Capvt XXXIII.

AD argumentum nunc igitur reuertor, quod *cap. 32.* initio propositum est, & respondeo, nihil illud ad bonorū quorumlibet temporalium nedum ad regni ademptionē pertinere. Certum enim est, & certo certius, excommunicationem, qua sola separantur & excluduntur peruersi Christiani à consortio fidelium, & communione Ecclesiæ, nemini patrimonium & bona temporalia auferre: nisi ex eiusmodi causa procedat, quam Princeps temporalis pœna publicationis bonorum vindicandam, suis legibus nominatim sanciuerit. Quo casu non Papa sed Princeps, non excommunicatio, sed legis ciuilis latio bona excommunicato adimit. Papa certe, ne clerico quidem à se excommunicato & deposito, siue degradato, bona patrimonialia auferre potest *d*. Male quidem ageretur cum gente Christiana, si per solam excommunicationem, latam à iure vel ab homine, excommunicatus rerum suarum dominio excideret: quandoquidem bona semel à fisco harpagata, vix vnquam ad veterem dominum reuertuntur, atq; ita excommunicatio, quæ medicinalis esse debet, esset quodammodo exitialis: propterea quod excommunicatus, licet culpam iusta pœnitentia eluendo, in pristinum statum gratiæ fuerit restitutus, bona à fisco occupata, & forsitan consumpta, vel alii donata nunquam aut ægre recuperare posset.

d *Cap. cum non ab homine de iudic.*

Censuræ igitur ecclesiasticæ, quarum grauissima est excommunicatio, in animas, non in opes laicorum aguntur, sicut è contrario, pœnis ciuilib. corpora, non animæ affi. iuntur. Cum itaq; non Pontificali sed Principali authoritate, sontes & facinorosi bonorum amissione plectantur: cum inquam non pontifex sit, qui ecclesiasticæ iurisdictionis potestate, & vi ac virtute excommunicationis, alteriusve censuræ quantūlibet iustæ & grauis, bona temporalia alicui priuato adimit: sed Princeps tantū politicus, qui vt Ecclesię gratificetur, & ei factam iniuriam vindicet, nunc has nunc illas, arbitratu suo, pœnas in eius contemptores, legibus à se latis sancire consueuit: qui fieri potest, vt Papa ipsimet Principi, qui super se neminem in temporalibus iudicē habet, quiq; legibus nullis ciuilibus tenetur, Regnum, Principatū, ditionem, dignitatem, omneq; dominium, sola Pontificia & Ecclesiastica authoritate eripiat? Nunquid plus ei potestatis in Principes, quam in priuatos, Dei lege, tributum esse constat? aut nunquid Principibus quam priuatis duriore & deteriore conditione est viuendum, vt quod Ecclesia in priuatum nequeat, id in Principem possit exercere?

Sed vt huius rei veritas alia adhuc ratione euidentius appareat, quæro ab istis, vtrum Papa maiore nunc cum authoritate Regibus & Imperatoribus præsideat, quam qua olim præditus erat, antequam Constantini & aliorum Principum largitate, ad temporalem prope potentiam esset euectus? an vero pari omnino; ea scilicet, quam Christus Petro contulit, & quam nemo mortalium angustare vel amplificare potest, quamque amisso omni principatu seculari, non eo minus

ad se-

ad finem vsq; ſeculi retinebit? Et ſi maiore, vnde illa tandem? à Deo ne, an ab hominibus? neutrum certe ſine manifeſta calumnia affirmari poteſt. Ecquis enim; cui ſanum eſt cerebrum, vnquam dixerit, nouum aliquod imperium in Reges & Principes Chriſtianos à Deo Pontifici datum, ex eo quod ipſe temporaliter quibuſdam in locis regnare, & diadematus ſimul ac mitratus in oculos hominũ prodire cœperit? aut ſi dicat, vllà id poſſit vel ratione vel authoritate comprobare? Multo autem minus illi ſei ab hominibus authoritas acceſſit, quia vt vulgo dici ſolet, *actus agentium non operantur vltra ipſorum voluntatem* a, & quamuis Reges & Imperatores Chriſtiani, ſuas Chriſti vicario ceruices in ſpiritualibus ſubmiſerint, & adhuc ſubmittunt (qui modo fidem orthodoxam profitentur) tamen nemo omnium in temporalem Papæ ditionem & poteſtatem conceſſit, nemo non liberam atq; intactam ſuam iuriſdictionem ſecularem ſibi reſeruauit, quod ſi forte aliter ab aliquo factitatum inueniatur, id exceptionis loco habendum eſt, per quam regula in non exceptis ſolidius confirmetur. Ex hoc autem fundamento, quod certiſſima ratione nititur, argumentum optimum ad hanc formam redigi poteſt.

a L. non omnis 19. D. de reb. cred.

Summus Pontifex non habet nunc maius imperium in Principes temporales, quam habuit antequam ipſe eſſet Princeps temporalis.

Atqui antequam eſſet Princeps temporalis, nullum in eos temporale imperium vllo modo habuit.

Ergo nullum nunc quoque in eos vllo modo habet.

Propoſitionis veritas adeo eſt perſpicua, vt eam aliis argumentis oſtendere, nihil ſit neceſſe. Aſſumptum autem probatur hoc modo:

Nemo inferior & ſubiectus habet imperium in ſuum ſuperiorem & Dominum, vt poßit eum iudicare in eo ipſo, in quo ſit ei ſubiectus.

Papa antequam fieret Princeps temporalis, erat Regibus & Imperatoribus, quantum ad temporalia, inferior & ſubiectus.

Ergo non habuit in eos temporale imperium, vt poßit illos in temporalibus iudicare.

Huius quoq; ſyllogiſmi propoſitio omnem extra controuerſiam eſt, cum nemo niſi à ſuperiore iudicari poſſit, à ſuperiore inquam in ea ipſa re de qua iudicium conſtitutum eſt. Nam vt ſæpius dictum eſt, *par in parem non habet imperium*, & per rerum naturam fieri non poteſt, vt vnus & idem ſit ſimul inferior & ſuperior, in eodem poteſtatis genere, reſpectu vnius & eiuſdem: non magis quam vt idem ſit pater & filius reſpectu vnius & eiuſdem, eaq; ratione vtitur Bellarminus, vt probet, Papam *non poſſe ſubmittere ſeipſum ſententiæ coactiuæ Conciliorum* b. Aſſumptionem fatentur aduerſarii, cum affirment, & rationibus liquido confirment, *exceptionem* (ſeu mauis exemptionem) *clericorum in rebus politicis, tam quoad perſonas, quam quoad bona, iure humano introductam eſſe* c. Nam teſte Auguſtino, *iura humana ſunt iura Imperatorum, quia ipſa iura humana per Imperatores & Reges ſeculi, Deus diſtribuit generi humano* d. Ab Imperatoribus ergo & Regibus habent Clerici, quicquid exemptionis & libertatis eſt, qua nunc in rebus politicis toto orbe perfruuntur, vt ſupra proximo cap. oſtendimus: idq; gratuito: non enim vt ea clericis beneficia côcederent, cogi ab Eccleſia vllo modo potuerunt, quandoquidem nulla id lege diuina expreſſum & cautum reperitur: & lex Chriſti neminem iure dominioq; ſuo priuat vt ipſi fatentur, & nos ſæpius monuimus. Ideoque, vt ipſorũ fert doctrina e, *Epiſcopi Regibus in temporalibus rebus, Reges Epiſcopis in ſpiritualibus ſubiecti eſſe debent*. His omnibus conſequens eſt, Clericos communi reliquorum ciuium iure in rebus politicis & temporalibus vſos fuiſſe, & ſecularium iudicum poteſtati æque ſubiectos, atq; cæteros ciuitatum incolas, antequam iſtis exemptionum priuilegiis à piis Principibus donarentur: nec vllum in ea re inter epiſcopum Romanum, ſiue Papam, & alios clericos diſcrimen fuiſſe, multi ſancti Pontifices ingenue faſſi ſunt. Quod ergo fieri potuit, factum eſſe fingamus: Pontificem ſc. nullo adhuc principatu aut priuilegio temporali donatum, ſed ſicut eius coepiſcopi & fratres in Gallia, Hiſpania, Britannia, aliiſq; in regnis, ſub alieno imperio vitam degere. Nonne ſuperioris argumenti neceſſitate euinceretur, non poſſe eum Principes, quibus temporaliter ſubiectus eſt, in temporalibus iudicare ac punire? Aut ergo maius nunc imperium in Reges & Imperatores nactus eſt, per exemptionem & priuilegia ab ipſis conceſſa, quam antea habuit: aut eos adhuc non poterit in temporalibus iudicare.

b Lib. 2. de Concilus. cap. 18.
c Bell. lib. 1. de cler. cap. vlt.
d Can. quo iure. diſt. 8.
e Author reſponſ. ad præcip. cap. apologiæ, quem mult. ‹i› Bellarminum eſſe dicunt.

Quod ſi forte aliquis tam ſit ineptus, vt dicat, Papam ſemper hanc poteſtatem ab ipſo Chriſtianæ Eccleſiæ primordio habuiſſe, iudicandi ſc. ac deponendi malos Principes, ſed iniuria temporum, ex accidẽte quodam impeditum fuiſſe, ne eam exerceret, quamdiu illis quoad temporalia ſubiiciebatur: nunc vero, poſtquam temporali Principũ iugo ſubtractus eſt, & Princeps temporalis effectus, nihil eſſe quod impediat quo minus iuriſdictionem illam libere exerceat f, ſi quis, inquam, hæc tam vana iactitet, non aliud ei reſpondendum eſt, niſi non ſolũ falſa, ſed etiam ridicula eſſe quæ dicit, hoc poſito quod aduerſarii fatentur, quodq; veriſſimum eſt: Pontifices nimirum, antequam à piis Principibus temporali iuriſdictione penitus eximerentur, fuiſſe ipſis de iure & de facto ſubiectos. Impoſſibile enim eſt eos tunc habuiſſe illam poteſtatem: quia non competit niſi iure ſuperioritatis. Implicat autem contradictionem, Papam fuiſſe iure ſuperiorem, & iure ſubiectum, eodem tempore, & in eadem poteſtatis ſpecie, reſpectu vnius & eiuſdem, & naturalis rerum ordo non patitur, vt inferior ſiue ſubiectus ſuperiori & dominanti imperet. Cum itaq; abſurdum ſit, & impium, exiſtimare Chriſtum Saluatorem, *qui non venit ſoluere legem, ſed adimplere*, aliquid contra legem naturalẽ, & ſanctiſſimam viuẽdi normam ſtatuiſſe, neceſſe eſt, magno eos in errore verſari,

f Rom. 13.

qui asserunt Petro, & in eius persona cæteris Pontificibus ei succedentibus, supremam hanc, de qua sermo est, potestatem, à Christo fuisse collatam: cum nihil ad eius rei fidem faciendam adferant, præter rationes quasdam remotas, & parum firmas, ex similitudinibus, comparationibus, allegoriis, & id genus aliis consarcinatas, vt ex iis, quas iam refutauimus, videre est: quæ omnes reiiciendæ sunt, & nihili faciendæ, quando ad eas positas & concessas absurdum aliquod, vt in proposito consequitur: vel quando probabiliores & fortiores rationes in Scripturarum & Patrum authoritate fundatæ contrariam sententiam propugnant.

Superest postremum Bellarmini argumentum, in quo refutando non multa opera opus est. *Tertium,* inquit, *argumentum est: Potest pastor, ac debet, omnes oues ita pascere, vt eis conueniat. Ergo potest ac debet Pontifex Christianis ea iubere, atq; ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum, secundum statum suum, tenetur, id est, singulos cogere, vt eo modo Deo seruiant, quo secundum statum suum debent, debent autem Reges Deo seruire defendendo Ecclesiam, puniendoq; hæreticos & schismaticos. Ergo potest ac debet Regibus iubere, vt hoc faciant. &, nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliasque commodas rationes.*

Non video equidem quid hoc argumento contineatur, quod Pontificis authoritatem & potestatem temporalem confirmet, infirmetque. Nam eius principium de pastu spirituali necessario intelligendum est, facultates enim pontificiæ, quamuis magnæ sint, reficiendis omnibus ouib. pastu corporali nō sufficerent, finis quoq; siue conclusio, de coercitione & compulsione spirituali intelligi debet: ait enim *cogere per excommunicationem, aliasq; cōmodas rationes,* subaudi *Ecclesiasticas.* Papa enim est pastor Ecclesiasticus, non temporalis, nisi quatenus ipse nūc certis in locis temporalem principatum obtinet. Concedimus ergo totum istud argumentum, & vltro fatemur, ac profitemur, Papam omnibus Principibus spirituali potestate imperare, illisq; iubere posse vt faciant quæ ad suam suorumq; salutem pertinent, & ni faxint, *etiam cogere per excommunicationem, aliasq; commodas rationes.* Commodæ autem rationes sunt omnes rationes spirituales, nō autem temporales, nisi à temporali magistratu expediantur. Idq; animaduertēs Ioannes Driedo in libris *de libertate Christiana* a, postquam ostendit duas hasce potestates & iurisdictiones iure diuino in Ecclesia esse distinctas, & *omnem potestatem secularem in spiritualib. subiectam esse Papali potestati. ita vt Papa ratione curæ pastoralis potestatē habeat in Imperatorem Christianum, perinde atq; pater spiritualis in filium. & tāquam pastor in ouem suam vt possit eum iudicare & corrigere, si laberetur in hæresim, aut denegaret publicam iustitiam pauperib. & oppressis, aut leges conderet in præiudicium Christianæ fidei,* (quæ omnia nos quoq; asserimus) Nullam aliam iudicii & correctionis Papalis, in Impp. sic delinquentes, pœnam, nisi solam excommunicationem ponit: quod sciret nimirum Pontificiam potestatem & iurisdictionē spiritualibus pœnis esse contentam, nec progredi vlterius posse, nisi in temporalis potestatis fines excurrat, & alienam iurisdictionem, iure diuino à sua distinctam & separatam inuadat. Non est autem cōmoda ratio & via, quam ineunt aduersarii, de malis Regib. imperio deponēdis: quin potius omnibus modis incōmodissima, tum quia vix vnquam ipsis Pontificibus aut Ecclesiæ feliciter succedit: sed infinitas in Ecclesiam & Remp. Christianam calamitates, ex intestinis discordiis, schismatis, & bellis ciuilibus, solet inuehere; tum etiam quia respectu Papæ, cui spiritualia tantum commissa sunt, talis ratio non potest non videri prorsus aliena, atq; ex vsurpata iurisdictione procedere: ac proinde b neq; commoda, neq; iusta, neq; possibilis est censenda. Hactenus rationes omnes, & ex rationibus argumenta, quibus Bellarminus conatur ostendere, Papam habere supremam in Principes seculares potestatem *indirecte,* pro ingenii mei tenuitate, trutina nudæ & apertæ veritatis expendi.

a Lib. 2. c. 2.

b L. filius 15. D. de cond. instit. l. 4. §. condemnatum D. de re iudic.

CAPVT XXXV.

PVtabam initio, cum hoc opus ordirer, satis esse, rationes omnes quibus vir iste doctiss. vtitur; diligenter excutere. Sed quoniam remittit nos ad alia, quæ apud Nicolaum Sanderum extare dicit (*vide plura,* inquit, *apud Nicolaum Sanderū lib. 2. c. 4. de visibili Monarchia, vbi etiam multa ex iis, quæ diximus, inuenies*) operæ pretium me facturū arbitror, si illa quoq; Sanderi, quæ reliqua sunt, in medium protulero; ne nostræ scriptionis lector curiosus, aliquam aduersæ partis rationem omissam esse queratur: & ideo omissam putet, quod talis sit quæ facile conuelli nequeat. Constat quidem inter omnes, qui illos Sanderi libros nō raptim & limis oculis percurrerunt, omnem eum mouisse lapidem, & plurima præter cæteros argumenta corrogasse, vt Papam ista, qua de agitur, temporali potestate in omnes Christianos præditum esse demonstret. Sed verisimile tamen est, virum illum, aut acerbiore in suam Reginam Elisabetham odio, cuius è regno exulabat, aut nimio in summum Pontificem Pium V. studio, cui multis nominibus erat deuinctus, aut alio, nescio quo, affectionis animi fumo vsque adeo fuisse occæcatum, vt non viderit se multa, non solum falsa & aliena, sed etiam à communi sensu & rationis iudicio abhorrentia, pro certis & solidis argumentis vsurpare. Eius ergo reliqua argumenta à Bellarmino de industria, vt opinor, prætermissa ad compendium huc transcribam.

1. Argumentum.

Vnum igitur ex eo deducit, quod Sauli regnum ablatum fuerit, quia præcepta Domini, per Samuelis ministerium ei nunciata, non obseruauerat. Vnde sic colligit. *Ergo cum post Spiritum S. de cælo missum, non minor possit esse nunc in Ecclesia Christi spiritualis potestas, quam in Synagoga olim fuit, etiam nunc fatendum est, eum Regem, qui Dominum per summi Pontificis os loquentem audire contempserit, regno suo ita priuari posse, vt alius interim ab eodem Pontifice in Regem vngatur, vt que ab illo die is vere sit Rex, quem Pontifex rite inunxit, aut alias consecrauit, & non is qui manu satellitum armata regnū solum occupauit.*

Aliud ex eo, *quod Abias Silonites, viuo adhuc Salomone, prædixit Ierobòam decē tribubus præfuturum* a. b. *Ex quo intelligitur*, inquit, *vel totum regnum, vel partem aliquam, ab iniquo Rege per spiritualem Ecclesiæ potestatem auferri posse. Quæ enim potestas olim fuit in Sacerdotibus & Prophetis, eadem nunc est in Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ, quorum est ita saluti animarum consulere, vt non patiantur per impii Regis inobedientiam & tyrannidem, insinitam multitudinis populum ad schisma & heresim compelli & pertrahi.*

Argumentum. a 3. *Reg.* 11.

Tertium ex eo, *quod Elias vnxit Asael Regem super Syriam, & Iehu Regem super Israël, & Elisæum vnxit in Prophetam pro se* b, *vt qui fugisset manus Asael, occideret eum Iehu, qui autem fugisset manum Iehu, interficeret eum Elisæus. Quæ figura*, inquit, *quid aliud significatum est, quam complures potestates idcirco in Ecclesia Dei exc[...]as erectasq; esse, vt quod per vnam earum non fit, per alteram fiat, quarum potestatum vltima & suprema sit penes prophetas, hoc est, penes Ecclesiæ Dei pastores & doctores: Nam vt Elisæi gladius vltimo loco enumeratur, velut quem nemo effugere possit, etiamsi gladium vel Asaelis, vel Iehu effugerit: sic spiritualis potestatis censuræ euitari nullo modo potest, etiam si quis potestatis secularis gladium effugerit. Spiritualis enim potestas non vtitur corporali aut visibili gladio, qui certis modis impediri potest, sed vtitur gladio spiritus, qui pertransit omnia loca, & vsque ad animam illius pertingit quem petit.*

3. *Argumentum.* b 3. *Reg.* 19.

His deinde Historiam Eliæ, variis notis & allegoriis à se excogitatis prolixe interpolatam, argumenti loco attexit: vt ostendat; materialem gladium parere spirituali: & non solum summum Pontificem, sed reliquos etiam Ecclesiæ Pastores, habere potestatem tam in corpora & bona, quam in animas omnium Christianorum: quod ante eum nemo sanus, vel per somnium vnquam cogitauit. Id autem quam inscite, & parum congruenter, ex propositis à se argumentis deducat, capite proximo patefaciam.

Argumentum autem ex Eliæ persona, & rebus ab eo gestis, ad suum institutum in hunc modum accommodat. c *Elias per gladium spiritus, hoc est, per preces suas præcepit igni, vt de cælo descenderet, atque eos Quinquagenarios consumeret, qui despecta Prophetæ spirituali potestate, dicebant ad eum in terrenæ potestatis nomine: homo Dei, Rex præcepit vt descendas, &c. & præ terrena potestate contemnebant illam spiritualem potestatem, qua Elias præditus erat. & cum irrisione salutarunt eum, homo Dei*, atq; ita deinceps progreditur. Nonne potuisset Elias, ad cuius vocem ignis de cælo descendit, & Quinquagenarios deuorauit, dicere alicui Principi viro aut magistratui, si affuisset, *quia isti milites me, & in me Deum, cuius Propheta sum, contemnunt, irrue in eos, & occide eos? aut quod ministerium ignis de cælo prebuit, idipsum non poterat gladius terrenus præstitisse? Si ignis*, inquit, *nobilius elementum est, quam terra, vel etiam ea metalla, quæ ex terra effodiuntur: non video quin is qui ignem euocauit de cælo, qui imperio ipsius satisfaceret, multo magis potuerit Magistratui gladium portanti dixisse, vt eum gladium pro se contra quemcunque Regem exereret ac stringeret.* Cuius sententiæ firmamentum hoc tantum ab eo positum est, *nihil apud prudentes viros referre, quid ex iis fiat, quæ eiusdem ponderis & momenti sunt.* Non addam hic quartum & quintum argumentum, quibus vtitur ex historiis sacris de Ozia d, & Athalia e, quod ea nimirum Bellarminus inter exempla retulerit, de quibus post suo loco, agendum est. Hæc sunt igitur illa Paralipomena, ad quę Bellarminus nos remittit, & quæ minime mirum est eum (vtpote disputatorem subtilem & acutum, & oratorem non parum vehementem) leuiter tantum indicasse, nec in suum opus transtulisse, tot quippe manifestis & insignibus vitiis laborant, vt non ab homine Theologo, & in diuinis exercitato, sed à sciolo aliquo profano, Theologia & Scripturis intemperanter abutente, excogitata videantur; adeo scilicet nihil est eorum, quæ argumenti loco in illis assumit, quod cum quæstione & re controuersa cohæreat.

c 4. *Reg.* 1.
d 4. *Reg.* 15. 2. *Paral.* 26.
e 4. *Reg.* 11. 2. *Paral.* 23.

CAPVT XXXVI.

PRimum itaq; in eo fallitur, & errat largiter Sanderus, quod aliquas Synagogæ partes fuisse in abdicando Saule autumet, est enim plusquam manifestum, id totum extraordinario Dei iudicio atq; imperio, à quo omne regnum & potestas est, absq; vlla sacerdotum, seu Synagogę ordinaria iurisdictione, mandatum, denunciatum, & exitu rerum completum fuisse ac peractum: ex quo liquet, comparationem Christi & Synagogæ, vel Samuelis & Papę, perperam & inscienter in hac re ab eo factam esse. Nam quanquam fateamur, quod res est, non minorem Ecclesiæ Christi, imo longe maiorem, quam Synagogæ, spiritualē potestatem esse: tamen non idcirco, non inquam ex comparatione potestatis & authoritatis vtriusq; Ecclesiæ, consequitur, summum Pontificem posse regem, Dei mandata aut negligentem aut contemnentem, iure regni priuare; & alium eius loco inaugurare: quoniam Synagog[...]unquam ea potestate prædita fuit. Nusquam enim in vetere Testamento legitur, Synagogam Iudæorum, aut eius pro tempore Pontificem, Regi alicui legitimo Israelis vel Iudæ, quantumlibet impio, peruerso, & crudeli, regnum abrogasse, siue eum regni iure priuasse (vt ille ait) & alium eius loco substituisse, quo fit, vt nullum inde argumentum, nullumque exemplum in noua lege sumi possit.

Primi argumenti refutatio.

Præterea quod Samuel, licet magnus Propheta fuerit, Pontifex tamen non fuit, ac ne sacerdos quidem, sed tantum Leuita f: qui propterea nihil ordinariæ spiritualis iurisdictionis potestate aduersus Saulem facere potuit: multoque minus secularis iudicii authoritate, quod ea se antea, populo Regem petente, publicitus abdicasset. Nudum igitur ministerium Samuel in hoc negotio exequendo, prope inuitus, & precibus ac lachrymis reluctans, præbuit: & accepto speciali mandato, tanquam diuini iudicii nuncius à Domino missus, extraordinaria legatione functus est. Idque ex eo patet, quod vbi ad Regem venit, *Sine me*, inquit, *& indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me no-*

f *Hieron. li.* 1 *aduers. Iouinian.* *vide Genebrard. in Psal.* 98

me nolle. Facessat igitur hoc argumentum ab extraordinario Samuelis ministerio, & Saulis reiectione nequicquam petitum: vtpote cum quo ordinaria Ecclesiæ Christianæ, vel summi Pontificis potestas, nullam comparationem aut proportionem, nullā conuenientiam vel similitudinem, vllo modo habeat. Deus Saulem statim reiecit, & stirpi eius regnum ademit. At Reges alios, qui videbantur Saule nequiores, super populum suum regnare, & regnum ad filios transmittere, passus est. Ita placitum fuit in oculis eius. *Deus vltionum Dominus libere egit* a, *& omnia quæcunque voluit, fecit* b, nec alia quærenda ratio, *cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat*, nec ei quisquam dicere potest, *quid me fecisti sic* c? Nunquid idem de Ecclesia aut summo Pontifice credendum? sunt illis certi fines ac termini, quos præterire non possunt. *Ecclesia iuribus & legibus regitur, siue debet regi*, vt ait Ioan. de Turrecremata d. Et ideo neq; Ecclesiæ, neq; eius Rectori Pontifici, de regnis & rebus omnibus, absoluta libertate, & more diuino statuere, cunctaq; pro arbitrio disponere, permissum est, id illis tantum licet, quod de ipso tum potestate sacris voluminibus, aut traditionibus Apostolicis cōprehensum est. Quæ cum ita sint, nemo ratiocinandi peritus non statim videat, argumentum ex rebus à Samuele gestis deriuatum, non posse ad Pontificiam iurisdictionem stabiliendam vllo modo cōcludi: nisi vel ab ordinaria Synagogæ (in qua tamen Samuel primas non tenebat) ad ordinariam Ecclesiæ Christianæ potestatem, vel ab extraordinario Samuelis ministerio, ad extraordinarium similiter Papæ ministerium deducatur: quorū illud à Synagoga ad Ecclesiam, licet in forma, vt aiunt, recte concludi possit, inefficax tamen est quantum ad propositum, quia peccat in materia: q; Synagoga nimirum nullam vnquam in Reges temporalem potestatem habuerit. Hoc vero, non nisi eo casu valet, quo idem nunc Papæ, quod olim Samueli, contingat: vt scil. quemadmodum Dominus ad Samuelem de Saule locutus est, ita ad Pontificem aliquando nominatim de certo aliquo Rege abdicando, & alio in eius locū substituendo loquatur; tunc enim quin par Samuelis Papæ potestas sit, par que in exequendo Dei mandato ministerium, negari non potest. Sin minus, si inquā nihil Pontifici in aurem expressim loquatur Dominus, qui fieri potest, quæso, vt cum Regē aliquem de solio pellere propria authoritate cupiat, contendat se id facere exemplo Samuelis, quē Deus cum speciali mandato, & extraordinaria missione, ad suum de Saulis abdicatione decretum nunciandū delegauit? Samuel certo sciebat, Dominum reiecisse Saulē, & totam eius sobolem, ne regnaret, id n. Dominus indicauit. At Papa nescit an Deus reiecerit eum nec ne, quem ipse cupit deponere, nisi hoc ei Deus speciatim reuelauerit. Quandoquidem nihil certius ex Scripturis, q̄ Deum Reges malos, & verbi sui contemptores, varijs de causis tolerare, atq; ad tempus regnare facere e: quos vbi visum ei est, aut conuertit protinus, aut euertit, & sæpe contingit vt quos Papa, qui secundum faciem iudicat, regno indignos ex præsentis vitæ statu & morib. pronunciat, eos Dominus, cui omnia sunt præsentia, conuersis ad bonam frugem animis, regno dignissimos eos ostendat, cuius rei memorabile iam exemplum nostra ætate, nec ita pridem vidimus. Quis enim ignorat, (ad laudem & gloriam tanti Regis hoc dicam,) Henricum IV. qui regni Francici habenas felicissime nunc moderatur, atq; vtinam diutissime moderetur, à Gregorio & Sixto Pontificibus non solum excommunicatū & anathematizatum, sed ita reiectum & abdicatum fuisse, omniq; iure regni priuatum, vt etiam suis censuris, cuiuscunq; regni vel principatus incapacem declararent: quorum iudicium re ipsa irrisit Dominus, & Regem illum ab ipsis reprobatum, regno amplissimo dignissimū esse ostendit. Hæc igitur cum ita se habeant, atq; ad nutum diuinū varientur, qui scire possit aut cognoscere voluntatē Dei Pontifex, nisi instar Samuelis fuerit præmonitus? Quod igitur ait Sanderus, *eum Regem, qui Dominum per summi pontificis os loquentem &c.* verum est in casu quo proponatur Pontifex ea exequi, quæ Dominus ei speciali reuelatione imperarit. Alioqui vero quid dicemus? ergone Philippus Pulcher, quod Bonifacium superbissima ambitione tumentem audire noluit, Dominū per summi Pontificis os loquentem audire contempsit: vt ob id regni iure priuari, & alius eius loco substitui à Bonifacio potuisse credatur? Ergone Ludouicus XII. quia Iulium II. loricatum, & militis magis quam pontificis partes obeuntem, audire noluit, Deum per os pontificis loquentē, ita contempsisse videtur, vt & ipse & eius fautores damnari, & regnis caui, arbitrio hominis priuato odio æstuantis meruerint? talia credere, insciriam Deus bone, an insaniam appellem? Hæc de primo Sanderi argumento à nobis proposito, satis.

a Psal. 93.
b Psal. 134.
c Rom. 9.
d Ad Can. continuationes 35. q. 2.
e Iob 34.

Secundum eius argumentū (vt ingenii mei imbecillitatē ingenue fatear) quorsum spectet, vix satis intelligo. Nam vt ad id, de quo agitur, probandū aliqua eius vis & efficientia sit, atq; ei consequēs, quod cōcluditur, necesse est duas falsissimas suppositiones, tanquā veras & necessarias, prius admittere: quarum vna est, Eos qui vel aliquid euenturū, Deo reuelante, prædicebant: vel aliquid faciendum, eodem iubente, præcipiebāt, potuisse id quicquid erat, suo iure, hoc est propria authoritate, & ordinaria muneris sui potestate, sine vlla speciali reuelatione iussuve diuino, mandare faciendum, aut alias per seipsos exequi ac perficere: quasi Ahias Silonites, quem Deus singulari mandato ad Ieroboam miserat, vt ei nunciaret se decem illi tribus de regno Salomonis daturum, his verbis: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus*, quasi inquam Ahias, sine eiusmodi expresso Dei mandato, & sine vlla speciali reuelatione, potuisset vel Ieroboam, vel alium quemlibet, in regnum aut partem regni Salomonis vocare: quo nihil aut salsius, aut absurdius dici potest. Altera vero suppositio est, Sacerdotes & Prophetas omnes in vetere lege, dandi & auferendi regna, prout saluti populi expedire iudicassent, potestatem habuisse, quod & ipsum quoque falsissimum est: & cuius nullum neque exemplum, neque

vestig

vestigium, aut indicium aliquod in Sacris literis reperitur. Cum itaq; huius secundi argumenti tota vis in his duobus falsis suppositionibus ita fundata sit, vt nisi iis concessis, recte cõcludi nequeat, satisq; constet à potestate delegati à principe, ad potestatem ordinarii; non esse firmam consequẽtiam: quis non innato quodam iudicio cernat, hoc totum quod ab Ahiæ prædictione traxit, tã ab eo quod probandum suscepit, quam quod maxime esse remotum.

Delegatus à Principe, in causa sibi cõmissa, est maior ordinario & potest eum expellere.

Tertium quoq; argumentum est eiusdem generis: quid enim commune habet missio extraordinaria Eliæ, ad certa negotia specialiter exequenda, cum ordinario Pontificis officio? aut quæ cohærentia & connexio harum propositionum esse potest, Elias, Domino nominatim iubente (id enim omisit Sanderus, quod sine vitio tamen præteriri non potuit) *Vnxit Asael Regem super Syriam, & Iehu Regem super Israel, & Elisæum prophetam pro se*: Ergo summus Pontifex potest regna, & principatus, quibuslibet auferre vel conferre prout expedire censuerit? Coniungi enim hæc inter se nequeunt, nisi hoc posito & concesso medio, *tanquam posse Papam, ordinariæ suæ iurisdictionis authoritate, sine expresso Dei mandato, quantum propheta, Domino specialiter & expressim iubente potuerunt*, quod sine magna diuini Numinis iniuria dici non potest.

Quod autem ad gladium Elisæi attinet de quo loquitur, cum docte primum, ac pie per allegoriã explicat, vt sc. intelligatur de gladio spirituali, qui est in Ecclesia, & in manu S. Pontificis, quem nemo qualis qualis est, siue Rex siue Imperator, potest effugere: quiq; postremo loco recẽsetur à Domino, tum quia ineuitabilis est, & propterea plus cæteris timendus: tum etiam quia illis solum corpora, hoc animæ occiduntur. At postea dum progreditur suo more & locum illum Scripturæ, atq; alium de vindicta Eliæ in duos Quinquagenarios & eorum milites, ad potestatem temporalẽ S. Põtificis, per interpretationem transfert, in fœdum illum errorẽ prolabitur quem supra notauimus. Prophetas nimirum, sine vlla speciali delegatione vel reuelatione diuina, potuisse iure arbitrioq; suo multare & punire, etiam capitali supplicio, eos omnes quos Deus, vel ad Maiestatis suæ gloriã manifestandam, vel ad seruorũ suorum iniurias vindicandas, occulta dispensatione per miraculũ aut aliter vlcisci decreuerat: & quod Deus vno tantum modo faciendũ præcepit, id ipsos aliis modis & mediis, vt libitum illis erat, exequi potuisse. Vt inde Papam, (cuius non minor, imo maior in noua lege, quam fuerit olim Prophetarum & Sacerdotum in vetere, potestas est) authoritate Apostolica tantundem posse facere, velut necessaria consequutione ostendat.

At quis nesciat Deum multa precibus seruorum suorum concessisse, multa & sine precibus, eorum gratia mirabiliter operatum, quorum nihil illis, ipso non prius iubente, aggredi vel tẽtare, nedum exequi ac perficere, vllo modo aut medio licuisset? Cuius rei in personis Prophetarum perspicua, atq; in promptu ratio est. Siquidem inter omnes constat neminem Prophetarum, cum imperio & iurisdictione ordinaria, populo Hebræo præfuisse, præter admodum paucos, qui Prophetæ simul ac Principes populi & Iudices erant, vt Moyses, Iosue, Samuel, David. Cęteri vero quantumlibet enthusiastici; in priuatis sine vlla temporali Dominatione agebant, ea solum nunciantes & exequentes, de quibus Dei spiritu admonebantur: eratque omnis eorum præscientia ita diuinitus temperata & coercita, vt neque omnia, neque omni tempore, sed quatenus quidque Dei spiritu cum illis communicabatur, cognoscere ac prædicere possent. Cuius rei testis est Iadon Propheta; qui cum à falso Propheta deciperetur, affirmante angelum sibi in sermone Domini esse locutum, non intellexit eum mentiri, quia id ei Dominus non reuelauerat: ac propterea fraudulenter seductus, atque ad interitum perductus est, a testis & Elisæus, qui, misera Sunamitide ad eius pedes iacente, dixit Giezi volenti eam amouere, *dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi* b.

a 3 Reg. 13.

b 4. Reg. 4.

Quod igitur quærit Sanderus, An non potuerit Elias dicere alicui Principi viro, aut magistratui si affuisset, *irrue in istos milites, & occide eos, & an peccasset ille Princeps, si ad verbum Eliæ, Regis subditos occidisset*: id non nisi cognito diuinæ iussionis tenore in singulis negotiis resolui potest. Itaq; quod ad Eliam hoc casu attinet: Si Deus illi concessit, vt vel specialiter gladio, vel generaliter quoquo modo in tales sontes animaduerteret, nemini dubium est, quin gladii potestatem & executionẽ cuilibet mandare sine culpa, & mandatum suscipere quilibet sine peccato, potuerit. Sin vero Dominus, vt est verisimile, hoc ei tantum reuelauerat, se impios illos derisores, igne cœlitus demisso perditurũ: id ei tantummodo expectandum erat, aliud autẽ nihil humano more in eos moliri, aut pœnas ciuiles suo arbitrio statuere, sine scelere licuit: quod nullam neq; ordinariam, neq; mandatam & delegatam, ad id faciendum, iurisdictionem à quoquam, Deo homine ve, accepisset. Ob eamque causam peccasset ille quidem grauiter, si Principi viro aut Magistratui tale quid iussisset, aut suasisset: peccassent & hi, si eius iussa capescendo, Regis subditos interemissent c. Nihil certius, & apertius potest hac distinctione proponi: vt mirum sit tã absurdã Sandero sententiam excidisse, qua putet, Eliam potuisse simpliciter, & sine expresso Dei iussu, Regiis militibus necẽ, quoquo modo libuisset inferre. Rationes a. quas firmandæ suæ sententiæ adhibet, friuolæ sunt, & prorsus indignæ quæ ab acrioris iudicii homine, præsertim Theologo, ad eiusmodi quæstionis decisionẽ afferantur. *Qui* d *ministerium ignis de cœlo præbuit*, inquit, *ad ipsum non poterat gladium terrenum præstitisse?* Sane quidem poterat, & non solum gladium, sed telum aliud quodlibet, si Deo imperante fuisset adhibitum: nec vllus vnquam de eo dubitauit. At quoniam Dominus aduersus Quinquagenarios igne tantum vltionem parabat, deque eo Prophetam in spiritu certum fecerat d, alio se vindicare instrumento vel modo, neque debuit Elias neque potuit: nisi id ei pariter eodem spiritu fuisset

c L. non solum 11 § si mandato D. de iniur. L. reprehendenda. C. de iniustis & subst.

d Tyran. in illum locũ.

indicatum, quia in nō reuelaris, neq; ordinarius neq; extraordinarius iudex erat. Præterea si, quod leges humanæ statuunt, *cum damnatur aliquis, vt gladio in eum animaduertatur, animaduerti gladio oportet, non securi, vel telo, vel fuste, vel laqueo, vel quo alio modo* a: quis tam auersus à vero est, atq; ab omni ratione vt certum necis genus à Domino præscriptum, in aliam formam speciemq; ab homine mutari posse credat? cum enim in omnibus negotiis *fines mandati diligenter custodiendi sint*, b tum maxime in diuinis iussionibus: Deus *mandauit mandata custodiri nimis* c.

Ex his patet leuissimum esse; quod firmamenti loco apponit, *nihil apud prudentes viros referre, quid ex iis fiat, quæ eiusdem ponderis & momenti sunt*. inq; eo duplex eius error est: vnus quod proloquiū illud nimis vniuersè & generaliter producat ad omnia, quę vel natura, vel arte, vel manu fiunt: cum tamen quantum ad actiones humanas attinet, certum sit; sententiam illam in iis tantum locū habere, quæ homines vel sponte sua vel accepto mandato cum libera agendi facultate faciunt: velut homicidā eum dici, qui mortis causam dolo malo homini, quouis modo vel instrumento præbuit: quod in eiusmodi maleficiō nihil refert, quid ex iis fiat, quæ eundem effectum producunt, siue vt ille ait, *quæ eiusdem ponderis & momenti sunt*. Ast vbi quid fidei alicuius, certa forma certoq; modo peragendū, strictè & nominatim commendatur, id leges mandatario aliter exequi, non concedunt: vt ex loco quē superius retuli, aliisq; Ciuilis & Pontificii iuris innumeris, satis patet. Alter eius error est, quod nihil interesse putet, vtrū impii homines cœlesti fulmine à Deo, an ab humana potentia telorum impetu feriantur, quod dicat ea esse eiusdem ponderis & momenti. Nam licet vnus extremorum suppliciorum effectus sit, mors nimirūm interitusq; damnati: tamen permagni refert, quo illa modo & medio sontibus inferatur, quia sicut criminum, ita & pœnarum gradus sunt, & inde fit vt ex genere vltionis, seu grauitate vel leuitate supplicii, de sceleris indignitate, quanta sit, per pœnæ ad peccatum proportionem iudicemus. d Pœnarum quippe & præmiorum distributio Geometricam proportionem exigit. Scite poeta e.

—————————— *adsit*

Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas:

Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

Sed *quem maior sequitur culpa, maiore plectatur vindicta*. f Præclare vt cætera August. g *quis dubitauerit hoc esse sceleratius commissum, quod est grauius vindicatum?* Imprudēter ergo ille pœnas omnes, ferro, flamma, fame, aliisve modis sumptas, eiusdem ponderis & momenti esse statuit: vt officio suo functum prophetam fuisse concludat, si quos Deus cœlesti fulmine percussurum se indicauit, eos ipse terreno gladio curasset trucidari. Quis nescit, in pœnis non humano more sumptis, sed cœlitus & prodigiose immissis, Dei Omnipotentis iram & vltionem multo clarius elucere; aut quis tam imperitus rerum æstimator, qui eiusdem ponderis & momenti suppliciis periisse eos dicat, qui terræ hiatu deglutiti, viui in infernum descenderunt, atq; eos qui sunt ordinariis, vel extraordinariis, humanarum legum pœnis absumpti? Ac de his quidem Sanderi rationibus, à Bellarmino non sine causa prætermissis, satis mihi hactenus dixisse videor. Nunc igitur ex hoc diuerticulo ad Bellarminum reuertamur.

a L. aut damnum. 8. §. 1. de pœn.
b L. diligenter. D. mandat.
c Psal. 118.
d L. perspiciendum D. de pœn. l. Pedius D. de incend. ruin. naufr.
e Hora. lib. 1. Saty 3.
f Greg. li. 7. epist. 53 can. quia sanctitas. dist. 50.
g Lib. 2. de baptismo cōtra Donatistas. ca. 6 in fin. can. non afferamus. 24. q. 1.

CAPVT XXXVII.

EXcussi huc vsq; meam intelligentiam vt in omnes, quæ apud Bellarminum vel Sanderū sunt, de temporali Pontificis potestate rationes diligentius inquirerem. Reliquum igitur nunc est, vt ad exempla à Bellarmino proposita, infirmum & debile probationis genus, mentem & manum pari studio conuertam. Ait enim suam sententiam dupliciter probari posse, rationibus & exemplis. Quam vellem equidem rationes firmiores protulisset, Amor sedis Apostolicæ ita me afficit, vt potestatem omnem quam author iste tribuit, iure optimo tribui posse vehementer cupiam. Sed iam audiuimus rationes: audiamus & exempla.

Primum est, inquit, *2. Paralip. 26. vbi legimus Oziam Regem, cū sacerdotum officium vsurparet, à Pontifice fuisse de templo eiectum, & cum propter idem peccatum lepra à Deo percussus fuisset, coactum etiam fuisse ex vrbe discedere, & regnum filio renunciare. Quod enim non sponte sua, sed ex sententia sacerdotis vrbe & regni administratione priuatus fuerit, patet: Nam legimus Leuitici 13. Quicunq;, inquit lex maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis, solus habitabit extra castra. Cum ergo hæc fuerit lex in Israel, & simul legimus 2. Paralip. 26. Regem habitasse extra vrbem in domo solitaria, & filium eius in vrbe iudicasse populū terræ, cogimur dicere, fuisse eum ad arbitrium sacerdotis separatum, & consequenter regnandi authoritate priuatum. Si ergo propter lepram corporalem poterat sacerdos olim Regem iudicare, & regno priuare: quare id non poterit modo propter lepram spiritualē, id est, propter hæresim quæ per lepram figurabatur, vt Aug. docet in quæstionibus Euangel. lib 2. q. 40. præsertim cum 1. Cor. 10. Paulus dicat, contigisse Iudæis omnia in figura?* Hæc ille.

Miratus sum sæpenumero, nec adhuc mirari satis possum, homines doctrinæ opinione claros, tam supine & oscitanter mentis suæ sensa literis aliquando mandare, vt videantur aut non legisse authores quos laudant, aut quos legerint, plane non intellexisse, aut de industria ipsorum sensum adulterare voluisse. Quod vitium nostra ætate frequens est: in qua pleriq; scriptorum alienam fidē sequuti, non ex ipsis fontibus, sed ex riuulis & lacubus: aliorum incuria & culpa vitiose deriuatis, assertionum suarum testimonia & authoritates hauriunt: ita vt quæ primi seu malitiose, seu negligenter, ad alienum sensum detorserunt, ea alii, ipsorū scrutinio & iudicio epuisi, pro certis & indubita-

dubitatis, in suos libros transcribant. Quod quanquam in Bellarmino perrarum est, vtpote scriptore fideli & luculentu, tamen negari non potest, quin Sanderum & alios temere sequutus, in tribus capitibus de asserenda temporali Pontificis potestate, præsertim vero in superiore exemplo & seqoenti proponendo, haud leuiter lapsus sit.

Ostendi iampridem, in libris aduersus monarchomachos, *a* falsissimum esse *Oziam regnandi authoritate ad arbitrium sacerdotu fuisse priuatum.* Etenim profecto nihil in tota Regum historia expressius continetur, quam Oziam à sextodecimo ætatis anno, quo regnum iniit, in annum vsq; sexagesimum octauum, qui vitæ eius finis fuit, Regem perpetuo mansisse: nec vllo vnquam tempore regni authoritate fuisse priuatum. *Habitabat quidem seorsum in domo libera*, ac proinde munia Regis, quæ facti sunt, per morbum obire non poterat: Sed id ei ius regni, siue regnandi authoritatem non ademit. Alioqui & pueros inauguratos, vt olim Ioam *b* & Iosiam *c*, & legitimæ ætatis viros, si in mentis aut corporis morbos grauiores inciderint, Reges esse negandum est: cum illi moribus, hi morbo, à regni procuratione, quæ in facto cōsistit, arceantur. Manebat Rex Ozias quamdiu vixit. Ait enim Scriptura, *Anno vigesimo septimo Ieroboam Regis Israel, regnauit Azarias* (qui & Ozias & Zacharias dictus est) *filius Amasiæ Regis Iuda. Sedecim annorum erat cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalem.* & iterū eodem capite. *Anno quinquagesimo secundo Azariæ Regis Iuda, regnauit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria.* Mortuum autem esse hunc Azariam siue Oziam, sexagesimo octauo ætatis anno, regni vero sui quinquagesimo secundo, testatur Iosephus *e*. Si ergo Ozias annum agens decimum sextū regnare cœpit & annos quinquaginta duos regnauit, Scriptura teste, obiitq; annum agens sexagesimum octauum, ecquod in eius vita momentum reperitur, quo iudicatus & regni iure priuatus est? Fuit ei interea Curator filius, sicut *his qui in ea causa sunt, vt superesse rebus suis non possint*, adhiberi solet *f*. Additur enim in ea historia, *Ioatham filius Regis gubernabat palatium, & rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ.* En vt Ioatham, filius Regis vocatur, viuente & ægrotante patre, & gubernator palatii, ac rector domus Regis. Iudicabat autem populum, quia iudicia ad Regem venire non poterant, propter vim morbi, & separationem ex legis diuinæ præscripto, vt ibi docet Lyranus. Deniq; ait Scriptura, *Dormiuitque Ozias cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus: regnauitque Ioatham filius eius pro eo.* En iterum vt Ioatham non nisi à morte patris regnare cœpit. Quamuis itaque verum sit Oziam fuisse ad arbitrium sacerdotis separatum propter lepram, quia id lege diuina diserte cautum erat: non tamē verum est, eum regnandi authoritate fuisse priuatum, aut *coactum renunciare regnum filio*, vt isti falsò asserunt. Authoritas regnandi, & regni administratio plurimum inter se differunt, & non minus quam proprietas & possessio. Authoritas est semper in persona Regis, & cum iure regni coniuncta; administratio autem & procuratio, siue gubernatio apud alios esse potest, ita vt vnus Rex sit, alius regni administrator. Vnde qui in Regum infantia, aut morbis grauioribus, præcipuam regni curam gerunt, gubernatoris, rectoris, tutoris, protectoris, aliove simili nomine insigniuntur: & publicum nihil suo proprie nomine, sed Regis infantis, vel ægrotantis, nomine & authoritate proponunt, & pertractant.

a Lib. 5.
b 4. Reg. 11.
c 4. Reg. 22.
d 4. Reg. 15. 2. Paral. 26.
e Lib. 9. antiq. ca. 11.
f L. his qui 12. D. de tutor. & curat. dat. l. 2. D. de curat. furios.

Hoc igitur exemplum de Ozia, tantum abest vt pro temporali Pontificis in Reges potestate aliquid faciat, vt ad eam impugnandam & euertendam plurimum valeat. Nam si, (vt ille ex Apostolo refert, & nos fatemur) Iudęis omnia in figuris contingebant: siq; lepra corporalis, ob quam separabatur aliquis à multitudine filiorum Israel, & extra castra solus habitabat, figura fuit lepræ spiritualis, id est, hæreseos, teste Augustino: Si deniq; sacerdotium Aaronicum, figura fuit sacerdotii nouæ legis, ex his figuris duo argumenta, ad hanc quæstionem apposite deducuntur, quorum alterū spiritualem Papæ potestatem in Reges & Principes Christianos egregie confirmat, alterum verò hanc, qua de agitur, temporalem eius potestatem, omnino fictitiam, vsurpatam, atque à iure diuino alienam esse ostendit.

Prius igitur argumentum hoc modo contexitur. Quemadmodum sacerdotes olim Regem Oziam, lepra percussum, è templo expulerunt, vt extra ciuitatem habitaret: ita nunc summus Pontifex Regem hæresi infectum, quæ lepra est spiritualis, iudicare potest, & separare à communione fidelium per excommunicationem, atque ita cogere eum habitare extra ciuitatem Dei, id est, Ecclesiam Catholicā, donec fuerit à lepra mundatus, hoc est, donec hæresim abiurauerit, quod si lepra talis ad mortem vsque ei adhæreat, non est sepeliendus in sepulchris Regum, in Ecclesia nimirum, sed in agro, quia leprosus est, id est, hæreticus. Quod autem dixi Papam posse separare Regem hæreticum à communione fidelium per excommunicationem, de separatione spirituali animorum, non corporum intelligendum est. Subditi enim, Regi excommunicato obsequium denegare non debent.

Posterius vero argumentum hac forma recte concludi potest. Sicut iudicium sacerdotis de lepra corporali, in vetere lege, nihil nisi separationē leprosi, & relegationem extra castra vel ciuitatem operabatur: & sicut iudicium sacerdotis de lepra Azariæ, siue Oziæ, non potuit ei auferre ius regni, siue regnandi authoritatem, sed tantum necessitatem ei imposuit habitandi seorsum extra ciuitatem (nam quod actu siue de facto, vt aiunt, regnum non administrabat, id non propter sententiam sacerdotalem quæ leprā iudicabat, sed propter vim morbi perpetui corporalis accidit) Ita nunc quoque censura & sententia summi Pontificis, qua Regem aliquem hæreticum iudicat & declarat, quamuis faciat Regem manere extra ciuitatem Dei, id est, Ecclesiam Catholicam,

cam, vt dictum est: tamen non potest ei ius & authoritatem regnandi auferre, atq; ita figura cum figurato bellissime conueniet. Est n. in his veteris testamenti figuris iuris & potestatis Papæ in Reges imago non delineata modo, sed expressa: vt si ab vmbra ad corpus, à figura ad figuratum, aliq; idoneũ argumentũ trahi possit; nullũ his euidentius aut certius, ex antiquæ legis cõstitutione, ad nouæ legis obseruationem à quoquam adaptetur. Quod si aduersarii ex omnibus veteris legis figuris, vnum aliquod tale, pro suæ sententiæ firmamento, concinnare poterunt, me iudice palmam ferent: certe me nunquam habebunt repugnantem. Secundum nunc igitur exemplum videamus.

CAPVT XXXVIII.

SEcundum est, inquit, 2. Paralip. 23. vbi cum Athalia tyrannice occupasset regnum, & foueret cultum Baal, Ioiada Pontifex vocauit centuriones & milites, & iussit eis, vt Athaliam interficerent: & pro ea Ioas Regem creauit, quod autem Pontifex non suaserit, sed iusserit, patet ex illis verbis 4. Reg. 11. Et fecerunt Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada sacerdos. Item ex illis, 2. Paralip. 23. Egressus autẽ Ioiada Pontifex ad centuriones & Principes exercitus, dixit eis, Educite eam (Athaliam Reginam) extra septa templi, & interficiatur foris gladio. Quod autem causa huius depositionis & occisionis Athaliæ, non solũ tyrannis eius fuerit, sed etiã quod foueret cultum Baal, patet ex illis verbis quæ ponuntur immediate post eius occisionem. Itaq; inquit Scriptura, ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam, & altaria, & simulachra eius confregerunt. Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.

Nescio equidem quid Bellarminũ mouerit, vt hoc exemplũ, tam remotum, & alienum ab hac materia & cõtrouersia, nobis obtruderet: nisi quia illud ante se ab aliis propositũ animaduerterat, veritus forte ne, si id ipse præteriisset, indiligentiæ vel præuaricationis apud Sixtum V. Pontificem ab æmulis accusaretur, qui supra modũ imperiosus, ac Iesuitarũ societati parum fauens, vt à pluribus eius societatis Patribus accepi, in animo habuit, totũ illum ordinem ad arctiorem viuendi regulã & habitum religiosum cogere à Presbyteris secularibus colore, forma, vel signo aliquo exteriore distinctũ. Itaq; mirari licet, quo modo Bullam ab eo impetrarunt, vt Academiæ Pontimussanæ Dictaturam perpetuam occupent, id est, vt perpetuo Rectores sint, contra formam & constitutiones fundationis illius Vniuersitatis à Gregorio XIII. factæ. Sunt qui putant Bullam illam esse supposititiam, vel obreptitiam: certe quamuis vera sit, & à Sixto concessa, valere tamen nõ debet, nec vim vllam habere, quia statim ab eius creatione fuit impetrata, quo tempore quicquid Pontifices concedunt, id non tam impetratum ab illis, quam extortum esse censetur a Sed ad rem.

a Glos. in proœm reg. Cancell. Ne tuta. in syl. nuptial. Rebu. in tract. vt beneficia aut vacat. nu 9. & 10.

Exemplum de Ioiada & Athalia nihil ad hanc disputationem pertinere, ex eo liquet, quod omnis nostra quæstio in eo versetur: An Pontifex, tanta in legitimos Reges & Principes seculares potestate præditus sit, vt eos certis de causis de solio deiicere, & iure regni priuare, atq; alios eorum loco inungere, & inaugurare possit. Exemplum vero de Athalia, est de muliere quæ nullo iure regnum possidebat, sed immani tyrannide, per vim & scelus & cruentam regiæ sobolis necẽ: quæ propterea in ea causa fuit, vt iniussu Ioiadæ sacerdotis, cædi iuste à quolibet priuato potuerit. Sed quia tale quid tentatu periculosum, & factu difficile videbatur, aduersus eam, quæ defuncti Regis Ochosiæ mater erat, ideo Ioiadæ Pontificis consilio & auxilio erat opus: aut certe alterius cuiuspiam, qui similiter vel authoritatis suæ pondere, vel sanctitatis opinione, milites & multitudinem ad id facinus egregium conuocaret, atque adeo concitaret.

Quod autem non tam imperio quam suasu Ioiadæ id factum sit, patet ex eo quod dicitur: *misit Ioiada Pontifex, & assumens centuriones & milites introduxit ad se in templum Domini, pepigitq; cũ eis fœdus.* idq; ibi notant interpretes. Verba a *iubere* vel *præcipere*, de quolibet dici solent, qui primas in factione vel societate obtinet. Nihil itaque in hoc exemplo reperitur, quod vel minimam conuenientiam aut similitudinẽ habeat cum assertione, quæ ab aduersariis probanda suscipitur. Assertio est, legitimos Principes, hoc est, eos qui electionis vel successionis iure, regna & principatus obtinent, posse, certis de causis, à S. Pontifice imperio deponi, quid ergo ad eam probandam attinet, exemplũ de tyranno & tyrannoctonia proponere? Nunquid inter veros dominos ac legitimos possessores & prædatores atq; alienarum possessionum inuasores, nihil interesse putant? An autem alia deponendi & interimendi Athaliam præter tyrannidem, causa fuerit, nihil curo, satis est eam fuisse tyrannum b, & violentam occupatricem regni, ad hoc vt nullum ex parte illius obstaculum, vel impedimentum iuris esset, quo minus præcipitari de solio, & à quolibet de multitudine cædi posset, quod de Rege legitimo dici similiter nequit, cuius personam, quantumuis impiam, ius regni, atq; imperii potestas, ab omni iniuria & pœna humana protegere ac tueri semper debet, vt ex SS. Patrum scriptis alibi ostendimus. Sequitur nunc tertium.

b Tyrannus hoc in summo genere posuit, vt Thucydides widus τύραννον lib. 1.

CAPVT XXXIX.

TErtium exemplum, inquit, est B. Ambrosii, qui cum Episcopus esset Mediolanensis, & proinde pastor & pater spiritualis Theodosii Imperatoris qui Mediolani sedem suam ordinarie tenebat, primũ excommunicauit eum propter cædem quam Thessalonicæ à militibus fieri imperauerat, deinde præcepit ei, vt legem ferret, ne sententia lata de cæde, vel bonorum publicatione rata essent nisi post triginta dies à sententia pronuntiatione, vt nimirum, si quid per iracundiam præcipitanter dictasset, intra tot dierum spatium reuocare posset. Atqui non potuit Ambrosius excommunicare Theodosium propter cædem illam, nisi prius causam illam cognouisset & diiudicasset, licet criminalis esset, & ad forum externum pertineret: non potuit autem cognoscere & iudicare eiusmodi causam, nisi etiam in foro externo legitimus iudex Theodosii fuisset.

Præterea

[illegible] cogere Imperatorem ad legem politicam ferendam, & præscribere ei formam legis, nonne manifeste ostendit posse Episcopum interdum temporali potestate vti, etiam in eos qui potestatem super alios acceperunt? & si Episcopus quilibet id potest, quanto magis Princeps Episcoporum?

Est & hoc quoq; exemplum prorsus à re qua de agitur, alienum: vtpote in quo nec mentio, nec vestigium aliquod temporalis potestatis Episcopi in Imperatorem cernitur: nec aliud quicquã, vnde talem potestatem Episcopo conuenire, probabili aliquo argumento concludatur, sed totũ ad illam spiritualem potestatẽ Episcopi pertinet; qua S. Pontificem in omnes Christianos, cuiuscunque sint ordinis vel dignitatis, præditum esse, & corde agnoscimus & ore profitemur. Ambrosius I[illegible]ratorem, propter peccatum ex iniusta multorum occisione contractum excommunicauit. Nonne hoc ad spiritualem Ecclesiæ iurisdictionem pertinet, quam tunc Ambrosius episcopali authoritate exercebat? At non potuit excommunicare, inquit, nisi prius causam illam cognouisset & diiudicasset, licet esset criminalis, & ad forum externum pertineret. De facto quidẽ potuit (vt faciunt inconsiderati sacerdotes, quos ego vidi aliquando excommunicationẽ ferre, incognita causa: sed [illegible]ure non debuit, alioqui certe iniquus iudex fuisset, si sine causæ cognitione pœnas à reo expe[illegible]. Sed esto causam cognouit, & animaduersione dignã iudicauit, eoq; Imper. excommunica[illegible] quid inde? *Non potuit autem cognoscere & iudicare huiusmodi causam,* inquit, *nisi etiam in foro externo [illegible] iudex Theodosii fuisset.* Hui, capti sumus, nisi sophisma caueamus: latet in hac assertione fal[illegible]cia fallacissima, ex verbis, *in foro externo,* Forum duplex est, politicũ seu ciuile: & ecclesiasticum seu [s]pirituale. Politicum forum omne est externum: ecclesiasticum v[illegible]ro aliud externum, aliud internum. Externum forum ecclesiasticum est, in quo, de causis ad Ecclesiæ notionem spectantibus, palam t[ra]ctatur & iudicatur: & si criminales sunt, vindicta de iis per excommunicationem interd[ictum] [illegible] suspensionem, depositionẽ, aut aliis modis, secundum Canones pœnales, sumitur. Ac de [illegible]imine cognoscunt sæpe iudex temporalis & iudex spiritualis siue ecclesiasticus, etiam in fo[ro] [illegible]ore: sed vterq; in suo foro, & ad diuersas pœnas imponendas: veluti de adulterio cognoscit iudex politicus, *vt sacrilegi nuptiarum gladio feriantur,* a cognoscit & iudex ecclesiasticus, qui animæ curam gerit, vt peccati moneat delinquẽtem, & perseuerantẽ peccare spiritualibus pœnis coerceat. Forum autem internum Ecclesiæ, (quod forum animæ, & forum pœnitentiæ & forum conscientiæ vocatur) illud est, in quo sacerdos de reuelatis sibi à confitente peccatis cognoscit & iudicat, & pœnitentiam pro modo delicti, arbitratu suo iniungit: vulgo enim hodie receptum est cõstitutiones pœnitentiales esse arbitrarias, vt non solum Episcopus, sed quilibet confessarius discretus, possit regulariter eas moderari, & in foro animæ b mitigare. Si ergo Bellarminus per *forũ externum,* intelligat forum ecclesiasticum, quod spiritualibus tantum pœnis contentũ est, concedimus totum quod dicit. Erat enim Ambrosius legitimus Theodosii iudex in illo foro; idq; ipso facto & effectu palam ostendit, cum eum excommunicaret, sed hoc posito & concesso, nihil inde ad temporalem Episcopi vel Papæ authoritatẽ confirmandam elici potest, quia tam iudicium q̃ suppliciũ erat spirituale. Sin vero Bellarminus per *forum externũ* intelligat forum politicum, falsissimum est quod proposuit. Quemadmodum enim distinctæ sunt à Deo potestates, Ecclesiastica & Politica, ita etiam distincta fora, distincta iudicia. *Idem enim mediator Dei & hominum Christus Iesus actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusq; discreuit* c. Magnam certe Ambrosio iniuriam facit, si eum, [po]st adeptum Episcopatum, cognouisse & iudicasse de causis criminalibus in foro ciuili arbitre[tu]r. Non erat ergo Ambrosius iudex legitimus Theodosii in foro externo politico, quod satis est ad probandam eum non potuisse iudicare, vel punire Imperatorem pœnã aliqua temporali. At dices, Ambrosius cognouit & iudicauit de cæde. Verum est sed non vt iudex politicus & temporalis, [no]n inquam eo fine cognouit de crimine, quo iudex secularis. Scitum est ex Aristotele d plures d[e] [illegible] & eodem subiecto varie, alio atq; alio modo & fine, atq; intentione cognoscere, Idem angulus rectus est, quem inuestigat Geometra vt sciat, & quem faber vt oporetur, sic idem crimen est, de quo cognoscit iudex laicus, vt reum morte, exilio, pecunia, vel qua alia temporali pœna multet: & de quo iudex Ecclesiasticus, vt pro modo delicti pœnam spiritualem & pœnitentiam iniungat.

At coegit Imperatorem ad legem politicam ferendam, ergo temporali in eum potestate vsus est. Nugæ. Si [illegible]git, qua potestate, & cuius rei metu coegit id nos historiæ summa docebit, quæ est eiusmodi. [illegible] Ambrosius Theodosio vinculum excommunicationis, cuius nexu cũ liberari cuperet I[m]perator, negat Antistes se prius id facturum quam aliquem ir eo fructu pœnitẽtiæ videat. *quam, inquit, pœnitentiam ostendisti post tantũ scelus, aut qua medicina curasti grauissima vulnera?* Respon[dit] [illegible] Imperator, Episcopi esse temperare & adhibere medelam vulneri, hoc est, pœnitentiam peccatori iniungere: [pœ]nitentis vero ea quæ adhibentur vti, id est, iniunctam sibi pœnitentiam peragere. H[a]c [illegible] o, Ambrosius Imperatori ferendæ legis, de qua loquimur, necessitatem, pro pœnitentia & [illegible] ne imposuit: qua constituta (nam statim Imperator legem perscribi iussit) Ambrosi[us] [illegible] e in vinculis excommunicationis exoluit.

N[illegible] [illegible]r Ambrosius temporali potestate, hoc casu in Theodosium vsus est, sed totũ quicquid est vi ac [illegible] spiritualis iurisdictionis præcepit. Nec Imperator, metu pœnę temporalis morem Antistiti gessit. Nam si noluisset parere, sed, vt mali interdum Principes faciunt, excommunicationem [illegible] & absolutionem contempsisset, nihil vltra quod ageret habuisset e Ambrosius. Sed quia pius Princeps animæ suæ timuit, ne spirituali vinculo diutius ligata, squalorem sordesque

a L. quoniam 30. C. ad l. Iul. de adul.

b C X. de his vbi glos. vlt. dist 50 glos. in can. mensuram. ad verb. Sacerdotis de pœn. dist. 1.

c Can. cum ad verum. 96. dist.

d Lib. 1. c. 7. Ethic.

e Cap. cum non ab homine. de sen.

desque ex longa carceratione contraheret, obsequutus est voluntati Pontificis, & vt absolutionis ab eo beneficium acciperet, temporale officium, quod è republica esse videbatur, Episcopo admonente impendit. Vnde author historiæ, *tali tantaq; virtute & Pontifex & Imperator erant illustres, Nam vtrumque ego admirer, illius quidem libertatem, huius vero obedientiam atque feruoris flammas illius, & huius fidei puritatem.*

Coegit itaq; Ambrosius Theodosium, quemadmodum nostri quotidie confessarii suos cogunt pœnitentes, quibus delicti veniam & absolutionē sæpe denegant, nisi munus vel onus, quod illis pœnitentiæ loco imponunt, serio se executuros promittant: cum tamen nullam in eos temporalem iurisdictionem habeant. Coegit & eo modo, quo quisq; nostrum solet vicinum vel conciuē suum cogere, cum id, quod à nobis sibi dari fierive postulat, denegamus, nisi ille prius aliquid quod optamus, aut nostra aut amicorum gratia fecerit. Deniq; tritum est & vulgare, dici aliquem ratione, amore, dolore, iracundia, aliisque animi affectionibus & passionibus cogi, citra vllam seu temporalis, seu spiritualis iurisdictionis potestatem.

Hæc cum ita sint, est quidem in hoc exemplo animaduersione dignum, Ecclesiasticam potestatem, metu pœnæ spiritualis, cogere homines sæpe ad temporalia peragenda, vt Ambrosius hic Imperatorem, & è contrario Ciuilem Potestatem, metu pœnæ temporalis, ad spiritualia non raro adigere, vt cum Princeps hæreticos vel schismaticos, metu corporalis supplicii vel ademptionis bonorum, ad Ecclesiam redire compellit, & tamen neque illa temporalem, neq; hæc spiritualem pœnam potest, nisi per accidens, irrogare. Sequitur quartum.

Quartum est Gregorii I. inquit, in priuilegio quod concessit monasterio S. Medardi, & habetur in fine epistolarum. Si quis, inquit, Regum, Antistitum, iudicū, vel quarumcunq; personarum huius Apostolica authoritatis; & nostra preceptionis decreta violauerit, cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur.

Si viueret hodie B. Gregorius, & superiora sua verba eo sensu accipi intelligeret, quasi ipse potestatem habuisset priuandi Reges suo honore & dignitate: exclamaret profecto calumniosam esse interpretationem, & se nunquam tale quid vel per somnium cogitasse, & vero quæ alibi scripta ab eo sunt, fidem plane abrogant huic expositioni. Sunt igitur ista non imperantis, sed imprecantis verba, quibus admonet & adiurat omne genus hominum, ne priuilegium à se datum violent; quod si violauerint, Deum vindicē fore, qui eos suo honore priuet; quod genus admonitionis, & imprecationis nunc semper addi solet extremis Bullarum & constitutionum Pontificiarum, hoc modo. *Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam, &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autē hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius incurrat,* siue quod idem est, *se nouerit incursurum.*

CAPVT XL.

EX his facile cernet lector, verum esse quod sæpius ante præmonui; Nullum vel in sacris literis, vel in sanctorum patrum scriptis; vestigium aut exemplū temporalis potestatis Pontificiæ reperiri, ac proinde haud recte eos facere, Imo grauiter peccare, qui sententiam per se falsissimā, argumentis & exemplis, tam alienis & remotis, nituntur confirmare. Indoctos hoc modo decipiunt à doctis deridentur. Ostendi iam plane vim nullam inesse exemplis superioribus, ad probandū id quod aduersarii affirmant. De sequentibus vero exemplis minus curo: Nam licet quædam eorum instituto aduersariorum congruant & Pontifices temporali potestate, in postremis Ecclesiæ seculis visos aliquando esse indicent: tamen quia nihil nisi singularia quorundam Pontificum facta continent; quos homines fuisse & humano more in rebus gerendis labi potuisse, nemo negat (ita vt, quod antea Soto rectissime, vulgari prouerbio nunc iactetur, *factum Pontificum non facit fidei articulum*) ideo de factis illorum, quibus talem potestatem exercere nisi sunt, iuris quæstio & disputatio adhuc superest, rectene an secus peracta sint. Nec illud nos mouere debēt, quod authores historiarū, qui facta illa Pontificum literis mandarunt, nullā reprehensionis notam adiecerint; sed potius probarint, laudarintq;. Nam eius rei causas complures fuisse video. Primū quia omnes eius temporis scriptores aut monachi erant, aut saltem clerici, quib. præcipue augere dignitatē Pontificiam curæ fuit: ideoq; summopere cauebant, ne qua Pontificum facta sugillarent, atq; iniustitiæ arguerent. Deinde quia tanta sanctitatis Papæ tunc temporis opinio fuit, vt gesta ab eo, tanquam à Deo facta, vulgus amplecteretur. Vnde non sine causa Io. Gerson dixit, *Vulgum existimare Papam esse vnum Deum, qui habet omnem potestatem in cælo & in terra.* Vidi ego ante quinquaginta annos in Scotia, cū staret adhuc regnum fide & religione integrum, Papæ Romani nomen (ita enim Scotice loquebantur, *the Pape of Rome*) tanta in veneratione apud multitudinem fuisse, vt quicquid ab eo dictū factumve esse narrabatur, oraculi instar, & facti diuini loco, ab omnibus haberetur. Deniq; quia præsens illis imminebat periculum; quod multorum adhuc manus ligat, linguamq; occludit, ne si quid Papæ ingratum exarassent, & eius facta reprehēdissent, tam scriptor quam scriptū diris Pontificiis statim percelleretur, quod minime mirum iis videri potest, qui Sixti V. iram & arrogantiam eo vsq; exarsisse nouerint, vt, sicut ante admonui, illustres Bellarmini disputationes delere, atq; extinguere in animo habuerit, quod non satis suæ ambitioni seruitum esse ab illo Theologo iudicaret, cum tamen plus ei certe quam oportuit tribuisset. His accedit, quod præcipuum historici officium in narrando, nō iudicando consistit. Vnde multi, memoria magis quam iudicio pollentes, animos ad historicam narrationem appulerunt, & nuda tantum ac simplice rerum gestarum relatione contenti, earum æquitatem omnibus æstimandam in medio reliquerunt.

Licet

Licet ergo scientiam & fidem rerum gestarum illis hominibus debeamus, qui eas scriptis suis posteritati reseruant: æquitatem tamen eorum quæ gesta sunt, non ab elogiis scriptorum, sed vel ex authoritate Scripturarum, vel ex traditionibus Apostolorum, vel ex antiquis Ecclesiæ Decretis, vel denique ex recta naturalis rationis norma addiscimus. Atque ita eo res semper redit, vt de cuiusque facti æquitate sit inquirendum, nec quid author historiæ laudauit vel vituperauit, sed quid iure meritoque laudari aut vituperari debuit, perscrutemur. [a] De exemplis itaque non laboro quæ neque in Scripturis extant & commendantur, neq; aliquo saltem eorum quos diximus modo, laude digna demonstrantur. Etenim profecto periculi plena res est, aliquem exempla, non hac statera hisque ponderibus examinata, ad imitandum proponere: quandoquidem ad antiquitatis monimenta accedentibus, mala quam bona sæpius occurrent. Qua de causa Imperator iudices omnes sapienter admonet, *non exemplis, sed legibus esse iudicandum*, atque in omnibus negotiis non id eos sequi oportere, quod ante ipsos à maximis Magistratibus factum est, *sed veritatem, & legum & iustitiæ vestigia.* [b] Hæc suadent, ne reliquis exemplis à Bellarmino productis prolixius & exquisitius discutiendis immorer, nisi forte aliquid subesse animaduerto, quo lector incautus, veri specie & opinione capi possit: eorum igitur aliqua, quæ & qualia sint, videamus.

[a] L. Sed licet 12. D. de off. Præsid.

[b] L. nemo iudex 13. C. de sent. & interloc.

Quintum est Gregorii II. inquit, qui Leoni Imperatori Iconomacho à se excommunicato prohibuit vectigalia solui ab Italis, & proinde multauit eum parte imperii.

Equidem arbitror hoc exemplum rei gestæ veritatem non continere, quanquam id ita ab historicis quibusdam relatum esse scio. Vt ita credam, facit tum singularis quædam illius Pontificis cum summa morum integritate coniuncta eruditio, tum Platinæ de hac re testimonium, qui inter alia eius Pontificis facta egregia, illud commemorat, quod sua authoritate obstiterit Italis volentibus ab illo impio Principe deficere, & alium sibi Imperatorem deligere: ita enim Platina. *Tum vero Leo tertius Imperator, cum aperte inuehi in Pontificem non posset, edictum proponit, vt omnes qui sub imperio Romano essent, sanctorum omnium, Martyrum & Angelorum, statuas atque imagines è templis abraderent & auferrent, tollenda (vt ipse dicebat) idololatriæ causa; qui vero secus fecisset, eum se pro hoste publico habiturum. Gregorius autem tantæ impietati non modo non obtemperat, verumetiam omnes Catholicos admonet, ne in tantum errorem timore vel edicto Principis vllo modo dilabantur. Qua cohortatione adeo certe animati sunt Italiæ populi, vt paulum abfuerit, quin sibi alium Imperatorem deligerent. Quo minus autem id fieret, authoritate sua obstare Gregorius annixus est.* Addit autem, hunc Pontificem, *vt sanctissimum virum decuit, literis sæpius Imperatorem admonuisse, vt omissis quorundam improborum erroribus, veram tandem amplecteretur fidem & abolere sanctorum imagines desineret, quorum memoria & exemplari ad virtutis imitationem excitarentur homines.*

Huic ego authori fidem in hac re potius quam aliis historicis etiam antiquioribus, maxime vero peregrinis, adhibeo: quod is iussu Sixti IV. Pontificis aliorum Pontificum vitas conscripserit, idque Romæ, vbi multa ei ex antiquis monimentis adiumenta suppetebant, ad indagationem veritatis rerum in vrbe atque in Italia gestarum; quibus alii, vt apparet, destituti, non nisi incertam famam, & sparsos hominum rumores (qui sæpe quod factum volunt, factum narrant) pro certa & explorata veritate acceperunt. Si Platina superiorem historiæ particulam silentio præteriisset, istorum certe, qui de Gregorio aliter scripserunt, sententiam velut tacito consensu confirmasset: at cum ita eos scripsisse non ignoraret, (vtpote homo multum in illis historiis versatus) & nihilominus eorum sententiam manifesta contradictione impugnet, verisimile est eum multo melioribus & certioribus testimoniis in rerum ab hoc Pontifice gestarum relatione vsum esse. Quapropter humanius videtur, & veritati congruentius, Platinam in hac re sequi, atque in Zonaræ scriptis mendacium arguere (cum satis experimento compertum sit, hallucinari frequenter eos, qui ex aliorum relatione, dicta factaue populorum alibi degentium literis complectuntur) quam innocentem optimi Pontificis vitam, fœda nota iniustitiæ, & rebellionis maculare. Nam licet verum siet eum, pro sua in omnes spirituali potestate, Imperatorem hunc merito excommunicare potuisse: tamen prohibere ne populus, Romano imperio subiectus, censum daret Cæsari, siue vectigalia Imperatori penderet, quamdiu manebat Imperator non sine manifesta legis diuinæ, & Euangelicæ doctrinæ præuaricatione potuit. Leonem autem hunc, quantumlibet impium, ad mortem vsque Cæsarem mansisse, & neque à populo neq; à Pontifice ab imperio depositum & abdicatum fuisse satis inter omnes constat. Dico igitur falsum esse quod scribunt Centuriatores Magdeburgenses, hunc scilicet Pontificem, doctrina & moribus insigné, patriæ suæ proditorem extitisse. Dico etiam falsum esse, quod superiore exemplo proponit Bellarminus, eundem nempe Pontificem multasse Leonem Isaurum Iconomachum parte imperii. Nihil enim quicquam mali, vt ex hac Platinæ historia liquet, neque in patriam, neque in Principem commolitus est. Sequitur nunc sextum.

CAPVT XLI.

S*Extum est Zachariæ,* inquit, *qui rogatus à Primoribus Francorum Childericum deposuit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni patrem regem creari iussit.*

Priusquam aliquid de hoc exemplo dicam, operæpretium est, inuolutam de eo historiam euoluere, & totum illud Zachariæ factum cum sententia cui probandæ adhibetur, innectis vtrinque circumstantiis, breuiter componere: vt inde facilius lectori appareat, quam parum efficacitatis ei insit, vt propositam aduersariorum sententiam confirmet.

Primum igitur in illa historia animaduersione dignum est, Childericum, & alios quosdam ante eum Reges Merouingios, omni prorsus regnandi authoritate destitutos, nihil nisi inane atque inutile Regis nomen habuisse. *Nam & opes & potentia regni penes palatii præfectos, qui Maiores domus dicebantur; & ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur*: qui vsque adeo Regibus superiores erant, iisque dominabantur, *vt Rex præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus*, siue Maior Domus, *prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quam vnam & eam perparui reditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequia exhibentes, pauca numerositatis habebat.* Vt scribit Eginhartus in vita Caroli Magni.

Si quis igitur rem propius intueatur, inueniet binos tunc quodammodo Reges fuisse in Francia: vnum qui instar regis Scachorum, *nomen tantũ Regis, sed nullam potestatem regiã habebat* vt loqtur Aimonius.[a] Alterum vero, cui maior Domus siue præfectus aulæ nomen erat, *apud quem summa regni potestas consistebat*. Hic nomine tenus quasi sub Rege erat, authoritate vero & potestate supra Regem: ita vt nihil ei deesset præter nomen ad plenam perfectamque regnandi maiestatem, quod etiam aliquando ei à populo deferebatur, vt summum illud quod gerebat imperium summæ dignitatis nomine significaretur. Itaque Aimonius de Carolo Martello Pipini patre loquens, qui magnum Sarracenorum exercitum, ex Hispania in Gallias irruẽtem, fudit, *Deiecto*, inquit, *aduersariorum agmine, Christo in omnibus præsule & capite salutis & victoriæ, Rex Carolus salubriter remeauit ad propria, in terram Francorum solum principatus sui.* En vt Maiorem domus Regem vocat, propter eam ipsam, qua præditus erat, regalem potestatem.

a Lib. 4. c. 61.

Deinde in ea historia notandum est, Francorum proceres longam Regum suorum ignauiam pertæsos, ad maiorem domus Pipinum Caroli filium, pacis bellique artibus instructum, mira consensione oculos animosque conuertisse: quæ res eum ita in spem regni erexit, *vt regium nomen non dissimulanter affectarit*: quod vt facilius sine odio & scãdalo multitudinis assequeretur, statuit in primis tẽtandum per Legatos Pontif. Romanum, & eius consensum expetendum: ratus nimirum quod res erat, Pontifice annuente, populum vniuersum, propter sedis Apostolicæ sanctitatem & reuerentiam, facile in eius sententia acquieturum.

Tertio sciendum est, Zachariam Papam generaliter consultum fuisse *de causa Regum qui in illo tempore fuerunt in Francia, vter potius Rex vocari debeat, in se qui nomen tantum Regis, sed nullam potestatem regiam habebat, an vero qui industria virtuteque sua, negotia publica moderaretur*, & generaliter respondisse, *melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret: quo responso adducti proceres, Pipinum sibi deligunt Regem.* Non dubium tamen est, quin Pontifex de Hypothesi certior factus fuerit, Childericum nempe abdicandum, *qui falso regis nomine fungebatur*, & Pipinum eius loco ad regni fastigium euehendum. Sed ita opinor eum generaliter respondisse, quia generalis sententia, nullius certæ personæ notam continebat, & integrum Franciæ Optimatibus iudicium, vt inde quod optabant colligerent, relinquebat, atque ita Papa non simpliciter deposuit Childericum, sed deponentibus consensit. Verum quia eius consensus præcipue spectabatur, dicitur præcise ac historicis quibusdam Childericum deposuisse.

Postremo, in ea historia serio & diligenter perpendendum est, quod Zacharias Papa auditis Pipini legatis de mutatione regni & Childerico deponendo: rem illam tam insolentem & arduam esse iudicabat, *vt initio minime auderet tam magni momenti cogitationem suscipere*, tametsi iam satis intellexerat Merouingiorum socordiam ingens religioni & Reipublicæ Christianæ detrimentum afferre, donec compertum exploratumque habuisset, Proceres omnes Francorum à Pipino stare, eumque Regem cupere: & præterea Childericum esse postremum Merouingiorum, hominem sine liberis, adeo stupidum, *vt ingenuo dolori amissum regnum ipsi futurum non esset, nec vsquam esse qui eius vicem quererentur.* Hæc illa erant, quæ iuncta cum singulari studio & amore, quo Pontifex Pipinum prosequebatur (eo quod ipse, & pater eius Carolus, multis Ecclesiam Romanam & sedem Apostolicam officiis essent demeriti) Zachariam mouebant, vt Francis, eam Regum mutationem cupientibus assentiretur.

Hæc quanquam ab historicis de hoc negotio ad hunc modum conscripta sunt, tamen magna nobis adhuc causa dubitandi de illius facti æquitate relinquitur. Scio Bellarminum alibi,[b] nimia huius facti Zachariæ æquitatis fiducia audacter affirmare, neminem sanæ mentis negaturum, factum illud fuisse iustum. At nihil proponit, cur non sapientissimus quisque iniustum id fuisse asseueret: nullam dico rationem probabilem & efficacem reddit, qua sapiens sibi persuadeat, Papam Francis in deponendo Childerico iuste consensisse, quandoquidem nullo casu licet malum facere, vt bonum inde quantumuis magnum consequatur. Deponi autem Regem legitimum à propriis subditis, aut deponentibus consentire, cum ille solum Deum supra se habeat, cui soli gestorum suorum rationem reddere tenetur, per se & simpliciter malum esse, iam satis ostendimus. Argumenta autem duo, quibus ad depositionis illius iustitiam probandam vtitur, adeo incerta sunt ac friuola, vt illa ab eo proposita esse mirer. Nam primum, quod facti

b Lib. 2. de Rom. Pont. c. 27.

Zachariæ æquitatem, euentu rerum metitur, quasi ideo factum illud iustum censeri debeat, quod illa regni mutatio prosperos & fœlices successus habuerit (*præsertim*, inquit, *cum euentus docuerit mutationem illam fœlicissimam fuisse*) id adeo plebeium est & puerile, vt ne cogitari quidem à tanto viro, nedum scribi debuerit.

——— Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putet.

Quid enim? Nonne postea in eodem regno Franciæ, mutatio à Carolouingiis ad Capeuingios, per summam iniustitiam facta est? *Nam Hugo ille Capetus, animi magnitudine & rebus potens, cum eius conatus nemo reprimeret, vi atque armis (vero herede capto & incarcerato) regni se diademate insigniri obtinuit.* Vnde Gaguinus eum *regni vsurpatorem* vocat: & tamen inter omnes constat, mutationem illam fœlicissimam fuisse, vt quidam putant, occulto Dei iudicio factam, vt Pipinus, qui Merouingis regnum per iniuriam eripuit, tandem aliquando parem in sua sobole iniuriam pateretur. Itaque Carolouingii non ita diu regno potiti sunt, si cum Capeuingiis conferantur. Capeuingii vero longe diuturnius stabilitum in sua gente imperium habent, & spero in perpetuum habituros.

Alterum quoque argumentum nihilo efficacius est, quod à Bonifacii Episcopi sanctitate trahit, qui Pipinum iussu Zachariæ, Regem vnxit & coronauit. *adde*, inquit, *quod qui iubente Pontifice Pipinum regem inunxit & coronauit, vir sanctissimus fuit, Beatus videlicet Bonifacius Episcopus & Martyr, qui certe auctor iniustitiæ, & sceleris publici nunquam fuisset.* Leue inquam hoc est & nullius momenti argumentum. Nam Bonifacius nudas executoris mandati Apostolici partes in illo negotio obibat, ideoq; nihil eius sanctitati detraxit, quod iubente Pontifice peregit: quippe tenebatur Papæ sententiam exequi, licet sciuisset eam esse iniustam: [c] & ideo *licet reum fecisset Zachariam iniquitas imperandi, innocentem Bonifacium esse ostendisset ordo seruiendi, & parendi necessitas.*[d] Illæsa igitur conscientia Bonifacius mandatum Zachariæ etiam iniustum explere potuit. At fuit Zacharias iste bonus Pontifex; fieri potest, nec id negamus, fuitque Dauid bonus Rex & Sanctus, & Theodosius bonus Imperator: fuere Marcellinus & Liberius boni Pontifices: attamen nemo eorum non aliquid reprehensione dignum admisit. Quid ni ergo Zacharias hodie vel amori indulgere, & humano more iustitiam aliqua ex parte violare potuerit? Notum est Zachariam tunc Pipini auxilio, contra Aistulphi & Longobardorum iniurias, plurimum eguisse: an non ingens illa erat ad expugnandam iustitiam machina? amor, *odium, & proprium commodum, faciunt iudicem sæpe verum* [e] *non cognoscere.*

[c] *Cau. quid culpatur. 23. q. 1. can. miles 23. q. 5.*

[d] *Arist. lib. Rhodo-Alex. cap. 2.*

[e] *Cap. Pastoralis §. quia vero de off. iud. de leg.*

Sed ne quid vltra de huius facti Zachariæ æquitate contendamus, esto quod optant, demus factum illud fuisse iustissimum. Quid inde, quæso. roboris & firmamenti accedere potest ad probationem temporalis potestatis, quam Papæ in Principes tribuunt? Nunquid aliud, quam vt eius facti exemplo, Papa nunc faciat quod tunc fecit Zacharias? nempe vt alicui populo Regem suum paribus de causis, abdicare cupienti consensum præbeat? hoc est, si Rex is sit qui nomẽ tãtum habet, sine vlla regnandi authoritate, aut potestate regia: quique & liberis orbus, & animo adeo ignauo ac stupido est, vt sine cæde & sanguine deponi; & nemine eius vicẽ dolente, aut partes tutante, ex Principe priuatus reddi possit. nam argumentum ab exemplo nihil est, nisi pares vtrobique & casus & causæ. Hoc ergo exemplum Zachariæ quid ad immensam illam potestatem stabiliendam confert, qua sequentibus seculis freti Pontifices, interdum Reges potentissimos, & omnibus copiis florentes, animique & corporis viribus præstantes, non populorum rogatu vel consensu, sed proprio motu, per bella, per cædes, per schismata, per maximas Reipublicæ Christianæ calamitates, regnis priuare & sceptris spoliare se posse gloriati sunt, & conati? Nunquid facti Zachariæ exemplo id illis licere, quisquam sapiens iudicabit? Sed hac de re satis.

CAP. XLII.

H*Anc supremam partem libri nobis Authoris obitus inuidit.*



Anno 1609.

APOLOGIA CARDINALIS BELLARMINI PRO IVRE PRINCIPVM.

ADVERSVS SVAS IPSIVS RATIONES PRO AVCTORITATE PAPALI PRINCIPES Seculares in ordine ad bonum ſpirituale deponendi.

Authore ROGERO WIDRINGTONO Catholico Anglo.

Audite Reges, & intelligite, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis.
SAP. CAP. VI.

ADMONITIO AD LECTOREM.



Ria ſunt (ſtudioſe Lector) de quibus te præmonendum eſſe putaui. Primum eſt: Quamuis hæc noſtra pro iure Principum Apologia nunc primum in lucem exeat, tres tamen totos abhinc annos à me conſtructam eſſe; quam etiam typis tunc protinus mandaſſem, ſi charactere ſatis perceptibili exarata fuiſſet: vt plures Catholici fide digni, atq; ex illis vir quidam Princeps, teſtes eſſe poſſunt. Neq; moram ſane vllam interpoſui, quin omni, qua potui, celeritate vſus ſim, vt eam bene tranſcriptam idoneam prælo redderem. Sed inter tranſcribendum doctiſſimus ille Guilielmi Barclaii liber de poteſtate Papæ in Principes *foras prodiit, qui negotium illud, quod in me ſuſcipere decreueram, exquiſite admodum perfecit, atq; adeo vniuerſis fere Cardinalis Bellarmini argumentis pro poteſtate Papali Principes deponendi, tam clare, tam ornate, tamq; erudite ſatisfecit, vt nihil amplius deſiderari poſſe meo quidem iudicio videretur. Igitur gauiſus ſum plurimum, & certe præ gaudio exultaui, quod de improuiſo tam graui onere leuatus, ac tam magna cura, & ſollicitudine liberatus eſſem. Verum multo citius, quam ſperabam, gaudium iſtud euanuit. Etenim tum importunæ amici cuiuſdam preces, in cuius notitiam hæc mea ſcripta venerunt, tum rationes, quas crebro inculcabat (non omnino diſſimiles iis, quas Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus * ex S. Auguſtino * adducit) tam magni apud me momenti erant, vt illis tandem perſuaſus ea etiam diuulgari permitterem. Vt enim taceam doctiſſimum Barclaium morte præuentum, librum ſuum non plene abſoluiſſe, neq; ad omnia Cardinalis Bellarmini argumenta, illud præſertim de Romani Imperii tranſlatione, reſpondiſſe (quæ res aliis quoq; eandem cauſam proſequendi ſufficiens argumentum præbere poterat) non ſolum non obeſſe, ſed etiam prodeſſe cenſeo Eccleſiaſticæ cauſæ, ſi plures, qui aliqua ſcribendi facultate præditi ſunt, de hac controuerſia grauiſſima, quæ tantas in Eccleſia tempeſtates excitauit, hoc potiſſimum tempore ſcribant, etſi eadem etiam aliis verbis fortaſſe ſcripturi. Nam præterquam quod ex multorum ſcriptione illud commodum accedit, quod libri breuius, & facilius ad manus omnium deferuntur, ita vt quiuis aliquem ſaltem cito incurrere poſſit, expedit etiam, vt Chriſtiani omnes intelligant, in caſtris Catholicorum non vnum aut alterum eſſe, ſed multos (quidquid in latebris aliqui obmurmurent) qui Deo & Cæſari, quæ ſua ſunt reddentes, non ſolum ſupremam Summi Pontificis auctoritatem ſpiritualem tueri, & pro ea fortiter dimicare non verentur, verumetiam ius Regium defendere, atq; pro ſuprema Principum Secularium poteſtate temporali totis viribus decertare paratiſſimi exiſtunt.*

* Tom. 1. in præfatione ad ſuas controuerſias. * Lib. 1. de Trinit. ca. 3.

Alterum, quod te ſcire velim, eſt, me, dum in hac Apologia quædam Cardinalis Bellarmini dicta refero, illud potiſſimum, quo Summos Pontifices Imperatoribus Ethnicis, in rebus

tempo-

temporalibus de iure subiectos esse, ait, non postremam operum suorum recognitionem, sed priores Editiones, Venetam nimirum ab ipsomet Bellarmino auctam, & castigatam secutum esse, tum quoniam non nouum aliquod opusculum à me recens confectum, sed antea, quam de hac vltima suorum operum recognitione quidquam audiueram, (paucissimis auctoritatibus duntaxat adiunctis) à me compositum tibi in præsenti offero; tum etiam quia satis instituto meo esse putabam, si ex doctrina à Cardinale Bellarmino vel concessa, vel vt improbabili non retractata, eius argumenta dissoluerem. Audeo autem confidenter asserere, doctissimum Bellarminum, quãtumuis sententiam suam de subiectione Pontificum Principibus Ethnicis iam retractauerit (iure an immerito aliorum sit iudicium, & alibi forsan à nobis examinabitur) contrariam tamen Alberti Pighii opinionem, quam ipse paucis abhinc annis vt probabiliorem amplexatus est, nequaquam improbabilitatis condemnaturum.

Scias deniq; tertio, Responsionem Cardinalis Bellarmini ad Guilhelmi Barclaii librum, quam in ore omnium audio versari, me hactenus non vidisse, tametsi in eo perquirendo diligentissimus fuerim. Si, postquam perlegerim, in aliquo me errasse deprehendero, statim me corrigam, atque errorem palam fateri non erubescam. Sin minus, dabit mihi, vti spero, veniam Illustrissimus Bellarminus, vt, si in hoc suo contra Barclaium libro, aliquid momenti aduersus ea, quæ in hac Apologia pro iure Principum à me dicta sunt, de nouo attulerit, cum omni, qua par est, reuerentia Responsionem illi reddam.

His igitur præmissis ad rem ipsam accedamus.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CVM duæ tantum reperiantur potestates, quibus principaliter mundus hic regitur, actibus propriis, & dignitatibus distinctæ, [1] auctoritas nempe sacra Pontificum à Christo Domino instituta, & Principatus politicus ab ipso Deo per legem naturæ, quæ suæ sempiternæ participatio est, sanctissime ordinatus; ita caute & prudenter de vtraq; agendum est, vt neq; Pontificiæ dignitati quidquã detrahatur, neq; ei aliquid in Maiestatis regiæ præiudicium plus æquo tribuatur, sed vt iuxta Christi Domini præceptum [2] Et Cæsari reddantur, quæ sunt Cæsaris, & quæ Dei, Deo. *Quapropter, cum quæstio hæc de suprema Summi Pontificis, & Principum secularium potestate, tam magni ponderis sit, vt minimus in ea error maximam aut supremis Principibus, aut Summo Pontifici iniuriam inferat, hoc inprimis syncere, totoq; corde protestandum esse duxi, non esse mihi animum in ea pertractanda, vel de supremi Christianorum omnium Patris, ac Pastoris spiritualis, Summi nempe Pontificis auctoritate, quæ illi, siue ex Christi institutione, siue ex Principum priuilegiis atq; Ecclesiasticis sanctionibus conuenit, quidquam detrahere, vel sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quæ Christianæ veritatis columna, ac firmamentum est, in minimo cõtradicere, cuius infallibili iudicio, quicquid à me dictum fuerit omni, qua decet, humilitate submitto, vel illustrissimũ Cardinalem Bellarminum, quem, vt omni honore, ac obseruantia dignissimum, veneror, atque suspicio, irreuerenter traducere, sed gratia tantum veritatis, caligine quadam iamdiu obductæ, dilucidandæ, quam debiles sint rationes ipsius, quibus auctoritatem Pontificis temporalem in Regiæ maiestatis derogationem stabilire contendit, ex ipsiusmet principiis, seruata semper reuerẽtia illi debita, adeo perspicue, Deo adiuuante, me demonstraturum confido, vt ipse nec iure mihi infensus esse, aut vlli vitio vertere merito possit, quod Tractatum istum pro iure Principum Apologiam illius nuncupare præsumpserim. Quam quidem Apologiam non ornate, vt solent Rhetores, sed solide, ni fallor, more Theologorum à me contextam tibi, studiose Lector, dedico. Amor tuæ salutis, sciendæ veritatis, Christianæ perfectionis, pacisq; publicæ à perfidis sub fucato Religionis velo, rebellionibus, Regicidiisq; conseruandæ, me primo ad scribendum impulit. Dicam candide quod res est. Cum serio mecum cogitare iamdudum cœpissem, quanta pericula animarum, corporum, bonorum, quos tumultus, quantasq; seditiones, & coniurationes, non Christianæ tantum perfectioni aduersantes, sed à feris etiam Barbarorum animis plurimum abhorrentes doctrina hæc*

[1] Ex Gelasio in Epist. ad Anastas. Imperat. Nicolao primo in Epist. ad Michaelem, & Innocentio tertio c. Solita. de maiorit. & obedientia.

[2] Matt. 22.

noua,[3] *& purioribus seculis incognita de Principibus secularibus per potestatem spiritualem deponendis in orbē Christianum inuexerit, simulq; mihi certo persuasissem, eam nec Scripturæ sacræ, nec Ecclesiæ primitiuæ praxi, nec sanctorum Patrum auctoritati, nec ipsi rationi naturali consentaneam esse, sed vocis similitudinibus plus iusto extortis, Sophisticis quibusdam argumentationibus, & quod caput est, nonnullis recentiorum Pontificum factis, atq; exemplis duntaxat fulciri (quæ omnia nullum certum huius temporalis Pontificum super Principes potestatis argumentum viris eruditis, quiq; debitam ex lege Christi erga vtrosq; reuerentiam seruare cupiunt, exhibere valent) quantis conscientiæ stimulis, quibusq; animi pressuris hinc, illincq; derepente angebar, satis profecto explicare non possum. Hinc enim timor, non Dei, sed hominum me à scribendo valde deterrebat, illinc Dei amor, & proximi me ad scribendum denuo inuitabat. Atq; ita vndiq; mihi angustiæ erant. Nam & verebar, ne scribendo Pontificis indignationem, cæteraq; incommoda, quæ inde nasci solent, incurrerem, & ne silendo Dei irā in me concitarem, ac perpetuum conscientiæ vulnus mihimetipsi infligerem. Verū in hoc certamine illud S. Pauli,*[4] Si hominibus placerem, Christi seruus nō essem, *sæpius reuoluens, tandem præualuit charitas, omnemq; foras emisit timorem. Cuius legibus me omnino obstrictum esse reputabam, vt postquam iam controuersia hæc de Principibus auctoritate Papali deponendis hinc inde magno impetu, multoq; sanguine agitari cœpta est, ipsam veritatem quæ mentis meæ oculis meridiana luce pene clarior apparebat, non præ timore hominum intus retinerem absconditam, sed omnibus qui eam diligenter inuestigare, & inuentam toto corde amplecti cuperent, syncere patefacerem. Aliter enim metuebam, ne infinitis illis malis, cædibus innumeris, cæterisq; omnibus periculis obnoxius essem, quæ ex illius ignoratione, tum ipsis Principibus, tum populo etiam Christiano euenire posse, ac solere, quotidiana experimēta, proh dolor, nimis luculenta perhibent testimonia. Itaq; rem Deo gratissimam, proximo vtilissimā, propriæq; conscientiæ exonerandæ pernecessariam præstare existimabam, si deplorando huius temporis statu perpēso, in quo quamplurimi, (quod sciens dolensq; refero) quid circa temporalē Pontificis potestatem intus in corde sentiant, foras propalare præ timore*[5] *nō audēt, ipsam veritatem plurimorum Sophismatum inuolucris artificiose contectam aperte detegerē, atq; adeo tum populo Christiano notum facerem, quam firmo ac immobili fundamento nitatur obediētia, quam in rebus ciuilib. Principibus Secularibus iure diuino debēt, tum ipsis ēt Principibus, iis potissimum, qui Rom. Ecclesiæ non adeo fauent euidenter ostenderē, quomodo doctrinæ Catholicæ principiis non repugnet, quin potius consentaneum sit, quod Principibus ēt hæreticis, non obstante quacunq; excommunicationis, aut depriuationis sententia a Summo Pontif. contra illos lata (vtpote cui potestas tantum spiritualis, & non secularis, qualis est Principes deponendi, ex Christi institutione competit) sit à populo illis ciuiliter subiecto obedientia in rebus politicis iure diuino exhibenda. Ita enim, neq; fideles subditi à debita suis Principibus obediētia præstanda vllatenus dimoueri, aut ad seditiones in Republica politica prætextu religionis excitandas, cum summo tum sui, tum Reipublicæ periculo, nec cū minori Religionis Catholicæ scandalo, quorumcūq; persuasionibus facile induci poterunt, neq; Principes, qui erga religionē Catholicam alioquin non bene sunt affecti, quousque de subditorum suorum fidelitate securi reddi queunt, erunt ignari; neque præ timore status sui politici à Catholicis aut euertendi, aut perturbandi, à fide Catholica vel amplectenda, vel saltē permittēda merito deterreri possunt. Hoc igitur vnum obnixe ò te peto, Lector studiose, vt ea, quæ in hoc opusculo in tui gratiam à me conscripta sunt, æqui, boniq; consulas, neq; tam donum, quantulumcunq; illud sit, quam donantis animum, qui maiora dare expetit, benigne respicias; & si forte aliqua in eo reperias, quæ tibi non arrideant, (non enim omnia omnibus placere solent) modestum, vt decet Catholicum, sed solidum, vt Theologo conuenit, responsum adhibeas, neq; ipsi difficultati tenebras offundere, sed eā firmis rationibus clare, ac perspicue explicare studeas. Non. n. tritā illa Respōsiones, & in plurium ore nimium versata:* Certū est. & de fide: De re ipsa inter oēs Catholicos cōuenit, licet de modo dissētiāt, & eiusmodi, *nisi solidiorib. rationib. deinceps cōmuniātur, quā quæ hactenus à doctissimo Bellar. allatæ sunt, prudentum mētibus plene satisfacient, aut vllum Lectori erudito terrorem incutient, sed potius iustitiam tuæ causæ viro scienti, & veritatis addiscendæ cupido magis suspectam reddent, & Principum Christianorū, qui Ecclesiæ sanctæ Protectores*[6] *à Deo constituti sunt, animos ad iracundiam merito prouocare poterunt, qui dum perspiciunt, doctrinam hanc de temporali Pontificis super ipsos potestate*

his po-

[3] Nam Gregor. 7. fuit primus omnium Pontificum qui Imperatorē deposuit: & vt scribit Bell. li. 5. de Rom. Pont. c. 5. Primus qui temporalem potestatem Pontif. ex Christi institutione tribuit, videntur esse Hugo de S. Vict. & S. Bernard. quos secuti sunt Alexander, Bonauentura, Henricus, Durandus, & alii posteriores. Sed, quod neq; Hugo, neq; S. Bernardus, nec Alexander hanc sententiam de temporali Pontificis potestate fauerant, infra num. 124. 129. & 196. apparebit, & propterea doctrina ista noua est, & prioribus seculis incognita.

[4] Ad Gal. 1.

[5] Tanta est inter Doctores controuersia de plenitudine Ecclesiasticæ potestatis, & ad quæ se extēdat, vt pauca sint in ea materia secura, ita quod his temporibus, vt dicit Guliel. Occam circa finem primæ partis Dialogi, summe necessarium foret, quod per sapientes iuramētis & horribilibus comminationibus ad veritatem dicendam arctatos declararentur, quæ ad plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ spectant. Ita Iac. Almainus de auct. Eccles. cap. 1. in principio.

[6] 23. q. 5. c. Principes. Concil. Trid. sess. 25. c. 20 de Reform.

his posterioribus tantum seculis in Ecclesiam irrepsisse, eamque nullo scripturæ sacræ, aut sanctorum Patrum testimonio, aliaue ratione efficaci firmiter comprobari, non mirum, si contra talem auctoritatem, eiusque propugnatores valde excandescant, neq; se Regali suo iure quasi per vim spoliari, tam facile permittant. Denique cum opus hoc non adulandi animo, aut contradicendi libidine, Deus mihi testis est, sed veritatis perquirendæ studio, animarum zelo, pacisq; publicæ conseruandæ gratia in me susceperim, plurimum confido, Summum Pontificem; qui veritatis custos, & propugnator à Christo constitutus est, contra me pro veritate indaganda humiliter disputantem, neq; proterue aliquid statuẽtem nulla prorsus indignatione commotum iri. Non etenim animo pertinaci quidquam assero, sed paratissimo, tum ea, quæ à me conscripta sunt, Doctiorum trutina examinanda porrigere, tum præsertim me in omnibus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ censuræ, atq; correctioni, cum omni, qua par est, submissione subiicere, pro cuius fœlici statu, & vt pax vera inter Regna mundi, & Sacerdotium diutissime conseruetur, assiduis precibus diuinam clementiam supplex rogo: Est enim valde metuendum [7] ne, sicut Romana Ecclesia gratuita Principum liberalitate dominium temporale accepit, ita, si Iurisdictionem temporalem super ipsos plus iusto sibi arroget, eorum indignatione, eodem, quod Deus auertat, tandem spolietur.

APOLOGIA PRO IVRE PRINCIPVM.

DIV, ac multum agitata est controuersia, An penes Romanum Pontificem sit dominium rerum omnium temporalium, & potestas de illis disponendi saltem in ordine ad bonum spirituale, adeoq; Reges & Principes supremos ob crimen hæresis, aliaque enormia flagitia suis Regnis, atq; dominiis temporalibus priuandi. Sed nuperrime in Anglia hæc quæstio de integro in disceptationem vocari cœpit occasione cuiusdam Iurisiurandi, quo Catholici Angli, ex vi publici Edicti [a] in generali Ordinum conuentu sanciti, ad debitam suam ergà Regem in rebus ciuilibus obedientiam, ac fidelitatem, vt in ipso Decreti initio præfertur, ostendendam deuinciri solent.

2 Quamplurimi enim Angli Catholici in ea sunt sententia, vt existiment, Papam, vt Papam, quamuis non habeat vllum dominium, seu potestatem mere temporalem iure diuino, habere tamen in ordine ad bonum spirituale, supremum dominium temporale, seu potestatẽ disponendi de rebus temporalibus, omnium præsertim Christianorum, & consequenter Regna, atq; Imperia trãsferendi, & Reges, ac Principes supremos Principatu priuandi. Et hãc sententiam tam mordicus tenent, vt contrariam non tam sententiam quam hæresim esse arbitrentur. Potissima huius sententiæ fundamenta sunt rationes, atq; exempla, quæ ex Cardinale Bellarmino, [b] tum doctrina, tum dignitate illustrissimo pro hac sua sententia, quæ etiam recentiorum Theologorum communis est, confirmanda, inferius [c] adducemus.

3 Veruntamen permulti alii Angli Catholici, qui prædictum Iuramentum licitum esse affirmant, & plures alii, qui quantumuis negent, præfatum Iusiurandum, ob quasdam clausulas in eo insertas, posse ab vllo Catholico tuta conscientia præstari; asserunt nihilominus, non posse sufficienter demonstrari, vel Scripturarum testimonio, vel Apostolica traditione, vel sanctorum Patrum auctoritate, vel ipsis rationibus Theologicis, Summum Pontificem vllum prorsus habere ex Christi institutione rerum temporalium dominium, aut potestatem siue directe, siue indirecte, siue absolute, siue respectiue ad bonum spirituale, Principes supremos ob quantumuis crimen suis dominiis temporalibus dispoliandi.

4 Hanc sententiam, vt refert Ioannes Azorius [d] Societatis Iesu Theologus, sequuntur Guilielmus Occamus, Ioannes Parisiensis, Dantes Aligerius, Iacobus Almainus in *tractatu de suprema potestate Laica. q. 3.* & Ioannes Maior *in 4. dist. 24. q. 3. concl. 3.* Et idem Azorius [e] in hanc etiam sententiam citat Hugonem relatum à Glossa in *cap. Causam. quæ. 2. Extra. qui filii sint legitimi,* in verbo *Ad Regẽ*, & Michaelẽ Vulcurunũ in *Regimine mũdi, parte 2. q. 11. principali*, atq; Albericũ in *Dictionario* in verbo *Electio*, vbi cæteris paulo liberius loquitur: *Pastores, inquit, Ecclesiæ mittentes falcẽ in messem alienã, fecerũt quatuor Decretales, vnã de electione Imperatoris, quæ incipit Venerabilẽ; & ibi de hoc not. per omnes. Alia est super dispẽsatione Frederici Imperatoris, Extra de sentẽtia, & re iudicata, cap. ad Apostolicæ in Sexto, vbi etiam de hoc not. per omnes. Alia est super discordia orta, & sentẽtia criminis læsæ maiestatis lata per Imperatorẽ Henricũ, quæ est in Clemẽtina de sentẽtia & re iudicata, cap. Pastoralis: Alia est in Clementina prima de Iureiurãdo, quod Imperator tenebatur præstare iuramẽtũ fidelitatis Papæ & de aliqua potestate Papæ*

Dãtes Almainus Maior Hugo Vulcurunius. Albericus. Gloss. Decret. Anto. de Rosel. Tertul. S. Ambr. S. Hier. Otho Frisig. Glo. Scriptura sacra. Greg. Turon. Const. Harmen. Ninian. VVinzetus. S. Aug. Nicolaus Papa. Ioan. Papa. Celest. Papa. Gratianus. Alex. Alensis. Petrus Damian. S. Gregor. Naz. & S. Ambr. S. Bernard. S. Greg. Papa. Gregorius Tholosanus. Sigebert. Vincentius Belluac. Nicol. Cusanus. Guilel. Barclaius. Auctor Apologiæ Pro. pro Romana Ecclesi. Parlamentum Parisiens. Cardinalis de Pellene. & Conuentus ordinum Franciæ. Iacobus Leschasserius. Petrus Pithœus, & totum Franciæ Regnum. Scholastici tempore Trithemii, qui etiam dicit adhuc sub iudice litem esse.

[7] Prouerbium vulgare, qui totũ vult, totum perdit, vnde timendum est, ne Ecclesia Romana, quæ vniuersa vendicat, vniuersa perdat. Ita Durandus sacri Palatii Magister & Episcopus in tract. pro celebrando Concilio. par. 2. rub. 8.

[a] Hæc Lex de iuramẽto fidelitatis præstãdo lata est anno Domini 1606 in Sessione Parlamenti, quæ proxime secuta est barbaram illã quorũdam Catholicorum coniurationem, ac iam toti orbi notissimam, sed seculis futuris præ illius horrore vix credendam.

[b] Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 7. & 8.

[c] Auctores primæ sententiæ sunt ipse Bellarminus & plerique ex illis Theologis, non tamen omnes, quos ipse ibidem cap. 1. refert.

[d] Num. 192 & seq.

[d] Tom. 2. Instit. lib. 4. cap. 9. q. 3.

[e] Lib. 10. c. 6. q. 3.

Auctores & fautores secundæ sententiæ. Guil. Occamus. Ioannes Parisiensis.

ſuper Imperatorem. Quæ Decretales, an ſint iuſtæ, Deus nouit, nullam enim earum, ſaluo meliori conſilio (& ſi erroneum foret reuoco) credo iuriconſonam. Immo eas credo proditas contra iura, & libertatem imperii, & puto poteſtates diſtinctas à Deo proceſſiſſe, de quo ſatis notaui lege prima Cod. de Summa Trinitate, & fide Catholica. Hæc Albericus.

5 Huic etiam ſententiæ fauere videntur Gloſſa in *cap. Quoniam diſt. 10.* Antonius de Roſellis *de poteſtate Papæ & Imperatoris*, & omnes inſuper illi, qui docẽt Principes, ſi deliquerint, diuino examini relinquendos eſſe, neq; in terris à quoquam mortalium iudicari, aut puniri poſſe: quæ ipſorum dicta de pœnis temporalibus, qualis eſt Principum depoſitio, neceſſario intelligi debent: nam alioquin poſſe eos pœnis ſpiritualibus coerceri, propter peccata præſertim ſpiritualia, nemo Catholicorum inficiatur.

Inter hos annumerari poſſunt Tertullianus in Apologet. contra gentes, qui ait *Deum eſſe ſolum, in cuius ſolius poteſtate ſunt* (Imperatores) *à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes Deos, & ſuper omnes homines.*

S. Ambroſius in Apologia Dauid. cap. 10. ad illud Pſalmi, *Tibi ſoli peccaui*, ita inquit: *Rex vtique erat, nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus tuti Imperii poteſtate. Homini ergo* (Dauid occidendo Vriam) *non peccauit, cui non tenebatur obnoxius.*

Sanctus Hieronymus tom primo, Epiſt. 46. loquens de Dauide poſt crimen adulterii, & homicidii perpetratum pœnitentiam agente, ait eum dixiſſe, *Tibi ſoli peccaui, quia Rex erat, & alium non timebat.*

6 Otho Friſingenſis in Epiſtola ad Fredericum Oenobardum, quæ præfixa eſt Chronico de geſtis Frederici: *Cum nulla*, inquit, *inueniatur perſona mundialis, quæ mundi legibus non ſubiaceat, ſubiacendo coerceatur, ſoli Reges, vtpote conſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſeculi legibus non cohibentur, vnde eſt illud tam Regis quam Prophetæ teſtimonium, Tibi ſoli peccaui.*

Quæ etiam Prophetæ verba explanans Gloſſa ait, idcirco Dauidem prædicta verba, *Tibi ſoli peccaui*, vſurpaſſe, *Quia rex omnibus ſuperior tantum à Deo puniendus eſt.*

Gregorius Turonenſis lib. 5. cap. 17. ad Regem Chilpericum loquens, *Si quis*, inquit, *de nobis ô Rex, iuſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt; ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te damnabit, niſi is, qui ſe pronunciauit eſſe iuſtitiam?*

7 Conſtantinus Harmenopolus lib. 1. Epit. tit. 1. legem illam, *Princeps legibus ſolutus eſt, ff. de legibus*, lege *Princeps*, ita exponit, *Princeps legibus non ſubiicitur, videlicet, ſi delinquat, non punitur.*

Atque vt plures alios omittam, Ninianus Winzetus Abbas in *Velitatione contra Buccananum, pag. 120.* poſtquam recitauerat illum Scripturæ locum, in quo Dauid præcepit Abiſai, ne Saulem lancea perfoderet, ita ſubiungit: *Audi veram Dei Prophetæ Theologiam, Regem videlicet quantumuis impium ipſius Dei iudicio, & caſtigationi relinquendum eſſe; Niſi, Deus, inquit, percuſſerit eum, &c.*

8 Sed multo clarius hanc ſententiam ſequuntur illi, qui paulo expreſſius aſſerunt, penes Eccleſiam non eſſe gladium materialem, ſed ſpiritualem duntaxat, & proprium eſſe Sacerdotum, quorum arma ſpiritualia ſunt, non corporalia, ſpiritualem inferre vindictam: Regum autem temporalem irrogare pœnam, qua pœna, ſi ipſi deliquerint, à ſolo Deo iudicandos, & caſtigandos eſſe.

Ita S. Auguſtinus, qui libro de fide & operibus cap. 2. docet, *Gladium materialem, quo in veteri Teſtamento Moyſes & Phinees vſi ſunt, fuiſſe figuram degradationum, & excommunicationum, quæ in lege noua exercenda ſunt, cum in Eccleſia*, vt inquit, *diſciplina viſibilis fuerit gladius ceſſaturus.*

9 Nicolaus Papa cap. Inter hæc 33. q. 2. vbi ait, *Sancta Dei Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur, gladium non habet, niſi ſpiritualem.*

Ioannes Papa octauus, cap. Porro 16 q. 3 qui ita inquit, *Eccleſia corporalia neſcientes arma, ſolum Dominum, & propugnatorem ſuum, quando ei placuerit miſereri, patienter expectant.*

Celeſtinus tertius, *cap. Cum ab homine, Extra de Iudiciis*, vbi docere videtur non eſſe in poteſtate Eccleſiæ alias pœnas infligere, quam ſpirituales, quales ſunt degradatio à ſtatu clericali, excommunicatio, & huiuſmodi; *Cum non habeat*, inquit, *Eccleſia vltra quod faciat*, (hoc eſt quam excommunicare, & degradare Clericum incorrigibilem) *per Secularem comprimendus eſt poteſtatem, ita quod ei deputetur exilium, aut alia legitima pœna inferatur.*

10 Quod etiam expreſſiſſime docuit Gratianus, 2. q. 7. cap. Nos ſi. *Regum*, inquiens, *eſt corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam.*

Alexander Alenſis 3. part q. 40. membr. 5. quæſt. 4. ad primum, ſecundum, & tertium argumentum, qui affirmat *Reges à Deo ſolo materiali pœna puniendos eſſe. Atque ita 1. Petri 2. Rex dicitur præcellere*, ait Alenſis, *in ſuo ordine ſecundum poteſtatem ad vindictam, non ſpiritualem, ſed corporalem, quã vindicta, ſi deliquerit, non habet, qui eum puniat, niſi Deum.*

11 Demũ Petrus Damianus,[f] qui in Epiſtola ad Firmanum Epiſcopum ita ſcribit: *Sicut ergo ipſe Dei filius cuncta mundi furentis obſtacula, non per diſtricti examinis vltionem, ſed per inuictam ſuperauit inconcuſſæ patientiæ maieſtatem; ita decet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quam vel arma corripere, vel lædentis læſionibus reſpondere, cum præſertim inter regnum & Sacerdotium propria cuiuſq; diſtinguantur officia, vt & rex armis vtatur ſeculi, & Sacerdos accingatur gladio ſpirituali, qui eſt verbum Dei. De ſeculi nempe Principe Paulus dicit, Non ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui male agit.*

f Apud Baronium in Annalibus, anno 1303. à nu 10. qui nu 14. immerito verba Petri Damiani, viri non minus ſanctitate, quã eruditione clari, vt hæretica criminatur aſſerens Catholica dogmata illis pontificiis aduerſarii, quibus hæreſis errore notãtur omnes, qui Romanæ Eccleſiæ non niſi gladium ſpiritualem concedunt: cũ tamen eodẽ errore notare potuiſſet ſanctos illos Patres, ſummoſq; Pontifices, alioſq; Doctores iam citatos, qui non niſi gladium, armaq; ſpiritualia Eccleſiæ concedunt.

Oziae

Ozias Rex, qui Sacerdotale vsurpat officium, lepra perfunditur, &, si Sacerdos arma corripit (quod vtique Laicorum est) quid meretur, &c. Et infra: *Ad hæc si quis obiiciat Leonem bellicis vsibus se frequenter implicuisse Pontificem, nihilominus verum esse dico, quod sentio; quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet principatum, quia negauit, nec Dauid iccirco prophetiæ meretur oraculum, quia thorum viri alieni inuasit, cum mala, vel bona non pro meritis considerentur habentium, sed ex propriis debeant qualitatibus iudicari. Nunquid hoc legitur vel egisse, vel litteris docuisse Gregorius* g *: qui tot rapinas atque violentias à Longobardorum feritate est perpessus? Num Ambrosius bellum Arrianis se, suamque Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Nunquid in arma Sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum? Causas igitur Ecclesiasticas cuiuscunque negotii leges diriment fori, vel Sacerdotalis edicta Concilii, ne quod gerendum est in Tribunalibus Iudicum, vel ex sententia prodire Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium congressione bellorum.*

13 Quibus verbis videtur loqui Petrus Damianus de proprio Pontificum, vt Pontifices sunt, officio, & de auctoritate, quæ illis, qua Pontifices; & spirituales animarum pastores sunt, ex Christi institutione competit, & non qua Principatum temporalem ex Principum concessione annexam habent: qua ratione, vt pœnas infligant temporales, gladio accingantur materiali, & armis vtantur seculi, illis eodem modo quo cæteris etiam Principibus conuenit, non videtur lege Christi esse interdictum.

Fauent quoque huic sententiæ S. Gregorius Nazianzenus, S. Ambrosius, Sanctusque Bernardus, qui nullum aliud remedium aduersus Principes Ecclesiam persequentes præter lachrymas, orationes, atque alia id genus arma spiritualia, *quæ*, vt ait Glossa †, *propria sunt militum Christi*, Sacerdotibus, reliquisque Christianis competere apertissime docent.

14 Nam Gregorius Nazianzenus in orat. 1. contra Iulianum Apostatam, qui Religionem Christianam euertere nitebatur, *Hæc* inquit, *Iulianus deliberabat, quemadmodum secretorum illius sodales, & testes propalarunt, correctus est tamen Dei clementia, ac lachrymis Christianorum, quæ multæ tam, & a multis erant effusæ, cum solum hoc contra persecutorem haberent remedium.* Et nihilominus tam ingens erat eo tempore Christianorum multitudo, tantæque vires, vt eum facile debellare, atq; vel vi aperta, vel per insidias absque vllo fere tumultu, aut graui Christianorum incommodo illum è medio tollere satis opportune potuissent, quod quidem in talibus angustiis ipsa Ecclesiæ periclitanti succurrendi necessitas postulasse videbatur, si subditis in Principes suos legitimos occasione religionis insurgere per Dei legem licuisset. Nunquam enim maiores Christianorum vires, quam tunc erant: cum totus Iuliani exercitus ex Christianis conflatus esset, vt infra h fusius ostendemus: quæ res tantopere animum Iuliani commouit, *vt res Christianorum*, i *quos Galilæos contumeliæ causa nominabat, comparatione Persarum, qui contra ipsum fortiter in bello perseuerabant, adeo illi maiores, ac cura digniores viderentur, vt bellum contra Persas nugas ac ludum existimaret.*

15 Sanctus etiam Ambrosius illud ipsum, quod superius k verbis docuerat, nempe *Reges nullis ad pœnam vocari legibus tutos imperii potestate*, opere, atque exemplo suo confirmat. Nam tametsi eum Valentinianus iunior l religionis causa persuasu matris Iustinæ Arrianorum fautricis persequeretur, atque *Ecclesiæ statum conturbare, ipsumque Ambrosium, ac cæteros Christi Sacerdotes in exilium mittere conaretur*, non propterea ipse Imperatorem vlla Imperii sui parte priuauit, aut aliquem in populo tumultum in Religionis defensionem concitauit, sed ad orationes, lachrymas, aliaque eius generis arma spiritualia, tanquam ad vnicum salutis asylum confugit, *neque se manu defensauit, aut telo*, vt scribit m Ruffinus, *sed ieiuniis, continuisque vigiliis sub altari positus per obsecrationes defensorem sibi atque Ecclesiæ Deum parauit. Dolere potero*, ait ipse Ambrosius, n *potero flere, potero gemere, aduersus arma, milites Gothos quoq; lachrymæ meæ arma mea sunt, talia enim munimenta sunt Sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere.*

16 Et tamen facillimum fuisset Ambrosio Imperatorem aliqua saltem Imperii sui parte mulctare, & illius iura Maximo viro orthodoxo Imperium ambienti concedere: qui vt tradunt historici o, *magno collecto exercitu, prætextu quidem, quasi non passurus, vt circa patriam fidem, & Ecclesiasticum ordinem aliquid nouaretur, ideoque datis literis ad Valentinianum impium prodens, & Ecclesiasticum ordinem aliquid nouaretur, testabatur inceptum, fidem Dei impugnari, & statuta Ecclesiæ Catholicæ subrui, minas insuper belli addens, nisi Imperator bellum aduersus pietatem remitteret: quin etiam orationem reipsa confirmans, coactum exercitum Mediolanum versus duxit. Quo comperto, Iustina, hoste simul, atque impietatis conscientia perurgente, in fugam versa cum filio, exilia, quæ Dei Sacerdotibus præparabat, prima sortitur.*

17 Noluit igitur S. Ambrosius ab Imperatore Valentiniano grauiter oppressus, aliquam imperii sui partem illi adimere, eamque Maximo viro Catholico, suamque opem vltro pollicenti regendam tradere, tametsi id efficere (Maximo tunc cum ingenti exercitu sub Religionis tuendæ prætextu ad Mediolanum aduentante) absque vllo fere negotio potuisset; cum præsertim tanta esset apud populum vel solius Ambrosii auctoritas, vt tota Imperatoris potentia aduersus eum præualere tunc temporis ægre potuisset. Nam Imperator, vt ait Ruffinus p *pro contumelia inuidiæ, quam falso conflauerat mater, accensus, armatorum globum ad Ecclesiam mittit, confringi ianuas, oppugnari sancta, Sacerdotem pertrahi, atque in exi-*

g Quid S. Gregor. & Ambrosius senserint, vide etiam inferius num. 15. & 21.

† Ad Ephes. 6.

h Nu. 240. & seq.

i Nazianz. orat. 1. in Iulianum.

k Num. 5.

l Ruffin. lib. 2. hist. cap. 15. Socrates lib. 5 cap. 11. Theodoret. lib. 5. c. 13. Sozomen. lib. 7. cap. 13.

m Lib. 2. hist. cap. 16.

n In oratione contra Auxentium lib. 5. epist. & habetur 23. q. 8. cap. Conuenior.

o Ruffinus loco citato. Theodoret. lib. 5. ca. 14. Sozomen. lo. citato.

p Lib. 2. cap. 15. Socrates lib. 5 cap. 11. Sozomen. lib. 7. ca. 13.

in exilium mitti protinus iubet. Resistebant tamen populi fideles, Ambrosium vehementer diligentes, quorum tanta fuit perseuerantia, vt animas prius amittere, quam Episcopum mallent.

18 Quinetiam ipsemet Imperator S. Ambrosii potentiam, summamque eius apud populum auctoritatem satis aperte attestatur. [q] *Nam cum Imperatorem Comites obsecrarent, vt ipse prodiret ad Ecclesiam, idque petitu militum facere se dicerent, respondit Imperator* (ac si exiguam verbis Comitum fidem habuisset) *Si vobis iusserit Ambrosius, vinctum me tradetis.*

q Ambros. lib. 5. Epi. 33. ad Marcellinam sororem.

Non itaque S. Ambrosius idcirco orationibus, lachrymis, ieiuniis, cæterisq; eius generis armis spiritualibus vsus est, quia vires illi deerant ad se, suamque Ecclesiam à Valentiniani oppressionibus armis corporalibus defendendam, sed quia Christi Sacerdotibus, populoque Christiano pro religione Christiana aut dilatanda, aut conseruanda contra Principes suos legitimos, arma capessere, vel per seditiones, atque tumultus vllam illis violentiam inferre, Christi lege omnino prohibitum esse iudicabat.

19 Eadem fuit Beati Bernardi mens, eademque sententia. Nam in primis libro secundo de Considerat. ad Eugenium Papam, [r] *Planum est*, inquit, *quod Apostolis interdicitur dominatus: ergo & tu tibi vsurpare caue, aut Dominus Apostolatum, aut Apostolicus dominatum: planum est, quia ab vtroque prohiberis, si vtrumque similiter habere voles, perdes vtrumque.* Deinde libro quarto, ad eundem asserit Summum Pontif. *non habere gladium materialem in iussu, sed solum in nutu.* Id est, penes Pontificem non esse dominium gladii temporalis, sed solum potestatem quandam innuendi, dirigendi, atque ordinandi ad modum inferius [s] explicandum, quando & in quibus casibus Imperator, qui illius gladii Dominus est, illum pro Ecclesiæ necessitatibus extrahere debeat.

s Num 196. & seq.

20 Præterea in Epistola 170. *Si*, inquit, *totus terrarum orbis aduersum me coniuraret, vt aliquid moliar aduersus regiam maiestatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temere non auderem. Nec enim ignoro, vbi legerim, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et nihilominus, si maiestas regia aduersus Ecclesiam aliquid moliretur, eamque conculcare, aut iniuriam inferre niteretur, in eo casu Sanctus Bernardus se matris suæ iniurias non dissimulaturum, sed pro ea armis, quæ Domini Sacerdotem athletam Christi, atque Ecclesiæ filium decent, vsque ad mortem dimicaturum esse intrepide profitetur. *Nos*, inquit, [t] *Ecclesiæ filii matris iniurias, contemptum & conculcationem omnino dissimulare non possumus. Profecto stabimus, & pugnabimus vsque ad mortem, si ita oportuerit, pro matre nostra armis, quibus licet, non scutis, & gladiis, sed precibus, fletibusque ad Deum.*

t In Epist. 221. ad Ludouicum Crassum.

21 Posset etiam pro hac sententia adduci Sanctus Gregorius Papa, vt ita quiuis, quam concordissime vniuersi Sancti Patres, atque Ecclesiæ Doctores in hac re consentiant, facile dispicere possit. Ipse etenim, qui tot iniurias à Longobardorum feritate perpessus est, non tamen propterea ab iis debellandis, seque, suaque Ecclesiæ armis corporalibus defendenda abstinuit, quia vires sibi deesse existimabat ad eorum Imperium penitus dissipandum, sed quoniam, vt infra [u] videbimus, ob Dei timorem, & conscientiæ scrupulum in mortem alicuius se miscere formidabat. Quænam igitur fuerit Beati Gregorii opinio de potestate Papali Principes deponendi, ex his perspicue admodum colligi potest. Si enim ipse, cum Summus esset Pontifex, tantaq; eruditione, ac vitæ sanctimonia excellens, vt inter quatuor Ecclesiæ Doctores numerari meruerit, in alicuius tamen necem ob sui, suæque Ecclesiæ defensionem, consentire plane illicitum sibi esse iudicabat; quis profecto iure suspicari potest, talem tantumque virum in ea potuisse esse sententia, vt existimaret, Summo Pontifici ex Christi lege aut præceptum, aut permissum esse, vt Principibus supremis, tametsi Ecclesiam persequantur, vel vitæ, vel honoris priuationem, non dicu, imprecetur (his enim imprecationibus ipse Gregorius aliquando vsus est, & ex iis nullum perturbandæ Reipublicæ periculum oriri poterat) sed per sententiam definitiuam illis, vel vitam, vel Principatum auferat, totumque ius regnandi alteri etiam extraneo concedat, ex quo maximi in Republica tumultus, infinitæ strages, cædesque hominum innumeræ, aut semper, aut plerunque consequi solent?

u Nu. 236.

22 Quod si quis respondeat, præfatos sanctos Patres hoc solum asserere voluisse, non esse licitum viris Ecclesiasticis arma corripere, aut vllum malefactorem, saltem per seipsos, pœna mortis, aut membrorum mutilationis afficere: hoc etenim sacri Canones [x] Clericis obstatus decentiam penitus interdicunt, & in transgressores pœnam Irregularitatis decernunt.

Hoc sane facile conuinci potest. Constat enim iuxta communem Theologorum [y] doctrinam iure tantum Canonico, & humano, non naturali, aut diuino Clericis prohiberi, ne arma capiant, aut aliquem malefactorem per seipsos occidant: quæ leges neque Summos Pontifices constringunt, neque alios tam stricte obligant, quin in iis Papa dispensare possit. Quin etiam absque vlla expressa Summi Pontificis dispensatione possunt Clerici, & aliquando etiam tenentur, (si præsens necessitas vigeat) vel in propriæ vitæ defensionem, vel in Reipublicæ ciuilis tutelam, quæ priuatu cuiusque commodo anteponi debet, contra iniquum aggressorem cum inculpatæ defensionis moderamine tam Rempublicam quam seipsos defensare.

x Dist. 45. can. Episcopum inc. Sententiam, Extra. Ne Clerici vel Mona. & toto tit. de Clerico percussore.

y In 22. S. Tho q. 64. art. 4. vbi Arragon. Salon. & alii.

23 Aliud

23 Aliud igitur significare voluerunt præclara illa sanctæ Ecclesiæ lumina, nempe dominium gladii temporalis non esse penes Ecclesiam, aut Pastores illius spirituales, qua tales sunt, sed solum penes Rempub. politicam, illiusque Dominos temporales, neque ad viros Ecclesiasticos, quatenus Ecclesiæ sunt filii, spectare, vt armis corporalibus, sed spiritualibus duntaxat, quæ propria sunt militum Christi, iniurias sibi allatas propulsent. Quod si interdum contingat clericos materiali vti gladio, non illis competere, qua Ecclesiastici sunt, sed qua homines, aut corporis politici partes, & membra quædam, qui, vel in propriam defensionem, lege naturali dictante, quod vim vi repellere cuiuis homini liceat, vel in communem Reipublicæ politicæ tutelam (præhabita eorum, ad quos spectat, licentia) nonnunquam armis decertant.

24 Quapropter si à iure Ecclesiastico abstrahamus non minus Summo Pontifici, aliisque Prælatis Ecclesiasticis, qui ex Principum concessione potestatem temporalem habent, quam cæteris etiam Principibus secularibus materiali vti gladio permittitur, & propterea sicut Princeps temporalibus ob Maiestatis Regiæ dignitatem non omnia iudicia per seipsum exercet, sed inferiores Iudices, atque ministros designat, qui ius dicant, & sententiam Iudicis exequantur; quæ tamen omnia Princeps ipse per seipsum, si vellet, exequi posset, cum tota auctoritas, quam aliis communicat, in seipso amplissime resideat: ita Summus Pontifex, etiamsi ob status Ecclesiastici decorum, iudicia secularia, in causis præsertim criminalibus non per seipsum, sed per Iudices seculares à se ad hoc deputatos exerceat; quia tamen lege diuina cautum non est, ne Clerici auctoritate publica in causis capitalibus se immisceant, satis liquet, posse Summum Pontificem ea omnia iudicia per seipsum ferre aut exequi, ad quæ ferenda, aut exequenda, ipse aliis potestatem impertitur. Ex quibus apparet prædictam Responsionem esse nimis debilem ad totius Ecclesiæ primitiuæ praxim, & præfatas sanctorum Patrum auctoritates enervandas.

25 Hanc quoq; sententiam ex parte sequitur Gregorius Tholosanus, *lib. 26. de Republica, cap. 5.* qui existimat Principes seculares propter peccata mere secularia; quæ tamen bono spirituali, atque animarum saluti obsunt, non posse per auctoritatem Papalem suis dominiis priuari. Fauere enim videntur plurimi ex illis Auctoribus inferius [y] citandi, qui asserunt Imperium Romanum non fuisse à Græcis ad Germanos sola Romani Pontificis auctoritate translatum: & ea illis quoque, [z] qui negant Regem Childericum fuisse per Romanum Pontificem suo Regno priuatum, & Pipinum loco illius substitutum. *Ex hoc enim*, vt ait Oto Frisingensis † & Godefridus Viterbiensis, *a Romani Pontifices Regna mutandi auctoritatem trahunt.*

y Num. 414. & seq.

z Nu. 404. & seq.

† Li. 5. hist. ca. 23.

a in anno 714.

26 Sed eam magis expresse tenent Sigebertus, vt constat ea Chronico in anno 1080. & ex Catalogo vbi dicit, *se rogatu Henrici Archidiaconi, & Decani Ecclesiæ S. Lamberti, validis Patrum argumentis respondisse Epistolæ Hildebrandi Papæ, quam scripsit ad Hermannum Metensem Episcopum in potestatis regiæ calumniam.*

Vincentius Bellouacensis in *Speculo hist. lib. 25. cap. 84.* vbi postquam quædam de abusu clauium dixerat, eaque referens ad Gregorium septimum, & Vrbanum secundum, hęc verba, quæ ex Sigeberto desumpserat, subiungit: *Nimirum vt pace omnium bonorum dixerim, hæc sola nouitas (ne dicam hæresis) needum è mundo emerserat, vt Sacerdotes eius, qui dicit Regi Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant subiectionem, & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contra Regem senserint; immo qui Regi paruerit pro excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit, à noxa iniustitiæ periurii absoluatur.*

27 Nicolaus Cusanus Cardinalis, qui lib. 3. de Concordantia Catholica, cap. 4 docet, *Principes Electores non habere potestatem eligendi à Romano Pontifice sic, quod nisi ipse consentiret, non haberent, aut si vellet, ab ipsis tollere posset.* Et cap. 5. affirmat, quod *Imperatoris celsitudo est independens, quoad sui naturam, & primo, & supreme distincta à spirituali, habens dependentiam immediatam à Deo.* Et in c. 41. *Cogitet itaque*, inquit, *dum hæc instinctu turbatores pacis mentibus suggeruntur, ipse primus omnium Romanus Pontifex se ministrum ex humiliatione exaltari, quodque supremam aliorum ministerialem curam habet, non dominationum imperium, ac vtrasque à Deo esse potestates, ac nostro gratia tempore vere distinctas, vt Nicolaus asserit, &c. ——— Et consimilia multa ad mutuus distinctionem impendentem, & quod desursum vtraque potestas descendat, probare videntur. Et illa fuit omnium antiquorum opinio vera, & si dubia noviter exorta sunt ob sinistrum multorum complacendi studium, repetantur vetera.* Et post pauca: *Si Regum*, inquit, *& Imperatorum depositiones, ac Imperii translationes, & cætera forte ad hoc præsumendum Apostolicum mouerent facta; nisi forte Religioni, & humilitati obstaret, omnibus illis vere, & clarissime respondere posse, &c.*

28 Guilielmus Barclaius, libr. quarto de Regno contra Monarchomachos, capit. 4. in principio, *In primis*, inquit, *fatemur Reges omnes arctissimis & naturæ, & iurisiurandi vinculis astrictos, vt Dei mandata seruent, vt eum pie colant, vt omni studio incumbant in eam curam ne subditi à vera religione declinent, & ad idololatriam, Iudaismum aut hæresim prolabantur. Sed hæc tamen si segnius, si secus egerint, à Deo soli posse iudicari; quia soli Deo subiecti sunt; de temporali iudic.*

dic.

ditio, & subiectione loquimur. Nam qua Ecclesiæ filii, qua Christiani, qua oues Dominici gregis, omnes Principes terræ Summum Pontificem Petri successorem, Deique vicarium agnoscere debent, tanto se superiorem, quanto ipsi singulis de populo sint; vt quemadmodum rebelles aut aliosque capitalis criminis reos iudicare, & lictoribus ad supplicium tradere possint, ita supremus ille Ecclesiæ Princeps, & Pastor vniuersalis, hos in Deum delinquentes spirituali iudicio condemnare, & tortoribus inuisibilibus inuisibilis spiritus flagello, gladioque ancipiti excommunicationis plectendos tradere.

b Quod si quis, inquit, cum Puritanis opinans (Anglice concented Vvith the Puritans) respōderet, Christum, & Apostolos fidelibus præcepisse, vt Imperatoribus etiā Ethnicis obedientiam præstarent, solum pro tempore nascentis Ecclesiæ, quando Christianis deerant vires, &c. Nonne hæc expositio extorta est & Scripturæ verbis directe repugnans? &c.

29 Auctor *Apologiæ Protestantium pro Romana Ecclesia*, Anglice conscriptæ, se etiam in hac eadem esse sententia satis aperte indicat. Nam in *Præfatione ad Lectorem, sect. 19.* satis clare insinuat, doctrinam hanc de Principibus auctoritate Papali deponendis non esse vniuersalem totius Ecclesiæ, sed à *certis quibusdam Catholicis* solummodo propugnatam. Et sectione vigesima ait, *Eos extra modum excedere, qui incompetentibus attributis Auctoritatis in temporalibus atque totius mundani Principatus supremum Pastorem nimium onerant.* Et sectione vigesimaprima 22. 23. 24. fuse ostendit, non ideo Christianos à principio nascentis Ecclesiæ per multa deinceps secula, Reges, ac Imperatores, qui Ecclesiam persequebantur, omni honore, ac reuerentia prosecutos fuisse, quia ad id necessitate tantum, & non religione coacti essent, quasi vires non supperterent ad se ob eorum crudelitate liberandos; hanc enim *Puritanorum opinationem, seu conceptionem* appellat [b], *sed quia existimabant subditos quoscunque naturali obedientiæ vinculo Principibus suis legitimis astrictos esse, quam tanquam sacram, & inuiolabilem obseruandam esse, non solum naturalis instinctus, sed ipsa etiam Christi religio nos admonet. Neque arma militiæ nostræ, vt Apostolus ait, esse carnalia, sed lachrymas, & orationes, vt Sanctus Ambrosius affirmat.* Et tract. 3. sect. 5. asserit, *nos Anglos ex legum omnium, tam diuinarum, quam humanarum præscripto serenissimo Regi nostro Iacobo indissolubiliter in supremo totius mundanæ subiectionis gradu deuinctos esse.*

30 Eandem quoque sententiam amplectuntur quamplurimi horum temporum Catholici nationis Gallicanæ, atque ex illis viri doctissimi, tam Ecclesiastici quam Laici, vt constat ex Laurentio Bochello in *Decretis Ecclesiæ Gallicanæ*, & ex tractatu Gallico *de iuribus, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, auctoritate Regia, ac Parlamenti Parisiensis in lucem edito. Nam anno Domini 1561. quidam Ioannes Tanquarellus [c] Parisiis à Procuratore Regio in iudicium vocatus erat, quod publice hanc propositionem defendisset: *Papa Christi Vicarius Monarcha spiritualem, & secularem habens potestatem, Principes suis præceptis rebelles Regno, & dignitatibus priuare potest.* Et per Decretum Parlamenti ipsi Vniuersitatis Parisiensis Bidello iniunctum erat, vt ipse nomine, & vice dicti Ioannis qui aufugerat, præfatam propositionem in plena Sorbona præsentibus Decano, & vniuersis Doctoribus recantaret, atque declararet, *se indiscrete, ac inconsiderate eam sustentasse, & disputasse, atque contrariam vt certam reputare, ideoque à Regia Maiestate errati sui veniam humiliter postulare.* Quo peracto ipsi Facultati Parisiensi prohibitum fuit Regis, ac Parlamenti nomine sub pœnis amissionis priuilegiorum, aliisque grauioribus ad beneplacitum Parlamenti infligendis, ne deinceps eiusmodi propositiones in disputationem venire permitterent. Et anno Domini 1595. [d] simile decretum sub pœna læsæ Maiestatis renouatum est.

c Apud Boc. lib. 5. tit. 33. cap. 6. & Tract. de Iuribus, &c. pag. 209.

d Apud Boc. li. 5. ti. 4. cap. 8. pag. 755.

31 Præterea anno Domini 1595. [e] in generali Ordinum conuentu Parisiis celebrato Cardinalis de Pelleue, cæterique prælati, qui tunc aderant, quædam Concilii Tridentini decreta recipere noluerunt, inter quæ illud erat Sess. 25. cap. 19. in quo permissio duelli Regibus interdicitur: *Concilium*, inquiunt, *Tridentinum excommunicat, & priuat Regem ciuitate illa, vel loco, in quo permittit fieri duellum. Hic articulus est contra auctoritatem Regis, qui non potest priuari suo dominio temporali, respectu cuius nullum omnino superiorem recognoscit.*

e Apud Boch. lib. 5. tit. 20. cap. 45. pag. 917.

Iacobus etiam Leschasserius in tract. *de libertate antiqua, & canonica Ecclesiæ Gallicanæ*, [f] inter cætera summa capita, in quibus iuxta ius commune antiquum, libertatem Ecclesiæ Gallicanæ fundari affirmat, hoc primum recenset: *Neque Papam, neque totum omnino Clerum ius habere de vlla re temporali statuendi, multo minus de vllo Regno, seu Imperio supremo.*

f Apud Boc. lib. 4. ti. 21. cap. 1. pag. 646.

32 Demum aliis prætermissis, Petrus Pithæus, vir, teste Possenino [g], *vere eruditus, & antiquitatis sedulus perquisitor*, in Codice, quem collegit, libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, auctoritate Senatus in lucem edito, anno Domini 1594. [h] asserit, *Libertatem Ecclesiæ Gallicanæ duabus potissimum niti maximis, quas Francia semper vt certas approbauit, quarum prima est, Summos Pontifices non posse aliquid præcipere, aut statuere, siue in generali, siue in particulari, quod attinet ad res temporales, in locis & terris supremo Regum Christianorum dominio subiectis: Et si aliquid præceperint, vel statuerint, non teneri eorum subditos, tametsi sint Clerici, Summis Pontificibus eam ob causam obedire.* Et paulo inferius [i] hanc maximam particularem illi generali subiunxam inter cæteras subiungit: *Regnum Franciæ eiusque pertinentias dare in prædam Papa non potest, neque eo regem priuare, aut alio quouis modo disponere, & non obstantibus quibuscunque monitionibus, excommunicationibus, vel interdictis, quæ à Papa ferri possunt, Subditi tamen obedientiam pro temporalibus debitam Regi præstare tenentur, neque in ea per Papam dispensari, aut absolui possunt.*

g in apparatu verbo Petrus Pithæus.

h Habetur in lib. de tract. Iurium &c. tract. 11. pa. 251.

i Ibid pag. 252.

33 Denique hanc sententiam fuisse centum circiter ab hinc annis, à Doctoribus Scholasticis non sine probabilitate propugnatam fatetur Ioannes Trithemius, vir eximiæ sancti-

tatis,

tatis, atque doctrinæ; qui in Chronico Monasterii Hirsangiensis [k] ita scribit: *Ipse autem* (HENRICVS IV.) *primus est inter omnes Imperatores per Papam depositus. Scholastici certant, & adhuc sub iudice lis est, vtrum Papa Imperatorem possit deponere: quam quæstionem, cum ad nos non pertineat, indefinitam relinquamus.* Quapropter tépore Trithemii, quæstio hæc de potestate Papali Principes supremos è Regali solio pellendi, non erat ex mente ipsius vt res fidei certo definita, sed inter Scholasticos absque vlla hæreseos, vel temeritatis nota hinc, illincque controuersa.

34 Miror itaque ob quam causam Cardinalis Bellarminus, dum præsentem controuersiam in *lib. 5. de Rom. Pont.* ex professo tractet, & in *capite primo* quæstionem proponat, sententiasque recenseat, ne vnum quidem scriptorem Catholicum in fauorem huius secundæ sententiæ, quam tamen multi Catholici iam citati tuentur, proferat, cum tamen pro prima sententia ab ipso ibidem relata, quæ dominium Pontificis directe in temporalibus defendit, & pro sua tertia, quæ dominium solum indirecte in temporalibus Pontifici concedit, quamplurimos auctores enumeret; nisi forsan eo fine id fecerit, vt Lector non adeo peritus rerum Theologicarum, in ipso primo ad quæstionem ingressu, antequam rationes, & exempla, quæ ipse pro sua sententia confirmanda adducit, expendisset, de hac secunda sententia, quæ talem auctoritatem Principes deponendi, aut de rebus temporalibus omnium Christianorum disponendi, neque directe, neque indirecte Pontifici attribuit, opinionem iam præiudicatam haberet, eamque non tam sententiam, quam manifestam hæresim esse reputaret, quod quidem ipsemet Cardinalis Bellarminus satis aperte indicare videtur eo loco. Sed quam parum candide ipse, cum bona eius venia dixerim, opiniones Auctorum referat, ipsiusq; controuersiæ statum proponat, & dum hanc secundam sententiam commemorat, nonnulla confundat, quæ distinguenda essent, quasi de industria Lectorum oculis tenebras offundere studeret, paulo infra [l] copiosius ostendemus.

35 Ad hanc sententiam comprobandam quinque mihi inter alia videntur esse præcipua argumenta.

Primum simile est illi, quo vtitur Cardin. [m] Bellarmin. aduersus Summi Pontificis dominium directe in temporalibus: quia si Papa haberet potestatem priuandi Principes suis dominiis in ordine ad bonum spirituale, idque iure diuino, deberet id constare ex Scripturis, vel saltem ex Apostolorum traditione. Traditionem Apostolicam aduersarii nullam proferunt: ex Scripturis duo potissimum loca afferri possunt.

Primum est *Matt. 16.* vbi Christus promisit Petro claues regni cœlorum, at tradidisse claues regni terrarum nusquam legitur. Et tametsi in verbis subsequentibus generaliter dictum sit: *Et quodcunque ligaueris, & solueris super terram, erit ligatum & solutum in cælis*: illud tamen vocabulum *quodcunque*, non in tota sua amplitudine, seu cum distributione completa, vt dicunt Logici, sed cum quadam limitatione seu cum distributione accommoda, vt loquuntur, vsurpatum esse, neque de quocunq; ligamine, sed de certo tantum, ac determinato Christum Dominum locutum esse nemo ambigere potest.

36 Atqui ex his verbis antecedentibus nempe *claues regni cælorum*, & subsequentibus, *& in cælis*, satis perspicuum est, vinculum hoc, quod ex Christi institutione per potestatem Ecclesiasticam ligari, & solui potest, non temporale esse, sed ad cœleste & spirituale ligamen pertinere. Vnde Glossa Interlinearis in illud Mat. 18 *quæcunque alligaueritis, &c. Vinculo*, inquit, *anathematis.* Quod etiam expresse asserit Franciscus Suarez celeberrimus Societatis Iesu Theologus, ita inquiens. [n] *Quod vero additur, Erit ligatum & in cælo: satis declarat potestatem hanc non esse naturalem, sed supernaturalem, & ligamen illud esse spirituale, & superioris ordinis.* Et Ioannes Parisiensis: [o] *Quod dicitur, inquit, secundo, quodcunque solueritis, &c. Respondeo secundum Chrysostomum & Rabanum per hoc non intelligitur aliqua potestas data, nisi spiritualis, absoluendi scilicet à vinculo peccatorum. Stultum autem esset intelligere, quod per hoc datur potestas absoluendi à vinculo debitorum.* Quinimo ex prædictis verbis, *Tibi dabo claues, &c.* non posse colligi fuisse aliam potestatem Deo promissam, quam quæ illi collata est Iohan. 16. illis verbis, *Pasce oues meas*, sponte deducitur ex ipsomet Car. Bellar. [p] vt statim [q] clarius apparebit.

37 Et quamuis in Breuiario Romano [r] legamus, *Deum Petro tradidisse omnia regna mundi*, hæc tamen verba in eo sensu accipere oportet, quo verba Nicolai Papæ 2. in Epistol. ad Mediolanenses intelligenda sunt, vbi ait *Christum Beato Petro vitæ æternæ clauigero terreni simul, & cælestis iura commisisse*, id est, Christum Beato Petro concessisse ius, & potestatem spiritualem super vniuersum mundum, tum ex hypothesi, si totus mundus conuerteretur ad fidem, tum absolute potestatem prædicandi Euangelium in vniuerso mundo, & imperandi in spiritualibus omnibus Christianis per totum orbem diffusis, atq; soluendi, ac ligandi in terris & omnibus mundi regnis vinculum illud spirituale, & cœleste, quod Mat. 16. promiserat. *Allusit enim Nicolaus* (ait Cardin. [s] Bellar. *Ad verba Domini Matt. 16. Nec possumus* (inquit) *aliter exponere verba Nicolai, nisi velimus, Nicolaum 2. repugnare Nicolao primo, qui in Epistol. ad Michaelem Imperatorem diserte docet Christum distinxisse actus, officia, & dignitates Pontificis, & Imperatoris, ne aut imperator iura Pontificis, aut Pontifex iura Imperatoris præsumeret vsurpare.*

38 Atque hunc fuisse sensum ipsius Ecclesiæ antiquioris constat ex oratione, quæ in

[k] In anno 1106.
[l] Nu. 107. & seq. 121. & 491.
[m] Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 8.
[n] Tom. 5. disp. 1. sect. 2. num. 9.
[o] In tract. de potest. Regia & Papali, c. 12.
[p] Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 12.
[q] Num. 38.
[r] In Festo Apost. Petri & Pauli in Responsorio 3. 2. Nocturni.
[s] Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 5.

festo Cathedræ S. Petri legi solet. *Deus, qui B. Apostolo tuo collatis clavibus regni cælestis animas ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti, &c.* Tametsi paucis ab hinc annis vocabulum illud *Animas* è Breuiariis Romanis iussu Clementis 9. reformatis penitus expungatur, ne forsan opinioni Theologorum recentiorum de suprema, ac absoluta potestate Summi Pontificis in temporalibus derogare videretur.

39 Alter locus est Iohan. vltimo, vbi Christus illis verbis, *Pasce oves meas*, constituit Petrum pastorem Ecclesiæ suæ. Verumtamen quam debile sit argumentum, quod ex hoc loco deduci possit ad confirmandam potestatem Pontificis in temporalibus infra [t] clarius in solutione quintæ rationis Card. Bellar. elucebit. Nam hunc solum locum ex tota Scriptura noui Testamenti ipse ad suam sententiam corroborandam adhibuit, illumque ex *Matt. 16.* supra allegatum tanquam proposito suo minus forsan deseruientem penitus prætermisit, ideoque in eo loco Matthæi explicando non erat nobis tantopere insistendum: cum præsertim ex sententia ipsius Bellar. [u] in illis verbis Matt. 16. *Tibi dabo claves, & quodcunque solueris, &c. solum promissa sit, non data* Petro potestas clauium regni cœlestis, *quas claves regni ipse, vt principalis, & ordinarius Præfectus tunc solum accepit, cum audiuit, Pasce oves meas.* Quare iuxta mentem Cardin. Bellar. ex loco *Matt. 16.* non potest probari fuisse vllam aliam potestatem Summo Pōtifici communicatam, quam quæ ratione officii Pastoralis spiritualis illi attribuenda est.

t Nu pag. & seq.

u Lib. 1. de Rom. Pont. cap. 12. ad 6. obiect.

40 Secundo probatur ratione à priori: nam potestas coercitiua spiritualis & temporalis sunt ex se actibus, officiis, & dignitatibus, discretæ [x] discretæ, atque ab inuicem independentes [y], duasque constituunt respublicas, vt inferius [z] patebit, & consequenter distincta habent fora, distincta iudicia, atque distinctas pœnas pro delictis infligendas: ergo sicut non potest respub. ciuilis irrogare pœnam spiritualem, cum hæc reip. Ecclesiasticæ, non politicæ sit propria, ita neque spiritualis pœnam infligere temporalem, cum hæc ad ciuilem, non Ecclesiasticam pertineat.

x Supra in principio Præfationis.

y Infra num. 84.

z Num. 83.

41 Et confirmatur hæc ratio primo, quia vt infra [a] videbimus, Iudicia fori Ecclesiast. & ciuilis in cæteris omnibus conuenire queunt, præterquam in pœnarum inflictione, ex qua hæ potestates coercitiuæ potissimum distingui debent; nam eandem causam, seu delictum eundemque modum procedendi ad vtrumque forum spectare posse perspicuum est: neque [illegible] crimen aliquod singulare, nisi ex animaduersione atque supplicio, quod per vtrasque potestates ex sui natura infertur, assignari potest.

a Num. 90. & seq.

42 Confirmatur secundo, quia nulla respubl. si eius naturam spectemus, potest priuare suum delinquentem, nisi bonis atque priuilegiis, quæ illius reipublicæ sunt propria: cum igitur bona reipubl. ciuilis sint temporalia, atq; Ecclesiasticæ spiritualia, sicut respubl ca temporalis non potest subdito suo delinquenti bona spiritualia auferre, ita nec spiritualis potest sibi subiectos, si peccauerint, bonorum temporalium priuatione castigare.

43 Tertium argumentum sumitur ab incommodis, quod Dialectici ad impossibile appellant. Primum autem & præcipuum inconueniens est, quia sequeretur primo, Summum Pontificem non solum habere iure diuino auctoritatem in ordine ad bonum spirituale priuandi Principes suis dominiis, verum etiam vita corporali.

Secundo sequeretur, posse Papam dare etiam licentiam cuilibet priuato, vt tales Principes in ordine ad idem bonum spirituale per insidias interficiat, si alioquin deponi commode non possint.

44 Prima consequentia est ex se manifesta, tum quia, cum vita sit res temporalis, & Pontifex ex sententia Card. Bellarm. plenam habeat potestatem disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum in ordine ad bonum spirituale, consequenter in ordine ad idem bonum habet etiam de vita temporali plenam disponendi facultatem: tum etiam quia, si penes Pontificem est potestas disponendi in ordine ad finem spiritualem de bonis fortunæ omnium Christianorum, etiam Principum, non potest assignari sufficiens ratio, quare in ordine ad eundem finem etiam de vita corporea Principum disponere non possit, qui plerunque vita priuari, quam è regno pulsi viuere cum ignominia, optabilius arbitrantur.

45 Secunda etiam consequentia erit satis perspicua, si prius supponamus, quod docet Gregorius Sayrus [b], cum quo cæteri Theologi, & totius Christiani orbis consuetudo in hoc consentiunt.

b In claui regia, lib. 7. c. 22. num. 22.

Ita ergo scribit Sayrus: *Rex, Princeps, aut Respublica legem statuere, aut facultatem alicui concedere absolute non potest, vt quis ante iudicis sententiam malefactorem occidat. Ratio est, quia est contra ius naturæ, vt quis non auditus condemnetur. Etenim condemnationem iuridicam præcedere debet cognitio iuridica, ita scilicet, vt condemnandus citetur eique defensio concedatur, vt exinde statuat iudex licite, an illicite aliquid fecerit. Neque Princeps ipse, quamuis scientia priuata certo nouerit aliquem morte dignum, eum tamen occidere potest, donec iuridice conuincatur de crimine. Et hinc homicidæ sunt qui occidentes veneno, vel alias secrete de mandato dominorum non citatos, non auditos, non damnatos, etiamsi rei læsæ maiestatis ducerentur, vt recte docet Caietanus in verbo Homicidium.* [illegible]

[illegible]

quamuis Princeps humanis legibus solutus sit, iuri tamen naturali subiectus est; exigit autem natura aliam publicam qualis est iusta bonitum ... ex potestate, & sententia publica procedat.

46 *Hac tamen doctrina limitari solet, ita vt non procedat primo, quando crimen esset publicum & notorium; tunc enim sine citatione, defensione & processu condemnari, & puniri potest. Secundo, quando reus ita esset potens, vt capi non posset, tunc enim non citatus, & non defensus condemnari posset in absentia. Et ita Nauarrus in Manuali, numero ... cap. 25. dicit se excusasse magnum quendam Monarcham, qui ... processus in absentia facit, & sententia sine citatione lata fecit capite plecti quendam suorum militum ... em ... in alio regno militantem, quia nec capi, nec sine metu rebellionis illius, & magna partis exercitus ...*

... Post latam autem sententiam, & declaratoriam criminis, qua quis iuste ad mortem damnatus ... te ... licite Princeps, vel respublica concedere hominibus priuatis facultatem occidendi malefactores ... tius. Primus est circa latrones publicos, assassinos & alios viarum inuasores, & perturbatores rei... a. ... um enim isti aggressores sint, & hostes reipublica, & singularum de illa personarum, concedi po... ... facu ... occidendi istos, cum non possint alia via comprehendi. Hactenus S... vius.

4... Ex qua doctrina euidentissime colligitur consequentia præcedens: Cum enim ex ... a Cardin. Bellarmin. Summus Pontifex sit supremus Princeps omnium Christiano... ... iam Regum, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus in ordine ad ... m ... tuale, & consequenter in ordine ad illud Bonum tantam habeat super Principes ... m, quantam Principes ipsi super suos subditos habent potestatem, necessario ... it, quod habeat potestatem lupos quoscunque, etiam Principes, qui Ecclesiam ... nt ... trones publicus boni spiritualis, assasinos, & alios non viarum, sed anima... ... sores, hostes, ac perturbatores Ecclesiæ (quales sunt Principes hæretici, qui alios ... im pertrahere conantur) extremo supplicio afficiendi. Et si crimen est publicum ac notorium, aut si ipsi ita potentes sunt, vt sine periculo rebellionis capi non queant (quales ... es eiusmodi Principes) possunt sine citatione, defensione & processu in absentia con...

Atque post latam sententiam, & declaratoriam criminis, qua iuste ad mortem con... ur, potest summus Pontifex concedere hominibus priuatis facultatem huiusmodi ... tores manifestos veneno, aut aliis viis occidit, vel aperte è medio auferendi. Ex quo ... ur, cum huiusmodi condemnationis sententia ferri possit ita secreto, vt vix possibile ... Principum notitiam peruenire non posse, eiusmodi Principes vix vno tem... me ... to vel de propria vita, vel de subditorum fidelitate esse securos, sed ipsorum ... x Pontificis beneplacito quam maxime dependere. Cum enim ex mente Bel... quid bono spirituali prosit, noceat, vel obsistat penes Pontificem sit iud care, ... o acq uescendum, quis non videat, quod voluntas Pontificis (iuxta illud Poe... ... ne st. te debeat ... eiusque iudicium tam quo ad vitam, quam bona, cætera ... mporalia, quæ bono spirituali obsunt, ab illius beneplacito vix disiungi pos...

Secundum inconueniens est, quia non solum Principes hæretici, sed etiam qui Epi... ... venduntur, Ecclesias diripiunt, aut alia scelera committunt, immo, qui non eo modo ... no secundum suum statum tenentur, possent dominiis sui ... temporalibus per pote... ... ficis spoliari: quod ipsemet Card. Bellar. in quinta sua ratione satis aperte indicat, vt ... d debimus. Et si facinora quæ perpetrant, pœna capitali sunt digna, atq; publica sunt ... otoria, ac spirituali saluti, aliorum præsertim obsunt, possent etiam capitis condemnari, [e] ne ... m ... dem plane modis, quibus Principes hæretici, è m... ... tolli.

... otium inconueniens est, quia sequeretur non solum Papam verum etiam inferiores ... os [f] habere quoque in ordine ad bonum spirituale potestatem Principes hæreticos ... n eo modo viuunt, quo secundum suum statum tenentur, qui illis in spiritualibus ... nt, non solum deponendi, verum etiam ob crimina, quæ extremo supplicio digna ... mandi, sic argumento Card. Bellarmin. contra dominium Papale directe in tempo... ... cte concludit. Ita enim ipse argumentatur. [g] *Si Papa est Dominus supremus totius orbis ... ergo singuli Episcopi sunt Principes temporales in oppido ... Episcopatus subiectis, siquidem ... Papa in vniuersa Ecclesia, est quilibet Episcopus in particulari* ... plane argumentũ ... o ... ontificis indirecte in temporalibus accommodari posse, satis manifestum ...

... Quartum inconueniens est, quia hæc doctrina de temporali Summi Pontificis po... ... suprema in ordine ad bonum spirituale, sub terminis adeo vniuersalibus tradita, ... & explicando, quantum & cuius generis bonum requiratur ad hoc vt penes Papam ... nendi de rebus temporalibus omnium Christianorum ... iam Regum ac Im... ... , istam videtur præbere ansam perturbandi pacem publicam & innumeras ... s atque terrores animis Principum incutiendi, cum præsertim Summus Pont... ... ipse Princeps politicus, & homo humanis infirmitatibus subiectus, sicut cæ...

c Lib. 4. de Rom. Pont. c. 1. & 2. & Mat. Tor. tus in Responsione ad Apologiam p. ... Quando (inquit) agitur de re sacra, de re spirituali, de re quæ ad ... ... batem, ... peruenimus, ... magis ... potens ... potest ... Summus ... ... Neg ... ... Alter ... ... d Num. ... 3 ... e Nu ... f Nu ... g Lib. 3. de Rom. Pont. cap. ...

 teri

teri qui affectionibus iræ, inuidiæ, auaritiæ, atque dominandi, statusque sui temporalis [illegible] ficandi libidine non solum concitari, verum sub prætextu etiam boni spiritualis operari nonnunquam possit.

53 Neque enim satis declarat hæc sententia, an Summus Pontifex plenam habeat in temporalibus potestatem super malos Principes tantum, idque propter omnia crimina [illegible] secularia, quam spiritualia, vel propter certa quædam facinora duntaxat; an etiam super [illegible] nos Principes, qui tamen non tantam perfectionem assecuti sunt, neq; spirituale [illegible] bonum adeo promouere student, sicut alii vellent, si ad Principatus apicem eueherentur. Quis enim ignorat maximam bono spirituali fore accessionem, si Principes plura [illegible] Monasteria tum virorum, tum mulierum, qui cum omni puritate Deo inseruirent [illegible] tinuis precibus (quæ cœli penetrandi vim habent) pro Republicæ spiritualis, atque [illegible] necessitatibus ipsum deprecarentur: Si gymnasia erigerent, in quibus omni doctrinæ [illegible] tatis genere iuuentus instrueretur: Si Collegia instituerent, quæ viris eruditis omnia [illegible] ria ad quoscunque hæreticorum libros confutandos suppeditarent, si ædes fabricarent, [illegible] bus viri docti, & pii alerentur, qui ad infideles, atque hæreticos conuertendos [illegible] rentur?

54 Vtrum igitur propter eiusmodi spirituale bonum penes Pontificem sit potestas [illegible] cipem Secularem, [illegible] hæc opera præstare [illegible] non est, Regno suo priuandi, & alium, [illegible] illa efficere paratus est, in locum suum substituendi, non satis declarat hæc sententia [illegible] terminis nimis generalibus, nempe *in ordine ad spiritale bonum, in ordine ad finem spiritualem* [illegible] testatem hanc indiffinite relinquit; neque satis explicat, quid per bonum spirituale in [illegible] debeat, neque verum propter bonum spirituale conseruandum duntaxat, vel etiam amplificandum, neque an propter bonum vniuersale omnium, seu plurimorum [illegible] iam ob particulare aliquorum talis suprema potestas super Principes Seculares in [illegible] deat.

55 Quapropter non immerito Comes Salisburiensis, nune Regni Angliæ supre[illegible] Thesaurarius, vt refert P.R.[a] auctor tractatus Anglici *de Mitigat.* pag 20. affirmauit, *se iam* [illegible] *effectum esse, quod clara aliqua explicatio auctoritatis Papalis per publicam aliquam* [illegible] *ac de* [illegible] *tentiam orthodoxam, &c. hactenus non sit facta* (ex qua scilicet tam Principibus, [illegible] Christiano constare posset, quantam auctoritatem, & in quibus casibus habeat S[illegible] Pontifex super Principes Seculares in rebus temporalibus potestatem) *vt non solum* [illegible] *qui istam Superioritatem Papalem) agnoscunt, a continuarum proditionum timoribus, ac susp*[illegible] *que a cruentorum assasinorum impetitionibus secura esse possunt, verum etiam illi Reges* [illegible] *ritatem non approbant, & benignam nihilominus de suis subditis opinionem* [illegible] *cognoscant, quantam fiduciam in ipsorum fidelitate, quoad ciuilem obedientiam attinet,* [illegible] *quomodocunq; in rebus, quæ ad conscientiam spectant, ab eis dissingi se conspiciant.*

[a] *Ipse Auctor creditur esse P. Rob. Parsonius Iesuita Anglus.*

56 Ita enim non solum Principes Seculares de suo erga Pastorem spiritualem [illegible] sed fideles etiam subditi, præterquam quod multis periculis, tum vitæ, tum [illegible] inde liberarentur, de debita vtrique obedientia iure diuino præstanda certiores [illegible] tur. Neque molesta, sed potius gratissima & Summo Pontifici & Principibus [illegible] bus deberet esse eiusmodi declaratio: nam si Pontifex talem habeat auctoritatem [illegible] à Christo traditam, Ecclesia, quæ columna & firmamentum est veritatis, quæque [illegible] fidei determinandis, Spiritu sancto ei assistente, errare nequit, illam Pontifici no[illegible] bit, neque Principes Christiani, qui colla sua Christi iugo sponte submiserunt, [illegible] potestatem Pontifici à Christo concessam, & per Ecclesiæ definitionem [illegible] grauate ferent: Sin autem talem auctoritatem ex Christi institutione [illegible] (*de quo certant Scholastici* vt ait Trithemius, *& adhuc sub iudice lis est*,) non est quod [illegible] get in summum Supremorum Principum præiudicium, *quibus nemo præstantior* [illegible] *rebus omnibus creatis*, inquit Ignatius in Epist. ad Smyrnenses, & *qui à Deo secundi* [illegible] *minores*, ait Tertullianus ad Scapulam, cap. 2. *Non habentes parem vllum super terra* [illegible] *caput omnium super terram hominum*, vt inquit Chrysostumus homilia 2. [illegible] Antioch.

57 Neque satisfacit Responsio illius Auctoris P. R. qui ibidem di[illegible] *Quamuis* [illegible] *Canonistas & Theologos controuersia adhuc sit de modo, quo Papa talem habeat in temporal*[illegible] *ritatem, directe scilicet, an indirecte, vtrosque tamen vnanimiter consentire* [illegible] *lem reliquisse auctoritatem temporalem in casibus magni ponderis, quia alioqui Ecclesiæ n*[illegible] *sufficienter prospexisset.* Eidem plane Responsum adhibet Matthæus Tortus[b] [illegible] sub Torti nomine, Card. Bellarmin. vt nonnulli opinantur) *De quare*, inquit, [illegible] *risconsulti disputant, siquidem inter omnes conuenit, posse Pontificem Maximum hæret*[illegible] *principes* [illegible] *deponere, & subditos eorum ab obedientia liberare. Cum hac enim conditione* [illegible] *ad* [illegible] *siam admittuntur, vt sceptra sua Christo subiiciant, & fidem ac religionem non* [illegible] *re, defendere, non oppugnare debeant. Quod si nolint, ius est illi, qui toti Ecclesiæ* [illegible] *communione fidelium segregare, subditisque interdicere, ne illis pareant.* Ex [illegible] [illegible]

[b] Respons. ad Apolog. Anglic. pag.

inquit, *vlla sunt inter Doctores Scholasticos controuersia, alioqui proferat aduersarius vel vnum Catholicum Auctorem, qui scribat non licere Summo Pontifici Regem, vel Principem hæreticum excommunicare, & populum Catholicum ab eius obedientia liberare.*

59 Non, inquam, satisfacit hæc Responsio, vt partim ex supradictis [m] constat, vbi plures tum Theologos, tum Iurisconsultos protulimus, qui apertè negant, talem auctoritatem non quidem excommunicandi, & per Censuras spirituales, quæ Reipublicæ spirituali, eiusque regimini proportionatæ sunt, coercendi, (de hoc enim inter Catholicos non controuertitur) sed deponendi Principes delinquentes, eosque pœnis temporalibus castigandi; qui quoad tales pœnas, iuxta sanctorum Patrum, quos supra [n] retulimus, doctrinam; diuino examini relinquendi sunt, Summo Pontifici ex Christi institutione vllo modo competere, &, vt ait Trithemius antea [o] citatus, *Scholastici certant, & adhuc sub Iudice lis est, an Papa possit Imperatorem deponere*: partim ex infra dicendis clarius apparebit, quando ad rationes, quæ a P. R. [p], & à Matthæo Torto [q] iam adductæ sunt, nempe *quia alioqui Christus Dominus Ecclesiæ necessitatibus non satis consuluisset, & quod reges terræ cum hac conditione ad Ecclesiam admittuntur, vt Sceptra sua Christo subiiciant.* [r] &c. speciatim respondebimus.

60 Quartum argumentum sumitur ex praxi totius Ecclesiæ ab ipsis primordiis per multa deinceps secula; nusquam enim in Scriptura sacra, vel apud Antiquos Patres vlla fit mentio de potestate vel Pontificis, vel Populi Christiani, Principes Ecclesiam persequentes aut occidendi, aut principatu priuandi, sed ad crucem Christi tollendam, & persecutiones pro fide Christi tolerandas, atque ad obedientiam Principibus etiam infidelibus exhibendam tum Christus ipse, tum Apostoli, tum sancti Patres vnanimi consensu Christianos passim adhortantur, at si vel summus Pontifex, vel populus Christianus aliquo legis Euangelicæ præcepto tenerentur, quando vires illis suppetunt, Principes Ecclesiam deuastantes è Principatu eiicere, profecto de tali præcepto, quod tanti ponderis est, aut Christus ipse, aut Apostoli, aut aliqui saltem ex sanctis Patribus Ecclesiæ primitiuæ, quorum plurimi singulari tam doctrina, quam zelo sunt præditi, pro debito suo officio Pastorali fidelem populum instituissent; neque verisimile est voluisse Christum imponere fidelibus necessitatem Principibus, qui tunc Ecclesiam persequebantur, tributa pro temporali suo principatu illis debita soluendi, & necessitatem, qua Christiani obligantur ad auferendum à Principibus Principatum, si vires adsint, tacere voluisse.

61 Quoniam igitur Christus Dominus [r] discipulos suos, quibus tam amplam dedit potestatem infirmos curandi, mortuos suscitandi, dæmones eiiciendi, &c. misit tamen in orbem terrarum, tanquam oues in medio luporum, eosque hortatus est, vt crucem eius tollant, eumq; sequantur, vt persecutiones & flagella patienter sustineant, neque in persecutores violenter insurgant, sed potius cum persecuti eos fuerint in vna ciuitate, fugiant in aliam, & si eos percusserint in dextram maxillam, præbeant illis & alteram. Quoniam etiam sancti Apostoli Petrus & Paulus, sæpius [s] admonent fideles, vt Principibus etiam infidelibus, & qui tunc temporis Ecclesiam persequebantur, subditi essent non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: & antiqui Patres [t] idem Domini præceptum sæpissime inculcant.

62 Quoniam insuper sanctissimus pariter & doctissimus Papa Gregorius, [v] vt infra [x] apparebit, apertè fatetur, in sua fuisse potestate, vt Longobardorum gens (qui Romanam Ecclesiam, & totam Italiam crudeliter diuexabant) nec Reges, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione diuisa esset; quia tamen Deum timebat, in mortem alicuius se miscere formidabat, non est credibile aut summum Pontificem, aut populum Christianum, quando vires illis suppetunt, talem à Christo accepisse potestatem, Principes Ecclesiam persequentes vel dominiis, vel vita priuandi: quin potius si tale præceptum de eiusmodi Principibus è principatu pellendis exitisset, profecto, cum sit præceptum tanti momenti, quodque absque summo æternæ salutis periculo à Christianis ignorari vix queat, vel Christus ipse, vel Apostoli, vel aliqui saltem ex antiquis patribus pro debita illorum cura Pastorali, aliquam illius memoriam posteris reliquissent, neque vniuersi illud tam alto silentio prætetiissent. Circa hoc argumentum vide plura inferius [y], & quæ superius [z] etiam docuit Petrus Damianus, qui vixit ante Pontificatum Gregorii 7. qui, vt testantur Godefridus [a] Viterbiensis, Otho Frisingensis, [b] Trithemius, [c] & alii, primus omnium Pontificum Imperatorem deposuit, & doctrinam hanc nouam prioribusque seculis incognitam de potestate Papali Principes deponendi in Christianorum scholas inuexit.

63 Quintum denique argumentum est: Qui absq; sufficienti ratione iugo alterius potestatis colla Principum rebus temporalibus subiicere præsumit, nefandum perduellionis crimen incurrit, & maximam Principibus irrogat iniuriam, cum ipsi nullum in temporalibus superiorem recognoscant, vt Innocentius [d] tertius, aliique plurimi superius [e] citati fatentur, at nulla sufficiens ratio assignari potest huius Pontificiæ potestatis priuandi Principes suis Dominiis temporalibus etiam in ordine ad bonum spirituale, ergo, &c. Maior ex se con-

[m] Nu. 4. & seq.
[n] Nu. 2. & seq.
[o] Num. 33.
[p] Nu. 276. & seq.
[q] Nu. 303. & seq.
[r] sunt enim 2. & 4. ratio Card. Bellar.
[r] Mat. 10. Luc. 10.
[s] Ad Rom. 13. ad Tit. 3. 1. Pet. 2.
[t] Infra nu. 284. 285.
[v] In epist. ad Sabinian.
[x] Nu. 256.
[y] Num. 267.
[z] Nu. 11.
[a] In Henr. 4.
[b] Lib. 6 hist. cap. 35. & lib. 1. de gestis Friderici, cap. 1.
[c] Supra nu. 33.
[d] Cap. Solitæ Extra de maiorit. & obedient.
[e] Nu. 2. & seq.

constat: Minor autem probatur; nam si quæ esset, maxime essent rationes Cardin. Bellarmini, quo nemo hoc seculo doctius, nemo accuratius de rebus hodie controuersis scripsit, at singulæ eius rationes sunt valde insufficientes, & ex ipsiusmet principiis facillime solui possunt, ergo, &c.

64 Pro quorum solutione, & præsentis controuersiæ maiori dilucidatione diligenter obseruanda est doctrina, quam sparsim [f] tradidit Card. Bellarm. ex qua singulæ eius rationes facillime euertuntur.

Primo igitur docet, *potestatem ciuilem, & Ecclesiasticam esse ex se duas distinctas* [g] *potestates, quæ habeant distinctos actus, officia, fines, &c. duasque constituere* [h] *respublicas, quæ habeant distinctos Principes, leges, iudicia, &c. vt patet* [i] *tempore Apostolorum: & potestatem politicam esse* [k] *temporalem, quæ pro fine habeat pacem temporalem, Ecclesiasticam vero esse spiritualem, & pro fine habere salutem spiritualem animarum; atque veram potestatem politicam posse consistere* [l] *absque ordine ad veram potestatem Ecclesiasticam, vt patet in Principibus infidelibus, quorum dominio ciuiliter subiecti erant etiam Pontifices, non solum de facto,* [m] *sed etiam de iure, vt patet in S. Paulo; qui Act. cap. 25. cum accusaretur seditionis, & tumultus in populo excitati, ad Cæsarem appellauit, eumque iudicem agnouit.*

[f In lib. præfatum 1. de Rom. Pont. — g Lib. 3. ca. 5. & 6. — h Cap. 6. — i Cap. 6. — k Cap. 6. — l Cap. 6. — m Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29. — n Lib. 5. c. 3.]

65 Secundo docet, etiam *Christum Dominum distinxisse actus, officia, & dignitates* [n] *Pontificis, & Imperatoris, ne aut Imperator iura Pontificis, aut Pontifex iura Imperatoris præsumeret vsurpare; & propterea Imperium à Pontificatu absolute* [o] *non pendere, atque non solum Reges, & Imperatores Christianos nullum superiorem in temporalibus recognoscere, verum etiam infideles non solum ante, sed etiam post* [p] *Christi aduentum esse veros & supremos Principes* [q] *suorum regnorum, quia dominium non fundatur in gratia, aut fide, sed in libero arbitrio & ratione, ideoque Deus in vtroque Testamento regna Gentilium approbat; vt Dan. 2. Tu es Rex regum, & Dominus cæli dedit tibi regnum & imperium, &c. Et Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Nota, Reddite, non donate, id est, quæ iure illis debentur. Et Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, &c. Et iubet obedire etiam propter conscientiam obedire Principibus Ethnicis. Christus enim non abstulit neque aufert regna* [r] *iis, quorum erant, neque priuat aliquem iure suo, & dominio,* [s] *quod prius habebat, non enim venit Christus destruere ea* [t], *quæ bene se habebant, sed perficere. Et propterea, quando Rex fit Christianus non perdit regnum terrenum,* [v] *aut aliquod ius suum, seu dominium* [u] *amittit, cum lex Christiana neminem priuet suo iure, & dominio, sed acquirit nouum ius ad regnum æternum* [y]; *alioquin obesset Regibus Christi beneficium, & gratia naturam destrueret.*

[o Cap. 3. — p Cap. 3. — q Cap. 2. — r Cap. 3. — s Lib. 2. cap. 29. — t Lib. 5. Cap. 3. — u Cap. 3. — x Lib. 2. c. 29. — y Lib. 5. c. 3.]

Hæc est doctrina Card. Bellarm. ex qua plura corollaria colligi possunt.

66 Primum est, Reges ad fidem conuersos, si solum ius diuinum, & naturale inspiciamus, non amittere sua regna, quæ antea iure possidebant, aut aliquo suo iure, vel temporali dominio priuari, eo ipso, quod à fide desciscant, cum dominium in gratia aut fide non fundetur, sed illud duntaxat ius ad regnum æternum, quod Christus beneficio acquisiscant, deperdont. Quanam igitur auctoritate deponi possint Principes à suo principatu (si in hæresim labantur) quos tamen Christus ipse alioqui nec deposuit, nec deponit, vt pote qui neque abstulit, nec aufert regna iis, quorum erant, neque priuat aliquem suo iure & dominio, quod neque in gratia, nec in fide fundatur, vlterius inquirendum est.

67 Secundum corollarium est, eosdem Reges Christianos iam factos (si idem ius diuinum, & naturale tantummodo spectemus) eandem omnino iurisdictionem, & dominium ciuile super Pontifices retinere, quod antea quando infideles erant, super ipsos habebant, *cum lex Christiana neminem priuet iure suo, & dominio*: & propterea ex hac parte non esse rationi dissonum, quod oues licet in spiritualibus Pastori spirituali subiiciantur, in rebus tamen temporalibus iudicent suos Pastores.

68 Pro quo melius intelligendo, aduertendum est, nullum esse inconueniens si ipsas rerum naturas consideremus, quod idem homo, si ad diuersa comparetur, simul subdatur, & præsit, sitque secundum vnam potestatem supremus, & secundum aliam inferior. Exempla habemus in Saule, Dauide, & aliis, qui Reges simul, & filii erant suorum parentum, ideoque, quantumuis secundum patriam potestatem parentibus suis tanquam filii subiecti essent, secundum Regiam tamē potestatem parentibus tanquam subditis imperabant. Quocirca, cum duæ, vt diximus [z], reperiantur supremæ potestates, actibus, officiis, dignitatibus, finibusque discretæ, ciuilis nempe, seu politica, quæ constituit, & conseruat pacem publicam, & dirigit hominem in finem naturalem, atque Ecclesiastica, seu spiritualis, quæ hominem ordinat ad finem supernaturalem, nihil ex hac parte impedit, quo minus Summus Pontifex sit supremus Pastor, & pater omnium Christianorum etiam Regum & Imperatorum in spiritualibus, Imperatoribus tamen, aut Regibus subsit in ciuilibus, & oues Pastoribus suis spiritualibus præcipiant in iis, quæ ad temporalia spectent, licet in spiritualibus Pastoris vocem sequi teneantur.

[z In principio Præfationis.]

69 Vnde Gelasius Papa [a] Imperatorem vocat *filium & rerum diuinarum Præsulibus subditum*, atque simul *humano generi præsidentem*, & consequenter ipsi Papæ, qui nullum temporalem dominatum eo tempore habebat. Et Gregorius Magnus [b] seipsum *Imperatoris famulum* vocat, & *iussioni eius subiectum*, & *debere* se ait *obedientiam Imperatori, & potestatem*

[a In Epist. ad Anast. Imper. — b In Epist. ad Mauric. lib. 2. Epist. 62.]

tem super omnes homines (ideoq; super ipsam Papam) *Imperatori cœlitus datã esse.* Et alio in loco[e] dicit, *Deum Imperatori omnia tribuisse, & dominari eum non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus concessisse.* Vnde Seuerinus Binnius in suis notis [d] super illa verba Sancti Gregorii, *Sacerdotes meos manus tua commisi*, ait Gregorium illis verbis significasse, *Sacerdotes Mauritio Imperatori sic à Deo subiectos fuisse, vt olim eosdem Neroni, atque Diocletiano Imperatoribus subiecerat*, ac constat ex doctrina Cardinalis Bellarmini [e] superius relata, Summos Pontifices in causis ciuilibus fuisse non solum de facto, sed etiam de iure Imperatoribus Ethnicis subiectos. Veruntamen alibi [f] idem S. Gregor. ait, *Sacerdotes honore & reuerentia* (cui ex phrasi sacræ Scripturæ coniuncta est & obedientia) *ab Imperatoribus prosequendos esse.*

70 Quapropter, quotiescunque apud sanctos Patres, [g] scriptum legimus, oues non debere pascere, reprehendere, aut iudicare suos Pastores, si velimus eiusmodi propositionum veritatem ex rerum natura desumptam esse, vel intelligi debent solum de illis ouibus, quæ in temporalibus suo Pastori non præsunt; vel si generaliter, & absque exceptione eos loqui velimus, ad spiritualia tantum, & quæ ad officium pastorale spectant, eiusmodi sententiæ referri debent. Nam si ouis sit etiam quoad temporalia Dominus sui Pastoris, nullum videtur incommodum ex hoc solum capite, quia ouis est, cum simul etiam sit Dominus, Pastorem suum in iis, in quibus pastor ipsi oui subiectus est, iudicare.

71 Et certe si à iure Ecclesiastico, & priuilegiis Principum abstrahamus, non videtur negari posse, quin Prælati inferiores, vt Episcopi, possint à supremis Principibus, quibus ciuiliter subiecti sunt, in causis politicis iudicari, si vera sit opinio communis Theologorum, quam olim expressissimis verbis approbauit Cardinalis Bellarminus in prioribus suorum operum editionibus, qui [h] asserit *exemptionem clericorum in rebus politicis à secularium Principum potestate, tam quoad personas, quam quoad bona, iure humano introductam esse, non diuino.*

72 Atque hinc patet rationem illam, qua probari solet, Summum Pontificem, quia est supremus Pastor, & Princeps spiritualis Ecclesiæ, non posse ob vllam causam vel crimen ab aliquo Principe Christiano iudicari, quia ouis est, si in iure solum diuino, & naturali sistamus, non esse solidam, nisi in sensu formali accipiatur, vt dictum est. Ouis enim qua ouis, id est, in iis, in quibus pasci & regi debet, Pastorem suum iudicare non potest: sicut neque seruus, qua seruus, id est, in iis, in quibus subditus est, potest iudicare Dominum suum. Verum si contingat, eundem hominem simul esse ouem, & Dominum sui Pastoris, non inconuenit, ouem, qua Dominus est, iudicare pastorem suum, quoad ea, in quibus Pastor ipsi oui subiectus est. Neque quoad hanc præcise rationem videtur vlla posse assignari disparitas inter Summum Pontificem & inferiores Episcopos; dummodo vtrique Principibus temporalibus ciuiliter subiecti sint & verum sit, quod superius [i] docuit Cardinalis Bellarminus. *Id quod est Papa in Ecclesia vniuersa, esse quemlibet Episcopum in particulari.*

73 Sed occurrit primo Cardinalis Bellarminus, [k] & latum discrimen assignat inter inferiores & supremum pastorem: *Quia supremus pastor est Princeps totius Ecclesiæ, & ideo non potest iudicari ab vllo Ecclesiastico Antistite: & rursum, quia Respublica Ecclesiastica spiritualis est, ac proinde maior, & sublimior quauis Republica temporali, propterea Summus Princeps Ecclesiæ dirigere, & iudicare potest Summum Principem Republicæ temporalis, non autem ab eo dirigi aut iudicari, nisi rectus ordo, & ipsa rerum natura peruertatur. Et hæc est ratio primaria, & à priori*, ait Cardinalis Bellarminus, *quare Papa à nemine iudicari possit.*

74 Veruntamen hæc ratio discriminis ab ipso allata neque sufficiens est, neque officit iis, quæ à nobis dicta sunt. Non enim ipse differentiam assignat inter supremum, & inferiores Pastores in ratione officii Pastoralis, sed solum inter Papam, & Principes seculares in ratione nobilioris Principatus. Nam tam Episcopi, quam Papa sunt vere & proprie Pastores, licet Papa sit Episcopis superior; Si igitur rationi dissentaneum est, quod ouis suum Pastorem iudicet, non solum nefas esset Regi, aut Imperatori Summum Pontificem, sed etiam Episcopos inferiores, qui illis in temporalibus subditi sunt, & nihilominus in spiritualibus eos vere & proprie pascunt, iudicare.

75 Sed aliam rationem affert Cardinalis Bellarminus, quare Summus Pontifex à nullo Principe Seculari iudicari possit, quia nimirum Respublica spiritualis, cuius supremus Princeps est Summus Pontifex, maior ac sublimior est quauis Republica temporali, cui Principes Seculares dominantur, & proinde rectus ordo, & ipsa rerum natura postulare videtur, vt Summus Princeps Ecclesiæ dirigere, & iudicare debeat Summum Principem Reipublicæ temporalis, non autem ab eo dirigi aut iudicari.

76 Attamen neque hæc ratio quidquam concludit, nisi vnum supponat, quod quidem à Cardinale Bellarmino asseritur, [l] sed neque sufficienter, neque etiam conformiter ad eius principia ab eo probatur, vt inferius [m] constabit, nempe potestatem ciuilem, & Ecclesiasticam apud Christianos vnam duntaxat Rempublicam constituere. Nam alioqui, quando potestas ciuilis, & Ecclesiastica non simul coniunctæ erant, vt accidit tempore Apostolorum, satis constat Sanctum Paulum *Act. 25.* ad tribunal Cæsaris appellasse, & eum Iudicem suum non solum de facto, sed etiam de iure ex mente Cardinalis Bellarmini [n] agnouisse. Vnde & ipse [o] probabilius arbitratur, *Summos Pontifices fuisse de facto, & de iure Principibus Ethnicis ciuiliter subiectos.* Ideoque quando hæ duæ potestates separatæ inueniuntur, non inconuenit, etiam iuxta doctrinam

[c] In Epist. ad Theodorum lib. 2. Epist. 65.
[d] Tom. 2. concil lib. 2. Epist. 62.
[e] Num. 64.
[f] Li. 2. Epist. 31 ad Mauritium.
[g] Ita loquuntur Nazianzenus in oratione qua se excusat, quod diu Ecclesiasticæ functione abstinuerit. Greg. Magnus li. 9 Epist. 39. ad Theoctistam & alis.
[h] Lib. de Clericis, cap. 28
[i] Num. 52.
[k] Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29.
[l] Li. 5. de Rom. Pont. c. 7 in prima ratione.
[m] Num 83. & seq.
[n] Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29.
[o] Ibidem

Cardinalis Bellarmini, posse absq; vlla recti ordinis peruersione maiorem & sublimiorem Rempublicam à minori dirigi, ac iudicari.

77 Deinde propria Superioritas, de qua iam est sermo, nõ ea maioritate, vt ita loquar, dignitatis seu nobilitatis, sed ex maioritate imperii, seu auctoritatis attendi debet; constat autem ex iam dictis quod sicut Princeps Ecclesiasticus superior est Principe temporali, & huic imperare, ac iudicare potest in causis spiritualibus, ita in ciuilibus Princeps politicus superior est Principe Ecclesiastico, & propterea in iis huic imperare, & iudicare potest, absque eo quod rectus ordo, & ipsa rerum natura peruertatur.

p Loco citato.

78 Sed responderi potest secundo ex eodem Cardinale Bellarmino, p *Sicut ante Christianam legem homines subiecti erant Imperatoribus, ita etiam postea eisdem subditos esse, cum lex Christiana neminem priuet iure suo, & dominio. Quare Petrus & Paulus passim hortantur fideles, vt subditi sint Principibus, vt patet ad Romanos 13. Tit. 3. 1. Pet. 2. Merito itaque Paulus Cæsarem appellauit, eumque Iudicem agnouit cum accusaretur seditionis, & tumultus in populo excitati. At vero cum Principes Christiani facti sunt, & sponte leges Euangelii susceperunt, continuo se, tanquam oues Pastori, & membra capiti, subiecerunt Præsidi Ecclesiasticæ hierarchiæ, & proinde ab illo iudicari, non illum iudicare deinceps debent.*

79 Hæc tamen ratio à Cardinale Bellarmino adducta nihil obest, quin potius plurimum fauet doctrinæ à nobis iam traditæ. Nam si Pontifices Imperatoribus & Regibus Ethnicis subditi erant non solum de facto, sed etiam de iure: ob quam igitur causam iidem Reges & Imperatores, quando Christiani fiunt, non retinent idem ius, & dominium super Pontifices, quod prius super ipsos habebant, cum lex Christiana neminem priuet suo iure & dominio? Neque enim, quando per baptismum leges Euangelii suscipiunt, iuri suo & dominio in temporalibus (quo lex Christiana neminem priuat) renunciant, sed tantum cum membra corporis Christi mystici, & oues gregis Dominici fiant, in rebus spiritualibus, & quæ ad æternam salutem pertinent, tanquam membra capiti, & oues Pastori, se Præsidi Ecclesiasticæ hierarchiæ submittunt, & proinde ab illo iudicari, non illum iudicare in rebus spiritualibus, & quæ ad æternam salutem spectant, deinceps debent.

80 Hoc tamen nihil impedit, quo minus Pontifices à Principibus Christianis in rebus temporalibus, & quæ ad pacem publicam pertinent, in quibus subditi manent, sicut antea (*cum lex Christiana neminem priuet suo iure & dominio*) iudicari & possint, & debeant, si ipsas potestatis Ecclesiasticæ, & ciuilis naturas consideremus. Nihilominus non negamus, quin iure Ecclesiastico, & Principum priuilegiis personæ Ecclesiasticæ à tribunalibus Secularium magistratuum exemptæ sint. Sed hoc solum iam contendimus, Pastores spirituales ex rei natura, eo quod Pastores sint animarum, à potestate coerciua Principum Christianorum etiam iuxta Principia Cardinalis Bellarmini in rebus ciuilibus nullatenus immunes esse.

q In Responsione contra Ioan. Marsil pag. 245.

81 Veruntamen modus ille insitatus loquendi, quo in hac materia vtitur Cardinalis Bellarminus q non satis sibi ipsi constans non videtur, pace eius dixerim, esse aprobandus, qui ait, *Principi non esse subditos Ecclesiasticos existentes in eius dominiis, neque correlatiua esse Principem, & Ecclesiasticos in domo illius commorantes, quia exempti sunt, vana enim*, inquit, *foret exemptio, si Ecclesiastici propter natiuitatem, aut flagitium perpetratum essent subditi*. Non enim existimo vllum reperiri Principem Christianum, qui non reputaret maiestatem suam ab illo grauiter læsam esse, qui affirmaret, se secularium tantum, & non Ecclesiasticorum in suo dominio commorantium Principem esse, aut personas Ecclesiasticas non esse sibi subiectas. Nam quamuis Ecclesiastici à tributis & iudiciis forensibus Magistratuum secularium iure Ecclesiastico & Principum priuilegiis liberi sint, non tamen exemptio Ecclesiasticos ab omnimoda subiectione Principibus debita immunes reddit.

r Li. de Clericis c. 28.

s Li. de Monachis c. 19.

Sed *cum ipsi, præterquam quod Ecclesiastici sunt*, r *Reipublicæ etiam politicæ sint ciues, & partes quædam*, vt Cardinalis Bellarminus fatetur, necessario illius Principi subiici debent, *omne enim membrum subiectum esse debet capiti*, vt idem s Bellarminus asserit, sicut quilibet ciuis supremo Reipublicæ Principi iure naturæ subiicitur. Non sunt eo loco locuti Sancti Patres; repetantur vetera, euoluantur Concilia tam generalia, quam prouincialia omnium regnorum. In illis reperietur, quod Episcopi tum Imperatores, tum cæteros Reges Dominos suos vocitauerint, seque eorum famulos & iussioni eorum subiectos agnouerint. Ab huiusmodi inordinatis locutionibus abstinendum est, quæ tum male sonant, tum pias aures offendunt, tum Principum Christianorum, qui Ecclesiæ sanctæ Nutritii & Protectores t constituti sunt, animos ad indignationem merito prouocare possunt. Suum cuique reddendum est, tam *Cæsari, quæ sunt Cæsaris, quam quæ sunt Dei, Deo.*

t Isai. c. 49. & 23. q. 5. c. Principes.

83 Tertium Corollarium est, potestatem Ecclesiasticam, & ciuilem non esse partes vnius, & eiusdem Reipublicæ, sed duas omnino Respublicas actibus, officiis, dignitatibus, finibusque distinctas constituere. Quod ex eo manifeste consequi videtur, quoniam vna ex se nullum ordinem dependentiæ dicit ad alteram, qui tamen ad rationem partium, quæ vnum totum constituunt, necessario requiritur. Et quamuis in Christianis ambæ potestates coniungantur, ita vt idem Christianus vtrique potestati subiectus sit, & vtraque in eodem Chri-

[illegible] residere possit, non tamen proinde sequitur, quod asserit Cardinalis Bellarmi[illegible] vnum esse ex præcipuis fundamentis, quibus suprema potestas Pontificis in tem[illegible]tur, nempe *potestatem ciuilem & spiritualem esse partes vnius Reipublicæ, scilicet Christia[illegible] Pontifices, Clericos & Laicos non facere duas Respublicas, sed vnam, id est, vnam Ecclesiam: sumus [illegible] vnum corpus, Rom. 12. & 1. Cor. 12.*

x Lib. 5. de Rom. Pont. c. 7. in prima ratione.

[illegible] Quis enim negare potest etiam inter Christianos distingui debere Regnum Chri[illegible] mundi, corpus Christi mysticum, & corpora politica? Nam regnum Chri[illegible] de hoc mundo, id est terrenum, sed spirituale, non constat honoribus, opibus, [illegible] abundantia. Christus enim persuasit hominibus contemptum gloriæ, deliciarum, opum, [illegible] rerum terrenarum, quibus tamen maxime affluunt Reges huius mundi: Regnum [illegible] pro fine salutem æternam; Regna huius mundi pacem temporalem. Regnum [illegible] bet Sacerdotes, Episcopos, Synodos, Concilia, & omnium caput summum Pontificem, [illegible] missa est potestas solum in ordine ad salutem æternam, & vt homines in pace viuentes [illegible] perpetuam consequantur. Regna huius mundi habent Magistratus, Prætores, Sena[illegible]menta, seu Comitia, & Principes Seculares nullum Superiorem in temporalibus reco[illegible] qui vitæ & mortis gladium portant, vt homines in pace & quiete vitam temporalem [illegible]

x Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. ca. 4.

[illegible] Deinde, quomodo per baptismum potestas ciuilis, & Ecclesiastica in vnam Rempubli[illegible]escunt, quæ antea duas constituebant? Neque enim vniuntur inter se, ita vt vna in aliam [illegible] imperium cum Pontificatu confundere velimus, quæ tamen neque idem esse, neque [illegible] absolute pendere aperte fatetur Cardinalis Bellarminus. y Neque tertiam aliquam [illegible] constituunt, quæ neque Ecclesiastica sit, nec ciuilis [illegible]nstituere vnam tertiam Rempublicam, quæ simul Ecclesiastica sit, & ciuilis, nempe v[illegible]lesiam, seu vnam Rempublicam Christianam.

y Supra nu. 65.

[illegible]tra hoc est primo, quia tempore Apostolorum, & primitiuæ Ecclesiæ, Ecclesia Christi [illegible] substantiam perfecta erat, nullo tamen tunc temporis temporali dominio seu pote[illegible]batur, vt ipse Bellarminus z affirmat, ergo Ecclesia Christiana non componitur ex v[illegible]are, licet vtraque potestas apud Christianos reperiatur.

z Libro de Rom. Pont. ca. 6.

[illegible] Præterea Ecclesia Christi monstrum quoddam esset, simul plura suprema, & indepen[illegible]ns capita: Nam caput potestatis politicæ sunt Principes seculares, qui in negotiis tem[illegible] nullum superiorem recognoscunt, vt ex Innocentio tertio & aliis superius a dictum est, [illegible] ecclesiasticæ potestatis est Summus Pontifex, qui in causis spiritualibus est omnium su[illegible] vnam Rempublicam plura simul in terris habere capita suprema, est plane impossi[illegible]mo ipse etiam Cardinalis Bellarminus b satis aperte indicare videtur, potestatem [illegible], & Ecclesiasticam apud Christianos duas distinctas Respublicas constituere, dum de [illegible] quens Rempublicam Ecclesiasticam, seu spiritualem, & summum eius Principem [illegible] temporali, & Principe eius supremo expressis verbis distinguat. Quod autem de [illegible]mum loquatur in illa ratione, qua probare contendit Rempublicam spiritualem [illegible] a temporali Republica iudicari, satis est manifestum, nisi sibi ipsi contradicere [illegible], se paulo inferius c expresse fateatur, vt supra etiam visum est, d Rempublicam spi[illegible] potuisse a Republica temporali, quando hæc Christiana non erat, vt tempore Apostolo[illegible]ari.

a Nu. 63. & nu. 5. & seq.

b Lib. 5. de Rom. Pont. c. 16. vt supra vidimus nu. 60.

c Lib. 5. de Rom. Pont. c. 29.

d Nu. 70.

8 Quapropter hæc duo vocabula *Ecclesia, & Respublica Christiana*, sunt nomina æquiuoca, [illegible]us distingui debent, quam aliquid ex eis solida argumentatione concludi possit. Vel enim [illegible] *Ecclesiam, & Rempublicam Christianam* intelligitur corpus Christi mysticum, seu cœtus fi[illegible] b h[illegible] formali ratione, quatenus fideles sunt, & Christo capiti inuisibili, atque Summo [illegible] Christi in terris Vicario, ac capiti visibili in eiusdem Christianæ fidei professione, & co[illegible]cramentorum communione subiiciuntur; in quo sensu Ecclesia proprie accipitur; & a [illegible]le[illegible]llarmino d definitur; sed iuxta hanc significationem potestas Ecclesiastica, & ciui[illegible]nstituunt vnam Rempublicam, id est, Ecclesiam, sed potestas solum Ecclesiastica Ec[illegible]nstituit: potestas autem ciuilis constituit corpus politicum, seu congregationem homi[illegible]hum siue infidelium, non quatenus fideles aut infideles sunt, sed quatenus Princi[illegible] eadem vitæ ciuilis societate, & legum politicarum communione subsunt.

d Lib. 3. de Ecclesia c. 2.

[illegible]e secundo nomine *Ecclesia, & Christiana Republica*, intelligitur cœtus quidem fidelium [illegible]r, quatenus vniuntur in spiritualibus sub vno capite spirituali, sed solum materiali[illegible]lute[illegible] quo sensu nomina prædicta, *Ecclesia* præsertim, non adeo proprie accipiuntur. [illegible]d[illegible] Ec[illegible]a non e[illegible] vna Respublica, sed aggregatum quoddam per accidens compre[illegible]tat[illegible]m, seu regnum temporale Christianorum, & regnum Christi spirituale; [illegible] accidentaliter, & quodammodo subiectiue in hominibus Christianis simul coniuncta [illegible]us e dicemus; duas tamen constituunt Respublicas, Ecclesiasticam [illegible], & [illegible] quæ diuersas leges, iudicia, fines, Magistratus, & Principes habent, idemque [illegible]s diuerso modo consideratus potest esse vtriusque corporis mem[illegible]

e Nu. [illegible]

10 Quam

89 Quando [illegible] Sanctus Paulus ait omnes Christianos esse vnum corpus, [illegible] loquitur de corpore Christi mystico, quod tamen noluit confundere cu[m] corpore politico, cum C[hri]stianos etiam subesse voluit ad *Rom. 13.* & ad *Tit. 3.* Et propterea, *Reges, Pontifices, Clerici, & Laici non solum vnam Rempublicam constituunt, id est Ecclesiam.* Sed quatenus in spiritualibus subsunt Summ[o] Pontifici, vnam Rempublicam nempe corpus Christi mysticum, id est, *Ecclesiam* constitu[unt]; quatenus vero in negotiis secularibus Principibus terrenis [illegible] iciuntur, ali[a]m Rempub[licam] nempe corpus politicum, & regnum terrenum componunt. Vt ipsemet Cardin[a]lis Bell[armin]us superius [illegible] relatus aperte fatetur, Clericos, seu *Ecclesiasticos praterquam quod E[cc]l[esi]astici [sint] esse etiam ciues, & partes quasdam Republica pol[it]ica.* & [illegible] 18 dicit, *Ecclesiam continere omnes C[hristi]anos Catholicos, siue sint Clerici, siue Laici* [illegible] *autem consideret coetum Laicorum, non [qu]i Christiani sunt sed vt ciues, vel quocunque alio modo, is coetus Ecclesia dici non potest.* [illegible] propter [h]i coetus [illegible] Christianorum quatenus ciues sunt, nempe Reipublicæ politicæ, [illegible]ente Cardinali Be[llarmi]no non sunt Ecclesia, profecto aliam Rempublicam constituere deb[ent] & consequenter Re[spubli]ca ciuilis Christianorum, & Ecclesiastica, non vnam formaliter Rempublicam, sed duas, [illegible] larmino iudice, componunt.

Vides itaque quam parum solide [illegible] neque sibimet satis consentaneè ratiocinetur [illegible] Cardinalis Bellarminus in re grauissim[a] debitam obedientiam ab vnoquoque C[hristiano] [illegible] Principibus Supremis iure diuino præstandam, quam intime attigit. Nam *& Cæsari reddenda sunt, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo.*

[illegible] Quartum Corollarium est, eandem prorsus actionem diuerso modo [illegible] posse simul potestati Ecclesiasticæ, & ciuili, tam quoad vim cogentem, qua[m] [illegible] iacere. Pro quo melius intelligendo supponendum est, duplicem potestatem E[cclesiasticam] Theologis assignari, vnam Ordinis, quam S[ac]erdos accipit ex vi suæ ordinationi[s], [illegible] dictionis, quæ, vt ex ipso vocabulo con[s]tat, est pote[stas i]us dicendi. Potestas [illegible] de qua sola nunc agimus est etiam duplex, interior nimirum, quæ ad Pœnitentiæ S[acramentum] [illegible] le forum duntaxat ordinatur & conscientiam solum, atque internum animarum bo[num] [illegible] tur, ideoque interior Iurisdictio nominatur; & exterior, quæ ordinata est ad [illegible] dam Ecclesiam in exteriori foro per iudicia, pœnas, & cætera, quæ ab bene consti[tutam] [illegible] regendam hominum Rempublicam necessaria sunt, ideoque exterior Iurisdictio ap[pellatur]. A[d] quam pertinet vis dirigens, præcipiendi scilicet, & leges condendi, quæ obligen[t] [illegible] tia, & vis coercens compellendi subditos vi pœnarum ad eiusmodi præcepta [illegible] plendas.

91 Quoniam enim omnis Respublica bene instituta indige[t] potestate iur[isdictionis] [tam c]ogente, quam dirigente, vt con[ue]nienter Regi possit (vt ex ipso nat[u]ræ [illegible] constat) & Christus suam Ecclesiam instituit [illegible] quam vnam Rempublicam po[illegible] dam & gubernandam, vt ex sacris literis est man[ife]stum, negari non potest, quin Chri[stus] Ecclesiæ concesserit exteriorem potestatem Iurisdictionis, tam [co]gentem quam [di]rig[entem] [po]pulum Christianum in rebus spiritualibus gubernandi. Et hanc ext[er]iorem iuri[sdictionem] [Do]ctores Catholici colligunt ex Matthæo, cap. decimo sexto & decimo o[c]tauo. *Ecclesia* [illegible] *rit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus* & *Quodcunque l[i]gaueris, seu ligaueri[tis]* [illegible] & Iohan. cap. vigesimo primo. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* & cap. 21. *Pasce oues me[as]* [illegible] plerisque locis.

92 Cum igitur finis potestatis politicæ sit pax publica, & Ecclesiasticæ salus an[imarum] [s]æpius diximus ex Cardinale Bellarmino, vt plerunq; contingat eadem numero action[illegible] pli causa peierandi, tum quieti publicæ, tum animarum saluti detrimento esse, sit, vt q[uatenus pec]catum est, seu offensa Dei, vt finis saltem supernaturalis est, & saluti spirituali nocet, po[testati Ec]clesiasticæ subiaceat, & ab ea iudicari, ac castigari oporteat; vt vero pacis publ[icæ] [illegible] tiu potestati politicæ subiiciatur, & ab ea iudicari, ac puniri debeat. Ex qua doctri[na] [illegible] quod quemadmodum Princeps politicus in rebus [illegible] quæ ad animæ salutem pertinent [illegible] P[rin]c[ipe] spiritua[l]i dirigi, iudicari, atque puniri debet, ita Princeps spiritualis [illegible] si rerum naturas inspic[imus] est in iis, quæ ad pacem publicam spectant, à Principe politico dirigendus, iudicandus atque castigandus.

93 Quinimo, sicut administratio temporalium in ordine ad Bonum spiritu[a]le, id est, quatenus spirituali saluti aduersantur, qua ratione naturam criminis spiritualis induit, ad [illegible] Principis Ecclesiastici spectat, in quo corrigi, & iudicari debet: ita iniusta spiritualium ad[ministra]tio, veluti excommunicatio Principis notorie iniusta, aut interdi[c]tum regn[i] [illegible] ab Episcopo, quo tali Principi ciuiliter subiicitur, lat[illegible], qu[a]tenus pacem publicam [illegible] [s]editiones [illegible] ac tumultus in Republica excitat, qua ratione n[a]turam criminis poli[illegible] [tri]bunal Princi[p]is politici pertinere videtur. Et propterea si ipse e[tiam] summus Pontifex [illegible] [su]periorem in rebus te[m]poralibus recognoscit, per Excommunicationes [illegible] [ma]nifeste iniustas, Reipublicæ politicæ pa[ce]m temporalem perturbaret, po[illegible] [illegible] eius iniuriam illatam viis licitis, atq[ue] [illegible] fines [pot]estatis politicæ com[illegible]

Princi-

...cipem Ecclesiasticum vi & armis constringere, vt per illicitas actiones spirituales à Republicæ suæ tranquillitate turbanda desistat.

94 Neque videtur posse aliqua esse controuersia, (si naturas potestatis Ecclesiasticæ, & ... is consideremus) quia sicut Respublica Ecclesiastica potest quascunque oppressiones sibi à Republica politica factas, quæ bono spirituali obsistunt, propulsare; ita etiam penes Rempublicam politicam sit potestas suis ciuibus, eorumque tranquillitati temporali consulendi, atque à quibuscunque violentiis etiam spiritualibus, quæ pacem suam publicam iniuste perturbant, defendendi. Quia, vt rectè ait Victoria: [h] *Respublica ciuilis est perfecta, & sibi sufficiens, ergo potest se defendere ab iniuria cuiuscunq; propria auctoritate. Et confirmatur, nam possunt Principes seruare proprias Respublicas ab iniuriis aliarum Rerumpublicarum non solum per modum defensionis, sed auctoritatiue, ergo etiam ab iniuriis Clericorum.* Et propterea, *licitum est Principi* (vt optime inquit Iohannes Parisiensis) [i] *abusum gladii spiritualis repellere eo modo, quo potest, etiam per gladium materialem, præcipue vbi abusus gladii spiritualis vergit in Malum Reipublicæ, cuius cura Regi incumbit, aliter enim sine causa gladium portaret.*

95 Sed totius controuersiæ neruus est, quænam sint pœnæ vtriusque potestatis, Ecclesiasticæ præsertim, propriæ, quibus iniurias sibi illatas vindicare poterit. Nemo enim inter Catholicos negabit, quin penes Ecclesiam sit potestas puniendi peccatores etiam Imperatores, & Reges Christianos pœnis, & Censuris Ecclesiasticis, quia iste modus castigandi proportionatus est Ecclesiasticæ potestati. Sed tota difficultas est, an priuatio bonorum temporalium, & depositio à temporali Principatu, atque eiusmodi, in pœnis, quæ à potestate Ecclesiastica, vt talis est, infligi possunt, sint adnumerandæ. Cardinalis enim Bellarminus, & qui eius opinionem defendunt, hoc quidem asserunt, sed debilissimis rationibus illud probant, vt infra [k] clarius apparebit.

96 Alii vero non ad pœnas Ecclesiasticas, seu quæ potestati sunt accommodatæ, sed ad ciuiles duntaxat, & quæ potestati temporali tantum conueniunt, eas reuocandas esse probabilius ...trantur: cum vniuscuiusque Reipublicæ conditioni consentaneum sit, vt subditos suos delinquentes punire, vel coercere possit, priuando illos propriis bonis, aut priuilegiis illius Reipublicæ; bona autem Reipublicæ Ecclesiasticæ spiritualia sunt, non temporalia, sicut bona Reipublicæ politicæ temporalia sunt, non spiritualia, atque ideirco potestati temporali gladius materialis, non spiritualis, & potestati spirituali gladius spiritualis, non temporalis congruit, vt superius ex sanctis Patribus copiose admodum commonstrauimus. Vnde quidam Doctores apud Ioannem Gersonem, [n] & plerique, vt refert Almainus, [o] cuius verba infra [p] referemus, existimant, non posse potestatem Ecclesiasticam ex Christi institutione aliquem delinquentem carcerare, ...cipare, sed talem auctoritatem ex iure positiuo, & concessione Principum accepisse.

97 Quapropter esto, quod Princeps Ecclesiasticus habeat potestatem dirigendi, præcipiendi, atque compellendi Principes temporales etiam in temporalibus, quatenus temporalia animarum saluti notabile damnum afferunt, non tamen propterea potestatem habet omni pœnarum genere transgressores puniendi, sed pœnis tantum certis, & à Christo definitis. Neque enim ex eo, quod quis superior constituitur, & consequenter potestatem habet imperandi sibi subdito, poterit omni ratione, qua placuerit, eum cogere ad obediendum. Potest magister præcipere discipulo, & eum compellere vt sibi pareat, non tamen quauis pœna, sed solum intra limites disciplinæ. Potest pater filio, vir vxori, dominus famulo imperare, & si non obtemperauerint, pœnis coercere, sed leuioribus, lege, vel consuetudine ...tutis.

98 Similiter potest Respublica politica leges ferre, ac præcepta, quæ etiam in conscientia ...ent, imponere, & subditos ad ea obseruanda constringere pœnis temporalibus quibuscunque, ...xi...i, carceris, bonorum omnium, tam corporis, quam fortunæ, amissionis; sed ad pœnas spirituales, cum Respublica sit temporalis, non extenditur potestas eius. Denique Ecclesia, cum sit Respublica spiritualis, habet omnem potestatem etiam coercentem, quæ ad conueniens Reipublicæ spiritualis regimen necessaria esse potest, & propterea pœnæ, quæ huic spirituali potestati sunt proportionatæ, non temporales, quales ad Rempublicam temporalem spectant, sed spirituales esse debent; quod etiam rectè deduxit Franciscus Suarez ex illis verbis Matth. 16. *Erit ligatum & in cœlis*, vt superius † annotauimus.

99 Ex iis infertur quintum Corollarium, nempe aliud esse, habere potestatem, seu ius dirigendi alterum in temporalibus, seu præcipiendi alteri, vt tali, vel tali modo de temporalibus disponat, & aliud habere dominium rerum temporalium, seu potestatem, & ius de temporalibus disponendi, sicut aliud est habere potestatem, seu ius præcipiendi alteri, & cogendi, ne spiritualia ...niciem Reipublicæ temporalis illicite administret; & aliud habere dominium rerum spiritualium, seu potestatem de spiritualibus disponendi. Exempli causa, Quilibet Episcopus, vt Episcopus, potestatem habet præcipiendi, & censuris Ecclesiasticis cogendi iudices seculares sibi in spiritualibus subiectos, vt iustitiam administrent, atque malefactores pœnis debitis puniant, & ...emo supplicio ex legum præscriptis dignos morti adiudicent, ipse tamen prout Episcopus est, non habet de vita aut morte vllam disponendi facultatem.

100 Præterea si Paulus promissione, voto, aut iuramento se astringeret; vt in bonis ...

h Relect. 1. de pot. Ecclesiæ sect. 2. §. Octaua propositio.
i De pot. Regia, & Papali, cap. 18. ad 6.
k Num. ... & seq.
m Num. ... & seq.
n De potest. Ecclesiast. consid. ...
o De dominio naturali, & ... conclus. 2. ... probat. ...
p Num. ...
† Num. ...

suis distribuendis iussionem Petri sequeretur, teneretur quidem Paulus in bonis suis erogandis sub pœna promissionis, voti aut iuramenti violati beneplacitum Petri expectare; nihilominus ratione talis iuramenti non amitteret Paulus ius illud seu dominium, quod prius habebat in bona sua, neque si contra mentem Petri bona sua distribueret, iniustitiam committeret, aut distributio irrita esset, neque Petrus vi talis iuramenti ius aliquod, aut dominium acquireret bonorum Pauli, sed tantum ius quoddam, seu facultatem haberet, ratione cuius penes illum potestas esset dirigendi Paulum in bonis suis distribuendis, illique imperandi, vt hoc vel illo modo, prout ipsi Petro magis placitum esset, de bonis suis sub pœna periurii disponeret.

101 Quocirca licet Ecclesia habeat potestatem sibi à Christo traditam dirigendi Principes Seculares in temporalibus in ordine ad bonum spirituale, seu imperandi illis, & cogendi ne in perniciem suarum animarum tali, vel tali modo illicito de temporalibus disponant, non tamen proinde sequitur, Ecclesiam in ordine ad salutem animarum habere dominium rerum temporalium, aut potestatem de temporalibus disponendi. Sed hoc solum colligi potest, Ecclesiam habere potestatem dirigendi, imperandi, atque pœnis Ecclesiasticis constringendi Principes Seculares, ne cum dispendio salutis spiritualis temporalia administrent.

102 Sicut etiam quamuis Respublica politica potestatem habeat imperandi personis Ecclesiasticis sibi ciuiliter subiectis, ne in detrimentum status sui politici spiritualia illicite administrent, non tamen propterea dominium habet rerum spiritualium, aut potestatem de spiritualibus in ordine ad finem temporalem nempe pacis publicæ conseruationem, disponendi. Et hoc Corollarium etiam ex similitudine, qua Cardinalis Bellarminus paulo inferius [q] comparat potestatem ciuilem & Ecclesiasticam carni & spiritui, atque ex Responsione, quá ad auctoritatem S. Bernardi de vtroque gladio adducemus, [r] clarius elucescet.

[q] Num. [illegible] & seq.
[r] Num. 106. & seq.

103 His obseruatis non erit difficile singulis rationibus; quæ à Cardinali Bellarmino [s] pro potestate temporali Pontificis demonstranda afferuntur ex ipsiusmet principiis abundanter satisfacere. In primis tamen non abs re erit paucis declarare, quam artificiose ipsum quæstionis statum proponat, & sententias Auctorum de potestate Pontificis temporali recenseat.

[s] In fine [illegible] & seq.

Is igitur ad quæstionem hanc de potestate temporali Pontificis disputandum aggrediens, [t] in primo disputationis aditu tres circa potestatem Pontificis temporalem ait inueniri Auctorum sententias.

[t] Lib. 5. de Rom. Pont. cap. 1.

104 *Prima est, Summum Pontificem iure diuino habere plenissimam potestatem in vniuersum orbem terrarum, tum in rebus Ecclesiasticis, tum in politicis. Ita docent Augustinus Triumphus in summa de potestate Ecclesiæ quæst. 1. articulo primo. Aluarus Pelagius libro primo de planctu Ecclesiæ, cap. 13. & multi Iurisconsulti, vt Hostiensis in cap. Super his, de voto & voti redemptione. Panormitanus in cap. Nouit. de iudiciis, Syluester in summa de peccatis, verbo Papa, §. Secundo, & alii non pauci. Quinetiam Hostiensis vlterius progreditur: docet enim per Christi aduentum omne dominium Principum infidelium translatum esse ad Ecclesiam, & residere in Summo Pontifice, vt Vicario Summi, & veri Regis Christi, & ideo posse Pontificem regna infidelium iure suo donare quibus voluerit fidelium.*

105 *Altera, non tam sententia quam hæresis in altero extremo duo docet. Primo, Pontificem vt Pontificem & ex iure diuino, nullam habere temporalem potestatem, nec posse vllo modo imperare Principibus Secularibus, nedum eos regnis, & Principatu priuare, etiam si illi priuari alioqui mereantur. Secundo docet, non licuisse Pontifici, aliisque Episcopis accipere temporale dominium, quod nunc habent in quasdam vrbes, & prouincias, siue eiusmodi dominium donatum eis fuerit, siue illud vsurpauerint. Prohibet enim ius diuinum vni homini gladium spiritualem & temporalem simul committi. Ita docent hæretici omnes huius temporis, ac præcipue Caluinus, libro quarto Institut. cap. vndecimo, §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & decimo quarto. Petrus Martyr in cap. decimo tertio ad Romanos, ac Brentius in Prolegomenis contra Petrum à Soto. Magdeburgenses autem centuria prima, libro secundo, cap quarto, columna 435 ponunt inter notas Antichristi, quod Pontifex duos gladios gerat vndecunque illos habuerit. Ac deinde centuria 8. 9. 10. & 11. in vita Pontificum de hoc maxime eos reprehendunt.*

106 *Tertia sententia media est Catholicorum Theologorum communis, Pontificem, vt Pontificem, non habere directe, & immediate vllam temporalem potestatem, sed solum spiritualem, tamen ratione spiritualis habere saltem indirecte potestatem quandam eamque summam in temporalibus. Ita Hugo de Sancto Victore libro secundo, de Sacramentis parte secunda, cap. quarto, quem sequitur Alexander Alensis 3. part. Summa, quæst. 40 memb. 5. & 4. part. quæst. 10. in explicatione Canonis Missæ in illud, Et pro Rege. Item Sanctus Bonauent. in libro de Eccl Hierarchia, part. 2. cap. 1. Durandus in lib. de origine iurisdictionum, quæst. tertia, in fine. Petrus Petrus ab Aliaco in quæst. de resumpta, vtrum Petri Ecclesia fide confirmetur. Ioannes de Parisio in tract. de potestate regia & Papali, cap. 6. & 7. Iacobus Almainus in tract. de suprema potestate Ecclesiastica, cap. 6. Gabriel Biel in explicatione Canonis Missæ, lect. 23. Henricus de Gandauo, quodlib. 6. q. 23. Ioh. Driedo, lib. 2. de libertate Christiana, cap. 2. Iohan de Turrecremata, lib. 2. Summa cap. 113. & sequentibus. Albertus Pighius, lib. 2. Hierarchia Ecclesiast. Thomas VValdensis libr. 2. doct. fidei, artic. tertio. capit. 76. 77. 78 Petrus de Palude in libro de potestate Ecclesiastica. Caietanus in Apologia, cap. 13. ad 8. Franciscus Victoria relect. 1. quæst. sexta, de potestate Ecclesiæ. Dominicus à Soto in 4. d. 25. quæst. 2. articulo primo. Nicolaus Sanderus libr. 2. cap. 4. visibilis*

monar-

monarchia. Nauarrus relect. in cap. Nouit de Iudiciis. Notab. tertio. Antonius Cordubensis, lib. 1. quæst. 56. dubio 3. & alii plurimi.

107 Hæ sunt tres illæ Auctorum sententiæ, quas circa hanc quæstionem reperiri docet Cardinalis Bellarminus. In quibus quidem recensendis tam pulchro vtitur artificio, vt Lector in rebus Theologicis minus exercitatus, statim, ac quæstionem hanc de potestate temporali Pontificis, tali modo, quo iam vidimus à viro tam erudito explicatam, ante oculos proposuerit, in ea sententia, quæ potestatem Pontificis temporalem, denegat, exitiale hæreseos venenum latitare nequaquam dubitare possit. Cum enim in primo introitu tres Auctorum sententias de potestate temporali Pontificis reperiri audiat, vnam, quæ asserit Pontificem plenissimam in temporalibus habere potestatem in vniuersum orbem terrarum; & aliam, quæ docet Pontificem talem quidem habere potestatem, non tamen directe, vt voluit prima opinio, sed solum indirecte, seu in ordine ad bonum spirituale; & tertia sententia pro hæresi reputetur: nequaquam profecto hæsitare potest, quin si Cardinali Bellarmino viro vtique doctissimo in re tam graui fides adhibenda sit, necessario vel primam, vel secundam sententiam amplecti debeat, nisi in apertam hæresim labi scienter velit.

108 Veruntamen non videtur ipse (salua semper reuerentia illi debita) adeo accurate, ne dicam fideliter, sententias Auctorum de hac potestate Pontificis temporali commemorare, sicut deceret Doctorem Theologum quæstiones grauissimas, de qua nunc agitur, vtpote quæ ad debitam Principibus supremis, *qui solo Deo minores sunt*, [u] obedientiam à fidelibus subditis iure diuino exhibendam spectat) ex professo veritatis indagandæ, aut illustrandæ gratia pertractantem; sed in hoc potius incumbere videtur, vt Lectorum oculis tenebras offundat, & ipsorum mentes quadam confusionis caligine obducat, ne quis huius controuersiæ (quæ tantos in Christiano orbe tumultus, tantasque inter regnum, & Sacerdotium discordias [x] excitauit) status sit, ab ipsis perspici possit.

u Tertul. ad Scapul. c. 2.

x Vide infra num. 451.

109 Atque vt primam sententiam ab ipso relatam, & merito impugnatam missam faciamus, in secunda sententia, quam ipse hæresim nuncupat, plures simul permiscet sententias, seu propositiones inter se omnino distinctas, & à Catholicis doctoribus singulas propugnatas. Prima est, Pontificem vt Pontificem, & ex iure diuino, nullam habere temporalem potestatem, hanc etenim propositionem plurimi Doctores Catholici tuentur, quos supra [y] recitauimus. Altera propositio seu sententia est, Pontificem, vt Pontificem, & ex iure diuino, nullo modo posse imperare Principibus Secularibus, in causis, subintellige, temporalibus (de quibus duntaxat præsens quæstio à Cardinale Bellarmino instituitur;) nam alioqui posse Pontificem in causis spiritualibus imperare Principibus secularibus omnes Catholici profitentur.

y Nu. 4. & seq.

110 Pro cuius propositionis meliori intelligentia sciendum est, causas, & crimina à Theologis distingui, vt videre licet apud Ioannem Parisiensem, [z] & Iacobum Almainum, [a] in causas, & crimina Ecclesiastica, seu spiritualia, in Secularia, atque in mixta. Causæ Ecclesiasticæ dicuntur, quæ pertinent ad Sacramenta, & legem Euangelicam & crimina Ecclesiastica seu spiritualia, dicuntur quæ è directo Sacramentis, & legi Euangelicæ repugnant, vt hæresis, Simonia, Sacramenti, vel Censuræ Ecclesiasticæ violatio, &c. Causæ politicæ sunt, quæ ad Sacramenta, & legem Euangelicam non spectant: & crimina secularia dicuntur, quæ seclusa quacunque reuelatione diuina, & Euangelica, stando in lege naturæ, adhuc peccata essent, vt furtum, homicidium, fornicatio, ebrietas, &c. Crimina vero mixta sunt, quæ vtroque modo prohibita sunt, vt adulterium, quod est tum contra legem naturæ, tum contra matrimonii Sacramentum.

z In tract. de potest. regia & papali c. 14.

a De potest. Ecclesiast. & Laica q. 1. cap. 9.

111 Præterea potest aliquis in temporalibus dupliciter peccare, vno modo peccato *erroris aut oppositionis*, vt dicunt, hoc est, iudicando peccatum illud, quod committitur circa Secularia non esse peccatum, vt iudicando furtum, homicidium, aut eiusmodi non esse peccata: alio modo *peccata vendicationis*, vt loquuntur, id est, sibi vendicando, vel retinendo quod est alterius, furtum scilicet, aut tale aliquod peccatum seculare perpetrando.

112 Quamuis igitur omnes Theologi concedant, penes Ecclesiam ex Christi institutione esse potestatem cognoscendi de quocunque peccato mortali erroris, & iuridice definiendi, an hoc, vel illud sit peccatum mortale; eosque, qui contra talem Ecclesiæ definitionem senserint, pœnis Ecclesiasticis castigandi: quidam tamen Theologi (vt refert Almainus †) defendunt, non spectare ad Pontificem cognoscere de peccatis publicis pure secularibus, quæ vocant vendicationis neque eiusmodi peccatores publicos pœnis etiam Ecclesiasticis coercere; adeo vt non sit Papa, qua Papa, iure diuino punire latronem publicum pro furto, vel homicidam pro homicidio. Et propterea iuxta istam sententiam non potest Summus Pontifex in eiusmodi causis pure temporalibus Principibus Secularibus, aliisue laicis in foro exteriori quoad vim coercentem imperare, quia eiusmodi causæ, & peccata non sunt fori Ecclesiastici, sed secularis. Neque *spectat*, inquiunt, [b] *ad Ecclesiam iudicare de omnibus mediis ad beatitudinem necessariis coercitiue, sed tantum suasitiue, & instructiue*; innuendo scilicet, & ostendendo, quæ sint media necessaria ad beatitudinem consequendam.

† De potest. Ecclesiast. & Laica q. 1. c. 10. & q. 3. c. 2.

b Apud Almain q. 1. cap. 10.

113 Et quamuis hæc sententia mihi non placeat, ab aliquibus tamen Theologis defenditur, vt iam ex Almaino diximus. Immo ipse Almainus eam probabilem esse existimare videtur, dum ita scribit: [c] *Item vterque duorum secundorum modorum est probabilis, videlicet, quod Papa in rebus pure ciuilibus nullam iurisdictionem nec regulariter, nec casualiter habeat iure diuino, & ex institutione diuina: vel quod habeat non regulariter, sed casualiter, puta in duobus casibus tantum supra numeratis: scilicet, si nullus sit iudex temporalis, & si non potest exercere, vel negligat, probabile est, quod in illis duobus casibus habeat iurisdictionem administrandi in temporalibus.* Hæc Almainus. Per iurisdictionem aũt administrandi intelligit solum censuras spirituales, vt ex principio capitis plane colligitur. Sed eam expressius tueri videtur Iohannes Parisiensis [d] his verbis: *Et ita de peccato in temporalibus non iudicat, vel cognoscit Iudex Ecclesiasticus, sed secularis tantum nisi forte aliunde quam à Christo concessum ei fuerit, vel permissam.* Vnde ipse ab Almaino pro hac sententia citatur.

c q. 3 citata c. 2. in fine.

d ca. 14. circa

114 Tertia propositio, cuius mentionem facit Cardinalis Bellarminus in illa secunda sententia, quam ipse hæresim appellat, est non posse Pontificem Principes Seculares suis regnis, & principatu priuare, etiamsi illi priuari alioqui mereantur. Et neque hæc propositio hæresis est, ant doctrinæ Catholicæ repugnans, eamque expressis verbis defendunt plures doctores Catholici, quos supra [e] commemorauimus. *De ea enim*, vt dixit Trithemius, [f] *certant Scholastici, & adhuc sub Iudice lis est.* Atque ita patet tres omnino distinctas sententias in secunda illa sententia, quam Bellarminus hæresim appellat, ab ipso simul confundi.

e num. 4 & seq.

f Supra num. 23.

115 Prima sententia est, Papam nullam prorsus habere potestatem temporalem coercentem nec actu, nec habitu, nec regulariter, nec casualiter, non solum disponendi de bonis temporalibus, aut Principes suis regnis priuandi, sed neque etiam propter crimina mere Secularia excommunicandi, aut alias pœnas Ecclesiasticas infligendi, & consequenter nec præcipiendi quoad vim coercentem Principibus, aut cuiuis Laico in causis pure temporalibus: sed solum habere potestatem quandam suadendi, innuendi, seu, vt alii loquuntur, dirigendi in sensu supradicto: quam sententiam sequi videtur Iohannes Parisiensis, eamque vt probabilem tenet Almainus, vt iam vidimus.

116 Secunda sententia est, Pontificem habere quidem potestatem coercentem non solum in causis spiritualibus, sed etiam in temporalibus, in quantum temporalia saluti spirituali obsunt, eaque ratione ad naturam spiritualium accedunt; sed pœnis tantum Ecclesiasticis, & potestati spirituali propriis; nullam tamen habere potestatem disponendi de temporalibus, aut Principes seculares propter crimina siue spiritualia, siue temporalia suis regnis, & dominiis temporalibus priuandi, & hanc etiam sententiam quamplurimi Doctores superius citati amplectuntur.

Tertium vero illud dictum, quod in posteriori illius secundæ sententiæ membro asseritur, à nullo Doctore Catholico astruitur. Et nihilominus hæc tria in vna eademque sententia à Cardinale Bellarmino simul confunduntur, quasi nullum ex tribus illis pronunciatis ab ipso in priori illius secundæ sententiæ membro relatis ab vllo Auctore Catholico defenderetur.

117 Quapropter, si Cardinalis Bellarminus secundam sententiam *hæreseos* nota inurendam esse velit, quia affirmat Pontificem, vt Pontificem, & ex iure diuino nullam habere temporalem potestatem, neque posse Principes Seculares suis regnis & Principatu priuare, cum præsertim nullam Ecclesiæ definitionem ad hæc dicta impugnanda afferat, procul dubio nimis rigidus Censor à multis merito reputatur, *dum ita propere viros doctissimos* (vt verbis Couarruuiæ [g] vtar) *hac nota dignos esse censuit. Siquidem etsi opinio communis falsa censeri possit, hæretica tamen dici, donec ab Ecclesia contrarium fuerit definitum, absque temeritatis nota minime valet. Hactenus enim nihil certũ in hac controuersia Ecclesia Catholica definiuit* (sed de eo certãt Scholastici, & adhuc sub Iudice lis est, vt ait Trithemius) [h] *proptereaque disputationi locus est absque vlla hæreseos suspicione* Immerito igitur Cardinalis Bellarminus in posterioribus operum suorum editionibus vocabulum illud *hæreseos* secundæ sententiæ apposuit: quod in prioribus editionibus penitus prætermisit, cum tamen nihil prorsus de nouo ad suam sententiam corroborandam, illamque secundam confutandã, apporter, quod prius non attulerat.

g In regula peccatum, 2. part. relect. §. 9. nu. 7. iuxta impressionem Lugdunensem.

h Supra num. 23.

118 At multo longius progressus est Anglus quidam Iesuita, q in libro, quem sub ementito Philopatris nomine diuulganit, [i] vltra quam credi potest præcipitanter locutus est. *Hinc*, inquit, *infertur vniuersa Theologorum, ac Iurisconsultorum schola, & est certum, & de fide quemcunque Principem Christianum, si à religione Catholica manifeste deflexerit, & alios auocare voluerit, excidere statim omni potestate, ac dignitate ex ipsa vi iuris, tum humani, tum diuini, hocque ante omnem sententiam supremi Pastoris, ac Iudicis contra ipsos prolatam, & subditos quoscunque liberos esse ab omni iuramenti obligatione, quod ei de obedientia tanquam Principi legitimo præstitissent, posseque, & debere (si vires habeant) istiusmodi hominem tanquam Apostatam, hæreticum, ac Christi Domini desertorem, & Reipublicæ inimicum, hostemque ex hominũ Christianorum dominatu eiicere, ne alios inficiat vel suo exemplo, aut imperio à fide auertat. Atque hæc certa, definita, & indubitata doctissimorum sententia doctrinæ Apostolicæ conformis plane ac consona est.* Hactenus Philopater.

i Pag. 294.

119 Quæ verba quam temere, inconsiderate, & absque vllo penitus fundamento ab eo prolata sint, quiuis, in rebus Theologicis vel mediocriter versati, facillime deprehendent

hendent. Nam præterquam quod tam Iurisconsulti, quam Theologi præclarissimi contra ipsum sentiunt, nullos omnino hæreticos (vt taceam Principes, qui secundum Regulas Iuris Canonici, quod ad pœnas attinet, clausulis generalibus comprehendi non solent, & iuxta sanctorum Patrum doctrinam legibus humanis, seu pœnis ciuilibus non subiiciuntur) priuari dominio suorum bonorum etiam ex ipsa vi iuris positiui (*nam lex Christiana*, vt recte dixit Cardinalis Bellarminus, [k] *neminem priuat suo iure & dominio*) ante sententiam Iudicis declaratoriam; inter quos est Simancas, [l] Antonius Gomes, [m] Victoria, [n] atque insignis sui Ordinis Theologus Gabriel Vasquez. [o] Si iste auctor attente perpendisset, quænam ex mente doctissimorum Theologorum, vt Caietani, [p] Cani, [q] Cardinalis Bellarmini, [r] & aliorum plurium requirantur ad hoc, vt aliqua definitio vel Papæ, vel etiam Concilii generalis sit de fide tenenda, non adeo confidenter, Dei forsan zelo, sed certe non secundum scientiam, sententiam suam tam exorbitantem, seditiosam, summisque Principibus iniuriosam, atque nullo prorsus vel Scripturæ sacræ, vel sanctorum Patrum testimonio nixam, sed ab Ecclesiæ primitiuæ praxi, quæ sacræ paginæ, tum veterum Patrum doctrinæ conformis est, penitus alienam profudisset: cum neque ex Sacris literis, nec Apostolorum traditione, nec Ecclesiastica definitione, nec aliqua ratione Theologica satis constare possit, Supremum totius Ecclesiæ Pastorem vllam omnino habere auctoritatem ex Christi institutione Principes Seculares, etiam ob crimen hæresis, aut Apostasiæ manifestum, suis dominiis temporalibus priuandi.

120 Multo minus *esse doctrinam certam, definitam, indubitatam, de fide tenendam, doctrinæ Apostolicæ plane conformem, atque vniuersa Theologorum, & Iurisconsultorum Ecclesiasticorum scholis receptam, Principes manifeste hæreticos, ante vllam sententiam Summi Pontificis declaratoriam, ex ipsa vi Iuris diuini, excidere statim omni potestate ac dignitate.* Si forsan Auctor iste, qui in re tam graui, vtpote, quæ ad obedientiam supremis Principibus iure diuino præstandam pertinet, tanta confidentia, tantoque verborum impetu locutus est, alias vel rationes magis validas, vel definitiones magis apertas ad hæc noua sua dogmata, quæ Reges legitimos, eo ipso quod à fide manifeste desciscant, Tyrannos & iniustos regnorum vsurpatores ex vi Iuris diuini esse statuunt, confirmanda, reconditas habuisset, quã quæ hactenus cæteris præcedentium Seculorum Theologis innotuerunt, maximam profecto vniuersæ tum Theologorum, tum Iurisconsultorum scholæ gratiam præstitisset, si eas in medium protulisset, & vel hoc solo nomine *Philopatris* titulo insigniri promeruisset. Sed interim cauere sibi debuisset, ne dum conficto Philopatris nomine compellari cupiat, & nihilominus tam pestifera seditionis semina, quæque effrænato populo, atque ad tumultus præcipiti, apertam ad rebelliones, atque Regicidia viam muniunt, spargere præsumat, perfidi, tum patriæ, tum Principi suo proditoris, vt ne quid grauius dicam, & re, & nomine gaudere mereatur.

121 Verum & illud quoque nonnihil admirationis mihi affert, qua de causa Cardinalis Bellarminus in his etiam suorum operum editionibus postremis; inter suæ sententiæ Patronos adduxerit Ioannem Parisiensem, Iacobum Almainum, aliosque nonnullos, quorum in prioribus editionibus mentionem nullam fecerat, cum tamen ipsi, præsertim Parisiensis (quod idem quoque de Alexandro Alensi paulo inferius [s] annotabimus) contrariam potius sententiam satis expresse amplecti videantur. Nam præterquam quod Ioannes Azorius in loco superius [t] allegato tam Almainum, quam Parisiensem citet pro opposita sententia, Ioannes Parisiensis [v] (quod attinet ad controuersiam principalem, an scilicet penes Papam sit potestas per sententiam definitiuam Principes deponendi) procul dubio sententiæ, quam sequitur Cardinalis Bellarminus, apertissime aduersatur, & verbis disertis asserit: *Excommunicationem, vel aliam similem pœnam spiritualem esse vltimam, quam Iudex Ecclesiasticus inferre potest. Licet enim*, inquit, *Iudex Ecclesiasticus habeat homines in Deum reducere, & à peccato retrahere hoc tamen non habet nisi secundum viam à Deo sibi datam, quæ est separando à Sacramentis, & participatione fidelium.*

122 Quinetiam Almainus, quando ex propria sententia loquitur, non exponens scripta aliorum, sententiæ Cardinalis Bellarmini satis clare refragari videtur. Nam inprimis in libro suo de auctoritate Ecclesiæ, capite secundo ita scribit: *Consequenter ex dictis multiplex haberi potest differentia inter potestatem Ecclesiasticam Iurisdictionis in foro exteriori, & potestatem Laicam: prima ex parte institutionis, cum vna sit naturalis quantum ad institutionem, altera supernaturalis: secunda ex parte finis, vna enim est ad finem naturalem, altera ad supernaturalem: tertia ex parte pœnarum, quæ infligi possunt per has potestates, quia per vnam corporalis pœna duntaxat, per alteram vero spiritualis præcise.* Deinde in libro de Dominio naturali, ciuili, & Ecclesiastico, conclusione secunda dicit, *Dominium Ecclesiasticum, seu Euangelicum ex institutione diuina nullam habere in temporalibus Iurisdictionem annexam.* Et paulo infra in probatione illius conclusionis: *De ratione, ait, potestatis Laicæ est, posse pœnam ciuilem infligere, vt sunt mors, exilium, bonorum priuatio, &c. sed nullam talem pœnam ex institutione diuina infligere potest potestas Ecclesiastica, immo nec incarcerare, vt plerisque Doctoribus placet, sed ad solam pœnam spiritualem extenditur, vtputa excommunicationem, reliquæ autem pœnæ, quibus vtitur, ex iure pure positiuo sunt.*

123 Sed & plures alii ex antiquioribus præsertim Theologis, quos Cardinalis Bellarminus in

[k] Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 29.
[l] Simancas tit. 9. de Cath. institutendis à Num. 157.
[m] Gomes to. 1. c. vlt. suarum opusc.
[n] Victor. rel. 1. de Indis insul. à nu. 8.
[o] Vasqu. 1. 2. disp. 170. ca. 3. à nu. 8.
[p] Caiet. quodl. de potest. Papæ, ca. 8.
[q] Canus li. 5. de locis c. 5. q. 4.
[r] Bellar. li. 2. de Conciliis, ca. 12.
[s] Nu. 124.
[t] Nu. 4.
[v] De potest. regia & Papali, c. 14.

nus in his tantum posterioribus operum suorum editionibus pro sua sententia, quasi de industria citat, ne forsan opinio eius à recentioribus solum Theologis propugnari videretur, commode exponi possunt, vt intelligant, Summum Pontificem in hoc sensu habere potestatem temporalē in ordine ad bonum spirituale, non quidem disponendi de temporalibus, in eo sensu, quo verbum *disponere* à Cardinale Bellarmino accipitur, id est, priuandi Principes suo iure; quod in temporalibus habent, sed solum innuendi, ordinandi, & dirigendi Principes temporales, quomodo temporalia rectè, & sine æternæ salutis periculo gubernare debeant, atque etiam præcipiendi, eosque cogendi pœnis tantum Ecclesiasticis & spiritualibus, ne cum salutis spiritualis dispendio temporalia administrent, absq; eo, quod Pontifici tribuatur potestas Reges, ac Imperatores Dominiis suis, & Principatibus priuandi.

x 3. part. q. 40. memb. 2. q. 4.
y De Italia statu. lib. 4. ca. 5.
z De potest. Rom. Pont. cap. 9.
a Nu. 91 & seq.

114 Nam Alexander Alensis, [x] quem Cardinalis Bellarminus pro sua sententia refert, potius fauet Canonistis, & dominio Pontificis directè in temporalibus, quam ipsi Bellarmino, & supremo Pontificis dominio temporali solum in ordine ad bonum spirituale; vnde à Thoma Bozio [y] & Alexandro Carerio [z] acerrimis huius directi dominii defensoribus, tam Alensis, quam Hugo de Sancto Victore, quos etiam Cardinalis Bellarminus in suæ sententiæ patrocinium adducit, pro sententia plane opposita, quæ Canonistarum est, afferuntur, sed reuera, si verba Alexandri diligenter expendantur, facile comperietur, eum neque Bozii, neque Bellarmini, sed nostræ potius sententiæ apertissime suffragari. Nam quantumuis ipse disertis verbis affirmet, potestatem Secularem subiectam esse spirituali, quod nos etiam, ad modum superius [a] explicatum libenter concedimus, tamen, dum modum huius subiectionis declarat, & argumenta in contrarium obiecta dissoluit, clarissime commonstrat, potestatem secularem non esse subiectam spirituali quoad pœnas temporales, neque potestatem spiritualem posse secularem, si deliquerit, pœnis corporalibus, sed spiritualibus tantum coercere, quod sane consentaneum est iis, quæ à nobis sæpius dicta sunt.

125 Tria etenim ipse in principio quæstionis argumenta proponit, quibus probari videtur, non posse Summum Pontificem Reges aut Imperatores iudicare. Primum adducit ex Glossa super illud Psalm. 50. *Tibi soli peccaui*; vbi inquit Glossa: *Quia Rex omnibus est superior, ideo tantum à Deo, qui maior est eo, puniendus est: Si quis de populo errauerit, Deo peccauit, & Regi, Rex vero non habet hominem, qui eius facta diiudicet; ergo Summus Pontifex non potest Regem aut Imperatorem iudicare.* Respondet Alexander *hanc subiectionem esse ad vindictam spiritualem, non corporalem, secundum quod dicitur 2. quæstione septima, quod Regum est exercere pœnam corporalem, Sacerdotum spiritualem inferre vindictam. Vnde Ambrosius Imperatorem excommunicauit Arcadium, & ab ingressu Ecclesiæ prohibuit. Sicut enim Iudex terrenus non sine causa gladium portat, sicut dicitur decimo tertio ad Romanos, ita non sine causa claues Ecclesiæ Sacerdotes acceperunt; ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: isti claues habent ad exclusionem excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium. Expone igitur, A Deo tantum est Rex puniendus, supple materiali pœna. Et iterum, Non habet hominem, qui eius facta diiudicet, supple, ad corporalem pœnam inferendam.* Hæc est Responsio Alexandri ad primum argumentum.

126 Ad Secundum, quod desumptum erat ex Hugone in libro de Sacramentis, vbi dicit, *quod spiritualis potestas non ideo præsidet, vt terrena in suo iure præiudicium faciat, sicut ipsa terrena potestas: quod spirituali debetur, nunquam sine culpa vsurpat*: Respondet Alexander, quod *spiritualis potestas, si iudicet terrenam ratione delicti, cum scilicet abutitur potestate, non præiudicium facit, immo sicut spiritus constitutus est ad dirigendum corpus, ita spiritualis potestas constituta est ad dirigendum terrenam.* Quæ Alexandri verba intelligenda sunt de potestate directiua tantum, & non de coactiua, nisi secundum potestatem ad vindictam spiritualem, non corporalem, vt ipsemet in solutione primi argumenti explicauerat.

127 Demum, ad tertium argumentum, quod allatum erat ex 1. Pet. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, &c. Si ergo Rex præcellit, non est subditus alicuius iudicio,* Respondet Alexander, *quod Rex præcellit, verum est, in suo ordine scilicet ad corporalem vindictam exercendam, qua vindicta, si delinquat, non habet, qui eum puniat nisi Deum.*

Ex quibus constat, non potuisse ab Alexandro quidquam apertius, explicatius, & significantius dici, ad sententiam tam Bozii, quam Bellarmini refellendam, nostramque corroborandam.

128 Quod ad Hugonem attinet; quem Cardinalis Bellarminus pro sua sententia affert, & Canonistæ etiam pro se adducunt, tametsi ipse in capite illo quarto libri secundi de Sacramentis à Cardinale Bellarmino citato asserat, *quod quanto vita spiritualis dignior est quam terrena, & animo quam corpus, tantum spiritualis potestas terrenam siue Secularem potestatem honore, ac dignitate præcellit. Nam spiritualis potestas terrenā potestatem & instituere, vt sit, & iudicare habet, si bona non fuerit, ipsa vero à Deo primum instituta est, & si deuiat, à solo Deo iudicari potest, &c.*

b De potest. Regia & Papali c. 18. ad argumentum.

129 Attamen Ioannes [b] Parisiensis prædicta Hugonis verba (quæ, si strictè accipiantur, & Bellarmino parum fauent, & propter ambiguum eorum sensum, maximas difficultates pati possunt) ita exponit, *quod cum mos sacræ scripturæ sit, vt ait Sanctus Augustinus libro primo, de Ciuitate Dei, dicere rem fieri, quando manifestatur, pro tanto dicit Hugo, quod potestas spiritualis Regiam instituit, non quidem*

ipsam

ipsam efficiendo vt sit, cum sit à Deo, & populo, consentiente, & eligente: sed quia in vngẽdo ipsum instituit, & affectum manifestat, non ita tamen, vt de necessitate potestatis Secularis sit, quod inungatur cum aliæ gentes Reges habeant, qui non inunguntur. Vnde & in nouo Testamento non legimus, quod Sacerdotes inungere debeant Reges, nec etiam obseruatur in omnibus Regibus Christianis, vt patet in regibus Hispaniæ.

130 *Atque idcirco Papa non instituit Regem nisi admodum iam explicatum, sed vterque est à Deo institutus suo modo, nec Papa dirigit Regem per se, vt Rex est, sed per accidens, in quantum conuenit Regem fidelem esse, in quo instruitur à Papa de fide, & non de regimine, vnde subiicitur Papæ in iis, in quibus subiicit eum potestas suprema, scilicet in spiritualibus tantum.* Ita Parisiensis. Ex quo apparet verba Hugonis sententiæ Cardinalis Bellarmini nequaquam patrocinari, & propterea neque ipsum Cardinalem Bellarminum (quod superius a etiam prænotauimus) sententias auctorum pro potestate Pontificis temporali adeo fideliter recensuisse, prout quæstionis cõtrouersæ magnitudo ingẽs in re tam graui errandi periculum, & debitum ex Christi lege tam erga Regem, quam erga Pontificem obsequium postulare videntur. a Nu. 34.

131 Atque hæc de tribus sententiis à Cardinale Bellarmino relatis, & de statu præsentis controuersiæ dicta sufficiant. Iam ad argumenta ipsius dissoluenda aggrediamur.

Postquam itaque Card. Bel. tres Auctorum sententias circa potestatem Pontif. temporalẽ, vt vidimus, adduxerat, primamque sententiam confutauerat, atque ostenderat Papam nec esse Dominum totius mundi, aut vniuersi orbis Christiani, neque habere iure diuino vllam Iurisdictionem mere temporalem, tandem in principio capitis sexti suam sententiam proponit, & asserit, Pontificem, vt Pontificem, & si non habeat vllam mere temporalem potestatem, habere tamen in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum.

Ad quam propositionem comprobandam prius quam aggrediatur, duas affert similitudines ad rem magis declarandam.

132 *Prima est, qua potestas ciuilis, & Ecclesiastica assimilantur arti frænofactoriæ, & equestri, ac similibus. Vt enim duæ illæ artes sunt inter se distinctæ, quia diuersa habent obiecta, & subiecta, & actiones, & tamen quia finis vnius ordinatur ad finem alterius, ideo vna alteri præest, & leges ei præscribit: ita videntur potestas Ecclesiastica & politica distinctæ potestates esse, & tamen vna alteri subordinata, quia finis vnius ad finem alterius natura sua refertur.*

133 Sed hanc similitudinem non approbat Cardinalis Bellarminus vt omnimode conuenientem. *Nam in illis*, inquit, *artibus inferior est solum propter superiorem, adeo vt ablata superiore tollatur continuo etiam inferior. Si enim non sit ars equestris, certe superuacanea est ars frænorum faciẽdorum: At potestas politica non est solum propter Ecclesiasticã. Nam etiãsi Ecclesiastica non esset, adhuc politica esset, vt patet in infidelibus, vbi est vera potestas temporalis, & politica, & tamen sine ordine ad aliquam veram potestatem Ecclesiasticam & spiritualem.*

134 *Est igitur*, inquit, *alia similitudo longe aptior in nobis ipsis, quã hoc ipsum explicat Gregorius Nazianzenus in oratione ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem, & post eum Hugo de sancto Victore libro secundo, de Sacramentis parte secunda, cap. quarto. Thomas VValdensis libro secundo, de doctrina fidei, cap. 78. Ioannes Driedo libro secundo, de libertate Christiana cap. secundo, Victoria, & Sotus locis citatis. Vt enim se habent in homine spiritus & caro, ita se habent in Ecclesia duæ illæ potestates. Nam caro, & spiritus sunt quasi duæ Respublicæ, quæ & separatæ & coniunctæ inueniri possunt. Habet caro sensum & appetitum, quibus respondent actus, & obiecta proportionata, & quorum omnium finis immediatus est sanitas, & bona constitutio corporis. Habet spiritus intellectum, & voluntatem, & actus atque obiecta proportionata, & pro fine animæ sanitatem, & perfectionem. Inuenitur caro sine spiritu in brutis, inuenitur spiritus sine carne in Angelis.*

135 *Ex quo apparet neutrum esse præcise propter alterum. Inuenitur etiam caro adiuncta spiritui in homine, vbi quia vnam personam faciunt, necessario habent subordinationem, & connexionem. Caro enim subest, spiritus præest, & licet spiritus non se misceat actionibus carnis, sed sinit eam exercere omnes suas actiones, vt in brutis exercet, tamen quando eæ officiunt fini ipsius spiritus, spiritus carni imperat, eámque castigat, & si opus est, indicit ieiunia, aliasque afflictiones etiam cum detrimento aliquo, & debilitatione ipsius corporis, & cogit linguam ne loquatur, oculos ne videant, &c. Pari ratione si ad finem spiritus obtinẽdum necessaria sit aliqua carnis operatio, & ipsa etiam mors, spiritus imperare potest carni, vt se ac sua exponat, vt in Martyribus videmus.*

136 *Ita prorsus politica potestas habet suos Principes, leges, iudicia, &c. & similiter Ecclesiastica suos Episcopos, Canones, Iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista salutem æternam. Inueniuntur quandoque separatæ, vt olim tempore Apostolorum: quãdoq; cõiunctæ, vt nunc. Quando autem sunt cõiunctæ, vnũ corpus efficiunt, ideoque debent esse cõnexæ, & inferior superiori subiecta & subordinata. Itaque spiritualis non se miscet temporalibus negotiis, sed sinit omnia procedere, sicut antequam essent coniunctæ, dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest, & debet coercere temporalem omni ratione, & via, quæ ad id necessaria esse videbitur.*

137 Hæc est similitudo illa, quæ Cardinali Bellarmino maxime arridet, tanquam valde idonea ad eius sententiam corroborandam. Et propterea, quotiescunque occasio commoda sese offert, eam in cæteris suis libris inculcare non prætermittit. Et certe primo aspectu videtur esse simi-

militudo satis pulchra, & propositio illius aptissime deseruiens, veruntamen non tam apta, cuius instituto accommodata reperietur, si paulo diligentius introspiciatur, & duo potissimum circa eam obseruentur.

Primum est, potestatem politicam ex se & natura sua non habere pro suo fine potestatem Ecclesiasticam, neque illi per se subiici, seu subordinari ex doctrina ipsius Cardinalis Bellarmini iam tradita: quia *in infidelibus est vera potestas politica absque ordine ad aliquam veram potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem.* Ideoque quod istæ duæ potestates simul sint coniunctæ, vel separatæ, cum vna ex se alteram non respiciat, est omnino per accidens vtrique potestati.

138 Secundum est, potestatem politicam & Ecclesiasticam quoad aliquid recte comparari carni & spiritui, quoad alia minime. *Neque enim* (vt sæpius docet Cardin. Bellarminus) [k] *quæ vt similia afferuntur, in omnibus similia esse debent, sed tantum in eo, in quo est vis argumenti ex illa similitudine ducti*: in quo assignando, quia plurimum peccari inter disputandum visitur, propterea non minus vere quam vulgare dici solet *argumentum à simili claudicare vno pede.* Quin & ipsemet Cardinalis Bellarminus alio in loco hanc eandem similitudinem inter corpus naturale, & corpus mysticum Ecclesiæ non probat, & ne propter eam concedere cogatur Ecclesiam esse supra Pontificem, & illo principaliorem, sicut corpus naturale est principalius qualibet sua parte, libere fatetur, [l] *aliud esse ferendum iudicium de corpore Ecclesiæ*, quod iuxta eius doctrinam ex potestate Ecclesiastica, & politica constituitur *& aliud de corporibus naturalibus*, quæ ex materia, & forma, sicut homo ex carne & spiritu, componuntur.

k Lib. 3. de Eucharistiæ Sacram. c. 6 & lib. 2. de Sacram. Matrimonii cap. 16.
l Lib. 2. de Conciliis, c. 19. ad 2.

139 Conueniunt igitur in hoc, quod sicut spiritus est perfectior, & nobilior ipsa carne, ita potestas Ecclesiastica, cui vniuersi fideles, qua Christiani, subduntur, quia spiritualis est, perfectior, & nobilior est politica seu temporali, cui omnes Christiani, etiam Clerici, *quatenus Republicæ politicæ sunt ciues, & partes quædam*, subiiciuntur, vt superius [m] ex principiis Cardinal. Bellarmini ostendimus. Et in hoc potissimum consistere similitudinem illam voluit Gregorius Nazianzenus, vt ex verbis ipsius manifeste colligi potest. Nam loquens ad Præsides, hoc solum ait: *Nam vos quoque potestati meæ, meisque subsellijs lex Christi subiicit. Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius, nisi vero æquum est spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.* Ex quibus verbis hoc solum deduci potest, potestatem spiritualem nobiliorem esse temporali, & Christianos omnes etiam Principes seculares qua Christi sunt oues, pastoribus Ecclesiasticis in rebus spiritualibus subiectos esse, de qua re inter Catholicos nulla plane controuersia existit.

m Num. 60. & seq.

140 Differunt tamen maxime, quia caro se habet vt materia, spiritus vt forma, & propterea vnum quid essentiale, vnamque personam constituunt: & hæc est causa, quare caro sit propter spiritum, illique per se subiiciatur, sicut materia ex sua natura est propter formam, à qua perficitur. At vero potestas politica non se habet vt materia respectu Ecclesiasticæ, neque vna per se aliam respicit, vt supra [n] docuit Cardinalis Bellarminus, & consequenter neque per se subordinantur, aut vnum corpus conficiunt, sed solum per accidens, & quodammodo subiectiue coniunguntur, partim, sicut duo regna, Angliæ, exempli causa, & Scotiæ vniuntur in serenissimo Rege nostro Iacobo, cui vtraque subsunt, ita enim potestas Ecclesiastica, & politica in Summo Pontifice reipsa coniunguntur, quibus tamen accidentarium est ita coniungi; partim quia inter Christianos vtraque potestas simul (licet in diuersis personis) coniuncta reperitur; sed vna prorsus distincta ab alia, ita vt quilibet Christianus, qui in spiritualibus & temporalibus Superiorem recognoscit, vtrique potestati simul subiiciatur. Propter huiusmodi tamen vnionem non recte infertur (vt superius [o] ostendimus) potestatem Ecclesiasticam, & politicam vnum corpus, seu Rempublicam constituere, vt perperam hoc etiam in loco affirmat Cardinalis Bellarminus, sed potius apud eosdem Christianos duo distincta regna, Christi scilicet, & mundi simul reperiri, quæ diuersas leges, diuersa iudicia, diuersos fines, diuersos Principes habeant.

n Num. 133.
o Num. 89. & seq.

141 Atq; hinc patet, prædictam similitudinem non esse proposito Cardinalis Bellarmini adeo congruentem, cum neque inde probari queat, potestatem ciuilem, & Ecclesiasticam constituere vnam Rempublicam, quod præcipuum fere fundamentum est potestatis Pontificiæ in temporalibus, neque si comparatio apta esset, recte ex ea colligeretur, posse Principes politicos per potestatem spiritualem suis regnis priuari, aut quando potestas temporalis obest fini spirituali, posse spiritualem potestatem omni ratione, ac via, sed certa tantum à Christo præfixa temporalem potestatem coercere. Sicut enim spiritus carni præcipere potest, vt omnes suas affectiones inordinatas, quæ pene innumeræ sunt, iuxta rationis normam repellat, non tamen ipsam carnem rebellem, & sua desideria perficientem omni pœnarum genere castigare poterit, ita etiam potestas spiritualis imperandi temporali, quando fini spirituali, seu animæ saluti obest, est quidem pene illimitata, sicut infinita fere sunt peccatorum genera, potestas tamen coercendi, seu pœna afficiendi temporalem potestatem sibi in iis, quæ ad animæ salutem spectant, contradicentem, est ad certum terminum, extra quem egredi non licet, à Christo definita.

142 Vnde

142 Vnde ex hac similitudine potius impugnari posset, quam confirmari eius sententia: si quis ita argumentaretur: *Sicut se habet spiritus ad corpus naturale, ita potestas Ecclesiastica ad ciuilem*, vt supponit Cardin. Bellarminus, *sed spiritus ob nullum delictum habet potestatem corpori suo naturali caput amputandi, & aliud loco eius substituendi, ergo neque potestas Ecclesiastica habet auctoritatem corpori politico caput suum, nempe Principem adimendi, & alium vice eius surrogandi.* Vides igitur quam aptam similitudinem attulit Card. Bellarminus ad suam sententiam oppugnandam potius, quam corroborandam.

Hac similitudine declarata probat Cardin. Bellarmin. in capite septimo suam sententiam quinque rationibus, & in capite octauo duodecim exemplis.

143 Prima ratio est eiusmodi.

Potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, quando vtraque pars est eiusdem Reipublicæ Christianæ, ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale. Omnis enim Superior imperare potest inferiori suo. Quod autem potestas politica non solum vt Christiana, sed etiam vt politica sit subiecta Ecclesiasticæ, vt talis est: Primo demonstratur ex finibus vtriusque. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali, vt patet: quia fœlicitas temporalis non est absolute vltimus finis, & ideo referri debet in fœlicitatem æternam. Constat autem ex Arist. lib. 1. Eth. cap. 1. ita subordinari facultates, vt subordinantur fines.

Prima demonstratio antecedentis.

144 *Secundo, Reges, & Pontifices, Clerici & Laici nō faciunt duas Respublicas, sed vnam, id est, vnam Ecclesiam Rom. 12. & 1. Cor. 12 at in omni corpore membra sunt connexa, & dependentia vnum ab altero; non autem recte asseritur spiritualia pendere à temporalibus; ergo temporalia à spiritualibus pendent, illisque subijciuntur.*

Secunda demonstratio antecedentis.

145 *Tertio, si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi etiam cum detrimento temporalis boni, ergo signum est subiectam esse temporalem potestatem spirituali.*

Tertia demonstratio antecedentis.

146 *Neque satisfaceret, qui responderet, teneri Principem illum ad mutandam rationem suæ administrationis non propter subordinationem ad spiritualem potestatem, sed solum propter ordinem Charitatis, quo tenemur anteponere maiora bona minoribus. Nam propter ordinem Charitatis non tenetur vna Respublica pati detrimentum, ne simile detrimentum patiatur alia Respublica nobilior. Et vnus priuatus, qui tenetur dare omnia sua bona pro conseruatione suæ Reipublicæ, non tenetur tamen similiter facere propter rempub. alienam quamuis nobiliorem. Cum ergo teneatur Respublica temporalis pati detrimentum propter spiritualem, signum est, eas non esse duas diuersas, sed vnius & eiusdem partes, & vnam alteri subiectam.*

147 *Neque etiam valet, si quis dicat Principem tēporalē teneri pati detrimentum pro bono spirituali non propter subiectionem ad Rempubl. spiritualem, sed quia alioqui noceret suis subditis, quibus malum est amittere spiritualia pro temporalibus. Nam etiamsi non subditi, sed homines alterius regni patiantur notabile damnum in spiritualibus propter administrationem temporalis alicuius Regis Christiani, tenetur ille mutare suum modum administrandi; cuius rei nulla alia ratio reddi potest, nisi quia sunt eiusdem corporis membra, & vnum alteri subiectum.*

148 Hæc est prima ratio Card. Bellarmini, quæ tota, vt ex dicendis constabit, est debilissima, cum supponat potestatem Ecclesiasticam & ciuilem vnam tantum Rempub. saltem apud Christianos constituere, quod tamen superius ex ipsius principiis ostendimus esse veritati dissentaneum. Et propterea non oporteret sigillatim respondere ad tria illa membra, quibus demonstrare nititur, potestatem politicam, non solum vt Christianam, sed etiam vt politicam, subiectam esse Ecclesiasticæ, vt Ecclesiastica est, cum ex eadem non satis probata hypothesi procedant, & ex supradictis facillime solui possint.

p Num. 85 & seq.

149 Sed ne forte quis existimet, prædictam Card. Bellarmini argumentationem non esse sufficienter refutatam, & quoniam ipse in eo multum insistit vt demonstret, potestatem politicam, non solum vt Christianam, sed etiam vt politicam, subiectam esse Ecclesiasticæ, vt Ecclesiastica est; quæ propositio bifariam intelligi potest, & in quocunque sensu accipiatur, tum falsa est, tum Card. Bellarmini principiis repugnat, propterea totam hanc eius rationem paulo diligentius discutiemus.

150 Et primum, propositio hæc, *Potestas politica non solum vt Christiana, sed etiam vt politica est subiecta Ecclesiasticæ vt talis est*, vel sic intelligi potest, quod potestas politica, non solum apud Christianos, sed etiam præcise, & secundum se considerata potestati Ecclesiasticæ, vt Ecclesiastica est, subdita sit, atque ita tum falsa est, tum aperte repugnat doctrinæ ipsius Card. Bellar. qui superius q docuerat, potestatem politicam secundum se, & ex natura sua non dicere ordinem ad potestatem Ecclesiasticam, *vt patet in infidelibus, vbi est vera potestas politica sine ordine ad aliquam veram potestatem Ecclesiasticam*: attamen prima, & tertia demonstratio antecedentis aperte hunc sensum confirmare videntur.

q Num. 124.

151 Vel secundo ita intelligi potest prædicta propositio, quod potestas politica non præcise, & secundum se considerata, sed solum apud Christianos sit per se subiecta Ecclesiasticæ (nam vtramque potestatem sibi inuicem per accidens subiici posse, ex supradictis satis constat, & ex dicendis magis manifestum erit) & hic sensus, tametsi à Cardin.

militudo satis pulchra, & propositio illius aptissime deseruiens, veruntamen non tam apta, cum ipsius instituto accommodata reperietur, si paulo diligentius introspiciatur, & duo potissimum circa eam obseruentur.

Primum est, potestatem politicam ex se & natura sua non habere pro suo fine potestatem Ecclesiasticam, neque illi per se subiici, seu subordinari ex doctrina ipsius Cardinalis Bellarmini iam tradita: quia *in infidelibus est vera potestas politica absque ordine ad aliquam veram potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem.* Ideoque quod istæ duæ potestates simul sint coniunctæ, vel separatæ, cum vna ex se alteram non respiciat, est omnino per accidens vtrique potestati.

138 Secundum est, potestatem politicam & Ecclesiasticam quoad aliquid recte comparari carni & spiritui, quoad alia minime. *Neque enim* (vt sæpius docet Cardin. Bellarminus)[k] *quæ vt similia afferuntur, in omnibus similia esse debent, sed tantum in eo, in quo est vis argumenti ex illa similitudine ducti*: in quo assignando, quia plurimum peccari inter disputandum vsuuenit, propterea non minus vere quam vulgate dici solet *argumentum à simili claudicare vno pede.* Quin & ipsemet Cardinalis Bellarminus alio in loco hanc eandem similitudinem inter corpus naturale, & corpus mysticum Ecclesiæ non probat, & ne propter eam concedere cogatur Ecclesiam esse supra Pontificem, & illo principaliorem, sicut corpus naturale est principalius qualibet sua parte, libere fatetur,[l] *aliud esse ferendum iudicium de corpore Ecclesiæ*, quod iuxta eius doctrinam ex potestate Ecclesiastica, & politica constituitur *& aliud de corporibus naturalibus*, quæ ex materia, & forma, sicut homo ex carne & spiritu, componuntur.

139 Conueniunt igitur in hoc, quod sicut spiritus est perfectior, & nobilior ipsa carne, ita potestas Ecclesiastica, cui vniuersi fideles, qua Christiani, subduntur, quia spiritualis est, perfectior, & nobilior est politica seu temporali, qui omnes Christiani, etiam Clerici, *quatenus Republica politica sunt ciues, & partes quædam*, subiiciuntur, vt superius[m] ex principiis Cardinal. Bellarmini ostendimus. Et in hoc potissimum consistere similitudinem illam voluit Gregorius Nazianzenus, vt ex verbis ipsius manifeste colligi potest. Nam loquens ad Præsides, hoc solum ait; *Nam vos quoque potestati meæ, meisque subsellijs lex Christi subiicit. Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius, nisi vero æquum est spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.* Ex quibus verbis hoc solum deduci potest, potestatem spiritualem nobiliorem esse temporali, & Christianos omnes etiam Principes seculares qua Christi sunt oues, pastoribus Ecclesiasticis in rebus spiritualibus subiectos esse, de qua re inter Catholicos nulla plane controuersia existit.

140 Differunt tamen maxime, quia caro se habet vt materia, spiritus vt forma, & propterea vnum quid essentiale, vnamque personam constituunt: & hæc est causa, quare caro sit propter spiritum, illique per se subiiciatur, sicut materia ex sua natura est propter formam, à qua perficitur. At vero potestas politica non se habet vt materia respectu Ecclesiasticæ, neque vna per se aliam respicit, vt supra[n] docuit Cardinalis Bellarminus, & consequenter neque per se subordinantur, aut vnum corpus conficiunt, sed solum per accidens, & quodammodo subiectiue coniunguntur, partim, sicut duo regna, Angliæ, exempli causa, & Scotiæ vniuntur in serenissimo Rege nostro Iacobo, cui vtraque subiunt, ita enim potestas Ecclesiastica, & politica in Summo Pontifice reipsa coniunguntur, quibus tamen accidentarium est ita coniungi; partim quia inter Christianos vtraque potestas simul (licet in diuersis personis) coniuncta reperitur; sed vna prorsus distincta ab alia, ita vt quilibet Christianus, qui in spiritualibus & temporalibus Superiorem recognoscit, vtrique potestati simul subiiciatur. Propter huiusmodi tamen vnionem non recte infertur (vt superius[o] ostendimus) potestatem Ecclesiasticam, & politicam vnum corpus, seu Rempublicam constituere, vt perperam hoc etiam in loco affirmat Cardinalis Bellarminus, sed potius apud eosdem Christianos duo distincta regna, Christi scilicet & mundi simul reperiri, quæ diuersas leges, diuersa iudicia, diuersos fines, diuersos Principes habeant.

141 Atq; hinc patet, prædictam similitudinem non esse proposito Cardinalis Bellarmini adeo congruentem, cum neque inde probari queat, potestatem ciuilem, & Ecclesiasticam constituere vnam Rempublicam, quod præcipuum fere fundamentum est potestatis Pontificiæ in temporalibus, neque si comparatio apta esset, recte ex ea colligeretur, posse Principes politicos per potestatem spiritualem suis regnis priuari, aut quando potestas temporalis obest fini spirituali, posse spiritualem potestatem omni ratione, ac via, sed certa tantum à Christo præfixa temporalem potestatem coercere. Sicut enim spiritus carni præcipere potest, vt omnes suas affectiones inordinatas, quæ pene innumeræ sunt, iuxta rationis normam repellat, non tamen ipsam carnem rebellem, & sua desideria perficientem omni pœnarum genere castigare poterit, ita etiam potestas spiritualis imperandi temporali, quando fini spirituali, seu animæ saluti obest, est quidem pene illimitata, sicut infinita fere sunt peccatorum genera, potestas tamen coercendi, seu pœna afficiendi temporalem potestatem sibi in iis, quæ ad animæ salutem spectant, contradicentem, est ad certum terminum, extra quem egredi non licet, à Christo definita.

142 Vnde

[k] Lib. 2. de Eucharistia Sacram. c. 6. & lib. 2. de Sacram. Matrimonii cap. 16.
[l] Lib. 2. de Conciliis, c. 19. ad 2.
[m] Num. 67. & seq.
[n] Num. 133.
[o] Num. 69. & seq.

142 Vnde ex hac similitudine potius impugnari posset, quam confirmari eius sententia, si quis ita argumentaretur: *Sicut se habet spiritus ad corpus naturale, ita potestas Ecclesiastica ad ciuilem*, vt supponit Cardin. Bellarminus, *sed spiritus ob nullum delictum habet potestatem corpori suo naturali caput amputandi, & aliud loco eius substituendi, ergo neque potestas Ecclesiastica habet auctoritatem corpori politico caput suum, nempe Principem adimendi, & alium vice eius surrogandi.* Vides igitur quam aptam similitudinem attulit Card. Bellarminus ad suam sententiam oppugnandam potius, quam corroborandam.

Hac similitudine declarata probat Cardin. Bellarmin. in capite septimo suam sententiam quinque rationibus, & in capite octauo duodecim exemplis.

143 Prima ratio est eiusmodi.

Potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, quando vtraque pars est eiusdem Reipublicæ Christianæ, ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale. Omnis enim Superior imperare potest inferiori suo. Quod autem potestas politica non solum vt Christiana, sed etiam vt politica sit subiecta Ecclesiasticæ, vt talis est: Primo demonstratur ex finibus vtriusque. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali, vt patet: quia fœlicitas temporalis non est absolute vltimus finis, & ideo referri debet in fœlicitatem æternam. Constat autem ex Arist. lib. 1. Eth. cap. 1. ita subordinari facultates, vt subordinantur fines. Prima demonstratio antecedentis.

144 Secundo, Reges, & Pontifices, Clerici & Laici nō faciunt duas Respublicas, sed vnam, id est, vnam Ecclesiam Rom. 12 & 1. Cor. 12 at in omni corpore membra sunt connexa, & dependentia vnum ab altero, non autem recte asseritur spiritualia pendere à temporalibus; ergo temporalia à spiritualibus pendent, illisque subiiciuntur. Secunda demonstratio antecedentis.

145 Tertio, si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi etiam cum detrimento temporalis boni, ergo signum est subiectam esse temporalem potestatem spirituali. Tertia demonstratio antecedentis.

146 Neque satisfaceret, qui responderet, teneri Principem illum ad mutandam rationem suæ administrationis non propter subordinationem ad spiritualem potestatem, sed solum propter ordinem Charitatis, quo tenemur anteponere maiora bona minoribus. Nam propter ordinem Charitatis non tenetur vna Respublica pati detrimentum, ne simile detrimentum patiatur alia Respublica nobilior. Et vnus priuatus, qui tenetur dare omnia sua bona pro conseruatione suæ Reipublicæ, non tenetur tamen similiter facere propter rempub. alienam quantumuis nobiliorem. Cum ergo teneatur Respublica temporalis pati detrimentum propter spiritualem, signum est, eas non esse duas diuersas, sed vnius & eiusdem partes, & vnam alteri subiectam.

147 Neque etiam valet, si quis dicat Principem tēporalē teneri pati detrimentum pro bono spirituali non propter subiectionem ad Rempubl. spiritualem, sed quia alioqui noceret suis subditis, quibus malum est amittere spiritualia pro temporalibus. Nam etiamsi non subditi, sed homines alterius regni patiantur notabile damnum in spiritualibus propter administrationem temporalis alicuius Regis Christiani, tenetur ille mutare suum modum administrandi, cuius rei nulla alia ratio reddi potest, nisi quia sunt eiusdem corporis membra, & vnum alteri subiectum.

148 Hæc est prima ratio Card. Bellarmini, quæ tota, vt ex dicendis constabit, est debilissima, cum supponat potestatem Ecclesiasticam & ciuilem vnam tantum Rempub. saltem apud Christianos constituere, quod tamen superius ex ipsius principiis ostendimus esse veritati dissentaneum. p Nu. 89 & seq. Et propterea non opus esset sigillatim respondere ad tria illa membra, quibus demonstrare nititur, potestatem politicam, non solum vt Christianam, sed etiam vt politicam, subiectam esse Ecclesiasticæ, vt Ecclesiastica est, cum ex eadem non satis probata hypothesi procedant, & ex supradictis facillime solui possint.

149 Sed ne forte quis existimet, prædictam Card. Bellarmini argumentationem non esse sufficienter refutatam, & quoniam ipse in eo multum insistit vt demonstret, potestatem politicam, non solum vt Christianam, sed etiam vt politicam, subiectam esse Ecclesiasticæ, vt Ecclesiastica est; quæ propositio bifariam intelligi potest, & in quocunque sensu accipiatur, tum falsa est, tum Card. Bellarmini principiis repugnat, propterea totam hanc eius rationem paulo diligentius discutiemus.

150 Et primum, propositio hæc, *Potestas politica non solum vt Christiana, sed etiam vt politica, est subiecta Ecclesiasticæ vt talis est*, vel sic intelligi potest, quod potestas politica, non solum apud Christianos, sed etiam præcise, & secundum se considerata potestati Ecclesiasticæ, vt Ecclesiastica est, subdita sit, atque ita tum falsa est, tum aperte repugnat doctrinæ ipsius Card. Bellar. qua superius q docuerat, potestatem politicam secundum se, & ex natura sua non dicere ordinem ad potestatem Ecclesiasticam, *vt patet in infidelibus, vbi est vera potestas politica sine ordine ad aliquam veram potestatem Ecclesiasticam*: attamen prima, & tertia demonstratio antecedentis aperte hunc sensum confirmare videntur. q Nu. 119.

151 Vel secundo ita intelligi potest prædicta propositio, quod potestas politica non præcise, & secundum se considerata, sed solum apud Christianos sit per se subiecta Ecclesiasticæ (nam vtramque potestatem sibi inuicem per accidens subiici posse, ex supradictis satis constat; & ex dicendis magis manifestum erit) & hic sensus, tametsi à Cardin.

Bellarmino in propositione antecedente expresse intenditur, illumque in secunda eius demonstratione comprobare conetur, est etiam falsus, neque principiis ipsius consentaneus, vt superius [z] ostendimus, & statim etiam repetemus.

z Nu 83. & seq.

152 *Ad propositionem igitur antecedentem respondetur*, potestatem ciuilem, & Ecclesiasticam non esse partes eiusdem Reipublicæ, sed apud Christianos accidentaliter, & quodammodo subiectiue coniungi ad modum superius [a] explicatum, ratione cuius coniunctionis potestas ciuilis subiecta est per accidens potestati spirituali in rebus tantum spiritualibus, & non in temporalibus, nisi quando temporalia ratione peccati annexi, quod est spirituale, naturam spiritualium induunt. Veruntamen potestas ciuilis non subiicitur, & subordinatur per se potestati Ecclesiasticæ. Ea enim ars, scientia, aut facultas dicitur per se subiici seu subalternari alteri, quæ essentialiter, seu necessario ex natura rei pendet ab alio in esse artis, scientiæ, aut facultatis, vt constat ex Metaphysica; at clarum est, potestatem ciuilem in esse potestatis ciuilis non necessario dependere à potestate Ecclesiastica, cum in infidelibus perfecta ratio potestatis ciuilis conseruetur absque vlla subordinatione ad potestatem Ecclesiasticam, vt sæpius diximus ex Cardin. Bellarmino.

a Nu. 140.

153 Similiter potestas Ecclesiastica subiecta est ciuili per accidens in rebus tantum temporalibus, & non in spiritualibus, nisi in casu, quo spiritualia in perniciem Reipublicæ temporalis & finis illius male administrata ratione iniuriæ temporalis, quæ Reipublicæ politicæ infertur, naturam temporalium sortiuntur. Per se tamen neutra potestas alteri subiicitur, aut ab altera dependet in esse suæ potestatis, sed vtraque potestas habet suos Principes supremos, & absolutos, qui nullum Superiorem Iudicem recognoscunt in iis causis, & negotiis, quæ vnicuiq; Reipublicæ sunt propria.

154 Si tamen contingat potestatem ciuilem abuti temporalibus in damnum Reipublicæ spiritualis, & finis illius, qui est animarum salus, per accidens subiicitur potestati spirituali, cui commissa est cura spiritualium, & consequenter potestatem Iurisdictionis habet super omnes actiones externas, quæ finem spiritualem iniuste impediunt. Et pari ratione si contingat potestatem spiritualem male vti spiritualibus in perniciem Reipublicæ temporalis, & finis illius, qui est pax temporalis, per accidens subditur potestati politicæ, cui cura temporalium incumbit, & consequenter potestatem habet super vniuersas actiones externas, quæ pacem temporalem iniuriose perturbant.

* Nu. 60.

155 Hæc autem, quæ diximus, intelligenda sunt, vt alias * monuimus, iuxta ipsas potestatis Ecclesiasticę & politicę naturas, abstrahendo ab Ecclesiasticis legibus, & Principũ priuilegiis, quæ personas Ecclesiasticas deuotionis ergo, & vt maior illis exhiberetur reuerentia, à tribunalibus Magistratuum Secularium exemerunt.

156 Atque hinc colligi potest, ipsam etiam Euangelii prædicationem (quod idem de similibus actionibus spiritualibus intelligendum est) quatenus fit modo illicito, inique perturbando pacem publicam, aut per Prædicatores Statui politico, cui prædicare mittuntur, alioquin inimicos, potestati politicæ subiici posse. Quo fit, vt si Papa aliquas personas mitteret ad prędicandum Christi Euangelium in Regno alicuius Principis infidelis, quas Princeps ille argumentis vere rationalibus ductus arbitraretur fore statui suo politico inimicas, non teneretur tales Prædicatores admittere, sed posset tum eas sub pœna capitis è Regno suo excludere, tum subditis sub eadem pœna interdicere, ne eas hospitio excipiant, & si post debitam Principis admonitionem discedere nollent, extremo supplicio eas afficere licite posset.

157 Nec propterea tales Prædicatores, qui ob eiusmodi inordinatam Euangelii prædicationem pœna mortis mulctarentur, essent à Christianis Martyres iudicandi, quoniam Princeps infidelis solum teneretur tales Prædicatores tolerare, quos ipse rationibus vere probabilibus persuasus iudicaret, non fore statui suo politico inimicos, aut sibi in licita temporalium administratione vere aduersarios. Neq; enim quęlibet Euangelii prædicatio licita est, sed ea solum quæ ex nulla praua circumstantia redditur vitiosa.

158 Immo posset Princeps ille infidelis cogere Summum Pontificem intra limites potestatis politicæ, ne tales Prædicatores in suum Regnum mittat, quos Princeps matura, ac probabili habita deliberatione existimaret fore statui suo politico turbulentos, & seditiones in Republica excitaturos. Cum enim talium Prædicatorum missio sit Reipublicæ politicę, eiusque Principi iniuriosa, potest Princeps ille Summum Pontificem admonere, vt tales Prædicatores tumultuosos è regno suo euocet, & ne vlterius mittat eos, quos Princeps rationabiliter indicat Reipublicæ suæ quietem aliis machinationibus illicitis, quam ex pura prædicatione Euangelica perturbaturos. Et si Pontifex debite admonitus, à talibus seditiosis Prædicatoribus mittendis non desistat; potest Princeps eum vi repellere, & iniuriam sibi allatam armis propulsare, cum quilibet ex lege naturæ ius habeat ad se à quibuscunque, etiam Summi Pontificis, iniustis aggressionibus cum inculpatæ tutelæ moderamine defendendum.

159 *Ad Consequentiam Respondetur*, eam non recte inferri ex antecedente, cum in illa duæ propositiones confundantur, quarum vna vera est, & ex antecedente sequitur, altera vero

falsa,

falsa, & nullo modo ex antecedente deduci potest. Concedimus enim posse Principem spiritualem imperare Principibus temporalibus in ordine ad bonum spirituale eo modo, quo diximus [t], non tamen propterea posse in ordine ad bonum spirituale disponere de temporalibus in eo sensu, quo verbum *disponere* à Cardinale Bellarmino vsurpatur, cum disponere, & imperare vt alter disponat, sint valde distincta, nec primum ex secundo sequatur, vt superius [v] annotauimus. Atque idcirco argumentum Cardinal. Bellarmini fallax est, cum in eadem argumentatione terminos mutet, & ab imperare ad disponere transitum faciat. t Nu. 89. & seq. v Nu. 95. & seq.

160 Illa vero propositio, *Omnis superior imperare potest inferiori suo*, si sermo sit de illo, qui non dignitate tantum, sed auctoritate etiam est superior, verissima est in sensu formali, id est, in illis tantum rebus, in quibus est Superior. Et propterea, cum potestas Ecclesiastica in rebus tantum spiritualibus, vel quæ ad spiritualia reuocantur, superior sit potestate ciuili, in illis tantum potestati politicæ imperare potest. Et pari ratione, cum potestas ciuilis in rebus solum politicis, vel quæ ad politica reducuntur, superior sit potestate Ecclesiastica, propterea in illis tantum potestati Ecclesiasticæ imperare potest. Veruntamen sicut potestas politica, tametsi imperare possit Ecclesiasticæ in rebus politicis, & in spiritualibus in ordine ad politica, vt supra [a] diximus, non tamen proinde de spiritualibus in ordine ad temporalia disponere potest, quia imperare vt quis disponat, & disponere multum differunt; ita potestas Ecclesiastica, licet imperare possit politicæ in rebus spiritualibus, & in temporalibus in ordine ad spiritualia, de rebus tamen temporalibus etiam in ordine ad spiritualia disponere nequaquam valet. a Nu. 92. & seq.

162 *Ad primam demonstrationem antecedentis Respondetur*, Non omnem finem temporalem subordinari fini spirituali per se, & ex natura sua, sed tantum per accidens, quatenus ab homine, qui agit propter finem, ad finem spiritualem ordinatur. Et quamuis concederemus temporalia esse per se ordinata ad spiritualia, sicut fræna ex se sunt propter equos, non tamen inde sequitur, vt recte aduertit Ioan. Parisiensis [y], quod si Papa haberet dominium super finem, id est spiritualia, haberet etiam in temporalibus, quæ ad spiritualia, vt ad finem ordinantur; sicut neque bona est deductio, *Iste est Dominus omnium equorum: ergo & omnium frenorum, quæ sunt propter equos.* y De potest. Regia & Papali cap. 10 ad 32.

163 *Ad Confirmationem dico*, fœlicitatem temporalem non esse absolute vltimum finem hominis, esse tamen vltimum finem potestatis temporalis. Quælibet enim potentia, vt potentia est, habet pro vltimo fine suum actum, sicut quælibet sciētia habet per se pro vltimo fine speculationem sui obiecti, licet ipse homo, cui talis potentia, aut scientia inhæret, vlteriorem finem respiciat. Quamobrem recte S. Augustinus ait, [z] voluntatem videndi non habere alium finem præter visionem. *Voluntas*, inquit, *videndi finem habet visionem, & voluntas, hanc rem videndi finem habet huius rei visionem. Voluntas itaque videndi cicatricem finem suum expetit, hoc est visionem cicatricis, & ad eam vltra non pertinet.* z Lib. 11. de Trinit. c. 6.

164 Quapropter sicut à Philosophis distingui solet finis vltimus scientiæ, aut operis à fine vltimo scientis, aut operantis, ita distingui debet finis ipsius potestatis, & potestatem habentis. Dicitur autem vltimus finis operis, quia in eo opus vltimo terminatur, non autem operantis, quia operans non refert omnia sua in talem finem tanquam in quid optimum, & maxime amabile.

165 Concedimus igitur finem temporalem potestatem habentis esse fœlicitatem spiritualem & æternam, ad quam Christiani singulas suas actiones, & vsum tum potestatis Ecclesiasticæ, tum ciuilis dirigere debent: sed finem vltimum, & per se ipsius potestatis politicæ dicimus esse pacem, & quietem publicam, in cuius acquisitione & conseruatione vltimo conquiescit. Ideoque propter hanc rationem non est necesse, quod potestas ciuilis per se subordinetur potestati Ecclesiasticæ, sed solum per accidens, eo modo quo diximus.

Aristoteles autem in loco à Cardin. Bellarmino relato, quando dicit, *Ita subordinari facultates, vt subordinantur fines*, loquitur de finibus per se ipsarum facultatum, & non de finibus facultates habentium.

166 *Ad secundam demonstrationem antecedentis Respondetur*, negando antecedens: Nam vt ex dictis [a] constat, Reges & Pontifices, Clerici & Laici sub diuerso respectu faciunt duas Respublicas, & non vnam solummodo. Nam quatenus referuntur ad potestatem Ecclesiasticam, & ei in spiritualibus subsunt, faciunt vnam Rempublicam, nempe Ecclesiam, id est, Regnum Christi, & corpus eius mysticum; quatenus vero potestatem ciuilem respiciunt, & illi tanquam membra capiti in temporalibus subiiciuntur, faciunt aliam Rempublicam, nempe regnum mundi, & corpus politicum, vt fusius ibidem diximus. a Nu. 73 & seq.

167 Vnum solum addendum est circa propositionem illam, quam vltimo loco assumit Cardinalis Bellarminus, nempe, *non recte asseri spiritualia pendere à temporalibus.* Nam quamuis eiusmodi propositiones, *Spiritualia non dependent à temporalibus, potestas Ecclesiastica non est subiecta Seculari*, & aliæ eius generis, veræ sint in sensu formali, & per se loquendo: Si tamen ratione abusus per accidens contingat, quod spiritualia induant naturam temporalium,

aut

aut potestas Ecclesiastica potestatis politicæ fines inuadat, non inconuenit, quin potius necessario consequitur, quod spiritualia, vt per accidens naturam temporalium sortiuntur, à temporalibus pendeant, & potestas Ecclesiastica, quatenus per accidēs potestati politicæ iniuriam infert, potestati politicæ subijciatur, vt superius [b] obseruauimus.

b Nu. 63. & seq. 89. & seq.

168 *Ad tertiam demonstrationem antecedentis respondetur*, Propositionem antecedentem esse æquiuocam: vel enim intelligi potest primo, quod temporalis administratio impediat spirituale bonum negatiue tantum, id est, impediendo duntaxat spiritualis boni progressum, & in hoc sensu propositio illa non est adeo certa omnium iudicio, sed potius à veritate prorsus aliena. Neque enim Princeps temporalis aut alius quicunque priuatus tenetur semper boni spiritualis incremento consulere cum notabili detrimento temporali, vel sui, vel alterius, nisi forsan quis velit Christianos non tantum ad præcepta, sed etiam ad consilia Euangelica obligari, quod tamen ipsi consiliorum naturæ manifesto repugnat.

169 Vel secundo intelligi potest, quod temporalis administratio impediat spirituale bonum priuatiue, id est, quod impediat spirituale aliquod bonum, quod non impedire tenebatur: & in hoc sensu concedo propositionem illam antecedentem, nego tamen consequentiam, si sermo sit de subiectione, & subordinatione per se. Nam, si temporalis administratio impedit spirituale bonum, tenetur Princeps temporalis mutare modum illum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni, non quia potestas temporalis per se subiecta est spirituali, quasi ex potestate spirituali, & temporali fiat formaliter vnum corpus politicum, sed propter vtrasque causas à Cardinale Bellarmino allatas, nec ab eo in suis replicationibus sufficienter impugnatas.

170 Prima causa est propter ordinem charitatis, quo tenemur anteponere maiora bona minoribus.

Ad replicationem autem in contrarium dico, quod licet propter ordinem charitatis non teneatur vna Respublica pati detrimentum, ne simile detrimentum patiatur alia Respublica nobilior, tamen si contingeret vtramque rempublicam eidem Principi subiectam esse, vel Principem Reipublicæ minus nobilis esse etiam subditum nobiliori, teneretur Princeps ille propter ordinem charitatis cæteris paribus anteponere Rempublicam nobiliorem minus nobili.

171 Et licet vnus priuatus, qui tenetur dare omnia sua bona pro conseruatione suæ Reipublicæ, non teneatur similiter facere propter Rempublicam alienam, quamuis nobiliorem, tamen in casu, quo idem priuatus simul esset ciuis vtriusque Reipublicæ, si teneretur dare omnia sua bona pro conseruatione Reipublicæ minus nobilis, cuius ciuis est, à fortiori propter eundem ordinem charitatis teneretur dare omnia sua bona pro conseruatione Reipublicæ nobilioris, cui etiam est subiectus. Atque ita prorsus res se habet in præsenti materia. Nam potestas Ecclesiastica, & ciuilis, & Respublicæ, quas constituunt, ita simul coniunctæ sunt, vt singuli Christiani sint ciues vtriusque & vtraque Respublica eidem Principi subiecta esse possit, vt patet in Papa, qui dominium spirituale super vniuersum orbem Christianum, & temporale super aliquas eius prouincias simul habet.

172 Secunda causa, ob quam Princeps teneretur mutare rationem suæ administrationis in casu prædicto est, quia alioquin noceret suis subditis, quibus malum est amittere maiora bona pro minoribus, nempe spiritualia pro temporalibus.

Ad Replicationem Respondeo, quod si non solum subditi, sed etiam homines alterius Regni patiantur notabile damnum in spiritualibus propter administrationem temporalis alicuius Regis Christiani, teneatur Princeps mutare suum modum administrandi, vt asserit Cardinalis Bellarminus, huius rei rationem non esse, quia potestas temporalis per se subiecta est spirituali, vt vtraque est per se pars vnius & eiusdem Reipublicæ, sed quia tam Rex, quam homines illi alterius Regni sunt membra etiam eiusdem corporis Christi mystici, & conciues eiusdem Regni spiritualis, propterea Rex ille, ne notabiliter noceat in spiritualibus Regno Christi, cuius est conciuis propter administrationem temporalem tenetur modum administrandi immutare. Atque ita satisfactum est primæ rationi.

173 *Secunda ratio* Cardinalis Bellarmini duo habet membra.

Primum est: *Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad suum finem, tales enim sunt omnes Respublicæ bene institutæ, ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum: sed necessaria est ad finem spiritualem potestas vtendi, & disponendi de temporalibus, quia alioquin possent mali Principes impune fouere hæreticos, & euertere religionem, igitur & hanc potestatem habet.*

174 Secundum membrum est: *Potest quælibet Respublica, quia perfecta, & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri Reipublicæ non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, immo etiam deponere eius Principem, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniurijs; ergo multo magis poterit spiritualis Respublica imperare temporali sibi subiectæ, & cogere ad mutandam administrationem, & deponere Principes, & alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.*

175 Et

175 *Et hoc modo intelligenda sunt verba S. Bernardi, lib. 4. de Consideratione, & Bonifacii Octaui in Extrauag. vnam Sanctam. de maioritate, & obedientia, vbi dicunt in potestate Papæ esse vtrumque gladium: volunt enim significare, Pontificem habere per se & propriè gladium spiritualem, & quia gladius temporalis subiectus est spirituali, posse Pontificem Regi imperare, aut interdicere vsum gladii temporalis, quando id requirit Ecclesiæ necessitas. Sic enim habent B. Ber. verba, quæ Bonifacius imitatus est.* Quid tu (*inquit, Papam alloquens*) denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum esse negat, non satis mihi videtur attendisse verbum domini dicentis, Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus alioquin, si nullo modo ad te pertinet & is, dicentibus Apostolis, Ecce duo gladii, hic non respondisset Dominus, Satis est, sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ & spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus est: ille Sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris.

176 Hæc est secunda ratio Card. Bellarmini, quam solam tanquam ex se potentissimam ad temporalem Pontificis potestatem euincendam, attulit P. R. antea [c] citatus; ex dictis in tamen superius [d] tradita de distinctione actuum, officiorum, ac finium potestatis politicæ, & Ecclesiasticæ, etiam iuxta Card. Bellarmini principia, facillime euertitur.

[c] Nu. 171.
[d] Num. 84. 90. & seq. & 133. & seq.

Ad primum igitur huius rationis membrum Respondetur, propositionem illam antecedentem, nempe *Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad suum finem* verissimam esse, si recte intelligatur. Sed quoniam non ita clarum est, quænam requirantur, & sufficiant ad hoc, vt Respublica Ecclesiastica dicatur perfecta, id est, cui nihil deest in suo genere; nimirum Reipublicæ spiritualis, & sit sibi sufficiens in ordine ad suum finem, qui est salus æterna animarum, si quis ex tali propositione ita vniuersaliter accepta, neque sufficienter explicata, aliquid momenti, vt puta dogma fidei stabilire contenderet, facilem errandi occasionem viris in Theologia minus versatis præberet.

177 Pro clariori itaque intelligentia huius propositionis, videlicet, *Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, atque habere debet omnem potestatem sibi sufficientem, & necessariam ad consequendum suum finem, qui est spiritualis, & salus æterna animarum.*

Obseruandum est, in illis vocabulis *potestatem sufficientem*, nonnullam latere æquiuocationem: Vel enim primo intelligi potest Ecclesiam talem habere *Potestatem sufficientem* ad consequendum suum finem, qui est animarum salus, ita vt possit actu perducere quamlibet animam ad Paradisum, & tollere omnia obstacula, quæ salutem æternam impedire queunt; quem sensum habere possunt verba illa Cardinalis Bellarmini [e] qui ait, *Summum Pontificem posse efficere totum illud, quod necessarium est ad perducendas animas in Paradisum, & posse omnia impedimenta remouere, quæ mundus, aut Dæmon cum omnibus suis viribus, & astutiis opponere possunt.*

[e] In Responsione ad tr. 8. Gersonis de Validitate Excommunicationis in vndecima consideratione.

178 Et hic sensus est aperte falsus, & optime impugnatur à Paulo Veneto, [f] tum quia Pontifex nullum habet medium sufficiens ad saluandum infantem existentem in vtero matris, quem viuum ipsa parturire non potest; (neque enim aperire licet ventrem matris, vt infans baptizetur) aut ad saluandum eum, qui in peccato mortali existens factus est insanus, nisi iterum ad mentem redeat, quod tamen efficere non est in Pontificis potestate; tum quia super internos animi motus, qui ad salutem maxime sunt necessarii, Papa nullam habet potestatem: tum etiam, quia neque essent Turcæ, neque infideles, neque hæretici, nec mali etiam Christiani absque graui Pontificis culpa; si ipse haberet potestatem efficiendi totum illud, quod necessarium est ad perducendas animas in paradisum, & ea omnia remouendi, quæ salutem æternam impediunt.

[f] In sua Apologia contra libello 17. columna secunda.

179 Vel secundo intelligi potest, *Ecclesiam habere potestatem sufficientem in ordine ad suum finem*, ex parte tantum ipsius potestatis, & non ex parte etiam eorum omnium, quæ quocunque modo necessaria sunt ad hoc, vt potestas exeat in actum. Sicut potestas, verbi gratia, illuminandi in Sole intelligi potest sufficiens, vel respectu ipsius potentiæ illuminantis, vel respectu etiam eorum, quæ quocunque modo ad illuminationem concurrunt, quæque si non adsunt, ipsam illuminationem impediunt, qualia sunt approximatio debita, subiectum capax, & bene dispositum. Et licet Sol non habeat sufficientem potestatem tollendi omnia, quæ illuminationem impedire possunt, ita enim & posset approximare sibi corpus, & facere illud diaphanum, quæ tamen non sunt in eius potestate, nihilominus quis propterea negare potest; Solem habere potestatem perfectam, & sibi sufficientem ad illuminandum?

180 Atque in hoc sensu vera est illa propositio antecedens: habet enim Respublica Christiana, seu Christi Ecclesia perfectam, & sibi sufficientem potestatem spiritualem perducendi animas ad regnum cœlorum, quantum est ex parte ipsius potestatis quæ nihilominus supponit subiectum alias aptum, & bene dispositum. Habet enim potestatem sibi à Christo traditam conferendi gratiam, qua ad regnum cœlorum peruenitur; infantibus quidem per Sacramentum Baptismi, adultis vero per alia etiam Sacramenta præsertim Pœnitentiæ, per quam Sacerdos, vt Christi Minister virtute clauium, quas à Christo accepit, absoluit à peccatis; & gratiam confert, hæc tamen potestas, vt exeat in actum, supponit dispositiones quasdam necessarias ex parte subiectorum tam in infantibus, quam in adultis, quas ponere non est semper in potestate Ecclesiæ.

181 Habet quoque Ecclesia præter hanc potestatem, quam Ordinis appellant, potestatem etiam Iurisdictionis, habet enim auctoritatem prædicandi verbum Dei, corripiendi peccatores, condendi leges & transgressores pœnis Ecclesiasticis, seu spiritualibus coercendi. Sicut enim Ecclesiæ potestas Ecclesiastica est spiritualis, & finem habet spiritualem, ita quoque media ad talem finem proportionata habere debet.

182 *Concedimus itaque* propositionem illam antecedentem in sensu explicato, sed negamus necessariam esse ad finem spiritualem potestatem vtendi, & disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum, quia hæc potestas non est proportionata illi fini, & propterea non est verisimile propter finem spiritualem talem potestatem temporalem fuisse à Christo suæ Ecclesiæ, quæ est Respublica spiritualis, communicatam.

183 Neque tamen subinde sequitur, quod perperam, sibique repugnans infert Cardinalis Bellarminus, posse alioqui malos Principes *impune* fouere hæreticos, & euertere religionem. Habet enim Ecclesia, vt diximus [g] potestatem eos coercendi, non quidem pœna temporali & ciuili, sed pœnis Ecclesiasticis & spiritualibus, nisi forsan censuræ Ecclesiasticæ, & spirituales non sint dignæ, vt inter pœnas recenseantur, cum tamen vt pœnæ acerbissimæ, & tremendissimæ ab omnibus prædicentur. Quamobrem ipsemet Cardinalis Bellarminus [h] disertis verbis affirmat, *Nullam esse pœnam grauiorem, quæ ab Ecclesia infligi potest, quam sit excommunicatio.* Et alibi [i] dicit, *Excommunicationem esse pœnam maiorem morte temporali*; Atque ad hoc citat S. Augustinum [k] asserentem, *horribilius esse tradi Sathanæ per excommunicationem, quam gladio feriri, flammis absumi, feris que subigi ad deuorandum.*

184 Quod si huiusmodi mali Principes pœnas omnes Ecclesiasticas contempserint, non habet Ecclesia amplius quod faciat; præstitit officium suum, neque auctoritatem sibi concessam excedere debet, & *propterea ipsos Dei iudicio, & castigationi eos deinceps relinquere, atq; cum corporalia nesciat arma*, vt recte dixit Ioannes Papa †, *solum Dominum & propugnatorem suum, quando ei placuerit misereri, expectare oportet.* Vnde optime Æneas Syluius [l] *Tolerandum est*, inquit, *patienter, quod Princeps facit, quamuis inique, expectandaque est vel Successoris emenda, vel superni correctio Iudicis, qui violentias, atque iniurias non sinit esse perpetuas.* Et Petrus Gregorius [m], *Quocirca* inquit, *rebellione in Principem prætextu vitiorum effugere non possunt crimen maiestatis, & Dei indignationem. Et potius relinquendi sunt male regnantes iudicio Dei, quam polluenda manus sacrilegio, & parricidio per subditum. Non caret Deus modis, quibus possit, quando voluerit, huiusmodi malos Principes tollere, vel emendare.*

185 Neque propterea periculum est, Religionem Christianam fore euertendam, vt Cardinalis Bellarminus, non satis sibi constans, haud recte deducit. Hoc etenim Christus ipse, qui Ecclesiam principaliter regit, sua virtute impediet, quamuis ob occulta sua iudicia in quibusdam prouinciis eã nonnunquã grauiter impugnari sinat, atque etiam prorsus euerti interdum permittat. In tali euentu orationibus, ieiuniis, lachrymis, eleemosynis, patientia & huiusmodi armis spiritualibus, *quæ*, vt ait Glossa [n], *propria sunt militum Christi* pugnandum est, (*aliter enim*, vt inquit S. Ambrosius, [o] *nec possumus, nec debemus resistere*) & obsecrandus est ab Ecclesia Deus, vt iram suam auertat, & corda Principum ad bonum inclinet: Neque Christus vnquam deerit in necessariis, cum ipse promiserit, [p] *nec portas inferi esse aduersus eam præualituras.*

186 Quapropter pulcherrime Cardin. Bellarminus [q] ait, *Durasse Ecclesiam à Christo huc vsque frustra eam oppugnantibus primo Iudæis, deinde Paganis, vltimo hæreticis, nec solum durasse, sed etiam ex persecutionibus creuisse. Vt enim aqua diluuii palatia Regum obruebant, atque deiiciebant, arcam vero Noe magis ac magis attollebant, ita persecutiones Regna temporalia facile destruunt, Christi regnum, quod est Ecclesia, non solum non destruunt, sed etiam illustrant. Itaque Iustinus in Tryphone dicit, persecutionem id esse Ecclesiæ, quod est vineis putatio. Vt enim vinea putatione ad vbertatem prouocantur, ita quoque Ecclesia persecutionibus crescit. Et Tertullianus capite vltimo Apologetici sanguinem Martyrum semen Christianorum vocat, quod explicasse videtur Leo, serm. 1. de sanctis Petro & Paulo, cum ait, Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Hæc eo loco Card Bellarminus.

187 Quocirca non erat quod hoc loco tam meticulose formidaret, ne mali Principes Ecclesiam persequentes religionem euerterent. Quinimo si ipsemet Turca communis Christianorum hostis, Principum fidelium Regna inuadere, atque Mahometismum introducere, & Christi fidem ac religionem penitus extirpare tentaret, non esset absolute necessarium ad spirituale Ecclesiæ bonum conseruandum, vt illi resistatur. Neque proinde periculum esset, vel ipso Cardinali Bellarmino iudice, ne Christiana religio euerteretur. *Non enim est absolute necessarium*, inquit ille, [r] *vt communi hosti, qualis est Turca, resistatur. Si enim Ecclesia conuersari potuit sub immanissimis persecutionibus Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, cur non possit etiam sub persecutione Turcarum?*

188 Simili prorsus huic, quam adhibuimus, responsione in re non dissimili vtitur Card. Bellarminus de malo Pontifice Ecclesiam vexante, & eius ruinam machinante, hæc tamen iuxta eius doctrinam habet Ecclesia in eo casu vllum efficax remedium, quo se liberet à tali iniuria. Respondet enim, *non mirum esse, si in eo casu maneat Ecclesia sine remedio humano*

efficaci,

[g] Nu. 90. & seq.
[h] Lib. 3. de Ecclesia, cap. 6.
[i] Lib. 3. de Laicis c. 21.
[k] Lib. 1. contra aduersarium legis & prophet. cap. 1.
† Supra num. 9.
[l] In lib. de ortu & auctorit. imperii Roman. cap. 16.
[m] Lib. 26 de Rep. c. 5. num. 23.
[n] [illegible] ad Ephes. [illegible]
[o] Supra num. [illegible]
[p] Matth. 16.
[q] Lib. 4. de Ecclesia, cap. 6.
[r] Lib. 2. de Conciliis, cap. 10.

efficaci, quandoquidem non nititur salus eius præcipuè humana industria, sed diuina protectione, cum eius Rex Deus sit; Itaque etiamsi Ecclesia non possit deponere Pontificem, tamen potest, ac debet Domino supplicare, vt ipse remedium adhibeat. Et certum est Deo fore curæ eius salutem, qui talem Pontificem vel conuertet, vel è medio tollet, antequam Ecclesiam destruat.

Quam quidem responsionem ad malos Principes Ecclesiam persequentes, totidem planè verbis rectissime applicari posse, satis est manifestum.

189. *Ad secundum membrum respondetur*, illud non habere maiorem probabilitatis speciem, quam præcedens. Nam imprimis, quoad propositionem antecedentem attinet, potest quispiam merito dubitare, quomodo vna Respublica possit imperare alteri sibi non subiectæ, in casu, quo se defendere nequeat ab eius iniuriis, cum imperare (si proprie loqui velimus) sit proprius Superioris actus, vt omnes Theologi [t] fatentur, & nihil aliud sit, quam aliquid inferiori ex voluntate Superioris faciendum proponere. Aut igitur concedendum est, Rempublicam illam, quæ ab altera iniuriam sustinet, non posse ratione iniuriæ acceptæ illi alteri Reipublicæ propriè imperare, cum non sit altera proprie Superior; aut dicendum est, Rempublicam illam, quæ alteram iniuria afficit, quamuis simpliciter, & absolutè non sit altera inferior, illi ne subiecta, quia tamen illi iniuriam affert (ad quam, non solum propulsandam, sed etiam vindicandam, atque puniendam Respublica læsa auctoritatem habet) ratione iniuriæ illatæ se vtcunque subditam reddere, atq; ab ea tanquam à proprio Iudice puniri posse.

[t] In 1. 2. q. 17 art. 1. vbi Medina, Vasquez & alij.

190. Quapropter, tametsi *ad resistendum & vim vi repellendum non requiratur aliqua proprie auctoritas*, vt rectè ait Cardinal. Bellarminus, [v] cum quo omnes Theologi concordant, ideoque quilibet etiam priuatus bellum defensiuum cum inculpatæ tutelæ moderamine, suscipere & gerere licite potest, attamen ad bellum offensiuum ratione iniuriæ acceptę vindicandæ legitimè ineundum auctoritas Superioris necessario requiritur.

[v] Lib. 2. de Conc il. cap. 19. ad 2.

Vnde *Princeps*, vt optimè scribit Victoria [x], *qui gerit bellum iustum, habet se in causa belli tanquam Iudex, & postquam bellum rite, & iuste susceptum est, hostes obnoxij sunt Principi tanquam Iudici proprio.*

[x] Relect. 6. de iure belli, q. 4. propos. 4 & 5.

191. Sed quicquid sit de modo loquendi, de re ipsa satis constat, &, vt egregiè docet Gabriel Vasquez [y], *apud omnes Theologos est indubitatum. Principem supremum, quando manifestam ab alio patitur iniuriam, cum non habeat aliquem Superiorem, apud quem postulet iustam vindictam illius, posse per seipsum eam, aut imminentem armis propulsare, aut illatam vlcisci.*

[y] In 1. 2 disp. 64. c. 3. n. 12.

Et propterea siue Respublica læsa possit propriè imperare alteri Reipublicæ sibi non subiectæ, vt Cardinal. Bellarminus in propositione antecedenti affirmat, siue non possit, cum ad præsentem controuersiam de potestate Pontificis temporali dirimendam parum cōducat, non magni refert, quomodo loquamur, dummodo de re ipsa non discrepemus.

192. *Attamen consequentia* procul dubio est infirmissima, qua Cardinalis Bellarminus infert, *ergo à fortiori potest Respublica spiritualis imperare temporali Reipublicæ sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, immo & deponere eius Principem, & alium instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.*

Nam quamuis Respublica illa temporalis sit spirituali subiecta in spiritualibus, tamen in temporalibus non magis illi subijcitur, quam alteri Reipublicæ temporali, cum in temporalibus nullum Superiorem præter Supremum eius Principem temporalem recognoscat, vt superius, ex [z] Innocentio tertio docuimus, quin potius in temporalibus Respublica spiritualis temporali subijcitur. Quare quoad hoc eadem saltem ratio est Reipublicæ temporalis ad spiritualem, atq; Reipublicæ temporalis ad aliam temporalem comparatæ.

[z] Num 63.

193. Ex alia vero parte multo maior est ratio, quare Respublica temporalis ad illatam sibi ab alia Republica temporali iniuriam propellendam possit Principem eius deponere, immo & occidere, si aliter ius suum tueri non possit, quia Reipublicæ temporalis arma sunt temporalia, & propterea nihil mirum, si vi & armis possit, ac debeat iniuriam sibi illatam propulsare; etiam vsque ad depositionem, & occisionem ipsius Principis, si aliter se defendere nequeat. At vero Reipublicæ Ecclesiasticæ arma sunt spiritualia, si propterea non armis temporalibus, qualia sunt depositio, & occisio Principum, sed spiritualibus tantum armis, & censuris Ecclesiasticis illi certandum est. Et si hæc non sufficiant ad iniuriam propellendam, oportet eum omni patientia Supremi sui Principis CHRISTI protectioni se submittere, qui eo modo, quo sibi magis placuerit, eius causam tuebitur, vt in solutione præcedentis argumenti fusius annotauimus. Atque idcirco non rectè à fortiori colligit Cardinalis Bellarminus, posse Rempub. Ecclesiasticam deponere Principem temporalem, quando aliter non potest se defendere ab eius iniuriis, quia Princeps temporalis potest in tali casu Principem temporalem deponere, cum potius planè contrarium deberet deducere, vt ex iam dictis est satis perspicuum.

194. Quod si talis argumentandi modus, quali in hac ratione vsus est Cardinal. Bellarminus, pro legitimo habeatur, non video quare non possint ex eius principiis adeo vniuersaliter sumptis huiusmodi confici argumentationes.

Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad suum finem, tales enim sunt omnes Respublicæ bene institutæ, ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum: sed necessaria est ad finem spiritualem potestas coercendi eos omnes, qui finem spiritualem iniustè impe-

duunt, alioquin possent mali Pontifices impune fouere homines sceleratos, & euertere religionem: ergo Ecclesia habet potestatem deponendi Pontifices, quando religioni obsunt, & eius ruinam machinantur.

195. *Præterea qualibet Respublica, quia perfecta, & sibi sufficiens esse debet, potest imperare alteri Reipublicæ non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, immo etiam deponere eius Principem, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniuriis, ergo multo magis poterit Respublica temporalis imperare spirituali sibi in temporalibus subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, immo etiam deponere eius Principem, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniuriis, atque bonum temporale tueri,*

Vides igitur quam debile sit totum hoc secundum Cardinalis Bellarmini fundamentum etiam iuxta ipsiusmet principia, ad temporalem Pontificis potestatem sustentandam.

196. **Reliquum est, vt auctoritati S. Bernardi de vtroque gladio, quem Bonifacius Papa** imitatus est, satisfaciamus: cuius quidem verba si rectè ponderentur, nostram potius sententiam, quam oppositam plurimum confirmant.

Respondemus itaque, verba illa ex Sancto Bernardo allata solum significare, vtrumque gladium tam materialem, quam spiritualem ad Ecclesiam quodammodo pertinere, illique subesse, non quod potestas politica per se subiecta sit Ecclesiasticæ, aut quod Ecclesia habeat potestatem iure diuino vtendi gladio materiali etiam in ordine ad bonum spirituale: sed quia Principes Christiani, cum Ecclesiæ sint filij, teneantur iure diuino pro defendenda Sancta matre Ecclesia, vti temporali gladio, quotiescunq; Ecclesiæ necessitas id postulauerit.

197. Quamuis igitur possit Ecclesia propter instantem suipsius necessitatem præcipere, vel prohibere vsum gladij materialis, vel potius absque vllo positiuo præcepto teneantur Principes Seculares in tali casu eo vti, non tamen hinc sequitur, Ecclesiam habere dominium, ius, seu potestatem vtendi gladio corporali, cum vsum præcipere, & ipsemet vsus longè differant, vt superius [a] diximus. Veluti si quis promittat, aut alias obligetur vitam suam, aut bona pro defensione alterius profundere, non propterea vitæ suæ, aut bonorum dominium transfert in alterum, si promissis non steterit, sed fidem frangit, & peccatum committit, qui ideo ab Ecclesia, si id expedire iudicauerit, pœnis spiritualibus, & Reipublicæ spiritualis propriis mulctari poterit.

a Num. 99.

198 Quin & ipsa B. Bernardi verba hoc plane significant. Nam alioqui, si Ecclesia in ordine ad bonum spirituale haberet dominium gladij materialis, eoque vti posset; non solum pro Ecclesia, sed etiam ab Ecclesia, nec tantum militis manu, sed etiam Sacerdotis euaginari, atque exerceri iure diuino posset: quod tamen S. Bernardus affirmat esse contra Domini præceptum, qui iussit Petro, vt gladium suum in vaginam conuerteret.

199. Quocirca mihi non displicet ipsa Cardinal. Bellarmini expositio horum verborum, qui hoc eodem loco dicit, *voluisse S. Bernardum, & Bonifacium illis verbis significare, Pontificem habere per se, & proprie gladium spiritualem* (sicut Principes temporales per se, & proprie habent gladium materialem;) *& quia gladius temporalis subiectus est spirituali* (per accidens scilicet ad modum sæpius explicatum) *posse Pontificem Regi imperare, aut interdicere vsum gladij temporalis, quando id requirit Ecclesiæ necessitas.*

200. Pertinet itaque ad Summum Pontificem ex mente S. Bernardi gladius temporalis, suusq; esse dicitur, quia quãdo Ecclesiæ necessitas id exigit, est pro Ecclesia, nõ ab Ecclesia, non Sacerdotis, sed militis manu extrahendus, ad nutum quidem Sacerdotis, sed iussum Imperatoris. Quibus postremis verbis significat S. Bernardus, Imperatorem in gladio pro Ecclesiæ necessitate vtendo, esse quidem à Pontifice dirigendum, sed ipsius gladij vsum ab Imperatoris iussu proxime dependere, cuius imperio milites in gladio temporali vtendo immediate subduntur.

201. Quid autem si ad nutum Pontificis Imperator vti gladio recusauerit? Num propterea ex sententia Bernardi Pontifex illum extrahere poterit, aut Imperator per auctoritatem Pontificis dominio illius priuari? Minime. Sed quia fidem Ecclesiæ datam non seruat, & contra ius diuinum Ecclesiæ necessitatibus non succurrit, potest ab Ecclesia pœnis Ecclesiasticis castigari, vt sæpius diximus. Quare ista S. Bernardi verba nihil fauent potestati Pontificis temporali, quin potius illi ex diametro aduersantur

Atq; hæc Responsio apud Ioannem Parisiensem [b] expressis verbis habetur, qui ita scribit: *De nullo loco Scripturæ Canonicæ possunt accipere prædictum discretionem, nisi forte velint accipere dictum Bernardi ponentis, quod Papa habeat gladium materialem in nutu. Sed dictum hoc, quod non est magnæ auctoritatis, magis est contra eos quam pro ipsis. Et signanter dicit Bernardus, quod Papa materialem gladium habet in nutu, quia vbi innuit Papa propter necessitatem boni spiritualis Imperator debet exercere iurisdictionem Secularis potestatis. Si tamen nolit, vel non videtur sibi expediens: Papa non habet aliud facere, quia non habet ipsum in iussu, sed Imperator tantum, sicut ipsemet dicit, & infra dicitur magis.* Et eodem modo respondetur ad auctoritatem Bonifacii Papæ, qui, vt Cardinalis Bellarminus ait, verba S. Bernardi imitatus est.

b In tract. de potest. Regia & Papali cap. 11.

202. His denique adde sensum literalem illorum verborum, *Ecce duo gladij hic*, &c. Et, *Conuerte gladium tuum in vaginam*, non esse illum, quem affert S. Bernardus de gladio materiali, &

spiri-

spirituali, sed mysticum duntaxat, vt etiam ipse Bellarminus [e] fatetur; at ex solo sensu literali, & non mystico, nisi per alium Sacræ Scripturæ locum fuerit declaratus, peti potest efficax argumentum ad dogma fidei stabiliendum, vt ipsemet etiam Bellarminus [d] concedit, idemque à sancto Augustino [e], Sanctoque Hieronymo [f] asseritur. Quare neque auctoritates S. Bernardi huic Scripturæ loco innixa, quamcunque sententiam ipse alioquin amplecteretur, multum vrgeret iuxta Cardinal. Bellarmini principia, ad temporalem Pontificis potestatem confirmandam: sed aliam fuisse Sancti Bernardi sententiam iam diximus. Qualis autem fuerit Ecclesiæ primitiuæ praxis per mille ferme continuos annos, & quid circa gladium Pontificis temporalem senserint alij sancti Patres, superius [g] ostensum est.

203. Atque ita quam infirma sit hæc secunda ratio Cardinalis etiam iuxta ipsiusmet principia, ex dictis euidenter apparet. Ex quibus etiam constat, quam exiliter Auctor tractus Anglici de mitigatione, qui in hac secunda Cardinalis Bellarmini ratione totum suum discursum pro potestate Papali Principes deponendi vnice fundat, desiderio Comitis Salisburiensis, cuius supra [h] mentionem fecimus, satisfaciat. Nam tametsi verum sit, quod iste Auctor tanquam basim ac fundamentum sui discursus constituit, nempe Christum Dominum in Ecclesia sua, (quæ Respublica spiritualis est) sicut & in cæteris Rebuspublicis recte ordinatis, sufficientem reliquisse auctoritatem, ac potestatem quantum est ex parte potestatis, se à quorumcunque iniuriis defendendi & quoslibet facinorosos, cuiuscunque status & conditionis existant, qui supremo huius Reipublicæ spiritualis Principi, tanquam membra capiti, oues Pastori, & filij patri subiiciuntur, coercendi, iudicandi, atque castigandi: Attamen, quod Christus in Ecclesia sua vires reliquerit sufficientes quoscunque Principum Christianorum excessus omni tempore comprimendi, aut, quod pœnæ, quibus tales Principes ab Ecclesia plecti queant, temporales sint, quæ Reipublicæ spiritualis limites illi à CHRISTO cõstitutos transcendunt, hoc, præterquam quod ab isto Auctore absque vlla prorsus ratione vt certum supponi videtur communi etiam sanctorum Patrum doctrinæ, qui superius † docent Ecclesiæ arma spiritualia esse, non temporalia, & Principes, si deliquerint, diuino tantum examini, atque iudicio, quod ad pœnas temporales attinet, relinquendos esse, apertissimè aduersatur.

204. Manet igitur in Ecclesia sufficiens remedium, atque auctoritas spiritualis, (nam temporalis auctoritas Reipublicæ spiritualis conditioni nequaquam congruit) enormia quorumcunque sibi subditorum facinora pœnis spiritualibus reprimendi, & de hoc inter Catholicos non controuertitur; sicut etiam in quauis republica temporali plena, & perfecta auctoritas temporalis ex DEI, legisque naturæ præscripto residet, quoscunque malefactores sibi subiectos pœnis temporalibus, non spiritualibus, quæ Reipublicæ temporali non apte conueniunt, afficiendi, & se à quorumcunque, etiam exterorum, quantiscunque viribus ac potentia præpolleant, iniuriis, atque violentiis, armis corporalibus defendendi, tametsi non semper remedium efficax, seu vires sufficientes sibi suppetant, ad se ab iniquis, non tantum exterarum nationum, verum suorum etiam subditorum, præ nimia eorum nonnunquam potentia, oppressionibus vindicandum.

Et propterea non solum controuersia est inter Catholicos de modo, quo Papa potestatem in temporalibus habet, directe scilicet an indirecte, vt iste Auctor tanquam certum, & apud Catholicos indubitatum, perperam, & absque vlla prorsus probatione supponit, sed de reipsa, an talem auctoritatem vllo modo habeat, certant Scholastici, & *adhuc sub Iudice lis est, an Papa possit Imperatorem deponere*, vt sæpius ex Trithemio diximus.

205. Denique, si in quauis Republica recte instituta sufficiens remedium, seu auctoritas ab Auctore naturæ relictum sit, ad grauiores supremi sui Principis excessus coercendos, atque castigandos; quod vnicum est fundamentum, cui discursus istius Auctoris in prima sua quæstiuncula, ex qua reliquæ duæ pendent, duntaxat innititur, non video qua via, quaue ratione extricare se possit, quin consequenter concedere cogatur, Summos Pontifices ob enormia quæcunque flagitia ab Ecclesia vniuersali coercendos, iudicandos atque puniendos esse, cum tamen Cardinalis Bellarminus superius † docuerat, non esse penes Ecclesiam aliquod efficax remedium humanum, seu quod iuxta eius sententiam idem est, aliquam auctoritatem sufficientem, vlla summorum Pontificum scelera, sola hæresi excepta, coercendi. Vides itaque quale fundamentum iecerit hic Auctor ad Summos Pontifices Concilij generalis, quod vniuersalem Ecclesiam repræsentat, examini, censuræ, atque coercioni subiiciendos, atq; ad doctrinam Cardinalis Bellarmini ab vniuersi Societatis suæ scriptoribus receptam, de potestate Papæ supra Concilium funditus euertendam.

Iam tertiam Cardinalis Bellarmini rationem expendamus.

Tertia ratio Cardinalis Bellarmini.

206. *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresim, vel infidelitatem; at iudicare, an rex pertrahat ad suam hæresim necne, pertinet ad Pontificem, cui commissa est cura religionis, ergo Pontificis est iudicare Regem esse deponendum vel non deponendum.*

[e] Libro 5. de Rom. Pont. cap. ... [d] Libro 3. de verbo Dei cap. 3. [e] August. in Epist. ad Vincentium. [f] Hieron. in cap. 13. Matth. [g] Nu. 5. & seq. num. 60. & seq. [h] Num. 55. † Num. 5. & seq. † Nu. 188.

FFF 4 Probat

Prima probatio antecedentis.

Probatur huius argumenti propositio ex capit. 17. Deuteron. vbi prohibetur populus eligere Regem, qui non sit de fratribus suis, id est, non Iudaeum, ne videlicet pertrahat Iudaeos ad Idololatriam, ergo etiam Christiani prohibentur eligere Regem non Christianum.

Nam illud praeceptum morale est, & naturali aequitate nititur. Rursus eiusdem periculi, & damni est eligere non Christianum, & non deponere non Christianum, vt notum est, ergo tenentur Christiani non pati super se Regem non Christianum, si ille conetur auertere populum à fide. Addo autem istam conditionalem, propter eos Principes infideles, qui habuerunt dominium supra populum suum, antequam populus conuerteretur ad fidem; Si enim tales Principes non conentur fideles à fide auertere, non existimo posse eos priuari suo dominio. quam contrarium sentit B. Thom. in 2.2. quaest. 10. artic. 10. At si isti ijdem Principes conentur auertere populum à fide, omnium consensu possunt, & debent priuari suo dominio.

207. *Quod si Christiani olim non deposuerunt Neronem, Diocletianum, & Iulianum Apostatam, & Valentem Arrianum, & similes, id fuit, quia deerant vires temporales Christianis. Nam quod alioqui iure potuissent id facere, patet ex Apostolo, 1. Corinth. 6. vbi iubet constitui nouos Iudices temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram Iudice Christi persecutore: Sicut enim noui Iudices constitui potuerunt, ita & noui Principes, & Reges propter eandem causam, si vires adfuissent*

Secunda probatio antecedentis.

208. *Praeterea, tolerare Regem haereticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad suam sectam, est exponere religionem euidentissimo periculo.*

Qualis enim est Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea, Ecclesiastici 10. *vnde est illud,* Regis ad exemplar totus componitur orbis. *Et experientia idem docet. Nam quia Hieroboam Rex Idololatra fuit, maxima etiam Regni pars continuo Idola colere coepit, 3. Reg. 12.*

Et post Christi aduentum regnante Constantino florebat fides Christiana, regnante Constantio florebat Arrianismus, regnante Iuliano iterum refloruit Ethnicismus. Et in Anglia nostris temporibus regnante Henrico, & postea Eduardo, totum regnum à fide quodammodo apostatauit, regnante Maria iterum totum regnum ad Ecclesiam rediit; regnante Elizabetha iterum regnare coepit Caluinismus, & vera exulare religio.

209. *At non tenentur Christiani, immo nec debent cum euidenti periculo religionis tolerare Regem infidelem, nam quando ius diuinum & humanum pugnant, debet seruari ius diuinum omisso humano, de iure autem diuino est seruare veram fidem & religionem, quae vna tantum est, non multa, de iure autem humano est, quod hunc, aut illum habeamus Regem.*

Tertia probatio antecedentis.

210. *Denique, cur non potest liberari populus fidelis à iugo Regis infidelis pertrahentis ad infidelitatem, si coniunx fidelis liber est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge Christiana sine iniuria fidei, vt aperte deducit ex Paulo 1.* Corinth. 7. *Innocentius tertius* cap. Gaudemus, Extra de diuortiis. *Non enim minor est potestas coniugis in coniugem, quam regis in subditos, sed aliquanto etiam maior.*

211. Haec est tertia ratio Cardinalis Bellarmini, cui etiam nullo plane negotio satisfit, si distinctionem ex Principiis Ipsius supra positam inter iudicia potestatis ciuilis, & Ecclesiasticae diligenter obseruemus.

Respondemus igitur; Cardinalem Bellarminum in hac tertia sua ratione in eo potissimum elaborare, vt probet, Principem infidelem vel haereticum, si alios pertrahat ad haeresim vel infidelitatem, posse à populo sibi subiecto Principatu priuari: praesens autem controuersia, quaeque in hac quaestione à Cardinale Bellarmino instituitur, non est, An, & ob quas causas possint Reges à temporali Republica deponi, sed solum, An Summus Pontifex habeat auctoritatem Iure diuino priuandi Principes suis dominiis.

212. Nam siue Respublica temporalis possit suum Principem ob aliquam causam, vel crimen deponere, siue nō possit (quae quaestio potius ad Philosophum moralem, quam ad Theologum spectat) & aliquid circa eam inconsiderate asseuerare facilem praebere potest tumultibus, rebellionibus, & Regicidiis occasionem, cum praesertim longe dispar videatur esse ratio in quibusdam Rebuspublicis, quae vel totam suam potestatem in suos Principes transtulerunt, vel ipsi iusto bello eam acquisierunt, atq; in reliquis; item in quibusdam criminibus, atque in aliis: attamen hinc nullum efficax peti potest argumentum ad probandum, Summum Pontificem vllam prorsus iure diuino habere potestatem etiam in ordine ad bonum spirituale, Principes temporales è suis dominiis exterminandi.

Et propterea omnia illa argumenta, quae in hac tertia ratione congerit Cardinalis Bellarminus (primo duntaxat excepto) solutione non indigent, cum solum contendant Principem haereticum, aut infidelem, si alios inducat ad suam haeresim, aut infidelitatem, posse à populo fideli sibi subiecto è Principatu expelli.

213. Nam dato, sed non concesso, illicitum esse Christianis tolerare Regem haereticum, aut infidelem, si ille conetur pertrahere subditos ad suam haeresim aut infidelitatem, quae est prima propositio Cardinalis Bellarmini, & ab ipso quamuis pluribus, nullo tamen valido argumento (vt mox videbimus) confirmata, quomodo tamen hinc recte deduci potest, Summum Pontificem habere auctoritatem Principes deponendi?

Cardin. Bellarminus in principio huius tertiae rationis illud colligit hoc argumento.

Pertinet ad Pontificem, cui commissa est cura Religionis, iudicare, an Rex pertrahat ad haeresim necne, ergo si Rex ob haeresim deponi potest, pertinet ad Pontificem iudicare Regem esse deponendum, vel non deponendum.

214. Sed

214. [illegible]d hæc argumentatio, licet prima facie solida videatur, si tamen diligenter discutiatur, valde [illegible]llax reperietur propter multiplicem sensum, quem habere potest illa antecedens propositio, *Pertinet ad Pontificem iudicare, an Rex, &c.*

Vel enim primo intelligi potest illa propositio de *iudicio* in foro animæ, vel de *iudicio* extra animæ forum: Si intelligatur de *iudicio* in foro animæ, dicimus, ad Pontificem quidem pertinere vel per seipsum immediate; vel mediate per inferiores Prælatos, aut Pastores *quodammodo iudicare*, an Rex pertrahat alios ad hæresim, necne. Addo particulam illam *quodammodo*, quoniam iudicium Patris spiritualis in foro pœnitentiæ præsupponit ipsum pœnitentem per propriam confessionem cum animo contrito & satisfaciendi proposito sui Confessarii iudicio se submittentem. Quare si Princeps ad confessionem accedens agnoscat se vel in hæresim lapsum esse, vel alios ad hæresim induxisse, iudicio Sacerdotis, clare non errante, stare tenetur, tum quoad pœnitentiam sibi iniunctam ad implendam, tum quoad peccatum præteritum, & occasiones illius in posterum deuitandas.

215. Veruntamen si princeps ille probabilem aliquorum opinionem secutus existimet, se neque in hæresim lapsum esse, neque alios ad hæresim pertraxisse, quamuis Confessarius ipsius (tametsi sit Summus Pontifex) aliis etiam rationibus probabilibus persuasus contrarium sentiat, non tenetur Princeps in eo casu, relicta propria opinione probabili, sequi iudicium Summi Pontificis quin potius iuxta communem recentiorum[i] Theologorum sententiam tenetur Summus pontifex contra propriam opinionem iudicio probabili Principis se conformare, quoad hoc, vt absolutionem illi debitam impendere obligatur. Sed de hoc interno foro animæ iudicio non videtur locutus esse Cardinalis Bellarminus, cum clarum sit depositionem Principum ad forum exterius pertinere.

216. Si autem de iudicio extra forum animæ propositio intelligatur, duplicem etiam sensum habere potest, primus est, pertinere ad Pontificem *iudicare*, an Rex pertrahat ad hæresim, non quidem proxime, sed remotè, definiendo scilicet, ac declarando in genere talem actionem, verbi gratia, cum talibus circumstantiis factam esse hæresim, aut alterius generis peccatum: Et in hoc sensu non negamus quin ad Pontificem, tanquam ad *caput*[k] *vniuersalis Ecclesiæ*, pertineat, (quotiescúnque in Ecclesia oritur aliqua controuersia circa res fidei, aut morum) *iudicare & determinare*, an tale quid sit hæresis, alteriusve generis peccatum.

217. Attamen cum hoc iudicium Pontificis (quando ex cathedra definit) sit infallibile, & nunquam mutari possit, neque etiam mortuo Pontifice; non est sufficiens, vt Pontifex ratione illius dicatur habere auctoritatem Principem hæreticum deponendi, nisi dicere velimus, Pontificem, qui multis abhinc seculis defunctus aliquã propositionem, vt hæreticã condemnanit, dici posse habere auctoritatem deponendi principem iam superstitem, qui subditos suos ad illam hæresim pertrahere conatur. Et neque in hoc duntaxat sensu vocabulum illud *iudicare* à Card. Bellarmino accipi videtur.

218. Secundus sensus est, pertinere ad Pontificem *iudicare*, an Rex pertrahat ad hæresim, iudicando, & determinãdo in particulari, an talis, vel talis actio, quæ hæresis reputatur, facta sit à Rege. Et adhoc in hoc sensu propositio bifariam intelligi potest. Et primo de *iudicio* cõmuniter sumpto, vt significat rectam determinationem rationis inter verum, & falsum, rectum, & prauum in quacunque materia, siue speculatiua, siue practica, quæq; consistit in apprehensione rei, vt in se est.

219. Et si de hoc *iudicio* sit sermo, non magis, immo minus pertinet ad Pontificem, qui millium milliarium spatio forsan distat *iudicare*, an Rex pertrahat ad hæresim, quam ad populum Regi subiectũ, qui illi inseruit, & omnes eius actiones intuetur, & ex cuius relatione tota notitia, quam habet Pontifex de particulari illo Regis facto dependet. Et neque de hoc *iudicio* intelligendus esse videtur Cardinal. Bellarminus, cum huiusmodi *iudicium* non magis pertineat ad Pontificem, quam ad alios homines priuatos, qui de rebus prout sunt, rectam apprehensionem, seu *iudicium* habere possunt.

220. Vel secundo intelligi potest propositio de *iudicio* proprie, & iuxta pri[illegible] nominis impositionem, prout *iudicium* significat rectam determinationem eius, quod [illegible] est, seu quod idem est prout significat actum *Iudicis*, vt *Iudex* est & *ius* dicit idem [illegible] & *ius* dicens, *iudicare*, & *ius dicere*, *iudicium* & actus, quo *ius* dicit. Et de hoc *iudicio* videtur [illegible] Cardinalis Bellarminus, cum ipse agat de *iudicio*, quod proprie ad Pontificem spectat, [illegible] supremus *Iudex* spiritualis.

221. Si igitur propositio intelligatur de hoc *iudicio*, quatenus scilicet est ac[illegible] *iudicis* vt *ius* dicentis, vt sensus sit, Quamuis non sit proprium Pontificis, sed potius eorum, q[illegible] Regi propius assistunt, *iudicare iudicio* late sumpto; an Rex pertrahat ad hæresim, cum tota notitia Põtificis de tali Regis facto ex ipsorum notitia dependeat, pertinet tamen ad Pontificem, [illegible] cura religionis tanquam supremo *Iudici* spirituali est commissa, *iudicare*, id est, *iuridicam* sententiam pronunciare, an Rex pertrahat ad hæresim.

222. Quemadmodum, quamuis non sit proprium Regis *iudicare iudicio* late sumpto, an aliquis ex subditis homicidium, verbi causa, commiserit, sed potius eorum, qui talis homicidij testes oculati fuerunt, pertinet tamen ad Regem; cui cura R[illegible]blicæ tanquam supre-

[i] In 1.2 q.19 artic 6. vbi Medin. & Vasqu. & in 2.2. q.63. artic 4. vbi Petrus de Arragona, Salon & alij, Vide etiam Sayrum in Claue Regia libro 1. à cap. 6.

[k] Sed vtrũ Ecclesiæ vniuersalis Caput, vt certo infallibiliter, & ex Cathedra definiat, debeat esse coniunctum cum membris, & in concilio Episcoporum sedere oporteat, vt [illegible] ctores [illegible] sienses [illegible] [illegible] sensu[illegible] dis[illegible] [illegible] ad præsentẽ controuersi[illegible] de potestate Pontificis temporali discutiendam parum conducunt.

mo *Iudici* temporali est concredita, *iudicare*, id est, *iuridicam* proferre sententiam, an homicidium perpetrauerit, necne. Si inquam, in hoc sensu propositio accipiatur, *Respondemus* eam adhuc esse æquiuocam, & in vno sensu esse veram, sed in eo, quo à Cardinali Bellarmino applicatur ad Regum depositionem, esse à veritate penitus alienam.

223 Quod vt melius intelligatur, obseruandum est, duplex *iudicium*, sicut & duplex forum, quantum ad præsens institutum attinet, esse distinguendum: Seculare nimirum, quod deinde in ciuile, & criminale, seu capitale distingui solet, atque Ecclesiasticum, seu spirituale. Quæ quidem fora ita inter se distincta sunt, vt licet eadem prorsus causa, & crimen in vtroq; foro audiri, iudicari; & terminari possit, habeant tamen suos proprios, & distinctos Iudices, distinctas leges; & distinctas pœnas pro delictis infligendas.

Nam supremus Iudex fori Ecclesiastici est Summus Pontifex, qui iudicat secundum ius Canonicum, & pœnam Ecclesiasticam à Iure Canonico constitutam pro delictis imponit. At fori secularis Iudices supremi sunt Principes temporales, qui in suis iudiciis, & pœnis corporalibus pro criminibus imponendis vel à Iure ciuili, vel à legibus municipalibus iuxta cuiusque Regni consuetudinem diriguntur.

224. Exempli causa, crimen hæresis iudicatur à Iudice Ecclesiastico, & punitur pœna Ecclesiastica, etiam vsque ad depositionem à statu clericali, si fuerit clericus, & à priuilegio fori Ecclesiastici, quo priuatus traditur foro Seculari, vt in eo pro eodem hæresis crimine rursus iudicetur, cum hac tamē protestatione à Iudice Ecclesiastico facienda, *vt Iudex Secularis citra mortis periculum sententiam circa eum moderetur*, vt habetur in capitul. *Nouimus. de verborum significatione*, in foro autem Seculari idem crimen hæresis auditur, iudicatur, & pœna mortis mulctatur.

225 Atque hinc patet fallacia argumentationis, fit enim in ea transitus ab vno foro in aliud. Veluti si quis ita argumentaretur: *Qui pertrahit ad hæresim pœna mortis est mulctandus, sed pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum* iudicare, *an quis pertrahat ad hæresim, ergo ad Iudicem Ecclesiasticum spectat*, indicare *an sit morte mulctandus*. Cum tamen ferre sententiam mortis ad forum tantum Seculare pertineat. Similiter Incendiarij secundum legem Canonicam [l] sunt excommunicandi, & secundum ius ciuile [m] sunt igne cremandi aut bestiis subiiciendi: Quare aperte fallax esset huiusmodi ratiocinatio *Qui ædes, aut segetes incendunt, sunt excommunicandi, sed pertinet ad magistratum politicum* iudicare, *an quis ædes vel segetes incenderit, ergo ad magistratum politicum pertinet* iudicare, *an sit excommunicandus*.

l Cap. Pessimam 23. q. 8.
m ff. de incend. leg. qui ædes.

226. *Iudicare* igitur, an quis pertrahat ad hæresim, spectat ad vtrumque forum, ad Ecclesiasticum quidem, non vt *iudicetur*, & extremo mortis supplicio puniatur, sed pœnis tantum foro Ecclesiastico propriis: ad forum autem Seculare, non vt *iudicetur*, & puniatur pœnis Ecclesiasticis, sed pœna mortis, aut aliis huic foro peculiaribus.

227. Quapropter ad prædictam argumentationem Cardinalis Bellarmini *Respondetur*, esse captiosam, & quatuor habere terminos, cum in ea fiat transitus de vno foro in aliud. Nam quamuis pertineat ad Pontificem *iudicare*, an Rex pertrahat ad hæresim, quatenus *iudicium* illud refertur ad Censuras Ecclesiasticas infligendas, quatenus tamen *iudicium* illud respicit Principis depositionem, quæ non pœna spiritualis, seu Ecclesiastica, sed temporalis, seu politica, non pertinet ad Pontificem *iudicare*, an Rex pertrahat ad hæresim, necne. Itaque verbum illud *iudicare* est æquiuocum, & aliter sumitur in præmissis, quam in conclusione.

228. Simili argumentatione omnia omnino negotia non solum publica & politica, sed etiam priuata, & domestica ad tribunal Pontificis reuocari possent. Quoniam nulla est prorsus actio externa siue ad politicum ipsius Reipublicæ regimen, siue ad domestica Patrumfamilias negotia spectans, quæ ratione vnius, aut alterius circumstantiæ non possit esse peccatum; At sine dubitatione pertinet ad Summum Pontificem *iudicium* seu *censura* de peccatis, *quam in quemlibet exercere potest, & debet*, vt ait Innocentius tertius in capit. *Nouit*. de Iudiciis, ergo *iudicium*, seu censura de qualibet actione tam priuata, quam publica, tam domestica, quam ciuili, pertinet ad tribunal Summi Pontificis.

229. [illegible]a vis huius argumentationis ex dictis facile perspicitur. Nam in foro mundano, pe[illegible] quatenus sunt contra bonum pacis publicæ, subiiciuntur potestati politicæ, per quam iudi[illegible] & pœnis temporalibus puniri debent: & in foro Ecclesiastico, quatenus sunt offensa Dei, [illegible] saluti spirituali nocent, subsunt potestati Ecclesiasticæ, adeo vt ad Pontificem quidem pert[illegible], vti diximus, tum *iudicare*, atque ex Cathedra definire, an actio aliqua generatim sumpta, [illegible] quocunque fiat, sit peccatum, Deoque displiceat, & si graue sit crimen, illud etiam sub pœnis spiritualibus prohibere, tum in foro pœnitentiæ delinquentes, si debitè confiteantur, a peccatis absoluere, tum denique in foro externo peccatores notos atque manifestos, si post debitam admonitionem contumaces existant, pœnis Ecclesiasticis castigare. At vero vel pœna mortis peccatores punire, vel eos temporalibus dominiis priuare, hoc Pontificis potestatem iure diuino sibi traditam transcendit, neque in Scripturis sacris, aut veterum Patrum monumentis scriptum legimus sanctos Apostolos, aut Patres primitiuæ Ecclesiæ talem auctoritatem sibi arrogasse.

Vides igitur quam debile sit prædictum argumentum à Cardinale Bellarmino confectum ad rem tanti ponderis comprobandam.

230. Nunc

230. Nunc expendamus paululum, quam valida sint illa tria argumenta, quibus probare conatus est propositionem illam antecedentē suæ tertiæ rationis: nimirum, *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si ille conatur pertrahere subditos ad suam hæresim, vel infidelitatem.*

Imprimis tamen non est hoc loco prætereundum, quam facilem errandi occasionem præbere possit minus peritis propositio illa ita generaliter pronunciata, propter multiplicem illius sensum, & ambiguas significationes singulorum fermè vocabulorum, quæ in ea continentur.

231. Et primo vocabulum illud *Christianis* accipi potest vel pro Christianis formaliter, vt Christiani sunt, quasi prohibitum sit Christianis lege tantum Euangelica tolerare huiusmodi Regem, vel tantum pro Christianis materialiter, id est pro hominibus illis, qui Christiani sunt; vt sensus sit, Nemini licitum est tolerare Regem hæreticum, aut infidelem, &c. & propterea, seu potius à fortiori non est licitum illis hominibus, qui legem Christi susceperunt, talem Regem tolerare.

232. Deinde idem vocabulum *Christianis* vel sumi potest pro Christianis quibuscumq; etiam Regi hæretico, aut infideli non subditis, vel solum pro Christianis, qui Principi illi hæretico, aut infideli subiiciuntur. Denique idem vocabulum *Christianis* vel supponit distributiue, vt dicunt Logici, id est, pro vniuersis Christianis seorsim, & sigillatim sumptis, vel copulatiue, vt loquuntur, id est, pro ipsa Christianorum congregatione, adeo vt præceptum illud de tolerando Rege hæretico, aut infideli, vel obliget omnes, & singulos Christianos siue subiectos Regi hæretico, aut infideli, siue non subiectos, vel solum obliget ipsam Christianorum communitatem.

233. Secundo verbum illud *non tolerare* est etiam ambiguum: vel enim idem significat, quod resistere, seu impedire vi, & armis corporalibus, non solum mouendo bellum contra Principem hæreticum, aut infidelem, sed ipsum etiam clanculum occidendo, si vi, & armis deponi non possit; vel significat impedire, resistere, non quidem armis corporalibus, sed spiritualibus, *quæ propria sunt militum* CHRISTI, nempe non consentiendo, arguendo, increpando, obsecrando in omni patientia, & doctrina, atque, si opus est, pœnas Ecclesiasticas irrogando.

234. Tertio in illo vocabulo *Regem* multiplex latet ambiguitas; Quidam enim Reges regno potiti sunt iure belli iusti, alij electione, alij donatione, alij hæreditaria successione. Insuper aliqui Reges, possunt esse hæretici, aut infideles, antequam regnum adepti sunt, alij postquam insignia Regia susceperunt, de quibus omnibus non videtur esse eadem ratione philosophandum.

235. Quarto demum verbum illud *pertrahere*, duplicem etiam habet sensum, vel enim intelligi potest detractione violenta per vim, aut metum facta, iuxta illud Lucæ 21. *trahentes* ad Reges & Præsides; vel detractione voluntaria, precibus nempe, exemplo, lucri, aut voluptatis desiderio, &c. iuxta illud Poetæ; *trahit sua quemque voluptas*: & Apocal. 12. dicitur, *Draco cauda sua traxisse tertiam partem stellarum cœli.*

Vide itaque quam lubrica sit ista propositio Cardinalis Bellarmini, ex vocibus adeo ambiguis conflata, ex qua deinde ipse magis lubrice deducit Pontificem habere auctoritatem Reges hæreticos, aut infideles iuridice deponendi.

236. Verum deductionem iam supra examinauimus, modo propositionem ipsam consideremus.

Non licet Christianis, inquit, *tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresim aut infidelitatem.* Quid igitur? An quilibet Christianus, etiam non subditus, tenetur vi & armis eiusmodi Regem inuadere, & ipsum occidere, si bellum illi indicere non valeat, an hoc spectat tantum ad quoslibet Christianos non subditos, vel potius ad ipsam Christianorum communitatem? Et quid si Respublica elegerit Principem, quem ante electionem cognouit fuisse infidelem, aut hæresi infectum, an eadem ratio habenda est illius, atque alterius, qui iure hæreditariæ successionis ad Regni solium est euectus.

237. Et quid si Rex infidelis aut hæreticus iure belli iusti regnum alicuius Principis Christiani occupauerit, ratione cuius ipsi etiam Christiani efficiuntur serui, & mancipia Principis victoriam reportantis, vt plures Theologi [n] probabiliter existimant, num inter hunc, & alios Principes nulla ratio discriminis est assignanda? Denique quid si Rex pertrahat subditos ad suam hæresim aut infidelitatem non minis, sed exemplo duntaxat suo, iuxta illud à Cardinali Bellarmino relatum, *Regis ad exemplar totus componitur orbis*; An pari ratione de isto est philosophandum?

Hæc omnia in vnica propositione confunduntur, neque quid in singulis dicendum sit, satis declaratur, adeo vt Lector non admodum cautus ex tali propositione haud recte intellecta pres conclusiones perniciosas facile deducere possit.

238. Sed pergamus ad huius propositionis probationes, & videamus, an periculosa hæc Cardinal. Bellarmini doctrina, quæ populo effrænato sub fuco Religionis tuendæ habenas

[n] Sylvest. v° furti q. 6. S. ... de iusti lib. 4 q. 2 art. 2. Ludo. Molina tom. 1. de Iustit. tr. 2. disp. 37 Michael Salon de Dominio, q. 1 post 4. conclus. & pluris alij.

laxat, viamque ad seditiones, atque Regicidia parat, vllo firmo nitatur fundamento.

Prima probatio est huiusmodi.

Eiusdem periculi, & damni est eligere Regem non Christianum, & non deponere non Christianum vt notum est, sed prohibentur Christiani eligere Regem non Christianum, ergo tenentur Christiani nō pati super se Regem non Christianum, si ille conetur auertere populum à fide. Probatur huius argumenti minor propositio ex cap. 17. Deuteron. vbi prohibetur populus eligere Regem, &c. Addo autem istam conditionalem propter eos Principes infideles, &c.

239. *Respondetur* negando maiorem, non enim illa propositio nota est, vt asserit Cardin. Bellarminus, sed eius opposita potius est notissima. Vnde ipsemet protinus, dum subiungit illam conditionem, manifestam disparitatem assignat inter electionem, & depositionem Principis infidelis; quia iuxta eius doctrinam tenentur Christiani non omnino eligere Regem infidelem, at non tenentur deponere infidelem, nisi in casu, quo pertrahit subditos ad infidelitatem. Quæ tamen exceptio frustra à Cardinali Bellarmino apponi videtur, cum semper contingat Principem infidelem suo saltem exemplo, subditos pertrahere ad infidelitatem, iuxta illud: *Qualis est Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea.* &, *Regis ad exemplar totus componitur orbis.* de qua etiam tractione ipse disertis verbis loquitur, vt ex secunda eius probatione euidenter apparet.

240. Dicimus itaq; cum totum ius, quod vnusquisq; habet in Regnū (si sermo sit de iis Regibus, qui per populi tantum suffragia eliguntur, & non iure hæreditario Principatum vendicant) ab electione dependeat, nemini fieri iniuriam, siue hic, siue ille in Principem eligatur. At postquam Rex fuerit electus, & Respublica potestate sua se abdicauerit, eaque tota in Regem translata fuerit, magna Regi fieret iniuria, si inuitus à populo sibi subiecto deponeretur, & maius damnum Reipublicæ immineret propter periculum seditionis, & rebellionis, atque multa alia incommoda, quæ inde nasci solent.

o In flagel. Sectariorũ pag. 91.
p In velitatione pag. 472.

241. *Nam*, vt recte dixit Winzetus Abbas, o *Nunquam contingit, vt à legitimo Rege quantumuis improbo, & tyrannicè imperante regnum ita dissipetur, vt intestino bello, maximè autem subditorum in Regem rebellione dissipari solet. Non enim* p *tam perdita vita poterit esse Rex, quin plurimos ex omnibus Regni ordinibus sibi habeat satis coniunctos, quorum ope adiutus sine cruentis cædibus in ordinem redigi non poterit.* Facile ergo est impedire, ne Rex infidelis eligatur, sed postquam electus fuerit, difficillimum est, vt inuitus deponatur, iuxta illud vulgatum, *Facilius impeditur aliquid faciendum, quam destruatur, quod ritè factum est.*

242. Vnde si quis ex prædicto Card. Bellarmini principio ita argumentaretur:

Eiusdem periculi, & damni est eligere Pontificem valde scandalosum, atque talem Pontificem non deponere, vt notum est, sed Christiani iure diuino prohibentur eligere Pontificem valde scandalosum, ergo & eodem iure tenentur non pati super se talem Pontificem, non est dubium, quin statim Cardinal. Bellarminus talem argumentationem vitiosam reputaret.

243 *Ad probationem minoris* ex illo Deuteron. 17. Respondetur, quod, si quispiam assereret, præceptum illud, de non eligendo Rege nisi ex gente Iudæorum, non fuisse morale, sed ceremoniale, Iudæos tantum obligans, vt nullum alienigenam, quamuis alioqui Idola non colentem, sibi in Regem eligerent, non posset tam facile improbitatis conuinci, cum sacra Scriptura eo loco absolutè prohibeat, ne Iudæi alterius gentis hominum faciant, qui non sit frater suus, neq; de periculo Idololatriæ vllam mentionem faciat.

244. Et quantumuis præcepti illius Mosaici finis fortasse fuisset, ne populus Iudaicus ad Idola colenda alioquin nimium propensus temporis progressu ad Idololatriam traheretur, non tamen propterea sequitur ipsis Iudæis præcepto aliquo morali, quod non solum Iudeos, sed etiam Christianos obligat, prohibitum fuisse, ne Regem alienigenam sibi constituerent.

q Libr. 2. de Adoratione disputat. 4 c. 2.

Sicut etiam ob periculum Idololatriæ omnis Imaginum vsus ipsis Iudæis interdictus erat Exodi 20. vt multi doctissimi Theologi, quos refert & sequitur Gabriel Vasquez q probabiliter existimant; neque tamen inde sequitur, præceptum illud fuisse morale, & consequenter iam Christianos obligans, ne vllas omnino Imagines depingant.

245. Similem enim prorsus ratiocinationem posset quis conficere.

Prohibetur populus Iudaicus Exodi 20. vllas Imagines, aut statuas effingere (vt probabilis fert opinio) *ne vix Iudæi inde ad Idololatriam pertraherentur, ergo propter idem periculum prohibentur Christiani Imagines vllas, aut statuas effingere. Nam illud præceptum morale est, & naturali æquitate nititur.*

Atque hinc patet maiorem huius primæ probationis propositionem, cuius veritatem notam esse affirmat Cardinalis Bellarminus esse manifestè falsam, & minorem quoque ab eo insufficienter confirmatam.

246. *Ad illud autem quoque asserit, Si Christiani olim non deposuerunt Neronem, & Diocletianum, & Iulianum Apostatam, & similes, id fuisse, quia deerant vires temporales Christianis. Nam quod alioquin iure potuissent id facere, &c.*

In Præfat. sect. 21 vide sup. nu. 89.

Respondemus, hanc Bellarmini assertionem, (quam Auctor *Apologiæ Protestantium pro Ecclesia Romana*, * Puritanorum conceptionem appellauit, gratis, & absque solido fundamento ab eo proferri, quod quidem apertissimè ostendi potest. Nam inprimis non videtur caudissi-

dissimæ Christi, atque Apostolorum synceritati consentaneum esse, quod imponerent præcepta fidelibus de præstanda Principibus infidelibus ficta tantum; ac simulata quadam obedientia pro tempore solum illis opportuno, & cum secreta quadam mentis reseruatione; nisi vires sibi suppeterent ad tales Principes debellandos: quod eleganter expressit Adam Blacuodæus q his verbis: *Paulus vtendum foro præcepit Lornatam hypocrisim sub persona religionis latere voluit? Potestatibus obedientiam edixit, quia resisti non posset? Christianos viribus auctos,*

q In Apologia pro Regib. c. 36.

At arma cessantes, ad arma
Concitat, imperiumque frangis?

247. Secundo, quia Sancti Apostoli Petrus, Paulus, atque Iohannes vixerunt tempore crudelissimi Neronis: Si ergo non debent Christiani cum euidenti periculo Religionis tolerare Regem infidelem, quando alios ad infidelitatem pertrahit, ob quam, obsecro, causam, illi; qui lux erant mundi, & exemplum posteris præbere debebant, Neronem tam sæue Christianos persequentem tolerabant. An forsan etiam illis vires deerant? At CHRISTVS gratiam miraculorum illis contulit, virtute cuius non fuisset illis difficilius Principes Ecclesiam persequentes vel Regnis priuare, vel è medio tollere (si tale præceptum de illis non tolerandis extitisset), quam Eliæ duos Principes quinquagenarios cum quinquaginta suis incendio perimere; aut ipsi etiam Petro Thabitam mortuam ab inferis excitare, & cōtra Sapphiram ob votum violatum, & mendacium de pretio agri venditi confictum sententiam mortis pronuniare, aut Simonem Magum potentia dæmonum in aera subleuatum in terram prosternere.

248. Tertio, quia si ob periculum Religionis euertendæ tenentur Christiani deponere Regem hæreticum, aut infidelem, qui alios ad hæresim, aut infidelitatem trahit propter idem periculum, si ad ipsum deponendum vires non suppetant, possunt, & consequenter in hoc casu tenentur, ipsum occidere, postquam lupus, perturbator, & hostis Ecclesiæ fuerit declaratus, iuxta doctrinam ex principiis Cardinalis Bellarmini superius r manifeste deductam, atque inferius s etiam deducendam; Atqui ad Regem hæreticum, vel infidelem occidendum non tantæ copiæ requiruntur, vt vel exercitus instrui, vel multi milites congregari debeant, cum vnus, vel alter ad id præstandum sufficiat, cuius rei, proh nefas! nimis frequentia hac nostra ætate extiterunt exempla.

r Num. 46. & seq.
s Nu. 139. & seq.

Et quamuis absque propriæ vitæ discrimine nemo tale facinus aggredi possit, constat tamen (si alias id licitum esset) non esse vnius vel alterius priuati hominis mortem communi Christianorum periculo præponendam.

249. Quarto, quia non defuisse tunc temporis vires Christianis ad impios infidelium Principum conatus reprimendos facile probari potest. Et primo illud ostendit Adam Blacuodæus t ex Clemente Petri discipulo, v qui loquens de tumultibus, quos Caiphas excitauit in Ierusalem, affirmat, *Christianos etsi numero pares, virtute potiores propter numinis obedientiam occidi maluisse, quam occidere.*

t Cap. 10.
v Lib. 1. Recog. ad Iacobum fratrem Domini.

Deinde Tertullianus ad Christi seculum proxime accedens idem aperte docet. x *Si enim, inquit, hostes exteros, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum, & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipsique Parthe, vel quantæcunque vnius tamen loci, & suorum finium gentes, quàm totius orbis? Externi sumus, & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatia, Senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei non prompti fuissemus etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere?* &c.

x In Apologet. cap. 37. num. 481. & seq.

250. Præterea, tanta erat tempore Diocletiani Christianorum multitudo, vt à sæuissima illius persecutione sese vindicare, & Ecclesiæ necessitatib. consulere haud difficulter potuissent, si Principem legitimum tametsi infidelem aut hæreticum, & alios ad suam hæresim aut infidelitatem pertrahere conantem, & armis impetere, solio deiicere, aut, si hæc minùs prospere succedant, ipsum è medio tollere populo fideli sub quouis Religionis Catholicę tuendæ prætextu lege Christi præceptum, vel permissum esse iudicassent; adeò vt Maximinus acerrimus Christianorum hostis, qui temporibus Diocletiani, & Maximiani post abdicatum à se Imperium à Maximiano Galerio Imperator Orientis constitutus est, apertè fateatur, totum ferè terrarum orbem, priusquam Diocletianus Christianos persequi decreuisset, relicto idolorum cultu Christianorum cœtui se adiunxisse.

251. Ita enim, vt refert Eusebius y, ad Sabinum scribit: *Iouius Maximinus, Augustus Sabino. Et dexteritati tua, & cunctis mortalibus manifestum esse confido, Dominos nostros Diocletianum & Maximianum, Patres nostros, cum omnes ferè mortales Deorum cultu relicto Christianorum se genti commiscere vidissent, recte præcepisse, vt cuncti mortales à cultu deorum immortalium discedentes indubitatis pœnis & suppliciis ad religionem Deorum reuocarentur.* Quin & Eusebius, qui eodem fermè tempore vixit, narrans, quæ persecutionem Diocletiani præcesserant, hoc ipsum non obscurè significat: *Qua autem,* inquit, z *numerosas illas aggregationes, ac multitudines cœtuum per* singu-

y Lib. 9. c. 9.
z Lib. 8. c. 1.

singulas ciuitates, insignesq; concursus ad oratoria describet, quorum gratia prisca ædificia non contenti, in singulis ciuitatibus spatiosas, & amplas ex ipsis fundamentis construxerunt Ecclesias?

252. Demum, quod attinet ad Iulianum Apostatam præterquam quod *ipsemet in primo eius in Imperium ingressu*, vt ait Cardinalis Baronius, [a] *optimè sciuit Christianos multitudine impleße Romanum imperium*, satis etiam constat ex Ruffino, [b] Socrate, [c] & Theodorito [d], totum penè eius exercitum fuisse Christi fide imbutum, & propterea non defuisse illis vires ad impiissimum Apostatam aut Imperio, aut vita priuandum. Nam cum interfecto Iuliano totus exercitus Iouinianum postulasset Imperatorem, & ipse, eo quod Christianus esset, electioni reclamasset, magna libertate respondens, [e] *Non possum ego, qui Christianus sum, talium Imperator, neque Iuliani coparatam Rex esse improbo assuetarum disciplina. Hac audita oratione exclamauere communiter vniuersi: Ne dubites Imperator, neue repellas Imperium nostrum, vt improbum: Imperator enim es Christianorum futurus, qui in pietatis disciplina educati sint; cum grandiores inter nos doctrinam Constantini perceperint, minores autem illis Constantius instruxerit. Neq; istius proxime mortui diuturnum Imperij tempus fuit, vt circumuentis, quibusdam ad infigendum malum suffecerit.*

a In Annalib. anno Christi 361. num 17.
b Lib. 2. c. 1.
c Lib. 3. c. 22.
d Lib. 4. c. 1.
e Apud Theodoret. loco citato.

253. Non est igitur credibile, Christianum exercitum sub Iuliano Christi Ecclesiam persequente militantem, ab eo exterminando ob virium imbecillitatem abstinuisse, quod sane facili negotio potuissent efficere, atque ita voius Apostatæ interitu totam Ecclesiam à maximis periculis liberare, si in Principem legitimum violentas manus iniicere lex Christi aut præcepisset, aut licitum esse docuisset; cum præsertim eo tempore Imperatorem à militibus designari in more positum esset, quos vtique, temporibus Iuliani, tanto Christianæ fidei zelo succensos fuisse historici tradunt, vt quidam ex illis, quamprimum se Iuliani fraudibus deceptos fuisse, & thus adolendo Christi fidem inscienter abnegasse perspexissent, cœperunt [f] *exclamare, & lamentari, atque capillis euulsis per forum currere, seseque profiteri maxima voce Christianos esse; & fraudulentia Imperatoris circumuentos, ac nunc palinodiam canere, atque per ignorantiam admissum dedecus noua pugna abolere velle. Cum talibus clamoribus in regiam cursu perueniunt accusantes Imperatoris imposturas, & postulantes se in ignem coniici, vt igne polluti alio igne repurgentur.*

f Apud Nazianz. orat. 1. in Iulian. & Theodoret. lib. 3. cap. 17.

254. Quis itaque merito dubitare potest, tam intrepidos Christi athletas, ac martyrii cupidos, vna cum Iouiniano & Valentiniano (qui eo tempore militum tribuni erant, sed paulo post ad Imperij solium euehebantur) viris vtique strenuissimis, & pro fide Christi quæuis supplicia, ipsamque mortem subire paratissimis, non potuisse multo facilius, & opportunius rebus omnibus rite perpensis, iniquissimo Apostatæ vitam pariter cum Imperio eripere, quam perfidum homuncionem Regem Franciæ potentissimum ingenti militum præsidio stipatum in medio sui exercitus cultro confodere? Sed quoniam doctrina hæc de Principibus principatu priuandis, aut è medio tollendis, quando alios ad hæresim aut infidelitatem trahunt, doctissimis, pariter & sanctissimis illius seculi Patribus planè incognita erat, & à populo fideli tanquā seditiosa, & Christianæ professionis aduersaria habebatur.

255. *Noluit exercitus Christianorum*, vt rectè dixit Ninianus Winzetus loco statim citando, *vlla rebellione Cæsari licet Idololatra, & Apostatæ in fidelium fratrum defensionem sese opponere. Existimauere enim illi Christi agnelli satius multo esse, vt iusti iniuste à Cæsare propter veram iustitiam paterentur, quam, vt ipsi Cæsaris authoritati vim vllam licet impie agenti, vllius fucata iustitiæ prætextu inferrent.* Vide quæ ex eodem Winzeto, Guilielmo Barclaio, Adamo Blacuodæo, aliisque nonnullis, qui hæc omnia accuratius prosequuntur, paulo inferius [g] adducemus.

g Num. 258 & seq.

256. Denique sanctus Gregorius Papa, ob summam eruditionem, vitæque sanctimoniam Magnus cognominatus, atque Ecclesiæ Latinæ Doctor præcipuus, quique ideo neque veritatem ab vniuersis fidelibus cognitu pernecessariam ignorare, neque cognitam cum summo suarum ouium, & Christianæ religionis periculo occultare poterat, apertissimis verbis testatur, [h] sibi non defuisse vires ad Longobardorum Principes (qui tunc Ecclesiam crudeliter infestabant) eorumque Principatum penitus euertendum; & nihilominus; quia Deum timebat, in ipsorum necem se miscere formidabat.

h Lib 7. epist. 1. ad Sabinianum Diaconum.

De qua re, inquit, *vnum est, quod breuiter suggeras serenissimis Dominis nostris, quia si ego seruus eorum in mortem Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.*

257. Noluit igitur sanctus Gregorius, quia vir rect⁹ erat, & timēs Deum, illud efficere, quod tamen præstare facilè potuisset, si per Dei mandatū id sibi licuisse iudicasset, nempe vt Longobardorū gens nec Regem, nec Duces, nec comites haberet, atq; in summa confusione diuisa esset, quātumuis Ecclesia innumeras tribulationes, atq; iniurias ab illis illatas perpessa fuerit, quas ipse in suis super Ezechielem cōmentariis [k] enumerat: & alio in loco [l], *Qualiter*, inquit, *quotidianis gladiis, & quantis Longobardorum incursionib. ecce iam per 35. annor. lōgitudinē premimur, nullis explere vocibus suggestionis valem⁹*. Et ꝓpterea recte dixit Pet. Damian. [m]: *Nūquid hoc legitur vel egisse, vel literis docuisse Gre-*

k Hom 18. super Ezech.
l Lib. 11 epist 45 ad Phocam Imperator.
m In Sapho num. 12.

se Gregorius, qui tot rapinas ac violentias à Longobardorum feritate est perpessus? Num Ambrosius bellum Arrianis se, suamque Ecclesiam crudelitatem infestantibus intulit? Nunquid in arma Sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum.

258. Nec mirum, quod S. Ambrosius, Gregorius, cæterique sancti Pontifices in Principes insurgere non auderent, *cum olim* (tẽporibus Tertulliani) vt rectè ait Cardinalis Baronius [n], *ne gregarius quidem miles, teste Tertulliano* [o], *inueniri posset, qui aduersus Imperatores licet Ethnicos, & Christianorum quoq; persecutores in partibus aliquando steterit insurgentium tyrannorum.*

Deniq;, vt rem istam paucis complectar, referam, si placet, breuiter, quid alij quoque nostri temporis Theologi de hac re senserint.

Cunerus Episcopus Leouardiensis [q] *cum Martyres*, inquit, *noui Testamenti propter multitudinem facile contra tyrannidem persecutorum suorum conspirare potuissent, pro obedientia tamen & honore, quem iussi sunt Christiani Regibus, & sublimiori potestati deferre, maluerunt pati, quam resistere.*

259. Gaspar Vlenbergius [r], *Neque enim*, inquit, *Apostoli subditos contra Magistratum, neque Principes aut Duces contra Romanum Imperium ad rebellandum incitarunt, sed obedientiam auditoribus suis semper inculcarunt; vnde veteres Christiani etiam cum viribus, & numero Gentilibus superiores fuerunt, nihilo tamen minus persecutiones, opprobria, contumelias, supplicia, mortem denique ipsam à Gentium Magistratu perpeti maluerunt, quam huiusmodi contra eos rebellionem moliri.*

260. Gregorius Tholosanus [s], *Suppetunt*, inquit, *rursum exempla, quæ admonere possunt, non licere subditis insidiari, rebellare, manus iniycere in Principem naturalem auctoritate publica, electione, vel successione, vel alia causa legitima imperium adeptum & detinentem, &c. Sed & à Christo passo vsque ad Diocletianum per interuallum prope trecentorum annorum, etsi innumera, crudeliaque tormenta Christiani passi fuerint, & clades atrocissimas semel viginti millibus necatis, alias integris oppidis Christianis subuersis, tamen nusquam omnino legitur, Christianos licet pares viribus, & numero fuerunt, vi & armis aduersus leges, Rempubl. & magistratum, Imperatorem, securitatemque eius, vel tantillum molitos fuisse, vel rebellasse. Quin vnico amore Dei & diuini cultus, Christianos se ab eo dicerent appellari, cum sit hoc pijssimum dogma, vt magistratui pareant.*

261. Ninianus etiam Winzetus [t], postquam copiose ostendisset, Christiano vbiq; terrarum non solum Iuliani, sed præcedentium etiam Imperatorum temporibus non solo timore, & diffidentia suarum virium, sed diuino potius metu, ne gladium tollerent in eos, qui potestate publica, ac Dei proinde ordinatione gladium ipsi portarent, nullum Principibus, qui eos tunc ob Christi fidem persequebantur, violentiam intulisse, cum nihil sibi de iure gladij traditum diuinitus intellexissent, protinus subiungit.

262. *Sed ad Iulianum ipsum redeo, qui tam numerosum in Persidem ductarat exercitum; Suspicari non immerito posset quispiam. potueritne tunc temporis Christiani armorum virtute quicquam in Apostatam tentare? Qui scrupulus facile depellitur, si quis sibi persuadeat, quod res erat, quodque hic obseruatu dignissimum est, exercitum istum non fuisse perfidia Iulianum, sed religione Christianum. Nam cum impius per triennium tantum imperium tenuisset, Constantini Constantijque exercitus ducendo potius, quam suo ipsius præfuit. Id quod diuina quadam prouidentia factum esse, orbique contestatum voluisse videtur supremus ipse orbis moderator ne facile seditiosus populus quauis prætensa causa in legitimũ Principẽ, in summã Republ. perniciem bellum mouere iuste se putaret. Nam si contra tam insignem omni impietate virum, Christianus exercitus nihil imperiose sit molitus, quis nunc sibi in animũ inducat, et qu. uis prætenso errore. aut vitio, licere vasallus, & subditus in suum Regem, aut Principem rebellionem concitare. eiusve detrectare imperium? Sed de his, quæ à nobis asserta sunt audiatur grauissimi authoris D. Theodoriti testimonium, &c.*

263. Gulielmus Barclaius qui fusissime rem totam per diuersos libros prosequitur, demum ita concludit. [u] *Sed illud Christianis hominibus grauissimo argumento esse debet, quod non Iohã. Baptista, non Christus, non Apostoli in Regem impium surgere, aut de medio eum tollere docuerunt, quod nemo præterea Sanctorum Patrum, vel scriptor aliqui orthodoxus per totos mille annos, & amplius, licet & Ecclesia omnibus tunc floreret copijs, & impiorum Principum ac tyrannorum magnus esset numerus, tale quid vnquam vel verbo, vel scripto docuisse legitur.*

264. Et paucis interiectis. *Certè aut efficiendi facultas Patres istos* [x] *impediebat, quo minus id agere & exequi per virium imbecillitatem potuerint, aut eos iustitia & æquitatis defectus ab eiusmodi conatu deterrebat, aut denique Pastorali officio segniter, vitiose, & negligenter functi sunt, quod suis Populum iuris, & officij non admonuerint. quodque Reges impios non solum pertulerint, sed magna etiam, qua Reges erant, reuerentia, & honore sint prosecuti. Primas suspicionem omnem ingens illa Christianorum multitudo, & vires Ecclesiæ tunc temporis, si vnquam alias maxima dimouent.*

265. *Postremo vero sanctitas & scientia tantorum virorum, qui non suo solum seculo, sed sequentibus etiam omnibus maximam doctrinæ, pietatis, ac iustitiæ facem prætulerunt. Medium ergo superarat tantummodo, quod illos, ne sceptra seditionibus turbarent, aut aliquid in Principum legitimorum perniciem molirentur, metus numinis, & arctissimo conscientiæ vinculo eosque adeo distrinxit, vt subditos ad defectionem, & rebellium in Reges impios non modo non instigarent, sed vt ab omni in eos impetu, & coniuratione abstinerent, pie, grauiter, & copiose sunt hortati.*

266. Denique Adamus Blacuodæus [y] & Auctor *Apologiæ Protestantium pro Ecclesia Romana* Anglicæ conscriptæ [z], hoc ipsum etiam vberius pertractant, à quorũ verbis recensendis, cum

satis

n In Annal. lib. ann. 310. num. 4.
o In Apolog.
q In libr. de offic. Princip. cap. 7.
r In lib. qui inscribitur, Graues & iusta causa, &c. causa 21.
s Lib. 26. de Repu cap. 7. sect. 10.
t In flagello sectarierũ, pag. 100.
u Libr. 6. de Reg. c. 26.
x Nempe Ambrosium Hieron. August. Gregorium, & alios qui in Valentem Valentia inniorem, Heraclium, & alios impios Principes populum non cõcitarunt.
y In Apologia pro Regibus, & libro 4. de cõiunctione Religionis & Imperij.
z In præfat. ad Lec. n. 21 & seq. quem librum Thomas Fitzh. 2. par. d polit. & relig. c. 25. p. 366. opus egregiũ Authoris eius perdoctum appellat, Vide & P. R. seu P. Rob. Parsonium in epistol. admonitoria libri Anglici. A Soberrecko ninge nũcupati, qui eandem Apologiam maximis laudib. extollit

satis prolixa sint, neq; ab iis quæ ex præfatis Auctoribus iam illata sunt, multum discrepantia, ne nimium molestiæ Lectori adhibeam, in præsenti supersedebo.

267. Qnoniam igitur, vt breuiter concludam, Christus Dominus, & Apostoli Sancti tam strictè fidelibus præceperunt, vt in rebus licitis tum propter iram, tum propter conscientiam Principibus etiam infidelibus obtemperarent, & cæteri deinde Sancti Patres per totos ferme mille annos eandem obedientiam Principibus etiam infidelibus à Christianis exhibendam sæpius inculcarunt, neq; ipsorum aliqui aut verbo, aut facto contra Principum maiestatem ipsam Ecclesiam persequentium quippiam attentarunt, aut populum ad rebellionẽ concitarunt, tametsi satis exploratum habuerint, non defuisse tunc Christianis aut vires, aut animum tales Principes, si id per Dei legem licuisset, vel Principatu, vel vita priuandi; quique optimè præ- nouerant, exempla sua, atque doctrinam, vna cum vitæ sanctimonia coniunctam firtissima vestigia in mentibus Christianorum, qui deinceps vsque ad finem mundi nascerentur, fore impressura, signum profecto euidens est, opinionem hanc de deponendis, aut si deponi nequeant, occidendis Principibus, qui alios ad hæresim, aut infidelitatem pertrahunt, non esse *de fide certam, definitam, indubitatam, & doctrinæ Apostolicæ plane conformem*, quicquid Philopater[a] temere, inscite & seditiose affirmauerit, sed esse nouam, & à Sacræ Scripturæ sensu, à Sanctorum Apostolorum, ac veterum Patrum doctrina, & ab ipsa Ecclesiæ primitiuæ praxi longissimè discrepantem.

a Sup. n. 118

268. Vide Ignatium in *Epistol. ad Smyrnenses*, & in *epistola ad Antiochenos*, Iustinum Martyrem in *oratione ad Antoninum Pium*. Tertullianum *ad Scapulam, cap. 2. & de idololatria cap.* 15. Augustinum in *Psalm. 124.* in illud, *Quoniam non derelinquet*, &c. Optatum Milleuit. *libro 3. contra Parmenian.* & Hieronymum ad Titum 3. super illud, *Admone illos Principatibus, & Potestatibus subditos esse*: qui omnes, vt complures alios omittam, absque vlla exceptione docent, Principibus etiam infidelibus esse à Christianis in rebus licitis obedientiam præstandam. & huius præcepti grauissimi de deponendis Principibus infidelibus, quando res Christianis suppetunt, nullam omnino mentionem faciunt, quod tamen pro singulari illorum eruditione, neque ignorare potuissent, nec pro inuicta animi sui constanti, debitoque officio Pastorali illud tam alto silentio præterire proculdubio voluissent. Ex quo profecto manifestè colligi videtur nullum tale præceptum penitus reperiri, vt superius[b] etiam in initio deduximus.

b Num. 6. & seq.

269. Sed audiamus iam, quàm solide Cardinal. Bellarminus hanc suam assertionem probet, nempe non ideo Christianos non deposuisse Neronem, Diocletianum, & similes, quia deerant illis vires temporales.

Nam quod alioquin, inquit, *iure potuissent id facere, patet ex Apostolo, 1. Corinth. 6. vbi iubet constitui nouos Iudices temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram Iudice Christi persecutore. Sicut enim noui iudices constitui potuerunt, ita & noui Principes, & Reges propter eandem causam, si vires adfuissent.*

270. *Debile sanè fundamentum*, & graui Theologo indignum ad conclusionem tanti ponderis, quæque effrænato populo facilem ad rebelliones viam munit, stabiliendam. Non enim S. Paulus eo loco iubet constitui nouos Iudices ordinarios temporalium causarum, quales sunt, qui à suprema potestate Laica legitimam potestatem coerciuam accipiunt lites in foro Seculari terminandi; sed tantum Arbitros, qui scilicet nullam talem habentes potestatem, ex consensu tantum partium litigantium Iudices eliguntur, & ab ipsis potestatem suam accipiunt, quorum iudicium post electionem ex compromisso subire obligantur. Et huiusmodi Iudices Arbitri, seu compromissarij, absque vlla iniuria Principi facta, à populo subiecto constitui possunt. Neque idcirco populus se subtrahit à Principis Iurisdictione, sed solum vel causa vitandi scandali, vel pacis conseruandæ, aut simili Iudices Arbitros eligit, qui suas lites absque tanto strepitu Iudicij forensis quietius componant, ita tamen vt si ad tribunal Principis eos vocari contigerit, statim comparere, eiusq; sententiæ stare teneantur.

271. Atque hæc responsio desumpta est ex Glossa, cuius quoque sententiam totidem planè verbis sequitur S. Thomas in commentariis huius loci. *Sed illud Apostoli*, ait Glossa, *dictum esse videtur contra illud, quod dicitur 1. Petri 2. Subiecti estote omni creaturæ humanæ, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis. Ad quod dicendum, quod Apostolus non prohibet hic fideles sub Principibus infidelibus constitutos comparere coram eis, quando vocantur, hoc enim esset contra subiectionem, quæ Principibus debetur, sed prohibet, ne voluntarie recurrant ad Iudices infideles in illis negotiis, quæ determinari possunt per fideles.* Hæc Glossa.

272. Quin etiam ipsemet Cardinal. Bellarminus non satis conformiter, meo iudicio, ad ea, quæ hoc loco scribit, videtur inferius[d] hanc eandem expositionem amplecti, qui inquit, *Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum. Sic non est sapiens quisquam in vobis, qui iudicare possit fratrem suum? Vbi Apostolus monet Corinthios, vt in iis causis, in quibus non tenebantur necessario adire tribunalia Gentium, constituerent inter se Iudicem.*

d Lib. 3. de Laicis, c. 12.

Quæ Bellarmini expositio cum ea planè concordat, quam ex Glossa, & Sancto Thoma modo adhibuimus.

271. Ad-

273 Admonet igitur S. Paulus fideles eo loco, ne sint contentiones, aut iudicia inter ipsos; sed vt magis iniuriam accipiant, fraudemque patiantur; Quod si contingat propter eorum infirmitatem inter ipsos aliquam oriri controuersiam, apud seipsos eligant Iudices, qui lites suas componant; neque voluntarie Iudicum infidelium forum adeant, qui, dum vident Christianos inter se discordes, facilem arripient occasionem eos, quos propter fidem odio habent, contemnendi, calumniandi, & opprimendi, atque etiam ipsi à fide Christiana magis auertentur.

274 Itaque non est bona hæc consequentia: Possunt fideles, ac debent ex sententia Apostoli nouos Iudices arbitros constituere in iis causis, in quibus tribunalia Gentilium adire non tenentur, ergo pari ratione nouos Principes, & Reges constituere possunt. Nam primum nihil derogat Principum potestati, at secundum est contra subiectionem Principibus debitam: Non debent autem Christiani aliquid moliri, quod debitæ Principibus etiam infidelibus subiectioni aduersatur, vt iam ex glossa, & S. Thoma vidimus.

275 Quinimo hæc ipsa Cardin. Bellarmini expositio seipsam destruere videtur. Quomodo enim tunc temporis vires erant Christianis constituendi nouos Iudices temporalium causarum, tametsi Principes infideles repugnarent, & non nouos reges, ac Principes, si Iudices ordinarios, & non tantum Arbitros constituere illis præceptum esset? Nam absque dubio Principes infideles nunquam permitterent, vt Christiani, qui illis ciuiliter subiecti erant, sese ab eorum potestate in causis temporalibus subtraherent, & nouos Iudices ordinarios illis inuitis constituerent. Et propterea eædem plane vires, quæ Christianis suppetebant ad nouos iudices temporalium causarum sibi constituendos, quantumuis Principes infideles contradicerent, etiam sufficerent, vt nouos Principes illis quoque repugnantibus sibi eligerent. Atque hinc patet, quam infirma sit hæc prima probatio propositionis antecedentis, *Non licet Christianis tolerare Regem hæreticum*, &c.

276 *Ad secundam probationem illius propositionis antecedentis respondetur*, Si quis huiusmodi argumentationem rationi à Cardinale Bellarmino confectæ persimilem adduceret, non fore procul dubio ab ipso vt legitimam approbandam.

Tolerare Pontificem valde scandalosum, & conantem pertrahere alios ad sua scelera, est exponere religionem euidentissimo periculo; Qualis enim est Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea, Ecclesiastici 10. vnde est illud; Regis ad exemplar totus componitur orbis: At non tenentur Christiani, imo nec debent cum euidenti periculo Religionis tolerare Pontificem scandalosum, qui alios ad sua scelera pertrahere conatur. Nam quando ius diuinum, & humanum pugnant, debet seruari ius diuinum, omisso humano; de iure autem diuino est seruare legem Christi ac naturæ, & scelera non committere, de iure autem humano est, quod hunc, aut illum habeamus Pontificem.

277 *Respondetur* secundo, Tolerare seu permittere aliquid, non esse actionem aliquam positiuam, sed puram omissionem, actusque negationem, ex qua si deinde effectus aliquis sequatur ad hoc, vt euentus secutus sit omittenti etiam indirecte voluntarius, aut saltem illi ad culpam imputetur, oportet quod omittens non solum habeat potestatem impediendi euentum, verum etiam ad illum impediendum sit alioquin obligatus. Vt exempli causa, si quis videat nauim submergi, & cum possit impedire non impedit, dummodo submersioni nullam causam positiuam adhibeat, & nullum vrgeat præceptum, quo eam impedire tenetur, non est illi submersio etiam indirecte voluntaria, neque ipse est moralis causa huiusmodi euentus, vel saltem (quod apud omnes Theologos [e] est indubitatum) ipsa submersio non magis illi vitio verti debet, quam si illam impedire nullatenus potuisset.

278 Vnde vulgatum illud B. Ambrosii [f] dictum in lib. de officiis, *Quisquis pascendo seruare hominem poteras, si non pauisti, occidisti*: ita Doctores interpretantur, Si non pauisti, quando pascere debuisti, occidisti. Nam peccatum omissionis in priuatione, seu negatione actus debiti consistere omnes Theologi [g] vnanimiter profitentur.

Dicimus ergo, illum, qui Regem hæreticum pertrahentem ad hæresim tolerat, seu permittit, ex quo Religio Christiana in discrimen vocatur, non exponere Religionem periculo nisi illud impedire per media licita & possit, & debeat: nam alioqui, si vel impedire non possit, vel per talia media impedire non teneatur, ipse non impediendo nequaquam exponit Religionem periculo. Atque ita explicata manet maior propositio.

279 *Quod attinet ad minorem*, Concedimus etiam teneri Christianos impedire Reges hæreticos, ne pertrahant alios ad hæresim, & ne periculum immineat Religioni Christianæ, quantum possunt arguendo, increpando, obsecrando cum omni patientia & doctrina, aliisque mediis licitis, atque à Deo ordinatis. Sed vt ratio Cardinalis Bellarmini valida sit, ostendere oportet seditiones, ac tumultus in Republica excitare, Reges hæreticos deponere aut occidere, si deponi non possit, esse media licita, & à Deo ordinata ad Religionem Christianam aut dilatandam, aut conseruandam.

280 At probat ille minorem, nempe non debere Christianos cum euidenti periculo Religionis tolerare Regem hæreticum, &c. argumento quoad apparentiam satis pulchro, sed propius inspicienti non recte formato. *Nam quando*, inquit, *ius diuinum & humanum pugnant, debet seruari ius diuinum omisso humano*. Quis hoc negare audet? *De iure autem diuino est seruare veram fidem & religionem, quæ vna tantum est, non multæ, de iure autem humano est, quod hunc aut illum habeamus Regem.*

e In 1. 2. q. 6. art. 3. vbi Medina, Vasquez & alii.
f Habetur dist. 86 cap. Pasce.
g In 1. 2. q. 71. art. 5. vbi Medina, Vasquez & alii.

Et hæc quoque propositio verissima est, si recte intelligatur, quia tamen æquiuoca est, prius distingui debet. Nam præceptum diuinum de seruanda vera fide & Religione, vel intelligi potest primo, vt quilibet teneatur in seipso seruare veram fidem & religionem; in quo sensu videtur
h Num. 211. Cardinalis Bellarminus accepisse *seruare veram fidem* infra h in quarta sua ratione principali. Et in hoc sensu propositio est verissima; sed quid deinde ex illa deduci possit, quod propositio ipsius deseruiat, penitus ignoro, neq; enim ipse quidquam deducit.

281 Vel secundo, præceptum illud de seruanda vera fide & religione intelligi potest obligare quemcunque, vt non solum in seipso, sed etiam in aliis conseruet veram fidem & religionem ex vi præcepti diuini de Deo diligendo & proximo. Et in hoc quoque sensu propositio est verissima. Sed quoniam modus ille, quo tenemur ad Deum diligendum & proximum, & eorum bonis consulendum, non adeo notus est, atque ideo in ipso Decalogo (in quo modus iste vtcunque, id est, per communia quædam principia exprimitur) omnia ferme præcepta negatiue potius, quid scilicet non sit faciendum, quam affirmatiue, quid sit faciendum, explicantur; & præcepta etiam affirmatiua, licet obligent semper non tamen ad semper (vt loquuntur Theologi) sed positis certis quibusdam conditionibus, quæ non sunt omnibus ita manifestæ.

282 Propterea quænam sint conditiones illæ, quæ requiruntur ad hoc, vt præceptum istud affirmatiuum de seruanda vera fide & religione, non solum in seipso, sed etiam in aliis singulos Christianos obliget, satis obscurum est, neque illud fusius explicare ad præsens institutum pertinet. Hoc tamen certissimum est, neminem obligari ad positiue consulendum vel diuino honori, vel proximorum saluti, nisi per vias licitas, atque à Deo ordinatas. Verum tamen rebelliones in Republica excitare, Regesve Principatu, aut vita priuare, quantumuis fidem Christi persequentes, sit medium licitum, & à Deo ordinatum ad veram fidem & religionem conseruandam, est quidem iam apud Cardinalem Bellarminum controuersum, sed adhuc ab ipso insufficienter probatum: Quare si propositionem illam minorem velit esse ita intelligendam, vt de iure diuino sit seruare veram fidem & religionem per eiusmodi media, nempe per depositionem, aut occisionem Principum, iam supponit illud, quod ab ipso esset probandum. Atque idcirco ex hac probatione non recte concluditur, quod ipse intendebat.

283 Sed hoc vlterius aduertendum est, tunc ius diuinum & humanum repugnare, quando ius diuinum vnum præcipit, & idem prohibet ius humanum, vel è conuerso; aut quando ius diuinum aliquid præcipit eodem tempore, quo ius humanum aliquid incompatibile iubet faciendum: Tunc enim quia maioris obligationis est Dei præceptum, quam hominis, qui diuinæ auctoritati subiectus est, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Quapropter cum seruare veram fidem & religionem sit diuinum præceptum, si Princeps illud prohiberet, vel aliquid incompatibile præciperet, seruandum esset diuinum præceptum, humano prætermisso.

284 Similiter de iure diuino est, quod Principibus etiam Infidelibus in rebus politicis fides, ac obedientia sit à Christianis exhibenda. Nam tametsi de iure humano sit, quod hic, vel ille sit Princeps, postquam tamen iam Princeps factus fuerit, de iure diuino est, quod ei in rebus ciuilibus obtemperem. Ideoque si aliquid moliar contra Regiam maiestatem (quod attinet ad res politicas) diuinæ ordinationi resisto, quæ mihi præcipit, vt ipsi iam Principi facto, & propter iram, & propter conscientiam in rebus licitis obediam. Vnde non minus deuote, quam elegan-
i Epist. 170. ter S. Bernardus i superius k etiam relatus asserit: *Si totus terrarum orbis aduersum me coniuraret,*
k Num. *vt aliquid moliar aduersus Regiam Maiestatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temere non auderem. Nec enim ignoro vbi legerim, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

l In q. 1. ... 285 Sanctus etiam Ambrosius, l *Iulianus, inquit, Imperator, quamuis esset Apostata, habuit sub se Christianos milites, quibus cum dicebat, producite aciem pro defensione Reipublicæ, obediebant; cum autem diceret eis, producite arma in Christianos, tunc cognoscebant imperium cœli, non terræ.* Et præclare Sanctus
m In Psal. ... Augustinus, m *Aliquando, inquit, iniusti perueniunt ad honores sæculi. Cum peruenerint, & facti fuerint vel iudices, vel Reges, quia hoc facit Deus propter disciplinam populi sui, non potest fieri, nisi vt exhibeatur illis honor debitus potestati. Ordinauit enim sic Deus Ecclesiam suam, vt omnis potestas ordinata in sæculo habeat honorem, & aliquando à melioribus.*

286 Et post pauca: *Aliquando, inquit, potestates bonæ sunt, & timent Deum, aliquando non timent Deum. Iulianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit Apostata iniquus, idololatra? Milites Christiani seruiebant Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, tamen subditi erant propter Dominum æternum Domino temporali.* Similia habent Ignatius, Iustinus
n Num. ... Martyr, Tertullianus, & Hieronymus, quorum sententias infra n referemus. Quare recte
o Lib. ... de Republ. ... Gregorius Thulosanus o *Propter peccata, ait, subditorum Deus plerumque dat Reges in furore suo, & permittit regnare hypocritam. Ita Christiani sub paganis Principibus, arriani hæretici sub Apostata Iuliano, ... ab eorum iudicio, & depositione, ... quod omnis anima debeat esse subdita potestatibus*

subli-

sublimioribus propter Deum, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Miserrimi certe omnium essent Principes, si expositi essent censuræ, & iudicio subditorum.

287 Hoc igitur vnum certissimum est, teneri Christianos iure diuino Principibus etiam infidelibus in rebus politicis obedientiam exhibere. Quod vero sit diuinum præceptum teneri Christianos ad sese subtrahendum ab obedientia sui Principis infidelis, quando populum ad infidelitatem pertrahit, ipsumque deponendum, ne dicam vita priuandum, si alias deponi non possit, non probauit adhuc Cardin. Bellarminus, neque in sequentibus probat illud vel scripturæ sacræ, vel Ecclesiæ primitiuæ praxi, vel antiquorum Patrum doctrinæ, vel ipsi rationi naturali esse vllatenus consentaneum. Et propterea Sigebertus Gemblacensis, & Vincentius Beluacensis, vt supra p vidimus, doctrinam hanc de Principibus etiam auctoritate Papali deponendis, quando primum pullulare cœpit, tempore nimirum Henrici quarti, qui (vt testantur Otho Frisingensis, Godefridus Viterbiensis, Iohannes Trithemius, & alii p) primus omnium Imperatorum fuit depositus, si non *hæreseos*, turpi saltem nouitatis macula aspergere non formidabant. p Nu. a. 6. p Supra nu. 6a.

288 *Ad tertiam probationem*, qua Cardinalis Bellarminus ex similitudine, qua Rex, & Respublica viro, & vxori comparantur, probare contendit *posse liberari populum fidelem à iugo Regis infidelis pertrahentis ad infidelitatem, sicut coniunx fidelis libera est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ipse non vult manere cum coniuge Christiana, sine iniuria fidei, quoniam non est minor potestas coniugis in coniugem, quam Regis in subditos sed aliquanto etiam maior.*

Respondetur, In hac etiam probatione, sicut & in præcedentibus, plura confundi, quæ distinguere oportet. Atque inprimis, aliud est populum Christianum obligatum esse, vt maneat cum Principe infideli, aut hæretico, qui alios ad suam hæresim, aut infidelitatem pertrahere conatur; & aliud habere auctoritatem talem suum Principem, aut infidelem deponendi, ac alterum eligendi: Sicut aliud est, coniugem fidelem liberam esse ab obligatione manendi, seu cohabitandi cum coniuge hæretico, aut infideli; & aliud solutam esse vinculo matrimonii, ita vt alteri coniugi nubere possit.

289 Nam esto, quod populus fidelis non teneatur manere cum Principe hæretico, aut infideli, qui subditos ad suam hæresim, aut infidelitatem pertrahere conatur, non subinde sequitur, posse talem Principem à populo deponi: hoc enim arguit auctoritatem quandam, eamque supremam, quæ populo subiecto, qui se tota sua auctoritate abdicauit, eamque in Principem transtulit, competere non potest; illud autem ius quoddam duntaxat ad inculpatam suæ salutis tutelam, quæ aliis viis, quam depositione sui Principis, nempe armis spiritualibus, quæ propria sunt Christianorum, aut saltem fuga defendi potest. De qua re, an scilicet, & in quibus casibus liceat subditis fugam capiendo sese ab obedientia sui Principis etiam hæretici, aut infidelis, absque eius licentia subtrahere, non est præsentis instituti disputare. Nam quicquid sit non inde sequitur (quod ad præsentem quæstionem spectat) penes populum esse auctoritatem Principem suum infidelem, aut hæreticum principatu priuandi.

290 Similiter esto, quod coniunx fidelis non teneatur manere cum coniuge infideli, aut hæretico cum iniuria creatoria, vel fidei (id est, si conatur ipsam pertrahere ad infidelitatem, aut quoduis aliud peccatum mortale, vt Theologi exponunt) non tamen inde sequitur, ipsum matrimonii vinculum dirumpi, sed solum ius illud ad thorum, & mutuam cohabitationem deperdi. Nam tametsi quando vna infidelium coniugum conuertitur, altero manente in infidelitate, si infidelis conatur inducere coniugem fidelem ad infidelitatem, aut aliud peccatum mortale, possit fidelis non solum coniugem infidelem relinquere, Id est, non habitare cum illo, verum etiam alterum sibi eligere coniugem, q atque ita ipsum matrimonii vinculum dissoluere; Secus tamen dicendum est, quando ambo coniuges fuerunt baptizati, & vnus non vult habitare cum altera absque iniuria fidei; tunc enim potest quidem vna coniunx alterum relinquere, sed matrimonium, quod quidem post consummationem est indissolubile, dissoluere, & alterum ducere coniugem priori superstite nequaquam potest. q Ca. quanto, de diuortiis.

291 r *Ad argumentum igitur* Cardinalis Bellarmini respondetur, Si verba illa ita intelligantur, vt sonant, nempe coniugem fidelem esse liberum ab obligatione manendi, id est, cohabitandi cum coniuge infideli, non hinc concludi, quod ipse contendit, tametsi concederemus similitudinem hanc esse alioqui conuenientem. Non enim sequitur: Coniunx fidelis libera est ab obligatione cohabitandi cum coniuge infideli, si eam à fide auertere conetur, ergo populus fidelis potest deponere suum Principem infidelem, si ipsum ad infidelitatem pertrahere nitatur: Sed si à pari argumentari velimus, ad summum hoc consequitur, ergo populus fidelis non tenetur manere cum Principe infideli in suo Regno, sed propriam patriam relinquere potest. r Ca. quanto, de diuortiis & c. vt par 2. de diuersione coniugatorum.

292 Si autem verba ita intelligantur, vt coniunx fidelis in casu prædicto ab ipso matrimonii vinculo libera sit, ita vt Cardin. Bellarminus similitudinem illam in hoc consistere velit, quod coniunx fidelis adeo libera est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, vt alium etiam coniugem sibi eligere possit, ita populus fidelis adeo liber sit ab obligatione manendi cum suo Principe infideli, vt alium Principem sibi eligere, & constituere queat: Si hoc, inquam,

velit, quod quidem maiorem præ se fert probabilitatis speciem ad probandum, penes populum esse potestatem Principem suum infidelem deponendi.

293 *Respondetur*, Neque hinc intentum eius recte concludi posse: Primo, quia hæc similitudo nihil illi fauet, si sermo sit de Principibus baptizatis, quorum potissimum causa lis hæc de Principibus auctoritate Papali deponendis primum excitata est, & de quibus etiam Cardinal. Bellarminus loquitur in propositione antecedenti, quam his tribus probationi-

1 Nu. 290. bus confirmare contendit. Constat enim coniuges baptizatos, vt supra [1] diximus, non ita esse liberos à vinculo matrimonii, vt alios coniuges sibi eligere possint, quamdiu vterque viuit, etiamsi vnus à fide deficiat, & alteram ad infidelitatem pertrahere conetur. Et propterea hæc similitudo potius obest, quam prodest sententiæ Bellarmini, vt si quis ita argumentaretur.

Eodem modo se habet Princeps ad populum sibi subiectum, sicut coniunx ad suam coniugem, vt Cardinalis Bellarminus hoc loco supponit, *sed non potest coniunx baptizata eligere sibi alium maritum, quamdiu ipse maritus, qui baptizatus est, viuit, tametsi ipse à fide deficiat, & illam ad suam hæresim, vel infidelitatem pertrahere conetur: ergo neque potest populus fidelis eligere, & constituere sibi alium Principem, quamdiu Princeps viuit, tametsi Princeps, qui baptizatus est, à fide deficiat, & populum à fide auocare conetur.*

294 Secundo, quia hæc similitudo non videtur esse omnino conueniens. Ratio enim quare coniunx fidelis libera est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ipse non vult manere cum illa absque iniuria fidei, non est, quia coniunx super coniugem vllam habeat auctoritatem, nam quoad hanc separationem, vxor & maritus sunt omnino pares; at si populus suum Principem deponere posset, argueret populum subiectum maiorem esse suo Principe, cum nemo nisi à maiori iudicari, & castigari queat; & supremam potestatem coerciuam in populo subiecto residere.

Ad illud denique, quod in fine addidit Cardinalis Bellarminus, nimirum *maiorem esse potestatem coniugis in coniugem, quam Regis in subditos*, ex quo probat posse populum fidelem liberari à iugo Principis infidelis, quia coniunx fidelis libera est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, &c.

Respondetur, dictum illud, si in rigore accipiatur, videri plane paradoxum, neque adeo generaliter absque maiori declaratione pronunciandum, ne morosi, & difficiles mariti maiorem potestatem super suas coniuges, quam Regiam sibi competere præsumentes, facilem hinc ansam arripiant auctoritatis sibi debitæ limites transcendendi.

295 Potest igitur propositio illa multiplicem habere sensum, & in quocunque accipiatur, instituto Bellarmini parum deseruit. Nam in primis potestas hæc coniugum potest dici maior, vel quia ad plura & maiora se extendit, vel quia magis alligata est subiecto, & minus ab eo separabilis. Deinde per hanc potestatem *vel primo* intelligitur propria potestas, quę imperium, & superioritatem annexam habet; in quo sensu Dominus *Genes.* 3. subiecit mulierem potestati viri sui, *Sub viri*, inquit, *potestate eris, & ipse dominabitur tui*; ratione cuius potestatis, *vir dicitur caput mulieris* ad Ephes. 5. Et hæc potestas coniugis in coniugem non est maior, sed potius multo minor, quam potestas Principis in populum sibi subiectum, tum quoad extensionem, tū quoad separationem à suo subiecto.

296 Et quod attinet ad extensionem, si sermo sit de bonis, quæ ad corpus pertinent, potest Princeps plura & maiora præcipere suis subditis, quam vir vxori: & Princeps habet potestatem ordinariam subditos suos delinquentes pœna carceris, membrorum mutilationis, atque extremo etiam mortis supplicio afficiendi, quæ tamen potestas marito non competit. Si vero de bonis fortunæ loquamur: dicimus bona illa, quæ propria sunt vxoris, vt Paraphernalia, id est, quæcunque habet mulier præter dotem, vt successiones hæreditariæ, & legata ei vel donata, posse vxorem iuxta ius ciuile * vendere, alienare, aut donare absque licentia

* Cod. de pact. con. L. hac lege. mariti, neque ea magis esse sub potestate viri, quam sint bona subditorum sub potestate Principis, qui quamuis illorum non habeat dominium proprietatis, habet tamen illorum plenum dominium iurisdictionis, & de illis disponere potest, si id exigat Reipublicæ necessitas.

297 Si vero sermo sit de difficultate maiori separationis à subiecto, potestas Principis in populum subiectum proprie dicta ratione cuius ipse subditis actu imperare potest, & illi tenentur obedire, non est maior, quam potestas viri in vxorem: illa etenim, vt Cardina-

1 Nu. 168. lis Bellarminus superius [1] asseruit, à Principe infideli, inuito, separari non potest, nisi in casu quo subditos ad infidelitatem pertrahit; at hæc potestas, ratione cuius vir vxori actu imperare potest, & illa obedire tenetur, in pluribus aliis casibus à viro separari potest, nempe in iis fere omnibus, in quibus coniuges quoad thorum, & habitationem separari possunt.

298 *Vel secundo*, per potestatem intelligitur illa, ratione cuius Sanct. Paulus 1. Corint. 7. dicit, *mulierem non habere corporis sui potestatem, sed virum; similiter & virum non habere corporis sui potestatem, sed mulierem*, quæ potestas nihil aliud est, quam ius illud, quod vterque coniugum habet ad petendum, & reddendum debitum coniugale, quæq; non est maior in viro, quam in muliere.

Et

Et si de hac potestate loquatur Card. Bellar. parum adiuuat eius sententiam, tum quia hæc potestas coniugis in coniugem, quoad difficultatem separationis, non est maior, quam sit potestas Regis in subditos: Nam potestas hæc coniugis in coniugem facilius, & in pluribus casibus separari potest, quam possit potestas Regis in populum subiectum, vt iam supra dictum est. Quoad concessionem vero hæ potestates commode comparari non possunt: tum etiam quia ratione huius potestatis nec vir est Dominus mulieris, nec mulier viri, sed ambo quo ad hanc potestatem sunt æquales; at præsens controuersia tantum est de potestate Imperandi, ratione cuius Princeps verum, proprium, & supremum dominatum in subditos habet.

299 *Vel tertio denique*, per potestatem intelligitur ipsum matrimonii vinculum, quod consistit in mutua quadam obligatione, qua vir efficitur maritus vnius fœminæ, vt non possit esse alterius illa viuente, & mulier ita efficitur vxor vnius viri, vt illo viuente non possit esse alterius. Et si de hoc vinculo loquatur Card. Bellarminus, Dicimus primo, vinculum hoc non adeo proprie dici potestatem, (illam potestatem intelligendo, quæ actu imperare potest) nam licet potestas supponat vinculum, & ex eo vt plurimum consequatur, tamen ratione ipsius vinculi præcise, nec mulier est sub potestate viri, nec suus corporis alterius potestatē habet, vt patet in iis præsertim coniugibus, qui ex mutuo consensu in Religione approbata professionem emittunt, qui iuxta legem Canonicam [u] ita separantur, vt nunquam etiam ex vtriusque consensu simul cohabitare possint. Atque ita vxor soluta esse potest à potestate viri, & ab obedientia, quam illi debet, vinculo coniugii non soluto; at præsens difficultas non est de alio vinculo, quam de vinculo potestatis & obedientiæ, quod multo maius est inter Principem & subditos, quam inter maritum & vxorem.

[u] Cap. dudum de conuersione coniugatorum. Sylvester verbo diuortium, & omnes alii.

300 Dicimus secundo, non esse maius vinculum coniugis infidelis & fidelis, quam sit Regis infidelis & populi fidelis, sed saltem esse æquale etiam ex principiis ipsius Cardinalis Bellarmini. Nam sicut coniunx fidelis libera est ab obligatione manendi cum coniuge infideli solum in casu, quo eam ad infidelitatem pertrahit, ita populus fidelis liber est à iugo Regis infidelis solum in casu, quo eum à fide amouere conatur, vt ipse Bellarminus superius [x] docuerat; In hoc autem argumento solum loquitur de vinculo coniugum infidelium. Immo inter fideles vinculum coniugale potest quodammodo dici minus, quam vinculum Regale: nam coniuges fideles post matrimonium contractum, sed non consummatum possunt etiam iuxta ius Canonicum [y] quoad vinculum separari, si vxor marito etiam inuito, vel è conuerso Religionem approbatam intra duos menses à die matrimonii initi ingrediatur; atque in ea professionem emittat; at subditi per Religionis ingressum à Principis secularis potestate non liberantur, sed eum pro supremo suo Principe in rebus ciuilibus deinceps quoque recognoscunt.

[x] Num. 288.

[y] Cap. verum, & cap. ex publico, de conuers. coniugat.

301. Tertio denique, si ratione vinculi recte fieret comparatio mariti & vxoris, ad Regem & populum sibi subiectum (si de Principibus baptizatis loquamur, de quibus potissimum præsens controuersia instituitur) hæc similitudo à Cardinale Bellarmino allata plurimum nocet suæ sententiæ, vt superius [z] diximus: Nam sicut coniuges baptizati non possunt liberari à vinculo coniugali etiamsi alter alteram à fide auocare conetur, ita nec populus Christianus liberari potest à vinculo potestatis Principis Christiani, tametsi populum ad hæresim, vel infidelitatem pertrahere studeat.

[z] Num. 292.

Atque hinc patet rationes omnes Cardinalis Bellarmini, quibus probare contendit penes populum fidelem esse auctoritatem deponendi Principem hæreticum aut infidelem, qui eos ad suam hæresim aut infidelitatem pertrahere conatur, esse valde insufficientes, & propterea totam hanc tertiam eius rationem, quoad singulas illius partes, esse debilissimam.

302 Quarta ratio Cardinalis Bellarmini. *Quando Reges & Principes ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt sceptra sua subiiciant Christo & polliceantur se fidem Christi seruaturos, & defensuros etiam sub pœna perdendi regni: ergo quando fiunt hæretici, aut religioni obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponendi à Principatu, nec vlla eis iniuria fiet, si deponantur. Nam non est idoneus Sacramento Baptismi, qui non est paratus Christo seruire, & propter ipsum amittere quicquid habet. Ait enim Dominus Luc. 14.* Si quis venit ad me, & non odit Patrem, & matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

Præterea Ecclesia nimis grauiter erraret si admitteret aliquem Regem, qui vellet impune fouere quamlibet sectam, & defendere hæreticos, ac euertere religionem.

303 Hæc est quarta ratio Cardinalis Bellarmini, quam Matthæus Tortus supra [a] relatus tanti æstimauit, vt eam solam præ cæteris elegerit tanquam omnium potissimam; & maxime sufficientem ad auctoritatem Papalem Principes hæreticos Principatu pellendi comprobandam: cum tamen cæteris multo infirmior sit; & ex iisdem suis principiis solui possit, quibus satisfactum est rationi præcedenti; vt ex dicendis melius constabit.

[a] Num.

Respondetur igitur, Totam hanc argumentationem non habere plus virium, quam præcedentes, cum neque antecedens propositio vera sit, neque si vera esset, ex ea recte colligeretur quod ipse deducere contendit.

Et primo, quod attinet ad propositionem antecedentem, in ea duo asseruntur. Primum est, Reges, & Principes, quando ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipi cum pacto expresso vel tacito, vt sceptra sua subiiciant Christo, & polliceantur se fidem Christi seruaturos, & defensuros.

Secundum est, huic pacto esse annexam pœnam perdendi regni, si fidem datam violauerint.

304 *Circa primum*: Quamuis hæretici, quando ad Ecclesiæ vnitatem redeunt, debeant iuxta ius Canonicum [b] tum hæresim abiurare, tum scripto polliceri se deinceps fidem Catholicam seruaturos; *& si sint Comites, Barones, Rectores, & Consules ciuitatum, & aliorum locorum iuxta commonitionem Episcoporum, præstito corporaliter iuramento, debent insuper promittere, quod fideliter, & efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices adiuuabunt bona fide iuxta officium, & posse suum*: Attamen, quando Reges, & Principes, aut alii quicunque primum Christiani fiunt, & Baptismum suscipiunt, non potest vllo iure, aut ratione probari, eos ad tale pactum expressum, vel tacitum obligari, si de pacto, & promissione proprie loqui velimus. Nam in adultis vera fides, & contritio est sufficiens dispositio ad Baptismi gratiam consequendam, neque ex sententia Theologorum requiritur pactum aliquod, aut promissio, quam pactum includit, vt Baptismus rite suscipiatur. Multo minus ab Infantibus tale pactum exigi potest.

305 Et quamuis Sacerdos baptizandum interroget, *An abrenunciet Sathanæ, & omnibus pompis eius?* & ipse, aut Patrini vice eius, respondeant, *Abrenuncio*: sub hac tamen verborum formula, non pactum aliquod, aut promissio, sed nudum tantum propositum, quod multum à promissione differt, continetur: vt sensus sit, An abrenuncias Sathanæ, & omnibus pompis eius? id est, An propositum firmum, atque intentionem deliberatam habes Sathanæ nuncium remittendi, & nullis eius operibus communicandi? & ipse Respondes, abrenuncio, id est, talem animi intentionem, & tale propositum iam teneo. Qua locutione clarum est, non promissionem aliquam, sed propositum duntaxat significari.

306 Promissio enim, & propositum ita inter se distinguuntur, quod propositum latius pateat, quam promissio; siquidem omnis promissio propositum quoddam est, non tamen vicissim omne propositum est, promissio, * quia propositum in sola voluntatis actione perficitur, & nihil aliud est, quam constans quædam intentio voluntatis aliquid faciendi, vel cauendi, quæ intentio nullam obligationem inducit: sed promissio præter dictam intentionem superaddit iudicium rationis, seu affirmationem, aut negationem intellectus, quo se obligat ad illud faciendum, quod apud animum proponit suum. Atque ita qui promissum non seruat, mendax dicitur, quia non adimplet facto, quod mentis verbo faciendum decreuit, sed qui propositum mutat, non mentitur, quia nulli mentis actioni contradicit, *mentiri enim est contra mentem ire.*

Quod si fortasse aliqui Reges, quando ad Christi fidem conuersi sacro Baptismatis fonte tincti fuerint, maioris deuotionis ergo talem promissionem fecerint, non debet vnius, vel alterius exemplum pro regula generali cæteris assignari.

307 Verum, si Cardin. Bellarminus propositionem suam conuertisset, atque dixisset, Quando Christiani ad Rempublicam politicam veniunt, vt Reges, ac Principes fiant, atque Regali diademate coronentur, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt fidem Christi tueantur, & polliceantur se Christi fidem seruaturos, & defensuros, cum maiori profecto probabilitatis specie locutus fuisset. Nam Imperator Romanus, antequam coronetur, præstito iureiurando pollicetur, se Romanam Ecclesiam defensurum, & protecturum; [c] Et forsan apud alias etiam nationes vetus consuetudo inoleuit, vt Principes Catholici, quando primum consuetis Regni ritibus initiantur, & Regali diademate coronantur, spondeant, ac iurent se Ecclesiam Catholicam protecturos esse. Cæterum quod talis promissio (si promissio proprie accipiatur,) à Principibus baptizatis exigi debeat, cum ad effectum Baptismi consequendum nequaquam sit necessaria, non satis firmiter à Cardinal. Bellarmino commonstratur.

308 Et licet interdum apud antiquos Patres scriptum reperiamus, inter baptizatum, & Christum, seu Ecclesiam Christi sponsam, iniri pactum cum promissione; Vnde Vrbanus primus, [d] *Hortamur*, inquit, *vt sponsionem, quam Domino in Baptismo fecistis, firmiter teneatis*; & Sanctus Ambrosius, [e] *Vbi*, inquit, *promiseris, considera, vel quibus promiseris, chirographum tenetur non in terra, sed in cælo.* Sanctus etiam Isidorus [f] duplicem dicit intercedere pactionem, *alteram renunciationis Diaboli, & pomparum eius, alteram in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*: Attamen, vt recte aduertit Franciscus Suarez, [g] hæc pactio, sponsio & promissio *non est intelligenda de proprio voto, seu promissione Deo facta, sed de obligatione, quam ipsamet professio Christianæ Religionis, quæ in Baptismo fit, inducit ratione diuinæ legis à Christo latæ, & potestatis Ecclesiæ sua concessæ.* Quin & ipse Cardinalis Bellarminus [h] tametsi dicat, *in Baptismo omnes Christianos promittere, se legem Dei seruaturos, atque ex eo tempore abrenunciare Diabolo, & pompis eius, id enim & ritus Baptismi testatur, & Patres apertissime docent*, tamen asserit, *eam promissionem nihil aliud esse, quam testificationem quandam, & acceptationem obligationis, quam lex Dei secum affert.* Et propterea non est ex mente ipsius proprie vo-

[b] Cap. Ad abolendam de hæreticis.

* Thom. 2. 2. q. 88. ar. 1. & omnes Theol. tractantes de voto. Vide Reginaldum Clauem Regiam li. 6. c. 1.

[c] Clementina primo de Iureiurando.

[d] In Epist. decretali.

[e] Lib. 1. de Sacram. c. 2.

[f] Lib. 2. de officiis Eccl. c. 24.

[g] Tom. 2. de 3. par. q. 71. ar. 2. 302.

[h] Lib. 2. de monachis c. 19.

tum aut promissio Deo, vel Ecclesiæ facta; propria enim promissio ex se vim habet obligandi, at promissio illa, quæ in Baptismo fit, non habet peculiarem vim obligandi, neque enim fideles, dum baptizantur, *vllam aliam intentionem aut explicitam, aut implicitam se obligandi habere tenentur, nisi quantum ex ipsis Dei legibus obligantur*; vt Cardin. Bellarminus docet eo loco. Et propterea in fine capitis [i] ait, *Christianos baptizatos cogi ab Ecclesia, vt seruent legem Christi, non tam ex eorum promissione, quam ex eo, quod per Baptismum facti sunt membra, & filii Ecclesiæ, omne enim membrum subiectum esse debet capiti, & omnis filius parenti iure naturæ subiicitur.*

310 Sed esto, concedamus disputationis gratia, quod Cardin. Bellarminus verum esse frustra contendit, nempe Reges, ac Principes, quando ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, pacisci, id est, proprium pactum inire cum Ecclesia de fide Catholica seruanda, & protegenda, quo tamen testimonio, quaue ratione verisimili probari potest illud aliud pactum de perdendo Regno, si promissis non steterint? Nam pactum expressum inter Principes baptizandos & Ecclesiam de perdendo Regno initum, apud neminem (solo Cardinal. Bellarmino excepto) scriptum reperi, neque in vlla auctoritate, aut ratione fundatur. At vero pactum tacitum de Regno perdendo ex duobus duntaxat, quantum coniicere valeo, colligi potest, nimirum vel ex ipsa contritione, quæ ad Baptismum disponit, ex qua ipse Bellarminus in probatione huius rationis, *Nam non est idoneus*, &c. illud colligere videtur; vel ex ipsa promissione de vera fide seruanda, & defendenda Ecclesia Catholica, quam promissionem in Principibus baptizandis interuenire dicit quidem, sed non probat Cardinalis Bellarminus, vt paulo post videbimus.

311 Et primo ex natura contritionis colligi non potest illud pactum implicitum de regno deperdendo. Nam tametsi vt aliquis sit vere contritus, teneatur in animi præparatione vel expresse vel tacite seu virtute omnia regna mundi contemnere, ipsamque vitam potius amittere, quam peccatum aliquod lethale committere, quia hoc ipso fit Dei inimicus, & amittit ius ad regnum cœlorum, atque dignus est vt gehennæ incendiis in perpetuum crucietur, & hoc ad perfectam contritionem satis esse (præsupposita detestatione peccatorum, vt sunt offensa Dei summe dilecti) docent Theologi; * Totum tamen hoc in solo proposito non peccandi in futurum, absque vlla comparatione expressa de hoc vel illo perdendo, plene perficitur, neque præter tale propositum vlla alia promissio requiritur vt tradunt Theologi de contritione tractantes. * Vide Suarez tom. 4. disp. 4.

312 Immo *neque formalis comparatio inter culpam & pœnam*, vt optime scribit Franciscus Suarez [k] *ad perfectam contritionem aut est necessaria, aut semper vtilis, aut hominibus nouiter conuersis proponenda, quando præsertim fit comparatio in specie cum aliquo malo sensibili, vt est mors propria, aut vxoris, amissio liberorum, bonorum omnium deperditio, &c. quia homines regulariter loquendo multum mouentur ab his sensibilibus, & ideo verendum est, ne dum hæ comparationes illis formaliter proponuntur, in nouo periculo peccandi constituantur. Idcoque recte Nauarrus in Summa, cap. 1. numer. 37. ait, nec Scripturam, nec Concilia, aut sanctos Patres à nobis exigere illas comparationes paucissimis cognitas, & paucissimis visitatas.* Hæc Suarez. Quapropter iuxta hanc doctrinam non esset laudandus, qui ad hoc, vt Princeps baptizandus verum contritionis actum eliceret, ipsum interrogaret, num potius Regno priuari, quam Deum, aut Ecclesiam offendere paratus esset. Et multo minus pactum aliquod, aut promissionem de Regno deperdendo à Principe baptizando exigere licet. Atque ita patet pactum hoc implicitum de Regno amittendo ex natura contritionis deduci non posse. k Tom. 4. disp. 4. sect. 10.

313 Sed nec secundo colligi potest ex vi ipsius promissionis de seruanda vera fide, & tuenda Ecclesia Catholica (si ad talem promissionem Principes baptizandi obligati essent) tum quia ipse Cardinalis Bellarminus satis aperte indicat hoc loco tale pactum de regno perdendo non necessario consequi ipsam promissionem de fide Catholica tuenda, dum ait, Principes recipi cum pacto expresso vel tacito, vt scepta sua subiiciant Christo, & polliceantur se fidem Christi seruaturos & defensuros, *etiam sub pœna perdendi regni*: vbi per hanc clausulam *etiam sub pœna perdendi regni* insinuat pœnam hanc ex priori tantum promissione non necessario consequi; tum potissimum, quia tametsi concedamus illum, qui cum alio paciscitur de re aliqua, tacite etiam pacisci de pœnis ordinariis subeundis, quæ promissioni violatæ sunt annexæ; & ita qui præstito iureiurando stipulatur de deposito, exempli causa, custodiendo, implicitum etiam pactum inire, quod si iuramentum violat, pœnis illis subiectus erit, quæ ordinarie pro tali periurio ex legum præscripto infligi solent; de pœnis tamen extraordinariis non est similiter philosophandum, nisi in tali pacto pœna illa extraordinaria sit expresse nominata.

314 Vnde licet consideremus Reges & Principes, quando ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipi cum pacto saltem tacito, vt sceptra sua subiiciant Christo, & polliceantur se fidem Christi seruaturos, & defensuros, sub pœna cœlestis Regni deperdendi, non tamen sequitur talem promissionem de fide Catholica seruanda, & protegenda continere pactum implicitum de pœna Regni temporalis amittendi, quia amissio Regni cœlestis est pœna ordinaria iure diuino imposita Christianæ fidei desertoribus, nisi resipuerint, et a-

missio Regni terreni est pœna extraordinaria, neque per legem diuinam aut humanam pro hæresis crimine Principibus constituta, & propterea vt talis pœna ex vi pacti incurri debeat, in ipso pacto oportet esse exprimendum.

315 Quod si quis dicat, non solum bonorum omnium deperditionem, verum etiam mortem temporalem esse pœnam ordinariam hæreticorum à lege [l] taxatam, & propterea qui pacifcitur de fide Catholica seruanda, pactionem etiam implicitam facit de amissione bonorũ, & consequenter Regni terreni, atque de ipsa quoque capitis pœna subeunda, si in hæresim labatur.

Responsio est facilis, has leges non obligare Principes quoad vim coercentem, sed solum subditos. Principes enim legibus soluti sunt [m] tuti Imperii potestate, id est, si delinquant, à solo Deo puniuntur, pœnis, subintellige, temporalibus, vt superius [n] ex sanctis Patribus ostensum est.

316 Neque obstat, quod lege Canonica [o] sancitum sit bona hæreticorum confiscanda esse. Nam præterquam quod Principes in pœnalibus sub clausulis generalibus comprehendi non solent; Respondet Ioannes Parisiensis ex Cardinali Hostiensi, vt inferius [p] videbimus, decretum illud factum fuisse ex assensu Imperatoris, qui tunc Paduæ præsens consensit; & propterea nec Imperatorem, nec alios Principes absolutos quoad vim coercentem obligare poterat.

Atque hinc patet, quam debilis sit hæc antecedens propositio quoad vtramque eius partem, cum neque verum sit, quod Principes, quando ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipiantur cum pacto etiam tacito se fidem Christi seruaturos & defensuros, neque etiam tametsi tale quid pollicerentur, promissio illa facta sit sub pœna perdendi Regni, si eam non seruauerint.

317 Et quamuis hæc propositio antecedens quoad vtramque eius partem vera esset, non tamen inde recte deduci potest, quod Cardinalis Bellarminus concludere vellet, videlicet, *Ergo quando Principes fiunt hæretici, aut religioni obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, atque etiam deponi à Principatu, nec vlla eis fiet iniuria, si deponantur.*

Non enim melior est prædicta consequentia, quam istæ, quæ sequuntur. *Quando aliqui ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt se, ac sua subiiciant Christo, & polliceantur se fidem Christi seruaturos & defensuros, etiam sub pœna vitæ temporalis, simul & æternæ amittenda; ergo quando fiunt hæretici, aut religioni obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, atque etiam vita temporali, ac æterna priuari, nec vlla eis iniuria fiet, si talis contra eos sententia ab Ecclesia feratur.*

318 Magna profecto eis fieret iniuria, cum ad Ecclesiam non spectet ferre sententiam in causa mortis, sed hoc iudicium, si de morte temporali loquamur, ad forum Principum Secularium spectat, sicut etiam ad Dei tribunal pertinet post hanc vitam morti æternæ hæreticos adiudicare. Pari modo dicimus esse quidem penes Ecclesiam potestatem iudicandi Principes hæreticos, quod attinet ad pœnas Ecclesiasticas: at potestas iudicandi quoad pœnas ciuiles, qualis est Principum depositio, Ecclesiasticæ auctoritatis limites excedit. Vide etiam quæ superius [q] diximus in solutione tertiæ rationis, ex quibus huius consequentiæ imbecillitas clarius innotescit.

319 Sed probat Cardinalis Bellarminus suum argumentum duabus rationibus adeo imbecillis, vt vix vlla prorsus solutione indigeant.

Prima probatio est: *Nam non est idoneus sacramento Baptismi, qui non est paratus Christo seruire, & propter ipsum amittere quicquid habet; Ait enim Dominus, Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Hæc ratio, cum agat de præparatione necessaria ad Baptismum, propositionem antecedentem confirmare videtur. Sed profecto non video, quomodo Cardinalis Bellarminus ex hac propositione, quæ proculdubio est verissima, propositionem antecedentem corroborare possit, nisi pactum & promissionem cum proposito confundere velit, quæ tamen ab omnibus doctis distinguuntur, vt superius [r] diximus.

320 Nam antecedens propositio disertis verbis agit de promissione, & pacto expresso, vel tacito, de fide Christi seruanda, & defendenda etiam sub pœna perdendi regni: At hæc propositio plane loquitur de proposito: Non est, inquit, idoneus Sacramento Baptismi, qui non est *paratus*, id est, *apud animum suum proponit*, Christo seruire, propter ipsum omnia relinquere, quæ habet. Quomodo igitur ex eo, quod quispiam quoad interiorem animi præparationem paratus esse debet omnia pro Christo relinquere, vt idoneus sit Sacramento Baptismi, recte concluditur, Ergo pollicetur, & expresse, vel tacite paciscitur de Christo inseruiendo, etiam sub pœna omnia omittendi, nisi promissionem à proposito distinguere nolit?

321 Illud vero quod adducitur ex Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem, &c.* nullum pactum aut promissionem inuoluit; sed solum confirmat id, quod de proposito diximus, vt sensus sit. Qui vult sequi Christum, debet quoad animi præparationem potius patrem, matrem, vxorem, & omnia relinquere, quam Christum. Quinimo expressissimis verbis

hæc

[l] Cod. de hæret. leg. Manichæos, leg. Quicunque in titulo, & leg. vltima, & supplicium est. de pœnis.
[m] Glossa in verbo absolutus de constitut. & Cano-
[n] Nu. 3 & sequ.
[o] Ca. Vergentis de hæretica.
[p] Nu. 434.
[q] Nu. 220. & seq.
[r] Nu. 306.

hocidem alibi y docet Cardinalis Bellarminus, vbi summatim repetens argumenta sua hic allata ad probandum penes Pontificem esse auctoritatem regna atque imperia transferendi, si Ecclesiæ necessitas id postulauerit, postquam hunc textum sacræ Scripturæ allegasset, ita inquit: *Quæ loca, vt S. Augustinus rectè exponit in epist. 5. ad Marcellinum, sic intelligenda sunt, vt is non possit esse Christi discipulus, qui non est paratus carere potius vxore, liberis, parentibus, opibus, honoribus, atque ipsa etiam vita, quam vt Christum offendat.* Cum igitur textus iste sacræ Scripturæ iuxta expositionem Cardinalis Bellarmin. de odio patris, matris, &c. quoad animi præparationem, seu propositum intelligatur, nihil prorsus conducit ad propositionem antecedentem confirmandam, quæ de promissione, & pacto diserte loquitur.

y Libr. 1. de tra. imp. in eru. Rom. c. th.

322 Secunda Probatio est, *Præterea Ecclesia nimis grauiter erraret, si admitteret aliquem Regem, qui vellet impune fouere quamlibet sectam, & defendere hæreticos, & euertere religionem.*

Verum, quid ex hac propositione, quæ verissima est, deduci possit ad propositionem antecedentem stabiliendam, capere non valeo. Nam si ad formam syllogisticam eam reducere velimus, hæc videtur esse eius probatio. *Nimis grauiter erraret Ecclesia, si admitteret* ad Baptismum (vt reor) *aliquem Regem, qui vellet impune fouere quamlibet sectam, &c. sed nisi Reges, & Principes, quando ad Ecclesiam veniunt, reciperentur cum pacto expresso, vel tacito, vt sceptra sua subiiciant Christo, & polliceantur se fidem Christi seruaturos, & defensuros etiam sub pœna perdendi Regni, Ecclesia admitteret Reges, qui vellent impune fouere quamlibet sectam, & euertere Religionem; ergo non debet Ecclesia nisi eam grauiter errare velimus, admittere Reges, &c.* Quæ quidem argumentatio quam insufficiens sit, quiuis vel mediocriter doctus statim perspicere potest, cum minor propositio sit aperte falsa, vt ex se satis constat, atque ex supradictis est etiam manifestum.

323 Neque existimo locutum esse Cardin. Bellarminum de admissione Regis Christiani ad Regnum; nam præterquam quod illud à re hic instituta esset plane alienum, vt ex toto eius discursu in hac ratione manifesto colligitur, satis perspicuum est, non pertinere ad Ecclesiam, sed ad Rempublicam ciuilem Reges Christianos ad Regnum temporale *admittere.*

Si Cardinalis Bellarminus in illo verbo *admittere*, primam tantum syllabam commutasset, existimassem eum rationem hanc attulisse, non tam ad probandam propositionem antecedentem, quam ad consequentem corroborandam, quæ erat. *Ergo Principes hæretici possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam à Principatu deponi, nec vlla eis iniuria fiet, si deponantur*, quia alioquin Ecclesia nimis grauiter erraret, si *permitteret*, non dico admitteret, aliquem Regem, qui vellet impune fouere quamlibet sectam, &c. Sed de huiusmodi etiam ratiocinatione satis multa diximus superius z in solutione secundæ, & tertiæ rationis.

z Nu. 183. & seq. 220. & seq.

324 Atque in illo vocabulo *impune* subdola latet æquiuocatio, vt supra v etiam diximus, quasi vero alia pœna non possit ab Ecclesia principibus hæreticis infligi præter depositionem à regno. Scio Cardin. Bellarminum bene meminisse illius, quod alibi * ex S. Augustino docuerat, nimirum Excommunicationem Ecclesiasticam esse pœnam maiorem quam sit mors temporalis, & consequenter, quam sit depositio à Regno temporali. Hoc igitur puniendi genere, cum sit Ecclesiasticæ potestatis proprium, vti potest Summus Pontifex, absque eo quod potestatis politicæ fines inuadat.

v Nu. 183. & seq.
* Lib. 3. de Laicis, c. 21.

Vides itaque quam infirma sit tota hæc quarta ratio Cardin. Bellarmini, cum neque vera sumat in antecedenti, neque rectam construat consequentiam, neque etiam rationibus, quas deinde affert, aliquid recte deducat, quod ipsius propositio deseruiat. Hac igitur ratione penitus euersa, quæ tamen à Matthæo Torto, vt supra x vidimus, in tanto pretio habetur, ad quintam, & postremam eius rationem accedamus.

x Nu. 8.

325 *Quinta ratio Cardin. Bellarmini. Cum Petro dictum est, Pasce oues meas, Iohan. vltimo. data est ei facultas omnis, quæ est Pastori necessaria ad gregem tuendum: At Pastori necessaria est potestas triplex, nimirum vna circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit; altera circa arietes, vt si quando cornibus lædant gregem, possit eos recludere, & prohibere, ne gregem vlterius lædant; tertia circa oues reliquas, vt singulis tribuat conuenientia pabula: ergo hanc triplicem potestatem habet Summus Pontifex.*

326 *Ergo tria ducuntur argumenta ex hoc loco: Primum sit, Lupi, qui Ecclesiam domini vastant, hæretici sunt, vt patet ex illo Matth. 7.* Attendite à falsis prophetis, *&c. Si ergo Princeps aliquis ex oue, aut ariete fiat lupus, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne eum sequantur, & proinde priuare eum dominio in subditos.*

327 *Alterum vero sit: Potest Pastor arietes furiosos destruentes ouile separare, & recludere. Princeps autem est aries furiosus destruens ouile, quando est Catholicus fide, sed adeo malus, vt multum obsit religioni, & Ecclesiæ, vt si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat, &c. ergo poterit Pastor Ecclesiæ eum recludere & redigere in ordinem ouium.*

328 *Tertium argumentum est; Potest Pastor, ac debet omnes oues ita pascere, vt eis conuenit, ergo potest, ac debet Pontifex omnibus Christianis ea iubere atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum secundum suum statum tenetur, id est, singulos cogere, vt eo modo Deo seruiant, quo secundum statum suum debent; debent autem Reges Deo seruire, defendendo Ecclesiam, puniendo hæreticos, & schismaticos, vt Augustinus docet in Epistol. 50. ad Bonifacium, Leo Epistol. 75. ad Leonem Augustum, & Gregorius libr. 2. Epistol. 61. ad*

61. ad Mauritium; ergo potest, ac debet Regibus iubere, vt hoc faciant, & nisi fecerint, etiam cogere per Excommunicationem, aliasq; commodas rationes.

329 Hæc est quinta, & vltima ratio Cardin. Bellarmini, In qua ipse magis ingeniose, quam solide ex Pastoris officio probare contendit penes Pontificem esse auctoritatem Principes hæreticos deponendi. Immo hac ipsa ratione, qua ille probat, posse Pontificem Principes propter hæresim suis Principatibus pellere, plus probari videtur, quam ipse forsan expressis verbis libenter fateri velit, (quamuis ex eius doctrina de Principum depositione necessaria cõsecutione colligatur, vt superius [y] dictum est) nempe Pontificem habere potestatem Reges & Principes non solum ob crimen hæresis, sed etiam propter alia quæcunque scelera, quæ extremo supplicio digna sunt (si præsertim Ecclesiæ monitionem audire noluerint) non tantum dominatu, verum etiam vita priuandi; & quod maius est, posse Pontificem cuilibet priuato licentiam impertiri, vt tales Principes propter eiusmodi scelera, quæ spiritualem Ecclesiæ pacem perturbant, & animarum saluti damnum afferunt, etiam per insidias interficiat, si alioquî deponi non queant.

[y] Nu. 45. & seq.

330 Quæ doctrina, si vera est, quam lubrica, ac plane misera, innumerisque periculis atque cruentarum insidiarum suspicionibus exposita sit Principum, præsertim illorum conditio, qui non eo modo viuunt, quo secundum statum suum tenentur; æquis rerum æstimatoribus iudicandum relinquo.

Verum, si discrimen inter Pastorem spiritualem, & temporalem, hominum, & pecudum diligentibus aduertamus, tota hæc ratio Cardinalis Bellarmini funditùs corruit, & prædicta incommoda nullo labore deuitantur, etiam iux a ipsius principia in superioribus sæpius allata. Sicut enim Pastor, seu Princeps temporalis habet pro suo fine pacem temporalem, & Pastor spiritualis æternam animarum salutem, ita vterque tum potestatem, tum instrumenta proportionata ad hos fines, & consequendos, & conseruandos habere debet.

331 Hæc igitur ratio Cardinal. Bellarmini non multum reipsa discrepat à secunda sua ratione superius [z] commemorata, nisi quia ibi comparat Ecclesiam Regno, seu Republicæ bene institutæ, vt inde probet Summum Pontificem hujus Reipublicæ spiritualis Principem habere Potestatem deponendi Principes hæreticos, qui Ecclesiam, & veram Religionem euertere student, hic vero Ecclesiam confert cum ouiari optime gubernata, vt hinc demonstret penes Pastorem eius esse omnem potestatem necessariam ad suum gregem tuendum, & consequenter ad Principes hæreticos, qui tanquam lupi, gregem deuastare nituntur, omni ratione, qua poterit, coercendos. Quapropter eadem pene Responsio, quam ibi ad illam rationem dissoluendam adhibuimus, huic etiam satisfaciendo accommodari potest.

[z] Nu. 173.

332 Nam siue Ecclesia conferatur cum Regno bene instituto, siue cum familia recte gubernata, siue cum castrorum acie ordinata, siue cum naui in medio mari fluctibus agitata, siue cum ouiaria optime custodita, siue alio quouis modo comparetur, tota potestas Rectoris ipsius, siue Rex, siue Paterfamilias, siue Dux, siue Nauarchus, siue Pastor, aut alio quouis nomine nuncupetur, spiritualis est, & ex fine, qui spiritualis est, nempe animarum salute petitur. Neque potestas qua Princeps spiritualis regit Rempublicam distincta est ab ea, qua pastor spiritualis custodit gregem suum, sed eadem prorsus potestas est, quamuis per diuersas similitudines explicetur. Vt enim recte ait Cardinalis Bellarminus, [a] *Illud quod in ædificio est fundamentum, est in corpore caput, in ciuitate Rector, Rex in Regno, Paterfamilias in domo*; possumus etiam adiungere, Dux in exercitu, Nauarchus in naui, & pastor in grege.

[a] Lib. 1. de Rom. pont. cap. 9.

333 Quocirca sicut ibi diximus, Ecclesiam esse Rempublicam perfectam in suo genere, & habere omnem potestatem spiritualem, necessariam, & sufficientem ad suum finem consequendum, quantum est ex parte ipsius potestatis, non tamen propterea vel habere potestatem ea omnia ponendi aut remouendi, quæ executionem ipsius potestatis, id est, vt animæ actu saluentur, adiuuant, aut impediunt; vel etiam idcirco habere auctoritatem Reges propter hæresim aut infidelitatem deponendi, vel aliquos vita priuandi, cum hæc potestas temporalis sit, & Reipublicæ ciuili, non Ecclesiasticæ propria: Ita modo asserimus Ecclesiam recte comparari ouiariæ optime custoditæ, & cum Petro dictum est Iohan. vltimo, *Pasce oues meas*, datam esse illi facultatem omnem, quæ Pastori spirituali necessaria est ad gregem Domini custodiendum, quantum est ex parte ipsius facultatis, neque idcirco habere facultatem ea omnia ponendi aut tollendi, quæ ad hoc, vt facultas in actum suum exeat, necessario requiruntur: alioquin nulla ouis absque Pastoris negligentia perire posset, si penes eum esset potestas omnes & singulas ad salutem æternam actu perducendi: neque etiam propterea habere omnem potestatem lupos, id est, hæreticos arcendi, sed tantum spiritualem. Cum igitur duæ tantum sint supremæ potestates, quibus mundus hic regitur actibus propriis, & dignitatibus distinctæ, auctoritas nempe sacra Pontificum seu spiritualis, & regalis potestas seu temporalis (vt in initio diximus) immerito sane Cardinalis Bellarminus in hac sua ratione vtriusque potestatis actiones confundit, & ab vna in alteram artificiose transilit.

335 Sed priusquam tria hæc eius argumenta ex officio Pastorali desumpta speciatim [illegible] amus, quorum tamen solutio iam ex supradictis satis constat, *Obseruandum est primo* discrimen inter lupos, arietes, & oues rationales, atque rationis expertes; ex quo nascitur, vt Pastor pecudum, & Pastor hominum, spiritualis & temporalis non sint eadem plane ratione adinuicem comparandi. Lupus enim qui animal brutum est, nequaquam fuit ouis, neque esse potest, & licite occidi potest non solum à Pastore, verum etiam absque Pastoris licentia à quocunque priuato, cui cura ouium non est commissa; At Princeps hæreticus, qui lupo assimilatur, tum erat ouis aliquando, tum denuo esse potest, neque à quocunque priuato absque Pastoris licentia interimi potest. Immo neque vllus, vt opinor, admittet posse Pastorem spiritualem priuatis hominibus licentiam concedere, vt talem lupum, qua possint arte, aut stratagemate occidant, quamuis, vt supra [b] diximus, illud ex hac doctrina de Principum depositione manifeste sequatur. [b] [illegible] seq.

336 Deinde arietes irrationales ita sunt de grege, vt in omnibus Pastoris regimini subiiciantur, neque ipsi alterius gregis sunt Pastores designati; at vero arietes rationales, quales iuxta Cardinalem Bellarminum sunt Principes temporales, tametsi quoad aliqua, nempe spiritualia, Pastori spirituali subdantur, quoad temporalia tamen sunt etiam ipsi absoluti Domini, & Pastorem spiritualem, vt superiorem non recognoscunt, sed & ipsi alterius gregis, nempe Status politici sunt à Deo Pastores constituti. Vnde 1. Paralip. 11. dicitur de Dauide Rege, *Tu pasces populum meum Israel, & tu eris Princeps super eum.* Et Isa. 44. dicit Dominus de Cyro Rege, *Qui dico Cyro, Pastor meus es.*

337 Denique oues rationis expertes nulla prorsus habent arma, quibus vel lupo noceant, vel se ab eius incursu tueantur, at oues spirituales habent arma spiritualia, quibus cum gregis Dominici hoste fortiter pugnent, & ab eius insidiis incolumes se seruent, immo neque ab ipso, nisi volentes, lædi possunt. Quo fit, vt in Pastore spirituali non sit necessaria tanta potestas ad lupos arcendos solum propter spiritualem gregis Dominici salutem, quanta necessaria est Pastori pecudum ad oues inermes à crudelitate lupi liberandas, cum oues spirituales plurima habeant arma, quibus omnes inimicorum suorum impetus, insidiasque vitare possint. Sed attende qualia armorum genera omnibus Christi assignet Sanct. Paulus 2. Corinth. 10. [illegible], inquit, *ambulantes non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* Et ad Ephes. 6. *Induite*, inquit, *vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, &c.* Vnde Glossa super hunc locum, *Induite*, inquit, *vos armaturam Dei, id est, virtutibus, quæ sunt arma militum Christi.*

339 *Secundo obseruandum est*, [c] duplex reperiri genus Pastorum, vnum eorum, qui solum sunt pastores ouium, alterum, qui & ouium Pastores, & simul Domini sunt. Inter hos illud est discrimen, quod Pastores secundi generis plenum habeant dominium & potestatem quasi illimitatam super gregem, adeo, vt si oues vel à grege errantes, vel scabie inquinatas, aut alio quouis modo gregi molestas repererint, possint illas aut recludere, aut si magis placuerit, etiam mactare; hæc tamen potestas non illis competit, qua Pastores sunt, sed qua ouium sunt Domini. At Pastoribus primi generis est quidem cura ouium concredita, sed angustioribus terminis limitata. Nam & gregem pascendi cura illis quidem ex officio incumbit, adeoque munus illorum est conuenienti pabulo omnibus prouidere, si à grege deuiauerint, voce, baculo, canibus ad gregem reuocare; si scabie, aut alia contagione conspersæ fuerint, eas à reliquis separare, & remedium opportunum quantocyus adhibere: Denique à luporum, omniumque [illegible] incursibus in quantum possunt, ac debent, eas incolumes seruare. Veruntamen neque oues erraticas, aut morbo infectas, aut alio modo gregi infestas Domino non consulto, interficere vllatenus illis licet; cum solum Pastores ouium, & non Domini existant. Quando itaque Summus Pontifex, cui cura Dominici gregis est commissa, Pastori [d] assimilatur, eiusmodi comparatio Pastoribus primi generis accommodanda esse videtur.

340 *His obseruatis ad rationem Cardinalis Bellarmini respondetur*, Pastorem tam temporalem [quam] spiritualem, vnumquemque in suo gradu triplicem habere potestatem, seu circa tres personas potestatem habere; circa lupos, circa arietes & circa oues. [e] Habet enim Pastor spiritualis potestatem populum Christianum regendi, & à Christianæ fidei hostibus defendendi, sed spiritualem.[d] Habet etiam Princeps temporalis potestatem eosdem homines gubernandi, & à publicæ perturbatoribus vindicandi, sed temporalem; adeo vt nec Princeps temporalis [illegible] auctoritatem spiritualem, nec Princeps spiritualis potestatem temporalem sibi arrogare debeat; vterque tamen in suo genere habet potestatem sufficientem, quantum est ex parte potestatis, Christianæ Reipublicæ gubernandæ, ac moderandæ.

[c] In Ecclesia [illegible] perfectio [illegible] prælati [illegible] cæteri. [illegible] habent [illegible] fratribus [illegible] subditi.

[d] S. Bernar. ad Eugen. Papam serm. [illegible] lib. 4. de consid. c. 3. [illegible]

341 Habet namque Pastor Ecclesiæ auctoritatem sibi à Christo traditam oues Dominicas, tum doctrinæ sacræ, tum Sacramentorum, Eucharistiæ potissimum pabulo reficiendi; si peccatorum scabie contaminentur, remedia salutaria, sed præsertim Pœnitentiæ Sacramentum applicandi: si extra gregem euagentur, tum voce propria, tum canum, id est, prædicatorum & inferiorum Pastorum hortamentis, atque etiam baculo Pastorali, id est, sanis reprehensionibus, aliisque pœnis spiritualibus ad ouile Dominicum reducendi. Si denique à lupis, id est, Ecclesiæ hostibus diuexentur, per salubria consilia, cæteraque media spiritualia, atque demum per censuras Ecclesiasticas, si opus est, istorum impetus repellendi plenam habet potestatem. Et hæc potestas, quantum est ex parte potestatis, atque ipsius officii Pastoralis, sufficiens [e] est ad animarum salutem procurandam. Reliqua vero, quæ præterea ad æternam ouium salutem consequendam necessaria sunt, ab ipsis ouibus, quarum id maxime interest, & quæ perire non possunt nisi volentes subministrari debent.

342 *Ad primum argumentum respondetur primo*, Eo nisi recte intelligatur, probari primum, non solum Principes hæreticos & infideles, si populum ad infidelitatem pertrahant, verum etiam malos Principes, & scandalosos Pontifices, qui Episcopatus vendunt, Ecclesias diripiunt, &c. posse suis dominiis priuari. Nam quamuis hæretici antonomastice *Lupi* dicantur, attamen, vt Sanct. Augustinus [f] tradit, & mali homines, atque hypocritæ *Lupi* etiam appellantur.

Deinde, hoc etiam argumento, nisi recte explicetur, probari videtur, posse hæreticos, & malos Principes, & forsan malos Pontifices non solum dominiis suis priuari, verum etiam per insidias à quocunque trucidari, si alioquin à grege vastando cohiberi nequaquam possint, sicut quilibet interficiendi lupos potestatem habet.

343 *Respondetur secundo* concedendo antecedens, nimirum hæreticos recte dici lupos; sicut etiam lupi sunt infideles, si alios ad infidelitatem pertrahant.

Ad consequentiam dico, posse Pastorem Ecclesiæ Principem hæreticum per Excommunicationem, & censuras spirituales arcere, posse etiam iubere populo, ne eum sequantur in sua hæresi, aut in alia quauis re illicita. Veruntamen si Cardin. Bellarminus intelligat, posse Pastorem Ecclesiæ iubere populo Christiano, ne Principem infidelem, aut hæreticum in rebus licitis sequantur, siue obediant in iis, quæ absque spiritualis suæ salutis dispendio præstare possunt, illud præterquam quod gratis assumit, quodque ab eo non est adhuc sufficienter probatum, Sanctorum etiam Patrum doctrinæ euidenter repugnat. Audi quid dicant veteres Sancti Patres: S.

344 Ignatius [g] *Cæsari*, inquit, *subiecti estote in iis, in quibus subdi nullum animæ periculum est.* Iustinus Martyr, [h] *proinde*, inquit, *nos solum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti inseruimus, Imperatores, ac Principes hominum esse profitentes, & simul precantes, vt cum Imperiali potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Tertullianus, [i] *Colimus ergo*, inquit, *& Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum & solo Deo minorem.* Et alio in loco [k] ait, *Igitur quod attinet ad honores Regum vel Imperatorum, satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere secundum Apostoli præceptum subditos magistratibus, & Principibus, & Potestatibus, sed intra limites disciplinæ, quousque ab idololatria separamur. Propterea enim & illud exemplum trium fratrum præcurrit, qui alias obsequentes erga Regem Nabuchodonosor, honorem imaginis eius constantissime respuerunt.* Et Hieronymus ad Tit. 3. [l] *Si bonum est*, inquit, *quod præcipit Imperator, iubentis obsequere voluntati; si vero malum est, & contra Deum sapit, responde illi de Actibus Apostolorum. Oportet obedire Deo magis, quam hominibus.* Vide etiam quæ ex SS. Ambrosio, Augustino, & Bernardo superius [m] retulimus.

345 Quocirca de iure diuino est (quod prædicti Patres explicarunt) vt populus fidelis Principibus infidelibus in rebus licitis obediat: qua igitur auctoritate fidelium potest Summus Pontifex contra ius diuinum prohibere populo fideli, ne Principis sui, tametsi infidelis, aut hæretici, in rebus honestis imperium exequatur, vt ex hac prohibitione Princeps dominio suo in subditos priuetur? Non enim in verbis iam allatis ait Cardin. Bellarminus, posse Pontificem priuare Principem hæreticum, aut infidelem suo dominio, aut vsu eius, & proinde posse iubere populo, ne eum sequantur, quæ consequentia multo congruentior fuisset, sed è conuerso dicit, posse Pontificem iubere populo, ne Principem hæreticum sequantur, & proinde posse priuare eum suo dominio, quasi priuatio dominii esset effectus consequens prohibitionem Pontificis, ne populus suo Principi obedientiam præstet, cum tamen prius oporteat Principem dominio suo, aut vsu eius priuari, quam possit populus prohiberi, ne in rebus licitis eius imperio obtemperent. Nam imperium in Principe, & obedientia in subdito, sunt iure diuino ex necessitate connexa, & vt recte docet Cardin. Bellarminus [n] *omne membrum subiectum esse debet capiti; & omnis filius Parenti iure naturæ subiicitur.*

346 Neque existimo mentem esse Cardi. Bellarmini, quod obedientia, quam subditi suo Principi debent, seu, quod idem est, potestas Principis in subditos sit per solam Excommunicationis sententiam (quæ quidem à Pontifice contra Principem iusta de causa ferri potest) ipso facto sublata, cum excommunicatio ex se non habeat sufficientem vim priuandi Principem suo dominio, aut vsu eius. Quod quamuis satis aperte colligatur ex ipsa natura, & diffinitione Excommunicationis, quæ nihil aliud est, quam *Censura Ecclesiastica, qua quispiam ab Ecclesiastica fidelium communione separatur* [o]; idem tamen expressis verbis asseuerant doctissimi Theologi, vt

Palu-

[e] S. Bernardus lib. 4. de consid. ad Eugenium ... pascere ...
[f] ...
[g] In epist. ad Antiochenos.
[h] In orat. ad Anton. Pium.
[i] ad Scapulam c. 2.
[k] de idololatria c. 2.
[l] Super illud Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse.
[m] Nu. ...
[n] Lib. ... de Monarchia ...

Paludanus, [p] Richardus, [q] Beat. Antoninus, [r] Sotus, [s] Medina, [t] Richeomeus, [u] & alii communiter. Neque abs re erit in maiorem huius confirmationem ea hic inserere, quæ de hac materia scribunt duo celeberrimi huius temporis Theologi, & eiusdem cum Cardinal. Bellarmino instituti religiosi. Primus est Franciscus Suarez, [x] cuius hæc sunt verba : *Quod vt declaretur, oportet aduertere, Excommunicationem non posse habere hunc effectum*, (tollendi scilicet dominium regni, aut populi, & exhibitionem tributorum, vel seruitiorum, quæ illi respondet) *circa huiusmodi subditos, nisi supposito prius alio, nimirum, quod domini priuentur dominia, vel vsu eius, quia manente dominio in sua vi, fieri non posset, quin inferiores obedire tenerentur, & consequenter communicare, saltem quantum necessarium esset ad suam obligationem implendam, iuxta cap. Inter alia. de sententia Excommunicationis. Excommunicatio autem per se non habet hunc effectum, quia sicut non priuat dominio aliarum rerum temporalium, neque vsu earum, ita nec priuat hoc dominio, quia non est de illo maior ratio, nec est ius, in quo de Excommunicatione hoc specialiter disponatur. Duo autem de Excommunicatione, quia de nonnullis Excommunicatis, vt de hæreticis, & similibus interdum hoc iure disponitur, tamen ex hac ipsa dispositione speciali intelligere possumus, Excommunicationem secundum se non habere hunc effectum, nam vbi ille efficiendus est, specialiter in lege, aut sententia exprimi necesse est. At propterea quando talis effectus adiungitur ; non appello illum effectum Excommunicationis, sed specialem pœnam simul cum Excommunicatione impositam ; sicut cum hæreticus excommunicatur, & priuatur dominio rerum suarum, non est hæc priuatio effectus Excommunicationis, sed pœna quædam simul cum illa coniuncta.* Hactenus Suarez. Alter est Martinus Becanus in disputatione Theologica de fide hæreticis seruanda [y] qui ita ait, *Hinc facile apparet, hæreticos, ex eo præcise, quod excommunicati sunt, non priuari dominio, & iurisdictione, siue in subditos, siue in bona temporalia, sed hanc priuationem esse distinctam pœnam, & distincta lege irrogatam.*

349 *Ad Secundum respondetur*, penes Pastorem gregis Dominici esse auctoritatem Principes malos per Censuras Ecclesiasticas recludendi, & separandi à reliquo grege quoad ea, quæ ad negotia Ecclesiastica spectant, qualia sunt Sacramentorum perceptio, Sacrorum rituum participatio, & huiusmodi, immo & in aliquo casu eos è Dominico ouili exterminandi plenam potestatem habere. Verum meminisse etiam oportet, Principes malos esse eiusmodi arietes, & Pastori Ecclesiastico in rebus spiritualibus subiectos, vt ipsi quoque in temporalibus Supremi Pastores alterius gregis, politici nimirum existant ; Non pertinet autem ad Pontificem oues, aut arietes ex tali politico ouili, sed ex suo duntaxat, nempe Ecclesiastico, eiicere, vel talem Pastorem politicum officio suo priuare, cum huiusmodi potestas temporalis sit, & ad potestatem ciuilem, non spiritualem pertineat.

350 Multo fortasse aptius accommodari posset prædictum Bellarmini argumentum Prælatis Ecclesiasticis, qui magis proprie sunt arietes gregis Dominici, siue Ecclesiæ, quam sint Principes temporales. Habet enim supremus Ecclesiæ Pastor potestatem huiusmodi arietes, si furiosi euadant, & ouile destruant, recludendi, & prohibendi, ne gregem vlterius præcedant, cum tota potestas hæc spiritualis sit ; & Reipublicæ spirituali aptissime connexa.

351 *Ad tertium Respondetur* similiter posse Pastorem Ecclesiæ Principes Christianos cogere per Excommunicationem aliasque animaduersiones spirituales, vt eo modo Deo seruiant, quemadmodum suum statum tenentur, non tamen potestatis spiritualis limites excedere debet. At pœnis capitis, membrorum mutilatio, dominiorum temporalium priuatio, cæterarumque temporalium pœnarum inflictio intra fines spiritualis potestatis Euangelico non continentur. Quapropter explicare debuisset Cardinalis Bellarminus, quid per illas commodas rationes, quas in fine adiungit, intelligi velit. Neque enim satis commodum est potestatis Ecclesiasticæ, & ciuilis actus, atque officia commiscere, aut ab vna in aliam in eadem argumentatione transilire, sicut non solum in hac ratione, sed & in præcedentibus sæpius eum fecisse suis locis animaduertimus.

Neque existimo huiusmodi argumentationem ratione à Cardin. Bellarmino constructæ esse omnino absimilem, fore vt sans commodam ab ipso approbandam.

352 *Reges, & Principes Christiani, quantum ad ciuilia, sunt Pastores populi Christiani, atque etiam ipsius Ecclesiæ Protectores* [z] *ac defensores constituti; ergo habent omnem potestatem necessariam ad populum Christianum gubernandum, & Ecclesiam à luporum, aliorumque Ecclesiæ hostium vastationibus protegendam; sed Pontifices, qui pacem publicam iniuriose perturbant, Ecclesias diripiunt, Episcopatus vendunt, innocentes opprimunt aut similia facinora perpetrant, sunt lupi, & hostes tum Ecclesiæ, tum status politici : ergo Principes Christiani habent potestatem illos coercendi, & cogendi omni ratione, qua poterunt, ne Ecclesiæ & Reipublicæ pestem ac ruinam moliantur.*

Hæ sunt rationes omnes, quibus Cardinalis Bellarminus demonstrare enititur penes Pontificem esse dominium rerum omnium temporalium, & potestatem de illis in ordine ad bonum spirituale disponendi, quæ vtrum ad rem fidei stabiliendam satis sint, an potius ad opinionem probabilem vix confirmandam etiam iuxta ipsiusmet principia sufficiant, subtilioribus ingeniis discutiendum relinquo.

Reliquum iam est, vt ad duodecim exempla, quæ in capite octauo affert Card. Bellar. breuiter etiam respondeamus.

p In 4. d. 12. q. 2. ar. 2.
q ibidē ar. 11. q. 1.
r 3 par. tit. 25. c. 2.
s Lib. 1. de Inst. q. 2. ar. 2.
t In 1 2 q. 96 ar 4.
u In expostul. Apolog. pag. 171.
x Tom. 5. disp. 15 sec. 6 n. 3. 147. 148.
y c. 0. Num. 12.
z Supra in Præfat.

353 *Primum exemplum est 2. Paralip. 26. vbi legimus Oziam Regem, cum Sacerdotij officium vsurparet, à Pontifice fuisse de templo eiectum, & cum propter idem peccatum lepra a Deo percussus fuisset, coactum etiam fuisse ex vrbe discedere, & regnum filio renunciare. Quod enim non sponte sua, sed ex sententia Sacerdotis, vrbe & regni administratione priuatus fuerit, patet: nam legimus Leuit. 13.* Quicunque, *inquit lex,* maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, solus habitabit extra castra. *Cum ergo hac fuerit lex in Israel, & simul legamus 2. Paralip. 26. Regem habitasse extra vrbem in domo solitaria, & filium eius in vrbe iudicasse populum terræ, cogitur dicere fuisse eum ad arbitrium Sacerdotis separatum, & consequenter regnandi auctoritate priuatum. Si ergo propter lepram corporalem poterat Sacerdos alium Regem iudicare, & regno priuare, quare id non poterit modo propter lepram spiritualem, id est, propter hæresim, quæ per lepram figurabatur, vt Augustinus docet in quæstionibus Euangelicis lib. 2. q. 40. præsertim cum 1. Corint. 10. Paulus dicat contigisse Iudæis omnia in figuram?*

354 Hoc est primum exemplum, quo Card. Bellarminus per quandam figuram ex veteri Testamento desumptam probare contendit, penes Romanum Pontificem esse potestatem priuandi Principes hæreticos suis dominiis. Ita enim argumentatur: *Poterat Sacerdos Leuitici generis propter lepram corporalem Regem iudicare, & regno priuare, ergo poterit Summus Pontifex propter lepram spiritualem, id est, propter hæresim, quæ per lepram figurabatur, Regem regno priuare. Antecedens constat ex duobus locis sacræ Scripturæ simul collatis, nempe ex Leuit. 13. & 2. Paralip. 26. Consequentiam probat ex 1. Cor. 10. vbi Paulus dicit contigisse Iudæis omnia in figuram.*

355 *Respondetur primo,* si hoc argumentum validum esset, plus eo probaretur, quam forsan Cardinalis Bellarminus vltro concederet, nempe non solum Summum Pontificem, verum etiam Episcopos inferiores, immo & Sacerdotes habere potestatem iure diuino priuandi Principes suis dominiis propter lepram spiritualem, sicut in veteri lege non solum Summus Pontifex, sed etiam Sacerdotes inferiores iudicandi de lepra potestatem habebant. *Homo,* inquit lex, [a] *in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron Sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius, & ad arbitrium eius separabitur.*

[a] Leuit. 13. vers. 2.

356 Deinde hoc exemplum etiam probat, non solum propter hæresim, sed etiam propter alia quæcunque crimina mortifera posse Principes ab Episcopis & Presbyteris deponi, quia non solum peccatum hæresis, sed alia etiam peccata per lepram figurabantur. vt ipsemet Cardinalis Bellarminus [b] fatetur, qui de confessione peccatorum loquens: *Ad Sacerdotes,* inquit, *Christianos pertinet cognitio peccati, quod per lepram figurabatur, & lepra spiritualis aptissime nominatur.*

[b] Lib. 3. de Pœnit. c. 23.

357 *Respondetur secundo,* rationem hanc Cardinalis Bellarmini ex prædicto exemplo desumptam, esse etiam infirmissimam, cum propositio antecedens sit valde incerta, ne dicam falsa, & consequentia non minus dubia.

Et quod attinet ad antecedentem, eiusque probationem, quamuis ipse recte colligat ex *Leuit. 13. & 2. Paralip. 26.* potuisse Sacerdotem Leuitici generis Reges leprosos iudicare, & sententiam contra eos ferre, vt soli habitent extra castra, quæ est prima pars antecedentis, cum huiusmodi separatio fuerit à Deo ad Sacerdotis arbitrium leprosis imposita; non tamen illico recte colligitur, Sacerdotem Leuiticum habuisse auctoritatem priuandi Reges leprosos suis Regnis etiam per accidens, & consequenter, nisi priuatio Regni necessario consequeretur habitationem in loco separato à reliqua plebe, quod tamen ex Scriptura efficaciter probari nequit. Nam vt recte aduertit Franciscus Suarez, [c] *priuatio dominij perpetuo durat, postquam semel fit:* at illa separata habitatio leprosorum, ad arbitrium Sacerdotis imponenda, solum durabat pro tempore, quo lepra infecti erant; quo tamen tempore veri Reges permanebant, tametsi Regni administratio penes ipsos non erat. Neque enim impotentia Regnum administrandi ius, auctoritatemque regnandi Regibus aufert, vt patet in Rege impubere, penes quem est vera potestas, iusque dominandi, licet illi, donec ad pubertatem veniat, Tutor, seu Curator constitui soleat, qui Regis nomine quæcunque regni negotia de facto administret. Quod autem Ozias toto infirmitatis suæ tempore, id est, vsque ad diem mortis suæ verus Rex permanebat, apertissime docet Glossa 2. Paralip. 26. vbi ita ait: *Volunt Hebræi in anno vigesimo quinto Oziæ hoc accidisse* (hoc est, eum lepra percussum esse) *cuius reliqui anni sunt viginti septem: regnauit autem annis quinquaginta vno.* Atque idipsum ex ipsa sacra Scriptura non obscure colligitur eo loco. Vnde tametsi in versiculo 21. legamus, eo tempore, quo Ozias erat leprosus, Ioathan filium eius *rexisse domum Regis, & iudicasse populum terræ,* non tamen legimus *regnasse Ioathan filium eius pro eo,* nisi postquam Ozias defunctus fuerat.

[c] Disp. 15. de Excommun. sect. 6. nu. 3.

359 Neque etiam satis firmiter probat Cardinalis Bellarminus Sacerdotes Leuiticos habuisse auctoritatem priuandi Reges leprosos solum regni administratione pro eo duntaxat tempore, quo lepra contaminati erant. Nam quamuis Ozias, postquam à Domino plaga lepræ percussus erat, regnum non administrabat, ea causa esse poterat, quia ipsemet sponte, durante tempore infirmitatis suæ, cum ad regni gubernacula moderanda non esset idoneus, committebat regimen Ioathan filio suo, ipsumque regni sui administratorem constituebat, donec ad pristinam sanitatem restitutus esset. Sed quod Sacerdos Leuiticus Reges leprosos, aut regno, aut regni administratione priuandi auctoritatem haberet, ex sacra Scriptura satis colligi non potest. Sicut neque etiam ex sacris literis recte deducere valemus, Sacerdotem Leuiticum

habuisse-

habuisse auctoritatem priuandi Patresfamilias leprosos, aut bonis suis, aut bonorum suorum administratione; licet verisimile sit, tales Patresfamilias, cum ad arbitrium Sacerdotis habitare deberent extra castra, commisisse aliis facultatem bona sua administrandi, quandiu lepra aspersi erant. Atque ita patet imbecillitas propositionis antecedentis.

360 *Quod attinet ad consequentiam*, tametsi propositionem antecedentem concederemus, nempe habuisse Sacerdotes veteris testamenti auctoritatem priuandi Reges leprosos saltem Regni administratione, non per se, sed solum consequenter, vt Cardinalis Bellarminus deducit, quia nimirum auctoritatem habebant separandi eos à consortio reliqui populi, & consequenter, vt ipse ait, priuandi eos Regno? Negamus tamen consequentiam. Nam figura illa leprosorum in hoc consistit; quod sicut in veteri lege, qui lepra corporali infecti erant, debebant ad arbitrium Sacerdotis, quamdiu lepra inquinati erant, à consortio reliquæ plebis seiungi; ita in lege Euangelica, qui lepra spirituali contaminati sunt, possunt per Pontifices ab Ecclesiastica fidelium communione dimoueri, donec ad pristinam sanitatem reuersi fuerint. Et propterea, si ex eo, quod leprosi in domo separata ex sententia Sacerdotis extra castra manere deberent, donec mundati essent, necessario consequatur, quod regnum temporale pro eo tempore administrare non possent, nihil mirum, quod consequenter etiam Regni administratione pro eo tempore priuarentur. At satis constat apud doctores, meliorisque notæ Theologos, vt supra [d] vidimus quod priuatio aut Regni, aut administrationis regni temporalis non necessario consequatur excommunicationem Ecclesiasticam. Atque idcirco in hoc etiam deficit similitudo ista Cardinalis Bellarmini, ideoque totum argumentum eius est inefficax. d Nu.348.

361 Quinimo, si à figura ad rem figuratam recte argumentatur Cardinalis Bellarminus in materia de Eucharistia, [e] vbi ex figuris veteris testamenti probat, Christum Dominum vere, & realiter in Eucharistia præsentem esse: tametsi concederemus Sacerdotes Leuiticos habuisse potestatem priuandi Reges leprosos suis Regnis non solum consequenter, sed etiam per se, & primario: non tamen proinde sequeretur penes Sacerdotes Euangelicos esse etiam eiusmodi potestatem Reges hæreticos suis Regnis priuandi. Nam hoc ipso quod lepra corporalis, & pœna iure diuino illi annexa, figura erat hæresis, seu lepræ spiritualis, & pœnæ, quæ illi ex Christi lege respondet, non debet hæresis propter figuræ significationem lege Euangelica puniri amissione regni temporalis, eo quod hæc pœna in lege veteri lepræ corporali imposita fuerit; sed pœna altioris ordinis, nempe spirituali & regni æterni amissione castigari oportet: quoniam figura semper est imperfectior, & inferioris ordinis re figurata, sicut vmbra ipso corpore, vt ibidem Bellarminus tradit. Atque hac ratione nonnulli Theologi non inepte colligunt Christum Dominum fuisse Regem æternum, & superioris Ordinis, quia per Melchisedech, qui Rex temporalis erat, figurabatur. e Lib.1.de Euchar.c.9.

362 Illud vero, quod in fine addidit Cardinal. Bellarminus ex 1. Corinth. 10. contigisse Iudæis *omnia* in figuram, vt inde probet, lepram corporalem in veteri testamento fuisse figuram hæreticos, & lepræ spiritualis, non recte deducit, ex Sanct. Paulo, neque verba ipsius integre, ac fideliter producit: Nam ipse ibidem solum ait: *Hæc omnia* (ea scilicet pauca, quæ prius enumerauerat:) *in figura contingebant illis*, de hac autem lepræ figura nullam plane eo loco fecit mentionem.

363 *Secundum exemplum est 2. Paralip. 23. Vbi cum Athalia tyrannice occupasset regnum, & foueret cultum Baal, Ioiada Pontifex vocauit centuriones, & milites, & iussit eis, vt Athaliam interficerent, quod & fecerunt, & pro ea Ioas Regem creauit. Quod enim Pontifex non suaserit, sed iusserit, patet ex illis verbis* 4. Reg. 11. Et fecerunt Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos. *Item ex illis 2. Paralip. 23.* Egressus autem Ioiada Pontifex ad Centuriones, & Principes exercitus dixit eis, Educite eam (*Athaliam reginam*) extra septa templi, & interficiatur foris gladio. *Quod autem causa huius depositionis, & occisionis Athaliæ non solum tyrannis eius fuerit; sed etiam quod foueret cultum Baal, patet ex illis verbis, quæ ponuntur immediate post eius occisionem.* Itaque, *inquit Scriptura*, ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam & altaria, & simulachra illius confregerunt, Mathan quoque Sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.

364 *Hoc est Secundum exemplum* Cardinal. Bellarmini, quod ipse pro potestate Papali Principes deponendi ex Scriptura sacra, sed contra manifestum Scripturæ sensum adducit. Quod verum per considerantiam, vel de industria fecerit, temere iudicare non audeo. Vix tamen persuaderi possum, virum tam eruditum aliquid ex sacris literis ad rem tanti ponderis comprobandam afferre voluisse, nisi prius tum locum ipsum, tum legitimum illius sensum diligenter expendisset. Quod si præstiterit, satis profecto mirari non possum, hominem doctissimum in re grauissima, (qualis est Regum, ac Imperatorum, *qui solo Deo minores sunt*, depositio, atque etiam occisio) ex coniecturis adeo leuibus argumentari potuisse. Nam inprimis hoc Cardinal. Bellarmini argumentum, si aliquid haberet roboris, vt reuera non habet vtique demonstraret Summum Pontificem habere potestatem Principes supremos non solum ob tyrannidem, sed etiam propter hæresim, aut idololatriam, non dominiis tantum, verum etiam vita priuandi; quod quamuis ex doctrina ipsius manifeste sequi superius [f] euidenter de- f Nu.43 & seq. & 119.

deduximus ; hocipsum tamen ipsemet, exemplum istud Athaliæ pro sua sententia confirmanda adducens, non obscure significat.

366 *Deinde falsum est* Ioiadem Pontificem creasse Ioas Regem, vt Card. Bellarminus hoc loco affirmat, id est, ius regnandi, quod prius non habuit, illi donasse, cum statim ab interitu fratrum, quos impia Athalia perfidiose trucidauerat, verum Regni dominium hæreditario iure penes Ioas esset, tametsi Athalia possessionem tyrannice occupauerat. Neque enim inusitatum est, aliquem illud, cuius alter est dominus, aut bona aut mala fide nonnunquam possidere. Ideoque inter dominium, & possessionem latissimum discrimen ab omnibus Theologis, ac Iurisconsultis assignari solet.

367 Igitur Ioiada Athaliam occidendo nihil aliud effecit, quam quod fidelem quemque subditum in tali casu præstare oportuerat: Cum enim ob vitæ innocentiam, opinionem sanctitatis, officiique dignitatem in summa apud populum, Regnique Proceres veneratione haberetur, tantum apud eos præualebat eius auctoritas, seu fauor, vt omnes vnanimi consensu ad perfidam vsurpatricem occidendam, Regemque legitimum à Regni possessione iniuste detentum, in possessionem mittendum, eius præsertim hortatu, facillime traherentur. Hoc autem vires duntaxat, & potentiam Ioiadæ, summamque eius apud plebem, atque Optimates gratiam, & non veram aliquam Regem de nouo creandi auctoritatem arguebat.

368 Quapropter nihil prorsus in fauorem Bellarmini ex hoc exemplo vlla consecutione aut vera, aut verisimili recte concludi potest. Quoniam ex sacris literis colligi nequit, vel Athaliam iussu Ioiadæ Pontificis ob cultum Idolorum occisam fuisse, sed solum propter manifestam tyrannidem, quia nimirum & semen Regium truculenter interfecerat, & Regnum vero hærede superstite iniuste occupauerat, ideoque legitima Regina esse non poterat; vel Ioiadam Pontificem tam propria auctoritate, quam ex consensu Regis, Procerum, totiusque populi occisionam illam præcipisse: Et propterea exemplum istud nihil omnino conducit ad comprobandum veros Reges, ac Principes, quamuis hæreticos, aut Idololatras, qui Regnum suum legitime possident, auctoritate papali aut occidi, aut regno priuari vllatenus posse.

369 *Hoc Secundum*, nempe Ioiadam Pontificem hanc Athaliæ occisionem solum auxilio, & consilio suo solicitasse, & non propria auctoritate, sed ex Ordinum consensu Regis nomine

2. Paralip. 23.

præcepisse, constat ex illis verbis; 8 *Anno autem septimo confortatus Ioiada assumpsit Centuriones, &c. & iniit cum eis fœdus* (vt nimirum Athaliam interficerent, & Ioas Regis filium, Regemque legitimum in Regni possessionem, quam ipsa iniuste vsurpauerat, intromitterent :) *qui circumeuntes* (ait Scriptura) *Iudam, congregauerunt Leuitas de cunctis vrbibus Iuda, & Principes familiarum Israel, veneruntque in Ierusalem. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum Rege, dixitque ad eos Ioiada, Ecce filius Regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios Dauid.* Quæ verba exponens Glossa 4. Reg. 11. *Hic*, inquit, *describitur veri Regis institutio per sollicitudinem Ioiadæ Pontificis quærentis ad hoc assensum, & auxilium Principum, & nobilium Regni, cum dicitur, Pepigitque cum eis fœdus.* Quare præceptum illud Ioiadæ de occidenda Athalia Centurionibus impositum præcessit ex priori illo fœdere, quod antea cum illis, & cum Rege pepigerat. Ac proinde sicut quilibet priuatus subditus cuilibet Regis nomine præcipere potest, & tenetur, vt ad proditorem patriæ, & Principis comprehendendum auxilium præstet, absque eo quod aliqua præcipiendi auctoritas illi propria concedatur : ita non est necesse, quod potestas aliqua peculiaris imperandi tribuatur Ioiadæ, ea solum de causa, quod Athaliam iniuste Regnum occupantem, ex consensu Regis ac Reipublicæ occidi præcepisset, licet de præcepto stricte sumpto, & non communiter accepto, quomodo à consilio, & suasione parum differt, iussionem illam Ioiadæ intelligendam esse velimus.

371 *Primum vero illud*, quod à Cardinal. Bellarmino asseritur, nempe non solum propter tyrannidem, sed etiam ob idololatriam occisam fuisse Athaliam (licet nihil conferat ad veri, ac legitimi Principis, quamuis Idololatræ, occisionem defendendam, cum constet Athaliam non fuisse veram, & legitimam Reginam, sed Regni, vero Rege superstite, vsurpatricem) ipse ex sacra Scriptura valde insufficienter concludit : cum verba illa occisionem Athaliæ proxime sequentia mala fide recenseat. Non etenim verba illa, *Itaque ingressus est omnis populus domum Baal*, &c. immediate sequuntur interfectionem Athaliæ, vel 4. *Reg.* 11. vel 2. *Paralip.* 23. vt Cardinal. Bellarminus parum fideliter refert ; sed ista: *Pepigit autem Ioiada fœdus inter se, vniuersumque populum, & Regem, vt esset populus Dei* : & deinde sequuntur illa verba à Cardinal. Bellarmino relata, *Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam*, &c. Quare postrema hæc verba, quæ ipse pro solo suo fundamento adducit, non tam ad interfectionem Athaliæ referenda sunt, quam post Athaliam interfectam ad fœdus initum inter Ioiadam, populum, & Regem; vt esset populus Domini : ex quo fœdere cum Domino inito, vt esset populus eius, moti erant ad domum Baal, & simulachra eius destruenda. Non igitur ex hoc loco recte colligit Cardinal. Bellarminus Athaliam Reginam, vel propria Pontificis auctoritate, vel ob cultum Baal interfectam fuisse. Et tametsi vtrumque concederemus, quam vitiosum tamen sit ab illegitimæ Reginæ, & iniuste Regnum occupantis occisione ad veri Regis quamuis Idololatræ, inter-

interfectionem comprobandam argumentum ducere, quilibet vel rationis naturalis non omnino expers statim perspicere valet.

373 *Tertium exemplum est B. Ambrosii, qui cum Episcopus esset Mediolanensis, & proinde Pastor, & Pater spiritualis Theodosii Imperatoris, qui Mediolani sedem suam ordinarie tenebat, primum excommunicauit eum propter cædem, quam Thessalonicæ à militibus fieri imperauerat; deinde præcepit ei, vt legem ferret, ne sententia lata de cæde, vel bonorum publicatione rata essent, nisi post triginta dies, à sententiæ pronunciatione; vt si iratum, si quid per iracundiam præcipitanter dictasset, intra tot dierum spatium reuocare posset. Scribit hoc Theodoretus lib. 5. hist. cap. 17. Atqui non potuit Ambrosius excommunicare Theodosium propter cædem illam, nisi prius causam illam cognouisset & diiudicasset, licet criminalis esset, & ad forum externum pertineret; non potuit autem cognoscere, & iudicare eiusmodi causam, nisi etiam in foro externo legitimus Iudex Theodosii fuisset.*

374 *Præterea cogere Imperatorem ad legem politicam ferendam, & præscribere ei formam legis, nonne manifeste ostendit posse Episcopum interdum temporali potestate vti etiam in eos, qui potestatem super alios acceperunt? Et si Episcopus quilibet id potest, quanto magis Princeps Episcoporum?*

375 *Respondetur*, hoc argumentum neque sententiam Cardinalis Bellarmini corroborare, aut nostram infringere, immo nec ipsam quæstionem propositam attingere. Nos enim non negamus Episcopos esse Patres, Pastores, & Iudices spirituales Principum Secularium etiam in foro externo Ecclesiastico, aut posse eos in tali foro propter peccata (quæ vt supra [h] diximus tum ad forum Seculare, tum ad Ecclesiasticum pertinere possunt) coercere per excommunicationes, & Censuras spirituales, sicut Ambrosius excommunicauit Theodosium (*dummodò quis pro anathemate habendum ducat, quod à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit*, vt verbis vtar Othonis Frisingensis [i]) Neque controuersia, quam in hac quæstione instituit Cardinal. Bellarminus, est, An possit Summus Pontifex Principes propter peccata, quæ ratione spiritualis offensæ ad forum spirituale spectant, censuris Ecclesiasticis castigare, sed solum, an in ordine ad bonum spirituale habeat potestatem disponendi de temporalibus, & priuandi Principes suis dominiis, de qua quæstione nulla prorsus fit mentio in hoc argumento.

[h] *Num. 90. & seq. 229. & seq.*

[i] *Lib. 6. hist. cap. 35.*

376 Secundum argumentum est : *Cogere Imperatorem ad legem politicam ferendam, & præscribere ei formam legis, manifeste ostendit posse Episcopum interdum temporali potestate vti etiam in eos, qui super alios potestatem acceperunt; ergo si Episcopus quilibet id potest multo magis Princeps Episcoporum.*

Respondetur, Hoc argumentum paulo quidem maiorem habere probabilitatis speciem, quam præcedens, esse tamen reuera inefficax ad potestatem temporalem Pontificis comprobandam. Non enim ex eo, quod Episcopus possit Imperatorem cogere (si de vera potestate coactiua loquamur, & non de quacunque coactione metu, vel amore alicuius rei facta, quæ à quibuscunque etiam priuatis inferri potest) ad legem politicam ferendam, & præscribere ei formam legis, quando talis lex necessaria est ad salutem spiritualem consequendam aut conseruandam, manifestius colligitur posse Episcopum interdum temporali potestate vti etiam in eum, qui non solum super alios, sed etiam super ipsum Episcopum potestatem in temporalibus accepit, quam ex eo, quod Imperator possit Episcopum sibi in temporalibus subiectum cogere ad legem Ecclesiasticam ferendam, & præscribere ei formam legis, quando talis lex necessaria est ad quietem publicam iure conseruandam, colligi queat, posse Imperatorem interdum spirituali potestate vti etiam in eum, qui in spiritualibus super ipsum potestatem accepit. Nam, vt supra [k] diximus sicut Princeps spiritualis ex vi suæ potestatis spiritualis potest Principem politicum cogere pœnis spiritualibus, & intra fines potestatis Ecclesiasticæ, ne temporalia in detrimentum suæ salutis spiritualis, vel aliorum, illicite administret, & nihilominus potestate Ecclesiastica, non ciuili vti dicatur ; ita Princeps politicus, ex vi potestatis politicæ, potest compellere Principem Ecclesiasticum sibi in temporalibus subiectum, pœnis temporalibus, & intra limites potestatis politicæ, ne in perniciem Reipublicæ temporalis rebus spiritualibus abutatur, nec idcirco potestatis Ecclesiasticæ fines inuadit. Neque quoad hoc præcise inter Principem Ecclesiasticum, & politicum sufficiens ratio disparitatis assignari potest, cum vterque ex ipsis suarum potestatum naturis ius habeat ad suas Respublicas viis licitis, atque à Deo constitutis gubernandas, & ab iniquis oppressionibus vindicandas.

377

[k] *Num. 92. & seq.*

378 Si Cardinal. Bellarminus hoc exemplo demonstrasset, Sanctum Ambrosium pœnis criminalibus, & potestati politicæ propriis Imperatorem propter cædem illam in foro externo vel castigasse, vel coegisse ad legem politicam ferendam, aliquid profecto effecisset, hoc enim esset proprie temporali potestate vti : Verum cum solum ostendat Ambrosium excommunicasse Theodosium, & præcepisse illi, vt propter bonum spirituale legem politicam conderet, nihil aliud confirmat quam quod sæpius ex professo tradidimus.

379 Mitto præceptum istud de lege politica ferenda fuisse ab Ambrosio pro pœnitentia in foro conscientiæ Theodosio iniunctum post publicam sceleris agnitionem & spontaneam suiipsius submissionem, non tam ad pœnam, quam ad cautelam vt ex Theodorito manifeste deducitur : quam autem auctoritatem habeant Episcopi & Sacerdotes, pœnas & afflictiones temporales imponendi pœnitentibus, præsertim ad cautelam, ne in simile peccatum reincidant, alia est quæstio, & ab instituta controuersia penitus aliena.

380 *Quartum exemplum est Gregorii primi, in Priuilegio, quod concessit monasterio Sanct. Medardi, & habetur in fine epistolarum: si quis, inquit, Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunq; Secularium potestatum huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscunque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo priuetur.*

Respondetur, in his Gregorii verbis non tam præceptum Imperantis, quam imprecantis desiderium contineri, vt ex ipso Priuilegii contextu colligi videtur. Ita enim se habent verba

381 Priuilegii. *Hæc igitur omnia quæ huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis priuilegio continentur, præfati Monasterii Rectoribus, & filiis præsentibus, & futuris, & omnibus Monasteriis ipsi loco subiectis, vel sociatis, sub anathemate seruanda constituimus. Si quis autem Regum, Antistitum, Iudicum vel quarumcunque Secularium personarum huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietauerit, vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuscunq; dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor à consortio Christianitatis, & corpore, ac sanguine Domini nostri Iesu Christi sequestretur. & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles, & heretici ab initio Seculi vsque in præsens damnati sunt, cum Iuda traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum Sanctorum sibi propitiauerit clementiam, & fratrum communione reconciliauerit concordiam* Hæc Gregorius.

382 Ex quibus constat, Sanctum Gregorium eadem verborum formula (vt alia ad rem quoque spectantia nunc prætermittam) Decreti sui violatores honore suo priuare, qua eos ad infernum cum Iuda traditore, nisi resipuerint, damnat: at satis liquet, posse Pontifices impœnitentibus damnationem solum imprecari, non autem præcipere; Quare signum est Sanct. Gregorium Regibus præceptionem eius violantibus honoris priuationem non iuridice imperasse, sed tantum male precando exoptasse; aut ad summum à Deo esse priuandos declarasse.

383 Neque verisimile est, voluisse Sanctum Gregorium in Priuilegio prædicto Reges & Principes supremos, quibus ipse, licet alioquin iniquis, maximam reuerentiam exhibere consueuit, pro parua quasi negligentia, & delicto comparatione aliorum leui ausculo, nempe si fratres inquietarent, aut priuilegium suum illis concessum vel violarent, vel negligenter ducerent, suis dominiis, dignitatibus atque honoribus per sententiam definitiuam priuare; ex quorum depriuatione maximæ in Republica perturbationes, cædesque innumeræ consequi solent, vt

m Nu.356. experientia nimis compertum est; Qui tamen Gregorius, vt superius [m] vidimus ob conscientiæ scrupulum, ne Deum offenderet, in mortem alicuius se miscere formidabat: tametsi, si in alicuius necem consentire ausus fuisset, facili negotio, vt ipsemet fatetur, Romanam Ecclesiam à Longobardis sæue diuexatam, ab eorum persecutionibus vindicare, totumque ipsorum imperium funditus dissipare potuisset.

384 Non igitur Gregorius sententiam Bellarmini amplecti ausus est, qui tam audacter affirmat, non debere Christianos, si vires superant, Reges ac Imperatores, qui Ecclesiam persequuntur, aliosque ad hæresim aut infidelitatem pertrahunt, tolerare, sed ad eos è Principatu

n Supra, Num.29. pellendos iure diuino astrictos esse, quæ eius doctrina à viro perquam erudito [n] *Puritanorum conceptio* nuncupatur.

385 *Quintum exemplum est Gregorii secundi, qui Leoni Imperatori Iconomacho prohibuit vectigalia solui ab Italis, & proinde mulctabat eum parte Imperii, cuius factum multi laudauerunt vt sanctum, & legitimum, nimirum Cedrenus, Zonaras in vita Leonis Isauri, & omnes alij historici, qui res gestas horum temporum conscripserunt.*

386 *Sextum exemplum est Zachariæ, qui rogatus à primoribus Francorum Childericum deposuit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni Patrem Regem creari iussit. Cuius causa fuit, quia propter socordiam Childerici & Religionem, & Regno in Gallia extrema ruina imminere videbatur, vt patet ex Cedreno in vita Leonis Isauri, Paulo Diacono lib.6.c.5. de gestis Longobardorum, & Bonifacio Episcopo Moguntinensi in epistola ad Zachariam. Cuius facti Magdeburgenses nullum inuenire potuerunt in antiquis scriptoribus reprehensorem, nos autem plurimos habemus approbatores, nimirum Adonem, Sigebertum Rheginonem in Chronicis. Sed de hac re diximus plura contra Caluinum in 2.lib.c.17.*

387 *Septimum exemplum est Leonis tertij, qui Imperium transtulit à Græcis in Germanos, propterea quod Græci nullum auxilium laboranti Ecclesiæ Occidentali adferre possent. Ex quo factum est, vt licet Imperatoria dignitas absolute considerata non sit à Pontifice, sed à Deo mediante iure Gentium, vt supra ostendimus ex Gelasio, Nicolao, & Innocentio tertio, tamen Imperatores, qui fuerunt à tempore Caroli Magni, Pontifici debeant suum Imperium. Quod enim hæc potestas sit nunc apud Germanos à Pontifice est. Et licet absolute non esset necessarium, vt Papa confirmaret Imperatorem, nec vt Imperator Pontifici iuramentum fidelitatis præstaret, tamen à tempore translati Imperij in Germanos vtrumque requiritur, vt patet ex Innocentio tertio capit. Venerabilem. extra de electione, & ex Clementina vnica de Iureiurando. Neq; iniuste hoc requiritur. Qui enim potuit Imperium Germanis conferre, potuit etiam certas conditiones adiungere propter eandem causam, ne videlicet contingeret hæreticum, vel schismaticum creari.*

388 *Ad hoc dupliciter respondent aduersarij: nam alij negant recte factum, vt Pontifex Imperium à Græcis transferret in Germanos, & in hoc numero sunt Magdeburgenses qui Cent.8.c.10.col.751. sic aiunt:* Est hæc translatio præcipuum ex miraculis Antichristi. *Theodorus quoq; Bibliander tab.10. suæ Chronicæ, dicit Leonem tertium vsurpata auctoritate Imperium à Græcis ad Germanos transtulisse.*

389 Alij

389 *Alij vero asserunt, factum quidem iure, sed Auctorem translationis non Pontificem, sed populum fuisse Romanum, ita Marsilius de Padua, referente Pighio lib.5. Hierarch. Ecclesi.c. 14.*

390 *Ad primos Respondeo, hanc translationem rite, & legitime factam fuisse, aperte constare. Primò ex consensu totius orbis Christiani; Semper enim omnes Christiani pro veris Imperatoribus habuerunt Carolum Magnum, eiusque successores, nec fuit vnquam vllus Rex Christianus, qui Imperatorem præcedere voluerit, tametsi eum alioqui potentia, & Regni antiquitate anteiret. Primi sunt Lutherani, qui sicut populum fide & religione spoliauerunt, ita quoque Imperatorem suum de sede sua deturbare moliuntur. Secundò ex fœlici euentu huius translationis. Vt enim Deus ostenderet iure factum fuisse, multis victorijs Carolum ornauit, regnumque eius florentissimum, & Ecclesiæ vtilissimum esse fecit. Tertio ex confessione Imperatorum Græcorum, qui non semel confessi sunt Romanum Pontificem iure potuisse facere quod fecit. Nam inprimis, cum audisset Irene Imperatrix Carolum à Leone appellatum Imperatorem, non solum non reclamauit, sed etiam Carolo nubere voluit, & fecisset, nisi perfidi quidam Eunuchi impediuissent, vt scribunt Zonaras, & Cedrenus in vita eiusdem Irenæ. Deinde mortua Irena Nicephorus Imperator, qui ei successerat, Legatos ad Carolum tanquam Imperatorem misit, vt scribit Ado in Chronico anni D. CCC. tertij. Et paulo post defuncto Nicephoro, Michael ei succedens similiter Legatos ad Carolum misit, qui eum Imperatorem palam salutauerunt, vt scribit Ado in Chronico anni D.CCCX. Nec solum Græci, sed etiam Persæ Legatos, & munera ad Imperatorem Carolum recens creatum miserunt, vt scribunt Rhegino lib.2. Otho Frisingensis lib. 5.c.31. Rursum (vt scribit Blondus lib.5 Decadis 2. & Platina in vita Alexandri tertij) Imperator Græcorum Emmanuel, cum audisset Pontificem Alexandrum tertium ab Imperatore Friderico in extremas reductum angustias, idem Pontifici obtulit auxilium & pecuniarum ingentem vim, si vellet Imperium Occidentis Constantinopolitanis Imperatoribus reddere. Respondit autem Pontifex, nolle se ea coniungere, quæ maiores sui de industria, & optima ratione diuisissent. Vbi notandum est, Emmanuelem non voluisse aliud a Pontifice quam titulum Imperij. Satis enim sciebat possessionem ipsam à Pontifice dari non potuisse, sed fuisse armis acquirendam; non autem solum titulum tanto precio emere voluisset, si eum inanem, vel etiam falsum, & illegitimum esse credidisset.*

394 *Ad alios qui dicunt, auctorem translationis non Pontificem, sed populum Romanum fuisse, facile est respondere Nam inprimis populus Romanus nunquam fere habuit Imperatoris creandi potestatem, sed antiqui Imperatores vel iure hæreditario habuerunt Imperium, vt Octauianus, Tiberius, Caius; vel ab exercitu creabantur, vt creatus fuit Claudius, Vespasianus & alij. Et fuisse hanc ordinariam consuetudinem, vt Imperator ab exercitu crearetur, testatur Beat. Hieronymus epistola ad Euagrium; vnde extat canon Legimus, distinctio.93. Tempore autem Caroli Magni nullus fuit exercitus Romanorum, qui eum Imperatorem creare potuerit. Soli enim in Italia erant exercitus Græcorum & Longobardorum, & ij omnes Carolo infensi. Nec iure hæreditario Carolus Imperium habuit, vt patet.*

395 *Deinde si quam habuerunt Romani in Imperatore eligendo auctoritatem, eam certe amiserunt, quando Imperij Sedes Constantinopolim translata fuit; Nam deinceps per annos circiter CCCCC. hoc est, à Constantino Magno vsque ad Carolum Magnum nihil vnquam egit Senatus, populusque Romanus circa Imperatorum creationem.*

396 *Præterea Auctores omnes qui de hac re scribunt, vt Zonaras, Cedrenus in vita Irenæ, Paulus Diaconus lib.23. rerum Romanarum, Ado in Chronico anni D.CCC. Albertus Krantius in Metropoli lib. 1. cap. 14. Otho Frisingensis lib. 5. cap. 31. Marianus Scotus, Hermanus Contractus, Lambertus, Rhegino Palmerius, Blondus, omnesque alij Chronologi, vel Historici, Leonem tertium asserunt Imperium à Græcis in Francos, seu Germanos transtulisse. Quod idem docet Innocentius tertius capit. Venerabilem. de electione. Ad eos, inquit,* ius & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenit, quæ Romanum Imperium in persona magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos. *Et ibidem subiungit, Principes Germaniæ id aperte recognoscere. Ipse etiam Carolus Magnus idem non obscure significauit, cum scriptum à se testamentum, quo filios suos heredes Imperij relinquebat, misit ad Leonem Papam, vt subscriptione sua firmaret, vt scribit Ado in Chronico anni octingentesimi quarti. Denique idem patet ex confessione Emmanuelis Græci Imperatoris, vt supra est annotatum.*

397 *Octauum exemplum est Gregorij quinti, qui sanctionem edidit de Imperatore eligendo per septem Germaniæ Principes, quæ vsque ad hanc diem seruatur. Quod ita esse, præter Blondum Decade 2. lib. 3. Nanclerum, generatione 34. Platinam in vita Gregorij quinti, aliosque multos historicos, asserunt etiam Magdeburgenses Cent.10. capit.10 colum.546. his verbis.* Gregorius suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus sanxit, vt penes solos Germanos ius esset eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum Imperator, & Augustus appellaretur. Suntque Electores constituti, Moguntinus, Coloniensis, & Treuirensis Archiepiscopi, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ Dux, Marchio Brandeburgensis, & Dux Bohemiæ. *Vtrum autem iure Pontifex id fecerit, non aperiunt. Sed si velint iure id factum, fateri cogentur, Pontificem esse Imperatore, & Principibus omnibus Superiorem, vt patet. Si vero dicunt non iure, sed tyrannice, iniuriam facient suis Patronis, & Protectoribus Duci Saxoniæ, Comiti Palatino, & Marchioni Brandeburgensi. Quid enim isti habent maius, quam Electoratum? at non iure habent, si is qui dedit, dare non potuit. Dedisse autem Pontificem extra controuersiam est.*

398 *Nonum exemplum est Gregorij septimi, qui Henricum Imperatorem deposuit, & alium eligi iussit; quod & factum est, vt ipsi etiam Magdeburgenses fatentur Cent.11. cap.10. in vita Gregorij septimi. Recte autem factum hoc fuisse & cum approbatione, & applausu omnium bonorum in libro superiore ostendimus, vbi Pontificem à calumnijs hæreticorum vindicauimus.*

399 *Decimum exemplum est Innocentii tertii, qui Othonem quartum similiter deposuit, vt patet ex Blondo, Decade 2. lib 6.*

400 *Vndecimum est Innocentii quarti, qui in Concilio generali Lugdunensi consentientibus vniuersis Patribus deposuit Fridericum secundum, & vacauit tum Imperium annis viginti octo, vt Matthaus Palmerius in Chronico annotauit. Extat adhuc tota sententia in Fridericum lata cap. Ad Apostolica de sententia, & re iudicata in sexto. Idem etiam Innocentius quartus dedit Regi Lusitaniæ coadiutorem quendam, qui regnum administraret, quandoquidem Regis negligentia & respublica, & religio in Lusitania detrimentum patiebatur. Id habetur cap. Grandi, de supplenda negligentia Prælatorum in Sexto.*

401 *Duodecimum exemplum est Clementis sexti, qui Ludouicum quartum Imperatorem à Ioanne vigesimo secundo, & Benedicto duodecimo excommunicatum deposuit. Cuius historiam vide apud Pighium lib. 5. Hierarch. Eccles. c. 14 & 15 apud Robertum Arboricensem tom 2. Theoremate 7. de vtroq; gladio.*

402 Hæc sunt reliqua octo exempla, quæ affert Cardinalis Bellarminus ad potestatem Papalem Principes suis dominiis priuandi confirmandam, quibus plura alia adiungi potuissent, quæ à Gregorio Tholosano, [o] Ioanne Azorio, [p] & nonnullis aliis commemorantur.

Atque vt breuiter percurram quorundam ex istis exemplis, nimirum quinti, sexti, septimi, & octaui expositiones non omnino incommodas, nempe Gregorium eius nominis secundum (si verum esse concedimus, quod de eo scribunt quidam vetustiores historici, tametsi contrarium expresse doceant Anastasius Bibliothecarius, [q] Paulus Diaconus, [r] Platina, [s] & Sebastianus Veronius [t] citans Blondum libr. 10 atque etiam Platinam) prohibuisse quidem, ne Leoni Isauro Imperatori à se excommunicato vectigalia ab Italis soluerentur, non tamen eum iuridice priuasse illum iure suo tributa ab Italis exigendi, sed tantum consilio, & hortatu suo præcipuum Auctorem fuisse, ne Itali Imperatori excommunicato vectigalia more solito penderent. Hoc etenim clare indicat Otho Frisingensis [u] ita aiens: *Qua de causa Gregorius Papa commonito sæpe per literas Imperatore* (Leone,) *ac incorrigibili inuento Italiam ob eius Imperio recedere persuasit.* Itaque Gregorius non proprie imperando, sed suadendo mulctauit Imperatorem parte Imperii sui: atque prohibuit, seu hortatu suo impediuit, ne consueta tributa illi redderentur. In quo etiam sensu Abbas Vrspergensis in Chronico anni 718. qui ait *Gregorium omnia tributa Romanæ vrbis, & Italiæ Imperatori dari prohibuisse*, id est, suo consilio impediuisse, & alibi quoque plures antiquiores historici commode exponi possunt, esto, verum sit, quod de Gregorio tradunt, quos tamen hac in re (incertis forsan Græcorum rumoribus, & nimia eorum credulitate) deceptos fuisse alii, maiorem Anastasio, Paulo Diacono, & Platinæ, qui res gestas Romanorum Pontificum melius nouerunt, fidem adhibentes, non absque maxima probabilitate opinantur.

o Lib. 26 de repub. c. 4. n. 12.
p Tom. Instit. lib. 2. c. 5 q. 8.
q In Greg. 2.
r Lib. 6 de gestis Long. c. 49 in noua edit.
s In Greg. 2.
t Lib. 5. hist. c. 18.

404 Similiter dici potest Zachariam Pontificem non reuera deposuisse Childericum, sed solum idcirco deposuisse dici, quia primoribus Francorum deponentibus consensit, & depositionem illius vt licitam consuluit, suaque auctoritate approbauit. Ita enim exponunt Glossa in cap. *Alius 15 q. 6* Occam. *lib. 1. Dial. tract. 2. 3. par cap.* 18 Maior *in 4. distinct. 24. quæst. 2.* Ioannes Parisiensis *in tract. de potestate Regia & Papali, cap. 15.* Almainus *de auctoritate Ecclesiæ cap. 1.* Lupoldus Babenbergius *de iuribus Regni, & Imperii Roman. cap 12.* vbi etiam ad idem confirmandum citat Hugonem, & Gregorius Tholosanus *lib. 26. de Repub. c. 5. n. 14.*

405 Fauent etiam Aimonius de gestis Francorum, lib. 4. cap. 61. vbi refert, *Pipinum Procerum suffragiis fuisse Regem electum.*

Sigebertus in Chronico anni 750. vbi ait, *Pipinum Principem auctoritate Apostolica, & electione Francorum à S. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo in Regem vngi, & coronari.*

Ado Viennensis in Chronico anni 749. vbi ita scribit, *Pipino per Brocardum Herbipolensem Episcopum ad Sedem Apostolicam referente, Zacharias Papa respondit, Regem potius illum debere vocari, qui rempublicam gereret; vnde per consilium Legatorum, & Zachariæ Franci Pipinum sibi Regem constituunt.*

406 Blondus lib. 10. Decad. 1. *Inuenio,* inquit, *apud Aimonium, Paulumq; & plerosque alios Proceres, populosque eius gentis* (Francorum) *Pipini virtutem, & è contra Childerici Regis amentiam debitis pensantes meritis Zachariam Pontificem Romanum consuluisse, inepteneme Regem vltra tolerandum, an Pipini merita fraudandum Regia dignitate censeret; cumque respondisset Pontifex, eum, quia Regia melius obire munera nosset, habendum Regem, Francos publico totius gentis consilio Pipinum declarasse Regem Childerico in Clericum tonsurato.*

S. Anton. 2 par. hist. tit. 14. c. 1 §. 2. ita scribit; *Hic igitur,* (Pipinus) *domus Regiæ maior, considerans sui Regis inertiã ad Papã Zachariam solennes nuncios misit, ipsumq; consuluit, quis potius Rex esse deberet, & dicit: An qui omnes Regni labores assumeret, an qui otio, & luxuriæ deditus solo Regio nomine tegeretur.* Cui summus *Pontifex dicitur remandasse, illum merito debere regnare, qui rempublicã strenue gubernare sciret, & posset. Hæc autẽ postquam nuntii Francorum primoribus retulerunt, cõuocato Principum, & Prælatorum cõcilio, de cõmuni sensu, & voluntate omniũ Childericũ solo nomine regem à regni fastigio deponunt, & monastico illum habitu induentes in Monasterio includunt, ac omnibus volentibus, & gaudentibus Pipinũ super Francos regnare faciũt.* — *Et de huius Childerici depositione, & Pipini institutione habetur 15. q. 6. c. Alius. vbi dicitur. Alius Rom. Pontifex Zacharias regem Francorum, &c. Et quod dicit, deposuit, exponit Glossa, i. e. deponentibus consensit.*

Auctores qui docent Zachariam nõ deposuisse Childericum, nec Pipinũ instituisse. Gloss. Occam. Maior Ioan. Parisiens. Almainus Lupoldus. Hugo. Greg. Tholos. Aimonius. Sigebertus. Ado Viennens. Blondus. S. Antoninus. Ioan. Trithemius N. Gilleni. Sabellicus. Michael Coccinius.

407 Ioannes Trithemius in compendio Annalium de origine Regum, & gentis Francorum.

corum, lib. 1. in fine. *Anno*, inquit, *Dominica Natiuitatis* 749. *Indictione secunda, Hildericus Rex Francorum tanquam inutilis regno, de vnanimi omnium Procerum consensu, Zacharia quoque Papa Romano præstante consilium, à regno deiicitur, & in Monachum tonsuratur anno regni sui nono.* Idem docet fusius, libr. 2. in anno 751.

Nauclerus generat. 26. in anno 750. Itaque, inquit, *Pipinus regum Franciæ inertia perspecta, cum domi delitescerent, nec reipublicæ procurationem vllam susciperent, quod & populi, & Proceres illius gentis Pipini virtutem, & regis Hilderici amentiam debitis pensarent meritis, Zachariam Pontificem consulunt, ineptumne regem, & inutilem tolerandum, an Pipinum meritum fraudandum regia dignitate censeret; cumque Pontifex respondisset, eum, qui regia melius obire posset munera, habendum regem, Franci publico totius gentis consilio Pipinum regem eligunt, quod & per Zachariam probatum extitit*, &c.

408 Sabellicus Ennead. 8. lib. 8. *Primores*, inquit, *regni & populi amplexi Pipini virtutem*----*Romano Pontifice prius consulto, Regis appellatione Childerico adempta Pipinum regem creant.*

Denique Michael Coccinius in opusculo *de translatione Imperii*, prope initium totam hanc Childerici depositionem, & Pipini institutionem distinctius explicasse videtur: *Quamobrem*, inquit, *Childericus vltimus de Merouei stirpe tanquam regno inutilis fuit depositus, & Pipinus ex Gallia Belgica oriundus in regem à populo fuit assumptus. Quam quidem Childerici depositionem, & Pipinus in regno substitutionem maxime consensu & auctoritate populi Franciæ vim & efficaciam suam habuisse credendum est. Sed quod in Pontificum decretis legitur, Zachariam Papam deposuisse Childericum, & Pipinum substituisse, subditosque à fidelitatis iuramento absoluisse, ea dicta secundum mentem Ioannis Teutonici inibi expressam intelligenda sunt, quod Zacharias dicatur Childericum deposuisse, & Pipinum substituisse, id est, deponentibus ac substituentibus consensisse, & subditos à iuramento fidelitatis absoluisse, id est, absolutos ostendisse. Nam cum Franciæ populi dubitarent, anne regem Childericum regno inutilem possent deponere, & Pipinum regno substituere, non obstante fidelitatis iuramento Childerico præstito, cum in eo dubio versarentur ipsi Franci. ipsam dubitationem decidendam ad Romanum Pontificem retulerunt, ad cuius declarationem ipsi Childericum deposuerunt, & Pipinum substituerunt. Sic ergo Zacharias Childericum deposuit, & Pipinum substituit, id est, deponendum, ac substituendum declarauit, aut, vt ex Ioannis mente attuli, id est, deponentibus ac substituentibus consensit.*

409 Quapropter ex sententia horum Auctorum Childericus fuit Regno priuatus, & Pipinus Rex creatus consilio tantum, & consensu Romani Pontificis, sed suffragiis, atque electione Francorum, qui sibi Pipinum Regem constituebant. Illud ergo, quod legitur in quibusdam Chronicis, nempe Pipinum auctoritate Zachariæ Papæ à Proceribus ad Regnum eligi, intelligunt Lupoldus, Ioannes Parisiensis, Michael Coccinus, & alii, *auctoritate Papæ declarantis, & decernentis super dubio Procerum* (quod etiam facere potuissent, ait Parisiensis, sine Papæ assensu ex causa rationabili) non autem *auctoritate institutionis, seu constitutionis Pipini in Regem Francorum.*

410 Atque hinc patet factum istud Zachariæ Papæ consulentis, & populi deponentis Regem Francorum nihil omnino fauere supremo Pontificis dominio in temporalibus, & auctoritati Papali Principes instituendi, vel deponendi, sed potius populum subiectum aliquam super Principem suum auctoritatem habere (si ex populorum factis ius eorum legitimum coniectare liceret) confirmare videtur. Quæ quæstio, An scilicet, penes Rempublic. sit potestas Principem suum legitimum & absolutum ob aliquam causam, vel crimen è Regni solio deiiciendi, cum periculosa admodum sit, & nisi rectissime explicetur, facilem præcipiti populo ad rebelliones, atque Regicidia ansam præbere possit, neque præsenti controuersiæ de potestate Pontificis temporali dirimendæ multum conducat, ab ea vlterius discutienda supersedendum esse duxi.

411 Hoc solum in præsenti aduertere sufficiat, quod quamuis multi Doctores affirment, penes Rempublic. esse auctoritatem in paucissimis quibusdam maximi ponderis casibus Principem suum supremum Principatu priuandi; Alii tamen viri perdocti constanter asserunt, quod communitas in nullo prorsus casu Principem suum naturalem, & non libera populi electione, sed hæreditario iure regnantem, quamdiu Princeps manet, vllam iudicandi, vel castigandi auctoritatem habeat. Inter hos annumerari possunt Sancti illi Patres, atque Doctores superius [x] citati, qui docent, Principes, si deliquerint, diuino iudicio, & examini relinquendos esse, neque à quoquam mortalium pœnis temporalibus castigari, & puniri posse. Sed ex recentioribus hanc sententiam ex professo tuentur Gregorius Tholosanus [y] Cunerus Episcopus Leouardiensis, [z] Ninianus Winzetus [a] Adam Blacuodæus, [b] Gulielmus Barclaius, 412
[c] & ; vt alios taceam, Alexander Carerius, [d] vehemens alioquin potestatis Pontificiæ in temporalibus propugnator, *Qui nullum*, inquit, *Iudicem habet in terris, vtique plures Iudices eum iudicare non posse fatendum est. Negata enim singularitate per verbum collectiuum & vniuersale, pluralia negata censentur. Constat itaque, vt supra dictum est, Barones, & populos ex defectu potestatis coactiuæ, quam Vasalli non habent in Dominum suum, non posse Principem suum iudicare, nec deponere.* Et cap. præcedenti respondens auctoritati Aristotelis, qui 3. *Polit.* dicit, communitatem bene ordinatam posse Principem punire, *Loquitur*, inquit, *Philosophus de Rege, qui per electionem communitatis instituitur: talis etiam punitur, & deponitur per communitatem, quæ illum principaliter instituit, sicut Veneti, & Ianuenses, qui sibi Ducem eligunt, & si contra Rempub. delinquat, eum deponere possunt: Secus de Rege, qui naturaliter, & in successione, & ex certa stirpe regnat.*

x *Nu. 3. & seq.*
y *Lib. 26. de Rep. c. 5. nu. 24. 25.*
z *De officio Principis c. 7.*
a *In velitatione cōtra Buccan. & in Flagello Sectariorū passim.*
b *In Apol. pro Regib. & lib. 2. de coniunctione Religionis, & Imperii.*
c *In libro de Regno*
d *De potest. Rom. Pontificis lib. 2. c. 3.*

413 Pari

413 Pari ratione responderi potest, Leonem tertium Pontificem non transtulisse Imperium à Græcis ad Germanos propria tantum auctoritate, sed ex consensu etiam eorum, penes quos talis quoque erat auctoritas; Et propterea eum non fuisse solum, sed ad summum fuisse præcipuum Auctorem illius translationis, ad eum plane modum, quo Cardinalis Cusanus [a] scribit septem Electores constitutos fuisse auctoritate Gregorii quinti. Ita enim ait: *Vnde Electores, qui communi consensu omnium Alemanorum, & aliorum, qui Imperio subiecti erant, tempore Henrici secundi constituti sunt, radicalem vim habent ab ipso communi omnium consensu, qui sibi naturali iure Imperatorem constituere poterant, non ab ipso Romano Pontifice, in cuius potestate non est dare cuicunque Prouinciæ per mundum Regem, vel Imperatorem ipsa non consentiente. Sed concurrebat ad hoc consensus ipsius Gregorij quinti, tanquam vnius Pontificis Romani, qui iuxta gradum suum in consentiendo in communem Imperatorem interesse habet. Recte, sicut in Concilijs vniuersalibus concurrit in primo gradu auctoritas ipsius per consensum cum alijs omnibus ipsum Concilium celebrantibus; vigor nihilominus definitionis non ab ipso primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium, & ipsius, & aliorum consensu dependet.* Et infra: *Ita, inquit, puto in veritate consensum Romani Pontificis à principio interuenisse, dum isti Electores constituerentur. Vnde ipsi, communi fungentes legatione omnium, qui Imperio subsunt, etiam totius Sacerdotij & Romani Pontificis, eligunt.*

[a] *Lib. 3. de Concordantia Catholica, c. 4.*

414 Ad eundem prorsus modum quamplurimi Scriptores, tam antiquiores, quam moderni asserunt, imperium Romanum translatum fuisse à Græcis ad Germanos non quidem sola Summi Pontificis auctoritate, sed ex communi etiam consensu eorum omnium, nempe Cleri, Senatus, populique Romani, quorum hoc intererat. Inter quos primus omnium erat Leo tertius Romanus Pontifex, & totius Sacerdotii caput, qui suo in primis consilio, sollicitatione, & consensu translationem illam potissimum promouebat, & propterea Leoni tanquam præcipuo Auctori translatio illa à pluribus Scriptoribus merito attribui solet.

Auctores qui docent solū Leonē Pontificem sed Populū Rom. Imperiū à Græcis in Germanos transtulisse. Marian. Scot. Sigebertus. Vinc. Belluac. Walth. Naumb. Lupoldus. Ioan. Parif. Ioan. Auentin. Theodericus de Niem. Blōdus. Æneas Syl. Donatus Acciaiolus. Paulus Æmil. Nauclerus. Wympfeling. Alciatus. Onuphrius. Cuspinius. Coccinius. Radeuicus. Præsules Alemaniæ. Adrianus Papa. Fridericus primus, & cæteri Germaniæ Principes.

415 Hoc clare indicat Marianus Scotus lib. 3. Chronici: *Carolus, inquit, hoc tempore à Romanis Augustus appellatus est.*

Sigebertus in Chronico anni 801. & Vincentius Belluacensis in Speculo historiali lib. 23. ca. vltimo, *Romani*, inquiunt, *qui ab Imperatore Constantinopolis iamdiu animo desciuerant, nunc accepta occasionis opportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Constantino filio suo, eius imperabat, vno omnium consensu Carolo Regi Imperatorias laudes reclamant, eumque per manum Leonis Papæ coronant, Cæsarem & Augustum appellant.* Eadem verba habet Walthramus Naumbergensis Episcopus in libro *de inuestitura Episcoporum*, in principio.

416 Lupoldus Babenbergius in lib. de Iuribus regni, & Imperii Romani; capit. 12. *Ad hanc, inquit, oppositionem secundum quosdam responderi potest quod prædicta translatio Imperii non ab Ecclesia Romana, sed potius à populo Romano robur habuit, & vigorem. Et huic responsioni Chronica de Imperii translatione loquentes fauere videntur. Referunt enim, quod Leo Papa populo Romano petente, & acclamante, Carolum Magnum in Romanorum Imperatorem creauerit.* Vbi Nota Lupoldum per populi *acclamationem* non solam laudem, in quo sensu Cardinal Bellarminus *libr. 1. de translatio. Imperii cap. 10.* vocabulum illud apud historicos accipiendum esse insinuat, sed suffragium, & consensum populi magno applausu expressum, in Chronicis significari existimasse.

417 Ioannes Parisiensis de potestat. Regia, & Papali cap. 16. *Amplius*, inquit, *non fuit factum* (id est, Imperium translatum) *per solum Papam, sed populo acclamante & faciente* (& non tantum collaudante, vt voluit Bellarminus) *cuius est se subiicere cui vult, sine alterius præiudicio. Ideo hoc fuit factum ex causa necessaria pro sui defensione contra infideles, & Paganos, vbi per alium non videbantur posse defendi, quod de iure poterant: nam populus facit Regem, & exercitus Imperatorem.*

Ioannes Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum *Pontifex*, inquit, *Senatus, populusque Romanus Imperium transferre iure suo in Germanos, Carolumque & tacito Senatusconsulto, plebiscitoque decernit.*

418 Theodoricus de Niem in lib. de Inuestituris Episcopatuum, non longe à principio, *Populus, inquit, Romanus Legem condebat more solito, sed difficile erat pro vnoquoque negotio toties in vnum congregari, vnde sententiam, ius, & potestatem Imperii Imperatori concesserunt, quemadmodum legitur, Populus itaque Romanus concessit Carolo, & in eum transtulit omne ius suum, & potestatem.*

Blondus *lib. 1. Decad. 2.* Æneas Syluius (qui postea Pontifex Maximus, & Pius huius nominis secundus dictus est) in abbreuiatione Blondi, & Platina in vita Leonis tertii, *Leo*, inquiunt, *Pontifex maximus populi Romani scito, precibusque, Carolum Imperatorem Romanorum declaratum diademate vetusto Imperatorum capitis gestamine coronauit.*

419 Et idem Æneas in lib. de ortu, & auctoritate Imperii Romani, cap. 9. *Demum vero*, inquit, *negligentibus Romam Græcis, ea[illegible]e nunc Barbarorum, nunc aliorum deceptioni relinquentibus, populus ille Romanus, qui suo sanguine tantum pararat Imperium, qui suis virtutibus Monarchiam fundauerat orbis, venientem in auxilium eius Carolum Magnum Francorum Regem, natione Germanum, qui vrbem sacraque loca ab omni hostium incursione defendit, primo Patricium, post Augustum, concurrente Summi Pontificis consensu salutauit Cæsarem.*

Donatus Acciaiolus in vita Caroli Magni, *Carolus*, inquit, *Magnus à Summo Pontifice Augustus appellatus, Imperatorium nomen, dignitatemque suscepit, non solum assentiente, sed etiam applaudente populo Romano.*

420 Paulus Æmilius li. 3. in vita Carol. Magni, *Romani*, inquit, *Proceres animis aliter afficiebantur;*

Eligen-

Nolitum Imperij velut à Numine incessum, quasi numine offerente, Regi Franco dandum, Summis in religionem meritis id deditum, cum victoriarum gradibus ad id culmen conscendisse, vt Summum Regum Summum rerum humanarum titulum obtineat. Diem quoque, locum, annum, celebritatem mortalium id postulare. Octingentesimus salutis annus agebatur, & rem diuinam Natali Domini ac Dei nostri Leo in æde Petri faciens, ingenti assensu Procerum, qui vndique in Vrbem admiratione Caroli, Francorumque conuenerant, Carolum Augustum appellatum infulis, ac cæteris Imperij insignibus exornat.

Nauclerus generat. 26. in anno 800. *Indie*, inquit, *Natiuitatis Domini, præhabita matura deliberatione, Leo Pontifex Romanus considerans Imperatores Constantinopolitanos ægre id nomen tueri ——— & Occidentale Imperium quasi pro derelicto habitum ——— populi Romani consensu Carolum Imperatorem Romanorum declarat, ac diademate coronat ter acclamante populo Romano, Carolo Augusto, &c.*

421 Iacobus Wympfelingius in Epitome rerum Germanicarum, cap. 9. *Pontifex*, inquit, *populi Romani scito & precibus Carolum magna voce Imperatorem decernit, ac diademate donat.*

Andreas Alciatus nobilis Iurisconsultus (quem Nauarrus in cap. Nouit, de Iudiciis, Notab. 3. num. 53. *nedum vtriusque Iuris, sed etiam historiæ callentissimum appellat*) vt ex Illyrico refert Bellarminus lib. 1. de translatio. Imperii, cap. 7. *Carolus*, inquit, *vt iustum aliquem titulum adepto Imperio prætendere posset, Cæsarem se, & Romanum Imperatorem à Pontifice, populoque Romano designari procurauit.*

422 Onuphrius Panuuinus, vt idem Bellarminus libro citato, cap. 10. refert, *Senatus*, inquit, *populique Romani suffragiis Carolus Magnus Imperator, & Augustus appellatur.*

Fauet etiam Cardinalis Cusanus, lib. 3. de Concordantia Catholica, cap. 4. circa initium, vbi ita scribit: *Non est igitur eo modo concedendum Electores à Romano Pontifice potestatem eligendi habere sic, quod nisi ipse consentiret, non haberent, aut si vellet, ab ipsis tollere posset. Quis, rogo, dedit populo Romano potestatem eligendi Imperatorem, nisi ipsum ius diuinum, & naturale? per viam enim voluntariæ subiectionis, & consensus in præsidentiam Prælationes concordantiales recte & sancte constituta sunt in omni dominandi specie.*

423 Verum Michael Coccinius in opusculo *de translatione Imperii*, huius translationis causam, & modum accuratius declarasse videtur: *Cum populus*, inquit, *Romanus, & vniuersi pene Italiæ populi temporis successu multarum gentium incursionibus, ac direptionibus expositi essent, vt Gothorum, Visigothorum, Hunnorum, ac Longobardorum, nec ipsi propriis sese viribus defensare possent, neque Græci eos defendere curarent, quin potius mala malis accumulantes ipsimet Italos opprimere, ac spoliare nitebantur, nimiam auaritiam, & dominandi libidinem in eos exercentes: Romani itaque, & reliqui Italiæ populi Græcorum perspicientes auaritiam, simul & ignauiam, ac è regione Germanorum fortitudinem, industriam, & iustitiam, Imperium de Græcis transtulerunt in Germanos in Caroli Magni personam. Et talem Imperii translationem, Romanorum, cæterorumque Italiæ populorum consensu, & auctoritate factitatam, suamque vim, & efficaciam habuisse haud dubitandum est. Nec obstat quod scribit Innocentius ad Bertoldum Zaringiæ Ducem, Sedem Apostolicam Romanum Imperium in personam magnifici Caroli de Græcis transtulisse in Germanos. Nam Sedem Apostolicam non in alio sensu Imperium transtulisse concedimus, quam Imperium transferentibus consensisse, aut transferendum declarasse, sed talis translatio vim, & efficaciam suam habuit à consensu populi.*

424 Denique Radeuicus in Appendice ad Othonem Frisingensem de gestis Friderici, lib. 1. cap. 10. narrat, *quomodo Fridericus, & cæteri Principes Germaniæ qui tunc aderant, magna commotione indignati erant, eo quod Adrianus Papa ad eum scripserat, Imperatoriæ dignitatis & honoris plenitudinem sibi à Pontifice collatam, & insigne Imperialis coronæ de manu eius suscepisse.* Atque, vt ait Radeuicus, *ad horum verborum strictam expositionem, ac præfatæ interpretationis fidem auditores induxerat, quod à nonnullis Romanorum* temere *affirmari nouerant, Imperium vrbis, & Regnum Italicum donatione Pontificum Reges nostros hactenus possedisse, idque non solum dictis, sed & scriptis, atque picturis repræsentare, & ad posteros transmittere. Vnde de Imperatore Lothario in Palatio Lateranensi super huiuscemodi pictura scriptum est.*

Rex venit ante fores iurans prius vrbis honores, Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

425 *De quibus picturis* (vt refert Radeuicus, cap. 16.) *conquestus est idem Fridericus coram Legatis Pontificis; A pictura*, inquiens, *cœpit: ad Scripturam pictura processit: Scriptura in auctoritatem prodire conatur. Non patiemur, non sustinebimus, coronam ante ponemus, quam Imperii coronam vna nobiscum sic deponi consentiamus. Pictura deleatur, Scripturæ retractentur, vt inter Regnum & Sacerdotium æterna inimicitiarum monumenta non remaneant.*

Atque, vt refertur in eodem capite, Præsules Alemanniæ, ad quos scripserat Papa Adrianus rogans eos, vt Imperatoris indignationem mitigare studerent, ita Pontifici respondent: *Nos saluam gratia vestra sanctissima Paternitatis, ea verba, quæ in literis vestris continebantur, tueri propter sinistram ambiguitatis interpretationem, vel consensu aliquo approbare non audemus nec possumus, eo quod insolita & inaudita fuerint vsque ad hæc tempora.* Ecce quid senserint Præsules Alemanniæ de auctoritate Pontificis Imperatorem instituendi.

426 Quinetiam ipse Adrianus Papa (vt scribit Radeuicus cap. 22.) in alia epistola ad Fridericum, per illa verba: *Contulimus tibi insigne Imperialis coronæ, quæ quidam* (vt ait Adrianus) *à sensu suo visi sunt ad alium retorquere*, declarat, se nihil aliud intellexisse, nihil quam *contulimus tibi &c.* id est, *Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus*: quæ tamen verba ipse Fredericus,

cæte-

cæterique Germaniæ Principes in eo sensu intellexerunt, quasi Imperium Vrbis, & Regnum Italicum donatione Pontificum Imperatores Germaniæ hactenus possederant, quæ quidem est expressa sententia Card. Bel. loco superius [f] citato.

f Nu 327.

427 Ex quibus omnibus constat, Carolum Magnum fuisse Imperatorem creatum, non sola auctoritate Summi Pontificis, sed etiam consensu, consulto, scito, suffragiis, atque auctoritate Senatus, populique Romani. Quapropter non satis mirari possum, cur doctissimo Bellarmino [g] in mentem venerit, ad rem tanti ponderis, qualis est noua Imperatorum institutio, comprobandam, tam ingentem auctoritatum multitudinem incassum congerere, cum ne vna quidem ex illis omnibus commonstret Summum Pontificem *sola* sua auctoritate (in quo tota difficultas consistit) Imperium à Græcis ad Germanos transtulisse, sed ad summum ostendant, translationem illam auctoritate quidem Pontificis (quod nemo negare potest) sed non *sola* ipsius factum fuisse. Attamen quamplurimi (vt iam diximus) disertis verbis affirmant, ad hanc quoque Imperii translationem, Senatus, populique Romani consensum, scitum, consultum, suffragia, atque auctoritatem concurrisse.

g Lib. 1 de translat. Imperii, c. 4.

428 *Præsenti itaque controuersiæ* multum conducit doctrina, quam Cardinalis Bellarminus superius [h] tradiderat, nempe argumentum ab auctoritate negatiue nullam vim habere. Ita enim ipse scribit: *Respondeo primo, nihil concludi ex argumento ab auctoritate negatiue. Non enim sequitur, Lucas, Paulus, & Seneca non dicunt Petrum fuisse Romæ, igitur non fuit Petrus Romæ. Non enim isti tres omnia dicere debuerunt; & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus, modo isti non negent, quod alii affirmant.*

h Lib. 2 de Rom. Pont. c. 8.

Cum igitur nullus omnino ex illis triginta duobus auctoribus, quos ipse translationis Imperii per Pontifices factæ testes adhibuit, inficietur, translationem illam auctoritate Senatus, populique Romani factam fuisse, atque non tres tantum, sed multo etiam plures, quos supra retulimus, apertissime dicant, tum Romani Pontificis auctoritatem, tum etiam consensum, scitum, consultum, suffragia, atque auctoritatem populi Romani interuenisse, non satis firmiter ex illis testimoniis probat Cardinalis Bellarminus, etiam iuxta sui ipsius principia, translationem Imperii à Græcis ad Germanos in Summum Pontificem tanquam in *vnicum* illius Auctorem referendam esse. Nam alioquin, quod ipse, tanquam primus saltem ciuis, & Romanæ Ecclesiæ supremus Pastor suo consilio, auxilio, & consensu præcipuus illius translationis Auctor fuerit, quique ideo Imperium Romanum transtulisse, à nonnullis Scriptoribus asseratur, à nemine in controuersiam vocari potest.

429 Quare iuxta doctrinam Cardinal. Bellarmini iam traditam non licet ita argumentari, *Zonaras, Cedrenus, Paulus Diaconus, & plures alii Auctores ab ipso relati, non dicunt Imperium Romanum fuisse à Græcis ad Germanos translatum auctoritate Senatus populique Romani; igitur Imperium Romanum auctoritate Senatus, populique Romani non est translatum: non enim isti omnia dicere debuerunt, & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus.*

Rursum, *plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus modo isti non negent, quod alii affirmant, sed multo plures, quam tres Auctores tum à nobis, tum ab ipso etiam Bellarmino citati asserunt translationem Imperii Romani factam fuisse consensu, scito, consulto, suffragiis, atque auctoritate Senatus, populique Romani, & nullum omnino ex illis triginta duobus testimoniis hoc negat; ergo maior fides adhibenda est illis, qui affirmant, translatum fuisse Imperium per Pontificem, Senatum, populumque Romanum, quam cæteris omnibus, qui quantumuis dicant hanc Imperii translationem factam fuisse per Romanum Pontificem, non tamen negant factam quoque esse per Senatum, populumque Romanum.*

430 Quin & plures ex istis triginta duobus Auctoribus, qui dicunt Leonem Pontificem Carolum Imperatorem creasse, coronasse, &c. eodem modo exponi possunt, quo ipse Adrianus Papa verba sua superius [i] exposuit, quando scripsit, *Imperatorem dignitatis, & honoris plenitudinem sibi à Romano Pontifice collatam, & insigne Imperialis corona de manu eius suscepisse;* non quasi Pontifex Imperialem dignitatem vere illi contulerit, in quo sensu Imperator, cæterique Principes verba Pontificis sunt interpretati, sed solum quod coronam, quæ insigne est Imperialis dignitatis, capiti suo imposuerit. Quæ verba non maiorem in Pontifice arguunt auctoritatem Imperatorem constituendi, quam in cæteris Metropolitanis Regna conferendi, qui Principum capitibus Regale diadema imponunt. Atque ita satisfactum est tertiæ replicationi, quam contra hanc Responsionem Cardinalis Bellarminus superius [k] adhibuit.

i Nu 426.

k Nu 396.

431 *Ad illud vero*, quod primo, & secundo loco contra hanc Responsionem opposuit, [l] nempe *populum Romanum nunquam fere habuisse Imperatoris creandi potestatem, sed antiquos Imperatores vel iure hereditario habuisse Imperium, vel ab exercitu creatos fuisse. Et si quam habuerint Romani in Imperatore eligendo auctoritatem, eam certe amisisse, quando Romana sedes Constantinopolim translata fuit; Nam deinceps per annos circiter* CCCCC, *hoc est, à Constantino Magno vsque ad Carolum Magnum nihil vnquam egit Senatus, populusque Romanus circa Imperatorum creationem*: facillima est Responsio, si prius obseruemus, quæ Cardinalis Bellarminus inferius [m] in tomo sequenti annotauit:

l Nu 394. 395.

m Lib. 3 de Laicis, c. 6.

432 *Primum est, potestatem politicam in vniuersum consideratam non descendendo in particulari ad Monarchiam, Aristocratiam, vel Democratiam immediate esse a solo Deo; nam consequitur necessario naturam hominis, proinde est ab illo, qui fecit naturam hominis. Præterea hæc potestas est de iure naturæ, non enim*

pera

pendet ex consensu hominum,nam velint,nolint,debent regi ab aliquo nisi velint perire genus humanũ,quod est contra naturæ inclinationem. At ius naturæ est ius diuinum, iure igitur diuino introducta est gubernatio, & hoc videtur propriè velle Apostolus,cum dicit Rom. 13. Qui potestati resistit,Dei ordinationi resistit.

433 *Secundum est,hanc potestatem immediatè esse tanquam in subiecto in tota multitudine,nam hæc potestas est de iure diuino: at ius diuinum nulli homini particulari dedit hanc potestatem, ergo dedit multitudini. Præterea sublato iure positiuo non est maior ratio,cur ex multis æqualibus vnus potius,quam alius dominetur,igitur potestas est multitudinis. Denique humana societas debet esse perfecta Respublica,ergo debet habere potestatem seipsam conseruandi, & proinde puniendi perturbatores pacis,&c.*

434 *Tertium est,hanc potestatem transferri à multitudine in vnum, vel plures eodem iure naturæ: nam Respublica non potest per seipsam exercere hanc potestatem; ergo tenetur eam transferre in aliquem vnum,vel aliquot plures: & hoc modo potestas Principum in genere considerata est etiam de iure naturæ, & diuino,nec posset genus humanum,etiam si totum simul conueniret,contrarium statuere, nimirum vt nulli essent Principes vel Rectores.*

435 *Quartum est,in particulari singulas species regiminis esse de iure gentium, non naturæ; nam pendet è consensu multitudinis constituere super se Reges,vel Consules,vel alios Magistratus,vt patet. Et si causa legitima adsit,potest multitudo mutare regnum in Aristocratiam,aut Democratiam, & è contrario, vt Romæ factum legimus.*

436 *Quintum quod ex dictis sequitur est, hanc potestatem in particulari esse quidem a Deo,sed mediante consilio,& electione humana,vt alia omnia,quæ ad ius gentium pertinent:ius enim gentium est, quasi conclusio deducta ex iure naturæ per humanum discursum.*

437 Ex his perspicuum est,politicam Imperii Romani potestatem ex sententia Card.Bellarmini immediate in ipso populo Romano residere,& ab eo,vel in Senatum,vel Imperatorẽ transferri, adeo vt ex ipsius populi, seu multitudinis consensu, & electione dependeat,quod vnus sit Imperator, isque vel iure hæreditario Imperium habeat, vel ab exercitu, aut Senatu creetur. Quo fit,vt si causa legitima adsit,ª possit populus ex mente Bellarmini mutare Regnũ in aliud genus regiminis, & è conuerso, & consequenter si Princeps vel non valeat, vel saltem non velit ipsis imperare,possit totus populus tum nouum Regem sibi constituere, tum modũ etiam regiminis immutare,vt contigisse videmus in transferendo Imperio a Græcis in Germanos ex sententia eorum,quos supra ᵇ commemorauimus.

438 Quoniam enim(vt scribit Lupoldus de Iuribus Regni & imperii, c. 4. & 18.idemque indicant plures Auctores supra ᶜ citati) *Imperatores Græci tempore Caroli Magni, & etiam ante tempora eiusdem,nimirum tempore Pipini patris,ac Caroli Martelli aui sui in Occidentali Imperio solo nomine regnabant,nec Ecclesia Romana,nec alia Christi Ecclesia,seu etiam quicunq; alii a Longobardis oppressi contra iustitiam in eodem Imperio poterant per eos, vel auctoritate ipsorum iustitiam consequi,& sic Imperatores prædicti Occidentale Imperium quodammodo pro derelicto habebant,in eo,vt ex diuersis Chronicis apparet,solo nomine imperando*,Pontifex,Senatus,populusq; Romanus ex tacito saltem aliorũ omnium Occidentalium,qui Imperio subiecti erant,consensu, plenum ius,ac potestatem(quã per nullam consuetudinem,aut Sedis Imperii translationem, vtpote sibi congenitã,& ex iure naturæ debitã,amittere poterant) etiam iuxta doctrinam Card. Bellarmini iam traditam, habebant nouum Imperatorem sibi constituendi,& consequenter Imperium,quod Græci in partibus Occidentalib. solo nomine tenebant, ad Carolum Magnum eiusq; Successores,aut ad alium quemcunq; Imperii sede in illis partib. tunc quasi vacante, transferendi.Et ppterea populus Occidentalis non amisit ius illud,& potestatem sibi connaturalem nouum Imperatorẽ in casu prædicto eligendi, ex eo quod Imperii sedes Constantinopolim translata fuerit, vt perperam Card.Bellar.affirmat.

439 Quare huiusmodi argumentatio est aperte vitiosa: *Senatus,populusq; Romanus nihil vnquã egerunt circa Imperatorum creationem per annos circiter quingentos hoc est, a Constantino Magno vsque ad Carolum Magnum,ergo si quam habuerunt in Imperatore eligendo auctoritatem, eam certe amiserunt,quãdo Imperii sedes Constantinopolim translata fuit.* Ná,vt ex dictis constat,non potuit populus Romanus propter aliquam desuetudinem amittere auctoritatem sibi insitam,atq; innatam,& ex iure tum diuino,tũ naturali debitam, qualis erat illa, qua imperium ob causas prædictas a Græcis transtulit in Germanos. Itaque Card. Bellarminus in duobus illis argumentis supra, ᵈ relatis à negatione actus ad negationem potestatis congenitæ captiose argumentari videtur.

440 Neque etiam difficile fuisset ostẽdere, si instituti nostri ratio id postulasset, solum exercitum, secluso Senatus consensu, non habuisse Imperatorem eligendi plenam potestatem, tametsi negari non possit, quin Senatus nonnunquam ob vim,vel alterius periculi metum, electioni ab exercitu factæ assensum suum negare non ausus fuerit.

441 Atque ita manifestum est, quod supra, ᵉ diximus, posse videlicet, ad quatuor præsertim exempla illa intermedia satis commodas expositiones adhiberi, quas etiam ad plura alia eiusmodi exemplorum genera afferri posse disertis verbis affirmat Card. Cusanus. ᶠ *Si Regum,* inquit, *& Imperatorum depositiones, ac Imperii translationes, & cætera forte ad hoc præsumendum*(quod Imperium sit dependens a Papa) *Apostolicum mouerent, sciat,nisi forte religioni,& humilitati obstaret, omnibus illis vere,& clarissime respondere posse, & taliter, quod forte hæc minime tantam potestatem absq; partium contendentium aut consensu, aut acceptatione in Papa, vt Papa arguerent. Non defuerunt antiqui,*

ª *Multi tamen viri doctissimi contra Bellar. sentiunt, nimirum non esse causam legitimam Regem deponendi,quod regiminis ineptus sit,& Regnum gubernare non valeat, sed coadiutorem tantum,seu Regni administratorem, pro tempore tantum quo ineptus est, constituendi.*

ᵇ *Nu.45.& seq.*

ᶜ *Nu.416.& seq.*

ᵈ *Num.394. 395.*

ᵉ *Num. 402.*

ᶠ *Lib. 3. de Concordantia Catholica cap. 41.*

qui Henricum quartum Basileæ coronatum per Romanorum Legatos ab excommunicatione Gregorii, seu Hildebrandi defendebant, etiam Apostolicæ sedis Cardinales pro tunc, & quoddam Concilium Romæ pro tunc celebratum. *Sic de Friderico secundo viro vtique in Ecclesia strenuissimo, ac fidei propugnatore scripta defensoria, & fortia inueniuntur, ac etiam de aliis Imperatoribus acquieuit sæpe Pontificibus populus ob obedientiæ bonum.* Hæc Cusanus.

a *In anno 754.*
b *Lib. 5. hist. cap. 21.*
* *Libr. 1. de transl. Imperii c. 4. n. 15.*

442 Ex his igitur apparet, potestatem hanc Papalem Principes deponendi non satis firmiter fundari, aut in præfata Imperii Romani translatione, aut in Regis Childerici depositione, ex *qua* tamen (vt scribunt Godefridus Viterbiensis, *a* & Otho Frisingensis, *b* tã insigniter, idq; meritissime a Cardinale Bellarmino * laudatus) *Romani Põtifices regna mutãdi auctoritatẽ trahunt.*

Sed prætermissis istis expositionibus, tanquam minime necessariis ad præfatas obiectiones ab exemplis petitas dissoluendas, & dato, q singulæ illæ Pontificum res gestæ veræ sint, prout a Bellarmino recensentur, quod quidem fusius examinare præsenti instituto non multum cõducit; *Responderi potest breuiter*, nullo ex prædictis exemplis commonstrari illud, in quo tota cõtrouersia consistit, nempe Summum Pontificem vllam prorsus habere auctoritatem ex Christi institutione de rebus temporalibus omnium Christianorum disponẽdi, ac Principes temporales Principatu priuandi, sed ad summum ostendunt, Pontifices quidem de facto talem exercuisse potestatem. Veruntamen quod de iure id fecerint, neque rationibus, neque auctoritatibus satis solide a Cardinale Bellarmino adhuc probatum est, quamuis alibi, *c* illud hoc loco a se demonstratum esse affirmet; ibique singulas ferme rationes suas a nobis supra allatas, & confutatas summatim repetat. Sed vtrum eiusmodi demonstrationes assensum certum & euidentẽ, qui demõstrationis effectus est, an vix opinatiuũ gignere valeant, eorum sit iudiciũ, q suas rationes, nostrasq; solutiones ex ipsius principiis petitas æqua lance põderauerint.

c *Lib. 1. de transl. Imperii ca. 12.*

444 Ad hæc igitur & similia exempla eadem plane respõsio adhiberi potest, qua ipse Cardin. Bellarminus in re non dissimili vsus est, lib. 2. de Rom. Pont. c. 30. ad quartum argumentũ; in quo obiiciebatur, Christianos Imperatores sæpe iudicasse Pontifices, eosq; deposuisse, *Respondeo*, inquit, *hæc quidẽ facta sunt, sed quo iure ipsi viderint.* Et paulo infra: *Ab Othone primo*, inquit, *satis constat bono zelo, sed nõ secundum scientiã depositũ esse Ioannẽ duodecimũ: fuit n. iste Ioãnes omniũ Põtificum fere deterrimus. Atq; ideo non mirum, si pius Imperator, qualis fuit Otho primus, sed minus peritus rerum Ecclesiasticarum, iudicauerit eum potuisse deponi, præsertim cum multi Doctores idem senserint.*

445 *Simili prorsus ratione responderi poterit*, nõnullos Pontifices priuasse Principes suis dominiis, imperia transtulisse, & de reb. temporalib. Christianorum disposuisse, sed quo iure ipsi viderint. *Neq; enim oportet ex talibus factis singularibus* (ait Ioan. Parisiensis *d*) *quæ interdum ex deuotione ad Ecclesiã, vel ex causa alia, & non ex debito iuris fiunt, argumẽta sumere.* Et Gregorius Tholosanus, *e Illud*, inquit, *tantum ex his colligo, difficilem esse quæstionem, num Summi Pontifices deponere Imperatorem vel Regem possint, qui olim habuerit instituendi Summum Pontificẽ potestatem. Quin & inueniuntur plures destitutiones, & depositiones factæ ab Imperatore, Summorum Pontificum, non minus, quam destitutiones factæ Imperatorum a Summo Pontifice, vt vicissitudo in his maxima inueniatur. Vnde disputare de facto, & de exemplis depositionum perperã est.* Et paulo infra; *Ex quib. omnibus*, inquit, *innouatores ambitiosi rerum publicarum, & vsurpatores regnorum, rebellesque Principibus legitimis colligere possunt, primum, non ideo omnem depositionem Principum iustam esse, quod reipsa facta sit, nam non omnia facta iusta sunt: de hinc non ideo consequentiam fieri debere, quod eius exemplo simile tentãdum sit: Aliud enim est*, ait Mattheus Tortus, *f facta Regum*, addo ego Pontificum, *referre, aliud auctoritatem, potestatemque probare.*

d *De potest. Regia & Pap. cap. 15. ad 5.*
e *Lib. 26. de Repub. cap. 5. num. 11.*
f *In Respons. ad Apol. Anglicam pag. 116. Edit. altera.*

446 Neq; mirandum est, Summos aliquos Pontifices tum zelo Dei accensos, tum rationibus probabilibus permotos, tum eorum, qui ipsis a consiliis erant, incitamentis impulsos iudicasse talem sibi competere potestatem temporalem in ordine saltem ad bonum spirituale, cum præsertim plurimi Doctores idem senserint.

447 Quamuis igitur nullas adhuc solidas repererim rationes, quib. persuaderi possim, eiusmodi facta Pontificũ in transferendis regnis, & Regib. deponẽdis, si ꝓpria tãtum auctoritate illos ea fecisse quis velit, esse ex se legitima, cum Christus ipse actus, officia, & dignitates Põtificis, ac Imperatoris distinxerit, ne aut Pontifex iura Imperatoris, aut Imperator iura Pontificis præsumeret vsurpare. Existimo tamen Summos illos Pontifices, qui ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta in prædictam rerum temporalium dispositionem sese ingesserint, non esse ob eiusmodi facta, quamuis alioquin ex se iniqua, facile condemnandos, si præsertim probabili virorum prudentum auctoritate moti ea sibi licere existimassent.

448 Nec propterea censeo Principes illos, quamuis alioqui forsan nequissimos, redarguendos esse, qui eiusmodi Pontificum depriuationibus restiterint, suumque ius viis licitis defẽderint, cum apud Theologos *g* satis constet, posse interdum ob conscientiam vere probabilẽ, quæ ab iisdem (quod ad culpam attinet) inuincibili æquiparari solet, esse bellum ex vtraq; parte licitum quod tamen nihil impedit, quo minus causa alterius partis sit reipsa iniqua. Aliud enim est operationem aliquam esse ex suo genere seu obiecto illicitam, & aliud eam vitio verti operanti, cum sæpe contingat, actionem aliquam, quæ alioquin ex suo obiecto, atque etiam circumstantiis praua esset, ob solam ignorantiam inuincibilem, vel conscientiam probabilem omnino a peccato excusari.

g *Victoria Relect. de iure belli, num. 32. Vasquez 1. 2. disp. 64. nu. 16. & alii*

449 Neque mirum videri debet opinionem illam, quæ potestatem hanc Pontificis temporalem

poralem tuetur, tam altas radices in mẽtibus etiam doctissimorum defixas reliquisse: partim, quia ab ipso primordio huius controuersiæ non defuerunt (sicut nec hodie desunt Pontifici assentatores, qui vel spe lucri, vel honoris cupiditate, vel fauore aut timore ipsius a potestatem eius plus nimio extollerent: partim quia rationes & argumẽta, quib. auctoritas hæc Pontificis temporalis in ordine ad bonum spirituale innititur, magnum præ se ferunt probabilitatis specimen rem minus ac accurate consideranti: partim quia, quamuis plurimi, tum pii, tum eruditi semper extiterint, & hodie etiam existant, qui contrariam secuti sunt sententiam, ne tamen vel Pontificis indignationem incurrerent, vel malis Principibus ansam tribuerent, aut Ecclesiam liberius diuexandi, aut paulo licentius viuendi, qui potestate hac Pontificis temporali, quasi quodam fræno in suo gradu facilius detineri posse videbantur, præsentem controuersiã silentio præterire, & ne pusillis scandalum generarent, veritatem ipsam non relinquere negãdo, sed silendo tantum occultare satius esse iudicabant: partim quia non solent Pontifices libenter permittere, vt suorum prædecessorum res gestæ, aut opiniones, quæ auctoritati Papali suffragantur, vel impugnentur, vel in dubium vocentur.

a Ioan. Paris. de potest. Regia & Papali, c. 21. ad. 41. Dico, inquit, quod tanti viri, inter quos aliqui fuerunt Summi pontifices, senserunt cõtra conscientiam suam in fauorem principum. Vel ob timorem eorum, est ponere os in cælum. Magis autẽ probabiliter possẽt e cõtrario dici quod tales Doctores, qui sic in ro debita amplião auctoritatem papæ, loquuntur timore, vel fauore ipsius, cũ sint personæ Ecclesiasticæ, quas magis possit per ipsam promouere. Et præcipue cũ ipsi dicant, licet male, quod summus pontifex gratiose amplectitur suam potestatem extendentes & reprimit obloquentes.

b Nu. 400.

450 Et propterea tam Pontifex ipse, quam locorum Ordinarii, atq; hæreticæ prauitatis Inquisitores satis sunt soliciti, ne libri aliqui, qui potestati Pontificiæ vllo modo derogare videntur, in publicum prodeant, & si prodierint, vel omnino supprimantur, vel a nemine absq; facultate speciali, eaq; in scriptis habita perlegãtur, donec expurgati fuerint. Atq; ita difficillimum est, hisce præsertim temporibus, aut in libris Catholicorum clausulam vllã reperire, quæ temporalem Pontificis potestatem in controuersiam vocandi vel tantillam speciem habeat, aut certo cognoscere, quid librorum Auctores circa eiusmodi potestatem senserint, sed potius quam opinionem Librorum Censores secuti fuerint, cum illi nõ semper propriis, sed istorum verbis loqui, suamque sententiam proferre, quamuis inuiti, sæpissime compellantur.

451 Ideoq; non est mirandum, opinionem hanc pro potestate Papali Principes deponendi apud Doctores adeo celebrem fuisse, vt in Cõcilio generali Lugdunensi præsentib. vniuersis patribus, fuerit ab Innocentio quarto Fridericus secundus Imperio priuatus. Quia tamen eiusmodi depositio non erat res fidei, sed facti duntaxat, in quo tã Papa, quam Patres illi propter proprias secum opiniones errare poterant, neque Concilium talem depositionem a legitima potestate processisse definiuerat, non affert illorum Patrum opinio (etiam si omnes pariter consensissent, quod tamen ex ipso Concilio colligi nequit) maiorem certitudinem pro auctoritate Pontificia Principes deponendi, quam si extra Concilium sententiã suã declarassent. Et eodẽ modo Responderi potest ad Conciliũ Lateranense sub Innocentio tertio, in c. De hæreticis, cuius tamẽ auctoritatem tanquam minus forsan efficacem Card. Bellarminus penitus prætermisit.

452 Illud nihilominus diligenter obseruandum est, quod quamuis ipse Bellarminus superius b asserat Innocentium quartum in Generali Concilio Lugdunensi *consentientibus vniuersis Patribus* Fridericum deposuisse, ex ipso tamen Concilio colligi nõ potest vniuersos Patres depositionem illam approbasse, sed plurimos potius reclamasse. Vnde in principio illius Bullæ (quod notatu dignum est) non legitur, *Innocentius Seruus seruorũ Dei, &c. Sacro approbante Cõcilio*, sicut in aliis Decretis Pontificiis, quæ in pleno Concilio fiunt, dici solet, sed tantum *Sacro præsente Concilio*: neq; in tota illa Bulla vlla fit mentio consensus Patrum, sed solum propter finem illius Pontifex ait, se cum fratribus suis Cardinalibus, & Sacrosancto Concilio maturam, & diligentem deliberationem habuisse de pluribus nefandis & execrandis flagitiis Friderici, sed de consensu, & approbatione Cõcilii de deponendo Friderico ne verbum quidem. At si vniuersi Patres depriuationem Friderici approbassent, nõ est verisimile, quin Innocentius, vel sua sententia in Fridericũ prolata toti mundo iustior appareret, talem Concilii approbationem exprimere voluisset, atq; non tantum dicere, *Sacro præsente Concilio*, quib. verbis vti potuisset, tametsi totum Concilium repugnasset, sed etiam *Sacro approbante Concilio*, cum præsertim proximo in sequenti Decreto hac posteriori loquendi formula idem Innocentius vsus fuerit.

Deinde sententia illa depriuationis non sine omnium audientium, & circumstantium stupore fulminata est, vt ibidem refertur, sed non erat, quod vniuersi Patres audita depriuationis sententia tanto stupore afficerentur, si prius dictæ depriuationi assensum suum præbuissent.

454 His adde, tam Pontifices, quam Concilia sæpe multa statuere, quorum ordinatio potius ad potestatem politicam, quam ad Ecclesiasticam spectat, ex expresso, vel tacito Principũ consensu, qui per seipsos, aut per suos Legatos præsentes adsunt, vel ex præsumpta aut sperata saltem Principum ratihabitione. *Et hoc dicunt, expositores Iuris Canonici* (vt verbis vtar Iohannis Parisiensis c) *qui statũ in Ecclesia habuerunt etiam in casu, in quo minus videtur. Quærit n. Hostiensis* d *extra de Hæreticis. c. Vergentis, vbi mãdat Dominus Papa hæreticorum confiscari bona, Quid ad Papam de temporalibus? Et Respondet cum Domino suo Innocentio, quod reuera nihil ad eum, sed hoc fecit de assensu Imperatoris, qui tunc Paduæ præsens consensit.*

c De potest. Regia, & papali ca. 10.

d Hanc Resp. Hosti. non in cap. Vergentis, sed in proxime sequenti cap. Ad abolendam.

Aliam expositionem adhibet Glossa in c. *Hadrianus dist. 63.* vbi Papa præcipit publicari eorũ bona, qui eius decretum violant, & in c. *Delatori 5. q. 6.* vbi statuit Delatoribus linguam capulã dari, aut conuictis caput amputandum esse. Respondet enim Glossa *hic Ecclesiam docere, quid facere debeat Iudex Secularis.* Quæ eius Responsio ad similia Decreta, in quibus Sacri Canones pœnas temporales infligunt, accommodari potest.

SSS 2 455 De-

455 Deniq; si ex infelici successu coniecturam facere liceret, an aliquæ Principum depositiones rite sint factæ, sicut per argumentum a contrario ex felici euentu translationis Imperii a Græcis ad Germanos colligit Card. Bellarminus, a translationem illam iure factam fuisse, profecto paucissimæ ex plurimis Regum, aut Imperatorum depositionibus a legitima auctoritate processisse reperientur, quas ferme omnes maximæ in Ecclesia calamitates secutæ sunt, vt historiæ produnt. Quanta enim mala, quot bella, bellorumque discrimina, quæ schismata, quot animarum, & corporum pericula subsecuta sunt primam omnium Imperatorum, nempe Henrici quarti, depositionem auctoritate Papali factam, narrat Otho Frisingensis *lib. 6. cap. 36.* De depositione autem Friderici secundi Ioannes Trithemius ita scribit: b *Intrauit Fridericus post depositionē sui in Italiā, & tantis malis Papam subiectosq; illi populos afflixit, vt Pontificem viuere taderet, voluissetq; se nunquam depositionem illius cogitauisse.* Atque, vt cæteras depositiones taceam, quam innumeras strages ac infinitas calamitates in Ecclesiam inuexerit prætensa hæc Pontificis auctoritas Principes deponendi, tantaque vi tum scriptis, tum factis propugnata, nimis clarum, sed non satis lugendum Anglia nostra præbet testimonium.

a Supra nu. 391.

b In Chro. monasterii Hirsaugiensis in anno 1244.

456 Atque ita liquido constat, prædicta exempla Card. Bellar. pro auctoritate Pontificis temporali confirmanda nihil certo etiam iuxta ipsiusmet principia, concludere, sed aliæ rationes magis efficaces quam rerum ab ipsis gestarum exempla in quibus Pontifices, etiam nonnunquam absq; peccato falli possunt, & fallere, excogitandæ sunt ad probandum, penes Pontificem esse potestatem Regna, ac Imperia transferendi, Principes supremos Principatu priuandi, atque de rebus temporalibus omnium Christianorum etiam in ordine ad bonum spirituale disponendi.

457 Neq; multum mouere quemquam debet id, quod, meo iudicio, huius Pontificiæ potestatis in temporalib. præcipuum potest esse fundamentum, nempe, quod communis opinio huic auctoritati patrocinetur, cū paulo antea plures rationes adduxerimus, quare opinio hęc, quæ potestatem Pontificis temporalē defendit, cōmunior sit, quam opposita, quæ talem potestatem Pontifici, vt Pontifex est, competere negat; Nec sufficiens ratio est ad probandum opinionem aliquam esse veram, aut amplectandam, quia communis est & ab omnibus, vt plurimum propugnetur. Constat n. ex Couarruuia loco superius, c citato, cōmunem fuisse suo tempore opinionem, quam hodie Card. Bellarminus vehementer impugnat, nempe Summum Pontificem plenissimam ex Christi institutione habere in vniuersum orbem terrarum iurisdictionem temporalem, eamque in Imperatorem, cæterosque Reges transfudisse. Quā sententiam tam mordicus tenuerunt Bartolus, & alii complures Canonistæ, vt contrariam sententiā plane hæreticam esse affirmarent. Non enim viris doctis ignotum esse potest, plurimos nō infimæ notæ Theologos varias opiniones totis viribus defendere solitos esse, non tam pondere rationum motos, quam auctoritate sui magistri, quasi in eius verba iurassent, persuasos. Quo fit, vt plures opiniones cōmuni Doctorum calculo olim receptæ iam prorsus antiquatæ sint, atque e Scholis penitus explosæ.

c Num. 117.

459 Si Principes temporales, quando primum hæc controuersia exorta est, tantā diligentiam adhibuissent, ne libri aliqui in suis Regnis diuulgarentur, qui Regali ipsorum auctoritati præiudicarent, donec Ecclesia litem diremisset, quanta vsi sunt Summi Pontifices, ne aliquid, quod Papali ipsorum potestati derogat, in lucem proferatur, proculdubio nō tam communis hodie fuisset illa opinio pro potestate Pontificis Principes deponendi. Et nihilominus nunquam defuerunt, nec iam desunt plurimi tum Theologi, tum Iurisconsulti, vt ex supradictis constat, qui potestatem hanc Pontificis temporalem palam denegare non sunt veriti.

460 *Superest demum*, vt ad ea Respondeamus, quæ Card. Bellarminus superius, d attulit ad legitimam Imperii translationem per Pontificem factam confirmandā, in quarum, posteriori nostræ ad hæc exempla Responsioni aduersari possunt. Concedimus igitur prædictam Imperii Romani a Græcis ad Germanos translationem legitime factam fuisse, negamus tamen Romanum Pontificem secluso populo plenam habuisse illud transferendi auctoritatem. Et quāuis non fuisset a scriptoribus vlla populi assentientis facta expressa mentio (cuius tamen contrarium iam supra e ostendimus) nihilominus non propterea huius translationis veritati vllo modo quis detraheret, qui solum Pontificem absq; consensu populi plenā Imperium transferendi potestatē habuisse denegaret. Nā licet Pontifex bona fide credens talem sibi competere potestatem, quæ tamen reuera illi non conuenit, suffragia populi ad dictam translationem nō requisiisset, attamen translationem illā sola Pontificis auctoritate expresse factam, ex eo saltē fuisse legitimam constat, quod in tali publico negotio populus tacens, nec cōtradicens, & consequenter tacite consentiens (iuxta regulam Iuris, *qui tacet*) assensum suum præbuisset. Quod nunc a fortiori dicendum est, cum apud omnes historicos compertum sit) vt ipse etiam Card. Bellarminus f fatetur) populum Romanum non solum nōn tacuisse, verum etiam acclamasse, & cum ingenti applausu translationem illam collaudasse.

d Num. 390. & seq.

e Num. 416. & seq.

f Lib. 1. de translat. Imperii c. 4. & 10.

461 Quinimo si Card. Bellar. istam Imperii translationem a sola Pontificis auctoritate totum suum robur habuisse velit, illius veritatem valde suspectam reddit, & quodammodo in controuersiam vocare videtur, quod nequaquam faciunt illi, qui eam non tantum a Pontificis, sed a reliquæ etiam multitudinis consensu pendere volunt, cum plurimi sint iique tum

doctrina, tum religione conspicui, qui dubitant, an Pontifex iure diuino talem Imperia transferendi potestatem habeat ne vnus quidem, nec ipse Card. Bellarminus iuxta doctrinam suã superius a traditam, inficiari potest, eiusmodi auctoritatem in casu prædicto, quãdo nimirum Imperator solo nomine regnat, ipsumque Imperium pro derelicto habet, in tota multitudine residere.

a *Num. 430. & seq.*

463 Atq; ita tum rationibus, tum exemplis, quæ a Card. Bellar. ad potestatem spiritualem esse tandem in potestatis temporalis depressionem allata sunt, abunde satisfecimus, atq; perspicue commonstrauimus, non esse adhuc ab eo sufficienter etiam iuxta ipsius principia demonstratum, aut Scripturarum testimonio, aut Apostolorum traditione, aut Ecclesiæ definitioně, aut Sanctorum Patrum auctoritate, aut ipsis rationibus Theologicis, Summum Põtificem vllam prorsus ex Christi institutione habere auctoritatem, siue directe, siue indirecte, siue absolute, siue respectiue ad bonum spirituale, Principes Supremos suis dominiis temporalib. dispoliandi.

464 Reliquum est duntaxat, priusquam finem imponamus huic pro potestate Principum Apologiæ, in qua quid vtriq; potestati tam spirituali, quam temporali iure diuino debeatur, contemplari licet, vt breuiter quoque ostendamus, quomodo inter has opinionum varietates fidelis quisq; subditus quoad praxim se gerere debeat. Circa quam hoc potissimũ documentũ obseruare sufficiet, quod iuxta regulam Iuris approbatam, *In causa dubia (siue incerta) melior sit conditio possidentis.* Si igitur contingat Summum Pontificem Principem quemcunq; Christianum, qui bona fide in Principatus sui possessione manet, ob aliquod crimen per sententiã depriuationis e Principatu eiicere, cum de eiusmodi Papali auctoritate Principes Principatu priuandi non adhuc satis constet, sed apud Catholicos sit controuersum, non licet absq; crimine imminutæ maiestatis Principem legitimum, non obstante tali depriuationis sententia, e Dominatus sui possessione exturbare, donec, quod talem Pontifex habeat auctoritatem Principes deponendi, per Ecclesiæ definitionem fuerit stabilitum.

465 Neq; obstat primo, ꝙ in dubiis parendum sit Superiori. Nam sicut Summus Pontifex est Superior in spiritualibus, ita in temporalibus Princeps Secularis est omnium Supremus.

466 Neq; secundo, ꝙ in dubiis tutior pars sit eligenda, multo autem tutius videtur esse obtemperare Principi spirituali, qui Saluatoris nostri Iesu Christi Vicarius est in terris, præcipiẽti subditis, ne Principi suo temporali pareant, quam iussum sequi Principis præsertim hæretici, populo sibi subiecto imperantis, vt si obediant. Non n. securius, sed multo periculosius est in tali casu Principi spirituali obedire, si non constat eum talem habere auctoritatem Principes hæreticos deponendi, & subditos ab eorum obedientia absoluendi, & consequenter præcipiendi, ne Principi hæretico in reb. licitis optemperent, quam parere Principi iusta imperanti, q absq; vlla controuersia Principatum suum legitime possidet. Qui n. Principem Secularem, prsus tenitentem e Principatus sui possessione extrudere conatur, in supremo ferme iniustitiæ gradu, quę omnium scelerum contra virtutes morales, est grauissimum, absq; vlla controuersia delinquit, qui autem Pontifici præcipienti, ne subditi suo Principi, quantumuis hæretico, in rebus honestis obediant, parere neglexerit, quandiu apud catholicos tum pios, tum eruditos incertum est, an ipse talem præcipiendi auctoritatem habeat, nulli omnino, nec leuissimo quidem crimini obnoxius esse potest.

467 Neq; quemquam perterrere debet, quod Summus Pontifex sit Christi Vicarius, cum Princeps quoq; temporalis *Dei minister sit*, vt ait. S. Paulus ad *Rom.* 13. atq; etiam ipsius Dei, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, *Vicarius in terris*, vt Anastasius Papa in epistola ad Anastasium Augustum disertis verbis affirmat. *Pectus*, inquit, *Clementia vestra sacrarium est publicæ fælicitatis, vt per præstantiam vestram, quam velut Vicarium, Deus præsidere iussit in terris, Euangelicis Apostolicisque præceptis non dura superbia resistat, sed per obedientiam, quæ sunt salutifera compleantur.*

468 Neq; obstat tertio, quod subditus forsan eam opinioně probabiliorem esse existimet, quæ asserit penes Pontificem esse potestatem Principes hæreticos suis Regnis abdicandi. Et Propterea, si Pontifici Principem suum in hoc casu deponenti non pareret, videretur contra propriam conscientiam, aut saltem cõtra dubiam operari, quorum vtrumq; tum iure diuino, tum naturali est omnino illicitum. Etenim, vt recte docent Theologi, b potest quis tuta conscientia sequi opinionem, quam videt doceri a viris doctis, & peritis in ea arte contra propriã, eamq; magis communem, minusque tutam, & consequanter docent quod agere contra propriam opinionem, & agere contra propriam conscientiam, sunt res valde distinctæ.

469 In hoc igitur casu, sicut in multis aliis non obstante propria opinione, qua quis speculatiue per principia intrinseca arbitratur, se obligatum esse ita operari, vt sua opinio dictat, potest nihilominus, & tenetur rectum conscientiæ dictamen sibi formare, quo practice hic, & nunc absq; vllo dubio existimet se contra propriam opinionem debere operari. Et hoc dictamě practicum elicere potest partim ex principiis extrinsecis, nempe auctoritate virorum prudentium, ac in Theologia, Iurisq; prudentia peritorum, qui contra ipsum sentiunt, quorum opinionem iuxta rectæ rationis, ac prudentiæ normam in moralibus tuto sequi potest: partim ea prædicta regula Iuris, quod possessor bonæ fidei nõ est e possessione sua excludendus, quãdiu ius aduersæ partis est incertum, & apud Theologos, ac Iurisconsultos pios, ac eruditos cõtrouer-

b *Gabr. Vasquez. 1.2. q. 19. art. 6. disput. 62. c. 4. 5. 8. & 9. Barth. Medina ibidem, art. 6. q. vltima & penultima Sayrus in claue Regia libr. 1. ca. 6. & alii.*

trouersum: Ad quod etiam dictamen eliciendum conducit alia regula Iuris, *Cum sunt partium iura obscura fauendum est reo potius quam Actori.*

470 Quamuis enim per propia & intrinseca principia, quæ scilicet ducuntur ex causis rei, vel effectibus, aut incommodis, quæ rem consequuntur, eam opinionem amplecteretur, quæ asserit Papam talem habere auctoritatem hæreticos Principatu pellendi, Cum hoc tamen simul ignorare non potest, nisi de industria vel cæcutire, vel proteruire velit, tum quod cõtraria opinio sit etiam nunc apud Theologos, & Iurisconsultos controuersa, & adhuc sub Iudice lis existat; tum potissimum, quod possessor bonæ fidei non sit e possessione deturbandus, aut tãquam male possidens condemnandus, quamdiu ius alterius partis est obscurum.

471 Et propterea, siue Papa, siue Princeps, siue alius quicunq; extraneus Principem hæreticum e Regni sui possessione eiicere contenderet, lite hac de Principum depositione sub Iudice existente, apertissimam contra iustitiæ regulas iniuriam illi irrogaret. Atq; a fortiori non potest a manifesta perduellione excusari subditus, quamcunque opinionem circa potestatem Pontificis temporalem speculatiue tueatur, qui practice sub prætextu forsan deuotionis erga Sedem Apostolicam, non æque etiam perpendens debitum suæ seruitutis erga Maiestatem Regiam obsequium, Principem suum legitimum, non obstante quacunque Excommunicatione, aut de priuatione Papali e regni sui possessione expellere niteretur.

472 Venerandi igitur sunt Pontifices; vt Pastores nostri spirituales, Reges etiam honorificandi, vt Domini nostri temporales, non est deprimenda illorum auctoritas, vt horum potestas nimium efferatur, neque istorum Maiestati quidquam est detrahendum, vt Pontificum Iurisdictioni plus æquo deferatur, sed memores semper dominici præcepti, suum cuique tribuamus: *Cæsari reddentes, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo.*

Anno 1610

COMMONEFACTIO ET POSTVLATIONES REGIORVM

Cognitorum;

Necnon Arestum Curiæ Parlamenti Parisiensis, die XXVI. Nouembris, MDCX latum,

Aduersus librum inscriptum, *Tractatus de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus aduersus Gulielmum Barclaium, autore Roberto S. R. E. Cardinali Bellarmino,*

Excussum Romæ anno 1610.

Auctore Ludouico Seruino I C. & Aduocato Regio in Curia Parisiensi.

Ex verbis Domini IESV CHRISTI in Euangelio secundum Marcum Cap. X.

Scitis (inquit IESVS ad Discipulos) *quia hi qui videntur principari gentibus, Dominantur eis: & Principes eorum potestatem habent ipsorum: non ita est autem in vobis.*

Ex Euangelio secundum Lucam Cap. XXII.

Reges Gentium (ait IESVS Discipulis suis) dominantur eorum; et qui potestatem habent super eos, Benefici vocantur: vos autem non sic.

EX ACTIS

CVRIÆ PARLAMENTI PARISIENSIS DIE VENERIS 26. Nouembris, CIↃ IↃCX.



HODIERNA die Regii Cognitores in Curia, verba faciente Ludouico Seruino Aduocato Regio, subscribente Ludouico Dureto primario subcognitore regio, dixerunt relatum sibi, paucis abhinc diebus disseminatum fuisse in hac vrbe Parisiensi nouum librum, cuius hæc est inscriptio, *Tractatus de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus, aduersus Gulielmum Barclaium, auctore Roberto S. R. E. Cardinali Bellarmino,* Romæ per Bartholomæum Zannetti hoc anno 1610. excusum: ex quo plura plures excerpta, bona fide alii, malo alii animo vulgauere. Quoniam vero propositiones liber iste continet, quæ Regis authoritati & potestati, ac statui Franciæ præiudicant, de quo iuxta ac de aliis Regibus, Principibus & Rebuspublicis temporalibus author loquitur, exemplar studiose sibi comparauere, quo accurate lecto & expenso, sui censent officii ea quæ Potestatibus a Deo constitutis, huic regno potissimum,

Bellarminus de Romani Pontificis Hierarchia.

num, aduersantur, ad Senatum referre. Quamobrem hoc nouo tractatu, non eas docere modo Cardinalem Bellarminum propositiones, quas prioribus scriptis asseruit, obseruarunt: vt eo libro, cui titulus *De Romani Pontificis Hierarchia*, Sixti V. tempore scripto, & eidem Pontifici dicato, quem in quinque libros partitus est, quorum vltimo tuetur, *Papam habere potestatem temporalem indirecte.* Sed ad hoc erroneum dogma alia non minus falsa, & vlterius progredientia, locis adnotatis quos Senatus, si ita visum erit, hocin libro intuebitur, adiici animaduerterunt. *Primum notandus ipse titulus, quo summo Pontifici potestatem tribuit in tẽporalibus. Dein e variis Italorum Gallorum, Hispanorum, Germanorum, Anglorum, & Scotorum scriptis authoritates nonnullas adfert, exordium a Gregorio VII. Pontifice, qui vixit anno Domini 1073. ducens: Aliquot excommunicationum quas alii Pontifices aduersus Imperatores tulere, exempla: quin sententiam dicti Gregorii VII. anno* 1080. *aduersus Henricum IV. Imperatorem, iungit. Item Concilia tempore quorundam dicti Gregorii VII. successorum habita. Beneuentanum sub Victore III. Placentinum sub Vrbano II. Romanum sub Paschali II. Coloniense sub Gelasio II. Rhemense sub Calixto II. Lateranense sub Innocentio III. anno 1215.* vnde illam texit inductionẽ quæ pag. 15 sequitur: *Quid hic Barclaius diceret? si hac non est Ecclesiæ Catholica vox, vbi obsecro eam inueniemus? & si est (vt verissime est) qui eam audire contemnit, (vt Barclaius fecit) an non vt Ethnicus, & Publicanus, & nullo modo Christianus, & pius habendus erit? Si non habet summus Pontifex potestatem in terris disponendi de temporalibus vsque ad depositionem Principum eorum, qui vel ipsi heretici sunt, vel hereticis quoquo modo fauent, cur in editione huius canonis nullus ex tanto numero reclamauit? cur ne vnus quidem ex tot Imperatorum ac Regum oratoribus mutire ausus est? Nondum videlicet Parasiti Principũ temporaliũ exorti fuerant, qui vt regna temporalia stabilire viderentur, Regnum æternum iis quibus adulantur eripiunt.* Deinde Concilium Lugdunense tempore Pontificis Innocẽtii IV. anno 1254. habitum, ac latam in eo contra Imperatorem Fredericum II. sententiam subnectit. Ex hisce de autoris animo iudicet Senatus. Illi nimirum fuit propositum, Pontifici supremam in Reges & Principes tẽporales potestatem tribuere, iis etiam in ditionibus, quibus suam necessitas fixit legem, qualẽ in *Pacificis Edictis* videre est, quæ à Rege Christianissimo Henrico III. lata, & ab Henrico IV. decessorem imitante sancita & in Curiis Parlamenti promulgata sunt, quib. Religionem, quam vocant Reformatam, profitentes, quo bellis ciuilibus parcatur, tolerantur. Quod obseruari à tanto Cardinali debuit, quem Romæ *cen Ecclesiæ triumphantis incolam* latere non potest, nos in *Militante*, sicubi locorum etiam in hoc Franciæ regno iactari. Ad hæc notandum quod ca. 5. pag. 37. idem eiusdem libri autor confidenter asserit, *esse rem certam & exploratam posse Pontificem Maximum iustis de causis de temporalibus iudicare, atque ipsos temporales Principes aliquando deponere.* Idem pag. 38. *posse per summum Pontificem deponi Principes temporales, quando Ecclesiæ necessitas id postulat, ac per hoc temporalem Principum potestatem spirituali potestati subiectam & subordinatam esse.* Postea subiicit, *Ex hoc principio satis aperte colligitur, esse in Romano Pontifice potestatem temporalia disponendi, vsque ad ipsorum Regum ac Imperatorum depositionem. Nam per ipsam spiritualem potest summus Pontifex ligare Principes vinculo excommunicationis potest per tandem soluere populos iuramento fidelitatis, ac obedientiæ: eosdem populos sub excommunicationis pœna. vt Regi excommunicato non pareant, atque vt alium sibi eligant Regem.* & pag. 40. eodem capit. 3. *Ecclesiastica potestas* (idem Bellarminus) *nunc etiam separata est a Politica, non enim eadem, sed diuersa est potestas Pontificum, & Regum: sed quoniam, vt supra diximus, potestas Ecclesiastica quæ spiritualis est, præest potestati Politicæ temporali, & eam dirigere debet ad finem supremum vitæ æternæ, ideo potest in ordine ad spiritualia disponere de bonis temporalibus. Verum antiq. isti Apostolorum tempore politicam potestatem non quamcunque, sed Regiam siue Imperatoriam fuisse apud Ethnicos totam, quia nulli tunc erant Reges, aut Imperatores Christiani sed ex hoc nihil aliud sequitur nisi potestatem Ecclesiasticam eo tempore non habuisse paratam executionem, præsertim in temporalibus, vt hoc tempore habet. Ipsos vero Apostolos fuisse in potestate temporali Principum Ethnicorum, scripsi olim cũ Alberto Pighio, & aliis nonnullis: sed postea recognoscens, & expendens diligentius libros meos, censui Apostolos de facto subiectos fuisse Principibus illis, non de iure, vt in recognitione mea posui.* Quod pag. 149. confirmat vbi, *Ecclesia*, inquit, *illa prima instructa fuit omni potestate atque omnibus præsidiis quæ ad perfectam Rempublicam constituendam necessaria erant. Primis autẽ trecentis annis non fuerunt in Ecclesia multi Principes Politici fuerunt tamen aliqui, vt Philippus Imperator, & Rex Lucius, ac Rex Donaldus. Sed fingamus nullos fuisse: non ideo defuit Ecclesiæ potestas disponendi de bonis temporalibus Principum, & dirigendi eorum potestatem politicam. Quando illi Ecclesiæ membra vel filii effici vellent. Præterea vt paulo ante dixi in ipso principio Ecclesiæ quamquam nulli fuerint principes Christiani Apostolis ipsis Ecclesiam regentibus: fuerunt tamen multi homines diuites, de quorum diuitiis Apostoli ipsi disposuerunt, statuentes vt ex iis ministros Euangelii sustentarent.* Idem cap. 21. pag. 177. probare pergit. *Iam* (inquit) *in recognitione scriptorum meorum admonui improbabilem esse sententiam Pighii, quam ego quoque olim secutus fueram, & cum melioribus Doctoribus sentiendum esse Apostolos de iure exemptos fuisse ab omni subiectione principum terrenorum: sed quamuis etiam vera esset sententia Pighii, non tamen sequeretur non habuisse tunc Ecclesiam ius priuandi principes infideles dominio quod habebant super fideles. Diceret enim Pighius Ecclesiam & ipsos Apostolos subiectos fuisse principibus infidelibus quamdiu infideles erant. Sed si ab Ecclesia auctoritatem Dei habentes priuati fuissent, tunc demum non fuisse amplius de iure subiectos. Nam & populus subiectus est Regi quamdiu regnat: Sed si ab alio Rege victus in prælio regnare desierit, non amplius illi subiectus erit.* Item pag. 48. Barclaii verba citans, *Huc accedit* (inquit Barclaius) *quod florente plurimũ Republica Christiana tũ multitudine credentiũ tũ sanctimonia pontificũ, tũ eruditione & exẽplis Doctorũ, atq. a malis interim principibus vexa-*

cæterique Germaniæ Principes in eo sensu intellexerunt, quasi Imperium Vrbis, & Regnum Italicum donatione Pontificum Imperatores Germaniæ hactenus possederant, quæ quidem est

f Nu 307. expressa sententia Card. Bel. loco superius [f] citato.

427 Ex quibus omnibus constat, Carolum Magnum fuisse Imperatorem creatum, non sola auctoritate Summi Pontificis, sed etiam consensu, consulto, scito, suffragiis, atque auctoritate Senatus, populique Romani. Quapropter non satis mirari possum, cur doctissimo Bellarmino [g] in mentem venerit, ad rem tanti ponderis, qualis est noua Imperatorum institutio, comprobandam, tam ingentem auctoritatum multitudinem incassum congerere, cum ne vna quidem ex illis omnibus commonstret Summum Pontificem *sola* sua auctoritate (in quo tota difficultas consistit) Imperium à Græcis ad Germanos transtulisse, sed ad summum ostendant, translationem illam auctoritate quidem Pontificis (quod nemo negare potest) sed non *sola* ipsius factum fuisse. Attamen quamplurimi (vt iam diximus) disertis verbis affirmant, ad hanc quoque Imperii translationem, Senatus, populique Romani consensu, scitum, consultum, suffragia, atque auctoritatem concurrisse.

g Lib. 1. de transla. Imperii, c. 4.

428 *Præsenti itaque controuersia* multum conducit doctrina, quam Cardinalis Bellarminus superius [h] tradiderat, nempe argumentum ab auctoritate negatiue nullam vim habere. Ita enim ipse scribit: *Respondeo primo, nihil concludi ex argumentis ab auctoritate negatiue. Non enim sequitur, Lucas, Paulus, & Seneca non dicunt Petrum fuisse Romæ, igitur non fuit Petrus Romæ. Non enim isti tres omnia dicere debuerunt; & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quàm mille nihil dicentibus, modo isti non negent, quod alii affirmant.*

h Lib. 2 de Rom. Pont. c. 8.

Cum igitur nullus omnino ex illis triginta duobus auctoribus, quos ipse translationis Imperii per Pontifices factæ testes adhibuit, inficietur, translationem illam auctoritate Senatus, populique Romani factam fuisse, atque non tres tantum, sed multo etiam plures, quos supra retulimus, apertissime dicant, tum Romani Pontificis auctoritatem, tum etiam consensum, scitum, consultum, suffragia, atque auctoritatem populi Romani interuenisse, non satis firmiter ex illis testimoniis probat Cardinalis Bellarminus, etiam iuxta sui ipsius principia, translationem Imperii à Græcis ad Germanos in Summum Pontificem tanquam in *vnicum* illius Auctorem referendam esse. Nam alioquin, quod ipse, tanquam primus saltem ciuis, & Romanæ Ecclesiæ supremus Pastor suo consilio, auxilio, & consensu præcipuus illius translationis Auctor fuerit, quique ideo Imperium Romanum transtulisse, à nonnullis Scriptoribus asseratur, à nemine in controuersiam vocari potest.

429 Quare iuxta doctrinam Cardinal. Bellarmini iam traditam non licet ita argumentari, *Zonaras, Cedrenus, Paulus Diaconus, & plures alii Auctores ab ipso relati, non dicunt Imperium Romanum fuisse à Græcis ad Germanos translatum auctoritate Senatus populique Romani; igitur Imperium Romanum auctoritate Senatus, populique Romani non est translatum: non enim isti omnia dicere debuerunt, & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quàm mille nihil dicentibus.*

Rursum, *plus creditur tribus testibus affirmantibus, quàm mille nihil dicentibus modo isti non negent, quod alii affirmant, sed multo plures, quam tres Auctores tum à nobis, tum ab ipso etiam Bellarmino citati asserunt translationem Imperii Romani factam fuisse consensu, scito, consulto, suffragiis, atque auctoritate Senatus, populique Romani, & nullum omnino ex illis triginta duobus testimoniis hoc negat; ergo maior fides adhibenda est illis, qui affirmant, translatum fuisse Imperium per Pontificem, Senatum, populumque Romanum, quam cæteris omnibus, qui quantumuis dicant hanc Imperii translationem factam fuisse per Romanum Pontificem, non tamen negant factam quoque esse per Senatum, populumque Romanum.*

430 Quin & plures ex istis triginta duobus Auctoribus; qui dicunt Leonem Pontificem Carolum Imperatorem creasse, coronasse, &c eodem modo capi possunt, quod ipse Adrianus Papa verba sua superius [i] exposuit, quando scripsit, *Imperatorem dignitatis, & honoris plenitudinem sibi à Romano Pontifice collatam, & insigne Imperialis coronæ de manu eius suscepisse*; non quasi Pontifex Imperialem dignitatem vere illi contulerit, in quo sensu Imperator, cæterique Principes verba Pontificis sunt interpretati, sed solum quod coronam, quæ insigne est Imperialis dignitatis, capiti suo imposuerit. Quæ verba non maiorem in Pontifice arguunt auctoritatem Imperatorem constituendi, quam in cæteris Metropolitanis Regna conferendi, qui Principum capitibus Regale diadema imponunt. Atque ita satisfactum est tertiæ replicationi, quam contra hanc Responsionem Cardinalis Bellarminus superius [k] adhibuit.

i Nu 426.

k Nu 396.

431 *Ad illud vero*, quod primo, & secundo loco contra hanc Responsionem opposuit, [l] nempe *populum Romanum nunquam fere habuisse Imperatoris creandi potestatem, sed antiquos Imperatores vel iure hæreditario habuisse Imperium, vel ab exercitu creatos fuisse. Et si quam habuerint Romani in Imperatore eligendo auctoritatem, eam certe amisisse, quando Romana sedes Constantinopolim translata fuit; Nam deinceps per annos circiter CCCCC. hoc est, à Constantino Magno vsque ad Carolum Magnum nihil vnquam egit Senatus, populusque Romanus circa Imperatorum creationem*: facillima est Responsio, si prius obseruemus; quæ Cardinalis Bellarminus inferius [m] in tomo sequenti annotauit.

l Nu 394. 395.

m Lib. 3. de Laicis, c. 6.

432 *Primum est, potestatem politicam in vniuersum consideratam non descendendo in particulari ad Monarchiam, Aristocratiam, vel Democratiam immediate esse a solo Deo; nam consequitur necessario naturam hominis, proinde est ab illo, qui fecit naturam hominis. Præterea hæc potestas est de iure naturæ, non enim*

pers-

pendet ex consensu hominum, nam velint, nolint, debent regi ab aliquo nisi velint perire genus humanũ, quod est contra naturæ inclinationem. At ius naturæ est ius diuinum, iure igitur diuino introducta est gubernatio, & hoc videtur proprie velle Apostolus, cum dicit Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

433 *Secundum est, hanc potestatem immediate esse tanquam in subiecto in tota multitudine, nam hæc potestas est de iure diuino: at ius diuinum nulli homini particulari dedit hanc potestatem, ergo dedit multitudini. Præterea sublato iure positiuo non est maior ratio, cur ex multis æqualibus vnus potius, quam alius dominetur, igitur potestas est multitudinis. Denique humana societas debet esse perfecta Respublica, ergo debet habere potestatem seipsam conseruandi, & proinde puniendi perturbatores pacis, &c.*

434 *Tertium est, hanc potestatem transferri à multitudine in vnum, vel plures eodem iure naturæ: nam Respublica non potest per seipsam exercere hanc potestatem; ergo tenetur eam transferre in aliquem vnum, vel aliquos plures: & hoc modo potestas Principum in genere considerata est etiam de iure naturæ, & diuino, nec posset genus humanum, etiamsi totum simul conueniret, contrarium statuere, nimirum vt nulli essent Principes vel Rectores.*

435 *Quartum est, in particulari singulas species regiminis esse de iure gentium, non naturæ: nam pendet à consensu multitudinis constituere super se Reges, vel Consules, vel alios Magistratus, vt patet. Et si causa legitima adsit, potest multitudo mutare regnum in Aristocratiam, aut Democratiam, & è contrario, vt Romæ factum legimus.*

436 *Quintum quod ex dictis sequitur est, hanc potestatem in particulari esse quidem a Deo, sed mediante consilio, & electione humana, vt alia omnia, quæ ad ius gentium pertinent: ius enim gentium est, quasi conclusio deducta ex iure naturæ per humanum discursum.*

437 Ex his perspicuum est, politicam Imperii Romani potestatem ex sententia Card. Bellarmini immediate in ipso populo Romano residere, & ab eo, vel in Senatum, vel Imperatorẽ transferri, adeo vt ex ipsius populi, seu multitudinis consensu, & electione dependeat, quod vnus sit Imperator, isque vel iure hæreditario Imperium habeat, vel ab exercitu, aut Senatu erectur. Quo fit, vt si causa legitima adsit, a possit populus ex mente Bellarmini mutare Regnũ in aliud genus regiminis, & è cõuerso, & consequenter si Princeps vel non valeat, vel saltem non velit ipsis imperare, possit totus populus eius nouum Regem sibi constituere, tum modũ etiam regiminis immutare, vt contigisse videmus in transferendo Imperio a Græcis in Germanos ex sententia eorum, quos supra b commemorauimus.

a *Multi tamen viri doctissimi contra Bellar. sentiunt, nimirum non esse causam legitimam Regem deponendi, quod regimini ineptus sit, & Regnum gubernare non valeat, sed coadiutorem tantum, seu Regni administratorem, pro tempore tantum quo ineptus est, constituendi.*

b *Nu. 45. & seq.*

438 Quoniam enim (vt scribit Lupoldus de Iuribus Regni & imperii, c. 4. & 18. idemque indicant plures Auctores supra c citati) *Imperatores Græci tempore Caroli Magni, & etiam ante tempora eiusdem, nimirum tempore Pipini patris, ac Caroli Martelli aui sui in Occidentali Imperio solo nomine regnabant, nec Ecclesia Romana, nec alia Christi Ecclesia, seu etiam quicunq; alii a Longobardis oppressi contra iniustitiam in eodem Imperio poterant per eos, vel auctoritate ipsorum iustitiam consequi, & sic Imperatores prædicti Occidentale Imperium quodammodo pro derelicto habebant, in eo, vt ex diuersis Chronicis apparet, solo nomine imperando*, Pontifex, Senatus, populusq; Romanus ex tacito saltem aliorũ omnium Occidentalium, qui Imperio subiecti erant, consensu, plenum ius, ac potestatem (quã per nullam consuetudinem, aut Sedis Imperii translationem, vtpote sibi congenitã, & ex iure naturæ debitã, amittere poterant) etiam iuxta doctrinam Card. Bellarmini iam traditam, habebant nouum Imperatorem sibi constituendi, & consequenter Imperium, quod Græci in partibus Occidentalib. solo nomine tenebant, ad Carolum Magnum eiusq; Successores, aut ad alium quemcunq; Imperii sede in illis partib. tunc quasi vacante, transferendi. Et propterea populus Occidentalis non amisit ius illud, & potestatem sibi connaturalem nouum Imperatorẽ in casu prædicto eligendi, ex eo quod Imperii sedes Constantinopolim translata fuerit, vt perperam Card. Bellar. affirmat.

c *Nu. 416. & seq.*

439 Quare huiusmodi argumentatio est aperte vitiosa: *Senatus, populusq; Romanus nihil vnquã egerunt circa Imperatorum creationem per annos circiter quingentos hoc est, a Constantino Magno vsque ad Carolum Magnum, ergo si quam habuerunt in Imperatore eligendo auctoritatem, eam certe amiserunt, quãdo Imperii sedes Constantinopolim translata fuit.* Nã, vt ex dictis constat, non potuit populus Romanus propter aliquam desuetudinem amittere auctoritatem sibi insitam, atq; innatam, & ex iure tum diuino, tũ naturali debitam, qualis erat illa, qua imperium ob causas prædictas a Græcis transtulit in Germanos. Itaque Card. Bellarminus in duobus illis argumentis supra, d telatis à negatione actus ad negationem potestatis congenitæ captiose argumentari videtur.

d *Num. 394. 395.*

440 Neque etiam difficile fuisset ostẽdere, si instituti nostri ratio id postulasset, solum exercitum, secluso Senatus consensu, non habuisse Imperatorem eligendi plenam potestatem, tametsi negari non possit, quin Senatus nonnunquam ob vim, vel alterius periculi metum, electioni ab exercitu factæ assensum suum negare non ausus fuerit.

441 Atque ita manifestum est, quod supra, e diximus, posse videlicet, ad quatuor præsertim exempla illa intermedia satis commodas expositiones adhiberi, quas etiam ad plura alia eiusmodi exemplorum genera afferri posse disertis verbis affirmat Card. Cusanus, f *Si Regum, inquit, & Imperatorum depositiones, ac Imperii translationes, & caetera forte ad hoc præsumendum* (quod Imperium sit dependenter a Papa) *Apostolicum mouerent, sciat, nisi forte religioni, & humilitati obstaret, omnibus illis vere, & clarissime respondere posse, & taliter, quod forte hæc minime tantam potestatem absq; partium contendentium aut consensu, aut acceptatione in Papa, vt Papa arguerent. Non defuerunt antiqui,*

e *Num. 402.*

f *Lib. 3. de Concordantia Cathol. ca. cap. 41.*

qui Henricum quartum Basilea coronatum per Romanorum Legatos ab excommunicatione Gregorii, seu Hildebrandi defendebant, etiam Apostolica sedis Cardinales pro tunc, & quoddam Concilium Romæ pro tunc celebratum. *Sic de Friderico secundo viro vtique in Ecclesia strenuissimo, ac fidei propugnatore scripta defensoria, & fortia inueniuntur, ac etiam de aliis Imperatoribus acquiescit sæpe Pontificibus populus ob obedientia bonum.* Hæc Cusanus.

441 Ex his igitur apparet, potestatem hanc Papalem Principes deponendi non satis firmiter fundari, aut in præfata Imperii Romani translatione, aut in Regis Childerici depositione, *ex qua* tamen (vt scribunt Godefridus Viterbiensis, a & Otho Frisingensis, b tã insigniter, idq; meritissime a Cardinale Bellarmino * laudatus) *Romani Põtifices regna mutãdi auctoritatẽ trahũt.*

a In anno 754.
b Lib. 5. hist. cap. 21.
* Libr. 1. de transl. imperii c. 4. n. 15.

Sed prætermissis istis expositionibus, tanquam minime necessariis ad præfatas obiectiones ab exemplis petitas dissoluendas, & dato, q singulæ illæ Pontificum res gestæ veræ sint, prout a Bellarmino recensentur, quod quidem fusius examinare præsenti instituto non multum cõducit; *Responderi potest breuiter*, nullo ex prædictis exemplis commonstrari illud, in quo tota cõtrouersia consistit, nempe Summum Pontificem vllam prorsus habere auctoritatem ex Christi institutione de rebus temporalibus omnium Christianorum disponẽdi, ac Principes temporales Principatu priuandi, sed ad summum ostendunt, Pontifices quidem de facto talem exercuisse potestatem. Veruntamen quod de iure id fecerint, neque rationibus, neque auctoritatibus satis solide a Cardinale Bellarmino adhuc probatum est, quamuis a libi, c illud hoc loco a se demonstratum esse affirmet, ibique singulas ferme rationes suas a nobis supra allatas, & confutatas summatim repetat. Sed vtrum eiusmodi demonstrationes assensum certum & euidentẽ, qui demõstrationis effectus est, an vix opinatiuũ gignere valeant, eorum sit iudiciũ, q suas rationes, nostrasq; solutiones ex ipsius principiis petitas æqua lance põderauerint.

c Lib. 1. de transl. Imperii ca. 12.

444 Ad hæc igitur & similia exempla eadem plane respõsio adhiberi potest, qua ipse Cardin. Bellarminus in re non dissimili vsus est, lib. 2. de Rom. Pont. c. 30. ad quartum argumentũ; in quo obiiciebatur, Christianos Imperatores sæpe iudicasse Pontifices, eosq; deposuisse, *Respondeo*, inquit, *hæc quidẽ facta sunt, sed quo iure ipsi viderint.* Et paulo infra: *Ab Othone primo*, inquit, " *satis constat bono zelo, sed nõ secundum scientiã depositũ esse Ioannẽ duodecimũ; fuit n. iste Ioãnes omniũ Põ-* " *tificum fere deterrimus. Atq; ideo non mirum, si pius Imperator, qualis fuit Otho primus, sed minus peritus re-* " *rum Ecclesiasticarum, iudicauerit eum potuisse deponi, præsertim cum multi Doctores idem senserint.*

445 *Simili prorsus ratione responderi poterit*, nonnullos Pontifices priuasse Principes suis dominiis, imperia transtulisse, & de reb. temporalib. Christianorum disposuisse, sed quo iure ipsi viderint. *Neq; enim oportet ex talibus factis singularibus* (ait Ioan. Parisiensis d) *quæ interdum ex deuotione ad Ecclesiã, vel ex causa alia, & non ex debito iuris fiunt, argumẽta sumere.* Et Gregorius Tholosanus, e *Illud*, inquit, *tantum ex his colligo, difficilem esse quæstionem, num Summi Pontifices deponere Imperatorem vel Regem possint, qui olim habuerit instituendi Summum Pontificẽ potestatem. Cum & inueniuntur plures destitutiones, & depositiones factæ ab Imperatore, Summorum Pontificum, non secus, quam destitutiones factæ Imperatorum a Summo Pontifice, vt vicissitudo in his maxima inueniatur. Vnde disputare de facto, & de exemplis depositionum perperã est.* Et paulo infra; *Ex quib. omnibus*, inquit, *innouatores ambitiosi rerum publicarum, & vsurpatores regnorum, rebellesque Principibus legitimis colligere possunt, primum, non ideo omnem depositionem Principum iustam esse, quod reipsa facta sit, nam non omnia facta iusta sunt: deinde non ideo consequentiam fieri debere, quod cum exemplo simile tentãdum sit: Aliud enim est*, ait Matthæus Tortus, f *facta Regum*, addo ego Pontificum, *referre, aliud auctoritatem, potestatemque probare.*

d De potest. Regia & Pap. cap. 15. ad 5.
e Lib. 26. de Repub cap. 5. num. 11.
f In Respons. ad Apol. Anglicam pag. 126. Edit. altera.

446 Neq; mirandum est, Summos aliquos Pontifices tum zelo Dei accensos, tum rationibus probabilibus permotos, tum eorum, qui ipsis a consiliis erant, incitamentis impulsos iudicasse talem sibi competere potestatem temporalem in ordine saltem ad bonum spirituale, cum præsertim plurimi Doctores idem senserint.

447 Quamuis igitur nullas adhuc solidas reppererim rationes, quib. persuaderi possim, eiusmodi facta Pontificũ in transferendis regnis, & Regib. deponẽdis, si ꝓpria tãtum auctoritate illos ea fecisse quis velit, esse ex se legitima, cum Christus ipse actus, officia, & dignitates Põtificis, ac Imperatoris distinxerit, ne aut Pontifex iura Imperatoris, aut Imperator iura Pontificis præsumeret vsurpare. Existimo tamen Summos illos Pontifices, qui ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta in prædictam rerum temporalium dispositionem sese ingesserint, non esse ob eiusmodi facta, quamuis alioqnin ex se iniqua, facile condemnandos, si præsertim probabili virorum prudentum auctoritate moti ea sibi licere existimassent.

448 Nec propterea censeo Principes illos, quamuis alioqui forsan nequissimos, redarguendos esse, qui eiusmodi Pontificum depriuationibus restiterint, suumque ius viis licitis defẽderint, cum apud Theologos g satis constet, posse interdum ob conscientiam vere probabilẽ, quæ ab iisdem (quod ad culpam attinet) inuincibili æquiparari solet, esse bellum ex vtraq; parte licitum quod tamen nihil impedit, quo minus causa alterius partis sit reipsa iniqua. Aliud enim est operationem aliquam esse ex suo genere seu obiecto illicitam, & aliud eam vitio verti operanti, cum sæpe contingat, actionem aliquam, quæ alioquin ex suo obiecto, atque etiam circumstantiis praua esset, ob solam ignorantiam inuincibilem, vel conscientiam probabilem omnino a peccato excusari.

g Victoria Relect. de iure belli, num. 32. Vasquez 1. 2. disp. 64. nu. 16. & alii.

449 Neque mirum videri debet opinionem illam, quæ potestatem hanc Pontificis temporalem

poralem

poralem tueatur, tam altas radices in mētibus etiam doctissimorum defixas reliquisse: partim, quia ab ipso primordio huius controuersiæ non defuerunt (sicut nec hodie desunt Pontifici assentatores, qui vel spe lucri, vel honoris cupiditate, vel fauore aut timore ipsius a potestatem eius plus nimio extollerent: partim quia rationes & argumēta, quib. auctoritas hæc Pontificis temporalis in ordine ad bonum spirituale innititur, magnum præ se ferunt probabilitatis speciem non minus ac accurate consideranti: partim quia, quamuis plurimi, tum pii, tum eruditi semper extiterint, & hodie etiam existant, qui contrariam secuti sunt sententiam, ne tamen vel Pontificia indignationem incurrerent, vel malis Principibus ansam tribuerent, aut Ecclesiam liberius diuexandi, aut paulo licentius viuendi, qui potestate hac Pontificis temporali, quasi quodam fræno in suo gradu facilius detineri posse videbantur, præsentem controuersiā silentio præterire, & ne pusillis scandalum generarent, veritatem ipsam non relinquere negādo, sed silendo tantum occultare satius esse iudicabant: partim quia non solent Pontifices libenter permittere, vt suorum prædecessorum res gestæ, aut opiniones, quæ auctoritati Papali suffragantur, vel impugnentur, vel in dubium vocentur.

451 Et propterea tam Pontifex ipse, quam locorum Ordinarii, atq; hæreticæ prauitatis Inquisitores satis sunt soliciti, ne libri aliqui, qui potestati Pontificiæ vllo modo derogare videntur, in publicum prodeant, & si prodierint, vel omnino supprimantur, vel a nemine absq; facultate speciali, eaq; in scriptis habita perlegātur, donec expurgati fuerint. Atq; ita difficillimum est, hisce præsertim temporibus, aut in libris Catholicorum clausulam vllā reperire, quæ temporalem Pontificis potestatem in controuersiam vocandi vel tantillam speciem habeat, aut certo cognoscere, quid librorum Auctores circa eiusmodi potestatem senserint, sed potius quam opinionem Librorum Censores secuti fuerint, cum illi nō semper propriis, sed istorum verbis loqui, suamque sententiam proferre, quamuis inuiti, sæpissime compellantur.

451 Ideo q; non est mirandum, opinionem hanc pro potestate Papali Principes deponendi apud Doctores adeo celebrem fuisse, vt in Cōcilio generali Lugdunensi præsentib. vniuersis patribus, fuerit ab Innocentio quarto Fridericus secundus Imperio priuatus. Quia tamen eiusmodi depositio non erat res fidei, sed facti duntaxat, in quo tā Papa, quam Patres illi proprias secuti opiniones errare poterant, neque Concilium talem depositionem a legitima potestate processisse definiuerat, non affert illorum Patrum opinio (etiam si omnes pariter consensissent, quod tamen ex ipso Concilio colligi nequit) maiorem certitudinem pro auctoritate Pontificia Principes deponendi, quam si extra Concilium sententiā suā declarassent. Et eodē modo Respondeti potest ad Conciliū Lateranense sub Innocentio tertio, in c. De hæreticis, cuius tamē auctoritatem tanquam minus forsan efficacem Card. Bellarminus penitus prætermisit.

452 Illud nihilominus diligenter obseruandum est, quod quamuis ipse Bellarminus superius b asserat Innocentium quartum in Generali Concilio Lugdunensi *consentientibus vniuersis Patribus* Fridericum deposuisse, ex ipso tamen Concilio colligi nō potest vniuersos Patres depositionem illam approbasse, sed plurimos potius reclamasse. Vnde in principio illius Bullæ (quod notatu dignum est) non legitur, *Innocentius Seruus seruorū Dei, &c. Sacro approbante Cōcilio*, sicut in aliis Decretis Pontificiis, quæ in pleno Concilio fiunt, dici solet, sed tantum *Sacro præsente Concilio*: neq; in tota illa Bulla vlla fit mentio consensus Patrum, sed solum prope finem illius Pontifex ait, se cum fratribus suis Cardinalibus, & Sacrosancto Concilio maturam, & diligentem deliberationem habuisse de pluribus nefandis & execrandis flagitiis Friderici, sed de consensu, & approbatione Cōcilii de deponendo Friderico ne verbum quidem. At si vniuersi Patres depriuationem Friderici approbassent, nō est verisimile, quin Innocentius, vel sua sententia in Fridericū prolata toti mundo iustior appareret, talem Concilii approbationem exprimere voluisset, atq; non tantum dicere, *Sacro præsente Concilio*, quib. verbis vti potuisset, tametsi totum Concilium repugnasset, sed etiam *Sacro approbante Concilio*, cum præsertim proximus in sequenti Decreto hac posteriori loquendi formula idem Innocentius vsus fuerit.

Deinde sententia illa depriuationis non sine omnium audientium, & circumstantium stupore fulminata est, vt ibidem refertur, sed non erat, quod vniuersi Patres audita depriuationis sententia tanto stupore afficerentur, si prius dictæ depriuationi assensum suum præbuissent.

454 His adde, tam Pontifices, quam Concilia sæpe multa statuere, quorum ordinatio potius ad potestatem politicam, quam ad Ecclesiasticam spectat, ex expresso, vel tacito Principū consensu, qui per seipsos, aut per suos Legatos præsentes adsunt, vel ex præsumpta aut sperata saltem Principum ratihabitione. *Et hoc dicunt, expositores Iuris Canonici* (vt verbis vtar Iohannis Parisiensis c) *qui stotū in Ecclesia habuerunt etiam in casu, in quo minus videtur. Quærit n. Hostiensis d extra de Hæreticis. c. Vergentis, vbi mādat Dominus Papa hæreticorum confiscari bona, Quid ad Papam de temporalibus? Et Respondet cum Domino suo Innocentio, quod reuera nihil ad eum, sed hoc fecit de assensu Imperatoris, qui tunc Paduæ præsens consensit.*

Aliam expositionem adhibet Glossa in *c. Hadrianus dist. 63.* vbi Papa præcipit publicari eorū bona, qui eius decretum violant, & in *c. Delatori 5. q. 6.* vbi statuit Delatoribus linguam capulandam, aut conuictis caput amputandum esse. Respondet enim Glossa *hic Ecclesiam docere, quid facere debeat Iudex Secularis.* Quæ eius Responsio ad similia Decreta, in quibus Sacri Canones pœnas temporales infligunt, accommodari potest.

a Ioan. Paris. de potest. Regia & Papali, c. 21. ad. 41. Dico vero, inquit, quod tanti Viri, inter quos aliqui fuerunt Summi pontifices, scripserunt cōtra conscientiam suam in fauorem principum. Vel ob timorem eorum, est ponere os in cœlum. Magis autē probabiliter posset e contrario dici quod tales Doctores, qui sic in re dubia contemplāt auctoritatem papæ, loquuntur timore, vel fauore ipsius, cū sint persona Ecclesiastica, qui magis possūt per ipsum promoueri. Et præcipue cū ipsi dicant, licet male, quod summus pontifex gratiose amplectitur suam potestatem extendentes & reprimit obloquentes.

b Nu. 400.

c De potest. Regia, & papali ca. 10.

d Hant Ress. Hosti. non in cap. Vergentis, sed in præcedenti cap. Ad abolendam.

455 Deniq;, si ex infelici successu coniecturam facere liceret, an aliquæ Principum depositiones rite sint factæ, sicut per argumentum a contrario ex felici euentu translationis Imperii a Græcis ad Germanos colligit Card. Bellarminus, *a* translationem illam iure factam fuisse, profecto paucissimæ ex plurimis Regum, aut Imperatorum depositionibus a legitima auctoritate processisse reperientur, quas ferme omnes maximæ in Ecclesia calamitates secutæ sunt, vt historiæ produnt. Quanta enim mala, quot bella, bellorumque discrimina, quæ schismata, quot animarum, & corporum pericula subsecuta sunt primam omnium Imperatorum, nẽpe Henrici quarti, depositionem auctoritate Papali factam, narrat Otho Frisingensis *lib. 6 cap. 36.* De depositione autem Friderici secundi Ioannes Trithemius ita scribit: *b Intrauit Fridericus post depositionẽ sui in Italiã, & tantis malis Papam subiectosq; illi populos afflixit, vt Pontificem viuere taderet, voluissetq; se nunquam depositionem illius cogitauisse.* Atque, vt cæteras depositiones taceam, quam innumeras strages ac infinitas calamitates in Ecclesiam inuexerit prætensa hæc Pontificis auctoritas Principes deponendi, tantaque vi tum scriptis, tum factis propugnata, nimis clarum, sed non satis lugendum Anglia nostra præbet testimonium.

a Supra num. 391.

b In Chro. monasterii Hirsaugiensis in anno 1244.

456 Atque ita liquido constat, prædicta exempla Card. Bellar. pro auctoritate Pontificis temporali confirmanda nihil certo etiam iuxta ipsiusmet principia, concludere, sed aliæ rationes magis efficaces quam rerum ab ipsis gestarum exempla in quibus Pontifices, etiam nonnunquam absq; peccato falli possunt, & fallere, excogitandæ sunt ad probandum, penes Pontificem esse potestatem Regna, ac Imperia transferendi, Principes supremos Principatu priuandi, atque de rebus temporalibus omnium Christianorum etiam in ordine ad bonum spirituale disponendi.

457 Neq; multum mouere quemquam debet id, quod, meo iudicio, huius Pontificiæ potestatis in temporalib. præcipuum potest esse fundamentum, nempe, quod communis opinio huic auctoritati patrocinetur, cũ paulo antea plures rationes adduxerimus, quare opinio hæc, quæ potestatem Pontificis temporalẽ defendit, communior sit, quam opposita, quæ talem potestatem Pontifici, vt Pontifex est, competere negat; Nec sufficiens tamen est ad probandum opinionem aliquam esse veram, aut amplectandam, quia communis est & ab omnibus, vt plurimum propugnetur. Constat n. ex Couarruuia loco superius, *c* citato, cõmunem fuisse suo tẽpore opinionem, quam hodie Card. Bellarminus vehementer impugnat, nempe Summum Pontificem plenissimam ex Christi institutione habere in vniuersum orbem terrarum iurisdictionem temporalem, eamque in Imperatorem, cæterosque Reges transfudisse. Quã sententiam tam mordicus tenuerunt Bartolus, & alii complures Canonistæ, vt contrariam sententiã plane hæreticam esse affirmarent. Non enim viris doctis ignotum esse potest, plurimos nõ infimæ notæ Theologos varias opiniones totis viribus defendere solitos esse, non tam pondere rationum motos, quam auctoritate sui magistri, quasi in eius verba iurassent, persuasos. Quo fit, vt plures opiniones cõmuni Doctorum calculo olim receptæ iam prorsus antiquatæ sint, atque e Scholis penitus explosæ.

c Num. 117.

459 Si Principes temporales, quando primum hæc controuersia exorta est, tantã diligentiam adhibuissent, ne libri aliqui in suis Regnis diuulgarentur, qui Regali ipsorum auctoritati præiudicarent, donec Ecclesia litem diremisset, quanta vsi sunt Summi Pontifices, ne aliquid, quod Papali ipsorum potestati derogat, in lucem proferatur, proculdubio nõ tam communis hodie fuisset illa opinio pro potestate Pontificis Principes deponendi. Et nihilominus nunquam defuerunt, nec iam desunt plurimi tum Theologi, tum Iurisconsulti, vt ex supradictis constat, qui potestatem hanc Pontificis temporalem palam denegare non sunt veriti.

460 *Superest demum*, vt ad ea Respondeamus, quæ Card. Bellarminus superius, *d* attulit ad legitimam Imperii translationem per Pontificem factam confirmandã, in quãtum, posteriori nostræ ad hæc exempla Responsioni aduersari possunt. Concedimus igitur prædictam Imperii Romani a Græcis ad Germanos translationem legitime factam fuisse, negamus tamen Romanum Pontificem secluso populo plenam habuisse illud transferendi auctoritatem. Et quãuis non fuisset a scriptoribus vlla populi assentientis facta expressa mentio (cuius tamen contrarium iam supra *e* ostendimus) nihilominus non propterea huius translationis veritati vllo modo quis detraheret, qui solum Pontificem absq; consensu populi plenã Imperium transferendi potestatẽ habuisse denegaret. Nã licet Pontifex bona fide credens talem sibi competere potestatem, quæ tamen reuera illi non conuenit, suffragia populi ad dictam translationem nõ requisiisset, attamen translationem illã sola Pontificis auctoritate expresse factam, ex eo saltẽ fuisse legitimam constat, quod in tali publico negotio populus tacens, nec cõtradicens, & cõsequenter tacite consentiens (iuxta regulam Iuris, *qui tacet*) assensum suum præbuisset. Quod nunc a fortiori dicendum est, cum apud omnes historicos compertum sit) vt ipse etiam Card. Bellarminus *f* fatetur) populum Romanum non solum nõn tacuisse, verum etiam acclamasse, & cum ingenti applausu translationem illam collaudasse.

d Num. 390. & seq.

e Num. 426. & seq.

f Lib. 1 de translat. Imperii c. 4 & 10.

461 Quinimo si Card. Bellar. istam Imperii translationem a sola Pontificis auctoritate totum suum robur habuisse velit, illius veritatem valde suspectam reddit, & quodammodo in controuersiam vocare videtur: quod nequaquam faciunt illi, qui eam non tantum a Pontificis, sed a reliquæ etiam multitudinis consensu pendere volunt, cum plurimi sint iique tum

doctri

doctrina, tum religione conspicui, qui dubitant, an Pontifex iure diuino talem Imperia transferendi potestatem habeat ne vnus quidem, nec ipse Card. Bellarminus iuxta doctrinam suā superius a traditam, inficiari potest, eiusmodi auctoritatem in casu prædicto, quādo nimirum Imperator solo nomine regnat, ipsumque Imperium pro derelicto habet, in tota multitudine residere.

a Num. 432. & seq.

463 Atq; ita tum rationibus, tum exemplis, quæ a Card. Bellar. ad potestatem spiritualem extendam in potestatis temporalis depressionem allata sunt, abunde satisfecimus, atq; perspicue commonstrauimus, non esse adhuc ab eo sufficienter etiam iuxta ipsius principia demonstratum, aut Scripturarum testimonio, aut Apostolorum traditione, aut Ecclesiæ definitione, aut Sanctorum Patrum auctoritate, aut ipsis rationibus Theologicis, Summum Pōtificem vllam prorsus ex Christi institutione habere auctoritatem, siue directe, siue indirecte, siue absolute, siue respectiue ad bonum spirituale, Principes Supremos suis dominiis temporalib. dispoliandi.

464 Reliquum est duntaxat, priusquam finem imponamus huic pro potestate Principum Apologiæ, in qua quid vtriq; potestati tam spirituali, quam temporali iure diuino debeatur, contemplari licet, vt breuiter quoque ostendamus, quomodo inter has opinionum varietates fidelis quisq; subditus quoad praxim se gerere debeat. Circa quam hoc potissimū documentū obseruare sufficiet, quod iuxta regulam Iuris approbatam, *In causa dubia (siue incerta) melior sit conditio possidentis.* Si igitur contingat Summum Pontificem Principem quemcunq; Christianum, qui bona fide in Principatus sui possessione manet, ob aliquod crimen per sententiā depriuationis e Principatu eiicere, cum de eiusmodi Papali auctoritate Principes Principatu priuandi non adhuc satis constet, sed apud Catholicos sit controuersum, non licet absq; crimine imminutæ maiestatis Principem legitimum, non obstante tali depriuationis sententia, e Dominatus sui possessione exturbare, donec, quod talem Pontifex habeat auctoritatem Principes deponendi, per Ecclesiæ definitionem fuerit stabilitum.

465 Neq; obstat primo, q in dubiis parendum sit Superiori. Nam sicut Summus Pontifex est Superior in spiritualibus, ita in temporalibus Princeps Secularis est omnium Supremus.

466 Neq; secundo, q in dubiis tutior pars sit eligenda, multo autem tutius videtur esse obtemperare Principi spirituali, qui Saluatoris nostri Iesu Christi Vicarius est in terris, præcipiēti subditis, ne Principi suo temporali pareant, quam iussum sequi Principis præsertim hæretici, populo sibi subiecto imperantis, vt ei obediant. Non n. securius, sed multo periculosius est in tali casu Principi spirituali obedire, si non constat eum talem habere auctoritatem Principes hæreticos deponendi, & subditos ab eorum obedientia absoluendi, & consequenter præcipiendi, ne Principi hæretico in reb. licitis optemperent, quam parere Principi iusta imperanti, q absq; vlla controuersia Principatum suum legitime possidet. Qui n. Principem Secularem, præsumenti iustitiam possidentem e Principatus sui possessione extrudere conatur, in supremo ferme iniustitiæ gradu, quę omnium scelerum contra virtutes morales, est grauissimum, absq; vlla controuersia delinquit, qui autem Pontifici præcipienti, ne subditi suo Principi, quantumuis hæretico, in rebus honestis obediant, parere neglexerit, quandiu apud catholicos tum pios, tum eruditos incertum est, an ipse talem præcipiendi auctoritatem habeat, nulli omnino, nec leuissimo quidem crimini obnoxius esse potest.

467 Neq; quemquam perterrere debet, quod Summus Pontifex sit Christi Vicarius, cum Princeps quoq; temporalis *Dei minister sit*, vt ait. S. Paulus ad *Rom.* 13. atq; etiam ipsius Dei, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, *Vicarius in terris*, vt Anastasius Papa in epistola ad Anastasium Augustum disertis verbis affirmat. *Pectus*, inquit, *Clementiæ vestræ sacrarium est publicæ felicitatis, vt per præstantiam vestram, quam velut Vicarium, Deus præsidere iussit in terris, Euangelicis Apostolicisque præceptis non dura superbia resistat, sed per obedientiam, quæ sunt salutifera compleantur.*

468 Neq; obstat tertio, quod subditus forsan eam opinionē probabiliorem esse existimet, quæ asserit penes Pontificem esse potestatem Principes hæreticos suis Regnis abdicandi. Et propterea, si Pontifici Principem suum in hoc casu deponanti non pareret, videretur contra propriam conscientiam, aut saltem cōtra dubiam operari, quorum vtrumq; tum iure diuino, tum naturali est omnino illicitum. Etenim, vt recte docent Theologi, b potest quis tuta conscientia sequi opinionem, quam videt doceri a viris doctis, & peritis in ea arte contra propriā, eamq; magis communem, minusque tutam, & consequenter docent quod agere contra propriam opinionem, & agere contra propriam conscientiam, sint res valde distinctæ.

b Gabr. Vasquez. 1.2. q.19. art. 6. disput. 62. c. 4.5.8. & 9. Barth. Medina ibidem, art. 6. q. vltima & penultima Sayrus in claue Regia libr. 1. ca. 6. & alii.

469 In hoc igitur casu, sicut in multis aliis non obstante propria opinione, qua quis speculatiue per principia intrinseca arbitratur, se obligatum esse ita operari, vt sua opinio dictat, potest nihilominus, & tenetur rectum conscientiæ dictamen sibi formare, quo practice hic, & nunc absq; vllo dubio existimet se contra propriam opinionem debere operari. Et hoc dictamē practicum elicere potest partim ex principiis extrinsecis, nempe auctoritate virorum prudentium, ac in Theologia, Iurisq; prudentia peritorum, qui contra ipsum sentiunt, quorum opinionem iuxta rectæ rationis, ac prudentiæ normam in moralibus tuto sequi potest: partim ex prædicta regula Iuris, quod possessor bonæ fidei nō est e possessione sua excludendus, quādiu ius aduersæ partis est incertum, & apud Theologos, ac Iurisconsultos pios, ac eruditos cō-

 trouer-

Bellarminus de Romani Pontificis Hierarchia.

inum, aduersantur, ad Senatum referre. Quamobrem hoc nouo tractatu, non eas docere modo Cardinalem Bellarminum propositiones, quas prioribus scriptis asseruit, obseruarunt: vt en libro, cui titulus *De Romani Pontificis Hierarchia*, Sixti V. tempore scripto, & eidem Pontifici dicato, quem in quinque libros partitus est, quorum vltimo tuetur, *Papam habere potestatem temporalem indirecte.* Sed ad hoc erroneum dogma alia non minus falsa, & vlterius progredientia, locis adnotatis quos Senatus, si ita visum erit, hoc in libro intuebitur, adiici animaduerterunt. *Primum notandus ipse titulus, quo summo Pontifici potestatem tribuit in tēporalibus. Deinde variis Italorum Gallorum, Hispanorum, Germanorum, Anglorum, & Scotorum scriptis authoritates nonnullas adfert, exordium à Gregorio VII. Pontifice, qui vixit anno Domini 1073 ducens: aliquot excommunicationum quas alii Pontifices aduersus Imperatores tulere, exempla: quibus sententiam dicti Gregorii VII. anno 1080. aduersus Henricum IV. Imperatorem, iungit. Item Concilia tempore quorundam dicti Gregorii VII. successorum habita. Beneuentanum sub Victore III. Placentinum sub Vrbano II. Romanum sub Paschali II. Coloniense sub Gelasio II. Rhemense sub Calixto II. Lateranense sub Innocentio III. anno 1215.* vnde illam texit inductionē quæ pag. 25 sequitur: *Quid hic Barclaius diceret? si hæc non est Ecclesiæ Catholicæ vox, vbi obsecro eam inueniemus? & si est (vt verissime est) qui eam audire contemnit, (vt Barclaius fecit) an non vt Ethnicus & Publicanus, & nullo modo Christianus, & pius habendus erit? Si non habet summus Pontifex potestatem in terris disponendi de temporalibus vsque ad depositionem Principum eorum, qui vel ipsi heretici sunt, vel hereticis quoquo modo fauent, cur in editione huius canonis nullus ex tanto numero reclamauit? cur ne vnus quidem ex tot Imperatorum ac Regum oratoribus mutire ausus est? Nondum videlicet Parasiti Principū temporaliū exorti fuerant, qui vt regna temporalia stabilire viderentur, Regnum æternum iis quibus adulantur eripiunt.* Deinde Concilium Lugdunense tempore Pontificis Innocētii IV. anno 1254. habitum, ac latam in eo contra Imperatorem Fredericum II. sententiam subnectit. Ea hisce de autoris animo iudicet Senatus. Illi nimirum fuit propositum, Pontifici supremam in Reges & Principes tēporales potestatem tribuere, iis etiam in ditionibus, quibus suam necessitas fixit legem, qualē in *Pacifico Edicto* videre est, quæ à Rege Christianissimo Henrico III. lata, & ab Henrico IV. decessorem imitante sancita & in Curiis Parlamenti promulgata sunt, quib. Religionem, quam vocant Reformatam, profitentes, quo bellis ciuilibus parcatur, tolerantur. Quod obseruari à tanto Cardinali debuit, quem Romæ *seu Ecclesia triumphante* incolam latere non potest, nos *in Militante*, sicubi locorum extat in hoc Franciæ regno iactari. Ad hæc notandum quod ca. 5. pag. 37. idem eiusdem libri autor confidenter asserit, *esse rem certam & exploratam posse Pontificem Maximum iustis de causis de temporalibus iudicare, atque ipsos temporales Principes aliquando deponere.* Idem pag. 38. *posse per summum Pontificem deponi Principes temporales, quando Ecclesiæ necessitas id postulat, ac per hoc temporalem Principum potestatem spirituali potestati subiectam & subordinatam esse.* Postea subiicit, *Ex hoc principio satis aperte colligitur, esse in Romano Pontifice potestatem temporalia disponendi, vsque ad ipsorum Regum ac Imperatorum depositionem. Nam per ipsam spiritualem potest summus Pontifex ligare Principes vinculo excommunicationis potest per eandem soluere populos iuramento fidelitatis, ac obedientiæ: eosdem populos sub excommunicationis pœna, vt Regi excommunicato non pareant, atque vt alium sibi eligant Regem.* & pag. 40. eodem capit. 3. *Ecclesiastica potestas* (idem Bellarminus) *nunc etiam separata est a Politica, non enim eadem, sed diuersa est potestas Pontificum, & Regum: sed quoniam, vt supra diximus, potestas Ecclesiastica quæ spiritualis est, præest potestati Politicæ temporali, & eam dirigere debet ad finem supremum vitæ æternæ, ideo potest in ordine ad spiritualia disponere de bonis temporalibus. Verum antē, sub Apostolorum tempore politicam potestatem non quamcunque, sed Regiam siue Imperatoriam fuisse apud Ethnicos tantam, quia nulli tunc erant Reges, aut Imperatores Christiani sed ex hoc nihil aliud sequitur nisi potestatem Ecclesiasticam eo tempore non habuisse paratam executionem, præsertim in temporalibus, vt hac tempore habet. Ipsos vero Apostolos fuisse in potestate temporali Principum Ethnicorum, scripsi olim cū Alberto Pighio, & aliis nonnullis: sed postea recognoscens, & expendens diligentius libros meos, censui Apostolos* de facto *subiectos fuisse Principibus illis, non* de iure, *vt in recognitione mea posui.* Quod pag. 149. confirmat vbi, *Ecclesia*, inquit, *illa prima instructa fuit omni potestate atque omnibus præsidiis quæ ad perfectam Rempublicam constituendam necessaria erant. Primis antē trecentis annis non fuerunt in Ecclesia multi Principes Politici: fuerunt tamen aliqui, vt Philippus Imperator, & Rex Lucius, ac Rex Donaldus. Sed fingamus nullos fuisse: non ideo defuit Ecclesiæ potestas disponendi de bonis temporalibus Principum, & dirigendi eorum potestatem politicam. Quando illi Ecclesiæ membra vel filii effici vellent. Præterea vt paulo ante dixi in ipso principio Ecclesiæ quamquam nulli fuerint principes Christiani Apostolis ipsis Ecclesiam regentibus: fuerunt tamen multi homines diuites, de quorum diuitiis Apostoli ipsi disposuerunt, statuentes vt ex iis ministros Euangelii sustentarent.* Idem cap. 21. pag. 177. probare pergit. *Iam* (inquit) *in recognitione scriptorum meorum admonui improbabilem esse sententiam Pighii, quam ego quoque olim secutus fueram, & cum melioribus Doctoribus sentiendum esse Apostolos de iure exemptos fuisse ab omni subiectione principum terrenorum: sed quamuis etiam vera esset sententia Pighii, non tamen sequeretur non habuisse tunc Ecclesiam ius priuandi principes infideles dominio quod habebant super fideles. Diceret enim Pighius Ecclesiam & ipsos Apostolos subiectos fuisse principibus infidelibus quamdiu infideles erant. Sed si ab Ecclesia auctoritatem Dei habente priuati fuissent, tunc demum non fuisse amplius de iure subiectos. Nam & populus subiectus est Regi quamdiu regnat: Sed si ab alio Rege victus in prælio regnare desierit, non amplius illi subiectus erit.* Item pag. 48. Barclaii verba citans, *Huc accedit* (inquit Barclaius) *quod florente plurimū Republica Christiana tū multitudine credentiū tū sanctimonia pontificū, tū eruditione & exēplis Doctorū, atq. a malis interim principibus vexa-*

bus venata atque iactata, nulla de hoc principatu & iurisdictione temporali in Principes sæculares non dicam expressa & manifesta declaratio, sed ne leuissima quidem mentio facta sit. Respondeo (inquit Bellarminus) *Quærere possem à Barclaio vnde factum sit quod in Testamento veteri tot sæcula transierint antequam Pontifex Regem deponi & alium substitui iusserit. Quod factum fuit cum Ioiada Pontifex Athaliam Reginam non solum deponi, sed & interfici mandauit, & Ioas Regem substituit.* 4. Reg. ca. 11. Verum qui accurate hoc exemplum legerunt, inde nullum elici posse argumentum, quo idem hodie licere probetur, censebunt. Siquidem primo è Testamento Veteri desumpta est historia, cuius plurima rerum gestarum exempla, ob propriam temporis illius rationem, in sequelam hoc seculo trahi non debent: cum magnum profecto inter ea quæ sub lege veteri gesta, & ea quę in Christianismo facienda sunt, discrimen intersit. Accedit quod Athalia falso Regina vocata princeps non fuit legitime constituta: sed regni vsurpatrix, quæ (vt in capitis à Bellarmino allegati principio scriptum erat) vnum Ioas si demas, regis Achaziæ filium, ex fratrum cæde ereptum, prolem Regiam plane deleuerat. Hinc licet colligere, ea quæ ex hac promuntur historia, falso iactatā Papæ in temporalibus potestatem confirmare non posse. Itē c. 4. pag. 57. & 58. ita Bellarminus, *Excommunicatio est quidem instrumentum, quo Pontifices plerumque vti solent ad coercendas huius seculi potestates: sed etiam sine isto instrumento non semel Pontifices maximi de temporalibus dignitatibus pro Ecclesiæ vtilitate & animarum salute disposuerunt, vt quum Zacharias Childericum Regem Francorum deponi mādauit, & Pipinum inungi.* Quod rebellium Francorum contumaciæ exemplum, nec debuit, nec in consequentiam trahi debet. Cap. 7. ad Barclaii quæstionem, *Cur Ecclesia Constantium Hæreticum & Iulianum Apostatam Imperatores non deposuit*, paginis 75. & 76. *Imperatores illi* (inquit Bellarminus) *potentissimi erant, & multas legiones armatas ducebāt, aduersus quas nihil poterat inermis multitudo fidelium præsertim cum Principem aliquem Christianum non haberet qui vellet, aut posset eam armare, & armatam ducere aduersus Imperatores.* Eisdem pag. 76. & 77. citatis Barclaii verbis. *Addit Barclaius temporibus Constantii nō defuisse in Ægypto, & Lybia, aliisque locis per Asiam & Europam Monachos permultos, in quibus non minor zelus erat, quam in illo qui Henricum tertium Francorum Regem confodit, qui si licuisset facile Constantium de medio tollere potuissent. Sic respondeo* (inquit Bellarminus) *Non pertinet ad Monachos aut alios Ecclesiasticos viros cædes facere, vt habetur 23. qu. 8.* Can. & seqq. *multo autem minus per insidias Reges occidere: neq; Summi Pontifices consueuerunt ista ratione Reges coercere: Ipsorum mos est primum paterne corripere, deinde per Censuram Ecclesiasticam Sacramentorum communione priuare: deinde subditos eorum à iuramento fidelitatis absoluere, eosque dignitate, atque auctoritate Regia, si res ita postulat, priuare.* EXECVTIO AD ALIOS PERTINET. *Quare Innocentius Pontifex cum in Concilio Lugdunensi Friderico II. imperium abrogasset, dixisse fertur.* EGO QVOD MEVM EST FECI, FACIAT ET PROSEQVATVR SVPER HIS DEVS QVOD VOLVERIT. Addantur ea quæ pag. 160 De authoris mente iudicium penes Senatum esto. Quo loco inquit, *Non negamus* (*vt paulo ante diximus*) *Sacerdotibus post Euangelium non licere propria manu gladium materialem stringere, nisi forte in defensionem propriam, aut ob aliam causam dispensante Pontifice.* Hæc verba adeo perspicua sunt, vt cōmentario non egeant.

Cap. XI. vbi collationem Pontificis Iulii II. & Clementis VIII. instituit: paginæ 112. 113. 114. in bellicosi Papæ laudes insumuntur, Iulii videlicet qui iuratus & capitalis Franciæ fuit inimicus, atque ab Hispanorum, qui tunc temporis hostes erant, partibus stetit. Eodem c. fœdus quod Iulius cum Hispano iniit, summis laudibus extollitur, quo Ludouicus XII. (quantumuis meritum Populi Parentis elogium consequutus esset) & totum regnum Francicum direptioni exponebantur. Nec nō palam est hac fœderatione ab Hispanis vsurpatum Nauarræ regnum, quod adhuc non alio colore seu titulo detinent, quam Bullæ Excommunic. huius Iulii Pontificis minime cum Clemente VIII. comparandi, qui nullas sequutus partes, sed pace inter vita functum regem nostrum Christianissimum, & Hispaniæ regem conciliata, vt communem parentem & Christianitatis pastorem decuit, boni Pontificis partibus est defunctus.

Cap. XII. pag. 115. 116. Sic Bellarminus, *Cum dixit Innocentius Papa in cap.* per venerabilem, *nonnullos Principes nullum inter homines* (id dixit excepto Romano Pontifice) *superiorem agnoscere. Addidit enim illam exceptionem, vt cum postea dixit Regem Francorum nullum in temporalibus superiorē agnoscere, intelligamus sermonem fuisse de superioribus temporalibus: Non enim Rex agnoscit vllum supra se Principem temporalem, sed agnoscit Romanum Pontificem Principem spiritualem, qui de temporalibus quoque in ordine ad spiritualia iudicare potest.* Quo loco plura sunt obseruanda. *Primò* Interpretationem capitis *per venerabilem*, a Bellarmino cum horum verborum, *excepto Romano Pontifice*, additamento fieri, quod ab ipso Bellarmino *ipsius Regis Francorum habita ratione*, aduersus expressa Innocentii III. verba, qui huius capitis autor, excogitatum est. *Secundo* interpretationem illā sensui Decretalis aduersari, quod ab iis iudicari potest, qui cognitione & præteritorum recordatione præditi sunt, & eam prout extat in antiquis Decretaliū collectionibus, viderunt, quas Antonius Augustinus Ilerdensis in Hispania Episcopus publicauit anno 1576. Etenim in hisce collectionibus quæ fideliter Decretales habent integras, hoc caput *per venerabilē*, dirigitur VV. Montispessulani, quem Pontifex Innocentius III. adhibito inter Regem Francorum, & istum

Innocentii III. Papæ verba.

Montispessulani discrimine, his verbis alloquitur: *Cum Rex ipse* (Francorum videlicet, de quo supra mentionem fecerat) *in spiritualib. nobis subiaceat, tu* (nempe VV.) *nobis in spiritualibus & tēporalib. es subiectus, cū partē terræ tuæ ab Ecclesia Magalonēsi possideas, quā* (inquit Pōtifex) *ipsa per sedem*

Apostoli-

Apostolicam temporaliter recognoscit, quia Magalonensi Ecclesia mediante nobis idem Archiepiscopus asserebat temporaliter subiacere. Mox in eadem Decretali subiicitur, *Insuper cum Rex ipse superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine iuris alterius læsione in eo se iurisdictioni nostræ subiicere potuit & subiecit: in quo forsitan videretur aliquibus quod per se ipsum non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subiectis potuit dispensare. Tu autem aliis nosceris subiacere, vnde sine ipsorum forsan iniuria, nisi præstarent assensum, nobis in hoc subdere te non posses.* Quod ideo hoc loco recitatur, quia est argumentum declarationis, qua magnus ille Pontifex Innocentius III. a Rege nostro, *Rege* inquam *Francorum*, nullum superiorem in Temporalibus recognosci, fatetur & agnoscit. Quod alienum valde ab eo quod dixit Bellarminus, ita scripsisse aut sensisse Innocentium Papam, imponere conatus. Eodem capit. XII. p. 118. nouam ponit decisionem, *Potest* (inquit) *Pontifex, si necessarium ad salutem animarum sit, alicui Regnum auferre: Sed si antea admonuerit, si spatium resipiscendi dederit, si perniciosum & incorrigibilem esse perspexerit. Potest quoque alteri Regnum conferre, non pro arbitrio tamen cui libuerit,* (Sic enim vere precario regnarent) *sed cui iure debetur, siue successio, siue electio locum habeat. Et si forte nemini debeatur, cui ratio dictauerit esse tribuendum.* Expendet Senatus, si lubet, hæc verba, & eorum sequelam, habita temporum nostrorum ratione. Atque ea quæ regnum hocce hæreditarium iampridem Dei gratia constitutum & conseruatum spectant, accurate notabit.

Capite XVII. p. 149. 150. ita Bellarminus, *Adducit Barclaius verba S. Bernardi ex libr. 4. de* Consideratione, *capite 3. Petrus hic est qui nescitur processisse aliquando gemmis ornatus vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris: Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum,* Si amas me, pasce oues meas: *In his successisti non Petro, sed Constantino.* Hæc Bernardus. Quibus subiungit Barclaius: *Quamuis itaque potestas temporalis, de qua nobis sermo, hominibus videri potuerit, Ecclesiæ necessaria, Deo tamen neque necessaria, neque vtilis visa est. Respondeo* (inquit Bellarminus) *Posset hoc loco Barclaio dici quod in libro Iob. cap. 38. Deus ipse dicit,* Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis? *S. Bernardus scribit Apostolum Petrum pauperem fuisse diuitiarum huius mundi, & potuisse sine auro & argento proprio, sine equo albo, & sine satellitibus implere salutare mandatum pascendi oues: non tamen sanctus Bernardus dicit non fuisse in Apostolo Petro potestatem disponendi de temporalibus bonis Christianorum, & de ipsis regnis, & imperiis, si necessitas spiritualis id requirat:* imo contrarium dicit, *cum Pontifici, qua Pontifex est & Christi Vicarius ac Petri successor, applicat illa verba Hieremiæ 1.* Ecce constitui te super gentes, & super regna, vt euellas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. *Non enim pugnat paupertas propria cum potestate disponendi de diuitiis, & iudicandi Reges & Principes terræ.* Qui D. Bernardum secundo libro *de Consideratione ad Eugenium Papam cap. 6.* legere, eum in contraria prorsus Bellarminianæ stare sententia animaduerterunt. Nam pius & laudatus ille Bernardus locum Hieremiæ de potestate spirituali, non de temporali explicuit. Ideo recitatis Prophetæ verbis sic ait, *Quid horum fastum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur vt multi sentiamus de nobis vel nobis impositum senserimus ministerium, non dominium datum, Non sum ego maior Propheta; etsi fortè per potestates: sed meritorum non est comparatio. Hæc loquere tibi, & doce te ipsum qui alios doces. Puta te velut aliquem de prophetis. An non satis ad te? Et nimium: gratia Dei est id quod es: Quid? Esto quod Propheta, Numquid plus quam Propheta? Si sapis, contentus eris mensura quam tibi mensus est Deus.* Nam quod amplius est, a malo est. *Disce exemplo Prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quam ad factitandum quod tempus requirit: Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, vt opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus.* Quod magnus hic & sanctus vir ab alio sancto magnoque Pontifice hauserat Gregor. I. qui 3. *Pastoralis curæ l. admonitione 35.* ita locum Prophetæ exposuit, *Hinc est quod Hieremiæ misso ad prædicationem dicitur: Ecce enim constitui te super gentes, & super regna, vt euellas &c. Quia* (inquit Gregorius) *nisi prius peruersa destruxerit, ædificare vtiliter recta non posset: Quia, nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris euelleret, minimum frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret. Hinc est quod Petrus euertit, vt postmodum construat.* Iam ad Cardinalem Bellarminum capit. 19. pag. 159. transeamus, vbi verba Barclaii refert. *Sed quid? si Imperator* (inquit Barclaius) *nolit ad nutum Sacerdotis gladium stringere? Immo si plane contra nutum Sacerdotis strinxerit, numquid aliquam S. Bernardus hoc casu potestatem temporalem Sacerdoti tribuit in Imperatorem?* Quibus hæc notanda regerit. *Respondeo* (inquit Bellarminus) *Si nolit imperator ad nutum sacerdotis gladium stringere, vel si contra nutum eius strinxerit, & res sit ad bonum spirituale necessaria, coget illum Pontifex gladio spirituali, id est censuris Ecclesiasticis, gladium materialem stringere, aut in vaginam recondere: & si censuris non mouebitur, & Ecclesiæ necessitas id requirat, liberabit subditos eius ab obedientia eique imperium abrogabit. Ita ostendet gladium esse sub gladio, & vtrumque gladium ad potestatem Ecclesiæ pertinere, quamuis non eodem modo.* Hic Senatus permaxiam rationem, si hæc ratio dicenda, in memoriam reuocet, quam nouissimus allegauit parricida, qua motus sacrum Henrici IV. Regis defuncti caput parricidali manu ausus est opprimere. Nam de expeditione Cliuensi ac Iuliacensi loquens, ad quam sese Rex fœderatis Principibus Germanis laturus suppetias, accingebat, execrabilis parricida coram Iudicibus se existimasse, inuito Pontifice hoc bellum geri. Eum vero qui Pontifice inuito bellum aggrederetur, etiam aduersari diuinæ voluntati, Deum Papam esse, Papam Deum, respondit. Quæ propter fœdera a Rege defuncto pacta, quæ Reginæ Regentis salutaris prudentia ad Regni bo-

D Bernardus lib. 2. de Consider. ad Eugenium Papam.

num

nam obseruantur, diligenter pensanda sunt. Cap.21.pag.174. sententiam suam, de Regiæ aut alterius cuiuspiam supremæ Potestatis constitutione, profert, *Vt gubernentur homines a Regibus, vel a Consulibus, ab vno, vel a multis, a magistratu perpetuo vel temporario ab hominum voluntate dependet. Quemadmodum etiam quod iste sit Rex potius quam ille, non Dei specialis iussio, sed hominum voluntas facit.* Quo loco Senatus iudicet, nũ hæc verba doctrinæ veritatis & scientiæ politicæ, circa Monarchiarum aut Potestatum (quarum est imperium) constitutiones, consonant. Cap.24.pag. 188. inquit, *Quod quando Reges fiunt heretici, aut religioni obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponi a principatu, nec vlla fiet eis iniuria si deponantur.* Cap. 27. pag 20. ait, *Quod quando summus Pontifex propter heresim, aut aliam iustam causam soluit populos a iuramento fidelitatis, simul etiam soluere solet a vinculo promissionis, ac iubere vt populi non amplius obediant ei cui promissionem obedientiæ fecerant.* Cap. 31. Dialogum author *inter populum nimis addictum Regi terreno, & Pontificem salubriter consulentem* instituit: qui extat pag. 215 ad 227. vsque continuatus, vbi a Pontifice postulans populus introducitur, *Pater sancte nequaquam es Rege nostro in temporalibus superior, eoque non potes obsequium temporale quod illi præstamus impedire.* Ad quæ Bellarminus inducit respondentem Papam, *Quando salus tua æterna in periculum adducitur propter obsequium temporale quod Regi præstas, tunc omnino sum superior Rege tuo etiam in temporalibus: Nam & illum & ad te ad vitam æternam dirigere debeo; & omnia impedimenta de medio tollere quæ hoc iter impediant.* Cætera huius Dialogi eodem spectant maxime quod pag. 224. notandum, *Non ego tibi gratiam facio præcepti naturalis vel diuini, cum ab obedientiæ vinculo te absoluo. Non enim permitto vt Regi non pareas, (quod esset contra ius diuinum) sed facio vt ille qui tibi Rex erat non sit tibi deinceps Rex.* Ibidem quod author ait notandum, *attende primum Deum iubere vt Pontifici obediatur in spiritualibus, sed non iubere vt in spiritualibus laicorum: imo iubere vt Regi qui legitime regnat, non Regi qui ob heresim, vel alia iusta de causa regno priuatus est.* & cap.33. pag. 252. *Quod autem Barclaius dicit posse Principem excommunicari, sed non posse priuari nisi spiritualibus bonis, ac per hoc non posse priuari auctoritate, vel iurisdictione, vel dominio temporali, neque posse subditos eius absolui a fidelitate & obedientia quam illi debebant. Mirum est* (inquit Bellarminus) *cum sacri Canones (quorum scientiam ipse profitetur) inter excommunicationis effectus ponant non solum priuationem sacramentorum & suffragiorum, sed etiam commercii ciuilis ac præcipue forensis, vt non possit excommunicatus pro tribunali sedere & iudicare, neque subditi comparere in iudicio coram excommunicato: Item priuationem, vel suspensionem iurisdictionis, & absolutionem subditorum a fidelitate. De qua re apud Gratianum 15. q.6. can. pen.* Pag. 254. capit. 36. *Falsum est* (inquit Bellarminus) *quod Barclaius nimium sæpe repetit corporalem pœnam in solius politici Magistratus potestate sitam esse, cuius contrarium praxis ostendit, præsertim in tribunali sancti Officii.* Quale hoc tribunal, quo spectet, obseruanda quæ de illo Bellarminus capit.39. part. 264. vbi, *Ostendere* (inquit) *voluimus posse Principes Ecclesiasticos non solum in foro interno conscientiæ, sed etiam in foro externo Ecclesiastico disponere de temporalibus, vt ad spiritualia ordinem habent.* Si commonstrandum esset quo hæ duæ fori duplicis Ecclesiastici, *vnius interni, alterius externi*, species tendant, multa quidam dicenda, sed plura cogitanda forent. Eodem capit.36. pag. 256. *Potest* (inquit Bellarminus) *Pastor ac debet omnes oues ita pascere vt eis conuenit: Ergo potest Pontifex Christianis ea iubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum secundum statum suum tenetur, id est singulos cogere vt eo modo Deo seruiant, quo secundum statum debent. Debent autem Reges Deo seruire defendendo Ecclesiam, puniendoque hæreticos & schismaticos. Ergo potest Pontifex ac debet Regibus iubere vt hoc faciant, & nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliasque commodas rationes.* Ac vt quæ sint illæ *commodæ rationes* intelligatur, eas pag. 257. exponit, quo loco *Posse* (inquit) *Pastorem summum Christianorum cogere omnes ad officium suum præstandum in obsequium Dei, non intelligitur de sola coactione per excommunicationem, sed etiam per priuationem regnorum & principatuum, si ad salutem gregis idem Pastor expedire iudicauerit.* Cap. 37. pag. 261 quod scripserat Barclaius carpitur. *Quod dixi* (inquit Barclaius) *Papam posse separare Regem hæreticum a communione fidelium per excommunicationem, de separatione spirituali animarum non corporum intelligendũ est: subditi enim Regi excommunicato obsequium denegare non debent.* Ad quæ respondens, *Hæc ille qui sine dubio* (inquit ipse Bellarminus) *vt etiam supra docui non permittit per Pontificem interdici Regi hæretico administratione regni, & curatorem illi dare, vt ipse fatetur datum Regi Oziæ filium curatorẽ.* Quod exemplum a Bellarmino confirmandæ suæ contra Barclaii sententiam opinioni citatur. Hæc sunt quæ passim nouo *Cardinalis Bellarmini* libro inspergantur *de Potestate quam Pontifici in Regũ vitam ditionesque tribuit*, quos inter, Christianissimi Francorum Regis vt & aliorum mentionem facit, exemplis amplificans quæ olim scripserat. Quod ab ipso nunc factum, vt amplius quam prioribus tractatibus spiritui Romano gratificaretur. Etiamsi iam tum plus satis contra ipsissima Domini nostri Iesu Christi verba, Apostolorum scripta sanctorumq; Conciliorum ac Patrum decreta loquutus esset: qui tamen omnes supremas Potestates, vt a Deo constitutas coluerunt. Veruntamen quotquot fulciendæ sententiæ authoritates attulit, eam minime firmãt. Quippe quod dictis cõfirmandis allegat, quinq; potissimum nititur exemplis. I. Disceptationis Gregorii I. Pontificis aduersus Orientis Imperatorem. II. Eorũ quæ in Gallia contra Childericum regem in Pipini gratiam ex Zachariæ Pontificis consilio gesta sunt. III. Iudicii q Gregorius VII. Pontifex Hildebrandus vocatus, aduersus Imperatorem Henricum IV. exercuit anno Domini 1080. IV. Eorum quæ Concilio Lateranensi anno 1216. habito, aut ab Innocentio III. in eo Concilio & post, acta dicuntur. V. Eorũ quæ Innocẽtius IV. in Lugdunẽsi Cõcilio

contra

contra Fredericum II. Imperatorē præstitit. Etsi autem nouimus & nimis quod in Senatu Romano dicebat Montanus, aduertimus, *Quod diutius durāt exempla quam mores vel homines*: attamē eiusmodi exempla tantum in generosa verorum Christianorum pectora vsrinm habere nequeunt. Vt enim a Gregorio II. ordiar, eius memoriæ facit mentiam, quisquis eum aduersus Leonem III. Imperatorem Orientis quicquam dicit, præterquam *in spiritualibus*, pronnnciasse. Quam ob rem Platina scribit, eum populos Italiæ cohortatum ne Imperatoris aduersus Imagines edicto morem gererent. *Qua cohortatione* (inquit) *adeo animati sunt Italiæ populi, vt paulū abfuerit quin sibi alium Imperatorem deligerent: quo minus autem id fieret, authoritate sua obstare Gregorius annixus est.* Quod ad II. attinet, quæ in Pipini gratiam hoc in regno acta sunt, aut de Pontificis Zachariæ consilio euenere (vt scripsit Ado Archiepiscopus Vienensis in *Epitome Chronicorum*, cum sciscitantibus quibusdam Gallis, vter Regno dignior esset, qui Rempublicam gereret, an qui marceret otio, respōdisset, *Regem potius eum vocari debere qui Rempublicam gereret*) aut Pipinus ad Regiam dignitatem mera vi euectus est: quacunque factum id ratione, mali fuit exempli, non secius quam cæteræ in reges rebelliones. Quantum ad III. exemplum a Gregorio VII. petitum: ipse qui Regiæ dignitatis tuendæ verba facit, plurimas magnorum & sanctorum virorum adferre posset anthoritates, vt Valtrami Nemburgensis Episcupi, Venerii Vercellensis Episcopi libro *De discordia Regni & Sacerdotii*: sed ex omnibus vna sufficiet Epistola Cleri Leodiensis ad Papam Paschalem, vbi sit Gregorii VII. qui Hildebrandus dictus est, mentiu verbis subsequentibus. *Solus Hildebrandus vltimam manum sacris Canonibus imposuit, quem legimus præcepisse Mathildi Marchionissæ in remissionem peccatorum suorum vt debellaret Henricum Imperatorem. Quod iuste necne ipse, vel alii fecerint, nulla authoritate discimus.* Quod ad IV. ex prætenso Concilii Lateranensis decreto, sub Innocentio III. in collectionem Decretorum a Gregorio IX. factam relato, *cap. 2. Excommunicamus, titu. de Hæreticis*, petitum. Huius quod obtenditur Decreti non adeo certa authoritas est, vt Sanctio Concilii dici mereatur. Nam etsi Decretum illud & alia nonnulla variis inspersa locis Antiquarum Collectionum Decretalium Pontificiarum reperiantur, quin etiam in Collectionibus Gregorii IX. anno 1230. Nihilominus in Antiquis Collectionibus, in Sanctionum a sanctis Patribus, Primatibus, Archiepiscopis, aut Episcopis cōstitutarum forma non habentur. Imo multi autores qui Innocentii III. tempore vixere, nihil a Lateranensi Concilio decretum fuisse scripserunt. E multis, quod de illo Matthæus Paris in maiore historia de gestis anno 1215. & 1216. ait notandum, *Celebrata* (inquit) *est Romæ sancta & vniuersalis Synodus in Ecclesia sancti Saluatoris, quæ Constantiniana appellatur, mense Nouembri, præsidente Papa D. Innocentio III. pontificatus eius anno 18. In qua fuerunt Episcopi 412. His omnibus congregatis in suo loco, & iuxta morem Conciliorum Generalium singulis in suis ordinibus collocatis, facto prius ab ipso Papa exhortationis sermone, recitata sunt in pleno Concilio capitula LX. quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa.* Idem alibi *in minore Historia*, ait, *quod Papa Concilium dissoluit, omnisque Clerus abiit tristis*. Cuius rei multas adfert rationes quas hic referre non opus est. Denique Platina de hoc Lateranensi Concilio loquens in vita Innocentii III. Papæ, *Venere* (inquit) *multa tum quidem in cōsultationem, nec decerni tamen quicquam aperte potuit, quod Pisani & Genuenses maritimo & Cisalpini terrestri bello inter se certarent. Eo itaque proficiscens Pontifex tollendæ discordiæ causa Perusii moritur.* Emmuero factiosi quidam eo tempore cum Raimundum Tolosanum cumitem Albigensium sententiæ adhærere viderent, apud Philippum Augustum institerunt, & Pontificem impulerunt, vt Regi Simonem Montisfortis Comitem in Septimaniam mittendum esse ad bellū gerendum, & Raimundum e patrimonio deturbandum suaderet. Verū nulla certa extat authoritas, qua hoc ad obtenta Cōcilii decreta exequendum probetur gestum esse. Rigordus quidē inquit, *in libro de Gestis* Philippi Augusti *Francorum Regis, quod Papa procurante, & Rege concedente, Simon ille Comes Montisfortis Tolosanus Comes factus fuit.* Sed voto Ducis huius Simonis Mōtisfortis successus non respondit. Testis idem Rigordus, *Quod ipse Simon* (inquit) *cum Albigenses & Tolosani aduersus ipsum ciuitatem muniuissent, eam ille viriliter obsedit, sed in ipsa obsidione lapide percussus vitam finiuit.* Addit in fide Catholica vitam finiuisse, sed propterea neque bellum nec Albigenses turbæ cessauere. Vt enim in causis eiusmodi spiritualib. non secularibus armis Deus fauit, meliorem ad pullulantes sectas resecandas viam instituissent, si verbi Dei gladio non materiali fuissent vsi, vt & seculo nostro nonnulli tentauere. Quo licet prætentorum Concilii Lateranensis decretorum aut rerum ab Innocentio III. gestarum allegatione impellerentur: germani tamen ac veri Franci, nouissimis Blesensib. Comitiis anno 1589. eo pacto nequaquā moti sunt. Quippe qui diuini humaniq; iuris erant periti, quiq; leges Regnorum, Franciæ maxime, politicas, apprime tenebant, insignē certo sanctiore Regis Philippi Augusti Cōsistorio, anno 1216. Lugduni habito, gestæ historiam, vt a Matthæo Westmonasteriensi laudatur, memoria repetiuerunt, qui hæc refert, *Rex* (inquit) *Iohannes qui resignauerat coronam Angliæ Innocentio III. Papæ, & ei fecerat homagium, & sic de liberrima regione ancillam anno Domini 1213. (& ideo Extorris appellatus est) audiens de aduentu Ludouici (filii Philippi Regis Francorum) in Angliam (anno 1216.) Cantuariā aduolauit: & interim applicuit Gualo Legatus missus a Domino Papa Innocentio III. ad tuitionē regis Iohannis, qui transitu facto per regem Francorum Philippum ex parte Domini Papæ omnibus modis dissuaserat, ne filium suum Ludouicum in succursum excommunicatorū (qui Iohānis regis erant aduersarii) transmitteret, ne Ecclesia Romana patrimonio suo priuaretur. Quod cum intellexisset rex Philippus hoc de regno Angliæ dictum*

Platina in vita Gregorii II.

Ado Archiepiscopus Viennensis de Zacharia Pontificis consilio.

dictum fuisse, ita mox respondit: Regnum Angliæ patrimonium Petri vel Ecclesiæ Romanæ nunquam fuit, nec est, nec erit. Item Rex vel Princeps non potest dare regnum suum sine assensu Baronum suorum qui regnum tenentur defendere. Et si Papa hunc errorem tueri allectus noxæ dominationis libidine contumaciter decreuerit, exemplum omnibus regnis dabit perniciosum. *Ad quod verbum omnes circumstantes Franciæ magnates quasi vno ore clamare cœperunt, quod pro isto articulo starent vsq; ad mortem, ne videlicet rex vel princeps per impetum propria voluntate posset regnum dare vel tributorium facere, vnde nobiles regni efficerentur serui. Acta sunt hæc apud Lugdunum die 15. post Pascha.* Ita se generosi Francorum proceres nunquam satis laudati, gessere: quorum postea nobis vsui fuit authoritas, etiam tum cum eorum sequenda fuere dogmata, & ab eodemmet qui iam verba facit, declaratio fuit in Curia Parlamenti Cæsaroduni Toronum sedente citanda: cum videlicet Regis nostri felicissimæ memoriæ Henrici Magni, v. Ianuarii 1610. diplomata legerentur, quib. aduenienti a Pontifice misso Cardinali significabatur, fore vt honorifice admitteretur, modo in mandatis haberet, ad Regem, nihil aduersus eius ditionem suscipiendo aut ex Ecclesiæ Gallicanæ iure decerpendo accedere. Nec sat vnquam ingenua hæc veraque nostrorum Francorum vox, qui testes sunt eorum, quæ Innocentii III. tēpore gesta fuere, quo posterorum memoriæ consignetur, inculcari potest. Quod igitur tanquā in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. aut ab eodē constitutum allegatur, quoq; velut specioso Religionis obtentu excitandorum ad arma & rebellionem in reges populorum occasione capta, quidam vsi sunt, in argumentum tribuendæ Pontifici potestatis, quam illi Bellarminus assignat *directe* aut *indirecte*, vt ait, *in ordine ad spiritualia*, trahi minime debet. Etenim si C. *Excommunicamus, de Hæreticis Extra* à Concilii Patribus, ab Innocentio III. Papa approbati, conditum & constitutū esset, non iis derogaret, modū quē antea ipsemet Decretali *per Venerabilem, Qui filii sunt legitimi*, ante allegata & iuxta genuinum sensum exposita declarauerat: sed & iis quæ alteta *tita de iudiciis* l. à, c. 13. *Nouit ille* &c. in collectione Decretalium à Gregorio IX. Pontifice facta, vbi textus dimidiatus est, q integer extat in Collectione Antonii Augustini, *Collection. 3. li. 2. t. 1. c. 3. 5* quo loco sic Innocentius, *Exaltationē (inquit) Regni Francorum sublimationē Apostolica Sedis reputantes.* Et postea, *Non enim (inquit) intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (nempe Regem cuius antea meminerat) spectat iudicium.* Quod ad v. quo Bellarminus vti voluit e Concilio Lugdunensi depromto, quod sub Innocentio IV. contra Fridericum II anno 1245. habitum fuit, inde nullum duci potest argumentum, quo noua Bellarmini, de Pontificis in reges potestate, axiomata, quocunque quæsito colore, stabiliantur. Verum id quidē, ab Innocentio IV. Pontifice fuisse excommunicatū Imperatorē Fridericū II. die D. Iacobo dicato feria tertia, die Concilii tertio, vt obseruauit *Abbas Stadiensis* (q ob temporis iudiciiq; formā expendendum est) Nec minus obseruatione dignum est q idem Abbas de sententia Lugduni fulminata, a *Quæ sententia* (inquit) *per mundū volante quidā Principū cū multis aliis reclamabant dicentes ad Papā non pertinere Imperatorē constituere vel destituere.* Huic argumento concinit q Matthæus Paris de Rege nostro D. Ludouico narrat, b optimum illum videlicet multaq; sapientia prędirum Principem omni ope nisum, vt Papam cum Imperatore conciliaret. *Quod (inquit) cū Papa erecta ceruice refutasset, Rex Francorū iratus & indignatus est eo quod humilitatem quam sperauerat in seruo seruorum Dei non repirisset.* Quo pacto Princeps optimus, magni iuxta candoris atq; iudicii, non sibi hac seueritate satisfactum ostendit, mala, quæ Religioni Christianæ esset allatura discordia, prælentiēs. Hinc ipse & Frāciæ Barones minime gratum id sibi fuisse commonstarunt, cum Pontifex ad Maiestatem suā nuncium misisset, quo in Friderici II. abrogati locum, electum a se Comitem Robertum regis fratrem in Imperio substituendum significaret. Rex enim & proceres minime hoc ipsius admisere consilium, quod his ad Imperatorem verbis palam testatum fecerunt: *Nolit Deus vt vnquam ascendat in cor nostrum, vt aliquem Christianū sine manifesta causa impugnemus. Nec nos pulsat ambitio. Credimus enim Dominum nostrum regem Galliæ, quem linea regii sanguinis prouexit ad regenda Frācorum sceptra, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio prouehit voluntaria. Sufficit Domino Comiti Roberto fratrem esse tanti Regis.* Quod itaque hic Pontifex Innocentius IV. aut eius decessores, aut successores, multo post Dominū nostrum Iesum Christum, & Apostolus, cum eorū sequi vestigia debuissent, ipsorum doctrinæ aduersantes, scripserunt & constituerunt, Reges ipsos & bona temporalia decretis aggressi, quæ constitutionib. Euangelicis & Apostolicis, *Cæsari quod Cæsaris est reddere* iubentibus, contraria sunt, id nouum ius est, Regnorum & Rerumpublicarum a Deo constitutarum euersionem spectans: ideoque nullius roboris aut ponderis. Quid quod si Patres, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, in Concilio vel Oecumenico congregati, quæpiam cum Papa aut cum Legatis, aut sine iisdem, Decreta condidissent, quibus *potestates quæ sunt, & quæ a Deo ordinatæ sunt*, vt ait D. Paulus, in iis quæ πολιτείαν temporalem & Magistratus authoritatem in exterioribus Ecclesiæ concernunt, vlla ratione minuerentur, aut restringerentur: *Eiusmodi Decreta* Reges & Principes ac supremos Dominos, eorumque subditos, siue Clericos siue Laicos, minime obligarent. *Certum enim hoc statumque semper, totoque Christianitatis orbe apud omnes qui bene de veritate sentiunt Catholicum dogma est*, Nihil vllum Concilium, Vniuersale, Nationale, Generale aut Prouinciale in Temporalibus *directe* aut *indirecte* decernere posse. Ratio est, quod Cōcilium ex Patribus, Archiepiscopis, aut Episcopis cōstat, qui maximam partem, Principum aut Rerumpublicarum Temporalium subditi sunt. *Ec-*

Innocentii IV. Papa verba C. Nouit. extra de Iudiciis in antiquis Decretalibus.

a *Alberti Abbatis Stadensis de sententia ab Innocentio IV. aduersus Imperatorem Fredericum II. in Concilio Lugdunē. lata, verba.*

b *Matthæus Paris de Christianissimo rege D. Ludouico.*

clesia

clesia autem est in Republica, non Respublica in Ecclesia, inquit Optatus Mileuitanus, eximius Africæ Episcopus. Quare non licet Episcopis, qui non aliam quam Ecclesiasticorum personam sustinent, quidpiam decernere, quod Dominorum Temporalium damno vertat. quorum concessione in ipsorum ditionibus congregantur, aut inde in alias, habendi Concilii gratia, proficiscuntur. Ea modo quæ fidei, religionis & doctrinæ sunt, licet eis decernere. Nec enim vel externam Ecclesiarum politiam in legum & ordinationum prouincialium præiudicium attingere queunt, quibus in locis per regias constitutiones, vt in hoc regno, sanciuntur: vnde hoc vere de Regibus (speciatim de nostro) prædicare possumus, æqua illos cum Imperatore Constantino authoritate potiri, (qui vt refert temporis illius Ecclesiastica historia) sese Episcopum exteriorum appellare solebat: cum nulli Episcoporum potestati aut foro, suæ ditionis aut actionum ratione, sed Deo soli subiiciatur: quod adeo verum est, vt è Principum & potissimorum Prælatorum ordine, Gregorius Turonensis Archiepiscopus, quinto historiæ Francorum hisce verbis referat, quæ de se & coepiscopis regi Chilperico dixerat, *Si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest. Si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi: sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronunciauit esse iustitiam?* (Ille nimirum Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui apud Hierem. Prophet. c. 23. prædictus fuit DOMINVS IOSADACH IVSTVS NOSTER, AVT IVSTIFICATIO NOSTRA. Et apud Zachariam 9. REX IVSTVS ET SERVATOR IPSE. Ac sane non nisi Deo peccant reges: ideo Dauid Psalmo 50. (quem vocauit Irenæus Psalmum Exomologeseos) *Tibi soli peccaui*, inquit, Deum alloquens, cui rationem soli suorum peccatorum reddere tenentur Reges, humano foro haudquaquam obnoxii, quod plurimi in hunc locum notauerunt interpretes, videlicet è Græcis *a* D. Cyrillus, *b* Dydimus, *c* Nicephorus. E Latinis *d* Arnobius, *e* D. Ambrosius, *f* Antonius Agellius Episcopus Acernensis. Nec aliter, qui iudicium de regibus Pontifici tribuunt, hæc verba interpretari queunt. Studentes enim Pontifici, quam sibi Deus in Reges vindicat potestatem tribuere, diuino verbo addērent, quod sanctis legibus prohibetur. Nec attendunt quod Gregorius XIII. Pontifex scite Oratori Hispano dixit, spiritualem à temporali potestate secernens, *Si altera alterius limites transilit semetipsa perimit.* Ac sane verissimum hoc in negotio Patrum Hebræorum effatum, *Quisquis addit, detrahit.* Quapropter libri non ii, qui supra Regem in temporalibus Pontificem collocant, ferendi non sunt, atque nimis multi, licenter nimis in Principes & Respublicas stringunt, quod non Principes modo lædere, sed & bonos subditos debet offendere, vt nuper Officiales regis Hispaniarum, in Cardinalis Baronii scripta *de Monarchia Siciliæ*, grauiter inuecti sunt, quo magnum sibi per totum terrarum orbem laudis argumentum parauerunt. Nos vero Regi nostro Christianissimo vitæ, famæ, ditionisq; temporalis ratione, minus non debemus: imo si veritatis axiomata tueri, Ecclesiæ Gallicanæ libertatem conseruare semper sanctum, iustum & honestum est, atq; animum amoremq; Francorum erga suum Regem & Regnum decet, hoc certe potissimum *sub rege annis minore felicissimis Reginæ parentis auspiciis regnante, debemus.* Sic à Deo per os Apostolorum DD. Petri & Pauli iubemur, quorum alter D. Petrus nimirum prima epistola c. 2. *Subiecti* (*g* inquit) *estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis, imprudentium hominum ignorantiam, quasi liberi, & non quasi velamen habentes, sed sicut serui Dei. Omnes honorate. fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.* Alter D. Paulus *h* scilicet eximie Romanorum XIII. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Non est enim potestas nisi à* DEO. *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati,* DEI *ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere Potestatem, bonum fac; & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat:* DEI *enim minister est vindex in iram ei qui malum agit. Ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes.* Reddite ergo omnibus debita, *cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Huc agimur ab ἡγεμονικῷ Spiritu, qui Dei Spiritus est: Et inquit Paulus, *i Vbi Spiritus, ibi libertas.* qua ratione non læditur Pontifex, nec id iniquo fe-

a D. Cyrillus laudatus libro qui inscribitur. *Aurea inqu. Da iudices Psalmos catena, interprete Daniele Barbaro Electo Patriarcha Aquileiensi. Venetiis apud Georgium de Caballas, anno 1569. paginis 531. & 532.* ita in hæc verba Psalmi 50. Tibi soli &c. *Impius est qui regi dicit, Impie agis. Alicubi Scriptura dicit. Quoniam igitur nullus erat qui me cum peccarem posset redarguere, & in peccantes corrigere.*

b Dydimus eodem libro, Patriarcha Aquileiensi interprete, citatus, sic de Rege Dauide loquitur: *Quatenus rex non subiiciebatur humanæ legi, inde nulli ex legum conditoribus peccauit, neque coram vllo ex illis hoc malum fecit. Quoniam vero ad regiam dignitatem illius accessit & plus esse velles, diuinæ legi subiectus fuit, & propterea soli Deo peccauit, & malum fecit coram eo, cum ad Vriæ vxorem ingressus est.*

c Nicephorus eodem libro citatus Patriarcha Aquileiensi interprete, *Rex cum ego sim, tibiq; soli subiectus, tibi soli peccaui. Alioqui Vriam iniuria affeci. Sed peccatum ipsum ad te transit. quoniam leges tuas transgressus sum.*

d Arnobii verba ad hæc Psalmi 50. Tibi soli peccaui. *Omnis* (inquit) *qui sub iudicio viuit, cum deliquerit peccat Deo, peccat & legibus mundi. Hi autem rex sub nullo alio nisi sub solo Deo agens, ipsum solum super potestatem suam metuens, Deo soli peccauit.*

e D. Ambrosius in eundem Psalmum ad hæc verba, Tibi soli, de rege Dauide loquens. *Rex vtiq; erat: nullis ipse legib. tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculis delictorum. Neq; enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperii potestate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius, sed quamuis tutus imperio, deuotione tamen ac fide erat Deo subditus, & legi eius subiectum se esse cognoscens, peccatum suum negare non poterat, sed quasi reus cum amaritudine fatebatur.*

f Antonius Agellius *ex congregatione clericorum regularium Episcopus Acernensis* in libro qui inscriptus est, *Commentarii in Psalmos & diuini Officii Cantica, impressi Romæ ex Typographia Vaticana anno 1606. pag. 236. ad Psalm. 50. Tibi soli peccaui. Quia cum regia dignitate ac potestate cæteris præstem omnibus, & nulli factorum meorum rationem reddere debeam, tuo solius iudicio subiectus sum, teq; solum iudicem habeo. Itaq; si quid peccaui,* Tibi soli peccaui, *tuus reus sum à te solo aut damnandus aut absoluendus.* g 1. D. Petr. epist. c. 2. h D. Paul. Rom. 13 i D. Paulus 2. Corinth. c. 3. v. 7.

TTT ret ani-

ret animo, quinimo rite edocta S.S. Regiæ dignitatis sartæ tectæ conseruationem, in suum redundare bonum agnoscet: Regis præcipue nostri Christianissimi, cuius ratione id semper studiosissime assertum est, quod Philippus Pulcher Franciæ & Nauarræ Rex, audacibus Bonifacii VIII. vocibus respondens, (qui eum subditum suum ausus erat cum in spiritualibus tum in temporalibus nuncupare) dixit: quodq; nobilis & generosus Petrus à Cunetiis Regis Philippi Valesii, qui Catholicus cognominatus est, aduocatus scripsit, ac post eum Joannes Gallus, Regis Caroli VI. aduocatus, celeberrimo actu in Curia Parlamenti XX. Martii, anno 1392. asseruit. Videlicet, NVLLVM IN TEMPORALIBVS A REGE FRANCIÆ IN TERRA SVPERIOREM RECOGNOSCI. REGII vero COGNITORES, quorum hodie pro muneris ratione, dicendi sunt partes, cum nouissimos Reges nostros Henricum III. & Henricum IV. homines inhumanissimi, monstra potius detestanda falsis impulsa dogmatibus: alterum Augusti mense anno 1589. alterum Maio nouissimo (anni circiter viginti *ab illius ad huius effluxere cædem*) nefario parricidio sustulerint. Cumque ipsi fidem & deuotissimum obsequium tantorum Regum memoriæ, & successoris authoritati debeant, suo se defuturos officio crederent, nisi in *Axiomata & Propositiones quæ vitam, dignitatem, maiestatemque Regis & Reginæ matris Regentis concernunt*, qualibet oborta causa acriter inueherentur. Et Curiæ huius augustissimæ Senatores nullo pacto excusandi, quin grauiter non hodie modo, sed & olim, *vbi Rex maiorem ætatem attigerit*, culpandi forent, si nulla iustæ querelæ habita ratione, adeo perniciosa scripta, à censura immunia, dimitterentur. Cum itaque verendum sit ne silentium imputetur crimini, & Deus in nos Spiritum soporis effundat, cuius mentio Esa. XXIX. aut ne à Domino nobis dicatur, quod D. Joannem Angelo seu Pastori Ephesinæ Ecclesiæ scribere iubet, Apocalypseos ca. 2. [*Apocal. 2.*] *Prima opera fac. sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum de loco suo*: Ne hæc eueniant, sed vt iustitiæ Regiæ splendor lumenq; perpetuum hoc loco fulgeat: ante pro REGIÆ COGNITIONIS munere, peruigilaturos se, neq; donec, aura fruentur, sibi lucernam suam extingui passuros, quinimo ne falsa dogmata nouorum librorum, cū Bellarmini tum aliorum, ad supremarum Potestatum à Deo ordinatarum euersionem spectantium, in hoc regno pedem figant, omni se ope & studio prohibituros, sanctæ protestati, Senatum rogant vt ea quoq; quæ suæ, sub regia potestate, sunt authoritatis, conferat. Etenim hoc pacto omnes veri Catholici tam in Gallia, quam in cæteris Christianitatis partibus, in puta Domini nostri Iesu Christi, Apostolorum, Patrum, quin ipsorum Pontificum, doctrina confirmabuntur, ac eorum sequentur exemplum. Deniq; quiuis agnita & approbata veritate duo hæc axiomata non inficiabitur. I. *Potestatem Pontificis locum præterquā in spiritualibus, hoc in regno maxime, non habere, nec ad temporalia directe aut indirecte extendi.* II. *Regem solum, omnium subditorum, tam Laicorum quam Ecclesiasticorum, in suis ditionibus supremum esse Dominū.* Prius quod attinet: Quandoquidem Dominus noster Iesus Christus tam suo quam D. Petri nomine censum Cæsari debitum persoluit: & à Pilato rogatus num esset Rex Iudæorum, respondit quod Euangelii D. Ioh. c. 18. refertur, [*D. Ioh. c. 18.*] *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum, Ministri mei vtiq; decertarent vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc.* Papam, cum Iesu Christi sit vicarius, alio gaudere titulo non posse certissimum est. *Non est enim seruus maior Domino suo*, vt idem Euangelista à Domino prolatum c. 13. recitat, qui cum miraculi à se patrati conscios, vt ipsum regem crearent conuenire animaduerteret. vt eiusdem D. Iohan. ca. 6. scribitur, solus in montem secessit. [*Tertullianus in libro de Idololatria.*] *Et si ipse Dominus potestatem quoq; nullam ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est, si regem deniq; fieri conscius regni sui refugit, plenissime dedit formam suis dirigendo omni fastidio & suggestu tam dignitatis quam potestatis. Quis enim magis his vsus fuisset quam Dei filius.* Nemo sane, vt optime Tertullianus aduersus mundi Idololatras, scribens. Hoc si, vt par est, teneatur, vbiuis locorum quæ vera & legitima sit Pontificia potestas ex ea, quam feret Senatus, iuxta veritatis normam, sententia, licebit agnoscere: Alterum quoq; firmiter tenebitur axioma, *Omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse*, hoc est, vt ait D. Chrysostomus in c. 13. Epistol. ad Romanos hæc verba exponens, *Omnis anima*, inquit, *siue Apostoli, siue Monachi, aut alterius cuiuspiam.* Quod itidem Gregorius I. Pontifex Epist. 26. lib. 2. sui Registri docuit. Nam cum ad Imperatorem Mauritium Augustum de Imperatoria Constitutione scriberet, quæ hæc complectebatur, [*Gregor. I. Epist. 26.*] *Vt quisquis publicis administrationibus foret implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceret.* Vbi plurimum hanc Constitutionem commendauit, Imperatores *serenissimos Dominos*, & se indignum pietatis Imperatoriæ seruum vocans, vnum se hic mirari legi adiectum, *Vt ei in Monasterio conuerti non liceret, nec vlli qui in manu signatus esset.* Quod submisse bonus ille Pontifex commonefaciendi formula dixit, neque verbis eum redolentibus qui se Imperatoribus superiorem iactet, siue vt Pontifex est, siue vt Episcopus, aut vt *seruus Republicæ, sed iure priuato, quia* (inquit) *serenissime Domine, ex illo iam tempore* Dominus *meus fuisti, quando adhuc* Dominus *omnium non eras.* Et infra, *Ego vero hæc* Dominis *meis loquens, quid sum nisi puluis & terra? Sed tamen quia contra auctorem omnium* DEVM *hanc intendere Constitutionem sentio*, Dominis *tacere non possum: Ad hoc enim potestas* Dominorum *meorum pietati cœlitus data est super omnes homines, vt qui bona appetunt, adiuuentur, &c.* Dein ob oculos Imperatori ipsius nostrique DOMINVM IESVM CHRISTVM vt Regem regum loquentem introducit. *Ad hæc* (inquit) *ecce per me seruum vltimum suum & vestrum respondebit*

CHRI-

CHRISTVS dicens, *Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solum hoc, sed etiam Patrem Imperatorum feci: Ego Sacerdotes meos tuæ manus commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde ergo*, pijssime Domine, *quid venienti & hæc dicenti responsurus es in Iudicio* Domino tuo? Et infra, *Ego quidem iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa Omnipotenti DEO minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam* Serenissimis Dominis *nuncians. Vtrobiq; ergo quæ debui exolui, qui &* Imperatori *obedientiam præbui, & pro DEO quod sensi minime tacui.*

O præclaram sanctoq; Pontifice dignam professionem! qui hoc pacto exemplum secutus & mandatum DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI executus est, qui edixit D. Matthæi 22. D. Marci 12. D. Lucæ 10. *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris: & quæ sunt Dei, Deo.* Equidem Sancti Pontifices Imperatores & Reges spirituali cohortatione de salute commonefaciendi, ius & potestatem habuere: verum hæc potestas temporali superior non est. Inquit enim Dominus discipulis & Apostolis Matthæi 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; virgam in manibus.* Quod optime exposuit D. Hilarius in hæc verba dicens, *Neq; virgam in manibus, id est potestatis externæ iure non indigi, habentes virgam de radice Iesse: Nam quæ alia fuerit, non erit Christi.* Virgam à D. Hilario descriptam nemo, qui veritatis amore ducatur, aliam esse dicet à spirituali & Apostolica quam alibi (in Psalm. 2.) esse verbum Euangelii dixit. *Radix* autem *Iesse* æque spiritualis est vt ab Esaia Propheta c. 11. & D. Paulo Roman. 15. discimus. Atque vt recte DOMINI NOSTRI verba in hanc sententiam intelligantur, minime iuxta carnem vt solebant miselli Ebionitæ, sed iuxta sensum Spiritus, veluti cum de duabus tunicis agitur, accipienda sunt. Ita magnus ille Hilarius ad hæc verba: *Non duas tunicas, quod sufficiat nobis semel Christus indutus, ne per prauitatem intelligentiæ nostræ altera deinceps vel hæreseos vel legis veste induamur.* Idcirco à duabus tunicis cauendum est. Etenim si pro pura simplicitatis tunica aliam induamus, in errorem incidemus, & hæretici Iudæ Galilæi (de quo Actuum Apostolicorum cap. 5.) habitu amiciemur, qui inter cætera, hoc quoq; tanquam probabile dogma proponebat; *Nullum præter Deum, Domini appellatione insigniendum*, vt ita se debito Cæsari obsequio eximeret. *Et eos qui decumam Templo persoluerent, ad vectigal Imperatori pendendum non teneri*, quæ detestanda hæresis, cum paulo ante Iesu Christi aduentum, Iudæis horrorem incusserit, multo potius apud Christianos execrabilis censeri debet. Denique, quæ spiritualem potestatem cum Temporali miscet, & confundit, praua est doctrina. Alius enim est *verbi gladius*, alius *Principum & potestatum Temporalium.* Quamobrem D. Ambrosius præfatione in D. Lucam Euangelistam; *Ad diuina* (inquit) *conuersi acuamus ingenium, exerceamus affectum, vel gladium illum quem vendita veste emi Dominus iubet, paratum semper & lucidum tanquam in vagina mentis reconditum habere possimus. Arma enim spiritualia & fortia Deo ad destruendas munitiones militibus Christi debent semper esse præsentia (ex doctrina Pauli Apostoli 2. ad Corinthios capit. 10.) ne cum venerit Dux cælestis militiæ situ nostrorum offensus armorum à legionum nos suarum societate secernat.* Quod Doctor idem in hæc D. Lucæ Euangelistæ verba, confirmat: *Nunc qui habet sacculum &c. vendat tunicam suam; & emat sibi gladium, &c.* O DOMINE (inquit) *cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? Nisi forte vt sit parata defensio, non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse? Lex tamen referire non vetat: & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti,* SAT EST, *dicis, quasi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in* LEGE *æquitatis eruditio, in* EVANGELIO *bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur: sed non iniquus* DOMINVS, *qui cum se posset vlcisci, maluit immolari. Est enim gladius spiritualis, vt vendas patrimonium, emas* VERBVM, *quo nuda mentis penetralia vestiuntur.* Est etiam gladius passionis; *vt exuas corpus, & immolatæ carnis exuuijs ematur tibi sacra corona martyrij: quod ex benedictionibus* DOMINICIS *colligere potes, qui summam omnium coronarum, si quis persecutionem patiatur pro iustitia prædicauit. Denique vt scias quia de passione loquutus est ne turbaret discipulorum animos, de se exemplum protulit dicens:* QVONIAM HOC QVOD SCRIPTVM EST, OPORTET IMPLERI DE ME, QVOD ET CVM INIVSTIS DEPVTATVS EST. Vnde patet verba Domini, cum gladium iubet emere, parabolæ ritu, non ad literam, interpretanda esse. Hanc puram veramq; doctrinam hauserat D. Ambrosius è Domini nostri documentis, præceptis Apostolicis, & Doctorum Orientalium scriptis. Præ cæteris ex Athanasii libro cui titulus; a *Dicta & interpretationes Parabolarum Sancti Euangelii*, vbi sequentia quæstione 33. *Quomodo hoc intelligendum*, qui tunicam habet vendat ipsam, & emat sibi gladium? *Hoc dixit Dominus*, (inquit D. Athanasius) *sui proditionem & Iudæorum aduentum indicare volens quem neque plane reticuit, ne repentino turbarentur aduentu, neque plene patefecit, neque formidine occuparentur.* Quæ expositio notatu digna est, vt & illa D. Basilii, à quo plurima D. Ambrosius didicerat, & cuius multa de Græco in Latinum sermonem scripta reddidit: Doctus hic Orientalis Ecclesiæ Magister, quem ea tanquam sæculi sui lumen obseruauit, & omnes Ecclesiæ Christianæ, vt reuera Basilii nomine dignum inter pios & eruditos Christianos deinceps mirati fuerunt, Regula 251. ἐν ἐπιτομῇ ad interrogationem hisce verbis factam. b *Quomodo vetat Dominus* (Lucæ 10.) *Sacculum & peram in via ferre; alias vero* (XXII. eiusdem Euangelistæ) *qui habet*, inquit, *sacculum tollat, similiter & peram: & qui non habet vendat tunicam suam & emat gladium? Respondet: hoc ipse Dominus dilucidat, quum ait,*

a D. Athanasius libro cuius inscriptio ῥητὰ καὶ ἑρμηνεῖαι τῶν παραβολῶν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου. Ἐρώτησις λγ. Πῶς νοητέον ὅτι ὁ ἔχων ἱμάτιον πωλησάτω αὐτὸ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν. Ἀπόκρισις. Τοῦτ' εἶπε γνωρίσαι θέλων ὁ Κύριος τοῖς Ἀποστόλοις [illegible] τὴν ἔφοδον τῶν Ἰουδαίων [illegible]

b Ἐρώτησις [illegible]

TTT 2 quoniam

quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus sum. Continuo enim postquam, *Prophetia de gladio impleta est.* Petro dicit, *Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt*; ita vt præcipientis non sint hæc, *sed nunc qui habet sacculum tollat, vel tollet* (ita enim multa habent exemplaria.) *Sed prædicentis Domini fore vt Apostoli donis & lege Domini obliuioni traditis, gladium auderent vsurpare; Quod vero imperatiuo loquendi modo Propheticis loco sæpius vtatur scriptura notum est, cuiusmodi illud, fiant filii eius orphani, & diabolus stet à dextris eius, & quæcunque talia.* Ad præstantis huius saneque interpretationis sensum quadrat quod Iohannes Chrysostomus Constantinopolitanus Archiepiscopus, cum Imperatores essent Christiani, scripsit in Homilia ad verba D. Pauli cap. 16. epist. ad Romanos, *Salutate Priscam & Aquilam*, vbi explicat verba Domini; *Qui habet marsupium tollat & peram, & qui non habet, vendat vestem suam, & emat gladium, ita dicit, Quidnam hoc? Armatne Discipulos qui dicit, Si quis te percusserit in dexteram maxillam, obuerte ei & alteram: Qui præcepit vt benedicamus his qui nos conuitiis lacessunt, Feramus inuadentes, Oremus pro persequentibus, nunc armat? armatque vno tantum gladio? Et quomodo hæc rationi consona sunt? Nam si omnino armis opus erat, non solo gladio, sed & scuto, galea & cruralibus armare oportebat. Et profecto si humano more & dispensare, & agere voluisset, ridiculum erat hoc præceptum. Quandoquidem licet sexaginta id genus arma possedissent, aduersus insidias & impetus populorum, tyrannorum, ciuitatum, gentium, quomodo potentiores habiti fuissent vndecim? Non potuissent præ timore spectare faciem exercituum, & audire vocem hinnientium equorum viri non nisi in stagnis & fluminibus & lembis versati. Quare ergo hoc dicit? Iudæorum insidias indicare volebat, idque manifeste, & non per ænigmata, ne secum iterum confunderentur.* Dein adiicit: *Non igitur sentimus quod talibus verbis iusserit haberi gladios, sed quod per gladios insinuarit imminere insidias, & passurum se à Iudæis quæ & passus est. Atque hoc ex sequentibus manifestum est. Nam vt dixit emendum gladium, mox adiecit*, Quia oportet adimpleri ea quæ de me sunt scripta: Quod cum iniquis reputatus sum. (*Esaiæ 53.*) *Discipulis autem dicentibus*, Hic sunt duo gladii. *& non intelligentibus dictum, ait*, Satis est: *Tametsi non suffecissent vel duo, vel tres, vel centum, si humano auxilio eos vti voluisset. Quod si noluit eos humano præsidio vti, sunt vtique & hi duo superflui. Proinde hic doctrinam suam non exposuit, id quod vbique facere videtur, vt quoties dicta minus intelligunt Discipuli, euentui rerum dictarum intelligentiam explanandam relinquens prætereat.* Attendite hanc expositionem, & eam ea quam Bonifacius VIII. multis post annis, Extrauag. *Vnam sanctam. tit. de maiestate & obedientia*, tradidit, conferte, vbi verba D. Lucæ XXII. citans *ex dictis Apostolorum, Ecce duo gladii hic, In Ecclesia scilicet* (inquit) *cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus* nimis esse, sed satis: *Certe* (inquiens ille Bonifacius) *qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis*: Conuerte gladium tuum in vaginam. *Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ spiritualis scilicet & materialis.* Hanc Bonifacii VIII. glossam ab interpretatione D. D. D. Athanasii, Basilii, Ambrosii, & D. Chrysostomi alienam esse comperietis. Imo menti quam Dominus enunciauit, è diametro repugnat: denique literæ, carnis & sanguinis est, non spiritus: ideo à Clemente V. Extrauag. *Meruit*, reuocata est: vbi declarat quod per definitionem Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris sui extrauag. a *Vnam sanctam*, comprehensam, *nullum regi & regno Franciæ vellet vel intenderet præiudicium generari. Nec quod per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati amplius Ecclesiæ forent subiecti Romanæ quam antea existebant. Sed intelligerentur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam: tam quantum ad Ecclesiam, quam etiam ad Regem, Regnum, & Regnicolas superius nominatos.* In quo S. Pontifex Clemens V. quam debuit de regno & temporali dignitate Philippi Pulchri declarationem edidit. Quod & alia Bulla Pictauii 2. Idus August. data 3. Pontificatus anno professus est, qua Archiepiscopum Narbonensem, Baiocensem, Mimatensem & Lemouicensem Episcopos cum Notario suo, Tridentinum & Magalonensem Archidiaconos, & præfectum Aquensem delegauerat ad iudicium de Templariis constituendum, circa multa, institutæ rumore publico aduersus eos querelæ, capita: vbi clausula hæc notanda adiicitur, *Charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris, cui fuerant eadem facinora nunciata, non typo auaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil sibi vindicare vel appropriare intendat, imo ea nobis & Ecclesiæ per deputandos à nobis administranda, gubernanda, conseruanda, & custodienda liberaliter ac deuote in regno suo dimisit, manum suam exinde totaliter amouendo.* Hinc sequitur nihil in Templariorum, qui in ditione Regis Christianissimi degebant, personas & bona quicquam ante ausurum fuisse Pontificem, quam amota manu, ipse Dominus Rex quæstionem exercendi & iudicium constituendi, potestatem fecisset, prout in Bulla continetur. Qua in causa quod Rex Illustrissimus præstitit, nihil de regia in subditos, qui sunt eiusdem cum Templariis qualitatis aut conditionis, vel alterius, autoritate, detrahit, imo hac dimissione Regi supremum ius, vt immotum est, ita inconcussum assertum & seruatum est. Quod adeo certum est, vt omnes sani sic senserint, præ aliis bonæ notæ Author quidam in libro inscripto *Somnium Viridarii*, Regem Carolum V. Sapientis insignitum

Πῶς ποτὲ μὲν ἀπαγορεύων ὁ Κύριος βαστάζειν βαλάντιον καὶ πήραν μηδέν. Νῦν δὲ [illegible], ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον ἀράτω ὁμοίως καὶ πήραν, καὶ ὁ μὴ ἔχων πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν. Ἀπόκρισις. Τοῦτο σαφηνίζει ὁ αὐτὸς Κύριος. εἰπών, ὅτι τοῦτο τὸ [illegible] ἐν ἐμοί. τὸ, καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη. αὐτίκα γοῦν μετὰ τὸ πληρωθῆναι τὴν [illegible] τῆς μαχαίρας ἀποφηνάμενος λέγει τῷ Πέτρῳ, ἀπόστρεψον τὴν μάχαιράν σου εἰς τὴν θήκην αὐτῆς. πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται. [illegible] (ἔτι γὰρ καὶ [illegible]) ἀλλὰ [illegible] τοῦ Κυρίου ὅτι [illegible] οἱ Ἀπόστολοι [illegible] τῶν δωρεῶν καὶ τοῦ [illegible] τοῦ Κυρίου καὶ ξίφους [illegible] καὶ ὅτι τῷ [illegible] τοῦ λόγου αὐτοῦ [illegible] ἐν δεξιῶν αὐτοῦ καὶ ὅσα τοιαῦτα.

a Clementis V. Extrau. Meruit. titu. de Priuilegiis, verba: *Meruit charissimi filii nostri Philippi Regis Francorum illustris sinceræ affectionis ad nos & Ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt. Meruit insuper Regnicolarum puritas, ac deuotionis synceritas, vt tam regem quam regnum beneuolo fauore prosequamur. Hinc est quod nos regi & regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Vnam sanctam, nullum volumus vel intendimus præiudicium, &c.*

cogno-

cognomine alloquens, inquit, *Quod Rex est Dei Vicarius & Iudex in Temporalibus.* Ac re vera supremum illud ius, eiusmodi est vt ad omnes Regnicolas extendatur: ita vt eorum nullus debitæ Regi Christianissimo obedientiæ exemptum se dicere queat. Quod boni Patres, Prælati sancti, & Doctores Catholici & Orthodoxi agnouerunt: è multis ad commonefactionis huius clausulam magni & docti Abbatis D. Bernardi commonefactionem proferre sufficiet, qui Henrico Archiepiscopo Senonensi scribens epist. 42. his verbis concludit: *Si omnis anima potestatibus superioribus subiecta sit* (quod docuit Apostolus in Epist. ad Romanos) *Ergo* (inquit Bernardus) *& vestra. Quis vos excipit ab vniuersitate? Si quis tentat excipere, tendat decipere.* Quo itaque ad germanorum Francorum tutelam, deceptioni præcaueatur, qui verba facit cum sese propter conscientiam & incumbens *Aduocati Regii* munus deuinctum sentiat, vt ingenue sui muneris partes expleat, in medium profert *Cardinalis Bellarmini librum*, viuente Henrico Magno Rege nostro perscriptum, (quo regnante eum nemo publicare ausus esset) vbi è viuis excessit, editum, in quo locos adnotauit, quos videbit Senatus præcipue paginis 37. 38. 57. 58. & 76. 77. quibus accedit quod 160. 115. 116. Simulq; postulationes *scripto exaratas* profert, quibus Regis nomine Regii Triumviri postulant edicto vetari, *Ne vlli, cuiuscunq; sit qualitatis aut conditionis, accipere, habere, retinere, excudere, aut excudendum dare hunc Bellarmini librum liceat, pœna læsæ in primum caput Maiestatis in delinquentes constituta: omnibus iniungi qui habent aut habituri sunt, sciunt aut scire possunt, quo regni loco extet, vt regiis iudicibus aut subcognitoribus Regiis significent, vt eius exemplaria supprimantur, cùm doctrinam dignitati, authoritati, & supremo regum iuri contrariam complectatur, qua subditi ad rebellionem in Regem, ad machinationes in caput eius ditionemque struendas concitantur: eadem constituta pœna prohiberi ne quis eandem doctrinam in scholis aut alibi scribat vel doceat: Arrestum quod ex hisce postulationibus condetur, in præfecturis omnibus Iudicum Regiorum, quorum sententia iudicium in Curiam resortiuntur, legi ac promulgari sub cognitoribus instantibus, qui sedulitatis adhibita Curiam certiorem facere teneantur. Atq; ne olim postulationes aut arrestum inde profectum calumniari quis possit, ad testimonium veritati, quoties opus erit, exhibendum, sibi librum in custodiam tradi postulant.*

Causa ad disquisitionem vocata, Camera Magna Criminali & Edicti conuocatis.

Curia vetuit vetatq;, ne quisquam, cuiuspiam sit qualitatis aut conditionis, pœna læsæ maiestatis in delinquentem constituta, accipiat, retineat, communicet, excudat, excudendum tradat, aut venundet dictum librum, qui falsam & execrabilem propositionem continet, quæ ad euersionem potestatum supremarum à Deo constitutarum & ordinatarũ pertinet, subditos acuens ad rebellionem, & Principum imperio subtrahens, ad machinandum in eorum capita ditionesq;, ad turbandam deniq; tranquillitatem, & quietem publicam incitans.

Iubentur ii penes quos erunt dicti libri exemplaria, aut qui habentes norint, confestim suis iudicibus profiteri, vt postulantibus subcognitoribus Regiis in Crimen inquiratur, & in sontes, vt par est, animaduertatur. Eadem pœna constituta, Doctores, Professores, aliosque dictam propositionem tractare, disputare, scribere, docere directe aut indirecte, in scholis, collegiis, aliisque locis prohibet. Decernit dicta Curia hoc Arrestum in præfecturas Iudicum regiorum, quorum sententiæ iudicium huius Curiæ resortiuntur, mitti, legi, promulgari, in acta referri, & iuxta præscriptum modum formamque obseruari. Iubentur Subcognitores Regii sedulo executionem arresti procurare, & Curiam intra mensem sedulitatis suæ certiorem facere. Actum in Parlamento die Ven. 26. Nouemb. 1610.

Signatum VOISIN.

Arresto prolato, REGIS COGNITORIBVS accersitis Curiæ placitum significatum est, & ex S. Cto. dictus Cardinalis Bellarmini liber in manus ipsorum traditus est.

D. Bernardus epist. 42.

TTT 3 BENI-



Anno D. 1611

BENIGNI MILLETOTI IN DIVIONENSI· CVRIA CONSILIARII REGII

TRACTATVS *DE DELICTO COMMVNI, ET casu priuilegiato.*

Vel

De legitima Iudicum Secularium Potestate in personas Ecclesiasticas.



ERMINI isti, *Delicti communis & casus priuilegiati*, tam ordinarii sunt atq; frequentes, quum de Secularium Iudicum potestate in Ecclesiasticas personas agitur, vt in re tam facili tractanda tempus inutiliter insumi videatur. Atq; in animis, non tantum infimæ plebis hominum, verum etiam eorum, qui & scientia & experientia sunt insignes, tam alias radices sensus istorum terminorum egit, vt imprudens, uno temerarius conatus iudicetur, mutare velle quod tam longo consensu omnium constans & fixum habebatur. *a* Ac sane non temere faciendæ mutationes, ne Legis authoritas vilescat, quæ tempore præsertim, & longa consuetudine confirmatur, *b* At quum euidens & certa vtilitas, immo necessitas, animos excitat ad veritatem ex densissimis longi ac diuturni erroris tenebris eruendam, sane sine metu, sine temporis, aut diuturnæ cõsuetudinis respectu, tenemur eam aperte profiteri, quod sæpe istos habeat inimicos infestissimos. Hoc exigit Veritas, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum. *c* Hæc adductus ratione statui me facturum operæ precium, si rem istam attentius expensam, & maiore cum otio, in lucem emitterem: minime sane cupidus inanis laudis ac gloriolæ, ex aliqua nouitatis inuentione, quod olim Hypodamus Milesius factitabat, verum vt mihi primum ipsi hac in re satisfacerem. Deinde vt si forte tractatus iste meis elapsus manibus in hominum conspectum veniret, scrupulum eximeret multorum infirmis conscientiis miris artibus iniectum, ad temporarias potestates euertendas: & specie iurisdictionis Ecclesiasticæ, Monarchiæ vniuersalis fundamenta sensim iacienda.

a l. 2. Minime.
b Arist. 2. Polit. c. 6.
c Tertull. lib. de velandis virginibus.

Scire multum interest, an Princeps, qui auctoritatem obtinet & aliquam iurisdictionem *d suo iure*, quatenus Princeps nimirum, id est, à Deo immediate, *an alieno beneficio possideat.* Et quod ad primum attinet, qui potestate sibi Lege diuina concessa vtitur, dici non potest facere quicquã singulare, particulare, aut priuilegiarum, *sed vti iure communi*, vt loquuntur Iurisconsulti. Ad secundum vero, non vtitur nisi Lege speciali, & concesso sibi priuilegio: quo casu proprie loquendo non potest absolute dici Princeps, quandoquidem alterius vtitur beneficio. Atq; ita facile dignoscitur diuersitas Principum, quorum alii à Deo immediate summũ imperium habent, vt Imperator, Reges Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, & reliqui: alii vero qui tanquam perpetui vicarii Imperii, summam authoritatem obtinent. Illi enim vere habent summum Imperium: isti vero alterius beneficio exercent iurisdictionem & titulo feudali.

d l. 5. Moro maio. D. de iurisdi.

Distinctionis istius effecta sunt, quod in primo casu Princeps vtẽs auctoritate quam à Deo solo habet nullius subiicitur iudicio, neq; eius potestas à quoquam potest circumscribi. In secundo vero, quod vt omnia *e* priuilegia sunt odiosa, Interpretationem etiam ex intentione concedentis admittunt & pro *f* reuocatis habentur quum notabilis est iactura. *g* Sæpe etiam pro temporum diuersitate, & accidentiũ varietate, mutantur vel etiam *h* penitus extinguũtur. Ab hac diuersitate, terminorum istorum *Delicti communis & casus priuilegiati* manauit æquiuocatio: quæ sensim in curias & Iurisdictiones seculares irrepsit, eorum incuria aut facilitate, qui eas olim exercebant: sed altas egit radices & fundamentum firmum habuit ex Axiomatibus, quæ iam dudum Roma posuit, & deinceps pertinaciter tutata est, Principes nimirum seculares nullam potestatem in Ecclesiasticas personas habere, quæ contra iure diuino, naturali & humano ipsorum eximuntur potestati. Ac proinde si Magistratus Secularis in ipsos inquirat, per illicitam vsurpationem id fieri.

e Cic. 3. de leg. maio. nos in priuatos.
f C. 3. ex mult. extr. de decim.
g Cap. 9 sug gest. ex. de decim. c. 21.
h Gl. in d. c. sugge. in verbo priuil.

Hæc axiomata sparsa in Gallia, & in animas iniecta rudioris antiquitatis, quæ potius armorum vi, quam verborum proprietatibus aut scriptorum subtilitate iura suorum Principum tuebatur, facile distinctionem inter *Delictum commune, & casum Priuilegiatum*, vt vulgo sumitur admiserunt. Nam posita & concessa Ecclesiasticorum exemptione ab omni potestate seculari (quod

t(quod esse non potest, vt deinceps videbitur) & vicissim hoc comprobato in Gallia in multis casibus, tam Ciuilibus, quam Capitalibus Iurisdictionem Secularem ab omni æuo suam auctoritatem in istiusmodi personas Ecclesiasticas exercuisse, facillime ista loquendi ratio in vsum venit & irrepsit, & potissimum quidem in Criminibus Ecclesiasticis, quorum alia *Delicta communia* vocabantur, quæ in Curia Ecclesiæ agitabantur: alia vero *Casus priuilegiati*, quorum cognitio ad Iudicem Secularem pertinebat. Neq; tunc animaduersum est ita poni sensim fundamenta exemptionis vniuersalis, ab Ecclesiasticis tam ardenter affectatæ: & ipsis hac ratione concedi, iure communi non subesse ipsos Potestatibus Secularibus, quandoquidem casus de quibus in eos inquirebant, vocabantur *Priuilegiati*, ac proinde ab alterius beneficio proueniebant, non proprio iure. Huoc igitur errorem detegi tandem tempus postulat, eiusdem ortum, & finem ad quem spectat palam facere, vt fundamento, quo nititur falso demonstrato, & fine pessimo & periculoso in quolibet Statu, tanto lubentius abdicetur error, & agnita veritas admittatur.

Iam ante aliquot secula Papæ cœperunt sibi summum Imperium in Temporalia totius orbis arrogare. Hic appetitus dominandi est ipsis innatus, eo quod ipsorum in Spiritualibus auctoritate admissa sine contradictione, & adhibitis nonnunquam seuerioribus in debiliores Principes Ecclesiasticos censuris, quorum status, hoc prætextu alii vicini potentiores inuaserunt, sibi persuaserunt, se de Statibus & Potestatibus posse disponere: ac proinde superiores esse Principibus terrenis, quandoquidem *a* Regna & Imperia tollebant & transferebant. Quamquam error est, & abusus profiteri censuram aut excommunicationis sententiã à quouis Prælato, vel Papa ipso fulminatam posse aut debere validã esse aute Status cuiuslibet priuationem. Quam equidem quæstionem pluribus persequi desisto, quod satis hactenus agitata fuit, & diuina prouidentia satis dilucidata & illustrata, superioribus in Gallia tumultibus, & exemplis Regum Philippi Augusti, circa 1198. annum, Philippi Pulchri 1302. Caroli sexti. 1407. & Ludouici 12. Nihilominus post multas opiniones iam pridem clanculum sparsas de Paparum Imperio & superioritate in Temporalia Principum Christianorum, tandem Bonifacius 8. circa ann. 1302 pronuntiauit & euulgauit istum Extrauagantem Decretalem, *Subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. b*

Ad huius tubæ clangorem excitati & animati Paparum adulatores, nullum non lapidem mouerunt, vt hanc opinionem tuerentur. Primus qui velis expansis de hac materia tractauit fuit Augustinus de Ancona, triginta circiter annos post illam Extrauagantem, qui tractans de potestate Papæ Temporali, his verbis vtitur, *Papa consecratur vt Sacerdos coronatur vt Rex, & festum coronationis eius Regibus omnibus nuntiat.* Et alio loco, *c In Papa est potentia super omnia bona Ecclesiastica, & corporalia.* Et paulo post, *Bona corporalia ad spiritualia tanquam organa & instrumenta referuntur. d* & multa istiusmodi ex quibus infert Papam esse absolute Principem in Spiritualib. & Temporalibus: reliquos vero Principes ipsius tantum feudatarios, organa & instrumenta voluntatis ipsius. Ipsum secutus est Iacobus de Terrano, qui quinquagesimo post anno, Vrbani sexti tempore, circa annum 1384. librum scripsit hoc titulo, *Monarchialis tractatus*, cuius scopus est docere Papam esse vniuersi Monarcham temporalem, etiam ausus ad hanc propositionem tuendam abuti S. Ioannis hoc loco, *e Et ego si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum*, quem sic exponit, *f* Omnia regna & imperia mundi recuperabo, & Principibus auferam. Quæ fanatica interpretatio contra ipsa contextus verba fabricata est, & contra sensum communem glossæ interlinearis, & Doctorum omnium, qui hunc locum ad Gentium vocationẽ retulerunt, & nominatim Ambros. his verbis, *g Nonne vniuersorum videtur promissa conuersio?* Tanto applausu duorum isturum opinio fuit excepta, vt nullus sit eorum qui de Paparum Constitutionibus scripserint, qui non eam admiserint, immo & amplificarint. Alius enim Papam Imperatore maiorem esse dicit: Alius vero, *h Cælestis & terreni Imperii iura ipsi esse commissa. h* Panormitanus asserit Papam habere omnem potestatem in Temporalibus? *i* ille ipse & Felinus aiunt. *Principem qui neminem recognoscit superiorem, posse coram Papa conueniri, & ipsum teneri respondere k.* En hac ipsorum sententia Papam factum iudicem omnium Principum superiorum, & Reges necessitate coactos suos status deserere, vt Romæ iudicio se sistant responsuri: quod si neglexerint, periclitantur de vita & bonis, quippe in quos fulmina Papa iaculatur, vi adigit & pœnis afficit. Sunt n. ista Iurisdictionis Papalis effecta: *l* quatenum Papæ tribuant, etiam eidem necessaria consequentia tribuunt quicquid ab ea dependet, *& omnia sine quibus expediri nequit. m* Ac ne quis aduersus istiusmodi iura temporis vteretur exceptione, adiecerunt, posse quidem præscribi, *Ne quis subsit Imperatori, aliisue Principibus sed non Papa. n* Et quidem eo vsque temeritatis duo ex ipsis progressi sunt, vt Christianissimum Regem nostrũ Galliæ nominatim designarint, quum dixit vnus ex ipsis, *Rex Franciæ subest Papæ, alias esset res monstruosa. o* alter vero; *Papa nuntiat festum coronationis suæ regibus omnibus tanquam vasallis, suæque iudiciariæ potestati subiectis, quos potest instituere, & destituere, etiã Regem Francorum. p* Atq; ex falsis istis suppositionibus consequentiam intulerunt, Papam ex suprema potestate & absoluta in spiritualia & tẽporalia, posse Imperatores & Reges destituere & exauctorare. *q* Deniq; aiũt, *Vicus Dei agit in terris, & nec Deus est nec homo. r* ac sane negari nõ põt quin hæc pronuntiata ꝑ veris

a cap. Duo sunt 96. distinct.
b Extrauag. Vnam sanctam. de maior. & obed.
c August. de Ancona tract. de potest Eccl q. 7
d Id q. 8.
e Ioan. 12.
f Iac. de Ter. in l. monar. tractat.
g Ambros. de Voca. Gent. li. 1. c. 3.
h Glos. in canonis. ext. de Iud.
h Glos in Cã. quoniam in Verb. discreuit. 10. dist.
i d. Cap. nouit n. 11. de iudi.
k Felin. dic. c. nouit. n. 4. de iudic.
l L. 7 lep Sermo d. leg. 6. fin
m l. Cui Iurisdictio D. de Iurisd. omn. iud.
n Card in Cle præsent. q. 7. de cons.
o Arch. tract. de hæresi fol. 15.
p Felinus de Eccles potest qu. 46.
q Parnorm. c. sitat de iud & ca per venerab. ext. qui fil. sint legit.
r Glos. in proœm. Clem. in verb. Papa.

clesia autem est in Republica, non Respublica in Ecclesia, ioquit Opratus Mileuitanus, eximius Africæ Episcopus. Quare ooo licet Episcopis, qui ooo aliam quam Ecclesiasticorum personam sustinent, quidpiam decernere, qood Dominuorum Temporalium damno vertat. qoorum concessione in ipsorum ditionibus congregantur, aut inde io alias, habendi Concilii gratia, proficiscontur. Ea modo quæ fidei, religionis & doctrinæ sunt, licet eis deceroere. Nec enim vel externam Ecclesiarum politiam in legum & ordinatiooom prooincialium præiudicium attingere quenot, quibus in locis per regias constitutiooes, vt io boc regno, sanciontur: vode hoc vere de Regibus (speciatim de oostro) prædicare possumus, æqua illos cum Imperatore Coostantioo authoritate potiri, (qui vt refert temporis illius Ecclesiastica bistoria) sese Episcopum exteriorum appellare solebat: cum nulli Episcoporum potestati aut foto, suæ ditionis aut actionom ratione, sed Deo soli subiitiatur: quod adeo verum est, vt è Principum & potissimorum Prælatorum ordine, Gregorius Tusooensis Archiepiscopus, quinto historiæ Francorum bisce verbis referat, quæ de se & coepiscopis regi Chilperico dixerat, *Si quis de nobis, ò Rex, iustitia tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest. Si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi: sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronunciauit esse iustitiam?* (Ille nimitom Domious noster IESVS CHRISTVS, qui apud Hierem. Prophet. c. 23. prædictus fuit DOMINVS IOSADACH IVSTVS NOSTER, AVT IVSTIFICATIO NOSTRA. Et apud Zachariam 9. REX IVSTVS ET SERVATOR IPSE. Ac sane oon nisi Deo peccant reges: ideo Dauid Psalmo 50. (quem vocauit Irenæus Psalmum Exomologeseos) *Tibi soli peccaui*, inquit, Deum alloquens, cui rationem soli suorum peccatorum reddere teoentor Reges, humano foro haudquaquam obnoxii, qood plorimi in huoc locum notauerunt interpretes, videlicet è Græcis *a* D. Cyrillus, *b* Dydimus, *c* Nicephorus. E Latinis *d* Arnobius, *e* D. Ambrosius, *f* Antonius Agellius Episcopus Acetoensis. Nec aliter, qui iudicium de regibos Pontifici tribuunt, hæc verba interpretari queout. Studentes enim Pootifici, quam sibi Deus in Reges vindicat potestatem tribuere, dioino verbo adderent, quod sanctis legibus prohibetur. Nec attendunt qood Gregorius XIII. Pontifex scite Oratori Hispano dixit, spiritualem à temporali potestate secernens, *Si altera alterius limites transilit semetipsa perimit*. Ac sane verissimum hocio negotio Patrum Hebræorum effatum, *Quisquis addit, detrahit*. Quapropter libri oosti, qui supra Regem in temporalibus Pontificem collocant, ferendi non sunt, atqoe oimis multi, licenter nimis in Principes & Respublicas stilum strioguot, quod non Principes modo lædere, sed & bonos subditos debet offendere, vt nuper Officiales regis Hispaniarum, in Cardinalis Baronii scripta *de Monarchia Siciliæ*, grauiter inuecti sont, qoo magnum sibi per totom terrarum orbem laudis argumentum parauerunt. Nos vero Regi nostro Christianissimo vitæ, famæ, ditionisq; temporalis ratione, minos non debemus: imo si veritatis axiomata tueri, Ecclesiæ Gallicanæ libertatem conseruate semper sanctum, iustum & bonestum est, atq; animum amoremq; Francorum erga suum Regem & Regnom decet, hoc certe potissimum *sub rege annis minore felicissimis Reginæ parentis auspiciis regnante, debemus*. Sic à Deo per os Apostolorum DD. Petri & Pauli iubemur, qoorum alter D. Petrus nimirum prima epistola c. 2. *Subiecti* (*g* inqoit) *estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis, imprudentium hominum ignorantiam, quasi liberi, & non quasi velamen habentes, sed sicut serui Dei. Omnes honorate. fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.* Alter D. Paulos *h* scilicet eximie Romanorum XIII. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Non est enim potestas nisi à* DEO. *Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; qui resistit potestati*, DEI *ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere Potestatem, bonum fac; & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat:* DEI *enim minister est vindex in iram ei qui malum agit. Idèoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes.* Reddite ergo omnibus debita, *cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Huc agimor ab ἡγεμονικῷ Spiritu, qui Dei Spiritus est: Et inquit Paulus, *i Vbi Spiritus, ibi libertas.* qua ratione non læditur Pootifex, nec id ioiquo fe-

a D. Cyrillus laudatas libro qui inscribitur. *Aurea in 50. Davidicos Psalmos catena, interprete Daniele Barbaro Electo Patriarcha Aquileiensi. Venetiis apud Georgium de Caballas, anno 1569. pagina* 531. & 532. ita in hæc verba Psalmi 50. Tibi soli &c. *Impius est qui regi dicit*, Impie agis. *Alicubi Scriptura dicit. Quoniam igitur nullus erat qui me cum peccarem possit redarguere, & in peccantes corrigere.*

b Dydimus eodem libro, Patriarcha Aquileiensi interprete, citatus, sic de Rege Dauide loquitur: *Quatenus rex non subiiciebatur humanæ legi, inde nulli ex legum conditoribus peccauit, neque coram vllo ex illis hoc malum fecit. Quoniam vero ad regiam dignitatem illius accessit vt pius esse vellet, diuinæ legi subiectus fuit, & propterea soli Deo peccauit, & malum fecit coram eo, cum ad Vriæ vxorem ingressus est.*

c Nicephorus eodem libro citatus Patriarcha Aquileiensi interprete, *Rex cum ego sim, tibiq; soli subiectus, tibi soli peccaui Aliosque Vriam iniuria affeci. Sed peccatum ipsum ad te transiit, quoniam leges tuas transgressus sum.*

d Arnobii verba ad hæc Psalmi 50. Tibi soli peccaui. *Omnis* (ioquit) *qui sub iudicio viuit, cum deliquerit peccat Deo, peccat & legibus mundi. Hic autem rex sub nullo alio nisi sub solo Deo agens, ipsum solum super potestatem suam metuens, Deo soli peccauit.*

e D. Ambrosius in eundem Psalmum ad hæc verba, Tibi soli, de rege Dauide loquens, *Rex vtiq; erat: nullis ipse legib. tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculis delictorum. Neq; enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperii potestate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius, sed quamuis tutus imperio, deuotione tamen ac fide erat Deo subditus, & legis eius subiectum se esse cognoscens, peccatum suum negare non poterat, sed quasi reus cum amaritudine fatebatur.*

f Antonius Agellius ex congregatione clericorum regularium Episcopus Acernensis io libro qui inscriptus est, *Commentarii in in Psalmos & diuini Opificii Cantica, impressi Romæ ex Typographia Vaticana anno 1606. pag. 236. ad Psalm. 50. Tibi soli peccaui. Qui cum regia dignitate ac potestate cæteris præstem omnibus, & nulli factorum meorum rationem reddere debeam, tuo solius iudicio subiectus sum, te q; solum iudicem habeo. Itaq; si quid peccaui,* Tibi soli peccaui, *tuus reus sum à te solo aut damnandus aut absoluendus.* *g* 1. *D. Petr. epist. c.* 2. *h D. Paul. Rom.* 13 *i D. Paulus* 2. *Corinth. c.* 3. *v.* 7.

ret animo, quinimo rite edocta S.S. Regiæ dignitatis sartæ tectæ conseruationem, in suum redundare bonum agnoscet: Regis præcipue nostri Christianissimi, cuius ratione id semper studiosissime assertum est, quod Philippus Pulcher Franciæ & Nauarræ Rex, audacibus Bonifacii VIII. vocibus respondens, (qui eum subditum suum ausus erat cum in spiritualibus tum in temporalibus nuncupare) dixit: quodq; nobilis & generosus Petrus à Cuneriis Regis Philippi Valesii, qui Catholicus cognominatus est, aduocatus scripsit, ac post eum Joannes Gallus, Regis Caroli VI. aduocatus, celeberrimo actu in Curia Parlamenti XX. Martii, anno 1392. asseruit. Videlicet, NVLLVM IN TEMPORALIBVS A REGE FRANCIÆ IN TERRA SVPERIOREM RECOGNOSCI. REGII vero COGNITORES, quorum hodie pro muneris ratione, dicendi sunt partes, cum nouissimos Reges nostros Henricum III. & Henricum IV. homines inhumanissimi, monstra potius detestanda falsis impulsa dogmatibus: alterum Augusti mense anno 1589. alterum Maio nouissimo (anni circiter viginti *ab illius ad huius effluxere cædem*) nefario parricidio sustulerint. Cumque ipsi fidem & deuotissimum obsequium tantorum Regum memoriæ, & successoris authoritati debeant, suo se defuturos officio crederent, nisi in *Axiomata & Propositiones quæ vitam, dignitatem, maiestatemque Regis & Reginæ matris Regentis concernunt*, qualibet oborta causa acriter inueherentur. Et Curiæ huius augustissimæ Senatores nullo pacto excusandi, quin grauiter non hodie modo, sed & olim, *vbi Rex maiorem ætatem attigerit*, culpandi forent, si nulla iustæ querelæ habita ratione, adeo perniciosa scripta, à censura immunia, dimitterentur. Cum itaque verendum sit ne silentium imputetur crimini, & Deus in nos Spiritum soporis effundat, cuius mentio Esa. XXIX. aut ne à Domino nobis dicatur, quod D. Ioannem Angelo seu Pastori Ephesinæ Ecclesiæ scribere iubet, Apocalypseos ca. 2. *Prima opera fac. sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum de loco suo*: Ne hæc eueniant, sed vt iustitiæ Regiæ splendor lumenq; perpetuum hoc loco fulgeat: ante pro REGIÆ COGNITIONIS munere, peruigilaturos se, neq; donec aura fruentur, sibi lucernam suam extingui passuros, quinimo ne falsa dogmata nouorum librorum, cù Bellarmini tum aliorum, ad supremarum Potestatum à Deo ordinatarum euersionem spectantium, in hoc regno pedem figant, omni se ope & studio prohibituros, sancte protestati, Senatum rogant vt ea quoq; quæ suæ, sub regia potestate, sunt authoritatis, conferat. Etenim hoc pacto omnes veri Catholici tam in Gallia, quam in cæteris Christianitatis partibus, in pura Domini nostri Iesu Christi, Apostolorum, Patrum, quinetipsorum Pontificum, doctrina confirmabuntur, ac eorum sequentur exemplum. Deniq; quiuis agnita & approbata veritate duo hæc axiomata non inficiabitur. 1. *Potestatem Pontificis locum præterquã in spiritualibus, hoc in regno maxime, non habere, nec ad temporalia directe aut indirecte extendi.* II. *Regem solum, omnium subditorum, tam Laicorum quam Ecclesiasticorum, in suis ditionibus supremum esse Dominũ.*

Apocal. 2.

Prius quod attinet: Quandoquidem Dominus noster Iesus Christus tam suo quam D. Petri nomine censum Cæsari debitum persoluit: & à Pilato rogatus num esset Rex Iudæorum, respondit quod Euangelii D. Ioh. c. 18. refertur, *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum, Ministri mei vtiq; decertarent vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc*, Papam, cum Iesu Christi sit vicarius, alio gaudere titulo non posse certissimum est. *Non est enim seruus maior Domino suo*, vt idem Euangelista à Domino prolatum c. 13. recitat, qui cum miraculi à se patrati conscios, vt ipsum regem crearent conuenire animaduerteret. vt eiusdem D. Iohan. ca. 6. scribitur, solus in montem secessit. *Et si ipse Dominus potestatem quoq; nullam ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est, si regem demiq; fieri conscius regni sui refugit, plenissime dedit formam suis dirigendo omni fastidio & suggestu tam dignitatis quam potestatis. Quis enim magis his vsus fuisset quam Dei filius.* Nemo sane, vt optime Tertullianus aduersus mundi Idololatras, scribens. Hoc si, vt par est, teneatur, vbiuis locorum quæ vera & legitima sit Pontificia potestas ex ea, quam feret Senatus, iuxta veritatis normam, sententia, licebit agnoscere: Alterum quoq; firmiter tenebitur axioma, *Omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse*, hoc est, vt ait D. Chrysostomus in c. 13. Epistol. ad Romanos hæc verba exponens, *Omnis anima*, inquit, *siue Apostoli, siue Monachi, aut alterius cuiuspiam.* Quod itidem Gregorius I. Pontifex Epist. 26. lib. 2. sui Registri docuit. Nam cum ad Imperatorem Mauritium Augustum de Imperatoria Constitutione scriberet, quæ hæc complectebatur, *Vt quisquis publicis administrationibus foret implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceret.* Vbi plurimum hanc Constitutionem commendauit, Imperatores *serenissimos Dominos*, & se indignum pietatis Imperatoriæ seruum vocans, vnum se hic mirari legi adiectum, *Vt ei in Monasterio conuerti non liceret, nec vlli qui in manu signatus esset.* Quod submisse bonus ille Pontifex commonefaciendi formula dixit, neque verbis eum redolentibus qui se Imperatoribus superiorem iactet, siue vt Pontifex est, siue vt Episcopus, aut *vt seruus Reipublicæ, sed iure priuato, quia* (inquit) *serenissime Domine, ex illo iam tempore* Dominus *meus fuisti, quando adhuc* Dominus *omnium non eras.* Et infra, *Ego vero hæc* Dominis *meis loquens; quid sum nisi puluis & terra? Sed tamen quia contra auctorem omnium DEVM hanc intendere Constitutionem sentio*, Dominis *tacere non possum: Ad hoc enim potestas* Dominorum *meorum pietati cælitus data est super omnes homines, vt qui bona appetunt, adiuuentur*, &c. Dein ob oculos Imperatori ipsius nostrique DOMINVM IESVM CHRISTVM vt Regem regum loquentem introducit. *Ad hæc* (inquit) *ecce per me seruum vltimum suum & vestrum respondebit*

D. Ioh. c. 18.

Tertullianus in libro de Idololatria.

Gregor. I. Epist. 26.

CHRI-

CHRISTVS dicens, *Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solum hoc, sed etiam Patrem Imperatorum feci: Ego Sacerdotes meos tua manus commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis?* Responde ergo, piissime Domine, *quid venienti & hæc dicenti responsurus es in Iudicio* Domino tuo? Et infra, *Ego quidem iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa Omnipotenti DEO minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam* Serenissimis Dominis *nuncians. Vtrobiq; ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam probui, & pro DEO quod sensi minime tacui.*

O præclaram sanctoq; Pontifice dignam professionem! qui hoc pacto exemplum secutus & mandatum DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI executus est, qui edixit D. Matthæi 22. D. Marci 22. D. Lucæ 10. *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris: & quæ sunt Dei, Deo.* Equidem Sancti Pontifices Imperatores & Reges spirituali cohortatione de salute commonefaciendi, ius & potestatem habuere: verum hæc potestas temporali superior non est. Inquit enim Dominus discipulis & Apostolis Matthæi 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; virgam in manibus.* Quod optime exposuit D. Hilarius in hæc verba dicens, *Neq; virgam in manibus, id est potestatis externæ iure non indigi, habentes virgam de radice Iesse: Nam quæ alia fuerit, non erit Christi.* Virgam à D. Hilario descriptam nemo, qui veritatis amore ducatur, aliam esse dicet à spirituali & Apostolica quam alibi (in Psalm. 2.) esse verbum Euangelii dixit. *Radix* autem *Iesse* æque spiritualis est vt ab Esaia Propheta c. 11. & D. Paulo Roman. 15. discimus. Atque vt recte DOMINI NOSTRI verba in hanc sententiam intelligantur, minime iuxta carnem vt solebant miselli Ebionitæ, sed iuxta sensum Spiritus, veluti cum de duabus tunicis agitur, accipienda sunt. Ita magnus ille Hilarius ad hæc verba: *Non duas tunicas, quod sufficiat nobis semel Christus indutus, ne per prauitatem intelligentia nostra altera deinceps vel hæreseos vel legis veste induamur.* Idcirco à duabus tunicis cauendum est. Etenim si pro pura simplicitatis tunica aliam induamus, in errorem incidemus, & hæretici Iudæ Galilæi (de quo Actuum Apostolicorum cap. 5.) habitu amiciemur, qui inter cætera, hoc quoq; tanquam probabile dogma proponebat; *Nullum præter Deum, Domini appellatione insigniendum*, vt ita se debito Cæsari obsequio eximeret. *Et eos qui decimam Templo persoluerent, ad vectigal Imperatori pendendum non teneri*, quæ detestanda hæresis, cum, paulo ante Iesu Christi aduentum, Iudæis horrorem incusserit, multo potius apud Christianos execrabilis censeri debet. Denique, quæ spiritualem potestatem cum Temporali miscet, & confundit, praua est doctrina. Alius enim est *verbi gladius*, alius *Principum & potestatum Temporalium.* Quamobrem D. Ambrosius præfatione in D. Lucam Euangelistam; *Ad diuina* (inquit) *conuersi acuamus ingenium, exerceamus affectum, vel gladium illum quem vendita veste emi Dominus iubet, paratum semper & lucidum tanquam in vagina mentis reconditum habere possimus. Arma enim spiritualia & fortia Deo ad destruendas munitiones militibus Christi debent semper esse præsentia (ex doctrina Pauli Apostoli 2. ad Corinthios capit. 10.) ne cum venerit Dux cœlestis militiæ situ nostrorum offensus armorum à legionum nos suarum societate secernat.* Quod Doctor idem in hæc D. Lucæ Euangelistæ verba, confirmat: *Nunc qui habet sacculum &c. vendat tunicam suam; & emat sibi gladium, &c.* O DOMINE (inquit) *cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? Nisi forte vt sit parata defensio, non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse? Lex talionem referire non vetat: & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti*, SAT EST, *dicis, quasi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in* LEGE *æquitatis eruditio, in* EVANGELIO *bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur: sed non iniquus* DOMINVS, *qui cum se posset vlcisci, maluit immolari. Est enim gladius spiritualis, vt vendas patrimonium, emas* VERBVM, *quo nuda mentis penetralia vestiuntur.* Est etiam gladius passionis; *vt exuas corpus, & immolatæ carnis exuuiis emas tibi sacræ coronam martyrii: quod ex benedictionibus* DOMINICIS *colligere potes, qui summam omnium coronarum, si quis persecutionem patiatur pro iustitia prædicauit. Denique vt scias quia de passione loquutus est ne turbaret discipulorum animos, de se exemplum protulit dicens:* QVONIAM HOC QVOD SCRIPTVM EST, OPORTET IMPLERI DE ME, QVOD ET CVM INIVSTIS DEPVTATVS EST. Vnde patet verba Domini, cum gladium iubet emere, parabolæ ritu, non ad literam, interpretanda esse. Hanc puram veramq; doctrinam hauserat D. Ambrosius è Domini nostri documentis, præceptis Apostolicis, & Doctorum Orientalium scriptis. Præ cæteris ex Athanasii libro cui titulus; a *Dicta & interpretationes Parabolarum Sancti Euangelii*, vbi sequentia quæstione 33. *Quomodo hoc intelligendum*, qui tunicam habet vendat ipsam, & emat sibi gladium? *Hoc dixit Dominus*, (inquit D. Athanasius) *suæ proditionem & Iudæorum aduentum induare volens quem neque plane reticuit, ne repentino turbarentur aduentu, neque plene patefecit, ne qua formidine occuparentur.* Quæ expositio notatu digna est, vt & illa D. Basilii, à quo plurima D. Ambrosius didicerat, & cuius multa de Græco in Latinum sermonem scripta reddidit: Doctus hic Orientalis Ecclesiæ Magister, quem ea tanquam sæculi sui lumen obseruauit, & ornamenta Ecclesiæ Christianæ, vt tenera Basilii nomine dignum inter pios & eruditos Christianos deinceps mirata sunt, Regula 251. ἐν ἐπιτομῇ ad interrogationem hisce verbis factam. b *Quomodo vetat Dominus* (Lucæ 10.) *Sacculum & peram in via ferre; alias vero* (XXII. eiusdem Euangelistæ) *qui habet*, inquit, *sacculum tollat, similiter & peram: & qui non habet vendat tunicam suam & emat gladium? Respondet: hoc ipse Dominus dilucidat, quum ait,*

a D. Athanasius libro cuius inscriptio ῥήσεις καὶ ἑρμηνεῖαι παραβολῶν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου. Ἐρώτησις λγ. Πῶς νοητέον ὅτι ὁ ἔχων ἱμάτιον πωλησάτω αὐτὸ καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν. Ἀπόκρισις. Τοῦτ' εἶπεν ὁ Κύριος [illegible]

b Ἐρώτησις σνα.

 quoniam

quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus sum. Continuo enim postquam, *Prophetia de gladio impleta est.* Petro dicit, *Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt*; ita vt præcipientis non sint hæc; *sed nunc qui habet sacculum tollat, vel tollet* (ita enim multa habent exemplaria.) *Sed prædicentis Domini fore vt Apostoli donis & lege Domini obliuioni traditis, gladium auderent vsurpare*; *Quod vero imperatiuo loquendi modo Prophetiis loco sæpius vtatur scriptura notum est, cuiusmodi illud, fiant filii eius orphani, & diabolus stet à dextris eius, & quæcunq; talia.* Ad præstantis huius sane; interpretationis sensum quadrat quod Iohannes Chrysostomus Constantinopolitanus Archiepiscopus, cum Imperatores essent Christiani, scripsit in Homilia ad verba D. Pauli cap. 16. epist. ad Romanos, *Salutate Priscam & Aquilam*, vbi explicat verba Domini; *Qui habet marsupium tollat & peram, & qui non habet, vendat vestem suam, & emat gladium*, ita dicit, *Quidnam hoc? Armatne Discipulos qui dicit, Si quis te percusserit in dexteram maxillam, obuerte ei & alteram: Qui præcepit vt benedicamus his qui nos conuitiis lacessunt, Feramus inuadentes, Oremus pro persequentibus, nunc armat? armatq; vno tantum gladio? Et quomodo hæc rationi consona sunt? Nam si omnino armis opus erat, non solo gladio, sed & scuto, galea & cruralibus armare oportebat. Et profecto si humano more & dispensare, & agere voluisset, ridiculum erat hoc præceptum. Quandoquidem licet sexaginta id genus arma possedissent, aduersus insidias & impetus populorum, tyrannorum, ciuitatum, gentium, quomodo potentiores habiti fuissent vndecim? Non potuissent præ timore spectare faciem exercituum, & audire vocem hinnientium equorum viri non nisi in stagnis & fluminibus & lembis versati. Quare ergo hoc dicit? Iudæorum insidias indicare volebat, idq; manifeste, & non per ænigmata, ne secum iterum confunderentur.* Dein adiicit: *Non igitur sentimus quod talibus verbis iusserit haberi gladios, sed quod per gladios insinuarit imminere insidias, & passurum se à Iudæis quæ & passus est. Atq; hoc ex sequentibus manifestum est. Nam vt dixit emendum gladium, mox adiecit*, Quia oportet adimpleri ea quæ de me sunt scripta: Quod cum iniquis reputatus sum. (*Esaiæ 53.*) *Discipulis autem dicentibus*, Hic sunt duo gladii. *& non intelligentibus dictum, ait*, Satis est: *Tametsi non suffecissent vel duo, vel tres, vel centum, si humano auxilio eos vti voluisset. Quod si noluit eos humano præsidio vti, sunt vtiq; & hi duo superflui. Proinde hic doctrinam suam non exposuit, id quod vbiq; facere videtur, vt quoties dicta minus intelligunt Discipuli, euentui rerum dictarum intelligentiam explanandam relinquens prætereat.* Attendite hanc expositionem, & cum ea quam Bonifacius VIII. multis post annis. Extrauag. *Vnam sanctam*. tit. *de maiestate & obedientia*, tradidit, conferte, vbi verba D. Lucæ XXII. citans *ex dictis Apostolorum, Ecce duo gladii hic, In Ecclesia scilicet* (inquit) *cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus* nimis esse, sed satis: *Certe* (inquiens ille Bonifacius) *qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis*: Conuerte gladium tuum in vaginam. *Vterq; ergo est in potestate Ecclesiæ spiritualis scilicet & materialis.* Hanc Bonifacii VIII. glossam ab interpretatione D. D. D. Athanasii, Basilii, Ambrosii, & D. Chrysostomi alienam esse comperieris. Imo menti quam Dominus enunciauit, è diametro repugnat: deniq; literæ, carnis & sanguinis est, non spiritus: ideo à Clemente V. Extrauag. *Meruit*, reuocata est: vbi declarat quod per definitionem Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris sui extrauag. a *Vnam sanctam*, comprehensam, *nullum regi & regno Franciæ vellet vel intenderet præiudicium generari. Nec quod per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibata amplius Ecclesiæ forent subiecti Romanæ quam antea existebant. Sed intelligerentur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam: tam quantum ad Ecclesiam, quam etiam ad Regem, Regnum, & Regnicolas superius nominatos.* In quo S. Pontifex Clemens V. quam debuit de regno & temporali dignitate Philippi Pulchri declarationem edidit. Quod & alia Bulla Pictauii 2. Idus August. data 3. Pontificatus anno professus est, qua Archiepiscopum Narbonensem, Baiocensem, Minateusem & Lemouicensem Episcopos cum Notario suo, Tridentinum & Magalonensem Archidiaconos, & præfectum Aquensem delegauerat ad iudicium de Templariis constituendum, circa multa, institutæ rumore publico aduersus eos querelæ, capita: vbi clausula hæc notanda adiicitur, *Charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris, cui fuerant eadem facinora nunciata, non typo auaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil sibi vindicare vel appropriare intendat, imo ea nobis & Ecclesiæ per deputandos à nobis administranda, gubernanda, conseruanda, & custodienda liberaliter ac deuote in regno suo dimisit, manum suam exinde totaliter amouendo.* Hinc sequitur nihil in Templariorum, qui in ditione Regis Christianissimi degebant, personas & bona quicquam ante ausurum fuisse Pontificem, quam amota manu, ipse Dominus Rex quæstionem exercendi & iudicium constituendi, potestatem fecisset, prout in Bulla continetur. Qua in causa quod Rex Illustrissimus præstitit, nihil de regia in subditos, qui sunt eiusdem cum Templariis qualitatis aut conditionis, vel alterius, autoritate, detrahit, imo hac dimissione Regi supremum ius, vt immotum est, ita inconcussum assertum & seruatum est. Quod adeo certum est, vt omnes sani sic senserint, præ aliis bonæ notæ Author quidam in libro inscripto *Somnium Viridarii*, Regem Carolum V. Sapientis insignitum

Πῶς ποτὲ μὲν ἀπαγορεύει ὁ Κύριος βαστάζειν βαλάντιον καὶ πήραν εἰς ὁδόν. Ποτὲ δὲ λέγει, ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον ἀράτω ὁμοίως καὶ πήραν, καὶ ὁ μὴ ἔχων πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν. Ἀπόκρισις. Τοῦτο σοφίζει ὁ αὐτὸς Κύριος, εἰπὼν, ὅτι τοῦτο τὸ [illegible] ἐν ἐμοὶ τὸ, καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη. Αὐτίκα γὰρ μετὰ τὸ πληρωθῆναι τὴν [illegible] τῆς μαχαίρας [illegible] λέγει τῷ Πέτρῳ, ἀπόστρεψον τὴν μάχαιράν σου εἰς τὴν θήκην αὐτῆς. πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται. [illegible] ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον ἀράτω [illegible] (οὕτω γὰρ [illegible] τῶν ἀντιγράφων ἔχει.) ἀλλὰ [illegible] λέγοντος τοῦ Κυρίου ὅτι ἔμελλον οἱ Ἀπόστολοι [illegible] τοῦ νόμου τοῦ Κυρίου καὶ ξίφος [illegible] καὶ ὅτι τῷ [illegible] τοῦ λόγου [illegible] οἷον [illegible] αὐτοῦ [illegible] ἐν δεξιῶν αὐτοῦ καὶ ὅσα τοιαῦτα.

a Clementis V. Extrau. Meruit. titu. de Priuilegiis, verba: *Meruit charissimi filii nostri Philippi Regis Francorum illustris sinceræ affectionis ad nos & Ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt: Meruit insuper Regnicolarum puritas, ac deuotionis synceritas, vt tam regem quam regnum beneuolo fauore prosequamur. Hinc est quod nos regi & regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ octaui prædecessoris nostri, quæ incipit*, Vnam sanctam, *nullum volumus vel intendimus præiudicium, &c.*

cogno-

cognomine alloquens, inquit, *Quod Rex est Dei Vicarius & Iudex in Temporalibus.* Ac re vera supremum illud ius, eiusmodi est vt ad omnes Regnicolas extendatur: ita vt eorum nullus debitæ Regi Christianissimo obedientiæ exemptum se dicere queat. Quod boni Patres, Prælati sancti, & Doctores Catholici & Orthodoxi agnouerunt: è multis ad commonefactionis huius clausulam magni & docti Abbatis D. Bernardi commonefactionem proferre sufficiet, qui Henrico Archiepiscopo Senonensi scribens epist. 42. his verbis concludit: *Si omnis anima potestatibus superioribus subiecta sit* (quod docuit Apostolus in Epist. ad Romanos) *Ergo* (inquit Bernardus) *& vestra. Quis vos excipit ab vniuersitate? Si quis tentat excipere, tendat decipere.* Quo itaque ad germanorum Francorum tutelam, deceptioni præcaueatur, qui verba facit cum se se propter conscientiam & incumbens *Aduocati Regii* munus deuinctum sentiat, vt ingenue sui muneris partes expleat, in medium profert *Cardinalis Bellarmini librum*, viuente Henrico Magno Rege nostro perscriptum, (quo regnante eum nemo publicare ausus esset) vbi è viuis excessit, editum, in quo locos adnotauit, quos videbit Senatus præcipue paginis 37. 38. 57. 58. & 76. 77. quibus accedit quod 160. 115. 116. Simulq; postulationes *scripto exaratas* profert, quibus Regis nomine Regii Triumviri postulant edicto vetari, *Nulli, cuiuscunq; sit qualitatis aut conditionis, accipere, habere, retinere, excudere, aut excudendum dare hunc Bellarmini librum liceat, pœna læsæ in primum caput Maiestatis in delinquentes constituta: omnibus iniungi qui habent aut habituri sunt, sciunt aut scire possunt, quo regni loco extet, vt regiis iudicibus aut subcognitoribus Regiis significent, vt eius exemplaria supprimantur, cum doctrinam dignitati, authoritati, & supremo regum iuri contrariam complectatur, qua subditi ad rebellionem in Regem, ad machinationes in caput eius ditionemque struendas concitantur: eadem constituta pœna prohiberi ne quis eandem doctrinam in scholis aut alibi scribat vel doceat: Arrestum quod ex hisce postulationibus condetur, in præfecturis omnibus Iudicum Regiorum, quorum sententia iudicium in Curiam refortiuntur, legi ac promulgari sub cognitoribus instantibus, qui sedulitatis adhibita Curiam certiorem facere teneantur. Atq; ne olim postulationes aut arrestum inde profectum calumniari quis posit, ad testimonium veritati, quoties opus erit, exhibendum, sibi librum in custodiam tradi postulant.*

Causa ad disquisitionem vocata, Camera Magna Criminali & Edicti conuocatis.

Curia vetuit vetatq; ne quisquam, cuiuspiam sit qualitatis aut conditionis, pœna læsæ maiestatis in delinquentem constituta, accipiat, retineat, communicet, excudat, excudendum tradat, aut vendet dictum librum, qui falsam & execrabilem propositionem continet, quæ ad euersionem potestatum supremarum à Deo constitutarum & ordinatarũ pertinet, subditos acuens ad rebellionem, & Principum imperio subtrahens, ad machinandum in eorum capita ditionesq;, ad turbandam deniq; tranquillitatem, & quietem publicam incitans.

Iubentur ii penes quos erunt dicti libri exemplaria, aut qui habentes norint, confestim suis iudicibus profiteri, vt postulantibus subcognitoribus Regiis in Crimen inquiratur, & in sontes, vt par est, animaduertatur. Eadem pœna constituta, Doctores, Professores, aliosque dictam propositionem tractare, disputare, scribere, docere directe aut indirecte, in scholis, collegiis, aliisque locis prohibet. Decernit dicta Curia hoc Arrestum in præfecturas Iudicum regiorum, quorum sententiæ iudicium huius Curiæ resortiuntur, mitti, legi, promulgari, in acta referri, & iuxta præscriptum modum formamque obseruari. Iubentur Subcognitores Regii sedulo executionem arresti procurare, & Curiam intra mensem sedulitatis suæ certiorem facere. Actum in Parlamento die Ven. 26. Nouemb. 1610.

Signatum VOISIN.

Arresto prolato, REGIS COGNITORIBVS accersitis Curiæ placitum significatum est, & ex S. Cto. dictus Cardinalis Bellarmini liber in manus ipsorum traditus est.

D. Bernardus epist. 42.

Anno D. 1611

BENIGNI MILLETOTI IN DIVIONENSI CVRIA CONSILIARII REGII

TRACTATVS *DE DELICTO COMMVNI, ET casu priuilegiato.*

Vel

De legitima Iudicum Secularium Potestate in personas Ecclesiasticas.



TERMINI isti, *Delicti communis & casus priuilegiati*, tam ordinarii sunt atq; frequentes, quum de Secularium Iudicum potestate in Ecclesiasticas personas agitur, vt in re tam facili tractanda tempus inutiliter insumi videatur. Atq; io animis, non tantum infimæ plebis hominum, verum etiam eorum, qui & scientia & experientia sunt insignes, tam altas radices sensus istorum terminorum egit, vt imprudens, imo temerarius conatus iudicetur, mutare velle quod tam longo consensu omnium constans & fixum habebatur. *a* Ac sane non temere faciendæ mutationes, ne Legis authoritas vilescat, quæ tempore præsertim, & longa consuetudine confirmatur, *b* At quum euidens & certa vtilitas, immo necessitas, animos excitat ad veritatem ex densissimis longi ac diuturni erroris tenebris eruendam, sane sine metu, sine temporis, aut diuturnæ cōsuetudinis respectu, tenemur eam aperte profiteri, quod sæpe istos habeat inimicos infestissimos. Hoc exigit Veritas, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum. *c* Hac adductus ratione statui me facturum operæ precium, si rem istam attentius expensam, & maiore cum otio, in lucem emitterem: minime sane cupidus inanis laudis ac gloriolæ, ex aliqua nouitatis inuentione, quod olim Hypodamus Milesius factitabat, verum vt mihi primum ipsi hac in re satisfacerem. Deinde vt si forte tractatus iste meis elapsus manibus in hominum conspectum veniret, scrupulum eximeret multorum infirmis conscientiis miris artibus iniectum, ad temporarias potestates euertendas: & specie iurisdictionis Ecclesiasticæ, Monarchiæ vniuersalis fundamenta sensim iacienda.

a l. 12. Minima.
b Arist. 1. Polit. c. 6.
c Tertull. lib. de Velandis virginibus.

Scire multum interest, an Princeps, qui auctoritatem obtinet & aliquam iurisdictionem *d* *suo iure*, quatenus Princeps nimirum, id est, à Deo immediate, *an alieno beneficio possideat*. Et quod ad primum attinet, qui potestate sibi Lege diuina concessa vtitur, dici non potest facere quicquā singulare, particulare, aut priuilegiatum, *sed vti iure communi*, vt loquuntur Iurisconsulti. Ad secundum vero, non vtitur nisi Lege speciali, & concesso sibi priuilegio: quo casu proprie loquendo non potest absolute dici Princeps, quandoquidem alterius vtitur beneficio. Atq; ita facile dignoscitur diuersitas Principum, quorum alii à Deo immediate summū imperium habent, vt Imperator, Reges Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, & reliqui: alii vero qui tanquam perpetui vicarii Imperii, summam authoritatem obtinent. Illi enim vere habent summum Imperium: isti vero alterius beneficio exercent iurisdictionem & titulo feudali.

d l. 3. More maio. D. de iurisd.

Distinctionis istius effecta sunt, quod in primo casu Princeps vtēs auctoritate quam à Deo solo habet nullius subiicitur iudicio, neq; eius potestas à quoquam potest circumscribi. In secundo vero, quod vt omnia *e* priuilegia sunt odiosa, Interpretationem etiam ex intentione concedentis admittunt & pro *f* reuocatis habentur quum notabilis est iactura. *g* Sæpe etiam pro temporum diuersitate, & accidentiū varietate, mutantur vel etiam *h* penitus extinguūtur. Ab hac diuersitate, terminorum istorum *Delicti communis & casus priuilegiati* manauit æquiuocatio: quæ sensim in curias & Iurisdictiones seculares irrepsit, eorum incuria aut facilitate, qui eas olim exercebant: sed altas egit radices & fundamentum firmum habuit ex Axiomatibus, quæ iam dudum Roma posuit, & deinceps pertinaciter tutata est, Principes nimirum seculares nullam potestatem in Ecclesiasticas personas habere, quæ contra iure diuino, naturali & humano ipsorum eximuntur potestati. Ac proinde si Magistratus Secularis in ipsos inquirat, per illicitam vsurpationem id fieri.

e Cic 3. de leg. maio. nos in priuatos.
f C. 3. ex mult. extr. de decim.
g Cap. 9 suggest. ex. de decim. c. 21.
h Gl. in d. c. suggest. in verbo priuil.

Hæc axiomata sparsa in Gallia, & in animas iniecta rudioris antiquitatis, quæ potius armorum vi, quam verborum proprietatibus aut scriptorum subtilitate iura suorum Principum tuebatur, facile distinctionem inter *Delictum commune, & casum Priuilegiatum*, vt vulgo sumitur admiserunt. Nam posita & concessa Ecclesiasticorum exemptione ab omni potestate seculari (quod

rẽ (quod esse non potest, vt deinceps videbitur) & vicissim hoc comprobato in Gallia in multis casibus, tam Ciuilibus, quam Capitalibus Iurisdictionem Secularem ab omni æuo suam auctoritatem in istiusmodi personas Ecclesiasticas exercuisse, facillime ista loquendi ratio in vsum venit & irrepsit, & potissimum quidem in Criminibus Ecclesiasticis, quorum alia *Delicta communia* vocabantur, quæ in Curia Ecclesiæ agitabantur: alia vero *Casus priuilegiati*, quorum cognitio ad Iudicem Secularem pertinebat. Neq; tunc animaduersum est ita poni sensim fundamenta exemptionis vniuersalis, ab Ecclesiasticis tam ardenter affectatæ: & ipsis hac ratione concedi, iure communi non subesse ipsos Potestatibus Secularibus, quandoquidem casus de quibus in eos inquirebant, vocabantur *Priuilegiati*, ac proinde ab alterius beneficio prouenicbant, non proprio iure. Hunc igitur errorem detegi tandem tempus postulat, eiusdem ortum, & finem ad quem spectat palam facere, vt fundamento, quo nititur falso demonstrato, & fine pessimo & periculoso in quolibet Statu, tanto lubentius abdicetur error, & agnita veritas admittatur.

Iam ante aliquot secula Papæ cœperunt sibi summum Imperium in Temporalia totius orbis arrogare. Hic appetitus dominandi est ipsis innatus, eo quod ipsorum in Spiritualibus authoritate admissa sine contradictione, & adhibitis nonnunquam seuerioribus in debiliores Principes Ecclesiasticos censuris, quorum status, hoc prætextu alii vicini potentiores inuaserunt, sibi persuaserunt, se de Statibus & Potestatibus posse disponere: ac proinde superiores esse Principibus terrenis, quandoquidem *a* Regna & Imperia tollebant & transferebant. Quamquam error est, & abusus profiteri censutam aut excommunicationis sententiã à quouis Prælato, vel Papa ipso fulminatam posse aut debere validã esse ante Status cuiuslibet priuationem. Quam equidem quæstionem pluribus persequi desisto, quod satis hactenus agitata fuit, & diuina prouidentia satis dilucidata & illustrata, superioribus in Gallia tumultibus, & exemplis Regum Philippi Augusti, circa 1198. annum, Philippi Pulchri 1302. Caroli sexti. 1407. & Ludouici 12. Nihilominus post multas opiniones iam pridem clanculum sparsas de Paparum Imperio & superioritate in Temporalia Principum Christianorum, tandem Bonifacius 8. circa ann. 1302 pronuntiauit & euulgauit istum Extrauagantem Decretalem, *Subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. b*

Ad huius tubæ clangorem excitati & animati Paparum adulatores, nullum non lapidem mouerunt, vt hanc opinionem tuerentur. Primus qui velis expansis de hac materia tractauit fuit Augustinus de Ancona, triginta circiter annos post illam Extrauagantem, qui tractans de potestate Papæ Temporali, his verbis vtitur, *Papa consecratur vt Sacerdos coronatur vt Rex, & festum coronationis eius Regibus omnibus nuntiat.* Et alio loco, *c In Papa est potentia super omnia bona Ecclesiastica, & corporalia.* Et paulo post, *Bona corporalia ad spiritualia tanquam organa & instrumenta referuntur. d* & multa istiusmodi ex quibus infert Papam esse absolute Principem in Spiritualib. & Temporalibus: reliquos vero Principes ipsius tantum feudatarios, organa & instrumenta voluntatis ipsius. Ipsum secutus est Iacobus de Terrano, qui quinquagesimo post anno, Vrbani sexti tempore, circa annum 1384. librum scripsit hoc titulo, *Monarchialis tractatus*, cuius scopus est docere Papam esse vniuersi Monarcham temporalem, etiam ausus ad hanc propositionem tuendam abuti S. Ioannis hoc loco, *e Et ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum,* quem sic exponit, *f* Omnia regna & imperia mundi recuperabo, & Principibus auferam. Quæ fanatica interpretatio contra ipsa contextus verba fabricata est, & contra sensum communem glossæ interlineatis, & Doctorum omnium, qui hunc locum ad Gentium vocationẽ retulerunt, & nominatim Ambros. his verbis, *g Nonne vniuersorum videtur promissa conuersio?* Tanto applausu duorum istorum opinio fuit excepta, vt nullus sit eorum qui de Paparum Constitutionibus scripserint, qui non eam admiserint, immo & amplificarint. Alius enim Papam Imperatore maiorem esse dicit: Alius vero, *h Cœlestis & terreni imperii iura ipsi esse commissa. h* Panormitanus asserit Papam habere omnem potestatem in Temporalibus? *i* Ille ipse & Felinus aiunt. *Principem qui neminem recognoscit superiorem, posse coram Papa conueniri, & ipsum teneri respondere k* En hac ipsorum sententia Papam factum iudicem omnium Principum superiorum, & Reges necessitate coactos suos status deserere, vt Romæ iudicio se sistant responsuri: quod si neglexerint, periclitantur de vita & bonis, quippe in quos fulmina Papa iaculatur, vi adigit & pœnis afficit. Sunt n. ista Iurisdictionis Papalis effecta: *l* quam quum Papæ tribuant, etiam eidem necessaria consequentia tribuunt quicquid ab ea dependet, *& omnia sine quibus expediri nequit. m* Ac ne quis aduersus istiusmodi iura temporis vteretur exceptione, adiecerunt, posse quidem præscribi, *Nè quis subsit Imperatori, aliisue Principibus sed non Papæ. n* Et quidem eo vsque temeritatis duo ex ipsis progressi sunt, vt Christianissimum Regem nostrũ Galliæ nominatim designarint, quum dixit vnus ex ipsis, *Rex Franciæ subest Papæ, alias esset res monstruosa. o* alter vero; *Papa nuntiat festum coronationis suæ regibus omnibus tanquam vasallis, suæque iudiciariæ potestati subiectis, quos potest instituere, & destituere, etiã Regem Francorum. p* Atq; ex falsis istis suppositionibus consequentiam intulerunt, Papam ex suprema potestate & absoluta in spiritualia & tẽporalia, posse Imperatores & Reges destituere & exauctorare. *q* Deniq; aiũt, *vices Dei agit in terris, & nec Deus est nec homo. r* ac sane negari nõ põt quin hæc pronuntiata ꝓ veris

a cap. Duo sunt 96. distinct.
b Extrauag. Vnam sanctam. de maior. & obed.
c August. de Ancona tract. de potest Eccl q. 1
d Id. q. 8.
e Ioan. 12.
f Iac. de Ter. in li. monar. tractat.
g Ambros. de Voca. Gent. li. 1. c. 3.
h Glos. in ca. nouit. ext. de iud.
h Glos in C. quoniam in Verb. discreuit. 10 dist.
i d. Cap. nouit. n. 11. de iudi.
k Felin. dic. c. nouit. n. 4. de iudic.
l l. 7. leg. Gentis d. leg. 6. ff. l. Cui Iurisdictio. D. de Iurisd. omn. iud.
n Card in Clo præsent. q. 7. de conf.
n Arch. tract. de heresi fol. 15.
p Felinus de Eccles. potest qu. 46.
q Parnorit. c. sicut de iuf & ca per venerab. ext. qui fil. sint legit.
r Glos. in procem. Clem. in verb. Papa.

habeantur in Curia Romana, quatenus deprompta sunt ex libris auctoritate Paparum excusis, cum authentica approbatione eorum, quæ in ipsis continentur. Maxime vero quod *Augustinus de Ancona* librum suum Ioanni. Vig. sec. dicauit. *Terranus* erat Vrbini sexti Cubicularius, *Felinus* vero Innocentio octauo sua opuscula dedicauit. Quare quum libri isti omnes probantibus istis Papis & sua auctoritate tuentibus in lucem prodierint, perinde est ac si ipsimet quæ in ipsis continentur scripsissent, quandoquidem illa admittunt & tuentur. *merito omnia nostra facimus, quum omnis ex nobis eis impertiatur authoritas.* Et sane cuilibet notum est, quantam à concilio Tridentino Romani patres in librorum inuestigatione, & in iis eradendis, quæ tollenda esse iudicatum fuerit diligentiam adhibuerint: in quo tam rigidi fuerunt delegati inquisitores; vt nullus quamuis exiguus liber manus ipsorum effugerit, quin aut integram censuram senserit, aut in quibusdam locis correctionem, aut saltem aliquam notam. Et tamē non videas in Catalogo *librorum expurgandorum* vllum notari, in quo istiusmodi axiomatica pronuntiata continentur. Vnde necessario sequitur à Papis illa confirmari, & authoritatem habere, ac pro bonis censeri. Quinimo *Ioannes de Turrecremata* Cardinalis, qui amplissimum *de Ecclesia* tractatum edidit, ea suo suffragio probat, & indiscriminatim omnia confirmat: & ea quidem maxime, quæ sunt de Potestate Ecclesiastica in Principes Seculares, de qua hæc eius sunt ipsissima verba, *d Spiritualis Potestas superemineat Seculari Iurisdictioni, quoniam Potestas Spiritualis iudicat terrenam si eam deuiare contingat.* Contra in augustissima Francorum Monarchia istiusmodi pronuntiatis contradictū est, & vt repugnantia iurisdictioni, & Prærogatiuæ ipsius, authoritati, libertati, & præeminentiæ Coronæ Franciæ reiecta sunt: neq; vnquam Papæ conati sunt illa in Gallia vsurpare, aut tentare quidquam, quod huius Status Temporalibus noxium esset, quin nostri Reges, ex auctoritate trium Regni Ordinum, & maxime ex consensu Ecclesiæ Gallicanæ, cuius sunt Principes, protectores & conseruatores, tam expressam contradictionem opposuerint, vt singulis seculis possessionem retinuerint, nullam aliam agnoscendi Potestatem in temporalibus, quam eam quam à Deo habent immediate. Accedat in testimonium egregium istud Philippi Pulchri factum aduersus Bonifaciū octauum. Nam vt primus ex Papis fuit Bonifacius ille, qui se ausus est profiteri summum dominum Temporalium huius regni, sic etiam primus meritas dedit pœnas. Bonifacius igitur ille facta illa Extrauagante Legatum suum Ioan. Monachum in Galliam mittit fulminaturum, & ad Regē scribit declaratum se ipsum hæreticum esse, nisi se Papæ in temporalibus & spiritualibus subesse agnoscat. Ad quem Philippus rescripsit in hæc verba, *f Sciat magna tua fatuitas nos in temporalibus nullum agnoscere superiorem: cunctos aliter sentientes fatuos dementesq́, iudicamus.* Quamobrem, ex tribus Regni ordinibus Lutetiæ conuocatis, sancitum est eundem obuiam & resistendum conatibus Bonifacii: neq; ei obtemperandum in reseruationib. beneficiorum, sed *g* Ludouici Pragmaticam de electionibus Archiepiscopatuum & Episcopatuum, & collationibus aliorū beneficiorum retinendam & obseruandam. Quod obtinuit. Et quum Bonifacius istam Extrauagantem vellet in Decretalia referri, quo legis authoritatem haberet, Philippus Pulcher contra non contentus impeditam realem illius executionem, & pro nulla habitam, sed abusiuam in regno suo declaratam, à Clemente quinto, qui Bonifacio post Benedictum XI. successerat, declarationem obtinuit, pro meritis Regis & Regni Galliæ erga sacrosanctam sedem Apostolicam reuocata esse Extrauagantem illam, resq; omnes ad eum statum reuocatas quo erant ante, *h Omnia intelliguntur in eodem esse statu, quo erant ante præfinitionem præfatam.* Quare dissimulari non potest, aut ignorantia, aut malitia eorum qui ad probandam Papæ superioritatem in personam Regis, & status Galliæ, etiam audent hodie Extrauagantem illam producere. Ignorantia in eo quod aut non legerunt, aut non intellexerunt caput illud, *Meruit.* Malitia vero si scientes dissimulant, & ex abrogata lege conclusiones eliciunt. Idem Bonifacius VIII. nullam omisit occasionē arrogandi sibi summum Imperium in Principes superiores, in hunc finem insertis multis Decretalibus in sextum librum Decretalium, quæ meræ sunt vsurpationes Iurisdictionis dictorū Principum: veluti quū decernit *i* appellationes à Iudicibus de Tēporalib. Episcoporum ad Archiepiscopū referendas. *k* Iura Regalium nō vsurpanda, aut saltem nullum locum habitura quam pro fructib. beneficiorū Ecclesiasticos cogi non posse ad emancipandum fundum acquisitum: neq; ad persoluendam indemnitatem: & multa istiusmodi, quæ referre tædiosum esset. Quorum omnium absurditas effecit, vt ab omni seculo ratum illud fixumq; fuerit in Gallia, cōpilationem libri sexti Decretalium non admittendam, è quarum textu nulla possint erui argumenta, aut conclusiones inferri, licet Agatho Papa persuadere conatus sit, *m Omnes sedis Apostolicæ sanctiones accipiendas, tanquā ipsius diuini Petri voce firmatas.* Et Papa Nicolaus dixerit, omnes epistolas Decretales Paparum oportere authoritatem & pondus habere *n* etsi in codice Canonū non sint adscriptæ. Caroli V. tēpore ob dissensionem inter Vrbanū VI. & Clementem VII. exortam, vtroq; se Papam dicente, & Ius quod sibi in Francicā Coronā arrogabant, scriptus est liber, cui titulus *Somnium Viridarii*, continens iura, & prærogatiuas potestatis secularis in Gallia. Vbi inter reliqua bene docetur Potestatem Temporalem esse diuisam ab Ecclesiastica, neq; illi subordinatam. Ea tamen est subtilis distinctio, qua innixi dicunt, *saltem per indirectum, & in casu necessitatis posse summum Pontificem*

d Iohan. de Turrecre. li. 1. de Eccl. c. 9.

e d extra. vnam sanctam.

f Monstrel. in Phil. Pul.

g Ord. de S. Loys touchant les prouisions des benefices de l'an. 1228.

h Extra. meruit de priuil. in extr.

i cap. Romanas debet au tem de appel. in 6.

k cap. 13. general. de elect. & elect. potest. in 6.

m cap. si omnes dist. 19

n cap. 1. 19. distinct.

manum

manum imponere regnis & imperiis cum plenissima potestate. Carolus VI. filius ipsius circa annum 1385. animaduertens quantam Papæ pecuniam in Gallia exigebant, huic negotio mature prouidit, & exactores Gallia expulit: ac ne quis extraneus Beneficia possideret prohibuit: immo in suam potestatem redegit fructus eorum, quæ ab extraneis possidebantur. Quibus quum Papæ contradicerent, & censuras fulminassent, & excommunicationes atq; anathemata, tam animose neglecta sunt, quam leuiter publicanda decretum erat: & grauibus pœnis ipsorum nuntii affecti. o Anno 1406. Vniuersitas Parisiensis in Parlamento grauiter conquesta est, de immensitate pecuniarum quam *Petrus de Luna* alias Benedictus XIII. Auenione sedens, exigebat in Gallia, sub Annatarum prætextu, fructuum beneficiorum vacantium, & aliorum emolumentorum: vnde secutum Decretum, quo istiusmodi exactiones prohibitæ sunt, & qui hanc ob causam excommunicati fuerant, absoluti. Decimoquarto post anno secutum aliud Decretum, quo edictum ne Martino V. pareatur in annatibus, reseruationibus, præuentionibus, gratiis expectatiuis, & aliis quæ inducere conabatur. Eugenius IV. Papa Concilium Ferrariæ cogere voluit, quod opponeret Basileensi, quod prædecessor ipsius Martinus V. conuocarat & approbarat, regniq; Gallici Prælatos eo vocare: Rex vero Carolus VII. prohibuit illos eo proficisci: qua in re sine contradictione Regi obtemperarunt. Nam etiam reuera inter istius Coronæ iura, istud fuit ab omni æuo admissum, Ecclesiasticos regno exire non posse, siue ad Generalia Capitula, Conciliorum conuentus, aut alias ob causas, ne ad Papæ quidem electionem, siue Regis expressa licentia & permissione. Quod ius niti potest Decreto Concilii Agathensis, quo edicitur: Qui ad Episcopus à Metropolitano vocatus p *debet ad constitutum diem adesse excepta graui infirmitate corporis, aut præceptione Regia.*

o In stil. Parlam part. 5. titul. 32 § 1.

p Ex Conc. [illegible] Ep[illegible] distinct.

Idem Rex Carolus VII. anno 1438. Regni sui Clerum Biturigas conuocauit, ex cuius consilio Pragmaticam sanctionem instituit, quà præscribebatur omnium beneficiorum directio, & accurate in Gallia est obseruata ac inuiolabiliter per annos octoginta, vsque ad Concordatum inter Leonem decimum, & Franciscum primum: licet in Pii secundi epitaphio, trophæi instar adscriptum sit, q *Pragmaticam in Gallia abrogauit*: quod ille quidem tentauerat, sed tam infelici exitu, vt quum in Galliam Decretum in hunc finem misisset, vniuersitas Parisiensis concluserit, non esse ipsi hac in re obtemperandum: ac proinde interiecta sit appellatio ad futurum Concilium.

q In B[illegible] Diui P[illegible] ad altare sancti Andr. in eius Epitaph.

Historiæ istæ nos docent, quas inimicitias, quamque acres Iulius secundus exercuerit aduersus Ludouicum XII. benefactorem suum, principem sane eximium, qui propter virtutes ratas, Pater populi dictus est, cuius regnum Iulius ille, quantum potuit prædæ exposuit, Principem bonum eo spoliatum promulgauit, & eo vsque progressus est, vt plenas indulgentias eis dederit qui Gallum occiderit. Porro Ludouicus non minus animosus quam pius, non magni fecit Romapa fulmina. Nam iisdem, quibus antea maiores ipsius in talibus rebus vsus remediis r Clerum apud Turones conuocat, in quo re deliberata decretum est, Merito talibus censuris occurri posse, immo teneri officio, quod sint nullæ, abusiuæ, & procedentes non à capite Ecclesiæ, sed à priuato Regis, & status Galliæ inimico. In eodem conuentu fuit agitata quæstio: An propter apertas istius Papæ inimicitias liceret ab ipsius obedientia sese subducere, & decretum, non debere id absolute fieri, metuendum enim esse Clauium contemptum, & Pontificiæ dignitatis, quæ via esset procliuis ad irregularitatem. Sed occurri posse, & quidem ex officio violentiæ Iuliani de Ruuera (hoc enim Iulius iste secundus nomine vocabatur) qui quum contrarium suæ dignitati faceret, contradictio quæ aduersus eum formabatur nihil ei detrahebat, sed correctionem personæ ipsius & prauorum morum spectabat. Boni illi Patres, & Reuerendi Prælati S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani vestigia sectabantur: qui immerito à Papis Adriano secundo & Ioanne octauo excommunicatus, ab incœpto tamen non destitit: neque propterea minus post mortem in Sanctorum catalogum admissus est. t *Quæ iuris erant Ecclesiæ suæ defendere iuramento tenebatur, obstrictus etiam æternæ vitæ dispendio.* Cuicunque enim Deus Superioritatem u *Peccato iniustitiæ*, mortaliter peccat, nisi iura aduersus quemlibet inuolatorem tueatur.

t Bar. annal. tom. 10. sub annum 878.

u Cic. 1. Offic. cap. Fundamentum autem.

Anno 1561. proposita quæstione & defensa à quodam Theologiæ Baccalaureo, nomine Tanquerello, Regem à Religione Catholica se separantem, posse à Papa destitui: Decretum fuit, edictumque, temere & indiscrete fuisse defensam illam propositionem, cuius contraria vera esset, cumque qui eam proposuerat x sese retractaturum, & veniam à Regia Maiestate petiturum. Quæ tamen quæstio in scholis agitabatur (vt aiunt) *doctrinaliter non iuridice.* Paulo post Rex Carolus certior factus de monitorio decreto in Inquisitione Romana, & excommunicatione fulminata in Reginam Nauarræ, matrem defuncti nuper Regis immortalis memoriæ, qua regno Nauarræ destituebatur, apud Pium quartum conquestus est, missis instructionibus ad Loselerium legatum suum, quæ quum hodie sint in vulgus emissæ, non onerabunt hanc chartam: sed ex ipso autographo quilibet vere Gallus, quid sibi expediat animaduertet. Conclusio tamen in hæc verba sequuta est, Deum Sanctitati Papæ dedisse supremam auctoritatem Spiritualem in Ecclesiæ regimine, ad animarum salutem, & commune beneficium omnium Christianorum, non autem ad priuationem & destitutionem Re-

x Arrest. 2. Decemb. 1561. execute le mesme iour par Mr. le President de Tours.

nem Regum, & Statuum ipsorum, & dispositionem bonorum, quæ possident: ac proinde Regia Maiestas protestabatur fore, vt nisi Papa reuocaret suã sententiam, ad remedia recurreret, quibus maiores sui quondam in tali casu fuerant vsi. Ecquis vero Princeps diutius est istiusmodi tempestatibus & fulminibus afflictus, quam Magnus Henricus ille noster nuper defunctus, Henricus ille populi sui deliciæ, Sol Regum, miraculum mundi mirabilium. O vtinam, charissime Princeps, anima tua fœlix, tam gloriosa & placida quiete fruatur in Paradiso, quam fuit regnum tuum in terris tibi laboriosum & onerosum, toti vero Christiano orbi fructuosum & vtile. Principis tamen istius tam persona indignis modis læsa, Dignitas eius contempta, Status denique prædæ fuit expositus crebris fulminationibus Paparum Sixti quinti, & Gregorii decimitertii. Hic, natione Mediolanensis, Romæ duobus Bullarum fulminibus eodem die eiaculatis, prima Mensis Martii, anno 1591. quarum altera, quæ Sixti quinti Bullæ conformis erat, Regiam Maiestatem excommunicatam pronuntiabat, Regnoq; destitutam: alterã vero interdicto subiiciebat Ecclesiasticos, & alios regni proceres, qui ipsius mandatis obtemperarent: Nũtiumq; in Galliam misit quendam Marcilium Landrianum ista fulminaturum, & hoc prætextu rebellionem in Gallorum animos, nimium ad rebellionem eo tempore procliues iniecturum. Qua in re dabit mihi veniam Sanctitas ipsorum, si vis me veritatis cogit dicere, nunquam ipsos venire solitos ad istas imaginarias destitutiones Regnorum nostrorum Regum, nisi quum ipsos animaduertunt premi ab inimico peregrino potente, aut intestino bello laborare, quo prætextu sperant istiusmodi priuationes effectum aliquem sortituras, quas alioquin tanquam nullas & abusiuas non vsurparent Statu tranquillo, quibuscunque tandem persona Principis defectibus laboraret. Hanc occasionem explorarat Gregorius XIV. quo tempore, Gallia tota perturbata rebellionib. videbatur pars Status debilior in Officio se continuisse. Nihilominus adhibita sunt eadem remedia quibus superioribus sæculis maiores in talibus casibus vsi fuerant. Clerus Gallicus Carnutum conuocatus, hæc fulmina excommunicationum nulla esse iudicauit, & contraria iuri & libertatib. Ecclesiæ Gallicanæ, quibus proinde nullum debeatur obsequium. Parlamenta eadem nulla iudicarunt auditis appellationibus ab vsu concessionum, publicationum & fulminationum istarum Bullarum, concessarum aduersus sancta Decreta priuilegia & libertates Ecclesiæ Gallicanæ, auctoritates istius regni. Decretum de hac re datum in Burgundiæ Parlamento, tum sedente Flauiniaci, mihi visum est hoc loco inserere (quod qui nostri sæculi scripserunt historiam eius nullam mentionem fecerint) ex quo appareat totius Regni Parlamenta in hanc pronuntiationem consensisse, vt quæ sit iuris publici ab omni sæculo, & ab omnibus accepta & admissa tanquam indubitabiliter vera, & vniformiter in vsum vocata, quoties se occasio obtulit. En Decretum.

Visis patentibus datis Manta quarta huius mensis Iulii, quibus Rex iubet inquiri in Nuntium à Papa missum, & id quod in hoc regno executus est, ex legibus regni, priuilegiis Ecclesiæ Gallicanæ, & vsu qui istiusmodi casibus omni tempore inualuit. Conclusionibus Procuratoris Regis tam scripto quam verbo in Concilio acceptis, intersecta appellatione tanquam abusus Bullarum, & literarum Monitoriarum Romæ datarum, prima die Martii, & fulminationis, & eiusdem executionis, & eorum quæ consequuta sunt, Curia edixit, & edicit eas literas lectum iri, & publicatum iri, & in tabulas publicas relatum iri: admisit & admittit appellationem tanquam abusus intersectam à Procuratore generali: & de iure respondens dicit, Bene appellatum, male vero, nulliter, & abusiue decretum, concessum, & fulminatum à Papa, & ipsum Nuntio Marcelio Landriano. Irrita fecit, reuocauit, & nulla fecit, quæcunque in vigorem & consequutiam dictarum Bullarum facta fuint, aut in posterum fieri possent, vt nulla & abusiua aduersus sacra Decreta, priuilegia & libertates Ecclesiæ Gallicanæ, auctoritates & præeminentias istius regni. Inhibuit & inhibet omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Prælatibus, Curionibus ac eorum Vicariis, ne eas publicent, aut vllam in suis prædicationibus earum mentionem faciant omnibus mercatoribus, & aliis personis, cuiuscunque conditionis & qualitatis sint, ne eas vendant, distribuant, in vulgus emittant, aut in ædibus habeant, sub pœna criminis læsæ Maiestatis in primo capite, & perturbationis publicæ tranquillitatis. Edicit, vt Bullarum istarum, literarumque Monitoriarum exemplaria in præsentia lacerentur, concerpantur, earumque memoria extinguatur & supprimatur. Inquiratur à delegatis in hanc rem à Curia inquisitoribus, in eos qui Monitorias illas aut euulgarunt, aut in posterum euulgabunt, vel habere, aut si reperti fuerint, vt in eos pro delicti ratione animaduertatur. Nuntius ille vero Landrianus quocunque loca Ditionis huius apprehendi possit, manus in illum iniiciantur, & sub fideli custodia in Palatii carcerem deducatur, ad Procuratoris generalis Conclusiones responsurus. Idcirco iubentur omnes Gubernatores, Prouinciarum Præsides, Principes, Nobiles, Capitanei, Regis satellites, Maiores, Decuriones vrbium & pagorum istius Ditionis, omnes denique Quæsitores Marescallorum dictum Nuntium comprehendere, & manuum iniectionem in ipsum pro viribus adiuuare. Et quod attinet ad generales Procuratoris Regii Conclusiones, huius ditionis subditi omnes prohibentur in posterum Romam mittere ad impetrandas in Curia illa prouisiones Beneficiorum, aut alias expeditiones, sub pœna nullitatis, & mulcta arbitraria: relicta tamen partibus facultate sibi prouidendi coram iudicibus ordinariis, donec aliter prouideatur. Ac Procurator generalis operam dabit vt diligentissime exemplaria literarum & præsentis Decreti in singulas huius ditionis Præfecturas mittantur, vt ibi legantur & publicentur tam diebus ordinariis, quam diebus & locis publicis vrbium, pagorum, villarum huius ditionis, cum tubæ clangore & voce publica, tum etiam in singulis Ecclesiis, ad quarum valuas exemplaria affigantur, ne quis ignorantiam vllam prætexat.

texat. *Datum in Parlamento Flauimaci 29. Iulii 1591.* Omnibus istis exemplis dilucide satis probatum est, quod ante dictum, Reges nostros semper retinuisse Potestatem illam, neminem agnoscendi superiorem in temporalibus regni sui, quam à Deo acceperunt immediate; neque Papas sibi vnqnam ius arrogasse quicquam tentandi, quo superioritas illa minueretur, quocunq; tandem prætextu aut occasione, quin singulis ætatibus ipsorum conatibus occursum sit & formaliter contradictum, & ipsorum acta gesta aut suscepta facta nulla fuerint. Neque tamen propterea Papæ destiterunt ab incepto: sed animaduertentes & experti reipsa se non posse aperte superioritatem in Gallia sibi vendicare, quod Bonifacius octauus aggressus erat, nouam machinam commenti sunt, vt quod non potuerunt in summa, saltem per partes acquirerent. Quamobrem Iurisdictionem suam cœperunt extendere & prorogare in omnibus casibus, in quibus vel minimus prætextus illis oblatus est. Singula porto recensere infinitum foret, & maius otium requireret, quam tractatus huius finis postulat: & tamen necessarium, vt singulis innotescat quomodo sensim potestatibus secularibus destituendis inhient Pontificii. Sed quædam duntaxat maxime prægnantia delibabimus, quæ si Maiores nostri tolerassent profecto temporalis authoritas extincta iaceret. Exempli gratia, quum sustinent Papam in delicto à Principe admisso, posse de feudo cognoscere *a* & delictum quidem nominatim exprimunt, si Princeps periurium admiserit, aut pacem fregerit. Quapropter nullus Pacis Tractatus fiet, cuius sibi Papa supremum iudicium non arroget: ac proinde sub prætextu specioso fractionis illius de feudo litigioso cognitionem suscipiat. Hoc tentauit Innocentius tertius aduersus Philippum, à Deodatum, vel Conquisitorem vocatum, quem impedire voluit quominus feudalem ius suum exerceret in Ducatu Britanniæ & Normaniæ ob delictum admissum a Iohanne sine terra, Rege Angliæ, propter cædem Arthusii, nepotis ex fratre primogenito: sed à Philippo neglectum est, & non obstante Innocentii Decretali Prouincias illas sibi acquisitas occupauit, *b Vasallum teneri iudicio sese sistere coram Domino Feudali licet Ecclesiastico*, *c* Iudicem Ecclesiasticum debere cognoscere de Iure Patronatus laici: *d* & Papam pro omnimoda Potestate quam habet in Beneficia, posse suis prouisionibus derogare iuri Patronorum, laicorum: quod nunquam in Gallia receptum fuit: sed controuersiæ de patronatu laico coram Regiis iudicibus tractantur. *e* Et quod ad appellationes, tanquam abusus quas Patroni laici interiiciunt de Prouisionibus concessis in Curia Romana cum præiudicio iuris ipsorum, eiusmodi prouisiones sine difficultate reuocantur, & nullæ iudicantur Decretis Parlamentorum. Dicunt etiam cognitionem & punitionem sacrilegiorum pertinere ad Iudicē Ecclesiasticum, hac ratione fulti, *f quia Iudices Seculares in exhibenda iustitia personis Ecclesiasticis, sæpe in iudicio sunt remissi*, ideoq; laicos qui iura Ecclesiæ vsurpant pro sacrilegis habendos, & vt sacrilegos ab Ecclesiasticis puniendos. Miserabiles personas, veluti viduas, orphanos & similes posse intentare possessoriam instantiam de feudis, quæ prætendant coram iudice Ecclesiastico: & in exemplum personæ miserabilis adducunt Reginam Angliæ: quod locum in Gallia non habet, in qua pro certo & indubitabili iure habetur possessorium quodlibet, etiā Beneficii, pertinere ad cognitionem Iudicis Regii: quod solus Rex, & ipsius Ministri potestatē & vires habeant subditos suos, tam Ecclesiasticos quam Seculares in iustis ipsorum causis & prætentionibus tuendi & protegendi *e* Iurisiurandi contractui appositi inter personas mere laicas, & de rebus prophanis, deferendam cognitionem Ecclesiæ. *g* Causas pecuniarias Clericorum debere decidi etiam Lutetiæ ex iure Canonico, & non ex legibus Galliæ. Atq; ad augendum Clericorum numerum & qualitatem, eaque ratione magis magisq; prorogandā Ecclesiasticam Iurisdictionem, & Secularem imminuendam declararunt, Habere se pro Clericis etiam coniugatos, modo ne Viduam duxerint, quos tanquam fruentes beneficio Clericatus aiunt non posse conueniri, siue in Ciuilibus, siue criminalibus coram Iudicibus Secularibus, *h* Quæ Decretalis est Bonifacii octaui, quem superius demonstrauimus fuisse acerrimum inuasorem potestatum Temporalium, & quæ nihilominus rata facta est expressis verbis in Concilio Tridentino, aduersus Leges & politiam Gallicam, multorumque Regum Statuta, *i* Philippi nimirum Audacis, *k* qui Clericos coniugatos vult esse tributarios. Franciscus primus *l* Clericos coniugatos, vel non, aliquam artem, aut negotiationem exercentes, sanxit in ius vocandos coram Iurisdictione Seculari. *m* Carolus nonus prohibuit, ne Clerici fruantur vllis priuilegiis, nisi in Subdiaconorum ordinem recepti sint. Innocentius tertius scripsit, laicas personas, litem habentes coram Judice Seculari de re mere prophana posse interiicere appellationem ab illo iudice, ad Episcopum aut ad Curiam Romanam, pro denegata iustitia. *n* Quidam alius eiusdem nominis ait, Si lis inter Ecclesiasticum & Secularem orta sit, cognitionem illius ad Ecclesiasticum pertinere iudicem *o* absque vllo discrimine actoris aut defensoris: quanquam iura communi actor teneatur contestari coram iudice defensoris. Deniq; vt cumulus impleatur attributionum Iurisdictionis, Canones extant in Decretis, quibus edicitur *p* vt quælibet inter Christianos ortæ controuersiæ deferantur Ecclesiæ iudicio, & ab Ecclesiasticis decidantur. Et quanquam Canon iste sub nomine *Palea* describatur, vt eius incertitudo designetur, alio tamen sequenti confirmatur, quo decernitur, *q* vt quæ inter fratres

a cap. 13. Nouit. ext. de iudic.
b c 5 caterum, quia de iudic.
c Quanto eodem.
d Glos in Clem per litt. de prob.
panorm. c. 3. & c. cum dilecti ext. de iu pat.
e Pap. li. 3. tit p. ar. 1. & 2.
f c. 16. Conquest. extr. de for. comp.
g c. cum laicus de for. compet.
h ca 9 Quod Cleric. extr. de for. comp.
i ca. vnic. de Cler. coniug. in 6
k sess. 7. can. 5.
l Ord del' an 1274.
m 1539. art. 4
n Ord. del' an. 1563 & 1566.
o c. 10. licet ex suscepto, ext. de for. compet.
p Can si qua causa 11. q. 1.
q Canon quacunq; 11. q. 1.
r Can. si qui ex fratr.

fratres oriantur discordiæ, indicentur ab Ecclesiasticis. Ac ne quis in voce fratrum hallucinetur, & solos Ecclesiasticos spectare dicatur? Glossa *f* nominatim expressit de Christianis omnibus intelligendam nimirum ex priorum temporum vsu. Sed magnopere metuendum, nisi diligens adhibeatur cautio, ne illius vsus renouetur. Nihilominus tamen certum est, quo tempore Ecclesia sine controuersia fuit maxime pura, nihil tam seuere prohibitum Ecclesiasticis, quam se negotiis temporalibus immiscere, quæ interdictio verbis Apostoli oritur *t Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus.* Cuius insequutus vestigia S. Clemens discipulus & successor S. Petri, inter Canones Apostolicos ab ipso collectos hunc recenset, *u Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus seculares curas non suscipito, alioqui deponitor.* Quod ipsum Conciliis Carthaginensi 1. & 4. Calchedonensi, Moguntino, & aliis confirmatur, & ratum habetur. Ac sane tunc temporis nullam contentiosam iurisdictionem habebant, *x nullum forum legibus, sed audientiam & notionem duntaxat.* Neq; tamen in omnes personas neq; indifferenter in omnib. casibus, *y* sed in Ecclesiasticas tantum personas. In reliquis omnibus contentiosa omnis iurisdictio, & omnis mundana negotiatio tam serio illis prohibita, vt Iustinus Imperator in quadam constitutione dicat, *z absurdum clericis esse, immo etiam opprobriosum si peritos se disceptationum forensium velint ostendere:* eisq; mulctam imposuerit quinquaginta librarum auri, *a* si Testamentorum resignationi & publicationi se immiscerent. Cuius prohibitionis origo potest ad Concilium Carthaginense quartum referri, in quo Canon extat his verbis, *b Episcopus Testamentorum tuitionem non suscipiat.* Id male obseruatum ab Ecclesiasticis, coegit tandem Imperatorem Iustinum post annos 126. suam authoritatem interponere, & quæ in dicto Concilio decreta fuerant renouare.

Sed inter rationes quibus vsi sunt Pontificii ad supremam Paparum auctoritatem stabiliendam, hæc omnino maximi est ponderis, & cuius veritas nulla diligentius perscrutanda propter consequentiam, quam duarum propositionum seu axiomatum, quæ hodie pro indubitabilibus & pro articulis fidei obtruduntur, & eo vsq; quidem vt erroris insimulentur, immo & schismatis, ii qui cum honore & debita S. sedi reuerentia, in earum veritatem inquirũt. Horum primum est Papæ superioritas supra sacra Concilia generalia. Alterum immunitas & exemptio personarum Ecclesiasticarum ab omni potestate & iurisdictione seculari. Nostri seculi infelicitas facit, vt eorum maxima pars, qui docere nos volunt, duorum istorum axiomatum affirmationem tam certam habeant, vt paucissimi sint, etiam eorum, qui hodie in nouos Ordines se coniiciunt, qui non libenter velint, si ausint, tam audacter hæreseos accusare contrariam sectantes sententiam, quam olim iudicati sunt Ariani, aut nostro seculo Sacramentarii. Ignoscite, Patres, si aio vos Bonifacii Octaui vestigia sequi, vosque extrauagari in illa *Extrauagante*, quam adeo libenter profertis. Vos cum ipso constituistis Papæ Monarchiam Temporalem in omnem Potestatem secularem stabilire. Iste vobis scopus eum dominum, dispensatorem & directorem regnorum omnium, si non directe, saltem indirecte reddere. Et forte an regula politica illa vestra Claustrorum eo spectat, vt vniuersali Monarchia sub Potestatem capitis Ecclesiæ redacta, melius omnia administrentur, si duo præcepta Spirituale & Temporale vna manu regantur. Vos iniectum frænum agnouistis infinitæ isti & non terminatæ Potestati, nempe legitimam potestatem, quam Dominus noster Ecclesiæ suæ dedit, intra Cancellos sacri Concilii retentam; quare conati estis istud obstaculum amouere, primarumque Sanctæ sedis tam vniuersalem reddere, vt Papæ, nullorum examini subiecti, absolute possent imperare, & indefinite ipsi obtemperare omnes tenerentur. Idcirco vt noua hæc potestas prædicaretur & populis persuaderetur & sensim in ipsorum animos instillaretur, secundum axioma adiectum est de Ecclesiasticorum exemptione: vt hinc quidem persuasi se ab omni iurisdictione exemptos, liberius hanc doctrinam prædicarent: inde vero vt Papæ sese immediate addictos sentientes, eandem maioribus animis profiterentur. Alterum horum axiomatum dat Potestatem: alterum vero instrumenta persuasionis: alterum animos ad suscipiendum, alterum operarios ad perficiendum: alterum Monarcham constituit, alterum vero subditos & vasallos.

Harum quæstionum solutionem inquirendi opportunam occasionem hodiernum tempus præbet, quo Deus facit vt bene conueniant inter se Sacra sedes, & Regia Maiestas Christianissima, adeo vt queri nemo possit de vlla partium affectione generali, aut priuata vlla passione amicitiæ aut odii, quæ scribendi de hac re occasionem præbuerit. Neq; enim tractatus huius alius scopus est, quam testatam facere authoris rectam intentionem de iudiciis Ecclesiasticis, & notum reddere Iudices Seculares habere legitimam potestatem, quam eum in Ecclesiasticos, si ita fert casus, exercent, non egrediuntur iustæ potestatis terminos. Atq; vt hæc quæstio pendet ab illa priore, de Papæ potestare supra Concilia, cogor etiam aliquam de istis mentionem facere: minime quidem tanquam allaturus quicquam noui in hac materia, quã varii authores exacte pertractarunt: sed vt ostendam singulis ætatibus, & oblata quauis occasione, sublatis etiam contentionis omnis subiectis, Galliam & Gallos eadem semper de toto hoc negotio sensisse & prædicasse:

Neminem eorum arbitror, qui Catholicam Religionem profitentur, posse aut debere in dubium vocare Primatum S. Petri, & successorum eius Episcoporum S. Sedis Romanæ, supra o-

f Glos in d. can si quis.
t Paul. 2. ad Timot. c. 2.
u In Can. Apost. per Clem. cong. num. 6.
x leg. 25. cum Cler. C. de Episc. & Cler.
Nou. Valẽt. de Episc. iudic.
y Nou. Inst. 79. & 83. Vt Cler. apud prop. Episc. Conuen.
z Ad tit. de Episc. audien. in Parates.
a l. 40. repet. eod. de Episc. & Cler. al. 23. const. diui ab C. de teilam.
b Conc. Carthag. 4. n. 18.

pra omnes Apostolos, Episcopos, & alios Ecclesiæ Prælatos. *a* Is enim inter Apostolos primus nominatur: quod sane non potest aliter accipi quam pro dignitatis prærogatiua, non autem ordine vocationis: *b* nam prior vocatus est Andreas frater ipsius; & in eo superior *c* Iesus Christus, quum tributum ab eo exigeretur; iussit Petrum abire piscatum; & sublaturum eum piscem, cuius ore aperto inueniret staterem, quo persolueret tributum pro ambobus, *d* Illi ipsi Petro dictum, tu es Petrus, & super hanc Petram, ædificabo Ecclesiam meam. Petri pedes primum lauit Christus quam aliorum Apostolorum: de quo dicit D. Augustinus *e quis nesciat Petrum fuisse primum Apostolorum*; Eidem paulo ante ascensionem suum gregem commisit, ter dicens, *f* Pasce oues meas. Quin & obseruare licet Dominum nostrum voluisse doctrinam quam Apostolis suis dabat ex ore Petri ipsos accipere: *g* Sermonem suum ad eundem direxit, quum docere voluit quodnam sit officium Christiani erga fratrem offendentem. Discipulos interrogans, qualem se esse existimarent, *h* Petrus vnus pro omnibus respondens, ait, *Tu es Christus filius Dei viui.* Alibi pluribus Christum deserentibus & quærenti ex Discipulis, num & ipsi vellent eum deserere, respondit Petrus, *Domine ad quem ibimus?* *i* Post ipsius Ascensionem primus inter Apostolos Petrus Ecclesiæ curam suscipit. *k* Primus proponit sufficiendum aliquem in locum & ministerium Iudæ. *l* Defensionem Apostolorum suscipit, quum ipsis insana mentis perturbatio exprobraretur. *m* Ananiam & Sapphiram vxorem eius propter admissam Simoniam condemnat, & morti addicit *n* Simonem Magum confundit. *o* Quæstionem de Gentium Circumcisione proponit, & soluit. In quorum omnium locorum aliorumque similium expositione vnanimis est consensus & interpretatio tum Glossæ ordinariæ, tum Doctorum Orthodoxorum de Primatu Petri & auctoritate in reliquos Apostolos, vt in hoc capite nulla sit difficultas. Sed difficultatem parit differentia inter prælationem, aut Primatum, & Supremam Potestatem, aut Monarchiam. De Primatu quidem conuenit, sed illius prætextu Superioritatem persuadere, & Monarchiam in Ecclesiam inuehere in Papæ persona supra omnia Concilia, hoc demum controuersum est. Quæ controuersia si ex locis expressis sacræ scripturæ decidatur, vel ex opinione vetustissimorum Ecclesiæ Doctorum, vel determinatione Conciliorum, Potestatem Ecclesiæ reperias esse Papa superiorem: & contrarium tueri esse ordinem omnem, & ius politicum euertere. Supra diximus velle Pontificios contrariam sententiam haberi pro articulo fidei: & vt iis os occludant, qui modeste & Christiane veritatem eius exquirunt, notare confestim hæreseos nota: quare vt qui in ea sunt opinione dignoscantur temere iudicare, prius quam rem attingam, duorum virorũ maximæ authoritatis vtar testimonio, qui hanc quæstionem admittunt, etiamnum hodie in eo statu esse, vt cuilibet bono Catholico liceat eam agitare, & salua conscientia eius veritatem expiscari. Primus est Cardinalis Bellarminus, cuius hæc sunt verba, *p Et quamuis in Concilio Florentino, & Lateranensi vltimo videatur quæstio definita, tamen quia Concilium Florentinum non ita expresse hoc definiuit, & de Concilio Lateranensi quod expressissime hoc definiuit, nonnulli dubitant an fuerit vere generale: ideo vsque ad hanc diem quæstio superest etiam inter Catholicos.* Alter est Doctor Nauarrus, qui rationem reddens, cur in definitione Potestatis Ecclesiasticæ vsus esset voce (*instituta*) non autẽ (*tradita*) *ne me*, inquit *oporteret definire, cui illa fuerit principaliter à Christo collata, an Ecclesiæ toti an ipsi Petro, quod non est consilium facere propter maximam illam discordiam Romanorum & Parisiensium. Illi enim tenent Petro & successoribus eius potestatem hanc traditam fuisse ac per consequens Papam esse Concilio superiorem. Ii vero, quibus Gerson adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licet exercendam per vnum.* Et collatis nominibus Doctorum vtriusque sequentium sententiam, quum numero pene æquales inueniat; tandem concludit. *q Romæ nemini permitti tenere Parisiensium & Panormitani opinionem; nec rursum Parisiensem Academiam pati, vt Romanorum opinio in ea asseratur.* Quamobrem vt hanc materiam aggrediar, quandoquidem ex sententia tam grauium virorum licet cuique quid sentiat exprimere, vt paucis omnibus difficultatibus occurram, quas gignit homonymia vocis Ecclesiæ, quæ in genere complectitur fidelium congregationem, tam Ecclesiasticorum quam secularium: & vt tollantur absurditates, quas sequi asserunt quidam, si tribuatur potestas Ecclesiastica Ecclesiæ vniuersali, nempe, fore, vt laicis non minus, quam Ecclesiasticis deferatur, præmittenda est Ecclesiæ definitio; videlicet Ecclesiam esse cœtum & congregationem legitimam Ecclesiasticorum habentium auctoritatem & potestatem in Ecclesia, quæ vocatur Concilium. Quare dicimus hunc cœtum habere potestatem legitimam in spiritualibus, quam exercere potest supra, & contra omnes, etiam aduersus Papam, quum ita fert casus, qui licet Primatum obtineat, nõ habet tamen superioritatem in Ecclesiam. Quum mater Iohannis & Iacobi postulauit a Domino vt filiis suis daret sedere a lateribus, reliqui Apostoli, inter quos Petrus erat, eo audito sunt indignati, existimantes hac ratione quæri superioritatem aliquam in ipsos: Christus vero tumorem illum animaduertens sic eos compellauit, *r Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos. non ita erit inter vos,* quibus verbis ostendit Primatum quem antea *s* Petro dederat, nullam inferre superioritatem alligatam aut ipsius personæ, aut dignitati. Ac sane apparet Paulum illi constanter restitisse, *t In faciem*, inquit, *ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et idem Petrus alias reprehensus fuerat quod esset ingressus in ædes Cornelii Centurionis Ethnici. *u Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum iis?* Si superioritatem in reliquos Apostolos

a Matt. 10.
b Ioan. 1.
c Matt. 17.
d Matt. 16.
e Aug in ca. 13. Ioan.
f Ioan. vlt.
g Matt. 18.
h Matt. 18.
i Iohan 6.
k Act. 1.
l Act. 2.
m Act. 5.
n Act. 8.
o Act. 15.
p Bell. lib. 2 de auth. Concil. ca 13. An Conc. sit supra Papam.
q ad cap. nouit. notab: 3. num. 84 de iud.
r Matt. 20 Luc 22.
s Matt. 16.
t Epist. Paul. 2 ad Gal. 2.
u Act. 11.

habuissent, ecquis ex illis ausus fuisset eum reprehendere, aut eidem resistere? Quod si Pe-
tro factum a particularibus, quanto magis potest Ecclesia successoribus ipsius? In scriptu-
ris habemus descriptionem expressam trium diuersorum Conciliorum quæ Apostoli conuo-
carunt, ex quibus distincte potest obseruari differentia inter Primatum Petri, & Potestatem
absolutam totius Ecclesiæ. In iis Petrus tanquam caput, & curam gerens Ecclesiæ, propo-
nit quæ in deliberationem caduot, & quæ decidenda sunt: sed decisio & conclusio ea omni-
um sententia & iudicio sequitur. In primo illo proposita quæstione de alio in locum & mi-
a Act. 1. nisterium Iudæ sufficiendo, dicitur, *a Statuerunt duos*, non *Statuit*, *Dederunt sortes*, non, *de-
dit*. In altero de eligendis Diaconis, Petrus proponit, *Considerate fratres quos constituamus*,
sed definitio fit, *Placuit sermo coram omni multitudine*, & paulo post, *elegerunt*, *hos statuerunt*,
non item, *elegit*, *statuit*. In tertio, in quo soluta fuit quæstio fidei, an Gentes ad Christum
conuersas necesse esset circumcidi. Re in deliberationem a Petro proposita, Iacobus plu-
ribus suam sententiam prosequitur, ab his verbis auspicatus, *Viri fratres, audite me*, quæ lo-
quendi formula propria est consultantium. Conclusio vero ex communi consensu & iudi-
cio facta est, cuius faciunt fidem verba contextus, *placuit Apostolis, & senioribus cum omni Eccle-
sia*, & paulo post, *visum est Spiritui sancto & nobis*. Atque huius conclusionis acta missa sunt ad
b Act. 15. Ecclesias, non priuato Petri nomine, sed vniuersalis Ecclesiæ, *b Apostoli & seniores fratres*. Ac
sane si proprios terminos Scripturæ retineamus, atque veterum Doctorum interpretatio-
nem, comperiemus basim & fundamentum totius potestatis Ecclesiasticæ positum esse in
Ecclesiæ vniuersalis corpore, & in Papæ persona residere non aliter quam in membro illi-
us præcipuo & ministro, quam eius nomine exercet. Et reuera quæ Potestas Petro data
c 1. Pet. c. vl. est, eadem & Ecclesiæ attributa. Vt ipsi dictum est, *Pasce oues meas*, sic & Ecclesiæ, *c Pasci-
te qui in vobis est gregem Dei*. Vt ipsi traditæ sunt regni Cœlorum claues, sic & reliquis Aposto-
d Matt. 18. Ioan. 20. lis commissæ sunt. *d Quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata & in cœlis*. Et vt ipsi dictum
est, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, sic etiam Apostoli vocantur
e Apoc. 21. *e* fundamentum Ecclesiæ. Neque vero post hanc concessam Ecclesiæ potestatem, textus
vllus extat a quo reuincetur, ad eam attribuendam personæ S. Petri, & successorum: contra
vero dici potest, quum primo Petro tributa fuerit, & deinceps Ecclesiæ toti collata, ex eo
apparere potestatem Petri fuisse intra certos terminos conclusam, vt cum Ecclesiæ potesta-
te vniretur & iungeretur. In hunc sensum Scriptura intellecta est, & eam vetustissimi &
maxime authentici Doctores ita sunt interpretati, vt qui scripserint & docuerint, quæcun-
que dicta sunt Petro, de data ipsi Potestate, ad Ecclesiam referenda esse & nominatim lo-
f Luc. 22. cum illum *f Rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua, tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*:
quo loco nititur tam authoritas D. Petri quam successorum, quem exponens D. Augusti-
g August. in expos. Psalm. nus his verbis vtitur, *g Quædam dicuntur quæ si proprie ad Apostolum Petrum pertinere videan-
tur, non habeant illustrem intellectum, nisi quum referuntur ad Ecclesiam*. Et alibi, de eodem tex-
tu verba faciens, ait, *Nunquid pro Petro rogabat, pro Iacobo & Ioanne non rogabat, vt de cæteris ta-
ceam, manifestum est in Petro & omnes contineri, quia & alio loco apud Ioannem dicit, Ego pro his roga
quos dedisti mihi*, & post, *Quo fit vt Ecclesiam frequentissime per Petrum intelligamus, idque hoc lo-
co (quod notandum) fieri non ambigimus: aliter stare veritatis verba non possunt, quum paulo post Pe-
h August. in Quæst. Vet. & N. Test. tri fides defecerit ad tempus: at Ecclesiæ fides semper intemerata permanserit*: *h* Idem Aug. de Clau-
i Aug. de agone. bus Petro datis loquens ait, *i Ecclesiæ claues Cœlorum datæ sunt, quum Petro datæ sunt, & quum
ei dicitur, Amas me, Pasce oues meas, ad omnes refertur*. Sanctus Cyprianus, *k Hoc erant vtique
k Cyprian. in tract. de de Vnit. Eccl. cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & Potestatis: sed exordium ab vnita-
te proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur*. Ac ne quis hos locos ad personas Apostolorum restrin-
gat, & concedatur quidem inter eos æqualitas quædam, sed non inter Successores, qui sunt
can loquitur Dominus 24. quæst. 11. Episcopi, inter quos Superioritas penes Petri successorem remansit, D. Ambrosius Epi-
scopus Mediolanensis, hunc locum explicans ait, *Quas oues aut quem gregem non solus tunc
suscepit beatus Petrus Apostolus, sed & nobiscum eas suscepit, & nos cum eo suscepimus*: *l* Papa Vrba-
l Canon sunt quidã. 25 quæst. 1. nus de determinationibus Ecclesiæ loquens, ait, *Vbi Dominus vel eius Apostoli, & eos sequen-
tes sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi Romanus Pontifex non nouam legem dare, sed potius
quod prædicatum est vsque ad animam & sanguinem confirmare debet*. Dominus noster Iesus Chri-
stus id dixit, S. Cyprianus, S. Augustinus, S. Ambrosius hæc verba sic interpretanda di-
xerunt: quare nulla dubitandi, vel ipsius Vrbani confessione, superest occasio. At si tot au-
thoritates non sufficiunt, & rationibus opus sit, certum est totum esse maius sua parte, cor-
m 93. dist. can. legimus pus integrum plus esse, quam vnicum eius membrum, *m* orbem vrbe maiorem. Papa enim
n Paulus ad Rom. 12. tantum est totius Ecclesiæ pars, & vnicum eius membrum, etsi honoratissimum, *n multi
o Gloss. in d. capite legimus in verbo maior est 93. dist. vnum corpus sumus, singuli autem alterius membra*. Quamobrem necesse est Papam veluti mem-
brum, integri corporis respectu, tanquam partem sui totius esse minimum. Quod Glossa
in Canonem superius allegatum *Legimus* confirmat in hæc verba. *o Hic est argumentum, quod
statuta Concilii præiudicant statuta Papæ si contradicant*. Deinde potestas illa iudicanda est maxi-
ma, ad quam tandem Christiani, tanquam ad vltimam prouocationem remittuntur. At
p Matt. 18. vltimum iudicium & prouocatio fit ad Ecclesiam, *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum
inter te, & illum*: & tandem *p Dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus
& publi-*

& publicanus. Neque vero hæc verba, *Dic Ecclesiæ*, de S. Petro sunt interpretanda, tanquam Ecclesiæ capite: nam ad ipsum Petrum hæc verba Dominus dirigebat: quamobrem absurdum valde foret, neque sensus legitimi sermonis permittit; vt dicatur Dominus iussisse Petrum sibi aliquid dicere. Adde nomen Ecclesiæ collectiuum esse; quod proinde de vnius indiuiduo dici non possit. Denique Glossa ordinaria, ab omnibus approbata, interpretatur has voces, *Dic Ecclesiæ*, in proprio sensu, & vt ferunt verba, non autem de S. Petro. Quum igitur vltima prouocatio sit penes Ecclesiam, necessario concludendum est, supremam esse eius potestatem, & maxime absolutam. Atque hæc opinio est eo probabilior, quo verisimilius est Dominum nostrum Iesum Christum, ibi maiorem Potestatem attribuisse, vbi maior erat sapientia & charitas futura. Porro maiorem esse in Ecclesia vniuersali, quam in quouis particulari, licet illius capite, scriptura satis dilucide testatur. Ac de Ecclesia quidem, vt omittam multa loca quæ ipsius integram puritatem ostendunt, sufficiat nosse Deum illam assumpsisse in sponsam perpetuam, a *Sponsabo te mihi in sempiternum*: & ipsa vicissim sponsum alloquuta est, b *Tenui eum, & non dimittam*, ad differentiam synagogæ, quæ ipsum quidem tenuit sed dimisit. Cum qua Dominus hoc fœdus iniit; c *Spiritus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, & de ore seminis tui a modo, & vsque in sempiternum.* Ecclesia quæ neque rugam habet, neque maculam, d *sed vt sit sancta & immaculata.* Ecclesia, domus Dei, e *hic habitabo, quoniam elegi eam.* f Columna & firmamentum omnis veritatis, cui nauclerus datus est, g Spiritus S. director perpetuus; cum hac promissione & pacto, fore cum ea Dominum nostrum, h *omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* De particularibus vero dictum est, i *Omnis Pontifex infirmitate, hoc est prauitate peccandi circumdatus est.* Quo loco multa Paparum exempla proferre supersedeo; qui in grauissimos & turpissimos errores lapsi sane, ne velut alter Cham pudenda patrum detegam. Nihilominus propter multa incommoda quæ contigerunt Papæ fateri tandem coacti sunt, quosdam incidere casus in quibus iudicari possunt, infidelitatem nimirum & hæresim. Quo posito necessario sequitur ipsos habere iudices superiores a quibus hoc iudicium in eos exerceatur. Nam si quis dicat Papam infidelem aut hæreticum, non amplius esse Papam, *& ipso iure & facto* dignitatem amisisse, verum quidem dicit: sed nihilominus semper requiritur iudicium declaratorium istius priuationis. Non secus atque in iure ciuili multi sunt casus qui dicuntur pœnas incurrisse, *ipso iure & facto*, in quibus requiritur tamen sententia declaratoria quæ ab ipso die commissi delicti suum effectum habeat: k quanquam ex consuetudine iudicia non habeant vim nisi ab ea die qua data sunt. Quamobrem quanquam dicatur *ipso iure & facto aliquid fieri*, necesse tamen est extare aliquod iudicium, ac proinde supremum aliquem esse iudicem, qui ferre illud possit: verum enimuero Glossa illa in Canonem, si Papa impressa & approbata Romæ valde confirmat Iurisdictionem in Papas: nam diserte concludit; l *si notorium sit crimen summi Pontificis, & inde scandalisetur Ecclesia, & incorrigibilis sit, poterit accusari*, adeo vt Papa si notorii criminis accusetur, aut scandali in Ecclesia admissi, aut incorrectionis ipse suis Legibus damnatus, Iudices ferat oportet, qui de ipsius facto pronuntient. Extra controuersiam porro est id a particulari fieri non posse, m *Electionem summorum Pontificum sibi Dominus reseruauit.* n *Nemo iudicabit primam sedem iustitiã temperare desiderantem* o *Aliorum hominum causas Dominus voluit homines terminare: sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio.*

Nullus igitur alius esse potest Iudex, quam Ecclesia, ad quam, vt supra dictum est, vltima fit prouocatio, quæque non potest supra memoratis exceptionibus comprehendi, quod hæ voces, *nemo, nullus* non possint nisi de particularibus intelligi, non autem de generalitate. Adde quod Ecclesiæ iudicium non potest hominis iudicium appellari: sed Spiritus S. determinatio. Atque reipsa plurimi Papæ fuerunt ab Ecclesia iudicati, & illius auctoritate obedientia ipsis denegata, quales fuerunt, Marcellinus, Anastasius, Liberius, Ioann. 23. Bened. 13. Grego. 11. & alii. Et hæc tam nota sunt quæcunque tandem contradictio vel color inferatur, vt in istis non sit diutius immorandum.

Etsi vero superioribus rationibus & authoritatibus satis probata videtur Superioritas Ecclesiæ, idest Concilii supra Papam, nihilominus ad cumulum confirmationis istius veritatis, age prodeant etiam personæ, quarum hac in re nihil intersit, & quarum iudicia sint passionis omnis vacua, amicitiæ vel odii. Cogantur in vnum Ecclesiæ Africæ, Asiæ & Europæ: & quid de hac re crediderint, dixerint & docuerint inuestigemus.

Totus Oriens tam bene sentit de superioritate Concilii supra Papam, vt etiam vlterius progrediatur eam etiam contendit, quanquam immerito, de Primatu supra Patriarcham Cõstantinopolitanum, licet Eugenius quartus innuat ei concessum in eo conuentu qui Ferrariæ primum coactus. p Florentiæ demum anno 1439. desiit, vt opponeretur Concilio Basileensi. Cui tamen fortiter contradicit Episcopus quidam Thessalonensis Nilus nomine, qui tunc temporis viuebat, & huic conuentui interfuisse creditus est.

De Africanarum vero iudicio, consulatur Concilium sextum Carthaginense, constans 207. Episcopis, quibus interfuit D. Augustinus Hipponensis Episcopus, missus ab Ecclesia Numidiæ. Quod Concilium si exacte consideretur, viuum nobis exemplar exhibibit autho-

a Ose. 2. b Cant. 3. c Isa. 59. d Paul. ad Ephes. 5. e Psalm. 132. f Paul. ad Timoth. 3. Math. 19. g Ioan. 14. & 16. h Matt. vlt. i Paul. ad Heb. ca. 5. k leg. 6 furti accepe in fin. pr de his qui not. inf. l Glos. in d. can. si Papa m Can. vlt. 79 distin. n Can. 13. nemo. 9 q. 3. o C... rum 9. q. 3. p Concilium Floren. sub Eugen. 4.

ritatis & libertatis Ecclesiæ primitiuæ supra Papas: Zosimus Papa quendam Episcopum nomine Apiarium absoluerat, aduersus quem sententia excommunicationis a Prouincia lata fuerat; & per legatum suum Faustinum Concilio significarat, habere se potestatem absoluendi: quod in Concilio Niceno, dicebat, ita decretum fuisset Episcopos condemnatos posse prouocare ad Papam, Iudicemque causarum suarum facere. Quare præcipua quæstio fuit de absolutione Apiarii, an bene vel male facta fuisset, in quam alia etiam quæstio incidit, an Concilium Nicenum decreuisset, Episcopos cõdemnatos posse prouocare ad Papam, & ab eo absolutionem accipere. Quamuis autem *Faustinus, Philippus & Asellus*, Legati Papæ vtriusque illius quæstionis affirmatiuam tuerentur, minime tamen eorum verbis a Concilio fides adhibita, sed decretum, Missurum Concilium ad Ecclesias Constantinopolitanam, Alexandrinam & Antiochenam legatos, qui puriora & authentica exemplata dicti Concilii Niceni exquirerent: quod reipsa factum fuit. Exhibitis exemplaribus, contrarium prorsus fuisse decretum à Concilio Niceno repertum est, ideoque ex illorum exemplarium fide Concilium Carthaginense decreuit, absolutionem Apiarii a Papa concessam irritam fore, & iudicium Episcoporum prouinciæ ratum futurum: quare ad Cœlestinum, qui post Bonifacium Zosimo successerat, literas consignant, quarum integrum exemplar producere nimis longum foret; sed quæ de duabus illis quæstionibus magis expressa sunt, non erit absurdum hic inserere. En igitur ipsissima verba. *Domine frater*, (sic alloquuntur Cœlestinum) *præfato debitæ salutationis officio impendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem vltra velitis excipere, quia hoc etiam Concilio Niceno definitum facile aduertet venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus Clericis, vel laicis videtur ibi præcaueri, quanto magis hoc de Episcopis voluit obseruari, ne in sua Prouincia communione suspensi, a tua sanctitate vel festinato præpropere, vel indebite videantur communioni restitui.* Et paulo post. *Decreta Nicena siue inferioris gradus Clericos siue ipsos Episcopos, suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim iustissimeque viderant, quæcumque negotia in suis locis vbi orta sunt finienda, nec vnicuique prouinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissime teneatur.* Et de Concilii Niceni veritate verba faciens, *Illud quod pridem per eundem coëpiscopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Niceni Concilii exinde transmisistis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Nicæni a Sancto Cyrillo coëpiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & a venerabili Attico Constantinopolitano antistite ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo prædecessori vestro a nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire.* En septem & ducentos Episcopos, de quorum fide nullus vnquam dubitauit, & in primis admirandum illud Ecclesiæ lumen D. Augustinus, qui Papæ in faciem resistunt in duobus capitibus; in quorum altero dicunt, non debuisse ipsum facere quod fecit, & se ipsi non obtemperaturos. In altero vero negant id esse in Concilii Nicæni actis, quod esse asseuerat. Cogitandum cuiuis relinquo an tam celebris conuentus tam pertinaciter, vt ita loquar Papæ restitisset, nisi tunc extra omnem controuersiam fuisset, posse istud iure fieri: & tamen erat Concilium tantum ex Africana prouincia conuocatum. Quid ergo dicturum fuisset Concilium oecumenicum, si vnica Ecclesia de isto negotio tam libere loquebatur? In Europa possumus asseuerare, excepta Italia, reliquas Ecclesias in eandem opinionem consensisse. Nam quod ad Galliam attinet, tam indubitabiliter retenta fuit ab omni æuo, in hac quæstione altera ex magnis opinionibus a Sorbona Parisiensi nomen sortita sit: in qua ante centum annos nemini liberum fuisset tantum proponere, quod hodie tanquam articulus fidei obiicitur. Fidem huius rei faciunt Vniuersitatis Parisiensis appellationes toties interiectæ aduersus Curiæ Romanæ conatus in præiudicium Ecclesiæ Gallicanæ: & nominatim aduersus decreta Bonifacii octaui, temporibus Philippi Pulchri: Martini 5. sub Carolo 7. Pii secundi, sub Ludouico XI. Iulii 2. sub Ludouico XI. Iulii 2. sub Ludouico XII. & Leonis 10. sub Francisco I. Sed ista pluribus persequi non opus est, quæ omnibus notiora sunt, quam vt in iis sit diutius immorandum, quum ab aliis satis diligenter tractata sint: breuiter tantum attingam exemplum Ecclesiæ Gallicanæ simile supra memorato Concilii 6. Carthaginensis. Episcopus Laodiensis Hincmarus, reprehensus fuit: & coercitus ab Ecclesiæ Rhemensis Synodo propter excommunicationem extra propositum ab ipso fulminatam, dictumque male ipsum processisse, & ipsius infirmata fuit sententia. Ab hoc decreto Hincmarus appellationem interiicit, & ad Curiam Romanam prouocat, in qua Metropolitano suo Archiepiscopo Rhemensi Hincmaro etiam nominato diem dicit. Ad hanc contentionem Clerus generalis Galliæ conuenit, & decernit, Appellationem illam locum non habituram vt repugnantem sanctis Canonibus, Iuribus & priuilegiis Ecclesiæ Gallicanæ: coactusque Episcopus ille Laodiensis appellationi suæ renũtiare, & iudicio aduersum se lato acquiescere. Papatum sedens Adrianus 2. indigne ferens hoc decretum Ecclesiæ Gallicanæ, dicam indixit coram se tam Archiepiscopo Rhemensi, quam accusatoribus Episcopi Laodiensis: cui respondit Archiepiscopus, Non licere sibi extra regnum egredi, sine Regis superioris sui venia. Quod anno octingentesimo septimo contigit, conuocato Clero Attiniacum. Duas igitur maximas inter Prouincias Christianas videmus in iisdem difficultatibus easdem etiam resolutiones accepisse.

Deniq;

Denique huius consensus pene vniuersalis Ecclesiarum orbis Christiani vestigia prementes Patres hanc quæstionem nominatim & distincte agitarunt in Conciliis œcumenicis Constantiensi & Basiliensi, ac decreuerunt statueruntque Concilio Papam subesse lataque sententia est pro Concilio contra Papam quæ habita est rata veritas fidei Catholicæ. Quib. admissis Decretis, controuersias, quæcunque prius erant de hac quæstione termineri oportuit: siquidem ante legē latam licet quidem deliberare: sed lata lege, nemo in suo sensu abundet, sed eam admittet & eidē obtemperet: *a Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare nec huius quidē sedis potest authoritas*. inquit Papa Zosimus. Et tamē mirum est de hac quæstione nunquā tam multa edita scripta, quam ex quo, post solennia decreta solutionis illius, maxime fuit silendum. Hic vero, bone Deus! quid de istis Conciliis dictum est, aut quid non contra illa dictum? De primo assertū est, nō fuisse hanc quæstionem indefinite solutam: Sed quum hæc exceptio crassior videretur, quod Decretum Concilii tam intelligibilibus terminis conceptum esset, vt quiuis facile denegationem istam mendacii argueret, eo ventum est vt istius Decreti auctoritas in dubium vocata sit, dictumque non nisi a Prælatis obedientiæ Balthasaris Cossæ, vel Ioannis 23. conclusum. Atque hic in memoriam nobis reuocant, quod sepultum oportuerat perpetuo obliuionis tumulo; nimirum tres illas partes diuisas quas obedientias vocant, trium illorum qui se Papas agnosci volebant, dicentes, neque Patres obedientiæ Gregorii duodecimi, alias *Angeli Corarij*, neque Benedicti 13. alias *Petri de Luna*, adhuc iunctos Patribus obedientiæ Ioannis 23. fuisse quo tempore Decretum illud prodiit: ac proinde nullum esse, quippe non ratum habitum a tribus simul iunctis obedientiis. Concilium vero Basileense, nullum fuisse, propter defectum potestatis, & reuocatum ab Eugenio 4. factum decretum in fauorem inimicorum S. sedis, & non cōfirmatum ab Eugenio. Quibus obiectis semel esto responsum si dixerimus Constantiense Cōcilium in partes lacerari non posse, sed necessario aut totum admittendum, aut totum reiiciendum. At si reiiciatur, quid fiet tot sanctis determinationibus, quæ in eo factæ sunt? Condemnatione Wiclefi, Ioannis Hussii, Hieronymi Pragensis. Resolutione communionis S. Sacramenti laicis sub specie panis tantummodo: pœnis indictis Simoniacis resolutione sancta conuocandorum Conciliorum, *b de decennio in decennium, quem terminum liceat summo Pontifici de fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ob emergentes causas abbreuiare, sed nullatenus prorogare, vt sic per quandam continuationem semper aut concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur*. Denique missio Martini 5. nulla esset qui nullam authoritatem habuit quam quę illi à Concilio tributa est ac proinde successorum indubium. Vocatio renocanda, quæ non potest esse legitima si Martini 5. fuit vitiosa. Quamobrem quum nihil esse possit partim validū, partim nullum, necesse est omnino aut vt omnia istius Concilii decreta, prorsus nulla iudicētur, aut vt primum illud de Superioritate supra Papas obtineat. Cæterū, ridiculū est dicere Patres illos trium obedientiarum vnitos illud decretum non approbasse, notum n. est ante Concilii conclusionē, quicquid antea particulariter decretum est per sessiones ibidem relegi, & approbari nullumque articulum ratum haberi, quin prius dictum sit, *Placet*. Ac proinde quum primū istud decretum Concilio sit insertum, necesse est & ab omnibus fuisse approbatum.

a Can. conuenior. 25. quæst. 1.

b Concil. Cōstans. cap. frequens.

De Concilio vero Basileensi, vt semel occurratur subtilibus istis Conciliorum Inquisitoribus, qui aiunt fuisse sine Potestate, sine auctoritate, sine confirmatione, dictum hoc sufficiat, totam Ecclesiam Gallicanam legitime Bituricibus coactam: delegatos ab omnibus vniuersitatibus, clarissimos Iurisperitos ciuilis & Canonici, Regem ipsum tunc regnantem, tam prouidum Principem quam fuit vllus alius, quique ob singularem prudentiam est Sapientis nomen adeptus, contrarium affirmasse, & Concilium istud pro œcumenico bene & legitime conuocatū, tam continuatione Conciliorum Constantiensi, & Senensi, quam conuocatione, & approbatione duorum Paparum Martini 5. & Eugenii 4. quidam peculiariter & probarunt & admiserunt pure & simpliciter decretum de Superioritate Conciliorum supra Papas. Regiam Maiestatem supplices rogarunt, vt suam approbationem ratam haberet, & regia authoritate tueretur, & pro lege pragmatica in regno suo sanciret: quod Rex ipse præstitit, in hæc verba. *c Volentes & ordinantes, omnes & singulas deliberationes, & conclusiones prædeclaratas in nostris Regno, & Delphinatu cæterisque dominiis perpetuo teneri, atque inuiolabiliter obseruari suumque plenum & integrum penitus sortiri effectum*. Gesta ista sunt sub Carolo 7. Deinceps regnante ipsius nepote Carolo octauo, Status generales Franciæ conuocati apud Turones, vt rebus ad regnum pertinentibus prouiderent, quādiu rex annis minor esset: decretum est a tribus Ordinibus, Determinationes Conciliorum Constantiensis & Basileensis ex Pragmatica Caroli 7. obseruandas & ratas habendas. Quapropter post resolutionem tam solennis cœtus, quale est vniuersale corpus Ecclesiæ Gallic. post consensum Vniuersitatum, doctorumque totius regni vnanimiter in vnam sententiam coeuntium: post interpositionem auctoritatis tum regnantis Principis, tam pii & deuoti, quam quispiam alius: post trium Ordinum Galliæ totius determinationem, aut ne amplius pro hæreticis habeantur qui sanctorum illorum Conciliorum decreta sequūtur, aut impudenter dicatur tota Gallia hæretica fuisse, quo tempore ne vnus quidem erat in Gallia hæreticus.

c Carol. 7. Pragm. const. anno 1438.

Transeo ad secundam propositionem de exemptione Ecclesiasticorum, in quo capite tam audacter potestas Principum Temporalium petitur, vt nisi sibi caueant metuendum sit,

ne in nihilum abeat. In hoc negotio tanquam regulæ infallibiles ponuntur, quædam axiomata ad Status cuiusque tranquillitatem maxime pertinentia, nempe, personas Ecclesiasticas iure diuino, exemptas esse ab omni potestate temporali. Principes Seculares & ipsorum Magistratus nullam in ipsas habere potestatem. Non posse reos fieri criminis læsæ Maiestatis, si aduersus Principes Temporales rebellarint, quod non sint ipsis subditi. Se non esse Iurisdictioni Secularium Iudicum subiectos, etiam si non obtemperent legibus illius Status, sub quo viuunt. Ex istarum regularum consequentia sequitur personas quasdam intra quemdam Statum viuere non subiectas Status illius legibus: exemptas ab omni politia & disciplina Temporali, siue obligatione fidelitatis erga Principem, siue obedientia erga Magistratum. Denique Corpus Status intra aliud constitutum: diuisionem potestatis, ac certam proinde subuersionem & interitum. Deinde ad superiora accedit, quo magis infringatur potestas Principum, Potentiam ipsorum non immediate à Deo procedere, sed ab humanis mediis, veluti successione, electione & aliis quibus Regna & Principatus acquiruntur: vt ex istorum collatione, origo exemptionis Clericorum a Deo immediate manasse iudicetur, & Potestas Principum ab humanis tantum mediis, ac proinde in istam exemptionem a iure diuino manantem fauor potius propendeat quam in obedientiam erga Principes, cuius constitutio tantum sit humana. Contra vero asseritur Ecclesiasticos, quatenus Homines, & tanquam ciues alicuius Status partem in eo facientes, iure diuino subiectos esse Principi, & Legibus Status illius sub quo viuunt teneri. Exemptiones & immunitates quibus nunc fruuntur, in iis quæ priuata ipsorum negotia & actiones spectant, concessas ipsis fuisse gratia & priuilegio speciali Principum, non autem iure diuino firmatas. Notandæ vero voces illæ quæ nominatim dicunt, quatenus homines, & in iis quæ particulares ipsorum actiones spectant. Nam quemadmodum in personis Ecclesiasticis duæ insunt qualitates, vna naturalis hominum & ciuium alicuius Status, altera accidentalis, ordinis & sacri characteris, postremam istam qualitatem non attingimus. Quare confirmanda superest illa Ecclesiasticorum subiectio sub potestatibus Temporalibus: quod & firmis rationibus, & authoritate Scripturæ & exemplis historicis tam facile fiet, vt nulla supersit dubitatio.

Rationes sunt a natura quendam statutum esse ordinem, id est communi gentium consensu, quo omnis legitima gubernatio duabus istis rebus consistit, Præcepto & obedientia, quo fit, vt necessario quilibet priuatus sit ciuis, id est subditus legibus superioris legitimæ potestatis, siue illa sit vnius, siue melioris partis, siue maioris. *a Ex iure gentium discreta sunt gentes, regna condita, dominia distincta.* Hic ordo, quatenus naturalis, non potest vlla externa Clericatus qualitate tolli: quemadmodum neque Baptismo tollitur. Nam etsi quispiam Christianus fiat, aut ad sacros ordines promoueatur, non ideo tamen esse ciuis desinit, & membrum illius in qua natus est Reipublicæ, ideoque & Legibus publicis adstrictus, in iis quæ rectam & pacificam Status administrationem concernunt. Adstrictum dico *Vi & potestate Legis, non tantum instinctu rationis.* nam alioqui sequeretur Ecclesiasticos non subiectos Legibus politicis, posse impune tranquillitatem Reipublicæ perturbare, quandoquidem si quid tentarent, non possent corrigi & puniri. Neque vero dictum velim leges Ecclesiasticas docere inobedientiam, quæ aduersus potestates committitur. Notum enim est veros Christianos omni seculo preces ad Deum fudisse pro terrenis Principibus, Paganis, licet infidelibus, aut hæreticis. *b Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt*, ait Tertullianus. Et Episcopi conuocati in Concilio Arimini, petentes ab Imperatore Constantio, licet Arriano, vt in suas sedes dimitterentur, addunt, *c Vt Deo sancte colendo tranquillis animis vacent, orentque sedulo pro tua salute, Imperio, & pace quam Deus tibi sempiternam benignam largiatur*, sequuti præceptum Apostoli, *d Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt.* Verum tamen si hæc libertas Ecclesiastica protenditur eo vsque, vt persona Ecclesiastica nullis subiiciatur potestatibus Temporalibus, & non possit in quouis deprehensa crimine ab aliis Iudicibus quam Ecclesiasticis iudicari, *e* sicuti Canones diserte determinant, profecto ianua proprie aperitur perturbationi & confusioni, quandoquidem in maioribus & atrocioribus criminibus, quibus maxime læditur publica societas, nullæ reperientur pœnæ in Ecclesiasticos constitutæ, qui illorum criminum rei essent. En vero qui istud fiat, Ordo pœnarum in Ecclesiasticos reos cuiuscunque criminis quantumuis atrocis, ex Decretali Celestini 3. talis est. Hic Papa respondens ad quæstionem, *Vtrum liceat Regi, vel alicui seculari personæ iudicare Clericos cuiuscunque ordinis siue in furto, siue in homicidio, vel periurio, seu quibuscunque fuerint criminibus deprehensi*, his ipsissimis verbis vtitur, *f Clericus in furto, vel homicidio, vel periurio seu alio crimine deprehensus ab Ecclesiastico iudice deponendus est. qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri: postmodum vero si in profundum malorum veniens contempserit, quum Ecclesia non habeat vltra quid faciat per secularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel aliqua legitima pœna inferatur.* Neque vero etiam ad magnam istam pœnam, Ecclesiasticum tradendi brachio seculari deuenitur, in quolibet atroci crimine, sed ad tres casus speciales restringitur. Quorum primus est, *g in Crimine hæresis si sit*

pertinax

a L. 5. ex hoc iure Dig. de Iust. & iur.

b Tertull. in apolog. ad Gent. cap. 30.

c Theodor lib. 2. Eccle-siast. hist. ca. 19.

d Paul. 1. Tim. ca. 2.

e ca. 8. Clerici ext. de iudic.

f Cap. cum non ab hom. ext. de iudic.

g Cap. ad abolend. ext. de hæret.

pertinax aut relapsus. Secundus, *a In crimine falsi, non quidem vniuersaliter in omni specie falsi, sed tantum in falso commisso in literis Apostolicis*. Tertius, *b propter contumeliam, calumniam, aut conuitia in proprium Episcopum collata, quod Canonistæ vocant, Coniurationem in proprium Episcopum*. Ad quos tres casus particulares, Canonistæ omnes restringunt hanc pœnam, tradendi brachio seculari. In aliis omnibus, censent Ecclesiasticum, licet depositum, nihilominus frui priuilegio Clericatus, & in Ecclesiæ esse protectione. Quod si quæratur, quomodo in aliis quibusuis criminibus grauioribus & atrocioribus sint puniendi, Papa Innocentius 3. respondebit, *c Clerici in latrociniis vel aliis magnis sceleribus deprehensi a suis ordinibus degradati detrudi debent in arctum monasterium, ad pœnitentiam peragendam*. Et adiiciet, *d pro Clero curiæ seculari tradito debet Ecclesia efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum circa eum sententia moderetur*. Iam igitur in vnum omnes regulas de iuribus & libertatib. Ecclesiasticorum colligamus, quæ passim variis Canonum locis expressę sunt, & dicamus, *e* Non licet Laico Ecclesiasticũ accusare. Non possunt Ecclesiastici in quocunq; crimine iudicari; nisi a Iudicibus Ecclesiasticis, *f Vos à nemine iudicari potestis, solius enim Dei iudicio reseruamini*. Si Iudex Secularis quæstionem decernat in eos, & condemnet, excõmunicatur: & non debet Episcopus rationem habere confessionum aut conuictionum resultantium, quippe quæ factæ sunt, *g coram non suo iud.ce*. Ecclesiastici Iudices neminem vnquam morti addicunt, quantumuis atrocis criminis reum, sed pœnæ illorum terminantur suspẽsionibus, priuationibus, depositionibus, irregularitatibus, perpetuis carceribus, *h nec habet Ecclesia vltra quid faciat*. *i* Ecclesiastici nunquam brachio seculari traduntur, nisi ob tres illos supradictos casus, hæreseos, falsificationis literarum Apostolicarum, & conspirationis contra proprium Episcopum. Quomodo igitur punientur sicarii, incendiarii, incestuosi, Sodomitæ, parricidæ, conspiratores aduersus Reges & eorum Status & similis criminum monstra, quę seculi infelicitas nimium sæpe in Ecclesiasticis detegit, summo Iudicum mœrore, qui manus in eos inicere coguntur? Sed si creditur ipsis Iudex Secularis de crimine cognoscere nõ poterit, quin excommunicationi subiiciatur. Iudex Ecclesiasticus nullam aliam pœnam imponere neque grauiorem poterit quam aliquam ex supra memoratis, *non habet Ecclesia vltra quid faciat*. En igitur manifestam impunitatem in maximis & atrocissimis criminibus. Nam, aut prorsus non punire, aut non æqualem criminis atrocitati pœnam inferre perinde est. Ac sane pœnæ omnes Ecclesiasticæ nihil aliud spectant, quam vt puniatur quod aduersus Ecclesiæ statum gestum est, purgentur animæ a peccato, & ad beatitudinem æternam disponantur, qui finis est Potestatis Ecclesiasticæ, *bonum scilicet Spirituale animarum*. Sed quod aduersus ciuilẽ societatem admittitur, aduersus Status tranquillitatem, & totius Reipublicæ commodum, Ecclesia punire non potest: quod ipsi commissa non sit custodia & defensio status: neque enim ad ipsius munus & officium pertinet. Hanc ob causam necessarium est, vt cognitio criminum quæ aduersus ciuilem societatem admittuntur, Statumque perturbant, aduersus quamcumque personam, ad eos pertineat penes quos est summa rerum administratio: quandoquidem Ecclesia neque partes, neque Iudices, neque pœnas habet pro talium criminum metro: & quod ipsi cura & administratio Temporalium politiarum nõ est commissa. Nam siquis dixerit quicquid inutile fit, peccatum esse, & ad Ecclesiasticos pertinere cognitionem de peccatis inter Christianos, ac proinde posse ipsos cognoscere de iusto, aut iniusto, & lepram a lepra discernere, nimium late cognitionis vocem extenderit, quæ si simpliciter in hoc sensu acciperetur necessario Politiæ omnes Temporales tollendæ essent, & earum administratio Ecclesię permittenda. Omne crimen, omnis legis contrauentio, omnis aduersus Magistratum contumacia & rebellio cadit in peccatum, ac proinde ad Ecclesiasticos istorum cognitio pertinet. Falsa prorsus consequentia, quæ nascitur a falsa interpretatione vocis (*cognitio*) quæ vt nimium generalis, debet primum intra terminos certos concludi antequam ex ea regula generalis constituatur. Quare duas esse cognitionis species dicimus, vt sunt duo Potestatum genera, Ecclesiasticum, & seculare. Potestas Ecclesiastica, siue de charactere & consecratione loquamur, quam Dominus noster in vltima Cœna stabiliuit, cum dixit Apostolis, *k Hoc facite in meam recordationem*, siue de alterutra Iurisdictione, *tam in foro conscientiæ, quam in foro exteriori causarum*, quarum altera nititur his verbis, *l Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Hæc vero ex Matthæi verbis, *m Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum*, &c. Hæc inquam potestas data ad regendum populum Christianum; *secundum legem diuinam*, cuius finis est beatitudo æterna, extenditur quidem ad peccatum, quatenus animæ detrimentum parit. Primo quidem, *Vt per Sacramentum pœnitentiæ immunis fiat populus a peccatis & ad diuini muneris participationem aptus*. Secũdo vt per Excommunicationem quam quidam olim Papa vocabat, *n fœlicem Episcopi mucronem, & tradatur peccator. o Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat*. *p* sitque loco medicinæ non exitii: Sed per eas tolli exercitium Potestatum Temporalium in facinorosos, nemo sine errore dixerit. Quapropter Ecclesia cognoscet *de iusto & iniusto quatenus peccatum*, punietque in omnibus Christianis & Catholicis, & in foro conscientiæ, per applicationem Pœnitentiarum, ieiuniorum, orationum, eleemosynarum peregrinationum, & aliarum mortificationum, & *in foro exteriori causarum* per excommunicationem. Sed non ideo Iudex Temporalis manum non admouebit, Legumque seueritatem adhibebit, quatenus hæc iniustitia fit criminis pu-

a Can. ad falsar. ext. de crim. fals.
b Can. si quis sacer. 11 quæst. 1.
c Cap. tuæ discret. extr. de pœn.
d Cap. 27. nouimus extr. de verb. sign.
e cap. Cler. 11. q. 1.
f Can. continen 11. q. 1.
ca. Cler. extr. de iur.
g cap. nullus extr. de for. compet. c. at si Cler. d. tit. de iudic.
h d. cap. at si Cleric. extr. de iudic.
i D. cap. ad abolend & ibi Gl in verb. relinquatur.
k Paului 1. ad Corinth. cap. 11.
l Ioan. 20.
m Matt. 18.
n Ioan. Pa. in Epist. ad Isaac. Syracus. Epist. 16. qu. 2. Can. visis.
o Prim. ad Cor. c. 5.
p 24. q. 3. Can. 37. notandum.

blici, quo quum Leges Status violentur, ciuilisque societas turbetur, necessario reparanda confusio eius correctione qui fuit author. Et vt nonnunquam ista perturbatio potest ab Ecclesiastico proficisci, sic eidem debent pœnæ ciuiles applicari, quæ vlciscuntur commissa facinora aduersus Legem publicam, *a ad cuius præceptum omnes qui in Republica sunt, vitam instituere debent.* Vis legis, inquit Iurisconsultus, in quatuor maxime capitibus consistit, *b Imperare, vetare, permittere, punire.* Quicunque igitur Legem stabilire potest, per consequens necessario potest & eius transgressorem punire. Quod vulgate dicitur, *ratione criminis quis sortitur forum*, ac sane qui Legislatori potestatem adimit imponendi pœnam, eidem eadem ratione vim mandati, & obedientiæ necessitatem eripit.

a l. nam ff. de legibus.
b l. legis virtus d. tit. de leg.

Sed maioris erunt momenti rationes istæ, si ad Sacræ Scripturæ regulas trutinentur, quo sensu illas Doctores Catholici exposuerunt & eis conformes reperiuntur D. Petrus Ecclesiasticos compellans quos vocauerat, *c genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam*, addit, *subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducib. tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* D. Paulus scribens ad Titum, *d Admone illos*, inquit, *Principibus & potestatibus subditos esse dicto obedire.* Sed expressus maxime locus, cui nemo contradicat, est eiusdem Pauli ad Rom. *e Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt; Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt.* Qua in re diuinam prouidentiam satis mirari non possumus, qui hoc præceptum ad Romanos dirigi voluit nominatim, vt quo loco sedes supremæ Potestatis destinata erat, eodem Apostolus stabiliret regulam obedientiæ Potestatibus Temporalibus debitæ. Nihilominus tamen hæc loca nouas quasdam interpretationes admittunt, & de Potestatibus in genere tantum intelligenda, non autem particulariter de Potestatibus Principum Temporalium in personas Ecclesiasticas. Bene quidem dici, omnem potestatem a Deo stabilitam esse, quo mandato inferior & subiectus, tenetur obtemperare Superiori, Ecclesiasticus puta Ecclesiastico: secularis, seculari: & nō Ecclesiasticos subiici temporalibus, neque ipsorum legibus obligari. Quæ quidem expositio veterum omnium Doctorum, qui in hæc loca scripserunt sensui & opinioni repugnat, quæ omnes intellexerunt & interpretati sunt de Potestate Principum Temporalium in Ecclesiasticos. Glossa interlinearis in hæc verba, *potestatibus sublimioribus*, ait, id est secularib. bonis vel malis. *f* Tertullianus qui temporalibus Seueri Imperatoris viuebat, & qui circa annum octauum Imperii ipsius factus fuit presbyter post Christi natiuitatis annū 202. loquens de authoritate Principū ait, *Quod attinet ad honores Regum & Imperatorū satis præscriptum habemus in omni obsequio esse nos oportere secundum Apostoli præceptum subditos Magistratibus, & Principibus & potestatibus.* In quo sensu explicet Apostoli verba ad Rom. c. 13. ad subiectionem Ecclesiasticorum probādam sub Principibus secularibus. Atque vt omnis dubitatio tollatur, comparationem instituit cū subiectione illa qua Nebucadnezari Regi tres illi fratres, *g* Sidrach, Misach & Abdenago subiecti erant, & Daniel Dario Persarum Regi. Et alio loco Iudices compellans de persecutionibus, quibus Christianos infestabant, ait, *h ciuilis non tyrannica dominatio, vel damnatio vestra est.* Quanquā hæc dominatio aut iudicia exercerentur, non solum aduersus laicos, sed præcipue contra Christianorum duces, velut Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & alios Ecclesiæ ministros D. Augustinus Episcopus ait, *i Quum anima constemus & corpore quandiu in hac vita temporali sumus, oportet nos, ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est hominibus, res humanas cum aliquo honore administrantibus.* S. Thomas Aquinas religiosus hūc locum sic etiam interpretatur, & ait, *k Interim dum corruptibilem carnem gerimus oportet nos Dominis carnalibus subiacere.* D. Ioannes Chrysostomus post prolixam de hoc subiecto tractationem, tandem concludit, *facit hoc Apostolus vt ostendat Christum leges suas non ad hoc induxisse vt politicas euertat, sed vt ad melius instituat, ostendens quod ista omnibus imperentur, & monachis & sacerdotibus.* Et paulo post, *etiam si Apostolus sis, etiamsi Euangelista, etiam si Propheta, siue tandem quisquis fueris.* Quæ omnes auctoritates confirmant, textus illos e scriptura superius allatos particulariter intelligendos de Potestate Principum Temporalium in Ecclesiasticos, non autem tantum de quauis in genere Potestate.

c 1. Petr. c. 2.
d Paulus ad Tit. ca. 3.
e Paul. ad Rom. cap. 13.
f Pamelius in vita Tertull.
g Dani. cap. 3. & 6.
h in Apolog. adus. Gent. ca. 2.
i D. Aug. in exposit. quarundam propositionū. ep. ad Rom.
k D. Thomas in cap. 13. epist. Pauli ad Rom.
l D. Chrysost. ad d. cap. 13.

Historiarum series, ab ipso Christi aduentu ad tempus vsque quo Romani Pontifices summam auctoritatem & imperium in vrbem acquisiuerunt, & in vicinas regiones, satis euidenter ostendunt Imperatores & Principes temporarios tam bene suam Potestatem in personas Ecclesiasticas exercuisse, vt eam etiam in Paparum personas exercuerint. Et qui quidem, tanquam Domini nostri vicarii nullam sibi maiorem auctoritatem arrogare potuerunt, quam habuerit ille cuius Vicariatum exercent, *m non est discipulus supra magistrum, nec seruus supra Dominum.* Dominum porro potestates temporales agnouisse, atque iisdem se subiecisse apparet, ex duabus vitæ ipsius actionibus ad hunc tractatum conuenientissimis. Quarum prima est, quū ab Herodianis quibusdam coram Discipulis interrogatus, an Cæsari soluendum esset tributum, necne, respondit, *n reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*, agnoscens reddendū tributum. Neque vero quæstionem illam attingo, an solutio ista manarit a necessitate, an a facilitate, & metu illorū scandali: an etiam differret istud tributum, *o* a didrachma, quæ exacta est a Christo, & a Petro Capernaum. Verum enim vero quum Christi actiones omnes perfe-

m Luc. 6. Matt. 10.
n Matt. 22.
o Matt. 17.

ctæ fue-

che fuerint, & hoc tributum persolui infferit, sequitur persoluendum fuisse ad vitandum scandalum, *a* & obsequendum ex Ecclesiæ determinatione. Altera vero, quum Pilatus Domino nostro dixit, *b Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* ei Dominus respondit, *non haberes potestatem in me vllam nisi tibi data esset desuper.* Quæ verba non sunt eo sensu accipienda, quo quidam volunt, vt intelligatur permissio illa, qua Dom. veluti habenas nonnunquam remittit improbis ad bonos affligendos, *c* quam *permissiuam potestatem*, aut potestatem *tenebrarum* vocant: sed de ea quæ in persona Magistratuum residet, quã *d* Iurisconsulti nominant *e Imperium seu potestatem de publico introductam, cum necessitate iuris dicendi, & æquitatis statuendæ. f* Sic etiam S. Bernardus sentit in Epist. quadam ad Henricum Archiepiscopum Senonensem, in qua probaturus religiosos non debere Episcopo obedientiam recusare, quod sui sermonis subiectum præcipuum est, argumentatur *a maiori*, vt vocant Dialectici, & ait, *Securitatem contemnetis? sed secularior nemo Pilato, cui Dominus adstitit iudicandus.* Et paulo post, *Dicite si audetis sui Præsulis Deum ordinationem nescire, quum Romani præsidis potestatem super se Christus quoque fateatur, cælitus fuisse ordinatam.*

D. Paulus Christum imitatus, agnouit legitimam potestatem *Felicis, & Portii Festi* Successoris ipsius, quorum vterque fuit iuris administrator in Iudæa, & Felicẽ alloquens ait, *g ex multis annis te esse Iudicem gentis huic sciens bono animo pro me satisfaciam*, quod proprie est suam Iurisdictionem subire. Vitæ suæ rationem coram *Festo* reddidit, & ad accusationes Iudæorum aduersus se respondit, *Paulo rationem reddente quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccaui.* Tandemque de sententia eiusdem Festi, qua Hierosolymam eum remittebat, ad Cæsarem prouocat, *ad Tribunal*, inquiens, *Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari, Cæsarem appello*. Ex quibus colligi potest quædam delineatio formularum in iudicio procedendi per recusationes, defensiones, appellationes quæ nullo modo conueniunt cum ea potestate tenebrarum, quæ persecutio bonorum est per malos: In quã vt nullus ordo, neque forma vlla iuris seruatur: sic neque aduersus eam vtuntur iusti defensionibus: sed ea tantũ armantur virtute, de qua D. Bernardus ait, *h Vtrumq; tu mihi Domine Iesu, & speculũ patiendi, & præmiũ patiẽtis.*

Hæc Domini nostri Iesu Christi & D. Pauli exempla fecerunt, vt sub initium Ecclesiæ, & deinceps in ipsius augmento, Papæ non recusarint se Potestatibus Temporalibus submittere: tantum abest vt inferiores Ecclesiastici non eas agnouerint. Quod vt dilucidius explicetur, tempus illud quod a Petro Apostolo lapsum est vsque ad Pipinum Regem Galliæ in tres præcipuas partes est diuidendum. Prima quarum est a S. Petro ad Imperium Constantini: Secunda à Constantino ad Iustinianum: Tertia a Iustiniano ad Pipinũ & Carolum magnum Reges Galliæ, & illum Occidentis Imperatorem. Atque hæc temporum periodus a quibusdam constituitur initium, quo ex liberalitate duorum Principum Gallorum cœperunt Papæ quandam potestatem in Temporalia sibi vendicare, quæcunq; tandem de Donatione Constantini prætexantur: postquam, & quidem trecentis annis post, Papæ non maiorem aut superiorem Romæ potestatem habuerunt in Temporalibus, quam nunc aut Toledæ aut Parisiis obtinent. De primo illo tempore a D. Petro ad Constantinum, neminem arbitramur in dubium vocare, quin Ecclesiastici Potestatibus temporalibus submissi essent: cuius fidem faciet apologia Christianorum apud Tertullianum, qui temporibus illis variis modis cruciabantur: veluti quum Christianus diceretur, *i omnium scelerum reus, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicus.* Quum in eos omnia incommoda & damna coniicerentur, cœli & terræ, *k Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cælum stetit, si terra mouit, si fames, si lues:* quum nebulones quidam quos appellabant, *depostulatores Christianorum* subinde inclamabant, *l Christianos ad leonem*: tunc inquam cogitandum cuius relinquitur an bonis & sanctis Patribus, Presbyteris, Episcopis, Pontificibus parceretur. Martyrologia tam vetera quam recentiora, atque in primis docti Baronii, nobis tot exempla suppeditant, vt cæcutiat in meridie, qui de illis dubitet. Quare sufficient pauca quædam, quibus fiat manifestum nouem insigniores persecutiones Christianorum, quæ ortæ sunt primis illis trecentis annis Domini nostri Iesu Christi, à Nerone vsque ad Constantinum, sostulisse quindecim aut octodecim Papas, quorum D. Petrus & D. Paulus principes fuerunt, ambo coronati laurea martyrii, eodem die, anno & loco, Romæ nimirum, *m 3. Kal. Iulii Lucio Fonteio Capitone, & Caio Iulio Rufo, Coss.* contradicant licet hodie non pauci. Hos sanctæ militiæ duces sequuti sunt, *Linus, Cletus, Clemens* & alii, continua fere serie vsque ad Marcellinum, cuius honorifica fuit retractatio, quod idolis adoleuisset, Felix si licet effari, culpa, quam tam insignis pœnitẽtia secuta est: non modo Paparum, sed immensæ Christianorum tam Ecclesiasticorum quam Secularium multitudinis, adeo quidem vt referente, *n* Platina, post Damasum vnica persecutione Diocletiani, spatio dierum paulo minus triginta, septemdecim Christianorũ millia cæsa sint. Porro facta ista fuisse sine ordine Iustitiæ dici non potest: nam certum est adhibitas fuisse formas iudiciarias, & fuisse Christianos condẽnatos, & (quanquam immerito) ex Legibus publicis suppliciis affectos. *o* Hanc ob causam Tertullianus ad Iudices suam apologiã dirigit. Et *p* Plinius secũdus, in quadam epistola ad Imperatorem Traianum, nominatim formulã sui iudicii aduersus Christianos refert. Et in quadam epistola quæ Hieronymo tribuitur, dicitur Constantinum iussisse, vt Iudices, *q sollicita perscrutatione monumenta publica discutiendo perquirerent, qui martyrium, à quo iudice, in qua prouincia vel ciuitate, qua die, quave perseuerantia*

a 28. quæst. 3 Can. Iam nunc.
b Ioan. 19.
c Luc. 22.
d l. 215 potest. d. de verb. sign.
e Gloss. & Bart. in leg. 1 ff. de iurisdic. om. iudic.
f D. Bernar. in epist. 42. ad Archiep. Sen. sub fin.
g Act. 24.
h D. Bernar. serm. 47. super Cant. Ego flos agri.
i Tertull. in apol. aduers. gent. cap. 2. ver deniq; t.
k Tertull. in apolog. cap. 40.
l D. Cyprianus epist. 15. & 55.
m Tertull. de præscri. ad hæret. cap. 36 & in scorp. ad gnosticam fin. Egesip. de exc. Ierosl. lib. 3. cap. 2. & aliis qui a Pamel. referuntur.
n Platina in vita Marcel.
o Tertull. in prim. & vlt. ex. apol. ad Gent.
p Plin. 2. Epist. li. 10. epist. 97.
q Hieron. vel alius author. in epist. ad Crom. & Helio. Epist. Bar. enim negat esse Hieron.

passionis sua obtinuerant palmam de ipsis archiuis sublata Eusebio dirigerent. Ex quibus apparet Iuridicam aliquam formulam obseruatam fuisse, quandoquidem sequebantur condemnationes: & sententiæ & processus verbales executionum in monumenta referebantur, & tam accurate monumenta in archiuis publicis conseruabantur. Verum, dicat aliquis, quorsum hæc exempla, quæ sub antiquis Principibus Paganis contigerunt, quibus frustra Ecclesiasticus quilibet postulasset ad suum Iudicem remitti, quod nullis sibi concessum iri sperasset? At respondetur; non esse nunc exquirendi tempus, quale istius requisitionis effectum futurum esset, an concessa prouocatio ad Iudicem nec ne fuisset: sed tantum quæri an Ecclesiastici tunc Laicos Iudices agnouerint: quod ex superioribus exemplis satis superque fuit comprobatum. Quod quidem sane ab illis factum minime fuisset, nisi se iure diuino ad id obstrictos sensissent: nam alioqui grauiter peccassent. Et quæ ipsos constantia ad fidem suam profitendam impellebat, eadem ad declinandam eorum Iurisdictionem impulisset, a quibus se iudicari patiebantur, nisi se iure diuino subiectos eorum legibus agnouissent. Quod quum ab ipsis minime factum sit, sane agnouisse illos fatendum est, eos ad quos vocabantur, suos Iudices fuisse, quod nos fundamentum ponere nitimur. Hoc fit conspicuum in D. Pauli processu, qui quum Hierosolymitanis Iudicibus traderetur iudicandus, eos recusauit, & ab iis ad Cæsarem prouocauit. Sed nunquam reperias Romæ, neque D. Petrum, neque Paulum, neque aliquem ex Sanctis illis Patribus vnquam declinasse Iurisdictionem Iudicum Secularium, sed sese contra iisdem, tanquam naturalibus Iudicibus, subiecisse. Quod attinet ad tempora Constantini, pietas ipsius, & singularis reuerentia qua Ecclesiasticos veneratus est, præbuerunt occasionem in ipsius persona stabiliendi, quicquid Pontificii in hoc negotio suum ius promouere posse iudicarunt: ac prælertim exemptionem illam a sua, suorumque Iudicum authoritate: quod inquirendum iam superest. Nituntur isti sermone, vere digno Principe Christiano, quo Patres Concilii Niceni, affatus est, *a Vos a nemine iudicari potestis, soli enim Dei iudicio reseruamini.* Verum hic locus primo fidem facit præsedisse Concilio Constantinum: quum hæc sint eius Conc. verba: *Constantinus Imperator præsidens in S. synodo, quæ apud Nicæam congregata erat, quum querelam quorundam conspiceret coram se delatam &c.* An non pulchre suam authoritatem retinebat, qui Concilio præsidebat, querelas eorum, qui se læsos querebantur, audiebat, & iis prouidebat? Quænam actio posset excogitari modestior & submissior ista, quam ea qua boni isti Patres supplices libellos Imperatori exhibent, & ab eodem iustitiæ fidem implorant? Quas si querelas audire noluit, si pro ratione temporum, & occasionis, quæ basis & fundamentum est omnis prudentis actionis, hunc nascentem ignem existimauit ab initio suffocandum, tanto sane maior eius auctoritas in eo apparuit, quo minus eam Legum formulis submisit, & extraordinario modo controuersias ipsorum extinxit. Qui iudiciorum formulas tenent, sciunt non tantum administrari Iustitiam, quum norma partibus præscribitur scribendi & producendi, contradictiones & saluationes opponendi, & secundum productiones ius dicitur: sed etiam quum in causæ introductione pars reiicitur in finem non recipiendi: quum supplex libellus aut reiicitur, aut alio remittitur: quin etiam quum vtrinque facta productione tacito Senatusconsulto, suspensam iri litem, id est, non iudicandam pronuntiatur. Quæ sane procedendi rationes non manant a defectu potestatis, aut authoritatis Iudicis, sed ipsius Prudentiæ sunt signa: & quod de bonis poetis dici solet,

a Can. 5. conti. 2. qua 1 can. 15. fu turam 11. quæst. 1.

Iam nunc dicat, iam nunc debentia dici,
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat:

Idem a Constantino factum, qui ad istorum Patrum querelas aures obturauit, & easdē extinxit, ne tanti tamque sancti concilii & conuentus fructu priuaretur. Neque sane quispiam id ausit asserere, fuisse suæ potestatis abdicationem, sed potius sui idem executionem, quod Theodoretus obseruat in Conclusione sermonis, quem habuit Imperator ad istius Cōcilii Patres, b *maxima pars Concilii*, (inquit) *verbis eius obtemperauit, & mutuam concordiam doctrinamque sanam amplexata est.* Idem Imperator deinceps satis notum fecit, se hoc facto insignis facilitatis, noluisse se abdicare sua in Ecclesiasticos Potestate, quum in epistola, quam ad Nicomediæ ciues scripsit, de quibusdam Episcopis loquens, ait, c *Erga istos ingratos aliquod supplicium censui statuendū, & propterea mandatū dedi, vt a suis abrepti sedibus, quam longissime relegarentur.* Quum accusationem quorundam aduersus Athanasium Episcopum Alexandrinū admisisset, d *quod tributa Ægypti imposuerat, & aurum inde collectam homini tyrannidem molienti suppeditaret. Effecerunt vt Athanasius Cōstātinopolin duceretur. Ille vt primum venit, tum falsam criminatorū accusationem, refutauit, tum ad Ecclesiæ administrationem, quæ ei diuinitus delata erat, restitutus est.* Sed quodnā dilucidius & expressius in hanc materiam factum videri potest, quā quum hic idem Imperator iussit Episcopos Tyrum conuenire, & istis eos verbis compellauit? e *Quod si quis nostrum mandatum etiam iam callide reiicere studens recuset ad Cōcilium aduentare, hinc a nobis aliquis mittetur, qui eum regio mandato de sua dignitate deiiciat, doceatque non decere quenquam decisionibus Imperatoris pro veritate editis aduersari.* Ergo dicat iam aliquis hunc Principem sese omni in Ecclesiasticos abdicasse potestate, qui in Episcopos inquirit, in exilium mittit, minatur de sedibus deiectionem,

b Theod. hist. Eccles. lib. 1. ca. 7.

c Theod. lib. 1. cap 18.

d Theod. lib. 1. cap. 16.

e Theod. Ecc. hist. li. 1. c. 9.

regio

rigis mandato, & per suos Iudices: qui disertis verbis dicit, neminem debere se suis mandatis opponere. Ac de reliquis longe inferioribus Ecclesiasticis, authoritatis quam in eos exercebat fidem faciat quoddam ipsius edictum, de iis qui inter Ecclesiasticos censeri volebant, quos non oportebat. *a Si progenie municeps vel patrimonio idoneus dignoscatur, exemptus clericis, ciuitati tradatur.*

a le. 6 neque vulgari eod. de Theod. de Episc. Eccles. & Cler.

Constantini Magni successores non minorem authoritatem retinuerunt in Episcopos & Papas ipsos, Constantius filius eius Liberium Papam in exilium misit, quod Athanasium Alexandrinum Episcopum condemnare noluisset: *b* cuius rei historiam Theodoretus pluribus persequitur. Imperatorem inducens his verbis Liberium alloquentem, *quoniam Christianus es, & nostræ Ciuitatis Episcopus* &c.& Liberius interrogatus non declinat iurisdictionem Imperatoris, sed ad singula capita de quibus inquiritur respondet: & tandem quum minaretur illi Imperator exilium, ni intra triduum sententiam mutet, *c Spatium*, inquit, *trium dierum aut mensium rationem non mutat, quare mitte me quo lubet.* Ex qua historia potest obiter erui veritas de Donatione Constantini, & an verisimile sit filium eius Romam fuisse vocaturum suam ciuitatem, Liberiumque Imperium suum Romanum fuisse deserturum, vt ad eum proficisceretur, cui non erat obligatus, & qui cum, si vera illa fuisset donatio, potuisset æquo iure agere, sese illius iudicio fuisse submissurum, & in exilium ad quod erat damnatus abiturum. Imperatores Arcadius & Honorius ob ignem iniectum fortuito in quasdam domos Constantinopoli, omnes Ecclesiasticos peregrinos qui in vrbe deprehensi sunt in vincula coniecerunt & paulo post apertis carceribus iusserunt vrbe exire, seque in suas habitationes recipere, indicta pœna publicationis domorum. *quæ Episcopos vel Clericos peregrinos post publicationem edictorum, & nostræ Serenitata affatus probabitur suscepisse.d* Vigilius *e* primus artibus Theodoræ vxoris Iustiniani, fuit Constantinopolim euocatus, quo quum venisset, mille tormentis affectus est, & qui eum erant Ecclesiastici comitati, partim in exilium pulsi sunt, pars ad metalla damnati, Theodoricus Gothorum Rex accusationem admiserat aduersus quendam Episcopum, qui dicebatur conspirasse aduersus Regis Statum, sed absolutũ dimisit *f Augustanæ ciuitatis Episcopum proditione patriæ falsis criminationibus accusatum declaramus, quia nobis honori pristino restitutus ius habeat Episcopatus omne, quod habuit.*

b Platin. in Liberio.
c Theod. Eccl. hist. lib. cap. 16.
d Leg. 37. quoniam pers. ff C. Theo. de Episc. Eccl. & Cler.
e Platina in Vig. 1.
f Cassiod. Var. lib. 1. Epist. 9.

Hactenus obseruata auctoritas Imperatorum in personas ipsas Episcoporum, & Paparum, ex qua probetur, quanto magis eam retinuerint in mediocres personas Ecclesiasticas: Sed ne deficere videantur antiquitatis testimonia, quædam expressiora subiiciamus. Imperatores, *Valens*, *Gratianus*, *Valentinianus* prohibuerant, *g* ne quis appellaret a præparatoria causa non lædente causam præcipuam, neque a delegato executore sententiæ, modo ne condemnationis terminos excederet, indicta pœna quinquaginta librarum argenti. Quæstio suboritur an Ecclesiastici terminis generalibus istius Legis comprehenderentur, atque iidem Imperatores comprehendi asserunt. *h Si Clericus ante definitiuam sententiam frustratorie dilationis causa ad appellationis auxilium conuolauerit, mulctam quinquaginta librarum argenti, quam contra huiusmodi appellatores sanctio generalis imponit, cogatur expendere.* Iidem Imperatores sanxerunt, Episcopos suis Officiis priuandos, *i qui sanctitatem baptismatis illicita vsurpatione geminauerint.* Quod exemplum secuti Imperatores, *Theodosius & Honorius*, mortis etiam pœnam imposuerunt, tam iteranti Baptismum, quam permittenti se rebaptizari, *k si per ætatem criminis capax sit* Quod intelligi non potest, eorum quidem respectu qui Baptismum iterant, quam de personis Ecclesiasticis, quibus proinde hac lege pœna mortis imponitur.

g l. 5 ab executione C. quor. appel. non recip.
h l. si cle. D. de Epis. audient.
i l. 1. C. in sanct. bapt. it.
k l. 2. cod. eod. ne sanct. bapt. iter.

Accidit etiam nonnunquam, vt Ecclesiastici quidam etiam religiosi ius sibi quoddam arrogarent manibus Iustitiæ reos capite damnatos subducendi, & retinendi. Quod fieri diserte prohibent Imperatores, Arcadius & Honorius: *l Si tanta*, inquiunt, *Clericorum aut monachorum est audacia, vt bellum potius quam iudicium futurum esse existimetur, ad clemẽtiam nostram commissa referantur, vt arbitrio nostro mox seuerior vltio procedat. m* Imperator Martianus approbãs Decreta Concilii Chalcedonensis diserte edicit omnibus, cuiuscunq; ordinis, personis, etiam Ecclesiasticis, ne in disputationem trahant, quæ in eo decreta fuerant, indicta pœna priuationis suorum ordinum. Atque hæc exempla sufficiant ad probandum, inde a Cõstantino ad Iustinianum, Imperatores singulis seculis retinuisse Potestatem suam in Ecclesiasticos, eãdemq; pro oblatis occasionibus exercuisse.

l leg. 7. ad dictos C. de Episc. audient.
m l. 4. nemo Cler. C. de sum. trin. & fid. cat.

Iam transeundum ad regulas, quas particulariter de Iurisdictione Ecclesiastica statuerunt. In hoc vero consentiunt omnes, *n* A Constantino Magno (qui sane pro viribus Ecclesiam iuuit & promouit) latam fuisse legem, qua permittebat alteri parti litigantiũ, siue actori siue defensori, in quacunq; causa, & in quocunq; statu lis esset, siue ante, siue post contestationem causæ, & quidẽ etiã instante Iudicio, euocare causã ad Episcopũ, etiam aduersa parte repugnante, & ab eo sententiã iudicii accipere sine appellatione. *o* Quæ sane lex non est omissa in cõpilatione Decretorum, sed inserta prolixe in duob. diuersis capitibus aut Canonibus. Videndũ itaq; an vnquam fuerit obseruata. Negatur, & non potuisse obseruari sine totius ordinis iudicarii corruptione dicitur. Nam quum iudicia reddantur in *inuitum*, & Potestas illa siue facultas iudicandi,

n l. 1 eod. Theod. de episc. iud.
o Can. 35. Quicunque, & Can. 36. omnes itaq; q. quæst. 1.

candi, quam nos Iurisdictionem dicimus consistat in eo potissimum, vt vi Legum, & authoritate Magistratus quisque in officio retineatur, quam porro vim habuisset Lex, quam Potestatem Magistratus, si liberum cuique fuisset aut eum Iudicem admittere, aut eius Iurisdictionem pro arbitrio declinare?

a Iurisconsulti in Iurisdictionis definitione, genus illi attribuunt *Potestatem de publico introductam*; & differentiam; *Necessitatem iuris dicendi & aequitatis statuendae.* b Sed vbi erit illa Potestas; si non cogit ad obedientiam? aut obedientia si a cuiusvis arbitrio pendet voluntas sese illi subiiciendi? Atque si Potestas illa publicis Legibus introducta est, qua ratione priuati derogabunt ipsi? Si derogent; quid fiet vi & nodo Legum publicarum, quid authoritate Magistratus; obedientia subiectorum; quid Potestate imperandi, quid necessitate obtemperandi? Quare Lex illa interpretanda est de bono & salutari consilio quod pius ille Imperator dabat ei qui ab Episcopo euocabatur; ne iudicium ipsius recusaret, tanquam prudentis arbitri: & hic paulus c Christianos arguebat, quod iudicio experirentur sub iudicibus infidelibus: neque tamen vel Paulo vel Imperatori propositum fuit necessitatem imponere; quae iudiciorum ordo euerteretur. Dicuntur Leges, d *non alia ex causa nos tenere, quam quod iudicio populi recepta sunt*: & quod in illis, velut & in moneta, populi consensum oportet accedere ad Legislatoris authoritatem. Probetur eam Legem vnquam obseruatam fuisse, vt nimirum laica persona; de re mere prophana, vnquam fuerit ad Episcopum euocata, nisi forte iuramenti praetextus fuerit, aut similis alicuius facti spiritualis, & manus dabo. Contra vero, sequuti Imperatores ostenderunt non aliter intelligendam quam quo sensu diximus, & tantum in ciuili materia, quorum haec fuit sententia. e *Si qui ex consensu apud sacrae Legis antistitem* litigare voluerint, non vetabuntur: sed experientur illius in ciuili duntaxat negotio more arbitri sponte residentis iudicium ex compromisso. Obserua tres notabiles astrictiones.

a Gloss. 1. Bart. aliique in l. 1. D. de Iurisd. om. iudic.
b l. 35 ius publ. D. de pactis.
c Pa. 1. Cor. ca. 6.
d l. 32. de quibus D. de leg.
e l. 8. si quis Cod. de Crist. audient.

Prima, vt adsit consensus partium: quod iuri conforme est iubenti, f *si se subiiciant aliqui iurisdictioni, & consentiant, cuiusuis iudicis iurisdictio fit.* Altera, *in ciuili duntaxat negotio*; Tertia, *more arbitri sponte residentis*.

f l. 1. D. de iudic.

Deinde Lex illa bene intellecta magis pendebat in fauorem laicorum, quibus permittebatur Episcoporum Iurisdictionem subire, quam Ecclesiasticorum ad Iurisdictionem ampliandam. Nam vt g *iubebantur omnes vitae huius occupationes abiicere, ne in vlla prorsus occupatione inuenirentur, mundani negotii occasione, ne praefocati praesentibus hominum curis, non possent Verbo Dei vacare*: merito etiam dubitari posset, an liceret ipsis sedere arbitris ad componendas Christianorum lites: quod ipsis quidem istae Leges permittunt, sed nunquam tamen imponere necessitatem voluerunt ad eos confugiendi: atque is est Legis istius sensus, confirmandus ex regulis de Iurisdictione Ecclesiastica factis. In qua materia differentia obseruata est inter causas ciuiles & criminales. In ciuilibus magna fuit diuersitas, forte promanans ab hac Constantini Lege nimium generali. Imperatores *Valens, Gratianus & Valentinianus* statuerant, vt causae ciuiles Ecclesiasticorum, in Synodis dioecesanis tractarentur, more controuersiarum de rebus Ecclesiasticis, h *Qui mos est causarum ciuilium, idem in negotiis Ecclesiasticis obtinendus est, vt si qua sunt ex quibusdam dissensionibus leuibusque delictis ad religionis obseruantiam pertinentia, locis suis, & à suae dioeceseos Synodis audiantur.* i *Imperatores Valentinianus 2. Theodosius & Arcadius*, id statutum correxerunt, & pro Synodis, cognitionem rerum Ecclesiasticarum ad Episcopos remiserunt, facta in id constitutione, à qua extractus Canon ille k *Continua*: Sed adeo truncatus (pace Gratiani dixerim) vt Legislatorum intentio prorsus euertatur. Haec sunt Legis verba, *Continua lege sancimus nomen Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiae necessitatibus seruiunt, ne ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum Iudicum pertrahatur: habent illi suos iudices, nec quicquam his publicis commune cum legibus: quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali authoritate decidi. Quibuscunque igitur mota fuerit quaestio, quae ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo iudice litigare, qui Praesul est in suis partibus omnium sacerdotum.* Sed Canon ille *Continua* detruncat haec verba, *quantum ad causas*, ac proinde istis Imperatoribus sensum affingit, omnes causas Ecclesiasticorum oportere coram Episcopis tractari, quum tamen legis sensus alius fuerit, nullam nempe aliam cognitionem illis tribuere, quam de rebus Ecclesiasticis.

g In epist. diui Pet. ad Clem. licet quidam dicant esse Clem. ad Iacob fratr. Domini relata in Can. 29. Te quidem. 11. quaest. 1.
h l. 23. qui mos est. C. Theod. de Episc. Eccl. & Cler.
i l. 3 grauitor, quae est vltim. ca. Theod. de Episc. iudi.
k Can Continua 11. quaest. 1.

Idem confirmarunt Arcadius & Honorius, quos supra diximus permisisse cuilibet personae subire iudicium Episcopi ex compromisso, more arbitri sedentis: l *Quoties de religione agitur, Episcopos conuenit agitare, caeteras vero causas, quae ad ordinarios cognitores, vel ad vsum publici iuris pertinent, legibus oportet audiri.* Et deinceps adhuc dilucidius expositum a Valentiniano 3. in Nouella, *de Episcopali iudicio*, in cuius initio dicit multas saepe oriri altercationes inter diuersas personas; de Iurisdictione Episcoporum; ideoque diserte confirmat leges Arcadii & Honorii. Non erit alienum a proposito Constitutionem illam producere, quod non sit adeo vulgaris, & quod totum hoc negotium distincte decidit. m *De Episcopali iudicio diuersorum saepe causatio est: ne vlterius querela procedat necesse est praesenti lege sanciri. Itaque quum inter Clericos iurgium vertitur, & ipsis litigatoribus conuenit, habeat Episcopus licentiam iudicandi, praeeunte tamen vinculo compromissi, quod & de laicis si consentiant authoritas nostra permittit: aliter eos iudices esse non patimur, nisi*

l l. 1. Cod. Theod. de relig.
m lib. Nouell. Valent. 3. tit. de Episc. de iudic. & diuers. negot.

Valuntas

voluntas iurgantium interposita sicut dictum est conditione præcedat: quoniam constat Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis causis secundum Arcadii & Honorii diualia constituta, quæ Theodosianum corpus ostendit præter religionem posse cognoscere. Si ambo eiusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & iure communi. Nota Lector hæc verba, *publicis legibus, & iure communi*, quibus demonstratur iis temporibus ius commune attribuisse Iudicibus secularibus cognitionem omnium causarum Ecclesiasticorum, exceptis rebus spiritualibus, & ad religionem pertinentibus: ac per consequens, Iurisdictionem Iudicum secularium in Ecclesiasticos fundamentum habuisse ius commune. *a* Martianus Imperator istas Constitutiones confirmans, addidit, si pro rebus prophanis actor laicus nollet coram Episcopo litigare aduersus Ecclesiasticum defensorem, cognitio deferretur, pro Clericis qui suberant Archiepiscopo Constantinopolitano, *ad præfectum Prætorio*, sine alia determinatione Iudicum apud quos alios Ecclesiasticos oporteret conueniri qui non erant Constantinopolitanæ ditioni submissi. Quam ob causam *Leo & Anthemius* adducti sunt, vt de eo pronuntiarent, statuerentque, non admittentibus partibus iudicium Episcoporum sponte sua, Iudices ordinarii iudicarent, *b apud suos iudices ordinarios, id est, Prouinciarum rectores, omnium contra se agentium excipiant actiones.* De delictis porro & criminibus Ecclesiasticorum, non concernentibus spiritualia, nunquam reperias temporibus dictorum Imperatorum, ad Iustinianum vsque Episcopos cognouisse. Huius rei textus tam expressus est, vt ad huius opinionis confirmationem sufficiat *Lex, c Mansuetudinis Cod. Theod. de Episc. Eccl. & Cler.* qua expresse cauetur, in iudiciis Episcopos accusari, sed siquid est querelarum quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos explorari. Quo loco, quandoquidem speciali priuilegio conceditur Episcopis, ne possint coram aliis Episcopis accusari, sequitur potuisse presbyteros accusari coram aliis Iudicibus quam Episcopis: *d* quandoquidem in terminis Iuris casus exceptus confirmat regulam in casibus non reseruatis. *e* Quodque in quodam casu interdicitur, in aliis permitti videtur. Aliàs frustra dictum foret, Episcopos non posse accusari, nisi coram aliis Episcopis, si solum Presbyteri non possent alibi accusari. Quinimo Constitutio Imperatorum Valentis, Gratiani & Valentiniani, de qua superius nominatim, excipit crimina, *f exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis, extraordinariisque Iudicibus, aut illustribus Potestatibus actio constituit.* Admittimus quidem, ne erroris, aut omissionis accusemur, Imperatores Honorium & Theodosium in genere dixisse. *g Clericos non nisi apud Episcopos accusari posse.* Sed generalis ista conclusio & vniuersalis, vt cum præcedentibus concilietur, debet intelligi de crimine Ecclesiastico, tantum in spiritualibus admisso: aut vt postea est interpretatus Athalaricus Rex Gothorum, ad Clerum Ecclesiæ Romanæ scribens, *h in Clero pro leuibus causis criminaliter impetito.* Verum concedatur legem istam generaliter intelligendam de omnibus casibus, contra Constitutiones præcedentium Imperatorum, sequetur multas incidisse difficultates de hac Jurisdictione, quo vsque extenderetur, pro diuersitate regularum in hoc subiectum præscriptarum: quas omnes oportuit certis terminis comprehendi & definiri. Quod ab Imperatore Iustiniano factum fuit, cuius leges tanti factæ sunt, & ordo, qui in illarum compilatione est obseruatus tam exactus, vt soli ipsius de Iure libri, a suo Imperio ad præsens tempus fuerint vbique, & ab omnibus accepti & admissi pro solo iure communi.

Iam igitur ad Iustiniani tempora deuenimus, in cuius Imperio, eum quem ab initio ordinem sequuti sumus obseruantes, duo in primis maxime notanda occurrunt: primum quam Potestatem in ecclesiasticos exercuerit: alterum quos ipsorum Iurisdictioni terminos posuerit. Ac de primo quidem cognoscent ii, qui nouellas eius constitutiones, vulgo nominatas authenticas diligenter euoluerint nullum pene fuisse negotium alicuius momenti in Ecclesia, de quo non sanxerit aliquam Legem, aut regulam præscripserit. *i* In tertia nouella decernit numerum presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, lectorum, ostiariorum in magna Ecclesia Constantinopolitana. In quinta iubet eos qui domos religiosas ingredi volent, *k vt non statim habitum suscipiant, sed triennium exspectent: vt monachi communiter edant & dormiant, testes alterutrius honestatis & castitatis: vt eligatur Abbas, non primus aut secundus ex ordine, sed qui dignior sit.* Sexta nouella continet perfectam normam in personas & formulam Electionis Episcoporum, *l vt Episcopus assumatur ex Clero aut monasterio, non ex plebe: cum Clericis conuersetur per sex menses: vt filios non habeat neque cognitos legi, neque illi odibiles, ne a propria Ecclesia plus quam per annum abesse audeat, nisi hoc per Imperialem fiat iussionem:* & alias istiusmodi regulas, quas referre tædiosum esset. *m* Quinquagesima sexta prohibet ne quis accipiat iura *insinuatiua*, ad ingressus & receptiones ad Ecclesiæ dignitates, *sub pœna priuationis Sacerdotii.* Quinquagesima octaua ad Mennam dirigitur, Archiepiscopum Constantinopolitanum, iubetque ipsum dare operam, *ne priuatis domibus fiat sacrosanctum ministerium quo exhibetur nobis verum corpus, verusque sanguis Domini & Saluatoris nostri.* Atque vt appareat eius in hunc Patriarcham auctoritas, eius etiam verba subiiciamus, *n Hæc sancimus tuam custodire celsitudinem, & nihil tale fieri concedere. Scito enim, quia si didicerimus, quod si tale aliquid denuntiatum non prohibuisti, ipsi quidem 30. librarum auri expones pœnam.* Centesima vicesima tertia continet repetitionem formulæ electionis Episcoporum, quibus eos moribus esse o-

a l. 25. cum cler. C. de Episc. & Cler. Et l. decernimus. 14. C. de Episc. audient.

b l. 32. omnes qui vbique. & leg. 36. iubemus. §. vlt. C. de Episc. & Cler.

c l. 12. Mansuetud. C. Theod. de Episc. Ecc. & cler.

d l. 1. D. de reg. iur.

e l. 12. cum Prætor. D. de iudic. 1. 18 in eo. D. de testibus.

f d. l. 23. quinimo est. C. Theod. de Episc. Eccles. & Cler

g l. 41. Clericos. C. Theod. de Episc. Eccles. & Cler.

h Cassiod. variarum lib. 8. epist. 24.

i auth. vt determ. sit nu. Cler. man. Eccle. constant. collat. 1.

k auth. de monachis. col.

l auth. quo. oport. Episc. & Cler. Collat. 1.

m auth. vt nu. qua vocat insinuat. coll. 5.

n auth. vt in priuat. adib. sacr. myst. non fi. coll. 5.

alia vero dicentur crimina communia, aut ciuilia: communia, *quæ iure communi*: ciuilia, *quæ publicis legibus vindicantur*. Quod docta Cuiacius in hanc nouellam annotauit, synonimas dicens esse voces, *Ciuilis & Communis*, quæ opponuntur, criminibus aut delictis Ecclesiasticis. Hæc igitur authentica nominatim designat id, de quo quærimus *Delictum commune & casum priuilegiatum* esse illud quidem, quod a Iudicibus ciuilibus punitur, & ex legibus publicis: hoc vero cuius speciali priuilegio cognitio permittebatur Ecclesiasticis. quod ex his verbis colligitur, *petiti sumus à Menna Deo amabili Archiepiscopo reuerendissimis Clericis hoc dare priuilegium*. Ad hanc petitionem, ipsis conceditur cognitio quarundam rerum, quæ sigillatim exprimuntur; in quibus tamen grauiora crimina non comprehenduntur. Quamobrem id cuius ipsis cognitio permittitur erit *casus priuilegiatus*; quandoquidem speciali priuilegio conceditur; in iis vero quorũ cognitionem Imperator suis Iudicibus reseruat, *casus* erit *communis*, id est id, de quo iure Communi Iudices semper cognouerunt.

In tertia, quæ Nouella est 123. repetit & confirmat eandem distinctionem, quam in altera fecerat, *a* hoc tantum adiiciens, se permittere ei qui actionem criminis habet aduersus Ecclesiasticum, pro delicto ciuili aut communi, coram Episcopo agere, si volet. Quas Constitutiones neque contradicere quisquam potest, neque vituperare in Legislatoris persona, quem Papa Ioannes secundus agnoscit optime affectum & bene meritum de religione Catholica: quem vocat, *b* *Christianissimum Principem, Imperatorem gloriosissimum, eique laudem tribuit, quod amore fidei, & charitatis studio edoctus Ecclesiasticis disciplinis Romanæ sedis reuerentiam conseruaret.*

a auth. de sanctiss. Episc.

b in epist. inter Clor. quo refert sub tit. Cod. de tri. & fid. cat.

In hac postrema nouella quiddam est singulare, ex qua fortasse Episcopi nostri occasionem acceperunt recusandi exauctorationem Presbyterorum a Iudicibus Secularibus condemnatorum. Nouella 83. dicebat Iudicem secularem, de Presbytero iudicantem, & sufficienter conuictum inuenientem, antequam pœna Legis ipsi applicaretur, *c* *spoliari a Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate oportere, & ita sub Legum fieri manu.* Constitutus igitur hic erat ordo, vt de criminibus ciuilibus Iudex Secularis in Presbyterum inquireret, quem si criminis conuictum haberet, ad Episcopum remitteret exaugurandum deinde pœnis subiiceret. Postrema hæc Nouella mouet denuo quæstionem, quid fieri debeat, si Episcopus putauerit gesta non iuste confecta. Atque in hoc casu permittit Episcopis dilationem exauctorationis, sed etiam iubet eos causas eius proferre coram Imperatore. *Ad nos*, inquit, *negotium tam Episcoporum quam Iudicum referatur, vt nos hoc cognoscentes, quæ nobis videntur iubeamus.* Iam itaq; dicatur, Principes non habere potestatem in Ecclesiasticos, quum tamen Christianissimus Imperator, talis agnitus a Papa bene versatus in disciplina Ecclesiastica, sibi attribuat vltimam cognitionem exauctorationis in Presbyterorum.

c d. auth. vt Cler. ap. pup. episc. coll. 6. §. illud palam est.

Episcopos omnes oramus, vt maturo consilio Legem istam explorent, & ex sanctione differentiam instituant inter exauctorationes quæ sequuntur Iudicum inferiorum sententias, & eas quæ a Parlamentis decernuntur. In prioribus possunt pro sua prudentia facti cognitionem aliquam postulare, & eo vsque exauctorationem differre: quandoquidem non est æquum eos accipere Legem a Iudicibus inferioribus, seseque sententiarum ministros tantum exhibere. Verum Parlamentorum respectu, vt a Regibus ordinati sunt custodes depositarii & supremæ iustitiæ dispẽsatores, certum est casus, quorum Imperator sibi cognitionem reseruauit, in eorum hodie esse potestate, tanquam pendentes a iustitia distributiua, & contentiosa. Quapropter quum eorum intersit vt superuenientes difficultates inter Episcopum & Iudicem inferiorem decidantur: multo magis quum illi ipsi de facto iudicarint, & exauctorationem decreuerint, Episcopum oportet ei satisfacere, non aliter ac si supremus Magistratus pronuntiauisset, *d* *existimauit enim Princeps eos qui ob singularem industriam ad huius officii magnitudinem adhibentur non aliter iudicaturos pro sapientia ac luce dignitatis suæ, ac ipse foret iudicaturus.*

d leg. 1. D. de off. præf.

Ista recusatio exauctorandi, & quæ inde sequuta incommoda fecerunt, vt Parlamenta ad condemnationes vsque deuenerint, & executiones Ecclesiasticorum in magnis & atrocibus criminibus, & ad vsum reuocarint quod legibus ciuilibus sancitum inuenetur: *e* crimen omnem dignitatem tollere. *f* Eum qui contra priuilegium aliquid facit, eo se indignum reddere, ideoque priuari. Et regula est Iustiniani, *g* *non permittas priuilegiis aliquib. vti nocentes.* *h* Quod etiam ex Canonibus didicerunt, *tandiu durare priuilegium, quandiu fit quod eius est ordinis & professionis*: & eum excidere priuilegio, qui sua Potestate abutitur; *i* quam alioqui minus offensionis & periculi sit erga societatem ciuilem, si Presbyter legitime conuictus criminis capitalis, luat pœnam sine exauctoratione, quam si oborta qualibet contentione, etiam cum ali quod impunitum maneret.

e l. 1. C. vbi senat. vel Claris.

f l. 17 quoti. de regn. lib. 12. cod.

g in auth. de mandat. prin. coll. 3. §. non permittas.

h ca 25. ab bate in fin. ext. de Verb. sign.

i Can. 63. priuilegi. 11. quæst.

Atque ista præcipue notãda sunt de hoc subiecto temporibus Iustiniani: paulo post cuius imperium quum Longebardi in Italiam eruptione facta, eam sub suam Potestatem redegissent & tenuissent spatio ducentorum circiter annorum, & Exarchis, qui eodem tempore constituti fuerunt, rem pro suo arbitrio gererent, parum studiosi fuerunt vtrique de hoc negotio regulas constituendi: aliis quidem viuentibus sub Imperii legibus, quas Iustinianus in ordinem redegerat. Longobardis vero seruantibus constituta & consuetudines locorum ex

quibus erant profecti, siue ab ostis fluuit Albis, vt volunt Strabo & Ptolomæus, siue aliunde. Quapropter nihil à Iustiniani Imperio noui potest obseruari, nisi quod vt præcedentes Papæ summam Imperatorum auctoritatem agnouerant in ipsa vrbe Roma, sic etiam sequentes idẽ præstiterunt.

Papa Pelagius scribens ad Childebertum Galliæ Regem, Papas agnoscit Regibus subiectos,

a Can. sata. gund. 11. q. 1.

a Regibus nos subiectos esse sacra scripturæ præcipiunt, quamquam pro voce *Regibus* quæ erat apud Iuonem Carnutensem, reposita sit vox *legibus*: & in veteribus impressionibus additum sit, *legibus religionis*, quod plane deprauat sensum textus veteris: qui habebat *regibus*.

b Platin. in vit. Martin.

Theodorus Calliopa Exarchus Martinum primum Papam apprehendit, & Constantinopolim duxit, quem lata in eum sententia misit in exilium. Gregorius Magnus ad Imperatorem Mauricium scribens, de quadam prohibitione, qua cauebat ne in monasteria reciperentur, qui publica munera sustinebant, sic eum alloquitur.

c Diu Greg. lib. ep. 16.

c Ego indignus pietatis vestræ famulus, & paulo inferius, *Ego hæc Dominus meis loquens, quis sum nisi puluis & vermis?* & paulo post. *Ego iussioni subiectus eandem legem per diuersas terrarum partes transmitto.* Vbique ergo quæ debui exsolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi minime tacui. Non videbatur sancto huic Papæ iustum Mauricii decretum: nihilominus pro debita ipsi obedientia non desiit illud publicare.

d Plat. in Bonif. 3.

d Bonifacius 3. non sine magna difficultate obtinuit a Phoca Imperatore, vt Romana sedes declararetur, vt reuera semper fuit, caput omnium Ecclesiarum,

e Idem Platin. in Bonif. 4

e Successor ipsius Bonifacius 4. coactus fuit supplex fieri eidem Imperatori, & magnis precibus templum Pantheum omnibus falsis diis consecratum obtinere, dedicandum honori Virginis Mariæ, & memoriæ omnium sanctorum Martyrum,

f Can. Agath. 63. dist.

f Agatho Papa, literas obtinuit ab Imperatore Iustiniano 2. quibus ipsi remittebat quod Prædecessores Papæ pro confirmationibus Imperatoribus soluebant, viginti puta libras auri: de quibus antea in Nouella Iustiniani 123. mentionem fecimus. Et Imperator Carolus Magnus: qui dignitatem Pontificiam magis promouit quam prædecessorum quisquam, in numero subditorum suorum recenset particulariter Romanos, & Ecclesiasticos nuncupat, *g fideles*: quæ vox non nisi de subditis dici potest, & relatiue ad eum qui summam potestatem obtinet. Quanquam

g Can. vol. 11. q. 1.

Lex ista Caroli Magni in Decretum relata est, ad probandam ab isto Imperatore fuisse renouatam Constantini Magni Legem. Sed ostensum est non potuisse illam aliter intelligi quam in modum arbitrii, non in iurisdictione contentiosa: prætenquam quod Imperatores subsequentes eam abrogarant. Quanquam Caroli Magni Constitutio illa, non potuit in Gallia locum habere, quod tunc ibi moribus & consuetudinibus particularibus viueretur, quibus specialiter renuntiandum fuisset. Præterea fuit eadem Constitutio abrogata à quodam Occidentis Imperatore, & à Rege Galliæ. Nam Lotharius 2. restituens vsum librorum Iuris Iustiniani, decreuit eadem ratione vt quælibet controuersiæ & lites ex ipsius decisionibus terminarentur.

h Philipp. 3. 1274.

h Et Philippus 3. filius S. Clodouei. de Iurisdictione Ecclesiasticorum loquens, in Constitutione anni 1274. vult eam ex scripto iure administrari, nisi quid agi debeat consuetudo declaret. Maximum argumentum quo Potestas ista Iudicum Secularium in Ecclesiasticos oppugnatur positum est in diuersis Constitutionibus, Decretis & Canonibus Paparum, quibus immunes declarantur: & sane si Decretis illis staretur, de causa esset actum. Sed verbo vno respondeo

i Paul. Ro. cap. 13.

i Potestatem illam Secularium esse iuris diuini, aut proinde nemo quicquam derogare potest humana constitutione. Subiectionem Ecclesiasticorum sub Principibus, pendere ab ipsorum potestate Temporali, cui nulla potest imponi lex, quæ subditos naturales auertat.

Leges & Decreta Paparum, Regum temporalia spectantia, & nominatim augustam Coronam Francicam & diminutionem Iurium illius Status, neque habere locum neque posse in Gallia: nisi speciali Principis lege recepta fuerint & approbata. Status Gallici lex est illa fundamentalis, quam nunquam violari quacunque tandem externa potentia patientur. Quã quando Papæ, quibusdam ducti considerationibus, limites spiritualis ipsis commissi regiminis egressi vel tantillum attigerunt, viriliter repulsi fuerunt: ita tamen vt integro & saluo honore & reuerentia sacræ sedi debita, iura huic Coronæ acquisita, inde a primordiis defensa sint. In iure Galliæ istud primum & maxime augustum est, Maiestatem Christianissimam in Temporalibus, & circumstantiis ac dependentiis illorum, nullam in regno suo superioritatem agnoscere aliam, quam quæ ipsi a Deo solo data est, neque posse mortalem quenquam, ac ne quidem Sanctitatem Papæ manum in eam inicere, directe, aut indirecte pleno iure aut accessorio spiritualitatis, in omnibus casibus, aut per extentionem in casu necessitatis, neque in genere vlla ratione quam canonistæ conati sunt intrudere: quocunque tandem colore aut prætextu fucum inducentes. Quinimo quotiescunque aggressus est quispiam aliquid, in illius iuris præiudicium, ad solitum remedium recursum est, Appellationum tanquam abusus: quibus Parlamenta ex auctoritate quam habent in Statu, res omnes ad normam veterum Canonum reduxerunt, quos huius status leges admiserunt & approbarunt, Edicta Regum & Decreta Curiarum supremarum: nulla prorsus admissa innouatione: qui sunt quatuor singulares casus appellationum tanquam abusus, in Galliam introductorum ad conseruationem authoritatis regiæ aduersus Ecclesiasticorum molitiones. Porro nequaquam huius tractatus

scopus

scopus est attingere vel imminuere Ecclesiasticorum priuilegia, multoque minus eorum errorem tueri, qui asseuerare audent, in rebus omnibus, etiam in spiritualibus, ipsos oportere subiici Principibus secularibus: neque etiam eorum, qui dixerunt Principes non posse a suis Potestatibus Ecclesiasticos eximere, aut vllum ipsis in quocunque casu priuilegium concedere. Ab istis doctrinis abhorret animus, & ab aliis omnibus repugnantibus religioni Catholicæ, Apostolicæ, in cuius sinu nos victuros & morituros, Deo concedente protestamur: atque admittimus Ecclesiasticis quædam priuilegia concedi potuisse: ac re ipsa concessa fuisse, quæ ipsis æquum est conseruari in statu Catholico, quandoquidem a & Pharao Rex Ægypti, b & Artaxerxes Rex Persarum, & alii Principes Ethnici multa illis concesserunt. Sed tamen dicimus, eã cognitionem, quam habent in iis, quæ à temporalibus dependent, à Principum priuilegiis & concessionibus eis datam, & in casibus criminalibus nulla ipsis data priuilegia de iis cognoscẽdi, nisi in leuioribus quibusdam delictis. Sed in maioribus, & atrocioribus criminibus, quibus leges, publicus status, & societas ciuilis læduntur, Reges suis Iudicibus eorum cognitionẽ reseruasse, ex iuris communis dispositione. Parlamenta sine difficultate iudicasse, & puniuisse Ecclesiasticos alicuius criminis conuictos: quorum iudiciorum infinita possunt exempla produci. Ac proinde in materia criminali, casus de quibus Ecclesiastici, secundum data ipsis priuilegia, possunt cognoscere, vocari oportere *casus priuilegiatos*. Eos vero, de quibus Iudices seculares cognoscunt, & ipsis ex dispositione iuris communis reseruata sunt, oportere, *Delictum commune*, vel *casum priuilegiatum* vocari, concludimus.

a Genes. 47.
b Esdr. 1. c. 7.

EMVNDI RICHERII DOCTORIS ACADEMICI PARISIENSIS

Anno 1611.

DE ECCLESIASTICA ET POLITICA POTESTATE,

Liber vnus.

Ecclesia est Politia Monarchica, ad finem supernaturalem instituta: regimine aristocratico, quod omnium optimum & naturæ conuenientissimum est, temperata a summo animarum pastore Domino nostro Iesu Christo.

De Ecclesiastica, & Politica Potestate,

Liber vnus.

ARGVMENTVM.

1. *IVrisdictio Ecclesiastica primario ac essentialiter Ecclesiæ, Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis ministerialiter tantum, sicut facultas videndi oculo conuenit.*
2. *Christus, immediate, & per se claues siue iurisdictionem ordini hierarchico contulit, per immediatam & realem missionem omnium Apostolorum atque discipulorum.*
3. *Ecclesiæ definitio, per causas essentiales.*
4. *D. Petrus est solummodo dispensator & caput ministeriale: Christus autem, Dominus absolutus, fundator, caput & fundamentum essentiale Ecclesiæ: vnde argumenta quæ ducuntur a capite ministeriali ad essentiale caput, fallunt à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.*
5. *In Ecclesia, status à regimine distinguitur: nam status monarchicus est, ad vnitatem atque ordinem vindicandum, necnon ad efficacem executionem canonum: regimen vere aristocraticum, propter salutare consilium, infallibilem prouidentiam, & constitutiones canonum: Ecclesia enim canone non absoluta potestate regitur.*
6. *Infallibilis potestas decernendi aut constituendi canones, toti Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, non vni & soli Petro competit: idque praxi Ecclesiæ comprobatur.*
7. *Explicatio huius textus Euangelii, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c.*
8. *Frequens celebratio conciliorum est simpliciter & absolute necessaria ad Ecclesiam melius sanctiusque regendam: & quo in casu bullæ, ac decretales summorum Pontificum obligent.*
9. *Quousque plenitudo potestatis Papæ se extendat, & quo in casu de canonib. conciliorum dispensare valeat.*
10. *Quanquam Ecclesia vnicum habeat caput essentiale, nihilominus in ratione exercitii, atque executionis regiminis, à Papa & a Principe politico differenter gubernatur.*
11. *Cum Ecclesia neque territorium, neque ius gladii habeat à Christo, & ad finem supernaturalem spiritualem tantum instituta sit, de mediis necessariis ad beatitudinem suasiue tantum & directiue, non coactiue pœnas temporales irrogando, iudicat.*
12. *Princeps politicus, vt Dominus reip. ac territorii vindex est atque protector legis diuinæ, naturalis & canonicæ: Quare in eum finem leges figere & gladium distringere potest.*

13. *Princeps politicus, vt Ecclesiæ protector & vindex canonum, iudex est legitimus appellationum quas ab abusu vocant: & hinc Ecclesiæ Gallicanæ libertates originem sumpserunt.*

14. *Confutatio argumentorum, quibus absoluta potestas Romano Pontifici tribuitur.*

15. *In concilio generali congregato, Papa habetur caput quoad verbi diuini prædicationem, administrationem sacramentorum, & executionem canonum: minime vero quoad directionem, & potestatem coercitiuam in totum concilium.*

16. *Explicatio huius canonis, Nemo iudicabit primam sedem.*

17. *Causa finalis Ecclesiæ, quæ est vita æterna per bonum regimen, demonstrat Petrum esse per & propter Ecclesiam, sicut oculus per & propter hominem.*

18. *Quod sit Ecclesiam habere potestatem indirectam in temporalia: & solutio argumentorum contrariorũ.*

DE ECCLESIASTICA, ET POLITICA POTESTATE,

Liber vnus.

1. VVLGARE EST, atque indubitatæ fidei axioma, Deum & naturam, prius atque immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi, quamuis nobilissimã, intendere: eamque ob causam, facultatem videndi, exempli gratia, toti datam esse homini, vt per oculum, tanquam per organum & ministrum hominis exerceretur: nam oculus per & propter hominem existit. Schola Parisiensis hoc infallibili munita firmamento, congruenter ad mentem omnium antiquorum doctorum Ecclesiæ, perpetuo constanterq; docuit, Christum fundando Ecclesiam, prius, immediatius, atq; essentialius, claues, siue iurisdictionem, toti dedisse Ecclesiæ quam Petro: seu quod eodem redit, *Claues toti concessisse Ecclesiæ, vt per vnum ministerialiter exercerentur*. Quandoquidem, tota iurisdictio Ecclesiastica, primario, propriè, ac essentialiter Ecclesiæ conuenit: Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis, instrumentaliter, ministerialiter, & quo ad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo. *Nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim vestra sunt*, id est Ecclesiæ, *siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue præsentia, siue futura: omnia enim sunt Ecclesiæ: Ecclesia autem Christi, Christus autem Dei*. 1. Corinthiorum 3.

2. Enimuero, cum Dominus noster c. 16. Matthæi, verbo futuri temporis claues nomine totius Ecclesiæ B. Petro sic despondisset: *& Ego tibi dabo claues Regni cœlorũ, &c.* tũ demum eas actu ordini hierarchico confert, primũ Matthæi 18. vbi Ecclesiã sibi efficientem & architectonicam ita constituit, *dic Ecclesiæ*, &c. secundo, per realẽ missionẽ: *Designauit Dominus & alios LXXII. & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatẽ & locum quo erat ipse venturus*. Lucæ 10. Similiter Ioannis 17. vers. 18. vbi paulo ante, vel statim post factæ cœnæ celebrationem, patrem suum pro Ecclesia sponsa hoc modo exorat. *Sicut me misisti in mundum, ita & Ego eos misi in mũdum, & pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & Ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus quia tu me misisti, vt sint consummati in vnum, &c.* Quibus verbis liquido demonstratur, Christum non tam vni & soli Petro, quam vnitati infallibilem clauium potestatẽ detulisse: vt D. Cyprianus, & Augustinus confirmant, 24. q. 1. can. quodcumq;, can. loquitur, can. alienus. Addendum cap. 20. Ioannis vers. 21. *Sicut misit me Pater & Ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quando igitur missio vera & realis est collatio iurisdictionis, auctore Apostolo 10. ad Romanos, *quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Christus autem omnes Apostolos atq; discipulos, qui Episcopalẽ & presbyteralem ordinem referebant, immediate, indiuidue, & collectiue misit, sicut a Patre suo ad est eum iusta, & spirituali authoritate ad Ecclesiã regendã necessaria, missus fuerat: Consurgit, totum ordinem hierarchicum, Episcopali, & Sacerdotali ordine constantem, immediate, proportionate tamen atq; subordinate, suam potestatem & iurisdictionem, hoc est, *facultatem regendi Ecclesiam*, a Christo deriuare: quẽadmodum in Galliis, inferiores iudices ac Magistratus, quanquam subditi Parlamentis, æq; tamen immediate auctoritatem suam a rege Christianissimo mutuantur, quã ipsa Parlamenta: *nã, quæ sunt, à Deo ordinata sunt*, Romanorum 13. nequaquam vero ordinata forent, nisi aliqua, & inter ipsos Magistratus, & inter Ecclesiasticos, subordinatio decurreret. Adiunge D. Pauli testimonium Act. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos S. Spiritus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quam doctrinã, D. Bernard. lib. 3. de Consideratione ad Eugenium c. 10. mirum in modum illustrat: *Erras*, inquit, *si vt summam, ita & solam institutã à Deo vestrã Apostolicã potestatem existimas: si hoc sentis, dissentis ab eo qui ait, non est potestas nisi à Deo: proinde quod sequitur, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, etsi principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Denique idem ait, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non ait sublimiori tanquam in vno, sed sublimioribus tanquã in multis. Non ergo tua sola potestas à Domino, sunt mediocres, sunt & inferiores: Et quomodo quos Deus coniunxit non sunt separãdi, sic nec quos subiunxit comparãdi. Monstrũ facis, si manum submouens digitũ, facis pendere de capite, superiorem manui, brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore, mẽbra aliter locas, quã disposuit ipse, qui posuit in Ecclesia quosdã quidẽ Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Euangelistas, Pastores, & alios Doctores, ad consummationẽ sanctorũ: in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi:* Ephes. 4. Lector diligens videat integrum caput. Quod si forte reclameus,

ment, hanc potestatem, quam Christus immediata missione concessit discipulis, non tam spectare ad iurisdictionem exterioris, quam interioris fori: Oppones, cunctos Patres antiquos Ecclesiæ, id absolute interpretari, de quacunq; potestate, ad Ecclesiã regẽdam necessaria, iam in interiore, quam in exteriore foro: atq; illis multo magis habendam esse fidem, quam istiusmodi argutis recentiorum distinctionibus, quas de industria meditantur, vt sua priuilegia, & extraordinarias missiones, in iuris communis perniciem, facilius tueantur, ac dilatent. Adde quod summa totius externæ iurisdictionis, in facultate excommunicandi conquiescit: quam quidem immediate creditam fuisse Ecclesiæ a Christo, demonstrabitur *n. 6.* Forsan causabuntur, potestatem iurisdictionis, primitus quidem institutam & collatam Ecclesiæ a Christo, sed ea lege, vt postmodum per Romanos Pontifices, Petri successores, propagaretur, atq; aliis Episcopis communicaretur: eamq; ob causam omnem auctoritatem istinc hodie repeti ac deriuari. Respondebis, praxi Ecclesiæ primitiuæ, & sacris canonibus, exploratissimum esse, collationes beneficiorũ, sicut nunc eas vocitant, quadringentis & mille annis, communi iure, hoc est sacrosanctis electionibus, factas: ratio est, quoniam *omnis principatus, quo ad vim coactiuam, ab hominum consensu pendet*, vt lex diuina & naturalis confirmant: quas aduersum, neque spatia temporum, neque priuilegia locorum, neque dignitates personarum, vnquam præscribere poterunt. Hoc iacto & præmisso fundamento, sequẽtia principia directe & necessario colligimus.

3. Primum, Ecclesiæ definitionem referabit: *Ecclesia, est politia monarchica, ad finem supernaturalem spiritualem instituta, regimine aristocratico, quod omnium optimum, & natura conuenientissimum est, temperata à summo animarum pastore Domino nostro*: qui Rex est, monarcha, Dominus absolutus, fundator, petra, & caput essentiale Ecclesiæ, ac absolutum, sine pure monarchicum in eã habet imperium; cumque sua omnipotentia, & virtute infinita, absque crucis scandalo homines saluare potuisset, nihilominus, vt potentiam, fastum, superbiam, & sapientiam mundi confunderet, ac destrueret, suosque ministros humillime de se sentire doceret, *per stultitiam prædicationis*, de qua *num. 11.* disputabitur, *saluare voluit credentes, ne in eius conspectu gloriaretur omnis caro*; Primæ Corinthiorum 1. Istinc vero inducimus, hunc fidei articulum, *Credo vnam sanctam Ecclesiam Catholicam*, esse veritatis sempiternæ, propterea quod, lege euangelica stante, Christus diuortium cum Ecclesia sponsa facere non potest; quod de symbolico & ministeriali capite Romano Pontifice, asseri non debet, quem saltem ad tempus adesse & abesse videmus sine Ecclesiæ interitu; nam compertum est, sedem Apostolicam aliquando tres, aliquando septem annos vacasse; siquidem præceptum, de habendo Pontifice, affirmatiuum nõ negatiuum est.

4. Secundum principium docet, D. Petrum esse tantummodo dispensatorem & caput ministeriale, non dominum aut fundatorem Ecclesiæ; hoc enim vni, & soli Christo, capiti essentiali, per quem & propter quem substat Ecclesia, competit; qua de causa, Petrum sic alloquitur, Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; audis? non dicit tuam Ecclesiam, aut, portæ inferi non præualebunt aduersum te. Similiter Iohannis 21. *Pasce oues meas, pasce agnos meos*; non dicit tuas oues, aut tuos agnos; vt ostenderet, Ecclesiasticos ad puram dispensationem aut administrationem, non ad aliquem dominatum temporalem, aut principatum mere & absolute monarchicum, vocari. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*, Lucæ 22. & 1. Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontaneè secundum Deum; neque dominantes in cleris: sed forma, aut exemplum facti gregis, ex animo.* Quos scripturæ locos, D. Bernardus 2. ad Eugenium capite 5. ita explicat. *I ergo & tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. si vtrumque simul habere voles, perdes vtrumque; forma Apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio, quæ commendatur exemplo legislatoris; Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat, &c.* Qua epanorthosi, D. Petrus, & Bernardus, specimen regiminis aristocratici, quod *num. 5. 6. & 8.* describetur; nobis ponunt ante oculos. Non me latet, recentiores, vt sua priuilegia expeditius propugnent, obtẽdere, Dominum hac voce *pasce oues meas*, vni & soli Petro totam detulisse iurisdictionem ecclesiasticam, quo eam deinceps, pro animi sui arbitrio, quibuscumque vellet dispartiretur. At sacræ scripturæ oraculis, omnium antiquorum doctorum monimentis, necnon etiam ipsa praxi veteris ecclesiæ, tam plane atque aperte confutantur, vt mirum sit illos tam absurda comminisci audere. Siquidem, diuinum hoc proloquium, *Pasce oues meas, &c.* primam ac plenam facultatem exequendi aut dispensandi legem diuinam, naturalem, & canonicam B. Petro capiti ministeriali confert, iuxta regulas temperamenti aristocratici; de quo consule *numerum 9.* Quibus ita positis, facilis remanet solutio istorum & similium argumentorum; Petrus est petra, fundamentum, & caput Ecclesiæ; Ergo absque illo ruit Ecclesia; vel corpus sine capite, riuus sine fonte, radius sine sole, palmes sine stipite, ramus a trunco abscissus perit, & ardet; Igitur etiam Ecclesia nequit subsistere sine Papa. Quasi vero Romanus Pontifex essentiale & primarium, non secundarium, & ministeriale caput Ecclesiæ esset, vnde præceptum habendi Pontificis, ad semper non pro semper obligat, vt loquuntur scholastici.

5. Tertium principium statum Ecclesiæ ab eiusdem regimine distinguit; status enim monarchicus est, tum ad vnitatem atque ordinem vindicãdum, cum ad exequutionem canonũ,

quæ Romano Pontifici, velut capiti ministeriali congruit: regimen vero aristocraticum, propter solidam prouidentiam, efficax consilium, & constitutiones eorundem canonum: quam ob causam numero 1. diximus, *Claues toti datas fuisse Ecclesiæ, vt per vnum exercerentur*. Enimuero, canone aut consilio Ecclesiam sponsam gubernari voluit Dominus, quo Romani Pontifices, atque alii Episcopi, nihil quicquam magni momenti de proprio motu, aut oligarchici concilii suasione decernerent, sed aristocraticum Ecclesiæ concilium, frequenter cogerent, ac consulerent: Ideoque ab antiquis Patribus sancitum legimus, vt singulis annis prouincialia concilia bis conuocarentur. Quæ autem est ratio œcumenici concilii ad Romanum Pontificem, eadem quoque & synodorum particularium ad suos Episcopos: quoniam particulares Ecclesias itidem canone, non absoluta potestate, a propriis Episcopis gubernari oportet. Porro senatum aut consilium natiuum Ecclesiæ à Domino institutum, vocamus, non modo Episcopos, verumetiam omnes presbyteros, curam animarum habentes: quorum illi Apostolis: hi vero LXXII. discipulis successerunt, *dist. 68. can. Chorepiscopi: 16. quæst. 1. can. Ecclesia: & dist. 23. can. presbyter*. Etenim, quondam presbyteri Ecclesiam in commune regebant, vt D. Hieronymus auctor est, *can. legimus, dist. 93*.

6. Quartum, infallibilem potestatem decernendi, aut condendi canones, esse penes totam Ecclesiam, aut generale concilium illam repræsentans: qua in re, natura regiminis aristocratici potissimum consistit: ac partim diuino, partim naturali lumine demonstratur. Quandoquidem oculi, quam vnicus oculus, longius atque acrius prospiciunt: ac nemini vni ne superbiret, a Deo vel a natura datum est, vt sapiat: Deinde, *corpus ecclesiæ non est vnum membrum, sed multa: si totum corpus oculus, vbi auditus?* primæ Corinthior. 12. & 14. vers. 32. *Spiritus prophetarum, prophetis*, id est, Ecclesiæ, *subiectus est*. Etenim, *Episcopatus vnus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur*, 24. quæst. 1. can. *loquitur*. Itaque, quod omnes tangit, necessum est ab omnibus quoque comprobari: cum præsertim, *omnis Pontifex ex hominibus assumptus, circundatus sit infirmitate*: ac proinde fallere & falli potest, nisi *Ecclesiam columnam firmamentum veritatis* 1. ad Timoth. 3. in concilium adhibeat. Quapropter Ecclesiæ, non vni & soli Petro, Dominus in cœlum ascensurus spiritum veritatis pollicetur, Ioannis 14. vers. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis*. Item Matthæi 18. Ecclesiam sibi ipsi sufficientem & architectonicen, infallibilis tribunalis erectione constituit: dum B. Petrum rescire gestientem, quoties fratri suo peccanti indulgeret, in hunc modum informat: *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum inter te & ipsum solum &c. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est, vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Quo ex prologuio discimus, Christum immediate concessisse ordini hierarchico, quem hic nomine Ecclesiæ designat, facultatem excômunicandi: nam sicut denarius numerus, eminéter & causaliter omnes capit numeros, sic formula hæc, *dic Ecclesiæ*, eminenter inquam & causaliter, plenitudinem potestatis ecclesiasticæ, cum omni superiore ecclesiastico, aliqua iurisdictione prædito, complectitur, siue sit Curio, Episcopus, Papa, aut Concilium generale, in quod omnes controuersiæ, tanquam in vltimum atque infallibile tribunal, omnem potestatis plenitudinē continens, resoluuntur. Patet, quoniam, statim atque Dominus hoc protulit oraculum, *dic Ecclesiæ*: continuo pluraliter subiungit, *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, &c.* Vnde liquido apparet, ibi formaliter & proprie non agi de Ecclesia pro vnico homine sed pro pluribus vna congregatis: quocirca eodem filo orationis Dominus impartitur Ecclesiæ facultatem sese congregandi in concilium, atque infallibiliter decernendi: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, &c. vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Neque silentio præterire opus est, Christum in hoc textu, concilium aristocraticum diuinitus, non oligarchicum humanitus institutum, designare: numerumque certum pro incerto, ac minimum numerorum ideo expressisse, quo omnem tergiuersandi occasionē litigiosis hominibus eriperet: ostenderetque ad iustam Ecclesiæ moderationem, non vnius tantum Romani Pontificis sed trium aut duorum ad minus consensum & concordiam requiri. Profecto, quamcunque in partem se conuerterint aduersarii fateantur oportet, hæc verba, *vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, &c.* absolutam, atque infallibilem vnius Papæ auctoritatem necessario excludere: ac demonstrare, Ecclesiam inuitam, dissentientem, aut inconsultam obligari non posse: quod vsquequaque legi naturali congruit, & praxi veteris Ecclesiæ abunde confirmatur: Nam Hierosolymitanum concilium, omnium apostolorum & presbyterorum consensione ac suffragiis ita concluditur Actorum 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis*. Deinde, Patres Ecclesiæ Africanæ, quos inter D. erat Augustinus, Cælestino 1. Romano Pontifici scribunt, *Non esse credibile, Deum vni cuilibet inspirare examinis iustitiam, & innumerabilibus congregatis in concilium illam denegare*. Facit ad huius doctrinæ commendationem, Zozimi Papæ sententia, qui se aperte inferiorem concilio fatetur, dum Galliæ Episcopis respondet, sedis Apostolicæ auctoritatem, sacris conciliorum sanctionibus derogare non posse, 25. quæst. 1. can. *Contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas: apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reuerentiam*.

sium. Isthuc similiter accurrit, magni Gregorii responsum, *qui se quatuor Concilia generalia venerari fatetur, sicut quatuor libros sancti Euangelii: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere quos religant, aut ligare quos soluunt*, *distin.* 15. can. sicut sancti Euangelii. Certe, qui acta conciliorum generalium reuoluerit, facile videbit, vnum solum Pontificem Romanum in synodis generalibus, decreta fidei catholicæ non facere, sed inductione, & consensu omnium Ecclesiarum particularium inito, illa vulgo etsi inferre ac concludere. Quæ certissima atque euidentissima est regiminis aristocratici demonstratio: & confirmatur *can. maiores* 24. *quæst.* 1. 7. Sed forte quispiam arguet, Christum *Lucæ* 22. rogasse pro Petro ne eius fides deficeret: eique insuper præcepisse, vt fratres suos confirmaret. Respondetur ad primum, hanc Christi pollicitationem, iuxta sensum literalem scripturæ, ad solum tempus dominicæ passionis extendi, quo scandalum crucis in vniuersos Domini discipulos, maxime vero in Beatum Petrum, qui ter magistrum suum negauit, erat debacchaturum; Vnde Matthæi 26. Dominus discipulos in hunc modum affatur; *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: scriptum est enim, percutiam pastorem & dispergentur oues gregis; Respondens autem Petrus ait illi; & si omnes scandalizati fuerint in te, Ego nunquam scandalizabor; Ait illi Iesus, Amen dico tibi, quia tu hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Præterea Lucæ 22. *Simon, ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum; Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Vbi attendere oportet, Christum non dixisse Petro, Ego rogaui pro te ne vnquam erres, aut vt sis infallibilis; sed tantum, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & Petrum errasse quidem, eius vero fidem nequaquam defecisse quoad habitum, sed quoad actum; nam ore non corde Dominum negauit. At secundum qui antecedentia & consequentia huius textus considerare examinarit, prima fronte videbit, D. Petrum, postquam ex turbatione trinæ negationis, quasi ex grauissimo sopore emersit, multo magis idoneum fuisse, tum ad suos collegas fluctuantes confirmandos, tum ad fratres dispersos in Ecclesiam reuocandos, vt ibidem resurrectionem Domini præstolarentur. Quamobrem, hoc argumentum, fallit a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter; quia istud priuilegium soli Petro, ob imminens scandalum crucis, factum est. Hercle, si solus Papa, non Ecclesia collectiue sumpta est infallibilis; insurgit Paulum grauissime peccasse, *Galatarum* 2. cum demonstrat Petrum ideo fuisse reprehensibilem, quod ad veritatem euangelii minime ambularet; quæ verba valde notanda sunt. Porro, isthæc reprehensio, appellationi ad concilium æquipollet, vt Cancellarius Parisiensis obseruat; ratio est, quia si D. Petrus tum temporis B. Paulo recte monenti obstitisset, non dubium est, quin Ecclesia in concilium congregata, dissidium inter illos subortum diremisset; vt paulo ante controuersiam super obseruatione legalium deciderat, *Act.* 15. Hic pro appendicula & ampliatione fanorum adnectere lubet, D. Petrum singulares personas aut Ecclesias disgregatas, posse in fide, per sacræ scripturæ aut canonum interpretationem, roborare, hocque sensu, B. Hieronymum *epistola ad Damasum PP.* facultatem dicendarum aut tacendarum hypostaseon, id est, symboli Nicæni interpretationem, ab eodē Damaso flagitare; *A pastore*, inquit, *præsidium ouis flagito; discerne si placet, non timebo tres hypostases dicere, si iubebis*; eadem quoque est ratio Theodoreti, & aliorum, qui sanctam sedem apostolicam perfugio habuerunt.

8. Quintum principium indicat frequentem celebrationem synodorum, absolute & simpliciter necessariam ad Ecclesiam melius, sanctiusque regendam; quia vt docet Aristoteles in *Politicis*, lege, quam absoluto vnius imperio, gubernari multo præstat; quoniam lex, instar Dei, amore, ira, odio, aliisque affectibus humanis caret; Vnde in actis conciliorum, huiusmodi formulæ crebro occurrunt, *præter canonem, absque canone contra canones, vel ex canone aliquid agere*, quibus formulis declaratur, Ecclesiam canone regi debere, & antiquitus nihil quicquam absque concilio & moderatione aristocratica statutum fuisse. Hinc factum legimus, vt Gallicarum Episcopi, Nicolao Papæ scripserint, decretales & bullas Romanorum Pontificum, nequaquam obligare, nisi canonum disciplinis, & conciliis ante receptis atque approbatis, essent conformes, *canone si Romanorum, distinct.* 9. quo similiter referri debet *canon Omnia* 25. *quæst.* 1. Consulendus Flodoardus, *lib.* 3. *cap.* 21 *pag.* 231. quem auctorem Pater Sirmondus Societatis Iesu nuper publici iuris fecit. Quandoquidem, Romanus Pontifex, qui est caput ministeriale, vniuersalem Ecclesiam, inconsultam, dissentientem, inuitam, vel inauditam, obligare nequit, *quia tum leges instituuntur cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur*, teste Augustino *distinct.* 4. *can. in istis*, & in hoc, Ecclesiæ catholicæ libertas, seu regimen Aristocraticum maxime versatur: atque expeditissima & suauissima est ratio schismatum sarciendorum, ac impediendorum. Quo fultus principio Hincmarus archiepiscopus Rhemensis doctissimus, Hincmaro Laodunensi episcopo nepoti suo, respondet, decretales epistolas Pontificum, quas ante synodum Nicænam editas perhibent, exiguæ esse fidei, propterea quod sacris canonibus minime concordarent: videndus idem Flodoardus, *libro tertio capite* 22. *fol.* 243. verso, & fol. 244. recto. Isthinc autem plane dignoscitur, quo iure maiores nostri Galli vsi fuerint.

9 Sextum, plenitudinem auctoritatis Pontificiæ definit, primo ad Ecclesias particulares per mundum dispersas, sed nequaquam ad Ecclesiam vniuersalem in concilium congregatam:

tam: secundo, ad exequutionem, interpretationem, & dispensationem, minime vero ad institutionem canonum, nisi per se aut per legatos suos concilio præsideat, atque omnium Patrum suffragia & consensum subducat, vt numero sext. docuimus. En solum in casu Papa de synodorum decretis dispensare potest, quo ipsummet concilium, si esset congregatum, dispensaret: idque Zozimi Papæ sententia *numero 6.* laudata confirmat, & Leo primus, can. 2. priuilegia: *Dispensatio*, inquit, *nobis credita est. & ad nostrum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, nobis consentientibus, vel negligentibus violentur*, D. Bernardus, 3. ad Eugenium cap. 10, *Quid inquam, prohibes dispensationē? non, sed dissipare. nō sum tā rudis vt ignorē positos vos dispensatores sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur: vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est: Vbi necessitas prouocat, dispensatio laudabilis est, vtilitas dico communis, non propria.* Cæterum in his duobus articulis, quos hoc proloquio complexi sumus, status monarchicus Ecclesiæ, siue plenitudo Iurisdictionis papalis potissimum consistit: non autem in absoluta potestate, quam contra ius diuinum & naturale, plerique recentiores in Ecclesiam inuehere nituntur. Profecto, octingentis atque amplius annis, hoc est ante imperii translationem ad Francos, Romani Pontifices sese tantummodo vltores siue exequutores canonū prædicabant: lapsu demum temporis cum omnes Christianæ nationes summis ignorantiæ tenebris consopitę detinerētur, absolutam auctoritatem omnia decernendi collegerunt: præcipue à Gregorii VII. temporibus: cuius *vitam* ab Onuphrio scriptam, historiæ studiosi euoluent: prætereaque obseruabunt, Papam regulariter & ordinarie ius habere conuocandarum synodorum generalium, quatenus potestatem habet super Ecclesias particulares disgregatas per orbem terrarum.

Summa huius disputationis est, a statu monarchico Ecclesiæ, vnitatem, ordinem, cum efficaci exequutione canonum, procedere: a regimine autem Aristocratico, sanctissimum cōsilium, atque infallibilem prouidentiam & decisionem; qua quidem, respublica Christiana in perpetuam ædificationem, & non in destructionem gubernatur.

10 Septimum, docet Ecclesiam sumptam pro cœtu fidelium, siue pro Christiana Republica, vnico & solo capite ac fundamento essentiali Christo Domino esse contentam: nihilominus, in ratione exercitii atque exequutionis regiminis eiusdem Christianæ Reipublicæ a duobus, Pontifice scilicet, & politico Principe differenter gubernari, *can. duo sunt, dist. 96. & cā. Principes 23. q. 5.* Congruenter quidem ad præceptum Domini Matthæi 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ Dei Deo.* Hoc enim quasi mutuo obligationis & beneuolentiæ vinculo, Ecclesiam cum politia seculari colligari voluit Dominus: ne Principes & Ecclesiastici inter sese digladiarentur. Quam salutarem distinctionem, qui ignorant, dissimulant, aut confundunt, in maximos & periculosissimos scopulos allidunt, atque Ecclesiasticos Principibus politicis suspectos reddunt, quasi nouis rebus studerent.

11 Sed de hac re amplius si placet disputemus: cum enim lex Euangelica vitam æternam pro fine, atque animam humanam pro materia & subiecto natiuo habeat: tota occupari debet in internis conscientiæ motibus dirigendis, minime vero in manu aut vi externa cohibenda: ac proinde, iudicat de mediis necessariis ab beatitudinem conformiter ad causas essentiales spirituales religionis Christianæ: hoc est, suasiue tantum & directiue, per verbi diuini prædicationem, Sacramentorum dispensationem, & si res postulet, per exclusionem ab ecclesiastica communione, ope censurarum, id est, armorum spiritualium Ecclesiæ, quæ olim, absque consilio & moderatione aristocratica presbyterii, de qua numero 5. disseruimus nefas erat distringere: idque natura regiminis aristocratici exegit: & à quo tempore fieri desiit, magna Ecclesiasticæ disciplinæ conturbatio subsequuta est, sicut omnes periti norunt. Verum, hæc doctrina, partim Ecclesiæ definitione numero 3. tradita, partim etiam multis euidentissimis scripturæ oraculis fulcitur. Annon Dominus Ioan. 18. distincte Pontio Pilato asseuerat, *regnum suum non esse de hoc mundo?* & Lucæ 9. *vulpes foueas & aues cæli nidos habere, filium autem hominis non habere vbi caput suum reclinet?* Quod idem est ac si perhiberet, Ecclesiam, neque territorium, neque ius gladii, carceris, aut alterius pœnæ corporalis diuinitus habere: anima enim, quæ proprium est subiectum leges euangelicæ, interno solum, non externo mouetur principio: atque ius gladii materialis, necessario territorium, sicut effectus causam, sequitur. Hinc euenit, vt Dominus cuidam de turba, qui eum rogabat vt fratrem suum impelleret ad deuidendam secum paternam hæreditatem, responderit, *homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* Lucæ 12. Quasi dixisset, Ecclesiam quæ animas hominum non terrena imperia habet pro subiecto, de terrenis hæreditatibus ac possessionibus minime iudicare. Siquidem, *in carne ambulantes, non secundum carnem militamus: nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* 2. Corinth. 10. Vbi obseruandum venit, corpora, materiali quidem gladio cogi atque occidi: intellectum vero, nequaquam in obsequium Christi captiuari: hoc enim solo doctrinæ & Sacramentorum pabulo consequimur. Accedit & ca. 3. ad Philippenses vers. 20. vbi Apostolus perhibet, *nostram*

politeuma,

politeuma, id est Christianam gubernationem, *totam esse in cœlis, vnde Saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum expectamus*: idque ita esse voluit Dominus, ne Ecclesiastici, aut sæuis, aut negotiis secularibus sese immiscerent. Quid præterea D. Bernardum lib 1. de consideratione cap. 6. commemorem? *Non monstrabunt puto*, inquit, *vbi aliquando quispiam apostolorum iudex sederit hominum, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego &c. Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has, accepistis claues regni cœlorum: præuaricatores vtique exclusuri, non possessores. Quoniam tibi maior videtur dignitas & potestas, dimittendi peccata, an prædia diuidendi? sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & Principes terræ. quid fines alienos inuaditis?*

Contra hæc diuina oracula, meridiana quidem luce clariora duo potissimum obiici video: primum, Ananiam cum Saphira vxore, morte punitos fuisse a B. Petro, ob mendacium factum Sancto Spiritui Actorum 5. Deinde, Apostolum primæ Corinthiorum 6. indicare Christianos, quamdiu sub ethnicis Principibus & magistratibus degerent, sibi ipsis iudices in caussis ciuilibus deligere potuisse: *Secularia igitur iudicia si habueritis*, ait, *contemptibiles qui sunt in Ecclesia constituite ad iudicandum.* Respondeo, illud eximium Petri facinus, miraculosum, extraordinarium, & sancti Spiritus afflatu factum, ac proinde, ad ius ordinarium non spectare, nihiloque magis trahi posse in argumentum, quam vel caput primum Ieremiæ, *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, &c.* vel locum de duobus gladiis *Lucæ 22.* quandoquidem, hæc allegorice & spiritualiter intelligenda sunt: ab allegorico autem & mystico sensu, validum argumentum duci non posse, ipsi etiam pueri norunt. Neque est profecto, quod hæc D. Bernardi auctoritas cuiquam religionem facessat, capite 4. libri 4. ad Eugenium, *Conuerte gladium tuum in vaginam: Tuus ergo & ipse: tuo forsitan nutu etsi non tua manu, euaginandus: vterque ergo Ecclesiæ & spiritualis scilicet gladius, & materialis: Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus est: ille sacerdotis militis manu. sed sane ad nutum sacerdotis, & iussum imperatoris.* Hæc enim tantum declarant, Ecclesiam ius habere monendi id est docendi & suadendi, quando Princeps politicus gladio vti debeat ad gloriã Dei de quare numero sequenti. Certe cum Ecclesiastici vitæ sanctimonia splenderent, Principes Christiani, vt omnem iniustitiæ suspicionem a suis inceptis & consiliis amolirentur, pace & bello, Ecclesiasticorum consilio iure quidem vtebantur: Sed ab eo tempore id merito facere desierunt, quo Ecclesiastici in suspicionem affectatæ monarchiæ temporalis venerunt, de qua Eugubinus, Bozzius, Carterius, & ipsi Cardinales Bellarminus, atque Baronius libros operosissime scripserunt. Quæ opinio si vera esset, tamen ratio & prudẽtia illos auctores docere debuerat, vt his infelicissimis temporibus sibi ab huiusmodi scriptione temperarent. Secundum argumentũ, fallit ab ignoratione elenchi: etsi enim testimonia sacræ scripturæ paulo ante laudata, aperte conuincant Ecclesiam iure diuino territorium, ius gladii, & fori contentiosi, minime habere; attamen non negant, quin iure humano & ex principum concessione illud possidere queat: locus autem Apostoli, non de diuino, sed de humano & arbitrario iure loquitur, puta quando ex mutua litigatorum consensione, arbitri coopranturr, qui dissidia & lites sine strepitu forensi amice dirimant: hoc enim omnes facile animaduerterent, qui *c. 6 primæ Corinthiorum* considerate, & sine alio quam veritatis præiudicio legerint,

12 Iam ad ciuilem potestatem transeamus: sane, cum Princeps politicus dominus sit Reipublicæ, atque territorii; vindex ac protector legis diuinæ, naturalis, & canonicæ, atque de rausa gladium portet, Roman. 13. solus habet facultatem cogendi, aut coercendi, irrogando pœnas corporales. Quapropter ad Ecclesiæ incolumitatem, & canonum Ecclesiasticorum executionem, leges sancire, atque inter sua edicta, codices, aut capitularia inferere potest: sicut de Imperatoribus Cõstantino, Theudosio, Iustiniano, Carolo Magno, B. Ludouico, Carolo VII. Francisco I. aliisq; Gallorum principibus exploratum habemus. Vnde Augustinus epist. 48. ad Vincentium ait, *Reges terræ Christo seruire debere, etiam leges ferendo pro Christo*, iuxta Dauidis oraculum, *& nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore.* Eusebius pariter c. 24. libri 4. de vita Constantini Magni, narrat optimum Principem sic Episcopos affari consueuisse, *Vos intra, ego autem extra Ecclesiam a Deo episcopus constitutus sum:* quasi diceret, Principibus Christianis ex proprio officio incumbere, ad diuini, naturalis, & canonici iuris executionem leges sciscere, & si res postulet (seruato temperamento parabolæ zizaniorum, Matthæi 13. id est publica pace salua) gladium distringere: hoc n. D. Augustinus Epistola ad Vincẽtium memorata, liquido demonstrat. Quib. bene perceptis, facile est videre; & quo sensu Optatus Mileuitanus asserat, *Ecclesiam esse in Republica*: hoc est, tãquam in alieno fundo territorio, ac dominio; & iure ne, an iniuria olim Christiani Principes, Nicænam, Constantinopolitanã, Ephesinam, Chalcedonensem, atque alia concilia generalia coegerint. hoc enim ad legis diuinæ, naturalis, & canonicæ executionem spectat.

13. Hic pro coronide & appendicula attexemus, natiuas Ecclesiæ catholicæ libertates, siue ius commune a Deo & natura institutum, his octo proloquiis ac fundamentis tam perspicue roborari, vt nemo in illud impingere possit, quin eadem opera, legem diuinam, naturalem, & canonicam labefactet. Hoc autem quoties accidit, toties Gallis iustam præbuit occasionem pro-

nem prouocandi tanquam ab abusu: quarum appellationum, Princeps & Magistratus politicus, velut Ecclesiæ protector, & vindex canonum, summam habet moderationem: de solo enim abusu iudicat, idque ad executionem canonum pertinet. Verum, hæc ratio procedendi Gallorum, originem præbuit Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, vt eas vulgo nominant. Audio Hispanos, atque alias nationes Christianas, quando aliquid a Romana curia emanat, quod eorum moribus ac institutis aduersatur, intercedere consueuisse, quo minus id executioni mandetur: Ex quo apparet, illos cum Gallis reipsa conuenire forma tantum, & modo agendi hac in parte discrepare.

Confutatio contrariæ opinionis.

14 Qui contrariam sententiam, id est absolutam potestatem tuentur, primo statum Ecclesiæ cum ipsius regimine confundunt: Enimuero quia Christus D. Petrum in Ecclesiæ pastorem ac vicarium suum adoptauit, *Ioannis* 21. idemque Dominus rex est & monarcha absolutus Ecclesiæ *nu.* 3. Inde colligunt, absolutum sine pure monarchicum regimē, P. item Petro Christi vicario, congruere: & continuo Romanum Pontificem non modo totam iurisdictionem Ecclesiasticam, verumetiam auctoritatem quoque in temporalia, saltem indirecte, & in ordine ad spiritualia, vt illustrissimus Cardinalis Bellarminus docet, possidere.

Secundo inducunt, nulla omnino opus esse celebratione conciliorum ad Ecclesiā melius sanctiusque gubernandam, cum Dominus vni & soli Petro infallibilem auctoritatem, cū potestate confirmandorum fratrum, detulerit, Lucæ 22.

Tertio statuunt, si forte aliquando frequententur concilia, Ecclesiam in synodum congregatam, nullum plane ius habere aliquid decernendi, secluso aut non consentiente Romano Pontifice.

Quarto, summum Pontificem, omnes canones vniuersalium conciliorum ad ecclesiasticam politiam spectantes, posse ex animi sui sententia antiquare, insque omnino relaxare, & nouum condere.

Quinto, Papam, non modo habere auctoritatem supra particulares Ecclesias per mundum disgregatas, verumetiam supra vniuersale concilium: eique nullo in casu subiici.

Quæ fundamenta, procliue est vnicuique, antecedentibus principiis bene perceptis, cōuellere. eo enim omnia tendunt, vt Petro ministeriali capiti, eam adscribant potestatem, quæ vni & soli Christo Domino ac fundatori Ecclesiæ conuenit: quod est sophisticum, a dicto simpliciter ad dictum secundum quid. Annon obsecro longe diuersa est Domini atque œconomi, id est, Christi & Petri causa? nā Ecclesia per & propter Christum, Petrus autem per & propter Ecclesiam, sicut oculus per & propter hominem, subsistit.

Solutio secundi principii, ab iis peti debet, quæ *n* 7. obseruauimus.

Tertium, quartum, & quintum, non sunt vnius assis: siquidem, fallunt a dicto simpliciter ad dictum secundum quid: quasi Petrus eamdem habeat potestatem in ecclesiam cum Christo. Proculdubio si verum amamus, omnibus hominibus est inditum a natura, vt liberi & beati esse velint, quis autem naturaliter beatus esse potest, absque libertate? At si infallibilitas decernendi in vno & solo habitat Pontifice, nullus in Ecclesiæ conuentibus libertatem ferendæ sententiæ obtinet, contra quam Domino placuit, *Matth.* 18. qua de re, videndus *numerus* 6. Certe, si hæc sententia inualescat, sequitur Christum extrema quæq; passum, vt Ecclesiam sponsam, id est vniuersos Christianos, despotico Romani Pontificis imperio subderet: quod iuri diuino & naturali funditus repugnat.

15 Cæterum, quando ex omnibus argumentis aduersariorum, tria præcipue aliquid vidētur habere ponderis, illa enucleabimus: Primum est Petrum pastorem vniuersalis Ecclesiæ cōstitutum a Christo, Ioannis 21. *Pasce oues meas*: hacque diuina voce, neque Apostolos, neque concilium generale excludi: omnes enim sunt oues Christi, propterea que a D. Petro Christi vicario pasci debent. Respondetur, Christum illis verbis, non aliam dedisse Petro potestatem quam ministerialem, vt *nu.* 4. 5. *&* 9. demonstrauimus: Officium vero ministri & dispensatoris esse, mandare executioni præcepta legis diuinæ, naturalis, & canonicæ: sed iuxta regulas tēperamenti aristocratici a Deo constituti: ac proinde, Petrum censeri pastorem, quoad exequutionem canonum, verbi diuini prædicationem, & alia eiusmodi, quæ ab vno, quam ab Ecclesia congregata in consilium, melius perfici possunt.

Secundum argumentum est, Ecclesiam congregatam in concilium, vnicam familiam, vnicum ouile, vnicum regnum, & corpus visibile Christi constituere: ac propterea vnicum etiam necessario habere caput visibile Romanum Pontificem: at monstrum immane videretur, si vnum atque idem corpus duo suprema haberet capita, nempe Papam & concilium generales. Respōdemus, Ecclesiam esse politiam monarchicam regimine aristocratico temperatam: inde autem sequi necessario, concilium, quo ad directionem regiminis, coercitionem, & potestatem sanciendorum canonum, supremam habere auctoritatem: Petrum vero, quo ad exequutionem, atque exercitium, aut vsum clauium erga Ecclesias particulares: vide *numerum.* 4. 5. 6. & 9.

16 Tertio contendunt, ca. 20. concilii Romani, a ducentis octoginta Episcopis sub Syluestro Papa constitutum fuisse, vt *Nemo primam sedem iustitiam temperare desiderantem iudicaret: atque ab Augu-*

ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; à regibus, neq; à populo, iudex iudicabitur. Quam sententiam Gratianus refert *9.q.3.ca.Nemo.* Sed vt dicam quod sentio, qui ad hunc canonem attenderit prima facie videbit, multo plus nocere quam fauere aduersariis: ratio est, quia sententia Scholæ Parisiensis, quæ decretis synodi Constantiensis, docet Papã eo tantum in casu iudicari posse à concilio, quo Ecclesiam notorie scandalizat, estque incorrigibilis: verũ, si iustitiam temperare desideret, à nemine quidem iudicandus est: cum iusto lex non sit posita: ipse enim sibi perpetua lex est. Secundo, quamquam hic canon absolute statueret, attamen nihil derogaret fidei decretorũ concilii Constantiensis: quoniam factus est in synodo particulari, quæ de pastore vniuersalis Ecclesiæ iudicare nõ debet, nisi forte se illius iudicio submittat, vt olim Sixtus 3. Papa, *2.q.4.can mandastu.* Quare, hæc verba, *neq; ab omni clero,* distributiue de aliqua Ecclesia, aut clero particulari nõ collectiue de generali concilio, cuiusmodi est Constantiense, aut Basileense intelligenda sunt. Tertio, qui versatus fuerit in lectione conciliorum, quamprimũ animaduertet, multa in hoc canone inconcinna esse, quæ eum manifestæ ineptiunis suspectum reddunt: etenim, illis temporibus Patres Ecclesiæ non tam elate loquebantur, neq; persequutiones eos de absoluta potestate cogitare patiebantur: deinde, quid opus erat mentionem facere Regum, cum nulli tum temporis Reges, sed tantum Romani Imperatores existerent? tu lector, adi Cardinalem Cusanum, *lib.2.cap.20 de concordantia catholica.*

De reliquis auctoritatibus, quæ ex scriptis Romanorum Pontificum proferuntur & *9.q.3.* leguntur, non est magnopere laborandum: quia Ioannes Gerso atq; alii doctores Parisienses, vno verbo respondent, nemini in sua causa credendũ, nisi conformiter ad legẽ diuinam, naturalem, & canonicam loquatur: iuri autem diuino & naturali repugnat, caput ministeriale imperium habere absolutum in Ecclesiam.

17 Equidem, finalis causa Ecclesiæ, quæ est *vita æterna per bonũ regimen,* aperte demonstrat, Papam per & propter Ecclesiam, non contra, Ecclesiam per aut propter Papam existere propterea; in ratione Ecclesiastici regiminis, Cepham, id est Petrum, Ecclesiæ subiici, tanquã oculum homini, primæ Corinth. *3. Nemo itaq; glorietur in hominibus, omnia enim vestra sunt,* id est Ecclesiæ *siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, &c.* Item 2. Corinthior. *13. Omnis potestas data est in ædificationem, non in destructionem.* Ex quo relinquitur, Ecclesiam iure diuino & naturali, prouidere atq; impedire posse, ne Papa in sui destructionem gubernet, quemadmodum Constantiensi concilio *sessione 4. & 5.* definitum fuit.

18 Demum, quod Ecclesiam indirecta pollere auctoritate in temporalia prædicant, verũ est per modum doctrinæ, suasionis, directionis, & exclusionis à communione Ecclesiastica: falsum autem per coactionem, aut Regum atq; Principum depositionem, vt & 11 *& 12.n.* disputauimus. Quandoquidẽ Ecclesia neq; territorium, neq; vsum habet gladii materialis. Qui ergo Reges aut Principes Christianos iure ab Ecclesia abdicari contendunt, faciunt certe, ac si quis vrgeret, Pædagogũ, quoniã disciplinæ scholasticæ moderatur, discipulos suos, si forte aduersus disciplinam obdurescant, bonis paternis exhæredare posse: quod illudit à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: nam quæ vnico, & peculiari sensu vera sunt, ad absolutum & vniuersalem sensum nequaquã torqueri debét, nisi forte à sophistis & circulatoribus. Quod si vrgeant Ecclesiam esse sibi sufficientem & architectonicen: dices, hoc metiendum esse ex finibus, & terminis, vnicuiq; rei præscriptis à natura: causas vero essentiales Ecclesiæ non pati, vt Ecclesiastici se sæuis, aut secularibus negotiis immisceant. Quamobrem, omnis sufficientia politiæ Ecclesiasticæ ab obseruatione mandatorum Dei, non à iure gladii, aut monarchia temporali, petenda est, Matthæi 28. *Euntes ergo, docete omnes gentes seruare omnia quæcumque mandaui vobis: & ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem seculi.*

Argumenta, quæ huic sententiæ patrocinantur ad tria capita reuocabimus: quorum primum, exempla complectetur, quæ Sanderus, Bellarminus, Cocqueus, atq; alii, ex veteri testamento, sed ab ignoratione elenchi promunt. Quotusquisq; nescit, longe diuersam esse rationẽ Synagogæ & Ecclesiæ, legis Mosaicæ atq; Euangelii? illa enim territoriũ & cõsequẽter ius merii imperii habuit à Deo: quod nemo sanus de Ecclesia affirmauerit. Insuper accedit legẽ Euangelicam ad Mosaicã, imo vero ad quãcunq; aliã politiam cõparatam, legẽ esse vere regiã mansuetudinis & perfectissimæ libertatis: contra, Mosaicam esse durissimæ seruitutis, *Actorum 15. versu 10. & Gal. 4.*

Alterum caput, auctoritates desumptas ex iure canonico nobis exhibet, quas D. Cardinalis Bellarm. laudat: præsertim *caput 3. synodi Lateranensis:* quo statuitur, Reges atq; Principes, qui hæreticos ex suis dominiis minime exterminarint, esse abdicandos. Sed respondetur, illhæc & similia, nihilo plus habere iuris in Principes politicos, quam extrauagantẽ Bonifacii 8. *vnam Sanctam,* vel constitutionem Pauli 4 *cum ex Apostolatus officio,* quæ in directorio inquisitorum legitur: siquidem, decreta hæc, prius motu & proprio motu à Romanis Pontificibus, non synodice, id est totius Ecclesiæ consensu, sancita fuerunt: itaque non obligant, quoniam Ecclesia canone, non absoluta potestate regitur, *num. 5. & 8.*

Tertio, absolute negatur Childerici Francorum regis abdicationem, aut Imperii translationem ad Francos, sola Romanorum Pontificum auctoritate, absq; populi consensu, auctoritate, aut postulatione factam: & quamquam facta fuisset, id parui esset momenti ad definitionem præsentis controuersiæ, cum facti quam iuris quæstionem potius referet: sicut etiam exempla

abdicationis Henrici IV. Friderici II. atque aliorum Regum vel Imperatorum. De iure igitur, noo de facto, disputent aduersarii. moribus enim & eanooibus, noo exemplis, Christianam rem publicam guberoari voluit Dominus noster Iesus Christus.

Solutio reliquorum argumeotorum, siue à sacra scriptura, siue aliunde ductorum, peti debet à doctissimo tractatu Magistri Ioannis Parisieosis, *de potestate Regia & Papali.*

Hæc Ecclesiæ Catholicæ iudicio subiecta sunto.

Anno 1611.

IVS REGVM CONTRA CARDINALEM BELLARMINVM ET ALIOS IESVITAS.

Autore M. I. Bedeo, de la Gormandiere, Andino Aduocato in Parlamento Parisiensi,

Pro Christo & Ludouico XIII.

Time Dominum, fili mi, & Regem: cum his qui rerum nouarum studiosi sunt, ne commisceare. Prou. 24.21.

Vbicunque verbum Regis est, ibi dominatio: ecquis dicat ei, quid facis? Eccl. 8.4.

——— ——— ——— quis iniqua
Tam patiens vrbis, tam ferreus vt teneat se?
Iuuen. 1 Sat.

Excerptum ex promptuario Conciliorum, cuius autor Ioannes le Maire, regnante Ludouico XII. cui dicatum est, & iterum excusum Parisiis, anno millesimo qoingentesimo quadragesimo septimo, apud Gulielmum Thibout.

SANCTA BRIGIDA.

Quando puer sedebit in sede lilii, &c.
Merlinus antiquus vates,
Cæsar regnabit vbique, Sub quo cessabit vana gloria Cleri.

AVCTORIS ANAGRAMMA.

Ioannes Bedæus, Ei Deus annos bea.

Ei *magne, poli potentis aula,*
Deus, *qui rutilis micas ocellis,*
Annos, *deprecor, oro, gestioque*
Bea, *queis lepidum regis Bedæum.*

Elias Elysius *Picto fecit.*

ALIVD.

IOHANNES BEDA.
DONA DEI HABES.

Renatus Beda Ioan. frater composuit.

INDEX CAPITVM.



Conclusio ad Regem Ludouicum XIII. Regem Francorum & Nauarræ, cui autor obtulit hunc tractatum die Regum 6. Ianuarii 1611. cum hoc symbolo *Statim penniger*, quod expooitur in Epistola liminari.

REGE.

REGI.

DOMINE,

Ex Historia naturali discimus apes cum nascuntur primum videri instar vermiculi candidi, eo excepto, qui Rex est futurus, qui statim penniger, & statim mallei coloris vt electo flore ex omni copia factus. Quod si Monarcha Vniuersi tali donauit priuilegio regem tam exiguorum animalium, quid de eo credi par est, quem constituit vt hominibus imperet, & quem honorauit titulo *Christianissimi*? Quam fidem, DOMINE, vt confirmem in animis subditorum tuorum, & opinionem doctorum mendacii dicuam, qui falso defendunt potestatem Regiam non esse absolutam, & humani esse inuenti. Ausus sum exiguam hanc tractationem construere, & offerre Maiestati tuæ, vt ex lectione ipsius discant non amplius blasphemare contra potestates à Deo solo constitutas, & sciant non antiquitatem & amplitudinē domus tuæ: nobilitatē Principum, quibus imperat M. Tua: prudētiam senatuum supremorum: ordinem Ecclesiasticum: lat fundia Prouinciarum tuarum: robur munitionum tuarum, populorum tuorum studia, fœderatorum coronæ tuæ fidem; expertam industriam ducum tuorum: fortitudinem Nobilitatis tuæ: armamentarii tui fulmina, immensas opes ærarii tui, ea esse, quæ Coronam tuam sustentant. Sed diuinum illum characterem insculptum digito Dei in facie *Regis*, qui *sedens in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo*. Ille cum tibi, Domine, iam in hac tenera ætate, dederit alas, quibus populos supereminea, quos instar vermiculorum fecit humi repentes, si cum eo gradu conferantur, in quem euexit Maiestatem tuam, cui tanquam Christianissimæ, boni omnes Franci, ex iugo propriæ cuiusque conscientiæ imposito à Deo, teneri se agnoscunt, vouere idem quod ego, vt nempe sim permansurus in æternum, sine vlla huius officii dispensatione. *Prou. 20.* *Rom. 13.*

DOMINE

M. T. *Humillimus, obsequentissimus & fidelissimus subditus & seru.*

I. BEDÆVS.

Vltima talis erit, quæ mea prima fides.

IVS REGVM.

CAPVT I.

Ius Principis diuinum esse.

GALLIÆ testimonium hoc a perhibetur à veteribus diu monstra nō habuisse, nihilq; inordinati habuisse in incolis aut in moribus, cōtra quam Africa, in qua subinde nascitur aliquid noui. Quod si in originē inquiratur pronunciatorū tam à ratione dissidentium quæ in ea hodie agitantur, cōperientur peregrinæ educationis esse ac non fructus natiui. Tale b est illud, quod defendit Cardinalis Bellarminus (cuius nomini cōueniunt actiones) Ius regium humani esse instituti. In eo criminum reos imitatur qui delicto colorē quærunt, imminuētes dignitatē eius quē offenderunt: aut viros militares qui prius verberāt eius loci propugnacula, quē volunt expugnare. Nā si vera dicit iste Doctor, intentatū contra Reges flagitiū non esset adeo sceleratum, quippe repugnans hominū tantummodo legi, quam est admissum contra vetitū Dei. Cuius doctrinæ falsitatem vt ostendam, vtar quatuor generibus argumentorū: quorum primū petitur à natura creata à Deo, & in puritate sua cōsiderata, in qua obseruantur vestigia eius venerationis quā homini exhibebāt omnes creaturę, vt ei tanquā Monarchę obtemperarent. Qui naturalis instinctus, nō obstāte ea, quam peccatū introduxit corruptione, mansit in quibusdam animalibus, quæ regem speciei suæ agnoscunt & sequuntur: secūdo, siquidē hominis excellētia in eo posita est quod creatus est ad imaginē sui Creatoris, cui dubiū poterit esse imperiū ad formam altissimi institutum super alia omnia imperii genera excellere? Tertio, forma indiuidui ratione præditi, qualis est homo, cuius ca[put] solum imperat omnibus membris, qui hanc ob causam *Microcosmus* appellatur, hoc est, par[uus] mundus, an non erit *Microarcha*, hoc est, epitome regni bene instituti? & cuiusq; nostrū domus v[nius] imperio gubernata, nunquid nos admonet huius ordinis à Deo instituti? Certū est solos illos hoc negare ausuros, qui volunt apud se legitimā esse familiā. Quod enim est in domo sua Pater, Rex est in suo regno: qua de causa Principes appellantur à Propheta *Patres nutritii Ecclesiæ Dei*. *Esa. 49. 23.* Secunda classis argumentorū petita est à sensu omnibus hominibus communi, contra quē peccant isti Doctores: Lex enim superioritatis nata est cum homine, & iam inde à creatione mundi ad nos propagata. Insculpsit etenim Deus in hominis animo a, vt agnoscere diuinitatem

a *Hierony. contra Vigilant. frustra nititur.*

b *Bellum, arma, mina.*

c *Bell. l. 1. de Pont. c. 7. & de Clericis c. 28.*

tem ad cultum Religionis, ita & subiicere se Regiæ potestati ad conseruandam societatem, prout loquitur populus Dei *a Iudicabit nos rex noster, procedet ante nos & geret bella nostra.* Ita Adam caput fuit omnium hominum qui nati sunt totis illis nongentis & triginta annis, quibus vixit à sui creatione. Tripartitum fuit imperium Noæ, Iaphet regnauit in Europa, Sem in Asia Cham in Africa. Nimrod, *potens venator* appellatus Babylone regnauit, inde ab anno centesimo trigesimo post diluuium. In eum finē constituti fuerunt à Deo Moses & Iosue, in quibus erāt omnia supremi magistratus insignia: nam si vox hæc *Regis* totidem literis non extat, cur non appellabuntur Principes, Duces & Reges, siquidē horum muniis omnibus functi sunt, & insignia prætulerunt? Adde quod post creatos Iudices nō cōdemnat Deus formā Imperii Monarchici, vti calumniātur hostes regiæ potestatis siquidē dicitur, *b Nulla potestas esse nisi à Deo:* sed vituperat leuitatē populi sui in mutandu ordine à se constituto. Quod si tantopere populus criminis reus peragitur, quod à Deo obtinuerit Regium imperiū in politia; qua autoritate tuebitur Cardinalis Iesuita mixtam illam potentiā, quam introducit in Ecclesiā sine mandato, sine diuina sanctione? Enimuero non Orthodoxi tantum populi, verum etiam Ethnici hoc instinctu naturali ducti sunt, vsque adeo vt libertate c donati à Roma[nis] à quibus deuicti fuerant, ab illis enixe Regē postularerint, negātes viuere gentem sine Rege posse, & verū esse iudicantes, quod ait d Herodianus *Imperium Iupiter sicut ipse inter Deos solus possidet, ita vni tantū mortaliū adiudicat.* Ex hoc sensu omnib. hominibus cōmuni factum est, vt bellicosissima gens a Macedones prælio pulsi, priūs quam certamen repeterent, regem suum in cunis protulerint & pugnę ante aciem posuerint, tāquam ideo victi fuissent antea quod bellantibus sibi regis sui auspicia defuissent, futuri vel propterea victores. Et quamuis homines eo prouehat ambitio, vt aut velint imperare, aut parere nolint nisi his, qui dignitate aut meritis præcellunt, legimus *b* tamē Siculos supremę Regis sui Anaxilai defuncti voluntati tantum detulisse, vt cum ille paruulos filios reliquisset, tutelamq; eorum seruo commisisset, parere seruo quā deserere regis filios maluisse, adeo vt principes ciuitatis obliti dignitatis suæ, regni maiestatem administrari per seruum paterentur. Xerxes post fusos suos exercitus cum ex Græcia fugeret, naui vectus viris militaribus adeo referta, vt nulla salutis spes superesset, nisi vectorū aliqua fieret abiectio, dixit eis c *viri Persæ, nunc aliquis vestrum declaret se curā habere regis: in vobis enim sita est salus mea. Hoc vbi dixit Xerxes, nobiles qui eum comitabantur ipso adorato desilierunt in mare: atque ita leuata naui, Xerxes incolumis in Asiam peruenit.* Tertius rationum ordo desumitur ex institutione Dei, obseruata in Adamo, Noa, Nimrod, Mose, Iosua, verbis etiam disertis pro Saule Samuelem alloquentis: d *Ausculta voci eorum & præficias eis regem.* Quod si inter homines ratihabitio mandato æquiparatur, potiori ratione locum habebit respectu Dei, qui neque ad mutandam sententiam vlla persuasione adducitur, neque quod ipsi displicet, vlla vi cogitur facere: ipsum se autem voluisse Regem constituere, apparet non ex decreto tantum & consilio tum arcano, ac postea reuelato, sed ex voluntate quam diu ante his verbis patefecerat, e *Cum ingressus fueris in terrā, quam Dominus Deus tuus dat tibi, possideris illam, & habitaueris in illa, & dixeris* (nota ne hoc dicatur nō prohiberi) *statuam super me regem, sicut omnes gentes, quæ sunt circa me: eum omnino super te regē cōstitues, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Notētur hæc verba contra nouā hæresim Iesuitæ nostri, qui in *3. lib. Recognitionum, qu. de Laic.* hoc falso nitens fundamento, Regū autoritatē non esse à Deo immediate, sed à populo, asserit eos non esse Reges, nisi quādiu placuerit subditis. Ex hoc enim loco apparet à Deo electū fuisse Saulem. Scriptum est item, f *Postquā fecit Samuel vt accederēt omnes trib. Israelis* (scil. vt sors eiiceretur) *deprehensa est tribus Beniamin,* sequitur, *videtis quem elegit Dominus? nō est ei similis in toto populo.* Quod si sors cui solus Deus præest, non est vocatio Dei immediata, isti Doctores per blasphemiam Mathiam Apostolum deiicerent, facerent enim Apostolum hominum, prout iudiciose & apposite notauit rex magnæ Britanniæ, ex cuius scriptis multa argumēta mutuatus sum, quæ in hūc tractatū trāstuli. Quandoquidē ergo munus hoc à Deo datū est, quis adeo erit arrogans vt audeat hūc ordinē vituperare, aut velit eū deponere quē Deus cōstituit? a *Deus igitur is est qui Reges cōstituit & ponit,* neq; alius est, in cuius manu sint corda, vt flectat ea sicut Darii & Nebucadnezaris, aut induret sicut b Pharaonis & regis c Sionis scriptū est enim, d *data est à Domino potentia vobis & potestas ab altissimo.* & Iesus Pilatū alloquēs, e *Nō haberes potestatē aduersum me vllā, nisi hæc tibi data esset desuper.* Itemq; in Prouerbiis, f *Per me reges regnāt & Principes decernunt iustitiam.* Ideo quæ ipsis debetur obediētia fundata est hac lege scripta digito Dei g *Honora patrem tuum & matrem tuam:* Patris enim nomen eis tribuitur, nō tantum vt priuati in officio contineātur, verum etiam corpus Ecclesiasticum: dicuntur enim *h Patres nutritii Ecclesiæ Dei,* quā cōtineant sub disciplina Legis, non aliter illius filii, qui subsint ferulæ, [o]blatione Regni castigētur. Imo inquit Apostolus ad Romanos, i *Omnis anima potestatib. supereminentib. subiecta esto: nō enim est potestas nisi à Deo,* & addit, *ideo necesse est subiici nō solum propter iram,* h.e. pœnam, *sed etiā propter conscientiā.* Vnde cōsequitur Principis auctoritatem iuris esse diuini, siquidē animæ legem ponit, cui solus Deus potest leges imponere. Deinde vt omnis præcidatur ambiguitas Magistris equiuocationū, qui potestates distribuūt in temporales & spirituales eorūdem respectu, Apostolus explicat, quę sint hæ potestates à Deo ordinatę, k *siue regi, vt qui supereminet,* (neminem excipit) *siue præsidibus vt qui per eū mittantur.* Sub potestate igitur nomine comprehenduntur genera omnia legitimi regiminis, Monarchiæ scil. Democratiæ & Aristocratiæ. Atq; vt hoc manifestius appareat, Apostolus eas potestates designat, quā ait, l *nō enim frustra gladiū gerit:* potestates igitur & principes qui gladium gestant, ii sunt, de quibus loquitur, at nō itaquis ped[um] virgā gestant.

a 1. Sam. 8. 20.
b Rom. 13. 1.
c Cappadoces. Iustinus lib. 38.
d Herod. 4.
a Iust. 7.
b Iustin. lib. 4.
c Herodot. l. 8.
d 1. Sam. 8. 22.
e Deut. 17. 14.
f 1. Sam. 10. 20.
a Dan. 2.
Prou. 21.
Deut. 2.
b Exod. 8. 7. 8.
c Deut. 2.
d Sapient. 6. 3.
e Io. 19. 11.
f Prou. 8.
g Exod. 20.
h Esa. 49.
i Rom. 13. 1.
k Vers. 3. & 4.
l Rom. 13.

gestant, subiectæ enim sunt magistratui tēporali, sicut scriptū est, [m] *Deum timete, Regem honorate*, duob. hisce verbis cōplectēdo doctrinā primæ & secūdæ tabulæ, sicut etiā cōpexus fuerat Sapiēs in Prouerbiis [n] *Reuerere Dominum, fili mi & regem, & ne cōmisceare cum his qui rerū nouarū studiosi sunt*, aut iuxta versionem genuinam *cum variantibus & se transformantibus*. Ratio vero huius interdicti hæc est, quod rerum nouarum cupidi, qui præsentem reip. statum perturbant, qui se in omnem formam mutant, *Iesuita omnis homo*, iuxta prouerbium, & faciunt quod damnabat Dominus noster in *Euangelio Matthæi*, postquam circumiuerunt mare & aridam, vt faciant vnum proselytum, Illi, inquam, plane inepti sunt liberis nostris instituendis in timore Dei, & seruitio Regis. Quarta ratio nouam hanc opinionē coarguendi petitur ex praxi Orthodoxum (ex operibus enim agnoscuntur operarij) quæ manifestū faciet nobis nullos vnquam fideles priuatos Regi restitisse nisi patientia: testes sunt Israelitæ captiui in Ægypto, respōsum & actiones Iudæorū, cū Petronius imaginē Imperatoris in eorū Tēplū voluit inferre. Adeo vt Sedecias è domo Dauidis rex postremus, punitus fuerit à Deo [a] ob violatā fidē iureiurando datam tributi persoluendi, vt in exemplū trahi nō possit factum Constantini contra Maxentium, ea enim inter eos gerebantur, quorū vterque suprema pollebat autoritate. Quod a. magistratus subalternos spectat, qui officiarii coronæ appellātur, etsi iniuriæ propulsatio iuris sit naturalis constantis & immutabilis, ea tamē vsi non sunt nisi cum iam essent extrema omnia passi. Ita Dauid à sapiente Abigaile dictus [b] *gessisse bella Domini* viris muniuit se & armis, quæsiuit an habitatores Ceilæ ipsū essent tradituri Saulo: neq; enim inde aliud colligi potest, nisi quod hosti suo muros vrbis oppositurus erat, si in vrbe viribus præualuisset. Pari cum modestia se gesserunt Sacerdotes erga regē Ioramū, cui non restiterūt, neq; portas Lobnę occluserūt, nisi quia volebat illos ad Idololatriā cogere. scriptum est enim nō tantū [c] *dereliquisse Dominū Deū maiorum suorum, verum etiam effecisse vt scortarentur habitatores Ierusalē, imo etiam Iudam impulisse*. Quę exēpla longe absunt à scelere aliquid tentādi in personam Regū, atq; in eorū remp. cuius serui fuerunt Hebræi tēpore Pharaonis. Apostoli tempore Neronis, primi Christiani sub Iuliano Apostata, Seruator ipse, exēplar propositū ad imitandum omnibus fidelibus, censeri voluit inde ab vtero sanctæ virginis Mariæ, tributū soluit, causam dixit apud Pilatum, Apostoli apud Neronē, appellarunt ad Cæsarem, neq; Regiam iurisdictionem declinarunt. Quod si licitum fuisset tentare in caput Principū, inter tot cōstantissimos martyres, qui persecutionem passi sunt, nulline extitissent, qui hac via tentarent fratres suos liberare? nunquid satis zeli non inerat Apostolis, vt eo discipulos suos inuitarent, aut Euangelistis satis eloquentię, qua hoc sicariis persuaderent? Pudore igitur confundantur noui isti Doctores, ex ea quin etiā doctrina, quam tradunt illi, quos hæreticos appellant, qui in mediis ignibus & lanienis publice ediderunt confessionē suam, in cuius articulo penultimo & vltimo hæc verba cōtinētur: [d] *Ideo etiam Deus gladiū in Magistratuum manus tradidit, reprimendis nimirū delictis, non modo contra secundam tabulā, sed etiam contra primā commissis. Oportet igitur propter illū huius ordinis autorē, non tantū pati, vt ij dominentur, quos ille nobis præfecit, sed etiā honore & omni reuerētia eos prosequi, tanquā eius legatos & ministros, ad legitimū & sanctū munus obeundū ab ipso designatos, affirmamus ergo parendum esse legibus, & statutis, soluenda tributa, & reliqua onera perferēda, subiectionis denique iugum voluntarie tolerandum, etiamsi infideles fuerint Magistratus, dummodo Dei summum imperium integrum & illibatum maneat.* [e] Domine placeat Maiestati tuæ iudicare, si subditi tui reformatā ex Dei verbo religionem profitentur, tam constantes in officio fuerunt erga decessores tuos, à quibus tam duriter habiti sunt, vt in mediis cruciatibus benedixerint Regi: quid ab iis sperandum, quibus hodie te beneficum exhibes & protectorem, & hac nota agnoscere, quid credere debeas de eorum religione erga creatorem suum, & redemptorem æternum. Atq; ex doctrina oppositorum apparebit manifesto ingratos in beneficia, quæ acceperunt à Regibus decessoribus tuis, qui quotidie aliquid aggrediuntur verbo, scripto & factis execrandis contra temp. & personam supremi principis, ea qua pollet potestate armati, illos dubio procul prius multum ausos in cultum supremi Regis, cuius administratores fuerunt plus satis nullis rationibus redditis.

m 1. Pet. 2.
n Prou. 24.
a Ezech. 1. 16.
b Sam 25.
c 2 Chron. 21. 10. 11.
d Art 39. 40 Confessionis fidei Ecclesiarū Gallicarū ex Dei verbo reformatarum.
e Conditio hac calumniis traduci non debet, est enim Deo potius quam hominibus auscultādum

CAP. II.

In quo consistat ius Principis.

QVandoquidem adeo magna est hominum prauitas in hac extrema mundi senecta, vt impugnent manifestissima Principia, noua stabiliant axiomata, in dubiū reuocent certissima: eo modo cum illis agendum est, quo [a] dominus noster cum Pharisæis, quorum errorem in diuortii argumento vt coargueret relegat eos ad praxin ab initio receptam, docens nos exemplo suo veritatem in antiquitate, & antiquitatem in origine sua quęrere. Hoc obseruato in ea, quæ se offert, quæstione, comperiemus Deum creatorem cœli & terræ [b] *Regem Regum & dominum dominantium* sibi reseruantem imperium in animos ad scrutandas cogitationes, voluntates flectendas, & legem creaturis suis imponendam, sub se constituit dignitatem à sola ipsius gratia pendentem, quam in terris constituit, vt executioni mandentur mandata ipsius, [c] *vt tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate*, ad quorum mandatorum obseruationem suprema hęc potestas eo amplius tenetur, quod Princeps non delicto tantum peccat, sed etiam exemplo,

a Mat. 19. 4. & 8.
b Genes. 1. Mat. 28. Apoc. 19.
c 1. Tim. 2. 2.

emplo, quatenus ad ipsum subditi sese componunt. Hac de causa legem obseruare iubetur his verbis: [d] *describet sibi exemplar huius legis in libro*, & mox, *seruabit omnia verba legis huius atq; statuta ista vt faciat ea.* Mandatur hoc autem regi non tanquam priuato, cui sat est parere, sed tanquam regi, qui alios adigat ad obsequium. Cuius vi castigare debet Ecclesiasticos corruptores veræ religionis, iuxta illud, [e] *si surrexerit in medio tui Propheta aut qui somnium somniet* (quales sunt quib. in vsu est camera meditationũ,) *& ediderit aliquod signum aut miraculum & c. atq; is dixerit, eamus post deos alienos*, &c. *Propheta talis aut somniorũ somniator morte plectetur, eo q locutus sit defectionẽ à Domino Deo vestro. &c.* Ita Rex Ioas [f] & omnis populus iurant in leges politicam & Ecclesiasticam. Quod si huius legis obseruatio principibus ipsis imperata est, quis è subditis se ei audeat subducere? Quod si dignitatem sumit, opus ab opifice, quis in ea damnabit aliquid aut superuacaneum aut mancũ. [g] *Rectissime scimus* (inquit Irenæus.) *quia Scripturæ perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & Spiritu eius dictæ.* Has ob causas potentia Principis hoc solo mandato limitatur, quod duabus tabulis complectitur normam pietatis & iustitiæ: columnas solidissimas & stabilimenta reip. à quarum violatione semper cauerunt, qui in aliis omnibus obsequebãtur Principi. Ita Daniel [a] & socii eius procumbere noluerunt coram statua Nebuchadnezaris. Sancti Apostoli Petrus & Ioannes munere suo fungentes dixerũt, [b] *Iustũ est Deo potius auscultare quã hominib.* Eadẽ ratione laudãtur obstetrices, eo q recusauerunt parere edicto Pharaonis, & enecare filios Hebræorum: pugnabat enim illud contra secundã Diuinæ legis tabulã, *Nõ occides.* Idcirco scriptũ est, [c] *Quia obstetrices timuerũt Deũ, fecit eis domos.* Ita ingt cõstãs ille martyr, [d] *Nõ obediã præcepto Regis, sed præcepto legis, quæ data est maiorib. nostris per Mosem.* Ita q obediuisset homini (quis e Prophetæ) potius q Deo, homo Dei, à leone discerptus fuit. Impietate & iniquitate mãdati Iezabel. [e] [f] quæ iusserat vt Prophetæ morte afficerẽtur, impeditus est Abdias, quo minus illud executioni mãdaret. Nã siquidẽ Rex est in regno suo, q paterfamilias in domo sua: & vult De' vt ipsũ amemus amplius q̃ ppriã vitã: Regi sufficit, si ei obsequiũ exhibemus, q filii debẽt charissimis parẽtibus, siquidem honos qui ei debetur, sub patris & matris nomine cõtinetur. Quod adeo penitus insculptũ est in animis bonorũ, vt lux illa Iureconsultorũ Papinianus, etsi nõ fuisset institutus in lege diuina, cũ Imperat. Caracalla occiso fratre, illi mandaret vt facin' dilueret, respõderit nõ tã facile parricidiũ excusari posse quã fieri. Quo respõso manifestũ facit illos falso Christianos dici, qui canonizãt sicarios, & facile pbant parricidia, quæ nõ nisi difficulter patrauerunt, & quoniã hos limites posuit is, qui dat regna & aufert, qua voluerit cõditione: nunquã boni Principes, qui saluã tectã voluerunt rep. suam, nunquã iudiciorum ordini sunt aduersati, neq; impedimẽta posuerunt magistratib. à se cõstitutis, quãdo munere suo fungebantur. æquo etiã animo sen p à pastorib. Ecclesiæ se passi sunt moneri de cultu pietatis. Nã quẽadmodum magna [g] Troia, pdicta est euerti non posse, quin prius pdidisset tutelares Deos. Ita pnunciari potest & certiorib. iudiciis prognosticon verissimum esse proxime euertẽdæ reip. quãdo religionis cult' negligitur, & iustitia perperã administratur. Princeps igitur s̃ legẽ diuinã nõ est: posita illa quippe ab eo qui s̃ ipsum est: neque naturalẽ quæ aboleri non potest, nisi cum natura ipsa. Quod vero apud Iurisconsult. legim' [h] *Principẽ legib. solutũ esse*, id intelligẽdum de iustis solẽnib. & vi coactiua, q̃ priuatis denegata est in ore quorum non est nisi hominis supplicatio, & qui non alia vi armantur quã si placet. Potest et il ud intelligi de priuilegiis à Regib. concessis, q̃ contra Principẽ extẽdi nunquã possunt, penes quem ius est illa reuocãdi, si quis iis abutitur, cui' est etiã abrogare leges ciuiles, quas ipse condidit: qui tamen secundum eas victurus est quãdiu manebunt p subditis, & in emendo ac pretiũ repsentãdo legẽ receptã secuturus. Neq; ad rẽ facit loc' Samuelis *hoc erit ius Regis*, vbi sermo est de iure summo, q summa est iniuria: & de iure à dyscolis vsurpato, ac nõ de eo q boni regib. scriptũ est, ita inquiebat [a] Imperat. Theod. *re vera maius imperio est submittere legib. principatũ:* nullũ enim altius imperiũ quã imperare Principi, neq; difficili' quã sibi ipsi imperare. Hãc ob causam boni Principes quo meli' subditi in officio cõtinerẽtur, seipsos legib. alligauerũt, iis p̃sertim quæ de rep. sunt, & fundamẽta supremæ ipsorũ autoritatis: dicente Imperatore Traiano, cum gladio præfectum prætorio cingeret: *Accipe hunc ensem quo si recte & secundum leges imperauero, pro me vtaris sin minus cõtra me vertas.* Quamuis autem hi subalterni magistratus non minus imperii, quã imperatoris ministri sint: non tamẽ eis licet illico facta supremi magistratus carpere, præsertim si vitia sunt personæ, quæ in habitum non transeunt, & q̃ exitio non sunt Reip. toti, & quorum rõnem soli Deo reddunt principes: [b] *tibi soli peccaui* inquiebat Dauid, etsi occidi mãdasset seruũ suũ Vriã, & adulteriũ cũ Bethsabea cõmisisset. Inde est q nulli' ex ministris regni verbũ fecit de ipso deponẽdo, nulli' ex priuatis vocũ ipso lege agerẽtur postulauit, multo min' peregrini quocũq; in gradu positi, in alieno territorio: q huius iuris alieni pdigi vtũtur loco [c] Pauli mandãtis obedire Principi pter cõscientiã, vt impellãt ad violationẽ primæ tabulæ, & subditos liberẽt à iuramẽto fidei q̃ debẽt Cæsari, vt violetur legis secũda tabula, si quãdo ipsorũ interest: delati p natura erroris, ad vitia duo extrema. quorũ mediũ positũ est in his 5. capitib. iuris Regũ. Primũ est leges cõdere, sine vlla exquirẽdi cõsensus cuiusq̃ subditi necessitate: [d] ex quo cõsequẽs est, monetã cudere, p̃tiũ ei imponere, ei insignia sua imprimere, ad subsidia reip. tributa exigere. 2. de bello & pace statuere, siue ad auxiliũ fœderatorũ siue ad alieni' iniuriæ vindictã à quocũq; illatæ. 3. Creare magistratus, eos cõstituere aut abrogare. 4. Iure summæ & vltimæ cognitionis de puocationib. iudicare, in oẽs regni inquilinos vitæ & necis potestatẽ habere, in oẽs degẽtes in ipsi' ditione atq; in genere ex legib. statuere de bonis, vita & fama ipsorũ, à quib. capitib. qui se immunem p̃tendit, resistit ordinationi Dei & reus est læsæ Maiestatis quicquid prætexatur.

CAP.

Margin notes:

d Deut. 17.
e Deut. 13.
f 2. Reg. 11. 41. 17.
g Iren. l. 2. c. 47.
a Dan. 3.
b Act. 4. 19.
c Exo. 1. 17. 21.
d 2. Mac. 7. 30.
e 1. Reg 13.
f 1 Reg. 18 13.
g Peritura Troia per dedit primũ Deos: apud Petron.
h l Princeps de legibus l. Ille a quo §. tempestiuũ, ad Treb. l. pede recept. l. 3. Co. de testam. l. ex imperf. de legat. 3.
a l. digna vox. C. de leg.
b Psalm. 51.
c Rom. 13.
d L. 3. v. 5. 6. leg. tit. c. de vectig. l. vt armorum. Auth. de armis l. 1. ad le. Iul. de ambitu leg. ius gladii de re. iu. Doct. in l. 3. de iurisd. omnium.

CAP. III.

Ecclesiasticos subditos fuisse Principi ante aduentum Domini nostri.

NOn est nouum quod est à principio, ait [e] B. Ioan. Idcirco nunquam satis erit execrationi noua Iesuitarum [f] opinio, docentium Ecclesiasticos damnari non posse crim. læs. Maiest. eo quod nō sunt Regis subditi. Quam hæresim vt iugulemus, & impediamus, ne secundum hanc doctrinam, quisquam amplius contra reges nostros moliatur, hosce Pharisæos ad id, quod erat in principio reducamus. Nullus extat historicus Mose antiquor, ille inde à creatione mundi vsq; ad obitum suū anno mundi 1493. nullius potestatis supereminentis in terris, nisi solius Principis in oēs territorii sui incolas meminit. Iuxta hunc ordinem lex à Deo data fuit Mosi, Duci & regi populi, non autem Aaroni, iuxta id quod scriptum est, [g] *Mosem sumpsisse librum fœderis & legisse, populo audiente, &c. sumpsisse sanguinem fœderis, eoq; populum aspersisse.* Et cum summus Sacerdos cum tota visibili Ecclesia idololatria circa vitulum aureum se polluissent, Moses Aaronem reprehendens, [a] *Quid*, inquit, *tibi fecit iste populus, quod induxeris super eum peccatum maximum?* Ad quam increpationem non respondet Aaron errare non posse aut se aut Ecclesiam suam, non se totum orbem iudicare, & à nemine iudicari: Sed conditionis suæ conscius, & per consequens se subditum esse Principi, gratiam petit, *Ne accendatur ira domini mei.* Similem reprehensionem æquo animo tulit Eleazar summus Sacerdos, cum Moses ei dixit, [b] *comedere illud tenemini in loco sancto quemadmodum præcepi.* Eadem plane est ratio iurisdictionis: Tota enim erat penes Mosen, qui tanquam Princeps populi, iudicabat ipsemet, quod fecerunt olim reges Francorum, aut instituebat iudices, qui de rebus cognoscerent, aut Ecclesiam aut lites spectantibus. Exinde etiam locum habuit translatio in causis aut difficilibus aut vbi prouocatum fuerat, [c] *Hierosolymam reuertebantur.* Eidem [d] mandata fuit à Deo directio cultus & ordinis Ecclesiastici, ac non Sacerdotibus. Contra quod verissimum effatum nihil facit, [e] quod Moses erat ex tribu Leui; nam quandoquidem ipsos summos Sacerdotes increpabat, non hoc faciebat iure Leuitæ, qui minimis Sacerdotibus subesse debuisset, nisi ad hunc titulum accessisset dignitas Ducis. Ita Dauid vir secundum cor Dei (qui vltra officium muneris sui nil moliebatur) postquam Salomonem filium suum successorem in regno nominasset, concilium conuocauit, numerauit & distribuit Sacerdotes, vt vacarēt muneri suo, quod eo loco describitur, non imperantes sed ministrantes coram Domino [f] *purgationi cuiusque rei sancta, simila, laganis, azymis, mactandis hostiis ad altare & sanguinem super altare spargendo.* Salomo, [g] similiter Templum dedicauit & consecrauit Deo coram tota Ecclesia: ipse [h] preces concepit, & populo benedixit præsentibus Sacerdotibus. Iosaphat similiter postquam lucos excidisset, & cultum imaginum profligasset [i] *Ierosolymis constituit scilicet ad iudicia Domini Amariam Sacerdotem & Zebadiam, antecessorem in domo Iuda in omni negotio regio, & ann. 3. regni sui misit ex præcipuis gubernatoribus vt populus erudiretur & cum iis Leuitas.* de Iosia vero scriptum est, [k] *Stans rex ad columnam suam pepigit fœdus coram Domino, &c.* & additur, *Tum præcepit rex Hilkiæ summo Sacerdoti, &c.* qui non excepit non esse Regis quicquam sibi imperare in iis quæ ad cultum Dei pertinent; immo paret mandato Regis. simile de rege Ezechia legimus, [l] *ille ipso anno primo regni sui aperuit fores domus Domini, & reparauit eas, &c. Iussit conuenire Sacerdotes & Leuitas, & dixit eis, Auscultate mihi Leuitæ, iam sanctificate vos, & sanctificate domum Domini.* Itē, *nunc est mihi in animo pangendi fœdus cum Domino Deo Israelis, &c.* Postea edixit Sacerdotibus, *filiis Aaronis vt offerrent in altari, constituit quoq; Leuitas in domo Domini, &c. Tum edixit Ezechias vt offerrent holocaustum in altari Domini.* Item dixit, *Nunc consecrastis manum vestram Domino, adeste ergo, & adducite* [m] *sacrificia & Eucharistica in domum domini.* Idem ipse *destruxit excelsa, fregit statuas, succidit lucos, & comminuit serpentem æreum quem fecerat Moses.* Totam Ecclesiam conuocauit, scripsit Epistolas ad Ephraim & Manassen vt venirent Ierosolyma ad celebrādum Pascha, &c. [n] *Nam rex* (q; notādum) *cum primoribus suis cum vniuerso cœtu Israelis consilium inierat de celebrando Paschate mēse secundo* Itaq; à rege, quod notādum, [a] *abierunt cursores, &c.* Item [b] de sacrificiis prospicit. Idem facit Iosias, qui Sacerdotes in muneribus suis constituit; vsq; adeo, [c] vt Salomo Sacerdotem Abiatharem deposuerit. Nehemias [d] restituit cultum Dei, legi librum legis curauit & exponi *data illius intelligentia per scripturam ipsam.* Si vero Sp. Dei Nehemiæ dictauit hanc rationem legis interpretandæ per sacram scripturam, quæ tum solos continebat libros Mosis & paucos alios V. Test. quæ nunc audacia est illam obscuritatis accusare, postquam illustrata est commentariis Euangelii filii Dei, & expositionib. Apostolorum & Euangelistarum? Certum est hanc scripturas per se ipsas interpretāndi rationem non iri reiectam, nisi ab iis, de quibus loquitur Apostolus. [e] *Si tectum est Euangelium nostrū, iis qui pereunt tectum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes.* Principes autem illi oēs non erant Sacerdotes, atq; ideo nihil faciebant, nisi pro authoritate regia munia exercentes, quæ erant regalii officii ipsorum.

Aliquādo qdē vn⁹ idēq; rex fuit & Sacerdos, qualis fuit Melchisedec: sed vtrūq; fuit, eo q; esset typus vnici regis, Sacerdotis & Prophetæ æterni Ecclesiæ, nimirū Iesu C. Seruatoris nostri. Si vero Card. Bell. vult hodie mixtā potestatē in Ecclesiā inducere: aut his typis expectari vult à nobis Messiā, aut nobis exhiberi sub Euāgelio illum; de quo Papa Nicolaus [f] loquitur *fuerunt hæc ante aduentū Christi, vt quidā typice reges simul & Sacerdotes existerēt. Quod sc. Melchisedec fuisse sacra prodit historia: quodque in membris suis diabolus imitatus.* Ex quib. verbis hoc sequitur, si post publicatū Euangelium extet aliquis vtrūq; munus qui exerceat, eū esse membrū diaboli iuxta sententiā Papæ Nicolai, qui in eo nō fauet Episcopis dominiis tēporalib. & spiritualib. Quēadmodū vero reges integrū munus suum explētes à Deo benedicebātur: ita nō inuadebāt fines, aut officium Leuitarū & Sacerdotū, neq; se

[e] 1. Io. 2. 7. 2. Io. 1. v. 5.
[f] Emanuel Sa in aphorismis excusis Antuerpiæ v. Princeps. v. Clericus.
[g] Exod. 20. vsq; ad 25. caput. Exod. 24. v. 7. & 8.
[a] Exo. 32. 21.
[b] Leuit. 10.
[c] 2. Chron. 19. 8.
[d] Exod. 18. 19.
[e] Deut. 17. 8.
[f] 1. Chr. 23.
[g] 1. Chr. 29.
[h] 2. Chro. 6.
[i] 2. Chro. 19. 8.
[k] 2. Reg. 23.
[l] 2. Chr. 29.
[m] 2. Chron. 31. 1.
[n] 2. Chr. 30.
[a] 2. Chr. 30. 6.
[b] 2. Chro. 35.
[c] 1. Reg. 2. 29.
[d] Nehem 8. 6. & 13.
[e] 2. Cor. 4. 3.
[f] Nico. Ep. 6.

g 1. Chr. 26. 18.

immiſcebant confectioni laganorum azymorum, aut miniſterio filiorum Aaronis, mactationi vitulorum, aut effuſioni ſanguinis ſuper altare; Hoc enim caſu licebat Sacerdotibus illos arguere, & ipſe Deus erat vindex. Ita Hazarias ^g ſummus Sacerdos dixit Huzziæ, *Non licet tibi adolere domino, ſed Sacerdotum eſt filiorum Aaronis, qui conſecrati ſunt ad adolendum*, ac non ſummus Sacerdos tantum, ſed & quilibet munere publico fungens in Eccleſia, monere poteſt, bona conſcientia & ſecundum Deum, Reges & Imperatores, exemplo Nathanis, qui Dauidem reprehendit, & S. Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis, qui Theodoſium Imperatorem templo excluſit. Non enim eſt hic caſus reſeruatus Epiſcopo primæ ſedis conſcientiam regum excitare, & illos ad agnitionem peccatorum adducere: lex eſt Dei, quæ loquitur, non autem homo, cuius neq; perſona, neq; dignitas hic attenduntur, ſed authoritas & mandatum Dei, atq; hoc modo ſub Lege, immo inde ab Adamo vſq; ad Domini noſtri ^h aduentum in carne Reges ſe geſſerunt eum Sacerdotibus & tota Eccleſia ſpatio 4000. annorum.

h Natus eſt Dominus noſter Ieſus anno mundi 3963.

CAP. IV.

Poſt aduentum Domini noſtri in carne, Regum ius in Eccleſiaſticos non eſſe diminutum.

i Matt. 5. 17.
a Io. 18. 13.
b 1. Tim. 2.
c Ier. 4. 20.
d 2. Sam 21. 17.
e 1. Sam. 13. 14.
f Pſal. 82.
g Bell. de Rom. Pon. c. 7. Bell. de Pont. l. 1. c. 7. & li. 3. c. 16 & li. 5. c. 6. Emã. Sa Ieſuita in aphoriſmis excuſis Antverpiæ v. Princeps. v. Clerici.

NIHIL hac propoſitione verius eſt. Nam inquit Seruator ^i *Non veni vt legem diſſoluam, ſed vt adimpleam.* Item ^a *Regnum meum non eſt ex hoc mundo* Inde conſequitur à iuriſdictione, quæ principibus omnibus in patrimonio eſt, non eximi partem aliquam ſubditorum: Ieſum nõ conſtituiſſe aliam poteſtatem gradu, quem obtinent, ſuperiorem, quæ vlla ratione miniſtros eorum liberet à fide, quam ipſis debent: non eis abrogauit imperium, quod ſub lege obtinebãt in Eccleſiam, ad eã reformandam: in Doctores ad eos congregandos: in Summum Sacerdotem ad eum deponendum. Idcirco S. Paulus dicit reges conſtitutos ad tuendam non minus pietatem & religionẽ, quam honeſtatem & politiam, ^b *vt trãquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate.* Quorſum enim iugum Euangelii, quod Ieſus affirmat eſſe leue omnib. illud habere volentibus, ceruici regum eſſet graue, quibus dat Deus titulos & prærogatiuas ſupra reliquos omnes mortales, illos appellans ^c *Chriſtos & vnctos Domini.* Et quemadmodum Seruator *lux gentium* appellatur in Cãtico Simeonis, ita etiam rex apppellatur ^d *lucerna Iſraelis*: Moſes & Dauid ^e *viri ſecundum cor Dei*, & Pſaltes de ea auctoritate loquens, ^f *dixi, dii ſtis & filii Altiſsimi vos omnes.* Vndenam igitur iſtæ hæreſes, quæ iam radices agunt in tota ſocietate nouorum Doctorum? ^g *reges ſeruos eſſe potius quam dominos, Imperatores multos a Pontificibus fuiſſe depoſitos: nullum vero vnquam Pontificem ab Imperatoribus: ab Epiſcopis poſſe reges deponi & abrogari eorum leges: Clericos aliquod regnum incolentes non eſſe ſubiectos Principibus, ab iis iudicari non poſſe, quantumuis ipſi iudicent Principes* Quinam igitur ex capitibus huius tractatus non agnoſcat impoſturam Ieſuitarum? vt nihil aduerſetur ratio Cardinalis. nam in eo conſentientes, Reges à Deo eſſe conſtitutos *propter populos.* detegenda eſt fallacia horum magiſtrorum æquiuocationis in voce *propter*, quæ tum ſeruitutem, tum imperium notat. Ita cõcedimus reges eſſe propter populos, ſed quemadmodum anima creata eſt propter corpus, & caput propter membra, gradu ſc. ſuperiore vt imperet, non autem vt pedes capiti ſuperponantur. Tertio ſi iſte doctor ſibi plus iuris non arrogat, quam ſibi ſumpſit Dominus noſter, & Apoſtoli qui ſeſe ei ſubiecerunt in hoc mundo Reges ſeruorum loco non habebit. Quod ſi in hunc ordinem erant redigendi, ſatis erat potentiæ Domino noſtro, vt eo deprimeret vel clariſſimos. Si vero neq; ipſe, neq; ipſius Apoſtoli hoc aggreſſi ſunt, tum cũ Eccleſia erat puriſſima, inde conſequens eſt perfectionẽ ordinis Eccleſiaſtici non in eo poſitam eſſe, vt ſuperiores ſint ſupremis magiſtratibus & ſubalternis. Si etiam Apoſtolus ſucceſſoribus ſuis præcipit, ^h *vt ſint imitatores ipſius, ſicut erat ipſe Chriſti*, illi inuicẽ dicturi ſunt illud Chriſti, ^i *Regnum meum non eſt ex hoc mundo*, contenti erunt clauibus cœlorum, non rapturi claues vrbium, aufugient ^k exemplo Seruatoris, ſi quis eos velit facere Dominos temporales: munus iuriſdictionis ciuilis non ſuſcipient, vti nec Seruator, cui cum dixiſſet quidam ^a *Magiſter dic fratri meo vt partiatur mecum hereditatem: dixit ei, Heus tu, quis me vobis iudicem aut partitorem præfecit?* Neq; de cauſis criminalib. cognoſcent, illum imitati, de quo ſcriptum eſt: ^b *Mulier nemo te condemnauit? Ipſa vero dixit, Nemo Domine. Dixit a. ei Ieſus, Nec ego te condemno, vade & ne amplius pecca.* Ita Dominus noſter recuſat officium magiſtratus temporalis, fungens munere veri Paſtoris ſpiritualis, inuitans peccatores ad reſipiſcentiam, nec tamen vitium probans. Quod ſi belli iſti doctores perſuadere volunt nobis, poſt aliquod tempus, à Conſtantino nempe, Eccleſiam debuiſſe mutare mores, & omiſſo miniſterio imperium ſumere, tandiu fidem ſuſpendam, dum protulerint aliquam Prophetiam futuræ huius mutationis, & de hoc, quæ prætenditur auctoritate, credam quod Dominus noſter dixit de habitationibus, quæ ſunt in domo patris ſui, ^c *ſi ſecus eſſet, dixiſſem vobis.* Et pergens dico, ſi Eccleſia in perfectiore ſuo ſtatu, tali ſuperioritate caruit, perfectionem illam à Deo inſtitutam eſſe retinendam, & ſi Principes Ethnici agniti ſunt trecentorum annorum ſpatio pro ſuperioribus Eccleſiæ, quæ pars erat Reipublicæ ipſorum, magnam iniuriam illatum iri Regi Chriſtianiſſimo, ſi minus honoris ei deferatur, quã Apoſtoli & primitiua Eccleſia totis 300. annis detulit Imperatoribus Ethnicis & infidelibus. Neque huc facit fabula donationis Conſtantini, quam falſam eſſe agnouerunt Doctiſſimi quiq; Iuriſconſulti veteres & recentiores, prout declarabitur poſtea *c. 9.* Verum etſi conſentiamus in priuilegiis ordini Eccleſiaſtico conceſſis à Principibus: non inde tamen inferendum eſt, ipſos auctoritate ſua ſe ſpoliaſſe, in Eccleſia reformanda & legibus ei ponendis, nam ſiquidem iuris eſt Regii leges in Republica condere, ſolius eſt regis eas ferre: & quamuis nullas conſtituat, niſi conſultis ^d peritis in quaque arte aut ſcientia, non dicẽtur tamen, decreta eſſe Iuriſconſultorum aut Theologorum, qui in conſilium vocati fuerint,

h 1. Cor. 11. 1. Phil 3. 11. Eph 5.
i Io. 18. 36.
k Io. 6. 15.
a Luc. 12. 13
b Io. 8. 10. 11.
c Io. 14. 2.
d l. placet C. de ſacroſ. Eccl.

vnde

Vnde consequens est, Regis potestatem imminutam non fuisse aduentu Seruatoris, qui Apostolorum & legitime eis succedentium munus his terminis circumscripsit, Prædicare verbum Dei & Sacramenta administrare: sicuti Sacerdotum munus sub lege determinat laganis, azymis, suffitibus & sacrificiis; ac sane Imperatori Iustiniano videtur non extendi Liturgiam Christianam, & officium Episcoporum in ᵉ Nouel. 7. in quam scripsit D. Cuiacius in eundem sensu. Cum ergo leges ferre in Republica totius sit supremi magistratus, & neq; rex, neq; Apostolus ᶠ aut Angelus è cœlo possit addere, aut detrahere de legum diuinarum substantia, nisi tantummodo in circumstantiis quæ decorum spectant & executionem ipsarum, quid incommodi est, si auctoritas ordinaria legibus Ecclesiasticis interuenit? Quandoquidem Ecclesia est in Republica, pars est illius, & subdita est supremo domino totius ditionis, & in Gallia vnus est ex tribus ordinibus regni, quorum rex est caput, & superior non minus Cleri quam Laicorum. Nemini autem licere, quicunq; sit, addere aut detrahere de substantia legis, aut Euangelii Dei, est prohibitio, primo quoad legē. ᵍ *Ne addite ad verbum, quod ego præcipio vobis, neq; detrahite de eo: vt seruetis præcepta Domini Dei vestri*, & in Prouerb. ʰ *Ne addicito ad verba eius, vt non corripiat te & efficiaris mendax.* Idem dicitur de Euangelio, ⁱ *Etiamsi nos vel Angelus è cælo euangelizet vobis, præter id quod vobis Euangelizauimus, anathema esto*. de lege & de Euangelio præceptum est, *k vt in nobis discatis sapere id quod scriptum est, non sapere*, nam inquit Ioannes, *l si quis addiderit ad hoc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto. Et si quis abstulerit ex verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro vitæ.* Ideirco Imperatores hanc possessionem constanter retinuerunt conformem titulis ipsorum. Atq; vt initium faciamus à Constitutionibus relatis in Codicem Iustiniani, 13. priores tituli pleni sunt legibus ad Ecclesiæ regimen pertinentibus, in quibus primo notabunt aduersarii iuris regii titulum, ᵇ quo simplex audientia tribuitur Episcopis, non autem iurisdictio, quo ostendatur nullam eis partem imperii competere, illis interdicitur *ne sanctum baptisma iteretur* ᵃ *signum saluatoris Christi humi vel in silice aut insculpere aut pingere.* ᵇ Et in Nouella statuit Imperator *de pœnis Ecclesiasticis ordinibus constitutorum*, adeo vt quosdam præcipiat verberibus subdi ᶜ *de ordinatione & consecratione Episcoporum, vt singulis annis Concilia celebrentur.* ᵈ *Interdicit omnibus in domibus suis sacra celebrare mysteria.* ᵉ *Iubet omnes Episcopos non in secreto, sed cum ea voce, quæ à fidelissimo populo exaudiatur, diuinam oblationem, & precationem, quæ fit in sancto Baptismate, facere.* ᶠ *S. biblia in linguas vernaculas transferri*, ᵍ vt quisque eas ad salutem suam possit legere; adeo vt etiam cum Imperator sedem suam transtulisset Constantinopolim, quamuis Romæ suus esset Episcopus, declarauerit *Constantinopolitanam Ecclesiam esse omnium aliarum caput*, hoc est primam. Eo refertur quod Nouella 83. Menna appellatur *Vniuersalis Patriarcha*, in cuius gratiam Imperator declarat se *hoc priuilegium Clericis dare, vt apud solos Episcopos conueniantur*, atque hoc in certis tantum causis. Cur aūt Imperatores sedem suā Roma transtulerint hæc causa est, quod nihil fere amplius possiderent in Occidente. Galliæ & bona pars Germaniæ à Francis obtinebantur, Hispania à Sarracenis, Gothis & Vandalis, Italia horrendis modis turbata. Gotthorum & Vandalorum vsurpatione Roma exiguo temporis spatio ter direpta, anno 414. sub Honorio, ab Alarico, anno 459. sub Martiano, à Genserico rege Vandalorum, & tandem à Totila rege Gothorum tempore Iustiniani, qui eos profligauit anno 552. Sed eum de possessione deiecit rex Longobardorum, qui extinde Italiam ducentis annis obtinuit, vsq; dum à Carolo Magno fugatus est. In qua rerum perturbatione restabat Imperatori Exarchatus Rauennæ, cuius loci Episcopus voluit anno quingentesimo quinquagesimo octauo sumere nomen Episcopi vniuersalis, quia solus in Italia Imperatorem agnoscebat. Contra Constantinopolitanus hoc ius sibi arrogabat propter sedem Imperii. Quam ambitionem Gregorius Magnus Episcopus Romanus, vir & doctus & bonus sæpius scriptis damnauit, dicens eum *ᵃ Antichristum fore qui Deus videri vellet super omnes homines: illum vero Antichristum præcurrere, qui super cæteros Sacerdotes se extollit.* Vnde consequitur primum gradum ambitionis Antichristi esse hunc fuisse sese in Ecclesia supra cæteros collegas extollere, complementum vero huius mysterii esse, se extollere supra id omne, quod dicitur Deus, aut quod adoratur. Attamen Bonifacius tertius Gregorii successor, idem cum eo non sentit, & accepit titulum Episcopi vniuersalis à Phoca, qui occiso Imperatore Mauritio cum familia vsurpauit, imperium, & Constantinopolim occupauit.

ᵉ Nouell. 7. c. 11. de Ecclesiast. bonis. Cuiac. to. 3. pa. 149.
ᶠ Gal. 1. 8.
ᵍ Deut. 4. b.
ʰ Prou. 30. 6.
ⁱ Gal. 1. 8.
k 1 Cor. 4. 6.
l Apoc. 22. 18 & 19.
ᵇ De Episcopali audientia.
ᵃ Lib. 1. tit. 8.
ᵇ Li. 1. ti. 8.
ᶜ Nouella 123. c. 20.
ᵈ Nouella 123. c. 10.
ᵉ Nouell. 58.
ᶠ Nouell. 137. c. 8.
ᵍ Nouell. 146 vt liceat Hebræis
ʰ l Constantinopol. 24 C. de sacr. Eccl. his verbis.
[illegible]
ᵃ Greg. Ep. 30. 6 ind. 15. Epist. 194. & 198 &c.

CAP. V.

Regum Christianorum iura superius declarata nititulis & possessione.

PHARAMONDVS primus Rex Francorum regnare cœpit anno quadringentesimo decimo sexto. Tres eius successores Ethnici fuerunt. Clodoneus primus fuit Christianus, regnare cœpit anno 484. & in possessione iuris regni, de quo diximus, persistit: Concilium enim conuocauit Aureliæ, cui interfuerunt multi Prælati, inter quos erant triginta duo Episcopi: & ᵃ vltimo supplicio curauit affici duos Monachos læsæ Maiestatis reos. Ita perrexerunt eius successores vsq; ad Bonifacium tertium, quem primum Papam fuisse iure dixeris. Nam nomen ipsum prius commune erat reliquis Prælatis, prout Sanctus Hieronymus ᵇ in multis Epistolis vocat S. Augustinum & Alypium nomine *Paparum*, sicuti etiam nomen *Presbyteri & Episcopi* eodem sensu vsurpabantur. Nam inquiebat Hieronymus: *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non*

ᵃ Du Haillan in suis regni.
ᵇ Hieron. Epist. ad Aug. tom. 2.

non faciat? Si vbicunq; fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Rhegii, &c. eiusdem est meriti, & Sacerdotii potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit, &c. Attamen sexcentis post annis idem Bonifacius tertius tum Episcopus Romanus, vna cum nomine rem simul vsurpauit: & contra quam Adamus, qui nomina rebus imponebat pro vera ipsarum natura: Bonifacius tertius, & eius successores post abusum nominis, rem sibi vēdicarunt. Hinc obseruatur ab [c] historicis primus his vocibus vsus esse in decretis suis. *Nos volumus, statuimus, iubemus & mandamus.* Istiusmodi autem vsurpationes multum promouerunt cōfusiones bellorum Italiæ, & negligentia postremorum regum nostrorum primæ stirpis: à qua Pipinus Rex occasionem amplexus est, coronam transferendi in familiam suam: coronari voluit à Papa anno septingētesimo quinquagesimo quinto, vt authoritate vteretur: qua iam ab illo tempore Papa pollebat in Ecclesiis Christianis, atque vt eum magis deuinctum haberet ad causæ suæ defensionem, dedit ei Exarchatum Ranēnæ, & quod occupat in Romania. Atq; hoc modo duo isti Domini se inuicē deuinxerunt nullo cū suo dispendio: nam minimus Episcoporum Galliç poterat æque valide Pipinū coronare ac Papa Zacharias: Exarchatus vero Regis non erat, sed Imp. cuius indignationem vt leniret, [d] rex hanc donationem fecit nomine Const-ntini, iam ante 500. annos vita defuncti. Quod quidem refero, vt faciam manifestum omnibus, Papis suam potentiā ex Regum nostrorum liberalitate constare, atque eos maxime ingratos futuros, si officii erga ipsos immemores sui obliuiscantur. Præterea Pipinus immutauit ritus receptos in Ecclesia Gallicana, & Romanos induxit opera Remigii Archiepiscopi Rhotomagensis. Hoc ipso tempore agitata est controuersia de imaginibus, quas Ecclesiæ Græcæ nolebant in templis recipere. Epiphanius Salaminensis Episcopus picturam in templo positam lacerauit: Serenus Episcopus Massiliensis imaginem deiecit, Imperator Philippicus cognomento Bardanes ius Regum constanter retinuit, atq; anno 713. edicto sanciuit, quod durauit vsq; ad Constantinum secundum, qui ipsum confirmauit anno 782. Vnde eius mater Irene irritata (prout superstitio facile exacerbat ingenia imbecilla) Concilium conuocauit Constantinopoli, minorenni adhuc imperatore vt suas imagines stabiliret. Sed populus reluctatus est & Prælatos abegit: qui postea conuocati sunt Niceæ ab hac fœmina, quæ cum suas imagines non posset cōstabilire per certos homines, Imperatori filio suo oculos effodit, eum in exilium misit, in quo obiit. Interea anno 776. Rex Carolus Magnus in Italiam transiuit, Desiderium Regem Longobardorum subegit, & captiuum Lugdunum adduxit, & mox in auxilium vocatus à Papa Leone petente liberari à potestate Campuli & Syluestri inimicorum suorum, eo venit atq; eadem opera Imperator coronari voluit: & confirmauit Papæ donationē Regis Pipini parentis sui, & ab eo tempore Rege & Imp. inter se transigentibus diuisum est imperium, & cessit imperium Occidentis Carolo Magno, q non probat decreta Synodi Græcæ, quin immo librum edidit cui titulus *Caroli Magni liber de imaginibus contra Synodum Græcam*, qui etiamnum hodie legitur. Et quod controuersiam nostram decidit, hac ratione ius antiquum retinuit leges Ecclesiæ constituendi, quarum multæ extant in libro, cui titulus *Capitulare Caroli Magni*. Et quod decessor eius Pipinus fecerat Bituri gibus, ipse etiam conuocauit multa Concilia, in multis regni sui locis, Moguntiæ, Turonibus, Rhemis, Catalauni, Arelatæ, & sextum omnium celeberrimum Francofurti, [a] cui ipse interfuit & damnari fecit errorem Feliciani & Concilium Nycenum, falso dictum septimum generale. Hoc autem loco notare necessum est, electionem Episcoporum & Archiepiscoporum, etiam Romani, confirmari oportuisse ab Imperatore, quæ nisi ab ipso roboraretur non consecrabantur, vt [b] Canonibus cautum est, in quibus legimus confirmatum ab Imperatore Valentiniano S. Ambrosiū. Ab antiquo hoc iure Imperatoribus communi Carolus Magnus postquam imperium diuisisset & transegisset cum Imperatore Orientis, Romæ concilium conuocauit, vt sibi noua hæc authoritas confirmaretur atq; ab Ecclesiasticis agnosceretur, ius illi competere Episcopos confirmādi, quod ab omni æuo fuerat Imperatorum decessorum suorum. Vnde apparet inepte voluisse Pontifices hanc declarationem & agnitionem insignire nomine priuilegii, & beneficii Romæ gratis concessi Carolo Magno. Ius enim est commune, antiquum & diuinum: & tum constituti sunt Canones [c] *Hadrianus*, & ille cuius initium est [d] *in Synodo*: quæ veritas multum distat à doctrina Cardinalis Iesuitæ, qui populis libenter persuaderet ius Regum & Imperatorum niti gratia Pontificis, quo etiam non possint vti, nisi quandiu ei libuerit. Paulo post etiam irrepsit quæstio, qua orbis tantopere vexatur de interpretatione verborum Domini, *Hoc est corpus meum*, ad cuius elucidationem, vt scirent omnes quomodo Christianus communicat merito mortis & passionis Domini nostri, rex Carolus Caluus, qui regnante cœpit anno 841. rex regno suo non exiuit, vt in Romana curia quæreret intelligētiam verborum Euangelicorum, sed consuluit *Bertramum presbyterum*, qui inter Ecclesiasticos sibi subditos erat doctissimus, cuius etiamnum hodie extat liber, dignus qui conseruetur: et eo enim cognosceretur sententia, quæ vnitatis insimulatur hoc tempore, tum existimata fuisse antiquissima. Quod si discipulis Loyolæ liberet, boni illius presbyteri indicio stare, cessarent tot disputationes de verbis sacramentalibus, neq; tanta esset disceptatio de verbis *Hoc est*, siquidem ad pacem Ecclesiæ missi sunt. Quoniam supra ostēdimus, quomodo Reges nostri iura sua tuiti sint, rerum potientibus duabus prioribus stirpibus, quo tempore non alia doctrina prædicabatur in cathedris, quam illa Canonum antiquorum, qua statuitur [a] *generale pactum esse societatis humanæ, obtemperare regibus suis*, quæ confirmabatur exemplo regis Israelis, qui imperauit Hilkiæ summo Sacerdoti, etiam testimonio Hieronymi dicentis: *Ægypti Margade fraudatur, qui sibi eos & Pharaonis pa-*

te sta-

c Beda. Sigeber. &c. Durand. 4. rational. diu. Onuphrius.

d Paulus Æmylius, Tilius, & alii.

a Sigebertus anno 778.

b Can. vota. Can. Agatho. 63. dist.

c Can. Hadrianus.
d Can in Synodo 63. dist.

a Can. quæ contra 8. dist. & c. scit is summa 94. dist. & quis culpatur 23. q. 5. & textus & glo. can. si Episc. 28. dist.

testatibus seruare contemnit. [b] *Ipsis Principibus & potestatibus fidem & reuerentiam seruari oportet, quam qui non exhibuerit, apud Deum præmia inuenire non poterit.* Inter omnes autem Reges Canonistæ ipsi dicũt Regem Francorum *esse Regem Regum*, [c] eum lucere super alios sicuti stellam matutinam inter nubes. [d] Non obstante diffusa illa regionum ditione, quam nunc possidet Rex Hispaniæ iis artibus, quas narrant Historiæ. Nam etiamnum cliens est tuus, DOMINE, tam propter Baleares feudum Magalonæ, quæ Ecclesiæ est Galliæ Narbonensis, quam propter Comitatum Flandriæ, [f] qui est intra fines summæ iurisdictionis Senatus Parisiensis, primusq; trium illorum Comitatuum, qui Pariuum dignitate insigniuntur; neq; enim aduersatur iuris eiuratio, à Rege tum captiuo facta, quoniam metus diuturnæ captiuitatis impedit omnem consensum, neque vero amplius euincit, quæ prætenditur ratihabitio, tum enim filii Regis in Hispania detinebantur, *Itaq. semper suberat metus causa. Immo per filios pater plerumq. magis torquetur*: atq; hunc facit [g] exemplum Regis Cypri. Secũdo regis Hispaniæ melior causa & conditio esse non potest propter hunc consensum, quoniam cum summa iurisdictio sit [h] iuris Dominii & Coronæ, alienari non potest: dignitas hæc regia in tã elato gradu posita in vnoquoq; regno facit, vt Canonistæ sine scrupulo & dubitatione, quam hodie iniciunt Iesuitæ, agnouerint Regem pro [i] *vicario Iesu C. in regno suo*, imo ipsum his vocibus appellant *Deum corporeum*, [k] & *delegatum Dei in terris*. Multos etiam Reges habuimus tantæ existimationis apud omnes Ecclesiasticos, vt nullus eorum parricidia probare ausus sit, neq; subditos eorum obsequio absoluere, quinimo canonizabant eos, & in numerum cœlestium referebant. Istiusmodi referũtur in historiis, Reges Dagobertus, Carolus Magnus, S. Lud. q bus vtut inuitis Reip. hostibus adiungemus Henricum M. parentem tuum, DOMINE, optimum & fortissimum Principem & Martyrem. Patri numero agnoscuntur in hoc regno, notæ, & testimonia peculiaris gratiæ Diuinæ, Regibus nostris concessæ: donum sanãdi strumas, oleum vnctionis, liliorum flores, labarum: cum tota antiquitas seu fabulosa seu verax, vnicum dederit *Palladium* Troiæ magnæ, vnicum *Ancile* Romæ superbæ, vnicum *signum crucis* in cœlo, in omen victoriæ, bono Imperatori Cõstantino. Quæ prærogatiuæ agnitæ à Papis, fecerunt vt Innocentius IV. concesserit dies 10. indulgentiarum [l] orantibus pro rege, & Clemens 100. alios superaddiderit. Quoniam autem Rex Francorum est tam absolute liber, inde est, quod regnum eius inter feuda non numeretur, quia soli Deo clientelarem fidem debet, quem solum habet Coronæ suæ patronum: & quoniam omnis alia fides præsupponit seruitutem contrariã supremæ isti libertati, ideo Rex nullo prorsus modo obnoxius est Imperatori aut imperio Romano, quod nullus vnquam regum Galliæ agnouit, à Pharamundo primo rege Francorum: præferunt siquidem reges nostri notas omnes Imperii supremi [m] in regno suo. Quod ipse Papa agnoscit in sua extrauagante dicens, Bonifacium VIII. non potuisse præiudicare Regi, *qui non agnoscit vllum superiorem.* [o] Quod intelligendum est (contra glossæ interpretationem) nec facto nec iure, quandoquidem in textu hæc verba extant: [p] *Potuit tanquam rex & Princeps*: vox enim hæc *Princeps* nomen est authoritatem habens à iure, non autem tribuitur homini violento & vsurpatori, in cuius vtilitatem Canonistæ nunquam fatebũtur Papam facturum authoritatem tali cuiquam actioni & facto contra ius. Verbum igitur *Potuit* exponitur *In eo Princeps iure nititur.* Ac sicuti bonus ciuis salutem patriæ præfert propriæ & proximorum vitæ: ita etiam creditur Regi potius obediendum, quam patri naturali, quoniam *maritus est & pater patriæ*, [q] quæ communis est mater inquilinorum. Vnde sequitur Cardinalem Bellarminum stabilientem potestatem temporalem aliam ab ea, quæ regis est in regno suo, facere Papam adulterum temporalem, quo modo depingit eum [r] fornicatorem spiritualem dum facit eum sponsum Ecclesiæ Catholicæ *etiam Christo secluso.* Solus enim Rex pater est & maritus populi sui, & Christus est vnicum caput vnicæ Ecclesiæ, *Papa secluso.* Ex hac autem ratione fundamentali, antiqua & naturali hæc decisio promanat [f] *si Episcopus vocatur à superiore suo, & à rege eodem tempore, regi potius debet parere quam Prælato.* Idem dicitur de Episcopo fundum regi clientelarem possidente, ei enim obsequium potius debet, quam ipsi [t] Papæ, quemadmodum docent veteres Doctores, contra nouam opinionem, & quia lex definitur [v] *Constitutio Principis*, solius est regis Legem ferre, aut abrogare per vniuersum regnum. Cuius enim magis interest vigilare [x] pro omnibus membris, quam eius qui eorum est caput? & quamuis Pontificum quotũdam ea fuerit violentia, vt [y] reges aliquos, imo etiam Imperatores coegerit iugum subire vt adimpleretur S. Ioannis reuelatio: tamen Pontifices nunquam vsurpauerunt, neque etiam arrogarunt sibi hoc ius in reges Francorum, vt testis est Extrauagans *Meruit.* [z] Nec quicquam facit quod habetur in Canone *Ego Ludouicus.* & quod in more positum est Regibus, vt legatos ad Pontificem mittant, qui ei spondeant amicitiam spiritualis filiationis. Hæc enim comitas exhibetur propter munus pastorale, quod exercetur à minimo Curione, æqua potestate cum primo Episcopo. Sed Pontif. statim ac electus est tenetur articulos suæ cõfessionis mittere ad regem, qui id iuris habet, vt examinari curet eam à Sorbona & sitne orthodoxa agnosci, * sicut factum fuit à Pontificibus Pelagio & Bonifacio octano, regnantibus Childerico & Philippo Pulchro. Ex hac suprema potestate, nixa iure humano, diuino & antiquo, est quod Rex authoritate propria sine consensu Põtificis potest *tributa imponere Ecclesiasticis*: [1] quamuis Pontifex prætendat [a] soli Francorum regi huius competere, quod ipse appellat priuilegium, verum

b Can. Reg. C. si apud 23. q. 5. c Cardin. Clem. 1. pr. de immuni. Eccl. d Bald. c. 1. §. 1. de prohib feud alie. Idem consil 413 1. par. e Pet. Iac. in pract sub rubr de success. reg. ve. item nõ aduertunt de Grassal. 1. iure l. 1. Regali. f Guag. in l. 4 & 5 c. 1. Bald. auth. statuimus, v iuxta hec, C. de Episc. & cler. g Card. consil. 137. incipit. te Redemptor. Masor. consil 53. h Lucas de Pen l. quicunq. ic. li. C. de omni agro d serto. i Fel. c. cum non liceat de præscr. Bal. c significantib. de off delegati. k Bal d. loco & de proh. feud alie & de pace Cõstantia. l Thom. 4. sent. q. 19. ar 3. in sel. vl arg gl in v. teneretur in proœm. prag sanct. m e. cũ clem ext de priu. Bal l quoties C de sius & leg. n Pann c. tua 2. de decimis c. quã in Eccles. de constit Bal. l exemplo C. de prob. 1. de off præf. prat. Clem. s. extrauag. meruit. o C. per venerabilem, Qui filii sint legit.

p Lex facto de vulgari l fin. C. de mili. test. Pann. d. loco. q Luca. Pater est vrbis, maritus. Plin in instit. Traian. Luc. de Penn. l. quicunq. coll. 3. C de omni agro l. 11. l. nemini l. 12. de Coss. r Bol. l. 1. de Pont. c. 9. s c. si Ep. 18. dist. C. de cob. 12. q 2. c pastoralis ducto arg. ab ordine litera §. cum autem de off. del. t gl Can reprehensibili 23. q. 8. In. & Pan. c. cum parati de Appellat. v Bal. c. 2. de Const ca. Const. 2. distinct. x l 1. 2. 3. de officio præf y c. tibi domine dist. 63. z can. ego Lud. 63 dist Vigil. * Tilius tit. de liber. Eccl Gallicanæ & c. fatag. 23. q. 1. Vinc. Sigan tract. de feud. pr. e. 1. reg & c. 3 1. Benif. in Bul. inserta in l. Lib. de qua Io. Ferral & Gul. Bene. c. Raynutius v. vxorem nu. 103. de testamentis. 2 cap. non minus, & aduersus de immunit. Eccl.

verum etsi res ita haberet, reuocare tamen illud non posset, quia concessum [3] Reipublicæ ac non homini. Præterea tributum hoc exigitur à rege non tantum ex temporalibus, quæ natura sua [a] defensioni publicæ obnoxia sunt, sed etiam ex reliquis redditibus Ecclesiasticis: quemadmodum rex Ludouicus XII accepit decimas prouentuum beneficiorum, tempore Alexandri VI. anno 1498. Idem fecit Rex Franciscus I. anno 1530. tempore Clementis VII. Idcirco Glossa *Clementina* [b] dicit hoc fieri consueuisse in Gallia. Contra Papa non potest imponere neque accipere subsidia ex beneficiis. Ideo Glossa *Decreti de Annatis* refert Regem Ludouicum XII. & alios prohibuisse has subsidiorum exactiones. Item Rex Carolus V. hoc Decreto confirmari voluit contra Papam Benedictum XIII. & cognitor Regius in iudicio simili Decretum obtinuit anno 1463. regnante Ludouico XI. [f] qui multos prælatos conuocauit. Quod etiã factum fuit regnante Philippo Pulchro, ac quamuis, iuxta sententiam Papæ, nullus laicus possit disponere de rebus spiritualibus, [b] ne in fauorem quidem Ecclesiæ, tantum abest vt ius eis concedat possidendi: [c] vtrunq; tamen Rex potest, quemadmodum cognitum est in Concilio Basileensi [d] tit. *de Annatis*. Itaq; secundum Guaguinum ius hoc conferendi beneficia ita regium est, vt nihil in regno sit, quod ad Regem magis pertineat. Idque non vi vnctionis: propter illam enim pure laicus esse non desinit, iuxta doctrinam Canonum. [e] Ideirco Regis consensus requiritur in electionibus [f] Prælatorum, antequam consecrentur. Inde est quod regius cognitor vocari debet in electione Abbatis Culturæ apud Cenomannos, & si quis contrauenerit, eum potest rex punire, [g] Hoc iure communi antiquo & diuino omnium regum proprio nituntur decreta Parlamentorum. Et quod amplius est, præter collationem, rex tenere potest beneficia [h] & possidere; ac sane appellatur Canonicus S. Hilarii Pictauii, S. Martini Turonibus, Andegaui & apud Cænomannos: & quamuis rex in nullos ordines adscribatur; Canonistæ tamen tenẽt regem Christianissimum exercere posse munus subdiaconi, & Carolum VIII. illud obiuisse Papa celebrante. Præcedit etiam omnes suos Prælatos [k] sicuti tenent Panormitanus & Innocentius, immo [l] tenentur ipsi præstare homagium ligium, quod importat fidelitatem erga & contra omnes nemine excepto Et vt manifestum sit illos eatenus se subiicere Regi, quatenus Episcopi sunt, iuramentum præstant [m] orario ad collum appenso, manum ad pectus admouentes, & Euangelium habentes ante se. Laici vero auctoramentum ineunt lege clientelarum genibus flexis & manibus iũctis. Eadem de causa [n] debent Regi in bello adesse, ac ita Senatusconsulto decretum est contra [o] Episcopum Lemouicensem, & priuari fundis beneficiariis possunt propter feloniam [p] solius etiam regis est criminis gratiam illis facere, [q] & Ecclesiam reformare, eo fine congregando Principes suos & Prælatos, nulla Papæ authoritate requisita, vt refert Vinc. Cygaut, [r] dicens se accepisse à Rege literas & mandata reformãdi Franciscanos, quos latioris manicæ vocãt, atq; ita fieri consueuit in casu abusus notorii [s] Deniq; rex solus est Dominus totius territorii regni sui. [t] Definitur autem in iure territorium, *Vniuersitas agrorum intra fines cuiusq; ciuitatis: Ita dictum quod magistratus eius loci intra eos fines terrendi. i. summouẽdi ius habeat*. Inde est quod si Episcopus aliquem capiat extra cancellos suos, captura nulla est [v] id o debent iud. cis regius implorare: [x] Vnde colligere est, quanta sit malitia atq; adminia imperitia eorum, qui Episcopum dicunt *Dominum Parisiensem, Dominum Carnutensem*, &c. Solus enim rex locorum illorum Dominus est. Verum quidem est in aliquibus prouinciis Episcopos territorii [y] Dominos esse, qualis est Episcopus Romanus, & aliquot Episcopi in Germania, quibus aduersatur dictum Papæ Nicolai Epist. 8 dicentis eos, qui sub Euangelio Reges sunt & sacerdotes, esse membra diaboli. Quicquid ergo prætexant Ecclesiastici [z] certum est eos neq; territorium, neq; iurisdictionem habere vlla iuris authoritate, neq; partem vllam imperii meri aut mixti, quale est iurisdictio, vel titulo teste *de Episcopali audientia*, qui differt à titulo *de iurisdictione omnium iudicum*, in quem scribens doctus Cuiacius sic ait. *Episcopi iurisdictionem non habent, nec forum, nec apparitionem, nec exectionem.* Quare ad regem solum pertinet omnis in solidum nota supremæ authoritatis. Immo quemadmodum notant Doctores Canonistæ [a] (à quibus mutuamur quod sequitur) Rex solus, ac nõ alius, Vicarius est & Legatus Dei in regno suo, *& habet vim Apostoli*, quin etiam creditur ius habere excommunicandi, ipsum vero aut eius subditos Papa non potest excommunicare, [b] aut anathematizare, quod etiam fatentur Pontifices, Clemens V. & Ioannes XXII. Cuius rei rationem [c] Cygaut reddit ex Hu-

3 *Bald l. vectigalia C. de Vectig.*
a *Bal l. e. cum venissent, de eo quis mitti.*
b *Cl. si beneficiorum.*
c *Decretum de Annatis, statim S. Synodus*
v. *ex gatur.*
f *Guag. l. 9 c. 3 & l. 7. cap. 3.*
b *C. a. quam in Ecclesiam*
c *Ecclesia de constit. e. 2. quanto de iudiciis.*
e *c. si quis 17. c. si de iure patron.*
d *Guag. l. 7. ca. 1.*
e *Ca. tua de decim.*
f *Specul. tit. de legat. §. nunc c. dilectus 3 de preb. cap. cum inter, de consuetud. tit. de Annatis §. item quod dicta in pa. Sanct.*
g *Can. Hadrian. c. in Synodo can hinc est, 16. quæst. 1.*
h *Panor. in repetit. c. §. quia vero coll. c. c. extirpanda de prabendis.*
i *Glossa c. Valentinianus 61. dist.*
k *Panorm. c. verum de foro compet. Innoc. c. Nouerunt 44. de sent. excommun.*

l *c. minus & ibi Pan. de iureiur. Idem super ca. Veniens in secundo notab. dicens Regem esse fundatum de iure communi.* m *Gl. v. corporali c. vt circa de Elect. l. 6. secundum Pan. c. Laudabilem, de frigidis.*
n *Can. si in mocte 23 quæst. octau.*
o *Io Gal. anno 1280. in fin. fol. 126. c. ex multa de voto, ibique Pan.*
p *Guido qu. 39. Bened. c. Raınutius 2. dec. s. num. 459 Guag. l. 6. cap. 4.*
q *Aufrer. in repet. Clem. 2. in 4 reg. fall. 1. de off. ordin. Guido q. 62. v. circa Bened. v. vxorem 2. decis. nu. 441 fract. arrest. ar. 216. c. 2. Ne sede vacante Bart. 3 part. cath. consider. 17.*
r *Cygaut de factis Princip. in regali.* s *c. filiis 16 quæst. 7.*
t *L. pupillus §. Territorium de verb. sign. l. 3. C. de natur. lib. Cur. ad c. 3. ca. de dor. l. Nullis C. de Episc. & Cler.*
v *Bal. & Flor. leg. sicuti § Aristo si ser. vindic.*
x *Cap. Romana §. contrahentes de foro compet. lib. 6 Cap. Episcopus in casu posit de foro compet. l. qui seruus §. idem de Æd. l. Ed.*
y *Cap. Episcopus ne Clerici vel mo. lib. sexto.*
z *Cap. cum Episcopus de off. ordin. lib. 6 Cur. in rupar. de Episc. aud.*
a *Carolus de Crassalio è nono iure lib. 2 Regal. qui allegat can. propter & gl. v. ducibus 33 dist. & gl. l. Adigere de iure pat.*
b *Extrauag. Meruit. & in bulla ad æternam lo. 22. Extrauag. frequentes in fine de iudiciis.* c *Cygaut tract. de factis Princ. ca. sententia excommunic. in fin. d. cap. Ecclesia l. 2. q. 2. gl. Decretum Senatus 17. Aprilis. 1307. relatum à Io. Ferrant. in suo tractatu de iure regni Franciæ.*

ex Hostiensi scilicet, quia *Deus optime seruitur & colitur in Gallia, & quia regia Galliæ familia sancta est in fide & in operibus*. Quoniam vero familia iisdem priuilegiis gaudet, quibus Dominus ipsius, inde est quod Regii magistratus æque immunes sunt à fulminibus anathematum Pontificum Romanorum. Et Senatusconsulto decretum fuit in monitorio generali actuarium Comitii non contineri propter ea, quorum est conscius, quatenus est actuarius regius. Eapropter Carolus V. anno 1369. diplomate vetuit omnes Prælatos & officiales agere aut pronuntiare Censuram aut excommunicationem Roma promanantem, in vrbibus & locis suæ ditionis. Et Carolus VII. alio diplomate 2. Septembris 1440. idem mandauit Curiæ, Præfecto vrbis Parisiensis & aliis iudicibus. His testimoniis apparet iura Regalium & alia quibus hactenus vsi sunt Reges Francorum, ad ipsos pertinere iure diuino & communi, vsurpato à Patriarchis, à regibus Ierosolymitanis in primitiua Ecclesia, à Constantino, Iustiniano, Carolo Magno, & eorum successoribus hactenus sine vlla interruptione. Et per consequens male appellari & inepte Priuilegium Ecclesiæ Galicanæ, aut casus priuilegiatos. Non enim beneficia sunt Romæ, sed dona Dei, non libertatis donatio, sed ingenuitas naturalis Ecclesiæ Christianæ, antequam vllus esset Pontifex aut Episcopus Romæ. atq; hæc sufficiant de iis, quæ titulum Regis spectant. Nunc agendum est de possessione, quæ in controuersiam vocata est sub tertia stirpe Regum nostrorum, non tamen interrupta vnquam, sed ab ipsis semper conseruata, qui in ea permanserunt facto, prout illa iure tuebatur.

CAP. VI.

Primas aggreßiones Pontificum contra authoritatem Regiam cœpisse sub tertia stirpe regum nostrorum, qui nihilo minus tamen iura sua constanter hactenus conseruarunt.

DOCENT nos historiæ Hugonem Capetum, cum electus & agnitus fuit Rex ab Ordinibus secundum leges regni anno 987. nullam approbationem à Pontifice petiuisse, immo recta Rhemos contendisse, vt ibi consecraretur. Et quamuis eo tempore Ioann. XII. (qui ad Papatum peruenit horrendis artibus, quas [a] historiæ narrant) Regem incesseret, nihil tamen profecit, quanquam in recente hoc Principatu rex Capetus nihil exacerbare vellet. Sed illum asperius in ordinē redegit Imperator Henricus, venit enim Romam, illum deposuit & ei substituit Leonem octauū, cum congregasset Concilium, cuius opera in vsum adhibuit Imperatoribus debita, vt in [b] Canonibus habetur: sed quia scopus meus est sermonem instituere præcipue de possessione iuris Regii, prætcribo confusiones, quas ambitio Papatum & antipaparum induxit, tum in reliquum orbem Christianum ab anno Domini nostri millesimo, circiter regnum Philippi I. cum Imperium discerptum fuit à Corona Franciæ. Quarum perturbationum inter præcipuos authores fuit *Gregorius ille septimus, quem Cardinalis Bellarminus indigitat* S. quamuis nomen ei in baptismo inditum, (cui Papæ renunciant, postquam electi sunt) esset *Hildebrandus*, quod Germani aiunt lingua sua significare *titionem inferni*. Pari furore impulsi sunt eius successores Papæ Vrbanus 2. & Paschal 2. nam cæde & sanguine Germaniam & Italiam inundarunt, atq; inde promanarūt dissidia in Ordinibus & Rebuspublicis: ita Romæ oppositi fuerunt Vrsini contra Columnas Florētiæ Medicæi contra Strozios Gennæ Elisei contra Spinolas. Denique Guelphi pro Pontifice, & Gibelini pro Imperatore. Quod schisma diffudit se per vniuersum orbem Christianum, excepta Gallia, quæ libertatem suā tuita, permansit in obsequio sui regis. Quod itidem factum Venetiis sapienti & potenti Reipublicæ, quæ etiam non ita pridem prudentissime profligauit feciales & proxenetas huius schismatis, & fomenti bellorum ciuilium, quæ suscitata aut fota aut roborata fuit à Pontificibus semper in orbe Christiano, iam à quingentis annis, vti notant historici: ô quam vereor ne etiamnum istiusmodi consilia cudantur & agitentur Romæ! Christiani, patientes sintis [a] *adhuc pusillum quantulumcunq; & qui venturus est veniet, nec tardabit*. Agnus vincet. Eo igitur tempore totis 33. annis horrenda cædes suscitata est à Pontificibus Innocentio III. Honorio, Celestino, Innocentio IV. & Gregorio IX. contra Imperatorem Fridericum II. qua tempestate Mahometes apertus Ecclesiæ hostis progressus magnos fecit in Oriente. Quem Imperator cum vellet reprimere, occasionem inde cepit Pontifex ei bellum gerendi in Italia Neapolim occupauit & alia loca Friderici, qui coactus fuit celeriter regredi & Turcarum prædæ Græciam exponere, nec tamen Pontificem placare potuit. quin ei daret vndecim millia marcarum auri. Eodem zelo impellebantur, Papa Innocentius & alii eius successores, qui captiuum tenebant Zenin Ottomanem fratrem Baiazeti secundi, à quo singulis annis accipiebant 4000. ducatorum. Et quo tempore rex Carolus 8. vti captiuo voluit ad inferēdum bellum hosti Christianorum, Papa Alexander VI. rem Turcarum Imperatori aperuit & veneno sustulit ipsum Zenin, & operæpretiū habuit ducēties mille coronatos aureos, qui numerati fuerūt Gregorio d' Antie, q. rē renūciauerat. Ex his debemus agnoscere, quo spiritu homines istiusmodi impellantur. neq; iis omnibus credēdum, quæ à Pontificibus promanant, neq; imitanda esse eorum opera, quanquam eorum adulatores dicant Pontifices *ius omne in scrinio pectoris gestare*, quæ vox excogitata est à Papā inter ignarissimos Pontif. qui vnquam fuerunt recensendo, Paulo II. sc. qui prius institoriam operam nauarat mercatori: atq; adeo literis & literatis infensus fuit, vt eos [b] decreuerit hæreticos esse, qui vel serio vel ioco nomen Academiæ nominarent. Num vero hæc esset causa, cur Academia Parisiensis tantopere exosa est Iesuitis? Simili ratione motus Pontifex

ZZZ Zacha-

[a] Platina & alii.

[b] Can. Adrianus. c. vota. Can. Agatho, c. lectis c. in synodo 63. dist.

[a] Heb. 10. 37.

[b] Platina.

a D. Auent. l. 3. Annal. Zacharias Romam citauit mathematicum quẽdam Germanum nomine *a* Virgilium, quẽ idcirco hæreticum esse iudicauit, quod Antipodas esse dixisset, hoc est, homines terrã sub hæmisphærio nostro incolentes. Non itaq; standum statutis Pontificum, ac si essent articuli fidei, alioqui symbolum multis partibus esset mancum: quamuis velint haberi pro fidei articulos quicquid statuũt, & hæreseos damnent omnes sibi obsistentes. Hoc enim pacto credendum esset glossæ, quę definit illam tãtum esse meretricem, quæ rem habuit cum hominibus amplius, quam ter & vicies mille, & eum qui matrimonium contrahit cum eiusmodi lupa, mereri remissionem peccatorum. *b Statuimus*, inquit Papa, *vt omnibus qui publicas mulieres de lupanari extraxerint & duxerint in vxores, quod agũt, in remissionem proficiat peccatorum.* Qua fronte audet Gregorius abominationem hanc cum sanctæ passionis merito copulare? Solius erat matris fornicationum his mercibus hoc pretium imponere, & tali monetæ talem vsum dare. Hæ autem & similes imposturæ curiæ Romanæ agnitæ ab Ecclesiis Christianis fecerunt, vt interiectæ sint appellationes ab istis Decretis tanquam ab abusu. & libertatem Christianam conseruarint rex & populus ipsius, nemine repugnante vsque ad annum 1137. regnante Ludouico iuniore, cuius Pontifex tẽtare voluit constantiam, in prouisione Achiepiscopatus Bituricensis: vt & Philippi successoris ipsius, anno 1180. contra quem Papa Innocentius suscitauit regem Anglorum, cuius regum rex in dirionem suam redegit, Ludouicus autem nonus, qui Sancti nomen ob pietatem & iustitiam adeptus est, & regnauit anno 1127. pacem concessit Albigensibus, cum vidisset (vt refert du Haillan) illos esse Papæ exosos, ideo præcipue quod contra Ecclesiasticorum dissolutos mores inuehebantur: noluit etiam vt vænalia essent amplius officia. Elogia vero quæ in historiis sancto huic Principi tribuuntur sunt hæc, *Legum custos, protector Ecclesiæ, caput nobilitatis, pater populi.* Curauit etiam Biblia Gallice vulgari. Maiestas tua, Domine, à magno illo Principe genus suum ducit, initium regni tui tam multa habet cum illo affinia, vt subditi tui eandem sperent gratiam sub authoritate tua, nomen, genus, ætatem, consecrationis locum, indolem, institutionem, regimen, publicationem Edicti tui. Pacificator regnare cœpit anno duodecimo, & consecratus fuit Rhemis, vixit sub regimine parentis suæ, quamuis peregrinæ & Hispanæ. Francos enim puduisset minus deferre vltimæ regis sui voluntati, quam suo detulerunt *c* Siculi, Anaxilao scilicet, qui tutelam filiorum spectatæ fidei seruo commisit, sed cum de tali regimine agitur, cuius consanguineo possunt affectus esse teneriores quam materni, aut penitiores quam qui ex visceribus nascuntur? Redeo ad liberatores nostros, inter quos supereminet Philippus quartus, Pulcher dictus, anno millesimo trecentesimo vigesimo, cui res fuit cum hominis prodigio, is est Papa Bonifacius octauus, qui scripsit ad regem his verbis, *Volumus vt scias te nobis esse subditum in spiritualibus & temporalibus.* Cui rex responsum misit, cuius initium erat: *Nouerit tua maxima fatuitas, & vesana temeritas nos in temporalibus non habere superiorem nisi Deum, &c.* Neq; hoc contentus Rex, nobili cuidam Occitano, Albigensi ex genere Nogareti oriundo mandauit, vt hũc Papam comprehenderet, quod ille fecit & maniculis militaribus durissime acceptum cõiecit in carcerem, in quo diem clausit, hoc sui elogio in historiis relicto: *a Intrauit in Papatum vt vulpes, regnauit vt Leo, mortuus est vt canis.* In tantam enim phrenesim incidit, vt sibi manus præ rabiei magnitudine corroserit. ô si viueret nuper vita functus parens tuus, Domine, & arrogantis istius Epistolam videret, auctam commentario Cardinalis Iesuitæ, qui eam edere ausus est! nunquid sibi adduci non iuberet istum hæresiarcham, pedibus manibusque vinctum, in carcerem palatii sui, vt infligeretur ei pœna Senatusconsulto decreta, qualem tulerunt legati Papæ Bonifacii ante Palatium, postquam lacerari *b* Bullas suas conspexissent die 29. Iulii 1408. regnante Carolo sexto? Quid? num isti homines sibi rem cum pueris esse arbitrantur? Res illis est cum florente Republica bellicosa, fœderibus munita, pacata, pecunia & bellicis apparatibus instructa. Res illis cum Deo ipso, qui si protector est minimæ cuiusq; viduæ, pauperrimi cuiuslibet orphani, erit etiam illius, cui regimen datum & tutela filiorum Vncti sui, & erit Reipublicæ illius, quæ tot iam seculis gratia ipsius subsistit.

Ad Bonifacium redeo, & silentio prætereo Bullam ipsius præsente rege in ignem coniectam fuisse à Comite Artesiæ, Nuntios iniecta manu comprehensos, vetitum pecuniam Romam asportari, & ne quisquam illius de beneficiis prouisionem peteret transtulisse regem Pontificia sede Auenionem, permansit annos ab eo tempore 74. sex eo tempore fuisse antipapas, imo tres fuisse eodẽ tẽpore qui iidẽ sb Imp. Sigismundo depositi sunt. præsertim Ioan. XXIII. horrendorum criminum conuictus; vt & Clemens 7. qui culeo insui quinq; Cardinales iusserat, & in mare proiici: tres item capite plecti, eorum corpora in cinerem redigi, quem in arculis positum vbique circumferebat, illis imposito galero Cardinalitio, vt ab omnibus agnoscerentur. Neq; omittendum est Ioan. XXII. depositum fuisse, quod perperam excommunicasset Imperatorẽ Ludouicum Bauarum. Postea regnante Ludouico XI. Papa Eugen. iniquerulit Pragmaticam sanctionem, decreto Concilii Basil. latam. Sed Rex singulare remedium adhibuit & decessoribus suis vsitatum, vetuit enim ne quis pecuniam Romam asportaret: ac vt non leuis hæc pœna esse cognoscatur, cõpertum fuit Pontificem ex Gallia singulis annis percipere aureorum decies cẽtena millia, quod tributum exigebant ex Galliis *c* Romani. Quod vtiliter impenderetur in Gallica xenodochia. Collegia & mutilatorum vsum. Contra hos omnes abusus inuehebantur boni Doctores multi, inter quos S. Bernardus & eius discipuli ideo, vt Sauonarola vir magnus & doctus inter Ecclesiasticos, & qui creditur habuisse donum Prophetiæ, dixerit Regi Carolo VIII. *vocari eum à Deo in Italiam vt*

Eccle-

a Can. nullus & gl. dist. 19. gl. v. multorum can. vidua dist. 34.
b Cap. inter opera charitatis. de spon. lib. 4. decret.
c Iustin. l. 4.
a Io. Andr. & Bald. c. 1. de sen. gloss. ad c. decreta.
b Papõ. arr. lib. tit. 5. arrest. 27.
c Suet. in vita Iul. Cæs.

Ecclesiam reformaret: ac sanè vbi ad Romam accessisset, vrbis muri ceciderunt, vrbem vero postquā ingressus est, dum extraheret tormēta bellica ex arce S. Marci, quib. castellum verberaret, sine vlla displosione tormentorum facta est mœnium disiectio: non idcirco tamen fides habita est Sauonarolæ, quoniam (inquiunt historiæ) pars consiliatiorum corrupta fuerat pecunia, & Cardinalis à S. Malo erat ærario regio præfectus. Inter has moras ad regnum vocatus est Ludou. XII. qui Ambosiæ Cardinalem Tridentum misit ad Imperatorem Maximilianum, & ad Ferdinandum Arragoniæ regem, vt consilium inirent de reformanda Ecclesia, non in membris tantum, sed etiam in capite. Quo impulsus Iulius Pontifex; cui non erat hic propositus scopus solicitauit regem Angliæ, abduxit ab hoc consilio Ferdinandum, dans ei inuestitutam regni Neapolitani, & præterea fædus iniit cum Heluetiis. a mediantibus mille florenis cuiq; Cantoni erogatis. Non ideo tamen rex animum despōdit, quinimo Turonibus Præsules regni sui conuocauit, ex quo anni 100. nupero mēse Septembri numerabantur: in illo Decreta Catholica facta sunt contra Papam, quæ legis vim habent hodie contra eos, qui Francis hodie persuadere volunt non esse auxilium ferendum fœderatis, neque bellum gerendum nisi ad libitum Romæ. Rex vlterius pergit cum Imperatore: nam Pisis Concilium indixerunt, cui diuertendo, Papa illud assignauit ad S. Ioannem Lateranensem. Eo tempore regnum Nauarræ occupatum fuit à Ferdināndo Arragoniæ rege in fraudem regis Ioannis Albretani, quem Papa excommunicauerat, eo quod auxilium regi ferret. hoc tēpore Ignatius Loyola Hispanus, vulneratus est Pampelonæ, quā rex obsidebat, & mutilatus cogitauit de instituenda societate Iesuitarum qui in posterum vindicarēt & vsurpationem Domini sui, & authoritatem, qua nitebatur, potestatem sc. Papæ, quem extollunt supra opes, vitam & honorem regum: quem in finem voto se obstringunt, quo alii religiosorum ordines soluti sunt *voto cæcitatis*, quo subditos contra Principes suscitant. Pergentibus autem Papis in aggressionibus suis Francisci Magni tempore, rex hostes habuit Imperatorem, regem Angliæ, Ducem Mediol. & multos alios: non hęc tamē obstiterūt, quominus rex libere diceret se si cogeretur in Italia absolutionē suā quærere, iturum cum eo comitatu, quo ad illam sibi obuiam offerendam cogerentur: exinde Pontifices religionis prætextu vsi, ad perturbandum orbem Christianum, & præcidendum omnia consilia de reformando capite, quod decreuerant Rex Lud. XII. & Imp. Max. multum debilitata Gallia, Papa Sixt. V. coniurationem fecit, regem vita functum cum regem Nauarrę excommunicauit, & illustr. Principem Condęum qui VI. Nouemb. an. 1585. affigi curauerunt reclamationem suam & prouocationem tanquā ab abusu, Sixt. V. se Papam dicenti mēdacii notam impinxerunt quod regem & Principem hæreticos appellauisset. Quos conatus Greg. XIV. rebellium fautor, fouit contra regem Henric. III. & omnes eius ministros, quos excōmunicauit per Nuncium Landrianum, quem misit in regni metropolim. Ea demum tempestate timendum erat Gallis, si terriculum hoc fuisset formidini regis ministris. Cum iam præcipuę vrbes defecissent, quæ nomini regio adhuc patebant multis in locis, vi in officio continebantur pauci milites, nulla suppetebat pecunia, sed optimum consilium, grauis Senatus, fideles ministri regis & *experi terroru Achilles*. Igitur SC^to^ sic decernitur, a *Bulla hæc per manus carnificis in platea publica comburetur: Decreta est Nuntio Landriano comprehensio: vetitum ne quis Romam ferat aut mittat pecuniā, aut inde beneficiorum prouisionem petat Gregor. XIV. se Pontificē dicens declaratur hostis pacis, vnionis Catholicæ, regis & regni ipsius, adhærens coniurationi Hispanæ, fautor rebellium, reus detestandi parricidii in Regis Henrici tertii nece admissi.* Cum vero deinceps Henricus M. tuitus esset authoritatem suam & libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, fautores huius potentiæ aduersantis ordinationi Dei, non quieuerunt donec crudeliter trucidauerint eum, sicut ipsius decessorem, & paulo post ediderunt declarationem publicam de ea, quam prætendunt, *temporali potestate Pontificis* sub nomine Card. Bellar. Iesuitæ. Quem tractatum cum Senatus Parisiensis vidisset, solemniter decretum suum promulgauit in vniuersæ Curiæ consessu his verbis: SC^to^. *interdictum est & interdicitur quibuslibet cuiuscunq; dignitatis & conditionis sint, sub pœna crim. læs. Maiest. ne quis recipiat, retineat, communicet, typis excudat, excudi curet, aut venum exponi dictum librum continentem falsam & detestandam propositionem, tendentem ad euersionem potestatum supremarum à Deo ordinatarum & constitutarum: suscitationem subditorum contra suos Principes, subductionem ab eorum obsequio, inductionem ad tentandum in eorum vitam & Rempublicam & perturbandum pacem & tranquillitatem publicam, &c.* His modis conseruata est dignitas regia contra Pontificum aggressiones. Si vero hodie comperiantur, qui noua in Galliam inducere velint, & quæ aduersariis magis placeant, hoc est Iesuitis, noui hi consiliarii tenentur effecta consiliorum suorum nobis demōstrare, qualia sunt illa, quæ ex historia desumpsimus. Verum Domine, in re tanti momenti opportunum erit, si prodierint in publicum, laqueo collo indito, quo in statu comparebant olim noui legislatores, vt illico laqueus constringatur, si suam sententiam auditoribus non persuaserint, quæ agendi ratio securum reddet regnum, & à multis importunitatibus Maiestatem tuam liberabit.

a *Vide Tillium in fine Chron.*

a *Arrestum Turonense & Catalaunense.*

CAP. VII.

Quæ sit potestas Ecclesiasticorum, & Pontificum in iis, quæ prætendit Cardinalis Bellarminus, neque diuino neque humano iure niti.

QVemadmodum qui contra iura Regia moliuntur, imitati sunt Imperatorem illum qui dictitabat, si ius violandum est, regnandi causa violandum esse. Ita & notauimus alium eiusdē

Reipublicæ Principem exercitum in Africam duxisse, hosti ex Italia in qua erat abducendū: Stratagema illud imitati, montes transgrediemur, & ad loca ipsa veniemus, & partis aduersæ potestatem examinabimus, cōsiderantes num sic fuerit à principio. Quam dissertationem tamē priusquam ingrediar, humillime Maiestatem tuam Domine, rogo, credat me in ea sermonem non instituere de bonis & Sanctis Episcopis ac Presbyteris, qui se in officio continuerunt tamquam legitimi successores Apostolorum, in quorum gratiam scriptum est: *Qui vos recipit, me recipit*, & quorum *speciosi pedes, Euangelizantium pacem*. Quorum verba idcirco vsurpamus, vt hac ex parte ostendamus nihil nos nostri proferre, atque omnibus ætatibus veritatem sine testimonio non fuisse, & gangrenam hanc quam præcidimus, per omnia membra non permeasse: quorum etiam cum hodie successores sint Ecclesiastici, non improbaturi sunt, si reprehendimus actiones quorundam, Syluestri, Ioannis, Gregorii, Bonifacii, Iulii, Alexandri, Sixti, qui sæpe orbem Christianum flamma & sanguine repleuerunt, scientes ad se istas maculas non pertinere: sicut Apostolatui vitupetio esse non potest Iudæ proditio, fideles enim Pastores dum viuerent ingemiscebant videntes eiusmodi confusiones in Ecclesia, in quibus pleraque pars mortalium vitio abripiebatur. Vnde etiam singulis ætatibus sese opposuerunt non tantum Regum ministri, sed etiam optimi ex Clero, vt istiusmodi vsurpationes præpedirent. Quamuis alia ex parte Pontifex erigeret nouos ordines, qui ab ipso ita pendebant, vt nisi quod vellet prædicare non auderent: & qui ei magis adulabantur, illis melius prospiciebatur. Ita negatam parentibus obedientiam secuta est rebellio contra Magistratum, imo contra Principem, vsq; adeo, vt dixerint de necessitate salutis esse credere Papam esse Deum in terris. Cui falsæ sententiæ vt obuiat, & impediam ne ex ea iterum nascantur coniurationes in Reges nostros, actiones quasdam Pontificum retuli, quibus patet eos à tali sanctitate multum distare. Vnicus est hic scopus huius tractationis, non aūt cupiditas quenquā ex hoc ordine vituperandi: atque vtinam veri fuissent successores Apostolorum, tantum honoris eis in munere suo deferrem, quantum execror vitiosos. Sed siquidem lis intercedit inter regem & potestatem hanc nouam inter vtrosque de iudice superiore oportet conuenire, vt sua fundent iura: & quemadmodum Rex superius per legem asseruit ius suum, per Euangelium, ius naturæ, ius gentium, ius ciuile, omissis etiam & Curiarum supremarum decretis, & edictis suis. Sic etiam arbitror cuiuis sanæ mentis hoc persuasum fore, nō debere Bellarminū suam illam potestatem mixtam firmare ex iure Canonico, hoc enim est in causa sua iudicem esse, ex priuato diario sibi debitores constituere, & pro authoritatibus vsurpationes allegare. Idem iudicium esse debet de allegationibus testium omnium domesticorum, & Papæ parasitorum, imbutorum nouis axiomatibus iuris Canonici ante quingentos annos introducti, ex quo testimonia profert initio libri sui, quo vno verbo responsum esto, ne sit opus inquirere in testium refutatorum fidem. Quo aperte cognoscitur, ea, quæ Pontifex prætendit nullo iure niti nec diuino nec humano, siquidem in bonum suum non potest ius ipsius esse authenticum. Quod si obsequium requirit, Seruatorem imitetur, qui authoritatem suam firmauit inexpugnabili probatione, dicens apud Sanctum Ioannem, *Ego ab homine testimonium non capto. Scrutamini scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testantur de me*, ad hanc normam Paulus & Silas Berhoeæ examinati sunt: dicuntur enim populi a *scrutati scripturas an hæc ita se haberent*. Illos imitati, volumus videre an hæc ita sint, & conferre sacras scripturas cum imposturis Iesuitæ: quod examen si refugerit, tum eum ex iis esse agnoscemus, de quibus Tertullianus: b *Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, vt de solis scripturis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt*. Si rex probandæ authoritati iuris sui temporalis, sat habuit legem Dei quæ spiritualis est, proferre, qua fronte Cardinalis eam insufficientiæ accusare auderet, probando iuri quod prætendit Ecclesiasticum esse? Quod si tale est, vnde fit vt vsq; ad Domini nostri aduentum in carne, hoc est totis quatuor millibus annorum, altum sit de eo silentium? Et post natum Seruatorem vsque ad Imperatorem Constantinum, annis circiter trecentis, quibus iuges & horrendæ fuerunt persecutiones, nemo verbum fecerit de Augusto, Nerone, aut eorum successoribus de possessione deiiciendis? noster etiam Cardinalis in prima acie non alium collocat, quam Hildebrandum, cuius testimonium profert initio libri sui. Ille vero sedit anno 703. Neque ad rem facit blasphema Iesuitarum responsio dicentium Ecclesiæ tum non adfuisse sat virium, quibus ipsa ius suum tueretur. Sed enim, quæso, Dominus noster instructus virga ferrea, de qua agitur *Psalm. 2.* Reges non posset conterere? S. Petrus cuius vmbra sanabat infirmos, qui Simonem Magum b perdidit, Ananiam & Saphiram morte c damnauit: Sanctus Paulus Elymam excæcauit sibi resistentem, persecutores non subegissent, si officii ipsorum erat sese extollere supra potestates gladium gestantes? quin imo sciebant quod scriptum est: d *Equidem moneo vt os Regis obserues & præcepta iuramenti Dei.* Item *vbicunque fuerit verbum Regis, ibi est Dominatio, ecquis dicat ei, quid facis?* Norant etiam Seruatorem iam à principio atrogantiam hanc retudisse *quicunque voluerit fieri magnus inter vos*, e *sit omnium seruus*. Item f *Qui imperant gentibus, dominantur in eas: Verum non ita erit inter vos.* g *Ne vocamini Rabbi, vnus est enim Doctor vester, nempe Christus: omnes autem vos fratres estis.* Paulus etiam recensens Ecclesiastica munia, inquit, h *& alios*

a Act. 17. 10. 11.
b Tertul. de resur.
b Act. 5.
c Act. 13. 11.
d Eccl. 8. 2. & 4.
e Non respondet, Is erat Papa. Mar. 10. 43.
f Matth. 20. 6. 16.
g Luc. 22. 25. Matth. 23.
h 1. Cor. 12. 28.

quidem

quidem constituit Deus in Ecclesia, prim Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores. Si potestas illa, de qua tam multus est sermo, à Deo esset istituta, eam Paulus non prætermisisset: hic enim cum agat de gradibus Pastorum, proprius et locus de ea diccdi, & cum omnes Apostolos in eodem gradu collocet dicens *primum Apostolos:* isset, si diuinæ esset institutionis *primum Papam* armatum vtroque gladio, spirituali & temp ali, deinde Cardinales, atque ita seriem enarrasset principatus Hierarchici, at contra Petrus v os suos successores omni nominatione interdicit, i *Pascite Dei gregem, &c. non vt dominant es Ecc as, sed vt qui sitis exemplaria gregis*, quem ita disponit, vt inquiat, *omnes vicissim subiiciamini.* Et S Pa s testatur se k *nihilo inferiorem summis Apostolis: Iacobum Petrum & Ioannem qui existimabantur esse c omnæ dextras societatis sibi dedisse.* a *Et cum venisset Petrus Antiochiam, in os ei restitisse, eo quod condemnan i esset & cogeret Gentes Iudaizare*, si Petrus ab vno ex collegis reprehensus est, potiori iure tenebat r tationem reddere vniuerso Concilio in primaria Ecclesia congregato, in qua erat Iacubus, Ie osolymæ scilicet vt legimus in b Actis. Paruit etiam aliis Apostolis ipsum cum sancto Ioanne c snariam mittentibus. Notandum vero Sanctum Paulum non dicere Iacobum (quem primum ominat) Petrum & Ioannem columnas fuisse: sed dicit *existimabantur esse*, indicans vulgi sente tiam. Sacrum enim Ecclesiæ ædificium non nititur tribus columnis nedum vnico humano car ne, vt hac illae versetur, sed duodecim columnis, hoc est duodecim Apostolis, vt est in d Apo l. Et Hieronymus medio libro contra Iouinianum, his verbis *fortitudo Ecclesiæ ex æquo solidatur sup omnes Apostolos* (notate *ex æquo*) Quotum tamen omnium solida basis est petra illa angularis à multis reiecta petra saliens in fontē aquæ viuæ, petra præterquā e *nemo potest aliud ponere fundamentum*, super quo etiam & doctrina & disciplina Apostolorum superædificata est, scilicet Iesu Christo. Etiam legimus Apostolos in Ecclesia Ierosolymitana conuenisse, Ecclesia priuilegiis supra reliquas insigni, quatenus ex ea exiuerunt Prophetæ & Apostoli, quæ ab ipsomet Magistro ed ta est, sanguine illius irrigata, passione decorata, & sepulcho insignita: ex ea Sanctus Iacobus Apostolus à veteribus dictus est f *Episcopus Apostolorum*, qui in ea permansit huc illuc commeantibus Apostolis Princeps erat ex stirpe regia oriundus, cognatus Domini nostri præfuit in primo Concilio, vt hoc apparet in g Actis ex eo, quod sententiam vltimos dixit, collegit suffragia, nec idcirco tamen vllum sibi tribuit Principatum. Epistola enim ex sententia cœtus illius scripta, nomen ipsius non præfert, sed omnium *Apostoli & seniores, &c. Salutem.* In hac modestia se continuerunt S. Episcopi toto orbe Christiano, vsq; ad annum 607. cui rei probandæ sufficit Canon ex Chrysostomo desumptus, h *Quicunq, desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in cœlo: nec inter seruos Christi computabitur, &c.* Hoc ergo Aristocraticum genus regendæ Ecclesiæ cōmuni consensu Pastorum & diaconorum diu durauit in Ecclesia: quam diu persecutiones eliminarunt ambitionem Presbyterorum, qui nulla in re differebant ab Episcopis. Nam loco supra allegato, i Hieronymus loquitur rationem habens temporis sui, quo iam Episcopus distinguebatur à presbytero, quod ordines conferebat, non is autem qui simpliciter erat presbyter. Sed non erat sic à principio, neq; longo tempore post Apostolos. Testis ipse k Hieron. in Epistolam Titi, dicens eosdem esse presbyteros quos & Episcopos, eiusdem meriti & Sacerdotii, & distinctos esse hos gradus *magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate.* Atque vt probet eosdem esse presbyteros quos & Episcopos in Ecclesia, allegat 20. cap. Act. vbi dicitur Paulus Mileto accersiuisse l *presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ:* locum item m ad Philip. in quo Sanctus Paulus salutat *omnes sanctos qui sunt Philippis vna cum Episcopis ac diaconis.* Nam siquidem dicit multos Episcopos, loquebatur de presbyteris quia iuxta nouum ordinem huius superioritatis, vnus est Episcopus in vnaquaque vrbe. Secundo si alii fuissent Presbyteri ab iis quos vocat Episcopos, eorum oblitus non fuisset, qui diaconos non omittebat. Denique a Sanctus Petrus non tantum Presbyteros appellat eos, ad quos scribebat, sed & se vna cum illis presbyterum dicit, & in sacerdotio consortem. Hoc autem tempore nemo Episcopus Presbyterum socium diceret, nō enim habet Episcopatum. Sic etiam aa Paulus adscribit ordinationem cœtui presbyterorum, & Hebræis edicit vt pareant non vni Episcopo, sed ducibus suis. Si vero inter Apostolos alii aliis maiores fuissent, non dixisset sic: *Ego sum Cephæ, ego autem Apollinis*, aut enim de nomine Domini qui maximus fuisset vocati fuissent, aut qui ouis erat minimi Pastoris, acquieuisset, sed Aristocraticum hoc regimen cum aliquibus displicuisset, ad magnas vrbes peruenit, quæ & secundam prærogatiuam sibi tribuerunt in ordine Episcoporum, & Patriarchas habere voluerunt æqualis authoritatis, nempe Ierosolymæ, Antiochiæ, Alexandriæ, & Romæ. In qua cōstitutione conniuit b Synodus anno circiter 400. Domini nostri. Paulo post cum Imperatores sedem suam Constantinopolim transtulissent propter bella Italiæ, Episcopo loci cōmunicata est hæc dignitas, imo maior prout crescebat ambitio. Inde orta est c lex Zenonis Imperatoris anno 476. alia item d Anastasii, quibus Ecclesia Cōstantinopolitana euehitur & priuilegiis supra alias insignitur *tanquam mater omnium Ecclesiarum Orthodoxarum.* & e Iustinianus præcipit *vt Episcopi cuiuslibet fuerint diœcesis pro omnibus eant ad Archiepiscopum Constantinopoleos.* f & lege 24. *Ecclesia Constantinopolitana est caput omnium aliarum.* Ac non tantum illa Ecclesia mater dicitur, sed g Patriarcha Constantinopolitanus dicitur Oecumenicus, hoc est vniuersalis & reliquis omnibus superior, duabus diuersis legibus. Quinetiam Patriarcha Romanus Hadrianus salutauit Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum nomine Patriarchæ vniuersalis, sicuti hoc nomen ei fuerat concessum à h Synodo anno 600. Multi tamen sancti Episcopi inique hanc dignitatem ferebant. Ita Gregorius Magnus, Episcopus Romanus, ad Mauricium Constantinopolitanum Imperatorem in lite-

i 1. Pet. 5. v. 2. 3. 5.
k 2. Cor. 11.
a Gal. 2. 9. 11. 14.
b Act. 8. 14.
c Act. 11.
d Apoc. 12.
e 1. Cor. 3.
f Cle. Epi.
g Act. 15. 23.
h Can. multi. §. quicunque dist. 40.
i Hieron. Euagrio.
k Hier. 3 ad Titum.
l Act. 20. 17.
m Phil. 1. 1.
a 1. Pet. 5.
aa Act. 2.
b Nic. syn. 6.
c Zeno in L. decernimus 16.
d L. priuilegia 17. C. de Sacros. Eccl.
e Iustinian. nou. 123 c 9. de sacros. Epis.
f L. 24. Constantinopolitana C. de sacros. Eccl.
g L. Certissime 34. C. de Episc. aud. L. cum velimus 7. C. de summa Trinit.
h Conc. Oec. 1. Nicæ.

rem literas scribit, dignas quæ à Principibus legantur, ab Epi[...]pis obseruentur, in Ecclesiis literis aureis insculpantur, adeo vt dicat [i] *nomen illud non conuenire n[...] Antichristo, aut eius præcursori.* Attamen cito post Gregorii Magni successor non iidem in sente[...]m eius successit, accepit enim à Phoca interfectore Mauritii & Imperii vsurpatore, [k] nomen Ep[...]opi vniuersalis, anno Domini 607. mundi 58. supra quater 1500. Eodem tempore anno scilicet [...]entesimo decimo tertio Mahometes se professus est Arabum Prophetam & ducem. Atque ita [...]bitio instar hostis operti sedit in Ecclesia, & apertus hostis, Mahometes, ei foris bellum intulit [...]cundum Prophetiam Danielis, vnde tragici casus, quorum aliquot notauimus, secuti sunt in o[...] Christiano: idq; ob non seruatam modestiam Apostolorum, & charitatem Christianam com[...]ndatam à S. Doctoribus Ecclesiæ, & in Canonibus transcriptā, [a] *Primæ sedis Episcopus nō appelletur [...]nceps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus. Vniuersali[...]item nec etiam Romanus Pontifex appelletur*, ratio subiicitur duobus sequentibus Canonibus, quia *h[...]verba vanitatem inflant & charitatem vulnerant.* Huius capitis epilogus sic erit, quemadmodum sub [...]ege munus Sacerdotum & Leuitarum definiebatur suffitibus, laganis, azymis, sacrificiis, & inter[...]etatione diuinæ legis: Ita sub Euangelio, Dominus noster alia mandata non dedit Apostolis, & [...]rum legitimis successoribus, quam prædicandi Euangelium, administrandi sacramenta eis, qui [...]ti sunt iis recipiendis, recusandi vero prophanis & iis templum occludendi; non autem fisco ad[...]ribendi, proscribendi, profundendi bona aliena aut se Reipublicæ negotiis immiscendi, contra [...]onstitutionem Iustiniani, [b] *Clerici ne militent*, ne se negotiis publicis immisceant, nam, inquit Imper[...]tor, *Clericis opprobriosum est, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium.*

i Greg. 4. ep. 29. ep. 188. 19. & 7. lib. 3. 74. 79. 80. Idem lib. 60. ep. 30.
k Paulus Diac. l. 18. in Phoc.
a Can. primæ sedis. dist. 99. & duob. seqq.
b l. repetita 41. l. placet & authen. l. C. de Episc. & Cler. l. consulta 13. C. de testamentis.

CAP. VIII.

Cardinalem Bellarminum & alios Iesuitas Pontificem extollere supra id, quod dicitur Deus in spiritualibus.

PArum esset nomen nudum, si primatus iste ordinis non degenerasset in primatum gradus, & quod à latere erat tanquam socium, primas partes non cepisset tanquam Dominus, [c] imitatione serui illius nequam, qui cum videret Dominum domus differre aduentum, laute cœpit viuere cum Domini dispendio, conseruos verberare & iniuriis afficere. Quod suo seculo improbabat [d] Bernardus scribens ad Eugenium Papam: *Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam Ecclesiarum matrem esse, non dominam, te vero non dominum Episcoporum, sed vnum ex ipsis.* Hodie tamen reperiuntur Doctores aulici, qui docere volunt Ecclesiam Gallicanam more potentiorum loqui, eam nō *matrem*, sed *dominam* appellari, & volunt vt dediscamus illud *Abba pater* Deum alloquentes, & *Abimelec pater meus Rex*, loquentes de Principe. Sed Ecclesiæ nostræ meminerunt eius, quod fuit à principio, nec minus multa scisse Salomonem, quam ipsos. Item Ecclesiam Romanam plura non habere priuilegia supra Gallicanam, quam Ierosolymitanam supra Gentilem: idcirco debere satis ei esse nomen sororis, quod erat satis Iudaicæ loquenti de gentili his verbis in Cantico: [e] *Soror nostra parua est & non habet mammas*: Tamen vlterius pergens Romana se indigetat, [f] *Matrem & dominam omnium fidelium*, dum non obseruat se titulos sumere, quos S. Ioannes tribuit Babyloni spirituali. [g] *Sedeo regina, nec sum vidua, nec luctum videbo.* Imo Ecclesiæ omnes particulares & visibiles sorores sunt consanguineæ, eodem semine incorrupto genitæ, in eadem familia Catholica educatæ, membra eiusdem capitis, palmites eiusdem vitis, cohæredes eiusdem hæreditatis, filiæ dominæ Saræ, non autem ancillæ Agar. Ideo S. Bernardus hanc superbiam amplius ferre impatiens, exclamat: [h] *& olim quidem eratis contra Apostolum Petrum, dominantes in clerum: imo & cōtra coapostolum eius Paulum dominabimini fidei totius orbis: At nunc nouum aliquid addidistis vsurpantes amplius & in ipsam religionem. Quid restat nisi vt adiiciatis & ipsis S. Angelis dominari?* Item alibi: [a] *Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frænis, in sellis & calcaribus, &c. Ipse est Antichristus qui se non solum diē, sed & meridiem mētietur, & extolletur supra id, quod dicitur aut quod colitur Deus: quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduētus sui, vtpote verus & æternus meridies, spōsus & aduocatus Ecclesiæ, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.* Virum autem illum sanctum vt hoc nomen superbis imponeret, nouit illud Apostoli ad Thes. [b] *Non adueniet dies Christi quin venerit defectio prius, & retectus fuerit homo ille peccati, filius perditionis, sese opponens ille & efferens aduersus quicquid dicitur Deus, aut numen, adeo vt in templo Dei sedeat tāquam Deus præ se ferens, se esse Deum.* Ex quo verissimo dicto sequitur Cardinalem Bellarminum in scriptis suis hominem illum peccati depingere: nihil enim est in terra & cœlo, quod non ei subiiciat.

I. Primo omnes alios Episcopos, seu congregatos seu separatos, qui non auderent eum interrogare, [c] quare quod ipsi lubet facit, contra praxin Sancti Petri, [d] qui se reprehendi à Sancto Paulo passus est, & rationem [e] reddidit Ecclesiæ Ierosolymitanæ, cur Euangelium Gentibus prædicasset. Ideo [f] Gregorius Magnus Episcopus Romanus anno sexcentesimo quarto Domini nostri, comparabat eiusmodi hominem Lucifero dicenti *Esaia 14.* Ie ascendam supra stellas. *Quid enim fratres tui omnes Episcopi Ecclesiæ vniuersalis, nisi astra cæli sunt? Quibus dum cupis temet ipsum*

c Matt. 24.
d Bernard. Epist. ad Eugen. lib. 4. Extrem.
e Cant. Cāt. 8.
f Ca. Antiqua. l. 5. decret. tit. 33. de priuilegiis & excessibus.
g Apoc. 18. 7.
h Bern. Ep. 230.
a Bern. edit. cant. ser. 33.
b 2 Thes. 2. v. 3. v. 4.
c Can. si Papa dist. 40. can. nemo, causa 9. q. 3.
d Gal. 2.
e Act. 11.
f Greg. l. 4. ep. 82. ad Ioan. Ierusa. sorem patriarch. Constantinop.

psum præferre vocabulo elationis(scilicet Episcopi Episcoporũ)*quid aliud dicis, nisi* quod dicebat Lucifer *in cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum.* Magnus enim ille Gregor. sciebat Petrũ nomine Iesu mandasse omnibus in Epistola sua Catholica a *inuicem subiiciamini*, & Pastoribus præcipere vt gregem pascant, *non tanquam dominantes cleris*: & Paulum declarare b *Spiritus Prophetarum Prophetis subiici*. Sed isti nouitatis magistri superbiam hominis inflant & charitatem vulnerant dicentes, c *Si Papa innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ cum ipso multis plagis in æternum vapulaturos. Huius culpas istic redarguere præsumit mortaliũ nullus.* Sunt hæc ipsissima verba Canonis. Quoniam, inquit Bellarminus d *non est permissura Dei prouidentia, vt ille temere quicquam definiat*, adeo vt defendant: e *Neque ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; à regibus, neque à populo iudicari posse.*

II. gradus est sese extollere supra Concilium & Clerum vniuersum. Nam siquidẽ f promittit Deus se in medio eorum futurum, qui coacti fuerint in nomine suo, is qui sese supra hunc cœtum extollit, cuius Spiritus S. præses est & moderator, extollit se supra id, quod dicitur Deus. Ita g Mosconius tenet, sententiæ Papæ potius adhærẽdum, quam sententiæ totius reliqui mundi repugnantis. Et prouocari posse à Concilio ad Papam, sed nõ à decreto Papæ ad decisionem Concilii, quod a asseritur à Ioanne Selua Hispano.

III. Angeli etiam Dei dicuntur, & eius nuntii. de illis scribit Cardinalis b Baronius cõtra Venetos, *An nescitis nos iudicaturos Angelos?* abutens loco, qui de omnibus fidelibus agit (ac nõ de solis Clericis) qui tanquam fideles assessores Iesu, ad cuius dextram erunt, die iudicii, aderunt cum condemnatio à Domino pronunciabitur contra improbos & malos angelos dicere: *Abite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*

IV. Apostoli etiam dicuntur esse Dei, *qui vos recipit, me recipit* Extollitur tamen hæc potestas supra Apostolos, dum aiunt eum a *ex plenitudine potestatis de iure supra ius posse dispensare.* immo b contra Apostolum dispensare. Item contra Canones Apostolorum: *quanquam* c inquit Canõ, *si Presbyter fornicationem fecerit, secundum Canones Apostolorum debeat deponi, tamen iuxta autoritatem Syluestri &c.* Inutile vero est subterfugium eorum, qui dicunt Papam dispensare de Euangelio, illud interpretando. nam primo, cui fando vnquã auditum est interpretationem dici dispẽsationẽ textus? Secundo si per interpretationem, cur illa erit Pontificis potius, quam Sorbonæ Parisiensis, quæ in illo multo doctior est. Sed hoc nego interpretationem illam, secundũ quam dispẽsat, permissam esse etiã vniuersali Ecclesiæ congregatæ: solus enim Deus imperat, paret autẽ Ecclesia, audit vocem sponsi, & in silentio ab illo discit. Hoc sciunt Iureconsulti eius solius esse legem interpretari, cuius est condere: * cuius dicti ratio est, quoniam qui eam interpretatur, se supra legem extollit, nam ex quo sententiam dixit, illi adhærebitur potius quam literæ, de qua amplius nemo postea inquiret. Ideo Nehemias a, *scripturam populo exponebant & dabant eius intelligentiam non proprio libitu sed legendo, & per scripturam ipsam.*

V. Lex item dicitur Dei, digito ipsius exarata, interdictum est quicquam addere vel detrahere de substantia & re, nihilominus tamen secundum mandatum sublatum est in multis Breuiariis & Horis, atq; hoc factum vi Decreti b, quod fecit hæc potestas in synodo Augustana, deleta hac prohibitione *faciendi idolum aut imaginem, neque similitudinem vllam eorum omnium, quæ in cœlo, &c.*

VI. Euangelium itidem dicitur Dei, est enim c *potentia Dei ad salutem cuiuis credenti*, & tamen isti seductores asserunt d *licere Papæ contra generalia decreta, specialia priuilegia indulgere*: vnde etiam est, quod maius esse crimen arbitrantur, & seuerius eum puniunt, qui contrauenerit decreto Papæ carnem comedendo sine dispensatione tempore Quadragesimæ, quam si fur esset, homicida & scortator simul. Ideo verba hæc Canoni inseruntur, e *non solum mandata Dei negligens, sed etiam Scripturam meam contemnens.* Atque id, quoniam tanti faciunt Canones & doctrinam Papę, vt qui ausi fuerint f *eis contrauenire voluntate vel facto vel verbo*, dicantur à Papa damnari, *& blasphemare Spiritum S.* Quamuis ipse sibi permittat contrauenire legi & Euangelio Dei, dice os disciplinam suam lege perfectiorem esse & Euangelio Dei, quod vt appareat blasphema verba sunt in Canone: g *Antequam Euangelium clarescceret, multa permittebantur, quæ tempore perfectioris disciplinæ penitus sunt eliminata. Copula namq; Sacerdotalis vel consanguineorum nec legali, nec Euangelica, vel Apostolica autoritate prohibetur. Ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.* Quæ perfectio est Legi & Euangelio contrauenire? an non hoc adimplere est, quod futurum prænunciatur, vt *a posteriorib. tẽporib. descisĩ ãt quidã à fide, spiritib. deceptorib. attendentes ac doctrinis dæmoniorũ, per hypocrisin falsiloquorũ, quorũ conscientia cauterio resecta est, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis, quos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione, fidelib. & iis qui cognouerunt veritatem, nam quicquid creauit Deus, bonum est, nec quicquam reiiciendum est, si cum gratiarum actione sumitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & preces. Hoc si subieceris fratribus bonus eris minister Iesu Christi*

a 1. Pet. 5.
b 1. Cor. 14. 32.
c Can. si Papa dist. 40.
d Bellar. de Pont. l. 4. c. 2.
e Can. Nemo iudicabit. can 9. q 3.
f Matt. 18. 20.
g Moscon. de maiestat. milit. Eccl. l. 1. c. 2. pag. 27.

a Io. Selua lib. de Beneficiis parte 4 pag. 8. nu. 28. tract. tomo 15. parte 2 fol. 109. Iacobatius de Concil. lib. 1. art. 1. nu. 96.
b Baron. in Paraenes.
a Cap. proposuit 4. lib. 3 decretal. tit. 8. de concessione prab. & gl. verbo dispensare &c.
b gl. verbo fiat Can. lector. 34. dist.
c Can. Presbyter dist. 82 ibi. & glo.
* cap. autoritatem Can. 15. q. 6.
* l. 12. si Imperialis C. de legibus. Si enim in præsenti leges condere soli Imperatori concessum est & leges interpretari solo dignum Imperio esse oportet.
a Nehem. 8.
b Syn. Aug. ann. 1548.

c Rom. 1. 16.
d Can. ideo permittente caus. 25. q. 1. v. gl. c. proposuit. de concess. prab. tit. 8. l. 3 decret. in verbo dispensare.
e Can. honoratus 74 dist.
f Can. Violatores Canonum 25 q. 1.
g Can. fors non est. causa 26. q. 2.
h 1. Tim. 4.

&c. quodque ſcribebat Ignatius ad Philadelphenſes b: *Si quis hæc quidem confitetur, ſed dicit liberorum generationem, & matrimonium legitimum eſſe pollutionē, aut quoſdam cibos eſſe execrandos, ille habet in ſe habitantem draconē Apoſtatam.* Idem ſentit c Auguſtin. eos damnans, *qui ita temperant à carnibus edendis vt immundos, qui comederint arbitrentur.* idem de matrimonio: & dicti ſui firmamentum petit ex hoc loco Apoſtoli. Ratio autem peti poteſt ex eo, quod Deus matrimonium inſtituit, quod propter illud Aaron ſummus Sacerdos non erat minus idoneus ad ſacrificia, quod ipſius liberi ei in Sacerdotio ſucceſſerunt: quod Deus dixit, *Non eſt bonum hominē eſſe ſolū:* quod Dominus noſter honorauit matrimonium præſentia ſua in Cana Galileæ: quod ipſemet voluit naſci ſub velo matrimonii, quamuis ſancta virgo permanſerit à viro intacta, deniq; quod in ſtatu ſanctitatis d Adam & Eua matrimonio iuncti ſunt.

VII. Sacramenta etiam Dei dicuntur, appellantur caro & ſanguis ipſius, quorum vſus qualē in materia & forma præſcripſit, debet in Eccleſia retineri. Illi nihilominus docent, e *hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe vt in ſacramentorum diſpenſatione mutaret, quæ expedire iudicaret, quāuis Dominus inſtituerit ſub vtraq; ſpecie.* Et pro hac autoritate addiderunt, mutilarunt in forma, materia & numero Sacramentorū, & quoniam hoſtia inter Catholicos Rom. Dei etiam dicitur, Dominus. f Monlucius Epiſc. Valent. ſcripto conquerebatur apud Reginā matrem, quod cum Papa Vrbe egrediebatur, eam equo ferri curabat inter ſarcinas, & meretriculas, & ſibi obuiam redire comitato pompa Curiæ Romanæ. Hæc eadē g hoſtia magis contemptui habita eſt ab Hildebr. Greg. VII. quem Bellar. *ſanctum* appellat: nam Papā Victorē II. vino Euchariſtiæ veneñato h ſuſtulit. Idē Papa in ignem coniecit hoſtiam conſecratā, præſentib. multis Cardinalib. quod illa ſibi nō reſpondiſſet de euentu belli, quod cū Imperatore Henrico IV. gerebat. Gregor. aūt nonus i Euangeliū reiecit & in eius locum ſubſtituit *Legendam* compoſitam à monacho, cui nomen Cyrillus. Notus eſt etiā contēptus, quo Bonif. VIII. eandē hoſtiam habuit, cum eſſet captiuus Gibellinorum in vrbe Agnaniæ. Alius veneno ſuſtulit Imper. Henric. VII. Luxemburgicū, idq; in pane conſecrato, quē ei porrexit quidam monachus Florētiæ. Papa Iulius II. cum infeliciter ad Rauennam prælium commiſiſſet cum comite Foxio, abiecit hoſtiam conſecratam, & pedib. conculcauit, vt referunt hiſtoriæ illorum temporum.

VIII. Eccleſia etiā dicitur Dei. eſt n. corpus Chriſti & vnica ſponſa vnici capitis ſui, dedit huic capiti Deus a *omnem in ſolidum dominationem.* ὁλοκληρίαν *huius hæreditatis,* ſicut ſcriptū eſt. Ieſus n. eſt Eccleſiæ & triumphantis & militantis, immo cuiuſq; Eccleſiæ particularis, & indiuidui cuiuſq; Chriſtiani, & caput & ſalus, aliis omnib. excluſis, prout ſcriptū eſt de Catholica, ille eſt b *quem Pater conſtituit caput Eccleſiæ:* de militante vero & particulari, c *Aptaui vos, quos vni viro vt virginem puram ſiſtā Chriſto* alloquēs Eccleſiam Corinthiorū & ſingulos Chriſtianos dicit, d *caput omnis viri eſt Chriſtus.* Homines iſti tamen mira audacia ſic loquuntur, e *Nos volentes noſtræ & Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ iuribus & honorib. in hac parte proſpicere.* Et Bellarm. eo deuenit, vt dicat Papam eſſe caput Eccleſiæ, f *etiā Chriſto ſecluſo,* quod repugnat Euangelio, *Ego ſum vobiſcum vſq; ad conſummationem mundi,* & diſpoſitioni Canonicæ relatæ in gloſſa, in qua dicitur g *Chriſtus ſemper eſſe Rector & caput ſui corporis, quod eſt Eccleſia, & quamuis vicarius deficiat, illum nunquam defuere:* Qui vero deficeret in regimine ſponſæ ſuæ, ex quo humanam carnem aſſumpſit, ipſe qui ante rexerat illā annis quater mille? cum ſit ſponſus ipſius vnicus in æternum iuxta illud Origenis, h *Ne putato Eccleſiam fuiſſe appellatam ſponſam Chriſti, ex quo ipſe venit in carne, erat iam ſponſa ante creationem generis humani & à conſtitutione vniuerſi.* Cur ergo Bellarm. Chriſtum ſecludet, quaſi deficeret? an ſponſus minus vnietur corpori ſuo poſt incarnationem quam ante ipſam? Præterea blaſphemi iſti tribuunt homini peccati res, quæ perſonaliter Chriſto conueniunt excluſis omnibus aliis, ſic enim loquitur vnus ex Epiſcopis Concilii Lateranenſis Eccleſiam alloquens & conſolans & liberationem promittens à Papa Leone X. i *Ne fleueris filia Sion, quia Ecce venit Leo de tribu Iuda, radix Dauid. Ecce ſuſcitauit tibi Deus ſaluatorem, qui ſaluabit te de manibus vaſtantium, & populum Dei de manu perſequentium liberabit. Te, Leo beatiſſime, Saluatorem expectauimus, te liberatorem venturum ſperauimus. Ad te pro acceptis cladibus, pro perperam geſtis gementes, pro malorum fine, & futura ſpe victoriæ læti & hilares clamamus.* & abutentis loco Pſalmi ad Deum ſermonem dirigentis, k *Impugna impugnantes nos, apprehende ſcutum & gladium & exurge in adiutorium noſtrum. Conclude aduerſus eos, qui nos perſequuntur & tabernaculum ſponſæ tuæ, quod manus impiorum polluerunt, vindica.*

Tam ſublimiter elatum hunc hominem aiunt non peccare, non quod ei data ſit peccandi licentia, ſed quia adempta eſt illi hæc peccandi infirmitas, & S. Petrus in illum tranſtulit innocentiam & merita ſua: magnum eſt c b ſacrilegium de ipſius poteſtate diſputare, crimina quæ admittit excuſari inſtar furti Hebræorum, homicidii Samſonis, adulterii Iacobi &c. Inde eſt quod appellantur eius conſtitutiones *oracula & reſponſa diuina,* c eius decreta numerantur inter ſcripturas ſacras & Canonicas. d Quæ noua propoſitio plane repugnat antiquæ diſpoſitioni Canonum ex Auguſtino deſumptorum. e *Hoc genus literarum hominum quorumcunque quamuis ſapientum & laudatorum ab autoritate Canonum,* hoc eſt V. & N. Teſtamenti, *diſtinguendum eſt, quas per aliorum doctiorum prudentiam & per aliorum cōcilia licet reprehendi,* non licet autem ſacras ſcripturas: & tamen

hic

b Καὶ εἴ τις τοῦτο μὲν ὁμολογῇ ... φθορὰν ... μολυσμὸν
c Ad Ianuar. Epiſt. 119.
ϕ 19. 20.
d Gen. 2. 24.
e Concil. Trid. ſeſſ. 21 c. 1. & c. 22.
& 23. Con. Conſt. ſeſſ. 13.
f Monluc. li. de relig. ad regin. matrem.
g Abbas Vrſperg. in vita imper. Henric. 4.
Beno Cardinalis in vita Hild.
h Baleus lib. v. de vitis Pont. ſicum.
i Platina.
a Act. 3. 16.
b Ephe. 1. 22.
c Rom. 8. 9.
d 1. Cor. 11.
e c. quoniam lib. 3 decre. de Ec. m. & c. vnic. extra vag. Ne ſede vacante.
f Bellar. de Pont. l. 2. c. 9.
g Gl. v. non conſonam. Clem. Ne Rom. li. 1. de Elect. tit. 3.
h Orig. cāt. hom. 2.
i Oratio per Simeonem Begnium Epiſcopum Modruſien. in Seſſ. 6. Lateran. Concilii.
k Pſ. 34.
b gl. Verbo quis enim d. can. nō noſ. diſt. 40.
c c. Per tuas ti. 33. extra de maioritate & obedient.
d In Cano. diſt. 19
e Can. quis neſciat & duobus ſeqq. diſt. 9. Ego ſolis diſt. 10.

hic Papa autoritatem litteris suis tribuit ei parem, quam habet scriptura Canonica. Ex eadem promanauit audacia illud [f] *Oues Pastorem suum non reprehendant: plebs Episcopum non accuset*, & tamen S. Paulus testimonium admittit duorum aut trium ex grege. Sed inferiorem Episcopum oportuit extolli, vt extollerentur scripturæ Pontificis, quæ his decretis iudicantur perfectiores ipsa lege Dei [g] ipso Euangelio & traditione Apostolica. Ideo contra quam dixerat Dominus noster *iugum meum facile est & onus meum leue* isti dicunt ferendum esse iugum Papæ, quantumuis sit graue. Et quoniam Petri hæreditas onerosa videbatur esse Pontifici, eius adulatores ei tribuunt Vicariatum filii Dei exclusis omnibus aliis Episcopis & Patriarchis, dicentes eum *non puri hominis, sed veri Dei vicem gerere in terris* [h]. dicunt amplius Papam *posse* [i] *rerum naturam mutare, penes eum esse cœleste arbitrium: ex nihilo aliquid facere: pro ratione esse eius voluntatem: neminem præsumere ei dicere, quid facis? dispensare de iure supra ius, de iniustitia iustitiam facere, potestatis plenitudinem habere.* Atque harum abominationum textus allegantur ex iure Can. & alibi dicitur *omnis creatura ei subiecta*, [l] *Iura habere cœlestis & terreni imperii*, quia sit Vicarius Dei, cuius est cœlum & terra & plenitudo eius. Ex eadem ambitione profluxit nominis Papæ etymon, quasi dicat *Papæ* [k] per admirationem: ita dicitur esse Admirabilis, quod nomen ab Esaia Propheta soli Iesu tribuitur, *Nomen eius erit Admirabilis.* Se etiam dicit esse *miraculum & stuporem mundi.* Cuius potestatis imaginariæ vi, cœlum claudit, inferos aperit, Reges & Principes prout lubet, expellit. Ita falso iactat se à regno deposuisse Regem Childericum III. Decessorem Pipini *non tam pro suis iniquitatibus* [l] inquit, *quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis.* Æque falso dicitur Imperium ex Oriente [m] transtulisse in Occidentem, fidelitate & Sacramento constrictos supremo Domino suo, [n] à iuramento absoluere posse. Deniq; triplicem gestat coronam, vt repræsentet Trinitatem, [o] nam se Deum vocat: atque vt ostendat se non eo sensu Deum vocari, quo alii homines dii appellantur, addit se *neque ligari neq; solui posse ab vlla potestate seculari, neque ab omni clero* [p]; *quoniam cum sit Deus, ab hominibus iudicari non potest.* Cui omnipotentiæ testandæ [q] *Papa in nocte Natiuitatis Domini benedicit ensem, quem postea donat alicui Principi &c.* Iuxta illud *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Legem autem Dei nunquam mittit aut Euangelium, & considerantibus, quæ in Bohemia & Valdensi regione armis gesta sunt, enses illos duos, qui postremis noctibus Natiuitatis Domini benedicti fuerunt, missos fuisse ad sacri huius belli duces fit verisimile. Quemadmodum Dominus noster compellabat Deum Patrem [a] *Pater Sancte*, isti superlatiuo gradu Pontificem appellant *Patrem Sanctissimum.* Denique in abstracto *sua sanctitas, Maiestas diuina, Dominus noster, vice Deus.* Quid dicturum hodie putamus Seruatorem nostrum, qui dixit cum hic viueret [b] *Cur me dicis bonum: nullus enim bonus, nisi vnus Deus.* Hoc significans ei, qui eum colloquebatur prius se pro Deo agnoscendum esse quam bonus appellaretur. Sed quid de illo Principe diceremus, qui in media Luparæ aula *sua Maiestas* vellet appellari, dignitas Gubernatoris aut Proregis, an eum à crimine excusaret? & quis non ex eo agnoscit mysterium & nomen blasphemiæ, quod Iohan. in [c] Apocalyp. prædixerat istius capitis fronti imponendum. contra quam enim olim Deus inscribi dixerat cidari summi Sacerdotis [d] *Sanctitas Iehoua.* homo iste peccati hunc titulum præfert *Sanctitas Pontificis Romani.* Quandoquidem vero tiaræ istæ & eminentissima ornamenta nihil prædicant aliud quam abominationem in dedecus Altissimi, simus potius de illorum vasculorum & tintinnabulorum numero, de quibus loquitur [e] Zacharias, quibus inscriptum sit toto mundo vidente & conscio *exclusa omni creatura Sanctitas est Iehoua.* Nec vero hic res steterunt. Sibi etiam Reges oportuit subiicere. Hinc [f] dicunt penes eum esse gladium spiritualem & temporalem: illum, quem personaliter ipse exerceat, per excommunicationes & anathemata: hunc, quem ipse gestandum tradat sibi subiectis Imperatoribus, Regibus & Principibus, quem educant aut in vaginam recondant *ad nutum vel patientiam Pontificis. Porro,* inquit, *declaramus, dicimus & definimus, omnino esse de necessitate salutis omni humanæ creaturæ subesse Romano Pontifici.* Quid vero, an aliquis ad salutem necessarius articulus in symbolo Apostolico omittitur? Inde tamen irrepsit adoratio reiecta à Sancto Petro dicente Centurioni, [g] *surge & ego homo sum:* & à Sancto Paulo & Barnaba vestes suas lacerantibus cum vidissent sibi ab incolis Lystrensibus in Lycaoniatum deferri honorem, qui soli Deo debetur, exclamantibus. [h] *Homines sumus nos quoque.* & ab Angelo qui Ioanni dixit [i] *Vide ne feceris, conseruus tuus sum, Deum adora.* Neq; ad rem facit, quod dicitur duplex esse adoratio, quod mos est osculo manus & oram pallii impertire & genua flectere coram Principibus: ciuilis enim est hæc adoratio, propter subiectionē quæ eis debetur. Sed neq; Rex neq; Imp. vllam Pontifici debent adorationē: cur enim extraneo Episcopo debeant potius quā suo ipsorum Pastori, qui Regi Sacramenta administrat? Sed quare alterutri, cum ciuili-

[f] Can. oues causa 6. qu. 1.
[g] Can. sors non est. eadem 20. quæst. 2.
Matt. 11. v. vlt.
[h] Can. in memoriam distinctio. 19.
[i] Cap. quanto lib. 1. decret. titu. 7. de translatione Ep.
[v] glo. v. veri Dei, c. vnico de iureiur. gl. v. vicarium in Clem.
[l] Can. omnes dist. 22. g. vnico ne sede vacante in ext. e. 1. de consti. c. 2. de transl. ea fundamenta 17. de Elec. in
[o] Clem. dudum gl. in verbo. vndecunque de iudic. in Clem. c. 1.
[k] gl. verbo Papa in Proœm. Clement. Esaia 9.
[l] Can. Alius 15. quæst. 6. gl. v. iudicio can. duo. distinctio. 99.
[m] gl. v. diminutione si imper. dist. 69 & alibi. Can. venerabilem extra de Elect.
[n] Can. nos sanctorum Can. iuratos militi can. 15. quæstio. 6.
[o] Can. satis 96 dist. CA.

cuncta per mundum Can. si Papa dist. 40. [p] Can. Nemo iudicabit cau. 9. q. 3 [q] Sect. 4. de ceremon. c. 6. & lib. 1. tit. 7
[a] S Ioan. 17. [b] Matt. 19.
[c] Apoc. 13. [d] Exod 28. 36.
[e] Zach. ca. vlt. [f] lib. 1. Extrau. communium, c. Vnam Sanctam de maiorit. & obed. Vide gl. cap. Nouit v. Iurisdictionem l. 2 decre. tit. 8 de iudic.
[g] Act. 10. 26. [h] Act. 14. [i] Apoc 19.

2. S. Hieronymi, [d] *Domus Dei, quæ est Ecclesia, non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, vbi fides vera est.*

d Hieron. in Ps 33.

3. Hilarii [e] *Male vos parietum amor cepit, male Ecclesiam Dei in tectis ædificijsq; veneramini: anne ambiguum est Antichristum in iis esse sessurum? Montes mihi & syluæ & lacus & carceres & voragines sunt tutiores.*

e Hilar. contra Auxentium.

Exhibebo excerpta ex vna aut altera oratione, quæ dictæ sunt in Concilio Lateranensi à Clericis Papæ & doctoribus Canonistis recentioribus, recognitæ probatæ & excusæ iussu Papæ Leonis X. vt apparet ex bulla in principio ipsius Concilii data quinto Maij, anno 1515. Hæc sunt verba illius Pontificem compellantis præsente vniuerso Concilio [f]: *Licet enim diuinæ maiestatis tuæ conspectu rutilanti cuius fulgore imbecilles oculi mei caligant*, En Deum maiestate sua spoliatum ad Regem deueniendum est, *Tu Leo Pontifex, diuino numine annuente in regale Pontificum Romanorum genus, consentientibus omnium suffragiis ascitus.* Item: *Quasi in te vno vero atque legitimo Christi & Dei vicario, propheticum illud debuerit rursus impleri, adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* & titulum vsurpans Iesu Dei Zelotæ *Iam vniuersum illius* Ecclesiæ *corpus vni capiti, hoc est tibi, subditum esse conspicitur.* Item. *Non ignari omnem tibi vni in cœlo & in terra traditam à domino potestatem, vt non spiritualibus tantum viris, sed terrenis quoque huius seculi potestatibus in causa communis boni iussa dicere non pertimescas.* Sed quod maxime dignum est admiratione, veritas ex ore hominis blasphemi prodit, in eo quod Romam agnoscit esse Babylonem spiritualem, his verbis: *Nam dum omnibus Ecclesiæ gradibus ita discussis ad vrbem ipsam, quam Babylonem Apostolorum Princeps diuino afflatus spiritu nuncupauit, acumen mentis conijcio &c. Ecce diuinam illam sponsam Ierusalem supernam &c. lugubri indutam veste &c. videor mihi conspicere ad sacratissimos Pontificis pedes sparsis crinibus prouolutam, Hæccine ego, suauissime sponse, vnica illa dilecta tua & formosa, quæ iam clamare possum, Noli me considerare, quia fusca sum &c vbi Pastores gregis, quos præesse potius quam prodesse, dispergere quam colligere, mactare quam saluare intelligo?* Deinde sub finem execrandus adulator ita Leonem compellat, *Concitare, exurge: Sion matrem nostram sponsamque tuam circunda, ipsam complectere. Vrbem primum* Romam scilicet, *vt iudicium incipiat à domo Domini: inde orbem disciplinæ tuæ censura in pristinum fidei, spei, charitatisque cultum restitue.*

f Oratio Antonii Pucci Clerici apostol. 3. Non. Maii 1515. sess. 10.

Annon vero hoc est se efferre supra quicquid dicitur Deus? en ille est Maiestas diuina, genus regium, sponsus Ecclesiæ, eius caput, omnem habens potestatem in cœlo & in terra, leges imponens potestatibus temporalibus, in rebus temporalibus; nam in hoc ipso Concilio habetur [a] Bulla, qua Iulius II. nundinas Lugduni fieri solitas, in Lugduno ex tunc de cætero fieri inhibet, dictasque nundinas in ciuitate Gebennensi faciendas transfert. Denique se supra Ecclesiam extollit, quam crinibus passis ad pedes suos collocat, & sedem suam Babylonem appellat, de qua loquitur Petrus in Epist. sua.

a Bulla Iulii 3. Sess. Lateran. Non. Decemb. 1512.

Atque vt in ore duorum testium stet hæc veritas, producam alium insuper parasitum, qui tum erat Generalis ordinis prædicatorum, & qui blasphemiarum mercedem retulit galerum Cardinalitium, eius loquentis de Ecclesia hæc sunt verba; [b] *Assequetur hoc te volente, teque imperante, si tu ipse, Pater Sancte, omnipotentis Dei, cuius vices in terris, non solum honore dignitatis, sed etiam studio voluntatis gerere debes, si ipsius Dei potentiam, perfectionem, sapientiamque imitaberis. Atque vt inprimis potentiam imiteris, accingere Pater Sancte gladio tuo, tuo inquam, accingere: binos enim habes, vnum tibi reliquisque huius mundi Principibus communem, alterum tibi proprium atque ita tuum, vt illum alius nemo nisi à te habere possit, &c. procede, gentes, quæ bella volunt, dissipando: tum regna Sacerdos & Rex* &c. & de Papæ misericordia verba faciens, *Hæc te præ regibus terræ excellentissimum reddet*, ergo diuina est quæ Papæ est misericordia, *hæc te vniuersis populis adorandum, Deoque insuper te & gratum & amicum & simillimum reddet. Verum cum multos per Dei tuamque misericordiam ad hanc synodum venturos existimamus, &c. Magne regnator Deum, tam lentus audis scelera? tam lentus vides? & quando sæua fulmen emittes manu?*

b Sess. 2. in Oratione Caietani.

Cap. IX.

Papam sese supra Reges efferentem eo modo, quem vult Cardinalis Bellarminus, efferre se supra id, quod dicitur Deus in temporalibus.

Magistri nouitatum, pacem & bellum, obedientiam & rebellionem subditorum, subiicientes voluntati Papæ, non meminerunt eius, quod fuit à principio; quod supra asseruimus. Cum enim magistratus fidelis fuit, Ecclesiæ semper præfuit, ad eam reformandam in capite & in membris, depositarius quippe legis Dei, cuius exemplar debet habere penes se, quæ perspicua est in iis, quæ ad salutem spectant: si quæ vero inest obscuritas, illa fit perspicua per ipsiusmet lectionem, prout fecit Nehemias, atque huius rationis interpretandi testis erit idoneus Papa Clemens, inquiens, [a] *non enim sensum extrinsecus alienum & extraneum debetis quærere, &c. sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet*: atque hanc dicti sui rationem adiungit, *potest enim ex diuinis scripturis integram quisque & firmam regulam veritatis suscipere.* Quod si aliqui Imperatores Christiani de causis Ecclesiasticis noluerunt cognoscere, non inde sequitur eos non habuisse ius cognoscendi. Nõ enim tantum [b] Sacerdotes & Leuitæ,

a Clement Epist. 5. ad discipulos. Cau. relatum dist. 37.

b Deut. 17.

uitæ, qui in officio se continuerãt, de iis cognoscebant, verum etiam iudex à Supremo magistratu constitutus. Ita cum c Ruben & Gad, cum dimidia tribu Manassæ ædificassent altare ad Iordanem, dicitur totus Israel conuenisse Silunte, vt de tota re cognoscerent, atq; decem ex vnaquaq; tribu selectos ad eos misisse. Ita Gedeon constitutus iudex, euertit altare Baalis &c. Cyrus, Darius, Artaxerxes d iubent templum restaurari, Esdras & Nehemias ab iis accipiunt hæc mãdata. Itidẽ sub Euangelio Cõstantinus, Valẽtinianus, Theodosius cõcilia cõuocãt: *Volumus*, inquiunt, *interesse Concilio, exemplo Constantini, non ad demonstrandam potentiam nostram, sed ad fidem confirmandam* &c. ac nominatim dicuntur, qui ex Senatu erãt decreta condidisse. Refert etiã e S. Cyrillus Concilium Ephesinum ad Theodosium & Valentinianum misisse, qui rationem eis redderent eorũ, quæ acta fuerant in condemnatione Nestorii. Aquense item & Arelatense, f Concilia scribunt ad Carolũ magnũ, eum orãt vt sua *confirmet decreta*, imo *suppleat sua prudentia*.

Ita Pontifex Nicolaus ad Imper. Michaelem scribẽs agnoscit a *Imperatores antecessores ipsius Synodalibus conuentibus interfuisse, vbi de fide tractatum est*, ab hac potestate Imperatorum, non tantum sub lege Mosis, reformata fuit Ecclesia in membris, etiam in capite: Salomone Abiathar em deponente, sicut Moses increpauerat Aaronem & Eleazarem. Constantius Magni Constantini filius Liberium deposuit, quãquam iniusta de causa. Otho Imperator deposuit Papam Ioannem XII. Sigismundus tres simul deposuit, & totidem b Henricus tertius Benedictum IX. nempe, Syluestrum III. & Gregorium VI.

Reges vero nostri multos etiam deposuerunt & creauerunt: nominatim Bonifacius VIII. depositus fuit à Philippo Pulchro, qui sedem transtulit Aueniomem, vbi permansit annis septuaginta quatuor, atque ibi ex ordine Pontifices sederunt, iussu Regis. de hoc iure deponendi Papam, disserit ab Vniuersitatis c Cancellario sui temporis inter Sorbonicos doctissimo, in libro de *Auferibilitate Papæ*, quod valde remotum est ab absoluto dominio in temporalibus & spiritualibus. Nam si etiam in temporalibus Cõcilia legitima autoritatem & approbatiõnẽ Imperatorũ postulauerunt, inde sequitur, penes eos esse integram autoritatem & Maiestatem, *veluti subditi*, sicuti penes populum Romanum; tantum abest vt aut Pontifex aut eius Collegium aliquid decernere possit suprema autoritate.

Vnde etiam Reges nostri & Ecclesia Gallicana sibi conseruarunt appellationes à talibus decretis, tanquam ab abusu: Immo quotiescunque Roma abutitur hac, quam prætendit iurisdictione. Amplissimus Cancellarius diploma concedit *in casu abusus*. Sciendum est autem id *abusum notarium* b dici, quando quod factum est, nullum est: aut est contra naturam ipsius actus, aut actum ab eo, cui agendi non erat potestas, c adeo vt non authoritate tantum Principis, sed autoritate etiam priuata, d liceat ei resistere, vnde fit etiam, vt si Papę aut eius legati vellent spurium legitimare eo fine, vt hæres esset (aliud enim esset si finis hic esset, matrimonii e ex quo natus est validatio) aut quocunque modo Regiam iurisdictionem turbare, & diplomatarius mulctaretur f & abusus à ministris Regiis reiiceretur.

Ita Senatus Tholosani decreto, anno quadringentesimo, pronunciatum fuit, male & abusiue processisse delegatos Papæ, qui absoluerant Magistrum Gillus de Bellemere Archidiaconum Micapicen non vocatis parte aduersa & Cognitore Regio, Gulielmus autem Benedicti dicit tres esse casus generales in Gallia, in quibus committi potest abusus notorius: nimirũ quando Papa & Clerici faciunt contra decreta veterum Cõciliorum, contra statuta Regia, aut contra libertates Ecclesiæ Gallicanæ. Cum igitur à Papæ sentẽtia prouocari possit, quis potest asserere, eum supremæ autoritatis esse, ne in spiritualibus quidem? Hoc enim argumento concludit a Seneca penes primos reges Romanorum non fuisse iura Maiestatis, quoniam ab ipsis ad populum erat prouocatio. Ita liberatus est b Horatius sororicida, qui morte fuerat damnatus à Rege Tullo Hostilio.

Vana est itaque ista, quæ prætenditur suprema potestas spiritualis & temporalis, ex sententiã S. Gregorii, S. Bernardi & praxi Ecclesiæ Gallicanæ. Nam aliud est oues pascere: & ista c clauis traditio nõ excludit alios Apostolos, quibus omnibus idem promissum fuit, alioqui munus suum obire non potuissent; d naque eas Petrus potuit accipere, nisi omnium nomine, ea S. Augustini sententia in e Canonem transcripta. Quod consentit f dispositioni iuris, quo statuitur, clauis traditione aut annuli à patre facta maiori natu filiæ, non ob eam rem apud arbitrum diuisionis præcipuam causam filiæ fore, quia cõmune filiorum gestum intelligetur. Quæ decisio in iure est insignis. Vt & quod scriptum est l. 10. *D. de incendio*. quæ agit de quibusdam hominum piscatoribus ei similibus, quem depingit Cardinalis Bellarminus, contra quos hæc scribuntur *ne piscatores nocte, lumine ostenso, fallant nauigantes, quasi in portum aliquem delaturi, eoq; modo in periculum naues, & qui in eis sunt, deducant, sibique execrandam prædam parent*. Nullum igitur huius potestatis fundamentum extat in iure diuino, nullum in humano. nam præterquam quod nullus Princeps priuilegium cõtra seipsum concedit, nullus vnquam Rex aut Imperator tale ius Pontifici resignauit, quod iam per se non potest alienari.

Superest, vt de iure Canonico agamus, quod præterquam quod iuri Diuino derogare non potest iuxta Clementinam g *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*: derogare etiam non potest iuri Regum. Scriptum enim est illud in vtilitatem scribentium, inaudita & non vocata parte, cuius interest, qui priuatam tantum habebit autoritatem hoc respectu; in quo etiam

multæ

c Iosu. 22. d Esd. 1. 6. Nehem. 1. e Cyrill. Art. 3. in præf. Cõcil. Ephes. f Can. 45. inf. prof. mag. a Cã. Verum 96. dist. b Platin. in vita Greg. 6. Abbas Vrsperg. ad ann. 1406. c Gerson. a Can filius 17. q. 7. Can boni principes 96 dist. can Tributum 23. q. 8. b l. ob qua § idem l. 1. § secundum de Ædil. Edict. c la Pan. & dd. cap. Cum olim de causa possessionis. d l. prohibitum l. desensionis & dd. de iu. fi. l. vlt. c si quando de rescrip. e Ca. Tuam de ordin. cognit. f Guil. Bene. 2. par. ca. Raynutius verb. si absq; liberis 2. &c. in materia. 47. Phil. Decius cons. 307. col. 2. a lo. Gal. q. 172.

b Cic. 2. de inu. c Matth. 18. 22. d Io. 20. 22. e Can quodcunque 24. q. 1. f l. Cum pater 79. § pater pluribus de legat. 2.

g De Elect. lib. 1. tit. 3. Clem. Ne Romani.

multæ falsitates obseruantur, quin etiam in hoc argumento insignem obseruare est, nam pro eo quod in [h] Concilio scriptum erat, *Clericus nullam præsumat*, scripserunt. [i] *Nullus Clericum*, mutantes prohibitionem Clericis factam, vt illam Laicis præscriberent.

Qui autem [k] falsas authoritates profert, debet causa cadere, etsi aliũde iusta. Deniq; ius hoc Canonicum (illud intelligo, ex quo desumpta sunt axiomata, quæ in hoc argumento à Iesuitis defenduntur) plane nouum est, nam antiquissima illius pars, quæ *Decretum* est, à Gratiano cõpilata est anno millesimo nonagesimo tertio: *Decretalia* anno millesimo ducentesimo trigesimo primo: *Sextus* à Bonifacio octauo, anno millesimo ducensimo nonagesimo octauo: *Clementina* vero anno 1310. Idcirco cum probe iudicarent authores nouæ huius potestatis, se neque diuino neque humano iure niti, cum ipse Seruator testetur, [a] *filius hominis non venit vt sibi ministretur, sed vt ministret, detq; animam suam in redemptionis pretium pro multis*: neq; exemplo Apostolorum, quorum munus in ministerio consistebat, non autem imperio: & qui dicebant: [b] *Sic de nobis reputet homo, vt de ministris Christi & dispensatoribus mysteriorum Dei*: Isti se in locum Domini substituerunt, cuius elogium est: [c] *Princeps Episcoporum, &* [d] *Rex regum*, etsi à mortuis suscitati, & semper viuentis, qui nullum habens hæredem aut successorem [e] muneris, in [f] æternum Rex est Sacerdos & Propheta Ecclesiæ Catholicæ, secundum ordinem Melchisedec. Isti tamen adulatores ei [g] substituunt hominem mortalem & peccatorem, qui supremam habeat potestatem in cœlo & in terra, dominus sit vtriusq; gladii, & omnium dominiorum supremus Dominus, vt ea fisco adiudicet & largiatur, [h] dicente blasphemo parasita: *Dominus noster non videretur satis prudenter fecisse si non hominem post se pari cum potestate reliquisset*: ac si tale caput à suo corpore posset separari, & ille sponsus, Deus Zelotes riualem ferret, ac si ista suppositio non aduersaretur directe verbis Domini dicentis, [i] *Ego veritatem dico vobis, confert vobis vt ego abeam: nisi enim abiero, aduocatus ille non veniet ad vos.* Sciebat quippe neque humana præsentia, neq; oris corporei monitis toties iteratis non impediri illos, quo minus restarent in horto, & ad vocem ancillæ, etiam ter ipsum abnegarent. Sed Spiritum Sanctum filium Ecclesiæ moderatorem interne agentem & deducentem post ascensionem suam, eos adducturum ad confessionem Seruatoris inter sæuissima quæque supplicia. Contra quam veritatem Doctores noui Euangelio mendacii notam impingunt, dum asserunt expedire, vt humana Seruatoris natura in terra permaneat ad Ecclesiam regendam, sed homo peccator, para aduersa & quæ sanguinem effundit, cui redimendo Iesus mortuus est, nolens adhiberi fidẽ veritati, quæ longe supra terrena erehit regimen & præsentiam corpoream perfectissimi capitis omnium hominum, vt substituat legatos in eo munere, quod post ascensionem Domini nullum ferre potest aut debet Vicarium. Et tanquam noui Pharisæi qui Messiam expectabant triumphaturum potestates temporales, & armis carnalibus Gentes sibi subiecturum: isti ei affingunt successorem & potestatem mixtam, quam pudeat simplicitatis Euangelii, hostem crucis Christi, quam nisi pictam non admittit. Et post ascensionem Domini nostri quem [k] *non amplius nouimus secundum carnem*, volunt habere ductores, qui humeris gestentur, populi Israelitici sententiæ succedentes, qui cũ Moses esset in monte, dixerunt, *fac nobis Deos qui antecant nobis: nam Mosi viro illi, qui eduxit nos è terra Ægypti quid factum sit ignoramus*. Illi sunt quos designat parabola domini nostri, dicentis, [a] *homo quidam nobilis profectus est in regionem longinquam, vt acciperet sibi regnum ac reuerteretur. Ciues autem eius miserunt legationem post eum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos: Sed reuersus Dominus dixit, Meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare supra se, adducite, & iugulate coram me.* Ita illis fiat qui in statu seruorum nolunt permanere vsque ad reditum regis, qui in possessionem iuit regni cœlestis, nobis in eo locum paraturus, vt postquam ille omnium hominum nobilissimus redierit, agnoscant, sicuti frustra à Iudæis expectatur Messias eo, quem volũt, modo triumphans: ita se haud meliore fundamento Antichristum expectare, alium ab eo quem depingunt Iesuitæ cum duplici gladio. Reliqua peti possunt ex tractatu meo [b] *de vnitate Catholica*. Et cũ viderent illi in tota Apostolorum successione nihil inuenire se præter vnicam cœlorum clauem, acquirere voluerunt clauem imperii terrestris, ac sicuti Seruator dixerat: [c] *Tu es Petrus*, isti addunt *Tu es Constantinus, Pipinus & Ludouicus*. Et quoniam Dominus noster [d] primatum inter Apostolos prohibuerat, isti inseruerunt hunc Canonem, [e] *Constantinus Imperator priuilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, vt in toto orbe Sacerdotes ita hũc caput habeant, sicut iudices regem.* Et sequentes addunt dedisse etiam Palatium suum, coronam & ornamenta imperialia, [f] *quoniam vbi Principatus Sacerdotum ab Imperatore cœlesti constitutus est, iustum non est vt illic Imperator terrenus habeat potestatem*: & ad gratiarum actionem, supponunt Imperatorem leprosum fuisse, contra fidem omnium [g] historiarum. Et hoc supposito, superstruunt Papam [h] constitutum esse super gentes & regna, & succedere Imperio vacante: de gente in gentem imperia transferre posse, & Imperatores deponere, ius habentem vtriusque gladii. Ita vno absurdo dato multa consequuntur. Primo enim falsa est hæc donatio, vti probat viginti sex argumentis doctus [a] Hotomannus. Et Bartolus ipse veram esse dicit aliam ob causam, nisi quod scribebat in terra Ecclesiæ, in qua non fuisset ausus contrarium scribere. [b] Euidentissimum argumentum falsi est, quod Constantius Constantini filius nunquam decessit Roma aut eius ditione, immo deposuit Liberium Episcopum Romanum, qui hac occasione factus est Arrianus, & contra Athanasium subscripsit, vt testatur S. Hieronymus. [c] Sed oportet Do-

AAAA ctores

h Con. Agathēsi sub Alarico rege anno 506.
i Can. 42 q. 1. & Can. 3 Ibidem.
k L. si fraudem §. quoties de iure fisci.
a Matt. 20.
b 1. Cor 9.1.
c 1. Pet. 2.
d Ps 2.72.
e v. glo in verbo non consonam Clem Ne Romani.
sponsus vester & rector est Christus & caput Eccl. qua est ipsius corpus.
f Heb 7. &c.
g Ca. vnam sanctam, extra commun. de maior.
h Petrus Bertrandus in gl illius extrauag.
i Ioh. 16.7. & 14.16. & 15.26.
k 2. Cor 5.16.
a Luc. 19.
b Ca de Eccles. sect. 6.
c Mat. 16. 43.
d Matt. 20. 26.
e Can Constantinus & seqq 96. dist.
f idem habetur ca. 17.
fundamenta li. 1. 6 Decret. de Electione, quem vide quæso.
g Euseb. 5. libro de vita Constantini Plin. li. 21 cap. 1. Mantuan. le 1. de patientia.
h Ca. 30 c. 1. Ne sede vacante. c. extra de consuetu. Clem. pastoralis. Cap. Libere iudic.
a Hottom.

Brutum fulmen c.32. Crimen falsi. b *Bartolus in proœmio Digest. nu 14. Videte nos sumus in terris Eccles. & ideo dico quod illa donatio valuit.* c *Hieronymus in cap. Fortunacianus Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum & Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes.*

ctores istos fateri magna bona quæ Pontifices possident, processisse ex liberalitate Regũ nostrorum Pipini, Caroli, Ludouici. Vnde etiam in confirmatione, cuius initium: *Ego Ludouicus*, [d] nulla est mentio Constantini, sed tantum Pipini & Caroli aui & patris Ludouici.

d Ego Ludouicus 63. dist. Volaterranus li. Georg. 3 Trilius.

Ratio autem cur hæc donatio nomen Constantini præferat, hæc est, quod Imperator tum inique ferebat regem id dare, quod ipse suum esse prætendebat. Ita incrementum illud titulorum causam dedit interpretatione verbi *pascere*, aut tanquam regem *imperando*, aut tanquam Episcopum *prædicando*: sicut [e] exponunt S. Augustinus & S. Cyrillus. Sed Cardinalis Baronius pergit vlterius, nam iubet gregem pascere quomodo equi herbam depascunt, dicens contra Senatum Venetum *Sancte Pater Occide & manduca*. Scio equidem vocem *Pascere* tria significare, 1°. regio more imperare, 2°. fungi ministerio Ecclesiastico, 3°. comedere: Sed agnoscitur distinctio secundum rem, de qua agitur & cui applicatur. Quemadmodum ergo absurdum esset de rege concludere, eum teneri legem Dei prædicare, & administrare Sacramenta, [f] eo quod Dauidi dictum est à Deo *Pasce populum meum Israel*: æque inepte concludunt Iesuitæ, debere Pontificem imperium obtinere in Regum temporalia, eo quod Dominus noster dixit Petro. [g] *Pasce oues meas*. hoc enim de ea pastione tantum voluit intelligendum, quæ ei committebatur. Alioquin ex istis æquiuocationibus consequens esset Asino qui pastum mitteretur tertio significatu, hac missione prouideri mitra & pedo, ex verbis plura significantibus re accepta. Verum vt ad sermonem institutum redeamus, qua fronte iactant fundamenta superioritatis Episcopi vnius supra reliquos omnes, in iure diuino posita esse, siquidem donum est Imperatoris. Nam si donauit, prius illam habebat quam donaret: & ab illo si Papa accepit, hanc supra reliquos Episcopos præeminentiam non habebat, priusquam in eum ab Imperatore translata fuisset: nemo enim potest dare quod non habet, neq; etiam acquirit quisquam quod iam possidet iure. Tertio, cum sit priuilegium humanum, inde sequitur non esse ius commune aut diuinum, & per consequens esse obnoxium confirmationi, & reuocationi in casu abusus, præsertim cum sit ius dominiale, [b] quod alienari non potest ab Imperatore. Suæ idcirco conditionis immemores esse non debent Papæ apud Reges nostros, qui eos euexerunt, Phocas eis dedit nomen, Pipinus autem prouentus: Constantinus non concessit primo Episcopis, nisi immunitatem à tutelis & collectis pecuniarum: & eius filius Constantius addidit, ne rei criminis apud iudices regios peragerentur, ne eorum delicta diuulgarentur. Et priuilegium ad omnes clericos extendit Iustinianus, non vt eos ab obsequio suo subduceret, sed vt compendiosius & minore cum scandalo ius illis dicatur. Quæ priuilegia confirmata sunt à regibus Christianis, non sine exceptione, neq; in omni delictorum genere: nam Principes, præcipue autem Rex Christianissimus, à quibus tanquam ab origine procedunt omnes iurisdictiones inferiores, & qui perpetui sunt moderatores subalternarum iurisdictionum, nullum vnquam contra seipsos concedunt priuilegium: his de causis exceperunt quosdam casus, qui proprie dicuntur *Casus regij*, & impropie *Casus priuilegiati*: sunt enim casus excepti à priuilegio concesso subditis Clericis aut aliis, quibus ius dicitur à ministris regis, quoniam in eo multũ regis interest vt quando agitur de crimine læsæ maiestatis, armorum gestatione, violato regis commeatu iniuria facta regio ministro in munere suo versanti, & de aliis. Quoniã ergo sibi prius priuilegiũ indulsit rex, quam aliis, inde natus ille error à quibusdam Clericis disseminatus in vtilitatem capitis sui priuilegium illud esse regi concessum à Pontifice: cuius erroris non est aliud fundamentum quam æquiuocatio in vocibus *Casus priuilegiati*. Sed ex hoc vlterius pergere voluerunt, facturi quod docēt, nisi Reges & eorum ministri mature cauerint: iam enim sunt in procinctu, duplicem sibi tribuunt potestatem, claues & gladium, cœlum & terram, spirituale & temporale, adeo vt deponãt Principem supremæ authoritatis, dispensent subditos ab obsequio: [c] ac non tantum excommunicent & anathemare faciant, prout fert seuerissima censura [d] quæ excindit à communione charitatis & fidei: sed etiam ex numero viuentium excindant, exponant obuio cuiq; sicario, cui animus fuerit patrandi, qui tamen homicida non iudicabitur [e] ex doctrina nouorum Canonum Papæ. Hac via postquam dixerunt, *quæcunque à Principibus in rebus Ecclesiasticis Decreta inueniuntur authoritatis nullius esse*, [f] actum est postea de bonis, vita & Republica ipsorum: quæ doctrina aduersatur disciplinæ Apostolicæ & humilitati S. Gregorii Papæ scribentis ad Mauritium Imperatorem, [g] *Ego indignus pietatis vestræ famulus* & concludentis, *Ego quidem iussioni subiectus eandem legem per diuersas terrarũ partes trãsmitti feci, & quia lex ipsa omnipotẽti Deo minime concordet, esse per suggestionis meæ paginã serenissimis DD. nuntiaui: vtrobique ergo quæ debui exclui, qui & Imperatori obedientiã præbui, & pro Deo quod sensi, minime tacui* Nec vero consensus est aliud in ore, aliud in pectore habuisse, nec dum enim instituta fuerat schola æquiuocationis: & humiliter loquens, etiam veraciter loquebatur, quoniam inquiebat S. Augustinus. [h] *Quum humilitatis causa mentiris si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaueras.* Neq; tantũ vero si hi sibi volunt subiicere, sed continuatæ durum indictam ad remedium spirituale animæ, in perpetuum damnum bonorum atq; venenũ corporibus lethale. Est iste qui prætenditur, Dominus temporalis quouis alio seuerior, qui non vigilat nisi quamdiu vasallus dormit, neque suos facit fructus, nisi quamdiu nõ recognoscitur. Iste vero, quicquid faciant ii quorum in possessionem iniectæ sunt manus, manet semper manus iniecta & effectum proscriptionis in vsurpatoris bonum. Ac sane, an Roma vnquam facta mentio restituendi Nauarreni regni, & vsurpatorem excommunicandi? Imo quasi importunitate introducta, sunt istius potestatis feciales, vt probẽt nobis authoritatem illius & possessionem

contra

e August. de verb. dom. ser. 20. & tract. 10. & 124. in Io. Cyrill. li. 4. dial. de Trinit.

f 1 Reg. 2. 11. 2 Sam. 5. 2.

g Ioan. 21.

b Guido pp. q. 239. Decius cons. 191. 1 parte Lucas de Penna l. quicunq; de omni agro deserto l. 11. & cap. intellecto de iureiur. gl. verbo depereunt. in proœm. pragm. sanct. l. 1. & 2. C. Theod. de Episc. & cler. l. 0 Nouell. vt cler. 83 § si tamen sol. 6.

c Can. Alius 15 q. 6.

d Can. Engeltrudam. 3 q. 4.

e Can. Excommunicatorum. 23.

f Can. 1. dist. 96.

g Lib. 2. Epist. 61. in ds. 11.

h Ser. 29. de verbis Apostoli ser. 49. to. 10.

contra ius regis? Ab eadem fluunt origine istæ proteruiæ membrorum ad istam authoritatem mixtam pertinentium, horum in Principes regii sanguinis, illorum in Parlamenta. & per gradus in ministros regis. Atque vt præcidatur omnis sermo, qui erat Imperatoris Ferdinandi & Ludouici XII. de reformatione capitis & membrorum, noui isti Emissarii in subsidium missi sunt, alendis nostris in religione dissidiis, quæ debuerant sopire: & hoc dissimulantes, reformandis illorum abusibus. Concilium flagitari, regerunt aliis iam satis damnatos esse illorum errores, nec esse opus Conciliis: ac si iniqua iudicia, & quæ sunt contra instituta iuris, legis vim haberent in præiudicium tertii inauditi & non vocati. Quod axioma si verum esset, iampridem nullum conuocatum fuisset Concilium, & iam pridem desiisset omnis iurisdictio.

CAPVT X.

Inter perniciosissimas hæreses hanc esse, Regem suum contemnere.

NON erit hic riuulus paradoxus bonis, qui sciunt cultum, quem Regi exhibemus, lege Dei imperari. Etsi enim Ethnicæ gẽtes multæ hoc officium defunctæ sint, tamen cum Dei mãdatum ignorarent, nec esset illis propositum ei parere, propriam tantum vtilitatem spectarunt, vt politicum ordinem conseruarent: ideirco hæ virtutes simpliciter morales, coram throno iustitiæ Dei non acceptantur, quia[a] *quicquid fit sine fide, est peccatũ.* Ita æqua prædæ inter latrones diuisio, non est verum opus iustitiæ, sed vmbra, quo diutius conseruetur latronum societas, quæ illico dissiliret, si discordiam admitterent. Atque ideo, quemadmodum vitiosus est finis, ita & media ad finem tendentia non debent legitima censeri. Ita omnis amicitia, & fœdus inter eos, quibus diuini mandati obseruatio non est proposita, conspiratio est & coniuratio, ac non societas legalis, nec religiosa charitas,[b] *quæ nõ quærit quæ sua sunt,* Sed se semper erga alios exerit: nulla enim vnio est aut fidei aut charitatis, nisi in vno Iesu, qui centrum est & finis æternus omnis boni. In eam rem inquit S. Paulus[c] *siue edatis, siue bibatis, siue quid faciatis, omnia ad Dei gloriam facite.* Et S. Petrus commendans,[d] *subiecti estote Principi*, hæc ad verum vsum refert *subiecti estote propter Dominum.* Quemadmodum autem virtutes morales Ethnicorum, peccata sunt coram Deo, eo quod mãdatum Dei non spectant, quod ignoranter ita contẽptus regis qui ius habet in subditum ex lege Dei, nasci non potest nisi in animo illius qui contemnit authorem legis. Itaque illum prius necesse est in Deum fuisse perfidum, quam officium erga Regem negligat: quamdiu enim primam tabulam fideliter obseruabit, secundam non transgredietur, quæ non obseruatur recte nisi habita ratione primæ, cuius illa est sequela & appendix necessaria. Inde est quod videmus vsu venire vt Idololatræ facile apostatẽt, immo audacter in personam Principis aliquid moliantur: vt cõtra religiosæ animæ eis seruiunt, quantumuis dyscolis, imo etiam infidelibus prout exempla iam protulimus. Ita Samuelem consolatur Altissimus,[e] *Non te spreuerunt, sed me spreuerunt, ne regnem super eos, & quemadmodum dereliquerunt me & coluerunt Deos alienos, sic enim faciunt tibi.* Et Sedecias rex tributarius priusquam regem sperneret, indurauit se aduersus Deum.[a] *Sedecias fecit quod malum videtur in oculis Dei sui, nec se depressit coram Ieremia Propheta, qui loquebatur ex ore Dei: quin & aduersus regem Nebuchatnetsar rebellis fuit, qui adiurauerat ipsum per Deum.* Alio etiam loco spiritus S. rebellionẽ interpretatur æque periculosam ac hariolos consulere, *Peccatum est diuinationis rebellio, & obfirmare animum, peccatum est idololatria.* Inde etiam est, quod nuper aliqui ex iis qui authoritatem regis extenuant, & rebellionem in hoc regno fouerunt, quæstiones proposuerunt Pythonissæ fœminæ dæmoniacæ, & diabolum interrogarunt. Atque ideo mirum non est, si qui improbant accessum nostrum ad *Abba Patrem qui est in cælis*, aut iniũt se ab obsequio nostri Abimelec hoc est patris nostri regis qui est in terra, & quemadmodum Iesuitæ Deo *Patri sancto* substituunt alium Deum in terra, quem appellant *Patrem sanctissimum*, & separant Iesum à suo corpore & sponsa quæ est Ecclesia, vt ei substituãt Vicarium & Legatum generalẽ, in omnibus eius regnis, *etiam Christo secluso.* Iidem spiritus[b] volunt nunc erigere Monarcham supra reges *etsi patrem & maritum populi & patriæ*, ne suprema sua authoritate polleant, nisi quamdiu ipsis placuerint. Atque ita initio facto à rebellione in Deum, desinunt in defectione à rege Legato ipsius in terra. Nemo idcirco iura Regis asseret vt par est, nisi à iure Dei initium faciat: quod si præuaricator est in prima tabula, fundamenta iacit ius regis euertentia: qui enim quod plus est concedit, dat etiam quod est minus. Hac arte vsus est Ieroboam, qui vt scriptum est, populum sibi addixit, &[c] *eum ad idololatriam compellens fecit ne reuerteretur ad domum Dauidis.* Et quoniam articulus cõfessionis Ecclesiarum reformatarum disertè omnes territorii incolas magistratui subiicit, ne exceptis quidem ministris: qua subiectione dispensare volunt hodierni Clerici, quando Presbyter eorum religionem amplectitur, eum inter alia oportet huic priuilegio Clericatus renuntiare. Nam siquidem honos qui regi exhibetur, debetur[d] *propter conscientiam*, vt loquitur S. Paulus, [e] *& propter Deum*, vt loquitur S. Petrus; inde sequitur Cardinalem[f] Iesuitam meram hæresin defendere, dum fingit Christianos Regi subiectos, non propter conscientiam, sed timore seruili, qui non obediunt, nisi quando viribus non præualent, supplicii metu ac non amore Dei. Si vero conscientia lege Dei ad obsequium regis adstringitur, quis subditorum iura regis inuolabit, nisi qui prius fidem Deo violarit? Hoc ipsum est quod docet Iudas in Epistola[g] *scribens ad dilectos de communi salute dicens, subrepserunt quidam homines, prius iam olim descripti ad hanc damnationem, impii, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciuiam, & solum illum verum Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum negant.* Inde transiens ad secundam

[a] Rom. 14. 23.
[b] 1. Cor. 13. 5.
[c] 1. Cor. 10. 31.
[d] 1. Pet. 2.
[e] 1. Sam. 8.
[a] 2. Chron. 36. 12. & 13.
[b] Bell. lib. 1. de Pontif. cap. 9.
[c] 1. Reg. 12. v. 20. & 27.
[d] Rom. 13.
[e] 1. Pet. 2. 13.
[f] Bell. lib. 3. recogn. de Laicis.
[g] Iuda v. 3.

tabulam, quam istiusmudi homines violant vi primæ illius abrenunciationis,[b] *similiter & isti spiriti, carnem quidem polluunt, dominatum vero reiiciunt, & dignitates probris incessūt.* Et eaemplum horrendum iia proponit, qui Principibus maledicunt, *at*, inquit *Michael Archangelus, cum aduersu diabolus certans disceptaret de corpore Mosi, non ausus est*, quod noranduin *illi impingere notam maledicti sed dixit, increpet te Dominus.* & versu 10. de Core loquens, qui Mosi contradiaerat hia verbis. [a] *An parum est quod fecisti vt ascenderemus è terra affluente lacte, &c. quod & imperium assumis in nos?* Ideo maledictionem prænunciat Iudas horum similibus, *nam*, inqui, *effusi sunt & contradictione Core perierunt.* Observandum vero istos Core & eius socios Dathan & Abiram & ducentoa quinquaginta fuisse [b] *ex Principibus synagogæ*: vt appareat non hodie demum istos Doctores synagogæ regi resistere & à Deo punitos esse.

b v. a.
a Nu. 16. 13.
b Nu. 26. 2.

Quod si sanctus ille angelus cui diserte mandatum fuerat facere quod faciebat, à diabolo præpeditus, non ausus est notam maledicti illi impingere, sed iudicium integrum Deo reseruauit titulum attendens quo spiritus ille malus insignitur in scripturis *Potestas aeris, & Princeps tenebrarum & mundi*: quæ sanctitas in illo homine fingi potest, qui solo animi affectu eo fertur vt fulminet in Vnctum Domini, in Principem & vniuersum Principatum, causa non cognita inuolueos senem cum iuuene, viuentem cum mortuo, reum cum innocente? Illi proculdubio qui dignitates contemnunt, impii sunt, iam olim descripti ad damnationem, abnegato solo & vero Domino, cuius reuerentia cohibiti fuissent, scriptum est enim[c] *subiecti estote cuiui humanæ ordinationi propter Dominum.* Nec vero dicendus est Iudas hic loqui contra homines sui temporis: hæc enim Epistola Catholica est & toti Ecclesiæ scripta, & agit de vitio reali eum corrumpente & peruertente qui eo inquinatus est, quicunque ille sit. Inde fit vt qui hominem peccatorem eatollunt supra id quod dicitur Dei, eatollant eum etiam supra id quod dicitur Regis, eum hominem Soli conferentes, regem Lunæ: quo pacto splendorem suum rea mutuaretur ab hoc astro toties Eclipsin passo extincto, in hæresin lapso, quod [d] Canon confitetur, & depositi de muñere Episcopi probant. Hoc capitulum tamen diserte [e] dicit. *Quanta est inter Solem & Lunam, tanta est inter Pontifices & Reges & Imperatorem differentia:* annon hoc vero est se meridiem illum dicere, de quo superius [f] loquebatur S. Bernardus? Sed quid amplius requirimus, cum sit illud argumentum quo [g] Cardinalis Baronius vtitur contra Venetos, quibus vt se præponat, se præponit Angelis, vt dominatum illum vituperet. his verbis *Veneti contrarium facientes, sunt tanquam monstra & prodigia Diaboli*, in vituperarionem dominatus? Addit insuper ad fortiorem rationem, *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* Quis eam audaciam ferat, cui vel minimua insit pietatis sensua, aut fidei in Principem suum? quis non inuitet ciues omnes suos ad obseruandum quod de homine prædictum est, [h] qui elatus est supra id omne quod dicitur Dei? qui dignitates probris incessit, qui depositionem regum molitur: & si quidem manifesto liquet Domino nostro ne minimam quidē terræ particulam propriam fuisse in [a] *qua caput reclinaret*: Apostolos ipsius dixisse pauperibus. [b] *aurum & argentum non habeo*, dixisse *Pax sit domui isti*, neque bellum denunciauisse, eacussisse puluerem pedum suorum: ac non regna inuasisse: qui comparebunt qui se hodie prædicant dominos vtriusque gladii spiritualis & temporalis? terram commissi pœna deposcunt, infernum aperiunt. Cœlum claudunt, quibus sola est pro ratione voluntas hominis peccatoris & affectibus abrepti. pluris facientis temporalia quam spiritualia, dicentis in Bulla sua, mense Maio anno 1515 in Concilio Lateranensi lecta & authoritate Concilii, probata, sess. 10. his verbis. *ne Ecclesiis Cathedralibus, bonis temporalibus, sine quibus spiritualia diu esse non possunt, priuatis, &c.* ac si Māmon & si diuitiæ iniquitatis fulcrum essent Christi & & gratiæ ipsius salutaris.

c 1. Pet. 2. 13.
d Can. sol. licita 6. de Maiorit & obedientia.
e Can. si Papa dist. 40.
f Bernard. Serm. 33. in Cant. Cāt.
g Baron. in Paranetico ad Venetos, pag. 47.
h 2. Thess. 2.
a Luc. 9. 12.
b Act. 3. 6.

Quinimo homo ille qui se Dominum dicet spiritualem & temporalem supra Principatus, se patefacit successorem Simonis Magi, qui se vocari volebat [c] *Potentiam Dei magnam*; & Legatus est non IesuChristi, cuius regnum non est ex hoc mundo, sed Tentatoris, qui se dare regna iactat, dicitur enim in scripturis, [d] *Princeps aeris.* [e] *Princeps huius mundi*, [f] *mortis imperium habere*, [g] *confertur homini forti & armato*, [h] *ab infidelibus adoratur tanquam Deus in terra, aut* [i] *Deus seculi huius.* Quorum titulorum vi, dixit seruatori cum eum tentaret, [k] *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, si tu adoraueris me, nam mihi tradita est, & cui voluero, do eam.*

c Act. 8.
d Eph. 2. 2.
e Io. 12. 31. & 14. 30.
f Heb. 2. 14.
g Matth. 12. 29.
h Apoc. 13. 14.
i 2. Cor. 4. 4.
k Luc. 4. v. 6. & 7.

Certi vero sumus Deum pacis, per quem solum reges regnant, perfecturū opus suum. [l] confectorum superbum hunc spiritu oris sui, & illustri aduentu suo abolitturum, ius regum affectū, & potestates à se ordinatas, conseruaturum viduam & orphanos Vncti sui, in mediis flammis huius fornacis, quod fecit sociis [m] Danielis.

l 2. Thess. 2.
m Dan. 3.

Non iam primum hæc audacia repressa est in Ecclesia: Illa causa est reiectionis Iudæorum, in primo Domini nostri aduentu: & nunc causa est plagarum in Apocalypsi reuelatarum. Quemadmodum autem comminationes Prophetæ Zachariæ, qui confusionem vtramque prædixit, executionem sortitæ sunt in Pharisæis, quos appellat [n] *Fastum Iordanis*, qui cum debuissent greges suos pascere, *eas interficiebant, nec se culpa obnoxios putabant, & eorum qui vendebat ipsas dicebat quisque, Benedictus Dominus, quod ditatus sum, & pascentium eas nemo clementia vtitur erga eas*, propter quos abusus Propheta subiungit *Vox eiulatus Pastorum, eo quod vastetur magnificentia eorum.*

n Zac. 11. 3.

Ego

Ego faciam, inquit Dominus, vt prasto sint homines, alter in manu alterius & in manu regis sui, quibus contundentibus terram hanc, non eripiam è manu eorum. Ita ne dubita, Domine, secundo Seruatoris aduentu qui proximus est, fastum istum Babylonicum, & stultum Pastorem, de qno agit Idem Propheta, qui à Cardinali Iesuita extollitur supra quicquid dicitur Deus, futurum vt Deus fortis & Zelotes regi Vncto suo & Legato & ministris Regiis vires sufficiant, & rationes ad hanc superbiam compescendam: in cuius veritatis certitudinem, auden maiestati tuæ offerre textum Prophetæ, prædicentis ortum & interitum secundi huins Pastoris stulti, prout S. Hieronymus exponit. hæc sunt verba,[a] *Ecce ego suscitaturus sum Pastorem in hac terra, qui erraticas oues non visitabit, tenerā non requiret, & fractam non curabit, restitātem non portabit, sed carnem pinguiorū comedet, & vngulas harum perrūpet. Va Pastori nihili, derelinquenti gregem: gladius imminet brachio eius.* en Domine, gladium temporalé, & *oculo dextro eius: brachiū eius penitus arescet, & ocul⁹ dexter eius omnino caligabit.* Nā si ob gustatū à primo homine fructū vetitum, & adhibitam fidem verbis serpentis, *Eritis tanquā Dii scientes bonum & malū* Pater miserationnm innocentiæ fideiussoris nostri, filio dilectionis tuæ nō pepercit, sed per eundem Prophetam exclamauit,[b] *Gladie, euigila contra Pastorem meum & contra virum proximum meum.* Quæ tormenta manent Apostasiam hominis relapsi sine promissinne restitutionis, qui non tantum instar Dei esse se credit, sed se effert supra quicquid dicitur Deus. *ô gladie*, qui bono Pastori non pepercisti propter delictum alienum, euigila contra stultum Pastorem, istum hominem peccati confice propter suas iniquitates, qui se non socium tantum prædicat, sed Domini partes sumit absente patrefamilias, vt postremis his temporibus, non minus quam olim eius decessor Herodes, qui Deo honorem non tribuit populo acclamante *Vox Dei, & non hominis*, proprio exitio discat *Excelsum Deum benedictum* ac non alium *dominari in regno hominum, & cui vult dare illud*[d].

——— procul ab Iesu
Ite, quibus grata est picta lupa barbara lupa.

a Zach. 11. 16.
b Zac. 13. 7.
Matt. 24.
d Iuuen. Sat. 8.

CONCLVSIO.

DOMINE,

Antiquissimus historiæ prophanæ scriptor, refert Crœsum, cum proximus esset mortis periculo in bello; hoc conspicatum eius filium, qui ad illud vsque tempus fuerat mutus, exclamauisse *Homo ne perimas Crœsum*, vt exhibeat specimen affectus naturalis, in superando qui inest defectu, vt officium impleat à natura sibi impositum. Hactenus, Domine etsi pro mea tenuitate nullam elabi mihi passus sum occasionem testatum faciendi reipsa & verbo officium quod debeo Maiestati tuæ sempee tamen mutus fui, non ausus apud eam profiteri eam, quæ est in me, officii mei conscientiam: Et silētium meum semper pressissem, nisi timuissem censeri inter eos qui consentiunt damnatis effectis erroris perniciosissimi, nuper canonizati: & qui hactenus sub censura eiusmodi Decretorum latuerat, nisi à quibusdam incendiariis emissis detectus fuisset, qui quasi palea & follibus vsi quibusdam in religione dissensionibus, causam dederunt incendiis, quæ his 50. annis in Gallia vidimus: quibus extinguendis cum boni omnes Galli operam suam impenderēt, fatigari & debilitati: isti occasionem amplexati Rempublicam conati sunt inuadere: quicquid virium inerat, contulerunt ad extingnendam stirpem regiam, & coronam ad extraneos transferendam. Quod cum vi non potuissent assequi, obsistentibus Henrico Magno & eius Principibus, excogitarunt artes quibus scelestiores & execrabiliores nunquam vsurpatæ sunt inter gentes summe barbaras & infideles: post infinita consilia iniectis identidem manibus violentis in filios Altissimi & Vnctos Domini.

Detestandæ hæ actiones, exclamare me cogunt *Homo peccati desine perimere reges nostros.* Si silerē, Domine in ius trahendus essem: si enim subditus qui audit coniurationē viua voce iniri contra salutem Principis, reus est, nisi eam aperuerit: quis excusationi locus relinqueretur illi, qui ex lectione librorum & vsu rationis originem harum aggressionum cognouerit nisi conferat orationem, industriam, vitæ periculum, auertendis in futurum istiusmodi procellis?

Sed quoniam frustra esset omnis nostra opera, si spiritum hunc malignum inclamaremus, qui plane expers est disciplinæ militaris Cyri, vt manū sustineat, quāprimum receptui canitur, intermisceo me & exclamo, Domine, caue tibi, in tua sita est pax nostra, regē alium temporalem nolumus quam Ludouicum, ne permitte vt in regno tuo, quædam potestas esse supra tuam, Imperium tuum Extranei voluntate circumscribi fidei iureiurando subditorū tuorum illo dispensante abrumpi, & ad nutum eius vita tua exponi publice dicatur. Ad praxim reuoca remedia, quibus vsi sunt decessores tui Philippus, Ludouicus, & Henricus, priusquam introducti essent, sicut isti & extranei præsidiarii, qui iuramento ad cæcam obedientiam extra regnum adstricti sunt. quartum votum reliquis ordinibus ignotum, quod vi mira irrepit in vrbes præcipuas, amplissimas familias, imo in ipsam metropolim: qui audaciam prouehunt volentium Principes præcedere, æquo cum Parlamentis gradu esse; & munus, ad quod vocati fuerant, contemnere. Vnde vero hoc, nisi ex eo quod superioribus seculis, tempore Philippi Pulchri & subsequētium regum, nemo Gallorum se obsequio Principis subduxerat metu friuolę excōmunicationis, quodque vltimo hoc sæculo hæc fascinatio tamdiu populorum pertinaciam continuit? Vnde est quod

Francis.M.Carolo V. minabatur studiosorum suorum numerum & fidem? quod vero in tumultu Parisiensi integræ cohortes ex iis constitutæ sunt ad Luparam obsidendum? Quis Barrerium corrupit, præter Varadam Presbyterum nouæ societatis, ei proponendo sanctam cõmunionem in salutem?. Quis nisi horum nouorum doctorum discipulus in os Henrici Magni parentis tui particidalem cultrũ intulit? Sed quis eum trucidauit? Domine, silere nequeo, horresco præterita sed futura magis adhuc pertimesco. Nolo præuaricator esse in causa Regis mei, ei superstes nolo esse, Illi, illi trucidarunt, *spiritus illi immundi*, de quibus Ioannes in Apocal. *qui non resipiscunt ab homicidiis, quæ perpetrarunt, neque à veneficiis suis, neq; à scortatione sua, neq; à furtis suis, qui edunt signa abeunt ad reges terræ totius mundi, vt congregent eos ad prælium.* Illi sunt quos idem Ioannes *ranas* appellat, amphibia animalia in aqua & in terra, in Republica & Ecclesia, ad gladium & ad calamum parati. Illi sunt qui in prodigiosi parricidæ animo impresserant, regem voluisse bellum inferre Papæ, ei verò bellum inferre, esse idem quod Deo ipsi bellum inferre.[a] nam inquiebat monstrosus ille sicarius, *Deus est Papa, & Papa est Deus*. Conspectus etiam fuit habere characterem, cor Xylinum * collo appensum, Iesuitæ d'Aubigni, cui confessus fuerat & suas bestiarum visiones narrauerat, ostendisse cultrum, cui cor & crux fuerant insculpta. Post admissum vero scelus, quo hominum genere carceres pleni fuerunt, an non iis qui hæresibus imbuti fuerãt, Reipublicæ & Ecclesię perniciosis? Parce, Domine, zelo fidelissimi serui tui, parce iusto dolori subditi animati in particidas duorum regum suorum. Domine, permitte vt defleam obitum parentis tui: patere vt lamenter Abimelecum meum, de quo dicebam [b] *in vmbra eius nos victurum inter Gentes.* sub edicto eius, cuius beneficio siquidem licet mihi verà dicere & scribere, eadem tibi ipsi resigno, non vt renouem præteritos dolores, sed vt auertam nouos. Tu ipse, Domine, iudica quanti intersit, notum fieri, Papas non esse Deos, errare posse, sæpe in Deum & Regem delinquere: si enim mali causam aperuero Maiestati tuæ, erit prudentiæ tuæ malo mederi, cum & tempus & ætas inuitabunt. Sed dum integram valetudinis restitutionem expectamus, videntur esse hæc duo antidota necessaria duobus membris, quæ hoc malum tentat inuadere, agnoscens ea esse authoritatis regiæ columnas, pietatem nempe & Iustitiam. Quo fine namque in contemptum adducitur consilium Senatus, nisi quod sperant Rempublicam perdere, exemplo nouorum Roboami consiliariorum? quæ hæc audacia, magni illius Senatus, iudicis imperii, & olim arbitri Europæ, decreta Censuræ subiicere? quo alio fine tam importune tam sanctorũ Decretorũ dilationes procurantur? & Sorbonæ Decreta tam Canonica referri in Acta prohibentur? Quorsum incutitur metus, imo mulctantur prædicatores quod verum est dicentes? Macti animo boni & fideles serui, qui probe talentum negotiamini,[c] *Seruite Deo & Regi*,[d] *intrabitis in gaudium Domini vestri.* Ego antè, (qui nihil amplius possum pro vobis) libentissime in his monumentis vos insculperem, si vestra modestia pateretur, & si odium cui me expono, non in vos redundaret. [e] *Nobis vero non dedit Deus spiritum timiditatis, sed roboris & charitatis & sanitatis animi.*

> a Hos furores legere est in processu Rauaillaci & in eius collatione cum d'Aubigni Iesuita.
> * De Coton.
> b Ier. Lam. c.4. v.20.
> c Matt. 25. 14.
> d Luc 19.
> e 2.Tim.1.7.

Quod si miles, vt à minimo capitaneo laudem reportet, irrumpit per media tela, vallum & fossam superat, tormentorum quorumcunque bellicorum furorem contemnit: quid non faciat Gallus Metropoleos ciuis, in altissimo totius Europæ theatro, pro honore Dei, & regis seruitio depugnans? *Abeant questus, discede timor, vita est audax quisquis non vult mundo secum pereunte mori.*

Tu vero Domine, si permittas, quod facis, iurisdictionibus sua pro more obire munia, & melius tuæ Maiestatis res agentur, neq; in inuidiam ipsa incurret, qui ætate prohiberis authoritate propria vti, & extraordinaria iubere: & Reginæ melius semper parebitur, rem administrando; vti facit secundum antiquas regni leges, & solitam iurisdictionem: vt contra si se facilem præbuerit importunis, multis aliis ita viam factura est: homines enim isti paulatim promouent, & per gradus: qui primo ab omnibus ordinibus fuerant reiecti, postea appositis quibusdam conditionibus admissi, nunc eos volunt expellere, qui ipsorum consiliis obsistunt. Quod si ad constabiliendos nouos istos doctores placet ista ratio, non esse displicendum ei à quo mittũtur, quid non superstruetur huic fundamento? quid fidelissimis Galliæ fœderatis, qui eos in æternum ab ordinibus & Republica sua expulerunt, nuntius erit remittendus? bellum in eos erit renouandum, qui nouam hanc potestatem non agnoscunt, neque illis fides seruabitur, nisi quamdiu libuerit isti spiritui discordiæ? Quæ mala si refugimus, cur eorum causam accersere suademur? Principiis obstandum est. Quoniam vero prætextu tuẽdæ religionis, illi instillãt in ingenia imbecilla axiomata Reipublicæ exitiosa, alterum remedium petendum est ex altera Reipublicæ columna, pietate nempe, quæ adiuuanda erit & roboranda in corpore Vniuersitatis, quæ viris doctis non destituitur, sicut aduersarii calumniantur. Hæc[a] Vniuersitas ab omni æuo appellata est Custos clauis Christianismi, & illa ipsa fuit, quæ intercessit prouocando tanquam ab abusu, à bulla Papæ Pii II. & in acta referri curauit Protestationes suas in Comitio Parisiensi. Et dominus Magister Ioannes de sainct Romain. Actor generalis regius, eadem fecit, quæ videt Maiestas tua fieri ab Aduocato suo generali domino Seruin, docto, forti, incorrupto in iustitia & seruitio Principis sui.

> a Tibult de libertatibus Ecclesiæ.

Ex hac vniuersitate Rex Ludouicus XI. Sex sibi consiliarios elegit. Illa ipsa vniuersitas finem imposuit cædibus à Duce Burgundiæ suscitatis, & per viros clamari fecit *Pacem ô boni* regnante Carolo VI. Illa corpus illud est ex quo desumpti fuerunt Doctores, qui deciderunt quæstionem, quæ hodie iterum agitatur. *Infummè sit fœderatis auxilium ferre contra Papæ voluntatem*, cum

Papa

Papa Iulius excommunicauit Alphonsum Ferrariæ Ducem, cui Rex Ludouicus XII. suppetias tulit ex consilio Ecclesiæ Gallicanæ congregatæ in Concilio Turonibus mense Septembri anno 1510.

Quamuis autem Rex Henricus magnus sola sequeretur vestigia maiorum suorum & decisiones Doctorum Catholicorum, attamen cum extrema infelicitate agnita sunt effecta perniciosæ doctrinæ, & impedimenta quæ obiecta sunt, vt subsidium fœderatis Coronæ promissum non mitteretur: cui malo remedium videntur opportunum & necessarium esse, Curionum, tibi Domine, addictorum exhortationes & Doctorum Sorbonicorum, adiunctis doctiorum scriptis, quos elegerit Maiestas tua: etsi enim decorum est Maiestatem tuam armis muniri, non erit tamen minus vtile, ita subditorum animos præparare, vt illa sint potius ornamento, quam ad salutem Principis necessaria: & in eis eorum opera impendatur, quorum animus probe munitus est antidoto contra recens hoc venenum. Non enim tantum magni & docti duces belli, quales sunt Alexander & Cæsar, imperia orbis sunt assecuti, verum etiam duces belli vtiliter vsi sunt cõsilio Doctorum, vt magnorum consiliorum euentum sortirẽtur. Ea de causa a Pyrrhus dicebat se plures vrbes expugnasse artibus oratoris sui Cineæ, quam vi armorum. Adeo vt quidam scholasticus, qui Regilliano aderat, ei imperium promeruerit grammaticali declinatione, ioculari astutia allusionem instituens inter *Rex Regis* & nomen *Regillianus*: nã milites, qui in exercitu erant accepto hoc nomine, eum Imperatorem salutauerunt.

a *Plutar. in vita Pyrrhi.*

Talibus vtebatur Alphonsus Phœnix Regum Hispaniæ, qui Principes illiteratos *Vellus aureum* appellitabat, & optimos suos consiliarios dicebat mutos esse, libros intelligens, qui regibus non adulantur, sed vera omnia proferunt: & sententiam decessoris sui arguens, indecoram credentis esse viro nobili & generoso, literarum peritiam, dixit non hominis, sed bouis hanc vocem esse.

Cuius subsidii penuria fecit, vt veterum Gallorum generosissimæ actiones quasi obliuione sint sepultæ, aut plurimum extenuatæ fuerint ab iis, qui eorum magnitudini inuidebãt. Neq; enim militares actiones apud posteros extolluntur, nisi quam alte historici pẽna potest eas subuehere: Ita extollũtur Achilles ab Homero, Æneas à Virgilio, Cæsar suoipsius testimonio. Cõtra quibus literæ non fauent, ad posteros cum ignominiæ nota transmittuntur.

Ita iniuria qua doctorum Atheniensium Academia afficiebatur crudeli tributo quatuordecim puerorum, qui Regi Cretensi mittebantur, quamuis alioqui tantam iustitiæ famam esset assecutus, b vt eum antiquitas crediderit, Iudicem esse & arbitrum in cãpis Elysiis: non hoc tamen euincere potuit à calamo & atramento, debilibus in speciem instrumentis, vt non infamaretur à cubili & filiis Icaro & Minotauro: quorum ille exemplum vanitatis, hic monstrosum prodigium, ipse vero etiam notatus, qui & misere dicitur periisse.

b *Quæsitor Minos, vrnam mouet.*

Opus est Maiestate tua dignum, Collegii Regalis cõstitutio, tibi illius ædificium reseruauit Deus, sicuti sapiẽnti Salomoni Templi ædificium. Neq; vero Domine ambigere debes multos idoneos Doctores exituros: *honos alit artes*: hactenus non eminuerunt: quia Musæ non potuerũt exaudiri inter tubarum clangores & tympani sonum. Veri illorum alumni in antris Parnassi se concludunt, neque in Aulam veniunt, nisi accersiti. Sed siquidem Domine, agitur de Collegio Regali instruendo, non erunt admittendi Doctores non Regales, aut qui iuramento voti cæci extra regnum sint deuincti: nam vt est in Euangelio: *Nemo potest duobus dominis seruire*. Quare vero stipendia sub rege mererent Professores, qui Gallicorum animorum candorem corrumperent veneno nouorum Canonum, quorum iam aliquid obseruauimus?

His mediis omni æuo Reipublicæ vtilibus, conseruabitur, dum Deus benignus Maiestati tuæ annos augeat & benedictiones omne genus spirituales & temporales, vt ipsemet prospicias; & causam mali tollas, quod eo certius spero, ex Dei clementia, quod Maiestas tua natiua est imago maximorum quorumcunq; regum, qui populo Dei vnquã imperauerunt, instar adolescentis Iosiæ, succedens patri perfidia quorundam subditorum trucidato; instar Salomonis patri Dauidi triumphanti, instar S. Ludouiti sub tutela matris suæ: atque vtinam maiestati tuæ complere detur symbolum regis Ludouici XII. decessoris tui, *Perdam Babylonis nomen*: siquidem hodie eadem, quæ sub regno ipsius, consilia renouantur: vt quemadmodum supremus Monarcha noluit in eo opere occupare potens brachium carnis Henricum Magnum parẽtem tuum, sicut nec Dauidicum, præliis destinatum, Maiestas tua instar Salomonis filii eius, operibus pacis restauret Ecclesiam Gallicanam, cuius, voce publica, genibus flexis, manibus in cœlum, corde ad Deum sublatis Maiestas tua benedictionem audiat parem ei, qua regina Sabæ Salomoni benedixit, a *Sit benedictus Dominus Deus tuus qui delectatus est te, vt collocaret te in solio suo regem, vt exerceres iudicium & iustitiam*. Et ex altissimo cœlo rata sit in Maiestate tua Prophetia Nathanis, b *Stabiliam solium regni eius vsque in sæculum, ego ero illi pater & ipse erit mihi filius*. Amen.

a *2. Chro. 9. 8.*
b *2. Sam. 7. 14.*

c *Prima tuo gerito pro Ioue bella puer.*

c *Martial. 9. 104.*

Anno 1612.

AD ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI LIBRVM

DE TEMPORALI POTESTATE PAPÆ,

COMMENTATIO.

DNS:

D. PETRO

Matth. XVII. vers. XXIII.

Vade post me, Satana, scandalum es mihi: Quia non sapis ea quæ DEI *sunt, sed ea quæ* hominum.

CHRISTIANO LECTORI SALVTEM.



LIBARTATAM, rem inæstimabilem, & dicunt ICti. & sentiunt omnes, quibus aliquis est honesti sensus: vti, eatremum malorum, Seruitutem, iudicant omnes, quibus aliquid ingenui reliquum fecit huius seculi abiectum ad sordes ingenium.

Itaq;, eaorta, aut potius renouata inter Papam & Principes quæstione de imperio, cum pro Pontificiis in omnes Christianos summa potestate multi multa dixissent, solam exsurrexisse Galliam: aut, verius vt dicam, in sola Gallia extitisse Regiæ Maiestatis, & Libertatis publicæ studiosos homines nonnullos, qui obuiam eundum putarent repetitæ Dominationi, non sine stupore, & imminentis seruitutis horrore cogito. Debet Respublica Parlamento Parisiensi, & Achilli eius, Harlæo, & Aduocato vere regio Ludouico Seruino, qui maiorum vestigiis insistentes, Cardinalis Belarmini librum *de temporali Pontificis potestate*, libero Senatusconsulto damnauerunt. Nam qui in incerto relinquendum negotium, aut ad immanem audaciam tacendum putant, li publicam & dignitatem & libertatem suspendio enecant, aut silentio produnt. Tacere ad ista, & Concilium Cæsaris aulicum, & imperii Camerã, & Italiæ atque Belgii Principes: imo editum cũ S. Cæs. Maiestatis priuilegio & superiorum permissu librum, quo & Cæsaris Maiestas & superiorum auctoritas omnis tollitur, monstri simile est: nisi quid latet atcani consilii, quod nos latet.

Sed quæstionis fontem ostendere iuuat paucis, & eorum verbis, quorum de pietate & prudentia nemo dubitauit vnquam: quos & ipsis Pontificibus & Pontificiis probatos, nec Principibus improbatos nouimos: vt & negotiosi habeant quod legere bihorio possint: Libertatis vero Christianæ hostes, quod iure reprobent, nec habeant. Multis nuper & olim voluminibus Ecclesiasticam libertatem propugnatam vidimus. Sed, quid ea quærit aliud, quam vt, quos vocant, Ecclesiasticis, in se impuris, in Deum impiis, in nos auaris & crudelibus esse liceat? Liceat & pro Christiana libertate pauca dicere: id est, fortunas nostras vitamque ab crudeli hominum turpissimorum dominatione defendere.

Lubet autem disputando præfari quædam: mali deinde quem diai fontem, virorum integerrimorum verbis aperire: tum, & ipsius Cardinalis verbis, quid velint Põtificiæ potestatis propugnatores, explicare.

De iudice videtur inter partes conuenire. Deum auctorem vtriq; laudant: & scriptis nitũtur iis, quæ à Deo profecta, tradita Ecclesiæ, illibata conseruantur. Neq; enim leuibus instrumẽtis petim seruitutem Reges Principesq;, totumq; humanum genus deceat. * Chilonem, illum è septem, legimus ciuitatem optimam iudicasse, quæ legum auctoritate, minime autem Rhetorum dicacitate regeretur. Talem esse Christianam oportet, variis opinionibus, tamquam ventis, quæ humana aut ignorãtia, aut malignitas peperit, excitatas tempestates superans, rectæ cursum salutis, Scriptura, tanquam Cynosura duce, teneat.

* Plutarch. Sympos. Arist. Polit.

Quæ è Sacris voluminibus vtrinque præcipua proferuntur, hic tibi, Lector, tamquam in tabula iudicanda proponimus.

PRO

PRO PONTIFICE.

Matth.16.verſ.18.19.

ET ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo Claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cælis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

Luc.22.v.36.37.38.

DIxit ergo eis: Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat Gladium. Dico enim vobis, Quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, debet impleri in me: Et cũ iniquis deputatus eſt. Etenim ea quæ ſunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce Duo Gladii hic. At ille dixit eis, Satis eſt.

Iohan.21.v.15.16.&c.

CVm ergo prandiſſent, dixit Simoni Petro Ieſus. Simon Iohannis, diligis me plus his? Dicit ei Etiam Domine: Tu ſcis quia amo te. Dicit ei paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Iohannis diligis me? Ait illi, Etiam Domine: Tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce agnos meos. Dicit ei tertio, Simon Iohannis Amas me. Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit tertio, Amas me? Et dixit ei, Domine, tu omnia ſcis: Tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce oues meas.

PRO MAGISTRATV.

Matth.22.v.17.18.

QVid tibi videtur? Licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognita autem Ieſus nequitia eorum, ait. Quid me tentatis Hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Ieſus: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris, Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.

Paulus ad Rom.13.v.1.2.&c.

OMnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim Poteſtas, niſi à Deo. Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, &c. Non enim ſine cauſa Gladium portat: Dei enim miniſter eſt, &c. Ideoq; neceßitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, Ideo enim & tributa præſtatis, &c. miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita, &c.

1.Pet.2.v.13.14.18.&c.

SVbiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tamquam ab eo miſsis, &c. Serui, ſubditi eſtote in omni timore dominis: non tãtum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte, &c. quia & Chriſtus paſſus eſt, &c.

Hæc excutere, & explicare omnia prolixe, nec animus eſt, nec eſt ſane neceſſe. Sed obiter & ſtrictim ſingula videamus: & primum pro Pontifice.

In Matthæi verbis: Eccleſiam audio fruſtra impugnatum iri ab inferioribus hiſce Poteſtatibus, Fide tutam illa quam Petrus Princeps profeſſus eſt: quam & iiſdem verbis Martha. *Deſcẽdit* Ioh.11.27.
pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper Petram. Matt.7.25.

Regni cœlorum Claues datas audio: Regni Romanorum, aut Frãcorum nullas audio. Ligata & ſoluta in cœlis audio, quæcunque ligauerit aut ſoluerit ſupra terram Petrus. Eadem in *terra* ligata aut ſoluta, non audio. Neque in Domini verbis quicquam obſcuri eſt, & notauit idem olim S. Nicon. Epiſtola ad Euchſtium, de iniuſta excommunicatione. *Vide vim verbi*, inquit. *Non dixit, Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata in terra, ſed in cælis.* Verte, preme, vt voles: nullam vnquam Petri in Terra temporalem poteſtatem inuenies, elicies. Sed nec Petri in cœlo aut ad cœlum poteſtas vlla, niſi à Deo & ex Dei præſcripto: qui, Sanctus & verus, habet clauem Dauid: Apoc.3.7.
qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.

Secundo loco, duos gladios audio. Sed & hæc trahe vt voles: neque ex iis efficias vnquam, Papæ vtrumque gladium, id eſt, poteſtatem datam eſſe & ſpiritualem & temporalem, in animas & corpora: prædicandi, adminiſtrandi recipiendi, excludendi, deponendi, reponendi, verberandi, mactandi: in Eccleſiæ, &, in qua eſt Eccleſia, Reipublicæ miniſtros: in Reges & Sacerdotes. Neque hæc Petro dicta, ſed Apoſtolis: & vt alibi, non ideo & hic Gladius poteſtatem ſignificat: & vt ſignificet, nõ illa ſtatim, arripienda eſt, quæ ius dat vitæ & necis. Nam & alias duplex in Eccleſia gladius quo ſanctis admonitionibus de animo vitia: & ille, quo de Eccleſiæ corpore vitioſi impœnitentes, tanquam putria membra reſecantur.

Tertio, & Petri incomparabilem in Dominum affectum venerabundus intelligo: & commiſſam ei tum membrorum curam gaudeo, cuius de amore in ipſum caput, prolixe conſtabat, ita vt

ita vt contristetur, quod de eius synceritate toties interrogans Dominus dubitare videatur. Sed, Pasce oues meas, ipse tu Lector, vide: facio enim rem iudicii tui. vide, inquam, an significet

Romanos rerum dominos, gentemque togatam,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent.

Quasi diceret: *Tu, Romane Pontifex, Orbi dominare: caput aurea triplici corona insigne, feras: super aspidem & basiliscum ambula:* id est, *Imperatores, Reges, Principes imperio preme, à pedibus stratores habeas, etiam pedibus conculca, prolubitu pone, depone, repone: atque miserorum mortalium, quas Filii sanguis, coela, redemptas donauit, animas mitte cateruatim ad Tartara: neq; sit, qui dicere audeat, Quare id facis? si quis ausus sit, obtorto collo trahatur, tormentis laceretur, carnifici vstulandus tradatur.* Hæc, nō video quomodo aut grāmatice verbis illis significentur: aut logice vel analogice, vel anagogice, vel allegorice eliciantur.

Vt autem Petro concessum sit in omnes omne imperium: non ideo & Petri successoribus idem concessum est. Fidei Petri data sunt, quæ Petro data: non sedi, aut loco. Nam nec sedi aut loco alligatam fidem Deus voluit. Olim, cum se vni populo dedisset, in Sion visibilem sedem posuit. Postquam vero videndum se miseris mortalibus in filio dedit: postquam se populis omnibus cognoscendum per Apostolos præbuit, Exiuit in omnem terram sonus eorum sublatis vmbris, rem ipsam dedit; spiritum suum nobis reliquit, loco sui, Paracletum: imo & corpus suum reliquit: eaque præscripsit quæ fieri in sui commemorationem in Fidelium conuentu vellet. Itaque non ad Apostolorum limina sitientes mortales euocauit: sed in mundum vniuersum emisit Apostolos, prædicare Euangelium omni Creaturæ.

Sed si ad Romanos Pontifices transierunt à Petro, quæ Petrus habuit nunquam, certe à Petro nunquam vsurpata esse, ipsi fateantur oportet, qui data esse contendunt: quare non transierunt ad Rom. Pontifices, quæ Petro, vt & aliis Apostolis nominatim data: quæq; à Petro esse exercita sæpius, tam constat, quam negata Romanis Pontificibus constat? *Dedit eis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem:* Dedit improbos cœcitate percutere: spiritum auferre, verbo: Dedit Spiritum Sanctum dare: filiosque Dei facere: vere diuina, & digna diuinis hominibus dona. Nam reges aut vita, aut regnis exuere, possunt & impii, possunt sicarii, possunt venefici: potuit dictus Senecæ, *Orbis terrarum latro* Alexander: potuere ipsorum Pontificum maiores, & in Rom. sede antecessores, Caligula, Nero, Domitianus: potuit efferus Attila: potuit Tamerlanes claudus, potuit nuper, vt sortis infimæ, ita summa improbitatis Rauaillacus: potuit è claustro carnifex Iacobus Clemens: potest & vitam cuilibet adimere quisquis vitam contempserit.

[Matt. 10. 1. Act. 13. 11. & 5. 1. & 8. 15. &c.]

Dei in homines beneficia, vt magna atq; ingentia, ita varia atq; multiplicia sunt. Rara quędam paucis concessa, pene singularia, videas. Et ex his, alia in eos collata, quos de omnibus legit, piis, impiis, magnis atq; arduis rebus conficiendis: vt Nebuchodonosorum, vt Cyrum, vt Cæsarem, constituendis imperiis: vt Moysem, vt Dauidem, vt Salomonem, constituendæ politiæ & Ecclesiæ populi sui: vt Hippocratem, vt Aristotelē, vt Archimedē, Ptolemæum, Tychonem Brahe, alios, scientiis & constituendis & restituēdis. Iuuat hic referre, quod pro vero à viris veri studiosis accepimus. Post editum à Iosepho Scaligero librum *de Circuli*, quam vocant, *quadratura*, magni vir & nominis & dignitatis & doctrinæ, misit è suis vnum ad Fr. Vietam, Mathematicum insignem, qui eius de opere Scaligeriano iudicium exquireret: adderet, indignum atq; pudendum fore, si id homini hæretico datum esset, quod esset tot maximis Catholicis viris denegatum. Respondit subridens Vieta, ipse Catholicus: *Dic isti*, inquit, *in tuto esse rem Ecclesiæ, si tam certus ipse est, Purgatorii causam contra Hugenotas obtinere, quam hanc ego contra Scaligerum.*

[a Ephes. 4. 8.]

Alia, solis Piis data sunt: a *Ascendens captiuam duxit captiuitatem: Dona dedit hominibus, &c.* inquit, post Prophetam, Apostolus.

[b Matt. 5. 45. c Psal. 147. 8. 9.]

Sed, & alia sunt quāplurima, quæ nec lingua exprimere, nec capere mens vlla potest, in omne humanum genus, larga & indifferēti manu sparsa promiscue: vt nemo sit ad quem nō plurimum ea illo copiosissimo & benignissimo fonte fluxerit: vt non solum cum piis et impii in eorum partem veniant: sed vt quorundam longe etiam maximam partem, auferre sibi atq; habere videantur Impii. b *Solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.* c *Operit cœlum nubibus & parat terræ pluuiam: producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum: Imo, dat & iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Diuitiis, opibus, honoribus, quasi per lud bruū datremor, augeri atque obrui videmus impios: *Quidquid de Libycis verritur areis,* proprio horreo condere: seruorum greges, exercitus, post se ducere: regna atq; imperia possidere: forma & corporis elegantia, omniq; magnificentia superbos incedere: ingenii luminibus illustres, omnium oculos præstinguere: mentes eloquii suauitate delinire, subtilitate capere, vi & copia rapere, iudicia subuertere, omnibus admirationi esse. Inde, d *exeuntibus præ pinguedine oculis, posuerunt in cœlos os suum: & lingua eorum ambulauit in terra.*

[d Psal. 73. 7. & 9.]

Piorum alia ratio est: quos spe succinctos, fide armatos, charitate accensos, agente Spiritu sancto, per ardua in cœlum ducit: & in omnem patientiam duratos, victores mundi, ad regnum, Filio cohæredes perducit. Non eos hic solio sublimes, nō humeris satellitum excelsus non gemmis fulgentes, non triplici corona insignes suspicias. Forma eorum & decor & gloria omnis e ab intus est: f nigri, sed pulchri, quomodo virtus ipsa pulchra est.

[e Ps. 45. 14. f Cant. 1. 5.]

Et piorū quidem animos, ad impiorum illam felicem improbitatem, nō leuiter cōmoueri cōstat. Atrocem querelam beati viri Iob legimus eius *hist. cap. 21.* Quosdam prauus aclus occu-

pat & incendit:[a] *Vis dicimus*, inquiũt, *vt descendat ignis de cœlo, & consumat illos?* Alius,[b] *extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Quid autem audiunt illi, *Nescitis cuius Spiritus sitis.* Hic, *Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Hæc Apostolis à Domino, hæc Petro dicta sunt. Magni animi Regem, magni Spiritus Prophetam, Dauid, hoc ipsum turbat.[c] *Ergo sine causa iustificaui cor meum? & laui inter innocentes manus meas?* Nec se difficultate quęstionis implicitum, ipse explicat: disputat apud se vt cognoscat:

Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc.

frustra donec intret in *Sanctuarium Dei.* Illos vult Dominus, quod prouerbio dicunt Itali, Papatu gaudere: vult mensuram implere, impietatem, fastum, improbitatem, vult cum patientia & sine liuore spectari: nouissima, in spe & silentio exspectari. Itaque nec de fide Neronem Petrus aut Paulus deiecit: neque Herodis crudelitatem & Pharisæorum mandata impia aliis armis Apostoli quam patientia & constantia fregerunt: aliorum vero aut amentiam aut perfidiam, non humanis, sed diuinis rationibus, & è cœlo illa: non hac è Capitolio potestate sunt vlti. Simonis Magi cor prauum seria admonitione, & graui denuntiatione Petrus excepit. Ananiæ & Saphiræ mendacia, verbo, sed mortifero, Petrus castigauit. Magum Elymam, alius quærentem à fide auertere, ad Pauli comminationem cœcitas occupauit. Idem Corinthiis, D. Paulus:[d] *In virga*, inquit, *veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?* Virga illa, fuit, scilicet, pecunia comparatus, aut à Nerone impetratus exercitus. Virtute, inquam, cœlesti, improborum audaciam represserunt: patientia superiorum violentiam pertulerunt, constantia fatigarunt atque repulerunt. Vires defuisse, dicet Bellarminus:[e] *potuisse autem Ecclesiam, si vires adfuissent, imo debuisse, Regib. illis imperium super fideles abrogare, nisi causa aliqua esset, cur hæc abrogatio in tempus commodius differenda videretur.* Frustra igitur Dominus; *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Et D. Paulus: *Omnis anima potestatib. sublimiorib. subdita sit.* Et D. Petrus: *Subiecti estote Regi, siue Ducibus, &c.* Nisi impia, ipso communi sensu damnata, omni creaturæ execranda æquiuocatione & dissimulatione Iesuitica Dominus & Apostoli eius vsi sunt, quod nemo sanus, nedum pius, dixerit, ne cogitauerit quidem vnquam. Illis vero, si non consilio & voluntate humiles & patiẽtes, periit humilitatis & patientiæ laus omnis: succeditque hypocrysis, fraus, & illa conciliatrix æquiuocatio. Vires illis, scilicet[f] deerant, qui inflammare impium terrarum orbem, qui montes loco mouere, verbo caliginem inferre, verbo mortem afflare poterant?[f] *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?*

Sed & vires humanas quibus hodie solis potens & formidabilis est Papa, defuisse si dicit, vt dicit Bellarminus, negabit D. Cypriani magister Tertullianus. Postquam vnâ noctem dixit abominans pauculis facibus largitatem vltionis potuisse operari:[a] *Si enim*, inquit, *& hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantacunque, vnius tamen loci, & suorum finium gentes, quam totius orbis? Externi sumus, & vestra omnia impleuimus: vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum: sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? &c.* Vides & dolo & virtute apertam vltionis viam fuisse Christianis, qui & animo & numero superiores fuerint. Et hic, quis nunc, post mille quadringentos annos scribentem Bellarminum, Tertulliano, ipsius temporis illius scriptori, viro experientissimo posthabeat? nisi forte tantum supra Tertullianum Bellarminus, quantum supra Moysem Ignatius:* quantum supra Moysis inscriptam, vt aiunt, numine Dei virgam, inscripta numine Ignatii bacula. Patientiæ causam, postquam vires supererant, non temporis cõmodioris exspectationem, id est Iesuiticam, viro bono alienam, & Christiana magnitudine indignam dissimulationem: sed vere Christianam & Apostolicam, Christo magistro dignam, idem Tertullianus adfert: *si malum malo dispungi, penes nos liceret, si non*, inquit, *apud istam disciplinam, magis occidi liceret, quam occidere.*

Addit Bellarminus: *Inermem fuisse multitudinem: præsertim cum Principem aliquem Christianum non haberet, qui vellet aut posset eam armare, & armatã ducere aduersus Imperatores.* Furor arma ministrat: multo magis succensa ob Dei numen violatum, iustissima indignatione prudentia. Asini mandibula Samson mille viros interfecit: quot millena millia putas, interficeret Rom. Episc. gladio illo à Christo tradito, à D. Petro relicto, à Papa consecrato? Principem Christianum defuisse, audes dicere, cum D. Petrũ Principem habuerunt Apostoli, cuius certa nec vnquam interrupta successio sit? Principem duplici gladio armatum, duplici potestate, i. omnipotentiam instructum: qualis deterior ætas vidit Papas Romanos quamplurimos: inq; iis Bonifacium VIII. Iulium II. &c. nostra & parentum pessima. Pontificum propinquos, aut nepotes, aut filios, contra Christianos & Christianissimos Reges, Imperatores, populos, armatos vidit sensitq;. Potuit à Vulcano, Achilli Thetis, Æneæ Venus: non poterit ab eodem suis arma impetrare Pontifex?

——— *qui res hominumque Deũmque*
Æternis regit imperiis, & fulmine terret?

Sed & D. Petrum, recondere gladium Dominus iussit: & armis suis potentioribus induit: Patientia & Constantia, omnes, omnino cœlestibus armis quosdam et potestate in Principes, & potestates mundi, rectores tenebrarũ harum: de quibus, supra dictum est. Explicat distincte D. Paul.[g]

Loricam

a Luc. 9. 54.
b Matt. 26. 51.
c Psal. 73. 13. 16. 17.
d 1. Cor. 4. 21.
e Cap. 20. p. 191.
f Matt. 26. 53.
a Apolog. 37.
* Prodierunt anno 1611. Picturis, super Beatificatione Ignatii Patriarchæ Iesuitarum, tres conciones, quarũ prima hæc tam impia quam stolida comparatio asseritur.

a Eph. 6. 11. 12. 13.
b 2. Cor. 10. 4.
c 2. Thess. 2. 4.

a *Loricam iustitiæ, scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritus.* b *Arma, non carnalia: sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem, se aduersus scientiam Dei, &c.* Vide, Lector, & hæc arma ipsa data fidelibus intelliges in ipsum istum Pontificem, c *qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus.*

d 2. Cor. 10. 3.
e Iud. 1. 8.
f Sallust.

Sed Apostoli, quæ acceperunt, quæq; fecerunt omnia, diuina fuere: quorum in hisce D. Petri successoribus, nec vola, nec vestigium. Vt arma, quibus ictus & exceperunt illi & intulerunt: ita dona quæ in Dei electus contulerunt, omnia diuina fuere. Pontif. & Pontificiorum, vt arma ita & dona, humana omnia & terrea sunt, cum orbis terrarum & publicis & priuatis prædonibus communia, d *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus:* inquit Apostolus. Hi verò, in carne ambulantes, & secundum carnem militant: carnalibus armis vtentes abutentes cœlestium ignarissimi: e *Carnem quidem maculant, dominationem autẽ spernunt, maiestatem autem blasphemant.* Illic paupertati adiunctæ virtutes. Hic, opulentiæ iuncta vitia Tyrannorum omnia. Nihil tam fœdum de Romanis olim Imperatoribus, apud Suetoniũ, & qui eum secuti sunt, leges, quod non a Pontificibus Romanis, vt veris successoribus, vsurpatum, apud ipsos Pontificios scriptores reperias. Illi, cum aurum & argentum non haberent, cæcis visum, claudis gressum, paralyticis vires, mortuis vitam, pœnitentibus Spiritum Sanctum dabant. Hi cum ista non possint impii, spoliis onusti regum gentiumq; aurum & argentum spargunt in suos: *triumonatos, educatos stercore*, attollunt, Comites, Marchiones, Duces faciunt: imperia quæ ipsi non habent deridicula vanitate donant illis, qui ea tenent. Apte Cæsar, cum armis quibus reges fiunt, plus posse: *M. Furium*, inquit, *quem mihi commendas, regem Galliæ faciam*, & dominus terrarum, f *Populus Rom. antea obtinebat regna atq; imperia, Fortunam ipsam, dono dare.* Ineptissime Pontifex, qui dat quæ non habet, donat quæ tradere nõ potest: stultissime, qui accipiunt, tanquam excellens & ratum munus, aut quæ iam tenent ipsi, aut quæ acri sudore & multo sanguine quærenda sunt. Liberalis ista ratione -quilibet esse potest. Regnum Nauarrenum, quod armis Ferdinandus suum fecit, frustra alicui Beuilacquæ donasset Iulius PP. II. vt regnum Francorum frustra, olim etiam Alberto Austriaco, Bonifacius: vt Angliæ regnum nuper frustra etiam Philippo itidem Austriaco, Regi Hispaniarum Pius V. Carolum opibus suis Magnum, frustra Imperatorem nominasset Leo PP. nisi Dei gratia, sua maiorumq; suorum virtute partum imperium ipse Carolus habuisset. Frustra Venetis, donato annulo, Mare despondisset Alexander PP. III. nisi maris sibi imperium Veneti virtute quæsitum habuissent. homines impudentissimi inania nomina, tanquam fumum, suis vendunt absq; quibus nec de vita securis viuere liceat. Nam postquam omnis ipsis potestas data est, postquam regna atque imperia iuris ipsorum sunt: quare vt à Longobardis, vt à Fridericis tuti sint ad aliorum auxilia, D. Petri successores, humiles trepidique confugiunt? Nisi quod humanum est cum egeas, ad opulentiores, cum opprimaris, ad robustiores confugere: sed inhumanum, quibus, & dignitatem, & opes, & vitam debeas, eos dignitate, & opibus, & vita spoliare.

a Ro. 4. 17.

De imperio magna quæstio est: Cæsari à Deo solo, per Electorum ministerium, ius, & ex eo nomen Imperatorium: alii, à Pontifice, nomen esse contendunt. Res componi facilis. Reddat Pontifici fumum, id est nomen, Imperator: Reddat Imperatori Pontifex, quam ab eo Romam habet, & quæ vere Cæsaris, ipsi *B. Petri patrimoniũ* vocãt: Reddat regib9, quæ à regib. habet priuilegia: Reddat aliis, quas ab aliis opes habet. Trãsacta res erit: & breui - *moueat Cornicula risũ*. quæ hodie tot turbas commouet. Nam quæ est illa tandem insignis & excellens potestas, vocare Imperatorem, qui imperium habeat? Egregiã vero laudem! Romana plebecula, Crasso *Diuitis* nomẽ dedit, qui re diues erat: rem ipse sibi, nomẽ populus dedit: vt si, qui forma egregia sit, formosum dicas. Hoc & illi olim poterant rustici, qui scapham, scapham, contraria Iesuitarum æquiuocationi simplicitate. At Deus, a *& viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt:* & vocata respondent, adsuntq;. Hoc vero & Pontificii Doctores possunt: qui *patrimonium B. Petri* vocant, quod B. Petri nec est, nec fuit vnquam. Certe, si in ipsorum manu essent Imperia, quis dubitat, quin ea essent propinquis donaturi, quos ditãt, ornãtq; quantum & quibus possunt modis? quibus quotidie in regno Neapolitano agros coemunt, & titulos ab rege Hispaniarum emendicãt? Haberent hodie Christianum orbem Montalti, Sfondratæ, Burghesi.

a Ezec. 26. 7.

Operæpretium est adscribere, quæ ad Basilium Imperatorem Constantinopolitanum, scripsit olim Ludouicus Imperator super titulo *Basilei*, quod huic ille negabat: vt sunt à Baronio edita X. Annal. anno 871. *Apud nos*, inquit, *multa lecta sunt, multa quotidie indefesse leguntur: nunquam tamen inuenimus terminos positos, aut formas, aut præcepta prolata, neminem appellandum Basilea, nisi eum quem in vrbe Constantinopolitana Imperii tenere gubernacula contigisset: cum gentium singularum monumentis interim postpositis, sana nobis affluenter Historia monstrent; plurimos fuisse Basileas nuncupatos: & non solum electos quosque, quales fuere Melchisedec, & Dauid: verum reprobos, quales primorum Assyriorum, Ægyptiorum, Moabitarum, & cæterarum nationum. Ergò, cum ita sit, frustra causandum ducit prudentia tua, alios præter se Basileas appellandos: nisi forte radendos ducat totius codices Mundi, in quibus pene cunctarum gentium Principes à priscis temporibus, & deinceps, Basilei inueniuntur scripti, &c.* Impius & crudelis idolorum cultor Nabuchodonosor, a *Rex Regum* à Propheta dicitur: & Romanos Imperatores illi veteres, quamuis fœdis addicti superstitionibus, nihilominus Imperatores erant. *Ergo, alterius est regna dare: quia regnabatur multo ante*, quã iste nouus in Vaticano Deus regnaret. Nempe, inde est imperator, vnde & homo: inde potestas illi, vnde & spiritus. Vere, inquã, illi Impera-

Imperatores, quamuis non Christiani: quomodo & Crassus, non Christianus, diues: & Constantinus antequã Christianus, Imperator: quomodo & pistor, & calcearius, & textor, ex Turco, Christianus; aut ex Hæretico, Catholicus: & pistor, & calcearius, & textor erat, antequam Christianus, aut Catholicus. Neq; enim quę humanitus habemus, iis nos exuit Christi professio: sed iis, quæ humanitus habemus, gratiam à Deo per filium addit, [b] qua filii Dei sumus & dicimur. Altius agit, maiora in nobis operatur Spiritus: veteri nos homine exspoliat; nouo induit. [b] Col. 3. v. 9. 10.

Igitur Apostoli, & post eos Apostolici, ad Christi Domini exemplum, *simplicitate* insignes & *potestate*, quas Deo vere proprietates [c] Tertullianus tribuit, patientia & constantia Superiorum vim vicerunt: miraculis & diuinis virtutibus, piorum animos ad veritatis studium excitarunt, sermonibus & doctrina ad cognitionem adduxerũt; atq; impiis omnem excusationem abstulerunt. Vt vero, firmata doctrina, miraculorum illam vim, vt minime necessariam, ad se Deus recepit, sola, de Apostolicis virtutibus, post doctrinæ liberam professionem, Piis cõstantia illa & patiẽtia relicta est, qua mundum & mundi potestates superarent. Postquam autem illa, velut è sepulchro exsurgere cœpit, quæ dicitur Ecclesia eius, eiusq; pii Doctores atq; ministri, apud Principes, Deo corda regente, gratiam inuenerunt, successerunt Apostolicis, sua quærentes impii, simplicitati, pompa, potestati, impotentia, patientiæ, superbia, constantiæ, æquiuocatio. Hi, à Principibus pie donata & concessa, ad turpia vertere, tandemq; in ipsorum Principũ & benefactorum perniciem conuertere: & de spoliatis Principibus. Principum cum maiestate impotentiam induere. [d] *Feceruntq; sibi currus, & equites, & viros qui currerent ante eos, &c.* & capiti aptarunt [c] De Baptismo. [d] 3. Reg. 1. 5.

——— triplicem gemmis auroque coronam.

Et reges atq; Imperatores omnes inani pompa, & luxurioso apparatu, lõgo post se interuallo reliquerunt. Ineptissimi homines, spiritualia, quæ profitentur, mole terrenorum obruerunt: imo quæ profitentur spiritualia deserentes, totos se terrenis manciparunt: quomodo, qui literas professus, libros sermonesque abiicit,

——— clypeumque, auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.

Sed neque hæc inepta est admodum aut mutatio, aut mistura: Illud autem, miscere est cœlum terræ & relictis superis, in has se sordes abiicere, atque ad inferos præcipitare. De spiritualibus, nudũ nomen, laruam atq; formidinem retinuerunt. Ex eo, saginati opibus, inflati arrogantia, elati superbia, postquam Principum sibi omnia vindicarunt,

Sub pedibusque vident nubes & sydera. ———

Deum ipsum petere ausi sunt stultitia, & se pro Deo venditare hominibus. Surrexerũt & de schola Doctores, qui in omnem assentationem proiecti, ne quid ad summam audaciam deesset, quæ illi per summum scelus vsurparãt, iure ipsi factum dicere: & scriptis libris tribuere ipsi diuinos honores Pontificibus, & Dei omnipotentiam adscribere, & Dei ipsum nomen dare turpissimis mortalibus incœperunt: eaque plebi concionib. persuadere, confessionibus ingerere: superstitione miseros irretire, præmiis alios & beneficiis ingentibus capere: minis alios, & tormentis, & morte terrere. Ita omnibus, aut ignorantia veritatis, aut opum & honorum auaritia excæcatis, aut metu oppressis, regna hæc pro lubitu, aut iam habentibus dare, donare, aut in alios potentiores, qui ea per vim inuaderent, transferre; & animas, alias superis, inferis alias, scilicet! addicere. Hinc septem è montibus, velut carcere emissis ventis, orbi terrarum

——— nox incubat atra:
Intonuêre poli, & crebris micat ignibus æther.

In Principes subditi, in subditos commoti Principes: ardere bellis Christianus orbis, cædibus fœdari, sanguine repleri, verti misceriq; omnia: seruilibus officiis pedibus etiam subiecti Imperatores regesq; veneno & gladiis tentati sublatiq;. Vetera non moueo. Vnde enim, qui memoria nostra, pueros Reges in Proceres fidelissimos, & vere inermem plebem concitarunt? qui tormentis immanibus corpora excruciarũt, patibulis, gladiis, ignib. vitã abstulerunt? De Romanis, nisi fallor: vnde qui memoria nostra, iam armatã plebẽ & proceres, in legitimos iustosq; Reges accẽderunt? qui alienigenas, Regniq; hostes, non tantũ in conciuium cædem, sed ad regnum vsurpandum aduocarunt? De Romanis, nisi fallor. Vnde Clementes, vnde Barrerii, vnde Castelli, vnde Rauaillaci, qui Reges sacrosanctos, & Reges suos, & Reges Catholicos, cultris petierunt, atq; peremerunt? De Romanis, nisi fallor. Atque adeo omnes illi, *sub ipsa impietatis eruptione*, vt animos atque robur acciperent, sacra Romana faciebant. Manant vno ex fonte omnia, qui Romanis è montibus ipse manat. Neq; enim illorum quisquam, aut Lutheranus, aut Caluinianus audit: imo & Henricus III. & Henricus IV. ideo ab illis sublati, quod Lutheranorum & Caluinianorum fautores haberentur: Igitur illi puri puti Romani.

Occurrunt, & toties reiecta regerunt, regnum haberi ab Hæretico, aut Hæreticorum fautore, ferendum non esse: esse regna omnia arbitrio supposita Romani Pontificis.

Si Hæretico regem esse non licet, iam nec locupletem, nec formosum, nec elegantem, sed nec eloquentem esse licebit: nec scire

Defectus Solis varios, Lunæque labores:
Vnde tremor terris: qua vi maria alta tumescant.

& cætera, quorum cum integritate vitæ coniunctam scientiam, supra Crœsi diuitias, & Alexandri

rapinas ducimus: quam ipsam scientiam de Ethnicorum, id est, de non Christianorum libris maximam partem discimus. Itaque, vt regna regibus, ita diuitibus aurum & argentum, locupletibus prædia locosq;, robustis latera, pulchris formam, elegantibus decorem, disertis linguam, eruditis eodem iure doctrinā auferant. Sed vt neq; hæc, ita nec illud iure possunt, Faciunt tamen omnino quod possunt, vt iis auferant quæ dixi omnia. Certe, cum vitam auferunt, omnia auferunt. Auferunt autem eodem & modo & iure, quo pueris innocētibus vix inchoatam vitam Herodes: quo, corruptis per auaritiam Iuda, per metum & ambitionem Pilato & Herode, vitam Christo Pharisæi: quo & Petro & Paulo vitam Nero: quo deniq; Latrones & Tyranni, aliena. Superstitione cōscientias, auaritia atque ambitione animos, quo volunt deuinctos agunt: accensos, in obiecta quælibet, vt bruta, impellūt. Si in firmum certumq; pectus inciderint, hebet, vt plumbeus ensis, illa è cœlo, illa à B. Petro potestas: ille etiam à B. Paulo gladius: vt in Philippum Pulchrum, Francorum regem, olim: nuper, in Angliæ Reginam Elisabetham, in Henricum Nauarræ, postea etiam Francorum regem, & hic quidem, à venenis eorum & gladiis tutus fuit tamdiu, quamdiu à Romanis sacris alienus. Vbi illa tum potestas, quæ gentes & regna diribet? Sed nec ipsi Satanæ, quam sibi eius arrogant ministri, omnipotentiam concessit Deus: adstrictum tenet, premit laxatque ex vsu suo, id est, Electorum bono.

Cum doctrinam & rerum cognitionem non possunt, nomen & famam iis conantur auferre, quos Hæreticos dicunt: quæ diligenter & docte conscripserunt, iis sua, auctorum nominibus suppressis, Iesuitarum natio, instruit, excolit, replet, aliena pro suis venditans. *Delere nomina Hæreticorum*, inquit eorum quidam, *qui in Senecam collaborarunt, ne qua opinio de ipsorum eruditione fucum Catholicis faciat, non minimum esset operæpretium*. Alius, ad Marianam scribens, illum veneficorum & sicariorum celebrem magistrum, ferre non potest, historica fide *laudari pestilentis cathedræ atq; erroris ministros: damnari Pontificios, atq; Hispano potissimum vituperari*. Quod idem omnino est ac si quis laudati Buchanani eloquentiam ferre non posset, vellet in cœlum ferri Rolandi Mitterii Onatini elegantiam, qua Fuentanires gestas dignissimo rebus stylo descripsit. Vos vero, quibus & scire omnia & posse datum est, quin doctrinæ vestrę fulgore, illorū igniculos exstinguitis? quin vt summæ potentiæ ingenium eis & iudicium, & qua hominis sunt rationem corrumpitis, vt iure meritoq; deridendos vestris proponatis, inter quos illorū ornati plumis, superbi incedatis? Quare, ab Hæretico forte pistore, panem: Baccharaco, vinum: Geneua trutas petitis? Quin potius artifices hebetudine, aquas terrasq; sterilitate damnatis? Quin & ducibus vestris rei militaris perfectam scientiam, animiq; magnitudinem inuictam, exercitibus inexpugnabile robur infunditis? ad Castellum Heraldi turpiter cæsum deletumq; anno 1569. Pii V. Pontificis, sacrum, omnibus spiritualibus Romanis armis communitum exercitum, meminimus. Gloriosissimam, & titulo suo inuincibilem classem, itidem sacram, reipsa ingentem atq; validam, anno 1588. vanis ludibrium ventis, miraculo disiectam & penè absorptam meminimus. Vbi tum ille, qui [a] *increpauit ventum, & tempestatem aquæ: & cessauit, & facta est tranquillitas?* Sed vbi iste, illius successor? Nam ille quidem adfuit: & excitauit ventum, & facta est tempestas, & [b] *contriuit naues in Spiritu vehementi*. Meminimus & flagitiosam expeditionem Muntemarciani Sfondratæ Greg. XIV. ex fratre nepotis, cum sacro item exercitu, in proscriptum & repetita excommunicatione damnatum Henricum IV. Frācorum Regem: nec cedentem de dignitate certanti & Pontificis nepoti, & copiarum Ecclesiæ duci, Parmensem, meminimus attoniti: neq; enim quicquam sacrarum ceremoniarum prætermissum, & carmina mysteriaq; omnia adhibita illis & militibus, & ducibus seu consecrādis, seu confirmandis, scimus. Meminimus & Nauarrenas & Nassouianas ingentes victorias. Hæc vero agitare animos discipulorum vestrorum valentius possunt, quam ad Senecam annotatiuncula. Sed & hæc, qui potestate immensa illa atq; absoluta, prohibere non potuerunt, tollere de memoria hominum, modis omnibus conantur: vti & à Romanis Pontificibus fœde & libidinose commissa, de ipsis Pontificiorum libris: & veritatis atq; libertatis religiosę vestigia è veterum Doctorum scriptis tollere: nequa, sc. de virtute illorum, de horum flagitiis, de ipsorum Doctorum sententia, vera opinio, fucum Catholicis faciat. Igne conscientiam generis humani abolere posse arbitrantur: Itaq; & in illos libros sæuiunt, & ex iis in suos transferunt quę sibi suisque accommoda iudicant. Hac ratione, nisi furentibus manum Deus iniicit, ibunt in ignes, peribuntq; magnorum auctorum & nomina & monumenta: & legetur sub Iesuitarum nominibus, quicquid recentes veteresq; inuentum, illustratum, explicatumq; reliquerunt: dicentq; hi, non quod dixerunt olim, sed quicquid secta perfidiosissima dictū voluerit: vt offusa caligine,

Defensi tenebris, & dono noctis opacæ,

arcem teneant, atque imperent orbi terrarum. Sed [a] *intercipere scripta, & publicatam velle submergere lectionem, non est religionem defendere, sed veritatis testificationem timere*. Istos vero, quos Hæreticos dicunt, nō videmus aut aliorum scriptorum doctrina & acumine, aut gestorum magnitudine valde commonere: quæ exposita publice habentur apud illos, leguntur q;. Deum sciunt pluere super iustos & iniustos: nec externis istis suos maximam partem vanis & inanibus, ingentium aliquando malorum causis sed solidis propriisque bonis beare.

Potest igitur, illa à Deo à Domino, à B Petro summa Pontificis potestas, quod in inualidum, validus quiuis: quod in vnum & destitutum, plures. quod in viatorem, instructus latro, q in sim-

plicem

[a] Luc. 8.24.
[b] Psal. 48.7.
[a] Arnob. lib. 3.

plicem puellam, corruptor leno; quod in nouitium, veterator; quod in miseros subditos, tyran-
nus: quæ sunt omnia à Deo optimo, maximo, à Christo Domino, [b] *cuius regnum non est de hoc mun-* b Ioh. 18. 36.
do; à B. Petro, Paulo, Apostolis, & Apostolicis alienissima. Non est igitur à Deo ista, neq; à Christo
eius, neq; à Petro potestas. A Diabolo est, qui est c *Princeps huius mundi, Deus huius seculi, ab initio me-* c 2. Cor. 4. 4
dax & homicida: à quo ipse Dominus audit [d] *Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me.* A Nerone est:
quem ipsum audi: [e] *Ego ex omnibus mortalibus placui, electusq; sum, qui in terris Deorum vice fungerer, &c.* d Matt. 4. 9.
quas nationes funditus exscindi, quas transportari: quibus libertatem dari, quibus eripi: quos Reges mācipia fieri: e Sen. 1. de Clem.
quorum capiti Regium circumdari decus oporteat: quæ ruant vrbes, quæ oriātur, mea iurisdictio est. Huic adde,
qui furandi homines imbuit arte, tricephalū cum virga Mercurium: quâ——*animas ille euocat Orco,*
Pallentesq; alias sub tristia Tartara mittit.

Animarum illum dispensatorem, emissarium, & *ianitorem*, vt loquitur D. nisi fallor, Ambrosius:
absolutos numeros omnibus Bonifacium habebis VIII. & Iulium II. aliosque Romanos Pon-
tifices, quibus potestas omnis data est in cœlo & in terra. Sed hæc de re certa & aperta nimis, nimis
sane multa.

PRINCIPVM *iam ius videamus.*

Christus Dominus, deberi alia Deo, alia Cæsari, primo loco docet: vtriq; vult suum reddi:
medium aut tertium nullum facit, neque Pontifici locum reliquit vllum. Et Deus quidem ipse,
summus est rerum auctor, & dominus: Cęsar, siue quod aliud nomē est magistratui supremo, sum- f Tertul. Apolog. & ad Scapul.
mus à Deo, sed sub Deo, rector constitutus: [f] *à quo est secundus, post quem primus: ante omnes, & super o-*
mnes Deos, homines. Omnibus maior, dum solo vero Deo minor est: sic & ipsis Diis maior est. Illius est ipse cuius
est cœlum, & omnis creatura, &c. Huic saluo veri Dei iure, subiectos nos esse nostraque, Deus Chri-
stus, & præcepto & exemplo docuit. Cæsarem directe nominatum; Papæ aut Pontificis, nullā,
nec obliquam mentionem audio.

Sed Paulo quid clarius? *Omnem animam* vult subiectam esse *Potestatibus sublimioribus*. Papa, e-
iusque familia, *Animæ* nomine veniant, logici viderint: nam Canonicos Doctores quosdam accepi-
mus. Papam dicere nescio quid esse Deo minus, homine maius. Papa *nec Deus est, nec homo, sed neu-*
ter, & inter vtrumque. Et Petrum ipsum nescio qui eodem ductu Canonico irregulari spiritu, a *in ani-* a Collectanea contra Seuerianos, interprete Turriano Soc. Iesu.
ma sua non esse, eiusdem substantiæ cum animis aliorum hominum: nec esse homousion in corpore suo cum cor-
poribus reliquorum hominum: scriptum reliquerunt: vt inde sequeretur, Petri successorem aliquid esse
homine diuinius, Deo humanius: quod est cum D. Paulo dicere, b Tanquam Deus: reuera homo
peccati: præsumptione stulta, & arroganti atq; impia, Deus. Quicquid tandem monstri Papa sit, b 2. Thess. 2. 4.
Cæsarem recte, & ordine Tertullianus, ex Christi & Apostolorum doctrina, ponit super omnes
Deos, homines: ipsis Diis, id est & Papa, maiorem. Diui autē Pauli verbis, nihil expressius: *Omnem*
animam dicit: eam que vult esse subditam: (D. Petrus, *subiecti estote*: scribit autem, opinor, & laicis &
clericis) & *necessitate* subdnā esse: ne quis quid causetur: *non solū propter iram, sed etiam propter conscien-*
tiam: non propter impotentiam, aut tempus incommodius, vt noster Bellarminus. Certum hic ca-
sum conscientiæ, nota, Lector; nec te moueat aliena doctrina, aut terreant ingentia aliorum vo-
lumina, inflata hominum mandatis & somnus: Conscientiam qui vnus introspicit, vnus alligat
Deus; & quæ ex Deo sunt mandata. Neque, quod auctore Deo D. Paulus sancit, violare: quod li-
gat, soluere; cuiquam mortalium, nec illi quidem mortali Capitolino Deo, licitum arbitramur.
Vult omnem animam subditam esse *potestatibus sublimioribus*: sublimiores potestates quæ sint, i-
pse explicat; ne ponat se in iis, *qui aduersatur & extollitur supra id omne quod dicitur* Deus. Explicat cum
ait: *Ideo enim & tributa præstatis.* Neque enim tum, opinor, quod hodie faciunt Christiani etiam Re-
ges, Romanæ meretriculæ, tributum pendebant D. Petro, Romano sc. Pontifici. Exspectabat D.
Petrus cōmodius tempus, eō suis adultis ad tātum opus Ecclesiæ viribus. Idem ipse D. Paulus ali-
bi: c *Reges, & omnes qui in sublimitate constituti sunt.* Et D. Petrus: *siue regi, quasi præcellenti*: vt Rex, sit pote- c 1. Tim. 2. 4.
stas præcellens, idem quod sublimior: Addit, vt omnem scrupulum eximat: *siue Ducibus, tanquam ab*
eo missis. De se, aut de successoribus, tanquam à Deo ad id missis, ne gry. Neque enim tempus illud
commodum aduenerat, quo tantum orbi mysterium, seruitutis & iniquitatis mysterium, erat re-
uelandum. Sed & D. Paulus ratione agit: *Non est enim potestas nisi à Deo*: &, *Dei enim minister est*: &, *Mi-*
nistri enim Dei sunt. Itaque, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Recte: Nam ipse ille Homo pec-
cati, filius perditionis, non tantum a *extollitur supra omne quod dicitur Deus*, id est, Magistratui, & po- a 2. Thes. 2. 4.
testati à Deo ordinatæ: sed etiam *aduersatur* Deo, qui vere Deus est. Nemo latine intelligit, qui
hæc non intelligat: nemo tam à sensu communi alienus, qui non capiat: sed & nemo tam rationis
expers, qui non inferat, *Omnis anima*: ergo & Petrus; ergo & Paulus, etiam Quintus. Neque enim,
vt suis se legibus solutos huius sæculi Principes prædicant: ita diuinis, diuinos homines solutos se
putare existimandum est.

Idem accuratissimus Ecclesiæ Doctor, D. Paulus, [b] petit *fieri obsecrationes, orationes, postulatio-* b 1. Tim. 2. 1. 2.
nes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus; pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt. In
omnibus autem tum hominibus, quot infideles? quot etiam tum incipientes Hæretici? & inter
tum Reges, & in sublimitate constitutos, quis non infidelis, & hostis, & persecutor nascētis Eccle-
siæ? Rationem addit: *vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Huius enim

BBBB 2 vitæ

vitæ trãquillitas à Magistratus auctoritate & potestate, vt conscientiæ, ab Eccles. administratione dependet. Ecclesiastica autem & Christiana officia omnia, pace quam bello facilius succedunt. Ita quod de Philosophis suis Seneca, de Christianis veris, non Romanis vere dicamus. *Errare qui existimant Christo fideliter*, id est vni Christo *deditos contumaces esse ac refractarios, & contemptores Magistratuum ac Regum, eorumque per quos publica administrantur. E contrario, nulli aduersus illos gratiores sunt: nec immerito. Nullis enim plus præstant, quam quibus frui tranquillo*, sed Christiano, *otio licet. Itaq; hi, quibus ad propositum bene viuendi confert securitas publica, necesse est auctorem huius boni, vt parentem, colant.* Reddunt autem grati obsequium, sine vllius, nisi solius Dei, respectu: nec Roma exspectant dum regi absolutio veniat; nec obsequium violant, cum Roma interdictum aduenit: quod nuper in Gallia, nuperrime Venetiis factitatum ab Iesuitis, Capucinis, & eorum sectæ inquietis & perfidis hominibus. Reddunt grati obsecrationes illas, & orationes *pro salute* Regum, Imperatorum, Principum, quamuis ab eorum professione religionis alienissimorum, quãuis hostium, ad Deum accedunt recta: *Illum inuocant æternum, Illum verum, illum viuum, illum imparientem consortis vicium.* Romanorum alia ratio est: qui in vnum intenti Pontificem, ad eius nutum, cæcam obedientiam professi, viuunt, mouentur, agunturq;: quibus, improbatus Pontifici Rex, tyrannus est: quibus, iure iustissimo tuendis finibus, seruandis amicis susceptum bellum, iniustum, impium est, si Pontifici aduersum est. Inde concionibus mactandus: confessionibus confodiendus, Rex iustus obiicitur: secundum illud Baronii, occide & manduca. Sed quæ ista est, per Deum immortalem, improbitas? quæ perfidia? quæ impietas? & quæ tandem tam subita, tam magna animorum in gente fidelissima, conuersio? Vnde in Galliam isti regum & Principum & societatis humanæ hostes immanes? nisi de Galliæ & nominis Francorum hoste, Hispania? vnde ista in Gallorum animis consilia? nisi de Galliæ & nominis Francorum hoste, Romano Pontifice? Namq; qui Philippo Pulchro, qui Ludouico XII. Patri patriæ, aderant ordinis sacri homines, & regni Senatores atque consiliarii: erant certe fideles regno Regique.

2. Cor. 2. 17. Scio, quam sinuosis, à veteri serpente, interpretationibus, *adulterantes verbum Dei*, & cótorquentes Scripturas; quibus ambagibus perducere incautos in sensum suum, id est, in seruitutem trahere nitantur: Nobis vero *res inæstimabilis*, coniecturis & suppositionibus, & alienis atq; coactis conclusionibus non venit; nec dubitationi aut disputationi locum relinquunt dilucida, & perspicua, & aperta Christi Domini & Apostolorum verba: Reddite Cæsari. Omnis anima, &c. In dubiis, pro libertate ICti. pronunciant: & libertatis fauore, multa contra communis iuris regulas constituta iidem docent. Hic, nullo dubio, volentes in seruitutem ibimus? & turpissimæ atq; abiectissimæ, atq; impiæ seruituti inducendæ, non iura tantum humana omnia, sed Dei sacrosancta iussa violabimus? & Deo abiecto, pro Deo hominum habebimus?

Cedant claris, obscura, certis, dubia, veritati, somnia, imo præceptis & constitutis, nil quam memorata. Cedat ordinato à Deo magistratui, hominum commentum Pontifex: cedat Deo & concedat, Homo; Deo iusto, homo peccati; Deo salutis, perditionis filius. Et cedet certe: sed tempore ab ipso Deo constituto; cum eum Dominus Iesus *interficiet Spiritu oris sui: & destruet illustratione aduentus sui.* Facessat ineptum, superbum, improbum, impium, blasphemum imperium: & subditæ sint omnes animæ regibus, tanquam à Deo: Ducibus, tanquam à Regibus constitutis: ex Pauli & Petri doctrina: ex Christi vero, de qua illa est, reddamus Deo, quæ Dei sunt: tum Cæsari, quæ Cæsaris: donec, quod precib. quotidianis petim⁹, *Adueniat regnũ Dei: donec abscindatur lapis de monte sine manibus, & percutiat statuã*, &c. donec *regnũ & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo Sanctorum Altissimi, cuius regnum, regnum sempiternum est: & omnes reges seruient ei, & obedient.*

Interim, Deo derelicto, seruiant Pontifici qui volent reges Principesq;. Sed hos oratos quidem volumus, falsis titulis & nominibus abstineant, diutius ne imponant subditis; iam non reges Principesq;, sed viles seruilesq; animæ: iam non Dei *gratia* Reges Principesq;, sed Romani Episcopi gratia Reges Principesq;: serui seruorum gratia, ipsi magni, scilicet, Domini.

Ingentem sane iniuriam hodie regum maiores, vt fortissimi, ita & iustissimi, piique Principes, fecerunt Pontifici, qui cũ ab eo regna haberent, ea publicis titulis, soli Deo accepta retulerunt. Sed vere vera & regia Regum Nauarræ inscriptio, Dei gratia sum id quod sum. Regum Nauarræ, inquam, quorum nobis vel ipsius Henrici Magni nomine grata & sancta est memoria. qui nusquam maior quam cum Nauarrenus audit. Non itaq; illi in Pontificem iniurii: sed & hi, sereni reges: & ipsi tyranni Pontifices, in Deum blasphemi sunt.

Sint autem illa quæ volunt, vt volunt, dicta data D. Petro, ab ipso Domino cui data est à Patre omnis *potestas in cælo & in terra*: an statim datam eandem dicemus hisce Sixtis, & Clementibus, & Paulis? vitæ & sanctitatis successionem occupent; merita, sequetur auctoritas. Sed illa quam iactitant successio, ab ipso sui primordio incerta, in ipso fonte turbata est. Et, qua fronte, quam constare D. Petro noluerant, ipsi indignissimi, siue auctoritatem, siue potestatem vsurpant?

Th. 7. 2. D. Antoninus, Florentinus Archiepiscopus, Theologiæ Doctor, à D. Petro successorem institutum narrat *B. Clementem*: eam nominationem fideles Spiritu sancto edoctos, improbasse; ne iidem & posteri ius sibi sumerent; & pro Clemente, inclementes, id est, pro pastoribus lupos ouibus præficerent. Id confirmatur *Sacrarum Ceremoniarum libro primo, Sectione prima, capite secundo.* Non pauca hic, nec leuia notanda veniunt: sed didicisse sufficiat, Errare, etiam in cathedra, Pontifices, nec supra, sed infra cancellum PAPAM esse: postquam illi parendi; quod

Anto-

Antoninus *fidelis*, Ceremoniarum auctor, *Senatores* dicit, rescindere acta Diui ipsius Petri, & vltimæ voluntati sui auctoris, contraire sunt ausi; postquam Senatores & discipuli, Spiritum Sanctum habuerunt, quem ipsum Princeps & Magister D. Petrus non habuit. Neque inde satis constat scriptoribus Pontificiis, D. Petro, *Clemens*, an *Linus*, successerit: Clitus, & Anacletus, vnus sit, an distincti Pontifices. Constitutum & certum successionis Ordinem habeant oportet, quorum à successione ius omne pendet; qui de regnorum & imperiorum successione se ipsos iudices constituunt. Vt rupto annulo, solui catenam necesse est: ita serie interrupta, nulla successio est. Iam, qua ratione regnis & imperiis successores illi dabunt, quibus ipsis sedis suæ sibi nominare successores nō licet? Si D. Petro, de sedis, quam per annos tenuerat xxv. successione statuere non licuit, quomodo hisce homuncionibus, quorum à D. Petri, vel auctoritate, vel potestate, tantum auctoritatem & potestatem abire necessum est, quantum à religione, superstitio; à Sanctitate improbitas; à puritate, sordes; quantum hæc vltimæ ætatis corruptissima tempora, ab illa Apostolorum emendatissima disciplina, recesserunt; quantum à D. Petri in Ananiam & Sapphiram, Sixti V. & eius successoris in Regem Nauarræ & Francorum, lata sententia; Quomodo his, inquam, in regna & imperia grassari, & vertere atq; agere omnia licebit? Et, quomodo in D. Petri potestatem ii succedent; qui vltimam eius voluntatem irritam fecerunt? vt is sit bonorum hæres & dominus, non quem defunctus nominauerit; sed quem defuncti familia legerit. Ita hoc omne ius Pontificium, nec pedes habet, nec caput: nec cor habent, qui eo se teneri, stolidissimi homines, arbitrantur.

Videat Imperator, videant Reges Principesq;, quomodo grata Deo esse possit istis Pōtificibus facta submissio, & abiecta libertas; & eorum omnia exposita libidini. An non grauem, nec ferendam, Deo, maioribus, posteris, omnibusque denique Christianis iniuriam faciant, dum soli Deo debita, in vilem creaturam transferunt: dum acceptam à Maioribus, posteris debitam libertatem, pedibus hominis impotentissimi subiiciunt: dum duobus dominis seruire, duplici nec tolerando iugo, nos cogunt: dum præsentem dignitatem, & salutem æternam, flagitiose produnt perduntque. Nec quicquam, aut commēdandæ humilitati, aut excusando errori facit, quod Deo, aut Petro istum, non Papæ honorem haberi dicunt. Nam neq; ipsorum est Dei honorem in alium conferre, quem ipse nemini se concedere profitetur: nec excusatus sit Imperator, qui in ipsius honorem dicat alium se sibi Imperatorē finxisse; eiq; illius respectu, Imperatoriū honorem & subiectionem exhibere. Ex præcepto se coli, non ex hominum somniis, vult Deus: officia distinxit: suum cuiq; tribuit: quid Deo homines, quid regibus subditi, quid dominis serui, quid parentibus liberi, quid maritis vxores: quid quæq; capiti suo, quid membris societas debeat, diligenter & explicate docuit: Papæ quid debeatur, vnus ipse Papa præscripsit. Ille, suos sibi titulos, suos honores, sua iura tribuit: quæ minus obseruata, neglectis Dei iniuriis, atrocissime vindicat. Sed Christus ille Dominus, cui vere potestas omnis data est, gloriam suam non quærit: [a] *nec claritatem ab hominibus accipit. Qui à semetipso*, inquit, *loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem gloriam quærit eius qui misit eum, hic verax est: & iniustitia in illo nō est.* Et Apostolus cui cœli aperti, & diuina mysteria reuelata sunt. [b] *Mihi autem*, inquit, *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Cætera, de laboribus suis; & ad Dei verum cultum gentilibus adductis, merito gloriatur: [c] *Non enim quæro*, inquit, *quæ vestra sunt, sed vos.* In infirmitatibus suis gloriatur. At Romani Pontifices in cruce gloriantur, non illa lignea, quæ [d] *Iudæis scandalum, Gentibus stultitia*, ferentibus graue nec sine Deo, ferēdum onus: cuius in corpore suo [e] *stigmata* portauit Paulus: sed in aurea, gemmis operta, puluino molli reposita, quæ populos in arma vocat, bella commouet, omnia turbat; Non animas Christo lucrari, sed sibi opes & Regna: In potentia deniq; sua & virtute gloriatur. Blasphemos eorum titulos, thrasonicos & sane theatrales apparatus, impia atque improba consilia, furores immanes, ex ipsorumet Decretis & Canonistarum commentariis, & historicorum libris colligere: turbas bellaque ob denegatum aut detractum aliquid ipsorum aut gloriæ aut ventri, concitata: & inde vastatum ferro igniq; Christianum orbem, igni ferroque excruciatos sublatosque Christianos homines, recensere: & hanc, ambitioni suæ & libidini, & gulæ omnia sacra prophana subiiciendi licentiam, *Libertatem Ecclesiasticā* ipsis dictam demonstrare, facile esset: nisi essent ista obuia notaq; omnibus, qui quidem videre ea & cognoscere volunt.

a Iohan. 5. 41. & 7. 18.
b 2. Cor. 12. 1.
c Gal. 6. 14. & 2. Cor. 1. 12. 14. 2. Cor. 12. 9.
d 1. Cor. 1. 23.
e Gal. 6. 17.

Sed ex præcepto suo se coli, non ex hominum aut opinionibus, aut somniis, vult Deus. [a] *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* [b] *Cessent propria hominum opiniones, neque se vltra diuinam constitutionem humana iudicia extendant.* Maiores nostri, primi illi mortales, arbitria Principum experti, humanam aut libidinem circunscribēdam, aut ignorantiam regendam legibus putauerunt. Quanto magis Ecclesiæ, filii sui sponsæ, voluisse prospectum Deus putandus est, ne hominum arbitrio permissa, variis doctrinis tamquam lenociniis solicitata pudicitiæ iacturam faceret? vni autem homini, & libidinoso & furioso animali, (vt si Alexandrum VI. dicas) virginem exponere, ouem erat Lupo. *Date frenos impotenti animali, & sperate eos modum licentiæ facturos!* Et vnius homuli ingeniolo, toto diffusam terrarum orbe Ecclesiam administrandam regendamque Deum credidisse, ipso tacente Deo, quis credat? nisi qui Deum, *auersum credat à mundo aliud agere: aut, quæ Epicuri felicitas est, nihil agere.*

a Psal. 119. 85
b Hilarius 4. de Trinit.

Virum Dei Samuelem, [c] grauiter commotum in populum Dei, Regem petentem, de historia sacra discimus. Regem autem petebant, vt essent ipsi sicut omnes gentes, qui iudicaret eos, & pugnaret bella ipsorum; Sed ad Prophetam Dominus: *Non te abiecerunt*, inquit, *sed me, ne regnem*

c 1. Reg. 8. 5.

ſuper eos. Hoc in ciuili adminiſtratione Dominus. Quid in Eccleſiaſtica feret nos nobis, nō regem, ſed Deum alterum, tanquam ab ipſo datum & cōſtitutum fingentes? qui terras, nouum Numen, cœlumque & tartara regat & adminiſtret: cui omnia agere ferre, liceat: qui Reges populis, Regibus leges dare; qui ſacra vertere, mutare, pro animi libidine poſſit? Non feret, quomodo populum ſuum non tulit alienos ſibi Deos fingentem. Igitur illi, poſtquam ita animo collubitum eſt, & Deum ne regnet ſuper eos, abiiciant, & Dei verbum ludibrio habeant. Nos Chriſtianæ Reipublicæ ciues, Chriſtum Regem; ſerui Dei, Chriſtum Dominum; corporis Chriſti membra, Chriſtum caput vnum agnoſcamus: datis ſcriptiſque à Deo, tanquam ab auctore, & rege, & Domino noſtro, legibus inſiſtamus: neque nos Rhetorum declamationibus, tanquam ventis circumagi patiamur. Seruire Regi Regum Deo, Libertas eſt. Sed ſeruis ſeruorum ſeruire, etiam à ſeruitute degenerare eſt.

VALETE MEMORES.

PLAVSVM NON MOROR.

IOAN.



IOANNIS BARCLAII PIETAS. SIVE PVBLICÆ PRO REGIBVS, AC PRINCIPIBVS, ET PRIVATÆ PRO GVILIELMO BARclaio Parente Vindiciæ. Anno Domini 1611.

Aduersus Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmini Tractatum, *De Potestate Summi Pontificis in rebus Temporalibus.*

LECTORI BENEVOLO IOANNES BARCLAIVS

S.

AEQVIOREM te habeam, Lector, in hoc opere æstimando, quod non præceps ambitio, non ira, aut odium, sed iusti officij necessitas mihi admouit. Vtinam silere tam liceret, quam inuidiosum est loqui! Nam in magnos hostes incidimus, & plus astu grassantes, quam virtute. Hi nimirum potestatem Pontificis laboriosis scriptis asserunt: hæc deinde scripta commẽdant pietatis nomine factionibus, dignitate authorum. Mox vbi sentiunt in contrarium stilos aptari, quietis simulatores, & conuersi ad insidias, negant esse fas de ea re nunc agi: inutilem quæstionem in pacatis modo rebus, Pontificem in alta cum Regibus pace. Et hac illi audacius, quod aliquot Optimatum prudentia videntur sancire has vtrinque scriptionum inducias, seu irata procacitati quorundam, qui nomine Regii iuris Religionem scriptis petunt; seu amicitiæ offensam metuens; etiam in defensione æquissima. Dicturi nihilominus eruditis illi Magnates pene cum Sexto Pompeio ad Menam, DEBEBATIS ID AGERE, SED NOBIS INCONSVLTIS. *Quippe hæc quæstio quando certius, aut vtilius potest, quam nostra tempestate discuti? tum, inquies, opus erit: id est, cum Regi Pontifex abrogabit Imperium, quæremus, an hoc possit. Quasi vero sinceræ disputationi tunc locus. In eiusmodi turbis cuique seducto in partes pertinacia rationem intercipit; fauor odium, factio vtrobique inuenit argumenta, & sæpe minus causæ studemus, quam fouentibus causam. Nunc autem vacui animi, nec de hominibus, sed de re ipsa, & rationibus iudicaturi, agnoscent veritatis vestigia, & ad illam inoffensa ratione peruenient. Præterea cum toties istud fulmen exarserit, cum hodierna pax nihil habeat in perennitatis suæ pignus; quis credat inutilem interea eiusmodi armorum apparatum, quæ* Plautus. *in istam vim potissimum valeant, nisi cui placeat* demum fodere puteum vbi sitis fauces tenet? *Saltem consulendum venturis seculis; vt nobis beneficium debeant posteri, quod si plenum debuissemus maioribus, non in tantam Sedis Romanæ perniciem, tot salutis discrimina, quinq. Reges hoc seculo petiisset hæc tempestas; vnum etiam euertisset. Non hodie tot mortales hanc pro Pontifice sententiam in pietatis parte ponerent, parata infaustis motibus turba. Non denique ipsis Pontificum hostibus odij & maledicentiæ tanta causa, qui hanc maculam aliquorum culpa suffundunt Ecclesiæ.*

Accedit, quod hæc cessare quidem licet tam solemniter prouocatis. Quippe cum Illustrissimi Cardinalis Roberti Bellarmini liber De potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus *iam in ore sit populo, ipsa tanti nominis reuerentia insignis, & omnibus ad legẽdum, etiam simplicibus ad credendũ ingens incitamentum; aut illi obstandum est; aut cedendum; & cedimus, si non obstamus. Nec satis est Magistratuum sacra authoritate, quæ de publico quidem huic librum tollere; at non eripere priuatis studiis potest, etiam hac nota commendatum, quasi per iniuriam oppressus sit, qui non argumentis, sed imperio detectus; plus*

supplicii in aperto habeat, quam criminis. Paribus armis opus est, quæ in ingenia grassantem coerceant; Scripturis, argumentis, historiis, quæ & illius libri diluant fucum, & natiuam speciem nostræ sententiæ adornent. Hæc sunt tela, hæc edicta, quæ ponere animis legem possunt, quæ de mentibus excutere Bellarmini sententiam, magno olim præiudicio triumphos concipientem, si non inueniet hoc sæculo, qui certamē audeat, tanquam pressa aliquamdiu timida magistratuum tyrannide, quam aperte adoriri nemo posset. Nec morantur Aduersarii. Iam hodie dissipatis per Orbem scriptis inclamant, hoc opus Bellarmini ita damnari, vt nemo ad singularem pugnam, cum illius rationibus, cum exemplis, cum argumentis descenderit. Audent ideo incusare sanctissimam illius Curiæ mentem, qua nulla in Orbe terrarum illustrior; audent & regio patrocinio dignam vocem, dignamq; diligentiam ad Examen scilicet prouocare; in quo nihil, nisi longum ineptiarum & contumeliarum examen.

Neq; vero Ecclesia modo Romana veneranda potentia imminet Regibus, sed sectarum, seu hæreseωn plurimi Mystæ, siue rerum iam potiti, siue pressi; id est siue nacti potentiam, siue quærentes. Nulla tamen rationes pro aliarum Religionum ministris in Reges, quæ non veteri auxilio stent pro Summo Pontifice. Itaq; hoc submoto, tuta erit à cæteris qui Ecclesiæ iure nituntur Principum & Rerumpublicarum Maiestas; communi certe bono, si vtiq; nec inuisus Pontifex, nec in fragili positi Reges. Ne quis igitur inuidiam Ecclesiæ Romanæ faciat, quasi vni timenda sit Principibus; aut mihi tanquam in solos mouenti Catholicos. Multi ex Sectariis nescio quid seuerius Principibus Pontificio iugo imponunt; & in hac quæstione omnium indiscretum causam iugulo, qui quocunq; prætextu potestatem in terras dispensatori cælestium tradunt, velut cognationis iure, & verissime cælum terræ permiscent.

Cur autem tam ardui momenti prouinciam inuaserim, expedita ratio; &, vt arbitror, non iniqua. Cum celeberrimus Cardinalis Bellarminus, in Controuersiis olim suis, præcipua capita annotasset, quibus astruitur hæc Pontificis potestas in Reges, Gulielmus Barclaius felicis & illustris memoriæ vir, Parens meus, summo Orbis applausu aggressus est fucum illum, & solertissima ratione discussit. At vero Bellarminus velut allisus hoc obice, vehementior in Pontificiam defensionem incubuit; Barclaii librum pugnacissima lite inuadens, omnia argumenta, omnia auxilia euocauit in aciem summo nisu, sed si semel profligentur, in perniciem suæ causæ; cui nihil subsidii tam accurata reliquit industria. Non tanti apud me sunt patris studia, & veluti factio, quin veritas domesticis affectibus præuertat. Legi itaq; timidissime primum cura librum illum Bellarmini; eo animo, vt si parentis rationes iustis armis victæ essent, taciturni quidem patriæ cladi ingemerem, cæterum ego quoq; ad victorem ingenua confessione accederem. Sed momento respiraui, nihil in Barclaium agi videns, nisi implicatis sophismatis, suspectis testimoniis, erroribus, fallaciis; vt eiusmodi Pontificum defensio plus mihi libertatem Regum persuaserit, quam ipse Barclaius. Non susciperē igitur causam publicam, causam domesticam? Sinerem inultam Patris famam, & ipse indigno silentio marcidus fierem Bellarminiani triumphi accessio? Imo quamquam vindices alios maiorum virium habet Respub. tamen me tamen visa est illa prouincia respicere. Ne illos quidem credidi iri offensum, quibus omissa disputatione, tanquam incentiuo motuum, res vtcunq; compositæ placent, instar vlcerum, quæ vt tecta non sanantur, ita medicata acrius pungunt: Non inquam; eos credidi iri offensum; tum quod irasci non poterunt æquissimæ pietati; tum quod æstus, qui plerumq; per infixa maledicta scribentes abripiunt, ita componere consilii mei fuit, ne in scriptione ista posset aliquid reprehendi, nisi ipsum forsitan ab Aduersariis argumentum: id est tuitio sanctissimi iuris, quod à Numine Principibus suis quippe in ciuili dispensatione Orbis vicariis, apertissima ratione indultum est.

Nec ignoro, cui me certamini implicuerim. Amplissimo Cardinali Bellarmino, quantam famam sua scripta pepererint, tam hi sciunt, qui scripsisse eum dolent, quam qui gaudemus. Vir de Ecclesia bene meritus, fœlicissime diligentia in sectarios. Neq; illi, opinor, excidisset leuum hoc opus de potestate Pontificis, nisi quod propugnare sententiam, quam iuuenis asseuerat, ex dignitate duxit, & præterea suo Principi, qui vnus est Papa, parare potentiam. Quod itaq; tam vanæ illius rationes, nō illi ascribo, sed infœlici causæ; quod falsa, quod absurda miscuerit, cæco affectui, & præcipitanti animo; iniurias denique, quæ ob illo in Barclaium, Christo condono, Ecclesiæ, mitissimi etiam Patris manibus, quos velut audio loquentes Bellarmino; vt Themistoclem minitanti Pausaniæ, FERI, DVM AVDIAS.

Cæterum, nec ista quæstio, Lector, de Catholica fide est, vt aduersarii testes sunt; nec qui illam inter rationes fidei ponunt, à nefando excusem scelere; cum legi diuinæ tam flagitiosi

S.iii 4 sit

sit addi, quam adimi. Omnino agitur de Pōtificis seculari Imperio, quod ei in terris summum; contra Scripturæ mentem, contra antiquorum Patrum scripta, aliquot sophismatum, & vocularū, beneficia tribuunt; directe, indirecte, per se, per consequentiā. *Perniciosa Pōtificibus adulatio, quos ad apicem euehit infestum inuidia, & tam præcipitio imminentem quam in altum seductum. Quippe cum eruditi iudicii homines has nugas deuoueant periclitatur intolerabile onus, & plus dissimulantium astu toleratum, quam credentium religione, aliquando prolabi; in ruinam etiam passim dare iustam illam, & spiritualem Pontificis potestatem; nī auertat hoc Deus, sanctitasque Pontificum, quæ non ferro, aut humano Imperio, venit ad cœlestis venerationis culmen, aut in eo durabit.*

Mihi porro, ne quid ex aduersarius argumentis censerer subduxisse, visum est transcribere totum librum Bellarmini, & in Paragraphos distribuere, tuo commodo, Lector, ne continua cuiusq; capitis lectio, longiori deinde responsione prosequēda, non sineret in singularum rationum vim meditate inspicere. Scias tamen necessarium lectu Parentis mei librum, quem non totum in Bellarmino habes, aut earum virium quibus integer, nec inciso alueo, in legentium mentes incurrit. Multa habet pro summo iure Regum intacta Bellarmino, cui soli adortus respondere, non potui vno contextu dare in conspectum æquitatem nostræ causæ, coactus, ingratiori forte studio, ad distinctiones aduersarii euoluendas, excludenda sophismata, refellenda testimonia; vt non quæ ipse volui disseruerim, sed ad quæ me ille adegerit. At hoc ipsum immane pro Regibus. Cum enim Barclaius amplissime Regum ius asseruerit; si quæ in eum coniiciuntur apte dilui, restabit vt extra aleam intemerata illa potentia de fuco, aut scrupulo, inepta pietatis emergat.

Rogandus es denique, Lector, ne me Operarū culpis oneres. Errores Typographorum haud pauci; nec vlli quam mihi graviores. Sensum, sententiam sæpe impediunt; & quod peius est, aliquando immutant. Nec fuit spatium omnes colligere, sed quos primus aspectus mihi subiecit, eos simul in libri calce dedi. Vellem ocium tibi esset hunc librum, antequam perlegas, ex eo indice emendare. Addidi & ibidem aliqua vel quæ mihi tardius succurrerunt, vel indiligentia Operarum omissa.

Faue, Lector, tuenti Numinis, Ecclesiæ, Regum causam, non seditioso voto, non turbulenta ratione; sed vtilitate publica, & necessario studio domesticæ causæ. Habes argumenti præstantiam, & necessitatem disputandi; tum quæ de me profiteor, tum quæ de aduersario, cui me composui, non industria, sed causa confisus. Vale.

IOAN-



IOANNIS BARCLAII
PIETAS, SIVE PVBLICA REGVM AC PRINCIpum; & priuata Guil. Barclaii sui Parentis Defensio.

Aduersus Roberti S. R. E. Card. Bellarmini Tractatum, De Potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus.

EXAMEN PRÆFATIONIS ROB. BELLARMINI.



Ibro tuo, Amplissime Cardinalis, præmisisti Prolegomena; aliam præfationem Prolegomenis; quæ omnia damus Lectoribus; ne aut ille credere, aut tu iactare possis, à nobis aliquid in tam seria quæstione omissum. Sic igitur præfationem exorsus es.

Qui librum Gulielmi Barclaij de potestate Papæ nuper emisit in lucem, neque nomen suum, neque Typographi, ac ne loci quidem vbi liber excusus sit, prodere ausus est. Quamuis enim in quibusdam codicibus editus dicatur is liber Mussiponti: id tamen confictum fuisse, exploratum habeo. Timuit videlicet, nec sine causa, pœnam aut vituperationem, non præmium aut laudem expectauit. Nomen tantum authoris, quod ipse author, si viueret, libenter fortasse texisset, libere detexit; quod sciret eum ad Iudicem suum remum auocatum, & raptum nihil negotii cum mortalibus iam habere. Hæc sane non boni operis argumenta sunt; qui enim male agit odit lucem & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius: quia in Deo sunt facta, Ioan. 3. Ipse etiam Barclaius veritus fortasse, ne incredibilis arrogantiæ ac temeritatis argueretur, si quasi alter Goliath, aduersus acies omnium Catholicorum Scriptorum vnus procederet; dissimulata multitudine aduersariorum mea solum scripta ex proposito oppugnanda suscepit. Sed ego non tanti sum vt causam Ecclesiæ vniuersæ à me vno pendere existimem: noui imperfectum meum; scio me vnum esse de multis, neque committam vt communis causa præiudicetur, siue disputando stem, siue cadam.

Ast ego, qui librum Guilielmi Barclaii *de Potestate Papæ* nuper emisi in lucem, nomen meum, & Typographi, sed & loci vbi liber excusus est prodere audeo, & iam tum audebam. Ioannes Barclaius sum, officina Northoniana, vrbs Lōdinum. Sed nisi das scriptoribus veniam sub alieni nominis latentibus larua, Matthæe Torte, Francisce Romule, pœnas dabis: nam alia omitto simulacra, sub quibus latuisti. Hic vero quid recuser? Num ego operi illi author? aut quid ad rem pertinebat si posthumum Gulielmi Barclaii librum filius aut amicos euulgabat? imo materiam laudis amisit, quod tanti pretii chartas sic tradidi Orbi, vt nesciret, cui gratiam deberet: & vero addere meum nomen supervacaneum videbatur, maxime iustas & necessarias laudes Parentis effundenti; cum ad domestica præconia facile cuiusque modestia erubescat. Etiam dissimulabam nomen vrbis, ne iniquo præiudicio tanquam hæreticus obtererer à vobis, apud quos sæpe libri suorum natalium crimen luunt. Apponere autem Mussipontanum nomen adeo consilii mei non fuit, vt vehementer illis offensum sim, qui hoc lenocinium me ignaro & tunc forte absente, inuenerunt, quo conciliarent timidos & ineptæ pietatis emptores.

Ais tamen me *pœnam expectasse*; si tam grande nimirum facinus proderetur: Sed nec Parenti meo (cap. 1.) *licuisse scribere impune quod scripsit*. Quid aūt si pater à sacris desciuisset? non impune faceret homo Scotus in Gallis degens? aut quid ego timuissem, quod Catholici hominis librum darem, eam sententiam astruentem, quam ex vestris multi laudant, seu te esse Cardinalem, seu meminerimus fuisse Iesuitam? Quibus inquam per istorum temporum leges à Romana Ecclesia licuisset desciscere, hi non impune Catholicam quæstionem modestissima eruditione tentarent? Sed neque vt existimas longis velis, timiditatem meam inuolui. Quis essem nec obscure hac sponsione prodideram, si quis illud opus argueret, hunc *futurum Gulielmi Barclaii cineres loqui posse*. Addis Barclaium veritum incredibilis arrogantiæ ac temeritatis notam, dissimulasse multitudinem aduersariorum. Tecum pugnas: mox enim (*primo cap.*) ita scribis; *Barclaius satis aperte se prodit tanquam alterum Ismaelem è regione vniuersorum fratrum suorum fixisse tabernaculum;* Quia nempe ab aliquot Theologis, Canonistis vero plurimis profitetur recedere. qui igitur dissimulauit multitudinem aduersariorum? Ecce aciem quam magnifice contra se stantium agmen percensuit. *Duplex* inquit, *Catholicorum quidem hominum, sed nimis Pontifici addictorum de hac quæstione opinio est. Vna Canonistarum qui Papa &c. Altera opinio est quorundam Theologorum, quibus &c. Mihi vero hanc animo quæstionem versanti, neutra istarum opinionum, quantum ad temporalem potestatem, satis firma visa est.* Sed quod in illis aduersariis, aciem omnium Catholicorum ponis, id nec vero nec tolerabili iudicio à te factum. Aut enim antiquorum Patrum cœtus à Catholica religione errauit, errauerunt Concilia, errat hodie sententia & praxis Theologorum Gallorum, Germa-

norum,

norum & (quanquam in ipso velut discrimine pertinacius pro Pontifice stantium) Anglorum qui plerique pro Barclaio, aut in omnes Catholicos non stetit Barclaius: sed de illa quæstione mox sequenti paragrapho.

Cur igitur *tua solius scripta ex proposito oppugnanda suscepit?* Nimirum quia hæc nouorum doctrina seculorum, non Scripturis, non patribus nixa, tantum per ociosa scholarum argumenta & vanas aut superstitiosas coniecturas quorũdam hominum emersit: siue ambitiosa fraude, siue illius tempestatis malo, quo omnia Pontificum facta excusare argumentis, quam gemitu aut saltẽ silentio damnare nimis anxia reuerentia malebat. Pauca illa fuerunt argumenta, & plerumque αὐτὸ ἰσα. Tu præcipua collegisti: vt per tuum vulnus tota hæc acies facillime sauciatur & Barclaius tam longe à tautologiæ vitio abfuit, quod ad nauseam illi affingis, vt contentius fuerit in te vno commuuem errorem notauisse. Quod itaq; ais, *sed ego non sum tanti vt causam Ecclesiæ vniuersæ à me vno pendere existimem, &c. neque committam vt communis causa præiudicetur, siue disputando stem, siue cadam*: hic minus verum erit, quia in te omnium auxiliis instructum, communis, non Ecclesiæ quidem causa, sed quam pessime Ecclesiæ ascribis, iugulatur.

§. 2.

E*A de causa*, inquis, *primum adferam in medium sententias clarissimorum Scriptorum ex omni natione orbis Christiani, vt omnes intelligant Barclaii sententiam singularem esse, & scriptoribus catholicis omnibus, tum Theologis, tum sacrorum Canonum, ac ciuilium legum professoribus repugnare. Mirum autem esset si Barclaius nunc viueret, & in theatrũ tot virorũ doctissimorũ, Italorum, Gallorũ, Hispanorũ, Germanorum, atque Anglorum introductus, tot aduersa lumina intueri, vel os aperire, aut omnino mutire auderet. Deinde vt de sententia Catholicæ Ecclesiæ nemo dubitare possit, plurium Conciliorum patres in vnum quasi maximum Concilium cogam: vbi aliquot Summi Pontifices, non pauci Patriarchæ, plurimi Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, aliique viri doctissimi, qui variis locis & temporibus olim congregati sederunt: nunc iterum semel omnes conueniant, & vnum Barclaium in medium vocatum sententiis suis obruant. Postremo cum satis constiterit, tum ex singulis Scriptoribus, tum ex Conciliis generalibus, quis sit Ecclesiæ Catholicæ sensus de summi Pontificis potestate in temporalibus: tum demum ad Barclaii obiectiones soluendas, atque eius argumenta examinanda deueniam. Et quoniam Barclaius potestatem Summi Pontificis in temporalibus vniuerse negat: ego quoq; potestatem eandem vniuerse astruam, non multum laborãs si ea potestas sit absoluta, vel in ordine tantum ad spiritualia se extẽdat. Relaturus igitur sentẽtias illustrium Scriptorum Occidentalis Ecclesiæ de potestate Papæ in temporalibus, visum est ab Italica natione incipere, quia idem obseruatum esse video in Concilio Constantiensi, sess. 41.*

En vt Concilia Pontifices, Episcopos, magna nomina, truci maiestate, velut in Senatum cogis, vt ad hunc tantum & tam iratum scilicet cœtum horrescat Barclaius. Meræ nugæ, & eloquentia eneruis, quam in te multo robustius torquemus, totam Ecclesiæ faciem ostentantes, eadem dignitatum nomina, & quidem secula decem prima pro nobis nullo dissensu stantia: cæteras autem ætates, vt per seditionum mala discerptas, non tamen vt existimas tam antiquæ veritatis oblitas. Sed dum ais, velle te *neminem de sententia Ecclesiæ Catholicæ dubitare*, vide ne in illis sis qui Apostolicæ præceptionis obliti, superuacua onera simplicibus, & insolens iugum imponũt: Quasi vero illa sententia *de fide* sit, vt Theologi vocant: & hoc tamen tua verba persuadent facilibus animis & omnia credentibus tibi. Fateor, ne quid dubium superesset paternis insistenti vestigiis, non olim Doctoris vnius aut scholæ sententiam exquisiui: plerique vanam esse opinionem vestram, piam aliqui retulerunt sed incertam: nemo de fide. Celeberrimi quoq; Iesuitæ priuatis rogati colloquiis idem prorsus responderunt. Recte Tritthemius, vir religiosissime Catholicus (in Chron. Monast. Hirsaug. ad An. 1106.) *Scholastici certant, & adhuc sub iudice lis est, vtrum Papa possit Imperatorem deponere.* Et Almainus (*de potest. Eccl. & laica. q. 1. c. 9* vbi Occami mentem exposuit, asserentis in casu quo Princeps sua potestate abuteretur, *ita quod ille abusus esset in maximo nocumẽto pro consecutione felicitatis æternæ*, posse Pontificem Principi abrogare imperium, subiicit, *etsi alii Doctores hoc agent*: & esse seipsum ex illis *aliis Doctoribus*. statim prodit; vt mox dicendum est *n. 28.* Sed & Præstoni Sacerdotis Angli eximius in te liber, cui nomen commodauit Rog. Widring. quamplurimos religionis Catholicæ, eruditionis multæ authores, pro nostra numerauit sententia: cui alios in hoc opere passim addemus. Illustr. deniq; & eruditissimus Cardi. Peronius qua libertate nuper asseruit nostram causam? Inciderat Parisiis controuersia, quam non ignoras, Bellarmine, inter Summum Senatum & aliquor Episcopos, ratione libelli, cui titulus, *De potestate Ecclesiastica & politica.* Pergit ad reginam Cardinalis aliquor comitatus Episcopis, & celebri cœtu in hæc verba perorauit, *Neq; se, neq; Episcopos de illius libri fundamentis disceptare: illa sunt, deponi non posse per Pontificem reges; & potestatem Concilii Papæ præcellere: Scire omnes qua ipse fide Henricum IV. regem Christianissimum coluerit: nec expectasse se donec Catholicus fieret, sed sectariis adhærenti, & per Papam abdicato, constanter adhæsisse: imo*, inquit, *hi ipsi qui adsunt Episcopi præstiterunt, ne quis posset de illorum dubitare sententia. Eidem regi Turonis adfuerunt, seruierunt Principi tunc ab Ecclesia alieno, Catholici, Sacerdotes, Episcopi.* Hæc pulchra vox Bellarmine, hæc publica fuit, tanti tam celebris Cardinalis. Aufer igitur indigna illa verba, Barclaium *procedere aduersus acies omnium Catholicorum.*

Nunc ad tot Scriptorum Senatum accedamus, cui quoniam Barclaius ille non potest, quem citasti, huius vice me sistam. Prius tamen lectorem moneo, Auctorum plurimos, quos hic profers, ex Canonistarum populo esse, quos vltro fatemur iniquissimos regibus, imo in quos ex professo pugnandum est, homines exortos circiter mille & trecentos annos à Christo, Pontificios

tificios palpones,& plerumq; ex Romana Curia,ignaros historiæ,ignaros literarum, nisi quod rescripta Pontificum immani & sæpe inepto studio coluerunt. Hinc tot in iis ridicula, tot vicina blasphemiæ, quæ tamen vtcumque aut studiorum aut temporum error excusat. Accedit horum ipsorum quos profers, de hac *potestate pontificia* sententias,adeo esse absurdas, vt ne quidem tibi placeant; quod faxo in plerisque mox constet. Sint enim ex iis in interpretandis legibus celebres aliqui,sint in plurimis rebus non absque sale homines,at inepta sententia & in eos veluti contagione vulgata, ad ineptias sæpe cogit. Denique rationes vt plurimum ipsis,non aliæ quam ex Pontificum gestis. Atqui illud ipsum docere aggredimur, hos Pontificum impetus non æquos aut legitimos, sed seculi errore se vitio irrupisse in Principes. Absit porro ius metiendum sit ex Pontificum vsurpatione, vel factis. Hæ auctoritates à Canonistis tritæ sunt, Canon *Alius*.15.*q*.6.Cap.*Excommunicamus itaque*,*De hæreticis*,*Extra*,Cap.*Ad Apostolicæ*,*De sentent.& re iudic.in* 6.Cap.*Grandi*,*De suppl.negl.pral.in 6*.Cap,*Solitæ*,*De maiorit.& obed*.Cap.*Licet*, *De foro competenti*. *Extra*. At hæ auctoritates Deus bone,quam feriæ! Pontificum in sua causa iudicantium,in rebus temporalibus, aduersus tot eruditorum, tot Orthodoxorum sententiam! tamen ex authoribus tuis multi nulla prorsus ratione,nulla authoritate alia,suæ opinionis fulciere commentum. Quod in singulis solerter tacuisti, vt suopte ingenio, & multiplici ratione vnusquisque in vestram sectam videretur discessisse,& tu ex iisdem *Capitulis* mox aliquot quasi recentes machinas admoueres. Vt igitur qui diuersas partes agũt in scena, semperque alii reuertuntur ab aulæo, sic illa Capitula, aliis aliisque induta coloribus,speciem ingentis exercitus in tuis castris præbent.

Ac ne toties refutanda sint (nam plus quadragesies à vobis ingeruntur) eadem tela; melius erit,opinor,semel & in perpetuum respondere; hæc omnia esse responsa Pontificum in sua causa & pro se de re temporali iudicantium; quæ si tu ipse apud Catholicos idonei ponderis esse duxisses, non fuisset quod tam anxie aceruasses in eam rem Scripturas,argumenta,rationes satis esset ostendere (quod negare nemo poterat) ita sensisse, ita rescripsisse Pontifices. At cum hæc cerneres à magnis repudiata authoribus & Pontifices in partibus, non in iudicibus numerandos,incubuisti in probationes alias, quas ex diuersorũ hominũ male natis vt plurimũ subtilitatibus,magna vi ingenii,sed infelici consuisti. Recte Ioann. Parisiensis, Dominicanus doctissimus, De potest.reg.& papal. Cap.14 *vbi quæritur*,inquit,*de potestate Papæ in temporalibus*,*efficax est testimonium Imperatoris pro Papa*,*& nõ est multum efficax testimonium Papæ pro seipso*. Iam & de singulis dicamus Capitulis. Canõ *Alius*,est pars Epistolæ Greg. VII. (id est illius qui primus hoc in Reges infœlicib,studiis vindicauit imperium.) qua Hermanno Metensi Episcopo probatũ voluit,iure se in Henricũ IV. Imperatorẽ,abdicationis protulisse sententiam. Ibi dicitur Childericũ Franciæ Regẽ à Zacharia Pontifice depositum. Sed nec Zachariam de hac quã tueris potestate cogitasse, nec de ista re extitisse quęstionem,suo loco,id est *cap* 41. vberius differendum. Nõ omiserim ex Canonistis multos,ob titulum qui huic Canoni apud Gratianũ est, tam imperito errorẽ esse lapsos,vt eum crederent ex *Epistola Gelasii ad Anastasium* esse desumptũ, cũ Anastasius ille atq; Gelasius plus ducentis & 50. annis obierint ante Zachariam & Childericum, de quibus isthic sermo. Capitulũ *Excommunicamus itaq*,*De Hæreticis*,apud Gregoriũ,& Capitulũ *Ad Apostolica*,*De sentent.& re iudic.in* 6. diluenda à nobis sunt in his *Prolegomenis*,*Numero* 76 *&* 77. Capitulum *Venerabilem*,*De Electione*,totum est de iure quod sibi speciatim Pontifex,in Imperatorem Germanorum vindicat,quod nec ad cęteros Reges extenditur. vide infra apud nos *caput* 2. §. 7. *cap* 4. §. 6 Capitulum *Solitæ*,*De Maior.& obed*. nihil ad quæstionem. Ibi dicitur quod spiritualia *tanto sunt corporalibus digniora*,*quanto anima præfertur corpori*. nec negamus;sed non sequitur si spiritualis potestas est dignior temporali,ideo temporalem illi esse subiectam;vt disputandum est *cap*. 2. §. 11. Addit Pontifex, Ieremiæ à Domino esse dictum, *Ecce constitui te super gentes & Regna*, *vt euellas & dissipes*,*ædifices*, *& plantes*, At hoc vt fortasse allegorice de spirituali imperio possit capi, ita vero & genuino sensu,neque de potestate spirituali,neque de temporali intelligi,dicemus vberius,mox in his Prolegomenis, Num.16. Ait deniq; Innocentius, Pontificalem auctoritatẽ esse *luminare maius*; & Imperatoriã potestatem *Luminare minus* & Pontificem omnium Christi ouium esse Pastorem; quę omnia quam ad vestrã sententiam nihil sint, docendum est. *cap*.13.§.6.*cap*.31.§.2.*Cap*.33.§.2. Et hęc quidem de capitulo *Solitæ*. Capitulũ *Grandi*,*de suppl.neglig.pral.in 6*. mera authoritate Pontificis nititur, neq; ibi vel vmbra argumenti. Iubet autem Innocentius IV. vt Regi quidẽ Portugalliæ nõ adimatur Regnũ,sed eius tamen fratri tradantur totius Regni arces,prouentus,munitiones, ciuitates, vt denique *eius dispositioni*,*ordinationi*,*& mãdatis vniuersaliter singuli & singulariter vniuersi*,*per omnia & in omnibus intendere*,*absq*; *difficultate qualibet procurent*. Qui hi ludi? quam confusa,quam immensa potentia? Negamus igitur illud posse Pontificem, nec se posse vllo isthic argumẽto asseruit. Deniq; Capitulũ *Licet*,*De foro competenti*, de Prouinciis agit Imperio Romano obnoxiis. dicit Põtifex prouocari à Iudicibus laicis ad Ecclesiasticos posse, *hoc præsertim tẽpore*,*quo vacante Imperio ad Iudicẽ secularem recurrere nequeunt*,*qui à superioribus in sua iustitia opprimuntur*. At & praxis,& ratio.id sub Regnis aut Rebuspublicis fieri negat; quãdoquidẽ Rege defuncto aut Principe, nihil minus Iudices ac Præsides successoris nomine ius dicere consueuerunt; nec ferretur qui ab iis appellaret Põtificẽ; tũ quod Regnum nusquam vacet, in successorem ipso iure translatum; tum quod si vacaret, ex Populi & Optimatum sententia ius ciuile pendere, non ex Pontificis nutu, certissima ratione monstretur. Si qua aliqua prærogatiua. Pontifici in Imperatoris terris, id aut pactis, aut consuetudine, non autem communi iure factum.

Cæte-

Cæterum excutiemus singulos Authorum quos dedisti, professemus rationes, si quas habent; & vel nobis, Bellarmine, debebis, quod velut ad auxilium vestrum euocabimus eorum argumenta quæ retices; vel certe debebimus tibi, quod ex tuo constabit catalogo, neminem hactenus ex tuarum partium viris hanc Pontificiam in temporalibus potestatem idonea ratione firmasse.

Scriptores nationis Italicæ pro temporali potestate Pontificis;

NVMER. I.

Gregorius VII. Pontifex,

PRIMVS igitur, inquis, *ex Italica natione prodeat Sanctus Gregorius VII. Papa, qui lib. 8. Registri sui, Epistol. 2. ad Episcopum Metensem, copiose docet, posse à Romano Pontifice Principes Christianos excommunicari, & Principatu priuari, eorumque subditos ab obedientia eorum absolui; Quod autem inquit, postulasti, te nostris scriptis iuuari, & præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt, non potuisse authoritatem Sanctæ & Apostolicæ Sedis Regem Henricum excommunicare, nec quemquam à Sacramento fidelitatis eius absoluere, &c.*

Hoc autem omnes gentes, hoc Christianorum exaudiant cœtus, quod de rebus inter homines summis, de discrimine potestatum, & omnino totius Imperio Orbis, vt apud Christianos esse debeat, nemo post Christum per mille & septuaginta annos, ex Bellarmini sententia, sincere aliquid posteritati commendarit; quod ille denique qui fatetur hæreses omnes, ex doctrina, quæ prima quatuor secula illustrauit, posse damnari, de tanta se disceptans profiteatur Gregorium VII. primum ex Italica natione esse, qui in hanc rem idonea inuenerit verba. Et certe ex Gallicis Britannisque gentibus, ex Hispaniæ Germaniæque terris, neminem deinde producis, qui Gregorii VII. annos, & illius cum Henrico bella præcesserit. Vbi Cypriani, Hilarii, Augustini, Ambrosii verba? vbi antiquitas, quam in tuis controuersiis tam egregia ratione percenses? En vestræ doctrinæ ætatem. Audes igitur amplius nobis nouitatem ascribere, tuentibus Reges? Sed obliuiscamur aonosum. Illud tantum videamus, quam ex candido & legitimo nomine tanti testimonii veritatem exorsus sis. Agitur an Summus Pontifex habeat potestatem in temporalibus supra Reges ac Principes. Illius potestatis possessionem Gregorius VII. primum, vt dicimus, vt autem vos dicitis euidentissime vindicauit. Sub eo per stilos & enses, in foro atque campo, tanta lis agitata. Tu illum de partium subsellio ad Iudicum tribunal extollis, & bene egisse vis, vel ideo quod scripserit male. Quid illud is mortalibus? quæritur an Gregorius iure egerit; tu eiusdem Gregorii testimonium ad suæ innocentiæ quæstionem adducis. An vero aliquos in Henricum coegisset Gregorius, Rudolphum armasset, bellis omnia & ruinis impleffet, si à suis ipse consiliis stultissima præuaricatione desciuisset? Sed & statim eruditissimus Præsul Waltramus Naumburgensis Episcopus; & paulo post magnus vir, Sigebertus Gemblacensis Monachus, quem tanti fecit Platina, vt *felicia tempora fuisse dicat*, quæ eum protulere, hanc Gregorii VII. sefutauit Epistolam; vt ipse affirmat in *Catalogo*; & nos passim de hoc Gregorii facto, præsertim *c.9.* infra.

NVMER. II.

S. Thomas Aquinas.

SANCTVS *Thomas Aquinas*, inquis, *qui non solum excellenti doctrina floruit, sed ea sanctitatis gloria fulsit, vt eum ab omni adulatione erga Pontificem longissime abfuisse, dubitari non posit, in 2. 2. quæst. 10. artic. 10. Considerandum est, inquit, quod dominium vel prælatio introducta sunt ex iure humano: distinctio autem fidelium, vel infidelium est de iure diuino: ius autem diuinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione. Ideo distinctio fidelium, & infidelium, secundum se considerata, non tollit dominium & prælationem infidelium supra fideles. Potest tamen iuste per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, authoritatem Dei habentis, tale ius dominii, vel prælationis, tolli: quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei; sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque non facit. Hæc Sanctus Thomas; qui duo dicit aduersus Barclaium: vnum est, dominium & prælationem introductam esse de iure humano, non ex iure diuino, vt Barclaius frequenter affirmat: alterum est, authoritate Ecclesiæ, quæ sine dubitatione plenissime residet in Papa, priuari posse Principes infideles dominio, quod habent super fideles. Neque per infideles intelligit Sanctus Thomas solos Ethnicos, vt videtur existimare Barclaius; sed omnes infideles, siue Pagani, siue Iudæi, siue Heretici sint: Nam artic. 6. eiusdem quæstionis enumerat, & comparat inter se species infidelitatis, ac dicit hæreticos esse infideles Paganis, & Iudæis absolute, & simpliciter deteriores: deinde artic. 10. de omnibus infidelibus diserte pronunciat, posse eos priuari dominio, quod habent super fideles, si Ecclesia iudicet expedire. Idem repetit quæstione 12. artic. 2. & addit, propter alia etiam crimina, posse ab Ecclesia priuari dominos dominio quod habent super alios. Idem in eadem 2. 2. quæstio. 60. art. 6. ad tertium, Potestas, inquit, sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ, & ideo non est vsurpatum iudicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus. Idem Sanctus Thomas in se-*

cundum sentent. distinct. 44. in fine, dicit in Papa esse apicem vtriusque potestatis, spiritualis, & temporalis.

Fateor D. Thomam Aquinatem maiorem omni laude, sed vt eximiæ omnes formæ, suis quoque næuis insignem. Ita Ioan. Maior, in 18. Cap. Matth. *Beatus Thomas*, inquit, *tenuit quod diua Virgo fuit in originali peccato concepta, quod materia non potest esse sine forma, de potentia Dei absoluta, quod Deus potest modo facere duos Angelos eiusdem speciei specialissima, & multa alia quæ omnino improbabilia in Schola putantur.* Tantus certe Theologus, in hac de potestate temporali Pontificis quæstione, non satis sibi constat. In *explicatione Epistolæ D. Pauli ad Corinth. 1.* pro nobis prorsus facit. In his locis, quos producis, à vobis stat. Sed illa Barclaius *capit. 21.* impigre refutauit. Nos etiam *eodem capit. §. 5. & 6.* cum Barclaio ostendemus, & mala ratione Thomam hic vti, & per repugnantia implicare suos sensus. Tu ipse fateris, non facile posse sciri, quid de ista re senserit. Ais enim lib. 5. de Roma. Pontific. Capit. 1. *De Sanct. Thoma quid senserit non est tam certum.* Tunc refers, eum videri directam potestatem astruere; quia *in fine secundi sententiarum, dicit in Papa esse apicem vtriusque potestatis*; Videri etiam pro indirecta facere, quia in 2. 2. quæstio. 40. art. 2. *dicit Prælatos posse disponere de bellis, solum quatenus ordinantur ad bonum spirituale*; Addo ego, videri pro neutra facere, cum in primam ad Corinthios scribat, Apostolum nihil omnino iussisse *contra subiectionem quæ debetur Principibus*, quia hoc esset *contra ius diuinum.* qua de re plura *capit. 21.* Quod hic præterea dicit, dominia de humano iure esse, excutiendum infra est *cap. 3. §. 17. & capit. 5. §. 2.* Illius etiam ratio, *potestas secularis subditur spirituali, sicut corpus animæ*, refellitur *capite 2. §. vltim.* Quid denique minus verum quam quod in eo, qui pro vobis est loco, nempe 2. 2. quæst. 10. artic. 10. *& ideo nullo modo permittit Ecclesia, quod infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercumque eis præficiantur in aliquo officio*? Cur igitur tulisset patienter Ecclesia Valentem hæreticum à Valentiniano Catholico ad Imperium promoueri? cur non monuisset Ambrosius, haud licere Imperatoribus Christianis Symmachum, vtpote Ethnicum, & patronum Ethnicorum, dignitate excolere, officio, magistratu? Cur hoc inquam passa esset Ecclesia, tunc Ethnicis, vt ex illa constat historia, omnino potentior? Cur denique hodie in Galliis Christianissimi Reges, & summe Catholici, etiam mutua gratia cum Summo iuncti Pontifice, Catholicis & Protestantibus pro arbitrio diuidunt dignitates, magistratus, præfecturas? Cur hæc inquam omnia si est ex Ecclesiæ potestate decernere, qui, aut quarum religionum viri, Politico Magistratu fungantur; aut si sancire potuit, & sanciuit, ne vllo modo hæ dignitates aliorum quam Orthodoxorum sint? Quis inquam excusaret Galliæ Reges palam & quotidie in contrarium euntes; quos tamen ipsi Iesuitæ non Catholicos modo prædicant, sed & ad sacra sacramenta ipsimet sua opera, sua manu admittunt? Hæc omnia in Principum manu; quorum passim pietate, non Pontificis iussu, à Republic. dignitatibus exclusi infideles, imo à publicis sæpe commodis. toto *Titul. C. de Heret. l. vltim. C. de Iudæis.* Ac vt possunt à Principibus illa sanciri, ita & reuocari. Vnde Baldus in Procem. D. veter. *Princeps*, inquit, *potest creare Iudæum Tabellionem, si dicat, non obstante lege vltim. C. de Iudæis.*

NVMER. III.

Thomas Alius.

IDEM, *si tamen idem*, inquis, *lib. 3. de Regimine Principum, cap. 10. Quod si dicatur*, inquit, *ad solam referri spiritualem potestatem (plenitudinem videlicet potestatis Pontificiæ) hoc esse non potest, quia corporale & temporale ex spirituali & perpetuo dependet. Et capit. 19. Simile contingit in Principe totius Regni, quia pro conseruatione regiminis super subditos ampliatur eius potestas, imponendo taleas, destruendo ciuitates & castra, pro conseruatione totius Regni. Multo igitur magis conueniet summo & supremo Principi, id est Papæ, ad bonum totius Christianitatis. Hæc ille. de quo etsi nonnihil dubium est, an sit sanctus Thomas, cum capit. 20. sequenti, mentionem faciat Alberti Imperatoris, cuius tempora sanctus Thomas viuendo non attigit: & quia capit. 10. citato, sanctum Petrum Christi successorem non semel appellat; qua voce, successoris videlicet, vti non solent qui proprie loquuntur; vt Sanctus Thomas imprimis solet, tamen author est antiquus, & doctus, quem Barclaius spernere non potest.*

Quid nobis cum supposititio isto Thoma, qui videtur quæsiisse ne quis illo esset absurdior? Quis ferat hominem inconditum, in illis *de Regimine Principis* libris, de Regum officio, de populi potestate, de antiquorum ritibus aut gestis disserentem? Sed & admiscet consilia, Deus bone! quam ex alta sapientia effusa; cum bono Principi negat stipendiario satellitio esse opus, quia *omnes subditos pro satellitibus ad custodiam habet, in quibus aliquid expendere opus non est*; & cum debere Principem ait, *constituere Regnum in loco congruo, qui salubritate conseruet habitatores.* Diuinum hominem, si in tempora incidisset, quibus vacuus orbis erat, & occupantibus vltro concessus! Cum autem Consules olim *Comites* appellatos esse dicit, & *Marchiones à Marcha, quod est singulare diuitum pondus, per quod significatur recta & rigida iustitia*, cum denique *Scipiones, Censores, & Censorinos*, docet fuisse nomina dignitatum Romanarum, quis non hominem ex Sybillæ adyto vaticinari credat? Cui nugatori si aliquid in Reges excidit, id non modo spernendum est, sed quodam tam barbari in politicis rebus ingenii præiudicio, aliquid iis partibus, à quibus recesserit, credemus accessisse. Dicis tamen quod *author est antiquus, & doctus, quem Barclaius spernere non potest.* imo vero ante decennium spernere ausus est (*lib. 6. de Regno, capit. 20.*) & Cuiacii verbis

dicens

dicere *non putare se D. Thoma summo Philosopho, & pene ab Aristotele secundo, syntagma tam ineptum excidisse.* Sed vt attoces quidam morbi sese contagionis lue insinuant, ita te tantum vitum de hoc instituo Thoma agentem quædam eiusdem genii aura afflauit. Ais enim, *De quo etsi nonnihil dubium est, an sit sanctus Thomas, cum capit. 20. sequenti mentionem faciat Alberti Imperatoris, cuius tempora sanctus Thomas viuendo non attigit.* Nonnihil veto dubium? Per tuam fidem, si quis de Henrici IIII. Christianissimi Regis morte scriberet, an nonnihil dubium esset id alterius esse, quam P. Iouii aut Guicchardini scriptum, qui multis ante illum Regem annis, è viuis excesserant? aut an nonnihil dubium est, te à Leone X. qui ante sæculum vixit Cardinalitia purpura non esse donatum? Quæ verborum insania, vt dicas nonnihil dubium esse, num Sanctus Thomas librorum author sit, qui de Alberto loquantur aliquot annis post excessum Thomæ nato? Multo apertius dixisti (lib. 5. de Roman. Pontific. capit. 5.) *fieri igitur non potest, vt sanctus Thomas horum librorum sit author, cum tot annis ante Alberti & Adolphi Imperium de vita migrauerit.*

NVMER. IV.

Sanctus Bonauentura.

SANCTVS *Bonauentura*, inquis, *vir doctissimus & sanctissimus Episcopus Cardinalis Albanensis tantum absuit ab adulatione Pontificiu, vt ne leuis quidem suspicio tanti criminis in eo vnquam adhæserit. Is nihilominus in lib. de Ecclesiastica Hierarchia, part. 2. capit. 1. sic loquitur; Iam vero possunt Sacerdotes & Pontifices ex causa amouere Reges, & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit & visum est, quando scilicet eorum vtilitas hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit. Summus vero Pontifex, penes quem in terris prima residet authoritas, non à Rege, non à Principe sæculari, non ab homine iudicatur, sed solius Dei iudicio reseruatur.*

An hîc Bonauentura de summo tantum Pontifice? imo de Sacerdotum & Pontificum omnium imperio in Principes. Sic enim illius argumentum ad efferendam Ecclesiæ potestatem; iudicari à Sacerdotibus Reges posse, à nemine autem Papam: nam per Sacerdotes, & Pontifices, non se tantum de Romano loqui Episcopo satis prodit, quod verbo generali id Sacerdotes & Pontifices in Reges posse doceat: cum mox non simpliciter dicat Sacerdotes & Pontifices, sed summum dumtaxat Pontificem, Dei iudicio reseruari. Et reuerà quæ passim argumenta confingitis, non minus pro cæteris Episcopis pugnant, quam pro Romano Pontifice: siquidem vt fateris lib. 5. de Roman. Pontific. capit. 3. *Id quod est Papa in Ecclesia vniuersa, est quilibet Episcopus in particulari.* Illa etiam quæ de spirituali excellentia, atque potentia, ex antiquis affertis, Gelasio, Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, non de summo tantum Pontifice dicta sunt, sed in genere de cunctis Episcopis. At quæ rerum confusio, quæ Politici status calamitas, si Episcopis omnibus commorantes in Diœcesi sua Reges de Regno liceret eiicere? saltem non concipiendus liber tuus, *De potestate summi Pontificis*, sed latius, *De Episcoporum potestate.* Nam vos ita sentire, & tu apertus es cum inter exempla temporalis potestatis in Reges recenses Ambrosii Mediolanensis Episcopi in Theodosium seueritatem, & apertissime Antonius Cordubensis lib. 1. Quæstionar. quæstio. 57. Dub. 3. *Et ita*, inquit *si necessarium sit ad conseruationem & spiritualium aliquando vti gladio materiali, & authoritate temporali, Papa hoc facere potest, & ad id habet amplissimam potestatem, quia quantum & quando necesse est ad finem spiritualem, potest non solum omnia quæ possunt Principes seculares, sed etiam facere nouos Principes, & alios tollere, & imperia diuidere, & vnire, & punire delicta; atque rebelles etiam gladio temporali saltem per alios ipsum exercendo & mandando, & multa alia eiusmodi facere in toto mundo. Imo & Episcopi in suis Episcopatibus idem iure diuino facere possunt proportionabiliter, nisi per Papam illis prohibeatur: qui etiam possunt delinquentes punire pœna temporali & corporali.*

Ad Bonauenturam igitur dico, eius sententiam quam iniqua est ciuilibus rebus tam ab illo parum apta ratione firmari. Ea est, *Regalis potestas subiacet potestati & authoritati spirituali, sicut in 1. Petr. 2. dicitur, Vos estis gens sancta, Regale Sacerdotium.* Quasi illa Pontificibus solis dicta: imo omnibus Christianis; vnde addit Apostolus, *populus acquisitionis.* Sed de solis Sacerdotibus loquatur Apostolus; Non ideo vel vmbra argumenti, quo probetur Ecclesiæ ius in Reges; vnde Ioannes Parisiensis doctissimus Dominicanus, De potestat. Reg. & Pap. capit. 18. *Quod autem* inquit, *dicitur xxv. quod Sacerdotium dicitur Regale, quia Sacerdotes sunt Reges, dicendum quod Sacerdotium, vt patet ex prædictis, dicitur Regale à Regno, non quidem mundi, sed cæli, ad quod ordinat & dirigit: vel secundum intentionem beati Petri, hic dicitur omnibus fidelibus iustis, qui in quantum sunt vnum cum Christo capite, in ipso sunt Reges & Sacerdotes, attribuendo membris quod est capitis secundum regulam Tyconii. Vel ideo dicuntur regnum, quia in ipsis regnat Rex eorum Christus. & Sacerdotes dicuntur, quia offerunt Deo sacrificia laudis & spiritus contribulati, quod etiam conferunt omnes iusti.* Imo si de solis Clericis intelligendus Petrus, id omnino pro Regibus; quandoquidem ibi iubet, vt illi quos vocauit *gentem sanctam, Regale Sacerdotium, populum acquisitionis*, subiecti sint Regi. Male igitur Bonauentura, *temporale Regnum*, inquit, *velut quoddam adiectum subiacet sacerdotio in nouo testamento.* O quantum & quale id *adiectum*! nec quomodo adiiciatur ostendit. Nam frustra est quod ad Pontificum facta recurrit; *sicut sæpius*, inquit, *accidit, & visum est.* Quærimus scilicet non quid factum, sed quid omnino faciendum, nec ad iuris quæstionem sufficit factum esse. Et de eiusmodi Pontifi-

cibus dicimus, quod tu è contrario de Imperatoribus qui Pontifices deposuerunt (lib. 2. de Rom. Pontif. c. 29.) *Respondeo*, inquis, *hæc quidem facta, sed quo iure ipsi viderint.*

NVMER. V.

Ægidius Romanus.

ÆGIDIVS *Romanus*, inquis, *Ordinis Sanct. Augustini, Archiepiscopus Bituricensis, in tractat. de potestate Ecclesiastica, parte 1 cap. 30. Sed, inquit, diceret aliquis, quod Reges & Principes spiritualiter, non temporaliter subsint Ecclesiæ, sed hæc dicentes vim argumenti non capiunt: nam si solum spiritualiter Reges & Principes subessent Ecclesiæ, non esset gladius sub gladio; non essent temporalia sub spiritualibus; non esset ordo in potestatibus; non reducerentur infima in suprema per media hæc ille, qui toto illo tractatu hoc probat, potestatem Ecclesiæ, quæ plenissima est in summo Pontifice, non ad sola spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendere.*

Vnde autem id Ægidio Romano *argumentum*? Nempe ab Extrauaganti *Vnam Sanctam De maiorit. & obed.* cuius author Bonifacius VIII. præcipui inter Pontifices ambitus ad hoc temporale fastigium. En Authorem, en Philosophiam, vnde illud argumentum Ægidii; De quo nos fuse infra, *Cap.* 3. §. 3. Neq; libet ibi dicenda commodius, hic inutili disputatione præcipere.

NVMER. VI.

Augustinus de Ancona.

BEATVS *Augustinus Triumphus*, inquis, *alias de Ancona, vir adeo pius, & doctus fuit, vt in eius sepulchro Beati titulum incisum videamus. Is in libro de potestate Ecclesiæ, quæst. 22. art. 3. Imperatorem, inquit, à Papa posse deponi quis ibit inficias? Eius enim est deponere Imperatorem, cuius est eundem constituere id quod exempla ipsa declarant. Vide plurima alia in tota quadragesima quæstione.*

Hæc verba in Augustino de Ancona non reperi; sed tamen sententiam; vt existimem, vel te ista non habuisse ab Ancona, sed ab alio, qui Anconæ mentem, non orationem retulerit; vel exscripsisse ab alio quam quem notas loco Anconæ. Quicquid sit, facilis responsio. Nego enim Imperatorem per Papam constitui. Nec si constitueretur, id fieret ex subordinatione Imperii ad Papatum, sed ex aliquo particulari iure, quod pactionibus vel consuetudine competeret Papæ: quæ omnia ad cæteros Principes extendi non debent, quos certum est à Papa non constitui. Nam quis dicat ab eo constitui Galliæ aut Hispaniæ Regem? qui nec in electione, nec in coronatione indigent Papæ; & tamen eadem in suis ditionibus potestate eminent, qua in Imperio Imperator. Ineptum præterea argumentum est, *potest constituere Imperatorem, ergo & deponere.* Cardinales constituunt Papam, Clerus Episcopum, Abbatem Monachi; an ad eosdem spectabit Papam, Episcopum, Abbatem deponere? Hæc ratio in illis tantum vera, qui aliquos sub se constituunt, vt Rex satrapas, iudices, magistratus.

Sed & quarum virium hoc Anconæ testimonium? qui cæco & præcipiti studio, omnia spiritualis & temporalis Imperii iura in Pontificem confert. Ait enim *quæst. 22. de potestat. Eccles.* à Papa pendere omne ius positiuum; ita vt possit iura ciuilia *omnia tollere in toto Orbe, vel in parte.* Ait, totum Orbem non esse nisi vnum principatum; Principem esse Christum, & Pontificem eius vicarium. Ideo Imperatorem ita se habere ad Papam, vt procurator ad Proconsulem, vel Proconsul ad Imperatorem, id est, vt vicarius ad eum, cuius est vicarius. Et quæstio. 1. de potestate Papæ dicit, *Nullius Imperatoris, Regis, vel alterius, leges seu statuta alicuius roboris vel firmitatis esse, nisi quatenus sunt per authoritatem Papæ confirmata & approbata.* Ratio illi scilicet egregia; quia scripsit Beat. Augustin. *Quicunque autem legibus Imperatorum, quæ contra Dei voluntatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium.* Quis tam insulsæ consequentiæ; nisi cachinno, respondeat? aut deinde quis miretur, si tam absurdæ sententiæ, quæ contra Scripturas est, contra traditiones Patrum, contra omnium cordatorum iudicium, addiderit posse Reges à Pontifice abdicari? Vnis fungis Bellarmine per hunc authorem persuadeas vestram *de potestate temporali* sententiam.

NVMER. VII.

Ioannes de Capistrano.

BEATVS *Ioannes de Capistrano*, inquis, *qui doctrina & miraculis Ecclesiam Catholicam illustrauit, in lib. de Potestate Papæ, part. 2. secunda partis principalis, in argumento octauodecimo, pag. 54. editionis Venetæ anni 1588 Papa, inquit, Princeps in spiritualibus debet similiter in temporalibus eminere, vt tanquam dignior propter eminentiam, supremus in omnibus habeatur.*

Ratio Capistrani, quam refices, leuis & fallax, quia *si Papa*, inquit, *tanquam Cephas subesse debet Regibus, vel Imperatori, ergo simul erit superior in spiritualibus, & inferior in temporalibus, & sic caput & pes, quod est absonum & monstruosum.* Nihil, inquam, inanius. Neque Papa *tanquam Cephas*, id est sub hac formalitate qua est Papa, Regibus subest, sed ea ratione in spiritualibus Princeps est. Iam vero

ro *absonum & monstrosum* non est, eundem in aliquo politico aut vniuersitatis corpore caput esse, & pedem in alio; neque absonum & monstruosum, Reges qui Politici corporis caput sunt, in Ecclesiastico corpore inferiora membra esse, & subiecta Pontifici. Rex olim Angliæ, Anglici regni caput; at Gallici membrum erat, Aquitanici feudi causa. Nuper Hispani Reges, Gallica membra erant, ob Flandricam Prouinciam; nec id oberat summæ eorum in Hispania potestati. Sit igitur Pontifex, vt Pontifex, Ecclesiastici regiminis caput. At vt ciuis, inferius Politicæ rei membrum. Quod vt olim, ita hodie locum haberet, nisi ipse Romano donatus principatu, vtriusque corporis caput in Patrimonio Petri esset. Vana igitur Capistrani consequentia, quam aliquot paginis inutili sermone deducit, oportere Pontificem in temporalibus summum esse, ne simul sit pes & caput.

NVMER. VIII.

Sanctus Antoninus Florentiæ Archiepiscopus.

SANCTVS *Antoninus*, inquis, *Florentiæ Archiepiscopus, vir æque sanctus ac doctus, atque ab omni adulandi specie alienissimus, in Summa sua, par. 3. titu. 22. cap. 5 §. 7. Talis, inquit, est potestas Imperatorum, Regum, & Principum, quia per Papam habet institui, regulari & confirmari, si bona est: & per ipsum habet iudicari, & condemnari, si bona non est. Item c. 5. §. 7. Potest, inquit, ipsos Reges ex causa rationabili deponere.*

Næ merito Matthæus Tortus vapulet, aut quisquis est, cuius opera has authorum corrogasti sententias. Nam teipsum tam supine lapsum haud credam. Primum igitur hic errasti designando titulo, capite, paragrapho: cum hæc verba, *Talis est Imperatorum, Regum, &c.* sint *in titulo 23. cap. 4. §. 8.* illa autem, *Potest ipsos Reges, &c. in cap. 6. §. 17.* Sed hæc leuia. Multo insignius peccasti, cum nobis Augustini Anconæ verba sub Antonini Florentini nomine ausus dare. Hæc inquam omnia, *Talis est potestas Imperatorum, Regum, & Principum, quia per Papam habet institui, regulari, & confirmari, si bona est, & per ipsum habet iudicare & condemnari, si bona non est*, sunt verba Augustini de Ancona, in sua *Summa, quæst. 1. de Papa potestate*, cuius sententiam ex professo, & ad verbum, retulit in illo paragrapho Antoninus Florentinus quod adeo non dissimulat, vt paragraphi initio scripserit, *Sciendum secundum Augustinum de Ancona in Summa de potestate Papæ, &c.* & sub finem, *Hæc Augustinus de Ancona.* Vapulet, mea sententia, quisquis te decepit, Bellarmine. Secunda Sanct. Antonini authoritas, nempe, *potest & ipsos Reges ex causa rationabili deponere*, non alia ab eo authoritate firmata est, quam his verbis, *sicut Zacharias Papa deposuit Regem Francorum, & substituit Pipinum, 15. q. 6. Alius.* De quo canone iam nos Prolegomenωn initio, & plura *cap. 42.* infra.

NVMER. IX.

Isidorus Mediolanensis.

ISIDORVS *Mediolanensis*, inquis, *Ordin. Prædic. lib. 2. de Imperij militantis Ecclesiæ dignitate, titul. 8. concl. 3. Papa, inquit, potest eorum demeritis exigentibus Imperatorem, ac Regem deponere.*

Nimirum, quia de facto deposuerunt, Can. *Alius.* Cap. *Ad Apostolicæ, &c.* quam Philosophandi rationem satis ante exclusimus.

NVMER. X.

Gabriel Biel.

GABRIEL Biel, inquis: *insignis Theologus, lect. 23 in Canone Missæ: Ille, inquit, regit & custodit, qui propter ipsius Ecclesiæ regimen, vnum (Papam videlicet) præposuit vniuersis, vt omnes ab vno, sicut corpus à capite gubernentur. Et prope finem, Papa transfert potestatem supremam sæcularem de gente in gentem, & Imperatorem deponere potest, &c.*

Neque vlla huic homini probatio, præter cap. *Venerabilem, de Elect.* & Canonem *Alius. 15. q. 6.* De quibus ante dictum, & mox vberius, *c. 2. §. 7. c. 4. §. 6.*

NVMER. XI.

Thomas Caietanus.

THOMAS Caietanus, inquis, *Ordin. Prædic. S. R. E. Card. doctrina & vita integritate insignis, in Apologia de comparata authoritate Papæ & Concilij, par. 2. cap. 13. ad octauum idem docet: nam proposito argumento octauo aduersarij his verbis: Octauo, quia nonnulli summi Pontifices inueniuntur definiuisse, se in temporalibus habere supremam potestatem: cæteri vero in oppositum, Respondet his verbis: Ad octauum dicitur, quod quia potestas Papæ directe est respectu spiritualium ad supremum simpliciter finem humani generis; ideo sua potestati duo conueniunt: primo quod non est directe respectu temporalium: secundo quod est respectu temporalium in ordine ad spiritualia. Hoc enim habet ex eo quod ad supremum finem omnia ordinari debent, etiam temporalia, ab eo proculdubio cuius interest ad illum finem omnes dirigere, vt est Christi Vicarius: primum autem ex natura suæ potestatis consequitur. Ex his autem sequitur quod vtrumque vere potest determinare, vt Papa: & quod ha-*

bet supremam potestatem in temporalibus, & quod non habet supremam potestatem in temporalibus; quoniam vtrumq; verum est ad sanum intellectum: affirmatio namque est vera in ordine ad spiritualia, negatio vero est vera directè, secundum se ipsa temporalia. Vnde nihil ex vtraq; decisione erroris accidit.

Nullæ in Caietano rationes, præter exscripta à te verba: quæ nituntur hoc errore, ita subordinari temporalia spirituali fini, vt sit necessarium præfectos spiritualium rerum in temporalia ius habere: imo & illorum esse omnimodo & potestate quam suo officio vtilem credunt finem spiritualem procurare. Quæ hic passim refelluntur; & maxime *capit. 2. §. 4. capit. 3. § 6. capit. 17. §. 1.*

NVMER. XII.

Alexander de S. Elpidio.

ALEXANDER *de S. Elpidio Ord. Eremitarum S. Augustini, in libro de authoritate summi Pontificis, & iurisdictione Imperij, cap. 9. Deo, inquit, non subditur, qui subiectus non est Dei Vicario, & Ecclesiasticæ potestati: nullus ergo Rex, nullus temporalis Princeps, cuiuscunque conditionis existat, excipi potest, si Christianũ se fateri vult nomine & re: quia etiam in temporalibus potestati supremæ spirituali subijci debent.*

Hæc verba neque eo quem citauisti loco, neque omnino illo Alexandri *tractatu* reperi; licet *c. 9.* multa habeat de potestate Pontificis. Non hic igitur pugnem in hostem, quem nusquam inuenio.

NVMER. XIII.

Petrus de Monte.

PETRVS *de Monte, Venetus, & Episcopus Brixiensis, in Monarchia, parte 2. quæstione 4. in fine, Magnam, inquit, habet potestatem Papa super Imperatorem, quia ex delicto eum deponit.*

Ex illis iste author, quos præmonui, fulcire sententiam iis tantum rescriptis Pontificum, de quorum æquitate certamus. Nihil illi, præter cap. *Ad Apostolicæ, de senten. & re iudic. in 6. & notam* Innocentii Interpretis. Addit ab Ambrosio excommunicatum Imperatorem; Sane si fuerit, quid ad hanc quam effingitis Pontificis potestatem, per quam vultis non Ecclesiam modo auferri, sed purpuram. Vide infra de Theodosio & Ambrosio, *trigesimum nonum caput.* Subiungit quosdam Canones, quibus probet, *quod in spiritualibus quilibet Episcopus sit maior Imperatore.* At de ea re inter nos non agitur. Adiungit Canonem *Tibi domino*, de quo nos infra *c. 2. §. 7.* tum cap. *Grandi, De supplen. negl. Præl. in 6.* & cap. *Licet, De foro compet.* De quibus initio horum Prolegomenon.

NVMER. XIV.

Petrus Ancharanus:

PETRVS *Ancharanus,* inquis, *in c. Canonum statuta, num 6. de Constitut. Papa, inquit, habet vtrumque gladium, & superioritatem ad Imperium, & hinc est, quod Imperatorem coronat, & inungit, & quandoq; deponit.*

Hic & Canonista est, id est addictus rescriptis Pontificum, & illi de solo Imperatore sermo, quem volunt aperte suis rescriptis Pontifices Sedi Romanæ mancipatum. Dicemus vberius *c. 2. §. 7.* De vtroque porrò gladio, quem dat Ancharanus Pontifici, vide mox *c. 3. §. 3. & caput 19. §. 1. & 2.*

NVMER. XV.

Syluester Prieras:

SYLVESTER *Prieras Ord. Præd.* inquis, *Theologus & Canonista doctissimus, in Summa, verbo, Papa, nu. 10. Papa, inquit, potest eligere Imperatorem per se ipsum immediate, quando ex iusta & rationabili causa expediret: quia principalis agentis habentis dirigere omnes fideles ad pacem & finem spiritualem, est eligere ministros. & infra, Potest (Papa Imperatorem) dignum excommunicatione excommunicare, & dignum depositione deponere. & nu. 11. Habet (Papa in Reges & Principes Christianos omnes) vniuersalem spiritualium & temporalium iurisdictionem. & infra, Potest ex rationabili causa deponere.*

Hominem profers Canonistarum ineptiis ita captum, vt Dominicus Soto vir eiusdem sodalitii, hac explosa sententia, eum quoque nominatim arguat. *Est ergo* (inquit Soto in 4. Sent. distinct. 25. quæst. 2. art. 1.) *merum commentum, sic Papam constituere ordinarium regnorum temporalium & Regum, vti est supremus iudex rerum Prælatorumq; Ecclesiæ, aut sicut secularis Rex suorum est Ducum, &c. Neque Syluester contrariæ debuisset adhærere sententiæ, cum D. Thomas, cuius ille discipulum agit, quamuis fuerit Sedis Apostolicæ studiosissimus protector, nullibi tale commentum reliquerit.* Quæ authoritas, quodve pondus, tam insane sentientium? Volunt Pontificem in omnibus secularibus negotiis posse omnibus laicis imperare; volunt in Pontificatu regiam inesse potestatem. Pudeat hos authores, & patronos protulisse, quorum sententiæ puderet insistere.

NVMER.

NVMER. XVI.

Astensis.

ASTENSIS *in Summa*, inquis, *prima parte lib. 2. titul. 64. artic. 4. pag. 101. Ex prædictis, inquit, collige quod Principes seculi, & domini temporales, non tantum propter hæresim suam, sed etiam propter negligentiam extirpandi hæresim aliorum, sunt excommunicandi, ab Ecclesia deponendi, de terris suis expellendi, & terra eorum occupanda Catholicis possunt exponi, & idem, si Princeps circa regnum & iustitiam faciendam inuentus fuerit negligens, insufficiens, & ineptus: Vnde Zacharias deposuit Childericum, & Innocentius Ottonem.*

Quænam illa ex quibus hanc Astensis collegit sententiam? Ait enim, *ex prædictis collige, &c.* Nimirum Cap. *Si aduersus*, & Cap. *Excommunicamus, de Hæretic. extra.* Cap. *Vt officium*, Cap. *Vt inquisitoris, lib. 6. eod.* Ex iis collegit Astensis pœnas in Hæreticos, eorumque fautores, id est, ex rescriptis Pontificum temporalem iurisdictionem vsurpantium, deponentium Principes, infamiam in laicos irrogantium, iubentium ne Reges carceribus præsumant eximere suos ciues, in suis ditionibus, quos Inquisitores hæreticæ prauitatis includi voluerint; nec audeant *executionem detrectare sibi pro huiusmodi crimine à Diœcesano vel Inquisitoribus, seu Inquisitore iniunctam.* Hæc sunt eorum Capitulorum argumenta, hæc supercilia. Egregium probationis genus, ostendere quid *de facto* sibi vsurparint Pontifices, vt doceas quantum illis *de iure* sit concessum.

Sunt & aliæ probationes Astensi, interserte illis verbis quæ ex eo describis, nec scio quo consilio à te omissæ. Ante hanc scilicet clausulam, *Vnde Zacharias deposuit, &c.* affert hos Canones. *17. quæst. 4. Si quis deinceps. & 11. quæst. 1. Nullus. 2. & 32. quæst. 5. præceptum.* Videamus de singulis. Canon, *Si quis deinceps.* 17. quæst. 4. nihil habet de puniendis Principibus seu negligentibus seu excommunicatis, sed de plectendis hominibus, qui Episcopum violarint, aut Clericum; quas sanctiones de Principibus summis latas, neque tu dixeris, quandoquidem ibi iubetur, vt quicunque Presbyterum, vel vllum omnino Clericum comprehenderit, percusserit, aut aliqua vi à propria sede expulerit, Is *Canonicæ pœnitentiæ atque depositioni* subiaceat, *Si contumax fuerit, excommunicetur*; qui vero iis modis Episcopum violauerit: anathematizetur, & eius *bona, Ecclesiæ ipsius iuri perpetuo tradantur.* At nec vnquam somniasti, Bellarmine, posse iubere Pontificem, vt si quis Rex Episcopum *comprehenderit, aut percusserit*, eius opes atque Regnum *iure perpetuo tradantur Ecclesiæ.* Nimis hoc à sensu communi, imo & à vestra diuertit sententia; quæ vult Reges per Pontificem posse deponi, at non regnum ideo donari Ecclesiæ, aut ad nutum transferri Pontificis, qui debeat vel electioni, vel successioni locum date. Sed nec omnino in Principes ipsos valent rescripta Pontificum, quæ disserunt de temporali statu; quin è contrario vel ex ipsis Principum edictis vim hauriunt, leges Ecclesiæ sub eiusmodi pœnis violari vetantium, vel ex eorum ratihabitione dependent, vel tenent illos tantum, qui Ecclesiastico iuri tam in temporalibus, quam in spiritualibus subsunt; si nihil horum est, cassa illa quantum ad has pœnas edicta, vt mox disputandum in his *Prolegomenis, Numer. 76.* & deinde *capit. 3. §. 14. & capit. 34. §. 8.*

Sequitur *Canon, Nullus. 11. quæst. 1.* Dubitaui an loquatur de Canone *Nullus. 1.* quod cum in hanc rem videam ab Ostiense proferri, an de Can. *Nullus. 3.* in neutro illi auxilium, sed maior argumenti species in *Nullus. 3.* Nam in primo nihil est, nisi vt Iudex qui Clericum per se distrinxerit, *ab Ecclesia, cui iniuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quamdiu reatum suum agnoscat & emendet.* An hoc est negligentem Regem deponere? aut hic omnino quæstio de temporalibus pœnis? Imo passim in eundem edicitur sensum, non modo non in Reges, sed ex consensu Regum; nempe vt excommunicentur laici Iudices, qui Clericos iam beneficio Regum exemptos, ausu temerario ad ciuile tribunal abripiunt. At in Canone *Nullus 3.* prohibetur ne Episcopũ Iudex laicus suo tribunali sisti iubeat. *Magistratus enim qui hoc iubere ausus fuerit, amissionis cinguli condemnatione plectetur.* Verum illius edicti vis non ex iure Canonico; Tantum refert Pontifex, quod decretum ciuili iure erat. Et ideo forte non dixit *plectatur*, sed, *plectetur.* Hæc enim deprompta sunt ex Iustiniani sanctione, *Authent. Nullus Episcopus. C. de Episcop. & Cleric. Nouella. 123. cap. sed neque, c. 8.* Nam vt est Episcopi ab Ecclesia delinquentem arcere, ita Principis, auferre cingulum, & ciuilem cum insignibus dignitatem.

Canon vero *Præceptum, 32. quæst. 5.* est Capitulum octauum duodecimi Concilii Toletani. Ibi scribitur. *Ita tamen vt qui iam admoniti à Sacerdote semel, bis, terque, vt corrigerentur, ad thorum suæ coniugis noluerint redire, ipsi se suis meritis à Palatinæ dignitatis officio separabunt, & insuper generosæ dignitatis testimonium, quamdiu in culpa fuerint, amissuri sunt.* At hoc nihil ad depositionem, non summorum Principum modo, sed nec istorum Palatinorum. Nam dicitur, *quamdiu in culpa fuerint;* quod non ablationem ostendit officii, sed suspẽsionem dumtaxat exequendi. Neque mirum irrogari temporales à Concilio isto pœnas, cui intererant delegati à Rege Optimates, qui cum Patribus ista sancirent; adeo vt Rex legis vim obtinere voluerit, quicquid in hoc Concilio, Episcopis & Aulæ Regiæ senioribus placuisset. Sic enim in Compellatione Regis Eringii ad Concilium; [*Iste Rex, Eringius, dicitur in melioris notæ Codicibus.*] *Omnes tamen in commune*

conuenio, & vos Patres Sanctissimos, & vos illustres Aulæ Regiæ viros, quos interesse huic Sancto Concilio delegit nostra sublimitas, per diuini nominis attestationem, & terribilem cunctis futuri iudicij diem, vt sine personarum acceptione aliqua, vel fauore, sine aliquo quoque aut malignæ contentionis scrupulo, aut subuertenda veritatis studio, quæ vestris sensibus audienda ingesserint, sana verborum examinatione discutite, saniorique iudicio comprobate, vt collatarum habita prius deliberatione causarum, discreta nostri ordinis condatur probitas titulorum. Et: *Magna salus Populi, Gentisque nostræ ac Regni conscribitur, si hæc synodalium decreta gestorum, sicut pio deuotionis nostræ studio acta sunt, ita inconuulsibilis legis nostræ valido oraculo confirmentur. vt quod serenissimo celsitudinis nostræ iussu, reuerendis Patribus, & clarissimis Palatij nostri senioribus, decreta titulorum exaratione est editum, præsentis huius legis nostræ edicto ab omnibus defendatur.* Et in confirmatione Concilij, Rex non Palatinos modo, sed quicunque in Concilii decreta commiserint, à suo cœtu arcet. *Si quis autem hæc instituta contemnat, contemptorum se nouerit damnari sententia, id est, vt iuxta voluntatem nostræ gloriæ excommunicatus, à cœtu nostro resiliat.* Quæ vero consequentia: Episcopi cum Optimatibus, consentiente & confirmante Rege, sanxerunt in noxios pœnas; ergo easdem in ipsum Regem sancire potuerunt, imo & illum deponere?

Pergit Astensis ad exempla Zachariæ, qui, vt volunt, Childericum, & Innocentii III. qui Othonem deposuit. De quibus dicendum est *c.2 § 7. & c.42.*

Rationem annectit, *quod quilibet nullo excepto contrahit forum Ecclesiæ ex peccato.* quid deinde? certe vt in Ecclesia iudicetur quilibet Ecclesiastico more, & plectatur Ecclesiasticis pœnis. Vide infra, *Num 32.* ad duodecimam Aufrerii rationem. *Potest enim Ecclesia,* inquit Astensis, *propter ipsorum Iudicum negligentiam, de illorum subditis iudicare.* Id annotat ex rescriptis Pontificum; At hoc eos non posse contendimus: Repetam Ioannis Parisiensis sententiam, *vbi quæritur de Potestate Papæ in temporalibus, ipsi. ax est testimonium Imperatoris pro Papa, & non est multum efficax testimonium ipsius Papæ pro seipso.* Nihil igitur iuris Pontifici in negligentes Reges, nisi vt spirituali censura castiget; nihil etiam iuris in Populos extra patrimonium Petri in lite ciuili. Quam enim ridiculum, deuolui regnorum omnium iurisdictionem ad Papam, vbi Reges sunt obeundo muneri negligentes? Vnde illa successio; vnde auctoritas? ex qua Scriptura, ex qua traditione? *In criminibus?* inquit Bernardus, *non in possessionibus, potestas vestra.* licet igitur de negligentis Regis crimine iudicare Pontifex possit, at non de *possessione:* tamen aut lite, in qua iudicanda Rex negligens fuit. Multo verisimilius dixeris, ad Rempublicam deuolui iudicandi potestatem, vbi Rex negligit vti iudicandi potestate, quam à Republica illa accepit. Quæ porro rerum confusio, si hoc indulgeas Papæ? cui semper liberum dicere, hunc aut illum Principem, in hac, aut illa causa, negligentem; Romam ideo deuocari iudicium, & se ferre sententiam Si quæ lites moram trahant, (quot autem trahere, negotiorum moles cogit?) hæc ratio non sine argumento prætexetur, & pars optima rerum ciuilium Romanos Iudices feret Magna tunc, fateor, imo summa Pontificis in temporalibus auctoritas. Sed, vt monui, hæc est principii petitio: de qua & nos antea, *in Præfationem tuam.*

Addit Astensis: *Certum est quod Deus est super omnes potestates distinct. 8. quæ contra mores, in fin. ergo & eius Vicarius, qui vices gerit in terris. Extra De translat. Prælat. Inter corporalia.* Præclarum argumentum, & quo omnipotentia, non potentia, Papæ datur; si nimirum satis sit ad probandam illius potentiam, ostendere Deum hoc posse, cuius est Vicarius. Sit igitur Pontifex Dei Vicarius, at in spiritualibus certe; Reges vero in ciuilibus Dei quoque Vicarii; vt & Pontificum potestas, & Regum, Dei potestas omnino dici possit.

Vnde, inquit Astensis, *dicit Dominus ad Ieremiam, Ecce constitui te Principem super omnes gentes & regna. 36. distinct. §. Ecce quod.* Addidit de suo Astensis τὸ *Principem;* quæ particula nec habetur in Scriptura (*Ierem. 1.*) nec apud Gratianum in illa *distinct. 36. §. Ecce quod.* Verba Scripturæ sunt (Ierem. 1.) *Ecce constitui te hodie super gentes. & super regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes.* Rem à quæstione alienam, Neque enim ibi Ieremiæ, aut per eum summo Pontifici, potestas in temporalibus vlla conceditur Indicat tantum Deus, ad quæ prænuncianda Ieremiam destinet; nempe ad clades, quas designat his verbis, *eradices & euellas, &c.* & salutem, quam per reædificationem & plantationem notat. Theodoretus, in hunc locum *Prophetauit enim,* inquit, *non solum Iudæorum captiuitatem, sed etiam à Cyro præstitam libertatem, Prophetauit item alius plerisque nationibus non tantum calamitates omnimodas, sed & salutem per Incarnationem Christi Domini donatam. Quapropter eradicandi & destruendi verba collocauit inter tristia, reædificandi vero & plantandi, inter contraria.* Hinc Christophorus de Castro, Iesuita, in Commentar. ad Capit. 1. Ierem. *Sic accipiendum,* inquit, *illud quod dicitur, vt euellas & destruas, hoc est more Scripturæ, vt denuncies euellendas per Nabuchodonozor, &c. Communis est expositio Hieronymi, Theodoreti, Rabani, Lyræ, Vatabli, Dionysii, & Iansenij, Ecclesiastici 49. Non enim ipse, quasi Imperator aliquis, euulsurus erat, & alio translaturus, & iterum reuocaturus, aut gentes sua prædicatione à falso cultu ad veri Dei cultum reducturus.* Paulo aliter, pro nobis tamen, exposuit Ioannes Parisiensis Dominicanus, in Tractatu, De potestat Reg & Papal. cap. 14. *Quod ergo primo dicitur,* inquit, *de Ieremia; Ecce constitui te super gentes & regna; Respondetur; Dupliciter exponitur. Aliqui dicunt hoc fuisse dictum in persona Christi, eo quod Ieremias interpretatur excelsus Domini: sic enim de Salomone multa dicuntur, quæ verificata tantum fuerunt in Christo per Salomo. significato, vt dicit August. 18. De ciuit. Dei. Ipse ergo Christus per Ierem significatus, positus est super gentes &*

super

super regna mundi, & Diaboli, dum in excelso montis positus, ea sibi oblata contempsit, vel super ea positus est in membris suis, qui fide sibi adhærentibus Regum & regnorum sæuitiam vicerunt patiendo, fidei constantia armati, iuxta illud, Sancti per fidem vicerunt regna, & illud Salomonis, melior est patiens viro forti. Vel de persona Ieremiæ intelligatur, constat quod nullum Regem ex quacunque causa deposuit; sed intelligitur positus super gentes, & regna, quasi habens authoritatem super ea in annunciando & prædicando, sicut dictum est de Domino & Christo in Psalmis, Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Licet etiam positus fuerit super gentes & regna, vincendo per patientiam, cum in manu acceperit calicem plenum vini meri, & propinare iussus sit omnibus nationibus. Vnde sequitur, vt euellas, glosa, mala, & destruas & disperdas, & dissipes, intelligitur, regna Diaboli; & ædifices, intellige, Ecclesiam non scandalizes; & plantes, intellige, bona. Sic exponitur à Sanctis, non de euulsione & destructione Regum Mundi, & subrogatione aliorum, sed de destructione vitiorum, & plantatione fidei & morum. Sicut accipitur illud 1. Cor. 3. Dei ædificatio estis, Dei agricultura estis.

NVMER. XVII.

Nicolaus Abbas Panormitanus.

NICOLAVS *Abbas Panormitanus, ais, in Cap. Solita, de maior. & obed. num. 7 Papa, inquit, potest rationabiliter increpare Imperatorem, & alios Principes seculares: & non mirum, nam potest eos ex causa deponere. idem docet in Cap. Per venerabilem, Qui fily sunt legitimi.*

Non aliis isthic Panormitanus argumentis, non coniecturis aliis nititur, quam vulgatis vestris telis, Can. *Alius. 15. quæst. 6.* & Cap. *Ad Apostolica, De re iudic. in 6.* Tu caute has probationes non exscribis. Nec in Cap. *per Venerabilem*, ad quod ipse nos remittit, aliud probationis genus; repetit Can. *Alius*, additque Innocentii sententiam, in *Cap. 1. de homic. in 6.* Sed mox plura de Panormitano, *Nu. 55.*

NVMER. XVIII.

Ioannes de Anania.

IOANNES *de Anania*, inquis, *Archidiaconus Bononiensis, in Cap. licet, De voto, num. 10. Papa, inquit, priuat laicum ordine gemtura, quia habet potestatem super Reges & regna. Vnde deponit Imperatorem.*

Non sine consilio omisisti probationes Ananiæ, quas verbis à te citatis, & aliquantum immutatis interserit. nam sic ille, *Nota quòd Papa priuat ipsum laicum ordine genitura, quod potest secundum Ostiensem, & Ioannem Andream; quia Papa habet potestatem super Reges & regna, in capit. Solita, supra de maior. & obed. Vnde deponit Reges. 15. quæst. 6. Alius. & Imperatores, in Capit. Ad Apostolica, de re iudic. lib. 6.* Sic tu vana Ananiæ argumenta, vana silentii fraude tegis, vt credantur grauiora; cum nihil sint nisi rescripta Pontificum, de quibus sigillatim initio Prolegomenon, & quorundam Canonistarum sententia; quam ex professo conuellimus.

NVMER. XIX.

Bartolus.

BARTOLVS *in l. si Imperator. C. de legibus, num. 4. Ius, inquit, eligendi Imperatorem habent Principes de Alemania, & ius priuandi solus Papa habet.*

Atqui nulla lex illo titulo, cuius initium *Si Imperator.* Dicere debueras, *Si imperialis.* Porro Bartoli argumentum de solo Imperatore est, vt nec possit ad cæteros Reges extendi. Ait enim, ius eligendi & priuandi Imperatoris, olim fuisse apud Senatum populumque Romanum; *sed hodie*, inquit, *omnis potestas Imperij est abdicata ab eis. Ius enim eligendi habent Principes de Alemania. & ius priuandi habet solus Papa.* En vt de iure loquitur, quod olim, vt putat, Senatui competebat & populo, & iam credit in Electores Imperii, & Pontificem esse translatum. Atqui ius nunquam fuit, vt Romani constituere eos Reges aut abdicare possent, qui nullo modo Romano Imperio subderentur; neque iam sibi vindicant *Principes de Alemania* cæteros Reges, sed duntaxat Imperatorem eligere. Sed intellexerit Bartolus de omnibus Regibus vniuerse; quibusnam argumentis asserit ius illud Pontificis? nempe iam toties decantato capitulo *Ad Apostolica, de sentent. & re iudic. in 6.* Quasi dicat, Papa de iure id potest, quia Innocentius IIII. id de facto vsurpauit. Vide infra hæc *Prolegomena, Numer. 77.* Nihil, inquam, ad hanc rem Bartolus, præter illud Capitulum; vir magnus, sed quanti iudicii in priuatarum rerum legibus, tam in humanis studiis rudis, in historiis etiam & publico iure; adeo (non ridendo homini dico, sed ad miserationem barbari seculi quod tanta ingenia corrupit) vt ad *legem 1. D. de iurisdiction.* quærat cur Vlpianus dixerit *ius dicentis officium latissimum est*, & non potius *longissimum*. mox inter cautas referat, quia *longi homines sunt raro sapientes. & in leg. hostes. D. de Captiu. & postliminio reuers.* scribit, fortasse esse hæreticum, dicere Imperatorem non esse dominum totius mundi, propter Euangelii verba, *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis.* Hæc

verò

vero tam polita ſubtilitate concepta, quam iſta conſequentia, poſſe Pontificem abrogare Imperatoribus maieſtatem, quia ita ſenſit Innocentius Quartus.

NVMER. XX.

Baldus.

BALDVS *in proœmio ff. vet. Solus*, inquit, *Papa priuat Imperatorem.*

Aut fallor, aut hæc ibi in Baldo verba non ſunt; imo contra in eodem proœmio refert *legiſtarum* axioma, quorum ipſe pene primarius. *hæc eſt*, inquit, *maxima* (id eſt axioma) *apud legiſtas, quod Imperator Romanorum in temporalibus ſuperiorem non habet.* Tum addit, *ſed Canoniſtæ ponunt Papam ſupra eius verticẽ, qui habet poteſtatẽ confirmandi & infirmãdi electionẽ Imperatoris, & priuandi eũ ex iuſta & notoria cauſa, vt in Cap. Ad Apoſtolica, de re iudic.* En vt loquitur ex Canoniſtarum ſententia, non ex ſua; nec producit aliud pro iis imo ex iis, argumentum, quam exemplo Bartoli, de quo ſuperiori numero, tritum Capit. *Ad Apoſtolica*; vana & communis omnibus veſtris ratio. Addit, *& non eſt negandum, quod Papa qui habet claues cæli & mundi traditas ſibi ad iuſtitiam eſt maior Imperatore & nomine & re ſecundum quid, ſed non ſimpliciter.* Hoc iam Baldus ex ſua ſententia, cui & nos aſſentimur. Secundum quid, nempe ſpiritualiter, Summus Pontifex maior eſt Rege. Illius porro verba, *Papa qui habet claues cæli & mundi, &c.* videntur ex Nicolao II. deducta, qui ſcribit Can. *Omnes diſtin.* 22. quod Chriſtus Beato Petro *æternæ vitæ claugero terreni ſimul & cæleſtis Imperij iura commiſit.* quæ verba, inquit Almainus, quæſt. 2. cap. 5. de Suprem. poteſt. Eccl. & laica, *niſi exponantur ſane, ſapiunt hæreſim, & maxima inconuenientia ſequerentur*; & tu ipſe, Bellarmine, exponis tantum de ſpirituali poteſtate, *lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 5.* Ais enim ſenſum Nicolai Pontificis eſſe eundem, ac ſi dixiſſet, *Chriſtus Petro conceſſit, vt quod ille ſolueret aut ligaret in terris, eſſet ſolutum aut ligatum & in cælis.* Nihil igitur in nos Baldus, nihil etiam illa ratio (nempe Cap. *Ad Apoſtolica*) qua Canoniſtas niti refert.

NVMER. XXI.

Petrus Andræas Gambara.

PETRVS *Andræas Gambara*, inquis, *in tractât. de officio & poteſtate legati lib. 2. tit. de Variis ordinariorum nominibus, num. 220. Solus, inquit, Papa deponit Imperatorem, & Reges, demeritis ſuadentibus.*

Nullum illi ad hanc ſententiam argumentum, præter Can. *Alius*, 15. q. 6. Cap. *Ad Apoſtolica, De re iudic.* Cap. *Grandi, De ſuppl. negl. prælib. 6.* De quibus ſatis ſupra.

NVMER. XXII.

Reſtaurus Caſtaldus.

RESTAVRVS *Caſtaldus*, inquis, *in lib. de Imperatore, quæſt. 81. Solus, inquit, Papa ſine concilio deponit Imperatorem, quia Papæ, & Chriſti vnum eſt tribunal. & infra; Papa Principem quantumcunq; exemptum, ſi expedit, punit, & deponit.*

Si hoc ſequitur ex Caſtaldi ratione (cuius authores affert, aliquot Canoniſtas) quidni eodem iure dicas; Papa poteſt peccatori etiam ſine ſacramentis peccatorum gratiam facere; Papa poteſt peccatorem ſtatim ad Inferos tranſmittere; Papa poteſt de omnibus, & ſingulis omnium opibus tanquam dominus diſponere? Ratio horum, & aliorum quæ ſequerentur innumera, abſurda, blaſphema; *quia Papæ, & Chriſti vnum eſt tribunal.* Scimus omnem poteſtatem quam Pontifex habet, à Chriſto deſcendere, vt verum ſit ius quodlibet Pontificii tribunalis, multo eſſe perfectius in tribunali Chriſti; ſed non ferendus error, æque patere Pontificis tribunal atque Chriſti. Nihil ergo Caſtaldus, cui probandum erat, non modo Principes in temporalibus à Chriſti pendere iudicio, ſed etiam omnem omnino Chriſti poteſtatem collatam in Papam; aut certe in illa poteſtatis parte, quam Chriſtus commiſit Pontifici, ius abdicandorum Regum eſſe. Reliqua Caſtaldi argumenta omnino vulgaria. Cap. *Ad Apoſtolica*, Cap. *Alius*, tranſlatio Imperii ad Germanos; Auguſtini de Ancona & quorundam Canoniſtarum ſententia.

NVMER. XXIII.

Dominicus Cardinalis Tuſcus.

DOMINICVS *Cardin. Tuſcus*, inquis, *vir doctiſſimus, qui adhuc viuit; & magnum opus ante paucos annos edidit, in ſexto tomo Practicarum Concluſionum, verbo, Papa, multos authores citat ad hoc ipſum propoſitum: ad eum, ſi quis plures authores velit, lectorem remitto.*

Quid mirum, ſi Cardinalis Italus, ſi Canoniſta, etiam Romæ ſcribens, huic aſſertioni incubuit? Quod vero ad Authores, quos congerit, quinam illi præter recentium ſeculorum homines, Summiſtas, Canoniſtas, nouam in hac te commentos doctrinam, & antiquæ ignotam Eccleſiæ? Ex his omnibus hic ſe legiſti eximios, vt iam cæteram farraginem fruſtra obiicias. Nam ſi in ea eſſet aliquis allaturus authoritate nominis, aut rationum ſubtilitate, momentum, non grauatus eſſes, tam curioſe vir, tam in hac cauſa vehemens, illum annumerare his teſtibus, quorum agmen coegiſti.

Gallo-

Gallorum quorundam opinio, sub hoc titulo à Bellarmino concepta.

Sententia illustrium Scriptorum Nationis Gallicæ.

NVMER. XXIV.

Sanctus Bernardus.

SANCTVS Bernardus, inquis, *lib. 4. de Consider. capit. 4. Quid tu, inquit, denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam: quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic, Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginandus; alioqui si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis, ecce duo gladij hic: non respondisset Dominus, Satis est; sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exerendus est; ille Sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris. Hæc Sanct. Bernardus, qui certe non diceret gladium materialem Ecclesiæ esse, & non solum pro Ecclesia exerendum, sed etiam ad nutum Sacerdotis exerendum, si cum Barclaio existimaret potestatem in temporalibus nullo modo ad Ecclesiam, eiusque Præsidem pertinere. Sed de hac sententia suo loco plura dicemus.*

Hæc ex Bernardo obiectio, cui tu perperam vestram imponis sententiam, à nobis diluenda est, *c. 19. §. 1. & 2.*

NVMER. XXV.

Petrus de Palude.

PETRVS *de Palude Patriarcha Hierosolymitanus, vir doctissimus,* inquis, *in Tractatu De causa immediata Ecclesiasticæ potestatis, artic. 4 qui est de potestate Papæ, sic loquitur, Licet Papa non habeat confirmare quemlibet Regem, qui consensu populi à principio Regnum assumpsit: tamen potest deponere omnem talem, non solum propter hæresim, aut schisma, aut aliud crimen intolerabile in populo; sed etiam propter insufficientiam; vtpote, si quis idiota sensu, vel impotens viribus in Regno præesset, & propter eius insufficientiam Regnum fidelium periclitaretur. & infra, reddens rationem ait, Quia Papa est superior in spiritualibus, & per consequens in temporalibus, quantum necesse est pro bono spirituali.*

Hæc ratio, qua vna Petrus de Palude nititur, *necessariam esse potestatem in temporalia ad spiritualem finem,* multis locis à teipso vsurpatur & vberius diluenda est, infra, *Nu. 42.* in rationes Francisci Victoriæ, & deinde *Cap. 2. §. 5. Cap. 3. §. 6. Cap. 17. § 1.*

NVMER. XXVI.

Durandus Episcopus Meldensis.

DVRANDVS *Episcopus Meldensis,* inquis, *Theologus insignis, in lib. de Origine Iurisdictionum. quæstio. 3. Quia, inquit, vtraque potestas temporalis & spiritualis est necessaria, ideo vtramque potestatem (Christus) contulit Petro. & infra. Isti sunt veri termini iurisdictionis spiritualis, & temporalis à fundatione Ecclesiæ, quos transgredi non licet; quia iurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil nouit: iurisdictio vero spiritualis se extendit primo & principaliter ad spiritualia, secundario vero & per quandam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia, quæ ordinantur ad spiritualia, tanquam ad finem.*

Omnis Durandi ratio, & multis paginis explicita, eadem quæ Petri de Palude, quod *potestas temporalis sit necessaria ad spiritualem;* vana ratio, & passim à nobis refellenda, vt monuimus superiori Num. in Petrum de Palude. Quam autem futilis in exemplis iste Durandus! quam suam ipse doctrinam destruit! Sic enim sequitur in loco quem exscribis, *Et de potestate quidem spirituali nullus Christianus dubitabat, de potestate autem temporali patet. Actor. 5. Cap. vbi legitur, quod Petrus damnauit iudicialiter Ananiam & Saphyram pro crimine furti & mendacij.* Quæ verba sunt & in Petro Bertrandi, *De origin. iurisdictio. quæst. 3. numer. 38.* Quid vero? ergo Petrus in criminali iudicio, criminalis index fuit? ergo ea Petri sententia & ordinaria potestate extinctus Ananias, extincta Saphyra? Quo igitur tot antiquorum dicta, tot rescripta Pontificum, *Ecclesiam non nosse sanguinem?* Cur nec hodie per Ecclesiasticos Iudices, etiam Romæ, irrogatur mortis pœna? Cur Constantiense Concilium dixit, Sessio. 15 se, Ioannem Huss *excommunicatum & degradatum, attento quod Ecclesia Dei non habeat vltra quid agere valeat, iudicio seculari relinquere?* Longe alia ab hoc Durando Patrum mens, extraordinario Dei iudicio punitum Ananiam, ad Ecclesiæ decus, piamque Christianorum formidinem; non autem ex ordinaria potestate Apostoli. Beatus

Hieronym. Epist. 18. li. 2. ad Demetriadem, [Numerus huius epistolæ non exigendus est ad ordinem, qui seruatur in operibus Beat. Hieronymi; sed ad illum, qui vulgo est in ipsius epistolis seorsim excussis.] *Denique*, inquit, *& Apostolus Petrus nequaquam imprecatur eis* (Ananiæ & Saphyræ) *mortem, vt stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei iudicium prophetico spiritu annunciat vt pœna duorum hominum sit doctrina multorum.* At etiam si dicamus à Petro occisos; certe non factum ordinaria potestate, & in successores transmittenda; sed eadem, qua claudo & debili dixit (Actor. 3.) *Surge & ambula;* qua & sanabat ægros (Actor. 5.) quos *vmbra illius obumbraret.* id est, ad prodigium concessa Apostolis, & ad incrementum nascentis Ecclesiæ. Par ibidem Durandi subtilitas in interpretandis Petri verbis, *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, tanquam præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis.* Ait enim, non ibi de debito agi obsequio, sed *de subiectione quoad meritum humilitatis.* Ratio illius ô quam egregia! quia scilicet dicit Apostolus, *omni humanæ creaturæ*, certum autem non debere nos ex necessitate obsequii omnibus hominibus subiici: & demirot Innocentium III. tam rudi errori implicitum, in Capit. *Solitæ*, de Maior. & obedien. *Scribebat enim*, inquit, *Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat; nam si per hoc quod dixit, Subditi estote, Sacerdotibus voluit imponere iugum subiectionis, & eis prælationis authoritatem afferre, quibus eos subiectos esse monebat; sequeretur ex hoc, quod etiam seruus quilibet in Sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur, omni humanæ creaturæ.* Quasi vero Petri verba non eo sensu scripta sint, quo tu ipse, ex antiquorum mente, exponis, lib. 2. de Roman. Pontifi. cap. 29. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ, id est, omni creaturæ potestatem habenti.* & Albertus Pighius lib. 5. de Eccles. Hierarch. Capit. 7. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ;* hoc est, inquit, *quisque suo superiori, aut illi, cui est subditus secundum ipsam humanarum societatum legem atque ordinem.* En vt ipsi (ne ad antiquos ire sit labor) vestrorum hominum ineptias, vi veritatis victi, damnatis.

Vides quam certo ac secure isti Durando credendum sit, exponenti Scripturas de potestate Pontificum atq; Regum.

NVMER. XXVII.

Erueus Brito.

ERVEVS Brito, inquis, *Ordin. Prædicat. Magister Generalis, & Theologus acutissimus, Tractat. de Potestate Papæ, §. Ad euidentiam secundi, sic loquitur, Ad Papam pertinet corrigere omnem abusum, tam potestatis Ecclesiasticæ, quam terrenæ, in quocunque existente de populo Christiano.*

Non hoc magis Erueus dixerit, quam Barclaius. Potest Papa omnes Christianos corrigere; sed inquirendum superest, qua correctione possit. Non enim sequitur, Potest dominus seruum corrigere, magister discipulum: ergo dominus potest seruum truncare auribus, magister discipulum lictoris publici virgis permittere; Ita nec sequitur, Potest Papa corrigere Principes Christianos, ergo & eos à suo Principatu deponere. Certi omnibus corrigendi, & correctionis modi. Nec negamus posse Papam temporales abusus castigare, sed spiritualibus pœnis.

NVMER. XXVIII.

Iacobus Almain.

IACOBVS Almain. inquis, *in Tractatu, De suprema potestate Ecclesiastica & temporali, quæst. 2 principali, quæ est de suprema potestate laica, cap. 5. ad tertiam allegationem, Papa, inquit, potest Imperatorem deponere in duobus casibus: primus, pro crimine pure spirituali, vt est hæresis: secundus, quando illi, ad quos spectat iure ordinario, sunt negligentes ipsum deponere. Ibidem, ad quartam allegationem sic ait, Si gens Imperii efficeretur hæretica, vel transferret se ad aliam sectam dimittendo sectam Christianam, posset propter hoc Papa illam gentem priuare dignitate Imperiali, & sic transferre in aliam gentem.*

Quanta fraude, quam versuta, Occami sententiam imponis Almaino? Is Occami opinionem refert, à qua se dissentire liquido probat. Tu tamen hanc obtrudis, & vocas Almaini sententiam. Quid iniquius, Bellarmine, quid te indignius? Ita igitur Almainus. *Veruntamen dicit Doctor, quod Papa potest Imperatorem deponere, &c.* Tu illis omissis, *Veruntamen dicit Doctor*, tantum hæc refers, *Papa potest Imperatorem deponere, &c.* quasi hæc ex sua sententia loquatur Almainus, quę Doctoris nomine refert, id est Occami, quem in illo Tractatu vbique Doctorem appellat; quia nempe totus liber, vt fert ipse titulus, est *Expositio circa quæstionum decisiones Magistri Gulielmi Occami super potestate summi Pontificis.* In illis quoque verbis, *Si gens Imperii efficeretur hæretica*, de Occami opinione differt; *Dicit Doctor, quod Papa potest transferre Imperium, &c.* Eodem igitur modo *non esse Deum*, ex Scripturis deduxerim, quo tu ex Almaino hanc Pontificis potestatem, quia dicitur in Scripturis, *non est Deus*, nempe apud Psalmistam, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

Vide porro, quam non ambigue nobiscum senserit Almainus. Libro eodem, quæstio. 1. capit. 9. refert Occami sententiam, quod *si contingeret Principem secularem abuti re sua in perniciem Christianitatis, vel fidei &c. in tali casu Papa possit eum deponere.* Tum subiungit, *etsi alii Doctores hoc negent*, se autem esse vnum ex illis *aliis Doctoribus*, liquidissima ratione ostendit, cum dicat eorum *patere sententiam*, & pro iis argumentum proferat contra hanc temporalem Pontificis potestatem, non instar obiectionis (nam alioqui illud ipsum diluisset) sed vt à se laudatam sententiam.

Ita igitur, vt probet Pontificem nullo casu posse Reges deponere; *Pater*, inquit, *quia esset occasio, quod ratione talis potestatis Papa efferretur in maximā superbiam, & illa plenitudo potestatis esset multum damnosa subiectis, ideò illa etiam esset nociua Papa & subiectis, & sic non est verisimile, quod Christus ei talem contulerit potestatem.* Et eadem quæst. cap. 14. dicit, quod Papa habet potestatem *solum illam, qua explicatur in suo Vicariatu. Nam* Christus *dedit ei potestatem remittendi peccata, prædicandi, instituendi ministros Ecclesiæ, excommunicandi, dandi indulgentias, &c. sed nullibi reperitur, quod dederit ei potestatem instituendi & destituendi Reges temporales: ideo ex collatione potestatis sibi facta à Christo non habet potestatem supremam iurisdictionis in temporalibus.* Non exscribo quæ in eandem sententiam passim habet: Sed & de Occamo pronunciat, quæst. 2. cap. 5. *Opinio Doctoris simpliciter probabilior est, quod nec per excommunicationem, nec alio modo potest Papa Principem deponere à sua dignitate Imperiali & Regali*: vt cætera quæ ex illo retulit pro potestate Pontificis in temporalibus, plus ad disputationem & dubia, quam ad certam ipsius Occami sententiam, videantur inducta.

NVMER. XXIX.

OSTIENSIS.

HENRICVS *Cardinalis Ostiensis*, inquis, *in Summa, tit. de Hæreticis.* §. *Qua pœna puniantur num. 11. Nota, inquit, quod domini temporales non solum propter suam hæresim, sed etiam aliorum, quod cum possint admoniti exterminare negligunt, excommunicari possunt, & terra ipsorum exponi Catholicis occupanda. Idem, si Princeps negligens inueniretur circa regimen & iustitiam faciendam. Vnde Zacharias Papa deposuit Childericum Regem Francorum.*

Vt vbique retices Authorum quos producis rationes! ne & paucæ, & ad fastidium repetitæ, authoritatem scribentibus tollant. Eo more sustulisti allegationes Ostiensis è medio quem exscripsisti textu. Nam sic ille, *Nota quod domini temporales non solum propter suam hæresim; sed etiam aliorum, quod cum possunt admoniti exterminare negligunt, excommunicari possunt, & terra ipsorum exponi Catholicis occupanda, infra, cap. Excommunicamus.* §. *Si vero dominus. Idem si Princeps negligens inueniretur circa regimen & iustitiam faciendam.* 17. *quæst.* 4. *Si quis deinceps.* 11. *quæst.* 1. *Nullus.* 1. 23. *quæst.* 5. *Principes Vnde Zacharias Papa deposuit Childericum Regem Francorum.* En rationes Ostiensis. Prima, nempe Cap. *Excommunicamus*, est ipsa Lateranensis Concilij authoritas, qua tu deinde in his *Prolegomenis* vteris, & nos infra diluemus, *Numero 76.* De Canone *Si quis deinceps.* 17. *quæst.* 4. & Can. *Nullus.* 11. *quæst* 1. actum supra, *Numero 16.* Quod vero meminerit Canonis *Principes*, 23. *quæst.* 5. mihi mirum; & præuaricatorem pene agit. Nihil enim Isidorus, Canonis huius author, de adimendis per Pōtificem regnis; sed, *Principes seculi Deo debere rationē reddere*; addidisset vir vestrarum partium, *Deo & Pontifici.* En vero vt loquitur, non ex tua & Ostiensis sententia, sed prorsus ex nostra. *Cognoscant Principes seculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* O quam ille opinionis vestræ expers! qui flagitiosis Principibus, & Ecclesiæ turbantibus pacem pœnam atque iudicium à Numine minatur, non à Papæ sententia; à Cœlo, non à Roma.

NVMER. XXX.

PETRVS BERTRANDI.

PETRVS BERTRANDVS, inquis, *Cardin. & Episcopus Eduensis, in Tract. de Origine iurisdict. quæst. 4. numero 5. Potestas, inquit, spiritualis debet dominari omni humanæ creaturæ: & quemadmodum Iesus Christus, dum fuit in hoc Mundo, & etiam ab æterno naturalis dominus fuit, & de iure naturali in Imperatores, & quoscunque alios, depositionis, & damnationis sententias ferre potuisset: ita eadem ratione eius Vicarius.*

Hic duo nobis mira, detruncasse te istum Bertrandi locum; tum hominis insana blasphemia ausum vti. Aio, inquam, te indigne exsecuisse indignam Bertrādi sententiam, cuius verba sunt; *Respondeo, & dico, quod potestas spiritualis, debet dominari omni humanæ creaturæ, per rationes quas Ostiensis, inducit, in summa, Qui filij sint legitimi.* §. *Qualiter & à quo. Item quia Iesus Christus filius Dei, dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturalis dominus fuit, & iure naturali in Imperatores, & quoscunque alios, depositionis sententias ferre potuisset, & damnationis, & quascunque alias, vt pote in personas quas creauerat, & donis naturalibus & gratuitis dotauerat, & etiam conseruabat, & eadem ratione & eius Vicarius potest. Nam non videretur discretus Dominus esse (vt cum reuerentia eius loquar) nisi vnicum post se talem Vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset. Fuit autem iste Vicarius eius Petrus, Matth. 15.*

En vt callide truncas hunc locum; nam omittis, *& quascunque alias*, nempe sententias. Vult enim iste Bertandus posse Pontificem omnis generis sententias proferre in homines, quas proferre Deus potest. Subducis hæc etiam, *vtpote in personas quas creauerat, & donis naturalibus & gratuitis dotauerat, & etiam conseruabat, & eadem ratione & eius Vicarius potest.* quib. missis extrema exscripsisti, *& eius Vicarius potest.* non ausus, opinor, vti ratione tam impia, qua dicatur Pontifex ha-

bere in creaturas potestatem, quam Christus, quatenus Deus, habet, quatenus Creator, Dotator & Seruator. Omisisti denique illam periodum, *nam non videretur Dominus discretus fuisse, &c.*

Non respondeo igitur Petro Bertrando, nisi eius sententiam indignam Christiano; te etiam erubuisse illam lectori totam dare. Quid enim sequeretur, nisi Papam in omnium opes mortalium, in omnium corpora, in omnium animas, absolutam dominij habere potestatem? vt bona auferat, transferat; domos exurat, corporibus tormenta exterius, aut intus morbos addat; sit vitæ, sit mortis ratus arbiter; animas etiam cum electis numeret, aut inter reprobas constituat; corda induret, infundat gratiam, cuius vult misereatur. Hæc enim omnia Deus potest. *Deus vltionum dominus, Deus vltionum libere egit.* Psalm. 93. *O homo tu quis es qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit quid me fecisti sic?* Ad Rom. 9. Hæc, inquam, omnia in homines potest Christus; *vt potè in personas quas creauit, &c.* vult autem disertis verbis iste Bertrandi, depositionis sententias & damnationis, *& quascunque alias*, quas Christus vt Creator, Dotator, & Conseruator, ferre potest, etiam Pontificem ferre posse.

En egregios astipulatores tuæ causæ; quibus excusandis laborandum magis erat, quam eorum sententiis, vt loqueris, obruendus Barclaius.

NVMER. XXXI.

IOANN. DE SYLVA.

IOANNES de *Sylua*, inquis, *Tract. de Beneficio, part. 3. quæst. 8. Et Papa*, inquit, *potest deponere Regem.*

Vellem addidisses prærogatiuas alias, quas ibidem Ioannes de Sylua concedit Pontifici. Erubuisses authore illo niti, aut erubuisset pro te lector. Audet enim dicere, *Item pro ista parte facit quod Papa dicitur Deus in terris, vt not. Baldus in l. final. C. sent. rescind. &c.* Paulo post, *Et licet ius diuinum disponat, quod in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, C. Nouit. de iudic. C. in omni negotio, de testib. c. Relatum, c. Cum esses, de Testamen. tamen Papa statuit contra illud, vt est textus in c. Præsul. 2. quæst. 4. &c.* Addit etiam, *Item Papa aliquando dispensat super matrimonio copula carnali consummato. text. in Cap. Quanto, De Diuort. licet sit contra ius diuinum, in quo dicitur, quos Deus coniunxit, homo non separet. Cap. 1. & 2. de Transl. Episc.* Et hunc hominem das nobis, Bellarmine, qui edoceat potestatem Papæ in Reges? Certè si Papa dicendus est Deus in terris, si potest statuere contra ius Dei qui est in cœlis, poterit non dubito, & abdicare Reges, & aliam, quam Christus, legem dare. Sed omittamus hos homines inepta blasphemia ita efferentes Pontificem, vt illum apud sectarios in inuidiam deducant, etiam in contemptum. Quod itaque addit de Regibus, eodem iure factum, & appendix diuinitatis illius quam præscripsit; Neque ipsi alia argumenta, quam hæc trita, Capitulum, *Ad Apostolica*, Canonem *Alius*, & Canonistarum sententiam in Cap. *per Venerabilem*, De quibus satis multa.

NVMER. XXXII.

STEPHANVS AVFRERIVS.

STEPHANVS *Aufrerius*, inquis, *in Tract. de potest. secularium, numero 5. & 6. Papa, inquit, ipsum Imperatorem tanquam inferiorem destituit, exigentibus causis: & in omnibus arduis negotiis, & maximis difficultatibus generantibus scandalum in Christianitate, Papa potest huiusmodi maioritatis ratione, se intromittere, etiam inter laicos, & exercere huiusmodi potestatem sibi à Deo attributam.*

Hæc verba in Aufrerio in *Introductione Tractatus De potest. secul.* & in *Additione ad repetitionem Clement. 1. de offic. Ordin.* ad verbum ex Panormitano ad Cap. *Nouit. De Iudicijs*, desumpta sunt; & neutrubi apud Aufrerium rationes; sed remittit nos ad 2. quæst. repetitionis illius Clement. *Vide vbi supra*, inquit *circa finem secundæ quæstionis.* Ibi habet septemdecim argumenta; vana mehercule, sed hic danda, tum ne inaudita sui opinionem moueant, tum vt constet quam egena sit verarū rationum vestra sententia, Primum Aufrerij argumentum; *quod dicit glossa in Clem. Ad nostrum. §. De hæret. videlicet quod secundum sanctum Dionysium Ecclesia militans diuinitus est ordinata & exemplata ad similitudinem triumphantis, Ioanne testante in Apocal. Et vidi Ierusalem nouam descendentem de cælo, &c. Et Exodi 25. fac secundum exemplar quod tibi constitutum est in monte. Sed in Ecclesia triumphante nō est nisi vnus solus Hierarcha, cui omnes Angeli & homines obediunt & intendunt, Ergo & in Ecclesia militante vnus est solus Hierarcha, cui omnes, tam laici, quam Clerici, tam Reges, quam cæteri, tenentur in spiritualibus, & temporalibus obedire: sed ille non potest esse Imperator, ergo est Papa, qui & temporalibus præesse potest.* Quam aliena, & extorta, in tanta disputatione ratio! Certum quidem, Ecclesiam militantem esse in aliquibus triumphanti conformem; videlicet, quod vtraque pro summo capite habeat Christum, quod vtraque sit Electorum collectio, quod vtrique Dei spiritus moderetur, quod vtraque sit columba, sit immaculata, sit sponsa. At vtramque in omnibus, ac præcipuè in regimine, conformem esse velle, mera prorsus insania. Certè in triumphanti non sunt aliqua, quæ dicantur temporalia, alia quæ spiritualia; in militanti distinguuntur; nec vult

con-

confundi vtraque Aufrerius, sed vtrisque præesse Pontificem. Non sunt Antistites in triumphanti Ecclesia, qui ministrent sacramenta, qui edoceant Dei legem, qui seminent spiritualia; sunt in militanti tamen. Non fides, non spes superest in triumphanti Ecclesia; at sunt ex præcipuis dotibus militantis. Boni & mali simul sunt in militanti Ecclesia; in triumphanti nulla malitia. Ab Ecclesia militante multi recedunt, excommunicatione, hæresi; apostasia; qui triumphantem semel ingressus est, nunquam excedet. Omitto innumera discrimina, quæ inter militantem & triumphantem Ecclesiam. Triumphantem igitur immediate Deus regit; militantem per Vicarios, Pontificem, atque Regem; quorum ille spiritualia, id est homines, quatenus Christiani sunt, regat; hic temporalibus, id est Christianis, quatenus sunt homines atque ciues, præfectus sit. Nec argumentum Aufrerij modo à nobis, sed & à vestrarum partium viris explosum. Ita Fern. Vasquius libro 1 Illustr Controu. Cap. 21. n 32. *Quod autē vulgo dicitur*, inquit, *Ecclesiam militantem, ad triumphantis imaginem exemplatam fuisse, nihil obest, quandoquidem quod simile est, non est idem, l. Quod Nerua, &c. & illa est quædam imitatio in illis duntaxat seruanda, in quibus eadem aut par ratio est, vt tradunt Doctores, &c. vbi autem diuersa ratio est, cessant omnes illæ limitationes, vt tradunt plene Alexand. &c. Si ergo & in specie nostra, nulli (modo sano & Catholico) dubium est, quin sit plusquam manifesta differentia inter Ecclesiam triumphantem, & militantem, quia illa regitur à Summo Deo, qui vbique est, isq; omnia ad nutum perfectissime potest disponere, ordinare, & prouidere. Hæc autem regenda si esset per vnum hominem, qui in vno duntaxat loco esse potest, non ita ab eo regi posset quoad temporalia, quæ exigunt frequētissimas rerū dispositiones, mutationes, ordinationes: quæ cum notissima sint, & ea naturaliter sentiamus in his legem quærere, esset (vt Philosophus ait) infirmitas intellectus.* En vt ex illa similitudine argumentum, pro Pontifice, aut Imperatore frustra contexitur.

Secundò, *Sicut vnus solus Creator est causa spiritualium & temporalium, & à quo omnia producuntur in esse, & vnus finis, ad quem sicut ad finalem terminum ordinantur omnia, sicut ipse testatur Apoc. 1. 21. & 31. & de consecr. distinct. 4. c. propriè. in fi. Ego sum alpha & omega, principium & finis. Sic vnus est omnium gubernator, & rector, tam spiritualium, quam temporalium: ergo vnus solus sub Deo Vicarius eius erit, habens totius regimen vniuersi, quantum ad temporalia, & spiritualia.* Neganda consequentia absurdi argumenti quasi vero vnus multarum rerum Dominus, gubernationem illarum non possit in diuersos partiri Vicarios. Vnus Rex omnibus regni negotiis præfectus est. An ideo non poterit alium iuri dicundo præficere, alium ad militaria destinare negotia.

Tertio, *Sicut duo ponere principia est hæreticum, vt de summa Trinit. cap. 1. & 2. sic & ponere duos Vicarios æquales in terris, est hæreticum. sa. gloss. in cap. Non autem. 7. quæst. 1.* Consequentia iterum risu digna. Populus Rom. in suis terris summus, nunquid Consules sæpe duos pari imperio ad idem bellum misit? Vnus Rex, vnus Papa, nonne Legatos, Iudices, Duces plures pari potestate vni destinabit negotio? Res experientia, & quotidiano vsu clara. Sed nec ponimus *duos Vicarios æquales in terris.* Sit sane Pontifex maior absolute Vicarius, quia spiritualia præcellunt ciuilibus. At nihilominus Reges distincto ab eius ditione præfecti Imperio, imò quantum ad temporalia maiores Pontifice.

Quartò, *In vno corpore materiali vnum est tantum caput, in quo vigent omnes sensus, & omnia membra regit: ergo in corpore mystico, quod est Ecclesia, vnum erit caput, cum vnum corpus simus in Christo: alioquin monstruosum esset Ecclesiam habere duo capita, sicut monstruosum esset in capite materiali, c. Quoniam, De offic. ordin. quod etiam innuitur 96. dist. c. Constantinus.* Hinc probatur spirituali capiti subiectos spiritualiter Reges, & è contrario ciuili capiti ciuiliter subesse Pontifices. Nam vt Ecclesia corpus est, & eius membra omnis gradus Christiani, ita & ciuile imperium corpus est, cuius membra omnes omnino homines, præter illos qui ipsimet ciuile constituunt caput. Et nos plura de isto argumento, Cap. 14. §. 2.

Quinto, *Ab exordio Mundi non nisi vnum Rectorem genus humanum legitur habuisse, sicut patet in diuersis statib. Mundi, ergo & modo debet esse vnus Rector, & Princeps. Assumptum probatur. In statu innocentiæ Adam præfuit omnibus, & semper præfuisset, si semper in innocentia perstitisset. Post peccatum vero, & in statu legis naturæ, suo tempore præfuit Noe super omnes. Postmodum Abraham, Isaac, & Iacob, quilibet eorum præfuit populo Dei, & cæteri permulti; ergo &c.* Nugæ. Adam iure naturæ atque sexus ante peccatum vni coniugi præfuit; postea, etiam suæ proli. Noe non ante imperauit omnibus, quam illi *omnes* essent vna vxor, tres filij, totidem nurus. Abraham, Isaac, & Iacob præfuerunt populo Dei (quandoquidem hunc populum appellat Aufrerius) quia populus Dei erat ipsa eorum familia, quam patrio & dominico iure regebant. At eadem tempestate, diuersi in Orbe terrarum Reges erant, & aucti Iudæi vixere sub diuersis, vt & deinde Christiani. Quis ferat tam absurda.

Sexto, *Papa potest absoluere Vasallos dominorum temporalium à iuramento fidelitatis. c. Nos sanctorum. 15. q. 6. quod non esset, nisi in temporalibus iurisdictionem haberet: ergo, &c.*

Septimo, *Zacharias Papa, Franciæ deposuit Regem, in Canon. Alius. 15. q. 6. Similiter Innocentius IIII. Fridericum Imperatorem deposuit; c. Ad Apostolica, De re iudic. lib. 6. Facit Clem. Pastoralis, de re iudic. in Cle.* En tritum omnibus vobis carmen, Pontificum in sua causa, & extra suam iurisdictionem iudicantium sententiæ. de quibus supra actum, & mox *num. 77.*

Octauo, *Statuitur in c. 1. De immun. Eccles. lib. 6. non licere his qui iurisdictionem habent temporalem, Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, ad distrahendum, vel alienandum, aut extra manum suam ponendum acquisita, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus compellere. Sed hoc non posset Papa statuere, nisi esset do-*

fit dominus temporalium: ergo, &c. Nihil hinc colligas, nisi Papam Ecclesiasticorum priuilegiorum ita esse custodem, vt interdicere sub Censurarum pœna possit, ne inferiores Iudices priuilegia violent à summis Principibus concessa Ecclesiæ: qualis est exemptio tributorum, de qua hic agitur à Pontifice, prohibente ne cogantur Clerici aut *collectas & tallias* persoluere, aut possessiones quas acquirunt *extra manum suam ponere*. Nam ante concessionem Principum hæc exemptio nusquam fuit, etiam sub piissimis Principibus, Constantino magno, Valentiniano primo; sub cuius filio scripsit D. Ambrosius, *si tributum petit* Imperator, *non negamus, agri Ecclesiæ soluunt tributum*. Hæc autem quid ad temporalem supra Reges potestatem? Sed nec primum istud Capitulum *de immun. Eccles.* quantum ad multa, in terris summe Catholicis videas obseruari, vbi nec potest Ecclesia iniussu Principis fundos emere, & Clerici pro patrimonij bonis, cæterisque quæ acquirunt, instar aliorum ciuium tributa persoluunt. Non igitur Pontifex *dominus temporalium*, cui non obtemperant Catholici, in his rebus imperanti.

Nono, *Scriptum est 1. ad Corinth. 6. & cap. Per Venerabilem, Qui fil. sunt legit. nescitis quoniam Angelos iudicabitis, quanto magis secularia? quasi dicas, si possumus iudicare spiritualia, multo magis secularia possumus & debemus*. Hoc argumentum, quod ab inuita Scriptura deducitis, infra solutum est, *capite 5. §. 4.*

Decimo, *Papa transtulit Imperium ab Oriente ad Occidẽtem, in cap. Venerabilem, de Elect.* De illa translatione agendum *capite 4. §. 6.*

Vndecimo. *Papa legitimat in temporalibus & spiritualibus, in cap. per Venerabilem. Qui filij sunt legitimi*. Imo, ita ibi Pontifex, *ex quo verisimilius creditur, & probabilius reputatur vt eos ad alios legitimare valeat seculares, præsertim si præter Romanos Pontifices inter homines superiorem alium non cognoscant, &c.* Vides ipsum Pontificem non pronunciare vt de re certa, sed tantum, esse *verisimilius & probabilius*, additque, præsertim in terris vbi Pontifex est Princeps temporalis. & recte, nam in illis tantum locis hæc legitimatio Pontificis locum habet. Vnde Glossa in hoc capit. *propter hoc tamen*, inquit, *quod legitimat aliquem in spiritualibus, non probatur quod habeat iurisdictionem in temporalibus: legitimare enim pertinet ad voluntariam iurisdictionem, &c. Item quia ad Papam nihil spectat de temporalibus, & sic videtur quod Papa quoad temporalia legitimare non possit, vbi non habet temporalem iurisdictionem.*

Ita Ioannes Parisiensis, Ordinis Fratr. Prædic. in Tract. de potest. Reg. & Papali. cap. 15. *Quod autem dicitur*, inquit, *quod Papa legitimauit in temporalibus, Responsio. Dispensare potest in temporalibus in terra propria, vbi habet iurisdictionem; alibi vero non nisi per consequentiam, vt notat Ioannes Andrea. vel melius, quod nec etiam per consequentiam potest in terra non subiecta sibi. Et ponit Richardus, quod dispensando in spiritualibus, dispensat per consequentiam & indirecte in temporalibus in terra sibi subiecta, vbi concedendo maius intelligitur concedere minus, quoniam vtrumque potest, sed extra non potest nisi in spiritualibus legitimare.* Et hæc quidem veritati consentanea, ita & paxi.

Duodecimo, *Papa cognoscit de omni delicto. cap. Nouit. De Iudic. Constat autem quod delictum benè committi potest in temporalibus, vt cum quis indebite sibi vindicat alienum.* Inane argumentum. Nemo negat esse Ecclesiæ edocere Dei legem, tam quæ ex mera fide est, vt de rebus, quæ de Trinitate, Resurrectione, Sacramentis credendæ sunt, quam quæ in agendo consistunt, vt ius suum cuique reddere, non furari, non occidere, licet illæ actiones quæ his præceptis imperantur, aut vetantur, versentur circa res temporales. Vtrumque igitur docet Ecclesia, & cognoscit de peccatis in vtrumque commissis, vt delinquentes corrigat, aut monitis, aut permissis sibi pœnis. At quam ridicula consequentia, *ergo & seculares res sunt in manu Ecclesiæ?* Imo nullum facinus ab Ecclesia aut Pontifice castigatur, sub ea ratione quod aut circa spiritualia, aut circa temporalia commissum sit, sed simpliciter, quod contra Dei legem, cuius custodia commissa Ecclesiæ. non potestas, inquam, aut aduersio in res, per quas, aut circa quas peccatum est, committitur Papæ, sed tantum spiritualis potestas vetandi peccati, & vbi commissum est, spiritualiter castigandi. Neque vltio aut prohibitio peccatorum, quæ circa res temporales committuntur, magis innuit potestatem in Pontifice temporalem, quam si ob crimen hæreseos aut Apostasiæ constituta esset aut lata. Licet enim circa res temporales, aut spirituales, delictum sit quod per Ecclesiæ sententiam vindicatur, illa sententia semper spirituale telum est, nec ad diuersitatem rerum naturam quoque mutat, ita vt diuersam in castigato subiectionem inducat, aut in castigante potentiam. Non res, inquam, sed delictum, censura respicit, quod siue circa temporalia, siue circa spiritualia commissum sit, semper spirituale est, capaxque vulneris, quod illo inuisibili excommunicationis mucrone infertur.

Decimotertio, *Cum Princeps vnus alteri iniuriatur, puta de feudo, potest iniuriam passus hoc denunciare summo Pontifici, in quo casu potest cognoscere de temporalibus, iuxta illud Euangelicum Matth. 18. Lucæ 17. Galat. 6. Eccles. 19. 1. Corinth. 8. Deuteron. 17. Iohan. 8. 2. Corinth. 13. Hebræor. 10. & in cap. Si peccauerit. 2. quæst. 1. & in prææleg. capit. Nouit, si peccauerit in te frater tuus. Vnde dicit Baldus in §. præterea, de prohib. feu. alien. per Fede. quod Papa est Iudex inter Regem Franciæ & eius Vasallos, quando deficit iustitia, vel Pares Curiæ nimis fauent Regi.* Huic argumento eadem, quæ superiori, Solutio. Nihil enim hinc aliud probes, quam posse Ecclesiam aut Pontificem iudicare de delictis quæ circa res temporales; non vero de temporalibus ipsis rebus. Vnde Pontifex in cap. illo, *Nouit.* De iudi. *Non enim intendimus:* inquit, *iudicare de feudo: cuius ad ipsum* Regem *spectat iudicium, &c. sed decernere de peccato,*

catio,

nato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura. Quod si de feudo lis sit, aut re alia temporali, & pars alterutra ad Papam recurrerit, tanquam passa iniuriam, non ideo rei temporalis iudicium deuoluetur ad Papam; sed illius tantum erit inquirere, an alteruter contendentium peccauerit, & tunc non temporalibus eum pœnis vlcisci, sed spirituali censura, quæ pro peccatis ferri potest.

Sic ille, in quem Pontifex aget, si sit innocens, parum à decepto aut irato Pontifice potest lædi; quandoquidem nec temporalia cogetur dimittere, nec vere excommunicatione ferietur; quæ non nisi ob peccata potest infligi. Non alia itaque in his casibus potestas Pontifici, quam excommunicanti adulteros, parricidas, hæreticos, vbi nec vmbra temporalis potestatis.

Decimoquarto, *Si qui fuerunt Imperatores in Imperio ius habentes, illud tamen propter eorum peccata, quæ commiserunt in Sanctos, ipsos occidendo, & præcipuè Summos Pontifices, priuati fuerunt iure Imperij: quia priuilegium meretur amittere, &c. 11. q. 3. cap. Priuilegium.*

O indignas hominis nugas! Nero, Decius, Diocletianus, persequuti sunt Christianos; an ideo & ipsi exciderunt Imperij iure, & quod magis est, innocentes eorum successores? Vbi Tertullianus, & illius seculi Christiani, qui infensissimos fidei Principes crediderunt, *secundos à Deo, post Deum primos, ante omnes Deos, & super omnes homines?* Ius etiam Imperii, propter Principis culpam, ab ipso Principe, & ab eius successoribus, imo & ab omni populo, esse sublatum? Vbi Democritus ad hoc Aufrerii argumentum?

Decimoquinto, *Ab eodem Deo producta sunt temporalia & spiritualia: omnia enim per ipsum facta sunt. Ioan. 1. 22. distinct. cap. 1. & 26. quæst. 5. cap. Episcopi. in fin. Papa igitur qui gerit vicem Dei in terris, similiter potestatem habere debet in spiritualibus & temporalibus.*

Mala consequentia. Probandum fuerat, Papam in omnibus esse Dei Vicarium. Nos enim contendimus spiritualem duntaxat Vicariatum illi, Regibus vero ciuilem assignatum à Deo, qui vnus spiritualium & temporalium Summus est Princeps.

Decimosexto, *Bona temporalia ordinantur ad spiritualia, tanquam organa & tanquam instrumenta. Vnde Philosophi posuerunt quod sine exterioribus bonis, quarum fortuna domina est, non contingit esse feliciter & virtuose operari. 12. 1. quæst. 2. cap. Saluator. vbi dicitur quod spiritualia sine temporalibus diu esse non possunt. Componitur similiter homo ex anima & corpore, vnde sicut ipsum corpus ordinatur ad animam, & instrumentum eius, mediante quo exercet operationes suas. sic ipsa bona temporalia & bona spiritualia ordinantur mediante Papa. Cum igitur Papa habeat prouidere de spiritualibus suis fidelibus, habere debet eodem modo facultatem prouidendi de temporalibus, sine quibus spiritualia in ista vita politica exerceri non possunt. Vnde Apostolis dicentibus dimitte turbas, vt emant sibi escas, dictum est, non habent necesse ire, date vos illis manducare.*

De subordinatione ista finium, de similitudine etiam inter animam & spiritualem potestatem; num denique datum Pontifici vt omnibus prorsus modis & imperiis procuret spiritualem finem, disserendum toto opere; præsertim *capit. 2. §. 4. capit. 3. §. 6. cap. 17. §. 1.*

Decimoseptimo, *Videmus quod temporalia & corporalia mouentur per Intelligentias, & per ipsas in eorum operationibus regulantur, in tantum vt Philosophi secundum numerum mobilium corporum posuerint numerum motorum, sicut patet 12. Metaphys. Istos etiam motores posuerunt, regulari & moueri ab vno motore primo, qui est Deus. Augustinus etiam dicit omnem substantiam temporalem & corporalem administrari per Angelos. Papa igitur, in quo est spiritualis potestas, habebit per ipsam potestatem spiritualem similiter disponere & ordinare de temporalibus.*

Similitudo scilicet aptata egregie. Sed ne in vanis morer; Satis dicere, motorem primum, qui DEVS est, per diuersas Intelligentias mouere corporalia, ita & per diuersas potestates hunc Orbem gubernare, Ecclesiasticam & Ciuilem: quæ ambæ spiritualem vim ab eo accipiunt, & tanquam à fonte, capite ac principio omnino dependent. Argumentum illud, inquam, non pro Pontifice, sed pro DEO. Sed nec ciuilis potestas, vt talis, ab Ecclesiastica quicquam habet, vt ab illa moueri tanquam ab Intelligentia, dici posit. Non, inquam; ab ea aut docetur, aut mouetur, sed ex se perfecta est; quod vel ex Ethnicis clarum, apud quos fuit vera potestas Politica, absque spirituali, vt fateris Bellarmine, *libro quinto, de Roman. Pontif. capit. sexto.* Neque ad rem quod illi, quibus ciuilis potestas committitur, mouentur per Ecclesiasticam, ad pios & Christianos ritus.

Nam & è contrario Pontifices, & cæteri, quibus Ecclesiastica potestas conceditur, mouentur per ciuilem ad Politicam viuendi rationem; teste Papa Nicolao in Canon. *Cum ad verum. 96. distinct.* vbi ait, ita Numen præscripsisse, vt Pontifices pro cursu temporalium rerum legibus imperialibus vterentur. Neque tamen ideo dixeris temporalem seu ciuilem potestatem; Intelligentiæ instar esse, quæ regat & moueat spiritualem.

NVMER. XXXIII.

GVIL. DVRANDVS, SPECVLATOR.

GVILIELMVS *Durandus*, inquis, *Episcopus Mimatensis, Speculator vulgo dictus, in speculo libro* 1. *tit. de Legato. §. nunc ostendendum. numero* 17. *Papa, inquit, deponit imperatorem propter ipsius iniquitates, & dat (Principibus) curatores, vbi ipsi sint inutiles ad regendum.*

Et hic Canonista acerrimus, qui ibidem primum ait sedem Apostolicam habere *vniuersale dominium*; mox addit posse Imperatorem & Reges, à Papa deponi, vel curatores iis dari. quæ omnia non argumento alio non authoritate firmat, quam tribus Capitulis iam toties repetitis, nempe capit. *Ad Apostolicæ.* Can. *Alius*, cap. *Grandi.*

NVMER. XXXIIII.

IOANNES FABER.

IOANNES *Faber*, inquis, *in legem primam, numero* 10. *C. de Summa trinit. & fid. Catholica. Sed inquit, de Papa non est dubium, quin sit superior omnibus Christianis, & in temporalibus, & in spiritualibus, & infra. Cum agitur de præiudicio animæ, vel populi, Papa potest vel debet, prouidere. & si necesse sit, quoscunque Reges deponere.*

Vide porro fundamentum, quo nititur Faber; nimirum (ibid. numero 10. & 11.) *quod ridiculosum esset dicere quin Papa in omnibus temporalibus haberet omnimodam superioritatē si exercere voluisset.* Ratio, quod *omnis iurisdictio in Vicarium transeat*, & *Papa sit Vicarius dominicus est; lenitudo, &c. & cui data est omnis potestas. Nullus enim negare potest quin Iesus haberet omnimodam superioritatem, si exercere voluisset, cum sit Creator, & sit dominus.* En vt vult Papam habere omnem potestatem quam habet Christus, vt Creator, id est vt Deus. Quid ore Christiano, quid aure indignius? Hinc colligit hanc *superioritatem supra Reges*; atqui æque collegisset potestatem patrandi ad libitum miracula, sanandi ægros, infundendi fidem, indurandi reprobas mentes. En vt non imperiti homines malarum sententiarum vitio ad absurda prolabuntur & impia. Refert deinde capitulum *Ad Apostolicæ, cap. Grandi*, & vnius aut alterius Canonistæ consensum. Hæc est tota illius in tanta re probatio.

NVMER. XXXV.

ÆGIDIVS BELLAMERA.

ÆGIDIVS *Bellamera*, inquis, *Episcop. Aueniononensis, in cap. Alius.* 15. *quæst.* 6. *num.* 2. *sic ait, Papa potest deponere imperatorem qui ab eo temporalitatem recognoscit. Et infra, Et in alios Reges, licet ab eo regna sua non teneant in feudum, nec temporalitates suas ab eo recognoscant, nec iuramentum fidelitatis ei præstent, videlicet, pro delictis, & negligentiis. & infra, Depositio autem Regum facienda per Papam, non ex illa ordinaria, sed quadam suprema, & absoluta potestate procedit: & quod illam supremam & absolutam potestatem Papa habeat, videtur multum æquum & Reip. valde expediens, scilicet vt sit aliquis supremus Monarcha, qui Regum huiusmodi excessus possit corrigere, & de ipsis iustitiam ministrare. Vide eundem, in cap. Nouit. de Iudic. & in cap. Solitæ. De maiorit. & obed.*

Neque noui aliquid in isto Canonista. Refert intolerandam vero & vere Imperatori sententiam, cum à Papa *temporalitatem recognoscere.* Hoc colligit ex rescriptis Pontificum. Ex iisdem quoque habet, cæteros etiam Reges per Romanam sententiam moueri loco posse. Porro de illius ratione, esse illud *multum æquum & Reip. expediens, &c.* disserendum est cap. 13. §. 3. vbi tu de eadem scilicet *æquitate* & publica vtilitate.

NVMER. XXXVI.

IOANNES QVINTINVS.

IOANNES *Quintinus*, inquis *Heduus, in repet. ad capit. Nouit. de Iudic. numero* 64. *Quare, inquit, ponimus vtrumque gladium Ecclesiæ datum esse, hoc est, Ecclesiæ Pontificem habere ius & potestatem in spiritualia simul, & omnia temporalia, atque de his statuere, & decernere ex causa posse, cuius decreto standum: nam quamuis homo sit mortalis, tamen cælesti potestate pollet. & infra, numero* 127. *Hoc, inquit, iure Papa Zacharias, Anno Christi nati* 753. *Childericum, longa Maiorum serie legitimum Galliæ Regem, & possessorem regno austo destituit, & in eius locum Pipinum Belgam substituit, causatum peccatum esse, hominem tantæ imparem potestati, inertem, & nihil agentem, Reip. gubernacula moderari: & infra. Hinc & Leo, vt Pontifex Romanus, eadem fultus authoritate Carolum pariter Gallorum Regem, Romanum creauit Imperatorem.*

Quæ

Quæ illa ratio, cui à Quintino subnectitur, *quare ponimus vtrumque gladium Ecclesiæ esse datum?* Nimirum, quia, inquit, *duo leguntur in sacris gladij, & vterque in Apostolorum manibus.* Certe duo gladij, sed veri gladij, & materiales, non figurate sumpti. Vnde ais, Bellarmine, (*libro 5. de Pontif. cap. 5.*) per hos gladios non intelligi proprio sensu & ad literam, spiritualem & temporalem potestatem, sed tantum ita mystice à quibusdam exponi. Dicis autem (*libro 3. de Verbo Dei, cap. 3.*) de his mysticis sensibus, quod *non semper constat an sint à Spiritu sancto intenti.* Sed nos vberius de his gladiis, capite 19. infra.

Quod vero illud ius, de quo Quintinus, *hoc iure Papa Zacharias, &c.* nempe ab illo sic conceptum, *semper in fidei & peccati materia ius Ecclesiasticum attendendum est, etiam in foro ciuili.* At probandum Quintino fuerat, esse *de fide*, quod deponi à Pontifice Reges possint; & esse *peccatum*, si populus in rebus legitimis obtemperet, legitimo quidem Regi, sed impio aut inepto.

Hæc vero neque Hæduus, neque tu recta ratione probaueris. Quot præterea errores in hoc Quintini loco? nam & corrupta Scriptura vtitur, & pro eo quod est *Deuter. 17.* dandum hunc morti, *qui noluerit obedire Sacerdotis imperio, & decreto Iudicis*; substituit, hunc mori debere *ex decreto Iudicis, qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio.* Ait quoque Papam Gelasium in Canon. *Alius 15. quæst. 6.* meminisse de depositione Childerici per Zachariam. Atqui ille Papa Gelasius plus ducentis & quinquaginta annis, ante Zachariam, aut Childericum mortem obierat. Quem errorem temporum tam immanem, vt fero in iis Canonistis, qui sub rudi historiarum & humanitatis vixere barbarie; ita in hoc nouo homine, & de tantis rebus, vt credit, sapiente, parum excuso.

NVMER. XXXVII.

REMVNDVS RVFFVS.

REMVNDVS *Ruffus*, inquis, *contra Molinaum, cap. 6. pag. 106. Non ignoramus, inquit, Leonem III. Pontificem Græcis ademptum Imperium in Carolum Magnum contulisse: id enim cum nostri Annales, tum Græcorum libri testantur: quod iure sibi quæsitum, & Carolus Magnus, & posteri Franci, Germanique putarunt. Omitto Pipinum à Stephano II. vel vt nonnulli, à Zacharia Regem factum, detruso in monasterium Childerico, ignauo, stupido, & bardo Rege.*

Nullum hic Argumentum de translatione Imperij; præter hæc verba, *id enim cum nostri Annales, tum Græcorum libri testantur*; nec de depositione Childerici per Zachariam, præter ista, *vt in Annalibus nostris scriptum extat.* Atqui Annales illi, & libri, nihil aduersus hanc, quam tuemur, sententiam; vt est disserendum vberius, *capite 4. & cap. 42.* Et licet dicat Ruffus *postea in instituto meo seruiens cogar causas harum rerum explicare*, nihil tamen apud illum in istam rem, quod aut nouitate, aut magnitudine argumenti disputationem mereatur.

Sententia quorundam Hispanorum, sub hoc titulo apud Bellarminum.

Sententia illustrium Scriptorum Nationis Hispanicæ.

NVMER. XXXVIII.

S. RAYMVNDVS.

SANCTVS *Raymundus*, inquis, *in Summa, libro 1. tit. de hæreticis. §. 7. Ex præmissis, inquit, inter alia collige notabiliter, quod iudex vel potestas secularis, non solum propter hæresim suam, sed etiam propter negligentiam contra hæresim exstirpandam, potest non solum excommunicari ab Ecclesia, sed etiam deponi: & extende hanc pœnam, & Ecclesiæ potestatem, quandocunque Princeps aliquis secularis fuerit inutilis, dissolutus, & negligens circa regimen & iustitiam obseruandam 17. quæst. 4. Si quis Princeps.*

Vanæ prorsus S. Raymundi rationes. Profert Canonem, *Si quis deinceps: 17. quæst. 4.* (Tu vero exscripsisti, *Si quis Princeps*, qualis Canon non in illa modo Quæstione, vel causa, sed nec in ingenti Decretorum volumine) & Canonem, *Nullus Episcopus. 11. quæst. 1.* etiam Canonem, *Præceptum. 32. quæst. 5.* Tum exempla Pontificum, id iuris, de quo agimus, in Reges vindicantium, tum etiam pro se scribentium; Domini quoque ad Ieremiam verba, *Ecce constitui te hodie super gentes, &c.* Quibus omnibus iam respondimus, *numero 16.* in Astensis rationibus.

NVMER. XXXIX.

PELAGIVS ALVARVS.

PELAGIVS *Aluarus*, inquis, *Episcop. Syluensis, ex ordine Minorum assumpt. in tract. de planctu Ecclesiæ, libro 1. art. 21. Papa, inquit, transfert Imperium, & confirmat Imperatorem, electum Canonice inungit, & coronat, & contumacem & persecutorem Ecclesiæ Imperio priuat.*

Quid hoc autem in cæteros Reges, quos Pontifex nec confirmat, nec inungit, nec coronat? Iam monuimus (& mox fusius, *capit. 2. §. 7.*) longe diuersam Imperatoris caussam esse, in quem Pontifex multis ex caussis sibi potestatem vendicat, & cæterorum Regum, quibus nullum ius temporale à Sede Apostolica, vel ex ipsorum confessione Pontificum. Sed nec mirum, si iste Pelagius in Pontificum partibus contra Imperatorem stetit. Pœnitentiarius erat Papæ Ioannis XII. & ex professo scripsit hos libros in defensionem illius Pontificis, cum excommunicasset Ludouicum Bauarum Imperatorem, & è contrario Ludouicus Imperator Ioannem de Papatu pellere, & Petrum de Corbario substituere moliretur. Vnde in istorum librorum præfatione. *Ludouicus Bauarus*, inquit, *intrusus, qui se pro Imperatore gerit*, & libro 1. artic. 30 *Bauarus tyrannus, qui se pro Imperatore gerit, &c.* Neque igitur mirum, si hic homo pro Pontifice, neque tantus vt nudo illius testimonio quisquam credat. Videamus quæ illi rationes. In *artic. 21.* quem citasti, nihil adfert, præter Canonem *Alius 15. quæst. 6.* capit. *Venerabilem*, *De Electión.* & capit. *Ad Apostolica, De re iudic. in 6.* cuiusmodi probationis genus iam ante explosimus. Remittit nos deinde ad ea quæ dixerat *Articulo 13.* vbi vix aliquid præter nugas, nimirum, quod *iurisdictionem habet vniuersalem in toto mundo Papa, nedum in spiritualibus, sed temporalibus, licet executionem gladij temporalis, & iurisdictionis, per filium suum legitimum Imperatorem, cum fuerit, tanquam per aduocatum & defensorem Ecclesiæ, & per alios Reges, & mundi Principes, &c.* & quod *Imperatores Pagani & Idololatræ nunquam iustè possederunt, accipiendo iustitiam Theologicè vel diuinè, &c. Regna ergò Idololatrarum & Paganorum Deum verè non colentium, ad Ecclesiam, cuius tamen antea erant, licet per eos occupata, non immeritò redierunt.*

Quale huic homini sinciput? Quod de Ieremia addit, *Ecce constitui te super gentes, &c.* in Astensis rationibus, *numero 16.* discussum est. De *duorum gladiorum*, argumento, quos hic homo vult Petro concessos, capite decimo nono agendum; vbi tu idem senis. Abeo à Pelagij deliramentis, ne Lectorem frustra morer. Nam quid futilius, quam deducere temporalem Pontificis potestatem ex eo quod Samuel populum rexerit? Verius elicuisset contrarium; quandoquidem vbi primum in Regem constitutus est Saul, cessauit temporalis hæc potestas Samuelis. Quid stolidius denique hac illius sententia? *Papa Vicarius non puri hominis, sed Dei est. Sed Domini est terra & plenitudo eius; ergo est Papa terra, & plenitudo eius.* En tu, quales aduocas, Bellarmine, tuæ caussæ patronos.

NVMER. XL.

IOAN. DE TVRRECREMATA.

IOANNES de *Turrecremata*, inquis, *S. R. E. Cardinalis doctissimus, in Summa de Ecclesia, libro 2. cap. 113. propositione quarta, docet Papam iure Papatus non habere extra principatum suum Ecclesiasticum potestatem in temporalibus directè: sed cap. 114. docet per sexdecim conclusiones, Papam in ordine ad spiritualia habere potestatem amplissimam in temporalibus. Referam hoc loco vnam tantum conclusionem. Quarta propositio. Romanus Pontifex videtur iurisdictionem etiam in temporalibus habere, quia non solum Principes seculares circa vsum suæ iurisdictionis delinquentes potest per censuram Ecclesiasticam coercere, verum etiam notabiliter negligentes à dignitate deponere. Videat lector totum Caput, & commentarium eiusdem authoris in capit. Alius. 15. quæst. 6.*

Variæ huic authori rationes (imo fons vestrarum rationum) vanæ tamen, & quæ plerumq; nec ad primos ictus stent. Eas hic omnes dabo.

Prima propositio est. Romanum Pontificem potestatem & iurisdictionem iure Papatus sui habere in temporalibus aliquo modo, colligitur ex eo quod eius principatus directiuus & præceptiuus sit potestati seculari in administratione sui officij, secundum exigentiam finis vltimi, qui est ipsa beatitudo suprema, ad quem omnes fideles dirigendi sunt.

Id probat ex subordinatione finium, & præeminentia *architectonici ad artifices.* At respondeo finem vltimum nō exigere, id est non esse necessarium ad administrationem vltimi finis eo modo, quo est commissa Ecclesiæ, vt possit Pontifex rebus præesse ciuilibus; & Principibus abrogare maiestatem, quia, vt egregiè Ioann. Parisiensis, cap. 14. de pot. Reg. & Pap. *licet iudex Ecclesiasticus habeat homines in Deum reducere, & peccato retrahere, & corrigere, hoc tamen non habet, nisi secundum viam à Deo sibi datam, quæ est separando à Sacramentis, & participatione fidelium.* Non, inquam, exigit vltimus finis, vt possit Pontifex malos Reges deponere, vt mox *nu. 42.* in Fr. Victoriam dicendum est, & vberius *capite 2. §. 4. & cap. 17. §. 1.* Non etiam simpliciter concessum Ecclesiæ, vt quocunque modo & imperio illi videbitur, salutem procuret mortalium, sed tantum determinatis à Deo limitibus spiritualib. nempe iussis, & spiritualibus pœnis; vt passim docendum est, & præcipue *capite 3. §. 6. cap. 17. §. 1.*

Secunda propositio. Romanum Pontificem iure Vicariatus sui habere in temporalibus iurisdictionem suam, aliquo modo ostenditur ex eo, quod omnium fidelium generaliter est à Deo pastor constitutus. Pastor quidem, sed spiritualis & in spiritualibus. Alioqui fœda, infanda sequerentur, vt infra dicendum ad idem argumentum, quo veteris Bellarmine, *cap. 31. §. 2. & cap. 33. §. 2.*

Tertia propositio. Romanum Pontificem temporalem etiam iurisdictionem iure principatus sui ostenditur habere ex eo, quod eius potestas se extendit ad cognoscendum de omnibus peccatis: non solum de his quæ sunt contra articulos fidei, & Sacramenta, in quibus principaliter Christiana fundatur religio, sed etiam de omnibus peccatis circa quascunque actiones personales, etiam seculares, commissis. Huic argumento supra respondimus, *num. 32.* ad duodecimam Stephani Aufrerii rationem.

Quarta propositio. Romanus Pontifex videtur iurisdictionem etiam in temporalibus habere: quia non solum Principes seculares circa vsum suæ iurisdictionis delinquentes potest per censuram ecclesiasticam coercere, verum etiam eos notabiliter negligentes à dignitate deponere.

Quinta propositio. Romanum Pontificem inde iurisdictionem temporalem habere manifeste ostenditur, quia non modo excommunicare potest seculares Principes, sed etiam ipsis in contumacia perseuerantibus, subditos eorum à Sacramento absoluere, ne eis fidelitatem obseruent.

Hæc vero constanter pernegamus. Nec argumenta sunt, sed ipsum disputationis, & quæstionis nostræ thema. Rationes porro huic authori ad istarum propositionum confirmationem non aliæ, quam hæ toties repetitæ, Canon *Alius 15. quæst. 6.* (quem etiam Gelasio Papæ tribuit, cum sit pars *Epistolæ* Gregorij VII. *ad Metensem Episcopum*) & capit. *Grandi; De suppl. negl. præl. in sexto.* Addit & Canonem, *Nos Sanctorum*, qui est eiusdem Gregorij VII. & Canon. *Iuratis*, qui est Vrbani II. quæst. 15. quæst. 6. qui Pontifices ex professo potestatem vsurparunt, de cuius æquitate iam certatur: & qui ideo nec vt iudices hic valeant, nec vt testes, vt ad eosdem Canones infra dicendum est, *cap. 23. §. 3.* Refert etiam Petri de Palude sententiam, eandem quam nos ante (*num. 25.*) excussimus.

Sexta propositio. Romanum Pontificem habere iurisdictionem in temporalibus ex eo ostenditur, quod vtrumque gladium habere dignoscatur.

De hac potestate gladiorum, *cap. 3. §. 3.* & vberius toto *cap. 9.* Nec aliquid in Turrecremata ad istam rem, quod tu non iis locis obiicias.

Septima propositio. Romanus Pontifex iure diuino habere videtur iurisdictionem temporalem aliquo modo, videlicet, nobiliori, & excellentiori, quam potestates seculares, quoniam ad eum iure summi Sacerdotis spectat declarare, definire, & iudicare dubia & ambigua, circa quascunque actiones hominum personales, quæ inter iudices inferiores, siue Clericos, siue seculares, variantur. Qui autem assertionem istam probes? Nimirum, inquit, *Deuteronomii 17. capite*, Atqui hoc nemo collegerit, nisi qui corrupta Scriptura vti volet.

Ibi quippe Deus iubet vt *morte moriatur* quicunque noluerit obedire Sacerdotis Imperio, & decreto Iudicis; Sed qui Pontificiæ potestati & mentem commodant & Scripturam, dicunt ibi iuberi vt *ex decreto Iudicis* morti detur *qui noluerit obedire Sacerdotis imperio.* Ita Turrecremata eum Scripturæ locum refert. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreto Iudicis moriatur.* cum longe aliter Scriptura habeat, *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.*

Quam mira, quam intoleranda Scripturæ peruersio? Sed de illa mox fusius, *numero 52.* ad Ludou. Molinam. Nulla tamen alia Turrecrematæ ratio; quæ nec vera nec verisimilis, cum neque Scriptura id habeat, neque ambiguas ciuilium rerum lites ad Pontificem deferri conueniat, cui Canonum scientia & cura, non possessionum & legum: non, inquam, deferri à Regibus, qui sunt ipsimet interpretandis legibus, & finiendis libris à Numine cōstituti, & quibus Iurisperitorum semper copia, Iudicum, Senatorum. non etiamà litigantibus; Alioqui miro astu deuoluantur omnia ad Romanæ Curiæ potestatem, nec aliud Reges sint respectu Pontificum, quam municipales Iudices respectu Præsidis Prouinciæ, aut Præfecti Prætorio; si nimirum post sententiam Regis liceat de eius æquitate ambigere, & rem illam veluti *dubiam & ambiguam* deferre ad Papam. Non repeto quæ in eam rem dixi *numero 16.* ad Astensis rationes.

Octaua propositio. Romanus Pontifex iurisdictionem habet temporalem ex consequenti adiunctam spirituali, eo quod concurrente casu euidentis necessitatis pro defensione fidei contra hereticos, aut contra inuasionem Paganorum, iure Principatus sui, quia caput est omnium fidelium & pater, potest exigere decimas, vel decimarum portiones à singulis fidelibus, secundum tamen debitam proportionem, ne alij sine ratione plus grauentur quam alij, ad succurrendum communi Ecclesiæ necessitati: & possit rebelles contradicentes per censuram Ecclesiasticam compellere.

Nulla hic Turrecrematæ probatio, nisi quod nobis incumbat necessariis ministrare parentibus; ergo Ecclesiæ atque Papæ. Fateor nos teneri; At non parentum est (qui sæpe iniusti atque tristes) vbi ipsis controuersia cum liberis, in sua causa ferre sententiam, & vt sic loquar *sententialiter* iudicare quid sibi & quantum debeatur. Inter parentes & liberos iudex est ille Princeps aut magistratus, sub quibus sunt. Inter Papam & Regem iudicat vtriusque

Iudex

index DEVS. Sed vt filius qui necessaria parenti denegat, etiamsi nulla iudicis sententia coercitus, facinore se obstringit, ita Rex eodem in Ecclesiam aut Pontificem modo peccans, ante illud supremum & euidens Numinis iudicium in crimen incidit: ideoque si censuram illi peccato addat Ecclesia, quæ peccatis lethalibus addi potest, valebit proculdubio; sed licet ob res temporales lata, tamen temporalia non adimet iura, quæ nulla excommunicatione à Principe possunt auferri. Dicam paucis. Vbi Pontifex has nummorum collationes fieri imperat, non vtique statim & semper incumbit Principibus parendi necessitas. Eorum est, consulere an iustæ illæ sint stipendiorum rationes. Cum Principatuum quippe nerui ex opulentia maximè & ciuium numero constent, necesse est prouideant Reges, ne ambitu Pontificis, aut Romanæ auaritia aulæ (quod sæpe accidisse historiæ testes sunt) exhauriantur eorum ditiones. Quandoquidem & ipsi sunt suarum Prouinciarum securitati à Numine destinati, & secretis consiliis ignotisque Pontifici, possunt scire ex sui populi incolumitate esse, ne inde milites ad extranea bella legantur, aut in stipendium erogetur pecunia. Ita Sanctus Ludouicus Francorum Rex, in sua Pragmat. sanctione. *Exactiones*, inquit, *& onera grauissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri impositas vel imposita, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum extitit, siue etiam imponendas vel imponenda, leuari aut colligi nullatenus volumus; nisi duntaxat pro rationabili, pia, & vrgentissima causa, vel ineuitabili necessitate, ac de spontaneo & expresso consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri.* Eduuardus verò I. Rex Angliæ, vetuit ne Hierosolymitani belli nomine ex singulorum bonis, vt Papa præscripserat, *decima* colligerentur. Res certa ex *Archiuorum* fide.

Si igitur iniustæ sint Pontifici causæ, iustè Rex illas spernet; & si eum excommunicet Pontifex, plus excommunicans ligabitur, quam excommunicatus. Sin iustæ sint causæ, iustè excommunicari potest Princeps, non vt propterea temporale ius amittat, aut inde colligatur temporalis potestas inesse Pontifici; quandoquidem non alia vi, aut alio iure feretur hæc excommunicatio, quam si ob crimen in rem merè spiritualem. Nam peccatum siue circa res temporales, siue circa spirituales committatur, semper quid spirituale est, & censura non petit rem, circa quam peccatum est, sed ipsum peccatum atque crimen: vt non magis Pontifex dici possit habere potestatem temporalem si Regem excommunicet denegātem necessaria ad Ecclesiæ vsum stipendia, quam si Apostatam, Hæreticum, Infidelem. vt superius dictum est. *num.* 32. ad duodecimam Steph. Aufrerii rationem.

Nona propositio. Romanus Pontifex arguitur habere temporalem iurisdictionem; quia ipse iure suo legitimat ad seculares honores, & dignitates; vt habetur in cap. Per Venerabilem Extrà, Qui filij sint leg. Hæc est vndecima Aufrerij ratio; quam soluimus supra *num* 32.

Decima propositio. Romanus Pontifex arguitur inde habere iurisdictionem temporalem: quia ipse iure pontificatus sui negligentibus domini temporalibus facere iustitiam subditis suis iniuriam patientibus, potest supplere negligentiam illorum. & iustitiam reddere quibuscumq. subditis negligentium dominorum. Hoc iam supra solutum est, *num.* 16. in Astensis argumentis.

Vndecima propositio, Romanum Pontificem habere potestatem & iurisdictionem temporalem, inconuincibili testimonio arguitur ex eo quod imperium Romanum à Græcis transtulit in Germanos, & potestatem ac ius eligendi Regem Imperatorem, postmodum certis Principibus contulit. Quam hoc inconuincibile argumentum facile vinci possit, dicendum inferius *cap.* 4. §. 6.

Duodecima propositio. Romanus Pontifex arguitur habere iure suo iurisdictionem temporalem in radice, quia vacante Imperio ipse habet iurisdictionem in temporalibus, vt in capit. Licet. de for. comp. dicit Innocent. III. & in glossa etiam notatur. Hæc assertio sola authoritate Pontificis nixa in rem suam iudicantis, & vt Imperatorem deponere, ita vacuum Imperium regere ambientis, cum argumenta non habeat, hic nec aliis argumentis refelletur, quam Almaini sententia, quæst. 2. de pot. Eccles. & laic. c. 5. *Dico*, inquit, *quod cum deest Imperator, ex institutione Christi Imperium non debet regi à Papa, imò ab Electoribus Imperatoris. & de facto ita est, quod regitur ab eis, & tametsi Papa ex institutione Christi haberet regere Imperium mortuo Imperatore; male facerent Electores si non permitterent eum regere; & in potestatibus malefactum est cedere iuri suo. Sed si Papa habeat regere, illud est solum ex institutione humana. Ideo vacante Imperatore, qui habent illum instituere, debent illud Imperium regere.* Hactenus Almainus.

De potestate quam habet circa infideles sit ista Decima tertia propositio. Papa potest auferre dominium siue ius quodcunque, quod habent infideles prælationis super fideles. At respondeo, Papam haud posse; nam vt ante monui *ad* 4. *& 5. propositionem*, hæc assertio non argumentum est, sed quæstionis pars, quæ inter nos agitatur. Vide quæ diximus supra *numero* 2. ad authoritatem S. Thomæ, qua sola hic nititur Turrecremata; & quæ dicenda inferius, *capit.* 3. §. 18. vbi iniquam hanc & Ecclesiæ infestam sententiam ostendemus, nec inter vos satis esse constantem.

Decima quarta propositio. Papa ostenditur habere potestatem in temporalibus, quia potest punire Iudæos forefacientes tam pœna temporali, quam etiam indirectè pœna spirituali: Imo neque Iudæos, neque Christianos, neque mortalium vllos potest Papa coercere temporalibus pœnis, nisi vel sub patrimonio Petri degentes; vel sub eiusmodi Principibus, qui Pontificiæ illi sententiæ sua sponte consenserint. Nam quod est ad *capit. 61. quarti Concilij Toletani*, quod Turrecremata laudat, expedita est ratio; id Decretum non ex potestate Concilij, sed ex regio nutu pendere. Ibi statuitur vt Iudæi quidam *publicis cædibus deputentur*, atqui constat neque Ecclesiam, neque concilium mortis pœnam posse sancire, vt antea diximus, numero 26. Sed hæc sunt

Toleti

Toleti constituta consulente quid agendum esset Rege, vt Capitulo 58. eiusdem Concilij dicitur, & Patrum sententiam approbante, *Capitul.* 74. sub finem.

Decima quinta propositio. Papa arguitur habere iurisdictionem in temporalibus, quia potest Principes apostatantes à fide priuare dominio temporali quod habent super fideles. Pene coincidit hæc propositio cum decimatertia; vt enim pernegamus posse Principem, qui ad CHRISTVM nunquam accesseris, per Pontificem regno priuari, ita & Principem qui à CHRISTO defecerit. Hæc, inquam, assertio est magna pars controuersæ quæstionis. Nec ratione probatur à Turrecremata, sed authoritate D. Thomæ, (de qua nos supra, *Numero* 2. & infra vberius, *Cap.* 21.) & quibusdam Pontificum sententiis, nempe Capit. *Absolutos*, *De hæreticis*, de quo à nobis infrà *Capite* 27. §. 3. & Cann. *Nos sanctorum*, & *Iuratos.* 15. *quæst.* 6. qui quantarum virium esse debeant vide *Capite* 33. §. 3.

Decimasexta propositio. Papa ostenditur habere etiam in temporalibus iurisdictionem, quia potest contra infideles hæreticos aut tyrannos contumeliosos fidei Christianæ aut occupatores bonorum Ecclesiæ, aut perturbatores pacis & quietis populi Christiani, indicere bellum, non quidem vt occidant, vulnerent, vel mutilent, sed vt fidem defendant, Ecclesiam & patriam liberent, & terram ab infidelibus occupatam, reducant ad CHRISTVM. *& super hoc potest licite & iuste dare indulgentias magnas arma ad hoc sumentibus.*

Potest, fateor, Pontifex bellum indicere & gerere, quatenus Princeps politicus, & populos qui in patrimonio Petri sunt tanquam temporalia Princeps armare, ducere. Nec illud ad quæstionem nostram. At cæteros Principes atque gentes non eadem vi vocabit in castra. Nam si non sit ad euidens religionis bonum, id belli, suo iure aspernabuntur ita iubentem Papam Reges; Sin hunc reuera Martem declinare Principes sine peccato non possunt, tunc id iubebit Pontifex, sed spirituali authoritate, nec magis temporalem arguente, quam si ageret de adorando vno Deo, de vi, de numero Sacramentorum. quandoquidem nō ideò imperabit bellum geri, quod bellum sit temporale quid, sed quod illius belli omissio sit peccatum in Domini legem, cuius illi commissa custodia, veluti & peccatum quoque esset, adorare plures Deos, non conuenire de vi, aut numero Sacramentorum. Vtrumque igitur pari potestate imperabit, & peccata in vtrumque commissa castigabit paribus pœnis, spiritualibus nempe, quas solas in sua potestate antiqua agnouit Ecclesia. Non igitur vis alia huius decimæ sextæ propositionis, quam octauæ. Nec video cur dixerit Turrecremata, posse Papam *bellum indicere; nō quidem vt occidant, vulnerent, vel mutilent, sed vt fidem defendant, &c.* An in eo discrimen inter Papam & Principes seculares? Imo Regum ac Principum nemo iure bellum ea mente & fine indixerit, *vt hostes occidantur, vulnerentur, vel mutilentur*; sed vt iniuriam à suis arceat, illatam vindicet, suos fines tueatur, & quæ cæteræ iusti belli rationes Et hactenus de *Propositionibus* Turrecrematæ. Nec illi in Ca. *Alius.* 15. quæst. 6. exempla alia, aliæ rationes.

NVMER. XLI.

CYPRIANVS BENETVS.

CYPRIANVS *Benetus Aragonensis*, inquis, *Ordin. Prædic. in lib. De prima Orbis sede, in resp. ad sextum, pro 2. parte conclusionis primæ. In traditione, inquit, clauium includitur etiam collatio terrenarum potestatum pro conseruatione bonorum spiritualium.*

Iam monui hunc errorem esse nouitium; neminem ex antiquis credidisse tam pollentes Petri claues; aut opus eiusmodi potestate *ad implendum salutare mandatum.* Quod si velit includi *directè* collationem terrenarum potestatum, seu directam potestatem, tu ipse Bellarmine, hominem refutabis. Ais enim (libro 5. de Rom. Pont. capit. 3.) *Ex Scripturis nihil habemus, nisi datas Pontifici claues regni cælorum: de clauibus regni terrarum nulla mentio.* Sin vult collationem eiusmodi *indirectè* includi, illum mox vna opera, teque absoluam, *Capite* 5. §. 3.

NVMER. XLII.

FRANCISCVS VICTORIA.

FRANCISCVS *Victoria*, inquis, *Ord. Prædic. de Potestate Ecclesiæ Relectione* 1. *quæst.* 5. *prop.* 8. *In ordine, inquit, ad finem spiritualem Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes Principes & Reges, & Imperatorem. & infra. Quando necesse est ad finem spiritualem, potest non solum omnia quæ Principes seculares possunt, sed & facere nouos Principes, & tollere alios, & Imperia diuidere.*

Audiamus rationem Fr. Victoriæ, quam non exscribis. *quia temporalia*, inquit, *aliquo modo sunt necessaria & ordinata ad finem spiritualem: ergo Christus non satis prouidisset & cauisset rebus spiritualibus, si non reliquisset aliquam potestatem, ad quam spectaret, quando opus esset ordinare & vti temporalibus conuenienter ad finem spiritualem. Sed hoc non spectat ad officium Principum secularium, qui ignorant proportionem rerum spiritualium ad temporalia, nec habent curā rerum spiritualium, ergo ista cura vtendi temporalibus ad spiritua-*

spiritualia, est potestatis Ecclesiastica, ergo si necessarium sit ad conseruationem, & administrationem rerum spiritualium aliquando vti materiali gladio, & authoritate temporali, Papa hoc poterit.

Multa hic ambigua, multa falsa. Sunt quidē temporalia aliquo modo necessaria spirituali fini, quia sine his temporalibus rebus nō viuerent homines, destinati huic mortalitati antequam vitæ æternæ. At vero ita subordinata esse temporalia spirituali fini, vt ad eum finem sit necessarium, temporalia in *dispositione* & potestate Præfecti spiritualis esse, falsum omnino, imo absurdum, vt infra disputabimus, *Cap.2. §.4. Cap.3. §.6. Cap.17. §.1.* Nam si est necessaria Ecclesiæ hæc potestas, certe est necessaria non modo vt de iure, sed & de facto possit, Reges spiritualem finem impedientes amouere. Quid enim interest ad Ecclesiæ finem, an à Rege legitimo, an à Tyranno, qui de regni iure deiectus sit, opprimatur; si Rex & Tyrannus pari periculo sæuiant, paribus viribus, pari violentia, imo sæpe maiori Tyrannus; quod in Principibus sæpe factum; qui depositi per Papæ sententiam, & suorum fidelitate seruati, multi atrocius in Romanam feruntur Ecclesiam, quam si omnino non essent depositi. Cur, inquam, sit necessarium vt possit Pontifex Principem clades inferentem Ecclesiæ de legitimo Principe, Tyrannum & iniustum Principatus occupatorem facere; non autem necessarium vt possit illis cladibus finem imponere, auferendo eiusmodi Principi tam potestatem, quæ facti est, quam quæ iuris? Nemo opinor concipiat. Cum vero potestatem deponendi *de facto* Principes non habuerit Petrus, non Apostoli, neque per multas ætates qui successerunt Pontifices, neque nunc sæpe Ecclesia, sequitur olim aliquid, imo nunc etiam, necessarium, defuisse & deesse Ecclesiæ (quod dicere blasphemum sit) aut non esse necessarium vt impij Reges ad Ecclesiæ sententiam suis regnis exigantur. Ita ruit argumentum Fr. Victoriæ. Satis enim *rebus spiritualibus cauit Christus* absque illa potestate, quandoquidem non est necessaria: Ex quo autem Principes accesserunt ad Christum, potestas temporalis sæpe vtilis ad spiritualem finem in Ecclesia est, non tamen Ecclesiæ, sed Principum, qui Ecclesiæ filij *ordinent & vtantur temporalibus conuenienter ad finem spiritualem.* Nam quod obiicit Victoria, *hoc non spectare ad officium Principum secularium, qui ignorant proportionem rerum spiritualium ad temporalia, nec habent curam rerum spiritualium*; aut falsum est, aut nimis ambiguum. Edoceri quidem Principes legem Dei à Pontificibus debent, sed deinde ipsorum est vti temporalibus ad spiritualem finem, secundum quod per Dei legem edocti sunt; & si ijs abutantur, nihil in eos iuris Ecclesiæ, præter spirituales pœnas. Audi vero quam falsum sit Principes seculares *non habere curam rerum spiritualium*; audi in hanc rem Isidorum, cuius sententia refertur Can. *Principes.* 23. *q.5. Cognoscant*, inquit, *Principes seculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesia per fideles Principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exiget, qui earum potestati suam Ecclesiam credidit.*

Secunda ratio Fr. Victoriæ est, quod *Resp. spiritualis debet esse perfecta, sicut & temporalis, & per consequens sibi sufficiens, &c.* quam disputationem nunc omitto, cum sit hæc tua *secunda Ratio Principalis*, Bellarmine, de qua agendum inferius, *Capite 17. & Cap. 18.*

Tertia ratio Victoriæ, *quia cum sint in vna Ecclesia relicta à Christo dua potestates distincta, ad conseruationem & incrementum bonorum tam temporalium quam spiritualium, & possint non raro oriri dubia & controuersia inter vtramque potestatem, non videretur perfectè prouisum Ecclesia, nisi esset aliquod iudicium, vbi terminarentur huiusmodi dubia, alias omne regnum diuisum desolaretur. Matth 12. Luc. 11. & non est rationale dicere quod hoc spectet ad Principes seculares, qui non possunt rectè iudicare de spiritualibus. Ergo videtur quod hoc potius spectet ad Principes Ecclesiasticos.* Ex argumento tam sublesto nihil aliud colligere audet Victoria, nisi, *ergo videtur, &c.* At repono *non videri*; nisi sic intelligat, iudicaturam Ecclesiam, vbi controuersia de spiritualibus rebus inter illam & laicos orietur; iudicaturos autem laicos, vbi inter Ecclesiam atq; ipsos lis erit temporalis. Nam vt diuino iure *non spectat ad Principes seculares iudicare de spiritualibus*; ita nec ad Principes spirituales de temporalibus ferre sententiam. Officia vtrorumque distincta sunt, & Deus has in Ecclesia potestates esse voluit, non misceri, non confundi.

Quod hic author, eadem lectione, propos. 6. differit, *de superioritate* spiritualis potestatis in ciuilem, nihil est nisi prima tua *Ratio principalis*: multis in locis pene ad verbum à te transcripta; quę omnia in suum locum reiicimus, id est in *Caput 13. & 14.*

NVMER. XLIII.

DOMINICVS A SOTO.

DOMINICVS à *Soto*, inquis, *Ordinis Prædic. in 4. Sent. dist. 25. quæst. 2. artic. 1. conclus. 5. Potestas, inquit, quacunque ciuilis eatenus est Ecclesiastica subiecta, in ordine ad spiritualia, vt Papa possit per suam spiritualem potestatem, quoties ratio fidei & religionis exegerit, nō solum Ecclesiasticarum censurarum fulminib. aduersus Reges agere, eosq; cogere, verum & cunctos Christianos Principes, temporalibus bonis priuare, & vsq; ad eorum priuationem procedere.*

Tria

Tria Dominico à Soto in istam sententiam argumenta; quæ omnia in tua Opera transtulisti. Primum, subordinatam esse ciuilem potestatem spirituali, ad eamq; referri; Secundum, necessariam esse temporalem potestatem ad spiritualem finem; quæ tua illiusque sophismata refellimus superiori Numero, ad primam rationem Fr. Victoriæ; tum mox vberius, *Capit.* 2. §. 5. *Cap.* 3. §. 6. *Cap* 14. §. 1. *Cap.* 17. §. 1. Tertium illius argumentum, Pontificem pastoris instar esse, arietis instar Regem. Istam quoque in te similitudinem explicamus *Cap.* 31. §. 2. *Capit.* 33. §. 2. *Cap.* 36. §. 2. Hæ sunt scilicet Dom. à Soto pro Pontifice rationes, qui & de legitimis Regibus vniuerse pronunciat (ibid. in 4. *Conclus.*) quod si quis ex iis *in tyrannidem prorumperet, citra iniuriam fidei, non Pontifici, sed Reip. incumberet, illum regno depellere.* Sanguinolentam sententiam, & multo plus populis infestam, quam Regibus. Neq; mirum qui ciuibus substrauerit Regem; Papæ quoq; substernere.

NVMER. XLIV.

ALPHONS. DE CASTRO.

A*lphonsus de Castro*, inquis, *Ord. Minor lib.* 2. *cap.* 7. *de iusta Haret. punitione, sic ait; Nec mirari debet aliquis, quod Papa propter heresis crimen Regem à regia dignitate deponat, & Regno priuet; quoniam in negotio fidei, etiam Reges, sicut & alii inferiores subduntur summo Pontifici.*

Non refers totam istius Alphonsi sententiam, qui execrando dogmati prorsus insistit, Reges & Principes si labantur in hæresim, etiamsi Pontifex eos nominatim non deponat, ipso iure esse depositos, nec amplius censendos in Regibus. Sic enim initio illius capitis, *Altera Hæreticorum pœna est*, inquit, *priuatio cuiuscunque Prælationis, iurisdictionis, & dominii, quod antea super homines cuiuscunq; conditionis habuissent. Nam qui Hæreticus est, ipso iure omnibus talibus rebus priuatus est.* Et infra: *Rex factus Hæreticus ipso iure est regno suo priuatus, & Dux suo ducatu, & Comes Comitatu, & idem de aliis populorum dominis, quocunq; nomine censeantur, dicendum est.* Sed nos vberius de impotentia tam infandæ sententiæ *Cap.* 27. §. 5. Reges igitur *in negotio fidei, sicut & alii inferiores*, subduntur Pontifici; At neutri ita subditi, vt vita, opibus, dignitate, exuantur. Probationes Alphonsi cæteræ hæ vulgares, ab exemplis Zachariæ & Leonis, quorum ille, vt volunt, regnum abrogauit Childerico, hic Imperium transtulit à Græcis in Francos. De quibus nos vt sæpe monuimus, *Cap.* 4. & *Cap* 42.

NVMER. XLV.

IAC. SIMANCA.

I*acobus Simanca Pacensis Episcopus*, inquis, *in lib. de Cathol. institutionibus, tit.* 45. *num.* 25. *Quamuis, inquit, Ecclesiastica potestas distincta sit à seculari, & Papa iurisdictionem ciuilem non habeat in secularium Principum regna: nihilominus tamen in ordine ad finem spiritualem habet Pontifex Maximus amplissimam potestatem in omnes Principes Orthodoxos. Vnde si Princeps aliquis inutilis esset, aut iniquas leges contra religionem, aut contra bonos mores conderet, aut quidpiam simile faceret in detrimentum rerum spiritualium, posset Papa seruatis iustis circumstantiis, congruum remedium adhibere, priuando etiam talem Principem administratione & iurisdictione.*

Nihil nouum in hoc homine. Argumenta omnia, aut iam excussa, aut certum in locum destinata; nempe quod Leo III. transtulerit Imperium, quod Gregorius V. instituerit Electores Imperii, de quibus vt monuimus, differendum, *Cap.* 4. §. 6. Addit Imperatorem à Pontifice confirmari, consecrari, & inungi, & solemniter iurare Pontifici; qua de re supra à nobis actum, *Num.* 6. ad rationes Aug de Ancona, & mox vberius *Cap.* 2. §. 7. Sed & ridiculum potestatem consecranti & vngenti in vnctum & consecratum tribuere. *Iungere, & coronare*, inquit Io. Maior, in 16. Cap. Matth. *nihil superioritatis arguit. Archipræsul Remensis Francum inungit, & alius Episcopus ex more potest eum coronare; non sequitur propterea illa maioritas in temporalibus. Sicut nec Hostiensis est maior summo Pontifice in spiritualibus, isto quod eum inungat; illa est solum solemnitas.* Pergit ad exempla Pontificum, qui adorti Imperatoribus dignitatem abrogare. De quo argumento nos vniuerse initio horum *Prolegomenωn*; mox etiam dicturi sigillatim, *Numero Prolegomenωn vltimo*, & deinde *Cap.* 2. §. 7. *Cap.* 41. & 42.

Aliud Simancæ argumentum quod cum Resp. spiritualis perfecta sit, *& sibi sufficiens vt se ipsam indemnem seruet, potest ad omnia facere quæ necessaria fuerint ad suum finem consequendum*, & quod *manca procul dubio eius potestas esset*, nisi posset Reges deponere. Eadem subtilitas in Fr. Victoria, cui Nume. 42. respondimus. Ait denique finem potestatis temporalis pendere à spirituali; posse igitur à spirituali potestate res humanas *ordinari & coerceri*. Concessa etiam Pontifici, cui Christus commisit omnes oues, necessaria omnia ad illi muneri *perfecte* obeundo. De his paulo ante in Fr. Victoria; & mox fusius. *Cap.* 2. §. 5. *Cap.* 3. §. 6. *Cap.* 17. §. 1.

NVMER. XLVI.

DOMINICVS BANNES.

Dominicus Bannes, inquis, *in 2.2.q.10 art.10. in fine Commentarii. §. Quarta conclusio. Ita etiam, inquit, à iure diuino positiuo est potestas quam habet Pontifex ad auferendum dominium & iurisdictionem ab infidelibus supra fideles: quando autem vtendum sit hac potestate, relinquitur eius dominio vel iudicio. & q. 12. art. 2. in Comment. §. Circa vltimam conclusionem, Ecclesia, inquit, non tantum priuat dominio in subditos Principes Apostatas perfectè, verum etiam illos, qui lapsi sunt aliquo pacto in heresim.*

Duo sunt argumenta, ex quibus sibi visus est Dominicus Bannes hanc assertionem deducere. Primum, quia 1. ad Corinth. 6. *Paulus reprehendit fideles, quod lites habebant apud tribunalia infidelium, quibus erant subiecti; ergo in Ecclesia est potestas prohibendi talem iurisdictionem.* Vana verba. Ipse B. Thomas (cui addictus Bannes) in Commentario ad hunc locum, dicit ab Apostolo nihil esse præceptum *contra subiectionem quæ debetur Principibus*; addit porro rationem; quia hoc esset præcipere *contra ius diuinum.* Quod quid est aliud, quam dicere Apostolum aut Ecclesiam id non potuisse præcipere, quandoquidem diuino iuri repugnans est? Ibi tantum monentur Christiani ne sponte apud Ethnicos Iudicea litigent, *si* controuersiæ commode possint per Arbitros Christianos terminari; *saluo iure Principis infidelis.* Sed nos de his fusius *Cap. 25.* Secundum argumentum Dominici Bannes; *Cum*, inquit, *vinculum matrimonii sit natura sua indissolubile, dissoluitur tamen in fauorem fidei, quando alter coniugum fidelium conuertitur ad fidem, altero nolente conuerti, nec sine iniuria Creatoris conuersari.* Nec id ad rem. Hoc enim Coniugi ad fidem accedenti permittitur expresso Dei verbo nobis per Apostolum consignato, *1. Corinth. 7.* Secus de infideli Principe per Ecclesiam abdicando; de quo verbum nec in Scripturis vllum, nec in Patribus; nec vestigium in antiquæ traditione Ecclesiæ. At nec illud à coniuge infideli diuortium, ab Ecclesia pendet aut Papa, sed à fidelis coniugis voluntate, cui hæc recessio permittitur, non iubetur, vt recte B. Augustinus *lib. 1. de adulter. coniug. Cap. 18.* Deniq; duo hæc, & diuersa, diuini iuris præcepta sunt, Regi obsequi, & coniugi ad mortem adhærere: quod si ex iis mandatis alterutrum in aliquo casu laxatur, eodem iure diuino; an sequitur etiam aliud relaxari? Vteris tamen hoc eodem argumento *Cap. 23. §. 1.* Cui ibidem vberius respondendum.

Secundus locus quem ex Banne exscribis, *Ecclesia non tantum priuat dominio, &c.* non aliter ab eo fulcitur quam his verbis, *quod factum est cum Rege Anglorum Henrico VIII. & cum Duce Saxoniæ.* Egregia Philosophia, cum *de iure* quæramus, *de facto* respondere. Cuinam autem emolumenti hæc Henrici VIII. abdicatio? damnatus à Papa subditorum tamen, etiam Orthodoxorum; fide incolumia ad vltimam senectutem præfuit Regno. Sed & ob vestræ importunitatem sententiæ, tunc ex Anglia prorsus expulsa, quæ ibi antea pene regnabat, Pontificis Romani & Romanæ Maiestas Ecclesiæ. Non necessarium tamen ad spiritualem finem vt possit Ecclesia Principes *de iure* abdicare, nisi & necessarium, vt possit iisdem *de facto* auferre Imperium, vt paulo ante in Fr. Victoria docuimus; dicturi passim plura.

NVMER. XLVII.

MARTINVS LEDESMIVS.

Martinus Ledesmius, inquis, *in secunda quarta. q. 20. art. 4. concl. 8. In ordine, inquit, ad finem spiritualem, Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes Principes, & Reges, & Imperatores.*

Vulgaris ratio pro hac potestate Pontificis; id spiritualis finis procurationem requirere. At vero neq; nominatim appendicem eiusmodi tributam à Christo Pontificiæ potestati contenditis, sed tantum per consequentiam colligi; nos autem hanc consequentiam non esse necessariam, sed fictam, sed inanem sat probamus *Cap. 3. §. 6. Cap. 5. §. 5.* Certum porro nihil Papæ iure diuino concedi, nisi quod aut illi nominatim Christus dedit, aut quod inde necessaria consecutione deducitur.

NVMER. XLVIII.

GREGOR. DE VALENTIA.

Gregorius de Valentia, inquis, *in 2. 2. disput. 1. q. 12. punct. 2. asser. 2. Iure, inquit, Ecclesiastico per summi Pontificis authoritatem, atq; sententiam, omnino potest quis dominio & prælatione erga subditos priuari, propter peccatum Apostasiæ à fide; neq; est de hac assertione dubium vllum apud vere Orthodoxos.*

Nemo hoc homine aut in Reges atrocior, aut in sua sententia confidentibus audacior verbis. Nunc dicit probari à se *irrefragabiliter*, nunc, *manifestissima argumentatione*, hanc Pontificis potestatem in Principes. Parturient montes, nascetur ridiculus mus. Audet etiam erumpere in hæc temeritatis verba, *neque est de hac assertione dubium vllum apud vere Orthodoxos.* Veniamus ad illius argumenta; quorum primum horrendum, infandum, de Christiana tollendum memoria, nempe Regibus ac Principibus, si à fide defecerint, posse per Pontificis sententiam adimi ipsā vitam, igitur multo magis dignitatē. Ita loquitur, *Iure Ecclesiastico, atq; adeo per Summā*

Pontifi-

Pontificis authoritatem, atque sententiam, summus potest quis dominio & prælatione erga subditos priuari propter peccatum Apostasiæ à fide &c. Probatur autem hæc assertio, Primo, & quidem irrefragabiliter illis omnibus argumentis, quibus quæst. præced. punct. 3. conuicimus posse Hæreticos & Apostatas à fide, priuari etiam ipsa vita per Ecclesiæ authoritatem. Nam si vita possunt priuari, multo magis omnibus aliis bonis, atque adeo etiam prælatione in alios; cum omnibus eiusmodi bonis temporalibus vita præponderet, & ea sublata, reliqua omnia tollantur. Quis ferat tam impium dogma? ergo Ecclesia sanguinem nouit; ergo non de Ecclesia Episcopus, sed de vita deiiciet; ad custodiam, ad Tortorem, amandabit, non ad limen Ecclesiæ? Potuerat hunc hominem docuisse Augustinus, eo loco quem ipse pro se exscribit (epist. 50. ad Bonifac.) mortis aut exilii pœnas in Hæreticos, non ab ipsa Ecclesia, sed à Principibus Politicis esse sancitas. Sic enim de Hæreticis, *Quod dicunt*, inquit, *qui contra suas impietates leges iustas constitui nolunt, non petiisse à Regibus terræ Apostolos talia; non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem* LEGES FERENDO *seruiret, quando adhuc illud propheticum implebatur; Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: Astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Psalm. 2. Nondum autem agebatur, quod paulo post in eodem Psalmo dicitur; Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo atq; plectendo?* Et quamquam de vitandis Hæreticis multa Patres, de conuersandi periculo, de pœnis quas merentur, nusquam tamen hanc temporalem puniendi potestatem Ecclesiæ esse dixerunt. Vide quæ diximus *Num.* 26. Cætera quæ iste Gregorius pro illa potestate, tibi sunt cum illo communia, ideoq; non hic in illum, sed mox in te refutanda.

N V M E R. XLIX.

GVIL. DE MONFERRAT.

G*Vilielmus de Monferrat*, inquis, *Catalanus, in Tract. de successione Regum, num. 30. Papa, inquit, Vicarius Christi cum causa potest quemcunq; Christianum Principem priuare, prout priuauit & deposuit Childericum Regem Franciæ, & in eius locum Pipinum instituit, & Romanum Imperium à Græcis transtulit in Germanos.*

Nulla huic homini ratio, nullum argumenti vestigium præter Canonem *Alius.* 15. qu. 6. & Cap. *Venerabilem, de Electione*; Piget toties rem vnam iterare.

N V M E R. L.

ALPHONSVS ALVAREZ.

A*lphonsus Aluarez*, inquis, *in Speculo, Cap. 16. Hinc, inquit, est quod (Papa) Imperium transferre potest de certo genere personarum, cum maxima causa, ad aliud genus. & infra, & ipsum Imperatorem tanquam inferiorem destituit, exigentibus causis maximis & arduis.*

Quod vero fundamentum, aut ratio, vnde hanc Aluarez potestatem collegerit? ait enim, *hinc est quod &c.* Nimirum quia potestas temporalis in Imperatorem deriuatur, inquit, *per debitam & subalternatam emanationem à Vicario Christi Iesu, apud quem sunt iura cælestis & terreni Imperii, vt dicit textus. 22. dist. Can. Omnes.* At hunc Canonem ipse fateris, Bellarmine, de spirituali tantum potestate intelligi, & Almainus dicere non timuit *sapere hæresim nisi sane intelligatur*; Ioannes autem Parisiensis, Dominicanus illustris, ad eundem Canonem, *vbi quæritur*, inquit, *de potestate Papæ, in temporalibus efficax est testimonium Imperatoris pro Papa, & non est multum efficax testimonium Papæ pro seipso.* Sed vt exponitur ab isto Aluarez, Scripturis, historiis, communi deniq; sensui repugnans est; quando quidem & ante institutum à Christo Pontificatum veri & legitimi Reges erant, neque somniauit sanæ mentis aliquis in primatu Petri ablatum Ethnicis Imperatoribus principatum (*non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.*) aut denique Constantinum vbi Christianus factus est, excidisse antiquo regni iure, & (vt loquitur Aluarez) *per debitam & subalternatam emanationem* à Siluestro *Vicario Christi* accepisse imperandi potestatem. Audet tamen Aluarez ex commento tam indigno istud grande deducere, *hinc est quod Imperium transferre potest, &c.* Ludicrum & fluxum fundamentum; ruinosæ quoq; ædes.

Quæ ex illo addidisti, *& ipsum Imperatorem tanquam inferiorem destituat*, rationibus nullis firmat, sed deducit velut ex concesso scilicet principio, iura cælestis & terreni Imperii esse à Christo commissa Pontifici. Concludit pulchris his verbis. *Nonne igitur iuste Iulius II. Sanctissimus Pontifex Maximus, Ioannem Regem Nauarræ, Schismaticum, Hæreticum, Apostolicæ Sedis hostem publicum, atq; reum læsæ Maiestatis declarauit; regnumq; & omnia eius bona publicauit primo occupanti, atq; nominatim Catholico Regi Hispaniarum, concessit?* Vides hominum sensus, vides mentem, quos producis in sententiæ tuæ testes.

NVMER. LI.

ANTONIVS CORDVBENSIS.

ANtonius Cordubensis, inquis, *Ord. Minor. lib. 1. Quæstionarii. quæst. 57. dub. 3. Potestas, inquit, ciuilis subiecta est, non quidem potestati temporali Papæ, sed spirituali, aliquo modo, in casu necessitatis vel magnæ vtilitatis spiritualium. Et Ecclesia, & maxime Papa, habet potestatem & authoritatem, vel iurisdictionem aliquam temporalem in ordine ad finem spiritualem super omnes homines, & Principes, & res omnes, & Regna totius Mundi.*

Neque hic aliquid refutatione noua dignum. Primum, secundum, & tertium Cordubensis argumentum, nihil est aliud, Bellarmine, quam *prima tua ratio principalis*, de qua à nobis infra *Cap. 13. & 14.* Quartum illius argumentum, ex potestate quæ antiquæ legis Pontifici tribuitur, *Deuteron. 17.* de qua sequenti Numero, in Ludouico Molina dicendum est. Subiungit primam, secundam & tertiam rationem Fr. Victoriæ; quas supra excussimus, *Numero 42.* Addit & quædam ex Scripturis argumenta vobis trita, de pastu, de clauibus, de gladiis, de quibus aut iam actum est, aut monuimus quem in locum seruatentur. Non omiserim, ex illius sententia Episcopos omnes posse dignitate illos Reges exuere qui in sua diœcesi commorentur, cum enim id iuris vniuerse Romano tribuisset Pontifici; *Imo*, inquit, *& Episcopi in suis Episcopatibus idem iure diuino facere possunt proportionabiliter, nisi per Papam illis prohibeatur.* Quæ illa non Regnorum modo, sed Orbis, sed Ecclesiæ exitialis & infanda pernicies? Regem à subdito posse deponi? tot esse Iudices qui Regnum possint adimere, quot erunt Episcopi, in quorum Diœcesibus commorari contigerit Reges? Sed alibi plura commodius de vitio tam horrendæ, tam antiquis ignotæ sententiæ.

NVMER. LII.

LVDOVICVS MOLINA.

LVdouicus Molina, inquis, *tomo 1. de Iustit. & iure, tract. 2. disp. 29. concl. 3. Potestas, inquit, spiritualis summi Pontificis ad finem supernaturalem adiunctam quasi ex consequenti habet supremam & amplissimam potestatem iurisdictionis temporalis super omnes Reges, & reliquos qui sunt de Ecclesia; præcise tamen quantum postulat finis supernaturalis ad quem spiritualis potestas ordinatur. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest summus Pontifex deponere Reges, eosq; Regnis suis priuare.*

Nemo audiat patienter Molinæ sententiam, nisi priscæ ignarus Ecclesiæ. Ibidem enim ait posse Papam exequi spirituale suum munus *vi & armis non secus ac quiuis alius Princeps secularis.* O dogma veteribus Christianis execrandum! Argumenta porro Molinæ: primo hanc in Rege potestatem fini supernaturali esse necessariam, imo *simpliciter necessariam*; quæ de ratione iam egimus *Num. 42.* acturi vberius, *Cap. 2. §. 5. Cap. 3. §. 6. Cap. 17. §. 1.* Deinde, Remp. spiritualem & secularem non esse duas Resp. & finem Politicæ subordinatum spirituali fini. hæ sunt probationes, *rationis tuæ primæ principalis* excutiendæ inferius, *Cap. 13. & 14.* Addit Summum Pontificem esse Pastorem vniuersalem totius gregis Christiani, ita tu in tua *quinta ratione principali*, de qua agendum *Cap. 26. §. 1. Cap. 31. §. 2. Cap. 33. §. 2.* Adiungit exemplum Sacerdotum veteris legis; potuisse eos de temporalibus iudicare, vbi cæteri Iudices non satis conuenirent; ergo & iam Pontificem habere temporalem potestatem. Ait hoc haberi *Deuteron. 17.* Vanum & indignum argumentum. Primum enim illa lex populo data multo antequam Reges essent, & relata ad tempus quo Reges non haberent; vt patet illis verbis. *Venies que ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore.* Nam Iudæi à Mose ad Saulem Iudices habuere, non Reges; vnde *Cap. vltimo Iudicum*, dicitur, *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* At nec iubet hic Moses, Sacerdotis duntaxat obseruari sententiam; sed *Sacerdoti* iungit *Iudicem qui fuerit illo tempore.* Non igitur ambigua iudicia ad spiritualem modo, sed & ciuilem Iudicem vult deferri. Vero & genuino sensu, populus iste liber, ne libertatem in effrænem licentiam verteret, iubetur in litibus quas non vult ea municipum terminare sententia, Sacerdotum saltem, & Iudicis publici, qui alias, vt recte Lyranus, potestatem coactiuam non habebat, iudicio esse contentus. Qua igitur licentia hoc ad summum transferamus Pontificem, cum iam Reges sint quorum iudiciis acquiescere debeant ciues, & ad quos dubia & ambigua rei politicæ, omnesq; iuris ciuilis apices deferri oporteat; cum deniq, in hoc loco, Scripturæ non de Sacerdotibus magis, quam de seculari iudice agat Moses?

Non abs re fuerit hic monere quam enormi vitio Scripturam corruperint, aut corrupta vsi sint, qui in Decretalibus retulerunt Capitulum, *Per Venerabilem*, *Qui filii sint legitimi.* Malo hunc errorem imputare scribentibus, quam Innocentio III. qui Capituli huius author. Pro eo enim quod in Scriptura est, *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel*: refertur in Cap. *Per Venerabilem.* *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreta iudicis morietur.* Qui error multis authoribus erroris causa fuit, plus in rescriptis Pontificum, quam in Scriptura doctis. Corruptus & apud Molinam locus, qui pro his verbis, *& decreto Iudicis*, supposuit, *ex decreto Iudicis.* Inde volunt Iudicii imperatum, vt morti

addi-

addiceret hominem, qoi ooluisset obedire Sacerdotis imperio, cum Scriptura looge aliter dicar, hunc debere per liberum Populum morte plecti, qui io Sacerdotis & Iudicis sententias contumax esse aodetet.

Redeamus ad Molinam. Dicit quod hæc de temporali potestate Pontificis opinio, *est expressa sententia Beraardi 4. de Consider.* ad Eugeniom Bernardo impooit, quem ab illa fospicione vindicamus, infra, *Cap.19. §.1. & 2.* Profert deniq; aothoritatem Io. de Turrecremata, *lib. 2. Summa, cap.114. proposit.8.* Coi paulo aote respoodimos.

NVMER. LIII.

DIDACVS COVARRVVIAS.

D*idacus Couarruuias*, inquis, *in Tractatu de Restitutione, super regulam, Peccatum. p.2. §.4. q. num. 7. Hac, inquit, sententia vera est in hoc sensu, vt Papa vere habeat potestatem temporalem, etiam super Imperatorem, quatenus ea vtilis & necessaria sit ad Ecclesia Catholica regimen, & spiritualis potestatis vsum.*

Profers hic Canonistam, uulla authoritate oixum, nisi Nauarri, in Cap. *Nouit.* ratiooe prorsus oulla. At quis neget Canonistas vt plurimum ita sentire? Illos ipsos in quos professum nobis bellum. Exscribis Cooaarruuiæ verba in huuc modum. *Hac sententia vera est in hoc sensu &c.* Quæ autem sententia? oempe, *summum Pontificem etiam temporalem in toto Christiano orbe iurisdictionem & potestatem immediate sibi à Deo commissam habere, habitu quidem, cum eius vsum & exercitium in Imperatorem transtulerit.* transtulerit in Imperatorem? quo seosu id verum sit? quis cordatus non ıdebitıum ad translationem illam; tum ad hanc interpretationem Couarruoiæ, qui sic intelligit, *transtulerit, in Imperatorem*, id est, *posit ab Imperatore auferre.* Dicit enim, eo sensu illam sentontiam esse veram.

NVMER. LIV.

FERNANDVS VASQVIVS.

F*ernandus Vasquius*, ioquis, *lib. 1. Illustrium Controuersiarum, capit. 21. Caterum, inquit, Papa habet etiam iurisdictionem in temporalibus, quatenus necessaria sunt ad spiritualium expeditionem. & infra, Id quod admittant communiter vtriusq; partis fautores.*

Cur non dabas Vasquii rationem? certe eoim & breuis est, & interiacet verbis quæ ab eo retulisti. Ea est ex *l. 2. D. de Iurisd.* vbi dicitur, *Cui iurisdictio data est, ea qaoq; concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit.* & ex Cap. *Cam quid. De regal. iur. in 6.* tum addit Vasquius. *Sunt enim hac spiritualis iurisdictionis appendicea. l. Si quis heres institutus. D. de acquir. hareditate, ibi; sunt enim appendices pracedentis institutiona. id quod admittunt communiter vtriusq; partis fautores.* At ex illa quidem lege collegeris, appendicem cohærere principali, sed nusquam temporalem potestatem esse spiritualis appendicem. Neq; enim ibi illa quæstio, oec Vlpianus, ex quo lex desumpta est, aut entauit, aut sciuit quid esset illa spiritualis authoritas. Nam quod Vasquius dicit, id communiter à fautoribus vtriusq; partis admitti, intelligendus est de fautoribus directæ & indirectæ potestatis, qui aduersi omnes nobis, nec appendicem eiusmodi idooea ratione firmarunt, sed coniecturis, sed sophismatis, quæ nec mouere Iudices in priuata lite possint; quid ergo in tanta, tam poblica quæstiooe? Sed de tanti pooderis appeodice mox fusius, præsertim *Cap. 5. §. 4. & 5.* Neq; enim pluribos opos in Vasqusum, apod quem ne vel vmbra argumenti, quo consequeotiam illam seo *appendicem* probet.

NVMER. LV.

MICHAEL DE ANINYON.

M*ichael de Aninyon*, inquis, *in Tract. de Vnitate Ouilis, & Pastoris, num. 12. Penes Papam, inquit, est vtraq; saprema potestas, licet non habeat vsum gladii temporalis: & qaia potestas Papa immediate à Deo emanauit, & ipsi soli Deo sabest: potestas vero Imperatoris à Vicario Christi, cui est sabordinata; ideo Papa potest Imperium de certo genere personarum transferre ad aliud, & Imperatorem vngit, & coronat, confirmat, approbat, & reprobat, ac etiam deponit causis exigentibus.*

Quam supine errauit (tibi scilicet parco) cui fidem babuisti io his colligendis authoribus! Saltem Caput aunotares apud Michaelem de Aninyo, ne in quærendis labor esset. Librum enim distioxit iu Capita, & Capita in Numeros. Sed oblitus sis scribere id haberi *Capite 23.* Quis ferat dare te sub Aninyonis nomine, relatam ab Aninyone Panormitani senteotiam, relata qooq; verba? ita me fides amet imperite, aut peruicaci fraude, vt sub diuersis nominibus vestrorum testium index crescat. Ita igitur Michael de Aninyon. *Papa potestatem immediate dicitur à Deo habere, Imperator vero & Reges à Papa, Capit. Nouit. de Iudiciis, vbi Panormitanus late in glos. 2. num. 12. vbi dicit qaod penes Papam est vtraq; suprema potestas &c.* tibi placuit, omissis soperioribus, hæc tantum nou vt ex Panormitano referre, sed vt ex Aninyoois verbis, *penes Papam est vtraque suprema potestas &c.* Et bic qoidem Aninyon cum fide Panormitani sententiam refert, & illius, vt plurimum verbis. Apud neotrum probatio, nisi ex rescriptis Pontificum, & ineptis subtilitatibus, qoas iam fere in Aufrerio, cæterisq; excussimos. Licet multa Panormitanus congerat, tam ex se, quam ex Ioanue de Lignano; à qoo refert, primum quod *in babentibus ordinem in vniuerso, impossibile est esse duo aque perfecta; sed Imperator non est maior, ergo non erit aqualis.* Hæc est tertia Stephani Aufrerii ratio, cui supra respondimus. Secundo *multitudo Principatuum mala est.*

index DEVS. Sed vt filius qui necessaria parenti denegat, etiamsi nulla iudicis sententia coercitus, facinore se obstringit, ita Rex eodem in Ecclesiam aut Pontificem modo peccans, ante illud supremum & euidens Numinis iudicium in crimen incidit: ideoque si censuram illi peccato addat Ecclesia, quæ peccatis lethalibus addi potest, valebit proculdubio; sed licet ob res temporales lata, tamen temporalia non adimet iura, quæ nulla excommunicatione à Principe possunt auferri. Dicam paucis. Vbi Pontifex has nummorum collationes fieri imperat, non vtique statim & semper incumbit Principibus parendi necessitas. Eorum est, consulere an iustæ illæ sint stipendiorum rationes. Cum Principatuum quippe nerui ex opulentia maximè & ciuium numero constent, necesse est prouideant Reges, ne ambitu Pontificis, aut Romanæ auaritia aulæ (quod sæpe accidisse historiæ testes sunt) exhauriantur eorum ditiones. Quandoquidem & ipsi sunt suarum Prouinciarum securitati à Numine destinati, & secretis consiliis ignotisque Pontifici, possunt scire ex sui populi incolumitate esse, ne inde milites ad extranea bella legantur, aut in stipendium erogetur pecunia. Ita Sanctus Ludouicus Francorum Rex, in sua Pragmat. sanctione. *Exactiones*, inquit, *& onera grauissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri impositas vel imposita, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum extitit, siue etiam imponendas vel imponenda, leuari aut colligi nullatenus volumus; nisi duntaxat pro rationabili, pia, & vrgentissima causa, vel ineuitabili necessitate, ac de spontaneo & expresso consensu nostro, & ipsius Ecclesiæ regni nostri.* Eduuardus verò 1. Rex Angliæ, vetuit ne Hierosolymitani belli nomine ex singulorum bonis, vt Papa præscripserat, *decima* colligerentur. Res certa ex *Archiuorum* fide.

Si igitur iniustæ sint Pontifici causæ, iuste Rex illas spernet; & si eum excommunicet Pontifex, plus excommunicans ligabitur, quam excommunicatus. Sin iustæ sint causæ, iustè excommunicari potest Princeps, non vt propterea temporale ius amittat, aut inde colligatur temporalis potestas inesse Pontifici; quandoquidem non alia vi, aut alio iure feretur hæc excommunicatio, quam si ob crimen in rem merè spiritualem. Nam peccatum siue circa res temporales, siue circa spirituales committatur, semper quid spirituale est, & censura non petit rem, circa quam peccatum est, sed ipsum peccatum atque crimen: vt non magis Pontifex dici possit habere potestatem temporalem si Regem excommunicet denegãtem necessaria ad Ecclesiæ vsum stipendia, quam si Apostatam, Hæreticum, Infidelem. vt superius dictum est. *num.* 32. ad duodecimam Steph. Aufrerii rationem.

Nona propositio. Romanus Pontifex arguitur habere temporalem iurisdictionem; quia ipse iure suo legitimat ad seculares honores, & dignitates; vt habetur in cap. Per Venerabilem Extrà, Qui filii sint leg. Hæc est vndecima Aufrerij ratio; quam soluimus supra *num 32.*

Decima propositio. Romanus Pontifex arguitur inde habere iurisdictionem temporalem: quia ipse iure pontificatus sui negligentibus dominis temporalibus facere iustitiam subditis suis iniuriam patientibus, potest supplere negligentiam illorum, & iustitiam reddere quibuscumque subditis negligentium dominorum. Hoc iam supra solutum est, *num.* 16. in Astensis argumentis.

Vndecima propositio, Romanum Pontificem habere potestatem & iurisdictionem temporalem, inconuincibili testimonio arguitur ex eo quod imperium Romanum à Græcis transtulit in Germanos, & potestatem ac ius eligendi Regem Imperatorem, postmodum certis Principibus contulit. Quam hoc inconuincibile argumentum facile vinci possit, dicendum inferius *cap.* 4. §. 6.

Duodecima propositio. Romanus Pontifex arguitur habere iure suo iurisdictionem temporalem in radice, quia vacante Imperio ipse habet iurisdictionem in temporalibus, vt in capit. Licet. de fer. comp. dicit Innocent. III. & in glossa etiam notatur. Hæc assertio sola authoritate Pontificis nixa in rem suam iudicantis, & vt Imperatorem deponere, ita vacuum Imperium regere ambientis, cum argumenta non habeat, hic nec aliis argumentis refelletur, quam Almaini sententia, quæst. 2. de pot. Eccles. & laic. c. 5. *Dico*, inquit, *quod cum deest Imperator, ex institutione Christi Imperium non debet regi à Papa, imò ab Electoribus Imperatoris. & de facto ita est, quod regitur ab eis, & tametsi Papa ex institutione Christi haberet regere Imperium mortuo Imperatore; male facerent Electores si non permitterent eum regere; & in potestatibus malefactum est cedere iuri suo. Sed si Papa habeat regere, illud est solum ex institutione humana. Ideo vacante imperatore, qui habent illum instituere, debent illud Imperium regere.* Hactenus Almainus.

De potestate quam habet circa infideles sit ista Decima tertia propositio. Papa potest auferre dominium siue ius quodcunque, quod habent infideles prælationis super fideles. At respondeo, Papam haud posse; nam vt ante monui *ad* 4. *&* 5. *propositionem*, hæc assertio non argumentum est, sed quæstionis pars, quæ inter nos agitatur. Vide quæ diximus supra *numero* 2. ad authoritatem S. Thomæ, qua sola hic nititur Turrecremata; & quæ dicenda inferius, *capit.* 5. §. 18. vbi iniquam hanc & Ecclesiæ infestam sententiam ostendemus, nec inter vos satis esse constantem.

Decima quarta propositio. Papa ostenditur habere potestatem in temporalibus, quia potest punire Iudæos forefacientes tam pœna temporali, quam etiam indirectè pœna spirituali: Imò neque Iudæos, neque Christianos, neque mortalium vllos potest Papa coercere temporalibus pœnis, nisi vel sub patrimonio Petri degentes; vel sub eiusmodi Principibus, qui Pontificiæ illi sententiæ sua sponte consenserint. Nam quod est ad *capit.* 61. *quarti Concilij Toletani*, quod Turrecremata laudat, expedita est ratio; id Decretum non ex potestate Concilij, sed ex regio nutu pendere. Ibi statuitur vt Iudæi quidam *publicis cædibus deputentur*, atqui constat neque Ecclesiam, neque concilium mortis pœnam posse sancire, vt antea diximus, numero 26. Sed hæc sunt

Toleti

Toleti constituta consulente quid agendum esset Rege, vt Capitulo 58. eiusdem Concilij dicitur, & Patrum sententiam approbante, *Capitul.* 74. sub finem.

Decima quinta propositio. Papa arguitur habere iurisdictionem in temporalibus, quia potest Principes apostatantes à fide priuare dominio temporali quod habent super fideles. Pene coincidit hæc propositio cum decimatertia; vt enim pernegamus posse Principem, qui ad CHRISTVM nunquam accesserit, per Pontificem regno priuari, Ita & Principem qui à CHRISTO defecerit. Hæc, inquam, assertio est magna pars controuersæ quæstionis. Nec ratione probatur à Turrecremata, sed authoritate D. Thomæ, (de qua nos supra, *Numero* 2. & infra vberius, *Cap.* 21.) & quibusdam Pontificum sententiis, nempe Capit. *Absolutos*, *De hæreticis*, de quo à nobis infrà *Capite* 27. §. 3. & Cann. *Nos sanctorum*, & *Iuratos*. 15. *quæst.* 6. qui quantarum virium esse debeant vide *Capite* 33. §. 3.

Decimasexta propositio. Papa ostenditur habere etiam in temporalibus iurisdictionem, quia potest contra infideles hæreticos aut tyrannos contumeliosos fidei Christianæ aut occupatores bonorum Ecclesiæ, aut perturbatores pacis & quietis populi Christiani, indicere bellum, non quidem vt occidant, vulnerent, vel mutilent, sed vt fidem defendant, Ecclesiam & patriam liberent, & terram ab infidelibus occupatam, reducant ad CHRISTVM. *& super hoc potest licite & iuste dare indulgentias magnas arma ad hoc sumentibus.*

Potest, fateor, Pontifex bellum indicere & gerere, quatenus Princeps politicus, & populos qui in patrimonio Petri sunt tanquam temporalis Princeps armare, ducere. Nec illud ad quæstionem nostram. At cæteros Principes atque gentes non eadem vi vocabit in castra. Nam si non sit ad euidens religionis bonum, id belli, suo iure aspernabuntur ita iubentem Papam Reges; Sin hunc reuera Martem declinare Principes sine peccato non possunt, tunc id iubebit Pontifex, sed spirituali authoritate, nec magis temporalem arguente, quam si ageret de adorando vno Deo, de vi, de numero Sacramentorum. quandoquidem nō ideò imperabit bellum geri, quod bellum sit temporale quid, sed quod illius belli omissio sit peccatum in Domini legem, cuius illi commissa custodia, veluti & peccatum quoque esset, adorare plures Deos, non conuenire de vi, aut numero Sacramentorum. Vtrumque igitur pari potestate imperabit, & peccata in vtrumque commissa castigabit paribus pœnis, spiritualibus nempe, quas solas in sua potestate antiqua agnouit Ecclesia. Non igitur vis alia huius decimæ sextæ propositionis, quam octauæ. Nec video cur dixerit Turrecremata, posse Papam *bellum indicere; nō quidem vt occidant, vulnerent, vel mutilent, sed vt fidem defendant, &c.* An in eo discrimen inter Papam & Principes seculares? Imo Regum ac Principum nemo iure bellum ea mente & fine indixerit, *vt hostes occidantur, vulnerentur, vel mutilentur*; sed vt iniuriam à suis arceat, illatam vindicet, suos fines tueatur, & quæ cæteræ iusti belli rationes. Et hactenus de *Propositionibus* Turrecrematæ. Nec illi in *Can. Alius.* 15. quæst. 6. exempla alia, aliæ rationes.

NVMER. XLI.

CYPRIANVS BENETVS.

CYPRIANVS *Benetus Aragonensis*, inquis, *Ordin. Prædic. in lib. De prima Orbis sede, in resp. ad sextum, pro 2. parte conclusionis prima. In traditione, inquit, clauium includitur etiam collatio terrenarum potestatum pro conseruatione bonorum spiritualium.*

Iam monui hunc errorem esse nouitium; neminem ex antiquis credidisse tam pollentes Petri claues; aut opus eiusmodi potestate *ad implendum salutare mandatum*. Quod si velit includi *directè* collationem terrenarum potestatum, seu directam potestatem, tu ipse Bellarmine, hominem refutabis. Ais enim (libro 5. de Rom. Pont. capit. 3.) *Ex Scripturis nihil habemus, nisi datas Pontifici claues regni cælorum: de clauibus regni terrarum nulla mentio.* Sin vult collationem eiusmodi *indirectè* includi, illum mox vna opera, teque absoluam, *Capite* 5. §. 3.

NVMER. XLII.

FRANCISCVS VICTORIA.

FRANCISCVS *Victoria*, inquis, *Ord. Prædic. de Potestate Ecclesiæ Relectione* 1. *quæst.* 5. *prop.* 8. *In ordine, inquit, ad finem spiritualem Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes Principes & Reges, & Imperatorem. & infra. Quando necesse est ad finem spiritualem, potest non solum omnia quæ Principes seculares possunt, sed & facere nouos Principes, & tollere alios, & Imperia diuidere.*

Audiamus rationem Fr. Victoriæ, quam non exscribis. *quia temporalia*, inquit, *aliquo modo sunt necessaria & ordinata ad finem spiritualem: ergo Christus non satis prouidisset & cauisset rebus spiritualibus, si non reliquisset aliquam potestatem, ad quam spectaret, quando opus esset ordinare & vti temporalibus conuenienter ad finem spiritualem. Sed hoc non spectat ad officium Principum secularium, qui ignorant proportionem rerum spiritualium ad temporalia, nec habent curā rerum spiritualium, ergo ista cura vtendi temporalibus ad spiritua-*

ſpiritualia, eſt poteſtatis Eccleſiaſticæ, ergo ſi neceſſarium ſit ad conſeruationem, & adminiſtrationem rerum ſpiritualium aliquando vti materiali gladio, & authoritate temporali, Papa hoc poterit.

Multa hic ambigua, multa falſa. Sunt quidē temporalia aliquo modo neceſſaria ſpirituali fini, quia ſine his temporalibus rebus nō viuerent homines, deſtinati huic mortalitati antequam vitæ æternæ. At vero ita ſubordinata eſſe temporalia ſpirituali fini, vt ad eum finem ſit neceſſarium, temporalia in *diſpoſitione* & poteſtate Præfecti ſpiritualis eſſe, falſum omnino, imo abſurdum, vt infra diſputabimus, *Cap.2. §.4. Cap.3. §.6. Cap.17. §.1.* Nam ſi eſt neceſſaria Eccleſiæ hæc poteſtas, certe eſt neceſſaria non modo vt de iure, ſed & de facto poſſit, Reges ſpiritualem finem impedientes amouere. Quid enim intereſt ad Eccleſiæ finem, an à Rege legitimo, an à Tyranno, qui de regni iure deiectus ſit, opprimatur; ſi Rex & Tyrannus pari periculo ſæuiant, paribus viribus, pari violentia, imo ſæpe maiori Tyrannus; quod in Principibus ſæpe factum; qui depoſiti per Papæ ſententiam, & ſuorum fidelitate ſeruati, multi atrocius in Romanam feruntur Eccleſiam, quam ſi omnino non eſſent depoſiti. Cur, inquam, ſit neceſſarium vt poſſit Pontifex Principem clades inferentem Eccleſiæ de legitimo Principe, Tyrannum & iniuſtum Principatus occupatorem facere; non autem neceſſarium vt poſſit illis cladibus finem imponere, auferendo eiuſmodi Principi tam poteſtatem, quæ facti eſt, quam quæ iuris? Nemo opinor concipiat. Cum vero poteſtatem deponendi *de facto* Principes non habuerit Petrus, non Apoſtoli, neque per multas ætates qui ſucceſſerunt Pontifices, neque nunc ſæpe Eccleſia, ſequitur olim aliquid, imo nunc etiam, neceſſarium, defuiſſe & deeſſe Eccleſiæ (quod dicere blaſphemum ſit) aut non eſſe neceſſarium vt impij Reges ad Eccleſiæ ſententiam ſuis regnis exigantur. Ita ruit argumentum Fr. Victoriæ. Satis enim *rebus ſpiritualibus cauit Chriſtus* abſque illa poteſtate, quandoquidem non eſt neceſſaria: Ex quo autem Principes acceſſerunt ad Chriſtum, poteſtas temporalis ſæpe vtilis ad ſpiritualem finem in Eccleſia eſt, non tamen Eccleſiæ, ſed Principum, qui Eccleſiæ filij *ordinent & vtantur temporalibus conuenienter ad finem ſpiritualem.* Nam quod obiicit Victoria, *hoc non ſpectare ad officium Principum ſecularium, qui ignorant proportionem rerum ſpiritualium ad temporalia, nec habent curam rerum ſpiritualium*; aut falſum eſt, aut nimis ambiguum. Edoceri quidem Principes legem Dei à Pontificibus debent, ſed deinde ipſorum eſt vti temporalibus ad ſpiritualem finem, ſecundum quod per Dei legem edocti ſunt; & ſi ijs abutantur, nihil in eos iuris Eccleſiæ, præter ſpirituales pœnas. Audi vero quam falſum ſit Principes ſeculares *non habere curam rerum ſpiritualium*; audi in hanc rem Iſidorum, cuius ſententia refertur Can. *Principes. 23. q.5. Cognoſcant*, inquit, *Principes ſeculi Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſiue augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſiue ſoluatur, ille ab eis rationem exiget, qui earum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.*

Secunda ratio Fr. Victoriæ eſt, quod *Reſp. ſpiritualis debet eſſe perfecta, ſicut & temporalis, & per conſequens ſibi ſufficiens, &c.* quam diſputationem nunc omitto, cum ſit hæc tua *ſecunda Ratio Principalis*, Bellarmine, de qua agendum inferius, *Capite 17. & Cap. 18.*

Tertia ratio Victoriæ, *quia cum ſint in vna Eccleſia relictæ à Chriſto duæ poteſtates diſtinctæ, ad conſeruationem & incrementum bonorum tam temporalium quam ſpiritualium, & poſſint non raro oriri dubia & controuerſiæ inter vtramque poteſtatem, non videretur perfectè prouiſum Eccleſiæ, niſi eſſet aliquod iudicium, vbi terminarentur huiuſmodi dubia, alias omne regnum diuiſum deſolaretur. Matth. 12. Luc. 11. & non eſt rationale dicere quod hoc ſpectet ad Principes ſeculares, qui non poſſunt rectè iudicare de ſpiritualibus. Ergo videtur quod hoc potius ſpectet ad Principes Eccleſiaſticos.* Ex argumento tam ſubleſto nihil aliud colligere audet Victoria, niſi, *ergo videtur, &c.* At repono *non videri*; niſi ſic intelligat, iudicaturam Eccleſiam, vbi controuerſia de ſpiritualibus rebus inter illam & laicos orietur; iudicaturos autem laicos, vbi inter Eccleſiam atq; ipſos lis erit temporalis. Nam vt diuino iure *non ſpectat ad Principes ſeculares iudicare de ſpiritualibus*; ita nec ad Principes ſpirituales de temporalibus ferre ſententiam. Officia vtrorumque diſtincta ſunt, & Deus has in Eccleſia poteſtates eſſe voluit, non miſceri, non confundi.

Quod hic author, eadem lectione, propoſ.6. differit, *de ſuperioritate* ſpiritualis poteſtatis in ciuilem, nihil eſt niſi prima tua *Ratio principalis*: multis in locis pene ad verbum à te tranſcripta; quę omnia in ſuum locum reiicimus, id eſt in *Caput 13. & 14.*

NVMER. XLIII.

DOMINICVS A SOTO.

DOMINICVS *à Soto*, inquis, *Ordinis Prædic. in 4. Sent. diſt. 25. quæſt. 2. artic. 1. concluſ. 5. Poteſtas, inquit, quæcunque ciuilis eatenus eſt Eccleſiaſticæ ſubiecta, in ordine ad ſpiritualia, vt Papa poſſit per ſuam ſpiritualem poteſtatem, quoties ratio fidei & religionis exegerit, nō ſolum Eccleſiaſticarum cenſurarum fulminib. aduerſus Reges agere, eoſq; cogere, verum & cunctos Chriſtianos Principes, temporalibus bonis priuare, & vſq; ad eorum priuationem procedere.*

Tria

Tria Dominico à Soto in istam sententiam argumenta; quæ omnia in tua Opera transtulisti. Primum, subordinatam esse ciuilem potestatem spirituali, ad eamq; referri; Secundum, necessariam esse temporalem potestatem ad spiritualem finem; quæ tua illiusque sophismata refellimus superiori Numero. ad primam rationem Fr. Victoriæ; tum mox vberius, *Capit.* 2. §. 5. *Cap.* 3. §. 6. *Cap* 14. §. 1. *Cap.* 17. §. 1. Tertium illius argumentum, Pontificem pastoris instar esse, arietis instar Regem. Istam quoque in te similitudinem explicamus *Cap.* 31. §. 2. *Capit.* 33. §. 2. *Cap.* 36. §. 2. Hæ sunt scilicet Dom. à Soto pro Pontifice rationes, qui & de legitimis Regibus vniuerse pronunciat (ibid. in 4. *Conclus.*) quod si quis ex iis *in tyrannidem prorumperet, citra iniuriam fidei, non Pontifici, sed Reip. incumberet, illum regno depellere.* Sanguinolentam sententiam, & multo plus populis infestam, quam Regibus. Neq; mirum qui ciuibus substrauerit Regem; Papæ quoq; substernere.

NVMER. XLIV.

ALPHONS. DE CASTRO.

A*lphonsus de Castro*, inquis, *Ord. Minor. lib. 2. cap. 7. de iusta Haret. punitione, sic ait; Nec mirari debet aliquis, quod Papa propter heresis crimen Regem à regia dignitate deponat, & Regno priuet; quoniam in negotio fidei, etiam Reges, sicut & alii inferiores subduntur summo Pontifici.*

Non refers totam istius Alphonsi sententiam, qui execrando dogmati prorsus insistit, Reges & Principes si labantur in hæresim, etiamsi Pontifex eos nominatim non deponat, ipso iure esse depositos, nec amplius censendos in Regibus, Sic enim initio illius capitis, *Altera Hæreticorum pœna est*, inquit, *priuatio cuiuscunque Prolationis, iurisdictionis, & dominii, quod antea super homines cuiuscunq; conditionis habuissent. Nam qui Hæreticus est, ipso iure omnibus talibus rebus priuatus est.* Et infra: *Rex factus Hæreticus ipso iure est regno suo priuatus, & Dux suo ducatu, & Comes Comitatu, & idem de aliis populorum dominiis, quocunq; nomine censeantur, dicendum est.* Sed nos vberius de impotentia tam infandæ sententiæ *Cap.* 27. §. 5. Reges igitur *in negotio fidei, sicut & alii inferiores*, subduntur Pontifici; At neutri ita subditi, vt vita, opibus, dignitate, exuantur. Probationes Alphonsi cæteræ hæ vulgares, ab exemplis Zachariæ & Leonis, quorum ille, vt volunt, regnum abrogauit Childerico, hic Imperium transtulit à Græcis in Francos. De quibus nos vt sæpe monuimus, *Cap.* 4. *& Cap* 42.

NVMER. XLV.

IAC. SIMANCA.

I*Acobus Simanca Pacensis Episcopus*, inquis, *in lib. de Cathol. institutionibus, tit. 45. num. 25. Quamuis*, inquit, *Ecclesiastica potestas distincta sit à seculari, & Papa iurisdictionem ciuilem non habeat in secularium Principum regna: nihilominus tamen in ordine ad finem spiritualem habet Pontifex Maximus amplissimam potestatem in omnes Principes Orthodoxos. Vnde si Princeps aliquis inutilis esset, aut iniquas leges contra religionem, aut contra bonos mores conderet, aut quidpiam simile faceret in detrimentum rerum spiritualium, posset Papa seruatis iustis circumstantiis, congruum remedium adhibere, priuando etiam talem Principem administratione & iurisdictione.*

Nihil nouum in hoc homine. Argumenta omnia, aut iam excussa, aut certum in locum destinata; nempe quod Leo III. transtulerit Imperium, quod Gregorius V. instituerit Electores Imperii, de quibus vt monuimus, differendum, *Cap.* 4. §. 6. Addit Imperatorem à Pontifice confirmari, consecrari, & inungi, & solemniter iurare Pontifici; qua de re supra à nobis actum, *Num.* 6. ad rationes Aug de Ancona, & mox vberius *Cap.* 2. §. 7. Sed & ridiculum potestatem consecranti & vngenti in vnctum & consecratum tribuere. *Inungere, & coronare*, inquit Io. Maior, in 16. Cap. Matth. *nihil superioritatis arguit. Archipræsul Remensis Francum inungit, & alius Episcopus ex more potest eum coronare; non sequitur propterea illa maioritas in temporalibus. Sicut nec Hostiensis est maior summo Pontifice in spiritualibus, esto quod eum inungat; illa est solum solemnitas.* Pergit ad exempla Pontificum, qui adorti Imperatoribus dignitatem abrogare. De quo argumento nos vniuerse initio horum *Prolegomenon*; mox etiam dicturi sigillatim, *Numero Prolegomenõu vltimo*, & deinde *Cap.* 2. §. 7. *Cap.* 41. *&* 42.

Aliud Simancæ argumentum quod cum Resp. spiritualis perfecta sit, *& sibi sufficiens vt se ipsam indemnem seruet, potest ea omnia facere quæ necessaria fuerint ad suum finem consequendum*, & quod *manca procul dubio eius potestas esset*, nisi posset Reges deponere. Eadem subtilitas in Fr. Victoria, cui Nume. 42. respondimus. Ait denique finem potestatis temporalis pendere à spirituali; posse igitur à spirituali potestate res humanas *ordinari & coerceri.* Concessa etiam Pontifici, cui Christus commisit omnes oues, necessaria omnia ad illi muneri *perfecte* obeundo. De his paulo ante in Fr. Victoria; & mox fusius. *Cap.* 2. §. 5. *Cap.* 3. §. 6. *Cap.* 17. §. 1.

NVMER. XLVI.

DOMINICVS BANNES.

DOminicus Bannes, inquis, *in 2.2.q.10 art.10. in fine Commentarii. §. Quarta conclusio. Ita etiam, inquit, à iure diuino positiuo est potestas quam habet Pontifex ad auferendum dominium & iurisdictionem ab infidelibus supra fideles: quando autem utendum sit hac potestate, relinquitur eius dominio vel iudicio. & q. 12. art. 2. in Comment. §. Circa vltimam conclusionem. Ecclesia, inquit, non tantum priuat dominio in subditos Principes Apostatas perfecte, verum etiam illos, qui lapsi sunt aliquo pacto in haresim.*

Duo sunt argumenta, ea quibus sibi visus est Dominicus Bannes hanc assertionem deducere. Primum, quia 1. ad Corinth. 6. *Paulus reprehendit fideles, quod lites habebant apud tribunalia infidelium, quibus erant subiecti; ergo in Ecclesia est potestas prohibendi talem iurisdictionem.* Vana verba. Ipse B. Thomas (cui addictus Bannes) in Commentario ad hunc locum, dicit ab Apostolo nihil esse præceptum *contra subiectionem qua debetur Principibus*; addit porro rationem; quia hoc esset præcipere *contra ius diuinum*. Quod quid est aliud, quam dicere Apostolum aut Ecclesiam id non potuisse præcipere, quandoquidem diuino iuri repugnans est? Ibi tantum monentur Christiani ne sponte apud Ethnicos Iudices litigent, si controuersiæ commode possint per Arbitros Christianos terminari; *saluo iure Principis infidelis.* Sed nos de his fusius Cap. 21. Secundum argumentum Dominici Bannes; *Cum*, inquit, *vinculum matrimonii sit natura sua indissolubile, dissoluitur tamen in fauorem fidei, quando alter coniugum fidelium conuertitur ad fidem, altero nolente conuerti, nec sine iniuria Creatoris conuersari.* Nec id ad rem. Hoc enim Coniugi ad fidem accedenti permittitur expresso Dei verbo nobis per Apostolum consignato, *1. Corinth. 7.* Secus de infideli Principe per Ecclesiam abdicando; de quo verbum nec in Scripturis vllum, nec in Patribus; nec vestigium in antiquæ traditione Ecclesiæ. At nec illud à coniuge infideli diuortium, ab Ecclesia pendet aut Papa, sed à fidelis coniugis voluntate, cui hæc recessio permittitur, non iubetur, vt recte B. Augustinus *lib. 1. de adulter. coniug. Cap. 18.* Deniq; duo hæc, & diuersa, diuini iuris præcepta sunt, Regi obsequi, & coniugi ad mortem adhærere: quod si ex iis mandatis alterutrum in aliquo casu laxatur, eodem iure diuino; an sequitur etiam aliud relaxari? Vteris tamen hoc eodem argumento Cap. 23. §. 1. Cui ibidem vberius respondeodum.

Secundus locus quem ex Banne exscribis, *Ecclesia non tantum priuat dominio, &c.* non aliter ab eo fulcitur quam his verbis, *quod factum est cum Rege Anglorum Henrico VIII. & cum Duce Saxonia.* Egregia Philosophia, cum *de iure* quæramus, *de facto* respondere. Cuius autem emolumenti hæc Henrici VIII. abdicatio? damnatus à Papa subditorum tamen, etiam Orthodoxorum, fide incolumis ad vltimam senectutem præfuit Regno. Sed & ob vestræ importunitatem sententiæ, tuœ ex Anglia prorsus expulsa, quæ ibi antea pene regnabat, Pontificis Romani & Romanæ Maiestas Ecclesiæ. Non necessarium tamen ad spiritualem finem vt possit Ecclesia Principes *de iure* abdicare, nisi & necessarium, vt possit iisdem *de facto* auferre Imperium, vt paulo ante in Fr. Victoria docuimus; dicturi passim plura.

NVMER. XLVII.

MARTINVS LEDESMIVS.

MArtinus Ledesmius, inquis, *in secunda quarta. q. 20. art. 4. concl. 8. In ordine, inquit, ad finem spiritualem, Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes Principes, & Reges, & Imperatores.*

Vulgaris ratio pro hac potestate Pontificis; id spiritualis finis procurationem requirere. At vero neq; nominatim appendicem eiusmodi tributam à Christo Pontificiæ potestati concedis, sed tantum per consequentiam colligi; nos autem hanc consequentiam non esse necessariam, sed fictam, sed inanem sat probamus Cap. 3. §. 6. Cap. 5. §. 5. Certum porro nihil Papæ iure diuino concedi, nisi quod aut illi nominatim Christus dedit, aut quod inde necessaria consecutione deducitur.

NVMER. XLVIII.

GREGOR. DE VALENTIA.

GRegorius de Valentia, inquis, *in 2. 2. disput. 1. q. 12. punct. 2 asser. 2. Iure, inquit, Ecclesiastico per summi Pontificis authoritatem, atq; sententiam, omnino potest quis dominio & prælatione erga subditos priuari, propter peccatum Apostasiæ à fide; neq; est de hac assertione dubium vllum apud vere Orthodoxos.*

Nemo hoc homine aut in Reges atrocior, aut in sua sententia confidentibus audacior verbis. Nunc dicit probari à se *irrefragabiliter*, nunc, *manifestissima argumentatione*, hanc Pontificis potestatem in Principes. Parturient montes, nascetur ridiculus mus. Audet etiam erumpere in hæc temeritatis verba, *neque est de hac assertione dubium vllum apud vere Orthodoxos.* Veniamus ad illius argumenta; quorum primum horrendum, infandum, de Christiana tollendum memoria, nempe Regibus ac Principibus, si à fide defecerint, posse per Pontificis sententiam adimi ipsā vitam, igitur multo magis dignitatē. Ita loquitur, *Iure Ecclesiastico, atq; adeo per Summi Pontifi-*

Pontificis authoritatem, atque sententiam, omnino potest quis dominio & prælatione erga subditos priuari propter peccatum Apostasiæ à fide &c. Probatur autem hæc assertio, Primo, & quidem irrefragabiliter illis omnibus argumentis, quibus quæst. preced. punct. 3. conuicimus posse Hæreticos & Apostatas à fide, priuari etiam ipsa vita per Ecclesiæ authoritatem. Nam si vita possunt priuari, multo magis omnibus aliis bonis, atque adeo etiam prælatione in alios; cum omnibus eiusmodi bonis temporalibus vita præponderet, & ea sublata, reliqua omnia tollantur. Quis ferat tam impium dogma? ergo Ecclesia sanguinem sitit; ergo non de Ecclesia Episcopus, sed de vita deiiciet; ad custodiam, ad Tortorem, amandabit, non ad limen Ecclesiæ? Potuerat hunc hominem docuisse Augustinus, eo loco quem ipse pro se exscribit (epist. 50. ad Bonifac.) mortis aut exilii pœnas in Hæreticos, non ab ipsa Ecclesia, sed à Principibus Politicis esse sancitas. Sic enim de Hæreticis, *Quod dicunt*, inquit, *qui contra suas impietates leges iustas constitui nolunt, non petiisse à Regibus terræ Apostolos talia; non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem* LEGES FERENDO *seruiret, quando adhuc illud propheticum implebatur; Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: Astiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Psalm. 2. Nondum autem agebatur, quod paulo post in eodem Psalmo dicitur; Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo atq; plectendo?* Et quamquam de vitandis Hæreticis multa Patres, de conuertendi periculo, de pœnis quas merentur, nusquam tamen hanc temporalem puniendi potestatem Ecclesiæ esse dixerunt. Vide quæ diximus *Num.* 26. Cætera quæ iste Gregorius pro illa potestate, tibi sunt cum illo communia, ideoq; non hic in illum, sed mox in te refutanda.

N V M E R. XLIX.

GVIL. DE MONFERRAT.

Guilielmus de Monferrat, inquis, *Catalanus, in Tract. de successione Regum, num. 30. Papa, inquit, Vicarius Christi cum causa potest quemcunq; Christianum Principem priuare, prout priuauit & deposuit Childericum Regem Franciæ, & in eius locum Pipinum instituit, & Romanum Imperium à Græcis transtulit in Germanos.*

Nulla huic homini ratio, nullum argumenti vestigium præter Canonem *Alius.* 15. qu. 6. & Cap. *Venerabilem, de Electione*; Piget toties rem vnam iterare.

N V M E R. L.

ALPHONSVS ALVAREZ.

Alphonsus Aluarez, inquis, *in Speculo, Cap. 16. Hinc, inquit, est quod (Papa) Imperium transferre potest de certo genere personarum, cum maxima causa, ad aliud genus. & infra, & ipsum Imperatorem tanquam inferiorem destituit, exigentibus causis maximis & arduis.*

Quod vero fundamentum, aut ratio, vnde hanc Aluarez potestatem collegerit? ait enim, *hinc est quod &c.* Nimirum quia potestas temporalis in Imperatorem deriuatur, inquit, *per debitam & subalternatam emanationem à Vicario Christi Iesu, apud quem sunt iura cælestis & terreni Imperii, vt dicit textus. 22. dist. Can. Omnes.* At hunc Canonem ipse fateris, Bellarmine, de spirituali tantum potestate intelligi, & Almainus dicere non timuit *sapere hæresim nisi sane intelligatur*; Ioannes autem Parisiensis, Dominicanus illustris, ad eundem Canonem, *vbi quæritur*, inquit, *de potestate Papæ, in temporalibus efficax est testimonium Imperatoris pro Papa, & non est multum efficax testimonium Papæ pro seipso.* Sed vt exponitur ab isto Aluarez, Scripturis, historiis, communi deniq; sensui repugnans est; quando quidem & ante institutum à Christo Pontificatum veri & legitimi Reges erant, neque somniauit sanæ mentis aliquis in primatu Petri ablatum Ethnicis Imperatoribus principatum (*non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.*) aut denique Constantinum vbi Christianus factus est, excidisse antiquo regni iure, & (vt loquitur Aluarez) *per debitam & subalternatam emanationem à* Silnestro *Vicario Christi* accepisse imperandi potestatem. Audet tamen Aluarez ex commento tam indigno istud grande deducere, *hinc est quod Imperium transferre potest, &c.* Ludicrum & fluxum fundamentum; ruinosæ quoq; ædes.

Quæ ex illo addidisti, *& ipsum Imperatorem tanquam inferiorem destituat*, rationibus nullis firmat, sed deducit velut ex concesso scilicet principio, iura cœlestis & terreni Imperii esse à Christo commissa Pontifici. Concludit pulchris his verbis. *Nonne igitur iuste Iulius II. Sanctissimus Pontifex Maximus, Ioannem Regem Nauarræ, Schismaticum, Hæreticum, Apostolicæ Sedis hostem publicum, atq; reum læsæ Maiestatis declarauit; regnumq; & omnia eius bona publicauit primo occupanti, atq; nominatim Catholico Regi Hispaniarum, concessit?* Vides hominum sensus, vides mentem, quos producis in sententiæ tuæ testes.

addiceret hominem, qui noluisset obedire Sacerdotis imperio, cum Scriptura longe aliter dicat, hunc debere per liberum Populum morte plecti, qui in Sacerdotis & Iudicis sententias contumax esse auderet.

Redeamus ad Molinam. Dicit quod hæc de temporali potestate Pontificis opinio, *est expressa sententia Bernardi 4. de Consider.* ad Eugenium Bernardo imponit, quem ab illa suspicione vindicamus, infra, *Cap. 19. §. 1. & 2.* Profert deniq; authoritatem Io. de Turrecremata, *lib. 2. Summæ, cap. 114. proposit. 8.* Cui paulo ante respondimus.

NVMER. LIII.

DIDACVS COVARRVVIAS.

D*idacus Couarruuias*, inquis, *in Tractatu de Restitutione, super regulam, Peccatum. p. 2. §. 4. q. num. 7. Hæc, inquit, sententia vera est in hoc sensu, vt Papa vere habeat potestatem temporalem, etiam super Imperatorem, quatenus ea vtilis & necessaria sit ad Ecclesiæ Catholicæ regimen, & spiritualis potestatis vsum.*

Profers hic Canonistam, nulla authoritate nixum, nisi Nauarri, in Cap. *Nouit.* ratione prorsus nulla. At quis neget Canonistas vt plurimum ita sentire? Illos ipsos in quos professum nobis bellum. Exscribis Couarruuiæ verba in hunc modum. *Hæc sententia vera est in hoc sensu &c.* Quæ autem sententia? nempe, *summum Pontificem etiam temporalem in toto Christiano orbe iurisdictionem & potestatem immediate sibi à Deo commissam habere, habitu quidem, cum eius vsum & exercitium in Imperatorem transtulerit.* transtulerit in Imperatorem? quo sensu id verum sit? quis cordatus non videbit tum ad translationem illam; tum ad hanc interpretationem Couarruuiæ, qui sic intelligit, *transtulerit, in Imperatorem*, id est, *possit ab Imperatore auferre.* Dicit enim, eo sensu illam sententiam esse veram.

NVMER. LIV.

FERNANDVS VASQVIVS.

F*ernandus Vasquius*, inquis, *lib. 1. Illustrium Controuersiarum, capit. 21. Cæterum, inquit, Papa habet etiam iurisdictionem in temporalibus, quatenus necessaria sunt ad spiritualium expeditionem. & infra, Id quod admittunt communiter vtriusq; partis fautores.*

Cur non dabas Vasquii rationem? certe enim & breuis est, & interiacet verbis quæ ab eo retulisti. Ea est ex *l. 2. D. de Iurisd.* vbi dicitur, *Cui iurisdictio data est, ea quoq; concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit.* & ex Cap. *Cum quid. De regul. iur. in 6.* tum addit Vasquius. *Sunt enim hæc spiritualis iurisdictionis appendicia. l. Si quis heres institutus. D. de acquir. hereditate, ibi; sunt enim appendices præcedentis institutionis. id quod admittunt communiter vtriusq; partis fautores.* At ex illa quidem lege collegeris, appendicem cohærere principali, sed nusquam temporalem potestatem esse spiritualis appendicem. Neq; enim ibi illa quæstio, nec Vlpianus, ex quo lex desumpta est, aut curauit, aut sciuit quid esset illa spiritualis authoritas. Nam quod Vasquius dicit, id communiter à fautoribus vtriusq; partis admitti, intelligendus est de fautoribus directæ & indirectæ potestatis, qui aduersi omnes nobis, nec appendicem eiusmodi idonea ratione firmarunt, sed coniecturis, sed sophismatis, quæ nec mouere Iudices in priuata lite possint; quid ergo in tanta, tam publica quæstione? Sed de tanti ponderis appendice mox fusius, præsertim *Cap. 5. §. 4. & 5.* Neq; enim pluribus opus in Vasquium, apud quem ne vel vmbra argumenti, quo consequentiam illam seu *appendicem* probet.

NVMER. LV.

MICHAEL DE ANINYON.

M*ichael de Aninyon*, inquis, *in Tract. de Vnitate Ouilis, & Pastoris, num. 11. Penes Papam, inquit, est vtraq; suprema potestas, licet non habeat vsum gladii temporalis: & quia potestas Papæ immediate à Deo emanauit, & ipsi soli Deo subest: potestas vero Imperatoris à Vicario Christi, cui est subordinata; ideo Papa potest Imperium de certo genere personarum transferre ad aliud, & Imperatorem vngit, & coronat, confirmat, approbat, & reprobat, ac etiam deponit causis exigentibus.*

Quam supine errauit (tibi scilicet parco) cui fidem habuisti in his colligendis authoribus! Saltem Caput annotares apud Michaelem de Aninyo, ne in quærendis labor esset. Librum enim distinxit in Capita, & Capita in Numeros. Sed oblitus sis scribere id haberi *Capite 23.* Quis ferat dare te sub Aninyonis nomine, relatam ab Aninyone Panormitani sententiam, relata quoq; verba? ita me fides amet imperite, aut pertinaci fraude, vt sub diuersis nominibus vestrorum testium index crescat. Ita igitur Michael de Aninyon. *Papa potestatem immediate dicitur à Deo habere, Imperator vero & Reges à Papa, Capit. Nouit. de Iudiciis, vbi Panormitanus late in glos. 2. num. 12. vbi dicit quod penes Papam est vtraq; suprema potestas &c.* tibi placuit, omissis superioribus, hæc tantum non vt ex Panormitano referre, sed vt ex Aninyonis verbis, *penes Papam est vtraque suprema potestas &c.* Et hic quidem Aninyon cum fide Panormitani sententiam refert, & illinc, vt plurimum verbis. Apud neutrum probatio, nisi ex rescriptis Pontificum, & ineptis subtilitatibus, quas iam fere in Aufrerio, cæterisq; excussimus. Licet multa Panormitanus congerat, tam ex se, quam ex Ioanne de Lignano; à quo refert, primum quod *in habentibus ordinem in vniuerso, impossibile est esse duo æque perfecta; sed Imperator non est maior, ergo non erit æqualis.* Hæc est tertia Stephani Aufrerii ratio, cui supra respondimus. Secundo *multitudo Principatuum mala est.*

Mala autem? quid probes? nisi ex Homero intelligas, multitudinem Regum seu Principum, in eodem negotio, in eosdem homines, vno iure vtentium. Tunc enim ex æmulatione, ambitu, diuersis affectibus, scindi possunt Principum studia, resque turbari. Ita mala in vno Principatu Principum multitudo; at non mala Principatuum multitudo in Orbe terrarum; imo laudanda; cum vix vnus regendis omnibus sufficiat per imbecillitatem humanitatis nostræ. Tertio, *Imperator est dominus temporalium, Papa spiritualium. Temporalia ordinantur in finem spiritualium. 1.q.3. si quis obiecerit. sicut ergo anima dominatur corpori sic Papa Imperatori.* Quam sit inane hoc de subordinatione argumentum, disputandum à nobis est, *Cap. 2. §. 4. Cap. 3. §. 6.* Tantum hic dico, ineptissime ad illam rem afferri Can. *Si quis obiecerit. 1. q. 3.* ibi enim agunt de temporalibus Ecclesiæ opibus, quas Pontifex dicit nullo modo posse emi, quin & simul ematur annexa illis spiritualitas, *cum corporalia Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiant, sicut nec anima sine corpore corporaliter viuit.* At quæ nugæ hanc referre sententiam ad laicorum bona, quæ & emi possunt, & vendi absq; nota Simoniæ? & de quibus ibi nec mentio? Quarto. *Principatus Papæ est infusus à Deo, 21. dist. In nouo principatus temporalis ab homine. 93. dist. Legimus. ergo principatus Dei debet præesse principatui hominis.* Et hoc contra Apostolum, quo teste (ad Rom. 13.) *Non est potestas nisi à Deo.* Tam enim Rex in temporalibus minister est Dei, quam in spiritualibus Papa. Vtrobiq; igitur est *Principatus Dei*, quandoquidem propter Deum non modo Pontifici in Ecclesiasticis, sed & Regi in ciuilibus obsequendum; vt pulchre Augustinus, *in Psal. 124.* vbi de Christianis sub Iuliano Apostata, *distinguebant*, inquit, *dominum æternum à domino temporali, & tamen subditi erant propter dominum æternum etiam domino temporali.* Neque in Can. *Legimus. 93. dist.* vllo modo habetur, quod Io. de Lignano effutiit, Principatum temporalem ab homine esse, qui quo modo à Deo sit, nos infra commodius, *Capit. 3. §. 17. Capit. 5. §. 2.* Quinto. *Petrus vt Dei Vicarius habuit omnimodam potestatem. sic & alii successores in Vicariatu.* Fabulæ, & Imperitiæ. Hic quod quærimus supponit vt concessum. Nam si probes potestatem omnimodam Petro commissam, facile & illam Romano Pontifici concedat Barclaius. Hoc ipsum, inquam, est, quod negamus, & iste de Lignano, nullius argumenti vi probare aggressus est. Sexto. *Principatus optimus est vbi vnus principatur, 2. Polit. Vnus ergo Princeps in Orbe.* Hæc ratio cum secunda coincidit, cui modo respondimus. Septimo, *quia sic est in regimine cœlesti.* & id argumentum primum est, quod in Stephano Auferio supra excussum.

Sunt iam & alia Panormitano argumenta, tam ex se, quam ex Hostiensi, primum est, quod Glossa Decretalium ita sentiat. Mirificum argumentum. cum & Canonistarum multi glossas contexuerint, plerumq; ad fastidium vanas, alii suas ineptias ex glossis desumpserint. Addit, spiritualem potestatem temporali priorem, *in dignitate seu maioritate, item in institutione, item in auctoritate seu potestate.* Sic probat, *Est enim prior in maioritate, sicut spiritus est maior in corpore.* Tanto dignior temporali (fateor) quanto anima corpore, at non ita temporali imperans, vt anima corpori, quæ duo cautissime permiscetis. & nos de hac fraude infra, Ca. 2. §. 10. & 11. *Item est prior*, inquit. *in institutione, vnde sacerdotium Melchisedech præcessit legem scriptam, de quo in c. Translato. De constit.* Quæ illa ratio? An vero ante legem scriptam, nullus fuit Rex legitimus? imo innumeri. imo an nullus ante Sacerdotium Melchisedech? Certe is saltem, vt Sacerdos, ita Rex fuit (*Genes. 14.*) vt eo argumentu non deducas institutionem Sacerdotii antequam Regni. Neq; in Capit. *Translato. de Constit.* ad quæstionem quidquam. Ibi dicitur, translato Sacerdotio legem quoq; transferri; quia idem Deus *simul & sub eadem sponsione*, Sacerdotium dedit & legem. At hanc Apostoli & Augustini authoritatem non capiens, quicunque Capitulis Decretalium compendia præposuit, quam hic aberrat! *Potestas legem condendi*, inquit, *& mutandi, est penes Vicarium Christi.* Imo mi homo hic dicitur, potestatem tam Sacerdotem mutandi quam legem, penes summum Deum esse. de potestate Pontificis nihil. *Item*, inquit Panormitanus, *per Sacerdotem Deo iubente fuit ordinata Regalis potestas 1. Reg. 8. in fi. dicit Dominus ad Samuelem, Constitue super eum Regem. Est ergo Sacerdos prior potestate & auctoritate, quia spiritualis potestas instituit & iudicat temporalia, de Electione, Venerabilem. 15. q. 6. Alius.* Aperti nimis doli. Neq; enim Samuel ordinauit Regalem potestatem, aut constituit quid Rex posset. Sed hic *constituere* est per diuinum oraculum ostendere quis ad Regnum subuehendus; quod opus Prophetæ Samuelis. Res certa, ex populi voce. 1. Reg. 8. *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Ecce vt non ordinata Regalis potestas à Propheta, quandoquidem & antea *vniuersæ nationes* iam habebant suos Reges, & Iudæi Regem petunt, non nouis astringendum legibus, sed sicut vniuersæ habebant nationes. ibidem. *Rex enim erit super nos & erimus nos quoq; sicut omnes gentes.* Constituere, inquam, fuit diuino Oraculo constituenti præbere ministerium. *Dominus autem* (1. Reg. 9.) *reuelauerat auriculam Samuelis ante vnam diem quam veniret Saul dicens; hac ipsa hora quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum Ducem super populum meum Israel.* Diuinis etiam sortibus peracta electio (*1. Reg. 10.*) non ad libitum & liberam nominationem Samuelis. & inaugurato ita Rege, *Dixit Samuel* (1. Reg. 12.) *ad vniuersum Israel, ecce audiui vocem vestram iuxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui super vos Regem.* Videtur quæ constitutio, & quæ illius partes in constituendo Rege? De Can. *Alius*, & Cap. *Venerabilem.* plus ante vigesies. En & aliam in Panormitano rationem, quod *quanto quis melioribus præest, tanto maior est; &c. sed animis cui Papa præest, præferenda est omnibus rebus humanis, quibus Imperator præest. 12. q. 1. Præcipimus. ergo Papa præest imperatori.*

peratori. Mala conclusio; respondendum, ergo Papa est maior Imperatore, id est ad nobilius & excellentius ministerium destinatus. Nam de alia *maioritate* non concludit argumentum. Vide quæ modo diximus ad tertiam Ioan. de Lignano rationem. Addit Panormitanus argumenta, ex quibus Stephan. Aufrerius primam ex suis & tertiam rationem contexuit; quibus *Num.* 32. respondimus. Tum authoritates Scripturæ, de pastu, de gladiis: de quibus iam nos sæpe. Etiam quod Christus temporali potestate vsus sit, vendentes & ementes de templo eiiciens. At vero non agimus de Christi temporali potestate. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo,* inquit, Matth. 11. Luc. 10. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Dedisti ei potestatem omnis carnis. Io.* 3. *&* 17. Male inde potestatem metiare Pontificis, quam fateris, Bellarmine, (infra hoc libro. c. 27. §. vlt.) *non esse omnino æqualem illi potestati, quam in terris habere voluit, & habuit Christus, vt homo.* Ais etiam (lib. 1. de Pontif. cap. 9.) ex ea potestate accepisse Pontificem duntaxat *portionem, secundum mensuram donationis Christi.* Et nos infra vberius, *Cap.* 24. § 1.

NVMER. LVI.

MART. NAVARRVS.

MArtinus Nauarrus, inquis, *in Comment. ad Cap. Nouit, de Iudiciis, notab.* 3. *num.* 41. *Potestas,* inquit, *Ecclesiastica est species potestatis distincta à Laica, & longe nobilior ea: vt aurum est species metalli distincta à specie plumbi, & nobilior ea: quæq; directè solum amplectitur supernaturalia: indirectè vero eatenus naturalia, quatenus sunt necessaria ad consecutionem finis supernaturalis. & infra,* Num. 99. *Colligitur,* inquit, *ratio quare Papa deponere potest Reges adeo negligentes in regendis regnis suis, vt ob id populus Dei subditus illis retrahatur à consequenda vita æterna. Porro hic author plurimos citat in eandem sententiam.*

Has sententias quas ex diuersis locis, nec semper authoris verbis, consarcinas, ita modeste, & veluti petita venia Nauarrus protulit, vt non sit præiudicio in contrarium sentire volentibus. Sic enim, *Arbitramur autem,* inquit, *sub debita censura, primo quod potestas Regia, &c.* Illius ratio est; quod in potestate Papæ esse debeant *omnia naturalia quatenus sunt necessaria ad consecutionem finis supernaturalis.* Fatemur: Sed negamus quod deinde assumit, Num. 99. qui incipit, *Colligitur ratio, &c.* nempe hanc in Reges potestatem necessariam spirituali fini; vt iam diximus. *Num.* 42. dicturi infra fusius, destinatis Numero illo locis. Venis tandem ad Germanos, his verbis.

Sententia illustrium Scriptorum nationis Germanicæ.

NVMER. LVII.

STEPH. EPISC. ALBESTATENSIS.

STephanus Episcopus Alberstatensis, inquis, *in Epist. quæ extat in Appendice Mariani Scoti, loquens de Henrico IV. Imperatore, Dominus,* inquit, *Henricus hæreticus est, & pro nefandis malis à sede Apostolica excommunicatus, nec Regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, potest obtinere.*

Vt ineptierit hic Stephanus, in Epistola quam tu laudas, habebit infra Lector *Capit.* 9. §. 12. Nec pro nobis moramur hos patronos Bellarmine, nec horremus infensos.

NVMER. LVIII.

HVGO DE S. VICTORE.

HVgo de S. Victore, inquis, *natione Saxo, vir doctrina & sanctitate celeberrimus. lib.* 2. *de Sacram. par.* 2. *cap.* 41. *Spiritualis,* inquit, *potestas terrenam potestatem, & instituere habet vt sit. & iudicare habet, si bona non fuerit. Ipsa vero à Deo primum instituta est, & cum deuiat à solo Deo iudicari potest.*

Iam olim ista Hugonis verba explicuit Io. Parisiensis, Dominicanus, de potest. Regal. & Papal. Cap. 18. Ad 20. arg. Nimirum, *quod cum mos sacræ Scripturæ sit, vt ait S. August. lib* 1. *de Ciuit. Dei, dicere rem fieri, quando manifestatur, pro tanto dicit Hugo quod potestas spiritualis Regiam instituit. non quidem ipsam efficiendo vt sit, cum sit à Deo, & populo consentiente & eligente; sed quia in vngendo ipsum instituit, & electum manifestat, non ita tamen vt de necessitate potestatis secularis sit quod inungatur, cum aliæ gentes Reges habeant, qui non inunguntur. Vnde & in nouo testamento non legimus quod Sacerdotes inungere debeant Reges, nec etiam obseruatur in omnibus Regibus Christianis, vt patet in Regibus Hispaniæ. Atq; idcirco Papa non instituit Regem, nisi ad modum iam explicatum; sed vterq; est à Deo institutus suo modo; nec Papa dirigit Regem per se vt Rex est, sed per accidens, inquantum conuenit Regem fidelem esse, in quo instruitur à Papa de fide, & non de regimine. Vnde subiicitur Papa in iis in quibus subiicit eum potestas suprema, scilicet in spiritualibus tantum.* Neq; vero Hugonis sententia, cum Scriptura, cum moribus consentiat, nisi ea eiusmodi interpretationis sensu, cum & in Ethnicis terrena potestas vera & legitima fuerit: & nunc in Christianis sæpe, nec in electione, nec in confirmatione, vllam vim à Papa habeat, vt ab illo instituta dici possit.

NVMER. LIX.

HENRICVS DE GANDAVO.

HEnricus de Gandauo, inquis, *Quodlibeto.* 6. *q.* 33. *Iste,* inquit, *Hierarcha primus post Christum super vniuersalem Ecclesiam Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commisit, sic vt regimen vniuersalis Ecclesiæ tam in spiritualibus quam in temporalibus ad ipsum pertineret.*

Ratio qua id probat, est, *iuxta illud,* inquit, *quod dicitur dist.* 22. *Can. Omnes. Romanã Ecclesiã solus*

ipse fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æterna vitæ clauigero terreni simul & cælestis imperii iura commisit. Vbi dicit glossa, argumentum quod Papa habet vtrumq; gladium, spiritualem & temporalem. Hoc est scilicet argumentum Henrici à Gandauo ex epistola Nicolai Pontificis, vanum, neque hanc Pontificis potestatem, qualem fingit rite astruens, vel confessione tua; vt eidem rationi supra respondimus, *Numero 20.* Sed & tam insipide hic Henricus fauet Papæ, vt scribat, quod *Imperator sub ipso* Papa *habet authoritatem in temporalibus.* Ridiculam, vt ipse disseris, & ex nouitiorum erroribus factam sententiam.

NVMER. LX.

VLRICVS.

VLricus, inquis, *in sua Summa sic ait, Si Rex esset manifeste Hæreticus, vel si interpellatus ab Ecclesia negligeret nihilominus regimen regni sui, quantum ad ea quæ sunt fidei, scilicet si non intenderet extirpationi Hæreticorum, posset ab Ecclesia deponi à Regia dignitate. Hunc authorem allegat Io. de Turrecremata, loco supra citato.*

Hunc authorem certe allegat Io. de Turrecremata, sed prorsus inanem argumentis. Non est igitur liti locus, nec exermi extorqueri arma possunt.

NVMER. LXI.

DIONYS CARTHVSIANVS.

DIonysius Charthusianus, inquis, *in lib. De regimine Politiæ, art. 19. In Ecclesia, inquit, Dei est vnus Pontifex summus, videlicet dominus Papa, in quo est vtriusq; potestatis, atq; dominii plenitudo & apex, hoc est, tam spiritualis quam secularis potestatis: idcirco iurisdictionem & dispositionem habet super omnia regna & principatus fidelium, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, dum rationabilis causa requirit. Nam & Imperatorem potest deponere, & Reges, si vita eorum id mereatur, regnis suis priuare.*

Exscribe vero vlterius Carthusiani verba; *& Reges, si vita eorum id mereatur, regnis suis priuare, eaq; dignis ac sufficientibus sicut quidam summi Pontifices fecisse leguntur tradere. hinc in Summis Doctorum habetur, quod quandocunque Princeps secularis fuerit negligens & inutilis, circa regnum, seu principatum, atque iustitiam, vel circa hæreseωn extirpationem, potest per Papam deponi. Vnde Zacharias Papa deposuit Childericum Regem Francorum, & Innocentius III. Ottonem Imperatorem, & Innocentius IV. Fridericum Imperatorem.* Hæc scilicet omnis est Dion. Carthusiani probatio, id scriptum in Doctorum *Summis* esse (id est à quadringentis demum annis, qua tempestate cœpit hæc farrago Summarum, inepta vt plurimum, ex repetitionibus sæpe, ex imperitiis sæpe constans.) Et de facto id vsurpasse Pontifices. Quam probationis rationem iam satis exclusimus.

NVMER. LXII.

IOANNES DRIEDO.

IOannes Driedo, inquis, *lib. 1. de libertate Christiana, cap. 14. Verum*, inquit, *hic non est silentio prætereundum, quod Papa ex plenitudine potestatis super vniuersos Principes Christianos, potest Reges ac Principes propter hæresis crimen priuare suis regnis, atq; Imperiis, & in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia & subiectione eorum. Vide etiam caput 9. vbi demonstrat auctor in ordine ad finem supernaturalem, subiectam esse potestatem temporalem potestati spirituali.*

De Driedone, videat Lector infra, *Cap. 2. §. 9. Cap. 13. §. 5.* vbi de illo & tu, & Barclaius.

NVMER. LXIII.

ALBERTVS PIGHIVS.

ALbertus Pighius, inquis, *lib. 5. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 2. Quare, inquit, hi omnes (Reges videlicet & Principes Christiani) vt pars & membra sunt Ecclesiæ, necessario etiam subsunt Ecclesiasticæ Hierarchiæ Præsidi, qui sui Imperii habenis moderetur eosdem, in suam mutuo & totius corporis vtilitatem conspirantes teneat, omnes contineat in officio, præuaricantes corrigat, & si ita exigat totius necessitas, administratione quoque & officio amoueat, & in locum eorum constituat alios, aut constituendos præcipiat per eos, ad quos hoc ipsum de iure aut consuetudine pertinet. Vide eundem authorem, cap. quartodecimo, vbi idipsum repetit, & exemplis allatis probat.*

Vna Pighio ratio, & quam multis exponit, *nullam posse in vnum multitudinem contineri, nisi colligatur vinculo ordinis ad vnum, & per vnum aliquod principans, quod suum cuiq; præscribat ac moderetur officium.* Quasi vero aliqua multitudo in vnum contineri non possit, nisi omnimode vnus præsit. Haud bene milites in vnum contineas, *nisi vinculo ordinis ad vnum Ducem*; an ideo necessarium, illum Ducem non in militaribus modo rebus, sed & ciuilibus, sed & spiritualibus imperare? imo milites Duci, Ludimagistro discipuli, Regi ciues, Christiani Pontifici *vinculo ordinis ad vnū alligantur*, non vt quilibet possit omnia, sed vt Dux in rebus bellicis audiatur, obseruetur in tradendis artib. Ludi magister, Rex in ciuili regimine, in spirituali Papa. Ita hæc ratio pro spirituali Pontificis potestate egregia, pro tēporali nulla. Neq; vero qui regendæ multitudini destinantur, omnibus omnes pœnis eam coerceant, & in delinquentem agant. Alioqui mera rerum confusio: & Rex possit censuris spiritualib. castigare suos ciues. Vt omnib. sunt fines potestatis, Bellarmine, (veluti Duci bellū, Iudici lites, Regi ciuilia, Papæ spiritualia) ita & certę

coer-

coercendi rationes. Non igitur collegeris ex Pighii argumento Regem Christianum in omnibus subdi Pontifici, aut omnibus pœnis per eum posse plecti, ex eo quod in spiritualibus sit subditus, & castigari possit pœnis quæ sunt iurisdictionis Ecclesiæ; Quæ quales sint aliis argumentis vestigare Pighium & probare oportuit. Remittis nos ad alium Pighii locum; at nec ibi noua ratio, nec exempla alia quam Pontificum de facto hanc potestatem asserentium, quod infirmissimum probationis genus, & à te vsurpatum, satis supra explosimus.

NVMER. LXIV.

IACOBVS LATOMVS.

Iacobus Latomus, inquis, *in lib. de Ecclesia, cap. 14. Ex eisdem inquit, principiis conficitur, Regem, aut alium quemcunque terrenum Principem Christianum, regno, & principatu iure priuari posse per Ecclesiam; quia regnum & principatus cum personis, vt supra dictum est, in Ecclesia corpus & ius transit per sacrum baptisma, & per Christianæ Religionis liberam acceptionem Christo & Sponsæ eius dedicatum, & consecratum, & donatum donatione irreuocabili. Hæc ille, qui potestatem Ecclesiæ plenissime residere in summo Pontifice demonstrauit in alio libro quem de Primatu Romani Pontificis inscripsit.*

Quæ autem *ea principia* ex quibus rem tam grandem *confici* Latomus credidit? nimirum (vt præcedenti Capite scripserat) quod *Principatus & Regna*, quando primum Principes baptismate tincti sunt, Ecclesiæ *incorporata* fuerunt, atque eo ipso sub Ecclesiæ leges iuerunt. quod repetit iisdem pene verbis, in illis quæ exscribis, *quia regnum & principatus, cum personis &c.* Vix vlla ex vestris nugis ineptior. Neque Rex enim potest, ad Ecclesiam ipse accedens ius Ecclesiæ in regnum suum facere, si illud sit infidele. Ius, inquam, siue spiritualis, siue temporalis potestatis; non spiritualis quidem, cum nec infidelis ad Ecclesiam cogi possit, nec spirituali Ecclesiæ iuri subdi. quod enim ad illam *de his qui foris sunt*? non etiam temporalis: cum non sit in Rege suam potestatem transferre in alium, & populum qui se illi subdidit, sub alio collocare. De summo loquor imperio; Nam sat scio posse Regem temporale ius Ecclesiæ in suos concedere, sed sub se, & tanquam vicariam potestatem: De qua si loquitur Latomus, nihil agit; cum non inde ius in Reges Ecclesiæ nasci possit, magis quam Præsidibus aut cæteris magistratibus à Rege constitutis. Eadem ratio in populis fidelibus. Neq; enim est ius quæsitum Ecclesiæ in regiam dignitatem, vt eam auferat, mutet, donet; aut in Populos, vt eis in temporalibus dominetur, ex ipsorum Regum, aut Populorum ad Ecclesiam accedentium consensu, atque pacto, quandoquidem eiusmodi consensus ac pacta res sunt omnino fictitiæ, & pene somnia ægrotantis. Vt vberius differendum est, *Cap. 24. §. 1.*

NVMER. LXV.

CONRADVS. BRVNVS.

Conradus Brunus, inquis, *lib. 3. de Legationibus, Cap. 6. Has, inquit, iurisdictio iudicia ciuilia, & criminalia, denuntiationes, & inquisitiones, accusationes, pœnas item & censuras Ecclesiasticas complectitur in personas, & res Ecclesiasticas: multis etiam casibus in laicas personas, & pro rebus temporalibus datur. In his omnibus plenissimam habet iurisdictionem summus Pontifex; determinatam autem, & certis limitibus conclusum Archiepiscopi, Episcopi &c.*

Cen rei huius authoritas? vbi negauit Barclaius, *iurisdictionem quæ pœnas & censuras Ecclesiasticas complectitur, multis casibus in laicas personas, & pro rebus temporalibus dari*? Certe siue in rebus temporalibus, siue in spiritualibus Christianus peccauerit, tam laicus, quam Clericus; illud est Ecclesiasticæ notionis. Absit neget. At hoc negat, *inter pœnas & censuras Ecclesiasticas* depositionem Regum esse. Pergis ad transmarina auxilia, hoc titulo.

Sententia illustrium Scriptorum nationis Anglicæ & Scoticæ.

NVMER. LXVI.

ALEXANDER ALENSIS.

Alexander Alensis, inquis, *Anglus, Ord. Minor. vir doctissimus, & Sanctorum Thomæ & Bonauenturæ præceptor, par. 4. q. 10. in explicatione Canonis Missæ, in illud, Et pro Rege. N. Spiritualis, inquit, potestas terrenam habet instruere, & iudicare si bona fuerit, ipsa vero à Deo primum instituta est, & cum deuiat à solo Deo iudicari potest. Idem Alexander, par. 4. quæst. 79. memb. 5. & 6. Voluit, inquit, Deus quosdam in alios plures habere potestatem; & deinde in illos, alios pauciores; & sic semper donec deueniretur ad vnum, scilicet Papam, qui sub Deo immediate est. Quo loco docet Alexander, Papam ita præesse omnibus potestatibus, vt ipse solus sub Deo immediate sit.*

Propter istas in Alensi sententias, Canonistæ eum in suis numerant, vos in vestris; cum re uera neutris fauerit, sed absolutæ immunitati Regum. Vult quidem à spirituali potestate instrui & iudicari temporalem, sed præceptis spiritualibus, & spiritualibus pœnis. Vult Papam habere potestatem super omnes, sed spiritualem; & esse immediate sub Deo, scil. non quatenus ciuis, qui aliis subdi potest, sed quatenus Papa, & Præfectus Ecclesiæ. Hunc illius sensum esse, ex eiusdem scriptis vident, nisi forsitan cæci. Ait enim. 3. par. q. 40. *Reges à Deo solo materiali pœna puniendos esse.* Subdit. *Atque ita. 1. Petri. 2. Rex dicitur præcellere in suo ordine secundum potestatem ad vin-*

ad vindictam, non spiritualem sed corporalem, qua vindicta, si deliquerit, non habet qui eum puniat, nisi Deum. Et quod in glossa est ad hæc Psalmistæ verba, *Tibi soli peccaui*, scilicet *Rex omnibus est superior, ideo tantum à Deo, qui maior est eo, puniendus est*, ita explicat. *Expone igitur, à Deo tantum est Rex puniendus, supple materiali pœna; & iterum, Non habet hominem qui eius facta diiudicet, supple, ad corporalem pœnam inferendam.* Quid liquidius? noli repugnanti Alensi nouam mentem imponere; quo cum fatetur Barclaius Pontificem spiritualibus præfici, Reges tamen cum summi sint in temporalibus; neq; à Pontifice, neq; ab alio vllo plecti *materialibus & corporalibus pœnis* posse, quales sunt abdicatio dignitatis, potestatis, regni, iuris.

NVMER. LXVII.

ROBERTVS OLCOT.

ROBertus Olkot, inquis, *Anglus, in lib. Sapientiæ, lect. 200. Hic autem, inquit, est Rex Regum, cui omnes subsunt nationes, & populi, qui temporalia ab eo recipiunt: Sacerdotio tamen ac Summo Pontifici debet subesse. & infra. Samuel vnxit Dauid in Regem, in figura quod Vicarius Christi, & prælatus Ecclesiæ confert principatum, & regiam potestatem ad vtilitatem Ecclesiæ. Vnde eius, & auctoritatis examinandi personam electam in Regem, & promouendi ad Imperium, ad Papam pertinet.*

Nullum hnic auctori argumentum, nisi Capitulum *Solitæ*, de Maior. & obed. de quo nos initio *Prolegomenωn*. Cætera, nimirum, *Samuel vnxit Dauid in Regem, in figura quod Vicarius Christi &c.* omnino aliena; vt pigeat refutandis incumbere. Taceo scilicet quod Samuel non modo non Pontifex, sed nec Sacerdos fuit; vt annotat B. Hieronymus lib. 1. aduersus Ioninianum, & Genebradus ad versiculum Psalm. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius.* Sed Sacerdos fuerit; cur colligas conferri regiam ab Ecclesia potestatem, ex eo quod Dauidem Samuel in Regem vnxerit, potius quam spiritualem potestatem conferri à Rege, ex eo quod Dauid constituerit Sadoc & Abiathar Sacerdotes, & Salomon expulso Abiathar vni Sadoc sacerdotium confirmarit? Quæ hæ nugæ? aut quis non exsibilet pari ratione dicentem, Franciæ & Angliæ Reges Ecclesiæ collatione institui (vt ex Dauide quem Samuel vnxit colligit hic Robertus) quia ab Episcopis sibi subditis in inauguratione oleo vngi solent? Venit ad Cap. *Venerabilem, De Elect.* Atqui ibi non de iure Pontificis in omnes Principes, sed in vnum Imperatorem; de quo iam initio Prolegomenωn, & mox plura, *Cap. 2. §. 7. Cap. 4. §. 6.*

NVMER. LXVIII.

FRANC. MAYRONVS.

FRanciscus Mayronus, inquis, *Scotus, in 4. Sent. dist. 19. quæst. 4. plenitudo, inquit, potestatis secundum vtramq; iurisdictionem concurrit in eandem personam: hoc patet authoritate Christi dicentis, Quodcunq; ligaueris, &c.*

Quatuor conclusiones sunt Mayrono, in hac quarta quæstione. Prima est, de ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ. In ea disserit, vnum esse caput Ecclesiæ. Esto. quid hoc in Reges? quos non facimus spiritualia Ecclesiæ capita, sed ciuilia temporalium rerum. Nec sequitur, si vnicum debet esse caput Ecclesiæ, non dari in terris capita alia, & aliarum rerum.

In secunda *conclusione* contendit, de naturæ iure esse ne sint plures principatus temporales, nisi subordinati vni summo Principi temporali, qui toti Orbi præsit. Ineptissima propositio, Scripturis, sensui, moribus contraria. Sed non moror in disputatione inutili, & prorsus absurda. Tertia illius conclusio, summum Principem temporalium debere subiici Hierarchæ spiritualium. Id quatuor modis probat. Primo & secundo, ex ratione & subordinatione finium; Eadem habes argumenta, Bellarmine, tum passim, tum ex professo in *prima ratione principali*; ad quam illa diluemus. Vide *Cap. 1. §. 4. Cap. 3. §. 6. Cap. 17. §. 1.* Tertio, quia, inquit, *impossibile est quod aliquis sit subiectus iure naturali pluribus dominis non subordinatis*, quoniam *alioquin vnus præciperet vnum, & alius contrarium, & erit inobediens illi, cui debet esse obediens, nisi sint subordinati*; cum igitur, inquit, constet, Christianos Pontifici & Imperatori subdi; sequitur vnum alteri subordinari, id est, Imperatorem Pontifici. Sophisma ridiculum. Rex enim atque Papa licet eorundem hominum sint domini; (veriùs dicam, Moderatores & Præfecti) tamen non iisdem rebus sunt: Rex in ciuilibus, in Spiritualibus Papa. Si igitur spiritualia Rex imperet, si ciuilia Pontifex, iam non hoc suo iure fecerint; & ideo secure spernentur. Ita neutra iurisdictio aliam impedit, facitue vt alterutri dominorum negetur obsequium, quandiu vt dominus imperat, non autem alienæ inuasor potentiæ. Argumentum vero Mayroni est de duobus dominis, quorum in eosdem homines vniuersa sit & indistincta potentia. Quarto, quia, inquit, *non debent plures Principes esse. Primo in temporalibus, hoc asseritur sic; quod si essent plures Principes, & vnus non subordinaretur alteri, oriretur dissensio, ita in proposito orietur contrarietas. ergo ad hoc quod tranquillitas. Politica seruetur, oportet quod sit vnus supremus omnium quoad omnia.* Fabulæ. Neque enim vllus in temporalibus Princeps est, cui cæteri omnes subsint: absurda igitur & Mayroni ratio, quam pro Pontifice inde deducit. Quis enim ille Princeps, cui cæteri subordinati? Imperator? imo prouinciæ pene omnes eodem belli iure quo ad Imperium accesserant, iam ab eo recesserunt, *de iure*, inquam, non modo *de facto*, abierant ab Imperii potestate. Ne perceoseam singulas, testis Pontifex. (Cap. *per Venerabilem, Qui filii sunt legit.*) Regem Franciæ *superiorem in tem-*

in temporalibus minime recognoscere. Sed nec florente Imperio, vniuersus sub eo Orbis fuit. Persæ armati, ignoti Indi, multa in Septentrione inaccessa. Neque vllus à Noemo, cui ius in paucos liberos, totius Orbis Princeps. Sed Maytonus quasi prudentior Numine, & genere humano ingeniosior, præscribit incognitam regendi Mundi formam. Neque aliter statuat vni Pontifici in tertiis imperium. Vult tamen has rationes asserere. *Confirmatur*, inquit, *tum quia in veteri testamento Deus ordinauit Reges constitui per Sacerdotes. Sic patet de Hely, & Saule ac Dauid, similiter Papa confirmat Imperatorem.* Constitui autem per Sacerdotes? quo modo? nisi vt per Sacerdotes vngerentur, vt & hodie per Remensem præsulem vnguntur Franci Reges, per Cantuariensem Angli; vel certe per Prophetas, quibus nominarim significasset Deus, quemnam vellet ad regnum extolli. Vide infra. *Cap.* 3. §. 16. Sed nec Papæ est omnes Reges *confirmare*. Id sibi in Imperatorem vendicat, nullo cæterorum præiudicio; cum hoc pactis aut consuetudine, non communi iure fiat. De solo igitur Imperatore, hoc Maytoni sophisma est. Dicemus vberius *Cap.* 2. §. 7.

Quarta conclusio demum est, cuius initium descripsisti, *quod plenitudo potestatis secundum vtramque iurisdictionem concurrit in eandem personam. Hoc patet auctoritate Christi dicentis, Quodcumq; ligaueris, &c.* Quis vero ex antiquis hanc Christi sententiam ita exponit? Aut quæ consequentia? spiritualia vincula sunt in Ecclesiæ & Pontificis manu; ergo potest iurisdictionem in temporalia exercere, ipsos Reges abdicare? Imò, vt ligari temporaliter Pontifex potest, & spiritualiter esse solutus; ita nec sequitur à Pontifice in temporalibus ligari posse Regem, quia spiritualibus ab eo vinculis potest astringi. Argumenta Maytoni ad istam rem, sunt; Primo, quod in superiori *conclusione* probauerit, subordinari debere temporalem Principem spirituali Hierarchiæ. Hoc vero quam infeliciter, quam non ex ante probauerit, modo satis ostendimus. Secundo, *quia Papa confirmat leges; hoc autem non posset, nisi posset eas condere.* Pingue, vel intolerabilis commentum audaciæ. Omni iure, omni praxi, conuincitur, nec ciuilibus Principum legibus confirmatione Pontificia opus esse; nec Pontificem posse ciuiles leges *condere*, nisi in Prouinciis, vbi ipse ciuilis est Princeps. Tertio, *Cuicunq; datur authoritas ad principale, datur & respectu annexi, quod sine eo non posset exequi: sed temporalia sunt annexa spiritualibus actibus. Nullus enim posset celebrare Missam sine vestibus, nec vestes possent haberi sine bonis temporalibus, ergo, &c.* Hoc argumento probes, quæ sunt necessaria ministris Ecclesiæ, iis largiendis teneri Christianos. Posse etiam Ecclesiasticis pœnis cogi; sed non sequitur posse ideo Ecclesiam ciuili imperio & ciuilibus pœnis, hæc à Christianis auferre. Ea, inquam, naturali iure debentur Ecclesiæ: At *quod nobis debetur, nostrum non est*, neq; actio iurisdictionem inducit; sed opus est facto Iudicis, vt creditores; quod sibi debetur, ab inuito debitore recipiant. Spirituali vero iudicio atque censura non nego quin coerceri possint qui necessaria Pastoribus suis negent; non vt per censuras eiusmodi, velut ciuili sententia auferantur à damnatis sua bona, vel vt in temporalibus regnet Ecclesia; sed vt cogantur tam ingrati animi aut ab eiusmodi peccato recedere, aut à limine abire Ecclesiæ, quæ de criminibus iudicat etiam circa temporalia perpetratis, non temporali tamen modo, aut vindicta temporali. Et de his fusius *cap.* 3. §. 8.

NVMER. LXIX.

IOANNES BACHONVS.

IOannes Bachonus, inquis, *Anglus Ord. Carmelitarum, in Prologo super* 4. *sent. quæst.* 11. *art.* 4. *Papa, inquit, habet iudicare de regnis & Regibus, in causa belli, & pacis: potest enim compellere Principes temporales, vt pacem, & iustitiam sibi inuicem seruent. & infra, Habet Regem deponere, vt alteri regnum tribuatur, ratione iniquitatis vel inutilitatis suæ personæ. Item habet Imperatorem deponere, & Imperium alteri dare, si non defendat Ecclesiam.*

Nihil mirum si Bachonus hæc Pontificem posse contendat. Vult enim potestatem omnem illam quæ in hominum temporalia competit Christo, per hæc verba Petro esse concessam, *Quodcumq; ligaueris super terram, &c.* Habet varia in hanc rem argumenta, ex Can. *Omnis.* 22. *dist.* ex Hostiensi; ex 17. *Deuter.* Quæ omnia vide supra, *Nū.* 20. *Num.* 52. *Num.* 55. Tum addit, quod ab illo exscribis, *habet Papa iudicare de regnis, &c.* id scilicet probat, quia *Petrus est Pastor vniuersalis illimitatus, secundum illud, quodcunq; ligaueris. ergo tenentur eum sequi & ei obedire illimitate in omnibus licitis & honestis.* Falsum prorsus. Petrus *limitatus Pastor* est, siue res consideres, siue personas. Personas; neque enim Infidelium pastor est. Res; quia non accepit ciuilis regiminis potestatem. Alioqui, quod negaris, summus ipse Rex esset & in temporalibus Imperator; cum nihil sit aliud esse Regem, quam ciuili præesse regimini, & in istis humanis posse *licita & honesta* præcipere. Addit Bachonus posse Reges à Pontifice iudicari, *in causa peccati*: qua de re actum supra, *Num.* 32. ad 12. Aufer etiam rationem. Hanc deinde sententiam, *Habet Regem deponere vt alteri regnum tribuatur, ratione iniquitatis vel inutilitatis suæ personæ*; non aliter firmat, quam toties repetito exemplo Zachariæ deponentis Childericum, Can. *Alius.* 15. *q.* 6. Istam deniq; *item habet Imperatorem deponere, & Imperium alteri dare, si non defendat Ecclesiam*; asserit eodem Can. *Alius*, & Can. *Duo sunt.* 96. *dist.* vbi dicitur excommunicatus ab Innocentio Arcadius; commentum commodius excutiendum, *Cap.* 9. §. 3. Addit deniq; sacramentum quo se Pontifici Imperator obstringit, & censuras, quæ à Ioanne 22. in Ludouicum Bauarum latæ. De quibus nos, *Cap.* 2. §. 7. & in *Operis* deinde *Epilogo*.

NVMER. LXX.

THOMAS VALDENSIS.

Thomas Valdensis, inquis, *Ordin. eiusdem, in lib. 2. Doctrinalis fidei antiquæ, artic. 3. capit. 75. explicans quo sensu Sanctus Gregorius seruum se Imperatoris dixerit, Profecto, inquit, nec Beatus Gregorius eminentiæ suæ statum super statum Imperatoris præiudicauit in aliquo, cum Regem sibi verbo tenus præposuit, negotio quoque quod tunc tractabatur attento: quod tunc apte videbimus, si posteriora eius facta, & scripta queramus. Vide an se Magistrum & Imperatorum & Regum non arbitraretur, cum post priuilegia quædam Senatori Presbytero, & Abbati Xenodochii Francorum directa sub interminatione dignitatis, & honoris, omni eius violatori conclusit. hæc ille, qui continuo subiungit duo priuilegia Sancti Gregorii, quibus minatur Regibus regnorum amißionem, si priuilegia illa violare præsumerent.*

Quam futilis hæc Valdensis ratio, dicendum Cap. 3. §. 17. vbi de Gregorio agitur, seruum se Imperatoris profitente, & Capit. 40. in quo diluuntur argumenta à priuilegiis ducta, quæ Senatori Presbytero, & Abbati, Xenodochii Fraucorum direxit Gregorius.

NVMER. LXXI.

REGINALDVS POLVS.

Reginaldus Polus, inquis, *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in lib. de summo Pontifice, cap. 8, Ex quo, inquit, id quod paulo ante diximus, ita concludi potest, Christi Vicarium, cui singulare, & maximum omnium ministerium commissum est, illud nimirum quod vltimum spectat hominis finem, in Orbe terrarum, Ecclesiaq; gubernanda, obtinere summam ac præcipuam potestatem inter cæteros omnes Dei ministros, seu Imperatores, seu Reges, seu Principes, aut quocunq; alio nomine nuncupentur.*

Nihil in Barclaium. Fatemur Pontificem obtinere summam ac præcipuam potestatem inter cæteros omnes Dei ministros; sed non super omnes Dei ministros, nisi in spiritualibus. Dico igitur (vt ad simile argumentum Almainus, De supr. pot. Eccl. & Laic. q. 3. Cap. 8.) *argumentum bene probat quod potestas Papalis est dignior quam regalis, sed non probat quod ipsa sit supra potestatem regiam, quantum ad institutionem & destitutionem.*

NVMER. LXXII.

NICOL. SANDERVS.

Nicolaus Sanderus, inquis, *in lib. 2. de visibili Monarchia Ecclesiæ, cap. 4. Ex his igitur, inquit, quæ tum diuinum ius, tum ipsius naturæ lumen reuelat, abunde apparet, quantopere aberrent à veritate, qui putant Reges Christianos in suis regnis supremam semper potestatem habere, nec vnquam Episcopis ita subesse, vt cum in fidem obstinate peccant, à regno remoueri queant. & supra, Pontifex igitur non minus dabit operam, vt Regem, qui populum Christianum falsa doctrina imbuit, à regimine populi remoueat, quam Pastor operam dat, vt male affectum arietem de medio tollat.*

Habemus igitur quæ doctrina viguerit in Ecclesia, antequā Barclaius & ego litigare inciperemus. Et si sanctus Augustinus in lib. 2. cap. vlt. aduersus Iulianum, adductis testimoniis vndecim Scriptorum, quorum aliqui ante ducentos annos, aliqui ante centum, aliqui ipsius ætate vixerant; affirmat in nullo Concilio Ecclesiastico tot illustres Scriptores & Magistros vnquam simul conuenisse; & miratur si Iulianus in illum conuentum introductus os aperire, & tot viris grauißimis & doctißimis resistere ausus fuißet, quanto maiore ratione possumus nos affirmare, in nulla Synodo quantumuis numerosa conuenisse vnquam Scriptores eximios supra septuaginta, quorum aliqui ante quingentos annos floruerunt, quiq; diuersis seculis in diuersis Christiani Orbis partibus, non solum doctrina, sed etiam sanctitate, & miraculis Ecclesiam illustrarunt? Et quamuis affirmare non possum, an Barclaius in coronam tot insignium Scriptorum introductus, si nunc viueret, resistendum, an cedendum sibi esse censeret: hoc tamen securus affirmo, vel omnium istorum libros, quibus Ecclesia tot iam seculis vsa est, exterminandos esse; vel Barclaii libellum, vt scandalosum, temerarium, seditiosum, & erroneum, flammis vltricibus esse tradendum.

Tandem inuenisti dignum testem, Nicolaum Sanderum; qui seu Pontificis gratiam ambiens, seu in Reginam Elizabetham odio, seu pertinacia partiū, in hac disputatione cæcutiit, vt fanda infanda, apta inepta, nullo delectu, nulla ratione miscuerit. Nam quid impetitius quam hanc Papæ potestatem colligere ex casu Saulis, quem *pro eo quod abiecit sermonem Domini* sibi per Samuelem reuelatum, *abiecit Dominus ne esset Rex?* ex eo etiam, *quod Ahias Silonites viuo adhuc Salomone, prædixit Ieroboam decem tribubus præfuturum.* Ex eo, præterea, *quod Helias* (expresso & speciali Dei iussu) *vnxit Azael Regem super Syriam. & Iehu Regem super Israel*; & ignem è cœlo deuocauit in milites ab Ochozia in se missos? quæ omnia quam pueriliter ad nostram concinnata quæstionem, quæ est de ordinaria potestate Pontificis, ne pepo qui non videt; & nos infra fusius, Cap. 3. §. 16. Argumentum illius *de male affecto ariete*; quoniam eo vteris, Capit. 31. §. 1. Cap 33. §. 2. in te ipsum, Bellarmine, soluendum est.

Iam conclamas, Io triumphe; ostendisse te *quæ doctrina viguerit in Ecclesia*, ante tuam cum Barclaio litem, Noli tantum tibi placere. Barclaius rite ostendit quæ fuerit Ecclesiæ sententia antequam hi quos profers Authores aut Ecclesiam aspexissent, aut lucem. De tanta re, tanto momento Christianorum, nemo scripserit annis mille & septuaginta à Christo; paucissimi

etiam ante annum millesimum & ducentesimum? vnde dicis; *quorum aliqui ante quingentos annos floruerunt*. Multi, Bellarmine, primis scripsere seculis, sed nemo in rem vestram; multi etiam his nuperis ætatibus, qui cum præcipua Catholicorum parte, tam temporalem in pontifice potestatem deuouēt, quam venerantur spiritualem. Die porro ex iis quos protulisti scriptoribus an vel decem qui sentiant tecum? Vix opinor. Hi directam potestatem, bi diuinam, hi casualem, hi indirectam commenti sunt, in re diuersi, in verbis, in sensu; vt in repentina & velut tumultuaria sententia, ad quam nullis Scripturis ducerentur, nullis traditionibus, nullis etiam argumentis, nisi vanis, & quæ nec in priuatis iudiciis quidquam euincant. Sed neque cum plurimis Pontificibus tibi conuenit, directam vindicantibus non indirectam potestatem; vt ex iis ipsis fidelitatis sacramentum ab Imperatore exigentibus, ex Gregorii, ex Bonifacii verbis, denique vel ex Sixti V. in tuos libros indignatione compertum est. Non tamen, vt tu contumeliose de libro Barclaii, *exterminandi* authorum tuorum omnes libri: at notandi, & vel dolendum abreptos seculi vitio, vel indulgendum inter humana lapsis mala, adulationem, spem, cupiditatem. Si præter hæc egregium quicquam habent, publicæ vtilitati seruandum est. At *libellus*, vt vocas, Barclaii, per tuas triumphabit calumnias, sospes, felix, in bonorum omnium sinu. *Flammæ autem vltrices, scandalosis, temerariis, seditiosis, & erroneis*, destinandæ sunt, vt sunt illi quicunq; in nefandas cædes idonei, audent nexus dissoluere qui Regibus Ciues sacrosancta Numinis, Naturæ, Gentium, institutione coniungunt. Vis tamen non priuatis modo suffragiis, sed & publicis niti, his verbis.

Sententia Conciliorum de potestate Summi Pontificis in temporalibus.

NVMER. LXXIII.

S*Ed si forte alicui, inquis, fidem non faciunt testes singulares, quamuis plurimi, & omni exceptione maiores: veniam ad testes contestes, eosq; pene innumerabiles, qui aduersus Barclaium testimonium dicent. Ante annos nongentos à Gregorio II. Romano Pontifice excommunicatum fuisse Leonem Isauricum Imperatorem, propter crimen hæreseos, & vectigalibus Italiæ, ac per hoc parte imperii mulctatum, testantur historici Græci Glycas, Theophanes, Cedrenus, & Zonaras, in Leone Isaurico; & Latini Sigebertus, anno 727. Paulus Diaconus lib. 21. & Platina in Gregorio III. Latini enim tribuunt Gregorio III. hoc factum, quoniam is Gregorii II. sententiam confirmauit. Porro sententiam Gregorii II. in Synodo Episcoporum latam fuisse, testatur Ioannes Zonaras Græcus author, in vita Leonis Isaurici, cuius hæc sunt verba, tomo 3. Annalium. Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, illos vna cum Imperatore Synodico anathemate obstrinxit, & vectigalia quæ ad id vsq; tempus imperio inde pendebantur, inhibuit, inito cum Francis fœdere. Itaque*, inquis, *tota illa Synodus Gregorio Pontifici assensit, totque sunt eius rei testes, quot in eandem Synodum Episcopi conuenerunt.*

Hanc de Gregorio II. & Leone Isaurico historiam seu, vt vocat Onuphrius, fabulam, in suum locum reiicimus, nempe in *quadragesimum primum Caput*. Tantum moneo abuti te Zonaræ verbis. Dicit quidem Imperatorem, & Iconomachos à Pontifice Synodico anathemate esse obstrictos; At non Pontificem in eadem Synodo abstulisse Leoni tributa Italiæ. Si dicas; Brutus inimicus Cæsari fuit, cum eo acie Pharsalica congressus est, & eum confodit inito cum Cassio fœdere; an sensus est fœdus cum Cassio, & Cæsaris cædem, in Pharsalico campo factam? Sic intelligenda de distinctis temporibus Zonaræ verba: qui anathema ad Synodi tempus refert; & inhibitionem tributorum, ad tempus quo icta fœdera inter Pontificem atque Francos. Neq; vero vllibi extat Gregorii siue secundi, siue tertii vlla synodalis sententia, qua exuatur Imperator tributis Italiæ; sed extat memoria decreti Synodalis (*in libro Pontificali*; & refertur in *Conciliorum codicibus*, vbi de Gregor. III.) quo Gregorius tertius omnes Iconomachos, in quorum præcipuis Imperator, iubet esse *extorres à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi*. de qua sententia palam est Zonaram loqui, tum quod reuera sub illo Gregorio III. Italia ab Imperatore recesserit, vt in *Chronico* annotat Onuphrius, & ante illum Platina; ac, vt fateris, pleriq; Latinorum, tum quod idem Pontifex primus fœdus cum Francis iniuerit; vt Platina ex vetustioribus rite collegit. Hæc igitur diuersa Synodus qua excommunicati Iconomachi, & fœdus quo cum Francis sancito vult Zonaras vectigalia pendi desiisse, quæ tu aperta fraude iungis, quasi Zonaras dicat vtrumq; simul factum, quia vtrumq; narrando coniungit. Nego igitur vllam Synodum consensisse huic ademptioni tributorum; Sed & vlla Pontificis sententia depositum hunc Leonem; vt fusius disseremdum *Cap. quadragesimo primo*.

NVMER. LXXIV.

D*Einde, inquis, post annos circiter trecentos, cum Gregorius VII. Pontifex, Henricum IV. Imperatorem sæpius admonitum excommunicauit, & Imperio, Regnoq; priuauit, non id occulte & solo suo arbitratu, sed in Synodo Romana, ad quam plurimi Episcopi vndiq; conuenerant, omnibus consentientibus, & laudantibus, publice & solemni ritu, ac ceremonia fecit. De hac Synodo scribitur, in lib. 7. Registri Gregorii VII. actam esse Anno Domini. 1080. anno septimo eiusdem Gregorii, atq; ad eam Synodum conuenisse Archiepiscopos, & Episcopos, necnon Abbates, & diuersorum ordinum Clericorum, & Laicorum innumerabilem multitudinem.*

His addi debent alia quinq; Concilia habita à successoribus Gregorii VII. videlicet Beneuentanum à Victore

ctore III. Placentinum ab Vrbano II. Romanum à Paschale II. Coloniense à Gelasio II. Remense à Callisto II. in quibus confirmata est sententia Gregorii VII. Vide de his Conciliis infra, caput 9.

Hæc eadem Concilia recenses, *cap.* 9. quibus à nobis ibidem respondendum.

NVMER. LXXV.

PRæterea, inquis, *cum Vrbanus II. Pontifex, Philippum Primum, Francorum Regem, ob repudiatam legitimam vxorem, & adulteram in matrimonium acceptam, & admonitum obedire recusantem, excommunicaret, & corona regni priuaret, ad fecit in Concilio frequentissimo Claromontano, vt testis est Sigebertus in Chronico anni 1095. & clarius idē refert Matthæus Paris, in Vilhelmo II. ad annum 1095. Sed quod cū excommunicatione intelligeretur priuatio regiæ dignitatis, intelligi potest ex Iuone Episcopo Carnotense, qui in Epist. 28. ad Vrbanum II. Papam, sic loquitur, Qui ad vos venturi sunt in calliditate ingenioli sui, & venustate linguæ, impunitatem flagitii se impetraturos Regi à Sede Apostolica promiserūt, hac ratione ex parte vsuri, Regem cum regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam restituatis, eumq; ab anathemate absoluatis. Intelligi potest etiam ex historicis, qui testantur vetitum fuisse ab Vrbano Pontifice, ne diadema regium Philippo excommunicato imponeretur. Vide Chronicam Ioan. Naucleri, gener. 37. Paulum Æmilium, lib. 3. in Rege 38. Papirium Massonium, annal. lib. 3. Adde etiam quod scribitur in Summario, siue compendio historiarum Francicarum Nicolai Vignerii, toto tempore quo Philippus sub anathemate vixit, in publicis Scripturis non fuisse positum de more, regnante Philippo, sed, regnante Christo; quia videlicet Regem excommunicatum pro Rege populus non habebat.*

Quam id autem præter speciem veri, abdicatum Pontificia sententia illum Regem, nec sequutas inde turbas, quæ ad eiusmodi sententias pene certæ? Quis declinandi belli locus, si Vrbanus Philippo abrogasset imperium; cum tunc Francia summe deuota Pontifici, & Philippus, clientibus, opibus, armis grauis? Vel in exemplum vide Germaniam atq; Italiam, eodem illo tempore bellis ardentem, propter Henricum IV. Imperatorem à Pontifice abdicatum. Pacata nihilominus Francia; cui tamen aut à Pontifice decedendum aut à Rege, si abdicatus hic Philippus. Vbi deniq; de successore actum? vbi Pontifex, vbi Antistites alium sufficì iusserunt, suaserunt? Nusquam gentium. Sed optimo prorsus exemplo, boni non à Regis imperio, at à sceleris communione recessere. Vnde Paul. Æmilius, lib. 3. in gestis Philippi, *Francia sub Rege minus probato*, inquit, *ita incolumem maiestatem ei seruauit, vt ipsa à sanctitate Maiorum non degeneraret.* Iuo quoq; in Epistolis semper suis, Philippum licet excommunicatum, *Regem Francorum, & Dominum Regem* vocat. Ad Vrbanum Pontificem Epist. 46. (quam tu perperam 28. esse dicis) *venturi sunt ad vos in proximo Nuncii ex parte Regis Francorum.* Ad Vvidonem Regis dapiferum, Epist. 47. *Scio consilium Domini Regis bonum exitum habere non posse, nisi ab hoc peccato desistat.* Cur porro non negaret tunc Philippum esse Regem, vir pro Pontifice acer, exemplo eorum qui tum in Henricum IV. erecti? apud quos religio Henricum Imperatorem dicere, vt ex Stephano Albestatensi habes, qui ad Vvaltramum Magdeburgensem, *Miror autem*, inquit, *si in te vel gutta sanguinis est, quod non erubescis dominum Henricum Regem dicere, vel ordinem habere*, ita refertur apud Dodechimum, in *Appendice ad Marianum Scotum, ad Ann. 1090.* Falsum igitur quod Vvilelmus Malmesburiensis lib. 4. de gest. Reg. Anglor. cap. 2. vbi de Concilio Claromontano. *In eo Concilio excommunicauit Dominus Papa Philippum Regem Francorum, & omnes qui eum vel Regem, vel dominum suum vocauerint.* Falsum, inquam, aut Iuo censuræ eiusmodi parum curans, vir ad extremum tenax Ecclesiasticæ disciplinæ. At, inquis, idem Iuo, in Episto. 46. ad Vrbanum Pont. habet, *nisi Coronam restituatis.* Ergo coronam Papa ademerat. Quantam rem ambiguo verbo agitis! quasi per *Coronam* hic intelligatur regnandi ius! imo reuera *Corona* intelligitur, quam inter Sacra præcipuis anni festis, ab Antistite aliquo impositam Reges olim gestauere. Quod in Philippo fieri Papa vetuerat: tum ne ab Episcopis hunc honorem ferret Rex ad Ecclesiæ censuras peruicax: tum quod sacris interesse excommunicato omnino non liceret, multo minus cum pompa & dignitatis insignibus; cui potius ad *pœnitentes* recedendum. Vnde hæc iunxit Iuo, *nisi Coronam restituatis, nisi Regem ab anathemate absoluatis.* Ita, inquam, hic *Coronam* intelligi, & illum morem Coronæ sæpe per Antistites imponendæ festis solemnibus, habemus ex eodem Iuone, *Epist. 66.* ad Hugonem Pontificis legatum, *Turonensis enim Archiepiscopus*, inquit, *prædictæ Ecclesiæ pædagogus & incubus, in Natale Domini, Regi contra interdictum vestrum Coronam imponens, hac arte obtinuit, &c.* quod totidem pene verbis repetit Epist. 67. ad Vrbanum Pont. Et in Epist. 88. ad Ioannem Card. Rom. Eccl. Legatum. *Licet*, inquit, *quidam Belgicæ prouinciæ Episcopi, in Pentecosten, contra interdictum bonæ memoriæ Papæ Vrbani Coronam ipsi Regi imposuerint.* Non hic igitur actum de solemni inauguratione Regis qui septuennis *coronatus* fuerat, aut, certe, vix anno ætatis suæ nono, Christi vero M.LX. id est, plus viginti annis ante Vrbani Pontificatum; adhuc Henrico patre viuo, qui filium regnantem videre voluit. Vide Paulum Æmilium in *Henrico I.* & Rob. Gaguinum, in *eiusdem Regis vita.* Neq; quicquam accedebat regii iuris per hanc iterationem coronandi: trimestres alioqui vt plurimum Reges, quibus ab vna solemnitate anni ad aliam potestas cum corona traderetur. Quod si nihil his *coronationibus* iuris datum, nihil etiam sublatis ademptum est; vt nec ista ætate qua desiit *coronationum* frequentium ille vsus.

Sed, inquis, scribitur in Summario Nicolai Vignerii, *toto tempore quo Philippus sub anathemate vixit, in publicis Scripturis non fuisse positum de more, regnante Philippo, sed regnante Christo.*

Quis ferat malam fidem, qua Scriptoribus imponis, qua confundis historias? Nicol. Vigne-

rius scribit ad Annum 1200. *interdictum* fuisse Franciæ regnum, donec Rex Philippus Augustus Isburgim Danam, Coniugem reciperet, dimissam repudio; additq; *in Chronico Fuxensi* haberi interdicti illius tempore, quod mensiom septem fuit, scribi solitum, *regnante Christo*, non *regnante Philippo*. Tu porro Bellarmine, quod de Philippo. II. cui cognomen Augusto, dixit Vignerius, transfers ad Philippum hunc primum; qui excommunicatus in Claromontano Concilio. Satis tibi vt deciperetis, aut fallêres, vtrumq; Philippum nominari; licet centum & quinque anni inter excommunicationem Philippi. I. & *interdictum* sub secundo. Sed nec illud de Philippo Augusto asseruit Vignerius; tantum haberi dixit in Fuxensi Chronico. Rem autem tam singularem credideris in vnico & obscuro Chronico seruari; in melioribus omitti authoribus? Disce saltem non confundere totas ætates; nec quæ de Philippo Secundo sunt apud Vignerium, transferre ad Primum; de quo, qua fronte scribis; *quia videlicet Regem excommunicatum pro Rege populus non habebat*? cum ex consensu omnis historiæ constet, populum in Philippi Regis fide, absq; bello, toto illius anathematis tempore, constantissima deuotione mansisse.

Sed demus, quando ita vis cum Authoribus aliquot, Vrbanum abdicationis aut verius suspensionis sententiam in Philippũ protulisse, idq; in Synodo. An sequitur omnes Synodi Patres assensos? quis author? vbi assensus Synodi? cur non illius authoritate & nomine, vna cum Pontificis, peracta res? de sancto more, de antiquo. Nihil horum: & pleriq; Gallorum non Præsulum modo; sed Procerum, in Claromontana Synodo; Francia omnino Orthodoxa; pia, & mox militibus frequens in Turcas. Nulli tamen in Philippum Regem motus. Vide quid malis; non abdicatum Philippum ab Vrbano, an spretum à Christianissimo regno Vrbani Imperium.

NVMER. LXXVI.

AD *hæc*, inquis, *Innocentius III. Pontifex, anno 1215. Concilium generale Lateranense, quod iure maximum dici solet, conuocauit. Ad fuerunt enim cum ipso summo Pontifice Patriarchæ Orientales duo, per se, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus; duo per legatos, Alexandrinus, & Antiochenus, Archiepiscopi septuaginta, Episcopi quadringenti duodecim, Abbates, Priores conuentuales octingenti, Legati Imperatorum Occidentis & Orientis, Regum vero, Hierosolymæ, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri. In hoc igitur Orbis Christiani celeberrimo conuentu editus est Canon, qui est ordine tertius, aduersus Hæreticos in hæc verba: Excommunicamus; & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam Orthodoxam Catholicam fidem, quam superius exposuimus &c. & infra. Si vero dominus temporalis admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum & comprouinciales Episcopos, excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, vt ex tunc ipse Vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis Hæreticis sine vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent, saluo iure domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominus lege seruata circa eos, qui non habent dominos principales. Quid hic Barclaius diceret? si hæc non est Ecclesiæ Catholicæ vox, vbi obsecro eam inueniemus? & si est (vt verissime est) qui eam audire contemnit, vt Barclaius fecit, an non vt Ethnicus, & publicanus, & nullo modo Christianus & pius habendus erit? si non habet Summus Pontifex potestatem in terris, disponendi de temporalibus vsque ad depositionem Principum eorum, qui vel ipsi Hæretici sunt, vel Hæreticis quoquo modo fauent, cur in editione huius Canonis nullus ex tanto numero reclamauit? cur ne vnus quidem ex tot Imperatorum, & Regum Oratoribus mutire ausus est? Nondum videlicet parasiti Principum temporalium exorti fuerant, qui, vt Regna temporalia stabilire videantur, Regnum æternum iis, quibus adulantur, eripiunt.*

Non tenerem in contumelias tuas iram, ni tam sancte promisissem. Barclaius, vt Ethnicus, vt Publicanus, & nullo modo Christianus, audiat? Barclaius, Bellarmine, qui omnibus rebus Deum, salutem, sacra auita, tam publice, tam religiose præposuit? Nolim has iniurias vindicet Deus; sed moneo te sancti hominis memoriam indigna licentia, & vt iusta sunt Numinis iudicia, fortasse non impune lacessera. Hæc porro fraus familiaris vobis ante ætates aliquot, pietatis nomen atq; arma ad humanam transferre potentiam. Sed id parum in veritatis sanctum ignem, & quacunq; fit latebra erumpentem. At quis non rideat, te etiam Parasitorum meminisse? certe in Barclaium nusquam hæc inspicio. Ab Aulis abfuit, nullo Principum munere corruptus, nullo allectus. Abiit in communionem nominis venerit quo plerumque infames Scripturientes Romæ, Romæ euecti, & per hæc indigna figmenta parasitantes Pontifici; de quib. apte Ioannes Maior, Nobilis Theol. in c. 18. Matth. *Quod vere plures Pontificem extollant quã Concilium, non miraberis. Concilium raro congregatur, nec dat dignitates Ecclesiasticas; Papa dat eas. hic homines ei blandiuntur, dicentes quod solus potest omnia; quadrare rotunda, & rotundare quadrata, tam in spiritualibus, quam in temporalibus.* Venio ad Lateranense Concilium.

Haud arduum, opinor, ostendere, hos Canones nunquam è Concilio Lateranensi promulgatos, & solemni more editos; vt prorsus sit verborum tuorum vana pompa, *cur in editione huius Canonis ne vnus quidem reclamauit? cur ne vnus quidem ex tot Imperatorum & Regum oratorib. mutire ausus est?* Scio quam se nuper, vt assereret editos, in *Torturam Torti* torserit Ioannes Endæmon; at quo successu? quam ad fiduciam suam impari? Dic autem, sed non æquiuoca fide, an tibi verisimile, Cardinalis Amplissime, huius Concilii quod vt ais *iure maximum dici solet* ina-

intercidere potuisse Canones & Decreta; si perfecta, si promulgata, si à tanto Concilio publice Orbi data? Intercidere inquam; nam vt omnia tibi concedam, certum, non peruenisse ad nos hos Canones, eo modo quo in Lateranensi Concilio sunt concepti; sed vt correcti, imo mutati ab Innocentio III. non quidem in Concilio, sed post Concilium. Res clara ex ipsorum Canonum verbis. Cap. 11. *In Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum.* Capit. 33. *In Euectionum & personarum mediocritatem obseruent in Lateranensi Concilio definitam.* Cap. 15. *In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum.* Quæ omnia extra loquendi morem, si de seipso Concilium loqueretur. Diceret potius, *Hæc Sancta & Oecumenica Synodus Lateranensis statuit* &c. Nihil vos in contrarium; sed dicitis confirmatos, auctos, & immutatos hos Canones ab Innocentio. III. At id certe post Concilium. Patet ex Cap. 11. Ibi Pontifex; *Quia nonnullis propter inopiam, & legendi studium & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum &c.* mox addit. *Verum quoniam in multis Ecclesiis id minime obseruatur, nos dictum roborantes statutum adiicimus &c.* Cap. 39. *De multa prouidentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum &c. quia vero propter suppressiones & cupiditates quorundam nullus hactenus fructus, aut rarus, de prædicto statuto peruenit, nos euidentius & expressius occurrere cupientes, præsenti decreto statuimus, &c.* Cap. 61. *In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum, &c. Nos autem id fortius inhibentes, &c.* En vt hi Canones non Concilii, sed Pontificis, & post Concilium. Saltem hinc certum, intercidisse decreta Lateranensis Concilii, eo modo quo à Concilio sunt concepta; quandoquidem nullibi gentium hodie Canones, de quibus Pontifex sic meminit, *In Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum. Fuit in Lateranensi Concilio prohibitum. In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum.* Vbi, inquam, illi Canones, quos edidit Lateranense Concilium, & in hunc deinde modum Innocentius immutauit? Quid autem? Haberemus scilicet tam vetera quam noua Concilia, probata, improbata, eo modo, iis verbis, quibus à Conciliorum Patribus sunt edita; & hoc vnum Lateranense, pene nouitium, adeo autem vniuersale, ita perierit, ne sciamus quo modo est ab illis Patribus concinnatum? Vix te credere opinor, Bellarmine. Multa igitur ibi à Patribus cogitata, parata, etiam exarata, quæ tamen inedita, nec probata solemniter; imo nec veluti in corpus simul iuncta, præcipitato per insperatos motus Concilii exitu, in quo res agebantur ingentes, arcanæ; & auocato Pontifice ad Ligurum & Etruscorum lites. Sed nec verisimile ipsum Innocentium ita digessisse hos Canones, vt retulerit in formam libelluli, ad cæterorum Conciliorum modum. Cur id enim mortales latuisset? cur tot annis hæc compilatio abfuisset, à cæterorum Conciliorum codicibus? donec, si diis placet, Ioannes Cochlæus, Anno M. D. XXXVII. nescio ex quo tumulo eam eruit. Is, inquam, mortalium primus, qui Orbi attulerit iunctos hos actus Lateranensis Concilii (quod trecentis annis præcesserat) & Ioanni Rinco Coloniensi transmiserit, vt ex eiusdem Cochlæi constat *epistola*, excusa in Conciliorum editione, quæ vulgo Petri Crabbe Franciscani dicitur, Coloniæ, Ano. 1538. Neq; ante editionem illam istius Lateranensis compilationis mentio: licet hæc Cochlæi *ad Rincum Epistola*, à recentioribus editionibus sublata sit, vt amoto nouitatis vestigio ducat id quicquid est colorem vetustatis. Et hæc ego, non quod nostra interfit quam solemniter euulgati hi Canones, sed in historiæ gratiam: quam qui veriori dabit indicio, næ me spondeo habebit obsequentem.

Demus omnia de more perfecta, Canonesq; à Lateranensis Concilii Patribus & probatos & editos. Iam distinguendum de decretis Conciliorum. Sunt aliqua circa fidem, cum Patres definiunt, & anathema non credentibus dicunt. & hæc Christianos omnes tenent, modo legitime & in legitimo concepta Concilio. Idem dixeris, de ordinatione rerum mere spiritualium. Alia de moribus, aut rebus humanis. Sed iterū distinguendum. Nam si prohibentur aut iubentur res imperatæ lege diuina, vel vetitæ (veluti parentes colere, nō occidere, non furari) tunc & decretis eiusmodi certa vis, & in omnes. Neq; Cōcilium proprie illa sancit, sed declarat à Numine esse sancita. Sin de reb. agitur quæ ad Politicā spectāt, ordinemq; ciuilem, ea vero non Principes, nō magistratus tenent, nisi sponte consenserint, cum illorum arbitrio, non autem Clericorum summus Deus commiserit hanc regendi Orbis partem: possintque nonnunquam agnoscere hæc Reipublicæ infesta esse, quæ Clerici de illius gubernatione decreuerint, ignari ciuilium rerum, vel non satis eiusmodi momenta pensantes, vel deniq; temporalia iura inuadere, humano & dulci ambitu nixi. Alioquī temporalia omnia in Ecclesiæ intra, & Pontifex, cuius authoritatem etiam præfertis Concilio, possit qualibet sanctione non regium forte nomen, sed ius sibi ac potestatem addicere. Nunc iubendo quo modo finiendæ sint lites, id enim dicere ad charitatem publicam, ideoq; ad se spectare, nunc recidendo mercibus precia, nunc instituendis vestibus, nunc distribuendis præfecturis, nunc temperandis tributis & vectigalibus. Nihil enim in quo non inuenire possit, aut speciose affingere, *spiritualitatis* rationem.

Et vero vt statuere de temporalibus tantum, ita sancire suas & Numinis leges Ecclesia, non nisi spiritualibus pœnis potest; nisi forte ex consensu ciuilium Potestatum. Hoc est quippe exertare à spirituali potestate, hoc vsurpare vim ciuilis Imperii, aut cum Ecclesiastico confundere; hoc inquam, vsurpare temporalem vindictam in Regem, quem Alex. Alensis post Ambrosium & Hieronymum pulchre dixit, *non habere hominem qui eius facta diiudicet, ad corporalem pœnam inferendam.* Quod si temporales pœnas Pontificii iuris facis; poterit certe Papa non

hæresi modo, sed adulterio, fornicationi, homicidio, minoribus etiam criminibus, vt conuenire crediderit, abdicationem dignitatis in pœnam imponere; sicq; in Principem omnem (quis enim, aut quam tatus, sine crimine?) in quem ira, odio, cupiditate incensus sit, inuenire idoneam *depositionis* rationem. Absurda impietas: sed ad quam vos cogit sententiæ vestræ vitium: vt vberius *Capite quadragesimo* disserendum.

Sed nec mirum, si Concilia ex iis sæpe conflata qui omnia volunt Pontifici, ius illi assignarint Politicum; cum pars Antistitum in Pontificis terris degat, vbi pene tot Episcopi quot oppida; pars illius fauorem spe tumida ambiat, pleriq; se distinctam à Laicis Rempublicam constituere, etiam in ciuilibus, credant, vnum Pontificem sibi in Principem destinent, cuius quo maiestas illustrior, eo & cæterorum magis ad venerationem adornata potentia. Minus mirum, si id actum in Lateranensi Concilio, quod & Romæ celebratum, & in illius Pontificis sinu, qui paulo ante Ottoni abrogarat Imperium; vt adhuc calerent studia, & frequens Ecclesiasticorum opinio, *de temporali potestate Pontificis*.

Demus, inquam, hunc Canonem à Lateranensi Concilio editum: at certe non tenere Reges potest, non Principes, non Respublicas, cum non sit in Ecclesiæ iure de temporalibus disponere, neq; Concilium id pro fidei articulo habẽdum decreuerit, vt fatentur Catholici neque tu, Bellarmine, nisi æquiuocationis beneficio vsquam neges. Huic Lateranensi decreto geminum prorsus, quod Concilium Tridentinum, *Session.25.cap.19*. Regi ac Principi vult auferri dominium vrbis aut loci, in quo duello certari permiserit. Actum de ea re in conuentu Ordinum Gallicorum Lutetiæ, Ann.1593. Aderat inter cæteros Cardinalis Peluæus; aderat Antistitum ingens turba. reclamatum ab omnibus in hæc verba, vt patet ex Ordinum actis, die 9. April. 1593. *Concilium Tridentinum excommunicat & priuat Regem ciuitate illa vel loco, in quo permittit fieri duellum, Session. 25. Cap. 19. Hic articulus est contra authoritatem Regis, qui non potest priuari suo dominio temporali, respectu cuius nullum omnino superiorem recognoscit*. Dic porro, num maiorum vitium Lateranensis quam Tridentina Synodus? num vna minus aperte quam alia ius Ecclesiæ in Regum temporalia destinauit? num deniq; Hæretici, non cum Publicanis ablegandi tot Antistites, tot in illis Ordinibus Proceres, ciues, (ad quos admissi præter Catholicos nulli, flagrante tunc bello) qui hoc Trident. Concilii Decretum proiecerunt, vt irritum, & in Regis perniciem iuris; non iusta, non legitima authoritate sancitum? Aut num hodie Hæretici, Rex, Optimates, Antistites Galliarum, qui eodem repudiato, nihil minus Ecclesiæ Catholicæ per omnia iuncti viuunt? Saltem cogeris respondere, vt facis in libr. *de Concil. authorit. Cap. 17.* ad expressissima Lateranensis sub Leone X. Concilii verba, quib. dicitur Papam habere *super omnia Concilia authoritatem*, esse dubium an Concilium id definierit *vt decretum fide Catholica tenendum*, & ideo non esse Hæreticos *qui contrarium sentiunt*. Dices tamen non Hæreticum quidem esse, sed temerarium, repugnare Lateranensi Concilio sub Innocentio, & negare temporalem Pontificis potestatem. Ais enim esse temerarium, si quis contra Lateranense sub Leone Concilium, potestatem Conciliorum Papæ præponat. Ast id temere à te dictum, satis ostendit tot & tantorum Theologorum consensio. Audi testem certe magnum, Ioannem Maiorem, in *Comment. in Matth. Cap.18.* qui sic pro sententia quam tu vocas temerariam. *Superius ostensum est quod Augustinus, & alii doctores, tenent partem quam insequimur: hoc tenuerunt varii Cardinales, vt Ioannes Patriarcha Antiochius, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, Nicolaus de Cusa Cardinalis, Doctor vocatus Christianissimus, Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, profecto nunquam satis laudatus, & nostra facultas à diebus Concilii Constantiensis (in qua plures exercitatos habebis Theologos, quam in duobus vel tribus regnis) quæ sic hanc partem fouet, quod nulli hoc licuit asserere oppositum probabile. Adde etiam quod æquitas naturalis est pro hoc modo.* Quod si fateris non esse hæreticum sentire contra expressam mentem Concilii de re spirituali agentis, imo & definientis; quia est dubium an Concilium id statuerit *vt decretum fide Catholica tenendum*: & hic Doctor, imo tot Theologorum consensio, non modo non temerarium, sed & pium iudicat, aduersus illius eiusdem Cõcilii ite sententiam. quis hæreticum aut temerarium credat, respuere decretum alicuius Concilii, de re temporali agentis, nec docentis se id *de fide* tenendum decernere? decretum, inquam, eiusmodi, quod ex Catholicis præcipui respuant, & omnis generis argumentis facillime possit euerti.

N V E M R. LXXVII.

S*Ed addamus*, inquis, *& Lugdunense Concilium. Ergo Innocentius IV. Pontifex, anno salutis 1245. Lugduni generale Concilium celebrauit, in quo præter Archiepiscopos & Episcopos vndiq; euocatos, interfuerunt etiam Balduinus Imperator Orientis cum aliis multis Principibus. Sanctum quoq; Ludouicum Francorum Regem eo tempore Lugduni fuisse, & Pontifici adfuisse, testantur Aemilius & Nauclerus. Atq; in conuentu illo, Ecclesiam vniuersam sine dubio repræsentante, lata est sententia in Fridericum II. Imperatorem, in hæc verba: Nos itaq; super præmissis, & quam plurimis aliis eius nefandis excessibus, cum fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabita diligenti, cũ Iesu Christi vices licet immeriti teneamus in terris, nobisq; in B. Petri persona dictum sit, Quodcunq; ligaueris super terram, ligatum erit & in cœlis, memoratum Principem, qui se Imperio, & regnis, omnique honore, & dignitate reddidit indignum, quiq; propter suas iniquitates, à Deo ne regnet vel imperet, est abiectus, suis ligatum peccatis & abiectum, omniq; honore & dignitate priuatum à Domino ostendimus, & denunciamus; & nihilominus sententiando priuamus; omnes qui ei fidelitatis iura-*

mento tenentur adstricti, à iuramento huiusmodi perpetuo absoluentes, auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori pareat, & intendat: decernendo quoslibet qui ei deinceps velut Imperatori, vel Regi consilium, vel auxilium præstiterint, seu fauorem, ipso facto excommunicationis sententia subiacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio, Imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. De præfato Siciliæ regno prouidere curabimus, cum eorundem fratrum nostrum consilio, sicut viderimus expedire. Hæc sententia est summi Pontificis, toto approbante Concilio, hoc est, tota consentiente, & laudante Christianorum Præsulum vniuersitate: & tamen audet vnus nescio quis contra disputare, & librum suum in lucem edere, atq; imperitorum oculos fascinare. Quod si singula per se Concilia Catholicæ Ecclesiæ, præsertim cum iis præsidet summus Pontifex, fidem amplissimam faciunt, vt nemini fas sit contra sentire; quanta temeritas esset, si quis decem Conciliis frequentissimis, simul iunctis, contradicere auderet? Nam etiamsi Concilia ista diuersis locis, & temporibus habita sint, tamen facile possunt ante oculos mentis omnia simul constitui, & ex omnibus vnum maximum & numerosissimum fieri, vbi simul conspiciantur Gregorius VII. Victor III. Vrbanus II. Paschalis II. Gelasius II. Callixtus II. Innocentius III. & Innocentius IV. Sanctissimi omnes, doctissimiq; Pontifices, Apostolica authoritate, Reges Hæreticos vel Hæreticorum patronos excommunicantes, atque à regni solio deponentes; & simul omnes Præsules Ecclesiarum, cum legatis omnium ferè Principum sententias tantorum Pontificum, vt iustissimas approbantes, & collaudantes. Certè si Barclaius, aut quicunq; ille similis est, in eiusmodi conuentum introduceretur, mirum est, si loqui auderet, imo si non continuo obmutesceret. Sanctus Augustinus lib. 1. in Iulianum Capit. 2. Concilium Palæstinum Episcoporum quatuordecim, satis magnæ authoritatis futurum existimauit ad vnius Iuliani audaciam comprimendam; cur igitur non multo magis valeant ad vnius Barclaii temeritatem damnandam Episcopi supra mille, qui in decem Conciliis conuenerunt? Hanc igitur sententiam Ecclesiæ Catholicæ, quam in meis disputationibus de summo Pontifice, cum iuuenis adhuc essem, breuiter attigeram, cogor nunc aduersus Gulielmum Barclaium senex defendere: quem sane laborem ab homine, qui se Catholicum profitetur, mihi adferendum suspicatus nunquam fuissem. Nam eos qui foris sunt, & assidue contra me scribunt, nihil moror.

Quid tu pro concilio supponis Pontificem? Pollicitus ostendere quid egissent Concilia, das sententiam Papæ. At hanc in Concilio. quid tum? num sequitur id ex decreto Concilii? Lata est illa sententia statim pene post coactum Concilium, nempe Sessione tertia. Et ni interuenissent Franciæ & Angliæ Reges, res secunda Sessione agebatur. Paruum tempus *ad deliberationem diligentem cum sancto habendam Concilio*, in re præsertim tanta, & quæ deinde tot cladibus afflixit Ecclesiam. Sed & interfuit Concilio Thaddæus Imperatoris Nuncius, *qui pro eo*, inquit Abbas Stadensis ad Annum 1245. *elegantissime allegauit, ita vt plurimorum sibi audientiam conquireret & fauorem.* Quo modo igitur omnes Concilii patres consenserunt Pontifici, si tot pro Imperatore erant? Et vt inanem triumphum duxisti his verbis, *Hæc sententia est summi Pontificis toto approbante Concilio, id est, tota consentiente & laudante Christianorum Præsulum vniuersitate, &c.*

Licet vero ab euentu conücere? (certe conüeis, Bellarmine, vbi de depositione Childerici) næ id Innocentii facinus explodendum, vnde tot mala, tot clades, quas dolenter illius temporis describunt historiæ adeo (Trithemii verbis, in Chronic. Hirsaug. Ann. 1244.) *vt Pontificem viuere taderet, voluissetq; se nunquam depositionem illius* Friderici *cogitauisse.* Sed & longum ideo in Romano Imperio interregnum; tum bella, tum clades, velut in vltimum fata Augusti nominis coniuraræ.

Longè denique alia Friderici, quantum ad potestatem Pontificis, ratio, alia Principum cæterorum; quandoquidem iure eodem nactus erat Imperium, quo deinde amisit; nempe Pōtificali sententia. Ottone scilicet per Innocentium III. abdicato, hic Fridericus ad Imperium subuehitur, & in Ottonis quasi non Imperatoris ditionem armis irrumpit. Igitur aut initium Friderici nequaquam legitimum, cui vis ex abdicatione Ottonis; vel eius depositio legitima, quæ per parem Papæ sententiam. At in cæteris Principibus diuersa ratio, Bellarmine, qui vel nascendi sorte, vel alio iure prouecti. Vnde author Tractatus, qui incipit *Rex Pacificus*, De potest. Papæ. *Quod autem dicitur*, inquit, *de Friderico quem deposuit Innocentius Papa Quartus, dico quod verum est, & de illo Imperatore concedo quod Papa est eius dominus temporalis, quoniam ille Imperator fit per electionem, & à Papa confirmationem recipit & Coronam. Nihil horum est in Rege Franciæ.* Sed & nihilominus à plurimis improbata hæc Pontificis in Fridericum sententia, & *quidam Principum*, inquit Abbas Stadensis, *cum multis aliis reclamabant, dicentes, ad Papam non pertinere Imperatorem vel instituere, vel destituere.*

NEq; igitur ista quæstio *de materia fidei*, neq; vt *de fide* ab vllo sancita Concilio, & hi omnes quos refers Pontifices, in partibus, non in Iudicibus numerandi. Ecce quam leuis fucus, quem adornas metuenda verborum maiestate, vt terrorem elicias, vel assensum, à pie timidis, aut à credulitate simplicium. In argumentis vero non magis quam in Authoribus felix, debuisses, aut *iuuenis hanc sententiam non attingere*, aut saltem non *nunc aduersus Gulielmum Barclaium senex defendere*, qui cum antiquiori cum maiori Catholicorum parte, hanc temporalem potestatem deuouet, tuos testes, rationes, argumenta, non per sophismata, confusasq; ambages, sed ipso candore simplicissimæ veritatis euertit. Sed tandem audiamus quid tu in illum.

IOANNIS BARCLAII PIETAS, SIVE PVBLICÆ PRO REGIBVS AC PRINCIPIBVS, & priuatæ pro Guil. Barclaio ſuo Parente Vindiciæ.

Aduerſus Roberti S. R. E. Card. Bellarmini Tractatum, *De Poteſtate Summi Pontificis in rebus temporalibus.*

CAPVT I.

Theologos illos & Canoniſtas, qui aſſerunt temporalem poteſtatem Pontificis, non ſolum non in modo, ſed nec ſemper in re conuenire; Plurimos vero Catholicorum, cum Barclaio ſtatuere, nihil iuris Pontifici in temporalia Regum eſſe.

§. I.

PRimo Capiti titulum facis, Ampliſſime Cardinalis, *De Excuſatione Barclaii*, quod his verbis ordiris.

HIs ergo quaſi Prolegomenis præmiſsis; venio ad librum Barclaii. Is in primo capite totus eſt in ſe excuſando, & purgando, quod in hac quæſtione de Poteſtate Papæ ſcripſerit quod ſcripſit: Ac primum probat licuiſſe ſibi ſententiam ſuam dicere, quia multi alii Catholici id fecerunt.

Si complures, inquit, tum Theologi, tum Iuriſconſulti, alii poſt alios, in eandem hanc quæſtionem excutiendam incubuerunt, nec priorum de ea iudicium ſequentium Scriptorum ſententiis præiudicauit; cur non & aliquem indagandæ veritatis locum (quandoquidem in eo ſtudio ætatem conſumpſi) meo mihi quodammodo iure vendicem?

At quanti momenti ſit hæc ratio, vel ex eo poteſt intelligi, quod ne ſuo quidem hæredi, aut amico ſingulari perſuaſit. Cur enim hæres ipſius, aut quicunq; fuit, qui librum eius edidit, qui certè amiciſſimus fuit, & nomen ſuum, & Typographi, & loci in quo liber editus eſt, ſilentio inuoluendum cenſuit, niſi quia non ſine cauſa exiſtimauit, non licuiſſe authori impune ſcribere quod ſcripſit?

At vero quanti momenti ſit hæc tua in Barclaium ratio, Bellarmine, *vel ex eo poteſt intelligi, quod ſuo hæredi perſuaſit.* Nam ecce illius hæres qui librum eius edidit, nomen ſuum, & Typographi, & loci, in quo liber editus eſt, ſilentio inuoluendum iam non cenſet; neq; antea inuoluit quod *exiſtimaret non licuiſſe authori impune ſcribere quod ſcripſit.* Sed huic tumori, quem totidem pene verbis in tua Præfatione inflas, ſatis ante reſpondimus.

§. 2.

NAm alioqui, inquis, *Hæreticorum omnium errores excuſari poſſent. Ergo licuit Catholicis Scriptoribus, qui conſentiunt in re, diſputare de modo: non licuit Barclaio aduerſus omnes alios Scriptores, atq; aduerſus Conciliorum etiam Generalium ſententiam, negare omnino poteſtatem ſummi Pontificis in temporalibus: quemadmodum licuit, & licet Scholaſticis Doctoribus, qui confitentur in Deo vnitatem eſſentiæ cum Trinitate perſonarum, multa diſputare de attributis eſſentiæ diuinæ, & perſonarum conſtitutione: Sed non licuit Arianis veteribus & nouis, vel eſſentias Dei ſcribendo multiplicare, vel Trinitatem confundere. Pari ratione licuit, & licet Catholicis Doctoribus, qui conſentiunt de ſubſtantia ſeptem Sacramentorum, diſputare de multis, quæ ad fidei fundamenta non pertinent; non tamen licet, nec licuit Sectariis Lutheranis & Caluiniſtis tam multa ſcribere contra ſubſtantiam & numerum Sacramentorum: quod idē de aliis fidei dogmatib. dici poteſt.*

Fruſtra tam aliena ſimilitudo, tam inuidioſa, Bellarmine: Certe quæ de Catholica fide ſunt, ita in Scholis poſſunt aut libris agitari, vt de iis quæ illorum ſubſtantiam non euertunt diſputandi ſubtilitas permittatur. Cætera non modo quanta ſint, aut qualia, ſed & an ſint omnino, Chriſtiana libertate ſcrutamur. Itaq; nec Hæreticorum errores excuſari, quod ſubſtantiam eorum quæ de fide ſunt, ſollicitant; nec accuſari Barclaius poteſt, quod quæ *de fide non ſunt*, eā an ſint aggreſſus ſit indicare.

Erras quoq; quod Canoniſtas illos atq; Theologos, in quos Barclaius ſcripſit, ais quantum ad temporalem Pontificis poteſtatem de re quidem conuenire, ſed de modo diſputare. licet enim, quantum ad malorum abdicationem Principum, de poteſtate Papæ conſentiant, tantumq; de modo & ratione illius poteſtatis inter ſe diſceptent; non in aliis tamen caſib. de ipſa poteſtate conueniunt; quandoquidem Canoniſtæ, & qui ſequuti Canoniſtas Theologi, volunt omnib. Principibus cuiuſcunq; religionis atq; vitæ vero ac directo dominio ſuperſtare Pontificem, vt dominum feudorum Vaſallis, aut Optimatibus Regem; adeo vt per hanc temporalem poteſtatem poſſit iura mere Ciuilia & Politica in his aut illis regnis ipſe ſtatuere;

à Regibus vero statuta abrogare; deniq; iubere, imperare, moderari, in temporalibus, non in malorum modo aut negligentium Regum, sed & piorum ditione. Vide inter cæteros Augustinum de Ancona, *q.1. & 22. De potestat. Eccl.* Bozzium *lib.1.cap.1.lib.2.cap.16. De temporal. Eccl. Monarch.* & passim illos libros; Doctorem Martham, in libris *de Iurisdictione*, præsertim 1. *part. cap. 18. num.1. & cap.20. num.32.* At hoc genus imperium, Theologi non quoad modum tantum, sed quoad potestatem prorsus negatur: adeo vt non plus de potestate Pontificis, qualem isti Theologi fingunt, recidat Barclaius, quam de illa ad Canonistarum effictæ ingenium, sustulerunt Theologi. Sed nec ipsis Theologis satis conuenit, qui Principes possint per Pontificem abdicari, qui non possint. Quidam nolunt sub hoc ictu, Infideles Principes poni; quidam volunt; alii cum hac exceptione concedunt, si infesti sint fidei, & molesti fidelibus; vt pluribus dicendum est *cap.3.§.18.* En vt non de modo tantum inter illos, sed & de ipsa potestate quæritur. Non enim disputant quo modo, aut quo iure temporalia piorum Principum, & suo munere rite fungentium, mutare, regere, imo in iis regnare Pontifex possit; aut quo modo infideles Principes, sed Ecclesiæ non noxios, deponere; sed an illud vllo iure aut vllo modo possit.

§. 3.

S*Vbiungit*, inquis, *Barclaius. Monendus in primis Lector est, omni me reuerentia & beneuolentia Sedem illam prosequi; nec id aut hic aut alibi agere vt debitæ potestatis & dignitatis aliquid decedat Vicario Christi, & Successori Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.*

At hoc videtur esse simile ei, quod scribit S. Marcus capit.15. Percutiebant caput eius arundine, & ponentes genua adorabant eum: & quod scribit S. Ioannes cap.19. Veniebant ad eum & dicebant, Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Sic enim Barclaius omni reuerentia & beneuolentia prosequitur Apostolicam Sedem, sed interim potestatem eius fere dimidiat.

Os tuum locutum est aduersum te, Bellarmine, quæ hic in Barclaium coniecisti; non aliud quippe molitum quam de vestris sophismatis Ecclesiæ & Pontificis bono impeditæ veritatis frontem euoluere. At vos tanquam ex Africæ familiis, quæ quod laudare videbantur effascinando perdebant, dum dicitis Pontifici, *Aue Rex Christianorum*, imo, *Rex Mundi, Ecclesiæ alapas datis, & blasphemare facitis inimicos Dei propter verbum hoc.* Populi nimirum Principesq; per hæreseon aut schismatum mala à Romana Sede seiuncti, nihil in ea amplius quam hoc iugum velut vltimæ seruitutis, exhorrent. Id vero ne directe, vel indirecte subeant, acri odio sæpe totam infestant Ecclesiam. Sic vos dum *omni reuerentia & beneuolentia prosequimini Apostolicam sedem; interim potestatem eius non dimidiatis modo*, sed ex multis euellitis terris, & si eodem insistitis gradu (ô cassus sim vates!) euelletis ex pluribus.

§. 4.

A*Ddit postea Barclaius*, inquis, *Eos itaq; obsecro, qui ante me bono, vt opinor, animo scripserunt, ne indignentur aut succenseant, si ab illorum opinione recessero: neq; enim (vt cum S. Augustino loquar, Epist. 111.) quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, &c.*

At ego non indignor, neq; succenseo, quod à mea opinione vel Barclaius, vel alius quicunq; recesserit: sed illud æquo animo ferre non possum, quod à communi Scriptorum sententia, in re tam graui, imo etiam à Conciliorum vniuersalium sensu, & consensu vlim recedat. Et quamuis non debeamus libris Doctorum, quantumuis Catholicorum & laudatorum hominum, eam reuerentiam, quam Scripturis sanctis debemus, tamen negari non potest, quin communi Scriptorum sententiæ multum omnino tribui debeat, vt à temeritate excusari non possit, qui contra torrentem Doctorum, vt dici solet, scribendo nititur.

Imo communi sententiæ magnorum veterumque Scriptorum adhæsit Barclaius, nec à debito Conciliorum recessit obsequio. Hæc, inquam, non obiicienda Barclaio, sed illis Doctoribus qui ab aliquot seculis demum enixi in primæ torrentem Ecclesiæ, temporalem potestatem tribuere Pontifici. Doctorum igitur duos cœtus, duosq; torrentes aduertebat Barclaius, & in primo quidem esse Patres antiquos, *qui tunc de ista causa iudicauerunt.* (August. lib. 2. contra Iulianum.) *quando in eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel aduersari vel fauere potuisse. Nondum enim extiterat is contra quos susciperemus de hac quæstione conflictum.* quos deniq;, cum cruorem atque vitam in Christianæ fidei pignus darent, constat nihil super æquum largiri Principibus, aut Ecclesiæ negare, voluisse. Per alium vero torrentem eiusmodi homines agi videbat, qui vndecimo primum sæculo inter densam orti barbariem, non poterant non errare, cum à priscorum desciscerent cursu; qui denique iam non Pontificem, vt Pontificem modo colebant, sed vt Principem, multis succinctum viribus, multa potentia adornatum. Noli mirari, Bellarmine, si se priori torrenti Barclaius addidit. Sed relinque mirandum, quod tu ipse neglecto antiquitatis alueo, hanc recentem maluisti voraginem.

§. 5.

N*Am*, inquis, *ipse idem Sanctus Augustinus, qui scripserat, disputationes quorumlibet hominum nullo modo æquandas esse auctoritati Scripturarum diuinarum, Iuliani temeritatem arguit, quod se auderet opponere vndecim scriptoribus Catholicis, quorum verba & sententias diligenter expendit lib.1.cap.2. & lib.2. cap.vlt. aduersus Iulianum.*

O ido-

O idoneæ similitudinis memorandum exemplar! Iulianus fœda Pelagianorum hæresi infamis, & Orthodoxos authores improbo fastu despiciens, nimiæ superbiæ ab Augustino arguitur. Barclaius, cum omni antiquitate Christiana quandam nouitiorum opinionem refellens, censuræ notam apud Bellarminum eandem fert, quam tanto hæretico Augustinus adscripsit.

§. 6.

DEinde Barclaius, inquis, *ad rem propius accedens, refert duas Catholicorum sententias: Alteram, quam plerique Canonistarum sequuntur, quod in Summo Pontifice sit potestas vtraque, spiritualis & temporalis, vt Christi Vicarius est: Alteram, quæ Theologis fere communis est, quod potestas Summi Pontificis, vt Christi Vicarius est, spiritualis proprie ac per se sit, sed tamen per eam disponere possit de temporalibus, vt ad spiritualia ordinantur.*

Callide. Ais Barclaium referre duas Catholicorum sententias, & sic illius mentem exponis, quasi vltro concesserit quæ ingenti præiudicio nostram causam affligant: nimirum, quod omnes Catholici vobiscum sentiant (sic enim plurimi tua verba accipient, *refert duas Catholicorum sententias*) quodque indirectæ potestatis opinio Theologis fere communis sit. Iam enim non videris ex tuo, sed ex Barclaii sensu loqui: producis deinque eo modo Canonistarum sententiam, vt illorum inuidiosam ineptiam, quam detexit Barclaius, iam in Barclaii inuidiam mitioribus verbis celes. At si adhibuisses tuo more verba Barclaii, audiuisset ex ipso tuus lector, non illum cum Catholicis omnibus componi ad prælium, sed cum aliquot qui *nimis Pontifici addicuntur.* Vidisset, non eum credere quam refutat sententiam, *Theologis fere omnibus communem*, sed duntaxat *quorundam Theologorum* esse; Canonistas denique ea rudibus sæculis concepisse, quæ hodie, vt clementissime dicam, risum expectent.

§. 7.

TVm Barclaius, inquis, *sententiam suam, pro qua nullum Catholicum scriptorem citat, ita proponit. Mihi vero, inquit, neutra istarum opinionum, quantum ad temporalem potestatem, satis firma visa est, & paulo infra. Theologi itaque isti Canonistarum opinionem probissime refellunt, sed pace ipsorum dicam, nec ipsi melius sentiunt. Hæc ille, qui satis aperte se prodit tanquam alterum Ismaelem è regione vniuersorum fratrum suorum fixisse tabernaculum, vt manus eius contra omnes essent. Genes. 16.*

Non sine iniuria in Barclaium dicis, eum ita sententiam suam proponere, vt pro illa *Catholicum scriptorem nullum citet.* Sic suspicionem facis, ipsum Hæreticis assertoribus vsum esse. At hic solum ad quas partes transiret ostendens, nullius Authoris momento innixus est; neque opus videbatur, antequam ad certamen descenderet; sed passim alibi, sententiis Pontificum atque Patrum (quorum aliquot mox Capite proximo ipse enumeras) suam causam instruxit.

Sed hunc dicis aperte se Ismaelis similem prodere, cuius manus contra omnes sit. Quid igitur in Præfatione scribebas, eum *veritum ne incredibilis arrogantiæ ac temeritatis argueretur, si quasi alter Goliath aduersus acies omnium Catholicorum vnus procederet, multitudinem aduersariorum dissimulasse?* Ille vero è regione fratrum non tetendit, vt dicis, *sed separatus est à tabernaculis eorum*, qui in Christos domini surrexerunt.

§. 8.

EXtremam partem, inquis, *primi capitis totam consumit in refutatione vel potius irrisione Bozii, qui cum se Theologum profiteatur, Canonistarum opinioni adhærere maluit. De qua re nihil habeo quod dicam. Nam Bozii opinionem neque refutare neque defendere statui; sed id tantum in quo Catholici omnes conueniunt, & in quo à Barclaio omnes dissidemus confirmare, meque ipse ab eiusdem Barclaii obiectionibus propugnare decreui.*

Mirum nec vel leuissimo ictu, saltem in bonorum gratiam Regum, te Bozii perstrinxisse sententiam, quæ Principes omnes in Romanam seruitutem, non fidei ac religionis tantum nomine, sed *simpliciter ac directe* deducit. Neque ferendus es, cum te propugnaturum dicis id, in quo Catholici omnes conueniunt, & *in quo à Barclaio omnes dissident.* Nam etsi de hac causa per discessionem statuendum est, ipsa multitudine obtinebimus causam. Cur enim Barclaii liber à maximis laudatus Theologis per Christianum orbem vbique colatur, vbique præter vnam Romam venalis sit; Tuus autem, quem in Barclaium conscripsisti, à Galliis, publico augustissimæ Curiæ decreto exulare iussus sit, in Hispaniis lateat, & in pulcherrima Italiæ parte grauissimis pœnis & omnino memorabili mulctis aut legi prohibeatur aut seruari? Vnde, inquam, tot Catholicorum, imo pene omnium in hanc causam conspiratio, si ab omnibus Catholicis recessit Barclaius?

CAPVT II.

Quo sensu potestas Ecclesiæ sit Ciuili superior. In Canone, Duo sunt, *XCVI. Dist. afferri ab aduersariis truncatam, & peruersam sententiam Papæ Gelasii, qui examussim pro Regibus Discretam omnino ab Ecclesiastica potestate Ciuilem, non subiectam, non subordinatam. De iure quod sibi Pontifex in Imperatorem vendicat; quod nec ad cæteros Principes potest extendi. Hosium aperte nostram sententiam astruere; contra quam Bellarminus opinatur; qui & Gregorii Nazianzeni verba & mentem corrumpit. De collatione animæ & corporis, cum Ecclesiastica & Politica potestate.*

Bellar-

Bellarminus vero hunc isti Capiti titulum scripsit, Excutitur Principium siue fundamentum doctrinæ Barclaii.

§. 1.

IN *secundo capite*, inquis, *Barclaius fundamenta iacere aggreditur doctrinæ suæ: quorum vnum, ac forte primarium est, Potestatem Ecclesiasticam & Politicam iure diuino distinctas & separatas esse, vt quamuis ambæ à Deo sint, vtraq; suis terminis conclusa in alterius fines inuadere suo iure nequeat, neutriq; in alteram imperium sit. Ad probandum hoc principium adducit Can. Duo sunt, & Cum ad verum, dist. 96. Cap. Nouit. de Iudiciis, Capit. Per venerabilem, Qui filii sunt legitimi. S. Bernardum lib. 1. de Consideratione; Ioannem Driedonem, lib. 2. de libertate Christiana cap. 2. & Hosium Cordubensem Episcopum, apud Athanasium in Epist. ad solitariam vitam agentes.*

Atqui hoc principium, siue fundamentum, in vltima particula falsum omnino esse contendimus, in illis videlicet vltimis verbis, Neutriq; in alteram imperium sit. Siquidem affirmamus, Ecclesiasticam potestatem, distinctam quidem esse à Politica, sed ea non modo longe nobiliorem, verum etiam ita superiorem esse, vt eam dirigere & corrigere, & in certis casibus, in ordine videlicet ad finem spiritualem, & vitam æternam, eidem imperare posit.

Nihil nobis das, nisi tuum αὐτὸς ἔφα. Quæritur, *an potestas Ecclesiæ ita sit Politica superior, vt eam dirigere & corrigere, & eidem in certis casibus imperare posit?* Barclaius negat; quia ab authoribus omni exceptione maioribus necessaria consecutione colligitur, has potestates ita esse distinctas, *vt neutri in alteram imperium sit.* Tu Barclaii rationem contendis esse vanam, *quia potestas Ecclesiæ ita est Politica superior, vt eam dirigere & corrigere, & eidem in certis casibus imperare posit.* Quid est aliud quam iisdem verbis, quæ quæstionem faciunt, aduersarii argumenta velle diluere? Nec negamus quodam sensu esse verum, Ciuilem potestatem ab Ecclesiastica & dirigi & corrigi posse; nempe vt ab illa edoceatur Dei legem, & ni à vitiis iussa recesserit, spiritualibus pœnis coercita à Sacramentis aliena sit, & saluo temporalium rerum iure, à fidelium communione diuisa. Sed nec illa mens tibi extitit, nec si esset, contra illam propositionem pugnaret, *neutri potestati in alteram imperium esse.*

§. 2.

NEq; *vltima*, inquis, *illa particula, videlicet, neutriq; in alteram imperium sit, inuenitur in testimoniis allegatis, siue ex Canonibus, siue ex Doctoribus.*

Neq; Barclaius dixit hæc verba, sed (quod idem est) sensum & mentem iis in locis esse. Alioqui quod solemne est aliorum proferenti sententias, istam partem diuerso charactere signaret. Sed his missis, videamus quibus testimoniis Barclaius suam sententiam asseruerit, & quid in contrarium tam solemnis patronus adducas.

§. 3.

IN *Canone duo sunt*, inquis, *qui desumptus est ex Epistola Gelasii Papæ primi, ad Anastasium Imperatorem hæc habentur. Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quib. principaliter Mundus hic regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regiminibus hominum in diuino sunt reddituri examine rationem. & infra. Nosti itaq; ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem. Hæc ibi, vbi non solum non habetur, quod Barclaius dicit, Neutri in alteram imperium esse; sed habetur omnino contrarium: Nam si Pontifex redditurus est Deo rationem, pro regiminibus hominum, certe dirigere debet ea regimina, & si forte deuiant, corrigere atq; in viam reducere. Quomodo autem potest dirigere & corrigere humana regimina, si nullum in ea imperium habet?*

Tibi autem in hoc Canone præsidium? imo pernicies vestræ causæ. Nam pendamus verba Gelasii. Dicit per Pontifices atq; Reges principaliter Mundum regi, vera & certa partitione, si inde cum Barclaio colligis, *neutri potestati in aliam imperium esse*; ridicule vero, si summum ius Pontifex in temporalia Regum habet (directe an indirecte nihil moror, quandoquidem effectus est idem; nec quæritur quomodo ius habeat, sed quale ius, & an habeat) summum inquam ius: nisi forte summum non est, posse Regi potestatem abrogare; & eas leges ferre, in quas committere Principes absq; priuatione regni non possint. Vt tu *Cap. 40.* multis disseris. Dicendũ fuerat, *à Pontifice principaliter Mundum regi*, si vt hoc capite fuse scribis, ita subordinatur ac subiicitur Politica, Ecclesiastico iuri, vt in Regno omnes artifices Regiæ arti. Nam quis dicat regnum à Rege & aliquo artifice *principaliter* gubernari? A Rege & aliquo artifice, dixi; non à Rege & aliquo Magistratu sub Rege constituto. Vis enim non vt vicarios & mandata iurisdictione fungentes, sed vt viliores artifices Orbis terrarum Reges Pontificio fastigio esse subiectos. An vero ab iis Gelasius Mundum regi, imo *principaliter regi* dixisset, quos sciuisset à seipso, nimirum Pontifice, regi, & regi quidem & plecti in illo potestatis genere quo ipsi Mundum regunt? En vt vestra in Gelasium pugnat opinio; ex qua omnino sequitur, à solis Pontificibus principaliter Mundum regi, cum & in spiritualibus summi sint & in temporalibus ipsos Reges iudicent, & temporalibus coerceant pœnis. Non consentit Gelasii verbis, inquam, hæc indirecta Pontificis in Reges authoritas, quæ ad illius nutum libera, infinita, tanquam in precarios possessores est: licet hanc seruitutem medicato verborum fuco tegas; vt est vberius, duodecimo Capite, disserendum.

Sed triumpbas veluri perculso Barclaio in sequentibus eiusdem Canonis verbis. *In quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quando etiam pro ipsis regiminibus hominum in diuino sunt reddituri examine rationem. & infra. Nosti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.*

O quanta res Pontificibus agitur istis verbis, *& infra.* Magna res Bellarmine; nisi enim Gregorius VII. hanc Gelasii truncasset epistolam, fuisset res aperta, nec idonea vestræ fraudi. Verba sunt Gelasii. *Nosti enim, fili Clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atq; ab eis causas tuæ salutis expetis: inq; sumendis cœlestibus sacramentis, eisq; vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quam præesse. Nosti itaq; inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Quid apertius? quid imperitis imponitis? Dicit Gelasius Imperatorem *præsidere humano generi dignitate*, ergo & Pontifici quatenus ciuis & homo. Nisi forte ex humano genere Pontifex non est. Addit, Principē in dispositione & perceptione Sacramentorū Sacerdotib. subdi; & *inter hæc*, id est, inter illa spiritualia & sacramētalia, pendere ex Sacerdotum iudicio. Tu sublaris illis verbis, *inter hæc*, ita refers, importuno prorsus dolo; *Nosti itaq; ex illorum te pendere iudicio.* Subduxit ergo Gregorius. VII. totam periodum, qua dicitur Imperatorem hominibus præsidere *dignitate*, Sacerdotibus autem subiici in sumendis Sacramentis. Tu vero, Bellarmine, eradis etiam τὸ *inter hæc.* (quā vero confidentia?) vt innuas dixisse simpliciter & sine exceptione Gelasium, *Imperatorem ex Sacerdotum pendere iudicio*; cum scripserit tantum, id fieri, *inter Sacramenta, & in sumendis cœlestibus Sacramentis.* Cætera in eo Canone, scilicet, *Talibus igitur institutis talibusq; fulti authoritatibus, &c.* iam non Gelasii verba sunt; sed Gregorii. VII. Libet igitur cum Gelasio fiteri, Pontificum iudicio res spirituales Ecclesiæ esse regendas; si pastoritio muneri defuerint, rationem errantis pecoris reddituros. Sed apertissimis verbis de spirituali agit iudicio, & spirituali regimine, per quæ, si homines sibi medicinam adhiberi non ferunt, satis est Pontifici dicere, *Popule meus, Grex meus, quid potui facere & non feci?* Neque Gelasius hoc de summo tantum Pontifice, sed de Pontificibus in genere, & Sacerdotibus. Nec de illa quam cogitas indirecta in Reges (nam tunc necdum illius aut vmbra, aut nomen) sed de directa in Spiritualia potestate. *Quomodo autem*, inquis, *potest dirigere humana regimina, si nullum in ea imperium habet?* Dico corrigi, & dirigi posse à Pontificibus humana regimina spirituali imperio atq; modo, vt Gelasius Papa diserte perscribit, & illius temporis solebat Ecclesia; non temporalibus pœnis, & potestate in temporalia excurrente, vt nouis deinde seculis per corruptos inoualuit mores.

§. 4.

PAri ratione, inquis, *in Canone, Cum ad verum, qui ex Epistola Nicolai Papæ Primi, ad Michaelem Imperatorem, sumptus est, non habentur illa verba, Neutri in alteram imperium esse. Hæc enim sunt verba Pontificis Nicolai; cum ad verum ventum est, vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit: quoniam mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusq; discreuit.*

Hic quoq; nullo verbo indicatur, Neutram potestatem in alteram habere imperium, sed solum discretas esse actibus, dignitatibus & officiis.

At ego non aliis quam Barclaii verbis vtar. *Si neq; dignitatibus*, inquit, *neq; officiis, neq; actibus, coniunctæ sunt hæ potestates, dicas nobis ecqua in re sunt coniunctæ? si dixeris, in ea quod altera alteri subordinetur & subiecta sit; id ipsum est quod negamus, quodq; si verum esset, sequeretur necessario potestates illas, neque dignitatibus, neq; officiis, sed tantum actibus esse discretas, atq; ita hanc Nicolai Pontificis sententiam falsam esse.* Huic argumento mox prolixe respondes; sed ne vim tot verborum in pauca reuocans, videar tuos neruos exscindere, integrum & illibatum te producam. Sic tu ergo.

Pergit deinde Barclaius & Bozium exagitat, eiusq; responsiones & disputationes refellit: quæ ipsi Bozio integra relinquo; non enim defendenda suscepi, nisi ea, quæ causam communem vel meam particularem attingunt: quale est illud quod in extremo capite Barclaius dicit, non posse vnam potestatem alteri subordinari, & subiectam esse, nisi dignitas & officium, quod est in subordinato, sit etiam in subordinante. Nam subiectionem & subordinationem potestatis Politicæ ad Ecclesiasticam, omnes Catholici docemus: sed non omnes admittimus, quod Barclaius inde colligit. Hæc enim subordinatio duobus modis potest intelligi: vno modo, vt potestas quæ est in subordinato, deriuetur à subordinante, qualis est potestas Vicarii, quæ deriuatur ab eo, cuius est Vicarius, & Legati quæ deriuatur à Principe, qui eum legauit, & Iudicis siue Præsidis, quæ deriuatur à Rege: & tunc sine dubio potestas subordinantis includit potestatem subordinati; Altero modo vt vna non deriuetur ab altera, sed ob id solum subiecta & subordinata sit alteri, quia finis vnius subiicitur & subordinatur fini alterius, qualis est subordinatio & subiectio variarum artium ad artem regendi populos, quæ Regia dici potest. Vere enim dixit Poeta,

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius, cœliq; meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes.

Ars enim regendi populos distincta est ab artibus, sculptoria, oratoria, astronomica, & aliis similibus, neque

vna de-

vna deriuatur ab alia, neque vna propriè alteram includit: & tamen omnes subordinantur & subiecta sunt arti regendi populos, vt possit Rex omnes dirigere ad communem populi vtilitatem, & nisi pareant, exterminare de regno suo, vel remouere quoslibet artifices, & alios substituere: quoniam fini artis Regiæ subiiciuntur, & subordinantur fines artium cæterarum. Iam igitur si subiectio & subordinatio potestatis Politicæ ad Ecclesiasticam intelligatur priore modo, vtique sequitur, vt potestas Politica coniuncta sit Ecclesiasticæ; neque video quomodo id non repugnet verbis Gelasii, Nicolai, & Innocentii Summorum Pontificum; nec non Hozii, Bernardi, Driedonis: sed si intelligatur posteriore modo, vt nos eam intelligimus, tum ratio & exempla Barclaii nihil omnino concludunt: quemadmodum enim ars Regia non includit artem Sculptoriam, neque Sculptoria deriuatur à Regia: & tamen ars Regia imperat Sculptoriæ, eamque subiectam & subordinatam habet, & potest ac debet Rex Sculptori iubere vt non sculpat statuas obscœnas, ne corrumpatur iuuentus; neque ex auro, vel argento, vt ea metalla seruentur ad vsum magis necessarium: neque statuas suas nimis magno pretio vendat, ad coercendam auaritiam: sic ars Ecclesiastica regendi animas, quæ est ars artium, & præcipuè residet in Papa, non includit necessario artem Regiam, neque necesse est, vt omnia Regna deriuentur ab Ecclesia; & tamen quia finis eius est vita æterna, ad quam subordinantur omnes alii fines, subiecta & subordinata est illi ars politica regendi populos, & potest, ac debet Summus Pontifex Regibus imperare vt non abutantur potestate Regia ad Ecclesiam euertendam, ad hæreses, & schismata fouenda, ad perniciem denique æternam animæ suæ, & populorum sibi subiectorum; & si non obtemperent, cum admoniti fuerint, potest eos de Ecclesia per censuram excommunicationis eiicere, & populos à iuramento fidelitatis absoluere, denique etiam eos Regno exuere, & Regia potestate priuare.

Dicis non subordinari Ecclesiasticæ potestati secularem, eo modo, quem Barclaius ex vestra recitauit sententia; sed alio, qui reuera effectu non discrepat, nec minus est contra Nicolai Pontificis verba: Nempe *artem Ecclesiasticam regendi animas, quæ est ars artium, & præcipuè residet in Papa, habere sibi subiectam & subornatam artem Politicam*, vt ars Regia inferiores artes subiectas & subordinatas sibi habet. At hanc sententiam prorsus euertit supremum artis Politicæ fastigium, quæ cum summa, cum absoluta sit, nec quatenus Politica à Spirituali quicquam accipiat, certe nec subordinari illi potest. Summa, inquam, nec à Spirituali quicquam habens; quandoquidem ex se non refertur ad aliud vltimum quam ad politicam pacem; ad quam non instruitur à Spirituali; vt mox dicendum vberius. Sed nec negem ita spiritualiter subordinati Pontificibus Reges, vt temporaliter Regibus Ciues. Sculptor, aut Pictor, aut quemcunque de Rep. nominabis, subordinatur Regi vt ciuis, vt homo, vt corporis politici membrum, non autem quatenus Christianus, diuinæ iracundiæ obnoxius, aut promissorum hæres. Rex quoque subordinatur Pontifici, non vt Princeps Politicus, non vt Populi summus Rector, sed vt spiritualis filius, & vnus de arca Noe, extra quam non est salus. Quid aliud colliges quam temporales illi pœnas, huic autem spirituales in sibi subditos esse concessas? Referamus ad animum similitudinem quam ipse concinnasti. Princeps cui ars temporalis imperii committitur, quidquid è Rep. esse viderit, inferioribus artificibus, puta pictoribus aut textoribus, imperabit; si bono publico obsint, iusta seueritate vlciscetur. Ita summus Christianorum pastor de iis quæ ad fidem & salutem pertinent suo iure disponet; impios aut perditos acerbe castigabit. At vero quibus pœnis in artifices aut ciues Princeps aget? nonne illis, quæ suæ potestati cohærent, vt cum temporaliter præsit, temporaliter quoque deseuiat? Certe neq; de peccatis, vt peccata sunt, cognoscet, neq; Ecclesiæ limen claudet. Si Pontifex, qui spiritualiter præest, quibus modis in merentes insurgat, nisi vt eos qui spiritualiter errant, spirituali vltione castiget? Neq; Rex, inquam, Ecclesiasticas pœnas in quemquam effundet, cum Ecclesiastica iurisdictione nulli præsit, neque Pontifex temporalibus pœnis vindicabit Principum facta, in quos temporalem iurisdictionem non est nactus.

An autem nec illud cogitabas Bellarmine, artifices, qui in Rep. degunt, non propter officiorum suorum vilitatem, aut finem, aut Regiæ præstantiam artis, subordinari Regi, sic vt ab illo & corrigi possint & plecti; sed quia illi artifices partem ciuilis & temporalis Reip. faciunt, quæ se tota ciuiliter & temporaliter Regi submisit? Constat, hominem peregrinum in cuius Principis peruaserit fines, statim & in illius potestatem concedere: puta aut fullonem, aut sutorem, à Francis ad Belgas transiisse; num in illum quod aut sutor aut fullo sit, Belgarum Principi ius quæretur? Non hoc dices, opinor; sed vt in hominem Belgici cœli terræque participem, qui si aut fullo non esset, aut sutor nihil minus noui Principis imperio accessisset.

Vides omnem tuæ subordinationis rationem sine ordine aut ratione esse. Primum enim non minores artes arti Regiæ; sed minores artifices, non tamen propter artificium, ipsi Regi supponuntur. Deinde non sat apta similitudine conferuntur, potestas artis supremæ temporalis, in artes inferiores temporales, & artis supremæ spiritualis in artem supremam temporalem, quæ cum summa sit cum suprema, subiici aut subordinari non potest, vt mox fusius, *Capit. 3. §. 6. Capit. 14. §. 1.* Sed & nobis satis est, quod admissa tuæ subordinationis ratione Summum Sacerdotium *dignitatibus, actibus, officiis*, non à regno distinguetur: ita vt Barclaii argumentum nullo modo retigeris. Dicit; ex Nicolai Pontificis sententia, has potestates dignitatibus, actibus, officiis esse distinctas; *ecqua igitur*, inquit, *in re coniunctæ sunt? si dixeris in eo quod altera alteri subordinetur & subiecta sit: idipsum est quod negamus.* Nihil minus hanc subordinationem & subiectionem, nempe *idipsum quod negamus*, vt vaticinabatur Barclaius, protulisti, contentus dicere

te non

te non Reges ita subordinare Pontifici, vt Vicarios aut Legatos; Cum tamen in hac subordinatione quam effingis, nihilo magis istæ summæ potestates (quod hic vnum quæritur) actibus, officiis, dignitatibus distinguantur. *Regis est dignitas*, vt summus quantum ad temporalia in sua ditione emineat (*Capit. Per Venerabilem, Qui filij sunt legitimi.*) At vos vultis ipsum quoque Pontificem, licet spiritualem Iudicem; summum tamen *in temporalia* & supra Reges esse; id tum passim hoc libro, tum expressissime doces capit. 12. §. 2. & 3. *Regis officium*, statuere per quos administretur Respub. nimirum, quos ærario præfici velit, quos militaribus officiis, quos iuri dicundo. Atqui id Regis officium Pontificali auctoritate confunditur, quæ potest decernere vt si qui suia obstiterint Bullis, aut aliquid à se vetitum omnino patrauerint, *honore suo priuentur*, id est, vt hoc ipso desinant esse Præsides, Cancellarii, Duces, & omni dignitate abeant, etiam Rege inuito. Ita mox interpretaberis Gregorii Magni verba, capite quadragesimo. Imo neque *actibus* hæ potestates distinguentur, cum vtraque possit in temporalia imperare. Idem, inquam, actus erit Pōtificis temporalia imperantis, qui & Regis: Nec obiicias finem Pontificis spiritualem esse, at Principis mere Politicum: neque enim finium diuersitas facit vt non sit eiusdem generis actus, qui à pluribus exercetur, licet in varios tendentibus fines.

Quid igitur interest qua subordinatione hę subordinentur potestates, si effectus est idem in Reges, & neutro sensu Nicolai Pontificis sententia locum habeat? ex qua recte colliget Anton. de Rosellis Monarch. part. 1. Cap. 38. Papam & Regem, *nullum ab altero in suis officiis dependere, sed à Deo vtrumq; immediate procedere.*

§. 5.

ET *quoniam*, inquis, *idem Nicolaus paulo post subiungit Christianos Imperatores egere Pontificum ministerio pro æterna vita, & contra Pontifices vti legibus Imperialibus pro cursu tantum vitæ temporalis: apertissime indicatur finem potestatis Pontificiæ, superiorem esse fini potestatis Politicæ; ac per hoc potestatem Pontificum imperium habere super Politicam potestatem, quatenus opus est vt potestas Politica non impediat adeptionem vitæ æternæ, ad quam à Pontificia potestate dirigenda est.*

Ecquis negat, finem spiritualis potestatis, digniorem illo esse, quem sibi proponit Politica? sed & superiorem, eo sensu quo aliquid superius dicimus, excellentiæ suæ non potestatis ad inferiora respectu, quod infers, *Ac per hoc potestatem Pontificum habere, &c.* mala consecutione illatum est; cum ex duabus rebus sæpe vna præstantiorem finem habeat, neque aliam ideo sibi subiectam; quando nimirum *vna res non dicit ordinem ad aliam*, qualis est potestas Politica, quæ vel teipso teste (*lib. 5. de Roman. Pontific. capit. 6.*) non dicit ordinem ad Ecclesiasticam, *vt patet*, inquis, *in infidelibus vbi est vera potestas Politica sine ordine ad aliquam veram potestatem Ecclesiasticam.* Qua de re mox fusius *Capit. 3. §. 6. & Capit. 14. §. 1.* Ais igitur, Pontificiam potestatem Politicæ imperare, *quatenus opus est vt potestas Politica non impediat adeptionem vitæ æternæ.* At repono ad hunc æternum finem *opus haud esse* illa, de qua agimus potestate, abdicandorum Regum. Certum enim nullam deesse Ecclesiæ potestatem, quæ sit necessaria ad æternæ adeptionem vitæ, neque tamen de facto semper posse deponere illos Reges quos Papa iudicauerit deponendos. Neque Fridericus II. Imperator; Philippus Pulcher, Ludouicus XII. Galliæ Reges; Henricus VIII. & Elizabeta Reges Angliæ, ita tangi potuerunt hoc fulmine, vt de regno exciderent. At vero si potestas abdicandorum Regum esset necessaria Ecclesiæ; id esset vt possit infestos sibi Reges de facto priuare viribus, non solo regni iure. Quis enim concipiat, necessarium esse Ecclesiæ, vt possit Principi sibi clades inferenti auferre ius regni; non vero necessarium vt possit eidem de facto auferre potentiam? Certe si alterutrum necessarium erit hæc *facti* non solius *iuris* priuatio. Cur inquam non necessarium potius videatur vt Ecclesia, possit se à cladibus vindicare; quam vt possit facinoroso Regi, auferre ius regnandi, sæpe inutili & sæpe infesta Christianorum incolumitati sententia? Vt iam ante *Prolegomenis* diximus, *Numer. 42.* Cum igitur *opus non sit ad adeptionem vitæ æternæ*, vt Ecclesia *de facto* regnis exigat, malos, ignauos, Reges; certe neque opus est, vt exigat de iure regnandi. Accedit quod Ecclesia per tempestates à malis excitas Principibus, non potest extingui; sed & solet illustrari. Tu inter cæteros mihi author, lib. 4. de Ecclesia; Cap. 6. vbi dicis, *Durasse Ecclesiam à Christo huc vsque, frustra eam oppugnantibus primo Iudæis, deinde Paganis, vltimo Hæreticis, nec solum durasse, sed etiam ex persecutionibus creuisse. Vt enim aquæ diluuij Palatia Regum obruebant atq; deiiciebant, Arcam vero Noe magis ac magis attollebant: ita persecutiones Regna temporalia facile destruunt; Christi regnum, quod est Ecclesia, non solum non destruunt, sed etiam illustrant.* Addis etiam in hanc rem veterum Patrum sententias. Non igitur, vel ex tua sententia, necessarium Ecclesiæ vt eiusmodi Principibus abrogetur Imperium. Scio persecutionem, impietatem, tyrannidem, magno Christianis incommodo; gemitu, precibus amoliendam, omni denique ratione, quæ sit commoda ac licita. At non inde collegeris sæuiendum in Principes: sed quærendum superest an hæc ratio sit commoda & licita; quod, vt vides, ex necessitate spiritualis finis nusquā rite deduxeris. Id, inquam, & quærendum, & alia argumentatione probandum: cum non liceat per scelus refutare scelera, per impietatem ab impiorum iugo recedere, nec sequatur, si à facinorosis prematur Ecclesia, per fas nefasque eruendam. *Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona:*

§. 6.

SIC *etiam*, inquis, *in cap.* Nouit *de Iudic. & in Cap.* Per venerabilem *Qui filij sunt legitimi, quæ sunt Innocentij tertij Pontificis, nihil omnino habetur vnde colligi possit, Politicam potestatem spirituali, siue Ecclesiasticæ potestati non esse subiectam.*

Ain' quæso? Atqui sic in Capit. *Nouit.* habetur. *Non putet aliquis quod iurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare aut minuere studeamus, cum ipse iurisdictionem nostram nec velit nec debeat impedire.* Quis non cum Barclaio inde assumat, non magis spiritualem potestatem in temporalia, quam temporalem in spiritualia iure posse excurrere? quandoquidem hæc inter se à Pontifice conferuntur? Et Glossa, licet immane addicta Pontifici sic habeat. *Excusat se Papa, dicens quod non intendit iudicare de feudo, sed de peccato.* Hinc collige Pontificem non modo non temporalem Iudicem Regum esse, sed nec in temporalia iudicare; quam distinctionem hoc libro non semel inculcas. Nam alioqui potuisset spiritualis iste Iudex in temporalia inspicere, & de feudo iudicare; quod tamen se nec facere, nec moliri, apertissima excusatione testatur. Non moror Innocentij interpretis sensum, qui primus in hunc locum distinctionem vestram directæ & indirectæ potestatis inuenit.

Porro in Capit. *Per Venerabilem*, cui rei hæc sententia; *Cum Rex superiorem in temporalibus minime recognoscat?* Quo modo qui non habent in temporalibus superiorem, temporales ab aliquo metuant pœnas? quales sunt bonorum publicatio, Regni priuatio? Vnde, inquam, in temporalibus pœnas expectent, cum in temporalibus teste Pontifice maiorem non agnoscant, & par in parem, multo minus inferior in superiorem, imperium obtinere non possit? Ac de illo Canone fusius infra *Cap.* 12. *§.* 2.

§. 7.

ALIOQVI, dicis *non decreuisset idem Pontifex in Concilio Lateranensi generali, cap.* 3. *posse Principes seculi per Apostolicam Sedem principatu priuari, si negligentes essent in purgandis suis terris ab hæretica labe, & admoniti ab Episcopis non obedirent.*

Neq; idem ipse Ottonem IV. Imperatorem deposuisset, si existimasset potestati Ecclesiasticæ nullum imperium esse in Politicam potestatem.

Quid hoc rerum? modo hunc Canonem à Concilio Lateranensi decretum dixeras, nunc ais à Pontifice in Concilio factum. Nisi forte nihil interest, à Concilio, an in Concilio; à Concilii Præside, an à toto Concilio aliquid decernatur. Sed de hoc Canone sat à nobis in tuorum *Prolegomenon* Anacrisi, *Nu.* 76.

De Ottone dici possit hunc de facto, non de iure à Pontifice in ordinem esse redactum. Nam vt Canonistæ ipsi ferunt, *facta Pontificum, non faciunt fidei articulum*, & aliud scribere Innocentius potuit; facere aliud. Nisi forte nemo factis, in sententiam pugnat quam scriptis probauerit. Sed quoniam plus in Imperatores iuris quam in cæteros Principes vindicarunt Pontifices, & plus etiam iurgiorum cum illis extitit; operæ pretium erit rem totam paucis euoluere.

Pace igitur Romani imperii; cæterorum Principum iura per suæ mutationis æstus haudquaquam secum rapit. Sciendum igitur, Imperatores, qui post Caroli Magni stirpem in Occidente imperarunt, ex Pontificum sententia Sedi Romanæ deuinctos, obnoxios, & beneficiarios extitisse. Ideo sibi multa in Imperatorem iura competere ipsi scripserunt; Germaniæ Principibus, qui ius eligendi Imperatoris habent, *hanc potestatem ab Apostolica Sede peruenisse*, scripsit iste idem Innocentius Tertius, (Cap. *Per Venerabilem, de Electione*) qui & illic affirmat *quod ius & authoritas examinandi personam electam in Regem* Romanorum, *& promouendam ad imperium, ad Papam spectat, qui eum inungit, consecrat, & coronat.* Imo & in Canone, *Tibi domino. distinct.* 63. relatum est Ottonis iuramentum, quod dicitur per Procuratores præstitisse Pontifici; & *Iuramentum fidelitatis* appellatur à Glossa: ac quod est amplius, Clemens V. Clement. vnic. de iureiurando, dicit *in libro Pontificali Romana hoc iuramentum præstandum Pontifici per Imperatorem coronationis suæ tempore contineri*, Et, *Quin iuramenta huiusmodi fidelitatis existant à retro Romanis Principibus non fuisse hactenus hæsitatum.* Sed & fuse, & ex professo contendit, hoc iuramentum, quod Imperator Pontifici præstat, esse vere & proprie fidelitatis iuramentum; cui necessario consequeretur Imperium in feudis Ecclesiæ Romanæ numerandum, vt recte arguit Almainus, *de supr. Potestat. Eccles. & Laic. quæstio.* 2. *Capit.* 5. cum nisi vel directo, vel summo domino fidelitatis iuramentum non præstetur. Ita Gregorius Septimus, vt est in Lamberto Schafnaburgensi, hanc conditionem Henrico Quarto tulit, vt in imperium restitutus, *subditus Romano Pontifici semper, dictoque obediens foret.* Et Pontificibus graue, si Imperatorium nomen in Epistolis suo nomini præponeretur. Vnde Papa Adrianus ad Fridericum Primum Imperatorem (Vide *Appendicem* ad Radeuicum.) *In literis ad nos missis nomen tuum nostro præponis, in quo insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. quid dicam de fidelitate Beat. Petro & nobis a te promissa & iurata, &c.* Is ipse in alia ad eundem Fridericum Epistola (Radeuicus in *Appendice* ad Ottonem. Capit. 9.) *Debes enim gloriosissime fili*, inquit, *ante oculos mentis reducere, quam gratanter & quam iocunde alio anno mater tua SacroSancta Romana Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractauerit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris; & qualiter*

im,

Imperialis insigne corona libentissime conferens, benignissimo gremio suo, tuæ sublimitatis apicem studuerit confouere. Eiusdem Adriani Legatus, cum Germaniæ Principes ægre illius Epistolæ sensum decoquerent. *A quo ergo habet*, inquit, *si à Domino Papa non habet Imperium* ? Vide Radeuicum *lib. 1. de gestis Frid. cap. 9.* & 10. Hinc Canonistæ pronunciant cum Ægid. Bellameta, in Can. *Alius. 15. q. 6.* quod *Papa potest deponere Imperatorem, qui ab eo temporalitatem recognoscit.* Nec dubitauit Azorius, Societatis Iesu vir, in eandem sententiam scribere, Tom. 2. Institut. lib. 4. Cap. 19. *Profecto*, inquit, *ex Canonico iure constat, Imperium quale nunc est à Romano Pontifice dari, ipsiq; subiici, ac Imperatorem Romani Pontificis potestati subesse.* Paulo post. *Ex his omnibus perspicitur, Imperium Romanum, quale nunc est, ex Romani Pontificis authoritate pendere, tanquam ei subiectum.* O liberum Imperatorem, quisquis tulerit eo modo de sua libertate scribentem!

Mitto plura de Pontificum in Imperatores potestate, ex ipsis Pontificum rescriptis, annotare, quos certum in hunc tumorem non elatos ante Henrici IV. tempora, id est (vt Ottonis Frising. verbis vtar) non ante *euisceratum & viribus exhaustum* Imperium. Neque hic disputo, num Pontifices Imperium à Græcis ad Francos Germanosque transtulerint, num ideo illis ius in Imperatores quæsitum sit, rem commodius exequendam, *Capit. 4. §. 6.* Satis huic loco, ostendere, Pontifices sibi id potestatis in Imperatores vendicasse, quod in homines sedi Romanæ per fidelitatis iuramentum omnino subiectos; cui seruituti cæteros Reges nulla vel iuris vmbra potuerunt addicere; vt argumentum non sic rite deduxeris; *Pontifex testatur se hoc aut illud in Imperatorem, ergo & in cæteros Reges posse.*

At vero ex Imperatoribus multi hunc Pontificis dominatum suo fastigio duxerunt indignum, professi se liberos, non Romano Pontifici, non vlli mortalium, in temporalibus mancipatos. Ex his Henricus VII. qui, vt Pontifex refert in eadem Clementin. De iureiur. *præsente hominum multitudine copiosa respondit, se non fore cuiquam ad iuramentum fidelitatis adstrictum, & quod nunquam fecerit iuramentum, propter quod foret ad iuramentum fidelitatis alicui obligatus.* Et Fridericus Primus Adriani offensus epistola, destinatis literis per varias Imperii partes, inter cætera in hæc verba rescripsit. *Cumque per Electionem Principum à solo Deo Regnum & Imperium nostrum sit, qui in passione Christi filij sui duobus gladiis necessariis regendum Orbem subiecit, Cumque Petrus Apostolus, hac doctrina mundum informauerit: Deum timete, Regem honorificate; quicunque nos Imperialem coronam pro beneficio à domino Papa suscepisse dixerit, Diuinæ institutioni & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacij reus erit.* Quidam alii ad omnes conditiones descenderunt, seu terrore Pontificum omnia suis armis & fœderatis quatientium, seu ab ipsis Pontificibus ad Imperium euecti, & tantum beneficium multis pactis in Romanæ gratiam Sedis, veluti constituta mercede pensantes; Inter quos Otto iste, cui Innocentius III. Imperii causa fuit; cum in Philippum Ottonis æmulum Electores præter vnum Coloniensem consensissent, vt refert Abbas Vspergensis ad annum 1198. Hinc in Epitome vitarum Cæsarum, *Philippus Friderici Barbarossæ filius Henrici VI. frater à Germanorum Procerum parte maiore Imperator eligitur: At Innocentius III. Ottonem Saxoniæ Ducem, cuius maiores olim Pontificiam dignitatem tutati sunt, ab aliquot Principibus electum confirmat, inungit, coronaque Imperiali exornat.* & infra. *Otto Saxonum dux, quem in Philippi odium Imperatorem legerat Innocentius Pontifex, &c.* Et hic Otto tantum Sedi Romanæ indulsit, vt à Clemente V. Pontifice inter illos numeretur, in dict. *Clement. vnic. de Iureiur.* qui plurimum Ecclesiæ concesserint. Mox tamen, siue nouis mutatus consiliis, siue sublato æmuli metu, in aliud ingenium abiit, Romanæ Ecclesiæ ditionem infestans. Vnde Innocentius, qui illi auctor Imperii, eum quoque abdicare annixus est; quod forte in hominem potuit, Coronam iis conditionibus adeptũ *& sub fidelitatis iuramento* quandoquidem *nemo videtur fraudare eos qui sciunt & consentiunt.* (*L. Nemo. D. de regul. iur.* Capit. *Sciendum omnino, eod. titul. in 6.*) neque tamen in summos Principes (quibus non est qui iuramentum fidelitatis alteri præstat) ius sibi vendicare. *Quod dicitur octauo*, inquit Ioan. Parisiensis, Capit. 15. de Potestat. Reg. & Pap *quod Papa deposuit Imperatorem. Responsio; verum est, illum quem ipse posuit, qui ab ipso accepit feudum, & ex causa rationabili: Tamen ista argumenta sunt de facto, & dicunt factum, non tamen quid fieri debeat.* Hæc abdicatio, inquam, Ottonis, illis Principibus præiudicio esse non potest, de quibus idem Pontifex dixit, quod *superiorem in temporalibus minime recognoscunt.* Nam *ante omnia animaduertendum est.* (L. Si vnus, 27. §. ante omnia. D. de pactis) *ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re, aliaue persona noceat.* Et, *non oportet ex sententia siue iusta, siue iniusta pro alio habita alium pragrauari*, (L. Lucius Titius, 21. D. de his qui not. infam.) Præterea, *quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Capit. quæ in iure. De regul. iur. in 6. L. quod contra rationem. D. eod. Denique vt paucis absoluam, vis eiusmodi exemplis exigua. Nemo neget ab aliquot Pontificibus vsurpatum, vt Imperatores ac Reges abdicarent; at hoc quærimus, quo iure, quaue iniuria.

§. 8.

SANCTVS *quoq; Bernardus, in primo libro de Consideratione, dicit quidem Pontificis potestatem esse in peccata, & spiritualem; sed idem S. Bernardus lib. 4. de Consid. cap. 4. vtrumq; gladium spiritualem & materialem dicit esse Ecclesiæ, & materialem ad nutum Pontificis euaginandum esse, quæ sane non diceret, nisi crederet gladium materialem gladio spirituali esse subiectum.*

Bernardum pro se stare Barclaius quam vere docuerit, & quam inuitum in vestram sectam

trahas, dicendum à nobis *Capit. 19. §. 1. & 2.* Sed & sponte iam fateris, eum dicere Pontificis potestatem esse in peccata, & spiritualem; addere debuisti esse tantum in peccata, & tantum spiritualem. Nam Pontifices in alienam messem suam falcem dicit immittere, cum temporalibus se immiscent; & quidem se legisse Apostolos stetisse iudicandos, nunquam autem sedisse iudicaturos. Quod n n aliter quam de temporalibus accipias, cum de spiritualibus Apostolos iudicasse vbique cum Bernardo legamus.

§. 9.

PORRO *de sententia Ioannis Driedonis*, ais, *nulla dubitatio esse potest: nam dicit quidem potestates Ecclesiasticam & Politicam esse discretas; sed dicit etiam Politicam Ecclesiastica adeo debere esse subiectam, vt possit Pontifex in certis casibus, in ordine ad vitam æternam, Reges & Principes Regnis suis dominiisq; priuare: vt nos suprà allatis verbis ipsius indicauimus.*

Quod est ad Driedonem, non hunc secum vbique sensisse dixit Barclaius; sed in eo exultauit, quod nonnulli, qui aut scrupulis, aut affectu, aut imprudenti religione acti, hanc Pontificis potestatem asserunt, vt veritatis victi à se sæpe dissentiant. Hic enim Driedo asserit has potestates vere & proprie actibus, dignitatibus, officiis esse distinctas; cui necessario consequitur, vt iam ostendimus, neutri in alteram esse imperium. Sed gratias illustri veritati inter authores, quos Barclaius Patronos suæ causæ citauit, neminem præter Ioannem Driedonem, hominem nouitium, & leuem si ad cæteros appendatur, extitisse, de quo posses dicere *nullam dubitationem esse*, quin in vestris partibus numeretur, sed nec totus, in vestram iurauit sententiam; vt differendum est *Cap. 13. §. 5.*

§. 10.

DENIQVE *Hosij*, inquis, *Episcopi Cordubensis verba à S. Athanasio commemorata, distinctionem officiorum vtriusque potestatis demonstrant, æqualitatem non demonstrant: Tibi Deus, inquit, Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens magno crimini obnoxius fias: date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo. Neq; igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu Thymiamatum & Sacrorum potestatem habes, Imperator.*

Quid tibi vis cum his verbis, *distinctionem officiorum demonstrat, æqualitatem non demonstrat?* Atqui de distinctione agimus; de æqualitate non curamus: de distinctione, inquam, qua nec Pontifex in Principem quicquam potest, nec in Pontificem Princeps: Quam distinctionem adeo perspicuam Hosius fecit, vt videatur timuisse ne quis tandem sui sensus corruptor existeret. *Tibi Deus Imperium*, inquit, *nobis Ecclesiam concredidit.* At hoc falsum, si summa Imperii & Regnorum dispositio est Pontifici concredita; mala, inquam, distinctio, si Sacerdotibus non modo Ecclesia commissa est; sed etiam propter Ecclesiam, inspectio & Imperium *in temporalia*, veluti necessaria quædam connexio Ecclesiasticæ accedens prouinciæ.

Pergit Hosius, *Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere*, inquit, quæ tu verba sic infra diluis *cap. 4. §. 8.* quod etiam si Pontifex Imperium non gerat, potest tamen vt Pontifex malis Regibus Imperium abrogare. Itane? quasi vero Hosius id nomen *Imperium* scripserit tantum pro Imperatoria dignitate. Nugator fuerit, nisi his verbis, *imperium in terris*, intellexerit potestatem in hæc terrena & temporalia imperandi. Alioqui tuo sensu locutum, ita arguisset Imperator; frustra dicis neque vos *imperium in terris*, neque me ius Thymiamatum habere. Nam vt vos directe quidem spiritualia procuratis, indirecte autem in humana inuaditis, corrigitis Principes, eosque vbi visum, amouetis. Ita ego directe quidem in terris Imperium teneo, sed tamen indirecte in Thymiamatum iura inspicio, ne ab improbis Ecclesiæ ministris res seculi perturbentur. Mihi enim æque diuino iure incumbit vtilitati Imperii prospicere, ac vobis Ecclesiæ: Nam ille (vt fatemini) Deus qui vobis Ecclesiam, idem mihi commisit Imperium.

Sed quibus persuadeas, Bellarmine, eum non habere in terris Imperium (quoquo iure, quoquo nomine, aut Imperium, aut Imperans appelletur) qui eos omnes possit qui Imperium tenent in terris à suis Imperiis remouere, qui collocatus sit *in supremo Iustitiæ throno*, qui denique *Imperia, Regna, Principatus*, (Gregorii VII. verba sunt) *& quicquid habere mortales possunt, auferre & dare se posse* contendat? Habemus igitur aut locutum insulse Hosium, aut has Potestates, ex illius sententia, ita distinctas, vt vna in alteram nihil possit.

Hac *distinctione* potestatum admissa, facilis æqualitatis aut inæqualitatis disputatio relinquitur. Vel enim inæqualitatem intelligis, qualis inter discretas res, & nobilitate impares reperitur, vt inter oratoriam & sutoriam, artes, aurum, argentumque, metalla; & sic Pontificum potestatem non negimus excellere: Vel de inæqualitate agis, quæ digniori parti in minus dignam ius & potestatem concedit, vt Regi in ciuem, in seruum domino, in filium patri, quo sensu falsum est de harum potestatum æqualitate Hosium non egisse; cum hoc modo *Distinctio & æqualitas*, idem sonent. Et quidem si essent inæquales, eo sensu, potestates, quod spiritualis in temporalem possit inspicere, eamque temporaliter castigare, falsum esset, *non esse fas Sacerdotibus in terris tenere imperium.* Quod enim maius in terris Imperium, quam imperare Imperantibus, quam de terrenis disponere, quam terreno Imperatori terrenum Imperium abrogare? Nugaretur, inquam,

inqoam, Hosius si tantum de nomine Imperatoris illi sermo, ac oon potius de potestate in temporalibus imperandi. Vides vt harum potestatum distinctiooem, imo & æqualitatem asseruit.

§. II.

HÆC *ille* Hosius *qui non repugnat*, inquis, *Sanct. Gregorio Nazianzeno, qui Oratione ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem, apertissime docet, Ecclesiasticam potestatem ita se habere ad Politicam, vt anima se habet ad corpus; animam autem praeesse corpori, illudq́ regere, eique imperare nemo vnquã in dubium reuocauit.*

Sancto Gregorio Nazianzeno neqoe Hosius repugnauit, neque Barclaius; sed tu (ignosce tam seriam causam iure tuenti) Gregorii mentem & verba non ferendo errore corrumpis. Is in Concione docuit spirituale Episcoporum Imperium, ciuili Imperio præstantius esse atque perfectius, quod illud animam, istud corpus (anima vtique inferius ac vilius) regat. Sed Politicum regimen spirituali subiici nusquam dixit. En verba, (in quibus triumphare vis,) pro concione alloquentis Magistratum. *Nam vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subiicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius; nisi vero æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.* Hoc & ego dicerem. & nisi irreligiosus nemo oeget. Sed nec semper mious digna subiiciuntur magis dignis; nec est in Gregorio quod tu dicis. *Ecclesiasticam potestatem ita se habere ad Politicam, vt anima se habet ad corpus.* Nec enim vnam ad aliam dirigit, aliique subordinat. Sed, quod in confesso est, dicit animam nobiliorem esse corpore, ideoque & spirituale regimen non cedere Politico, sed omnino esse oobilius, ita tamen nobilius, vt qui illi præfecti sunt non modo Politicæ potestati, licet ignobiliori, non imperent, sed etiam in Politicis subsint. Vnde paulo ante dixerat, se qui sacerdos erat, qui Episcopus, *propter conscientiam pendendo tributo esse obnoxium.* Mens igitur Gregorii, & qoidem aperta legentibus. Vos quidem, ô Politici magistratus, imperium in oos geritis; nam *inter cæteras nostræ doctrinæ leges* (verba sunt Gregorii, ibidem) *hanc quoque habemus cum primis laudandam, & à spiritu, qui id quod præstare possumus, cum eo quod pulchrum & honestum est, explorauit, legeque sanxit, præclare constitutam, qua vt serui heris suis, & vxores viris, & Ecclesia Christo & discipuli magistris ac pastoribus dicto audientes esse atque obtemperare iubentur; ita nobis etiam præscribitur, vt sublimioribus potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; vt qui pendendo tributo simus obnoxij.* At nos etiam imperium in vos gerimus; illudque vestro perfectius, nam terrena potestis imperare, nos cœlestia: vobis nostræ vitæ tranquillitas commissa est, oobis porro vestra salus. Adoret igitur fascesque submittat iurisdictioni nostræ vestra potentia; cui tamen sumus obnoxij, humiliori quidem, sed & à Deo ordinatæ: qui enim author sit & nostræ potestatis & vestræ, idem vtrinque est parendi vinculum. Neque nostra est dignior, quod illi vos obsequi magis oporteat, quam nos vestræ, sed quod imperet digniora. Par inquam vtraque in imperaodi iure, impar in mandatorom dignitate.

Ingens omnino discrimen, Bellarmioe, inter subiectionem corporis & animæ, & harum potestatum. Quid, inter cætera, liquidius, quam corpus vt corpus referri ad aoimam, & animam vt animam referri ad corpus; quandoquidem vnius compositi Physici essentiales partes sunt? At nequaquam potestas Politica, vt Politica, ad spiritualem ordinatur, vt tu ipse fassus es (cum absque illius consortio perfecta, integra, absoluta esse possit, & plerumque apud infideles extiterit) multo minus spiritualis vt spiritualis, ad Politicam. Duæ sunt, & distinctæ potestates, oobilitate impares, libertate æquales.

Sed & quæ rerum confusa calamitas, si oratorijs similitudinibus, quas sancti & eloquentes homines, qualis Nazianzenus fuit, in populi concione proferunt, ita sollicita fides habenda est, vt ad tam grandes consequentias valeant, & omnino exactæ habeantur? multo certius Gregorij verba ex Gregorij factis, quam ex tuo sensu concipias. Christianorum opes tunc validissimæ erant, Principes impij, Constantius, Iulianus, Valens; nec is tamen vel leuissimo asseruit verbo, ius fasque Ecclesiæ malos Principes principatu deijcere. Quid etiam toties monendus es, non hic de Summo Pontifice modo, sed de omnibus Episcopis Gregorium esse locutum?

Quæ apud te sequuntur ad secundi capitis finem cuncta consumis in duplici subordinationis genere distinguendo: sed hæc paulo ante ad verbum recitata, & vt opinor, satis excussa, nõ tanti sunt vt secundum certamen mereantur.

CAPVT III.

Bellarminum truncare argumenta Barclaii, & iterare quæ superius pro sua sententia attulerat. De Extrauag. Bonifacii VIII. Vnam sanctam. Bellarminum suam sententiam perperam ex Scripturis deducere; & ex subordinatione finium, ac potestatum: Frustra oppugnare argumentum quod Barclaius texit à potestate Apostolorum in sui temporis Christianos: qua maiorem Papa non potest obtinere. Apostolos temporalem potestatem non habuisse. Solutum argumentum ex Apostoli verbis, si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Num Christus liberauerit nominatim Petrũ, & Apostolos, à subiectione Ethnicorum Principum Apostolos fuisse de iure subditos Regibus, aut suæ doctrina repugnasse. B. Paulum agnouisse nominatim, se Cæsari subiectum, cum ad eum appellauit. De illius præcepto, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Ex Bellarmini sententia colligi, duriori conditione Reges in Ecclesiam admitti quam priuatos. Asserta similitudo Barclaii inter Pontificem, & patrem adoptiuum, contra Bellarmini sophismata. Ineptissime conferri à Bellarmino Ioiadam qui Athaliam sustulit, & Prophetam qui vnxit Iehu in Regem, Romano Pontifici Reges & Principes abdicanti. Vanam reddi ab eo rationẽ, cur Ecclesia Christiana tot seculis hac potestate non sit vsa: nẽpe quod defuerint primo vires, deinde mali Principes quos deponeret. B. Gregorium, serio agnouisse potestatẽ Imperatoris tam facti quam iuris supra se omnesq; Clericos. Soluta in eam rem obiectiones Bellarmini. Regum potestatem immediate esse à Deo. Collata B. Gregorii verba, cũ Pii V. & Sixti V. Bullis. Aduersarios ipsos non satis inter se consentire, an possit Pontifex infideles Principes abdicare. Assertus à Bellarmini calumniis Barclaius.

Bellarminus huius Capitis titulum sic concepit, *Potestatem Summi Pontificis in temporalibus, non esse rem dubiam, neq; ab opinionibus Doctorum solum pendere.*

§. 1.



IN tertio cap. inquis, contendit Barclaius, de potestate summi Pontificis in temporalibus, nihil certi haberi; sed rem totam inter Theologos & Canonistas libere disputari.

Ingens, inquit, Theologos inter & Canonistas, & vtrorumq; inter se de hac re dissensio, dum hi directam, alij indirectam potestatem astruunt, facit vt quæstio hæc de temporali potestate Papæ, dubia, & incerta, ac tota in hominum opinione posita videatur: ac proinde solutionis eius veritatem luminε rationis, & differendi subtilitate esse peruestigandam. Hæc ille.

At magnum est discrimen inter quæstionem an sit, & quid sit, vel quomodo sit. Deum esse ne Pagani quidem in dubium reuocare solebant: tamen de natura Deorum plurima erant apud Philosophos opiniones. Deum esse trinum, & vnum, nullus Catholicus negat, sed omnes firmissima fide tenent: & tamen quot sunt inter Scholasticos Theologos de constitutione personarum, de relationibus, de notionibus opiniones! Sic igitur de potestate in temporalibus, quod ea sit in Papa, non opinio, sed certitudo apud Catholicos est: quamuis non desint altercationes, quid sit & qualis ea potestas, id est, an sit per se, & proprie temporalis: an potius ipsa quidem spiritualis sit, sed per quandam necessariam consequentiam, & in ordine ad spiritualia de temporalibus disponat. Quare non recte colligit Barclaius dũ sic ratiocinatur: Dissensio est inter Theologos & Canonistas, dum hi directã, illi indirectam potestatem astruunt; ergo quæstio de temporali potestate Papæ dubia & incerta, ac tota in opinione hominum posita est.

Cur detruncas Barclaij verba? an hæc vna apud illum ratio, quod scilicet *dissensio sit inter Canonistas atq; Theologos?* Primum dicit multa fuisse à Christo secula ad primum vestigium illius potestatis, quam fingunt Canonistæ. Mox tuum argumentum in eosdem Canonistas exscribit (nimirum quod *si res ita se haberet, deberet id constare ex Scripturis, aut certe ex Apostolorum traditione.*) quæ ratio non minus in indirectam est, quam in directam potestatem; vt infra *Cap. 5.* fuse disputat. Tũ demum hæc subiungit, *Quæ res, simulq; ingens Theologos inter & Canonistas, & cætera* quæ deinceps protulisti: Cur igitur à media incipiebas periodo, his particulis omissis, *quæ res simulq, &c.* quæ aliquid iam in eandem rem præcessisse monstrabant? Aut si tantam libertatem tibi facis in referendis authoribus, cur censura tam sedula suspicionem atque vmbram eiusdem libertatis, vt criminis, in Barclaio captas? qui cum capite vigesimo primo dixisset Ecclesiam de infidelibus Principibus nequaquam iudicasse; *nec solum propter scandalum abstinuisse, vt putat Thomas eo loco, sed propter defectum potestatis, &c.* Insanum exclamas. *Intolerabilis est huius morosi Censoris carpendi & vellicandi libido: S. enim Thomas, cum ait Ecclesiam non vti suo iure, propter scandalum: non addit particulam, solum: quare si sint aliæ causæ, non ideo reprehendi debet Sanctus Doctor, qui vnam causam, &c.* Quid vero? an hoc loco (ô vir ad tantum scrupulum integer) Barclaius dixit, *solum* propter Theologorum & Canonistarum controuersiam, istam de qua agimus quæstionem non esse *de fide*? imo nunquid contrarium his verbis indicauit, *quæ res, simulq; ingens Theologorum, &c?*

Sed

Sed istius rei gratiam facimus; sincere Barclaij mentem dederis. Age nunc, ad ista quid tu noui? Nihil prorsus; Repetis quæ iam primo capite *in excusationem Barclaij* effuderas; aliud esse quærere an hæc potestas sit; aliud, quid sit: *An sit*, Theologos & Canonistas conuenire, nec licitum ambigere; *quid sit* eos controuerti, vt de multis fidei articulis fas est. Ast ego neque, *an sit*, Theologos & Canonistas conuenire iam docui; neque *de fide* istud esse, vt quæstione *an sit* omissa *quid sit* tantum Catholici quærant. Vides te in iisdem argumentis huc & illuc iterandis multum esse; quam artem tamen, aut vitium, Barclaio non times affingere. Sed instas, & *certum ac exploratum* esse Pontificem habere temporalem potestatem, hoc modo contendis.

§. 2.

E*SSE autem rem certam, & exploratam, posse Pontificem Maximum iustis de causis, de temporalibus iudicare, atq; ipsos temporales Principes aliquando deponere; probamus.*

Primum ex communi consensu Scriptorum, quorum verba initio disputationis attulimus: quod enim communi consensu Doctores variis in locis, & temporibus docent, id Ecclesia vniuersa sentire & docere censetur: ideo enim posuit Deus in Ecclesia Pastores, & Doctores, vt dicitur ad Ephesios, 4. vt eos populi tanquam Duces sequantur, neq; ab eis recedant, nisi forte videant vnum aliquem noui aliquid contra doctrinam communem inuehere, vt hoc tempore Barclaius fecit.

Iam ante tot Scriptorum aciem explicuisti; nunc ad eadem redis auxilia. Ego quoque vno clypeo eandem tempestatem propellam. Primum, magna illorum Scriptorum pars nequaquam de ipsa re tecum, nedum de modo consentit. Sed & omnes, vt in *Prolegomenis* disseruimus, aut vanis, aut absurdis, aut blasphemis sophismatis, istam astruxere sententiam. Qui vero ante illos vixere Ecclesiæ Patres, haud dubia ratione euincunt, nullam Pontifici potestatem in temporalia Regum esse; vnde primam Ecclesiam vniuersam, vt tibi regeram tua verba, id sensisse & docuisse certum est. *Qui Patres quod inuenerunt* (vt belle Augustinus lib. 2. controuers. Iulian. Pelag.) *in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt, docuerũt, quod à Patribus acceperũt, hoc filiis tradiderũt. Nondũ vobiscum apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus.* Quod si multos protulisti horum seculorum viros, quos typographia, & ante illam argumenti nouitas, & scribendi cacoëthes iam publico errore excusata tibi admonuit; dico cum eodem Augustino, Antiquorum *appende sententias. Nolo esse plures, vt eas te pigeat numerare. Sed non sunt leues vt eas te pigeat appendere; imo tam sunt graues, vt te videam sub earum onere laborare.* Quam autem si ulla iactes vestram sententiam Catholicis esse communem; satis in *Præfationem* tuam, tum etiam *primo Cap.* opinor, ostendimus.

§. 3.

S*ECVNDO, probamus,* inquis, *per Extrauagantem, Vnam Sanctam, De maiorit. & obedientia. Vbi docetur, gladium esse sub gladio, & temporalem potestatem spirituali subiici potestati: & quod si deuiat terrena potestas, iudicabitur à spirituali, si deuiat spiritualis minor, à suo superiore; si vero suprema, à solo Deo poterit iudicari. Neque obstat quod definitio huius decretalis videtur esse reuocata à Clemente V. in Extrauagant. Meruit, de Priuilegiis. Neque enim Clemens V. Extrauagantem Bonifacij reuocauit, sed admonuit eam nihil noui definiuisse, sed antiquam obligationem declarasse, quam habent homines ad obediendum & subiacendum Apostolicæ Sedi.*

Historiæ luce, caligo diluenda quam offundis. Philippus Rex Francorum, cui cognomen Pulchro, Bonifacii VIII. Pontificis legato, sibi minos minitanti, iniici manus iussit, & in custodiam tradi. Hinc Pontificis iræ; & missus in Galliam Archidiaconus Narbonensis, qui Regem anathemate feriret, Francos à fidelitatis Sacramento absolueret. Neque animosus Pontifex, quem R. Gaguinus vir religiosus ac pius *superbum ac supra modum arrogantem & contemptorem omnium hominum*, vocare non timuit, de hac indirecta potestate cogitabat, quam tueris, *sed Imperatoribus, Regibus, Principibus, Nationibus, Populis*, vt Platinæ verbis vtar, *terrorem potius quam religionem inijcere conabatur: dare Regna & auferre, pellere homines ac reducere, pro arbitrio animi conabatur, aurum vndique conquisitum plusquam dici potest sitiens.* Itaque per Legatum edixit (Gaguin. libr. 7.) *Regnum Franciæ propter contumaciam Philippi ad Sedem Apostolicam esse deuolutum.* Et vt Paul. Æmil. in Philippo Pulchro, ait (quanquam Bonifacio per omnia ipse fauens.) *Addebat*, Pontifex Bonifacius, *id quod omnibus permirum fuit, Regem Franciæ non sacro modo Pontificioque iure, Pontificem Romanum vt animorum Parentem oportere obseruare, sed ciuili iurisdictione, profanaque re, ac causa, & dominatu, Principem authoremque agnoscere.* Erectus in tumorem tam immensæ potestatis, & quam ipse, Bellarmine, auersaris, vt iure omnia facere videretur, seu faciles animos Religionis capturus imagine, hanc Extrauagantem edidit, *Vnam sanctam.* Edidit, inquam, anno sui Pontificatus octauo (vt dicitur in fine Extrauagantis) id est vltimo; quo nempe odia inter illum & Philippum acerrima. Bonifacio animi dolore confecto, successit Benedictus XI. vir eximiæ pietatis. Is decessit mense Pontificatus octauo. Longum deinde interregnum; dissentientibus Cardinalibus, quorum Itali aliquot, plures Galli. *Nunc Franci Cardinales*, inquit Æmilius, *conspirarant. Contra Italici generis Patres, & sui memores erant, & vereri poterant id, quod*

vsu venit. Alterum iam annum illud interregnum tenebat. Tandem consensere vt Galli ederent tria nomina, modo in illis nemo numeraretur actorum Bonifacii aduersarius: Itali ex illis tribus optionem haberent. Erat Bertrandus Vasco Pontifex Burdegalensis à Bonifacio creatus; Idem à Pulchro Rege animo alienus, quod Pulchri frater Carolus Valesii Comes, bello Aquitanico eius propinquos domumque vexauerat. Is si à Gallis Patribus nominetur, etiam ab Italis cupidissime recipiatur, agnoscaturque Pontifex. Sensit id agi Pulcher Rex, reconciliataque cum Vascone amicitia, sui beneficii Pontificatum fecisse dicitur, ac sibi Bertrandum tanto munere, velut suo, deuinxisse. Galli nomen Vasconis edidere, Itali recepere; creatus consentientibus animis Clemens vocari voluit. Et hic est Clemens, qui deinde Extrauagantem *Meruit*, in gratiam Gallici Regis emisit. Vides & Bonifacio mutua necessitudine charum, & Philippo post reconciliationem amicum. Sic igitur inter duos hostes, sibi necessarios, animum partitus est, vt & defuncti Bonifacii memoriæ parceret, & viui Regis auctoritatem tueretur. Nam Regi apud Pictauium petenti vt Bonifacium damnaret, non consensit (Platina in *Clemente V.*) sed diplomate tamen sanxit, ne quod præiudicium ex illa constitutione Bonifacii *Vnam Sanctam*, in Regem & Regnum Franciæ oriretur. Verba sunt, *Hinc est quod nos Regi & Regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit Vnam Sanctam, Nullum volumus vel intendimus præiudicium generari: Nec quod per illam Rex, Regnum, & Regnicolæ prælibati, amplius Ecclesiæ sint subiecti Romanæ, quam antea existebant: sed omnia in eodem esse statu quo erant ante definitionem præfatam.* Verba in decessorem permodesta, & tamen efficacia ad Regis dignitatem. Ita enim illa Bonifacii constitutio, *Vnam Sanctam*, est conscripta, vt omnia ex ipso orationis sensu ambigua, & tam ad spiritualem potestatem, quam temporalem trahi possint; licet author de temporali & directa potestate intellexerit, vt ex Platina, Gaguino, Æmilio, ostendimus. Sic igitur Clemens sententiam temperauit, vt sensum Extrauagantis inflecteret, saluo honore & Authoris & verborum. Nam voluit omnia *in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam*; Nimirum ne Rex superiorem in temporalibus agnosceret (Capit. *Per Venerabilem. Qui filij, &c.*) ne Regnum Franciæ propter contumaciam Regis, ad ius Ecclesiæ deuolui putaretur. qui illius Extrauagantis) scopus. Ipsa autem vt monui verba, omnino ambigua, non damnauit Pontifex Clemens, quod de spirituali potestate possent intelligi; nempe gladium temporalem in potestate Petri esse, *gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subiici potestati: & quod si deuiat terrena potestas, iudicabitur à spirituali, si deuiat spiritualis minor, à suo superiore: si vero suprema, à solo Deo poterit iudicari*, & quæ alia in eadem Extrauaganti præscribuntur; quæ optimum sensum ferent, si de spirituali potestate capiantur. Nam ibidem dicitur, *hunc gladium pro Ecclesia, alium ab Ecclesia exercendum.* Nimirum vt spiritualis gladius stringatur ab Ecclesia; sit quoque in Ecclesia gladius temporalis, ad imperium non ad actum; id est, vt filiis suis Regibus imperet, vt pro necessitate rerum Christianarum bellum gerant, non autem, vt ipsa armetur: & hoc modo gladius erit sub gladio, sub authoritate authoritas. quod si terrena potestas deuiat, si stringere gladium pro defensione contemnat Ecclesiæ, iudicabitur à Spirituali; sed Spirituali modo & spiritualibus pœnis. Nam de temporalibus pœnis per Ecclesiam infligendis, ne verbum in Extrauagante reperias. At qua fiducia dixisti, Bellarmine, Clementem V. in Extrauag. *Meruit*, admonuisse in hac Extrauaganti, *Vnam Sanctam, antiquam obligationem declarari quam habent homines ad obediendum & subiacendum Apostolicæ Sedi?* qua, inquam, fiducia? cum illic de eiusmodi *admonitione*, nec sit leue vestigium?

Denique, vt hæc Constitutio Bonifacii clarissimis verbis de temporali potestate concepta sit, nec à Successore abrogata, quarum porro virium, apud cordatos homines, quantæ authoritatis erit? Non hoc modo rescripto, Bellarmine, agitauit Orbis imperium, & temporale ius Ecclesiastico miscere quæsiuit. Voluit, vt modo retulimus, ad libitum regna transferre, voluit regnum Franciæ in Roman. Ecclesiæ feudis esse. Mirum vero existimas, si hominis moribus, si studiis, si cupiditati, scripta quoque consentiant? Nunquam mihi persuadeas te non aut pudore tentatum, aut risu: quoties Gregorii VII. Bonifacii VIII. & eiusmodi Pontificum scripta vsurpas, tanquam ad hanc controuersiam idonea; in qua agitur num illi ipsi Pontifices, recte egerint, recte scripserint.

§. 4.

TERTIO, inquis, *probamus ex Conciliis supra allatis, quorum duo postrema generalia fuerunt: quomodo enim potest in dubium reuocari, & à sola hominum opinione pendere, quod generalia, Catholica, legitimaque Concilia probant? Posse autem per Summum Pontificem deponi Principes temporales, quando Ecclesiæ necessitas id postulat, ac per hoc temporalem Principum potestatem spirituali potestati Pontificum subiectam, & subordinatam esse, Concilia illa decem, ac præsertim duo postrema, Lateranense, & Lugdunense, apertissime docent.*

Actum agis. Nec fuit quod eadem repeteres, nisi vt hæc verba, *decem Concilia*, magna apud credulos maiestate intonares.

§. 5.

QVARTO, inquis, *probamus ex diuinis literis, quemadmodum id probat Gregorius VII. in Epistol. 21. lib. 8. Nam in Scripturis & traditione manifestissime reperimus fundatum Primatum Ecclesiasticum*

Romæ-

Romani Pontificis, quo Primatu amplissima potestas continetur regendi, ligandi, & soluendi quoscunque etiam Reges & Imperatores: id quod neque Barclaius, neque vllus Catholicus negat. Ex hoc autem principio satis aperte colligitur, esse in Romano Pontifice potestatem temporalia disponendi, vsq; ad ipsorum Regum & Imperatorum dispositionem: nam per ipsam spiritualem potestatem potest Summus Pontifex ligare Principes seculares vinculo excommunicationis, potest per eandem soluere populos à iuramento fidelitatis & obedientia, potest obligare eosdem populos sub excommunicationis pœna, vt Regi excommunicato non pareant, atque vt alium sibi eligant Regem.

Quid hoc rerum? Vis probare Pontifici tempotalem potestatem esse in Reges, *in tantum vt eos possit deponere.* Id sic probas: potest eos deponere, ergo habet in eos potestaiem temporalem: seu, si mauis, potest eos deponere, ergo potest eos deponere. Dicis enim, Primatum Pontificis continere potestatem ligandi, soluendi, etiam Reges, &c. Tum ais; *ex hoc principio colligi*, Pontificem posse temporalia disponere, vsque ad depositionem Principum: quam consequentiam ita deducis (nimirum quod ex potestate ligandi, sequatur potestas abdicandi ipsos Reges) quia, inquis, Pontifex potest soluere populos à iuramento fidelitatis, potest eos obligate vt Regi excommunicato non pareant, atque vt alium sibi eligant Regem. Dic porro; Regem excommunicare, subditis imperare ne illi pareant, ac vt alium sibi eligant Regem, an est aliud quam Regem abdicare? En quam vere monueiim te, sic argumentari: potest deponere Reges, ergo potest eos deponere; seu vt tecum verba quoque immutemus; potest iis Regnum tollere, quia potest eos Regno priuare.

Quod ad Primatum Pontificis: vbi in Barclaio verbum de eo non honorificum? illum coluit, illi ad extremum obsequens vixit. Hinc dicis potestatem regendi, ligandi, soluendi, Pontifici datam. Certe, modo de spirituali regimine, de spiritualibus vinculis dicas; qualia ipse Petrus, & Paulus, prompta in peruicaces habuerunt, qui temporalia vincula nesciuerunt, nisi vt vincirentur. At si de temporalibus tibi sermo, nimis ambiguo verbo ludis: vt quod proprie in hanc disputationem cadit assumas pro concesso.

Quæ inde deduxisti, *posse Pontificem de temporalibus rebus vsque ad ipsorum Regũ depositionem disponere*, subditis imperare, *vt alium sibi eligant Regem, &c.* Sunt ipsum quæstionis nostræ thema. Tu inquam hanc probationem tuam iisdem verbis concepisti, quibus poteras titulum libri; nempe assertione nuda, Papam posse Reges deponere, subditos à vinculo fidelitatis absoluere.

§. 6.

PRÆTEREA, inquis, *cum finis spiritualis regiminis sit adeptio æternæ vitæ, qui est finis supremus, & vltimus, cui omnes alij subordinantur fines; certe necesse est vt spirituali potestati supremi Hierarchæ Ecclesiastici subiiciatur, & subordinetur omnis secularis potestas, quam ille dirigere debet, & si deuiat corrigere, & iudicare, ac demum efficere ne impediat salutem populi Christiani.*

Nihil dubium quin adeptio vitæ æternæ pro supremo sit atque vltimo animæ, quatenus immortalis est, fine. At vero rerum omnium, finiumq; respectu, neque is vltimus finis, imo neq; omnino finis est; cũ alij fines ex se absoluti sint, neq; ab illo spirituali pendentes. Nã condidit homines Deus, non modo vt cœlo fruantur ad vltimum, sed vt nunc etiam Mundum exornent ciuili societate atque imperio. Hi gemini fines omnino distincti, nempe istius mundi ordo, & æterna felicitas, referuntur ad Deum, qui ipse est rerum omnium proprius finis atque vltimus, ipse Alpha & Omega; cuius gloriæ, inquam, cedit hic mundi ornatus, magnitudo, varietas rerum, hominum prudentia, tranquillitas, ingenium. Ad quærendum hunc humanæ societatis finem, sufficit industria & instinctus, quem Deus hominibus cum Natura infudit? Quo nempe intelligerent tum necessarium aliquos à se deligi, quorum imperiis contineretur multitudo, nunquam in suam pacem constans; tum etiam quos sibi in hunc modum præfecissent, eos statim ab ipsius Naturæ authore vim & potestatem accipere. Hi Reges sunt, summique in Rebuspublicis Magistratus; seu si mauis, hæc Politica potestas est, quæ, vt fateris alibi, viguit etiam in Ethnicis, qui veram spiritualem potestatem ignorabant, quæque, vt ait Diuus Thomas, *ad suum finem peruenit cohibendo exteriores actus, quantum ad illa mala, quæ possunt perturbare pacificum statum ciuitatis:* Qui & addit *perfectionem* legis humanæ in ea tranquillitate consistere. Ita Franc. Victoria, Relect. 1. de Potestat. Eccles. sect. 6. propos. 5. *Dato*, inquit, *quod non esset aliqua potestas spiritualis, nec aliqua beatitudo supernaturalis, esset aliquis ordo in temporali Republica, & esset aliqua potestas, sicut est in rebus naturalibus, etiam irrationalibus, inter quas aliqua agunt, alia patiuntur, propter bonum duntaxat vniuersi.*

At vero cum ad apiscendam æternitatis gloriam, maiori auxilio opus esset, & lumine naturam superante, constituta Synagogæ potestas est, & mox Ecclesiæ, qua edoceremur fidem, qua Numinis legem; Data quoque huic Ecclesiæ iurisdictio, sine præiudicio Politicæ, non infinita, non immensa, sed inclusa intra fines, vt necessariam quidem omnem haberet, & vtilem potestatem procurandæ salutis humanæ: haberet, inquam, potestatem necessariam & sufficientem ex se, seu ipsius potestatis respectu, subuehendi in cœlum quotquot ex mortalibus ea potestate vti volent, & se Ecclesiasticis ornare remedijs; At non potestatem de externis disponendi, quæ videri ad salutem possunt vtilia, obicesque amouendi, qui in cœli viam ingressu-

ros remorantur aut ingressos. Nam si illud Pontifici, si Ecclesiæ datum; tunc nemo, nisi Pontificis culpa, damnatus (quod crudele) nemo, quem Pontifex vellet à cœlis exclusus, quod blasphemum, cum nec morienti in vtero fœtui conferre Baptismum, neque ægris, quos peccata profiteri morbus vetat, possit crimina sacramentali absolutione donare. Longe igitur aliud, Ecclesiam sui respectu habere necessaria & vtilia omnia ad salutem mortalium, & tollenda impedimenta quæ in illam incurrunt; aliud habere potestatem respectu ipsorum mortalium, eiusmodi impedimenta tollendi, & de omnibus disponendi, quæ obstruunt æternæ vitæ iter. Hinc Almainus. (*De potest. Eccles. & Laic. quæst. 1. Capit. 10.*) ea sua & Ioannis Parisiensis sententia; *dicit Ioannes de Parisiis*, inquit, *ad maiorem, cuius est iudicare de fine, eiusdem est iudicare, supple innuitiue, id est innuere quæ sunt media necessaria ad illum finem consequendum, & quæ impedimenta. Et hoc verum est quod spectat ad Ecclesiasticum, quia ad eum spectat ostendere quod est necessarium ad felicitatem consequendam. Sed si intelligas, cuius est iudicare de fine, eiusdem est iudicare iudicio coercitiuo & correctiuo, de quolibet necessario ad illum finem, negatur. Imo illa est falsa vniuersaliter, cuius est iudicare de fine, illius est iudicare de mediis iudicio coercitiuo, & hoc ordinarie de qualibet necessario vel impediente res[...] tu talis finis etiam dico quod summus Pontifex non iudicat de beatitudine æterna isto iudicio de quo loquimur, sed per modum doctrinæ & incitamenti, ostendendo de mediis necessariis ad salutem.* Et nos hac de quæstione fusius, *Capit. 17.* §. 1.

Quod si Christus salutem hominum Petro ita commisit, vt in omnia illi inesset, quæ saluti aduersantur; cur non ei, vt externa (puta inspectionem in temporalia, dispositionem bonorum ciuilium, abdicationem Regum) sic etiam interna permisit? verbi causa, vt diuitiem cordium ad nutum inflecteret, vt molliret incredulas mentes, vt Tyrannorum furorem ad arbitrium auerteret. At hanc certe potestatem nec sibi vendicat Pontifex, nec adeo vllus ineptiat qui illi tributam existimet. Nunquid tamen videri potuit vtilissima Ecclesiæ? aut num difficilius Christo fuit hanc largiri Pontifici, quam remittendi peccata, conferendi sacramenta? Num denique vllo Scripturæ loco, vllo Patrum testimonio, probari potius potest hanc externam disponendi de Regnis quam internam inflectendi ad nutum animas in Ecclesia esse? Imo è contrario videas quinque hominum millia vna Petri concione ad Christum adducta; Videas eius vmbra sanari languentes; quæ oppido quam nascentem iuuerunt Ecclesiam! At huius potestatis in Reges ne vel leue vestigium. Adeo imperium in omnia quæ videri possunt ad salutem vtilia, Deus non concessit Ecclesiæ.

Non igitur subordinata est Ecclesiasticæ potestas Politica, cum non propter Ecclesiasticam constituta sit, sed ad Ciuilem concordiam, & adipisci suum finem, absque illius ope, possit, quod, vt ipse fateris, in Ethnicis sæpe factum; cum Ecclesiastica etiam absque illa esse queat, vt primis reuera post Christum annis fuit, cum denique neque ad finem, neque ad effectum vna ad aliam ordinem dicat, sed sint à summo Deo dignitatibus, officiis, actibusq; distinctæ.

Hæc ad argumentum tuum satis. Sed vlterius in errorem tuum inquitam; Erras, inquam, cum ex præstantia finium potestatem eorum, quibus est illorum finium procuratio commissa, metiris. Neque aliud hac deductione fallacius. Vis exemplis rem illustrem? vt animi bona corporis bonis præstant, ita fortunæ quoque bonis corporis bona præcellunt. Audi Regis Medicum, cum Quæstoribus, cum Cubiculi, cum Stabuli Præfectis, hoc modo differentem: Mihi Principis cura potior, quam vobis incumbit: ipsius Corpus mihi commissum est; vt viuat, vt valeat, arti meæ relinquitur. Vos duntaxat aduigilatis iis bonis, quæ fortunæ sunt, & ab ipso Rege discreta. Ita finis ad quem suspicitis, meo fini subiicitur. hoc iure, si Principis valetudini estis incommodi, vobis Magistratum abrogabo? Quis insanientem Medicum auferri non iubeat? quot hunc omnium suspendant Ciconiæ? sed & si reuera Purpurati in valetudinem Regis peccent, puta, si quietem Regis turbent, si noxios præbeant cibos, quid Medico, licet adornato ad superiorem quam illi sint finem, relinquitur, nisi Regem adire, contumaciæ Magnatum admonere? Ita Pontifex cum Spiritualium præfectus sit, Regibus inferiora curantibus, in iis potest præcipere quæ suam iurisdictionem non excedunt; puta vt Trinitatem æqualem & indiuiduam credant, de Sacramentorum numero conueniant. Si tam sublimi arte fretus, erumpet in Regnum ditionem, sæculares pœnas intentans, & in aliena prouincia rideatur, hunc pudorem intempestiuo debebit conatui, aut si etiam mandata iurisdictione recte fungens non audietur à Regibus, nihil amplius potest quam spiritualibus vti remediis, & communem omnium Deum ad vltionem aduocare iniuriæ. Innumera in istam rem exempla sunt. Is cui Magnates, vt solet, suæ salutis & animæ curam tradunt, siue Eleemosinarii siue Sacellani nomine censeatur, numquid digniori præfectus est fini, quam qui in eadem domo aut stabulo præest aut æri? Nunquid tamen suo iure hos multabit? Nunquid propter illius præstantiam finis, hos ab officio amouebit? sensus communis expers sit, qui hoc putet.

Cum igitur de Ministrorum potestate, aut iurisdictione quærendum est, iniuria in commissæ rei finem inquiras; videndum est tantum quanta cum iurisdictione atque potentia, illud officium ministro commiserit, quicunque sit, qui commisit: vt ecce, summus iste Paterfamilias Deus, inter suos Vicarios, Pontificem atque Regem, orbis gubernationem distribuit, vt illi spiritualium cura, illi temporalium cederet: Non sic tamen vt omnibus modis, aut rationibus suum munus explicent, quod aptum aut vtile prouinciæ suæ credant, sed iis tantum rationi-

bus quibus ipse communia vtriusque Magister illorum potestatem definiuit; ne Rex nempe spiritualia iura inuadat, licet id possit aliquando videri ad ciuilem vtilissimum pacem; neq; Pontifex Regem temporali pœna castiget, quamuis id ad incrementum Ecclesiæ videatur aliquando facturum. Egregie Ioan. Parisiensis, Capit. 14. de Potest. Reg. & Papal. *Licet*, inquit, *Iudex Ecclesiasticus habeat homines in Deum reducere, & à peccato retrahere, & corrigere; hoc tamen non habet nisi secundum viam à Deo sibi datam, quæ est separando à Sacramentis & participatione fidelium, & huiusmodi ad censuram Ecclesiasticam pertinent.*

§. 7.

ATQVE *hæc est ratio*, inquis, *cur & Gregorius VII. & Innocentius IV. in depositione Imperatorum, vt ostenderent iure se id facere, verba Domini allegauerint. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis: Matth. 16. & Pasce oues meas, Ioan. 21. Nimirum vt significarent potestatem suam disponendi de temporalibus, quando id requirit salus animarum, Religionis incolumitas, Ecclesiæ conseruatio, non pendere ab incertis hominum opinionibus, sed ab ordinatione diuina Christi Regis æterni, & Pontificis Maximi, qui & super omnia Deus est benedictus in sæcula, teste Apostolo ad Rom. 11.*

Egregium argumentum, Bellarmine! An vero si Gregorius, & Innocentius deposuerunt Imperatores, & *vt ostenderent se iure facere verba Domini allegauerunt*, ideo hæc potestas à Scripturis, non ab hominum opinione pendebit? Imo hoc quæritur, an Gregorius, an Innocentius iure Imperatores deposuerint, & Scripturas in hanc rem idoneo protulerint sensu. Quis enim ex Antiquis istas Christi sententias eo sensu accepit? Nullus omnino Scriptorum, nullus Patrum; inter tot Homelias, scripta, commentarios, libros, per mille à Christo & septuaginta annos. Tūc hæc demum nata interpretatio (cui autem expositioni Scriptura non facilis?) ex inuentis Pontificum; scilicet post abdicatos à se Reges. Vt non eos deposuisse videantur, quod id sibi ex Scriptura licere iudicarent, sed ita denique interpretati Scripturam, cum hoc sibi arrogassent in Reges.

Tertium locum quem sic allegas, *teste Apostolo ad Roman. 11.* nescio quo consilio produxeris, nisi vt tanti Oraculi nomine imperitis illudas, qui statim exclament, ibi aliquid pro Pontifice in Reges haberi; cum illic tamen non de Pontificis potestate, sed de Domini laude agatur. Verba sunt, *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula, Amen* Ita sit, & quæstionis, quam agitamus summus Iudex; gloriosam suo Numini victoriam meliori indulgeat parti.

§. 8.

SED *videamus*, inquis, *quid contra hæc Barclaius obijciat. Primum argumentum eius hoc est. Absurdum & iniquum est dicere Principes Ethnicos duriore & deteriore conditione ad Ecclesiam esse receptos, quam homines priuatos: vel Papam habere maiorem nunc potestatem in Principes politicos Christianos, quam olim Beat. Petrus, & cæteri Apostoli in quemlibet priuatum hominem Ecclesiæ filium: At hi nullum ius & potestatem temporalem habuerunt tunc temporis in Christianos Laicos: Ergo nec Papa in Principes Seculares potestatem vllam temporalem nunc habet.*

Respondeo. Assumptio argumenti falsa est, & Scripturis Sanctis omnino contraria: primum enim ius habebant Apostoli percipiendi ex bonis temporalibus Laicorum. Id probat Apostolus 1. ad Corinth capit. 9. dicens. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi: Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere. Deinde potuerunt Apostoli iubere vt Christiani in causis ciuilibus Iudices Christianos constituerent, nec ad iudicia Gentilium Magistratuum accederent: sic enim mandat Apostolus 1. ad Corinth. 6. Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos? nescitis quia Angelos iudicabimus? quanto magis secularia? secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Quare si poterant Apostoli ordinare iudicia in causis ciuilibus, & mandare laicis, vt ministros Euangelij suis facultatibus sustentarent: quomodo nullum ius habebant in bona temporalia Laicorum?

Itane? *Primum*, inquis, *argumentum eius* (Barclaii) *est, &c.* Atqui superiori capite argumentum proposuit, quod tu ipse appellas *suæ sententiæ* primarium fundamentum; Politicam potestatem, ita ab Ecclesiastica separatam, vt neutri in alteram relinquatur imperium. Nunc veluti & Barclaii oblitus, & tui, dicis hoc argumentum Barclaii primum esse, quod pro immunitate protulerit Regum.

Ais, *Apostolos ius habuisse percipiendi ex bonis temporalibus Laicorum.* Quid hoc in Barclaium, qui dicit *Apostolos nullum ius & potestatem temporalem habuisse in Christianos Laicos*? Nugæ. Barclaius de ciuili iurisdictione loquitur, quam negat Apostolis competisse; tu de iure siue obligatione naturali, quæ creditoribus aut mercenariis, in debitorum bona conceditur; qualem Apostoli in Christianorum opes habebant. Neque enim Apostolis propter Apostolatum id iuris quæsitum est, sed per labores, quos in erudiendis Christianis susceperant; neque hoc ius aliud fuit, quam quod mercenarii aut gestores negotiorum in eorum bona habent, quorū vtilitati &

ope-

operam impendunt & curam. Locus, de quo agis, Apostoli, satis probat. *Quis*, inquit, *militat suis stipendiis vnquam? quis plantat vineam & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* At hæc omnia non aliqua *speciali prærogatiua*, sed communi & naturali iure militi competunt, vinitori, pastori. Subiungit, *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? &c.* Non dicit, si Principes sumus Ecclesiæ, si Apostoli, sed, *si seminauimus vobis*. Ergo si non seminassent, quamuis fuissent Apostoli, non hoc iure, de quo Paulus, messuissent carnalia. Vides non hic Apostolatum iurisdictione donari, sed laborem mercede pensari. Et vero quid iustius, quam *non alligare os boui trituranti, & eos qui altari deseruiunt, participare cum altari?* Idem Paulus (*ad Rom. 15.*) dicit Græcos, qui ex Achaia & Macedonia Christi fidem susceperant, *debitores esse fidelium pauperum Iudæorum*; illis itaque suas opes merito impertiri. Rationem quoq; addit: *nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.* Num sequitur, Bellarmine, potuisse Iudæos imperare illis Græcis, vt debitas sibi opes largirentur, aut easdem suo iure ab illis auferre?

Apostoli igitur, quibus ciuilis iurisdictio non credita, nec iudicare ciuiliter inuitos Christianos poterant, nec ab ipsis veluti per sententiam, bona auferre. Longe enim aliud, *habere in aliquem potestatem temporalem*, aliud, *habere ius in alicuius bona.* hoc est solius Principis, illud autem plerumque creditorum, qui in ipsius Principis bona, cui temporaliter subsunt, ius etiam possunt habere. In hanc sententiam Ioannes Parisiensis, De Pot. Reg. & Pap. Cap. 14. *Potestas*, inquit, *accipiendi necessaria ad debitam vitæ sustentationem, est temporalis: magis debet dici ius quod eis debetur in stipendium vitæ, in quo non sunt Principes subiecti, sed debitores, sicut cæteri fideles, qui ab eis spiritualia recipiunt.* Ais etiam, *potuisse Apostolis iubere, vt Christiani in caussis ciuilibus Iudices Christianos constituerent, &c.* Sed tamen ex Barclaii XXI. Capite discere Bellarmine, debueras, non eos vere Iudices, sed arbitros extitisse. Habes ibi Barclaium de ea re disserentem, illic quoque tuæ responsionis ineptias.

Vides infectum Barclaii argumentum; vides nec Apostolos temporalem potestatem in priuatos homines ad Ecclesiam accedentes habuisse, nec iam igitur Ecclesiam in Reges habere; quandoquidem vltro fateris, non deteriori iure Principes quam priuatos, in Christi militiam concessisse.

§. 9.

AT, *inquit Barclaius, certo certius est, Ecclesiasticam potestatem fuisse omnino separatam à Politica, tempore Apostolorum, & hanc totam penes Ethnicos Principes extra Ecclesiam fuisse, adeo vt ipsi Apostoli in potestate temporali Ethnicorum fuerint; idq; Albertus Pighius, & Robertus Bellarm. aliiq; Theologi insignes ingenue fatentur.*

Respondeo. Ecclesiastica potestas nunc etiam separata est à Politica: Non enim eadem, sed diuersa est potestas Pontificum, & Regum. Sed quoniam, vt supra diximus, potestas Ecclesiastica, quæ spiritualis est, præest potestati Politicæ temporali, & eam dirigere debet ad finem supremum æternæ vitæ; ideo potest in ordine ad spiritualia disponere de bonis temporalibus. Verum autem est Apostolorum tempore, Politicam potestatem, non quamcunque, sed Regiam, siue Imperatoriam, fuisse apud Ethnicos totam, quia nulli tunc erant Reges aut Imperatores Christiani; sed ex hoc nihil sequitur aliud, nisi potestatem Ecclesiasticam eo tempore non habuisse paratam executionem, præsertim in temporalibus, vt hoc tempore habet: ipsos vero Apostolos fuisse in potestate temporali Principum Ethnicorum scripsi olim cum Alberto Pighio, & aliis nonnullis: sed postea recognoscens & expendens diligentius libros meos, censui Apostolos de facto subiectos fuisse Principibus illis, non de iure, vt in recognitione mea posui.

En porro quam tu apte respondeas. Barclaius dicit, initio Ecclesiæ Politicam & Ecclesiasticam potestatem fuisse separatas. Ita est, inquis, *sed Potestas Ecclesiastica præest potestati Politicæ temporali, & eam dirigere debet ad finem supremum vitæ æternæ; ideo potest in ordine ad spiritualia disponere de bonis temporalibus.* Atqui quoties monendus es, illud esse quod quæritur, illud ipsum quod tu non ad probationem afferre, aut solutionem argumenti, sed argumentis stabilire oportuit.

Sed nec tu te vim producis argumenti, quod Barclaius sic proponit. Ecclesiastica potestas, atque Politica, Apostolorum temporibus distinctæ prorsus erant, adeo vt Politicis Principibus non cæteri modo ciues, sed & Apostoli, id est præfecti Ecclesiasticæ potestatis subiicerentur, vt fatetur Bellarminus *lib. 2. de Rom. Pontif. Capit. 29.* Cui necessario consequitur; Apostolos tunc non potuisse in temporalibus iudicare Principes, quibus scilicet ipsi in temporalibus *de iure & de facto* subdebantur, quandoquidem par in parem, multo minus inferior in superiorem iudicandi potestatem non potest obtinere. Nec in Principes modo id temporalis iudicii habere non poterant Apostoli; sed nec in reliquos ciues, etiam Christianos, quandoquidem non modo non erant Politica potestate præditi, sed etiam Politicæ potestati subiecti; nec erat eorum de temporalibus mortalium summo Imperio disponere, (quam tu istius potestatis rationem esse vis) qui Principi in temporalibus parere tenebantur. Iam hinc sequitur, neq; nunc Pontificem, in temporalibus Iudicem Regum esse, cum absurdum sit ei maiorem in Principes assignare potentiam, quam quæ olim Apostolorum fuit in singulos Christianos.

Dicis; *Apostolorum tempore, Politicam potestatem non quamcunque, sed Regiam, siue Imperatoriam, fuisse apud Ethnicos totam, quia nulli tunc erant Reges aut Imperatores Christiani.* Intelligis opinor, non Impera-

pera-

peratorem quidem tunc fuisse Christianum; at certe Optimates aliquot, quibus tunc forte crediti sub Imperatore magistratus. Hoc porro nihil ad rem. Nam & potestas Præfectorum cum à Rege sit, regia dici debet; neque enim suo nomine, sed regio, nec sua potestate, sed regia, obeunt suum munus. Præterea non de inferiori iudice, sed de summo hic agit Barclaius. Et verum est Politicam potestatem fuisse apud Ethnicos totam, quamdiu Imperator Ethnicus fuit, in quo *tota & summa* potestas Politica, etiam in Apostolos atque Papas, quos iam scribis, *habere potestatem, eamq; summam, disponendi de temporalibus.*

Sin est alius tuis his verbis sensus, *Apostolorum tempore potestatem Politicam, non quamcunq;, sed Regiam, &c.* vellem diceres quo in Parnasso somniaris aliam potestatem Politicam esse, quam Imperatoriam, seu Regiam; nisi forte Respublicas intelligis: sed in iis aut Populus aut Optimates pro Rege sunt. Cum igitur neque tunc Regnum, neq; Aristocratia, neque Democratia, fidem Christi suscepisset, quid tibi vis cum his verbis, *non quamcunque Politicam potestatem.*

Addis, ex illo Ecclesiæ statu quo potestas Politica fuit omnino ab Ecclesiastica separata, *nihil aliud sequi nisi potestatem Ecclesiasticam eo tẽpore non habuisse paratam executionẽ, præsertim in temporalibus, vt hoc tempore habet.* At repono, longe aliud sequi, nempe nullam fuisse Ecclesiæ eiusmodi potestatem; quandoquidem non de facto tantum Barclaius, sed & de iure agit. Alioqui exsibilares hominem, & diceres eum ex Ethnicorum iniuria tunc Ecclesiam prementium, ius Ecclesiæ velle metiri. Clarum, inquam, isthinc sequi, hanc potestatem nec *de iure* competisse Ecclesiæ. Si enim ita distincta erat à spirituali potestas Politica, vt & ipsi Apostoli temporali Principi *de iure* subderentur; & contra diuinas humanasque leges est, vt subditus imperium obtineat in eum cui est subditus; quomodo potuissent Apostoli qui *in temporalibus* subiiciebantur Imperatori, Imperatorem *in temporalibus* iudicare?

At cur dicas, *paratam executionem non fuisse*? An quod nulli tunc Principes Christiani? At qui dicis (*hoc capit. §. 18.* & apertissime in tuis *Recognitionibus, ad lib. 5. de Roman. Pontif. Capit. 8.*) Ecclesiam ius etiam habere in Ethnicos Principes, vt eos possit deponere, non modo si *persecutores* sint, sed etiam si religionem Christianam non infestent. An quod deessent vires; nec posset Pontifex iis *de facto* auferre imperium? Atqui nec hoc seculo in Ludouicum XII. Galliæ Regem, Henricum VIII. Angliæ, *paratam executionem* habuit. Nullum igitur hinc discrimen; si tam de iure, quam de facto, Petrus potuit Caligulam, Claudium, Neronem deponere, quam Iulius II. Ludouicũ XII. aut Paulus III. Henricum VIII.

Cur vero dixisti, *Ecclesiæ potestatem eo tempore non habuisse paratam executionem, præsertim in temporalibus?* Aut hæc particula *præsertim* frustra est, aut innuis ne in spiritualibus quidem potestatem, Ecclesiæ tunc executionem habuisse paratam. O miseram Dei Ecclesiam! O Apostolorum sortem! ad eam rem à Deo missorum, quam exequi ipsi non possent. Imo vero executionem Ecclesiasticæ potestatis sensit iam ab initio Simon Magus, Corinthius incæstu fœdatus; & tu ipse mox ostendes Paulum in suæ potestatis iteratione multum esse; ridicule; nisi tunc eandem omnino exercere potuisset.

Ais te mutasse sententiam; nec amplius credere *ipsos Apostolos fuisse in potestate temporali Principum Ethnicorum.* Sed nec quod ante credideris, verum fuit; nec iam falsum, eo ipso quod neges. Audiamus igitur, qui sententiam & tibi & orbi recentem (nemo enim in ea veterum) aduersus Barclaium tuearis. Primum Barclaii verba sic refers.

§. 10.

AT, inquit Barclaius. Non venit Christus soluere legem, sed adimplere. nec natura & gentium iura tollere, aut quemquam temporali rerum suarum dominio excludere. Itaq; sicut ante eum Reges Politica potestate subditis præerant, ita etiam posteaquam aduenit, & à nobis deinde in cælos recessit, eam ipsam potestatem Apostolica doctrina confirmatam, nullaq; ex parte debilitatam retinuerunt. Si itaq; Petrus cæteriq; Apostoli, antequam Christum sequerentur temporali Principum Ethnicorum ditioni & iurisdictioni subiiciebantur (quod negari nõ potest) nec Dominus vllibi diserte & nominatim ipsos ab illa naturalis & gẽtium iuris obligatione liberauit, consequitur necessario mansisse eos sub eodem iugo etiam post Apostolatum.

Respondeo. Christus non venit legem soluere, sed adimplere; ideo non sustulit iura gẽtium & Naturæ, sed perfecit; non priuauit Reges & Principes Dominio aut iurisdictione, sed eorum iurisdictionẽ & dominia ordinauit: Nam & in ipsa Ecclesia Reges & Principes sunt non minori præditi potestate, quam Ethnici essent: hoc solum accessit, quod præposuit illis Pastorem magnum, qui vice sua fungeretur in terris, à quo dirigerentur, si forte à via quæ ducit ad Regnum cælorum eos aberrare contingeret: quod beneficium Dei inter potissima debet agnosci à fidelibus omnibus, sed à nullis magis quam à Regibus, & Principibus, qui, quo sunt in loco sublimiore, eo magis obnoxij sunt casui grauiori, & tanto magis egent Episcopo & Pastore animarum suarum; vt eleganter & copiose admonuit Reginaldus Polus Cardinalis, in dialogo de Pontifice Maximo: Quod autẽ Christus non liberauerit nominatim & expresse Petrum, & Apostolos, ab obligatione qua tenebantur Ethnicis Principibus; videtur omnino Euangelio repugnare: si quidẽ Matth. 17. Christus soluit didrachma pro se, & Petro, ob scandalum vitandum: nam alioqui neq; se, neq; Petrum ad id vectigal soluendum obligatos fuisse demonstrauit illis verbis; Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? & respondente Petro, ab alienis, dixit illi Iesus, ergo liberi sunt filij: quibus verbis declarauit se, quod filius esset Regis omnium Regum, immunem esse ab omni tributo & censu: & quoniam cum filius Regis immunis est, ipsa quoque eius familia censetur immunis, ideo Pe-

trus, & Apostolis, qui ad familiam Christi ipsius beneficio pertinebant, immunes quoq; esse debebant. Sed de hac re alibi scripsimus copiosius.

Hæccine à tanto viro, tam vana, tam ludicra? Barclaius dicit, Reges non minori potestate post Christi aduentum, quam antea, subditis præfuisse: id concedis, statimque subiungis, *hoc solum accessit quod præposuit illis Pastorem magnum, qui vice sua fungeretur in terris, à quo dirigerentur, si forte à via quæ ducit ad regnum cœlorum eos aberrare contingeret*; id est (ita enim proculdubio intelligis) qui in ordine ad spiritualia, in eorum temporalia dominetur eosque omni potestate & iure regnandi possit exuere. O te sententiæ quam tueris vitio, à tuo acumine degenerantem! Si eo modo præpositus est Principibus Pastor magnus, qui dicere audes, Principes eodem iure esse, quo ante Christum erant? Ante Christum à nemine mortali poterant in temporalibus iudicari; nunc à Pontifice possunt. Non erat qui eorum subditos à Sacramento fidelitatis exolueret; nunc qui facere possit inuentus est: Quo tu pacto illa coniunxeris; *eodem iure sunt, & non eodem iure sunt, quo ante Christum erant?* At hoc veluti leue, nec inter regnorum momenta numerandum, his verbis insinuas; *hoc solum accessit, &c.* Dixisses; hoc summum accessit, quod iam illis Regibus alium Regem cum infinita iurisdictione præfecit. Putas tamen hoc ipsum *beneficium Dei esse inter potissima agnoscendum à fidelibus omnibus; sed à nullis magis quam à Regibus & Principibus, qui quo sunt in loco sublimiore eo magis obnoxij sunt casui grauiori.* Apage tam aperti fuci laruam. Quod beneficium appellas, verissime nominauerim seruitutis vltimæ metum. Præcipue cum & in prudentia errare Pontifex, & in moribus possit; quod beneficij genus erit ab hominis fortasse imprudentia aut scelere, Regum omnium & Principum sceptra pendere? Quidquid sit, ô tua sententia non sat charum Pontificem cœlo! cui istud ex *potissimis Dei beneficiis* non contigit, vt, *cum in loco maxime sublimi consistat, eoque magis obnoxius casui grauiori*, imo cum & sæpe labatur, & aliqua nonnunquam, vt Syluester loquitur, *faciat cum scandalo totius Christianitatis*, quempiam saltem habeat, à quo, correctionis & abdicationis metu, in officio teneatur.

Quod autem, inquis, *Christus non liberauerit nominatim & expresse Petrum, & Apostolos ab obligatione, qua tenebantur Ethnicis Principibus, videtur omnino Euangelio repugnare.* Salua res est; Erubuisti confidentius loqui, quam *videtur omnino repugnare.* Sed tamen videamus ne non vel tibi ipsi hoc quicquid est *videatur.* Ais Matth. 17. *Christum soluisse didrachma pro se & Petro, ob scandalum vitandum*; cæterum neque se, neque Petrum, ad solutionem teneri ostendisse, cum diceret filios Regum esse immunes. *Et quoniam cum filius Regis immunis est*, inquis, *ipsa quoque eius familia censetur immunis, ideo Petrus & Apostoli, qui ad familiam Christi ipsius beneficio pertinebant, immunes quoque esse debebant.* Idem ais, *in Recognitionibus* tuis, *ad librum 1. de Concil. & Ecclesia, capit. 29.* Vtinam addidisses ex cuius gentis moribus hæc loquaris. At ego, ne à remotis argumentis veritatem arcessam, aio te nimis Italici, Gallici, Britannici, Hispanici, Germanici, Christiani, Mahometani moris, denique te & veteris & tui sæculi nimis oblitum. Neque enim qui in familia filiorum Regum modo, sed qui in ipsa familia Regum sunt, tributa, vectigalia, census præstant, nisi illis alio iure consultum sit. Quasi vero portitores, aut vectigalium redemptores, hæc exceptio submoueat, has merces, illas sarcinas ad Regis aut Principis ministros pertinere: imo diligentius inspicient, suspecto rerum precio quæ ad Optimates deferantur. An autem qui ex Britannia in Galliam, aut ex continenti in Insulam traiciunt, censum in capita constitutum non exsoluunt, si in familia Regum etiam secretissimis destinantur officiis? Scio aut ipso Rege, aut Regis filio per paternas ditiones commeante, hoc tantæ dignitati concedi, ne quis ex eius comitatu siue domesticus, siue extraneus, ad solitæ seueritatis legem à vectigalibus, aut portitoribus vrgeatur. Hoc & dabimus Petro, vt cum Domino viam ingressus, de iure fuerit à censuum præstatione immunis.

Sed age; concedamus id commenti, nempe filiorum Regiorum domesticos esse à censibus & tributis exemptos: quid hoc ad Apostolos? dicis eos in familia Christi fuisse. Aut familiam temporalem intelligis, quam in hoc sæculo degens Christus habuit; aut spiritualem illam, in quam omnes Ecclesiæ filii adoptamur. Si de temporali dicis, ergo illa Apostolorum exemptio ad mortem Christi tantum durare potuit, postquam nec amplius familia, nec familiares erant. Nisi forte eam familiam constare ex his dicas, qui se spontaneæ paupertati obstringunt: nam & de eiusmodi familia, hunc locum Beatus Thomas intelligit; negans hinc exceptionem omnium Clericorum à tributis, colligi posse. *2. sentent. distinctio. 44. quæstio. 2. articul. 2.* & ibi Bonauentura, quos refert & sequitur Domin. Soto in *4. sentent. distinct. 25. quæst. 2. artic. 2.* dicens, id priuilegium solum extendi ad eos *qui Apostolicam vitam sequuti statum paupertatis elegerunt.* Sin de spirituali in fide familia tibi sermo, tua ratio non Apostolos solum, sed & omnes Christianos includit; dicimur enim passim non in familiam Christi tantum, sed & in Dei filios adoptione prouecti. Sic igitur omnium Christianorum libertatem extenderes, vt nec vectigalia Principibus, nec tributa vlla pendant; Cum è contrario Apostolus, & tributa imperet, & vectigalia, & timorem, & honorem, exhiberi Principibus, & Ambrosius author sit ab ipsis Ecclesiæ agris tributum exsolui.

Couarruuias quoque, probans Clericorum exemptionem de diuino iure non esse, Pract. quæst. Cap 31. *Non oberit*, inquit, *locus apud Matth. Cap. 17. quia illic non censentur à Christo omnes Sacerdotes & Clerici liberi & immunes à tributis, cum non omnes Sacerdotes sint vere filij Regum; sed ex responsione*

Petri

Petri infert Iesus libertatem filiorum Regis, ad subintelligendam aliam conclusionem, ergo liber sum, ego qui sum naturalis filius aeterni Regis, & Omnipotentis, qui vniuersum regit: vt illic plures interpretes locum illum intellexere. Vide quam recte tibi visum ex Euangelio constare, Bellarmine, *quod Christus liberauerit nominatim & express. Petrum, & Apostolos, ab obligatione, qua tenebantur Ethnicis Principibus.*

§. 11.

SED non quiescit, inquis, Barclaius, *addit enim Sed & eos aliorum ciuium instar Principibus subditos extitisse, ex ipsorum doctrina & facto apparet: quippe id illis exprobrari non potest, quod Christus Scribis & Pharisaeis improperat, aliud eos fecisse, aliud docuisse. Docuerunt autem Christianos subiectionem & obedientiam, de qua loquimur, Regibus & Principibus exhibendam: qua de causa Paulus ipse ad Caesarem appellauit, & iussit Christianos omnes subiectos esse temporali potestati Ethnicarum, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Respondeo. Apostoli sine dubio non fuerunt similes Pharisaeorum, qui aliud docebant, aliud faciebant, sed non ideo de iure subiecti erant instar aliorum ciuium temporalibus potestatibus, cum essent ipsi constituti à Deo Principes super omnem terram, vt legimus in Psalm. 44. quamuis enim Principatus ille spiritualis esset, non temporalis; tamen verus Principatus erat, & temporali Principatu longe nobilior. Porro Sanctus Paulus appellauit ad Caesarem, vt ad Iudicem Praesidis Iudaeae, & Hebraeorum, qui iniuste illum opprimebant: alioqui enim causa illa, quae spiritualis erat, videlicet de resurrectione Christi, & ceremoniis legis Mosaicae, ad Principem Ethnicum iure pertinere non poterat. Vide Acta Apostolorum cap. 21. 22. 23. 24. 25. & 26. Idem vero Paulus ad Rom. 13. vniuersalem doctrinam tradidit de obedientia inferiorum ad superiores, cum ait, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: quam postea doctrinam applicauit in particulari ad obedientiam, quam debent subditi Principibus temporalibus; & tandem concludit: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Quare si quis probet se non esse iure subditum alicui potestati, non tenebitur hac Apostolica sententia, etiamsi forte de facto, vel ad scandalum vitandum, subditum illum esse oporteat.

Mirum cur semipaginam ex Barclaio omiseris, in qua probat, nihil interfuisse propagationis Euangelii, vtrum Principes Ethnici ius quod initio habebant in Apostolos retinerent: Mirum, inquam, cur omiseris, nisi si ad illam sententiam silentio forte accedis.

Hic Barclaius dicit Apostolos docuisse *subiectionem Regibus exhibendam*: ergo aut ipsos exhibuisse; aut aliud docuisse, fecisse aliud, ad Pharisaeorum exemplum. Respondes, eos de iure subiectos instar aliorum ciuium non fuisse. Imo vero docuerunt, omnes homines *de iure & propter conscientiam* Regibus esse subiectos. (Ait Paulus ad Rom. 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: quod de Politicis potestatibus intelligi, mox fuse ex Barclaio, imo ex Augustino habebimus; sed maxime ex Apostolo, qui addit, Potestatem de qua loquitur *non sine causa gladium portare.*) Ergo & ipse Paulus se de iure Principibus subditum agnoscebat, nisi *sine dubio fuit similis Pharisaeorum, qui aliud docebant, aliud faciebant*: nisi forte hoc generali verbo, *Omnis anima*, non continebatur ipse Paulus.

Probas Apostolos, *instar aliorum ciuium temporalibus potestatibus de iure subiectos non fuisse, quia erant ipsi constituti à Deo Principes super omnem terram.* At videbas solutionem in promptu; eam igitur vltro affers: fuisse illum *spiritualem non temporalem Principatum*, sed addis, fuisse *tamen verum Principatum, & Principatu temporali longe nobiliorem.* Respondeo, fuisse quidem vere Principatum, sed Principatum vere spiritualem; qui verus Principatus non eos magis à vero Principatu temporali effecit immunes, quam verus Principatus temporalis Magistratum Politicum ab eorum spirituali exemit. Nam quod addis esse *longe nobiliorem Principatum*, supra ostendimus omnino frustra dici; eadem diuerso respectu vnius rei, & subiici, & posse praeponi; nec quae simpliciter excellunt, in omnibus excellere. Neque Apostoli quatenus Spirituales Principes, & Temporalibus *longe nobiliores*, Temporalibus seu Politicis Principibus subiecti fuerunt; sed vt ciues, & Reipubl. membra: qua ratione temporalibus Principibus & inferiores fuisse, & ignobiliores nec tu ibis inficias.

Porro, inquis, *S. Paulus appellauit ad Caesarem, vt ad iudicem Praesidis Iudaea, & Hebraeorum, qui iniuste illum opprimebant. alioquin causa illa, quae spiritualis erat, videlicet de Resurrectione Christi, & ceremoniis legis Mosaicae, ad Principem Ethnicum iure pertinere non poterat. Vide Acta Apost. cap. 21 &c.* Hic & iuris, & iudicij, & appellationis notionem plane confundis. Reus enim, nisi apud suum Iudicem conueniri non potest; nec ad alium quam ad maiorem Iudicem, sed suum, vel prouocare, vel trahi; licet actor sequatur forum rei, & sic interdum suae causae Iudicem facit, qui alioqui illius Iudex legitimus esse non posset. *L. quia etiam. D. de alien. iudic. mut. cau. fact. Capit. Si Clericus. & Cap. Cum sit generale, De foro competenti.* Hoc firmatum omni iure, ne quidem te assertore destituitur. Scribis quippe *lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 21.* appellationem esse *argumentum certissimum Principatus* illius qui appellatur, in eos qui appellant. Atqui hoc ex Scripturis habemus, reum Paulum fuisse, & Iudaeos actores; habemus etiam Paulum appellasse Caesarem. Cur igitur contra iuris regulas, contra tuam ipsius sententiam atque verba, iam negas hunc reum appellasse suum Iudicem, & appellationem esse argumentum certissimum Principatus illius qui appellatur, in eos qui appellant? Cur Caesarem, inquam, quem Paulus appellauit, verum & legitimum Apostoli Iudicem negas? Cum praeterea Paulus se Ciuem Romanum praedicaret, cum Romanorum ciuium priuilegiis niteretur;

tur, semel Philippis in Macedonia (*Actor. 16.*) iterum Hierosolymis (*Actor. 22.*) quis dubitet quin Cæsarem ciuium Romanorum Iudicem Principemque, suum quoque Iudicem ac Principem fateretur? cum ciuis esse non possit, nisi qui ciuitatis iure censeri vult, iisdem moribus, legibus, iudicijs destinatus. Nihil, inquam, sit aliud esse ciuem, quam *communionem nancisci omnis iuris quod illa ciuitas constituit.* Dicis tamen; *causa illa quæ spiritualis erat, videlicet de Resurrectione Christi, & ceremonijs legis Mosaicæ, ad Principem Ethnicum iure pertinere non poterat. Vide Acta Apost. cap. 21. &c.* Imo nemo te non damnabit (ne quid grauius dicam) qui videat hæc Actorum Capita quæ tu signas. Accusabatur quippe Paulus non de Resurrectionis Christi doctrina: sed vt seditionum signifer, et tumultuum author. *Inuenimus*, inquit Tertullus Iudæorum Patronus ad Fœlicem Præsidem, (*Actor. 24.*) *hunc hominem pestiferum & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso Orbe.* Postea Iudæi apud Præsidem Festum, eidem *multas & graues causas obijciebant, quas non poterant probare.* Atqui si tantum de resurrectione Christi actum, facile quæ volebant probassent in Paulum. Sed ulterius audi Scripturam. *Paulo rationem reddente, quoniam neque in legem Iudæorum, neque in Cæsarem quicquam peccaui.* Ergo accusatus fuerat, quod aliquid in Cæsarem peccauisset. Paulo post. *Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare.* En vt apertus est, ficta sibi crimina obijci. Ergo non de his accusatur quæ ad Resurrectionem Christi spectant. Neque enim tantus Apostolus nollet agnoscere, quæ de Christi Resurrectione docuisset. Certa res ex contextu historiæ. Prædicantem Paulum in templo Iudæi arripiunt, hominem per seditionem consectati. (*Actor. 21.*) Superueniens Tribunus Lysias, ignarus quid in Paulum tantam iræ popularis exciuisset. Postridie deduxit eum in Concilium Iudæorum, *& inuenit accusari de quæstionibus legis ipsorum:* Mox compertis eorum in Paulum insidiis, Cæsaream ad Fœlicem Præsidem illum misit. Apud eum primum accusatus est, deinde apud Festum Fœlicis successorem; & quidem seditionum ac tumultuum accusatus; ne forte si tantum de violata sua lege Iudæi questi essent, ad Gentilis hominis tribunal iudicaretur. Qua fraude iam antea Christi accusationem ad Pilatum inuidiosam fecerant (*Lucæ 23.*) *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem.* Nec minus Ananias Pontifex cæterique Iudæi, quam Bellarminus sensit, *Causam spiritualem de Resurrectione Christi, & ceremonijs legis Mosaicæ ad Principem Ethnicum iure pertinere non posse.* Sed & Fœlix fraudem deprehendit, & Festus agnouit cæteras in eum accusationes falsas esse, *Quæstiones vero quasdam de sua superstitione* Iudæos *habere aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.* Quod totum neque curabat ille Præses, *neque morte aut vinculis dignum* esse credebat. Paulus tamen non causæ diffisus, sed Præsidem Festum timens, qui recens delatus in Prouinciam, volebat *gratiam præstare Iudæis*, appellauit ad Cæsarem, apud quem ostenderet se non esse *hominem pestiferum & concitantem seditiones Iudæis in vniuerso Orbe.* Hinc Chrysostomus à Constantia Paulum laudat (*Homil. 51 in Actum. & orat. 7. de laud. Pauli*) quod *apud illum quem accusetur læsisse, iudicari velit.* Cæsarem ergo læsisse accusabatur. Sed quid adhuc egemus testibus? tu ipse Bellarmine, alibi scripsisti eum seditionis accusatum (lib 2. de Roman. Pontif. cap. 29.) *Merito itaque*, inquis, *Paulus Cæsarem appellauit, eumque Iudicem agnouit, cum accusaretur seditionis & tumultus in populo excitati.* Non igitur prouocauit ad Cæsarem vt ab illo iudicaretur, an resurrexisset Christus, sed vtrum ipse Paulus esset *homo pestifer & concitans seditiones Iudæis in vniuerso Orbe.*

Quæ apud te sequuntur, *Idem vero Paulus ad Roman. 13. vniuersalem doctrinam, &c.* Statim à Barclaio refutantur, iam præsagiente quas esses latebras petiturus. Illum ergo videamus à seipso productum.

§. 12.

SVBIVNGIT *Barclaius*, inquis, *Nam quod quidam dicunt B. Paulum non de potestate temporali secularium Principum illic loqui, sed de potestate in genere, vt quisque suo superiori obediat, laicus laico, Ecclesiasticus Ecclesiastico, mera cauillatio est, & responsum viris doctis ac Theologis indignum: nulla siquidem tunc temporis alia, quam politica & temporalis potestas, vulgo ab hominibus agnoscebatur.*

Respondeo. in verbis Apostoli, vt paulo ante diximus, quædam sunt sententiæ generales, quædam particulares. Quis enim inficiari potest illam esse sententiam generalem, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit? item illam, Non est potestas nisi à Deo? & illam, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit? At Apostolus subiungens, nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali; & infra, Si male egeris time, non enim sine causa gladium portat: videtur omnino per sublimiores potestates intelligi voluisse Principes Politicos. Ita est; per sublimiores potestates Politicos Principes intelligi voluit, sed non solos: maluit enim doctrinam suam Apostolus generalibus verbis concipere, & proponere, vt pluribus prodesset. Vnde alibi monet, vt filij parentibus obediant, vxores viris, serui dominis, & populi præpositis suis Ecclesiasticis. Nam quod Barclaius dicit, nullam tunc temporis agnitam fuisse vulgo hominibus potestatem, nisi politicam & temporalem; sententia est prorsus indigna homine docto & Iureconsulto. Siquidem notissima semper fuit potestas patria, potestas herilis, potestas maritalis, potestas magistri in discipulos potestas denique Ecclesiastica: Quæ omnes potestates à Politica (si proprie loqui velimus) apertissime distinguuntur. At de potestate Ecclesiastica, nonne idem Apostolus frequentissime meminit? Certe sic loquitur 2. Cor. 10. Nam etsi amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem, non erubescam, & c. 13. Hæc absens scribo, vt non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi. & ad Hebr. 13. Obedite præpositis vestris & subiacete eis.

Hanc

Hanc d[illegible] actionem tuam de generalibus & particularibus sententijs refellit ipse textus; Satis inquam o[illegible]en[illegible] [illegible] intent[illegible], *Omnis anima, &c.* intellig[illegible] de obsequio, quod omnes omnino homines Politicis potest[illegible] [illegible] ent. Au[illegible] A[illegible] *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* inquit, cau[illegible] m a[illegible]. *Non est enim potestas nisi a Deo.* Dic sodes; hæc *potestas*, quam à Deo esse dicit, nonne [illegible] d[illegible] quod *potestates sublimiores* pro[illegible] mis an[illegible] verbis appell[illegible] un? opinor non negab[illegible]; alioquin [illegible] rati Apostol[illegible] [illegible] ubenti id[illegible] [illegible] ot states sublimiores honorari, quia non [illegible] potestas [illegible] à Deo. I[illegible] tur æque [illegible] la pot[illegible] in [illegible] propositione illa pate[illegible], *non est potestas [illegible] a [illegible], ac [illegible] potestates [illegible] Omnis anima po[illegible] statibus sublimioribus subdita sit.* A qui illam [illegible] [illegible] sta em[illegible] *portare gladium*, quod [illegible] neg[illegible] [illegible] Princip[illegible] us Politicis esse dictum. [illegible] u[illegible] d[illegible] P[illegible] pibu[illegible] P[illegible] [illegible] ctum [illegible] [illegible] ve[illegible] su[illegible] [illegible] nima [illegible] tacere. Verba Scripturæ sunt. *Non est enim potestas nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resi[illegible] t potestati, Dei ordinationi [illegible]. Qui autem r[illegible], ip[illegible] [illegible] damnationem acquirunt.* Subiungit [illegible] io[illegible] em[illegible] D[illegible] s pot[illegible] or[illegible] inarit, n[illegible] ac hom[illegible] bus [illegible] dina[illegible] eferenda [illegible]. *Nam* [illegible] q[illegible], *non s[illegible] [illegible] operis, [illegible] mali.* Qu[illegible] [illegible]s? C[illegible] Polit[illegible]. Seq[illegible] [illegible], *[illegible] non [illegible] estatem? bonum fac, & ha[illegible] ebis laude [illegible] a: Dei enim min[illegible] er est tibi in bonum.* [illegible] *[illegible] p[illegible] ceris, [illegible] me[illegible] non enim sine [illegible] [illegible] tum [illegible] at. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit.* Annectit, [illegible] *[illegible] te [illegible] [illegible] propter iram sed etiam propter conscientiam.* Vides Apostolum pr[illegible] o[illegible] ta[illegible] ere, vt *omnis anima [illegible] [illegible] subijciatur*; Mox rationem præcepti referre, N[illegible] mpe [illegible] a Deo ordinatas, [illegible] adianti [illegible] maior, [illegible] nocentibus esse ministros in bonum; nunc idem mandatum repetere, *[illegible] necessitate subditi estote.* Quibus? ijs qui gladium portant, &c. alioq[illegible] it illud *ideo* non vale[illegible] er neque quod sequitur. *Ideo enim & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt in h[illegible] [illegible] ipsum servientes.* Quibus enim præter Politicos Principes tributa præstant[illegible] r? *Reddite ergo, inquit, omnibus de[illegible] ta: cui tributum, tributum; cui vectigal, ve[illegible]; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem;* Id e[illegible] [illegible] Politicæ Potest[illegible] negot[illegible] in mul[illegible] os distri[illegible] [illegible], qui omne[illegible] à [illegible] Potestate d[illegible] pendent, vni[illegible] nique in [illegible] sibi munere vos fa[illegible] [illegible] tosque præbe[illegible]; vt[illegible] [illegible] gal[illegible] ve[illegible] ga[illegible] um præfect[illegible]s, tribut[illegible] m exact[illegible] bus tributa præstetis, honorem et[illegible] m & im[illegible] [illegible] hom[illegible] b[illegible] i[illegible] eo magistratu constitutis, cui honor debetur [illegible] timor. Ecce [illegible] de qu[illegible] [illegible] [illegible] ucitimur, tex[illegible] um; cu[illegible] non assi[illegible] um à nobis su[illegible] sum esse [illegible] de Pa[illegible] un[illegible] pr[illegible] [illegible] [illegible] ,sequenti parag[illegible] pho firm[illegible] ndum est.

Nam, [illegible] quis, quod Barclaius dixit, nullam tunc temporis agnitam fuisse vulgo potestatem, nisi Politicam & temporalem, sententia est prorsus ind[illegible] na h[illegible] mine docto & iureconsulto. Siquidem [illegible] tissima s[illegible] mp[illegible] r fuit potestas patria potestas herilis, potestas maritalis, potest[illegible] [illegible] discipulos potestas denique Ecclesiastic[illegible] [illegible] potestate a Politica (f[illegible] [illegible] qui volumus) [illegible] ert[illegible] [illegible] distinguuntur. Nimirum oportuit talenis[illegible] [illegible] ce[illegible], & redder[illegible] B[illegible] ver[illegible] a[illegible]. D[illegible] xe[illegible] [illegible] scio quod respon[illegible] [illegible] q[illegible] od es ampl[illegible], e[illegible] *[illegible] Theolo[illegible] indignum*: tu iam [illegible] ius sententiam *pro[illegible] indi[illegible] am homine docto & iurisconsulto* [illegible] dicis. Cur igitur [illegible] extremo scribebas, *illum enim imitari volumus, qui cum [illegible] retur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, [illegible] Petri.* [illegible] Quam tu, ve[illegible] o hic [illegible] gr[illegible] [illegible] uam exi[illegible] ain B[illegible] um! Quid ais? [illegible] ex[illegible] us Iuris[illegible] [illegible] [illegible] n, ma[illegible] m[illegible] do[illegible] [illegible] none[illegible], partes [illegible]? [illegible] [illegible] potestas Politica [illegible] pote[illegible] hu[illegible] as & c[illegible] es [illegible] b[illegible] [illegible] ndum iuris [illegible] um in [illegible] ctu[illegible] qui a[illegible] [illegible] cor[illegible] [illegible] n odos p[illegible] u[illegible] [illegible] æ & ration[illegible] [illegible] M[illegible] gistratui m[illegible] linquit [illegible] imperan[illegible]s. Quid? potestas patria, herilis, maritalis [illegible] one[illegible] Politica? *Imp potestatu[illegible]* inquit I[illegible] [illegible] onsultus. (L. 3. D. d[illegible] h. qui sui [illegible] sunt vel al. iur. [illegible] p[illegible] r. po[illegible] est. [illegible] autem.) *quod in liberos habemus proprium est ciuium Romanorum.* E[illegible] [illegible] oius [illegible] p[illegible] æ po[illegible] is, quod tun[illegible] no[illegible] timum R[illegible] m[illegible] Imperio pe[illegible] [illegible] p[illegible] [illegible] [illegible] od [illegible] Politicum erat, [illegible] mir[illegible] m per [illegible] leges & ciu[illegible] les definitum & [illegible] [illegible] um D[illegible] seruis, eundem Iuris[illegible] [illegible] m [illegible] L. 1. D. [illegible] Instit[illegible] de h[illegible] qui sui. *In [illegible] [illegible] ominorum sunt serui; quæ qu[illegible] [illegible] m pote[illegible] [illegible] iuris gentium est: nam apud omnes peræque gentes [illegible] ad[illegible] ertere possumus dominis in seruos vitæ, ne[illegible] [illegible] pot[illegible] [illegible] fuisse, [illegible] quodcunque per seruum adquiritur [illegible] d[illegible] mino adquirit. Sed hoc te[illegible] pore nullis [illegible] [illegible] qui [illegible] imperio nostro sunt, licet sine causa, legibus [illegible] gnita, in [illegible] nos suos sup[illegible] modum sæuire.* E[illegible] c h[illegible] m[illegible] o[illegible] sta em per p[illegible] l[illegible] ticas gentium leges con[illegible] [illegible], si[illegible] [illegible] [illegible] tar. Nam de vxoribus eis[illegible] [illegible] [illegible] nitum dicere. Q[illegible] id maritis li[illegible] [illegible] as, qu[illegible] [illegible] ill[illegible] ram bona, hoc [illegible] um[illegible] [illegible] o iure, sed mutato per temporum vices, [illegible] [illegible] erfuit. H[illegible] innu[illegible] eræ [illegible] act[illegible] nes, de iure dotium, donation[illegible] propter n[illegible] [illegible] atrimon[illegible] [illegible] os [illegible] [illegible] eratur, & quæ [illegible] in [illegible] o iure extant. S[illegible] pe[illegible] ex S[illegible] lonis [illegible] g[illegible] Leg[illegible] ex[illegible] æcorum atque Persarum iure [illegible] te [illegible] [illegible] [illegible] Pat[illegible] [illegible] domino, [illegible] vxore[illegible] marito licere. S[illegible] [illegible] [illegible] natura duce ad societatem & [illegible] [illegible] [illegible], & ex Po[illegible] i Ma[illegible] stra[illegible] us p[illegible] [illegible] p[illegible] o[illegible] [illegible] ur, laxentu[illegible] [illegible] ur. Nisi forte [illegible] æ [illegible] states nihil [illegible] minus, pate[illegible] [illegible] pet. Nam q[illegible] od addit *de potestate Magistri in [illegible]* [illegible] Bellarminus: q[illegible] t[illegible] M[illegible] g[illegible] i[illegible] testas, nisi quam aut [illegible] [illegible] ulus [illegible] iam [illegible] in se mag[illegible] [illegible], id [illegible] volent[illegible] & [illegible] proprie potestas non [illegible] [illegible] , aut quam [illegible] Dominus, [illegible] pater, [illegible] [illegible] disc[illegible]

illum in potestate aut cura sua habet, magistro permittit; qui non distinctam dat à sua potestate, sed tantum in illius velut partem magistrum adoptat.

Potestas denique Ecclesiastica, inquis, de qua mox ais; *ac de potestate Ecclesiastica, nonne idem Apostolus frequentissime meminit: Certe sic loquitur 2. Corinthior. 16. &c.* Hic est locus vbi te in Barclaium ira excæcauit; ne vel eius satis legeres verba. Ait quippe Ecclesiasticam potestatem nondum Apostoli temporibus vulgo agnitam; illum autem & Christianorum, & Ethnicorum bono conscripsisse Epistolas, ne Christiani se à Principum potestate liberos, aut Ethnici Christianorum legem infestam Principibus esse putarent; igitur in hoc loco de Politica potestate loquutum Apostolum, quam tunc solam *vulgo* gentes agnoscebant. Tu ex Barclaii sensu & verbis recidisti, mutilam sententiam contentus excipere. Barclaii verba sunt, *Nulla siquidem tunc temporis alia quam Politica & temporalis potestas VVLGO ab hominibus agnoscebatur, & Apostolus diuino spiritu afflatus ita suas Epistolas conscripsit, vt non solum conuersos ad fidem erudiret, suique officij commoneret, ne existimarent se ita Christi sanguine redemptos, vt nullo amplius potestati seculari obedire tenerentur (quod quorundam animis Christiani nominis dignitate & libertate fretis perperam insederat) sed etiam vt Ethnicis & infidelibus ostenderet, legem Christianam nulli ius suum auferre, nec esse vllo modo temporali Regum & Imperatorum auctoritati & potestati contrariam.* Non igitur negauit Barclaius tunc Ecclesiasticam extitisse potestatem, sed dixit *vulgo* cognitam non fuisse, præcipue Ethnicis, ad quorum conuersionem *gentium Apostolus* & vitam aptabat & scripta.

§. 13.

ADDIT Barclaius, inquis, *testimonium Sanct. Augustini, in expositione quarundam propositionum Epist. ad Roman. Ex quo testimonio colligit Barclaius. Primo, Christianæ religionis professionem non eximere quemquam à temporalis potestatis subiectione. Secundo, Apostolos, & ipsum Sanctum Petrum, Ethnicis Magistratus subiectos fuisse. Tertio, non licuisse primis illis Christianis ab Ethnicorum Principum imperio deficere, & alios sibi Principes constituere, etiam si vires illis ad perficiendum suppetissent. Quarto, Augustinum intellexisse verba Apostoli de potestate temporali tantum. Quinto, Augustinum seipsum includere in numero eorum, quos Apostolus iubet subiectos esse debere potestatibus temporalibus: Ex quo sequitur, vt etiam Episcopi & Clerus omnes subditi esse debeant iisdem temporalibus potestatibus. Sexto, Duplex esse officium subditorum: vnum vt obediant Regi, quando nihil iubet contra Deum: alterum, vt non obediant Regi, quando contrarium iubet Deus.*

Respondeo. Sanctus Augustinus vere docet Christianæ Religionis professionem non eximere quemquam à temporalis potestatis subiectione, idque rectissime colligit ex verbis Apostoli, neque nos contradicimus. Sed ex hoc non sequitur, sanctum Petrum & Apostolos cæteros subiectos fuisse de iure temporalibus potestatibus; neque hoc sanctus Augustinus dicit: nam etiamsi non eximebat Apostolos ab illa subiectione professio Christianæ religionis; eximebat tamen Principatus Apostolicus, qui sublimior est omni Principatu temporali. An autem licuerit Christianis deficere ab Ethnicis Imperatoribus, infra suo loco tractabimus: interim hoc solum dicimus, id non colligi ex verbis Augustini, vel Apostoli: docet enim sanctus Augustinus ex Apostolo, Christianos debere obedientiam temporalibus Principibus, dum videlicet cum potestate imperant: non autem si à Principatu excidant. Vtrum autem licuerit Christianis Imperium Ethnicis abrogare, neque Apostolus, neque Augustinus, hoc loco definit. Illud vero falsum est, Sanctum Augustinum intelligere hunc locum Apostoli de temporali potestate tantum. Nusquam enim habetur apud Augustinum, neque apud Apostolum particula tantum: & nos habemus Sanctum Ioannem Chrysostomum cum Theodoreto, & Theophylacto, qui exponunt de potestate in genere: & Sanctum Anselmum qui exponit de potestate Ecclesiastica & temporali, & Sanctum Bernardum Epistol. 42. & 183. qui exponit etiam de vtraque. Quod autem Sanctus Augustinus seipse numeret inter eos, qui iubentur obedire temporalibus potestatibus, non cogit, vt inde colligamus, Episcopos & Clericos non esse exemptos à potestate sæculari: nam cum dicit, cum constemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ huius vitæ vtamur; oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet subditos esse potestatibus, id est hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus: ostendit omnes homines egere legibus, & Magistratibus Politicis, sine quibus hæc vita tranquille duci non potest. Quemadmodum etiam Nicolaus Papa in Epistola ad Michaelem, scribit ipsos etiam Pontifices vti legibus Imperialibus pro cursu rerum temporalium: omnes enim obseruare debent huiusmodi leges, sed non omnes vi legum ipsarum, sed aliqui vi legū, aliqui vi rationis.

Multa ex authoritate Augustini collegit Barclaius. Primo Christianam Religionem, neminem eximere à iure Politico; hoc concedis. Secundo, ipsos igitur Apostolos in Principum subiectione mansisse. Illud negas, dicisque Apostolos non quatenus Christianos, sed quatenus spirituales Principes, de secularium Principum potestate fuisse exemptos. Sed iam huic sophismati hoc capite, paragrapho vndecimo, respondimus. Tertio, non licuisse Christianis ab Ethnicis Principibus deficere, etiamsi illis vires suppetissent. Tu hanc disputationem in alium locum reiicis; illic quoque te morabor. Colligit deinde Barclaius, Augustinum *intellexisse locum illum Apostoli de temporali potestate tantum*; tu, si Deo placet, miro artificio hoc negas, quia nempe Augustinus non addidit particulam *tantum*. Quid autem opus fuit? Augustinus interpretatur locum illum de potestate Politica tantum; nec dubium quin, vt intellexit, ita interpretatus sit; Ergo tantum de Politica potestate intellexit. Nam alioqui ille Doctor tanta verborum exundans copia aliquid de spirituali addidisset.

At.

Et, inquit, *habemus S. Ioannem Chrysostomum, cum Theodoreto, & Theophylacto, qui exponunt de potestate in genere: & Sanctum Anselmum, qui exponit de potestate Ecclesiastica, & Temporali, & Sanctum Bernardum Epistol. 42. & 183. qui exponit etiam de vtraque.* At ex his omnibus neminem habès authorem, qui dicat illam propositionem generalem quæ vn[...] fos includit (*Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*) de potestate Politica non intelligendam. Imo omnes hunc locum de illa exponunt; quidam generaliter plerique expresse. Ita Sanct. Gregorius Nazianzenus in orat. ad ciues Nazianz. timor perculs. *Nobis etiam præscribitur, vt sublimioribus potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, vt qui tributo pendendo simus obnoxij.* Erat Clericus, erat Episcopus, se tamē tum Principibus tum tributo dicit obno[x]ium, propter Apostoli sententiam, quę vult omnem animam potestatibus sublimioribus esse subiectam. Sanctus Augustinus (præter authoritatem quam ex eo Barclaius, & de qua mox agendum in libr. de catechis. rud. b. *Dicit, & Apostoli[...], [...] doctrina, vt omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & vt reddantur omnibus omnia, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, & cætera, qua saluo Dei nostri cultu constitutionis humanæ Principibus reddimus, quando & ipse Dominus [...] huius sane doctrinæ praberet exemplum, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum soluere non dedignatus est.* Et paulo post *Omnibus tamen præcipitur seruire humanis potestatibus atque terrenis, quousque post tempus præfinitum, quod significat septuaginta anni, ab istius sæculi confusione; tanquam de Captiuitate Babylonia, sicut Hierusalem liberetur Ecclesia.* quid apertius? Dicit præceptum esse Apostoli, imo Dei per Apostolum, vt humanis potestatibus seruiant, non laicos modo, sed *omnes*. Seque ex omnibus vnum esse, nihil dubia oratione testatur, *cui vectigal, vectigal, & cætera. quæ saluo Dei nostri cultu constitutionis humanæ Principibus reddimus.* Theodoretus ad eadem verba Apostoli *omnis anima potestatibus, &c. siue est sacerdos aliquis*, inquit, *siue Antistes, siue monasticam vitam professus, iis cedat quibus sunt mandati magistratus.* Oecumenius, ibidem. *Hanc etiam subiungit admonitionem, omnem animam inflectens, siue sacerdos sit quispiam, siue monachus, siue Apostolus, vt Magistratibus subdatur.* & mox illud explicat de Principibus gladium gestantibus. Gratianus etiam, quem (vt fateris infra capite 34.) fuisse virum probum & Christianæ perfectionis studiosum: authoritate Euangelij, Pauli, Ambrosij probans non licere Clericis authoritate Papæ iubente arma accipere, dicit hunc Apostoli locum de politicis Principibus intelligendum, quibus omnes omnino mortales subditi esse debent (quæst. 8. causa 23.) *De Episcopis vero*, inquit, *vel quibuslibet Clericis, quod nec sua authoritate, nec authoritate Rom. Pontificis, arma arripere valeant, facile probatur.* & mox. *Omnis enim præter illum vel authoritatem eius qui legitima potestate vtitur, qui vt ait Apostolus, non sine causa gladium portat, cui etiam omnis anima subdita esse debet: omnis inquam, qui præter authoritatem huiusmodi gladium acceperit, gladio peribit.* Licet vero Apostoli ille locus de potestate Politica proprie & adliteram intelligatur. *vtemur tamen*, vt Barclaii verbis vtar, *sententiam illam de obedientia præstanda, ad spiritualem quoque potestatem propter omnimodam similitudinem, & identitatem rationis, vt aiunt, rectissime accommodari posse L. illud D. ad leg. Aquil.*

Sed quod caput est videamus. *Cum generaliter*, inquit Barclaius, *de illa subiectione loquatur Augustinus, eoque sermone vtatur, in quo seipsum includit, neminem vero excipit, satis aperte indicat, Clericos aucque ac laicos temporali potestati in hac vita subditos esse.* Augustini verba sunt. *Cum enim constemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degenda huius vitæ vtamur, oportet nos ex ea parte qua ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus.* Hic te prodis immane licentem interpretem. Dicis enim, *Non inde colligi Episcopos, & Clericos non esse exemptos à potestate seculari; sed quod omnes homines egeant legibus & Magistratibus, politicis, sine quibus hac vita tranquille duci non potest.* O, hic consc[i]entiam tuam appello. Augustinus cum esset Episcopus, dixit: *Oportet nos subditos esse hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus*, seque ita Apostoli præceptum interpretari docet; & tu dicas non inde colligi Episcopos, & Clericos, non esse exemptos à potestate hominum res humanas cum aliquo honore administrantium? Imo vero, Bellarmine, non colligitur modo, sed expressis decernitur verbis. Nam si exempti sunt Episcopi & Clerici, male de se dixit Augustinus, *oportet nos subditos esse*; dicendum e contrario, *oportet non subditos esse.* Neque vero qui sunt Principi subditi, quales docet Augustinus non Clericos modo esse, sed & Episcopos) mandata illius [...]ntum ratiunis, [s]ed etiam vi legis obseruant. Quid est enim esse subditum, nisi teneri ad obsequium & mandata illius cui subiiceris? aut qua alia causa tenentur laici ad Principis leges, nisi quod illius sint *subdite*? Nimis liquet. & naturam & loquendi rationem euertat qui [...]s contra senserit. Sed & disertis verbis in Augustinum pugnas, hic Episcopos dicit esse Laicorum Principum subditos, tu vero pernegas, potissimum in libro de Clericis, & ex professo infra hoc [cap]ero 3[...].

Vt tamen Nicolai Pontificis nomine, inceutis illudere. *Quemadmodum etiam*, inquis, *Nicolaus Papa in Epistola ad Michaelem tribuit ipsos etiam Pontifices vti legibus Imperialibus pro cursu rerum temporalium [...] enim debent obseruare huiusmodi leges, sed non omnes vi legum ipsarum, sed aliqui [...] vi rationis.* Imo vel inepta hæc est collatio; vel vtrique pari modo tenentur, Imperatores Pontificis legis, id est vi atque coactiua legum, aut vtrique vi rationis [...]. Nam quæ lu[...]tio est tu ad meas leges omnino teneris Imperator, ego [...] ad meas possim cogere; tu non me potes ad[...]

tuas. Sed Apostolo, Augustino, & Pontifici Nicolao, maior authoritas habenda, quam vobis, hi simpliciter & sine distinctione asserunt, tam laicos, quam Ecclesiasticos, Politicis legibus esse subiectos. *Vbi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Præterea, vt iam dixi, qui Politicas leges non vi legum ipsarum, sed vi rationis obseruat, non potestatibus est subditus, vt Apostolus iubet; non subditus est hominibus res humanas cum honore administrantibus, vt Augustinus voluit; sed rationem tantum respicit, cui subdatur, quaque vtatur.

§. 14.

PERGIT Barclaius, & ait. *Quid indignius & iniquius dici potest, quam Principes Christi fidem profitentes duriori iugo pressum iri, quam singulos de multitudine? At priuati homines quando in spiritualem Ecclesiæ ditionem concedebant, nihil patrimonij, aut iuris temporalis amittebant, exceptis rebus illis, quas sponte obtulerant, vt ex Actis Apostolorum patet: similiter ergo & Principes, vbi Christo nomen dabant, nil suum temporale, imperium dico, & potestatem politicam integram & intactam retinebant.*

Respondeo. Priuati homines cum in Ecclesiam admittuntur, non amittunt quidem patrimonia, aut alia temporalia iura sua; non tamen per Ecclesiam coguntur Parochos suos alere, &, vt Apostolus loquitur, seminantibus spiritualia concedant vt carnalia metant; ad quæ ante fidem susceptam minime tenebantur: possunt quoque in pœnam vitiorum criminum, non solum cogi in foro interiore à Confessarijs, vt Eleemosynis redimant peccata sua: sed etiam ab Episcopis in foro exteriore mulctari pœna pecuniaria, vel etiam carceri mancipari, vt ex Concilio Tridentino, Sess. 25. c. 3 perspicuum est. Pari ratione Principes temporales cum ad familiam Christi veniunt, neque Principatum, neque iurisdictionem suam amittunt; sed subijciunt ei, quem Christus super familiam suam constituit, vt ab eo regantur, & dirigantur in ea via, quæ ducit ad vitam.

Nullo modo Barclaii argumentum tetigisti. Nam frustra est, quod iteras priuatos homines in Ecclesiã admissos, posse per Ecclesiam *cogi vt Parochos suos alant, &c.* cui sophismati hoc *Capite S.* respondimus. Posse autem laicos ab Episcopis in foro exteriore mulctari pœna pecuniaria, vel etiam carceribus mancipari, omnino imus inficias; nisi in iis forte locis, vbi ipsi Episcopi Politico imperio præsunt, aut sicubi indulgentia Principum illis eiusmodi Priuilegium nominatim indultū; nisi denique ipsi Principes, sub carceris pœna, aut mulctæ pensione, has aut illas edictiones Ecclesiæ obseruari præceperint. Quo casu non ipsi Episcopi, aut mulctam peccantibus imponunt, aut in custodiam duci iubent; sed in spirituali causa iudicant reos, & in eam Ecclesiæ legē commisisse declarant, quæ Politico edicto sub eiusmodi mulcta sancitur.

Neque assertionem tuam probas, nisi auctoritate Concilii Tridentini *Sess. . . c. 3.* At quam illa sanctio non teneat nisi consentientes populos & recipientes vltro iugum, habes ex Ordinum conuentu Lutetiæ, An. MDXCIII. vbi omnes qui aderant Antistites, omnes Ordines, publico decreto excluserint hanc Tridentini Concilij partem. Verba sunt in publicas relat[...] tabulas, quæ Latine sic reddo. *Concilium* Tridentinum *permittit Episcopis & eorum Officialibus, vt procedant in causis quæ sui iuris dictionis sunt, non modo pecuniariis mulctis applicandis pijs locis, sed etiam per captionem pignorum, & districtionem personarum. Sess. 25. cap. 3. Hic articulus est notorie contra Franciæ vsum, innumeris sanctionibus confirmatum, qui Ecclesiasticis iudicibus, quasi territorium non habentibus, negat vt exequi suas sententias, aut iudicata possint, captione bonorum, vel personæ quam condemnant. Et sicubi ita velint procedere, oportet implorent brachium seculare.* Non igitur suo iure Ecclesia leges has feret, & ad ipsas laicos coget. Sed est demum ciuilium potestatum in illas inspicere, antiquare, vel admittere. Et tu perperam id Episcopos Ecclesiastico iure posse contendis, quod ita est Politicæ notionis, vt nisi à seculari Principe sancitum sit, à Catholicis hominibus iure spernatur. Vt pluribus dictum, *in Prolegomenis. . . n. 76.* Quam immensa igitur nec ferenda consequentia, Bellarmine, quam deducis ex his vtris Concilii verbis; (neque enim authoritas tibi alia) nempe ius esse Episcopis cum illis visum erit, in Diœcesanos omnes, qui in Ecclesiastico foro disceptent pecuniariam mulctam, & carceris pœnam inferre, quæ pars est iurisdictionis Politicæ pene præcipua.

Sed nec absque argumento quis ambigat, an Concilium Tridentinum eo loco egerit de infinita hac in omnes laicos potestate Ecclesiæ, quam reiecerunt Gallici Ordines, & tu nunc effingis; an hoc tantum in eos statuerit, qui in temporalibus subsunt Ecclesiis. Nihil ibi dicitur de Episcopis speciatim (de quibus in prima eiusdem capituli parte actum) sed in genere de *omnibus iudicibus Ecclesiasticis, cuiuscunque dignitatis existant.* Concilii verba sunt. *In causis vero iudicialibus mandatur omnibus iudicibus Ecclesiasticis cuiuscunque dignitatis existant, vt quandocunque executio realis, vel personalis, in qualibet parte iudicij propria authoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se à censuris Ecclesiasticis,* sed aut mulcta pecuniaria aut carceribus vtantur in noxios. Cur hæc verba, si vbi, vnquam in omnes hæc executio fieri potest? Liquido ita opinor ex ipsis Concilii verbis discretio, id in omnes non licere; sed dumtaxat in illos qui Ecclesiasticis iudicibus ciuili aliquo iure subsunt. Neque vero, vt iam monui, hic de Episcopis sermo, sed absque discrimine, de *omnibus iudicibus Ecclesiasticis,* quales esse possunt ipsa Canonicorum Capitula, aut à Capitulis delegati iudices; Abbates etiam, aut Monachi, ab Abbatibus, aut Monachis delegati, ille denique inferiores Episcopis. An vis his omnibus esse ius vt prorsum laicos qui in eorum Ecclesiastico foro disceptent, mulctis pecuniariis & . . . carceribus detinere? Puduit te tam tanti monstra edere, in solis itaque Episcopis . . . de quibus nihil tamen magis Concilium Tridentinum, quam de inferioribus iudicibus quocunque homines, quos nostri . . . tenemur.

Ex Concilio permittitur Episcopis . . . & eorum Officialibus . . . procedant in . . . causis . . . contra delinquentes . . . mulctis pecuniariis applicandis piis locis, . . . per captionem pignorum qui est la saisie des biens . . . & districtionem personarum, qui est la prise du corps. Sess. 25. c. 3. Cest article est notoirement contre l'vsage de France, authorisé par infinies ordonnances, qui denient aux iuges d'Eglise, comme n'ayant aucun territoire, l'execution de leurs sentences & iugemens par saisie de biens, ou emprisonnement de la personne . . . condamné . . . & qu'ils veulent . . . proceder, faut qu'ils implorent le bras Seculier.

Sed

Sed sint vt vis omnia, hoc ius Ecclesiæ quæsitum sit in priuatos: quid sequetur, nisi Reges posse cogi vt Parochos alant, & à Iudicibus Ecclesiasticis mulctari eo modo quo priuati? At tu, potius quam alia & quam turbate deduxisti! Barclaius dicit *nihil indignius, & iniquius, quam Principes Christi fidem profitentes duriori iugo premi quam singulos de multitudine.* Tu non negas; sed dicis posse priuatos cogi vt Parochos alant, ab Episcopis etiam posse mulctari pœna pecuniaria, &c. Tum addis, *pari ratione Principes temporales ad familiam Christi venientes Pontifici subijci, vt ob eo regantur, & dirigantur in ea via quæ ducit ad vitam*; id est, sic enim intelligis, vt ab eo de solio eiici, & principatu exui possint. Nam de alia *regula & directione* iam non agimus. Est ne *par ratio*, Bellarmine? Dicendum fuerat; pari ratione Principes tenentur Parochos alere, possuntque mulctari à Iudicibus Ecclesiasticis, & custodiæ destinari. Hæc scilicet quamuis horrenda, quamuis Regio abominanda fastigio; tamen & tuo argumento consentanea erant, & æquiori animo ferri possent, quam ablatio Regni, omnisque in subditos iuris: licet inquam hoc infandum, hoc auribus atrox, posse Reges Episcoporum aut Pontificis iussu, carceribus tradi; quod non potes non significasse, cum dicas hoc licere in priuatos, & mox addas, *Pari ratione Principes, &c.* Repones te non de iisdem pœnis, sed similibus loqui, vt priuatis quidem carcer, Principibus pœnæ aliæ destinentur; At vergo, de omnino similibus pœnis, saltem de non grauioribus te loqui debuisse, cum de Principibus ageres, quam cum de priuatis. Alioqui, & illud tuum *pari ratione* rationem non habebit, & verum erit, *Principes Christi fidem profitentes*, vt Barclaius obiicit, *duriori iugo pressum iri, quam singulos de multitudine.* quod tu ipse *indignum & iniquum* prorsus esse negare non ausus es. Quis autem dubitet, quis inquam, etiam de absurdis & Quirinalium Mystis, quin sit multo grauius priuari iure quod in subditos Princeps habet, quam iis affici pœnis quas in priuatos homines licere Ecclesiæ? Restat vt erepto iam velo concedas Barclaio, quod verborum fucis ambagibus, ex vestra sententia *Principes Christi fidem profitentes duriori iugo pressum iri, quam singulos de multitudine*; quæ vox & infesta Ecclesiæ, & contumeliæ plena in Reges.

§. 15.

NEC *iuuat, addit Barclaius, aduersariorum causam, dicere, Apostolos ideo non habuisse temporalem potestatem in sui seculi Principes, quia nondum facti erant Christiani: secundum illud, Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare? 1. Corinthior. 5. Papam vero nunc illam potestatem habere, quia facti sunt Christiani, & filij Ecclesiæ, cuius ipse supremus Princeps, & caput in terris est, atque omnium Christianorum Pater: & rectum Naturæ & rationis ordinem postulare, vt filius Patri, non Pater filio subijciatur. Hæc, inquam, adeo nihili ratio est, vt mirum sit, locum ei aliquem à viris doctis datum esse: nam illa subiectio spiritualis, per quam Principes facti sunt filij Papæ, penitus distincta, & separata est à subiectione temporali, ita vt altera alteram non sequatur. Sed quemadmodum Præses, vel Consul, interea dum Magistratum gerit, potest se in adoptionem alio dare, atque ita in familiam Patris adoptiui, & patriam potestatem transire, cum tamen per illum actam legitimum nec fasces Consulares, nec aliud quicquam iure magistratus sibi competens in adoptantem transferat.*

Respondeo. Mirum est quam facile Barclaius de scriptis hominum doctorum pronunciet: cum optimo iure in ipsum retorqueri possit, eius responsiones atque similitudines, adeo nihili esse, vt vix credibile sit eas authori suo satisfacere potuisse. Siquidem illa similitudo de filio adoptiuo, qua tota eius responsio nititur, nihil omnino facit ad rem; potestas enim patris ad filium adoptiuum, & potestas Præsidis, siue Consulis, non solum distincta & separata sunt; sed etiam prior posteriore inferior est; & si Pater potestate patria abutatur, potest per Præsidem, siue Consulem, ac multo magis per Regem & Principem corrigi, & in certis casibus potestate sua priuari: cum è contrario si Præses, aut Consul, aut Princeps, potestate sua politica abutatur, non possit à Patre adoptiuo, vel etiam naturali, pro imperio corrigi, & multo minus potestate sua priuari. Iam vero potestas summi Pontificis spiritualis & supernaturalis, & Regia temporali & terrena potestate sublimior, atque maior, non debuit conferri cum potestate humana Patris adoptiui erga filium Præsidem aut Consulem, id est cum potestate inferiore erga superiorem: sed cum potestate Principis, aut Præsidis erga potestatem patriam ciuium priuatorum, id est cum potestate superiore erga inferiorem. Ex quo sequitur, vt quamuis potestas Papæ, & Regis distincta sint, & separata, & non necessario alia aliam sequatur: tamen cum in eodem Ecclesiæ corpore inueniuntur, potestas Papæ ita eminet, vt Regiam potestatem dirigere & corrigere, non ab illa dirigi vel corrigi debeat, aut possit. Itaque tota deceptio Barclaij in eo posita est, quod spiritualem, & supernaturalem paternitatem summi Pontificis erga Reges, & Principes Christianos, nihilo sublimiorem esse censuit paternitate humana, & ciuili hominis priuati erga filium adoptiuum; quæ manifesta & puerilis hallucinatio est.

Quid tibi vis enim hoc more, non modo non totum Barclaii argumentum, sed nequidem totam periodum dandi? Addendum omnino ex illius verbis fuit, quæ vt soles suppressisti: *Ita Reges & Principes, atque omnes omnino homines, cum in Ecclesiæ gremium se conferunt, & summo Pontifici tanquam Patri in adoptionem dant, insignia imperij, & quicquid vspiam temporalis iurisdictionis aut patrimonij habent, eodem plane iure quo ante libera, integra, atque intacta sibi retinent; atque ita Pontifex nihil amplius temporalis potestatis per illam adoptionem spiritualem acquirit, quam ante adoptionem habuerat, quod pluribus infra demonstrabitur.*

Tu quidem in istam rem multa verba, nihil tamen in Barclaii argumentum, quem ridicule fides: Nihil, inquam, hæc dissimilia quæ recenses inter potestatem patris adoptiui in filium, &

Papæ in Christianos Reges, tangunt aut destruunt similitudinem quam concinnat. Nam si Consulis aut Præsidis in adoptionem dati ciuilis potestas maior est, quam sit patris adoptiui patria authoritas, non sequitur (imo contrarium potius) eum suos fasces patri adoptiuo per adoptionem submisisse; neque si Pontificis potestas simpliciter excellentior est Regia, sequitur Reges, qui se ei spirituali adoptione subiecerunt, etiam temporalia iura in eum transtulisse. Hoc autem solum est, quod dicit Barclaius. Sed tu omnia multis verbis obduxisti, in quibus nihil aliud nisi intempestiua, & extra aleam, sapientia. Satis ad Barclaij rationem, quod nec Præses eum se in adoptionem dat, publica dignitatis suæ iura adoptiuo parenti submittit, nec Principes temporalia iura Pontifici traduot, cum ab eo in spirituales filios adoptantur. Si quo modo personæ, non res ipsa discrepat, hæc similitudini nusquam officiunt: cuius vt prima pars in confesso est, nempe iura publica in adoptantem non transire; ita tu secundæ etiam parti non semel assentiris, fuisse nimirum eodem iure Reges post baptismum, quo Ethnici erant. Sic tu dicer.is verbis supra, *hoc capite, paragrapho decimo.* Quod, quid est aliud, quam adoptione spirituali nihil eos sui iuris temporalis perdidisse? Quid nunc igitur hanc similitudinem ex tuis verbis ductam tanto nisu oppugnas?

Ecce autem quam tu in Barclaium aliena. *Potestas,* inquis, *patris ad filium adoptiuum, & potestas Præsidis siue Consulis, non solum distincta & separata sunt, sed etiam prior posteriore inferior est.* Ita sit: quid concludes? An Barclaio sermo est de magnitudine aut excellentia potestatis, quam habet Præses aliquis in adoptiuum Patrem, & Rex Christianus in Papam? Imo non de Præsidis aut Regis potestate, sed tantum de immunitate vtriusque; quod scilicet neque Præses imperantem Patrem teneatur audire in publici sui muneris rebus; neque Rex Pontificem de temporalibus conantem disponere. Tantum, inquam, de ipsa adoptionis vi egit, vt dicat in adoptione ciuili iura publica illibata manere, in adoptione spirituali temporalia iura non perdi; Quæ omnia hic nec cogitans asseruisti. Nam ex eo, quod dicis filium adoptiuum si Præses sit, posse Patrem in certis casibus potestate sua priuare: sequitur Præsidem, licet sit filius, nihil minus in priuatum patrem posse, quam si non esset filius, neque vllam officij sui partem adoptione corrupisse. At si illum non vt Consulem, sed vt filium respicis, falsum omnino potestatem ipsius parenti præcellere, cui scilicet in domesticis rebus debet esse obnoxius, non secus ac si non esset Præses. *Cum è contrario,* Inquis, *si Præses aut Consul, aut Princeps, potestate sua politica abutatur, non posse à Patre adoptiuo, vel etiam naturali, pro imperio corrigi, & multo minus potestate sua priuari.* Id etiam in se dicis, cum ex eo firmetur nihil publici iuris accessisse parenti, qui hominem adoptarit publico iure fungentem; Nihil igitur etiam temporalis authoritatis accessisse Pontifici, ex eo quod temporales Principes in Ecclesiam spiritualiter adoptarit. Licet autem improbo filio Pater abrogare non possit dignitatem, quam non habet vt filius; at potest vt filium castigare, iure patrio quod ad eum adoptione delatum est, exhæredare etiam merentem, & de familia eiicere.

* *Iam vero,* inquis, *potestas summi Pontificis spiritualis, & supernaturalis, & Regia temporali & terrena potestate sublimior, atque maior, non debuit conferri cum potestate humana patris adoptiui erga filium Præsidem, &c.* Neque vero eas potestates contulit Barclaius magnitudinis aut excellentiæ ordine; non, inquam, ipsarum potestatum magnitudinem contulit, sed modum & effectum acquirendæ & acquisitæ potestatis: fieri posse docens, vt aliquis vno respectu sit subditus, alio prorsus immunis: Intuebatur Principes se spirituali Pontificis imperio, & Magistratus Politicos se patrio & domestico iuri illius, quem in patrem eligunt, submittentes. Hos spiritualiter subdi asseruit, quia se spiritualiter subdiderunt; illos vt filios obligari, quia se in filios adoptari permiserunt; Nihilominus Principes spiritualiter tantum esse subiectos, cum non aliud spirituali adoptione intenderint, sibique quatenus Christianis, Pontificem præfecerint, non suæ Regiæ potestati; neque filios adoptiuos, nisi priuatis & domesticis rebus, esse subditos, cum hæc priuata & domestica submissio, adoptionis substantiam impleat. Frustra tu igitur, *Deceptio Barclaij,* inquis, *in eo posita est, quod spiritualem, & supernaturalem paternitatem summi Pontificis erga Reges, & Principes Christianos nihilo sublimiorem esse censuit paternitate humana, & ciuilis hominis priuati erga filium adoptiuum.* Abfuit hoc ab eruditione, à pietate Barclaij. Ecclesiasticæ potestatis dignitatem agnouit. Sciuit quam supra temporalem potestatem atque vires sanctum sit, eximium, formidabile, spirituali fungi imperio, exsoluere scelerum vincula, cœli limen reserare aut claudere. Sed præter hæc sciuit etiam, Bellarmine, temporalem potestatem sub hac spirituali non includi, ac vt patris adoptiui authoritas à filii Consulis potestate distincta est, neque propter affinitatem aut consanguinitatem vllam mixta, ita has summas in orbe dignitates, Pontificiam & Regiam; nulla spirituali adoptione confundi, à Deo scilicet dignitatibus, officiis, actibusque distinctas.

Dicis tamen conferendam fuisse potestatem Pontificis *cum potestate Principis aut Præsidis erga potestatem patriam ciuium priuatorum, id est cum potestate superiore erga inferiorem.* Iam monui quæstionem non fuisse de conferenda dignitate aut vtilitate potestatis, sed tantum de terminis; cum nec potestas Patria vltra res domesticas exeat, nec Pontificis vltra spirituales.

Quod addis, *potestas Papæ ita eminet vt Regiam potestatem dirigere & corrigere, non ab illa dirigi, vel corrigi debeat, aut possit.* non aliter verum erit, quam si intelligas Regiam potestatem in spiritualibus

libus dirigi & corrigi à Pontifice, Pontificem autem in spiritualibus à Regia potestate nec dirigi posse, nec corrigi. Verum, inquam. Vt è contrario, nec potest Pontifex temporaliter Regiā potestatem corrigere, & quin ipse à Regia corrigi possit, non Pontificatus sui priuilegio habet; sed ea fœlicitate fortunæ, qua hodie in suis ditionibus Princeps ipse temporalis, nullum supra se Regem agnoscit. Iam pergis ad alia Barclaii argumenta: his verbis.

§. 16.

HVC accedit, inquit Barclaius, quod florente plurimum Republica Christiana tum multitudine credentium, tum sanctimonia Pontificum, tum eruditione & exemplis Doctorum, atque à malis interim Principibus Christianis vexata, atque iactata, nulla de hoc Principatu, & iurisdictione temporali in Principes seculares, non dicam expressa, & manifesta declaratio, sed ne leuissima quidem mentio facta sit.

Respondeo. Quærere possem à Barclaio, vnde factum sit, quod in testamento veteri tot secula transierint, antequam Pontifex Regem deponi, & alium substitui iusserit: quod factum est cum Ioiada Pontifex Athaliam Reginam non solum deponi, sed & interfici mandauit, & Ioas Regem substituit. 4. Reg. 11. Item cum post diuisionem Regni Salomonis in Regnum Israel & Regnū Iuda; inter Reges Israel nullus fuerit pius, sed omnes impij, & idololatræ, cur alios multos tolerauit Propheta Domini vnxerit Iehu in Regem, & iusserit, vt Regem Ioram, cui fidelitatem iurauerat, interficeret; quod ille continuo fecit, & laudatus à Deo fuit, vt habemus. 4. Reg. 9. & 10. Responderet, opinor, sic placuisse Deo, cuius iudicia inscrutabilia sunt. Eodem igitur modo Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, non semper exerit potestatem suam, sed pro loco, & tempore, vt à spiritu Christi admonetur & ducitur. Et quidem primis trecentis annis Ecclesia Christiana, non habuit Reges Christianos, nisi paucissimos, vt Lucium in Britannia, & Donaldum in Scotia, qui cum pij essent, non erat causa, cur Ecclesia potestatem suam in eos exerceret. Successerunt postea Reges, aut valde pij & religiosi, vt Constantinus Magnus, Constans eius filius, Iouianus, Valentinianus, Gratianus, Theodosius, Honorius, & alij: aut valde impij & blasphemi, vt Constantius, Iulianus, Valens, Theodoricus, Totila, Gensericus, Hunericus, & alij: Erga priores Ecclesia beneuolentiam ostendere debuit, non seueritatem: erga posteriores, quoniam potentissimi erant, seueritatem ostendere nihil profuisset; ideo patientia potius adhibenda fuit, quam authoritas. Sed cum temporibus Gregorij secundi Pontificis, Italici populi ægre ferrent Imperium Leonis Isaurici, hæretici, & persecutoris, & prompti essent ad iugum nefarij Principis excutiendum si Pontifex iuberet, vel annueret, tum demum opportunum visum est Apostolicæ sedi authoritatem suam exerere, quando videlicet non frustra exereret. Sic etiam non ante Pontifex Zacharias de Childerico Rege deponendo, & Pipino ad Regnum euehendo cogitauit; quam populus, & Proceres Franci id expeterent: neque enim prudens concilium Pontificis fuisset, si inuito populo, & Proceribus, Regem illorum quamuis ineptum, & ignauum exauctorare tentasset. Quod si Barclaius tanti facit silentium annorum septingentorum, cur non maioris facere debemus nos verba, & exempla annorum nongentorum? Nam Pontifices, & Scriptores Ecclesiæ priorū temporū, vt non affirmarunt, ita etiam non negarunt, esse in Apostolica Sede potestatem aliquam disponendi de temporalibus, in ordine saltem ad spiritualia: Pontifices autem, & Scriptores posteriorū temporū, diserte pronunciarunt, eam potestatem Ecclesiæ non deesse. Ecclesia certe eadem est, neque aduersus eam portæ inferi vnquam præualebunt; neque desunt Ecclesiæ temporis posteriorū homines doctrina, & sanctitate illustres. Quare non recte de Ecclesia Christi sentit, qui nihil admittit, nisi quod expresse in veteri Ecclesia scriptum aut factum esse legit; quasi Ecclesia temporis posterioris, aut desierit esse Ecclesia, aut facultatem non habeat explicandi & declarandi, constituendi etiam, & iubendi, quæ ad fidem, & mores Christianos pertinent.

Male cum Barclaio ageretur, si non alibi quam in tuo opere eius liber extaret; adeo rescindis ex verbis, adeo de rationibus demis, *& nihil est tam rectum quod non possit narrando deprauari*. Ecce, huc eius argumentum quam decurtas? Aut nihil ex Barclaio recitandum fuerat, aut ista coniungenda, quæ non modo rationis, quam ex illo describis, sed etiam periodi partem faciunt. Verba sunt. *Quæ tamen potestas si in Petri personam à Domino fuisset collata, aut eius successoribus aliquo modo competisset, licet eam reuera siue de facto, vt loquuntur, non exercuissent, haudquaquam à tot tantisq; viris sanctis & sapientibus, ac pro Dei & Ecclesiæ causa nihil non contemnentibus, fuisset tam alto silentio & tam diu prætermissa. Quid, inquam, minus credibile, quam omnes illorum temporum Pontifices zelo & studio Ecclesiæ gubernandæ flagrantes, hanc sui officij pastoralis partem, si modo partem esse censuissent (in qua eorum successores quidam maximum fidei protegendæ præsidium collocarunt) ita negligere voluisse, vt ea apud Imperatores hæreticos tot tantisque occasionibus nequaquam vterentur? Nemo tamen inter eos extitit, qui se Imperatoribus iure diuino superiorem in temporalibus, vel scripto, vel verbo, vnquam significauerit: quin potius vt quisque doctrina & sanctitate magis excelluit, ita Imperatorem submissius obseruans, eius subditum & seruum se esse professus est.*

Hæc est Barclaii ratio, Ecclesiam primis seculis Pastorum sanctitate, & zelo ac multitudine credentium validissimam, ab hæreticis Principibus fuisse vexatam, nihilominus non modo non exeruisse hanc in Reges potestatem, sed nec in tanto Doctorum numero extitisse, qui vel verbo, vel scripto hoc illis ius assignaret. Tu vt hanc rationem eluderes, Deus bone! quam non timuisti aberrare!

Dicis non esse mirum, si primis seculis Ecclesia nulli Principi potestatem abrogarit, *cum in testamento veteri tot secula transierint antequam Pontifex Regem deponi & alium substitui iusserit: quod factum est cum Ioiada Pontifex Athaliam Reginam, non solum deponi, sed & interfici mandauit, & Ioas Regem substituit, 4. Reg. 11.* Ita ne? an *tot secula* à Regibus constitutis ad Athaliam? quot quæso? vix omnino duo centū: ridicule *tot secula* dixeris; præsertim cū ea illis seculis componeres quibus Ecclesia

Chri-

Christiana ignorauit penitus hanc in Reges potestatem; quæ certe numerosa, & *tot secula* dici possunt. Nam si de seculis intelligis, quæ in Populo Iudaico Regum constitutionem præcesserunt, inepta sit & te indigna responsio. qui enim deponi Reges potuerunt ante quam fierent, vel authoritas adimi priusquam traderetur? Sed hoc de Athalia exemplum iam omitto, infra capit. 38. discutiendum vberius. Veniamus ad Iehu.

Quæris à Barclaio, *cum post diuisionem regni Salomonis in regnum Israel & regnum Iuda, inter Reges Israel nullus fuerit pius, sed omnes impij & idololatræ; cur aliis multis toleratis Propheta Domini vnxerit Iehu in Regem, & iusserit vt Regem Ioram, cui fidelitatem iurauerat, interficeret; quod ille continuo fecit & laudatus à Deo fuit, vt habemus 4. Reg. 9. & 10. Responderet, opinor, sic placuisse Deo, cuius iudicia inscrutabilia sunt.* Responderet potius, idque indignans, te nimium Scripturis abuti, & ad tuas sententias inuitam torquere historiam. Quid enim? an Propheta ordinariæ iurisdictionis potestate vnxit Iehu in Regem? Imo vero etiam pessimis Regibus Prophetæ paruerunt, in eos nihil moliti, nisi si *speciali reuelatione* iubebantur. Ita Samuel cum ad Saulem nuncius in hæc verba esset missus (1. Reg. 15.) *pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex* (quæ sententia effectum in Saulis posteritate sortita est) statim obsecranti Regi, *nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel,* morem gessit. Ita Elias, cum flagitia exprobrasset Achabo, cũ Prophetas Baal ad internecionem sustulisset, tamen salutis Regiæ curam gerens, monuit vt ad vrbem properaret ne occuparetur ab imbribus, accinctis etiam lumbis ante equos Regios vsq; ad ciuitatem decurrebat.

Sed videamus hoc tuum de Iehu exemplum. Fugerat Elias à facie Iezabel in desertum (3. Reg. 19.) Cum *dixit Dominus ad eum: Vade & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum, cumque perueneris illuc, vnges Hazael Regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges Regem super Israel: Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula vnges Prophetam pro te.* Elisæum igitur vnxit Elias qui Prophera Domini in Israel esset, & mandat[illegible] de inaugurandis Hazaele & Iehu impleret; nam ipse Elias non multo post per turbinem in cœlum ascendit. Elizæus igitur *vocauit vnũ de filiis Prophetarum, & ait* (4. Reg. 9.) *illi, accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad, cumque veneris illuc videbis Iehu filium Iosaphat filij Namsi; & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum; tenensque lenticulam olei fundes super caput eius, & dices; Hæc dicit Dominus: vnxi te in Regem super Israel.* Hæc iisdem pene verbis in Iosepho referuntur, *Antiq. Iudaic. libr. 8. capit. 7.* Apud quem *lib. 9. capit. 5.* ille Prophetæ filius qui ad vngendum Iehu missus est; *Oleum in caput eius effundens, Deus, inquit, te Regem elegit in perniciem Achabi generis, &c.* Mox Optimates Israelis, referenti Iehu sibi à Propheta esse dictum. *Hæc dicit Dominus, vnxi te Regem super Israel.* Nihil cunctanti crediderunt (4. Reg. 9.) *festinauerunt itaque, & vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt, Regnauit Iehu.* Ille vero confestim Ioramum Achabi filium sustulit (4. Reg. 10.) & *percussit omnes, qui reliqui fuerãt de Achab in Samaria, vsq; ad vnũ, iuxta verbum Domini, quod locutus est per Eliã.*

Hic omnium inuoco fidem; quod officium ministeriumve Prophetæ in inaugurando Iehu? An aliud quam ministri ad hoc nominatim destinati, qui neque illud exequi nisi esset diserte imperatum, nec recusare eum imperatum esset, sine flagitio potuit? Neque Propheta, inquã, id potuit, nisi quia speciale mandatum acceperat, nec si ad alium quam ad Prophetam sermo ille Domini factus esset, minori quam Propheta imperio hanc eandem obiuisset prouinciam. Quid igitur magis absurdum, quid ad blasphemiam magis accedens, quam extraordinariam Prophetarum missionem cum ordinaria Pontificis potestate conferre, & ius aliquod Pontifici in Reges hoc Prophetæ exemplo decernere? Alioquin & poterit Pontifex beneficium cœli per rores & pluuias exudandis arcere? Dicit enim Propheta Elias (3. Reg. 17.) *viuit Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Poterit flagitiosæ ciuitati destinare certum diem, intra quem à Domino subuertatur, cum hæc Ionæ sint ad Niniuitas verba (Ionæ. 3.) *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Poterit imperare, vt sibi infligantur vulnera (3. Reg. 20.) & recusantes per aduentantem Leonem conficere. Poterit ignem in impios deuocare de cœlo (4. *Reg.* 1.) Hæc, inquam, & similia nominatim Dei iussu per Prophetas nunciata aut patrata, nunciare, aut exequi Pontifex poterit, si illi ex eo quod Dominus specialiter imperauit Eliæ, *vnges Iehu Regem super Israel,* ius in vngendos Reges, aut *deponendos* quæsitum sit.

Sed pendamus tua verba. Ais, *cum post diuisionem Regni Salomonis in Regnum Israel & Regnum Iuda, inter Reges Israel nullus fuerit pius, sed omnes impij & idololatræ, cur aliis multis toleratis Propheta Domini vnxerit Iehu in Regem.* Quæro quid intelligas, *aliis multis toleratis*? an à Deo intelligis, an à Propheta toleratos? Si à Deo, nihil falsius. Vix enim centum annis in Israele regnatum, cum ad regnum vocatus est Iehu; & iam tertia Regum deletur familia. Ieroboamo scilicet, primo Regi, sic Achias Propheta, Domini nomine pronunciauit exitium, (3. Reg. 14.) *percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, &c.* Nec multo post Nadabo Ieroboami filio imperante, Baasa ipsum Nadabum interfecit, *& percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum iuxta verbũ Domini, &c.* An hoc tibi videtur *Reges impios tolerare?* Mox enim Baasa ipse se omni scelere pollueret, hunc sermonem Domini ex ore Prophetæ audiuit. *Ecce ego demetam posteriora Baasa, & posteriora eius: & faciam domum tuã sicut domum Ieroboã, filij Nabat.*

Nabat. Regnante igitur Ela Baasæ filio, *rebellauit contra eum seruus suus Zambri &c. Irruens ergo Zambri percussit, & occidit eum, & percussit omnem domum Baasa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos & amicos eius.* Iterum rogo; an hoc tibi est *Reges impios tolerare*? Zambri intra septimum diem deletus est, & regnauit Amri, huic successit filius Achab, deterrimus omnium, Achabo Ochosias filius, & hoc post biennum defuncto; alius ex Achabi filiis Iotam, hic nimirum, in cuius perniciem, totiusque domus Achabi, Rex à Domino eligitur Iehu. Ex hoc vero est Reges impios tolerare? Si dicis, toleratos à Prophetis; iterum quæro, qui dicas fuisse toleratos? Certe & Ahias Silonites, & Iehu filius Hanani; & Thesbites Elias, & Michæas semper Achabo asper, ipse denique Elisæus; cæterique Prophetæ; malis Principibus sua scelera nihil territa fortitudine exprobrauerunt. At dices, neminem eorum de Regno eiecerunt. Certe; neque iure potuerunt eiicere; nec iam aut Elizæus; aut Elias; ordinaria Prophetarum potestate, sed extraordinario instructi oraculo; & ad hoc nominatim delegati, Iehu vngunt & in Iotamum Regem emittunt. Vnus Deus vel tolerabat impios, vel vlciscebatur, nec quidem vltionis vno modo. nunc eos per insidias opprimi passus: Ita Tyrannus Zambri domum Baasæ delet; nunc in alium ius regni transferens, Prophetasque huic nuncios e ministerio destinans, vt ecce nunc Eliam Elisæum atque Iehu. Modo gentes exteras, & Assur virgam furoris sui adducens, quæ belli iure & tolleret regnum & Regem. Respondeo itaque, Prophetam Domini vnxisse Iehu in Regem & non alios, quia Dominus non alios, vngi, sed Iehu, imperauit. Sed & dico, si qui imperii Reges tolerati sunt, non eos à Prophetis, sed à Deo toleratos; si tolerare refers ad illum, qui quod tolerat, potest abiicere.

Addis, *& iusserit, vt Regem Ioram, cui fidelitatem iurauerat, interficeret* Quam versute! Atqui ipse nō iussit, sed significauit à Domino iussum esse. Horret animus ad hanc barbaræ feritatis sententiam, vt iuberi ab vllo mortali possimus, Regem interficere *cui fidelitatem iurauimus.* Apage hæc monstra verborum, hæc sententiarum prodigia. Perg s; *quod ille continuo fecit* (nempe Iotamum Regem occidit) *& laudatus à Deo fuit, vt habemus 4. Reg. 9. & 10.* fecit certe, non quatenus à Propheta imperatum, sed à Deo. Nam sic illi Propheta: *Hæc dicit Dominus Deus Israel, vnxi te Regem super Populum meum Israel, & percuties domum Achab domini tui, &c.* Vnde nec dubium cordatis vsquam fuit, quin is egregio facinore Regem suum ex Domini præcepto confecerit. Cui, si hoc diuinæ vltionis ministerium abnuisset, quid aliud expectandum; quam effusus in Saulem Domini furor, quod Agago Amalecitarum Regi, contra Sacrum pepercisset Oraculum; aut hæ ad Achabum Numinis minæ, cum dimisisset captiuum Syriæ Regem, *quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* Dicis tamen; *& laudatus à Deo fuit* nimirum vt insinuares incautis, apud aliquos dubitari potuisse an Iehu suum Regem ex Prophetæ præcepto iure occiderit; sed hanc dubitationem à Domino qui eius factum laudauerit, esse sublatam, quo præiudicio & iam Ciues in Reges à Pontifice abdicatos excitas, vt nimirū quamuis rei iustitiam controuerti inter homines videant, tamen à Domino laudem expectent. O rerum scilicet paritatem, imo pudorem nostrorum seculorum!

Eodem igitur modo, inquis, *Ecclesia quæ spiritu Dei regitur non semper exerit potestatem suam, sed pro loco, & tempore, vt à spiritu Christi admonetur, & ducitur, &c.* Quæ inter hæc similitudo, vt dicere audeas; *eodem modo Ecclesia*? Nam si vis, Ioiadam Pontificem, & Prophetam Elisæum spiritu Dei in Athaliam & Ioramum inuectos, eodem modo Ecclesiam spiritu Dei Regibus abrogare imperium, Dico primum hæc Ioiadæ, & Prophetæ exempla, longe inter se esse diuersa. Ioiada iure communi omnibusque concesso Athalium sustulit: Propheta nominatim & speciali Dei iussu vnxit Iehu. Quæ inter hæc similitudo? Quid etiam ex alterutro pro Pontifice colligas? Qui nec iure publico omnibusque concesso, vt Ioiada tollit Reges, sed iure quod vendicat suæ sedi; nec speciali reuelatione admonitus, vt Propheta rem illam aggreditur; sed vult tantum negotium ex iudicio suo pendere. Sed nec illa ad argumenti vim, quod refutandum susceperas. Nam instruxisti respondere Barclaio, docenti primis Ecclesiæ seculis nullam eiusmodi potestatis fuisse mentionem; cum tamen & mali Principes existerent, & vires Ecclesiæ essent immensæ.

Sin ita intelligis; Ioiadam & Prophetam non statim initio constituti apud Iudæos Regni, sed multo post spiritu Dei agente in Athaliam & Ioramum inuectos; ita neque primis seculis Ecclesiam, sed pro temporis conditione atque loci, eodem spiritu Dei duce, in principes esse inuectam. Dico idipsum esse quod probare debuisti. Nam Ioiadam & Prophetam Dei spiritu in impios Principes esse ductos, nemo dubitet: cum hic iure gentium in Athaliam coniurarit, ille aperto Dei iussu Iehu in Regem vnxerit. At Pontifices eodem instinctos spiritu, Regibus vnquam abrogasse imperium, ex quo iure gentium, ex qua Scriptura habes? Noli tam diuinum Spiritum tam infaustis miscere prodigiis. Certum quidem Pontificem quatenus Ecclesiæ Caput, Spiritu Dei regi; certum & illud tamen, Pontifices extra orbitam exerrantes, & quæ suæ non conueniunt potestati Ecclesiæ nomine ad se trahentes, non diuino, sed humano, aut peiore spiritu sæpe ductos. Sed & similitudo inepta est; vt enim in veteri testamento neque Synagoga, neque Synedrium, neq; Propheta, neq; Pontifex, vllo tempore, vllaue de causa, ex sui officii auctoritate atque vi, Regibus potestatem abrogarit; illa tamen secula his Ecclesiæ temporibus conferas, quibus tandem Pontifices hoc in Principes iuris, tanquam Pontificali annexum officio, omni ope, omni vi, ad se traxerunt.

Nihil igitur colligas ex his Athaliæ & Iorami exemplis; nisi quod in veteri testamento,si quis per vim inuasisset in regnum, vt Athalia, Pontificis & Optimatum coniuratione peribat;si Deus nominatim Prophetæ reuelabat,quem vellet regem vngi vt Iehu, quem de solio deturbari vt Ioramum,mos Deo gerebatur. *Eodem modo* in Ecclesia Christiana, si per specialem & *indubitabilem* reuelationem aut Pontifici aut alicui alii factam constet de voluntate Numinis in abdicando aut inaugurando rege,statim esse obsequendum; si quis per tyrannidem regnum vsurpet, eum coniuratione ciuium peti posse.

Addis,primis Ecclesiæ sæculis,aliquot ex Christianis Principibus fuisse valde pios:in hos Ecclesiam *ostendere beneuolentiam debuisse,non seueritatem*:alios valde impios, sed potentes:in eos censuras Ecclesiæ,cum propter illorum potentiam inutiles essent,stringendas non fuisse. Imo nunquā coercendis regibus Ecclesia aptior,multitudine fidelium,& prompta eorum pietate,ac velut exerta,quam sub Constantio fuit,Iuliano,Valente, Valētiniano Iuniore, quod 7.*&* 8.*c.*mox fusius exequendum. Quid tu autem in Gregorii magni verba? qui(lib.7. Epist. 11.ad Sabinian.Diaconum) dicit potuisse se Longobardorum reges, atque regnum euertere, quod tunc sæuis & infandis calamitatibus Romanam vexabat Ecclesiam(vt ipse testatur *Homil.18.super Ezech.& lib. 11. Epist.45.ad Phocam Imp.*noluisse se tamen id moliri,*quia Deum timeo*,inquit,*in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.* Vides & impios Reges, & in eorum perniciem sat potentem Pontificem; nihil tamen in salutem eorum,aut regnum,præ Numinis timore molitum? En quam misere imponis lectoribus,dum ais defuisse tunc,vel impietatem regibus,vel Pontificibus vires.

Neque fuerat ea re tua,vt Theodosium hic referres inter illos,quos Ecclesia non mulctarit,cum à te deinde(*Capite 39.*)in exemplum statuatur Imperialis fastigii ad Episcopale tribunal temporaliter iudicati.

Sed cum Gregorius secundus,inquis,& Zacharias Pontifex, viderent se suæ sedis authoritatem non frustra exerturos,hic Leonem Isauricum parte Imperii,ille Childericum regem toto Franciæ regno priuauit.De Gregorio secundo deque Zacharia *capp.41.& 42.*agendum est: tantum noto tua de Zacharia verba. *Neque enim prudens*, inquis, *consilium Pontificis fuisset, si inuito populo & Proceribus,regem illorum quamuis ineptum & ignauum*,&(vt c.42.scribis) *cuius socordia Christiana religio in eo regno maxime laborabat,ex auctoritate tentasset*. En vero quo sancta veritas te adegit. Ergo imprudens Bonifacii VIII.Iulii II.Pauli III.Pii V.consilium fuit:(vt de cæteris sileam)quod Gallos atque Britannos reges,inuito populo & proceribus,regno deiicere, frustraq; suam authoritatem tentauerunt exercere.Ita est Bellarmine,certe imprudens,& perniciabilis cladis caput.

Quod si Barclaius,inquis, *tantifacit silentium annorum septingentorum, cur non maioris faciendebimus nos verba & exempla annorum nongentorum?* Quasi vero Barclaius solo illorum sæculorum nititur silentio: eorundem suspicit verba, authoritatem sequitur. Neque enim tantum ait, neminem illis temporibus asseruisse ius istud temporale Ecclesiæ: sed & addit,vt quisq; tunc pietate maxime & eruditione pollebat,eum in nostras partes clarissimis iuisse sententiis. Quæ autem fuerunt illa sæcula?puræ adhuc,& vt in fide,sic in moribus incorruptæ Ecclesiæ;patientia Martyrum Præsulum eruditione illustria. Adhuc spirabant Christi vestigia,Apostolorum voces. Hos tu intemeratæ reuerentiæ annos qua voce componas cum succedentibus vitiis,cum degeneri Christianorum vita, cum hominibus sæpe pietatis speciem ad priuatas vtilitates torquentibus? Ex illis seculis metimur quid credamus;ex illis hanc de immunitate Regum habemus sententiam. *Nam Pontifices*,ais,*& scriptores Ecclesia prioris temporis,vt non affirmarunt, ita etiam non negarunt esse in Apostolica sede potestatem aliquam disponendi de temporalibus, &c.* Quasi mirum sit,quod expressis nō dixerint verbis.*Papa non potest reges deponere.*Nondum de ista re aliquis cogitabat. Qui autem diuinarent Sancti Patres quod nouitius seculis facturi homines erant? Satis,hæc ab iis de Principum imperio,de Ecclesiasticæ potestatis limitibus, dicta, quæ se huic Pontificiæ potestati prorsus opponant:Neque vero multæ hæreses apertioribus testimoniis refutantur:cum plerunq;Doctores Ecclesiæ partes fidei ex professo non muniant,priusquam lacessantur. Tu ipse (in *Apologia contra Serenissima Magna Britannia Regem*, ad tertiam historiam falsi accusatam) *quando soli recentiores affirmant*,inquis,*non est mirū si veteres non negent quod diuina re non potuerunt à recentioribus confingendū fuisse.*

Quare non recte de Ecclesia Christi sentit, inquis, *qui nihil admittit,nisi quod expresse in veteri Ecclesia scriptum aut factum esse legit:quasi Ecclesia posterioris temporis, aut desierit esse Ecclesia,aut facultatem non habeat explicandi,& declarandi,constituendi etiam,& iubendi,qua ad fidem,& mores Christianos pertinent.* Loqueris meras sententias:sed vt vnius rei pictor Cupressum in naufragii voto pingis. Nihil verius quam Ecclesiam nostram eandem esse Ecclesiam quæ Apostoli temporibus fuit.Potest itaq; explicare,constituere,declarare,& iubere,quæcunq; ab antiqua non sunt Ecclesia explicata,cōstituta,declarata atque iussa.At quæcunq; antiqua credidit Ecclesia,non magis nostra Ecclesia, vtpote quæ est eadem,potest inuertere,quam cōtradictoriis implicari vnus & idem Deus. Cum igitur summam Principum in temporalibus potestatem ex prima illa Ecclesia indubitatis astruamus Auctoribus,non potest posteriorum temporum Ecclesia, velle istam damnare sententiam,quæ nec potest etiam à superuenientis Angeli Doctrina Apostolo teste subuerti.

§. 17.

ADDVCIT *Barclaius*, inquis, *Sanctum Gregorium, qui in Epist. 61. lib. 2. vocat se famulum indignum Imperatoris: & dicit Imperatori cælitus datam esse potestatem super omnes homines: vbi notat illud, omnes, comprehendere etiam Papam, si Papa est homo. Et ne quis forte respondeat, Sanctum Gregorium ex humilitate ita esse locutum, citat illud ex Sancto Augustino serm. 29. de verbis Apostoli, Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaueras. Deniq; addit, verba S. Gregorii, in fine illius Epistolæ, Vtrobique ergo quæ debui exolui; qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi, minime tacui.*

Respondeo. Sanctus Gregorius non solius Imperatoris, sed omnium fidelium seruum se nominabat cum initio Epistolarum suarum adscriberet, Gregorius seruus seruorum Dei. Et Ioannes Diaconus lib. 4. vita S. Gregorii cap. 58. testatur à sancto Gregorio vocari solitos fratres omnes Sacerdotes; filios, omnes Clericos; Dominos omnes Laicos; nec tamen opinor, Barclaius concedet, S. Gregoriū omnibus laicis fuisse subiectum. Porro quod scribit S. Greg. datam fuisse potestatem Imperatori cælitus, non significat Imperatoriā potestatem esse immediate à Deo, sed esse à Deo in eo sensu, quo dicit Apostolus, ad Rom. 13. non est potestas nisi à Deo. Omnis enim potestas à Deo est; sed aliqua immediate, vt Mosis: vt S. Petri, S. Pauli. aliqua mediante consensu hominum, vt potestas Regum, Consulum, Tribunorum. Nam (vt S. Thomas docet in 2. 2. q. 10. art. 10. & q. 12. art. 2.) dominia & principatus humani de iure humano sunt, non de iure diuino. Quod addit S. Gregorius, super omnes homines, intelligitur super omnes homines Romano Imperio subditos: alioqui potestas Mauritii Imperatoris fuisset etiam super Antipodas, super Garamantas & Indos, & tamen non fuit super vicinos Persas, vel Scytas, nec super Germanos, aut Francos, aut Hispanos, aut alios innumerabiles. Proinde poterat Barclaius omittere illam consequutionem, ergo super Papam, si homo est. Neque mentitus est ex humilitate Beatus Gregorius, cum seruum se dixit eorum, quibus subiectus non erat, seruus enim dicitur, qui seruit aliorum vtilitati, siue id faciat obediendo, siue imperando: Nam & Apostolus, seruum se fuisse scribit Corinthiorum, super quos tamen potestatem à Christo accepisse se dicit. 2. Corinth. 4. & 13. Deniq; quod attinet ad obedientiam, quam se exhibuisse scribit S. Gregor. Imperatori; dico eam fuisse coactam, & de facto non de iure præstitam: Nam idem S. Gregorius in explicatione Psalm 101. de Mauritio Imperatore scribit hæc verba, In tantum autem sua temeritatis extendit vesaniam, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, & in domina gentium terrena iura potestatis vsurpet.

Dicis B. Gregor. *non solius Imperatoris, sed omnium fidelium seruum se nominasse.* Non plus igitur iuris Imperatori, quam singulis, quibus subditus reuera non erat, hac appellatione tributum. Affers authoritatem Ioann. Diaconi, qui in *vita B. Gregorii* ait, omnes Laicos ab eo Dominos appellatos. Aio vero? Audiamus Io. Diaconi verba, *Laicos viros, dominos*, inquit, *& fœminas dominas in suis literis nominabat.* Hoc est eorum nominibus, de quibus in suis Epistolis loquebatur, de sui sæculi more (qui & hodie passim viget) nomen *Domini* aut *Domni* præponebat; vt ad Narsem Patritium (li. 5. Epist. 6.) *Domnum Alexandrū, Domnū Theodorum, filium meū Marinū, Domnam Eusiriam, Domnā Eudochiā, & Domnā Dominicā, mea peto vice salutari*, & ad Nonnosum (lib. 1. Epist. 21.) *veniente humili vestro Domino Maurentio, de possessione, quā gloria vestra petiit, per omnia parebimus.* Ad Theotimū Medicum (li. 3. Epist. vlt.) *quod ego sic in Apostolorum Actibus lego, vt in me & Domino Theotime recognoscam.* Id in humilitatis notam Diaconus traxit, cum sequentes Pontifices, Laicos filiorum nomine non dominorum appellent. Sed ô quanto discrimine de Imperatore & de cæteris loquutus Gregorius! Cæteros non simpliciter *Dominos*, sed *Dominum Alexandrum*, aut *Dominum Maurentium*: At Imperatorem simpliciter *Dominum* vocat & etiam *suum Dominum*, non dubiis, non æquiuocis verbis. Alios, inquam, quamuis Proceres, quamuis illustres, non *Dominos* dicit, nisi eorum nomen addat; sed aut *filios* vocat, aut *excellentia* titulo demeretur, aut *gloria*. Ad Leontium Exconsulem lib. 8. Epist. 51. *Ecce gloriose fili amore Dei tuoque prouocatus, cuncta quæ sensi, quæ audiui breuiter indicaui.* Et ad Theotistam sororem Imperatoris scribens, lib. 1. Epist. 5. ne *Dominam* quidem appellat, cum in eadem Epistola Imperatorem *Serenissimum Dominum* vocet.

Sed quem tantus alliget stupor, vt in hac ad Mauricium Epistola *Domini* nomen & *serui*, ad humilitatem Gregorii, aut sæculi morem reuocet, ac non potius ad subiectionem Gregorii, & Mauricii potestatem? Dicit Gregorius. *Ego autem indignus pietatis vestræ famulus; in hac suggestione neque vt Episcopus, neque vt seruus iure reip, sed iure priuato loquor: quia Serenissime Domine ex illo iam tempore Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras.* Deinde; *ego vero hæc Dominis meis* (Mauritio nimirum & Constantinæ, Augustis.) *loquens, quid sum nisi puluis & vermis? Sed tamen quia contra authorem omnium Deum, hanc intendere constitutionem sentio; Dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati cælitus data est, vt qui bona appetunt adiuuentur.* Mox; *Ad hæc ecce per me seruum vltimum suum & vestrum respondebit Christus, dicens &c. Sacerdotes meos tua manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos substrahis? &c. Ego indignus famulus vester &c. Ego quidem iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam Serenissimis Dominis nunciaui. Vtrobique ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi minime tacui.* En vt tenor Epistolæ, ac vt dicam genius, te cum tuis subterfugiis omnino proscribit. Neque vero Gregorius Mauricium Dominum vocat tantum, sed & esse Dominum asserit; neque Dominum modo, sed & suum Dominum non in hac Epistola tantum, sed & alibi sæpe. Ad Theodorum (lib. 2. Epist. 64.) *Quanta bona Omnipotentis Dei & Serenissimi Domini mei Imperatoris ha-*

Nihil igitur colligas ex his Athaliæ & Iorami exemplis; nisi quod in veteri testamento, si quis per vim inuasisset in regnum, vt Athalia, Pontificis & Optimatum coniuratione peribat; si Deus nominatim Prophetæ reuelabat, quem vellet regem vngi vt Iehu, quem de solio deturbari vt Ioramum, mos Deo gerebatur. *Eodem modo* in Ecclesia Christiana, si per specialem & *indubitabilem* reuelationem aut Pontifici aut alicui alii factam constet de voluntate Numinis in abdicando aut inaugurando rege, statim esse obsequendum; si quis per tyrannidem regnum vsurpet, eum coniuratione ciuium peti posse.

Addis, primis Ecclesiæ sæculis, aliquot ex Christianis Principibus fuisse valde pios: in hos Ecclesiam *ostendere beneuolentiam debuisse, non seueritatem*: alios valde impios, sed potentes: in eos censuras Ecclesiæ, cum propter illorum potentiam inutiles essent, stringendas non fuisse. Imo nunquã coercendis regibus Ecclesia aptior, multitudine fidelium, & prompta eorum pietate, ac velut exerta, quam sub Constantio fuit, Iuliano, Valente, Valẽtiniano Iuniore, quod 7. *&* 8. *c.* mox fusius exequendum. Quid tu autem in Gregorii magni verba? qui (lib. 7. Epist. 1. ad Sabinian. Diaconum) dicit potuisse se Longobardorum reges, atque regnum euertere, quod tunc sæuis & infandis calamitatibus Romanam vexabat Ecclesiam (vt ipse testatur *Homil. 18. super Ezech. & lib. 11. Epist. 45. ad Phocam Imp.*) noluisse se tamen id moliri, *quia Deum timeo*, inquit, *in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.* Viden' & impios Reges, & in eorum perniciem sat potentem Pontificem; nihil tamen in salutem eorum, aut regnum, præ Numinis timore molitum? En quam misere imponis lectoribus, dum ais defuisse tunc, vel impietatem regibus, vel Pontificibus vires.

Neque fuerat ea re tua, vt Theodosium hic referres inter illos, quos Ecclesia non mulctarit, cum à te deinde (*Capite 39.*) in exemplum statuatur Imperialis fastigii ad Episcopale tribunal temporaliter iudicari.

Sed cum Gregorius secundus, inquis, & Zacharias Pontifex, viderent se suæ sedis authoritatem non frustra exertuos, hic Leonem Isauricum parte Imperii, ille Childericum regem toto Franciæ regno priuauit. De Gregorio secundo deque Zacharia *capp. 41. & 42.* agendum est: tantum noto tua de Zacharia verba. *Neque enim prudens*, inquis, *consilium Pontificis fuisset, si inuito populo & Proceribus, regem illorum quamuis ineptum & ignauum*, & (vt c. 42. scribis) *cuius socordia Christiana religio in eo regno maxime laborabat, ex auctoritate tentasset.* En vero quo sancta veritas te adegit. Ergo imprudens Bonifacii VIII. Iulii II. Pauli III. Pii V. consilium fuit: (vt de cæteris sileam) quod Gallos atque Britannos reges, inuito populo & proceribus, regno deiicere, frustraq; suam authoritatem tentauerunt exerere. Ita est Bellarmine, certe imprudens, & perniciabilis cladis caput.

Quod si Barclaius, inquis, *tanti facit silentium annorum septingentorum, cur non maioris facere debemus nos verba & exempla annorum nongentorum?* Quasi vero Barclaius solo illorum sæculorum nitatur silentio: eorundem suspicit verba, authoritatem sequitur. Neque enim tantum ait, neminem illis temporibus asseruisse ius istud temporale Ecclesiæ: sed & addit, vt quisq; tunc pietate maxime & eruditione pollebat, eum in nostras partes clarissimis iuisse sententiis. Quæ autem fuerunt illa secula? puræ adhuc, & vt in fide, sic in moribus incorruptæ Ecclesiæ; patientia Martyrum Præsulum eruditione illustria. Adhuc spirabant Christi vestigia, Apostolorum voces. Hos tu intemeratæ reuerentiæ annos qua voce componas cum succedentibus vitiis, cum degeneri Christianorum vita, cum hominibus sæpe pietatis speciem ad priuatas vtilitates torquentibus? Ex illis seculis metimur quid credamus; ex illis hanc de immunitate Regum habemus sententiam. *Nam Pontifices*, ais, *& scriptores Ecclesiæ prioris temporis, vt non affirmarunt, ita etiam non negarunt esse in Apostolica sede potestatem aliquam disponendi de temporalibus, &c.* Quasi mirum sit, quod expressis nõ dixerint verbis. *Papa non potest reges deponere.* Nondum de ista re aliquis cogitabat. Qui autem diuinarent Sancti Patres quod nostris seculis facturi homines erant? Satis, hæc ab iis de Principum imperio, de Ecclesiasticæ potestatis limitibus, dicta, quæ se huic Pontificiæ potestati prorsus opponant: Neque vero multæ hæreses apertioribus testimoniis refutantur: cum plerunq; Doctores Ecclesiæ partes fidei ex professo non muniant, priusquam lacessantur. Tu ipse (in *Apologia contra Serenissima Magnæ Britanniæ Regem*, ad tetriam historiam falsi accusatam) *quando soli recentiores affirmant*, inquis, *non est mirũ si veteres non negent quod diuinare non potuerunt à recentioribus confingendũ fuisse.*

Quare non recte de Ecclesia Christi sentit, inquis, *qui nihil admittit, nisi quod expresse in veteri Ecclesia scriptum aut factum esse legit: quasi Ecclesia posterioris temporis, aut desierit esse Ecclesia, aut facultatem non habeat explicandi, & declarandi, constituendi etiam, & iubendi, quæ ad fidem, & mores Christianos pertinent.* Loqueris meras sententias: sed vt vnius rei pictor Cupressum in naufragii voto pingis. Nihil verius quam Ecclesiam nostram eandem esse Ecclesiam quæ Apostoli temporibus fuit. Potest itaq; explicare, constituere, declarare, & iubere, quæcunq; ab antiqua non sunt Ecclesia explicata, cõstituta, declarata atque iussa. At quæcunq; antiqua credidit Ecclesia, non magis nostra Ecclesia, vtpote quæ est eadem, potest inuertere, quam cõtradictoriis implicari vnus & idem Deus. Cum igitur summam Principum in temporalibus potestatem ex prima illa Ecclesia indubitatis astruamus Auctoribus, non potest posteriorum temporum Ecclesia, velle istam damnare sententiam, quæ nec potest etiam à superuenientis Angeli Doctrina Apostolo teste subuerti.

§. 17.

ADDVCIT Barclaius, inquis, *Sanctum Gregorium, qui in* Epist. 61. *lib. 2. vocat se famulum indignum Imperatoris: & dicit Imperatori cœlitus datam esse potestatem super omnes homines: vbi notat illud, omnes, comprehendere etiam Papam, si Papa est homo. Et ne quis forte respondeat, Sanctum Gregorium ex humilitate ita esse locutum, citat illud ex Sancto Augustino serm. 29. de verbis Apostoli, Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaueras. Denique, addit, verba S. Gregorii, in fine illius Epistolæ, Vtrobique ergo quæ debui exolui; qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi, minime tacui.*

Respondeo. Sanctum Gregorium non solum Imperatoris, sed omnium fidelium seruum se nominabat cum initio Epistolarum suarum adscriberet, Gregorius seruum seruorum Dei. Et Ioannes Diaconus lib. 4. vita S. Gregorii cap. 58. testatur à sancto Gregorio vocari solitos fratres omnes Sacerdotes; filios, omnes Clericos; Dominos omnes laicos; nec tamen opinor, Barclaius concedet, S. Gregorium omnibus laicis fuisse subiectum. Porro quod scribit S. Greg. datam fuisse potestatem Imperatori cœlitus, non significat Imperatoriam potestatem esse immediate à Deo, sed esse à Deo in eo sensu, quo dicit Apostolus, ad Rom. 13. non est potestas nisi à Deo. Omnis enim potestas à Deo est; sed aliqua immediate, vt Mosis: vt S. Petri, S. Pauli. aliqua mediante consensu hominum, vt potestas Regum, Consulum, Tribunorum. Nam (vt S. Thomas docet in 2. 2. q. 10. art. 10. & q. 12. art. 2.) dominia & principatus humani de iure humano sunt, non de iure diuino. Quod addit S. Gregorius, super omnes homines, intelligitur super omnes homines Romano Imperio subditos: alioqui potestas Mauritii Imperatoris fuisset etiam super Antipodas, super Garamantas & Indos, & tamen non fuit super vicinos Persas, vel Scythas, nec super Germanos, aut Francos, aut Hispanos, aut alios innumerabiles. Proinde poterat Barclaius omittere illam consequutionem, ergo super Papam, si homo est. Neque mentitus est ex humilitate Beatus Gregorius, cum seruum se dixit eorum, quibus subiectus non erat, seruus enim dicitur, qui seruit aliorum vtilitati, siue id faciat obediendo, siue imperando: Nam & Apostolus, seruum se fuisse scribit Corinthiorum, super quos tamen potestatem à Christo accepisse se dicit. 2. Corinth. 4. & 13. Denique, quod attinet ad obedientiam, quam se exhibuisse scribit S. Gregor. Imperatori; dico eam fuisse coactam, & de facto non de iure præstitam: Nam idem S. Gregorius in explicatione Psalm. 101. de Mauritio Imperatore scribit hæc verba, In tantum autem sua temeritatis extendit vesaniam, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, & in domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet.

Dicis B. Gregor. *non solius Imperatoris, sed omnium fidelium seruum se nominasse.* Non plus igitur iutis Imperatori, quam singulis, quibus subditus reuera non erat, hac appellatione tribuitum. Affers authoritatem Ioann. Diaconi, qui in *vita B. Gregorii* ait, omnes Laicos ab eo Dominos appellatos. Ain vero? Audiamus Io. Diaconi verba, *Laicos viros, dominos*, inquit, *& fœminas dominas in suis literis nominabat.* Hoc est eorum nominibus, de quibus in suis Epistolis loquebatur. de sui sæculi more (qui & hodie passim viget) nomen *Domini* aut *Domni* præponebat; vt ad Narsem Patricium (li. 1. Epist. 6.) *Domnum Alexandrũ, Domnũ Theodorum, filium meũ Marinũ, Domnam Eusiriam, Domnã Eudochiã, & Domnã Dominicã, mea peto vice salutari,* & ad Nonnosum (lib. 1. Epist. 21.) *veniente humili vestro Domino Maurentio, de possessione, quã gloria vestra petit, per omnia parebimus.* Ad Theotimũ Medicum (li. 3. Epist. vlt.) *quod ego sic in Apostolorum Actibus lego, vt in me & Domino Theotimo recognoscam.* Id in humilitatis notam Diaconus traxit, cum sequentes Pontifices, Laicos filiorum nomine non dominorum appellent. Sed ô quanto discrimine de Imperatore & de cæteris loquitur Gregorius! Cæteros non simpliciter *Dominos*, sed *Dominum Alexandrum*, aut *Dominum Maurentium*: At Imperatorem simpliciter *Dominum* vocat & etiam *suum Dominum*, non dubiis, non æquiuocis verbis. Alios, inquam, quamuis Proceres, quamuis illustres, non *Dominos* dicit, nisi eorum nomen addat; sed aut *filios* vocat, aut *excellentia* titulo demeretur, aut *gloria*. Ad Leontium Exconsulem lib. 8. Epist. 51. *Ecce gloriose fili amore Dei tuoque prouocatus, cuncta quæ sensi, quæ audiui breuiter indicaui.* Et ad Theotistam sororem Imperatoris scribens, lib. 1. Epist. 5. ne *Dominam* quidem appellat, cum in eadem Epistola Imperatorem *Serenissimum Dominum* vocet.

Sed quem tantus alliget stupor, vt in hac ad Mauricium Epistola *Domini* nomen & *serui*, ad humilitatem Gregorii, aut sæculi morem reuocet, ac non potius ad subiectionem Gregorii, & Mauricii potestatem? Dicit Gregorius. *Ego autem indignus pietatis vestræ famulus; in has suggestione neque vt Episcopus, neque vt seruus iure reip. sed iure priuato loquor: quia Serenissime Domine ex illo iam tempore Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras.* Deinde; *ego vero hæc Dominis meis* (Mauritio uinirum & Constantinæ, Augustis.) *loquens, quid sum nisi puluis & vermis? Sed tamen quia contra authorem omnium Deum, hanc intendere constitutionem sentio, Dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati cælitus data est, vt qui bona appetunt adiuuentur.* Mox; *Ad hæc ecce per me seruum vltimum suum & vestrum respondebit Christus, dicens &c. Sacerdotes meos tua manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos substrahis? &c. Ego indignus famulus vester &c. Ego quidem iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam Serenissimis Dominis nuntiaui. Vtrobique ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi minime tacui.* En vt tenor Epistolæ, ac vt dicam genius, te cum tuis subterfugiis omnino proscribit. Neque vero Gregorius Mauricium Dominum vocat tantum, sed & esse Dominum asserit; neque Dominum modo, sed & suum Dominum non in hac Epistola tantum, sed & alibi sæpe. Ad Theodorum (lib. 2. Epist. 64.) *Quanta bona Omnipotentis Dei & Serenissimi Domini mei Imperatoris ha-*

biam, lingua mea non sufficit explere, Et mox: *Quod si ideo Serenissimus Dominus noster fecit, &c.* Et tam suo, quam omnium Romanorum nomine (*lib. 8. Epist. 2*) Imperatorem *Dominum* vocat, nihil inter Ecclesiasticos laicosque distinguens. Sed & hæc simul iungit, *se Christi & Imperatoris seruum*, nisi forte etiam Christum titulo tenus suum Dominum appellabat.

Porro, inquit, *quod scribit S. Gregorius datam fuisse potestatem Imperatori cælitus, non significat Imperialem potestatem esse immediate à Deo, sed esse à Deo in eo sensu, quo dicit Apostolus ad Rom. 13. non est potestas nisi à Deo. Omnis enim potestas à Deo est, sed aliqua immediate vt Mosis, vt S. Petri, vt S. Pauli: aliqua mediante consensu hominum, vt potestas regum, Consulum, tribunorum. Nam vt S. Thomas docet in 2. 2. q. 10. art. 10. & qu. 12. art. 2 dominia & Principatus humani de iure humano sunt, non de iure diuino.* Hæc quidem omnia ad quæstionem nostram nihil, quibus admissis semper verum sit potestatem Principibus ac Regibus *cælitus* datam. Addo tamen omnem potestatem à Deo immediate esse (& tu ipse scripsisti; lib. de Laic. Cap. 6 *potestatem politicam in vniuersum consideratam, non descendendo in particulari, ad Monarchiam, Aristocratiam, vel Democratiam, immediate esse à solo Deo:*) omnes autem, qui aliquam potestatem exercent, suam authoritatem mediante hominum consensu accipere: ne forte Pontifices in hac parte meliore iure, quam Reges esse putes. Illos excipio, quibus immediate à Deo collata authoritas, vt Mosem, vt Iosue, vt Petrum atque Paulum. Nimirum in isto suo κόσμῳ ne omnia confusa agerentur, statuit vt hominum gradus essent, & *subditi præpositis obedirent*: Ecce potestatem à Deo immediate constitutam; qua iubentur homines, siue suo consensu, siue legitimo gentium iure, deuenerint in alterius potestatem semper in illo suo duce atque præfecto, revereri diuinam vim, & potestatem à cœlo manantem. Hinc Regum, hinc Principum, hinc Rerumpublicarum in subditos iura, qui hominum mediante consensu, potestatem adepti sunt immediate à Deo venientem. Sic & Pontifices olim à Clero populoque electi, postea etiam Imperatorum intercedente consensu, deinde ab Imperatoribus ipsorum Pontificum Decreto nominati, nunc à venerabili Cardinalium cœtu delecti nonne illam potestatem, quæ immediate olim data est Petro, iam accipiunt *hominum mediante consensu*? Nunquam neges Beati Gregorii æuo Imperatoris necessarium fuisse consensum, antequam Pontificis tam de facto, quam de iure, rata esset electio. Alioquin ipse Gregorius Cleri populique suffragiis ad Pontificatum electus, non literis flagitasset, ne Imperator hanc electionem suo consensu iuberet esse ratam. Non id, inquam, Gregorius: si ante consensum Principis, iam se legitime in Pontificem credidisset electum. Alioqui non alius literis illis sensus: quam, velis & iubeas Imperator, vt ergo qui iam legitime in Pontificem electus sum, de iure meo deiiciar, & alius deligatur. Sic etiam ad Ioannem Constantinopolitanum Archiepiscopum (*lib. 1. Epist. 4.*) quod eius cõfirmationi apud Imperatorem non obstitisset: *Episcopatus pondera ne mihi deberent imponi non restitisti.* Hinc Driedo (*li. 1. de Libert. Christ. ca. 9.*) *ciuilem & positiuam* potestatem *dico, quæ nata est accedente humana voluntate, vt Monachorum sub Abbate, populi Christiani sub Pontifice, aut sub Principe. Abbas enim, Pontifex, & Princeps eliguntur, constituuntur, seu præficiuntur, accedente hominum consensu. Nam quamuis potestas Ecclesiastica, vt Papalis, Pastoralis, & Pontificalis sit à constitutione diuina, ad eam tamen assumuntur homines ex electione humana.* Et tu ipse (libr. 2. de Pontif. cap. 30.) *Iurisdictio*, inquis, *datur quidem Pontifici à Deo, sed hominum opera concurrente.* Vides ergo Sacerdotes atque Reges, ad potestates illas quæ immediate à Deo sunt, mediante hominum consensu peruenire. Vides, inquam, tam Politicam quam spiritualem potestatem immediate esse à Deo: tam Pontifices, quam Principes seculares mediante hominum opera ad hæc dignitatum extolli fastigia.

At Diuus Thomas dicit, dominia, & Principatus humanos de humano iure esse. Definiri, fateor, dominiorum principatuum, hæreditatum termini, iure gentium & humano, puta bellis, fœderibus, successione, populiue consensu: vt verum sit dicere, hunc ex humano gentium iure Galliæ regem esse, illum Hispaniæ: sed illa auctoritas atque potestas, quam ex eo quod Reges sunt nanciscuntur, iam non de humano, sed diuino iure est: vt & verum sit, Gallos suo Regi, suoque Hispanos, diuino iure subdi.

Quod addit, inquis, *Sanctus Gregorius, super omnes homines, intelligitur super omnes homines Romano imperio subditos: alioqui potestas Mauritii Imperatoris fuisset etiam super Antipodas, super Garamantas & Indos, &c.* Nihil verius: sed timuisti conclusionem adhibere, quam tamen minus cautis ita relinquis faciendam, atqui Papa non erat subditus Romano imperio, ergo neque Imperatori. Quid autem à vero remotius? Non aliunde arcessam argumenta: hic ipse Gregorius quoties profitetur se Romano subiectum Imperio? *In hac suggestione*, inquit, *neque vt Episcopus, neque vt seruus iure Reipublicæ, sed iure priuato loquor.* Id est, (nam quis bonæ mentis aliter capiat, quis peritus historiæ?) licet Episcopus sim, & sic Ecclesiasticis rebus præsim: licet etiam ciuis sim, & sic subsim temporali potestati, simque seruus iure Reipublicæ, id est, iure illo, quo omnes sub Rep. degentes serui sunt Reip. & illius cui se submisit Resp. neutram tamẽ hic personam tibi locuturus induam. Siquidem *Republica* nomẽ pro temporali Repub. accipitur: maxime si in eo positione aut diuisione aliqua, sit ab Ecclesia, Sacerdotio aut Episcopatu distinctum. Addit Grego. *ego quidem iussioni subiectus.* Atqui nemo Rom. Imp. iussioni subiectus, nisi qui & Romano imperio. Quid quod ante probauimus, Imperatorem à Gregorio non perfunctorie, non titulo tenus,

Domi-

Dominum appellari? Quid quod disertis verbis scribit, Imperatorem nō Sacerdotibus minus quam Laicis, quam militibus dominari? Sic enim ad Theodorum (lib. 2. Epist. 64.) *Valde autem mihi durum videtur vt ab eius seruitio milites suos prohibeat, qui & ei omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus concessit.* Et in hac de qua iam nos, Epistola, sic loquentem Principi Christum facit. *Sacerdotes meos tua manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis?* Nemo adeo inuerecundæ infamiæ, qui de facto credat hic agi, non vero de iure: Cum hoc à Deo Imperatori *tributum & concessum* scribat Gregorius: Christum etiam in hac Prosopopœia quam fingit, non inducat accusantem hanc Imperatoris potestatem, sed admonentem liberalitatis suæ, qui illi & Sacerdotes commisisset & milites: Cum denique ibidem Gregorius, in reprehendenda Imperatoris lege, quam rebatur iniustam, Apostolica libertate vtatur, hanc autem in Sacerdotes potestatem non modo nō perstringat, sed vt certam rem atque iustam, vt ratum atque eximium Dei munus, in argumentum contra Imperatorem trahat, sibi quid amplius vindicantē. Sciebat igitur Barclaius Gregorii verba *super omnes homines*, de hominib. Romano imperio subditis esse dicta: & cum Papa tunc Romano Imperio subditus esset, non erat quicquid dicas, vt consecutionem illam omitteret, *ergo super Papam, si homo est.* Hoc interim caue, ne cum exemplum dabis gentis aut populi à Romano remoti imperio, ad Garamantas iterum abeas, Lybiæ populum, Marmaricis vicinum, Romanisque sæpe obnoxium: Næ tu Virgilium Indiæ Garamantas annectentem, non ex illius sensu cepisti.

Neque mendacium est, inquis, *ex humilitate B. Gregorius, cum seruum se dixit eorum; quibus subiectus non erat: seruum enim dicitur, qui seruit aliorum vtilitati, siue id faciat obediendo siue imperando, &c.* Atqui illi quos seruos dixeris, quod vtilitati aliquorum imperando deseruiant, vt Apostolum, qui se Corinthiorum seruum dicit, vt Papam, qui se seruum seruorum Dei vocat, vt Reges ac Principes, qui Reipublicæ seruire dicuntur, non ita serui sunt, vt eos quorum vtilitati seruiunt, dominos vocent. Hoc prorsus inauditum, hoc sine exemplo est. At beatus Gregorius non se Imperatoris modo seruum, sed & Imperatorem suum dominum vocat. Non igitur de hoc seruitutis genere actum, in quo iam ludis. Alioqui si non mentitus esset ex humilitate, cum seruum se dixit eorum, quibus non erat subditus, at mentitus saltem esset, eosdem *dominos suos* præpostera humilitate appellans.

Denique, inquis, *quod attinet ad obedientiam, quam se exhibuisse scribit S. Gregorius Imperatori: dico eam fuisse coactam, & de facto non de iure præstitam.* Dicis hoc quidem, sed præter omne argumentum, aut fidem, Gregorii verba sunt. *Ego quidem iussioni subiectus eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimos Dominos nunciaui.* At vero nisi obsequium Principi de iure deberet, non promulgaret sine peccato illam Principis legem, quam credebat iniustam: si non, inquam, id ex necessitate officii ac præcepti ageret, sed ex solo tyrannidis metu. Promulgauit tamen, nec conditionis suæ, nec diuinæ inscius legis, quā expressit postea Innocentius III. (In Capit. *Pastoralis. De offi. & potest. iud. deleg.*) dum ait Inferioris munus esse ne in æquitatem inquirat sententiæ à superiore prolatæ: *& si scit*, inquit, *sententiam illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem: nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat.*

Addit Gregorius *Vtrobique igitur, quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi minime tacui.* Vbi vides ad sententiam Domini alludentem, *Reddite quæ sunt Cæsaris, &c.* Sed & Christus intellexit, (nec tu negas) vt redderentur Cæsari, quæ Cæsaris iure essent: alioqui nō *reddite*, sed *date* dixisset: Et Gregorius non diceret se obedientiam Imperatori *debuisse*: Cum quæ *de facto*, non *de iure* facere adigimur, ea nō debito aliquo, sed coactione præstemus. Probas tamen hanc obedientiam Gregorii, non iuris, sed tantum facti fuisse.

Nam idem Sanctus Gregorius, inquis, *in explicatione Psalm. 101. de Mauritio Imperatore scribit hæc verba. In tantum autem suæ temeritatis extendit vesaniam, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in domina gentium terrenæ suæ potestatis ius vsurpet.* Quam tu certo & secure pronuncias, hæc à Gregorio de Mauritio Imperatore conscripta! Quis in eam rem tibi auctor, Bellarmine? vbi in his omnibus vel *Mauritii*, vel *Imperatoris* nomen? Multo verisimilius, multo magis ad Gregorii genium, atroces illos questus, de Agilulpho acceperis, Longobardorum Principe, tunc multis cladibus euertente Italiā. Vrbem ipsam pertinaci obsidione cingente. Demus tamen, quod nūquam mihi persuaserim, hæc de Mauricio esse dicta: Nihil inde, quo probetur obedientiam Gregorii, facti tantum fuisse non iuris. Mauricius, (vt post alios Otto Frising. refert, lib. 5. cap. 7.) *Cum esset inexplebilis auaritiæ, quæstus gratia plurimum persequebatur* Gregorium. *Præterea*, inquit Platina. (in vita Pontif. Gregorii I.) *cum Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, habita Græcorum Synodo, seipsum œcumenicum, id est vniuersalem Patriarcham creasset; monuissetque Gregorium Mauritius vt Ioanni obtemperaret, respondit homo constantis ingenii & fidei, potestatem ligandi & soluendi Petro traditam, &c.* Adducit quidā, & inter cæteros Platina. Agilulphum instinctu Maurici, vastasse Hetruriam, oppugnasse vrbem Romā. Quid mirum si Gregorius in illum Romanæ Ecclesiæ inimicum inuectus est: eo quoque liberius, his peregrini hostis viribus infestabat ipsam Romam, ipsum imperii sui caput? Sed vide Sanctissimi prudentiam viri, inter hæc iustæ & effusæ iracundiæ verba, nihil prorsus in regiæ contumeliam potestatis. At, inquis, reprehendit Imperatorem, quod *Caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet.* Et vero reprehensione dignissimum, quod quasi imperialis iuris esset

Romanæ Primatus Ecclesiæ, imperasset Mauricius, vt illi præferri Constantinopolitanam sedem pateretur Gregorius: hoc erat in dominia gentium terrenæ ius potestatis vsurpare. Sed non arguis Imperatorem, quod Ecclesiasticos sibi etiam Romanæ vendicaret Ecclesiæ, in eos ius terrenæ potestatis exercens. Sic nequicquam, etiamsi hæc de Mauricio dicta concesserim, vis Gregorium à temporali Principis potestate exemptum, quia scilicet docuit ipsam Ecclesiam nullo iure Principum aut regi aut teneri. Longe aliud *Ecclesiasticos subdi*, aliud *Ecclesiam esse subiectam*. Ecclesiasticos, non vt Ecclesiasticos, sed vt ciues ac homines, Imperatori subdi testatur Gregorius: Ecclesiam vero ipsam, Christi sponsam, soli Deo debentem obsequium, in humanam potestatem redigi, nec patienter nec tacite tantus Antistes tulit. Deniq; nec quid Laici crederent aut in spiritualibus agerent, in Principis manu erat: nec temporale Ecclesiasticorum regimen ab Imperatoris iurisdictione recisum.

§. 28.

PERGIT, inquis, *Barclaius, & exclamat. O diu nunc Antistitem, & sententiam nullis non sequentium sæculorum Pontificibus inculcandam! Sed proh nunc eo: quo benigna illa & humilis confessio à nostris sæculis exulauit? cui paulatim successit hæc minax & fastuosa aduersus reges, & Imperatores oratio, Nos in supremo iustitiæ throno collocati, supremum in omnes Reges, & Principes vniuersæ terræ, cunctosque populos, gentes, & nationes, non humana, sed diuina institutione nobis traditam potestatem obtinentes, declaramus, iubemus, præcipimus, &c. quæ verba falsa & inania, vel ex eo esse patet, quod Papa in Principes, & populos infideles, qui nullo iure Christianos superant neque temporalem, neque spiritualem potestatem habeat, vt Bellarminus in libris de Romano Pontifice firmissima ratione ostendit.*

Respondeo hanc inanem exclamationem, & humilis confessionis laudationem, Sanctus ipse Gregorius refellit in eo priuilegio, quod Monasterio sancti Medardi concessit, quodque subscriptum ab ipso Gregorio multisque Episcopis legitur lib. duodecimo Epistolarum post Epistolam tricesimam primam: in eo siquidem priuilegio ita loquitur, si quis autem Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunque secularium personarum, huius Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis Decreta violauerit, aut contradixerit, vel fratres inquietauerit, vel conturbauerit, aut aliter ordinauerit, cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel Sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Christianitatis, & corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi sequestretur. Et supra dixerat, auctoritate diuina, vice Beati Petri Apostolorum Principis se statuere. Iisdem verbis vtitur Sanctus Gregorius in alio simili priuilegio, quod habetur lib. 11 Epist. 10. quæ est ad Senatorem Abbatem. Itaque ille humilis ille seruus seruorum Dei eminentiam suæ dignitatis non ignorauit, cum diuina auctoritate, vice Principis Apostolorum, omnibus Regibus cuiuscunque dignitatis & sublimitatis essent, sub interminatione priuationis proprii honoris imperare non timuit, vt præceptionis suæ decreta violare non auderent. Quid igitur est in Bullis Pii V. & Sixti V. (has enim bullas notat in margine) quas minaces & fastuosas appellat Barclaius, quod non sit in priuilegio illo ab humili Gregorio dato? Pius, & Sixtus dicunt potestatem diuina institutione sibi traditam: & Gregorius dicit auctoritate diuina se præcipere. Illi dicunt, super omnes Reges se potestatem habere: iste dicit, si quis Regum vel quarumcunque secularium personarum, &c. Illi dicunt iubemus præcipimus: iste dicit, si quis Regum, &c. huius Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis decreta violauerit. At, inquit, verba illa Pii V. & Sixti V. falsa & inania esse vel ex eo patet, quod Papa in Principes infideles, neque temporalem, neque spiritualem potestatem habet. Respondeo, si falsa & inania sunt verba, multo magis falsa & inania erunt verba Sancti Greg. in Epist. 61. lib. 2. à Barclaio supra citata, & laudata, vbi Sanctus Gregorius dicit, Mauricio Imperatori, datam esse a Deo super omnes homines potestatem: constat enim Imperatoris Mauricii potestatem non fuisse super omnes homines, cum non fuerit nisi super homines Romano imperio subditos, quod imperium eo tempore ne tertiam quidem hominum partem continebat: quemadmodum igitur verba Sancti Gregorii de potestate Mauricii super omnes homines, intelligi debent de omnibus hominibus, qui Romano imperio subditi erant: sic etiam verba Pontificum de potestate super omnes Reges & populos; intelligi debent de omnibus Regibus & populis, qui sunt in Ecclesia Catholica, quæ toto terrarum orbe diffusa est: sic enim debere intelligi verba illa, docent verba præcedentia. Pius enim V. initio bullæ scribit vnicam esse verã Ecclesiam Dei, eamque totam S. Petro eiusque successoribus esse commissam, atque inde colligit, summum Pontificem potestatem habere super omnes reges, & populos, qui videlicet ad Ecclesiam pertinent, quæ in vniuerso mundo est. Sixtus vero V. dicit sibi curam incumbere Ecclesiarum omnium populorum & gentium, vbi non dicit, se habere potestatem in omnes populos & gentes, sed in Ecclesias quæ sunt in omnibus populis & gentibus. Similis locutio inuenitur apud Sanctum Bernardum in libro tertio de consid. cap. 1. vbi dicit totum orbem terrarum ad curam summi Pontificis pertinere. Ita, inquit, tu hæres, & orbis hæreditas & orbe illis exquirendum est, qui forte voluerit explorare, quæ non ad tuam pertineant curam: & tamen ibidem dicit, Papam non esse Dominum orbis, sed orbem totum ad eum pertinere, quia debet fideles pascere eisque cum potestate præesse, & infidelium conuersioni studium & diligentiam adhibere, vt Apostoli faciebant. S. quoque Thomas in 2. 2. q. 12. art. 2. dicit Papam habere potestatem super fideles & infideles, qui fidem aliquando susceperunt, non autem super eos qui fidem nunquam susceperunt, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 5. Quid ad me de his, qui foris sunt, iudicare? Quos auctores & multos alios ego secutus sum in loco, quem Barclaius notauit, videlicet lib. 5. de Pontifice, cap. 2. Neque his repugnat, quod supra docuimus cum Sancto Thoma, posse à summo Pontifice priuari quoscunque infideles, a dominio, quod habent super fideles: nam etiam si absolute non pertineat ad Pontificem, de his qui foris sunt, iudicare, neque habeat Pontifex in illos ordinariam potestatem; [illegible] *tum ad* [illegible]

tum ad gregem sibi commendatum non pertineant, nisi in potentia: tamen in ordine ad conseruationem fidelium habet à Deo auctoritatem priuandi Principes infideles dominio, quod habent super fideles, vt idem S. Thomas docet 2.2.q 10.art.10.

Frustra exultas: Nihil priuilegiis quæ monasterio Sancti Medardi, & Augustudunensi Xenodochio, indulsit Gregor. regio detractum fastigio. Et cum ibi Greg. *Omnibus regibus cuiuscunque dignitatis & sublimitatis essent sub interminatione priuationis proprii honoris imperare non timuit, vt præceptionis suæ decreta violare non auderent*, non de priuatione regni actum, quam iuberet Pontifex, sed quã à Deo mali Principes expectarent: vt apertius suo loco, id est *Cap. 46.* differendum. Iam quod Pii V. & Sixti V. verba confers cum Gregorii verbis, videamus qua fide à te factum. *Pius, & Sixtus dicunt*, inquis, *potestatem diuina institutione sibi traditam. & Gregorius dicit auctoritate diuina se præcipere.* Ita sit: sed Pius, & Sixtus, dicunt potestatem deponendorum Regum diuina institutione sibi traditam: & Gregorius dicit authoritate diuina se præcipere ne quis priuilegia piis locis indulta violet. Est ne idem dicere, Bellarmine? *Illi dicunt*, inquis, *super omnes Reges se potestatem* (debuisti addere *supremam*) *habere: iste dicit, si quis regum vel quarumcunque secularium personarum.* Ita est. Sed illi dicunt, super omnes reges se in temporalibus potestatem habere: iste in sacrilegos Reges spirituales pœnas intentat, & ostendit temporales, quas Deus insti gat. Cum verba metiamur ex sensu, an idem Pontifices isti dixerunt? *Illi dicunt*, inquis, *iubemus, præcipimus; iste dicit, si quis Regum, &c. huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit.* Sic est: sed illi dicunt, iubemus, præcipimus, vt à solio deiiciantur, quos proscribimus Reges: iste Apostolicam auctoritatem, & suæ præceptionis decreta extendit ad priuilegia piorum locorum munienda.

Iam multus es in refellendo Barclaio, qui hæc Pontificum verba, *sibi traditam potestatem in omnes Reges, & populos*, vel ideo arguit, quod infidelibus nec spiritualiter, nec temporaliter præsint: tu reponis multo igitur falsiora Gregorii verba, qui ait potestatem Imperatori super omnes homines datam esse: Dicis igitur vt Gregorii verba de *omnibus* accipienda hominibus, qui Romano subsunt imperio: ita istorum Pontificum, de *omnibus* Regibus, & populis, qui dedesunt Christo nomen. At detorques Pontificum mentem non ambiguis verbis explicatam. Neque enim tantum dicunt, *omnes reges & populos*, sed *omnes Reges & populos vniuersæ terræ.* Quin & statim disputas, an infideles quoque Reges Pontifici subsint: & sic statuis, directe & absolute non subesse, quia nihil ad eum de iis qui foris sunt, iudicare: posse tamen Pontificem, *in ordine ad conseruationem fidelium priuare Principes infideles dominio quod habent super fideles*: id est, Christianos, & infideles Reges, sub eodem Pontificis imperio quoad effectum esse. Nam nec vultis directa potestate agere Pontificem cum à sceptris remouet Christianos: sed cum indirecte hoc posse, & *in ordine ad conseruationem fidelium.* Iam idem in Ethnicos illi conceditis: Sic vnius particulæ, & distinctionis beneficio totum orbem Ecclesiastico subiicitis iuri. Et tu antea certe modestius, *lib. 5. de Rom. Pontif. Cap. 2.* dixeras posse infideles Principes tunc demum potestate priuari, quam supra fideles habent, si eos conarentur à fide auertere. Hic vero, & in recognitionibus tuis, omnino licentius: vbi ais, eiusmodi Principes illo dominio posse priuari, etiamsi nihil agant in sibi subditorum Christianorum fidem. Si tu ergo in Recognit. ad librum quintum de Roman. Pontif. Cap. 8. *Non approbo quod dixi non posse Principes infideles, priuari per Ecclesiam dominio quod habent super fideles, nisi auertere conentur fideles sibi subiectos.* Et paulo post: *Itaque si tales Principes nõ conantur fideles à fide auertere, possent quidem per Ecclesiã priuari dominio, tamen Ecclesia non semper id facit.* Quid vero? in infideles igitur Reges, sed tamen Christianæ religioni non molestos, hoc Pontificium valeat fulmen? O sententiam Reipublicæ Christianæ inimicam! Ergo Turcarum Princeps, ergo illi, qui nunquam vera fide imbuti sunt, Christianos aut Catholicos apud se viuere & augeri patientur? non facient apud quos tua vox persuaserit, si eis curæ incolumitas sui sceptri. Cur non enim ita secum? Christiana, aut certe Catholica religio, verum Dei cultum (vt credimus) non prescribit. Itaque Christianos, aut Catholicos, iure diuino non tenemur in terris nostris pati: sed tamẽ videamus an humanitatis & societatis commercio rebus nostris cõmodi esse, aut non incommodi saltem possint. Imo eorum lege cautum est, vt licet nos eorum sacris præbeamus innoxios, à suo tamen Pontifice omni in eos spoliemur dominio, quoties ipse hoc suorum Christianorum rebus idoneum esse censebit. Si itaque apud nos in validum robur excreuerint, nobis quoque aut auita religio etiam inuitis mutanda est, aut de solio vbi Pontifici illi placuerit decedendum: sed & insidias nostræ vitæ nihil territa conscientia molientur, quoties Pontifex iã nos non colendos vt Principes statuet, sed vt Tyrannos de sede, de dignitate deturbandos. Abeant ergo potius siue sponte, siue per supplicia, præcipites, quam quæ hominibus charissima sunt, dignitatem & salutem, adducamus in discrimen. Hæc & talia non iniusto metu Principes dicent, quibus infelicitas natalium alios Dei cultus persuasit, siue apud infideles, siue apud eiusmodi Christianos, quorum ne aui quidem rectam religionem susceperunt. Ecce quam vtili ratione, Bellarmine, nostra sacra procures. Absit ille potius à Principibus metus. Sciant se à Christianis coli vt homines *à Deo secundos, post Deum primos, ante omnes Deos, & super omnes homines.*

Sed nec vobis satis constat, an infideles Principes amoueri à Põtifice possint: Tu sic istis negat

Becanus Societ. Iesu Theologus, quamuis indirectæ Pontificiæ potestatis in Christianos Reges astructor studiosus. Ita ille in Torturam Torti, paradox. 9. *sicut nos fatemur Reges Christianos deponi posse à Pontifice, si delinquant, non autem Ethnicos, sicut tu fateris reges Christianos excommunicari posse, non autem Ethnicos.* Quid hoc est aliud quam ex incertis hominum sententiis, & disceptatione scholarum, sacrosanctum ius Regum velle metiri? Vt si Bellarmini opinio hoc seculo obtineat, etiam infideles deponantur: si sequentibus annis Becani emergat sententia, Pontificis in hac parte recidatur auctoritas. O literatorum scilicet monarchiam! ô pudendam libertatem ius suæ Philosophiæ in omnia facientium sceptra! Quod ad auctoritatem Diui Thomæ, scis de illa ca. 21. vberius à nobis disputandum.

§. 19.

ADDO *postremo*, inquis, *verba Pii V. non esse ita fastuosa & minacia, vt Barclaius dicit: hæc enim sunt ipsius verba in Bulla excommunicationis Elizabethæ prætensæ Angliæ Reginæ: regnans in excelsis, cui data est omnis in cælo & in terra potestas, vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, vni soli in terris, videlicet Apostolorum Principi Petro, Petrique successori Romano Pontifici in potestatis plenitudine tradidit gubernandā. Hunc vnum super omnes gētes, & omnia regna Principem constituit, qui euellat, destruat, dissipet, disperdat, & plantet, & ædificet, vt fidelem populum mutuæ charitatis nexu constrictum in vnitate spiritus contineat, saluumque & incolumem suo exhibeat Saluatori: quo quidem in munere obeundo, nos ad prædicta Ecclesiæ gubernacula, Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus, &c. & infra. Illius itaque auctoritate suffulti qui nos in hoc supremo iustitiæ throno (licet tanto oneri impares) voluit collocare, de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus prædictam Elizabetham hereticam, & hæreticorum fautricem, eique adhærentes in prædictis anathematis sententiam incurrisse, esseque à Christi corporis vnitate præcisos, quin etiam ipsam prætenso regni prædicti iure, nec non omni, & quocunque dominio, dignitate, priuilegioque priuatam, &c. Porro Bulla Sixti V. ita incipit: ab immensa æterni regis potētia, B. Petro, eiusq; successoribus tradita auctoritas omnes terrenorum regum, & Principum supereminet potestates, stabilique in petra consistens, nec vllis aduersitatibus, vel etiam secundis flatibus à recto deflexa, inconcussa profert in omnes iudicia: & infra. Itaque ex præexcelso hoc solio, & in plenitudine potestatis, quam ipse Rex Regum & Dominus dominantium nobis licet indignis tribuit, constituti, auctoritate Dei omnipotentis, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, & nostra, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio pronunciamus, & declaramus, &c. Quare sententia quam Barclaius recitat, non habetur ad verbum in Bullis Pii V. vel Sixti V. Sed eam ipse variis ex locis ita construxit vt ad inuidiam conflandam aptissimam esse iudicauit. Omitto cætera quæ sunt in hoc tertio capite: quia non argumenta vel rationes, sed maledicta sunt, & conuitia aduersus Pontifices. illum enim imitari voluimus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. 1. Petri. 2.*

Pii verba atque Sixti, fastu nec ne turgeant, nihil ad Pontificis in reges potestatem: sed post omnem quem adhibes fucum, tamen lector iudicabit, quam absint, vt Barclaius dicit, à Gregorii primigenio atque stilo.

Dicis, *sententia quam Barclaius recitat non habetur ad verbum in Bullis Pii V. vel Sixti V. Sed eam ipse variis ex locis ita construxit, vt ad inuidiam conflandam aptissimum esse iudicauit.* Quid interest, seu connexa Pontificum verba exscribat Barclaius, seu colligat sparsa? Num in his omnibus quicquam finxit? At hoc fecit *ad inuidiam conflandam* Pontifici. Vix refero de optimo sene tanta contumelia iudicantem, nemo studio in Apostolicam Sedem superauit Barclaium. Nemo sacris, nemo Pontifici addictior. Testes habet lachrimarum, quas hæresium dolor, & laceratæ Ecclesiæ, frequenter expressit: & si quid in Pontifices aliquos forte, nihil in Pontificatum tamen dixit, vt te his verbis præbueris, Bellarmine licenter iniurium. *Omitto cætera quæ sunt in hoc tertio capite: quia non argumenta vel rationes, sed maledicta sunt aduersus Pontifices, &c.* Nullum ibi maledictum aduersus Pontifices: sed argumentum, & ratio, qua ex collatione diuersorum Pontificum istius indirectæ potestatis nouitatem deprenderet. Darem verba Barclaii, nisi ex laudatissimo eius libro haberent in prompto boni omnes, prudentes, eruditi. Videat lector hanc vltimam in tertio capite partem plenam, vt ais, maledictis. Ridebit inuidiam quam facis innocenti.

CAPVT IV.

Quæ causa & origo temporalis potestatis à Pontificibus vendicatæ. Quid fuerit Patriciatus, ab Adriano Pontifice Carolo Magno concessus. Excommunicatio iniusta, aut nulla, vt itemenda. Nauarrus contra suam mentem & verba; à Bellarmino subdole allegatus. Num qui Pontifices ante Gregorium VII. hanc potestatem vsurpauerint. De translatione imperii, à Græcis ad Francos, aut verius communicatione, quam vult Bellarminus factam a Leone Pontifice. De Gregorio IV. & Ludouico Pio. De Adriano II. & Carolo Caluo. De causis dissidii inter Henricum IV. Imperatorem & Gregorium VII. Hosii sententia, de immunitate Principum.

Apud

Apud Bellarminum huic Capiti titulus est;

De falsa causa originis temporalis potestatis Pontificia à Barclaio assignata.

§. 1.

IN quarto capite, inquis, *differit Barclaius de origine temporalis potestatis Pontificia: quasi iam exploratum esset diuino iure sola spiritualia ad Summum Pontif. pertinere. Sed quoniam id neque exploratum, neque verum est, facile potuissem totum hoc caput silentio praterire, vel quod ad rem non faciat, vel certo solido fundamento careat. Videamus tamen quid sit, quod hoc loco adfert Barclaius.*

Duas res, inquit, potissimum inuenio, quae ansam Pontificibus tantam potestatem arrogandi videntur prabuisse. Vna est ingens ille honor, qui vt par erat à Principibus, & populis Christianis Summo animarum Pastori deferebatur, & deferri adhuc debet: atque etiam praiudicata sanctitatis opinio de sede illa Beatorum Apostolorum Petri & Pauli. & infra, Alteram tanta iurisdictionis temporalis captanda ansam prabuit gladius excommunicationis.

Respondeo frustra quarit Barclaius vnde tanta potestas Summis Pontificibus accesserit, cum ratio sit in promptu, quam & Doctores communi consensu, & ipsa generalia Concilia tradiderunt, summa videlicet spiritualis potestas diuinitus collata Apostolo Petro eiusque successoribus super omnem Ecclesiam: ex ea siquidem manifeste sequitur, vt in ordine ad spiritualia, & vitam aternam, possit Summus Pontifex de temporalibus quoque disponere, vt capite superiore explicatum est.

Non frustra quæsiuit Barclaius, vnde hæc potestas accesserit Papæ, quando & ignota fuit antiquis & eam, vt spes est, nostri nepotes per solam cognoscẽt historiam. Sed & falsum, eius potestatis hanc quam refers rationem à Doctoribus *communi consensu traditam*: cum ex priscis nemo in illam potestatem aut potestatis rationem cõsenserit, nemo, inquam, ante annum millesimum & septuagesimum. Ex iis vero ipsis, qui de potestate consentiunt, vix pars media hanc rationem tradit, scilicet *summam spiritualem potestatem*: sed recurrat ad temporalem potestatem, quam vult per se & proprie *collatam Apostolo Petro*. Vt in *Prolegomenis* non semel ostendimus. Illud autem falsissimum generalia Concilia eam *rationem tradidisse*. nam in Lateranensi Concilio de ea *ratione* nec verbum: Lugdunensis autem in Fridericum proscriptio, non Concilii generalis aut opera, aut nomine, sed Innocentii Papæ concepta. Apage igitur cum ista confidentia, ex potestate Petro collata, manifeste seqo hanc indirectam potestatem. Ais te *facile potuisse totum hoc Barclaii caput silentio praterire*. Omnino: prætererе quam oppugnare facilius. Nunc cum arte non possis, aggrederis dolo, initium argumenti ex Barclaio profers: quæ inde consequuntur, tanquam vana aut inutilia non tecitas. Sed legat hanc, quam omittis, partem Lector: Sciet ille num, vt ais, *ad rem non faciat, vel certe solido fundamento careat*: an vero prudẽtissimam velut historiam, & pene natiuitatem contineat huius indirectæ potestatis.

§. 2.

QVOD autem Barclaius dicit, inquis, *ex honore maximo qui summis Pontificibus deferebatur, & praiudicata sanctitate illius sedis, captasse ansam Pontifices arrogandi sibi potestatem temporalem super Reges & Principes: falsum esse constat ex iis, qua supra Barclaius ipse scripsit: siquidem honor maximus, & praiudicata sanctitas non defuit primis mille annis, imo tunc maxime viguit: & tamen Barclaius contendit primum fuisse Gregorium VII. qui sibi potestatem temporalem in reges, & Principes vsurpauit, post annum millesimum & septuagesimum ab aduentu Saluatoris. Dicet fortasse, primis illis annis fuisse Pontifices optimos, sed postea factos deteriores ad gloriam temporalis Imperii aspirare cœpisse. At Gregorius VII. vir sanctissimus fuit, nec solum innocentia vita, sed etiam miraculis clarus: cuius rei tot sunt testes, quot scriptores illius temporis, exceptis schismaticis vel hareticis: quemadmodum etiam Innocentius III. & IV. qui hac potestate prater cateros vsi esse videntur, Pontifices laudatissimi habiti sunt. Neque verũ est Gregorium VII. fuisse primum, qui de temporali regno disponere cœpit: nam & Gregorius primus, & secundus, & alii Pontifices optimi & laudatissimi ante Gregorium VII. hanc potestatem habere se testati sunt, vt paulo infra docebimus.*

Quasi vero hæc repugnent, ansam Pontificibus ad hanc indirectam potestatem, reuerentia, honore, & præiudicata sanctitatis opinione, quæ semper de sede Petri fuit, datam esse: & Gregorium VII. tamen post mille & septuaginta annos à Christo, primum fuisse Pontificum, qui id sibi vindicarit. Nõ honorem tantum præcedere, Bellarmine, & præiudicatam sanctitatis opinionem oportuit: sed & multa alia, paulatim ab honore huiusmodi & præiudicata opinione nascentia. Neque enim summæ opes, tantæ factiones, clientelæ vno sæculo quæri possunt. Neque populorum reuerentia, nisi senex & inueterata, suffecit, quæ omnia æstu quodam allabentia, pene nec sentientem Pontificẽ subuexerunt. Si quæstio de lege diuina, nihil aptius quam primi cum suis Christianis Pontifices. Sed ad destructionem regni (ita appellat Otto Frisingensis. *Prolog. in septimo libro*) expectandum erat, vt ait idem Præsul, dum *regnum ob amorem*

Sacer-

Sacerdotii euisceratum ac viribus esset exhaustum. Quod de sanctitate Gregorii addis, viderit, *qui finxit sigillatim corda omnium, qui intelligit omnia opera eorum.* Certe non ideo *Sanctus* iste Gregorius, quod hoc ius vsurparit in Principes: vt Petrus Damiani lib. 4. Epist. 9. de Leone IX. scribit, illum quidem sanctum esse; at non ideo, quia armis in Pontificatu exercitus. *Dico,* inquit, *quod sentio: quoniam neque Petrus ob hoc Apostolicum obtinet Principatum, quia negauit, nec Dauid idcirco Prophetia meretur oraculum, quia torum alieni viri inuasit.* Et nos plura nos de illius cum Henrico dissidio. §. 7. Nec si eum immodicus zelus, nec *secundum scientiam,* vel turbulenti animi pertinax studium prouexit ad hæc bella, sequitur aut eum in isto non errasse, aut in cæteris peccauisse. Innocentium vero III. atque IV. quæ causa quoque ius in Principes impulerit, iam ante discussimus. Nō omitto quod dicis, *Scriptores illius temporu, exceptu schismaticis vel hereticis,* laudare Gregorium. O machinā omni acie, & milite fortiorem! vt quicunque pro iure Regum in Pontifices steterint, eos & eorum libros in hæreticis aut schismaticis numereris. At illud quanti ponderis apud eruditos, & prudentes, Bellarmine, qui indignantur, qui rumpuntur, vos pietatis nomine, vos spiritualibus telis abuti, ad quærendum, ad firmandum in terris Imperium; cuius studium heu quam de cœlestibus curis ademit! Neque verum est ante Gregorium VII. fuisse Pontifices, qui *de temporali regno disponere cœperint.* Obtrudis sine modo Gregorium I. & II. & quosdam alios. Piget toties ad ea respondere; quæ semel & in perpetuum sat erit conuellere.

§. 3.

PORRO *excommunicatio,* inquis, *est quidem instrumentum quo Pontifices plerunque vti solent ad coercendas huius seculi potestates: sed etiam sine isto instrumento non semel Pontifices Maximi de temporalibus dignitatibus pro Ecclesia vtilitate, & animarum salute disposuerunt, vt cum Zacharias Childericum Regem Francorum deponi mandauit, & Pipinum inungi, atque in solium exaltari iussit, & populos ab obedientia, & fidelitate Childerico præstita liberauit: & cum Hadrianus primus Carolo Magno Regi Francorum dignitatem Patritiatus Romani contulit: & cum Leo III. eundem Carolum Imperatorem Occidentis dixit. Quare verum nō est, excommunicationis censuram ansam dedisse Pontificibus, vt potestatem temporalem sibi arrogarent.*

Vel de Heraclito extorquens risum. Vnam ex Machinis, quę Pontificem subuexit in reges, Barclaius excommunicationem esse dixit: tu ideo negas, quia, inquis, & si verum sit excommunicationem plerunq; adhibitam in eiusmodi rebus, tamen aliquando etiam sine excommunicatione peractæ sunt. Quid? igitur falsum virtutem bellicam peperisse Romanis Imperium, quia ad eos vna ex prouinciis Asia Pergameni Regis testamento peruenit? falsum quoq; vi occupatum à Cæsare Imperium, quia quædam ciuitates, quidam ciues se sponte dediderunt? Neq; Barclaius dixit Pontifices semper excommunicatione vsos esse, sed excommunicatione velut quodam fulmine instructos toti Orbi formidabiles tremendosq; extitisse; vt eorum imperia etiam in Principes regesq; concepta, multi propter opinionem sanctitatis, & excōmunicationis timorem, repudiare non auderent. Ecce porro quam tu in exemplis idoneus.

Primum est Zachariæ, qui, inquis, Childericum sine excommunicatione deposuit. Scis hanc disputationem seruari in vltimum libri caput. Et *Hadrianus,* inquis, *Carolo Magno dignitatem Patritiatus contulit.* Quæ vero hic abdicandi aut constituendi regis quæstio? aut quis ibi excommunicaretur? Quid denique intelligis per hanc Patriciatus dignitatem (Satis fuit inuenire titulum, quo diceretur Rex ornatus à Papa, Satis, vt intruderes nouum in hac farragine argumentum.

Nam quid significat *Patritii* nomen? Patritii à Romulo olim dicti, quos in Senatum legit: seu quod (rarum tunc Romæ) legitimi, & indicare Patres possent: seu quod eorum esset patrocinari cæteris, & ope, consilio se Patres exhibere. Qui illis orti, tulerunt Patritij nomen, magnæ & primariæ nobilitatis familiæ. Multis postea sæculis Romani Principes dignitatem quandam instituerunt, & appellarunt *Patritiatū.* Ea *cæteris omnib. anteponi* dicitur l. 3. C. de Coss. & *summa* appellatur §. *filiusfamilias, Instit. quib. mod. ius patr.* Hi igitur Patritii à consiliis Imperatori, hi Imperatoris patres dicti, neque vlli ad eum gradum aditus nisi maioribus Magistratibus functo, dict. *l. 3, & leg. vlt. ibid.* Erat hoc igitur Imperatorum inuentum, vt pleræq; aliæ dignitates: velut hodie dissipato Imperio Reges nouas dignitates suis ditionibus inuenerunt, vt *Parium, Mareschallorum, Grandium, Dominorum.*

Quæro igitur quid hoc fuerit, Pontificem Romanum Carolo regi conferre Patritiatus dignitatem? An illum in veterum Patritiorum nobilitatem adoptabat: at hoc nec tantus & tantæ nobilitatis Rex vellet; esset quoq; extra morem & exemplū, & quod caput est, nec ad quæstionē nostram faceret, Bellarmine. An vero ius ei conferebat, quale habebant Optimates ad Patriciatus fastigium ab Imperatore assumpti? Si hoc ais, vide quæ te errorum inuoluant voragines: Certe si potuit Papa deligere, qui inuito aut etiam inconsulto Imperatori, à consiliis essent, qui summæ apud eum dignitatis, qui deniq; eius Patres, pari iure renunciare ac deligere poterit Consiliarios Regum, vt etiam inuiti Principes ignotos aut inuisos ad penetralia suæ mentis admittāt. Si, inquam, aliquem potuit renunciare eo sensu Patricium, cur non in Francia *Mareschallos* constituat, *Dominos* in Britannia, in Hispania *Grandes?* cur non deniq; possit dignitatum ciuilium gradus & nomina, munera etiam atq; officia inconsultis Regibus vbiq; largiri?

Restat, vt, quod res est, fatearis, Patricii nomen hic non esse aliud, quam Patroni, & vt iam

loqui.

quimur *Protectoris*. Carolum, inquam, ab Hadriano Pontifice cõstitutum Romanæ Patricium & protectorem Ecclesiæ: neque illi aliud hac appellatione tributum. Non enim ex eo quod esset Patricius, illi datum vt posset Papam eligere, & ordinare Apostolicam Sedem. Sed hæ prærogatiuæ omnino distinctæ licet in vnum Carolum, à Pontifice, Synodo, Populoque collatæ. Verba sunt Canonis *Adrianus* dist. 63. *Hadrianus autem Papa cum vniuersa Synodo, tradiderunt Carolo ius & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem. Dignitatem quoque Patritiatus ei concesserunt.* Neque tantum Romanæ Ecclesiæ Patricius & protector Carolus, sed & Romanæ vrbis, acclamatione populi dictus, cui tunc debilitato Imperio parum auxilii à Cõstantinopolitano Principe erat, in assidue grassantes Longobardos. Nam & natura duce, & ipso innaluit more, vt quæramus non tam opem, vbi qui ei ferendæ destinantur, aut nolunt, aut non possunt. Et vix aliter tot religiosos, Monachosque excuses, quos videas donata pecunia, supellectili, veste in proprios vsus vti, quam quod eorum Præpositi (& sæpe non possunt) necessaria non ministrent. Sed nec hodie Imperiales quas dicimus, vrbes, ab imperio creduntur recedere, vbi vicinorum Principum patrocinium sibi adsciscunt; neque Protectoribus eiusmodi ius faciunt siue in suam, siue in imperii libertatem. Clerus igitur populusque Romanus, nulla in Imperatorem iniuria, sibi delegerunt Carolum Patricium, Patronumque, Clerus, inquam, cum Pontifice, vt dicitur illo Canone, *Hadrianus*: Etiam Populus. Vnde Otto Frisiug. lib. 5 cap. 28. *Carolus rex*, inquit, *Romam veniens ab Hadriano Papa honorifice suscipitur, &c. Ipse vero acclamante populo vniuerso Patricius Romanorum appellatur.* Nec dubito, quin fuerit magno momento Papa, etiam apud populum, vt Carolo deferretur hoc nomen. Vir authoritatis primariæ, sacerdotio venerandus, Scis enim quam moueatur populus, *pietate grauem ac meritis si forte virum quem*, habuerit impulsorem.

Non ius igitur temporale in Romanos Laicos tributum tunc Carolo cum Patricii nominè: Nomen quoque tributum, acclamantis populi suffragio atque voto. Da porro ex vetustioribus aliquem, qui contra nos sentiat. Certe nec Eginhartus, nec Author Annalium Franciæ, quos vetustissimos appellas, non etiam Rhegino, non Aimoinus, non Marianus Scotus, non ceteri antiquitate noti & Historiarum lectione, meminere de vlla dignitate vel authoritate temporali in Laicos, quam Carolo Hadrianus Papa concesserit: cum tamen iidem diligenter tam de Pipino Zachariæ temporibus in regem electo, quam de hoc ipso Carolo sub Leone in Augustum salutato perscripserint. Apud Sigebertum quidem inuenio (ad annum 773. *Hadrianus Papa cum vniuersali Synodo dedit ei ius eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoque Principatus.* Sed illum Principatum nusquam intelligas, nisi de potestate eligendi Pontificem & ordinandi illam sedem, in cuius negotiis Carolus moderator esset & Princeps, cum neque Sigebertus, neque ex antiquis quisquam authoribus, verum & temporalem in laicos principatum Carolo regi collatum ab hoc Pontifice vsquam dicat. Et Patricii nomen tam à veri Principis significatione remotum, quam cothurnus à socco est.

Cur tu hunc igitur Patritiatum in exemplum temporalis in Principes potestatis hic refers? Aufer tam absurdæ illationis vanitatem: Posse Pontificem, Reges & Principes omni in subditos iure priuare, quia cum populo, Cleroq; Romano potuit regem Franciæ sibi suæq; Ecclesiæ & vrbi Romanæ in Patrem Patronumque deligere, cum in quotidianos hostes deficerentur auxilio Imperatoris, regione remoti, animo alieni, imbecilli viribus, nec ad subsidium Romanis ferendum idonei.

Tertium exemplum est, inquis, temporalis potestatis absq; excommunicatione per Pontificem vsurpatæ, *cum Leo tertius eundem Carolum Imp. Occidentis dixit.* At vero vt supra monuimus, si reges aliquot Pontifex sine excommunicatione de regno deiecerit, priuatisq; nonnullis sine excommunicatione detulerit sceptrum, nihilo magis vniuerse probaueris *verum non esse excommunicationis censuram ansam dedisse Pontificibus vt potestatem temporalem sibi arrogarent*, tam in eos quos cũ excommunicatione deiiciunt, quam in alios, quos sine excommunicatione quidem remouent, sed illa maiestate armati, quam sanctitatis præiudicium, & excõmunicationis mucro in Pontificia manu vibrans, adornat. Non enim semper opus armis vti, vbi præsertim vel eorum solus terror sat obsequentes habet. Et timere sollicitus ac præoccupatus populus potest, ne in eum excõmunicatio concipiatur, si forte Pontificio edicto obstiterit, quocunque nomine, quocunq; iure lato. De Leone vero, & Caroli imperio, mox §. 6. commodius differendum.

§. 4.

SED *placet*, inquis, *notare nonnulla, quæ in hoc capite Barclaius non sine magna temeritate effutiit.*

Primum est est illud: Sed hic Lector monendus est, sententiam illam omnium vocibus celebratam, excommunicationem omnem esse timendam, cum hac exceptione intelligi debere, extra quam si manifeste constet esse iniustam: tunc enim nec curanda, nec timenda est, modo absit ab excommunicato contemptus & præsumptio.

Hanc Barclaii doctrinam damnãt omnes boni scriptores, qui distinguunt inter excommunicationem iniustam, & nullam: & iniustam quidem docent cum S. Gregorio esse timendam: nullam autem, non esse timendã, nisi aliquando ob scandalum, quando videlicet nullitas excommunicationis nota non est. Ac ne singulos Doctores referre necesse sit, audiamus Martinum Nauar. qui communẽ doctrinam hanc esse testatur. In Enchiridio c. 27. num. 3.

numero tertio, sic Nauarrus loquitur, Sententia excommunicationis, quantumuis iniusta, valet regulariter, & ob id Gregorius in capit. primo, vndecima, quæstione tertia dixit, timendam esse siue iusta sit, siue iniusta, & infra, Vbi Glossa, & vbique Doctores aperte dicunt valere, & ligare excommunicationem iniustam, & differre ab ea quæ est nulla.

Tu ipse Cardinalis Amplissime, hæc omnia non sine magna famæ tuæ incuria, magna iactura, in Barclaium effutiisti. Nihil enim verius quam excommunicationem manifeste iniustam nec curandam, nec timendam, modo absit ab excommunicato contemptus & præsumptio à quibus vt iniuste excommunicati caueant, sedulo monet Beatus Gregorius. Homil. 26. in Euangelio: *Is autē qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel iniuste: nec Pastoris sui iudicium temere reprehendat; ne & si iniuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.* Monet igitur vt vel iniuste ligari timeamus; sed & interpretem sui agit, vt in tantum eiusmodi excommunicatio timeatur, ne in superbiam erumpamus, & tumorem, seu vt Barclaius ait, ne adsit *contemptus & præsumptio.* Tunc enim *ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fieret*: Dico etiam ita esse timendam, ne temere nos in illius mittamus periculum, incitatis neglectisue Pastoribus, qui si male iniusta excommunicatione vtuntur, nostro tamen præiudicio esse potest, quia interdum qui *iniuste ligatur* (ait ibidem Gregorius) *ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa meretur.* At vero si in illam nos aut temporum, aut Sacerdotum præcipitet culpa, tunc *non trepidandum, vbi non erit timor.*

Addo denique longe esse aliud *excommunicationem iniustam, & excommunicationem manifeste iniustam*, quæ hic versute confundis. Pudet dicere, etiam te falsi obstringens, Nauarrum contra illius mentem profers. Dicis enim ex illius sententia aliam excommunicationem esse iniustam, aliam nullam; & iniustam quidem (contra quod Barclaius sentit) esse timendam. Atqui Nauarrus ibidem disertis in te verbis pro Barclaio pugnat, & excōmunicationem iniustam diuidit in iniustam validam, & iniustam inualidam siue nullam, neque dicit, vt perperam exscripsisti, *excommunicationem quantumuis iniustam*, sed, *excommunicationem quamuis iniustam, &c.* non enim valere vult *quantumuis iniustam.* Iniustam validam, vt ex ipso constat nomine, valere vult, & de illa hæc scribit, quæ tu in hunc textum subdole triumphans exscribis. Iniustam inualidam, cum Barclaio dicit ipso iure esse nullam. *Iniusta est*, inquit, *quam fert is, qui non potest, aut aliter, & ob aliud quam debet. Et diuiditur in iniustam validam, & iniustam inualidam*, & paulo post: *Porro excommunicatio iniusta, est nulla in multis casibus, quos ponit Glossa, &c.* Qua igitur fronte absq; distinctione dixisti excommunicationem, quæ nulla est, apud Nauarrum ab iniusta distingui? Imo & inter excōmunicationis, quæ nulla est, casus, hunc ponit. *Quando excōmunicatio cōtinet intolerabilē errorem, quia datur contra aliquem ex quo recte aliquid fecit: puta quia dedit eleemosynam pauperi, aut quia non fecit aliquid illicitum aut impossibile*: Hoc autem quid est aliud quam excommunicationem describere, qualem vocauit Barclaius manifeste iniustam? Recte Glossa ad partem 3 causæ 24. q. 3. *Concludit Gratianus ex supradictis, quod iniusta sententia excommunicatum non lædit sed excommunicantem.* Et Origenes (Homil. 14. super Leuit.) *dum aliquis non recto iudicio foras emittitur, scilic. et si non ante exiuit, id est, si non egerit vt mereretur exire, nihil læditur.* Finio cum eximio Augustino, in Serm. 16 de verb. Domini, *Cœpisti*, inquit, *habere fratrem tuum tamquam publicanum, ligas eum in terra, sed vt iuste alliges vides: nam iniusta vincula dirumpit.*

Sed & illud videamus, quam omnis iniusta excommunicatio etiamsi non sit nulla, timenda sit. Iniustam hic dico, non *quæ est iniusta ob defectum rectitudinis animi iudicis, aut formæ, quæ non est essentialis, sed quæ est iniusta ex defectu iustæ causæ ad excommunicandum*, vt Nauarrus bene distinguit. Caietanus (in tract. 10. De effect. q. 2. Excom.) ait, *excōmunicationem iniustam non esse magis excommunicationem, quam homo mortuus est homo.* Et Nauarrus dicit hanc Caietani sententiam *effectu non differre à communi*, neque relinquendam esse, nisi quia *differt à communi more loquendi Canonum*, id est Caietani mentem, ac sensum sub aliis verbis esse tenendum. Nam aut excommunicatio fertur iniusta pro anteactis rebus, quæ reuera iniustæ non fuerunt, ideo nec excommunicatione dignæ. & tunc *ligat parum plus nihilo* (Nauarr. ibid.) *nisi in foro exteriori, quia non adimit communionem quæ omnino est interior, neq; suffragia generalia, quæ Ecclesia & eius ministri faciunt, quatenus sunt tales.* Et eo casu ita tantum excommunicatio timenda est, vt negligentiam vel contumaciam, seu, vt Barclaius ait, contemptum & præsumptionem excommunicati deuitent. Aut excommunicatio fertur iniusta, vt nos à iure æquo deuocet, ab officio deterreat, ad facinora quoq; inuitet. At tunc etiam impius timor esset, qui ad excommunicationem declinandam, nobis impietatem persuaderet ab eiusmodi excommunicatione præscriptam. *Debemus potius* (inquit Innocent. III. de sent. excommuni. C. Inquisitioni) *excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam peccatum operari mortale.*

Ita omni modo, Bellarmine, constat Barclaii sententia, tum quod manifeste iniusta excōmunicatio nulla sit, (etiam ex Nauarri doctrina, quem in contrarium nescio quo genio protulisti, ideoq; non timenda, tum etiam quod excommunicatio quæ ita iniusta est vt tamen nulla non sit, in tantum sit timenda, vt cōtemptus & præsumptio ab excommunicato absint, quæ expresse apud Barclaium cautiones, illud vnum erudita pietate docentem, non adeo perhorrescēdum hoc fulmen, vt si quid sub illius pœna præscribatur iniustum, inutilis nos auferat terror, & quod in vitia ruentibus sufflamen esse debet, præcipitium sit in facinora: ne de Christiana anima dici possit, quod de filiabus Peliæ:

His, re-

His, vt quæque pia est, hortatibus, impia prima est,
Et ne sit scelerata, facit scelus.

Recte Grattanus (in titul. Can. *Comperimus*, 27. q. 3.) *illicita excommunicatio notatum non lædit, sed excommunicantem.*

§. 5.

ALTERVM *est in illis verbis*, inquis, *Cuius generis excommunicatio illa videtur, quæ in subditos profertur, eo quod Regi, vel Principi suo excommunicato pareant, in his quæ temporalis sunt iurisdictionis, & Dei mandatis non repugnant.*

Huius doctrinæ temeritatem, vel ex eo possumus demonstrare, quod per eam damnatur sententia Innocentii IV. lata in Lugdunensi Concilio: quæ potest enim maior esse temeritas, quam damnare manifestæ iniustitiæ sententiam summi Pontificis, in generali Concilio latam, & omnium consensu probatam?

Satis in *Prolegomenis* de hac Innocentii sententia. Neque damnare Innocentium, sed astruere veritatem Barclaius voluit: quem nec temeraria sentire nec loqui, iam in *Prolegomenis, Num. 76. & 77.* contra contumeliarum tuarum acerbitatem euicimus.

§. 6.

TERTIVM *est*, inquis, *in illis verbis: Et vero Gregorius VII. partim publica offensa Henrici IV. Imperatoris, partim priuata iniuria permotus, id iuris dandi & auferendi regna aperte sibi primus omnium asseruit.*

Atqui falsum omnino est, quod Gregorius VII. primus omnium sibi asseruerit ius dandi, & auferendi regna: iam enim supra numerauimus sex Pontifices, qui ante Gregorium VII. idem fecerunt, videlicet Gregorium primum, Gregorium secundum, Zachariam, Leonem Tertium, Gregorium Quartum, & Hadrianum secundum. Nam Gregorius I. in priuilegio supra citato apposuit illa verba, si quis autem Regum, Antistitum, &c. honore suo priuetur. Gregorius Secūdus Imperatorem Leonem Isauricum vectigalibus Italiæ priuauit, teste Zonara, Cedreno, & aliis. Zacharias Childericum à Regno deposuit, & Pipinum in regnum exaltauit, testibus Annalibus Francorum antiquissimis, vbi sic legimus: Dala authoritate sua (Zacharias) iussit Pipinum Regem constitui, & infra Secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est. Idem dicit Aimoinus, Eginarthus, Lambertus, Regino, Sigebertus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Abbas Vrspergensis, Otho Frisingensis: & Albertus Chrantzius, quorum verba infra citabimus. Leo tertius à Græcis ad Francos Imperium Occidentis transtulit, quod testimoniis historicorum, Pontificum, Imperatorum, & ipsorum Principum Electorum probauimus in lib. 1. de trāslatione Imperii. Gregorius IV. Decretum Francorum, quo Ludouico Pio imperium auferebatur, auctoritate sua rescidit; & imperium Ludouico restituit, vt refert Marianus Scotus lib. 3. Chronici his verbis, Ludouicus Reginam Aquis obuiam ei venientem iubente Papa Gregorio accepit: siquidem filii Ludouici non solum Imperium patri abrogauerant, sed etiam Iuditham vxorem ei ademerant: sed vtrumque iubēte Gregorio recepit. Et Paulus Æmilius lib. 3. de rebus gestis Francorum: Lugduni, inquit, Concilium Episcoporum, quos Ludouici Imperatoris filii contraxerant, habitum, imperiumque Patri abrogatum, quod Decretum mox à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est. Denique Hadrianus Secundus plus ducentis annis Gregorio Septimo antiquior, cum accepisset, Imperium Ludouici iunioris Imperatoris à Carolo Caluo Rege armis tentari, scripsit ad Carolum minaces literas teste Aimoino, lib. 5. cap. 24. qui sic ait, In Epistolis Papæ continebatur, vt regnum quondam Lotharii, quod Ludouico Imperatori spirituali eius filio, hereditario ei iure debebatur, & quod ad eum post mortem eiusdem Lotharii redierat, vel homines in eo degentes, nec talium nullus inuaderet, nullus commoueret, nullus ad se conaretur inflectere: quod si quis præsumeret, non solum per sua auctoritatis ministerium infirmaretur, verumetiā vinculis anathematis obligatus nomine Christianitatis priuatus cū Diabolo omnino locaretur.

Dicis ante Gregorium VII. sex iam Pootifices hanc sibi potestatem in Regum temporalia vendicasse. At ego, ne vnum quidem, aio: vt cum aliis pulchre scripserunt, Otto Frisingensis, Gotefridus Viterbiensis, Trithemius, Oouphrius Panuinius, quorum verba infra dabimus. *cap. 9. §. 3.* Et de Gregorio quidem primo, *cap. 40.* agendum est: de Gregorio II. *cap. 41.* de Zacharia, *cap. 42.* Vbi de illis tu in Reges, & in te Barclaius. Nunc de aliis videamus, Leone Tertio, Gregorio Quarto, & Hadriano Secundo.

Leo Tertius, inquis, à Græcis ad Francos imperium Occidentis transtulit. Imo vero ipsum nomen non tam à Græcis transtulit, quam cum Francis populi Romani suffragio communicauit. Nisi forte ab eo tempore Constantinopolitani Imperatores legitimi non fuerunt. Nec aliter imperium à Græcis transtulit, quam si hodie Turcarum Rex ad Christianam accederet fidem, & ab eodem Pontifice populoq; Imperator diceretur, imperium à Germanis transiret ad Græcos. Nam earum ditionum, quas Carolus Imperatorio nomine tonuit, penes barbaros possessio erat iam diu de Romano recisa imperio. Neq; illas Prouincias Carolus cum Imperatorio nomine nactus est, sed quod eas partim hæreditatis iure, partim victoriis obtineret, visus est tanti nominis magnitudinem capere posse nimirum. Ottonis verbis, *Victoriosissimus, qui iam subiugatis sibi Baioariis, Aquitanis, Saxonibus, Danis, Normannis, Britannis, Pannoniis, multisque aliis, regnum Frācorum plurimum dilatauerat.* Parum itaque Constantinopolitani repugnarunt: quod nec multum sibi decederet, & multum Romano imperio adderetur, tot terris, quæ barbarorum & ciuilium motuum muta-

tione defecerant, saltem ad Romani nominis reuerentiam redire discentibus. Certum, inquam, vix repugnasse Constantinopolitanos, ignaros, inquit Paulus Æmilius, *communicatum an diuisum imperium crederent*; fœderibus cum Carolo sub Irene statim factis, mox sub Nicephoro, mox etiã sub Leone. Vide Cedrenum, in *Irene*: Zonaram, *Tom. 3. Annal.* Reginonem *lib. 2.* Gotfridum Viterbiensem *Chron. part. 17.* Paulum Æmilium in *Carolo Magno*: Platinam in *Leone 3.* Neque nouum aut insolens alium in Occidente, in Oriente alium imperare. Etiam diu Roma velut pro derelicto erat, Constantinopolitano Principe, aut seditionis aut Sarracenorum bellis afflicto, & ad auxilia inualido. Ita Nauclerus (in anno 800.) ait, tunc temporis *Occidentale imperium quasi pro derelicto habitum*. Et Albertus Pighius lib. 5. Eccles. Hierarch. ca. 14. *Nec est*, inquit, *quod forte criminentur maleuoli & osores authoritatis Ecclesiasticæ, Leonem illum iniuste sibi vsurpasse illam donationem Imperij tanquam ad Constantinopolitanorum imperatorum ius adhuc pertinentis. Quandoquidem apud illos nihil huius iuris erat amplius, sed vt vi armisque partum ab initio, succedentium temporum confirmatione factum erat legitimum: ita vi armisque ablatum, tot annorum successu iamdudum illorum esse desierat: adeo vt etiam persequi illud ipsum diu destitissent, contenti cum illo Orientis qualicunque adhuc imperio.* Paulus Æmilius, in Carolo Magno. *Romani Proceres animis aliter afficiebãtur. Solium Imperij velut à nemine insessum, quasi Numine offerente, Regi Franco dandum, &c.* Vnde iam aliquot ante lustris, Ecclesiæ vrbisque Romanæ patrocinium, Francis creditum, Platina, in Gregorio III. *Consueuerant*, inquit, *Pontifices Romani, si quid mali ab externo hoste immineret, auxilia ab Imperatore Constantinopolitano petere. Quod facere Gregorius substitit, cum ob easdem causas, quas paulo ante commemoraui, tum vel maxime quod vrbem regiam ægre Leo à Sarracenis tutaretur, nedum alios defenderet. His itaque rationibus accidit, vt tunc primum tutela Ecclesiæ ab Imperatoribus Constantinop. ad alios trãslata sit. Carolus autẽ* Martellus *rogatus Gregorij patrocinium Ecclesiæ suscipiẽs, &c.*

Sed quod est præcipuum, solus Pontifex hunc Carolo honorem non habuit. Populus Romanus non modo consensit, vt hic sibi constitueretur Imperator, sed & voluit atque sanxit. Vnde Marianus Scotus lib 3. Chronic. *Carolus*, inquit, *hoc tempore à Romanis Augustus appellatus est*: & Platina Carolum inauguratum scribit *Populi Romani scito ac precibus.* Habes in Præstoni Sacerdotis *Apologia pro iure Principum*, rem fuse explicatam, qui recentibus, qui antiquis authoribus sat firmauit vera esse hæc Onuphrii verba, *Senatus populique suffragiis Carolus Magnus Imperator & Augustus appellatur.* veram hanc etiam Michaelis Coccinei sententiam, *Nec obstat, quod scribit Innocentius tertius ad Bert- ldum Zaringia Ducem, Sedem Apostolicam Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli de Græcis transtulisse in Germanos. Nam sedem Apostolicam non in alio sensu imperium transtulisse concedimus, quam Imperium transferentibus consensisse, aut transferendum declarasse, sed talis translatio vim & efficaciam suam habuit à consensu populi.*

Nec interest q nonnulli Scriptores id honoris à Pontif. delatum Carolo dicant. Nam Pontificem facti illius & concilii caput, qui etiam diadema Carolo imposuit, in hac historia nõ ad amussim describenda nominate satis fuit. Nemo tamen ex illis est, qui neget id Populi Rom. scito, potestate ac suffragiis factum. Et nos è contrario habemus multos graues, antiquos, qui hoc ipsum diserte affirment. Obiiciam igitur q vir doctissimus nuper, tua in re simili verba, (lib. 2. de Rom. Pont. c. 8.) *Respondeo primo, nihil concludi ex argumentis ab auctoritate negatiue. Non. n. sequitur, Luc. Paulus, & Seneca, non dicunt Petrum fuisse Romæ, igitur nõ fuit Petrus Romæ. Non. n. isti tres omnia dicere debuerũt, & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille nihil dicentib. modo isti non negent, quod alii affirmant.*

A translatione tamen ista, origo potestatis, quam sibi deinde asseruere in Imperatorem Pontifices: qui mox aucti Imperatorum donis, cum è contrario deficeret Imperium, seu rebellione ciuium, seu bellis externis, in ipsos Imperatores ius etiam vendicarunt, reuerentiã in potestatem mutauerunt, concilium in imperium. Quod, inquam, ob venerationem primæ sedis, illis Imper. populusq; concesserat, quasi iure debitum, non donatum: quasi à Christo veniens, non ab hominibus, deinceps tenuere: quæ etiam olim eorum patrata concilio, suo iussu acta esse & imperio contenderunt: adeo vt & Electoribus Imperii scribat Innocentius III. 2 Cap. *Venerabilem, de Elect.* ius & potestatem eligendi Imperatorem *ab Apostolica Sede peruenisse.* Quod inter cæteros refutauit egregie Cardinalis Cusanus, li. 3. de Conc. Cathol. c. 4. his verbis. *Electores qui cõmuni consensu omnium Alemannorum, & aliorum qui Imperio subiecti erant, tempore Henrici secundi constituti sunt, radicalem vim habent ab ipso omnium consensu, qui sibi naturali iure Imperatorem constituere poterant, non ab ipso Romano Pontifice, in cuius potestate non est dare cuicunque prouinciæ per mundum, Regẽ vel Imperatorem, ipsa non consentiente. Sed concurrebat ad hoc consensus ipsius Gregorii Quinti, tanquam vnius Pontificis Romani, qui iuxta gradum suum in consentiendo in communem Imperatorem interesse habet.* Hæc Pontificibus, inquam, causa, cur ab Imperatoribus iusiurandum fidelitatis exigerent: cur ad se illius examinationem & cõfirmationem traherent, nisi dicas, Imperatorum etiam aliquot accessisse consensum, longi denique temporis præscriptionem. Sed hæ causæ num in succedentes Imperatores valeant, viderint Imperatores ipsi, viderint Imperatorum Purpurati. Nihil hoc quidem ad reliquos reges, qui nec Pontifici iurant, nec se illi in examinatione & confirmatione submittunt. Nam ex ipsa *translatione* imperii, certe nec in Imperatorem, nec in cæteros Principes, ius Pontifici quæsitum est, cum non aliud fuerit, quam libera ac pene necessaria Romanorum (quorum præcipuus, Papa,) ab antiquo Imperatore desertorum, in nouum Principem ac Imperatorem consensio.

Sed redeo ad Pontifices, quos ais ante Gregorium VII. esse vsos temporali in Principes potestate. Venis igitur ad Gregorium IV. quem dicis, *Decretum Francorum, quo Ludouico Pio imperium*

ausa

auferebatur authoritate sua rescidisse & Imperium Ludouico restituisse. Vbi autem & quale Decretum Francorum, Bellarmine? Nullum omnino, nisi rebellium, qui filiis in patrem conspirantibus adhæserant. Affers auctoritatem Mariani Scoti. Qua fide, Bellarmine! cum nec in illo huius rei vestigium. *Reginam*, inquit, *Aquis obuiam ei venientem iubente Papa Gregorio accepit.* Hoc tantum Marianus: nam quæ apud te sequuntur, *siquidem filii Ludouici non solum Imperium, &c.* tua sunt, nō Mariani verba. Qui è contrario indicat filiis Imperatoris adhæsisse Gregorium: *Ludouicus Imperator*, inquit, *à filiis suis, id est Pipino, Ludouico, & Lothario, imperio priuatur, obuiam ei venientibus cum Gregorio Papa in campo magno, qui est inter Argentoratum & Basileam.* Id ipsum in Aimoino habes, lib. 5. cap. 14. *Tandem*, inquit, *ad id ventum est, vt filios Imperatoris in vnum cum copiis quibus poterant coniungerent, Gregoriumque Papam aduocarent, sub ornatu quasi qui patri solus filios reconciliare deberet, & posset. Res tamen veritas post claruit. Imperator è contrario, Mense Maio Wormatiam venit cum valida manu, idque quid agendum sibi foret diu deliberauit. Missisque destinatis, Bernardo scilicet Episcopo cum reliquis, filios hortabatur ad se redeundum. Sed & Papam Romanæ sedis conuenit, si more prædecessorum aderat, cur tantas necteret moras non sibi occurrendo &c.* Et mox de suspecto aduentu Pontificis ad Ludouicum: *Quem venientem*, inquit, *in ipsa acie Imperator consistens suscepit, licet indecentius quàm debuit, imputans ei, quod ipse sibi talem susceptionem præparauerit, qui inusitato modo ad se venerit.* Sed apertissime Sigebertus: *Gregorius Papa*, inquit, *in Galliam veniens contra Imperatorem cum filiis agebat.*

At, inquis, Reginam Iuditham iubente Gregorio Papa recepit: hic vero quidni authoritatem Pontificiam adhiberent? Ecclesiastica controuersia vertebatur: mulier adulterii insimulata: & iussu eorum, qui in Ludouicum coiuerant, in Monasterium trusa: adacta etiam iuramento vt sacrum susciperet velum, & reuera susceperat.

Sed &, inquis, decretum Episcoporum, quod imperium Ludouico abrogatum à Gregorio Pontifice rescissum est. Hanc historiam vnde Paulus Æmilius hauserit, vir multis sæculis ab illa ætate remotus non video: Nam omnium consensus Auctorum est Ludouicum suorum ciuium pœnitentia, auxilio etiam filiorum, Ludouici & Pipini, libertati & dignitati restitutum. Vide Reginonem *lib. 2. Chron.* Aimoinum *lib. 5* Marianum Scotum *lib. 3.* nequicquam, quod videram, Antiquorum de hac Gregorii pro Ludouico sententia. Sed sit ita: & fieri quidem potest vt Pontifex coniurantium fraude in Ludouicum allectus, rebus tandem patefactis pro Ludouico stetErit: sic enim Aimoinus: *Ductus autem Papa in habitationem castrensem Ludouici, multis assertionibus perdocuit se tantum iter non ob aliud suscepisse, nisi quia dicebatur quod inexorabili contra filios discordia laboraret: ideoque pacem in vtramque partem ferere vellet. Audita vero parte Imperatoris, mansit cū eo aliquot diebus.* Et mox, Ludouico à liberis capto, *Gregorio Papa*, inquit, *talia cernens cum maximo mærore Romam regreditur.* Sit igitur, quod Æmilius scripsit, abrogarit Gregorius Decretum Episcoporum, qui in Ludouicum coiuerant: quid mirum si Pontifex hoc Ecclesiasticorum hominum nefas irritum esse iusserit, vltra iustitiæ suique muneris errantium metam; aut quid illud ad disputationem nostram? Detrudebatur ab ingratis liberis parens. Episcopi id facinus ratum habuerant, Pontifex contra decernit id esse piaculum: nec audiendos Episcopos tantum scelus non modo probantes, sed iubentes. Hic rogo, num alicui Regi auferebat Pontifex imperium, num aliquem regno donabat? Nam de hoc vtique disceptamus. Certe regnum Ludouico non dabat: nam Ludouici iure erat; nec legitimum regnum eius filiis eripiebat, qui legitimi Reges viuo patre non erant: nec ius, inquam, Ludouico dabat ad regnum, quod à Patre olim acceperat: nec ius regni adimebat eius filiis: quod hi nullum habebant. Quid hoc igitur ad exemplum legitimi Regis de solio per Pontificem deturbandi, aut quæ ista illatio. Pontifex Christianis imperauit, ne à suo legitimo deficerent, Tyrannis ue illius ditiones inuadentibus adhærerent, quod & diuinum & Apostolicum præceptum est: Ergo potest legitimos Principes in temporalibus iudicare, eosque de regno deiicere?

Vltimum exemplum est Hadriani Secundi, quem ais plus ducentis ante Gregorium Septimum annis, hanc sibi potestatem vindicasse. Recitas ex Aimoino eius literas ad Carolum Caluum, vbi dicit, quod si quis Ludouici Imperatoris regnum inuaderet, *non solum per sua authoritatis ministerium infirmaretur*: verumetiam vinculis anathematis, &c. Age, quid illud Pontificem *per sua authoritatis ministerium infirmaturum*, si quis præsumeret sibi regnum Ludou. vendicare! An hoc erat, se eum de regno deiecturum, ita inquies: Aut igitur de *iure regni* aut reuera de possessione regni se inuasorem deiecturum minabatur. Si de iure: qui fieri posset vt inuasor, qui nullum ius habebat, (qualem esse qui Ludouici possessionem inuaderet satis superque iam Pontifex nunciabat, prædicabat) de iure deiiceretur? si de facto: tunc milite & gladio, non clauibus Petri opus.

Sensus igitur: se qui per Pontificale ministerium communis Principum pater esset, non infirmaturum modo quicquid in Ludouicum ageretur, nimirum edicendo eos, qui in illius hæreditatem inuasissent iniuste atque tyrannice id imperium vsurpare, sed grauius acturum, eosque *vinculo anathematis obligaturum*, & Ecclesiæ liminibus eiecturum.

At ne me putes detorquere hæc verba. Fac quem placet illis sensum: cum sint tantum ad tyrannos, seu *inuasores*, expellendos: quibus somnia ea flectas in legitimos Reges, & de quorum iure constet? Quid pluris? Carolus Caluus his Hadriani literis non paruit: vt ex Reginone, Aimoino, Mariano, Sigeberto, & aliis habes, qui scribunt, illum *bonam earum ditionum partem* occu-

pauisse. Nec paterno tamen sceptro post omnem contumaciam priuatus est à Pontifice adhuc istam authoritatem nesciente. Vis etiam voces audire, hominum *Ecclesiastici & secularis ordinis* (inquit Hincmarus) qui in prouinciis erant, quas à Carolo Caluo occupari Papa vetabat, & nihilominus sub Carolo esse volebant? Audi, inquam tot hominum, & ordinum voces, apud Hincmarum Rhemorum Antistitem, tunc in viuis, & de hac ipsa lite agentem, (in Epist. ad Hadrianum Papam.) *Petite Dominum Apostolicum, vt quia Rex & Episcopus simul esse non potest, & sui antecessores Ecclesiasticum ordinem, quod suum est, & non Remp. quod regū est, disposuerunt, non præcipiat nobis habere regem, qui nos in sic longinquis partibus adiuuare nō possit contra subitaneos & frequentes Paganorū impetus, & nos Frācos non iubeat seruire, cui nolumus seruire: quia istud iugum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt: & nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in sanctis libris audimus, vt pro libertate & hæreditate nostra vsque ad mortem certare debeamus. Et si aliquis Episcopus aliquem Christianum contra legem excommunicat, sibi potestatem ligandi tollit. Et nulli vitam æternam potest tollere si sua peccata illi eam non tollunt. Et non conuenit vlli Episcopo dicere, vt Christianum, qui non est incorrigibilis, non propter propria crimina, sed pro terreno regno alicui tollendo vel acquirendo nomine Christianitatis debeat priuare, & eum cum Diabolo collocare, quem Christus sua morte & suo sanguine de potestate diaboli venit redimere, & Christianos pro fratribus suis animas suas docuit ponere. Propterea si Dominus Apostolicus vult pacem quærere, sic pacem quærat, vt rixam nō moueat: quia non nos credemus, vt aliter ad regnum Dei peruenire non possimus, si illum quem ipse commendat terrenum regem, non habuerimus.*

§. 7.

Q*VARTVM est*, inquis, *in verbis sequentibus. Verum enim nihil aliud Gregorius eo facto, quam cruentas & furiosas tragœdias excitauit, nec infeliciter destinata, vt & armis prohibitum, perfecit.*

Hoc quoque falsum esse notissimum est: quoniam cruentas & furiosas tragœdias non Gregorii Decretum, sed Henrici inobedientia peperit: & quod potissimum optauit Gregorius, vt videlicet inuestituras Episcoporum de manibus Laicorum eriperet, partim per se, partim per successores suos omnino perfecit. Siquidem Gregorii sententiam & Decretum confirmarunt omnes eius successores, Victor III. Vrbanus II. Paschalis II. Gelasius II. & Calistus II. cuius tempore Imperatoribus cedentibus pax, inter Sacerdotium & regnum facta est: sic enim scribit Abbas Vrspergensis in Chronico anni millesimi centesimi vicesimi secundi, Ipse in cuius manu cor Regis est, omnem animositatem Augusti sub Apostolica reuerentia obedientiam, causa matris Ecclesiæ, etiam vltra spem plurimorum inflexit, &c. Vide totum locum.

Non Henrici *inobedientia*, Bellarmine, sed Gregorii vsurpatio hos fluctus concitauit: neque illa tempestas excreuit in tam horridæ calamitatis molem, propter excommunicatum tantum Henricum, quod pro Pontificali authoritate Gregorius & fortasse propter Henrici facinora potuit: sed ob sententiam, qua Henrico abrogabat imperium, quam potestatem Gregorius nec ex sua sede potuit, nec ex Henrici nancisci flagitiis. At, inquis, Gregorius *saltem quod potissimum optauit inuestituras Episcoporum de manibus Laicorum per se & successores eripuit*. Omitto non hanc præcipuam discordiæ causam inter Gregorium & Henricum memorari. Sed quod Gregorius sine Henrici consensu electus (de quo tamen postea inter illum Henricumque videtur conuenisse,) Quod deinde Giberti Rauennatensis Episcopi consiliis, qui Henrico inter primos, Romæ grauiter violatus, & à Cincio ab ara in custodiam tractus. Quod etiam ipse Henricus coacta Brixiæ Synodo, & deinde Wormaciæ Pontificatum Gregorio abrogari voluerit. Quod denique ipse Henricus luxu quidem & simonia fœdus, sed ad pœnitēdum tandē adductus, dum in Italia iussu Pontificis ad *visitanda* Martyrum fana annum impendit, eiusdem Pontificis machinis pene de regno deiectus sit: qui *pace durante*, & nihil tale suspicante Henrico, Germanos ad rebellionem excitat, & Rudolpho diadema transmittit. Ita scribit Abbas Stadensis ad *ann. MLXXVI.* Helmoldus Presbyter, in *Chron. Slauor. lib. 1. cap. 28. & 29.* Leo Hustiensis, in *Cassin. Chron. lib. 3. cap. 28.* Sed vel illa maxime causa, quam affers, hoc Gregorio concilium admouerit. Annon tamen ille culpandus, qui res suas, vel Ecclesiæ, neque iusto, neque Ecclesiastico modo repetiit? Imo vt peccauit Henricus, qui prætextu imperialis iuris, quod à Gregorio turbatum aiebat, *Habito conuentu* (Platina in vita Gregorii) *apud Wormaciam Sigfredo Archiepiscopo Maguntino negotium procurante, interdicere omnibus ausus fit, ne vlla in re Pontifici Rom. obtēperarent*, & cuius mandato *Rolandus Clericus Parmensis Romam veniens, Gregorio publice interdixit ne quid ageret deinceps quod ad Magistratum Pontificis pertineret, & Cardinalibus ipsis mandauit, vt relicto Gregorio alium habituri Pontificem ad se proficiscerentur.* Ita nec ferendus Gregorius hos in spiritualia iura conatus ita vlciscens, vt dicat se *Henricum Imperatoria administratione Regiaque deiicere, & Christianos omnes imperio subiectos iuramento illo absoluere, quo fidem veris regibus præstare consueuerunt.* Nihil, inquam, iniustius, quam vt Princeps temporalium vindex cum Henrico in spiritualia Pontificis, aut Pontifex spiritualia iura vlturus cum Gregorio in temporalia regum excurrat.

At sequentes Pontifices Gregorii Decretum confirmarunt. Quid mirum? Victor III. inter præcipuos Gregorii familiares fuerat. Vrbanus II. ab eodem Gregorio ad Episcopatum Ostiensem euectus, & acerrimus in his turbis minister Gregorii. Paschalis II. item à Gregorio in Presbyterum Cardinalem creatus. Gelasius II. ab Vrbano II. in Cardinales relatus, mox Calistus, in sedem & studia succedens. Omnes in illam controuersiam iurati, hæredesque partium, quas non malo forte animo, (libet enim clementer augurari) sed propter inclinationem & vota tot hominum, errore excusationem merente fouebant. Nec Henricus igitur solus, sed &

Grego-

Gregorius, tot calamitatum causa: quod etiamsi forte iusta, iniustis tamen modis repetiit. Neq; vero vt iactas, Bellarmine, *destinata perfecit*, cum non inuestituras modo *de manu Laicorum vellet eripere*, sed & ostendere (vt ipsius verba fuerunt) *imperia, regna, Principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare se posse*: quod nec ipse, neque tu, neq; alius adhuc ostendit.

§. 8.

QVINTVM & vltimum, inquis, *est in illis verbis vbi magnifice laudat Hosium Episcopum Cordubensem, quem vocat virum magnum & nobilissimum Confessorem: atque ex eius sententia constare dicit, Ecclesiam primis temporibus, neq; temporalem potestatem in Principes habuisse, neque habere se credidisse: ac ne quidem ob heresim, quod crimen grauissimum & perniciosissimum est.*

Sed nos Hosium virum magnum aliquando fuisse scimus, sed turpissime postea Arianam heresim non ignoramus. Id .n. tradit Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes, & in Apologia secunda: Hilarius in libro de Synodis: Epiphanius heresi 73. Sebadius in libro contra Arianos, Sulpicius lib. 2. Sacra Historia: Socrates lib. 2. cap. 26. Sozomenus lib. 4. cap. 5. Vigilius Martyr in lib. 5. aduersus Eutychetem: Denique Isidorus de viris illustribus in Gregorio Betico. Deinde Hosius quantumuis nunquam lapsus fuisset, tamen non tanti faciendus est ab hominibus Catholicis, vt anteponantur Concilus generalibus, non vni, sed multis, & Doctoribus omnibus initio à nobis citatis, qui communi sensu docent, propter heresim posse à Summo Pontifice Principes deponi, ac Principatu priuari. Addo postremo verba Hosii nihil omnino aduersus communem sententiam facere. Quid enim ille dixit? non licere Pontifici imperium gerere, vt neque Imperatoribus Pontificatum. Sed etiamsi Pōtifex imperium non gerat; potest tamen per ipsam Pontificalem potestatem Imperatorem hereticum ab Ecclesia arcere, ac ne Ecclesia noceat imperium ibi abrogare. Neque enim Zacharias Rex erat, & potuit tamen regem deponere. Neque Leo III. Imperator erat, & tamen imperium ab vna gente ad aliam transferre potuit. Imo si Papa Rex aut Imperator esset, non posset imperiali aut regia potestate Imperatorem aut regem deponere, quia par in parem non habet imperium: proinde quod facit Papa, facit Apostolica, id est, suprema spirituali potestate, vt Christi Vicarius, non vt Princeps terrenus. Ex his apparet quantum officiat luminis menti prauus propriæ opinionis affectus: Barclaius enim amore captus opinionis suæ in verbis Hosii perspicue se id videre existimauit, cuius nos ne vestigium quidem cernimus.

Hosium in Arianum hæresim incidisse sat scimus, & dolemus: sed multo post hanc eius ad Constantium Epistolam, quam tunc vt Orthodoxorum patronus, Ariano Principi misit, *non in priuati hominis Christiani*, vt recte Barclaius, *neque in simplicis Episcopi persona. sed etiam ordinis Ecclesiastici atque adeo Summi Pontificis nomine*: quod ipse non negas. Addis, non tanti faciendum Hosium *vt anteponatur Concilus generalibus & Doctoribus omnibus initio a te citatis*. Iam de Conciliis generalib⁹, in *Prolegomenis*, satis. Hosium autem scio, quid suo tēpore de Principibus sentiret Ecclesiæ, multo certius quā hos tuos Doctores cognouisse. Et erubesceres credo: palam pristinæ Ecclesiæ fidem relinquere, nouitiis adhæsurus. Ais denique, *verba Hosii, nihil omnino aduersus communem sententiam facere*. Nihil Hosius quidem aduersus communem sententiam, sed aduersus vestram multum, vt disseruimus supra *cap. 2. §. 10.* vbi & satisfactum distinctioni illi, quam affers, Pontificem: etsi rex esset, non abdicaturum tamen reges, quatenus ipse rex, sed quatenus Papa. Quem tu locum omnino, Lector, vide. Finio in hanc tuam Bellarmine sententiam. *Ex his apparet quantum officiat lumini menti prauus propriæ opinionis affectus. Bellarminus enim amore captus opinionis suæ, quod in verbis Hosii perspicue videre poterat, eius se ne vestigium quidem cernere existimauit.*

CAPVT V.

Quid sit potestas indirecta, de qua hic disputatur. Bellarmini argumētis, quibus oppugnat directam potestatem, etiam indirectam euerti. Quo modo sit à Deo potestas politica. Pontificem iure Vicariatus sui non posse regibus auferre imperium. Pontificem habere claues non modo regni cœlorum, sed & regni terrarum, si illi data hæc potestas indirecta. Perperam à Bellarmino accepta Apostoli verba, Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? Aduersarios Scripturis deficit, & Apostolorū traditione, vt probent potestatem indirectam in temporalia necessario esse annexam potestati directæ in spiritualia.

Titulus apud Bellarminum est,

De potestate in temporalia, quam indirecte Theologi Summo Pontifici tribuunt.

§. 1.



IN quinto capite, inquis, *Barclaius explosa (vt ipse dicit) Canonistarum & Bozii sententia, aggreditur refutare sententiam Theologorum, qui dicunt Papam habere potestatem in temporalia indirecte. Sed antequam ad eius argumenta refellenda accedam, explicabo breuiter quid*

 intelli-

intelligamus per voces illas directe & indirecte, & quis sit auctor earum vocum. Igitur per voces directe & indirecte, non intelligimus, vt aliqui per iocum dicunt, potestatem spiritualem esse in Pontifice directe, id est, iuste & legitime, temporalem autem indirecte, id est, iniuste & vsurpatiue, sed potestatem Pontificiam per se & propriè spiritualem esse, & ideo directe respicere, vt obiectum suum primarium, spiritualia negocia: sed indirecte, id est per ordinem ad spiritualia, reductiue & per necessariam consequentiam, vt sic loquamur, respicere temporalia, vt obiectum secundarium, ad quod non conuertitur hac spiritualis potestas nisi in casu, vt loquitur Innocentius tertius in cap. per Venerabilem. Qui filij sint legitimi. in alijs, inquit, regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus: quomodo etiam loquitur S. Bernardus in lib. 1. de Consid. cap. 5. Sed, inquit, aliud est incidenter excurrere in illa (temporalia negocia) causa quidem vrgente, aliud vero vltro incumbere istis, tanquam magnis dignisque talis. Porro auctorem harum vocum habemus Innocentium IV. Pontificem doctissimum. Is n. explicãs c. Nouit, de Iudicijs, § de feudo, dicit, Pontif. directe non iudicare de feudis, secus autem indirecte, ratione peccati. Eadem distinctione vtitur Ioannes de Turrecremata, Thomas Caietanus, Petrus de Palude, Durandus. Franciscus Victoria, Dominicus à Soto, Martinus Ledesmius, Iacobus Simanca, Antonius Cordubensis, Martinus Nauarrus, Ludouicus Molina, & alij.

Frustra tot verba: nisi vt dissimulares magnitudinem potestatis: quam vocatis indirectam: quæ cum in tempotalibus summa dicenda sit, cum omnium regum & Principum superstet fastigium eadem vi, quoad effectum, qua ipsi Principes cuilibet è vulgo præfecti sunt: imo, vt fatetur Ioan. de Turrecrem. in *Summa de Eccles. lib 2. cap. 114.* cum sit apex potestatis temporalis, quæ in Papa sit *modo digniori, superiori, & perfectiori*, quam in Principibus politicis & temporalibus, dum denique aut par sit, aut etiam maior, quam quæ mere temporalis à Canonistis dicitur (quippe *blandientes* homines, inquit Ioan. Maior, in 16. Cap. Matth. *vt Ioannes Gerson dicit, dant eis* Pontifici *dominium in temporalibus: & plerique ponentes eandem sententiam discrimen ponunt verbale.*) A te tamen velut leuis quadam nec inuidiosa consequentia à spirituali potestate deducitur. Eam hic syncerius proponit Barclaius: *Papam* ex vestra sententia, *habere potestatem temporalem indirecte & aliquo modo, id est, ratione, sua spiritualis Monarchia: habere inquam, summam potestatem, etiam temporalem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum, qua sententia si vera est, quicquid Pontifici per abnegationem directa potestatis subtractum est, id ei per obliquam & indirectam hanc imperandi viam, cumulate restituitur.*

Vis Innocentium III. de indirecta locutum potestate, cum dixit. *In alijs regionibus certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus.* At hoc contra Innocentii mentem, & verba. Nam hos casus ipse ponit: cum supremus Princeps se iurisdictioni Pontificiæ subijcit: aut cum in iudiciis difficile aliquid aut ambiguum reperitur, quo casu ad Apostolicam sedem recurrendum esse ait, propter Deuteronomii verba cap. 17. *si difficile & ambiguum apud te iudicium esse*, &c. Vbi autem hic potestas indirecta? quasi indirecte pertineant, quæ in Scripturis directe conceduntur (vt omnia tibi ex Innocentii mente largiar, in cuius rescripto truncatus hic Deuteronomii locus: vt quod ibi simul Pontifici & Iudici sæculari tribuitur, vni conferatur Pontifici: qua de re nos supra in *Prolegom. Nu. 52.*) quasi deniq; quæ casualiter fiunt, ea etiam indirecte. Dominus feudi extincta Vasalli stirpe, casualiter quidem feudum, neque tamen propter indirectam potestatem, imo vero propter directum dominium, recipit. Neque hæc ampla regum iura, quæ casualitates vocant, ad reges indirecta potestate & per consequentias peruenire quis dicat.

Nec felicius Bernardum produxisti, qui Pontifici consuluit ne à spiritualibus recederet, licet ditionibus multis potens, munitus stipatore, equo albo subuectus. Quia tamen à secularibus curis totus non poterat esse immunis, qui tot sæcularia possideret, hortatus est, ne iis saltem præcipua cogitatione incumberet. *Sed* inquit, *aliud est incidenter excurrere in ista, causa quidem vrgente: aliud vero vltro incumbere istis, tanquam magnis, dignisue tali, & c.* Ecce hæc indigna Pontifice Bernardus esse dicit. Vide tu verum malis indignum Pontifice esse, vt Principem infestum Ecclesiæ amoueat (quod Pastoralis curæ ais maximum & vtilissimum munus, licet indirectum ac per consequentiam, esse.) An vero Bernardum de hac indirecta Pontificis potestate non esse loquutum.

Nihil vero opus fuit, authores memorare vt probares ante tenatas voces, *directe indirecte.* Sciuit Barclaius his postremis seculis illam demum distinctionem vocum, non à Theologis primum, sed à Canonistis inductam. Et quem tu antiquissimum refers, Innocentium Quartum, is à Christo plus mille & ducentis annis vixit.

§. 2.

VENIO *nunc ad argumenta Barclaii,* inquis, *Primum adfert argumentum, quo ego fueram vsus aduersus eos, qui potestatem Pontificis, simul Pontificiam, & regiam, spiritualem, & temporalem esse volebant, Reges autem temporales, non tam esse Reges, quam executores Pontificia potestatis, & voluntatis. Argumentum meum hoc fuit, potestas regum terrenorum est à Deo, vt confitentur ipsimet Pontifices: S. Leo, Epist. 38. ad Martianum, S. Gelasius, in Epist. ad Anastasium, S. Gregorius lib. 2. Epist. 61. Nicolaus in Epist. ad Michaelem: ergo vel potest Summus Pontifex tollere exequutionem administrationis à Regibus, & Imperatoribus tanquam Summus ipse Rex, & Imperator, vel non potest, si potest, ergo est maior Christo, cum possit auferre, quod Christus dedit: si non potest, ergo non habet vere potestatem regiam in ipsos reges & Imperatores. Hoc argumentum ita retorquet Barclaius aduersus meam, & Theologorum cæterorum sententiam.*

1. Aut potest Summus Pontifex aliquo modo, hoc est directe, vel indirecte auferre Regibus & Imperatoribus regna atque imperia, aliisque conferre, aut non potest: si potest, ergo est aliquo modo maior Deo, quia quod Deus dedit, ipse aufert: minor enim vel par auferre non potest, quod à maiore, vel æquali concessum est: ac ne Vicarius quidem eius qui concessit, sine expresso Domini mandato: (ne quis nobis reponat, Papam tanquam Christi Vicarium id facere, cum ipse nullum de ea re mandatum, neque expressum, neque tacitum accepisse inueniatur) si non potest, ergo falsum est quod dicunt eum habere summam potestatem ind recte disponendi de omnibus rebus temporalibus Christianorum, & deponendi de solio Reges, & Imperatores, aliosque in eorum locum sufficiendi. Hæc Barclaius.

Respondeo. Cum dicimus ex Pontificum sententia Regum terrenorum potestatem esse à Deo: non intelligimus esse à Deo immediate, quomodo est à Deo potestas summi Pontificis, sed esse à Deo, quia Deus voluit esse in genere humano politicum regimen, & ideo instinctum quendam naturalem dedit hominibus, vt eligant sibi magistratus à quibus regantur: & præterea voluit Deus regimen politicum esse distinctum ab Ecclesiastico, vt expresse docuit Nicolaus Papa in Epist. ad Michaelem, & post eum Innocentius in cap. Solitæ, de maiorit. & obedient. & ante vtrumque Gelasius, in Epist. Ad Anastasium. Ex his perspicuum est argumentum meum solidum esse: & argumentum Barclaii omnino infirmum: Nam si in summo Pontifice esset potestas spiritualis, & temporalis directe, & esset Pontifex rex mundi, vt est Pontifex Ecclesiæ vniuersæ, & reges cæteri essent meri executores temporalis iurisdictionis, certe posset Pontifex pro arbitrio suo priuare quoslibet reges administratione, & executione iurisdictionis temporalis, & hoc modo posset tollere regimen politicum, vel cõfundere cum Ecclesiastico, & esset maior Christo, cum posset tollere, vel confundere potestates, quas ille voluit esse, & esse distinctas. At si in Summo Pontifice ponatur potestas spiritualis tantum directe, & temporalis indirecte, id est, in ordine solum ad spiritualia, non sequitur posse Pontificem tollere vel confundere politicum regimen, sed solum sequitur posse Pontificem per spiritualem atque Apostolicam eminentissimam suam potestatem dirigere, & corrigere potestatem politicam, eamque si opus sit ad finem spiritualem vni Principi adimere, & alteri conferre. Atq; vt respondeamus in forma ad argumentum: cum ille dicit, aut potest Summus Pontifex aliquo modo, hoc est directe vel indirecte, auferre regibus & Imperatoribus regna, atque imperia, aliisque conferre, aut non potest. Respondeo. potest, cum ille colligit, si potest, ergo est aliquo modo maior Deo, quia quod Deus dedit, ipse aufert: nego consecutionem. Nam Deus non dedit immediate regnum huic aut illi, sed dicitur potestas regum esse à Deo, quia Deus voluit esse inter homines potestatem politicam, eamque distinctam ab Ecclesiastica: proinde cum summus Pontifex transfert regnum ab vno ad alium, non tollit quod Deus dedit, sed ordinat & dirigit: & quemadmodum Deus dat regna hominibus, mediante consensu, & cõsilio hominum, & potest ac solet ea mutare & transferre de gente in gentem, mediante consilio & consensu eorundem hominum: ita potest maiore ratione ea mutare & transferre propter finem spiritualem per Vicarium suum generalem, quem constituit super totam familiam suam. At, inquit Barclaius, iste Vicarius non habet mandatum Domini, neque expressum neque tacitum. Imo habet expressum, sed in genere, eo siquidẽ ipso quod factus est pastor gregis totius, & præpositus toti familiæ, & caput vice Christi totius corporis Ecclesiæ, intelligitur habere mandatũ regendi & dirigendi, & corrigendi omnes oues totius gregis, omnes conseruos qui sunt in familia, & omnia membra, quæ sunt in corpore: neque excipiuntur Imperatores & Reges, nisi velint excipi à numero ouiũ Christi, & seruorum Christi, & membrorum corporis Christi.

Ais igitur te *nõ intelligere*, cũ dicis regũ potestatẽ esse à Deo, eã esse à Deo immediate: *sed esse à Deo, quia Deus voluit esse in genere humano politicum regimen: & ideo instinctum quendam naturalem dedit hominibus vt eligant sibi Magistratus à quibus regantur.* Quam ambigue, & æquiuoce de tam magnis & generis humani præcipuis! Nam si intelligas non immediate quidem eligi Reges à Deo: sed tamen per ipsius voluntatem, *quæ voluit esse in genere humano politicum regimẽ*, dari illis potestatem, quæ immediate ab ipso descendat, & de iure diuino sit, tunc nobiscum senseris, & expungenda erit sententia, qua asseris hanc potestatem non *immediate* esse à Deo: Sin vt ex verborum & argumenti ratione nimis constat, vis dicere hanc potestatem *esse à Deo*, non quod illa potestas de iure diuino sit, & à numine promanet in Principes, sed tantum quia instinctus constituendi sibi aut Magistratus aut reges à Deo est, tũc in scripturas, in rationẽ oĉin pugnas, iniurio in Principes dogmate & prorsus infesto. Quasi vero Regum aut Magistratuum authoritas non aliter à Deo sit, quam quia dedit hominibus instinctum vt ab iis regi velint! Pari modo dixeris non aliter matrimonii vinculum esse à Deo, quam quia Deus hominibus dedit instinctum quærendi sibi parem, & sui similem generandi? Imo vero Bellarmine, ille instinctus sibi constituendi reges, aut ad matrimonium accedendi, non est causa obligationis, quæ sub regum aut matrimonii iugo positos tenet, alioqui quoscunque ille instinctus impeteret, iis statim aut Regum aut coniugii vincula adderet. Sed vis maior, nempe Dei, qui non tantum dat instinctum, vt deligamus homines qui nos regant, sed delectis etiam vim sacram impertitur, & à se venientem potestatem, cui iam in particulari parere tenemur, qui non illis ipsis astringebamur antea: sed aliquos in genere poteramus eligere. Vno verbo dixerim, Regem non habere immediate à Deo quod sit Rex: sed cum sit Rex habere potestatem immediate à Deo venientem. Vnde Theodoretus, in cap. 13. ad Ruman. *Porro autem*, inquit, *sciendum est, quod & magistratum gerere, eique parere à diuina prouidentia pendere statuit diuinus Apostolus, non autem vt hic vel ille sit magistratus. Neque enim iniquorum hominum potestas à Dei electione procedit, sed ipsa principatus dispensatio.* Et Beatus Augustinus, aut quicunq; author est *Quæstionum veteris & noui testamenti*, certe antiquus, & vt credunt ex eruditis aliqui, ipse Ambrosius. *Non nescius Dauid*, inquit, quæst. 35. *diuinam esse traditionem in officio ordinis regalis, idcirco Saul in eadem adhuc traditione positum honorificat, ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decreuit. Dei enim*

imaginem habet Rex, sicut & Episcopus Christi. Vbi, inquam, in Regem, Principemue consensimus, iam facessat instinctus, qui quidem est stimulus, vt illi potestati nos subdamus, sed non tamen causa est illius potestatis: quæ nimirum sic à Deo est vt nec violari nec lædi, nisi à sacrilegis possit. Ita regibus dicitur (Sap. cap. 6.) *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo.* Ita Apostolus (ad Rom. 13) *Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* Irenæus lib. 5. aduersus hæres. Valent.) *Ad vtilitatem gentilium terrenum regnum positum est à Deo. Cuius enim iussu homines nascuntur, huius iussu & reges constituuntur, apti iis qui in illo tempore ab iis ipsis regnantur.* Tertullianus (in Apologetico.) *Inde est Imperator, vnde & homo antequam Imperator: inde potestas illi, vnde & spiritus.* Molina etiam vester, tomo 1. de iust. & iure tract. 2. disputat. 27. *Vnde licet,* inquit, *quæ à regia, & aliis legitimis inferioribus potestatibus rite vel constituuntur, vel præcipiuntur, sint de iure positiuo, quia tamen illis postquam ita fuerint constituta pareatur, est de iure naturali lumine ipso naturali intellectus, ex naturis ipsis rerum, id ita docente & præscribente, atque adeo est de iure diuino à Deo ipso, mediis naturis rerum ita constitutum. Quo fit vt leges & præcepta non iniusta, laicarum potestatem de iure sint humano: quod vero illis pareamus sit de iure naturali ac diuino.* Non est igitur ille instinctus causa regiæ potestatis, sed est causa, aut verius stimulus, cur eligimus nobis reges.

Addis, quod *voluit Deus regimen Politicum esse distinctum ab Ecclesiastico.* Nemo negat. Ex his, inquis, *perspicuum est argumentum meum solidum esse* (nimirum quod in Canonistas texuisti) *& argumentum Barclaii* (quod nempe ex illo tuo in Canonistas, in te retorsit) *omnino infirmum.* Quam ob rem, Bellarmine? quia si Canonistarum sententia vera esset, *& Pontifex esset directe Rex mundi, posset pro arbitrio suo priuare quoslibet Reges, & hoc modo posset tollere regimen politicum, vel confundere cum Ecclesiastico: & esset maior Christo, cum posset tollere vel confundere potestates, quas ille voluit esse, & esse distinctas.* Non validius in Canonistas agis, quam in te Barclaius. Nec enim Pontifex ea potestate præditus quã somniant Canonistæ, & quoslibet Principes pro arbitrio amouens, tolleret regimen politicum, aut cõfunderet cum Ecclesiastico. Sed in illo resideret spiritualis authoritas, qua spiritualia regeret, & politica qua res ciuiles gubernaret. Neque credunt Canonistæ potestatem qua Pontificem orbis regem statuunt spiritualem esse: sed vero temporalem, atque politicam: quam aiunt eam spiritualem in Petrum à Christo collatam, neque quærunt an directe & temporaliter Principibus dominari sit præcisso spiritualiter (nam quis adeo fatuus qui hoc quærat?) Sed num Pontifici competat temporalis hæc potestas. Audi Doctorem Matthæum (de iurisd. &c. 1 parte cap. 18. numero primo.) *Non obstantibus præcedentibus rationibus, contrarium deciditur in hoc textu, videlicet ipsum summum Pontificem habere summam laicam potestatem in temporalibus, non solum habito respectu ad spiritualia, sed etiam ad temporalia naturaliter, & temporaliter.* Idem (eadem parte capite vigesimo, numero 32.) *Ex his sequitur intenta conclusio: Imperator habet temporale dominium temporaliter & directe in toto vniuerso. cuius partes quot itatiua sunt regna, & status: sed Imperator recipit exercitium huius dominii temporalis à Papa: Ergo Papa habet dominium temporale temporaliter & directe in toto vniuerso.* Bozius libris suis titulus fecit *de temporali Ecclesiæ Monarchia & iurisdictione.* Sed & diserte (libro primo; capite primo) scribit, *probari supremam temporalem Ecclesiæ Monarchiam, & temporalem potestatem contineri in Ecclesiastica seu spirituali eminenter, imo formaliter & absolute, pro omnibus aliis temporalibus potestatibus.* Et vult (lib. 2. cap. 16.) ex Leonis IX. verbis deducere Pontificem *distinctim accepisse regnum terrestre, & absolute nõ consecutiue, & per accidens ad vnam & simplicem spiritualem potestatem.* Piget pauca exscribere. Tota volumina eiusmodi nugis constant.

Falsum itaque Pontificem regimen politicum sublaturum, aut cũ Ecclesiastico confusurum, si regibus executionem tollat. Sed hoc tantum consequetur, eundem hominem Ecclesiastica & Politica gubernare, & sub eo nihilominus Ecclesiasticum regimen à politico distingui, vt hodie in patrimonio Petri de facto distinguitur. Nam *Christus voluit illas potestates esse, & esse distinctas:* sed non vetuit ne idem vtrique præesset potestati. Alioqui nec Pontifex hodie temporalis ditionum suarum Princeps esset. Tu ipse prolixum caput habes (lib. 5. de Pontif. Rom. ca 9.) cui titulum facis. *Non pugnare cum verbo Dei, vt vnus homo sit Princeps Ecclesiasticus, & Politicus simul.*

Nihil igitur in Canonistas tuum illud argumentum: aut certe niti debet non confusione potestatum, quæ nequaquam sequeretur: sed potestate regum, quam, cum à Deo sit, nemo nisi Deo maior potest auferre. Quo sensu & à te scriptũ esse non dubito, & vt est in Canonistas egregium, ita optime in teipsum sic à Barclaio retorquetur. Si potest Pontifex aliquo modo, nempe directe vel indirecte, auferre regibus imperia, erit maior Deo: quia quod Deus dedit, ipse aufert. Tu reponis Pontificem non fore Deo maiorem, quia Deus non dedit regna immediate. Quid? an non eadem pro Canonistis solutio? Sic in eos argumentaris, *Si potest Summus Pontifex auferre à regibus & Imperatoribus hanc executionem est maior Christo.* & sic in te Barclaius: *Si potest Summus Pontifex vllo modo auferre regibus regna, est maior Christo.* Si Barclaii argumentum ea distinctione rite soluis, quod non ideo Pontifex erit maior Christo, *quia Deus non dedit immediate regnum huic aut illi:* Nunquid & Canonistæ tuum quoque argumentum sic eludent, non ideo Pontificem fore Christo maiorẽ, quia Deus non dedit immediate executionem tẽporalis Imperii huic aut illi? Nã tu ipse aperte dilerte eiusmodi exequutionem immediate à Deo huic aut illi assignari. Sed iam ad istud tuum de immediato & mediato imperio argumentum supra respondimus (*Capite tertio §. decimo septimo.*) Certum enim Reges, aut Principes, quos appellamus summos, licet ipsi non semper Deo

per Deo

per Deo immediate habeant quod sint Principes, habere tamen in se potestatem à Deo immediate venientem.

Quid deniq; tua solutione absurdius, cui consequitur omnia, quæ eo modo mediate dantur à Deo auferri per Pontificem posse? Certe ne in exemplis morer, vt non immediate iubetur populus hunc aut illum in regem eligere, ita nec ego hāc aut illam vxorem ducere: vbi igitur populus consensit in Regem, aut ego in vxorem, num quæso hoc vinculum per Pontificem colli potest, quia mediate à Deo est? mediate, inquam, vtrumque pari modo, cum nec immediate ille Rex, nec immediate illa vxor destinetur: vtriusque tamen potestate & iure, vbi in eum prouecti sunt locum, immediate à Numine constitutis?

Restat igitur inconcussum Barclaii argumentum, Pontificem Deo maiorem fore, si possit Regibus auferre imperium, quod Regibus Deus dedit.

Dicis tamen. *Proinde cum summus Pontifex transfert regnum ab vno ad alium, non tollit quod Deus dedit: sed ordinat & dirigit.* Ridicule. Quo pacto, quo miraculo possit Pontifex transferre à Ioanne in Petrum id quod Deus Ioanni dedit, nisi tollat ac auferat à Ioanne id quod illi Deus dedit? Neque enim tantum in genere Deus iubet vt Regibus & Magistratibus obsequamur. Sed in indiuiduo etiam huic aut illi, vbi Rex aut Princeps effectus est, potestatem tribuit, & reuerentiam iubet haberi.

Et quemadmodum Deus, inquis, *dat regna hominibus mediante consensu & consilio hominum: & potest ac solet ea mutare & transferre de gente in gentem, mediante consilio & consensu eorundem hominum: ita potest maiore ratione ea mutare, & transferre, propter finem spiritualem, per Vicarium suum generalem, quem constituit super totam familiam suam.* Numquis negat Deum hoc posse? Sed ô eximium argumentum! Deus potuit dare illam potestatem Pontifici: ergo dedit.

Pergis. *An inquit Barclaius, iste Vicarius non habet mandatum Domini neque expressum, neque tacitum: Imo habet expressum, sed in genere: eo siquidem ipso quod factus est Pastor gregis totius, & præpositus toti familiæ, & caput vice Christi totius corporis Ecclesiæ, intelligitur habere mandatum regendi, & dirigendi, & corrigendi, omnes oues totius gregis, omnes conseruos, qui sunt in familia: & omnia membra quæ sunt in corpore, neque excipiuntur Imperatores & Reges, nisi velit excipi à numero ouium Christi, & seruorum Christi & membrorum corporis Christi.* Quid hoc rei? Barclaius ait, Vicarium illius, qui aliquid concessit, id quod concessum est sine *expresso domini mandato*, auferre non posse. Dicis Papam habere expressum mandatum, sed in genere auferendi regna, quæ Deus dedit. Quid inquam hoc rei? quasi expressum mādatum non sit, quod nominatim & expressis verbis datur: non autem quod per consequentias ex generali mandato deducitur: quo hoc modo Pontificis temporalem deducis potestatem: ex eo nempe, quod pastor gregis factus sit. Neque enim (vt recte Barclaius) quantumlibet generale mandatum Vicario hanc potestatem facit, vt auferat quod concessit is cuius est Vicarius. Et ne forte cauilleris, generale mandatum expressum dici posse cum non sit tacitum, sed verbis exprimatur: Respondeo, Barclaium dicere, neque te ausum ire inficias, ad hoc vt vicarius possit auferre id quod datum est ab eo cuius est vicarius, necessarium esse vt mandatum habeat, non quod generaliter tantum exprimat illum vicarium constitui, sed quod expressis contineat verbis, illum cum hac potestate constitui, vt quod dominus dedit possit auferre: alioqui nihil illi mandatum generale quo vicarius constitutus sit, ad hanc potestatem profuturum. At dicis Papam esse *Pastorem gregis totius, præpositum toti familiæ, &c.* Aio eum esse pastorem, præpositum, caput spiritualiter? plus igitur Imperatores & reges si de grege, si de familia Christi sunt, ei spiritualiter esse subiectos: in temporalibus vero, quatenus est Pontifex, ne minimum quidem ex vulgo.

§. 3.

ADFERT *deinde Barclaius* inquis, *alterum argumentum, quod ego proposui aduersus eorum sententiam, qui tribuunt Summo Pontifici potestatem temporalem directe in omnia regna mundi: illudque retorquere conatur aduersus meam, & aliorum Theologorum sententiam de potestate temporali indirecte, id est in ordine ad spiritualia, sic autem loquitur. Sed aliud longe efficacissimum, quod ex eodem Bellarmini libro, & capite supra retulimus, hoc loco ad institutum nostrum optimo iure in hunc modū adaptabimus. Si verum est Papam habere potestatem indirecte disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum, aut eam habet iure diuino, aut iure humano: si iure diuino, deberet id constare ex Scripturis, aut certe ex Apostolorum traditione: ex Scripturis nihil habemus, nisi datas Pontifici claues Regni cœlorum: de clauibus regni terrarum nulla mentio fit: traditionem Apostolorum nullam aduersarii proferunt.*

Respondeo: habet Summus Pontifex iure diuino potestatem disponendi de rebus temporalibus Christianorum in ordine ad finem spiritualem. Id vero constat ex Scripturis: nam in clauibus regni cœlorum Apostolo Petro, pro se, & successoribus traditis, Matth. 16. non intelliguntur quidem claues regni terrarum, de quibus nulla mentio facta est in Euangelio, quia non erat necessarium vt summus Princeps Ecclesiæ simul esset Monarcha temporalis huius mundi: sed intelligitur potestas disponendi de temporalibus, quatenus ea iuuant ad aperiendum fidelibus regnum cœlorum, vel impediunt atque obstant, ne fidelibus aperiatur Regnum cœlorum.

Vis igitur vestræ causæ inseruire id Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Ex illo vis sequi omnia, & quæ tamen sequi vis, vis deinde nō sequi. Dicis quippe iis verbis contineri *potestatem disponendi*

de tem-

de temporalibus, quatenus ea iuuant ad aperiendum fidelibus regnum cælorum, &c. id est, vt interpretaris, potestatem dandi & auferendi regna, prout iudicat *iuuare ad aperiendum fidelibus regnum cælorum, &c.* At repono contineri igitur claues regni terrarum: quod tu ipse tamen negas. Nam Pontifici ita non dantur cœlestis regni claues, vt simpliciter & absolute possit, quib. aut quando volet, cœli limen reserare aut claudere: sed vt indignos in Ecclesiam nō recipiat, Ecclesia eiiciat, regno cœlesti arceat: aperiat porro dignis: & ob hanc potestatem habere dicitur *claues regni cælorum*. Si igitur pari modo habet potestatem disponendi de temporalibus, vt terrena regna possit (Gregorii VII. verbis) *auferre & dare*, vt de solio indignos præcipitet, dignos inducat, quidni dicetur, Bellarmine, habere etiam claues regni terrarum? Non Pontifex, inquam, cœli claues ideo habet, quod sit rex cœli, sed quod possit homines, exigente iustitia, cœlo inducere, aut cœlo arcere: cur igitur & regni terrarum non habeat claues, quamuis non sit terrarum rex, si de temporalibus potest & terrestribus regnis, eadem ratione disponere.

En vt Canonistas male carpis, aut te recte Barclaius: quandoquidem traditionem Apostolorum, quam ab illis efflagitas, tu pro te nullam affers. Quæ autem producis ex Scripturis, non vestram amplius quam Canonistarum propugnant sententiam: sed apud vos vtrinque certatur pari iure, commentis scilicet, sophismatis, pertinaci interpretatione, quæ vt scis, tot hæreses peperit. Quid porro ab inuita scriptura extorquetis hos sensus? quis inter tot Theologos, tot Doctores, annis mille & septuaginta post Christum, de hac consequentia quam fingis meminit, & ab illis Christi verbis, *Tibi dabo claues, &c.* seu indirectam deduxit, seu directam in temporalia potestatem? Sed nec aliter tu ipse deducis, quam quod per ea *intelligitur potestas disponendi de temporalibus quatenus ea iuuant ad aperiendum fidelibus Regnum cælorum, vel impediunt atque obstant, ne fidelibus aperiatur regnum cælorum*. Hoc autem quomodo *intelligatur* prorsus siles: vt nobis relinquas cogitandū, ex tua sententia, ea omnia, nō modo quæ necessaria sunt, sed quæ *iuuant*, aut quæ tibi fingis *posse iuuare* salutem æternam, mortalium Pontificiæ potestati per illam Christi sententiam esse cōmissa. Quod commentum *cap. 3. §. 6.* iam satis excussimus.

§. 4.

At *obiicit Barclaius*, inquis, *Quod si dixerint neque expresso Dei verbo, neque traditione Apostolorum ad huius potestatis confirmationem opus esse: cum indirecte tantum, & ex quadam sequela Pontifice competat, tanquam inseparabilis quadam accessio, & appendix potestatis illius spiritualis, qua supremus animarum pastor in omnes Christiani gregis oues praditus est. Nos rursus ab eis petemus aliquod eius accessionis & coniunctionis testimonium ex Scripturis, vel traditione Apostolorum.*

Respondeo. Iam dixi potestatem, de qua loquimur, habere expresse in Scripturis, sed generatim, non in particulari: in illo videlicet ca. 16. Matth. Tibi dabo claues regni cælorum. & Ioan. 21. Pasce oues meas: atque ex iisdem istis testimoniis diuinis colligi particularem illam accessionem, & coniunctionem potestatis disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia, vt non semel explicatum est. Neque verum est, quod Barclaius subiungit: Hanc tantum potestatem tum à Christo, tum ab Apostolis eorum successoribus alto silentio in Ecclesia tot sæculis fuisse prætermissam. Nam à Christo satis aperte significata est in locis citatis: & ab Apostolo etiam indicata 1. Corinth. 6. cum ait, Nescitis, quia & Angelos iudicabimus? quanto magis secularia? & à successoribus Apostolorum Petri & Pauli, Romanis videlicet Pontificibus, re ipsa demonstrata est in depositione Regum, & Imperatorum, iam inde ab anno Domini septingentesimo: nam ante illud tempus, vel defuit necessitas, vel opportunitas.

Cum hęc scriberes, an tenebas ipse risum? Dicis *potestatem, de qua loqueris haberi expresse in Scripturis*. Mox ais, ex Scripturis *colligi particularem illam accessionem & coniunctionem potestatis disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia*. Atqui particularis illa accessio & coniunctio potestatis, est illud ipsum, de quo agimus. Ergo in iisdem Scripturæ locis illa potestas expresse ponitur, & ex iisdem tantum per consequentias colligitur. Quid Lectori siue credulo siue rudi tantum illudis.

Neque verum est, inquis, *quod Barclaius subiungit hanc tantam potestatem tum à Christo, tum ab Apostolis, & eorum successoribus tam alto silentio in Ecclesia tot sæculis fuisse prætermissam. Nam a Christo satis aperte significata est in locis citatis.* Imo nec aperte nec obscure, vt iam disseruimus, à Christo significata est. *Et ab Apostolo*, inquis, *etiam indicata 1. Corinth. 6. cum ait, Nescitis quia & Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia?* Quid? hanc potestatem indicauit Apostolus cum dixit, *Nescitis quia & Angelos iudicabimus?* Imo nec de tēporali nec de spirituali Ecclesiasticorū hominum potestate, sed de futura electorum omnium dignitate loquutus est, qui in extremo mundi die etiam malos Angelos iudicabunt, & hoc verbo *iudicabimus* non se modo aut Apostolos, aut Clericos, sed & omnes electos inclusit. Quippe monebat Christianos, vt inter se iudices seu arbitros ex fratribus constituerent, nec vbi aliter possent ab Ethnicorum tribunalia disceptarent. *An nescitis*, inquit, *quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? Quanto magis secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum.* Ecce, qui iudicaturi sunt *mundum*, qui *Angelos*, eos vult Apostolus *minima & sæcularia* iudicare. Atqui neq; se, neque cæteros Ecclesiæ destinatos, præcipue summum Pontificem, ad hæc iudicia deligi voluit, sed contemptibiles, id est, vt interpretatur B. Gregorius (secunda parte Pastor. cur. Capite septimo, & libr. 19. Expos. Moral. in Iob Cap. 21.) *qui*

non spi-

iam spiritualibus bonis ditati sunt, & quos spiritualia bona non exornant, sed qui tamen *exteriorum rerum sapientiam perceperunt*. Sed & electis omnibus hæc quæ offers Apostoli verba dici, idem Doctor ostendit (lib.4. Expos.in 1.Reg.cap.7.) *Beatus Paulus Apostatarum Angelorum memorans, ad amorem futura dignitatis electos accendit, dicens: An nescitis, quia Angelos iudicabimus?* & ante illum Theodoretus ad hunc locum. *Angelos autem dicit Dæmonas, olim enim hoc fuerunt. Eos autem sancti condemnabunt, quod cum corpore tecti essent, diuini cultus curam gesserunt, illi autem in natura incorporea improbitatem amplexi sunt.* Eadem ratione in Almaino soluitur istud ipsum argumentum Quæst. 1.cap.14 De supr potest. Eccles. & laic. *Ille, inquit, qui habet temporalia seu secularia iudicare sine exceptione, habet plenam potestatem in illis: sed Papa est huiusmodi. Ergo. Consequentia est certa cum maiore. Sed minor probatur 1. ad Corinth.6. Angelos iudicabimus, quanto magis secularia? Hoc dicit sine exceptione. Ergo, Respondet Doctor, negando minorem, & ad authoritatem Pauli dicit, quod Paulus non dicit hoc in sua propria persona, quia loquitur in plurali, neque erat Papa, neque loquebatur in persona Pontificis, sed dicit hoc loquens de toto cœtu fidelium, volens dicere quod inter fideles esset aliquis constituendus à fidelibus, siue Laicus siue Clericus, & adhuc magis Laicus quam Clericus; qui haberet causas temporales & seculares inter ipsos diiudicare, saluo tamen iure iudicis infidelis.*

Addis hanc potestatem, *à successoribus Apostolorum Petri & Pauli Romanis videlicet Pontificibus, re ipsa esse demonstratam in depositione Regum & Imperatorum, iam inde ab anno Domini septingentesimo.* Primum nego Pontifices ante annum millesimum & septuagesimum illud iuris vendicasse. Sed vt verum sit quod tu dicis, nempe à septingentesimo Christi anno id sibi arrogasse Pontifices: quid hoc in Barclaii argumentum, qui traditionem Apostolorum à se petit, quæ certe per septem sæcula nequaquam latuisset. Nam quis non rideat ad Apostolorum traditionem id referri, cuius nullum in Ecclesiæ doctrina aut factis vestigium reperiatur ante septingentesimum à Christo passo annum? Illi porro deinceps *successores Apostolorum Petri & Pauli*, qui eam, quam tueris potestatem asseruerunt suæ sedi, non *deposuerunt reges & Imperatores*, quod de hac potestate quisquam exposuisset verba Scripturæ, *Pasce oues meas, & quidquid ligaueris*, sed cum Reges abdicassent, tunc ab iis ipsis Pontificibus hæc interpretatio demum exorta. Quod dicis deponendorum regum ante septingentesimum annum vel defuisse necessitatem vel opportunitatem, quàm non verum sit, proximo capite dicendum est.

§. 5.

OBIICIT *rursus Barclaius*, inquis. *Si vtraque potestas ab altera, spiritualis scilicet à temporali, & econtra, separari possit: locus erit sententia, qua quod directe fieri non permittitur, id nec indirecte fieri posse statuit: ita enim prudentes desinierunt quoties aliquid directe fieri prohibetur, id nec indirecte quidem, siue per consequentiam fieri posse: nisi id quod prohibitum est, sequatur necessario ad aliud iure permissum, ita vt permissum sine prohibito non possit procedere, & nisi (vt cum Iurisconsulto dicam l.5.§ generaliter de donatione inter virum & vxorem.) Vtriusque causa ita commixta sit, vt separari non possit. Vnde eum qui solus rem alienare non potest, ne cedere quidem posse liti super ea mota concluditur, iuxta Panor. in c. Dudum 54. de elect. & c. cum pridem, de par. quod nimirum oblique & indirecte hoc modo rem alienaret. Si igitur Papa, quatenus Papa nullā temporalem iurisdictionem directe habet in Christianos, quod illi concedunt, superiore iuris sententia effici videtur, tum ne indirecte quidem habere posse, quapropter vt suam hominibus sententiam persuadeant, debent ex Scripturis, aut Apostolorum traditionibus testimonium proferre, vel saltem docere, temporalem potestatem, de qua loquuntur ita coniunctam esse cum spirituali; vt ab ea diuelli & separati, vt, inquam, spiritualis sine ea consistere nullo modo possit: quod quoniam præstare nequiuerunt, nihil nisi opiniones incertas sunt secuti, & rationes, quæ non satis videntur concludere, quod assumunt.*

Respondeo, De coniunctione & separatione Ecclesiastica potestatis, & politica, duplex potest esse quæstio. Vna. An possit Ecclesiastica potestas esse sine politica, ita vt nullus in Ecclesia sit Politicus Princeps: & contra, An possit potestas politica inueniri in aliqua gente, vbi nullus sit Prælatus Ecclesiasticus: & hoc modo concedimus posse inueniri has potestates omnino separatas: primis enim temporibus Ecclesiæ fuit in terris Ecclesia sine vllo Principe tēporali Christiano: & fuerunt eodem tempore, & sunt etiam nunc aliqua regna infidelium, vbi nulli sunt Prælati Ecclesiastici. Altera quæstio esse potest, an possit dari summa potestas Ecclesiastica, siue spiritualis, quæ non habeat aliquo modo annexam potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia: & hoc modo negamus posse dari potestatem summam Ecclesiasticam, siue spiritualem, quæ non habeat annexam potestatem temporalem aliquo modo, id est in ordine ad spiritualia. Nam etiam illo tempore, quo nulli erant in Ecclesia Principes tēporales, potuit Princeps Ecclesiasticus iubere fidelibus, vt de bonis temporalibus alerent ministros Sacramentorū: item vt fideles dirimerent inter se lites ciuiles, & non adirent pro his reb. tribunalia infidelium: quorum vtrumq; docet Apostolus in priore ad Corinth. ca 8. & 9. Potuit quoque Ecclesia non tolerare super se Principem infidelem, si is auertere conaretur fideles à cultu veri Dei, vt S. Thomas docet in 2.2.q.10.art.10 Demique illo tempore deerat vsus potestatis huius in Principes, quia nulli erāt, sed potestas ipsa non deerat: aliud n. est potestas, aliud vsus potestatis. Itaque fundamentum Barclaii de separatione harum potestatum omnino corruit, & eo ruente ruit totum ædificium argumentorum ipsius. Nam quod adducit ex iure ciuili & canonico non facit ad rem: quia non admittimus separari posse omnino potestatem spiritualem à temporali, & contrarium pro comperto habemus, idque ex testimonio Scripturæ, & praxi Ecclesiæ Barclaius autem assumit tanquam certa & cōcessa nos destitui testimonio Scripturæ, & potestates illas nullo modo esse coniunctas: quæ nemo nostrum concedit, imo et falsa esse contendimus.

Accedit

Accedat præterea, quod quando in Ecclesia sunt Principes temporales, vt post primos ducentos vel trecentos annos semper fuerunt: tunc potestas Ecclesiastica & politica coniuncta sunt adhuc strictiore vinculo: quoniam Princeps politicus subiectus est Principi spirituali vt filius patri & membrum capiti. Siquidem Respublica politica & spiritualis vnam Ecclesiam faciunt, non duas: & illius vnius Ecclesiæ caput est Vicarius Christi, Petrique successor. Quare si quid valerent argumenta Barclaii pro Principibus, qui fidem nunquam susceperunt, quod tamen non admittimus, certe pro Principibus Christianis, aut qui Christiani aliquando fuerunt, nihil prorsus valent. Sed de hac re plura suo loco dicenda sunt.

Scis maximam mortalium partem, innolutis rationibus, perplexis argumentis, distinctionibus & subdistinctionibus, veluti in quodam Labyrintho non Ariadnæ modo filum, sed & sydus rationis amittere. Totum itaque Barclaii librum, quo non alium puto magis nudo & veluti innocenti contextu sese ad hominum protulisse iudicium, nescio quo velas fuco, vt non tam respondere videaris, quam tes[illegible]. Obiecit Barclaius potestatem politicam separatam esse ab Ecclesiastica; adeo quenon sequi, eum, qui Ecclesiasticam habet, etiam habere politicam: nisi probetis inquit vsurpans tua in Canonistas verba, *constare ex scripturis, aut certe ex Apostolorum traditione vtriusque causam ita commixtam esse, vt separari non possit.* Tu respondes posse quæri, *an possit Ecclesiastica potestas esse sine politica, ita vt nullus in Ecclesia sit Princeps politicus.* Quid hoc ad rem? aut quis de eo vnquam nisi de Pyrrhoniis dubitauit? Item, an possit potestas politica inueniri in aliqua gente, vbi nullus sit Prælatus Ecclesiasticus. Quasi Barclaius de ea re aut dubitarit, aut quæsierit. Tandem propius ad rem accedens, negas posse dari potestatem summam Ecclesiasticam siue spiritualem, quæ non habeat annexam potestatem temporalem aliquo modo, id est, in ordine ad spiritualia. Negas inquam, sed absque fundamento: imo Barclaii argumentum nihil tangens, quod superiori partim paragrapho partim isto exscribis: fortassis vt eiusmodi diuisione elangueat: ita quoque exscribis, vt multa omittas. Nos hic illud assertori, Bellarmine, primum Lectori dabimus, tum quæ tu superiori illo paragrapho, tum quæ etiam tibi prorsus intacta. Sic igitur Barclaius, *Quod si dixerint, neque expresso Dei verbo, neque traditione Apostolorum ad huius potestatis confirmationem opus esse, cum indirecte tantum & ex quadam sequela Pontifici cõpetat, tanquam inseparabilis quadam accessio, & appendix potestatis spiritualis, qua supremus animarum pastor in omnes Christiani gregis oues praditus est. Non rursus ab eis petemus aliquod eius accessionis & coniunctionis testimonium ex Scripturis, vel traditione Apostolorum: Petemus, inquam, vt ex Scripturis vel Apostolorum traditione doceant, hanc esse accessionem & sequelam necessariam, & inseparabilem illius potestatis spiritualis, quam habet Summus Pontifex, atque ad munus Pontificale pertinere aliquo modo, hoc est indirecte, vt loquuntur, disponere de omnibus rebus temporalibus Christianorum: cum neutiquam sit verisimile si id eius officio cõueniat, tanquam potestatis amplitudinem, & qua nihil in rebus humanis præclarius, tum à Christo Saluatore, tum ab Apostolis & eorum successoribus, tam alto silentio in Ecclesia tot sæculis fuisse prætermissam.* Tum sequitur quod ex illo hic exscribis. *Si vtraque potestas ab altera spiritualis scilicet, &c.* Huic tu rationi nullo modo respondes. Petit quippe Barclaius vt ex Scripturis, aut traditione Apostolorum, ostendas, hanc indirectam in temporalia potestatem, esse necessariam & inseparabilem sequelam spiritualis potestatis. Tu non ostendis. Ais tamen muliere confidentius: *Non admittimus separari omnino potestatem spiritualem à temporali, & contrarium pro comperto habemus, idque ex testimonio scriptura & praxi Ecclesia.* Cur autem non admittis? vbi illæ Scripturæ? vbi Apostolorum traditio? Nam neque nos admittimus tuum istud [illegible]. Ex Apostolorum traditione (ô rem ad integritatem nostræ causæ eximiam!) neque hic prorsus, neque alibi quicquam habes. Ex scripturis sæpius ista affers: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & pasce oues meas* quæ verba non tu negas proprie & directe de spirituali potestate intelligi: at nos ex iisdem Scripturis aut ex traditione Apostolorum petebamus nobis ostendi, non tantum potestatem spiritualem Petro datam, sed etiam potestatem in temporalia, esse necessariam sequelam potestatis spiritualis. Non inquam, petimus, num tu dicas potestatem temporalem ex spirituali sequi, sed num Scriptura hoc dicat, num Apostolorum traditio.

Habes aliam scilicet ex scripturis authoritatem: *Potuit*, inquis, *Princeps Ecclesiasticus iubere fidelibus, vt de bonis temporalibus alerent ministros Sacramentorum.* Quasi hoc fuerit in temporalibus iudicare. Quin eodem iure scribebas potuisse Ecclesiasticum Principem iubere, ne quis furti se adstringeret vt cuique quod suum est redderetur, ne quis à lege naturæ recederet? Tam hoc enim est in temporalibus iudicare, quam cum imperabat vt Euangelii Ministri alerentur; quod omnino ex naturæ lege erat. Poterat igitur, non Pontifex modo, sed omnes Ecclesiastica authoritate pollentes, prædicare Christianis eos teneri ad stipendium spiritualium patrum: iis etiam spirituali iurisdictione imperare, ne vel in illa re, vel in vlla alia, in Dei legem committerent. At non eadem bona, quæ sibi debebantur, à nolentibus Christianis, velut *per sententiam* potuerunt auferre. Vt disseruimus vberius, *cap. tertio*, §.8. Quod addis *potuisse Principem Ecclesiasticum iubere vt fideles dirimerent inter se lites ciuiles, &c.* nihil aliud ad iurisdictionem temporalem. Sed huic commento *cap. 21.* destinauimus.

Potuit quoque, inquis, *Ecclesia non tolerare super se Principem infidelem, si is auertere conaretur fideles à cultu veri Dei.* Quid hoc ad Barclaii argumentum? an scriptura hoc dicit, quam hic efflagitat? An Apostolorum traditio, quam hoc argumento requirit? quid nugaris? quid hæc certa & antiqua poscentibus das doctrinam post tot à Christo annos natam?

Restat

Restat illibatum Barclaii argumentum, neque ex Scripturis, neque ex traditione Apostolorum, posse doceri, Pontificem ex eo, quod potestatem spiritualem directe nactus sit, etiam potestatem indirecte in temporalia esse adeptum; non doceri, inquam, posse testimoniis illis sacris, has duas potestates esse connexas, vt quis spiritualem exequi sine temporali non possit. Restat etiam vt colligamus (Barclaii verbis) *locum hic esse sententiæ, quæ quod directe fieri non permittitur, id nec indirecte fieri posse statuit. Ita enim prudentes desinierunt, quoties aliquid directe fieri prohibetur, id nec indirecte quidem, siue per consequentiam fieri posse, nisi id quod prohibitum est, sequatur necessario ad aliud iure permissum.* Habes in cap. Cum quid vna. De reg. iur. in sexto. *Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.* Idem sensus in L. *vlt. C. si manc. ita ven. ne prost.*

Denique, inquis, *illo tempore deerat vsus potestatis huius in Principes, quia nulla erant, sed potestas ipsa non deerat.* Egregia disputādi ratio. Petit Barclaius, vt ex Scripturis probes, hanc potestatem temporalem: tu prorsus exerrans dicis defuisse Ecclesiæ primis sæculis, non potestatem, sed vsum potestatis. Quid deflectis ab orbita? Quæritur an potestas in tēporalia, sit potestati spirituali necessaria consecutione annexa: tu respondes, vsum illius potestatis primis seculis defuisse. Idoneam scilicet rationem! Non *corruit*, igitur, vt scribis *Barclaii fundamentum de separatione harum potestatum*, neque illius *ex iure ciuili & Canonico* argumenta: & quod ais, *non separari posse omnino potestatem spiritualem à temporali pro comperto vos habere, idque ex testimonio Scripturæ, & praxi Ecclesiæ*: mera verba sunt in ipsa fuga triumphum inclamantis.

Accedit, inquis, *quod quando in Ecclesia sunt Principes temporales, vt post primos ducentos vel trecentos annos semper fuerunt, tunc potestas Ecclesiastica & politica coniuncta sunt adhuc strictiore vinculo.* An hoc ad Barclaii rationem? qui non quærit, strictone an laxo vinculo hæ potestates coiuerint: sed ab initio potestas vtraq; necessario Ecclesiastico Principi competiuerit. *Quoniam*, inquis, *Princeps politicus subiectus est Principi spirituali, vt filius patri, & membrum capiti.* Imo vero, Princeps politicus, quatenus talis non subiicitur Principi spirituali: sed vt Christianus, & Ecclesiæ filius, qui non suam dignitatem, sed directionem animæ subiecit Pontifici. *Siquidem Respublica politica*, ais, *& spiritualis vnam Ecclesiam faciunt: & illius vnius Ecclesiæ caput est Vicarius Christi, Petrique successor.* Nimis caute. Si Ecclesiam accipis eo modo quo est Ecclesia, siue quatenus fidelium congregatio: certe Pōtificem, omnium qui in ea sunt, siue populorum, siue Regum, caput esse admittat Barclaius. Sin intelligis Pontificem esse caput eorum, qui sunt in Ecclesia, etiamsi considerentur vt homines ciuilem & politicam vitam agentes: multum erras. Quin è contrario Christiani, siue sæculares, siue Ecclesiastici, in iis quæ ad hui⁹ vitæ rationem, quæ ad ciuilem tranquillitatem spectant, politicum corpus faciunt, Principique politico, qui Reipublicæ caput est, omnes subsunt, etiam Apostoli, etiam Prophetæ, etiam Pontifices, nisi & ipsi temporali principatu sublimes.

Addis, argumenta, Barclaii etiamsi pro Ethnicis valerent Principibus, pro Christianis nequaquam valitura. Itane, Bellarmine? Imo petit, *vt saltem doceas temporalem potestatem de qua loqueris ita coniunctam esse cum spirituali, vt ab ea diuelli & separari, vt, inquam, spiritualis sine ea consistere, nullo modo possit.* Hoc autem non ad Ethnicorum magis quam Christianorum libertatem. Nam si possint (vt possunt) hæ potestates abiungi, nec reperiantur nominatim Christi verbis aut Apostolorum traditione, coniunctæ, non est quod vtramque credamus conuenire Pontifici, ex eo quod spiritualem accepit: aut eum siue Christianis siue Ethnicis Principibus in temporalibus præsidere, ex eo quod Ethnicis quidem in nulla re, Christianis vero in spiritualibus præsit.

CAPVT VI.

Bellarminum libri auctorem esse, qui Francisci Romuli nomine euulgatus. Indigna ratio istius Romuli, cur olim Ecclesia impios Reges tolerauerit: scilicet quod tunc Episcopi martyrio parati esse debuerint, nunc coercendis Principibus. Exempla quæ proponit Bellarminus, bellorum in infideles aut hæreticos gestorum, cur à quæstione aliena.

Titulus apud Bellarminum est,

Cur primis septingentis annis Summi Pontifices non deposuerunt Reges, hæreticos vel Apostolos.

§. I.



N sexto capito, inquis, *Barclaius producit tanquam argumentum insolubile, quod neque vsus, neque exemplum, neque mentio vlla talis Pontificiæ potestatis annis circiter mille in Ecclesia fuerit: Cum multi interea Principes Christiani impie, crudeliter, peruerse, & magno Ecclesiæ detrimento, regnis atque imperiis abuterentur. Deinde adfert solutionem ad hoc suum argumentum, quam ante annos viginti ad argumentum simile dedit Franciscus Romu-*

lus in Respōsione ad Apologiam, quæ falsò Catholica inscribebatur: & eam solutionem in toto capite & sequentibus vsque ad duodecimum prolixe admodum & magnis clamoribus odiosissime refellere nititur, vt in his sex capitibus non Iureconsultum aut Theologum disputatorem: sed tragicum declamatorem agere voluerit.

Nihil mirum, si tanto studio Francisci Romuli patrocinium suscepisti, nemo tibi coniunctior: tecum is in eandem sortem natus, tecum aliquando decessurus. Aufer laruam, Bellarmine, vt te sub Romuli nomine differentem audiamus. Certum enim te libelli, cui ille titulus, esse auctorem. Omitto dubia ad eā rem indicia, vt stylum & argumēta à te tum alibi, tum in hoc in Barclaiū opere repetita: sed & loci passim extāt, ex aliis tuis libris ad verbū exscripta. Ita ca. 16. iste Romulus. *Cum Principes ad Ecclesiā veniunt, vt Christiani fiant: recipiuntur illi quidem sed cū pacto aut tacito, aut expresso.* & cætera quæ diserte apud te extant *libro quinto de Rom. Pontif. capite septimo.* Dices forte Romulum, quicunque sit, ex tuis voluminibus, hæc in suum transtulisse: At nondum orbi dederas tuum *de translatione imperii* librum, & tamen apud Romulum multa leguntur, quæ deinde in eo euulgasti. Inter cætera, duodecimum caput libri illius ex maxima parte habetur in vigesimo capite huius Romuli, nisi forte Robertus Bellarminus ex alieno libro tot lineas ignobili furto subduxit. Sed & Ribadeneira, in *Catalogo Scriptorū Societatis Iesu,* inter tua opera hoc recenset, Bellarmine, *in hæreticum carptorem fulminis Sixti V.* Hoc autem proculdubio nihil aliud, quam ista sub Romuli nomine *Responsio ad Apologiam*: in qua ex professo suscepisti patrocinium Bullæ illius, quam in Henricum Magnum, Nauarræ tunc Regem, mox & Franciæ, euulgauerat Sixtus V. Id fateris in ea Responsione, pag. 4. *Ex quibus ea solum,* inquis, *mihi tractanda esse hoc tempore existimaui, quæ ad religionem Catholicam, quam Auctor Apologiæ simulatione Catholicismi per summam fraudem euertere nititur: & ad Bullam Sanctissimi Pontificis Sixti V. in Henricum Nauarrenum proxime editam, quam iste Pseudocatholicus tecte oppugnat, pertinere videbantur.* Non longus sum in re superflua, nec repeto quot vel in istum quem iam refello librum, ex illo Romuli descripseris. Sed ad æstimandam Barclaii modestiam sat est, quod cum vehementius esset in te dicendum, Romulum quam Bellarminum maluit necessaria seueritate perstringere: leui contentus indicio, tibi potius, quam aliis ostendere, non nescire se, te illius scripti auctorem. Dicit enim, *cum libri auctorem Bellarminus satis nouit & amat, &c.* & cap. 15 *quem plerique Bellarminum esse affirmant.* Quæ tu verba nulla responsione aut inficiatione diluisti. Quis igitur non ignoscat tanto æstu in Barclaium declamanti: quandoquidem te sub alieno nomine tuebaris? Nunc Barclaium ais, *prolixe admodum, & magnis clamoribus, odiosissime refellere* Franciscum Romulum: nunc dicis, *eum tragicum declamatorem agere, maximo furore bacchari, caninam eloquentiam habere,* & cætera egregiæ & Christianæ mansuetudinis verba. Sed hoc notum: multa animalia nullibi mordere crudelius, quam si capta & inclusa vlciscuntur suum fatum. Nūc vero te tibi patrocinantem, Fr. Romule, audiamus.

§. 2.

QVARE, inquis, *adscribam hoc loco responsionem integram Francisci Romuli, vt eam Barclaius refert, deinde respondebo ad singulas partes Barclaianæ confutationis. Sic igitur loquitur Franciscus Romulus, in Apologia, ca. 8.*

Iam vero quod quarto loco aduersarius obiicit de maiorum nostrorum consuetudine, qui Principes multos hæreticos passi sunt, vt Constantium & Valentem, Arianos, Anastasium Eutychianum, Heraclium monothelitā, & si qui sunt alii, ad rem nihil facit: neque enim Ecclesia temere & inconsiderate potestate sua debet abuti. Porro non raro accidit, vt tanta sit quorundam Regum cum improbitate ac sæuitia iuncta potentia, vt Ecclesiastica censura neque ad eos coercendos quicquam prosit, & Catholicis populis, in quos Principes irritati magis sæuiunt, plurimum obsit. Quid enim quæso profuisset quondam Ecclesiæ, si tentasset vel Ostrogothos Reges in Italia, vel in Hispania Wisegothos, aut Wandalos in Africa excommunicare, ac de folio deturbare, quamuis id facere optimo iure potuisset? Quod idem de Constantio, Valente, & aliis supra nominatis intelligi debet. Siquidem ea tunc erant tempora, vt potius ad martyrium subeundum Episcopi, quam ad Principes coercendos parati esse deberent. At vbi vidit Ecclesia suæ potestatis locum aliquem aperiri, vel cum ipsorum Principum spirituali lucro, vel certe sine detrimento, & pernicie populorum, nō sibi defuit: vt exempla paulo ante allata demōstrant. Sic enim Ecclesia Leonem Isauricum Imperii parte, & Henricum Quartum toto Imperio, & Childericum Regno Franciæ spoliandos esse iudicauit, vt re ipsa deinceps & Leo parte Imperii, & Henricus Imperio toto, & Childericus Regno caruerit. Itaque veteres illos Imperatores Constantium, Valentem & cæteros, non ideo tolerauit Ecclesia (vt aduersarius somniat) quod legitime in imperium successissent: alioqui enim Leonem etiam, & Hēricum, & Childericum, qui non minus legitime successerant, pertulisset, sed quod illos sine populi detrimento coercere non poterat, istos poterat.

Hæc Responsio Francisci Romuli à morsibus Barclaii vindicanda est, tum quia ad rem nostram maxime facit, tum quia est hominis Catholici, & eruditi, cuius librum iam olim vidi, non Romæ excusum, vt Barclaius fingit, sed in Gallia, qua vrbe non memini. Ergo Barclaius partem illam reprehendendam primo loco sibi desumpsit, vbi dicitur, ea tunc erant tempora, vt potius ad martyrium subeundum Episcopi quā ad Principes coercēdos parati esse deberēt. Quæ verba Barclaius pro sua modestia dicit falsa esse, & in meris mirisq; mēdaciis fundata. Deinde addit ea indigna sibi videri quæ ab vllo Catholico, nedum Theologo in medium adferantur. Denique ita in partem deteriorem ea verba interpretatur, vt exclamet. Quid enim? an nos incidimus in ea tempora, quibus Episcopi milites potius, quam martyres esse debeant? aut legem Dei atque Ecclesiam præliis, quam prædicationibus defendere?

dere? Atque hinc accepta occasione, toto illo capite aduersus mores Episcoporum, & Cardinalium maximo furore bacchatur.

Non à Barclaii morsibus Bellarmine, sed ab ipsius veritatis accusatione, si potes, tibi vindicanda hæc Romuli Responsio. Ais *esse hominis Catholici & eruditi*. Ita sit: At vtinam tantas laudes, Francisce Romule, vltimis libellis nequaquam corrupisses. Addis te Fr. Romuli *librum non olim vidisse, non Roma excusum, vt Barclaius fingit, sed in Galliis qua in vrbe non meminisse*. Nihil Barclaius fingit: sed quicunque tuum illud opus emisit, aut tenetur mendacii, aut Barclaium vere docuit id scripti Romæ editum. Tituli verba sunt. *Responsio ad præcipua capita Apologiæ quæ falso Catholica inscribitur, pro successione Henrici Nauarreni in Francorum regnum. Auctore Francisco Romulo. iuxta exemplar Romæ editum, anno 1588.* Ais Barclaium Romuli *verba ita in partem deteriorem interpretari, vt exclamet, quid enim? an nos incidimus in ea tempora, quibus Episcopi milites potius, quam martyres esse debeant?* Imo non alium sensum Romuli verbis fecit, quam quem ipsa verba facerent omnibus latine scientibus. Sed de hac Romuli, siue tua sententia, lachrymis dicam an stomacho digna? proximo §. disputandum. Ais Barclaium *toto illo capite aduersus mores Episcoporum & Cardinalium maximo furori bacchari*. Barclaii Lectores (id est præcipuus eruditorum cœtus.) ridebit tam petulantis importunitatem conuitii. Nihil ibi in Episcopos, in Cardinales nihil, nisi in illos qui his dignitatibus ad libidinem & superbiam, ad Ecclesiæ iniuriam, *ad scandalum simplicium*, non horrent abuti. *Hæc quidem, inquit, non ad inuidiam ordinis Ecclesiastici profero, quem semper à puero obseruaui. Nec dubito multos esse qui commissum sibi gregem vigilantissime custodiant parati in omnem euentum mandatas suæ fidei oues obiectu corporum tueri, & Christi confessionem sanguinem consignare: sed totum ad superioris responsi reprehensionem duco simulque ad ignominiam eorum, qui dignitates nunc passim affectant; nullo Ecclesiastica vitæ desiderio, sed vt ipsi magnifice & laute agitent, &c.* Nisi forte viro pio, non licuit iam magnis antiquorum exemplis in fœda & publica vitia dicere. Vt omittam alios, quos facile vel innumeros recensere. Petrus Damiani Cardinalis sanctissimus, Guilielmus Naubrigensis, Matthæus Paris, pene toto opere, Platina pessim, ac præcipue in *vita Gregorii IV*. multo acrius quam vnquam Barclaius, in Ecclesiasticorum mores, ac præcipue procerum Romanorum, inuectus est. Nec eos tamen maximo furore bacchari illos dixit. Sed propius ad illam veniamus, quam tu post Barclaium exscripsisti Fr. Romuli rationem.

§. j.

SED nos, inquis, conuiciis & maledictis præteritis, & tota eius canina eloquentia prætermissa, breuiter respondebimus. Primum falsum esse dicta, quod initio capitis ipse sumit, annos circiter mille, neque vsum, neque exemplum, neque mentionem vllam, talis Pontificiæ potestatis in Ecclesia fuisse: siquidem exempla Gregorii Primi, Secundi, & Quarti, nec non Zachariæ, & Leonis III. supra allata, contrarium euidenter ostendunt. Deinde addo Franciscum Romulum non diuisisse responsionem in partes duas, vt iste fingit, vna est enim. & simplex responsio, videlicet non potuisse Ecclesiam illo tempore vti potestate sua, ideo subeundum fuisse martyrium potius, quam fidem abnegandam. Quemadmodum etiam hoc tempore vbi Ethnici præualent, vt in Insulis Iaponiis, vel hæretici, vt in Britannia, plurimi ad martyrium animantur, & reipsa martyrium fortissimo animo suscipiunt potius, quam ad fidei abnegationem perduci se sinant. Adiungo postremo tempus martyrii proprium illud esse, cum neque fuga, neque iusta defensione, sed sola passione abnegatio fidei declinari potest. Neque enim Dominus in Euangelio vim vi repellere vnquam prohibuit: fugam autem non modo permisit, sed etiam in certo casu, vt cum Ecclesiæ necessitas, vel maior vtilitas id postulat, imperauit, dicens, Cum vos persequentur in vna ciuitate fugite in aliam, Matth. 10. neque in gladios persecutorum irruere, sed mortem pro fidei confessione illatam tolerare æquo animo iussit. Et quidem quod attinet ad fugam tam euidens est mandatum Domini & testimonia, atque exempla sanctorum Prophetarum, & Apostolorum, quæ copiose adducit S. Athanasius in Apologia pro fuga sua, vt nulla de hac re dubitatio Catholicis relicta sit.

Piget eadem millies diluere. Et Gregorium I. II. & IV. nec non Zachariam & Leonem ostendere nihil eiusmodi quod tu dicis in regium fastigium esse molitos. Sed de his sæpe antea, & mox fuse *cap. 40. 41. 42.* Certum enim, quod Barclaius dixit, hanc potestatem in Principes annis mille & amplius in Ecclesia fuisse ignotam.

Caninam Barclaii eloquentiam vocas, moderatissime virorum: en porro quam tu verecunda ratione, quam saltem veritatem adumbrante, te ab illius ictu submoueris. Sub Francisci Romuli nomine hanc causam assignaras cur Ecclesia Constantium, Valentem similesque Principes pertulisset: *Siquidem ea tunc erant tempora vt potius ad martyrium subeundum Episcopi, quam ad Principes coercendos parati esse deberent.* In hæc verba Barclaius. *Quid enim? an nos incidimus in ea tempora, quibus Episcopi milites potius quam martyres esse debeant? aut legem Dei atque Ecclesiam, præliis quam prædicationibus potius defendere?* Tu vero hanc frigidam, addo indignam, excusationem adhibes, *Franciscum Romulum non diuisisse responsionem in partes duas; vna est enim & simplex responsio, videlicet non potuisse Ecclesiam illo tempore vti potestate sua, ideo subeundum fuisse martyrium potius quam fidem abnegandam.* Itane? Imo expressis verbis Franciscus Romulus hanc responsionem suam *in partes duas diuisit?* Bellarmine, verba sunt. *Siquidem ea tunc erant tempora, vt potius ad martyrium subeundum Episcopi, quam ad Principes coercendos parati esse deberent. At vbi vidit Ecclesia sua potestate locum aliquem aperiri; vel cum ipsorum Principum spiritualis vtilitas, vel certe sine detrimento, & pernicie populorum, sibi non defuit.* Ecce non vnam &

simplicem responsionem: Bellarmine, sed diuisam in horum temporum illorumque discrimen: vt tu nescio quo genio ausus sis excusationem iam liquide falsam pro Francisco Romulo comminisci, & merito Barclaius sic in tam impium dogma exclamet. *Et vero ne quid dissimulem, prior eius ratio seu causa diuersitatis indigna mihi videtur, quæ ab vllo Catholico nedum Theologo, in medium afferatur, quam ego propterea vix legere sine lachrymis sustineo. Quid enim? an nos incidimus in ea tempora quibus Episcopi milites potius quam martyres esse debeant, aut legem Dei atque Ecclesiam prælio quam prædicatione debeant potius defendere? At non hoc dicit (inquiet aliquis) Quid ergo? aut prorsus nihil, aut omnino tale quid dicit. Vult quippe horum & illorum temporum differentiam, quantum ad Principum coercitionem in eo consistere, quod tunc potius ad martyrium subeundum parati esse debuerint Episcopi, quam ad redigendos in ordinem Principes. Quod cum ita sit, quis non innato iudicio & naturali dialectica facile deprehendat, aut rationem illam ex dissimilibus non consistere aut id in altera parte collocandum quod nos posuimus? Et tamen audacter affirmem, nullam vnquam à Constantino Magno tempus offerendi se martyrio Episcopis opportunitatis & magis necessitatum extitisse.*

Quæ deinde de fugiendo aut expectando martyrio in hunc locum conlecisti, tam ad quæstionem nostram faciunt, quam ad Cereris sacra vinum. Nec alia, credo mente hæc superflua adhibes, quam vt puræ simplicesq; Barclaii rationes in tam laxæ disputationis nausea aut lateant, aut pereant. Non enim disputamus, illone an nostro seculo Episcopis fugiendum fuerit, an manendum: sed verum (quod sub Romuli nomine asseris) tunc Episcopi martyrio parati esse debuerint, nunc Principibus coercendis intenti. Iam porro videamus, num id vnquam de iure licerit, præsertim Episcopis, num etiam id de facto hac ætate facilius, quam sub Constantio, Valente, Valentiniano Iuniore. Hæc probare sic contendis.

§. 4.

QVOD *autem liceat, inquis, vim vi repellere, & iure belli persecutionem siue gentilium, siue hæreticorum propulsare, si vires adsint, docent bella Machabæorum aduersus Antiochum, qui populum Dei ad idololatriam compellere satagebat. docent bella Catholicorum aduersus hæreticos in Africa tempore sancti Gregorii, de quibus loquitur idem S. Gregorius lib. 1. Epist. 77. ad Gennadium Exarchum, vbi eum laudat, quod magno zelo hæreticos armis persequeretur, eumque excitat, & hortatur vt viriliter pergat. Docent bella Catholicorum aduersus hæreticos Albigenses, & Tholosanum comitem Raymundum Patronum ipsorum, vbi diuina adiuuante gratia plus centum millibus vno prælio à Simone Comite Monfortio cum exigua manu cæsi sunt, vt scribit Paulus Æmilius lib. 6. Historiæ Francorum. docent nostro tempore bella Heluetiorum Catholicorum aduersus Heluetios hæreticos Zuinglianos. Nam vt scribit Ioannes Cochlæus de Actis Lutheri anno 1531. Heluetii pro fide Catholica pugnantes, cum numero, & viribus essent inferiores, & sola iustitia causæ superiores, quinquies prælio hæreticos gloriose vicerunt. Quo tempore autem Catholicos à Constantio Ariano Imperatore vexari cœperunt, ad Constantem Principem Orthodoxum, qui in Occidente imperabat, S. Athanasius, aliique Episcopi confugientes literas impetrarunt minaces ad Constantium, vt habetur in historia tripartita libr. 4. cap. 25. quibus literis ad tempus repressa persecutio est: sed paulo post Constante defuncto, & Constantio in toto orbe Romano imperium obtinente cum nemo esset, qui illi resistere auderet, tempus illud aduenit, quo Episcopi ad martyrium parati, non autem de Imperatore excommunicando, vel deponendo cogitare deberent. Atque hæc est sententia Francisci Romuli, non ea, quam illi Barclaius affingit, quasi voluerit olim Episcopos martyres esse debuisse, nunc milites esse debere.*

Quorsum ista Bellarmine? *Quod autem liceat, inquis, vim vi repellere, & iure belli persecutionem siue gentilium siue hæreticorum propulsare docent bella Machabæorum, &c.* Si intelligis, licere aduersus vim nullo iure nobis imperantium etiam vi agere, armisque resistere: quid hoc ad tollendam legitimis Principibus in subditos potestatem? ut quem sanum de ea re vel credas ambigere? Sin his verbis inferre vis Principes hæreticos gentilesne, iniustos noxiosque fidelibus, vi & armis in ordinem à subditis redigi iure posse; tunc aberras ab exemplis quæ proponis, deflectisque etiam in doctrinam primis Christianis prorsus ignotam, quorum nomine Tertullianus ostendit (in Apologet. cap. 37.) Se si vellent & liceret, facile persecutorum violentiam armis posse resistere. *Sed absit, inquit, vt igni humano vindicetur diuina secta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim hostes extraneos, non tantum vindices occultos, agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomani, ipsique Parthi vel quanta cumque, vnius tamen loci & suorum finium gentes, quam totius orbis? Externi sumus, & vestra omnia impleuimus vrbes, insulas, castella, municipia conciliabula, castra ipsa tribus, decurias, palatium, senatum forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere.*

Sed & quam tibi alienæ à quæstione historiæ? Prima est Mechabæorum in Antiochum non suum Principem, sed Iudææ Tyrannum, armis certantium. Secunda Gennadii, qui Exarcha Africæ Donatistas compescuit: vt pro magistratu debuit, Principisque imperio, cum hæc hæreticorum secta sæpe Imperatori rebellis, crudelis, violenta, nulla lege tolerandæ censeretur. De his hæreticis pœnisque in eos per Imperatores constitutis, vide Diuum Augustinum (tract. 6. in I. an.) Tertia est, Simonis Montfortii, qui belli dux, in Albigenses hæreticos, & Raymundum Tholosanum Comitum: Et quid inde collegeris, nisi Pontificis Regisque imperio iustum in Hæreticos suscipi bellum posse? *Romanus Pontifex Innocentius tertius*, (inquit R. Gaguinus libro sexto.) *Misso Galone Cardinali Legato Pontificia auctoritate multos in hæreticos armari, peccatorum remissione concessa his qui insigne Crucis ad id bellum desumerent, Legati oratione permotus Philippus permittit*

suum

suos armis capere & in Albigenses proficisci. Coactus statim exercitus, & post aliquot in Albigenses prælia, *Franci cupidi sua quoque loca reuisere, reliquias exercitui Symonem de Monteforti, hominem nobilem & strenuum, nec minus religiosum præficiunt.* Quo igitur hoc exemplum, Bellarmine? vt licere ciuibus probes ab hæretico Rege deficere? arma in eum expedire? Num quid tale iste Monfortius? Dux belli, Procerum consensu delegitur: Rex illi Tolosatium Comitatum, qui perdomandus erat, in feudum attribuit. An hoc vero est, suo regi, religionis causa, moliri perniciē, eius solium & dignitatem euertere? Sed nec Paulus Æmilius tibi author, *plus centum millibus vno prælio à Simone Comite Monfortio cum exigua manu cæsos.* Fusos fugatosq; diceres. Centum enim aut amplius millia, sub Rajmundi aut amicorum signis. Collata manu omnes à Monfortio fœda strage fugati. At plerique euasere, & ex tanto numero Paulus Æmilius refert *plus viginti millia desiderata:* Gaguinus tantum octodecim *millia interempta.*

Quarta apud te historia, Heluetiorum, qui in duas partes secti ea sorte pugnarunt, vt Catholici victoriam obtinerent. At quis nescit vel *inuasoribus* (ac præcipue religionem mutantibus) posse resisti Machabæorum exemplo: vel hæreticos nondum ciuilibus legibus toleratos per sedulos magistratus opprimi: Principes etiam atque Respublicas hæresin eo periculo alentes, vt ad vicinos emanet periculum, à vicinis vi & armis posse compesci, vt Exarcha Gennadius, vt Simon Mōfortius, & nostro sæculo fecerunt Heluetii? At probare debueras, Bellarmine, ipsum Principem à suis ciuibus, ac maxime ab Episcopis hæreseos aut persecutionis causa, infestari armis posse. Quam autem ad nostræ causæ integritatem eximium, te nullum inuenisse hic exemplum, Populi vi & armis in suum regem religionis causa cum laude decertantis! Et de cæteris quidem clarum: de Antiocho & Machabæis curiosi forte dubitent. Sed & hunc scrupulum sic euello. Antiochus quorundam Iudæorum perfidia ab Ægypto cum exercitu rediens tyrannice Hierosolyma occupat. Auctor Iosephus, *lib. 12. Antiquit. Cap. 7. & 8.* in Templum, in Populum, etiam in suæ factionis viros sæuiit: donec in furorem tam impium Machabæorum virtus erecta est. Neque vnquam hic Antiochus pro legitimo Principe à Iudæis habitus: vt clarissime ex eodem Iosepho videre est. Sic enim de Republica Iudæorum à Babylonica transmigratione reuersorum. lib. 11. Antiq. cap. 4. *Atque ita,* inquit, *summa liberalitate in re diuina vsi, incoluerunt Hierosolyma, instituta ea Republica forma, quæ per Optimates administrantur: penes Pontif. enim fuit summa authoritas, donec Asamonæorum gens mutato rerum statu regnum obtinuit.* Qui autem hi Asamonæi? nempe Matathiæ & Machabæorum stirps. Vide Iosephum *lib. 12. Antiq. cap. 8.* Vbi igitur aut quo tempore legitime in Iudæa regnauit Antiochus, si summa authoritas penes Pontifices fuit, à Darii regis temporibus donec Asamonæi *mutato rerum statu regnum obtinuerunt?* id est vsque ad Aristobulum Hircani filium, nepotem illius Matathiæ, qui in Antiochum pugnauerat? Nam is demum Aristobulus non contentus Pontificali gradu, quem maiores tenuerant *volens,* inquit Iosephus lib. 13. cap. 19. *principatum in regni formam vertere, diadema sibi primus imposuit, 481. annos, & menses tres, ex quo de captiuitate Babylonica liberatus populus ad pristinas sedes postliminio reuersus est.*

Addis Episcopos Orthodoxos à Constante minaces literas ad Constantium impetrasse. Quid mirum si à Constantio ad Constantem profugerunt, & fauore Orthodoxi Principis miseriarum leuamen petierunt inopes, exulesque? Sed nec ipsi, quod caput est, in Imperatorem arma mouerunt: neque populorum animos hac sententia imbuerunt, licere iubentibus Episcopis, ab hæretico Principe deficere, illi imperium abrogare. Vides hic nulla arte, nullisque coloribus Francisci Romuli næuos aut leuigari aut fucari satis posse.

CAPVT VII.

Non defuisse olim vires Ecclesiæ, ad coercendos reges impios, sed ius & potestatem Constantii Ariani temporibus, imo & ante ipsum, præcipuam Romani imperii partem fuisse Christianam. Nihil ad securitatem regum esse, quæ Bellarminus dicit, de Clericis, quibus vetitum arma tractare, & de modo quo vtitur Pontifex in depositione Principum. Iuliani Apostatæ horrenda crimina: vires in eum Ecclesiæ, ex Historicis, ex Augustino. Valentis etiam impietas, & in eum Ecclesiæ robur. Solutæ obiectiones, quibus contendit Bellarminus, eos non potuisse de facto ab Ecclesia in ordinem redigi.

Apud Bellarminum titulus est,

Cur Ecclesia Constantium hæreticum, & Iulianum Apostatam Imperatores non deposuit.

§. 1.



N septimo capite, inquis, *refutare aggreditur Barclaius verba illa postrema Francisci Romuli. Itaque veteres illos Imperatores Constantium, Valentem & cæteros non ideo tolerauit Ecclesia, quod legitime in imperium successissent: alioqui enim Leonem etiam, & Henricum, & Childericum, qui non minus legitime successerant, pertulisset: sed quod illos sine populi detrimento coerce-*

re non poterat, illos poterat. Et miratur, hoc idem scripsisse Bellarminum lib. 5. de Pontif. cap. 7. Sed vt magis miretur, sciat hoc idem sensisse S. Thomam in 2. 2. q. 12. art. 2. ad primum, vbi dicit Ecclesiam tolerasse, vt fideles obedirent Iuliano Apostatæ, quia in sui nouitate nondum habebat vires compescendi Principes terrenos.

Si tam in historiis & rebus humanis, quam in Philosophia fuisset & scholastica subtilitate versatus, eximius ille Thomas, nunquam hoc de Iuliano & illius temporis scripsisset Ecclesia, quod Tertulliano, Eusebio, Augustino, Theodoreto aduersatur, qui sui sæculi historiam multo syncerius calluerunt, quam hic Thomas octingentis saltem annis ab illa tēpestate remotus, qui etiam sibi discors, de hac potestate Ecclesiæ alibi à se dissentit, vt infra Cap. 25. dicendum est. Non igitur miratus est Barclaius B. Thomas ita sensisse, qui scilicet sui sæculi tenebris historiæ errores potuit imputare, sed Robertum Bellarminū, inter horum annorū faces sua sponte caligantem. Præterea tua causa toto cœlo à Thoma seiuncta est: dicit quidem toleratum Iuliano, quod tunc deessent Ecclesiæ vires: sed non tecum & cum Romulo addit, Henricum Quartum postea abdicatum, quod eum facile iam auctior Ecclesia coercere potuerit: rem absurdam, & contra omnium historiarum fidem.

§. 2.

EXISTIMAT *igitur Barclaius, inquis, Ecclesiam facile potuisse, si voluisset, tum Constantium Arianum, tum Iulianum Apostatam de solio deturbare: sed id non fecisse, quod sciret illos legitime in imperium successisse. Argumenta eius hæc sunt. Primum, quia totus orbis tempore Constantii Christianus erat, & eius pars maxima Orthodoxa. Falsissimum, inquit, esse dico non potuisse Ecclesiam coercere illos atque facile atque eos, ne dicam facilius, & sine detrimento populi, siue id armis tentare, siue arte aliqua, & hominum deuota opera vti voluisset. Iam enim totus orbis sub Constantio Christianus fuit (vt ex Epistola Constantini Magni ad Ecclesiam, ab Eusebio & Nicephoro relata constat) & eius pars maxima Orthodoxa: ita vt vires illis ad opprimendum Imperatorē nequaquam defuerint, si fas, aut pium credidissent, armis aduersus legitimum Principem decertare.*

Respondeo. Primum, verum non est, tempore Constantii totum orbem fuisse Christianum, neque hoc dicit in ea Epistola Constantinus. Et si hoc esset verum, quo modo Symmachus præfectus vrbis longa oratione (quæ extat apud S. Ambrosium inter Epistolas eius vicesimam nonam & tricesimam primam) persuadere conatus fuisset Valentiniano Imperatori, vt sacra gentilibus Romanis restitueret? Cur S. Ioannes Chrysostomus in oratione de S. Babyla, & Theodoretus in libris de curandis Græcorum affectionibus, tam multa disputassent aduersus gentiles sui temporis? Cur S. Augustinus, & Paulus Orosius, scripsissent contra querelas gentilium, ille lib. de Ciuitate Dei, iste historiarum cladium, quas Romani antequam Christus aduenisset, acceperant? Denique Barbari, cum quibus post tempora Constantini ad Orientem, & Septentrionem Romani assidue decertabant, Parthi, Persæ, Sarmatæ, Gothi, nonne maxima ex parte gentiles erant?

Quid tu in veritatem pugnas? an quid certius, quam Constantii hæretici tempore Christianorum vires toto orbe Romano diffusas, multo quam nunc validiores extitisse, vt rectè asseruerit Barclaius, totum illum orbem eo sæculo fuisse Christianum? Tertullianus cētum annis Constantio antiquior, ait Christianos multitudine & viribus ad omne bellum in Imperatores persecutores idoneos, si hoc illis per religionem licuisset; addit *vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium senatum, forum, Christianis iam tum plena*. Consule eius verba (superiori cap. 5. vl.) à nobis exscripta. Habes apud Eusebium *lib. 8. cap. 8.* vix posse describi, quantæ fuerint Diocletiani persecutoris tēporibus *numerosa illa aggregationes* Christianorum, *ac multitudines cœtuum per singulas ciuitates, insignesque concursus ad oratoria*. Est apud eundem Epistola (lib. 9. cap. 9.) Maximini Augusti ad Sabinum, qua fatetur *Diocletianum & Maximianum vidisse, omnes fere mortales Deorum cultu relicto Christianorum se genti commisisse*. En validas Christianorum vires, & omni in persecutores bello aptas, si in eorum disciplina tam occidere licuisset quam occidi. Quæ deinde sub Constantino multitudo, Principis sequuta exemplum, cum à persequutione cessatum, aperta Christianorum templa, infidelium clausa? Extat illius Epistola gratulantis Episcopis, quod Pascha vno die & distincto à Iudæis, per Romani orbis prouincias celebrari iussisset.

Respondes, Constantinum non ibi dicere totum Orbem tunc fuisse Christianum. Imo ostendit non fuisse apud Romanos locum, vbi non Paschalis festiuitas publica celebritate coleretur. Nimis autem importune interpretaris Barclaii verba: quasi velit ne vnum quidem tunc ex Ethnicis fuisse superstitem. Prima tua ratio: *Symmachum persuadere conatum Valentiniano Imperatori, vt sacra gentilibus Romanis restitueret*. Hinc concludis, totum orbem Christianum non fuisse. Numquis negat, multis post sæculis durasse Gentilium reliquias? sed vsitato more, ex maiori hominum parte, ac maxime dominantium, totum populum appellamus. Tunc vero gentilibus præstitisse Christianos, vel ex Symmachi patet historia. Reposcebant Gentiles sacrorum suorum morem: vir illustris Symmachus eorum causam agebat: causa tamen ceciderunt, & passi sunt triumphantes Christianos. Nonne tunc igitur imperium Christianum? nonne tunc, inquam, (quod nostræ disputationis momentum est) coercendo Principi pares, qui ipsum constituebant Imperium, aut certe regebant? Neque mirum, si Sanctus Chrysostomus, si Theodoretus, si Sanctus Augustinus, si Paulus Orosius, in sui temporis Gentiles declamarunt, cum tunc etiam tam longi [illegible]

[illegible]

& pu-

& publici erroris vestigia superessent: sed hoc mirum. Te hic de Parthis, Persis, Sarmatis & Gothis meminisse: Ais eos non fuisse Christianos: ergo nec orbem. Quasi orbis nomine aliud Barclaius, quam Romanum imperium communi loquendi vsu hic destinet. Ita supra (Cap. 3. §. 17.) S. Gregorii verba tu ipse interpretatus es, Bellarmine: *quod addit*, inquis, *Sanctus Gregorius super omnes homines, intelligatur, super omnes homines Romano imperio subditos.* Quid porro ad rem pertinet, si Parthi, Sarmatæque gentes exteræ & barbaræ, Christiani non erant: cum id iam agamus, an sub imperio Romano Christiani tunc potentes, & si per religionem licuisset, impiis Principibus abdicandis pares essent?

§. 3.

DEINDE, inquis, *etiamsi hoc esset verum: non tamen inde recte colligi posset, facile fuisse Ecclesia coercere Constantium, vel Iulianum: nam Imperatores illi potentissimi erant, & multas legiones armatas ducebant, aduersus quas nihil poterat inermis multitudo fidelium, præsertim cum Principem aliquem Christianum non haberet, qui vellet, aut posset eam armare, & armatam ducere aduersus Imperatores. Hoc certe tempore in imperio Turcarum plurimi sunt Christiani, & fortassis plures numero, quam ipsi Turcæ sint: tamen quia neque ducem, neque arma in promptu habent, aduersus Turcarum Regem nil possunt, quæ causa fuit olim, cur neque Itali iugum Gothorum, neque Africani Wandalorum, neque Galli Francorum excutere possent. At Leonem Imperatorem Græcum facile fuit Summo Pontifici Gregorio excludere ab imperio Italiæ, quoniam vires eius in Italia debilitatæ erant, & Proceres Italiæ hoc ipsum maxime expetebant, vt facultas eis à Pontifice daretur deficiendi ab Imperatore impio: pari ratione Childericum Regem Francorum nullo negotio potuit Zacharias Pontifex regno priuare, cum id ipsum Proceres Franci cuperent, & ipse potestate rerum gerendarum ad magistrum Palatii translata ocio desidiaque langueret. Denique Henricum Imperatorem non ante Gregorius Papa deponendum esse decreuit, quam grauissima eius crimina vocibus populorum ad eum delata iustitiam postularent, vt Marianus Scotus, aliique eius temporis Historici docent.*

Ita me fides amet, vt hic risum videris quæsisse lectoribus! Etiamsi, inquis, verum esset totum orbem tunc fuisse Christianũ, tamen Ecclesia non potuisset Imperatores coercere, *quia illi potentissimi erant, & multas legiones armatas ducebant.* Quid autem? illæ quæso armatæ legiones de orbe non erant? non erant Christianæ? Imo nulli Christianæ fidei magis addicti; vt milites à Iuliano decepti mira constantia aurum illi redderent, suam in religione professi constantiam: eoque mox defuncto, totus exercitus se profiteretur Christianum. Tot igitur viri ad martyrium quoque accincti, qui Antistitibus religionem Christianam docentibus & fortunam credebant & vitam, in aliis scilicet rebus pro Christo sanguinem prodidissent, in hoc vno torpuissent? Illi ipsi exercitus, Bellarmine, non Imperatorum magis quam Ecclesiæ rebus erant: quæ si censuisset sui iuris, hos Imperatores à Republica amouere, nunquam facilius, authoritatem suam quam per eiusmodi homines ad effectum perduxisset. Nec, vt dicis, defuissent militibus Duces & Principes Christiani, nisi forte iam ex Optimatibus præcipui ad Christianam non accesserant fidem. Vbi ergo inter cæteros, Iouianus & Valẽtinianus sub Iuliano: Arinthеus & Victor sub Valẽte: sanctæ fidei, magni animi duces. Abi sis vero cum absurdis exemplis quæ addis, quasi tunc Christiani, vt hodie in Turcia, exermes fuerint, aut eiusmodi Imperatorum exercitus in Christianos armati, veluti deinde in Italos Gothi, Wandali in Africa, in Gallia Franci.

At *Leonem Imperatorem* inquis, *facile fuit Gregorio excludere ab Imperio Italiæ*, quia id Itali, propter Imperatoris hæresim, sponte quærebant: imo non facilius, quam antiquis Pontificibus Constantium, Iulianum, Valentem perdere: sub quibus tot per orbem Christiani, nec minori, quam sub Gregorio Itali, zelo. Et de Gregorio infra vberius ca. 41. Porro Childericus, nullo quidem negotio à regno submotus, sed quo iure quoue modo, c. 42. dicendum est. Nihil hoc enim omnino ad authoritatem Pontificis, qualem fingis. Quis vero non rideat, te etiam Henrici IV. inter illos meminisse, quos facile Pontifices dignitate submouerint? cum & multis post Gregorii VII. sententiam lustris sit potitus imperio, & nulla non armorum malorumq; discrimina, ob Pontificium hunc conatum, Christianum pene orbem euerterint. Nam *tot mala*, inquit Otto Frisingensis l. 6. cap. 36. *tot schismata, tot tam animorum, quam corporum pericula, huius tempestatis turbo inuoluit, vt solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miseriæ infelicitatem sufficeret comprobandam.*

Dicis, *eius crimina vocibus populorum ad Pontificem delata*: quasi non Iuliani, Constantii, & eiusmodi Principum crimina, populorum Christianorum vocibus, lachrymisq; ad illorum temporum Pontifices peruenirent. Perueniebant, Bellarmine, non populi modo voce, sed & ipso calamitatum sensu, quæ non modo in Christianorum vulgus, sed & in illos ipsos Pontifices Imperatorum crudelitate effusæ. Nihilo tamen magis in suos & populi sui Principes ausi. O vel illos ignaros & fœde torpentes, aut istos nouitios ab æqui semita nimis errantes.

§. 4.

ADDIT *Barclaius*, inquis, *temporibus Constantis non defuisse in Ægypto & Lybia, aliisque locis per Asiam, & Europam, Monachos permultos, in quibus non minor Zelus erat, quam in illo, qui Henricum III. Francorum regem confodit, qui, si licuisset, facile Constantium de medio tollere potuissent.*

Respondeo. Non pertinet ad Monachos, aut alios Ecclesiasticos viros cædes facere, vt habetur 23. qu. 8. Can. 12. & sequentibus: multo autem minus per insidias reges occidere. Neque Summi Pontifices consueuerunt ista ratione Principes coercere. Ipsorum mos est, primum paterne corripere, deinde per Censuram Ecclesiasticam Sacramentorum communione priuare, denique subditos eorum à iuramento fidelitatis absoluere, eosque dignitate, atque auctoritate regia, si res ita postulat, priuare. Executio ad alios pertinet. Quare Innocentius Pontifex, cum in Concilio Lugdunensi Friderico Secundo imperium abrogasset, dixisse fertur. Ego, quod meum est, feci, faciat & prosequatur super his, Deus quod voluerit. Id refert Mathæus Paris in Henrico Tertio referens acta anni Domini 1245.

Pene à te tot doli hic, Bellarmine, quot voces. *Non pertinet*, inquis, *ad Monachos, aut alios Ecclesiasticos viros, cædes facere*: addo ne ad sæculares quidem. Nam nec Iudicem proprie dices, nec Tortorem, cædem facere, cum nocentem & damnatum perimunt. Canones porro quos affers, non in priuata modo cæde Clericos prohibent armis vti, sed & in publico bello & legitimo (Canone *Quicunque 4.* Can. *Quicunque 6.*) possunt tamen cum Pontificis venia his Canonibus soluti interesse prælijs, armis vti. Ita tu (infra *c. 19. §. 3.*) dicis Sacerdotes posse gladio vti *in propriã defensionem aut ob aliam causam dispensante Pontifice.* & cap. 21. ais, summos ipsos Pontifices magna laude bella gessisse, prælijs etiam affuisse. Quorsum hæc igitur verba, tanquam scilicet ad securitatem regum immane valentia, *non pertinet ad Monachos aut alios Ecclesiasticos viros cædes facere?* quãdoquidem non iure diuino, sed tantum positiuis Ecclesiæ legibus, Clerici ab armis prohibentur: quibus legibus multo facilius per Pontificem possunt solui quam populus à fidelitatis iuramento, cui diuino iure astringitur. Dicis *multo minus pertinere ad Monachos, aut alios Ecclesiasticos, per insidias Reges occidere.* Vana verba: cum ex tua sententia Rex à Põtifice depositus, iam Rex non sit, nec regia dignitate censendus. Hoc disertis verbis sæpe inculcas ac præcipue *cap. 31.* Non tunc itaque Monachi armis vtentes offendent in Canones, à quibus eos Papa exoluerit: neque Regem occident, sed hominem nefarium, tyrannum, Pontificiis diris obnoxium, instar strumæ publicæ exsecandum.

Tandem instituis velut *Directorium deponendorum Regum*: moneri primum à Papa, tum excommunicari, postremo deponi. Dic vero, nisi Pontifex primum *paterne corripuerit regem*, nisi deinde per censuram Ecclesiasticam Sacramentorum communione priuarit, ac denique subditos eius à iuramento fidelitatis exsoluerit, Rex qui *deponetur*, an non erit iure *depositus*? aut cuius nisi ipsius Pontificis iudicio stare vultis, num omnia ad sententiam necessaria præcesserint, num maturum sit excommunicare, *deponere*? Sed de his vestris nugis, mox cap. 12. vberius. Procul istam velut sollicitam & necessariam Tragœdiæ huius pompam. Ais etiam *executionem* ad alios pertinere. Ad quos autem? dices forte ad Proceres populumque: sed si Princeps à publica vi, armis & copiis tutus est, nonne per cuiusque pias insidias opprimi posse concedes? cum non aperta vi melius quam occulta iusta bella peragantur. *Cum autem* homo iustus *iustum bellum susceperit*, inquit Augustinus libro sexto quæstio. quæstione 10. *vtrum aperta pugna, vtrum insidiis vincat, nihil ad iustitiam interest.*

Quam igitur apte Barclaius, Constantii & Iuliani temporibus fuisse ingentem Monachorum copiam, ingentem militum Christi amore flagrantium: Si igitur infesti illi Ecclesiæ Principes vi publica remoueri non poterant, saltem priuata potuisse, neque vero inter tot hominum studia duraturos, si Ecclesia destitutos iure imperii tot zelantium studiis exposuisset.

Quare Innocentius Pontifex, inquis, *cum in Concilio Lugdunensi Friderico II imperium abrogasset, dixisse fertur: Ego quod meum est feci, faciat & prosequatur super his Deus, quod voluerit.* Non quod suum modo erat, sed quod de facto potuit, in Imperatorem egit hic Papa. Omnes etiam qui sub imperio erãt, *suæ sententia executores* scripserat, in quibus multi Ecclesiastici, Monachi multi. Nam sub grauissimis censuris interdicit, ne quis amplius Fredericum pro Principe habeat: atqui eum pro tyranno non pro Principe habere, & in eum hæc moliri, quæ necessario boni ciues in Tyrannum vi regnum occupare annitentem debeant: erat omnino sententiam exequi Papæ.

§. 5.

PERGIT *deinde*, inquis, *& probare nititur, facile fuisse Ecclesiæ tollere de medio Iulianum Apostatam, & Valentem Arianum, quia exercitus eorum magna ex parte Catholici erãt, & Episcopis obedientes, quod cum non fecerit, sequitur, aut Pontifices illius temporis non esse functos officio suo, aut credidisse non sibi licere, Principes, quamuis Apostatas aut hæreticos, deponere.*

Respondeo. Iulianum Apostatam difficillimum fuit deponere, quoniam ipse solus imperium regebat: neque verum est totum eius exercitum fuisse Christianum: scribit enim Ruffinus libro secundo, capite primo, totum fuisse pollutum sacrilegiis, sacrificiis videlicet idololatricis: nam vt scribitur in Historia tripartita, libr. 7. capite primo, legem tulerat Iulianus, vt omnes milites sacrificarent Idolis, aut de militia excederentur. Itaque plenus erat exercitus Po-

bus Paganis, cui ii, qui à Christo defecerant. Neque his repugnat, quod aduersarius citat ex Ruffino, Socrate, & Theodoreto, Iouiano recusante Imperium sumere, quod ipse Christianus cù esset, Paganis imperare nolebat, exercitum vna voce clamasse, & nos Christiani sumus. Siquidem ea vox significabat, plerosque illorum corde ac voto Christianos fuisse, non manifesta professione: alioqui Iouianus, non eis obiecisset Paganismum, neque dixisset se nolle imperare Paganis. Itaque si qui erant in exercitu Iuliani Christiani, occulti erant, & communicatione sacrilegorum sacrorum maculati, Pagani habebantur. De Valente idem omnino dici potest: quamuis enim paucos quosdam in exercitu suo Catholicos haberet, tamen multitudo Principis sequebatur errores. Neque alia causa est, cur Valentinianus Catholicus Imperator fratrem Valentem hæreticum toleraret, nisi quia non facile erat sine periculoso & ambiguo bello de Imperio solio illum deturbare.

Num credebas tibi neminem misere inepiis, aut tuo oraculo cum religione credentibus fore Lectorem? Barclaius ait, Iulianum Apostatam *exercitum fere totum ex Christianis habuisse:* tu respondes, *non verum esse totum eius exercitum fuisse Christianum.* An vero nihil interest, Bellarmine, inter *fere totum & simpliciter totum?* Multi, vt in castris, impii, gentiles aliquot, sed plerique Christiani sub Iuliano milites. Refers Iuliani legem ex Ruffini historia, vt Christiani aut religionem eiurarent, aut militiam. Quæro, an hoc ipsum non idonea Ecclesiæ caosa esset abdicandi Iuliani? Si crimē Principis quæris, nullum atrocius: si Ecclesiæ vires, audi ipsum Baronium (in Annal. anno Christi 361. num. 17.) Iulianus *ipsemet in primo eius in Imperium ingressu, optime sciuit Christianos multitudine impleße Romanum imperium.* Sed nec illa lex Iuliani executioni mandata, nisi in aliquot, qui præcipue eminebant, vt Iouianum & Valentinianum: alioqui Iulianus exhausisset sua castra, Christianorum tamdiu Principum assueta stipendiis, & sacris edocta. Nihil clarius: vel ex istis Ecclesiasticæ historiæ verbis. Post decessum Iuliani, Iouianum exercitus ad imperium vocabat. Ille se Christianorum nec Ethnicos imperaturum proclamauit. Tunc *exclamauerunt communiter vniuersi, ne dubites Imperator, neue repellas imperium nostrum, vt improbum: Imperatores enim Christianorum sumus, qui in pietatis disciplina educati sunt: nos enim Christiani sumus.* At reponis, *ea voce significatum, plerosque illorum corde ac voto Christianos fuisse, non manifesta professione.* Quid hæc porro interpretatione, nisi tua contra historiarum fidem vana & inanis conjectura? *Alioqui, inquis, Iouianus non eis obiecisset Paganismum, &c.* Non tam obiecit Iouianus, quam quæsiuit: exploraturus tot hominum animos, ne nihil de illorum pietate ipsa consuetudo deleuisset, cum sub Ethnico Principe, publica religionis in Curia castrisque facies, non ex Christianis militibus Christiana, sed ex violento Principis scelere Ethnica, ipsam pietatis disciplinam videretur extinguere, cum præterea ex illis militibus non deessent, qui impio Principi aut spe, aut metu, aut adulatione, in ipsa annuissent perfidia. Quæ te igitur creduli lectoris fiducia occupauit, vt scriberes. *Itaque si qui erant in exercitu Iuliani Christiani, &c.* Quid tu, *si qui erant?* Atqui *exclamauerunt vniuersi, nos Christiani sumus.*

Cæterum, cum exercitus Christianos accepisset Iulianus, cum Romanus interea orbis ita consensisset in Christum, vt etiam templa Idolorum clausa essent: & mox idem Iulianus illa impietatis fana recluderet, exercitum idololatria & sacrilegiis moliretur corrumpere, nō idoneum tibi tempus, non matura videtur occasio, Bellarmine, vt tunc Ecclesia Romanusque Pontifex suæ authoritatis mucronem stringeret, si se mucronem, qualem iactas habere, illius temporis credidisset Ecclesia?

Quod de Valente addis, nihil est aliud quam commentum à te natum, cum id ex tot Historicorum nemine habeas: nempe Valentinianum fratrem sola difficultate belli perterritum, ei pacatum reliquisse imperium. Quid quod ex Valentis Ducibus præcipui ex Orthodoxis erant, Arintheos, Traianus, Terentius, Victor, etiā Imperatori δυσσεβείας exprobrare non ausi? Ne illos quidem putas ab eo defectuos, si id imperasset Ecclesia? Non Valentiniani armis, sed Pontificum imperio in Valentem opus fuit. Sed hi scilicet absurdi & delirantes patres nondum didicerant, quid Ecclesiæ in Principes concessisset, Ecclesiæ & Principum Princeps Christus.

§. 6.

SVBIVNGIT *postremo Barclaius, inquis, duo patrum testimonia, vnum S. Gregorii Nazianzeni, orat. 1. in Iulianum, cuius verba sunt: coercitum est Dei clementia, & lachrymis Christianorum, quæ multæ tum, & à multis erant effusa, cum solum hoc cōtra persecutorem haberent remedium. Alterum S. Augustini, tract. in Psalmo 124. qui sic loquitur, Iulianus extitit infidelis Imperator, nonne extitit Apostata, iniquus idololatra? Milites Christiani seruierunt infideli Imperatori: vbi veniebant ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cœlo erat: quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent, præponebāt illi Deum: quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. distinguebāt Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.*

Respondeo S. Greg. dicit, nullum aduersus Iuliani persecutionem fuisse remedium præter lacrymas, quoniam non habebat Ecclesia vires, quibus illius tyrannidi resistere posset. Ideo enim lacrymis Dei benignitatem implorādam erat, quoniam aliunde auxilium expectari non poterat. Neque negauisset S. Greg. potestatem politicam iure subiectam esse debere spirituali Pontificum potestati, cum hoc ipsum disertis verbis scriptum reliquerit in oratione ad populum pertimescentem. & Præsidem irascentem: quare hoc loco de facto loquitur, non de iure S. Aug. recte dicit, Milites Christianos seruiuisse Iuliano imper. infideli, quoniam initio imperii sui tolerabat Christianos, nec solos mi-

lites Christianos esse patiebatur: sed etiam Episcopos Catholicos, quos Constantius Arianus relegauerat, ad sedes suas reuerti permisit, vt refert Ruffinus lib. 1. ca. 27. Postea tamen, vt ex Tripartita citauimus, cogebat omnes aut Idolis sacrificare, aut militia excedere: quo tempore Iouianus & Valentinianus cingulum militiæ abijcere, quam Idolis sacrificare maluerunt, propter quod Deus, qui reddit centuplum in hac vita, vtrique paulo post pro cingulo militiæ regium diadema donauit. Porro Barclaius perperam interpretatur illa verba, vbi veniebant ad causam Christi, dicit enim causam Ecclesiæ esse causam Christi, & ideo si licitum esset Imperatorem Apostatam deponere, debuissent milites Christiani iubente Ecclesia in ipsum Iulianum arma conuertere. At S. Augustinus verba sua ipse interpretatur, cum ait, Quando volebat Iulianus vt Idola colerent, præponebant illi Deum. Hanc igitur vocat causam Christi S. Augustinus: quamuis autem sit etiam Christi causa, Ecclesiæ causa, tamen non tenebantur milites Christiani in Imperatorem suum, quamuis Apostatam & persecutorem, arma conuertere, nisi antea hostis iudicatus esset: Ecclesia vero tolerandum potius censuit, quam irritandum, cum satis virium ad eum deponendum non haberet, vt S. Thomas ad hoc ipsum argumentum respondet, in 2. 2. q. 12. art. 2.

Non pauca omittis, quibus Barclaius probat Ecclesiæ in Iulianum vires. Sed hanc fraudem facillime tuus & Barclaii Lector aduertet. Age, ad ea quæ tu carpis. Dicis Nazianzenum, cum ait: *Christianos non aliud quam lachrymas contra persecutorem habuisse remedium*, de facto loquutũ, nõ de iure. At iam aliquot paginis, quarum maximam retices partem, probauit Barclaius non defuisse Ecclesiæ in persecutorem vires, vt certum sit Nazianzeni mentem fuisse eandem, quæ Ambrosii (in orat. contra Auxent. lib. 5. Epist.) cum diceret se aliter, quam *oratione & lachrymis nec debere, nec posse resistere.* Valentiniani conatibus, quem tamen sequenti *cap. §. 1.* vltro fateberis potuisse coerceri ab Ecclesia Orthodoxorum viribus tunc late pollentibus. Sed, inquis, idem S. Gregorius *disertis verbis scriptum reliquit, potestatem politicam iure subiectam esse debere spirituali Pontificum potestati.* Imo disertis ausus es verbis, insigne commentum astruere: Lectori, & Nazianzeno imponere. Neque vsquam diserta hæc in Gregorio verba, vt iam ante docuimus, *cap. 2. §. vltimo.*

Sed apertius illusisti Lectoribus in testimonio Augustini diluẽdo: *Dicit*, inquis, *milites Christianos seruiuisse Iuliano Imperatori, quoniam initio imperii sui tolerabat Christianos, &c. postea tamen cogebat omnes aut Idolis sacrificare, aut militia excedere.* Ridicule: Augustinus scribit milites non obtemperasse Iuliano imperanti vt Idolis sacrificarent, illius tamen iussu bellasse. Hinc sequitur neq; de illis initiis, vt tu commentus es, loquutum Augustinum, quibus Iulianus tranquillum se Christianis præbuit (nam tunc nemini *Idola colere aut thurificare* præcipiebat) neque Iulianum qua tempestate in se festum Christianis præbuit, eos à castris omnino submouisse. Alioqui thurificare negantibus non imperasset *producere aciem ire contra illam gentem, &c.* sed cingulum militiæ soluere, & castris abire. Hinc Driedo (lib. 1. de libert. Christ. cap. 14.) *Videtur sequi nos ex constitutione iuris diuini non prohiberi cum hæreticis edere & bibere, quod & manifestum videtur multis Sanctorum exemplis, qui communicauerunt Iuliano Imperatori Apostatæ in cibo & potu, ac etiã in militaribus actib. vt patet ex doctrina Augustini.* Ecce & hos milites sanctos vocat, & vult eos Iuliano iam Apostatę in cibo & potu communicasse, in militia seruiisse.

Quis vero sententiam tuam ferat, dum Barclaium ais *perperam interpretari illa verba, vbi veniebant ad causam Christi: dicit enim causam Ecclesiæ esse causam Christi: & ideo si licitum esset Imperatorem Apostatam deponere, debuissent milites Christiani iubente Ecclesia in ipsum Iulianum arma conuertere. At S. Augustinus verba sua ipse interpretatur, cum ait, quando volebat Iulianus vt Idola colerent, præponebant illi Deum. Hanc igitur vocat causam Christi S. Augustinus.* Quasi Augustinus innuerit, in respuendo Idolorum tantum cultu, & non in cæteris fidei articulis, illos milites causam Christi suscepturos, quos ait, *Vbi veniebant ad causam Christi, non agnouisse nisi illum qui in cælo erat.* Imo recte ad hæc verba Barclaius, *Quis hic non videt facillimum fuisse Ecclesiæ coercere omni modo Iulianum, si temporalem aliquam in eum potestatem habuisset? quippe ventum tunc fuisset ad causam Christi, quo casu Imperatori Christum, id est Dominum æternum domino temporali milites præponerent. Nam & Ecclesiæ causa, Christi causa est.* Addo puram putam Christi causam iure futuram, quoties de iis ageretur, quæ ad spirituale fidelium bonum ipse Christus constituisset: qualem hanc potestatem somniatis abdicandorum per Ecclesiam regum. Addis: *quamuis autem sit etiam Christi causa, Ecclesiæ causa, tamen non tenebantur milites Christiani in Imperatorem suum, quamuis Apostatam, & persecutorem arma conuertere, nisi antea hostis iudicatus esset.* At hoc ipsum est quod Barclaius quærit, cur, si quale tu iam fingis ius est Ecclesiæ in Principes, Iulianus hostis ab Ecclesia nõ iudicabatur, cum omnes vrbes, castra omnia, Christi fidelibus plena essent, Ecclesiæ sententiam ad effectum perducturis. Nam quod addis, *Ecclesia vero tolerandum potius censuit, quam irritandum: Cum satis virium ad eum deponendum non haberet, vt S. Thomas ad hoc ipsum argumentum respondet in 2. 2. q. 12. art. 2.* in historiam nimis pugnat, nimis in Augustini fidem, ex quibus liquidum, omnes pene Iuliani acies ex Christianis, & iis quidem ad causam Christi tuendam acerrimis. Quam hæc autem implicita & repugnans respõsio? superiori linea dixisti: ideo non necessarium fuisse militibus, vt Iulianum ab imperio remouerent: quia is ab Ecclesia hostis non esset iudicatus: at quærentibus, cur eum Ecclesia non iudicaret hostem, respondes vires illi defuisse, tot militum immemor, quibus antea docuisti Ecclesiæ authoritatem defuisse ad eum imperio submouendum. Qui hi nodi? quæ latebræ in sese redeuntes?

CAPVT VIII.

Valentinianum Iuniorem, hæreticum, Catholicis infestum, Ecclesiæ viribus minorem, vel ex confessione Bellarmini, ab Ecclesia toleratum: imo à Catholicis in imperium restitutum, cõtra impetum Maximi, Catholici. Christianorum sententia de immunitate Principum, Tertulliani æuo. In eandem rem sententia B. Ambrosii, Gregorii Turonensis, Gregorii Magni, Ottonis Frisingensis, Refutatæ argutiæ, quibus hæc testimonia refellere nititur Bellarminus: qui illis patribus, iniuria, & frustra, opponit Irenæum, Cyprianum, Gregorium Nazianz. Gregorium Magnum, Gregorium VII.

Titulus apud Bellarminum est,

Cur Ecclesia non deposuit Valentinianum Iuniorem Arianum.

§. 1.

IN cap 8. *Barclaius probat*, inquis, *non defuisse vires Ecclesiæ, quibus Valentinianum Iuniorem hæreticum ab imperio deponeret: sed frustra laborat: non enim Fr. Romulus cuius disputationem Barclaius refellendam suscepit, de isto Valentiniano vllam mentionem fecit: sciebat enim facile fuisse S. Ambrosio illum deiicere, præsertim cum Maximus Princeps Catholicus iam esset in armis, vt Valentinianum hæreticum coerceret, & tota ciuitas Mediolanensis, & ipsi etiam milites ab Ambrosio starent. Cur igitur inquies, S. Ambrosius Valentinianum hæreticum tolerauit? Causa est in promptu, quia Valentinianus puer erat, & non proprio iudicio, sed matris authoritatem secutus Ecclesiam persequi cœpit. Sperabat vero S. Ambrosius facile posse adduci eundem Valentinianum, vt parentis sui Valentiniani senioris, & fratris Gratiani, necnon collegæ Theodosii, Catholicorum Imperatorum fidem, & pietatem sequeretur. Quod etiam breui contigit, respuit enim Valentinianum, & Sanctum Ambrosium ita colere cœpit, vt nullum haberet, cui magis fideret, neque quem magis obseruaret: denique parentis loco illum deinceps semper habuit, quæ omnia vera esse intelliget, qui orationem S. Ambrosii in funere Valentiniani Imperatoris habitam legere voluerit. Ex quo etiam respondetur ad id quod Barclaius obiicit de Theodosio Imperatore, qui Valentinianum ad se confugientem complexus est, eumq; fugato Maximo in imperium restituit.*

Res notatu digna (inquit Barclaius) hæreticus à Catholico fugatus, ad Catholicum auxilii causa fugit: à quo & reprehensus est propter hæresim & propter reuerentiam maiestatis humaniter exceptus, atque in regnum restitutus: & quia Ecclesia rebellionem, religionis ergo, aduersus legitimum Principem non laudauit, Maximus neque reformator imperii dictus est, neque restaurator Ecclesiæ, sed rebellis & tyrannus.

Respondeo. Theodosius optimo iure Valentinianum adiuuandum suscepit aduersus Maximum, tum quia animaduertit illum à matre seductum facile posse ad fidem Catholicam reduci, quod (vt diximus) continuo factum est: tum quia Theodosius à Gratiano Valentiniani fratre ad imperii societatem vocatus fuerat: proinde æquum erat, vt benefactoris sui fratrem, & imperii collegam, in tanto periculo non desereret: tum denique quia Maximus non præcipue propter religionem, sed propter dominandi cupiditatem Imperium vsurpauerat, & Gratianum legitimum Principem interfecerat Itaque Theodosius non aduersus defensorem Catholicæ fidei, sed aduersus parricidam Imperatoris, & iniustum imperii vsurpatorem arma suscepit.

Pauca sunt, quæ hic dicam, Bellarmine, quando das manus. Fateris Valentinianum iuniorem facile potuisse coerceri, à Pontifice tamen & Ecclesia toleratum: quod solum Barclaius voluit, frustra laborare eum dicis. nam Fr. Romulum de Valentiniano nõ loquutũ, *sciebat enim facile fuisse, S. Ambrosio illum deiicere, &c.* Nihil mirum si probus vates pronuncies quid ille Romulus *sciuerit*. At non frustra Barclaius: qui nullibi quidem dicit Romulum de Valentiniano loquutum: sed cum Principum hæreticorum aut infidelium exempla ab hoc Romulo videret proposita, ad quos remouendos non ius Ecclesiæ, sed vires defuisse Romulus contenderet: ipse primum ne in illos quidem vires Ecclesiæ defuisse ostendit: tum ne quis dubitaret, hoc Valentiniani addit exemplum: quem ipse Romulus nec Arianum & persecutorem neget, nec viribus Ecclesiæ longe imparem, ciuibus atque militibus *pro meliore stantibus causa*.

Dicis Valentinianum ab Ambrosio toleratum, quia & puer, & à matre seductus: vt spes in eo pœnitentiæ esset. Male igitur vt iam in Prolegomenis monui, tuo libro titulum facis, *De potestate Summi Pontificis*. Scripsisses, *De potestate Episcoporum*. Neque enim Ambrosius Summus Pontifex: quem vis tamen & tolerasse Valentinianum, & ab imperio potuisse deiicere. Quæ te vero historiæ monuerunt, ob has, quas refers, causas Valentiniano pepercisse Ambrosium? Nemo ante te dixit, nemo, vt opinor, cogitauit. At si locus coniecturis, hæc ipsa in te pugnant. Videbat Ambrosius, Valentinianum à teneris ad Arianos secedere: amore matris, & authoritate, sensim iudicium corrupisse: nec iam *puerum*, vt dicere tibi libuit, sed adolescentem, nec ex aliorum tantum nutu, sed & suis auspiciis rem gerentem. Vnde de ipso & ad ipsum pene semper, non ad Iustinam, non ad aulicos, in istis Ecclesiæ cladibus Ambrosii sermo & questus. *Mandatur denique*, inquit, *trade Basilicam. Respondeo nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere* Impe-

Imperator expedit, &c. *Et; si tributum petit, non negamus: agri Ecclesiæ soluunt tributum. si agros desiderat Imperator potestatem habet vindicandorum: nemo nostrum interueniet, potest pauperibus collatio populi redundare, non faciant de agris inuidiam, tollant eos si libitum est: Imperatori non dono, sed non nego.* Cur igitur non æque formidaret Ambrosius, ne hæc hæreseos lues virilem ætatem inficeret, ac sperabat eum virili adolescentia abituram? nam quid pertinacius prima institutione? aut quam multos sua facilitas matrum aut coniugum erroribus in totum inquinauit? Quod si pertinacia æque timeri ac sperari pœnitentia poterat: cur non vsus Ambrosius occasione, nunquam fortassis reditura? Cur hanc non maluisset pestem certo tollere, quam ad incertam medicinam tanto Ecclesiæ periculo reseruare: cur non aut Iustinam matrem, aut Valentinianum territurus, saltem verbo aliquo, aliquo indicio, tantam in Principes authoritatem prodidisset? Nempe exorti nondum erant, per quos ignaua Ecclesia, & ignari Episcopi istam in temporalia potestatẽ edisceren. Iam in Theodosio non felicius subtilis es. Nam qui sciret Valentinianum ab hæresi discessurum, potius quam patrui atque matris inhæsurum vestigiis? Nec si ipse à Valentiniani fratre auctus Imperio, idcirco Ecclesiæ charitas, Bellarmine, priuatis postponẽda affectibus. Quicquid itaque dixeris, quicquid obieceris, verum est Valentinianum Iuniorem fuisse Arianum, Ambrosio & Orthodoxis infestum: Nec defuisse vires (nam & illud concessisti) quibus eum coerceret Ecclesia. Nusquam id tamen factum. Maximum etiam, Orthodoxum, eo nomine in hunc mouisse Arianum, quod diceret eiusmodi religionis pestem non diutius esse fouendam, Orthodoxos tamen milites pro hæretico Principe in Orthodoxum pugnauisse, Ei imperium summa vi restituisse.

§. 2.

HIS *explicatis,* inquis, *Barclaius quasi parta victoria exultans, ait: Hæc cum ita sint, desinant nunc velleri aduersarii commento suo nobis imponere: aut saltem dicant, vnde id hauserint?*

Respondeo. Commentum dici non potest, quod omnes Doctores, & ipsa Concilia generalia tradiderunt. Vnde autem id hauserimus, non semel ostendimus, & paulo post clarius ostendemus.

Quid an etiam Concilia, & Doctores, tradiderunt, Christianos temporibus Constantii, Iuliani, Valentis, & cæterorum eiusmodi Principum *ita viribus de copiis suis diffidisse, vt ne tentarẽ quidem ausi fuerint, quod fortiter aggressi facile perfecissent. aut tentasse saltem, sed belli fortunam humanaque omnia expertos, impiis Principibus succubuisse?* Id enim est quod hic Barclaius cõmentum appellauit, interrogans an hoc vspiam apud probatum Scriptorem legeritis. Tu quod respõderes cum non esset, hoc loco per *commentum* totam de temporali potestate Pontificis quæstionem interpretari maluisti, vt nobis tuo more Concilia & Doctores iactares aduersari. Sed quam vane, in *Prolegomenis* & alibi fuse dictum.

§. 3.

SVBIICIT *Barclaius,* inquis *Constat omnes ea ætate sensisse, nullam vel Episcopo Romano, vel Ecclesiæ vniuersæ temporalem potestatem vllo modo, vllaue ex causa in eos competere, sed solius Dei iudicio, quantum ad pœnas temporales relinquendos: & paulo post, huius,* inquit, *rei testem imprimis Tertullianum produco qui de Imperatoribus loquens in Apologetico sentiunt, inquit, Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt, à quo solo sunt secundi, post quem primi, ante omnes Deos, & super omnes homines: & in libro ad Scapulam, colimus, inquit, Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quidquid à Deo consecutum, solo Deo minorem: hoc & ipse volet: sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.*

Respondeo. Falsum est, constare omnes Doctores ea ætate sensisse, nullam vel Episcopo Romano, vel Ecclesiæ vniuersæ, temporalem potestatem vllo modo, vllaue ex causa in Principes Christianos competere. Auctores enim quos Barclaius adducit & paucissimi sunt, & non dicunt quod ipse affirmat. Tertullianus, qui primo loco citatur, de Principibus Ethnicis loquitur, qui toti Orbi Romano imperabant, & nondum sceptra sua Christo subiecerant. Itaque secundi à Deo in rerum temporalium administratione de facto dici poterãt. At, inquit Barclaius, lex Christi iure suo neminem priuat, proinde Reges, & Imperatores accedendo ad Ecclesiam, nihil iuris sui temporalis amittunt. Verum est, nihil amittunt, sed multa lucrantur potius, cum & reges temporales sint, vt antea erant, & regni cælestis heredes fiant, quod antea non erant. Sed si ad regnum cæleste adipiscendum, oporteat eos Vicario Christi subesse, vt iam non liceat illis temporali potestate abuti ad suam & aliorum perditionem, moleste ferre nõ debent.

Frustra es, Bellarmine: constat Doctores ea ætate omnes de hac quæstione sensisse, quod hodie Barclaius. *At,* inquis, *paucissimi sunt quos adducit.* Imo omnes per compendium Christiani. Nec enim hi auctores quid ipsimet, sed quid Ecclesia tunc senserit, dicũt. Tertullianus omnium Christianorum ore, *sentiunt Deum,* inquit, &c. & alibi, *colimus Imperatorem, &c.* Sed nec vllus hanc illorum reprehendit sententiam, licet syncera tunc cura, ne quid religioni repugnans, vel scriptum omnino, vel saltem non proscriptum superesset. Neque isti soli de Principum immonitate dixerunt. Multi alii & apud Barclaium, & apud nos in eam rem afferuntur. Sed *isti,* inquis, *non dicunt quod Barclaius affirmat.* Dicunt vero, Bellarmine: & dicere, tum ex eorum verbis constat, tum ex tuis frigidis ad illa sophismatis.

Ais Tertullianum, *de Principibus Ethnicis loqui, qui,* inquis, *secundi à Deo in rerum temporalium administratione de facto dici poterant.* Quasi his titulis Christianos Principes Christiani non insigniuerint.

perint. Audi Paulum Episcopum Apamiarum, cuius Epistola quinto Concilio Constantinopolitano relata est: *Piissimo & Serenissimo totius orbis post Deum Domino Flauio Iustiniano.* Cæterum multi hic errores apud te, & in sese implicati. Ais, *Secundi à Deo, &c. de facto dici poterant.* Cur addidisti *de facto?* non et quæso *de iure?* Atqui Christiani oēs Tertulliani ore dicunt, *se sentire Deum esse solū, in cuius solius potestate sunt Principes.* Si de facto loquebātur, ridiculi. Nā quis de eo dubitabat? addo ē, Sycophanta: qui vt obiectum diluerent crimen (ab Imperatorum scilicet reuerentia credebantur recedere) sola æquiuocatione frustrabantur accusantium litem. Tu quoq; vt in istis te implicas, hoc imperium *de iure* illis Principibus competisse, mox concedis, vbi respondes ad Barclaii argumentum, *legem Christi neminem priuare iure suo.*

Sed & *sentire* significat, *credere arbitrari, in eiusmodi sententia esse:* Atqui non sentiebant eo modo Christiani, nemini homini Imperatores *de facto* subiici: non hoc, inquam, sentiebāt, sed sciebant, & videbant Christiani: Cum dicerent igitur se sentire Imperatores esse *in Dei solius potestate, super omnes homines, &c.* sentiebant & credebant illis potestatem de iure competere, cui consequitur, nulla de causa illos ab imperio quod super fideles habebant amoueri de iure per Pontificem potuisse (quod tamen sæpe doces vt diximus *ca. 5. §. 18.*) alioqui non fuissent *in solius Dei potestate, ab eo secundi, post eum primi, ante omnes homines.* Cum vero lex Christi suo iure neminem priuet, ius Christianis Principibus idem erit.

Fateris nemini quicquam per legem Christi anferri, & Reges ad Christum accedentes, *Reges temporales esse vt antea erant.* Hoc autem qui cum vestra opinione cōsenserit? Si Christianus rex deponi potest à Papa, qui idem Ethnicus non poterat, an rex erit vt erat? si in temporalibus erat *in solius Dei potestate,* & iam est *sub Pontificis iudicio,* si Ethnicus *super omnes homines* erat, & Christianus *sub Pontifice* erit, iterum dico, an rex erit, vt erat? *Sed,* inquis, *si ad regnum cœleste adipiscendum oporteat Principes Vicario Christi subesse, vt iam non liceat illis temporali potestate abuti ad suam & aliorum perditionem, moleste ferre non debent.* Recto quidem, *si oporteat.* Imo si eos oporteat regno, si vita excedere, se opprimi malis, si exemplum ærumnarum cōstituere, ad regnum cœleste adipiscendum, moleste ferre non debent. Cœlum enim *pretio quolibet constat bene.* Sed non *oportere* contendimus, id est, hanc necessitatem Dei lege nō imponi. Quid cum subire Iudæos oportebat seueræ legis iugum? quid si etiam seueriori addiceremur? nihil tunc illis erat, nihil nunc nobis esset Bellarmine querendum. Sed clementissimo Numini gratias, qui leniora ad cœlum subuehendis imposuit. Nam nihil est prætextus tui fucus, *vt iam non liceat illis temporali potestate abuti, &c.* Omnium magistratuum finis est homines in officio continere, sed cuilibet ad tuendam iustitiam sui fines sunt. Hos, Iustitiæ etiam nomine ac prætextu, egredi, est iniusta & vecors cupiditas. Alioqui quod ad humanarum ordinem rerum constitutum est, in omnis humanitatis ruinam recideret, quolibet magistratu grassante in alium, pulchramque speciem præferente, recti amorem, & vt ille quem castigat *non abutatur potestate suà ad suam & aliorum perditionē.* In te etiam pugnas, qui Christianos Principes ab Ethnicis in eo distinguis, quod *oporteat eos Vicario Christi subesse, vt iam non liceat illis temporali potestate abuti ad suam & aliorum perditionem.* Nam alibi vis etiam Principes Ethnicos Pontifici ita subesse, ne possint ad aliorum perniciem potestate sua abuti. Ita cap. 3. § 18. scribis. *In ordine ad conseruationem fidelium* Pontifex *habet à Deo authoritatem priuandi Principes infideles dominio, quod habent super fideles.* Quid ergo *ne possint ad aliorum perniciem potestate sua abuti?* imo, ne, etiamsi fideles ab iis non infestentur, diutius regnent, quam placuerit Papæ. En tua, in *Recognitionibus ad libr. 5. de Rom. Pont. cap.* 8. verba, quæ etiam supra retulimus. *Non approbo, quod dixi non posse Principes infideles priuari per Ecclesiam dominio quod habent super fideles. nisi auertere conentur fideles sibi subiectos, &c. Itaque si tales Principes non conantur fideles à fide auertere, possunt quidem per Ecclesiam priuari dominio, tamen Ecclesia non semper id facit, vel quia vires non habet, vel quia non iudicat expedire. At si isti iidem Principes conentur auertere populum à fide, possunt & debent priuari suo dominio.* Componamus hanc tuam, Bellarmine, doctrinam cum Christianorum sententia, qui Tertulliani æuo vixerunt id est vix altero post Christum seculo. Profitebātur illi credere se, *Deum esse solum in cuius potestate sint Principes,* etiam Ethnici. *Principes esse à Deo solo secundos, post Deum primos, ante omnes Deos, & super omnes homines. Principes esse homines à Deo secundos, & quicquid est à Deo consequutos: solo Deo minores.* Bellarminus, & qui cum eo sentiunt, dicunt Papam posse de temporalibus Principum iudicare, sceptro etiam merentes amouere. Ita vt Principes, in temporalibus non sint in Dei solius potestate, nec à Dei solius iudicio pendeant, sed & à Pontificis: non sint à Deo secundi, non super omnes homines, sed sub Pontifice: nec solo Deo minores, sed & Pontifice. Vis & te cum illius temporis Christianis apertiori lite committi? Tertullianus scribit, Christianorū vires, tunc omnino bello idoneas, si in persequutores vellēt insurgere, hoc tamen non moliri Christianos sed è contrario colere Ethnicos illos & persequutores Principes, *tanquam homines à Deo secundos, & quicquid est à Deo consecutos, solo Deo minores.* Bellarminus vero affirmat, Principes Ethnicos si persequutores non sint, posse ad Ecclesiæ iudicium vel tolerari, vel eiici: *At si isti iidem Principes conentur auertere populum à fide, posse & debere priuari suo dominio.* Quicunque in tam aperto discrimine, Bellarmine, te de Principibus sentire crediderit, quod illi Christiani, amens sit, pecus sit, & indignus hominis natura censeri.

§. 4.

SECVNDO *loco*, inquis, *Barclaius Ambrosium producit, qui in Apologia Dauid sic loquitur: Rex vtique erat (Dauid) nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum: neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperij potestate.*

Respondeo. Liberi sunt reges à legibus politicis, tum suis, tum prædecessorum regum, quia par in parem non habet potestatem: non sunt tamen liberi à legibus Dei, & Ecclesiæ: & hoc videmus etiam commune fuisse cum regibus testamenti veteris, qualis erat Dauid. Siquidem cum Rex Ozias thus adolere vellet in templo Domini, quod erat officium Summi Sacerdotis, & repulsus à Sacerdotibus non acquiesceret, continuo lepra percussus est, & ad iudicium Sacerdotum coactus est habitare seorsim, & à regni administratione cessare: vt dicitur in lib. 2. Paralip. cap. 26. Addit Iosephus lib. 9. Antiquitatum, cap. 11. ab eo tempore Oziam priuatum vixisse, ac longo mœrore consumptum, Simili fere modo, cum Principem Christianum lepra hæresis infectum cernit Summus Pontifex segregat illum à cœtu piorum per sententiam excommunicationis, ac ne cæteros infi ciat, soluit eius subditos à iuramento fidelitatis, atque si opus sit, iubet etiam sub eadem excommunicationis pœna, ne illum pro Rege habeant, neue illi vt regi pareant.

Itane, Bellarmine? Ergo non nisi in leges Politicas peccauerat, cum diceret, *Tibi soli peccaui?* Imo in duo præcepta Decalogi, *non mœchaberis, non occides*: quæ Deus etiam sanxerat mortis pœna. Nam & homicidam interfici iubet (*Exod. 21. Leuit. 24.*) & adulterum morte mori (*Leuit. 20.*) Dicit tamen ad ea verba Ambrosius Dauidem nullis legibus fuisse astrictum, *quia liberi sunt reges à vinculis delictorum, &c.* Quid Lectorem igitur ludis: intelligendum Ambrosium quod *liberi sunt reges à legibus Politicis tum suis, tum prædecessorũ Regum, quia par in parem nõ habet potestatẽ?* Multo certius cum antiquis accipias Regem dici legibus non esse subiectum ἤγουν ἁμαρτήσας ὑπὸ οὐ δίζεται, quia si delinquat non punitur (Constant. Harmenopolus *lib. Epit. tit. 1.*) Nam quæ leges ἀδιάφοροι non sunt, sed veluti ex naturæ sinu deductæ vt furtum non facere, rapinas non agere, abstinere contumeliis, & quæ similes numerum superant, hæ non priuatos magis quam Principes tenẽt: in tantum inquam tenent, vt quidem in ea peccantes in cœlesti iudicio rei sint: hic tamen puniri non possint. Ita & Imperatores & Iurisconsulti sæpe monent, Principem legibus solui: iis tamen debere viuere. (*l ex imperfecto. 23. D. de leg. 3. Inst. quib. mod test. infirm. §. vlt. l. ex imperfecto. 3. C. de testam. l Princeps 31. D. de legib.*)

Ex his paret tuorum verborum inanis subtilitas. *Non sunt tamen*, inquis, *liberi à legibus Dei & Ecclesiæ.* Si de diuino agis iudicio, & futura vltione, certe non liberi: si de pœnis temporalibus per homines infligendis: prorsus immunes. Res vel hoc exemplo clara. Dauid in Dei leges commiserat, cum tamen diceret, *tibi soli peccaui*, & in hæc verba Ambrosius, *Rex vtique erat, nullis ipse legibus tenebatur, &c.* Sed & indefinite ait *Reges nullis legibus vocari ad pœnã.* Ergo aut Ecclesiasticæ leges, leges non sunt, aut Reges ad pœnam vocare non possunt. Quod de Ozia addis, prorsus ineptum est, cum non illum Pontifex, non vllus mortalium de Regia dignitate deiecerit. Sed hanc historiam, tuamque insimul de corporali & spirituali lepra similitudinem, in suum locum, nempe in *cap 37.* discutiendam reiecimus.

§. 5.

TERTIO, inquis, *Gregorium Turonicum testem adducit, qui in libro 5. Historiæ Francorum, cap. 18. his verbis alloquitur Regem, si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest: si vero tu excesseris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, sed si volueris audis, si autem nolueris, quis te condemnabit nisi is, qui se pronunciauit esse iustitiam.*

Respondeo. Loquitur Gregorius de potestate, quam habent reges de facto cogendi homines particulares, & quam non habent homines particulares ad cogendos reges, accusauerat enim Rex Chilpericus Prætextatum Episcopum Rothomagensem tanquam reum maiestatis, apud Parisiensem Synodum, in qua cum aliis multis Gregorius Turonicus sedebat: & quoniam Gregorius Prætextatum innocentem esse, & à subornatis testibus falsis grauari intelligebat, condemnationi eius assentiri nullo modo volebat. Itaque solus rex vnum Gregorium sibi resistere, dixit illi, O Episcope, iustitiam cunctis largiri debes: & ecce ego iustitiam à te non accipio: sed, vt video, cõsentis iniquitati & impletur in te prouerbium illud, quod coruus oculum corui non eruet. Tum Gregorius demonstrare volens, fieri non posse vt aliquis nolit Regi iustitiam facere, cum Rex possit eum cogere vt iustitiam faciat, sed è contrario fieri posse, vt Rex nolit iustitiam facere, cum nemo possit eum cogere, vt iustitiam faciat: Respondit verba superius posita, si quis de nobis ô Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corripi potest: si vero tu excesseris, quis te corripiet? Atque hanc esse sententiam horum verborum non solum perspicuum est ex verbis præcedentibus, sed etiam ex euentu illius causæ. Nam cum Rex variis artibus, & dolis conatus esset extorquere à Synodo sententiam damnationis contra Prætextatum, & non obtinuisset: vi adhibita coniecit eum in carcerem, & cum inde elabi voluisset, grauiter cæsus in exilium missus est, vt eodem loco narrat Gregorius, & etiam Aimoinus, libro tertio Historiæ Francorum capite 26. Neque hic finis furoris fuit Fredegundis Reginæ, in cuius gratiam rex omnia illa moliebatur. Nam cum postea per Guntrannum regem Prætextatus in suam sedem restitutus fuisset, dolo eiusdem Reginæ per sicarium quendam ad altare sacrum Prætextatus occisus fuit, teste eodem Gregorio lib. 8 cap. 31. qui Prætextatus inter sanctos martyres haberi cœpit. Hæc igitur est illa potestas quã reges in Episcopos habent, vt videlicet vi adhibita contra iustitiam in illos, si velint, animaduertant: & quam non habent

Episco-

Episcopi in Reges, vt eos quamuis iure damnatos obtemperare cogant, nisi ab alia temporali potestate maiori iuuentur.

Vis igitur Gregorium Turonensem *de facto*, non *de iure* agere, vulgare tibi effugium, & sæpe indignum. At ego non hic agi *de iure*, nec dubiis quidem verbis. *Siquis*, inquit Gregorius, *de nobis, ô Rex iustitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest.* Hic de iure, non de mero facto & iniustitia agit: alioqui illam Regis potestatem male aptasset ad plectendos qui iustitiæ tramites vellent transcendere, illam, inquam, potestatem, quæ nullo iure nixa, ipsamet iustitiæ limites transcenderet (vides interim per regiam potestatem corripi ex Gregorii mente posse ipsos clericos, ipsos Episcopos, si iustitiæ limites conentur transcendere.) Cum hic de iure agat, & *de iure* quoque agere in sequenti diuisionis parte oportuit: *si vero*, inquit, *tu excesseris quis te corripiet?* Pontifex, & Ecclesia, dixisset Bellarminus. at vir ille diuinus, *quis te damnabit, nisi is qui se pronuntiauit esse iustitiam?* O vocem in vestræ causæ iugulum, Bellarmine intentam. non dicit modo Gregorius non esset præter Deum, à quo Rex castigetur (quod solita fraude ad defectum virium trahas) sed & neminē præter Deū à quo damnetur: cui rei non necessariæ vires, sed sola potestas iudicandi. Cur igitur interpretationem ausus Gregorio adhibere, eius verbis prorsus aduersam? Cur illū aiebas de potestate loqui, quæ consistit in viribus, & qua destituti inermes Episcopi, non possunt Reges ad obtemperandum cogere, *quamuis iure damnatos*, inquis, quo autem iure damnatos, Bellarmine? Ecclesiastico iure scilicet à Pontifice aut Episcopis? Atqui audis diserte asserentem Gregorium Reges à solo Deo non modo coerceri, sed & posse damnari.

Hic igitur corripere ac damnare, *de iure* intelligitur, & de temporalibus pœnis. Neq; enim sanctus Episcopus nullum sibi ius & Ecclesiæ esse dixisset ad Regem spiritualiter coercendum. Vide quam non ambigue pro nobis iste Gregorius. Nam tota illa de Prætextato historia superuacue tuas chartas impleuit: nec Fredegundis, nec Chilperici, sed iuris Principum patrocinium suscepimus.

§. 6.

Q*VARTO loco*, inquis, *adducit Barclaius testimonium S. Gregorii Papæ, qui se famulum Imperatoris appellauit, & Imperatori cœlitus datam potestatem super omnes homines fassus est. De quo testimonio satis multa dicta sunt capite tertio, neque opus est illa repetere.*

Omisisti Gregorium dicere, se Imperatoris subditum esse. Sed de his supra fuse, capite tertio, §. 17. & 18.

§. 7.

V*LTIMO loco*, inquis, *adducit Othonem Frisingensem in Epistola ad Fridericum Ænobarbum, cuius hæc sunt verba, soli Reges vtpote constituti supra leges, diuino examini reseruati, sæculi legibus non cohibentur: Vnde est illud tam Regis, quam Prophetæ, Tibi soli peccaui: & mox, Cum enim iuxta Apostolum homini mortali horrendum sit incidere in manus Dei viuentis, regibus tamen, qui nullum præter ipsum supra se habent quem metuant, eo erit horribilius, quo ipsi possunt cæteris peccare liberius.*

Respondeo Otho Frisingensis aperte loquitur de legibus seculi, quibus sine dubio Reges subiecti non sunt subiectione coactiua: nam non solum in verbis citatis habetur sæculi legibus non cohibentur, sed etiam paulo ante sic loquitur Otho, Præterea cum nulla inueniatur persona mundialis, quæ mundi legibus non subiaceat, subiacendo coerceatur, soli Reges, vtpote constituti supra leges, &c. At Reges ex Othonis sententia nullum habent supra se, quem timeant, nisi Deum, ergo non solum à legibus seculi, sed etiam à legibus Ecclesiæ, saltem quoad temporalem pœnā liberi sunt, alioqui haberent supra se Summum Pontificem, quem timerent, & non solum Deum. Præterea ex eiusdem Othonis sententia, Reges diuino solius Dei examini reseruantur, non igitur iudicio subiiciuntur Papæ, saltem in temporalibus. Respondeo, Otho Episcopus Catholicus, & pius, non voluit docere, Regem non teneri legibus Pontificiis, vel non habere super se Christi Vicarium, quem timeant, vel non subiacere summi Pontificis examini saltem in rebus spiritualibus, & quoad pœnas spirituales: si enim id vellet hæreticus esset. Ergo cum ait, Reges solius Dei examini reseruari, & non habere super se, quem timeant nisi Deum, & solutos esse legibus, vtpote supra leges constitutos necesse est restrictionem addere, vel ex parte legum, vel ex parte pœnæ. Barclaius libenter admittet restrictionem ex parte pœnæ: sed nos dicimus restrictionem subintelligendam esse solum ex parte legum. Id probamus, quia in verbis Othonis inuenitur restrictio ex parte legum, cum dicat eos non subiacere mundi legibus, & rursum seculi legibus non cohiberi: restrictio ex parte pœnæ temporalis videlicet; in verbis eius nusquam legitur. Præterea non ignorabat Otho Childericum regem à summo Pontifice fuisse depositum, & postea Henricum Imperatorem à Gregorio Papa VII. excommunicatum. Nam vtriusque rei meminit in historia sua lib. 5. cap. 23. lib. 6. c. 34. 35. 36. neque reprehendit factum: imo videtur probare, cum his verbis laudet Gregorium VII. lib. 6. cap. 34. forma, inquit, gregis factus, quod verbo docuit exemplo demonstrauit, ac fortis per omnia Athleta murum se pro domo Domini ponere non timuit: & cap. 36. Ecclesia, inquit, tanto Pastore qui inter omnes Sacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli & authoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit. Igitur sensus verborum Othonis hic erit, Reges legibus sæculi non teneri, & quantum ad eas leges, solius Dei examini reseruati, & quantum ad easdem leges, neminem super se habere, quem metuant nisi Deum.

Apertior Otto est, Bellarmine, quam vt tuo fuco imponas. Ait reges *non subiacere legibus &*

diuino etiam iudicio reseruari. Tu intelligendum dicis de Politicis legibus, quas vocat *seculi leges*, & paulò ante dicit nullam esse, præter Reges, *personam mundialem, quæ mundi legibus nō subiaceat.* At quā violenter hunc sensum extorques! Fidem mihi facit exemplum quò sententiam suam firmat. *Vnde est*, inquit, *illud tam regis, quam Prophetæ testimonium, Tibi soli peccaui.* Atqui ille Rex & Propheta cum diceret, *Tibi soli peccaui*, non in leges ciuiles & politicas peccauerat, quas tu seculi leges vocas: sed in duas decalogi leges, adulter, homicida: quæ duæ ex Dei præcepto sanctiones, mortis pœna in noxios, vt antea diximus, vindicabantur. Dicit tamen sanctus ille rex, pœnæ securus, *Tibi soli peccaui.*

Nam hæc verba, quibus lectorem capis, quam sunt futilia! Nimirum quod Otto dixerit, Reges *mundi legibus, seculi legibus* non coerceri. At hoc quid est nisi regem, non hic puniri committentem in leges, quæ cæteros in hoc mundo ac seculo sub supplicii pœna tenent: siue, non eo modo & metu astringi Regē ad leges, quo cæteri in hoc seculo & mundo mortales? Nimis liquet hanc Ottonis mentem esse: alioqui vt monuimus, non cohæreret Dauidis exemplum dicentis: *Tibi soli peccaui*, (neq; enim ille in *mundi*, vt interpretaris, *leges, in seculi leges*, sed in Dei leges, in legis Iudaicæ statuta peccauerat) nec quod paulo post Otto indefinite subiungit, *Reges nullum præter Deum supra se habere, quem metuant.* Leges igitur mundi, siue seculi, sunt apud Ottonem leges, quæ in hoc mundo seruantur, & vt in hoc mundo seruantur, nullo discrimine, inter Ecclesiasticas atque Politicas. Qua significatione dicit ibidem, quod præter reges *nulla inueniatur persona mundialis, quæ mundi legibus non subiaceat.* Illud enim, *mundialis* non significat hominem secularem, seu vt vocant plerique, mundanum, omnes comprehendit qui in orbe, seu mundo sunt. Id enim *mundialis seu mundalis*, in nostrorum Patrum barbarie significabat. Ita Abbas Stadensis, in principio Chronici. *A primo parente hominum vsque ad Ninum, nullos actus rerum mundalium historiographi posteris attulerunt.* Homo igitur mundialis apud Ottonem quicunque in terris homo: mundi quoq; lex, quæcunque lex in orbe terrarum. Dicis tamen eum agere de legibus Politicis, *quibus sine dubio subiecti reges non sunt subiectione coactiua.* Nimis es ambiguus in his verbis, *subiectione coactiua.* Nam si *coactionem* intelligis, quæ spiritualibus perficitur pœnis, certum est reges illi esse subiectos, cum ab Ecclesia his mediis possint cogi non modo ad præcepta Ecclesiæ, sed ad ciuiles illos actus, quos ipse Rex aut patrare, aut omittere, sine peccato non possit: verbi causa, vt stet pactis cum vicino rege fœderibus, ne duello litea dirimi iubeat, &c. In his & similibus cogi Principes possunt (sed quando hæc potestas exercenda videat prudens Pontifex, prudens pastor fidelium) cogi, inquā, spiritualibus pœnis, cum *hoc modo procedere valeat* Pontifex *super quolibet criminali peccato* (vt ait Innocentius III. cap. *Nouit. de iudiciis.* Sin de *coactione* agis, quæ temporalibus pœnis impletur, aio regem nec ad ciuiles, nec ad Ecclesiasticas leges ea coactione subiectū, cū sit hæc ipsa impunitas, de qua iam isti patres. Alias vt iam sæpe monuimus, abs re esset hoc Dauidis exemplum in Ambrosio, Hieronymo, hic etiam in Ottone, qui hoc ipso exemplo sat docuit (quidquid dicas) se impunitatem regum nō ex legum parte restringere, sed ea parte temporalis supplicii: cum & politicæ nonnunquam leges sint, quæ in conscientia reges teneant, vnde & Pontificiæ notionis esse possunt: & Ecclesiasticæ nullæ, quæ illos sæculari vindicta implicent. Quandoquidē David in sanctissima legis diuinæ capita, securus supplicii per hominem infligendi, commisit.

Quod ais scripsisse Ottonem de depositione Childerici, & Henrici I[illegible] omnino in vos pugnat: sed alius quæstioni illi locus. Quid de Henrico IV. & Gregorio VII. senserit, mox 10. cap. de Childerico autem, 42 ca. agēdum est. Illud hic tātum noto, te quamuis nimiæ libertatis ad auxilia & testes pro Pontificis authoritate fingendum, non dicere tamen ausum, hanc Henrici IV. per Gregorium VII. abdicationem, probatam fuisse ab Ottone, *sed videri probatam.*

§. 8.

PROPTER *hæc testimonia*, inquis, *triumphat Barclaius, dicens: Si contrariæ opinionis assertores tot antiquorum Patrum testimonia, imo si vel vnum proferre possint, quo diserte scriptum sit Ecclesiam vel eius caput Summum Pontificem habere temporalem illam potestatem in reges & Principes seculares, & posse eos temporalibus pœnis quoquo modo directe scilicet vel indirecte coercere, aut regno, regnique parte mulctare, non equidem recusabo quominus lis tota secundum ipsos sine prouocatione iudicetur.*

Respondeo. Auctores à Barclaio producti, non diserte scripserunt reges & Principes Christianos, non posse ab Ecclesia vel eius capite Summo Pontifice pœnis temporalibus directe vel indirecte coerceri, aut regno regnive parte mulctari: etsi hoc diserte scripsissent, possemus nos Tertulliano ab ipso allato Sanctum Cyprianum opponere, qui libro primo, Epistola tertia, iubet cum hæreticis nulla commercia copulari: quod antea Sanctus Irenæus Tertulliano antiquior docuerat libro tertio, capite tertio aduersus hæreses, dicens, tantum Apostolos & horum discipulos timorem habuerunt, vt neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem: quemadmodum & Paulus ait, hæreticum hominem post vnam correptionem deuita: in quam sententiam omnium Patrum testimonia possent adduci. Ex quibus aperte colligitur, hæreticum Regem si fieri possit, non esse ab Ecclesia tolerandum: sed excommunicandum, & fidelem populum ab eius obedientia remouendum, ne cogatur ei seruire, quem vitare iubetur: neque cum eo commercia copulare, cum quo ne colloquium quidem miscere deberet, Sancto Ambrosio Sanctum Gregorium Nazianzenū opponeremus eius æqualem, qui in oratione ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem, comparauit spiritualem potestatem ani-

ma, tem-

me, temporalem carni, ac docuit, ita subiectam esse debere potestatem temporalem spirituali, vt caro subiecta est animæ. Atque hoc ipsum est fundamentum sententiæ nostræ. S. Gregorio Turonico opponeremus Sanct. Gregorium Romanum ætatis eiusdem; qui vt supra diximus in duobus priuilegiis illa verba apposuit, si quis autem Regum, Antistitum, aut Iudicum, aut quarumcunque secularium personarum, huius Apostolicæ authoritatis & nostræ præceptionis decreta violauerit, honore suo priuetur. Denique Othoni Frisingensi opponeremus Gregorium VII. centum fere annis antiquiorem, qui diserte scribit posse Regem saculi à Sede Apostolica certis de causis Regno priuari. Vide Epistolam eius ad Episcopum Metensem. Opponeremus etiam Sanctum Bernardum & Hugonem de Sancto Victore, qui Othonis tempore floruerunt, quorum testimonia in præfatione produximus. Opponeremus præterea S. Thomam & Sanctum Bonauenturã, qui Othone Frisingensi non multũ ætate inferiores, sed doctrina & sanctitate lõge superiores, disertissime docent, q̃ Barclaius requirit. Vide testimonia ipsorũ supra allata. Præterea quinq; testimoniis veterũ scriptorũ opponeremus plusquã septuaginta testimonia scriptorũ variarũ ætatũ. Deniq; quinq; hominib. à Barclaio in testes adductis opponeremus decẽ Concilia, quorũ duo generalia fuisse nõ dubiũ est: neq; ideo Conciliis, præsertim generalibus, minus credendum est, quia posteriora fuerunt: nam eadem est Ecclesia, & Conciliorum eadem est authoritas, siue priora sint, siue posteriora: & quemadmodum in Cõcilio Niceno post annos trecentos ab aduentu Domini licitum fuit Ecclesiæ scripturas de filij Dei consubstantialitate declarare, ac illam præcipue: Ego & Pater vnum sumus; sic etiam licitum fuit post annos septingentos eidem Ecclesiæ Scripturas de potestate summi Pontificis explicare, qualis illa est: Quicquid ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quicquid solueris super terram, erit solutum. Quare si Barclaius pollicitationi sua stare vellet, lis tota sine prouocatione finita esset.

Ais igitur Auctores à Barclaio productos, non diserte scribere, Papam aut Ecclesiam, non posse Pontifices pœnis temporalibus coercere. Atqui scribunt, *Principes secundos esse à Deo, post Deũ primos, nullis ad pœnam vocari legibus, nullum præter Deum supra se habere. A nemine posse damnari, nisi ab eo qui se pronuntiauit esse Iustitiam, Pontifices denique eorum iussioni subiectos, & illis obedientiam debere.* Quid hæc omnia, nisi quod asserit Barclaius? At non diserte scripserunt, Pontificem non posse Principes à Republica amouere. Qui vero id scripsissent, cum nec dum illius quæstionis nomen esset? qui inquam nostros hos errores, in quos scriberent, diuinassent. Solus ex illis Otto post tam funestæ dominationis originem scripsit: de qua quid senserit iam ostendimus, & decimo Capite discutiendum est. Cęteros satis est id scripsisse, quæ stare sine vestræ opinionis ruina non possunt; vt eidem argumento supra, *Cap. 3. §. 16.* respondimus.

Et si hæc, inquis, *diserte scripsissent*, tamen Tertulliano, quem Barclaius affert, Cyprianus, & Irenæus possent opponi, qui dicunt cum hæreticis nulla commercia copulanda; debet igitur Ecclesia, quoties potest, subditos ab hæretici Principis obedientia absoluere. Quid his absurdius? cum nec Cyprianus nec Irenæus de hæreticis Principibus scripserint, qui & ipsi sub infidelibus, sub persequutoribus vixere Principibus, magno iam & numeroso fidelium grege, nec ab illorũ desciscendum Imperio, aut exemplis docuerunt, aut scriptis. Quicunq; te non audiebant Ecclesiam, erant illis ex lege diuina, *sicut Ethnici & Publicani.* Sed nec ab eiusmodi impiorum commercio sciebant abeundum, si fieret cum diuini præcepti dispendio, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* cuius gratiam non potest facere Ecclesia, non illud abrogare. Et cum non simpliciter & absque exceptione de lege diuina sit ab hæreticorum abstinere consortio (alioqui nullo casu hoc licere: & porro sæpe licere constans est, vel ex locis vbi frequentissimus est hæreticorum numerus, ibique ex praxi Ecclesiæ) Sit vero simpliciter & absque exceptione de lege diuina, parere Principibus; sequitur hæreticis Principibus omnino parendum. quandoquidem, inquam, de diuina lege est omnibus legitimis Principibus obsequi, non autem de lege diuina omnium hæreticorum declinare commercium. Imo vero Ambrosius, Gregorius magnus, Gregorius Turonẽsis, & Frisingensis Otto, quos pro Regibus Barclaius laudat, ea tempestate scripserunt, quo iam hæretici Principes à Pontificibus tolerati infestarant Ecclesiam. Et Almainus, De pot. stat. Eccles. & laic. quæstio 2. Cap. 5. *Habetur*, inquit, *ex multis textibus, & ex practica, quod familiares excommunicati possunt participare cum eo, ad minus in rebus ciuilibus. Ergo cum Rege excommunicato vasalli & subiecti possunt participare, cum sint quodammodo serui eius. Nam obedientiam tenentur illi dare & exhibere.* & mox. *Opinio Doctoris simpliciter probabilior est, quod nec per excommunicationem, nec alio modo, potest Papa Principem deponere à sua dignitate imperiali & regali.* Neque vero, vel hodie, hæretici, aut quocunque modo excommunicati, etiamsi non Principes, ijs vitandi præscribuntur *qui ante excommunicationem erant subiecti illis*; vt Doctores passim habent, & Glossa in Capit. *Cum desideres, De sentent. excommun.* & Nauarrus, *Capit. 27. Enchiridij Num.* 27. Quod igitur de vitandis hæreticis illi, quos affers, Patres, de ijs intelligendum, quibus ciuili nullo iure adesse imperamur, vt inter cætera ex interpretatione versuum habes, quos Doctorum vulgus iactat:

Hæc anathema quidem soluunt, ne possit obesse,
Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Dic autem, an subditis putes ab excommunicatorum Principum abstinendum consortio; quorum adeo sacra Maiestas visa est antiquæ Ecclesiæ, vt si ipsi excommunicatum aliquem *in gratiam recepissent*, Is statim iudicaretur ex communicatione soluendus. Id expresse decretum in XII. Concilio Toletano, cap. 3. *Quos Regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mẽsæ suæ effecerit, hos etiam Sacerdotum & Populorum conuentus suscipere in Ecclesiasticam communionem debebit;*

bit, vt quod Principatus pietas habet acceptum, & non à Sacerdotibus Dei debet esse extraneum Eadem sententia egregie vsus est Iuo Carnotens. Episcop. quem vide Epist. 171.

Quid tu his porro de hæreticis? An hæreticos tantum Reges vis à Pontifice posse deponi? Imo & impios, & stolidos, & quacunque de causa Ecclesiæ nocuos. Imo omnes, qui in vllam omnino sanctionem commiserint, quam Pontifex *sub pœna priuationis Regni* obseruari præceperit. Cuius miræ sententiæ authorem facis Gregorium magnum, hoc ipso paragrapho & infra Cap. 40. vbi dicendum vberius. Quid tu igitur in omnes eiusmodi Reges ex Cypriano & Irenæo habes? quos hic Tertulliano opponis, de summa & inuiolata Principum maiestate dicenti.

A Tertulliano ad Ambrosium venis: Dicis te Gregorium Nazianzenum huic oppositurũ, qui, inquis, *docuit ita subiectam esse debere potestatem temporalem spirituali, vt caro subiecta est animæ.* At quam nihil tale cogitarit Nazianzenus, imo quam in contrariam iuerit partem, iam *Cap. 2. §. vltimo* ostendimus. Sed quo genio, quaue spe, Gregorij Nazianzeni nomen tanquam aduersum Principibus tuæ aciei miscuisti? quo assertore Barclaius non minus, quam Tertulliano, aut Ambrosio, vti poterat, nisi amasset breuis esse. Nam sic ille (vt supra retulimus) in eadem oratione ad Ciues Nazianz. *Iam vero inter cæteras nostræ doctrinæ leges, hanc quoque habemus cum primis laudandã, & à Spiritu, qui id, quod præstare possumus, cum eo quod pulchrum & honestum est, explorauit legeque sanxit, præclare constitutam qua vt serui heris suis, & vxores viris, & Ecclesia Christo, & discipuli magistris ac Pastoribus dicto audientes esse atque obtemperare iubentur; ita nobis etiam præscribitur, vt sublimioribus potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, vt qui pendendo tributo simus obnoxij.* En his habes, Bellarmine, tum à spiritu sancto constitui vt Christo Ecclesia, & Principibus pareant ciues: Tum illa Apostoli verbis: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, de sæculi Principibus intelligenda, quibus etiam subdantur Sacerdotes; cum his potestatibus pendi tributum Gregorius asserat, & se in obnoxiorum numerum sponte includat. Hoc porro quam ridiculum, Bellarmine, si aut Pontifici tunc licitum, aut hodie Episcopis, abdicare suos Reges? quid hoc, inquam, nisi Apostoli verba ridere, si dicas posse ab Episcopis Principes temporales potestate temporali vlla de causa priuari, quibus Principibus, vt summis potestatibus, temporaliter obsequi illi iidem Episcopi, etiam propter conscientiam, ab Apostolo Paulo iubentur? Ecce vt præuaricatur iste Gregorius, quem in vestras sollicitaueras partes. & se authorem negat opinionis, quam veluti ex illo deductam, ais *ipsum esse fundamentum sententiæ vestræ.* At quæ ædes huius fundamenti vitio non eant in ruinam!

S. Gregorio Turonico opponis S. Gregorium magnum *ætatis eiusdem.* qua causa non sat scio; cum toties in te pugnet, nisi vt placatum tibi fingas, communi eorum fraude, qui magnarum inimicitiarum famam declinant. Quam pro Regibus faciat, *Cap. 3. §. 17. & 18.* satis actum. De his autem, quæ ex illo obiicis, *Cap. 40.* dicendum est. Sed quando Ludimagister veluti paria componebas; qui in mentem tibi venit duos earũdem partium viros in mutuam litem armare? Barclaius Gregorium Magnum, & Gregorium Turonicum pro Regibus in testes produxerat. Tu singulis à Barclaio allatis æmulum opponere instituis; & tamen Gregorio Turonico Gregorium Magnum, licet commilitonem, opponis, Gregorio Magno nullum.

Denique Othoni Frisingensi, inquis, *opponeremus Gregorium VII. &c.* Qui hi ludi, Bellarmine? Disceptationis nostræ caput est & ad omne præiudicium idoneum, an Gregorius VII. potuerit iure Henricum de solio deiicere, non potuisse Barclaius Ottonis authoritate firmauit; tu contra Ottonem ipsius Gregorij verba producis. O te mirum artificem! quasi aut aliquis de Gregorij VII. mente dubitet; aut cum quæritur de temporali Pontificum potestate in Reges, ille Pontifex, qui eam ex professo asseruit, sit inter Iudices collocandus. Si aptus in hac rem iste Gregorius Iudex; causa omnino cecidimus; frustra aliunde argumenta quæritas, vt argumenta inuenias, frustra Scripturas, & veritatem torques. De S. Bernardo, de Hugone, de S. Thoma, S. Bonauentura, quorum nuda in Ottonem nomina affers, nos iam in *Prolegomenis* fuse.

Demum ais, te his quinque testimonijs veterum Scriptorum, quos profert Barclaius, oppositurum *plusquam septuaginta testimonia Scriptorum variarum ætatum.* Debueras scribere, *inferiorum ætatum.* Nam quos producit Barclaius, extra omnem sortem & litem sunt; magna nomina, primorum temporum, ab omnibus inculpatæ in hac parte doctrinæ: de illis quos, Bellarmine, pro te affers; de Concilijs etiam, cæterisque ad capitis huius finem, nos iam satis, *& in Prolegomenis*, & *Capit. 3. §. 16.* sub finem.

CAPVT

CAPVT IX.

Posteriorum sæculorum Principes non potuisse facilius per Ecclesiam regno priuari, quam illos antiquos, Iulianum, Valentem, &c. Henricum IV. primum Imperatorum esse, quem Pontifices excommunicare aut deponere aggressi sint; non Arcadium, non Leonem Isauricum. De Gregorii VII. sententia in Henricum IV. De Gregorii successoribus. Abbas Vrspergēsis falsò à Bellarmino allegatus. Refutati, aut explicati Auctores, quos recenset Bellarminus pro Gregorii in Henricum sententia. Augustini sententia, de non excommunicādis, qui habent sociam multitudinem in peccato, & peccati defensione. Quam alieno sensu eam exponat Bellarminus, ne pugnet cum facto Gregorii VII. excommunicantis Henricum Imperatorem. Num Gregorium in obitu pœnituerit excommunicati & depositi Henrici.

Bellarminus hunc titulum scripsit,

An potuerint posteriores Principes sine detrimento populi per Ecclesiæ auctoritatem Principatu priuari: & simul, iustane an iniusta fuerit Gregorii VII. sententia in Henricum Imperatorem.

§. 1.

IN capite nono, inquis, *Barclaius aggreditur demonstrare falsam esse illam alteram partem sententiæ Francisci Romuli, quod videlicet Ecclesia sine detrimento populi potuerit Regno, vel parte Regni priuare Childericum, Leonem, & Henricum: probat autem id esse falsum, quia Henricum IV. Imperatorem Gregorius VII. Papa non sine magno populi detrimento deposuit, cum, Ottone Frisingensi auctore, inde nata sint bella, schismata, & alia genus multa. Sed Franciscus Romulus non de vno Henrico locutus est, sed de Leone quoque & Childerico. Constat autem Leonem Isauricum Imperatorem parte imperij mulctatum sine vllo populi detrimento: quod idem manifestissime constat de Childerici Regis depositione, & Pipini exaltatione. ad quæ duo exempla Barclaius nihil habuit quod responderet; ideo silentio illa inuoluens in solo Henrico demoratus est. Quid si addamus etiam translationem Imperij à Græcis ad Francos sine populi detrimento à Leone III. Pontifice factam, completus erit numerus ternarius exemplorum, quæ Franciscus Romulus adferre voluit.*

Frustra hoc pro Francisco Romulo patrocinium; cuius & vana ratio & exempla rationis. Quæ tu omnia non altius tegis, quam sub nebula linea. Neque Barclaius illius discrimen inter Principes veterum & posteriorum ætatum arguit, quod vnus modo Henricus non potuerit, sed quod propemodum nulli, in quos strictus Pontificis ille ensis, absq; ingenti clade populi moueri à sua dignitate.

Ait Romulus (aut tu verius persona Romuli alter) Ecclesiam sua potestate in Principes vsam. vbi hoc potuit *cum ipsorum Principum spirituali vtilitate, vel certe sine detrimento & pernicie populorum*. Narra porro has fabulas in omni ignaris historia. Nam vt de Henricó IV. sileam, neq; Fredericus II. Imperator, neq; Philippus Pulcher Francorum Rex, aut hoc sæculo Ludouicus XII. Franciæ, Henricus VIII. & Elisabetha Angliæ, cum ipsorum spirituali vtilitate, aut sine detrimento populorum à Pontificibus potuere coerceri; omni, inquam, historiæ fidem abroget, qui hos credat facilius ab Ecclesia in ordinem redigi, quam Iulianum aut Valentem potuisse. Affers tamen Leonis Isaurici, Henrici IV. Imperatorum, & Childerici Regis exemplum. Ais illos facile per Ecclesiam à Regno amotos. At hoc etiamsi verum esset, cum sint alij, & quidem multo plures, quos neque cum eorum spirituali vtilitate, neque sine summo detrimento, & pernicie populorum, de Principatu Pontifices tentauerunt eiicere, semper corruet hæc tua diuersitatis ratio inter primos illos in nascenti Ecclesia Principes, eosque qui multo post successerunt. Neque enim de Leone tantum, Henrico, & Childerico, quos in exemplum constituis, sed de omnibus loqui te certum est, qui Pontificum sententijs abdicati. Dicis enim, Ecclesiam toleratis primorū temporum Principibus, tunc demum hac potestate vsam, vbi id potuit cum ipsorum Principum spirituali vtilitate, vel certe sine detrimento & pernicie populorum. Sed Leone & Childerico omissis, Barclaius in Henrico IV. constitit, non quod vt ais *nihil haberet quod responderet, & ideo silentio illa exempla inuolueret*. Sed quod nec ad hanc Pontificis potestatem facerent, & præterea quadragesimo primo & quadragesimo secundo capitibus excutienda seruarentur.

Cui vero stomachum tua verba non moueant; *quid si addamus*, inquis, *etiam translationem Imperij à Græcis ad Francos sine populi detrimento à Leone III. Pontifice factam, completus erit numerus ternarius exemplorum, quæ Franciscus Romulus adferre voluit.* Nimirum quia Henricum IV. nunquam probes sine populorum detrimento coercitum, in eius locum translationem Imperij à Græcis ad Francos substituis. Quid deinde? An hoc vnum sub Fr. Romulj nomine voluisti, Pontifices ter duntaxat coercuisse Principes sine populorum detrimento, quos certum est multo sæpius ea potestate esse vsos? Igitur aut errarunt quoties illud ab iis actum sine spirituali vtilitate Principū, & cum damno populorū; aut non errasset primæua Ecclesia idipsum moliēs cū simili populorum

detrimento. Si concedis male ab illis factum, qui Principes coercuerunt cum eiusmodi detrimentis, damnas palam Gregorium VII. Innocentium IV. Iulium II. Paulum III. quorum sententias in Principes diri turbines secuti sunt, cædes, bella, schismata, hæreses, omnium rerum confusio. Sin illos excusas, eadem opera accusas priscos Patres, destruisque diuersitatis rationem, quã constitueras. Nam interrogatus, cur tolerauerint hæreticos, Apostatas Reges, hanc scilicet causam affers, quod non potuerint hoc iudicio in eos agere, cum eorum spirituali vtilitate, vel sine detrimento populorum. Vide quam liquido tibi constes. Quod est ad Leonem Tertium; iam ostendimus (*Cap. 4. §. 6.*) hanc translationem Imperij nihil in Principum iura esse.

§. 2.

QVIA *tamen Barclaio, inquis, placuit de solius Henrici depositione Franciscum Romulum reprehendere, quasi vel historias ignorauerit, vel alia de causa mentiri voluerit. Respondeo, detrimenta aliqua populum Christianum accepisse ex Henrici excommunicatione & depositione, sed emolumenta maiora detrimentis fuisse, vt non immerito dici possit sine detrimento populi rem illam esse peractam; neque enim detrimentum pati dici potest, qui iacturam facit frumenti, quod seminando spargit in sulcos, si tempore messis multiplicatum cum exultatione reportet. Vidit Gregorius Pontifex sanctus, & sapiens plenas esse prouincias concubinariis & simoniacis; animaduertit Imperatores contra Canones sacros, ac præcipue Octaua Synodi generalis, inuestituras Episcopatuum & Monasteriorum sibi vendicasse. Adiecit animum ad Ecclesiam repurgandam, & liberandam: & quamuis per multas molestias, & pericula, partim per se, partim per successores, quod voluit ad felicẽ exitũ perduxit. Nã & Sacerdotibus abstulit concubinas, & beneficia Ecclesiastica, vt gratis darẽtur & acciperẽtur effecit, &, quod erat omniũ difficillimum, inuestituras Ecclesiarum Henrico V. Henrici IV. filio, Calixto II. Pontifici libere renunciante, recuperauerit. Id quod sine manifestis signis, & prodigiis cælestibus factum non fuisse testatur Abbas Vrspergensis in Chronico.*

Ignosco naturali studio, quo propugnas Romuli integritatem. Sed hoc tui studium quo te ducit? falsum in primis *Barclaio placuisse de solius Henrici depositione Franciscum Romulum reprehendere.* Totam enim eius rationem damnauit, vt ineptam; tam Henrici IV. quam Philippi pulchri exemplo. De Leone, & Childerico, loqui omisit, res nimirum duobus supremis capitibus agitãdas. Sed his missis redeamus ad Henricum. Dixeras sub Romuli nomine, eum ab Ecclesia coercitum *sine detrimento & pernicie populorum.* Barclaius id ex historijs falsi conuincit, quæ illius temporis tempestates, bella, strages miserabili stylo deflent. Tu respondes, populum quidem aliqua detrimenta accepisse, *sed emolumenta maiora, vt non immerito dici possit sine detrimento populi rem illam esse peractam.* O egregiam rationem! Atqui hanc differentiam constituis, inter Constantium, Valentem, Heraclium, &c. & Henricum IV. cæterosque recentium temporum Reges, quod illi sine detrimento non potuerint coerceri, isti potuerint. Quid per detrimentum intelligis, nisi cædes, incendia, *mala, schismata, tam animorum, quam corporum pericula?* quæ omnia per Henrici abdicationem contigisse testis est cum innumeris alijs noster Otto? Aut quid grauius accidisset si Iulianum & Valentem deposuisset Pontifex, illique armis tuti infestassent Ecclesiam? Nam si ideo tam animorum quam corporum nata essent pericula, at tandem, emergentibus Ecclesiæ rebus, quas nulla vis humana deducet in profundum, habuisset hæc tua subtilitas locum, nempe vt diceretur, Ecclesiæ defensa authoritas; ideo promota Religio: quæ interuenerant damna sementis instar esse, nec in tanti emolumenti, tanquam messis, comparatione numeranda. Audi vero quã grauia, quam funesta, abdicatio Henrici pepererit. *Quanta autem, mala,* inquit Otto, *quot bella, bellorumque discrimina, inde subsecuta sunt, quoties misera Roma obsessa, capta, vastata, quod Papa super Papam sicut Rex super Regem positus fuerit, tadet memorare. Denique tot mala tot schismata, tot tam animarum quã corporum pericula, huius tempestatis turbo inuoluit, vt solus ex persecutionis immanitate ac temporis diuturnitate, ad humanæ miseriæ infelicitatem sufficeret comprobandam. Vnde à quodam Ecclesiastico Scriptore densissimis Ægypti tenebris comparatur.* Cum igitur damna maiora esse non potuerint Constantij aut Iuliani temporibus, quam Henrici; Ecclesiæ autem vtilitas & victoria vtrobique æqualis; qua libertate dicere ausus es, illos non coercitos, ne populus detrimentum caperet: hunc vero redactum in ordinem, quod hoc sine populi detrimento liceret?

Iam memoras Gregorij VII. in Ecclesiam studia. Voluisse eum ais sui temporis vitijs occurrere. Vidisse, *plenas esse prouincias concubinariis, & simoniacis*; Imperatores quoque contra sacros Canones sibi *inuestituras* Episcopatuum, & Monasteriorum vendicare. Itaque adiecisse animum ad repurgandam Ecclesiam. Quis non laudaret mirifice, legitimis rationibus incumbentem in has curas? Sed mala, iuxta Apostolum, non sunt facienda, vt inde bona eueniant. Spiritualibus modis coercere Ecclesiæ hostes licuit; non in sæculi Principem sæculare vsurpare Imperium. Addo discordiæ inter Gregorium & Henricum originem longe aliam extitisse (Otto *Capit. 34. lib. 6. Chronic. & de gest. Frid. lib. 1. Cap. 1.*) quod nempe Gregorius *absque consensu Regis per electionem constitutus fuerat*; cum Henricus diceret, quod *tanquam Rex & Patricius primus in electione sua Vrbis Episcopus esse deberet* Gotfrid. Viterbiensis (Chro. par. 17.) *Anno 2. Alexander Papa decedit, & Aldebrando Archidiacono suo, qui Gregorius VII. fuit Apostolatum reliquit. Quod quia sine Imperatoris cõcessione actum est, schisma grauissimum narratur exortum.* Et hæc quidem discordia quoad speciem parũper extincta, mox cineres habuit quæ sequens incendium facillime conceperunt. Plura nos supra de dissidij causis inter Gregoriũ & Henricum, C. 4. §. 7. Sed & horũ ac superiorũ temporũ tuæ istæ licentiæ, sat testi-

tus,

tur, Bellarmine, non à Gregorio factum, vt Clerici nec à simonia, nec à fornicatione laborent. Vtinam atrocissimus tuis bo saltem tantæ fœlicitatis effectu tot malorum memoriam leniuisset.

§. 3.

SED libet iam per partes, inquis, discutere, quæ Barclaius aduersus Gregorium VII. ex Othone Frisingensi, alijsque authoribus annotauit. Primum igitur adfert illa verba Othonis Frisingensis lib. 6. ca. 35. lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc (Henricum IV.) à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum. nisi forte quis pro anathemate habendum ducit, quod Philippus ad breue tempus à Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à B. Ambrosio propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit.

Respondeo. Fuit quidem Otho Frisingensis doctrina, moribus, & nobilitate insignis: sed tamen legendo & relegendo non inuenit omnia. Nam Archadium Imperatorem ab Innocentio I. Pontifice propter electionem S. Ioannis Chrysostomi, excommunicatum fuisse testatur Nicephorus lib. 13. cap. 34. qui & sententiam ipsam excommunicationis ad verbum recitat: eiusdem excommunicationis meminit Gregorius VII. in Epistola ad Episcopum Metensem. Leonem quoque Isauricum Imperatorem à Gregorio II. & rursum à Gregorio III. excommunicatum propter hæresim Iconomachorum, & vectigalibus Italiæ priuatum, testantur Historici Græci, & Latini, vt supra demonstrauimus.

Imo ipse legendo & relegendo plura sæpe & tibi & incautis videris inuenisse, quam quæ scripta fuerunt aut rescripta. Ignosce plus Ottoni quam tibi in historia credentibus, cum ille omnium temporum Chronicon sedula diligentia sanctaque conscripserit fide. De Leonis Isaurici hæresi scripsit, & de auersione animi Gregorii Papæ. In illis tamen rebus, de Leone excommunicato aut deposito, nullum verbum: licet dicat, quod *Gregorius Papa Italiam ab eius imperio recedere persuasit*: vt optimo iure hic scripserit Gregorium VII. primum esse, qui Imperatorem *regno priuauerit*: si is iussu & imperio in Henricum, ille monitis ac suasu in Leonem est inuectus. Et nos fuse de Leone, *cap. 41.*

Veniamus ad Arcadium, Quis dubitet ementitam de eius excommunicatione historiam? nemo celebrium Antiquorum meminit. Et quis credat rem tam singularem, tam seriam, à tot historiarum auctoribus esse omissam? Socrates eorundem temporum scriptor, in Chrysostomi vita plus mediam partem *libri quinti* impendit (*à ca. 14. ad 22.*) de excommunicato Arcadio altum silentium. Sozomenus eadem fuse, & in Chrysostomi laudem: nihil magis de excommunicato Arcadio. Imo contra (*lib. 8. ca. 26.*) innocentii I. Pontificis refert *Epistolas*, vnam ad B. Chrysostomum, aliam ad Clericos Chrysostomo adhærentes, In illis num quæso de excommunicando Imperatore, aut de abdicando, sermo? Totæ pene impenduntur, vt viros pios ad *coronam patientiæ* excitet. Quod est amplius: habemus in Cedreno (quo Chrysostomi studiosior nemo) Innocentii Papæ *Epistolam ad Arcadium* liberam, atrocem, illam ipsam in qua deinde corrupta, & ad arbitrium aucta, quidam nouitii excommunicationem inseruerunt. At in Cedreno nihil eiusmodi, licet, inquã, eã Epistolam referat. *Vox sanguinis fratris mei Ioannis contra te Imperator Deum appellat, &c.* in qua deinde si diis placet Nicephorus excommunicationis verba inuenit. Ecquis credat omissurum hæc Cedrenũ, cum antiquior, cũ studiosus Chrysostomi, cũ illam ipsam referret Epistolam? omissurum Zonaram, omissuros priscos illos Sozomenum & Socratem? Sed nec Otto (in *Chron. lib. 4. cap. 19.*) aliud Innocentium I. in Chrysostomi negotio egisse testatur, quam quod aduersus eum acta *improbauit, ac Clero ne alium eligerent scripto demandauit.* Nec qui *Pontificum vitas* scribunt, de excommunicato per Innocentium I. Arcadio meminerunt. Et Nicephorus, vnde id hauserit, vnde illi hæc ad verbum excommunicatio, ab antiquioribus ignorata, omnino reticuit. Nisi id illi forte à Gregorio VII. qui hoc commento, sibi scilicet propitio, vsus, in sua *ad Episc. Metensem Epistola*, nec testimoniis antiquorum nec monimentis nixus. Vnde & ab Ottone hæc de Arcadio fabula (ita eam vocat Onuphrius) non ignoratur, sed negligitur. Nisi tibi credibile istam Gregorii VII. ad Metensem Episcopum Epistolam (vbi de hoc Arcadio) non peruenisse in manus Ottonis, hominis diligentis, scribentis eodem sæculo, & quidem de controuersia inter Gregorium & Henricum.

Neq; putes Ottonem solum testem, quo probemus Henricum IV. Imperatorum primum esse, cui Romani Pontifices abrogarint imperium. Audi Gotefridum Viterbiensem (Chroni. parte XVII.) *Ante hunc Imperatorem* Henricum IV. *non legimus aliquem à Romano Pontifice excommunicatum, aut imperio priuatum.* Audi Trithemium in Chronic. Hirsaugiensi, ad annum M. C. VI. *Ipse autem primus est inter omnes Imperatores per Papam depositus.* Addamus Onuphrium Panuinium (li. 4. de varia creat. Roman. Pontif.) *Nam etsi ante Romani Pontifices, tanquam religionis Christianæ capita, Christique Vicarii, & Petri successores colerentur, non tamen eorum authoritas vltra protendebatur, quam in fidei dogmatibus vel asserendis, vel tuendis. Cæterum Imperatoribus suberant: ad eorum nutum omnia fiebant: ab eis creabantur: de iis iudicare, vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primum omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Nortmanorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaq; Germanorum Principum bello ciuili laborantium inflammatus, præter maiorum morem, contempta Imperatoris authoritate, & potestate, cum Summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum à quo si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiã regno imperioq; priuare ausus est. Res ante ea sæcula inaudita. Nam fabulas, quæ de Arcadio, Anastasio, & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror.*

Lege igitur & relege cum Ottone historias: sciesque ante Henricum IV. neminem Imperatorum à Pontifice in ordinem esse redactum.

§. 4.

DEINDE Barclaius, inquis, *ex eodem Ottone commemorat mala quæ ob excommunicationem Henrici IV. Imperatoris Ecclesia acciderunt, bella videlicet, schismata, exilium Papæ, cædem Rudolphi Imperatoris à Gregorio electi, & alia id genus: & iis commemoratis exclamat: Haccine est Principem sine detrimento populi coercere.*

Respondeo. Quando Euangelium Christi prædicari cœpit ab Apostolis in Hierusalem, coorta est persecutio magna in Ecclesiam, Stephanus lapidatus, Iacobus capite cæsus, Petrus coniectus in carcerē, fideles dispersi per varias regiones: quando vero prædicari cœpit idem Euangelium inter gentes, commotum est imperium vniuersum Romanum, persecutiones exortæ grauissimæ, direpta bona, incensæ Ecclesiæ, strages sanctorum toto orbe terrarum incredibiles factæ: quæro igitur an Euangeliū cum detrimento, an cum salute populorum prædicatum sit? si carnis oculis res consideretur, videbitur Euangelium non salutem, sed perniciem populis attulisse. Sed si mentis oculo fidei lumine repurgato res eadem spectetur, perspicue apparebit idololatriam fuisse de mundo pulsam, Ecclesiam propagatam, Martyres coronatos, denique bona omnia per Euangelium ad nos venisse. Tale aliquid (vt paulo ante diximus) accidit Ecclesiæ, cum Papa Gregorius Henricum Imperatorem excommunicatione coercuit.

Age igitur, Bellarmine, si hæc omnia non vocas *detrimentum*, qui dicere ausus, priscos Imperatores sine detrimento non potuisse ab Ecclesia coerceri, recentiores potuisse? quæ maiorā detrimēta prisci illi Ecclesiæ, quæ maiora Reipublicæ infudissent? sed rem actam hoc capite, §. 2. non hic ago.

§. 5.

PERGIT Barclaius, inquis, *& factum Gregorii his verbis reprehendit: Fieri potest vt bono id animo fecerit Gregorius (Deus de intentione iudicet) at fieri non potest, vt recte, prudenter, vt ex officio fecerit, & quin largiter errauerit more, & consilio humano: cū id sibi tribueret, quod suum sane non erat: deponendi scilicet & abdicandi Imperatoris munus, inque eius locum, alterius substituendi potestatem: & infra: Culpa igitur Gregorii Papæ permagna mihi in hoc negotio videtur.*

Respondeo. Satis audacter Barclaius in Christum Domini, & summum atque omnium Christianorum iudicem sententiam tulit: nec saltem dubitando vel suspicando, vel opinando locutus est: sed præcise & absolute quasi de re explorata, & certa pronunciauit, fieri non posse vt Gregorius in hac re iuste prudenterque se gesserit.

Cur non addebas, Bellarmine, quod apud Barclaium sequi vides, ita se gessisse Gregorium; *ac si ad eum regni illius humani dominium pertinuisset. Quod satis versiculus ille indicat ab Ottone relatus, & à nobis supra transcriptus.*

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Hunc quidem versiculum coronæ insculptum, quam Gregorius Rudolpho transmisit, nō testatur vnus Otto, sed & omnes pene qui de illo æuo scripserūt. Helmodus Presbyter (in *Chron. Slauorum lib. 1. cap. 28.*) paulo aliter refert.

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

An hoc recte Gregorius, prudenter, & ex officio?

Addo constare apertius *nec blasphemo nec sacrilego ausu* reprehendi à Barclaio Gregorium, ex his ipsius Gregorii verbis, in sententia in Henricum, *Agite igitur Apostolorum Sanctissimi Principes, & quod dixi vestra authoritate interposita confirmate, vt omnes nunc demum intelligant si potestis in cælo ligare, & soluere in terra quoq; imperia regna, Principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare vos posse.* Nō hic pluribus defendam Barclaium, nec coniiciam in hunc locū toto hoc capite, imo libro, in Gregorii dicenda sententiam. Iam Gregorium prolixe tueris, duraq; maiestate in hæc verba proscribis Barclaium.

§. 6.

AT ego, inquis, *sententiam Barclaii falsam & temerariam, ac dicā sacrilegam, & blasphemam, his argumentis fuisse demonstro. Primum constat sententiam Gregorii ab omnibus Episcopis, qui in Concilio Romano cum illo sederunt, fuisse probatam. At quis credat Pontificem cum vniuerso Concilio tam iniustam, & imprudentem sententiam tulisse, vt Barclaius dicit?*

Deinde iudicium Gregorii VII. confirmarunt omnes eius successores Victor III. Vrbanus II. Paschalis II. Gelasius II. & Callistus II. cuius tempore pax facta est inter Sacerdotium & Regnum: & tamen omnes isti viderunt bella & schismata exorta occasione sententiæ Papæ Gregorii: quod argumentum certissimum est, iustam & prudentem fuisse sententiam, quam Gregorius tulit, cum tot prudentissimi, iustissimiq; Pontifices Conciliis Episcoporum cooperantibus, & spreta persecutione schismaticorum, defendendam confirmandamq; susceperint.

De Victore III. qui proxime post Gregorium sedit, testis est Leo Ostiensis in Chron. Casinensi lib. 3. c. 71. ab eo celebratum fuisse Concilium Beneuentanum, atque in eo confirmatam sententiam Gregorii VII. de inuestituris cum illa clausula. Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, vel cuiuuis potestatis sæcularis, Episcopatum, vel quamuis aliam Ecclesiasticam dignitatem dare præsumpserit, eiusdam sententiæ vinculo se adstrictum nouerit.

De Vi-

De Vrbano II. Victoris III. proximo successore, Bertoldus Constantiensis eius temporis historicus scribit, in Synodo Beneuentana anno Domini 1091. confirmatam ab Vrbano sententiam excommunicationis in Guibertum Antipapam, & omnes eius complices, quorum præcipuus erat Imperator Henricus. Item anno 1095. eandem sententiam confirmatam ab eodem Vrbano in Synodo Placentina, coram innumerabili multitudine, & anno eodem rursus confirmatam in Concilio generali Claromontano.

De Paschali II. Vrbani II. proximo successore, testatur Abbas Vrspergensis anno 1102. in Concilio Romano generali à Paschali confirmatam fuisse sententiam Gregorii VII. & excommunicatum Henricum, & omnes illi adhærentes. Addit quoque idem Abbas se præsentem Romæ fuisse, & audiuisse feria quinta in Cœna Domini ab ore ipsius Pontificis, cum Henricus excommunicatus denuntiaretur.

De Gelasio II. Paschalis II. proximo successore, testatur idem Abbas Vrspergensis anno 1118. ab eo per Cononem Episcopum Cardinalem Prænestinum legatum suum in Concilio Coloniensi, & altero Fritislariensi, confirmatum Decretum Paschalis de excommunicatione Imperatoris Henrici.

De Callisto II. Gelasii proximo successore testatur Abbas Vrspergensis in Chronico, nec non Sugerius Abbas in vita Ludouici Regis Francorum, nec non Rogerius in Annalibus Anglicanis, à Callisto in Concilio Remensi patrum quadringentorum iterum confirmata Decreta Synodalia prædecessorum, Gregorii videlicet, Victoris, Vrbani, Paschalis, & Gelasii.

Hæc tot Conciliorum, tot Pontificum facies, nullius terrebit prudentiam diligenter expensa. Quis nescit & Gregorium VII. & quos memoras illius successores hanc sibi potestatem in Henricum arrogasse, illis stipatos Clericis, illis Episcopis, quos tanto supercilio obiicis nobis? Certe illi Pontifices soli & nudi tantam rem non aggressi. Ipsi authores sunt vestræ sententiæ, ipsi fontes. Perge vlterius, & bona fide historias lustra, ne quidem vestigium tanti maris, quod iam in seges effunditis. Scimus hæc ab illis vsurpata. At quærimus, *quo iure quaue iniuria.* Quid igitur homines qui in ista re, vt sæpe monuimus, in partibus sistendi sunt, ad Iudicum loca sustollis? At Gregorius & Victor, in Conciliis ista in Henricum egerunt: Ergo non ipsa Concilia. Nullum, inquam, ex his, quæ recenses, Conciliis (mirum) vllo verbo, Decreto, Canone, in Henricum quicquam edixit.

Quæ deinde hæc fuerunt Concilia? ex quibus coacta hominibus? Disce ex illorum temporum historiis. Sub Gregorio VII. graue schisma exortum est: Ecclesiastici multi Pontifici, non pauci Imperatori adhæserunt. Incalescentibus partibus, Gregorius, quem Henricus à Pontificatu amouendum susceperat, se Henricum regno deiicere pronuntiat, eo firmiore suorum studio, quo rei magnitudo, & nouitas nescio qua iucundæ veritatis vmbra fallens, pertinaciam partium conciliant. Sed nec obscure Abbas Vrspergensis Ecclesiasticos illos vocat *Imperatoris inimicos*, ad Annum M. LXXXV. Inquiramus igitur in ista quæ laudas in Henricum Concilia.

Primum est Episcoporum, qui Romæ sub Gregorio VII. coiuerunt: nempe hominum primo illo impetu ardentissime pro Gregorio stantium: adeo vt Abbas Stadensis in Chron. ad Annum M LXXVI. testis sit, Henricum *sententiam excommunicationis in Romana Synodo accepisse: cum ipse tamen inauditus & absens fuisset.* Quod Abbas Vrspergensis iisdem verbis refert, ad Annum M. LXXVI. Quid mirum si in tantæ rei initio, tanta acerbitate animorum, qui in Pontificis partibus erant, et in omnibus conatibus, & consiliis adhæserunt?

Venis ad Concilium Beneuentanum sub Victore III & testem inscribis Leonem Ostiensem in *Chron. Cassin. lib. 3. ca. 71.* Atqui ibi nec verbum aut de Henrico, aut de alio Principe sua maiestate spoliando: Ibi excommunicantur Simoniaci, additurq; Imperatorem quemcumque aut Principem, qui *Episcopatum, vel quamuis aliam dignitatem Ecclesiasticam dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo* esse astrictum. An de eo disceptamus? an est idem cum Simoniacis excommunicari, & Regno priuari? Atqui nihil aliud in hac Victoris sententia. Neque verbum confirmandæ Gregorii de abdicando Henrico sententiæ.

Quid autem in Beneuentana Synodo, quid in Placentina, quid in Claramontana Vrbanus Papa Secundus? confirmauit sententiam excommunicationis *in Guibertum Antipapam*, & omnes eius complices, quid aduersus nos? At in his complicibus *præcipuus erat Henricus Imperator.* Quid deinde? Iussi ne vt quicunque Guiberto adhæreret, omni suo iure, omnibus opibus, omni dignitate caderet? imo tantum vt subiacet anathemati. Hac igitur per Vrbanum firmata sententia, quid poterat sequi nisi Henricum Guiberti fautorem anathemate esse deuinctum? Atqui vltro fateri non dubitas, excommunicari regem posse, neque ideo à sua dignitate moueri.

De Paschali II. inquis, *Vrbani II proximo successore, testatur Abbas Vrspergensis Anno 1101. in Concilio Romano generali à Paschali confirmatam fuisse sententiam Gregorii VII &c.* Ain' vero *Concilium generale?* Quid denique ibi Paschalis? nisi Henricum à Gregorio & Vrbano excommunicatum, à se quoque anathemati traditum esse? id vero vltramontanis significandum, *quatenus ab ipsius se contineant iniquitate:* iniquitate dixit, non imperio, nō consortio. An illud est *Regno priuari?* Imo Gregorius VII. inter ista aperte distinxit. Primum abrogauit Henrico Imperium, *Henricum Regem, &c. Imperatoria administratione Regiaque deiicio; & Christianos omnes imperio subiectos iuramento illo absoluo, quo fidem veris Regibus præstare consueuerunt.* Postea excommunicauit his verbis: *Præterea vero quia monita mea, imo tua, ad sui ipsius populorumq; salutem pertinētia contēpsit &c. eum vinculis anathematis colligo.* Ecce res à Gregorio ipso decretas, depositionem & anathema, de solo anathemate hic Paschalis. Scias interim te errore non ferendo circa hunc Vrspergensem lapsum esse. Nam *libro 4. de Rom. Pont:*

Pont.cap.13. ais hunc Abbatem Vrspergensem scripsisse circa annum Domini M.CC. hic ais eum Paschalis temporibus Romæ fuisse. Vis, inquam, esse eundem. Ibi enim dicis illum, qui vixit Anno M. CC. esse eundem qui de his Henrici IV. temporibus scripsit, & Paschalis sententiæ interfuit, vt patet ex auctoritatibus quas ab illo exscribis, ex Annis M. LXVIII. & M. C. VI. At vide quam prodigiosam illi ætatem addideris. Dicit iste se reuersum Romam ex Syria tempore Paschalis Pontificis, Anno M. C. II. Scribit postea (idem tamen vt credis) se Innocentii III. temporibus, Anno M. CCII. *Presbyteratum accepisse*, & Anno M. CC. XVI. *Abbatem electum fuisse, & translatum in Vrsperg.* Vide quam hæc vni homini conueniant. Nisi velis hæc ab aliquo corruptore addititia esse, quæ se iste Romæ vidisse commemorat; quæque tu ad auctoritatem exscribis.

De Gelasio Secundo loquentem quis te ferat? Dicis te id referre ex Abbate Vrspergensi. Audi vero eius verba. *Henricus Imperator dum Paduanis regionibus immoraretur, audito transitu Apostolici P. Romam properauit, & primo quidem in electione Domini Ioannis, qui & Gelasius Secundus dictus est, assensum prabens, post. a vero eodem à sua se communione subtrahente, non sine quorundam Romanorum fauore, alterum quendam Burdinum ex Hispania superuenientem, Apostolica sedi imposuit, sicque schisma quod iam sperabatur emortuum crudeliter reuixit. Nam eodem Romana Cathedra libere potito, Gelasius cum his qui secum abierant, Cardinalibus, cæterisque Catholicis, quos congregare poterat, apud Capuam iuxta quod litera ab ipso circumquaque transmissa testantur, Cæsarem vna cum idolo suo damnauit.* De quo Henrico hic agitur, Bellarmine? nempe de Quinto. Nam Henricus Quartus, vndecim ante annis obierat, sedente Paschali Pontifice, vt habes apud eundem Vrspergensem: & de illo hic nec verbum Papa Gelasius. In Henricum inquam Quintum, hoc anathema, cuius excommunicationem Cuno siue Cono Cardinalis Prænestinus, Gelasii Papæ legatus, Synodo primum coacta Coloniæ, mox in Friteslar, *propalauit.* Vide eundem Vrspergensem, vbi de inauguratione Callisti Pontificis. Quæ igitur tibi libertas, quæ immanis audacia, abutendi nominibus, obtrudendi historias, vt hic Henricum Quintum, pro Quarto des, eodem genio, quo in *Prolego. Nu.75.* pro Philippo primo Rege Francorum, Philippum Augustum, toto sæculo ab illorũ primo remotum? Neque in Vrspergensi verbum de confirmata Paschalis Papæ per Gelasium sententia, neque si esset, longe aberraret Vrspergensis, quippe sub Paschali excommunicatus fuerat Hẽricus iste Quintus Anno M. C. XII. ob inuestiturarum ius à Pontifice vi & captiuitate extortum, vt inter cæteros refert Abbas Stadensis in Chronico Anni millesimi centesimi duodecimi, & Vrspergensis M. C. XVI.

De Callisto testatur Vrspergensis, eum *Synodalia prædecessorum suorum Decreta confirmauisse.* Quæ illa Decreta fuerint, iam hic ante monuimus. Esto porro: Callixtus Gregorii VII. sententiam asseruerit, potestatem in Principes vendicarit, non scilicet sedis modò, sed partium & inimicitiarum hæres. Nec negandum, nec curandum, Bellarmine, quam hi obstinati Pontifices perdomandis Regibus & Romanæ infulæ subigendis. Ita res, ita factio, ita seculi infelicitas tulit: & multa tunc Pontificibus iniecerunt illam mentem, multa conciliauerunt fauorem atq; vires.

Primum, præiudicata sedis opinio, & præpollens tunc vbique maiestas, tum caliginosa barbaries, quæ scientias passim extinxerat, paucis Clericis (qui plerique pro Pontifice) astuta aut pingui philosophia regnum literarum, & per hoc sæculi credulitatem, regentibus: tum negotii nouitas semper blanda, tum Ecclesiasticorum ambitus Ecclesiasticam in temporalibus monarchiam ad publicum & priuatum splẽdorem adornans. Accessit Imperatorum turpitudo, in quos hoc primum Pontificum fulmen, vt qui iis adhærerent, plerunque viderentur in schismatum castris & vitiorum mereri: nec vt Principibus studere, sed vt euertentibus sacra. Hæc adeo mixta & pene confusa ratio, prætextu spiritualium temporalia quoq; inuoluit. Nec obiicias illorum qui tunc fuerunt Pontificum pietatem. Ipsi quoque decipi potuerunt. Et in tanta inclinatione orbis, tanto vel adulantium æstu, vel credulitate simplicium, abripi quoque, & suę potestati cum excusatione fauere. Sed nec de eorum pietate sic liquet. De ea ambigere, Bellarmine, opinor, non dices hæreticum. Si quid igitur Pontifices, quicunq; incubuerũt isti in Principes potestati, in Conciliis, & spirituali & temporali pollentes imperio, statuerunt in Reges, relinquitur disputandum quo iure quaue lege. Neque illa Pontifex vt Pontifex, sed vt homo, vt Princeps *temporalis*, & plerunque Ecclesiasticas ambitiose vires extendens, id est, non vt sæcularium Principum pater, sed vt illorum par, æmulusq; decernit.

§. 7.

TERTIO, inquis, *iudicium Gregorii VII. approbatum fuit ab omnibus bonis, qui tunc viuebant, quique longe melius scire poterãt iustitiam, vel iniustitiam illius causæ, quã Barclaius, qui plus quingentis annis posterior est. Marianus Scotus, qui tempore Gregorii vixit, in Chronico anni 1075. Gregorius, inquit, querimoniis & clamoribus Catholicorum iustis aduersus Henricum, & scelerum eius immanitatem, auditis, Zelo Dei accensus iam dictum regem excommunicatum pronunciauit, maxime propter simoniam: quod factum Catholicis viris bene placuit, simoniacis vero, & fautoribus regis, nimium displicuit. Hæc ille, qui non de vno, aut altero loquitur, sed in commune de multitudine Catholicorum factum Pontifice approbante.*

Hæc nõ esset vt referrẽ, nisi ne queri possis ex tuo opere aliquid à nobis non trãscriptũ. Affers homi-

hominum verba in eo turbine viuentium, & Gregorij sequentium partes. Horum studia non curamus; obnoxij rationibus, si quas habebunt. Dicis, illius seculi homines *longe melius scire potuisse iustitiam vel iniustitiam illius causæ quam Barclaius, qui plus quingentis annis posterior est.* Quapropter? quanta calliditate! Omnino si de Gregorij, si de Henrici vita quærendum, melius sæculi illius homines narrent historiam. At longe aliud in quæstionem cadit: nempe ius omnium Regum, omniumque Pontificum: non, inquam, disceptamus de Henrici aut Gregorij vita, quod certe petendum ex antiquis; sed num vllus Pontifex vlli Regi maiestatem iure abroget: quod non melius sciuere illi homines, qui sub Henrico, quam qui in posteriores ætates incidimus. Imo iã marcescente tanti negotij, quod tunc primum exorsi sunt Pontifices, nouo flore, ac veluti iuuẽtute (quæ virtutes & vitia, sanctitatem & hæreses, commendat atque fouet) desidentibus quoque odijs, quæ exercuerunt Gregorianas, & Henricianas partes, iam multo facilior veritas de Christi doctrina, de naturæ præcepto, & veterum monimentis, per quærentium laborem emergit. Tunc vero omnis iuris fideique turbulenta euersio, illos quidem ad Henricum, istos autem ad Pontificem applicabat.

Vt iam de Mariano Scoto dicam; qua imprudentia in Henricum exarsit? siue non satis erudita pietate, siue priuatis motus iniurijs, quas Fuldensi Monasterio (cuius ipse Monachus) ab Henrico illatas, Lambertus Schafnaburgensis refert. Itaque quod tu nefas esse non neges, Id in Imperatorem actum laudat; nempe rebellionem Saxonum in Henricum, multo ante Gregorij sententiam. Verba sunt; *Ottoni itaque Ducatum Boiariæ abstulit, metuens eum, quia genere Saxo erat; quem protinus Velfoni ad iniuriam Saxonum contulit. Post hæc quadam die in eminenti loco eiusdem castri consistens, & elegantiam patriæ vndique bene possessam respiciens, fertur dixisse: Saxonia Regio pulcherrima, sed serui nequissimi, habitatores videlicet illo prænotans opprobrio. Quod audiens prædictus Otto Dux, grauius quam credi potest, dictum Regis suscepit: colloquutusque Principibus Saxoniæ rebellare omnem simul fecit prouinciam, & merito. Vnicam enim & dilectam Domini sponsam, quam redemit de inimico pretiosi sanguinis sui pretio, quantũ in ipso fuit, per concubinarios, id est, hæreticos polluere & offuscare veritus non est, dum spiritualia Ecclesiæ officia, gratifica videlicet sancti Spiritus munera, per iniqua, contrariaque fidei Catholicæ commercia more Simonis efficeret venalia.* An igitur populus suopte consilio & authoritate in Regem inuadat, in superiorem inferior, *inferior anima in sublimiorem potestatem?* Id Scripturæ repugnans, id in publicam pacem infestum: etiam tuæ aduersum sententiæ, quæ in Reges clementius paulo agit. Dicis enim malis Principibus obsequendum, donec Pontificia sententia principatu excidant: ita infra Capit. 31. *Quod enim dicimus,* inquis, *& docemus, hoc est vt Principi ab Ecclesia publica authoritate excommunicato & deposito, qui proinde legitimus Princeps esse desijt, nulla deinceps obedientia debeatur.* Et eodem capite. *Addo* etiam, inquis, *cum Apostolo Petro obediendum esse non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis, 1. Pet. 2. Itaq; non distinguimus inter bonos & malos, dum superiores sunt. Sed quæstio nostra est: An sit obediendum Regi per sententiam reiecto ac deposito: huic enim obedientiam exhiberi Christus non iubet, & Vicarius Christi prohibet, vel potius per Vicarium suum Christus ipse prohibet: proinde qui obedientiam illi exhibet, Christo non obsequitur, & Vicarium Christi lædit.*

Quid igitur cum hac authoritate Mariani; aut qui scias hunc prudentius iudicasse de Pontificis sententia, quam de Saxonum bello? Cuius, inquam, ponderis hæc in Reges sententia, hominis non pro Pontifice modo stantis, sed & asserentis, populum suo iure absque Pontificis iussu posse in Principem dominumque insurgere, eum bello infestare? Nec mirere si Catholicos sensisse secum dicit. Vulgaris ille sermo aut commendantium suas partes, aut adulantium sibi. Quis vero factiosorum, Bellarmine, in vltimis in Henricos III. atque IV. Galliæ bellis, non scribebat totam Catholicorum factionem coiuisse in Reges? ab ijs Hæreticos solos stare? Hoc inquam à fœderatis, vt vocabant, hominibus quam falso, tam frequenter fuisse iactatum, non sine publicæ famæ indignatione cognouimus.

§. 8.

LAMBERTVS *Schaphnaburgensis,* inquis, *qui eodem tempore vixit, in historia rerum Germanicarum; Hildebrandi, inquit, constantia, & inuictus aduersus auaritiam animus, omnia excludebat argumenta humana fallacia. & infra. Signa & prodigia quæ per orationes Gregorij Papæ frequentius fiebant, & Zelus eius feruentissimus pro Deo, & Ecclesiasticis legibus, eum contra venenatas detractorum linguas communiebant. Hæc ille, qui non solum detractores sui temporis, sed etiam Barclaium detractorem confundit: neque enim Gregorius tam charus Deo fuisset, neque per eum tot miracula Deus patrasset, si sententiam tulisset tam iniustam, & tam imprudentem, & tot malorum causa extitisset, vt Barclaius dicit. Idem Lambertus refert ibidem horribilem mortem Gulielmi Episcopi Traiectensis, qui Gregorio detrahebat, vt Barclaius postea detraxit: Repente, inquit, grauissima ægritudine correptus, miserabili eiulatu coram omnibus vociferabatur, iusto Dei iudicio se & præsentem vitam amisisse, & æternam: quod Regi ad omnia, quæ perperam intendisset, operam suam summo annisu præbuisset, atq; in spem gratiæ eius Romano Pontifici sanctissimo, & Apostolicarum virtutum viro, graues contumelias, sciens, & prudens, innocenti irrogasset:*

Hoc nimirum est ostendere, Bellarmine, *iudicium Gregorij* VII. in Henricum *approbatum fuisse ab omnibus bonis, qui tunc viuebant?* Id quippe iam probandum suscepisti. Legisti vero Schaphnaburgensem? certe in neutro quem exscripsisti loco agit de Gregorij in Henricum sententia.

Primus est: *Romani Pontificis constantia & inuictus aduersus auaritiã animus omnia excludebat argumenta hu-*

ta humana fallacia. Ibi autem de Babenbergensi Episcopo agitur, qui simoniæ accusatus apud Nicolaum II. Pontificem, à Gregorio deinde damnatus, *nullam deinceps spem*, inquit, *Schaphnaburgensis, sibi reliquam, nisi in clementia Romani Pontificis fore ratus, conductu, qui causam suam apud Sedem Apostolicam dicendi arte tuerentur, Romam perrexit*. tum sequitur, *sed Romani Pontificis constantia*, & cætera deinde, quæ refers: hoc est vero, Bellarmine, probare Gregorii in Henricum sententiam, de qua ibi neq; verbum, neq; vestigium?

Secundus locus est; *signa etiam & prodigia, &c.* Atqui ibi nec mentio de sententia in Henricum, sed de castitate Gregorij, quem Schaphnaburgensis excusat ab improba fama contubernij cum Mathilde, quæ cum illo assidua *Vnde*, inquit Schaphnaburgensis, *nec euadere potuit incesti amoris suspicionem, passim iactantibus Regis fautoribus, & præcipue Clericis, quibus illicita & contra scita Canonum contracta coniugia prohibebat, quod die ac nocte impudenter Papa in eius volutaretur amplexibus, &c.* Tum excusat, inter cætera istis verbis, *Signa etiam & prodigia, &c.* An illud, est Bellarmine, probare Gregorij in Henricum sententiam? Aut quid in Barclaium illis verbis, qui non malæ malitiæ accusauit Gregorium. Conscientiæ iudicium Deo reliquit; ipse inconsiderato zelo, humanis tenebris, *etiam pietatis feruori*, res in Henricum actas ascripsit. A page igitur cum his verbis, quod *non per eum tot miracula Deus patrasset, si sententiam tulisset tam iniustam, &c.* Nã & de illis miraculis omnino ambigimus. Scis ipse quam illis sæculis facilis miraculorum fama, quam vbique, quam frequens, vt non pauca volumina impleuerit, quibus nec antiquæ Ecclesiæ, nec nostrorum sæculorum in eandem rem monumenta æquaueris. Quæ non porro in Gregorium à Bennone Cardinali, qui tunc in viuis, coniecta crimina? quot flagitiorum accusatus? quam fœdorum? nec modo ab isto Cardinali, sed & cæteris qui pro Henrico. Vis bona fide agi? Aufer hanc *prodigiosam* sanctitatem, nos prodigiosa facinora. Hanc amor excogitauerit, hæc odium. Amicis, inimicis, eadem fides. Alioqui; *si miracula nominabis; nos vitia*.

Refers ex eodem Schaphnaburgensi *horribilem mortem Gulielmi Episcopi Traiectensis*. Si vera historia, quid tamen ad Pontificum temporalem potestatem? Ait Episcopum illum fassum sibi mortem, & æterna imminere supplicia, *quod Regi ad omnia, quæ perperam intendisset operam suam summo annisu præbuisset, atque in spem gratiæ eius, Romano Pontifici sanctissimo & Apostolicarum virtutum viro, graues contumelias sciens & prudens innocenti irrogasset*. Quis tam impio patronus facinoris irrogasse Pontifici iniurias; Principi præbuisse operam ad omnia quæ perperam intendisset? Sed longe aliud, Bellarmine, *graues contumelias* Pontifici irrogare, aliud temporale ei negare Imperium. Certum autem tam Henricum, quam ex cultoribus eius multos, non contentos ius Principum asserere, incubuisse in vltionem iniuriæ, subrogasse Antipapas, multa impietate suæ causæ iustitiam corrupisse. Vnde Schaphnaburgensis de hoc Traiectensi Episcopo. *Wilhelmus Traiectensis Episcopus causam Regis, vt supra dictum est, contra bonum & æquum obstinate tuebatur, & studio partium Regis multa in iniuriam Romani Pontificis omnibus pene diebus solennibus inter Missarum solennia rabido ore declamabat; periurum eum, adulterum, & pseudoapostolum appellans, & tam à se, quam à cæteris Episcopis sæpenumero excommunicatum pronuntians*.

Sed & istius Traiectensis historia, quam laborat se probare prudentibus? Dixisset *se & præsentem vitam amisisse & æternam?* nunquam audierat patere pœnitentibus cœlum? ad extremum spiritum pœnitentiæ locum esse? *Ordinarie*, inquis lib. 2. de Purgatorio, Cap. 4. *tempus pœnitentiæ vtile durat vsque ad extremum spiritum, vt aperte docet Leo Epist. 90. ad Rusticum.* Ita Canone *Nemo*, De pœniten. distinct. 7. *Nemo desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est*, & ibi Nauarrus, *Ex eo colligitur illa conclusio supradicta, durante vita, durare quoque tempus bene de Deo merendi, & animam dum est in corpore, saluari posse.* Quidquid sit, fœde iniurium, Bellarmine, te præbes, qui huic homini componis Barclaium. *Qui Gregorio detrahebat*, inquis, *vt Barclaius postea detraxit*. Vbi Barclaius aut omnibus Regum sceleribus *operam suam summo annisu præbuit*; aut Pontifici *graues contumelias sciens & prudens innocenti irrogauit?* Vbi Gregorium, *periurum, adulterum & pseudoapostolum* appellauit? Nisi eorum omnium reus sit, qui Pontificem, Christi Vicarium, Petrique successorem, spiritualium rerum totiusque Ecclesiæ rectorem veneratus est; Reges autem in temporalibus summos, & *soli Deo debentes iustitiæ rationem*.

§. 9.

SANCTVS *Anselmus Cantuariensis*, inquis, *qui eodem tempore vixit, initio libri de fermentato & Azymo ad Walramum: scienti, inquit, breuiter loquor. Si certus essem prudentiam vestram non fauere successori Iulij Cæsaris, & Neronis, & Iuliani, contra successorem & Vicarium Petri Apostoli, libentissime vos vt amicissimum & reuerendum Episcopum salutarem. Hæc ille, qui Henricum Imperatorem comparat cum Iulio Cæsare oppressore Reipublicæ, cum Nerone persecutore Ecclesiæ, & cum Iuliano apostata, & persecutore: & Vvaleramum Episcopum, quem fauere existimabat Henrico contra Gregorium, ne salutare quidem audebat: quod certe non faceret, si Gregorij sententiam aduersus Imperatorem iniustam esse crederet. Idem Anselmus, in Epist 8. ad Gulielmum, sententiam Gregorij defendit & aperte iustam esse pronunciat.*

Nequissima defensione nixi submoueamus fautores Gregorii, vestro exemplo, qui bene in Henricum animatos intestabiles esse vultis; Age, quid hic Anselmus in Reges? Dicit vereri se ne Vvaleramus faueat successori Iulij Cæsaris, Neronis, & Iuliani, contra successorem Petri Apostoli. Iam monui causam Henrici non simplicem fuisse; sed mixtam. Sceptrum

suum

suum aduersus sententiam Gregorij tuebatur; & hoc iuste: Eundem Gregorium Pontificatu pellebat; id vero præter æquum. Timet igitur hic Anselmus ne Vvaleramus Henrico faueat non modo in Gregorium vt Gregorium, & mortalium more errantem, sed vt in Pontificem & Petri successorem; quomodo iam in eum Henricus non vt Imperator, sed vt Iulii, Neronis, Iuliani successor agebat, non Imperatorio nempe iure, quod à decessoribus suis habebat, sed impietatis furorisque iniuria, cuius licentiam ab iniquis Principibus vitiorum hæres acceperat. Sic è contrario Gregorius Papa vt Petri successor, Ecclesiæ sedisque Romanæ dignitatem tuebatur; ast vt homo, & nostræ mortalitatis vitiis tenebrisue obnoxius, huius potestatis in Reges insolentiam asserebat. *Anselmus*, inquis, *Vvaleramum Episcopum, quem fauere existimabat Henrico contra Gregorium ne salutare quidem audebat.* Imo, salutare non audebat vt *Reuerendum Episcopum*; nempe tunc feruenti schismate, & multis Episcopis, pro Guiberto Rauennatensi stantibus, qui Clemens tertius schismaticus dictus: quos non veros Episcopos, sed vt ille antiquus Arianos appellabat, *καταγνώτως*, credebat Anselmus, nescius an ex illis Vvaleramus iste esset.

Vide autem, quam Lanfrancus decessor Anselmi, toties ab Anselmo laudatus, licet & ipse à Gregorij VII. partibus, modeste de Gregorio, modeste de Guiberto seu Clemente, qui Gregorij sedem inuaserat, locutus sit. Sic ille igitur, *Lanfrancus Hu. Literas tuas &c. Non probo quod Papam Gregorium vituperas, quod Hildebrandum eum vocas, quod Legatos spinosulos nominas, quod Clementem tot & tantis praconiis tam propere exaltas. Scriptum est enim, non esse laudandum hominem in vita sua, nec detrahendũ proximo suo. Adhuc incognitum est humano generi, quales nunc sint, & quales futuri sint in conspectu Dei.*

§. 10.

S*ANCTVS Anselmus*, inquis, *Episcopus Lucensis eiusdem temporis auctor, vir sanctissimus, & miraculis clarus, scripsit Epistolam ad Guibertum Antipapam, quem Henricus Imperator Gregorio Papa opposuerat; in qua Epistola Gregorium mirifice laudat. Scripsit quoque Apologeticum pro Gregorio aduersus eundem Guibertum, vbi inter catera refellit argumentum, quo vtitur hoc tempore Barclaius, & quo tunc vtebantur Antipapa & eius complices; quod videlicet fuerit Gregorius causa turbarum & sanguinis effusi, præsertim in Saxonia, quem sanguinem clamare dicebat aduersus Gregorium, & eius sectatores, quorum vnus erat hic sanctus Anselmus: sic autem loquitur lib. 1. Apologetici. Non aduersus nos clamat sanguis Saxonum, sed contra vos cum vniuerso mundo, qui sceleris vestri tabe inhorruit, clamat cœlum, clamat terra, clamat Ecclesia iustorum, & qua adhuc peregrinatur, & qua iam cum Christo regnat; clamat Christus, clamat Pater pro sponsa filij sui, clamat Spiritus Sanctus, qui quotidie postulat pro ea gemitibus inenarrabilibus, &c. Vbi rectissime dicit, turbas illas & bella non esse tribuenda Gregorio, qui pro officio suo Pastorali arcere conatus est lupos à Grege: sed inobedientia & obstinationi eorum, qui in Pastorem & Gregem ipsum tanto ferocius sauierunt, quanto humilius Deo, eiusq; Vicario, obedire salubriter admonentibus, & consulentibus debuerunt.*

Quid illud in Regum potestatem, si S. Anselmus ad Antipapam scribit, & Papam *mirifice laudat*? At iste Pontifex, dices, *deposuerat Imperatorem.* Nihil magis mirandum, Bellarmine, si illum laudauit Anselmus. Nam nec causam pro arte orasset, si de Papæ imprudentia meminisset omnino, de alio præsertim agens negotio, prorsusque diuerso; ad Antipapam etiam scribens. Dicis eundem Anselmum scripsisse Apologeticon, *vbi inter catera refellit argumentum, quo vtitur hoc tempore Barclaius, & quo tunc vtebantur Antipapa & eius complices; quod videlicet fuerit Gregorius causa turbarum, & sanguinis effusi, præsertim in Saxonia.* Vbi habes de Saxonico tantum sanguine Barclaium queri? de malis loquitur per totum Occidentis Imperium sparsis: & quæ potissimum Romam & Italiam infestarunt; de malis, inquam, illis, & *tam corporum quam animarum*, periculis, quæ Otto testis est ex hac Gregorij in Henricum profluxisse sententia.

Neque verum huic euento Saxonum bello Gregorii sententiam dedisse initium: Præcessit annis aliquot ille turbo, alienatis ab Henrico animis ob contemptos vexatosq; Saxones. Otto Frisingensis leuiorem causam refert, sed quæ, vt bellorum momenta sunt, grauis visa est forte fortuna librante. Henricus Saxoniam ingressus dixerat *se mirari* (Otto Frising. de gest. Frider. lib. 1. Cap. 4.) *nullum per totum Imperij ambitum inueniri in quo vires suas exercere posset: idque non virtuti sed ignauia deputabat. Quod dictum non secundum naturam generis sui percusso aere mox transit; sed tam efficaciter in mentibus plurium radices figens germinauit, vt tota in breui prouincia illa aduersus ipsum commota, & in vnum corpus coadunata, innumeris populis & gentibus letifera pocula ministrauerit.* Ecce causam Saxonici belli; quod deinde sopitum, mox reuixit specie Religionis, cum Guelpho, & ille Rudolphus, quem Pontifex donari Imperio voluit, *qua occasione dubium*, inquit Otto, *Principi rebellantes Saxonibus iunctisunt.* Nempe vt in Francia, totoque Belgio, hoc sæculo Optimates à suis Principibus, *qua occasione dubium*, desciscentes speciem Religionis vtrimque induerunt: ita hunc Rudolphum Otto non Ecclesiæ aut pietatis ergo, sed *qua occasione dubium*, ab Henrico ad Saxones accessisse commemorat.

§. 11.

N*AM quam horrenda*, inquis, *& non toleranda fuerint Henrici scelera ex sequenti testimonio intelligitur. S. Gebehardus Archiepiscopus Salsburgensis, qui obiit tribus annis post mortem Gregorij VII. id est anno 1088, disputans cum Vvecilone Archiepiscopo Maguntino, aperte pronunciauit, Imperatorem non iniusto iudicio tam Regno, quam communione, apostolica sententia priuatum: cuius sentẽtia ita probata est à Concilio quodam, vt contraria sententia Vvecilonis haresis sit appellata. Vide Abbatem Vrspergensem in Chronico anni 1085.*

Nisi id sit imperitis illudere, da quid voces hoc commentum. Dicis sensisse Gebehardū, *Henricū iuste Regno priuatū*, & contrariam sententiam Vvecilonis hæresim appellatam. Quæ illa contraria Vvecilonis sententia? nempe qua senserit (nam quis sic non capiat?) Henricum iniuste Regno priuatum. Atqui apud Vrspergensem nihil minus; longe aliud in Vvecilone notauerunt *Imperatoris aduersarij*, cum ipsius sententiam *hæresim Vvecilonis, ipsumq́; hæresiarcham appellarent*, nimirum, inquit Abbas Vrspergensis, *contra fidem illum dogmatizasse culpantes, quod quamdiu quis suis spoliatus sit rebus, diutius non subiaceat legibus.* Quid hoc autem ad ius Regum? quam non ferenda versutia, imo fraude, de Vvecilone meministi: quasi hæreticus dictus sit, quod negaret Pontificem posse Regibus abrogare imperium, cum id factum ob aliam prorsus sententiam, & à Regum omnino, de qua iam agimus, potestate diuersam.

§. 12.

STEPHANVS *Halberstadensis*, inquis, *eiusdem temporis auctor in Epistola ad Vvaltramum, quam refert Dodechinus continuator Mariani Scoti ad annum Domini 1090. Dominus, inquit, Henricus, quem Regem dicunt, Episcopatus & Abbatias vendit: etenim Constantiensem, Bambergensem, Maguntinensem, & plures alios pro pecunia; Ratisponensem, Augustensem, Stratsburgensem, pro gladio; Abbatiam Fuldensem pro adulterio; Monasteriensem Episcopatum (quod dicere, & audire nefas est) pro sodomitica immunditia vendidit. & infra: Pro quibus nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus, nec Regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, poterit obtinere.*

Hic nihil video, nisi vnius hominis ineptam sententiam: Nihil, inquam, hic Stephanus ad Gregorij partes, præter suam vnius vocem affert, non pondere, non ratione subnixam. Nam quid magis imperitum, ne fatuum dicam, quam interpretatio illis Apostoli verbis, *Non est enim Potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt*, ab hoc Halberstad. nisi inuenta? sic enim intelligit: Potestates dici tunc tantum à Deo ordinatas, si recte & ex ordine obeant suum munus, si pie, si ex Dei lege viuant. A quo illud, nisi ab Arcadiæ subtilitatis viro? cum Apostoli textus atque mens, omnino perspicua, velit obsequium deferri Principibus omnibus, qui ordinati sunt à Deo, vt sint Principes & humanæ Potestates; non autem ijs solis, quorum vita atque mores Dei lege ordinantur, inter bonum æquumque castigantur. Alioqui nec discolis dominis, etiam propter conscientiam, esse parendum, monuisset Petrus Apostolus: Neque Paulus præcepisset vt sublimioribus illius temporis potestatibus, quæ ferebant gladium, Christiani parerent. Qui tunc enim Principes nisi Ethnici, nisi iniqui, & ex interpretatione Halberstadensis nequaquam à Deo ordinati? Audi Auctorem *Quæstionum veter. & nou. testam.* siue is Augustinus, siue Ambrosius, siue alius eorundem temporum Pater. in quæst. 35. *Vnde Apostolus*, inquit, *Roman. 13. potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est potestas nisi à Deo Quæ enim sunt, à Deo ordinata sunt. Hinc est, vt gentilem, in potestate tamen positum, honorificamus, licet ipse indignus sit, qui Dei ordinem tenens gratias agit Diabolo. Potestas enim exigit, quia meretur honorem. Nam ideo Pharaoni, (Genes. 41.) futuræ famis somnium reuelatum est: & Nabuchodonozor (Dan. 3.) aliis secum assistentibus solus filium Dei vidit in camino ignis, non vtique merito suo, qui in idolo se adorari voluit, sed merito ordinis regalis.* Facit tamen iste vir ingentem si diis placet Waltramo inuidiam, qui obsequium Henrico deferendum ex his Apostoli collegerat verbis, *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo, qui autem potestati resistit, Dei ordinationi resistit*: Facit, inquam, ingentem scilicet inuidiam, quod in remediam sententiam omiserit, *quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* Hinc exclamat, *O lingua dolosa, ô cor machinans malum, spiritus vadens & non rediens, Cur mentitus es spiritui sancto? arguat te conscientia tua: Ecce fugit impius nemine persequente. Cur vt deciperes supprimere veritatē voluisti? cur medullam, cur animam huius sententiæ furatus est?* Addit paulo post: *Cum præmisisset* Apostolus, *Non est potestas nisi à Deo, vt coniecturam reprobi intellectus amputaret, Quæ autem sunt, inquit à Deo ordinata sunt. Da igitur potestatem ordinatam, & non resistimus, imo dabimus illico manus. Miror autem si in te vel gutta sanguinis est, qui non erubescis dominum Henricum Regem dicere, vel ordinem habere. An ordo tibi videtur, ius dare sceleri fasq; nefasque, diuina & humana confundere? An ordo videtur tibi in corpus suum peccare, videlicet (proh dolor proh nefas!) vxorem propriam scelere omnibus seculis mundi inaudito, lupanar facere? An ordo tibi videtur, quem Dominus dicat. Defendite viduam, viduas iudicij æquitatem postulantes nefanda contaminatione prostituere? Hæc qui ordinata, qui sana dixerit: hunc insani capitis esse, insanus iurat Orestes*: Hæc exscripsi ad risum Lectoris voluptatem, ac vt constet tam acutum scilicet virum, in hoc de iure Regum negotio, nisi apud *insanum Orestem*, nunquam ad momentum & pondus valiturum.

§. 13.

LEO *Hostiensis Episcopus*, inquis, *eiusdem temporis auctor, in Chronico Casinensi multa scribit de Gregorij VII. iustitia, sapientia, Zelo, aliisque virtutibus. Sed lib. 3. cap. 53. refert etiam cœlestem visionem, qua Deus ipse testatus est placere sibi facta Gregorij, qua nunc Barclaius cum veteribus schismaticis vituperare ausus est. Vidit igitur quidam candidissimam columbam super Gregorium sacrum Missæ mysterium celebrantem: quod visum cum is qui vidit, patefacere cunctaretur, his verbis aperire diuinitus iussus est: Vade celeriter, & hoc ipsum auribus Papæ intimato, vt constanter vigore Sancti Spiritus, quod cœpit, exequatur. Bertoldus eiusdem temporis author, Presbyter Constantiensis in Chronico suo plurima scribit pro iustitia causæ Grego. VII. sed*

inter

inter cætera de Imbricone Episcopo Augustano hæc refert: Imbrico Augustensis Episcopus, qui in præterito Pascha Rudolpho Regi fidelitatem iurauit, nihil de periurio curans, Henrico aduenienti adhæsit, & apud illum quadam die Missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, vt sacra oblationis perceptio in iudicium ei proueniret, si Dominus eius Henricus Regnum sibi iniuste vsurparet. Post hanc temerariam perceptionem, paruo, quod superuixit tempore, vsque ad mortem, nunquam se sanum de lecto leuauit: Nam circa Kalend. Iulij absq; Ecclesiastica communione defunctus est.

Quasi nesciamus multos tuoc assensos Gregorio, totas acies produceres, non pauca hæc nomina. Rationes petimus, queis vos nudi, & hi maxime quos exscribis. Producunt miracula, si Deo placet, certa. Ad hæc diuinæ mentis opera impii non sumus, Bellarmine: sed nec latet, ô dolo! quam sæpe ementita miracula ad ludibrium prudentum incautis imponant. Istud præcipue de columba quam affabre relatum est! *Vidit quidam candidissimam columbam.* Vidit quidam? At quis hic *quidam*, cuius vnius testimonio tanta fides? de tam publicis, tanti momenti rebus! Non vni *cuidam*, Bellarmine, id est obscuro, & ignoto in tanta re fides habenda. Sed *cuidam*, qui suo nomine, qui integritatis, qui sanctitatis fama, fidem faceret diuino oraculo. Actum de nobis est, actum & de vobis Bellarmine, si de his obscuris creditur *cuidam* referenti. Vidi *quendam*, qui referret, & hunc Catholicum, Scotum hominem; se Elizabethæ Reginæ temporibus Londinensi in arce, quam Turrim appellant, asseruatum; Casu ibi, & mœrore, in febrim incidisse. Semisopito astitisse Viraginem cærulea veste amictam, maiestate & radiis insignem: nec dubitare se quin fuisset Diua Virgo, cui ipse à puero deditissimus. Hanc prehensa iaceotis dextera, depulisse vim morbi, imperasse aliqua, monuisse, prænunciasse quoque multa; Inter cætera, paucis ab hinc annis fore, vt Iesuita Summi Pontificatus dignitate ornaretur; sub eo, & Pontificatum & Ecclesiam miserrimis cladibus pene ad extremum ruituram. Hæc nos audiuimus, hæc alii multi; ab illo *quodam* Scoto, viro Catholico, viro pio; cuius auctoritate si niti quis velit; quam tu ipse illam *quenditarem* rideas, quam tu nec iniuria, maiora nomina, maiorem fidem petas? Æquis legibus inter nos agendum, Bellarmine. Certe si miraculis aut prodigiis in Henricũ IV. agere Deus vellet, quid conuenientius, quam vt Petrus & Paulus audiret Gregorii preces, publicum & apertum miraculum flagitantis, his verbis? *Hoc autem iudicium cito in Henricum exercete, vt intelligant omnes iniquitatis filium non fortuito, sed vestra operâ è regno cadere.* Fuisset hoc omni exceptione maius; non priuata vero illa, quæ fingi & possunt, & solent, miracula. Cur porro non addebas ludicræ vaticinationis miraculum, quod in Sigeberto habes, ad An. 1080? *Hildebrandus Papa*, inquit, *quasi diuinitus reuelatum sibi prædixit, hoc anno falsum Regem esse moriturum: & verum quidem prædixit: sed fefellit eum de falso Rege coniectura, secundum suum velle super Henrico Rege interpretata. Rex enim Henricus Saxonibus graui prælio congreditur, & in congressu falsus Rex Rudolphus cum multis Saxoniæ Principibus extinguitur.*

§. 14.

ISTI *sunt*, inquis, *auctores septem, qui ipso tempore Gregorij vixerunt, quibus addam quatuor alios, qui non diu postea floruerunt. Gulielmus Episcopus Tyrensis in lib. 1. de bello sacro Cap. 13. de Henrici Imperatoris peruersis moribus loquens: Quod, inquit; Dominus Papa contra omnem fieri honestatem considerans, & iura in eo facto conculcari Ecclesiastica perpendens, semel secundo, ac tertio eundem Imperatorem commonuit, vt à tam detestabili desisteret præsumptione: quem præceptis salutaribus commonitum cum reuocare non posset, vinculo anathematis innodauit. Otto Frisingensis vt supra notauimus Gregorium VII. virum sanctissimum fuisse confessus est, lib. 6. Cap. 34. & 36. & lib. 7. Cap. 1 Neque fieri potest, vt vir tam sanctus iniustam sententiam publice ferret, neque eam vnquam retractaret, sicut reuera non retractauit, vt perspicuum est ex verbis illis, quæ eodem Othone teste lib. 6. cap. 36. moriens Gregorius pronunciauit, Dilexi iustitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Dodechinus Mariani Scoti continuator, in Chronico anni 1106. Henricum, inquit, hominem peruersum, & iusto iudicio ab Ecclesia eiectum constat manifeste. Vendidit enim omnia spiritualia. & ad annum 1090. & 1093. tam multa & tam horribilia scelera Henrici refert, vt mirum sit si vllus audeat eum iniuste damnatum affirmare; quod tamen Barclaius audacter affirmat.*

Quid hic vero Guilielmus Tyrensis Episcopus? Vnde Historiam narrat; nec de depositione Henrici, sed tantum de anathemate; non deinde apud illum vel vmbra argumenti, quod id iuris temporalis Pontifici in Principes esse contendat.

De Ottone Frisingensi nihil erat quod referres. Proximum caput excutiendo eius sensui cum Barclaio destinasti.

Dodechinus vero, quid dicit? *Constare manifeste iusto iudicio Henricum ab Ecclesia eiectum.* At longe aliud ab Ecclesia, aliud à Regno eiici. Hoc discrimen pulchre ostendit Trithemius (in *Chron. Monast. Hirsaug. ad Annum 1106.*) Nam de anathemate loquens quod Pontifex huic Imperatori dixit, *Henricum istum*, inquit, *hominem peruersum, & iusto iudicio ab Ecclesia eiectum, omnibus reuera suo tempore constabat manifestum.* At de eius depositione à Regno. *Ipse autem primus est*, inquit, *inter omnes Imperatores per Papam depositus. Scholastici certant & adhuc sub iudice lis est, vtrum Papa Imperatorem possit deponere.* Ecce vt cum Guilielmo Tyrensi, & Dodechino affirmat Trithemius Henricum iusto manifeste iudicio ab Ecclesia esse eiectum; Regno vero iuste *priuatum esse*, non modo non manifestum, sed omnino inter illius sæculi eruditos fuisse controuersum.

Dicis *tam horribilia scelera* Henrici fuisse, *vt mirum sit, si vllus audeat eum iniuste damnatum affirmare, quod tamen Barclaius audacter affirmat.* Scias vero, Bellarmine, Barclaium non ad Henrici *sceli-*

ra, sed ad Gregorii *potestatem* hanc ferendæ sententiæ iniustitiam retulisse. Neque enim ex eo quod quis sit impius, fur, latro, patricida, in cum animaduertendi potestas aliis quæritur, quam legitimo magistratu fungentibus; qualis supra Reges nemo est, à quo temporaliter iudicentur. Iniustus ergo Henricus si per tot scelera violabat iustitiam; iniustus quoque Gregorius, qui non sibi commissa vsurparet iudicia.

§. 15.

ABBAS *Vrspergensis*, inquis, *in Chronico anni 1106. narrat obitum Henrici repentinum, & tam miserabilem ipsi quam latum omnibus aliis: Miserabile, inquit, dictu est tanti nominis, tantæ dignitatis, tantique animi virum sub professione Christiana mundum tanto tempore lucratum, nec ad instar cuiuslibet pauperis defuncti, pium, vel compassiuum luctum, à quauis inter tot Christianos persona promeruisse: sed potius vniuersorum tam ibidem, quam obuius vere Christianorum corda simul & ora infinito nimis tripudio, sui oblitos, rumore repleuisse. Non alius concinebat Israel Domino, Pharaone demerso, nec Augustiori ipsi Octauiano, sine vllo Augustorum applaudebat Roma triumpho. Franum enim quod erat in maxillis populorum versum est illis in Canticum, sicut vox sanctificatæ solemnitatis. Hæc ille qui certe sufficere deberet, vt os Barclaij iniqua loquentis opprimeret. Quomodo enim Henricus iniusta Gregorij sententia oppressus est, & nullus in toto Orbe Christiano inuentus est, qui mortem eius defleret, imo qui non vehementissime gauderet, vt olim Israel Pharaone demerso, vel Romanus populus Principe triumphante! nullusne in toto orbe repertus est, qui iustitiam Henrici perspexerit? nullus qui Gregorij iniustitiam viderit? Sed audiamus, quid paulo infra idem scriptor dicat: hic, inquit, finis, hic interitus, hæc sors vltima Henrici sub vocabulo quarti Romanorum Imperatoris à suis appellati, à Catholicis vero, id est cunctis Beat. Petro, suisque successoribus fidem, & obedientiam lege Christiana conseruantibus, Archipirata simul, & Hæresiarcha, nec non & Apostata, persecutorque plus animarum, quam corporum, competenter dicebatur; vtpote qui nec naturalibus, nec consuetudinariis contentus sceleribus, noua & à sæculis inaudita ideoque nonnulla incredibilia excogitasse & exercuisse infamabatur. Ac de his satis: nam si vellem authores posteriores adducere pro iustitia & sanctitate Gregorij, nullus esset finis. Videat Lector, quæ scripsimus libr. 4. de Pontific. capit. 13.*

Vt tu tibi contrarius! Hic cum Abbate Vrspergensi consentis, imo ad argumentum trahis hæc verba: *Nullum in toto orbe Christiano inuentum, qui mortem Henrici defleret, imo qui non vehementissime gauderet, vt olim Israel Pharaone demerso, &c.* At in tua in Iacobum Magnæ Britanniæ Regem Apologia (*ad Historias falsò à Rege accusatus; Historia.*) scribis Henricum obiisse instructum adhuc militibus, & clam bellum molientem. Id Auctoribus multis, ac inter cæteros hoc eodem Abbate asseruisti. Qui igitur *nullus in toto orbe Christiano inuentus est, qui mortem eius defleret, nullus in toto orbe repertus, qui iustitiam Henrici perspexerit?* Habes apud Ottonem (*Lib. 7. Chron. capit. 12.*) paulo ante mortem Henrici, quod eius *filius, iam Rex factus, collecto milite patrem subsequens, circa Mosam consedit, vbi ab Henrico duce Belgarum, aliisque patris sui fidelibus, &c. cedere compellitur.* Sed & Henrico mortuo, demum *pacis negotia* esse tractata. Habuit igitur ad mortem Henricus, qui illi fideles existerent.

Quæ apud te Vrspergensis, verba sequuntur, aut maledicta sunt in Henricum, aut certe nihil ad rem faciens historia. Quot in istis partibus ac turbinibus mendacia? aut quid amplius in illum Imperatorem; quam paucos ante annos Ecclesiastici aliquot in Henricum III. Galliæ Regem? quæ si aliquando ad testimonium proferentur in Henricum, quam ex posteris multos capient, quam authoritas Sacerdotum scribentium efficax erit ad innocentis infamiam Regis? Sed & dicis *lib. 4 de Pontific. Rom. capit. 13.*) quod hic Abbas Vrspergensis, *nec aperte laudat, nec vituperat Gregorium.*

Fidem autem & obedientiam lege Christiana conseruare B. Petri successoribus Non est Regem à Pontifice excommunicatum deserere, sed Pontifici obsequi spiritualia imperanti, & Principibus in scelere non *communicare.*

§. 16.

PERGIT *Barclaius*, inquis, *& probare nititur, non debuisse à Gregorio Henricum excommunicari, cum in societatem sceleris Henrici tantus hominum numerus coierit: adducit autem ad hoc probandum sententiam S. Augustini ex lib. 3. contra epistolam Parmeniani, capit. 2. quæ relata est in decretum Gratiani 23. quæst. 4. can. Non potest. Verba S. Augustini hæc sunt: Non potest esse salubris à multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem: cum vero idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat, quam dolor, & gemitus, vt per illud signum quod Ezechieli sancto reuelatur illæsi euadere ab eorum vastatione mereantur. Ne cum voluerint colligere Zizania eradicent simul & triticum: nec per diligentiam segetem Domini purgent, sed per temeritatem ipsi potius inter purgamenta numerentur. Ideoque idem Apostolus, cum iam multos comperisset & immundos luxuria, & fornicationibus inquinatos, ad eosdem Corinthios in secunda epistol. scribens, non itidem præcepit, vt cum talibus nec cibum sumerent: multi enim erant, nec dici de iis poterat, Si quis frater nominatur fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut aliquid tale, cum eiusmodi nec cibum quidem sumere: sed ait, ne iterum cum venero ad vos humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & luxuria, & fornicatione quam gesserunt: per luctum suum potius eos diuino flagello coercendos minans, quam per illam correptionem, vt cæteri ab eorum coniunctione abstineant. & paulo post: Reuera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia*

vidia necessaria est: nam consilia separationis (hoc est excommunicationis) & inania sunt, & perniciosa atque sacrilega, quia & impia, & superba sunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigunt animosos malos. Hac cum ita sint, inquit Barclaius, nemo vt arbitror, ex collatione doctrina S. Augustini, qua & Ecclesia est, cum gestu à Gregorio in Henricum, non perspicue cernet Papam magnopere errasse, &c.

Respondeo. Barclaij temeritas vndecunque si prodit, cum ob vnum S. Augustini locum non bene intellectum, Synodalem sententiam Pontificis Maximi, à multis alijs Pontificibus, & Concilijs confirmatam, ita damnare audeat, vt dicat, Papam magnopere errasse. Sed ostendamus non Papam in iudicando sed Barclaium in intelligendo vehementer errasse.

Primum S. Augustinus loquitur de correptione, siue excommunicatione illius, qui multos habet socios in eodem crimine; vt perspicuum est ex illis verbis, Cum vero idem morbus plurimos occupauerit, &c. & ex illis, ideo Apostolus cum tam multos comperisset & immundos luxuria, & fornicationibus inquinatos, &c. At Gregorius vnum Henricum excommunicauit propter crimina illi vni propria, quod videlicet venderet Episcopatus, & Abbatias; & admonitus resipiscere nollet. Non ergo facit ad rem locus ex Augustino, vel ex Gratiano citatus.

Teneausum, tante vir, tam indignis otii commentis; loquenti Augustino, O bi audienti illudere? Augustinus dicit salubrem correptionem non esse, *nisi cum ille corripitur qui non habet sociam multitudinem.* Inde Barclaius; ergo Henricus tot sectatorum millibus cinctus, nō excommunicandus fuit. Tu respondes; *Gregorius vnum Henricum excommunicauit propter crimina illi vni propria; quod videlicet venderet Episcopatus, &c.* Hic & absurdus & liquidus in historia erro. Nonne habebat Henricus *sociam multitudinem? nonne iam idem morbus plurimos occupauerat?* Imo pene infinitam multitudinem. An denique simonia, de qua hic vna meministi, erat crimen vnii Henrico proprium? imo non ementem minus polluens, quam vendentem. Ita in Can. *Audiuimus. 1. q. 3. Iuste enim vterque corripiendus est, & à Sancta liminibus Ecclesia submouendus, & qui pro Ecclesia ambitu munera largitur, & qui vt Ecclesiam adeat quidquam prasumit accipere. Iste quippe donum Dei emere, hic autem prasumit vendere.* Sed hic turpissimus tuus lapsus, quod Gregorius *Henricum vnum excommunicauit.* Ecce verba Gregorianæ sententiæ, *Ipsum Henricū, eiusque fautores, vinculo anathematis colligo.* Quid iam? an vnum Henricum excommunicauit? an ob crimina sibi vni propria? Num denique Henrici fautores, quos hic *anathematisatos* vides non habebant sociam multitudinem? imo nonne erant, ipsamet multitudo? Et si adhærere Henrico morbum fuisse dicis, nonne *iam idem morbus plurimos occuparat?* Quis non iubeat eiusmodi commenta auferri?

§. 17.

DEINDE *loquitur S. Augustinus,* inquis, *aduersus Parmenianum, aliosque Donatistas, qui separauerant se ab Ecclesia vniuersa, & se solos esse dicebant Ecclesiam non habentem maculam, neque rugas. Ideoque docet Sanctus Augustinus, propter multitudinem peccatorum non esse faciendam separationem, cum semper futuri sint mali cum bonis, vsque ad mundi consummationem. Tunc enim (vt dicitur Matth. 13.) exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorū: atque hac est causa, cur S. Augustinus dixerit, consilia eiusmodi separationis, non solū esse inania, & periculosa, sed etiam sacrilega & superba; quoniam qui ita separantur, assumūt sibi officium Dei, qui solus potest separare omnes bonos ab omnibus malis, quod fiet in nouissimo die: atque interim oportet pisces bonos esse in eodē rete cum piscibus malis, & triticū cum paleis in eadem area, & Zizania cum frumento in eodem agro. Porro Gregorius nihil tale sibi desumpsit, sed solum Ecclesiastica censura coercere voluit hominem, qui publice multorum & intolerabilium criminum reus erat.*

Mihi testis fides sanctissima, quid hic velis parum cerno, vt (quod Sanctus Hieronymus dixit *lib. 2. in Iouin.*) plus in intelligendo quam in refutando laboris sit. Videris tamen velle, ita intelligendum Augustinum: bonos, & improbos, arcano Dei consilio ad extremum iudicii diem simul in hoc orbe victuros: sacrilega itaque & superba fore consilia quæ velint *separare* (tua verba sunt) *omnes bonos ab omnibus malis.* Aut hoc, aut nihil prorsus dicis. At quis ferat illum sensum Augustino tam indigne, tam licenter affingi? Ait, non esse salubrem correptionem, *nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem,* aut *cum idem morbus plurimos occupauit.* Estne hoc dicere *omnes mali?* nihil minus, Bellarmine. Possunt esse, imo & solent, multi mali, sociam multitudinem habere, vno morbo plurimos occupare, neque esse ideo omnes mali. Erunt enim forte hæretici, erunt schismatici, arctis fœderibus iuncti inter se; Præter illos nihilominus simoniaci erunt, homicidæ, prædones; vt omnino vere dicas hæreticos aut schismaticos malos esse, & *habere sociam multitudinem,* non esse tamen omnes malos. Erunt enim homicidæ, prædones, mali quidem, sed cum illis non coniuncti. Atqui *omnes malos* intelligis, quicunque in orbe sunt mali: & tunc solum vis *sacrilegum esse consilium,* si quis velit omnes malos à bonis separare, & Augustinum de *multis malis* loquentem, de *omnibus malis* ludicra fraude exponis. Quasi nesciret omnes malos non modo separari non posse, sed neque internosci. Ita loquitur homil. 50. de Pœniten. Capit. 12. *multi corriguntur, vt Petrus, multi tolerantur, vt Iudas, multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.* Sed & dicis Augustinum negantem magnam multitudinem excommunicari debere, de Donatistis loqui, *qui separauerant se ab Ecclesia vniuersa.* Atqui etiam si Donatistæ mali erant, multi tamen in orbe præter Donatistas erant mali. Cur igitur quod Augustinus dicit, Donatistas ideo quod multi in idem consensissent, non esse excommunicandos, ita interpretaris ac si diceret, nemo potest *separare omnes bonos ab omnibus malis?* Satis scimus nunquā omnes improbos à bonis omnibus separādos, nisi in separatione illa *qua fiet in*

nouissimo die. Hoc nec imperitus ignoret, multo minus Augustinus. Sed his ille non contentus asseruit; non modo omnes malos separari non posse, sed ne quidem magnam multitudinem cum schismatis periculo separari debere.

Absurdum igitur, quod tu scribis, Sanct. August. dicere, *consilia eiusmodi separationis non solùm esse inania, & periculosa, sed etiam sacrilega & superba; quoniam qui ita separant, assumunt sibi officium Dei, qui solus potest separare omnes bonos ab omnibus malis*. Absurdum illud, inquam, teque indignum; cum nec ibi Augustinus de *omnibus*, sed de *multis* malis agat; adscripta quoque causa, cur eiusmodi excommunicationum consilia superba appellet atque sacrilega; nimirum, *quia plus turbant infirmos bonos, quam corrigunt animosos malos*. Et eodem libro, supra, ait dicendum viro flagitioso anathema, *vbi periculum schismatis nullum est*; & quando illius qui excommunicatur *ita crimen notum est & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere*. Quid his liquidius? quid exerras cum extortis sensibus? quam diuersus ab Augustini mente Gregorius, Henricum excommunicans *cum periculo schismatis, & qui tales habebat defensores, per quos posset schisma contingere, qui habebat sociam multitudinem, cum iam idem morbus plurimos occupasset*, imo ipsam multitudinem excommunicans? Vides, inquam, diuersum ab Augustino abiisse Gregorium; te etiam Augustino imponere; cum Augustino deniq; consentire Barclaium.

Ais, *porro Gregorius nihil tale sibi desumpsit, sed solum Ecclesiastica censura coercere voluit hominem, qui publicè multorum & intolerabilium criminum reus erat*. Credo ego non adeo dementatum Gregorium, vt voluerit excommunicare *omnes malos*: quod nec ad rem, nec ad mentem Augustini. At vero *sibi desumpsit* eum corripere qui habebat sociam multitudinem, cum idem morbus plurimos occupasset contra Augustini sententiam. Sed & qua fronte dicis, *solum Ecclesiastica censura coercere voluit hominem, &c.* cum ipse Gregorius dicat *ipsum Henricum, eiusque fautores* (quos fuisse innumerabiles bella deinde tot annorum, & Synodi in Gregorium docuerunt) *vinculo anathematis colligo*? An hoc erat hominem, Bellarmine, an homines coercere? Dicis fuisse Henricum *intolerabilium criminum reum*. Nullum onus, Bellarmine, nisi importunis, superbis, aut querulis, intolerandum, quod Deus tolerari imperat: qualis Regum improbitas; cui vindicandæ expectari suum iudicium sanctissima lege præcepit.

§. 18.

TERTIO, *quod Dominus ait*, inquis, *Matth. 13. Sinite vtraque crescere vsque ad messem; non sic intelligitur, quasi prohibitum sit, purgare agrum à zizaniis, excommunicando incorrigibiles necando maleficos, comburendo hæreticos, persequendo latrones, aliasque Ecclesiæ vel Respubl. pestes: alioqui grauiter peccasset Dauid, qui in Psalm. 100. dicit, interficiebam omnes peccatores terræ: peccarent Principes omnes, qui quotidie suspendunt fures, & latrones, ac viarum grassatores, & quo plures esse cognouerint eo maiori diligentia, grauioribusque suppliciis delere atque extirpare conantur: peccasset Innocentius III. Pontifex cum Lateranensi Concilio excommunicans omnes hæreticos, quamuis plurimos esse non ignoraret: peccassent Principes Catholici, qui hæreticos Albigenses, pene innumerabiles armis domuerunt, & vsq; ad internecionem deleuerunt. Igitur, cum Dominus ait, Sinite vtraque crescere vsque ad messem, potest fieri, vt Dominus noster non tam imperando, quam prædicendo; quod futurum erat, loquutus sit. Significauit enim semper fore malos cum bonis, neque vlla diligentia effecturos homines, vt omnes mali ab omnibus bonis separentur, qualis est etiam illa locutio Isaiæ 6. Audite audientes & nolite intelligere, videte visionem, & nolite cognoscere: excæca cor populi huius, & aures eius aggraua: quod explicat Dominus Matth. 13. Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis: incrassatum enim est cor populi huius, &c. Et Apostolus Act. 28. citans eundem locum Isaiæ: Aure, inquit, audietis & nō intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis: incrassatum enim est cor populi huius, &c. Itaque verba Isaiæ; Audite & nolite intelligere; hoc significant, audietis & non intelligetis: & illud, excæca cor populi eius, significat, excæcabitur cor populi huius, siue, vt explicat S. Ioannes cap. 12. Excæcatum est cor populi huius. Hoc modo S. Augustinus in Psalmorum explicatione omnes imprecationes malas, quæ exprimuntur per modum imperandi, vt, Effunde iram tuam in gentes, & alias similes, docet esse prædictiones, non imprecationes. Tales etiam locutiones inueniuntur in Euangelio, vt Ioan. 2. Soluite templum hoc, id est soluetis, vel permittam vt soluatis. Matth. 23. Implete mensuram patrum vestrorum, id est, implebitis, vel, sinam vt impleatis. Ioan. 13. Quod facis, fac citius, id est, quod mente agitas vt me tradas, citius implebis quam putas; idque me permittente. Sic igitur, sinite vtraque crescere vsque ad messem, hoc videtur significare, Sinetis, siue permittetis, velitis nolitis, vtraque crescere vsque ad messem: nam omni vestra diligentia nunquam perficietis, vt mali permulti cum bonis permixti non sint vsque ad diem iudicij: tunc enim ego mittam Angelos meos, qui separabunt malos de medio iustorum.*

Iam exerras, & in Augustinum pugnas; qui tamen non his solum verbis nititur, in quibus solis hæres, *sinite vtraque crescere, &c.* Aliæ illi & variæ rationes. At, inquis, si esset prohibitum purgare agrum à zizaniis; peccarent Principes, vltimo supplicio in maleficos aut fures inflicto. Peccarent Pontifices, excommunicando hæreticos, & Christiani Magistratus dum in illos ferro deseuiunt, armis persequendo. Toto cœlo aberrasti. Augustinus non de Principum gladio, sed de Ecclesiastico imperio loquitur (vt Apostoli authoritate sat indicat) & de excommunicatione illa nō q̄ nihil curātes reos ab Ecclesiastica tantū cōmunione seiūgit, qualis in omnes aperte hæreticos plerūq; ferri solet, absq; indignatione, absq; tumultu, cū & ipsi se de nostra Ecclesia discessisse fateātur. Sed de illa, q̄ improbos, q̄ latere & possunt & cupiūt, ita adsunt validi, vt si turbentur

Ecclesiam quoque turbent, ab Ecclesiæ liminibus sequestrandos pronunciat, simulque à ciuili commercio, *vt cum talibus ne cibum sumamus*; qualis fuit excommunicatio in Henricum, eiusque fautores. Nam & ipsi nihil ægrius audiebant quam se *excommunicari*, & excommunicationem illam fuisse eiusmodi vt ab omni cum eis commercio abstineretur, inter cæteros docent Vrspergensis Abbas, & Lambertus Schafnaburgensis: Et tu ipse, cum putes (supra *hoc Cap. §. 9.*) S. Anselmum Cātuariensem ne salutem quidem Waleramo ausum eum dicere, quia cum in Henrici partibus esse credebat. Hic igitur Augustinus non tam multitudinem *malorum hominum* respiciēs, quam mala, quæ ex lacessita hac multitudine bonos inundant, dicit imminentibus eiusmodi damnis non ferendam illius separationis sententiam (vt nec Apostolus in multitudinem Corinthiorum tulit,) quia & nihil profutura est præpollentibus impijs; & ijsdem stimulatis ac ferocientibus *infirmos bonos* in discrimen adducet.

Id autem ad ciuilem gladium nihil, de quo tibi multus hic sermo. Possunt Reges ac Principes animaduertere in suarum finium sontes; possunt & iusta bella indicere, vt fuerunt illa quę tecitas in hæreticos Albigenses: qui nec ipsi quiescebant, & viciniam infestabant erroribus. Sed & propter *paritatem rationibus*; hæc quoque Augustini sententia ad politicum regimen sic aptatur, vt qui Princeps suorum plurimis coniuratis ad facinus inutiles enses stringat; aut impari se implicet bello, quamuis à se stante iustitia, inane & perniciosum, atque sacrilegum concilium videatur inisse. Nam hoc ridiculum quod hic ais Principes, quo plures esse cognouerint supplicijs dignos, eo seueritatem acrius in illos intendere: quasi vero si rebelles, aut quicunque facta manu in scelus eruperunt, ad eas vires excreuerint, vt in eos cadere possit hæc Augustini sententia, cum iis supplicio ac non potius venia ac fœderibus agendum sit, Bellarmine. Ineptus ille Princeps, suiq. prodigus, qui te audiret.

Igitur, inquis, *cum Dominus ait, sinite vtraque crescere vsque ad messem, potest fieri vt Dominus noster non tam imperando, quam prædicendo quod futurum erat, loquutus sit.* Tum varia ex Scripturis tecitas, vbi modus imperandi non pro iussu, sed pro prædictione & vaticinatione sumatur. His auctoritatibus erectior concludis. *Sic igitur, sinite vtraque crescere vsque ad messem, hoc videtur significare, sinetis, siue permittetis, velitis nolitis, vtraque crescere vsque ad messem: nam omni vestra diligentia numquam perficietis, &c.* Imo non *potest fieri*, Bellarmine, vt hic locus tibi *hoc videatur significare.* Verba Scripturæ sunt. *Accedentes autem serui Patrisfamilias, dixerunt ei: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet zizania? Et ait illis: inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: vis imus & colligimus ea. Et ait: non: ne forte colligentes Zizania eradicetis simul & cum eis triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem; &c.* Quæ apertior imperandi ratio in Scripturis? interrogant serui, vis, imus & colligimus ea? respondet Dominus: non: sinite crescere, &c. Nisi forte in Scripturis inuenias hanc Domini vocem *non volo vt hoc facias*, significare, præuideo quod non facies.

§. 19.

QVARTO *dico*, inquis, *approbare me sententiam eorum, qui dicunt prohiberi in hac parabola, separationem malorum, siue hæreticorum, siue aliorum iniquorum, non absolute; sed quando periculum est, ne cum Zizaniis eradicetur triticum, id est, ne cum impiis inuoluantur pij; alioquin licitum esse zizania euellere, quando non est periculum, vt eradicetur triticum, & contra periculum est, ne ex commixtione zizaniorum triticum corrumpatur. Sed hoc iudicium non pertinet ad quoscumque; sed ad Patremfamilias, siue ad illum, quem Christus constituit super familiam suam. Quare ad Barclaium non pertinebat iudicare, an Gregorius VII. recte fecisset, cum excommunicando Henricum, partem zizaniorum euellendam curauit; sed ad Pontificem maximū pertineret, si Barclaius adhuc esset in viuis, eius temeritatem castigare.*

Cur quæso tam verbosus in expositione istius Parabolæ, & cæteras Augustini rationes relinquis intactas? Dicis te approbare *sententiam eorum, qui dicunt prohiberi in hac Parabola separationem malorum non absolute, sed quando periculum est, ne cum zizaniis eradicetur & triticum.* Quam hoc caute! *approbare* te hanc sententiam dicis, vt persuadeas aliam aliorum esse sententiam. At vero quis in eam non consentiat? certe ea ratio in Scriptura redditur, *ne forte colligentes Zizania eradicetis simul & triticum*, & apud Augustinum: *Nam consilia separationis plus perturbant infirmos bonos, quam corrigunt animosos malos.* Ita S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 2. ad primum. *Ad primum ergo dicendum*, inquit, *quod Dominus abstinendum mandauit ab eradicatione Zizaniorum, vt tritico parceretur, id est, bonis: quod quidem fit, quādo non possunt occidi mali, quin simul occidantur & boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos sequaces: ita quod sine bonorum periculo interfici non possunt.*

Sed, inquis, hoc iudicium ad Pontificem pertinet; ideoque non fuit Barclaii iudicare, *an Gregorius VII. recte fecisset, cum excommunicando Henricum partem Zizaniorum euellēdam curauit.* Adeon' iudicium hominum esse captiuum, vt aut scire historias non audeant, aut ad apertas rationes accedere? Est fateor Pontificum iudicare, cum *pars zizaniorum euellenda est*, & flagitiosi perditiq; homines, ab Ecclesiastica communione segregandi; sed prudentum est virorum, si id cum aperta imprudentia decreuerint, hunc aut prudentiæ, aut zeli errorem multo dolore improbare: cum maxime sit quæstio facti, non iuris, & de qua non modo iudicium, sed & scientia esse possit: num scilicet cum malis boni quoque sint occisi, num latuerint inter bonos, num habuerint multos sequaces, num sine bonorum periculo non potuerint tolli. hæc inquam & num facta sint licet scire; si modo & historias, & non oportere fieri scimus, si Euangelio

gelio credere fas est, si Augustino, atque Thomæ, Euangelium exponenti. Ita Ioannes de Gauduno Perusinus (de nullit. process. Pap. Ioan. 22. contr. Ludou. Bauar. Imperat.) *Demum*, inquit, *veniunt insensati dicentes, etsi Papa in omnibus præmissis male gessit, hoc non habemus iudicare: hi vt bene agant nolunt intelligere, videlicet quod duplex est iudicium; vnum iurisdictionis, hoc non habet homo super Papam, vt eum pro suis excessibus iudicialiter corrigat. Aliud est iudicium rationis vel discretionis: & hoc iudicio quilibet habet iudicare de factis, & maxime de præceptis sui superioris, aut sint iusta vel iniusta, ac bona vel mala, aut in quẽ finem sint facta.*

At dicis, Pontificis fore, *si Barclaius adhuc esset in viuis, eius temeritatem castigare.* Desine sanctam & spiritualem sedem ad inuidiam proponere. Qui vero Barclaium castigaret? excommunicatione? qua de causa? qui errores? *qui illicite aliquem excommunicat, semetipsum non illum condemnat.* An vero temporaliter castigaret? per quos tandem magistratus tantæ innocentiæ virum? præsertim in Petri patrimonio nõ degentem, vbi forte fuisset idoneum crimen ad pœnam; aliquid contra Pontificis mentem audere.

§. 20.

ADDIT vltimo loco Barclaius, inquis, *argumentum ex historia Sigeberti, vt probet Gregorium Papam valde errasse in iis, quæ egit aduersus Henricum Imperatorem. Hildebrandus Papa (inquit Sigebertus in Chronico anni 1085.) qui & Gregorius VII. apud Salernum exulans moritur; de hoc ita scriptum reperi. Volumus vos scire, qui Ecclesiastica cura solliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrandus, qui & Gregorius, nũc in extremis positus, ad se vocauit vnum de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris, & confessus est Deo, & S. Petro, & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat, & suadente Diabolo contra humanum genus iram & odium concitasse. Tunc demum misit prædictum confessorem ad Imperatorem, & ad totam Ecclesiam, vt optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, & tam cito induebat se Angelica veste: & dimisit, ac dissoluit vincula omnium bannorum suorum Imperatori, & omni populo Christiano, viuis, & defunctis, Clericis, & Laicis, & iussit suos abire de domo Deodorici, & amicos Imperatoris ascendere.*

Respondeo. Sigebertus, teste Trithemio in Catalogo scriptorum, vnus fuit ex sectatoribus Henrici Imperatoris, propterea nullam fidem meretur, & sine dubio falsum est, quod hoc loco scribit, cum certum auctorem non habeat, aut indicare non audeat. Nos autem habemus auctorem certum fideque dignissimum, qui scribit, Gregorium paulo ante mortem dixisse, Dilexi iustitiam, & odiui iniquitatem, propterea morior in exilio: quæ sunt omnino contraria iis, quæ scribit Sigebertus, nam in his iuste se egisse, in illis grauiter se peccasse dicit. Habentur autem verba supradicta apud Othonem Frisingensem lib 6. c. 36. Bertoldus in Chronico ad annum 1085. & Leo Hostiensis in Chronico Casinensi, lib. 3. c. 64. describunt mortem Gregorij, ac docent eum in eadem constantia permansisse ad vltimum spiritum; & miraculis magnis viuum & mortuum claruisse. Præterea confirmatio sententiæ Gregorij in Henricum, quam supra demonstrauimus factam à quinq; successoribus eius, Victore III. Vrbano II. Paschali II. Gelasio. II. & Callisto II. apertissime docet, fabulam esse, quam Sigebertus scripsit de pœnitentia eiusdem Gregorij. Denique ipsa sibi narratio Sigeberti contradicit, ac repugnat. Nam si Gregorius grauiter peccasse se agnoscebat, in Pastorali cura, & suadente Diabolo se fecisse quæ fecerat: quo modo tam audacter ibidem affirmabat, se mox veste angelico induendum? certe ob peccatum tam graue non vestem Angelicam, sed gehennæ, aut purgatoris graues pœnas expectare debuisset.

Si Sigeberto non adhibes fidem, quia Trithemius illum in Henrici *sectatoribus* numerat: cur authoribus à te relatis fides sit, qui seipsos in Gregorij sequacibus ponunt? Tu etiam, hoc Cap. §. 10. dicis, S. Anselmum Lucensem Episcopum, fuisse vnum sectatorum Gregorii. Æqui iudices, aut neutros, aut vtrosque in historiæ testes admittent. Nec contemnendus, Bellarmine, Sigebertus, religionis syncerae vir, multæ famæ, eruditionis, iudicij. Adeo vt de eo sic Platina (in vita Paschalis II.) *felicia certe hæc tempora fuere, quæ & Sigebertum Monachum Gemlacensem, virum spectata doctrina, & Bernardum ex Castilione Burgundia nobili genere ortum, protulere.*

At, inquis, quod hic scribit Sigebertus nullo certo auctore retulit, *nos autem habemus auctorem certum, fideq; dignissimum, qui scribit Gregorium paulo ante mortem dixisse: Dilexi iustitiam & odiui iniquitatem, propterea morior in exilio; quæ sunt omnino contraria iis, quæ scribit Sigebertus, &c. Habentur autem verba supradicta apud Othonem Frisingensem lib. 6. Capit. 36.* Cur hic tibi Otto est *auctor fidẽ dignissimus*, cum mox (sequenti cap. §. 5.) dicturus sis, eum *testem esse suspectum*? Sed nec verum est Sigebertum narrationis suæ certum auctorem non afferre; Ottonem vero certum esse auctorem, à Gregorio in obitu dictum *Dilexi iustitiam, &c.* Pari certitudine aut incertitudine scribit vterque. Sigebertus dicit, *ita scriptum reperi*; Otto ait; *dixisse fertur, Dilexi, &c.* vt non Sigebertus magis se ad aliorum sermones & publicam famam, quam ipse Otto retulerit. Neque illa prorsus aduersa; vt & Gregorium pœnituerit, & tamen dixerit *Dilexi iustitiam.* Zelo forte deceptus, tandemque veluti velo detecto dicere potuit. Iustitiæ zelus me in Henricum prouexit, me in exilium trusit, sed ille zelus heu non fuit secundum scientiam. Cuspinianus astipulatur Sigeberto; qui sic de pœnitẽtia morientis Gregorij: *Inuenio* (inquit, in Henrici IV. vita) *in vetustissimis Annalibus, Hildebrandum monachum, qui septimus Gregorius dictus est, dum moreretur, plurimum, quod Henricum Imperatorem inique molestasset, doluisse, & ob id ante obitum suum absoluisse, licet filius & æmuli iterum apud Pontifices sequentes laborarint, vt vinculis banni frustra innecteretur; quod factum est, & ideo quinquennio Christiana sepultura iniuste priuatus.*

Sed

Sed *confirmatio*, inquis, *sententia Gregorij in Henricum, à quinque successoribus eius, docet fabulam esse, quam Sigebertus scripsit de pœnitentia eiusdem Gregorij.* quæ hæc vero consequentia? An si successores aut hæredes institutam à decessore causam fouent, si possessionem retinent, idipsum cuincet, eum, cui successerunt, vel causæ vel possessionis morientem non pœnituisse? Vulgata vox apud Anglos, Henricum IV. Angliæ Regem, de seditione in Richardum, per quam sceptrum nactus erat, sub mortem animo anxium, Henrico V. filio Coronam forte manu tractanti sic locutum, si scires, ô fili, quam hæc conscientiæ meæ grauis corona incubet, nunquam à te tangeretur: Cui ridicule Henricus filius, absit vt rem, quæ tam magno tibi, Rex, constitit, tuus hæres omittam. Et vero non omisit. Ecce vt ab hæredum factis, pertinacia aut pœnitentia decessorum non bene æstimator.

Denique, inquis, *ipsa sibi narratio Sigeberti contradicit ac repugnat*, quod & Gregorium dicat se grauiter peccasse confessum, & tamen audacter affirmasse, se noua veste Angelica induendum. At quid ibi *contradictorium aut repugnans?* siue per angelicam vestem intelligas (& Sigeberti mens omnino hæc videtur) solutionem animæ à corpore: quod elapsi ex carnis vinculis spiritus Angelorum instar sint, nulla mole impediti; sed scis ex Angelis non omnes in cœlo permansisse: Siue propitium Dei iudicium, & salutarem in morte sententiam; quam non *audacter*, sed pie Gregorius expectabat, pœnitentia culpas emendans.

CAPVT X.

Ottonis Episc. Frisingensis sententia, de iudicio Gregorii VII. in Henricum IV. Eius verba perperam à Bellarmino relata: corruptus quoq; sensus. Rudolphum, & Hermannum, qui authoritate Pontifici Henrico substituti, nusquam legitimos Imperatores habitos. Gregorii preces in Henricum, contra quam dicit Bellarminus, effectu caruisse.

Apud Bellarminum titulus est,

Discutitur sententia Ottonis Frisingensis de iudicio Gregorii septimi Pontificis.

IN decimo Capite, inquis, *actum agit Barclaius. Redit enim ad probandum auctoritate Othonis Frisingensis, non licuisse Gregorio Pontifici Imperatorem Henricum communione, vel Regno priuare. Ac primum repetit, quæ supra citauerat ex Othone, lib. 6. capit. 35 lego & relego Romanorum Regum, & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno priuatum. Deinde addit ex lib. 1 de gestis Friderici Imperatoris, Capit. I. nouum esse visum Othoni Frisingensi, quod Henricus Imperator à Pontifice Romano anathematis gladio percussus fuerit. Sed ad hæc respondimus capite superiore: atque ista non esse noua luculenter ostendimus.*

Quid hæc vero simul annectis, *communione vel Regno priuare?* nempe vt credat Lector, ex Barclaij sententia non licere Pontifici Regem ab Ecclesiastica communione arcere. Hoc vero vbi in Barclaio? vt nullibi, ita hic omnium minime. Probandum susceperat, Ottonem *non obscure indicare unon probari à se decretum illud Papæ de abdicando Imperatore*; tu etiam excommunicationem addidisti. quasi vero *abdicationem & excommunicationem* idem esse existimes: atqui paulo ante scripsisti (*Capit. 4. §. 3.*) posse Principem etiam sine excommunicatione à Pontifice Regno priuari. Ita igitur à Barclaius censuit, nullam purpuram, nullum sceptrum eximere Christianos à spirituali Pontificis iure. Ideo tam Principes, quam priuatos, à communione sacramentorum posse excludi. Abdicari vero Reges, nec per excommunicationem, nec alio Ecclesiæ iure posse, doctissima disputatione contendit.

Remittis iam lectorem ad superius Caput, vbi de eadem Ottonis sententia actum est. Hoc autem quibus verbis? *Sed ad hæc respondimus*, inquis, *Capite superiore, atque ista non esse noua, luculenter ostendimus.* O si tu in antiquos vates incidisses, quam æquiuoca fudisses oracula! Otto dicit, noua illa & inusitata extitisse, quæ Gregorius VII. in Henricum IV. molitus est: tu dicis *ista non esse noua*; vt is videatur tuus sensus in cautis Ottonis & Barclaij argumenta, noua non esse, sed & trita & iam olim refutata: cum aliud efflagitet responsionis tuæ ratio, nempe non esse verum, quod asserit Otto, nouam in Romanos Principes potestatem tunc primum à Pontifice Gregorio VII. vsurpatam; sed fuisse veterem, & iam inde à Gregorio II. receptam.

§. 2.

ADDIT, inquis, *ex eo posse intelligi sententiam Gregorij fuisse iniustam, quod Otho Frisingensis eodem loco, id est lib. 6. capit. 36. scribit, ex decreto Gregorij inter alia multa illud consecutum esse, vt Papa super Papam, & Rex super Regem poneretur. Quibus verbis, inquit Barclaius, ostendit Otho, vtrumq; pari iure seu potius pari iniuria factum esse, vt sicut iniuste Papa super Papam ab Imperatore, ita etiam iniuste Rex super Regem à Papa positus sit.*

Respondeo. Scribit quidē Otho occasione decreti Gregorij factū esse vt Papa super Papam, & Rex super Regem pone-

poneretur, sed vtrumq; pari iure, vel iniustitia pari, factum esse Otto non dicit, neque dicere potuit. Nam Regem super Regem posuit auctoritas legitima capitis Ecclesiæ; Papam super Papam posuit inobedientia schismatici Regis: quod enim iure posit Imperator Papam deponere, & alium superponere, nescio an si vel vnum Barclaius inueniet virum Catholicum qui dixerit, aut scripserit: quod autem possit Papa Imperatorem excommunicare & deponere iustis de causis, scripserunt auctores Catholici plurimi, & idipsum censuerunt Concilia multa generalia, quorum testimonia retulimus in prolegomenis huius libri, & nonnulla attigimus capite superiore. Itaque Otto enumerat mala, quæ nata sunt ex Henrici excommunicatione, & eiusdem inobedientia: sed non determinat an ea iusta fuerint vel iniustæ: possunt enim aliqua esse mala, & iusta, qualia sunt mala pœnæ; & talis fuit depositio Henrici: possunt quoque alia esse mala, & iniusta, qualia sunt mala culpæ; & talis fuit creatio Antipapæ Guiberti ab Imperatore procurata, vel facta.

Agis hic non ferendis fraudibus, tam in referendo, quam refutando Barclaio. Is ingenue Ottonis verba refert *quod Papa super Papam, sicut Rex super Regem positus fuerit*. Tu caute, vno verbo Ottonis sensum perdis. Nam pro eo quod poneres, *Papa super Papam sicut Rex super Regem*, substituisti, *Papa super Papam, & Rex super Regem*; inter quæ discrimen quam immane! Nam etiamsi hoc & illud factum sit, hoc tamen (vt bene disputas) iniuria factum esse potuit, illud vero iure factum. sic & Christus, & latro crucifixi: at hoc iniuria, illud iure. Sin vero hoc *sicut* illud factum est, & vnum iniuria factum, certe & aliud factum iniuria. Dicit Otto ita positum Papam super Papam, vt Rex super Regem. Atqui Papa, qui superpositus est Papæ, Antipapa, non vere Papa extitit; ergo ille qui est Regi superpositus, tyrannus non Rex fuit. Cum inquam hoc *sicut* illud factum fuerit, *verumque*, quicquid obgannias *pari iure vel iniustitia pari factum esse Otto dicit, & dicere potuit*. Neque ad rem num vllus Catholicus scripserit, quod iure possit Imperator Papam deponere. Id enim non agitur: Redis tandem ad authoritatem toties repetitam Conciliorum & Scriptorum: de quibus ante nos in Prolegomenis. Tum quæ differentia inter malum culpæ & malum pœnæ à te subiungitur, vt prorsus ad hanc rem sit perflua, & de qua Ottonem cogitasse nec coniectura sit, vel ideo omisimus, ne te duce sit vbiq; exerrandum.

§. 3.

PERGIT *Barclaius*, inquis, *& ponderat illa verba eiusdem Ottonis Frisingensis ex eodem lib. 6. capit. 36. quia ergo in Principe suo Regnum ab Ecclesia præcisum, grauiter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto Pastore, qui inter omnes sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui Zeli, & authoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit. Id, inquit Barclaius, quid aliud sonat, quam propter violatum in Principe Imperium, violatam fuisse in Pontifice Ecclesiam; siue propter percussum Regnum in persona Principis, percussam fuisse Ecclesiam in persona Pontificis. Inter quæ cum nullum iuris, aut iniuriæ discrimen faciat, nec possit vtrumq; iuste fieri, consequens est vtrumq; iniuste factum esse existimet.*

Respondeo. Non intellexit Barclaius verba Othonis: non enim loquitur Otho de depositione Gregorij à Pontificatu, quemadmodum loquitur de depositione Henrici ab Imperio. Sed dicit percussum fuisse Imperium in persona Principis, quia Princeps excommunicatus, & depositus fuit; percussam autem fuisse Ecclesiam in Persona Pontificis, quia per mortem subtractus ab hominibus dolorem magnum Ecclesiæ reliquit. Quare non bene colligit Barclaius, tam in percussione Imperij in persona Principis, quam in percussione Ecclesiæ in Persona Pontificis, iniustitiam interuenisse. Nam Henricus quidem per sententiam Ecclesiæ depositus fuit ab Imperio: in qua sententia iustitia & iniustitia locum habere potuit: & satis constat sententiam illam fuisse iustissimam: Gregorius autem naturali morbo extinctus est, vbi si locum habet iniustitia, Deus iniustus dicendus erit, quæ est ingens blasphemia: non enim Gregorius occisus fuit ab Henrico, quemadmodum Henricus depositus fuit à Gregorio, sed vt diximus, naturali morbo pie & religiose obiit: mors autem naturalis post originale peccatum à Deo est: ipse enim sententiam illam, & quidem iustissimam tulit, Puluis es, & in puluerem reuerteris. Genes. 2. & de Deo dicitur, Dominus mortificat & viuificat. 1. Reg. 2. & Sap. 16. Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem: & Ecclesiast. 11. Vita & mors à Deo est. Neque dici potest, Gregorium Papam, ex sententia Ottonis, occisum fuisse à Deo in pœnam peccati commissi in depositione Imperatoris: nam ipse idem Otto fatetur, Gregorium fuisse hominem præcipui Zeli; sed etiam si Gregorius in pœnam peccati occisus fuisset à Deo, non tamen iniusta mors eius dici posset, nisi à Deo iniustitia tribueretur.

Nolim dicere (quod tu de Barclaio contemptim & censorie) te non intelligere verba Ottonis, sed te in illius verbis indigne lusisse. Dicis enim sic intelligendum; *percussum fuisse imperium in persona Principis, quia Princeps excommunicatus & depositus fuit; percussam autem fuisse Ecclesiam in persona Pontificis, quia per mortem subtractus ab hominibus dolorem magnum Ecclesiæ reliquit.* Imo vero Bellarmine, diserte Otto scribit; *Ecclesiam tanto Pastore fuisse orbatam, quia in Principe suo regnum ab Ecclesia præcisum grauiter percussum fuit.* non percussam igitur dicit Ecclesiam, quia pastore orbata est; sed Pastore orbatam, & tu Pastore percussam, quia ipsa in Principe percusserat Regnum.

Neque Otto ibi de Gregorii morte, vt putas: quamquam id parum refert. Eo capite schismatis mala enumerat, captam Romam, Papam Papæ superpositum &c. Mox de obitu Gregorij scribit; tum, vt illi mos, ad propositum thema & schismatis mala regreditur, in hæc verba, *quia ergo in Principe &c.* & orbatam Pontifice Ecclesiam dixit, quia Roma expulso Gregorio, multisque ad Antipapam secedentibus, turbata Ecclesia eius indole non potuit frui. Quod si mauis ad Gregorij obitum hæc referre, egisti nostram causam. Nam tunc sic dixeris, ideo quia in Principe suo Regnum ab Ecclesia percussum est; Deus Ecclesiam in suo quoq; Principe percussit, eũq; è viuis

exe-

exemit. alioqui vbi consequentia, quam infert particula, *quia?* Frustra es igitur dum disputas, naturalem mortem non esse iniustam, quandoquidem infertur à Numine; quis hominum hoc nesciuit? sed propter iniustitiam mortalium hæc iusta mors à Numine sæpe infertur: & qui præcipui zeli sunt (qualis ex Ottonis verbis Gregorius) non sunt vtique semper & præcipuæ prudentiæ. Quod autem Barclaius scribit, pari iure aut iniuria tum percussum in Principe Imperium, tum percussam in Pontifice fuisse Ecclesiam, non ad Gregorij retulit mortem, sed ad acta tum Gregorij, tum Henrici (qui & Ottonia sensus est) quorũ ille Henricum ab Imperio aggressus remouere, seditionibus orbem impleuit; hic vero turbatæ rem Ecclesiæ vindici furore permiscuit.

§ 4.

PERGIT *Barclaius*, inquis, *& ex libro 1. de gest. Frederici, cap. 6. Othonis Frisingensis probare nititur, iniustam fuisse depositionem Imperatoris per Gregorium factam, quia Otho defectionem Rudolphi Ducis Sueuia ab Imperatore rebellionem appellat: rebellio autem dicitur, cum inferior deficit à superiore, sed Imperator superior non fuisset, si iure depositus fuisset. igitur non iure depositus erat ex Othonis sententia. Idem probat ex libro 7. historia, cap. 8. vbi Otho Frisingensis Henricum Quartum, Imperatorem vocat, etiam post depositionem.*

Respondeo. Rebellare dicitur non is solum, qui à Principe legitimo deficit, sed etiam, qui deficit à Principe regnante de facto, quamuis non de iure: quemadmodum etiam Rex dicitur non solum qui iure regnat, sed etiam qui de facto regnat: non enim vbique Scriptores proprietatem illam vocabulorum obseruant, vt neminem dicant Regem, nisi qui regnat legitimè, neque rebellare vllum dicant, nisi qui à legitimo Principe deficit. libro 4. Reg. cap 18. ponitur in laudibus Ezechia Regis optimi, quod rebellauerit contra Regem Assyriorum. Vbi rebellio dicitur defectio à Rege non legitimo. eodem libro 4. Reg. cap. 9. Iehu iussu Dei Rex factus, viuente adhuc Ioram Rege dicitur coniurasse contra Dominum suum, eumque occidisse cum omni progenie. vbi coniuratio, qua aliquid amplius est, quam simplex rebellio, in bonam partem accipitur, coniurauit enim contra Regem à Deo abdicatum, & damnatum. Quare dixit ad Iehu Dominus 4. Reg. 10. Quia studiose egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia qua erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Habemus igitur non esse mirum, si Otho Frisingensis rebellionem appellat defectionem à Rege iam abdicato, cum eundem ipsum loquendi modum habeamus in diuinis literis. Idem dicere possumus de nomine Regis: nam libro 2. Reg. capit. 15. cum Absalon filius Dauid eiecto Patre regnare cœpisset in Hierusalem, neque Rex legitimus, sed tyrannus reuera esset, tamen Dauid ipse Regem ipsum appellabat, cum diceret ad Ethai Gethaum, cur venis nobiscum? reuertere & habita cum Rege? sic etiam libro 3. Reg. cap. 16. Zambri occiso Rege legitimo Regnum sibi iniustissime vsurpauit: & tamen Scriptura dicit: Irruens ergo Zambri percussit & occidit eum (Regem Ela) & regnauit pro eo: cumque regnasset, & sedisset super solium eius, percussit omnem domum Baasa, &c. Ac ne magnum videatur Barclaio, quod Otho Frisingensis vocet Imperatorem Henricum, etiam post excommunicationem, & depositionem: sciat idem nomen inueniri apud Abbatem Vrspergensem, aliosque Scriptores, imo & apud ipsum Leonem Ostiensem, qui addictissimus erat Gregorio VII. Nam libro 3. Chronici Cassinensis, cap. 49. plusquam decies Henricus Imperator dicitur à Leone Ostiense, & Leone referente, sæpissime Desiderius Abbas, qui Gregorio in Pontificatu successit, eundem Henricum post abdicationem Imperatorem appellat, non alia de causa, nisi quia reipsa, quamuis non iure, imperabat.

Non diffiteor interdum apud Auctores verba non adstrictæ examinationis amussim expendi; sed omnino multum est, si quis Scriptor nõ modo semel aut iterum eiusdem ominis verbis, sed vbique vtatur; neque id indiligentia, sed sedulitate factum putes: Qualis hic Otto, qui nusquam nisi sinistræ significationis vocabulis notat deficientes ab Henrico, nusquam autem Henricum, nisi per voces plenissimas dignitatis. Et hoc satis pro argumento Barclaii; Tu vero, quam non idoneo exemplo vis probare interdum rebellionem dici defectionem à Principe qui de facto, non de iure Princeps sit! Neque enim Ezechias rebellabat in Principem aut de iure aut de facto super se regnantem; cum Assyriorum Rex nec de facto nec de iure Hierosolymis imperaret. Sed hic *rebellare*, pro *resistere* positum; quod scilicet inuadenti animose restiterit, cum plurimæ prouinciæ manus darent, ad primam belli famam. Hoc ex sacra liquet Historia. Nondum quippe Ezechiæ temporibus traditus erat Iuda in gentium manus; sed externi iugi expers à suis regebatur Principibus. Solus Israel cum suo Rege Osee (*4. Reg. capit. 17.*) factus erat Assyriorum Regi *seruus*, reddebatque illi tributa; & mox *cœpit Rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israel in Assyrios*: quod dolenter à Scriptura descriptum. Falsum igitur Bellarmine, quod ibi *rebellio dicitur defectio à Rege non legitimo.* Nam Assyriorum Rex, erat legitimus, quidem Rex Assyriæ, sed Hierosolymorum, nec legitimus nec non legitimus. Neque Ezechias deficere aut iugum excutere, sed non recipere, per hæc bella molitus est.

Multo minus ad rem est, quod de *coniuratione* profers. Nam quis neget, *coniurare*, ambiguum verbum esse? & tam in Regem *coniurari*, quam in tyrannum posse? Sed hoc monstrum, quod superares, tibi finxisti: cum nec verbum sit de *coniuratione* apud Barclaium.

Sed quoniam ad verborum significationem descendimus. Dic porro vbi legeris *tyrannidem suscitare*, significare defectionem à Principe non legitimo. Nusquam gentium. Audi tamen Abbatem Vrspergensem, de conatu cuiusdam Eggiberti in Henricum multo ante Pontificia

sententia excommunicatum. Ita igitur ad Annum M. LXXXV. *Recepto iam à Saxonibus pacifice Imperatore Henrico, quidam Marchio Eggibertus Imperatoris etiam consanguineus, armis strenuus & animosus atq; ditissimus, iterum in Saxonia contra Imperatorem tyrannidem suscitauit.*

Venis tandem ad *Regis & Imperatoris* nomina, quæ & Otto & alij, vt fateris, etiam à Pontificis sententia tribuerunt Henrico: Ais de facto non de iure imperantes, his interdum titulis designatos. Omnino, Bellarmine, Sed est auctorum prudentiæ, vt cum de tyranno agunt, licet Principum nomine nonnunquam appellent, interdum tamen aut tyrannum nuncuparit, aut vocis alterius vera lacessant infamia; quod in toties repetito nomine nequaquam Otto fecit, perpetuo Imperij titulo Henricum honestans. At è contrario; Rudolphus & Hermannus, qui Henrico Pontificis auctoritate substituti, nullibi Imperatores appellati ab Ottone: Sed nec in Imperatorum Catalogo, quem in *Chronologia* diligenter explicuit, recensiti, imo nec relati hodie in publicos & vulgo receptos Imperatorum Fastos. Vnde & qui nuperrime Cæsar obiit, Rudolphus II. dictus est. At enis nominis fit tertius, si ille Gregorianus Rudolphus numeretur. De Hermanno vero Abbas Vrspergensis apertius, in Chron. Anni 1087. *Anno Dom. M. LXXXVII. Hermannus falso Regis nomine deposito, permissione Imperatoris ad propria reuersus, post paucos dies in obsidione cuiusdam oppidi interiit.*

§. 5.

PERGIT Barclaius, inquis, & ait. *Est & alius eiusdem auctoris locus libro 1. de gestis Friderici cap. 8. in quo id ipsum manifestius declarat, Papam scilicet per illam excommunicationem & abd cationem nihil iuris Regi Henrico ademisse. Nam postquam narrauit Bertolfum Rudolphi generum (quem vt dictum est Papa Regem creauerat) perempto socero, Ducatum Sueuiæ tanquam sibi à socero concessum vsurpasse, & ex altera parte Henricum Papæ iudicio depositum, concessisse eundem Ducatum nobili cuidam Sueuiæ, cui Friderico nomen, qui Bertolfum ad pacis conditiones, & ad exfestucationem Ducatus adegit, addit. Bertolfus iste quamuis in hoc negocio Imperio simul & Iustitia cesserit, tamen strenuissimus, & fortissimus fuisse traditur. En vt nihil circuitione vsus, affirmat imperium & iustitiam ab Henrico stare, in quem Pontifex sententiam depositionis multo ante tulerat.*

Respondeo. Testem hoc loco Barclaius suspectum adducit, nam ab isto Friderico Fridericus primus Imperator descendit: cuius Imperatoris patruus fuit Otho Frisingensis, nec solum patruus Friderici Imperatoris, sed etiam Nepos Henrici quarti. Itaque Otho, ne auum maternum, Henricum quartum Imperatorem, & filium fratris vterini Fridericum primum Imperatorem læderet, scripsit, Bertolfum Imperio, Iustitiaque cessisse in negotio Ducatus Sueuiæ. Quæ etiam causa fuit, cur idem Otho in historia sua mediam viam elegerit. Nam Gregorium VII. eximie laudat libro 6. capit. 34. Neque enim poterat salua conscientia reprehendere hominem notissimæ sanctitatis: Henricum autem nõ vt cæteri historici, turpissimorum plurimorumque criminum reum facit, sed modestissimè excessum eius vitamque lasciuam notat, libro 7. cap. 11, Quod autem hoc loco dicit, Bertolfum imperio, iustitiaque cessisse: non cogit, vt existimemus, sensisse Othonem, iniuste Henricum à Gregorio fuisse depositum: nam, vt idem Otho narrat, post longam disceptationem coegit Fridericus ab Imperatore adiutus Bertolfum ad conditiones pacis, quæ erant, vt Bertolfus retineret Turegum nobilissimum Sueuiæ oppidum, reliquam Sueuiam Friderico cederet. Cessit ergo Bertolfus Imperio, tanquam potentiori, cui par esse non poterat, cessit etiam iustitiæ, quoniam in re dubia iustum esse censuit, retento nomine Ducis, & oppido nobilissimo, reliqua cedere fortiori. Nam si Bertolfus existimasset iniuste à se possessam fuisse Sueuiam, debuisset totam dimittere, & neque partem præcipuam, neque ducis nomen sibi retinere, vt eodem teste Othone retinuit, ad posterosque transmisit. Quod si Barclaius velit, Othonem sensisse Henricum à Gregorio iniuste fuisse damnatum, repugnabit eidem Othoni, qui libro 6. historiæ, capit. 34. dicit Gregorium fuisse fortem per omnia athletam, murumque se pro domo Domini opponere non timuisse. & cap. 36. dicit, gladio anathematis Imperatorem feriri decreuisse: & ibidem refert Gregorium in morte dixisse: dilexi iustitiam, & odi iniquitatem: & Ecclesiam in obitu tanti Pastoris, qui inter omnes Romanos Pontifices præcipui zeli & auctoritatis erat, non modicum dolorem habuisse. & libro 7. capit. 1. ait, Defuncto apud Salernum Beatæ memoriæ Gregorio summo Pontifice, &c. Ista enim nullo modo cohærent cum opinione grauissimæ iniustitiæ, qualis fuisset, depositio Imperatoris, si eum iuste Gregorius deponere non potuisset. Hæc enim sola iniustitia omnes Gregorij laudes sine dubio corrupisset.

Ais ergo Ottonem consanguinitati dedisse, quæ ei cum Imperatore fuit, vt diceret Bertolfum Imperatori à Pontifice abdicato cedentem, *Imperio Iustitiaque cessisse.* O te alienæ prodigum famæ, qui tanto viro & cuius sanctitatem impense alibi laudas, ignominiã facere adeò ausus, vt scriberes non in historia, aut sententia certe ipsum; sed contra suam mentem, & in præiudicium Ecclesiæ, restatum *iustitiam & imperium* ab Henrico tunc stetisse. Vis tamen & ad vestram sententiam hæc verba detorquere Bertolfum *cessisse iustitia, quoniam in re dubia iustum esse censuit, retento nomine Ducis, & oppido nobilissimo, reliqua cedere fortiori.* Vbi ad hæc verba Democritus, vbi Heraclitus? Ergo si à prædone premor, si illius insultibus cedo, si vitam partemq; bonorum ab eo, iactura cæterarum redimo opum, dicar ego *cessisse iustitiæ?* imo & tunc iniustæ violentiæ cesserim, Bellarmine, & iniusta violentia fuit, cui Bertolfus iste cessit, si Henricus non tunc legitime Imperator, sed Tyrannus. Quæ rerum, quæ verborum corruptela, quam inepto sophismatum fuco obtrudis? *Nam, inquis, si Bertolfus existimasset iniuste à se possessam fuisse Sueuiam, debuisset totum dimittere,*

ruiuere, & neque partem præcipuam, neque Ducis nomen sibi retinere. Nihil minus. Consentiente Principe partem Sueuiæ retinere iure potuit, quam totam eo nolente iniuste inuaserat. Pacis leges hæ fuerunt, *vt Bertolfus Ducatum exfestucaret, sic tamen quod Turegum nobilissimum Sueuiæ oppidum, à manu Imperatoris ei tenendum remaneret.* Nam & hoc iustum fuit, ne tanti animi, tantæ nobilitatis vir, omnino exutus abiret; præsertim qui vim vltimam non expectans, rediit ad officium. *Imperioq; ac iustitia cessit.* Dicis eum *partem præcipuam* Sueuiæ sibi retinuisse. Imo nihil, præter Turegum vrbem, quā cum Ducis nomine Imperatoris cōsensu sibi habuit. It[...] Otto (libro 1. de gest. Frid. c. 9.) *At supra nominatus Bertolfus vacuum ex hinc nomen Ducis gerens, id quasi hæreditarium posteris reliquit. Omnes enim vsq; ad præsentem diem Duces dicti sunt, nullum Ducatum habentes, soloq; nomine sine re participantes.* Vbi igitur pars præcipua Sueuiæ, cuius tunc effusi limites, multorumque capaces *Ducatuum?* Vrbem præcipuam, non partem præcipuam iste Bertolfus obtinuit.

Iam recenses aliqua ex Ottone, in Gregorij laudem. At nec Barclaius vllo maledicto vsus in Gregorium, qui potuit & zelo arsisse, & tamen iniuria id potestatis vendicasse in Principes, vel inconsiderato illo zelo, vel ignorantia, vel adulatione, aut inclinatione sequacium id sibi licere persuasus. At, inquis, Otto dicit, lib. 6. cap. 36. *Regem Orbis gladio anathematis feriri decreuisse.* Nimirum de vicissitudine rerum & Ecclesiæ incrementis disputans, dicit ex illius maiestate fuisse, vt nulli secunda, nullum timens, *gladio Anathematis feriret* etiam Imperatorem; siue quod paulo ante dixit (cap. 34.) *vt diadema Regni à sacerdotali gladio feriretur.* Sed ille Sacerdotalis, siue anathematis gladius, pro exclusione tantum à sacramētis Ecclesiæ, non pro depositione positus: Alioqui secum ipse pugnauerit. Paulo ante ex Trithemio docuimus, *excommunicationem* illam manifestam probatam, at de *depositione*, viros doctos inter se dissensisse. Vide supra *cap. 9. §. 14.*

§. 6.

POSTREMO *Barclaius,* inquis, *cum non haberet aliud quod ex Othone adferret, nec tamen quiescere posset, repetit quod supra dixerat, Reges ex Othonis sententia non habere illum, præter Deum super se, quem timeant. Repetit quoq; quod supra verbosissime deplorauerat, multa mala occasione excommunicationis Henrici Imperatoris in Orbem terrarū ac præcipue in Ecclesiam irruisse. Ad quæ omnia iam ante respondimus, neq; libet eadem frustra repetere.*

Imo fuit amplius, quod ex Ottone posset referre Barclaius. Nam quid luculentius, quam quod Otto libro 7. cap. 9. scribit, de Henrico filio, qui applaudente Pontifice in excommunicatum patrem inuaserat. *Videres lachrymabiles ac miserabiles apparatus, cerneres mundum contemptum sui luculentius effectibus suis prodentem, quod videlicet contra legem naturæ filius in patrem assurgeret, contra normam iustitiæ miles Regem, seruus dominum impugnare pararet.* Atqui si Henricus per Pontificiam sententiam de Imperio iure deiectus est, nihil *contra legem naturæ* istius filius, Dei legem, & authoritatem Ecclesiæ iure propugnaus. Imo summæ & egregiæ pietatis id facinus. Sed nec contra normam iustitiæ miles Regem, seruus dominum impugnabat[...] si iam Henricus de iure nec Rex erat, nec dominus, & si *per normam iustitiæ* obsequendum edicto Gregorij in hæc verba concepto: *Interdico Christianis omnibus, ne Henrico vlla in re obtemperent.*

Si plura ex Ottone voluisset Barclaius, quid luculentius Pontificum & Imperatorum catalogo, quem libro 7. & 8. interiecit? Ibi Henrici Imperium ad Paschalem II. designatur, id est annuis plus viginti post vtramq; Gregorij in Henricum sententiam. De Rudolpho & Hermanno silentium; quibus tamen propitius Pontifex eo iure concesserat Imperium, quo Henrico infensus ademerat.

§. 7.

IN *extremo capite,* inquis, *producit in medium verba Gregorij VII. quibus cum Henricum deponeret, precatus est Apostolos Petrum & Paulum, vt sententiam suam, ex eorum authoritate prolatam confirmarent: & iudicium cito in Henricum eiusmodi exercerent, vt omnes intelligerent iniquitatis filium non fortuito, sed ipsorum opera ex Imperio cecidisse. Hanc precationem dicit Barclaius non fuisse ab Apostolis auditam, cum nihil non infaustum Pontifici, Pontifici & partis authoribus, & fautoribus acciderit, triumphante interim, & Imperium tenente Henrico.*

Respondeo. Precationem Gregorij omnino exauditam fuisse, testantur ærumnæ maximæ, quæ Henricum diuinitus expresserunt. Primum enim à magna parte Germaniæ destitutus, ad Pontificis pedes abiectus misericordiam demississimis precibus implorare compulsus est. Deinde cum duobus æmulis Rudolpho & Hermanno diu ambiguo marte certauit. Postea à proprio filio carceri mancipatus, coronam, sceptrum, & reliqua Imperatoriæ insignia resignare coactus est. Inde elapsus Leodium se recepit, vnde miseriam suam incredibilem proprijs literis, quæ apud Vrspergensem Abbatem extant, testatus est. Denique repentina morte sublatus neminem inuenit, qui eius mortem defleret: cum è contrario Mundus totus ob eius infelicem exitum summo gaudio exultaret, vt supra ex Abbate Vrspergensi retulimus. Hic videlicet est triumphus Henrici, quem fingit Barclaius. Porro Pontificiam partem semper in melius profecisse, cooperante Domino signis & prodigijs, & tandem omnino præualuisse, constat ex ijs, quæ de Callisto secundo, & Henrico V. omnes historici narrant, ac præsertim Abbas Vrspergensis in Chronico anni 1120. & sequentibus.

Quam tu caute, Bellarmine: Patrem Gregorianæ sententiæ refert Barclaius: tu duntaxat ex illa parte partem, camq; postremā his missis. *Agite igitur Apostolorū sanctissimi Principes, & quod dixi*

 vestra

vestra authoritate interposita confirmate, vt omnes nunc demum intelligant, si potestis in cælo ligare & soluere, in terra quoque Imperia, Regna, Principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare vos posse. Hinc Barclaio argumentum, vix futurum vt Deus tantam authoritatem Ecclesiæ, præsertim in auxilium tam solemni obsecratione vocatus, non afferret subito felicique euentu, si hoc ius in Reges Ecclesiæ, ac non potius tunc Ecclesiastici in Reges iniurij.

Vis hanc tamen *precationem Gregorij omnino exauditã*, propter calamitates Henrici. Primo, quod *ad Pontificis pedes abiectus misericordiam implorare compulsus sit.* Secundo, quod *cum Rudolpho, & Hermanno diu ambiguo marte certauit.* Tertio, propter mala, quæ illi ab Henrico filio. Vbi vero tua fides? Nam primum se ad Pontificis pedes Henricus abiecit, biennio pene ante illam Gregorij sententiam, vbi preces illæ; *Agite igitur Apostolorum, &c. Hoc autem iudicium cito in Henricum exercete, &c.* At post illam, non modo non Gregorio supplex, sed eodem anno Roma expulsum molestauit exilio. Quod de Rudolpho addis, atque Hermanno; in te prorsus atque Gregorium. Orauit Gregorius constituto Rudolpho, & mox Hermanno, vt Apostoli iudicium cito in Henricum exercerent: At è contrario Henricus Rudolphum & Hermannum intra breuissimum tempus occidit, ipse multis annis incolumis: vt hæc bella videantur non ad calamitatem illi, sed ad eam, quæ præcipua est Principibus, fortitudinis gloriam contigisse. Quo igitur apud te illa particula, *diu certauit? At Romanus Pontifex*, ait Otto (libro 6. cap. 35.) *Regem sæpe vocatum excommunicauit, cuiusque vt dicitur consilio & authoritate, Rudolphus Germanorum Dux à quibusdam Principibus Rex creatur. quo non multo post in publico bello occiso, atque Hermanno Lotharingia Principe sibi substituto, & ipse non multo post à fidelibus Regis occiditur.* Gotfridus Viterbiensis (Chron. part. 17.) *Papa tantum Imperatorem excommunicauit, atque consilio Saxones sibi Rudolphum Regem creauerunt, quo postea in bello occiso & Hermanno Principe Lotharingia sibi substituto, ipse quoque cito interficitur.*

De vltimis malis, quæ etiam seni inflicta per filium, sat superque his verbis Barclaius. *Nam quod à filio tandem post annos viginti quinque, pressus est, sub specie religionis, vt ait Frisingensis, id parum aut nihil ad hanc rem pertinet: prætextus hic tantum filio pessimo fuit, qui ante diem patrios in annos inquirebat. Vera autem causa, ambitio, & ardens dominandi libido, &c.* Quæ tu ex Barclaio neque retulisti, neque carpsisti. Pontificias autem partes quot interim, id est, per quadraginta circiter annos, clades afflixerint, omnes illorum temporum testes historiæ. Donec tandem sub Calixto secundo ita emergerent, vt nec Imperium premeretur.

Non igitur *precationes Gregorij omnino exauditæ.* Neque citò multatus Henricus Imperio, *vt intelligerent omnes iniquitatis filium non fortuito, sed Apostolorum opera è Regno cadere*, neque cito pax Ecclesiæ restituta, *vt omnes intelligerent eam posse Imperia, Regna, Principatus, & quidquid habere mortales possunt, auferre & dare.*

CAPVT XI.

Bellarminum mentem Barclaii in hoc capite non dedisse Lectoribus. Illi odium & inuidiam quæsiuisse. De Iulio II. Pontifice. De cæterorum Pontificum bellis in genere.

Bellarmino titulus est.

De comparatione Iulii II. & Clementis VIII.

§. VNIC.



IN *capite vndecimo*, inquis, *Barclaius multa repetit ex iis, quæ antea dixerat: neque aliquid addit, quod mihi refellendum noua responsione esse videatur, nisi cum Clementem VIII. Pontificem, veris laudibus effert, non tam vt eum laudet, quam vt ex eius comparatione Iulium II. carpat. Quis*, inquit, *non paternam Clementis VIII. pietatem, cum summa prudentia coniunctam, qua Reges & Principes Christianos ad concordiam reducere & in concordia retinere annititur, infinitis partibus Ecclesia vtiliorem iudicet, quam Iulij secundi loricati furores martios, quibus Italiam, Galliam, Germaniam, Hispaniam cæterasque gentes Christianas hostilibus animis inter se committere, impie & inhumaniter connitebatur?*

Ad hæc ego vt respondeam, admonitos Lectores esse volo, Romanos Pontifices, qui simul etiam Principes sunt temporales non contemnendi Imperij, non minus ex officio obligari ad ea conseruanda, quæ Sedis Apostolicæ, siue Ecclesiæ Romanæ sunt quam Principes cæteros. Quare quemadmodum Reges & Principes supremi cæteri pro defensione Regnorum suorum siue ditionum aliarum, bella gerere possunt, & debent: & si ad ea defendenda confœderatione cum aliis Principibus opus habent, iure possunt cum sociis Principibus fœdus inire, & coniunctis viribus hostem propulsare, quando iustam belli gerendi causam habent: sic etiam Romani Pontifices, qui Principes supremi sunt, omni iure possunt, & debent populos sibi creditos armis protegere, & si res ita postulet, aduersus hostes bella gerere, nec non ad auxilium, vel belli societatem Principes alios euocare. Neque primus fuit Iulius secundus, qui pro recuperandis Ecclesiæ Romanæ prouinciis bella gessit, vel cum magnis Principibus fœdus percussit. Nam Pius secundus multo ante exercitum armatum habuit, & bella cum hostibus cum laude gessit, vt Nauclerus, & Platina referunt: & ante Pij secundi tempora Innocentius VI. vir prudentia, & vita innocentia clarus per Legatum suum Albernotium Cardinalem, Ecclesiasticam ditionem à Tyrannis diuersis occupatam, felicissi-

me armis recuperauit, vt scribunt ijdem Nanclerus, & Platina, multiq; alij historici. Clemens IV. qui Innocentiū VI. multis annis præcessit, & Pontifex sanctus est habitus, Carolum Andegauensem Ducem, sancti Ludouici Regis Francorum fratrem, è Gallis euocauit, vt Manfredum Tyrānem è Regno Neapolitano, quod est Ecclesiæ Romanæ feudum, armis expelleret, ipsumque Carolum Regem instituit, imposita quadraginta millia nummorū aureorum pensione quotannis soluenda in recognitionem feudi: testes sunt auctores ijdem & alij, quos ipsi citant. Sed ante hæc tempora Leo IX. Pontifex, non solum vita probitate, sed etiam diuinis miraculis clarus, atque adeo in sanctorum numerum relatus, aduersus Northmannos pro Beneuentana ciuitate recuperanda præsens ipse in exercitu armis decertauit, vt Hermannus Contractus in Chronico, & Leo Ostiensis in historia Cassinensi lib. 2. c. 88. testes sunt. Vbi illud memorabile accidit, quod cum Pontifex à Northmannis victus, & captus fuisset, ea submissione, & reuerentia victores erga victum vsi sunt, vt Pontifex victus, & captus victoribus imperare, ac dominari videretur. Porro Leo quartus Pontifex plus ducentis annis Leone IX. antiquior, vir sanctissimus, & miraculis clarus, teste Anastasio in eius vita, exercitum duxit aduersus Saracenos, qui ad Ostia Tyberina cum ingenti classe appulsi Romanam vrbem capere, & spoliare cupiebant: Et oratione præmissa ad Deum, & exercitu Apostolica benedictione munito, memorabilem victoriam reportauit. Omitto confœderationem Zachariæ, Stephani secundi, Adriani, Leonis tertij, aliorumq; Pontificum cum Regibus Francorum, pro recuperatione, & defensione prouinciarum, & ciuitatum, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinebant aduersus Longobardos, & Græcos. Omitto etiam fortissimos Macchabæos, qui & summi Sacerdotes, & Principes erant, & pro patria defensione grauissima bella gesserunt. Omitto denique Mosis Pontificis, & Principis sapientissimi, qui aduersus Amorræos, aliosq; populi sui perturbatores armis decertare non dubitauit. Hos igitur clarissimos, sacrosq; viros Iulius secundus imitatus, eorumq; virtutem, & diligentiam æmulatus partim armis proprijs, partim auxilio fœderatorum Regum Ecclesiasticam ditionem, fere totam amissam, magno labore recuperauit. Quod factum qui reprehendere voluerit, oportebit etiam, vt industriam, & virtutem sanctorum Pontificum, addo etiam Machabæorum, & ipsius Mosis, virtutem bellicam reprehendat. Neque ab hoc numero Clemens octauus eximendus est, qui quemadmodum pacem inter Christianos Principes reformare studuit, vt Barclaius dicit: sic etiam exercitum comparere non neglexit, cum ei Ferraria recuperanda esset: & ad bellum pro Ecclesiastica ditione faciendum, occasio defuit illi, non animus. Placuit enim Deo, in cuius manu sunt corda Principum, vt nobilissima ciuitas ante ad Ecclesiam rediret, quam milicum gladij nudarentur. Hanc vero Clementis VIII. laudem Barclaius non ignorauit, sed dissimulare voluit, vt liberius Iulium reprehenderet.

Nisi omnium manib. tereretur Barclaij liber, cogeres me illius vndecimum caput exscribere, ne vt ais nihil in eo videatur noua responsione dignum. Primum ergo non iam Henricum vnum profert, sed plerosque, quos Pontifices à Regno remouere aggressi sunt, cum eos Ecclesia Christianorum numero aeloque deficiens, multo difficilius posset, quam illos antiquos, Constantium, Iulianum, Valentem, coercere. Sic antiquæ Ecclesiæ viribus cum hodierna imbecillitate collatis, satis damnat eorum rationem, qui volunt priscos Pontifices, pepercisse malia Principibua, propter Ecclesiæ nondum adultas vires; recentiores autem, iam præpollentibus Ecclesiæ rebus suam demum potestatem exerere. Tum cuiusdam rationem exscribit, qui vt vineam ita Ecclesiam ait prius plantari, & rigari, quam incidi oportere. contra Barclaius, vineam quoque vel in plantatione reserari. Sic & Spiritualem incisionem statim cum ipsa cœpisse Ecclesia (recisos igitur & Simonem & Corinthium) corporalem vero in Ecclesia, quia *sanguinem non nouit*, nullo tempore esse posse.

Hæc omnia omisisti, superflua & exerranti disputatione occupatus. Clemens VIII. lenem ac tranquillum animum, cum *impatientis & præcipitis natura* Iulij II. (Ita appellat Guicciardinus, *libro 7.*) Barclaius composuit; tu primum ad illius inuidiam dicis, hoc factum *non tam vt Clementem laudet, quam vt ex eius comparatione Iulium secundum carpat.* Vnde tibi, Bellarmine, in hominum mentes, in cogitationes scribentium, tam liberum procaxque iudicium? quis te Phœbus constituit vatem? Erras; & piam sancti hominis memoriam frustra lacessis. Quo sedis Apostolicæ studio Barclaius exarserit, & viuentium hominum testimonia asserunt, & scripta nullo æuo moritura. vt omittam hunc librum, quem iam vellicas, emisit ante annos duodecim, *de regno & regali potestate*, sex libros: In iis quam synceri Catholici spiritus, quot in hæreticos verba, quot paginæ pro Pontificis potestate? Nisi forte illi omnes, qui Pontificum vitia scribunt, seu ad historiam, seu ad disputationem sobriam, damnandi sunt, Bellarmine. Sed nec arcanum aliquid, aut ignotum, de Iulio Barclaius. quis non de bellicis illius studiis scripsit? sic in illius vita Onuphrius, *non ad recuperanda solum quæ amissa erant, sed etiam amplianda, animum adiecit. Nemo enim superiorū Pontificum Petri patrimonium maiore animi præstantia tutatus est, aut latius proferre contendit.* Est hoc vero, Bellarmine, Pontificis munus, suam ditionem armis & bellis ampliare, iisq; miseriis, quæ arma consequuntur & bella? quid aliud Alexander, quid Mithridates, quid omnium ambitio Regum? quam non modo conseruare, sed & armis propagare suos fines? Hoc vero quam in Pontifice fœdum, vt ditionem sibi Principum pietate concessam, iam in Principum perniciem vi & armis extendat? *Semper animo sic excubabat* (inquit, de Iulio Arn. Ferronus) *vt in Gallum aliquid moliretur.* Guicciardinus modestissimus certe author (*lib. 7. & seqq.*) fuse docet, & quam ante Pontificatum iste Iulius *vastis immoderatisq; cogitationibus turgidus extiterit*, quoties *Italiæ turbandæ instrumentum fuerit*, quam deniq; post Pontificatum *belli accendendi cupiditate flagrauerit.* Non sollicitabo plurium Scriptorum fidem, ne me quoque existimes sedis ipsius mordendæ studio agitari. Cætera, quæ de Pontificum bellis cumulas, vna prorsus, neque nostram quæstionem tan-

gentia. Certum quippe Romanos Pontifices, summum in suis finibus nactos imperium suas res cæterorum Regum instar, vi & milite repetere, aut posse tutari. Non omiseram tamen quod de Leone IX. scribis quod *aduersus Northmannos pro Beneuentana ciuitate recuperanda præsens ipse in exercitu armis decertauit, vt Hermannus Contractus in Chronico, & Leo Ostiensis in historia Cassinensi lib. 2. cap. 88. testes sunt.* Ecce autem quid hi auctores, de isto Pontificis facto. Leo quidem Ostiensis; *omnib. tandem in ipsa pugna trucidatis. Normanni Dei iudicio euasere victores.* Et Hermannus Contractus dicit hanc cladem accidisse Pontifici, *occulto Dei iudicio: siue quia tantum Sacerdotem spiritualis potius quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat, siue quod nefarios homines quam multos ad se ob impunitatem scelerum, vel quæstum auarum confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat, &c.*

Audi denique sanctitate celebrem virum, Petrum Damiani Cardinalem, Epist. lib. 4. epist. 9. *Ad hæc,* inquit, *si quis obijciat, bellicis vsibus Leonem se frequenter implicuisse Pontificem, verum tamen sanctum esse. Dico quod sentio, quoniam nec Petrus ob hoc, Apostolicũ obtinet principatum, quia negauit: nec Dauid idcirco prophetiæ meretur oraculum, quia thorum alieni viri inuasit: cum mala vel bona non pro meritis considerentur habentium, sed ex proprijs debeant qualitatibus iudicari. Numquid hoc loquitur vel egisse, vel literis docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias à Longobardorum est feritate perpessus? Num Ambrosius bellum Arrianis, se suamq; Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Numquid in arma sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum?*

CAPVT XII.

Collata antiquorum Patrum sententia, de potestate secularium Principum, cum Bellarmini sententia. Bellarminum falso allegare Cap. Per Venerabilem, qui filij sunt legitimi. Reges non habere superiorem in temporalibus, ex ipsa Pontificis sententia, cuius contrarium sæpe vrget & inculcat Bellarminus. Reges tam habituros superiorem in temporalibus si ille superior sit spiritualis, quam si temporalis. Eundem effectum fore, siue Pontifex indirecte Regibus, siue directe, in temporalibus præsit. Reges omnino regnaturos ad solum Pontificis nutum, si is hac indirecta in eos potestate sit præditus. Excussa fallacia, quas indirectæ potestatis astructores, ad occæcandos & mulcendos Reges fingunt: nempe Pontificem hoc non posse, nisi in noxios & incorrigibiles: quæ verba, inania, & pene ludicra. Asserta ex diuersis Scripturæ locis Regum auctoritas. Neq; diuino, neq; humano iure, hanc potestatem Papæ tribui; Neq; Bellarminum, neq; cæteros, qui pro hac Pontificis potestate scripserunt, rationem vllam certam afferre, sed duntaxat incertos & dialecticos syllogismos.

Titulus apud Bellarminum est.

Diluuntur argumenta aduersus Theologorum sententiam, de potestate Pontificis Maximi in temporalibus.

IN capite duodecimo, inquis, *conatur Barclaius ex proposito affirmare, ac demonstrare, nullam habere Pontificem Maximum potestatem in temporalib. super Reges, aliosq; Principes Christianos. Primum argumentum eius est, quia tota antiquitas Christiana semper censuit, Reges solo Deo minores esse. Quod argumentum iam ante proposuerat in cap. 8. vbi & nos illi copiose responsimus. Id enim habet veluti proprium hic auctor, vt eadem argumenta sæpius repetat, & inculcet, nescio an vt librum grandiorem faciat, an vt importunitate obtineat assensum, quem vi rationum extorquere non potest. Hoc igitur primo argumento prætermisso, secundum audiamus.*

Tantarum virium argumentum, nec superuacuè à Barclaio inseritur, nec tu tanto cõtemptu omitteres, nisi vt timorem hæc ficta dissimulares audacia. Sententias Patrum octauo capite recitatas, iam ex diametro vestræ opponit sententiæ. Opponam & ego, paucis verbis, sed ex vi materiæ liquidissimis.

Tertullianus testis est, Christianos suo sæculo fuisse omni bello idoneos, nec ijs defuisse vim numerorum & copiarum. Ethnicis nihilominus & persequutoribus Principibus propter conscientiam paruisse, quia credebant eos esse in Dei solius potestate, à Deo secundos, & Imperium à Deo consequutos.

Bellarminus vero dicit, infideles Principes, si persequutores sint fidelium, & Ecclesia eorum deponendorum vires habeat, nõ modo ab ea posse deponi, sed omnino debere. Ergo aut errauit Ecclesia Tertullianeana, aut falsa est, & ex Christianis moribus extrudenda Bellarmini sententia.

S. Ambrosius, & Otto Frisingensis, dicunt Reges propter flagitia, etiam in sacram Dei legẽ perpetrata, à nemine temporaliter puniendos. Bellarminus asseuerat, Reges propter flagitia à Pontifice posse deponi: imo & principatu cadere ipso iure, si vel in Bullam commiserint, quam Pontifex sub pœna priuationis regni obseruari præceperit.

Gregorius Turonensis, dicit Reges delinquentes à solo Deo posse damnari.

Bellarminus dicit, à summo Pontifice, imo & à cæteris Episcopis, posse damnari.

S. Gregorius Nazianzenus & S. Augustinus, asserunt Episcopos & Clericos, propter hæc verba Apostoli, Omnis anima potestatib. subl. miorib. subdita sit, de iure secularib. Principib. esse subiectos, veluti vxores viris, & Ecclesia Christo subiecta est. Bellarminus omnino cõtendit hæc verba Apostoli nõ subijcere Clericos Politicis Principibus: neq; eos illis Principibus esse subiectos, imo Episcopos habere supra Principes summam in temporalibus potestatem.

Ergo

Ergo aliter Bellarminus de Principib. sentit quam sanctissimi illi Patres. Et ab illis vel ab isto in sacram Dei legem peccatum est; cum vel illi Ecclesiæ libertatem, & potestatem suis sententiis violauerint, vel iste sacram ciuilium Principum potestatem, quæ diuini iuris est, & à Numine constituta.

An hæc tibi leuia, an ludiera, Bellarmine? Quis etiam non abigat hanc lepidam vt reris tautologiæ calumniam, quam affingis Barclaio? aut quis te hoc vitio superet? Vbi tres in hoc libro apud te paginæ, non repetitis ante rebus effartæ? Pauca exempla, argumenta, fundamenta, sic iteras, vt imperitis mirabilis; attentis vero his & prudentibus nō satis opportunus. Iam Barclaij verba sic refers.

§. 2.

QVID, *inquit* Barclaius, *quod ipsi Pontifices fatentur, Reges non habere superiores in temporalibus? cap. Per Venerabilem Qui filij sint legitimi. Habent & non habent, simul vera esse nequeunt. falsum est ergo Reges non habere superiorem in temporalibus, si alius possit iure iis temporalia auferre, alterique conferre.*

Respondeo. Sententia Pontificis in eo capite est, Reges supremos esse Principes temporales, & ideo nullum habere supra se Principem temporalem, quemadmodum Duces, aliique Principes inferiores in eodem Regno superiorem in temporalibus Regem habent: sic enim loquitur Ecclesiastes capit. 5. Excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersa terra Rex imperat seruienti. & Sanctus Petrus in priore epistol. capit. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis. Idem igitur est, Regem non habere superiorem in temporalibus, & Regem non habere supra se alium Regem, siue Principem alium temporalem, alioqui non esset Rex supremus in ordine principatus temporalis, siue politici. Et ea forte ratio est, cur idem Innocentius in eodem cap per Venerabilem, paulo ante dixerit, nonnullos Principes nullum inter homines, excepto Romano Pontifice, superiorem agnoscere: addidit enim illam exceptionem, vt cum postea dixit, Regem Francorum nullum in temporalibus superiorem agnoscere, intelligamus, sermonem fuisse de superioribus temporalibus: non enim Rex agnoscit vllum supra se Principem temporalem, sed agnoscit Romanum Pontificem, Principem spiritualem, qui de temporalibus quoque in ordine ad spiritualia iudicare potest. At, inquit Barclaius, habent, & non habent, simul vera esse nequeunt. Respondeo. Habent, & non habent, de re eadem simul vera esse nequeunt: de re diuersa, nihil impedit, quominus vera esse possint. Habet coccineum pallium, & non habet coccineum pallium, simul vera esse nequeunt: sed habet coccineum pallium, & non habet nigrum pallium, vera simul esse queunt, sic igitur. Habet Rex in temporalibus superiorem temporalem, & non habet in temporalibus superiorem temporalem, vera esse nequeunt. Sed habet Rex in temporalibus superiorem spiritualem, & non habet in temporalibus superiorem temporalem, verissima simul esse queunt, & sunt.

Ais igitur, Pontificem, cum dicit, *Rex superiorem in temporalibus minime recognoscit*, hoc velle *Regem non habere supra se alium Regem, siue Principem alium temporalium.* Quo ergo tua distinctio toties hoc libro repetita, inter *superiorem temporalem*, & *superiorem in temporalibus*? Dicis passim, Pontificem non esse iudicem temporalem Regum, esse tamen iudicem in temporalibus. Iam vero Pontificis auctoritate compulsus, qui fatetur esse nullum *Rege superiorem in temporalibus*, scribis illud *superiorem in temporalibus*, idem esse ac *superiorem temporalem*. Non istud est & iudicio & patientia abuti mortalium? nonne diuinum Regum ius eludere, ô pudor! indignis sophismatis, & ne quidem constantibus sibi? Nam si vltro fateris Pontificem non esse *superiorem temporalem* Regum, & Pontifex ait se non esse *superiorem in temporalibus*, quo verbo, quo ænigmate illi potestatem in temporalia Regum ascribes?

Et ea forte ratio est, inquis, *cur idem Innocentius in eodem cap. per venerabilem, paulo ante dixerit, nonnullos Principes nullum inter homines, excepto Romano Pontifice, superiorem agnoscere. addit enim illam exceptionem, vt cum postea dixit Regem Francorum nullum in temporalibus superiorem agnoscere, intelligamus, sermonem fuisse de superioribus temporalibus.*

Ignosce non se tenenti iracundiæ, Bellarmine. Adeo à veritate abis, vt videaris in commentorum audacia statuisse victoriam. Nihil quippe eiusmodi quale tu fingis, in Capitulo *Per Venerabilem*. Sermo est de *legitimandis* spuriis. Dicit Pontifex, Apostolicam Sedem posse eos ad Ecclesiasticas dignitates *legitimare*; verisimile quoque esse, ad ciuiles & legitimos actus ab eadem Sede legitimari posse, *præsertim*, inquit, *si præter Romanos Pontifices inter homines superiorem alium non cognoscant*. Constituit nempe discrimen inter spurios sub aliis Principibus natos, & eos qui sub Petri patrimonio orti *p̄ter Romanos Pontifices inter homines superiorem non cognoscunt*; tu eum de Principibus loqui ais. Quis ad hoc reipitum non obstupescat, Bellarmine? Pontifex dicit esse spurios aliquos, qui *præter Romanum Pontificem inter homines superiorem alium non cognoscant*; Bellarminus in referendis Pontificis verbis, ita mutat, *nonnullos Principes nullum inter homines, excepto Romano Pontifice, superiorem agnoscere.* Tune omnes igitur Reges, spurios, nothos, adulterinos, voces? Abi magne vir, abi in totum ab hac de potestate Pontificis sententia, quæ ad tantas maculas tuæ famæ te coegit. Ac ne quis cui forte Decretalia non sint in manu, de mutatione tam audaci dubitet, totum illum Capituli locum dabo. *Per Venerabilem fratrem nostrum Arlatensem Archiepiscopum tua nobis humilitas supplicauit, vt filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis quo minus tibi succederent, natalium obiectio non noceret. Quod autem super hoc Apostolica sedes plenam habeat potestatem ex illo videtur, quod diuersis causis inspectis, cum quibusdam minus legitime genitis, non naturalibus tantum, sed adulterinis etiam dispensauit, sic ad actus spirituales illos legitimans, vt possint in Episcopos promoueri: ex quo verisimilius creditur, & probabilius reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat sæculares;*

præsertim si præter Romanos Pontifices inter homines superiorem alium non cognoscant, qui legitimandi potestatem habeat. Pone non purpuram, sed ruborem; age an hoc est dicere nonnullos Principes nullum inter homines excepto Romano Pontifice superiorem agnoscere?

Fatetur igitur Pontifex, Regem non habere superiorem in temporalibus. At Barclaius: *habent, & nō habent*, inquit, *simul vera esse nequeunt: falsum ergo est Reges nō habere superiorē in temporalib. si alius eis possit iure temporalia auferre, aliisque conferre.* Respondes, *habent & non habent*, non quidem de re eadem, sed de diuersa simul vera esse posse. *Habet coccineum pallium*, inquis, *& non habet coccineum pallium, simul vera esse nequeunt. Sed habet coccineum pallium, & non nigrum pallium, vera simul esse queunt.* At repono istud, *habent & non habent*, ad eandem rem hic referri; ergo vtramque veram esse non posse. Non enim quæritur, vt tu fingis, an habeant in temporalibus superiorem temporalem, an vero in temporalibus superiorem spiritualem (nam hoc non esset quærere an habeant superiorem, sed quis, & qualis sit illorum superior) sed absolute dicitur, *non habent superiorem in temporalibus*; vt si aliquem iis postea, quoque iure, aut cuiuscunque conditionis in temporalibus superiorem assignes, prioris propositionis veritatem destruas, hoc modo, *habent superiorem in temporalibus.* Iam enim non agitur, quis; aut quo iure, in eorum temporalia aliquid possit, sed an vllus vllo iure. Adde effectum fore eundem, siue temporalis sit superior, siue spiritualis; vt non minus superiorem habituri sint, si spiritualem quā si temporalem habeant, vt fusius sequenti paragrapho differemus. Falsa igitur hæc Pontificis sententia, *superiorem in temporalibus non habent*, si habent spiritualem superiorem; falsa, inquam, æquè erit ac si haberet temporalem. Quod de coccineo pallio addis, & nigro, nec vel tridui Philosopho vnquam imponat. Scimus hæc quidem inter se non opponi, *habet coccineum pallium*, & *non habet nigrum pallium*, non magis quam si diceres, habet fratrem, & non habet vxorem. Si volebas idonea similitudine vti, sic dicendum; *habet pallium, & non habet pallium*, sic enim hæ nostræ propositiones; *Reges habent superiorem in temporalibus, & Reges non habent superiorem in temporalibus.*

§. 3.

SED *instat Barclaius*, inquis. *Quod, inquit; in verbis directè & indirectè discrimen statuunt, id non ad facultatem iudicandi, & effectum iudicij, sed solum ad modum, & rationem acquirendi tantam potestatem pertinet. Canonistæ enim dicunt Papam directo dominium temporale totius Orbis à Christo accepisse. Hi vero negant eum accepisse tale dominium directè, quasi dicas per se, simpliciter, & sine alterius rei consideratione, sed tantum indirectè, hoc est per consequentiam, ratione illius potestatis spiritualis, quam directè à Domino accepit. Hæc igitur ex verbis istis differentia, ad initium, & modum acquirendi temporalem potestatem, non autem ad eius vim & effectum referri debet. Hæc ille, qui vult, Pontificem ex sententia Theologorum habere potestatem temporalem super Reges indirecto acquisitam, esseq; eorum iudicem in temporalibus: quod repugnare videtur Innocentio, in capite citato, vbi dicit Innocentius, Reges non habere superiorem in temporalibus.*

Respondeo. Distinctione est opus, vt plane intelligatur, verene an falso Barclaius colligat, Pontificem habere potestatem temporalem super Reges, esseq; eorum iudicem temporalem. Nam si per potestatem temporalem, intelligatur potestas disponendi de temporalibus, siue ipsa potestas in se sit spiritualis, siue temporalis, vere colligit Pontificem habere potestatem temporalem in Reges: si vero per temporalem potestatem intelligatur potestas, quæ sit in se temporalis, vt est potestas Regum & aliorum Principum politicorum, falso colligit Pontificem habere potestatem temporalem in Reges ex Theologorum sententia. Theologi enim tribuunt summo Pontifici temporalem & spiritualem potestatem, in Ecclesiastica ditione tantum, quam potestatem plenam in patrimonio S. Petri appellat Innocentius, in cap. per Venerabilem: in reliquas prouincias Christianas, & Principes Christianos, tribuunt Pontifici potestatem solum spiritualem, quæ per se, & propriè respicit spiritualia, temporalia vero respicit, vt subordinantur spiritualibus. Et ideo quando propriè loquimur, dicimus Pontificem habere potestatem in temporalibus, non autem habere potestatem temporalem, quæ Pontifex est. Ex quo sequitur, vt discrimen vocum, directè & indirectè, non referantur propriè loquendo, ad modum acquirendi potestatem, vt Barclaius falsè dicit, sed ad explicandum obiectum secundarium & consectaneum supremæ spiritualis potestatis, quæ vt supra diximus, primario & directè respicit spiritualia, secundario & indirectè, id est in ordine ad spiritualia, & respicit temporalia: quæ sententia Theologorum nullo modo repugnat verbis Innocentij in cap. per Venerabilem, vt ex dictis perspicuum est.

Multis pauca, sed & illa extra orbitam quæsita, nobis narras; Theologos tribuere summo Pontifici potestatē in Reges; non quæ sit in se temporalis, vt est potestas Regum, sed quæ in se sit spiritualis, ita tamen vt per eam Pontifices disponere de temporalibus Regum possint. Satis nouimus hanc vestram sententiam, etiam à Barclaio, huius Capitis initio, repetitam. Sed ad capellas redi. Dicit Barclaius, æque verum, Reges habere superiorem in temporalibus, si indirectè, ac si directè Pontifex in eorum temporalia quicquam possit. Iugum quoque nec leuius, nec minus acerbum eorum addi ceruicibus, cum effectus indirectæ potestatis idem sit, tamque immensus, quam directæ. nam hæc verba, directa potestas & indirecta, *non ad facultatem iudicandi & effectum iudicij, sed solum ad modum & rationem acquirendi tantam potestatem pertinere.* Respondes, has voces, directè & indirectè, non referri ad modum acquirendi potestatem, *sed ad explicandum obiectum secūdariū, & consectaneū supremæ tēporalis potestatis, quę primario & directò respicit spiritualia, secūdario & indi-*

indirecte, id est in ordine ad spiritualia, respicit temporalia. Laborasti paulo obscurius dicere, quod perspicue Barclaius. Ais quippe iis vocibus designari obiecta spiritualis potestatis. Hoc vero quid aliud, quam (quod Barclaius voluit) eiusmodi voces non in ipso potestatis effectu discrimen ponere, sed in modo & ratione, quare hoc vel illud sit obiectum Pontificiæ potestatis nimirum, vt quia primario & per se illa potestas pro obiecto suo respicit spiritualia, dicatur directe esse in spiritualia; quia secundario & per consequentiam respicit temporalia, dicatur indirecte esse in temporalia. At negare non ausus es quod addit Barclaius, & qui disputationis nodus, nihil prorsus interesse, *quoad facultatem iudicandi & effectum iudicij*, num hæc Pontifici competat potestas in Reges, directe, & ex primario obiecto, an indirecte, & ex secundario obiecto spiritualis potestatis. Inde Ioannes Maior, *in 16. cap. Matth.* de hac temporali potestate Pontificis, cum Gersone pronunciat, quod quidam *blandientes dant ei Pontifici dominium in temporalib. & plerique ponentes eandem sententiam discrimen ponunt verbale.* Quod, quid est aliud, quã hanc temporalem potestatem ab adulatoribus tribui Papæ, quorum alij simpliciter & directe tribuunt ei dominium in temporalibus, alij *discrimen ponunt verbale*, & dicunt non esse dominium, sed potestatem indirectam, cum vtrorumque sit eadem sententia, eadem, inquam quoad effectum atque potentiam.

Cum igitur idem sit vtriusque potestatis effectus, cum vis eadem & potestas iudicandi, non ij magis, qui indirecte, quam qui directe subsunt, dici potuerunt, Bellarmine, *non recognoscere superiorem in temporalibus*, vt de Regibus Pontifex dixit. Ais, *Et ideo quando proprie loquimur, dicimus Pontificem habere potestatem in temporalibus, non autem potestatem temporalem, qua Pontifex est.*

Ergo tu pene vbique improprie, ac præcipue, vbi professus es, quid de hac quæstione sentires, libro quinto de Rom. Pontif. cap. 1. *Primo ostendemus*, inquis, *Pontificem iure diuino non habere directe temporalem potestatem. Secundo habere eum aliquo modo, id est, ratione suæ spiritualis Monarchiæ, summam potestatem etiam temporalem.*

§. 4.

ADDIT *præterea Barclaius*, inquis, *hoc Argumentum. Quod si aduersariorum sententia locum sit; Reges & Principes Christiani non erunt solum Vasalli, & Clientes Papæ in temporalibus: sed (qui dictum est) quasi precario Regna & Principatus ab eo possidebunt. Id facile ex ipsis aduersariorum principiis, sic ostendo: Summus Pontifex potest alicui Regnum auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem: atqui iudicare, & decernere an sit necessarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio, æquumne sit, an iniquum nemo potest iudicare: ergo vbi libitum ei erit, poterit quemlibet Regno priuare, & illud alteri conferre.*

Respondeo. Reges Christiani, aliique Principes, iis exceptis, qui feudatarij sunt Ecclesiæ, neque Vasalli, neque Clientes Pontificis Maximi dici debent, quamuis ita eos ad conflandam Ecclesiæ inuidiam, Barclaio appellare libuerit, multo minus precario Regna & Principatus ab eo possident: sed sunt veri Reges, verique Principes, tantoque Ethnicis Regibus, & Principibus nobiliores, & feliciores, quanto non solum in terris ad tempus regnant, sed etiam post hanc vitam si iuste pieque regnauerint, ad Regnum cœleste, & sempiternum transferuntur. Argumentum vero Barclaij ab omni parte vitiosum est: illa enim propositio, summus Pontifex potest alicui Regnum auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem: explicatione indiget, nam & bene & secus intelligi, & vera & falsa esse potest. Potest quidem Pontifex, si necessarium ad salutem animarum sit, alicui Regnum auferre, sed si antea admonuerit, si spacium resipiscendi dederit, si perniciosum & incorrigibilem esse perspexerit. Potest quoque alteri Regnum conferre non pro arbitrio tamen suo libuerit, sic enim vere precario Reges regnarent, sed cui iure debetur, siue successio, siue electio locum habeat. Et si forte nemini debeatur, cui ratio dictauerit esse tribuendum. Sic enim Innocentius IIII. in Concilio Lugdunensi, cum Fridericum Imperatorem deposuisset electionem successoris Electoribus, quibus iure competit, liberam reliquit: sic etiam Gregorius VII. Post depositionem Henrici, Rudolphum à Principibus electum confirmauit. Sic etiam Zacharias Regnum Francorum Pipino adiudicauit, quoniam ille reipsa Regnum administrabat, & proceres eundem expetebant. Leo quoque tertius Imperium Occidentale à Græcis ad Francos transtulit, quoniam ipsi in Occidente potentissimi erant, soli poterant eam dignitatem sustinere, & eosdem Romanus populus maxime cupiebat. Sic etiam in testamento veteri Ioiada Pontifex posteaquam Athaliam Reginam, quæ Regnum inuaserat, interfici iussit, Regnum contulit Regis demortui filio, cui iure hæreditario debebatur. 4. Reg. 11. & Azarias Pontifex Rege Ozia ob lepram diuinitus immissam ab hominum commercio segregato, Regni administrationem non cui voluit; sed cui debebatur, id est, Regis filio dereliquit. 2. Paralip. 26. Illa igitur propositio Barclaij aut male intellecta falsa est, aut recte explicata non efficit, vt Reges precario regnent. Iam vero assumptio illa, Atqui iudicare, & decernere an sit necessarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio æquumne sit, an iniquum nemo potest iudicare: similis est propositioni: nam perperam intellecta, est, recte explicata, vera quidem est, sed non inde concluditur, precario Regna à summo Pontifice data possideri, falsa quæ est Barclaij conclusio. Pertinet quidẽ ad Pontificem iudicare, an sit necessarium ad salutem animarum, Regem aliquem Regno priuare, sed non pertinet ad eundem necessitates pro libito fingere, vel sub colore necessitatis cupiditati seruire. Et quoniam res hæc grauissima est, & necessitas manifesta & explorata esse debet, idcirco Pontifex ordinarie in Synodo Episcoporum, vel consistorio S. R. E. Cardinalium expositis rationibus, & consentientibus Patribus, ista gesserunt, vt supra ostendimus.

Repetamus hoc grauissimum Barclaij argumentum, Bellarmine, & quo non aliud apertius vul-

vulnere trucidat vestram causam. *Summus Pontifex potest alicui regnum auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem. Atqui iudicare an sit necessarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio æquumne sit, an iniquum nemo potest iudicare. Ergo vbi libitum ei erit, poterit quemlibet regno priuare, & illud alteri conferre.* Huius argumenti partes multis probas, tu vero ita vis conuellere. *Potest quidem Pontifex*, inquis, *si necessarium ad animarum salutem sit, alicui Regnum auferre, sed si antea admonuerit, si spacium resipiscendi dederit, si perniciosum & incorrigibilem esse perspexerit.* Quæro â te num velis hæc omnia necessario Pontificiam præcedere sententiam: vt si Rex antequam hæc præcesserint à Pontifice abdicetur, nō sit iure, & legitime abdicatus, & ideo nec regiam amittat potestatem. Si hoc ais, tibi repugnas, qui alibi dicis Pontifices posse statuere, ne Reges Apostolicæ sedis præceptiones violent, *sub pœna amissionis regni*, nimirum vt cum in eiusmodi edictum commiserint, regni iure excidant. ita illud Gregorij, *honore suo priuetur*, interpretatis (cap. 40.) *honore suo priuetur*, inquis, *non est imprecatio sed decretum, vt ab honore suo decidat, & declaratio vt liceat populo non obedire eiusmodi Regi, tanquam honore suo ac dignitate priuato.* Atqui hic spatium resipiscendi non datur, nec præcedit admonitio, & omnium minime apparet, vt sic loquar, *incorrigibilitas.* Sed iubetur vt Rex, qui priuilegia monasterio S. Methardi concessa violauerit, *honore suo priuetur.*

Cum vero Pontifices atque Reges, priuatis inter se commertiis multa agant, quæ illis solis nota, cum sint legationes, cum literæ, quæ non ad vulgi perueniunt manus: quidni itaius Pontifex dicat, se egisse cum Rege vt ad sanitatem rediret, sed cum sit *perniciosus*, cum *incorrigibilis*, se eum regno deiicere? Cui veritas nisi Pontifici atque Regi, & aliquot fortasse vtrimque ex intima familiaritate patebit? Cui vero populus adhæreat? An Regi quem nescit perniciosum esse, aut in flagitio pertinacem, an illud asserenti Pontifici. Quem denique, nisi Pontificem, vis posse decernere, quando Rex *perniciosus* dicendus sit, quādo *incorrigibilis*? Si ad alios id iudicij quam ad Pontificem spectat; tunc, & ad alios quam ad Pontificem pertinebit iudicare quando Rex sit deponendus; ad illos scilicet quorum erit iudicare de dignis illis depositione criminibus. Sin eiusdem est iudicare Regem esse perniciosum & incorrigibilem, cuius est illum deponere, restrictionibus certe quas adhibes nihil arctatur immensa Pontificis licentia, qui nimirum edicere semper potest, illum Regem *incorrigibilem & perniciosum* esse, quem cupit *deponere.*

Si reponis, hæc omnia nō necessario debere præcedere: quippe validā Pontificis fore sententiam, etiam non admonitos non incorrigibiles Principis abdicantis, hoc tamen ab eo nequaquam faciendum & si fecerit delinquere, tunc nequicquam pro Regibus, nec in Barclaij argumentum, qui ex vestra ait sententia posse Pontifices, non vero debere, probos Reges iniustæ abdicationis tempestate percellere. Nam nec neges non innocentem esse omnium Pontificum vitam, & illos interdum cæterorum hominum more labi.

Potest quoque, inquis, *alteri Regnum conferre, non pro arbitrio tamen cui libuerit, sic enim vere precario Reges regnarent, sed cui iure debetur, siue successio, siue electio locum habeat. Et si forte nemini debeatur, cui ratio dictauerit esse tribuendum.* O insignem protsusque recentem iurisprudentiam Bellarmine! Si Pontifex posset regnum cui libuerit conferre, regnaret ille Rex precario? Quid? an is precario rem possidet, cui is, qui pro arbitrio dare potuit, eam cōcessit? an vero illi Reges, quos primos soluti populi sibi constituerunt, vt Franci Pharamondum, Fergusium Scoti, precarij Reges erant? & tunc tamen populus *pro arbitrio, cui libuerat*, dederat sceptrum. Quid sit *precarium* aut nescis, aut certe dissimulas. Non hoc refertur ad eum, qui dare potest, sed ad eum, qui tollere. Neque est precarium si quis pro arbitrio, cui libuerit rem concesserit, sed si aliquā rem concessam, cum libuerit possit auferre. Inde Vlpianus (leg. 1. D. de Precario) *precarium*, inquit, *distat à donatione, eo quod qui donat, sic dat, ne recipiat: at qui precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium soluere.* Recte igitur Barclaius, Reges precario regnare, si sunt maiestate & opibus spoliandi, quoties Pontifex dicere voluerit, ita necessarium esse ad salutem animarum. Tu vero omnino absurde, tunc demum precario regnaturos si Pontifex possit regnum vacuum, & à quo iam remouerit Regem, *conferre pro arbitrio cui libuerit.*

Sed nec verum, non sibi arrogasse Pontifices, vt in regnis, quæ hæreditatis iure vel comitiorum prærogatiua deferuntur, contempto successionis vel electionis more, ad alios pro arbitrio sceptra transferrent. Vt auferre, ita & dare regna moliti sunt. Sic illa coniungit Gregorius VII. *Imperia, Regna, Principatus, auferre & dare*, & Bonifacius VIII. post sententiam in Philippum. *Francorum Regnum* (inquit Paulus Æmilius) *velut solio vacuo iuris ditionisque Imperij Augustorumque, attribuere adiudicareque ac addicere se effatur.* nisi forte non erant qui sanguinis iure possent hoc sceptrum Philippi vendicare. De exemplis quæ centies repetisti, & nos ante sigillatim, & extremis libri Capitibus multa.

Venis tandem ad assumptionem Barclaiani argumenti. Hæc est. *Atqui iudicare an sit necessarium ad salutem animarum Regem deponi, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio æquumne sit an iniquum nemo potest iudicare.* Respondes. *Pertinet quidem ad Pontificem iudicare, an sit necessarium ad salutem animarum Regem aliquem regno priuare: sed non pertinet ad eundem necessitates pro libito fingere vel sub colore necessitatis cupiditati seruire.* Quæro primum, quid his verbis intelligas, *non pertinet ad Pontificem necessitates pro libito fingere.* An vis Pontificem, *si necessitates pro libito finxerit, &c.* Non abdicare posse Regem id est, Regem ita abdicatum, vere non esse abdicatum, ac spoliatum regni iure, ideoque nec subditis ab eius obsequio recedendum. An tantum vis, non pertinere

ad Pon-

ad Pontificem necessitates fingere, id est, si necessitates finxerit; si cupiditati seruierit, peccare quidem grauiter, eius tamen sententiam executioni mandandam.

Si primum tibi placet, nempe Principes *sine necessitate* à Pontifice abdicatos, nihil iuris, nihil dignitatis amittere; Vide quo labyrintho te implices. Primum rogo, qui futuri sint iudices inter Pontificem atque Regem, siue ex quorum pendebit iudicio, num necessariam sententiam Pōtifex tulerit? Famæ credetur? Atqui *fama vix vero fauet.* Quid restat, quā vt vniuscuiusq; conscientia, hunc quidem ad Pontificiam, illum autem ad Regiam partem applicet. Nisi non arduum scitu credis, sit an non sit necessaria abdicandi Regis causa, sed populo iudicium rei tantæ permittis. Hi pro Pontifice stabunt, hi pro Rege. His innocentia Regis, his Pontificis integritas curæ erit; quisque augebit quas probabit ex animo partes, & hæc interim credulitas prouincias totas euertet. Nunquam enim aut tam iniquus Rex aut tam stolidus, quin plurimi illum excusent; nec tam insons ac vtilis, quin multos facilitas, studium, conscientiæ timor, adiungat Pontifici. Quæ rerum omnium confusa turbatio, si de summorum Iudicum sententiis, æquæ sint an iniquæ, disceptatio relinquitur, de executione ambigitur? Vel omnes Pontificum sententiæ in Reges admittendæ sunt, Ballarmine, vel nullæ. Nemo enim, vt contendimus, Regum in temporalibus iudex est, vt autem vos dicitis, Regum in temporalibus Pontifex iudex; Pontificis autem nemo.

Et hæc est tamen illa subtilitas, ille fucus, quo imponere Regibus, qua illudere consueuistis. Actio pro Iesuitis ante dies aliquot Lutetiæ sub Iacobi Montoloni Aduocati nomine edita; reuera vt plurimum P. Cottonij labor, hoc pharmacum propinat Regibus, eadem arte tectum. Iidem Theologi, inquit *pagin. 386. qui de excommunicatione loquuntur, censuraque in Principes, nunquam nisi sub conditione loquuntur, vt illud sit, claue non errante, supponentes etiam, non esse vt Principes qui se iniuste excommunicatos credent, idoneo deficiantur consilio, mediisque aliis, quibus se Deo reconcilient, Deique Ecclesiæ, absque vllo potestatis suæ regalis detrimento, suorum statuum, suorum subditorum: Sed nec in dubium reuocantes potestatem Vicarij iesu Christi; Quandoquidem nonnunquam potest contingere, vt falsis decepti internunciis aut rumoribus vel Pontifices animentur in Reges, vel Reges de Pontifice conquerantur.* Itane Montoloni? Te enim appello, cuius nomen hanc atrocis fallaciæ sustinet laruam. Dic tu vero. Si Papa excommunicet tuum Regem, quis te docebit, num *clauis errauerit*? Cui tu obsequeris? cui credes? An Papæ dicenti tuum Regem esse iuste & legitime excommunicatum, te quoque eidem anathematis subiacere sententiæ, si eum deinceps in Regem agnoueris, An reclamanti Regi, & se iniuste excommunicatum profitenti? Si Pontifex potest, vt posse concedis, in depositione Principis falli, certe ei *infallibiliter* in eo negotio credi non debet. Si legitime deponi Princeps potest, nec ei credi par est Papæ in se sententiam, vt iniustam, accusanti. Visne aliquē supra Regem esse & Papam, qui de vtroq; iudicet? iudicet, vero, proprio, & effectū sortiente iudicio, quo nimirū Papæ in Regem sententia damnetur vt iniusta, vt impune temnenda, vel vt iusta exequutioni mandetur. Sed age tu, quid tibi in his dubiis, quid populo credis agendum, Si Papa Regem deposuerit, & sub anathematis pœna vetuerit, ne quis illi vt Regi obtemperet? Rex vero se iniuste damnatū asseueret? Sequeris damnatū illum Regem? Ergo in re dubia damnabis Papæ iudicium, & rem quam nescies esse iustam, scies autem a Papa sub anathematis pœna prohibitam, non obstante tanti fulminis metu, patrabis. Deficies à Rege? Ergo vana & inutilis exceptio, qua Regibus frustra illudis, nimirum, *non esse vt si se excommunicatos credant, idoneo deficiantur consilio, mediisq; aliis, quibus se Deo reconcilient, Deique Ecclesiæ, absque vllo potestatis suæ regalis detrimento, suorum Statuum, suorum subditorum.* Nam si ab eo teneris deficere, tenentur & alii subditi certe; si deficiant subditi, quo modo illa excommunicatio, forte iniusta, non *detrimentum* afferet regali potestati? imo eam Montolone euertet.

Les mesmes Theologiens susmētionés qui parlent l'excōmunicatiō, & censure des Princes, n'en parlent iamais, qu'auec cōdition quā que ce soit claue non errante, & presupposant que les Princes, qui se tiēdroient induëment, & iniustement excōmuniés, ne faisant pour manquer de bō cōseil & autres moyēs, pour se remettre bien auec Dieu & son Eglise, sans interesser leur puissance Royalle, leurs Estats, & leurs subiets Ny aussi sans reuoquer en doute la puissance de Iesus Christ; pource qu'il peut arriuer quelquefois, que sous faux entendus les Papes s'irritent contre les Roys, & se mescontentent du Pape.

Variæ hæ fraudes, & fascini instar, simulantium, dissimulantium, regios denique oculos obuelare nitentium, vt assuescant periculo, neque ensem videant, vt in Siculo illo conuiuio, intentum ceruicibus, & iam toties rupta seta sæuientem. Sed nec vllus istius Pontificiæ in temporalibus potestatis astructor, cui, si semel intonuerit Romanum hoc fulmen, non longe cautiones, quas nunc pro Regibus fingit; qui, inquam, post hæc verba Pontificis, Deponimus illum Regem, & anathematizamus *quoslibet* (verba sunt Innocentij IV. in proscribendo Friderico II.) *qui ei deinceps velut Regi, consilium, vel auxilium præstiterint, seu fauorem.* Siue (vt Gregorius VII. dixit, in Henrico deponendo) *Interdico Christianis omnibus, ne illi vlla in re obtemperent,* Non statim à Regis obsequio abeat, excommunicationem timeat, præpostera pietate existimet tutiorem in conscientia partem esse, Regem relinquere, Pontifici adhærere. Neq; sentis aliter, Bellarmine. Nam, vt recte Barclaius, *de Pontificis iudicio, æquumne sit an iniquum nemo potest iudicare:* quæ tu verba in Barclaij argumento prorsus intacta reliquisti. & in causis omnib. atq; negotiis, quæ Deus cōmisit Ecclesię, *Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquā ipsius diuini Petri voce firmatæ sint* (Cano. sic omnes. 19. dist.) *Et Deus voluit B. Petri successores cœlo tantum debere innocentiam & subtilissimi discussoris indagini inuiolatā exhibere conscientiam.* Cano: *Aliorum. 9. q 3.* Cuius etiam præter Pontificem iudicij erit, *num sit necessarium ad salutem animarum.* Regem à Regno deijci? cum non statuatis certas causas, propter quas deiici possit, sed adeo generales vt illud *necessarium* ad omnia possit extendi, sic vt velis Regem quoque priuilegia Monasterij violantem in abdicandorum numerum posse referri. Cum iniquum nulli Reges sine peccato, sine crimine pauci vi-

ci viuant, nonne vides liberrimum Pontificis iudicium fore, vt illis peccatis, illis criminibus, in quæ procliues sciet Principes, quibus sceptrum molietur adimere, pœnam aliqua sanctione priuationis regni imponat?

Cum igitur supra Pontificem nemo sit, qui eiusmodi sententiæ æquitatem exploret, cum sit, inquam, solius Pontificis iudicare, an hoc sit necessarium ad salutem animarum; medicatis frustra verbis timorem Regum mulces, neque tuum illud, *non pertinet ad Pontificem necessitates pro libito fingere, aut cupiditati seruire*, aliter potest exponi, quam Pontificem quidem ita iniuste agentem, scelestè facere, sed hoc arcanum iudicium vni Deo competere, cuius solius examini Pontifex reseruatur, illum, inquam, vnum esse supra Pontificem, cuius sit iudicare, an vera hæc Pontificis sententia æqua extiterit; nobis autem in tutiorem inclinantibus partem pro Pontificis sententia esse pugnandum. Ita Dominic. Bannes, in 2. 2. quæst. 10. artic. 10. *à iure diuino positiuo*, inquit, *est potestas, quam habet Pontifex ad auferendum dominium & iurisdictionem ab infidelibus supra fideles: quando autem vtendum sit hac potestate, relinquitur eius dominio vel iudicio.* Nec infideles tantum illi depositioni obnoxij, sed & Apostatæ, sed & *aliquo pacto hæretici.* Vt idem Bannes vult quæst. 12. artic. 2. in Comment. §. *circa vltimam conclusionem.* Tu quoque eandem propugnas sententiam isto libro, capit. 17. §. 4. *si forte*, inquis, *Princeps spiritualis abutatur potestate sua, iniustè excommunicando temporalem Principem, vel eius subditos sine iusta causa ab obedientia eius absoluendo, & eo modo perturbet statum Reipublicæ temporalis, sed peccabit Princeps spiritualis, sed non poterit Princeps temporalis iudicium sibi sumere de spiritualibus rebus, aut spiritualem Principem iudicare, &c.*

Vis quippe hoc iudicium in Principes spirituale esse, licet ad temporalia se extendat. Cum igitur id iudicium in Reges sit spirituale, ideoque ad Ecclesiam spectans, non licebit Laicis in illius æquitatem inquirere; licet hæc ipsa non seruentur, quæ hic obseruanda præscribis. Ita Concilium Tridentinum *Sessio. 23. cap. 3.* cum permulta excommunicationi præmitti iussisset, addit, si hæc ipsa quæ iubet non præcesserint; non posse Ecclesiastico iudici, tamen à seculari mandari, vt excommunicationem aut non ferat, aut reuocet. Ratio redditur omnino qualem in depositione Regum reddas, quod *non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.*

An quod addis; *& quoniam res hæc grauissima est, & necessitas manifesta, & explorata esse debet, idcirco Pontifices ordinariè in synodis Episcoporum, vel consistorijs S. R. E. Cardinalium, expositis rationibus & consentientibus Patribus ista gesserunt.* Iterum ludis in verbis. nam si Pontifex dixerit eam necessitatem sibi manifestam & exploratam esse, *debemus* nos illi assentiri ac credere. Alioqui non pertinebit ad eum iudicare & decernere, quando hoc sit necessarium, & contra canones de eius iudicio licebit dubitare, neque *cælo tantum*, sed & hominibus debebit *innocentiam*. Nequicquam quod de Episcoporum aut Cardinalium cœtu addis. Tum quod nec sint defuturi ex Episcopis vnquam qui Pontifici faueant, quem vt suum Principem venerantur, & Ecclesiasticarum partium ducem: tum quod ipsi Cardinales intimi Pontificis consiliarij, non in spiritualibus modo, sed & in temporalibus rebus, instar eorum qui cæteris Principibus à secretis & consiliis adsunt faueant ac studeant, vt nō minus prudentiæ temporali, quā pietati spirituali dare possint. Tum denique; quod ne quidem necessarium Pontifici putes, cum eorum assensu ferre sententiam. Neque enim vnquam neges Pontificis sententiam, absque eiusmodi conuentu Antistitum in Principes valituram.

Ecce vt Barclaii argumentum, docentis Reges ac Principes peiori, quam clientes aut Vasallos iure fore, imo precario regnaturos, si hæc Pontifici indirecta in eos potestas sit, per tuorum sophismatum nebulas præstantius vibrat, quoniam *super omnia vincit veritas.*

§. 5.

PERGIT *Barclaius*, inquis, *& posteaquam rationem superiorem multis verbis more suo amplificauit, & repetiuit, subiungit hæc verba, sed & omnis potestas, omneq; dominium, & iurisdictio, aut iure diuino acquiritur, aut iure humano: & qui aliquid possidet, seu tenet, si neutro horū possideat: iniustè possidet, vt præclarè in Donatistas ratiocinatur Augustinus, in tract. 6. ad caput primū Ioannis, Canon Quo iure Dist. 8. Fieri igitur non potest, vt Papa imperium aliquod temporale in Reges, & Principes sæculares iustè exerceat; nisi constet id ei iure diuino, vel humano esse tributum.*

Respondeo. Iure diuino potestas in Reges & Principes Christianos, non propriè temporalis, sed quæ se ad temporalia extendat, summo Pontifici Christi Vicario attributa est. Vnde cum Barclaius ipse deducit, potestatem spiritualem amplissimam iure diuino Romano Pontifici in omnes Reges, Principesque competere: inde nos colligimus, eodem diuino iure Pontifici Romano competere potestatem, quæ ad temporalia pertingat, quoniam id requirit ordo potestatis superioris ad inferiorem, spiritualis ad temporalem. At, inquit aduersarius, nullus neque in diuinis, neque in humanis legibus locus reperitur, qui talem illi potestatem conferat. Respondeo Imo locus inuenitur in diuina lege, qui potestatem illi conferat, & locus inuenitur in humana lege, qui locum diuinæ legis exponat. Quod enim scriptum est, Matth. 16. Tibi dabo claues Regni cælorum, &c. Et Ioann. 21. Pasce oues meas, explicatum inuenimus in multis Concilijs, at potissimum in Romano sub Gregorio VII. In Lateranensi sub Innocentio III. & in Lugdunensi sub Innocentio IV. in eum sensum, vt potestas ligandi atque soluendi, nec non pascendi, atque Ecclesiam vniuersam, non ad sola spiritualia, sed etiam ad temporalia ratione spiritualium porrigitur: quod idem communis Doctorum Catholicorum sententia, & ipsa praxis, atque experientia confirmat.

Hic multa sine calce materies. *Vnde*, inquis, *Barclaius ipse deducit Spiritualem potestatem amplissimam iure diuino Romano Pontifici in omnes Reges Principesque competere: inde nos colligimus, eodem diuino iure Pontifici Romano competere potestatem, quæ ad temporalia pertingat.* Atqui falsum, quod Barclaius spiritualem Pontificis potestatem deducat ex Scripturis, si *deducere* accipis, pro colligere, & consequentia aderiuare. Non, inquam, eam potestatem deducit ex Scripturis, sed legit expressam. Tibi dabo claues Regni cœloru͂: Pasce oues meas: quodcumq; ligaueris super terram,&c. Quibus verbis non deduci & colligi, sed expresse contineri spiritualem potestatem, tecum, Bellarmine, professus est. Vos autem ex iisdem quidem verbis, sed per interpretationem, & hanc nouam, Pontificis in temporalia potestatem deduxistis: nouam inquam, nam per totos mille & septuaginta annos nemo id scripsit, & ratio quam frigida? Quoniam, inquis, id requirit ordo potestatis superioris ad inferiorem, spiritualis ad temporalem. Non aliter Bellarmine, potestas Ecclesiastica temporali superior, quam quia nobilior, neque spirituali potestati, vt est commissa Pontifici, necessaria in temporalem potestas est, vt à nobis disputatum, *cap.2.§.4.& 5.cap.3.§.6.*

Sed *locus inuenitur in diuina lege*, inquis, *qui potestatem Pontifici conferat, & locus inuenitur in humana lege, qui locum diuinæ legis exponat.* Locus ille diuinæ legis est. *Tibi dabo claues Regni cœlorum.* Et, *pasce oues meas.* Locus autem legis humanæ hanc legem diuinam exponentis, est, inquis, in Concilio *Romano sub Gregorio VII. in Lateranensi sub Innocentio III. & in Lugdunensi sub Innocento IV.* Pulchro compendio agis. Nos in eas sententias, scribimus, quas tu leges appellas. Tu vt eas asseras, ipsarum authoritate niteris, quasi dicas, Pontifices hoc possunt, quia id se posse testati sunt. Imo cum sint in partib⁹, cum testimonium pro se ferant, an hęc erit lex humana, aut porro quoa tenebit? Nam quod dicis in Romano factum Concilio, factum est non ab ipso Concilio, sed à Gregorio VII. in sua in Henricum IV. sententia: quod in Lugdunensi, factum etiam ab Innocentio IV. in sententia in Fridericum lata. In Lateranensi porro Concilio, vbi de hac potestate Pontificis, nulla de his sententiis mentio, quas proponis, dicisque in Conciliis fuisse expositas, nimirum *Tibi dabo claues regni cœlorum.* & *pasce oues meas.* Non hæc igitur eo modo à Conciliis explicata, sed ab ipsis Pontificibus, dum Reges abdicarent, quærerentque ex Scriptura prætextum, vt iam monuimus, *Cap.3.§.7.* vbi tu quod in Conciliis *Romano, & Lugdunensi, sub Gregorio VII. & Innocentio IV.* factum hic dicis, ab ipso Gregorio, & ab ipso Innocentio, factum esse concedis.

§. 6.

AT, inquit Barclaius, Regum dominatio, & authoritas, multis sacrarum literarum testimoniis aperte commendatur, & probatur; vt cum dicitur, Per me Reges regnant. Data est à Domino potestas vobis. Reges gentium dominantur eorum. Cor Regis in manu Dei. Dabo illis Regem in furore meo. Time Dominum fili mi, & Regem. Regem honorificate; & passim id genus similia.

Respondeo. Primus locus non demonstrat potestatem datam à Deo Regibus, sed sapientiam Regibus esse necessariam, vt regnent, sicut oportet. Verba enim illa sapientiæ sunt, quæ Reges hortatur ad ipsius sapientiæ studium, si volunt vere regnare, & leges ferendo iusta decernere. Secundus locus dicit quidem potestatem Regiam esse à Domino, sed hoc dicit, vt Reges non superbiant, sed intelligant habere supra se Dominum, à quo grauiter punientur, si potestate abutantur. Tertius locus non potestatem tribuit; sed abusum potestatis reprehendit. Reges enim gentium, qui verâ Dei cognitione carent; non contenti administratione Regia, plerumque dominari populis, quasi mancipiis affectant, & politicum Imperium in despoticum transmutant, ac de Regibus Tyranni fiunt: quem abusum Græca vox κατακυριεύειν, quæ violentam dominationem significat, magis aperte demonstrat. Quartus locus potestatem Dei in Reges, non potestatem datam à Deo Regibus ostendit: ea enim est omnipotentia Dei, vt non solum corpora Regum, sed etiam corda in potestate habeat, eaque vertat & conuertat, vt sibi libuerit. Quintus locus non potestatem Regiam commendat; sed minatur se permissurum, vt populus ob sua peccata in Regem iniquum, & crudelem incidat, à quo non tam regatur, quam deuoretur. Sextus & septimus locus, timorem populi erga Regem, non potestatem Regis erga populum docet. Sed quicquid de his locis sit, vt non negamus Regiam potestatem esse à Deo, sic etiam negari non debet, Apostolicam potestatem esse à Deo, imo omnem potestatem esse à Deo, iuxta illud Apostoli Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo. Quod autem potestas Regia subiecta non sit Apostolicæ potestati, vel quod subiecta sit in spiritualibus tantum, non etiam in temporalibus, in his locis, neque aperte, neque obscure habetur, atque hoc est quod quæritur.

Quid attinuit omni vi eleuare & torquere Scripturas, quæ de Regum potestate? cum mox dicas, nihil hinc ad nostram quæstionem. *Per me Reges regnant* (Prouerb. 8.) Ais non ibi *demonstrari potestatem datam à Deo Regibus, sed sapientiam Regibus esse necessariam, vt regnent sicut oportet. Verba enim illa Sapientiæ sunt, quæ Reges hortatur ad ipsius sapientiæ studium, &c.* Imo Inquitur æterna sapientia, Bellarmine, Dei sapientia ipse Deus. Ibidem, *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, &c.* Est igitur æterna Dei Sapientia, quæ constituit, vt dignitates & Reges inter homines essent, quæque disponit de Principum omnium fatis. Per eam *Reges regnant*, per eam *Principes imperant*, & eius scintilla in animos Regum immissa, *legum conditores iusta decernunt, & potentes decernunt iustitiam.* Est, inquam ipse Deus, qui dicit regnare per se Reges. Vnde Iuo Episcop. Carnotensis, Epist. 106. *Henrico excellenti Anglorum Regi, Iuo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, in eo viuere & regnare per quem Reges regnant.* Non dixit, *in ea*, &, *per quam*; sed, *in eo*, &, *per quem.* Nam si non ad constitutionem Regum, & dispositionem Nu-

nimia in hominum constituendo regimine refers hæc verba, *per me Reges regnant*: sed ad sapientiam, qua Reges vtuntur, quasi ea faciat vt regnent, ac à populo tolerentur; prorsus absurdum sit: cum ignauos sæpe Reges, aut iniquos, tolerari videas tranquille agere, ad senectutem regno potiri: iustos autem ac prudentes forte fortuna, immo verius arcano Dei consilio, de pace, de Regno, de vita proturbari: cum plerique etiam ex prudentibus regnent, non ex norma, & legibus diuinæ sapientiæ, quæ *ab æterno ordinata est*; sed ex sapientiæ humanæ præceptis, quæ sæpe numero *Stultitia est coram Deo*, qui *dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum*. Psalm. 32.

Data est à Domino potestas vobis (Sap. 6.) Fateris, hic dici quidem potestatem Regiam esse à Deo: sed hoc dici ne Reges superbiant, cum intelligant habere se vindicem scelerum Deum, à quo habent potestatem. Nihil tu ad rem? Nec illos in superbiam labi debere, nec diuinum tribunal posse eff gere putauit Barclaius, sed hoc solum, quod fateri cogeris, Deum authoritatis regiæ esse authorem.

Reges gentium dominantur eorum. (Lucæ 22.) Ais, *non potestatem tribui, sed abusum potestatis reprehendi*. scilicet, quod Græca vox κατακυριεύω, quo Euangelista vsus, violentã dominationẽ significat. Imo hic designatur Bellarmine, non tyrannis, sed dura potestas & rigida, qua Reges Maiestatis fiducia ture, in populos, vt fert occasio, sæpe vtuntur: Præsertim in Asia, vbi leues populi, & ideo ex præscripto regnandi, receptoque ibi more, seueriore iugo pene semper coerciti, regio quidem, sed omnino nihil in despoticam potestatem saltem in speciem deflectente. Vnde infestus Monarchiæ Buchananus in Opusculo, *De iure regnandi apud Scotos*, ait nescire se factã ab Historicis mentionẽ legitimi Regni in Asia, nimirum quia Principem vellet legum ciuilium septis astringi; nec libere, sed ex illarum præscripto regnare. Quod vt in veris nullibi regnis, ita omnium minime factum in Asia: vbi illa vox Domini, *Reges gentium dominantur eorum*. Vbi plurimi tamẽ Reges, licet cum illa potestate, veri, moderati, legitimi. Sed & vide quæ sequuntur in Scripturis. *Et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*: In Euangelio Marci est, *& Principes eorum potestatem habent ipsorum*. At hoc porro non significat dominationem violentam, sed iustam, sed licitam: Vt si non ex primis verbis, ex postremis saltem habeat Barclaius, testari Scripturas, concessam esse Principibus in subditos potestatem.

Cor Regis in manu Domini (Prouerb. 21.) Hoc, inquis, significat potestatem Dei in Reges, non Regibus datam à Deo. Imo significat curæ Numini Reges esse, & hoc ab illo probari imperium, cuius ipse tam certam, tam propriam curam agit. Neq; Barclaius dixit, his Scripturæ omnibus locis significari expresse *potestatem datam à Deo Regibus*; sed aut hoc significari, aut eandem potestatem *commendari & probari*.

Dabo tibi Regem in furore meo (Osee 13.) Hic ais non commendari potestatem regiam, sed Deum minari *se permissurum vt populus ob sua peccata in Regem iniquum & crudelem incidat*. Imo commendatur potestas Regia Bellarmine. *Dabo Regem*, id est, dabo hominem, qui à me potestatem acceperit, sed permittam vt ille fit violentus & data potestate crudeliter vtatur. Res perspicua: cum populus sua authoritate non ab iniqui magis Regis, quam pii ac beneuoli imperio iure possit recedere: vt Sancti Scriptores post Petrum docuerunt, imperantem deferri obsequium etiam discolis, non tantum *propter iram*, sed etiam *propter conscientiam*. hinc inquam, perspicuum, non modo pios Reges, sed & importunos & atroces *dari à Deo*, id est à Deo accipere potestatem, & ad imperandum mitti; quandoquidem neutri à potestate quam super populum habent, per populum deiici iure possunt.

Sextus & septimus locus, inquis, (nempe, *Time Dominum fili mi & Regem*, *& Deum timete, Regem honorificate*. Prouerbior. 24. (1. Petri 2.) *timorem populi erga Regem: non potestatem Regis erga populum docet*. Quid illo absurdius? timorem, honorem, obsequium, etiam *propter conscientiam* deferri Regibus iubent Apostoli. Quis vero de iure eo modo timẽdus est, nisi qui imperare de iure quoq; possit?

Tandem dicis non negare te *Regiam potestatem esse à Deo*; cur tot igitur verba, vt authoritates Scripturæ pro Regibus eleuares? Sed *in his locis non haberi, quod potestas regia subiecta non sit Apostolicæ potestati in temporalibus*. Imo constat, Bellarmine Barclaii ratio, quæ hoc modo procedit: Reges, nec diuino, nec humano iure, in temporalibus Pontifici subditi; cum nulla lex humana id caueat, nulla diuina; nec vllus in Scripturis locus sit, ex quo eiusmodi potestas, quam fingitis, Pontifici conferatur in Reges; cum ibidem pluries Regalis extollatur authoritas, vt à Deo veniens, à Deo sancita, à Deo constituta.

§. 7.

POSTREMO, inquis, *adducit Barclaius argumentum quod etiam supra non semel adduxit. Postremo, inquit, quandoquidem potestas, & iurisdictio ista temporalis Papæ, de qua nobis sermo, neq; expresse Dei verbo in Scripturis comprehensa, neq; ex traditione Apostolorum, quasi per manus recepta, neque vsu, & consuetudine in Ecclesia per totos mille annos, & amplius obseruata, aut ab vllo Pontifice occupata, neque ab antiquis Ecclesiæ Patribus laudata & probata, imo ne memorata quidem inuenitur, quæ nos obsecro credendi necessitas cogit eam admittere? aut quæ nobis eam authoritate persuadeant?*

Respõdeo. Multa sunt quæ ex verbo Dei per Ecclesiam explicata credimus, quamuis in verbo Dei expresse nõ habean-

beantur. Filium Dei esse Patri consubstantialem expresse in Scripturis non legimus, credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Ioann. 10. Ego & Pater vnum sumus. Spiritum à Filio procedere expresse in Scripturis non legimus, credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Ioann. 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: omnia qua habet Pater, mea sunt, ideo dixi vobis, quia de meo accipiet.

Baptismum paruulorum expresse in Scripturis non legimus, credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba illa Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. & Matthai 19. finite paruulos venire ad me. Sic ergo potestatem Summi Pontificis extendere se ad temporalia, ac præsertim ad Regna, & Imperia expresse in Scripturis non legimus, credimus tamen, quia Ecclesia in Concilijs generalibus, sic docet intelligenda esse illa verba Domini Matthai 19. Tibi dabo Claues, &c. falsum vero est potestatem istam non fuisse in vsu apud Ecclesiam per totos mille annos, & amplius: Iam enim supra docuimus, in vsu fuisse post annum septingentesimum tempore Gregorij secundi, & Zacharia Pontificum. Item post annum octingentesimum, tempore Leonis tertij, & Gregorij quarti.

Falsum quoque est ab antiquis Patribus non fuisse laudatam, vel commemoratam, cum à Gregorio Nazianzeno paulo obscurius, sed à Gregorio Romano aperte commemorata, ac deinde posterioribus seculis ab omnibus scriptoribus, quorum nonnulli in album sanctorum relati sunt, apertissime commendata, & celebrata fuerit. Quod in extremo capite Barclaius dicit rationes nostras non esse demonstrationes, sed dialecticos syllogismos: proinde eas non certam fidem facere, id quale sit, & quantum ponderis & momenti habeat, in sequenti capite explicabimus.

Nunquam negem multa per Ecclesiam explicata, & ad credendam esse proposita, quæ obscurius Scripturæ loquebantur. In horum numero esse hanc indirectam potestatem, omnino inficior. Alioqui quis hodie Orthodoxus præter paucos Romanæ vrbis incolas, aut timido & incapaci, animo omnia quæ vel exilem pietatis vmbram referunt, cuncta credentes? Hæretica certe Sorbona, hæretici in Anglia Sacerdotes, hæretici ex eruditis Episcopis & Iesuitis quoque multi.

Quid hoc porro? an parcebas Barclaij famæ? cũ atrociter in eum omnia, cur nõ quoq; dicebas hæreticum? Sed ad tam iniustam contumeliam tua manus, tua trepidauit scientia. Neq; vero posterorum seculorum Ecclesia credendum aliquid contra priscam illam statuet, quæ reuera est eadem, & pro Regum authoritate pugnauit, licet forte Ecclesiasticorum error aut ambitus deflectat ex orbita: sed de hoc satis supra (cap. 3. §. 16.) *Ecclesiam*, vero, in *Concilijs generalibus docere intelligenda esse* de potestate in temporalia *illa verba Domini Matth. 16. Tibi dabo claues, &c.* quam falsum sit, hoc cap. §. 5. ostendimus. Nisi forte *Ecclesia* nihil sit aliud quam *Pontifex*; cuius vnius nomine conceptæ in Reges sententiæ, in quibus ita exposita Christi verba, *Tibi dabo claues, &c.* Dicis *potestatem summi Pontificis extendere se ad temporalia, ac præsertim ad Regna & Imperia, expresse in Scripturis non legimus.* Qui hæc cum eo consentiant, quod (*cap. 5. §. 4.*) Scribis idem dicentem Barclaium. *Iam dixi*, inquis, *potestatem de qua loquimur haberi expresse in Scripturis, sed generatim. non in particulari*, quæ res momenti prorsus magni, vt disseruimus *cap. 4. §. 2.*

Quæ addis de Gregorio II. Zacharia, Gregorio Naxianzeno, Gregorio Romano, iam supra humerum repetisti; idem toto libro facturus. Hæc vero aut iam excussimus, aut in certum reiecimus locum.

Quod in extremo capite Barclaius dicit, inquis, *rationes nostras nõ esse demõstrationes, sed dialecticos syllogismos: proinde eas non certam fidem facere, id quale sit & quanti ponderis & momenti habeat, in sequenti capite explicabimus.* Pulchra fraus, quod nunquam diluas in tempus distulisse. Nullibi enim amplius de hoc *pondere & momento* tibi sermo. certe nec poteras tantum pondus ac momentum emoliri. Monet quippe Barclaius, ius Regum tot Scripturis vallatum, tot seculis nixum, nisi per *Apodixes & euidentes demonstrationes* labefactari non posse, *quales*, in quit, *nemo illorum adhuc attulit. aut vt arbitror afferre potuit. Nam quod ad probabiles & verisimiles tantum rationes attinet, ex quibus syllogismi dialectici constant, illarum non ea vis est, vt per eas summum Regibus & Principibus imperium abiudicetur, cum ne quidem in quotidianis rerum minimarum controuersijs aliquid euinci possit, nisi manifestis & euidentibus testimonijs, vel testibus, res petitoris esse comprobetur, & ideo actore non probante, qui conuenitur, etsi nihil ipse præstat, obtinebit* (*l. qui accusare C. de eden. l. Actor. C. de prob. cap. 1. de probat.*) Hæc cum vera esse scires, & fateri puderet, id est vestram causam euertere, hinc tanquam in alium locum reiicere maluisti, & memoria non flagitaturi deinde Lectoris abuti. Neque enim deinceps vllibi de hoc Barclaij argumento, quod validissimum iure appellem, & cui te proximo capite responsurum promiseras, meministi. Sit igitur hoc positum, Pontificibus in Regum temporalia potestatem, per dialecticos tantum & verisimiles syllogismos, non esse tribuendam. Vos autem nihil aliud in hanc tantam rem, tot anxijs, tot laboriosis subtilitatibus protulisse.

præsertim si præter Romanos Pontifices inter homines superiorem alium non cognoscant, qui legitimandi potestatem habeat. Pone non purpuram, sed ruborem; age an hoc est dicere nonnullos Principes nullum inter homines excepto Romano Pontifice superiorem agnoscere?

Fatetur igitur Pontifex, Regem non habere superiorem in temporalibus. At Barclaius: *habent, & nō habent*, inquit, *simul vera esse nequeunt: falsum ergo est Reges nō habere superiorē in temporalib. si alius ius possit iure temporalia auferre, aliisque conferre.* Respondes, *habent & non habent*, non quidem de re eadem, sed de diuersa simul vera esse posse. *Habet coccineum pallium*, inquis, *& non habet coccineum pallium, simul vera esse nequeunt. Sed habet coccineum pallium, & non nigrum pallium, vera simul esse queunt.* At repono istud, *habent & non habent*, ad eandem rem hic referri; ergo vtramque veram esse non posse. Non enim quæritur, vt tu fingis, an habeant in temporalibus superiorem temporalem, an vero in temporalibus superiorem spiritualem (nam hoc non esset quærere an habeant superiorem, sed quis, & qualis sit illorum superior) sed absolute dicitur, *non habent superiorem in temporalibus*; vt si aliquem iis postea, quoque iure, aut cuiuscunque conditionis in temporalibus superiorem assignes, prioris propositionis veritatem destruas, hoc modo, *habent superiorem in temporalibus.* Iam enim non agitur, quis; aut quo iure, in eorum temporalia aliquid possit, sed an vllus vllo iure. Adde effectum fore eundem, siue temporalis sit superior, siue spiritualis; vt non minus superiorem habituri sint, si spiritualem quā si temporalem habeant, vt fusius sequenti paragrapho disseremus. Falsa igitur hæc Pontificis sententia, *superiorem in temporalibus non habent*, si habent spiritualem superiorem; falsa, inquam, æquè erit ac si haberet temporalem. Quod de coccineo pallio addis, & nigro, nec vel tridui Philosopho vnquam imponat. Scimus hæc quidem inter se non opponi, *habet coccineum pallium*, & *non habet nigrum pallium*, non magis quam si diceres, habet fratrem, & non habet vxorem. Si volebas idonea similitudine vti, sic dicendum; *habet pallium, & non habet pallium*, sic enim hæ nostræ propositiones; *Reges habent superiorem in temporalibus, & Reges non habent superiorem in temporalibus.*

§. 3.

SED *instat Barclaius*, inquis. *Quod, inquit, in verbis directè & indirectè discrimen statuunt, id non ad facultatem iudicandi, & effectum iudicij, sed solum ad modum, & rationem acquirendi tantam potestatem pertinet. Canonistæ enim dicunt Papam directè dominium temporale totius Orbis à Christo accepisse. Hi vero negant eum accepisse tale dominium directè, quasi dicas per se, simpliciter, & sine alterius rei consideratione, sed tantum indirectè, hoc est per consequentiam, ratione illius potestatis spiritualis, quam directè à Domino accepit. Hæc igitur ex verbis istis differentia, ad initium, & modum acquirendi temporalem potestatem, non autem ad eius vim & effectum referri debet. Hæc ille, qui vult, Pontificem ex sententia Theologorum habere potestatem temporalem super Reges indirectè acquisitam, esseq; eorum iudicem in temporalibus: quod repugnare videtur Innocentio, in capite citato, vbi dicit Innocentius, Reges non habere superiorem in temporalibus.*

Respondeo. Distinctione est opus, vt plane intelligatur, verene an falso Barclaius colligat, Pontificem habere potestatem temporalem super Reges, esseq; eorum iudicem temporalem. Nam si per potestatem temporalem, intelligatur potestas disponendi de temporalibus, siue ipsa potestas in se sit spiritualis, siue temporalis, vere colligit Pontificem habere potestatem temporalem in Reges: si vero per temporalem potestatem intelligatur potestas, quæ sit in se temporalis, vt est potestas Regum & aliorum Principum politicorum, falso colligit Pontificem habere potestatem temporalem in Reges ex Theologorum sententia. Theologi enim tribuunt summo Pontifici temporalem & spiritualem potestatem, in Ecclesiastica ditione tantum, quam potestatem plenam in patrimonio S. Petri appellat Innocentius, in cap. per Venerabilem: in reliquas prouincias Christianas, & Principes Christianos, tribuunt Pontifici potestatem solum spiritualem, quæ per se, & proprie respicit spiritualia, temporalia vero respicit, vt subordinantur spiritualibus. Et ideo quando proprie loquimur, dicimus Pontificem habere potestatem in temporalibus, non autem habere potestatem temporalem, qua Pontifex est. Ex quo sequitur, vt discrimen vocum, directè & indirectè, non referantur proprie loquendo, ad modum acquirendi potestatem, vt Barclaius falso dicit, sed ad explicandum obiectum secundarium & consectaneum supremæ spiritualis potestatis, quæ vt supra diximus, primario & directè respicit spiritualia, secundario & indirectè, id est in ordine ad spiritualia, & respicit temporalia: quæ sententia Theologorum nullo modo repugnat verbis Innocentij in cap. per Venerabilem, vt ex dictis perspicuum est.

Multis pauca, sed & illa extra orbitam quæsita, nobis narras; Theologos tribuere summo Pontifici potestatē in Reges, non quæ sit in se temporalis, vt est potestas Regum, sed quæ in se sit spiritualis, ita tamen vt per eam Pontifices disponere de temporalibus Regum possint. Satis nouimus hanc vestram sententiam, etiam à Barclaio, huius Capitis initio, repetitam. Sed ad capellas redi. Dicit Barclaius, æque verum, Reges habere superiorem in temporalibus, si indirectè, ac si directè Pontifex in eorum temporalia quicquam possit. Iugum quoque nec leuius, nec minus acerbum eorum addi ceruicibus, cum effectus indirectæ potestatis idem sit, tamque immensus, quam directæ. nam hæc verba, directa potestas & indirecta, *non ad facultatem iudicandi & effectum iudicij, sed solum ad modum & rationem acquirendi tantam potestatem pertinere.* Respondes, has voces, directè & indirectè, non referri ad modum acquirendi potestatem, *sed ad explicandum obiectum secūdariū, & consectaneū supremæ tēporalis potestatis, quæ primario & directè respicit spiritualia, secūdario &* indi-

indirecte, id est in ordine ad spiritualia, respicit temporalia. Laborasti paulo obscurius dicere, quod perspicue Barclaius. Ais quippe iis vocibus designari obiecta spiritualis potestatis. Hoc vero quid aliud, quam (quod Barclaius voluit) eiusmodi voces non in ipso potestatis effectu discrimen ponere, sed in modo & ratione, quare hoc vel illud sit obiectum Pontificiæ potestatis nimirum, vt quia primario & per se illa potestas pro obiecto suo respicit spiritualia, dicatur directe esse in spiritualia; quia secundario & per consequentiam respicit temporalia, dicatur indirecte esse in temporalia. At negare non ausus es quod addit Barclaius, & qui disputationis nodus, nihil prorsus interesse, *quoad facultatem iudicandi & effectum induci*, num hæc Pontifici competat potestas in Reges, directe, & ex primario obiecto, an indirecte, & ex secundario obiecto spiritualis potestatis. Inde Ioannes Maior, *in 16. cap. Matth.* de hac temporali potestate Pontificis, cum Gersone pronunciat, quod quidam *blandientes dant et Pontifici dominium in temporalib. & plerique ponentes eandem sententiam discrimen ponunt verbale.* Quod, quid est aliud, quam hanc temporalem potestatem ab adulatoribus tribui Papæ, quorum alij simpliciter & directe tribuunt ei dominium in temporalibus, alij *discrimen ponunt verbale*, & dicunt non esse dominium, sed potestatem indirectam, cum vtorumque sit eadem sententia, eadem, inquam quoad effectum atque potentiam.

Cum igitur idem sit vtriusque potestatis effectus, cum vis eadem & potestas iudicandi, non ij magis, qui indirecte, quam qui directe subsunt, dici poterunt, Bellarmine, *non recognoscere superiorem in temporalibus*, vt de Regibus Pontifex dixit. Ais, *Et ideo quando proprie loquimur, dicimus Pontificem habere potestatem in temporalibus, non autem potestatem temporalem, qua Pontifex est.*

Ergo tu pene vbique improprie, ac præcipue, vbi professus es, quid de hac quæstione sentires, libro quinto de Rom. Pontif. cap. 1. *Primo ostendemus*, inquis, *Pontificem iure diuino non habere directe temporalem potestatem. Secundo habere eum aliquo modo, id est, ratione suæ spiritualis Monarchiæ, summam potestatem etiam temporalem.*

§. 4.

ADDIT *præterea Barclaius*, inquis, *hoc Argumentum. Quod si aduersariorum sententiæ locus sit; Reges & Principes Christiani non erunt solum Vasalli, & Clientes Papæ in temporalibus: sed (quod vilius est) quasi precario Regna & Principatus ab eo possidebunt. Id facile ex ipsis aduersariorum principiis, sic ostendo: Summus Pontifex potest alicui Regnum auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem; atqui iudicare, & decernere an sit necessarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio, æquumne sit, an iniquum nemo potest iudicare: ergo vbi libitum ei erit, poterit quemlibet Regno priuare, & illud alteri conferre.*

Respondeo. Reges Christiani, aliique Principes, iis exceptis, qui feudatarij sunt Ecclesiæ, neque Vasalli, neque Clientes Pontificis Maximi dici debent, quamuis ita eos ad conflandam Ecclesiæ inuidiam, Barclaio appellare libuerit, multo minus precario Regna & Principatus ab eo possident: sed sunt veri Reges, verique Principes, tantoque Ethnicis Regibus, & Principibus nobiliores, & feliciores, quanto non solum in terris ad tempus regnant, sed etiam post hanc vitam si iuste pieque regnauerint, ad Regnum cæleste, & sempiternum transferuntur. Argumentum vero Barclaij ab omni parte vitiosum est: illa enim propositio, summus Pontifex potest alicui Regnum auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem: explicatione indiget, nam & bene & secus intelligi, & vera & falsa esse potest. Potest quidem Pontifex, si necessarium ad salutem animarum sit, alicui Regnum auferre, sed si antea admonuerit, si spatium resipiscendi dederit, si perniciosum & incorrigibilem esse perspexerit. Potest quoque alteri Regnum conferre non pro arbitrio tamen suo libuerit, sic enim vere precario Reges regnarent, sed cui iure debetur, siue successio, siue electio locum habeat. Et si forte nemini debeatur, cui ratio dictauerit esse tribuendum. Sic enim Innocentius IIII. in Concilio Lugdunensi, cum Fridericum Imperatorem deposuisset electionem successoris Electoribus, quibus iure competit, liberam reliquit: sic etiam Gregorius VII. Post depositionem Henrici, Rudolphum à Principibus electum confirmauit. Sic etiam Zacharias Regnum Francorum Pipino adiudicauit, quoniam ille reipsa Regnum administrabat, & proceres eundem expetebant. Leo quoque tertius Imperium Occidentale à Græcis ad Francos transtulit, quoniam ipsi in Occidente potentissimi erant, soli poterant eam dignitatem sustinere, & eosdem Romanum populum maxime cupiebat. Sic etiam in testamento veteri Ioiada Pontifex postea quam Athaliam Reginam, quæ Regnum inuaserat, interfici iussit, Regnum contulit Regis demortui filio, cui iure hæreditario debebatur. 4. Reg. 11. & Azarias Pontifex Rege Ozia ob lepram diuinitus immissam ab hominum commercio segregato, Regni administrationem non cui voluit, sed cui debebatur, id est, Regis filio dereliquit. 2. Paralip. 26. Illa igitur propositio Barclaij aut male intellecta falsa est, aut recte explicata non efficit, vt Reges precario regnent. Iam vero assumptio illa, Atqui iudicare, & decernere an sit necessarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio æquumne sit, an iniquum nemo potest iudicare: similis est propositioni: nam perperam intellecta, est, recte explicata, vera quidem est, sed non inde concluditur, precario Regna à summo Pontifice data possideri, falsa quæ est Barclaij conclusio, Pertinet quidem ad Pontificem iudicare, an sit necessarium ad salutem animarum, Regem aliquem Regno priuare, sed non pertinet ad eundem necessitates pro libito fingere, vel sub colore necessitatis cupiditati seruire. Et quoniam res hæc grauissima est, & necessitas manifesta, & explorata esse debet, idcirco Pontifex ordinarie in Synodo Episcoporum, vel consistorio S. R. E. Cardinalium expositis rationibus, & consentientibus Patribus, ista gesserunt, vt supra ostendimus.

Repetamus hoc grauissimum Barclaij argumentum, Bellarmine, & quo non aliud apertiori

vul-

vulnere trucidat vestram causam. *Summus Pontifex potest alicui regnum auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem. Atqui iudicare an sit necessarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio aequumne sit, an iniquum nemo potest iudicare. Ergo vbi libitum ei erit, poterit quemlibet regno priuare, & illud alteri conferre.* Huius argumenti partes multis probas, tu vero ita vis conuellere. *Potest quidem Pontifex*, inquis *si necessarium ad animarum salutem sit, alicui Regnum auferre, sed si antea admonuerit, si spatium resipiscendi dederit, si perniciosum & incorrigibilem esse perspexerit.* Quæro à te num velis hæc omnia necessario Pontificiam præcedere sententiam: vt si Rex antequam hæc præcessesint à Pontifice abdicetur, nõ sit iure, & legitime abdicatus, & ideo nec regiam amittat potestatem. Si hoc ais, tibi repugnas, qui alibi dicis Pontifices posse statuere, ne Reges Apostolicæ sedis præceptiones violent, *sub pœna amissionis regni*, nimirum vt cum in eiusmodi edictum commiserint, regni iure excidant. ita illud Gregorij, *honore suo priuetur*, interpretaris (cap. 40.) *honore suo priuetur*, inquis, *non est imprecatio sed decretum, vt ab honore suo decidat, & declaratio vt liceat populo non obedire eiusmodi Regi, tanquam honore suo ac dignitate priuato.* Atqui hic spatium resipiscendi non datur, nec præcedit admonitio, & omnium minime apparet, vt sic loquar, *incorrigibilitas*. Sed iubetur vt Rex, qui priuilegia monasterio S. Methardi concessa violauerit, *honore suo priuetur.*

Cum vero Pontifices atque Reges, priuatis inter se commertiis multa agant, quæ illis solis nota, cum sint legationes, cum literæ, quæ non ad vulgi perueniunt manus: quidni iratus Pontifex dicat, se egisse cum Rege vt ad sanitatem rediret, sed cum sit *perniciosus*, cum *incorrigibilis*, se eum regno deiicere? Cui veritas nisi Pontifici atque Regi, & aliquot fortasse vtrimque ex intima familiaritate patebit? Cui vero populus adhæreat? An Regi quem nescit perniciosum esse, aut in flagitio pertinacem, an illud asserenti Pontifici. Quem denique, nisi Pontificem, vis posse decernere, quando Rex *perniciosus* dicendus sit, quãdo *incorrigibilis*? Si ad alios id iudicij quam ad Pontificem spectat; tunc, & ad alios quam ad Pontificem pertinebit iudicare quando Rex sit deponendus; ad illos scilicet quorum erit iudicare de dignis illis depositione criminibus. Sin eiusdem est iudicare Regem esse perniciosum & incorrigibilem, cuius est illum deponere, restrictionibus certe quæ adhibes nihil arctatur immensa Pontificis licentia, qui nimirum dicere semper potest, illum Regem *incorrigibilem & perniciosum* esse, quem cupit *deponere.*

Si reponis, hæc omnia nõ necessario debere præcedere: quippe validã Pontificis fore sententiam, etiam non admonitos non incorrigibiles Principis abdicantis, hoc tamen ab eo nequaquam faciendum & si fecerit delinquere, tunc nequicquam pro Regibus, nec in Barclaij argumentum, qui ex vestra ait sententia posse Pontifices, non vero debere, probos Reges iniustæ abdicationis tempestate percellere. Nam nec neges non innocentem esse omnium Pontificum vitam, & illos interdum cæterorum hominum more labi.

Potest quoque, inquis, *alteri Regnum conferre, non pro arbitrio tamen cui libuerit, sic enim vere precario Reges regnarent, sed cui iure debetur, siue successio, siue electio locum habeat. Et si forte nemini debeatur, cui ratio dictauerit esse tribuendum.* O insignem proinsque recentem iurisprudentiam Bellarmini! Si Pontifex posset regnum cui libuerit conferre, regnaret ille Rex precario? Quid? an is precario rem possidet, cui is, qui pro arbitrio dare potuit, rem cõcessit? an vero illi Reges, quos primos soluti populi sibi constituerunt, vt Franci Pharamundum, Fergusium Scoti, precarij Reges erant? & tunc tamen populus *pro arbitrio, cui libuerat*, dederat sceptrum. Quid sit *precarium* aut nescis, aut certe dissimulas. Non hoc refertur ad eum, qui dare potest, sed ad eum, qui tollere. Neque est precarium si quis pro arbitrio, cui libuerit rem concesserit, sed si aliquam rem concessam, cum libuerit possit auferre. Inde Vlpianus (leg. 1. D. de Precario) *precarium*, inquit, *distat à donatione, eo quod qui donat, sic dat, ne recipiat: at qui precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium soluere.* Recte igitur Barclaius, Reges precario regnare, si sunt maiestate & opibus spoliandi, quoties Pontifex dicere voluerit, ita necessarium esse ad salutem animarum. Tu vero omnino absurde, tunc demum precario regnaturos si Pontifex possit regnum vacuum, & à quo iam remouerit Regem, *conferre pro arbitrio cui libuerit.*

Sed nec verum, non sibi arrogasse Pontifices, vt in regnis, quæ hæreditatis iure vel comitiorum prærogatiua deferuntur, contempto successionis vel electionis more, ad alios pro arbitrio sceptra transferrent. Vt auferre, ita & dare regna moliti sunt. Sic illa coniungit Gregorius VII. *Imperia, Regna, Principatus, auferre & dare*, & Bonifacius VIII. post sententiam in Philippum. *Francorum Regnum* (inquit Paulus Æmilius) *velut solio vacuo iuri ditionique Imperij Augustorumq. attribuere adiudicareque ac adducere se effatur.* nisi forte non erant qui sanguinis iure possent hoc sceptrum Philippi vendicare. De exemplis quæ centies repetisti, & nos ante sigillatim, & extremis libri Capitibus multa.

Venis tandem ad assumptionem Barclaiani argumenti. Hæc est. *Atqui iudicare an sit necessarium ad salutem animarum Regem deponi, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio aequumne sit an iniquum nemo potest iudicare.* Respondes. *Pertinet quidem ad Pontificem iudicare, an sit necessarium ad salutem animarum Regem aliquem regno priuare: sed non pertinet ad eundem necessitates pro libito fingere vel sub colore necessitatis cupiditati seruire.* Quæro primum, quid his verbis intelligas, *non pertinet ad Pontificem necessitates pro libito fingere.* An vis Pontificem, *si necessitates pro libito finxerit, &c.* Non abdicare posse Regem id est, Regem ita abdicatum, vere non esse abdicatum, ac spoliatum regni iure, idemque nec subditis ab eius obsequio recedendum. An tantum vis, non pertinere

ad Pon-

ad Pontificem necessitates fingere, id est, si necessitates finxerit, si cupiditati seruierit, peccare quidem grauiter, eius tamen sententiam execurioni mandandam.

Si primum tibi placet, nempe Principes *sine necessitate* à Pontifice abdicatos, nihil iuris, nihil dignitatis amittere; Vide quo labyrintho te implices. Primum rogo, qui futuri sint iudices inter Pontificem atque Regem, siue ex quorum pendebit iudicio, num necessariam sententiam Pōtifex tulerit? Famæ credetur? Atqui *fama vix vero fauet.* Quid testar, quā vt vniuscuiusq; conscientia, hunc quidem ad Pontificiam, illum autem ad Regiam partem applicet. Nisi non ardnum scitu credis, sit an non sit necessaria abdicandi Regis causa, sed populo iudicium rei tantæ permittis. Hi pro Pontifice stabunt, hi pro Rege. His innocentia Regis, his Pontificis integritas curæ erit; quisque augebit quas probabit ex animo partes, & hæc interim credulitas prouincias totas euertet. Nunquam enim aut tam iniquus Rex aut tam stolidus, quin plurimi illum excusent; nec tam insons ac vtilis, quin multos facilitas, studium, conscientiæ timor, adiungat Pontifici. ¡Quæ rerum omnium confusa turbatio, si de summorum Iudicum sententiis, æquæ sint an iniquæ, disceptatio relinquitur, de executione ambigitur? Vel omnes Pontificum sententiæ in Reges admittendæ sunt, Ballarmine, vel nullæ. Nemo enim, vt contendimus, Regum in temporalibus iudex est, vt autem vos dicitis, Regum in temporalibus Pontifex iudex; Pontificis autem nemo.

Et hæc est tamen illa subtilitas, ille fucus, quo imponere Regibus, qua illudere consueuistis. Actio pro Iesuitis ante dies aliquot Lutetiæ sub Iacobi Montuloni Aduocati nomine edita, reuera vt plurimum P. Cottonij labor, hoc pharmacum propinat Regibus, eadem arte tectum. *Iidem Theologi*, inquit *pagin. 386. qui de excommunicatione loquuntur, censuraque in Principes, nunquam nisi sub conditione loquuntur, vt illud sit, claue non errante, supponentes etiam, non esse vt Principes qui se iniustè excommunicatos credent, idoneo deficiantur consilio, mediisque aliis, quibus se Deo reconcilient, Deique Ecclesiæ, absque vllo potestatis suæ regalis detrimento, suorum statuum, suorum subditorum: Sed nec in dubium reuocantes potestatem Vicarij Iesu Christi; Quandoquidem nonnunquam potest contingere, vt falsis deceptis internunciis aut rumoribus vel Pontifices animentur in Reges, vel Reges de Pontifice conquerantur.* Itane Muntoloni? Te enim appello, cuius nomen hanc artoeis fallaciæ sustinet laruam. Dic tu vero. Si Papa excommunicet tuum Regem, quis te docebit, num *clauis errauerit*? Cui tu obsequeris? cui credes? An Papæ dicenti tuum Regem esse iuste & legitime excommunicatum, te quoque eidem anathematis subiacere sententiæ, si eum deinceps in Regem agnoueris, An reclamanti Regi, & se iniuste excommunicatum profitenti? Si Pontifex potest, vt posse concedis, in depositione Principis falli, certe ei *infallibiliter* in eo negotio credi non debet. Si legitime deponi Princeps potest, nec ei credi par est Papæ in se sententiam, vt iniustam, accusanti. Visne aliquē supra Regem esse & Papam, qui de vtroq; iudicet? iudicet, vero, proprio, & effectū sortiente iudicio, quo nimirū Papæ in Regem sententia damnetur vt iniusta, vt impune temnenda, vel vt iusta exequutioni mandetur. Sed age tu, quid tibi in his dubiis, quid populo credis agendum, Si Papa Regem deposuerit, & sub anathematis pœna vetuerit, ne quis illi vt Regi obtemperet? Rex vero se iniuste damnatū asseueret? Sequeris damnatū illum Regem? Ergo in te dubia damnabis Papæ iudicium, & rem quam nescies esse iustam, scies autem à Papa sub anathematis pœna prohibitam, non obstante tanti fulminis metu, patrabis. Deficies à Rege? Ergo vana & inutilis exceptio, qua Regibus frustra illudis, nimirum, *non esse vt si se excommunicatos credent, idoneo deficiantur consilio, mediisq; aliis, quibus se Deo reconcilient, Deique Ecclesiæ, absque vllo potestatis suæ regalis detrimento, suorum Statuum, suorum subditorum.* Nam si ab eo teneris deficere, tenentur & alii subditi certe; si deficiant subditi, quo modo illa excommunicatio, forte iniusta, non *detrimentum* afferet regali potestati? imo eam Montolone euertet.

Les mesmes Theologiens susmétionnés qui parlent l'excômunication, & censure des Princes, n'en parlent iamais, qu'auec condition que ce soit claue non errante, & presupposant que les Princes, qui se tiendroient induëment, & iniustement excômuniez, ne seront pour manquer du bō conseil & autres moyēs, pour se remettre bien auec Dieu & son Eglise, sans interesser leur puissance Royalle, leurs Estats, & leurs subiets Ny aussi sans reuoquer en doute la puissance de la Vicaire de Iesus Christ; puis qu'il peut arriuer quelquesfois, que sous faux entendu ou les Papes s'irritent contre les Roys, ou se mescontentent du Pape.

Vanæ hæ fraudes, & fascini instar, simulantium, dissimulantium, regios denique oculos obnelare nitentium, vt assuescant periculo, neque ensem videant, vt in Siculo illo conuiuio, intentum ceruicibus, & iam toties rupta seta sæuientem. Sed nec vllus istius Pontificiæ in temporalibus potestatis astructor, cui, si semel intonuerit Romanum hoc fulmen, non longe cautiones, quas nunc pro Regibus fingit; qui, inquam, post hæc verba Pontificis, Deponimus illum Regem, & anathematizamus *quoslibet* (verba sunt Innocentij IV. in proscribendo Friderico II.) *qui ei deinceps veluti Regi, consilium, vel auxilium præstiterint, seu fauorem.* Siue (vt Gregorius VII. dixit, in Henrico deponendo) *Interdico Christianis omnibus, ne illi vlla in re obtemperent,* Non statim à Regis obsequio abeat, excommunicationem timeat, præpostera pietate existimet tutiorem in conscientia partem esse, Regem relinquere, Pontifici adhærere. Neq; sentis aliter, Bellarmine. Nam, vt recte Barclaius, *de Pontificis iudicio, æquumne sit an iniquum nemo potest iudicare:* quæ tu verba in Barclaij argumento prorsus intacta reliquisti. & in causis omnib. atq; negotiis, quæ Deus cōmisit Ecclesię, *Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquā ipsius diuini Petri voce firmatæ sint* (Cano. sic omnes. 19. dist.) *Et Deus voluit B. Petri successoris cœlo tantum debere innocentiam & subtilissimi discussoris indagini inuiolatā exhibere conscientiam.* Cano: *Aliorum. 9. q. 3.* Cuius etiam præter Pontificem iudicij erit, *num sit necessarium ad salutem animarum.* Regem à Regno deijci? cum non statuatis certas causas, propter quas deijci possit, sed adeo generales vt illud *necessarium* ad omnia posit extendi, sic vt velis Regem quoque priuilegia Monasterij violantem in abdicandorum numerum posse referri. Cum iniquam nulli Reges sine peccato, sine crimine pauci vi-

ci viuant, nonne vides liberrimum Pontificis iudicium fore, vt illis peccatis, illis criminibus, in quæ procliues sciet Principes, quibus sceptrum molietur adimere, pœnam ad qua sanctione priuationis regni imponat?

Cum igitur supra Pontificem nemo sit, qui eiusmodi sententiæ æquitatem exploret, cum sit, inquam, solius Pontificis iudicare, an hoc sit necessarium ad salutem animarum; medicatis frustra verbis timorem Regum mulces, neque tuum illud, *non pertinet ad Pontificem necessitates pro libito fingere, aut cupiditati seruire*, aliter potest exponi, quam Pontificem quidem ita iniuste agentem, scelestè facere, sed hoc arcanum iudicium vni Deo competere, cuius solius examini Pontifex reseruatur, illum, inquam, vnum esse supra Pontificem, cuius sit iudicare, an reuera hæc Pontificis sententia æqua exciterit; nobis autem in tutiorem inclinantibus partem pro Pontificis sententia esse pugnandum. Ita Dominic. Bannes, in 2.2. quæst. 10. artic. 10. *à iure diuino positiuo*, inquit, *est potestas, quam habet Pontifex ad auferendum dominium & iurisdictionem ab infidelibus supra fideles: quando autem vtendum sit hac potestate, relinquitur eius dominio vel iudicio.* Nec infideles tantum illi depositioni obnoxij, sed & Apostatæ, sed & *aliquo pacto hæretici*. Vt idem Bannes vult quæst. 12. artic. 2. In Comment. §. *circa vltimam conclusionem.* Tu quoque eandem propugnas sententiam isto libro, capit. 17. §. 4. *si forte*, inquis, *Princeps spiritualis abutatur potestate sua, iniuste excommunicando temporalem Principem, vel eius subditos sine iusta causa ab obedientia eius absoluendo, & eo modo perturbet statum Reipublicæ temporalis, sed peccabit Princeps spiritualis, sed non poterit Princeps temporalis iudicium sibi sumere de spiritualibus rebus, aut spiritualem Principem iudicare, &c.*

Vtpote quippe hoc iudicium in Principes spirituale esse, licet ad temporalia se extendat. Cum igitur id iudicium in Reges sit spirituale, idemque ad Ecclesiam spectans, non licebit Laicis in illius æquitatem inquirere; licet hæc ipsa non seruentur, quæ hic obseruanda præscribis. Ita Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 3.* cum permulta excommunicationi præmitti iussisset, addit, si hæc ipsa quæ iubet non præcesserint; non posse Ecclesiastico iudici, tamen à seculari mandari, vt excommunicationem aut non ferat, aut reuocet. Ratio redditur omnino qualem in depositione Regum reddas, quod *non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.*

An quod addis; *& quoniam res hæc grauissima est, & necessitas manifesta, & explorata esse debet, ideirco Pontifices ordinarie in synodis Episcoporum, vel consistorijs S. R. E. Cardinalium, expositis rationibus & consentientibus Patribus ista gesserunt.* Iterum ludis in verbis, nam si Pontifex dixerit eam necessitatem sibi manifestam & exploratam esse, *debemus* nos illi assentiri ac credere. Alioqui non pertinebit ad eum iudicare & decernere, quando hoc sit necessarium, & contra canones de eius iudicio licebit dubitare, neque *cælo tantum*, sed & hominibus debebit *innocentiam*. Neque iuuat quod de Episcoporum aut Cardinalium cœtu addis. Tum quod nec sint defuturi ex Episcopis vnquam qui Pontifici faueant, quem vt suum Principem venerantur, & Ecclesiasticarum partium ducem: tum quod ipsi Cardinales intimi Pontificis consiliarij, non in spiritualibus modo, sed & in temporalibus rebus, instar eorum qui cæteris Principibus à secretis & consilijs adsunt faueant ac studeant, vt nō minus prudentiæ temporali, quā pietati spirituali dare possint. Tum denique; quod ne quidem necessarium Pontifici putes, cum eorum assensu ferre sententiam. Neque enim vnquam neges Pontificis sententiam, absque eiusmodi conuentu Antistitum in Principes valituram.

Ecce vt Barclaii argumentum, docentis Reges ac Principes peiori, quam clientes aut Vasallos iure fore, imo precario regnaturos, si hæc Pontifici indirecta in eos potestas sit, per tuorum sophismatum nebulas præstantius vibrat, quoniam *super omnia vincit veritas.*

§. 5.

PERGIT *Barclaius*, inquis, *& posteaquam rationem superiorem multis verbis more suo amplificauit, & repetiuit, subiungit hæc verba, sed & omnis potestas, omneque dominium, & iurisdictio, aut iure diuino acquiritur, aut iure humano: & qui aliquid possidet, seu tenet, si neutro horū possideat: iniustè possidet, vt preclare in Donatistas ratiocinatur Augustinus, in tract. 6. ad caput primū Ioannis, Canon Quo iure Dist. 8. Fieri igitur non potest, vt Papa imperium aliquod temporale in Reges, & Principes sæculares iustè exerceat; nisi constet id ei iure diuino, vel humano esse tributum.*

Respondeo. Iure diuino potestas in Reges & Principes Christianos, non propriè temporalis, sed quæ se ad temporalia extendat, summo Pontifici Christi Vicario attributa est. Vnde enim Barclaius ipse deducit, potestatem spiritualem amplissimam iure diuino Romano Pontifici in omnes Reges, Principesque competere: inde nos colligimus, eodem diuino iure Pontifici Romano competere potestatem, quæ ad temporalia pertingat, quoniam id requirit ordo potestatis superioris ad inferiorem, spiritualis ad temporalem. At, inquit aduersarius, nullus neque in diuinis, neque in humanis legibus locus reperitur, qui talem illi potestatem conferat. Respondeo Imo locus inuenitur in diuina lege, qui potestatem illi conferat, & locus inuenitur in humana lege, qui locum diuinæ legis exponat. Quod enim scriptum est, Matth. 16. Tibi dabo claues Regni cælorum, &c. Et Ioann. 21. Pasce oues meas, explicatum inuenimus in multis Concilijs, ac potissimum in Romano sub Gregorio VII. In Lateranensi sub Innocentio III. & in Lugdunensi sub Innocentio IV. in eum sensum, vt potestas ligandi, atque soluendi, nec non pascendi, atque Ecclesiam vniuersam, non ad sola spiritualia; sed etiam ad temporalia ratione spiritualium porrigitur: quod idem communis Doctorum Catholicorum sententia, & ipsa praxis, atque experientia confirmat.

Hic multa fine calce materies. *Vnde*, inquia, *Barclaius ipse deducit Spiritualem potestatem amplißimam iure diuino Romano Pontifici in omnes Reges Principesque competere: inde nos colligimus, eodem diuino iure Pontifici Romano competere potestatem, quæ ad temporalia pertingat.* Atqui falsum, quod Barclaius spiritualem Pontificis potestatem deducat ex Scripturis, si *deducere* accipis, pro colligere, & consequentias deriuare. Non, inquam, eam potestatem deducit ex Scripturis, sed legit expressam. Tibi dabo claues Regni cœlorū: Pasce oues meas: quodcumq; ligaueris super terram, &c. Quibus verbis non deduci & colligi, sed expresse contineri spiritualem potestatem, tecum, Bellarmine, professus est. Vos autem ex iisdem quidem verbis, sed per interpretationem, & hanc nouam, Pontificis in temporalia potestatem deduxistis: nouam inquam, nam per totos mille & septuaginta annos nemo id scripsit, & ratio quam frigida? Quoniam, inquis, id requirit ordo potestatis superioris ad inferiorem, spiritualis ad temporalem. Non aliter Bellarmine, potestas Ecclesiastica temporali superior, quam quia nobilior, neque spirituali potestati, vt est commissa Pontifici, necessaria in temporalem potestas est, vt à nobis disputatum, *cap. 2. §. 4. & 5. cap. 3. §. 6.*

Sed *locus inuenitur in diuina lege*, inquis, *qui potestatem Pontifici conferat, & locus inuenitur in humana lege, qui locum diuinæ legis exponat.* Locus ille diuinæ legis est. *Tibi dabo claues Regni cælorum.* Et, *pasce oues meas.* Locus autem legis humanæ hanc legem diuinam exponentis, est, inquis, in Concilio *Romano sub Gregorio V II. in Lateranensi sub Innocentio III. & in Lugdunensi sub Innocentio IV.* Pulchro compendio agis. Nos in eas sententias, scribimus, quas tu leges appellas. Tu vt eas asseras, ipsarum authoritate niteris, quasi dicas, Pontifices hoc possunt, quia id se posse testati sunt. Imo eum sint in partib⁹, cum testimonium pro se ferant, an hęc erit lex humana, aut porro quis tenebit? Nam quod dicis in Romano factum Concilio, factum est non ab ipso Concilio, sed à Gregorio VII. in sua in Henricum IV. sententia: quod in Lugdunensi, factum etiam ab Innocentio IV. in sententia in Fridericum lata. In Lateranensi porro Concilio, vbi de hac potestate Pontificis, nulla de his sententiis mentio, quas proponis, dicisque in Conciliis fuisse expositas, nimirum *Tibi dabo claues regni cælorum. & pasce oues meas.* Non hæc igitur eo modo à Conciliis explicata, sed ab ipsis Pontificibus, dum Reges abdicarent, quærerentque ex Scriptura prætextum, vt iam monuimus, *Cap. 3. §. 7.* vbi tu quod in Conciliis *Romano, & Lugdunensi, sub Gregorio V II. & Innocentio IV.* factum hic dicis, ab ipso Gregorio, & ab ipso Innocentio, factum esse concedis.

§. 6.

A*T, inquit Barclaius, Regum dominatio, & authoritas, multis sacrarum literarum testimoniis aperte commendatur, & probatur; vt cum dicitur, Per me Reges regnant. Data est à Domino potestas vobis. Reges gentium dominantur eorum. Cor Regis in manu Dei. Dabo illis Regem in furore meo. Time Dominum fili mi, & Regem. Regem honorificate; & paßim id genus similia.*

Respondeo. Primus locus non demonstrat potestatem datam à Deo Regibus, sed sapientiam Regibus esse necessariam, vt regnent, sicut oportet. Verba enim illa sapientiæ sunt, quæ Reges hortatur ad ipsius sapientiæ studium, si volunt vere regnare, & leges ferendo iusta decernere. Secundus locus dicit quidem potestatem Regiam esse à Domino, sed hoc dicit, vt Reges non superbiant, sed intelligant habere supra se Dominum, à quo grauiter punientur, si potestate abutantur. Tertius locus non potestatem tribuit; sed abusum potestatis reprehendit. Reges enim gentium, qui verâ Dei cognitione carent; non contenti administratione Regia, plerumque dominari populis, quasi mancipiis affectant, & politicum Imperium in despoticum transmutant, ac de Regibus Tyranni fiunt: quem abusum Græca vox κατακυριεύειν, quæ violentam dominationem significat, magis aperte demonstrat. Quartus locus potestatem Dei in Reges, non potestatem datam à Deo Regibus ostendit: ea enim est omnipotentia Dei, vt non solum corpora Regum, sed etiam corda in potestate habeat, eaque vertat & conuertat, vt sibi libuerit. Quintus locus non potestatem Regiam commendat; sed minatur se permissurum, vt populus ob sua peccata in Regem iniquum, & crudelem incidat, à quo non tam regatur, quam deuoretur. Sextus & septimus locus, timorem populi erga Regem, non potestatem Regis erga populum docet. Sed quicquid de his locis sit, vt non negamus Regiam potestatem esse à Deo, sic etiam negari non debet, Apostolicam potestatem esse à Deo, imo omnem potestatem esse à Deo, iuxta illud Apostoli Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo. Quod autem potestas Regia subiecta non sit Apostolicæ potestati, vel quod subiecta sit in spiritualibus tantum, non etiam in temporalibus, in his locis, neque aperte, neque obscure habetur, atque hoc est quod quæritur.

Quid attinuit omni vi eleuare & torquere Scripturas, quæ de Regum potestate? cum mox dicas, nihil hinc ad nostram quæstionem. *Per me Reges regnant* (Prouerb. 8.) Ais non ibi *demonstrari potestatem datam à Deo Regibus, sed sapientiam Regibus esse necessariam, vt regnent sicut oportet. Verba enim illa Sapientiæ sunt, quæ Reges hortatur ad ipsius sapientiæ studium, &c.* Imo loquitur æterna sapientia, Bellarmine, Dei sapientia ipse Deus. Ibidem, *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, &c.* Est igitur æterna Dei Sapientia, quæ constituit, vt dignitates & Reges inter homines essent, quæque disponit de Principum omnium fatis. Per eam *Reges regnant*, per eam *Principes imperant*, & eius scintilla in animos Regum immissa, *legum conditores iusta decernunt, & potentes decernunt iustitiam.* Est, inquam ipse Deus, qui dicit regnare per se Reges. Vnde Ivo Episcop. Carnotensis, Epist. 106. *Henrico excellenti Anglorum Regi, Ivo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, in eo viuere & regnare per quem Reges regnant.* Non dixit, *mea*, &, *per quam*; sed, *in eo*, &, *per quem*. Nam si non ad constitutionem Regum, & dispositionem Nu-

beantur. Filium Dei esse Patri consubstantialem expresse in Scripturis non legimus, credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Ioann. 10. Ego & Pater vnum sumus. Spiritum à Filio procedere expresse in Scripturis non legimus, credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Ioann. 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: omnia quæ habet Pater, mea sunt, ideo dixi vobis, quia de meo accipiet.

Baptismum paruulorum expresse in Scripturis non legimus, credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba illa Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. & Matthæi 19. sinite paruulos venire ad me. Sic ergo potestatem Summi Pontificis extendere se ad temporalia, ac præsertim ad Regna, & Imperia expresse in Scripturis non legimus, credimus tamen, quia Ecclesia in Concilijs generalibus, sic docet intelligenda esse illa verba Domini Matthæi 19. Tibi dabo Claues, &c. falsum vero est potestatem istam non fuisse in vsu apud Ecclesiam per totos mille annos, & amplius: Iam enim supra docuimus, in vsu fuisse post annum septingentesimum tempore Gregorij secundi, & Zachariæ Pontificum. Item post annum octingentesimum, tempore Leonis tertij, & Gregorij quarti.

Falsum quoque est ab antiquis Patribus non fuisse laudatam, vel commemoratam, cum à Gregorio Nazianzeno paulo obscurius, sed à Gregorio Romano aperte commemorata, ac deinde posterioribus seculis ab omnibus scriptoribus, quorum nonnulli in album sanctorum relati sunt, apertissime commendata, & celebrata fuerit. Quod in extremo capite Barclaius dicit rationes nostras non esse demonstrationes, sed dialecticos syllogismos: proinde eas non certam fidem facere, id quale sit, & quantum ponderis & momenti habeat, in sequenti capite explicabimus.

Nunquam negem multa per Ecclesiam explicata, & ad credendam esse proposita, quæ obscurius Scripturæ loquebantur. In horum numero esse hanc indirectam potestatem, omnino inficior. Alioqui quis hodie Orthodoxus præter paucos Romanæ vrbis incolas, aut timido & incapaci animo omnia quæ vel exilem pietatis vmbram referunt, cuncta credentes? Hæretica certe Sorbona, hæretici in Anglia Sacerdotes, hæretici ex eruditis Episcopis & Iesuitis quoque multi.

Quid hoc porro? an parcebas Barclaij famæ? cum attocitet in eum omnia, cur nō quoq; dicebas hæreticum? Sed ad tam iniustam contumeliam tua manus, tua trepidauit scientia. Neq; vero posterorum seculorum Ecclesia credendum aliquid contra priscam illam statuet, quæ reuera est eadem, & pro Regum authoritate pugnauit, licet forte Ecclesiasticorum error aut ambitus deflectat ex orbita: sed de hoc satis supra (cap. 3. §. 16.) *Ecclesiam*, vero, in *Concilijs generalibus docuisse intelligenda esse* de potestate in temporalia *illa verba Domini Matth. 16. Tibi dabo claues, &c.* quam falsum sit, hoc cap. §. 5. ostendimus. Nisi forte *Ecclesia* nihil sit aliud quam *Pontifex*; cuius vnius nomine conceptæ in Reges sententiæ, in quibus ita exposita Christi verba, *Tibi dabo claues, &c.* Dicis *potestatem summi Pontificis extendere se ad temporalia, ac præsertim ad Regna & Imperia, expresse in Scripturis non legimus.* Qui hæc cum eo consentiant, quod (*cap. 5. §. 4.*) Scribis idem dicentem Barclaium. *Iam dixi*, inquis, *potestatem de qua loquimur haberi expresse in Scripturis, sed generatim. non in particulari*, quæ res momenti prorsus magni, vt disseruimus *cap. 4. §. 2.*

Quæ addis de Gregorio II. Zacharia, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Romano, iam supra numerum repetisti; idem toto libro facturus. Hæc vero aut iam excussimus, aut in certum reiecimus locum.

Quod in extremo capite Barclaius dicit, inquis, *rationes nostras nō esse demōstrationes, sed dialecticos syllogismos: proinde eas non certam fidem facere, id quale sit & quanti ponderis & momenti habeat, in sequenti capite explicabimus.* Pulchra fraus, quod nunquam diluas in tempus distulisse. Nullibi enim amplius de hoc *pondere & momento* tibi sermo. certe nec poteras tantum pondus ac momentum emoliri. Monet quippe Barclaius, ius Regum tot Scripturis vallatum, tot seculis nixum, nisi per *Apodixes & euidentes demonstrationes* labefactari non posse, *quales*, inquit, *nemo illorum adhuc attulit, aut vt arbitror afferre potuit. Nam quod ad probabiles & verisimiles tantum rationes attinet, ex quibus syllogismi dialectici constant, illarum non ea vis est, vt per eas summum Regibus & Principibus imperium abiudicetur, cum ne quidem in quotidianis rerum minimarum controuersijs aliquid euinci possit, nisi manifestis & euidentibus testimonijs, vel testibus, res petitoris esse comprobetur, & ideo actore non probante, qui conuenitur, etsi nihil ipse præstat, obtinebit (l. qui accusare C. de eden. l. Actor. C. de prob. cap. 1. de probat.)* Hæc cum vera esse scires, & fateri puderet, id est vestram causam euertere, hinc tanquam in alium locum reiicere maluisti, & memoria non flagitaturi deinde Lectoris abuti. Neque enim deinceps vllibi de hoc Barclaij argumento, quod validissimum iure appellem, & cui te proximo capite responsurum promiseras, meministi. Sit igitur hoc positum, Pontificibus in Regum temporalia potestatem, per dialecticos tantum & verisimiles syllogismos, non esse tribuendam. Vos autem nihil aliud in hanc tantam rem, tot anxijs, tot laboriosis subtilitatibus protulisse.

CAPVT XIII.

Cur Barclaius propugnaturus Reges, in Bellarminum potissimum scripserit. Ecclesiam, Rempublicam Christianam, Rempublicam temporalem & politicam, varie intelligi posse, & ijs nominibus æquiuoca adornari sophismata. Politicam potestatem apud Christianos non subijci Ecclesiasticæ. Cur non credendum sit, Bellarmine, pertinuisse ad sapientiam Christi, vt concederet Pontifici indirectam potestatem in temporalia, imo cur potius contrarium credendum sit. Bernardum dicere iudicia temporalia esse messem Pontificibus alienam: eius sententiam perperam à Bellarmino expositam, dubijs etiam & suspectis in Principes verbis. Driedonis sensus, de Regibus: Eum non male à Barclaio in testem afferri. Similitudinem Solis cum Sacerdotali potestate, & Lunæ cum Regia, qua vtitur Bellarminus, omnino impugnare hanc indirectam quam effingunt Pontificis in temporalia potestatem.

Titulus apud Bellarminum est,

Defenditur prima ratio Bellarmini pro potestate Pontificis in temporalibus.

§. 1.

IN *capite tertiodecimo*, inquis, *aggreditur Barclaius refutare eas rationes, quas ego in lib. 5. de Pontif. cap. 7. adduxi ad probandam Pontificis Maximi potestatem in temporalibus. Et quoniam ille præfatur neminem Bellarmino diligentius rationes pro hac potestate collegisse, vel argutius proposuisse, vel breuius, & subtilius conclusisse, vt videlicet Lectoribus persuadeat Bellarmino superato rem totam esse confectam: ego quoque præfari debeo, me non admittere, quæ Barclaius de mea diligentia, argutia, & subtilitate dicit. Scio enim multos esse me longe doctiores, & diligentiores, ac subtiliores, qui in eodem argumento ante me versati sunt, & quorum ego diligentiam & studium pro ingenij mei tenuitate æmulari studui: proinde non in me superando stat summa victoriæ, vt Barclaius persuadere Lectoribus nititur. Admonendum quoque Lectorem esse duxi, me in hac re comprobanda rationes tantum & exempla, non Scripturas, Concilia, & Patres adduxisse, quoniam ista in libris superioribus copiosissime persecutus fueram, in confirmando primatu spirituali summi Pontificis, quo confirmato, & firmiter stabilito, facillimum esse censui, ex eo tanquam ex fonte deducere riuulos rationum ad potestatem in temporalibus comprobandam.*

Facis, quod illi Duces qui in fuga chlamydem purpuramque abiiciunt, ne eos insignia imperij sequentibus hosti prodant. Laudes, quas tibi iure ascripsit Barclaius, abnuis, ne in te huius causæ columine superato ipsa causa obruatur. Sed iam fasces etiam inuito reddimus. Certum enim neminem *diligentius, aut argutius, aut subtilius*, hanc causam egisse: tum quod pro *indirecta potestate* nemo ante te vllum librum ex professo conscripserit, tum quod sparsa in alijs argumenta collegeris, tua industria auxeris, nihil inspectum, nihil intentatum reliqueris. *Proinde*, inquis, *non in me superando stat summa victoria*. Imo in te superando, qui omnium auxilijs instructus accedis. Quam porro sint egregiæ cæterorum rationes, qui pro vestra sententia, in Prolegomenis sigillatim discussimus. Dicis te solis rationibus vsum, non Scripturis, Concilijs, & Patribus, quod ijs vsus esses in spirituali Primatu Pontificis asserendo, quo firmato facile esse duxisti, *ex eo tanquam ex fonte deducere riuulos rationum ad potestatem in temporalibus comprobandam*. Ad hoc lusus oculis tibi visum. Neq; enim hæc affinia aut cohærentia. Sed quam caute totam ex Barclaio paginam omisisti, in qua scribit, quamuis plus nimio Papæ in temporalibus tribueris, non tamen satis fuisse Sixto V. qui prope abfuit vt tuas controuersias publico igni mandaret: te quoque eo exemplo iri refectum, si idem in aliquo Pontifice in suos libros animus, neque ideo vel rantillum à Romana discessurum Ecclesia. Hæc omnia cum arte prætetisti, ne fateri cogereris, Pontifices non indirectæ modo, sed & directæ in Reges potestati imminere: quod & præter cætera satis produnt, Bozij, Marthæ, & similes libri, Romæ publice editi Pontifici nuncupati. At tui tantæ celebritatis, tantæ doctrinæ, ideo quod indirectam tantum potestatem assererent, pene vindici flamma consumpti sunt. Aut igitur absolute in temporalibus nullum iugum, aut si ipsi aliquid in se concedant, paulatim acerbissimum Principibus est ferendum.

§. 2.

PRIMA *igitur ratio mea*, inquis, *quam Barclaius ad verbum refert, hæc fuit.*

Potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, quando vtraq; pars est eiusdem Reipub. Christianæ: ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale: omnis enim superior imperare potest inferiori suo.

Quod autem potestas politica, non solum vt Christiana sed etiam vt politica, sit subiecta Ecclesiasticæ, vt talis est: Primo demonstratur ex finibus vtriusq;. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali, vt patet,

qua

quia felicitas temporalis non est absolute vltimus finis, & ideo referri debet in felicitatem æternam. Constat autem ex Aristotele lib. 1. Ethic. c. 1. ita subordinari facultates, vt subordinantur fines.

Secundo Reges & Pontifices, Clerici & Laici non faciunt duas Respublicas, sed vnam, id est vnam Ecclesiam. Sumus enim omnes vnum corpus. Roman. 12. & 1. Corinth. 12. At in omni corpore membra sunt connexa, & dependentia vnum ab alio: non autem recte asseritur, spiritualia pendere à temporalibus, ergo temporalia à spiritualibus pendent, illisq; subijciuntur.

Tertio, si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni: ergo signum est, subiectum esse temporalem potestatem spirituali. Hæc est mea ratio prima satis fideliter à Barclaio relata.

Huic rationi respondet ipse, falsum esse, quod ego assumpsi, ciuilem potestatem subiectam esse spirituali, quando vtraq; pars est eiusdem Resp. Christianæ. Id autem falsum esse probare conatur his verbis.

Siquidem hæ duæ potestates ita sunt partes Reipublicæ Christianæ, vt neutri in alteram imperium sit, vtpote cum libere & sui iuris essent, mutuo amore coierunt. Vtraq; ergo alteram in suo ordine, & munere recognoscit, & veneratur, & suam vtraq; functionem arbitratu suo exercet, tantum inter eas conspirans quidam consensus, & societas est, ad Christianam Remp. conseruandam.

Respondeo. In his verbis affirmari video, non probari, politicam & Ecclesiasticam potestates in eadem Ecclesia Christiana coniunctas esse vinculo beneuolentiæ, non autem subiectione vnius ad alteram. Sed hoc recte diceretur, si politica & Ecclesiastica potestas eiusdem ordinis essent, & quasi duas fœderatas Respublicas facerent, vt sunt pagi Heluetiorum. At ex scripturis diuinis Pontifices, & Reges, Clerici, & Laici in Christo regenerati, vnam Rempublicam, imo vnam ciuitatem, imo vnam domum, imo vnum corpus efficiunt. Neque potestas spiritualis & temporalis in Ecclesia conueniunt, vt duæ Respublicæ in vnam confœderationem, sed vt spiritus, & caro in vnum hominem, vt Gregorius Nazianzenus præclare docuit in oratione ad populum timore perculsum: certum autem est spiritum in carnem imperium habere debere, non contra: neq; sunt in Ecclesia Christi, Pontifices, & Reges, vt principales arietes in Ouili, sed vt Pastores, & oues: neq; in dubium reuocari potest, an Pastores ouibus, vel oues Pastoribus cum imperio præsint.

Ais à Barclaio affirmari, non probari, potestatem ciuilem spirituali non esse subiectam. Imò & probauit antea, & iam liquido probat. Sed tu ipse quo pacto contrarium asseruisti? *quando, inquis, vtraq; est pars eiusdē Respub. Christianæ.* Egregia ratio. Cōsularis potestas, & Tribunicia, partes sunt eiusdem Reipublicæ Romanæ, ergo vna alteri subiecta est. Quæstores, & rerum ciuilium quæsitores, sunt partes eiusdem Reipublicæ Britannicæ, Gallicæ, Hispanicæ, ergo vni aliis subiecti sunt. Quis id argumenti non rideat?

Et quoniam tuis sophismatis rem inuoluis; monendum est, quid per spiritualem, quid per temporalem Rempublicam, quid per Christianam, possit intelligi. Hæc igitur verba, *Ecclesia, potestas spiritualis, Respublica & potestas Ecclesiastica, & Christiana*, dici possunt de solis Clericis, seu Ecclesiasticis hominibus; deque eorum spirituali potestate. Potest & Ecclesia seu Respublica Christiana appellari, Christianorum tam Clericorum, quam Laicorum collectio, qui in vnum corpus adunati; Ecclesiasticis legibus sese subiiciunt, non quidem quatenus homines ciuilem Rempublicam componentes, sed quatenus in spiritualem cœtum admissi. Eadem distinguendi ratione ciuilis temporalis, & politica Resp. dici potest, vel quæ ex infidelibus Principibus & rebus publicis constat, vel quæ ex Christianis quidem, sed nullo ad Religionem respectu habito, componitur. Sed & ob charitatis sanctos nexus, & fidei communionem, dicimus Rempub. politicam accedentem ad Christum, ita iungi spirituali, & Ecclesiasticæ Reip. vt iam vtraque dici possit vnam Rempublicam Christianam componere, in qua sint duo Præfecti præcipui, quorum ille omnino omnibus in spiritualibus; hic omnino omnibus in temporalibus præsit. *Duos* dixi; ob spiritualem, & ciuilem potestatem. Dixi *omnino omnibus* Nam vt Pontifex spiritualiter Principibus, ita Principes temporaliter Pontifici imperarent, nisi & ipse temporalis Princeps esset: quo iure, non autem Pontificatus sui, ciuili potestati subductus est.

Hæc omnia quantum chaos discruciat, tanta confusione à te miscentur. Vt nunc Rempub. Ecclesiasticam accipias, pro Ecclesiastica potestate, nunc omnibus Christianis; Christianam quoque Rempublicam, ciuilem etiam Rempublicam variata, vt tuæ res feruot, significatione accipias.

Scripsit ergo Barclaius, Politicam & Ecclesiasticam potestates in eadem Ecclesia mutuo amore coiuisse, sic vt neutri in alteram imperium sit. *Hoc recte diceretur*, inquis, *si Politica & Ecclesiastica potestas eiusdem ordinis essent, & quasi duas fœderatas Respublicas facerent, vt sunt pagi Heluetiorum.* Quid? quæ eiusdem ordinis non sunt, non possunt ita coire, vt neutrum alteri subiaceat? Vbi societatum ius, vbi fœderum? non potest Imperator cum extero Principe, qui imperij fastigium nihil æquet, ita coire vt neutri in alterum imperium sit? Non Philosophus cum pictore, cum paupere diues, cum ignobili patricius? *At ex Scripturis diuinis*, inquis, *Pontifices, & Reges, Clerici, & Laici in Christo regenerati, vnā Rempublicam, imo vnā domum, imo vnū corpus efficiunt.* Docuim⁹, quomodo hæ duæ potestates, tū duę Respublicæ, tū vna, dici possint. Clerici igitur, & Laici, quatenus Christiani, cōponunt Rempublicam, domum, corpus, cuius caput in terris Pontifex. Sed ijdē tum Clerici, tum Laici, quatenus homines ciuilem societatem componentes, aliam Rempublicam faciunt, aliam domum, aliud corpus, cuius caput, non Pontifex, sed qui Politicæ præfectus potestati: Cum vero Rempublicam Christianam in genere intuemur, id est, Christianos homines

ſi dei nexu iunctos, tam qui ſpirituale regimen, quam qui temporale conſtituunt, tum in ea Republica, duo rectores ſunt, quorum vterque ſummam in ſuo genere poteſtatem à Christo accepit, qui illius Reipub. vnus Princeps eſt, paterfamilias domus, corporis caput.

Falſum vero quod de Gregorio Nazianzeno repetis. Is nihil aliud, niſi ſpiritualem poteſtatem excellentiorem temporali, vt eſt ſpiritus excellentior carne; quod hæc æternæ ſaluti inuigilet, hæc duntaxat Politicæ paci: At longe diuerſa; *tanto magis excellere, &, eo modo imperare.* Sed de his ſatis ſupra.

Neque ſunt in Eccleſia Chriſti Pontifices, Inquis, *& Reges, vt Principales arietes in ouili, ſed vt Paſtores, & oues.* Bene tu, ſi per Eccleſiam, Eccleſiaſticum regimen intelligis, ſeu ſpiritualem poteſtatem, in qua certe Principes, oues, & Pontifex Paſtor: Secus, ſi per Eccleſiam accipis poteſtatem, quæ apud Chriſtianos eſt, ſpiritualem ſimul atque politicam. Nam in ciuili poteſtate Reges ac Principes non oues ſunt. ſed Paſtores; qui etiam Pontificem inter oues numerarent, niſi & ipſe Romano donatus Principatu, temporalis Paſtor eſſet.

§. 3.

SVBIVNGIT, inquis, *Barclaius: Vtraque poteſtate, ſiue vt Genebrardi verbis vtar, vtroque magiſtratu, Eccleſia continetur, munitur & viget: ad quam protegendam & ſartam tectam conſeruandam*

——— ——— Alterius ſic

Altera poſcit opem res, & coniurat amice.

Vt quamdiu ſocietatem retinent, Reſp. Chriſtiana innumeris concordia & pacis commodis effloreſcat. At vbi coitam diſſoluunt, ſpiritualis quidem poteſtas, licet diuina virtute præſtans, imbecillior tamen in oculis hominum, & corporalibus auxiliis deſtituta plerumq; contemnitur: temporalis vero, quantumuis potens, atq; fortis, in ſuam ipſius perniciem per omne ſcelus, & inſaniam properat; nimirum cœleſti gratia deſtituta, qua per ſpiritualis poteſtatis coitionem fruebatur.

Reſpondeo. Hac omnia contra ſuum auctorem, non contra Bellarminum, pugnant. Fatetur enim Bellarminus optimum eſſe, vt duæ iſtæ poteſtates concordes ſint, & valde perniciſiſum ſi inter ſe pugnent: ſed non inde ſequitur vnam alteri non eſſe iure ſubiectam. Nam & in homine optimum eſt, vt ſpiritus, & caro concordes ſint, & pernicioſum ſi diſſideant, vt ſæpe carne reluctante imperiis ſpiritus, & ſpiritu carnem in ſeruitutem redigere conante, diſcordant: nec tamen vllus ſapiens ex hac diſcordia colliget, non debere eſſe ſpiritus in carnem ſuam imperium, cum contrarium apertiſsime inde colligatur. Igitur eodem modo ex eo quod ex diſcordia duarum poteſtatum, ſpiritualis, & politicæ in eadem Chriſtiana Rep. tam multa incommoda ſequuntur, & vtriq; valde neceſſaria concordia eſt: colligi debet, pertinuiſſe ad ſapientiam Chriſti Chriſtianæ Reip. Conditoris, vt vnam poteſtatem alteri ſubijceret, quo facilius pacem, & concordiam inter ſe retinerent, & colerent.

Quam tu pertinax in abſurdo, ne dicam impio fundamento! nempe vt corpori animam, ita ſpiritualem temporali præeſſe poteſtati; cui nos ſophiſmati, iam ſæpe reſpondimus. Hinc deducis, debere colligi *pertinuiſſe ad ſapientiam Chriſti Chriſtianæ Reip. conditoris, vt vnam poteſtatem alteri ſubijceret, quo facilius pacem, & concordiam inter ſe retinerent, & colerent.* Hæc non abſimilis Petri Bertrandi ſententiæ (in tractatu de Origine Iuriſdiction. quæſt. 4. numero 5.) *nam non videretur*, ait *Dominus diſcretus fuiſſe (vt cum reuerentia eius loquar) niſi vnum poſt ſe talem reliquiſſet, qui hæc omnia poſſet.* At vero ſi tam grandib. veſtigiis non horrerem vobiſcũ inſiſtere; ſi æqualem dicendæ ſententiæ libertatem mihi facerem, meliori iure effarer, *pertinuiſſe ad ſapientiam Chriſti*, vt ſi hoc ius quod propugnas tribuere Eccleſiaſticæ poteſtati in temporalem vellet, ita hanc Eccleſiaſticam poteſtatem informaret, ne vnquam iniuſte hoc iure in temporalem vteretur, vt inquam de Pontifice Chriſtus diceret (Iſaiæ 42.) *dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet, non clamabit, neq; accipiet perſonam, &c. non erit triſtis, neq; turbulentus, donec ponat in terra iudicium.* Vel ſaltem ſi hanc certam, & perennem iuſtitiam, Eccleſiaſticæ poteſtati non daret; vt nihilominus vellet omnes illius ſententias exequutioni mandari, neque magis de earum æquitate diſputari quàm in cæteris ſummis iudiciis, in quibus prouocatione ſublata, non quæritur ad exequutionem ſententiæ verum illi ſummi iudices recte iudicauerint, ſed tantummodo an iudicauerint. Alterutrum inquam fuit concedendum Eccleſiæ, vna cum iſta poteſtate in temporalia; ſi illa poteſtas ideo data eſt Eccleſiæ, vt hic aſſeris, *quo facilius pacem & concordiam inter ſe retinerent & colerent*, Ciuilis & Spiritualis Reſpublicæ. Neutrum tamen illi datum. Neq; enim dubium quin errare Pontifices, & immeritos Reges poſſint deponere; non inquam dubium, vel ex tua, & Ieſuitarum ſententia. Ita tu ſupra cap. 10. §. 3. *Henricus quidem per ſententiam Eccleſiæ depoſitus fuit ab Imperio: in qua ſententia iuſtitia & iniuſtitia locum habere potuit.* Et Ieſuitæ in recenti illo libro quem *Actionis* titulo ſub Montolonii Aduocati nomine euulgarunt. pag. 386. *Theologi illi qui loquuntur de excommunicatione & cenſuris in Principes, aliter de iis non loquuntur, quam ſub conditione, vt hoc fiat claue non errante, ſupponentes etiam, non eſſe vt Principes qui ſe credent illegitime & iniuſte excommunicatos, deſtituantur, conſilio, aliiſq; mediis, quibus ſe Deo Deiq; Eccleſiæ reconcilient, abſq; vllo detrimento poteſtatis ſuæ Regiæ, ſuorum ſtatuum, ſuorum ſubditorum, ſed nec in dubium reuocantes poteſtatem vicarij Ieſu Chriſti, quandoquidem poteſt contingere, vt interdum falſis rumoribus aut internunciis decepti Pontifices animentur in Reges, vel Reges de Pontifice conquerantur.* En vt conceditis Pontifices in eiuſmodi ſententiis poſſe errare: Neque mirum; quandoquidem actiones & ſcelera Principum, ex quibus, vt dicitis, pendet æquitas ſententiæ in eos ferendæ per Papam, in facto conſiſtunt. *Facta* autem, vt Iuriſconſultus ait, *prudentiſſimos fallunt:* &

ita concedis in facto tam Pontificem quam Concilium posse errare, *lib. 2. de Concil. cap.* 8. An vero saltem dices non esse disputandum de sententiæ æquitate, Papam summum esse iudicem, ideoq; non quærendum, ad hoc vt illius sententia executioni mandari debeat, an recte iudicauerit, sed tantũ an iudicauerit? hoc si dices, quo igitur præcautiones illæ omnes quas superiori Capite adhibuisti, de modo, de causis, ob quas Pontifex possit Reges deponere? Cur Iesuitæ etiam dicant, non esse vt Rex qui se illegitime excommunicatum senserit deficiatur suorum auxilio, absque vllo Regiæ potestatis detrimento? quam etiam infesta illa vox, quam perniciosa mortalibus, posse Pontificem omnes quos voluerit Reges promiscue deponere, nec quærendum, bene an secus agat, sed omnino parendum deponenti? Et quidem licet hoc omnino ex vestra sequatur sententia, vt superiori Capite disseruimus, id fateri tamen pudet, nec audebis palam nisi æquiuocis verbis asserere harum propositionũ alterutram, vel scilicet *quod Papa non possit errare in deponendis Regibus.* Vel quod *omnibus Papa sententiis, quibus deponat Reges, sit absque quæstione & tergiuersatione parendum.*

Cum igitur Ecclesiastica hæc potestas in corrigenda temporali possit errare, cum in eius sententiæ æquitate quærenda possint sæpe tumultus, bella, cædes, oriri; mihi crede nisi Bardis non persuadeas eam auctoritatem à sapientia Christi inuentam, *quo facilius pacem, & concordiam, inter se retinerent & colerent Ecclesiastica & Ciuilis potestates.* Imo nostra sententia Christi prudentiæ atque iustitiæ multo conformior, vt nimirum Pontifici eam potestatem contulerit, qua in innocentium perniciem vti non posit. Ea est spiritualis, ligandi; & soluendi, Nam si Papa cæco impetu innoxium Principem excommunicatione alliget, plus seipsum ligabit quam Principem, qui solutus in conscientia, parum, aut nihil damni, ex eiusmodi excommunicatione certe feret, vt supra diximus *c. 4* §. 4. At si liceat Papę temporalem dignitatẽ auferre & auferat innocenti, ingens damnũ, nec vnquam fortassis reparandum, affliget inculpatum hominem, & eiusmodi seueritatẽ indignum. Denique vt recte Almainus, De potest. Eccles. & Laic. quæst. 1. cap. 9. vbi vestram refutat sententiam, *esset occasio, quod ratione talis potestatis Papa efferetur in maximam superbiam, & illa plenitudo potestatis esset multum damnosa subiectis, ideo illa etiam esset nociua Papæ & subiectis, & sic non est verisimile quod Christus ei talem contulerit potestatem.* Et vt ait Io. Maior in 16. cap. Matth. Si Papa *hac via tentaretur cum vno Rege, posthac pranderet cum alio, qui minime est eius amicus, & cœnaret cum reliquis.* Sed & Franciscus Victoria, Relect. 1. de pot. Eccl. sect. 6. scribit, non *expedisse* vt Christus daret Ecclesiæ directam potestatem temporalem, *quia*, inquit, *possent Pontifices male vti ad perniciem Ecclesiæ.* At si potest Pontifex male vti directa potestate, cur non etiam indirecta.

§. 4.

ADDIT *Barclaius*, inquis, *testimonium Hosii Cordubensis, & S. Bernardi: sed quoniam ad testimonium Hosii non semel supra respondimus, audiamus verba S. Bernardi lib. 1. de consideratione cap. 5. Habent, inquit, has infima, & terrena iudices suos, Reges, & Principes terræ. quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?*

Respondeo. S. Bernardus ipse declarat, cum in eodem loco subiungit: Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis: deinde vbi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus, si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Sed aliud est incidenter incurrere in ista, causa quidem vrgente, aliud vero incumbere istis, tanquam magnis, dignisq; tali, & talium intentione rebus. Vbi demõstrat Pontifices Maximos, vt plurimum debere in rebus maioribus occupari & infima ista, ac terrena relinquere Iudicibus minoribus, Regibus videlicet, & Principibus terræ. Quemadmodũ Apostolus 1. Corinth. 6. dixit, Iudicia sæcularia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum. Itaque S. Bernardus eo loco fines alienos, & messem alienam, iudicia terrena vocauit, non quod non possit Pontifex, sed quod vt plurimum non debeat, dimissis rebus grauioribus, istis terrenis & vilibus implicari. Et Barclaius non satis prudenter, ne dicam fraudulenter, verba citat quæ secum afferunt explicationem, si locus integer adferatur.

Hosio assertore, atq; Bernardo, Barclaius vtitur, vt probet, non esse confusas has in Ecclesia potestates, neq; ius spirituali in temporalia esse concessum, neutram ideo nisi propriis armis à se iniurias posse repellere. id est spiritualem Remp. non nisi spiritualibus, temporalibus temporalem. De Hosij testimonio actum supra (cap. 2. §. 10. cap. 4. §. vlt.) Veniamus ad Bernardum, cuius verbis Barclaius probat, Pontifici temporalium rerum iudicia cum pontificali authoritate à Numine non esse commissa. Ais vero Bernardum sui interpretem agere, sequentibus verbis, quibus dicit non indignos Pontifices qui terrenis occupentur, sed indignũ terrenis eos insistere quippe potioribus occupatos. Atqui inde nihil minus collegeris, quam potestatem in omnium Christianorum temporalia Papæ esse, quod superioribus verbis Bernardus negauerat, sed agitur de quotidianis negotiis, de huius mũdi cura, quæ vt omnes homines, tum optimates præcipue implicat. Alioqui non dixisset *indignum* vt eiusmodi iudiciis incumbant Põtifices, non addidisset illas res *tali & talium intentione* esse indignas. Vultis enim hanc de temporalib. iudicandi potestatem spiritualis iurisdictionis partem esse & à Deo Pontifici assignatam. Non vir, inquam, adeo eruditæ sanctitatis in tantam erupisset blasphemiam, vt vllam spiritualis authoritatis partem, aut omnino aliquid Pontifici à Deo mandatum, negaret esse dignum *occupatione & intentione* Pontificis.

Sensus igitur, hæc terrena esse extra Pontificum potestatem, & infra dignitatem, non hosce cœlestibus officio ac cogitatione versantes, nisi ad necessarios vsus (qui vt frequentes in omnibus, tum maxime in Pontificibus, seculari opulentia & imperio auctis) ad terrena oportere submitti. Hæc inquam, vocabula, *incidenter incurrere in ista, causa quidem vrgente* non de iudicio in Christianorum omnium temporalia possis accipere; sed de eorundem negotiorum cura, quibus ipsi Reges incumbunt, quandoquidem Pontifices sunt in finibus suis Reges. Alioqui non illud iudicium terrenum diceret, quod spirituale esset; non indignum Pontifice, quod à Deo Pontifici datum ad pacem Ecclesiæ, & salutem animarum, & pene præcipuum pastoralis curæ munus. non illis denique Apostoli verbis id Pontificibus concessum docuisset, *si enim in vobis iudicabitur, &c.* quæ non ad Pontifices referuntur, sed ad omnes omnino Electos; vt diximus (*cap. 5. §. 4.*) Sed neq; illa verba, *incidenter* aut *casualiter* significare indirectam potestatem, iam supra ostendimus (*cap. 5. §. 1.*)

En autem quam ex arte Bernardum exponas; *demonstrat*, inquit, *Pontifices maximos vt plurimum debere in rebus maioribus occupari, & infima ista, ac terrena, relinquere iudicibus minoribus, Regibus videlicet, & Principibus terræ.* Dic aperte; quid hoc verbum, *relinquere?* quid illa, *iudicibus minoribus?* Quanto, quam callido fastu dictum! nam si relinquere hic accipis pro eo, quod cum possis tibi sumere relinquis, aliisque permittis, vel ex tua sententia falsum erit. Neque enim Pontifex potest ista infima ac terrena auferre Principibus terræ: vt tu ipse *capite 5. §. 2.* fuse disputas. non alio igitur modo aut beneficio ista terrena Principibus Pontifex, quam Principes illa spiritualia relinquunt Pontifici. Ais, Reges & Principes esse *iudices minores*. cuius vero iudicis respectu quarumue causarum? Papæ respectu? Atqui Papa spiritualis iudex est, In spiritualibus vero Reges nec superiores nec inferiores iudices. At in temporalibus summi sunt Iudices, Bellarmine, vt sis iniurius, qui eos vllo modo *inferiores* dicas. Nam si inferiorem pro ignobiliori accipis; quod hi temporalibus præsint spiritualibus, Papa contra loquendi vsum facis, quo inferior iudex dicitur, subordinatus iudex, & respectu ad iudicem eiusdem generis superiorem: quales certe Reges facit orationis tuæ tenor & tumor, *terrena relinquere iudicibus minoribus, Regibus videlicet, &c.*

Sed & sententiam tuam fulcis Apostoli verbis, *Iudicia secularia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum.* Quid? an Reges à Pontifice constituuntur ad iudicandum? an ab eo potestatem suam habent? imo vbique ipse dicis Reges mediate à Deo, & immediate à populo constitutos. Quæ hæc tibi tecum pugna? quam immanis Apostolicæ sententiæ deflexio! Apostolus differit de arbitris inter fideles statuendis, vt si litigantes inter se Christiani parcere iis vellent, Ethnici tribunalis molestias declinarent. Bellarminus hæc verba stripuit, vt asfereret Pontificem Reges constituere, & iis authoritatem impertire. Nam aut hæc vis, aut frustra hic Apostoli locus, de quo nos fuse infra (*Cap 21. §. 2.*)

Sensus igitur hic Bernardi. Nolite, Pontifices, ad temporalia negotia vestram potestatem extendere. Iis rebus præfecti sunt Principes, Reges, qui reddant vni Deo administrationis rationem: esset hoc mittere falcem vestram in messem alienam (vt post Bernardum & iisdem quibus Bernardus verbis vtens, explicuit Albericus in *Dictionario*, in verbo, *Electio.*) Non tamen omnino interdictum vobis ciuilibus negotiis, Pontifices. Nam vt estis homines, vt Principes temporales, necesse est interdum vacare his terrenis, dum de ciuilibus vestris rebus agitis, vel inter vestros ciues: hoc tamen velut per transennam fit, cum illa indigna sint, quæ vestras, scilicet destinatas cœlestibus, exerceant curas.

§. 5.

PARI *astutia*, inquis, *Ioannem Driedonem allegat, ex lib. 2. de libertate Christiana, cap. 2. cuius hæc sunt verba: Christus vtriusque potestatis officia discreuit, vt vna diuinis & spiritualibus rebus, atque personis, altera profanis atque mundanis præsideret. & mox: En plane vides Christum discreuisse vtriusque potestatis officia. distinctio igitur Ecclesiasticæ potestatis Papalis à potestate seculari, ac Imperiali, est de iure diuino facta.*

Respondeo. Scribit Ioannes Driedo, potestates illas duas distinctas esse; sed vnam alteri subiectam esse, temporalem videlicet spirituali, hoc loco non negat. & paulo infra in eodem capite disertis verbis affirmat, dicens: Vnde Papa, & Imperator, sunt in Ecclesia, non tanquam duo Rectores summi inter se diuisi, quorum neuter alterum cognoscit, & veneratur tanquam superiorem: quia Regnum sic contra se desolabitur. hæc ille: nec valet Glossa Barclaij, quod Imperator in spiritualibus Papam, Papa in temporalibus Imperatorem cognoscere debeat, & venerari, tanquam superiorem. Nam Ioannes Driedo explicuit sententiam suam lib. 1. eiusdem operis, cap. 9. vbi docuit, in ordine ad finem supernaturalem, subiectam esse potestatem temporalem potestati spirituali. & cap. 14. docuit, Papam habere plenitudinem potestatis super omnes Reges, & Principes Christianos, & posse eos Regnis priuare, & in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia & subiectione: & nusquam docuit, potestatem spiritualem subiectam esse temporali, aut posse à Regibus priuari Pontificem Papatu, aut ab eius obedientia, & subiectione populos liberari. Allegat Barclaius antiquam Glossam in can. Hadrianus, dist. 63. sic dicentem. Quemadmodum ille huic in spiritualibus: ita hic illi in temporalibus pater est. Sed ego istam glossam neque in nouis, neque in antiquis editionibus inuenire potui. Fortasse tanquam delira anus antiquata est, aut præ nimio senio iam dudum excessit è viuis.

Dicis

Dicis, Ioannem Driedonem *eodem capite*, quod Barclaius pro se affert, *disertis verbis affirmare potestatem temporalem subiectam esse spirituali.* Verba sunt, inquis, *Vnde Papa & Imperator sunt in Ecclesia, non tanquam duo rectores summi inter se diuisi, quorum neuter alterum cognoscit, & veneratur tanquam superiorem: quia regnum sic contra se desolabitur.* Quæ hæc in scribendo frons? Perge vero Bellarmine, quæ sequuntur apud Driedonem hic refer? *Neque item, inquit, sunt tanquam duo iudices subordinati, sic, vt alter suam iurisdictionem accipiat ab altero, sed sunt tanquam rectores duo, qui sunt vnius Dei ministri, diuersis officiis deputati.* Estne hoc disertis verbis, Bellarmine dicere potestatem temporalem subiectam esse spirituali? Imo Barclaij expositioni consentit; non rectores duos summos inter se diuisos, quorum neuter alterum cognoscit, aut veneratur tanquam superiorem, *Quia hic illum in spiritualibus, hunc ille in temporalibus recognoscere & venerari tanquam superiorem debet.*

Allegat, inquis, *Barclaius, antiquam Glossam in can Hadrianus, &c.* dicis te illam glossam reperire *neque in nouis, neque in antiquis editionibus* potuisse. O te laboriosum hominem! quasi Barclaius scribat adhuc extare illam glossam: imo paulo post ait (*cap. 16. §. vltim.*) hanc relatam à Cardinali de Cusa, quod non diceret, Bellarmine, *si in antiquis aut nouis editionibus* adhuc extaret. Relatam autem à Cardinali de Cusa *lib. 3. de concord. Cathol. cap. 3.* negare non possis.

At, inquis, Driedo alibi suam mentem exponit, libro 1. de libert. Eccles. vbi docet *in ordine ad finem supernaturalem subiectam esse potestatem temporalem potestati spirituali &c. Et in capit 14. docuit*, inquis, *Papam habere plenitudinem potestatis super omnes Reges, & Principes Christianos, & posse eos Regnis priuare.* Imo illam plenitudinẽ potestatis, eo tantũ Driedo extendit, vt Pontifex hæreticis Regibus possit authoritatem abrogare; Sic illius constat sententia à Barclaio recitata, Principem & Pontificem in Ecclesia summos esse rectores, sibi inuicem non subordinatos: Nam hæreticus, quem vult à Pontifice posse deponi, iam in Ecclesia non est. Falso igitur scribis, Driedonem dicere, *Papam habere plenitudinem potestatis super omnes Reges, & Principes Christianos, & posse eos regnis priuare*, cum priuationi illi solos hæreticos velit esse obnoxios: & recte Barclaius hoc auctore vsus est, dum de Principibus qui Ecclesiæ membra sunt egit: quamuis de hæreticis dissentiret.

§. 6.

POSTREMO, inquis, *adijt Barclaius testimonium Bellarmini, vt Bellarminum cum Bellarmino committat, eumque proprio gladio prosternat. Nota, inquit Bellarminus libro 5. de Pontifice cap. 3 quemadmodum non est idem sydus Sol & Luna. & sicut Lunam non instituit Sol, sed Deus: ita quoque non esse idem Pontificatum & imperium, neque vnum ab alio absolute pendere. His verbis recitatis, subiungit Barclaius. Sunt quidem Sol & Luna duo luminaria magna, quæ Pontifex Innocentius, cap. solitæ, de maior. & obed. per allegoriam interpretatur duas dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & Regalis potestas, & illam Soli, hanc Lunæ comparat. Vide hoc modo disputo. Quemadmodum Luna non minus Luna est, nec minus per se consistit tunc, cum à Sole recedit, & mutuatum ab eo lumen errans amittit, quam cum eius radijs pleno orbe, atque aspectu illustratur, & neutro casu hæc ab illo, aut ille ab hac dependet: sed ambo institutionis suæ ordinem, & modum tenentes Deo, Mundoque deseruiunt: sic etiam potestas Regalis, siue politica, proprijs subnixa viribus per se consistit: & licet magnum quidem lumen, ad bene beateq; viuendum à Pontificali spiritualiq; potestate accipiat: tamen eius neq; accessu, neq; recessu, vlla ex parte in sua vi, siue essentia mutatur, minuitur, vel augetur, multoq; minus adueniensi subijcitur.*

Respondeo Similitudines non in omnibus locum habent. sed in ea re tantum, ad quam explicandam adhibentur. Ideo frustra quæritur accommodatio in omnibus. Christus Agnus Dei dictus est propter mansuetudinem, & Leo propter fortitudinem, & Petra propter firmitatem, & vitis propter fœcunditatem: nec tamen licet Christo tribuere stoliditatem ouis, aut sæuitiam leonis aut duritiem lapidis, aut fragilitatem vitis. Recte igitur comparauit Innocentius Tertius potestatem Pontificiam Soli, & potestatem Regiam Lunæ. quod illa præsit spiritualibus, ista temporalibus, illa sit maior, ista minor. Nec male ego & notaui Pontificatum, & Imperium, instar Solis, & Lunæ esse distincta, & à Deo; & Imperium absolute non pendere à Pontificatu: quia videlicet Imperium Romanum fuit ante Pontificatum Christianum, ac per hoc institutum non fuit à Pontifice: neque Pontifex Imperium sustulit vnquam, sed solum transtulit ab vno homine ad alium, vel ab vna gente ad aliam. Concedimus autem Barclaio, potestates Pontificiam & Regiam instar Solis & Lunæ non pendere ab inuicem quoad essentiam. Sed non concedimus, quod Barclaius in fine addidit, Lunam Soli non subijci. Subijcitur enim Luna Soli, cum ab eo lumen recipiat, & non subijcitur Luna Sol, qui nihil recipit à Luna. Nec solum Luna, sed etiam omnes stellæ subijciuntur Soli, quoniam ab illo lumen recipiunt: & recte Marcus Tullius in somnio Scipionis de Sole dicit, Dux est & Princeps, & moderator luminum reliquorum. Itaque quemadmodum Soli subijcitur Luna, & Luna non subijcitur Sol: ita quoque Pontifici subijcitur Rex, & Regi non subijcitur Pontifex.

Nihil certius, quam quod ais *similitudines non in omnibus locum habere.* Sed hic res à Barclaio conferuntur, respectu eodem, & eadem in parte, in qua tu similes esse scribis; nimirum, quod *non est idem sydus Sol & Luna*, & quod *Lunam non instituit Sol, sed Deus.* Hinc spiritualem & temporalem potestatem *non esse idem* dicis, nec à spirituali institui temporalem. Hoc eodem fundamento nixus Barclaius: sicut inquit Sol & Luna diuersa sunt sydera, & vt vnum sine altero prorsus constat, nec est inter ipsa vlla *essentia dependentia*, ita neutra istarum potestatum, aut ab alia recedens deperit, aut accedens subuertitur. Respondes te concedere Barclaio *potestates Pontificiam & Regiam instar Solis & Lunæ non pendere ab inuicem quoad essentiam. Sed nõ concedimus quod Barclaius in fine addidit,*

Lunam

Versute: Atqui.

Lunam, Soli non subiici. Subiicitur enim Luna Soli cum ab eo lumen recipiat. Quam tu *versute! Atqui* intelligis, subiici Lunam Soli; quatenus lucida, seu respectu accepti luminis, & hoc nihil in Barclaium; qui concessit politicam potestatem magnum lumen ab Ecclesia accipere. Sed tunc ineptum, quod addis similitudinis membrum, *& non subiicitur Luna Sol qui nihil recipit à Luna.* Multa quippe potestas Ecclesiastica, quam tu Solem appellas, à Politica accipit: cum, vt Pontifex ait, *pro cursu temporalium rerum,* Pontifices legibus imperialibus indigeant, & vt egregie Augustinus, omnis possessio (nec tunc quidem quam opimi Ecclesiæ fundi) ex iure ciuili vim habeat, & Principum sanctione. Aut vis Lunam simpliciter Soli subiici, vt ab eo constitui possit, aut perdi. Atqui hoc esset pueriliter asserere quod modo negasti, Lunã à Sole *pendere quoad essentiam*; & reuera nihil absurdius. Nam vt recte Barclaius (nec tu ipse iuisti inficias) cum à Sole Luna recedit, aut ab Ecclesiastica potestate ciuilis, amittit eximium quidem lumen; sed quamuis caliget atque ceret, nihil tamen de *esse* suo perdit. Est Sol igitur dux, & princeps, & moderator luminũ reliquorum, non quatenus sunt corpora, sed quatenus lucent; neque iis aliquid nisi ipsum lumen potest auferre. Sic spiritualis authoritas dux est ciuilis potestatis, quantum ad spiritualem vim, quam solam & auferre potest & dare. Solem autem, & Lunam, ne in interpretatione illa te iactes, non vtique semper docti, tuo sensu mystice acceperunt. sed in contrarium, Solem pro ciuili potestate, pro spirituali Lunam. Hinc Io. Parisiensis hos refellens qui ex eiusmodi similitudine tribuunt Pontifici summam in temporalia potestatem; De pot. Reg. & Pap. c. p. 14. *Quod vero dicitur quarto.* inquit, *fecit Dominus duo luminaria, &c mystica est expositio, secundum Dionysium. Mystica autem Theologia non est argumentatiua, nisi accipiatur eius probatio ex alia Scriptura. Amplius, proprie dicta Mystica expositio à Sanctis non inuenitur, sed forte contraria. Vnde dicit Isydorus, super Genesim in glossa, quod per Solem intelligitur regnum, & per Lunam intelligitur Sacerdotium.*

CAPVT XIX.

Expugnatur confirmatio prima rationis Bellarmini. Qui sint fines Potestatis Ecclesiasticæ, & Politicæ. Falsum esse, & absurdum argumentum quo vtitur Bellarminus; nempe alterutram harum Potestatum pendere ab altera, quia membra sunt vnius Republicæ Christianæ. Non sequi potestatem Politicam Ecclesiasticæ subiici, ex eo quod Princeps temporalis teneatur mutare formam regiminis, & modum administrandarũ rerum ciuilium, si per eum impediatur bonum spirituale. Argumenta Bellarmini in eam rem excussa.

Apud Bellarminum Titulus est,

Defenditur confirmatio prima rationis Bellarmini.

§. 1.



N *Capite quartodecimo Barclaius examinat,* inquis, *tria illa argumenta, quibus ego probaui assumptionem primæ rationis, siue antecedens primi enthymematis, vt scholarũ verbis vtamur. Primum argumentum illud fuit: Finis temporalis subordinatur fini spirituali, sed facultates subordinantur, vt subordinantur fines. igitur facultas. siue potestas temporalis, subordinatur facultati, siue potestati spirituali. Ad hoc argumentum respondet Barclaius his verbis.*

Nego constanter talem ordinationem, vel subordinationem finium harum potestatum esse; quatenus ipsæ tales potestates sunt. Nam finis politicæ, seu ciuilis potestatis, quatenus politica est, nihil aliud absolute complectitur quam felicitatem temporalem, commune scilicet bonum, & vitæ degendæ ordinatã tranquillitatem, vt ipsemet alibi Bellarminus fatetur. Politica potestas, inquit, habet suos Principes, leges. iudicia, &c. & similiter Ecclesiastica suos Episcopos, Canones, iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista salutem æternam. Hæc Barclaius qui postea rem eandem confirmat ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. qui iubet nos orare pro Regibus, vt tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Item ex Nauarro, qui in c. Nouit, de Iudic. nu. 90. dicit finem potestatis laicæ esse vitam bonam, beatam, & quietam temporalem mortalium, quæ & finis est legum ab ipsa emanantium, potestatis vero Ecclesiasticæ, finem esse vitam æternam supernaturalem, eundemq́; esse finem legum ab ipsa emanantium.

Respondeo. Negat Barclaius rem certissimam omnium consensione Doctorum, nec potest aliter paradoxa sua defendere, nisi audacter omnia negando, quæ illi obiiciuntur. Quid enim apud Theologos & Philosophos notius, quam inter causas tum efficientes, tum finales, ordinem esse, & inferiores superioribus subordinari? Certe Deus est prima causa efficiens omnium rerum, eiq; subordinantur causæ secundæ, siue vniuersales, quales sunt cæli, siue particulares, quales sunt res istæ inferiores, quarum vnaquæque producit effectus sibi similes, non absque actione cælorum, & cooperatione Dei, primæ videlicet atque altissimæ causæ. Eodem igitur modo finis vltimus absolute Deus est, atque ad eum ordine quodam referuntur & subordinantur omnes alii fines. Finis quidem immediatus potestatis Politicæ, est pax Republicæ temporalis, sed hæc pax subordinatur paci supernaturali hominis cum Deo, ista vero paci beatæ, quæ est in suprema Hierusalem: quæ tandem subordinatur gloriæ Dei Conditoris, qui est primum principium, & vltimus finis omnium rerum. Atq; hoc ipsum docent auctores quos hic

Bar-

Barclaius citat. Bellarminus enim, quem primo loco nominat, lib.5. de Pontif.cap.6. vbi scripsit, finem politicæ potestatis esse pacem temporalem, & finem potestatis Ecclesiasticæ esse salutem æternam, paulo post addit hæc verba: Quando istæ potestates sunt coniunctæ, vnum corpus efficiunt, ideoque debent esse conexæ, & inferior superiori subiecta, & subordinata: cuius rei rationem reddit cap.7. quia finis temporalis potestatis subordinatur fini potestatis spiritualis. Sanctus quoque Apostolus 1. ad Timoth.cap.2. quem Barclaius secundo loco citauit, cum iussit orari pro Regibus, vt tranquillam vitam agamus, adiunxit, in omni pietate & castitate, vt ostenderet tranquillitatem vitæ, quæ est finis politicæ potestatis, subordinari pietati & castitati, quæ finis est potestatis spiritualis, per quem ad finem vltimum peruenitur, qui est felicitas sempiterna. Denique Nauarrus, quem tertio loco Barclaius attulit, in cap. Nouit de Iudiciis. 90. scribit finem potestatis temporalis esse vitam bonam, & beatam mortalium temporalem finem spiritualis potestatis esse vitam æternā in cœlis. Sed idem auctor eodem loco, numero 97. demonstrat finem temporalis potestatis subordinari fini potestatis spiritualis, cum docet ex S. Thoma lib.3. de Regimine Principum cap.12. Christi Dominium ordinari ad salutem animæ, & spiritualia bona, licet à temporalibus non excludatur, eo modo quo ad spiritualia ordinatur. Expende, inquit Nauarrus, illa verba, eo modo, quo ad spiritualia ordinantur: Nam illo & non alio modo suprema hæc Papæ Patria Patris potestas extenditur ad illa, id est, ad temporalia. Ibidem Nauarrus adducit alium locum S. Thomæ ex 2.2. qu. 40. art.2. ad tertium. Omnis persona, inquit S. Thomas, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de his, quæ sunt ad finem: bella autem carnalia in populo fideli sunt referenda ad spirituale bonum diuinum, cui Clerici deputantur: & ideo ad Clericos pertinet disponere & inducere alios ad bellādum bella ista. Vbi S. Thomas docet bella carnalia ordinari ad bonum spirituale, vt ad finem non immediatum, sed mediatum, finis enim belli carnalis immediatus est victoria, & pax temporalis: sed quia hæc ordinatur ad bonum spirituale, vt alia omnia temporalia, ideo dicitur bellum carnale ordinari vt ad finem, mediatum videlicet, ad bonum spirituale: & ea de causa disponere de bellis iustis agendis pertinet aliquo modo ad Clericos, id est ad Ecclesiasticam potestatem, cuius finis immediatus est bonum spirituale. Multa similia habet idem S. Thomas, de subordinatione finium, in 1.2.q.1. art.4. & lib. contra gentes, cap.17.18. & sequentibus.

Nimis erras, Bellarmine: non negatur à Barclaio res certissima omnium consensione Doctorum, nec incumbit Paradoxis. Certum enim Politicam, vt Politicam, pro vltimo fine habere pacem & tranquillitatem temporalem, id est referri immediate ad Deum (ad quem denique omnia referuntur) per hanc ipsam pacem, & tranquillitatem temporalem, absq; subordinatione quam facis *ad pacem supernaturalem, & pacem beatam, &c.* Ad gloriam, inquam, summi cōditoris idipsum immediate, & absq; subordinatione est, quod hic Mundus tam vario cōstet ornatu, quod genus humanū Naturę precepta audiat, societatem cōseruet, prudenti & felici viatur cōcordia.

At, inquis, illius potestatis finis *est pax Reip. temporalis, sed hæc pax subordinatur paci supernaturali hominis cum Deo.* Nihil minus. Hæ duæ, vt ita dicam, paces, nec vnius sunt generis, nec habent cōmune aliquid præter nomen, vt nec vna subordinata alii, aut ad aliam necessaria, imo neq; semper vtilis videatur. Quod ad Politicam Spiritualis nihil faciat, tum ex Antiquis notum, qui floruerunt ciuilis prudentiæ laude, in diuinis tamen cæci; tum ex ipsa Politica potestate ad Ecclesiam accedente, à qua spiritualis quidem scientiæ multum accepit, ciuilis autem nihil. Quod vero ad Spiritualem Politica proprie & necessario non faciat, tum crescentis per cædes, per tumultus Ecclesiæ robur ac feruor, tum sæpe in Politica pace ac otio consenescentis & languentis facies, nimis heu prodit. *Nolite arbitrari* (Matth.10.) *quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium.* Et de his quidem finibus, & subordinatione, quam fingis, à nobis vberius, *cap.3. §.6.*

Ad Auctores veniamus, quos produxit Barclaius. Primus ipse es, in hæc verba, *Politica potestas habet pro fine temporalem pacem, Ecclesiastica salutem æternam.* Dicis te scripsisse alibi, finem temporalis potestatis subordinari fini potestatis spiritualis. Atqui vel inepta diuisio tua fuit, vel cum describeres fines Politicæ & Ecclesiasticæ potestatum, agebas vtrobique de subordinato fine, aut vtrobique de vltimo. De subordinato non agebas: certum enim salutem æternam esse vltimum Ecclesiasticæ finem, ergo agebas etiam de vltimo, cum diceres finem Politicæ potestatis esse pacem temporalem, & si credebas vltimum illius finem esse, fœlicitatem æternam, dicendum prorsus fuit, eundem ipsi finem, qui & Ecclesiasticæ potestati. Si enim ille finis, quem designas, ciuilis potestatis, nempe pax temporalis, est ex se, & ex natura rei, subordinatus supernaturali fini salutis æternæ, omnino sequitur ciuilem potestatem habere pro vero suo fine, salutem hanc æternam, ad quem vltimum finem peruenit per quædam subordinata media, scilicet per istas leges humanas pacemque Politicam: quæ ideo non magis dici possent rationem finis habere respectu ciuilis potestatis, quam illa media, per quæ potestas Ecclesiastica peruenit ad eundem salutis æternę finem, dici possunt, esse pro fine Ecclesiasticæ potestatis. Potestas siquidem Ecclesiastica, leges quoq; suas habet, quarum obseruationem intēdit, non quidem pro fine vltimo, sed pro quodam subordinato fine, quia scilicet per hunc finem, fit aditus atq; via, ad vltimum illum vitæ cœlestis. En vt Ecclesiasticæ, & Politicæ potestati, idem finis assignandus, aut certe non subordinanda pax temporalis atque Politica, paci æternæ & cœlesti. Quod si in istis erras, nunc temporali potestati pacem Politicam pro fine assignans, nunc eandē pacem æternitati subordinans: tibi ipse tuos errores, non Barclaio, imputabis.

Sanctus quoque Apostolus, inquis, *ad Timoth. cap. 2. quem Barclaius secundo loco citauit, cum iussit orari pro Regibus, vt tranquillam vitam agamus, adiunxit in omni pietate & castitate, vt ostenderet tranquillitatem vitæ, quæ est finis Politicæ potestatis, subordinari pietati & castitati, quæ finis est potestatis spi-*

ritualis, &c. Egregiam vero glossam! quod hic igitur verbum subordinationem ostendit? Si quis dixerit, *vt tecum viuam, & te amem, cum hilaritate & gaudio*, an is conuictum illum & amicitiam innuet, hilaritati & gaudio subordinari? potius contrarium: vt si subordinationem aliquam in his Apostoli verbis facias, melius, ex vi verborum, castitatem & pietatem tranquillitati vitæ subordines. Sed neutrum est. Recte Barclaius; *tranquillitatem vitæ Politicæ gubernationi, pietatem & castitatem Christianæ disciplinæ ascribens* Apostolus; non subiectionem aliquam, sed finem vtriusq; potestatis assignat.

Nauarrum autem dicis, duplici authoritate S. Thomæ subnixum, *demonstrare finem temporalis potestatis subordinari fini potestatis spiritualis*. Primus S. Thomæ locus est, *libro 3. de Regimine Principum cap. 12.* Atqui tu *libro 5. de Rom. Pontif. cap.* 5. vltro prodis illos de Regimin. Princip. libros, non esse S. Thomæ, & in Prolegomenis docuimus, (*numero 3.*) non modo non S. Thomæ, sed inepti hominis esse, & prorsus absurdi. Ignosco Nauarro, si non excusserit illos libros prima nominis fronte deceptus. Tibi autem quis vel patruus indulgeat, illic nõ modo scribenti, sed & probanti libros illos D. Thomæ nõ esse, hic autẽ eosdẽ S. Thomę absq; nota aut dubio ascribẽti? Hãc igitur ficti Thomæ authoritatem possim omittere: nam quę illius apud politos authoritas libet? tamen excutere. Quid ait? *Christi Dominium ordinari ad salutem animæ, & spiritualia bona: licet à temporalibus non excludatur: eo modo, quo ad spiritualia ordinantur.* Imo vero Christi dominium non est minus in temporalia, quam in spiritualia. De eo Pater æternus per Psalmistam, (Psalm. 2.) *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.* & ipse (Matth. 28.) *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Non igitur non excluditur modo à temporalibus, sed ea directe includit. Sic & male i[illegible] nus iste Thomas dominium Christi artauit, & male Nauarrus ex Christi dominio mensus est Pontificis potestatem.

Secundus apud Nauarrum Thomæ locus est (ex 2. 2. quæst. 40. art. ad 3.) *Bella carnalia in populo fideli sunt referenda ad spirituale bonum diuinum, cui Clerici deputantur: & ideo ad Clericos pertinet disponere & inducere alios, ad bellandum bella iusta.* Quis vero sententiæ huius sensus, nisi bella carnalia, siue corporalia, inter Christianos suscipienda pie esse, & non simpliciter ad tranquillitatem huius vitæ, sed ad Dei gloriam, meritumque bellantium referenda; Clericorũ igitur esse, quibus salus animarum est commissa, vt Christianos disponant, hortentur, & inducant *ad bellandum bella iusta*? Neque vero bella tantum, sed & actiones omnes à piis Christianis referri ad spiritualem finem par est. At hoc totum nõ ex proprio *belli* fine, aut Politicarũ rerum, sed ex intentione piorum Christianorum: neque illa aliquorum intentio naturam rerum mutat, vt ideo bella omnia, resque ciuiles possint dici pro fine habere æternam cœli metam. quod & satis prodit Thomas, hanc relationem duntaxat *in populo fideli* designans; cum in infideli tamen, non modo bella esse, sed & iusta bella possint. Bella ergo carnalia cum pertinent ad spiritualem finem, non ideo pertinent, quod sint bella, sed quod ex intentione fidelis populi ad hunc finem referantur. Audi vero, quid idem S. Thomas de temporalis potestatis fine dicat, 1. 2 quæst. 98. art. 1. *Est autem sciendum, quod est alius finis legis humanæ, & alius legis diuinæ. Legis enim humanæ finis est temporalis tranquillitas ciuitatis: ad quem finem peruenit lex cohibendo exteriores actus, quantum ad illa mala, quæ possunt perturbare pacificum statum ciuitatis. Finis autem legis diuinæ, est perducere hominem ad finem felicitatis æternæ.* Sed & mox addit *perfectionem* legis humanæ in ea tranquillitate consistere. *Et ideo*, inquit, *illud quod sufficit ad perfectionem legis humanæ, vt scilicet peccata prohibeat, & pœnam apponat, &c.* Et alibi (1. 2. quæst. 99. art. 2.) *Intentio*, inquit, *principalis legis humanæ est, vt faciat amicitiam hominum ad inuicem.*

§. 2.

AGGREDITVR *deinde Barclaius*, inquis, *secundum argumentum meum, quod erat huiusmodi. Reges, & Pontifices, Clerici, & Laici, non faciunt duas Respublicas, sed vnam, id est vnam Ecclesiam: sumus enim vnum corpus. Rom. 12. & 1. Corinth. 12. At in omni corpore membra sunt connexa, & dependentia vnum ab alio: non autem recte asseritur spiritualia pendere à temporalibus, ergo temporalia à spiritualibus pendent, illisque subijciuntur. De hoc secundo argumento ita loquitur Barclaius.*

Secundum vero argumentum vsque adeo friuolum est, & fallax, vt nihil inscitius dici, aut vitiosius colligi posit, quam quod eo concluditur. Ecqua enim anus tam excors est, vt nesciat non valere hanc consecutionem, sunt membra vnius corporis, ergo vnum ab alio pendet? nam neq; pes à pede, neq; brachium à brachio, neque humerus ab humero pendet, sed ab vno tertio.

Respondeo. Oblitus erat Barclaius, cum hæc scriberet, eorum, quæ paulo ante dixerat, neminem Bellarmino argutius argumenta proponere, neminem breuius, subtiliusque concludere: ista siquidem non bene cohærent: argumenta proposita argutissime, subtilissimeque conclusa, à qualibet excorde anu posse nullo labore dissolui. Sed omitto Barclaij inconstantiam, qui Bellarminum nunc laudibus euehit in cœlum, nunc conuitijs deprimit in abyssum: parum enim Bellarmino est, vt à Barclaio iudicetur, aut ab alijs ei similibus, qui iudices eius legitimi non sunt: omnes enim stabimus ante tribunal Christi, & ab illo iuste vereque, ac sine omni animi perturbatione iudicabimur. Quod ergo dixi, membra eiusdem corporis esse connexa, & vnum pendere ab alio, de membris diuersi generis intellexi, qualia sunt, digitus, manus, brachium, humerus & caput: non de membris eiusdem generis, qualia sunt duæ manus, duo pedes, duo oculi, duæ aures: potestas enim Politica, & Ecclesiastica, de quibus loquebamur, diuersi generis sunt, vt notum est: & secundum subiectam materiam verba intelligenda sunt,

sunt, vt notum est? & secundum subiectam materiam verba intelligenda sunt: alioqui nulla esset tam certa demonstratio, quæ calumniam pati non posset. Itaq; potestas Regia, quæ in suo genere principalis est, si cum potestate Pontificia, quæ etiam in suo genere principalis est, in vnum corpus coalesceat, necessario debet aut subesse, aut præesse, ne sint in vno corpore duo capita: & cum satis constet Pontificem esse caput Ecclesiæ vice Christi, aperte sequitur, vt debeat Rex, aut non esse membrũ huius corporis, aut Pontifici subesse, & eodem modo potestas Politica, quæ præcipue residet in Rege, aut debet subiecta esse spirituali, quæ præcipue residet in Pontifice: aut extra Ecclesiam remanere: quẽadmodũ non potest esse digitus in corpore, qui nõ pendeat à manu: neq; manus, quæ nõ pendeat à brachio, neque brachium, quod non pendeat ab humero, neque humerus qui non pendeat à capite. Quod autem Barclaius dicit paulo post, potestatem spiritualem & politicam esse veluti duos humeros in corpore, quorum neuter alteri subijcitur, sed vterque subijcitur capiti Christo: non solum est falsum, quia potestates illæ non sunt eiusdem generis, vt duobus humeris comparari possint quo modo recte comparentur duobus humeris duæ Regiæ potestates: sed etiam ad hæresin pertinet, quæ hoc tẽpore maxime viget quid enim hæretici huius tẽporis maiori conatu populis persuadere conantur, quam non esse summum Pontificem, caput visibile corporis Ecclesiæ, cui omnes Christiani, quantumuis magni, necessario subijci debeant, si salui esse velint? Atqui hoc illis vltro concedit Barclaius, qui tamen in toto libro Catholicum se facit. Itaque potestas spiritualis, & politica, non recte comparantur duobus humeris, sed vel spiritui & carni comparari debent, vt facit Gregorius Nazianzenus in oratione sæpe citata ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem: vel brachio & capiti, membris videlicet principalibus, quorum tamẽ vnum, quamuis in se valde potens & robustum, ab altero superiore dirigi debeat & gubernari.

Non oblitus est Barclaius sui, qui neminem te subtilius aut argutius dixerat patrocinatum huic Pontificum causæ, licet istud quod hic habes argumentũ, & *friuolum* dicat, & cuius vitium nec excordem animum fallat. Nemo quidem te subtilius, nemo malam causam melius egit: sed non est vt vbique in veritatem pugnanti subtilitas aut argutiæ sufficiant. Multa ios ipsum tuentibus excidunt: quanto magis per sophismata male natam fucantibus causam? Deniq; Bellarmine, vt laudes à Barclaio assignatæ tibi constent: non opus est vt tu subtiliter dixeris, sed satis est, si nemo subtilius. Hoc autem argumento, quod iam carpit Barclaius (noli tibi adulari) nihil esset absurdius, nisi interpretationem illi tuendo infelicius inuenisses. Dicis Reges, & Pontifices, vnius Ecclesiæ membra esse, ideo vnos pendere ab aliis. Id ridet Barclaius, neque enim hoc sequi, vt sint vnius corporis membra, vnum ab alio pendeat: non pedem à pede pendere, non humerum ab humero, non læuam à dextra, sed omnia vni capiti à quo pendeant esse connexa. Tu dicis, te intellexisse *de membris diuersi generis, qualia sunt digitus, manus, brachium, humerus, caput, non de membris eiusdem generis, qualia sunt duæ manus, duo pedes, &c.* Quid autem? ergo in membris quæ non sunt eiusdem generis vnum pendet ab alio? Age tu vero; an pendet manus à pede, hepar à pulmonibus, lien ab humeris, à femoribus iecur? Nam in iis, quæ affers exemplis, pudenda fraude agis. neque enim à manu digitus, à brachio manus, ab humero brachia ideo pendent, quod vnius corporis membra sint, sed quod ex naturæ ordine non possit esse digitus sine manu; neque sine lacerto manus, aut sine humero possit lacertus consistere. At vero pleraque corporis membra, etiam diuersi generis, vnum sine alio (puta oculus sine aure, sine pede humerus, sine femore nasus) recte consistunt, velut hæc de quibus agimus membra Reip. Christianæ, quæ nõ modo separata possunt existere, sed & vt ipse fateris, re ipsa extiterunt.

At, inquis, *cum satis constet Pontificem esse caput Ecclesiæ vice Christi, aperte sequitur, vt debeat Rex, aut non esse membrum huius corporis, aut Pontifici subesse.* Malas insidias struis in verbo. Pontifex caput est Ecclesiæ, id est Ecclesiasticarum rerum, seu Christianorum, quatenus Christianorum, vt non possit esse Rex membrum eo modo sumptæ Ecclesiæ; quin subsit Pontifici. neque negamus. At si per Ecclesiam; vtramque potestatem intelligis, quæ penes Christianos est, Laicos, Clericosque, vno fidei nexu iunctos, omnino aberras. Neque enim est Pontifex Politicarum rerũ caput & tu frustra, *potestas regia necessario debet, aut subesse, aut præesse, ne sint in vno corpore duo capita.* Nam eo modo sumpta Ecclesia pro Capite Christum habet, pro præcipuis membris, Pontificem atque Regem: qui & ipsi alio respectu sunt Capita, hic ciuilium quidem rerum, ille vero spiritualis regiminis. Addo te medium (vt scholæ verbis vtar) iam mutare. Argumentum tuum erat, quod defendendum hic suscipis: sunt membra vnius coporis, ergo vnum pendet ab alio. nunc autem sic ex verborum tuorum vi procedit argumentum, membra pendent à capite. Pontifex est Ecclesiæ caput, ergo ab eo pendent Reges, qui sunt membra Ecclesiæ. Quam autem hæc diuersa?

Dicis Barclaij sententiam componentis has duas potestates duobus humeris Ecclesiæ, qui annectantur suo capiti Christo, *ad hæresim pertinere*, quã nouatores hodie docẽt, *non esse summum Pontificem caput visibile corporis Ecclesiæ*; additque, *hoc illis vltro concedit Barclaius*: at mihi concedet sancta veritas, vt te maledictis in Barclaium feruere pronunciem, imo inuidiam & odium comparare Ecclesiæ. Nam quis ex Protestantibus ista legens, non optima ratione concludat, Catholicos ex Bellarmini mente, dum dicunt Pontificem esse visibile Ecclesiæ caput, & hoc de Catholica fide esse, nõ intelligere de Ecclesiasticis modo, sed & Politicis rebus, vt vtrumq; rerũ caput sit atque Rector? Quis ex sapientibus huius mundi, quales heu in hæreticis multi! aut non illa Principibus deferat, aut quis Principũ sine indignatione accipiat? Desine sic irasci Barclaio, vt Ecclesiæ nocere non horreas. Neque enim Barclaio dubium vnquam, quin summus

Pontifex Christi Vicarius, Ecclesiasticarum rerum caput esset: neque vnquam fides Catholica docuit eum rerum ciuilium caput esse. Vnus Christus, Bellarmine, & Pontificum Caput & Regum; summum inquam Caput Ecclesiæ. Vnde Augustinus (in *serm. de remiss. peccator.* & refertur 11. quæst. 1. Can. *Vt euidenter*) excommunicatum hominem dicit esse *extra Ecclesiam, & extra corpus, cuius caput est Christus.* Apage igitur cum similitudine, quam vt ante docuimus, iniuria Nazianzeno attribis, hanc potestatem instar spiritus, illam corporis instar esse. Duo sunt humeri, Bellarmine (quamuis quæque in suo genere caput sit) cœlesti capiti, id est Christo, annexi. At, inquis, *potestates illæ non sunt eiusdem generis, vt duobus humeris comparari possint.* Imo ambæ sunt *potestates*, ac catenus vnius generis, & quatenus *potestates*, duobus humeris conferuntur: quidni vero aptissime duobus humeris? cum iis nihil validius, nisi fortius, nihil capiti vicinius, in Republ. Christiana? Nec interest, si ex humeris vnus alio fortior. In corpore quoque humano, dexter læuo præstantior, nec tamen magis humerus, Bellarmine.

§. 3.

SED *instat Barclaius*, inquis, *atque obijcit mihi mea ipsius scripta lib. 3. de Pontifice. capit. 19. vbi admitto Reges terræ non habere in terris iudicem, quantum ad res politicas pertinet: & contendit, me contraria loqui, cum vno in loco doceo, Reges non habere iudicem in terris, quo ad res politicas: in alio loco admitto, Pontificem iudicem esse Regum, vt etiam eos per sententiam Regno priuare possit.*

Respondeo Innocentius tertius, in capit. Per Venerabilem, qui filij sint legit. scribit, Reges in temporalibus non habere superiorem: & tamen ipse idem Othonem quartum Imperatorem deposuit. Audeat ergo Barclaius Innocentium tanquam secum ipsum pugnantem arguere, & ego cum tanto Pontifice reprehendi non moleste feram. Sed defensio in promptu est: Reges enim nō habent Iudicem in terris, quoad res politicas, siue in temporalibus, dum eorum regimen ita intra res politicas, & temporalia se continet, vt spiritualibus non officiat. Præterea dicuntur Reges non habere iudicem in Politicis, & temporalibus, quia non habent super se Iudicem Politicum, siue temporalem quamuis habeant Iudicem spiritualem, à quo dirigi & iudicari possunt etiam in temporalibus per ordinem ad spiritualia.

Quod vero Barclaius addit, discrimen vocum, directe & indirecte, ad formam, & modum pertinere, non ad vim, & effectum iudicij: iam supra refutatum est in capite duodecimo, vbi de his vocibus ex proposito disputauimus.

Iam antea eodem argumento Innocentii Ottonem abdicantis vsus es, & à nobis responsum est (*Cap. 2. §. 7.* quam autem frustra scribas, dici *Reges non habere Iudicem in Politicis, & temporalibus, quia non habent super se Iudicem Politicum, siue temporalem, quamuis habeant Iudicem spiritualem, à quo dirigi & iudicari possint, etiam in temporalibus, per ordinem ad spiritualia*; sat differuimus supra, (*Cap. 1. §. 2.*) sed & de discrimine vocum directe & indirecte multa (*Cap. 12. §. 3.*) Vellem tamen exscripsisses Barclaii verba, quibus hic grauiter de vocibus illis dicit: quæ tu omnino apud Barclaium, Lector, vide.

§. 4.

RESTAT *argumentum meum tertium*, inquis, *quod tale erat: si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrationis, etiam cum detrimento temporalis boni, ergo signum est, subiectam esse temporalem potestatem spirituali. Huic argumento duobus modis Barclaius occurrit: primum enim notat, quod cum rem demonstrandam susceperim, signum tantum protulerim: deinde negat consecutionem argumenti; nam ex eo quod tenetur Princeps temporalis mutare formam regiminis, si per eam bonum spirituale impediatur: dicit Barclaius sequi, spiritualia esse digniora temporalibus, non autem potestatem temporalem spirituali esse subiectam.*

Respondeo Non est nouum, neque insolitum, post demonstrationes adferre quoque argumēta à signo. Quod autem attinet ad consecutionem, fallitur Barclaius. Nam ex illo antecedente. Tenetur Princeps Politicus mutare administrationem suam, si obsit bono spirituali, non sequitur absolute, ergo bonum spirituale est nobilius, ac dignius temporali: sed sequitur, ergo ad bonum spirituale ordinatur, vt ad suum finem, bonum temporale; ac per hoc potestas temporalis subiecta est potestati spirituali: necessitas enim mutandi administrationem in eo casu non oritur ex dignitate vel nobilitate boni spiritualis præcise: sed ex subordinatione vnius ad alterum: quod perspicue ostendi in meo lib. 1. de Pontifice, c. 7. in explicatione huius argumenti tertii, ad quæ Barclaius nihil respondit.

Ais igitur, *non esse nouum, neque insolitum, post demonstrationes afferre quoque argumenta à signo.* At repono, te nullam inter tot argumenta demonstrationem attulisse; sed dialecticos vbique syllogismos, quos ne in priuatorum quidem causa, multo minus in publica Regum, æquus iudex admiserit: vt recte Barclaius, *Capit. 12. §. vltim.* cui quam egregia calliditate responsum sit, ibi, vel vt rideas, Lector, vide.

At dicis hic Barclaium falli: *necessitas enim*, inquis, *mutandi administrationem Politicam*, si obsit bono spirituali, *non oritur ex dignitate, vel nobilitate boni spiritualis præcise, sed ex subordinatione vnius ad alterum.* Non fallitur Barclaius. Necessitas enim illa inde oritur, quod impedire bonum spirituale sit peccatum; nec alia necessitas eiusmodi Principi Politico, quam aut mutare formam regiminis bono spirituali nocentem, aut peccare: id est, hæc infima ac terrena contemnere; aut hæc summa & æterna amittere. Par est igitur, vt ignobilibus præponantur nobilia, obscuris illustria:

quod

quod nisi Rex faxit, non temporaliter quidem punietur à Papa, cuius potestati non subordinatus est, sed à Numine, cui subordinata omnia, subditi omnes homines, flagitia cuncta inoisa. Est inquam eadem necessitas quam hominibus quibuscunque res ipsa imponit, nempe vt si saluti velint consulere, recedant à peccato. quia cœleste Regnum, & æterna animæ bona, pro sordidis & ignobilibus peccatis amittenda sunt, aut eorum contemptione quæreoda.

Sed, vt soles, tui argumenti verba mutas. Scripseras: *tenetur Princeps Politicus mutare illum modū administrationis, &c.* iam vt Barclaio respondeas, *necessitatis* verbum adiungis. quasi quæ tenemur facere, ad ea semper *necessitate* adigamur, nisi iustitiæ & conscientiæ *necessitatem* intelligis, quæ vt sponte fatemur, eiusmodi Reges vrget. Recte ergo Barclaius: tenetur Rex eiusmodi administrationem immutare, non quod politica administratio Ecclesiasticæ subordinata sit, sic vt ab ea ad hanc mutationem adigi possit; sed quod spirituale bonum sit temporali nobilius, atque præstantius, & si ambo confligant, concedere temporale spirituali debeat; momentanea scilicet gloria, ac vtilitas, æternæ vtilitati, gloriæque. Paucis. Princeps eiusmodi administrationis formam tenetur immutare, ex officio suo, quatenus Christianus est, non ex potestate, quam in eius temporalia Ecclesia Pontifexque exerceat. Ais tamen, *necessitas mutandi administrationē in eo casu non oritur ex dignitate vel nobilitate boni spiritualis præcise, sed ex subordinatione vnius ad alterum: quod perspicue ostendi in meo libro 5. de Pontif. cap. 7. in explicatione huius argumenti tertij, ad qua Barclaius nihil respondit.* Nihil quidem ad illa nominatim, vtpote leuia & ex iis quæ iam scripserat absoluta. Sed ne aliquid iactes omissum, ecce illa quæ à Barclaio dicis intacta.

Neque satisfaceret, inquis, *(libro 5. de Pontif. c. 7.) qui responderet teneri Principem illum ad mutandam rationem suæ administrationis, non propter subordinationem ad spiritualem potestatem, sed solum propter ordinem charitatis, quo tenemur anteponere maiora bona minoribus. Nam propter ordinem charitatis non tenetur vna Respublica pati detrimentum, ut simile detrimentum patiatur alia Respublica nobilior. Et vnus priuatus, qui tenetur dare omnia sua bona pro conseruatione sua Reipublica, non tenetur tamen similiter facere propter Rempublicam alienam, quamuis nobiliorem. Cum ergo teneatur Respublica temporalis pati detrimentum propter spiritualem, signum est, eas non esse duas diuersas, sed vnius, & eiusdem partis, & vnam alteri subiectam.*

Neque etiam valet, si quis dicat Principem temporalem teneri pati detrimentum pro bono spirituali, non propter subiectionem ad Rempub spiritualem, sed quia alioqui noceret suis subditis, quibus malum est amittere spiritualia pro temporalibus. Nam etiamsi non subditi, sed homines alterius regni patiantur notabile damnum in spiritualibus propter administrationem temporalis alicuius Regis Christiani, tenetur ille mutare suum modum administrandi: cuius rei nulla alia ratio reddi potest, nisi quia sunt eiusdem corporis membra, & vnum alteri subiectum. Ecce, scilicet, quæ omisit Barclaius. Ad hæc ego, primum dico te non certum argumentum, sed signum inuenire. *signum est eas non esse duas, &c.* quam argumentandi rationem, iam à te hoc ipso §. vsurpatam, Barclaius rite explosit; Deinde nihil te aliud concludere, quam spiritualem & temporalem potestatem esse eiusdem corporis membra. quod Barclaius sat concedit. Nam quæ addis, *& vnam alteri subiectam*, moxque, *& vnum alteri subiectum*, non ex istis deducis rationibus, sed ex consequentia, quam paulo ante posueras, quamque nos apertissima ratione damnauimus, nempe *in omni corpore membra esse connexa & dependentia vnum ab altero.*

Quasi dicas, hic probo non esse duas Respublicas, sed vnam: atqui paulo ante probaui, in omni Repub. ac corpore vnum pendere ab alio. Imo Barclaius paulo ante probauit, hoc sophismate capi vix posse vel anum excordem. Iam & singula excutiamus. *Propter ordinem Charitatis*, inquis, *non tenetur vna Resp pati detrimentum, ne simile detrimentum patiatur alia Resp. nobilior.* Ergo (infers) Principes, qui mutare tenentur suæ administrationis rationem, cum illa bono spirituali obest, non ad illud tenentur propter ordinem charitatis, sed propter aliam rationem, puta, propter subordinationem, & subiectionem temporalis potestatis ad spiritualem.

Duplex hic error. Primus, quod argumentum facias à duabus Rebuspublicis inter se diuisis, ad vnam Remp. Christianam. nec interest quod Respublica Christiana duas Respublicas, siue potestates, Ciuilem & Ecclesiasticam contineat; Nam hic agis de Rep. Christiana, quatenus vna est Respublica, imo vnam esse Remp. conaris iis omnibus argumentis deducere. ais enim. *Secundo Reges & Pontifices, Clerici & laici non faciunt duas Resp. sed vnam, id est vnam Ecclesiam, &c.* Iamque concludis, ciuilem, & spiritualem Remp. *non esse duas diuersas, sed vnius & eiusdem partes.* Absurde igitur argumentum hic sumis à duabus Rebuspub. inter se diuisis, quid nempe in aliam vna posit, ad potestates, quæ in Rep. Christiana vnam Remp. constituunt, & quas hic respicis eo modo, quo constituunt illam vnam Rempublicam. Si igitur sic concedam. *Non tenetur vna Respublica pati detrimentum, ne simile detrimentum patiatur alia Respublica nobilior.* Esto: quid infers? *Atqui tenetur Respublica ciuilis Christiana pati detrimentum, ne detrimentum patiatur Ecclesiastica.* Et hoc habeas. Quid concludes, nisi, ergo ciuilis Respublica & spiritualis, non sunt proprie in Ecclesia duæ Respublicæ, sed ob vnius fidei nexum, & mutuæ charitatis, vnam Rempublicam & Ecclesiam faciunt? Quid hoc in nos? Ad si addis, & ciuilis potestas Ecclesiasticæ subiicitur, nego illud, ex tuo argumento, vel per somnium colligi posse. Sed & longe diuersum, quid teneatur vna Resp. pro alia omnino à se diuisa facere, & quid vna Respublica pro alia, quæ secum ita coniuncta sit, vt ambæ vnam Rempublicam constituant.

Erras, inquam, quod duas Respublicas ita distinctas vt ambæ vnam totalem non compo-

nant, Ciuili & Ecclesiasticæ conferas; quæ componunt Rempublicam Christianam, eo modo consideratam, quo tu illam hic proponis. Nam quod Hispanus non teneatur ciuile damnum pati causa Gallorum, est quod in Rep. omnino distincta sit. At vero quod Princeps Politicus teneatur damnum pati potius, quam spirituale bonum lædere, est quod ipse spiritualis Reip. ciuis sit, quam si lædat, spiritualiter nocebit suæ Reip. vt noceret temporaliter, si temporalem læderet potestatem. Nihil igitur ad rem exemplum quod de priuato affers, *qui tenetur dare omnia sua bona pro conseruatione suæ Reip. non tenetur tamen similiter facere propter Remp. alienam.* Non est enim Resp. spiritualis Principi Christiano aliena. Ciuis illius est, & cum illa vbique terrarum diffusa sit, vbique eam tenetur protegere, illi certe nō nocere. Vnde vltimum ex tuis argumentis prorsus ruit. Nam cum Princeps politicus mutat administrationis suæ formam, nocentem spirituali bono alterius Reip. Politicæ, non ad hoc in alienæ Reip. tenetur gratiam, sed in suæ, in gratiam, inquam, Reip. Christianæ, cuius ciuis est, & quæ vbique sparsa, non huius illiusque Regis finibus, non gentium terminis, non montium claustris, non marium spaciis continetur.

Secundus error est in his verbis, *ne simile detrimentum patiatur alia Resp. nobilior.* Atqui hic de simili detrimento non agitur. Pone Principem politicum ita administrare Imperium, vt spirituali bono obsit: an dicetur Princeps ille si mutet hanc administrationis formam, passurus simile detrimentum ei, quod patietur bonum spirituale, si non mutet? Certe nusquam. Principi fortasse aliquid aut de securitate, aut de humana felicitate decedet. at quid hoc si componas ad spiritualis boni damnum: quod in animæ, in æternæ salutis vergit incommodum? Quin & hic scribis, *non teneri vnam Remp. pati detrimentum, ne simile detrimentum patiatur alia Resp. etiam nobilior.* Addis tamen post aliquot lineas, Principem teneri ad mutationem regiminis, quod inferat spirituale damnum hominibus sub alio Principe, aut Republica constitutis. Non est ergo ex tua sententia simile damnum mutare formam regiminis, etiam cum boni temporalis detrimento, & pati detrimentum spiritualis boni. Quid tu hic igitur cum particula, *simile*, qua sublata negarem absolute quod dicis, *propter ordinem Charitatis non teneri vnam Remp. pati detrimentum, ne detrimentum patiatur alia Respublica.* Negarem, inquam, si summum sit, & vt dicam infinitum detrimentum (vt nempe est in spiritualis boni damno) quod alio omnino leuiori, puta aliquo temporali dispendio, vna Respublica ab alia possit arcere.

Nihil igitur habes, nisi quod initio diximus, teneri Principem ad mutandam eiusmodi Reip. formam, ratione peccati: quia nempe vbi humana vtilitas cum peccato coniuncta est, ex omni charitatis genere, quæ scilicet Deum respicit, quæ nos, quæ proximum, reiicienda statim, nec pro vtilitate habenda, sed damno. Non inquam quod potestati spirituali vt commissa est Papæ, subordinetur temporalis, vt Regibus commissa est; sed propter excellentiam spiritualis boni, criminisq; fœditatem, quod in eo est, si accepta à Deo potentia Rex vtatur in Deum, humanis legibus in cœlestem cultum pugnet, sic in terris viuere suos velit, ne viuere possint in cœlis.

CAPVT XV.

Barclaium nihil detrahere exemptioni Clericorum. Quo modo Clerici subiecti sint legibus Politicis. In veteri testamento Rex quomodo maior Pontifice. Soluta in eam rem Bellarmini argumenta. Quo iure Salomon Abiatharem de Pontificali fastigio deiecerit. Priuilegia exemptionis Clericorum à Politicis Principibus promanasse.

Titulus apud Bellarminum est,

Refutatur digressio Barclaij,

IN *capite quintodecimo*, inquis, *Barclaius non contentus ijs quæ dixerat in responsione ad primam rationem meam: antequam transeat ad secundam examinandam, & refellendam, iterum repetit sententiam suam de potestate Ecclesiastica, & politica, quod videlicet, Principes temporales subiecti esse debeant Episcopis, quoad spiritualia, & contra Episcopi subiecti esse debeant Principibus, quoad temporalia: & quemadmodum Episcopi cogere possunt spiritualibus pœnis Principes temporales ad obediendum in ijs, quæ ad animam pertinent: sic possunt Principes temporales cogere Episcopos corporalibus pœnis ad obediendum in ijs quæ pertinent ad temporalia, modo fidei Catholicæ, & bonis moribus non sint contraria. Excipit tamen Summum Pontificem, quem dicit non esse subiectum vlli Principi temporali, quoniam ipse quoq; est Princeps supremus temporalis in prouinciis ditionis Ecclesiasticæ. In summa tollit Barclaius de medio omnem exemptionem Ecclesiasticorum à potestate Principum sæcularium. Ac primum ad hanc sententiam stabiliendam producit testimonium Francisci Romuli in responsione ad certa capita Apologiæ, &c. qui disertis verbis affirmat, Episcopos Regibus in temporalibus rebus, & Reges Episcopis in rebus spiritualibus debere esse subiectos. Sed facilis est responsio. Loquitur enim Franciscus Romulus eo loco de subiectione, quam habent Episcopi, & reliqui Clerici, ad obseruandas leges politicas, & non perturbandum ordinem politicum à Regibus constitutam: vt etiam docent Gelasius, & Nicolaus Pontifex, ille in Epistola ad Anastasium Imperatorem, hic in Epistola ad Imperatorem Michaelem, quos eo loco Franciscus Romulus allegauit. Sed hinc non sequitur posse cogi Episcopum à Rege ad obediendum, vel puniri, si non obediat, cum Rex nullam habeat in Episcopos, vel Clericos potestatem, quod apertissime legitur in Concilio Constantiensi, Sess. 31.*

Nondum à te quicquã indignius, scribis, Barclaium *tollere de medio omnẽ exemptionem Clericorũ à potestate Principum secularium*: Si intelligis, eum velle priuilegia cuncta euerti, quæ Clericis contulere benefici Reges, Barclalo omnino imponis, qui etiam de Clericorum exemptione & priuilegijs fuse: quorum illud potissimum, *ne trahantur ad tribunal seculare*. At si dicis, his priuilegijs, ex Barclaij sententia, nusquam factum, vt Clerici de Principum subiectione exirent, id est, non essent amplius in Principum subditis numerandi, à mente Barclaij non aberras, qui nil aliud, quam quod ipsi Clerici in Francia, Hispania, & cæteris bene constitutis Imperiis, non ausint diffiteri. Dicis porro simpliciter & inuidiose, scripsisse Barclaium, posse à Principibus Episcopos *corporalibus pœnis*, cogi, quod & verum, & falsum, cum distinctione fit, vt infra disputandum. Non igitur tollit Barclaius *de medio omnem exemptionem Ecclesiasticorum*; Imo aliquot paginis eorum priuilegia, & priuilegiorum originem prolixius exponit, & apertissime (*cap.* 32.) *Atque hæc ego quidem*, inquit, *non eo animo & consilio, vt priuilegia Clericorum exagitem, aut quod ea illis inuideam, vel detrahi cupiam. Sciunt qui me norunt, quo semper loco Ecclesiasticos homines habuerim, habeamque. Sacerdotes Dei, vt parentes veneror, omnique honore dignos censeo, &c.* Produxit Barclaius, in Resp. ad præc. capit. Apolog. Romuli verba id est tua ibi dicis, (p. 114.) *Episcopi Regibus in temporalibus rebus, & Reges Episcopis in spiritualibus, subiecti esse debebunt.* At, inquis, *non hinc sequitur posse cogi Episcopum à Rege ad obediendum, &c.* Cur non sequitur? numquid subiectus & præfectus sunt relata? At quam frustra præficitur, qui subiectos nec corrigere, nec potest vlcisci? scribis ipse, capit. 13. §. 2. *Omnis superior potest imperare inferiori suo?* Imo (ead. pag. 114.) Romulus iste addit, inde fieri vt Pontifex *Nullam supra se potestatem in terris habeat*, quia, *non modo summus est Princeps Ecclesiasticus, sed est quoque in suis prouincijs Princeps temporalis.* Episcopi igitur, qui sub Regibus viuunt, ex Francisci Romuli sententia in temporalibus superiorem agnoscunt, & habent supra se potestatem in terris. Quomodo autem illa potestas Regum sit supra Episcopos, nisi Episcopi sub illa sint? quomodo, inquam, Reges Episcopos sub se habebunt, si illis imperare non possunt, & eo iure vti quod est *superioris ad inferiorem?* Et hoc ipsum est, quod Gelasius & Nicolaus Pontifices voluerut, hic ad Anastasium, ille ad Michaelem scribens; de quibus nos supra (*cap.* 2.) Nec aliquid contrarium aut in Constantiensi Concilio, aut alio vllo, vt docendum *cap.* 34. & ibi quidem, §. 8. de Constantiensi nominatim.

§. 2.

SECVNDO *produxit*, inquis, *testimonium ipsius Bellarmini ex lib. de Clericis, cap. 28. vbi docet, Clericos, vt ciues, esse partes & membra Reip. politicæ, ac per hoc obligari ad leges politicas obseruandas: sed quoniam idem Bellarminus in eodem loco, excipit potestatem coactiuam, à qua liberos esse dicit Clericos: Barclaius reclamat, ac dicit, Verum est clericos ad obsequium legum, vbi causa postulat, à temporali Iudice cogi posse, vt nec in ea re exemptionis suæ beneficio gaudeant, quod ab Imperatorum, & Principum legibus eos accepisse satis constat, frustra enim legum auxilium inuocat, qui contra eas committit.*

At hic Barclaius more suo contra sententiam Catholicorum omnium loquitur: quamuis enim disputent Theologi, & Canonistæ; de iure exemptionis, tamen esse Clericos aliquo iure exemptos, & non posse cogi à laica potestate, omnes docent. Verum autem verius sit existimandum, quod vnus an quod vniuersitas docet, aliis iudicandum relinquo: sed de hac re inferius plura dicemus, & multa etiam in lib. de Clericis diximus.

At hic Bellarminus, *suo more*, Barclaio iniuriam facit, nihil contra Catholicorum loquenti sententiã. Non negat *esse Clericos aliquo iure exemptos*. Sed & an; & quomodo possint *cogi à laica potestate*, satis infra, (*c.* 32. & 35.) Tu vero authoritatem tuam dilue, quam hic profert Barclaius, ex lib. de Clericis, cap. 28. *Non sunt exempti Clerici vllo modo*, inquis, *ab obligatione legum ciuilium, quæ non repugnant sacris Canonibus, vel officio Clericali.* Atqui sanctio, siue mulcta, atque pœna, quæ in legem committentibus præscribitur, est pars legis. *Legum eas partes, quibus pœnas constituimus aduersus eos qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus* Leg. *Sanctio legum*, *D. De pœnis.* Inst. t. *de rer. diuis.* §. *sancta quoque res.* Ergo nullo modo Clerici ab obligatione eiusmodi pœnæ exempti sunt. Non directiue, inquam tantum, sed & coactiue subiacent, aut reuera exempti sunt à legibus, cum ipsa coactio, atq; pœna pars legis sit. Sed videndum à quibus cogi possint. Principum priuilegia illos ad Ecclesiastica remittunt iudicia. Ibi ergo & accusari debent, & plecti. Quod si facere Ecclesiasticum iudicium tum legum detrimento neglexerit; tum secularium Iudicum est videre, ne quid detrimenti Reipub. inde nascatur. Nec obstabunt priuilegia; cum neque Principum mens fuerit, vt illis sollicitetur ac turbetur imperij quies, & vt optime ex Iurisconsulto Barclaius, *frustra legum auxilium inuocet, qui contra eas committit.* Omni igitur modo, coactiue obseruandæ Clericis leges: primum quod nec à legibus, vt fateris, soluti sint; pars vero legis sit, ipsa in delinquentes pœna; tum quod cogat conscientia: deinde quod apud suos iudices, id est Ecclesiasticos, vlciscendi, aut per eos denique qui ipsis eiusmodi iudices assignarunt.

Sed & tu etiam (ibidẽ de Clericis) *Clerici præterquã quod Clerici sunt, sunt etiam ciues & partes quædam Reip. politicæ*: & recte Barclaius, *in conuentibus publicis Clerici de temporalibus negotiis consulturi, primo post Principem loco considunt.* Si sunt partes Reip. politicæ, non quæso subiacebunt illi Principi, cui se tota subiecit Respublica? aut si in totum temporalem subiectionem abnuunt, cur de temporalib. consulturi sedeant, & quidem primo post Principem loco? Sed de his mox fusius.

§. 3.

TERTIO *Barclaius producit*, inquis, *testimonium S. Gregorij, in epistolà 15. libro 4. vbi S. Gregorius ad Mauritium scribens, sic loquitur: Sacerdotibus non ex terrena potestate Dominus noster cuius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat.*

Dominetur nimirum, addit Barclaius, quatenus ciues sunt, & partes Reip. reuerentiam impendat, qua Dei sacerdotes, & Patres spirituales, quibus ipse Imperator, vt Ecclesia filius, subijcitur.

Respondeo. Possent verba S. Gregorij in eum sensum exponi, vt significare voluerit, Imperatorem dominari posse Sacerdotibus, constituendo leges politicas, quas ipsi quoque vi rationis, sed non vi legis, obseruare tenentur, sed eis reuerentiam illam impendere debere, vt non eos ipse puniat, si leges non seruent, sed Prælatis ipsorum puniendos relinquat. Sed quoniam ex ipso Gregorio in Commentario Psalm. 101. didicimus, Mauritium Tyrannice imperasse in vltimis Imperij sui annis, ac potissimum in Sacerdotes sæuire cœpisse: mirum non est, si S. Gregorius ita loquatur, vt iugum Tyrannicum si auferre non poterat, mitigare saltem, & moderari niteretur.

Quam inique S. Gregorij detorqueas mentem, iam à nobis fuse dictum (*cap. 3. §. 17.*) Ibi habebit lector, quo sensu Imperatorem & dominum suum vocet, & dicat Sacerdotibus dominari. Neque referri ad Mauritij tyrannidem possunt hæc verba, cum aperte alibi dicat (*lib. 2. epist. 64.*) hunc in sacerdotes dominatum Imperatori esse à Christo concessum.

Sed cogis me redire ad superioris paragraphi disputationem. ais enim, *Sacerdotes leges Politicas vi rationis, sed non vi legis obseruare tenētur.* Age porro, quid per vim *rationis* intelligis? an illud, vt si lex ex præcepto rationis statuta sit, illi rationi, non legi, Clericus obtemperet; siue vt rem à lege sancitam obseruet, non quod lex, sed ratio id iubeat. At omitto Politicas igitur leges cuiusuis Clerici iudicio excutiendas esse, vt easdē hi iustas credere, iniustas illi possint. Cuiusuis, inquam, Clerici; neque enim publico Ecclesiæ examine omnes leges Politicæ expenduntur. Illud, inquam, omitto, sed quid de adiaphoris dicas? quales frequentissime in Politicis leges; eas nulla commendat ratio, nisi quod leges sint, ergo ad eas nec vi rationis tenebitur Clericus, nec vi legis. & falsum hoc casu quod ante dixisti, *non sunt exempti Clerici vllo modo ab obligatione legum ciuilium.* Sin autem per *vim rationis* intelligis, quod sit rationi consentaneum, ne quis in leges committat à Politico Principe constitutas, tunc vis eadem Clericos, quæ Laicos, ad leges astringet: Nam & Laici non alia ratione sunt legibus obnoxij, quam quod leges sint latæ à ciuili magistratu, in quas peccare nulla ratio patiatur. quod autem, ex ea vi rationis nec impune in leges Clerici peccent, superiori §. est à nobis disputatum.

§. 4.

QVARTO *producit*, inquis, *testimonium Scripturæ libro 3. Reg. cap. 2. vbi Salomon Rex Sacerdotem Abiatharem reum mortis pronunciauit, quod coniuranti Adoniæ consensisset: & reiecit eum, ne sacerdotio fungeretur.*

Responsio. Non est improbabile in testamento veteri Regem absolute maiorem fuisse Pontifice, tum quod ita doceat S. Thomas in libro 1. de Regimine Principum, cap. 14. tum quod in testamento veteri promissiones essent temporales, & sacrificia carnalia, sed quoniam probabilius est, in ipso etiam testamento veteri, maiorem fuisse Pontificem Rege, vt ostendimus libro 2. de Pontif. cap. 29. ideo persistimus in ea responsione, quam in eo loco scripsimus, Salomonem non vt Regem, sed vt Prophetam diuino instinctu iudicasse Abiatharem mortis reum, & ei sacerdotium abrogasse, aliumque ei substituisse. Nam quod in Scriptura 3. Reg. 2. legimus, Vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo: ratio est, cur Salomon hoc fecerit. At inquit, Barclaius, illud, Vt impleretur sermo Domini, nihil aliud significat, nisi tunc impletum fuisse, quod Dominus prædixerat futurum, quemadmodum Matth. 27. cum dicitur, impios milites diuisisse inter se vestimenta Christi, vt impleretur illud Psalmi, Diuiserunt sibi vestimenta mea.

Respondeo. Illud, vt impleretur verbum Domini, aliquando significat solum, illud fuisse prædictum, & postea impletum, vt in loco allegato ab Aduersario. Aliquando significat id factū esse eo animo, eaq; intentione, vt obedientia præstaretur Deo, qui volait per eum id fieri, vt lib. 4. Reg. cap. 9. Iehu iussit, Ioram Regem occisum projici de curru in agrum Iezrael, vt impleretur verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam Prophetam. Tolle, inquit, eum, & proijce de curru in terram, iuxta verbum Domini. Quod autem locus allatus ex libro 3. Regum capit. 2. debeat intelligi hoc secundo modo, probari potest ex voce Hebraica: nam vbi nos habemus in textu Latino, eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo: in Hebræo est verbum actiuæ significationis למלא *ad implendum, siue vt ipse impleret sermonem Domini. Quare verba textus Latini debent sic intelligi, vt impleretur, supple, ab ipso Salomone sermo Domini, &c. Adde, quod ex sententia Barclay, Rex non potest punire sacerdotem pœna spirituali, neque miscere se in negotijs spiritualibus, sed solum in temporalibus. Salomon autem priuauit Abiathar munere sacerdotali, & alium eius loco substituit, ergo vel excessit modum potestatis suæ, vel hoc fecit non vt Rex, sed vt Propheta ex peculiari instinctu Dei, vt nos supra diximus. Denique si hæc Lectori non satisfaciunt, dicere possumus in Scriptura Sacra narrari factum Salomonis, sed non definiri, iure ne an iniuria id fecerit: quemadmodum etiam in eo loco narratur cædes Adoniæ fratris Salomonis, iussu eiusdem Salomonis, patrata, ob id quod Adonias petierit sibi dari in vxorem Abisag Sunamitidem: quod rectene, an secus factum fuerit, disputari potest. Itaq; non bene colligeret, qui diceret, Rex Salomon priuauit Sacerdotem functione sua, & occi-*

dit

rit fratrem suum, quia petierat in vxorem illam puellam, quæ fuerat ancilla patris sui: ergo possunt Reges priuare functione sua Sacerdotes, aliosque in eorum locum substituere: Et possunt fratres suos interficere, si speciosam aliquam puellam, quã Rex ipse fortasse amat, sibi dari postulent in vxorem. Iste, inquam, non bene colligeret, quia Reges multa sæpe faciunt ex potestate, non ex iustitia: & videndum est non tam quid possint, quam quid debeant, siue quid iure possint: non enim verum est, quod Imperatori Antonino Caracallæ dictum fuit, Regibus quod libet licet.

Ais igitur, ideo forsan Pontifices in veteri testamento inferiores Regibus extitisse, quod promissiones essent tẽporales, & sacrificia carnalia. Quid tu? an omnes tunc promissiones temporales? Imo promittebatur Christus, salus, cœlum, redemptio? quid enumerem loca Scripturæ, in lege, in Prophetis, vbi promissiones illæ nequaquam temporales? quæ illa ad Abraham promissio? (Genes. 12.) *in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Quid vaticinium Iacob (Genes. 49.) *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Quid Dauid? Quid Isaias? quid quod nemo saluus esse potuit, nisi in venturi Christi fide? Quid quod Christus, (Ioan. 5.) dixit, *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit?* Quod si pinguis ille populus, & plerumque terrenis commodis felicitatem admetiens, non vbique ad hæc arcana subuehebat animum. At certe Pontifices, Scribæ, Prophetæ, mentem vltra hæc ima, & oculis nota, mittebant.

At, inquies, Authores sunt, qui promissiones Iudaicæ legis temporales fuisse testentur. Hic de promissione distinguendum Lex atque fides Iudaica, diuina prorsus erat, quandoquidem à Deo genti illi descripta: & *homines ordinabat ad Christum*, inquit Thomas *1.2. q.98. art.2.* nec officiebant sacrificia carnalia, quæ nostræ Ecclesiæ ferebant imaginem, nam & illa ex Dei instituta imperio induebant spiritualitatis rationem. Fides igitur diuina prorsus erat, vnius Dei, Christi venturi, &c. Promissio vero duplex, spiritualis vna, qua promittebatur Christus, qua cœlum, qua æterna felicitas. Temporalis alia, qua credentibus & seruantibus legem felicitas huius seculi velut illex & præmium addebatur. Iam vero Pontificalis authoritas, non ad hæc, vt liquet, temporaneæ felicitatis promissa spectabat, sed ad ipsius legis ordinem, & iurisdictionem spiritualium rerum. Quis illius igitur potestatem ea promissis metiatur, quæ fluxa ac terrestria, ac non ex his potius quæ ad fidem & fidei ordinem pertinebant?

Sed neglectis, quę tibi obiecisti, & auctoritate adoptiuj Thomę dicis, *probabilius esse in ipso etiam testamento veteri maiorem fuisse Pontificem Rege, vt ostendimus lib. 2. de Pontif. cap. 29.* Audiamus igitur quid ibi ostenderis. *Dico etiam*, inquis, *in testamento veteri fuisse Pontificem Rege maiorem, vt docent Philo, libro de Victimis, Theodoretus quæst. 1. in Leuitic. & Procopius in quartum caput Leuitici, & deducitur hoc tum ex cap. 27. Num. vbi dicitur, quod ad verbũ Pontificis Eleazari tam Princeps Iosue, quam omnis populus ingredi & egredi deberet, tum ex Leuitici quarto, vbi quatuor sacrificia instituuntur, ex quorum ordine & magnitudine colligitur ordo & dignitas personarum pro quibus fiebant. Primum erat vituli pro Pontifice. Secundum etiam vituli pro toto populo. Tertium hirci, id est vilius, pro Rege. Quartum capræ pro quolibet priuato.*

Rationibus tuis respondebo; mox Authoribus. Prima ratio, quia cap. 27. Num. *dicitur, quod ad verbum Pontificis Eleazari tam Princeps Iosue, quam omnis populus ingredi & egredi deberet.* Quam licenter decipis! Non de Rege hic agitur, Bellarmine, sed de Iosue populi duce; in quo nusquam Regia authoritas. Res clara ex Deuteronomij cap. 17. vbi Moyses prophetico spiritu prænunciat, populum multo post sibi Regem præfecturum. *Cum*, inquit, *ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, &c.* Quæ prophetia completa est trecentis circiter annis post istius Iosuæ, de quo hic agitur, mortem, quando Samueli populus dixit (1. Reg. 8.) *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Antea à Iosue, & Ducibus, & Sacerdotibus, regebatur Israel, vt describitur in *libro Iosue, libro Iudicum*, & initio *primi Regum*: non summa & Regia potestate. Vnde dicitur libro Iudicum, cap. 21. *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Solus Abimelech Gedeonis filius vsurpauerat regnum, quo defuncto Scriptura sic loquitur (Iudic. 10.) *post Abimelech surrexit dux in Israel Thola.* In quæ verba Lyranus, *Non dicit Rex sicut de Abimelech, qui inique vsurpauit sibi nomen regium, iste autem rediit ad modum pristinum, quo Iudices præerant, licet per modum directionis, & cõsilii, magis quam per modum dominii.* Ergo neque Rex iste Iosue, neque iste Eleazar Pontifex, Regum temporibus vixit. Cur igitur Regum ius, cur potestatem [illegible] ea Iosuæ potestate metiri.

Sed fuerit Rex Iosue: quid inde collegeris, nisi belli & pacis auspicia à Sacerdote tunc petenda, qui nõ ex suo ipsius iudicio, sed ex certo Dei oraculo (vt illa tempestate solitum) quid agendum nunciaret? verba Scripturæ sunt, *Pro hoc Iosuæ, si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum: ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo.* Quæ hæc autem consequentia; Reges olim à Prophetis & Sacerdotib. diuina oracula sciscitabantur, ergo Sacerdotes, & Prophetæ, Reges ipsos tẽporali potestate vincebãt? An vero Michæas maior Achabo (3. Reg. 22.) qui ab eo suscepti belli exitum quærit? An Elisæus Ioramo & Iosaphato in temporalibus maior, à quo salutis viam in belli discrimine (4 Reg. 3.) & quærunt & impetrant? Adhibebo & Idololatrarum quidem exemplum, sed ad nostram quæstionem idoneum: an Auspices, an Augures, Romæ credis Consulib. & Dictatorib. fuisse maiores? *ad eorum tamen verbum*, cõmittebantur prælia disponebantur castra: & funesti sæpe exitus castigabant negligentes superstitionis huius

Nihil porro in Scriptura freqnentius, quam Deum per Pontificem, & Prophetas, inter rogatum de priuatis aut publicis rebus, præsentissima reddidisse oracula. Vnde ingens apud Iudæos, imo & Christianos quæstio, quot eiusmodi vaticiniorum genera essent, & qua ratione Numen Pontificibus futura ostenderet. *Et vidit Saul castra Philistum* (1. Reg. 28.) *& timuit & expauit cor eius nimis. Consuluitque Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neq; per Sacerdotes, neque per Prophetas.* Certe si Sacerdoti concessum vt non quod Deus reuelasset, sed quod ipse ex sua sententia optimum iudicasset, aut populo enunciaret, aut Ducibus, tunc omnino efficax esset ratio eius potestati in temporalibus, asserendæ. Sed nusquam illi licitum in eiusmodi consultationibus, Populo, aut Ducibus imperare, aut significare, nisi quod diserta & certa reuelatione Deus imperari aut significari præcepisset. Imo plerumque nec illius voce opus, cum nimirum consultus Dominus per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex insutas Esseni gestabat, futuros euentus ostenderet non vni modo Pontifici, sed toti populo: scilicet ea fulgore gemmarum; vt annotauit Iosephus *lib. 3. Antiq. cap. 9.*

Secundus apud te locus, pro potestate Iudaici Pontificis supra Regem, est *Leuitic. 4.* Ais, ibi ex sacrificiorum ordine, & magnitudine, colligi ordinem & dignitatem personarum, *pro quibus fiebant.* Primum autem sacrificium fuisse *vituli pro Pontifice.* Tertium, *Hirci, id est vilius pro Rege.* Quod iisdem pene verbis dixeras sub Fr. Romuli nomine, *ad pracip. cap. Apolog. &c. cap. 26.* Corrumpis vtrobique & Scripturæ sensum & verba. Neque enim de Rege ibi Scriptura loquitur, sed de *Principe. Si peccauerit Princeps, &c.* De Principibus, inquam, sermo, quos Moyses paulo ante populo præfecerat, nihil minus quam regio pares imperio. Exodi 18. *Quibus auditis Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Principes populi.*

Qua de re ipse Moyses ad populum. 1. Deuterenom. *Tulique de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula, præcepique eis dicens: audite illos: & quod iustum est, iudicate.* Et hi Principes id nominis, etiam sub Regibus, tenuerunt: Vnde Ieremiæ 36. dicitur: *Et ecce ibi omnes Principes sedebant.* Et paulo post, *Misitque Rex Iudi vt sumeret volumen, qui tollens illud de gazophylacio Elysama Scribæ, legit audiente Rege, & vniuersis Principibus, qui stabant coram Rege.* Et cap. 38. *Et dixerunt Principes Regi, rogamus vt occidatur homo iste.* Princeps igitur hoc Leuitici loco, idem est ac Iudex, Tribunus, vel Centurio, &c. Nec trecentis qninquaginta post annis legitimum Regem Iudæi habuerunt.

Sed esto; de Rege intellexerit Moyses, quid consequitur, nisi aut Pontificis peccatum atrocius, ideoque digniori victima eluendum: aut certe Pontificem in Ecclesiasticis negotiis esse Rege potiorem? quod vtique non negamus. Atrocior, inquam, culpa; si sacrarum rerum præfectus in sacram committeret legem; quod & per se impium, & scandalo multis. Vnde sic Moses, *si Sacerdos qui vnctus est peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum, &c.* Maior etiam in spiritualibus rebus dignitas, & prærogatiua, vnde Theodoretus in *capit. 9. Danielis*, vbi de cantico trium puerorum, *Inuitato autem*, inquit, *humano genere ad hymnum concinendum, rursus sigillatim homines rerum omnium effectorem celebrare præcipiunt, & principes aliorum omnium filios Israel ad id faciendum hortantur; quos etiam multifariam diuidunt, ac primo loco ponunt Sacerdotes, quippe quibus diuinum commissum fuerit ministerium.* Quis autem vel hodie temporalem Sacerdotum potestatem supra Reges collegerit? si aut illis seuerior pro peccatis pœnitentia imponatur quam Regibus: aut si in templis & diuinis ceremoniis primi sint, primique communicent? Monuit Theodosium Imperatorem Ambrosius, à Sacerdotum septo recedere: ipse in eodem septo præsedit. An sequetur, Bellarmine, Ambrosij potestatem in temporalibus imperatoria fuisse maiorem?

Venio ad Anthores, quibus niteris. Primus est Philo, libro de victimis. At ille non dicit hic agi de regibus, sed de *Principe*, & quod magis est, vult Pontifici hunc maioris sacrificij honorem habitum, tantum quia minister erat populi in exoluendis votis. verba sunt: *habetur tamen is honor Pontifici non propter ipsum, sed quia minister est populi, publica vota faciens soluenda totius gentis nomine:* Theodoretus vero nec ipse de Rege meminit, nec de potestate Pontificis, sed de dignitate tantum. ait enim, *Principem autem, qui prætergressus fuerit legem aliquam, non vitulum, sed hircum, aut caprum anniculum offerre iubet. Tam procul abest à Sacerdotali dignitate is, cui corporeum imperium commissum est.* hoc autem quid est aliud, quam quod Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Ambrosius, & cæteri [illegible] sæpe dixerunt, spiritualem potestatem excellentiorem esse ciuili. Hoc quis negat? aut quid ad rem? excellentior Philosophus vili opifice: an ideo imperabit opifici? Sed mitto rem iam toties repetitam. Procopius denique, *Notandum tamen*, inquit, *censeo, quod eisdem hostiis litant Sacerdos, & populus, si culpa se onerauerint, at diuersis suum peccatum diluit Princeps: quia Princeps quam primum peccato se contaminauerit, desit esse Princeps, & sua dignitate excidit. Itaque hinc colligere licet, Sacerdotem esse honoratiorem Principe: etiam populum maiore dignitate quam Principem splendere.* Ne hic quidem video, Pontificis authoritatem regia esse maiorem: sed tantum Sacerdotem esse *honoratiorem* Principe. Finge tamen, quod tu sentis sensisse Procopium; parua hic illi fides, non modo Pontificem Regi, sed & Populum præferenti.

At enim, *Populum maiore dignitate quam Principem splendere.* Atqui certum, authoritatem populi

Rege

Rege minorem esse. Vt profana omittam exempla; argumenta etiam à te concessa; Audi ipsius Dei vocem, loquentis Samueli, 1. Reg. 8. *Verumtamen contestare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos.* Audi, ibidem, Israelitas. *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes.* Audi Dauidem Regem. *Benedictus Dominus, qui subdis populum meum sub me.* Si sub Rege populus, certe non super Regem; & Scripturis istis maior, quam Procopio fides.

Qui tamen si per *honorem*, per *dignitatem*, non intelleait potestatem imperandi, sed reuerentiam tantum, quam rerum diuinarum ministris habeamus, pretium quoque in quo debet vniuersus esse populus, cuius tot animæ, singulæ in æternitatem factæ, ob quem etiam instituta potestas politica, atque adeo ipsa Monarchia; tunc in Scripturas nihil quidem: sed nec quicquam è re tua. cum *honor*, cum *dignitas*, eo modo concepta, nihil officiat potestati regiæ, supra Populum, & supra Sacerdotes. Sed & causam, cur minori victima suum crimen eleuat Princeps, quam Pontifex, Populusve, hanc ibidem assignat Procopius. *Quia Princeps, quamprimum peccato se contaminauerit, desiit esse Princeps, & sua dignitate excidit.* Non igitur dicit, Principem vbi peccauerit, ideo minori hostia facere quam Pontifex, quod Princeps Pontifice minor sit, sed quod Princeps ille qui peccauerit amplius Princeps non sit. En vt neutiquam è re vestra hæc ratio; nec si esset, quidquam faciliusquam eam conuellere, damnatam scilicet in Constantiensi Concilio, inter Ioannis Wicleffi articulos, cuius decimus quintus est, *Nullus est dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.*

Sed aperta tibi pugna cum Dauide, Bellarmine. Dicis Pontificem tunc fuisse Rege maiorem. At Rex Dauid non veretur se, & Pontificis & Prophetæ Dominum appellare, *Dixit quoque Rex Dauid* (3. Reg. 1.) *Vocate mihi Sadoc Sacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ. Qui cum ingressi fuissent coram Rege, dixit ad eos, Tollite vobiscum seruos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gihon.*

Iam refers argumentum Barclaij, Regum Iudæorum potestatem in Pontifices asserentis. Illud est, *Salomon summum sacerdotem Abiatharem capitis reum pronunciare non timuit, quod coniuranti Adoniæ consensisset.* Verba Scripturæ sunt (3. Reg. 2.) *Abiathar quoque Sacerdoti dixit Rex. Vade Anathot ad Agrum tuum; & quidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, &c. Eiecit ergo Salomon Abiathar vt non esset Sacerdos Domini.* Mox solutionem subiungit Barclaius, quam *libro 2. de Rom. Pontif. capit. 28.* huic ipsi argumento inuenisti, Salomonem non vt Regem, sed vt Prophetam, hoc egisse: quia Scriptura addit, *vt impleretur sermo Domini. &c* Hanc solutionem vt soluat Barclaius, rite ostendit, eiusmodi verba Scripturæ *tam de eo verificari, quod iure communi, & ordinaria potestate perficitur, vt hoc loco, quam de eo quod vel extra ordinem mirabili quadam euentu, vel per hominum impietatem, & tyrannidem completum est. Impij cum crucifixissent Saluatorem, diuiserunt vestimenta eius. vt impleretur quod dictum est per Prophetam* (*Matthæi 27.*) *siue vt scriptura impleretur* (*Ioann. 9.*) *Verba igitur eiusmodi in Scripturis apponi tantum solent, ad prædictionis & Prophetiæ veritatem ostendendam, vt inde argumentum sumere ad aliud colligendum, plane ridiculum & puerile videatur.* Hactenus Barclaius. Iam respondes, *illud, vt impleretur verbum Domini aliquando significat solum illud fuisse prædictum, & postea impletum, vt in locis allegatis ab aduersario: aliquando significat id factum esse eo animo, eaque intentione vt obedientia præstetur Deo, qui voluit per eum id fieri, vt libro 4. Regum cap. 9. Iehu iussit Ioram Regem occisum proijci de curru in agrum Iezrael, vt impleretur verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam Prophetam. Tolle, inquit, eum & proijce de curru in terram, iuxta verbum Domini.*

Primum nego formam loquendi, de qua agimus eo Scripturæ loco esse quem profers. Nam illa omnia, *Iehu iussit Ioram Regem occisum proijci de curru in agrum Iezrael, vt impleretur verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam Prophetam*; tua verba sunt, non Scripturæ. Præterea quam diuersum, Bellarmine, vtrum aliquis diserte significet, se quod agit ideo agere, vt Deo obtemperet; vt hic Iehu qui Ioramum proijci in terram imperans, addit, hoc se iubere, *iuxta verbum Domini*: an vero simpliciter narret historia, (vt de Salomone Abiatharum Pontificem abdicante) aliquid accidisse, vt Prophetiæ complerentur; quæ sæpe impletæ sunt per homines nihil minus quam de Deo aut Prophetia cogitantes?

At, inquis, verbum in Hebræo sonat actiue, *ad implendum*: mox illud *ad implendum*: ita mutas, *vt impleret. Quare*, inquis, *verba textus Latini debent sic intelligi, vt impleretur, supple, ab ipso Salomone sermo Domini.* Nihil verius, quam fuisse hoc factum ad implendum verbum Domini, & quidem ad implendum per Salomonem: Sed hoc non arguit id eo fine à Salomone factum. Sacra repugnat historia; quæ narrat Salomonem infensum Abiatharo, eo quod stetisset à partibus Adoniæ sibi regnum deposcentis. Audiamus etiam Salomonis ad Abiatharum verba: *Abiathar quoque Sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum Et quidem vir mortis es*: Quid est esse *virum mortis*? nisi esse *reum mortis*? atqui non erat reus mortis, quod ex familia Heli esset; neque se reum fecerat cupiens *implere verbum Domini*: aut Rex potuerat eum facere reum cupiens implere Domini verbum. erat tamen reus mortis, ita vt à Rege supplicio tradi posset; quod ipsa venia satis prodit, *sed hodie te non interficiam*, inquit Salomon: quare? an quia ille Pontifex? imo, longe diuersa ratio; *quia portasti Arcam Domini coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus in quibus laborauit Pater meus.*

Ecce autem Regis imperiũ, vt morti dãnare Põtificẽ posset, mox ad libitũ ex pœna remittere, & officio collatis in Patrẽ gratiã referre clemẽtia. Hoc vnũ voluit Barclaius, hoc efficax tẽporalis

regiæ potestatis in Pontifices argumentum: Neque id quicquam ad sermonem Domini, *quem locutus est super domum Heli in Silo*: Non enim ibi Dominus dixit etiam ex Heli familia reum capitis fore, aut etiam à Rege damnandum. Verba sunt Domini posteris Heli in ipsius persona minanti (1. Reg. 2.) *Et videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israel*: Nihil igitur ad vaticinium illud spectat, quod Salomon Pontificem damnare morti ausus sit pœnamque donauerit; sed hoc solum quod eum sacerdotio remouerit. *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini: vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.* Quid inquam pertinebat ad implendum sermonem Domini, vt Salomon mortis reum in ciuili iudicio pronunciaret illum, de quo prædictum tantum erat quod esset Sacerdotio abiturus. Sed & Iosephus diserte præscribit (*libro 8. Antiq. cap. 1.*) hunc Abiathar à Sacerdotio Regis sententia propter factionem Adoniæ fuisse deiectum. Ait enim ita loquutum Salomonem. *Hæc autem pœna tibi erit quia Adoniæ partes sequutus es, &c.* & mox. *Ob hanc itaque causam*, inquit Iosephus, *ablatus est sacerdotalis honos à domo Ithamaris auo Abiatharis, sicut Deus prædixerat ad Helim.* Quid clarius? Salomon, inquit Iosephus, sacerdotium Abiatharo ademit, non quia id futurum Deus prædixerat, sed quia Abiathar Adoniæ adhæserat; id vero totum contigit, vt effectum haberent Domini verba in Helim, multo ante concepta.

Addis tamen & aliud argumentum; nempe *quod ex sententia Barclaij Rex non potest punire Sacerdotem pœna spirituali, neque miscere se in negotiis spiritualibus, sed solum in temporalibus. Salomon autem priuauit Abiathar munere Sacerdotali, & alium eius loco substituit, ergo vel excessit modum potestatis suæ, vel hoc fecit non vt Rex, sed vt Propheta, &c.* Imo vero Salomon nihil hic Regiam potestatem transgressus: neque de spiritualibus, sed de temporalibus iudicauit. Regum erat Pontificem ad suum tribunal arcessere, & si noxius Reip. esset, vrbe, dignitate, vita priuare: At non se Pontificis miscere officio (nam hoc spirituale erat) aut in sacris ministrare. Ita Dauid constituit Sadoc & Abiathar Sacerdotes, ita Salomon damnato Abiathar vnum Sadoc retinuit. Sacerdotium quippe illud adimi poterat, vbi Pontifex peccauisset in patriæ leges, vt ex Iosepho habemus *libro 15. Antiq. capit. 3.* qui & Salomonem facit sic loquentem Abiatharo, libro 8. cap. 1. *Hæc autem tibi pœna erit Adoniæ partes sequuto, &c. quandoquidē talia commisisti propter quæ indignus es vt honoribus fruaris.* Ita S. Bonauentura, licet mire addictus Pontifici, libro 2. de Ecclesiast. Hierarch. Part. 2. cap. 1. *in veteri testamento*, inquit, *sacerdotium subfuit regno.* & mox, *Ideo Reges tunc poterant amouere ab officio summos Sacerdotes, sicut Salomon amouit Abiathar, 3. Reg. 2.* Abstulit igitur Salomon, loquendo proprie, non Sacerdotium: nam ipso nascendi iure, Sacerdos erat Abiathar. Sed Sacerdotij Principatum, seu Pontificatum, ad quem humana electione peruenerat. Procopius in Comment. ad lib. Reg. *deposuit Abiathar*, inquit, *à Principatu quidem, non à Sacerdotio. Hoc enim non ex suffragijs, & electione populi habebant, sed ex successione generis.*

Addis denique non definiri in Scriptura, bene an secus Salomon egerit, tum in hoc negotio, tum in Adoniæ fratris cæde. At repono de magnis illis viris, Dauide, Salomone, nullum flagitium in Scriptura memorari, quin proscribatur apertis statim verbis. Vide Dauidem adulterio fœdum, vide in numerando populo obstinatum; vide Salomonem in idololatriam lapsum; quam luculenter hæc omnia in Scriptura damnantur? An in ista de Adonia & Abiatharo historia, nec vel leue peccati indicium: quin è contrario dicitur. *Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui.* Tu vero quam inscite, non bene colligi posse dicis, ex eo quod Adoniam Salomon peremerit Regem posse *fratres suos interficere, si speciosam aliquam puellam, quam Rex ipse fortasse amat, sibi dari postulent in vxorem.* Quid? an hæc igitur causa occidendi Adoniæ? imo vero quod agitaret animo regnum, ad quod procliuis via, si Abisag vxor Dauidis illi nupsisset, quæ res Salomoni tanti periculi visa, vt matri id Adoniæ nomine flagitanti responderit. *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & Regnum.* Mox addit, *cōtra animam suam locutus est Adonias verbum hoc*, vbi Lyranus, *Tum quia*, inquit, *machinatur contra Regem, tum quia petebat vxorem contra legem. Leuitici 18. Vbi prohibetur contractus matrimonij cum vxore patris.* Procopius in hunc locum. *Cum igitur periculo facto cognouisset Oniam, siue Adoniam, Tyrannidem affectare (licet primum ei ignouisset, si moderate se gessisset) nunc eum interficit, tum Patris vxorem, adeoque regnum, vt verba Salomonis etiam declarant, petiuisset.* Male tu igitur *ancillam patris* vocas, quam *patris vxorem*, appellasse oportuit. Neque inde conclusio quam intempestiuo nec ferendo ritu contexis de *speciosa aliqua puella, &c.* Sed hæc potius, fratres Regum, sibi sceptra per proditionem vel rebellionem meditantes, à Regibus confici iure posse.

§. 5.

ADDIT, inquis, *Barclaius. Æque fallitur vir idem doctissimus, cum ait eodem libro 2. de Summo Pontifice. cap. 29. non mirum esse, si in testamento veteri summa potestas fuisset temporalis, in nouo spiritualis, quia in veteri testamento promissiones tantum temporales fuerunt, & in nouo spirituales & æternæ.*

Respondeo. Eam ego sententiam vt probabilem posui, propter authoritatem S. Thomæ in lib. 1. de Regimine Principum, siue authoris illius libri, quicunque fuerit, & propter non contemnendam rationem ab eodem auctore allatam. Barclaius autem dicit quidē in vtroq; testamento potestatē Regiam fuisse solum temporalem, potestatem Pōtificiam, solum spiritualem, sed nulla vel auctoritate, vel ratione probat. Quare nemo mirari debet si

veterem

veterem auctorem cum ratione loquentem anteponamus Barclaio, auctori recenti, & sine ratione veteri carpenti.

Non necesse omnia vbique probare. Quod Regum potestas in veteri testamento non se ad spiritualia extenderet, ipse fateris, vbi de Oziæ lepra (*cap. 37.*) quod autem illorum sæculorum Pontificibus nullum ius temporale esset in Reges, ibidem fuse Barclaius, imo & superiori ostendit paragrapho, eos Regibus ciuiliter fuisse subiectos: de Pontificibus denique, Regibusq; nouæ legis, totus hic à Barclaio liber; & hoc loco, ab origine Priuilegiorum, quibus hodie Clerici gaudent, Christianorum Principem probat ciuilem in eosdem Clericos potestatem. Male tu igitur eum dicis suam sententiam nulla vel authoritate, vel ratione probare.

§. 6.

HIs *expeditis*, inquis, *percenset ac numerat Barclaius ordine priuilegia exemptionum, quæ data sunt à Regibus vel Imperatoribus ordini Ecclesiastico, ex quibus colligit Ecclesiasticos ex se subiectos esse in temporalibus politicæ potestati: nisi enim subiecti essent, non egerent priuilegiis, neque illa vel quæsiuissent, vel etiam oblata accepissent.*

Ad hæc breuiter respondeo, Nos hoc loco non suscepisse disputationem de potestate Regum in Ecclesiasticos, sed de potestate Summi Pontificis in temporalibus: neque æquum est de vna disputatione ad aliam transire. Quare Lectorem remittimus ad ea, quæ in Controuersiis de exemptione Ecclesiasticorum disputauimus, præsertim in editionibus, post annum Domini 1598. in quibus paulo planius & plenius sententiam nostram explicuimus, quam in editionibus prioribus. Accedit etiam, quod Barclaius infra iterum de hac re, & fusius tractat, capite videlicet tricesimo secundo, & tricesimo tertio: vbi se in materia exemptionis nouam doctrinam contra Scriptores omnes inuenisse gloriatur.

Ictus facilis, si tantilla declinatione possit eludi. Scias porro, *non de vna disputatione hic transiri ad aliam*; cum *ad disputationem de potestate Summi Pontificis in temporalibus*, sit maxime necessaria *disputatio de potestate Regum in Ecclesiasticos*. Cur vero paulo ante (hoc Capite) tam curiose Clericorum patronum egisti: nunc illam disputationem reiicis, tanquam à re quam agimus alienam. Sed videris rem differre in tricesimum secundum, & tertium Caput, in quibus dicis Barclaium, *Se in materia exemptionis nouam doctrinam contra Scriptores omnes inuenisse gloriari.* Vt tu in illum iniurius! Nisi longe diuersum non est *contra Scriptores*, & præter Scriptores aliquid dicere. Neque se inuenisse gloriatur; sed dicit quod si alius author eiusdem rei *meminit, saltem eos quorum interest id scire, non, vt debuit, commonefecit*. Expectandum igitur ad tricesimum secundum, & tricesimum tertium caput, vbi te pro Clericis dicentem audiamus.

CAPVT XVI.

De differentia, quam constituit Bellarminus inter Principes Ethnicos, & Christianos, quantum ad potestatem in Clericos. Quomodo Principes ad Ecclesiam accedentes se submiserint Ecclesiæ. De comparatione patriæ potestatis cum Pontificia. Sententia Cardinalis de Cusa, de potestate temporali Pontificis.

Titulus apud Bellarminum est,

Refellitur alia digreßio Barclaii.

§. 1.

IN *capite sextodecimo*, inquis, *Barclaius intermissa responsione ad rationes meas pro potestate Pontificis in temporalibus, digreditur iterum ad potestatem Regum in Pontifices. Et quoniam ego in lib. 2. de Pontif. cap. 29. dixeram, discrimen esse agnoscendum inter Reges Ethnicos, & Christianos, quod illi non subiecissent se per Baptismum summo Pontifici, vt Christi Vicario, isti autem subiecissent: & ideo probabiliter dici potuisse, summos Pontifices olim subiectos fuisse Imperatoribus Ethnicis quoad temporalia: Imperatoribus autem Christianis nunquam fuisse de iure subiectos: aggreditur hoc discrimen impugnare, seq; demonstraturum pollicetur, Pontifices summos non minus subiectos esse de iure Regibus Christianis, quam Ethnicis, quod attinet ad temporalia. Excipit tamen eos Pontifices, qui post adeptam temporalem ditionem in certis prouinciis cœperunt esse supremi Principes politici, vt sunt Reges aliique Principes absoluti. Vtitur autem hac ratione, Principes temporales per Baptismum subiecerunt se potestati spirituali summi Pontificis, vt Christi vicarij: ex hac autem subiectione non sequitur summum Pontificem non esse subiectum potestati temporali Principum Christianorum, ergo Bellarminus vitiose argumentatur.*

Respondeo. Quod dixeram in loco citato de subiectione temporali summorum Pontificum ad Ethnicos Imperatores, in Recognitione operũ meorum ante duos annos edita mutaui: secutus enim fueram auctoritatem Alberti Pighij, sed animaduerti postea, rationem eius sententiæ non esse satis firmam: Sed nihil ad Barclaium: siue enim Pontifices subiecti fuerint temporali potestati Imperatorum Ethnicorum, siue non fuerint, Barclaij ratiocinatio

vitiosa est, & Bellarmini argumentum vitio caret. Per hoc enim quod Reges per Baptismum potestati spirituali Pontificis se subiecerunt, censentur etiam eidem potestati spirituali Regna sua subiecisse, & politicam potestatem, vt videlicet à Pontifice dirigi & corrigi vellent, si quo modo circa temporalia a via salutis deflecterent. Vana sunt autem omnia, quæ Barclaius subiungit de Constantino Imperatore, Clodouæo, & Donaldo Regibus, qui per Baptismum Imperio & Regnis non exciderint. Nam neq; nos dicimus Reges per Baptismum Regnis excidere, aut quicquam sui iuris amittere, sed contra potius affirmamus Reges post Baptismum fœlicius vtrinsque regnare. Neque enim Christi Vicarius Regna filiorum suorum spiritualium affectat, aut Iurisdictionem illorum temporalem imminuere, aut perturbare cupit, vt aperte scripsit Innocentius III. in capite sæpe citato, Per venerabilem, Qui filij sint legitimi. sed prouidere nititur, vt ita regnent in terris, vt Regnum cœleste non amittant, & vt Regna terrena Regno cœlesti famulentur, vt præclare scribit Sanctus Gregorius in libro secundo, epistol. 61.

Primum quod hic arguam, Bellarmine, est, te syncera Barclaij argumenta leui compendio detruncasse. Multis enim paginis apud illum asseritur, non plus hodie in Christianorum Principum temporalia, quam in Ethnicorum olim, licere Pontifici: quæ omnia non exscribo. Satis iam tibi oppugnanti resistere. Ais deinde, te ante biennium in Recognitione operũ tuorum mutasse sententiam, qua dixeras Principibus Ethnicis Põtifices fuisse subiectos. Cur porro mutauisti? nam non tantus es, vt ipsam veritatem quoque immutes. Nullæ tibi rationes, nisi quod Apostoli spirituales Principes erant, &, cum Regum filij immunes sint, immunes etiam eorum domestici censeantur. Rationes ludicræ, & in re tam seria abigendæ, vt à nobis c. 3. 9. 10. & 11. disputatum.

Scribis denique nihil hoc ad Barclaium; cuius quippe *ratiocinatio vitiosa* sit, quamuis concederes fuisse Ethnicis Principibus in Pontifices potestatem. Id sic probas. *Per hoc enim quod Reges per Baptismum potestati spirituali Pontificis se subiecerant, censentur etiam eidem potestati spirituali Regna sua subiecisse, & politicam potestatem, vt videlicet à Pontifice dirigi & corrigi vellent, si quo modo circa temporalia à via salutis deflecterent.*

Vt fucas tuos dolos! vt ambiguos texis! Nam si intelligis Reges ita se subiecisse Pontifici, vt ab eo spiritualiter dirigi, & si ita in suo Politico regimine errent, vt suæ & suorum saluti noceant, edoceri, moneri, etiam spiritualiter corrigi possint, ad te accedimus. Sed hoc non est, Bellarmine, *regna sua subijcere, & politicam potestatem*, seipsos quatenus Christianos, at nec Regna, nec politicam potestatem subiiciunt. Sin autem vis (& te velle ex consequentiis tuis non ambigimus) *censeri Reges*, regna & potestatem submisisse Pontifici, vt ab eo temporaliter plecti possint, exigique de regno, quæro à te Bellarmine, quamobrem, aut à quibus censeantur, aut quæ inter illa necessaria connexio. ridicula sine argumento, sine veritatis vestigio consequentia. Quanto melius Barclaius. *At vero constare oportet*, inquit, *Principes scientes prudentes concessisse in ditionem ac potestatem temporalem Pontificis, vel fatendum ipsos eo iure & conditione, quantum ad regalem dignitatem attinet, post baptismũ permansisse, quo fuerant anteqũ sacris Christianis initiarentur. Nam vel ipsomet Bellarmino teste lex Christiana neminem priuat suo iure & dominio. An vero antequam Christo nomen darent similiter de iure & facto, vt ille ait, dominabantur Pontifici, & eum iudicare in temporalibus iure poterant: ergo similiter & post baptismum iure potuerũt. Quod si ita est, fieri nullo modo potest, vt ipsi ab illo in tẽporalibus iudicentur: cum sit impossibile aliquem esse superiorem, & inferiorem, in eodem potestatis genere, respectu vnius & eiusdem.*

Ecce vt *Barclaij ratiocinatio vitiosa non est, Bellarmine, si Pontifices subiecti fuerunt temporali potestati Principum Ethnicorum*, vt reuera fuerunt & tu olim fassus es, licet iam absq; argumento dissentias. Neque, inquam, Imperator, eo quod Christianus factus sit, in temporalibus submittitur Papæ, neque quisquam Imperatori, etiam Christiano, subditus, vbi ad Pontificatum euehitur, de iure diuino, subiectioni Imperatoris subducitur. *Dico* (inquit Almainus de potest. Eccles. & Laic. q. 2. c. 5.) *quod Papa est supremus iudex cunctorum fidelium in spiritualibus, sed non in temporalibus: imo Imperator est iudex Papæ in temporalibus. Vnde doctor ponit talem propositionem, Imperator est iudex Papæ in temporalibus: patet, antequam aliquis efficitur Papa, Imperator est iudex eius, ergo postquam est effectus Papa: patet consequentia ex illo verbo Apostoli. Vnusquisque maneat in eadem vocatione, in qua vocatus est, si sit seruus; non sit ei cura. Tunc arguitur sic, Ius diuinum nullum liberat à seruitute, ergo si Sortes sit seruus Imperatoris, antequam electus in Papam, post electionem non liberarabitur à seruitute iure diuino.*

Sed nec vana de Constantino, Clodouæo, Donaldo addidit, imo tu in respondendo non solidus. Dicit illos ad Ecclesiam accedentes nihil temporalis sui iuris subiecisse Pontifici. Tu ais neque vos dicere, *Reges per baptismum Regnis excidere, aut quicquam sui iuris amittere.* Quæ hæ nugæ? quam sibi immane contrariæ? Scribis hoc ipso §. *Per hoc enim quod Reges per Baptismum potestati spirituali Pontificis se subiecerunt, censentur etiam eidem potestati spirituali Regna sua subiecisse, & Politicam potestatem*: Nihil igitur amittunt sui iuris si antea secundi à DEO, & post DEVM primi, vni DEO debentes innocentiæ rationem, ita sub potestate Pontificis fiunt, vt per eius sententiam & regnis & potestate possint excidere? Si, inquam, eo quod credis modo subiecerunt Pontifici *regna sua & Politicam potestatem*? Sed istam fraudem & verbis tenus Principibus blandientem, iam ante. (cap. 12.) excussimus. *Regna vero terrena regno cœlesti famulari*, cum Sancto optamus Gregorio: sed nusquam apud illum inuenias, regna terrena, vt regno cœlesti famulentur, hoc iugo Pontificiæ potestatis in temporalibus esse premenda.

§. 2.

§. 2.

SVBIVNGIT postea Barclaius similitudinem, inquis, qua explicari aptissime, & confirmari efficacissime sententiam suam censet. Hac est autem similitudo. Si quis filiusfamilias patre suo adhuc superstite magistratum publicum gerat: debebit patri parere in iis, qua ad res domesticas pertinent, & poterit si male se gesserit erga patrem, à patre puniri per exhæredationem, aliasq; pœnas ad qua patria potestas se extēdit: nō tamen parere tenebitur in iis, qua ad publicam administrationem pertinent, neque poterit à patre priuari Magistratu, aliisve pœnis coerceri, qua à publico Magistratu infligi solent. Contra vero pater tenebitur filio Magistratum gerenti assurgere, eique parere in rebus publicis, & politicis; non autē in domesticis: & poterit in patrem animaduertere, atque in eum lege agere, vt in alios homines priuatos, si contra publicas leges aliquid forte peccauerit. Sic igitur Pontifex, qui pater est omnium Christianorum, etiam Regum, & Principum, poterit Regibus imperare in iis, qua ad res domesticas, id est, Ecclesiasticas pertinent, eosque punire pœna grauissima exhæredationis, id est, excommunicationis: sed non poterit aliquid eis iubere circa regimen politicum, neque eos Regnis priuare: contra, Reges poterunt Pontifici imperare in iis, qua spectant ad regimen politicum, non autem in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus.

Respondeo Iam supra admonui, Barclaium eadem sapius repetendo librum suum augere, vt ex paruo libello, liber iusta statura efficiatur. Hanc enim similitudinem iam antea proposuerat capite tertio, eo excepto, quod eo loco Patri adoptiuo Pontificem comparauerat, hoc loco Patri simpliciter comparat: sed quod attinet ad rem præsentem, eadem similitudo est. Atque, vt capite tertio admonuimus, similitudo illa tam est inepta, & puerilis, vt mirum sit Barclaium ipsum non animaduertisse vitia similitudinis à se allata. Nam potestas publici Magistratus maior est potestate patria ciuium priuatorum, & potest eam dirigere, & corrigere, & si iustitia postulet, potest Patrem propria potestate priuare, contra vero, Pater, cum ciuis priuatus sit, non potest magistratum publicum dirigere, vel corrigere, multo minus illum potestate priuare. Potestas autem Summi Pontificis, patria quidem potestas est; sed haud similis potestati patria ciuium priuatorum; sed potestati Dei, cuius Pontifex vices gerit in terris; proinde potestas supernaturalis, spiritualis, publica, est omni potestate politica, atque humana longe sublimior. Itaq; duo sunt in hac similitudine peccata Barclaii: vnum quod potestatem politicam magistratus, & potestatem ciuium priuatorum pares facit; cùm tamen priori, vt superiori, posterior vt inferior subiiciatur: alterum, quod potestatem Pontificiam similem fecerit potestati patria humana & priuata; cum sit potestas publica, & diuina, qua neque maior, neque par in terris inueniri potest. Vide qua diximus de hac re capite tertio.

Aufer hinc istas nugas, Barclaium repetendis argumentis quæsiisse suo libro incrementum: quasi aut ipsa res sæpe ad eadem arma non vocet, aut tu verba eadem, eosdem authores, eadem argumenta in ipso hoc volumine sæpe quinquagies, imo sexagies (neque me fallit numerus) non repetas. Cur vero hanc similitudinem à Barclaio productam, vt ineptam aut puerilem rideas, equidem non possum conijcere, nisi vt fortissimo telo, aut imperitos aut credulos, tuæ authoritatis præiudicio, demas acumen, sed contumelias tuas mitto.

Nam, inquis, potestas publici Magistratus maior est potestate patria ciuium priuatorum. Certe maior, quatenus ille magistratu fungitur; minor, quatenus est filius. *Et potest eam dirigere & corrigere, & si iustitia postulet, potest patrem propria authoritate priuare.* At hæc omnia non tanquam filius, sed vt legibus custos datus; vt prorsus in re pugnent: cum probetur nihil magis aut minus Magistratui publico in parentem, quam in cæteros ciues esse concessum. Sic enim Barclaius: nihil minus politici iuris Principibus fuisse in Papam, posteaquam is eorum spiritualis pater factus est, quam antea fuerat: & vt filius ad Magistratum euectus iis modis & legibus, quibus in cæteros patres agere (puta nimis duros, aut fœdos) in suum quoq; potest, ita illos Principes Christianos quicquid in ciues alios, etiam in Pontificem potuisse. *Contra verò*, inquis, *Pater cum ciuis priuatus est, non potest Magistratum publicum dirigere, vel corrigere, multo minus illum potestate priuare.* Certe nec vt Magistratum puniet, nec amonebit magistratu (alioqnin & rueret similitudo Barclaii) sed vt filium castigabit, & à filii iure excludet. Nam vt recte Barclaius, potest male meritum exhæredare, domo eiicere, priuare familiæ & agnationis iure, aliisque domesticis remediis coercere.

Sed, inquies, potest filius magistratu publico fungens, ex causa patriam potestatem Patri auferre, non autem Rex aut Princeps Pontifici Pontificalem potestatem. Ratio, quod in priuatum Patrem filius Præses hoc possit, est, quod sit Patris in ciuilibus rebus index; qualis hodie nullus Princeps respectu Pontificis. Non iam, inquam, Imperator suo iure, & authoritate politica, castigabit Pontificem, qui Imperio subditus non est: Vt neque filius præses delinquentem coerceat patrem, si is in locis degat ipsius præfecturæ non subditis. Quod si vt olim Constantini, Theodosii, Iustiniani temporibus, sic & hodie essent Principes, qui ciuiliter præessent Pontifici, possent illi omnino punire delinquentem, custodia, exilio, grauioribus quoque pœnis. At veluti filius Præses, non nisi tarde; & parentis coactus sceleribus, debet id aggredi, cui veluti tristis natura reluctatur: ita nec Principes, nisi vltimis & desperatis Pontificis adacti sceleribus, deberent in spiritualis Patris coercitionem erumpere.

Sed nec vult Barclaius, eadem prorsus, quæ filio Præsidi in priuatum patrem licent, etiam Regi, qui spiritualis Papæ filius, licere in Papam, (alioqui non similitudo esset, sed *identitas.*) Hoc tantum; quicquid Politici & temporalis iuris Principi nondum Christiano in Pontificem competebat; id omne compere etiam postquam Christianus factus est, & spiritualis filius Pontificis;

Nec quid amplius temporalis iuris Papæ in illum iam Christianum esse, quam in Ethnicum fuit. Si Rex, inquam, non potest in Papam ius aliquod exercere, quod in Patrem filius Præses possit; siue sit filius spiritualis, siue non sit. Hoc ad Barclaii similitudinem satis; neque tu contrarium vnquam euinces.

Itaque, inquis, *duo sunt in hac similitudine peccata Barclaii: vnum quod potestatem politicam Magistratus, & potestatem ciuium priuatorum pares facit.* Vbi autem, aut quo modo pares facit? in eodem potestatis genere? nihil minus. At in diuerso potest; Nam & priuati patres, naturali & ciuili potestatis patriæ iure in liberos Consules potestatem exercent; & filii Consulatus suo iure iisdem parentibus præsunt. *Alterum, quod potestatem Pontificiam similem fecerit potestati humanæ & priuatæ; cum sit potestas publica, & diuina, qua neque maior, neque par in terris inueniri potest.* Vt omittam te identitatem in similitudine flagitare; scias non de excellentia potestatis, sed de limitibus à Barclaio actum. Neque vero per *Magistratus* solos Reges designauit, sed quoscunq; dignitatis publicæ viros: Nam & huius similitudinis lex à Romano iure decerpta est. Ita non Pontifici tantum inferiores Pontifice viros, sed & Regibus inæqualem composuit dignitatem. Nihil igitur ad rem, si Pontificis potestas publica est, ac diuina; sed est satis, omni potestati metas esse, vt & illis, quos ob aliquam rationem vereri debemus, alia ratione imperemus, nec qui in aliquo subiectus est, in omnibus simpliciter subsit. Quid autem? annon etiam potestas patria, quam Pontificiæ composuit Barclaius, à iure diuino est? Sane, cur enim tot verba Scripturæ de parentum imperio, tot mandata de obsequio filiorum? Addis, de potestate Pontificis, *qua neque maior, neque par in terris inueniri potest.* Hoc ipsi prædicamus; & omni dignitate [illegible]orum hanc adoramus potestatem, sed non sequitur si parem non habeat, non esse aliquas, certe minores, illi tamen non subiectas. Vide, Lector, quæ de hac similitudine patris, & filii Præsidis, cum Pontifice & Regibus diximus, *capite 3. §. 15.*

§. 3.

ADDIT *postremo Barclaius*, inquis, *testimonium Nicolai Cardinalis de Cusa, qui in lib. 3. de Concordia Catholica cap. 3. scribit fuisse in antiqua quadam glossa ad Canonem Hadrianus, distinct. 63. Papam esse Patrem Patricii in spiritualibus, & Patricium esse Patrem Papæ in temporalibus, & cap. 4. scribit, non esse in manu Romani Pontificis dare cuicumque prouinciæ per mundum Regem, vel Imperatorem, ipsa non consentiente. Ad primum testimonium iam supra respondi, glossam illam antiquam merito fuisse antiquatam, & explosam. Ad secundum respondeo, Pontificem Romanum posse, præsertim in casu hæresis, Imperatores ac Reges excommunicare, atque deponere, eorumque subditos ab obedientia liberare: quis autem in locum ipsorum succedere debeat, liberum relinquere illis, ad quos de iure pertinet. Itaque non obtrudit Imperatores, aut Reges pro arbitrio populis inuitis, neque iura hæreditaria successionis, aut electionis tollit, atque hoc est solum, quod Cardinalis ille requirit.*

Cur explosa fuerit illa glossa, omnino non dixisti, Bellarmine, certe in gratiam sublatæ Pontificum, quibus nunquam, etiam sæpe inuitis, adulatio defuit.

Iam interpretaris verba Nicolai de Cusa, *non esse in manu Romani Pontificis, dare cuicunque prouinciæ per mundum Regem, ipsa non consentiente;* Quasi non aliud velit, quam non posse Pontificem, vbi Regem deposuit, alterum ad libitum substituere. Imo vult nec à Pontifice posse Regem abdicari. Nam si Prouincia in suum Regem consentiat, eum autem Papa deponat; iubeatque vt illa Prouincia licet inuita, eum sibi præficiat Regem, qui est successionis iure proximus, nonne dabit *prouinciæ illi Regem ipsa non consentiente?* Eadem pene verba, omnino idem sensus Clericorum & Laicorum, qui vt refert Hincmarus Episcopus, vno ore dicebant, *Non nos concredimus, vt aliter ad regnum Dei peruenire non possimus, si illum, quem ipse Pontifex commendat, terrenum Regem non habuerimus.* Non enim tunc quæstio, cum Pontifex posset successionis aut electionis iure contempto, Prouinciæ Regem dare; sed num posset prohibere, ne illis imperaret Carolus Caluus, quem ab illo scilicet regno anathematis minis arcebat.

Itaque, inquis, *non obtrudit Imperatores. &c. Atque hoc est solum quod Cardinalis ille requirit.* Quid ais? An id solum ex illo Cardinali retulit Barclaius? Imo, *Electores* Imperii *radicalem vim habere ab ipso communi omnium consensu, qui sibi naturali iure Imperatorem constituere poterant, non ab ipso Romano Pontifice.* Quod si plura ex eodem Cardinali vis; *Imperatoris celsitudo*, inquit, (libr. 3. de Concord. Cathol. cap. 5.) *est inde pendens quoad sui naturam, & primo, & supremo distincta à spirituali, habens dependentiam immediatam à Deo.* Vis etiam plura? *Cogitet itaque*, inquit, (cap. 41.) *dum hæc instinctu turbatoris pacis mentibus suggeruntur, ipse primus omnium Romanus Pontifex, se ministrum ex humiliatione exaltari, quodque supremam aliorum ministerialem curam habet, non dominationis imperium; ac vtrasque à DEO esse potestates, ac nostro gratia tempore vere distinctas, &c. Et consimilia multa ad mutuam distinctionem inde pendentem, & quod desursum vtraque potestas descendat, probare videntur. Et illa fuit omnium antiquorum opinio vera, & si dubia noniter exorta sunt ob sinistrum multorum complacendi studium, repetantur vetera.* Hæc & alia iste Cusanus, vbique pro summo & absoluto Principum imperio; neque is erat Bellarmine, in Catholica fide suspectus.

Capvt

CAPVT XVII.

Bellarminum, qui superius argumentum duxerat, ex eo quod potestas Ecclesiastica & Politica, sint partes vnius & eiusdem Reipublicæ: iam ducere argumentum ex eo, quod hæ duæ potestates non sint vna Respublica sed duæ. Non esse necessarium ad spiritualem finem, vt Ecclesia possit disponere de rebus temporalibus. Infirmatur verbis B. Petri ad Ananiam. Solutum in eam rem Bellarmini argumentum. Ecclesiam non habuisse primis seculis potestatem in temporalia. Bernardi sententia, de sufficienti & perfecta potestate spirituali Petri Apostoli, etiamsi non posset disponere de temporalibus. Ex aduersariorum argumentis posse colligi, Rempublicam temporalem disponere posse de spiritualibus; aut non esse suo fini sufficientem neque perfectam in suo genere. Diluta, quæ Bellarminus habet in contrarium; & excussæ rationes, quibus contendit, Politicam potestatem apud Christianos subordinari Ecclesiasticæ.

Bellarminus huic Capiti titulum facit:

Defenditur secunda ratio pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. I.



IN capite decimoseptimo, inquis, Barclaius digressionibus expeditis, redit ad examinandas, & refellendas Bellarmini rationes: & quoniam de prima ratione satis multa dicta sunt in capite quartodecimo, aggreditur nunc secundam, quam fideliter transcripsit in hæc verba.

Secunda ratio, inquit, *est: Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum: tales enim sunt omnes Respublicæ bene institutæ: ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum: sed necessaria est ad finem spiritualem potestas vtendi, & disponendi de temporalibus rebus; quia alioquin possent mali Principes impune fouere hæreticos, euertere Religionem; igitur, & hanc potestatem habet. Item potest quælibet Respublica, quia perfecta, & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri Reipublicæ non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem, imo etiam deponere eius Principem, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniuriis: ergo multo magis poterit spiritualis Respublica imperare temporali Reipublicæ sibi subiectæ, & cogere ad mutandam administrationem, & deponere Principes, atque alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.*

Hanc rationem satis fideliter allatam ex duplici capite reprehendit Barclaius. Primum enim negat duas esse Respublicas in Ecclesia, vnam Ecclesiasticorum, alteram Laicorum, siue vnam spiritualem, alteram temporalem, vnam sacram, alteram politicam: & probat ex prima mea ratione, in qua dixi potestatem politicam & spiritualem esse partes eiusdem Reipublicæ Christianæ, & Clericos, & Laicos non facere in Ecclesia duas Respublicas, sed vnam.

Deinde negat potestatem disponendi de rebus temporalibus necessariam esse ad finem spiritualem: quod eo probat, quod Apostolus Petrus indicat Act. 5. se non habuisse potestatem disponendi de bonis temporalibus Ananiæ, cui dixit: Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate?

Ad primum caput facilima responsio est. Respublica enim spiritualis siue Ecclesiastica, & respublica temporalis, siue politica, & duæ sunt, & vna: duæ partiales, vna totalis; quemadmodum spiritus & caro simul iuncta vnum hominem faciunt, imo vnus homo sunt, vt Sanctus Athanasius in Symbolo fidei loquitur: & colligitur ex 2. cap. Geneseos, vbi legimus, formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem: & tamen ita distincta sunt potentiis & legibus, & motibus, vt Apostolus ad Roman. 7. dicat, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & ad Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, & quod magis est admirandum, 2. Corinth. 4. vocatur spiritus homo interior, & caro homo exterior, cum dicitur: Licet is, qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem, & Roman. 7. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Itaque spiritus & caro sunt vnus homo, & duo homines: neque Spiritus Sanctus, qui vtrumque dicit, sibiipsi contradicit: quare nec Bellarminus secum pugnat, cum Rempublicam Ecclesiasticam & Politicam in Ecclesia nunc considerat, vt partes vnius Reipublicæ Christianæ, nunc vt duas Respublicas inter se distinctas: Nam similimam esse Rempublicam Ecclesiasticam spiritui, & politicam carni, non Bellarminus solus, aut primus docuit; sed ante eum Thomas Valdensis, & ante Valdensem S. Thomas, & ante Thomam Alexander Alensis, & ante Alensem Hugo de S. Victore, & ante Hugonem S. Gregorius Nazianzenus, vt supra non semel admonuimus.

Ad secundum caput respondeo, Verba Sancti Petri ad Ananiam, non significare, non fuisse in Apostolorum Principe potestatem disponendi de rebus temporalibus Ananiæ, si ea necessaria fuissent ad finem spiritualem: sed indicare solum, non vsum fuisse Sanctum Petrum ea potestate, neque vti voluisse, cum necessitas nulla esset: & certe si argumentum Barclaii aliquid valeret, efficeret etiam, nullum Regem posse disponere de bonis temporalibus subditorum suorum, in casu, quo necessaria essent ad Rempublicam conseruandam. Omnis enim Rex dicere potest subditis suis, Ager tuus nonne tibi manebat, & venundatus in tua erat potestate? quis te illum Reipublicæ donare coegit? & si integrum donasse profiteris, cur parte retenta, integrum te donasse mentiris? Itaque quemadmodum ius, quod habent Reges disponendi de rebus temporalibus ciuium, non est vt pro arbitrio spolient ciues dominio rerum suarum; sed vt possint ciues cogere ad bona sua exponenda pro communi bono conseruando: sic etiam potestas Apostoli Petri in bona temporalia Christianorum non erat (vt Barclaius dicere nos fingit) vt posset Apostolus sine vlla causa priuare dominio rerum suarum omnes Christianos,

idque velle, quod paulo ante damnauimus, esse in potestate Ecclesiæ obices remouere quotquot salutem impediunt, & Ecclesiam non semper habuisse necessaria omnia ad finem consequendum. Vt res exemplo illustris sit: finge relatum ad Principem de perditi ciuis vita, aperta proditionis, aut aliorum criminum consilia; clemens tamen, nec in vindictam Princeps intentus, miserit qui hominem ad sanitatem reuocet, cum mandatis eiusmodi, vt illum ab incepto deterreat, facinoris & pœnitentiæ finem ostendens; facinori supplicia, pœnitentiæ veniam esse propositam. Quod si bona fide reus ille culpam emendet, tum vt ille delegatus regio nomine indulgeat; at in sententia pertinacem, aut carcere plectat, aut capite. Dic mihi Bellarmine, nonne ille delegatus, necessaria omnia ad suum finem habebit? id est, ad illius salutem hominis, cui corrigendo & seruando destinatur? At nihilo tamen magis aut alia, quam quæ iussus est tentare remedia, aut amicos, aut opes, materiam fortasse facinorū, audebit subtrahere, si reus deniq; bene præcipientem audire neglexerit, omnia ad suam salutem sufficientia sua improbitate peruertet. Ita Ecclesia excommunicare, prædicare, absoluere, cætera ad suam iurisdictionem hominumq; salutem necessaria, per se, & reluctantem temporali potestate, explicare satis potest, vt & potuit per Iudæorum, per infidelium, per hæreticorum tempestates. At vlterius quocunq; prætextu potestatem in res seculi vindicare, non est Dei in Ecclesiam largitio; sed Ecclesiasticorum ambitus, nec ferenda in Reges iniuria.

At, inquis, *necessaria est ad finem spiritualem potestas vtendi & disponendi de temporalibus rebus: quia alioqui possent mali Principes impune fouere hæreticos, & euertere religionem.* Quam hæc ratio ex omni parte labat! quandoquidem nec *impune* Principes hæc Ecclesiæ inferēt damna, neq; necessarium ad finem spiritualem, vt non inferant, aut absolute necessarium his resisti. Non *impune* Principes facient; cum Ecclesia excommunicationis telo instructa sit; quo nullum acerbius. Ipse dicis (lib. 3. de laicis cap. 21.) *Excommunicationem esse pœnam maiorem morte temporali:* alibi ais: (lib. 3. de Ecclesia; cap. 6. *Nullam esse pœnam grauiorem, quæ ab Ecclesia infligi potest, quam sit excommunicatio.* & ante te Augustinus, contra aduersarium legis, & Prophetarum, lib. 1. cap. 17. *Illud quod ait Dominus, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus, grauius est quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subigeretur.* Non impune ergo Principes, si illis grauissima omnium pœna ab Ecclesia potest infligi. Sed neq; necessarium (etiamsi optandum, ac omnino vtile) ad spiritualem finem, vt Principes non foueant hæreticos: neq; enim ideo religionem euertent, obstabit religionis Conditor Christus; qui per hæc gentium mala suam religionem nunquam euerti sinet; cui se ad consummationem seculi adfuturum asseruit: Tu nos doces (lib. 4: de Ecclesia cap. 6.) dum ais, *durasse Ecclesiam à Christo hucusque, frustra eam oppugnantibus primo Iudæis, deinde Paganis, vltimo hæreticis, nec solum durasse, sed etiam ex persecutionibus creuisse. Vt n. aqua diluuii palatia Regum obruebant, atq; deiiciebant: Arcam vero Noe magis ac magis attollebant, ita persecutiones regna temporalia facile destruunt, Christi regnum, quod est Ecclesia, non solum non destruunt, sed etiam illustrant. Itaq; Iustinus in Tryphone dicit, persecutionem id esse Ecclesiæ quod est viteis putatio. Vt n vitis putatione ad vbertatem prouocantur, ita quoq; Ecclesia putationibus crescit*, vt omittam; quæ deinde in eam rem ex Tertulliano & Leone exscribis: Ideo nec *ad spiritualem finem necessarium*, vt eiusmodi Impiis Principib. resistant Catholici. Id etiam ex te habemus. *Nō enim,* inquis, lib. 2. de Concil. cap. 20. *est absolute necessarium, vt communi hosti, qualis est Turca, resistatur. Si n. Ecclesia conuersari potuit sub immanissimis persecutionibus Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, cur non possit ēt sub persecutione Turcarum?* Potest n. Ecclesia remediis humanis destitui: vt quod de Pontifice dicis ruinā Ecclesiæ moliente, ad flagitiosos Principes trāsferamus. Ais (lib. 2. de Conc. cap. 19) *Non mirū esse si in eo casu maneat Ecclesia sine remedio humano efficaci, quandoquidē non nititur salus eius præcipue humana industria, sed diuina protectione, cum eius Rex Deus sit. Itaq; etiamsi Ecclesia non possit deponere Pontificē tamen potest ac debet Domino supplicare, vt ipse remedium adhibeat. Et certū est Deo curæ fore eius salutem, qui talē Pontificē vel conuertet, vel è medio tollet, antequā Ecclesiam destruat.*

Iam vero audiamus, quid tu in Barclaium de Ananiæ facto. Ais, Reges suis ciuibus posse dicere, quod Petrus Ananiæ; neque ideo colligi Reges *non posse disponere de bonis temporalibus subditorum suorum, in casu quo necessaria essent ad Remp. conseruandam.* Nulla inter hæc similitudo, Bellarmine. Si enim Ananiæ opes poterant necessariæ esse ad spiritualem finem, neq; esset illius iudicare, tunc ne necessariæ essent, sed de eo posset ambigere, quia de fidelibus multi egentes diuitiis opulentiorum facultatibus leuabantur (inquit *Luc. Act. 4.*) Petri verbis respondisset, imo nesciebam, tum ager *manens mihi maneret, & venundatus in mea esset potestate:* timebam ne necessarius esset spirituali fini, ideoq; de illo disponeres, hac propter celatam pretii partem mihi visum retinere. Hęc dixisset Ananias, si tunc obtinuisset in Ecclesia illa potestas, quam propugnas, disponēdi de temporalibus Christianorum bonis. Sed quia neque hæ opes, neque aliorum fidelium necessariæ ad Ecclesiæ finem esse poterant, ideo recte Petrus; *manens tibi manebat, &c.* Contra Rex; ciui suo dubitanti suæ ne facultates sint necessariæ publicis rebus, ideoque partem aliquam occultanti, ita loqui non potest, quia reuera fieri potuit, vt *necessariæ* essent, neq; manentes illi manerent.

At cur dicas, *fingi à Barclaio, vos dicere, potuisse Apostolum sine vlla causa priuare dominio rerum suarum omnes Christianos?* hic de ea re in Barclaio ne vel verbum. Nisi forte intelligis, hāc quidem potestatem Apostolis datam, vt ea non nisi ex causa vterentur; potuisse tamen etiam sine causa hæc bona auferre, si videlicet ea potestate voluissent abuti. Nam hoc modo verum erit ex sentētia vestra sequi, tum Apostolos *sine causa* potuisse Christianis opes auferre, tum hodie posse Pontificem *sine*

 causa

caussa imperium abrogare Principibus. Quod autem adscribis, imperasse Apostolos vt Prædicatores Euangelii à Christianis alerentur, iam sæpius à nobis excussum est (vide *cap 3. § 8 cap. 5. §. vlt.*)

Ex his patet, Bellarmine, *Remp. Ecclesiasticam perfectam, & sibi sufficientem in ordine ad finem suum esse*, Sed ad illum finem non necessarium, posse vti & disponere de temporalibus rebus. Neque constare rationem quam adhibes, *necessariam* hanc Ecclesiæ potestatem, *ne Reges impune foueant hæreticos*; imo nec Petrum iis verbis, quibus reprehendit Ananiam, iure vti potuisse, si hæc quam astruis potestas in temporalibus, fuisset Ecclesiæ.

§ 2.

AT INQVIT Barclaius, ais, *primis trecentis annis non fuit in Ecclesia potestas disponendi de rebus temporalibus Christianorum, inuitis dominis: ergo vel Respublica Christiana tunc fuit imperfecta, vel non est necessaria potestas ista ad finem spiritualem consequendum. Atq; hic multa verba Barclaius frustra profundit, vt ostendat ad prouidentiam Dei pertinuisse, vt Ecclesia illa prima instructa esset omnibus iis rebus, quæ ad eius conseruationem necessaria essent.*

Respondeo. Ecclesia illa prima instructa fuit omni potestate, atq; omnibus præsidiis, quæ ad perfectam Rempubl. constituendam necessaria erant: primis autem trecentis annis non fuerunt in Ecclesia multi Principes politici: fuerunt tamen aliqui, vt Philippus Imp. & Rex Lucius, ac Rex Donaldus. Sed fingamus nullos fuisse: non ideo defuit Ecclesiæ potestas disponendi de bonis temporalibus Principum, & dirigendi potestatem eorum politicam, quando illi Ecclesiæ membra, vel filii effici vellent. Præterea vt paulo ante dixi, in ipso principio Ecclesiæ, quanquam nulli fuerint Principes Christiani, Apostolis ipsis Ecclesiam regentibus: fuerunt tamen multi homines diuites, de quorum diuitiis Apostoli disposuerunt, statuentes vt ex iis ministros Euangelii sustentarent.

Nihil facis in Barclaii argumentum. Dicit non potuisse Ecclesiam de inuitorum Christianorum bonis disponere, dum Ethnici Principes imperabant; hoc est, non potuisse *de facto*. Nam si de iure loqueretur, non in certos annos hanc impotentiam destinaret, nempe trecentis annis, & sub Principibus Ethnicis; sed diceret, aut semper, aut nunquam, id Ecclesiæ licuisse, cum spirituali potestati nihil ab initio accessisse, nihilq; decessisse, in argumentum etiam trahat. Tu ab argumento vi caute declinas: ais, *non defuisse Ecclesiæ potestatẽ disponendi de bonis temporalibus Principum, & dirigendi potestatem eorum politicam, quando Ecclesiæ membra, vel filii effici vellent.* De hoc vero non agitur. Non iam de Principibus, inquam, sed de priuatis. Neq; noua potestas accessit Ecclesiæ, cum ad eam Principes accederent, sed hoc tantummodo factum, vt Principes illi potestati subessent, qualiscunq; à Christo data est Ecclesiæ; cui non alia potestas in Principes data, alia in priuatos. Sed quid tu in Barclaii rationem, quid, inquam, de Christianis dices, quorum multos sub Ethnicis Principibus fateris extitisse? an de eorum etiam inuitorum opibus potuit disponere Ecclesia? certe nequaquam; cum querelis ad Principem Ethnicum, Prætoresioue delatis posset facile Ecclesia submoueri. Ita inuitis illis Ecclesia de eorum bonis disponere non potuit, cui consequitur, ergo neq; necessariam hanc fuisse potestatem; cum necessariam omnem Ecclesiastico muneri potestatem, non de iure modo Apostoli, sed & de facto habuerint: quod nisi impius & blasphemus haud neget, & qui Deum aut ignorationis audeat, aut doli ac tyrannidis accusare; vt fuse disseruit Barclaius.

Neque aliud pro te habes, quam argumentum importune ineptum, Apostolos statuisse, vt fideles ex suis opibus *ministros Euangelii sustentarent*, plus vicies à te allatum, nobis quoque ad nauseam repetitum. Vide finem superioris paragraphi.

Non igitur *necessarium ad spiritualem finem*, vt Ecclesia *de temporalib. fidelium bonis possit disponere.*

§ 3.

ADDVCIT *postea Barclaius* inquis, *verba S. Bernardi ex lib. 4. de Considerat. cap. 3. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris: absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum, si amas me, pasce oues meas: in his successisti non Petro, sed Constantino. Hæc Bernardus; quibus subiungit Barclaius. Quamuis itaque potestas temporalis de qua nobis sermo, hominibus videri potuerit Ecclesiæ necessaria, Deo tamen neque necessaria, neque vtilis visa est.*

Respondeo. Posset hoc loco Barclaio dici, quod in libro Iob cap 38. Deus ipse dicit: Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis? S. Bernardus scribit, Apostolum Petrum pauperem fuisse diuitiarum huius mundi, & potuisse sine auro, & argento proprio, sine equo albo, & sine satellitibus implere salutare mandatum pascendi oues: non tamen S. Bernardus dicit, non fuisse in Apostolo Petro potestatẽ disponendi de temporalibus bonis Christianorum, & de ipsis Regnis, & imperiis, si necessitas spiritualis id requireret; imo contrarium dicit, cum Pontifici, qua Pontifex est, & Christi vicarius, ac Petri successor, applicat illa verba Hier. 1. Ecce constitui te super gentes, & super regna, vt euellas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes: non enim pugnat paupertas propria cum potestatẽ disponendi de diuitiis, & iudicandi Reges & Principes terræ. Sic enim Prælati ordinum religiosorum, cum sint ipsi voto paupertatis obstricti, potestatem habent de opib. amplissimis sui ordinis disponendi. Et apud veteres Romanos multi ciues inopes, vt Fabricius, Curius, Cincinnatus, & alii, Consules, vel Dictatores effecti, disponebant de Regnis, & Regum opibus, cum ipsi tamen in pristina sua egestate remanerent. Ergo non debuit Barclaius diuitias cum potestate confundere, quasi non possit idem homo & pauper esse pecuniis, & di-

& diues potestate. Deinde S. *Bernardus dicit Pontificem in diuitiis, & temporali principatu non successisse Petro, sed Constantino: quid inde colligit Barclaius? potuisse Pontificem sine temporali principatu fungi munere Apostolico? Quid tum? non enim quæstio nostra est de Principatu temporali Summi Pontificis, sed de potestate spirituali, & Apostolica, quam nos dicimus extendi ad disponendum de rebus temporalibus, & de ipsis Regnis, & imperiis in ordine ad finem spiritualem. Barclaius autem vt hoc refellat, disputationem transfert ad principatum temporalem quo Apostolus actu caruit, vt omnia confundendo & permiscendo aliquid dixisse videatur. Denique Barclaius, quasi raptus ad tertium cælum in consilio Dei fuerit, absolute pronuntiat, Deo neque necessariam, neque vtilem Ecclesiæ visam esse potestatem temporalem, de qua nobis sermo. Ego verò à Barclaio quæro, de potestate temporali loqueris? Nam si de potestate illa loqueris, quæ in se spiritualis cum sit, extenditur ad temporalia non obscuro Deo falsum imponis. Illam enim potestatem Deus Ecclesiastico Principi necessariam esse duxit, ideoque eam illi tribuit, cum ait, Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Sic enim ista verba intelligi debere docuerunt Concilia generalia, quæ supra citauimus, quæque verissime dicere poterant, Visum est spiritui sancto & nobis. Sin autem loqueris de potestate temporalis principatus, quem Ecclesia nunc possidet, & ante annos octingentos possedit: omnino temere affirmas hanc potestatem Ecclesiæ, neque necessariam, neque vtilem Deo esse visam. Nam (vt alia nunc omittam) si Deo visum esset, non esse vtilem Ecclesiæ hunc Principatum, certe Summi Pontifices Zacharias, Adrianus, Nicolaus primus & secundus, Leo tertius, & quartus, & nonus, & alii, qui communi omnium Scriptorum sententia optimi, & sanctissimi, & Deo gratissimi fuerunt, eum principatum non retinuissent, & multo minus pro eo conseruando decertassent. Vtrum autem de iudicio diuino magis credendum sit tot sanctis Pontificibus, quam vni Barclaio, in dubium certe reuocari non potest.*

Mirum te ad longas & validas Barclaii rationes sæpe breuem, nunc in exiguo campo, tam prolixe volitare. Scias igitur, id vnum ex hac authoritate Bernardi Barclaium quærere, Petrum *credidisse se satis posse implere salutare mandatum*, non modo cum non afflueret diuitiis (neque enim illa Bernardi verba in argumentum trahit) sed cum actu non posset de Christianorum bonis temporalibus disponere; quod non potuisse reuera, iam ante probauimus. Nam si Petrus implere mandatum potuit, & hanc potestatem non habuit, omnino hæc potestas necessaria non est ad implendum salutare mandatum. Neque illa quæ præcedunt verba Bernardi, quod illis niteretur, sed vt totam sententiam daret, exscripsit; libentius forte, quia iste Principatus, illæ vires, de quibus hic Bernardus, ambitiosis Pontificibus velut stimuli exciterunt, vt de spiritualis potestatis egressi limitibus tentarent ad temporalem procedere, &, vt recte Barclaius *quam in virtute verbi diuini, Dei que auxilio singulari, spem ponere debebant, eam in armis, & authoritate, ac potestate temporali, potissimum collocarent.*

Quamuis itaque potestas temporalis, de qua nobis sermo, inquit Barclaius, *hominibus videri potuerit Ecclesiæ necessaria. Deo tamen neque necessaria, neque vtilis visa est.* Agis hic dubitantem, an de indirecta potestate in temporalia loquatus Barclaius, an de illa ditione, quam vt summus Princeps ac dominus, Pontifex tenet. At quis præter te, nisi de scepticis dubitet? Ait enim, *potestas, de qua nobis sermo*, atqui hic Bellarmine, scis agi, non de illo *particulari* principatu, sed de indirecta in omnes potestate. Libet tamen vtrumque tuæ diuisionis membrum excutere. Dicis hæc Barclaii verba nequaquam vera, si referantur ad indirectam potestatem in omnium Christianorum temporalia, cum Concilia generalia docuerint eiusmodi potestatem per hæc verba Pontifici datam, *quodcunque ligaueris, &c.* Aut alius prorsus vlla, asseruisse hanc Pontificis potestatem. Si vero de Principatu inquis, quem patrimonium Petri dicimus. Barclaius scribit, *temere affirmas illum neque necessariam, neque vtilem Deo visum*, cum illum ex Pontificibus sanctioris notæ multi acriter promouerint. Primum dico, certe de illo Barclaium non loquutum, vere tamen potuisse sic loqui, vt *non necessariu* diceret, cum ante illius exordium sancti quique Pontifices Ecclesiam regerent, eamque ad sanctitatis, & reuerentiæ fastigium eueherent, cui deinde per eiusmodi principatum, vt modestissime loquar, nihil accessit. An vero *vtile* fuerit, Dei esto iudicium: rem occultam & à nostra quæstione alienam, curiose & frustra non tango. Vtile ego credo, & Maiestati Ecclesiæ nihil nimium posse accedere, ministrosque, si ea ad ambitum abutuntur, peccare, non ipsam maiestatem.

§. 4.

AT rursus instat Barclaius, inquis, & argumentum in nos retorquet his verbis: Omitto quod si ratio illorum bona esset, sequeretur è contrario Rempublicam temporalem habere potestatem disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi supremum Reipublicæ Ecclesiasticæ Principem, quia debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum, & habere omnem potestatem necessariam ad finem consequendum. Sed necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi Principem Ecclesiasticum, quia alioqui possent mali Principes Ecclesiastici turbare statum, & quietem Reipublicæ temporalis, & impedire finem ciuilis gubernationis, vt de facto aliquando nonnulli summi Pontifices perturbarunt: Igitur hanc potestatem habet Respublica temporalis. Consequens plane falsum est, & absurdum (nam Princeps temporalis quatenus talis est, nullam habet potestatem spiritualem) proinde, & illud quoque falsum est, cuius hoc est consequens.

Respondeo. Tantū interest inter argumentum, quod nos fecimus, & illud, quod nunc Barclaius retorquendo fecit

do facit, quantum distat verum à falso; & bonum à malo: illa enim propositio nostra, Necessaria est ad finem spiritualem potestas disponendi de rebus temporalibus, verissima est, quoniam temporalia ordinantur ad spiritualià, & bona est consecutio, ergo Resp. spiritualis potest disponere de temporalibus in ordine ad spiritualia, quoniam qui potest consequi finem, potest etiam ordinare media ad illum finem. At propositio Barclaii, Necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de spiritualibus, falsa est, quoniam spiritualia non ordinantur ad temporalià, & potestas ordinandi spiritualia ad temporalia non est vera potestas, sed abusio potestatis, & peruersio ordinis: fieri autem non potest; vt alicui Reip. sit necessaria abusio potestatis, vel ordinis peruersio. & cum necessaria non sit ad finem temporalem consequendum potestas disponendi de rebus spiritualibus, non potest bona esse consecutio. ergo Resp. temporalis potest disponere de spiritualibus in ordine ad temporalia. Hoc totum facile potest intelligi ex similitudine iam sæpius repetità, spiritus & carnis in homine: potest enim spiritum disponere de sensibus & membris corporis in ordine ad vitam æternam, indicendo illis continentiam, abstinentiam, flagella, ieiunia, vigilias labores, & quod maximum est, iubendo carni, vt mortem patiatur pro confessione fidei: non tamen potest caro disponere de intelligentia & voluntate, neq; prohibere actiones orandi, & laudandi Deum, & multo minus potest spiritui iubere, vt mortem spiritualem, atq; æternam patiatur, pro quocunq; temporali bono: quod si forte spiritus indiscretis laboribus mentis, vt nimis orando, vel meditando lædat corporis sanitatem, peccabit quidem spiritus, sed non idcirco poterit caro in spiritum imperium sumere, sed gemendo, & fatiscendo faciet, vt spiritum remittat aliquid de nimio feruore suo. Sic etiam si forte Princeps spiritualis abutatur potestate sua iniuste excommunicando temporalem Principem, vel eius subditos sine iusta causa ab obedientia eius absoluendo, & eo modo perturbet statum Reip. temporalis: peccabit Princeps spiritualis, sed non poterit tamen Princeps temporalis iudicium sibi sumere de spiritualibus rebus, aut spiritualem Principem iudicare, & multo minus de Sede sua spirituali deponere.

Vix hic linea, quæ vacet sua culpa. Propositionem tuam dicis, nempe, *Necessaria est ad finem spiritualem potestas disponendi de rebus temporalibus*, ideo veram esse, *quoniam temporalia ordinantur ad spiritualia*: falsum vero quod inde retorquet Barclaius, *quia spiritualia non ordinantur ad temporalia*. Lectorem prorsus ludis. Tuum argumentum, in quod agit Barclaius, est eiusmodi, *Necessaria est ad finem spiritualem potestas vtendi & disponendi de temporalibus rebus, quia alioqui possent mali Principes impune fouere hæreticos, & euertere religionem*: nunc dicis, *quia temporalia ordinantur ad spiritualia*. Quam hæ diuersæ rationes? cur oppugnante Barclaio illud tuum argumentum, *quia alioqui mali Principes &c.* ad *subordinationem* refugis, argumentum nimirum aliud, & ab isto alienum? cur, inquam, hanc ex tuis rationibus secundam cum primis confundis, quæ tota de subordinatione est? Sed nil agis. Iam vtrumque excussimus. Neque enim si nostræ sententiæ locus sit, Principes impune hæresim fouturos ostendimus, hoc *capite*, §. 1. Non subordinari autem spirituali potestati ciuilem, supra *cap. 3. & cap. 4.*

Ais, *quoniam qui potest consequi finem, potest etiam ordinare media ad illum finem*. Vt ignoscam quod ab vno, vt aiunt, *medio* excurris ad aliud, hanc rationem superiori capite, atq; isto, iam satis explosimus. Nam si vis spiritualem potestatem necessariis remediis esse instructam, vt quantum ex se est, genus humanum cœlo inducat, nihil verius, sed palam est in eiusmodi *mediis* hanc potestatem disponendi de temporalibus nequaquam contineri. Sin intelligis ita instructam Ecclesiam, vt possit omnia *ordinare* externa media; & de omnibus disponere, quæ ex parte hominum, temporumve obiiciuntur fini illi cœlesti, tum fortasse concedenda illi potestas in temporalia: sed eam sententiam & ridiculam esse & impiam illis locis ostendimus.

At propositio Barclaii, inquis, *Necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de spiritualibus, falsa est, quoniam spiritualia non ordinantur ad temporalia*. Debuisses dicere, *quoniam Principes Ecclesiastici, non impune euertent statum Politicum*. Nam ratio, quam hic assignas, cur sit necessaria ad finem spiritualem potestas disponendi de temporalibus, ea est: quoniam alioqui possent mali Principes Politici euertere religionem.

Neque vero dicit Barclaius, hoc ciuili Potestati ius in spiritualem esse, sed tam illi in istam, quam spirituali in ciuilem, nimirum vtrimque non vsum, sed abusum significans, si quis iis mediis non contentus, quæ cuilibet rei ad consequendum finem propriè assignantur, velit nullam potestatem aut Rempublicam esse perfectam, nisi possit impedimenta tollere omnia, quæ in suum finem occurrunt, cum eo modo tam videatur Ciuilis Respublica imperfecta & male instituta, si in Ecclesiasticam nihil possit, quam Ecclesiastica, si nihil in Ciuilem, hac nempe ratione, *necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi Principem Ecclesiasticum, quia alioqui possent mali Principes Ecclesiastici turbare statum & quietem Republicæ temporalis, & impedire finem ciuilis gubernationis, vt de facto nonnulli Summi Pontifices aliquando perturbarunt: igitur hanc potestatem habet Resp. temporalis.*

Venis tandem ad similitudinem ad fastidium repetitam, spiritualem potestatem instar spiritus, ciuilem corporis instar esse. At spiritum debere corpori imperare, non contra, ergo &c. De ipsa similitudine nihil dico: piget toties in re vna lassare Lectorem. Sed caueam quæ illinc verbose dedocis. *Si forte spiritus*, inquis, *indiscretis laboribus mentis, vt nimis orando, vel meditando lædat corporis sanitatem, peccabit quidem spiritus; sed non ideo poterit caro in spiritum imperium sumere, sed gemendo, & fatiscendo faciet vt spiritus remittat aliquid de nimio feruore suo*. An vis corpus nihil aliud in spiritum posse de facto, an de iure? si de facto (& reuera de facto non potest, cum stimulare quidem & vigere spiritum, at cogere nusquam possit) similitudo absurda est; Nã potestas Politica Spirituali potest sua

iura inuadenti *de facto* resistere: cum suos neruos habeat à se ipsa, & quos non modo inconsulta spirituali potestate, sed etiam inuita possit exercere. Sin de iure, primum scias ius nullum hic esse vt spiritus in carnem, aut in spiritum caro peccet, nullum item ius vt temporalia *iniuste & sine causa* (nam sic ad similitudinem addis) à spiritualibus, vel à temporalibus spiritualia perturbentur: neutribi inquam ius est, neque hic æqua confers, sed crimina. Instituerąs vero similitudinem, vt probares iustum spiritualis potestatis in temporalem imperium.

At hanc similitudinem ecce quam aptasti egregie. *Sic etiam* inquis, *si forte Princeps spiritualis abutatur potestate sua, iniuste excommunicando temporalem Principem, vel eius subditos sine iusta causa ab obedientia eius absoluendo, & eo modo perturbet statum Reipublicæ temporalis: peccabit Princeps spiritualis, sed non poterit tamen Princeps temporalis iudicium sibi sumere de spiritualibus rebus, aut spiritualem Principem iudicare, & multo minus de sede sua spirituali deponere.* Quis hæc verba turbo inuoluat, ne turbines faciant, ne immeritam Ecclesiam in odii communionem vocent? Quod hic iugum nobis imponis? quicquid de Principibus cogitet Papa, quam eos iniqua premat sententia, ipsimet Principes tenebuntur non obniti? certe si te audiant, qui & hoc Pontificis in eos iudicium vis spirituale esse (licet ad temporalia se extendat) & quantumuis sit iniqua sententia, non posse Principem temporalem, de hoc iudicio *iudicium sibi sumere*: quod si non Princeps, certe nec populos, cum sit laicus, & in tua similitudine carnis etiam vicem gerat. Ita in Pontificum manu erit, Reges omnes, omnes Principes, per iniquas quidem sententias, sed tamen efficaces opprimere. Vt tenebræ vocem hanc premant, nec à Bellarmino credatur emissa. Sed finge, aliam tibi mentem; Quid hoc est, non licere laico Principi spiritualem sibi potestatem assumere, etiam si *in perturbando statu Reipublicæ temporalis peccet Princeps spiritualis?* quid aliud, inquam, intelligis, nisi Principi laico non licere peccare etiam si Princeps spiritualis peccet? Nihil certius, Bellarmine: Sed tam licet laico Principi *peccare*, opinor, quam spirituali, aut verius, tam non licet spirituali quam laico. Quod igitur hic à te discrimen? aut quæ prærogatiua Pontifici, si eo peccante non liceat Regi peccare? Addo ego, nec Rege peccante licere peccare Pontifici; Peccare autem Regem si in spiritualia Pontificis, peccare Pontificem si in temporalia Regis excurrat. Neq; enim sine scelere alteruter potestatem inuadat, quæ est alteri ab vtriusq; potestatis authore, tanquam summo in ea parte Vicario, attributa.

§. 5.

ANIMADVERTIT *Barclaius*, inquis, *infirmitatem argumenti sui, propterea reuertitur ad priorem solutionem dicens: Sed, vt dici solet, dare absurdum non est soluere argumentum. Respondeo igitur aliter ad priorem partem huius secundæ rationis, non esse sc. hic duas Resp. vt ille retur, sed vnam tantum, in qua sunt duæ potestates, siue duo magistratus, Ecclesiasticus, & Politicus, quorum vterque habet ea, quibus necessario indiget ad suum finem obtinendum alter nempe spiritualem, alter temporalem iurisdictionem: & neque hanc iurisdictionem illi potestati, neque illam huic esse necessariam, alioqui fatendum esset, vtramq; potestatem mediis necessariis fuisse destitutam tunc, cum separatæ, vt olim fuerunt.*

Respondeo. Hæc non est alia solutio, sed prior repetita, quam solutionem refutaui paulo ante, cũ ostendi Remp. Ecclesiasticam, & Politicam posse dici duas, & vnam, quoniam distinctæ sunt, & separatæ inueniri possunt, tamen cum in vnum corpus Ecclesiæ conueniunt, ita vna subordinatur alteri, vt sint duæ partiales, & vna totalis. Neq; sequitur, vt quo tempore separatæ erant initio nascentis Ecclesiæ mediis necessariis fuerint destitutæ: Nam Resp. Politica non poterat aliquid detrimenti timere à potestate spirituali, cum non esset capax censurarũ Ecclesiasticarum, quæ in solos Christianos vim habent: & Resp. spiritualis habebat potestatẽ disponendi actu de rebus temporalibus eorum, qui ad ipsam accesserant, & in potentia eorum, qui accessuri erant. Denique non est verum, potestatem spiritualem, & politicam esse similes duobus Magistratib. quorum neuter indiget iurisdictione alterius Nam duo Magistratus pendent à Rege, cuius potestas supereminet vtriq; Magistratui, & potest operam dare, vt neuter alterum impediat: at spiritualis, & politica potestas, non habent vnam tertiam potestatẽ in Ecclesia, cui subordinentur, & quæ vtramq; in officio contineat Quare necesse est, vt vna subordinetur alteri, inferior videlicet superiori, temporalis spirituali. Atq; ex hac responsione soluta manent omnia, quæ vsq; ad finẽ Capitis Barclaius disputat de officio Cancellarii & Comestabulis amplissimorum Magistratuum, quibus Rex solus imperat. Quod autem Barclaius addit, Principem spiritualem, & Politicum vni Deo subesse, quemadmodũ Cancellarius, & Comestabulus subsunt Regi: salua fide Catholica admitti non potest. Ecclesia siquidem, quia Regnum Christi est, non solum Christum pro Domino, & Rege suo agnoscit, sed etiam ex Scripturis sanctis, & traditione Apostolica, & declaratione generalium Conciliorum, & communi Patrum & Doctorum consensu, nouit, vnicũ esse in terris Christi Vicarium generalẽ, qui caput sit visibile visibilis Ecclesiæ. Hunc autem Christi Vicarium, Romanum esse Pontificem in toto suo libro Barclaius admittit: proinde (si Catholicus dici velit) admittere etiam debet, Pontificem, & Regem, non esse duos magistratus immediate sub Christo. Sed Regem Christo & Pontifici, Pontificem soli Christo subiectum esse debere.

Scribit Barclaius te iniuria potestates Ecclesiasticã & ciuilem, quas antea duas vnius Reip. potestates esse volueras, iã duas Resp. appellare. Sed ne inutili lite certemus, sint sane duæ Resp. partiales, sint duæ Potestates in vna Rep. verum vis Nihil moror, neutro tuã causam astruxeris. Satis quod illæ siue Potestates, siue Resp. *sint sibi sufficientes ad suum finem*, absq; ꝙ alterutra possit de reb. disponere ad alterã spectantib. vt hoc ipso Capite satis euicimus. Vtriusq; potestatis cõditor Deus, non discreuit illarũ modo fines, sed (vt fatetur Nicol. Pontif.) etiam actus, etiam dignitates.

De his Potestatibus dicis, quod *cum in vnum corpus Ecclesia conueniunt, ita vna subordinatur alteri, vt sint dua partiales, & vna totales.* Falsum quidem omnino has subordinari potestates: illud vero absurdissimum, si ex eo subordinatas intelligis, quod *in vnum corpus conueniunt, & sunt dua Resp. partiales, & vna totalis.* Neque id enim subordinationis vllius vel speciem saltem adumbret. In Heluetiis clarum (nam eos in exemplum attulisti.) Apud illos partiales Resp. vnam totalem sic componunt, vt ex his partialibus nulla in cæteras quicquam possit. Deniq; iam ante docuimus (hoc cap. §. 1. primam *ex principalibus* tuis *rationibus* ruere, si hic facis duas partiales Respublicas.

Neque sequitur, inquis, *vt quo tempore separatæ erant, initio nascentis Ecclesia, mediis necessariis fuerint destituta.* Quo modo id probes, Bellarmine? *Nam Resp. Politica*, inquis, *non poterat aliquid detrimenti timere à potestate spirituali, cum non esset capax censurarum Ecclesiasticarum.* Quid hoc ad rem? an inde efficitur potestatem Politicam (nam id iam probare aggrederis) cum separata esset ab Ecclesiastica, mediis necessariis ad suum finem non fuisse destitutam? Dicendum fuerat, *Nam Resp. Politica, cum nihil aliud respiciat, quam humanam tranquillitatem, absque Ecclesiastica ope, peruenire poterat ad propositum sibi finem,* Sed hoc tuam causam & *subordinationem* iugulabat. Vide autem quid ex tuis verbis colligam. Ais Politicam potestatem tunc mediis necessariis non fuisse destitutam, *quia non poterat aliquid detrimenti timere à potestate spirituali, cum non esset capax censurarum Ecclesiasticarum*; Ergo ab eo tempore, Bellarmine, quo potuit aliquid detrimenti timere à potestate spirituali, & cœpit capax esse eiusmodi censurarum, est mediis necessariis destituta? Quæ hæc monstra? ô igitur miseram, ex quo Christiana est, potestatem! ô ridiculam sententiam, qua dicitur Christi lege suum nemini ius auferri!

Vide denique quam liquido tibi repugnes. Hic ais ciuilem potestatem, cum Ethnica esset, nihil metuere potuisse à spirituali, alibi negas. In recognitionibus tuis scribis (ad lib. 5. de Rom. Pontif. cap 8.) potuisse infideles Principes *per Ecclesiam priuari dominiis supra fideles, etiamsi non conarentur fideles a fide auertere.* An hoc autem non est accipere detrimentum, Bellarmine, non censuris esse obnoxium? Nam cum dicis, *censura qua in solos Christianos vim habent*: aut intelligis nullas omnino censuras & sententias Ecclesiæ in alios quam in Christianos posse ferri: & tunc tibi repugnabis asserenti, Principes infideles posse per Ecclesiam regno priuari; Aut esse aliquas censuras Ecclesiæ, quæ non nisi in Christianos vim habeant, & tunc aperto indignoque sophismate illudes Lectoribus, cum referri tibi possit, Principes Ethnicos, etsi iis censuris non inuolui potuerint, quæ valent in solos Christianos, non fuisse tamen in tuto, quin ab Ecclesia potuerint *aliquid detrimenti timere*, ibi ea scilicet aliis sententiis coercendi quas vis in Ethnicos quoque valere. Venis ad spiritualem Remp. quam ais potuisse tunc actu disponere de rebus temporalibus Christianorum, &c. quod nos fuse (tum sæpe, tum hoc *c. §. 1. & 2.*) refellimus.

Negas deinde has duas potestates instar duorum Magistratuum esse, *quorum neuter indigeat iurisdictione alterius*, seu *quorum quilibet potestatem necessariam ad muneris sui finem consequendum, à Rege vel Repub. accepit, ita vt nemo eorum possit vel audeat alterius iurisdictionem atque imperium inuadere, sibique arrogare* Tua ratio est, quia *duo Magistratus pendent à Rege cuius potestas supereminet vtriq; Magistratui, & potest operam dare, vt neuter alterum impediat: at spiritualis & politica potestas non habent vnam tertiam potestatem in Ecclesia, cui subordinentur, & qua vtramq; in officio contineat.* Ratio nequaquam Christiana, quasi Christus non sit summus Rex, summum caput Ecclesiæ, qui vtramque potestatem in officio contineat, delinquentem iustis pœnis vlciscatur. Vbi sunt tua verba (lib. 2. de Concil. c 19.) *non nititur salus* Ecclesiæ *pracipue humana industria, sed diuina protectione, cum eius Rex Deus sit?* Vt igitur Præses, aut index, iurisdictionem alterius non potest iure inuadere, si ab vno suo Rege distincta sint eorum officia: Ita neque potestas Ecclesiæ in ciuilem, aut contra, aliquid poterit, cum à communi vtriusque Principe, atque Deo, limites habeant, quos egredi prorsus nefas.

Quam igitur absurde concludis *Quare necesse est, vt vna subordinetur alteri, inferior videlicet superiori, temporalis spirituali.* Vnde autem hoc infers? quia nullus est in Ecclesia homo visibilis, qui vtramque potestatem iudicet? quæ hæc consequentia, aut quæ necessitas? Rex non potest iudicare Pontificem, ergo Regem Pontifex iudicabit? Satis est, Bellarmine, Christum esse illarum potestatum & authorem & iudicem. Neque Pontifex, neque Princeps, alii debebunt potestatis quã exercent rationem, quam à quo illam habent. At vero non illam magis à Pontifice Princeps habet, quam à Principe Pontifex. Vnus vtriusque Dominus, vnus Christus, qui has potestates constituit, & voluit inter mortales esse summas, neque has violari ab hominibus patietur, nec inultas ex officio exertare. Ne igitur necessarium putes omni homini, quoad omnia, aliquem in terris iudicem esse (nullus quippe in temporalibus Regum, nullus in spiritualibus Pontificum iudex) neque credas non habere iudicem, quem Christus suo tribunali seruauerit. Metuendus ille index, metuendum iudicium. *Nolite æstimare* (inquit Papa Symmachus, & refertur Can. *Aliorum. 9. q. 3. eas animas inquisitionis non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reseruauit examini. Non habet apud illum reus de allegationis arte subsidium, quando ipsorum factorum vtitur eo teste, quo iudice.* Et Iuo Carnot. Episc Epist. 171. *Et quia*, inquit, *dispensationes rerum temporalium Regibus attributa sunt, & basilei, id est fundamentum populi, & caput existunt, si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt à nobis granter exasperandi, sed vbi Sacerdotum admonitionibus non adquieuerint, diuino iudicio sunt reseruandi vbi tanto strictius sunt puniendi, quanto minus fuerint diuinis admonitionibus obnoxii.*

Iam iniurie scribis, *Quod autem Barclaius addit, Principem spiritualem, & Politicum, vni Deo subesse, quemad-*

quemadmodum Cancellarius & Comestabulus subsunt Regi, salua fide Catholica admitti non potest. Hoc probas, quia Ecclesia Christi regnum est, & Pontifex Vicarius Christi, qui caput sit visibile visibilis Ecclesiæ. Ergo neq; Ambrosius, neq; Gregorius, neq; omnes illi Patres quos ante retulimus, salua fide Catholica loquuti sunt. Imo illi sincere, & post illos Barclaius. Neq; enim ita est Pontif. Christi Vicarius & caput Ecclesiæ, vt potestas Christi omnis in eum sit collata: sed ex ea habet vt ais (*li. 1. de Rom. Pont. c. 9.*) *tantum suam quandam portionem, secundum mensuram donationis Christi*: nempe vt in spiritualibus sit Christi Vicarius, & præfectus Ecclesiasticæ duntaxat potestatis: Ac de ista re supra (*c. 14. §. 2.*) vbi deprecatus sum odium, quod tua sententia in Catholicam excitat fidem.

Capvt XVIII.

Quibus armis possit Respublica spiritualis, in temporalem agere. Sequi absurda ex argumento Bellarmini. Nullam Potestatem posse se tueri aut vlcisci, nisi concessis sibi armis. Bellarmini argumentum quo in temporalem Potestatem vtitur: eodem iure posse in spiritualem retorqueri.

Titulus apud Bellarminum est:

Defenditur secunda pars rationis secundæ pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. I.



N Capite decimooctauo, inquis, *Barclaius refutare nititur secundam partem secundæ rationis, quæ initio capitis superioris proposita fuit. Argumenti summa hæc est, Potest vna Resp. si ab alia Republica iniuriam accipiat, & per eius malam administrationem perturbetur, ac vexetur, armis cogere Remp. illam, quamuis alias non sibi subiectam, vt mutet formam administrationis suæ, & si opus sit, potest eius Principem deponere: igitur maiori ratione poterit Resp. spiritualis, si à temporali iniuriam accipiat, atque ab ea perturbetur, & vexetur, imperare Reipubl. temporali sibi subiectæ, vt mutet formam administrationis, & si opus sit, poterit etiam Principem temporalem deponere.*

Ad hoc argumentum Barclaius respondet, quod iam ante responderat, non esse duas Respublicas, spiritualem, & temporalem, sed vnam cum duabus potestatibus, quarum neutra pendet ab altera. Sed quoniam hanc solutionem videbat non esse solidam: admittit cœtum Ecclesiasticorum, quorum Princeps est Papa, & cœtum Laicorum, quorum Princeps est Rex, posse dici duas Respublicas intra eiusdem Ecclesiæ sinum constitutas: & hoc admisso respondet, priorem Rempublicam, id est, Ecclesiasticorum, non habere arma nisi spiritualia, posteriorem, id est, Laicorum, non habere arma nisi corporalia, & ideo non esse similes duabus Rebuspub. quæ armis corporalibus se defendunt, & vna alteram cogit & subiicit.

Sed hæc solutio non est priore solidior, quamuis enim arma Reip. spiritualis, quibus ipsa per se vtitur, sint spiritualia, tamen arma corporalia sunt etiam in eius potestate quia gladius est sub gladio, & potest Ecclesia inuocare brachium seculare, & per illud vti gladio corporali. Sed præterea arma ipsa spiritualia possunt cogere Remp. temporalem & eius Principem, quia potest Princeps spiritualis excommunicare Principem temporalem, & eius subditos à subiectione liberare, & ipsis sub excommunicationis pœna mandare, vt Principem excommunicatum pro Principe non agnoscant, sed alium sibi eligant, vel legitimo successori adhæreant.

Liquidissimam Barclaii rationem, quam tu perplexe, quam infeliciter conaris eludere? Dic est hic nequaquam interesse, Ciuilem & Ecclesiasticam potestatem, in Rep. Christiana, duas potestates appelles, an duas Resp. Quandoquidem nulla Potestas, nulla Resp. potest in aliam agere, nisi concessis sibi armis: at Remp. Ecclesiasticam ex solis constantem Clericis, quorum caput est Papa, spiritualia tantum arma habere, ergo spiritualibus tantum armis posse agere in Remp. temporalem. Quid illo clarius, quid non fucata veritate robustius? Respondes, *quamuis arma Reip. spiritualis, quibus ipsa per se vtitur, sint spiritualia, tamen arma corporalia sunt etiam in eius potestate, quia gladius est sub gladio, & potest Ecclesia inuocare brachium seculare, & per illud vti gladio corporali.* Dic vero, Bellarmine, si eo modo, qui ex vestra sententia consequitur, concessus est Ecclesiæ temporalis gladius; quo modo, aut qua ratione non esse concessum, tot Patres, tot Sancti docuerunt? An quod ipsi Clerici non possint militare? Imo possunt. Theologi dicunt (*in 2. 2. q. 64. art. 4.* vbi plurimi in eum sensum Interpretes) arma Clericis non diuino aut naturali iure, sed Canonico tantum & humano prohiberi, ideoque posse Pontificem hæc edicta laxare, illis arma concedere. Tu ipse toto capite 11. de Pontificum bellis egisti, & mox dices (sequenti Capite §. 3.) *Sacerdotibus post Euangelium licere propria manu gladium materialem stringere, in defensionem propriam, aut ob aliam causam dispensante Pontifice.* Ecqua, inquam, ratione, quoue sensu verum erit, quod Patres docuerunt, materialem gladium à Deo Ecclesiæ non concessum, si ad tuendam Ecclesiam Pontifex ipse, & Clerici dispensante Pontifice possunt actu ad arma conuolare, & præterea imperare Principibus Politicis & populis Pontifex potest, vt in hos aut illos bellum instaurent? Quid Rex amplius possit, quam imperare ciuibus militiam, & bellum vel per se gerere, vel per duces? Potest ex vestra sententia sancire Pontifex, vt populus suum Regem, quem abdicandum censet, ciuilibus armis premat, potest & Clericorum exercitum cogere, & eum ipse armatus in Principes ducere, quos infestos credit Ecclesiæ. En vt hoc modo & materialem gladium (contra Patres

omnium

omnium seculorum) non quoad imperium tantum, sed quoad actum & vsum; in sua manu habebit Ecclesia. Nam si ais id Clericos non ideo solere, vel posse, quod plerumque turba imbellis plus in scholis quam in castris sapiant, tunc descendes ad illud quod de facto potest Ecclesia, cum de iure disceptemus.

At si dicas non imperaturam Ecclesiam, sed seculares Principes, nempe suos nutricios ad sui tuitionem inuitaturam, contra Remp. Politicam iniurias inferentem, & inuocaturam *brachium seculare*, quæ tu verba ambigue addidisti. Iterum peto, quid si rogati Principes suscipient causam Ecclesiæ, molestam, & grassantem in illius iura Remp. Principemve, cogerint in ordinem, an eo casu dicenda est Ecclesia illi Principi, illi Reipublicæ abrogasse potestatem, in quam cæteros animauit? certe non magis, quam Princeps Politicus dici potest Principem alium communione priuasse Ecclesiæ, in quem, apud Pontificem quæstus, ob contumaciam & iniurias, excommunicationis sententiam impetrarit. Nisi forte, vt recte Barclaius, Leuita, cuius vxor à Beniamitis stuprum passa, dicendus est tribum Beniamin debellasse, Troianos Menelaus, Coruncanus Illyrios, ac nō potius Israelitæ, Græci, Romani, qui bella Leuitę causa, Menelai & Coruncani susceperunt.

Sed præterea, inquis, *arma ipsa spiritualia possunt cogere Remp. temporalem, & eius Principem, quia potest Princeps spiritualis excommunicare Principem temporalem, & eius subditos à subiectione liberare &c.* Quæ hæc verborum insania? Tota quæstio in illo versatur, an eiusmodi potestatem Pontifex habeat, in Principem, subditosque: tu vt probes habere illud ipsum quod in quæstione versatur, assumis pro concesso. Negamus igitur hanc armorum spiritualium esse vim, quā tu hic fingis. Negamus, & alia quam spiritualia arma, à Christo attributa Ecclesiæ, quibus ipsa spiritualem tueatur potestatem, vt recte Gratianus, *23. q. 8.* De quo mox, *c. sequenti, §. 2.*

§. 2.

ADDIT *postremo*, inquis, *Barclaius: Quid multis? licet illis suam comparationem, conclusionemque concedamus, nihil inde effici potest, nisi Papam habere talem potestatem disponendi de rebus temporalib. Christianorum, & eorum Principibus deponendis, qualem vel Rex Franciæ in Anglos, Hispanos, aliosue populos vicinos sibi iniurios, vel horum singuli in res, Regesque Francorum ipsis infestos habere dignoscuntur: quæ qualis quantaque sit, ferro tantum cerni potest.*

Respondeo. Comparatio & ratiocinatio qua nos vsi sumus in comprobanda Pontificis potestate, non procedit à simili, sed à maiori. Hoc enim est, quod diximus. si potest ratione solius iniuriæ, vna Resp. aliam non sibi subiectam cogere, & eius Principem deponere, quanto magis poterit Resp. spiritualis cogere temporalem sibi subiectam, eiusque Principem deponere, si ab illa tale detrimentum accipiat, vt non possit alia ratione sibi prospicere, nisi Principem illum remouendo, atque alium substituendo? Itaque non est similis potestati Francorum in Anglos, vel Anglorum in Francos: sed potestati, quam habet spiritus in carnem sibi coniunctam, vel caput in membra sibi adhærentia.

Atqui similitudo quam instituis, Bellarmine, etsi sit à maiori, ratione causæ ac iuris quo vna Respub. aliam mulctat, à maiori tamen non est, respectu mediorum, ac armorum, quibus mulcta infligatur. Vis enim Remp. temporalem ab alia temporali, si ei infesta sit, & multo maiori ratione à spirituali, si Ecclesiæ noceat, posse in ordinem redigi. Sed non sequitur Remp. spiritualem si plus iuris habeat ad coercendam Remp. temporalem, quam habeter alia Resp. temporalis, aliis quam concessis sibi armis coercere illam posse. Imo hoc tantum, iustiori de causa exerturam illa arma, quæ ipsi conceduntur: concessa autem spirituali Potestati spiritualia tantum arma, satis Patres antiqui, satis primorum seculorum firmauere Pontifices. At cur istud à maiori argumentum esse existimes, quia, inquis, Resp. temporalis *subiecta est* spirituali, quomodo vero subiecta? spiritualiter certe tantum, id est non quatenus est Resp. temporalis, sed quatenus qui eam cōstituunt, sunt fideles, si eam igitur spiritualis Resp. coercet vt subiectam, debet modis & pœnis coercere, quæ in eam vt subiectam cadere possunt, spiritualibus nempe, & quę solas animas feriant. Nam si ad temporales venit pœnas, iam non castigat vt subiectam (quippe quæ nequaquam temporaliter subest) sed vt temporalem, & à spirituali distinctam Rempublicam.

Sed nec vides, potiori multò iure Remp. temporalem, in aliam temporalem Rempubl. armis posse agere, externa vi coercere, illius Principem abdicare, &c. quam id Resp. spiritualis in temporalem possit: cum ciuili Respub. hæc ratio se tuendi, & res suas vindicandi, à Christo relicta sit, non autem Ecclesiæ?

Quæ denique sit tui argumenti vis, ex eo sic retorto videamus. *Potest qualibet Resp. quia perfecta & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri Reip. non sibi subiecta, & eam cogere ad mutandam administrationem, imo etiam deponere eius Principem, & alium instituere, quando non potest aliter se defendere ab eius iniuriis: ergo multo magis poterit temporalis Resp. imperare temporaliter spirituali Reip. in temporalibus sibi subiecta, & cogere ad mutandam administrationem, & deponere illius Principem quandò aliter non potest bonum suum spirituale tueri.* Aut igitur tuum ipse argumentum omitte, aut quæ inde consequuntur, admitte.

CAPVT

CAPVT XIX.

De sententia S. Bernardi, qua Bellarminus vtitur ad confirmandam Pontificis potestatem in temporalibus. Quid sit, stringi gladium ad nutum Pontificis, & iussum Imperatoris. S. Ambrosii sententia, de gladio temporali post Euangelium adempto ministris Ecclesiæ. Cur Bernardus non dixerit, gladium materialem absolute stringendum ad Pontificis nutum, sed forsitan.

Titulus est apud Bellarminum:

De sententia S. Bernardi circa potestatem Pontificis Maximi in temporalibus.

§. I.

IN *capite decimonono, inquis, Barclaius respondere nititur ad testimonium S. Bernardi ex lib. 4. de consid. c. 4. quod testimonium ad confirmandam rationem meam secundum ego adduxeram: Et quoniam S. Bernardus loco citato, scribit gladium materialem exerendum esse manu militis, ad nutum Sacerdotis: Barclaius affirmat per nutum non debere intelligi imperium, vel potestatem, sed assensum: feliciter enim bella geruntur, cum ad potestatem Regum accedit assensus Sacerdotum, quorum est iudicare, an bellum sit iustum, vel iniustum. Probat autem per nutum non intelligi potestatem, quoniam si forte Imperator Pontifice dissentiente bellum gerere velit, S. Bernardus non tribuit Pontifici potestatem vllam in Imperatorem, imo aperte docet, nullam ei potestatem competere, cum dicat materialem gladium ab Ecclesia exerceri non posse, sed tantum manu militis, & iussu Imperatoris: & confirmat hanc sententiam suam testimonio Gratiani 23. q. 8. in principio, qui scribit, Pontificibus interdictum esse gladium materialem, & solum spiritualem esse concessum.*

Respondeo. Vox illa nutus significare potest assensum, præsertim quando alicui petenti aliquid innuendo respondemus: sed quando nutus præcedit alias causas, imperium significare solet, vel potius imperium ita potens, & efficax, vt sine alio expresso mandato solus nutus ad rem efficiendam sit satis: sic accipitur Gen. 42. vbi dicitur: Et Ioseph erat Princeps in terra Ægypti, & ad nutum eius frumenta populis vendebantur, & clarius lib. 2 Reg. c. 17. Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile vbi ridiculum esse, per nutum intelligere assensum, cum Scriptura loquatur de nutu Dei, qui solus potest corda Regum vertere quocunque voluerit. Et 2. Machab. 8. eadem Scriptura de Deo dicit, Potest vniuersum Mundum vno nutu delere. Et Iob. 26. Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius: cui simile est illud Poetæ:

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

Quod autem hoc loco per nutum intelligat S. Bernardus imperium & non simplicem assensum perspicuum est ex eo quod primo loco inter causas efficientes ponit nutum Pontificis deinde iussum Imperatoris, vltimo executionem militis: proinde quemadmodum miles ex sententia S. Bernardi exequitur iussum Imperatoris, ita Imperator mouetur ad iubendum militi ex nutu, id est, iussu Pontificis. Deinde si nutus ille Pontificis esset simplex assensus, non diceret S. Bernardus vtrumque gladium esse Pontificis, sed vnum esse Pontificis, alterum Imperatoris. Cum ergo dicat, vterque tuus est, sed non vterque tua manu exerendus, manifeste docet vtrumque esse in potestate Pontificis, sed vnum ab ipso immediate, alterum mediate, id est per alium sed nutu sine iussu ipsius exerendum.

Imo nihil liquidius quam nutum in his Bernardi verbis pro imperio sumi non posse. Scias enim illas voces, quæ trahi in diuersos sensus possunt, cum in collatione, aut diuisione aliqua, voci alteri non ambiguæ componuntur, quam alias significare ipsæ possunt, tunc pro illa re, quæ eiusmodi simplici & non ambigua voce intelligitur, nullo modo accipiendas esse. Alioqui vtrumque diuisionis membrum vnica significatione confuderis. *Improbum*, in bonam interdum partem accipias, at tunc minime, cum hoc bonum, hoc autem *improbum*, quis dixerit. *Resp.* omnis generis administrationem significat, ita dixeris, Remp. Persarum à Cyro ad vltimum Darium floruisse: at si à *regno* diserte distinguitur, tunc pro Monarchia sumi non potest, vt si legas, Romanos depulso Tarquinio, regnum, quod apud eos fuerat in Remp. mutauisse. Ita *nutus*, licet aliquando pro *iussu* sumi possit, hic tamen omnium minime, vbi Bernardus illam vocem à *iussu*, seu imperio plane distinxit. *Ad nutum Sacerdotis*, inquit, *& iussum Imperatoris*.

Frustra igitur de significatione vocabuli *nutus* disseris, nempe nonnunquam idem esse, quod iussum, atque imperium, nam hoc quidem nemo negauerit, at auctoritates tuæ vltimæ quam parum idoneæ! Affers Scripturæ verba Iob. 26. *Columnæ cœli contremiscunt ad nutum eius*, & Poetæ; *& totum nutu tremefecit Olympum*. Quasi vero aut Scriptura, aut Poeta, iis verbis imperium significet. Sensus est, tantam esse vim diuinæ maiestatis, vt ad omnes eius motus, & inclinationes vultus (nam humano, & vt dicam, corporali modo spiritualia edocemur) cœlum ipsum horrenti veneratione contremiscat. Sic Psalmista, *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob. & Terra mota est, etenim cœli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.* & Poeta;

——— cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Probas tamen hic à Bernardo nutum pro imperio sumi; quia *quemadmodum miles ex sententia S. Bernardi exequitur iussum Imperatoris, ita Imperator mouetur ad iubendum militi ex nutu, id est iussu Pontificis*. Sed aliud est *moueri*, aliud cogi. Cogitur miles Imperatoris iussu, *mouetur* Imperator nutu, sententia, assensu, Pontificis. At, inquis debet nutus præcedere iussum Imperatoris, ergo pro assensu capi non potest. Eximiam rationem! Nutus Pontificis debet præcedere Imperatoris iussum, quia

Bernardus de vtroque perscribens, de nutu prius egit? Quid tu tam inania, in tam grauibus Bellarmine? Quasi semper potiora, aut priora, non in cæteris modo Scriptoribus, sed in Scripturis ipsis, scribendi ordine, vilioribus, vel posterioribus præferantur. Sed & sæpe nutus ille Pontificis, vbi bellis accedet, erit prior Imperatoris ad milites iussu, siue Pontifex prior suam mentẽ Imperatori denunciet, siue illam Imperator exquirat. Neque vero necessarius ad bellorum æquitatem hic nutus. Nam & iusta inter infideles bella sunt, absque nutu Pontificis, & plurima inter fideles quoque etiam iustissima, inconsulto Pontifice, addo, & nonnunquam inuito.

Deinde, inquis, *si nutus ille Pontificis esset simplex assensus, non diceret S. Bernhardus vtrumq; gladium esse Pontificis &c.* Res prorsus expedita. Vbi bella sunt Ecclesiæ vtilitatem tangentia, aut publicum Christianæ Reip. bonum, quæ Pontifex aut non gerenda, aut non omittenda censeat, tunc edicere Principibus potest quid agendum videatur, vbi stringendus gladius, vbi vero recondendus. Neque imperabit gladium stringi à milite, sed spirituali imperio, & non excuntiad temporalẽ vltionem, imperabit Principi, vt Imperet gladium stringi. Denique Principes si stringere gladium nolint, non aliis castigabit remediis, quam quæ Ecclesiæ in priuatos omnesq; peccatores concessa sunt. Qualis autem in ista re potestas Pontificis, quale Regum officium, & quatenus parere eos oporteat, à nobis supra dictum in *Prolegomenis. Num. 40.* ad vltimam Turrecrematæ *Propositionem.* Præterea si bella sint de quorum æquitate incertus sit Princeps, tunc optimum si decurrat ad Leuitas, si summi Sacerdotis iudicio vtatur, & assensu.

Hac propter Bernardus gladium dixit nonnullo modo esse Pontificis, cum is ad Ecclesiæ bonum possit secularis potestatis auxilium implorare, cum de belli æquitate in interiori foro cognoscere, cum incumbentes armis iniustis, spiritualibus pœnis vlcisci. Sed nil vltra concedit Pontifici, imo Principibus certe concedit, vt de Pontificis iudicio arma suadentis aut dissuadentis iudicent. *Tuus ergo, & ipse*, inquit, *tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus.* Cur illud *forsitan*, si hoc absolutum Pontificis iussum: aut nisi Principibus in huiusmodi nutus æquitatẽ liceat inspicere? Addit, exerendum hunc gladium, *ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris*, quasi dicat nõ stringi illum gladium à milite propter Pontificis nutum, sed propter Principis iussum, id est, non efficit illo Pontificis nutu, vt stringatur hic gladius, sed vt Princeps iubeat stringi. Quid ergo si Pontifex non modo absque Principis iussu, sed etiam in ipsum Principem stringi annuat? (quoquo modo nutum illum exponas) an rite stringet? Non omnino ea mente Bernardi, qui vult iussum Imperatoris accedere, nec nesciuit legitime stringi non posse, nisi authoritate illius, qui *non sine causa gladium portat*. Quo igitur more, quo iure imperet Papa vt populus arma in ipsum Principem moueat, vt gladio in illum vtatur, cui gladius est commissus? Ac ne clames commentitium esse hunc sensum, & Bernardo à nobis affictum, audi Ioannem Parisiensem (in tract. de potest. Reg. & Papal. cap. 11.) *De nullo loco Scripturæ Canonicæ*, inquit, *possunt accipere prædictam discretionem, nisi forte velint accipere dictum Bernardi ponentis, quod Papa habeat gladium materialem in nutu. Sed dictum hoc, quod non est magnæ authoritatis, magis est contra eos, quam pro ipsis. Et signanter dicit Bernardus, quod Papa materialem gladium habet in nutu, quia vbi innuit Papa propter necessitatem boni spiritualis, Imperator debet exercere iurisdictionem temporalis potestatis. Si tamen nolit, vel non videtur sibi expediens, Papa non habet aliud facere: quia non habet ipsum in iussu, sed Imperator tantum, sicut ipsemet dicit & infra dicetur magis.* Et cap. 14. dicit Ecclesiam habere gladium secularem, *non quidem manu, nec iussu sed nutu & supplicatione, vt dicit Bernardus ad Eugenium.*

Sed ad te redeo. *Cum ergo dicit*, inquis, *vterque tuus est, sed non vterq; tua manu exerendus, manifeste docet vtrumque esse in potestate Pontificis, sed vnum ab ipso immediate, alterum mediate, id est per alium, sed nutu siue iussu ipsius exerendum.* Imo tu manifeste quã rem hic agis! quam à sensu Bernardi diuersam! Nihil dissimulas, vis palam ad iuris temporalis in omnes Christianorum ditiones Papæ esse, quod in patrimonio Petri: Vbi immediate spiritualem gladium, & temporalem *mediate, id est per alium, sed ad suum nutum siue iussum exercet.* Quod si Bernardo mens illa, quam facis: non adhibuisset certe restrictiones eiusmodi, gladium materialem non *nullo modo* ad Pontificem pertinere, stringẽdum *forsitan* ad Pontificis nutum. Si, inquam, in spirituali & temporali gladio, fuisset discrimen hoc solum, quod spiritualem per se Papa exerat, per alios temporalem. Neque enim quod per alios ad arbitrium exequi possis, nonnullo tantum modo, sed simpliciter in tua potestate est, neq; *forsitan*, sed certo, ad tuum disponendum arbitrium, quod tenentur alii te iubente præstare.

§. 2.

SED quid si Imperator (inquit Barclaius) nolit ad nutum Sacerdotis gladium stringere, imo quid si plane contra nutum Sacerdotis strinxerit? Numquid aliquam S. Bernardus hoc casu potestatem temporalem sacerdoti tribuit in Imperatorem?

Respondeo. Si nolit Imperator ad nutum Sacerdotis gladium stringere, vel si contra nutum eius strinxerit, & res sit ad bonum spirituale necessaria, coget illum Pontifex gladio spirituali, id est censuris Ecclesiasticis, gladium materialem stringere aut in vaginam recondere: & si censuris non mouebitur, & Ecclesia necessitas id requirat, liberabit subditos eius ab obedientia, eique Imperium abrogabit. Ita ostendet gladium esse sub gladio, & vtrumque gladium ad potestatem Ecclesiæ pertinere, quamuis non eodem modo.

At inquit Barclaius, *S. Bernardus nullam temporalem potestatem Pontifici competere posse docet* [illegible]

dicat materialem gladium (quo verbo summa potestas temporalis significatur) ab Ecclesia exerceri non posse, sed tantum manu militis, & iussu Imperatoris, quod idem apertius tradit Gratianus Bernardi fere coætaneus. 23.q.8.in principio.

Respondeo. S. Bernardus solum docet gladium materialem non esse exerendum manu Sacerdotali, quod nos libenter fatemur, sed non negat, imo potius affirmat, gladium materialem subesse gladio spirituali, & nutu Pontificis exerendum, vel in vaginam esse condendum. Gratianus quoque nihil aliud docet, nisi non licere Clericis materiali gladio vti, & homines interficere, quod multis canonibus Pontificum & Conciliorum confirmat, quæ vera sunt, sed non potest inde colligi, non habere Pontificem potestatem vllam in temporalibus.

Vnde autem ex Bernardi colligis verbis (nam hoc agitur) Principem ad Pontificis nutum gladium non stringentem ita posse coerceri, vt Pontifex *liberet subditos eius ab obedientia, eique imperium abroget?* Non quærimus, inquam, num tu hoc dicas; aut ex Bernardi sententia colligas, sed num ipse Bernardus: cui etiam his verbis imponis, *S. Bernardus solum docet, gladium materialem non esse exerendum manu sacerdotali*, imo docet non exerendum, nisi *Imperatoris iussu*, neque scribit aut exerendum Pontificis nutu, aut condendum in vaginam, nisi secularis Principis mandatum accedat. Sed & semper verum esset sacerdotali exeri manu, si ad nutũ Sacerdotis exereretur, cum Reges ac Principes non ideo illum sua manu dicantur exerere, quod appensum lateri ferrum ipsi sua manu educant, sed quod eorum authoritate, atque iussu, milites in castra conueniant, in aciem disponantur. Nam gladii verbo summa potestas intelligitur (*l. Imperium. D. de iurisd.*) & Imperator pugionem quo erat accinctus, Magistratibus dans in manum, videbatur eiurare Imperium, & ius necis vitæque ciuium reddere. (Consule Tacit. *lib. 3. Histor.*

Gratianus quoque, inquis, *nihil aliud docet, nisi non licere Clericis materiali gladio vti, & homines interficere.* Imo docet non licere Pontifici *inimicos Dei gladio temporali persequi*, quod absurdus sit, qui de sola manu Pontificis, ac non de imperio potius intelligit, multaque vi, & armata; Addit licere nemini ad Pontificis nutum gladio vti, sed expectandum Politici Principis iussum. Ait enim ideo prohibitum gladium Petro, *quia omnis præter illum, vel authoritatem eius, qui legitima potestate vtitur; qui vt ait Apostolus non sine causa gladium portat, cui etiam omnis anima subdita esse debet: omnis inquam qui præter authoritatem huiusmodi gladium acceperit, gladio peribit.* An hoc autem nihil in vos Bellarmine?

§. 3.

ADDVCIT *postea Barclaius verba S. Ambrosii*, inquis. *ex lib. 10 ex comment. in Lucam, vbi hæc leguntur: lex ferire non vetat: & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicit Christus, quasi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio, ex quo loco colligit Barclaius, materialem gladium sacerdotibus, vsque ad Euangelium fuisse concessum.*

Respondeo. Non negamus, vt paulo ante diximus, sacerdotibus post Euangelium, non licere propria manu gladium materialem stringere: nisi forte in defensionem propriam, aut ob aliam causam dispensante Pontifice: vsus enim ordinarius materialis gladii militum est, non sacerdotum, nec tamen eo loco S. Ambrosius de solis Sacerdotibus, sed de Christianis omnibus loquitur: & ideo Erasmus hoc loco abusus est ad probandum prohibitum esse bellum Christianis. Cæterum S. Ambrosius, neque Erasmo, neque Barclaio fauet: docet enim in lege fuisse licitam non solum defensionem, sed etiam vindictam, in Euangelio defensionem licitam esse, non vindictam: hæc enim sunt eius verba: O Domine cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? nisi forte vt sit parata defensio, non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referire (sic enim legendum est, non ferire, vt Barclaius falso citauit) non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti sat est, dicit, quasi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio. Hæc ille, qui non defensionem in Euangelio prohiberi dicit, sed vindictam: & referire non ferire vetitum. Cum autem S. Ambrosius dicit, lex referire non vetat, respicere videtur ad illa verba Domini Matth. 5. Audistis quia dictum est antiquis oculum pro oculo, dentem pro dente, ego autem dico vobis non resistere malo, &c. Vbi non significatur, licitam fuisse vindictam antiquis authoritate propria: sed authoritate Magistratus publici; eamque non vindictæ cupiditate, sed amore iustitiæ: quod idem Christianis licet. Sed magister bonus hortatur suos ad vitæ perfectionem, vt Ambrosius dicit: quæ perfectio in eo consistit, vt radices contentionum extirpent, & supportantes inuicem in charitate non dent occasiones grauioribus malis, vt vulneribus, & cædibus, ob quæ necesse sit, vt publici Magistratus vindictam de malefactoribus sumant.

Vis igitur *Sacerdotibus post Euangelium licere propria manu gladium materialem stringere; in defensionem propriam, aut ob aliam causam, dispensante Pontifice.* Audi vero Gratianum, quem nihil in vos facere modo iactabas. *De Episcopis vero*, (inquis, 23.q.8.in principio) *vel quibuslibet Clericis, quod nec sua auctoritate, nec authoritate Romani Pontificis arma corripere valeant. facile probatur.* Agimus etiam de edicto prohibitorio, quod non in reliquos modo Apostolos Christus, sed & nominatim sanxit in Petrum: tu vero vnicũ ab eo Petrum excludis: quonam iure? imo ita excludis, vt & alios excludere Petrus possit. Vis enim Petrum, & eo dispensante Clericos, gladio vti posse, quem Christus Petro ademit, & qui, vt sponte ais, post Euangelium Sacerdotibus licitus non est.

Ad Ambrosium veniamus. Nimis erras cum Erasmo, qui hæc illius verba de omnibus Christianis intelligis. Quasi vero non æque liceat Christianis, ac Iudaicæ quondam genti, gladio vti. En autem quam inuita Minerua hæc astruas. Dicis, *non defensionem prohiberi in Euangelio, sed vltionem:* Quæ autem vltio prohibetur? certe illa, quæ non vetabatur in lege. Alias non dixisset Ambrosius.

iura inuadenti *de facto* resistere: cum suos neruos habeat à se ipsa, & quos non modo inconsulta spirituali potestate, sed etiam inuita possit exerere. Sin de iure, primum scias ius nullum hic esse vt spiritus in carnem, aut in spiritum caro peccet, nullum item ius vt temporalia *iniuste & sine causa* (nam sic ad similitudinem addis) à spiritualibus, vel à temporalibus spiritualia perturbentur: neutribi inquam ius est, neque hic æqua confers, sed crimina. Institueras vero similitudinem, vt probares iustum spiritualis potestatis in temporalem imperium.

At hanc similitudinem ecce quam aptasti egregie. *Sic etiam* inquis, *si forte Princeps spiritualis abutatur potestate sua, iniuste excommunicando temporalem Principem, vel eius subditos sine iusta causa ab obedientia eius absoluendo, & eo modo perturbet statum Republicæ temporalis: peccabit Princeps spiritualis, sed non poterit tamen Princeps temporalis iudicium sibi sumere de spiritualibus rebus, aut spiritualem Principem iudicare, & multo minus de sede sua spirituali deponere.* Quis hæc verba turbis inuoluat, ne turbines faciant, ne immeritam Ecclesiam in odii communionem vocent? Quod hic iugum nobis imponis? quicquid de Principibus cogitet Papa, quam eos iniqua premat sententia, ipsimet Principes tenebuntur non obniti? certe si te audiant, qui & hoc Pontificis in eos iudicium vis spirituale esse (licet ad temporalia se extendat) & quantumuis sit iniqua sententia, non posse Principem temporalem, de hoc iudicio *iudicium sibi sumere*: quod si non Princeps, certe nec populus, cum sit laicus, & in tua similitudine carnis etiam vicem gerat. Ita in Pontificum manu erit, Reges omnes, omnes Principes, per iniquas quidem sententias, sed tamen efficaces opprimere. Vt tenebræ vocem hanc premant, nec à Bellarmino credatur emissa. Sed finge, aliam tibi mentem; Quid hoc est, non licere laico Principi spiritualem sibi potestatem assumere, etiam si *in perturbando statu Reipublicæ temporalis peccet Princeps spiritualis*? quid aliud, inquam, intelligis, nisi Principi laico non licere peccare etiam si Princeps spiritualis peccet? Nihil certius, Bellarmine: Sed tam licet laico Principi *peccare*, opinor, quam spirituali, aut verius, tam non licet spirituali quam laico. Quod igitur hic à te discrimen? aut quæ prærogatiua Pontifici, si eo peccante non liceat Regi peccare? Addo ego, nec Rege peccante licere peccare Pontifici; Peccare autem Regem si in spiritualia Pontificis, peccare Pontificem si in temporalia Regis excurrat. Neque enim sine scelere alteruter potestatem inuadat, quæ est alteri ab vtriusque potestatis authore, tanquam summo in ea parte Vicario, attributa.

§. 5.

ANIMADVERTIT *Barclaius*, inquis, *infirmitatem argumenti sui, propterea reuertitur ad priorem solutionem dicens: Sed, vt dici solet, dare absurdum non est soluere argumentum. Respondeo igitur aliter ad priorem partem huius secundæ rationis, non esse sc. hic duas Resp. vt ille retur, sed vnam tantum, in qua sunt duæ potestates, siue duo magistratus, Ecclesiasticus, & Politicus, quorum vterque habet ea, quibus necessario indiget ad suum finem obtinendum alter nempe spiritualem, alter temporalem iurisdictionem: & neque hanc iurisdictionem illi potestati, neque illam huic esse necessariam, alioqui fatendum esset, vtramque potestatem mediis necessariis fuisse destitutam tunc, cum separatæ, vt olim fuerunt.*

Respondeo. Hæc non est [illegible] solutio, sed prior repetita, quam solutionem refutaui paulo ante, cum ostendi Remp. Ecclesiasticam, & Politicam posse dici duas, & vnam, quoniam distinctæ sunt, & separatæ inueniri possunt, tamen cum in vnum corpus Ecclesiæ conueniunt, ita vna subordinatur alteri, vt sint duæ partiales, & vna totalis. Neque sequitur, vt quo tempore separatæ erant initio nascentis Ecclesiæ mediis necessariis fuerint destitutæ: Nam Resp. Politica non poterat aliquid detrimenti timere à potestate spirituali, cum non esset capax censurarum Ecclesiasticarum, quæ in solos Christianos vim habent: & Resp. spiritualis habebat potestatem disponendi actu de rebus temporalibus eorum, qui ad ipsam accesserant, & in potentia eorum, qui accessuri erant. Denique non est verum, potestatem spiritualem, & politicam esse similes duobus Magistratib. quorum neuter indiget iurisdictione alterius Nam duo Magistratus pendent à Rege, cuius potestas supereminet vtrique Magistratui, & potest operam dare, vt neuter alterum impediat: at spiritualis, & politica potestas, non habent vnam tertiam potestatem in Ecclesia, cui subordinentur, & quæ vtramque in officio contineat Quare necesse est, vt vna subordinetur alteri, inferior videlicet superiori, temporalis spirituali. Atque ex hac responsione soluta manent omnia, quæ vsque ad finem Capitis Barclaius disputat de officio Cancellarii & Comestabuli amplissimorum Magistratuum, quibus Rex solus imperat. Quod autem Barclaius addit, Principem spiritualem, & Politicum vni Deo subesse, quemadmodum Cancellarius, & Comestabulus subsunt Regi: salua fide Catholica admitti non potest. Ecclesia siquidem, quæ Regnum Christi est, non solum Christum pro Domino, & Rege suo agnoscit, sed etiam ex Scripturis sanctis, & traditione Apostolica, & declaratione generalium Conciliorum, & communi Patrum & Doctorum consensu, nouit, vnicum esse in terris Christi Vicarium generale, qui caput sit visibile visibilis Ecclesiæ. Hunc autem Christi Vicarium, Romanum esse Pontificem in toto suo libro Barclaius admittit: proinde (si Catholicus dici velit) admittere etiam debet, Pontificem, & Regem, non esse duos magistratus immediate sub Christo. Sed Regem Christo & Pontifici, Pontificem soli Christo subiectum esse debere.

Scribit Barclaius te iniuria potestates Ecclesiasticā & ciuilem, quas antea duas vnius Reip. potestates esse volueras, iā duas Resp. appellare. Sed ne inutili lite certemus, sint sane duæ Resp. partiales, sint duæ Potestates in vna Rep. vtrum vis Nihil moror, neutro tuā causam astruxeris. Satis quod illæ siue Potestates, siue Resp. *sunt sibi sufficientes ad suum finem*, absque quod alterutra possit de reb. disponere ad alterā spectantib. vt hoc ipso Capite satis euicimus. Vtriusque potestatis cōditor Deus, non discreuit illarū modo fines, sed (vt fatetur Nicol. Pontif.) etiam actus, etiam dignitates.

De

De his Poteſtatibus dicis, quòd *cum in vnum corpus Eccleſia conueniunt, ita vna ſubordinatur alteri, vt ſint duæ partiales, & vna totales.* Falſum quidem omnino has ſubordinari poteſtates: illud verò abſurdiſſimum, ſi ex eo ſubordinatas intelligis, quod *in vnum corpus conueniunt, & ſunt duæ Reſp. partiales, & vna totalis.* Neque id enim ſubordinationis vllius vel ſpeciem ſaltem adumbret. In Heluetiis clarum (nam eos in exemplum attuliſti.) Apud illos partiales Reſp. vnam totalem ſic componunt, vt ex his partialibus nulla in cæteras quicquam poſſit. Deniq; iam ante docuimus (hoc *cap.* §. 1. primam *ex precipalibus* tuis *rationibus* ruere, ſi hic facis duas partiales Reſpublicas.

Neque ſequitur, inquis, *vt quo tempora ſeparatæ erant, initio naſcentis Eccleſiæ, mediis neceſſariis fuerint deſtitutæ.* Quo modo id probes, Bellarmine? *Nam Reſp. Politica,* inquis, *non poterat aliquid detrimenti timere à poteſtate ſpirituali, cum non eſſet capax cenſurarum Eccleſiaſticarum.* Quid hoc ad rem? an inde efficitur poteſtatem Politicam (nam id iam probare aggrederis) cum ſeparata eſſet ab Eccleſiaſtica, mediis neceſſariis ad ſuum finem non fuiſſe deſtitutam? Dicendum fuerat, *Nam Reſp. Politica, cum nihil aliud reſpiciat, quam humanam tranquillitatem, abſque Eccleſiaſtica ope, peruenire poterat ad prepoſitum ſibi finem,* Sed hoc tuam cauſam & *ſubordinationem* iugulabat. Vide autem quid ex tuis verbis colligam. Ais Politicam poteſtatem tunc mediis neceſſariis non fuiſſe deſtitutam, *quia non poterat aliquid detrimenti timere à poteſtate ſpirituali, cum non eſſet capax cenſurarum Eccleſiaſticarum;* Ergo ab eo tempore, Bellarmine, quo potuit aliquid detrimenti timere à poteſtate ſpirituali, & cœpit capax eſſe eiuſmodi cenſurarum, eſt mediis neceſſariis deſtituta? Quæ hæc monſtra? ô igitur miſeram, ex quo Chriſtiana eſt, poteſtatem! ô ridiculam ſententiam, qua dicitur Chriſti lege ſuum nemini ius auferri!

Vide denique quam liquido tibi repugnes. Hic ais ciuilem poteſtatem, cum Ethnica eſſet, nihil metuere potuiſſe à ſpirituali, alibi negas. In recognitionibus tuis ſcribis (ad lib. 5. de Rom. Pontif. cap 8.) potuiſſe infideles Principes *per Eccleſiam priuari dominio ſupra fideles, etiamſi non conarentur fideles à fide auertere.* An hoc autem non eſt accipere detrimentum, Bellarmine, non cenſuris eſſe obnoxium? Nam cum dicis, *cenſura quæ in ſolos Chriſtianos vim habent:* aut intelligis nullas omnino cenſuras & ſententias Eccleſiæ in alios quam in Chriſtianos poſſe ferri: & nunc tibi repugnabis aſſerenti, Principes infideles poſſe per Eccleſiam regno priuari; Aut eſſe aliquas cenſuras Eccleſiæ, quæ non niſi in Chriſtianos vim habeant, & tunc apertò indignoque ſophiſmate illudes Lectoribus, cum referri tibi poſſit, Principes Ethnicos, etſi iis cenſuris non inuolui potuerint, quæ valent in ſolos Chriſtianos, non fuiſſe tamen in tuto, quin ab Eccleſia potuerint *aliquid detrimenti timere,* ab ea ſcilicet aliis ſententiis coercendi quas vis in Ethnicos quoque valere. Venis ad ſpiritualem Remp. quam ais potuiſſe tunc actu diſponere de rebus temporalibus Chriſtianorum; &c. quod nos fuſe (tum ſæpe, tum hoc *c.* §. 1 *&* 2.) refellimus.

Negas deinde has duas poteſtates inſtar duorum Magiſtratuum eſſe, *quorum neuter indigeat iuriſdictione alterius,* ſeu *quorum quilibet poteſtatem neceſſariam ad muneris ſui finem conſequendum, à Rege vel Repub. accepit, ita vt nemo eorum poſſit vel audeat alterius iuriſdictionem atque imperium inuadere, ſibique arrogare* Tua ratio eſt, quia *duo Magiſtratus pendent à Rege cuius poteſtas ſupereminet vtriq; Magiſtratui, & poteſt operam dare, vt neuter alterum impediat: at ſpiritualis & politica poteſtas non habent vnam tertiam poteſtatem in Eccleſia, cui ſubordinentur, & quæ vtramq; in officio contineat.* Ratio nequaquam Chriſtiana, quaſi Chriſtus non ſit ſummus Rex, ſummum caput Eccleſiæ, qui vtramque poteſtatem in officio contineat, delinquentem iuſtis pœnis vlciſcatur. Vbi iam tua verba (lib. 2. de Concil. c. 19.) *non nititur ſalus Eccleſiæ præcipuè humana induſtria, ſed diuina protectione, cum eius Rex Deus ſit?* Vt igitur Præſes, aut index, iuriſdictionem alterius non poteſt iure inuadere, ſi ab vno ſuo Rege diſtincta ſint eorum officia: Ita neque poteſtas Eccleſiæ in ciuilem, aut contra, aliquid poterit, cum à communi vtriuſque Principe, atq; ac Deo, limites habeant, quos egredi prorſus nefas.

Quam igitur abunde concludis *Quare neceſſe eſt, vt vna ſubordinetur alteri, inferior videlicet ſuperiori, temporalis ſpirituali.* Vnde autem hoc infers? quia nullus eſt in Eccleſia homo viſibilis, qui vtramque poteſtatem iudicet? quæ hæc conſequentia, aut quæ neceſſitas? Rex non poteſt iudicare Pontificem, ergo Regem Pontifex iudicabit? Satis eſt, Bellarmine, Chriſtum eſſe illarum poteſtatum & authorem & iudicem. Neque Pontifex, neque Princeps, alii debebunt poteſtatis quã exercent rationem, quam à quo illam habent. At vero non illam magis à Pontifice Princeps habet, quam à Principe Pontifex. Vnus vtriuſque Dominus, vnus Chriſtus, qui has poteſtates conſtituit, & voluit inter mortales eſſe ſummas, neque has violari ab hominibus patietur, nec inultas ex officio excedere. Ne igitur neceſſarium putes omni homini, quoad omnia, aliquem in terris iudicem eſſe (nullus quippe in temporalibus Regum, nullus in ſpiritualibus Pontificum iudex) neque credas non habere iudicem, quem Chriſtus ſuo tribunali ſeruauerit. Metuendus ille iudex, metuendum iudicium. *Nolite æſtimare* (inquit Papa Symmachus, & refertur Can. *Alterum.* 9. q. 3. *eas animas inquiſitionis non habere formidinem, quas Deus præ cæteris ſuo reſeruauit examini. Non habet apud illum reus de allegationum arte ſubſidium, quando ipſorum factorum vtitur eo teſte, quo iudice* Et Iuo Carnot. Epiſc. Epiſt. 171. *Et quia,* inquit, *diſpenſationes rerum temporalium Regibus attributæ ſunt, & baſilei, id eſt fundamentum populi, & caput exiſtunt, ſi aliquando poteſtate ſibi conceſſa abutuntur, non ſunt à nobis grauiter exaſperandi, ſed vbi Sacerdotum admonitionibus non adquieuerint, diuino iudicio ſunt reſeruandi vbi tanto ſtrictius ſunt puniendi, quanto minus fuerint diuinis admonitionibus obnoxii.*

Iam inutiter ſcribis, *Quod autem Barclaius addit, Principem ſpiritualem, & Politicum, vni Deo ſubeſſe,* quemad-

quemadmodum Cancellarius & Comestabulus subsunt Regi, salua fide Catholica admitti non potest. Hoc probas, quia Ecclesia Christi regnum est, & Pontifex Vicarius Christi, qui caput sit visibile visibilis Ecclesiæ. Ergo neq; Ambrosius, neq; Gregorius, neq; omnes illi Patres quos ante retulimus, salua fide Catholica loquuti sunt. Imo illi sincere, & post illos Barclaius. Neq; enim ita est Pontif. Christi Vicarius & caput Ecclesiæ, vt potestas Christi omnis in eum sit collata: sed ex ea habet vt ais (*li.* 2. de Rom. Pont. c. 9.) *tantum suam quandam portionem, secundum mensuram donationis Christi*: nempe vt in spiritualibus sit Christi Vicarius, & præfectus Ecclesiasticæ duntaxat potestatis: Ac de ista re supra (*c.14.* §. 2.) vbi deprecatus sum odium, quod tua sententia in Catholicam excitat fidem.

CAPVT XVIII.

Quibus armis possit Respublica spiritualis, in temporalem agere. Sequi absurda ex argumento Bellarmini. Nullam Potestatem posse se tueri aut vlcisci, nisi concessis sibi armis. Bellarmini argumentum quo in temporalem Potestatem vtitur: eodem iure posse in spiritualem retorqueri.

Titulus apud Bellarminum est:

Defenditur secunda pars rationis secundæ pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. I.

IN *Capite decimooctauo*, inquis, *Barclaius refutare nititur secundam partem secundæ rationis, quæ initio capitis superioris proposita fuit. Argumenti summa hæc est, Potest vna Resp. si ab alia Republica iniuriam accipiat, & per eius malam administrationem perturbetur, ac vexetur, armis cogere Remp. illam, quamuis alias non sibi subiectam, vt mutet formam administrationis suæ, & si opus sit, potest eius Principem deponere: igitur maiori ratione poterit Resp. spiritualis, si à temporali iniuriam accipiat, atque ab ea perturbetur, & vexetur, imperare Republ. temporali sibi subiectæ, vt mutet formam administrationis, & si opus sit, poterit etiam Principem temporalem deponere.*

Ad hoc argumentum Barclaius respondet, quod iam ante responderat, non esse duas Respublicas, spiritualem, & temporalem, sed vnam cum duabus potestatibus, quarum neutra pendet ab altera. Sed quoniam hanc solutionem videbat non esse solidam: admittit cœtum Ecclesiasticorum, quorum Princeps est Papa, & cœtum Laicorum, quorum Princeps est Rex, posse dici duas Respublicas intra eiusdem Ecclesiæ sinum constitutas: & hoc admisso respondet, priorem Rempublicam, id est, Ecclesiasticorum, non habere arma nisi spiritualia, posteriorem, id est, Laicorum, non habere arma nisi corporalia, & ideo non esse similes duabus Rebuspub. quæ armis corporalibus se defendunt, & vna alteram cogit & subiicit.

Sed hæc solutio non est priore solidior, quamuis enim arma Reip. spiritualis, quibus ipsa per se vtitur, sint spiritualia, tamen arma corporalia sunt etiam in eius potestate quia gladius est sub gladio, & potest Ecclesia inuocare brachium seculare, & per illud vti gladio corporali. Sed præterea arma ipsa spiritualia possunt cogere Remp. temporalem & eius Principem, quia potest Princeps spiritualis excommunicare Principem temporalem, & eius subditos à subiectione liberare, & ipsis sub excommunicationis pœnà mandare, vt Principem excommunicatum pro Principe non agnoscant, sed alium sibi eligant, vel legitimo successori adhæreant.

Liquidissimam Barclaii rationem, quam tu perplexe, quam infeliciter conaris eludere? Dicit hic nequaquam interesse, Ciuilem & Ecclesiasticam potestatem, in Rep. Christiana, duas potestates appelles, an duas Resp. Quandoquidem nulla Potestas, nulla Resp. potest in aliam agere, nisi concessis sibi armis: at Remp. Ecclesiasticam ex solis constantem Clericis, quorum caput est Papa, spiritualia tantum arma habere, ergo spiritualibus tantum armis posse agere in Remp. temporalem. Quid illo clarius, quid non fucata veritate robustius? Respondes, *quamuis arma Reip. spiritualis, quibus ipsa per se vtitur, sint spiritualia, tamen arma corporalia sunt etiam in eius potestate, quia gladius est sub gladio, & potest Ecclesia inuocare brachium seculare, & per illud vti gladio corporali.* Dic vero, Bellarmine, si eo modo, qui ex vestra sententia consequitur, concessus est Ecclesiæ temporalis gladius; quo modo, aut qua ratione non esse concessum, tot Patres, tot Sancti docuerunt? An quod ipsi Clerici non possint militare? Imo possunt. Theologi dicunt (*in 2.2. q.64. art.4.* vbi plurimi in eum sensum Interpretes) arma Clericis non diuino aut naturali iure, sed Canonico tantum & humano prohiberi, ideoque posse Pontificem hæc edicta laxare, illis arma concedere. Tu ipse toto capite II. de Pontificum bellis egisti, & mox dices (sequenti Capite §. 3.) *Sacerdotibus post Euangelium licere propria manu gladium materialem stringere, in defensionem propriam, aut ob aliam causam dispensante Pontifice.* Ecqua, inquam, ratione, quoue sensu verum erit, quod Patres docuerunt, materialem gladium à Deo Ecclesiæ non concessum, si ad tuendam Ecclesiam Pontifex ipse, & Clerici dispensante Pontifice possunt actu ad arma conuolare, & præterea imperare Principibus Politicis & populis Pontifex potest, vt in hos aut illos bellum instaurent? Quid Rex amplius possit, quam imperare ciuibus militiam, & bellum vel per se gerere, vel per duces? Potest ex vestra sententia sancire Pontifex, vt populus suum Regem, quem abdicandum censet, ciuilibus armis premat, potest & Clericorum exercitum cogere, & eum ipse armatus in Principes ducere, quos infestos credit Ecclesiæ. En vt hoc modo & materialem gladium (contra Patres

omnium

omnium ſeculorum) non quoad imperium tantum, ſed quoad actum & vſum, in ſua manu habebit Eccleſia. Nam ſi ais id Clericos non ideo ſolere, vel poſſe, quod plerumque turba imbellis plus in ſcholis quam in caſtris ſapiant, tunc deſcendes ad illud quod de facto poteſt Eccleſia, cum de iure diſceptemus.

At ſi dicas non imperaturam Eccleſiam, ſed ſeculares Principes, nempe ſuos nutricios ad ſui tuitionem inuitaturam, contra Remp. Politicam iniurias inferentem, & inuocaturam *brachium ſeculare*, quæ tu verba ambigue addidiſti. Iterum peto, quid ſi rogati Principes ſuſcipient cauſam Eccleſiæ, moleſtam, & graſſantem in illius iura Remp. Principemve, cogent in ordinem, an eo caſu dicenda eſt Eccleſia illi Principi, illi Reipublicæ abrogaſſe poteſtatem, in quam cæteros animauit? certe non magis, quam Princeps Politicus dici poteſt Principem alium communione priuaſſe Eccleſiæ, in quem, apud Pontificem quæſtus, ob contumaciam & iniurias, excommunicationis ſententiam impetrarit. Niſi forte, vt recte Barclaius, Leuita, cuius vxor à Beniamitis ſtuprum paſſa, dicendus eſt tribum Beniamin debellaſſe, Troianos Menelaus, Coruncanus Illyrios, ac nō potius Iſraelitæ, Græci, Romani, qui bella Leuitę cauſa, Menelai & Coruncani ſuſceperunt.

Sed prætereà, inquis, *arma ipſa ſpiritualia poſſunt cogere Remp. temporalem, & eius Principem, quia poteſt Princeps ſpiritualis excommunicare Principem temporalem, & eius ſubditos à ſubiectione liberare &c.* Quæ hæc verborum inſania? Tota quæſtio in illo verſatur, an eiuſmodi poteſtatem Pontifex habeat, in Principem, ſubditoſque: tu vt probes habere illud ipſum quod in quæſtione verſatur, aſſumis pro conceſſo. Negamus igitur hanc armorum ſpiritualium eſſe vim, quātu hic fingis. Negamus, & alia quam ſpiritualia arma, à Chriſto attributa Eccleſiæ, quibus ipſa ſpiritualem tueatur poteſtatem, vt recte Gratianus, *23. q. 8.* De quo mox, *c. ſequente, §. 2.*

§. 2.

ADDIT *poſtremo*, inquis, *Barclaius: Quid multis? licet illi ſuam comparationem, concluſionemq; concedamus, nihil inde effici poteſt, niſi Papam habere talem poteſtatem diſponendi de rebus temporalib. Chriſtianorum, & eorum Principes deponendi, qualem vel Rex Franciæ in Anglos, Hiſpanos, alioſue populos vicinos ſibi iniurios, vel horum ſinguli in res, Regeſque Francorum ipſis infeſtos habere dignoſcuntur: quæ qualis quantaque ſit, ferro tantum cerni poteſt.*

Reſpondeo. Comparatio & ratiocinatio, qua nos vſi ſumus in comprobanda Pontificis poteſtate, non procedit à ſimili, ſed à maiori. Hoc enim eſt, quod diximus, ſi poteſt ratione ſolius iniuriæ, vna Reſp. aliam non ſibi ſubiectam cogere, & eius Principem deponere, quanto magis poterit Reſp. ſpiritualis cogere temporalem ſibi ſubiectam, eiuſq; Principem deponere, ſi ab illa tale detrimentum accipiat, vt non poßit alia ratione ſibi proſpicere, niſi Principem illum remouendo, atq; alium ſubſtituendo? Itaq; non eſt ſimilis poteſtati Francorum in Anglos, vel Anglorum in Francos: ſed poteſtati, quam habet ſpiritus in carnem ſibi coniunctam, vel caput in membra ſibi adhærentia.

Atqui ſimilitudo quam inſtituis, Bellarmine, etſi ſit à maiori, ratione cauſæ ac iuris quo vna Reſpub. aliam mulctat, à maiori tamen non eſt, reſpectu mediorum, ac armorum, quibus mulcta infligatur. Vis enim Remp. temporalem ab alia temporali, ſi ei infeſta ſit, & multo maiori ratione à ſpirituali, ſi Eccleſiæ noceat, poſſe in ordinem redigi. Sed non ſequitur Remp. ſpiritualem ſi plus iuris habeat ad coercendam Remp. temporalem, quam habet ei alia Reſp. temporalis, aliis quam conceſſis ſibi armis coercere illam poſſe. Imo hoc tantum, iuſtiori de cauſa exercituram illa arma, quæ ipſi conceduntur: conceſſa autem ſpirituali Poteſtati ſpiritualia tantum arma, ſatis Patres antiqui, ſatis primorum ſeculorum firmauere Pontifices. At cur iſtud à maiori argumentum eſſe exiſtimes, quia, inquis, Reſp. temporalis *ſubiecta eſt* ſpirituali, quomodo vero ſubiecta? ſpiritualiter certe tantum, id eſt non quatenus eſt Reſp. temporalis, ſed quatenus qui eam cōſtituunt, ſunt fideles, ſi eam igitur ſpiritualis Reſp. coercet vt ſubiectam, debet modis & pœnis coercere, quæ in eam vt ſubiectam cadere poſſunt, ſpiritualibus nempe, & quę ſolas animas feriant. Nam ſi ad temporales venit pœnas, iam non caſtigat vt ſubiectam (quippe quæ nequaquam temporaliter ſubeſt) ſed vt temporalem, & à ſpirituali diſtinctam Rempublicam.

Sed nec vides, potiori multò iure Remp. temporalem, in aliam temporalem Rempubl. armis poſſe agere, externa vi coercere, illius Principem abdicare, &c. quam id Reſp. ſpiritualis in temporalem poſſit: cum ciuili Reſpub. hæc ratio ſe tuendi, & res ſuas vindicandi, à Chriſto relicta ſit, non autem Eccleſiæ?

Quæ denique ſit tui argumenti vis, ex eo ſic retorto videamus. *Poteſt qualibet Reſp. quia perfecta & ſibi ſufficiens eſſe debet, imperare alteri Reip. non ſibi ſubiectæ, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, imo etiam deponere eius Principem, & alium inſtituere, quando non poteſt aliter ſe defendere ab eius iniuriis: ergo multo magis poterit temporalis Reſp. imperare temporaliter ſpirituali Reip. in temporalibus ſibi ſubiectæ, & cogere ad mutandam adminiſtrationem, & deponere illius Principem quandò aliter non poteſt bonum ſuum ſpirituale tueri.* Aut igitur tuum ipſe argumentum omitte, aut quæ inde conſequuntur, admitte.

CAPVT

CAPVT XIX.

De sententia S. Bernardi, qua Bellarminus vtitur ad confirmandam Pontificis potestatem in temporalibus. Quid sit, stringi gladium ad nutum Pontificis, & iussum Imperatoris. S. Ambrosii sententia, de gladio temporali post Euangelium adempto ministris Ecclesiæ. Cur Bernardus non dixerit, gladium materialem absolute stringendum ad Pontificis nutum, sed forsitan.

Titulus est apud Bellarminum:

De sententia S. Bernardi circa potestatem Pontificis Maximi in temporalibus.

§. I.



IN capite decimonono, inquis, Barclaius respondere nititur ad testimonium S. Bernardi ex lib. 4. de consid. c. 4. quod testimonium ad confirmandam rationem meam secundum ego adduxeram: Et quoniam S. Bernardus loco notato, scribit gladium materialem exerendum esse manu militis, ad iussum Imperatoris, sed ad nutum Summi Sacerdotis: Barclaius affirmat per nutum non debere intelligi imperium, vel potestatem, sed assensum: felicius enim bella geruntur, cum ad potestatem Regum accedit assensus Sacerdotum, quorum est iudicare, an bellum sit iustum, vel iniustum. Probat autem per nutum non intelligi potestatem, quoniam si forte Imperator Pontifice dissentiente bellum gerere velit, S. Bernardus non tribuit Pontifici potestatem vllam in Imperatorem, imo aperte docet, nullam ei potestatem competere, cum dicat materialem gladium ab Ecclesia exerceri non posse, sed tantum manu militis, & iussu Imperatoris: & confirmat hanc sententiam suam testimonio Gratiani 23. q. 8. in principio, qui scribit, Pontificibus interdictum esse gladium materialem, & solum spiritualem esse concessum.

Respondeo. Vox illa nutus significare potest assensum, præsertim quando alicui petenti aliquid innuendo respondemus: sed quando nutus præcedit alias causas, imperium significare solet, vel potius imperium ita potens, & efficax, vt sine alio expresso mandato solus nutus ad rem efficiendam sit satis: sic accipitur Gen. 42. vbi dicitur: Et Ioseph erat Princeps in terra Ægypti, & ad nutum eius frumenta populis vendebantur, & clarius lib. 2. Reg. c. 17. Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile. vbi ridiculum esset, per nutum intelligere assensum, cum Scriptura loquatur de nutu Dei, qui solus potest corda Regum vertere quocunque voluerit. Et 2. Machab. 8. eadem Scriptura de Deo dicit, Potest vniuersum Mundum vno nutu delere. Et Iob. 26. Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius: cui simile est illud Poetæ:

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

Quod autem hoc loco per nutum intelligat S. Bernardus imperium, & non simplicem assensum perspicuum est ex eo quod primo loco inter causas efficientes ponit nutum Pontificis deinde iussum Imperatoris, vltimo executionem militis: proinde quemadmodum miles ex sententia S. Bernardi exequitur iussum Imperatoris, ita Imperator mouetur ad iubendum militi ex nutu, id est, iussu Pontificis. Deinde si nutus ille Pontificis esset simplex assensus, non diceret S. Bernardus vtrumque gladium esse Pontificis, sed vnum esse Pontificis, alterum Imperatoris. Cum ergo dicit, vterque tuus est, sed non vterque tua manu exerendus, manifeste docet vtrumque esse in potestate Pontificis, sed vnum ab ipso immediate, alterum mediate, id est per alium sed nutu sine iussu ipsius exerendum.

Imo nihil liquidius quam nutum in his Bernardi verbis pro imperio sumi non posse. Scias enim illas voces, quæ trahi in diuersos sensus possunt, cum in collatione, aut diuisione aliqua, voci alteri non ambiguæ componuntur, quam alias significare ipsæ possunt, tunc pro illa re, quæ eiusmodi simplici & non ambigua voce intelligitur, nullo modo accipiendas esse. Alioqui vtrumque diuisionis membrum vnica significatione confuderis. *Improbum*, in bonam interdum partem accipias, at tunc minime, cum hoc bonum, hoc autem *improbum*, quis dixerit. *Resp.* omnis generis administrationem significat, ita dixeris, Remp. Persarum à Cyro ad vltimum Darium floruisse: at si à *regno* diserte distinguitur, tunc pro Monarchia sumi non potest, vt si legas, Romanos depulso Tarquinio, regnum, quod apud eos fuerat in Remp. mutauisse. Ita *nutus*, licet aliquando pro *iussu* sumi possit, hic tamen omnium minime, vbi Bernardus illam vocem à *iussu*, seu imperio plane distinxit. *Ad nutum Sacerdotis*, inquit, *& iussum Imperatoris*.

Frustra igitur de significatione vocabuli *nutus* differis, nempe non nunquam idem esse, quod iussum, atque imperium, nam hoc quidem nemo negauerit, at auctoritates tuæ vltimæ quam parum idoneæ! Affers Scripturæ verba Iob. 26. *Columnæ cæli contremiscunt ad nutum eius*, & Poetæ, *& totum nutu tremefecit Olympum.* Quasi vero aut Scriptura, aut Poeta, iis verbis imperium significet. Sensus est, tantam esse vim diuinæ maiestatis, vt ad omnes eius motus, & inclinationes vultus (nam humano, & vt dicam, corporali modo spiritualia edocemur) cœlum ipsum horrenti veneratione contremiscat. Sic Psalmista, *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.* & *Terra mota est, etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.* & Poeta;

——— cui dextra trisulcis

Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Probas tamen hic à Bernardo nutum pro imperio sumi, quia *quemadmodum miles ex sententia S. Bernardi exequitur iussum Imperatoris, ita Imperator mouetur ad iubendum militi ex nutu, id est iussu Pontificis.* Sed aliud est *moueri*, aliud cogi: Cogitur miles Imperatoris iussu, *mouetur* Imperator nutu, sententia, assensu, Pontificis. At, inquis debet nutus præcedere iussum Imperatoris, ergo pro assensu capi non potest. Eximiam rationem! Nutus Pontificis debet præcedere Imperatoris iussum, quia

Bernardus de vtroque perscribens, de nutu prius egit? Quid tu tam inania, in tam grauibus Bellarmine? Quasi semper potiora, aut priora, non in cęteris modo Scriptoribus, sed in Scripturis ipsis, scribendi ordine, vilioribus, vel posterioribus præferantur. Sed & sæpe nutus ille Pontificis, vbi bellis accedet, erit prior Imperatoris ad milites iussu, siue Pontifex prior suam mentē Imperatori denunciet, siue illam Imperator exquirat. Neque vero necessarius ad bellorum æquitatem hic nutus. Nam & iusta inter infideles bella sunt, absque nutu Pontificis, & plurima inter fideles quoque etiam iustissima, inconsulto Pontifice, addo, & nonnunquam inuito.

Deinde, inquis, *si nutus ille Pontificis esset simplex assensus, non diceret S. Bernhardus vtrumq; gladium esse Pontificis &c.* Res prorsus expedita. Vbi bella sunt Ecclesiæ vtilitatem tangentia, aut publicum Christianæ Reip. bonum, quæ Pontifex aut non gerenda, aut non omittenda censeat, tunc edicere Principibus potest quid agendum videatur, vbi stringendus gladius, vbi vero recondendus. Neque imperabit gladium stringi à milite, sed spirituali imperio, & non excusat ad temporalē vltionem, imperabit Principi, vt imperet gladium stringi. Denique Principes si stringere gladium nolint, non aliis castigabit remediis, quam quæ Ecclesiæ in priuatos omnesq; peccatores concessa sunt. Qualis autem in ista re potestas Pontificis, quale Regum officium, & quatenus parere eos oporteat, à nobis supra dictum in *Prolegomenis. Num. 40.* ad vltimam Turrecrematæ *Propositionem.* Præterea si bella sint de quorum æquitate incertus sit Princeps, tunc optimum si decurrat ad Leuitas, si summi Sacerdotis iudicio vtatur, & assensu.

Hac propter Bernardus gladium dixit nonnullo modo esse Pontificis, cum is ad Ecclesiæ bonum possit secularis potestatis auxilium implorare, cum de belli æquitate in interiori foro cognoscere, cum incumbentes armis iniustis, spiritualibus pœnis vlcisci. Sed nil vltra concedit Pontifici, imo Principibus certe concedit, vt de Pontificis iudicio arma suadentis aut dissuadentis iudicent. *Tum ego, & ipse*, inquit, *tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus.* Cur illud *forsitan*, si hoc absolutum Pontificis iussum: aut nisi Principibus in huiusmodi nutus æquitatē licet inspicere? Addit, exerendum hunc gladium, *ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris*, quasi dicat nō stringi illum gladium à milite propter Pontificis nutum, sed propter Principis iussum, id ēst, non efficit illo Pontificis nutu, vt stringatur hic gladius, sed vt Princeps iubeat stringi. Quid ergo si Pontifex non modo absque Principis iussu, sed etiam in ipsum Principem stringi annuat? (quoquo modo nutum illum exponas) an miles iure stringet? Non omnino ex mente Bernardi, qui vult iussum Imperatoris accedere, nec nesciuit legitime stringi non posse, nisi authoritate illius, qui *non sine causa gladium portat.* Quo igitur more, quo iure imperet Papa vt populus arma in ipsum Principem moueat, vt gladio in illum vtatur, cui gladius est commissus? Ac ne clames commentitium esse hunc sensum, & Bernardo à nobis affictum, audi Ioannem Parisiensem (in tract. de potest. Reg. & Papal. cap. 11.) *De nullo loco Scripturæ Canonicæ*, inquit, *possunt accipere prædictam discretionem, nisi forte velint accipere dictum Bernardi ponentis, quod Papa habeat gladium materialem in nutu. Sed dictum hoc, quod non est magnæ authoritatis, magis est contra eos, quam pro ipsis. Et signanter dicit Bernardus, quod Papa materialem gladium habet in nutu, quia vbi innuit Papa propter necessitatem boni spiritualis, Imperator debet exercere iurisdictionem temporalis potestatis. Si tamen nolit, vel non videtur sibi expediens, Papa non habet aliud facere: quia non habet ipsum in iussu, sed Imperator tantum, sicut ipsemet dicit & infra dicetur magis.* Et cap. 14. dicit Ecclesiam habere gladium secularem, *non quidem manu, nec iussu sed nutu & supplicatione, vt dicit Bernardus ad Eugenium.*

Sed ad te redeo. *Cum ergo dicit*, inquis, *vterque tuus est, sed non vterq; tua manu exerendus, manifeste docet vtrumque esse in potestate Pontificis, sed vnum ab ipso immediate, alterum mediate, id est per alium, sed nutu sine iussu ipsius exerendum.* Imo tu manifeste quā rem hic agis! quam à sensu Bernardi diuersam! Nihil dissimulas, vis palam ad iuris temporalis in omnes Christianorum ditiones Papæ esse, quod in patrimonio Petri: Vbi immediate spiritualem gladium, & temporalem *mediate, id est per alium, sed ad suum nutum sine iussum exercet.* Quod si Bernardo mens illa, quam facis; non adhibuisset certe restrictiones eiusmodi, gladium materialem non *nullo modo* ad Pontificem pertinere, stringēdum *forsitan* ad Pontificis nutum. Si, inquam, in spirituali & temporali gladio, fuisset discrimen hoc solum, quod spiritualem per se Papa exerat, per alios temporalem. Neque enim quod per alios ad arbitrium exequi possis, nonnullo tantum modo, sed simpliciter in tua potestate est, neq; *forsitan* sed certo, ad tuum disponendum arbitrium, quod tenentur alii te iubente præstare.

§. 2.

SED *quid si Imperator (inquit Barclaius) nolit ad nutum Sacerdotis gladium stringere, imo quid si plane contra nutum Sacerdotis strinxerit? Numquid aliquam S. Bernardus hoc casu potestatem temporalem Sacerdoti tribuit in Imperatorem?*

Respondeo. Si nolit Imperator ad nutum Sacerdotis gladium stringere, vel si contra nutum eius strinxerit, & res sit ad bonum spirituale necessaria, coget illum Pontifex gladio spirituali, id est censuris Ecclesiasticis, gladium materialem stringere, aut in vaginam recondere: & si censuris non mouebitur, & Ecclesia necessitas ita requirat, liberabit subditos eius ab obedientia, atque Imperium abrogabit. Ita ostendet gladium esse sub gladio, & vtrumque gladium ad potestatem Ecclesiæ pertinere, quamuis non eodem modo.

At inquit Barclaius, S. Bernardus nullam temporalem potestatem Pontifici competere posse [illegible]

dicat materialem gladium (quo verbo summa potestas temporalis significatur) ab Ecclesia exerceri non posse, sed tantum manu militis, & iussu Imperatoris, quod idem apertius tradit Gratianus Bernardi fere coætaneus. 23.q.8.in principio.

Respondeo. S. Bernardus solum docet gladium materialem non esse exerendum manu Sacerdotali, quod nos libenter fatemur, sed non negat, imo potius affirmat, gladium materialem subesse gladio spirituali, & nutu Pontificis exerendum, vel in vaginam esse condendum. Gratianus quoque nihil aliud docet, nisi non licere Clericis materiali gladio vti, & homines interficere, quod multis canonibus Pontificum & Conciliorum confirmat, quæ vera sunt, sed non potest inde colligi, non habere Pontificem potestatem vllam in temporalibus.

Vnde autem ea Bernardi colligis verbis (nam hoc agitur) Principem ad Pontificis nutum gladium non stringentem ita posse coerceri, vt Pontifex *liberet subditos eius ab obedientia, eique imperium abroget?* Non quærimus, inquam, num tu hoc dicas; aut ex Bernardi sententia colligas, sed num ipse Bernardus: cui etiam his verbis imponis, *S. Bernardus solum docet, gladium materialem non esse exerendum manu sacerdotali*; imo docet non exerendum, nisi *Imperatoris iussu*, neque scribit aut exerendum Pontificis nutu, aut condendum in vaginam, nisi secularis Principis mandatum accedat. Sed & semper verum esset sacerdotali exeri manu, si ad nutũ Sacerdotis exereretur, cum Reges ac Principes non ideo illum sua manu dicantur exerere, quod appensum lateri ferrum ipsi sua manu educant, sed quod eorum authoritate, atque iussu, milites in castra conueniant, in aciem disponantur. Nam gladii verbo summa potestas intelligitur (*l. imperium. D. de iurisd.*) & Imperator pugionem quo erat accinctus, Magistratibus dans in manum, videbatur eiurare Imperium, & ius necis vitæque ciuium reddere, (Consule Tacit. *lib. 3. Histori.*

Gratianus quoque, inquis, *nihil aliud docet, nisi non licere Clericis materiali gladio vti, & homines interficere.* Imo docet non licere Pontifici *inimicos Dei gladio temporali persequi*, quod absurdus sit, qui de sola manu Pontificis, ac non de imperio potius intelligat, multaque vi, & armata; Addit licere nemini ad Pontificis nutum gladio vti, sed expectandum Politici Principis iussum. Ait enim ideo prohibitum gladium Petro, *quia omnis præter illum, vel authoritatem eius, qui legitima potestate vtitur; qui vt ait Apostolus non sine causa gladium portat, cui etiam omnis anima subdita esse debet: omnis inquam qui præter authoritatem huiusmodi gladium acceperit, gladio peribit.* An hoc autem nihil in vos Bellarmine?

§. 3.

ADDVCIT *postea Barclaius verba S. Ambrosii*, inquis. *ex lib. 10 ex comment. in Lucam, vbi hæc leguntur: lex ferire non vetat: & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicit Christus, quasi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio, ex quo loco colligit Barclaius, materialem gladium sacerdotibus, vsque ad Euangelium fuisse concessum.*

Respondeo. Non negamus, vt paulo ante diximus, sacerdotibus post Euangelium, non licere propria manu gladium materialem stringere: nisi forte in defensionem propriam, aut ob aliam causam dispensante Pontifice: vsus enim ordinarius materialis gladii militum est, non sacerdotum, nec tamen eo loco S. Ambrosius de solis Sacerdotibus, sed de Christianis omnibus loquitur: & ideo Erasmus hoc loco abusus est ad probandum prohibitum esse bellum Christianis. Cæterum S. Ambrosius, neque Erasmo, neque Barclaio fauet: docet enim in lege fuisse licitam non solum defensionem, sed etiam vindictam, in Euangelio defensionem licitam esse, non vindictam: hæc enim sunt eius verba: O Domine cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? nisi forte vt sit parata defensio, non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referire (sic enim legendum est, non ferire, vt Barclaius falsò citauit) non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti sat est, dicit, quasi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio. Hæc ille, qui non defensionem in Euangelio prohiberi dicit, sed vindictam: & referire non ferire vetitum. Cum autem S. Ambrosius dicit, lex referire non vetat, respicere videtur ad illa verba Domini Matth 5. Audistis quia dictum est antiquis oculum pro oculo, dentem pro dente, ego autem dico vobis non resistere malo, &c. Vbi non significatur, licitam fuisse vindictam antiquis authoritate propria: sed authoritate Magistratus publici; eamque non vindictæ cupiditate, sed amore iustitiæ: quod idem Christianis licet. Sed magister bonus hortatur suos ad vitæ perfectionem, vt Ambrosius dicit: quæ perfectio in eo consistit, vt radices contentionum extirpent, & supportantes inuicem in charitate non dent occasionem grauioribus malis, vt vulneribus, & cædibus, ob quæ necesse sit, vt publici Magistratus vindictam de malefactoribus sumant.

Vis igitur *Sacerdotibus post Euangelium licere propria manu gladium materialem stringere; in defensionem propriam, aut ob aliam causam, dispensante Pontifice.* Audi vero Gratianum, quem nihil in vos facere modo iactabas. *De Episcopis vero,* (inquis, 23.q. 8. in principio) *vel quibuslibet Clericis, quod nec sua auctoritate, nec authoritate Romani Pontificis arma corripere valeant, facile probatur.* Agimus etiam de eo dicto prohibitorio, quod non in reliquos modo Apostolos Christus, sed & nominatim sanxit in Petrum: tu vero nunc ab eo Petrum excludis: quonam iure? imo ita excludis, vt & alios excludere Petrus possit. Vis enim Petrum, & eo dispensante Clericos, gladio vti posse, quem Christus Petro ademit, & qui, vt sponte ais, post Euangelium Sacerdotibus licitus non est.

Ad Ambrosium veniamus. Nimis erras cum Erasmo, qui hæc illius verba de omnibus Christianis intelligis. Quasi vero non æque liceat Christianis, ac Iudaicæ quondam genti, gladio vti. En autem quam inuita Minerua hæc astruas. Dicis, *non defensionem prohiberi in Euangelio, sed vltionem.* Quæ autem vltio prohibetur? certe illa, quæ non vetabatur in lege. Alias non dixisset Ambrosius.

Hanc fuisse licitam *vsque ad Euangelium.* Atqui vt sponte concessisti, vetabatur in lege vindicta *authoritate propria:* ergo de illa non agit Ambrosius. Fuit autem, vt ais, licita vindicta antiquis *authoritate Magistratus publici, eaque non vindictæ cupiditate, sed amore iustitiæ.* Ergo aut illa vltio prohibetur (quod blasphemum sit dicere, nec tu dicis) aut de illa non loquitur Ambrosius: aut deniq; est absurdus, qui id ab Euangelii tempore non licitum dicat, quod non minus ab Euangelio, quam ante Euangelium licet. Nam quod de *perfectione vitæ* addis, ad quam hic discipulos Christus hortetur cõsistere certe non potest, cum perfectio sit consilii, non mandati. Istud autem mandati, non consilii. Alioqui non scripsisset Ambrosius, *licuisse vsque ad Euangelium*, neque tu ad illa Ambrosii verba, *in Euangelio prohiberi vindictam.* Ineptus sit, qui quæ non licent, sed prohibentur, consilii, non præcepti esse contendat. Nec his verbis Ambrosius, *bonitatis perfectio*, de illa perfectione, quam scribis ad quã scil. Christus non nisi hortatur, sed de illa, quam præcepit, qui multo perfectiorem Iudaica Christianam condidit legem, & ministros præsertim Ecclesiæ, sanctioribus multo legibus, quam Synagogam instruxit.

Lex Iudaica *non vetat referire*, inquit Ambrosius. Da porro quo pacto referire Iudæis licuerit, non autem iam liceat Laicis Christianis: quandoquidem hanc Ambrosii sententiam de omnibus Christianis intelligis. Si *referire* accipis, pro, *se defendere*, id non antiquo tantum æuo, sed & post Christum licet. Si pro vltione quæ apud Iudicem legitimis modis quæritur: nec illud etiam Christianis minus concessum, quam Iudæis. Si denique pro iracundo & illicito vindictæ furore: hoc vt Christianis prohibitum, ita nec Iudæis licuit, vt sponte admittis. Age, ergo: quod est illud *referire* quod concessum antiquis, iam in vetitis ponit Ambrosius? Nunquam te expedias, nisi ad Ambrosii sensum redis; Sacerdotibus illum vsum militiæ, quam ante Christum habebant, iam ab Euangelio esse ademptum. Nihil itaque interest, *referire* hic legas, an *ferire*: sensus hic vtrique verbo vnus. Quandoquidem *ferire* dicitur *in lege* licuisse, vbi *ferire* nõ licuit, nisi accepta iniuria, aut imminentem depellendo, quo casu & feris, & referis. Feris enim ferientem, & hoc est referire.

Sensus ergo Ambrosii. In lege Sacerdotes atque Pontifices, nihil minus quam cæteri ciues gladio vti poterant; At non in Euangelio, cum Christus offerenti gladios Petro dixerit, *Satis est*, id est, hoc Sacerdotibus hactenus licuit.

Neque volo Clericis defensionem propriam à Christo ademptam. Iuris naturalis est: neque eam vt Clerici, sed vt homines habent. Illud tantum, non eos ad commissæ tutelam Ecclesiæ, siue indirecte, siue directe, gladium accepisse, vt licet ex antiquis Pontificibus multi, & manu & imperio, militari floruerint laude, iisque remediis Templo tutando incubuerint, propagandæ Synagogæ: nunc spirituales tamẽ in spirituali lege facti non alia habeant arma contra persequutores, contra tyrannos, quam quæ sola in suo armamentario numerauit Ambrosius (in orat. contra Auxentium) *dolere, flere, gemere. Talia enim sunt munimenta Sacerdotum. Aliter nec debent, nec possunt resistere.*

§. 4.

ADDIT *rursus Barclaius*, inquis, *verba Euangelii de duobus gladiis in sensu literali non significare duas potestates, Ecclesiasticam, & politicam: Sed ideo nos non facimus argumentum ex verbis Euangelii, sed ex verbis S. Bernardi, & Bonifacii VIII. qui mystice Euangelii verba exponentes per duos gladios, duas potestates intelligi docuerunt. S. enim Bernardus, quem Bonifacius secutus est, duo loca Euangelii simul iunxit, vnum ex cap. 18. Ioannis, Mitte gladium tuum in vaginam: alterum, ex cap. 22. Lucæ, Ecce duo gladii hic: Et quidem prior locus ad literam significat, voluisse Christum à Petro defendi gladio materiali, & impediri passionem suam: ideo enim subiunxit, Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Posterior locus dependet à verbis superioribus, vbi Dominus dixerat: Qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium: existimantes enim Discipuli, Dominum per ea verba iussisse gladios parari dixerunt: Ecce duo gladii hic. Dominus autem ait, satis est, vel ironice: vt exponit Theophilactus, quasi diceret: Quid sunt duo gladii aduersus cohortem militum armatam? vel vt alii volunt, videns eos non intellexisse, imposuit eis silentium, dicens, Satis est, satis locuti estis, tacete de hac re. Vere enim cum dixit, Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat eum; non iussit vt emerent gladios, sed significauit ad eas angustias eos esse venturos, in qua sunt, qui existimant, bonum esse vendere tunicam & emere gladium. Denique cum Apostoli non emerint gladios venditis tunicis, signum est hoc non fuisse illis à Christo mandatum. Sed quidquid sit de expositione huius obscurissimi loci; S. Bernardus & Pontifex Bonifacius mystice, sed apposite, & eleganter, quæ dicuntur de duobus gladiis ad duas potestates, Ecclesiasticam & Politicam transtulerunt.*

Nihil hic in Barclaium dicis, imo eneruas illud omne de duobus gladiis argumentum, quod ais, non vim trahere ex Scriptura (quippe cuius sensus sit longe alius) Sed ex authoritate Bonifacii VIII. & S. Bernardi. Atqui mystice vt fateris, Euangelii verba exposuerunt. Et ab eiusmodi sensu, neque certum est, neque efficax argumentum. Ipse doces (lib. 3. de verb. Dei cap. 3.) *At sensus mystici & spirituales varii sunt*, inquis, *& licet ædificent, cum non sunt contra fidem, aut bonos mores, tamen non semper constat, an sint à Spiritu Sancto intenti.*

§. 5.

R*VRSVS Barclaius obiicit*, inquis, *admissa hac mystica expositione, non potest colligi gladium esse sub gladio, vel vtrumq; in manu Pontificis esse. S. enim Bernardus hoc nō dicit. Nec potuit sine calumnia dicere.*

Respondeo. Gladium esse sub gladio, Bonifacius aperte dicit: S. autem Bernardus idem dicit: sed aliis verbis: nam cum affirmat vtrumque gladium ad Pontificem pertinere, imo vtrumq; ipsius esse, & vnum manu eius, alterum nutu eius euaginandum, satis ostendit, vnum esse sub alio, materialem videlicet sub spirituali, & vtrumque esse in manu, id est, in potestate Pontificis.

De Bonifacii verbis, *gladium esse sub gladio*, satis supra (*c. 3. §. 3.*) De Bernardo fuse hoc capite: cuius mentem quam inique detorqueas, Lector habet. Nam nec scripsit gladium esse sub gladio, neque id voluit: omnium autem minime *vtrumque gladium esse in manu Pontificis*; Nam si esset, tunc gladius temporalis præter Politici Principis iussum, Pontifice annuente, posset educi (quæ à Bernardo prorsus discors sententia.) Neque enim alia ratione dicitur in Politici Principis manu esse, quam quod ad illius stringatur imperium. Qua vero ratione Bernardus, hunc gladium dicat esse Pontificis, iam hoc capite sat à nobis disputatum.

§. 6.

A*D extremum Barclaius gloriatur*, inquis, *se subtiliter aliquid in verbis S. Bernardi notasse, quod nescit an vllus alius, antea animaduerterit, cur videlicet S. Bernardus dixerit, Tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus: ac paulo post eadem repetens omiserit illud, forsitan. Scribit ergo Barclaius, distinguendum esse inter Pontificem, vt Pontifex est, & vt talis homo est. Pontifex enim, vt Pontifex, non absolute, sed forsitan annuit, vt gladius euaginetur, id est, tunc solum, cum id Ecclesiæ vtile est, cum sano, & sobrio consilio id iudicauerit expedire: Pontifex autem, vt talis homo est, inimicitias cum alio gerens, vel ambitiosam dominandi cupiditatem explere cupiens, absolute gladium euaginari mandat.*

Sed istam sublimitatem demonstrauit Barclaio non acumen ingenii, neque studium Scripturarum, sed odium in Pontifices. Certe ea subtilitas S. Bernardo nunquam venisset in mentem: neque enim, forsitan opponitur, absolute, neq; accipi potest pro aliquando, vel pro, quando vere expedit, nisi apud eum, qui peruersus ipse cū sit, vocabula quoq; ipsa peruertit. Cur ergo initio dixit, forsitan, postea repetens omisit? responsio est in promptu: quia initio non posuerat, nisi duo quædam, videlicet nutum, & executionem: & quoniam dubitauit, an deceret Pontificem annuere militi vt gladium vibraret: ideo dixit, Tuo forsitan nutu, non tua manu euaginandus: postea vero tria posuit, nutum Pontificis, iussum Imperatoris, & executionem militis, & quia dubium esse non poterat, an deceret Pontificem annuere Imperatori, vt eius iussu miles gladio vteretur, omisit, forsitan, & substituit, sane: ac de sententia S. Bernardi satis multa dicta sunt.

Abstine aliquando maledicta. Barclaio odium in Pontifices? vnde illud? Repetet contumeliæ rationem, repetet, cui & Barclaii animus & Bellarmini notus. Sed ad seria.

Dicis Barclaium ita interpretari verba Bernardi, vt Pontifex dicatur *forsitan annuere*, vt euaginetur gladius, cum hoc sano consilio, & propter Ecclesiæ vtilitatem annuit, at vero *absolute annuere*, cum ambitione aut ira percitus & præter officii normam id fieri annuit. Quæ autem hæ laruæ? aut quis sanus, ne dicam Barclaio similis, aut ipse conscribat, aut te scribentem intelligat? quasi Pontifex, quoquo iure, aut ratione annuat dici possit *forsitan annuere*? Imo semper verum est eum certo, non forsitan annuere, qui annuit, nec in eo discrimen constituit Barclaius, *forsitan annuere*: sed in istis: *forsitan euaginandus gladius*.

Sermo illi de his Bernardi ad Pontificem verbis, *tum ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus*, & de illis quæ prope sequuntur, *sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus est: ille Sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis & iussum Imperatoris.* Dicit particulam *forsitan*, à Bernardo priore loco addi, quia non semper exercendus est gladius ad Pontificis nutum, sed tunc demum si ex iustis caussis annuerit: in posteriori vero sententia illud *forsitan* esse omissum, quod tunc expresse dixerit *pro Ecclesia*. Nam cum vere & prudenter pro Ecclesia (non pro effræni suæ mentis impetu) Pontifex gladium stringi annuit, tunc omnino Principem imperare militi debere, & militem gladium educere. Nihil liquidius, quod tu tamen improba & ridicula obducis caligine. Addo ego illud *forsitan* in priori Bernardi sententia poni; quod non sit gladius ad illum euaginandus nutum, nisi Principis accedat authoritas, de qua illic nullus sermo; *forsitan* igitur, nempe si reliqua ad iustum gladii vsum accedant, id est, illius imperium, *qui non sine causa gladium portat.* At in posteriori sententia nullus eiusmodi particulæ vsus, cum pro Ecclesia annuente Pontifice, Imperatore iubente, non forsitan, sed certo atque semper, gladius sit stringendus à milite. Quid tu autem in contrarium?

Certe ea subtilitas, inquis, *S. Bernardo nunquam venisset in mentem, neque enim, forsitan, opponitur, absolute; neque accipi potest pro aliquando, vel pro quando vere expedit, nisi apud eum, qui peruersus ipse cū sit, vocabula quoque ipsa peruertit.* Hæc verba, quem non indignatione aut risu concutiant? quæ vero alia significatio τὸ *forsitan?* aut quibus nisi illis additur rebus, quas absolute affirmare non audemus, seu quę interdum esse possunt, & interdum non esse? Si Tiberio principi negatum Latio donare nouam vocem, qui audeas vocem veterem de loco detrahere, quem locum tot seculis possedit in Latio?

Tandem dicis à Bernardo illud *forsitan* poni: vbi non loquitur de Imperatoris iussu, *quoniam*

dubitauit an deceret Pontificem annuere militi, vt gladium vibraret: & deinde omitti, vbi Imperatoris iussum cum Pontificis nutu coniungit. Hoc a. pene idem, cum sensu quem paulo ante feci, nisi, q; tu anxie, & ambigue, *dubitauit an deceret*. At si *dubitauit, an deceret Pontificem annuere militi, vt gladium vibraret absq; Imperatoris iussu*, quando magis dubitasset an deceret non modo absq; Imp. iussu, sed & contra Imperatoris iussum, imo contra Imperatorem? Quid tu autem cum illo verbo *decet?* Nõ agitur quid Pontificem deceat, sed quid possit. *Forsitan euaginandus*, inquit. Si hoc ex Pontificis iussu pendet, etiamsi propter circumstantiam aliquam indecenter faciat, non tamen *forsitan*, sed certo & absolute parendum, Bellarmine. *Decet tanta maiestati eas seruare leges* (inquit Iurisconsultus *l. ex imperfecto. 23. D. de legat. 3.*) *quibus ipse solutus esse videtur.* Hinc Seuerus & Antoninus soliti in hæc verba rescribere, *licet legibus soluti simus, attamen legibus viuimus* (Insti. *quib. mod. test. infir § vlt.*) Longe ergo diuersum non decenter facere, & non posse facere, nec ideo non erit legitimum, si quis indecenter fecerit, quod iure suo facere tamen potest. Non igitur Bernardi mens, Pontificem interdũ indecenter *annuere*, sed frustra annuere, nutuq;, quem & Princeps, & milites, iure contempserunt.

CAPVT XX.

Licere Christianis tolerare super se Regem hæreticum, vel infidelem, etiam persequutorem. Longe esse diuersum, constituere Regem infidelem, & tolerare iam constitutum. Non esse rem semper peccati eiusdem, quæ est eiusdem ad peccandum periculi. Hinc solutum aduersarii argumentum. Exempla quæ Barclaius in eam attulit, contra Bellarmini solutiones asserta.

Titulus apud Bellarminum est:

Defenditur tertia ratio Bellarmini.



N capite vicesimo, in quo nis, aggreditur Barclaius tertiam rationem principalem Bellarmini, pro confirmanda potestate S. Pontificis in temporalibus excutere, atq; refellere Ratio hæc erat, non licet Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suã hæresim, vel infidelitatem: at iudicare, an Rex pertrahat ad hæresim, necne, pertinet ad Pontificẽ, cui est commissa cura Religionis: ergo Pontificis est iudicare, Regem esse deponendum, vel non deponendum, huius rationis propositionem tribus argumentis confirmaui, sed Barclaius eandem refellit his verbis.

Quod non liceat Christianis tolerare Regem hæreticum, vel infidelem, id adeo falsum est, quam quod falsissimum: alioqui damnanda tota antiquitas, quæ Reges hæreticos, & infideles Ecclesiam Dei destruere conantes submisse pertulit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, hoc est, non quod deficerentur viribus ad impios Principes exigendos, sed quod id sibi per Dei legem non licere iudicarent.

Respondeo. Vbi veritas quæritur inter cordatos, & serios disputatores, non vincit ille, qui maiore exaggeratione sententiam suam affirmat, sed qui fortioribus argumentis eam confirmat. Barclaius dicit quidem, propositionem argumenti mei, tam esse falsam, quam id quod falsissimum est: sed quod dicit, non probat, nisi ex eo quod antiquitas tota Reges hæreticos, vel infideles Ecclesiam destruere conantes pertulit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. At hoc ipsum probare debuisset, videlicet Reges hæreticos, vel infideles Ecclesiam destruere conantes non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam toleratos ab Antiquitate fuisse. Nos enim contradicimus, eos fuisse toleratos propterea, quod ad eos deiiciendos vires Ecclesiæ non suppetebant.

Petis vt Barclaius probet, quod vbique iam probauit. Nam quid certius quam non defuisse tunc vires Christianis, cum infideles Principes, aut hæreticos pertulerunt, etiam religionem infestantes? Videat lector quæ in eam rem conscripta sunt *cap. 7. cap. 8. & initio duodecimi.* Quam tu autem audacter, ne grauius dicam, *nos enim contradicimus*, inquis, *eos fuisse toleratos, propterea quod ad eos deiiciendos vires Ecclesiæ non suppetebant.* Vos contra sic dicitis? certe contra veritatem, contra historiam, & hanc quidem si calletis, contra conscientiam quoque dicitis. Contra Tertullianum, qui melius sui seculi vires nouerit, quam vos nouitii. Is, in *Apologetico, cap. 37.* scribit, suo tempore, id est sub Ethnicis & persequutoribus Principibus, fuisse Christianos omni *bello idoneos*, nec iis *vim numerorum & copiarum defuisse.* addit numerosiores Mauris & Marcomanis, atque adeo Parthis: qui professi hostes, & æmuli Romanis Principibus, (Vide supra, *cap. 6. §. 4. & cap. 12. §. 1.*) Etiam contra Gregorium Magnum qui se Longobardos Principes, diris cladibus prementes Ecclesiam, dicit potuisse tollere, ac delere. Hoc se tamen Dei timore coercitum non fecisse. Id ex Gregorio dedimus, *cap. 3. §. 16.* Contra te denique. Nam fateris, *c. 7. §. 1.* Valentinianum Arianum, facile ab Imperio potuisse, Orthodoxorum viribus, amoueri. En contra quos dicatis Bellarmine, (ne cæteros persequar) primis Ecclesiæ seculis Ethnicos aut Hæreticos Principes *fuisse toleratos, propterea, quod ad eos deiiciendos vires Ecclesiæ non suppetebant.* Nec omitto quod hic texis argumentũ facere ad populi, non Pontificis, potestatem in Reges. Vis n. iudicium esse Pontificis, an Rex pertrahat populum ad hæresim, populi a. nõ tolerare eiusmodi Regem. Atqui longe est aliud iudicare hoc aut illud flagitium esse patratũ, aliud ipsum reum ad supplicia eiusmodi flagirio destinata damnare. Exempla passim extant. De causa hominis hæreseos accusati, cognoscit Ecclesia, vt iudicet an sit hæreticus, non vt ad ignem damnet hæreticis constitutum. De cæteris criminibus quæ morte plectantur, in Ecclesiastico foro eadem ratio. Ibi an reus sit, excutitur, mox in foro seculari

culari pœnas luunt. Neque dicas hæreticum per Ecclesiasticam sententiam, quæ non nouit sanguinem, flammis dari; licet Ecclesiastica sententia eum pronunciauerit esse hæreticum, dignumque iis pœnis, quæ in hæreticos statuuntur. Sic igitur ea hoc sophismate, si quis ludi gratia illud admiserit, non aliud colligas, quam iudicari à Papa Regem esse deponendum, seu non esse à populo tolerandum. At non ideo erit depositus, dum eum populus toleret. Non inquam ex ea ratione sequitur, Regem per Pontificis sententiam cadere regni iure, sed populum inde teneri eum regno amouere. Quod ni faxit, peccare quidem illum populum, Regem tamen interim, nihil obstante Pontificis sententia & de facto & de iure regnare.

§. 2.

POTVISSE *autem Ecclesiam*, inquis, *si vires adfuissent, imo etiam debuisse Regibus illis imperium super fideles abrogare, nisi causa aliqua esset, cur hac abrogatio in tempus commodius differenda videretur: probamus hoc argumento, quod est prima confirmatio propositionis mea. Prohibiti sunt Iudai constituere super se Regem non Iudaum, Deut. 17. & quia lex illa moralis est, eodem iure prohibentur Christiani constituere super se Regem non Christianum, ne ab illo pertrahantur ad infidelitatem: at eiusdem periculi & damni est tolerare super se Regem hareticum, vel infidelem conantem auertere populum à fide: ergo si vires adsint, tenentur eum non tolerare, sed deponere.*

Ad hoc argumentum ita respondet Barclaius, vt admissa propositione, & assumptione, quas negare non potuit, solam urget consecutionem: dicit enim non recte colligi ex paritate periculi & damni ita ius esse populo Regem deiicere, quemadmodum ius illis fuit eum non admittere. Id autem non certe colligi probat tribus argumentis ductis à simili: nam qui plagas accipit, aut fortunis spoliatur, idem periculum & damnum accipit, siue id à latrone per vim, siue à Iudice per iniquam sententiam patiatur: & tamen Latroni armis resistere potest, Iudici non potest. Rursus, eiusdem periculi & damni est in nauim cogitato conscendere, cuius carinam scis esse quassatam, & illud intrare quod putas esse bonum, cum reuera riminosum ac dissolutum sit: & tamen non est eiusdem peccati ex industria, & ex ignoratione periculo naufragii se committere. Denique eiusdem periculi & damni est, vxorem ducere valde morosam & rixosam, siue id consulto propter fortunas, aut formam, siue ex errore & imprudentia fiat: & tamen neque par peccatum est, eiusmodi matrimonio studiose, vel ignoranter implicanti: neque licitum est vxorem repudiare, etiamsi licitum fuit eam initio non ducere.

Ad hac argumenta respondeo, ea non à simili, sed à dissimili duci, ac per hoc non impedire, quo minus consecutio rationis mea optima sit. Primum argumentum non ducitur à simili: quoniam populus ad quem pertinet Regem eligere, non solum potest, sed debet Regem eligere de fratribus suis, vt lex iubet, id est, Christianum, atque Catholicum, & grauissime peccat, si secus fecerit: qui autem incidit in latrones potest, si velit, vim vi repellere: sed potest etiam iniuriam illam aquo animo tolerare, & magis apud Deum meretur, si malit iniuste à latrone occidi, quam iuste se defendendo latronem occidere.

Alterum exemplum de ascendente nauim rimosam, cum periculo naufragii faciendi, nullam habet cum re, de qua nos agimus, similitudinem: non enim ignoramus non esse idem peccatum, si quis ex industria, vel ex imprudentia eidem periculo se exponat: sed quod dicimus est, idem esse peccatum consulto eligere Regem hareticum, & consulto tolerare Regem hareticum, si is conetur populum à veritate fidei auocare, & ad eum remouendum vires non desint: nam sicut nunquam licet adire periculum salutis aterna amittenda, ita nunquam licet perseuerare in simili periculo, modo possit illud vitari: qui enim amat periculum, in illo peribit, Eccles. 3. Tertium exemplum de vxore rixosa non est etiam multum ad rem, tum quia vt modo diximus, disputamus de eo, qui studiose adit periculum, & studiose in periculo perseuerat: Aduersarius autem ponit exemplum de eo, qui per ignorantiam, aut imprudentiam duxit vxorem rixosam, & de altero, qui sciens & prudens id facit. Deinde qui ducit vxorem more Christiano, siue prudens siue imprudens id faciat, non potest post matrimonium consummatum vlla ratione ab eo vinculo solui: quod enim Deus coniunxit, non potest homo separare: populus autem, qui Regem eligit, potest per Pontificiam authoritatem ab eius obedientia & iuramento fidelitatis liberari. Itaque si exemplum aptum, & simile per omnia Barclaius à matrimonio ducere velit, accipiat matrimonium fidelis cum infideli: quemadmodum enim non licet fideli vxorem ducere infidelem, quoniam periculum est, ne illum à fide auertat; sic etiam, non licet cum vxore infideli perseuerare, non solum quia matrimonium illud non est legitimum, sed quia idem est periculum vxorem infidelem ducere, & cum infideli perseuerare. Nam etiamsi matrimonium legitimum esset, vt est matrimonium infidelis cum infideli: tamen si alter coniugum conuertatur ad fidem: & altera nolit sine iniuria Creatoris viro cohabitare, potest matrimonium rite contractum, rite dissolui, ex Apostolo in priore ad Corinth. cap. 7. & vsus Ecclesia nunc habet, vt propter ingens periculum fidei, non solum liceat eiusmodi coniugium solui; sed etiam non liceat viro ad fidem conuerso cum infideli coniuge cohabitare.

Iam Populi causam agis. Dicis Iudæis non licitum constituere alienæ religionis Regem; idem autem esse periculum tolerare & constituere: Christianis igitur illud quoq; prohibitum: quia illud *praceptum morale est, & naturali aquitate nititur.* Quid hoc autem ad Papam? An iubebatur Pontifex Iudæorum, Regem eiusmodi non constituere? imo ipse Populus: & argumentum cui firmando hanc rationem statuis, est eiusmodi. *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem, &c.* Sic, cum hic dicis, *potuisse autem Ecclesiam, si vires adfuissent, imo etiam debuisse, Regibus illis imperium super fideles abrogare, &c.* per Ecclesiam, non Pontifex & Clerici, sed ipse populus Christianus, ex tui argumenti vi debet intelligi. Quippe iam quæris, quid populo Iudæo, ac per consequens, quid Christiano, in Regibus aut constituendis, aut tolerandis, Dei lege præceptum sit.

Ais, Barclaium *admissa propositione, & assumptione, quas negare non potuit, solam negare consecutionem.*

Noli tantum tibi placere, Bellarmine, assumptionem non admisit Barclaius, sed in eam pepercit inquirere: contentus consequentiæ vitia annotare. Et vero cui hæc assumptio simpliciter placeat? an quia *illud præceptum* Iudaicæ legis *morale est, & naturali æquitate nititur?* Multa sunt argumenta, non *morale* potius quam *ceremoniale* esse. Sed sit sane morale respectu Iudæorum, an ideo tenebit etiam Christianos? Imaginum vsus Iudæis lege Dei sublatus est (vide Gab. Vasques *lib. 2. de adorat. disp. 4. c. 2.*) ne ad Idololatriam procliuis gens, per rem licitam illicitum contraheret nefas. Et hoc morale iussum fuit. Num ideo Christianos deuinciet? Accedit hic agi de populo libero, & tunc primum consensuro in Regem. Quemcunq; elegisset, nemini fiebat iniuria, nemine ad regnum ius habente. Iam ratio in Christianis populis vt plurimum dispar: vbi sublatis comitiis, imperium hæreditatis est, & sanguinis. Sed & ibi Iudæi vetabantur Regem constituere, non Iudæum, at nusquam iubebantur, si in id præceptum commisissent, & non Iudæum, fide data, in Regem extulerit, Regem illum contra quam iussi erant constitutum, à regno remouere. Sic & illis prohibitum, cum vlla Cananæorum gente *fœdus percutere*, hoc, inquam, non minus sancte prohibitum, quam sibi Regem præficere non Iudæum, ob eandem quoque causam; nempe ne eiusmodi commercio à Dei cultu recederent. Percusserunt nihilominus cum Gabaonitis; & valuit illud fœdus (*Iosue 9*) imò ob illud per Saulem violatum, qui *voluit percutere eos* Gabaonitas *zelo*, irascente Domino, totam gentem Iudæorum triennis fames afflixit: *2. Reg 21.* Nabuchodonozorem quoque, & Cyrum, vtpote Ethnicos, sibi præficere ex lege non poterant: at potitos semel regno, iubentur per Prophetas colere, obseruare. Cur, inquam, non tenerentur tolerare infidelē Principem, si se ei iureiurando astrinxissent; qui tenebantur seruare Gabaonitis fidē; quibuscū pacem inire tam sancte vetabantur, quam non constituere sibi alium, quam ex fratribus Regem? Dico ergo, Bellarmine, Iudæos prohibitos, ne enim liberi essent, neq; illorum sceptrum vlli successioni mancipatum, alium quam Iudæum in Regem eligerent; at nusquam imperatum, vt si alium quam Iudæum elegissent, fidem datam violarent, illum regno extruderent. Imo contrarium sedatis mentibus, nec affectu occupatis, Gabaonitarum exemplum insinuat. Nihil inde collegeris, quam populum etiam Christianum, vbi sui iuris est, nec successionis prærogatiua alicui regnum debet, teneri eligere hominem Christianum: hoc, inquam, tantum collegeris, non autem teneri populum Christianum infideli Principi, cui semel fidem dederit, abrogare imperium. Sed videre iam gestio, quo marte tuam *consequentiam* aduersus Barclaium tuearis.

Consequentia hæc est; *ergo tenentur Christiani non pati supra se Regem non Christianum, si ille conetur auertere populum à fide.* Et ratio: quia, *eiusdem periculi & damni est, tolerare super se Regem hæreticum, vel infidelem, conantem auertere populum à fide, ac talem constituere.* Hoc ridet Barclaius, cū sit longe diuersum, *idem periculum*, & *idem peccatum*; quæ duo confudisti. Mala, inquam, consequentia, idem esse peccādi periculum si tolleres, ac si constituas infidelem Principem; ergo idem esse peccatum in eo tolerando, ac in constituendo; quod & Gabaonitarum exemplo ostendimus.

Primum Barclaii exemplum, quo hoc sophisma redarguat, est illius, quem latrones, & illius, quem iniqui Iudicis sentētia spoliauerit: Vtrinq; par damnum est; non par tamen remedium: Licet enim latroni resistere; non Iudici. Dicis hoc argumentum non esse à simili, quoniam populus non modo potest, sed & debet Regem de fratribus suis eligere; potest autem à latrone spoliatus vim vi repellere, licet ad illam defensionem nequaquam teneatur. Effugium Deus bone egregium! Imo hoc est à simili, Bellarmine, neq; sunt res in eo dissimiles, in quo à Barclaio conferuntur. Hoc scilicet tantum agitur, num *sit idem ius, vbicunque est idem damnum, vel periculum.* Ita enim ad tui argumenti vim assumpletas, *eiusdem periculi & damni est eligere non Christianum, & non deponere non Christianum.* Hinc omnino idonea similitudo Barclaii, qua eneruet hoc sophisma, ex eo q quis possit se ferro in latrones defendere, non autem in iudicem; licet vtrobique sit illi par aut damnum, aut periculum. Nec interest quod non teneatur se à latronibus defendere (quod omnino inscite obiicis) Satis est defensionem in illos licitam esse, nō autem in Iudicem; satis, inquam, vt probetur, vanum esse quod aiebas, in paribus periculis paria licere remedia.

Secundum Barclaii exemplum; de eo qui quassatam & rimosam nauim imprudens ascendit, & de eo qui prudens. Idem vtrique periculum, at non idem peccatum est. Tu dicis hoc ad quæstionem non facere; *non enim ignoramus*, inquis, *non esse idem peccatum, si quis ex industria vel ex imprudentia eidem periculo se exponat.* Imo hoc non modo non ad quæstionem nihil, sed ipsa est quæstio. Concipiamus duas gentes, quærendo sibi Regi vacantes. illa hæreticum sibi, aut palam infidelem præficiat; hæc vero quem Christianum credit, sed qui postea se apertum fidei hostem prodat. Nonne illa gens Bellarmine, *ex industria*, hæc autem *ex imprudentia* eidem periculo se exponet? atqui vt concedis, *non erit idem peccatum*, ergo vbicunque idem periculum est, non est idem quoque peccatum; quo nihil amplius hic quærit Barclaius.

Sed quod dicimus est, inquis, *idem esse peccatum consulto eligere Regem hæreticum, & consulto tolerare Regem hæreticum, si is conetur, &c.* Imo aliud longe dicis, nempe ideo in illis casibus idem esse peccatum, quia idem est periculum, cuius consequentiæ rationem egregie refutat Barclaius: Iam quod ais, *consulto tolerare Regem hæreticum*; vel intelligi potest, *eum tolerare, quia est hæreticus*, vel *ideo quia Rex est.* Si prior tibi sensus, fatemur facinorosi hominis esse, Regem ob eam rationem aut tolerare aut amare; nam qui alium propter crimen *formaliter* amat, is & illud crimen amet, necesse est. At si ita accipis, *ideo quia Rex est*, tum negamus, idem esse peccatum, etiam si idem

peri-

periculum. Regem enim qui legem Dei violat, ideo fideles tolerant, ne & ipsi in legem Dei peccent, qui Reges nullo pietatis aut infidelitatis discrimine tolerari, imo coli, præcepit. Probas tamen tuam sententiam, quia *sicut nunquam licet adire periculum salutis æternæ amittendæ, ita nunquam licet perseuerare in simili periculo, modo possit illud vitari.* Atqui istud est, Bellarmine, eiusmodi periculum, *quod vitari non possit.* Nam vt ille, qui quassæ & inutili rati commissus, posteaquam in altum prouectus nauigii vitium deprehendit, non ideo sine peccato in hoc naufragii periculo perseuerat, quod inscius illud adiuerit, sed quod non possit ab illo recedere, terris & littoribus iam submotis. Ita populus lapsum in hæresim, aut Apostatam Regem, non ideo sine crimine tolerat, quod huic periculo se inscius commiserit, sed quod diuino & gentium iure saluo, iam illud periculum remouere non possit.

Quod igitur dicis, *nunquam licet perseuerare in simili periculo*, explicatione soluendum est. Certe verum: si cui tam liberum recedere à periculo, quam illud adire: vt qui se familiaritati implicuerit, quam pro casta sobriaque, maleficam & lasciuam deinde cognoscat, & qua vti sine eiusmodi vitiorum periculo nusquam possit, non minori flagitio in illa durabit, quam si ab initio talem sciens, adiisset sponte periculum. Idem de vitæ periculo. Conduxerim ædes quas credidi firmas: mox aduertam perpluere tigna, corruptas trabes, denique ruinam in proximo. Non minori peccato in illis habitem, quam si illud periculum ante conductas præuidissem. At vero si non est nostræ potestatis atque iuris, illud periculum remouere, tunc statuendum est, posse nos periculis ad peccata allici, at non cogi. *Fidelis autem Deus est* (1. ad Corinth 10.) *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.*

Sed nec semper ab eiusmodi periculis, etiam si possimus, tenemur recedere. Quot sub persecutoribus Christiani, quot sub Hæreticis Orthodoxi? Neutris tamen imperatur exilio mutare patriam, & sic periculum declinare. Sed omnium minime, iuxta Apostolum, licet *malum facere, vt inde eueniat bonum*; & peccare vt peccandi vitemus periculum: quod faciet qui in legitimum Regem inuadet (contra Scripturarum normam, primæque Ecclesiæ) ne illius promissis, neve minis, auertatur à Numine. Apte in eiusmodi homines: *quis furor est ne moriare mori?* fuit in eiusmodi periculis, & in iis perseuerauit Ecclesia (vt fuse disseruimus *cap. 7.*) sunt in iisdem hodie, qui sub hæreticis viuunt, & in eo cum laude perseuerant. Vide quam sit ambiguum & periculosum axioma, *in periculo perseuerare non licere.*

Tertium Barclaii exemplum est: Qui adeo iurgiosam & molestam ducit vxorem, vt manifestum peccandi discrimen sit cum ea viuenti, in æquali est periculo siue talem sciuerit, siue crediderit probam; sed non in æquali peccato. Peccat enim tali periculo se sponte per nuptias implicans: At non peccat, qui in eiusmodi vxorem inciderit, tam ferorum inscius morum. Hoc argumentum duobus modis soluis, primum: *quia disputamus*, inquis, *de eo qui studiose adit periculum, & studiose in periculo perseuerat: Aduersarius autem ponit exemplum de eo, qui per ignorantiam aut imprudentiam ducit vxorem rixosam, & de altero, qui sciens & prudens id facit.* Eadem est solutio, quam tu ad secundum exemplum. Atqui probauimus populum Regi impio adhærentem, non *studiose in periculo perseuerare*: Sed præceptum Numinis studiose obseruare; licet per accidens illi præcepto quoddam periculum coniunctum sit. Velut ne dixeris importunæ mulieris virum *in periculo studiose perseuerare*, nisi *studium* illud accipias, pro desiderio implendi mandati, quo vxori adhærere præcipitur. Secunda solutio est, quia, inquis, à rati & consummati matrimonii vinculo nemo soluit: *populus autem qui Regem eligit, potest per Pontificiam auctoritatem, ab eius obedientia & iuramento fidelitatis liberari.* Sed illa solutio, quæ totius quæstionis præsupponit victoriam, vt intempestiua exploditur; cum in disputatione, *an Pontifex hoc in Reges habeat iuris*, sit ridiculum ipsa assertione, quasi concessa, aduersa argumenta refellere.

Constat ergo his exemplis te ex arte non inferre, idem esse peccatum infidelem in regnum attollere, & infidelem, qui iam Rex est tolerare: quia sub vtroque eorum Principum idem est peccandi periculum. Illud inquam, absurdum, ex paritate periculi, metiri paritatem aut officii, aut peccati.

Iam similitudinem ipse componis, à matrimonio ad hanc Pontificis potestatem: frustra. Nec Barclaius matrimonii vinculum Regiæ potestati contulit; aut rite ab vllo confertur, cum *matrimonii rati & consummati* vinculum nullo partium cõsensu solui possit; Rex autem assentiente populo exonerare animum curâ, & de publica possit maiestate decedere. Non, hæc, inquam, contulit Barclaius; sed periculum, quod populus in constituendo Rege, & vir in deligenda vxore tenentur effugere; cum illud quod constituto iam Rege, & vxore iam ducta vitari, nec à populo, nec à marito potest. Aufer igitur hanc tuam similitudinem in rebus nihil pene similibus.

CAPVT XXI.

Argumentum, quo vbique vtitur Bellarminus, refutatum, de Iudicibus, quos præcepit Apostolus à Christianis constitui, qui inter Christianos iudicarent. Eos non fuisse veros iudices; sed tantum Arbitros. Hinc pessime à Bellarmino colligi, tam potuisse Apostolum præcipere Christianis, vt Imperatorem sibi eligerent, quam vt Iudicem. Apostolum non potuisse præiudicare potestati Regum; cum diuini iuris sit. Soluta Bellarmini argumenta; quibus asserit, posse Reges (licet eorum potestas de iure diuino sit) multis casibus regno cadere; non igitur mirum, si potuerint ab Apostolo abdicari. Verba Apostoli de constituendis inter Christianos arbitris, plus esse consilii quam præcepti. Sanctum Thomam non sibi con-

consentire in hac quæstione de Regibus. Diluta argumenta, quæ in eos pro Ecclesiæ iure texit. Excussa defensio, quam pro illo Bellarminus. Non posse Principes à Pontifice abdicari, admissa sententia, quam Bellarminus ad grauem senectutem sequutus est, nempe fuisse Apostolos & Pontifices, de iure & de facto Ethnicis Principibus subditos. Soluta in eam rem Bellarmini inanis subtilitas; qui suis etiam verbis & sententiis conuincitur.

Titulus apud Bellarminum est:

Defenditur confirmatio rationis tertiæ principalis.

§. 1.



IN CAPITE *vicesimo,* inquis, *Barclaius magno studio, nec minore dicendi vi refutare conatur alteram confirmationem rationis meæ tertiæ principalis. Confirmatio hæc erat, Quod si Christiani olim non deposuerunt Neronem, & Diocletianum, & Iulianum Apostatam, ac Valentem Arianum, & similes: id fuit, quia deerant vires temporales Christianis: Nam quod alioqui iure potuissent id facere, patet ex Apostolo 1. Corinth. 6. vbi iubet constitui nouos Iudices Christianos temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram iudice Christi persecutore. Sicut enim noui Iudices constitui potuerunt, ita & noui Principes & Reges propter eandem causam, si vires adfuissent.*

Hanc confirmationem multis modis reprehendi posse Barclaius dicit: ac primum reprehendit, quod dixerim defectionem virium in causa fuisse, cur Christiani olim non deposuerint Neronem, Diocletianum, Iulianum, & Valentem, ac Lectorem remittit ad ea, quæ supra scripsit de hac re cap. 6. 7. & 8.

Nos quoque Lectorem remittimus ad ea, quæ scripsimus cap. 6. 7. & 8. Id solum hoc loco admoneo quod ego hoc loco dixi, dictum antea fuisse à S. Thoma in 2. 2. q. 12. art. 2. ad primum. Itaque non me solum, sed S. quoque Thomam Barclaius reprehendit: sed qui legere voluerit loca paulo ante notata, facile iudicabit à qua parte stet veritas.

Assentior Bellarmine: iudicium esto Lectoris. Quæ à nobis scripta sunt de viribus antiquæ Ecclesiæ legat (cap. 6. 7. 8.) *& facile iudicabit à qua parte stet veritas.*

§. 2.

DEINDE *refellere nititur,* inquis, *quod dixi, Apostolum iussisse, vt Christiani constituerent sibi Iudices Christianos ciuilium controuersiarum: ex quo deduxi, potuisse eodem modo iubere, vt Principes Christianos sibi Christiani populi eligerent, infidelibus & persecutoribus abrogatis, si vires ad id efficiendum præsto fuissent. Dicit autem Barclaius, Iudices illos, de quibus Apostolus loquitur, fuisse meros Arbitros siue iudices voluntarios, sine imperio; ex quorum constitutione nihil iurisdictionis detrahebatur Principibus Ethnicis sub quibus tunc Christiani viuebant. Atque ad hunc sensum confirmandum allegat S. Thomam, & Nicolaum Liranum, in commentario ad hunc locum Apostoli.*

Ego vero fateor quidem, non habuisse Iudices illos Christianos iussu Apostoli constitutos vim coactiuam in foro exteriore, & si Christiani vocati fuissent siue ab Ethnicis, siue à Christianis, ad tribunalia Iudicum Ethnicorum, debuisse omnino parere, & hoc est solum quod S. Thomas & Liranus docent. tamen nego, eos fuisse meros Arbitros, siue Iudices voluntarios: Arbitri enim eliguntur à personis litigantibus, neque aliam habent iudicandi potestatem, nisi eam quam litigantes ex pacto inter se inito illis attribuunt. Isti vero constituebantur auctoritate publica multitudinis, & obligabantur, qui causas ciuiles habebant, ad istos adire, & prohibebantur ad tribunalia Gentilium accedere. Id ex verbis Apostoli facile probari potest: Audet, inquit, aliquis vestrum negotium habens aduersus alterum iudicari apud iniquos & non apud Sanctos? Vbi ostendit, non esse bonum adire tribunalia Iudicum Gentilium, quos iniquos vocat; & sicut loquitur de vero iudicio, non de solo arbitrio, cum prohibet iudicari apud iniquos, ita loquitur de vero iudicio, cum iubet iudicari apud Sanctos id est, Christianos. Addit Apostolus, An nescitis quia sancti de hoc mundo iudicabunt? & si in vobis iudicabitur Mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia? Vbi demonstrat authoritatem Ecclesiæ, quæ iure suo potest de secularibus rebus iudicare, cum sit iudicatura cum Christo totum Mundum, & ipsos Angelos Apostatas in die vltimi iudicii: & certe Christus, & Ecclesia, non iudicabunt vt arbitri, sine imperio & iurisdictione Mundum. Sequitur: Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Vbi concludit ex dictis, vt quoniam malum est iudicari apud iniquos Gentiles, & Ecclesia auctoritatem habet iudicandi, communi consensu constituant aliquos de Ecclesia, qui sint iudices eiusmodi secularium controuersiarum, & non dicit, vnusquisque eligat sibi arbitros: sed, vos congregati in vnum constituite iudices. Monet (inquit Card. Caietanus in hunc locum) vt sapiens aliquis constituatur Iudex multitudinis fratrum. Adiungit, ad verecundiam vestram dico, sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre iudicio contendit; & hoc apud infideles. Vbi declarat, quod dixerat, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum; se non dixisse vt vere sapientibus relictis, insipientes constituerent ad iudicandum: sed vt eos confunderet, qui sic adibant tribunalia infidelium, quasi nullus esset in Ecclesia vir sapiens, qui iudex constitui posset, cum contra deberent contemptibiles, id est, infimi Christiani, aptiores esse ad iudicandum, quam supremi & sapientissimi infideles. Iam vero ex hoc principio, quod videlicet Apostolo teste, habeat Ecclesia ius, & auctoritatem

consti-

constituendi sibi iudices, recte colligunt Theologi, atque imprimis S. Thomas in 2. 2. quaest. 10. artic. 10. habere eandem Ecclesiam auctoritatem abrogandi Principibus infidelibus imperium super fideles. Neque obstat quod S. Ioannes Chrysostomus hunc locum exponens, mentionem faciat Arbitri. Nam neque ipse, neque alius interpres, quod sciam, dicit Apostolum hic loqui de Arbitris electis à partibus: sed solum Chrysostomus dicit, non esse necessariam magnam sapientiam arbitro controuersiae inter fratres. Vbi vocat iudicem, arbitrum controuersiae quamuis publicam haberet iudicandi potestatem. Quo modo Iustinus, initio historiae, scribit, arbitria Principum pro legibus erant: quamuis enim Principes veri iudices essent, tamen eorum iudicia vocata sunt arbitria, quia non iudicabant ex praescripto legum, sed ex naturali suo iudicio: sic etiam Iudices ab Ecclesia constituti in causis ciuilibus Christianorum, veri Iudices erant, sed non tenebantur legum ciuilium apices sequi, ideo à Chrysostomo Arbitri dicti sunt.

Ais primum te fateri, *non habuisse Iudices illos Christianos iussu Apostoli constitutos vim coactiuam in foro exteriore*, quid his verbis intelligis? an vero vim coactiuam habebant in foro interiore? id est, an sub peccato tenebantur Christiani eorum parere sententiae? certe nequaquam. Sic enim recideretur de iurisdictione Principum (quod hic non fieri, ex S. Thoma, & Lyrano docet Barclaius, & tu ipse concedis) recideretur, inquam, si in rebus ciuilibus summi alii praeter ipsos, aut à se constitutos Iudices in eorum terris essent, à quorum sententiis prouocare Christianis in conscientia non liceret.

Negas tamen fuisse meros Arbitros, siue Iudices voluntarios. *Arbitri enim*, inquis, *eliguntur à personis litigantibus: neque aliam habent iudicandi potestatem, nisi eam, quam litigantes ex pacto inter se inito illis attribuunt. Isti vero constituebantur auctoritate publica multitudinis, & obligabantur qui causas ciuiles habebant ad ipsos adire, & prohibebantur ad tribunalia Gentilium accedere.* Imo vero quantum ad potestatem, Arbitri meri erant. Nec interest, quod nõ ab his aut illis litigantibus eligebantur, sed à Christianorum coetu: quia totus ille Christianorum coetus eos sibi eligebat in Arbitros; vt deinde falsum esset dicere, cum ex Christianis aliqui litigabant, eos non fuisse ad arbitrium à litigantibus personis electos. Imo & eorum vis, aliqua quoque parte Arbitris minor, cum ex litigantium pacto, vt plurimum, ab Arbitri sententia recedere non liceat, nec impune prouocare, (2 qu. 6. cap. à Iudicibus. Vbi Gratian. & Gloss.) At ab istis qui se latam re vera iudicarent, quid prohibebat Caesarem appellare? satis est *vt voluntarie recurrant*, inquit Lyranus, *ad Iudices infideles in illis negotiis, quae determinari possunt per fideles.*

Dicis; *Isti vero constituebantur auctoritate publica multitudinis.* Ita est: sed constituebantur Arbitri: & publica multitudinis illius authoritas, non erat vt posset Iudices designare, sed Arbitros tantum. Iudices quippe non dantur nisi à Principe, aut Principis auctoritate. *Pertinet enim* vt recte D. Thomas, *ad authoritatem Principis iudicare de subditis.* Nemo, inquam, iudicare, aut iudicem potest dare, nisi iuris custos & legum, qualis in Democratia populus, Optimates in Republica, in Monarchia Princeps. At ista *multitudo*, non erat libera, vt Principis loco esset; sed & habebat Principem: & D. Thomas monet, nihil hic ab Apostolo praecipi *contra subiectionem, quae debetur Principibus.*

At *obligabantur*, inquis, *qui causas ciuiles habebant ad ipsos adire.* Imo hoc perfectionis, non praecepti: satis ex ipso patet Apostolo, vt mox dicendum est. Quicquid vero fuerit, non *obligabantur* Christiani, nisi adire ad Arbitros: at non stare arbitrio, si credebant iniquum, tunc enim *omnia negotia determinari potuissent per fideles*: quod non potuisse Lyranus satis innuit, illis verbis, *in illis negotiis, quae determinari possunt*, &c. Vide etiam quae ex vestra consequantur sententia: primum, prouocationis beneficium sublatum eiusmodi Christianis: cum his alii possint maiorem Iudicem appellare: Deinde ciuile imperium (vt iam monuimus) eo modo recisum, si scilicet cogebantur ciues aliqui aliis legibus, aliis iudiciis, quam Principis, viuere.

Vanum ergo, inquies, hoc documentũ Apostoli? Imo summae vtilitatis plenissimum. Tunc erat in Christianorum animis ille candor, ille feruor, vt facile regi possent, & *charitati* plurimum dare. Sua igitur sponte non pauci consensuri in Iudices voluntarios erant, neque rixas aut lites, forte cum Christiani nominis dedecore, in publicum producturi iudicium.

Sed cum dicit Apostolus, inquis, *iudicari apud iniquos*, non de arbitrio intellexit, sed de vero iudicio: ergo & de vero iudiciũ intellexit, cum addidit, *& non apud Sanctos?* Loquendi ipse vsus hanc subtilitatem expediet, quis enim sic loquentem reprehendat? cur me ad Iudicem trahis, ô frater, cur causam nostram in disceptationem publicam mittis? Age potius familiaris noster & amicus est Lucius: malis quaeso illius iudicio finiri quaestionem. Quis inquam haec loquentem reprehendat? aut quis tamen priuatum Lucii iudicium, & iudicium publicum, de eodem iudicii genere prudens intelligat?

Sed & Apostolus, inquis, authoritate sua Ecclesiam admonet. *An nescitis, quia Sancti de hoc mundo iudicabunt?* &c. Atqui, inquis, *Christus & Ecclesia non iudicabunt vt Arbitri, sine imperio & iurisdictione mundum.* Non vides hoc argumentum nihilo in Barclaium magis, quam in te contendi? Nam fateris, *si Christiani vocari fuissent siue ab Ethnicis, siue à Christianis, ad tribunalia Iudicum Ethnicorum, debuisse omnino parere.* At vero in extremo illo die, quo iudicabitur à Christo, & ab Ecclesia ille Mundus; non vlterius tribunal vllum erit, quo prouocare liceat: aut quo alius trahi possit; neque erit, qui hoc Ecclesiae tribunal effugiat. Non vim ergo vtriusque iudicii aut potestatẽ confert Apostolus. Sed dicitur, Christianos esse in ipsa Ecclesia dignos, qui de minutis & exiguis rebus

disce-

disceptantium litem finiant, quandoquidem Sancti (id est, Electi) non secularia tantum, sed & de Apostatarum Angelorum defectione iudicabunt. Confert, inquam, Sanctorum siue Electorum, qui & hic iudicant, & in extremo die sedebunt Iudices, non potestatem iudicandi, sed tantum dignitatem. Digni, inquit, sunt, qui iudicent: & vos, qui dignos esse scitis, nolite eorum recusare iudicium.

Cur tu porro vbi de hoc Ecclesiæ iudicio, subdole Christum adiungis? quasi eodem modo, aut eadem specie iudicii, sit cum Christo iudicatura Ecclesia: *Christus*, inquis, *& Ecclesia non iudicabunt vt arbitri, sine imperio & iurisdictione, mundum.* Imo Ecclesia, seu Electi, in vltimo illo die, non cum imperio & iurisdictione iudicabunt, Bellarmine. Vnus erit verus Iudex, qui veniet *iudicare viuos & mortuos.* Beatus Ioannes Chrysostomus in hunc locum Apostoli. *Iudicabunt autem non ipsi sedentes*, inquit, *& rationem exigentes, sed condemnabunt. Hoc quidem certe significans, dicebat, Et si in vobis iudicatur Mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Non dixit à vobis, sed, inter vos: sicut quando dicit, Regina Austri surget, & condemnabit generationem hanc, &c. Viri Niniuitæ surgent & condemnabunt generationem hanc. Quando enim eundem Solem videntes, & earundem rerum omnium participes, nos quidem inuenti fuerimus credidisse, illi autem non credidisse, non poterunt confugere ad ignorationem. Eos enim ipsos accusabimus per ea quæ fecimus: & eiusmodi quispiam illic multa inueniet iudicia.* Sic reportam igitur tuum tibi argumentum; Sicut non loquitur Apostolus de *vero iudicio*, quod cum iurisdictione peragitur à Iudicibus rationem rerum factorumque exigentibus, vbi dicit, *An nescitis, quia Sancti de hoc mundo iudicabunt?* ita nec de vero iudicio loquitur, cum hinc infert, *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.*

Dicis Apostolum concludere, *vt quoniam malum est iudicari apud iniquos Gentiles, & Ecclesia habet auctoritatem iudicandi, communi consensu constituant aliquos de Ecclesia, qui sint iudices eiusmodi secularium controuersiarum.* Imponis Apostolo. Neque dixit, malum esse iudicari apud iniquos Gentiles, neque vere aliquis dicat. Nam tenebantur, vt fateris, Christiani, tenebantur, inquam, in conscientia, si vel à Christianis aliis, vel ab Ethnicis, ad Ethnicorum iudicum tribunalia vocati fuissent, inde iudicium expectare. Hic quorum respectu erat *malum?* An Ethnicorum, qui iudicabant; an Christianorum, qui iudicabantur? si Ethnicorum: igitur malum erat, quod potestate sibi à Deo concessa vterentur. Nam non negas hanc illis potestatem à Deo concessam: alioqui nec Christianos deuinxisset conscientia, vt iis sisterent: nec Tertullianus diceret, *Inde est Imperator, vnde & homo antequam Imperator: inde potestas illi, vnde & spiritus.* Sed nec iuberet Christianos Apostolus illis esse subditos; *qui non sine causa gladium portant*: eorum scilicet *potestatem esse à Deo.* Nullæ enim tunc temporis eiusmodi potestates, nisi Gentilium. An vero Christianorum respectu malum hoc erat? imo fateris, illis *propter conscientiam* ad Ethnicum tribunal accedendum. Si neutro respectu *malum* fuit, quo modo, quæso, *malum?*

Male tu igitur, nec ferendo errore, *quoniam*, inquis, *malum est iudicari apud antiquos Gentiles.* Dixisses: tunc per accidens malum erat Christianum ab alio Christiano ad Ethnicum vocari tribunal, si controuersia arbitratu fidelium poterat solui: vt malum per accidens esse potest omnino litigare, licet litigare simpliciter non sit malum. Cur autem malum esset, tunc Christianos, vnum ab alio, ad seculare trahi iudicium, docet Chrysostomus, ad hunc locum. *Quomodo enim*, inquit, *non est absurdum: si domi quidem fit contentio, nullum vocare externum, sed erubescere si qua fiant spargantur apud externos, vbi est autem Ecclesia arcanorum mysteriorum thesaurus, omnia foras efferri?* & Sanctus Thomas 2. 2. qu. 10. art. 10. *Infideles contemnunt fidem*, inquit, *si fidelium defectus cognoscunt. Et ideo Apostolus prohibuit, vt fideles non contendant iudicio coram iudice infideli.* Adde Christianorum animos peruicacius diuidi, vbi non per fratres, & voluntarios iudices, sed summo iure, & contentione forensi, res suas repetiissent.

Et Ecclesia habebat auctoritatem iudicandi, inquis. Nihil tale Apostolus? Dixit iudicaturam in extremo Mundi die; igitur non indignam, cuius sententiis in hæc vilia & temporalia, fideles obtemperent. Sed versute hoc verbum vsurpas, *Ecclesia.* Nam pene vbique per Ecclesiæ potestatem, spiritualem & Pontificiam potestatem intelligis: nunc idem adhibes verbum: vt & isto loco videatur Apostolus de eiusmodi potestate sensisse, cum reuera non de Ecclesiasticis magis agat, quam Laicis, quos non minus quam Ecclesiasticos olim iudicaturos Orbem dicit, & hic in arbitros eligi iubet, (vide supra, *cap. 5. § 4.*)

Sane porro, ac sobrie, intelligendus Apostolus, de dignitate & potestate fidelium scribens. Alioqui quot riui errorum ab illo veritatis alueo? Dicit (ad Rom. 8.) *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Et 1. ad Corinth. 3 *omnia enim vestra sunt, vos autem Christi.* Cur inde nō colligas Ethnicorum omnes opes donatas Christianis? Meliori iure facias quam ex his ad Corinthios verbis somniare abdicandi Imperatoris potestatem. Sic etiam 1. ad Corinth. 2 *spiritualis autem homo iudicat omnia & ipse à nemine iudicatur.* Et hinc non sine prætextu veritatis collegeris, viris sanctis hic Iudicem nullum esse.

Et non dicit, inquis, *vnusquisque eligat sibi arbitros: sed vos congregati in vnum constituite vobis iudices.* Nihil interesse ostendi ad Arbitrorum potestatem, verum multitudinis consensu eligerentur, qui singulorum de multitudine Arbitri essent, an consensu singulorum, qui inter singulos arbitrarentur. Semper enim erat verum, eum sibi constituisse Arbitrum, qui in communem Arbitrum cum aliis assensus est: Hos reipsa iudices non fuisse, iam vel ex te ostendi. Iudicis vero nomen

illi

illis à multis datum haud moror, quod tam vero Iudici, quam Arbitro, pene promiscue iura concedunt (Can. *à iudicibus.* Can. *Sane si ex consensu. 2. q. 6.* & ibi Gratian. & Gloss.)

Iam vero ex hoc principio, inquis, *quod videlicet Apostolo teste habeat Ecclesia ius & auctoritatem constituendi sibi iudices, recte colligunt Theologi, atq; inprimis S. Thomas in 2. 2 quaest. 10. art. 10 habere eandem Ecclesiam auctoritatem abrogandi Principibus infidelibus imperium super fideles.* Atqui hoc tam absurdum est, ex illo inquam principio deducere Ecclesiæ potestatem in Reges, vt mirer qua fronte homo tam cordatus id feceris. Nihil etiam falsius, quam D. Thomam hoc fundamento, seu principio, niti ad Ecclesiæ ius probandum in Principes. Nam in commentario ad istum Apostoli locum, ostendit nihil hic imperatum *contra subiectionem quæ debetur Principibus*, cui est consequens, non illud modo ab Ecclesia, sed & à priuatis omnibus, & collegiis, & societatibus, potuisse institui. Cur enim non possint quilibet ciues, Bellarmine, id facere, quod non est *contra subiectionem, quæ debetur Principibus?* Quæ vero illa conclusio? Hoc aut illud collegium iudices sibi constituit, imo omnes priuati, omnia collegia potuerunt sibi iudices constituere; ergo sequitur omnes priuatos, omnia collegia, *habuisse auctoritatem abrogandi Principibus imperium.* Vide quam affabre tua procedat ab istis principiis conclusio. Non igitur hoc fundamento nixus Thomas, ad asserendam potestatem Ecclesiæ; sed alio, quod hoc *cap. §. 6.* excutiendum.

Opponis tibi ipse B. Chrysostomum, qui ad hunc Pauli locum, *non esse necessariam*, ait, *magnam sapientiam arbitro controuersiæ inter fratres.* Tum respondens Chrysostomum non dicere, *Apostolum hic loqui de Arbitris electis à partibus.* Quasi vero Christiani qui Arbitros eligebant, non essent ipsæ partes, quæ se illorum committebant arbitrio; aut quasi ad Arbitrorum potestatẽ intersit, vtrum eos iam orta lite eligam, an vero qui mihi sint Arbitri, si lis postea oriatur. Ais etiam, Arbitros à Chrysostomo dici, quamuis Iudices essent, & haberent publicam iudicandi authoritatem. Id ex vsu vocis firmas: quia Iustinus initio historiæ *arbitria Principum pro legibus erant*, inquit. Potueras addere, Numen passim, *cæli terraque Arbitrum* appellari. Nempe *Arbiter*, & *arbitrium*, ab *arbitror* dictum: iisque hæ voces attributæ; qui non anxia legum cura, sed vt illis ex æquo bonoque videtur, ius disponunt. Hi sunt, aut qui non tenentur legibus, vt Numen ipse rectarum legum fons; & Reges, ii præcipue qui ante leges conditas extiterunt, de quibus ibi Iustinus, *Populus nullis legibus tenebatur: arbitria Principum pro legibus erant.* Aut qui non coactiua disceptant sententia, sed eliguntur à partibus, sua sponte in id quod ij senserint consensuris: & hi sunt quos *Arbitros* dicimus. Quos præter hos Latini Arbitros dicant, non habeas. Iam vero ex quorum numero hos facias, Apostoli iussu electos? Vt sint Reges? Nusquam dixeris: Fateris tunc Christianis Imperatorem præfuisse: neque hic quicquam *contra subiectionem, quæ illi debebatur*, ab Apostolo imperatum. Erunt ergo Arbitri, quales nos volumus, qui à partibus electi sint, non secundum apices legum, sed vt optimum illis videbitur, laturi sententiam.

Et hæc quidem de voce *Arbiter*, non quod ad Chrysostomum faciant; sed ne vllum Latine loquentium, qui hunc locum de Arbitris dicat intelligi, in hos tuos detorqueas sensus. At vero Chrysostomus Græce scripsit; neq; hic aut Arbitrum nominauit, aut Iudicem; sed non opus esse dixit magna intelligentia τῷ μεσολαβοῦντι τῇ δίκῃ, id est, vt Latini loquuti sunt, *secanti ipsam litem*, seu, *medium inter litigantes agenti:* quod non de Iudicibus minus quam Arbitris dicas. Sed quoniam de Arbitris reuera agebatur, ideo & hæc verba, in *Arbitrum litis* verterunt interpretes. Tu, vt aliquid videreris egisse, aut ab interprete certe deceptus, Chrysostomi tibi verba opponis; quæ, vt dixi, ambigua, neque in te. Videri potuit lis æquior, si tu ipsum arguisses interpretem; fidum tamen, & ex Chrysostomi sensu.

Sed & Chrysostomus magis apertus est, quam vt eius nomine cuiquam imponas. Ait, *non esse opus intelligentia & solertia, eiusmodi litis arbitro.* Quomodo hoc de vero Iudice intelligas? nonne illi necessaria sapientia? imo & sapiens eruditio, & erudita sapientia. Alioqui quot calamitatum author, quot criminum reus? si inique bona adiudicet, si sententia immerentem opprimat. *Non facies* (Leuit. 19.) *quod iniquum est, nec iniuste iudicabis*; quis iniuste non iudicet, nisi solertis sapientiæ? Cur deniq; Regibus, cæterisq; Iudicibus, tam anxie (Sapient. 6) sapientiæ studium præcipitur? Cur vbiq; studia legũ, cur Iudices ad scientiæ amussim explorati? At vero, vt recte Chrysostomus, tanta sapientia non est Arbitro necessaria, quod nec legum vim callere teneatur; sed satis sit, vt quod illi videtur pronunciet: quandoquidem ad hoc tantum electus est, & ab iis quidem electus, qui illius sapientia (quantacunque sit) sua sponte contenti sint; vt si imprudenter iudicet (modo tamen bona fide) non peccatum illius qui electus, sed eligentium error sit. Præterea, vt ibidem Chrysostomus, *quando frater cum fratre iudicio contendit, affectio & cognatio magnam opem affert ad soluendam eiusmodi contentionem.* Ais: *veri Iudices erant, sed non tenebantur legum ciuilium apices sequi.* Quam hoc absurdum sit, modo diximus. Nam sequitur, tunc ergo coactos Christianos aliis quam Principis legibus viuere: si nempe & cogebantur in conscientia horum Iudicum sequi sententiam; & Iudices illi poterant neglectis iuris apicibus, quod Princeps constituerat, alias leges, alia iudicia, ex sua opinione, decernere. Hoc si non est *contra subiectionem quæ debetur Principibus*, contra quam nihil hic actum D. Thomas affirmat, quid sit *contra illam subiectionem*, nullus opinor inueniat. Bene Cicero (*pro Roscio Comœd.*) de ea re, quæ in iudicio vertitur, dicit Iudicis *nullum esse arbitrium:* quod eum scilicet non ex propriæ mentis iudicio, atque arbitrio, sed ex præscriptis legum formulis iudicare oporteat.

§. 8.

SED *contradicit Barclaius*, inquis, *atque ait: Nihil iubet Apostolus eo loco, quod Iudicum infidelium iurisdictionem, & imperium in Christianos aut tollat, aut minuat, aut ei aliquo modo praeiudicet. Imo vero nihil contra eiusmodi subiectionem iuste iubere potuit, cum sit iuris naturalis, Dei auctoritate confirmati, vt teste Ambrosio, ipsemet Apostolus docet ad Rom. 13.*

Respondeo. Non praeiudicat Apostolus per illam iudicum Christianorum constitutionem iurisdictioni, & Imperio Principum infidelium; quoniam non iubet Christianis, vt nō compareant coram iudice infideli, si vocentur: sed tantum praecepit, vt sponte non accedant. Sed quod non potuerit Apostolus eximere Christianos à subiectione Principum infidelium, si id vtile, vel necessarium censuisset, & vires ad perficiēdum habuisset, id sine graui errore dici non posse arbitror: & ratio, quam pro sua sententia Barclaius profert, omnino infirma est. Nam iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati est, vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: sed non est iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati, vt non possit sublimior potestas per aliam sublimiorem tolli de medio, & per hoc fieri, vt ei subiectio, & obedientia non amplius debeatur. Siquidem Magistratuum quoq; inferiorum potestati iure diuino parendum est, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: & tamen potest Magistratus inferior per Principem tolli, aut mutari, & tunc persona illi, cui Magistratus abrogatus est nemo iam subiectionem, aut obedientiam debet. Sic etiam cum Rex, vel à spirituali suprema potestate in casu haeresis, vel ab alio Rege in casu victoria de solio deponitur, non amplius ad illum pertinet, quod Apostolus ait, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Idem dici potest de patria & despotica potestate: nam iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati ad Ephes. 6. est, vt filii obediant parentibus, & serui dominis; & tamen filii emancipari, & serui libertate donari possunt, & per hoc fieri potest, vt nec illi parentibus, nec isti dominis suis obedire teneantur. Itaq; nisi Barclaius naturalis iuris à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati esse demonstret, vt Principes seculares, siue fideles, siue infideles, in certis casibus, per Ecclesiasticam auctoritatem deponi non possint; nihil quod ad rem faciat, adhuc dixit, quantumuis multis verbis saepe, ac saepius repetitis, sententiam suam in hoc capite persuadere conatus sit.

Iam ab argumento transis ad aliud; imo das manus. Fateris *nō praeiudicasse Apostolum per illam Iudicum Christianorum constitutionem, iurisdictioni & imperio Principum infidelium*, quid ergo magis insipidum, Bellarmine, quam deducere ex eo Apostoli facto, potuisse Ecclesiam (vt modo dicebas) omnem iurisdictionem & imperium infidelibus abrogare Principibus? quis inquam, tam futile consequentiae ferat errorem?

Venis ad verba Barclaii, asserentis *nihil contra eiusmodi subiectionem iuste iubere potuisse Apostolū, cum sit iuris naturalis Dei auctoritate confirmati, vt teste Ambrosio ipsemet Apostolus docet ad Roman. 13.* Tu hoc inter graues errores ponis; quia, inquis, *non est iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati, vt non possit sublimior potestas per alium sublimiorem tolli de medio; & per hoc fieri, vt ei subiectio & obedientia non amplius debeatur.* Non cessabis à sophismatis? certo sublimis potestas, per aliam potest tolli, quae sit in eodē potestatis genere sublimior, & à qua ista minus sublimis dependeat. Nec aliud exemplo tuo probas. Dicis enim Magistratum inferiorem *per Principem tolli aut mutari posse. Licet illi quamdiu Magistratus est, iure diuino parendum sit.* At vero Magistratus inferior, Bellarmine, à Principe potest tolli, quia ea conditione ab ipso Principe constituitur, vt possit destitui: quia, inquam, Princeps est eodem potestatis genere Magistratu superior; imo quia Magistratui illi, neque iure diuino, neq; humano parendum est, nisi quatenus Princeps iubet; adeo vt in inferioris Magistratus persona ipsum Principem veneremur, ipsi Principi obsequamur. Quid vero simile in Pontifice, atq; Rege? Num potestas politica vim habet à Pontifice? certe negas. Num Pontificis potestas in eodem genere sublimior est potestate Principum? Negas quoque. Vis enim nullam temporalem potestatem sublimiorem esse regia. Quo ergo hoc tam alienae calliditatis argumentum? quasi vero potestates sublimiores, id est, quae ex natura sua excellētiores & potentiores sunt, hoc ipso quod tales sunt, alias non adeo excellentes, sed quae alterius sunt generis, possint suo iure extinguere. Conestablum, seu Principem exercitus, quis exiguo aliquo, & municipali Iudice sublimiorem neget? nō potest illi tamen abrogare magistratum; quia in latissima rei militaris potestate, quam à Rege accepit, haec in exiguum istum Iudicem potestas nusquam inest. Quam igitur tu inicite, *Sic etiam*, inquis, *cum Rex, vel à spirituali suprema potestate in casu haeresis, vel ab alio Rege in casu victoria de solio deponitur, non amplius ad illum pertinet, quod Apostolus ait, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Atqui suprema spiritualis potestas alias potestates non potest destruere, quam inferiores spirituales. Nec aliud supra probasti; cum vt doceres sublimiorem potestatem in inferiorem ius habere, vsus es Magistratus exemplo à Rege constituti, id est, supremae temporalis potestatis, minorem temporalem potestatem abrogantis.

De Rege quem alterius Regis victoria deturbarit à regno, alienum prorsus exemplum. Neque enim victor Rex iure alio quam victoriae, quod est iuris gentium, principatum victo aufert, vt in eo non Regem, sed victorem valere intelligas. *Ius enim gentium omni humano generi commune est*; bellum autem *iuris est gentium* (l. 1. D. de iustit. & iur.) *& ea quae ex hostibus capimus, iure gentium statim nostra fiunt. (l. naturalem. D. de acqu. r. ter. dom.)* Non aliud igitur hoc exemplo collegeris, quam sublimem potestatem per aliam in eodem genere sublimiorem posse euerti. Nam qui inter se bellum gerunt, eodē potestatis genere, nempe temporali eminēt, & victor de facto sublimior est victo; de iure etiam, cùm possessas victi & edomiti Principis facultates ius omnium gentium victori concedat.

Sed in iis quæ sequuntur, luculentius aberrasti. Ais, *Idem dici potest de patria & despotica potestate: nam iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati ad Ephes 6. est, vt filii obediant parentibus, & serui dominis: & tamen filii emancipari, & serui libertate donari possunt; & per hoc fieri potest, vt nec illi parentibus, nec isti dominis suis obedire teneantur.* Quid hic autem audio? an iuris naturalis & diuini præceptum, de obediendo parentibus, emancipatione, id est, iure humano & ciuili, tolli potest; *vt nec filii parentibus suis obedire teneantur?* ô vocem mirandæ libertatis! Apostolus docet (*ad Ephes. 6.*) id obsequium in parentes ex Decalogi esse præcepto. Diuinam vero legem, Bellarmine, putas ciuili constitutione posse euerti, aut tolli? Aufer à Christianis auribus Philosophiam tam licentem; quam tamen ne tibi videar affingere, ecce tua in eundem sensum verba (infra cap. 26.) *Siquidem iuris diuini est*, inquis, *non solum vt populus obediat Regi; sed etiam vt filii obediant patri, serui domino, vxores marito; & tamen si filius emancipetur, & seruus libertate donetur, & vxor per diuortium aut repudium à marito separetur, non amplius tenentur lege illa diuina.*

Scias igitur in liberis duo spectanda; primum, naturale, diuinumq; præceptum, obsequendi parentibus, deinde ciuilis iuris vinculum, quod eos sub parentum manu ponit, apud alias & alias gentes nunc mollius; nunc vero seuerius. Apud illas ista vel diuerse cauetur, vt parentibus in liberos vitę necisq; potestas sit, ne matrimonium iniussu parentum liberi contrahant, ne huic aut illi contractui apti sint, ne quid sibi possint acquirere, & quæ alia iura passim Gentes cõstituunt. Huic ciuili vinculo ciuile remedium quæsitum est, emancipatio; qua liberi ex iusta ciuili potestate parentum exirent. Neq; tunc *vna potestas sublimior, ab alia sublimiore tollitur*, quod tu quæris, sed vna & eadem potestas est quæ dissoluit, quod ante ligauerat; nimirũ ciuile ius, quod eatenus à patria potestate soluit liberos, quatenus illos eidem astrinxerat. *Nihil tam naturale est*, (Vlp. l. Nihil tam naturale 36. D. de reg. iuris) *quam eodem genere quodq; dissoluere, quo colligatum est.* Sed post emancipationem, Bellarmine, manebat apud Ethnicos naturale vinculum; & apud Christianos præceptum Numinis, manet huic naturali legi accedens, vt filii parentibus obsequantur.

Sic & seruitus & manumissio, cum non naturalis iuris sint, sed Gentium; sequitur in manumissione seruorum non tolli vnam potestatem ab alia, sed eiusdem iuris vim & potestatem esse, tam quæ seruitutem, quam quæ manumissionem inducit. *Quandiu aliquis in seruitute est*, (l. Libertin. D. de stat. hom.) *manui & potestati suppositus est: Et manumissus liberatur à Domini potestate: quæ res à iure Gentium originem sumpsit: vtpote cum iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita. Sed postquam iure Gentium seruitus ingenuitatem inuasit, secutum est beneficium manumissionis.*

Iubet Apostolus vt serui obediant *dominis carnalibus, cum timore & tremore*; Et sic diuini iuris est, vt serui dominis obediant; sed ciuilis tantummodo, & gentium iuris, vt dominos habeant, & serui sint. Non faciet igitur ius gentium ne serui dominis obsequi debeant, nam hoc esset ius diuinum euertere; sed faciet ne serui sint amplius, & per consequens nec huic diuino præcepto obnoxii, quod sancitum in seruos. At quoniam non est in iuris Gentium potestate, vt filii non sint amplius parentum suorum filii, nec realis illa relatio vlla legum constitutione corrumpitur; ideo emancipatione nulla, remedio iuris nullo, abrumpitur sacer nexus, quo lege diuina liberi reuerentiam, & obsequium parentibus debent.

Vides nullam potestatem ab alia tolli posse, nisi ab ea, quæ præsit in eodem genere potestatis; quod de Pontificis in Reges potestate non dixeris. Magnifica tamen iactatione pronuncias, Barclaium *nihil quod ad rem faciat, adhuc dixisse.* At tu quod ad errorem faciat, non parum.

§. 4.

ADDIT *postea Barclaius*, inquis, *aliam solutionem nihilo priore solidiorem. Praeterea. inquit, si quis locum illum Apostoli non limis oculis percurrerit, animaduertet eum id sibi negocii dare, vt ad Euangelicam perfectionem, quæ consilii magis, quam præcepti est, Christianos animos erudiat, cùm eos hortetur, vt potius iniuriam ferant, & fraudem patiantur, quam vt iudicia inter se habeant, &c.*

Respondeo. Cum Apostolus hortatur vt Christiani iudicia inter se non habeant, sed mansuetudine, & patientia occasiones iudiciorum præueniant, consilium perfectionis non præceptum iustitiæ docet: sed cum iubet, vt si iudicia inter se habuerint, ad iudices Christianos, non ad infideles causas suas deferant; tũ vero non consilium, sed præceptum dare se luculenter ostendit, cum ait, Audet aliquis vestrum negotium habens aduersus alterũ, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? & Contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandũ.

Non aliud quam creduli aut imperiti Lectoris spes tibi fecit huius responsi fiduciam. Multo enim apertius videtur Apostolus dare præceptum, cum iubet ne omnino Christiani litigent; quam cum iubet vt Iudices sibi deligant Christianos. Verba sunt præcipientis Christianos iudices constitui. *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Verba autem damnantis omnem litem: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Per Dei & hominum fidem, si quis dicat, *audet aliquis vestrum hoc facere?* alter autem, *omnino delictum est in vobis, quod hoc faciatis*; Vter apertius eos delicti & peccati damnauerit, qui hoc, quicquid sit, fecerint? nonne qui remotis ambagibus dixerit illud esse *delictum?* Multo igitur liquidius ex Apostoli colligas verbis esse delictum, si quis omnino litem instituat, quam si Christiani sibi Iudices non præficiant

Christianos. S. Ioannes Chrysostomus in hunc locum: *Ab initio quidem Apostolus non euertit iudicium*, inquit, *quod fit apud Sanctos. Postquam autem eos multis perculsit, tunc etiam omnino sustulit disceptare in iudicio.* En vt Apostolus ait esse *delictum*, seu, vt deinde vocat Chrysostomus, *crimen*, litigare; etiam coram Arbitris Christianis, quos præcepit constitui. Sed & illa iuoxit Chrysostomus. *Duplex est crimen*, inquit, *& quod iudicio contendis, & quod apud infideles.* Atqui *iudicio contendere*, quod *delictum* appellauit Apostolus, & Chrysostomus *crimen*; vltro concedis, nec delictum esse, nec crimen; sed perfectionis consilium ab Apostolo cõmendari, *pati iniuriam, lite & iudicio abstinere.* Cur alteram igitur partem, nimirum *apud infideles iudicari*, quam nõ atrocius appellat Chrysostomus, Paulus autem non disertis adeo verbis peccati insimulat, quæq; non alibi in Scripturis arguitur: sub præcepto ab Apostolo prohiberi contenderis, non autem voluntario perfectionis studio atque consilio? En quam luculenter aberraris, *luculentum* hic præceptum arbitratus agnoscere.

§. 5:

PERGIT *Barclaius*, inquis, *& omisso Bellarmino S. Thomam aggreditur, dicens: Quoniam autem singula persequimur, admonere oportet, D. Thomam in 2. 2. q. 10. art. 10 in ea opinione esse, vt existimet ius dominii, & prælationis Ethnicorum Principum iuste illis auferri posse per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ authoritatẽ Dei habentis, vt ille ait. D. Thoma magna apud me auctoritas est, sed non tanta, vt omnes eius disputationes pro canonicis scripturis habeam, vel vt rationẽ vincat aut legem. Eius ego manes veneror, & suspicio: sed ubi est tamen, cur illa eius opinione aliquis moueatur: tum quia nullam suæ sententiæ, vel rationem idoneam & efficacem, vel auctoritatem profert: tum etiam, quia in explicatione Epistolæ Pauli ad Cor. contrarium plane sentit: tum denique, quia neminẽ secum antiquorum Patrum consentientem habet, & rationes multæ, auctoritatesq; in contrarium suppetunt. Ratio autem, quam adfert, est, quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Mala ratio, & tanto viro indigna. quasi vero si quis meretur priuari officio, beneficio, dignitate, auctoritate aliove iure, quod possidet, idcirco statim spoliari possit ab alio, quã ab eo, à quo id accepit, retinetq;, vel ab alio expressum mandatũ. & potestatem ab ipso habente.*

Respondeo. Admiranda est huius Aristarchi importunitas, qui tam libere Principem Theologorum reprehendit, vt dicat, mala ratio, & tanto viro indigna: Cum ipse Iureconsultum se profiteatur, & S. Theologiæ adyta, ne à limine quidem salutauerit. Illud autem non miror, quod manes S. Thomæ se venerari dicat: nam liber eius vocabulis impropriis plenissimus est: Neq; enim spiritus huius sanctiss. Doctoris cum Diis manibus apud Inferos, sed cum Angelis apud superos æuo sempiterno fruitur. Quod vero Barclaius dicit, S. Thomæ sententiam nulla efficaci ratione esse munitam, falsum est; quamuis sit verum, vim rationis S. Thomæ ab ingenio Barclaii penetrari minime potuisse. Quod autem addit, eundem S. Thomam in Commentario Epistolæ ad Corin. contraria scripsisse, manifesta ignorantia Barclaium arguit. Siquidem in eo Commentario scribit quidem S. Thomas, esse contra ius diuinum prohibere, quod iudicio Principis infidelis non stetur, & subiectionem deberi Principibus etiam infidelibus: quæ verissima sunt; sed ex iis non sequitur, non esse in Ecclesia auctoritatem priuandi Principes infideles dominio, quod habeant super fideles: proinde ista non sunt contraria, Debetur subiectio Principi infideli, dum Princeps est: &, Potest Princeps infidelis priuari dominio, quod habet super fideles, per auctoritatem Ecclesiæ: Et Barclaius, qui ea contraria esse iudicat, vel Dialecticam non didicit, vel eius regulas obliuioni tradidit: quemadmodum etiam paulo infra, cum idem Barclaius dicit:

Et vero S. Thomas in expositione Epistolæ Pauli superius hoc capite relata, satis aperte indicat, Ecclesiam non habere eam auctoritatem, qua possit Ethnicos deponere: ait enim esse contra ius diuinum prohibere, ne Principum infidelium iudicio stetur à subditis. Manifeste hallucinatur, & fallitur: tametsi enim contra ius diuinum est, negare Principi obedientiam, dum Princeps est, non tamen est contra ius diuinum, quod Ecclesia potestatem habeat Principem deponendi: nam est etiam contra ius diuinum prohibere filios, ne parentibus obediant, dum sub patria potestate sunt; nec tamen est contra ius diuinum, quod aliquando filii eximantur à patria potestate, vt reipsa eximitur filiusfamilias, cum ad Episcopale fastigium euehitur.

Ioanes contumelias, quibus Barclaium oneras, plus risu, quam stomacho dignor ego Bellarmine; vt est illa, *librum eius vocabulis impropriis plenissimum esse*, cuius tamen elegantiam non æquabis, nisi vt senex Cato Græcis literis, ita tu tanta ætate Latinis inuigiles: Et illa, *vim rationis sancti Thomæ ab ingenio Barclaii penetrari minime potuisse*; cùm tamen ita S. Thomæ rationem penetrauerit, ita excusserit, vt nihil tu in contrarium, nisi nugas: Illa denique, Barclaium *sacræ Theologiæ adyta ne à limine quidem salutauisse*, quem scimus eximia diligentia SS. Patrum lectionem, & Theologiæ studium, Iuris cognitioni addidisse.

Sed ô scilicet rem dignam, inuenisti quam carperes: dixit nempe Barclaius, se manes beati Thomæ venerari: *Neque enim*, inquis, *spiritus huius sanctissimi Doctoris cum Diis manibus apud inferos, sed cum Angelis apud superos æuo sempiterno fruitur.* O te mystam Latini candoris! Quasi non ab antiquis manes dicti defunctorum omnium spiritus, siue illud omne hominis, quod post mortem adhuc viuit, & manet. Ita Poëta (Statius 12. Thebaid.)

——— Si manibus vlla
Effigies, restat que anima post membra soluta.

Neque inanes dictæ animæ, quod ad inferos crederentur descendere; sed inferi, manium locus & regio, quia putabantur illic manes, siue animæ, abire post mortẽ. Vnde & turpes illæ; & felices Elysii agri incolæ, vno nomine manes dicti; quod illa vox significaret omnes animas, quę à corporibus.

ribus excessissent. Sed finge Barclaium improprie, & ex antiquorum ritu loquutum: an hoc vero damnandum? Cur tu ergo proxima scribebas linea, *sacra Theologiæ adyta?* quæ sunt adyta Theologiæ, Bellarmine? hæc loquendi ratio nonne ex prophano & impio vsu Gentilium? qui ex antris siue adytis vim fatidicam credebant erumpere, qua vates incitati, qua concepta oracula? tunc transfers adyta ad diuinam scientiam; quasi & ex adytis emergant illius oracula. Ecce vt verborum libertatem in Barclaio damnas, tibi vero eandem, ceu Latii arbiter, facis.

Redis ad contumelias. Dicis illud *manifesta ignorantia Barclaium arguere*, quod scribat Sanctum Thomam *in comment. Epist. ad* Cor. huic suæ assertioni repugnare, qua *in 2.2.qu.10. art. 10.* tribuit temporalem Ecclesiæ potestatem in Reges. Tu vero ita Thomam Thomæ concilias; eum quidem in Commentario scripsisse, *esse contra ius diuinum prohibere, quod iudicio Principis infidelis non stetur, & subiectionem deberi Principibus etiam infidelibus. Sed ex iis*, inquis, *non sequitur non esse in Ecclesia auctoritatem priuandi Principes infideles dominio, quod habent super fideles.* Atque ita vis B. Thomam vbique sibi consonum in ista quæstione. Imo vero Bellarmine, aut sibi hic non consonus Thomas, aut inconcinno argumento vsus est. Nam cum sibi in illo Commentario obiecisset, *Sed videtur esse cōtra id, quod dicitur 1.Pet.2. Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. Pertinet enim ad auctoritatem Principis iudicare de subditis. Est ergo contra ius diuinum prohibere quod eius iudicio non stetur, si sit infidelis:* Ita soluit; nihil Apostolum ex auctoritate Principum eo facto delibasse. *Sed dicendum*, inquit, *quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti eorum iudicio compareant, si vocentur.* Ratio; *Hoc enim*, ait, *esset contra subiectionem, quæ debetur Principibus.* Quod quid aliud, quam dicere, Apostolum contra subiectionem Principibus debitam nil fecisse, *quia hoc fuisset contra ius diuinum facere?* At vero si est in Ecclesiæ manu Principibus infidelibus abrogare imperium (vt ipse alibi asserit) potuisset certe Apostolus Christianos liberare ab ea subiectione Ethnici tribunalis; nec debuisset B. Thomas dicere, *esse contra ius diuinum*, aliquid eiusmodi imperare. Nam si Principes omnino spoliari imperio per Ecclesiam possunt: cur non & imperii seu iurisdictionis parte? Fundamentum vestræ sententiæ est, commissam Ecclesiæ & Pontifici curam, vt caueret ne quid res spiritualis detrimenti caperet: posse igitur, cum est necessarium ad spirituale bonum, de temporalibus Principum iudicare, ipsis quoque Principibus temporalia abiudicare. Atqui tam necessarium esse potest, vt Princeps potestatis suæ parte, quam vt toto priuetur imperio. Ergo & hanc potestatem habet Ecclesia. Iura quoque concurrunt. *In eo*, inquit IC. (l. in eo quod plus. D. de regul. iuris.) *quod plus sit, semper inest minus*, & *In toto pars continetur*, (l. in toto & pars. 114. D. eod.) sic Pontifex (cap. cui licet. 53. de reg. iur. in 6.) *Cui licet quod est plus, licet vtiq; quod est minus*, & (cap. plus semper. 35. ibi.) *Plus semper in se continet quod est minus.* Quid plura? reuera à Pontificibus vsurpatum dicitis, vt quos Principes de omni Imperio nō deiiciebant, tamen aliqua ditionis parte priuarent. Hoc aperto in Leone Isaurico: de quo tu (lib. 5. de Pontif. c. 8.) *Quintum exemplum est*, inquis, *Gregorii II. qui Leoni Imp. Iconomacho à se excommunicato prohibuit vectigalia solui ab Italis, & proinde mulctauit eum parte Imperii.* Tu iterum sub Fr. Romuli nomine (cap. 18.) *Sic enim Ecclesia Leonem Isaurum Imperii parte, & Henricum IV. toto Imperio, & Childericum Regno Franciæ spoliandos esse iudicauit.* Ita Franciscus Victoria, Relect. 1. de potest. Eccles. sect. 6. num. 8. *Potest Pontifex non solum omnia quæ Principes seculares possunt; sed & facere nouos Principes, & tollere alios, & Imperia diuidere.* Et Nicolaus Sanderus libr. 2. de visib. Monarch. *Ex quo intelligitur*, inquit, *vel totum regnum, vel partem aliquam, ab iniquo Rege per spiritualem Ecclesiæ potestatem auferri posse.*

Ecce vt vestra sententia sequitur (neque negatis sequi) non modo Principes de Principatu posse per Ecclesiam deiici, sed & dum Principes manent, posse illis per Ecclesiam aliquid de Imperio & iurisdictione recidi. Si igitur vobiscum sensit Thomas, perperam dixit, contra ius diuinum esse vt iubeat Ecclesia aliquid fieri, quod sit contra subiectionem, quæ debetur Principibus; imo dicere debuit, hoc suo iure posse Ecclesiam; cui datum sit aut totum, aut partem potestatis malis Principibus abrogare: Si nobiscum vero sensit, tunc certe (vt optime Barclaius) sibi repugnat in *2.2.qu.10 art.10.* dū asserit, potuisse Ecclesiam abrogare infidelibus supra fideles imperium.

Sic tu perperam vt Thomam ostendas sibi in hac sententia non esse contrarium, has duas *propositiones* elicis; quasi id solum voluerit: *Debetur subiectio Principi infideli dum Princeps est.* Et, *potest Princeps infidelis priuari dominio, quod habet super fideles per auctoritatem Ecclesiæ.* Verius Thomæ sententias dedisses, in hæc verba; Ex iure diuino est, vt ne quidem vllam partem potestatis, quam Principes infideles super fideles habent, Ecclesia tollat, aut impediat, ita enim Thomas in *Comment. Epistola ad Corinth.* Et; Non solum parte potestatis, & iurisdictionis, super fideles, sed etiam tota iurisdictione & potestate, priuari per Ecclesiæ sententiam possunt Principes infideles; vt ait Thomas in *2.2.q.10.art.10.* Hæc si inter se non repugnant, expecto vt quid repugnet, edoceas.

Sed omnino indigna similitudo est, quam concinnas: *Nam est etiam*, inquis, *contra ius diuinum prohibere filios, ne parentibus obediant, dum sub patria potestate sunt; nec tamen est contra ius diuinum; quod aliquando filii eximantur à patria potestate, vt reipsa eximitur filiusfamilias, cū ad Episcopale fastigium euehitur.* Neq; enim aut Episcopalis dignitas, aut emancipatio aliqua, aut vllum omnino ius, legem Domini delibat, aut tollit, qua in parentes obsequium cultusq; præcipitur. Tollitur tantum hoc iure humano potestas illa patria, quæ à iure humano processerat, vt nos fusius hoc capite, §. 3.

§. 6.

*P*ORRO, inquis, *illa S. Thomæ ratio, infideles merentur ratione suæ infidelitatis potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios DEI: Ergo potest Ecclesia priuare Principes infideles dominio, quod habent super fideles: non est adeo debilis ratio, vt Barclaius dicit: sed vere debile argumentum est, quo S. Thomæ rationem Barclaius oppugnat: hoc est enim argumentum Barclaii, merentur infideles amittere potestatem super fideles, sed non potest eos potestate priuare, nisi qui dedit eam potestatem, aut qui mandatum expressum ab illo habeat. At Principes à Deo potestatem habent, & solo Deo sunt minores: ergo à solo Deo priuari potestate possunt: non autem ab Ecclesia, quæ neque dedit potestatem infidelibus, neque habet expressum mandatum Dei, quo illam auferre debeat, aut possit.*

Hoc, inquam, argumentum nullas vires habet: nam falsum est, Principes Politicos à solo Deo potestatem habere: habent enim illam à Deo, quatenus Deus instinctum naturalem in animis hominum inseuit, vt ab aliquo gubernari velint. Vt autem gubernentur homines à Regibus, vel à Consulibus; ab vno, vel à multis; à magistratu perpetuo, vel à temporario; ab hominum voluntate dependet: quemadmodum etiam quod iste sit Rex potius, quam ille, non Dei specialis iussio, sed hominum voluntas fecit: quare idem S. Thomas loco citato 2. 2. q. 10. artic. 10. & quæst. 12. art. 2. tanquam rem certam & exploratam ponit, dominia, & Principatus politicos, non esse de iure diuino, sed de iure humano: cui nemo doctus contradicit, neq; Barclaius contradiceret, si rationem, non passionem in consilium adhiberet. Præterea, etiamsi concederemus, Regem esse immediate constitutum à Deo, & ab illo solo potestatem habere, quod tamen non concedimus, adhuc argumentum Barclaii nihil officeret aduersus rationem S. Thomæ: responderet enim S. Thomas, Ecclesiam habere auctoritatem à Deo per suum Rectorem, & Pastorem auferendi potestatem, in certis casibus, illis, quibus Deus eam dedit: Summus enim Pontifex Vicarius Dei est, ac per hoc potestatem habet à Deo dispensandi, & mutandi in multis, secundùm voluntatem Dei, cuius ipse interpres est: hoc enim modo dispensat Pontifex in votis, & iuramentis, quæ Deus ipse iussit reddi, & quorum solutio de iure diuino est: dispensat autem non quod ipse sit super ius diuinum: sed quia interpretatur Deo placere, vt in tali, vel tali casu, iuramentum, aut votum relaxetur: quemadmodum & Apostolus ait in posteriore ad Corint. cap. 2. Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi. Vbi dicit, se in persona Christi condonasse Corinthio incestuoso pœnam, quam diuino iure, vel in hac vita vel in Purgatorio luere debuisset: atq; hoc est, quod S. Thomas in loco notato dicit, Ecclesiam habere auctoritatem Dei, qua Principes infideles priuare possit dominio, quod habent super fideles.

Prima responsionis tuæ pars omnino inanis est. Quid enim ad ius Pontificis, si Populus potestatem Principi dederit, aut si potest auferre? Argumentum est Barclaii, neminem posse Principibus, etiam potestate indignis, auferre potestatem, nisi qui dederit: non autem dedisse Pontificem, ergo &c. Tu ad populum curris: an vt in eius turba lateat infirmitas vestræ causæ? Dicis Regem *immediate* à populo constitui, non à Deo. At vero vt non solet à Deo immediate constitui, ita eo ipso quo Rex est, habet potestatem à Deo immediate venientem. Nec in eo, Pontificum causa dispar, & Regum, nam *quemadmodum quod iste sit Rex potius quam ille, non Dei specialis iussio, sed hominum voluntas fecit*: ita etiam, Bellarmine, *quod iste sit Pontifex potius quam ille, non DEI specialis iussio, sed hominum voluntas fecit*. Cæterum huic tuæ rationi de Populo, & instinctu sibi præficiendi Magistratum; S. quoque Thomæ docenti dominia de iure humano esse, iam supra respondimus *cap. 3. § 17. & cap. 5. §. 2.*

Tandem dicis, etiam si concederes Regem immediate à Deo constitui, non effici inde tamen, quin Pontifex ei possit Magistratum abrogare; quod nempe illius sit Dei voluntatem interpretari. At id nihil neque pro Thomæ ratione, neque in solutionem Barclaii. Ratio Thomæ est, *quia Principes infideles merentur amittere potestatem*, quam habent supra fideles. Hanc rationem si tueri cupiebas, probandum tibi erat, Ecclesiam posse infligere hominibus omnes pœnas quas merentur, quod omnino absurdum sit. Vt alia sileam: lethalis peccati omnis reus, dignus est morte æterna; quanto magis temporali? quis inde existimet posse Ecclesiam, quemlibet, etiam infidelem, ob vnumquodq; lethale peccatum, mortis aut æternæ, aut temporalis, pœna afficere? Quod igitur *Pontificis esse* dicis *interpretari Dei voluntatem*, *medium* prorsus est aliud, vt Scholæ verbis vtar; quo quidem ipsam Thomæ sententiam, nempe *posse priuari imperio Principes infideles* conaris asserere; sed non istam qua vtitur rationem, nimirum, *quia merentur*, *&c.* Et hic tamen te proprie illi rationi patronum asscripseras. Longe, inquam, aliud, *quia meruerunt abdicari*, & *quia Pontifex interpretatur Dei voluntatem esse vt abdicentur*.

Nihil quoque tu in Barclaium: Ait, Diui Thomæ rationem esse malam; quia etiam si quis mereatur dignitate, officio, alioue iure priuari, non priuari tamen potest, *nisi ab eo, à quo id accepit, vel ab alio expressum mandatum, & potestatem ab ipso habente.* Tu respondes, Pontificem esse interpretem diuinæ voluntatis. Quid ad hoc rem? Aut negandum fuerat, Bellarmine, *expressum mandatum* requiri in isto interprete diuinæ voluntatis, ad hoc vt quod Deus concessit, ipse auferat, aut probandum Pontificem expressum mandatum à Deo de Regibus abdicandis habere. Expressum requiri mandatum non ausus es ire inficias, imo vltro fateris, *cap. 5. § 2.* quod autem eiusmodi mandatum Pontifex acceperit, strictim tantum, & non nisi leuissimo sophismate ibi dicere ausus es; vt pluribus ostendimus, *cap. 5. §. 2.* sub finem. Quod si in liquidissima, si in certissima Dei præcepta hoc Pontifex potest, quod in isto posse vultis, nec ideo dicendus est ea tollere, sed *interpretari*; quidni & coniugem ad animi sui arbitrium atq; iudicium, possit à coniuge soluere? Neq; enim

ideo

ideo tollet hoc iussum, *quos Deus coniunxit, nemo separet*: sed interpretabitur esse DEI voluntatem vt hi vel vel illi iam amplius coniuges non sint. De cæteris Dei præceptis eadem ratio: si interpretari quidem potest, voluntatem Dei esse, vt Principes aliqui, quos constat legitimos esse Principes, & à Numine potestatem habere, iam Principes non sint, nec habeant amplius à Deo potestatem.

Quæ tu deinde de Pontificis potestate, in iuramentis, votisque soluendis: nihilo in Barclaium magis; Nam in laxandis illis, nihil aufert Pontifex à Deo datum hominibus, sed potius restituit, & remittit, quod homines Deo dederunt, condonat inquam debitum, quo quis iutat aut vouet, se Numini statim astringit. Ita Apostolus pœnas, quas Deo dare debuit Corinthius, in nomine Christi remittit, & hoc se *donare* dicit in persona Christi: at nullibi *in persona Christi* se aliquid cuiquam temporalis iuris auferre.

§. 7.

DEINDE *Barclaius, vt nihil intactum relinquat,* inquis, *carpit etiam illud, quod S. Thomas in eodem art. 10 quæst. 10. in 2. 2. dicit, Ecclesiam non semper vti iure suo in deponendis Principibus infidelibus, ad vitandum scandalum: quemadmodum Dominus soluit didrachma, ad quod non tenebatur, ne scandalizaret eos qui censum illum colligebant, & Apostolus admonet seruos obedire Dominis carnalibus, ne doctrina Domini blasphemetur.*

Non solum, inquit, Barclaius, propter scandalum abstinuit, vt putat Thomas eo loco, sed propter defectum potestatis, quia non erat Iudex infidelium, secundum illud Apostoli 1. Corinth. 5. Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? & quia Principes à Deo constituti solum Deum supra se iudicem habent, à quo solo deponi possunt, nec ad rem pertinet, quod Paulus dum iubet seruos Christianos Dominis suis infidelibus omnem honorem exhibere [illegible]*olum addit, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur.*

R[illegible]*o. Intolerabilis est huius morosi Censoris carpendi, & vellicandi libido: Sanctus enim Thomas cum ait Ecclesiam non vti suo iure propter scandalum: non addit particulam, solum: quare si sint etiam aliæ causæ, non ideo reprehendi debet Sanctus Doctor, qui vnam causam eamque verissimam attigit, & illam ipsam, quam in simili causa Christus ipse, & eius Apostolus attigerunt: nam neque Dominus dixit propter solum scandalum à se solutum fuisse didrachma, neque Apostolus iussit honorandos esse Dominos à seruis, ea solum de causa, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Quod autem addit Barclaius, Ecclesiam non habuisse potestatem vllam in Principes infideles, quia scribit Apostolus, Quid ad me de his, qui foris sunt iudicare? non est contra sanctum Thomam, qui in 2. 2. quæst. 12. art. 2. declarat hunc locum Apostoli intelligi de infidelibus, qui nunquam fidem receperunt, quatenus infideles sunt, non quatenus dominantur fidelibus: ob solam enim infidelitatem Ecclesia non potest infideles iudicare: quia ad eius regimen non pertinet. Sed quando dominantur fidelibus, & præsertim quando subditos fideles auertere conantur à fide: tunc Ecclesia ius habet illos priuandi dominio, quod habent super fideles. Sed non semper vtitur iure suo, vel quia vires non adsunt, vel ob scandalum euitandum. Quod vero dicit, Principes à Deo esse constitutos, & nullum præter Deum super se iudicem habere, antiqua est cantilena Barclaii vsque ad nauseam repetita, & in ipso capite, atque in superioribus refutata.*

Dicis B. Thomam non addidisse particulam *solum.* Non addidit quidem, sed hanc solum causam refert. *In illis vero infidelibus,* inquit, *qui temporaliter Ecclesiæ, vel eius membris non subiacent, prædictum ius Ecclesia non statuit, & hoc facit, ad scandalum vitandum.* Quid autem? an in hæc verba male Barclaius, *non solum propter scandalum,* inquit, *sed & propter defectum potestatis?* Sed quam tu ipse morosus censor sis, quantæ vellicandi libidinis, in simili prorsus negotio, supra ostēdimus, *cap. 3. §. 1.*

Atqui, inquis, & Christus dicit se ad scandalum vitandum didrachma soluere, & Apostolus dominos à seruis *honorandos,* ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Cum tamen & aliæ præter scandalum causæ essent, quamobrem Christus didrachma persolueret, & Apostolus dominos à seruis coli vellet. Hinc statuis, recte Thomam assignasse vnam ex pluribus causam, quare Ecclesia suo iure in infideles non vtatur. Quam hæc diuersa Bellarmine? Vera Domino causa fuit soluendi tributi, ne scandalo esset, hoc testatur ipse Christus, & in eum sensum Christi verba acceperunt interpretes: si aliæ causæ fuerunt, hæ certe remotæ, & plerumque allegoricæ. Apostolus quoque, cum seruos admoneret, causam addidit, quæ & toti Ecclesiæ communis sit, & apud illos præcipue valitura, qui recens in Christo geniti, Christo omnia & Ecclesiæ cōcedebant, *ne blasphemetur &c.* At hæc ratio D. Thomæ, non modo non *præcipua,* sed nec *vera,* cum etiamsi absque scandali periculo id Ecclesia potuisset, iure tamen & legitima potestate deficeretur. Recte igitur Barclaius, Ecclesia non *solum* propter scandalum (quod reuera esset ortum) sed & quia iure non poterat, nihil infidelibus abrogauit imperii.

Non autem de iure potuisse, duæ hic rationes Barclaio; Vna, quæ multis argumentis nititur, & hoc passim libro congestis, Principes à Deo habere potestatem; Deum quoq; supra se solum habere, qui eis potestatem abroget. Alia, quia Ecclesia non est iudex infidelium, secundū illud Apostoli (1. ad Cor. 5) *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* Huic auctoritati Apostoli sic respondes, B. Thom. illa verba, *quid mihi de iis &c.* intelligere, *de infidelibus qui nunquam fidem receperunt, quatenus infideles sunt, non quatenus dominantur fidelibus: ob solam enim infidelitatem Ecclesia non potest infideles iu-*

dicare, quia ad eius regimen non pertinent. Sed quando dominantur fidelibus, & præsertim quando subditos fideles conantur auertere à fide, tunc Ecclesia ius habet illos priuandi dominio, quod habent super fideles. Alienum sensum ab Apostolo, Bellarmine, nec ferendum: Neque is enim de infidelibus ibi tantum, quatenus infidelibus, sed expressè de iis, quatenus flagitiosis, & omni vitiorum genere Christianos oculos offendentibus. Verba sunt, *Fornicariis huius mundi, aut rapacibus, aut idolis seruientibus.* Mox de iis pronuntiat. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare? Et, nam eos qui foris sunt Deus iudicabit.* Præterea, quo tempore hæc scribebat Apostolus, Deumque non vero se, infidelium iudicem esse dicebat, *Infideles dominabantur fidelibus*, sed & *subditos fideles conabantur auertere à fide.* Sic vt nullo genere rationes tuæ constent, cum, inquam, ibi Apostolus, non de infidelibus vt infidelibus tantum, sed vt nefariis, & petulcioso Christianorum exemplo viuentibus, imo & de illis infidelibus, qui tunc fidelibus dominabantur. Neque vero Thomas habet Apostolum ibi loqui de infidelibus, tantum quatenus infideles sunt: non inquam excludit ab illis Apostoli verbis eos infideles, qui fidelibus dominantur, aut quatenus in alia præter infidelitatem labuntur flagitia, sed solos Apostatas. Audi illum: *Ad Ecclesiam autem*, inquit, *non pertinet punire infidelitatem in illis, qui nunquam fidem susceperunt, secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. 5. quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, &c.*

§. 8.

IN extremo capite, inquis, *Barclaius S. Thoma dimisso reuertitur ad Bellarminum, quem ex propriis scriptis conuincere se posse dicit, producit autem verba quædam ex lib. 2. cap. 29. de Summo Pontifice, vbi cum Alberto Pighio admittit Apostolos subiectos fuisse de iure, & de facto, Principib. infidelibus, in ciuilibus omnibus caussis: & Principes infideles non fuisse Apostolis subiectos, neque de iure, neque de facto. Ex quo lo[...]ducit Barclaius, Bellarminum sensisse, non habuisse illis temporibus Ecclesiam ius vllum ad deponendos [...]cipes infideles.*

Respondeo. Iam in recognitione scriptorum meorum admonui, improbabilem esse sententiam Pighii, quam ego quoque olim secutus fueram, & cum melioribus Doctoribus sentiendum esse, Apostolos de iure exemptos fuisse ab omni subiectione Principum terrenorum. Sed quamuis etiam vera esset sententia Pighii, non tamen sequeretur, non habuisse tunc Ecclesiam ius priuandi Principes infideles dominio quod habebant super fideles. Diceret enim Pighius, Ecclesiam, & ipsos Apostolos subiectos fuisse Principibus infidelibus, quamdiu Principes erant: sed si ab Ecclesia auctoritatem Dei habente priuati fuissent, tunc demum non fuisse amplius de iure subiectos. Nam & populus subiectus est Regi, quamdiu regnat, sed si ab alio Rege victus in prælio, regnare desierit, non amplius illi subiectus erit.

Satis ante disputatum quam nulla ratione, Bellarmine, à veteri tua recesseris, Pighiique sententia. Iam hic ducis, nec per illam sententiam posse concludi, Principes ab Ecclesia non posse priuari dominio &c. *Diceret enim Pighius*, inquis, *Ecclesiam, & ipsos Apostolos, subiectos fuisse Principibus infidelibus, quamdiu Principes erant: sed si ab Ecclesia Dei auctoritatem habente priuati fuissent, tunc demum non fuisse amplius de iure subiectos.* Dic porro, Bellarmine, Pontifex, qui in eos Principes sententiam protulisset, nonne subiectus illis erat? certe non negat Pighius. Qui autem illis ludi? Pontifex & Pastores Ecclesiæ instar cæterorum ciuium subsunt Principibus infidelibus, possunt tamen iudicare (& illorum iudicio standum est) de ipsis Principibus: vt si illis visum fuerit, non se modo ab eiusmodi Principibus liberent, sed & illis omni in Christianos potestate interdicant. Quæ, inquam, illæ nugæ, quæ omnis iuris peruersio? quis verius dominabitur? An Rex subditis, qui possunt subiectionis iugum excutere; An subditi Regi, cui vbi videbitur possunt regnum auferre? Vtri alios diligentius verebuntur, aut colent? ciues Regem, cuius regnum ex illorum pendet iudicio, an Rex ciues, quorum est iudicium quatenus ipsi parere debeant, aut ille imperare?

Sed & inepta est subtilitatis istius fraus, *Si ab Ecclesia*, inquis *auctoritatem Dei habente priuati fuissent:* quasi dicas, postquam priuati sunt. Præpostere in illud tempus excurris. Vide primum de tempore, quo priuantur. *Ecclesia*, inquis, *& Apostoli subiecti erant Principibus infidelibus, quamdiu Principes erant.* Dic igitur, quis facere poterat ne amplius Principes essent? eadem *Ecclesia*, inquis, *auctoritatem Dei habens.* Quid autem per hanc Ecclesiam intelligis? certe eosdem Pontifices, Apostolos, Christianos, qui subiecti Principibus illis erant, Quæ hæc rerum confusio, Bellarmine? Ergo Imperatores à DEO potestatem acceperant, vt illam Ecclesiam in temporalibus iudicarent; & Ecclesia etiam à Deo potestatem acceperat, vt illos Imperatores in temporalibus iudicaret? Si aliquos saltem velles, Imperatori non subditos, ad ferendam abdicationis in Imperatorem sententiam, fuisse idoneos, tunc comptior paulo esset calliditatis vestræ hæc larua; Si per alios, inquam, velles, quam per eandem Ecclesiam & Apostolos, qui subiecti Regi erant, ius regium illi Regi potuisse auferri. Sed eosdem vis, ex Pighii sententia, fuisse subiectos Principi, & potuisse Principi auferre imperium. Quæ quam ipsi naturæ, quam ordini rerum, quam humano repugnent sensui, næ vel cæcæ mentes vident.

§. 9.

§. 9.

ADDVCIT *postremo Barclaius*, inquis, *aliud Bellarmini dictum in eodem lib. 2. de Pontif. cap. 29. Quod videlicet, iudicare, punire, deponere, ad superiorem tantum pertinet. Quod quidem dictum verissimum est. Sed tamen ex eo Barclaius secundum dialecticam suam hunc syllogismum texit. Subiecti non possunt iure iudicare, punire deponere superiorem: Atqui omnes Christiani erant subiecti Neroni, Diocletiano, & cæteris Imperatoribus, & Regibus Ethnicis: ergo non poterant eiusmodi Imperatores, & Reges deponere. Propositio concessa est, itemq; subsumptio, & certissima veritate nituntur: conclusio autem ex antecedentibus necessaria consecutione pendet, atque ex diametro opponitur ei, quod dixit Bellarminus, Christianos olim iure potuisse deponere Neronem, Diocletianum, &c. sed quia viribus temporalibus deficiebantur, eo consilio abstinuisse: falsum igitur illud est, & reprehensione dignum: siquidem aientia & negantia simul vera esse nequeunt. Hinc etiam patet falsitas opinionis D. Thomæ, quam supra hoc capite refutauimus.*

Respondeo. Magnus omnino Magister in arte dialectica Barclaius est, qui vnico syllogismo non solum Bellarminum prostrauit, sed S. Thomam etiam, qui Doctoris Angelici cognomento ob eximium sapientiæ splendorem merito celebratur. Ad syllogismum eius in forma sic Respondeo. Propositio illa, Subiecti non possunt iure deponere superiores, vera est, sed deberet esse vniuersalis, vt syllogismus legitimus esset: & præterea intelligi debet formaliter, id est subiectus vt subiectus, siue quamdiu subiectus est, non potest deponere superiorem, vt superiorem, siue quamdiu superior est. Assumptio autem illa, omnes Christiani erant subiecti Neroni, Diocletiano &c. falsa est, quoniam Apostoli, eorumque successores, qui Principes erant spirituales, non erant iure subiecti Regibus terrenis. Deinde populus Christianus, etiamsi alioquis subiectus esset Regibus, & Imperatoribus infidelibus, tamen in casu periculi amittendæ fidei diuinæ, poterat iure iustæ defensionis excutere iugum Principis infidelis: præsertim si Ecclesia per summos Pontifices ita faciendum esse censuisset. Ex his sequitur conclusionem Barclaii esse manifeste falsam, & doctrinam S. Thomæ ac Bellarmini, qui S. Thomam secutus est, esse verissimam.

Imo tu *magnus omnino magister*, si hoc Barclaii argumentum ex arte exolueris. Quid tu ad propositionem? *Subiecti non possunt iure iudicare, punire, vel deponere superiorem.* Dicis veram esse *sed debere esse vniuersalem, vt syllogismus legitimus sit.* Quasi vniuersalis non sit. Ipse dicis (lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 29.) *Non tamen licet* (Pontificem) *iudicare, vel punire, vel deponere, quod non est nisi superiorum.* Scribis hic etiam, *subiectus, quamdiu subiectus est, non potest deponere superiorem.* Cur igitur vniuerse dici non possit, superiores eius conditionis esse, vt à subditis *iudicari, puniri, deponi non possint?*

Addis, *& præterea intelligi debet formaliter, id est subiectus vt subiectus, siue quamdiu subiectus est, non potest deponere superiorem vt superiorem, siue quamdiu superior est.* Quæ in hæc importuna verborũ confusio? An est idem, Bellarmine, *vt subiectus*, & *quamdiu subiectus*, an est idem, *vt superior*, & *quamdiu superior?* At hæc tamen omnino eadem esse fingis. Dicis enim, *vt subiectus, siue quamdiu subiectus*, &c, *vt superior, siue quamdiu superior est.* Sed hæc ipsa etiam in te pugnant. Nam si superior, quamdiu est superior non potest deponi à subdito, & semper est superior antequam sit depositus: dic quæso quo tempore, quoue modo, possit eum subditus deponere? Nam quamdiu ille non est depositus, tamdiu est superior: nec subditus potest eum deponere, quia est adhuc subditus, & *quamdiu subditus est*, inquis, *non potest deponere superiorem.*

Neque aptius etiam dicis, *formaliter vt subiectus*, siue quatenus subiectus. Licet enim, qui subiectus est considerari possit aliter, quam vt subiectus, puta vt homo, vt diues, vt parens, vt Clericus, vt Laicus &c. non considerari tamen potest sub vlla ratione, quæ subiectionem illam & formalitatem destruat: alioqui non modo non consideraretur vt subiectus, sed omnino vt non subiectus. Nec igitur sub illa formalitate tantum qua quis subiectus est, sed vniuerse & simpliciter qui subiectus est, superiorem non potest iudicare, deponere.

Veniamus ad assumptionem. *Atqui*, inquit Barclaius, *omnes Christiani erant subiecti Neroni, Diocletiano, & cæteris Imperatoribus ac Regibus Ethnicis.* Dicis, hanc assumptionem falsam esse, *quoniam Apostoli, eorumque successores, qui Principes erant spirituales, non erant iure subiecti Regibus terrenis.* Imo nihil assumptione verius, vt sæpius disseruimus: & tu ipse ad grauem senectutem professus es: licet ante biennium ab ea recesseris, non ratione vlla compulsus, non iusto argumento, vt ante ostendimus (*cap. 3 §. 11 & ca. 16 §. 1.*) Denique hic probandum suscepisti, ne ea quidem admissa sententia aliquid sequi contra potestatem temporalem Pontificis. Ita enim eu superiori paragrapho, *sed quamuis vera esset sententia Pighii, non tamen sequeretur non habuisse tunc Ecclesiam ius priuandi Principes infideles dominio, quod habent super fideles.*

Quod addis, *Deinde populus Christianus, etiamsi alioqui subiectus esset Regibus, & Imperatoribus infidelibus, tamen in casu periculi amittendæ fidei diuinæ, poterat iure iusta defensionis excutere iugum Principis infidelis.* Iam non pro Pontificis pugnat, sed pro populi potestate. At nec ista suo loco obiicis, nihil hæc enim in argumenti assumptionem de qua iam agimus, quæ est, *Atqui omnes Christiani erant subiecti Neroni &c.* Debebas hæc in propositionem dicere, quam sic concepit Barclaius, *Subiecti non possunt iure iudicare, punire, vel deponere superiorem.* Sed id agis, opinor, vt responsione confusa argumentum ipsum turbes. Et quidem dum propositioni illi respondes *subiecti non possunt &c.* penitus es contrarius istis subterfugiis quæ iam in assumptionem inuenisti. Ibi quippe absolute fateris subiectos quãdiu sunt subiecti, nõ posse *iudicare, punire, deponere superiorẽ.* Hic dicis

Christia-

§. 8.

SED *contradicit Barclaius,* inquis, *atque ait: Nihil iubet Apostolus eo loco, quod Iudicum infidelium iurisdictionem, & imperium in Christianos aut tollat, aut minuat, aut ei aliquo modo præiudicet. Imo vere nihil contra eiusmodi subiectionem iuste iubere potuit, cum sit iuris naturalis, Dei auctoritate confirmati, vt teste Ambrosio, ipsemet Apostolus docet ad Rom. 13.*

Respondeo. Non præiudicat Apostolus per illam iudicum Christianorum constitutionem iurisdictioni, & Imperio Principum infidelium; quoniam non iubet Christianis, vt nō compareant coram iudice infideli, si vocentur: sed tantum præcipit, vt sponte non accedant. Sed quod non potuerit Apostolus eximere Christianos à subiectione Principum infidelium, si id vtile, vel necessarium censuisset, & vires ad perficiēdum habuisset, id sine graui errore dici non posse arbitror: & ratio, quam pro sua sententia Barclaius profert, omnino infirma est. Nam iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati est, vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: sed non est iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati, vt non possit sublimior potestas per aliam sublimiorem tolli de medio, & per hoc fieri, vt ei subiectio, & obedientia non amplius debeatur. Siquidem Magistratuum quoq; inferiorum potestati iure diuino parendum est, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: & tamen potest Magistratus inferior per Principem tolli, aut mutari, & tunc personæ illi, cui Magistratus abrogatus est, nemo iam subiectionem, aut obedientiam debet. Sic etiam cum Rex, vel à spirituali suprema potestate in casu hæresis, vel ab alio Rege in casu victoriæ de solio deponitur, non amplius ad illum pertinet, quod Apostolus ait, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Idem dici potest de patria & despotica potestate: nam iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati ad Ephes. 6. est, vt filii obediant parentibus, & serui dominis; & tamen filii emancipari, & serui libertate donari possunt, & per hoc fieri potest, vt nec illi parentibus, nec isti dominis suis obedire teneantur. Itaq; nisi Barclaius naturalis iuris à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati esse demonstret, vt Principes seculares, siue fideles, siue infideles, in certis casibus, per Ecclesiasticam auctoritatem deponi non possint; nihil quod ad rem faciat, adhuc dixit, quantumuis multis verbis sæpe, ac sæpius repetitis, sententiam suam in hoc capite persuadere conatus sit.

Iam ab argumento transis ad aliud; imo das manus. Fateris *nō præiudicasse Apostolum per illam Iudicum Christianorum constitutionem, iurisdictioni & imperio Principum infidelium,* quid ergo magis insipidum, Bellarmine, quam deducere ex eo Apostoli facto, potuisse Ecclesiam (vt modo dicebas) omnem iurisdictionem & imperium infidelibus abrogare Principibus? quis inquam, tam futilis consequentiæ ferat errorem?

Venis ad verba Barclaii, asserentis *nihil contra eiusmodi subiectionem iuste iubere potuisse Apostolū, cum sit iuris naturalis Dei auctoritate confirmati, vt teste Ambrosio ipsemet Apostolus docet ad Roman. 13.* Tu hoc inter graues errores ponis; quia, inquis, *non est iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati, vt non possit sublimior potestas per aliam sublimiorem tolli de medio; & per hoc fieri, vt ei subiectio & obedientia non amplius debeatur:* Non cessabis à sophismatis? certe sublimis potestas, per aliam potest tolli; quæ sit in eodē potestatis genere sublimior, & à qua ista minus sublimis dependeat. Nec aliud exemplo tuo probas. Dicis enim Magistratum inferiorem *per Principem tolli aut mutari posse.* Licet illi quamdiu Magistratus est, *iure diuino parendum sit.* At vero Magistratus inferior, Bellarmine, à Principe potest tolli, quia ea conditione ab ipso Principe constituitur, vt possit destitui: quia, inquam, Princeps est eodem potestatis genere Magistratu superior; imo quia Magistratui illi, neque iure diuino, neq; humano parendum est, nisi quatenus Princeps iubet; adeo vt in inferioris Magistratus persona ipsum Principem veneremur, ipsi Principi obsequamur. Quid vero simile in Pontifice, atq; Rege? Num potestas politica vim habet à Pontifice? certe negas. Num Pontificis potestas in eodem genere sublimior est potestate Principum? Negas quoque. Vis enim nullam temporalem potestatem sublimiorem esse regia. Quo ergo hoc tam alienæ calliditatis argumentum? quasi vero potestates sublimiores, id est, quæ ex natura sua excellētiores & potentiores sunt, hoc ipso quod tales sunt, alias non adeo excellentes, sed quæ alterius sunt generis, possint suo iure extinguere. Conestablum, seu Principem exercitus, quis exiguo aliquo, & municipali Iudice sublimiorem neget? nō potest illi tamen abrogare magistratum; quia in latissima rei militaris potestate, quam à Rege accepit, hæc in exiguum istum Iudicem potestas nusquam inest. Quam igitur tu inicite, *Sic etiam,* inquis, *cum Rex, vel à spirituali suprema potestate in casu hæresis, vel ab alio Rege in casu victoriæ de solio deponitur, non amplius ad illum pertinet, quod Apostolus ait, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Atqui suprema spiritualis potestas alias potestates non potest destruere, quam inferiores spirituales. Nec aliud supra probasti; cum vt doceres sublimiorem potestatem in inferiorem ius habere, vsus es Magistratus exemplo à Rege constituti, id est, supremæ temporalis potestatis, minorem temporalem potestatem abrogantis.

De Rege quem alterius Regis victoria deturbarit à regno, alienum prorsus exemplum. Neque enim victor Rex iure alio quam victoriæ, quod est iuris gentium, principatum victo aufert, vt in eo non Regem, sed victorem valere intelligas. *Ius enim gentium omni humano generi commune est;* bellum autem *iuris est gentium* (l. 1. D. de iustit. & iur.) *& ea quæ ex hostibus capimus, iure gentium statim nostra fiunt. (l naturalem. D de acqu. r. rer. dom.)* Non aliud igitur hoc exemplo collegeris, quam sublimem potestatem per aliam in eodem genere sublimiorem posse euerti. Nam qui inter se bellum gerunt, eodē potestatis genere, nempe temporali eminēt, & victor de facto sublimior est victo, de iure etiam, cùm possessas victi & edomiti Principis facultates ius omnium gentium victori concedat.

Sed

Sed in iis quæ sequuntur, luculentius aberrasti. Ais, *Idem dici potest de patria & despotica potestate: nam iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati ad Ephes 6. est, vt filii obediant parentibus, & serui dominis: & tamen filii emancipari, & serui libertate donari possunt; & per hoc fieri potest, vt nec illi parentibus, nec isti dominis suis obedire teneantur.* Quid hic autem audio? an iuris naturalis & diuini præceptum, de obediendo parentibus, emancipatione, id est, iure humano & ciuili, tolli potest; *vt nec filii parentibus suis obedire teneantur?* ô vocem mirandæ libertatis! Apostolus docet *(ad Ephes. 6.)* id obsequium in parentes ex Decalogi esse præcepto. Diuinam vero legem, Bellarmine, putas ciuili constitutione posse euerti, aut tolli? Aufer à Christianis auribus Philosophiam tam licentem; quam tamen ne tibi videar affingere, ecce tua in eundem sensum verba (infra cap. 26.) *Siquidem iuris diuini est*, inquis, *non solum vt populus obediat Regi, sed etiam vt filii obediant patri, serui domino, vxores maritis; & tamen si filius emancipetur, & seruus libertate donetur, & vxor per diuortium aut repudium à marito separetur, non amplius tenentur lege illa diuina.*

Scias igitur in liberis duo spectanda; primum, naturale, diuinumq; præceptum, obsequendi parentibus, deinde ciuilis iuris vinculum, quod eos sub parentum manu ponit, apud alias & alias gentes nunc mollius; nunc vero seuerius. Apud illas istaue diuerse cauetur, vt parentibus in liberos vitę necisq; potestas sit, ne matrimonium iniussu parentum liberi contrahant, ne huic aut illi contractui apti sint, ne quid sibi possint acquirere; & quæ alia iura passim Gentes cōstituunt. Huic ciuili vinculo ciuile remedium quæsitum est, emancipatio; qua liberi ex iusta ciuili potestate parentum exirent. Neq; tunc *vna potestas sublimior, ab alia sublimiore tollitur*, quod tu quæris, sed vna & eadem potestas est quæ dissoluit, quod ante ligauerat; nimirū ciuile ius, quod eatenus à patria potestate soluit liberos, quatenus illos eidem astrinxerat. *Nihil tam naturale est*, (Vlp. l. Nihil tam naturale 36. D. de reg. iuris) *quam eodem genere quodq; dissoluere, quo colligatum est.* Sed post emancipationem, Bellarmine, manebat apud Ethnicos naturale vinculum; & apud Christianos præceptum Numinis, manet huic naturali legi accedens, vt sibi parentibus obsequantur.

Sic & seruitus & manumissio, cùm non naturalis iuris sint, sed Gentium; sequitur in manumissione seruorum non tolli vnam potestatem ab alia, sed eiusdem iuris vim & potestatem esse, tam quæ seruitutem, quam quæ manumissionem inducit. *Quandiu aliquis in seruitute est*, (l. Libertin. D. de stat. hom.) *manui & potestati suppositus est: Et manumissus liberatur à Domini potestate: quæ res à iure Gentium originem sumpsit: vtpote cum iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita. Sed postquam iure Gentium seruitus ingenuitatem inuasit, secutum est beneficium manumissionis.*

Iubet Apostolus vt serui obediant *dominis carnalibus, cum timore & tremore*; Et sic diuini iuris est, vt serui dominis obediant; sed ciuilis tantummodo, & gentium iuris, vt dominos habeant, & serui sint. Non faciet igitur ius gentium ne serui dominis obsequi debeant, nam hoc esset ius diuinum euertere; sed faciet ne serui sint amplius, & per consequens nec huic diuino præcepto obnoxii, quod sancitum in seruos. At quoniam non est in iuris Gentium potestate, vt filii non sint amplius parentum suorum filii, nec realis illa relatio vlla legum constitutione corrumpitur; ideo emancipatione nulla, remedio iuris nullo, abrumpitur sacer nexus, quo lege diuina liberi reuerentiam, & obsequium parentibus debent.

Vides nullam potestatem ab alia tolli posse, nisi ab ea, quæ præsit in eodem genere potestatis; quod de Pontificis in Reges potestate non dixeris. Magnifica tamen iactatione pronuncias; Barclaium *nihil quod ad rem faciat, adhuc dixisse.* At tu quod ad errorem faciat, non parum.

§. 4.

ADDIT *postea Barclaius*, inquis, *aliam solutionem nihilo priore solidiorem. Præterea, inquit, si quis locum illum Apostoli non limis oculis percurrerit, animaduertet eum id sibi negocii dare, vt ad Euangelicam perfectionem, quæ consilii magis, quam præcepti est, Christianos animos erudiat, cùm eos hortetur, vt potius iniuriam ferant, & fraudem patiantur, quam vt iudicia inter se habeant, &c.*

Respondeo. Cum Apostolus hortatur vt Christiani iudicia inter se non habeant, sed mansuetudine, & patientia occasiones iudiciorum præueniant, consilium perfectionis non præceptum iustitiæ docet: sed cum iubet, vt si iudicia inter se habuerint, ad iudices Christianos, non ad infideles causas suas deferant; tū vero non consilium, sed præceptum dare se luculenter ostendit, cum ait, Audet aliquis vestrum negotium habens aduersus alterū, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? & Contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandū.

Non aliud quam creduli aut imperiti Lectoris spes tibi fecit huius responsi fiduciam. Multo enim apertius videtur Apostolus dare præceptum, cum iubet ne omnino Christiani litigent; quam cum iubet vt Iudices sibi deligant Christianos. Verba sunt præcipientis Christianos indices constitui. *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Verba autem damnantis omnem litem: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Per Dei & hominum fidem, si quis dicat, *audet aliquis vestrum hoc facere?* alter autem, *omnino delictum est in vobis, quod hoc faciatis*; Vter apertius eos delicti & peccati damnauerit, qui hoc, quicquid sit, fecerint? nonne qui remotis ambagibus dixerit illud esse *delictum?* Multo igitur liquidius ex Apostoli colligas verbis esse delictum, si quis omnino litem instituat, quam si Christiani sibi Indices non præficiant

Christianos. S. Ioannes Chrysostomus in hunc locum: *Ab initio quidem* Apostolus *non exercuit iudicium*, inquit, *quod fit apud Sanctos. Postquam autem eos multis perculsit, tunc etiam omnino sustulit disceptare in iudicio.* En vt Apostolus ait esse *delictum*, seu, vt deinde vocat Chrysostomus, *crimen*, litigare; etiam coram Arbitris Christianis, quos præcepit constitui. Sed & illa iunxit Chrysostomus: *Duplex est crimen*, inquit, *& quod iudicio contendit, & quod apud infideles.* Atqui *iudicio contendere*, quod *delictum* appellauit Apostolus, & Chrysostomus *crimen*; vltro conceedis, nec delictum esse, nec crimen; sed perfectionis consilium ab Apostolo cõmendari, *pati iniuriam, lite & iudicio abstinere.* Cur alteram igitur partem, nimirum *apud infideles iudicari*, quam nõ atrocius appellat Chrysostomus, Paulus autem non disertis aden verbis peccati insimulat, quæq; non alibi in Scripturis arguitur: sub præcepto ab Apostolo prohiberi contenderis, non autem voluntario perfectionis studio atque consilio? En quam luculenter aberratis, *luculentum* hic præceptum arbitratus agnoscere.

§. 5.

PERGIT *Barclaius*, inquis, *& omisso Bellarmino S. Thomam aggreditur, dicens: Quoniam autem singula persequimur, admonere oportet, D. Thomam in 2. 2. q. 10. art. 10 in ea opinione esse, vt existimet ius dominii, & prælationis Ethnicorum Principum iuste illis auferri posse per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ authoritatē Dei habentis, vt ille ait. D. Thoma magna apud me auctoritas est, sed non tanta, vt omnes eius disputationes pro canonicis scripturis habeam, vel vt rationē vincat aut legem. Eius ego manes veneror, & suspicio: sed nõ est tamen, cur illa eius opinione aliquis moueatur: tum quia nullam suæ sententiæ, vel rationem idoneam & efficacem, vel auctoritatem profert: tum etiam, quia in explicatione Epistolæ Pauli ad Cor. contrarium planè sentit: tum deniq; quia neminē secum antiquorum Patrum consentientem habet, & rationes multæ, auctoritatesq; in contrarium suppetunt. Ratio autem, quam adfert, est, quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Mala ratio, & tanto viro indigna: quasi vero si quis meretur priuari officio, beneficio, dignitate, auctoritate aliove iure, quod possidet, idcirco statim spoliari possit ab alio, quã ab eo, à quo id accepit, retinetq; vel ab alio expressum mandatũ & potestatem ab ipso habente.*

Respondeo. Admiranda est huius Aristarchi importunitas, qui tam libere Principem Theologorum reprehendit, vt dicat, mala ratio, & tanto viro indigna: Cum ipse Iureconsultum se profiteatur, & S. Theologiæ adyta, ne à limine quidem salutauerit. Illud autem non miror, quod manes S. Thomæ se venerari dicat: nam liber eius vocabulis improprijs plenissimus est: Neq; enim spiritus huius sanctiss. Doctoris cum Diis manibus apud inferos, sed cum Angelis apud superos æuo sempiterno fruitur. Quod vero Barclaius dicit, S. Thomæ sententiam nulla efficaci ratione esse munitam, falsum est; quamuis sit verum, vim rationis S. Thomæ ab ingenio Barclaii penetrari minime potuisse. Quod autem addit, eundem S. Thomam in Commentario Epistolæ ad Corin. contraria scripsisse; manifestæ ignorantiæ Barclaium arguit. Siquidem in eo Commentario scribit quidem S. Thomas, esse contra ius diuinum prohibere, quod iudicio Principis infidelis non stetur, & subiectionem deberi Principibus etiam infidelibus: quæ verissima sunt; sed ex iis non sequitur, non esse in Ecclesia auctoritatem priuandi Principes infideles dominio, quod habent super fideles: proinde ista non sunt contraria, Debetur subiectio Principi infideli, dum Princeps est: &, Potest Princeps infidelis priuari dominio, quod habet super fideles, per auctoritatem Ecclesiæ: Et Barclaius, qui ea contraria esse iudicat, vel Dialecticam non didicit, vel eius regulas obliuioni tradidit: quemadmodum etiam paulo infra, cum idem Barclaius dicit:

Et vero S. Thomas in expositione Epistolæ Pauli superius hoc capite relata, satis aperte indicat, Ecclesiam non habere eam auctoritatem, qua possit Ethnicos deponere: ait enim esse contra ius diuinum prohibere, ne Principum infidelium iudicio stetur à subditis. Manifeste hallucinatur, & fallitur: tametsi enim contra ius diuinum est, negare Principi obedientiam, dum Princeps est, non tamen est contra ius diuinum, quod Ecclesia potestatem habeat Principem deponendi: nam est etiam contra ius diuinum prohibere filios, ne parentibus obediant, dum sub patria potestate sunt; nec tamen est contra ius diuinum, quod aliquando filii eximantur à patria potestate, vt eo ipso eximitur filiusfamilias, cum ad Episcopale fastigium euehitur.

Inanes contumelias, quibus Barclaium oneras, plus risu, quam stomacho dignor ego Bellarmine; vt est illa, *librum eius vocabulis improprijs plenissimum esse*, cuius tamen elegantiam non æquabis, nisi vt senex Cato Græcis literis, ita tu tanta ætate Latinis inuigiles: Et illa, *vim rationis sancti Thomæ ab ingenio Barclaii penetrari minime potuisse*; cùm tamen ita S. Thomę rationem penetrauerit, ita excusserit, vt nihil tu in contrarium, nisi nugas: Illa denique, Barclaium *sacræ Theologiæ adyta ne à limine quidem salutauisse*, quem scimus eximia diligentia SS. Patrum lectionem, & Theologiæ studium, Iuris cognitioni addidisse.

Sed ô scilicet rem dignam, inuenisti quam carperes: dixit nempe Barclaius, se manes beati Thomæ venerari: *Neque enim*, inquis, *spiritus huius sanctissimi Doctoris cum Diis manibus apud inferos, sed cum Angelis apud superos æuo sempiterno fruitur.* O te mystam Latini candoris! Quasi non ab antiquis manes dicti defunctorum omnium spiritus, siue illud omne hominis, quod post mortem adhuc viuit, & manet. Ita Poëta (Statius 12. Thebaid.)

—— Si manibus vlla
Effigies, restantque animæ post membra soluta.

Neque inanes dictæ animæ, quod ad inferos crederentur descendere; sed inferi, manium locus & regio, quia putabantur illuc manes, siue animæ, abire post mortē. Vnde & turpes illæ; & felices Elysii agri incolæ, vno nomine manes dicti; quod illa vox significaret omnes animas, quę à corporibus

ribus excessissent. Sed finge Barclaium improprie, & ex antiquorum ritu loquutum: an hoc vero damnandum? Cur tu ergo proxima scribebas linea, *sacra Theologiæ adyta?* quæ sunt adyta Theologiæ, Bellarmine? hæc loquendi ratio nonne ex prophano & impio vsu Gentiliom? qui ex antris siue adytis vim fatidicam credebant erumpere, qua vates incitati, qua concepta oracula? nunc transfers adyta ad diuinam scientiam; quasi & ex adytis emergant illius oracula. Ecce vt verborum libertatem in Barclaio damnas, tibi vero eandem, ceo Larii arbiter, facis.

Redis ad contumelias. Dicis illud *manifesta ignorantia Barclaium arguere*, quod scribat Sanctum Thomam *in comment. Epist. ad Cor.* huic suæ assertioni repugnare, qua *in 2.2.qu.10. art. 10.* tribuit temporalem Ecclesiæ potestatem in Reges. Tu vero ita Thomam Thomæ concilias; enm quidem in Commentario scripsisse, *esse contra ius diuinum prohibere, quod iudicio Principis infidelis non stetur, & subiectionem deberi Principibus etiam infidelibus. Sed ex iis*, inquis, *non sequitur non esse in Ecclesia auctoritatem priuandi Principes infideles dominio, quod habent super fideles.* Atque ita vis B. Thomam vbique sibi consonum in ista quæstione. Imo vero Bellarmine, aut sibi hic non consonus Thomas, aut incoocinno argumento vsus est. Nam cum sibi in illo Commentario obiecisset, *Sed videtur esse cōtra id, quod dicitur 1. Pet. 2. Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. Pertinet enim ad auctoritatem Principis iudicare de subditis. Est ergo contra ius diuinum prohibere quod eius iudicio non stetur, si sit infidelis:* Ita soluit; nihil Apostolum ex auctoritate Principum eo facto delibasse. *Sed dicendum*, inquit, *quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti eorum iudicio compareant, si vocentur.* Ratio; *Hoc enim*, ait, *esset contra subiectionem, quæ debetur Principibus.* Quod quid aliud, quam dicere, Apostolum contra subiectionem Principibus debitam nil fecisse, *quia hoc fuisset contra ius diuinum facere?* At vero si est in Ecclesiæ manu Principibus infidelibus abrogare imperium (vt ipse alibi asserit) potuisset certe Apostolus Christianos liberare ab ea subiectiooe Ethniri tribunalis; nec debuisset B. Thomas dicere, *esse contra ius diuinum*, aliquid eiusmodi imperare. Nam si Principes omnino spoliari Imperio per Ecclesiam possunt: cur non & imperii sen iurisdictionis parte? Fundamentum vestræ sententiæ est, commissam Ecclesiæ & Pontifici curam, vt caueret ne quid res spiritualis detrimenti caperet: posse igitur, cum est necessarium ad spirituale bonum, de temporalibus Principum iudicare, ipsis quoque Principibus temporalia abiudicare. Atqui tam necessarium esse potest, vt Princeps potestatis suæ parte, quam vt toto priuetur imperio. Ergo & hanc potestatem habet Ecclesia. Iura quoque concurrunt. *In eo*, inquit IC. (l. in eo quod plus. D. de regul. iuris.) *quod plus sit, semper inest minus*, & *In toto pars continetur*, (l. in toto & pars. 114. D. eod.) sic Pontifex (cap. cui licet. 53. de reg. iur. in 6.) *Cui licet quod est plus, licet vtiq; quod est minus*, & (cap. plus semper. 35. ibi.) *Plus semper in se continet quod est minus.* Quid plura? reuera à Pontificibus vsurpatum dicitis, vt quos Principes de omni Imperio nō deiiciebant, tamen aliqua ditionis parte priuarent. Hoc aperto in Leone Isaurico: de quo tu (lib. 5. de Pontif. c. 8.) *Quintum exemplum est*, inquis, *Gregorii II. qui Leonis Imp. Iconomacho à se excommunicato prohibuit vectigalia solui ab Italis, & proinde mulctauit eum parte Imperii.* Tu iterum sub Fr. Romuli nomine (cap. 18.) *Sic enim Ecclesia Leonem Isaurum Imperii parte, & Henricum IV. toto Imperio, & Childericum Regno Franciæ spoliandos esse iudicauit.* Ita Franciscus Victoria, Relect. 1. de potest. Eccles. sect. 6. num. 8. *Potest Pontifex non solum omnia quæ Principes seculares possunt; sed & facere nouos Principes, & tollere alios, & Imperia diuidere.* Et Nicolaus Sanderus libr. 2. de visib. Monarch. *Ex quo intelligitur*, inquit, *vel totum regnum, vel partem aliquam, ab iniquo Rege per spiritualem Ecclesiæ potestatem auferri posse.*

Ecce vt vestra sententia sequitur (neque negatis sequi) non modo Principes de Principatu posse per Ecclesiam deiici, sed & dum Principes manent, posse illis per Ecclesiam aliquid de Imperio & iurisdictione recidi. Si igitur vobiscum sensit Thomas, perperam dixit, contra ius diuinum esse vt iubeat Ecclesia aliquid fieri, quod sit contra subiectionem, quæ debetur Principibus; imo dicere debuit, hoc suo iure posse Ecclesiam; cui datum sit aut totum, aut partem potestatis malis Principibus abrogare: Si nobiscum vero sensit, tunc certe (vt optime Barclaius) sibi repugnat in *2.2. qu. 10 art. 10.* dū asserit, potuisse Ecclesiam abrogare infidelibus supra fideles imperium.

Sic tu perperam vt Thomam ostendas sibi in hac sententia non esse contrarium, has duas *propositiones* elicis; quasi id solum voluerit: *Debetur subiectio Principi infideli dum Princeps est.* Et, *potest Princeps infidelis priuari dominio, quod habet super fideles per auctoritatem Ecclesiæ.* Verius Thomæ sententias dedisses, in hæc verba; Ex iure diuino est, vt ne quidem vllam partem potestatis, quam Principes infideles super fideles habent, Ecclesia tollat, aut impediat, ita enim Thomas in *Comment. Epistola ad Corinth.* Et; Non solum parte potestatis, & iurisdictionis, super fideles, sed etiam tota iurisdictiooe & potestate, priuari per Ecclesiæ sententiam possunt Principes infideles; vt ait Thomas in *2.2. q. 10. art. 10.* Hæc si inter se non repugnant, expecto vt quid repugnet, edoceas.

Sed omnino indigna similitudo est, quam concinnas: *Nam est etiam*, inquis, *contra ius diuinum prohibere filios, ne parentibus obediant, dum sub patria potestate sunt; nec tamen est contra ius diuinum; quod aliquando filii eximantur à patria potestate, vt reipsa eximitur filiusfamilias, cū ad Episcopale fastigium euehitur.* Neq; enim aut Episcopalis dignitas, aut emancipatio aliqua, aut vllum omnino ius, legem Domini delibat, aut tollit, qua in parentes obsequium cultusq; præcipitur. Tollitur tantum hoc iure humano potestas illa patria, quæ à iure humano procefserat, vt nos fusius hoc *capite*, §. 5.

§. 6.

PORRO, inquis, *illa S. Thomæ ratio, infideles merentur ratione sua infidelitatis potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios DEI: Ergo potest Ecclesia priuare Principes infideles dominio, quod habent super fideles: non est adeo debilis ratio, vt Barclaius dicit: sed vere debile argumentum est, quo S. Thomæ rationem Barclaius oppugnat: hoc est enim argumentum Barclaii, merentur infideles amittere potestatem super fideles, sed non potest eos potestate priuare, nisi qui dedit eam potestatem, aut qui mandatum expressum ab illo habeat. At Principes à Deo potestatem habent, & solo Deo sunt minores: ergo à solo Deo priuari potestate possunt: non autem ab Ecclesia, quæ neque dedit potestatem infidelibus, neque habet expressum mandatum Dei, quo illam auferre debeat, aut possit.*

Hoc, inquam, argumentum nullas vires habet: nam falsum est, Principes Politicos à solo Deo potestatem habere: habent enim illam à Deo, quatenus Deus instinctum naturalem in animis hominum inseuit, vt ab aliquo gubernari velint. Vt autem gubernentur homines à Regibus, vel à Consulibus; ab vno, vel à multis; à magistratu perpetuo, vel à temporario; ab hominum voluntate dependet: quemadmodum etiam quod iste sit Rex potius, quam ille, non Dei specialis iussio, sed hominum voluntas fecit: quare idem S. Thomas loco citato 2. 2. q. 10. artic. 10. & quæst. 12. art. 2. tanquam rem certam & exploratam ponit, dominia, & Principatus politicos, non esse de iure diuino, sed de iure humano: cui nemo doctus contradicit, neq; Barclaius contradiceret, si rationem, non passionem in consilium adhiberet. Præterea, etiamsi concederemus, Regem esse immediate constitutum à Deo, & ab illo solo potestatem habere, quod tamen non concedimus, adhuc argumentum Barclaii nihil officeret aduersus rationem S. Thomæ: responderet enim S. Thomas, Ecclesiam habere auctoritatem à Deo per suum Rectorem, & Pastorem auferendi potestatem, in certis casibus, illis, quibus Deus eam dedit: Summus enim Pontifex Vicarius Dei est, ac per hoc potestatem habet à Deo dispensandi, & mutandi in multis, secundùm voluntatem Dei, cuius ipse interpres est: hoc enim modo dispensat Pontifex in votis, & iuramentis, quæ Deus ipse iussit reddi, & quorum solutio de iure diuino est: dispensat autem non quod ipse sit super ius diuinum: sed quia interpretatur Deo placere, vt in tali, vel tali casu, iuramentum, aut votum relaxetur: quemadmodum & Apostolus ait in posteriore ad Corint. cap. 2. Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi. Vbi dicit, se in persona Christi condonasse Corinthio incestuoso pœnam, quam diuino iure, vel in hac vita vel in Purgatorio luere debuisset: atq; hoc est, quod S. Thomas in loco notato dicit, Ecclesiam habere auctoritatem Dei, qua Principes infideles priuare possit dominio, quod habent super fideles.

Prima responsionis tuæ pars omnino inanis est. Quid enim ad ius Pontificis, si Populus potestatem Principi dederit, aut si potest auferre? Argumentum est Barclaii, neminem posse Principibus, etiam potestate indignis, auferre potestatem, nisi qui dederit: non autem dedisse Pontificem, ergo &c. Tu ad populum curris: an vt in eius turba lateat infirmitas vestræ causæ? Dicis Regem *immediate* à populo constitui, non à Deo. At vero vt non solet à Deo immediate constitui, ita eo ipso quo Rex est, habet potestatem à Deo immediate venientem. Nec in eo, Pontificum causa dispar, & Regum, nam *quemadmodum quod iste sit Rex potius quam ille, non Dei specialis iussio, sed hominum voluntas fecit*: ita etiam, Bellarmine, *quod iste sit Pontifex potius quam ille, non DEI specialis iussio, sed hominum voluntas fecit*. Cæterum huic tuæ rationi de Populo, & instinctu sibi præficiendi Magistratum; S. quoque Thomæ doceuti dominia de iure humano esse, iam supra respondimus *cap. 3. §. 17. & cap 5. §. 2.*

Tandem dicis, etiam si concederes Regem immediate à Deo constitui, non effici inde tamen, quin Pontifex ei possit Magistratum abrogare; quod nempe illius sit Dei voluntatem interpretari. At id nihil neque pro Thomæ ratione, neque in solutionem Barclaii. Ratio Thomæ est, *quia Principes infideles merentur amittere potestatem*, quam habent supra fideles. Hanc rationem si tueri cupiebas, probandum tibi erat, Ecclesiam posse infligere hominibus omnes pœnas quas merentur, quod omnino absurdum sit. Vt alia sileam: lethalis peccati omnis reus, dignus est morte æterna; quanto magis temporali? quis inde existimet posse Ecclesiam, quemlibet, etiam infidelem, ob vnumquodq; lethale peccatum, mortis aut æternæ, aut temporalis, pœna afficere? Quod igitur *Pontificis esse* dicis *interpretari Dei voluntatem*, *medium* prorsus est aliud, vt Scholæ verbis vtar; quo quidem ipsam Thomæ sententiam, nempe *posse priuari imperio Principes infideles* conaris asserere; sed non istam qua vtitur rationem, nimirum, *quia merentur, &c.* Et hic tamen te proprie illi rationi patronum asscripseras. Longe, inquam, aliud, *quia meruerunt abdicari*, & *quia Pontifex interpretatur Dei voluntatem esse vt abdicentur.*

Nihil quoque tu in Barclaium: Ait, Diui Thomæ rationem esse malam; quia etiam si quis mereatur dignitate, officio, aliove iure priuari, non priuari tamen potest, *nisi ab eo, à quo id accepit, vel ab alio expressum mandatum, & potestatem ab ipso habente.* Tu respondes, Pontificem esse interpretem diuinæ voluntatis. Quid ad hoc rem? Aut negandum fuerat, Bellarmine, *expressum mandatum* requiri in isto interprete diuinæ voluntatis, ad hoc vt quod Deus concessit, ipse auferat, aut probandum Pontificem expressum mandatum à Deo de Regibus abdicandis habere. Expressum requiri mandatum non ausus es ire inficias, imo vltro fateris, *cap. 5. § 2.* quod autem eiusmodi mandatum Pontifex acceperit, strictim tantum, & non nisi leuissimo sophismate ibi dicere ausus es; vt pluribus ostendimus, *cap. 5. §. 2.* sub finem. Quod si in liquidissima, si in certissima Dei præcepta hoc Pontifex potest, quod in isto posse vultis, nec ideo dicendus est ea tollere, sed *interpretari*; quidni & coniugem ad animi sui arbitrium atq; iudicium, possit à coniuge soluere? Neq; enim

ideo

ideo tollet hoc iussum, *quos Deus coniunxit, nemo separet*: sed interpretabitur esse DEI voluntatem vt hi vel vel illi iam amplius coniuges non sint. De cæteris Dei præceptis eadem ratio: si interpretari quidem potest, voluntatem Dei esse, vt Principes aliqui, quos constat legitimos esse Principes, & à Numine potestatem habere, iam Principes non sint, nec habeant amplius à Deo potestatem.

Quæ tu deinde de Pontificis potestate, in iuramentis, votisque soluendis: nihilo in Barclaium magis; Nam in laxandis illis, nihil aufert Pontifex à Deo datum hominibus, sed potius restituit, & remittit, quod homines Deo dederunt, condonat inquam debitum, quo qui iurat aut vouet, se Numini statim astringit. Ita Apostolus pœnas, quas Deo dare debuit Corinthius, in nomine Christi remittit, & hoc se *donare* dicit in persona Christi: at nullibi *in persona Christi* se aliquid cuiquam temporalis iuris auferre.

§. 7.

DEINDE *Barclaius, vt nihil intactum relinquat*, inquis, *carpit etiam illud, quod S. Thomas in eodem art. 10 quæst. 10. in 2. 2. dicit, Ecclesiam non semper vti iure suo in deponendis Principibus infidelibus, ad vitandum scandalum: quemadmodum Dominus soluit didrachma, ad quod non tenebatur, ne scandalizaret eos qui censum illum colligebant, & Apostolus admonet seruos obedire Dominis carnalibus, ne doctrina Domini blasphemetur.*

Non solum, inquit, Barclaius, propter scandalum abstinuit, vt putat Thomas eo loco, sed propter defectum potestatis, quia non erat Iudex infidelium, secundum illud Apostoli 1. Corinth. 5. Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? & quia Principes à Deo constituti solum Deum supra se iudicem habent, à quo solo deponi possunt, nec ad rem pertinet, quod Paulus dum iubet seruos Christianos Dominis suis infidelibus omnem honorem exhibere, [illegible]olum addit, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur.

Re[illegible]eo. Intolerabilis est huius morosi Censoris carpendi, & vellicandi libido: Sanctus enim Thomas cum ait Ecclesiam non vti suo iure propter scandalum: non addit particulam, solum: quare si sint etiam aliæ causæ, non ideo reprehendi debet Sanctus Doctor, qui vnam causam eamque verissimam attigit, & illam ipsam, quam in simili causa Christus ipse, & eius Apostolus attigerunt: nam neque Dominus dixit propter solum scandalum à se solutum fuisse didrachma, neque Apostolus iussit honorandos esse Dominos à seruis, ea solum de causa, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Quod autem addit Barclaius, Ecclesiam non habuisse potestatem vllam in Principes infideles, quia scribit Apostolus. Quid ad me de his, qui foris sunt iudicare? non est contra sanctum Thomam, qui in 2. 2. quæst. 12. art. 2. declarat hunc locum Apostoli intelligi de infidelibus, qui nunquam fidem receperunt, quatenus infideles sunt, non quatenus dominantur fidelibus: ob solam enim infidelitatem Ecclesia non potest infideles iudicare: quia ad eius regimen non pertinet. Sed quando dominantur fidelibus, & præsertim quando subditos fideles auertere conantur ad fide: tunc Ecclesia ius habet illos priuandi dominio, quod habent super fideles. Sed non semper vtitur iure suo, vel quia vires non adsunt, vel ob scandalum euitandum. Quod vero dicit, Principes à Deo esse constitutos, & nullum præter Deum super se iudicem habere, antiqua est cantilena Barclaii vsque ad nauseam repetita, & in ipso capite, atque in superioribus refutata.

Dicis B. Thomam non addidisse particulam *solum*. Non addidit quidem, sed hanc solum causam refert. *In illis vero infidelibus*, inquit, *qui temporaliter Ecclesiæ, vel eius membris non subiacent, prædictum ius Ecclesia non statuit, & hoc facit, ad scandalum vitandum.* Quid autem? an in hæc verba male Barclaius, *non solum propter scandalum*, inquit, *sed & propter defectum potestatis?* Sed quam tu ipse morosus censor sis, quantæ vellicandi libidinis, in simili prorsus negotio, supra ostẽdimus, *cap. 3. §. 1.*

Atqui, inquis, & Christus dicit se ad scandalum vitandum didrachma soluere, & Apostolus dominos à seruis *honorandos*, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Cum tamen & aliæ præter scandalum causæ essent, quamobrem Christus didrachma persolueret, & Apostolus dominos à seruis coli vellet. Hinc statuis, recte Thomam assignasse vnam ex pluribus causam, quare Ecclesia suo iure in infideles non vtatur. Quam hæc diuersa Bellarmine? Vera Domino causa fuit soluendi tributi, ne scandalo esset, hoc testatur ipse Christus, & in eum sensum Christi verba acceperunt interpretes: si aliæ causæ fuerunt, hæ certe remotæ, & plerumque allegoricæ. Apostolus quoque, cum seruos admoneret, causam addidit, quæ & toti Ecclesiæ communis sit, & apud illos præcipue valitura, qui recens in Christo geniti, Christo omnia & Ecclesiæ cõcedebant, *ne blasphemetur &c.* At hæc ratio D. Thomæ, non modo non *præcipua*, sed nec *vera*, cum etiamsi absque scandali periculo id Ecclesia potuisset, iure tamen & legitima potestate deficeretur. Recte igitur Barclaius, Ecclesia non *solum* propter scandalum (quod reuera esset ortum) sed & quia iure non poterat, nihil infidelibus abrogauit imperii.

Non autem de iure potuisse, duæ hic rationes Barclaio; Vna, quæ multis argumentis nititur, & hoc passim libro congestis, Principes à Deo habere potestatem; Deum quoq; supra se solum habere, qui eis potestatem abroget. Alia, quia Ecclesia non est iudex infidelium, secundũ illud Apostoli (1. ad Cor. 5) *Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* Huic auctoritati Apostoli sic respondes, B. Thom. illa verba, *quid mihi de iis &c.* intelligere, *de infidelibus qui nunquam fidem receperunt, quatenus infideles sunt, non quatenus dominantur fidelibus: ob solam enim infidelitatem Ecclesia non potest infideles iudicare,*

§. 9.

ADDVCIT *postremo Barclaius, inquis, aliud Bellarmini dictum in eodem lib. 2. de Pontif. cap. 29. Quod videlicet, iudicare, punire, deponere, ad superiorem tantum pertinet. Quod quidem dictum verissimum est. Sed tamen ex eo Barclaius secundum dialecticam suam hunc syllogismum texit. Subiecti non possunt iure iudicare, punire deponere superiorem: Atqui omnes Christiani erant subiecti Neroni, Diocletiano, & ceteris Imperatoribus, & Regibus Ethnicis: ergo non poterant eiusmodi Imperatores, & Reges deponere. Propositio concessa est, itemq; subsumptio, & certissima veritate nituntur: conclusio autem ex antecedentibus necessaria consecutione pendet, atque ex diametro opponitur ei, quod dixit Bellarminus, Christianos olim iure potuisse deponere Neronem, Diocletianum, &c. sed quia viribus temporalibus deficiebantur, ex consilio abstinuisse: falsum igitur illud est, & reprehensione dignum: siquidem aientia & negantia simul vera esse nequeunt. Hinc etiam patet falsitas opinionis D. Thomæ, quam supra hoc capite refutauimus.*

Respondeo. Magnus omnino Magister in arte dialectica Barclaius est, qui vnico syllogismo non solum Bellarminum prostrauit, sed S. Thomam etiam, qui Doctoris Angelici cognomento ob eximium sapientiæ splendorem merito celebratur. Ad syllogismum eius in forma sic Respondeo. Propositio illa, Subiecti non possunt iure deponere superiores, vera est, sed deberet esse vniuersalis, vt syllogismus legitimus esset: & præterea intelligi debet formaliter, id est subiectus vt subiectus, siue quamdiu subiectus est, non potest deponere superiorem, vt superiorem, siue quamdiu superior est. Assumptio autem illa, omnes Christiani erant subiecti Neroni, Diocletiano &c. falsa est, quoniam Apostoli, eorumque successores, qui Principes erant spirituales, non erant iure subiecti Regibus terrenis. Deinde populus Christianus, etiamsi alioqui subiectus esset Regibus, & Imperatoribus infidelibus, tamen in casu periculi amittendæ fidei diuinæ, poterat iure iusta defensionis excutere iugum Principis infidelis: præsertim si Ecclesia per summos Pontifices ita faciendum esse censuisset. Ex his sequitur conclusionem Barclaii esse manifeste falsam, & doctrinam S. Thomæ ac Bellarmini, qui S. Thomam secutus est, esse verissimam.

Imo tu *magnus omnino magister*, si hoc Barclaii argumentum ex arte exolueris. Quid tu ad propositionem? *Subiecti non possunt iure iudicare, punire, vel deponere superiorem.* Dicis veram esse *sed debere esse vniuersalem, vt syllogismus legitimus sit.* Quasi vniuersalis non sit. Ipse dicis (lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 29.) *Non tamen licet* (Pontificem) *iudicare, vel punire, vel deponere, quod non est nisi superioris.* Scribis hic etiam, *subiectus, quamdiu subiectus est, non potest deponere superiorem.* Cur igitur vniuerse dici non possit, superiores eius conditionis esse, vt à subditis *iudicari, puniri, deponi non possint?*

Addis, *& præterea intelligi debet formaliter, id est subiectus vt subiectus, siue quamdiu subiectus est, non potest deponere superiorem vt superiorem, siue quamdiu superior est.* Quam hæc importuna verborũ confusio? An est idem, Bellarmine, *vt subiectus, & quamdiu subiectus*, an est idem, *vt superior, & quamdiu superior?* At hæc tamen omnino eadem esse fingis. Dicis enim, *vt subiectus, siue quamdiu subiectus*, &, *vt superior, siue quamdiu superior est.* Sed hæc ipsa etiam in te pugnant. Nam si superior, quamdiu est superior non potest deponi à subdito, & semper est superior antequam sit depositus: dic quæso quo tempore, quoue modo, possit eum subditus deponere? Nam quamdiu ille non est depositus, tamdiu est superior: nec subditus potest eum deponere, quia est adhuc subditus, & *quamdiu subditus est*, inquis, *non potest deponere superiorem.*

Neque aptius etiam dicis, *formaliter vt subiectus*, siue quatenus subiectus. Licet enim, qui subiectus est considerari possit aliter, quam vt subiectus, puta vt homo, vt diues, vt parens, vt Clericus, vt Laicus &c. non considerari tamen potest sub vlla ratione, quæ subiectionem illam & formalitatem destruat: alioqui non modo non consideraretur vt subiectus, sed omnino vt non subiectus. Nec igitur sub illa formalitate tantum qua quis subiectus est, sed vniuerse & simpliciter qui subiectus est, superiorem non potest iudicare, deponere.

Veniamus ad assumptionem. *Atqui*, inquit Barclaius, *omnes Christiani erant subiecti Neroni, Diocletiano, & ceteris Imperatoribus ac Regibus Ethnicis.* Dicis, hanc assumptionem falsam esse, *quoniam Apostoli, eorumque successores, qui Principes erant spirituales, non erant iure subiecti Regibus terrenis.* Imo nihil assumptione verius, vt sæpius disseruimus: & tu ipse ad grauem senectutem professus es: licet ante biennium ab ea recesseris, non ratione vlla compulsus, non iusto argumento, vt ante ostendimus (*cap. 3 §. 11 & ca. 16. §. 1.*) Denique hic probandum suscepisti, ne ea quidem admissa sententia aliquid sequi contra potestatem temporalem Pontificis. Ita enim in superiori paragrapho, *sed quamuis vera esset sententia Pighii, non tamen sequeretur non habuisse tunc Ecclesiam ius priuandi Principes infideles dominio, quod habent super fideles,*

Quod addis, *Deinde populus Christianus, etiamsi alioqui subiectus esset Regibus, & Imperatoribus infidelibus, tamen in casu periculi amittendæ fidei diuinæ, poterat iure iustæ defensionis excutere iugum Principis infidelis.* Iam non pro Pontificis pugnat, sed pro populi potestate. At nec ista suo loco obiicis, nihil hæc enim in argumenti assumptionem de qua iam agimus, quæ est, *Atqui omnes Christiani erant subiecti Neroni &c.* Debebas hæc in propositionem dicere, quam sic concepit Barclaius, *Subiecti non possunt iure iudicare, punire, vel deponere superiorem.* Sed id agis, opinor, vt responsione confusa argumentum ipsum turbes. Et quidem dum propositioni illi respondes *subiecti non possunt &c.* prorsus es contrarius istis subterfugiis quæ iam in assumptionem inuenisti. Ibi quippe absolute fateris subiectos quãdiu sunt subiecti, nõ posse *iudicare, punire, deponere superiorẽ.* Hic dicis

Christia-

Christianos *potuisse excutere iugum Principis infidelis*, cui subiecti erant. Dic vero num hoc non sit *iudicare, punire, deponere superiorem?* Nam quod addis, *iure iusta defensionis*, inani fraude dictum, quasi defensionis iustæ ius ita in superiorem sit, non modo vt nos ab iniuriis prohibeamus, sed vt illi abrogemus potestatem. An priuatus grassantem Magistratum, an filius iniurium patrem priuabit imperio? quid denique amplius concedis Ecclesiæ, si in eius ruinam malus Pontifex incubuerit (*Lib. 2. de concil. cap. 19.*) quam vt illi suo hosti in sceleribus repugnet? cum tamen pio Pontifice semper habeat, semper iusta imperanti obtemperet? Longe aliud non obsequi Principi iubenti flagitia, aliud ab eius imperio in totum recedere. Neque ad rem est, quod his addis, *in casu periculi amittenda fidei diuina*. Nam hoc casu quem facis, est eiusmodi periculum in quo durare populus possit, imo & debeat: vt ante disseruimus *cap. 20. §. 2.* & proxime Capite dicendum est. Debebas denique hanc exceptionem non seruare in hunc locum, cum nihil sit ad *assumptionem* argumenti Barclaii: sed in propositionem afferre, cum concederes *non posse superiorem à subiecto iudicari, deponi &c.* Ibi, inquam, cum hoc concederes, hanc exceptionem opportunius addidisses, *praterquam in casu periculi amittenda fidei diuina*. Sed neque addidisti, & si addas tuum illud de Pontificis immunitate argumentum (*Lib. 2. de concil. cap. 19.*) iugules. Nam quomodo diuina fides minus sub impio Pontifice, & per flagitia *lapidem offendiculi*, vbique ponente, quam sub infideli Principe periclitetur, Bellarmine? Imo intestinum illud malum, maioris periculi, damnique maioris, quam externa tyrannis. Quod si in casu periculi amittendæ fidei diuinæ, & salutis æternæ, licet superiorem iudicare, cur non & Pontificem? Vtra autem maiora pericula, cum extra caulem lupi demoliuntur septa, aut perniciosi arietes turbant ouile, an cum domesticum gregem perdere Pastor quærit?

CAPVT XXII.

Populum tolerantem Regem hæreticum, vel infidelem, non exponere religionem periculo, ex quo eam non potest legitime eruere: Tolerare eiusmodi Regem, & seruare veram fidem, non esse duo præcepta, quorum vnum sit iuris diuini, alterum humani: Sed vtrumque diuini iuris esse, neque vnum alteri repugnare. Regem quamdiu Rex est, à Populo coli debere. Quibus modis Rex desinat esse Rex. Cur fallax sit, imo absurda, Bellarmini ratio, qua sic arguit, non mirandum si ob hæresim deponi Rex possit, quandoquidem ipse Summus Pontifex ob eandem causam, deponi quoque potest, aut declarari depositus.

Titulus est apud Bellarminum:

Defenditur altera confirmatio rationis tertia principalis.

§. I.

IN *capite vicimosecundo*, inquis, *Barclaius oppugnat confirmationem secundam rationis tertia principalis, quam in meo libro posui, ad probandam Summi Pontificis potestatem in temporalibus. Hac autem erat confirmatio. Tolerare Regem hæreticum, vel infidelem, conantem pertrahere homines ad suam sectam, est exponere Religionem euidentissimo periculo. At non tenentur Christiani, imo non debent, cum euidenti periculo Religionis Regem infidelem tolerare: nam quando ius diuinum & humanum pugnant, debet seruari ius diuinum, omisso humano: de iure autem diuino est seruare veram fidem, & Religionem, qua vna tantum est, non multa: de iure autem humano est, quod hunc, aut illum habeamus Regem. Ad hanc confirmationem respondet primo Barclaius, argumentum non esse in forma syllogismi, sed hoc cauillari est: nam neque ego volui, nec cogitaui redigere argumentum ad formam syllogismi, quod vel ex eo potest intelligi, quod non expresse posui conclusionem, & multa inserui ex Scriptura sacra, ex prophanis authoribus, & ex experimentis veteribus & nouis, qua Barclaius omisit.*

Imo tu Barclaii argumentum cauillatione eludis. Neque enim tantum voluit tuum syllogismum peccare contra Dialecticæ normam, sed neque ex vi formæ, neque ex vi materiæ valere pro Pontificis potestate; Propositionem scilicet tuam, *tolerare Regem hæreticum vel infidelem, conantem pertrahere homines ad suam sectam, est exponere religionem euidentissimo periculo*, omnino falsam esse: Assumptionem porro; *At non tenentur Christiani, imo nec debent, cum euidenti periculo religionis, tolerare Regem infidelem*, neque ita cum *propositione* cohærere, vt inde vlla *conclusio* elici possit, neque aliud pene esse quam ipsam quæstionem, atque thesin, quam his libris inter nos agitamus.

Ais, te *multa inseruisse ex Scriptura sacra, ex prophanis auctoribus, & ex experimentis veteribus & nouis, qua Barclaius omisit*. Quænam illa, Bellarmine? nimirum sententiæ aliquot, exempla aliquot, quæ procliuem populi animum in Regum mores probent. Quæ tu *multa* igitur ex Scriptura? istud vnum (Eccles. 10. *qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Huic ego Scripturæ, Scripturam quæ ibidem sequitur, non oppono, sed compono. *In manu Dei potestas terra: & vtilem rectorem suscitabit in tempus super illam.* Quæ multa ex profanis authoribus? hunc vnum versiculum, *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Cætera, quæ hic profers *experimenta*, sunt, vt ais, *vetera atque noua*, Hieroboami, sub quo Israel idololatria, Iuliani sub quo *refloruit Ethnicismus*,

totum

rerum denique hoc seculo gestarum apud Anglos. Hæc vero cur non omisisset Barclaius? num vllibi negat magni momenti esse, quo Rex animum adiiciat? aut quo incliner populus, sæpe se ex Regis componeos imagine? non id quæritur, Bellarmine, & ideo omisit Barclaius, sed vtrum liceat huius periculi causa, Regem infidelem, aut hæreticum, à Repub. amouere, quod non modo non omisit vestigare, sed toto passim libro præcipuu disputatione quæsiuit.

§. 2.

DEINDE *omissa cauillatione de forma syllogismi*; inquis, *vim ipsam argumenti retundere conatur, dicens.*

Demus eum optima forma ratiocinationem confecisse, & ad vim argumenti respondeamus. Dico igitur propositionem eius falsam esse. Dico, inquam, non verum esse, quod tolerare Regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad sectam suam, est exponere Religionem euidentissimo periculo, sed est tantum pati Religionem versari in periculo, in quod incidit vitio Regis hæretici, aut infidelis, & cui iam sine culpa populi exposita est: eum nullum eius liberandæ iustum & legitimum remedium, præter constantiam, & tolerantiam, populo superfit.

Respondeo. Quando non suppetunt vires Ecclesiæ excutiendi iugum infidelium Tyrannorum, vt vere temporibus Neronis, Diocletiani, Constantii, Iuliani, & Valentis non suppetebant: tum verum est, tolerare Regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere populum ad sectam suam, non esse Religionem exponere periculo, sed pati eam in periculo versari: sed quando vires suppetunt, & potest Ecclesia, si velit, per auctoritatem Vicarii Christi priuare Regem hæreticum, vel infidelem dominio, quod habet super fideles: tum si non faciat vere, proprieque, exponit Religionem euidentissimo periculo, cum nolit adhibere remedium quod in promptu habet, nisi forte ratio suadeat, hoc remedium ad tempus differre, & alia leuiora interim experiri.

Quod autem hic subiungit Barclaius, facillimum fuisse Christianis olim deponere Iulianum, Constantium, & Valentem, iam supra copiose refutatum est, cap. 6. 7. & 8. neque libet Barclaium imitari in iisdem rebus sæpius repetendis.

Tam frigide, Bellarmine, respondes, vt videaris noluisse fidem ab aliquo impetrare. Primum in solutionem Barclaii, nempe, *tolerare Regem hæreticum, &c. non esse exponere religionem euidentissimo periculo, sed esse tantum pati, eam versari in periculo in quod incidit vitio Regis, non populi, cui legitimum remedium non superest, præter constantiam & tolerantiam*, tu nec vmbram argumenti. De thesi vero tua, *posse Ecclesiam, quando vires suppetunt, Principem eiusmodi abdicare*, nihil præter assertionem etiam nudam. Dicis præterea Ecclesiam non exponere Religionem periculo, si per vires ei non liceat infestum Religioni Regem *deponere*. Quis vero dubitauit? aut quis vnquam sanæ mentis Ecclesiam *ad impossibilia teneri* crediderit? At quod addis, *sed quando vires suppetunt, &c.* est ipsa res quam negamus, & tu sæpe, vt concessam, vana fraude assumis. Ais, *& potest Ecclesia, si velit, per auctoritatem Vicarii Christi priuare Regem hæreticum, &c.* Iterum dico: hoc ipsum est quod negamus, nempe Ecclesiam per auctoritatem Vicarii Christi hoc posse. *Posse* quidem, nullo hic argumento asseris, *Non posse*, Barclaius confirmauit patrum exemplo quos nullus vnquam dixit *religionem periculo exponere*, cum Iulianum, Constantium, Valentem, similesque pertulerunt, licet iis coercendis satis tunc in Ecclesiis virium, satis opum. Videat lector *cap. 6. 7. & 8.* ad quæ ipse etiam fastidiose nos remittis, quasi Barclaius ad illa exempla, quæ hic omnino te perduot, frustra confugerit.

Certum igitur Religionem sub infideli Principe, aut hæretico, adire discrimen, non ne euertatur quidem, quod nulla hactenus factum tyrannide, nulla fiet (vt tu ipse, *lib. 4. de Ecclesia cap. 6. lib. 1. de concil. cap. 10.*) sed ne palam floreat, nec tot sequaces inueniat. Hoc vero discrimen nec populi culpa ortum, nec à populo tolli potest, cum nullam eo casu potestatem aut populo aut Ecclesiæ Scriptura assignet in Reges, de quibus absolute pronuntiat, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Deum timete, Regem honorificate. Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra.* Cum nec etiam prisca Ecclesia sui iuris duxerit esse, vt quo eiusmodi pericula à se arceret, infidelibus, aut hæreticis Principibus, abrogaret imperium, quorum *opera interrogare*, & punire, ideo non est ausa, quoniam *à Domino potestas illis & virtus ab altissimo.*

Addo te hoc argumentum pro populi potestate inuenisse. Dixisti, at non tenentur Christiani Regem infidelem tolerare, nunc illos Christianos mutas in Ecclesiam & Christi Vicarium proxima confirmatione, iterum redibis ad populum, cuius ius si quod est in Principes, certe cum Pontificio nequaquam confundendum. Ac plura de variatione argumenti, paulo infra (*c. 23. §. 1.*)

§. 3.

PERGIT Barclaius, inquis, *& ait: Iam vero ad illud, quod deducit ex pugna iuris diuini & humani, respondeo breuiter, illum valde falli in eo, quod putet esse ibi concursum & conflictum diuini iuris & humani: non sunt enim pugnantia, seruare veram fidem, & Religionem. & tolerare Regem hæreticum, vel infidelem: neque alterum de iure diuino est, alterum de iure humano, vt ille putat, sed sunt duo præcepta iuris diuini colere Deum vera Religione, & seruire atque obedire Regi, quæ simul seruari, & expleri possunt, vt ipsimet Iesuita docet.*

Respondeo. Non ignorabam, seruire & obedire Regi, esse iuris diuini: & ideo non hoc negaui in meo libro: sed dixi iuris humani esse, vt hunc aut illum habeamus Regem, iuris autem diuini seruare veram fidem, ac

Religio-

tassis bello premant: Sed de iure diuino est, vt populus etiam flagitioso Regi adsit, Maiestatem sartam tectam ad extremum tueatur. Quod igitur dicis, *fieri posse vt Rex ipse se abdicet potestate*, certe verum, & eo casu, de diuino iure non est, vt ei qui Rex fuit, obtemperes. Fieri quoque posse, *vt ab alio Rege superatus cadat à Regno*, verum quoque, si omnino exutus sit, victorque legitimo belli iure prouinciam occupet. Nam cum simul populus duos Reges habere non possit, & is sit Rex legitimus, qui Regnum legitimo gentium iure inuasit, sequitur iam priorem Regem desinere esse Regem: non quidem ab vllo proprie depositum, sed illis rebus amissis, sine quibus potestas regia non potest consistere. Addis fieri quoq; posse, *vt hæresis causa deponatur*: meræ nugæ, & quas tu tot astibus nusquam probes.

§. 5.

AT, inquit Barclaius, ais, Ex Bellarmini sententia, lib 2. de Pontif cap. 29. non licet Concilio iudicare, puni re, vel deponere Papam inuentem turbare, & destruere Ecclesiam Dei, sed tantum ei resistere non faciendo, quod iubet, & impediendo ne exequatur voluntatem suam. Cur non similiter, & potiore etiam ratione idem de Regibus etiam censeamus? cum & ipsi sint populis (teste eodem authore, lib. 1. de Pontif. cap 9. & lib 3. cap. 19.) superiores, & Iudicem in terris nullum habeant? cumque præterea nonnullis magni nominis Theologis visum sit, Concilium Oecumenicum maiore supra Papam auctoritate præditum esse, quam habeat populus in Principem.

Respondeo Si Pontifex Maximus hæreticus fieret, & Ecclesiam destruere, abducendo eam à fide Catholica, niteretur, sine dubio deponi, aut certe depositus declarari à Concilio posset, vt colligitur ex Can. Si Papa, dist. 40. & hoc neque Bellarminus, neque vllus Catholicus negat, quare ex hoc ipso potuisset Barclaius intelligere, non esse mirum, si Reges propter hæresim, deponi possint, quamuis non habeant in temporalibus superiores, cum Papa propter similem causam deponi possit, qui neque in temporalibus, neque in spiritualibus superiorem habet in terris. Quod autem scripsi in lib. 2. cap. 29. Pontificem non posse iudicari, aut deponi à Concilio, intelligitur extra causam hæresis, si vita solum, & moribus Ecclesiam perturbare, atque destruere velle videretur. Est autem discrimen inter Pontificem, & Regem, quod Pontifex, nullum omnino in terris superiorem habet, cum sit ille seruus principalis, quem posuit Dominus super omnem familiam suam, Luc. 12. de quo idem Dominus eodem loco dicit, quod si seruus ille malè se gesserit, & cœperit percutere seruos, & ancillas, manducare, & bibere cum ebriosis: Veniet Dominus in die, qua non sperat, eumque seuerissime puniet: proinde non vult Dominus, vt à familia, vel aliquo de familia puniatur, sed ipse Dominus iudicium de seruo illo sibi reseruat. Rex autem, qui non immediate à Deo Regnum accepit, sed populus in eum potestatem suam transtulit: & præterea si Christianus est, aut fuit, Pontifici, vt omni Pastori, subiectus est, & quamuis non habeat in temporalibus superiorem aliquem temporalem, habet tamen superiorem spiritualem, cuius potestas ad temporalia etiam se extendit: ideo deponi à Summo Pontifice, vt Christi Vicario potest. Quod si aliqui viri docti senserunt, Concilium esse supra Papam, magis quam Regnum supra Regem: non multum de eorum sententia laboramus, cum ex Scripturis, & Conciliorum etiam generalium decretis contrarium colligatur: de qua re satis multa scripsimus in secundo libro de Conciliis.

Sed forte quæret aliquis, si Papa nullum omnino superiorem habet in terris: quo iure deponi potest à Concilio, vel Ecclesia propter hæresim? Responsio est in promptu, quoniam cum propter alia crimina eiciantur homines per excommunicationem ab Ecclesia, hæretici per se exeunt, & recedunt, & ipsi se quodam modo excommunicant, vt sanctus Hieronymus notauit explicans illa verba Apostoli ad Titum c. 3. hæreticum esse proprio iudicio condemnatum. Itaq; si Pontifex, quod fieri non posse arbitror, hæreticus, vel infidelis, vel Apostata fieret, non tam deponendus, quam declarandus depositus à Concilio esset.

Nihil adhuc à te cautius, nihil tamen perpendenti sublestius. Inprimis ista duo callidissime confudisti, *aliquem deponi*, &, *aliquem declarari depositum*. Dicis haudquaquam esse mirum, *si Reges propter hæresim deponi possint, cum Papa propter similem causam deponi possit.* Atqui paulo post dices, eiusmodi Pontificem ipso facto esse depositum, *nec tam deponendum, quam declarandum depositum à Concilio esse.* Sed quoniam tibi hæ necessariæ erant ambages, vt *depositum & deponendum* permisceres; ais *non tam deponendum, quam declarandum*, & antea, *deponi, aut certe depositus declarari à Concilio.* At *lib. 2. de Pont. c. 30.* vbi nihil tibi lucri ex æquiuocatione ista, omnino apertus es, Pontificem nō posse deponi à Concilio, sed declarari depositum. *Quarta opinio (inquis ibi) est Caietani in tractat. de auctoritate Papæ & Concilii, c. 20. & 21. vbi docet Papam Hæreticum manifestum, non esse ipso facto depositum, sed posse ac debere deponi ab Ecclesia, quæ sententia meo iudicio defendi non potest. Nam inprimis, quod hæreticus manifestus ipso facto sit depositus probatur auctoritate & ratione &c. Est ergo quinta opinio vera, Papam hæreticum manifestum, per se desinere esse Papam & caput.*

Quid hæc ergo collatio? Papa est non ab homine sed ipso iure depositus propter manifestam hæresim, *quamuis neque in temporalibus, neq; in spiritualibus superiorem habeat in terris*: Non igitur mirum *si Reges propter hæresim deponi possint, quamuis non habeant in temporalibus superiores.* An vero sequitur Bellarmine? Ratio ob quam Papa per manifestam hæresim desinat esse Papa, est quia eiusmodi hæresis pugnat cum Pontificatus essentia: ita vt *ipso iure* sit depositus, & reuera desinat esse Papa. Nam vt tu optime (lib. 2. de Pontif. cap. 30.) *Non potest esse caput id quod non est membrum.* At vero non pugnat cum Principatus essentia, vt Rex sit aut infidelis aut hæreticus (vt ex tot Regibus & tot seculis constat.) Non mirandum igitur, Bellarmine, si Papa, manifesta infamis hæresi, desinat esse

nat esse Papa, quia repugnat vt simul sit Papa, & manifeste hæreticus. Sed mirum, si Rex ideo deponendus, qui simol esse Rex potest, & manifeste hæreticus, quiq; potestatem à Deo adeptus est, summam, nec vllibi Scripturarum, aut Apostolicarum traditionum in hoc casu restrictam, vt si labatur in hæresim, possit à Pontifice, aut alio vllo deponi. Adeo igitur vitiosa hæc tua collatio, ac si diceres, Non mirum si Dama non possit sine felle consistere: cum Ceruus, grandius vtiq; ac nobilius animal, sine felle non viuat. Nam reponat vtiq; aliquis, cum ex natura Damæ sit vt absque felle viuat, ex natura vero Cerui, vt pereat felle sublato, similitudinem in ea re, aut collectionem idoneam, fieri duci ve non posse.

Si itaq; legitima similitudine vti volebas, componendus erat Pontifex manifeste hæreticus, cum principe vltro in manifestam totius Populi incumbente perniciem. Nam si is casus est, qui ipso iure imperandi potestatem adimat, cum Rex, id est Populi Pastor atque dux esse non possit, qui non modo non singulos, sed & ipsum Populum non pascere aut ducere, sed perdere atq; occidere non ficto dubio, sed certo, sed cognito, sed indubitato meditetur consilio.

Quæ hic addis, Pontificem nulli subiici, at Regem *qui non immediate à Deo regnum accepit, habere superiorem* spiritualem, *cuius potestas ad temporalia se extendat &c.* partim abunde refellimus (vbi actum an Summi Pontifices subiecti fuerint ciuili imperio) partim ipsa est disceptationis quæstio, quam tu antiquo tuo more, vsurpas vt concessam.

CAPVT XXIII.

Non sequi ex eo quod coniunx ad fidem accedens sit liber ab infideli coniuge, populum fidelem liberari etiam ab infidelis Regis iugo. Imo ex hac argumentatione Bellarmini, argumentum pro Regibus certissimum texi. Collatio vinculorum, quo coniugi coniunx, & populus Regi astringitur.

Titulus apud Bellarminum est:

Defenditur tertia confirmatio tertiæ rationis principalis.

§. 2.



IN capite vicesimotertio Barclaius, inquis, *refellere nititur confirmationem tertiam rationis meæ tertiæ principalis: hæc autem est confirmatio: Denique cur non potest liberari populus fidelis a iugo Regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem, si coniunx fidelis liber est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge Christiana, sine iniuria fidei, vt aperte deducit ex Paulo 1. Corinth. 7. Innocentius III. in cap. Gaudemus, extra de diuortiis? non enim minor est potestas coniugis in coniugem, quam Regis in subditos, sed aliquando etiam maior.*

Ad hanc confirmationem Barclaius ita respondet, vt videatur de industria intelligere noluisse, in quo vis rationis consistat: idq, ea de causa facit, vt occasionem habeat multa scribendo, vel doctrinam suam ostentandi vel librum suum locupletandi. Sed prudens Lector facile animaduertet cum extra rem vagari. Iustio enim fingit me loqui de coniugio inter fideles contracto quorum alter postea in hæresim labitur: quod matrimonium omnino insolubile est. & non recte cumparari potest cum vinculo, quod est inter Regem, & populum.

Sed mihi nunquam venit in mentem de matrimonio eiusmodi loqui. Igitur locutus sum de matrimonio contracto inter infideles, quorum alter cum ad fidem conuertitur, liber est a cohabitatione, & à iugo coniugis infidelis. Quod de hoc matrimonio locutus sim, planum est ex Apostolo, & Innocentio, quos citaui: non enim Apostolus, aut Innocentius liberum pronuntiant à coniugio eum, qui contraxit post baptismum cum fideli, sed eum, qui contraxerat ante baptismum cum infideli, & postea conuersus est ad fidem coniuge in infidelitate permanente. At, inquit Barclaius, tu non dixisti, coniugem fidelem liberum esse à iugo, aut vinculo, sed ab obligatione manendi cum coniuge infideli.

Respondeo Me dixisse, quod Apostolus dixit, & intellexisse, quod Apostolus intellexit. Apostoli verba hæc sunt: si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in eiusmodi. Vbi loquitur de obligatione cohabitandi, quemadmodum & ego loquutus sum: sed non intellexit Apostolus per libertatem ab obligatione cohabitandi, solam libertatem ab obligatione cohabitandi, manente vinculo, & iugo coniugii, sed plenam libertatem cum potestate ineundi aliud coniugium, soluto vinculo, & iugo coniugii prioris: & hoc eodem modo verba mea intelligi volui, quo modo verba Apostoli intelligunt omnes Theologi. Itaque poterat Barclaius omittere plus quam partem dimidiam huius capitis 23.

En vt accusas Barclaium, quod de tuo argumento melius senserit, quam tu sentiri velis. Præcipua quæstionis nostræ pars, & hodie pene vna, quoad praxin, est, an Reges Christiani si flagitiosi sint, aut hæretici, aut apostatæ, possint per Romanum Pontificem regni iure priuari. Quidni igitur de illis te scripsisse Barclaius crediderit? Tuum argumentum est, quod cum fidelis coniunx liber sit ab obligatione manendi cum infideli coniuge, si cum eo sine iniuria fidei esse nō possit, concedi quoq; populo debeat, vt liberetur ab infideli Rege, & ad infidelitatem pertrahente. Quidni, inquā, ad hoc Barclaius, id omnino esse falsum, si de coniugib. intelligas, qui semel

Christi

Christi fidem susceperunt: licet alteruter, vt ait Pontifex, *Nollet permanere cum altero, sine contumelia Creatoris?* cui est consequens, nec tuam similitudinem conuenire Principi, Populoq; Christianis, si deinde ipse Princeps à Christiana fide recesserit, cum hic tamen de iis agamus præcipue.

Nec id igitur argumentum quicquam in Principes *regeneratos baptismate.* Neque pro Pontificis potestate, sed tantum pro populo. Non enim per Pontificis potestatem eo casu, quem ex D. Paulo affers, soluitur matrimonium, sed ipso facto, *ex ordinatione Domini*, id per Apostolum permittentis, non iubentis. Vnde Augustinus in hunc locum (lib. 1. de adulter. coniug. cap. 18.) *Sic enim recedere ab infidelibus vxoribus, vel maritis, fideles viri, vel fœmina non prohibentur à Domino, vt neque iubeantur. Nam si dimittere tales coniuges iuberentur, nullus locus esset consilio monentis Apostoli ne hoc fieret.* Quid inde per similitudinem deduxeris, nisi fidelem populum posse infidelis Principis imperio, si lubebit, adhærere, & si lubebit, ab eo recedere? Hoc autem quid ad Pontificis potestatem? Sed neque sic rectè asserueris ius populi. Cum enim diuersa hæc præcepta de iure diuino sunt; ciues Regibus esse subiectos, & matrimonii vinculum illibatum: an sequetur si vno casu in Scripturis expresso, vnum ex his præceptis à Deo relaxatur, hanc solutionem ad aliud transferendum? Qua tempestate Paulus hæc scripsit, nonne vt fideles aliqui cum infidelibus matrimonii vinculo tenebantur, ita & fideles aliqui subiectionis iure infidelibus erant obnoxii? Imo omnes Christiani, nullis tunc Principibus, præter infideles, regnantibus, & aliquot præterea serui fideles, sub infidelium iugo, vt patet ex *1. ad Timotheum. 6.* Nullo tamen Apostolus loco, nullo casu concessit, vel vt ciues ab infideli Principe deficerent, vel à Dominis serui. Quidni vero Bellarmine, tam fidelem Populum, quam fidelem coniugem, sui iuris admoneret Apostolus? cur laqueum iniecisset? Docet, inquam, matrimonii fœdus firmum esse debere, posse tamen in infidelibus solui, alterutro ad Christum accedente. Docet rursus; subditos atq; seruos, propter conscientiam, Principibus & dominis parere debere, nec exceptionem addit infidelis Principis aut domini (vt de matrimonio agens) imo illam manifeste excludit, cum tunc de infidelibus Principibus ageret, & de infidelibus dominis. Ex illius ergo doctrina, fideli populo, seruisque fidelibus, infidelem Principem, aut dominum, à potestate deiicere nulla iura concedunt: En vt ex tuo argumento argumentum perspicue pro Regibus natum.

§. 2.

ACCEDIT *deinde,* inquit, *propius ad rem, sed vt argumentum soluat, implicat se grauissimo errori: sic enim loquitur:*

Quod si de posterioribus coniugibus argumentum intelligat, in promptu responsio est, ex eadem Innocentii Epistola decretali: nimirum inter tales coniuges non esse ratum matrimonium, quantum ad indissolubile cõiunctionis vinculum attinet: & ideo eiusmodi coniuges plenam dissoluendi matrimonii libertatem habent, vt vel mutuo consensu, & bona gratia, vel cum ira sui animi, & offensa discedant: & alter inuito altero, vbi ei libitum sit, nexum illum coniugii per repudium & diuortium, dissoluat, & infra. Non mirum ergo si coniunx ad fidem perductus à coniugis in infidelitate permanentis consortio, & potestate liber sit: cum etiamsi ambo in infidelitate mansissent, æque liberum alterutri eorum fuisset ab altero recedere, & matrimonium repudio dissoluere, quia nullum initio inter eos ratum & firmum obligationis vinculum intercessit, & infra: Cum itaque nullum inter istos ratum coniugium existat: & subiectio politica, & regalis dominatio inter omnes gentes, & in omni lege, tam iure diuino, quam humano rata, & probata sit: quid absurdius, aut ineptius dici potest, quam illa inter se componere, & argumentum aliquod ab infidelium coniugum societate & iugo, quod excuti pro arbitrio potest, ad Regalis imperii iugum repellendum deducere, & idem de vtroque, quasi de plane similibus iudicare?

Respondeo. Mirum est cur tantus Iureconsultus ex vno verbo Innocentii male intellecto in tantum errorem se præcipitauerit, nam quod ait Innocentius in cap. Quanto, de diuort. matrimonium infidelium non esse ratum, non significat esse solubile ad libitum: sed non esse insolubile omnino, vt matrimonium fidelium: solum n. solubile est in casu Apostoli, ipso Apostolo declarante in ea re voluntatem Dei. Quod autem matrimonium infidelium legitime contractum sit firmum, & insolubile, excepto illo casu, perspicuum est, primo ex ipso Innocentio in c. Quanto, iam citato: Vbi dicit, Matrimonium infidelium esse verum: Matrimonium autem verum definitur, coniunctio viri & fœminæ indiuiduam vitæ consuetudinẽ retinens, c. illud, de præsumptionibus. Vbi Canonistæ communiter eam definitionem approbant, vt etiam Theologi apud Magistrum in 4. sent. dist. 27. Secundo idem Innocentius in c. Gaudemus, de diuort. expresse docet, repudium etiam apud infideles non esse licitum: quod idem habetur in Canone Si quis Iudaica 28. q. 1. vbi dicitur, apud infideles valere repudium lege fori, nõ lege poli. Tertio Concilium Tridentinũ sess. 24. in principio: Matrimonii, inquit, perpetuum, indissolubilemq; nexum primus humani generis parens, diuini spiritus instinctu pronunciauit, cũ dixit, hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Et certe Adam non de matrimonio tantum Christianorum, sed de matrimonio in genere locutus est: proinde omne verum matrimonium perpetuum insolubilemque nexum habet. Accedit quarto communis Doctorum sententia: siquidem Magister sent. lib. 4. dist. 33. Et cum eo sanctus Bonauentura, Richardus, Dominicus à Soto, & alii plurimi, docent repudium permissum fuisse Iudæis à Deo per Mosen, vt minus malum, sed nunquã fuisse licitum, neq; apud Iudæos, neq; apud Gentiles. Alii vero non pauci, vt S. Thom. Scotus, Durandus, Paludanus, docent quidem cum Iudæis esse dispensatum fuisse circa repudium ad duritiam cordis eorum, vt licitum

eis esset repudium: sed tamen à Christo sublatam fuisse eam dispensationem, vt postea non fuerit amplius, neque Iudæis, neque Gentibus licitum: sunt enim Christi verba satis aperta, Marci 5. Qui dimissam duxerit, mœchatur, & c. 10. Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium commisit super eam: & si vxor dimiserit virum, & alteri nupserit, mœchatur. Itaq; excusari non potest Barclaius, qui Turcarum errorem secutus, voluit licitum esse infidelibus pro arbitrio matrimonia separare. Tametsi enim Turcæ id faciunt, tamen cum errore manifesto faciunt.

Non satis accepisti Barclaii mentem, nullibi dixit infideles coniuges dato repudio posse ad alias nuptias *in conscientia* conuolare: sed hoc tantum, non esse ita firmũ eorum coniugium, atq; fidelium, quia, inquit, *nulla prorsus obligationis necessitate astricti sunt in facie Ecclesiæ, quin conuersus ad fidem maritus, si pars eius sine scandalo sequi nolit, aliam suo sibi arbitrio asciscat: & contra mulier ad fidẽ perducta, marito renuente cui volet in Christo nubat.* Ac præterea iure ciuili repudium fuisse concessum, quod etsi nequaquam nouarum nuptiarum in conscientia licentiam faceret, multa tamen bono iure ex eo sequebantur, vt bonorum discretio, & cætera, quæ ciuile ius poterat in coniugatis statuere, quæque non in Christianorum fauorem constituta, sed pro omnibus vniuerse coniugibus. De iure, inquam, ciuili Barclaius, & iisdem pene verbis, quib. Gratianus, 28. q. 1. in fi. *Coniugium*, inquit, *aliud est legitimum, & non ratum: aliud ratum, non legitimum: aliud legitimum, & ratum. Legitimum coniugium est quod legali institutione, vel prouinciæ moribus, contrahitur. Hoc inter infideles ratum non est, quia non est firmum & inuiolabile coniugium eorum. Dato enim libello repudii licet eis recedere ab inuicem, & aliis copulari, lege fori, non lege poli, quam non sequuntur.*

Nihil porro ex argumento tuo sequi in Reges, nec Populo ideo concedendum vt ab infideli recedat Principe, quod coniugi ad fidem accedenti ab infideli abire coniuge permiserit Christus, iam superiori §. disputatum, isto etiam qui sequitur disputandum. Sic tu enim:

§. 3.

E*X quibus*, inquis, *argumentum nostrum; quod frustra Barclaius soluere tentauit, omnino insolubile demonstratur. Nam si licet coniugi fideli propter fidem & religionem disrumpere vinculum alioqui insolubile, quo alligatus erat coniugi infideli ante conuersionem suam ad fidem: quanto magis licebit populo fideli disrumpere vinculum propter fidem, & religionem, quo alligatus erat Principi infideli, præsertim si is populum fidelem peruertere satagat? debilius enim esse vinculum quo astringitur populus Principi suo, quam sit illud quo astringitur vxor viro suo, perspicuum est cum vinculum populi ad Principem multis de causis solui potuerit, & adhuc possit: vinculum autem vxoris ad virum, apud Christianos in nullo casu solui possit, si ratum & consummatum fuerit: apud infideles autem iure solui non possit, nisi per conuersionem alterius eorum ad fidem, altero perseuerante in infidelitate.*

Multo certius iam collegi, ex his omnino constare, argumentum sine neruis à te produci: Neque enim coniugalis vinculi siue robur, siue infirmitas, quidquam hic præstat, sed Dei voluntas qui illius vinculi author. Non, inquam, hæc potestas fidelis coniugis, vt ab infideli discedat, à robore aut infirmitate ortum vinculi coniugalis, sed ex speciali concessione Dei, nobis per Apostolum reuelata, sine qua nihil eiusmodi licuisset.

At nec indistincte concedendum, matrimonii vinculum fortius quam subiectionis esse, aut vt in argumento tuo dixeras (quod hic tuo more mutasti) *non esse minorem potestatem coniugis in coniugem, quam Regis in subditos, sed aliquanto etiam maiorem.* Diuerso respectu, hic est coniugis, hic Principis maior. Neque enim corporis thorique potestas, quæ est coniugis, conceditur Regi: nec vitæ mortisq; ius, quod est Principis in subditos, in coniugem coniunx habet. Sed nunc caute *potestatem in vinculum* mutauisti: Dico vero, ne vinculum quidem cõiugii esse iure diuino æque firmum ac regni. Nam hoc saltem, de quo agimus, casu, indulgetur coniugi, vt à coniuge, dum est coniunx, abeat, & se aliis nuptiis implicet. At in Scripturis nullibi locus (addo, nec in bonæ mentis auctoribus) qui populo concedat, à Rege quamdiu Rex est, deficere, & in alium conspirare. Infidelis inquã coniunx, eo tempore, quo ab eo potest fidelis abscedere, adhuc verus cõiunx est. Id ex Apostoli verbis patet, suadentis ne eiusmodi fiat discessio, *si quis frater vxorem habet infidelem & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam Et si qua mulier fidelis habet virũ infidelem &c.* & paulo post. *Vnde enim scis mulier si virum saluum facies, aut vnde scis vir si mulierem saluam facies.* Ex Augustino quoq; clarum (*lib. 1. de adult. coniug.*) ita exponente Apostolum, vt hoc diuortium non iubẽtis Dei sit, sed tantum permittentis. Atqui si potest coniunx cum eo coniugali affectu remanere, quem potest deserere, certum est eum adhuc coniugem esse. Nam si non esset coniunx, nõ posset cum eo legitime commisceri. En igitur, vt hoc casu relinquitur liberum coniugi, vt relicto vero coniuge, ad aliud deuolet fœdus. Quod autem populo à Rege non liceat, quamdiu Rex est, deficere, vt omittam alios, tu ipse in hoc libro sæpe author es. Ita Pontificem loqui facis, (infra c. 31.) *Itaque nunquam ex me audies, nolite quidquam Cæsari, aut Principi vestro reddere, sed hoc audies, nolite seduci, vt etiam pro Cæsare aut Principe vestro habeatis, qui reuera Cæsar & Princeps esse desiit.*

Neque ad rem, quod aliis modis potest Rex potestate excidere, vt abdicatione spontaneã, belli iure &c. Nihil enim hæc ad subditos, quorum respectu subiectionis vinculum est ideo fortius, quam matrimonii, quod vno saltem casu coniuges suum vinculum permittente Scriptura aut seruare possint intactum, aut soluere. Subditi vero nequaquam: quos tu ipse vis à Rege quãdiu Rex est, non posse recedere.

Vide quam male ex collatione vinculorum, quæ populum Regi, & coniuges mutuo nexu astringunt, nobis nodum quæsieris. Neq; erat, vt modo dicebamus, quod de iis meminisses, cum non propter vinculi laxitatem, sed priuilegio omnino aut in Scripturis expresso, alterutri coniugi ad Christi fidem accedenti diuortium concedatur.

Nihil deniq; nostr. æ sententiæ commodius, quam hæc subditorum, coniugumq; collatio. Si enim non licet coniugi ad Ecclesiam venienti coniugem infidelem partè deserere, nisi quia Sanctus Paulus de insolubili matrimonii nexu agens, id à Deo concedi expresse perscripsit: cur licebit fideli populo, seruisque fidelibus ab infidelis domini; atque Regis potestate recedere, cum idem Apostolus, vbi de obsequio Regibus ac dominis deferendo, non modo hanc infidelitatis exceptionem non addiderit, sed & contra docuerit etiam infidelibus esse parendum?

CAPVT XXIV.

Vanum esse, quod ex commentaticiis pactis Regum ad Ecclesiam accedentium collegit Bellarminus. Longe esse diuersum, quod Reges, imo priuati spondent, intraturi Ecclesiam, nempe malle regno & vita exigi, quam in Christi fidem committere ab eo quod eos Bellarminus fingit promittere, sc. ea conditione se fieri Christianos, vt si à fide resiliant, possint per Ecclesiam suarum rerum dominio spoliari. Absurdum exemplum Bellarmini, à Romanorum consuetudine in socios Reges. Pontificem non habere omnem potestatem, quam Christus vt homo. Quo iure indulserit Christus Dæmonibus, vt porcorum gregem vndis perderent. Bellarminum sibi hic contrarium, qui vult Ecclesiam habere temporalem potestatem directe, ex Principum sc. pactis. Asserta similitudo, qua vtitur Barclaius, Cancellarii fidelitatis iusiurandum à Vasallis, Regis nomine, acceptantis, qui tamen non potest à fide deficientes vlcisci, cum Pontifice Reges ad Ecclesiam admittente. Recipi ad Ecclesiam posse, & debere Principes qui si delinquant, nolint ab Ecclesia temporaliter posse puniri.

Titulus est apud Bellarminum:

Defenditur ratio quarta Bellarmini pro potestate Pontificis in temporalibus.

§. I.

IN capite vicesimoquarto, inquis, proponit Barclaius rationem quartam, qua ego vsus fueram ad stabiliendam potestatem S. Pontificis in temporalibus vsq; ad ipsos Principes in certis casibus abdicandos. Hæc est autem ratio. Quando Reges, & Principes ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt sceptra sua subiiciant Christo, & pollicentur, se Christi fidem seruaturos, & defensuros etiam sub pœna Regni perdendi: ergo quando fiunt hæretici, aut Religioni obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponi a principatu, nec vlla fiet eis iniuria si deponantur. Hucusq; recitat Barclaius, quamuis in meo libro plura addantur ad confirmationem huius rationis.

Respondet autem admittendo antecedens, & negando consequentiam. Nam, inquit, licet verum sit Principes ad Ecclesiam venientes se sceptraque sua Christo subiicere, & vel vltro ea promissa seu tacite, seu expresse facere, quæ Bellarminus commemorat: non tamen verum est, nec inde sequitur, eos iudicari, & deponi posse ab Ecclesia, vel S. Pontifice, si fidem fallant, & pactum, ac iusiurandum negligant: quia suprema illa Christi iurisdictio, & potestas temporalis in Reges omnes, & Mundum vniuersum, quam habet, vt Dei filius, non competit Ecclesiæ, vel Pontifici, sed tantum illa potestas, quam Christus sibi assumpsit, dum inter homines humano more versaretur: at Christus nullum temporale dominium, & potestatem vsurpauit, dum in terris, vt homo inter homines ageret, ac proinde neque Ecclesia, vt Ecclesia, neq; Papa vt caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi vllam temporalem potestatem, vt pluribus explicat, & probat idem vir doctissimus lib. 2. de Pontif. c. 4.

Respondeo. Argumentum Barclaii, quo mei argumenti consequentia oppugnatur, malam habet consequentiam: & falsum antecedens, quare sine viribus vllis solo strepitu verborum pugnat. Consequentia, inquam, eius argumenti mala est, quoniam etiamsi Ecclesia, vel Papa non haberet ex se potestatem Principes hæreticos deponendi, haberet tamen ex ipsa promissione iurata, & ex pacto inito cum ipsis Principibus, quando ad Ecclesiam Christianam admissi sunt: id quod exemplo illustrari potest, quando enim Reges cum Romano Imperio societatem inibant, & fidelitatem illis iurabant, si postea Rex socius ad hostes Romanorum deficiebat, non existimabant Romani iniuriam se illi Regi facturos, si eum regno priuarent: quoniam tametsi ante initam societatem, nullam haberent Romani potestatem in eum Regem: tamen fides data, & iuramento firmata potestatem illis dabat. Deinde falsum est antecedens argumenti Barclaiani, vt hucusque satis ostendimus disputatione tam prolixa, & ex iis, quæ Barclaius hoc loco admittit, nullo negocio demonstrari potest, admittit enim habere Summum Pontificem, vt Christi Vicarium, eam potestatem, quam Christus habuit, dum vt homo inter homines vixit. Christus autem quamuis noluerit vllum temporale Regnum eripere iis, qui ea possidebant, idque vel sibi assumere, vel aliis tradere, tamen qui negat potuisse Christum id facere, Euangelium ipsum negat: quid enim est quod idem Christus dicit Ioan. 13. Dedit ei omnia Pater in manum? si habuit omnia in manu, certe super omnia potestatem habuit. si super omnia potestatem habuit, cur non potuit de temporalibus rebus omnium hominum disponere? Item Ioan 17. idem Dominus ait Patri, Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Vbi per omnem carnem omnes homines intelliguntur. Habuit igitur Christus homo in terris potestatem super omnes homines, ac per hoc super Imperatores etiam, & Reges; potuitque eos, si voluisset, iudicare, punire, Regnis Imperiisque priuare.

uare: tum potestatis exemplum aliquod ostendat, cum dæmonibus concessit, vt in ingentem porcorum multitudinem irruerent, eosq; omnes in mare suffocandos præcipitarent: neq; timuit ne foret iniuria afficeret eos, qui ex interitu tam numerosi gregis, qui ad duo millia ascendebat, teste S. Marco cap. 5. non leuem iacturam patiebantur. Iudicauit enim Dominum expedire ad gloriam Dei, vt de re illa temporali disponeret etiam cum detrimento Dominorum, vt sciretur quanta multitudo spirituum immundorũ hominem obsedisset, & quanta facilitate ipse tantum numerum dæmonum solo imperio eiecisset.

Quid tandem illa fraude agis? Dicis: *Hucusq; recitat Barclaius, quamuis in meo libro plura addantur ad confirmationem huius rationis.* Hinc Lectori persuadeas, Barclaium aliquid ex tuis verbis ac rationibus subduxisse, consulto, vel certe incuria? Arqui ne syllabam quidem omisit. Hic tuum proponit argumentum, confirmationem autem, & quæ restabant omnia huius quartæ rationis, transcripsit ad verbum, hoc eodem capite extremo, vbi que respondit. Quid tu igitur vana arma, hac in Barclaium suspicione, quærebas?

Ais, idq; cum fastidiente supercilio, consequentiã Barclaiani argumenti esse falsam, *quoniã etiamsi Ecclesia, vel Papa, non haberet ex se potestatẽ Principes hæreticos deponendi, haberet tamen ex ipsa promissione iuratã, & ex pacto inito cum ipsis Principibus, quando ad Ecclesiam Christianam admissi sunt.* Quæ tu mihi pacta, quas promissiones memoras? An fando audiuisti, Principes vllos istis aut similibus verbis promissionem concepisse. Cupio initiari baptismate, lubente animo Christi iugum complexurus, quod si vnquam à recta fide defecero, volo vt Ecclesia possit mihi regiam dignitatẽ auferre. Vbi, inquam, quoue seculo eiusmodi fœderibus se Principes implicuerunt, vt intrarent Ecclesiam? Neq; nego, si qui ad hæc pacta descenderint, ius Ecclesiæ in se fecisse. Promissiones, Bellarmine, queis se deuinciant ad Ecclesiam accessuri, multo alia conditione concepeiis. Nempe, Volo amplecti Christi fidem, malimq; opibus, regno, vita priuari, quam ab ea recedere. Cuius generis promissio non modo ab iis qui Ecclesiam primum intrant, sed & qui ad Pœnitentiæ Sacramentalis tabulam confugiunt, est aut tacite, aut expresse præstanda. Num enim, Bellarmine, pœnitenti peccata condones, nisi aut tacite aut expresse spondenti, malle se opibus, imo vita exui, quam in antiqua relabi flagitia? An vero ideo si quem imbecillitas naturæ fidem hanc frangere persuaserit, aut tu, aut Pontifex ex eiusmodi promissionis vi, illi opes adimetis, illi vitã? Meræ nugæ. Longe aliud, si quis palam, & ex animo statuat, malle se Regno, facultatibus, vita abire, quam à Christo deficere, & si quis eo sit animo vt velit Ecclesiæ & Pontifici esse ius, eum regno spoliandi, facultatibus, vita, si à Christo defecerit. Hæc, inquam, toto cœlo diuersa. Deniq; num hoc solum Principes spondent intraturi Ecclesiam? an illos baptismo credis idoneos, si nõ vitam æque ac regnum parati sint potius quam Christi legem proiicere? An ideo illos, si à proposito recesserint, extremo supplicio animaduertet Ecclesia? Certe enim non regna, quam vitam, Ecclesiæ magis volunt esse obnoxia.

Neq; dixeris, Barclaium concessisse hæc inter Ecclesiam & Principes pacta sanciri; Dicit se hæc à Sandero accepisse, cuius *captiosa sint rationes*, & hæc sponsionũ formula omnino *ficticia. Itaq;*, inquit, *ardens in Christum amor, & præsens fidei confessio, vna cum iis promissis quibus generaliter spondent se Christo nomen daturos, & eius Ecclesiæ filios futuros, diabolo & eius operibus renunciaturos, Dei & Ecclesiæ mandata seruaturos, & id genus alia, vt recipiantur abunde sufficiunt.* Addit hoc ipso capite (quæ illius verba in tuum textũ nequaquam retulisti) *Nec vnquã poterit vel Bellarminus, vel alius quispiam, essi ex aliquod testimoniũ ex vllius seculi monimentis eruere, quo nobis planũ faciat, Reges & Principes seculares, dũ ab Ecclesia ad fidẽ reciperentur, ita iuri suo renunciasse, vt & imperium tẽporale, quod à Deo acceperant prorsus deponerent, & seipsos in negotiis politicis iudicandos, pœnaq; temporali plectendos, Ecclesiæ subiicere.* Noli igitur Barclaio imponere, quasi hæc pacta, à te, & à Sandero ficta, admittat. Concedit eos Christo nõ vt homini, sed vt Dei filio, Deo ipsi immortali, sceptra subiicere, se inquã Christi Dei potestati permittere, qui diuino numine eosdẽ, si rebellẽt, castigare, & à deficientib. possit regnũ auferre. Sed negat eiusmodi illos pacta cũ Ecclesia iniisse, & regale ius Pontificio permisisse iudicio.

Id quod exemplo, inquis, *illustrari potest. Quando enim Reges cum Romano imperio societatem inibant, & fidelitatem illis iurabant, si postea Rex socius ad hostes Romanorum deficiebat, non existimabant Romani se iniuriam illi Regi facturos, si eum regno priuarent: quoniam tametsi ante initam societatem nullam haberent Romani potestatem in eum regem: tamen fides data, & iuramento firmata, potestatem illis dabat.* Ita me amet veritas, vt hæc vana, hæc absurda, scribi à te potuisse demiror, Bellarmine. An idem porro est *societatem inire, & fidelitatem iurare?* Cum ambitu, Bellarmine, quærebatur socii nomẽ, quod non nisi pro magnis in Remp. meritis nanciscebantur Reges (vide Liuium *lib. 35.* Cæsarem *l. de bello Gallico.*) Erat autem societas, vt hi Romanos sibi res ferret & vicissim à Romanis iuuarentur, nec Romanis aliam fidem, quam Romani ipsis dabant, nempe in mutuo fœdere, & quod summæ Regum libertati non obstabat. At *iurare fidelitatem*, quibus iam solent aut solebant, nisi victis, & in alienã transeuntes? nisi late & omnino improprie *fidelitatis* nomen pro fœderis fide accipias: sed & significatione eiusmodi, ipsi quoq; Romani sociis Regibus *iurabant fidelitatem.* Quid igitur à diuersa iungebas, *societatem inire, & fidelitatem iurare?* Sed esto, in Romana erraueris historia, & in publico site: quid annectis? *Si postea*, inquis, *Rex socius ad hostes Romanorum deficiebat, non existimabant Romani se iniuriam illi Regi facturos, si eum regno priuarent.* Hoc demum vix ferendum, tamq; prudenti viro. Quid enim si socius non fuisset, qui adhæsisset hostibus, an minus sibi licere Romani credidissent eũ à regno in catenas deducere? An Istri, an Gallogræci Romanorum

Nusquam gentium. Domiti tamen, quod hi Ætolis, illi Antiocho fauissent in Romanos. Aufer igitur tam alienam rationem, *quoniam etiamsi ante initam societatem, nullam haberent Romani potestatem in eum Regem, tamen fide data, & iuramento firmata potestatem illis dabat.* Neq; enim ius illud persequendi bello Reges, inde ortum, quod fidem violassent, sed quod in violanda fide se Romanorum hostibus coniunxissent. Si enim renunciassent fœderi, si sociorum nomen repudiassent, neque tamen quid amplius egissent in Romanos, nihil iuris certe Romanis in eorum fuisset imperia; non magis quam in Hispanum Gallo, si se non inimicum quidem, sed nec fœderatum velit haberi.

Quid denique hoc pro Ecclesiæ iure in Reges? imo quam absurda collatio? Imperium Romanum, quod politicum erat, & temporalibus armis instructum, eos Reges qui temporaliter illi suberant, eos quoque qui temporalem societatem cum eo inierant, temporaliter vlcisci potuit, regnisque deiicere, ergo Ecclesia, quæ spirituale habet imperium, spiritualiter sibi subditos, aut spirituali societate iunctos, si ab officio recesserint, temporaliter punire poterit, regnisq; spoliare. Cuius ille imperitiæ, cui vitium tui argumenti illuserit?

Dicis, Barclaium suo ipsi argumento contrarium: Nam admittit Pontificem habere *eam potestatem, quam Christus habuit, dum vt homo inter homines vixit.* Atqui Christus potuit regna auferre regnantibus, sibiq; sumere, vel alteri tradere. Ergo & Pontifex idem potest. Hic tu eius, & verba & mentem corrumpere. Verba; nam non dixit, *eam potestatem, quam Christus habuit*, vt finxisti; sed, *quam Christus sibi assumpsit*, & quam *vsurpauit, dum in terris, vt homo inter homines ageret*; seu qua ordinarie vti voluit. Mentem; neq; enim vnquam sensit eam potestatem, qua Christus, vt homo, præditus fuit, conuenire Pontifici; sed aliquam *portionem, secundum mensuram donationis Christi*, vt tu ipse scripsisti, *lib. 1. de Pontif. cap. 9.* Nam quis ex Christianis dicat (nisi forte Petrus ille Bertrandi, Ioannes Faber, similesque aliquot per blasphemas sententias extollentem Pontificem, ei ius in cœlum, in terram, assignantes, in corpora, in animas, in temporalia, in spiritualia, ei denique omnia concedentes, quæ potuit Christus) Pontificem eam omnem habere potestatem, quam habuit Christus, vt homo? Poterat Christus, vt homo, effectum sacramentorum sine sacramentis conferre, quod nemo alius homo potest, vt disputat D. Thomas in tertia parte quæst. 64. artic. 3. quæst. 72. art. 2. quæst. 84. art. 5. *Dedit ei omnia Pater in manus, dedit ei potestatem omnis carnis*, inquit Euangelista. An tu dices potestatem Pontifici in omnem carnem datam? certe in infideles, qui non dominantur fidelibus, nihil potest, vt fateris: & hi tamen caro sunt. Vis tu vero cum *dedit Christo Pater omnia in manus*, hanc potestatem fuisse indirectam? at vis potestatem Pontificis temporalem esse tantum indirectam, & ratione consequentiæ. Ergo non potestatem habet, quam habuit Christus. Quid plura? tu ipse (cap. 27. § vlt.) fateris potestatem Pontificis, *non esse omnino æqualem illi potestati, quam in terris habere voluit, & habuit Christus vt homo.*

Sed nec aliud vestigium istius potestatis à Christo vsurpatæ inuenisti, quã quod dæmonibus indulserit obruere vndis porcos. O serium argumentum! Mihi crede, saltem nobilius animal oppressisset, si hoc fuisset in exemplum, posse Reges & Principes, per Vicarios suos Pontifices abdicari. Fuit hoc, Bellarmine, summæ illius & diuinæ potestatis, quæ data illi erat in cœlo, & in terra, vt exsiccare verbo ficum, imperare ipsis ventis, lumen cœcis restituere, pedes claudis, languentibus membra. Neque illa humanis peragere mediis; sed per miraculum, & sola voluntate; quæ potestas, & agendi ratio, quam non Pontifici data sit, nec tu neges. Dicis ipse, libr. 5. de Roman. Pontif. cap. 4. *quod neque habet Pontifex omnem potestatem prorsus, quam habuit Christus, vt homo mortalis, ille enim quia Deus & homo erat, habuit quandam potestatem, quam dicunt excellentiæ, per quam præerat tam fidelibus quam infidelibus*, & eodem libro cap. 5. vis illis Christi verbis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, intelligi *potestatem quandam summam in omnes creaturas, non temporalem, sed diuinam, vel diuinæ simillimam, quæ non potest communicari homini mortali.* Constat igitur hac summa potestate præditum Christum, potuisse indulgere Dæmonibus, vt hunc porcorum gregem perderent. Ita Corn. Iansenius in concord. Euangel. cap. 31. *Sed mirum videri possit, cur Christus, qui hoc quod dicebatur, hoc est, Saluatorem, sese in omnibus gessit, permiserit dæmones porcos inuadere, & perdere; quanquam nullum sit dubium, quin sic id concedere potuit, cum esset dominus omnium.* Fuit hæc igitur directa Christi auctoritas, atque summa, qui cum verus rerum omnium Dominus ac Princeps sit, potuit Gadarenos mulctare suum grege; tum quia illius omnia; tum quia iustæ in Gadarenos causæ: qui cum Israelitæ essent, *porcos contra Dei verbum aluerant*, vt ibidem disputat Iansenius. Ita Franciscus Victoria, vir tamen vestrarum partium, Relect. 1. de Potestat. Eccles. Sectione sexta, *Esto*: inquit, *quod concedatur, quod Christus habuerit dominium totius Orbis, expediebat quidem quod ipse haberet, tum propter auctoritatem personæ, tum quia erat renouaturus orbem, & ipse non poterat abuti potestate: non autem expediebat vt eam potestatem relinqueret in Ecclesia; quia possent Pontifices male vti ad perniciem Ecclesiæ.* Sit itaque Christus, vt homo, non Ecclesiæ modo caput; sed & omnis terræ, omnis hominis Dominus. Pontifex vero in spirituali & ordinaria Ecclesiæ gubernatione Vicarius.

Ita restat illibata Barclaii in tuum argumentum solutio: nempe Reges, cum in filios Ecclesiæ adoptantur, nulla eiusmodi cum Ecclesia pacta inire; sed se cum sceptris suis CHRISTO subiicere, à quo vno plectantur, si fidem fefellerint; non à Pontifice, qui non potest omnia, quæ filius Dei CHRISTVS.

§. 2.

QVOD *addit Barclaius*, inquis, *me docuisse Ecclesiam, vt Ecclesiam, vel Pontificem, vt caput Ecclesiæ, & Christi Vicarium, nullam temporalem potestatem habere posse: mera impostura est. Ego enim solum docui, Pontificis potestatem directe spiritualem esse, sed indirecte extendi ad temporalia, atque ad ipsam etiam Principum terrenorum depositionem. Et cur obsecro, tantum laborat Barclaius in examinandis, & refellendis Bellarmini rationibus, pro confirmanda Pontificia potestate in temporalibus, si Bellarminus cum Barclaio conuenit in abneganda Pontificia potestate in temporalibus? Sed libri sapius recusi extant, & facile poterit Lector iudicare; vtrum egò in eodem libro mecum ipse pugnem, an potius Barclaius impostorem agat, ea sententia nobilis poëta fretus;*

Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

Bona verba. Nihil tibi affinxit Barclaius. Scribis, Pontificem, nullam directe temporalem potestatem in Reges habere. Atqui hic agitur de directa potestate. Recte igitur Barclaius tua auctoritate in te vsus; De directa, inquam, hic agitur. Dicis enim, hanc potestatem Pontifici, & Ecclesiæ accedere, per Principum pacta, quæ in baptismo ineunt. Ius vero, Bellarmine, quod in aliquem per pactum aut stipulationem nanciscimur, omnino directum est, nec per consequentiam, sed primo ac per se acquiritur. Si igitur ob hanc causam Ecclesia temporalem potestatem nanciscitur: errasti, cum non ei directum concederes, & recte Barclaius tuis armis in te pugnauit. Vide iam vter impostorem egerit, Bellarmine: tu ne, an Barclaius.

§. 3.

ADDIT *postea Barclaius*, inquis, *aliam responsionem, quoniam non erat tam stupidus, vt non videret priorem solutionem nullas vires habere, ait igitur: Quæ omnia promittunt quidem Principes Christo, acceptante promissionem Ecclesia, tanquam eius sponsa, in cuius sinu regenerantur, aut ipso Pontifice, non vt homine, sed vt Christi Dei ministro vicariam operam prabente; at proinde ipsi Christo per Ecclesiam, vel Papam, obligatio principaliter acquiritur, & infra: Si pactum conuentum postea neglexerint, aut prorsus contempserint, ab eo solo puniri possunt, in cuius verba iurarunt, quique omnium rerum temporalium Dominus est, & quem supra se iudicem in temporalibus solum habent: non autem ab eo, cui rerum tantummodo spiritualium, & recipienda promissionis cura commissa est.*

Respondeo. Promissio, qua Principes infideles cum ad Ecclesiam veniunt, pollicentur se fideles futuros, & Ecclesiam defensuros, neque ab ea vnquam recessuros, aut eam oppugnaturos, sub pœna priuationis Regni: promissio, inquam, eiusmodi principaliter quidem ad Christum dirigitur. sed tamen transgressuros non solum Christus immediate, & per se, punire potest: sed potest etiam Christi Vicarius, qui auctoritate à Christo accepta, Ecclesiam regit, transgressores pacti, & iuramenti punire: quemadmodum quotidie videmus, eos qui absenti Regi coram Prorege fidelitatem iurant: si forte defectionem moliantur, ab ipso Prorege continuo puniri: & Clericos, qui absenti Episcopo, coram eius Vicario generali obedientiam spondent, si forte contumaces efficiantur, ab eodem Vicario carceribus mancipari, & plecti.

Impostor sim, si quis insignius, quam hic tu, Lectori illuserit. An enim quæ ex Barclaio retulisti, hoc quem fingis sensu scripta? id est, an agebat Barclaius de his pactis, quæ somnias intercedere *de committendo regno?* Nihil minus. Ita ait. *Itaque ardens in Christum amor, & præsens fidei confessio, vna cum iis promissis, quibus generaliter spondent se Christo nomen daturos, & eius Ecclesiæ filios futuros, diabolo & eius operibus renunciaturos, Dei & Ecclesiæ mandata seruaturos, & id genus alia, vt recipiantur, abunde sufficiunt:* tunc sequitur, quod ex ipso truncatum exscribis, *Quæ omnia promittunt quidem Christo, acceptante promissionem Ecclesia, &c.* Tu fingis illis verbis, *quæ omnia,* Barclaium loqui de promissionibus, quibus Principes infideles spondeant, se non recessuros ab Ecclesia, *sub pœna priuationis regni.* Quam hæc manifesta fraus! quam tu illius carminis memineras, quod paulo ante exscribis, *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

Dico igitur cum Barclaio fictitia esse illa, quæ somnias pacta (vt nos pluribus hoc cap. §. primo) *& propositum ad voluntatem* satis esse, qua ad Ecclesiam Princeps accedens, se regno cessurum; imo orbe, atq; vita, decernat, ante quam fide. Sponder quid facturus sit, abrenunciaturum nempe Satanæ mundi pompis, &c. At nemo pœnam ab eo stipulatur, si sponsioni non steterit. Pœnas ergo si fidem fefellerit non qualcunque, neque ex eiusmodi *promissionum* vi, quas hic frustra finxisti, sed quæ Ecclesiastici sunt iudicii, infliget Pontifex; illi nempe peccato, illi Apostasiæ, censuras, excommunicationem, anathema: Ita velut spiritualiom Prorex à suo Rege deficientes spiritualiter vlciscetur; ne non putes aliquid tuæ similitudini esse concessum.

§. 4.

AT, *inquit Barclaius*, dicis, *Raro Rex ipse fidelitatis iusiurandum acceptat, sed vt plurimum per Cancellarium id opus exequitur. Cancellarius itaq; cum Magnates in verba Regis iurantes ad feuda, & dignitates admittit, vices in ciuili administratione, & iurisdictione temporali sub Rege partes obit, quas Pontifex sub Christo in spirituali gubernatione Ecclesiæ, cum Principes ad eum venientes interposito fidelitatis, & pietatis ergo Deum sacramento recipit. Et vt ille quidē clientes semel receptos (licet postea fidem frangat, crimenq; committat, (quod feloniam vocant) ex nulla causa feudū auferre potest, quod solius Regis sit, minimeq; Cancellario*

con-

concessum. Itaneque hic receptos in Ecclesiam Principes, quantumuis grauiter postea delinquant, fideique desertores fiant, Regnis & dignitatibus priuare, aut alio modo temporaliter punire potest.

Respondeo. Hæc est tota ratio deceptionis Barclais, quod Summum Pontificem Cancellario similem esse dicit, in quo nulla est iurisdictio. Quæ similitudo longissime abest à veritate: siquidem Scriptura diuina veram potestatem, & iurisdictionem, eamque amplissimam & supremam Pontifici tribuunt: Nam quod dicitur Matth.16. Quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris, non officium Cancellarii, sed officium Præsidis iurisdictionem habentis sonat. Et illud, Pasce oues meas, Ioan.vlt. non officium Cancellarii in Regno, sed potestatem illam Pontifici tribuit in Christianos, quam habet Pastor in oues, qui eas vtique regere, & ligare, & baculo ferire, & ad omnem obedientiam cogere potest. Illud etiam, quod Apostolus in Actis cap.20.dicit: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei: non officium Cancellarii, sed officium Rectoris & Præpositi significat. Denique illud Matth. 24. Quis putas est fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiam suam? non officium Cancellarii nobis ostendit, sed officium Magistri domus, qui toti familiæ cum potestate præest. Quare Summus Pontifex non Cancellario, sed Proregi in Regno, vel Vicario in Episcopatu, vel Rectori in ciuitate, vel Præposito in familia, vel capiti in corpore comparari debuit: & hæc quidem à nobis dicta sunt, si admittenda esset sententia illa Barclaii, quod Principes cum ad Ecclesiam veniunt, soli Christo fidelitatem & obedientiam spondeant: sed ea sententia falsa est, neque eam admittere vlla ratione possumus. Spondent enim Principes obedientiam, & fidelitatem, expresse vel tacite, non Christo solum, sed etiam iis, qui Christi locum in terris gerunt. Atque huc pertinet illa confirmatio argumenti, quam ego rationi meæ quartæ subieci, & quam Barclaius in extremo capite vicesimoquarto refert, & quorsum pertineat ignorare se dicit, aut fingit.

Si me audis, nunquam ad iuris disputationes accedes. Istum campum sine lapsu te ingressum non memini. Nunc a. quam absurde, *Cancellarium iurisdictionem non habere!* Quo id authore? Imo multis in locis amplissima illi iurisdictio, & quæ prouocationem non admittat, certa tamen, & quæ suos fines habeat. Sed tu aut Barclaii argumentũ non cepisti, aut cautissima dissimulatione eludis. Neq; enim Barclaius Cancellarii, vt Cãcellarii, meminit, siue propter illius dignitatem, aut iurisdictionem; sed quia munus illud *recipiendi homagii* vt plurimum Cancellario tribui solet. Vnde non de Cancellario magis, quam de alio quolibet loquitur ad illam rem delegato; *per suum Cancellarium*, inquit, *aliumve ad hoc specialiter delegatum*, quæ tu verba in referendo Barclaii textu cautissime subduxisti. Mens igitur Barclai: Velut Reges per quoslibet delegatos fidem accipiunt ad feudos regios accedentium; cum hi tamen delegati feudos eosdem auferre non possint fallentibus fidem. Ita licet Principes promittant Ecclesiæ se seruaturos Christo fidem; tamen si à promisso recesserint, non possunt dignitate per Ecclesiam spoliari; tum q sit longe aliud, posse in fidẽ accipere, & posse violantes fidem vlcisci; tum q Principatus atq; regna à solo Deo pendeant, nec vllis verbis, aut legib. Principes Ecclesiæ promittentes se Christo fore obnoxios, sanciant, vt quod ius in illos soli Deo competebat, id Ecclesiæ quoq; cõpetat, & Ecclesiam regenti Pontifici.

Frustra igitur Scripturæ percenses sententias, quibus probes, iurisdictionem Pontifici tribui, frustra, inquam, cum nec Barclaius neget spiritualem iurisdictionem illi datam; temporalem vero, aut in temporalia, nullibi Scriptura assignet. Sed non omitto, quod ex Apostoli verbis (Act. 20.) refers; *Attendite vobis, &c.* An hoc autem Romano Pontifici dictum? imo maioribus natu Ecclesiæ Ephesiorum. Si igitur illis verbis iurisdictio describitur, quæ possit ipsos Reges coercere; non hæc modo potestas summo Pontifici, non vniuersæ modo Ecclesiæ, sed maioribus natu omnium Ecclesiarum datur. O stabiles scilicet Reges, quos tot Censores mouere loco possint.

Dicis, Principes *non soli Christo fidelitatem & obedientiam spondere; sed etiam iis, qui Christi locum in terris gerunt.* Cur vero non addebas sponsionis huius verba? Quænam hæc formula, si expressa est; aut si tacita, ex qua alia, necessaria consecutione deducitur? Nuda hæc tua & inanis assertio. Scias ergo; nullibi Principes *fidelitatem & obedientiam* spondere Pontifici, nisi *spiritualem*, siue, *in spiritualibus*: temporalem autẽ, vel in temporalibus, de qua iam agimus, nusquam; Quin si spoponderent, eo ipso, Bellarmine, vero & summo Principatu exciderent. Iam Barclaii verba sic refers.

§. 3.

QVOD autem, inquit Barclaius, *huic quartæ rationi subiicit* Bellarminus: *(Nam non est idoneus sacramento baptismi, qui non est paratus Christo seruire, & propter ipsum amittere quidquid habet: ait enim Dominus Lucæ 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus,) id quorsum spectet, non video: nemo certe hoc negat, sed quid inde? talis ratio non magis ad institutum pertinet, quam quod remotissimum est: vt nec illud, quod ibidem sequitur. (Præterea Ecclesia grauiter erraret, si admitteret aliquem Regem, qui vellet impune fouere quamlibet sectam, & defendere hæreticos, & euertere Religionem) est hoc verissimum, sed vt dixi, nihil ad institutum pertinet: non enim de ea re hic quæstio est, sed de potestate temporali Ecclesiæ, siue Summi Pontificis.*

Respondeo. Quorsum ista pertineant, & quòd ad rem propositam maxime faciant, ita ostendo. Fingamus Regem aliquem infidelem ad Ecclesiam venire, & à Barclaio institutum ita loqui, Ego ciuis Sanctorum per baptismum effici cupio: & sancte promitto, sceptrum meum CHRISTO *velle subiicere, Ecclesiam eius pro viribus defendere, & nunquam à sancto proposito deficere: protestor tamen, quod si forte fidem fregero, si hæreticus, si apostata, si paganus euasero, si Religionẽ Catholicam persequi, & funditus euertere conatus fuero:*

nolo

nole ab Ecclesia, vel eius Præside, sed à solo Christo pœna temporali puniri: & si forte Præses Ecclesiæ per sententiam excommunicationis me de cœtu piorum expulerit; volo vt nihilominus fideles Ecclesiæ filii mihi, vt Regi seruire, & obedire teneantur, neque ab huius obedientiæ vinculo absolui vllo modo possint. Quæro nunc à Barclaio, an eiusmodi Rex ab Ecclesia, vt idoneus, ad baptismum possit admitti? *affirmabit*, opinor, *sed à prudentibus irridebitur. Nam si quis ciuitate terrena donari vellet, & protestaretur, si proditor ciuitatis fieret, nolle se à Præside ciuitatis, sed à solo Rege in longinqua regione manente, immediate posse puniri: quis non rideret? Certe qui paratus esse debet, iuxta Euangelium vitam propriam exponere pro Christi fide, nonne magis paratus esse debet Regnum terrenum amittere? ridiculum autem est, dicere, paratus sum Regno priuari, si fidem fregero: sed nolo priuari per sententiam hominum, volo per Angelos de cælo sententiam pronunciari. Certe etiam Ecclesia valde esset imprudens, si in gremium suum admitteret eum, qui vellet impune grassari in Ecclesiæ membra, & nollet fidelem populum posse per vllam hominum mortalium auctoritatem à sua tyrannide liberari.*

Paucis agam in te clara. Nam vt Tranio Comicus, *apud nullum iudicem obtinebis, nisi cui pro omnis fide sit tibi credere.* Quid enim apud cordatos liquidius, quam orationem illam Regis à Barclaio, vt ais, instituti, quam ipse componis, *Ego ciuis sanctorum per baptismum effici cupio, &c.* esse eiusmodi, quæ non modo non baptismi voto repugnet, sed quam pii omnes Principes habuerint, ad Ecclesiam accedentes, aut tacite, aut expresse? Dicis tamen, Barclaium à prudentibus irridendum, si Regem illius animi, illorumque verborum, putat in Ecclesiam admitti debere. *Irridebitur?* quamobrem? quia *si quis ciuitate terrena donari vellet*, inquis, *& protestaretur, si proditor ciuitatis fieret, nolle se à Præside ciuitatis, sed à solo Rege in longinqua regione manente, immediate posse puniri, quis non rideret?* quis hanc tuam potius similitudinem non rideret, Bellarmine, nisi res tam seria excluderet risum? Quæ vero ista collatio? qui temporali ciuitate donari vult, rideretur, si temporali imperio Præsidis nollet subiici; ergo Rex dum cupit in spiritualem adoptari ciuitatem, ridebitur, si puniri temporaliter nolit ab eo, qui illius spiritualis regiminis præses est? Non opinor tibi ipsi has nugas, tam frigidas, tam absurdas, placuisse. Vide autem quam hæc ipsa idonee in te aptentur. Vt non ille vero ridebitur, qui ciuitatis temporalis iura ambiens nolit à politico illius ciuitatis magistratu spiritualibus censuris castigari; ita nec ille, qui spiritualem sanctorum ciuitatem ambiens, nolit tamen à spirituali illius ciuitatis Præside temporali vindicta coerceri.

Non igitur eiusmodi Princeps dicit, nolle se à Præside Ecclesiæ, sed à solo DEO immediate posse puniri; imo se potestati Pontificis, quantacunque, & quam lata est, subdit; nimirum vt ab eo plecti spiritualibus pœnis possit; pœnis, inquam, quæ omnium grauissimæ; quarum dispensationem Christus concessit Ecclesiæ; quas solas in sua potestate agnouerunt Apostoli, & qui primis Ecclesiæ seculis, Apostolis successere Episcopi.

Pergis. *Certe qui paratus esse debet*, inquis, *iuxta Euangelium vitam propriam exponere pro Christi fide, nonne magis paratus esse debet regnum terrenum amittere? ridiculum autem est, dicere, paratus sum regno priuari, si fidem fregero, sed nolo priuari per sententiam hominum, volo per Angelos de cælo sententiam pronunciari.* Quam versute res omnino dissimiles fraude verborum iungis? quasi idem sit, dicere, *paratus sum & regnum & vitam amittere, antequam Christi fidem*; &, *consentio, vt si fidem Christo datam fefellero, mihi & regnum eripiatur, & vita.* Hæc toto cœlo diuersa. Prima propositio ostendit necessariam pietatem animi, omnia præ cœlestibus contemnentis; secunda, voluntariam pœnitentis in sese vltionem. Prima, inquam, ostendit, quid facere homo intendat; secunda, quo se modo plecti velit, si à proposito aberrarit. An idem, Bellarmine, si quis dicat, malle se in mille nummos tibi teneri; quam se adulterio obstringere, & si dicat, velle se si vnquam adulterio se obstrinxerit, tibi in mille nummis ita teneri, vt ab illo eos possis tuo iure reposcere, & auferre? Vides quam hæc duo diuersa sint, quæ tamen caute permisces. Sed & omnes omnino Christiani, eo animo debent esse, vt vita, nedum opibus abeant potius, quam in mortale peccatum consentiant: num igitur Ecclesiæ erit ius, omnes in aliquod eiusmodi crimen lapsos, opibus, vitaque exuere? certe erit: si ideo quod Reges eodem animo esse debent, illis ab hac voluntate desciscentibus, per Ecclesiam imperia possint auferri.

Certe etiam, inquis, *Ecclesia valde esset imprudens, si in gremium suum admitteret eum, qui vellet impune grassari in Ecclesiæ membra, & nollet fidelem populum posse per vllam hominum mortalium auctoritatem à sua tyrannide liberari.* An vero impune grassabitur, qui poterit excommunicatione feriri? Dicis ipse (libro tertio de Laicis, cap. 21.) *excommunicationem esse pœnam maiorem morte temporali.* Neque, fateor, baptismo idoneus, qui nolit huius pœnæ ius, Ecclesiæ in se concedi: Neque etiam idoneus, qui vlla tyrannide meditetur fideles opprimere. Sed qui sit ea mente, vt pie quidem & Christiane viuat; si tamen humana imbecillitas eum deinde ad tyrannidem traxerit, nolit per Ecclesiæ sententiam eiici regno posse: is vero baptismo non indignus: sed omnino imprudens sententia, quæ Ecclesiæ tales Principes admittenti, imprudentiæ notam ascribit.

CAPVT XXV.

Christum committentem Petro suas oues, ei potestatem temporalem non dedisse. Similitudinem, qua vtitur Bellarminus, carnis & spiritus, (quæ duo & coniuncta, & separata inueniuntur) cum potestate Ecclesiastica & Politica; pugnare in indirectam Pontificis potestatem in temporalia.

Apud Bellarminum titulus est:

Defenditur quinta ratio Bellarmini pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. I.

IN capite vicesimoquinto, inquis, *Barclaius excutit rationem meam quintam, ac primum eam refert his verbis: Quinta & postrema ratio est ex cura, & officio pastorali. Cum Petro dictum est, inquit, Pasce oues meas, Ioan. vlt. Data est illi facultas omnis, quæ est Pastori necessaria ad gregem tuendum: at Pastori necessaria est potestas triplex, vna circa lupos, vt eos arceat omni ratione, qua poterit: altera circa arietes, vt si quando cornibus lædant gregem, possit eos secludere: tertia circa oues reliquas, vt singulis tribuat conuenientia pabula; ergo hanc triplicem potestatem habet Summus Pontifex.*

His ita relatis subiungit Barclaius: Ex hoc principio & fundamento tria, vt illi videtur, argumenta vrgentia deducuntur. Sed ne longius abeat, respondeo imprimis ad istud ipsum fundamentum, totum verum esse, ac pronte stare, atque inde contrarium eius, quod ipse asserit, bellissime colligi. Hæc ille, qui post multa inania verba texit hunc syllogismum: Christus commendando suas oues Petro dedit omnem potestatem necessariam ad tuendum gregem. Atqui non dedit ei potestatem temporalem: ergo potestas temporalis non est necessaria ad tuendum gregem.

Respondeo. Si per potestatem temporalem intelligi velit Barclaius potestatem, quæ sit in se propriè, & formaliter temporalis; admitti potest argumentum: sed nego inde sequi, non esse necessariam Summo Pontifici potestatem, quæ licet sit in se spiritualis, tamen extendi possit ad temporalia, prout ad spiritualia referuntur, eisq; subordinantur. Sin autem per potestatem temporalem intelligat potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia: tum dico, falsam esse assumptionem: & addo syllogismum Barclaii eo vitio laborare, quo nullum est in arte differendi notius, id enim assumit & sibi concedi petit, quod vertitur in quæstionem. Assumit enim S. Petro non fuisse datam temporalem potestatem, quasi hoc ipsum non esset quod in toto libro suo probare contendit. Et certe si isto modo disputare liceret, possem ego quoque ita ratiocinari: Christus Petro dedit eam solum potestatem, quæ necessaria est ad tuendum, & pascendum gregem: atqui dedit potestatem spiritualem, quæ extenditur ad temporalia, vt ad spiritualia referuntur; ergo eiusmodi potestas necessaria est ad gregem tuendum, atque pascendum.

Ais Barclaium assumere, & sibi concedi petere; quod vertitur in quæstionem. Nihil minus. Nam assumptionem illam, *Atqui non dedit ei potestatem temporalem*; non vt concessam, sed vt probandam contexuit: probat autem, idq; multis; *Assumptio autem*, inquit, *probatur testimoniis, &c.* imo in ea totum hoc caput insumpsit. Vis tamen illius rationem eludere. Nam coactus concedere, Petrum non accepisse temporalem à Christo potestatem; Ita est, inquis, sed accepit potestatem in temporalia: Iam nos sæpe *discrimen hoc verbale*, vt vocat Ioannes Maior, explosimus. Potestas temporalis, & potestas in temporalia, verbo duntaxat discrepant. Cur enim Bellarmine, potestas, quæ vocatur *temporalis*, hoc nomen sortita est? nonne quia de temporalibus, disponit ac iudicat? nonne inquam potestas temporalis, quæ valet in temporalia, siue in temporalibus? certe alia huius nominis ratio non est: vt omnino potestas temporalis sit potestas in temporalia; & potestas in temporalia; temporalis. Quo modo, *imperium in terris*, non de Imperatoria dignitate, intelligi; sed de potestate in ista terrena; quocunque nomine aut imperans, aut imperium appelletur; iam ante docuimus; *cap 2. §. 10.* Cum igitur Patres antiqui temporalem potestatem Petro non datam scribunt; intelligunt nec temporalem illi datam, nec in temporalia: quando vtrumque vere & syncere loquentibus idem est: nec dum illorum æuo, hoc tuæ distinctionis inuentum implicuerat rei clarissimæ notionem. Petrum autem hac in temporalia potestate non donatum, neque illam spirituali necessariam fini, iam passim est à nobis disputatum. Vide, Lector, *cap. 5 § 5. cap. 17. 2.*

Ignosce, si nullum quicquam Barclaio impune affingi. Cur vt damnares illius scribendi rationem, sic ipse scripsisti? *Hæc ille, qui post multa inania verba texit hunc syllogismum; Christus commendando, &c.* Ain tu, multa & inania verba? certe vix quatuor lineæ, eæq; quæ omitti non possent: Sed ô te Laconem mirum: aut hæredem pauca loquentis Phocionis!

§. 2.

SED *audiamus*, inquis, *alium syllogismum Barclaii priori non dissimilem.*

Deinde, inquit, progredimur hoc modo, Absurdum est Summum Pontificem, quatenus successor est B. Petri, habere plus potestatis, quam habuit Petrus. At Petrus nullam habuit potestatem temporalem in Christianos: ergo nec Summus nunc Pontifex, quatenus successor eius est.

Ai ut

At ne hic quoque obiiciatur, eum assumere, quod erat probandum: probat assumptionem ex Bellarmino lib. 5. de Pontif. cap. 6. vbi dicit, potestatem spiritualem & temporalem esse similes spiritui, & carni: & quemadmodum spiritus & caro possunt esse coniuncta, vt in homine: & separata, vt in Angelis & bestiis: sic etiam potestas spiritualis & temporalis possunt esse coniuncta, vt nunc sunt inter Christianos: & separata, vt erant tempore Apostolorum, quando nullus erat in Ecclesia Princeps politicus. Ex his ita colligit Barclaius.

Si separatæ erant hæ potestates tempore Apostolorum, vt erant re vera de iure, & de facto: consequitur necessario, D. Petrum nullam habuisse temporalem potestatem: alioqui falsum esset eas fuisse separatas.

Hoc argumentum e anti facit Barclaius, vt paulo infra dicat:

Et vero hæ rationes apertiores sunt, quam quibus aliquis sine fraude reniti, & repugnare possit; vt mirum sit homines eruditos, cæterosque pios, ita zelo quodam inconsiderato occæcari, vt dubia pro certis, pro perspicuis obscura, pro rectis contorta, pro expeditis denique inuoluta, & implicata multis controuersiis, & contradictionibus amplecti, & sequi non dubitent: hæc ille, qui vsque ad finem capitis pergit reuerentiam suam erga sedem Apostolicam prædicare, nostram tacitatem redarguere, & multa ex iis, quæ antea dixerat, more suo repetere.

Respondeo. Verissime dictum est à Bellarmino, simillimam esse potestatem spiritualem, siue Ecclesiasticam spiritui, & temporalem, siue politicam carni: quam similitudinem ante Bellarminum ad hanc rem explicandam adhibuerunt S. Gregorius Nazianzenus, Hugo de sancto Victore, S. Thomas, Alexander Alensis, Thomas Valensis, & alii. Nec minus vere dictum est, eas potestates tempore Apostolorum fuisse separatas, quo modo spiritus Angelicus separatus est à carne: & caro brutorum separata est à spiritu: nunc autem coniunctas esse, quo modo spiritus & caro coniunguntur in homine. Ex his autem recte colligitur, S. Petrum habuisse potestatem Apostolicam, id est, spiritualem, & Ecclesiasticam, supremam, & amplissimam, & non habuisse potestatem Regiam, siue Imperatoriam, aliamve mere temporalem, atque politicam: Sed non recte colligitur, potestatem spiritualem S. Petri non se potuisse extendere ad omnia temporalia, & ad ipsa Regna, & Imperia dirigenda, & corrigenda, si Reges, & Imperatores Christiani fierent. Itaque discrimen inter tempus Apostolicum, & nostrum, non est circa potestatem, quæ semper eadem fuit in S. Petro, & in successoribus; sed circa materiam subiectam, siue circa vsum potestatis: tunc enim potestas Apostolica non exercebatur in Regibus dirigendis, quia nulli erant Reges in Ecclesia Christiana, cuius Ecclesiæ Pastor & Rector est Christi Vicarius: nunc autem eadem illa potestas exercetur in Regibus dirigendis, & corrigendis, quoniam non desunt in Ecclesia Reges, & Principes.

Ac vt exemplis rem illustremus, certe spiritus humani à corporibus separati, iidem sunt, qui antea erant, cum corpora animarent, & eandem ipsam potestatem habent, quam antea habebant: & tamen nunc separati non regunt corpora, vt antea regebant, & iterum post resurrectionem regent, si. etiam spiritus Angelici siue boni siue mali, dum corpora nulla assumunt, non exercent potestatem in membra corporis: cum autem vel corpora aerea sibi adiungunt, vel in corpora humana ingrediuntur, corpora illa nutu mouent, eisque imperant, & moderantur: nec tamen vllus erit eam imprudens, qui existimet, Angelos acquirere potestatem nouam, cum corpora assumunt, pari ratione cum in corpore humano membrum aliquod abscinditur, & à reliquo corpore separatur; non potest spiritus membrum illud mouere, eique dominari; non quod potestas spiritui desit, sed quia deest membrum, in quo mouendo spiritus exerceatur. Denique initio Ecclesiæ Christianæ antequam Apostoli Diaconos ordinarent, non poterant Apostoli Diaconis vti, eisque imperare: postea quam autem ordinati sunt, iis Apostoli vtebantur, eisque imperabant. Num igitur concedemus defuisse Apostolis aliquam potestatem Ecclesiasticam antequam Diaconi esse cœpissent in Ecclesia? concedemus omnino, si cum Barclaio desipiamus, qui ex defectu materiæ defectum colligit potestatis. Ex his apparet, quam leuia sint argumenta Barclaii, quæ ipsius iudicio demonstrationes indissolubiles videbantur.

Tot verbis nihil dicis. Non habuit Petrus, inquit Barclaius, vllam potestatem temporalem; Ergo nec successores Pontifices. Non habuisse Petrum, ex te docet; qui ais. Apostolorum æuo ita distinctam fuisse temporalem potestatem ab Ecclesiastica, vt caro, quæ est sine spiritu in brutis, distinguitur à spiritu, qui est sine carne in Angelis. Hinc Barclaius; *Si similitudini*, inquit, *ab eo propositæ locus est, consequens erit, vt quemadmodum nihil carneum in Angelis reperitur, nihilque in brutis spirituale: ita tempore Apostolorum nihil temporalis potestatis in Ecclesia esset, aut spiritualis in humana Politia.* Respondes; Primum, B. Petrum non habuisse potestatem temporalem, sed in temporalia. Deinde non illi defuisse potestatem; sed materiam, circa quam potestatem exerceret.

Quod ad primum; paulo ante ostendimus, potestatem temporalem & potestatem in temporalia, nihil esse aliud, quam potestatem disponendi de temporalibus, quocunq; fonte, aut lege, promanet hæc potestas, quocunque etiam nomine appelletur.

Defuisse vero Apostolis materiam exercendæ potestatis in temporalia, prorsus absurdum. Alibi multus es; vt probes non in temporalia modo Regum, sed & priuatorum hominum, cum ad Christi fidem accederent, ius quæsitum Ecclesiæ. Si tunc igitur Principes nulli erant; at erant diuites Christiani, de quorum temporalibus iudicaret Ecclesia; erant domini quorũ seruos Pontificia sententia à dominica potestate eximeret: cum sit, inquam, idem ius quod in Reges priuatosq; Pontifici vultis competere, aut male asseueras defuisse illius iuris materiam Apostolorum æuo, & tunc spiritualem potestatem omnino à ciuili distinctam; aut iam recte Barclaius ex ratione tua infert, ne nunc quidem Apostolorum successores in temporalibus aliquid posse.

Accedit, te hic tecum apertissima lite pugnare. Dicis enim, Petri temporibus, vsum istius temporalis potestatis in Reges defuisse, *quia nulli erant Reges in Ecclesia Christiana.* Atqui alibi, (*cap. 5. §. 18*) vis hanc in temporalia potestatem, in Ethnicos etiam Reges extendi. En vt tibi ipsi discors

nil

nil cordatos aliud doces, quam à tua sententia, tam turbata, tam incerta recedere. Ais, ex eo quod fateris *eas potestates tempore Apostolorum fuisse separatas*, colligi, *S. Petrum non habuisse potestatem Regiam siue Imperatoriam.* Si hoc ex ea propositione colligi voluisti, Bellarmine; certe ex eo quod addis, *eas potestates hoc tempore esse coniunctas*; vis colligi, *Papam hodie habere potestatem Regiam, siue Imperatoriam*; vt horum illorumque temporum discrimen sit, quoad illas potestates, quòd S. Petrus nullum principatum temporalem habuerit, qualem habent ipsius successores. Hoc autem quid ad Reges ac Principes? qui, vt ipse fateris, non magis Pontifici subsunt temporalem adepto principatum, quam si inops, nec lautius quam quondam ipse Petrus, patrimonium obtineret.

Quanto rectius Barclaius, Beati Petri temporibus, licet Christiani non deessent liberi, opulenti, omnino distinctam fuisse potestatem, quæ de temporalibus disponeret, à potestate, quæ in spiritualibus imperabat: Ergo nec hodie Pontifices in temporalibus quicquam posse; quibus nec maior potestas concessa quam Petro; nec alia in Reges, alia in priuatos. Quin si stare tuam similitudinem cupis, fatendum tibi idem. Distinctæ tunc, inquis, erant hæ duæ potestates, vt est spiritus, qui est in Angelis, à carne quæ est in brutis. Atqui ille spiritus præstantiores quidem effectus potest, sed non eosdem producere, quos caro brutorum; nec animare, nec informare illam carnem: Rursusque bruta animantia, vt minores, ita diuersos ab Angelis producunt effectus. Ergo neque potestas Ecclesiæ ea efficere poterat, quæ sunt propria, & essentialia ciuilis potestatis; ex natura, inquam, sua non poterat; licet illi nihil obstitisset externum, nihil infestum. Non igitur poterat de bonis temporalibus disponere, non illa auferre, non statuere de regnis, de imperiis, de libertate magistratuum: quæ sunt præcipua, propria, & vt dicam, essentialia iuris gentium, & ciuilis. Hæc autem si tunc Ecclesia non potuit, nec nunc posse fatendum est. Quæ porro verbose congessisti, vt probes, non vbique potestatem deficere, vbi deficit potestatis materia, vt superuacuam disputationem omitto: neque enim de eo disputauit Barclaius, quem *desipuisse* Bellarmine, non illis persuaseris, qui nouere quam acriter, quam assidue illius sapientia tuam mentem versauerit, tuum pectus perfoderit.

Caput XXVI.

Non sequi ex eo quod Papa sit spiritualis Pastor; posse eum de temporalibus Regum disponere. Tam spiritualem Pastorem, quam temporalem, habere certos & definitos modos pascendi suum gregem. Infestissimam ipsis rebus publicis sententiam, quâ dicitur deponi Reges posse. De iure diuino esse, vt pareamus Regibus, seu sublimioribus potestatibus. Papam non posse contra ius diuinum dispensare.

Titulus est apud Bellarminum:

Defenditur prima pars rationis quintæ pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. II.

IN capite vicesimosexto, inquis, *aggreditur Barclaius refutare primam partem rationis meæ quintæ: erat autē hæc ratiocinatio. Pastori necessaria est potestas circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit ab ouibus: lupi autem, qui Ecclesiam vastant, sunt hæretici: Ergo si Princeps aliquis ex oue, aut ariete lupus fiat, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne eum sequatur, ac proinde priuare dominio, quod habet in subditos.*

Ad hanc ratiocinationem Barclaius respondens admittit omnia, excepta illa extrema parte conclusionis, qua diximus, Posse Pastorem iubere populo, vt non sequatur amplius Regem suum: distinguit enim hanc partem, ac dicit, Posse quidem Pastorem iubere fidelibus, vt non sequantur Regem hæreticum in hæresibus, sed non posse iubere, vt non sequantur eum in rebus politicis.

Addit autem, posse quidem Regem hæreticum priuari communione fidelium in rebus sacris, sed neque hoc esse faciendum, si periculum sit schismatis, & scandali, & grauiorum malorum, ex Augustino libr. 3. cap. 2. contra Epistolam Parmeniani: de qua re diximus cap. 9. Vbi hæc eadem Barclaius fusius tractauit: iam enim admonui, Barclaium in repetitione rerum earundem magnam partem libri sui consumere voluisse.

His igitur omissis, tota ratio ob quam negat Barclaius à Summo Pastore prohiberi fidelibus, vt Regi hæretico obedientiam etiam in rebus politicis præstent, ea est, quoniam iure diuino debetur Regibus obedientia: & non potest vllus homo, ac ne ipse quidem Summus Pontifex dispensare in iure diuino, & ad hoc probandum adducit rescriptum Innocentii III qui cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach. dicit, Non posse dispensari cum Monacho, vt vxorem ducat, vel rerum proprietatem habeat: & hoc loco multa disputat de iure diuino, & humano, & de matrimonio Constantiæ Rogerii Regis filiæ, quæ cum esset sanctimonialis, ex dispensatione Clementis III. Pontificis nupsisse dicitur Henrico VI. Imperatori.

At nos supra, rationem Barclaii nullius roboris esse demonstrauimus: quoniam de iure diuino est, vt inferior obediat superiori quamdiu superior est. sed si desierit esse superior, desinet etiam præceptum de obedientia illi exhibenda. Id quod ostendimus ex multis similibus. siquidem iuris diuini est non solum, vt populus obediat Regi, sed etiam vt filii patri, serui domino, vxores, maritis: & tamen si filius emancipetur, & seruus libertate donetur, & vxor per diuortium, aut repudium à marito separetur, non amplius tenentur lege illa diuina: quemad-

modum etiam promissio iurata iure diuino seruanda est, & tamen si is, cui promissio facta est, eam relaxet, non tenebitur eam implere qui promisit. Restitutio iure diuino sancita est, & tamen si creditor debitum remittat, restitutionis obligatio nulla restat: atque exempla similia plurima possent adduci. Sic igitur, iure diuino tenetur populus Regi seruire, dum Rex est: sed si Rex desinat esse, quod multis modis fieri potest, nulla remanet obligatio seruitutis aut obedientia. Non est autem de iure diuino vt Rex iustis de causis deponi non possit: multoque minus iuris diuini est, vt Summus Pontifex declarare non possit, Regem hæreticum non esse legitimum Regem, nullamque ei deberi à fideli populo obedientiam.

Nihil verius quam quod ante præmonui, te nullo magis vitio, quam quo Barclaium insimulas, laborare; vt nimirum ex paucorum repetitione sophismatum, distinctionum, similitudinum, non modicum librum absolutas. Barclaius negat, Pontificem posse iubere ne populus Regem sequatur in Politicis rebus, licet lupum sine hæreticum; quia obsequium illud de diuino iure est. Tu dicis, iuris diuini esse, vt Rex quamdiu Rex est, obsequentem populum habeat; sed posse Pontificem Regi dignitatem auferre, vt Rex amplius non sit. Confirmas hoc, si Deo placet, veris exemplis, emancipati filij, vxoris repudio dimissæ, serui libertate donati. Sed illa omnia iam ante obiecisti: & nos fuse respondimus. Vide omnino *cap. 21. § 3. cap. 22. § 3. & 4.*

Nihil igitur in Reges hæc ratio; *Pastori necessaria est potestas circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit.* Cum ex ea ratione, sequatur hoc tantum; *ergo Pontifex qui est spiritualis Pastor, habet potestatem arcendi spirituales lupos omni ratione qua poterit.* Nemo hoc negat; sed ex isto argumento non sequitur, inter rationes, quibus Pontifex potest spirituales lupos arcere, abdicationem seu depositionem Principum esse. Ita quod in confesso est, probas; quod in quæstione, non fulcis. Nam vt ceteris rationibus temporalis pastor ita & spiritualis potest lupos arcere; & cum hoc concessum sit, posse vtrumque lupos depellere *omni ratione, qua poterit*; relinquitur disputandum, *quæ sint illæ rationes.*

Quam autem seditiosa illa vox: *non est* inquis, *de iure diuino, vt Rex iustis de causis deponi non possit* (iam enim, ne quidem de depositione agis per Pontificem facienda; vt paret sequentibus his verbis, *multoque minus iuris diuini est, vt Summus Pontifex declarare non possit,* &c.) Quæ vero illæ causæ? multæ an paucæ? certæ & numeratæ, an indefinitæ & incertæ? quam immanis in turbines, in seditiones hic aditus! nisi forte magnates, populus, prouinciæ, vbicumque à Rege deficient, iustam causam *depositionis* non ascribent rebellioni suæ: si & de diuino iure non est, ne deponatur Rex; & depositionis causæ non certæ, & innumerato (nec tu enim, aut alius vllus enumerat) sed velut ex æquo & bono, seu etiam ex libidine fastidientium Regem, statui possunt. Qui rem ab aliquo per iudicem cupit auferre, repellitur, nisi determinate rem illam, *super qua quæstio vertitur, ostenderit*, aut si *nolit exprimere, quare sibi dicta res debeatur* (Cap. *Significantibus.* Cap. *Dilectis, de libell. oblat.*) Vos autem sacram illam Principum, & antiquam potestatem, inclamatis posse illis auferri; neque modos, neque causas præcise proferentes: sed infinitam rebellibus, pro tempore atque re, seruantes insurgendi libertatem. Nam quis ex seditiosis vnquam non causam publicam, ipsamque iustitiam, suis armis titulum fecit? Maximus Valentinianum oppressurus, se illum ob hæresim pro Principe non habere edixit. Vulgus in Anglia à Richardo II. deficiens, se non ferendis vectigalibus premi clamabat. Optimates Iacobum III. Scotiæ Regem ad internecionem persequuti sunt; quod dicerent patricium ordinem, contra fas regni ab eo contemptum. Quid de Ludouico XI. Galliæ Rege dicam? In eum Frater, Cognati, Principes duxerunt exercitum; prætextus omnibus, & ipsius belli nomen, *bonum publicum.* Nam piget referre recentia, fumat pene Gallia incendiis, quæ nuper illa sententia excitauit, cum prodire liber ausus, *De iusta Henrici III. abdicatione à Francorum Regno.* Ad extremum, rebellibus pene cunctis prætextus deficiet, si hoc inualuerit, *deponi Reges posse.*

Quanto melius dicis: docuisse Apostolos, de diuino iure esse, vt Principibus pareamus; & tunc quidem docuisse, cum impij, cum tyranni Reges essent, cum omnia in Deum hominesque auderent? Ludicrum autem, & Spiritu sancto indignum, vt tam sancta præcepta, & toties repetita, in hunc sensum darentur, *tenemini obedire Principibus etiam flagitiosis, donec suppetent vobis vires amouendi eos à regno.* Vanum certe hoc Spiritus sancti præceptum, si subditi possunt, aut ipsa Ecclesia, Principes deponere non ineptiores Claudio, non sæuiores Nerone, aut infestiores Christianis. Nam illi ipsi erant quibus deferendum à Christianis de iure diuino obsequium scripserunt Apostoli. Imo cum de colendis Principibus præceptum habeamus in Scripturis; de deponendis concessionem nullam: sancte placideque fateamur, eos deponi non posse. Nec interest si aliis modis possunt de regno excidere, vt supra ostendimus, *cap. 32. § 3. & § 4.*

§. 2.

QVOD autem, inquis, *attinet ad cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum, res facilis est: id enim solum Innocentius docet, non posse consistere matrimonium, & proprietatem rerum cum statu Monachorum; cum ad essentiam vitæ monasticæ pertineant continentia, & paupertas. Itaque non poterit Summus Pontifex facere, vt idem Monachus sit, & coniugatus, idem Monachus, & diues opum in particulari. Aliud autem est, verum possit Summus Pontifex dispensare cum Monacho, vt transeat à vita monastica ad vitam secularem, & secularis effectus matrimonium inire possit, & opes proprias retinere, de hoc enim variæ sententiæ Doctores. De Constantia vero Rogerii Regis filia fabulam esse existimamus, quod sanctimonialis & v... sula*

cum

tum esset, dispensatione Clementis III. nupserit Henrico VI. Nam Gotefridus Viterbiensis, qui Henricum VI. in literis & moribus instituebat, scribit, nuptias Henrici cum Constantia celebratas Mediolani anno salutis 1186. sedente in Apostolica sede Vrbano III. & ipsa Constantia annum tricesimum agente, ex quo sequitur, vt falsum sit dispensasse cum ea in votis monasticis Clementem III. vel, vt alii dicunt, Cælestinum III. vel, vt alii, Alexandrum III. Nam hic iam obierat, illi nondum sedere cœperant: falsum quoque sit, eam nupsisse cum esset vetula annorum supra quinquaginta: falsum denique fuisse antea sanctimonialem, cum id nullus scribat ex iis, qui eo tempore vixerunt. Vide Card. Baronium tomo 12. Annalium ad annum 1186.

Non disputo qua ratione Pontifex possit dispensare cum Monacho; Sed quocunque sensu accipias Cap. *Cum ad monasterium*, pro Barclaio facit, illius testimonio in hoc vtentis, vt probet non posse Pontificem dispensare *contra Dei voluntatem, in vetere aut noua lege comprehensam.* Igitur cum & Spiritus S. per Apostolos loquentis præceptum sit, vt Principibus seruiamus, (nulla de iis deponendis mentione) non poterit Pontifex contra diuinum illud ius facere; facere, inquam, vt iisdem hominibus, quibus obsequi Scriptura imperat, non sit amplius obsequendum.

De Constantia Rogerii Siculi filia, nihil moror: sit hæc historia, sit fabula, quid in Barclaium? qui rei veritatem non astruit: dicit tantum Canonistis facessisse negotium, *quod audierant Constantiam Rogerii Normani filiam monialem à Clemente III. eductam de monasterio Panormitano, &c.* Atqui id Canonistas audiuisse, imo magni nominis historicos in eam famam consensisse, non neges. Ita Archiepiscopus Florentinus, ita Platina, ita alii passim. Salua igitur res Barclaii, nihil aliud asserentis, quam ipsos Canonistas de hac re inaudiuisse, & in *dispensationis adeo extraordinariæ gratiam*, inania argumenta, vt plurimum, esse commentos; ne id scilicet factum cum Innocentii rescripto pugnaret. Sed non fero malam fidem, qua Gotefridi Viterbiensis scripta laudasti; qui, inquis, *scribit nuptias Henrici cum Constantia celebratas Mediolani anno salutis 1186 sedente in Apostolica sede Vrbano III. & ipsa Constantia annum tricesimum agente*, ex quo sequitur; inquis; vt *falsum sit eam nupsisse cum esset vetula annorum supra quinquaginta.* Atqui in Viterbiensi de Constantiæ ætate nec verbum: licet Henricum dicat *anno ætatis sua vicesimo primo, anno autem regni sui decimoseptimo*, duxisse Constantiam.

CAPVT XXVII.

Cur Pontifex dispensare potius in Monachorum votis possit; quam in iuramento, quo se populus Regi, aut summo Magistratui astringit. Ex Bellarmini sententia, fieri illicitam obligationem, qua Populus Principi fidem dedit, statim ac ille Princeps in hæresim labitur: quo nihil in Ecclesiam, aut Rempublicam inmanius. Etiamsi Pontifex iurisiurandi gratiam Populo posset facere, quo Regi se obstrinxit; non ideo colligendum, Populum ab illius Regis iugo fore immunem; cui scilicet non ob solum iuramentum, sed iure gentium deuincitur. Tam de diuino iure esse, ne Rex superiorem in temporalibus habeat; quam ne Pontifex in spiritualibus.

Apud Bellarminum titulus est.

Vtrum votum, an iuramentum magis obliget.

§. I.

IN capite vicesimoseptimo Barclaius, inquis, *vt causæ suæ adiumenta conquirat; confert votum Monachorum cum iuramento illo, quo populi Regibus fidelitatem, & obedientiam pollicentur. Addit te, Pontificem ex aliquorum Doctorum sententia dispensare posse in votis Monachorum; sed etiam si hoc detur, non esse admittendum, vt dispensare possit in iuramento, quo populi ad Regis obedientiam se astringunt. Videtur igitur sentire, Barclaium maius vinculum iuramenti esse, quam voti, cum tamen contrarium diserte doceat S. Thomas in 2.2. quæst. 89 art. 8. & omnis fere Schola Theologorum in 3. Sent. distinct. 39. Votum enim est promissio facta Deo; iuramentum est confirmatio promissionis homini factæ: magis autem tenetur homo implere promissionem factam DEO, quam homini. Deinde qui votum violat, infidelis est Deo; qui iuramentum frangit, crimen irreuerentiæ in Deum committit: grauius autem crimen infidelitatis est, quam irreuerentiæ; cum infidelitas omnis erga superiorem irreuerentiam coniunctam habeat, non omnis irreuerentia infidelitatem. Igitur grauius peccat voti fragus, quam iuramenti violator; proinde magis obligat votum, quam iuramentum. Deniq; votum res est absolute bona, iuramentum bonum est necessitate cogente: alioqui Dominus Matth. 5. dicit: Ego autem dico vobis non iurare omnino. Et Iacobus in Epistola sua cap. 5. Ante omnia, inquit, fratres mei nolite iurare: nusquam autem legimus, nolite vouere, sed contra Rex & Propheta Dauid hortatur, dicens in Psalm. 75 Vouete & reddite Domino Deo vestro. Igitur votum nobilius iuramento est, ac per hoc grauius peccat, qui votum frangit, quam qui iuramentum violat; proinde magis obligat votum, quam iuramentum: quare si summus Pontifex dispensare potest in votis, multo magis poterit in iuramento.*

In vmbram tuam pugnas. Vbi vel in Barclaio verbum, quo voti vinculum iuramento postponat? quod tamen nec absque auctoribus faceret. Vide Almainum *de suam potest. Eccles. &c quæst. 3. cap. 5.* vbi dicit, quod *secundum Holcot, iuramentum magis obligat quam votum, &c.* Sed his missis, alias causas affert Barclaius, & quas deinde tu recenses, cur potius Pontifex possit à votis Monachos,

quam ciues à fide Principibus data exsolnere. Tu vel vt eruditionem tuam miraturo Lectori exprometes, vel vt imponeres Barclaio, hác superfluam de voti dignitate disputationem exorsus es.

§. 2.

SED Barclaius, inquis, *resistit hac ratione: Totus ordo Monachalis, aliique in Ecclesia, vt quidam volunt, ab humanis constitutionibus, & iure positiuo profecti sunt, in quos idcirco plena & omnimoda potestas Pontifici est, vti superius paulo diximus: at submissio, & obedientia Regibus ac Principibus, atq; omnino Præpositis, & superioribus debita, est iuris naturalis, & diuini vtroq; testamento confirmata. Nam licet de humano iure sit, vt hac, aut illa Reipub. forma vtamur, vel hunc, aut illum Principem habeamus: tamen vt eum, quem semel accepimus, revereamur, eique in omnibus, quæ Dei mandatis non repugnant, submisse pareamus, non humana solum, sed naturalis, & diuina est ordinationis.*

Respon. Hoc argumentum ab omni parte nutat: nihil enim solidi, nihil firmi habet. Nam quod totus ordo Monachalis ab humanis constitutionibus, & iure positiuo profectus sit, non modo falsum, sed etiam hæreticum est, siquidem consilia Euangelica, in quibus ordo monasticus fundatur, nō ex humana constitutione, sed ex ipso ore Domini, ac Dei nostri Iesu Christi profecta sunt: de qua re fuse tractaui in lib de Monachis, neq; id vllus Catholicus negat. Deinde vota ipsa monastica, in quibus essentia Monasticæ vitæ consistit, iuris esse diuini, non modo Catholici omnes docent, sed & ipse Barclaius paulo ante confessus est. Vnde ergo nunc totum ordinem Monasticum ab humanis constitutionibus, & iure positiuo profectum esse dicit? Præterea, si vt ipse in hoc suo argumento assumit, submissio Regib. ac Principibus, atq; omnib. Præpositis, & superioribus debita, est iuris naturalis, & diuini in vtroq; testamento confirmata; ergo submissio Monachorum suis Præpositis, & superioribus debita est iuris naturalis, & diuini in vtroq; testamēto confirmata. Vnde igitur Barclaius colligit, posse Pontificem dispensare in obedientia, & submissione Monachorum erga suos Præpositos & superiores; & non posse in obedientia & submissione populorum erga Reges & Principes, cum vtraq; sit iuris naturalis, & diuini in vtroque testamento confirmata? quin etiam cum obedientia Monachorum habeat votum, id q; solemne adiunctum; & obedientia populorum simplici iuramento confirmata sit: videtur omnino facilius posse dispensari per Summum Pontificem in obedientia populorum, quam Monachorum, cum voti vinculum maius sit, quam iuramenti, vt Theologi docent. Deniq; quemadmodum Barclaio teste iuris humani est, quæ forma Reip. vtamur, & hunc aut illum Principem habeamus: sed posteaquam aliquē accepimus in Principem, vt ei pareamus iuris diuini est: sic etiam iuris humani est, quo ritu, & forma viuendi Monachi vtantur, & hunc aut illum Præpositum habeant; & tamen vt ei, quem in Præpositum semel susceperunt, submisse pareant, iuris diuini est. Ergo omnia paria sunt, neque vlla est ratio, cur possit Summus Pontifex in vno dispensare, & non in altero, id est, cur possit Monachos à vinculo obedientiæ Præposito suo promissæ absoluere, & non possit absoluere subditum à vinculo obedientiæ Regi suo promissæ

Cui tu rei dicis Barclaium resistere? ne dicatur voti vinculum iureiurando fortius? atqui de ea re non agit Barclaius. Dicis, esse falsum & hæreticum, ordinem Monachalem ab humanis constitutionibus, & iure positiuo, esse profectum. Possim dicere non id simpliciter à Barclaio affirmari; sed ex opinione quorundam. Ait enim, *vt quidam volunt.* Sed hac excusatione non vtar. Nihil facilius quam istam sententiam à falsi, hæresique defendere. Certum quidem perfectionis consilia, ore Christi, non humana institutione profecta; si igitur idem esse statuis *esse Monachum, & hæc insistere consilia*; fateor *ordinem Monachalem ab humanis constitutionibus non profectum.* At vide quid sequatur: ergo Iesuitæ Monachi, ergo Melitenses Equites, & quicunque Religiosi vota hæc fundunt. Verius dicas; nec esse de votorum illorum essentia, vt sit Monachus, qui iis astringitur (ex Iesuitis satis patet) rursusque non diuino præcepto, sed constitutione Ecclesiæ factum, ne quis dicatur Monachus, nisi qui se illis astrinxerit votis. Ex Anachoretis constat. Synceri monasticæ vitæ Patres, qui totam vitam secreti degebant, num semper obedientiæ voto astricti? Nam cui Heremita Paulus obedientiam promisisset, non alio quam se duce eremum ingressus, solus & vere Monachus, à prima iuuentute ad multam senectutem? Sic ordo Monachalis, qualis est hodie, ab humanis Ecclesiæ institutionibus est formatus, non in vestitu modo, rituque viuendi, sed & in hoc, ne Monachum esse dicamus, nisi castitatis, paupertatis, obedientiæ voto deuinctum. Hoc, inquam, ab humanis constitutionibus. Licet enim horum votorum consilia sint à Christo, tamen nullibi Christus iussit, vt simul illa omnia vouerentur, vetuitve ne Monachum crederemus, nisi omnibus illis astrictum. Quin & sæpe vnum sine alio nuncupatur: quot enim castitatis voto astricti, nec opes, nec libertatem reliquerunt? Igitur quod hæc vota laudanda sint, reique votorum ad ea teneantur, constitutionis diuinæ est; quod Monachi iis omnibus astringendi, positiui, & Ecclesiastici iuris.

Dicis tamen, *vota ipsa Monastica, in quibus essentia monasticæ vitæ consistit, iuris esse diuini non modo Catholici omnes docent. sed & ipse Barclaius paulo ante confessus est.* Nihil aliud fatetur Barclaius, nisi de diuino iure esse, *vt si voueris, reddas Deo vota tua.* Nec de aliis votis egit, q̄ paupertate, & castimonia: Dicis in iis consistere essentiam Monasticæ vitæ: Ergo & Iesuitæ, Bellarmine, essentiam Monasticæ vitæ habent. Iam Barclaii argumentum ita retorques. Submissio, inquis, superioribus debita, est iuris naturalis & diuini; ergo iuris naturalis & diuini est, vt Monachi suis Præpositis obediant. Tum concludis, *Vnde igitur Barclaius colligit posse Pontificem dispensare in obedientia & submissione Monachorum erga suos præpositos & superiores, & non posse in obedientia & submissione populorum erga Reges & Prin-*

Principes? Primum dico, Barclaium non id colligere. Nullibi enim dixit, posse Pontificem ita dispensare cum Monacho, imo in alteram partem inclinat: addit tantum, quod etiamsi id Pontifex in Monacho posset, vt quidã sentiunt, non ideo tamen idem illi concedendum in Principe. Mox *diuersitatis* causas exponit. Monachus non aliter *obedientiam* spondet, quam secundum monasterij leges, in quo ipse profitetur: quæ leges sancitæ ab Ecclesia, vt in his locis laxius, in his strictius teneant; & omnimoda huius rei dispositio spectet ad Papam; qui summus omnium tam Monachorum, quam Abbatum superior: Vt tacite hæc spiritualis promissio censeatur cum hac conditione facta, quamdiu & quomodo Pontifici videbitur, cui libera spiritualium rerum administratio à Christo commissa est. Iurat, inquam, Monachus, se pariturum secundum ordinem Monasterii, in quo vouet: atqui ordo est, vt omnis illa obediẽtia sit ad nutum Pontificis, tam ex parte Monachi, quem potest in Episcopum promouere, quam ex parte Superioris, qui potest amoueri, & transferri, & deponi, & suspendi à Pontifice, *cuius respectu omnia beneficia sunt manualia.* Cum igitur Pontifex Monacho obedientiæ aut alterius voti vinculum exoluit; facit vt superior Monachi, & vt Præsul, cui iura Ecclesiæ sunt commissa. Hæc dicere, inquam, possunt, qui Papam votorum gratiam Monacho facere posse contendunt.

Nihil simile in Populi iuramento, quo Regi astringitur. Populus scilicet nihil spectato Pontificis nutu, auctoritate, potentia; fidelitatem iam electo Regi iurat, cui etiamsi fidelitatem non iuraret, Iure diuino parere teneretur; & quidem fidelitatem temporalem: cuius negotij neque dispensatio, neque cura, neque imperium commissum Pontifici; sine quo, & ante quem iam regalis imperij iura à Deo constituta vigebant; vt in hac parte neque populo superior, neque Rege, dicendus sit.

Addis: *cum obedientia Monachorum habeat votum, idq; solemne adiunctum, & obedientia populorum simplici iuramento confirmata sit, videtur omnino facilius posse dispensari per summum Pontificem in obedientia populorum, quam Monachorum, &c.* Erras largiter, Bellarmine. Ex Monachali voto, solemnis obligatio nulli nascitur, nisi Deo & Ecclesiæ, cuius est Pontifex dispensator; At per populi iuramentum se Regi obstringentis quæritur obligatio ipsi Regi: cuius quidem obligationis dispensatorem Pontificem nulla iura constituunt. Præterea obedientiæ Monachorum, nullum aliud vinculum aut fundamentum, quam hoc votum. At populi in Principes obsequium, non ex iuramento illo simpliciter pendet; quod sc. in confirmationem tantum præcedentis obligationis inuentum est; Sed ex diuino, naturali, & gentium iure, cuius vi, etiam absque iuramenti cautione; tenetur populus rata fide Regem colere, tueri, obseruare. Hinc sequitur, Bellarmine, quæstiones longe esse diuersas; num possit dispensare Pontifex in obsequio & fidelitate populi; & num possit tantum dispensare in iuramento, quo ille idem populus fidem suam Regi promisit: quandoquidem obsequij & fidelitatis obligatio, quæ populum Regi astringit, non ex iuramenti robore; sed ex diuino & naturæ iure consequitur: Cum econtrario *obedientia Monachalis* vim omnem ex voto accipiat, ideoque omnino intereat, voti obligatione sublata.

Sed audiamus in hanc rem Almainum, de sum. potest Eccles. & laic. quæst. 2. cap. 5. *Dico,* inquit, *quod duplex est iuramentum. Quoddam est, quod fit solum in reuerentiam Dei. Aliud est, quod fit in fauorem certæ personæ, alteræ à iurante, vt, Sortes iurans perpetuo seruare castitatem, hoc iuramentum non fit in vtilitatem alterius personæ à iurante, sed solum in vtilitatem propriam ipsius iurantis, & reuerentiam Dei. Exemplum secundi, Sortes iurat, se soluturum Platoni decem aureos, istud iuramentum fit in vtilitatem alterius personæ à iurante: scilic. in vtilitatem Platonis. Similiter iuramentum fidelitatis præstitum Principi à subditis fit in vtilitatem domini & non solum propter reuerentiam Dei. His suppositis, quantum ad iuramenta primi generis, Papa potest dispensare cum sit Vicarius Dei; quantum vero ad iuramenta secundi generis, non potest dispensare, hoc est, ius relaxare, quia Papa non habet potestatem aliquam faciendi, contra ea, quæ sunt in perniciem & damnum alterius.*

§. 3.

PERGIT *Barclaius,* inquis, *& aliud argumentum texit ex natura voti, & iuramenti: quod argumentum, quia non multum ad rem facit, & tamen verbosissime ab ipso proponitur, ego in pauca contraham, vt vis argumenti quanta sit, appareat: sic igitur ille ratiocinatur. Votum est promissio facta Deo & Ecclesiæ, proinde creditor principalis est Deus: potest autem Pontifex, qui vicarius Dei est, & caput Ecclesiæ loco Christi, declarare, non displicere Deo, & Ecclesiæ, vt promissio illa, ob iustam aliquam causam, & magis Deo gratã, quam sit promissionis illius adimpletio, remittatur, & condonetur ei qui vouerat. At iuramentum, quo pactum aliquod, vel sponsio obsignatur, non facit Deum proprie creditorem, sed hominem, cum quo pactum initum, & cui promissio iurata facta est: quod ex eo perspicuum est, quod homo creditor potest etiam sine vlla causa liberare debitorẽ, & iureiurando soluere, si illi promissionem sibi factam libere remittere velit. neq; hic habet locum interpretatio aut declaratio Summi Pontificis, cum homo ipse creditor per se loquatur. Ergo non potest Summus Pontifex homines à iuramento soluere, quoniam priuaret creditorem inuitum obligatione sibi optimo iure quæsita, & omni iure diuino licita.*

Resp. Quando S. Pontifex soluit homines iuramento, non tollit ius quæsitũ ex iusta, & licita obligatione: sed vel declarat obligationẽ, & promissionem fuisse, vel factam esse illicitã, vt cum absoluit populos à iuramento fidelitatis præstito Principi heretico, vel qui postea in heresim lapsus est: aut tollit vinculũ iuramenti relicta promissione in suo vigore, ad eum finem tantum, vt possit, qui promiserat, sine periculo sacrilegij prosequi ius suum coram legitimis iudicibus.

Quæ mens tibi, iam non Barclaium accusandi; sed Patres, sed Martyres, sed totam Ecclesiam? Dicis, Pontificem iuramentum remittentem, non tollere obligationem licitam, sed *declarare fuisse vel factam esse illicitam, vt cum absoluit populos à iuramento fidelitatis præstito Principi hæretico, vel qui postea in hæresim lapsus est*. Itane, Bellarmine? illicita est obligatio, qua populus Principi in hæresim lapso tenetur? Ergo Christiani, qui Constanti, Valenti, Iuliano paruerunt, imo Patres, qui illis de iure parendum docuerunt, rem omnes illicitam docuerunt & fecerunt? Nec obiicias vanum clypeum; vires illis defuisse, neq; enim defectus virium vnquam facit, vt aliquid illicitum liceat; nec qui sanguinem profundebant, ne per illicita Numen offenderent huic rei illicitæ tam stricte, imo tam religiose, se, Populum, Ecclesiam irretissent. Potuisset inquam fieri, vt eiusmodi Principi de facto parerent: at nusquam vt de iure esse parendum decernerent. Dixit tamen Hosius, vt de cæteris sileam, ad Constantium hæreticum, *qui tuum imperium maligno oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ.*

At, si Pontifex illo casu (vt ais) non tollit obligationem licitam, sed tantum declarat eiusmodi obligationem illicitam esse; sequitur Reges omnes, statim vt sunt hæretici, iam non Reges esse, non Principes. Nam qui declarat, nihil facit; sed quid factum sit, ostendit. Cum Pontifex ergo declarat, esse illicitum, vt Orthodoxi hæretico Principi pareant, non facit vt illa obligatio sit illicita; sed illicitam esse ostendit. Hinc sequitur; etiam ante Pontificis sententiam, posse Principem hæreticum ab Orthodoxis ciuibus plecti, tolli, exigi regno; aut si viribus pares non sunt, non eos illi aliter quam tyranno debere obsequium; quandoquidem illicita obligatio facta est, qua se illi astrinxerant. Nec obiicias expectandum, vt à iuramento, quod Principi hæretico præstiterant, per Pontificem *absoluantur*. Quippe illicitum iuramentum est, quod ad rem illicitam obligat; cum non debeat *iniquitatis vinculum esse*, vt recte Augustinus ad Seuerum Mileuit. Porrò *iuramentum illicitum nullatenus obseruandum est* (cap. *Quanto, de iureiurando*,) & Isidori verbis, *non est obseruandum iuramentum, quo malum incaute promittitur*: (Can. *Non est. 22 q. 4.*) Nec expectanda est superioris authoritas, sed sibi quisque idoneus author est ab eiusmodi iuramento recedendi: Vnde Anton. de Rozell. Monarch. part. 4 cap. 27. *primum dico*, inquit *considerandum, si iuramentum est illicitum. Nam si constat, quis potest contra illud propria auctoritate venire.*

Cum igitur nihil illicitum fieri debeat etiam iuramento promissum: Sit autem, vt ais, illicita obligatio populi, qua se Regi obstrinxerit aut hæretico, aut deinde in hæresim lapso; sequitur Populum, statim ac eius Princeps in hæresim cadit, etiam ante Pontificis sententiam, non illi amplius deuinciri, nec fidelitatis iureiurando teneri. Nec diu laborandum, vt vestra sententia ferat hunc sensum; Hanc enim disertis verbis astruit Gregorius de Valentia in 2. 2. disput. 1. q. 12. punct. 2. assert. 4. *Si crimen hæresis*, inquit, *siue Apostasia à fide ita sit notorium, vt nulla possit tergiuersatione celari, etiam ante iudicis sententiam incurritur, ex parte prædicta pœna, nimirum eatenus, vt subditi quidem licite possint negare obsequium domino hæretico, aut apostatæ à fide.* Et in eam rem, citat Caietanum & Bannem. Et apertissime Alphonsus de Castro, De iusta hæreticorum puniti. Lib. 2. cap. 7. *Rex*, inquit, *factus hæreticus, ipso iure est Regno suo priuatus, & Dux suo Ducatu, & Comes Comitatu; & idem de aliis populorum Dominis, quocunq; nomine censeantur, dicendum est.* Nollem & Innocentii III. nomen tam infaustis maculari sententiis; Author tamen creditur Capituli, *Absolutos*, De hæretic. vbi hæc verba. *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis, hominii & totius obsequii, quicunque lapsis manifeste in hæresim, aliquo pacto, quacunque firmitate vallato, tenebantur astricti.* Quo igitur simulationis vestræ verba, Regibus hæreticis, apostatis, esse parendum, donec à Papa deponantur, qui eos, prout expedire existimat, aliquando tolerat, aliquando deponit? Nunc proiecta deniq; larua, proclamatis, populos à fidelitatis iuramento exolui, eo ipso, quod Reges manifestæ se hæresi mancipauerint.

O vt vos non audiant, qui ab Ecclesia aberrant Principes, ne iustum in hanc sententiam odium, in innoxiam, & nil tale sentientem effundant Ecclesiam. O vt vos ne audiant viri leues, cæcæ pietatis, inconsulti iudicii. Sat superque parricidarum habuimus: nec accepta iam vulnera digne totis seculis Orbis eluxerit.

§. 4.

SED hæc Barclaio, inquis, non erant incognita, vt qui Iurisprudentiam præcipue profiteretur: ideo subiungit, Sed esto auferre ex causa possit, & promissionem iurisiurandi vinculo liberare (ne de hac re amplius cum Canonistis hic contendam) auferat igitur; quod eidem de facto consequens in nostro hoc negotio videtur? liberum fore populum, dices, ab imperio, & subiectione Principis, statim atq; iurisiurandi nexu solutus est. Itane vero? an non perspicis, iusiurandum hoc non esse nisi accessionem tantum confirmatricem illius obligationis, qua fides, & obedientia Principi promissa est? an ignoras accessiones tolli, & liberari posse sine interitu principalis obligationis? manet ergo adhuc obligatio, cui iusiurandum accesserat: quæ quoniam iuris naturalis, & apud Deum diuini est, non minus tenet hominum mentes, & conscientias quam si esset iuramento sustentata.

Respondeo. Potest quidem, vt supra dixi, tolli vinculum iuramenti, etiamsi non tollatur promissionis obligatio, sed quando Summus Pontifex propter hæresim, aut aliam iustam causam, soluit populos à iuramento fidelitatis, simul etiam soluere solet à vinculo promissionis, ac iubere, vt populi non amplius obediant ei, cui promissionem obedientiæ fecerant: posse autem id Pontificem vt Christi Vicarium, præstare, iam supra ex Doctoribus, & Conciliis, & ex ipsis etiã diuinis literis ostendimus, & ante multos annos ad ipsum quibusdam rationibus

Theolo-

Theologicis ostendimus: neque Barclaius omnibus suis argumentis, & cauillationibus eas rationes refellere potuit. Nam quod hoc loco iterum repetis, & inculcas, obligationem parendi Regibus esse iuris naturalis, & diuini: non semel à nobis explicatum est, id esse intelligendum de obligatione parendi Regibus, dum Reges sunt: non esse autem iuris naturalis & diuini, vt Rex non possit Regno priuari, si hæreticus efficiatur, & ratio manifesta & vsus frequens apertissime demonstrauit.

Quæ tandem vultus mutatione Protea vides? Superiore paragrapho dicebas Pontificem, *cum absoluit populos à iuramento fidelitatis &c. non tollere ius quæsitum ex iusta & licita obligatione, sed declarare obligationem & promissionem fuisse vel factam esse illicitam.* Hic dicis, *quando soluit populos à iuramento fidelitatis, simul etiam soluere solet à vinculo promissionis.* Dic autem, Bellarmine, vinculum illud promissionis, nonne est *iusta & licita obligatio,* ex qua ius quæritur Regi? Cur igitur illic negas ius ex licita obligatione quæsitum per Pontificem tolli; hic autem affirmas? Nemo neget, nec *iustiorem, nec magis licitam obligationem* esse, quam quæ ex consensu, & promissione nascitur populi sibi Regem imponentis: cum diuino, naturali, ac gentium iure firmetur. Cum igitur Pontifex maiestatem abrogat Regi, aut nondum solutum est obligationis illius vinculum, & tunc falsum quod dixisti: *non tollit ius quæsitum ex iusta & licita obligatione:* Aut iam solutum est, & sic verum non erit quod hic dicis, *simul etiam soluere solet à vinculo promissionis.*

Sed vt immane à disputatione abis! Dixit Barclaius, Pontifici si possit monastica vota soluere, non tamen idem ius fore in Populorum fide à Regibus liberanda, quia tota obligatio Monachorum consistit in votis, at non tota obligatio Populi in iuramento. Tu quod responderes cum non esset, omittis de Monachis votisq; quæstionem, & eatn aleam currens, ais Pontificem posse iuramenti vinculum remittere Populis, & omnem præterea obligationem qua Regi tenebantur. Hic verò est quæstionis nostræ cardo, hoc totum quod lite tam anxia disceptatur. Nec tu rem tantam nouis argumentis astruis. Ais te id supra probauisse ex Doctoribus, Conciliis, Scripturisque. Ais id à te factum; Nos negamus. Dicis id te quinq; rationibus Theologicis ante multos annos ostendisse, quas *Barclaius omnibus suis argumentis & cauillationibus refellere non potuit.* Magnifice à te dictum, & de te, de aduersario certe contemptim. Iactes te apud tuos, at Orbi innotuit, quam splendide per tuarum quinque rationum ruinas triumphet Barclaius. Quod addis *Non esse autem iuris naturalis, & diuini, vt Rex non possit Regno priuari, si hæreticus efficiatur, & ratio manifesta & vsus frequens apertissime demonstrauit*, pari iure a te dictum: quæ illa manifesta ratio? imò exilis, & quam nec emissitii oculi videant, quam autem frequens vsus? Paucissimi certe hæretici, cui Pontificia sententia abstulerit Regnum. Iam multis, & in te valentibus, ex Barclaio omissis, hæc ex illo verba sic refers.

§. 5.

AT inquit Barclaius, ais: *hoc axiomate Bellarminus præcipue nititur, dum vult ostendere Papam non posse subiicere seipsum sententiæ coactiuæ Conciliorum: quoniam (inquit lib. 2 de Conciliis c. 18.) Papæ potestas super omnes est de iure diuino: non autem potest Papa dispensare in iure diuino.*

Respondeo. Si Papa se ipse subiiceret sententiæ coactiuæ Conciliorum, aut Principum quorumcunq;, verè subiiceret superiorem inferioribus, ac per hoc cum diuino & naturali iure pugnaret: Nam iure diuino Papa est Pastor, & Pater, & Præpositus omnium Christianorum, ac per hoc superior omnibus, qui oues, & filii, & subditi ipsius sunt: & iure etiam diuino superior ab inferiori iudicari non potest iudicio saltem coactiuo. At verò cum Papa iudicat Regem vel etiam deponit, nihil agit contra ius diuinum, quoniam superior inferiorem iudicat, Pastor ouem, Pater filium, præpositus subditum, quod est iuri diuino, & naturali rationi maxime consentaneum. Quamuis enim Reges in temporalibus non agnoscant superiorem temporalem, vel etiam nullum agnoscant directe nisi Deum: tamen agnoscere debent superiorem spiritualem, cuius potestas ad temporalia se extendit, quatenus ea spiritualibus subordinantur, vt supra non semel dictum est.

Imo vero, Bellarmine, non magis diuini iuris est, vt Papa spiritualis Pastor sit, quam vt Rex temporalis. Summus vtriusq; potestatis author Deus, Pontificatum, & Principatũ, actibus propriis, dignitatibus, officiisque distinxit. Non igitur magis de iure diuino est, ne Papa superiorem in spiritualibus habeat, quam ne Princeps in temporalibus; Vt è contrario de diuino iure non est, ne aut Papa in temporalibus iudicetur, aut in spiritualibus Princeps. Ais Papam esse *superiorem omnibus, qui oues, & filii, & subditi ipsius sunt.* Verum quidem, si *de spirituali superioritate* tibi sermo, de temporali falsum, cũ & Pontifex possit spiritualiter sibi subdito temporaliter esse subiectus, quod & priscis æuis factum. *At vero*, inquis, *cum Papa iudicat Regem, vel etiam deponit, nihil agit contra ius diuinum, quoniam superior inferiorem iudicat, Pastor ouem &c.* Apte quidem, si Pontifex eo modo Regem iudicet, quo Rex ouis illius est, filius, subditus, id est si spiritualiter, & spiritualibus pœnis spiritualem ouem, filium, subditumque. Sed in ius diuinum est, cum ad temporales venit pœnas & in temporalibus eum iudicat, quem in temporalibus summum esse de iure diuino est. Quod addis de superiori spirituali, cuius potestas ad temporalia se extendit; tum vbique hoc opere, tum præsertim *cap. 12. §. 2.* excussimus.

§. 6.

AD extremum, inquis, sic loquitur Barclaius. Ne qua erremus tenendum est, Apostolica potestatis plenitudinem eam tantum potestatem complecti, quam Dominus Iesus Dei filius, cum in hoc Mundo versaretur, vt homo inter homines habere voluit: & eatenus Papam nobis Christum referre, & eius esse Vicarium, non antem potestatem illam, quam vt Dei filius, Deus ipse Patri aequalis ab aeterno habuit, & diuinitati sua omnipotentia reseruauit, de qua ait, Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra.

Respondeo, Non admitto solum, quod Barclaius hic postulat, plenitudinem Apostolica potestatis, non esse parem omnipotentia diuinitatis Christi: sed addo etiam non esse omnino aequalem illi potestati, quam in terris habere voluit, & habuit Christus vt homo, Christus enim etiam dum mortalis cum mortalibus versaretur, habuit potestatem, quam Theologi vocant, excellentia, per quam sacramenta instituere poterat, & sine sacramentis peccata remittere, & alia id genus ad qua plenitudo potestatis Pontificia non pertingit. Itaq; non sum de numero eorum, de quibus, ais, Ioann. de Turrecremata scripsisse, in Can. Coniunctiones 35. q. 2. Mirum est, quod Summi Pontifices loquantur moderate de potestate eis data, & quidam Doctorculi sine aliquo vero fundamento volunt aduiando eos, quasi aequiparare Deo. Nihilominus tamen securus affirmo, potuisse Dominum nostrum Iesum Christum tempore mortalitatis sua, disponere de temporalibus omnibus, & Reges ac Principes Regnis dominiisque priuare, & hanc potestatem Vicario suo sine dubio concessisse, vt ea vtatur, quando necessarium iudicauerit ad animarum salutem, qua illi praecipue cura esse debet.

Hic tu nihil nisi verba, quæ sat erit retulisse, Dixisse etiam, quod è contrario *securus affirmo, Dominum nostrum Iesum Christum*, cui non indirecta, non per consequentiam, sed vera, & directa *potestas in omnem carnem* data est, *hanc*, de qua agimus, *potestatem Vicario suo nequaquam concessisse.*

CAPVT XXVIII.

Cur Barclaius hic digressus sit, ad extutiendam Canonistarum sententiam, de sensu cap. II. III. & IV. de Translatione Episcopi, in Decretal. Eos ex Innocentii III. verbis non bene perceptis, diuinam auctoritatem Papa tribuere.

Titulus est apud Bellarminum:

Digressio circa sententiam cap. Inter corporalia, De translatione Episcopi.

§. VNIC.



IN capite vicesimo octauo, inquio, inuehitur Barclaius in Canonistas, quos dicit potestatem omnem diuinam, & humanam Pontifici attribuere, ex ignoratione vera sententia verborum Innocentii III. Pontificis, qua habentur cap. inter corporalia, de translatione Episcopi. Ibi enim Innocentius dicit, fortius esse vinculum coniugii spiritualis, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, quàm sit vinculum coniugii carnalis inter virum, & mulierem. Et quoniam vinculum coniugii carnalis homo soluere non potest, iuxta illud Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non separet: vinculum autem coniugii spiritualis non raro Papa dissoluit: videtur sequi, vt, aut falsum scripserit Innocentius, aut Papam Deo aequare voluerit.

Sed quoniam hac disputatio ad institutum nostrum non pertinet, & Barclaius ideo solum hanc digressionem libro suo inseruit, vt occasionem haberet Canonistas carpendi: Nam & in hoc capite audacter scribit, nihil esse meris Canonistis imperitius, & in capite sequenti non veretur dicere, Innocentium quartum, & Ioannem Andream Canonistarum facile Principes ineptissime hunc locum Innocentii III. explicasse: propterea non ero in hoc capite confutando prolixior. Nam neq; Canonista, inter quos viri doctissimi inueniuntur, defensione mea indigent, neq; ego scientiam Canonum ita calleo vt audeam me patronum Canonistarum profiteri. Illud vnum annotare placuit, Barclaium calumniatorem videri, dum dicit Canonistas summo Pontifici diuinam auctoritatem ex verbis Innocentii perperàm intellectis, tribuere. Id enim tantum abest à vero, vt contra potius nonnulli eorum propter istum canonem Pontifici detrahere, aut illum corrigere, non vereantur. Glossa certe, vbi Innocentius dicit, fortius esse vinculum spirituale corrigit, dicens, dignius, non fortius: & Ostiensis in Summa, de Elect. Num. 21. vt ipse hoc loco Barclaius refert, Illa, inquit, ratio non est sufficiens, salua auctoritate & reuerentia reddentis. Denique, neque Innocentius quartus, neque Ioan. Andreas, neque Abbas Panormitanus, neque Anchara nus, neque vllus alius ex iis quos videre potui, ex verbis Innocentii III. diuinam potestatem, summo Pontifici tribuunt, vt Barclaius calumniatur.

Non cessabis conuitiari? quasi vllum Barclaio in Canonistas odium, quem ais, *ideo solum hanc digressionem libro suo inseruisse, vt occasionem haberet Canonistas carpendi*. Quis vero Canonum studiosior, aut cur in Canonistas diceret ipse in eorum numerum iure venturus? At dixit, *meris Canonistis nihil imperitius*, quid verius? deficiet me charta, si eorum hominum nugas coner ad publicum risum hic dare, sed fecisses simplicius si aperte Barclaii mentem exhibuisses Lectoribus. Dixit, *nihil nudis & meris Canonistis imperitius*, id est; hominibus, qui non imbuti scientiis sine quibus ad veram Canonum scientiam nemo pertingat & totos vnis Canonibus dediderunt, hos enim nudos vocat & meros Canonistas, tu reciso *nudi* vocabulo, tantum *meros* excribis, quod ab inuidentibus possit

posset intelligi de omnibus qui ex professo scientiæ illi incumbunt. At Innocentium interpretem, & Io. Andream dixit *ineptissime partem istam rescripti Innocentii III. esse interpretatos*: quis verò ineptus adeo vt illos excoset? Viri magni: at hoc loco, quam absurde lapsi, nec tu ipse ignoras.

Causa ergo Barclaio digrediendi in Canonum campum, hæc fuit. Aít Regum potestatem diuino & naturali iure niti, in quo iure nec possit S. Pontifex dispensare; Quia tamen Canonistarũ aliqui nescio quam omnipotentiam assignant Pontifici, qua etiam in diuino iure dispenset, in tã absurdam dicturus sententiam Pontificis rescripta annotauit, ex quibus perperam expositis natus hic error: Ea sunt tria potissimum capitula, secundum, tertium, & quartum, *Extra, de Translatione Epise.* ex Innocentii III. rescriptis excerpta, quæ tu ita confundis, Bellarmine, vt ex veritate magis, quam ex humilitate videaris esse locutus, cum dixisti te *neque scientiam Canonum ita callere &c.* quasi enim de vnico capitulo Barclaio sermo esset, facis tuo capiti titulum, *Digressio circa sententiam cap. Inter corporalia.* cum non minus de sententia Capituli, *quando personam*, 3. & Capituli, *licet in tantum*, 4. hic agat Barclaius: Primum enim hæc verba exscribit ex cap. licet in tantum, *Sic & spirituale fœdus coniugii &c.* Tum ex cap. Inter corporalia, *Cum ergo fortius sit spirituale &c.* Illa denique ex Capit. Quanto personam. *Non enim homo, sed Deus separat &c.*

Sed quam tu iniurie, *Barclaium calumniatorem videri, dum dicit Canonistas summo Pontifici diuinam auctoritatem ex verbis Innocentii perperam intellectu tribuere.* Vt omittam cæteros, vide quid ex hoc Innocentii rescripto, *Quanto personam*, Petrus Bertrandus collegerit (in addit. ad glo. Extrau. Vnam sanctam. De maior. & obed.) *Christo data erat omnis potestas in cælo & in terrà. Matth 28. Ergo summus Pontifex, qui est eius Vicarius habet hanc potestatem. extrà. de Translat. cap. Quanto.* Quid quod Innocentius interpres, & Ioannes Andreas in eadem scribunt capitula, *quod non separat homo carnale matrimonium, cum Episcopus, vel etiam Archidiaconus per constitutiones Papæ dissoluit.* quasi vero, vt recte Barclaius, possit ratum & legitimum matrimonium per constitutiones Pontificis solui. Astensis etiam, in Summa, lib. 2. tit 58. art. 40. *Certum est enim*; inquit, *quod Deus est super omnes potestates, dist. 8 quæ contra mores. in fin. Ergo & eius Vicarius, qui vices gerit in terris. Extra. de transflat. Prælat. Inter corporalia.* Audi denique Ioannem de Sylua, tract. de Beneficio, part. 3. q. 8. *Item Papa*, inquit, *aliquando dispensat super matrimonio copula carnali consummato. text. in cap. quanto. de diuort. licet sit contra ius diuinum, in quo dicitur quos Deus coniunxit homo non separet. c. 1. & 2.* (id est c. inter corporalia) *De translat. Epise.* Si id non est, *Pontifici diuinam auctoritatem ex verbis Innocentii* (cuius sunt omnia capitula ab hoc Sylua producta) *perperam intellectu tribuere*, anchor sum ne quis mihi vel humanam habeat fidem.

CAPVT XXIX.

Num vinculum coniugii spiritualis sit fortius vinculo carnalis coniugii. Bellarminum pleraq; omisisse, ex iis Innocentii verbis, de quibus, vt obscuris, & male à quibusdam Canonistarũ explicatis, hic egit Barclaius.

Apud Bellarminum titulus est:

De vero sensu cap. Inter corporalia, de translatione Episcopi.

§. VNIC.

IN capite vicesimonono, inquis, Barclaius reiectis aliorum explicationibus, profert sententiam suam de vero sensu cap. Inter corporalia, de translatione Episcopi: & in summa dicit, verba huius capituli pugnare cum mente legislatoris, vt aliud Pontifex senserit, aliud scripserit. Hoc autem, quid aliud est, nisi Pontificem facere vel ignorantem, qui nescierit mentem suam explicare, vel malignum, qui voluerit mentiendo Lectores decipere? At fuit Innocentius omnium consensu Pontifex optimus, & sapientissimus, vt procul ab eo fuerit tum ignorantia, tum malignitas. Dicam igitur quid mihi videatur Pontifex in hoc obscuro capitulo docere voluisse, & nisi fallor, ostendam, verba capituli non tantum in se esse verissima, sed etiam ad mentem Pontificis explicandam aptissima. Fortius esse dicit Pontifex vinculum coniugii spiritualis, quam carnalis. Id esse verum probatur hac ratione, quoniam vinculum coniugii spiritualis non potest in totum solui, ne per mortem quidem, semper enim manet impressus character Episcopalis, qui nulla vi deleri potest: vinculum autem coniugii carnalis per mortem ita soluitur, vt si maritus defunctus ad vitam rediret, non posset vxorem repetere, quam viuens duxerat. Doctrina est Apostoli ad Rom. 7. Deinde vinculum coniugii spiritualis à solo Pontifice maximo solui potest, non quidem omnino, vt diximus, sed in ordine ad Ecclesiam particularem, cui cunctus erat. Solus enim Christi Vicarius Episcopos transferendo, vel deponendo, vel facultatem renuntiandi tribuendo, soluit à vinculo, quo Ecclesiæ suæ tenebantur obstricti: vinculum autem coniugii carnalis non solus Papa, sed ipsi etiam contrahentes aliquando iuste, libereque dissoluunt. Siquidem matrimonium ratum, non consummatum potest alter coniugum iure soluere, si ordinem religiosum profiteri velit, ex Concil. Trident. Sess. 24. Can. 7. neque in hac re vllam à Summo Pontifice facultatem petere debet. Item matrimonium inter infideles contractum, & consummatum, quod vtiq; verum matrimonium est, potest dissoluere alter coniugum, si ad fidem Christianam conuertatur altero coniuge in infidelitate remanente, ex Apostolo 1. Cor. 7. Item in testamento veteri, matrimonia etiam consummata passim ipsi coniuges per libellum repudii dissoluebant, neque Pontificis auctoritatem expectabant, ex Deuteronom. c. 24. Deniq; matrimonia rata, & consummata fidelium solui possunt quoad thorum & cohabitationẽ certis de causis ab Episcopis

particularibus: matrimonium spirituale, ne quoad cohabitationem quidem ab alio, quam à Summo Pontifice solui potest. Ex his igitur manifeste colligitur vinculum spiritualis coniugii quod à solo Pontifice solui potest, firmius ac fortius esse, quam vinculum coniugii carnalis, quod ab ipsis coniugibus, vel ab inferioribus Sacerdotibus soluitur. Atque huc respexisse videtur Innocentius Pontifex, cum propositum in eo capitulo erat docere, translationes Episcoporum sine Pontificis Maximi consensu fieri non posse.

Iam monui non de vno capitulo, *inter corporalia*, sed & de duobus sequentibus à Barclaio agi, vt frustra sis illis verbis, *profert sententiam suam de vero sensu c. inter corporalia.* Imo de tribus capitulis simul profert; nec tu illius sensum aggressus es oppugnare, nimirum magni hominis, & in sua quidem arte. Culpas tamen quod dixerit, *pugnam in iis esse inter diuinam mentem scil. optimi Pontificis, & sensum verborum, inter se discrepare.* Dicis hoc nihil aliud esse, *nisi Pontificem facere, vel ignorantem vel malignum.* Bona verba. Nullum ingenium adeo syncerum aut perspicax, quod nō aut perplexis aut turbatis verbis interdum suos sensus impediat, *quod in aliorū legislatorum scriptis*, inquit, Barclaius, *sæpe contingit*: Vt omittam, hæc rescripta Pontificum non magis Pontificis verbis ac manu, quam Regum sanctiones regia manu & calamo esse conscripta. Sufficit, Pontifices hominibus ad scribendum constitutis suam mentem ostēdere, qui Pontificios quidem sensus, sed suis verbis exponant. Fuerit igitur Innocentius III. vir solertissimus (neq; illum accusat Barclaius) at scriptore vsus est dubiis nimium verbis implicante domini mentem.

Omitto de Barclaii expositione dicere, quod prolixa, & omnibus ex ipsius libro nota; etiam quod à te non carpatur. Ad tuam venio.

Putas ergo Pontificem dicere *vinculum coniugii spiritualis fortius esse, quam carnalis*, quod spirituale coniugium in totum ne quidem in morte soluatur: quia post mortem *manet impressus character Episcopalis*, sed nec possit ab alio solui, quam à Pontifice maximo. Contra, statim à morte in totum soluitur carnale coniugium & ipsi contrahentes possunt illud exoluere: puta si alteruter ante consummatum matrimonium velit ordinem religiosum profiteri, inter infideles etiam consummatum potest alteruter soluere, ad fidem accedens. Denique matrimonia rata & consummata fidelium, quoad thorum & cohabitationem, non à summo tantum Pontifice, sed & à cæteris solui possunt Episcopis. Ergo, inquis, recte Innocentius, coniugii spiritualis vinculum fortius esse carnali. Vt non sollicitem has tuas rationes, vanas me hercule, ecce ostendo carnale coniugium spirituali esse fortius, vel ex eo quod memini à Deo concessum, vt maritum connubio legitimo ratoque extractum alteri fœminæ iungat, & illius vxorem viuo alteri nuptum tradat. At vero concessum Pontifici, vt Episcopum ab Episcopatu priori remotum in alium transferat, relictamq; ab illo Episcopo Ecclesiam, velut nouo marito, ita succedenti Episcopo collocet. Rursus matrimonium ratum & consummatum tenet adeo, vt nec possit Pontifex dispensare cum coniuge religionem, inuita sua parte, profiteri volente, secus in spirituali coniugio. Ecce vt iis rationibus carnale matrimonium spirituali validius.

Sed vt illa, pene superuacua, Bellarmine, omittam: dic porro, an id solum est, quod perplexum & male à Canonistis acceptum in his capitulis notauit Barclaius? Imo alia, & quidē grauiora, vt sunt illa, *non enim homo sed Deus separat quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate vel vtilitate pensata non humana, sed diuina potius authoritate dissoluit.* ista quoque, *sicut legitimi matrimonii vinculum, quod est inter virum & vxorem homo dissoluere nequit, Domino dicente in Euangelio, quos Deus coniunxit homo nō separet: sic & spirituale fœdus coniugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, sine illius authoritate solui non potest, qui successor est Petri, & Vicarius Iesu Christi.* Hæc sunt, inquam, quæ imposuerunt Canonistis, vt etiam diceret Pontificem ratum matrimonium posse dissoluere, & omnino *in iure diuino & naturali dispensare*, His vero obscuris lucem dare debueras, tueri Canonistas, & interpretationem Barclaii, censumque refellere.

CAPVT XXX.

Bellarminum aliud ex argumento suo colligere, quam quod ex eo consequitur. Certissima Barclaii rationes pro Regibus. Iis non aliter respondere Bellarminum, quam per dubia nouæ doctrinæ commenta, & per incertos syllogismos. Oratio, & pœnitentia morientis Rudolphi, quem in Henricum IV. Imperatorem, Gregorius VII. Papa excitauerat.

Titulus est apud Bellarminum:

Respondetur ad obiectiones contra primam partem rationis quintæ, pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. 1.

IN *capite tricesimo*, inquis, *Barclaius post longas digressiones reuertitur ad primam partem rationis quintæ Bellarmini, quam in capite vicesimo quinto sibi refutandam susceperat. Ait igitur. Admittimus quidem eius propositionem, Pastori sc. necessariam esse potestatem circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua potest. Admittimus & assumptionem, lupos videlicet, qui Ecclesiam Dei vastant esse hæreticos. Ex quibus concludit hoc modo, ergo si Princeps aliquis ex oue, aut ariete fiat lupus, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne eum sequatur, ac proinde priuare eum dominio in subditos. Vitiosa collectio*

tuus

cuius loco in bona dialectica reponendum est, Ergo si Princeps aliquis ex oue, aut ariete fiat lupus, poterit Princeps Ecclesiæ eum arcere omni ratione, qua potest.

Respondeo. Nullum hic est vitium, sed compendio dictum est, quod longiori circuitu dici potuisset: nam ratio, qua potest, & solet Pastor Ecclesiæ hæreticos, quasi lupos ab ouili suo arcere illa est, vt per sententiam excommunicationis eos remoueat à commercio Catholicorum, & per absolutionem à vinculo subiectionis efficiat, ne populus Catholicus Principem hæreticum deinceps sequatur. Neq; propositum mihi fuit in libris scribendis, syllogismos propriè formare secundũ figuras, & modos, vt in scholis faciunt, qui de proposita quæstione exercendi ingenii gratia disputãt: sed vim rationũ explicare, atq; ostendere vt alii fa(ciunt) qui libros Theologicos scribũt.

Quis hæc patienter legat? Ais te *compendio dixisse, quod longiori circuitu dici potuisset*, cum è contrario, multitudinẽ verborum hic in te reprehendat Barclaius. Tuo n. argumento longam conclusionem facis, q̃ ipse ex tui argumenti vi non sequi ostendit, sed longe breuiorem, nempe, *Ergo si Princeps aliquis ex oue aut ariete fiat lupus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere omni ratione, qua potest.* id sequitur, inquam, tantum ex prima hac parte tuæ quintæ rationis, cui & assentitur Barclaius. Nam quod addis, *absolutionem à vinculo subiectionis* esse modum quo Pastor Ecclesiæ solet lupos arcere: id vero nec per vmbram ex tuo argumento collegeris. Sed disputandum superest, quinam modi ad expellendos lupos Ecclesiastico Pastori concessi. Tuo inquam argumento probaueris, debere Pontificem arcere hæreticos à commisso sibi grege, *omni ratione, qua potest*: sed quæ illæ rationes sint, eodem argumento nequaquam ostenditur, vt ridicule inferas, *ergo potest Reges deponere.*

§. 3

AT inquit Barclaius, Potest quidem Pastor Ecclesiæ iure suo excommunicare Regem hæreticum: sed absoluere populum à iuramento fidelitatis, aut iubere ne populus Catholicus Regem hæreticum in rebus Politicis sequatur, iure non potest, cum hoc iure diuino, & naturali repugnet.

Ac ne illi fortasse obiiciamus quod non seruauerit formam argumentandi, format hunc syllogismum.

Summus Pontifex nihil præcipere, vel dispensare potest contra ius naturale & diuinum: atqui subiectio, & obedientia Principibus, & superioribus debita, est de iure naturali, & diuino: Ergo Summus Pontifex nihil contra eam præcipere, vel dispensare potest: & per consequens non potest præcipere subditis, ne Principi suo temporali obediant in eo, in quo Princeps est, & superior: & si de facto præceperit, licebit subditis, tanquam extra territorium ius dicenti, impune non parere. Vtrumque propositum est certo certius, ex quibus conclusio necessaria consecutione inducitur. Qui huius argumenti vim eneruauerit: is magnam mecum gratiam inibit. Ego mehercule, vt ingenii mei tenuitatem ingenue fatear, non satis perspicio, qua possit solida ratione elidi.

Respondeo. Hæc sunt omnia refutata in c. 26. neq; aliquid noui Barclaius attulit hoc loco, sed aliis & aliis verbis more suo eadem repetiuit. Sed ne queratur nihil nos ad insolubilem eius demonstrationem in forma respondisse, distinguo assumptionem: nam cum assumit, Atqui subiectio, & obedientia Principibus, & superioribus debita est de iure naturali, & diuino: si intelligat de Principibus, & superiorib. pro tempore quo Principes, & superiores legitimi sunt, verum assumit, sed nihil inde concludere potest: Nam Principes hæretici post sententiã S. Pontificis declarantis illos excommunicatos, & depositos, non sunt amplius legitimi Principes, vel superiores: sin autem intelligat de Principibus, & superiorib. pro quocunq; tempore, etiam post abrogatum illis imperium, falsum assumit, neq; de hac re vll. m esse dubium potest. Nam iure diuino tenentur subditi non solum obedire Regi tanquam præcellenti, sed etiam Ducibus tanquam ab eo missis, vt scribit S. Petr. in priore epist. c. 2. & tamen postquam Rex abrogauit Duci potestatem, non tenentur amplius illi obedire, quemadmodum neq; ipsi Regi obedire tenentur quando iure à regni solio deiectus est. Quare Barclaius si aliquid solidi adferre voluisset, debuisset probare, Principes terrenos semel Principatum adeptos sunt, iure diuino in Principatu ita stabilitos esse, vt nulla vi, nulloq; iure deiici possint à Principatu, hoc autem in quo totius vertitur cardo quæstionis, nunquam probare potuit.

Frustra quæris, de quibus Principibus loquatur Barclaius. Quasi de aliis, quam de iure Principatu fungentibus. Dicis, illos *post sententiam summi Pontificis declarantis illos excommunicatos & depositos, non esse amplius legitimos Principes, & superiores*, hoc vero est, quo euicto tota causa viceris. Sed tum ex iure naturali & gentium nobis constet qui sint nostri Principes: Cum deinde diuino & naturali iure iterum constet, nostris illis Principibus deberi à nobis obsequium, non dubiis authoritatibus, dubiisq; syllogismis, quales in ista re contexuisti, sed eodem diuino, naturali, & gentium iure constare perspicue debet, quando illos deseri, nec amplius pro Regib. haberi oporteat. Aliòqui pias mentes iustus horror violandi sacri iuris à defectionis immanitate auertet. Hæc erat morientis Rudolphi pœnitentia, quem in Henricum IV. Gregorius VII. incenderat. Ita Abbas Stadensis in Chronic. Anni M LXXX. *bellum, inquit, inter Henricum & Rudolphum iuxta fluuium Elsteram geritur, in quo Rudolphus vulneratus in manu dextra, fugit Mersburg, mortique iam proximus dixit ad familiares suos, Videtis dexteram meam de vulnere sauciam: Ecce hac manu, qua Domino meo Henrico fidem firmaui sacramento, sed iussu Apostolica. Pontificumq; petitio, me ad id duxit, vt iuramenti transgressor honorem mihi indebitum vsurparem. Quis igitur finis nos exceperit videtis, quia in manu, vnde iuramenta violaui, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo hi, qui nos ad hoc instigauerunt, qualiter nos duxerunt, ne forte deducti simus in præcipitia damnationis æternæ. Et hæc dicens diem clausit extremum.* Habes eadem verba Rudolphi apud Helmodum Presbyterum, in Chronic. Slauor. lib. 1. c. 29. & apud Abbatem Vrspergen.

ſpergenſem, *ad Ann. 1080.* Ratio ergo Barclaii, nempe, eſſe de iure diuino, vt Principibus pareamus, neque contra ius diuinum poſſe diſpenſare Pontificem; non ex dialectico conſtat, aut incerto ſyllogiſmo, ſed ex demonſtratione certiſſima, cuius fundamentum in iure gentium, inque Scripturis. Tua porro ſolutio, nimirum, poſſe fieri vt per Pontificiam ſententiam Principes deſinant eſſe Principes, ideoq; nec illis amplius debeatur obſequium, ex remotis dubiiſque conſequentiis ex obſcuris incertiſq; ſubtilitatibus, extorquetur, quam valere in apertiſſimam iuris diuini rationem, ſi quis exiſtimet, ne dignus ſit, qui exul à Sole, in Cimmeria nocte verſetur.

Eſt & aliud Barclaio argumentum; Neminem alteri poſſe dignitatem abrogare, niſi qui ſit in eodem dignitatis genere illo ſuperior, cui abrogat; Certum porro Pontificem nō eſſe in temporalibus ſuperiorem Regum, certum igitur nec eum poſſe temporalia illis auferre. Sed videamus quid huic Barclaii argumento reſponderis. Sic tu igitur:

§. 3.

SED *dicet, inquis, eſto, Principes deponi poſsint, non tamen deponi poſſunt, niſi à ſuperiore.*

Reſpondeo. Papam omnino ſuperiorem eſſe, cum ſit Vicarius Ieſu Chriſti, non puri hominis, ſed Dei & hominis, ac per hoc ſit vice Chriſti Paſtor, & Pater, & Rector, & caput omnium Chriſtianorum, etiam Principum, Regum, & Imperatorum, vt ſæpe dictum eſt, & ex ipſis diuinis literis manifeſte deducitur.

At, inquit Barclaius, Papa quidem ſuperior eſt, ſed non in eadem ſpecie ſuperioritatis: ſuperior enim eſt Regibus & Principibus, in rebus diuinis, & ſpiritualibus, in temporalibus autem fatentur ipſi Pontifices ſe Regibus ſuperiores non eſſe, vt notum eſt ex c. Per venerabilem: Qui filii ſint legitimi, vbi Pontifex dicit, Regem non habere ſuperiorem in temporalibus.

Reſpondeo. Iam hæc omnia ſupra eſſe tractata, & diſcuſſa: oſtendimus enim, Pontificem ſuperiorem eſſe Regibus etiam in temporalibus, quando propter ſpiritualia neceſſe eſt diſponere de temporalibus, quæ ſpiritualibus ſubordinata eſſe debent, idq; oſtendimus ex communi ſententia Doctorum, allatis teſtimoniis ſupra ſeptuaginta, item ex Conciliis Eccleſiæ generalibus non paucis, denique ex ratione in diuinis literis fundata, aduerſus quæ nihil attulit Barclaius niſi clamores tragicos, & verba turgida, ſed inania. Quod autem Innocentius ſcribit, Reges non habere ſuperiorem in temporalibus, veriſsimum eſt in eo ſenſu, in quo id Innocentius dicit, quod videlicet ſint Reges, ſupremi Principes temporales, neq; habeant ſuper ſe alios Reges, vel Imperatores, excepto Deo, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium: ſed hoc non prohibet, quo minus habeant Reges ſuperiorem ſpiritualem tanta præditum poteſtate, vt poſſit temporalia dirigere ad ſpiritualia, cum ordinis ratio poſtulet, vt poteſtas temporalis ſubiecta ſit ſpirituali quando in vnum conueniunt, & vnam Eccleſiam faciunt, quomodo corpus in homine ſubiicitur ſpiritui, & ab eo regitur, &, vbi opus eſt, corrigitur, & caſtigatur.

Ecce vt tu nec verbum in validiſſimam Barclaii rationem, & quæ hanc Pontificis, quam ſomniaris, poteſtatem, prorſus elidit. Nihil tu, inquam, ad tantum argumentum, niſi *hæc omnia ſupra eſſe tractata.* Ad auctoritates profugis; Ais te ſupra probaſſe hanc Pontificis *ſuperioritatem, ex communi ſententia Doctorum,* ea *Conciliis,* ex *Scriptura.* Nos vero quid ad Doctores illos, quid ad Concilia, fuſe in *Prolegomenis.* Vana quoq; & extorta tela ex inuita Scriptura, facile retudimus. De ſenſu deniq; verborum Innocentii, in *c. per venerabilem,* actum ſupra (*cap 12. § 2.*) vbi & tua, quæ & hic ex parte repetis, excuſſa ſophiſmata. Reſtat igitur inconcuſſa Barclaii ratio, à nemine poſſe dignitatem auferri, niſi ab eo qui ſit in eodem genere ſuperior, qualis, reſpectu ſecularium dignitatum, neqnaquam Regibus, cæteriſque Principibus, Papa.

CAPVT XXXI.

Examen dialogi à Bellarmino inter Populum & Pontificem inſtituti. Deum in Scripturis imperaſſe, vt Reges infeſtiſsimi ſalutis fidelium, eoſq; ad Idololatriam omni vi trahentes, ab ipſis fidelibus ſine rebellione colerentur: Pontificem igitur non poſſe ſtatuere contrarium Reges, etiamſi fiant ſpirituales lupi, manere Paſtores temporales. Poſſe mutari, aut euerti, per Pontificem pleraq; Dei præcepta ſi illi concedatur, vt poſſit facere de Rege non Regem. Non licere Populo ab iniquo Rege deficere, quo melius ſit Eccleſiæ, quia non licet facere malum, vt inde eueniat bonum. Periculoſam, falſam, imo ſuſpectam in fide aſſertionem aduerſariorum eſſe, quæ dicunt, Populum, ſi cenſuras vere timet, debere Pontificis ſententiam obſeruare, etiam quæ videatur iniuſta.

Titulus apud Bellarminum eſt:

Dialogiſmus inter Populum nimis addictum Regi iniquo, & Pontificem Populo ſalubriter conſulentem.

§. I.

SVBIVNGIT *poſtea Barclaius, inquis, longiſsimam apoſtrophem populorum ad Pontificem, in qua quod ipſe millies repetiit, iterum repetendo tribuit populis, quæ imperitos, & leues permouere fortaſſe poſſint, ſed homines cordati & prudentes facile intelligent, has eſſe refugia miſerorum, qui quod viribus obtinere non valent, ea gemitibus & importunitate extorquere conantur. Veruntamen, ne lector exiſtimet, nos laborem reſpondendi ſubterfugere velle, aut quæ Barclaius in perſona populi dicit, maiora eſſe quam reuera ſint, inſtituam reſponſionem per modum dialogi, & populum verbis Barclaii loquentem, & Pontificem verbis meis reſpondentem, inducam.*

POP. *Pater sancte, nequaquam es Rege nostro in temporalibus superior: eoque non potes obsequium temporale, quod illi præstamus impedire.*

PONT. *Quando salus tua æterna in periculum adducitur propter obsequium temporale, quod Regi præstas, tunc omnino superior sum Rege tuo, etiam in temporalibus: nam & illum, & te, ad vitam æternam dirigere debeo, & omnia impedimenta de medio tollere, quæ hoc iter impediunt.*

His Pontificis verbis audi iam populum respondentem. Non cum eiusmodi distinctione Scriptura, Pater sancte, sed omnimode, & absolute decreuit, Reges & Principes, summos rerum temporalium esse præfectos. Imo cum Apostolus dixit, Non resistendum potestati, quæ *non sine causa gladium portat*, Tunc ii Principes præerant, ob quorum dominatum, si vnquam alias, *salus Christianorum æterna periclitari videbatur*. Quid enim crudelius quam nouis & infandis Nero tormentis adhuc renetam & lugentem Ecclesiam concutiens? Sed nec ratio satis apta, quam tuæ superioritatis hic reddis, *quod & illum, & me, ad vitam æternam dirigere debeas*. Illa quippe directio, spirituali potestate instructa, non eget temporali imperio, alioquin cum eo actibus, dignitatibus, officiis misceretur. Et si verum est, vllo te modo, vlla ve de causa, posse Regibus abrogare Imperium, tunc ambage remota fatendum est, te omnino & in spiritualibus, & in temporalibus, arbitrum & dominum Regum esse. Nec obiicias, hoc tantum modo tibi in eos potestatis competere, cum delinquunt, & perniciose imperant. Nam nec Reges in ciuium vitam aut opes ita ius habent, vt hæc illis, nisi iusta de causa, possint auferre: nihilominus absolute dicuntur temporaliter regnare in ciues.

Sed quod addis, tuum esse *omnia impedimenta de medio tollere, quæ iter vitæ æternæ impediunt*. Omnino mirandum est. Hinc enim sequeretur, neminem, nisi culpa certe sua, damnari: quod crudelitatis genus tuæ sanctitati nusquam adscribam, sequeretur & posse te sedare Tyrannos, fidem infundere, mortales ab improuisa morte eripere, vt innumera prætcrea taceam, quæ vitæ æternæ impedimenta sunt, & certe grauissima. Scimus omnino tibi tributum, vt quantum est ex parte tuæ sanctæ potestatis, possis id omne, quod ad salutem sufficit, ministrare mortalibus; Non autem vt impedimenta refutes ac tollas, quæ ex parte mortalium, hanc potestatis tuæ sufficientiam, aut morantur, aut turbant. Certi sunt fines, rationes, & modi, non autē infinita iurisdictio, quibus Pastorale officium à te Christus voluit procurari. Et de his quidem supra (*c. 3 § 6.*

§. 2.

POP. *Cur nos facere prohibes, quod Deus non facere imperat?*

PONT. *Absit, hoc non prohibeo, sed contra potius impera, ne facias quod Deus te facere prohibet. Ego Pastor sum à Christo, qui Dominus gregis est, constitutus. Vos populi, ouicula estis, Reges vestri arietes sunt Itaque dum Reges vestri arietes esse perseuerant, sino vt vos regant, & ducant: sed si vertantur in lupos, æquumne erit, vt patiar duci oues Domini mei à lupis? Itaque iure veto, ne illos sequamini: nam & hoc Dominus vetat, quoniam cum nimis grandi periculo ouicula reguntur à lupis.*

Non tuis, Summe Pontifex, sed Bellarmini veteris verbis: Sine me igitur cum eo, non tecum, rem habere. Licet verum sit Pontificem posse dici Pastorem, Principes arictes, Populū ouiculas: si hæc tamen examussim obseruantur, omnium rerum, omnium ordinum, confusa nascetur calamitas: Nam sequetur Principes malos, qui ex arietibus fient lupi, posse à Pontifice non de imperio tantum, sed de vita deiici: posse illum priuato cuilibet indulgere, vt hos lupos occidat; imo priuatum quemlibet posse hos lupos suo iure occidere. Quippe & hucin arietes Pastor potest, & absque Pastoris imperio singuli omnes in lupos. Vide quam infandi errores ac turbines, si Pontifici concedis in Reges, quod Pastori in oues. Sed dicendum, spiritualem hunc esse Pastorē; Reges autem spirituales quidem arietes, sed Pastores temporales, qui si labantur in hæresim, si sint infesti Ecclesiæ, licet spirituali respectu ex arietibus in lupos, abeant, nihilominus politici regiminis Pastores sint, ideoque semper à ciuibus tanquam Pastores politici sequendi, audiendi: Falsum autem hoc à Domino vetitum esse, vt ait Bellarminus, imo verum hoc à spiritu sancto iussum, & à sancta Ecclesia per multa secula, religiosissima ratione, seruatum.

§. 3.

POP *An quia tuum est voluntatem Dei in lege diuina, & scripturis comprehensam interpretari?*

PONT. *Tu dixisti.*

POP. *At non est tamen illa interpretatio adhibenda, quæ legem penitus euacuet, & mandatum omnino destruat, ac dissoluat.*

PONT. *Quam legē Dei interpretando destruximus, aut dissoluimus vnquam vel prædecessores mei, vel ego?*

POP. *Si quid dubii aut obscuri est, in lege diuina, ad Sedem Petri, id est ad Sedem, quam tu nunc tenes, interpretationis veritatem accepturi confugimus: quod autem per se clarum est, & perspicuum, id nulla interpretationis luce indiget.*

PONT. *Quid tum?*

POP. *Cum Dominus, & Saluator noster iubeat nos reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo: & deinde per Apostolum Principibus & potestatibus subditos esse, & dicto obedire: tuum est nobis declarare, quæ sunt Cæsaris, id est, quæ à nobis Regi nostro debentur, & quæ sunt Dei, vt sua vtrique reddamus: & in ea*

distinctione vocem tuam libenter audiemus. At cum dicis, nolite quidquam Cæsari, siue Principi vestro reddere, contradicis Christo, ac proinde vocem tuam non audimus.

PONT. *Quando Dominus dixit, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, iussit censum dari ei, qui tunc imperabat, neque Iudæos ad idololatriam cogebat, neque adhuc erat ab vlla legitima potestate depositus: quod idem iussit multo ante per Hieremiam Prophetam Deus fieri erga Nabuchodonosor Regem Babylonis propter eandem causam. Sed cum tempore Machabæorum Antiochus Rex populum auertebat à fide, & religione diuina, non iussit Deus vt eum pro Rege habere pergerent, sed inspirauit Matathiæ, & filiis eius, viris fortissimis, & religiosissimis, vt exercitu congregato bellum cum Antiocho tanquam cum hoste gererent, & populum in libertatem vindicarent. Sic igitur & tu popule Christiane Regi legitimo, & qui à lege Dei, & Catholica Religione te non auertit, quique propterea à me Christi Vicario amatur, vt filius: reddes obedientiam debitam, in his quæ contra legem Dei, & fidem Catholicam non iubebit. Regem autem, qui te siue minis, siue blanditiis, siue alio modo à via, quæ ducit ad vitam, reuocare conatur, & per sententiam meam à cœtu piorum eiectus, & Regno priuatus est, pro Rege non habebis, sed obedientiam eamdem Regi debitam alteri exhibebis, qui in eius locum legitime successerit. Porro Deo, quæ Dei sunt, reddes, quando fide, spe, & charitate Deum coles, neque vllius hominis timore, vel amore, à Dei timore, vel amore, separari te sines. Itaque nunquam ex me audies nolite quidquam Cæsari, aut Principi vestro reddere, sed hoc audies, nolite seduci, vt etiam pro Cæsare aut Principe vestro habeatis, qui reuera Cæsar, & Princeps esse desiit.*

Debebas plus veteri Pontificis sanctitatem, quam falsa illi tribuere, & in Scripturam verba. Sic enim loqui facis, Tyberium, & ante eum, Nabuchodonosorem, Dei iussu in Regem à Iudæis agnitum, quod eos ad idololatriam non cogeret. Non cogebat Nabuchodonosor, ad idololatriam? quid immanis ergo statua, Bellarmine, (Daniel. 3.) in cuius *dedicatione* sic præco clamabat: *Si quis non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis*, Quid Sidrach, Misach, & Abdenago, in ignem iniecti, cum Rex his verbis interrogasset, *Deum meum non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis?* Illum tamen, vt fateris, Deus voluit pro Rege haberi quam inique tuo iudicio, cum oues duceret lupus! De Antiocho supra disserui, eum nec fuisse Iudæorum, nec Machabæorum, legitimum Regem, *c. 6 §. 4.*

Non erit igitur reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, ne quoe Dei mandatum interpretari, sed tollere, si Papa decernat, propter flagitia, aut errores in fide, remouendos à sceptro Reges esse, cum & flagitiosissimos Tyberius & Populum Dei ad idololatriam cogens Nabuchodonosor Dei voce ponantur inter illos, quibus vt sublimioribus potestatibus Populorum animæ subditæ esse deberent. Nec facere Pontifex potest, vt Rex propter illa crimina desinat esse Rex, quæ non tollere Regalem maiestatem, Numen ipsum in Scripturis ostendit.

§. 4.

POP. *Fatemur quidem, & profitemur sanctitati tuæ expositioni atq; interpretationi in legis diuinæ obseruationi locum esse: sed eam non admitti asserimus, quæ facit vt ius naturale, & diuinum sit ludibrio, & penitus contemnatur veluti ne à re, qua de agitur, aberremus, iubemur Principibus, & potestatibus obedire: tuas in huius mandati obseruatione explicationes, & restrictiones, quæ modo mandatū ipsum non extinguunt, tanquam filii obedientes libenter amplectimur: veluti cum nullā inde obligationem parendi Regibus oriri dicas, nisi in iis quæ ad temporalem ipsorum iurisdictionē pertinent: spiritualia omnia Vicario Christi atq; Ecclesiæ reseruanda esse. Item cum admones, non esse Regi obediendū in eo, quod contra ius diuinū, vel naturale imperat aut quod alioqui bonis morib. aduersatur. At quando simpliciter, & absolute præcipis, ne Principi nostro legitimo, eiusve monitis, mandatis, & legib. vllo modo obediamus: præcepto tuo parere non possumus, quia hoc nō est mandata Dei interpretari, quod sanctitati tuæ conceditur: sed penitus antiquare, & abrogare, quod nullo modo potes. dum tot verba sine*

PONT. *In multiloquio non deerit peccatū: videris ex Barclaii alicuius schola prodiisse, dum tot verba sine ratione, multiplicas: grauius autē peccat dum Doctorē tuum docere, & legislatori legem dare præsumis: sed grauissime delinquis & erras, dum Christi Vicario imponis, quod faciat ius naturale, & diuinū ludibrio haberi, quodq; mandatū Dei de obedientia Principib. debita antiquare & abrogare velit, nusquam n ego aut prædecessores mei simpliciter & absolute (vt tu loqueris) præcepimus ne Principi legitimo, eiusve monitis, mandatis, & legibus vllo modo obediatur, ista calumnia, & impostura sunt Doctoris tui Barclaii: quod enim dicimus, & docemus hoc est, vt Principi ab Ecclesiâ, publica auctoritate excommunicato, & deposito, qui proinde legitimus Princeps esse desiit, nulla deinceps obedientia debeatur. Id vero cum nullo diuino mandato pugnat: diuinū enim mandatū non hoc habet, vt ei, qui Princeps legitimus esse desiit, obedientia deferatur. Tu vero diligenter attende, & expende, vtrum maiorem fidem habere debeas Patri tuo, Christi Vicario, & Matri tuæ Ecclesiæ, an vili falso fratri, qui te seducit, ac facit, vt contra mandatum Dei, Patri, & Matri non obedias, dum obedientiæ Regiæ Zelum sine scientia vis habere.*

Nullum hic multiloquium, sed à Christo, non à Barclaio verba. Tu vero quam audacter, & veluti de re concessa pronuncias, *Principi ab Ecclesia publica auctoritate excommunicato & deposito, qui proinde legitimus Princeps esse desiit, &c.* Quasi ob eiusmodi depositionē Princeps desinat esse Princeps. Id negamus Bellarmine, cum à Christi Vicario adimi nihil possit, quod à Christo concessum sit, sine expresso mandato, quale de deponendis Regibus Pontifex nullum habet, vt supra docuimus, *cap 5. §. 2.* Quam in contrarium denique pugnent Scripturæ, Apostolorum traditio, vsus primæuæ Ecclesiæ, Patrum antiquorum monimenta, tum apud Barclaium, tum hoc opere etiam passim habes. Quid hoc a, nisi supra Christum esse, aut certe *præciperent Principi legitimo obediatur*,

Si vbi legitimum Regem habemus (quem proinde cognoſcimus miſſum à Chriſto, & à Chriſto authoritatem habere) Pontifex dicat, nolo vt hic amplius Rex ſit, nolo vt authoritatem à Chriſto amplius habeat, Chriſtus hunc vobis dedit, cui effectis obſequentes, Ego vero ſuſli obſequamini, vobis Eccleſiæ liminibus interdico? Hac diſtinctione, quam feceris, cælum, orbem, omnia concuties. Quidni & matrimonii vinculum iam dicatur eſſe in eadem poteſtate Pontificis, vt cum Deus dixerit coniugem non poſſe à coniugio recedere; intelligas, non poſſe quidem recedere, quamdiu verus & legitimus coniunx eſt, ſed poſſe Pontificem facere, ne qui maritus eſt, maritus ſit amplius, ac proinde nec ius in vxorem habeat. Nihil, inquam, eadem ratione non erit in poteſtate Pontificis, ſi quod abſolute in Scripturis dicitur, de perſonis, aut rebus, id ita capiatur, quatenus Pontifex voluerit eas ipſas res aut perſonas tales eſſe, vt de iis ſint intelligenda Scripturæ.

Quæ hic in Barclaium conuitia acerbus effundis, poſſem æquiori ratione refundere, niſi mallem te inuentorem impune iniuriæ quam me in vltione tumentem. Non tamen ferri potes, cum Barclaium dicis eſſe *vnum falſum fratrem, qui populum ſeducit.* Quaſi dicas eſſe hunc vnum, qui iſtâ pro Regibus propugnet ſententiam, cum reuera ſingulis ſentientibus tecum, totam Catholicorum hominum, & pro nobis ſtantium, decuriam, poſſimus opponere.

§. 5.

POP. *Chriſtus cum claues Regni cæleſtis Petro tradidit, non dedit ei poteſtatem faciendi de peccato non peccatum.*

PONT. *Neſcis quid loquaris: ſi quidem in bono ſenſu dedit Chriſtus Petro poteſtatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum, peccatum eſt inire matrimonium in gradu prohibito, non ieiunare in quadrageſimo, die feſto laborare ſeruiliter. & tamen hac omnia, & alia id genus plurima, diſpenſante Petro, auctoritate clauium ſibi datarum, peccata eſſe deſinunt, contra vero, poteſt Petrus addere nouum gradum conſanguinitatis, & affinitatis, addere nouum diem ieiunii, addere nouum diem feſtum, & hinc fient peccata, ſi quis in gradu illo addito coniugium contrahat, aut diebus additis non ieiunet, aut ab opere ſeruili non ſe abſtineat, quæ tamen antea peccata non fuiſſent. Sic igitur peccatum fuiſſet Regi tali, vel tali non obedire, & tamen ſi per claues Petri ille talis Rex, hæreticus declaretur, excommunicetur, & deponatur, iam non erit peccatum illi non obedire. Verum eſt tamen claues Petri ad id non ſe extendere, vt poſſit Summus Pontifex declarare, non eſſe peccatum, quod eſt peccatum, aut eſſe peccatum, quod peccatum non eſt: id enim eſſet dicere malum bonum, & bonum malum, quod longiſſime abeſt, & ſemper abfuit, & aberit à doctrina illius, qui Eccleſiæ præeſt, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis.*

Quid hic probas, Bellarmine, niſi Pontificem iuris Eccleſiaſtici poſitiui poteſtatem habere? Nec negamus, in his rebus ſtatuere Pontificem poſſe, vt hoc aut illud obſeruetur, & ſanctione, aut abrogatione eiuſmodi legum, facere, vt quod peccatum modo erat, iam nequaquam peccatum ſit, in iis, inquam, rebus, quæ non ex natura ſua malę, conſcientiam hominum idcirco tantum tenent, quod ab Eccleſia aut iubentur, aut vetantur. At de Regum & Principum iure, ratio omnino diuerſa, quod non ab Eccleſiæ conſtitutionibus ortum, aut iis innixum, ſed ipſius Dei verbo, & naturali gentium iure. Vt proinde nec ab Eccleſia poſſit tolli. Hæc igitur de conſanguinitate, de ieiuniis, de feſtis exempla, fruſtra, & extra rem, cumulaſti.

§ 6.

POP. *Nos igitur communem Canoniſtarum doctrinam in hac parte ſequimur, qui tradunt, mandato Papæ non eſſe parendum, ſi vel iniuſtum ſit, vel ex eo multa mala, ſeu ſcandalum veriſimiliter eſt futurum, aut turbatio ſtatus Eccleſiæ, & Reip. Chriſtianæ oritura: & ideò ſi Papa mandaret Religioſis aliquid, quod eſſet contra ſubſtantiam ordinis, id eſt, quod repugnaret regulæ ab iis profeſſæ, vt interpretatur Felinus, in c. Accepimus, de fid. inſtrum. & c. Si quando de reſcript. non tenentur obedire, vt idem Innocentius docet in c. Ne Dei, de ſimonia, quem refert, & ſequitur Martinus de Coraziis in tract. de Principibus q. 408. & Felinus d. c. ſ. Si quando. & dicto c. Accepimus: quanto igitur minus debent Regum ſubditi Pontificem, eos ab obedientia iure diuino, & naturali Regi ſuo debita, & arctiſſimo iuriſiurandi fœdere ſancita, retrahere conantem audire?*

PONT. *Quæ ſit communis ſententia non ſolum Canoniſtarum, ſed etiam Theologorum; & iuris ciuilis peritorum, imo & ipſorum ſacrorum Conciliorum, diſcere poteris ex prolegomenis huius libri, vbi communi conſenſu affirmatur iure poſſe à Summo Pontifice iuſtis de cauſis Regem excommunicari, & deponi, & ſubditos ab omni obedientia & fidelitatis vinculo liberari. Non eſt autem credibile, Canoniſtas omnes ſecum ipſos pugnare. Cum ergo dicunt aliqui Canoniſtarum, non eſſe obediendum Pontifici, quando mandatum ipſius iniuſtum eſt, aut ſcandalorum, & perturbationis cauſa, primum non loquuntur de Pontifice ex Cathedra docente Eccleſiam vniuerſam: deinde non loquuntur abſolute, ſed conditionaliter, id eſt, ſi id fieret, ſi forte contingeret, vt Pontifex alicui particulari homini mandaret aliquid contra legem Dei: tunc enim nota eſt S. Petri doctrina, Act. 5. Obediendum eſt Deo magis, quam hominibus. Sed quando Pontifices prædeceſſores mei vt Gregorius VII. Innocentius IV. & alii, Principes magnos excommunicare, ac deponere, & ſubditos eorum ab obedientia liberare voluerunt: id fecerunt ex Cathedra, in Concilio, publica ceremonia, ex auctoritate Dei, & ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſibi diuinitus communicata: proinde, qui dicit non eſſe obediendum Vicario Chriſti, ita præcipienti, is vniuerſam condemnat Eccleſiam. & non tam Canoniſta, quam*

potest fieri, nisi vt exhibeatur illis honos debitus potestati. O inscitum Augustinum, si *potest fieri* vt à Pontifice abdicentur illi iniusti Reges, nec amplius *exhibendus sit illis honos debitus potestati!*

Si itaq; spiritualis Pastor dicet, illum, aut illum Principem, iam non esse Pastorem temporalem, non magis vox eius audienda, quam Pastoris temporalis oues à spirituali auocantis. Pastor vterq; à Deo est. Oues eædem spiritualē vocem vnius, temporalem alterius tenentur audire. Neq; institutio aut destitutio Pastoris vnius ab altero pendere credenda est. Fidem itaq; spirituali habebo Pastori, quando dicet, spiritualis tuus Pastor sum, at non loquetur vt Pastor, cum asseret hunc Pastorem, cui diuino & humano iure in temporalibus subsum, iam non meum esse Pastorem.

§. 8.

POP. *Qui iubet nos Regibus obedire, & reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, nullam bonos inter & malos Principes distinctionem facit, ac per hoc nec nos distinguere debemus.*

PONT. *Addo etiam cum Apostolo Petro, obediendum esse, non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis 1. Petri 2. Itaq; non distinguimus inter bonos & malos, dum superiores sunt: sed quæstio nostra est, An sit obediendum Regi per sententiam reiecto, ac deposito, huic enim obedientiam exhiberi Christus non iubet, & Vicarius Christi prohibet, vel potius per Vicarium suum Christus ipse prohibet: proinde, qui obedientiam illi exhibet, Christo non obsequitur, & Vicarium Christi lædit.*

Hæc cum passim, tum hoc capite. §. 4. excussa sunt.

§. 9.

POP. *Si, vt docet B. August. is qui continentiam Deo vouerit, nullo modo debet ista compensatione peccare, vt ideo credat vxorem sibi esse ducendam, quia promisit quā nuptias eius appetit, futuram se esse Christianam, atq; ita acquirat Christo animam in mortem infidelitatis posita fœmina, quæ parata est, si huic nupserit, fieri Christiana: qua nos apud Deum excusatione vtemur, si vt sperat nos aliquod bonum eueniat, iurisiurandi religionem, & fidem violemus Deo, regiq; nostro datam? nihil enim anima preciosius, pro qua Dominus, & Saluator mori dignatus est: si ergo vt eam Christo lucremur, peccare non liceret, eccuius rei causa peccandum?*

PONT. *Non sunt facienda mala, vt veniant bona. Hæc doctrina Apostolica est, ac per hoc & nostra: hinc non licet votum castitatis violare, vt animas Christo lucremur: neque licet contra iurisiurandi religionem aliquid facere, vt Mundum vniuersum saluum faciamus: sed non ideo non licet mihi, cui Christus dixit in persona S. Petri, Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, & in votis dispensare, & à iuramenti vinculo soluere, qui autem Apostolica auctoritate, vel voto, vel iuramento solutus est, iam non peccare contra votum, vel iuramentum, si ea faciat, quæ antea ligatus voto, vel iuramento facere non poterat: quemadmodum enim inter homines, qui debet alteri pecunias peccat, si non restituat: sed si creditor soluerit debitorem obligatione reddendi, iam non peccabit etiam si nunquam restituat: sic etiam dum votum, aut iuramentum viget, & ligat, peccat qui illa non seruat, sed si Vicarius Dei, accepta à Deo auctoritate, & ipsius Dei nomine relaxat obligationem voti, vel iuramenti, iam non peccat, qui ea non seruat, stulta igitur est illa interrogatio tua eccuius gratia peccandum? quasi hoc à populo Sacerdos discere opus habeat.*

POP. *Quod autem præterea dicis, te nos ab huius officii vinculo absoluere, atque absolutos declarare: id non omnem conscientiis nostris scrupulum adimit, sed animo pendere, ac dubitare magis de tua potestate facit: quod sciamus præceptum, cuius tu nobis gratiam te facturum promittis, Dei & naturæ lege esse sancitum, sanctitatem vero tuam non posse, ne quidem de plenitudine potestatis, legis naturalis, & diuinæ gratiam cuiquam facere.*

PONT. *Iam indocilem omnino te prabes, cum ad eadem semper reuolueris. Non ego tibi gratiam facio præcepti naturalis, vel diuini, cum ab obedientiæ vinculo te absoluo, non enim permitto vt Regi non pareas, quod esset contra ius diuinum, sed facio, vt ille qui tibi Rex erat, non sit tibi deinceps Rex: quemadmodum, qui donat seruum libertate, non concedit, vt seruus non teneatur obedire Domino, quod esset etiam contra ius diuinum: sed facit vt dominum non habeat, cui obediat, & qui filium emancipando, eximit a potestate patria non docet liberum esse filiis parentibus non obedire, sed facit vt ille, qui filius erat, iam non censeatur filius. Et qui votum, aut iuramentum relaxat, non dat facultatem violandi vota, vel iuramenta, sed facit, vt non habeat votum vel iuramentum.*

Potuissem quæ hoc capite apud te sequuntur, in istum paragraphum conicere, cum in iis nihil noui, nihil non centies dicti. Ais, Pontificem posse iurisiurandi gratiam facere, quo se populus Regi obstrinxit: posse igitur populum absq; turpis fidei piaculo in Regem insurgere, etiamsi hoc de iuramento Pontifex posset: at supra docuimus, non ob solum iuramentum deuinciri Regibus ciues, sed diuino, naturali, & gentium iure: quibus accedit iuramentum promittentis populi, se hæc iura non violaturum. Si daremus igitur Pontifici, vt iusiurandum hoc soluat, at principalem obligationem, qua populus fidem & obsequium Regi debet, non ideo Bellarmine exsoluet, cui hoc iusiurandum accessit. Vide *c. 27. §. 2.* Non repeto rem toties dictam Pontificem nō interpretari præceptum, sed tollere: quoties iubet, nec eum qui Rex est legitimus iam amplius pro Rege ducamus, quandoquidem non in genere modo iubemur, parere Regibus, sed & in indiuiduo, illi, qui iam Rex est, in temporalibus obsequi. Rem, inquam, toties, & tot verbis explicitam, tuo more non repeto.

particularibus matrimonium spirituale, ne quoad cohabitationem quidem ab alio, quam à Summo Pontifice solui potest. Ex his igitur manifeste colligitur vinculum spiritualis coniugii quod à solo Pontifice solui potest, firmius ac fortius esse, quam vinculum coniugii carnalis, quod ab ipsis coniugibus, vel ab inferioribus Sacerdotibus soluitur. Atque huc respexisse videtur Innocentius Pontifex, cum propositum in eo capitulo erat docere, translationes Episcoporum sine Pontificis Maximi consensu fieri non posse.

Iam monui non de vno capitulo, *inter corporalia*, sed & de duobus sequentibus à Barclaio agi, vt frustra sis illis verbis, *profert sententiam suam de vero sensu c. inter corporalia*. Imo de tribus capitulis simul profert; nec tu illius sensum aggressus es oppugnare, nimirum magni hominis, & in sua quidem arte. Culpas tamen quod dixerit, *pugnam inter esse inter ... mentem scil. optimi Pontificis, & sensum verborũ, inter se discrepare*. Dicis hoc nihil aliud esse, *nisi Pontificem facere, vel ignorantem vel malignum*. Bona verba. Nullum ingenium adeo syncerum aut perspicax, quod nõ aut perplexis aut turbatis verbis interdum suos sensus impediat, *quod multorũ legislatorum scriptis*, inquit, Barclaius, *sæpe contingit*: Vt omittam, hæc rescripta Pontificum non magis Pontificis verbis ac manu, quam Regum sanctiones regia manu & calamo esse conscripta. Sufficit, Pontifices hominibus ad scribendum constitutis suam mentem ostẽdere, qui Pontificios quidem sensus, sed suis verbis exponant. Fuerit igitur Innocentius III. vir solertissimus (neq; illum accusat Barclaius) at scriptore vsus est dubiis nimium verbis implicante domini mentem.

Omitto de Barclaii expositione dicere, quod prolixa, & omnibus ex ipsius libro nota, etiam quod à te non carpatur. Ad tuam venio.

Putas ergo Pontificem dicere *vinculum coniugii spiritualis fortius esse, quam carnalis*, quod spirituale coniugium in totum ne quidem in morte soluatur: quia post mortem *manet impressus character Episcopalis*, sed nec possit ab alio solui, quam à Pontifice maximo. Contra, statim à morte in totum soluitur carnale coniugium & ipsi contrahentes possunt illud exoluere: puta si alteruter ante consummatum matrimonium velit ordinem religiosum profiteri, inter infideles etiam consummatum potest alteruter soluere, ad fidem accedens. Denique matrimonia rata & consummata fidelium, quoad thorum & cohabitationem, non à summo tantum Pontifice, sed & à cæteris solui possunt Episcopis. Ergo, inquis, recte Innocentius, coniugii spiritualis vinculum fortius esse carnali. Vt non sollicitem has tuas rationes, vanas me hercule, ecce ostendo carnale coniugium spirituali esse fortius, vel ex eo quod memini à Deo concessum, vt maritum connubio legitimo ratoque extractum alteri fœminæ iungat, & illius vxorem viro alteri nuptum tradat. At vero concessum Pontifici, vt Episcopum ab Episcopatu priori remotum in alium transferat, relictamq; ab illo Episcopo Ecclesiam, velut nouo marito, ita succedenti Episcopo collocet. Rursus matrimonium ratum & consummatum tenet adeo, vt nec possit Pontifex dispensare cum coniuge religionem, inuita sua parte, profiteri volente, secus in spirituali coniugio. Ecce vt tuis rationibus carnale matrimonium spirituali validius.

Sed vt illa, pene superuacua, Bellarmine, omittam: dic porro, an id solum est, quod perplexum & male à Canonistis acceptum in his capitulis notauit Barclaius? Imo alia, & quidẽ grauiora, vt sunt illa, *non enim homo sed Deus separat quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate vel vtilitate pensata non humana, sed diuina potius authoritate dissoluit*. ista quoque: *sicut legitimi matrimonii vinculum, quod est inter virum & vxorem homo dissoluere nequit, Domino dicente in Euangelio, quos Deus coniunxit homo nõ separet: sic & spirituale fœdus coniugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, sine illius authoritate solui non potest, qui successor est Petri, & Vicarius Iesu Christi*. Hæc sunt, inquam, quæ impulerunt Canonistis, vt etiam diceret Pontificem ratum matrimonium posse dissoluere, & omnino *in iure diuino & naturali dispensare*, His vero obscuris lucem dare debueras, tueri Canonistas, & interpretationem Barclaii, sensumque refellere.

Caput XXX.

Bellarminum aliud ex argumento suo colligere, quam quod ex eo consequitur. Certissima Barclaii rationes pro Regibus. Iis non aliter respondere Bellarminum, quam per dubia noua doctrina commenta, & per incertos syllogismos. Oratio, & pœnitentia morientis Rudolphi, quem in Henricum IV. Imperatorem, Gregorius VII. Papa excitauerat.

Titulus est apud Bellarminum:

Respondetur ad obiectiones contra primam partem rationis quintæ, pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. 1.



IN *capite tricesimo*, inquis, *Barclaius post longas digressiones reuertitur ad primam partem rationis quintæ Bellarmini, quam in capite vicesimo quinto sibi refutandam susceperat. Ait igitur. Admittimus quidem eius propositionem, Pastori sc. necessariam esse potestatem circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua potest. Admittimus & assumptionem, lupos videlicet, qui Ecclesiam Dei vastant esse hæreticos. Ex quibus concludit hoc modo, ergo si Princeps aliquis ex oue, aut ariete fiat lupus, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne eum sequatur, ac proinde priuare eum dominio in subditos. Vitiosa collectio*,

tione

cuius loco in bona dialectica reponendum est, Ergo si Princeps aliquis ex oue, aut ariete fiat lupus, poterit Princeps Ecclesiæ eum arcere omni ratione, qua potest.

Respondeo. Nullum hic est vitium, sed compendio dictum est, quod longiori circuitu dici potuisset: nam ratio, qua potest, & solet Pastor Ecclesiæ hæreticos, quasi lupos ab ouili suo arcere, illa est, vt per sententiam excommunicationis eos remoueat à commercio Catholicorum, & per absolutionem à vinculo subiectionis efficiat, ne populus Catholicus Principem hæreticum deinceps sequatur. Neq; propositum mihi fuit in libris scribendis, syllogismos propriè formare secundùm figuras, & modos, vt in scholis faciunt, qui de proposita quæstione exercendi ingenii gratia disputant: sed vim rationum explicare, atq; ostendere, vt alij faciunt qui libros Theologicos scribunt.

Quis hæc patiens legat? Ais te *compendio dixisse, quod longiori circuitu dici potuisset*, cùm è contrario, multitudinē verborum hîc in te reprehendat Barclaius. Tuo n. argumento longam conclusionem facis, q̄ ipse ex tui argumenti vi non sequi ostendit, sed longe breuiorem, nempe, *Ergo si Princeps aliquis ex oue aut ariete fiat lupus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere omni ratione, qua potest.* Id sequitur, inquam, tantum ex prima hac parte tuæ quintæ rationis, cui & assentitur Barclaius. Nam quod addis, *absolutionem à vinculo subiectionis* esse modum quo Pastor Ecclesiæ solet lupos arcere: id vero nec per vmbram ex tuo argumento collegeris. Sed disputandum superest, quinam modi ad expellendos lupos Ecclesiastico Pastori concessi. Tuo inquam argumento probaueris, debere Pontificem arcere hæreticos à commisso sibi grege, *omni ratione, qua potest*: sed quæ illæ rationes sint, eodem argumento nequaquam ostenditur, vt ridicule inferas, *ergo potest Reges deponere.*

§. 3

AT inquit Barclaius ais, Potest quidem Pastor Ecclesiæ iure suo excommunicare Regem hæreticum: sed absoluere populum à iuramento fidelitatis, aut iubere ne populus Catholicus Regem hæreticum in rebus Politicis sequatur, iure non potest, cum hoc iure diuino, & naturali repugnet.

Ac ne illi fortasse obiiciamus quod non seruauerit formam argumentandi, format hunc syllogismum.

Summus Pontifex nihil præcipere, vel dispensare potest contra ius naturale & diuinum: atqui subiectio, & obedientia Principibus, & superioribus debita, est de iure naturali, & diuino: Ergo Summus Pontifex nihil contra eam præcipere, vel dispensare potest: & per consequens non potest præcipere subditis, ne Principi suo temporali obediant in eo, in quo Princeps est, & superior: & si de facto præceperit, licebit subditis, tanquam extra territorium ius dicenti, impune non parere. Vtrumque propositum est certo certius, ex quibus conclusio necessaria consecutione inducitur. Qui huius argumenti vim eneruauerit: is magnam mecum gratiam inibit. Ego mehercule, vt ingenii mei tenuitatem ingenue fatear, non satis perspicio, qua possit solida ratione elidi.

Respondeo. Hæc sunt omnia refutata in c. 26. neq; aliquid noui Barclaius attulit hoc loco, sed aliis & aliis verbis more suo eadem repetiuit. Sed ne queratur nihil nos ad insolubilem eius demonstrationem in forma respondisse, distinguo assumptionem: nam cum assumit, Atqui subiectio, & obedientia Principibus, & superioribus debita est de iure naturali, & diuino: si intelligat de Principibus, & superiorib. pro tempore quo Principes, & superiores legitimi sunt, verum assumit, sed nihil inde concludere potest. Nam Principes hæretici post sententiam S. Pontificis declarantis illos excommunicatos, & depositos, non sunt amplius legitimi Principes, vel superiores: si autem intelligat de Principibus, & superiorib. pro quocunq; tempore, etiam post abrogatum illis imperium, falsum assumit, neq; de hac re vllo modo esse dubium potest. Nam iure diuino tenentur subditi non solum obedire Regi tanquam præcellenti, sed etiam Ducibus tanquam ab eo missis, vt scribit S. Petr. in priore epist. c. 2. & tamen postea quam Rex abrogauit Ducis potestatem, non tenentur amplius illi obedire, quemadmodum neq; ipsi Regi obedire tenentur quando iure à regni solio deiectus est. Quare Barclaius si aliquid solidi adferre voluisset, debuisset probare, Principes terræ cum semel Principatum adepti sunt, iure diuino in Principatu ita stabilitos esse, vt nulla vi, nulloq; iure deiici possint à Principatu, hoc autem in quo totum vertitur cardo quæstionis, nunquam probare potuit.

Frustra quæris, de quibus Principibus loquatur Barclaius. Quasi de aliis, quam de iure Principatu fungentibus. Dicis, illos *post sententiam summi Pontificis declarantis illos excommunicatos & depositos, non esse amplius legitimos Principes, & superiores*, hoc vero est, quo euicto tota causa viceritis. Sed cum ex iure naturali & gentium nobis constet qui sint nostri Principes: Cum deinde diuino & naturali iure iterum constet, nostris illis Principibus deberi à nobis obsequium, non dubiis authoritatibus, dubiisq; syllogismis, quales in ista re contexitis, sed eodem diuino, naturali, & gentium iure constare perspicue debet, quando illos deseri, nec amplius pro Regib. haberi oporteat. Aliboqui pias mentes iustus horror violandi sacri iuris à defectionis immanitate auertet. Hæc erat morientis Rudolphi pœnitentia, quem in Henricum IV Gregorius VII. incenderat. Ita Abbas Stadensis in Chronic. Anni M LXXX. *bellum*, inquit, *inter Henricum & Rudolphum iuxta fluuium Elestram geritur, in quo Rudolphus vulneratus in manu dextra, fugit Merseburg, moriturque iam proximus dixit ad familiares suos, Videtis dexteram meam de vulnere sauciam. Ecce hac manu, qua Domino meo Henrico fidem firmaui sacramento, sed iussio Apostolica, Pontificumq; petitio, me ad id duxit, vt iuramenti transgressor honorem mihi indebitum vsurparem. Quis igitur finis nos exceperit videtis, quia in manu, vnde iuramenta violaui, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo hi, qui nos ad hoc instigauerunt, qualiter nos duxerint, ne forte deducti simus in præcipitia damnationis æternæ. Et hæc dicens diem clausit extremum.* Habes eadem verba Rudolphi apud Helmodum Presbyterum, in Chronic. Slauor. lib. 1. c. 29. & apud Abbatem Vrspergen.

spergensem, *ad Ann. 1080.* Ratio ergo Barclaii, nempe, esse de iure diuino, vt Principibus pareamus, neque contra ius diuinum posse dispensare Pontificem; non ex dialectico constat, aut incerto syllogismo, sed ex demonstratione certissima, cuius fundamentum in iure gentium, inque Scripturis. Tua porro solutio, nimirum, posse fieri vt per Pontificiam sententiam Principes desinant esse Principes, ideoq; nec illis amplius debeatur obsequium, ex remotis dubiisque consequentiis ex obscuris incertisq; subtilitatibus, extorquetur, quam valere in apertissimam iuris diuini rationem, si quis existimet, ne dignus sit, qui exul à Sole, in Cimmeria nocte versetur.

Est & aliud Barclaio argumentum; Neminem alteri posse dignitatem abrogare, nisi qui sit in eodem dignitatis genere illo superior, cui abrogat; Certum porro Pontificem nô esse in temporalibus superiorem Regum, certum igitur nec enim posse temporalia illis auferre. Sed videamus quid huic Barclaii argumento responderis. Sic tu igitur:

§. 3.

SED *dicet*, inquis, *esto, Principes deponi possint, non tamen deponi possunt, nisi à superiore.*

Respondeo. Papam omnino superiorem esse, cum sit Vicarius Iesu Christi, non puri hominis, sed Dei & hominis, ac per hoc sit vice Christi Pastor, & Pater, & Rector, & caput omnium Christianorum, etiam Principum, Regum, & Imperatorum, vt sape dictum est, & ex ipsis diuinis literis manifeste deducitur.

At, inquit Barclaius, Papa quidem superior est, sed non in eadem specie superioritatis: superior enim est Regibus & Principibus, in rebus diuinis, & spiritualibus, in temporalibus autem fatentur ipsi Pontifices se Regibus superiores non esse, vt notum est ex c. Per venerabilem: Qui filii sint legitimi, vbi Pontifex dicit, Regem non habere superiorem in temporalibus.

Respondeo. Iam hac omnia supra esse tractata, & discussa. ostendimus enim, Pontificem superiorem esse Regibus etiam in temporalibus, quando propter spiritualia necesse est disponere de temporalibus, qua spiritualibus subordinata esse debent, idq; ostendimus ex communi sententia Doctorum, allatis testimoniis supra septuaginta, item ex Conciliis Ecclesia generalibus non paucis, denique ex rationi in diuinis literis fundata, aduersus quam nihil attulit Barclaius nisi clamores tragicos, & verba turgida, sed inania. Quod autem Innocentius scribit, Reges non habere superiorem in temporalibus, verissimum est in eo sensu, in quo id Innocentius dicit, quod videlicet sunt Reges, supremi Principes temporales, neq; habiant super se alios Reges, vel Imperatores, excepto Deo, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium: sed hoc non prohibet, quo minus habeant Reges superiorem spiritualem tanta praditum potestate, vt possit temporalia dirigere ad spiritualia, cum ordinis ratio postulet, vt potestas temporalis subiecta sit spirituali. quando in vnum conueniunt, & vnam Ecclesiam faciunt, quemadmodo corpus in homine subiicitur spiritui, & ab eo regitur, &, vbi opus est, corrigitur, & castigatur.

Ecce vt tu nec verbum in validissimam Barclaii rationem, & quæ hanc Pontificis, quam somniatis, potestatem, prorsus elidit. Nihil tu, inquam, ad tantum argumentum, nisi *hac omnia supra esse tractata.* Ad auctoritates profugis; Ais te supra probasse hanc Pontificis *superioritatem, ex communi sententia Doctorum, ex Conciliis, ex Scriptura.* Nos vero quid ad Doctores illos, quid ad Concilia, fuse in *Prolegomenis.* Vana quoq; & extorta tela ex inuita Scriptura, facile retudimus. De sensu deniq; verborum Innocentii, in *c. per venerabilem*, actum supra (*cap. 22. § 2.*) vbi & tua, quæ & hic ex parte repetis, excussa sophismata. Restat igitur inconcussa Barclaii ratio, à nemine posse dignitatem auferri, nisi ab eo qui sit in eodem genere superior, qualis, respectu secularium dignitatum, neqnaquam Regibus, cæterisque Principibus, Papa.

CAPVT XXXI.

Examen dialogi à Bellarmino inter Populum & Pontificem instituti. Deum in Scripturis imperasse, vt Reges infestissimi saluti fidelium, eosq; ad Idololatriam omni vi trahentes, ab ipsis fidelibus sine rebellione colerentur: Pontificem igitur non posse statuere contrarium Reges, etiamsi sint spirituales lupi, manere Pastores temporales. Posse mutari, aut euerti, per Pontificem pleraq; Dei pracepta si illi concedatur, vt possit facere de Rege non Regem. Non licere Populo ab iniquo Rege deficere, quo melius sit Ecclesia, quia non licet facere malum, vt inde eueniat bonum. Periculosam, falsam, imo suspectam in fide assertionem aduersariorum esse, qua dicunt, Populum, si censuras vere timet, debere Pontificis sententiam obseruare, etiam qua videatur iniusta.

Titulus apud Bellarminum est:

Dialogismus inter Populum nimis addictum Regi terreno, & Pontificem Populo salubriter consulentem.

§. 1.

SVBIVNGIT *postea Barclaius*, inquis, *longissimam apostrophem populorum ad Pontificem, in qua quod ipse millies repetiuit, iterum repetendo tribuit populis, qua imperitos, & leues permouere forsitan possint, sed homines cordati & prudentes facile intelligent, hac esse refugia miserorum, qui quod viribus obtinere non valent, ea gemitibus & importunitate extorquere conantur. Veruntamen, ne lector existimet, nos laborem respondendi subterfugere velle, aut qua Barclaius in persona populi dicit, maiora esse quam reuera sint, institnam responsionem per modum dialogi, & populum verbis Barclaii loquentem, & Pontificem verbis meis respondentem, inducam.*

POP.

POP. *Pater sancte, nequaquam es Rege nostro in temporalibus superior: eoque non potes obsequium temporale, quod illi præstamus impedire.*

PONT. *Quando salus tua æterna in periculum adducitur propter obsequium temporale, quod Regi præstas, tunc omnino superior sum Rege tuo, etiam in temporalibus: nam & illum, & te, ad vitam æternam dirigere debeo, & omnia impedimenta de medio tollere, quæ hoc iter impediunt.*

His Pontificis verbis audi iam populum respondentem. Non cum eiusmodi distinctione Scriptura, Pater sancte, sed omnimode, & absolute decreuit, Reges & Principes, summos rerum temporalium esse præfectos. Imo cum Apostolus dixit, Non resistendum potestati, quæ *non sine causa gladium portat*, Tunc ii Principes præerant, ob quorum dominatum, si vnquam alias, *salus Christianorum æterna periclitari videbatur.* Quid enim crudelius quam nouis & infandis Nero tormentis adhuc teneram & lugentem Ecclesiam concutiens? Sed nec ratio satis apta, quam tuæ superioritatis hic reddis, *quod & illum, & me, ad vitam æternam dirigere debeas.* Illa quippe directio, spirituali potestate instructa, non eget temporali imperio, alioquin cum eo actibus, dignitatibus, officiis misceretur. Et si verum est, vllo te modo, vllave de causa, posse Regibus abrogare Imperium, tunc ambage remota fatendum est, te omnino & in spiritualibus, & in temporalibus, arbitrum & dominum Regum esse. Nec obiicias, hoc tantum modo tibi in eos potestatis competere, cum delinquunt, & perniciose imperant. Nam nec Reges in ciuium vitam aut opes ita ius habent, vt hæc illis, nisi iusta de causa, possint auferre: nihilominus absolute dicuntur temporaliter regnare in ciues.

Sed quod addis, tuum esse *omnia impedimenta de medio tollere, quæ iter vitæ æternæ impediunt.* Omnino mirandum est. Hinc enim sequeretur, neminem, nisi culpa certe sua, damnari: quod crudelitatis genus tuæ sanctitati nusquam adscribam, sequeretur & posse te sedare Tyrannos, fidem infundere, mortales ab improuisa morte eripere, vt innumera præterea taceam, quæ vitæ æternæ impedimenta sunt, & certe grauissima. Scimus omnino tibi tributum, vt quantum est ex parte tuæ sanctæ potestatis, possis id omne, quod ad salutem sufficit, ministrare mortalibus; Non autem vt impedimenta refutes ac tollas, quæ ex parte mortalium, hanc potestatis tuæ sufficientiam, aut morantur, aut turbant. Certi sunt fines, rationes, & modi, non autē infinita iurisdictio; quibus Pastorale officium à te Christus voluit procurari. Et de his quidem supra (*c.3 § 6.*

§. 2.

POP. *Cur nos facere prohibes, quod Deus non facere imperat?*

PONT. *Absit, hoc non prohibeo, sed contra potius impero, ne facias quod Deus te facere prohibet. Ego Pastor sum à Christo, qui Dominus gregis est, constitutus. Vos populi, ouicula estis, Reges vestri arietes sunt. Itaque dum Reges vestri arietes esse perseuerant, sino vt vos regant, & ducant: sed si vertantur in lupos, æquumne erit, vt patiar duci oues Domini mei à lupis? Itaque iure veto, ne illos sequamini: nam & hoc Dominus vetat, quoniam cum nimis grandi periculo ouicula reguntur à lupis.*

Non tuis, Summe Pontifex, sed Bellarmini veteris verbis: Sine me igitur cum eo, non tecum, rem habere. Licet verum sit Pontificem posse dici Pastorem, Principes arietes, Populū ouiculas: si hæc tamen ex amussim obseruantur, omnium rerum, omnium ordinum, confusa nascetur calamitas: Nam sequetur Principes malos, qui ex arietibus fient lupi, posse à Pontifice non de imperio tantum, sed de vita deiici: posse illum priuato cuilibet indulgere, vt hos lupos occidat, imo priuatum quemlibet posse hos lupos suo iure occidere. Quippe & hoc in arietes Pastor potest, & absque Pastoris imperio singuli omnes in lupos. Vide quam infandi errores ac turbines, si Pontifici concedis in Reges, quod Pastori in oues. Sed dicendum, spiritualem hunc esse Pastorē; Reges autem spirituales quidem arietes, sed Pastores temporales, qui si labantur in hæresim, si fiunt infesti Ecclesiæ, licet spirituali respectu ex arietibus in lupos, abeant, nihilominus politici regiminis Pastores sint, ideoque semper à ciuibus tanquam Pastores politici sequendi, audiendi. Falsum autem hoc à Domino vetitum esse, vt ait Bellarminus, imo verum hoc à spiritu sancto iussum, & à sancta Ecclesia per multa secula, religiosissima ratione, seruatum.

§. 3.

POP *An quia tuum est voluntatem Dei in lege diuina, & scripturis comprehensam interpretari?*

PONT. *Tu dixisti.*

POP. *At non est tamen illa interpretatio adhibenda, quæ legem penitus euacuet, & mandatum omnino destruat, ac dissoluat.*

PONT. *Quam legē Dei interpretando destruximus, aut dissoluimus vnquam vel prædecessores mei, vel ego?*

POP. *Si quid dubii aut obscuri est in lege diuina, ad Sedem Petri, id est ad Sedem, quam tu nunc tenes, interpretationis veritatem accepturi confugimus: quod autem per se clarum est, & perspicuum, id nulla interpretationis luce indiget.*

PONT. *Quid tum?*

POP. *Cum Dominus, & Saluator noster iubeat nos reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo: & deinde per Apostolum Principibus & potestatibus subditos esse, & dicto obedire: tuum est nobis declarare, quæ sunt Cæsaris, id est, quæ à nobis Regi nostro debentur, & quæ sunt Dei, vt sua vtrique reddamus: & in ea*

distinctione vocem tuam libenter audiemus. At cum dicis, nolite quidquam Cæsari, siue Principi vestro reddere, contradicis Christo, ac proinde vocem tuam non audimus.

PONT. *Quando Dominus dixit, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, iussit censum dari ei, qui tunc imperabat, neque Iudæos ad idololatriam cogebat, neque adhuc erat ab vlla legitima potestate depositus: quod idem iussit multa antea per Hieremiam Prophetam Deus fieri erga Nabuchodonosor Regem Babylonis propter eandem causam. Sed cum tempore Machabæorum Antiochus Rex populum auertebat à fide, & religione diuina, non iussit Deus vt eum pro Rege habere pergerent, sed inspirauit Matathiæ, & filiis eius, viris fortissimis, & religiosissimis, vt exercitu congregato bellum cum Antiocho tanquam cum hoste gererent, & populum in libertatem vindicarent. Sic igitur & tu popule Christiane Regi legitimo, & qui à lege Dei, & Catholica Religione te non auertit, quique propterea à me Christi Vicario amatur, vt filius: reddes obedientiam debitam, in iis quæ contra legem Dei, & fidem Catholicam non iubebit. Regem autem, qui te siue minis, siue blanditiis, siue alio modo à via, quæ ducit ad vitam, reuocare conatur, & per sententiam meam à cœtu piorum eiectus, & Regno priuatus est, pro Rege non habebis, sed obedientiam ciuilem Regi debitam alteri exhibebis, qui in eius locũ legitime successerit. Porro Deo, quæ Dei sunt, reddes, quando fide, spe, & charitate Deum coles, neque vllius hominis timore, vel amore, à Dei timore, vel amore, separari te sines. Itaque nunquam ex me audies nolite quidquam Cæsari, aut Principi vestro reddere, sed hoc audies, nolite seduci, vt etiam pro Cæsare aut Principe vestro habeatis, qui reuera Cæsar, & Princeps esse desiit.*

Debebas plus veteri Pontificis sanctitatem, quam falsa illi tribuere, & in Scripturam verba. Sic enim loqui facis, Tyberium, & ante eum, Nabuchodonosorem, Dei iussu in Regem à Iudæis agnitum, quod eos ad idololatriam non cogeret. Non cogebat Nabuchodonosor, ad idololatriam? quid immanis ergo statua, Bellarmine, (Daniel. 3.) in cuius *dedicatione* sic præco clamabat: *Si quis non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis*, Quid Sidrach, Misach, & Abdenago, in ignem iniecti, cum Rex his verbis interrogasset, *Deos meos non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis?* Illum tamen, vt fateris, Deus voluit pro Rege haberi: quam inique tuo iudicio, cum oues duceret lupus! De Antiocho supra disserui, eum nec fuisse Iudæorum, nec Machabæorum, legitimum Regem, *c. 6 §. 4.*

Non erit igitur reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, neque Dei mandatum interpretari, sed tollere, si Papa decernat, propter flagitia, aut errores in fide, remouendos à sceptro Reges esse, cũ & flagitiosissimos Tyberius & Populum Dei ad idololatriam cogens Nabuchodonosor Dei voce ponantur inter illos, quibus vt sublimioribus potestatibus Populorum animæ subditæ esse deberent. Nec facere Pontifex potest, vt Rex propter illa crimina desinat esse Rex, quæ non tollere Regalem maiestatem, Numen ipsum in Scripturis ostendit.

§. 4.

POP. *Fatemur quidem, & profitemur sanctitatis tuæ expositioni atq; interpretationi in legis diuinæ obseruatione locum esse: sed eam non admitti asserimus, quæ facit vt ius naturale, & diuinum sit ludibrio, & penitus contemnatur. velut si ne à re, quæ de agitur, aberremus, iubemur Principibus, & potestatibus obedire: tuas in huius mandati obseruatione explicationes, & restrictiones, quæ modo mandatũ ipsum non extinguunt, tanquam filii obedientes libenter amplectimur: velut cum nullã inde obligationem parendi Regibus oriri dicas, nisi in iis quæ ad temporalem ipsorum iurisdictionẽ pertinent: spiritualia omnia Vicario Christi atq; Ecclesiæ reseruanda esse. Item cum admones, non esse Regi obediendũ in eo, quod contra ius diuinũ, vel naturale imperat aut quod aliquin bonis moribus aduersatur. At quando simpliciter, & absolute præcipis, ne Principi nostro legitimo, eiusue monitis, mandatis, & legib. vllo modo obediamus: præcepto tuo parere non possumus, quia hoc nõ est mandata Dei interpretari, quod sanctitati tuæ conceditur: sed penitus antiquare, & abrogare, q; nullo modo potes.*

PONT. *In multiloquio non deerit peccatũ: videris ex Barclaii alicuius schola prodiisse, dum tot verba sine ratione, multiplicas: grauius autẽ peccas dum Doctorẽ tuum docere, & legislatoris legem dare præsumis: sed grauissime delinquis & erras, dum Christi Vicario imponis, quod faciat ius naturale, & diuinũ ludibrio haberi, quodq; mandatũ Dei de obedientia Principib. debita antiquare & abrogare velit, nusquam n. ego aut prædecessores mei simpliciter & absolute (vt tu loqueris) præcepimus ne Principi legitimo, eiusue monitis, mandatis, & legibus vllo modo obediatur, Ista calumnia, & impostura sunt Doctoris tui Barclaii: q; enim dicimus, & docemus hoc est, vt Principi ab Ecclesiâ, publica auctoritate excommunicato, & deposito, qui proinde legitimus Princeps esse desiit, nulla deinceps obedientia debeatur. Id vero cum nullo diuino mandato pugnat: diuinũ enim mandatũ non hoc habes, vt ei, qui Princeps legitimus esse desiit, obedientia deferatur. Tu vero diligenter attende, & expende, vtrum maiorem fidem habere debeas Patri tuo, Christi Vicario, & Matri tuæ Ecclesiæ, an vni falso fratri, qui te seducit, ac facit, vt contra mandatum Dei, Patris, & Matris non obedias, dum obedientiæ Regiæ Zelum sine scientia vis habere.*

Nullum hic multiloquium, sed à Christo, non à Barclaio verba. Tu vero quam audacter, & velut de re concessa pronuncias, *Principi ab Ecclesia publica auctoritate excommunicato & deposito, qui proinde legitimus Princeps esse desiit, &c.* Quasi ob eiusmodi depositionẽ Princeps desinat esse Princeps. Id negamus Bellarmine, cum a Christi Vicario adimi nihil possit, quod à Christo concessum sit, sine expresso mandato, quale de deponendis Regibus Pontifex nullum habet, vt supra docuimus, *cap. 5. §. 2.* Quam in contrarium denique pugnent Scripturæ, Apostolorum traditio, vsus primæuæ Ecclesiæ, Patrum antiquorum monimenta, tum apud Barclaium, tum hoc opere etiam passim habes. Quid hoc, nisi supra Christum esse, aut certe *præcipere ne Principi legitimo obediatur,*

Si-

Si vbi legitimum Regem habemus (quem proinde cognoscimus missum à Christo, & à Christo auctoritatem habere) Pontifex dicat, nolo vt hic amplius Rex sit, nolo vt auctoritatem à Christo amplius habeat, Christus hunc vobis dedit, cui estis obsequentes, Ego vero si illi obsequamini, vobis Ecclesiæ liminibus interdico? Hac distinctione, quam fecistis, cœlum, orbem, omnia conuertis. Quid? si & matrimonii vinculum iam dicatur esse in eadem potestate Pontificis, vt cum Deus dixerit coniugem non posse à coniugio recedere, intelligas, non posse quidem recedere, quamdiu verus & legitimus coniunx est, sed posse Pontificem facere, ne qui maritus est, maritus sit amplius, ac proinde nec ius in vxorem habeat. Nihil, inquam, eadem ratione non erit in potestate Pontificis, si quod absolute in Scripturis dicitur; de personis, aut rebus, id ita capiatur, quatenus Pontifex voluerit eas ipsas res aut personas tales esse, vt de iis sint intelligendæ Scripturæ.

Quæ hic in Barclaium conuitia acerbius effundis, possem æquiori ratione refundere, nisi mallem te inuentorem impune iniuriæ quam me in vltione tumentem. Non tamen ferri potes, cum Barclaium dicis esse *vnum falsum fratrem, qui populum seducit.* Quasi dicas esse hunc vnum, qui istam pro Regibus propugnet sententiam, cum reuera singulis sentientibus tecum, totam Catholicorum hominum, & pro nobis stantium, decuriam, possimus opponere.

§. 5.

POP. Christus cum claues Regni cœlestis Petro tradidit, non dedit ei potestatem faciendi de peccato non peccatum.

PONT. *Nescis quid loquaris: siquidem in bono sensu dedit Christus Petro potestatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum, peccatum est inire matrimonium in gradu prohibito, non ieiunare in quadragesimo, die festo laborare seruiliter: & tamen hæc omnia, & alia id genus plurima, dispensante Petro, auctoritate clauium sibi datarum, peccata esse desinunt, contra vero, potest Petrus addere nouum gradum consanguinitatis, & affinitatis, addere nouum diem ieiunii, addere nouum diem festum, & tunc fient peccata, si quis in gradu illo addito coniugium contrahat, aut diebus additis non ieiunet, aut ab opere seruili non se abstineat, quæ tamen antea peccata non fuissent. Sic igitur peccatum fuisset Regi tali, vel tali non obedire, & tamen si per claues Petri ille talis Rex, hæreticus declaretur, excommunicetur, & deponatur, iam non erit peccatum illi non obedire. Verum est tamen claues Petri ad id non se extendere, vt possit Summus Pontifex declarare, non esse peccatum quod est peccatum, aut esse peccatum, quod peccatum non est: id enim esset dicere malum bonum, & bonum malum, quod longissime abest, & semper abfuit, & aberit à doctrina illius, qui Ecclesiæ præest, quæ est columna, & firmamentum veritatis.*

Quid hic probas, Bellarmine, nisi Pontificem iuris Ecclesiastici positiui potestatem habere? Nec negamus, in his rebus statuere Pontificem posse, vt hoc aut illud obseruetur, & sanctione, aut abrogatione eiusmodi legum, facere, vt quod peccatum modo erat, iam nequaquam peccatum sit, in iis, inquam, rebus, quæ non ex natura sua malæ, conscientiam hominum idcirco tantum tenent, quod ab Ecclesia aut iubentur, aut vetantur. At de Regum & Principum iure ratio omnino diuersa, quod non ab Ecclesiæ constitutionibus ortum, aut iis innixum, sed ipsius Dei verbo, & naturali gentium iure. Vt proinde nec ab Ecclesia possit tolli. Hæc igitur de consanguinitate, de ieiuniis, de festis exempla, frustra, & extra rem, cumulasti.

§ 6.

POP. Nos igitur communem Canonistarum doctrinam in hac parte sequimur, qui tradunt, mandato Papæ non esse parendum, si vel iniustum sit, vel ex eo multa mala, seu scandalum verisimiliter est futurum, aut turbatio status Ecclesiæ, & Reip. Christianæ oritura: & ideò si Papa mandaret Religiosis aliquid, quod esset contra substantiam ordinis, id est, quod repugnaret regulæ ab iis professæ. vt interpretatur Felinus, in c. Accepimus, de fid. instrum. & c. Si quando de rescript. non tenentur obedire. vt idem Innocentius docet in c. Ne Dei, de simonia, quem refert, & sequitur Matthæus de Corazziis in tract. de Principibus q. 408. & Felinus d. c. 1. Si quando, & dicto c. Accepimus: quanto igitur minus debent Regum subditi Pontificem, eos ab obedientia iure diuino, & naturali Regi suo debita, & arctissimo iurisiurandi fœdere sancita, retrahere conantem audire?

PONT. *Quæ sit communis sententia non solum Canonistarum, sed etiam Theologorum, & iuris ciuilis peritorum, imo & ipsorum sacrorum Conciliorum, discere poteris ex prolegomenis huius libri, vbi communi consensu affirmatur iure posse à Summo Pontifice iustis de causis Regem excommunicari, & deponi, & subditos ab omni obedientiæ & fidelitatis vinculo liberari. Non est autem credibile, Canonistas omnes secum ipsos pugnare. Cum ergo dicunt aliqui Canonistarum, non esse obediendum Pontifici, quando mandatum ipsius iniustum est, aut scandalorum, & perturbationum causa, primum non loquuntur de Pontifice ex Cathedra docente Ecclesiam vniuersam: deinde non loquuntur absolute, sed conditionaliter, id est, si id fieret, si forte contingeret, vt Pontifex alicui particulari homini mandaret aliquid contra legem Dei: tunc enim nota est S. Petri doctrina, Act. 5. Obediendum est Deo magis, quam hominibus. Sed quando Pontifices prædecessores mei vt Gregorius VII. Innocentius IV. & alii, Principes magnos excommunicare, ac deponere, & subditos eorum ab obedientia liberare voluerunt: id fecerunt ex Cathedra, in Concilio, publica ceremonia, ex auctoritate Dei, & sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, sibi diuinitus communicata: proinde, qui dicit non esse obediendum Vicario Christi, ita præcipienti, is vniuersam condemnat Ecclesiam, & omnes Canonistas, quam*

Canonum depravator dici debet. Et quamquam non esse existimamus vllum bonum Canonistam in hunc errorem incidisse, tamen si quis esset, sequi posset fidelis Christianus, & prudens, vni, vel alteri Canonistæ conditores Canonum anteponere. Quod autem dicis, iure diuino, & naturali deberi obedientiam Regibus, verum est de Regibus legitimis, & nondum per sententiam iudicis depositis: & quoniam ab horum non ab illorum obedientia te retrahimus, propterea vel falsum nobis imponis, vel frustra de nobis quereris.

Hæc in Barclaio verba, in quæ declamas, *mandato Papæ non esse parendum &c.* non illius sunt, sed vt fideliter annotauit, Innocentii, & Panormitani. Vide porro vnuquid ex abdicatione Regum non vt plurimum orirura sint, quæ illi Scriptores obstare crediderunt, quominus Pontificio imperio parendum sit, *nimirum, si ex eo multa mala, seu scandalum verisimiliter est futurum, aut turbatio status Ecclesiæ & reip. Christianæ*, quæ omnia & ob Gregorii in Henricum IV. sententiam accidisse, Otto testis est (cuius verba supra retulimus) & ob Fredericum II. ab Innocentio IV. depositum, Trithemius testatur his verbis (in Chronic. Monast. Hirsaug. in anno 1244.) *Intrauit Fredericus post depositionem suam in Italiam, & tanto malo Papam, subiectosque illi populos afflixit, vt Pontificem viuere taderet, voluisset que se numquam depositionem illius cogitasse.* Hæc igitur fecerunt Pontifices, etiam inuocata Apostolorum potestate, at non sequitur hæc eos fecisse legitimè, atque iure. Quod si addis eos id *fecisse ex Cathedra*, relinquis ambiguum; num intelligas in cathedra aliqua sedisse Pontificem, dum in Concilio, aut alibi promulgarentur hæ in Imperatores sententiæ, quod nihil magis ad rem erit quam si stetisse tunc Pontificem dixeris, aut decubuisse, an vero sic capias; id ita ex cathedra Apostolica docuisse Pontificem, vt hæc res in articulum fidei transisse credenda sit, qua assertione nil falsius, alioqui & Otto Frisingensis hæreticus, & eruditi viri Trithemii æuo, quos non censuisse tecum docet, hæretici deniq; in Anglia Sacerdotes, Sorbonistæ in Gallia, plerique ex eruditis prælulibus; religiosorum hominum vbique pars maior, denique vt hanc assertionem, quam tuemur, hæresim appellares, aut Barclaium hæreticum, quanquam in animi tuo, & præcipiti Pontificiarum partium studio, nusquam factum.

§. 7.

POP. *Si ob eam causam nos iubes Regis nostri iugum abiicere, quod per obedientiam illi exhibitam, spirituale bonum impediatur; respondemus id quicquid est mali, ex quodam accidente euenire, siue per accidens fieri: malum enim ex bono, aut bonum ex malo per se oriri non potest: accidens autem illud dolenter ferimus, sed impedire non possumus. Nos officium Regi debitum Dei iussu persoluimus, & secundum patientiam boni operis gloriam, honorem & incorruptionem quærimus. Ille si debito sibi obsequio, & tanto Dei beneficio abutatur, Deum supra se iudicem, & vindicem acerrimum sentiet: nobis non licet officium deserere, & Dei mandatum præterire, vt bonum inde quantumuis magnum consequatur, ne eam, quam Apostolus nunciat, damnationem nobis ipsi acquiramus.*

PONT. *Videtur tibi satis apte conuenire, quod Spiritus sanctus per os David Prophetæ, & Regis, ait, Noluit intelligere, vt bene ageret: si quidem detrimentum spirituale, id est periculum subuersionis animarum, quod est annexum obedientiæ ad Regem hæreticum, præsertim quando is Rex fidem Catholicam molitur euertere, sufficiens causa est Vicario Christi, qui super totam Christi familiam constitutus est, vt Regem illum excommunicationis sententia feriat, & dominio illo priuet, quod super fideles habebat. Vbi vero Rex, alioqui legitimus, ob detrimentum spirituale Regno priuatus est, per sententiam eius, qui Ecclesiam vniuersam regit, non solum non tenetur populus illi parere, sed tenetur non parere, at per hoc cum illi iure deposito obedientiam præbet, non per accidens; sed per se causa est mali, & inobedientiæ peccatum incurrit, vt inobedientia peccatum euitet. Neque officium Regi debitum Dei iussu persoluit: sed officium Regi indebitum, Deo prohibente persoluit; qui vero Regi, vt dictum est, iure deposito obedientiam denegat, non facit malum vt bonum inde sequatur, sed facit bonum, vt malum grauissimum euitetur: neque damnationem sibi ipse acquirit, sed à damnatione quam alioqui incurreret, liberatur. Quod si hæc non intelligis popule stulte, & insipiens, cur non audis me Pastorem tuum? Cur iudicio tuo fidis? cur seduceris ab alieno? Oues certe Pastorem proprium sequuntur, quia sciunt vocem eius: alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum, inquit Veritas, Ioan. 10.*

Hic nihil video, nisi quod iam vbique repetisti. Nam vt quivis potione tentabat omnes morbos, ita tu ad omnia argumenta, velut tela, vno te clypeo tutum credis; Nempe si dixeris, *Pontifex potest Reges à principatu remouere*, cum id ipsum sit, vt monui, quod à te probari, non in argumentum oportuit trahi. Nihil in inquam ad validissimam Barclaii rationem, nimirum non prætextum Pontifici aliunm esse, vt Reges amoueat, *quam si per obedientiam illis exhibitam spirituale bonum impediatur*, atqui hoc vidisse Christum, vidisse Apostolos, vidisse nascentem & florentem Ecclesiam, cum nihilominus absolute iuberent, vt Principibus deferretur obsequium. Neque opus, imo neque fas, vt quod ex improbitate imperantis expurgat incommodum, populus ipse refutet: cum id mali fit non ex illius obsequio, sed ex malitia Principis, cuius quam iniqua vita est, tam sacra & inuiolata potestas sit. *Non igitur* populo *licet facere malum*, id est à Principe legitimo deficere, *vt inde eueniat bonum*, nempe Ecclesiæ tranquillitas. At, inquis, non erit hoc malum, quia Princeps à Pontifice abdicatus iam non Princeps est. Certe hoc remedium antiqua nesciuit Ecclesia. Audi Augustinum in Psalm. 124. *Aliquando iniusti perueniunt ad honores seculi. Cum peruenerint, & facti fuerint vel iudices, vel Reges, quia hoc facit Deus propter disciplinam populi sui, non*

potest

potest fieri, nisi vt exhibeatur illis honos debitus potestati. O inscitum Augustinum, *si potest fieri* vt à Pontifice abdicentur illi iniusti Reges, nec amplius *exhibendus sit illis honos debitus potestati!*

Si itaq; spiritualis Pastor dicet, illum, aut illum Principem, iam non esse Pastorem temporalē, non magis vox eius audienda, quam Pastoris temporalis oues à spirituali auocantis. Pastor vterq; à Deo est. Oues eædem spiritualē vocem vnius, temporalem alterius tenentur audire. Neq; institutio aut destitutio Pastoris vnius ab altero pendere credenda est. Fidem itaq; spirituali habebo Pastori, quando dicet, spiritualis tuus Pastor sum, at non loquetur vt Pastor, cum asseret hunc Pastorem, cui diuino & humano iure in temporalibus subsum, iam non meum esse Pastorem.

§. 8.

POP. *Qui iubet nos Regibus obedire, & reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, nullam bonos inter & malos Principes distinctionem facit, ac per hoc nec nos distinguere debemus.*

PONT. *Addo etiam cum Apostolo Petro, obediendum esse, non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis 1. Petri 2. Itaq; non distinguimus inter bonos & malos, dum superiores sunt: sed quæstio nostra est, An sit obediendum Regi per sententiam reiecto, ac deposito, huic enim obedientiam exhiberi Christus non iubet, & Vicarius Christi prohibet, vel potius per Vicarium suum Christus ipse prohibet: proinde, qui obedientiam illi exhibet, Christo non obsequitur, & Vicarium Christi lædit.*

Hæc cum passim, tum hoc capite. §. 4. excussa sunt.

§. 9.

POP. *Si, vt docet B. August. is qui continentiam Deo vouerit, nullo modo debet ista compensatione peccare, vt ideo credat vxorem sibi esse ducendam, quia promisit quæ nuptias eius appetit, futuram se esse Christianam; atq; ita acquirat Christo animam in mortem infidelitatis posita fœmina, quæ parata est, si huic nupserit, fieri Christiana: qua nos apud Deum excusatione vtemur, si ob speratum aliquod bonum eueniat, iurisiurandi religionem, & fidem violemus Deo, regiq; nostro datam? nihil enim anima preciosius, pro qua Dominus, & Saluator mori dignatus est: si ergo vt eam Christo lucremur, peccare non liceret, ecquis rei causa peccandum?*

PONT. *Non sunt facienda mala, vt veniant bona. Hæc doctrina Apostolica est, ac per hoc & nostra: hinc non licet votum castitatis violare, vt animas Christo lucremur: neque licet contra iurisiurandi religionem aliquid facere, vt Mundum vniuersum saluum faciamus: sed non ideo non licet mihi, cui Christus dixit in persona S. Petri, Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, & in votis dispensare, & à iuramenti vinculo soluere, qui autem Apostolica auctoritate, vel voto, vel iuramento solutus est, iam non peccare contra votum, vel iuramentum, si ea faciat, quæ antea ligatus voto, vel iuramento facere non poterat: quemadmodum enim inter homines, qui debet alteri pecunias peccat, si non restituat: sed si creditor soluerit debitorem obligatione reddendi, iam non peccabit etiam si nunquam restituat: sic etiam dum votum, aut iuramentum viget, & ligat, peccat qui illa non seruat, sed si Vicarius Dei, accepta à Deo auctoritate, & ipsius Dei nomine relaxat obligationem voti, vel iuramenti, iam non peccat, qui ea non seruat, stulta igitur est illa interrogatio tua ecquius gratia peccandum? quasi hoc à populo Sacerdos discere opus habeat.*

POP. *Quod autem præterea dicis, te nos ab huius officii vinculo absoluere, atque absolutos declarare: id non omnem conscientiis nostris scrupulum adimit, sed animo pendere, ac dubitare magis de tua potestate facit: quod sciamus preceptum, cuius tu nobis gratiam te facturum promittis, Dei & naturæ lege esse sancitum, sanctitatem vero tuam non posse, ne quidem de plenitudine potestatis, legis naturalis, & diuinæ gratiam cuiquam facere.*

PONT. *Iam indocilem omnino te præbes, cum ad eadem semper reuolueris. Non ego tibi gratiam facio præcepti naturalis, vel diuini, cum ab obedientiæ vinculo te absoluo, non enim permitto vt Regi non pareas, quod esset contra ius diuinum, sed facio, vt ille qui tibi Rex erat, non sit tibi deinceps Rex: quemadmodum, qui donat seruum libertate, non concedit, vt seruus non teneatur obedire Domino, quod esset etiam contra ius diuinū: sed facit vt dominū non habeat, cui obediat, & qui filium emancipando, eximit à potestate patria non docet liberum esse filiis parentibus non obedire, sed facit vt ille, qui filius erat, iam non censeatur filius. Et qui votum, aut iuramentum relaxat, non dat facultatem violandi vota, vel iuramenta, sed facit, vt non habeat votum vel iuramentum.*

Potuissem quæ hoc capite apud te sequuntur, in istum paragraphum conijcere, cum in iis nihil noui, nihil non centies dicti. Ais, Pontificem posse iurisiurandi gratiam facere, quo se populus Regi obstrinxit: posse igitur populum absq; ruptæ fidei piaculo in Regem insurgere, etiamsi hoc de iuramento Pontifex posset: at supra docuimus, non ob solum iuramentum deuinciri Regibus ciues, sed diuino, naturali, & gentium iure: quibus accedit iuramentum promittentis populi, se hæc iura non violaturum. Si daremus igitur Pontifici, vt iusiurandum hoc soluat, at principalem obligationem, qua populus fidem & obsequium Regi debet, non ideo Bellarmine exsoluet, cui hoc iusiurandum accessit. Vide *c. 27. §. 2.* Non repeto rem toties dictam Pontificem nō interpretari præceptum, sed tollere: quoties iubet, nec eum qui Rex est legitimus iam amplius pro Rege ducamus, quando quidem non in genere modo iubemur, parere Regibus, sed & in indiuiduo, illi, qui iam Rex est, in temporalibus obsequi. Rem, inquam, toties, & tot verbis explicitam, meo more non repeto.

donec iniustitia, vel potius nullitas eius manifeste se prodat. Sed cum is, in quem fertur, eam superbe contemnit, & audacter mandata transgreditur, si non ladit eum excommunicatio iniusta, vel nulla, ladit tamen superbia, & tumor, quo Pastoris mandata contemnit. Sed hac dicenda essent, si censura, & mandata, de quibus nunc loquimur aliquam iniustitia, vel nullitatis speciem pra se ferrent. At cum Vicarius Christi sub excommunicationis pœna populis iubet, vt Regi haeretico, vel alias iuste excommunicato, atque deposito, non obediant: qua suspicio iniustitia suboriri potest? Non enim vt tu falso affirmas, Pontifex anathematis mucrone te ferit, quia non vis mandatum Dei, ipso iubente praetergredi, & malum facere: sed contra potius, quia mandatum DEI Pontifice prohibente vis transgredi, & malum inobedientia facere. Nusquam enim mandauit Deus, vt Regi haeretico, & excommunicato, ac deposito populus obsequium praestet: sed mandauit, vt haereticos vitet, & ne Aue quidem illis dicat, vt Pastori suo obediat, & vocem eius audiat.

Atque hac sunt, qua Barclaio in persona populi dicere placuit, ad qua non sine stomacho respondi, cum valde me pigeat eadem toties replicando tempus, & operam perdere: & tamen hac puerili apostrophe tandem finita, vaci as Barclaius firmissimis demonstrationibus, & ineluctabilibus argumentis rem totam esse conclusam.

O quam sanam hic doctrinam propinas credentibus! cum quod censuras Ecclesiæ etiam iniustas horrescit; ad eorum obseruationem teneri, quæ per illas præcipiuntur: *Qui enim vere timet,* inquis, *saltem ex timore mandatum obseruat.* Vox imperite meticulosis ad iniquitatis laqueum prorsus idonea. Quanto melius Innocentius III. Cap. Inquisitioni. Extra, de senteot. excomm. *debemus potius,* inquit, *excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam peccatum operari mortale.* Et Gersonus, de iniustis Pontificis sententiis (Opuscul. 1. de excommun. valor.) *Possunt timeri,* inquit, *à timoratis conscientiis in aliquo casu, quamuis non ob hoc sint tenenda. Multum enim refert dicere quod sint tenenda, & dicere quod sint timenda. Et ideo assertor praedictus, qui addit de suo, quod sententia Pastoris iniusta sunt tenenda, valde temerarie, & scandalose, & erronee videtur fuisse locutus.*

Neq; est contemptus manifestus, si *audacter pronunciem me non pariturum* iniqua præcipienti Pontifici sub censurarum pœnis; neque hoc reuerentiam & *timorem excludit,* sed est satis, *si tumida reprehensionis superbia* absit; vt fusius actum à nobis, *cap.* 4. §. 4. qui locus & huic §. satis erit.

Hæc igitur propositio, *sententia Pontificis etiamsi essent iniusta, sunt tenenda & timenda.* vt Gersonis verbis vtar Opusc. 1. de excommun. valor. *falsa est, censenda est erronea contra bonos mores, & Canones, & reddit assertorem suum in fide suspectum.* Idem Gerson. considerat. 10. *Contemptus clauium,* inquit, *etiam non semper inuenitur apud illos, qui nedum non obediunt sententiis excommunicationum promulgatis per Papam, vel suos: sed etiam non est iudicanda esse apud illos, qui per potestatem secularem aduersus tales praetensas sententias tueri se procurant.*

Petis, *qua suspicio iniustitia suborirì possit,* cum Pontifex iubet, vt populus à Rege recedat. Suspiciones multæ, verius dixerim, apertæ rationes; cum semper sit in naturale ius atque diuinum; vt Rex in temporalibus summus sit; cui consequitur posse à nemine in temporalibus iudicari: cum sit etiam abdicatio eiusmodi contra priscæ normam Ecclesiæ, contra antiquorum Patrum mentem, & scripta. Sed & iudicandis rationibus (nam sunt innumeræ,) quæ hanc sententiam iniustitiæ arguant, totus hic liber datur.

Respondisti, vt ais, non sine stomacho huic Barclaianæ Apostrophe, quam vocas puerilem. Credo doluisse stomachum, qui in desperatione rerum labantibus nauseat membris.

CAPVT XXXII.

De Clementis VII. & Pauli III. Sententiis in Henricum VIII. Regem Angliæ. Quo sensu dicantur Principes legibus esse soluti.

Titulus apud Bellarminum est:

Refutantur falsa quadam pronunciata Barclaii, qua digrediendo effusiit.

§. I.

IN *capite tricesimoprimo,* inquis, *Barclaius multa repetit, qua supra dixerat de maioribus nostris, qui Principes infideles, cum facile possent eos opprimere, patienter tolerarunt: item de turbis excitatis in Ecclesia occasione Gregorii VII. & Bonifacii VIII. qui Principes Christianos vel re ipsa deposuerunt, vel deponere tentarunt. Addit vero reprehensionem Clementis VII. & Pauli III. in hac verba.*

De postremis duobus Pontificibus ausim affirmare (est enim orbi notissimum) in causa eos fuisse perdenda Religionis in Anglia, quod istam tam inuidiosam, & late patentem potestatem in Regni illius Principem, & populum sibi assumere, & exercere conati sunt.

Hac vero falsitas & calumnia tam est manifesta, & notoria, vt mirum sit ab homine, qui se in historiis versatum profitetur proficisci potuisse. Sed odium in Pontifices, & maledicendi libido, non solum mentem excacat, sed etiam memoriam perdit. Quis enim ignorat, Clementem VII. optasse modis omnibus Henrico VIII. Anglia Regi sibi amicissimo gratificari, modo iustitia & Religio id paterentur? At Henricum anathemate ferijt, & extat sententia Clementis in Henricum apud Nicolaum Sanderum libr. 1. de schismate Anglicano. Verum est, sed coactus fuit, & causa anathematis adeo iusta fuit, vt ne Barclaius quidem eam reprehendere posse, quamuis maxime vellet: nimirum Henricum contra omnia iura, cum maximo totius orbis terra scandalo, lite

pendente ad tribunal Summi Pontificis, & ipso Summo Pontifice palam prohibente, & censuras Ecclesiæ comminante, Catharinam legitimam coniugem a se abdicauit, & Annam Bolenam sibi multis modis affinem matrimonio iunxit; ita separauit quod Deus coniunxit, & coniunxit quæ Deus separare mandauit. Quæro igitur à Barclaio, an potuerit Clemens Pontifex, salua pietate, aliud agere, quam quod egit? certe peccare non licet vllius boni acquirendi gratia: quomodo autem Pontifex non peccasset, si matrimonium eiusdem Regis cum Catharina iure contractum diremisset: & matrimonium eiusdem Regis cum Anna, quæ ipsius Regis soror & filia ex affinitate erat, approbasset? id enim ita se habere, ex confessione ipsius Regis, Nicolaus Sanderus demonstrat, libr. 1. de Schismate Anglicano. Ergo causa perditionis Angliæ, non Pontificis iustitia, sed Regis impotens libido fuit. Paulus vero III. seueriorem quidem sententiam in Henricum protulit, sed quando iam Rex à Catholica fide defecerat, seq; per nouam & inauditam hæresim caput Ecclesiæ constituerat, & Regnum suum a communione corporis Christi separauerat. Quare non potuit esse causa Paulus Pontifex perditionis Angliæ, quæ iam perierat. neq; aliud propositum fuit Pontifici, nisi, vt gregem, & Regem perditum, si quo modo posset, inueniret, atq; ad viam veritatis, errantem reduceret, & mortuum in peccatis ad vitam gratiæ reuocaret; vt de eo dicere posset, filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est. Vide apud Sanderum loco citato, defectionem Regis, & Regni anno 1534. & sententiam Pontificis Pauli III. anno 1535. quam etiam sententiam idem Pontifex ob spem aliquam conuersionis Regis ostensam, vt eodem loco Sanderus notat, executioni mandari noluit.

Tanta vero *falsitas, & calumnia tam manifesta & notoria,* vt tuis verbis vtar, hic à te in Barclaium producitur, *vt mirum sit ab homine, qui se in historiis versatum profitetur, proficisci potuisse.* Nam quid certius, quam magnos illos in Ecclesia Anglicana turbines horum Pontificum sententiis concitatos? Piget ad illorum fluctuum recordationem excitare memoriam. Cogis tamen; tum quidem ad futurorum Pontificum cautionem: nam vt spero banc infelicem & suæ Sedi noxiam potestatem deuouebunt; tum vt expurgationem habeat tuis maledictis lacessitus Barclaius.

Henricus VIII. nouarum nuptiarum cupidine flagrabat: cum has sperare non posset, nisi eiecta Catharina, matrimonium ipse suum apud Clementem Pontificem accusat, negat legitimis nuptiis sibi iunctam Catharinam. Mox cum moras non ferret amor impatiens, non expectato Pontificis iudicio Catharinam expellit, vt eius diademate Anna Bolena ornaretur. Nullus tamen in religione motus; antiquis omnia; & nunc etiam credo forent, si Pontifex vnum hominem à Romanis præceptis Ecclesiæ abire, quam regnum vniuersum maluisset. Neque exigua mutationis spes in Henrico, vt subitis amoris motibus, ita non diuturnis ardente; magni denique Romanam amicitiam existimante; vt literis legatisque docebat: Cum ecce atrox anathematis sententia, vrgentibus Henrici inimicis, profertur in Regem, qua ille incitatus, tumultu omnia & iracundiæ æstu permiscuit; vnde Onuphrius (in vita Clementis VII.) dicit Clementem, *cum terribiles minas & anathema intentasset in Henricum, eo impulisse, vt patria religione deserta, noua & nefaria Lutheri dogmata sequeretur.*

Frustra igitur à Barclaio quæris, *an potuerit Clemens Pontifex salua pietate aliud agere, quam quod egit? certe peccare non licet vllius boni acquirendi gratia: quomodo autem Pontifex non peccasset, si matrimonium Regis cum Catharina iure contractum diremisset, &c.* Neque enim opus erat, vt Clemens matrimonium cum Catharina dirimeret, aut in eo vertebatur res Anglicanæ Ecclesiæ; sed tantum vt Deo vltionem relinqueret, parceretque censuris non in aliud valituris, quam vt exasperatus Rex professo contemptu in ipsas censuras insurgeret. Certe Henricus Rex *habebat sociam multitudinem;* vnde illius excommunicandi consilia ab Augustino dicerentur, *& inania & perniciosa: quia & impia & superba sunt, & plus perturbarunt infirmos bonos, quam correxerunt animosos malos.* Satis erat, neque annuente, neq; consentiente Pontifice Henricum Annæ Bolenæ iungi: & hoc sine peccato poterat Clemens, imo cum prudentis patientiæ laude: Neque Romanam Ecclesiam ab Anglia expulisset Henricus, nisi prior Clemens Henricum à Romana eiecisset Ecclesia. Audi & alium in hac tragœdia Actum. Reuocatus Rex in pristinæ religionis desiderium; cum Pontifice egit, vt anathemate solueretur, & regnum Catholicæ Ecclesiæ reconciliaret; Pontifex minori conditione pernegauit annuere, quam si Henricus possessiones Ecclesiasticas restitueret, annuasque ex iis pensiones, quas sibi suisq; vindicarat. Id vero non multo facilius potuisset Henricus quam vertice astra pulsare, cum enim opulentissima monasteria, cum immensa Ecclesiarum bona, aut per se, aut per suos iam annis aliquot obtineret, vix immensa ditissimi illius Principis gaza, compensationi tot rerum, vix annuorum aliquot vectigalia suffecissent. Adde infensos tot Nobilium, tot Procerum animos; si Ecclesiarum fundos, quos in perpetuum patrimonio adiecisse credebant, adacti Ecclesiastico iuri reddere, plus sibi à Rege ereptos meminissent, quam donatos.

Hinc vt desperatis rebus Henricus acrius viam schismatis instituit. Ac ne dicas, non potuisse Pontificem harum rerum gratiam facere pœnitenti Henrico; Vide mox Mariam Henrici filiam; Has illi conditiones libentissimus Pontifex tulit, mobilia & immobilia quæcumque sub Henrico Ecclesiis essent ablata, ad Ecclesiam ne redirent; vt quisque laicorum, quia ea possidebat, pleno iure, neque *læsa conscientia* retineret. Redeo ad Henricum, qui reconciliatione frustra tentata, à Pontifice omnino defecit. Paulus vero III. qui Clementi successerat, abdicationis sententiam in illum eo facto protulit, vt Rex velut habenis omnibus sese in Pontificem effunderet. Tunc plurimis acrius in omnes Pontifices odium, & Anglia plus ea tempestate quam [illegible] anno à Romana sede diuisa. Vide num iniuria Barclaius hanc tot animarum cladem illi Pont[illegible] sententus ascripserit. Audi etiam doctiss. Widdringtonum, eo libro, cui titulum dedit, [illegible]

Cardi-

Cardinalis Bellarmini pro iure Principum. Audi, inquam, quam consentanea Barclaio habeat, Numer. 456. *Atq; vt cæteras depositiones taceam, quam innumeras strages ac insinitas calamitates in Ecclesiam inuexerit prætensa hæc Pontificis auctoritas Principes deponendi, tantaque vi, tum scriptis, tum factis propugnata, nimis clarum, sed non satis lugendum Anglia nostra præbet testimonium.*

Neque hæc ego vt Clementis & Pauli solicitem famam ac manes. Malim has clades huic ipsi sententiæ, & adulatorum studio illam fouentium, quam Pontificibus ascribere; sibi hoc licere infeliciter persuasis. Sed non me teneo; cum res Angliæ das nobis ex Sanderi fide, secure, & tanquam ex oraculo; quem tot authores arguunt, siue in Principum suorum odium, siue in Pontificum suorum gratiam, res gestas in Anglia, & gestarum rationem, passim adulterata narratione corrumpere, ex eo, quod Paulus III. suam in Henricum sententiam, *ob spem aliquam conuersionis Regis ostensam executioni mandari noluit.* Vbi hic Democritus? quæ vero illa acies, qui milites, qui ad Pontificis nutum potuerint Henricum regno deiicere? mihi crede, non voluntate Pontificis, sed fide suorum, Henricus in auito consenuit Regno.

Omitto fœda dicta de affinitate Henrici cum Bolena, quod ab inimico iactata homine; & ad quæstionem, cui iam incumbimus, abeo.

§. 2.

SVBIVNGIT *postea*, inquis, *falsitatem aliam, non in historia, sed quod grauius est, in fide, & Religione Catholica: Reges, inquit, non in eadem causa sunt, sed supra omnes leges humanas; omnique im positiuum, soli Deo administrationem reddituri, & quanto tardius, tanto seuerius puniendi. Aduersus priuatos executio parata est, quam nequeunt nisi ex indulgentia Principis euitare. Aduersus Principes quæ potest fieri executio, cum nullis humanarum legum sanctionibus teneantur, nullisq; ad pœnam vocentur legibus, tuti imperij potestate? Nam quod in iure expressum est, Principem legibus esse solutum, cum de omnibus legibus, tum maxime de pœnalibus intelligunt, vt in Principe, etiamsi delinquat, non coerceatur.*

Hæc vero Barclaij sententia primum secum ita pugnat: nam si legibus omnibus humanis Reges soluti sunt, certe non delinquunt, cum secundum eas non operantur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio, inquit Apostolus ad Roman. 4. quo modo ergo Barclaius in vltimis verbis dixit, Principes non puniri, etiamsi delinquant? admittit enim eos delinquere, cum leges humanas non seruent, & tamen affirmat eos legibus non teneri: qui autem legibus non tenentur, vtiq; non delinquunt, si eas non seruant. Respondebit fortasse, Principes non teneri legibus, quantum ad coactionem, teneri autem quantum ad directionem. Quamuis autem videantur verba eius Principes ab omni legum humanarum obligatione liberare: tamen admissa responsione paulo ante allata; iterum quæro, velitne Barclaius Principes solutos vi coactiua legum humanarum omnium tum ciuilium, tum Ecclesiasticarum, an ciuilium tantum; nam si dixerit eos solutos esse vi legum ciuilium tantum; certe aliter sentit, aliter loquitur: disertis enim verbis dicit, Principes esse super omnes leges humanas, omnique im positiuum, & nullis humanarum legum sanctionibus teneri: leges autem Ecclesiasticas, quæ à Summis Pontificibus & Concilijsve Episcoporum conduntur, humanas esse, & ad im positiuum pertinere dubitari non potest. Sin autem vt verba sonant, solutos vult esse Barclaius Principes legibus Ecclesiasticis Pontificum, & Conciliorum, errat in doctrina fidei manifeste, & repugnat sibi, qua supra non semel repetiuit, Principes Christianos omnes subiectos esse spirituali potestati summi Pontificis, vt oues baculo Pastoris; & posse censuris Ecclesiasticis, & ipsa etiam excommunicatione coerceri, & cap 32. addit, Posse Principes per Summum Pontificem priuari omnibus commodis regenerationis in Christo, item tradi Satanæ vsque ad legitimam errati, & contumaciæ satisfactionem. Et quoniam priuari tot commodis, & Satanæ tradi, grauissima pœna est omnium consensu, fateri debet, paratam esse aduersus Principes executionem, & eos quoq; ad pœnam legibus vocari: quæ sunt omnino contraria ijs, quæ hoc loco scripsit. Sed veniamus ad ea, quæ ad institutum nostrum proprie pertinent.

Demiror ingenij tui astum supervacuas distinctiones implicatis, vt per omnia Lectorem decipias, per omnia imponas Barclaio. Is enim impunitatem Regum, ad eas referri legum partes asseruit; quæ *pecuniariam, vel corporalem pœnam* imponunt; quibus in illo omissis, ais nescire te, de quibus loquatur legibus. En quam vana quibus hic Barclaium committis Barclaio. Neque enim illa contraria; Reges delinquere, si committant in leges; &c. Reges tamen ita supra eiusmodi leges esse, vt si in eas commiserint, non ideo temporaliter puniantur. Certum igitur Principes legibus coactiue non teneri, quatenus pecuniariam vel corporalem mulctam imponunt. Id est proprie; legibus ciuilibus; siue enim ciuilis siue ecclesiastica edicta sint, quibus apponuntur hæ pœnæ, semper hæc sanctio ex ciuili iure dependet. Cum Ecclesiæ nempe edictis eædem cautiones adhibentur; non hoc facit Ecclesia, suo iure, sed consentientium Regum. Imo & ipsimet sæpe Reges hoc iubent. Vnde Glossa Canon. *Delatori 6. qu. 1.* dicit Papam corporales pœnas in delatores statuentem, non *dare iura, sed docere quid facere debeat iudex secularis.* Ecce vt distinctionum tuarum moles ruit. Ciuilibus legibus Princeps, cum supra illas sit, *in conscientia* non tenetur, nisi talibus, vt qui ab iis recesserit, in naturam aut æquitatem pugnet. Sed & quæ tales sunt directiue Principem, non coactiue tenent; *peccans enim non punitur*; vt græcam sententiam latine eloquar. Ecclesiasticis vero legibus ita astringitur; vt in eas non minori scelere delinquat, quam quisque priuatus. Pœnis idcirco, quæ vere & proprie sunt in Ecclesiæ potestate, omnino obnoxius, at ciuilibus liber; quæ licet Ecclesiæ edictis ascriptæ, non tamen proprie sunt in Ecclesiæ, sed politici Magistratus imperio. Luculentum à Diuo Ambrosio documentum. Theodosium imp. a cæde fœdum in Ecclesiam non recepit; atque ita Ecclesiastica pœna mulctauit; scripsit tamen, Principes

nullis

posse ad pœnam vocari legibus tutos Imperii maiestate; & hoc de eo scripsit Principe, qui adulterio homicidium cumularat; quod certe nisi de temporali ac Politica pœna, nequaquam intelligas.

Esse igitur Reges *super omnes leges humanas, omnique ius positiuum*, siue quod antiqui dixerunt, *legibus esse solutos*; ita capiendum est, *pœnis sanctionum temporalium non teneri*. Nam alia ratione verum non est, eos ciuilibus vniuersè legibus esse solutos, cùm nimirum naturali æquitate nixas leges (vt plerique contractus sunt) sine scelere violare nec Principes possint. Hinc mos Regibus, aduersus se quoque ius reddere: Et tam damnari in iudiciis fiscus solet, quàm defendi. Dixit ergo Barclaius, *Reges legibus non teneri*; illo ipso quo Ambrosius sensu (vt fusius dictum supra, *cap.* 8. §. 4.) Neque hæc est *falsitas*, vt putidis conuitiorum tuorum verbis hic vtar, *in fide & religione Catholica*; nisi & in fidem ac religionem Catholicam peccauit Ambrosius; & eodem postea modo loquutus Otto, Episc. Frisingensis: De cuius sensu ac verbis, nos *cap.* 8. §. 4.

Sed mirum, quod de iis taceas, quibus fuse Barclaius docet, *nec expedire quidem Ecclesiæ & Reipubl. Christianæ Papam eâ quam propugnas, in Principes seculares potestate præditum esse*: quæ non securus illius Lector omiserit.

Capvt XXXIII.

[illegible] Bellarmini, argutatur Barclaium, quod vsus sit affirmatione, Mehercule. Non licere Pastori [illegible] in oues spirituales, quæ temporali pastori in temporales. Excommunicatum Principem temporalibus bonis non priuari. Excussæ auctoritates, quas in contrarium producit Bellarminus.

Titulus est apud Bellarminum:

Defenditur pars secunda rationis quintæ principalis pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. 1.

IN *capite tricesimo secundo*, inquis, *Barclaius ex longa digressione domum rediens, proponit, & dissoluit, & vt sibi videtur, [illegible] secundam partem rationis meæ principalis. quæ hac ratiocinatione continebatur: Potest Pastor arietes furiosos destruentes oues separare, & excludere: Princeps autem est aries furiosus destruens oues, quando est Catholicus fide, sed adeo malus, vt multum obsit Religioni, & Ecclesiæ, vt si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat, &c. Ergo poterit Pastor Ecclesiæ eum recludere, vel redigere in ordinem ouium.*

Hanc ratiocinationem Barclaius impugnaturus incipit à censura vocabulorum, ac dicit, excludere, dicendum erat, non recludere: recludere enim aperire est. At ego per recludere non excludere, sed includere, significare volui: solent enim Pastores arietes furiosos includere in aliquem locum, vt non possint cornibus oues [illegible] petere, vel pedibus conculcare. Sed recludere, inquit ille, aperire est, non claudere. Verum est id quidem, cum dicimus, recludere fores, siue [illegible], aut carcerem, sed cum dicimus, recludere aliquem intra fores, aut hominem in domo vel carcere recludere, tum recludere, accipitur pro eo quod est claudere, vel includere: & hoc posteriore modo significare volui, Arietem à Pastore recludendum loco aliquo angusto & munito, vnde non facile possit egredi. Ac ne putet Barclaius, me sine auctore locutum, legat Hincmarum in vita S. Remigii, [illegible] in epist. [illegible] Aimonium in lib. 4. Histor. cap. 37. & inueniet passim recludere ab auctoribus non malis vsurpari pro includere, quomodo religare, non est soluere, sed iterum, vel arctius ligare. Ac vt os Barclaii penitus obstruamus, audiat S. Hieronymum auctorem primæ classis, in libro aduersus Vigilantium, sic loquentem, Aut vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & vbi voluerint, adesse præsentes: Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, & non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera, honestaq; custodia, in Fortunatorum Insulis, & in Campis Elysiis recluduntur. hac S. Hieronymus, cui non dubitabit, opinor, Barclaius dicere, recludere aperire est, proinde includuntur dicendum erat, non recluduntur. Ac vt ex eodem S. Hieronymo referamus Barclaio gratiam fraternæ correptionis: meminerit se cœpisse tricesimo iurasse per Herculem, cum ait: Ego me hercle, &c. & audiat S. Hieronymum in Epistola ad Damasum; de filio prodigo dicentem, Absit vt de ore Christiano sonet, me Hercule, & me Castor, & cætera magis portenta, quam Numina. Sed his omissis veniamus ad seria.

Quid tu tam vana in Barclaium? cum scripsisses, *recludere*, pro *excludere*, aut *excludere*, dixit Barclaius, *dicendum potius excludere, recludere enim aperire est*, tu illud *potius* suppressisti, mox profers auctores, qui recludere pro includere scripserint; quorum vix aliquem, Bellarmine, vel in scholis pueri linguæ Latinæ auctorem admiserint; præter vnum Hieronymum, eloquentem hominem, sed in quo iam signa emorientis linguæ. Nec negauit Barclaius, recludere apud aliquos capi interdum pro includere; sed dixit, *potius dicendum, &c.* Nempe, quod *recludere* apud veros genuinæ latinitatis Patres non alio inuenias sensu, quam pro *includere*.

Quæ vero gratia fraternæ correptionis, quam dicis te referre Barclaio? Quasi ille verbo *me dius fidius*, vel *hercle*, iurandi particula, non autem ornatus, & affirmationis simplicis, vsus; Neque id reprehendat Hieronymus; qui solum voluit, Christianos in affirmando formulis abstinere, quas Ethnici adhuc illa tempestate frequentes in iureiurando concipiebant. Nunc mutatis temporibus, & Ethnicorum ritibus penè sepultis, manent illa Latinæ linguæ verba, non quidem ad iurandum;

ſed ad aſſerendum, ex ipſius linguæ vſu. Quis autem latior ſcribentium culpa vacet, ſi hæc culpa eſt? Plures non aduoco in re cantilla teſtes; Nonne & Couarruuias non Chriſtianus modo, ſed Canoniſta, ſed Clericus, (lib. 1. variar. reſol. cap 10. de confeſſ. Sacram. Num. 13) hac eadem aſſertione vtitur *me hercle?* Ita ille, *Quibus me hercle verbis manifeſtum fit, D. Gregorium hac in re diſpenſatione vſum, &c.* & Platina (in Ioann. 3.) habet, Iuſtinum fuiſſe habitum *Deorum atque hominum contemptorem?* Sed vt ais, *his omiſſis, veniamus ad ſeria.*

§. 2.

ADMITTIT Barclaius, inquis, *ratiocinationem meam totam, & omnia, quæ inde per bonam conſecutionem deducuntur. Sed negat inde aliud effici poſſe, niſi vt Paſtor, id eſt Papa, Arietem furioſum, id eſt, Regem deterrimum poſſit per excommunicationem ab ouili excludere, & priuare ſpiritualibus beneficiis Sacramentorum, & ſuffragiorum: ſed non vltra procedere ad vllam pœnam temporalem, qualis eſt priuatio temporalis iuriſdictionis, aut dominii.*

Sed Barclaius non percepit vim argumenti ex propoſita ſimilitudine, quam admiſit, vt aptam atque idoneam ad hanc rem explicandam & probandam. Neque enim Paſtor arietem furioſum ſolum excludit à grege, ſed alligat, & recludit, ſiue includit in aliquo angulo, vt non poſſit amplius Dux eſſe gregis. Et ad huius Paſtoris ſimilitudinem ſucceſſor S. Petri, & Vicarius Chriſti Principem Chriſtianum deſtruentem Eccleſiam, alligat vinculis excommunicationis, & quodam modo includit in angulum, dum non ſinit vt regat amplius populos Chriſtianos.

Iam admonui (*cap 31 §. 2.*) quam hic caute ſimilitudo Paſtorum & Arietum audienda; alioqui parricidialis doctrinæ fontem fore. Admiſit igitur Barclaius hanc ſimilitudinem tuam, *vt ſpiritualis Paſtor omni modo, quo poteſt, aut paſcat arietes, aut corrigat*, id eſt, ſpirituali paſtu, vel pœna: & hoc vnum ex argumenti tui vi recte deduxeris. Iam quod addis, *atqui Paſtor poteſt furioſos Arietes includere, Ergo & Papa Reges*; ex illa ratione non ſequitur. Nam eodem iure dixeris, poteſt furioſos arietes Paſtor occidere, ergo & Pontifex malos Reges. *Occidere*, inquam, æque bene ac *includere* ex tuo argumento deduxeris. Quaſi vero ſpiritualis Paſtor in ſpirituales oues poſſit, quod in temporales oues, qui Paſtor eſt temporalis. Dicis Regem à Pontifice abdicatum *quodam modo includi in angulum.* Melius dixeris, excommunicatione innodatum includi inter filios diaboli, qui ſolus carcer eſt Pontificii iuris. Nam iam illa, quam fingis cuſtodia, omnino temporalis eſt, eoque à vero & proprie ſumpto carcere multum diſtans.

§. 3.

QVOD autem Barclaius *dicit*, inquis, *poſſe Principem excommunicari, ſed non poſſe priuari niſi ſpiritualibus bonis, ac per hoc non poſſe priuari auctoritate, vel iuriſdictione, vel dominio temporali, neque poſſe ſubditos eius abſolui à fidelitate, & obedientia, quam illi debebant: mirum eſt, cum ſacri Canones quos iam ſecuti ipſe profitetur, inter excommunicationis effectus ponant, non ſolùm priuationem Sacramentorum & ſuffragiorum, ſed etiam commercii ciuilis, ac præcipue forenſis, vt non poſſit excommunicatus pro tribunali ſedere, & iudicare, neque ſubditi comparere in iudicio coram excommunicato, vt eſt communis ſententia. ex Cap. Ad probandum, de ſent. & re iud. & ex cap. Decernimus, de ſent. ex. omm. in 6. Item priuationem vel ſuſpenſionem iuriſdictionis, & abſolutionem ſubditorum à fidelitate: de qua re apud Gratianum, 15. q. 6. Can. penult. ſic legimus. Nos ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate, aut ſacramento conſtricti ſunt, Apoſtolica auctoritate à iuramento abſoluimus, & ne ſibi fidelitatem obſeruent omnibus modis prohibemus quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant. & Can. vlt. Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipſi quamdiu excommunicatus eſt, ſeruiant prohibeto. qui ſi Sacramenta prætenderint, moneantur, oportere Deo magis ſeruire quàm hominibus. Denique in caſu hæreſis priuari etiam dominio docet S. Thomas in 2. 2. q. 12. art. 2. his verbis. Quam cito aliquis per ſententiam denunciatur excommunicatus propter apoſtaſiam à fide, ipſo facto ſubditi abſoluti ſunt à dominio eius, & à fidelitatis iuramento quo ei tenebantur. Et quamuis extra caſum hæreſis ex vi ſententiæ excommunicationis non ſequatur priuatio dominii temporalis, ſiue rerum particularium, ſiue Regnorum, & Principatuum, tamen poſſe per Summum Pontificem priuari Reges aliosque Principes iuſtis de cauſis regno, vel Principatu probatum eſt ſupra teſtimoniis, & rationibus multis, neque ea potuit Barclaius cauillationibus ſuis vllo modo conuellere.*

At, inquit, bona temporalia, quæ ciuili & humana poteſtate poſſidentur, de manu Principis politici accipiuntur, ergo non poſſunt auferri per excommunicationem, quæ eſt ſententia iudicis ſpiritualis: quemadmodum ſpiritualia non poſſunt tolli per ſententiam Iudicis temporalis.

Reſpondeo. Bona temporalia, quamuis humana, & ciuili poteſtate poſſideantur, tamen bonis ſpiritualibus ſubordinantur, & poteſtas ipſa temporalis poteſtati ſpirituali ſubiicitur. Ideo verum quidem eſt, non poſſe ſpiritualia tolli per ſententiam iudicis temporalis, quoniam ſpiritualia non ſubordinantur temporalibus, neque poteſtas ſpiritualis temporali ſubiicitur: ſed non eſt verum non poſſe temporalia aliqua tolli per excommunicationem, quæ eſt ſententia iudicis ſpiritualis. Neque hoc in dubium reuocari poteſt, cum ſatis conſtet commercium ciuile, & actiones forenſes, bona eſſe temporalia, & ciuilia: & tamen iſtis bonis temporalibus priuari excommunicatos præſertim poſt publicam denunciationem, vel declarationem.

Vis igitur Principem poſſe per excommunicationem iuriſdictione priuari, cum inter excommunicationis effectus numeretur, *priuatio commercii ciuilis, ac præcipue forenſis, vt non poſſit ex-*

com-

alioqui iure communi subditi essent, sicut cæteri. Digreditur igitur in hoc capite, & sequenti ad exemptionem Clericorum, & multa dicit, quæ non solum à veritate, sed etiam à communi Scriptorum sententia abhorrent.

Primum dicit, antequam Clerici beneficio Principum eximerentur, iure communi subiectos fuisse iudicio Magistratuum temporalium. Id probat duplici ratione: primum ex eo, quod Clerici non solum Clerici sunt, sed etiam ciues Reipublicæ politicæ: & citat librum meum de Clericis, Cap. 28. Deinde ex eo quod olim sub optimis, & piissimis Principibus causæ Clericorum tam ciuiles, quam criminales, exceptis causis Ecclesiasticis, apud Politicos & temporales Iudices agitabantur, & citat caput quintum decimum huius libri, vbi hoc demonstrasse se putat.

Ad hoc Respondeo, Clericos non solo priuilegio Principum, sed etiam decretis Summorum Pontificum, & quod maius est, diuino iure exemptos fuisse, ac per hoc exemptos fuisse, antequam Principum priuilegio eximerentur. Quod autem Clerici sint ciues, & pars quædam Reip. politicæ, probat, eos teneri ab obseruandas leges ciuiles vi rationis, non vi legis, atque ad hoc probandum ego rationem illam adduxi, qua nunc abutitur Barclaius ad probandum iure communi subiectos fuisse Clericos ciuili magistratui: quod tamen inde non recte probatur. Quod vero sub piis Principibus ante Iustiniani tempora causæ ciuiles, & criminales Clericorum apud Magistratum politicos aliquando agitarentur, dico, inueniri quidem leges Principum in Codice, tit. de Episcopis, & Clericis, quæ disponunt de causis Clericorum apud sæculares iudices terminandis: sed inueniri etiam Canones Conciliorum eiusdem ætatis, vt Carthaginensis tertii can. 9. Mileuitani can. 19. Calcedonensis can. 9. & aliorum, quibus prohibetur Clericis accessus ad iudicia sæcularia. Itaque piis Principibus nondum satis nota, & explicata erat exemptio, quam iure diuino Clerici habebant: & Sancti Patres paulatim eam explicare, atque introducere nitebantur.

Hanc de Clericis disputationem orsurus, profiteor me nihil in Ecclesiæ libertatem nihil in Clericorum iniuriam esse dicturum. Absit vt optimam Matrem, aprimos Patres, aut animi, aut sententiæ acerbitate violem. Sed nihil est veritate præstantius; & est magis ad Ecclesiæ gloriam, suis, & veris titulis insigniri, quam illa potentia, quæ in ipsam aut adulatione quorundam, aut ambitione, congeritur. Sint igitur Clerici, vt sunt à sæculari foro immunes, sint & priuilegiis aut aliis cumulati: At saltem videamus qui illis tot beneficiorum auctores sint, & quo tenus illa procedant.

Ais exemptos esse *iure diuino*; sed non affers, in hanc rem vel vmbram argumenti: assertionem igitur nudam nuda negatione refellimus. Dicis, etiam decretis Pontificum liberatos: quod & probare vis sequenti paragrapho: vbi de eo fuse dicendum. Ex eo vero quod Clerici ciues sint, ais, nihil aliud sequi: quam vt vi rationis leges obseruent. At iam ostendimus longe aliud sequi: vt nimirum Clerici sint Principis subditi, qui illorum ciuium Princeps, quorum partem ipsi faciunt; cum ciuitas siue regnum, sit hominum societas in eandem regiminis formam & sub eodem capite conspirantium. Vide quæ disimus supra *Cap. 15. §. 1. & 2.*

Nunc ad rationem Barclaii, nempe, *olim sub optimis & piissimis Principibus Christianis causas omnes Clericorum solitas, tam ciuiles, quam criminales, modo non Ecclesiastica, apud Politicos & temporales magistratus agitari: Suam igitur qua nunc fruuntur in hac re libertatem, Clericos omnes Principibus secularibus accepto ferre debere*: Respondes, inueniri quidem leges eiusmodi, sed *& inueniri Canones Conciliorum eiusdem ætatis, quib. prohibetur Clericis accessus ad iudicia sæcularia.* Atqui nihil liquidius, quam ea quæ tu profers Concilia, nihil in Principum potestatem edixisse; vt hoc Capite, suo loco, id est paragrapho quinto & sexto, docendum est. Concludis. *Itaq. piis Principibus nondum satis nota & explicata erat exemptio, quam iure diuino Clerici habebāt, & S. Patres paulatim eam explicare atque introducere nitebantur.* Quid? non vides te damnare Patres antiquos, tanquam Ecclesiasticæ libertatis proditores? An difficilius fuit illis Principibus quos tu pios appellas, & appellare iure potes, indicare exemptos *iure diuino* ab eorum auctoritate Clericos esse, quam eos edocere cæteras fidei partes, cæteras prærogatiuas Ecclesiæ? cū inquam Antistites illi, tam eximia sanctitate, tam libera, castigarent Principes committentes in Numinis legem, aut aliquid Ecclesiasticæ iurisdictionis ad se trahentes, cum auderent inclamare, *non sacrorum aut thymiamatū iura Imperatori esse commissa*, an tanto Ecclesiæ præiudicio torpuissent, vt Clericos ad sæcularia trahi iudicia, nihil reluctantes, paterentur; si eos quidem *ius diuinum* ab hoc Politico exemerat foro? Paterentur sub piis, sub Christianis Principibus? & hoc quidē seculis aliquot: donec ipsimet Principes, non auctoritate id iubentis Ecclesiæ, sed *motu proprio*, Clericos, per priuilegium, à seculari exemere iudicio: An vero S. Patres, qui illa tempestate non pauci, ius Clericorum & Ecclesiæ in tantum tacuissent, vt nullum monerent Principem, non sibi licere iudicare de Clericis: apud nullum quererentur potestatem Ecclesiæ violari? deniq; vt nec in Conciliis statuerent id Imperatori non licere: aut scripto aliquo, in tanta librorum frequentia, testarentur? An interim Ambrosius, Nazianzenus, Augustinus, se in iis numerassent, qui iure diuino obsequium & tributum Regi deberent; si immunes diuino iure erant?

Ais, Patres voluisse paulatim exemptionem Clericorum explicare: id autem fecisse in Conciliis. Cur vero id paulatim, si hæc erat diuinæ legis pars? cur, inquam, siluissent in tantum Ecclesiæ damnum? Nec id ipse credideris, Bellarmine, nec cordatis persuaseris, magna quidem calliditate sophismatum, sed non satis imponentium apertissimæ veritati. Sed nec aliquid in Conciliis aduersus hanc Principum potestatem esse statutum, mox hoc Capite ostendemus.

§. 2.

S*Ecundo, inquis, Barclaius dicit, mirari se, Bellarminum asserere, Papam potuisse eximere simpliciter Clericos propria auctoritate per legem canonicam, à subiectione temporalium Principum. Id enim, inquit, pace tanti viri dicam, est falso falsius: quia lex Christi neminem priuat iure, dominioq; suo: priuaret autem, si per eam ius & Dominium temporale, quod Principes antequam fierent Christiani in Clericos habebant, ipsis Christianis auferret. Hæc ille.*

Sed vt magis Barclaius miretur, non solum Bellarminus, neq; soli illi, qui inter Theologos, & Iureconsultos maxime fauere videntur exemptioni Clericorum; sed illi etiam, qui parum fauere existimati sunt, idem prorsus dicunt. Hæc enim sunt verba Dominici à Soto in 4. Sentent. dist. 25. q. 2. art. 2. conclus. 6. Papa potuit etiam inconsultis Principibus, & debuit Clericos ab eorum exactionibus, & foro excipere: cui quidem exemptioni Principes contrauenire nequeunt. Atq; hoc idem docet Didacus Couarruuias Iureconsultus nobilis Sotum sequutus in pract. q. 31. Concl. 3. His verbis, Potuit Summus Pontifex Clericos, & eorum res à iurisdictione sæculari eximere: idq; conueniens fuit, & est Christiana Resp. non tantum in spiritualibus, quod iure diuino iam erat institutum, sed etiam in temporalibus. & conclus. 4. Quamuis exemptio Clericorum à iurisdictione secularium iure tantum humano sit introducta, Princeps tamen secularis, vtcunq; Summus sit, non poterit huic immunitati, aut exemptioni propriis legibus, propriaq; auctoritate derogare. Desinat ergo iam Barclaius mirari, si Bellarminus dicit, quod fere omnes dicunt, & nolit ipse, quasi solus sapiat, id negare, quod fere nullus negat.

Non desinet mirari Barclaius te errare, eo quod aliqui præter te errauerint. Sed & illi quos profers, suam sententiam veluti spontanea proditione peruertunt. Nam concedunt exemptionem istam de diuino iure non esse; Atqui constat, summum Pontificem non ad libitum posse, aut vt credit conueniens, & Ecclesiæ vtile, de ciuilium Magistratuum potestate recidere. alioqui liberum illi iudicium, quantum velit Principi sæculari licere; aut verius ipse solus, & Summus in temporalibus Princeps. Nihil, inquam, de Principum iure in ciues potest auferre, nisi si quid auferri de diuino iure est. Quomodo igitur potestatem eripuisset in Clericos, quæ Principibus naturæ iure datur, nec eripitur iure diuino? Ratio Soti est: *Quia, inquit, potestas Ecclesiastica est per se sufficiens, à ciuili independens: ergo potest per se condere leges, quæ suæ administrationi sunt vel necessaria, vel congruentes.* Demonstratione opus fuit, non syllogismo, cui tot responsiones patent ad asserendam potestatem, qua Pontifex tot viros, tot subditos, à subiectione eximat, quam Regibus diuino & naturæ iure debent. Distinguimus igitur de Ecclesiastica potestate; si intelligit Soto spiritualem auctoritatem, Apostolis & Ecclesiæ datam, nimirum excommunicandi, absoluendi, prædicandi, conferendi Sacramenta, interpretandi Scripturas, & cætera, quæ mere sunt spiritualia, sufficiuntque ad salutem mortalium; tunc fatemur eiusmodi potestatem per se sufficientem esse, nec pendere à ciuili: posse etiam necessarias suo fini leges ferre. At in illis necessariis nimis liquet exemptionem Clericorum nequaquam numerandam. Quis enim dubitet, Christianos posse saluari, licet Clerici apud illos iure communi in causis ciuilibus agerent; vt olim Imperatorum, etiam Christianorum, tempestate? Præsertim cum ipse Soto testis sit, hanc exemptionem non esse de iure diuino. Certum enim, omnia quæ per se sunt ad salutem necessaria, de diuino iure esse.

Addit igitur Soto, potestatem Ecclesiasticam posse ferre leges eiusmodi, quæ sint administrationi suæ *vel necessaria, vel congruentes.* Quid illud, *congruentes*? Si intelligit de legibus, quæ ita congruant Ecclesiasticæ potestati, vt sine iis potestas Ecclesiastica explicari non possit; tunc quidem verum erit: sed illæ *congruentes* coincidunt cum *necessariis*. Sin *congruentes* vocat, quæ videantur hominibus conuenire, seu esse aptæ, licet non necessariæ, ad splendorem Ecclesiæ, aut exequutionem Ecclesiasticarum legum: tunc hæc ratio non simpliciter vera. Neq; enim potest Pontifex ad libitum ferre leges eiusmodi, quæ ciuili iuri præiudicent. licet illæ ad maiestatem Ecclesiæ videantur conducere. Non, inquam, eo prætextu leges tulerit quæ ius lædunt alienum. Nam vt potestas spiritualis in suo genere à Deo ordinata est, debetq; prospicere obseruationi diuini præcepti; ita & potestas temporalis in suo genere à Deo ordinata est, debetq; prospicere ordinationi etiam diuini præcepti. Vt non tamen inde collegeris, posse temporalem potestatem ferre leges in Ecclesiasticis rebus, quas credat legi Dei congruentes; ita nec Ecclesiasticam in temporalibus. In condendis legib. nulla vtrimq; mixtura. Nisi quod Ecclesiastica, iubenti Politicæ temporales quidem res, sed diuino mandato contrarias, parere nō tenetur; imo & spiritualia cōmoda potest subtrahere: Ita nec temporalis inuadenti iura temporalia per leges ac edicta Pontifici, parere diuino præcepto iubetur. Imo &, si necesse est, temporalia commoda potest auertere; donec ille se errasse senserit, errorémq; correxerit. Cū lex ergo Ecclesiæ, prætextu spiritualis fori, ad temporale progreditur; puta ad iurisdictionē temporalem, viuendi rationem, Politicos mores; tunc lex eiusmodi non est amplius ex vera spirituali potestate, sed simpliciter ex Ecclesiasticorum hominum sanctione, cui Principes sæculares, in rebus Politicis non necessariis ad salutem, nec obsequi tenentur, nec credere. Quasi vero, si Pontifex prohibeat pecuniā in ludos impendi, si vestibus pretium, aut modum statuat, si certa priuilegia viduis aut orphanis, in Politicis iudiciis esse velit; quasi inquā, Principes Politici leges eiusmodi teneantur admittere; licet valde *congruentes* spirituali fini: nempe vt peccata quæ in ludis frequentia, quæq; in vestibus, de publico eiiciantur; vt deniq; viduis, pupillisq; charitate, *quæ Dei verbo valde conformis est*, in iudiciis succurratur. Idem de Clericis. Non potuerunt

fuerunt inuitis Principibus à foro ciuili eximi, quandoquidem illa lex ad salutem non fuit necessaria, legum vero ad ciuile regimen spectantium, non sunt arbitri latoresue Pontifices; nisi saltem Principum consensus accesserit.

Vult tamen Dominicus Soto necessariam fuisse exemptionem Clericorum, *quantum ad personas, & quantum ad bona.* Quoad personas; primo, quia *cum iure diuino sint Ecclesiæ ministri constituti, eidem iuri proximum esse videtur, vt nequeant à iudicibus sæcularibus euocari.* Atqui distinguimus inter necessaria. Quædam enim, per se, & ex rei natura, sunt necessaria Ecclesiastico fini; & illa omnia de diuino iure sunt. Nam necessaria omnia accepit Ecclesia, à Deo, non à Pontificum sanctione. Alia necessaria sunt ad salutem, aut potius necessario obseruanda; quia imperata ab Ecclesia, & à Christianis recepta sunt; puta, ieiunia, festorum celebratio. Iam si exemptionem Clericorum vult Soto esse necessariam primo modo, sibi prorsus repugnans est; qui ait, id non de diuino iure esse. Si secundo modo, non tangit quæstionem. Neq; enim quæritur, an sit ad salutem necessarium Clericorum exemptionem minime violari, quia iam exempti sunt; sed an necessarium fuerit, illos eximi. Nunc ad eius rationem; Nego prorsus, id *videri iuri diuino proximum.* Nam quæ illa *proximitas*? Clerici iure diuino sunt Ecclesiæ ministri constituti; ergo non possunt in ciuilibus causis apud ciuiles Iudices accusari? Ita dicam. Ciuiles Magistratus, iure diuino sunt rerum temporalium ministri; ergo non possunt in Ecclesiasticis causis per Ecclesiasticos iudicari. Sed & ostendimus non in omnibus, quæ iuri diuino eo modo videntur affinia, posse imperare Pontificem. Probat Soto suam sententiam, quia Paulus ait 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Num id vero Apostolus de Clericis tantum? Imo de Christianis in genere. Sequeretur itaq;, necessarium etiam, vt Laici à ciuili iudicio eximerentur. Longe alius Apostoli sensus, monentis, vt quantum in nobis est, abeamus ab imis mortalitatis curis, quo simplicius Deo vacemus. Sed nec magis Apostolus his verbis interdixit ciuili iudicio, quam honoribus, possessionibus, pecuniis, quæ & summe negotiis sæcularibus implicant; & tamen ex Clericis nemo id sibi, sociisue, necessario prohiberi contenderit.

Secundo, inquit Dn. Soto, potest contingere, vt causis Ecclesiasticis, quarum Laici iudices esse non possunt, immistæ sint ciuiles. Quare Clerici, *cum tunc ad diuersa tribunalia euocarentur, perplexi essent cuinam iudicum deberent esse audientes.* Respondeo, nullam inde necessitatem inferri; sed aliquam fortasse reorum in hoc casu molestiam. Nam & Laicos sæpe videmus de eiusmodi causis contendere, quæ partim spiritualis notionis sunt, partimq; ciuilis; vt de eadem re apud Ecclesiasticos iudices, ciuilemq; Magistratum agendum sit. Nemo tamen ideo dixerit, esse necessarium vt laici non alibi, quam in Ecclesiastico foro, aut non alibi quam in Ciuili disceptent.

Tertia ratio; *quod non esset decorum vt ministri Ecclesiæ, qui Pastores sunt etiam Iudicum, & Regum, tanquam rei coram ipsis sisterentur.* At longe aliud decorum, aliud necessarium. Addo, ne indecens quidem fore: Vt nec è contrario indecens, Regem, qui in vrbe atq; palatio, non Laicos modo, sed etiam Sacerdotes, aperto capite & humili obsequentis corporis gestu, suæ dignitatis veneratores habet, mox in templo decidere in genua, apertoq; & sedenti Sacerdoti peccata profiteri.

Quarta ratio, *quia cum potestas ciuilis & Ecclesiastica sint omnino distinctæ, necesse est vt quemadmodũ vtraq; habeat suos ministros, ita vtriusq; ministri habeãt suos distinctos Præpositos.* Certe quidem; nec negamus Clericus, vt Clericos, habere præfectum Pontificem; sed quoniam Clericus, præterquam quod est Clericus, est etiam ciuis, quidni, quatenus talis, possit habere præpositum Regem? Aliequi dicendum sit, necessarium esse, ne Pontifex & Ecclesia possit vnquam de Laicis Iudicare, quandoquidem constat Laicos esse sub potestate ciuili, quam Soto fatetur ab Ecclesiastica omnino distinctam. Imo erunt & Laici, quatenus Ecclesiæ filii, Ecclesiastico Præposito subditi; & Clerici Politico Præposito, quatenus ciues. Qua ratione verum erit distinctas potestates distinctos habere Præpositos; & hoc tamen in sententiam nostram nihil.

Hæc Soto de personis Clericorum. At *de bonis*, dicit necessarium quoq;, vt exempta sint. rationem ex D. Thoma habet, sed contra Thomæ mentem. Ea enim vtitur Thomas (*in 13. c. ad Rom.*) vt probet ex naturali æquitate esse, quod à solutione tributorum Clerici sint exempti priuilegio Principum. Vnde Franc. Victoria, Relect. 1. de Pot. Eccles. sect. 7. Propos. 2. *Clerici*, inquit, *sunt exempti à tributis non iure diuino, sed Priuilegio Principum. Hoc expresse dicit D. Thomas super illum locum Roman. 13. Ideo enim & tributa præstatis; & dicit hanc exemptionem habere æquitatem quandam, non autem necessitatem.* Soto autem ex ea non congruentiam, sed necessitatem colligit. Hac nempe ratione, quod *cum tributa & vectigalia Regibus ad suam ipsorum sustentationem pro laboribus, quos in administratione Reip. præferunt, exsoluantur, & Clerici non minores operas rei Ecclesiasticæ impendant, æqua sit recompensatio, vt alia tributa ab eis non exigantur.* Hæc porro quam nõ necessaria ratio, aut cui imponat? Nam & ipse Apostolus, teste Thoma, dicit tributa præstanda à Clericis: ergo non necessarium vt non præstent. Quid quod ipsi Clerici in compensationem laborum, tot magna, tot eximia acceperunt, vt ex donationibus Regum patet, & opulentia prædiorum?

En vt necessarium non est, aut bona Clericorum eximi, aut personas. Sed & quæro, quando id cœperit esse necessarium? constat enim non fuisse semper exemptos per Pontificem, aut

Principes: an igitur antequam eximerentur aliquid necessarium Ecclesiæ deerat; aut aliquid necessarium deinde accessit? Certe, ea vestra sententia. Ergo nec Apostolorum temporibus, nec plus quingentis inde annis necessaria omnia ad suum finem habuit Ecclesia: quo quod magis impium, imo horrendum?

Neque Couarruuias, quem secundo loco affers, aliis rationibus, aut argumentis innixus, quam quib. Dominicus Soto: præter quasdam Canonistarum auctoritates, qui plerique hanc exemptionem ad diuinum ius referunt, contra ipsius Couarruuiæ mentem. Nunc audiamus Barclaii in contrarium argumenta.

§. 3.

AT, inquit Barclaius, *lex Christi neminem priuat iure dominioq; suo. Verum est per se, ac propriè, quasi hoc ipsum intendat, nisi aliquis culpa sua priuari mereatur. Sed tamen dum euehit laicos ad ordinem altiorem, id est, Clericorum, non est mirum si consequenter priuet Principes iure, quod in eos habebant, dum essent in gradu inferiore: neque desunt exempla in aliis rebus tam prophanis, quam sacris. Euehit Rex priuatum hominem, qui subiectus erat Comiti, ad Principatum: consequenter priuat Comitem iure, quod in illo habebat, & fortasse Comitem eundem subiicit illi Principi iam effecto, cui idem Comes antea iam præerat. Euehit Papa simplicem presbyterum, subiectum alicui Episcopo, in Metropolitanum, ac per hoc sine vllius iniuria facit, vt qui antea subiectus erat Episcopo, incipiat tanquam Metropolitanus Episcopo præesse, cui paulo ante subiectus erat. Ius habebat Maritus infidelis in coniugem infidelem, conuertitur mulier ad fidem, & consequenter liberatur à subiectione viri infidelis, & sine iniuria lex illa Christi priuat virum infidelem iure, quod in vxorem suam habebat. Pari ratione per matrimonium per verba de præsenti contractum, acquirit vir Christianus ius in vxorem Christianam, & tamen si intra tempus à iure præscriptum, velit illa ad professionem vitæ altioris ascendere, & sanctimonialis fieri, lex Christi priuat virum iure, quod acquisierat non per se, sed consequenter: non enim intendit lex Christi virum illum iure suo priuare, sed feminam ad altiorem gradum euectam honorare. Denique, euehitur filiusfamilias in Episcopum, priuatur Pater ipsius potestate patria, non vt ipse afficiatur iniuria, sed quia non decet Patrem spiritualem subiici potestati parentis carnalis.*

Vide autem quam hæc inanis solutio. Canonistarum, & Theologorum pars melior, volunt exemptionem Clericorum de humano iure esse; nec repugnare iuri diuino, simul aliquem & Clericum, & ciuili Magistratui esse subiectum. Ita constitutio de eximendis Clericis, non necessaria erat ad essentiam Clericatus; id est, non oportebat, ad hoc vt aliqui ad Clericatum conscenderent, vt lex vlla de eorum exemptione ferretur. Si igitur edidisset Pontifex, vt essent Clerici à ciuilium Principum potestate immunes, non intendisset constitutione eiusmodi *euehere laicos ad ordinem altiorem, id est, Clericorum*: quod fieri poterat absq; exemptione istac sed priuasset iure dominioq; suo Principes quod habebant in Clericos. *per se ac propriè, quasi hoc ipsum intendens*; intendisset enim hoc ipsum, nempe ne Clerici amplius seculari subiicerentur potestati. Atqui negas *legem Christi* eiusmodi effectus parere; ergo & cum Barclaio tibi negandum, hanc exemptionem inuitis Principibus per *legem Christi* ab Ecclesia potuisse sanciri.

Si vis autem (nec facile persuades, ea animo ita te velle) immunitatem istam *de diuino iure* esse, falsum erit, quod hic tecum Barclaius sæpe laudauit, *legem Christi neminem priuare iure suo*. Falsum, inquam, cum hæc duo repugnent: *non priuat iure suo Principem, &c. priuat iure, quod habebat in Clericos.* Nec interest vtrum fauore vnius, an odio alterius quid feceris, vt dicaris id fecisse: cum æque verum sit, meas opes per te eripi, siue illas spoliandi mei gratia, siue alterius ditandi eripias.

At, inquis, maritus infidelis, conuersa ad fidem coniuge, perdit ius quod in illam habebat: Coniux quoq; fidelis, sua parte religionem ante consummatum matrimonium profitente. Sophisma calliditatis egregiæ. Scias porro, Bellarmine, discrimen ingens esse, inter spiritualia, atq; Politica. Matrimonium, vt pote Sacramentum, spirituale quid est & Ecclesiasticæ notionis; ideoq; ex lege Christi, & ex illius peculiari præcepto dispensandum. Nec iis modo casib. quos ipse proponis: sed innumeris aliis, in matrimonii negotio, Christiano ius aufertur, quod Iudæo competebat, aut Ethnico. Licebat Patrui, Amitæue filiam ducere: iure communi prohibetur Christiano. Licebat ab vxore per repudium diuertere: iam ex Christi præcepto non licet. En, vt illa sententia, *legem Christi neminem priuare iure suo*: non de sacramentalibus & Ecclesiasticis rebus concepta est: Verius dicam, Christi lex suo iure neminem priuat, sed de proprio iure disponit in rebus, quæ ex natura sua ita spirituales sunt, vt earum dispositio non propriè ex ciuili regimine, sed ex spirituali pendeat lege. Nos vero de temporalib. agimus rebus, deq; iure Politico: quod neutiquam Christus sua lege turbauit, ademit: sed vnicuique, vt antea competebat, reliquit intactum, imo firmatum: Quale ius est Principis, in omnes suos ciues.

Quod de Episcopo dicis, huic errori pene consentit, quem iam ante notauimus. Si vis Episcopos ab ea patria potestate liberari, quæ diuini iuris est, aio illam sententiam esse blasphemam: sin de potestate intelligis, quæ ex ciuili lege pendet; dico auferri non posse hanc ipsam potestatem, nisi consensu Principum, quorum potestati ius ciuile commissum est: & qui possunt ex causa ius auferre priuato; si sic ad publicam vtilitatem videatur: Vnde & Papa (vt ait) presbyterum potest subiectum Episcopo in Metropolitanum euehere, & Rex priuatum hominem Comitiq; subiectum ita extollere, vt Comiti ipsi præsit. Nimirum quia Papæ, atq; Regi, non presbyter tantum ille, aut homo priuatus; sed & Episcopus, Comesq; subiicitur: & Rex in ciuilibus, Papa in spiritualibus reb. ad vtilitatem publicam, potest de cæterorum iure disponere.

§. 4.

§. 4.

AT rursus, inquis, obiicit Barclaius dicens: *Deinde cum ipsemet Papa exemptionem suam, non alio iure, quam Principum largitate, & beneficio nactus sit, (nam vt aduersaris fatentur, subiectus erat de iure, & de facto Ethnicis Principibus, sicut alii ciues) absurdum est dicere eum potuisse liberare alios ab illa subiectione: alioqui id in eum conueniret, alios saluos fecit, seipsum non potuit saluum facere.*

Respondeo. Argumentum Barclaii duplici vitio laborat: nam & antecedens habet falsum, & consecutionem vitiosam. falsum imprimis est, Pontificem non alio iure, quam Principum largitate, & beneficio, exemptionem suam nactum esse: qui enim Vicarium suum in terris eum constituit, is hoc ipso exemit eum ab omni potestate Principum terræ: sed etiamsi subiectus iure fuisset Regibus, vel Imperatoribus Ethnicis, non tamen sequeretur eum subiectum quoq; esse debere Regibus, vel Imperatoribus Christianis, nisi ipsorum largitate & beneficio eximeretur. Nam cum sit ipse super omnem familiam constitutus, & Reges atq; Imperatores ab eo in eandem familiam cooptentur, vt ab ipso regantur, & dirigantur, certe nulla ratio patitur, vt ipse illis subiciatur, quibus iure diuino præsidet. Sed bene habet, quod Barclaius ita irridendum putauit Vicarium Christi, quomodo perfidi Iudæi Christum irridebant: qui tamen vel inuiti confitebantur, multos à Christo ab ipsa morte saluos factos fuisse, & sacrilege mentiebantur, eum non potuisse seipsum ab interitu saluum facere.

Nullo vitio laborat argumentum Barclaii. Nam quod scripsit, Pontificem primis illis Principibus fuisse subiectum, id tum ex cæterorum Theologorum, tum ex tua scripsit sententia; Necdum enim Recognitiones emiseras; nec poterat diuinare te vnquam à sententia recessurum, quam ad multam senectutem sequutus es. Quid vero tua ratione futilius? nempe Christum exemisse Pontificem à potestate Principum, hoc ipso quod eum in Vicarium sibi elegerit: Certe quidem; si eum constituisset generalem, & in omnibus Vicarium. At multo secus factum. *Pater dedit Christo omnia in manus: & potestatem omnis carnis.* Christus porro tam late patentem potentiam non vni commisit Vicario. Temporalia Magistratui reliquit Politico: Pontifici vero concessit, vt sit illius Vicarius in administratione spiritualis suæ Sponsæ: quæ dignitas non magis subiectionem sustulit temporalem, quam sæcularium Principum summa & à Deo constituta potestas, eos à spirituali iurisdictione Papæ exemit.

Sed &, inquis, si Pontifex subditus Ethnicis fuit, non ideo & Christianis Principibus; *cum sit ipse super omnem familiam constitutus, & Reges atq; Imperatores ab eo in eandem familiam cooptentur, vt ab ipso regantur, & dirigantur.* Imbecillimum argumentum, & quod sæpe diluimus. Papa super Christi familiam constitutus est, cui spiritualiter præsit: cooptantur ab eo in Ecclesiam Principes, vt spiritualiter ab illo regantur. Hæc autem quid ad Principum potestatem? aut quid in eo repugnans sit, si (quod S. Gregorius magnus professus est) is in temporalibus præsit, qui in spiritualibus subest?

Cur autem addebas, *Barclaius ita irridendum putauit Vicarium Christi, quomodo perfidi Iudæi Christum irridebant?* Absit hoc ab integritate Barclaii: Dicit tantum eorum sententiam, qui Clericos credunt à potestate Principum eximi per Pontificem potuisse, esse absurdam; quia id in Pontificem conueniret (vtpote qui & ipse subditus Principibus erat) *quod impii Iudæi blasphemantes Christo saluatori exprobrarunt: Alios saluos fecit, seipsum non potuit saluum facere.* Expectabam, vt hoc loco diceres in consequutionem Barclaiani argumenti. Scribis enim, *Argumentum Barclaii duplici vitio laborat Nam & antecedens habet falsum, & consecutionem vitiosam.* Nihil tu tamen de consecutionis vitio. Nec scio quod in ibi vitium deprehenderis. Nam quid ea *consecutione* liquidius? Papa erat *de iure* subiectus Principibus, ita vt non posset hoc ius Principum tollere (scilicet lege Dei firmatum) seque ab eo eximere. Ergo nec poterat cæteros Clericos ab eadem subiectione subtrahere.

§. 5.

TErtio, inquis, *Barclaius dicit non esse verum quod multi dicunt à veteribus Conciliis fuisse Clericos à potestate, & iurisdictione Magistratuum ciuilium exemptos, qui etiam addit Patres, qui in Conciliis interfuerunt, vetuisse quidem ne Clerici adirent tribunalia Iudicum sæcularium: sed non vetuisse, ne vocati responderent: neq; vllo modo prohibuisse temporalibus Iudicibus, ne causas Clericorum adirent: sed nec prohibere vlla ratione potuisse. Ac primum id ostendere conatur ex Concilio III. Carthaginensi Can. 9. vbi sic legitur: Item placuit, vt quisquis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, siue Clericorum, cum in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali iudicio: in ciuili vero perdat, quod euicit, si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos Iudices vndiq; patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio iudicat, qui de vniuersa Ecclesia male sentiendo, de iudicio sæculari poscit auxilium: cum priuatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atq; ibi determinari præcipiat. Hactenus verba Concilii, in quibus nihil videre potuit Barclaius, pro Clericorum exemptione: sed tantum id ait egisse Patres, vt eorum Clericorum leuitatem, & procacitatem coerceret, qui post causam in Ecclesia tractari captam, spretis, & relictis Iudicibus Ecclesiasticis, laico se arbitrio, iudicioq; committunt.*

At nos multa videmus in huius Concilii verbis pro exemptione Clericorum. Primum enim aperte damnant Patres recursum ad iudicia sæcularium Magistratuum: quod certe non facerent, si sæculares Magistratus omni ex parte legitimi Iudices Ecclesiasticorum fuissent qua enim culpa erat appellare à iudicio Episcopi ad iudicium Præsidis prouinciæ, vel ipsius Principis, si Præses vel Princeps legitimus iudex erat, non solum Clerici, sed etiam Episcopi? Deinde Concilium rescindit sententiam iudicis sæcularis contra Clericum latam, dum iudicat, vt id

criminali iudicio clericum à sæculari iudice absolutum amittat locum suum: & in iudicio ciuili, perdat quod euicit, id est, neutri prosit sententia in fauorem eius à iudice sæculari pronunciata: quamuis autem hoc loco pœna decernatur; tamen iniusta fuisset pœna, si tamen non fuisset clerico sæculare iudicium agnoscere. Denique, quia Barclaius dicit, *Concilium reprehendere solum eos Clericos, qui post inchoatam causam in iudicio Ecclesiastico, eam transferunt ad iudicium sæcularium potestatum, quod iniuriosum videri potest Ecclesiasticis Iudicibus: audiat Mileuitanum concilium eiusdem ætatis, & in eadem Africa celebratum sic enim loquitur, Can. 19. Placuit, vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, Honore proprio priuetur; si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit. Vbi videmus non agi de iudicio inchoato, sed absolute, & sub pœna grauissima prohiberi Clericis ne confugiant ad Imperatorem pro sæculari iudicio obtinendo: concedi autem ut Episcopale iudicium ab Imperatore petatur, ad euitandum videlicet sæculare iudicium.*

Non modo in hoc Carthagin. Concilii Canone nihil *pro Clericorum exemptione*, à foro ciuili; sed & multa contra illã. Nam si ciuili Magistratui non licuisset Clericorum causas audire, cur non huius concilii Patres sub censuris vetuissent, ne illos ad suum admitterẽt forum? Atqui ne verbum quidem in Iudices, qui de clericorum causa cognoscunt. Cum præterea cõstitutionis suæ (nempe ne Clerici sponte velint Ciuilibus purgari iudiciis) rationem redderent, non dixerunt id se sancire, quod laici, neutiquam clericorum legitimi Iudices essent; sed quod *ipse se indignum fraterno consortio iudicat*, qui cum possit per Ecclesiasticos iudicari, *de vniuersa Ecclesia male sentiendo, de iudicio sæculari poscit auxilium.* Res, inquã, liquida, Concilium credidisse, clericos legitime posse per sæcularẽ iudicari Magistratũ; quandoquidem clericos damnans, qui relicto Episcopo, ad sæculare forum accedunt, non ideo Iudicem tamen damnat, qui clericos ad suum forum admittit. Sed nec Clericis, sæculari fore vtentibus, vitio vertit, quod ad Iudices non suos recurrerint; sed tantum, quod cum potuerint per Ecclesiasticos iudicari, idque noluerint; se eorundem Ecclesiasticorum consortio prodiderint esse indignos.

Nam in potestate Clerici erat cum clerico disceptantis apud Episcopum agere, aut apud iudicem sæcularem: inde huius Canonis ratio, *Cui enim ad eligendos Iudices vndique patet auctoritas, &c.* Poterant etiam Clerici apud iudicem Ecclesiasticum conueniri; sed non tenebatur actor laicus hoc Ecclesiastico foro vti: Vnde Imperator Marcianus, aliquot annis post hoc Carthaginense Concilium, in lege *cum Clericus* 25. *Codic. de Episcop. & Cleric.* decernit, vt si actor apud Episcopum nolit Clericum conuenire, eum apud Præfectum Prætorio conueniat.

Magna igitur ratio his Patribus, vt Clericos prohiberent, ne se sponte sæculari committerent foro; quam tu ex Barclaio fuse habes: nimirum, ne scandalo essent sæcularibus viris, illas lites ad sugillandum, ridendumque, trahentibus: Neue illi, qui charitatis exemplo esse debebant, in eiusmodi rixas viderentur incidere, quas nollent deſfratrium, Patrumque suorum, id est Ecclesiasticorum iudicum, sententiis sedare componi:

Quæ & ratio mandanti Apostolo ne Christiani ad Ethnicum tribunal adirent: Cuius etiam exemplo innixi hi Carthaginenses Patres: *Cuius priuatorum Christianorum causas*, inquiunt, *Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.* Atqui constat non vetuisse Apostolum ne Christiani ad Ethnicum vocati tribunal, adessent, iudicique parerent; vt ait Diuus Thomas in suo ad hunc locum *commentario* (vide supra Cap. 21. §. 2.) Neque Concilium igitur istud cum prohibet ne Clerici sponte ad sæculare adeant forum: vetat illos, si vocantur, adesse, aut parere. Sed videamus quid in contrarium.

Dicis primo, *Patres aperte damnare recursum ad iudicia sæcularium Magistratuum.* Certe damnant: sed tunc demum cum Clericus absque illo recursu potest apud Ecclesiasticos iudicari. Damnant, inquam, hunc clerici contumaciam suos fratres & consortes aspernantis; non vero aut actorem qui clericum trahat ad forum sæculare, aut Magistratum de Clerico iudicantem. Quæ autem culpa fuerit, Clerici à proprio Episcopo ad Præsidem prouinciæ decurrentis, licet legitimum Iudicem, & in Barclaio habes, & iam ante monuimus. Vt omittam, hoc culpandũ, si Clericus huic ipsi Episcoporum Concilio, ac præcepto, cõtumaci tumore repugnaret, quorum decreta vereri, vt parentum, debeat; quos ipse, vt filius, obseruare.

Deinde, inquis, *Concilium rescindit sententiam Iudicis sæcularis contra Clericum latam*: nihil minus, Sed clericos in hunc Canonem delinquentes, pro sua iurisdictione, castigat. Ecclesiasticæ enim iurisdictionis est decernere, num Clericus dignus sit eo loco, quem in Ecclesia possidet. Punit igitur Clericos iste Canon; non sæcularem rescindit sententiam. Dicit enim, vt *si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat: & hoc in criminali iudicio.* Ecce, vt nõ in dubium sententiam iudicis vocat, neque retractari causam iubet, & in Ecclesiastico foro iterum disceptari de crimine, quod est per sæcularem dilutum sententiam. Sed Clericum loco mouet, qui contempto hoc Canone apud sæculares, quam Ecclesiasticos iudices purgari maluerit. *In ciuili vero perdat, quod euicerit, si locum suum obtinere voluerit.* Num hoc est sententiam iudicis sæcularis rescindere? imo vel priuatus omnis potest, donationibus aut legatis eiusmodi conditiones inserere; ne legatarius, neue hæres, apud iudicem, de hac aut illa causa agat. Si fecerit, hæreditate, donatione, aut legato excidat. Num ideo vir priuatus dici potest sententiam iudicis rescindere? Si priuatis, quanto magis Ecclesiæ liceat, in suas leges committentem vlcisci, & ab Ecclesiasticis commodis remouere.

Dicebat

Dicebat Barclaius, *illum Concilii Patres decretum hoc suum ad eum casum restrinxisse, quo crimen clerico in Ecclesia fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota*; Sine, vt interpretaris ipse, *cum clerici post inchoatam causam in iudicio Ecclesiastico, eam transferunt ad iudicum secularium potestatem, quod iniuriosum videri potest Ecclesiasticis iudicibus.* Obiicis Mileuitanum Concilium, quo vetatur nō modo ne inchoata in Ecclesia causa deferatur ad forum sæculare, sed ne omnino Clerici *confugiāt ad Imperatorem pro sæculari iudicio obtinendo.* Respondeo, diuersa à diuersis Conciliis posse institui: illud vero certissimum, nihil amplius ab hoc Carthaginēsi esse sancitum, quam quod Barclaius retulit: qui non per interpretationem, aut paraphrasim, sed ipsismet Concilii verbis vsus est. Verba sunt: *cum in Ecclesia crimen fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota.* Vnde nūc dicere aliquid amplius eo Canone esse sancitum. Quod est ad Mileuitanum Concilium, ibi quidem prohibetur, ne Clerici sæculare iudicium vltro efflagitent; non autem, ne sæculares iudices de eorum causa cognoscant: Vetat, inquam, ne Clericus seculares iudices petat à Principe; non vero ne Princeps rogatus à Clerico illi iudices seculares assignet: aut ne clericus ad tribunal seculare vocatus à Laico, se sistat, pareatque sententiæ. Vt idem sensus sit, qui Carthaginensis Concilii, nisi quod Clericis prohibet, non modo ne inchoatum in Ecclesia iudicium ad ciuile forum trahant: sed simpliciter, ne quærant publicis iudiciis experiri. At hæc omnia nihil ad immunitatem Clericorum; qui tantum prohibentur eiusmodi efflagitare iudicium. Neque ad restrictionem potestatis secularis, cui hic neutiquam interdicitur, de Clericis iudicare.

§. 6.

T*Rāsit deinde Barclaius*, inquis, *ad Concilium Chalcedonense, in quo sic statuitur, Can. 9. Si quis Clericus aduersus clericum habeat negotium, non derelinquat propriū Episcopum, & ad secularia percurrat iudicia: sed prius actio ventiletur apud proprium Episcopum, vel certe consilio eiusdem Episcopi apud quos vtraque partes voluerint, iudicium obtinebunt: si quis præter hæc fecerit, Canonicis correptionibus subiacebit. Ex hoc Canone dicit Barclaius nihil colligi, nisi vt prima instantia apud Episcopum causa ventiletur: deinde, si opus fuerit, ad sæcularis iudicis examen deferatur. Sed ista glossa destruit textum: nusquam enim in toto Canone, vel aperte, vel obscure mentio fit iudicis sæcularis; & expresse in hoc Canone dicitur, vt Clerici ad sæcularia iudicia non recurrant. Præterea in eodem loco Concilium addit, Quod si Clericus causam habeat aduersus Episcopum proprium, vel aduersus alterum, apud Synodū prouinciæ iudicetur. Quod si aduersus eiusdē prouinciæ Metropolitanum Episcopum, vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem diœceseos, aut sedem vrbis Regiæ Constantinopolitanæ, & apud ipsam iudicetur. Vbi cum optima esset occasio nominandi Præsidem prouinciæ, aut ipsum Imperatorem: nulla tamen eorum mentio facta est. Quid igitur (quærit Barclaius) sibi vult illud, sed prius actio ventiletur ad Episcopum? prius enim refertur ad posterius: & cum non sit in Concilio explicatum, quod posterius faciendum sit, ratio postulat, vt intelligamus, posterius recurrendum esse ad iudicium sæculare, vt constituit postea Iustinianus, Nouella constitutione 83.*

Respondeo Prius causa Clerici ventilanda est apud Episcopum proprium: quod si ibi terminata non fuerit, recurrendum est ad superiores mediatos, Metropolitanū videlicet, Patriarcham, & Papam: sed id non expressit Concilium, quia notum erat, tum vsu aliorum tribunalium, vbi semper à minore iudice appellatur ad maiorem: tum ex Concilio Sardicensi generali can. 4. & 7. vbi vltima prouocatio Ecclesiasticorum, declaratur esse ad Episcopum Romanum, ad quos Canones respiciens Gelasius Papa primus in Epistola ad Faustū scribit: ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. & in Epistola ad Episcopos Dardaniæ: Ad illam, inquit, de qualibet Mundi parte canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo est appellare permissus. Neque oportet Canones Ecclesiæ per Nouellas Iustiniani exponere, cum possumus per alios canones, aut per vsum Ecclesiæ illos explicare.

Quid tu? an refers bona fide quæ Barclaius ex hoc Canone colligi dicat? Audi ipsius verba. *Esto vt Concilium hoc sermonem dirigit ad Clericos, ne propriis Episcopis relictis, iudices adeant sæculares? non a. ad Magistratus & iudices temporales, ne venientes ad se Clericos audiant, & causa cognita pronunciēt, ac iudicatum facere iuris ordine cōpellant: Nihil ergo potestati laicorum hoc canone detrahitur.* Hæc sunt q̄ Barclaius colligit, & cui tu nullius respōsi argutia potuisti obstare. Nullis n. huius cōcilii verbis dicitur, laicos nō esse legitimos clericorū iudices, aut peccare si causas eorum ad ciuile tribunal admittant, nullibi inquam, suæ culpæ admonentur laici, qui tunc in Romano vbiq; Imperio (vt ex Imperatorum *legib.* patet, & Iustiniani *Codice*) de clericorum causis non dubitabant cognoscere: Sed prohibentur ipsi clerici, ne ad eiusmodi recurrant iudicia; Vt idem sensus sit, qui Carthaginensis concilii, quē fuse superiore paragrapho dedimus, & qui nullo præiudicio in laicam potestatem.

Sed nec vllum validius argumentum ipso textu Concilii. *Si quis Clericus aduersus Clericum habeat negotium non derelinquat proprium Episcopum, & ad secularia percurrat iudicia, sed prius actio ventiletur apud proprium Episcopū, &c.* quo illa particula, *prius*: nisi vt Clericis liceat post ventilatā apud Episcopū quæstionem, ad secularem iudicem clericum deuocare? imo, inquis, *Prius ventilanda est apud Episcopum, post apud Metropolitanum, &c.* Vnde id tu? aut cur illud non exprimunt Patres? notum, inquis, id erat, ex Concilio Sardicensi *Can. 4. & 7.* vbi ostenditur prouocationem vltimam esse ad Rom. Pontificem. quid? an in Sardicensi Concilio dicitur seculari Iudici non licere iudicare in clerici causa, si is ad eū aut trahatur, aut prouocet? imo tantū decernitur, licere Episcopo damnato à fratribus appellare Roman. Pontificem, quod vtiq; nō negamus.

At non additur, non licere laico Clericum ad ciuile tribunal trahere; aut ciuilem Magistratum in Clerici causa legitimum Iudicem nentiquam esse. Gelasii quoq; *Epistola* eo sensu scripta est, vt in Ecclesiasticis causis, Papa sit vltimus iudex, &, ne post Papæ sententiam sit vlterius aliquod Ecclesiasticum iudicium, ad quod lites deuocentur.

Verba igitur Chalcedonensis Concilii, *prius actio ventiletur, &c.* cum Iustiniani Nouella consentiunt (vt recte Barclaius) *vt Clerici apud proprios Episcopos primum conueniantur, & post hoc apud ciuiles Iudices*: quam constitutionem Imperator, vt ibidem dicitur, Mennæ Constantinopolitani Patriarchæ precibus motus sanxit. Prohibetur Chalcedonensi Concilio ne Clerici prius Clericos apud Laicum Iudicem quam Episcopum conueniant: Iustiniani vero lege, ne etiam Laicus Clericum prius apud laicum, quam apud Episcopum. Neq; Patres ita dixerunt. *Si quis Clericus aduersus laicum*, aut, *si quis laicus aduersus Clericum*, sed *si quis Clericus aduersus Clericũ*.

Quod si absq; præiudicio perpendatur hæc dictio, *prius*; aut consentiet sensui nostro, aut ridicule additam esse, non neges. Neq; enim ita dicitur, Clericus non derelinquat proprium Episcopum, & ad Metropolitani percurrat iudicium. sed prius actio ventiletur apud Episcopum (vt tu scilicet interpretatis Bellarmine) At diserte prohibetur, ne *Clericus derelinquat proprium Episcopum, & ad ciuilia percurrat iudicia: sed prius actio ventiletur apud proprium Episcopum*. At hoc improprie, nisi post illud iudicium, quod *prius* subeundum, subiri & hoc aliud posset. Nisi forte non loquetur ridicule, qui dixerit *Romani non penetrarunt vltra Gangem, sed prius superarunt Hispaniam*. Ridicule inquam, quia Romani post superatam Hispaniam non peruenerunt ad Gangem.

At inquis, iubet idem Concilium, vt si Clericus cum Episcopo litiget, de ea controuersia Metropolitanus iudicet, si lis Clerico cum Metropolitano sit, Patriarcha Constantinopolitanus. *Vbi*, inquis, *cum optima esset occasio nominandi Præsidem prouinciæ, aut ipsum Imperatorem; nulla tamen eorum mentio facta est.* Imo occasio nulla fuit. Primum, non decernit hic Concilium de Iudicum secularium potestate in Clericos; Sed de officio Clericorum, quos vult Ecclesiasticis contentos Iudicibus, neq; vltro secularibus iudiciis experiri. Præterea non hic à Concilio statuitur, ad quos prouocandum sit, sed apud quos prius actio ventilanda. Qualem esse vult Episcopum in Clerici negotio, Metropolitanũ in Episcopi, Patriarcham in Metropolitani causa.

Nihil hic igitur aliud Chalcedonense Concilium, quam tertium Carthaginense, constituit. Nimirum, ne Clerici ad secularia iudicia traherentur; aut si sponte recurrerent; non autem, ne ad secularia iudicia traherentur; aut si sponte accederent, ne Iudex Laicus de causis eorum legitimus disceptator existeret.

§. 7.

ADducit postea, inquis, *contra te Barclaius Concilium Agathense vbi Cano 32. statuitur, ne Clericus quemquam præsumat apud secularem Iudicem Episcopo non permittente pulsare: & queritur corruptum esse hunc Canonem à Gratiano, qui in sua collectione, 11. q. 1. Can. Clericum, ita posuit, Clericum nullus præsumat apud secularem Iudicem Episcopo non permittente pulsare: miratur etiam cur Bellarminus malueris in huius canonis citatione sequi potius Gratiani corruptionem, quam Concilii veritatem.*

Respondeo. Non est vllo modo credibile, Gratianum, virum probum & Christianæ perfectionis studiosum voluisse textum Concilii deprauare: sed potius credendum est, habuisse Gratianum aliam lectionem illius Canonis, quam nos habeamus. Sed vt vt res se habeat, vtraq; lectio exemptionem Clericorum aperte demonstrat. Nam in ipso Concilio etiamsi verba illa prima, Clericus nec quemquam præsumat apud sæcularem Iudicem pulsare, non multum pro exemptione facere videantur: tamen sequentia verba: Sed si pulsatus fuerit, non respondeat: multum omnino faciunt pro exemptione: mandatur enim Clerico, vt in iudicium coram sæculari Iudice vocatus, non compareat. quo nihil apertius dici potuit: & in eundem sensum recidit, quod est apud Gratianum, Clericum nullus præsumat apud sæcularem Iudicem pulsare. Nam si non licet Clerico respondere in iudicio sæculari: neq; licebit Clerico, vel Laico, Clericum ad iudicium sæculare vocare.

Quod autem notat Barclaius in secunda parte canonis, puniri Laicum grauissima pœna, qui per calumniam Clericum, vel Ecclesiam, fatigare tentauerit: non significat licitum fuisse Laicis trahere Clericum, vel causam Ecclesiæ, ad forum sæculare, modo id sine calumnia fieret: sed significat crimen longe grauius esse, & pœna grauissima puniendum, si addatur calumnia, quam si absq; calumnia id fiat. Sed neq; certum est, Concilium loqui de foro sæculari: potest enim fieri, vt Laicus Clericum accuset quidem ad suum forum: id est, Ecclesiasticum, & tamen eum per calumniam iniuste fatiget.

Si Gratianus, Bellarmine, habuit *aliam lectionem illius Canonis, quam nos habeamus*; omnino corrupta illa lectio; & si inde forte excusandus Gratianus, at certe non vitium lectionis. Certa res, ex constanti Codicum *Agathensis Concilii* sententia; siue eorum qui excusi, siue qui manuscripti. Mendum hic porro in Gratiano ingens, & quod illius Concilii euertat sententiam, cum pro *Clericus nullum, &c.* reposuerit, *Clericum nullus*. Iure ergo Barclaio mirum fuerit, te sequi illius lectionem, quam Conciliorum omnium, quæ habemus, editiones & Codices damnant. Nec error Gratiani vnus fuit; qui in Marcellini Papæ Epistola iterum pro *Clericus nullum*, scripsit *Clericum nullus*. Sed nec dicas hunc errorem Gratiani vacare periculo: imo corrumpit in hoc Agathensis Cõcilii Canonis prioris partis sensum, & viam obstruit ad posteriorem tendentib. partem. Nam his veris Concilii verbis, *Clericus nullum &c.* sensus est, actorem Clericum, etiam cum Laico litigantem, non posse ad sæculare Iudicem vocare hunc Laicum

iniussu

iniussu Episcopi. Quod etiam in Concilio Triburiensi c. 21. statutum est. Illinc constat, hunc Canonem, non de iis rebus scriptum, quæ aut de fide, aut de diuino iure sunt; sed de locali tantum consuetudine, Politicorum Magistratuum iussu, aut nutu, sancita, vel admissa, deque externa gubernatione Ecclesiæ, quæ pro temporum & prouinciarum consuetudine diuersa est. Nam & ista pars Canonis XXXII. Agathensis Concilii & XXI. Triburiensis Concilii, sunt ipsa Populorum ac gentium consuetudine abrogata; cum hodie de communi obtineat iure, vt Clericus in Laicum agens ad Laicum Iudicem adeat. Cap. *Si Clericus. 5. De foro competenti.*

Si hæc igitur Agathensis Concilii verba, *Clericus nec quemquam præsumat apud sæcularem Iudicem Episcopo non permittente pulsare*, nec de iure communi Orbis sint, nec aliter quam ex paucorum aliquot locorum ciuili consuetudine obseruata, quis sequentem in eodem Canone sententiam, quæ eodem tenore procedit, *Sed si pulsatus fuerit, non respondeat &c.* existimet, aut firmius à Concilio esse sancitam, aut obseruandam fidelius? Nam quod vtrumq; ex illius Prouinciæ more statuerint, in qua agebant, vel inde satis patet, quod in Romano tunc Orbe aliter habebatur, vbi Clerici ad tribunal ciuile vocati, adesse consueuerant, non vetantibus, non reluctantibus Conciliis. Nam nec Agathense Concilium in finibus Romani coactum Imperii; sed sub Alarico Rege Gothorum, tunc Aquitaniam iure hæreditario obtinente. Vnde Concilii initio, non de Imperatore sermo, sed Rege, *cum in Dei nomine, ex permissu Regis, in Agathensem ciuitatem sancta Synodus conuenisset, &c. Ibiq; flexis genibus in terra pro regno eius, pro longæuitate populi Dominum deprecaremur, &c.*

Est igitur totus hic Canon non ex necessaria religione aut vbiq; obseruanda; sed ex consuetudine moribusq; tunc in exigua illa obseruatis prouincia. vt patet vel ex eo, quod nec prima pars Canonis obtineat, sed è contrario hodie passim Clericus Actor sequatur forum Rei: nec secunda, quæ est ne Clericus ad sæcularem tractus Iudicem respondeat, sit per plurimos ab illo Concilio annos sub Rom. Imperio vsurpata. Cum tunc tamen & omnino Christiani Imperatores, & sancti liberiq; Antistites. Quod autem in vltimis Canonis verbis Barclaius notat, non satis diluisti; nimirum tunc demum puniri Laicum, ex constitutione Agathensis Concilii, si *per calumniam* Clericum fatigare tentauerit: nihil, inquam, liquidius, quam interpretationem Barclaii ex Canonis sensu esse.

§. 8.

ADdit deinde Barclaius, inquis, *canonem octauum Concilii primi Matisconensis, vbi sic legitur: Vt nullus Clericus ad Iudicem sæcularem quemcunq; alium fratrem de Clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere, quocunq; loco præsumat: sed omne negotium Clericorum aut in Episcopi sui, aut Presbyteri, aut Archidiaconi præsentia finiatur. Addit deniq; canonem tertium decimum Concilii tertii Toletani, in hæc verba: Diuturna indisciplinatio, & licentiæ inolita præsumptio vsq; adeo illicitis ausibus aditum patefecit, vt Clerici conclericos suos, relicto Pontifice suo, ad iudicia publica pertrahant: proinde statuimus hoc de cætero non præsumi: si quis hoc præsumpserit facere, & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.*

Hæc testimonia Conciliorum allata subiungit Barclaius.

Hæc illa sunt solemnia, & fere sola sacrorum Canonum decreta, in quibus errorem suum fundant, qui falso putant Concilia potuisse eximere, & de facto exemisse Clericos, de potestate Laicorum, quos tamen ipsimet Canones adeo perspicue redarguunt, vt nihil necesse sit alia ad eam opinionem conuellendam aliunde accersere.

Respondeo. Primum non sunt hæc sola concilia, quæ exemptionem Clericorum declarant: sed multa alia, ex quibus hæc breuiter commemoranda censui. In Concilio Lateranensi sub Innocent. III. cap. 43. sic legitur; nimis de iure diuino quidam laici vsurpare conantur, cum viros Ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstanda sibi fidelitatis iuramenta compellunt. In Concilio Constantiensi, Sess. 31. habentur hæc verba: Laici nullam in Clericos iurisdictionem, aut potestatem habent. In Concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. 9. Cum à iure tam diuino, quam humano, Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit innouamus omnes & singulas constitutiones &c. In Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 20. de reformatione Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus instituta est.

Ad hæc, & similia, quæ nimis aperte loquuntur, nihil Barclaius respondit, sed ea quasi numquam legisset, omisit. Deinde nos non dicimus à Conciliis proprie clericos fuisse exemptos, sed eorum exemptionem declaratam, & pœnis additis confirmatam.

Deniq; mirum est, cur Barclaius dicere audeat, ex canonibus allegatis redargui & conuelli opinionem exemptionis, cum ea multis modis confirmetur, & roboretur. Nam si Laici Magistratus legitimi iudices Clericorum essent, quo iure Matisconense Concilium supra citatum, omnia negotia Clericorum in Episcopi, aut Presbyteri, aut Archidiaconi præsentia finienda esse decerneret? Et cur Concilium Toletanum etiam citatum, tanta verborum asperitate vocaret præsumptionem, & illicitos ausus, recursum ad sæculare iudicium? Et quo modo deniq; idem Concilium auderet sententiam Iudicis sæcularis irritare, & recurrentem Clericum ad forum sæcularis Iudicis excommunicare? id enim significant illa verba causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.

Neq; hæc omnia ignorauit, neq; ignorationem finxit Barclaius: sed hæc tantum Concilia, quæ iactari vulgo solent, tanquam fontes exemptionis Clericorum, contentus afferre, de recentioribus siluit, quibus facillima patebat responsio. In Lateranensi Concilio hi damnantur, qui *viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis ad præstanda sibi fidelitatis iuramenta compellunt.* Quid hoc ad rem? aut quid in Reges? à quibus Clerici in eorum ditione degentes

præter

præter agros decessorum Regum liberalitate concessos, illud temporale etiam habent, quod & sub illis viuant, & tranquillitati eorum, tanquam cæterorum ciuium, Regiæ curæ incumbant.

In Constantiensi vero, nihil de Clericorum immunitate sancitum: sed in illa, quam laudas, *Sessione*, agitur de Philippo Comite Virtutum, qui Astensem Episcopum in custodiam truserat: Constantienses Patres in hanc erecti iniuriam ita scribunt. *Attendentes quod subditi in eorum Prælatos, & Laici in Clericos nullam habent iurisdictionem, & potestatem.*

Per quam bene, in illo negotio; cum iste Philippus Comes non esset Astensis Episcopi summus Princeps. Et ex Principum legibus, ac consuetudine Orbis, iam inualuisset, ne quis Optimatum, aut Magistratuum, de Clericorum causis sua auctoritate cognosceret. Non eximit igitur Constantiense Concilium Clericos; nec quid noui statuit; sed præsupponit exemptos, & de ea tantum exemptione loquitur, quam iam erant assequuti. Quærendum itaque, qualis hæc exemptio, & à quibus. Atqui non à Conciliis sancitam, hic multis probauimus; sed ab Imperatoribus, Regibusq;. Ergo & intelligendum Constantiense Concilium, de Clericorum exemptione à potestate laicorum, quam introduxere seculares Principes, & quatenus: qui Clericos ab inferiorum magistratuum potestate liberos, non à iugo regiæ maiestatis, esse iusserunt. Quod ad Lateranense sub Leone X. Concilium, itemq; Tridentinum, palam est illa verba, *à iure tam diuino quam humano*; & illa, *Dei ordinatione*, non accipienda esse, quasi de diuino iure sit, ne Clerici sint Politicis Magistratibus obnoxii: cum maxima Theologorum pars, cum non pauci Canonistæ fateantur hanc immunitatem de humano iure esse. Inter cæteros; ita scribunt illi ipsi quos refers, Dominicus à Soto, Didacus Couarruuias.

Hoc igitur ista Concilia voluere, Dei nutu, qui & Leges, & Principes regit, esse factum, vt Ecclesiastici homines, conspirante Legum & Canonum sensu, à secularis fori consuetudine eximerentur: vt iam illa priuilegia temere violare, in ius diuinum futurum sit, quo vetatur ne iniuste liceat ius alicui legitime quæsitum auferri. Aliter si intelligas, ingens illa Theologorum turba prorsus peccet, quæ hanc exemptionem negat de diuino iure esse. Vnde Dominicus Soto (in 4. *sent. dist. 25. q. 2. art. 2.*) eiusmodi verba restringit, vt in quibusdam significent, *maxime iuri diuino consonum*; & in quibusdam, id à Pontifice fieri potuisse, & debuisse, *per potestatem quam diuinitus accepit*. Ecce, vt ne quidem sententiæ vestræ homines, hæc verba, *de iure diuino exemptos Clericos*, ad literam, vt aiunt, & præcise interpretari audent.

At nec Matisconense, nec Toletanum Concilium, illis locis, quæ Barclaius in se produxit, quidquid dicas, vllo tibi adiumento; cum in neutro vetetur, ne Laicus Iudex in Clerici causa iudicet; Sed tantum, ne Clericus Conclericos ad tribunal sæculare relicto Episcopo denocent. Neq; verum est illis verbis, *Causam perdat, & à communione efficiatur extraneus*, rescindi sæcularis Iudicis sententiam, per solam authoritatem Concilii: Sensus quippe Matisconensis, & Toletani Concilii, idem qui Carthaginensis; de quo actum hoc Cap. §. 5. nisi, quod Toletanum seuerius vult in Clerici pœnam, idque Rege annuente, vt quod in sæculari foro euicerit, perdat: Rege, inquam, Reccaredo annuente, aut potius ratum esse iubente: Cuius verba sunt de confirmatione ipsius Concilii: *Præcedente autem diligenti & cauta deliberatione, siue quæ ad fidem conueniunt, seu quæ ad morum correctionem respiciunt, sensu maturitate, & intelligentia grauitate, constant esse digesta. Nostra proinde authoritas hoc omnibus hominibus ad Regnum nostrum pertinentibus iubet, vt si quæ definita sunt in hoc Concilio, acto in Vrbe Toletana anno Regni nostri feliciter quarto, nulli contemnere liceat, nullus præterire præsumat.* Nimirum vbi Ecclesia, Ciuilisq; potestas consentiunt, adeo alterna authoritate niti solent, vt quidem, quoad verba, videatur Ecclesia in ciuilem iurisdictionem excurrere; & Politica sancire eiusmodi leges, quæ sunt Ecclesiasticæ notionis. Neutra quidem propriis viribus; sed certa de voluntate & cohabitatione sociæ potestatis. Vnde & Reccaredus Rex in hac Toletani confirmatione Concilii sancit, vt si quis Concilii obseruator esse noluerit, *superba fronte maiorum statutis repugnans, si Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Clericus fuerit, ab omni Concilio excommunicationi subiaceat.* Quid? an in Regis manu excommunicatio erat, an ille Rex vsurpabat Ecclesiæ iura in hoc præsertim edicto, cui subscripserunt Toletani Concilii Patres? nihil minus. Id egit de voluntate Patrum certus; nec tamen ipse constituens, quam promulgans, quid edici vellet Ecclesia. Ita in Canone, *De illicita*, qui ex Parisiensi Concilio desumptus. 24. q. 3. hæc habentur: *De illicita excommunicatione ex Iustiniani Imperatoris Catholici, quam probat & seruat Catholica Ecclesia, constitutione c. XXIII. cap. CCCL.I. decreuit, vt nemo Episcopus, nemo Presbyter, excommunicet aliquem antequam causa probetur. &c.* quin etiam illam legem de re Ecclesiastica à se latam Imperator Ecclesiasticis pœnis sancit: *is autem qui non legitime excommunicauerit, in tantum abstineat à sacra communione tempus, quantum maiori Sacerdoti visum fuerit, &c.* E contrario ipsi Patres sæpe in Conciliis de administratione politica multa iusserunt; certi aut Principes ita iussuros, aut iam consuetudine & legibus ita esse sancitum. Hoc vel clarum ex isto Concilio Toletano, vbi, *annuente & consentiente Rege*, quædam statuuntur Politica; & ex primo Matisconensi Concilio, cuius Canon 14. ita habet. *Vt Iudæis à cœna Domini vsq; ad primam diem post Pascha, secundum edictum bonæ recordationis domini Childeberti Regis, per plateas, aut forum, quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegetur.*

Sed nec vllibi liquidius argumentum, Clericos non iure diuino, sed humanis legibus esse exem-

exemptos, quam eiusdem Matisconensis primi Concilii Canon septimus; in quo fatentur Patres, sæcularem Magistratum posse in *causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio*, de Clericis iudicare.

Addam Barclaii argumentum, quod supra *Capite 15.* proposuit, & quod illinc in hoc caput à te reiectum, nusquam tangis; plus immemoriæ Lectoris, quam subtilitati tuæ confisus. Sic igitur ille. *Quæ cum ita sint, satis patet Reges & Principes sæculares summa potestate temporali præditos, iisque Clericos in rebus Politicis esse subiectos. Alioquin profecto nec Reges potuissent hæc priuilegia concedere: nec viri sancti & sapientes, ita male sibi & toti Ecclesiæ consuluissent, vt liberos se suo iure, solutosque à vinculo temporalis potestatis, talibus beneficiis ac priuilegiis obligari paterentur. Quippe esse se in ditione eorum fatebantur, à quibus poterant eiusmodi libertate donari. Solui enim, vel eximi non potest, quod non fuit colligatum, vel conclusum. Præterea tanta pietatis Principes toto orbe tunc erant, vt si iure diuino Clericos ab omni iurisdictione seculari exemptos esse, vel per se resciuissent, vel ab Episcopis & Principibus Sacerdotum audiuissent, id statim in edicta & leges relaturi fuerint, nec sibi ius vllum in ipsorum corpora, bonaue, vindicaturi. Si enim quæ sua propria credebant, solo pietatis zelo tam profuse largiebantur; quanto magis ab alienis & nullo iure debitis abstinuissent?*

CAPVT XXXV.

Barclaium recte loqui, & sentire; cum dicit Clericos, licet multis priuilegiis donatos, tamen manere subditos Principum, sub quibus nascuntur, & viuunt. Pontificem non magis potuisse eximere Clericos à potestate Principum fidelium, quam infidelium. Nec Constantinum Magnum, nec Imperatorum alium, exemisse à potestate sua Clericos. Constantini constitutio inscite, & ridicule, à Bellarmino explicata. Quid significent hæc verba; Deuocari ad Curias. Aduersariorum nugæ; quibus contendunt, Regem, esse Regem Clericorum; & tamen Clericos non esse subditos Regis. Longe esse diuersa, num possit Rex partem regni à tributis eximere; & num possit eandem partem à regia subiectione liberare, ita tamen vt maneat regni pars. Carolum V. Imperatorem, vocasse ad tribunal Politicum, Archiepiscopum Coloniensem, qui ibi de obiectis criminibus responderet. Excussæ rationes Francisci Victoriæ; quibus probare vult, potuisse Pontificem sua auctoritate eximere Clericos à subiectione ciuilium potestatum.

Titulus est apud Bellarminum.

Refutatur grande verbum Barclaii, quo exemptio Clericorum funditus tollitur.

§. 1.

IN capite tricesimo tertio, inquis, *Barclaius omni timore, vel pudore deposito, ita pronunciat. Amplius dicam, & veritatem dicam, licet odium fortassis mihi parituram ab iis, quibus omnia sunt inuidiosa, quæ suo studio & desiderio vel minimum aduersantur. Dicam ergo, & grande verbum proloquar, cuius forte aut nondum meminit quisquam, aut si meminit, saltem eos quorum intererat id scire, non vt debuit commonefecit, Clericos scilicet per totum Orbem, quocunque ordine, vel gradu sint, non esse adhuc vllo modo exemptos, & liberatos à potestate temporali Principum sæcularium, in quorum Regnis & regionibus vitam degunt: sed perinde ac cæteri ciues iis subiectos esse, in omnibus, quæ ad Politicam & temporalem administrationem, & iurisdictionem pertinent, itaque eos ius vitæ ac necis, sicut in cæteros subditos, ad eiusmodi Principes pertinere.*

Hoc grande verbum Barclaii, nihil est aliud, nisi grandis temeritas, & intolerabilis error hominis vnius, qui vt Regibus adulетur, non veretur opponere se veritati, & scriptorib. omnibus Theologis, & Canonistis, quorum duos paulo ante citauimus, Sotum videlicet, & Couarruiam; quibus addere potuissemus scriptores alios innumerabiles, & quod maius est, Concilia quatuor generalia paulo ante citata, Lateranensia videlicet duo, Constantiense, & Tridentinum, in quibus generatim affirmatur, non habere Laicos vllam in Clericos potestatem: neque excipiuntur Imperatores, vel Reges. Neque est quod laboremus in demonstranda huius doctrinæ nouitate. Nam ipse fatetur se verbum grande prolocuturum, cuius forte nondum meminit quisquam.

Statim à titulo incipis esse iniurius: Ita hoc Caput apud te conceptum est: *Refutatur grande verbum Barclaii, quo exemptio Clericorum funditus tollitur*: funditus tollitur, Bellarmine? qua assertione? quibus verbis? cum nihil aliud Barclaius probet, quam Clericos, licet priuilegiis multis auctos, non tamen de ea subiectione manumissos, qua tenentur Principibus naturali iure ciues. An id vero est Clericorum priuilegia conuellere? imo nec delibare.

Sub Capitis superioris finem, disertissimis dixerat verbis, *Atque hæc ego quidem, non eo animo & consilio, vt priuilegia Clericorum exagitem, aut quod ea illis inuideam, aut detrahi cupiam.* Capite decimo quinto eorũ priuilegia, & priuilegiorum seriem, doctissima narratione percenset. Et tu tamen audeas Barclaio imponere, falsa, aperta, pudenda contumelia, & indigna quam in Christianũ inue-

inuenerit Christianus? Neq; te Barclaius tantum quæri; sed & illi quoq; possunt, qui se deceptos dolent, eo quod fidei tuæ fiderint. P. Petrus Cortonius, in Iesuitarum familia, amicitia Regum clarus; fama & ingenio celebris, satis duxerat in sententiam tuam ire pedibus, nec explorare scripta Barclaii, sed tibi subscribere damnanti Barclaium; Deceptus igitur titulo, quem Capiti isti facis, *Refutatur grande verbum Barclaii, quo exemptio Clericorum funditus tollitur*, in Barclaii famam iratus erupit; eo libro qui sub *Montolonis Aduocati* nomine circumfertur, titulo, *Actionis pro Iesuitis*, pag. 408. Dixit, Barclaii sententiam cum *Sectariis* conuenire; *Non in eo*, inquit, *quod dicit, Ecclesiasticos subditos Regum esse: hoc enim verissimum est, vt sæpe antea dictum est, sed in eo quod negat, & subuertit, exemptiones omnes illorum.* At vbi circumspiciendi spatium illi, & ad notitiam non iam tuus, sed Barclaii liber; non tulit ingenui hominis pudor onerari sua culpa, & corrumpi, Barclaii sensum. Parentauit itaq; eius famæ; libroq; iterum edito, & hac parte omnino mutato, professus est, immunitatibus Clericorum, ipsum non hostem, sed Patronum esse Barclaium: Se vero cum Barclaio profiteri, Clericos *Subditos Regum esse*. En quo illum adegit in te veritas; en quo pro Barclaio.

Les Ecclesiastiques viuent soubz leurs Loix & recognoissent leur authorité au sceu du pape: mesme est la coustume en ce Royaume treschrestien que les Cardinaux & les Euesques prestent le serment de fidelité au Roy auparauant qu'ils puisse iouir des fruicts de leurs dignitez.

Non vult ergo Barclaius, ex eo quod Regibus Clerici subsint, exemptiones aboleri iam olim illis datas; vt iam vere non agatur an subsint; sed cui subsint; neq; de illorum immunitatibus; sed de temporali, & humana potestate Pontificia: cuius summo imperio tua sententia innumeros hominum greges addit. Et quidem, vt omittam Ecclesiæ primæ Patres, qui se Imperatorum subditos vno ore professi sunt, cur hodie in bene constitutis Imperiis, Clerici, religiosi, Monachi, se Regum Principumue *subditos* palam scribunt; si illud est *funditus tollere exemptionem Clericorum*? Cur inaugurandi Episcopi fidelitatis iuramentum concipiunt, quo se Regis subditos profitentur? Vnde recte Almainus, De supr. Pot. Eccles. & Laic. quæst. 2. cap. 3. *In Gallia*, inquit, *Episcopi præstant iuramentum Regi quantum ad temporalia, & Papæ quantum ad spiritualia.* Cur etiam ausus Dominicanus Coeffeteau, nuper (in sua *Responsione ad Epist. monitor. Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ* fol. 15.) sic dicere, *Clerici sub legibus Regum viuunt, & eorum authoritatem recognoscunt, non ignorante Pontifice. Mos etiam in hoc Christianissimo obtinet regno, ne aut Cardinales, aut Episcopi prius dignitatum suarum emolumenta percipiant, quam se Regi fidelitatis sacramento deuinxerint.* Sed & qui *apologiam tuam in Potentissimum Britanniarum Regem*, Gallicis verbis vertit, licet omnino tuus, tuarumq; partium, hanc insolentiam egregie dissimulauit. Cum enim sub nomine Torti scripsisses, *Affirmat quidem Bellarminus, cum communi sententia Catholicorum, Ecclesiasticos exemptos esse à potestate Principum terrenorum*; ita vertit, *Le Cardinal Bellarmin dit bien, suiuant la commune opinion des Catholiques, que le temporel n'a rien a voir sur le spirituel* Id est, *Affirmat quidem Cardinalis Bellarminus, cum communi sententia Catholicorum, temporalia nihil posse in spiritualia.* Quasi vero hæc sit quæstio; aut de rebus agamus, non personis! Sed ille quisquis est Mediastinus indignationem in te veritus, in se pœnam, tuam sententiam hac ambiguitate temperauit. Quanto melius vir Catholicus, & ipsum spiritum præ religione Romana non æstimans, Rogerus VVidringtonus: *Veruntamen*, inquit, *modus ille insuetatus loquendi, quo in hac materia vtitur Cardinal. Bellarminus, non satis sibi ipsi constans, non videtur, pace eius dixerim, esse approbãdus, qui ait, Principi non esse subditos Ecclesiasticos existentes in eius dominiis, neq; correlatiua esse, Principem, & Ecclesiasticos in dominio illius commorantes, quia exempti sunt; Vana enim, inquit, foret exemptio si Ecclesiastici propter natiuitatem, aut flagitium perpetratum essent subditi. Non enim existimo vllum reperiri Principem Christianum, qui non reputaret maiestatem suam ab illo grauiter læsam esse, qui affirmaret, se sæcularium tantum, & non Ecclesiasticorum in suo dominio commorantium Principem esse, aut personas Ecclesiasticas non esse sibi subiectas. Nam quamuis Ecclesiastici à tributis & iudiciis forensibus Magistratuum sæcularium, iure Ecclesiastico, & Principum priuilegiis, liberi sunt: non tamen exemptio Ecclesiasticos ab omnimoda subiectione Principibus debitâ immunes reddit.*

Noua hæc vestra sententia, regnorum omnium labes, & quam ex Principibus nemo admiserit, nisi fungus, aut altiori dissimulatione solers. Audi Gersonum, ignarum scilicet Ecclesiastici iuris (de excomm. valore op. 1.) *Rex idem debet habere subditos suos, præsertim Ecclesiasticos, fauorabiles in dicta prosecutione: & obedientes iuxta monitionem Apostolicam debent obedire Regi, tanquam præcellenti.* Paulo post, *Rex idem debet protegere subditos suos, si præmissorum occasione, & propter obedientiam sibi factam pati habeant, & assumere causam in se. & sub hac protectione subditi, tam sæculares, quam Ecclesiastici debent & possunt in quieto viuere, non plus sapientes quam oportet.* Deinde *Rex idem potest rationabiliter conqueri de subditis suis, præsertim Ecclesiasticis, si in prædicta reductione libertatum inueniantur tepidi, & tergiuersatores, & claudicantes: & potest ab eis per se aut suos exigere rationes, quibus mouentur sentire contra deliberationes, nedum Concilii sui, sed suorum Prælatorum, ac Vniuersitatum Regni sui. Cæterum de pœnis per eundem infligendis, iubet Ecclesiastica modestia quiescere, nec habere sermonem.*

Non est igitur Barclaii *grandis temeritas, & intolerabilis error*; quod Clericos dicat subditos Regum esse, neq; vllis priuilegiis de eorũ potestate exisse; sed iusta, sed sancta sententia, omni probata sæculo, omni authoritate firmata. Neq; vos dum contrariã astruitis partem, aliud præter nugas, præterq; sophismata; nec propugnatis Ecclesiã, aut spirituale Imperium; sed tantũ sæcularem Pontificis ditionem, dura & inuisa ratione, qua plus trecentis hominum millibus in vno Franciæ Regno, ortu Franci, spiritu, bonis, cognatione Franci, Regum Eleemosynis, possessionibus liberalitate beati, eximuntur à subiectione sui Regis; vt iam velut externi sint, iam soluti, iam liberi; & in Regno degentes, non sub regno. Quid de Hispania dicam, quid de

Italia, quid de Orbe? Vbiq; idē iuris. Pontificis coloniæ dissipatæ velut per præsidia disponentur, & sat erit homini nato sub Rege benedictio sacra Episcopi, vt exuret subiectionē sui Regis, & transeat in exteros Principis, nempe Romani Pontificis, temporalē potestatē, vt proinde illi faueat, illi adsit, & iniuriis, tumultu, bello, quacunque occasione, etiam ciuili & prorsus tēporali, inter Regem & Pontificem orto, omnia in Regem, cuius insistit visceribus, moliatur pro Pontifice omnia, id enim & pro suo Principe, & in sui Principis hostem debet.

Profers Soti & Couarruuiæ authoritatem, quibus supra respondimus (*superiori ca. §. 2.*) Illorum nominibus nomina quoq; opponam, sed illa magna, augusta, Ambrosii, Nazianzeni, Augustini, Gregorii magni, & cæterorum Patrum, qui, vt retulimus, disertis verbis dicunt, Clericos, Sacerdotes, Episcopos ciuilibus Principibus *De iure & in cōscientia* esse subiectos. Neque pro te aliquid illa quæ recenses Concilia, de quib. etiam paulo ante egimus (*super. c. §. vlt.*)

Ais tamen Barclaii sententiam esse nouam. *Nam ipse fatetur*, inquis, *se verbum grande prolocuturum, cuius forte nondum meminit quisquam*, debuisses addere quæ sequuntur, *aut si meminit, saltem eos, quorum interest id scire, nō vt debuit commonefecit.* Quasi alius iis verbis sensus sit, quam ex quo priuilegia Clericis indulta sunt, licet non dubitent pleriqne mortalium, quin Clerici Principibus sint subiecti, vix tamen extitisse scriptorem, qui illius subiectionis ex professo *meminerit*, & de tantę controuersię pondere, *eos quorum interest id scire commonefecerit*. in inquam Barclaii sensus non vero se asserere recentia, alioqui nimis pueriliter in se pugnet, qui mox illam sententiam, tam ex antiqua, quam noua, accersit, & probat historia.

§. 2.

SED *videamus*, inquis, *quib. argumentis, tam grande, & adhuc inauditum verbum Barclaius persuadere Orbi terrarum nitatur. Contrabam autem in breue cōpendium totam eius ratiocinationem, vt quā vim habeat, facilius percipiatur. sic igitur ille: Christiani tum clerici, tum laici, subiecti erant Principibus infidelibus, atq; ab eis iudicari poterant: ergo subiecti sunt etiam Principibus fidelibus, & ab eis iudicari possunt: quia Christi lex neminem priuat iure dominioq; suo. Rursus, Principes fideles exemerūt quidem priuilegiis suis clericos à potestate Magistratuum inferiorum: sed non exemerunt à potestate sua: nusquam enim memoria proditum est ab vllo scriptore, Principes qui istis clericos priuilegiis donarunt, ita eos a se liberos dimisisse, vt sibi amplius non subessent. Imo nec potuerunt Principes, nec adhuc possunt clericos in suo Regnu constitutos ea libertate donare: ne ipsis potestate tēporali subsint, neue delinquentes ab iis iudicari & puniri possint, nisi eadem opera sese Principatu abdicent. Nam propriū est Principis posse animaduertere in ciues, & membra sua Reip. Sunt autē Clerici, quod ad temporalia attinet, ciues, & membra Reipublicæ politicæ, cuius caput & Rector est Princeps. Quare Carolus V. Imperator Hermannū Archiepiscopū Coloniensem in ius ad se vocari iussit, vt de criminib. à Clero, & Vniuersitate ei obiectis se purgaret, teste Surio in Cōment. Anni 1545. Et multi Principes sibi quadam Clericorum delicta specialiter vindicanda reseruarunt, eaque suis Magistratibus iudicanda committunt: vt sunt illa crimina, quæ in Gallia priuilegiata vocantur, veluti Maiestatis, gestationis armorum adulterinæ monetæ, & similia. Hæc ille. Ex quibus omnibus sequitur Clericos non esse exemptos à potestate & iurisdictione Principum temporalium.*

Respondebo nunc ordine ad singulas propositiones. Ad primam illam de subiectione clericorum Principibus infidelibus, duæ sententiæ sunt, vt supra diximus: & neutra fauet Barclaio. Vera sententia est, Clericos iure fuisse exemptos etiam à potestate Principum infidelium, quāuis de facto subiecti essent: exemit autē eos, tanquā proprios suos Ministros ille, qui Apoc. 1. vere dicitur Princeps Regum terræ. Itaque iuxta hanc sententiam neganda est propositio prima Barclaii, quam neque ille vsquam probat, neque hoc loco probauit, sed assumit vt concessam, quam tamen grauiores scriptores non concedunt, videlicet omnes illi, qui exemptionem istam de iure diuino esse docent. Sed etiam si concederetur, nihil inde Barclaius colligeret, quoniam negaretur illa consecutio, Ergo subiecti sunt Clerici iudicio & potestati Principum fideliū: hanc enim propositionem, quæ est secūda apud Barclaium, negant omnes Catholici scriptores, tam Theologi, quam Canonistæ: negatur autem illa consecutio, quoniam summus Pontifex Clericos absolute exemit a potestate Principum fidelium, qui eius potestatem agnoscunt, à potestate autem Principum infidelium, qui eius potestatem non agnoscunt, non ita absolute exemit, cum eos censuris Ecclesiasticis coercere non possit: ipsi etiam Christiani Principes Clericos exemerūt, intelligentes, quanta sit dignitas Clericorum, quod Principes infideles non fecerunt, cum eis spiritualis illa dignitas nota non esset. Ad illam tertiam propositionem, Lex Christi neminem priuat iure, dominioq; suo: iam supra respondi capite superiore, vbi ostendi per exemptionem clericorum non priuari Principes iure quod habebant in eosdem, antequam Clerici essent, per se proprie; sed consequenter, & quasi per accidens: quemadmodum cum filius familias euehitur ad Episcopale fastigium, eximitur a patria potestate, nec tamen fit iniuria patri, quoniam non priuatur pater iure suo per se, sed consequenter: non enim intendit Ecclesia priuare patrem iure patriæ potestatis, sed euehere personam illam ad gradum, quo digna est, quamuis inde sequatur illa priuatio patriæ potestatis. Vide multa alia exempla capite superiore.

Plus asseris sententiam Barclaii, responsione tam frigida quam ipse argumentis. Primum dicis, exemptos iure diuino Clericos a ciuilibus iudiciis. Dicis, inquam, neque probas. quam enim hoc inane, *exemit autem eos tanquam proprios suos ministros ille qui Apoca. 1. vere dicitur Princeps Regum terræ*: vbi vero exemit? quibus verbis, quibus locis? Da ex Scripturis verbum, da ex Apostolica traditione, quo Clerici supra reliquos Christianos exempti. Sed non repeto rem a nobis supra actam *cap. 3. a §. nono*, ad decimum quartum, & alibi passim.

Addis, nihil ad Barclaii sententiã eos facere, qui scribunt fuisse Clericos infidelib. iure subiectos, non n. sequi, id in eos iuris Christianis Principib. cõpetere. quamobrẽ? *quoniam*, inquis, *summus Põtifex Clericos absolute exemit à potestate Principũ fideliũ, qui eius potestatẽ agnoscunt, a potestate autẽ Principũ infideliũ, qui eius potestatẽ non agnoscunt, non ita absolute exemit, cũ eos censuris Ecclesiasticis coercere non posset.* Vana omnino ratio. Quippe si Clerici, certe & Põtifices subiecti Principibus. Quis Pontificem ergo exemit, qui Clericos deinde eximeret? Neq; ad rẽ illa diuersitas Principum Ethnicorum, & Christianorũ, ex qua non colligeris sub vnis potius quam sub aliis potuisse a Pontifice Clericos immunitate *de iure* donari. Quod inquam est ad ipsam Pontificis potestatem, si potuit *de iure* Ecclesiasticos eximere sub Christianis Regibus, potuit & sub infidelibus, cum hæc potestas Pontificis, quoad ius, non ex Principum conditione dependeat.

Diuersitatem tamen constituis, *quod Papa Principes infideles censuris Ecclesiasticis coercere non potuerit, fideles potuerit.* Quæ illa diuersitas? Si tu *de facto* agis, fieri potuit, vt Principes Christiani, licet censuris a Papa coerciti, non *de facto* Clericos magis de potestate sua mitterent, quam illi infideles, quos hic censuris Pontifex non poterat coercere. Sin de iure, adhuc absurdior ratio. Quasi Pontifex non potuerit de iure eximere Clericos, nisi quia Principes potuit censuris coercere. Nam in quem vsum strinxisset has censuras? An vt sub earum interminatione iuberet Principibus, vt *de iure* Clericos a suo eximerent foro? Si ita vis, ergo non ipse Pontifex potuit Clericos de iure eximere, sed tantum Principes adigere vt ipsi eximerent. An autem vt sub censuris eiusmodi imperaret Principibus, vt sinerent de facto esse immunes, quos ipse de iure exemisset? hoc autem est destruere vanam hanc quam effingis diuersitatis causam. Vt enim omittam quod paulo ante dixi, inueniri potuisse Christianos Principes, qui non magis his censuris adigerentur ad manumittendos *de facto* tot ciuium greges, quam ipsi infideles: Certe tota hæc ratio in facto versaretur non in iure. Non ideo quippe probatur, potuisse Pontificem ab Ethnicorum potius iugo Clericos, quam Christianorum, liberare. Sed tantum, potuisse illum facilius iam *de iure* exemptos *de facto* quoque eximere. Quod ad quæstionem nihil. Nam quod scribis, *Clericos absolute exemit a potestate Principum fidelium qui eius potestatem agnoscunt*; Duplici vitio corruit. Primum; quod nullibi Papa legatur Canones de exemptione Clericorum condidisse, nisi iam Clericis priuilegio Regum exemptis. Immunitates scilicet accepit, vt donatas, non vt suas, vindicauit Ecclesiam. Deinde, quod fideles Principes *potestatis Papæ agnoscant*, sed spiritualem, seu in spiritualibus. Non autem potestatem eiusmodi, quæ tot ciues ab eorum temporali iure subtrahat, & quidem *absolute*, nam id tibi addere pulchrum fuit.

Addis & aliam causam, huic primæ diffisus: *Ipsi quoque Christiani Principes Clericos exemerunt* & Exemerunt, satis scio, a compluribus legibus, muneribus, at non a subiectione illa quam Principi ciues debent, de quo vno disceptamus.

Quæ denique ad propositionem hanc dicis, *lex Christi neminem priuat iure dominioque suo*, iam supra quanti sint momenti excussimus, *Cap.34. §.3.*

§. 3.

A*D quartam propositionem*, inquis, *quæ erat, a nullo scriptore memoriæ proditũ esse, quod Principes exemerint Clericos a potestate sua, sed solum quod exemerint a potestate Magistratuum inferiorum.*

Respondeo. Videtur qui hoc dicit, aut nihil legisse, aut lectores fallere voluisse. Scribit enim Ruffinus Lib.10. Hist.c.2. Constantinum Imperatorem disertis verbis pronunciasse, sibi non esse licitum iudicare Sacerdotes, sed ab illis potius se esse iudicandũ. Vbi satis aperte declarauit, Sacerdotes exemptos esse, non solũ a potestate iudicũ inferiorum, sed etiam ab ipsius supremi Principis imperio. Cui declarationi consentanea est lex eiusdẽ Constantini septima in Codice Theodosiano, de Episcop. & Clericis. Lectores, inquit, diuinorũ apicũ, & Hypodiaconi, & cæteri Clerici, qui per iniuriã hæreticorũ ad curiã deuocati sunt, absoluantur, & de cætero ad similitudinẽ Orientis minime ad Curias deuocentur, sed immunitate plenissima potiantur. hæc ille, qui cũ absolute prohibeat Clericos ad curias deuocari, & velit plenissima immunitate potiri, & nihil omnino excipiat, manifestũ est, eum velle, vt neq; ad ipsius Principis curiã deuocentur: non n. esset plenissima immunitas, si principali potestati essent obnoxii. Similis est lex Theodosii, & Valentiniani, Cod. Theod. l. vltima, de Episc. & Clericis, vbi sic legimus, Clericos quos indiscretim ad sæculares iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, Episcopali audientiæ reseruamus. fas enim non est, vt diuini muneris ministri tẽporalium potestatũ subdãtur arbitrio. In qua lege dum nihil excipitur, omnia cõprehendi videntur, nisi forte Principis potestas, tẽporalis dici non debeat. Ipse quoq; Iustinianus Nouella octogesima tertia, quæ sæpe ab aduersariis citatur, quasi in ea Clerici in criminalib. exempti non videantur à foro sæculari: habet hæc verba, Prius hũc spoliari a Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate. & ita sub legum fieri manu. Vbi videmus Clericos, dũ Clerici permanent, non esse sub potestate legũ, sed solũ posteaquã Clericali honore per Episcopos priuati sunt: ac per hoc non solum exemptos esse cũ Clerici sunt, a potestate Iudicũ inferiorum, sed ab ipsis Principum legibus, quod ad coactionem attinet: atq; hoc est quod Concilium Cõstantiense sess.31. dixit, Laicos nullam in Clericos iurisdictionem, vel potestatem habere. Et certe nomine Laicorum Principes etiam supremos cõprehendit, cũ & ipsi Laici sint. Denique, vt alia multa prætermittam, Imperator Fridericus secundus in prima sua constitutione generaliter loquitur, dum ait, Item statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili, trahere ad iudicium sæculare præsumat, contra cõstitutiones Imperiales, & Canonicas sanctiones. hæc ibi. Per sæculare autem iudicium, non intelliguntur iudicia solum iudicum inferiorum, sed etiam supremorum, cum omnia sint æque sæcularia. Atq; ut ipsa sic obseruari videmus, vbi sacrorum Canonum reuerentia viget.

Recipe tua verba *Videris, qui hæc dicis, aut nihil legisse, aut Lectores fallere voluisse.* Nihil quippe eo Ruffini loco, quo probes Constantinum *exemisse Clericos a potestate sua.* Dicit quidem non posse se de Episcopis iudicare, sed addit rationem, non quod eximeret illos ipse; sed quod à Deo ad tantam dignitatem essent euecti, vt de illis debeat solus Deus iudicare, Hæc autẽ pii Principis erat oratio, non stricte, non scrupulose capienda, sed tantum ad extollendam Episcoporũ dignitatem; ac vt illos deterreret a litibus, vt se denique huiusmodi iudiciorum molestia liberaret. Hanc mentem fuisse Constantino, præter ipsam Historiæ seriem, quę in Ruffino est, certissimis rationibus potest euinci. Primum enim; non alia, vt dixi, ratione Cõstantinus vtitur, quam quod Episcopi *Dii* sint, & potestatem a Deo acceperint, inquit, *de nobis quoq; iudicandi.* Atqui hæc omnia non referuntur ad constitutiones humanas, sed nec ad diuinum ius: alioqui dicendus Constantinus melius intellexisse legem Dei, repudiando eiusmodi in Episcopos iudicium, quam tot Episcopi, qui in Nicæna Synodo ad eum tanquam iudicem querimonias deferebant, vt ibidem in Ruffino est: Sequitur hanc fuisse solius reuerentiæ, & pietatis, non constitutionem quidem, sed orationem Constantini. Quid quod ne Clericos quidem dicit debere se Clericorum iudices esse, *sed illum solum, de quo scriptum est, Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit,* vt sic illos, non a suo tantum, sed & Pontificali iure remoueat? quid deniq; quod alibi multis locis constituit, quantum vellet Clericos eximi, & quantum communis iuris esse? vt in *Codice Theodos. Tit. de Episcop. l. 3. l. 6. in Cod. Iustin. Tit. de Episc. & Cleri. l. 1 l. 2 l. 3 l. 4.* Neque igitur credidit Constantinus exemptos de iure diuino Clericos (ita quippe homo ipse Laicus damnauisset tot Episcoporum sententiam, qui ad illum tanquam legitimum iudicem decurrerant,) neque in illa, quam profers Ruffini historia verbum est, quo illis per priuilegium indulgeat ab Imperatoria potestate discedere.

Iam quod est ad *Leg. VII. de Episc. & Cler. in C. Theodos.* supine aberrasti; vis n. exemptos a subiectione Principum Clericos, *cum,* inquis, *absolute prohibeat Clericos ad Curias deuocari, & velit immunitate plenissima potiri.* Intolerabili errore te decepit illud verbum, **Curia**, putas enim *deuocari ad Curiam,* idem esse ac in iudicium trahi, cum sit longe aliud, nempe in numerum Decurionũ aut Curialium redigi, qui publicis fungantur muneribus. Supinus, inquam, error, & ex ignoratione linguæ, rituumq; priscorum, quo magnifice tamen innixus, imperitis Lectoribus, ad eruditorum risum imponis. Deuocari ad Curiam, erat, publicis oppidorum & municipiorum muneribus implicari: Qui illis curiis traditi Curiones, & Decuriones dicti, Opulenti homines & qui ab illis muneribus resilire non possent, ne quidem sub pretextu Clericatus, aut priuilegio imperatoriæ domus. Vnde & præcepit Constantinus (eod. tit. De Episc. leg. 3.) *nullum decurionem, vel ex decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus, atq; obeundis publicis muneribus opportunum, ad Clericorum nomen obsequiumque cõfugere &c.* sed *illos qui post legem latam obsequia publica declinantes ad Clericorũ numerũ confugiunt, procul ab eo corpore segregatos, curiæ ordinibusq; ciuitatum, & ciuilib. obsequiis inseruit.* Imperator deinde Valentinianus (l. 21. eod. tit.) *Hi,* inquit, *qui Ecclesiæ iuge obsequiũ deputarunt, curiis habeantur immunes: si tamen eos ante ortum Imperii nostri ad cultum se legis nostræ cõtulisse cõ; literis, cæteri reuocentur, qui se post id tẽpus Ecclesiastici congregarunt.* Gratianus quoq; & Theodosius (l. 39. C. de Decur.) *Curiales,* inquiunt, *qui sese priuilegio domus nostræ defendi posse crediderint, ad curiam retrahantur, & propriis functionib. mancipẽtur.* Gradus ille, *honor* dicitur, *l. 1. Cod. de Decur.* & illi immunitates aliquot attributæ l. 21. ibid. *quoniam satis est si ciuitatum munera per eos cõgrue cõpleatur.* Sed labore, ac veluti publica seruitute deterriti, a Curia refugiebãt, cũ nec relicto municipio aut adire Principem liceret, aut vagari, aut etiã militare. Exerceri oportebat publicis curis. Vnde titulus sic conceptus in Codice: *De Decurionibus, & filiis eorum, & qui Decuriales habentur, & quibus modo a fortuna curiæ liberentur.* Et Principes magno priuilegio Clericos credideruntauxisse, cum eos tutelarum, & curiarum exemptione donassent.

Hæc est igitur immunitas, qua plenissima potiri Clericos Constantinus voluit, ne vllis nominationibus premerentur; aut susceptionibus, aut aliquo modo curialibus implicarentur negotiis; Neque magis Theodosii & Valentiniani lex, in rem tuam. Nam quod dicitur, *fas non esse vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio,* idem est, ac, *per leges Principum non licere,* vt in omnibus causis, Clerici ad sæcularium Magistratuum tribunalia deuocentur. Dixi, *per leges.* Nam ibi agitur de confirmandis & asserendis *priuilegiis Ecclesiarum. vt quidquid à Diuis Principibus constitutum est, vel quæ singuli quique Antistites pro causis Ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegii iugi solidata æternitate seruentur.* Inde certum, illud, *fas non est,* referri tantum ad *fas* Principum legibus institutum, quandoquidem in iis tantum casibus erat nefas, in quibus id Principũ legib. vetitum erat, & in reliquis casibus, qui plerique, licebat: Illud etiam, *temporaliũ potestatum arbitrio,* ad inferiores referri Magistratus, qui non possunt in iis causis Clericos iudicare, quas ab eorum iurisdictione remouerit Princeps. An id autem est dicere, Clericos a Principis subiectione immunes? imo quam non immunes fuerint disce ex constitutione Imperatoris Valentiniani (tit. 12. Leg Nouel. D. Valentiniani.) *De Episcopali iudicio diuersorum sæpe causatio est. Ne vlterius querela procedat, necesse est præsenti lege sanari. Itaq; cum inter Clericos iurgium vertitur, & ipsis litigatoribus conuenit, habeat Episcopus licentiam iudicandi, præeunte tamen vinculo compromissi. Quod & Laicis, si consentiant, auctoritas nostra permittit. Aliter eos Iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium interposita, sicut dictum est, conditione præcedat. Quoniam constat Episcopos & Pres-*

byteros forum legibus non haberent de aliis causis, secundum Arcadii & Honorii Diualia constituta, quæ Theodosianũ corpus ostendit, præter religionem posse cognoscere. Si ambo eiusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus, & iure communi: sin vero petitor Laicus, seu in ciuili, seu criminali causa cuimlibet decl Clericum aduersarium suum, si id magis eligat, per authoritatem legitimam in publico iudicio respondere compellat. Quam formam etiam circa Episcoporum personã obseruari oportere censemus. &c. Eo & constitutionem aliam Imperatorum, & quidem Orthodoxorum, qui etiã post hunc Theodosium & Valentinianum imperarunt. Hi sunt Leo, & Anthemius: qui in L. Omnes 33. C. de Episc. & Cler. *Omnes*, inquiunt, *qui vbiq; sunt, vel post hac fuerint, orthodoxæ fidei sacerdotes, & Clerici cuiuscunq; gradũ sint, monachi quoq; in causis ciuilibus ex nullius penitus maioris minorisue sententia iudicis commonitoria ad extranea iudicia pertrahantur: aut prouinciã, aut locũ, aut regionem, quam habitant, exire cogantur: nullum eorum Ecclesias vel monasteria propria, quæ religionis intuitu habitant, relinquere ministrabili necessitate iubeatur, sed apud suos iudices ordinarios, id est prouinciarum Rectores in quibus locis degunt, Ecclesiarum ministeriis obsecundent, omniumq; contra se agentium excipiant actiones.* En cuiuscunq; gradus Clericos, non Imperatorib. modo subiectos, sed & Prouinciarum Rectoribus; qui etiã eorum *iudices ordinarii* in hac lege esse dicuntur. Cum vero priuilegia Clericorum non legantur Priorum Imperatorum legibus, a Theodosii & Valentiniani temporibus ad hunc Leonem & Anthemium esse aucta; imo cum paulatim, ac indies, plura indulgerentur Ecclesiæ: & nihilominus sub Leone atque Anthemio, *Prouinciarum Rectores* adhuc essent *Iudices ordinarii* Clericorum, satis euincitur illa verba antea in Theodosii & Valentiniani lege. *fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio*, in hunc sensum, quem paulo ante dedimus, esse conscripta. quandoquidem, inquam, tunc Imperatores sibi fas esse ducebant, Clericos priuilegiis augere ad libitum, & ad libitum quoque iuri communi relinquere.

Venis ad Iustiniani Nouellam 83. *Habet*, inquis, *hæc verba; prius hũc spoliari à Deo amabili Episcopo, sacerdotali dignitate, & ita sub legũ manu fieri. Vbi videmus Clericos, dum Clerici permanent, non esse sub potestate legũ, sed solum posteaquam Clericali honore per Episcopos priuati sunt, &c.* Quæ hæc ludificatio Bellarmine? Iustinianus disertis verbis scribit, vt de Clericis iudicent, *si de criminibus contendatur, siquidem ciuilibus, hic quidem* (nempe Constantinopoli) *competentes iudices; in prouinciis autem, earum Præsides siue Iudices.* Et tu neges Politicos tunc Iudices de Clericis *dũ Clerici permanent*, iudicasse? Neq; hæc verba *prius spoliari à Deo amabili Episcopo, &c.* in eum sensum scripta sunt, quasi de Clerici causa cognoscere Laicus iudex haud possit, nisi prius ab Episcopo, vt loquuntur, ille Clericus *degradetur*. Sed dicitur, ciuilẽ iudicẽ prius de Clerici causa cognoscere; & si iudicauerit pœna dignum, tunc demũ tradere Episcopo dignitate spoliãdum, tandemq; punire. Illud, inquam, *sub legum manu fieri*, nõ ita potest intelligi, *subiacere seculari tribunali*, sed *destinari per leges pœnis delicti*. quandoquidem dicitur ante *degradationem* illã, discuti debere per sæcularem Magistratum Clerici causam, & ex illius iudicio atq; sententia debere ab Episcopo degradari Sacerdotem tradendum supplicio. Sic *degradatio* quidem illa non fecit, vt tũ demum Clericus sub Laico iudice esset (quippe cum Laicus iudex iã antea de eius causa cognouisset, eumque iudicasset *degradandum*, plectendumque) sed in venerationem Ecclesiæ introducta; ne ante traderetur suppliciis Clericus ac Sacerdos quã eum Episcopus suo loco mouisset; Ne tã dici posset Clericus, quam à Clericatu eiectus, in exilium, aut metallum, aut furcam abire.

Ad Concilium Constantiense, quod apud te sequitur, iam supra respondimus. Quid denique Imperator Fridericus? Vetat Clericos *in criminali quæstione, vel ciuili, trahi ad iudicium seculare*. An negamus id à Principibus esse sancitũ? Sed est longe aliud, a subiectione Regum, aliud a foro sæculari eximi. Quid vero si Laico alicui Princeps indulgeat, vt conueniri possit in Ecclesiastico tantum foro; an sequetur Laicum illum iam non subditum Principi esse? Quæ hæc igitur a te sophismata?

§. 4.

AD quintam propositionem, inquis, *quæ erat non potuisse Principes supremos eximere Clericos a sua Regia potestate, respondemus, id manifeste falsum esse. Nã etiam si non possit summus Princeps omnes, qui in Regno suo degunt, ab omni potestate sua eximere, nisi principatu se abdicet, tamen potest aliquam partẽ populi sui ab aliqua parte potestatis suæ, vel etiam a tota eximere, & simul vere Princeps dici, & esse. Proprium enim summi Principis est tributum a populo sibi subiecto exigere, vt Apostolus docet ad Rom. 13. Ideo enim, inquit, & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes: & potest tamen Rex, quos vult in suo Regno immunes a tributis facere. Dicitur enim lib. 1. Reg. cap. 17. Qui percusserit Philistæum, ditabit eum Rex diuitiis magnis, & domum patris eius faciet absque tributo in Israel. Sic etiam si magnus aliquis Rex in medio Regno suo ciuitatem vnam vel liberam faciat, vel alicui absolute donet, non ideo Rex dici non poterit totius Regni sui, præsertim si ciuitatem illam protegat, & defendat: & ciues illi leges Regni sponte seruent: sic igitur potuerunt Reges, Clericos in suo Regno degentes eximere a potestate sua Regia, & Reges tamen dici, & esse non solum Laicorum, sed etiam Clericorum, qui leges eius politicas liberè seruant, & causas, quas cum Laicis habent cum actores sunt, ad tribunal ipsius deferunt: & iudicio ac sententia eius in eiusmodi causis acquiescunt. Et quoniam Rex pro defensione non solum Laicorum sed etiam Clericorum, laborat, & vigilat, ideo non solum Laici, sed etiam Clerici honorem ei deferunt, qui Regibus debetur, iuxta præceptum Apostoli Petri, Deum timete, Regem honorificate. 1. Pet. 2. Denique pro Rege Deum orant, et Apostolus monet 1. Timoth. 2. dicens, Obsecro igitur primum omnium fieri*

obsecra-

obsecrationes, orationes postulationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus qui in sublimitate sunt: nec solum pro Regibus generatim preces ad Deum fundunt, sed in specie dicunt, pro Rege nostro N. vel pro Imperatore nostro N.

Ais, Regem posse *aliquam partem populi sui ab aliqua parte potestatis suæ, vel etiam a tota eximere.* Probas: quia potest aliquam domum, aut vrbem, donare immunitate tributorum. Quid ad nostram quæstionem, an exemptio tributorum efficit, vt exemptus nulla subiectione Principibus teneatur? Nam id solum quærimus. Fatemur priuilegia Clericis data, maiora etiam exemptione tributorum, sed negamus de Principum subiectione exisse. At inquis, est proprium Principis tributum exigere, vt est proprium imperare, & dominari, si ergo vnum potest remittere, cur non & aliud? Ingens discrimen, Bellarmine. Est quidem Principum *proprium* tributa exigere, quia nulli exigunt nisi Principes, sed & illorum est posse tributa remittere, nec eo facto summa illorum potestas remittitur. Imo si in vniuersum tributa remiserint, vt cogitauit Nero, si inquam patrimonio suo contenti nihil de publico in fiscum conferri præcipiant, an ideo de principatu exciderint?

At vero dominari, & præesse, non est tantummodo proprietas aliquo modo, sed ipsa Principatus *essentia*, vt illa se abdicare nequeat Princeps, & simul Princeps esse. Nec proficis, cum id fieri posse ais in populi parte, non autem in toto. Nam nec in parte potest: cum sit de Regis *essentia* toti Regno dominari, toti Regno prouidere, omnes qui in Regno sunt aduenas, incolas, habere obnoxios pœnis, præmiis temperandos. Neque instituitur vt partem Regni regat, sed vt Regnum. Si igitur partem regni a sua subiectione eximat (quod non potest, absque Ordinum regni consensu) tam desinet respectu illius partis esse Rex, quam in totum esse Rex desineret, si regnum vniuersum summa illa immunitate donaret. Quis vero Franciæ, aut Francorum Regem dicat, cui in opulentissimis Franciæ prædiis ius nullum sit, qui etiam plus trecentis Francorum millibus in Francia degentibus imperare non possit? Cur ante nouatas res sub Henrico VIII. in Anglia, tam ille, quam decessores, Angliæ Reges dicti, si non subditi erant Clerici, tunc innumeri in Anglia, & pene media Regni parte ditati?

Dicis tamen. *Sic etiam si magnus aliquis Rex in medio Regno suo ciuitatem vnam vel liberam faciat, vel alicui absolute donet, non ideo Rex dici non poterit totius Regni sui.* Quid his verbis intelligis, *Rex totius Regni sui*? an ciuitatem adhuc illam in Regno numeras, quam donauit libertate? si numeras, non a veritate modo abis, sed a communi sensu: quid est n. aliquem esse Regem, nisi illis dominari, quorum Rex est? Num tu neges, Regem superiorem esse illorum, quorum Rex est? Atqui dicis, Cap. 13. §. 2. *Omnis superior potest imperare inferiori suo.* Disputant aliqui, quatenus potestas Regum in ciues prodeat, at nemo, num in eos illi potestas sit. Atqui vis iam non esse subditam Principi illam vrbem, quam nempe a se prorsus exemerit, Rex illius igitur dici non poterit. Nec interest, *si ciuitatem illam protegat & defendat*: longe enim aliud protegere, aliud regere, aliud defensorem esse, aliud Regem. Quis his vltimis Belgii armis, Reges Franciæ, aut Angliæ, Batauorũ Reges credidit, quos tamen *defendebant*? Quis Henricum II. Galliæ Regem, fœderatorum in Germania Principum Regem dixit? atqui illum in Protectorem elegerant. Minus ad rem alia tua ratio, *Et ciues illi leges Regni sponte seruent.* Nisi forte si Hispani Galliciæ legib. vti velint, in eorum ditionem transiisse dicendi sint, in quorum mores concesserint.

Sin intelligis, vrbem illam, quam Rex libertate donauerit, iam non esse de Regno, similitudinem illam perperam Clericis aptas, quandoquidem dicis Reges post exemptionem Clericorum, *esse non solum Laicorum, sed etiam Clericorum Reges.*

Addis causas, cur sit Rex Clericorum Rex, licet Clerici non sint illius subditi, pueriles, nec te dignas. Prima, quia Clerici *leges eius politicas libere seruãt.* At hoc ipsum paulo ante explosimus. Neque enim si gens aliqua Regis exteri leges libere seruet ideo illum dicetur in Regem agnoscere. Secunda, quia Clerici *causas, quas cum Laicis habent, cum actores sunt, ad Tribunal ipsius Regis deferunt, & in iudicio sententia eius in eiusmodi causis acquiescunt.* Quis hic vero a risu aut stupore téperet, te tam indigno, Bellarmine, commento maculare industriæ tuæ famam? An id vero est aliquem in Regem agnoscere? aut quæ hic Clericorum *subiectio*, quæ non vel maxime & peregrinis externisque vsitata, imo in iudiciis necessaria? Si cui lis sit eum alterius regni homine, an non sequetur forum rei, & apud eum Principem litigabit, sub quo ille est, cui mouet controuersiam? an eum ideo in Regem agnoscet? An Hispanus si agat in Gallum, & sub Gallis iudicibus, Belga cum Anglo, & sub Anglis, ideo hic Regem Galliæ, hic Angliæ, in suum Regem dicetur agnoscere? meræ nugæ. *Actor sequitur forum rei:* ideoque vt recte dixeris, illum esse Rei Principem, sub quo Reus conuenitur, ita inepte collegeris, eum Actoris esse Regem, apud quẽ Actor conuenerit Reum.

Ais etiam, Clericos *in specie* sic orare, *Pro Rege nostro N. &c.* At hoc in te: Nam non aliud inde probaueris, quam Regem, Clericorum Regem esse. Quis concipiat Regem esse Clericorum Regem, & Clericos non *subditos* esse Regis? quandoquidem, vt doctissime Almainus de sup. pot. &c. q. 2. c. 5. *aliquem esse Regem nihil aliud est, quam habere superioritatem erga subditos, & in subditis esse obligationem parendi Regi &c.*

Sed oportuit per hæc absurda absurdam concionare sententiã, vt diceres Regẽ, Clericorũ esse Regem, nec Clericos ideo subditos Regis esse; vt diceres, liberam absolute ciuitatem

dixisse rusticum, id parum Apostolis simile, quibus successerunt Episcopi, & respondisse de Episcopis turba aliquem, illum Præsulem non modo Apostolorum successorem, sed & præterea opulentæ ditionis hæredem: Ducem etiam esse, & Principem: Tū rusticus: At si Ducem illum atque Principem, æternis ignibus Numen addicat, quo euadat Episcopus? Eodem modo scribis; Hermannum quem Carolus V. ad se iudicandum arcessiit, non fuisse tātum Archiepiscopum, sed & *Imperii Principem*. Dico cum rustico, cum Imperator illum Principem Imperii de suo destinaret iudicio, nonne & de Archiepiscopo iudicabat? At, inquis, de Archiepiscopo quidem, non tamen vt Archiepiscopo, sed vt Principe Imperii. Esto: Neque volumus Clericos, vt Clericos, subiici Regibus, sed vt ciues, sed vt corporis Politici partes: quam authoritatem, vt fateris, & agnouit & vindicauit Imperator: de cuius pietate quæ addis, frustra sunt; Neque negamus bonorum esse Principum causas Clericorum, licet graues, summique momenti, Ecclesiasticis Iudicibus relinquere, si ex Reip. bono commode agitari, & discuti ibi possunt.

Vide autem, quam obtinuerit omni æuo, vt de secularibus criminibus Antistites coram Regiis conuenirentur Iudicibus. Iuo Carnotens. Episcopus, nū quæso Ecclesiasticæ libertatis aut ignarus, aut proditor? Scribit tamen Epist. 29. ad Philippum I. Franciæ Regem. *De cætero calumniatoribus meis, quibus me respondere iubetis, cum insinuatum fuerit qui sint, & quid expostulant, respondere non subterfugiam, vel in Ecclesia, si Ecclesiastica sint negotia, vel in Curia, si sint curialia.*

Dicis *priuilegiata crimina* vocari in Gallia, de quibus Clericum apud Regios iudices accusari Papa indulsit. Nihil minus. Neque vllam inuenias sanctionem, qua id priuilegii in Clericos Regibus Rebusque publicis Papa concesserit, vt facile indices, non id ordinariæ iurisdictionis Regibus a Papa tributum, qui olim vtebantur omni in Clericos potestate, sed ipsorū voluntate seruatum, qui de suo iure quod libuit remiserunt, quod libuit tenuerunt. Sed & nuper doctissimus Milletotus, eleganti illo tractatu, quem inscripsit, *De delicto communi, & casu priuilegiato*, rite ostendit, priuilegia Clericorum orta a Regibus, ideoque crimina ob quæ Clerici accusantur in foro ciuili, vocanda proprie *Delicta communia*, quia communi iure de iis cognoscit Magistratus: quæ vero ad Episcopum remittuntur, *priuilegiata* esse dicenda, scilicet; quia Regum priuilegio indulgetur Episcopis, vt de iis *casibus* cognoscant, ac iudicent.

Non hic moror Canonistas, qui non modo hæc in Clericos iura, sed & omnem omnino Principatum, volunt a Pontifice promanare, cum illo Legato qui in Germanorum Principum consessu dicere ausus est, (vt antea ex Radeuico retulimus) *a quo habet Imperator Imperium, si non habet à Domino Papa?*

§. 6.

AD vltimam propositionem, inquis, *quam colligit Barclaius ex supradictis, quod videlicet, Exemptio Clericorum à potestate Principum nulla sit.*

Respondeo: Eam propositionem ex dictis perperam colligi, tum quia demonstratum est, summos Principes potuisse & voluisse Clericos à sua potestate eximere: tum quia licet ipsi non voluissent, aut non potuissent, potuit, & voluit, summus Pontifex illos eximere, aut iure diuino exemptos declarare: neque possunt Principes etiam supremi hanc exemptionem impedire. Atque hæc est communis Doctorum Theologorum, & Canonistarum sententia, cui hactenus non nisi hæretici restiterunt. Et quidem hoc sentiunt illi, qui exemptionem volunt esse de iure diuino, ne Barclaius quidem dubitat, & expresse docet Nauarrus in c. Nouit. de iudiciis, notab. 6. nu. 30. Quod autem idem etiam fateantur, & doceant illi, qui exemptionem arbitrantur non esse de iure diuino, perspicuum est ex Francisco Victoria. Relect. de potestate Eccles. q. 6. proposit. 5. ex Dominico a Soto, in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. ex Martino Ledesimo in quartum. part. 2. q. 20. art. 4. ex Dominico Bannes in 2. 2. quæ. 67. art. 1. & ex Didaco Couarruuia pract. q. c. 31. concl. 3. & 4. cuius verba, vt etiam Soti, capite superiore adduximus. Hinc soluitur quæstio quam Barclaius in extremo capite insolutam reliquit, liceatne Principi priuilegium exemptionis Clericorum reuocare. Respondent enim Doctores allegati nullo modo licere.

Quam tu ambigue de sententia Barclaii, *exemptionem Clericorum a potestate Principum nullam esse?* Nam nec negat Clericorum bona personasque exemptas: Ait *omnem Clericorum libertatem temporalem, tam quoad personas, quam quoad res, a secularibus Principibus esse profectam.* Sed & *nouam deliberationem, & difficilem* esse dicit, liceatne Principibus hæc Ecclesiasticorum priuilegia *aliquo casu reuocare, atque ad ius commune, & statum pristinum, rem totam reducere.* Asserit nihilominus Clericos per hæc priuilegia non exisse de subiectione Principum, neque illis alia priuilegia esse, quam quibus per Principes sunt donati.

Dicis, a te *demonstratum, summos Principes potuisse, & voluisse, Clericos a sua potestate eximere.* Hoc vero, quam non demonstraueris, imo quam aperta sit aduersum vos, legum & Imperatorum sententia, Lectoris esto iudicium. Addis potuisse Pontificem inuitis Principibus illos eximere, aut iure diuino exemptos declarare: Vtrumque iam ante refellimus. Nam nec eos diuino iure exemptos ostendit pars Theologorum præcipua, & si iure diuino non sunt exempti, non potuisse per Pōtificem ius inuitis auferri Principibus, liquet, omnino vt ad Couarruuiæ, & Soti authoritatem superiori *Capite* §. 2. respondimus. Quibus hic addis Franciscum Victoriam, & Martinum Ledesmium, & Dominicum Bannem. Nihil in iis non solutum præter duas Fr. Victoriæ rationes.

Quid ex tuo argumento consequatur, & quam nullis rationibus Barclaio obstes, quandoquidem nihil hic nouum affers, videat Lector supra Capite 33. §. 2.

§. 2.

NVnc igitur, inquis, *in capite tricesimoquarto Barclaius hæc addit.*

Ad argumentum, inquit, nunc reuertor, quod capitis tricesimisecundi initio propositum est, & respondeo nihil illud ad bonorum quorumlibet temporalium, nedum ad Regni ademptionem, pertinere. Certum enim est, & certo certius, excommunicationem, qua sola separantur, & excluduntur peruersi Christiani à consortio fidelium, & communione Ecclesiæ, nemini patrimonium, & bona temporalia auferre. Hæc ille, qui post multa verba in hac re explicanda consumpta, concludit: si non possit Papa per excommunicationem adimere patrimonia priuatis hominibus, multo minus posse per eandem censuram priuare Reges, ac Principes, Imperiis, atque Regnis.

Numquid, inquit, plus ei potestatis in Principes quam in priuatos. Dei lege tributum esse constat? aut numquid Principibus quam priuatis duriore, & deteriore conditione est viuendum; vt quod Ecclesia in priuatis nequeat, id in Principem possit exercere?

Respondeo. Cum dixi, Arietem furiosum posse per Pastorem separari, & recludi, non intellexi per separationem & reclusionem solam excommunicationem, sed excommunicationem & depositionem: quemadmodum enim Pastor non solum separat Arietem à grege, sed etiam recludit quasi in carcere, vt non amplius gregem ducat: sic Pontifex summus Regem destruentem Ecclesiam, non solum separat per excommunicationem à communione fidelium, sed etiam deponit, & in ordinem redigit, vt non amplius populos regat. Itaque tota illa longissima disputatio, qua Barclaius probat, per excommunicationem non priuari homines proprio patrimonio, superuacanea est, neque vim argumenti nostri Barclaius assecutus est, quemadmodum etiam vocem, recludere, exposuit per vocem excludere, cum exponenda esset per vocem includere, vt capite 33. docuimus.

Addo præterea magnum esse discrimen inter priuatas opes, & publicam iurisdictionem, vt etiam inter substantiam siue diuitias & potestatem siue auctoritatem: potest enim homo aliquis pauperrimus esse priuatis opibus, & iurisdictionem publicam atque amplissimam habere: & potest contra ditissimus esse auro, atque argento, agris & vineis, & armentis, & nullam habere in alios homines politicam potestatem. Ex quo discrimine fit, vt quamuis excommunicatio non priuet patrimonio proprio & opibus, & diuitiis; priuet tamen iure, & potestate commercii humani, electionum & contractuum, & similium, & simul impediat publicam forensem iurisdictionem: neque enim licet excommunicatis forensia iudicia exercere, audire causas, sententiam ferre, in sontes animaduertere, vt supra probauimus, ex Cap. Ad probandum, de sent. & re iudic.

Quamuis autem ex vi solius excommunicationis, etsi in casu hæresis & Apostasiæ, non sequatur amissio Regni, vel Imperii: tamen summus Pontifex, qui potest excommunicando suspendere iurisdictionem, vt diximus, potest etiam deponendo priuare omni iurisdictione, & potestate Regia: quæ vt in prolegomenis ostendimus, communis est Doctorum, & Ecclesiæ ipsius sententia: Nec tamen hinc sequitur plus habere potestatis Pontificem in Principes, quam in priuatos: nam priuati non possunt deponi a Regno, quia Regnum non habent, non quia minus obnoxii sint potestati summi Pastoris: & tamen possunt etiam ipsi priuari rebus, quas habent; quod fit; cum pœna pecuniaria, aut exilio, aut carcere, aut alia corporali pœna mulctantur: falsum enim est, quod Barclaius nimium sæpe repetit, corporalem pœnam in solius Politici Magistratus potestate positam esse: cuius contrarium praxis ostendit, præsertim in tribunali sancti officii.

Ais te per reclusionem Arietis, non intellexisse, *solam excommunicationem, sed excommunicationem & depositionem.* At quod supra ostendimus, non maiori ratione ex argumento tuo sequi, posse deponi à Pontifice Regem, quam occidi: quam mactari: quandoquidem in furiosum Arietem id Pastori etiam licet. *Vim igitur argumenti tui*, quidquid dicas, *Barclaius assecutus est*, sed & vitiũ prosecutus. Neque aliud ea ratione probaueris, quam Pastorem spiritualem posse omnibus modis sibi concessis furiosos vlcisci arietes, & a grege arcere: Modis, inquam, sibi cõcessis; nam si simpliciter *omnibus* modis dicas, erit hæc quam absurda tam infanda sententia, quæ etiam Principum sanguinem Papæ donet, vt tam eos occidere, quam deponere liceat. Admisso igitur argumento, superest vestigandum, quinam illi modi sint. Excommunicationem esse fatemur, seu exclusionem a Sacramentis. Tu ais, depositionem quoque esse. At palam id ex argumento non inferri; non depositionem, inquam, magis quam cæteros modos, quos nec tu ipse neges spirituali Pastori esse illicitos. Per verbum autem *recludere*, includere, an excludere significaueris, equidem parum moror.

Dicis esse discrimen, *inter priuatas opes, & publicam iurisdictionem*; Nec patrimonia excommunicatione auferri, sed forensem iurisdictionem. At nos ante ostendimus *Cap. 33. §. 3.* hoc nõ in Regibus locum habere: vbi etiam argumentis, quæ ex Canonico iure habes, ac inter cætera Capitulo *Ad probandum*, quod hic profers, respondimus.

Vis tamen ex hac tua sententia non sequi, quod infert Barclaius; nempe plus iuris fore Pontifici in Principes, quam priuatos, cum hos de Regno quidem possit, at non illos de patrimonio, excommunicatione deiicere. *Nam priuati*, inquis, *non possunt deponi à Regno, quia Regnum non habent.* At ego non, Regnum esse patrimonium Regum, tum quod succedant in Regnum hæreditatis iure, tum quod Regnum non iurisdictionem solam habeat, sed opes etiam, possessiones, pecunias, quæ non possunt a priuatis per excommunicationem tolli: vt omnino effectus

ctus maior sit excommunicationis in Reges, si ab iis hæc omnia possit auferre. Nam quod addis, posse priuatos etiam per Ecclesiam *priuari rebus, quas habent, quod fit cum pœna pecuniaria, aut exilii, aut carceris, aut alia corporali pœna mulctatur*, satis ante diluimus, C. 3. §. 14. Ineptissimũ vero, quod id constare dicis ex praxi; *Præsertim in tribunali sancti officii.* Nã quis nescit sanctũ illud officiũ hac in priuatos authoritate vti, non Ecclesiastica iurisdictione tantum, sed cõsensu Principũ, atque iussu? Romæ quidem satis est Pontificis ad hanc rem concessio, vtroque scilicet Magistratu fungentis. At extra patrimonium Petri, nulla huic officio authoritas, etiam in populis omnino Catholicis, nulla iurisdictio, nisi Principum, aut Rerumpublicarum accedat authoritas; Vel ex Gentibus patet, quæ illud omnino *officium* apud se repudiauerunt admittere: ex suppliciis denique, & modo agendi, qui nullibi vnquã similis in Ecclesia, seu pœnarum genera æstimes, seu infligendi rationem.

Ais, *ex vi solius excommunicationis*, non semper sequi amissionem Regni, sed summum Põtificem posse *excommunicando suspendere iuris dictionem*. Quid hoc est dicere? Pone excommunicatum Regem, & suspensam ideo iurisdictionem, quid Populus, quid Optimates, quid Iudices? certum quidem, Iudices omnes in Regno, a solo Rege iurisdictionem accipere: certum quoque multa negotia nisi per solos Reges expediri non posse: Quid igitur Regno fiet, cum suspensa iurisdictio Regis erit? nonne & omnium iudicum suspensa authoritas? Quis legatos exterarum gentium audiet? quis obeuntibus, vt in amplo & numeroso Regno Iudicibus, sufficiet nouos? quis respondebit libellis supplicibus? quis maleficia coercebit? quis furta? quis cædes? quamdiu denique suspendi hæc iurisdictio potest? Meræ tenebræ, & in orbis perniciem funesta sophismata. Denique (vt luditis in Principum & Populorum fatis) apud vos cõtrouertitur, an omnis excommunicatio maior priuet Principes suo iure. Tu hic negas; at asserit Dominicus Bannes, in 2. 2. q. 12. art. 2. *Secundo aduertendũ est*, inquit, *circa illam cõclusionẽ, quod non tantum priuantur dominio Principis propter excommunicationem latam aduersus Apostatas & hæreticos, verum etiam propter quamlibet excommunicationem maiorem, dummodo sint manifeste excommunicati.* Quam hic noctem facitis nobis? Quam horrendum, atque indignum, vt diuina summorum Magistratuum purpura, diuina, inquam, & a Deo potestatem accipiens, ad hoc nuper natum scholarum limen pendeat, & nunc laxius, nunc strictus, nunc seuerius, nunc benignius, de se ferri sententias audiat, ex amore, ex odio, ex cerebro, ex scrupulo scripturientium expectans, qui Reges sint, quandiu Reges, quid denique Reges possint? Ais etiam, esse *Ecclesiæ ipsius sententiam*, quod deponi a Pontifice Reges possint. Quid hoc est dicere, nisi illam sententiam esse de fide? Quid, inquam, aliud *Ecclesiæ esse sententiam*? qui hoc vero audeas dicere, tantæ vir, tantæ integritatis opinione? cum certissimum, cum ex vestrarum partium vicis notissimum, prorsus etiam in confesso, nullo modo, nullo tempore, hanc rem ab Ecclesia definitam, aut inter fidei articulos esse relatam? Non id passus est Veritatis author Deus; non patietur immaculatæ cultor Sponsæ. Tu interim vide, ne laqueos tendens, siue rudibus, siue omnia credentibus tibi, in crimine apud illum sis, qui humanis animis inutilia, imo ficta onera, vetat imponi.

§. 8.

ADDIT *postea*, inquis, *Barclaius aliam rationem, quam in forma syllogistica ratiocinationis hoc modo disponit.*

Summus Pontifex non habet nunc maius imperium in Principes temporales, quam habuit antequam ipse esset Princeps temporalis:

At qui antequam esset Princeps temporalis nullum in eos temporale imperium vllo modo habuit.

Ergo nullum nunc quoque in eos vllo modo habet.

Et quoniam propositio manifesta videtur, probat assumptionem hoc modo.

Nemo inferior, & subiectus habet imperium in suum superiorem, & dominum, vt possit eum iudicare in eo ipso in quo est ei subiectus:

Papa autem, antequam fieret Princeps temporalis, erat Regibus & Imperatoribus, quantum ad temporalia, inferior & subiectus:

Ergo non habet in eos temporale imperium, vt possit eos in temporalibus iudicare.

Respondeo. Assumptio prioris syllogismi falsa est, proinde etiam falsa conclusio est: Siquidem summum Pontificatum, quod habet in temporalibus supra Reges, & Principes Christianos, non acquisiuit ex Principatu tẽporali, quẽ nũc possidet, sed habuit a Christo, quãdo ab eo accepit potestatẽ Apostolicã, & supremã supra omnẽ Ecclesiam, vt esset ipsius Vicarius generalis, Caput, & Rector, & Pastor, & Princeps omnium fidelium: quamuis enim vt sæpe dictum est, ea potestas in se spiritualis sit, tamen extenditur ad temporalia eo modo, quo spiritus humanus, quamuis vere, & proprie spiritus sit, non corpus, vel corporalis, tamen regit membra corporis, cui præsidet, & ea castigat, & punit, prout ad salutem expedire cognoscit. Quare probatio assumptionis in posteriore syllogismo, nullas vires habet, nam assumptio quoque syllogismi posterioris est falsa, ac per hoc est etiam totius syllogismi falsa conclusio: siquidem falsum est, summum Pontificem fuisse vnquam Regibus, & Imperatoribus iure subiectum: neque id probauit Barclaius, quod vt probatum assumit.

At, inquit, aduersarii dicunt, exemptionem personarum Ecclesiasticarum iure humano introductam esse.

Respondeo. Bellarminus, qui citatur in margine non dicit iure humano solum, sed iure humano & diuino. Deinde illi ipsi, qui exemptionem Clericorum dicunt esse de iure humano, addunt eam, quoad personas, esse

valde conformem iuri naturali, & diuino, vt perspicuum est ex Dominico de Soto in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. conclus. 5 Praeterea iidem authores, qui negant exemptionem Clericorum esse de iure diuino diserte affirmant, summum Pontificem potuisse, & debuisse eximere Clericos, etiam Principibus temporalibus inconsultis: neque posse temporales Principes contrarium suis legibus cõstituere, vt supra notauimus ex Victoria, Soto, Ledesmio, Bannesio, & Couarruuia: falsum est igitur quod tot verbis inanibus hoc loco Barclaius repetit de exemptione solo Principum priuilegio, & munere, Clericis concesso.

Liquidissimo Barclaii argumento tenebras frustra paras. Nam quid tu in contrarium, Bellarmine? Falsum esse Pontifices primis illis & antiquis Principibus de iure fuisse subiectos. Nihil aliud obiicis: cui consequitur, veram esse Barclaii rationem si probetur verum esse, Põtifices illis Imperatoribus de iure fuisse subiectos. Atqui id passim hoc libro non dubia ratione iam euictum; Cum & Paulum Apostolum ostendimus subiectum de iure Tyberio, cum etiam eius sententiam de obsequio Potestatibus deferendo, *quæ non sine causa gladium portant*, ex antiquis Patribus asseruimus, cum Augustinum, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Magnum, cæterosque protulimus Patres, qui vno ore Ecclesiasticos viros sæculari Potestati in sæcularibus subiici dicunt. Tu ipse denique in libris de Romano Pontifice hanc sententiam sequutus es. Cui consequitur te ibi contrariis implicatum sententiis, cum hanc primorum subiectionem Pontificum, simulque potestatem abdicandorum assereres Regum. Quandoquidem in hac *demonstratione* Barclaii, qua negatur hæc Põtificum potestas in Reges, nihil aliud inuenisti, quod carperes, nisi quod ait Pontifices fuisse olim Regibus & Imperatoribus iure subiectos.

Demonstrationem dixi Barclaii, ob vim liquidissimam argumenti; Nam ipso meridiẽ clarius, admissa Pighii, cæterorumque Theologorum sententia, qui (quod res est) fatentur, Apostolos de iure Principibus fuisse subiectos, Barclaii syllogismis euinci, non posse a Pontifice Principes in temporalibus iudicari, syllogismis, inquam, Barclaii, quos ex eo, initio huius paragraphi, descripsisti.

Quæ repetis, de exemptione Clericorum, superioribus Capitibus satis excussimus. Neque Barclaius inania vt frustra iactitas, sed rectæ rationis hic tu inanis.

§. 4.

TRansiit postea Barclaius, inquis, *ad tertiam partem rationis quintæ principalis pro potestate summi Põtificis in temporalibus, omisso enim quæ ipse repetit ex capite XV, quæ ibidem refutata sunt, sic autem loquitur. Superest supremum Bellarmini argumentum, in quo refutando non multo opera est. Tertium inquit argumentum est: Potest Pastor ac debet omnes oues ita pascere, vt eis conuenit: ergo potest Pontifex Christianis ea iubere, atq; ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum secundum statum suum tenetur, id est, singulos cogere, vt eo modo Deo seruiant, quo secundum statum suum debent: debẽt autẽ Reges Deo seruire defendẽdo Ecclesiã, puniendoq; hæreticos, & schismaticos: ergo potest ac debet Regib. iubere vt hoc faciant, & nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliasque commodas rationes.*

Ad hoc argumentum Barclaius respondet, si agatur de pastu, & pœnis spiritualibus, totum argumentum concede posse: tenetur enim Summus Pontifex pascere omnes Christianos pastu spirituali: nam ad pascendum pastu corporali, facultates eius quantumuis amplæ sint, nullo modo sufficerent: sic etiam tenetur cogere omnes ad officium suum pœnis spiritualibus, quarum grauissima excommunicatio est, sed vlterius progredi nõ potest: & allegat ad hoc probandum Ioannem Driedonem in lib. 2. de libertate Christiana c. 4.

Sed hæc Barclaii responsio supra refutata est multis in locis. & nunc ex ipso Driedone, quem ipse citat, refutari potest: scribit enim Barclaius a Driedone nullã aliam iudicii, & correctionis Papalis in Imperatores delinquentes pœnam, nisi solam excommunicationem poni. At Ioannes Driedo repugnat Barclaio, eumque his verbis confutat lib. 1. de libert. Christiana c. 14. verum hoc non est silentio prætereundum, quod Papa ex plenitudine potestatis super vniuersos Principes Christianos, potest Reges ac Principes propter hæresis crimen priuare suis Regnis, atque Imperiis, & in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia, & subiectione eorum. hæc Driedo, quem in patronum sententiæ suæ allegauit Barclaius, qui certe insignis Doctor Ioannes Driedo non poterat clarius mendacium & imposturam Barclaii redarguere. Quod ergo nos diximus, & docent omnes Catholici, posse Pastorem summum Christianorum cogere omnes ad officium suum præstandũ in obsequium Dei, non intelligitur de sola coactione per excommunicationem, sed etiam per priuationem Regnorum, & Principatuum, si ad salutem gregis idem Pastor expedire iudicauerit.

Quid tu iam cauta fuga abis a solutione Barclaii, quam primum tuo argumento adhibet, mox confirmat ex Driedone? Tu ea omissa ad Driedonem etiam fugis: sed te retraho. Quid aut pro te, aut in Barclaium dicas? Ais, in tuo argumentum, deberi ouibus pastum, Barclaius addit *spiritualem*. Dicis Pontificem posse imperare Regibus, *per commodas rationes*, ne ab officio abeant: concedit Barclaius, sed addit has commodas rationes spirituales esse per quas plectatur anima, non temporalia auferantur. Tu ad illa nec verbum. Denique ad Driedonem venit. Dicit Barclaius illum solam excommunicationem Pontifici tribuere in Reges potestate abutentes. Driedonis locum notat. *lib. 2. cap. 2. de libert. Christ.* Tu patruum agis, imo hostem triumphantem. Ais Driedonem *mendacium & imposturam Barclaii redarguere*, quia alibi, scilicet, *libro primo de libert. Christ. Cap* 14. dicit Reges propter hæresim a Pontifice posse deponi. At his ipsis iam ante respondimus Cap. 2. §. 9. & Cap. 13. §. 5. Nimirum, non dixisse Barclaium, vbique pro

Regibus

Regibus sentire Driedonem: sed apud illum eiusmodi extare sententias, quæ cum hac indirecta potestate nequaquam consentiant. (Nam quis nescit validissimum argumenti genus esse, quod ex ipsis aduersariorum scriptis depromseris, sicubi sibi contrarii, & inconstanti seipsos refutant sententia) Deinde nec rectum sentire Driedonem, qui in solo hæreseos casu posse a Pontifice abdicari Reges scribit. Verum igitur, quod hic de Driedone Barclaius, eum *lib. 2. cap. 2. de libert. Christ.* solam excommunicationis vim, non etiam depositionis in Reges tribuisse Ecclesiæ, licet Regibus alibi, non scelestis & ineptis, vt tu facis, sed tantum hæreticis, censorem, qui eos mouere loco possit, Papam esse contenderit.

CAPVT XXXVII.

Oziam, nunquam fuisse per Pontificis sententiam regno priuatum; Sed tantum, vt diserte Dei lege iubebatur, ob lepram separatum à Populo. Similitudinem spiritualis & corporalis lepræ inconcinne in Reges à Bellarmino aptatam.

Titulus est apud Bellarminum.

Defenditur primum exemplum allatum pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. 1.

IN capite tricesimo quinto, & tricesimo sexto, inquis, *refert & refellit Barclaius argumenta quædam Nicolai Sanderi, quam totam disputationem omittendam hoc loco esse censui, quoniam non suscepi omnia probandi omnia argumenta, quæ a Catholicis scriptoribus proponuntur esse insolubiles demõstrationes. Scio multa interdum probabilia admisceri argumentis solidioribus, quæ quamuis per se ac sola vim persuadendi non habeant, tamen addita firmioribus argumentis, non parum iuuant ad rem, de qua agitur, confirmandam. Itaque conclusionem Sanderi, quæ communis est inter Catholicos scriptores, aduersus Barclaium, cuius manus sunt contra omnes, vt scriptura de Ismaele loquitur, defendendam mihi desumpsi, & simul ad ea, quæ propter aduersus mea scripta Barclaius obiecit respondendum mihi esse iudicaui.*

Non est cur tam frigide Sandero patrocineris, cuius authoritatem laudauisti, vt eximii vestrarum partium Ducis. *Vide*, inquis, *plura apud Nicolaum Sanderum Lib. 2. Cap. 4. de Visib. Monarch.* Nunc perculsum deseris, nec audes repugnare Barclaio, de eo pronuntianti, illum *nescio quo affectionis animi fumo vsque adeo fuisse occæcatum, vt non viderit se multa non solum falsa & aliena, sed etiã à communi sensu & rationis iudicio abhorrẽtia, pro certis & solidis argumentis vsurpare.* Ait quippe Sanderus, ex eo temporalem Pontificis potestatem asseri posse, quod Sauli ablatum fuerit Regnũ, quia diuina mandata ei per Samuelis ministerium nunciata neglexerat, ex eo quod Propheta Ahias prædixerit Jeroboam decem tribubus præfuturum: ex eo quod Elias ignem deuocarit e cœlo, qui quinquagenarios in eum ab Ochozia missos absumeret. quæ omnia quam a nostra quæstione, aliena! quam etiam ridicule ad vestram detorta sententiam! Sed rem a Barclaio actam, te in contrarium nihil auso, non rursus hic ago. Non etiam moror, quod *omnes Catholicos scriptores* in Barclaium stare dicas, quod nemo tibi credat nisi & sæculi nostri expers, & antiquæ ignarus historiæ.

§. 2.

IGitur in capite tricesimo septimo, inquis, *refert argumentum meum primum ab exemplo, & figura veteris testamenti ductum. Hæc autem est argumenti summa. Ozias Rex in lib. 2. Paralip. Cap. 26. cum Sacerdotũ officium vsurparet, & a Sacerdotibus repulsus non acquiesceret, continuo lepra diuinitus percussus fuit, atque iudicio Sacerdotum separatus à cœtu populi, seorsim in domo solitaria habitauit vsq; ad obitum: ex quo factũ est, vt Regni administratione priuatus fuerit, & filius ipsius in ciuitate populum iudicauerit. Hinc argumentũ eiusmodi conficitur: Si ob lepram corporalem poterat Sacerdos olim Regem iudicare, & Regno priuare: quare id non poterit nunc propter lepram spiritualem, id est, propter hæresim, quæ per lepram figurabatur, vt S. Augustinus docet lib. quæst. Euangel. quæst. 40. præsertim cum 1. Corinth. 10. Paulus dicat contigisse Iudæis omnia in figuram?*

Ad hoc argumentum respondet Barclaius, Iudicio Sacerdotum fuisse Regem Oziam propter lepram separatum à reliquo populo, & eodem modo posse nunc Regem iudicio Summi Pontificis propter hæresim separari per excommunicationem a cœtu fidelium: negat autem fuisse Regem Oziam Regno priuatum, & propterea etiam negat, posse Regem a Pontifice propter hæresim Regno priuari. Quod autem non fuerit Ozias Regno priuatus, probat ex eo, quod scriptura testatur anno ætatis sextodecimo regnare cœpisse, & quinquaginta duobus annis regnasse 4. Reg. 15. & 2. Paralip. 26. proinde regnasse ab anno sextodecimo vsque ad mortem. Idem etiam probat ex eo, quod eadem scriptura dicit: Ioathan filius Regis gubernabat palatium, & rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ: hinc enim colligitur, filium Regis, non authoritate propria, sed nomine Patris sui ægrotantis Regnum administrasse: hæc Barclaius.

Respondeo. Ozias lepra percussus retinuit quidem nomen Regium, sed inane: filius vero eius sine Regio nomine Regnum cum plena potestate administrauit: ad verbũ disertis testatur Iosephus lib. 9. Antiquitatum, cap. 11. vbi dicit, Oziam priuatum vixisse in domo solitaria & filium eius Rempublicam administrasse, quod idem satis aperte indicat scriptura, cum ait, filius Regis iudicabat populum terræ: neque addit id eum fecisse iussu Patris, aut Patris nomine, neque toto eo tempore, quo Rex percussus lepra mansit in domo solitaria, vllam partem

regimi-

regiminis ad eum vllo modo pertinuisse. Atque hoc intellexi, cum in argumento dixi, coactum fuisse Oziam filio Regnum renunciare: per Regnum enim non vocabulum Regis, sed authoritatem significaui: quam authoritatem Pater non retinuit, sed priuatim vixit vt Iosephus loquitur. In hoc igitur vis argumenti ab exemplo ducti posita est, quod quemadmodum Rex Ozias lepra percussus iudicio sacerdotum coactus est habitare in domo solitaria, & Regni administratione dimissa priuatus viuere: sic etiam Rex hæreticus iudicio Summi Sacerdotis per excommunicationem separari possit à cœtu piorum, non solum quoad Sacramentorum, & precum communicationem, vt Barclaius admittit, sed etiam quoad forense iudicium, & Regni administrationem, quod Barclaius negat. At Oziæ relictum est nomen Regium. Verum id quidem, sed non ideo nomen Regium relinqui debet homini propter hæresim excommunicato, atque deposito: nam lepra spiritualis, deterior est lepra corporali: & Sacerdos Christianus præstantior est Sacerdote Leuitico, & res figurata perfectior est, quam sit ipsa figura; Sic enim Agnus Paschalis par nō erat Christo crucifixo, & Manna inferior est Eucharistia, & Circumcisio baptismum non æquat.

Quod autem Barclaius disputat de differentia authoritatis regnandi, & administrationis Regni, non facit ad rem, tum quia Ozias non sola administratione, sed etiam authoritate priuatus fuisse dicendus est, vt Iosephus dicit, eum priuatum in magno mœrore vixisse post acceptam plagam lepræ: tum etiam quia Barclaius non concedit Regem hæreticum posse priuari administratione Regni. sic enim ipse loquitur pag. 312. Quod autem dixi Papam posse separare Regem hæreticum à communione fidelium per excommunicationem de separatione spirituali animorum, non corporum intelligendum est. subditi enim Regi excommunicato obsequium denegare non debent. hæc ille, qui sine dubio, vt etiam supra docuit, non permittit posse per Pontificem interdici Regi hæretico administrationem Regni, & curatorem illi dari, vt ipse fatetur, datum esse Regi Oziæ filium Curatorem. Quare falso postea dicit, figuram Oziæ, lepra, separationis, bellissime conuenire cum Rege, hæresi, & excommunicatione: & ex hac figura temporalem Pontificis potestatem omnino fictitiam, vsurpatam, atque à iure diuino alienam ostendi. Quomodo n. figura cū re figurata cōcordat, si in figura ponitur Rex coactus habitare in domo solitaria, & negocia Regni nulla tractare: in re figurata ponitur Rex libere in Vrbe regia residere, & ius dicere, vt antea faciebat? Et si veritas figuræ requirit, vt nihil minus, sed potius aliquid amplius in re figurata reperiatur, quam in ipsa figura: ideo necesse est, vt Rex hæreticus per sententiā Pontificis administratione Regni, & ipsa quoque authoritate priuetur, quo modo ex hac figura temporalis potestas Papæ fictitia, & vsurpata, & à iure diuino aliena monstratur? Maneat ergo argumentum nostrum ab exemplo apposite ductum esse, neque à Barclaio potuisse conuelli.

Putas igitur Oziam *retinuisse nomen Regium, sed inane*; mox addis, eum *non sola administratione, sed etiam authoritate priuatum*. Dic paucis; an vere Rex fuit Ozias ad mortem, an non fuit? si fuit; falsum est eum retinuisse inane nomen Regis; falsum quoque non administratione modo, sed & authoritate priuatū (quippe Reges q; siue ætate, siue morbo, ab administratione excidunt, authoritatem tamen seruant, qua administratores Regni sub iis omnia procurant negotia, qua etiam ipsimet sublato aut mentis impedimento, aut ætatis aut morbi, ad gubernacula tutius accedant) Si non fuit Rex; ergo Scriptura mendax, quæ eum ab anno ætatis decimo sexto, ad annum sexagesimum octauum Regem fuisse dicit; mendax quoque Iosephus Scripturæ adstipulator. Quam n. hæc luculenta verba scripturæ, *regnasse, Regem fuisse &c.* Quibus tu nebulas facis futili, & indigno argumento: Quia nempe Iosephus scribit, *Oziam priuatū vixisse in domo solitaria*. Quid hinc colligis? *priuatum* hic dici, quasi publica dignitate spoliatum? Iterum dico; ergo Scriptura errat, ergo Iosephus etiam sibi repugnat. Scribit enim ibidē, mortuum Oziam anno Regni sui quinquagesimo secūdo, ætatis sexagesimo octauo, cum decimo sexto regnare cœpisset. Igitur *vixisse priuatum*, Iosephus intellexit, vixisse solitarium, & à turba semotum, quæ & verbi vis, & Iosephus luculenter ostendit, qui aperte Oziā, licet priuatim viuētem, tota vita Regno potitū scribit. Quam antē absurdū, vnius dubii & æquiuoci nominis significatione niti, ad euertendā sententiam, quæ tum in Scripturis, tum in ipso Iosepho liquidissimis cōcipitur verbis? Lucem pleno Soli, si plura huic rei argumenta. Ipsa Scripturæ lectio (4. *Reg.* 15. 2. *Paralip.* 26.) pro omnib. argumentis est, semper Oziam Regem vocat, semper illius filiū Ioathā filiū Regis; amissi Regni nulla mētio: dicit illū, *habitasse in Domo separata plenū lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini*. Cur non vero dixisset, ob quam de Regno eiectus fuerat?

Certum denique hunc Oziam non ob peccatum, aliquod, sed ob lepram à Pontificibus iudicatum. Nā vt alios Israelis Reges omittam, quos homicidas, sacrilegos, Idololatras, tamen Pontifices non vlti sunt; hic ipse Ozias cum *adoleret incensum super altare thymiamatis*, quod vtique scelus fuit, non est aliter, quam irrita verba, & salubre monitum, à Pontificibus castigatus. *Egredere de sanctuario*, inquiunt, *ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo*. At mox vbi *orta est lepra in fronte eius*, Sacerdotes eum è templo expulerunt. Ecce vt non ob peccatum aliquod, sed ob lepram, Sacerdotum iudicium subiit. Non ergo quid grauius in eum statui potuit, quam quod in leprosos omnes per Sacerdotem statui Deus iussit, Nempe vt à cœtu filiorum Israel separarentur. At nullibi in Lege vestigium, hos leprosus de suarum rerum dominio excidisse, aut aliquid illis ablatum, præter celebritatem populi, hominumque conuentus. Cur igitur somniare liceat, Bellarmine, Oziam Regem, nouo more, noua pœna, ob lepram affectum, adeo vt & Regni iure priuatus sit; cum nihil in Scriptura, quo hanc insolentiam doceamur, nihil etiam in Iosepho sit, nihil denique in Rabinis: Et e contrario, ipsa Scriptura testis sit, non Regno illum prius caruisse, quam vita?

Res igitur sic se habet. Ozias lepra percussus nec iure regnandi, nec authoritate priuatus, ex præcepto tamen legis, in separata ac libera habitans domo, gubernationis onus reiecit in filium, cum vis morbi perpetua eum vrgeret: nihilominus si aut noua sancire edicta aut aliquid in ciuilis administrationis legibus mutandum censuisset, illum procul dubio audiisset populus, vtpote Regem, & obtemperasset Ioathan, qui non Rex, sed filius Regis; qui nō Rex, inquam, sed Regis Vicarius.

Venio ad similitudinem spiritualis, & corporalis lepræ: dicis hanc non posse satis aptari, nisi fateamur Regem hæreticum ad exemplum Oziæ leprosi de Regni administratione deiici posse. *Quomodo enim*, inquis, *figura cum re figurata concordat, si in figura ponitur Rex coactus habitare in domo solitaria, & negotia Regni nulla tractare: in re figurata ponitur Rex libere in vrbe Regia residere, & ius dicere, vt ante faciebat?* Primum nego concessum à nobis, Oziam negotia Regni nulla tractare potuisse: Erat quidem ita solitarius, vt non solus; per ministros corporis poterat ius dicere, quid in legibus, aut iudiciis statui vellet, ad populi notitiam transmittere: sed diximus, incommodum omnino extitisse, tum propter ipsum morbum, tum ob separationem illam a populo, vt munia Regis obiret; ideoque filium Regis egisse Regni Patrisque Curatorem. Sed demus, quod dedisse nos fingis. Non exacte collegeris, si lepra corporalis administrationem Regni adimat, idem quoque de spirituali lepra dicendum: istæ res alioqui non essent *figura & figuratum*, sed res eadem, non figurata inquam spiritualis lepræ vltio, sed repræsentata Iudæis iā fuisset. Satis est, vt bellissime hæc figura aptetur, leprosum spiritualiter Regem a spirituali cœtu per excommunicationem posse expelli, vt olim corporali lepra percussus, extra ciuitatem habitare coactus est. At, inquis, *veritas figuræ requirit vt nihil minus sed potius aliquid amplius in re figurata reperiatur, quam in ipsa figura.* Miror hominem tot annos pietati deuotum, non vidisse, quam sit amplius ab Ecclesia per excommunicationem deiici (quæ spiritualis lepræ pœna est) quam à ciuili repelli consortio, quæ Iudæis corporalis lepræ pœna. Sic enim multo *aliquid amplius in re figurata reperitur, quam in ipsa figura.*

Sed nimis longus sum in hac parte, cum nihil liquidius in Scripturis, aut in historiis, quā Oziam nullo vitæ momento Regni iure à Sacerdotibus fuisse priuatum.

CAPVT XXXVIII.

Athaliam, quæ tyrannice in Iudaicum regnum inuaserat, regno vitaque priuatam Pontificis Iotadæ consilio atque ductu, non ob idololatriam, nec speciali aliqua authoritate Pontificalis officii, sed gentium iure communi.

Apud Bellarminum titulus est.

Defenditur secundum exemplum pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. 1.

P*Roponit deinde Barclaius*, inquis, *in capite tricesimo octauo secundum exemplum a nobis adductum ex Lib. 2. Paralip. cap. 23. vbi narratur, Athaliam Reginam fauentem superstitioni, & idololatriæ Baal à Pontifice Iotada Regno & vita fuisse priuatam, & Ioas Regem in eius locum constitutum.*

Ad hoc exemplum refutandum sternit sibi Barclaius viam digressiuncula quadam, ex confictis rumoribus, & falsa maledicentia in Pontifices. Scribit enim hoc exemplum à me allatum, ne in diligentiæ, aut præuaricationis apud Sixtum V. Pontificem accusarer, si illud ab aliis antea notatum omisissem. At ego multo antequam Sixtus V. Pontifex crearetur, hæc scripseram, & in scholis dictaueram: deinde si tam multa alia exempla prætermisi, quæ in Sandero legeram, vt Barclaius ipse testatur, cur timere debui offensionem Pontificis, si istud vnum prætermitterem? Quod vero addit Barclaius Sixtum V. in animo habuisse ordinem Iesuitarum ad arctiorem formam viuendi, atque ad certum vestimenti genus cogere, fabulæ sunt hominum otiosorum: & mirum est Barclaium in his etiam nugis referendis voluisse tempus consumere. Quod vero adiungit Bullam eiusdem Sixti V. qua Pontimussanæ Academiæ perpetuus Rectoratus Iesuitis adducitur, supposititiam vel obreptitiam videri, & quamuis vere sit à Sixto concessa, valere tamen non debere, quia statim ab eius creatione fuerit impetrata: non iam ad fabulas, vel nugas, sed ad calumnias & maledicentiam pertinet: quasi non potuerit idem Pontifex toto illo quinquennio, quo Pontificatum gessit, eam bullam reuocare, si supp.sititiam aut obreptitiam, aut fraude extortam didicisset.

Scripseris, & in scholis dictaueris ante Pontificatum Sixti V. at certe eo sedente has controuersias emisisti in lucem, illi etiam nuncupasti. Quam autē acriter offensus sit, quod illi indirectam tantum potestatem concederes, Orbi notius, quam vt neges. Neque mirum, si non omnia quæ in Sandero sunt transtulisti, cum is prorsus aliena miscuerit, tu elegeris saltem veri specie adumbrata.

De Bulla Pontimussanæ Academiæ vide quid respondeas, dixit Barclaius, & firmauit authoribus, res statim à Pontificum creatione ab iis impetratas, non impetratas censeri, sed extortas, certum etiam esse eiusmodi tempore scriptam hanc Bullam, nempe cum inaugurareter Sixtus. Nil respondes, nisi potuisse Pontificem reliquo quo vixit tempore eam Bullam reuocare, si suppositiam, aut obreptitiam, aut fraude extortam didicisset. At repono, de hac causa neutiquam interpellatum Pontificem, vt non mirum si in tot curis, & pene im-

mensis

mensis vnius Bullæ memoria excidit. Iuris quippe Ciuilis & Canonici professores, cum non ferrent eiusmodi Bullam, prohibuit quorundam gratia Carolus Lotharingiæ Dux Pontificiũ tribunal appellare: cuius rei complures adhuc testes vi abalbet. Sic Pontifex *discere non potuit, num hæc Bulla fuerit suppositita, aut abreptitia, aut fraude exterta.*

Si fabula autem fuit, *Sixtum V. in animo habuisse ordinem Iesuitarum ad arctiarem formam viuendi, atque ad certum vestimenti genus cogere*: certe fabulosi Iesuitæ, & innumeri homines, qui tunc Romæ agitabant. Sed hæc omitto. Absit enim in Pontificem exornentur, aut Iesuitas hæc scripta. Ius Regum, ius diuinum; ius veritatis propugnandum suscipio. Hic vnus mihi scopus; nec animus vllum mortalium violare, nisi si cuius insolentiam importune obuiam in tam sancto patrocinio accusari necesse sit.

§. 2.

SED *his amissis*, inquis, *ad exemplum Ioiadæ Pontificis Athaliam Reginam exauctorantis, respondet Barclaius, exemplum illud ad rem non facere, quod Athalia nullo iure regnaret, sed immani tyrannide per vim, & scelus Regnum occupasset.*

At verum quidem est, initium Regni Athaliæ tyrannicum, & violentum fuisse: sed cum annis sex quiete regnauerit, credibile est, populum consensu suo Regnum approbasse, præsertim cum ignoraretur, superesse adhuc vnum ex filiis Regis defuncti, & fama esset, omnes omnino interiisse. Neque nouum, aut insolitum est, vt initia Regnorum sint violenta & tyrannica, & tamen paulo post consentiente populo Reges legitimi habeantur. Ipse certe Augustus, qui Imperator optimus habitus est, Remp. iniuste initio oppressit, & Principatum sibi armis violenter vsurpauit. Otho Galbam occidit: Vitellius Othonem eiecit: Vespasianus Vitellium, & omnes tamen Imperatores à Senatu, Populoque Romano salutati sunt. Quid atrocius, quam quod Philippus gessit, cum Gordianum Imperatorem legitimum sustulit, & Imperium eius inuasit? & tamē ipse quoque legitimus Imperator habitus est. Mitto Odoacrem Herulum, Gothos. & Longobardos inuasores Italiæ, & alios prope innumerabiles, qui per vim Regna occuparunt, & postea tamen accedente consensu populorum Reges legitimi habiti sunt.

At, inquit Barclaius, Sacerdos Ioiada, non authoritate propria Athaliam deposuit, sed hortatus est Centuriones, & milites, & cum illis in Athaliam conspirauit. Sic enim scriptura loquitur, Misit Ioiada Pontifex, & assumens Centuriones, & milites, introduxit in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus.

Et hoc verum est, sed non impedit quominus Ioiadæ authoritate Regina deposita fuerit. Sacerdos enim non poterat solus implere quod proposuerat, ideo Centurionibus & militibus ad se accersitis, exposuit illis propositum suum deturbandæ Reginæ de solio, tum ob alia crimina, tum quod falsam Religionem Baal foueret: neque simplici promissione militum contentus esse voluit: sed fœdus cum eis iniit, & adiurauit eos, vt fortiter proposito suo cooperarentur. Denique ipse armauit milites tradens eis hastas, & reliqua arma Regis Dauid, quæ erant in domo Domini, ipse iussit interfici Reginam, ipse nouum Regem coronauit, ipso authore totus populus templum Baal euertit, & aras Idolorum destruxit, & sacerdotem Baal aram ante ipsam occidit.

Nihil apud vos crebrius, aut importunius hoc exemplo Athaliæ, quæ fœda, & cruenta Reipublicæ occupatrix, nepotibus & aliis Regiæ stirpis occisis, in Regnum inuaserat, *& propterea*, vt recte Barclaius, *in ea causa fuit, vt iniussu Ioiadæ sacerdotis, cædi iuste à quolibet priuato potuerit. Sed quia tale quid tentatu periculosum, & factu difficile videbatur, aduersus eam, quæ defuncti Regis Ochoziæ mater erat; idea Ioiadæ Pontificis consilio & auxilio erat opus: aut certe alterius cuiuspiam, qui similiter vel authoritatis suæ pondere, vel sanctitatis opinione, militis & multitudinem ad id facinus egregium commoueret; atque adeo concitaret.* Tu respondes. *At verum quidem est initium Regni Athaliæ tyrannicum & violentum fuisse: sed cum annis sex quiete regnauerit, credibile est populum consensu suo regnum eius approbasse*, vt inde concludas eam legitime imperasse, ideoque non ob tyrannidem à populo, sed ob Idololatriam à Pontifice fuisse deiectam. Etiamne in re capitali Regum tuas coniecturas, & illud, *credibile est*, putas admitti? Addo, nihil *minus credibile*, quam populum consensisse in Regnum Athaliæ, nisi quo consensu multæ gentes iugum tyrannorum subeunt, donec possint amoliri. Ita & Syracusani Dionysios pertulerunt, & Athenienses patuere Pisistratis, non modo per sex annos, sed per ætates duas. Apage igitur hanc coniecturam sexennii quo regnauit Athalia. Nullum tamen præterea affers indicium consentientis in eam populi. Vide autem quæ io contrarium habeam; Primo modum, quo in Regnum inuasit. Nam vt omnis ad tyrannidem via inuisa sit, tum illa Iudæo populo ad extremum execranda, cum viderent illorum Regum stirpem, quibus parere assueuerant, illam Dauidis progeniem, cui (rebellantibus decem tribubus) adhæserant, Reges antiquos, Reges contribules, adeo radicitus per impiam eandem tolli, vt immisericors mulier etiam Regiorum infantium cunas parricidali furore scrutaretur. Secundo, Athaliam, Achabi filiam, non *est credibile* fuisse a tribu Iuda receptam in Dominam, ne cum ipsi tot bellis dominari Israeli contendissent, non modo viderentur excidisse à victoria, sed etiam Israeliticos Reges in Dauidis solium recepisse. Bellum enim inter Iudam, & Israel, à Rege Ieroboam ad Achab Athaliæ patrem, nunquā bona fide desierat. Tādem Iosaphat cum Achabo fœdus iniit, mox Ioram Iosaphati filius Athaliam duxit vxorem. Quæ fœdera vt Iudæi tolerare potuerunt, tum quia a suis ita Regibus, tum quod Principum inimicitiæ sæpissime in nuptiarum fœdera exeant, ita intolerabile hoc fuisset, Athaliam iā non vt vxorem Regis, sed vt suo ipsius iure dominam, & Reginam venerari, nec iam illum con-

Prima, *Respublica Ecclesiastica est perfecta, & sibi sufficiens, ergo in ea est potestas ad ferendas leges conuenientes administrationi Ecclesiæ: ergo si exemptio Clericorum est conueniens, potest ferri leges de tali exemptione.* At repono, non requiri ad hoc vt Resp. sit perfecta, & sibi sufficiens, vt sancire leges possit quæ valeant ad maiorem illius splendorem ac decus, sed tantum quæ ad illius statum & incolumitatem *sunt necessariæ*: qualem non esse legem de exemptione Clericorum, respectu Ecclesiæ, ostendimus supra ad Argum. Domin. Soto. Alioqui sequeretur, Remp. politicam, quæ (vt paulo post fatetur idem Victoria) *est perfecta, & sibi sufficiens*, posse leges quoq; ferre in præiudicium spiritualis potestatis, si eæ conuenientes decori & maiestati ciuili viderentur. Imo hæc *conuenientia*, vt sic loquar, vestram causam elidit. Vtrum enim conuenientius putes, vt Principes temporales, ad temporalis imperii securitatem, ac decus, retineant temporalem potestatem in Clericos, quam illis ius diuinum gentiumque concedit; An vero, vt Ecclesia hoc idem ius in Clericos inuitis Principibus detrahat, quo ipsa ornatior, & maioris dignitatis videatur? Quid si aliquando *conuenien* quoque putet, partem Laicorum a Principum iugo eximere, qui sint veluti liberti Ecclesiæ? Illud *conueniens* nimis late, nimis periculose excurrit.

Altera ratio Fr. Victoriæ: *Item Papa*, inquit, *posset propria authoritate deligere ministros Ecclesiasticos, non obstante quod potestas ciuilis contradiceret, ergo eadem ratione potest subtrahere illos a iudicio seculari.* Vana ratio; Primum enim nemo tenetur Clericus fieri, etiam ad electionem Papæ, adeo vt non sit illius, ex omnibus ciuibus Clericos eligere, sed tantum ex eo numero qui sponte animum ad Clericatum adiiciant. Videmus præterea non olim admissos ad ordinem Clericorum, quos Imperatores ad illud vitæ genus prohibebant descendere. Hinc tot leges in *Codd. Theodosiano & Iustiniano*, de iis qui ad Clericatum admitti non deberent, & vt a Clericatu retraherentur, si contra Principis legem essent admissi. Id diserte præceptum a Christianissimis, & omnino Orthodoxis Principibus, Constantino magno, Valentiniano seniore, Arcadio & Honorio, Theodosio iuniore, Leone, Iustiniano. Aperta res, ex *C. Theod. Tit. de Episc. & Cler. l.* 3. l. 6 *l.* 19. & passim illo titulo. Et in *C Iustin. Tit. de Episc. & Cler. l.* 4 *l.* 12. *l.* 16 *l.* 27. & in *Authenticis Iustiniani, Collat.* 9. *tit.* 6. *Nouel.* 123. *de sanctissim. Episcopis.* Quid quod Gregorius Magnus, Mauritii legem, qua cauebatur ne milites monasticam vitam profiterentur, admisit, imo etiam promulgauit? scribit etiam, se in admonendo Imperatore, quam iniqua hæc lex esset, reddidisse Deo quæ Dei sunt; & legem eandem ad iussum Imperatoris obseruando, reddidisse Cæsari quæ Cæsaris essent.

Nullo denique modo concludit hæc ratio Franc. Victoriæ: Nam non sequitur, si possit Pontifex deligere Clericos, quod possit *eadem ratione subtrahere illos a iudicio seculari*, non inquam, nisi præsupposito quod quicunque est Clericus, est etiam iudicio seculari subtractus. Atqui nos non quærimus an Clerici sint subtracti ab hoc foro; sed an Pontifex potuerit illos subtrahere, inuitis etiam Principibus: quod illo argumento non probes; quandoquidem illa exemptio non est de Clericatus essentia, & potuerunt deligi a Pontifice Clerici, imo olim deligebantur, qui eiusmodi immunitate non gauderent, Imperatorum legibus, foroque ciuili obnoxii.

CAPVT. XXXVI.

Reditio ad rationem Bellarmini, de Pastore, & Ariete. Durius cum Regibus agi, quam cum priuatis; si illis excommunicatio adimere possit regna; qua priuatis patrimonium non potest auferre. Ambigi ab Aduersariis, non sine Regum ludificatione, & regnorum periculo, an omnis Excommunicatio maior habeat ex vi sua annexam depositionem a regno. Liquidissimis Syllogismis probari a Barclaio nostram sententiam. Defensu Ioan. Driedonis.

Apud Bellarminum titulus est.

Defenditur secunda, & tertia pars rationis quinta principalis pro potestate Pontificis Maximi in temporalibus.

§. 1.

IN *capite tricesimo quarto,* inquis, *Barclaius post longam digressionem de exemptione Clericorum, redit ad oppugnandā secundam partem rationis meæ principalis, quam proposuerat initio capitis tricesimi secundi. Argumentum meum hoc erat. Pastoris munus est Arietes furiosos atque ouile destruentes separare, & recludere: Princeps autem est Aries furiosus, atque ouile destruens, quando est Catholicus fide, sed adeo malus, vt multum obsit Ecclesiæ, & Religioni, vt si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat, & c. ergo poterit Pastor Ecclesiæ eum recludere, & in ordinem redigere.*

Ad hoc argumentum respondit in illo capite tricesimo secundo Barclaius, totum argumentum posse concedi, quoniam ex eo nihil aliud efficitur, nisi posse Principem malum, & Ecclesiæ noxium separari a gregis consortio per sententiam excommunicationis. Nos vero eam responsionem in capite XXXIII. refutauimus, ad quam Lectorem remittimus.

Quid ex tuo argumento consequatur, & quam nullis rationibus Barclaio obstes, quandoquidem nihil hic noui affers, videat Lector supra *Capite* 33. §. 2.

§. 2.

NVnc igitur, inquit, in capite tricesimoquarto Barclaius hæc addit.

Ad argumentum, inquit, nunc reuertor, quod capitis tricesimisecundi initio propositum est, & respondeo nihil illud ad bonorum quorumlibet temporalium, nedum ad Regni ademptionem, pertinere. Certum enim est, & certo certius, excommunicationem, qua sola separantur, & excluduntur peruersi Christiani à consortio fidelium, & communione Ecclesiæ, nemini patrimonium, & bona temporalia auferre. Hæc ille, *qui post multa verba in hac re explicanda consumpta, concludit: si non posset Papa per excommunicationem adimere patrimonia priuatis hominibus, multo minus posse per eandem censuram priuare Reges, ac Principes, Imperia, atque Regnis.*

Numquid, inquit, plus ei potestatis in Principes quam in priuatos Dei lege tributum esse constat? aut numquid Principibus quam priuatis duriore, & deteriore conditione est viuendum, vt quod Ecclesia in priuatis nequeat, id in Principem possit exercere?

Respondeo. Cum dixi, Arietem furiosum posse per Pastorem separari, & recludi, non intellexi per separationem & reclusionem solam excommunicationem, sed excommunicationem & depositionem: quemadmodum enim Pastor non solum separat Arietem à grege, sed etiam recludit quasi in carcere, vt non amplius gregem ducat: sic Pontifex summus Regem destruentem Ecclesiam, non solum separat per excommunicationem à communione fidelium, sed etiam deponit, & in ordinem redigit, vt non amplius populos regat. Itaque tota illa longissima disputatio, qua Barclaius probat, per excommunicationem non priuari homines proprio patrimonio, superuacanea est, neque vim argumenti nostri Barclaius assecutus est, quemadmodum etiam vocem; recludere, exposuit per vocem excludere, cum exponenda esset per vocem includere, vt capite 33. documus.

Addo præterea magnum esse discrimen inter priuatas opes, & publicam iurisdictionem, vt etiam inter substantiam siue diuitias & potestatem siue auctoritatem: potest enim homo aliquis pauperrimus esse priuatis opibus, & iurisdictionem publicam atque amplissimam habere: & potest contra ditissimus esse auro, atque argento, agris & vineis, & armentis, & nullam habere in alios homines politicam potestatem. Ex quo discrimine fit, vt quamuis excommunicatio non priuet patrimonio proprio & opibus, & diuitiis; priuet tamen iure, & potestate commercii humani, electionum & contractuum, & similium, & simul impediat publicam forensem iurisdictionem: neque enim licet excommunicatis forensia iudicia exercere, audire causas, sententiam ferre, in sontes animaduertere, vt supra probauimus, ex Cap. Ad probandam, de sent. & re iudic.

Quamuis autem ex vi solius excommunicationis, nisi in casu hæresis & Apostasiæ, non sequatur amissio Regni, vel Imperii: tamen summus Pontifex, qui potest excommunicando suspendere iurisdictionem, vt diximus, potest etiam deponendo priuare omni iurisdictione, & potestate Regia: quæ vt in prolegomenis ostendimus, communis est Doctorum, & Ecclesiæ ipsius sententia. Nec tamen hinc sequitur plus habere potestatis Pontificem in Principes, quam in priuatos: nam priuati non possunt deponi a Regno, quia Regnum non habent, non quia minus obnoxii sint potestati summi Pastoris: & tamen possunt etiam ipsi priuari rebus, quas habent; quod fit, cum pœna pecuniaria, aut exilii, aut carceris, aut alia corporali pœna molestantur: falsum enim est, quod Barclaius nimium sæpe repetit, corporalem pœnam in solius Politici Magistratus potestate positam esse: cuius contrarium praxis ostendit, præsertim in tribunali sancti officii.

Ais te per reclusionem Arietis, non intellexisse, *solam excommunicationem, sed excommunicationem & depositionem.* Atqui supra ostendimus, non maiori ratione ex argumento tuo sequi, posse deponi à Pontifice Regem, quam occidi: quam mactari: quandoquidem in furiosum Arietem id Pastori etiam licet. *Vim igitur argumenti tui*, quidquid dicas, *Barclaius assecutus est*, sed & vitia prosecutus. Neque aliud ea ratione probaueris, quam Pastorem spiritualem posse omnibus modis sibi concessis furiosos vlcisci arietes, & a grege arcere: Modis, inquam, sibi cõcessis; nam si simpliciter *omnibus* modis dicas, erit hæc quam absurda tam infanda sententia, quæ etiam Principum sanguinem Papæ donet, vt tam eos occidere, quam deponere liceat. Admisso igitur argumento, superest vestigandum, quinam illi modi sint. Excommunicationem esse fatemur, seu exclusionem a Sacramentis. Tu ais, depositionem quoque esse. At palam id ex argumento non inferri; non depositionem, inquam, magis quam cæteros modos, quos nec tu ipse neges spirituali Pastori esse illicitos. Per verbum autem *recludere*, includere, an excludere significaueris, equidem parum moror.

Dicis esse discrimen, *inter priuatas opes, & publicam iurisdictionem*; Nec patrimonia excommunicatione auferri, sed forensem iurisdictionem. At nos ante ostendimus *Cap.* 33. §. 3. hoc nõ in Regibus locum habere: vbi etiam argumentis, quæ ex Canonico iure habes, ac inter cætera Capitulo *Ad probandum*, quod hic profers, respondimus.

Vis tamen ex hac tua sententia non sequi, quod infert Barclaius; nempe plus iuris fore Pontifici in Principes, quam priuatos, cum hos de Regno quidem possit, at non illos de patrimonio, excommunicatione deiicere. *Nam priuati*, inquis, *non possunt deponi à Regno, quia Regnum non habent*. At ego pono, Regnum esse patrimonium Regum, tum quod succedant in Regnum hæreditatis iure, tum quod Regnum non iurisdictionem solam habeat, sed opes etiam, possessiones, pecunias, quæ non possunt a priuatis per excommunicationem tolli: vt omnino effe-

Ctus

ctus maior fit excommunicationis in Reges, si ab iis hæc omnia possit auferre. Nam quod addis, posse priuatos etiam per Ecclesiam *priuari rebus, quas habent, quod fit cum pœna pecuniaria, aut exilij, aut carceris, aut alia corporali pœna mulctatur*, satis ante diluimus, C. 3. §. 14. Ineptissimũ vero, q̃ id constare dicis ex praxi; *Præsertim in tribunali sancti officij.* Nã quis nescit sanctũ illud officiũ hac in priuatos authoritate vti, non Ecclesiastica iurisdictione tantum, sed consensu Principũ, atque iussu? Romæ quidem satis est Pontificis ad hanc rem concessio, vtroque scilicet Magistratu fungentis. At extra patrimonium Petri, nulla huic officio authoritas, etiam in populis omnino Catholicis, nulla iurisdictio, nisi Principum, aut Rerumpublicarum accedat authoritas; Vel ex Gentibus patet, quæ illud omnino *officium* apud se repudiauerunt admittere: ex suppliciis denique, & modo agendi, qui nullibi vnquã similis in Ecclesia, seu pœnarum genera æstimes, seu infligendi rationem.

Ais, *ex vi solius excommunicationis*, non semper sequi amissionem Regni, sed summum Põtificem posse *excommunicando suspendere iurisdictionem*. Quid hoc est dicere? Pone excommunicatum Regem, & suspensam ideo iurisdictionem, quid Populus, quid Optimates, quid Iudices? certum quidem, Iudices omnes in Regno, a solo Rege iurisdictionem accipere: certum quoque multa negotia nisi per solos Reges expediri non posse: Quid igitur Regno fiet, cum suspensa iurisdictio Regis erit? nonne & omnium Iudicum suspensa authoritas? Quis legatos exterarum gentium audiet? quis obeuntibus, vt in amplo & numeroso Regno Iudicibus, sufficiet nouos? quis respondebit libellis supplicibus? quis maleficia coercebit? quis furta? quis cædes? quamdiu denique suspendi hæc iurisdictio potest? Meræ tenebræ, & in orbis perniciem funesta sophismata. Denique (vt luditis in Principum & Populorum fatis) apud vos cõtrouertitur, an omnis excommunicatio maior priuet Principes suo iure. Tu hic negas; at asserit Dominicus Bannes, in 2. 2. q. 12. art. 2. *Secundo aduertendũ est*, inquit, *circa illam cõclusionẽ, quod nõ tantum priuantur dominio Principes propter excommunicationem latam aduersus Apostatas & hæreticos, verum etiam propter quamlibet excommunicationem maiorem, dummodo sint manifeste excommunicati.* Quam hic noctem facitis nobis? Quam horrendum, atque indignum, vt diuina summorum Magistratuum purpura, diuina, inquam, & a Deo potestatem accipiens, ad hoc nuperarum scholarum limen pendeat; & nunc laxius, nunc strictius, nunc seuerius, nunc benignius, de se ferri sententias audiat, ex amore, ex odio, ex cerebro, ex scrupulo scripturientium expectans, qui Reges sint, quandiu Reges, quid denique Reges possint? Ais etiam, esse *Ecclesiæ ipsius sententiam*, quod deponi a Pontifice Reges possint. Quid hoc est dicere, nisi illam sententiam esse de fide? Quid, inquam, aliud *Ecclesiæ esse sententiam*? qui hoc vero audeas dicere, tantæ vir, tantæ integritatis opinione? cum certissimum, cum ex vestrarum partium viris notissimum, prorsus etiam in confesso, nullo modo, nullo tempore, hanc rem ab Ecclesia definitam, aut inter fidei articulos esse relatam? Non id passus est Veritatis author Deus; non patietur immaculatę cultor Sponsæ. Tu interim vide, ne laqueos tendens, siue rudibus, siue omnia credentibus tibi, in crimine apud illum sis, qui humanis animis inutilia, imo ficta onera, vetat imponi.

§. 1.

ADDIT *postea*, inquis, *Barclaius aliam rationem, quam in forma syllogistica ratiocinationis hoc modo disponit.*

Summus Pontifex non habet nunc maius imperium in Principes temporales, quam habuit antequam ipse esset Princeps temporalis:

At qui antequam esset Princeps temporalis nullum in eos temporale imperium vllo modo habuit.

Ergo nullum nunc quoque in eos vllo modo habet.

Et quoniam propositio manifesta videtur, probat assumptionem hoc modo.

Nemo inferior, & subiectus habet imperium in suum superiorem, & dominum, vt possit eum iudicare in eo ipso in quo est ei subiectus:

Papa autem, antequam fieret Princeps temporalis, erat Regibus & Imperatoribus, quantum ad temporalia, inferior & subiectus:

Ergo non habet in eos temporale imperium, vt possit eos in temporalibus iudicare.

Respondeo. Assumptio prioris syllogismi falsa est, proinde etiam falsa conclusio est: Siquidem summus Pontifex im. quod habet in temporalibus supra Reges, & Principes Christianos, non acquisiuit ex Principatu tẽporali, quẽ nũc possidet, sed habuit a Christo, quãdo ab eo accepit potestatẽ Apostolicã, & supremã supra omnẽ Ecclesiam, vt esset ipsius Vicarius generalis, Caput, & Rector, & Pastor, & Princeps omnium fidelium: quamuis enim vt sæpe dictum est, ea potestas in se spiritualis sit, tamen extenditur ad temporalia eo modo, quo spiritus humanus, quamuis vere, & proprie spiritus sit, non corpus, vel corporalis, tamen regit membra corporis, cui præsidet, & ea castigat, & punit, prout ad salutem expedire cognoscit. Quare probatio assumptionis in posteriore syllogismo, nullas vires habet, nam assumptio quoque syllogismi posterioris est falsa, ac per hoc est etiam totius syllogismi falsa conclusio: siquidem falsum est, summum Pontificem fuisse vnquam Regibus, & Imperatoribus iure subiectum: neque id probauit Barclaius, quod vt probatum assumit.

At, inquit, aduersarij dicunt, exemptionem personarum Ecclesiasticarum iure humano introductam esse.

Respondeo. Bellarminus, qui citatur in margine non dicit iure humano solum, sed iure humano & diuino. Deinde illi ipsi, qui exemptionem Clericorum dicunt esse de iure humano, addunt eam, quoad personas, esse

valde

valde conformem iuri naturali, & diuino, vt perspicuum est ex Dominico de Soto in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. conclus. 5 Praeterea iidem authores, qui negant exemptionem Clericorum esse de iure diuino diserte affirmant, summum Pontificem potuisse, & debuisse eximere Clericos, etiam Principibus temporalibus inconsultis: neque posse temporales Principes contrarium suis legibus cōstituere, vt supra notauimus ex Victoria, Soto, Ledesmio, Bannesio, & Couarruuia: falsum est igitur quod tot verbis inanibus hoc loco Barclaius repetit de exemptione, solo Principum priuilegio, & munere, Clericis concessa.

Liquidissimo Barclaii argumento tenebras frustra patas. Nam quid tu in contrarium, Bellarmine? Falsum esse Pontifices primis illis & antiquis Principibus de iure fuisse subiectos. Nihil aliud obiicis: cui consequitur, veram esse Barclaii rationem si probetur verum esse, Pōtifices illis Imperatoribus de iure fuisse subiectos. Atqui id passim hoc libro non dubia ratione iam euictum; Cum & Paulum Apostolum ostendimus subiectum de iure Tyberio, cum etiam eius sententiam de obsequio Potestatibus deferendo, *qua non sine causa gladium portat*, ex antiquis Patribus asseruimus, cum Augustinum, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Magnum, cæterosque protulimus Patres, qui vno ore Ecclesiasticos viros sæculari Potestati in sæcularibus subiici dicunt. Tu ipse denique in libris de Romano Pontifice hanc sententiam sequutus es. Cui consequitur te ibi contrariis implicatum sententiis, cum hanc primorum subiectionem Pontificum, simulque potestatem abdicandorum assereres Regum. Quandoquidem in hac *demonstratione* Barclaii, qua negatur hæc Pōtificum potestas in Reges, nihil aliud inuenisti, quod carperes, nisi quod ait Pontifices fuisse olim Regibus & Imperatoribus iure subiectos.

Demonstrationem dixi Barclaii, ob vim liquidissimam argumenti; Num ipso meridie clarius, admissa Pighii, cæterorumque Theologorum sententia, qui (quod res est) fatentur, Apostolos de iure Principibus fuisse subiectos, Barclaii syllogismis euinci, non posse a Pontifice Principes in temporalibus iudicari, syllogismis, inquam, Barclaii, quos ex eo, initio huius paragraphi, descripsisti.

Quæ repetis, de exemptione Clericorum, superioribus Capitibus satis excussimus. Neque Barclaius inania vt frustra iactatas, sed tectæ rationis hic tu ioanis.

§. 4.

TRansit postea Barclaius, inquis, *ad tertiam partem rationis quinta principalis pro potestate summi Pōtificis in temporalibus, omitto enim qua ipse repetit ex capite XV. qua ibidem refutata sunt. sic autem loquitur. Superest supremum Bellarmini argumentum, in quo refutando non multa opera est. Tertium inquit argumentum est: Potest Pastor ac debet omnes oues ita pascere, vt eis conuenit: ergo potest Pontifex Christianis ea iubere, atq; ad ea cogere, ad qua quilibet eorum secundum statum suum tenetur, id est, singulos cogere, vt eo modo Deo seruiant, quo secundum statum suum debent: debēt autē Reges Deo seruire defendēdo Ecclesiā, puniendoq; hareticos, & schismaticos: ergo potest ac debet Regib. iubere vt hoc faciant, & nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliasque commodas rationes.*

Ad hoc argumentum Barclaius respondet, si agatur de pastu, & pœnis spiritualibus, totum argumentum concedi posse: tenetur enim Summus Pontifex pascere omnes Christianos pastu spirituali: nam ad pascendum pastu corporali facultates eius quantumuis ampla sint, nullo modo sufficerent: sic etiam tenetur cogere omnes ad officium suum pœnis spiritualibus, quarum grauissima excommunicatio est, sed vlterius progredi nō potest: & allegat ad hoc probandum Ioannem Driedonem in lib. 2. de libertate Christiana c. 4.

Sed hæc Barclaii responsio supra refutata est multis in locis. & nunc ex ipso Driedone, quem ipse citat, refutari potest: scribit enim Barclaius a Driedone nullā aliam iudicii, & correctionis Papalis in Imperatores delinquentes pœnam, nisi solam excommunicationem poni. At Ioannes Driedo repugnat Barclaio, eumque his verbis confutat lib. 1. de libert. Christiana c. 14. verum hoc non est silentio pratereundum, quod Papa ex plenitudine potestatis super vniuersos Principes Christianos, potest Reges ac Principes propter haresis crimen priuare suis Regnis, atque Imperiis, & in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia, & subiectione eorum. hac Driedo, quem in patronum sententia sua allegauit Barclaius, qui certe insignis Doctor Ioannes Driedo non poterat clarius mendacium & imposturam Barclaii redarguere. Quod ergo nos diximus, & docent omnes Catholici, posse Pastorem summum Christianorum cogere omnes ad officium suum prastandū in obsequium Dei, non intelligitur de sola coactione per excommunicationem, sed etiam per priuationem Regnorum, & Principatuum, si ad salutem gregis idem Pastor expedire iudicauerit.

Quid tu tam cauta fuga abis a solutione Barclaii, quam primum tuo argumento adhibet, mox confirmat ex Driedone? Tu ea omissa ad Driedonem etiam fugis: sed te retraho. Quid aut pro te, aut in Barclaium dicas? Ais, in tuo argumentum, deberi ouibus pastum, Barclaius addit *spiritualem*. Dicis Pontificem posse impetrare Regibus, *per commodas rationes*, ne ab officio abeant: concedit Barclaius, sed addit has commodas rationes spirituales esse per quas plectatur animus, non temporalia auferantur. Tu ad illa nec verbum. Denique ad Driedonem venit. Dicit Barclaius illum solam excommunicationem Pontifici tribuere in Reges potestate abutentes. Driedonis locum notat. *lib. 2. cap. 2. de libert. Christ.* Tu patronum agis, imo hostem triumphantem. Ais Driedonem *mendacium & imposturam Barclaii redarguere*, quia alibi, scilicet, *libro primo de libert. Christ. Cap* 14. dicit Reges propter hæresim a Pontifice posse deponi. At his ipsis iam ante respondimus *Cap. 2. §. 9. & Cap. 13. §. 5.* Nimirum, non dixisse Barclaium, vbique pro

Regibus

Regibus sentire Driedonem: sed apud illum eiusmodi extare sententias, quæ cum hac indirecta potestate nequaquam consentiant. (Nam quis nescit validissimum argumenti genus esse, quod ex ipsis aduersariorum scriptis depromseris, sicubi sibi contrarii, & inconstanti seipsos testitant sententia) Deinde nec tecum sentire Driedonem, qui in solo hæreseos casu posse a Pontifice abdicari Reges scribit. Verum igitur, quod hic de Driedone Barclaius, eum *lib 2. cap. x. de libert. Christ.* solam excommunicationis vim, non etiam depositionis in Reges tribuisse Ecclesiæ, licet Regibus alibi, non scelestis & ineptis, vt tu facis, sed tantum hæreticis, censorem, qui eos mouere loco possit, Papam esse contenderit.

CAPVT XXXVII.

Oziam, nunquam fuisse per Pontificis sententiam regno priuatum; Sed tantum, vt diserte Dei lege iubebatur, ob lepram separatum à Populo. Similitudinem spiritualis & corporalis lepra inconcinne in Reges à Bellarmino aptatam.

Titulus est apud Bellarminum.

Defenditur primum exemplum allatum pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. 1.

IN *capite tricesimo quinto, & tricesimo sexto*, inquis, *refert & refellit Barclaius argumenta quædam Nicolai Sanderi, quam totam disputationem omittendam hoc loco esse censui, quoniam non suscepi onus probandi omnia argumenta, quæ a Catholicis scriptoribus proponuntur esse insolubiles demõstrationes. Scio multa interdum probabilia admisceri argumentis solidioribus, quæ quamuis per se ac sola vim persuadendi non habeant, tamen addita firmioribus argumentis, non parum iuuant ad rem, de qua agitur, confirmandam. Itaque conclusionem Sanderi, quæ communis est inter Catholicos scriptores, aduersus Barclaium, cuius manus sunt contra omnes, vt scriptura de Ismaele loquitur, defendendam mihi desumpsi, & simul ad ea, quæ propter aduersus mea scripta Barclaius obiecit respondendum mihi esse iudicaui.*

Non est cur tam frigide Sandero patrocineris, cuius authoritatem laudauisti, vt eximii veterum patrum Ducis. *Vide*, inquis, *plura apud Nicolaum Sanderum Lib. 2. Cap. 4. de Visib. Monarch.* Nunc perculsum deseris, nec audes repugnare Barclaio, de eo pronuntianti, illum *nescio quo affectionis animi fumo vsque adeo fuisse occæcatum, vt non viderit se multa non solum falsa & aliena, sed etiã à communi sensu & rationis iudicio abhorrẽtia, pro certis & solidis argumentis vsurpare.* Ait quippe Sanderus, ex eo temporalem Pontificis potestatem asseri posse, quod Sauli ablatum fuerit Regnũ, quia diuina mandata ei per Samuelis ministerium nunciata neglexerat, ex eo quod Propheta Ahias prædixerit Jeroboam decem tribubus præfuturum: ex eo quod Elias ignem deuocarit e cœlo, qui quinquagenarios in eum ab Ochozia missos absumeret. quæ omnia quam a nostra quæstione, aliena! quam etiam ridicule ad vestram detorta sententiam! Sed rem a Barclaio actam, te in contrarium nihil auso, non rursus hic ago. Non etiam moror, quod *omnes Catholicos scriptores* in Barclaium stare dicas, quod nemo tibi credat nisi & sæculi nostri expers, & antiquæ ignarus historiæ.

§. 2.

IGitur in capite tricesimo septimo, inquis, *refert argumentum meum primum ab exemplo, & figura veteris testamenti ductum. Hæc autem est argumenti summa. Ozias Rex in lib. 2. Paralip. Cap. 26. cum Sacerdotũ officium vsurparet, & a Sacerdotibus repulsus non acquiesceret, continuo lepra diuinitus percussus fuit, atque iudicio Sacerdotum separatus è cœtu populi, seorsim in domo solitaria habitauit vsq; ad obitum: ex quo factũ est, vt Regni administratione priuatus fuerit, & filius ipsius in ciuitate populum iudicauerit. Hinc argumentũ eiusmodi conficitur: Si ob lepram corporalem poterat Sacerdos olim Regem iudicare, & Regno priuare: quare id non poterit nunc propter lepram spiritualem, id est, propter hæresim, quæ per lepram figurabatur, vt S. Augustinus docet lib. quæst. Euangel. quæst. 40. præsertim cum 1. Corinth. 10. Paulus dicat contigisse Iudæis omnia in figuram?*

Ad hæc argumentum respondet Barclaius, Iudicio Sacerdotum fuisse Regem Oziam propter lepram separatum à reliquo populo, & eodem modo posse nunc Regem iudicio Summi Pontificis propter hæresim separari per excommunicationem a cœtu fidelium: negat autem fuisse Regem Oziam Regno priuatum. & propterea etiam negat, posse Regem a Pontifice propter hæresim Regno priuari. Quod autem non fuerit Ozias Regno priuatus, probat ex eo, quod scriptura testatur anno ætatis sextodecimo regnare cœpisse, & quinquaginta duobus annis regnasse 4. Reg. 15. & 2. Paralip. 26. proinde regnasse ab anno sextodecimo vsque ad mortem. Idem etiam probat ex eo, quod eadem scriptura dicit: Ioathan filius Regis gubernabat palatium, & rexit domum Regis, & iudicabat populum terræ: hinc enim colligitur, filium Regis, non authoritate propria, sed nomine Patris sui ægrotantis Regnum administrasse: hæc Barclaius.

Respondeo. Ozias lepra percussus retinuit quidem nomen Regium, sed inane: filius vero eius sine Regio nomine Regnum cum plena potestate administrauit. id verbis disertis testatur Iosephus lib. 9. Antiquitatum, cap. 11. vbi dicit, Oziam priuatum vixisse in domo solitaria & filium eius Rempublicam administrasse, quod idem satis aperte indicat scriptura, cum ait, filius Regis iudicabat populum terræ: neque addit id eum fecisse iussu Patris, aut Patris nomine, neque toto eo tempore, quo Rex percussus lepra mansit in domo solitaria, vllam partem regimi-

regiminis ad eum ullo modo pertinuisse. Atque hoc intellexi, cum in argumento dixi, coactum fuisse Oziam filio Regnum renunciare: per Regnum enim non vocabulum Regis, sed authoritatem significaui: quam authoritatem Pater non retinuit, sed priuatus vixit vt Iosephus loquitur. In hoc igitur vis argumenti ab exemplo ducti posita est, quod quemadmodum Rex Ozias lepra percussus iudicio sacerdotum coactus est habitare in domo solitaria, & Regni administratione dimissa priuatus viuere: sic etiam Rex hæreticus iudicio Summi Sacerdotis per excommunicationem separari possit à cœtu piorum, non solum quoad Sacramentorum, & precum communicationem, vt Barclaius admittit, sed etiam quoad forense iudicium, & Regni administrationem, quod Barclaius negat. At Oziæ relictum est nomen Regium. Verum id quidem, sed non ideo nomen Regium relinqui debet homini propter hæresim excommunicato, atque deposito: nam lepra spiritualis, deterior est lepra corporali: & Sacerdos Christianus præstantior est Sacerdote Leuitico, & res figurata perfectior est, quam sit ipsa figura; Sic enim Agnus Paschalis par nõ erat Christo crucifixo, & Manna inferius est Eucharistia, & Circumcisio baptismum non æquat.

Quod autem Barclaius disputat de differentia authoritatis regnandi, & administrationis Regni, non facit ad rem, tum quia Ozias non sola administratione, sed etiam authoritate priuatus fuisse dicendus est, cũ Iosephus dicat, eum priuatum in magno mœrore vixisse post acceptam plagam lepræ: tum etiam quia Barclaius non concedit Regem hæreticum posse priuari administratione Regni. sic enim ipse loquitur pag. 312. Quod autem dixi Papam posse separare Regem hæreticum à communione fidelium per excommunicationem de separatione spirituali animorum, non corporum intelligendum est. subditi enim Regi excommunicato obsequiũ denegare non debent. hæc ille, qui sine dubio, vt etiam supra docui, non permittit posse per Pontificem interdici Regi hæretico administrationem Regni, & curatorem illi dari, vt ipse fatetur, datum esse Regi Oziæ filium Curatorem. Quare falso postea dicit, figuram Oziæ, lepræ, separationis, bellissime conuenire cum Rege, hæresi, & excommunicatione: & ex hac figura temporalem Pontificis potestatem omnino fictitiam, vsurpatam, atque à iure diuino alienam ostendi. Quomodo n. figura cũ re figurata cõcordat, si in figura ponitur Rex coactus habitare in domo solitaria, & negotia Regni nulla tractare: in re figurata ponitur Rex libere in Vrbe regia residere & ius dicere, vt antea faciebat? Et si veritas figuræ requirit, vt nihil minus, sed potius aliquid amplius in re figurata reperiatur, quam in ipsa figura: ideo necesse est, vt Rex hæreticus per sententiã Pontificis administratione Regni, & ipsa quoque authoritate priuetur, quo modo ex hac figura temporalis potestas Papæ fictitia, & vsurpata, & à iure diuino aliena monstratur? Maneat ergo argumentum nostrum ab exemplo apposite ductum esse, neque à Barclaio potuisse conuelli.

Putas igitur Oziam *retinuisse nomen Regium, sed inane*; mox addis, eum *non sola administratione, sed etiam authoritate priuatum*. Dic paucis; an reuera Rex fuit Ozias ad mortem, an non fuit? si fuit; falsum est eum retinuisse inane nomen Regis; falsum quoque non administratione modo sed & authoritate priuatũ (quippe Reges qui siue ætate, siue morbo, ab administratione excidunt, authoritatem tamen seruant, qua administratores Regni sub se omnia procurant negotia, quæ etiam ipsimet sublato aut mentis impedimento, aut ætatis aut morbi, ad gubernacula rursus accedant) Si non fuit Rex; ergo Scriptura mendax, quæ eum ab anno ætatis decimo sexto, ad annum sexagesimum octauum Regem fuisse dicit; mendax quoque Iosephus Scripturæ adstipulator. Quam n. hæc luculenta verba scripturæ, *regnasse, Regem fuisse &c.* Quibus tu nebulas facis futili, & indigno argumento: Quia nempe Iosephus scribit, *Oziam priuatũ vixisse in domo solitaria.* Quid hinc colligis? *priuatum* hic dici, quasi publica dignitate spoliatum? Iterum dico; ergo Scriptura errat, ergo Iosephus etiam sibi repugnat. Scribit enim ibidẽ, mortuum Oziam anno Regni sui quinquagesimo secũdo, ætatis sexagesimo octauo, cum decimo sexto regnare cœpisset. Igitur *vixisse priuatum*, Iosephus intellexit, vixisse solitarium, & à turba semotum, quod & verba vis, & Iosephus luculenter ostendit, qui aperte Oziã, licet priuatim viuentem, tota vita Regno potitũ scribit. Quam aõtẽ absurdũ, vnius dubii & æquiuoci nominis significatione niti, ad euertendã sententiam, quæ tum in Scripturis, tum in ipso Iosepho liquidissimis cõcipitur verbis? Lucem pleno Soli, si plura huic rei argumenta. Ipsa Scripturæ lectio (*4. Reg. 15. 2. Paralip. 26.*) pro omnib. argumentis est, semper Oziam Regem vocat, semper illius filiũ Ioathã filiũ Regis; amissi Regni nulla mẽtio: dicit illũ, *habitasse in Domo separata plenũ lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini.* Cur non vero dixisset, ob quam de Regno eiectus fuerat?

Certum denique hunc Oziam non ob peccatum, aliquod, sed ob lepram à Pontificibus iudicatum. Nã vt alios Israelis Reges omittam, quos homicidas, sacrilegos, Idololatras, tamen Pontifices non vlti sunt; hic ipse Ozias cum *adoleret incensum super altare thymiamatis*, quod vtique scelus fuit, non est aliter, quam intra verba, & salubre monitum, à Pontificibus castigatus. *Egredere de sanctuario*, inquiunt, *ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo.* At mox vbi *orta est lepra in fronte eius*, Sacerdotes eum è templo expulerunt. Ecce vt non ob peccatum aliquod, sed ob lepram, Sacerdotum iudicium subit. Non ergo quid grauius in eum statui potuit, quam quod in leprosos omnes per Sacerdotem statuit Deus iussit, Nempe vt à cœtu filiorum Israel separarentur. At nullibi in Lege vestigium, hos leprosos de suarum rerum dominio excidisse, aut aliquid illis ablatum, præter celebritatem populi, hominumque conuentus. Cur igitur somniare libeat, Bellarmine, Oziam Regem, nouo more, noua pœna, ob lepram affectum, adeo vt & Regni iure priuatus sit; cum nihil in Scriptura, quo hanc insolentiam doceamur, nihil etiam in Iosepho sit, nihil denique in Rabinis: Et e contrario, ipsa Scriptura testis sit, non Regno illum prius caruisse, quam vita?

mensis vnius Bullæ memoria excidit. Iuris quippe Ciuilis & Canonici professores, cum non ferrent eiusmodi Bullam, prohibuit quorundam gratia Carolus Lotharingiæ Dux Pontificiũ tribunal appellare: cuius rei complures adhuc testes vi a habet. Sic Pontifex *discere non potuit, num hæc Bulla fuerit supposititia, aut obreptitia, aut fraude extorta.*

Si fabula autem fuit, *Sixtum V. in animo habuisse ordinem Iesuitarum ad arctiorem formam viuendi, atque ad certum vestimenti genus cogere*: certe fabulosi Iesuitæ, & innumeri homines, qui tunc Romæ agitabant. Sed hæc omitto. Absit enim in Pontificem exornentur, aut Iesuitas hæc scripta. Ius Regum, ius diuinum; ius veritatis propugnandum suscipio. Hic vnus mihi scopus; nec animus vllum mortalium violare, nisi si cuius insolentiam importune obuiam in tam sancto patrocinio accusari necesse sit.

§. 2.

SED *his omissis*, inquis, *ad exemplum Ioiadæ Pontificis Athaliam Reginam exauctorantis, respondet Barclaius, exemplum illud ad rem non facere, quod Athalia nullo iure regnaret, sed immani tyrannide per vim, & scelus Regnum occupasset.*

At verum quidem est, initium Regni Athaliæ tyrannicum, & violentum fuisse: sed cum annis sex quiete regnauerit, credibile est, populum consensu suo Regnum approbasse, præsertim cum ignoraretur, superesse adhuc vnum ex filiis Regis defuncti, & fama esset, omnes omnino interisse. Neque nouum, aut insolitum est, vt initia Regnorum sint violenta & tyrannica, & tamen paulo post consentiente populo Reges legitimi habeantur. Ipse certe Augustus, qui Imperator optimus habitus est, Remp. iniuste initio oppressit, & Principatum sibi armis violenter vsurpauit. Otho Galbam occidit: Vitellius Othonem eiecit: Vespasianus Vitellium, & omnes tamen Imperatores à Senatu, Populoque Romano salutati sunt. Quid atrocius, quam quod Philippus gessit, cum Gordianum Imperatorem legitimum sustulit, & Imperium eius inuasit? & tamẽ ipse quoque legitimus Imperator habitus est. Mitto Odoacrem Herulum, Gothos, & Longobardos inuasores Italiæ, & alios prope innumerabiles, qui per vim Regna occuparunt, & postea tamen accedente consensu populorum Reges legitimi habiti sunt.

At, inquit Barclaius, Sacerdos Ioiada, non authoritate propria Athaliam deposuit, sed hortatus est Centuriones, & milites, & cum illis in Athaliam conspirauit. Sic enim scriptura loquitur, Misit Ioiada Pontifex, & assumens Centuriones, & milites, introduxit in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus.

Et hoc verum est, sed non impedit quominus Ioiadæ authoritate Regina deposita fuerit. Sacerdos enim non poterat solus implere quod proposuerat, ideo Centurionibus & militibus ad se accersitis, exposuit illis propositum suum deturbandæ Reginæ de solio, tum ob alia crimina, tum quod falsam Religionem Baal foueret: neque simplici promissione militum contentus esse voluit: sed fœdus cum eis iniit, & adiurauit eos, vt fortiter proposito suo cooperarentur. Denique ipse armauit milites tradens eis hastas, & reliqua arma Regis Dauid, quæ erant in domo Domini, ipse iussit interfici Reginam, ipse nouum Regem coronauit, ipso authore totus populus templum Baal euertit, & aras Idolorum destruxit, & sacerdotem Baal aram ante ipsam occidit.

Nihil apud vos crebrius, aut importunius hoc exemplo Athaliæ, quæ fœda, & cruenta Reipublicæ occupatrix, nepotibus & aliis Regiæ stirpis occisis, in Regnum inuaserat, & *propterea*, vt recte Barclaius, *mea causa fuit, vt iniussu Ioiadæ sacerdotis, cadi iuste à quolibet priuato potuerit. Sed quia tale quid tentatu periculosum, & factu difficile videbatur, aduersus eam, quæ defuncti Regis Ochosiæ mater erat; ideo Ioiadæ Pontificis consilio & auxilio erat opus: aut certe alterius cuiuspiam, qui similiter vel authoritatis suæ pondere, vel sanctitatis opinione, milites & multitudinem ad id facinus egregium conuocaret, atque adeo concitaret.* Tu respondes. *At verum quidem est initium Regni Athaliæ tyrannicum & violentum fuisse: sed cum annis sex quiete regnauerit, credibile est populum consensu suo regnum eius approbasse*, vt inde concludas eam legitime imperasse, ideoque non ob tyrannidem à populo, sed ob Idololatriam à Pontifice fuisse deiectam. Etiamne in re capitali Regum tuas coniecturas, & illud, *credibile est*, putas admitti? Addo, nihil *minus credibile*, quam populum consensisse in Regnum Athaliæ, nisi quo consensu multæ gentes iugum tyrannorum subeunt, donec possint amoliri. Ita & Syracusani Dionysios pertulerunt, & Athenienses patuere Pisistratis, non modo per sex annos, sed per ætates duas. Apage igitur hanc coniecturam sexennii quo regnauit Athalia. Nullum tamen præterea affers indicium consentientis in eam populi. Vide autem quæ in contrarium habeam; Primo modum, quo in Regnum inuasit. Nam vt omnis ad tyrannidem via inuisa sit, tum illa Iudæo populo ad extremum execranda, cum viderent illorum Regum stirpem, quibus parere assueuerant, illam Dauidis progeniem, cui (rebellantibus decem tribubus) adhæserant, Reges antiquos, Reges contribules, adeo radicitus per impiam cædem tolli, vt immisericors mulier etiam Regiorum infantium cunas parricidali furore scrutaretur. Secundo, Athaliam, Achabi filiam, non *est credibile* fuisse a tribu Iuda receptam in Dominam, ne cum ipsi tot bellis dominari Israeli contendissent, non modo viderentur excidisse à victoria, sed etiam Israeliticos Reges in Dauidis solium recepisse. Bellum enim inter Iudam, & Israel, à Rege Ieroboam ad Achab Athaliæ patrem, nunquã bona fide desierat. Tãdem Josaphat cum Achabo fœdus iniit, mox Ioram Iosaphati filius Athaliam duxit vxorem. Quæ fœdera vt Iudæi tolerare potuerunt, tum quia a suis ita Regibus, tum quod Principum inimicitiæ sæpissime in nuptiarum fœdera exeant, ita intolerabile hoc fuisset, Athaliam tã non vt vxorem Regis, sed vt suo ipsius iure dominam, & Reginam venerari, nec iam illam con-

pepigerat fœdus) sed tanquam factionis dux disponebat insidias, & coniuratorum exercitum in Athaliam diuidebat. *Tertia pars vestrum*, inquit, *introeat Sabbatho, & obseruet excubias domus Regis, tertia autem pars sit ad portam Sur, &c.* Tum sequitur. *Et fecerunt Centuriones iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.* Tu tamen ita hæc verba retulisti, vt incautis lectoribus videatur in Scriptura diserte contineri, præcipienti Ioiadæ vt Athaliam deponerent, obtemperasse Centuriones ac milites. O candidæ simplicisque rationis argumentum! Locus alter, *Egressus autem Ioiada Pontifex, &c.* multo minus tuam causam astruxit. Cur enim non imperaret Pontifex, ne templum Domini cæde Athaliæ fœdaretur (*neque enim fas erat*, vt Iosephus loquitur, *templum venefica* supplicio pollui) sed ad mortem destinata, educeretur extra septa templi, & interficeretur foris? Atqui nihil prorsus aliud eo loco.

Sed ad illa veniamus, quæ tu nouiter in ista, quam carpimus, responsione ad Barclaium. Dicis, quod Ioiada, *armauit milites, tradens eis hastas, & reliqua arma Regis Dauid, quæ erant in domo Domini.* An infantibus, an Barbaris nullo humanitatis commercio assuefactis, tam stolida ratione persuadeas? Ioiada distribuit arma militibus Athaliam confecturis, ergo eam legitima sua authoritate confecit? Apuleius Saturninus Tribunus armauit, qui C. Memmium candidatum confoderent, Iugurtha qui Hyempsalem, qui Xerxem Artabanus; ergone legitimo suo iure Memmium Saturninus, Iugurtha Hyempsalem, & Artabanus Xerxem occidit? Armamentarium erat in templo, totius templi custodia permissa Pontifici: quid igitur mirum, aut quod summæ authoritatis indicium, si ille coniuratis secum in Athaliam militibus arma distribuit? Addis, *ipse iussit interfici Reginam*, dico, verbum *iussit*, ducibus factionum solere tribui; præterea Ioiadam non iussisse *simpliciter* militibus vt Athaliam occiderent, sed hoc fuisse illius consilium militibus datum, vt Josephus loquitur: eum autem in id factius consensissent, & res Ioiadæ auspiciis, qui tunc authoritate præpollebat, gereretur, illum sane tanquam Pontificem, vt Athalia extra templum duceretur, tanquam vero illius motus ducem, vt de consilio, quod omnibus placuerat, cæderetur, imperasse: Dico denique Athaliam legitimam Reginam non fuisse, vt a quolibet iure cædi, Regnoque, atq; vita mulctari potuerit. Pergis, *ipse nouum Regem coronauit.* quidnam inde? Ioiada Ioam in Regem coronauit, ergo sua authoritate deposuit Athaliam? Diceres; Ioiada Ioam in Regem coronauit, ergo eum credebat ius habere ad Regnum. Nisi forte qui Christianos Reges in Christos Domini vngunt, ius Regni illis tribuant, aut aliis adimant. Neque vero in coronatione Ioæ memoratur aliquod speciale Ioiadæ factum: Vnxit eum oleo; quod Prophetarum, aut Sacerdotum munus. ita Samuel Saulé, & Dauidem, ita Nathan Salomonem, ita denique omnes Reges vngebantur. *Inungere vel coronare*, inquit Ioannes Maior, in 16. cap. Matthæi, *nihil superioritatis arguit. Archipræsul Remensis Francum inungit, & alius Episcopus ex more potest eum coronare: non sequitur propterea vlla maioritas in temporalibus. Sicut nec Hostiensis est maior summo Pontifice in spiritualibus; esto quod eum inungat, illa est solum solemnitas.* At vero diadema non solus Joiada, sed cum eo Optimates ac milites imposuerunt. Quamuis enim dicatur 4. Reg. capit. 11. *Produxitque filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium, feceruntque eum Regem, & vnxerunt.* Tamen in Paralipomenis declaratur illud quidem verbum, *eum vnxerunt*, referendum ad solum Ioiadam, & illius filios Domino ministrantes: non solum tamen Ioiadam imposuisse diadema. (lib. 2. cap. 23. *Et eduxerunt filium Regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum Regem: Vnxit quoque illum Ioiada Pontifex, & filii eius.* Sed quid ad rē, si Ioiada, Optimatum qui aderunt facile primus, Sacerdos nempe summus, Regis nutricius, Regiæ amitæ coniux, inaugurando Regi coronam imposuit.

Addis; *Ipso authore totus populus templum Baal euertit, & aras Idolorum destruxit, & Sacerdotem Baal aram ante ipsam occidit.* Quid hoc ad depositionem Athaliæ? An Achabum deponebat Elias, cum sic populo loqueretur: (3. Reg. 18.) *Apprehendite Prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis: quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison & interfecit eos ibi.* An tunc, inquam, Regi potestatem abrogabat, cum sui Baal Prophetas occideret? imo maxime venerabatur, *Accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Iesrahel.* Sed vide quam aliena cumularis. Interfecta Athalia (2. Paralip. 23. 4. Reg. 11.) *Pepigit Ioiada fœdus inter se, vniuersumque populum, & Regem, vt esset populus Domini*, nimirum vt populus a diis alienis recederet: quodnam ibi vestigium potestatis temporalis in Reges? atqui nullum aliud Pōtificiæ authoritatis iudicium in illa euersione templi Baal. nam vt populus fœdus illud impleret, templum Idoli, & sacrificulos sustulit. *Itaque*, (ibid.) *ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam, & altaria ac simulacbra eius confregerunt: Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.* O Bellarmini argumentum! Pontifex adiurauit populum vt Deum pure coleret, statimque populus ministros alienigenarum deorum interfecit: Ergo Pontifex potest Regem deponere. Nam quod dicis, *Sacerdos non poterat solus implere quod proposuerat, ideo Centurionibus, ac militibus ad se accersitis, exposuit illis propositum suum deturbandi Reginam de solio, tum ob alia crimina, tū quod falsam religionem Baal foueret:* Mera diuinatio est, imo commentum, contra sacram, prophanamque historiam. In Scriptura nihil aliud, nisi, *pepigitque cum eis fœdus, & adiurans eos in domo Domini, ostendit eis filium Regis.* Et alibi. *Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum Rege: Dixitque ad eos Ioiada, Ecce filius Regis regnabit; sicut locutus est Dominus super filios Dauid.* Hæc vna in Scripturis

causa refertur interfectæ Athaliæ, quod Regnum scilicet ab ea vsurpatum puero Regio deberetur. Nulla, inquam, in Scripturis mentio, in Iosepho quoque nulla, Athaliam ob Idololatriæ crimen fuisse expulsam.

Longus sum in hoc commento ad extremum submouendo, quod illo multis locis vsus sis, & Sanderus, & aliquot alii Pontificis potestatem, seu decepta religione seu factu, per fas, & nefas prouecturi. Addam igitur verba Iosephi, qui cum reliqua quæ in ea finxisti historia, tum clarissime refutet, quod tu ais, Athaliam non suasu & consilio Ioiadæ, sed potestate & iussu, de Regno atque vita fuisse deiectam. Sic ille (Antiquit. lib. 9. cap. 7.) *Septimo anno Ioadus cum quinque Centurionibus coniurat, & communicatis adeptum Gotholia Regnum ad puerum transferant, dataque & accepta per iusiurandum silentii fide, spei plenus negatium hoc modo aggreditur. Centuriones Ioado ad hoc facinus adsciti, peragrata tota regione, Sacerdotes & Leuitas, & aliquot in suis tribubus potentiores, Hierosolyma nomine Pontificis euocatos, secum adducunt. Ille habere se* VTILE REIP. CONSILIVM *ait, aperturumque eis, si id apud se continere velint: opus enim esse non silentio tantum, sed etiam auxilio. Cumque sacramentum ab eis accepisset, tuto se posse quidquid vellet dicere producto puero Dauidici generis, quem alebat,* HIC EST, *inquit,* REX VESTER, *ex illa natus familia, quam scitis Deum prædixisse regnaturam in perpetuum. Itaque censeo tertiam vestrum partem custodiam eius in templo agere &c. Illi,* APPROBATO *Pontificis consilio, rem statim aggrediuntur. Ioadus vero aperto armamentario quod Dauid in Templo instruxerat, distribuit Centurionibus, & Sacerdotibus &c.*

Quid porro ex hac Athaliæ, Ioiadæque, historia colligendum; iam ante ostendimus, Cap. 3. §. 16.

CAPVT XXXIX.

Nihil posse colligi pro potestate temporali Pontificis, ex Ambrosii facto, Theodosium ob Thessalonicensem cædem liminibus Ecclesiæ arcentis, eumque deinde ea conditione recipientis, vt legem de prolatanda capitalium sententiarum executione sanciret.

Titulus est apud Bellarminum.

Defenditur tertium exemplum allatum pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

§. VNIC.

TERTIVM *exemplum*, inquis, *attuleram ex sancto Ambrosio, qui Theodosium Imperatorem excommunicauit propter cædem, quam Thessalonicæ nimis crudeliter fecerat: deinde coegit eum, vt legem ferret ne sententiæ latæ de cæde, aut publicatione bonorum ratæ essent, nisi post triginta dies à pronunciatione sententiæ, nimirum vt si quid per iracundiam præcipitanter dictasset, intra spatium illud sedato pectore reuocaret. Ex quo exemplo collegeram ab Episcopo Mediolanense potuisse iudicari Imperatorem, qui apud Mediolanum sedem habebat. Ex quo rursus deduxeram, si hoc potuit Episcopus, quanto magis Princeps Episcoporum Papa?*

Ad hoc exemplum ita respondet Barclaius, vt primum admittat, Episcopum posse cognoscere de crimine Principis in foro externo Ecclesiastico, & illud punire pœna Ecclesiastica, qualis imprimis excommunicatio est: & hoc modo cognouisse Ambrosium causam Theodosii de cæde, vt peccatum erat, & eundem Theodosium reum factum excommunicasse: deinde concedit, ab Episcopo Ambrosio imperatum fuisse, vt Theodosius legem illam ferret in pœnitentiam peccati commissi, sine quo pœnitentiæ fructu vel signo, eum ab anathematis vinculo non soluit. Ex his vero colligit, S. Ambrosium habuisse in Theodosium spiritualem iurisdictionem, non autem temporalem, aut politicam.

At ego exemplum illud quod attinet ad excommunicationem, non attuli aduersus Barclaium, qui nondum orbi terrarum innotuerat: sed aduersus alios, præsertim Anglos Caluinistas, qui negant Principem supremum excommunicari posse à Summo Pontifice, vel Summum Pontificem vllam habere in supremos Principes iurisdictionem, vel potestatẽ. Quod vero attinet ad legem politicam, quam Theodosius ex Ambrosii præcepto tulit, non vtique negamus, eam ad fructum pœnitẽtiæ pertinere, & à spirituali potestate Episcopi fuisse imperatam: sed ostendere voluimus, posse Principes Ecclesiasticos, non solum in foro interno conscientiæ, sed etiam in foro externo Ecclesiastico disponere de temporalibus, vt ad spiritualia ordinem habent. Certe enim qua potestate S. Ambrosius potuit Theodosium cogere, si à vinculo anathematis solui vellet, ad legem illam politicam ferendam: eadem potuit eundem cogere ad aliam legem politicam saluti animarum necessariam, ferendam, nisi vellet anathematis vinculo alligari. Ex quo manifeste colligitur, multo maiore ratione potuisse Pontificem Maximum, Ecclesiæ vniuersæ præsidem imperare Principibus temporalibus sub anathematis pœna vt leges politicas spirituali bono necessarias ferant, & contra, vt eas abrogent, quæ spirituale bonum impediunt: atque hoc modo spirituali potestati, temporalem potestatem esse subiectam.

Id exemplum Ambrosianæ in Theodosium seueritatis adeo eximie à Barclaio exponitur, vt sit mirum, te iterum huic in Reges aptando incumbere. Dicis, te eo vsum in hæreticos, quo probares excommunicari posse Reges. Imo vero, id inter exempla constituis Principum, quos Ecclesia in rebus temporalibus castigarit, vt inde concludas, Pontificem in rebus temporalibus habere potestatem.

Ais non negare te quin *lex politica quam Theodosius ex Ambrosii præcepto tulit, ad fructum pœnitentiæ*

tentiæ pertineat; sed te voluisse ostendere, *posse Principes Ecclesiasticos in foro externo Ecclesiastico disponere temporalibus, vt ad spiritualia ordinem habent*. Ambigua oratio, & à perplexo sensu, Bellarmine, vindicanda. Vbi scilicet temporalis res eum manifestò peccato, aut facto, aut faciendo, cõiuncta est; tunc illa res ratione peccati, est Ecclesiasticæ notionis; nõn vt absolute de ea disponat Ecclesia; sed vt moneat, hanc aut illam actionem Dei lege non licere; verbi causa, duello decernere, vsuras exercere &c. ac præterea vt Ecclesiasticis pœnis delinquentes coerceat; non temporalibus vero; quia hæ scilicet in solius Politici Magistratus potestate. Alioqui frustra forum, frustra iudicia, quibus Reges homicidia, furta; incestus, vsuras vindicant. Satis his Ecclesiasticum forum esset; si vt ibi hæc temporalia agitari; & spiritualiter coerceri; ita temporaliter etiam possent: Temporalia itaque agitantur in Ecclesiastico foro, spiritualiter tamen. Et si Princeps non audiat Ecclesiæ vocem, si censuras aspernetur, aliquid vltra tentare non est in Ecclesiæ manu, nec temporalis pœnæ metu paruit Theodosius Ambrosio; aut vllũ in ea historia vestigium, quo videatur Ambrosius Imperatorem, nisi resipuisset, temporalibus pœnis vlturus.

At, inquis, potuit eum, vt ad vnam, sic ad aliam legem Politicam sanciendam cogere. Explicandum illum *cogere*: verba hæc etiam, *aliam legem*. Ad nullam quippe legem, temporalis pœnæ metu coactus est Imperator; aut temporali iurisdictione Episcopi: Sed cum censeret Ambrosius esse periculum, ne Princeps præcipiti iracundiæ pronus, se iterum innocentium cæde fœdaret, vt paulo ante in Thessalonicensium clade, credidit non enim ex animo pœnitere facinoris, nisi eiusmodi legem ferret, qua hoc peccandi periculum declinaretur: *quam*, inquit, *pœnitentiam ostendisti post tantum scelus, aut qua medicina curasti grauissima vulnera?* Præcepit itaque confitenti, ac pœnitenti Principi vt sanciret *ne sententia lata de cæde, vel publicatione bonorum, rata, essent nisi post triginta dies à pronunciatione sententiæ*. Quasi diceret; non potes veram pœnitentiam præteriti facinoris agere, nisi in futurum caueas: mihi autem, qui spiritualis iudex sum, non videris te in futurum posse iracundiæ occurrere, & iracundiam sequentibus malis, nisi statuas vt triginta dies intersint inter sententiam de hominis sanguine latam, & executionem sententiæ. *Ad aliam igitur legem*, absque qua credidisset vanam Principis pœnitentiam, & imperfectam fore, tam Theodosium adigere, quã ad istam potuit Ambrosius: quomodo & priuati Sacerdotes singulis è populo possunt absolutionis negare remediũ nisi ille, qui peccasse se fatetur, sua vulnera patiatur commoda aliqua & salubri medicina curari. Quid hæc autem ad temporalem potestatem? aut vbi in Ambrosio verbum, quo vt Principem ab Ecclesiæ limine arcuit, ita contumacem à palatio fugaturum minaretur? Nimis multa; Habet Lector apud Barclaium huius rei disputationem prorsus egregiam. Neque tu hic in contrarium quicquam, nisi iam antea satis excussum.

CAPVT XL.

De sensu verborum Gregorii Magni, Honore suo priuetur. *Et præter mentem Gregorii ab Aduersariis vsurpari, quo astruant Potestatem Pontificis temporalem.*

Apud Bellarminum titulus est.

Defenditur exemplum quartum.

§. VNIC.

QVartum exemplum desumptum fuit, inquis, *ex priuilegio S. Gregorii Monasterio S. Medardi concesso, quod habetur lib. 12. Epistolarum extremo, in quo leguntur hæc verba: Si quis Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcumque sæcularium personarum, huius Apostolicæ, & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscumque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo priuetur &c. Et similia habentur in alio priuilegio eiusdem S. Gregorii Lib. 11. epist. 10. ad Senatorem Abbatem.*

De hoc exemplo sic loquitur Barclaius. Si viueret hodie B. Gregorius, & superiora verba eo sensu accipi intelligeret, quasi ipse potestatem habuisset priuandi Reges suo honore, & dignitate: exclamaret profectò calumniosam esse interpretationem. & se nunquam tale quid, vel per somnium cogitasse: ea vero quæ alibi scripta ab eo sunt, fidem abrogant huic expositioni. sunt igitur ista non imperantis, sed imprecantis verba, quibus admonet, & adiurat omne genus hominum, ne priuilegium à se datum violent: quod si violauerint, Deum vindicem fore qui eos suo honore priuet. quod genus admonitionum & imprecationum nunc semper addi solet extremis Bullarum, & Constitutionum Pontificiarum, hoc modo, Nulli ergo hominum liceat hanc paginam &c. si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius incurret, sive quod idem est, se nouerit incursurum.

Respondeo. interpretatio verborum S. Gregorii, non mea est, sed alterius S. Gregorii dignitate paris, & sanctitate non multum inferioris. Sanctum, inquam, Gregorium VII. Papa in Epistola ad Episcopum Metensem, quæ est vicesima prima libri octaui, hunc locum Sancti Gregorii adducit ad probandum iure à se fuisse depositum Henricum Imperatorem: B. Gregorius, inquit, Papa Reges à sua dignitate cadere statuit, qui Apostolicæ sedis decreta violare præsumpserint, scribens ad quendam Senatorem Abbatem his verbis: Si quis vero

Regum &c. Quod si B. Gregorius doctor etiamque mitissimus, Reges qui statuta violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decreuit: quis non Henricum non solum Apostolicorum iudiciorum contemptorem, verum etiam ipsius Matris Ecclesiæ, quantum in ipso est conculcatorem, totiusque Regni, & Ecclesiarum improbissimum prædonem, & atrocissimum destructorem deposuisse, & excommunicasse reprehendat, nisi forte similis eius? hactenus ille, cui Barclaius si cedere noluerit in interpretatione verborum S. Gregorii, nimis temerarius erit: si autem cesserit, fateri debebit S. Gregorium primum non ignorasse, potestatem sibi diuinitus datam extendi vsque ad Regum, & Principum depositionem. Sed addamus & alium interpretem verborum S. Gregorii, vt in ore duorum testium stet omne verbum. Thomas Valdensis vir doctissimus in lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ art. 3. cap. 75. Profecto, inquit, nec B. Gregorius eminentiam sui status super statum Imperialem prætudicauit in aliquo, cum Regem sibi verbotenus præposuit, negotio quod tunc tractabatur attento, quod tunc apte videbimus, si posteriora eius facta & scripta quæramus. Videas se Magistrum, & Imperatorum, & Regum arbitrabatur, cum post priuilegia quædam Senatori Presbytero, & Abbati Xenodochii Francorum directa sub interminatione dignitatis, & honoris eum eius violatorem conclusit, Si quis Regum &c. En quam bene Doctor iste Barclaium nondum natum confutauit. Barclaius dicit ex aliis scriptis S. Gregorii colligi, S. Gregorium non existimasse habere se potestatem super Reges sæculi, quamuis eius verba id significare videantur: Thomas Valdensis contradicit, ex aliis S. Gregorii scriptis colligi, S. Gregorium verbotenus se Imperatori subiecisse, re autem vera non ignorasse eminentiam sui status super statum Imperialem. Barclaius dicit, verba Sancti Gregorii sonare imprecationem, quam etiam quilibet priuatus adiungere potest literis suis: Thomas Valdensis contradicit, Verba S. Gregorii sonare interminationem honoris, & dignitatis, quam literis suis adiungere non potest, nisi Princeps supremus. Verum autem maior fides habenda sit vni Barclaio, quam duobus viris tanta eminentia, atque doctrina, stultum est quærere. Sed etiam si id quæratur ex verbis ipsius S. Gregorii tota quæstio nullo negotio dissoluetur. Si quidem S. Gregorius tria simul coniungit, videlicet honore suo priuetur, à communione fidelium segregetur, in diuino examine ad pœnas æternas damnetur. At duo posteriora non continent imprecationem, sed decretum, siue declarationem: non enim Prælatus, qui dicit, qui hoc fecerit, excommunicetur, imprecatur excommunicationem, sed iubet excommunicari: & qui dicit, qui hoc fecerit, in diuino iudicio ad pœnas æternas damnetur, non imprecatur damnationem æternam (quis enim tam crudelis inuenitur, qui hoc imprecetur?) sed declaratio, qui hoc fecerit, eum grauissime peccaturum, & pœnas æternas in diuino examine promeriturum. Igitur eodem modo illud, honore suo priuetur, non est imprecatio sed decretum, vt ab honore suo decidat, & declaratio, vt liceat populo non obedire eiusmodi Regi tanquam honore suo ac dignitate priuato. Quemadmodum etiam verba extrema constitutionum Apostolicarum non significant imprecationem, vt perperam Barclaius exponit (neque enim Summus Pastor, & Vicarius boni illius Pastoris qui animam suam pro ouibus suis posuit, imprecaretur ouibus suis indignationem omnipotentis Dei) sed declarationem, & denunciationem communis grauissimæ pœnæ, quæ contemptores Apostolicorum præceptorum sine dubio consequetur. Hoc enim manifeste significant illa verba, Indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli se nouerit incursurum. Quare si S. Gregorius nunc in terris viueret, haud dubie exclamaret, calumniosam esse interpretationem Barclaii, & se nihil tale vnquam vel per somnium cogitasse.

Quid tu nobis authoritatem Gregorii VII? Si Scripturæ verba accepit, *quodcumque ligaueris &c.* quasi significarent, omnium Regum, omnium Principum temporalia, esse in Pontificis manu, vt ea possit *auferre & dare*, multo magis decessoris sui scripta ad alienos sensus potuit detorsisse. Nemo certior Gregorii primi interpres, quam ipse Gregorius, qui vt se politico Principi subiectum professus sit, fuse retulimus *Capite* 3. §. 17. Eius authoritas satis sit Gregorio VII. verbis illius abutenti. Thomæ vero Valdensi, egregium quoque Anglum opponimus, Rog. Widringtonum, qui Gregorii primi verba eodem prorsus quo Barclaius modo exposuit, nempe, vt comminationem diuinæ vltionis contineant, non iudicii præsentis sententiam. Iam porro & imponis Barclaio *Barclaius dicit*, inquis *verba S. Gregorii sonare imprecationẽ, quam etiam quilibet priuatus adiungere potest literis suis*; At id Barclaius neutiquam dixit, quis ignorat *benedictionem, aut maledictionem, superioris*, siue temporalis, siue spiritualis, maioris longe momenti, quam priuati hominis, & nulla potestate pollentis?

Sed bene est; ais *ex verbis S. Gregorii totam quæstionem nullo negotio dissolui.* quia nempe Gregorius tria coniungit *honore suo priuetur, à communione fidelium segregetur, in diuino examine ad pœnas æternas damnetur.* Atqui, inquis, *duo posteriora nõ continent imprecationem, sed decretum siue declarationem*; ergo & illud primum, honore suo priuetur, *non est imprecatio sed decretum.* En vt ministras ferrum, quo cadat tua causa. Nam hæc scilicet verba Gregorii, *in diuino examine ad pœnam æternas damnentur*, siue vt est in ipso Gregorio, *omnium maledictionum anathemate, quibus infideles, & hæretici, ab initio sæculi vsque in præsens damnati sunt, cum Iuda traditore Domini in inferno inferiori damnetur*: declarationem continent, quid Deus facturus videatur, non vero decretum Pontificis iussu implendum: cum Pontificis non sit decernere, quos damnari ipse velit, & quam grauibus pœnis, aut in quo barathri loco secuari, sed declarare atque ostendere, qui mereantur sententia Numinis æterna damnari. Sic igitur sanctionis illa pars, *honore suo priuetur*, non accipienda est, quasi ipsius Pontificis sententia honorem Regibus possit auferre, sed quod Reges digni sint quibus Numen potestatem abroget, vt & sæpe videmus impiorum Regum solium iustissimo Dei nutu concidere. Vt est igitur expectandum, donec Numen hominem æternis addicat suppliciis, de quo pronunciauerit Pontifex, *cum Iuda traditore Domini in inferno inferiori damne-*

damnetur; sic & expectandum est, dum idem omnium Potestatum conditor huic Regi dignitatem & honorem adimat, de quo Pontifex edixerit, *honore suo priuetur*. Et vt hic homo post extremi iudicij sententiam nec dum *damnatus est*, ita neque iste Rex *honore suo priuatus*. Tantum est cōminatoria declaratio, surrecturum in vindictam ipsum Deum, & hunc honore, illum salute multaturum. Hic omnino genuinus Gregorii Magni sensus, cuius verba si ad tuam capimus mentem, quam lubrica Regum dignitas, quam etiam in re seria breuis Gregorius, quam denique suæ ipsius oblitus sententiæ. Qui diserte perscripsit obstitisse Dei metum (Lib. 7. Epist. 11.) *ne in mortem cuiuslibet hominis se misceret*; ideoque noluisse se, licet de facto posset, Longobardorum Reges ac Duces perdere, tam acerbe vexantes Ecclesiam, vt scribat se incursiones illorum *nullis explere vocibus suggestionis valere*, Homil. 18. super Ezechiel. lib. 11. Epist. 45. qui, inquam, tam infestos Principes, quibusque tollendis idoneas vires habebat, tolerauit, ne in Dei legem committeret, etiam impios Principes tolerari iubentem; an iam quoscunque Principes, & qui sine maxima cæde non abeant Imperio, non ob turbatam vt à Longobardis Ecclesiam, sed si *inquietauerint Medardensis monasterii fratres*, exire solio imperet, Regnoque priuari? Bardus & fungus, cui persuadeas, Bellarmine.

Sed quem non misereat Imperatorum, Regum, Principum, si ob delictum eiusmodi, nempe si priuilegio Medardensis Monasterii *contradixerint, aut negligenter duxerint, vel fratres inquietauerint, vel conturbauerint*, spoliari à Pontifice Regno possint? Dicebas antea (Cap. 12. §. 4.) id Pontificem demum posse, *si necessarium ad salutem animarum sit, si antea admonuerit, si spatium resipiscendi dederit, si perniciosum & incorrigibilem Regem esse perspexerit*. Iam hoc fieri posse dicis, si Rex priuilegium alicui Monasterio datum violet. An est porro necessarium ad salutem animarum, vt Rex ob eiusmodi delictum abdicetur? An *incorrigibilis* qui hoc patrauerit? resipiscet forte monitus; & sic tamen Gregorii verba capis, vt statim à violato priuilegio Rex esse desinat; ais enim; *est declaratio vt liceat populo non obedire eiusmodi Regi, tanquam honore suo ac dignitate priuato*.

Quod si ob eiusmodi causam potest Pōtifex Regnum auferre, certe & ob alias poterit, puta ob homicidium, adulterium, rapinas, omne denique crimen, si id patrari prohibeat, *sub pœna priuationis Regni & honoris*. En quo deuenerimus: en tuum illud, *si necessarium est ad salutem animarum*; Dicendum tibi fuerat: si Rex committat aliquid quod Pontifex vetuerit *sub priuatione honoris*. Præterea non hic de solis Regibus Gregorius: sed & de minori Magistratu. Ait enim: *cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit*. Erit igitur in Pontificis arbitrio, vt vbique in Christiano Orbe, Præsidibus, Cancellariis, Iudicibus politicis, potestatem abroget, quam à Rege acceperint. Si enim quidpiam *sub priuatione honoris* iusserit, & in illud Cancellarius peccet, iam non erit Cancellarius, si Præses, si Senator, à dignitate excidet, & illum licet fidum, licet Catholicum, Rex cogetur, ob leue fortasse delictū, sed à Papa damnatum, à curia expellere, fasces auferre. Hanc rem quot sequantur incommoda, quoniam & innumera sunt, & obuia, prætermitto. Mihi satis ostendisse, S. Gregorium nihil minus illis verbis cogitasse, *honore priuetur*, quam Reges ac Principes per Romani Pontificis sententiam de solio posse expelli. Neque diuerto hic ad disputationem superfluam, supposititia ne hæc verba, an vere Gregorii.

CAPVT XLI.

Leonem Isaurum Imperatorem, neque Gregorii secundi, neque Gregorii tertii sententia, Imperio fuisse priuatum.

Apud Bellarminum titulus est.

Defenditur exemplum quintum.

§. VNIC.

QVintum exemplum est Gregorii II. inquis, *qui Leoni Imperatori à se excommunicato prohibuit vectigalia solui ab Italis, ac proinde Imperii parte mulctauit.*

Ad huius, & sequentium exemplorum refutationem, præmittit Barclaius satis prolixam admonitionē aduersus argumenta, quæ petuntur ab exemplis, immemor argumentorum, quæ ipse duxit ab exemplis veterum Pontificum & Imperatorum, ex quibus plenissime constare dixit, nullam esse in Pontifice potestatem disponendi de temporalibus. Sed quoniam isti sunt loci communes, qui ad omnem disputationem accommodari possunt, iis omissis ad rem propositam accedam. Igitur Barclaius præcise negat, verum esse quod Historici tradunt à Gregorio II. Pontifice prohibitos fuisse Italos, Imperatori hæretico & excommunicato vectigalia pendere: tota vero eius ratio est quia Platina in vita Gregorii II. scribit, volentibus populis deficere ab Imperatore hæretico, restitisse Gregorium, & authoritate sua eos in fide, & obedientia Imperatoris tenuisse. Cur autē vni Platinæ maior fides habenda sit, quam cæteris Historicis antiquioribus & pluribus, eam causam reddit, tum quia Platina scripsit historias Pontificum iussu Sixti IV. & habuit Romæ multa vetera monumenta: tū etiam quia Gregorius Pontifex optimus, & iustissimus cum esset, nunquam iussisset contra Euangelium negari censum Cæsari, qui vsque ad obitum Cæsar, & Imperator Augustus permansit.

At hæc Barclaii disputatio tam est infirma, & debilis, vt mirum non sit, quod paulo ante tam longa

profatione exemplorum authoritatem extenuare conatus sit. Videbat enim nihil firmum afferre se posse ad exemplum tam vetustum, & tam euidens refutandum. Primum igitur aio Platinam non esse contrarium Historicis cæteris, si tempora distinguantur. Verum est enim per multos annos Gregorium restitisse populis Italicis cupientibus ab Imperatore deficere. Sperabat enim assiduis cohortationibus suis aliquando fore ut Imperatorem, & ad meliorem mentem ac saniora consilia rediturum: atque hoc est, quod Platina vere narrat. Sed vbi vidit Pontifex se operam perdere, & Imperatorem quotidie deteriorem fieri, securim ad radicem misit, & Imperatorem cœtu piorum, eiecit, ac iussit, vt ei tanquam impio Italici populi non parerent neque vectigalia deinceps penderent. Id vero Platina non negat & Historici plurimi Græci, & Latini affirmant, quos in libro meo citaui. Vide de hac tota causa Cardinalem Baronium Tomo 9. Annalium, ad annum salutis 726. & 730.

Aio secundo, si Platina contrarium dicat, magis credendum esse historicis cæteris, quam ipsi: nam & multi sunt, & antiquiores, & diligentiores, & Historias temporum scribunt, non vitam vnius Pontificum, vt Platina facit: quam autem Platina parum diligens fuerit in perscrutandis monimentis Romanorum Archiuorum, vel ex eo potest intelligi, quod Onuphrius Panuinius in additionib. ad Platinam, multa eiusdem Platinæ vel omissa, vel errata demonstrat: & in additione præmissa vitæ Gregorii secundi, admonet Leoni tertio Imperatori hæretico iure ereptum fuisse Imperium, quod in Italia habebat, à Gregorio secundo Romano Pontifice.

Aio tertio Gregorium virum sanctissimum non peccasse in Euangelium, quando populos Italiæ prohibuit vectigalia pendere Imperatori hæretico. Quod enim Dominus ait, Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, intelligitur de Cæsare legitime imperante.

Leo vero ille, qui ob crimen hæresis à summo Pontifice publice excommunicatus fuerat, & ab Imperio depositus, non erat vero & iure Cæsar, sed Tyrannus, & persecutor sub titulo Cæsaris.

At, inquit Barclaius, vsque ad mortem Leo permansit in Imperio.

Respondeo. Apud Græcos, præsertim hæreticos, Imperator de facto, non de iure permansit: Apud Latinos, & præsertim Italos, neque de iure, neque de facto.

Faxo non maiori præsidio tibi sit secundus Gregorius, quam sanctus ille primus. Prius tamen excutiam quod hic de argumentis *ab exemplo*, & tu, & Barclaius.

Dicit Barclaius posse vos exempla afferre Pontificum aliquot, qui temporalem in Reges potestatem extremis his sæculis vindicarint. Sed hæc exempla, quid factum sit, non quid faciendum ostendere. Tu reponis, Barclaium eadem ratione eneruare argumenta, *quæ ipse duxit ab exemplis veterum Pontificum, & Imperatorum, ex quibus plenissime constare dixit, nullam esse in Pontifice potestatem disponendi de temporalibus.* Imo summum est, Bellarmine, inter vestra, & Barclaii exempla, discrimen. Qui à Barclaio proferuntur, antiqui Patres sunt, prisci æ illius Ecclesiæ, cum adhuc in Episcopis mores cum fide consentirent, qui non tantum obsequebantur Principibus, sed & esse obsequendum decernebant? quorum denique & exemplum & doctrinā nemo carpebat, nemo in Christianis non laudabat. Vos autem nouæ sententiæ affertis exempla abhorrentia à moribus primis, calamitatum & bellorum incentiua, denique à compluribus Orthodoxis tum omni ætate, tum hoc maxime æuo damnata. Vide quid intersit inter exempla eiusmodi, & vtra maioris fidei censenda sint. Sed veniamus ad Gregorium secundum Pontificem.

Negat Barclaius, arbitrari se, hanc historiam esse veram; nimirum quod à Gregorio II. Leo Isauricus sit Imperii parte mulctatus; cum etiam Platina contrarium prorsus scribat, qui *Pontificum vitas*, magna cura & ex certissimis monimentis exscripsit. Dicis Platinam nihil aduersus vos dicere: quippe Gregorium multis annis restitisse Italiæ alium Principem cupienti deligere, vt Platina scribit: At tandem Imperatorem ab eo de piorum cœtu eiectum, multatumque Italiæ Regno, & hoc Platinam non negare. Huic argumento sat respondet Barclaius, Platinam cum hanc Historiam nequaquam omiserit, sed scripserit de Gregorii in Imperatorem fide, scripturum etiam certe de abdicatione illa, si eam credidisset fidis testimoniis cōprobatam. Addo ego, restitisse Pontificem, vt dicit Platina, quominus *Italiæ populi sibi alium Imperatorem deligerent*: Atqui constat Italos nullum vnquam sibi pro Leone Imperatorem constituisse; ergo neque vnquam Pontificem, vt facerent, annuisse.

Ais denique plus cæteris Historicis credendum quam Platinæ; multa eum negligenter de Pontificibus scripsisse, quæ notantur ab Onuphrio Panuinio: qui Onuphrius, inquis, *in additione præmissa vitæ Gregorii secundi admonet, Leoni tertio Imperatori hæretico iure ereptum fuisse Imperium, quod in Italia habebat, à Gregorio secundo Romano Pontifice.* Nunquam feceris mihi fidem, Bellarmine, additionem illam quæ vitæ Gregorii secundi præmittitur, esse Onuphrii. Ibi enim dicitur, ereptum Leoni Augusto Imperium Italicum, à Gregorio. II. At Onuphrius, in *Pontificum Romanorum Chronico* diserte perscribit; *Italia ab Imperatore Constantinopolitano Leone hæretico Iconomacho, auctore Gregorio. III. Papa defecit.* Sed & depositum ab vllo Pontifice hunc Leonem, adeo aperte iuit inficias, vt abdicationem illam fabulam vocet (*Lib. 4. de Var. creat. Rom. Pontif.*) Ibi scribit, Gregorium. VII Pontificum primum esse, qui Imperatorem *Regno Imperioque priuare ausus sit.* Addit; *Res ante ea secula inaudita. Nam fabulas, quæ de Arcadio, Anastasio, & Leone Iconom acho circumferuntur, nihil moror.* Obiicias; Sibi ergo non constare Onuphrium, qui, in *Chronico*, Gregorium. III. vocat Italicæ defectionis auctorem. Et in *Lib. de Var. creat.* &c. negat vllum

vllum Pontificem ante Gregorium VII. Principibus abstulisse Imperia. Nulla pugna. Nam non negat fuisse ante Gregorium VII. qui suaserint, aut consenserint deficientibus à Principe: qualem esse vult Gregorium hunc secundum: Sed negat fuisse ante illum Gregorium VII. Pôtificem aliquem, qui tanquam potestate suæ sedi à Deo concessa præsumpserit abdicationis in Principes ferre sententiam: Sic Otto Frisingensis; sic Gotfridus Vuetbiensis, scribunt hoc ius abdicandorum Regum primo à Gregorio VII. vsurpatum; hunc tamen Secundum Gregorium *suasisse Italis*, seu vt loquitur Onuphrius, fuisse illis *authorem*, deficiendi à Principe. Et vero si Gregorius secundus hoc summum ius sibi in temporalibus vindicasset; An tu credis vel neminem fuisse in Græcis, qui plerumque Romanæ æmuli infestique Ecclesiæ, & Leoni Imperatori fideles ad vltimum, qui ius Imperatoris tueretur, negaretque Romani Episcopi potestatem ad hoc in Principes imperium pertinere? Neminem saltem in Orbe qui hanc tantam potestatem, tunc primum exertam, aut laudaret, aut carperet?

Sed nec desunt Authores, qui cum Platina testes sint, nihil prorsus ab hoc Pontifice actum in Principem. Ita Regino sentit *Lib. 1. Chron.* Paulus Diaconus, *Lib. 8. de gest. Roman.* Anastasius Bibliothecarius, in *Gregorio II*, Neq; in *libro Pontificali* aliud habes de Gregorio II. in Leonem, præter hæc verba, *Imperatori quoque mandauit salutaria suadens, & vt à tali execrabili miseria declinaret, scriptis commonuit.* Neque plus à Gregorio tertio actum, quam à secundo, testatur: refert enim Gregorium tertium misisse ad Leonem & Constantinum *commonitoria scripta, vigore Apostolicæ sedis & institutionis, quemadmodum & sanctæ memoriæ decessor ipsius direxerat.* Hæ porro minæ non depositionis, sed excommunicationis, vt patet ex eiusdem Gregorii constitutione, qui vt vidit intercipi suas ad Imperatorem literas, decreuit in Synodo, vt quicunque imagines violaret, esset *exterris à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, vel totius Ecclesiæ vnitate atque compage.* Et hoc quidem in genere, nihil autem in Imperatorem nominatim: ad quem è contrario misit Petrum defensorem *iterum faciens adhortatorias literas pro erigendis imaginibus.* Quis deniq; dignior fide testis, quam ipse Gregorius III? dicitis abrogatum Leoni Imperium à Gregorio II. & Gregorium III. illam abrogationis sententiam confirmasse. Atqui contra Gregorius III. in Epistolis suis Leonem pro Imperatore agnoscit, etiam vsque ad extrema ipsius Leonis têpora. Verba sunt Gregorii III. in Epist. quæ incipit, *Doctoris omnium gentium.* Ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, *Deus te incolumem custodiat Reuerentissime frater. Data quarto Calêdas Nouembris, Imperante Domino piissimo Augusto Leone, Imperii eius anno vicesimo tertio, sed & Constâtino Magno Imperatore eius filio anno vicesimo, indictione octaua.* Quid pulchrius, quid liquidius hâc vestram refutet fabulam, quam ista Gregorii III. verba, penultimo Leonis Imperatoris anno scripta, post Gregorii vero secundi obitum annis nouem. Vultis tamen Leonem à Gregorio II. abdicatum, & illam abdicationis sententiam à Gregorio III. esse firmatam.

Dicis potuisse Gregorium prohibere ne vectigalia Leoni penderentur, quia *non erat vere & iure Cæsar, sed Tyrannus, & persecutor sub titulo Cæsaris.* Atqui sub Francisci Romuli nomine scribis iudicasse Ecclesiam, hunc Leonem Isauricum non toto Imperio, sed Imperii parte spoliandum: Ita ibi, Cap. 18. *Sic enim Ecclesia Leonem Isauricum Imperii parte, & Henricum IV. toto Imperio. & Childericum Regno Franciæ spoliandos esse iudicauit, vt reipsa deinceps, & Leo parte Imperii, & Henricus imperio toto, & Childericus Franciæ Regno caruerit.* Simili modo *lib. 5 de Pontif. Rom. Cap. 7.* & hoc libro, isto capite, dicis mulctatum hunc Leonem parte Imperii. Si igitur duntaxat Imperii parte mulctatus, ergo adhuc Cæsar erat. & perperam dicis, eum *apud Græcos Imperatorem de facto non de iure permansisse.* Sequi etiam necesse est, posse Pontificem non modo totum Regnum, sed si videbitur, Regni partem auferre, atque ita Regna & Principatus diuidere, multorum & euertere Imperia, diuulsis à corpore prouinciis, quarum aliquas antiquo relinquat Principi, aliquas nouo permittat. Quod & aperte docet Franciscus Victoria, Relect. 1. de potest. Eccles. sect. 6. num. 8. qui sic de Pontifice: *Potest non solum omnia quæ Principes sæculares possunt, sed & facere nouos Principes, & tollere alios, & Imperia diuidere.* Quæ hæc rerum euersio, quam vos inducitis? vt debeat ad iudicium Pontificis, verbi causa, vel ora Hispaniæ ad Regem Gallorum accedere, vel Aquitania ad Hispanû: & vt vnius nationis, factionis, nominis, consanguinitatis Populus ad sententiam Pontificis diuidatur, & pars infesto forsitan Regi accedat, exutoque naturæ affectu, in fratres, in populares pugnet? Absurdior illa sententia, quam vt digna sit refutari.

CAPVT XLII.

Quæ fuerint Zachariæ Pontificis partes in depositione Childerici.

Titulus apud Bellarminum est.

Defenditur exemplum sextum.

§. VNIC.

S*Extum exemplum est*, inquis, *Zachariæ Pontificis, qui Childericum Regem Francorum deposuit, & Pipinum substituit.*

Ad hoc

Ad hoc exemplum Barclaius opponit multa, quæ per partes sigillatim refellenda sunt.

Primum contendit, Childericum fuisse solo nomine Regem, qualis est, vt ipse loquitur, Rex Scaccorum.

Respondeo. Negari non potest, quin Childericus nihil omnino in Regno per se gereret, sed Regnum, & Regni negocia per Principes ac potissimum per Præfectum Palatii administraret, vt Aimonius tradit lib. 4. c. 61. cæterum verum non est, eum solo nomine regem fuisse: fuit enim rex iure successionis, & tanquam verus ac legitimus rex inunctus, & coronatus erat, & à populo iuramentum fidelitatis acceperat. Neque hoc negare Barclaius potest, nisi ipse sibi repugnare velit: nam paulo post scribit, grauissimam iniuriam Childerico factam esse a Zacharia Pontifice, & à Pipino Principe eum regno deiectum est. At quæ iniuria fieri poterat ei si absque vllo iure falsum regis nomen gerebat? & cur Pipinus in spem regni exarserat, & regium nomen non dissimulanter affectabat (vt paulo post infra Barclaius loquitur) si Childericus nihil præter inane nomen habebat?

Secundo Barclaius dicit, Childericum iniuste depositum fuisse, in qua re socium habet Ioannem Caluinum lib. 4. instit. Cap. 7. & Illyricum in Historia Magdeburgensi Centuria 8. Cap. 10.

Sed nos iuste fuisse depositum probamus primo ex testimoniis omnium Scriptorum: omnes enim cum laude hanc historiam narrant. Vide Cedrenum in vita Leonis Isaurici, Paulum Diaconum libr. 6. capit. 5. de gestis Longobardorum, Eginarthum in vita Caroli Magni, Rheginonem libr. 2. Chronic. Marianum Scotum libr. 3. Chron. Othonem Frisingensem lib. 5. historiæ cap. 55. Adonem Viennensem, in Chronic. Aimoinum lib. 4. capit. 61. Abbatem Vspergensem, & Sigebertum in Chron. Blondum lib. 10. decadis primæ, Paulum Æmilium lib. 1. & 2. de gestis Francorum, Robertum Gaguinum, Papirium Massonium, & alios omnes, hæreticis exceptis.

Secundo ex causa: nam non solum Childericus, & aliquot eius prædecessores nulla regni negotia curabant sed etiam ob eorum socordiam Christiana religio in eo regno maxime laborabat, vt scribit S. Bonifacius Episcopus Moguntinus in Epistola ad Zachariam Pontificem.

Tertio ex virtute authoris, & executoris: nam Zacharias cuius authoritate hæc res gesta est omnium consensu vir sanctissimus, & sapientissimus fuit. Sanctus vero Bonifacius; qui iussu Pontificis Pipinum vnxit, & coronauit, non solum Doctor eximius, sed etiam Martyr gloriosissimus fuit. Denique ab euentu, nam translatio ista regni Francorum à Childerico ad Pipinum Deo benedicente faustissima, & regno atque Ecclesiæ vtilissima fuit.

At, inquit Barclaius, nullo casu licet malum facere, vt bonum inde quantumuis magnum consequatur: deponere autem regem legitimum à propriis subditis, aut deponentibus consentire, cum ille solum Deum supra se habeat, cui soli gestorum suorum rationem reddere tenetur, per se & simpliciter malum esse iam supra ostendimus.

Respondeo. Childericum non subditi eius sed Pontifex, qui superior erat, iure deposuit: non enim Zacharias solum assensum præbuit in depositione Childerici, sed ex authoritate eum deposuit, vt mox ostendemus. Neque vllo solido argumento supra Barclaius probauit, reges non habere supra se nisi Deum, cui soli gestorum suorum rationem reddere teneantur. Videat Lector, quæ supra dicta sunt, & iudicet.

Tertio Barclaius ridet argumentum illud, quod ab euentu felice duxi, vt probarem iuste Childericum fuisse depositum, ac dicit, plebeium & puerile argumentum esse, & allegat Poetam dicentem:

--- Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putet.

Addit etiam, eundem felicem euentum habuisse translationem regni Francorum a Carolouingis ad Capetingos, & tamen constat Hugonem Capetum per summum scelus exuisse Carolouingos Regno, & illud ad Capetingos suos transtulisse.

Respondeo. Argumentum à solo euentu fortuito sine dubio parum valet, vt si quis damnaret prudentiam vel peritiam Imperatoris ex eo solum, quod victor in prælio non fuisset: sæpe enim aliunde accidit amissio victoriæ quam ex imprudentia, vel imperitia Imperatoris: argumentum tamen à felici euentu ex prouidentia Dei, non parum valet, præsertim cum adiungitur aliis argumentis. Solet enim Deus iustitiæ fauere, nisi ob aliquam causam sapientiæ ipsius videatur aliter esse faciendum.

Quod autem Barclaius reprehendit Hugonem Capetum summi sceleris, & Regni vsurpati, & Gaguinum authorem adducit: nos ei cardinalem Baronium opponimus, qui tomo Annalium decimo ad annum Domini 987. multis argumentis probat, Hugonem fuisse legitimum regem, & in eo non defecisse, sed propagatam esse Caroli Magni stirpem. Nec desunt alii, qui Hugonem istum defendunt, vt Papirius Massonius, & alii: Gaguinus non dicit per summum scelus id ab Hugone factum fuisse. Et certe magnum argumentum huius rei esse potest, quod Robertus Pius, qui vna cum Patre Hugone, & post eum regnauit, vir piissimus, & sanctissimus fuerit: neque enim tanta pietas cum iniusta vsurpatione alieni regni cohærere potuisset.

Quarto dicit Barclaius, S. Bonifacium non peccasse exequendo mandatum Zachariæ Pontificis, quamuis Zacharias mandando peccauerit: reddit autem rationem, quia tenebatur, inquit, Papæ sententiam exequi, licet sciuisset illam esse iniustam, & ideo licet fecisset Zachariam reum iniquitatis imperandi, innocentem esse ostendisset Bonifacium ordo seruiendi, & necessitas parendi. & allegat ca. Pastoralis § qui vero, de offic. iudic. deleg. & can. Quid culpatur. 23. q. 1. & can. miles 23. q. 5. Respondeo. Hoc dictum non plebeium, aut puerile sed plane hæreticum est, pugnat enim cum expresso verbo Dei. Oportet obedire magis Deo, quam hominibus Act. 5 quod ipsum declarauit S. Augustinus, & alii Patres qui citantur. 11 q. 3 can Iulianus, & aliis multis canonibus eiusdem quæstionis. In illo vero cap. Pastoralis, §. quia vero, vbi dicitur, sententiam iniustam ab inferiore exequutioni mandandam esse: glossa recte docet, quæ ibi dicitur sententia iniusta, absolute

iustam

instam esse, quia iuste à lege inductum est, vt is qui in tempore præscripto non appellauit, aduersus eum sententia preferatur, etiam si aliquis iustam causam habuisset, & ibidem rectissime eadem glossa declarat, non esse obedienđum mandato superioris euidenter iniusto. Et Can. Quid culpatur. 23. q. 1. S. Augustinum contra Barclaium loquitur, cum dicit, esse obediendum superiori, quando vel certum est iustum esse, vel non est certum esse iniustum quod iubetur. ex quo sequitur, vt quando certum est esse iniustum, non sit vllo modo parendum. denique in Can. miles. 23. q. 1. non agitur de iustitia, vel iniustitia mandati, atque id solum definitur, priuata authoritate hominem interficere peccatum esse, secus autem si publica authoritate id fiat. Quare Barclaius sententiam sua amore cæcatus, vel noluit iura intelligere, vel non potuit.

Quinto dicit Zachariam Pontificem consensisse Francis volentibus Childericum deponere, & Pipinum regem creare, non autem potestate, vel authoritate sua, vel Childericum à regno deposuisse, vel in Pipinum regnum transtulisse: & propterea nihil ex hoc exemplo trahi posse ad ostendendam Romani Pontificis authoritatem in regibus vel deponendis, vel creandis.

Sed hæc nimia temeritas est, cum testimoniis historicorum omnium contrarium manifeste probetur.

1 Annales Francorum vetustissimi sic habēt, data authoritate sua (Zacharias) iussit Pipinum regē cōstitui.

2 Eginarthus in vita Caroli Magni: Pipinus, inquit, per authoritatem Rom. Pontificis, ex Præfecto Palatii Rex constitutus est.

3 Aimoinus Lib. 4. Cap. 61. de gestis Francorum: Pontifex, inquit, data authoritate sua, iussit Pipinum regem institui.

4 Rhegino Lib. 2. Chronici: Zacharias, inquit, per authoritatem Apostolicam iussit Pipinum regem creare & sancta vnctionis oleo inungi.

5 Lambertus Schaphnaburgensis, in hist. Pipinus, inquit, decreto Zachariæ Papæ per vnctionem S. Bonifacii Rex appellatus est.

6 Sigebertus in Chronico, Anno, inquit, 750. Pipinus Princeps authoritate Apostolica, & Francorū electione à S. Bonifacio in regem consecratur. & anno 752. iterum inungitur in regem à Stephano Papa.

7 Hermannus Contractus, in Chronico, Anno, inquit, 752. Pipinus authoritate Stephani Papæ detonso, ac deposito rege Hilderico rex Francorum factus est.

8 Marianus Scotus Lib. 3. Chronici, Zacharias, inquit, Papa ex authoritate S. Petri Apostoli mandat populo Francorum, vt Pipinus, qui potestate regia vtebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex, qui vltimus Merouingorum Francis imperabat, depositus, & in monasterium missus est.

9 Abbas Vrspergensis in Chronico, Anno, inquit, 750. Pipinus per authoritatem Zachariæ Papæ more Frācorum electus ad regnum per manus S. Bonifacii eleuatus est in regni solium. & infra, Stephanus Papa Pipinum sacra vnctione in Regiæ dignitatis honore confirmauit.

10 Otto Frisingensis Lib. 5. hist. c. 22. Authoritate, inquit, Zachariæ Papæ Pipinus ad regnum eligitur.

11 Albertus Krantzius Lib. 1. Metropolis c. 14. Merito, inquit, Summus Pontifex, & Gallorum rex mutuis se attollunt fauoribus: quando ab initio hæc Sedes domui Caroli hoc præstitit, vt Regiam haberet dignitatem.

12 Paulus Æmilius in Childerico, Zacharias, inquit, Francos sacramento regi Childerico dicto soluit: hique conuentu habito regem Pipinum salutauerunt.

Habemus duodecim testes. quorum aliqui authoritate Pontificis, alii authoritate Apostolica, alii authoritate S. Petri, alii decreto Papæ Childericum depositum, & Pipinum exaltatum testantur, postremus scribit, non ausos Francos Pipinum regem salutare, nisi prius sacramento per Pontificem soluerentur, quo regi Childerico tenebantur: & tamen Barclaius solita temeritate negat, authoritate, vel decreto Pontificis id esse factū. hoc solum supererat, vt cum Matthia Illyrico nostri temporis hæretico notissimo, & historico mendacissimo diceret, mendacium ac figmentum esse, quod nostri affirmant, à Zacharia Pontifice Regnū Francorū à Childerico in Pipinum esse translatum. Vide Illyricum initio libri, de translatione Imperii.

Miror ego, te tot tantique nominis repugnare Scriptoribus, quorum authoritatem sequutus Barclaius dixit, non modo nihil per se Childericum in negotiis Regni, sed neque aliquid per Præfectum Palatii administrasse. Neque enim Regis consilio ille Præfectus, siue Maior Palatii, sed suo ipsius ductu atque auspicio rem gerebat, ipsis Regibus omni regnandi authoritate destitutis. Dicis tamen de Childerico, siue Hilderico, *verum non est, eū solo nomine regem fuisse*. Verum non est, Bellarmine? audi grauissimos viros, illisque concede. Eginhartus in vita Caroli Magni ait, nihil illum habuisse, *præter inutile regis nomen, & precarium vitæ stipendium*. Author antiquissimus Annalium Franciæ, quos tu ipse *vetustissimos annales* vocas, ad Ann. 749. dicit, Merouingios *nomen tantum Regis, sed nullam potestatem regiam habuisse*, & hunc Childericum *falso regis nomine functum*. Aimoinus Lib. 4. cap. 61. *nomen tantum regis*, inquit, *sed nullam potestatem regiam habebant*. & paulo post. *Hildericus vero, qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est*. Regino, lib. 2. Chron. *Hildericus vero, qui falso rex vocabatur, attonsus est, & in monasterium trusus*. Otto Frisingensis Lib 5. Chronici Cap. 21. *Eo tempore Hildericus inane, vt supra dixi, regium nomen tenebat*. Gotfrid. Viterbiensis Parte 17. Chronici, ait, eo tempore *Francorum reges solo nomine regnasse*, & paulo post, eos *inane nomen regis habuisse*: tum de Childerico, *stabat in rege sola nominis vmbra*. Abbas Vrspergensis in Chroni. Ann. 751. dicit de Merouingis illis vltimis; *nil quicquam clarum in se, præter inane regis vocabulum præferebant*. & de hoc ipso Childerico scribit, in Chron. Ann. 753. *Hildericus vero qui falso regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est*. Abbas Stadensis iisdē prorsus verbis ad Ann. 751. & 754. dicit nihil tunc Merouingios habuisse *præter inane regis vocabulum*, & Childericum *falso regis nomine functum*.

Quid tu ad tot & tantos? At, inquis, *paulo post scribit grauissimam iniuriam Childerico factam esse à Zacharia Pontifice, & à Pipino Principe, cum regno deiectus est. At quæ iniuria fieri poterat ei si absque vllo iure falsum regis nomen gerebat?* Imo repono, nullibi à Barclaio scriptum *grauissimam iniuriam Childerico factam*: Ait tantum; *magna nobis causa dubitandi de illius facti æquitate relinquitur*, & mox; *nihil proponit* Bellarminus *cur non sapientissimus quisque iniustum id fuisse assereret.* Probat denique nihil ab hoc exemplo trahi posse ad confirmationem potestatis Papæ in Principes, etiamsi, inquit, *demus factum illud fuisse iustissimum.*

Liquet vero, Bellarmine, stare hæc simul posse, vt & Childericus solo nomine Rex fuerit, & tamen iniuriam illi fecerint, qui hoc nomen ademerunt. Id enim hæreditarium saltem habebat, vt diceretur Rex, & nomen eius in fastis Regiis poneretur: vt Legatos exterarum gentium audiret, *eisque abeuntibus responsa, quæ doctus erat, aut iussus, ex sua velut potestate redderet*, vt etiam *chartæ & priuilegia eius nomine scriberentur*; vt denique *in loco eminenti sedens semel in anno à populo visus publica dona solemniter sibi oblata susciperet*: vt tradunt Eginhartus, Marianus Scotus, Abbas Stadensis, Vrspergensis &c. Licet ergo inani Regis nomine frueretur, tamen istas vt sic dicam prærogatiuas habebat, quæ vt illum absolute Regem non faciebant, ita nihilominus eripi iure non poterant. Si Venetorum hodie Duces non electione, sed iure nascendi, ad illius dignitatis nomen ascenderent: quis non illi familiæ iniuriam fieri diceret, à qua hoc succedendi ius tolleretur? Num illis tamen vera, & quam nomen præfert authoritas?

Restat ostendere, Præfecto Palatii, siue maiores domus, ante Childericum depositum, vere Regia dignitate potitos, imo sæpe & nomine. Sic igitur Gregorius III. Pontifex in Epistola, cuius initium *Doctoris omnium gentium*, ad Bonifacium Archiep. Mogunt. de Carolo Martello, *ad centum millia animas* Deus *in sinu sanctæ matris Ecclesiæ, tuo conamine, & Caroli Principis Francorum, aggregare dignatus est.* Aimoinus lib. 4. cap. 57. de Carolo Martello, qui maior domus fuit, *Rex Carolus salubriter remeauit ad propria, in terram Francorum, solium Principatus sui.* Idem lib. 4. cap. 59. *Carolomannus itaque, & Pipinus, Francorum regno potiti, &c.* Marianus Scotus, de eodem Martello, lib. 2. Chron. *Carolus senior filius Pipini senioris, anno regni sui vicesimo septimo moritur Parisiis, & apud sanctum Dionysium sepelitur, cuius filii Carolomannus & Pipinus, sub obtentu Maiordomatus totius Franciæ regnum suscipiunt, & inter se diuidunt.* Otto Frisingensis libro quinto cap. 15. de Pipino patre Martelli, *In Francia solo nomine regnante Dagoberto iuniore, Pipino vero maiore domus omnem regni honorem habente.* Immensus sum, si singulos referam qui potestatem Regiam scribunt tunc penes Præfectos Palatii constitisse; Sed & diserte Sigebertus, eos ipsis Regibus imperitasse; Ait enim (in *Chronograph. ad Ann.* 750.) Childericum in Monasterium trusum *post annos circiter octoginta octo postquam maiores domus cœperunt principari super reges Francorum.*

Habemus igitur, Bellarmine, verum esse quod scripsit Barclaius, *binos tunc quodammodo reges fuisse in Francia*, quorum ille solo nomine Rex fuerit, hic autem potestate. Hinc disputationis facilis nodus. Nam Pipinus cum ipsum nomē Regis ambiret, & haberet proclinia procerum vota, suo & Francorum Principum nomine legatos Romam misit, sciscitatum à Zacharia Pontifice, *vter Rex potius dicendus videretur, an qui solum regis nomen obtinebat, an qui reuera negocia Regni gerebat.* Hæc erat legationis summa, vt Scriptores vno cōsensu docent, Regino lib. 2. Marianus lib. 3. Otto *lib. 5. cap. 21. & 22.* S. Antonius 1. *part. hist. titu. 14. cap.* 1. Abbas Vrspergensis ad *Ann.* 751. Imo, vt refert Rob. Gaguinus, in Pipino, *vter ad rempublicam gerendam potissimum idoneus ex regibus esset: isne qui ocio domi tempus contereret nihil agens, nihilque omnino curans, an qui industria virtuteq. publica negotia moderaretur intentus atque solicitus.* Audi Bellarmine, *vter ex regibus* Respōdit Pontifex, vt testantur iidem authores, *melius sibi videri illum regem vocari, qui potestatē haberet, quam illum, qui sine regali potestate manebat.*

Non hic igitur quæstio, an Rex legitimus abdicari per Pontificem possit, nec de hac re aut interrogant Galli, aut Zacharias papa respondet; Tantum quæritur, vter Rex ex duobus dicēdus sit; Neque Pontifex dicit, Childericum esse quidem verum Regē, sed Apostolica authoritate deiiciendum; Sed rescribit, Pipinum reuera esse Regem, ideoque & regis nomine, tanquā iusto & legitimo decorandum. Hoc autem non magis ad nostræ disputationis institutum, quam vinum in Ceteris sacris. Quærimus an Rex verus & legitimus dignitate spoliari per Pontificem possit; ibi autem actum est, vter Rex esset: nec edixit Pontifex se regem abdicare, sed quis vere Rex esset, ostendere. At dices; disputari potuit pro Childerici iure, & argumenta in Pipinum afferri. Fateor, neque quæro, recte hic an secus Pontifex, sed satis est, Zachariam in hac causa nullum dedisse vestigium huius, quam propugnas, indirectæ potestatis, cum nusquam edixerit *se regem deponere*, aut *ius deponendi habere*, neque illius potestatis tunc aut quæstio fuerit, aut mentio; sed hoc tantum, *videri sibi regem illum esse cui regia incumberet cura.* Apage igitur hoc exemplum Childerici, a nostra disputatione alienum.

At, inquis, multi authores scribunt, Pipinum authoritate Apostolica Regem factum. Aiunt certe. Nimirum, quia Frāci de facti æquitate anxii, a pontifice quæsiuerunt quid agendū videretur, illius authoritatē in re dubia & obscura sequuturi, hæc autem res anxia, non erat, *verum Papa posset regem deponere*, sed *vter Childericus an Pipinus, quorum ille regis nomen habebat, iste autem potestatem pro rege habendus videretur.* Hæc enim quæstionis & legationis Francorum ad pontificē summa erat, vt paulo ante ostendimus.

Rescri-

Rescripsit Zacharias, illum qui regni negotia gereret, Regem dici oportere. Ecce vt Pontifex nihil agit, sed quid agendum sit, Francis ostendit: vnde Trithemius in Compendio Annalium; *Hildericus*, inquit, *Rex Francorum tanquam inutilis Regno, de vnanimi omnium procerum consensu, Zacharia quoque Papa Romano præstante consilium, à regno deiicitur.* Et Gotfridus Viterbiensis Chronic. part. XVII. *Reuersi sunt igitur*, inquit, *Pipini ab vrbe legati, & omnis Gallia consilio Papæ Zachariæ libenter consensit.* Cæterum id auctoritate Pontificis actum dicunt, quia, vt recte Barclaius, eius potissimum auctoritatem Galli Principes intuebantur; non vt ipse Pontifex ea auctoritate, quem vellet, deligeret Regem, sed illis renunciaret liberum esse, vt à Childerico deficerent, tanquam qui iam antea Rex non esset, & Pipinum Regem dicerent, tanquam qui iam antea vere Rex esset. Qui porro id scribunt Pontificis iussu factum, aut loquuntur omnino improprie, vt ex tot authoribus modo probauimus, aut aliud nihil volunt, nisi Pontificem, quum ex relatione Francorum cognouisset esse Pipinum verum eorum Regem, imperasse eo modo, quo potest spiritualis pater, vt ius suum cuique redderent; verum Regem veris honoribus cumularent. Sed longe aliud, Bellarmine, imperare vt ciues vero Regi pareant, & illum deserant qui falso Rex appellatus sit, aliud vero, posse Regi legitimo principatum adimere. Nulla hic, inquam, alia iussio. At nec iussio proprie, sed tantum, vt plurimi tradunt, consentiente, consulente, authore Pontifice, à Francis res peracta. Vnde author antiquus, tractatu cuius initium *Rex pacificus*, de potest. Papæ. *Ad tertium*, inquit, *quod dicitur de Zacharia Papa, qui deposuit regem Franciæ, dicendum quod non est verum: nunquam enim permisissent Barones Franciæ. Vnde & Ioannes in apparatu Decretorum super illud verbum, deposuit, glossat, id est, deponentibus consensit. Et certe secundum veritatem historiæ magis deberet glossari, deposuit, id est, deponere volentibus consuluit.* Ita Iac. Almain, in tract. de suprem. potest. Eccl. & temp. quæst. 2. cap. 5. *Iam respondendum est ad capitulum, Alius, & dico quod sic intelligitur, Zacharias deposuit regem, id est, deponentibus consensit. Vnde tunc temporis non erat adhuc vniuersitas Parisiis, quia tempore Caroli magni fundata est, & sic pauci erant docti in Francia, & habuerunt recursum ad Papam, & sic*, DEPOSVIT, *id est, consuluit vt posset deponere & sic nō deposuit authoritatiue.* Ioan. Maior paulo aliter, sed pro nobis nihilominus, in 16. Cap. Matthæi, *forte*, inquit, *dubii Principes Franciæ, rempublicam repræsentantes, dederant authoritatem Zachariæ, vt faceret quod expediens videretur, & ipse declarauit regem deponendum, & ipse deposuit authoritate ei concessa.*

Sed nec magis iussit Zacharias, vt Childericus nominatim deponeretur, quam vt Pipinus nominatim Regiis ornaretur insignibus. Atqui, vel ex vestra sententia, non potest Pontifex iubere nominatim, vt ad suum libitum, hic aut ille constituatur Rex, sed debet, vt dicis, *vel successioni, vel electioni locum dare.* Ergo vel prætergressus Zacharias potentiæ suæ metas, vel credebat, iam ante suam sententiam, & Pipinum ius ad Regnum habere, & Childericum non habere. Longe autem, vt monuimus, propositiones hæ diuersæ, *Pontifex consulitur a dubitantibus Francis, quisnam è duobus veluti candidatis rex verus sit*: Et; *Pontifex potest vero & legitimo regi abrogare imperium.*

Sed nec mirum, Childericum tam facile in monasterium esse detrusum, quippe quum tam Papa, quam Franci in Pipinum consentirent, Francis illius virtutem amantibus, pertæsisque Childerici: Papa autem (Platinæ verbis) *accepti beneficii & veteris beneuolentiæ memore*, Factum est vt & Papa gauderet, hanc ad se quæstionem delatam à Francis; gauderent quoque Franci votis suis annuisse Pontificem, ne id temere viderentur, sed Apostolico peregisse iudicio. Res itaque vno consensu acta. At si Pontifex aut adimere Gallis inuitis Regem, aut inuisum voluisset imponere, longe illi, mihi crede, suæ Sedis auctoritas, neque tunc minus Franci, quam Philippi Pulchri temporibus, aut Ludouici XII. libertatis & nominis meminissent. Vnde Ioannes Maior in 16. cap. Matthæi, ita de Zacharia Pontifice, *Non credo quod tentauerit Francum sine consensu regni à regno deiicere. nec fors in hoc potuisset,*

Ex his patet quam parum sit in Barclaium, quod authores à te producti de auctoritate Pontificis meminerunt. Sed & liquet hanc totam de Childerico historiam, nequaquam ad illam, quam nunc inter nos agitamus, quæstionem pertinere,

Nunc ad singula quæ obiicis veniendum, iam tamen, vt plurimum sat diluta. Dicis *omnes authores cum laude hanc historiam narrare.*

Imo authores factum ipsum, vt plurimum, neque laudant, neque vituperant: tantum Merouingorum ignauiam, & Pipini animum dignis verbis exponunt. neque, vt monui, nostra interest, æque res an inique acta sit: id est, nū prætextus ille sat fuerit ad deiiciendum Childericum, quod Pipinus Regia administraret negotia, & ideo iustus Rex videretur: non interest, inquam, nostra, cum non à Pontifice quæsitum sit, vtrum abdicari Rex posset, sed vtrum Childericus vere Rex esset.

Addis, *Childericum non subditi eius, sed Pontifex qui superior erat, iure deposuit. non enim Zacharias solum assensum præbuit in depositione Childerici, sed ex authoritate eū deposuit.* Paulo ante ostendi quo sensu hæc Zachariæ accipienda authoritas. Quod autem Childericum deposuerit tāquam vere regnantem, sed Regno indignum, iam antea falsi conuicimus. quid apertius etiam quam quod legatis respondit è Francia missis, *melius esse illum vocari regē apud quem summa potestas consisteret, & vt Pipinus qui potestate regia vtebatur etiam nominis dignitate frueretur?* Depositus igi-

tur Childericus si à Regno, certe non vt à Regno, sed vt ab aliquot honoribus, qui non illi, sed vero Regi deferendi censebantur. Quod autem Pontifex non sit, vt ais, superior Regum in temporalibus, sat superque hoc libro disceptatum.

Venis ad argumentum ab euentu: quia felix à Merouingiis ad Carlouingios Regni translatio. Ridenti tam vanum argumentum Barclaio, respondes argumentum a solo euentu fortuito parum valere; sed, inquis, argumentum tamen a felici euentu ex prouidentia Dei non parum valet. Responsio, ita me ames, ipso argumento futilior; cum restet quæstio, vtrum euentus hic felix sit ex illis, quos dixisti a solo euentu fortuito esse, an ex iis qui ex prouidentia Dei.

De Hugone Capeto nil disputo: sat mihi, & authores esse multos, qui hunc damnent; & neminem hodie non fateri, successores illius veros & legitimos Reges. Miror tamẽ cur scripseris: *Gaguinus non dicit per summum scelus id ab Hugone factum fuisse.* neque enim dixit Barclaius id à Gaguino dictum. Verba Barclaii, *vnde Gaguinus eum Regni vsurpatorem vocat.*

Pergis ad contumelias. Duxisti argumentum à Bonifacii sanctitate, qui Pipinum iussu Zachariæ Regem inunxit. Respondet Barclaius, illum nudas executoris mandati Apostolici partes in eo negocio egisse, quippe, inquit, tenebatur Papæ sententiam exequi, licet sciuisset eam esse iniustam, Cap. *Pastoralis.* §. *Qui vero, de offic. iud. delegat.* Hic insanum exclamas, *hoc dictũ non plebeium aut puerile, sed plane hæreticum esse.* Bona verba. Audi Pontificem Innocentium III. in illo Capite, Pastoralis: *Quia vero sæpe contingit, quod executio sententiæ ordinario demandatur, quæsiuisti, an si ipsam iniustam esse cognouerit, debeat eam executioni mandare: an sit ei potius subsistendum: Attendentes itaque quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem, Respondemus, quod cum ordinarius tentatur obsequi delegato, & si sciat sententiam illam iniustam exequi, nihilominus tenetur eandem: nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat.* Quid nunc? an hæreticus Pontifex? An hæc sententia in expressum, vt iactas, Dei verbum? Sed interpretationem affers ex glossa, eo modo (ignosce Bellarmine) vt credam te hanc glossam vix legisse. *Quia iuste,* inquis, *a lege inductum est, vt ii qui in tempore præscripto non appellauit, aduersus eum sententia proferatur, etiam si alioqui iustam causam habuisset.* vt omittam te mutare verba glossæ, eruditius multo loquentis, nempe sententiam exequutioni mandari, nisi quis intra præscriptum tempus appellet: certe glossa nõ dicit, Pontificem isto paragrapho, *Quia vero.* de hoc ipso casu esse locutum, hominis scilicet non appellantis ab iniqua sententia, sed hunc casum cum aliquot aliis ipsa glossa in exemplum attulit, vt probaret in pluribus verum esse, quod Pontifex scripsit, nempe iniustæ sententiæ executionem sæpissime esse iustam. Aliqua, inquam, profert exempla. At vero non addit, illos tantum casus esse, quibus iniusta sententia sit exequutioni mandanda. Imo aperte distinguit inter merum executorem, & mixtum: Mixtum executorem vocat, qui potest de causa cognoscere: merum autem, quando Iudex, quispiam de causa cognouit, *mandat alicui quod sententiam exequatur.* Et hunc merum executorem dicit non debere audire exceptiones, sed omnino sententiam exequi, etiam *si sciat illam sententiam latam iniustam, id est contra ius litigatoris latam, quia super hoc nullam habet cognitionem, vnde illam debet tantum simpliciter mandare executioni.* At, inquis, eadem glossa monet, *quod non semper obediendum est iudici, si euidenter iniquum est mandatum ipsius, siue contra ius.* Recte; nam si iudex contra iuris rationem iuberet alicui damnum inferri, nimium vel præcipitari executionem citra tempus damnato concessum à iure, vel aliud quidpiam fieri præter ipsam sententiæ executionem, tunc *non obediendum est Iudici.* At vero ipsa executio sententiæ, licet iniustæ, iusta est, propter illam rationem, *quod non cognitio, sed executio tantum demandatur.* Intellige, si eiusmodi Iudici mandetur executio, qui mandanti subiectus, superioris imperium non potest auersari, liquet ex S. Gregorio magno, qui promulgare iniquam ab Imperatore legem iussus, nequaquam repugnauit. *Ego quidem iussioni subiectus,* inquit, *eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime cõcordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimo Domino nunciaui.*

Sed & imponis Barclaio. Ais eum scribere, *S. Bonifacium non peccasse exequendo mandatum Pontificis, quamuis Zacharias mandando peccauerit.* Atqui non firmat Barclaius peccasse Zachariam, sed sic tantum, *licet peccauisset Zacharias.*

Quod ad cætera in Barclaium maledicta, iam dudum professus sum ea me Christianæ charitati, & tuæ senectuti donare. Mauult tanti viri anima me hæredem suæ mansuetudinis, quam tuæ iracundiæ esse vltorem.

EPILOGVS.

CVM exempla sex, inquis, Barclaius frustra refutare tentasset, reliqua sex, quæ supererant, aut volens prætermisit, quod ea clariora esse intelligeret, quam vt cauillationum suarum tenebris obscurari possent: aut morte præuentus inchoatum opus dimittere coactus est inuitus. Vt cumque sit, defunctus opere & vita, apud eum Iudicem constitutus est, quem nemo potest fallere, & apud quem Principum gratia neminem iuuat. Ego vero, qui ad tribunal eiusdem supremi Iudicis breui sistendus sum, hoc bona conscientia testari me posse cõfido, nihil à me scriptum in gratiam, nihil in odium. Scripsi quod verum existimaui, quod ab Ecclesia didici, quod ante me plurimi non solum docti, sed etiam sancti scripserunt. Neque vltra in hanc arenam descendi, sed lacessitus ab homine mihi ignoto, coactus sum defendere senex, quod scripsi iuuenis. Quod si Pontificiam potestatem

potestatem

testatem, & scripta mea ita defendi, vt oportebat, quod efficere vehementer optaui, Deo in cuius manu sumus nos, & sermones nostri, gratias humilimas ago: sin contra accidit, & in aliquo, aut in multis, pro humana imbecillitate defeci, ab illo veniam peto, qui suauis, & mitis est, & multus in misericordia omnibus inuocantib. eum. Ecclesiæ quoque, & ipsius Summi Pontificis, Christi Vicarii, censuræ non solum præsens opusculum, sed omnia scripta mea libens, & volens submitto.

Nisi mores iam effœtum & annis & labore Barclaium vitæ meliori transcripsisset, non fuisset quod exempla sex, quæ apud te supersunt, querereris, aut iactares, omissa. Sed ne lectoris animus, semper de iis quæ absunt angustius iudicantis, suspicetur in iis vires tuæ causæ consistere, ecce illa sex. Primum est, translatum a Leone III. Imperium a Græcis in Germanos, de quo supra egimus, Capite 4. §. 6. Secundum, *Gregorii V. qui sanctionem edidit de Imperatore eligendo per septem Germaniæ Principes*. huic argumento ibidem respondimus. Tertium *Gregorii VII. qui Henricum Imperatorem deposuit*. De hac re passim a nobis actum. Quartum Innocentii III. qui *Ottonem IV. deposuit*. Respondimus *Capite* 2. §. 7. Quintum Innocentii IV. qui *Fredericum secundum deposuit*. Id exemplum à nobis in *Prolegomenis* supra excussum, *Num.* 77. Vltimum Clementis VI. qui idem in Ludouicum IV. egit. Scimus inimicitias, quæ inter Imperatorem illum, & aliquot Pontifices. Ante Clementem VI. iam in illum detonuerat Ioannes XX. & Benedictus XII. Neque tamen Orthodoxi ab Imperatore defecerant. Ex professo etiam eius patrocinium susceperunt. Quicquid sit, his exemplis, non quid fieri debuerit, sed quid factum, ostenditur. Potuisses addere Iulii secundi censuras in Reges Galliæ & Nauarræ, Pauli III. in Henricum VIII. Angliæ Regem, Pii. V. in Elizabetham. Nec negamus Pontifices aliquot id potestatis vindicasse, sed quærimus, quo id iure. Ita de Christianis Imperatoribus loqueris, vt ante retulimus, qui *sæpe iudicauerunt ac deposuerunt Pontifices*. (Lib. 2. de Rom. Pont. Cap. 29.) *Respondeo, hæc quidem facta sunt; sed quo iure ipsi viderint*. Nec mirere, quod communi consensu Principes, opibusque communibus, parum hos Pontificum conatus refutarunt. Nihil tam solute negligitur, quam quod à pluribus procurandum. Vt quemque afflauerat triste hoc sydus, is quidem suæ defensioni incumbere, hortari cæteros, ne communem proderent causam. Sed vt plurimum frustra; maxime cum ex vnius exitio præda multis accederet. Securi itaque de futuris turbinibus Reges, aut hunc metum non tanti putabant, vt præsentem ideo pacem vllo in Pontificem motu turbarent, aut etiam ex alienis malis accessionem suis opibus indignissima lite quærebant. Imperatores præcipue, quorum fastigium cæteris suspectum Principibus, huic tempestati relicti, cum Reges firmiora sibi sceptra crederent, si non posset Imperator idoneis viribus respicere ad magnitudinem decessorum. Dabo Friderici. II. diploma, vnde illorum temporum statum videas, calamitatem imperii, & dignum qui iuuaretur Principem, saltem ad reconciliationem cum Ecclesia, nisi illæ, quas retulimus, causæ, Regum animos ab his curis auertissent.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, Vniuersis præsentes literas inspecturis per Regnum Franciæ constitutis dilectis sibi, salutem, & omne bonum. Cum per aliquos retroactos Romanæ sedis Antistites, & præsentem, nos & alios Reges, Principes orbis, & Nobiles, Regna, Principatum, honores quoslibet, & iurisdictionem habentes grauatos merito censeamus, Ex eo quod ipsi contra Deum & Iustitiam, posse sibi iurisdictionem & auctoritatem vsurpant instituendi & destituendi, seu remouendi ab Imperio, Regnis, Principatibus, & honoribus suis Imperatores, Reges, & Principes, seu quoscunque Magnates temporalem auctoritatem in eos temporaliter exercendo, absoluendo etiam à sacramentis, quibus dominis suis vassalli tenentur contra dominos, excommunicationis tantummodo sententia promulgata. Quodque quæstione siue discussione, inter dominos & vassallos, seu inter duos nobiles & vicinos inuicem contendentes, prout assolet, emergente, prædicti summi Pontifices ad petitionem vnius partis tantummodo partes suas temporaliter interponunt, volendo ipsos inuitos in se compromittere, vel aliter ad concordiam coercere, & alligando se fidelibus contra dominos, aut vni de partibus supradictis, quod non prius pacem cum aliis faciant, quam alligatos sibi ponant in pace, recipiendo similiter promissionem de non faciendo pacem cum dominis à vassallis. Item in eo quod prædicti Summi Pontifices, in præiudicium iurisdictionis, & honoris, Regum, & Principum prædictorum, ad petitionẽ Clericorum, seu Laicorum, cognitionem causarum de rebus temporalibus, possessionibus feodalibus, seu burgensaticis, in Ecclesiastico foro tractandas recipiunt, & committunt. Ecce quod nos ad prædictam iniuriam documentis euidentibus ostendendam, & ipsam à nobis in eis rationabiliter remouendam, Magistrum Petrum de Vinea, magnæ curiæ nostræ iudicem, & G. de Ocra Clericum, dilectos fideles nostros, ad Ludouicum Illustrem Regem Francorum, carissimum amicum nostrum prouidimus destinandos, affectuose rogantes, ac ob tuitionem, & conseruationem iurium nostrorum, & Imperii, Regum aliorum, & Principum, seu quorumcunque nobilium, efficaciter requirentes eundem, vt congregatis coram se Laicis Paribus regni sui, aliisque nobilibus tanto negotio opportunis, per se cum eis super omnibus prædictis & singulis audiat iura nostra. Cæterum si ipse prædicta non duxerit assumenda, cum nos qui auctore Domino Romani imperii, Regnorum Hierusalem & Siciliæ moderamur habenas, tam enormem iniuriam & tam informem vsurpationem diebus nostris tolerare nolimus, Regem eundem iusta precum intercessione rogamus, quatenus nobis causam nostram, suam & aliorũ Principum viriliter prosequentibus se contrarium non opponat, nec de regno suo aliquos Laicos, seu Clericos, temporaliter nobis opponi permittat, nullumque præsenti summo Pontifici, seu successoribus suis, contra nos, discrimine præsenti durante, in regno, vel de regno suo præ-

fugium seu receptaculum tribuat, aut tribui patiatur. Porro si forsitan Rex prædictus vna cum Parisiis & nobilibus regni sui prout tantum regem & regnum condecet, partes suas interponendas viderit in prædicto summumque Pontificem siue per iustitiæ debitum; vel modo quolibet, ad istud induxerit, vt velit prædicto grauamina nobis & aliis Christianis principibus irrogata, & id specialiter quod contra nos nuper in Lugdunensi Concilio statuit, quatenus de facto processit, cum prorsus de iure non valeat, reuocare. Nos ob honorem & reuerentiam Dei & Redemptionis nostri, nec non ob amorem quem ad regem & regnum Franciæ præcæteris singularem habemus, causam quæ inter nos, & summum Pontificem vertitur supradictum, quatenus contingit eundem in manibus ponimus regis eiusdem, parati omnia quæcumque per nos idem rex de Consilio Parisiis nobiliumque suorum visis & diligenter auditis nostris & Imperii iuribus, Ecclesia viderit emendanda, corrigere, & in statum debitum integre reformare, ac deinde pace per hoc inter nos, & Ecclesiã procedente, & vel quia Longobardorum prout tenentur & debent, vel & mandatum nostrum & Imperii redeuntibus, vel prorsus ab Ecclesiæ defensione seclusis, promotos nos offerimus, & paratos, vel prædicto rege ad defensionem Christianitatis & statum pacificum conseruandum in cismarinis partibus remanente, vel vna cum eo, si hoc melius viderit eligendum, ad Transmarinas partes per nos, aut Conradum carißimum filium nostrum Romanorum in regem electum, & regni Hierosolymitani heredem, omine prospero transfretare ad hoc nos obligantes specialiter, & expreßim Quod vel cum rege Franciæ siue sine eo terram totam Hierosolymitanam, & quicquid vnquam à diebus antiquis regno Hierosolymitano pertinuit, ad proprietatem & ditionem regni ipsius, & Christianitatis cultum, nostris, Imperii, & regnorum nostrorum viribus, laboribus, & sumptibus curabimus reuocare. Nihilominus tamen, si forte quod absit, discrimen præsentis discordiæ inter nos, Ecclesiam, & Lombardos durare contigerit, prædicto regi, ac omnibus cruce signatis, cum eo quatenus præsentium negotiorum & temporum qualitas patitur, & tempestas, præsidia nostra, terra marique, tam in nauibus, quam victualibus, promptis affectibus offerimus per præsentes, superque omnibus & singulis supradictis, quæ præsentium series continet literarum, auctoritatem & mandatum plenum prædictis Magistro Petro de Vinea, & G. de Orca duximus conferendum, ratum habentes, & firmum, quicquid per eosdem in his pro parte nostri culminis extiterit ordinatum.

Datum Cremonæ vicesimo secundo Septembris, quarto indictionis.

Cæterum & Barclaium iam ad diuinum Iudicem obitus stitit; te quoque felix vt spero & tarda mors, certa tamen & necessaria, tradet illi tribunali, Bellarmine Spero & illi Iudicem fuisse propitium; & tibi futurum. Me quoque cum idem exitus exoluet, non pœnitebit huius operis; quod Optimo Maximo Christo deuotum, Ecclesiæ vtilitati confecto. Testis mihi animus, me quod verissimum, quod certissimum credidi, istis chartis euulgasse: nec quidquam habuisse antiquius, quam ne pietatis specie decepti, extinguamus pietatem.



